


8
8 N
5

SANCTI
AMBROSII
MEDIOLANENSIS
EPISCOPI
OPERA,

AD MANUSCRIPTOS CODICES VATICANOS, Gallicanos, Belgicos, &c. nec-non ad editiones veteres emendata,

STUDIO ET LABORE MONACHORUM Ordinis S. Benedicti, è Congregatione S. Mauri.

TOMUS SECUNDUS.





PARISIIS,

Typis & Sumtibus { Viduæ JOHANNIS BAPTISTÆ COIGNARD, Regis Typographi, ac Bibliopolæ ordinarii.
ET
JOHANNIS BAPTISTÆ COIGNARD Filii, Regis Typographi, ac Bibliopolæ ordinarii, via Jacobæa sub Bibliis aureis. }

M. DC. XC.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS.





PRÆFATIO

IN HUNC SECUNDUM TOMUM.



QUIDQUID universim ad Operum sancti Ambrosii castigationem pertinet, speciatim vero ad illorum librorum, qui volumine primo continentur, non ita perfunctorie in Præfatione ad idem illud volumen exposuimus, ut in hac iterari sine justo lectoris fastidio posse videatur. Hoc igitur loco tantum superest, ut circa eos Tractatus quibus hic tomus constat, tam qui legitimi sunt, ac vere Ambrosiani, quam qui suppositii & adulterini, aliqua expendamus, ac de illis insuper, qui temporis injuria interierunt, quædam dicamus.

Editis in tomo superiore iis libris, qui quodam suo jure ad scripturas divinas referuntur, in hoc ceteras Doctoris nostri commentationes exhibemus, eas nimirum quibus propriæ eximiis quibusdam christianæ vitæ generibus virtutes atque institutiones edocentur, & catholica dogmata vel enucleantur rudioribus, vel ab impietate hæreticorum defenduntur. Quibus scriptionibus cùm epistolas ejusdem Antistitis subjunxerimus, non secus atque Orationes ab eo in Satyri fratris, & imperatorum Valentiniani ac Theodosii funeribus habitas; ex his omnibus volumen efficitur cum ipsa varietate, ac diversarum ævi Ambrosiani sive in Ecclesia, sive imperio conversionum narratione jucundissimum, tum argumentorum queis bene multa fidei ac disciplinæ capita continentur, gravitate utilissimum. In cujus lectione illud contingit, ut utrum Ambrosii in sacris ministris ac virginibus instituendis pietatem, atque in propugnanda Christi & Spiritus sancti divinitate scientiam: an vero in exsequendis maximis rebus peritiam constantiamque magis mireris, prorsus nescias.

Cùm sicut in priore tomo, ita etiam in hoc singulis Operibus sua præmittatur Admonitio, qua eadem illa pro captu nostro examinavimus; superfluam rem hîc ageremus, si diutius in eorumdem excussione immoraremur. Ordinem porro in iis collocandis, quoniam ætatis & chronologiæ rationem sequi minime licuit, illum tenuimus, quem & argumentorum affinitas postulare visa est, & ab editionum superiorum syntagmate minus abhorrentem judicavimus. Ne vero cuipiam negotium facesseret necessario inducta mutatio, omnium tractatuum, qui hunc tomum componunt, syllabum una serie, & adnotata cujusque initiali pagina contextum, huic subjecimus Præfationi.

De notis nostris quæ hoc in tomo frequentiores sunt ac longiores, illud iterum admonebimus eas doctioribus scriptas non esse; quippe apud quos discipulorum nobis personam magis convenire quam præceptorum ultro fateamur. Verum cùm cerneremus in argumentis longe gravissimis difficultates atque salebras minime leves subinde occurrere, gratiam aliquam à novis Theologis speravimus nos inituros, si eorum causa scabros illos locos complanaremus, quos veterani illæso vestigio calcare solent. Etiamsi autem nobis vere simus conscii pro nostra virili connisos esse, ne vel transversum unguem à catholica fide recederemus; sicubi tamen, quæ humana infirmitas est, aliquid ei minus consonum protulerimus, illud delere non tantum lacrymis, sed etiam sanguine parati sumus. Quin hoc etiam profiteri licet, in iis

ipſis opinionibus, in quibus quam quiſque anteponat, ſibi ſtatuere maxime liberum eſt, caviſſe nos ſedulo ne ullis abrepti præjudiciis, uſquam à recto itinere deflecteremus.

Plurima quidem codicum veterum beneficio emendavimus reſtituimuſque in hoc volumine, ſed multo plura, quæ in numerum Operum Ambroſianorum dudum irrepſerant, partim omiſimus, partim rejecimus in Appendicem, rati ſcilicet iniquum fore ut glorioſum tanti patris nomen una cum legitimis liberis ſubditirii atque eodem prorſus indigni ſibi arrogarent. Enimvero non poſſumus ſatis mirari tot libros atque ſermones ſancto Doctori ſuppoſitos fuiſſe, qui ab ejus ingenio, ſtylo, ſæculo penitus abhorrent, & quorum etiam nonnulli inter aliorum ſcriptorum Opera circumferuntur. Sed hoc admirationem nobis incutit multo majorem, quod male feriati quidam homines adeo illuſerint fidei publicæ, ut aliquas commentationes, quas Ambroſii non eſſe liquido prodebat prima lectio, variis locis interpolarent, quo eas pro Ambroſianis ſecurius liceret obtrudere. Quod impoſturæ genus qua parte levius ſit eorum crimine, qui cuſos abs ſe adulterinos nummos bonis admiſcent, nemo dixerit.

Itaque ſubditirii illi fœtus duplici in ordine, ut jam indicavimus, conſtituti ſunt, omiſſorum ſcilicet & in Appendice comprehenſorum. Priores ideo cenſuimus prætermittendos, quod alibi cum aliorum auctorum ſcriptis, uti dictum eſt, editi quærentium diligentiæ facile occurrerent, aut rurſus quod per ſe leviſſimi ac nullius utilitatis, perinde editorum labore ac lectorum ſtudio indigni eſſent. Quod vero ad eos ex quibus Appendicem compoſuimus, illorum quoque gemina eſt ratio. Etenim vel ipſos editiones ſuperiores venditaverant tamquam Ambroſianos, & horum numerus multo major eſt: vel eoſdem quaſi ſubreptitios, aut ſaltem ſuppoſitionis admodum ſuſpectos in extremum agmen coegerant. Ex hac autem ultima claſſe quoſdam tractatus retinuimus; quos videlicet nec inutiles judicavimus, nec invenimus uſquam alibi in lucem datos. De his porro omnibus, ſicut & de quibuſdam opellis in hac editione primum vulgatis, nihil adjicimus; præfixa enim ſingulis ſcriptis ſua Admonitio, quidquid prædoceri lectoris intereſt, ſatis explicat.

Ut ergo ad Opera in editionem noſtram è ſuperioribus non admiſſa jam veniamus, quæ ex Gillotiana editione jam Romani repudiaverant, ea nos ſimiliter abdicavimus tamquam manifeſto ſuppoſititia. Tale eſt fragmentum *De Fide Reſurrectionis*, quod Gillotius legitimo Ambroſii de eadem materia libro etſi non ſine dubitatione aliqua ſubjunxerat. Sed numquam illud edi curaſſet, ſi ex epiſtola Hieronymiana ad Pammachium adverſus errores Johannis Hieroſolymitani conflatum eſſe deprehendiſſet. Tales etiam ſunt Meditationes ex archivis Cartuſiæ Pariſienſis, ut idem Gillotius teſtatur, depromtæ: quæ quidem omnes reperiuntur inter eas meditationes, quas apud Auguſtinum tomo IX. Lovanienſis editionis evolvere eſt, ſed non eodem tamen ordine. Exſtant hæ ipſæ in Appendice ad tomum VI. novæ editionis, quibus & præmittitur Admonitio, quam conſulere cuivis pronum eſt. Nec etiam diſſimiles ſunt his ſcriptionibus, immo ab Ambroſii charactere magis abhorrent breves epiſtolæ philoſophorum, quas tamquam à Viro ſancto è græca lingua in latinam verſas poſt Gilbertum Cognatum edidit Gillotius. Cum his rejecere iidem Romani ſecundam ex illis duabus epiſtolis de monacho energumeno, quas è codice uno Germanenſi, in quo tres libros Officiorum proxime ſequuntur, Gillotiana editio repræſentarat. Extra dubium eſt jure ſemotam illam epiſtolam, cùm non alia ſit ab epiſtola Gregorii Magni ad Januarium Calaritanum epiſcopum: ſed cùm altera lacinia ſit avulſa è fine libri de vitiorum virtutumque conflictu, cur eadem Romana editio illam retineret, nihil erat cauſæ. Illo accedit, quod neutra epiſtola Ambroſii nomen in codice noſtro inditum præfert; unde utriſque ex eo quod ſubjungantur libris Officiorum, male auctorem adtributum eſſe perſpicuum eſt.

Jam vero ut de iis tractatibus agamus, quos licet à Romana editione non repudiatos, à noſtra tamen duximus excludendos, libri *De Vocatione gentium* ordinem ducent. Hi quidem hactenus cum Operibus Ambroſianis editi fuerunt, ſed eos tamen

non esse Ambrosii tam constanter conveniunt critici, quam de vero eorumdem auctore dissentiunt. Ne porro singulas de illis opiniones hîc referamus, efficiunt duorum eruditorum hominum dissertationes, Quesnellii scilicet atque Antelmi; horum enim prior cùm eos libros inter Opera sancti Leonis edidisset, rationes quibus illos huic Pontifici arbitratus est adseri posse, in medium protulit: posterior autem injuriam Prospero suo fieri existimans, ipsius jura contra Quesnellium nuper defendit. Et hoc etiam cùm evenerit in *Epistola ad Demetriadem*, de eadem controversia, ubi de rejectis epistolis agendum erit, iterum dicemus.

Librum quoque *de Vitiorum virtutumque conflictu*, quem in calce tomi v. Romani ediderant, omisimus. Hunc quidem manuscriptorum alii Ambrosio nostro, alii Augustino, vel etiam Leoni adtribuunt, sed pari falsitate. Optime vero omnium codex unus Abbatiæ sancti Ebrulphi eum Ambrosii Autperti nomine inscriptum habet: cui Autperto in Appendice Tomi VI. Augustiniani ultimæ editionis, ubi exstat eadem illa disceptatio, argumentis nequaquam futilibus jam adserta est.

Sunt præterea in Appendice librorum Ambrosii quædam opellæ, quas in hac editione recudere superfluum duximus: ut puta, *Expositio fidei Symboli Nicæni contra Arrium & Photinum*, quæ tota è locis aliquot primi librorum sancti Ambrosii *de Fide* consarcinata est: item *Exhortatio ad pœnitentiam agendam*; quia cùm fere totidem verbis in Sermone 393. inter Augustinianos reperiatur, eam Ambrosio abjudicandam esse liquido patet. His item adde tractatum *De moribus Brachmanorum*, quem à nobis omissum nemo queretur, ut pote Ambrosio plane indignum. Denique abdicatorum ordinem claudet *Sermo de Purificatione sanctæ Mariæ*, quem etsi codices non pauci Ambrosio tribuant, & è veteri manuscripto, in quo præferebat nomen Alcuini, Cl. Baluzius primo Miscellaneorum suorum tomo ediderit, probabilius tamen videtur Ambrosii Autperti hunc sermonem esse. Nam præterquam quod sub ejus vocabulo vetustissimus codex Floriacensis illum exhibet, eumdem auctorem pulcherrimas in sanctos, & in hoc beatissimæ Virginis festum scripsisse homilias testificatur [a] Petrus Diaconus.

Et hæc de Operibus quæ aliquando inter Ambrosiana vel in eorum Appendice locum habuerunt, dicta sufficiant: quod vero ad ea quæ in voluminum sancti Doctoris editionibus nusquam leguntur, nunc ipsa expendemus. Citatur in Decreto ex Synodo Romana sub Gelasio pontifice habita [b] *Liber physiologus, qui ab hæreticis conscriptus est, & B. Ambrosii nomine præsignatus, apocryphus*; quem Hormisdas quoque prohibuit in Decretali: sed hic tractatus jamdiu evanuit. In bibliotheca Sanctigallensi apud Helvetios adservantur duo codices 1000. annorum, in quorum altero tractatus exstat sub hoc lemmate: *Liber sancti Ambrosii episcopi contra hæreticos*, cujus initium est; *David uno lapidis ictu*, &c. in altero autem alius tractatus ita inscriptus: *Liber sancti Ambrosii episcopi in laude sanctorum compositus*; cujus prima verba sunt: *Pertinere ad nos, dilectissimi fratres.* Utrumque autem Mabillonius noster dum Germaniæ perlustraret bibliothecas, rogatu nostro, describi curavit: sed cùm priorem, quem ex Parisino quoque manuscripto descriptum habemus, & pro Ambrosiano citatum videre est in Urbinatis Milleloquio, ad examen revocassemus, invenimus partem tantum esse Operis cujusdam semel atque iterum in *Bibliotheca Patrum* editi, primo quidem sub hac epigraphe: *Faustini episcopi contra Arrianos* &c. rursus vero sub ista: *Gregorii Bætici Illiberitani episcopi ad Gallam Placidiam Augustam.* Tametsi vero non defuerint, qui hac inducti inscriptione, id opusculum Gregorio tribuerent, melius tamen ab aliis Faustino adscribitur: sed hæc urgere non est hujus loci. Quod ad secundum horum tractatuum, quam & ille alienus sit ab Ambrosio, vel hinc intelligas, quod sermo quidam sit habitus ab episcopo anonymo, qui se ex Britanniis, ubi pacis conciliandæ gratia diu moratus fuerat, reducem esse aperte narrat. Illud autem eos qui hocce scriptum Doctori nostro rati sunt adscribendum, videtur decepisse, quod ejus auctor mentionem facit sanctorum Protasii atque Gervasii; quin etiam & Ambrosium ipsum alloquitur. Sed hoc ultimum sancti Antistitis orationem non esse abunde probat.

In codicibus bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani opellæ item aliquot habentur,

a. De viris illustr. Casin. cap. 13.

b. Distinct. 15. cap. Sancta Rom.

Doctoris nostri titulo prænotatæ, quarum nonnullas laudatus supra Mabillonius ejusque socius D. Mich. Germanus, Musea Italiæ solitâ rimantes diligentiâ, detexerunt, descripseruntque. Prima illarum est, quæ inscribitur: *Confessio fidei sancti Ambrosii*; incipit autem: *Sufficiebat fides conscripta apud Nicæam.* Sed hanc è Colbertino codice P. Jac. Homey Augustinianus Theologus edidit in *Supplemento Patrum*, jamque prius ipsam vulgaverat P. Quesnellius Operum sancti Leonis tomo 2. pag. 138. ubi Faustini nomen in fronte gerit. Rationibus iis quibus Faustino idem Quesnellius eam vindicat, & inter annos 379. & 381. adserit scriptam, nihil repugnat: contra vero ut eamdem Ambrosii esse existimemus, nihil suffragatur. Huic schedio iidem nostri Mabillonius atque Germanus alia duo etiam adjunxere, videlicet *Libellum Fidei*, & epistolam *de Pudicitia & castitate.* Libellus acephalus est, epistola vero decurtata posteriori parte; ac præterea tam crebris lacunis utrumque intersectum, ut quamvis à charactere Ambrosii minus recederent, vix tamen essent tanti, ut in iis edendis charta & opera impenderetur. Idem etiam judicium esto de quibusdam aliis scriptionibus, quæ in eadem bibliotheca feruntur inveniri sub his titulis: *De Primitiis offerendis, de Melioribus litigantibus*, & *adversus Astronomos*, quæ opuscula memoratis sodalibus nostris per angustias temporis, quo versati sunt Mediolani, expiscari minime licuit.

In Vaticana bibliotheca, præter scriptiones paucas, quas edidimus in Appendice, aliæ occurrunt adscriptæ Ambrosio; istæ nimirum, *De beato Petro & Simone mago*, quod fragmentum est libri 2. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Pamphili latine versum. Item, *De Pœnitentia Petri, De interfectione Agag, de Fide ad beatum Hieronymum*, & *Sententia in hominem pœnitentem.* Quæ quidem Sententia reperitur etiam in manuscripto Cisterciensi sub hoc lemmate: *Tractatus sancti Ambrosii episcopi de Pœnitentia*; & in Appendice Operum beati Hieronymi sic prænotatur, *Epistola sancti Hieronymi ad quemdam, qui in sæculo pœnitebat.* Reliquos vero memoratos tractatus forte apud alios auctores reperient ii, quibus otii satis suppetet: nobis autem illud sufficit, quod ex lectione apographorum quos hîc habemus, Ambrosii non esse certo cognovimus.

Gallicanæ bibliothecæ quasdam similiter scriptiunculas jactant in Ambrosii Operibus numquam editas, sed Ambrosianam mentientes nuncupationem. Hujusmodi quippe sunt in Regia sermones *de Eucharistia, de Cæco nato, de Pace, de falso amico*, & *contra eos qui animam non confitentur esse facturam, aut eam ex traduce esse dicunt*: in Colbertina sermones *in Nativitate B. Mariæ, ad habitantes in cœnobiis*, & *de malitia carnis*: in aliquibus etiam provinciarum bibliothecis talia scripta pseudonyma reperiuntur, cujusmodi est *epistola sancti Ambrosii ad Hilarium.* Sed cùm horum omnium ac similium, eruditis qui forte in illa inciderint, vix ullum possit imponere, statimque agnoscatur suppositio; nihil hîc addendum esse arbitramur.

Verum tamen silentio prætereundæ non sunt commentationes duæ, in Ambrosianarum quidem corpore numquam, sub Ambrosii tamen titulo alibi editæ. Altera habetur apud Bollandum XIII. Kal. Febr. sub hac epigraphe: *S. Sebastiani Mart. Acta, auctore sancto Ambrosio episcopo.* Sed critici omnes judicii limatioris mendacem hanc esse inscriptionem nullo negotio deprehenderunt. Et sane multo minus ingenii præferunt Ambrosiani, quam Acta vel sanctorum Protasii ac Gervasii, vel sanctorum Vitalis atque Agricolæ; quæ tamen non immerito in Appendicem à nobis rejici loco suo clare ostendetur. Unde mirum fit quomodo errare in hoc potuerit vir doctissimus.

Duorum autem Operum quæ indicabamus, alterum est *Historia Egesippi de bello Judaico & excidio Hierosolymitano.* Eam historiam non tantum editiones quædam Ambrosio tribuunt, sed etiam nonnulli manuscripti. Exempli causa quartus ex quinque libris ejusdem sic inscribitur in codice Carmelitarum Claromontanorum: *Sancti Ambrosii episcopi dispersionis Judæorum Flavii Josephi historiographi capitulum quartum.* Huc etiam accedit Cassiodori testimonium, affirmantis ætate sua Josephi versionem exstitisse [a] *ab aliis quidem sancto Hieronymo, ab aliis Rufino, ab aliis vero deputatam Ambrosio.* Atqui eam non esse Hieronymi discimus ex ipsiusmet epistola ad Lucinium Bœticum, ubi profitetur ex historia ejusdem Josephi nihil à se esse translatum: neu

[a] De Instit. Div. Litter. cap. 17.

autem Rufino illam addicamus, vel sola elocutio videtur prohibere; atque hoc pacto tota probabilitas ad Ambrosium redit. Quibus addi insuper possunt non paucæ locutiones auctori sive interpreti dictæ historiæ cum Antistite nostro communes, quas diligenter abs se collectas inter se contendit Gronovius. Verum facile respondetur huic argumento comparationem istiusmodi fallacem esse; cùm ex auctoribus diversissimis loquendi formulas inter se affines hinc inde resecare & componere cuivis promtum sit. Solvi autem haud ægre potest auctoritas Cassiodori; aut enim ille hanc historiam non indicavit, quippe quæ non septem libris constet, sed tantum quinque; nec tam librorum Josephi sit tralatio, quam compendium, sæpe etiam aliunde petitis narrationibus interpolatum: aut si maxime hanc ipsam designavit, quotidie fieri nemo negabit, ut incognito alicujus rei auctore vero, eidem plures vulgi opinione substituantur ex æquo falsi. Credibile autem est ex eadem illa fama vulgari ab audaculo aliquo quibusdam codicibus Ambrosii nomen fuisse adscriptum; unde postea magis hic error fuerit propagatus. Certe quidem in hoc Opere nihil inest Ambrosiani neque styli neque judicii. Sed nec facile à nobis quisquam extorquebit; ut à rebus seriis credamus Ambrosio tantum vacasse, quantum necesse erat scribendis non modo his quinque libris, sed etiam aliis quatuor quos ex totidem Regum abs se compositos auctor memorat. De vocabulo autem *Hegesippi* ita sentimus id factum esse περὶ τοῦ Ἰωσήπου, at librarios loco Josepi sive Josipi, sub quo latere auctor voluit, corrupte Hegesippum seu Egesippum supposuisse.

Verùm ut huic parti modum ponamus, optandum esset ut pro tot libellis Ambrosii nomine perperam inscriptis omnes legitimos illius fœtus majori fide & sedulitate antiquitas nobis servasset, ac transmisisset. Eorum porro quos desideramus, in capite collocanda sunt *Commentaria in Esaiam prophetam*, è quibus non solum plurimos locos apud Augustinum legere licet, citatos adversus hæresim pelagianam: sed quorum etiam mentionem facit ipsemet Ambrosius[a] *in Expositione Evangelii secundùm Lucam.* a. *Lib. 2. num. 56.*

Excidit quoque aliud eximium opus Ambrosii nostri similiter ab Augustino magna cum laude commemoratum; de illo quippe ad Paulinum Nolanum scribens, ita loquitur: [b] *Libros beatissimi papæ Ambrosii credo habere sanctitatem tuam, eos autem desidero,* b. *Epist. 31. novæ edit.* *quos adversus nonnullos imperitissimos & superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissime & copiosissime scripsit.* Hoc ipsum Opus alio atque alio modo variis locis idem allegat; interdum enim illud nominat, *de Sacramentis sive Philosophia*: interdum, *de Sacramento Regenerationis, sive Philosophia*: nonnumquam etiam simpliciter, *de Regeneratione*: alicubi demum, *de Philosophia adversus Platonem.* Dolemus sane hanc pulcherrimam disceptationem interiisse; nobis tamen solatii non minimum est, quod restant adhuc Opera bene multa, in quibus temerarios illos, omni nata occasione, confutare ac contundere numquam omittit, ut suis locis declaravimus.

Haud satis adsequimur, quo sensu intelligi debeat Ambrosianum illud [c]: *de Eliæ gestis* c. *De Elia & Jejun. cap. 3. n. 5.* *plurima jam frequenti diversorum librorum sermone digessimus.* Si quidem enim nihil aliud Vir sanctus his significat, nisi frequentem in libris suis gestorum Eliæ fieri mentionem, vix quidquam erit quod in hac parte videatur amissum: sin verò id argumentum ex professo pluribus libris abs se tractatum illic testatur, ante multa sæcula eosdem illos intercidisse dicamus necesse est.

Non eadem est dubitandi ratio num perierit ille tractatus, quem Pansophi pueri à mortuis à se suscitati causâ scripserat, quemadmodum narrat Paulinus diaconus in illa verba: [d] *Ad quem etiam infantulum,* inquit, *libellum conscripsit, ut quod ætatis infantiâ* d. *In Ambr. vita n. 28.* *scire non poterat, legendo cognosceret.* Sed hunc libellum à longo tempore nusquam reperiri comperta res est.

Idem ille fidelissimus Ambrosii diaconus memoriæ tradidit ab illo compositam & ad Fritigil, quæ Marcomannorum regina erat, destinatam fidei catholicæ institutionem, de qua sic ait: [e] *Ad quam,* nempe Frigitil, *ille epistolam fecit præclaram in modum* e. *Ibidem num. 36.* *Catechismi.* At gemmulam istam prorsus evanuisse nulli dubitamus; quod enim non-

a. Polym. Dial. 2. nulli fragmentum quoddam à Theodoreto [a] græce citatum, nec non à nobis infra referendum, ex eadem epiſtola deſumtum volunt, plane divinant.

Quamvis autem ipſemet Ambroſius epiſtolas ſuas videatur redegiſſe in librum, b. Epiſt. 48. num. 7. extra controverſiam tamen eſt ab eo corpore [b] quod nunc ſupereſt, plurimas abeſſe, graviſſimaſque illas, uti ex perſonis ad quas ſcriptæ fuerant, colligi datur. Nihilominus tamen epiſtolam illam ad Irenæum, in qua perdicis clamantis habetur mentio, quamque injuriâ temporis interceptam eſſe quidam autumant, nos incolumem exiſtimamus. Quid vero doctis illis viris fraudi fuerit, melius alibi aperietur.

Veri quoque ſimillimum eſt à ſancto Doctore Opera quædam quæ perierint, in Apollinarii ſectam fuiſſe lucubrata; quando Paternus Braccarenſis epiſcopus, qui eidem hæreſi nomen dederat, ad veram fidem lectione librorum adverſus Apollinariſtas ab Ambroſio editorum converſus legitur.

Multorum opinio eſt de ſermone aliquo deperdito intelligenda eſſe Caſſiodori c. Libri de Inſtit. Div. Lit. cap. 1. verba, quæ ſic habent: [c] *Sanctus Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus ſermonem fecit de judicio Salomonis.* Verum tamen nihil aliud iſtic deſignari credimus, quam libri *de Virginitate*, qui hactenus cum libro tertio *de Virginibus* una ſerie connectebatur, ipſum exordium, cujus prima verba illa ſunt: *Nobile apud veteres Salomonis illud fertur fuiſſe judicium* &c. Quod quidem exordium oſtenſuri ſumus non multum habere affinitatis cum reliquo libro, & homiliam aliquam forſitan eſſe, quæ cum eodem Opere compacta fuerit à librariis.

d. Ibidem cap. 5. Idem ille Caſſiodorus, ubi de libro Sapientiæ agit, in hunc modum loquitur [d]: *De quo & pater Auguſtinus & ſanctus Ambroſius homiliarum nomine nonnulla dixerunt.* Si vere has homilias vidit Senator, eaſque titulus non mendax addicebat ſancto Ambroſio, dicendum erit ad noſtram ætatem illas non veniſſe. Etenim præter eos ſermones, ex quibus multos ſancti Doctoris libros conſtare ſæpius docuimus, nullos alios jam ſupereſſe congruo loco à nobis probabitur.

e. Ibidem cap. 3. Denique apud eumdem Caſſiodorum iſta leguntur [e]: *Dicitur*, inquit, *etiam & ſanctus Ambroſius prophetarum Commentaria eloquii ſoliti dulcedine confeciſſe, quæ nullatenus potui reperire, quæ vobis magno ſtudio quærenda derelinquo.* Non ſatis clarum eſt quo de Commentario hæc debeant accipi, niſi forte de Commentariis in Eſaiam. Ceterum cùm verbum *dicitur* nihil adfirmet, ipſeque Caſſiodorus jam memoratus in quærendis Veterum libris diligentiam omnem adhibere ſolitus fuerit, hinc conjicias communi fama eum eſſe deceptum, aut illa ſcripta jam ejus ætate de medio ſublata.

Sunt qui exiſtiment Proverbia quoque ab Ambroſio expoſita fuiſſe, inque illum ſenſum accipiant prima iſta libri *de Myſteriis* verba: *De moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cùm vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta.* Et ſane beatum Antiſtitem ediſſerendis patriarcharum Abrahæ, Iſacii, & aliorum hiſtoriis per id tempus incubuiſſe exploratum eſt. Quod ſi pariter in illuſtrando Proverbiorum libro ſimilem operam collocaverit, commentationem illam deſiderari fatendum erit. Sed cùm eo loci non niſi de ſermonibus, quos quotidie ad populum habebat, loquatur Ambroſius; nihil prohibet, quin confectis libris è concionibus in Patriarchas, in earum forma quæ de Proverbiis erant, nihil mutarit: eædem vero ut ſoluta atque diſperſa folia ſolent, deperditæ ſint; aut forte etiam ne umquam quidem ſcriptis mandatæ, quod aliis quoque ejuſdem Ambroſii ſermonibus eveniſſe certiſſimum eſt.

Dicunt inſuper ipſum teſtari de conjugio B. Virginis cum S. Joſeph ſe copioſe diſſeruiſſe; unde conjiciunt de hoc argumento librum aliquem, qui jam non exſtet, à ſancto Viro eſſe conſcriptum. Attamen cùm ſæpius hac ipſa de re illum egiſſe f. Lib. 2. num 1. & ſeq. & lib. 10. num 133. comperiamus, puta in Expoſitione Evangelii Lucæ [f] ſemel ac iterum, in libro *de Inſtit. Virg.* [g] totidem locis, & [h] in hymno tertio licet brevius; ut de libro perdito Ambroſianum locum accipiamus, neceſſum non eſt: idque maxime cùm in Eſaiæ comg. Cap. 6. & 7. mentariis, aliiſque Operibus quæ vere exciderunt, denuo tractari ab ipſo potuerit h. Strophe 5. eadem materia.

PRÆFATIO.

Hic etiam locus quem ita legimus apud Ambrosium[a]: *Ergo ille Samson, ut compendium faciamus historiæ; suo enim tempori totius lectionis digestio reservanda*: quibusdam in animum induxit Doctorem nostrum de Samsonis gesti commentationem abs se edendam esse pollicitum: & quamvis eamdem historiam[b] in epistola ad Vigilium pertexuerit, suam tamen fidem non liberasse; nam præter quam quod ejusdem historiæ explicatio ibi nulla est, promissum esse aiunt scriptum publicum, epistolam vero privatam. Verum ut omittamus Ambrosio ignotum non fuisse epistolas suas haud infrequenter publicas fieri, quis non videat nihil certi ac definiti Ambrosianis promitti verbis; nec tractatum potius, quam sermonem aliquem illic signari. Cui accedit sæpe sæpius usu venire, ut similis promissi auctorem suum aliis curis distractum & occupatum capiat oblivio.

a. Proleg. in Libr. de Spir. S. n. 12.

b. Epist. 19.

Leontius Bizantinus Ambrosianum testimonium citat,[c] *ex libro*, inquit, *contra Apollinarium*, quod in illis Operibus, quæ nunc Ambrosii nomine circumferuntur, negatur inveniri. Sed non est cur magnopere confidamus hujus auctoris in citando diligentiæ, quippe qui *libro* 1. *contra Nestorium & Eutycheten* duos locos proferat sub eodem lemmate, quos tamen in libro *de Incarn. Dom. Sacram.* sed non iisdem omnino verbis reperire est. Quid ergo si tertium hunc locum, quem sequenti libro citatum legimus, tamquam ex eodem fonte petitum, quo duo illi; etiam ex libro *de Incarnatione* ductum credamus, licet non servatis iisdem verbis?

c. Lib. 1. Cont. Nest. & Eutych.

Non desunt tandem qui ex splendido Augustini loco[d], quem quia paulo productior est, non referemus, Ambrosium nostrum peculiare Opus *de Immortalitate animæ* edidisse contendant. Atqui tamen ut Augustini verba plenum ac integrum sensum habeant, sufficere videtur, quod Ambrosius in variis libris de eadem immortalitate disputaverit. Si quis vero defenderit pertinacius illic tractatum ex proposito super ea re elucubratum significari, ea quidem lege non repugnamus, dum[e] epistolæ ad Horontianum à Doctore nostro circa eamdem materiem scriptæ intelligantur.

d. Lib. 2. Solil. cap. 14.

e. Epist. 34. & seq.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, Juges, leurs Lieutenans & tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, SALUT: Nostre amé le Superieur General de la Congregation de saint Maur Ordre de saint Benoist, nous a tres-humblement fait remontrer que les Religieux de la Congregation avoient pris un tres grand soin de corriger *les Ouvrages de saint Ambroise sur un tres-grand nombre de Manuscrits*, & qu'il desireroit en donner au public une nouvelle édition bien correcte, s'il nous plaisoit luy accorder nos Lettres sur ce necessaires, avec défenses à tous autres de les r'imprimer sur les anciennes copies, nonobstant le Reglement du vingt-sept Février 1665. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Superieur General, & luy marquer combien ces sortes d'ouvrages nous sont agreables: Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces presentes de faire imprimer pendant le temps de VINGT ANNÉES consecutives par tel Imprimeur qu'il voudra choisir lesdits Ouvrages de S. Ambroise, revûs & corrigez par les Religieux de sa Congregation, à commencer du jour que lesdits Ouvrages seront achevez d'imprimer: Défendons à tous autres qu'à celuy que ledit Superieur General aura choisi de les r'imprimer sur les anciennes copies, pendant ledit temps, nonobstant ledit Reglement du vingt sept Février 1665. auquel nous avons dérogé pour ce regard, sur peine de dix mille livres d'amande payables sans déport par chacun des contrevenans, applicables un tiers à Nous, un tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, ou à son ayant cause, & de tous dépens, dommages & interests: A la charge d'en mettre deux exemplaires dans nostre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet des Livres de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier le sieur LE TELLIER Chancelier de France, de les faire imprimer en beaux caracteres & papier conformement à nos Reglemens, & de faire enregistrer ces presentes és Registres de la Communauté des Marchands Libraires de nostre ville de Paris; le tout à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles Nous vous mandons & enjoignons faire joüir & user l'Exposant & ceux qui auront droit de luy pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire, & que sur les contestations qui pourront survenir pour raison de ce, vous rendiez aux parties bonne & brieve justice: Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin desdites œuvres l'extrait des presentes, elles seront tenuës pour deuëment signifiées, & qu'aux copies d'icelles collationnées par un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires, foy soit adjoustée comme à l'original. COMMANDONS au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis faire pour l'execution des presentes tous actes necessaires sans demander autre permission: Car tel est nostre plaisir. DONNÉ à Paris le septiéme jour du mois de Novembre, l'an de grace mil six cens quatre-vingt-deux. Et de nostre Regne le quarantiéme. Par le ROY en son Conseil JUNQUIERES.

Et ledit Superieur General de la Congregation de saint Maur de l'Ordre de saint Benoist, a cedé & transporté au sieur JEAN-BAPTISTE COIGNARD, *Imprimeur & Libraire ordinaire du Roy, le present Privilege, pour en joüir ou faire joüir pendant le temps porté par iceluy, suivant les conditions & accords fait avec luy le 9. jour de Janvier 1683. Signé* F. BENOIST BRACHET *avec paraphe.*

Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le dixiéme jour de Novembre 1682. suivant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Février 1665. A la charge que ledit Livre sera debité par un Imprimeur ou Libraire suivant les Reglemens. Signé C. ANGOT Syndic.

Ce second Tome a esté achevé d'imprimer pour la premiere fois en vertu des presentes, le vingt-cinquiéme Novembre 1690.

ELENCHUS OPERUM SANCTI AMBROSII
Mediolanensis Episcopi, quæ in hoc tomo continentur; ubi & tempus quo singula quæque scripta sunt, designatur.

IN TRES LIBROS DE OFFICIIS ADMONITIO.

Cum honorabilem inter ceteros fideles in Dominico grege locum obtineant sacri ministri, non potuit Ambrosius omnibus parochiæ sibi creditæ ordinibus instituendis numquam non intentus, egregiæ illius portionis mores iis præceptis destitutos relinquere, quibus & ipsa pervenire ad congruam suo muneri sanctimoniam valeret, & virtutum exemplo in eadem via plebi præire. Hinc origo horum librorum; nam cùm prius voce clericos suos informare ad pietatem sedulo studuisset, postea ne datæ præceptiones ex eorum animis paulatim effluerent, easdem in Operis legitimi corpus redactas ipsis quasi manu ac sinu semper ferendas tradere constituit. Jure igitur eidem Operi titulum fecit De Officiis Ministrorum, *quem nos ex manuscriptis fere omnibus ac notæ melioris restituimus.*

In primo libro, statim causis illis [a] *quibus ad scribendum inductus esset, non sine ingenua sui demissione propositis, ostendit* [b] *silentium optimum esse loquendi magistrum, & maxime in ira retinendum: ejus vero leges Prophetam regem* [c] *ante Pythagoram & multo præstantius nobis dedisse. Tum propositum suum aggressus, unde oriatur vox* Officium [d], *quæ sit ejus significatio, & quot in partes* [e] *distribuatur, scite explicat: admonet autem ante omnia christiano viro cavendum esse, ne philosophorum more honestum aut utile ex vita præsenti metiendum putet, sed ex futura. Officium medium in præceptorum, perfectum vero in consiliorum evangelicorum observatione positum dicit, idque philosophis sterili tantum speculatione fuisse cognitum. Deinde* [f] *confutatis quibusdam erroribus, ad singula Officiorum genera accedit.* [g] *In adolescentibus præcipue commendat illum pudorem, qui non modo exteriorem habitum regit, & in motu, incessu, sermone, & victu elucet; verum etiam internas componit facultates, Dei scilicet timore, veneratione parentum, & perturbationum animi moderatione. Et hæc quidem declarat potissimum requiri in clericis; quippe quos omni ex parte tam recte constitutos esse oporteat, ut nullam invidis calumniandi ansam præbentes, exemplo bonæ conversationis, cunctis præluceant. Postea de virtutibus* [h], *quas cardinales vocant, instituta disceptatione, eas adstruit fontes esse totius* honesti *atque* decori, *quod hujus libri argumentum est. Quamvis autem illas virtutes separari ab invicem non posse fateatur, de singulis tamen sejunctim agit; & primo loco post prudentiæ* [i] *definitionem, sapientes paganos demonstrat incidisse in ea vitia, quæ cum ipsa pugnare non ignorabant. Eadem ratione tractat de justitia* [k], *cujus diversas partes examinat, maxime vero liberalitatem ac benevolentiam. De fortitudine autem verba* [l] *faciens, eam in duobus consistere docet*, in rerum externarum despicientia, *& in eo, ut quis* res magnas, arduas, plenasque laborum & periculorum *suscipiat atque exsequatur. Qua occasione editos in veteri fœdere viros* [m], *à quibus bellica gloria profani heroes superentur, exemplis probat: sed christianam fortitudinem adserit in terrenarum rerum despicientia, injuriarum calamitatumque tolerantia, & perpessione sævissimorum pro Christi fide suppliciorum esse positam. Postremo de temperantia* [n] *dicere adorsus, omnia ejus membra explicat, quorum illa præcipua sunt*, tranquillitas animi, studium mansuetudinis, honesti cura, decori consideratio: *quibus adjicitur illud placitum, minori honestati majorem semper esse præponendam.*

a. Lib. 1. cap. 1.
b Cap. 2. & seq.
c. Cap. 10. num. 31.
d. Cap. 8. & 9.
e. Cap. 11.
f. Cap. 12. & seq.
g. Cap. 17. & seq.
h Cap. 25. & seq.
i. Cap. 27.
k Cap. 28. & seq.
l. Cap. 35. & seq.
m. Cap. 40. & seq.
n. Cap. 43. & seq.

Ab ipso limine secundi libri [o] *eamdem honestatem felicitati ortum præbere ubi demonstravit, philosophorum* [p] *ac Ciceronis circa hujus vitæ supremum bonum errores refellit*, in cognitione divinitatis, & fructu bonæ operationis *illud situm esse patefaciens. Cùm vero ad idem honestum per bonum utile perveniatur, de hoc disputat in toto libro; cúmque hoc ipsum & consistat in pietate, &* [q] *ab honesto sit indivisum; comparari non posse docet, nisi earum virtutum beneficio, quæ claram apud homines existimationem caritatemque nobis adquirunt. Porro triplicem hominum conciliandorum rationem* [r] *tradit, ut quis scilicet eorum amorem beneficentia, fidem justitia & prudentia, nec non insignibus ac præstantibus factis sibi devinciat. Hæc omnia illustrat appositissimis exemplis, & maximam partem ex divina auctoritate sumtis; sed nihil magis pium excogitari potest, quam illa præcepta, quibus ad opera misericordiæ* [s], *& officia omnia, quæ ad mutuam hominum inter se societatem pertinent, informat, simulque vitia proscribit.*

o Lib. 2. Cap. 1.
p. Cap. 2. & seq.
q. Cap. 6. & seq.
r. Cap. 8. & seq.
s. Cap. 15. & seq.

In tertio libro bonum honestum cum utili comparat sanctus Præsul, sed nos admonere [t] *nequaquam negligit, hæc duo bonorum genera in justis viris insolubili nodo conjuncta esse; atque adeo collationem hanc non institui, nisi ex vulgi opinione hæc ipsa sejungentis. Hoc exin generale placitum constituit, ut bonus vir* [u] nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo suum lucrum augeri velit. *Quod cum naturalibus humanisque legibus, tum divinis ex utroque Testamento petitis* [x] *probat: iis vero quæ contra isthæc sibi objicit, illam adhibet solutionem, christianis viris ab exemplo Christi, qui alienæ utilitati suam numquam anteposuit, non discedendum. Inde colligit in omni actu atque contractu, semper & in quocumque casu honestum utili præferri oportere* [y]; *etiamsi maxime constaret fraudem nostram Deo perinde atque hominibus fore ignotam. Addit hanc legem ab ipso Deo sancitam esse, atque adeo ad veteres fabulas non recurrendum, ut adstruatur res certissima; christianam enim religionem hujus exempla* [z] *in magnis illis viris suppeditasse, qui ea vere exsequuti sunt, quæ habebantur pro miraculis apud paganos. Ad postremum maxima quæque Romanorum exempla* [a] *sacris heroibus omni ex parte inferiora esse ostendit.*

t. Lib. 3. Cap. 2.
u. Ibidem num. 13.
x. Cap. 3. & seq.
y. Cap. 5. & seq.
z. Cap. 9. & seq.
a. Cap. 15. & seq.

Non diffitemur Ambrosium sequendam sibi proposuisse Ciceronis in Officiis suis œconomiam, sed Ciceronem ipsum libros Panætii & Hecatonis multo addictius imitatum esse audacter affirmamus. Manifesto enim significat sanctus Antistes non alio consilio se se Oratoris imitationi operam dedisse, nisi ut in eo, qui præ ceteris honestatis exacta leges profitebatur, falsa præcepta pagana ethices fortius confutaret; ac simul etiam palam faceret, quanto intervallo christianæ institutiones quidquid umquam inter gentiles perfectius fuit, antecederent. Passim explodit inanem illam eloquentiæ affectationem, quam idem Cicero nusquam non ostentat. Subinde verò in hoc incumbit, ut quidquid præstantius in morum disciplina tradiderunt philosophi, ex nostris auctoribus totum illud desumtum esse clare demonstret. In primis autem ejusdem Tullii fastum evertit, ejusque scita de ultione atque ambitione funditus tollit. Sed illud caput longe gravissimum, à Cicerone tamen vix delibatum, summa contentione firmare studet, præcipua nempe officia nostra

ELENCHUS OPERUM SANCTI AMBROSII

Mediolanensis Episcopi, quæ in hoc tomo continentur; ubi & tempus quo singula quæque scripta sunt, designatur.

IN TRES LIBROS DE OFFICIIS ADMONITIO.

Cum honorabilem inter ceteros fideles in Dominico grege locum obtineant sacri ministri, non potuit Ambrosius omnibus parochiæ sibi creditæ ordinibus instituendis numquam non intentus, egregia illius portionis mores iis præceptis destitutos relinquere, quibus & ipsa pervenire ad congruam suo muneri sanctimoniam valeret, & virtutum exemplo in eadem via plebi praire. Hinc origo horum librorum; nam cùm prius voce clericos suos informare ad pietatem sedulo studuisset, postea ne datæ præceptiones ex eorum animis paulatim effluerent, easdem in Operis legitimi corpus redactas ipsis quasi manu ac sinu semper ferendas tradere constituit. Jure igitur eidem Operi titulum fecit De Officiis Ministrorum, *quem nos ex manuscriptis fere omnibus ac nota melioris restituimus.*

In primo libro, statim causis illis [a] *quibus ad scribendum inductus esset, non sine ingenua sui demissione propositis, ostendit* [b] *silentium optimum esse loquendi magistrum, & maxime in ira retinendum: ejus vero leges Prophetam regem* [c] *ante Pythagoram & multo præstantius nobis dedisse. Tum propositum suum aggressus, unde oriatur vox* Officium [d], *quæ sit ejus significatio, & quot in partes* [e] *distribuatur, scite explicat: admonet autem ante omnia christiano viro cavendum esse, ne philosophorum more honestum aut utile ex vita præsenti metiendum putet, sed ex futura. Officium medium in præceptorum, perfectum vero in consiliorum evangelicorum observatione positum dicit, idque philosophis sterili tantum speculatione fuisse cognitum. Deinde* [f] *confutatis quibusdam erroribus, ad singula Officiorum genera accedit.* [g] *In adolescentibus præcipue commendat illum pudorem, qui non modo exteriorem habitum regit, & in motu, incessu, sermone, & victu elucet; verum etiam internas componit facultates, Dei scilicet timore, veneratione parentum, & perturbationum animi moderatione. Et hæc quidem declarat potissimum requiri in clericis; quippe quos omni ex parte tam recte constitutos esse oporteat, ut nullam invidis calumniandi ansam præbentes, exemplo bonæ conversationis, cunctis præluceant. Postea de virtutibus* [h], *quas cardinales vocant, instituta disceptatione, eas adstruit fontes esse totius* honesti *atque* decori, *quod hujus libri argumentum est. Quamvis autem illas virtutes separari ab invicem non posse fateatur, de singulis tamen sejunctim agit; & primo loco post prudentiæ* [i] *definitionem, sapientes paganos demonstrat incidisse in ea vitia, quæ cum ipsa pugnare non ignorabant. Eadem ratione tractat de justitia* [k], *cujus diversas partes examinat, maxime vero liberalitatem ac benevolentiam. De fortitudine autem verba* [l] *faciens, eam in duobus consistere docet,* in rerum externarum despicientia, *& in eo, ut quis* res magnas, arduas, plenasque laborum & periculorum *suscipiat atque exsequatur. Qua occasione editos in veteri fœdere viros* [m], *à quibus bellica gloria profani heroes superentur, exemplis probat: sed christianam fortitudinem adserit in terrenarum rerum despicientia, injuriarum calamitatumque tolerantia, & perpessione sævissimorum pro Christi fide suppliciorum esse positam. Postremo de temperantia* [n] *dicere adorsus, omnia ejus membra explicat, quorum illa præcipua sunt,* tranquillitas animi, studium mansuetudinis, honesti cura, decori consideratio*: quibus adjicitur illud placitum, minori honestati majorem semper esse præponendam.*

a. Lib. 1. cap. 1. — b. Cap. 2. & seq. — c. Cap. 10. num. 31. — d. Cap. 8. & 9. — e. Cap. 11. — f. Cap. 12. & seq. — g. Cap. 17. & seq. — h. Cap. 25. & seq. — i. Cap. 27. — k. Cap. 28. & seq. — l. Cap. 35. & seq. — m. Cap. 40. & seq. — n. Cap. 43. & seq.

Ab ipso limine secundi libri [o] *eamdem honestatem felicitatis ortum præbere ubi demonstravit, philosophorum* [p] *ac Ciceronis circa hujus vitæ supremùm bonum errores refellit,* in cognitione divinitatis, & fructu bonæ operationis *illud situm esse patefaciens. Cùm vero ad idem honestum per bonum utile perveniatur, de hoc disputat in toto libro; cùmque hoc ipsum & consistat in pietate, &* [q] *ab honesto sit indivisum; comparari non posse docet, nisi earum virtutum beneficio, quæ claram apud homines existimationem caritatemque nobis adquirunt. Porro triplicem hominum conciliandorum rationem* [r] *tradit, ut quis scilicet eorum amorem beneficentia, fidem justitia & prudentia, nec non insignibus ac præstantibus factis sibi devinciat. Hæc omnia illustrat appositissimis exemplis, & maximam partem ex divina auctoritate sumtis; sed nihil magis pium excogitari potest, quam illa præcepta, quibus ad opera misericordiæ* [s], *& officia omnia, quæ ad mutuam hominum inter se societatem pertinent, informat, simulque vitia proscribit.*

o. Lib. 2. Cap. 1. — p. Cap. 2. & seq. — q. Cap. 6. & seq. — r. Cap. 8. & seq. — s. Cap. 15. & seq.

In tertio libro bonum honestum cum utili comparat sanctus Præsul, sed nos admonere [t] *nequaquam negligit, hæc duo bonorum genera in justis viris insolubili nodo conjuncta esse; atque adeo collationem hanc non instituí, nisi ex vulgi opinione hæc ipsa sejungentis. Hoc exin generale placitum constituit, ut bonus vir* [u] nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo suum lucrum augeri velit. *Quod cum naturalibus humanisque legibus, tum divinis ex utroque Testamento petitis* [x] *probat: iis vero quæ contra isthæc sibi objicit, illam adhibet solutionem, christianis viris ab exemplo Christi, qui alienæ utilitati suam numquam antepofuit, non discedendum. Inde colligit in omni actu atque contractu, semper & in quocumque casu honestum utili præferri oportere* [y]*; etiamsi maxime constaret fraudem nostram Deo perinde atque hominibus fore ignotam. Addit hanc legem ab ipso Deo sancitam esse, atque adeo ad veteres fabulas non recurrendum, ut adstruatur res certissima; christianam enim religionem hujus exempla* [z] *in magnis illis viris suppeditasse, qui ea vere exsequuti sunt, quæ habebantur pro miraculis apud paganos. Ad postremum maxima quæque Romanorum exempla* [a] *sacris heroibus omni ex parte inferiora esse ostendit.*

t. Lib. 3. Cap. 2. — u. Ibidem num. 13. — x. Cap. 3. & seq. — y. Cap. 5. & seq. — z. Cap. 9. & seq. — a. Cap. 15. & seq.

Non diffitemur Ambrosium sequendam sibi proposuisse Ciceronis in Officiis suis œconomiam, sed Ciceronem ipsum libros Panætii & Hecatonis multo addictius imitatum esse audacter affirmamus. Manifesto enim significat sanctus Antistes non alio consilio se se Oratoris imitationi operam dedisse, nisi ut in eo, qui præ ceteris honestatis exacta leges profitebatur, falsa præcepta paganæ ethices fortius confutaret; ac simul etiam palam faceret, quanto intervallo christianæ institutiones quidquid umquam inter gentiles perfectius fuit, antecederent. Passim explodit inanem illam eloquentiæ affectationem, quam idem Cicero nusquam non ostentat. Subinde verò in hoc incumbit, ut quidquid præstantius in morum disciplina tradiderunt philosophi, ex nostris auctoribus totum illud desumtum esse clare demonstret. In primis autem ejusdem Tullii fastum evertit, ejusque scita de ultione atque ambitione funditus tollit. Sed illud caput longe gravissimum, à Cicerone tamen vix delibatum, summa contentione firmare studet, præcipua nempe officia nostra

Deum spectare, & omnia nostra facta dictave ad ejus gloriam esse referenda: illud quoque alterum, de quo ne per somnium quidem Orator, vitam præsentem viam esse ad immortalem, bonisque operibus illuc perveniri obnixe probat. Ad hæc præcipit à terrenis bonis animum abstrahendum, coercendam severiori castigatione corporis lasciviam, condonandas inimicis offensiones & injurias, majora beneficia illis præstanda, qui nos atrocius & injustius divexavere.

Verum ut curiosus lector facilius cognoscat, quibus in rebus cum Cicerone consentiat, aut ab eo discrepet Ambrosius noster, locos omnes tum Officiorum, tum aliorum Operum ejusdem auctoris, quos sanctus Præsul visus est respicere, in inferiori margine exhibuimus. Qua ratione statim innotescet Ambrosium à M. Tullio ibi desciscere, ubicumque utriusque affinitas non subnotatur. Hinc etiam fiet compertum quanto judicio eosdem libros utilissimis præceptis refertos esse dixerit Augustinus, [a] *quamque merito ipsos hactenus universi in precio habuerint, quemadmodum ex manuscriptis omnium ætatum, quos reperias in bibliothecis, intelligitur.*

a. Epist. 82. ad Hieron. num. 21.

Quapropter quis ferre possit christianum auctorem de hisce libris ausum dicere. Scripsit de Officiis etiam D. Ambrosius, credo ut pueris inculcaret religionem. Verum ego religionem ex scripturis divinis censeo hauriendam esse, de civilibus moribus malim audire Ciceronem. *Qua sententia utrum Ambrosio an sacris paginis graviorem inurat injuriam, definitu non facile est. Etenim cùm hi* mores civiles *non alii sint quam humani actus ex prudentia aliisque virtutibus cardinalibus instituendi, nonne immanis contumelia est prophanam ethicen præponere illis præceptis, quæ super hac re prophetis adflavit Sanctus Spiritus, aut Christus ipse ore proprio apostolis dictavit suis? Non jam ergo mirum, si libros istos, in quibus moralem Christi disciplinam sanctus hic Doctor interpretatur, insuper habeat heterodoxus; talibus enim Patrum contemtus familiaris est. Ceterum ansam dubitandi an eosdem libros umquam legerit, ipse suppeditat, cùm de his scribit:* Credo ut pueris inculcaret religionem; *non enim pueris, sed Ecclesiæ ministris omnium ætatum destinatos esse ipsemet Ambrosius non paucis locis, & Operis inscriptio in codicibus longe plurimis, ut jam dictum est, testificatur. Verum tamen licet Auctori erudiendi clericos consilium fuerit, nihilo minus cuilibet conditioni hoc idem Opus utile esse inficietur nemo; nam cùm clerici ad superiores quibus obtemperant, & inferiores quos ipsi regunt, ordinem habeant; inde factum est, ut præcepta illic permulta contineantur, communi omnibus fructu referta.*

Hæc eadem utilitas in causa fuit, cur iidem libri non solum toties exarati sint, verum etiam à multis in compendii aut excerptorum formam redacti. Excerpta ex illis exstant in uno manuscripto Lyrensis monasterii, compendium autem in uno codice Ecclesiæ Carnutensis, connexionibus ac transitionibus apte concinnatum, cujus apographum D. le Feron ejusdem insignis Ecclesiæ canonicus & Sorbonicus Doctor cura sua descriptum ad nos transmisit. Non imus inficias, quin prodierit ab antiqua manu istud exemplar, sed alia multa eodem illo antiquiora nobis suppetunt. Namque ut Benignianum annorum 800. *Vaticana tria, Laudunense, Crespeiense, ac Bigotianum annorum circiter* 700. *prætermittamus, solum Colbertinum, alias Thuaneum ante* 1000. *annos haud dubie confectum, quatuor ut minimum sæculis superat Carnutense. Cùm porro in omnibus illis codicibus Officia nostra in tres libros distribuantur, id evidenti argumento est Carnutense nihil aliud esse nisi epitomen: in quam quidem contrahi opus illud haud ægre potuit, unde exempla & excursiones absque sensus damno licet eximere.*

Quod ad ætatem ipsius Operis, volunt nonnulli Ambrosium nostrum ipso episcopatus sui exordio ad illud scribendum manum admovisse. Videtur quidem Baronius huic sententiæ patrocinari, cùm ad annum 377. *de eodem ita loquitur:* Tres illos libros egregios scribere postea est aggressus, cùm aliquamdiu populum docuisset. *Verum si fuisset in hac opinione magnus cardinalis, secum ipse non consensisset; quippe qui annos prædictum illum* 377. *non modico intervallo sequutos ipse adjudicat factis quibusdam, quorum in hoc Opere mentio exstat. Exempli gratia quod Ambrosius de vasis Ecclesiæ in captivorum redemtionem à se venditis* [b] *ibi memorat, idem Baronius refert ad bellum tyranni Maximi anno* 387. *gestum; tametsi nobis probabilius hoc pertineat ad eam barbarorum inundationem, qui anno* 379. *post Valentis mortem, direptis Thracia atque Illyria, usque in Italiam, unde innumeros captivos abduxere, vastando pervenerunt. Eamdem circa hos libros opinionem & hoc refellit, quod in iisdem satis perspicue librum suum* de Noe & Arca, *anno* 379. *ut ostensum est, in lucem emissum consuli jubet. Eo accedit quod frequentius illic repetit ad eos clericos, quibus ipse manus imposuerat, verba se facere; unde cognoscitur clerum ei jam tunc fuisse satis numerosum, proindeque per annos aliquot initiatum. Deinde persecutionem Justinæ annos etiam aliquam multos bacchatam significat, ubi se propter viduarum deposita* [c] multos regales impetus *perpessum dicit. Non aliam quoque persecutionem, nisi Justinæ anni circiter* 386. *spectare videtur* [d] *narratio de duobus clericis* Arrianæ infestationis *tempore à fide lapsis. Queritur præterea sanctus Antistes per insolitam annonæ penuriam Roma exactos* [e] *esse omnes exteros: hanc autem famem anno* 383. *contigisse Baronius auctor est. Alii tamen semel & iterum inopia frumenti laborasse Romanos volunt, primo nimirum sub extremam vitam Damasi pontificis, qui ab Ambrosio* senex sanctissimus *appellatur, secundo post ejusdem obitum, qui anno* 384. *ponitur: Baronium autem de sola priori fame loquutum esse, cùm utramque indicaverit Ambrosius noster. Quod etiam dicitur de Ticinensis viduæ* [f] *deposito nulli alii aptius accommodari posse videtur, quam legi cuidam à Valentiniano juniore in urbe Papia XII. Kal. Febr. data; ex loco enim, ubi lata est, satis colligitur, imperatorem cùm per eam urbem iter haberet, à Justina matre catholicis episcopis numquam non infesta, inductum esse, ut tantum molestiæ Ticinensi præsuli creare niteretur.*

b. Lib. 2. cap. 15. & 28.

c. Ibidem cap. 29. num. 150.

d. Lib. 1. cap. 18. num. 72.

e. Lib. 3. cap. 7.

f. Lib. 2. cap. 29. num. 150.

Illhæc omnia eo mentem nobis impellunt, ut hosce libros non nisi post Justinæ infestationes, & Maximi tyranni bellum ac brevissimo spatio sequutam ipsius cædem credamus factos, id est, circiter annum 391. *quo tempore pacatiorem Ecclesiæ suæ statum expertus, ea præcepta in legitimi Operis corpus digesta, clericis suis assidua manu volvenda tradere constituit, quibus eosdem è sacro pulpito primis ipsis annis episcopatus sui informaverat. Nullus enim est dubitandi locus, quin sermonibus publice habitis maximam partem constent hi libri; quandoquidem in eorum primo Scripturæ loci edisseruntur, quos in synaxi lectos fuisse ipse memorat: quosque iterum illic tractare forsan voluit, quod cùm jam olim motos eis vidisset auditorum animos, hinc quoque eumdem speraret fructum, si ab his ipsis non sine adtentione perlegerentur.*

SANCTI



SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE OFFICIIS* MINISTRORUM LIBRI TRES.*

* Scripti circ. an. 391.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Episcopi proprium munus, docere: sibi autem discendum esse, ut doceat; immo etiam docendum quod non didicerit: aut saltem & discendum simul, & docendum.



NON arrogans videri arbitror, si inter filios suscipiam affectum docendi; cùm ipse humilitatis magister dixerit: *Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos.* (Psal. 33. 12.) In quo licet & humilitatem verecundiæ ejus spectare & gratiam. [a] Dicendo enim, *timorem Domini*, qui communis videtur esse omnibus, expressit insigne verecundiæ. Et tamen cùm ipse timor initium sapientiæ sit, & effector beatitudinis (quoniam timentes Deum beati sunt) præceptorem se sapientiæ edocendæ; & demonstratorem beatitudinis adipiscendæ, [b] evidenter significavit.

2. Et nos ergo ad imitandam verecundiam seduli, ad conferendam gratiam non usurpatores, quæ illi Spiritus infudit sapientiæ, ea per illum nobis manifestata; & [c] visu comperta atque exemplo, vobis quasi liberis tradimus; cùm jam effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo: *Dedit* enim *Deus quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores.* (Ephes. 4. 11.)

3. Non igitur mihi apostolorum gloriam vin-

*. Vox *ministrorum* deerat in superioribus edit. ac recentioribus aliquot mss. nos vero eam ex optimis quibusque ac frequentissimis reposuimus. Qua de re vide quæ supra in Admonitione dicta sunt.

a. Mss aliquot, *Docendo enim timorem* &c. Plures autem ac potiores, nec non edit. omnes, ut in textu. Rursus ubi vet. edit. cum mss. nonnullis, *insigne documentum verecundia*; melius Rom. cum longe maxima parte mss. *insigne verecundia*, hoc est, signum & quasi vexillum verecundiæ.

b. Ita edit. ant. & scripti cod. magno numero: Rom. vero & plures ex eisdem ant. in margine, *pudenter significavit*: edit. ultimæ Paris. ac mss. non pauci, *prudenter*; unus etiam, *potenter significavit*.

c. Era. & seq. edit. cum tribus aut quatuor mss. *usu comperta*: melius Amerb. cum mss. ut minimum, viginti quinque, *visu comperta*. Quomodo enim sibi *usu*, id est, experientia, *comperta* diceret, eo loci quo se adeo in scientia ecclesiastica tyronem profitetur? Sed *visu*, id est, legendo, *comperta*; indicat videlicet exempla virtutum quæ consignata in Scripturis animadvertit, se traditurum. Sed præterea non obscure significat vix aliud quidpiam esse quod arctius sanctiusve adstringat episcopos, quam docendi munus. Verum quidem est jam inde à primis Ecclesiæ sæculis hanc provinciam à quibusdam præsulibus demandatam fuisse presbyteris, inter quos illud officium Augustinus & Chrysostomus tanta cum Ecclesiæ utilitate obierunt; quanta cum ejusdem pernicie infamis Arrius: attamen S. Ambrosius has episcopatus sui partes ipse per se numquam non implevit; qui non solum clericos, sed etiam populum suum erudiebat, publice singulis dominicis verba faciens; ut Confess. lib 6 cap. 3 testatum reliquit Augustinus, & nos superiore Tomo Admonit. in Exposit. Evang. sec. Lucam observavimus.

& aurum tuum alliga, & ori tuo fac ostium & vectem, & verbis tuis jugum & stateram? A Possessio tua mens tua est: aurum tuum cor tuum est: argentum tuum eloquium tuum est: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* (Psal. 11. 7.) Bona etiam possessio mens bona. Denique possessio pretiosa homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem, & circumvallato cogitationibus, munito [a] spinis, sollicitudinibus; ne in eam irruant, & captivam ducant irrationabiles corporis passiones, ne incursent motus graves, ne B diripiant vindemiam ejus, transeuntes viam. Custodi interiorem hominem tuum. Noli eum quasi vilem negligere ac fastidire, quia pretiosa possessio est. Et merito pretiosa, cujus fructus non caducus & temporalis, sed stabilis atque æternæ salutis est. Cole ergo possessionem tuam, [b] ut sint tibi agri.

12. Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coerceatur. Cito lu- C tum colligit amnis exundans. Alliga sensum tuum, non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te: *Non est malagma apponere, neque oleum, neque alligaturam.* (Isai. 1. 6.) Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur & gubernatur.

13. Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi oportet: & obseretur diligentius; ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas contumeliæ. Audisti hodie lectum: *Irascimini & nolite peccare.* (Psal. 4. 5.) [c] Ergo etsi irascimur, D quia affectus naturæ est, non potestatis; malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus: sed jugum sit verbis tuis & statera, hoc est, humilitas atque mensura; ut lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus revocari possit ad mensuram: sermones proferat librâ examinatos justitiæ; ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.

CAPUT IV.

Eadem custodia prospicitur, ne à pravis motibus, sed à recta ratione prodeat oratio: in qua potissimum nobis Diabolus insidiatur.

14. HÆc si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus, modestus. Custodiendo enim [d] os suum, & retinendo linguam suam, nec prius loquendo quam interroget, & expendat atque examinet verba sua, si dicendum hoc, F si dicendum adversus hunc, si tempus sermonis hujus est: is profecto exercet modestiam, ac mansuetudinem, & patientiam; ut non ex indignatione & ira in sermonem erumpat, non alicujus passionis indicium det in verbis suis, non ardorem libidinis flammare in sermone suo indicet, & inesse dictis suis stimulos iracundiæ: ne sermo postremo qui commendare interiora debet, vitium aliquod esse in moribus, aperiat & prodat.

15. Tunc enim maxime insidiatur adversarius, quando videt nobis passiones aliquas generari: tunc fomites movet, laqueos parat. Unde non immerito, sicut audisti hodie legi, Propheta dicit: *Quia ipse [e] liberavit me de laqueo venantium & à verbo aspero.* (Psal. 90. 3.) Symmachus irritatio- B nis verbum dixit, alii perturbationis. Laqueus adversarii est sermo noster: sed etiam ipse non minus adversarius nobis. Loquimur plerumque quod excipiat inimicus, & quasi nostro gladio nos vulneret. Quanto tolerabilius est alieno gladio, quam nostro perire?

16. Explorat ergo adversarius nostra arma, [f] & concutit sua tela. Si viderit moveri me, inserit aculeos suos; ut seminaria jurgiorum excitet. Si emisero verbum indecorum, laqueum C suum stringit. Interdum mihi quasi escam proponit vindictæ possibilitatem; ut dum vindicari cupio, ipse me inseram laqueo, & nodum mortis adstringam mihi. Si quis ergo hunc adversarium sentit præsentem esse, tunc magis custodiam adhibere debet ori suo, ne det locum adversario: sed non multi hunc vident.

CAPUT V.

Contra visibilem etiam adversarium, cùm nos instigat, utendum silentio, cujus unius ope superiores evadimus, & humilitatem quæ exhibenda adversus omnes, conservamus.

17. SEd etiam ille cavendus est, qui videri potest, quicumque irritat, quicumque incitat, quicumque exasperat, quicumque incentiva luxuriæ aut libidinis suggerit. Quando ergo aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silen- E tium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim qui nos provocat, qui injuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat.

18. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? Loquere, si audes. Sed non audes: mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se se putat, irrisum, posthabitum atque illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem invenit. Si enim taceas, dicetur: Ille conviciatus est, hunc contemsit iste. Si referas contumeliam, dicetur: Ambo conviciati sunt. Uterque condemnatur, nemo absolvitur. Ergo illius est studium, ut irritet, ut similia illi loquar, similia agam: justi est autem dissimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructum conscientiæ, plus committere bonorum judicio, quam criminantis in-

a. Ant. edit. *spinis sollicitudinum*: quædam in marg. & pauci mss. in corp. *piis sollicitudinibus*, quod Rom. in textum admisit. Mss. autem alii non pauci, *spinis sollicitudinis*; plures tamen & probatiores, *spinis, sollicitudinibus*. Big. vero utrumque, *spinis, piis sollicitudinibus*, non male.

b. Ita vet. edit. ac prope omnes mss. At Rom. cum cod. aliis nonnullis, *ut sint tibi agni*, quæ etiam adnotat in marg. *Prov.* 27. nempe vers. 26. verum cone respexerit sanctus Præsul, haud satis patet.

c. Edit. ultimæ Paris. ac mss. aliquot, *Ergo & irascimur, quia affectus naturæ est.*

d. Mss. aliquot, ac edit. Era. & Gill. in marg. *cor suum.* Rursus post pauca, ubi nos cum ant. edit. ac mss. prope omnibus, *quam interroget*: Rom. edit cum paucis mss. atque Era. in marg. *quam interrogetur*: sed *interroget* hoc loco refertur ad, *verba sua*, estque synonymum cum duobus verbis illic adjunctis.

e. Sic omnes edit. ac plures probatioresque mss. cum Psalterio Rom. & Vulg. nonnulli tamen, *liberabit me*; quibus accedunt plurima è vet. Psalt. & Augustinus: Hieron. autem ex aliquot græcis cod. *liberabit te.* At vero pro eo quod est, *verbo aspero*, Symmachus quidem scripsit, λόγου ἐπηρείας, *sermonem violenti insultus, contumeliæ, injuriæ*: Theodoretus, τὸ λόγου ταραχώδους, *sermonem turbulentum, ac perturbationis.*

f. Rom. edit. ac pauci mss. *& acuit tela sua.*

solentiæ, contentum esse gravitate morum suo- A rum. Hoc est enim silere à bonis; quia bene sibi conscius, falsis non debet moveri: nec æstimare plus ponderis in alieno esse convicio, quam in suo testimonio.

19. Ita fit ut etiam humilitatem custodiat. Si autem nolit humilior videri, talia tractat, & dicit ipse secum: [a] Hic ergo ut me contemnat, & in conspectu meo loquatur talia adversùm me, quasi non possim ego ei aperire os meum? Cur non etiam ego dicam, in quibus eum mœs- B tificare possim? Hic ergo ut mihi injurias faciat, quasi vir non sim, quasi vindicare me non possim? Hic ut me criminetur, quasi ego non possim graviora in eum componere?

20. Qui talia dicit, non est mitis atque humilis, non est sine tentatione. Tentator eum exagitat, ipse ei tales opiniones inserit. Plerumque adhibet hominem, atque apponit nequam spiritus, qui hæc illi dicat: sed tu in petra fixum vestigium tene. Etsi servus convicium dicat, [b] jus- C tus tacet: etsi infirmus contumeliam faciat, justus tacet: etsi pauper criminetur, justus non respondet. Hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat. Sicut periti jaculandi cedentes solent vincere, & fugientes gravioribus sequentem vulnerare ictibus.

CAPUT VI.

Hac in re silentium atque humilitatem David imitanda esse, ne digni videamur injuria.

21. Quid enim opus est moveri, cùm audimus convicia? Cur non imitamur dicentem: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis?* (Psal. 38. 3.) An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit David? Immo & fecit. Nam cùm ei conviciaretur Semei filius Jemini, tacebat David: (2. Reg. 16. 6. & seq.) & quamvis septus armatis, non retorquebat convicium, non ultionem quærebat, eousque ut dicenti sibi Sarviæ filio quod vindicare in eum vellet, non permiserit. Ibat ergo tamquam mutus & humiliatus, ibat tacens, nec movebatur, cùm vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non ergo movebatur conviciis, cui abundabat bonorum operum conscientia.

22. Itaque is qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit injuriam, quàm qui dolet; qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.



CAPUT VII.

Quam pulcre procemii loco usurpatus fuerit psalmus XXXVIII. quo inductus Vir sanctus de Officiis scribere constituit: idque potiori jure quam olim Cicero ad filium; & quam ob causam.

23. Neque improvide ad vos filios meos scribens, hujus psalmi prooemio usus sum. Psal. 38. 1. Quem psalmum * propheta David sancto Idi- B thun canendum dedit, ego vobis tenendum suadeo, delectatus ejus sensu profundo & virtute sententiarum. Advertimus enim ex his quæ breviter libavimus, & silendi patientiam, & opportunitatem loquendi, & in posterioribus con- Ibidem. 8. temtum divitiarum, quæ maxima virtutum fundamenta sunt, hoc psalmo doceri. Dum igitur hunc psalmum considero, successit animo de Officiis scribere.

24. De quibus etiamsi quidam Philosophiæ C studentes scripserint, * ut Panætius, & filius ejus apud Græcos, Tullius apud Latinos; non alienum duxi à nostro munere, ut etiam ipse scriberem. Et sicut Tullius * ad erudiendum filium, ita ego quoque ad vos informandos filios meos; neque enim minus vos diligo quos in Evangelio genui, quam si conjugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Plus certe diligere debemus quos perpetuo nobiscum putamus futuros, D quam quos in hoc tantum sæculo. Illi degeneres nascuntur frequenter, qui dedeceant patrem: vos ante elegimus, ut diligamus. Itaque illi necessitate diliguntur, quæ non satis idonea atque diuturna est ad perpetuitatem diligendi magistra: vos judicio, quo magnum caritatis pondus ad vim diligendi adjungitur, probare quos diligas, & diligere quos elegeris.

CAPUT VIII.

E *Nomen Officii, non solum philosophis, sed etiam scriptoribus sacris usitatum esse; & unde hoc deductum?*

25. Ergo quoniam personæ conveniunt, videamus utrum res ipsa conveniat scribere de Officiis: & utrum hoc nomen philosophorum tantummodo scholæ aptum sit, an etiam in scripturis reperiatur divinis. Pulcre itaque dum legimus hodie Evangelium (quasi adhortaretur ad scribendum) Spiritus sanctus ob- F tulit nobis lectionem, qua confirmaremur etiam in nobis Officium dici posse. Nam cùm Zacharias sacerdos obmutuisset in templo, & loqui non posset: *Factum est*, inquit, *ut impleti sunt* Luc. 1. 23. *dies * Officii ejus, abiit in domum suam.* Legimus igitur Officium dici à nobis posse.

a. Hinc edit. Gill. ac Rom. unius aut alterius mss. auctoritate triplicem particulam *ut* sustulerant: quam tamen aliæ edit. ac mss. frequentissimi elegantius exhibent. Est autem ibi quædam ellypsis supplenda per verbum *patiar, ferendum est*, aut quid simile.

b. Mss. non pauci hic & infra, *justus taceat:* & post pauca, *justus non respondeat.*

*. Confer hunc locum & ea quæ priori Tomo pag. 841. num. 1. & 2. in titulum hujus ipsius psalmi dicuntur, & affinitatem non parvam utrobique animadvertes.

*. Panætium, cujus mentionem non uno loco Tullius facit, Rhodium fuisse ex Strabone refert Vossius lib. *de Phil. sectis*, cap. 19. pag. 103. quem consule. De filio autem ejus qui scripserit aliquid, præter Ambrosium forte reperias neminem, nisi quis aut Possidonium ejus discipulum & successorem intelligat, de quo Tull. lib. 3. de Offic. & epist. 16. ad Attic. vel Hecatonem Panætii quoque auditorem, quem idem Tull. sex libros de hoc ipso argumento scripsisse auctor est.

*. Lib. 1. De Offic. pag. 351. tom. 4. ejusdem Cic. operum Genevæ apud Jer. des Pianches an. 1584. editorum, quam edit. in sequentibus semper laudabimus, lin. 3. *Sed cùm statuissem aliquid hoc tempore ad te scribere* &c. Item ad Attic. epist. 327. lib. 15.

*. Ita edit. Vulg. Græcus autem textus, *τῆς λειτουργίας αὐτοῦ*, ministrationis seu ministerii ejus. Sed cùm officium sit id quod cuique convenit, unde dicitur græce καθῆκον: nihil vero sacro ministro æque conveniat, atque ipsa ministratio; hinc intelligas haud absurde Ambrosianam hanc *officii* acceptionem defendi posse.

26. Nec ratio ipsa abhorret, quandoquidem A * Officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium: sed propter decorem sermonis una immutata littera, officium nuncupari: vel certe, ut ea agas, quæ nulli officiant, prosint omnibus.

CAPUT IX.

Officium ab honesto & utili, nec non ab amborum inter se comparatione desumi: sed à Christianis nihil quod ad futuram vitam non conferat, honestum aut utile agnosci; atque adeo non supervacaneum B *fore hunc de Officio tractatum.*

27. Officia * autem ab honesto & utili duci existimaverunt, & de iis duobus eligere quid præstet: deinde incidere ut duo concurrant honesta, & duo utilia; & quæratur quid honestius, & quid utilius. Primùm igitur in tres partes Officium dividitur, honestum, & utile, & quid præstantius. Deinde hæc tria in quinque genera diviserunt, in duo honesta, & duo utilia, & eligendi judicium. Prima pertinere C dicunt ad decus honestatemque vitæ, secunda ad vitæ commoda, copias, opes, facultates: de iis eligendis subesse judicium. Hæc illi.

28. * Nos autem nihil omnino nisi quod deceat & honestum sit, futurorum magis quam præsentium metimur formula: nihilque utile nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam definimus, non quod ad delectationem præsentis. Neque aliqua commoda in facultatibus & copiis opum constituimus: sed incommoda hæc putamus, D si non rejiciantur; [a] eaque oneri cùm sint æstimari magis, quam dispendio cùm erogantur.

29. Non superfluum igitur scriptionis nostræ est opus, quia Officium diversa æstimamus regula atque illi æstimaverunt. Illi sæculi commoda in bonis ducunt, nos hæc etiam in detrimentis; quoniam qui hîc recipit bona, ut ille dives, illic cruciatur: & Lazarus qui mala hîc pertulit, illic consolationem invenit. (Luc. 16. 25.) Deinde qui illa non legunt, nostra legent si volent: qui non E sermonum supellectilem, neque artem dicendi; sed simplicem rerum exquirunt gratiam.

CAPUT X.

Prius in sacris litteris decorum quam in philosophorum libris frequentatum esse: Pythagoram silentii sui legem mutuatum à Davide: sed hujus tamen præstare disciplinam; cùm primum Officium sit loquendi modus.

30. Decorum * autem in nostris Scripturis primo constitui loco (quod græce πρέπον dicitur) instruimur & docemur, legentes: *Te decet hymnus Deus in Sion*: vel græce, Σοὶ πρέπει ὕμνος ὁ θεὸς ἐν Σιών. (Psal. 64. 2.) Et Apostolus ait: *Loquere quæ decent sanam doctrinam.* (Tit. 2. 1.) Et alibi: *Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis eorum per passionem consummari.* (Hebr. 2. 10.)

31. Numquid * prior Panætius, numquid Aristoteles, qui & ipse disputavit de Officio, quam David; cùm & ipse Pythagoras, qui legitur Socrate antiquior, prophetam sequutus David, legem silentii dederit suis? (Psal. 38. 2. & seq.) Sed ille ut per quinquennium discipulis usum inhiberet loquendi: David autem non ut naturæ munus imminueret; sed ut custodiam proferendi sermonis doceret. Et Pythagoras quidem ut non loquendo loqui doceret: David ut loquendo magis disceremus loqui. Quomodo enim sine exercitio doctrina, aut sine usu profectus?

32. Qui disciplinam bellicam vult adsequi, quotidie exercetur armis, & tamquam in procinctu positus præludit prælium, & velut coram posito prætendit hoste: atque ad peritiam viresque jaculandi, vel suos explorat lacertos, vel adversariorum declinat ictus, & [b] vigilanti exit obtutu. Qui navim in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, prius in fluvio præludit. Qui canendi suavitatem & vocis affectant præstantiam, prius sensim canendo vocem excitant. Et qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palæstræ durantes membra, nutrientes patientiam, laborem adsuescunt.

33. Hæc ipsa natura nos in parvulis docet, quod prius sonos meditantur loquendi, ut loqui discant. Itaque sonus exercitatio quædam & palæstra vocis est. Ita ergo & qui volunt discere cautionem loquendi, quod naturæ est, non negent: quod custodiæ est, exerceant; ut qui in specula sunt, speculando intendant, non dormiendo. Omnis enim res propriis ac domesticis exercitiis augetur.

34. Ergo David tacebat non semper, sed pro tempore: non jugiter, neque omnibus; sed irritanti adversario, provocanti peccatori non respondebat. Et, sicut alibi ait, loquentes vanitatem, & cogitantes dolum, non audiebat quasi surdus, & quasi mutus non aperiebat illis os suum; (Psal. 37. 13. & 14.) quia & alibi habes: *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne similis illi fias.* (Prov. 26. 4.)

35. Primum igitur officium est loquendi modus. Hoc sacrificium laudis Deo dependitur,

*. Hanc Officii etymologiam probat Franc. Sanctius, *Minerva* lib. 4. *De Antiphrasi*, §. 4. & Donati auctoritate confirmat: secundam refellit hoc ipso D. Ambrosii testimonio. Sed male, cùm utramque perinde amplectatur S. Antistes.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 351. lin. 41. *Triplex igitur est* &c.

*. Sententiam hanc non nihil impeditam ita explica: Nos autem sola decentia & honesta tractamus ac definimus, idque facimus magis regulà futurorum, quam præsentium.

a. Era. & seq. edit. cum uno vel altero mss. *eaque oneri magis cùm sint æstimari, quam* &c. Sed ea transpositio quæ reliquis mss. & Amerb. edit. contraria est, loci non tollit obscuritatem. Hanc ergo ut amoveas, subintellige verbum, *putamus*; & interpretare, *cùm sint*, positum pro, *cùm adsint*: ut opponatur sequenti membro, *cùm erogantur*

*. Lib. 1. Offic. pag. 363. lin. 47. *Hoc loco continetur id, quod dici latine decorum* &c.

*. Quod Aristoteles disputasse de officio dicitur, non ita accipimus quasi peculiarem sub hoc titulo ediderit commentationem: sed quod multa quæ ad singulorum officia pertineant, tradiderit in lib. Politic. & Oeconom. maxime vero in tribus Moralium suorum voluminibus, quæ manibus omnium evolvuntur. Quod vero David hisce philosophis adseritur esse antiquior, id cum chronologia consentire jam observavimus tomo 1. pag. 766. & 982. Et certe Panætius florebat tantum an. ab Urbe condita circ. 625. id est, 126. an. ante salutis reparationem: Aristoteles an. ab Orbe condito circ. 3570. id est, an. ferme 380. ante Christum. Socrates anno mundi 3525. Pythagoras denique ante Virginis partum circ. 550. hoc est, an 500. post Davidem. Porro qui plura de his philosophis desideraverit, adeat de Pythagora Laertium, Porphyrium, Anonymum apud Photium, August. *De Civit. Dei* lib 18. cap 37. Vaverium, *De Virtute paganorum*, & Naudeum, *Apologia illustrium Virorum*: de Socrate autem præter plures è memoratis, Diodorum Sicul. Aristidem orat. 2. Eusebium, Suidam & alios. Nam de Panætio jam quantum sufficiat, adtigimus.

b. Ita vet. edit. ac mss. fere ad unum: Rom. autem edit. *vigilanti excepit obtutu*. Sed nihil mutandum. Quidni enim recte dicatur, exire ictum vel exire extra ictum, quemadmodum è contrario dicimus, venire intra jactum aut ictum teli?

hoc reverentia exhibetur, cùm scripturæ divinæ leguntur, hoc honorantur parentes. [a] Scio loqui plerosque, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm sibi non prosit loqui. Sapiens ut loquatur, multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, & tempore. Est ergo & tacendi & loquendi modus: est etiam facti modus. Pulcrum igitur tenere mensuram officii.

CAPUT XI.

Officium omne aut medium, aut perfectum esse Scripturæ testimoniis ostenditur: cui subjungitur misericordiæ laus, atque ad eam exhortatio.

36. Officium autem omne * aut medium, aut perfectum est, quod æque Scripturarum authoritate probare possumus. Habemus etenim in Evangelio dixisse Dominum: *Si vis in vitam æternam venire, serva mandata. Dixit ille: Quæ? Jesus autem dixit illi: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices: honora patrem & matrem:* &, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hæc sunt media officia, quibus aliquid deest. *(Matth. 19. 17. & seq.)*

37. Denique dicit illi adolescens: *Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia bona tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Et supra ita est scriptum, ubi diligendos inimicos, & orandum dicit pro calumniantibus & persequentibus nos, & benedicere maledicentes; hoc nos facere debemus, si volumus perfecti esse, sicut Pater noster qui in cælo est, qui super bonos & malos solem jubet radios suos fundere, & pluvia & rore terras universorum sine ulla discretione pinguescere. Hoc est igitur perfectum officium, * quod κατόρθωμα dixerunt Græci, quo corriguntur omnia, quæ aliquos potuerunt lapsus habere. *(Ibidem 20. & 21.) (Matth. 5. 44. & 45.)*

38. Bona etiam misericordia, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Christianam animam quàm misericordia. * Primum in pauperes, ut communes judices partus naturæ, quæ omnibus ad usum generat fructus terrarum; ut quod habes, largiaris pauperi, & consortem & conformem tuum adjuves. Tu nummum largiris, ille vitam accipit: tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat. Tuus denarius, census illius est.

39. Ad hæc plus ille tibi confert, cùm sit debitor salutis. Si nudum vestias, te ipsum induis justitiam. Si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem: ille tibi adquirit sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris ista gratia. Corporalia seminas, & recipis spiritalia. Miraris judicium Domini de sancto Job? Mirare virtutem ejus, qui poterat dicere: *Oculus eram cæcorum, pes claudorum. Ego eram infirmorum pater, velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus: ostium autem meum omni venienti patebat.* Beatus plane, de cujus domo numquam vacuo sinu pauper exivit; neque enim quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem & infirmi atque inopis ærumnam. In die judicii habebit salutem à Domino, quem habebit suæ debitorem misericordiæ. *(Job. 29. 15 & 16.)*

CAPUT XII.

Ne quis ab exercenda misericordia revocetur, ostenditur Deum curare actus hominum, & quemlibet improbum in ipsa opum affluentia miserum esse Jobi auctoritate demonstratur.

40. Sed plerique revocantur ab officio dispensatricis misericordiæ, dum putant hominis actus non curare Dominum, aut nescire eum quid in occultis geramus, quid teneat nostra conscientia: aut judicium ejus nequaquam justum videri, quando peccatores divitiis abundare vident, gaudere honoribus, sanitate, liberis: contra autem, justos inopes degere, inhonoros, sine liberis, infirmos corpore, luctu frequenti.

41. Nec mediocris ea quæstio, quandoquidem tres illi reges amici Job, propterea eum peccatorem pronunciabant, quia inopem factum ex divite, orbatum liberis ex fœcundo parente, perfusum ulceribus, [b] inhorrentemque vibicibus, exaratum vulneribus à capite usque ad pedes videbant. Quibus hanc sanctus Job proponit adsertionem: Si ego propter peccata mea hæc patior, *Cur impii vivunt? Inveteraverunt autem, & in divitiis semen eorum secundum voluntatem, filii eorum in oculis, domus ipsorum abundant, timor autem nusquam: Flagellum autem à Domino non est in ipsis.* *(Job. 4. & seq.) (Ibidem 8. 3. & seq.) (Ibidem 11. 14. & seq.) (Ibidem 21. 7. & seq.)*

42. Hæc videns infirmus corde exagitatur, & studium avertit suum. Cujus dicturus sermones, ante sanctus præmisit Job, dicens: *Portate me, ego autem loquar, deinde ridete me. Nam & si arguor, quasi homo arguor. Portate ergo onus sermonum meorum.* Dicturus enim sum quod non probo: sed ad vos redarguendos proferam sermones iniquos. Aut certe; quia ita est * versus: *Quid autem? Numquid ab homine arguor?* hoc est, homo me non potest redarguere quia peccavi, etsi argui dignus sum; quia non ex evidenti culpa me arguitis, sed ex injuriis æstimatis merita delictorum. Videns ergo infirmus abundare injustos successibus prosperis, se autem adteri, dicit Domino: *Discede à me, vias tuas scire nolo.* Quid prodest, quia servivimus ipsi: aut quæ utilitas, quia occurrimus ipsi? In manibus ipsorum omnia bona, opera autem impiorum non videt. *(Ibidem 1. & seq.) (Ibidem 14.)*

43. Laudatur in * Platone, quod in Politia sua

a. Hanc sententiam jam legimus cap. 2. num. 5. eisdem verbis. Et eam quidem hoc loco non habet ms. Vat. unus & Tellerianus: verum cùm in aliis omnibus atque edit. repetiatur, ipsam loco movere noluimus, præsertim cùm Ambrosio insolens non sit easdem sententias subinde repetere.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 351. lin. 36. *Atque etiam alia divisio est* &c. Adverte interim Ambrosii doctrinam de præceptorum & consiliorum distinctione, quæ tam pertinaciter ab heterodoxis neotericis impugnatur & rejicitur.

*. Ibidem pag. 351. lin 37. *Perfectum autem officium* &c.

*. Lib. 2. Offic. pag. 383. lin. 22. *In illo autem altero genere* &c.

b. Mss. aliquot, *inhorrentemque vili cibo*: quidam . . . . *varicibus*: neutri satis commode, nec mutanda vox Auctori nostro familiaris.

*. *Versus* hoc loco ponitur pro *conversus*; aliam enim ejusdem loci Ambrosius, ut alibi sæpe, versionem proponit.

*. Plato lib. 2. de Rep. Glauconem in eorum qui justitiæ præferendam injustitiam dicebant, loquentem inducit, atque impositum sibi munus ita excusantem: Ἐπεὶ ἔμοιγε, ὦ Σώκρατες, [illegible]. Et infra: Μὴ ἐμὲ οἴου λέγειν, ὦ Σώκρατες, ἀλλὰ τοὺς ἐπαινοῦντας [illegible].

posuit, eum qui contra justitiam disputandi par- A tes recepisset, postulare veniam dictorum quæ non probaret, & veri inveniendi atque examinandæ disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eousque Tullius probavit, ut ipse in libris quos scripsit de Republica, in eam sententiam dicendum putaverit.

* 44. * Quanto antiquior illis Job, qui hæc primus reperit, nec eloquentiæ phalerandæ gratia, sed veritatis probandæ, præmittenda æstimavit? Statimque ipse quæstionem enodem red- B (Job. 21. 17.) didit, subjiciens quod extinguatur lucerna impiorum, & futura sit eorum eversio: non falli Deum doctorem sapientiæ & disciplinæ, sed (Ibidem 22.) esse veritatis judicem: & ideo non secundum forensem abundantiam æstimandam beatitudinem singulorum; sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra. Moritur innocens (Ibidem 23. & seq.) in potestate simplicitatis suæ, in abundantia pro- C priæ voluntatis, sicut adipe repletam animam gerens. At vero peccator quamvis foris abundet, deliciis diffluat, & odoribus flagret, in amaritudine animæ suæ vitam exigit, & ultimum diem claudit, nihil secum eorum quæ epulatus fuerit, boni referens: nihil secum auferens, nisi scelerum suorum pretia.

45. Hæc cogitans nega, si potes, divini esse judicii remunerationem. Ille suo affectu beatus, hic miser: ille suo judicio absolutus, hic reus: D ille in exitu lætus, hic mœrens. Cui absolvi po- (Job. 21. 28.) test, qui nec sibi innocens est? Dicite, inquit, mihi, ubi est protectio tabernaculorum ejus? Signum ejus non invenietur. Vita etenim facinorosi, ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus, evanuit delectatio: licet ipsa quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit; viventes enim in inferna descendunt.

46. Vides convivium peccatoris, interroga E conscientiam ejus. Nonne gravius omnibus fœtet sepulcris? Intueris lætitiam ejus, & salubritatem miraris corporis filiorum atque opum abundantiam: introspice ulcera & vibices animæ ejus, & cordis mœstitudinem. Nam de opi- (Luc. 12. 15.) bus quid loquar, cùm legeris: *Quia non in abundantia est vita ejus*: cùm scias quia etsi tibi videatur dives, sibi pauper est, & tuum judicium suo refellat? De multitudine quoque filiorum, & de indolentia quid loquar; cùm se ipse lugeat, & sine hærede futurum judicet, cùm imitatores sui successores suos esse nolit? Nulla enim hæreditas peccatoris. Ergo impius ipse sibi pœna est: justus autem [a] ipse sibi gratia; & utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex se ipso solvitur.

CAPUT XIII.

Refelluntur philosophorum opiniones qui Deo vel mundi totius, vel alicujus ex ejus partibus curam abjudicant.

47. Sed revertamur ad propositum, ne divisionem factam præteriisse videamur, quia occurrimus opinioni eorum qui videntes sceleratos quosque divites, lætos, honoratos, potentes, cùm plerique justorum egeant, atque infirmi sint, putant vel nihil Deum curare de nobis, ut * epicurei dicunt: vel nescire actus hominum, ut flagitiosi putant: vel si scit omnia, iniquum esse judicem; ut bonos egere patiatur, abundare improbos. Nec superfluus velut quidam excursus fuit, ut opinioni hujusmodi ipsorum affectus responderet, quos beatos judicant, cùm ipsi se miseros putent. Arbitratus enim sum quod ipsi sibi facilius quam nobis crederent.

48. Quo decurso, proclive æstimo, ut refellam cetera. Et primo eorum adsertionem, qui Deum putant curam mundi nequaquam habere, sicut * Aristoteles adserit usque ad lunam ejus descendere providentiam. Et quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat & destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse; cùm aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia?

49. * Quod si aut Deum creatorem suum abnegant, aut ferarum & bestiarum se haberi numero censent: quid de illis dicamus, qui hac se condemnant injuria? Per omnia Deum ire ipsi adserunt, & omnia in virtute ejus consistere, vim & majestatem ejus per omnia elementa penetrare, terras, cælum, maria: & putant injuriam ejus, si mentem hominis qua nihil nobis ipse præstantius dedit, penetret, & divinæ majestatis ingrediatur scientia?

50. Sed horum magistrum velut * ebrium, &

*. Job scriptorum omnium antiquissimus vulgo creditur, natusque anno post orbem conditum circiter 2330. cùm Plato vix ante annum 3550. floruerit. Non desunt tamen à quibus liber qui ipsius nomine inscribitur, non ei, sed Moysi adtribuatur. Videsis Jobi Historiam multa cum eruditione à Spanhemio elucubratam.

a. Edit. & mss. aliquot, *ipse sibi gloria*: plurimi vero & optimi quique, *ipse sibi gratia*; id est, quies atque oblectatio.

*. Cum providentia & mundi administratione non solum felicitatem divinam stare non posse docuit Epicurus, sed multo minus humanam. Quocirca omni modo conatus est ex hominum animis numinis metum evellere; ut videre licet apud Cl. Petrum Gassendum in Syntagm. Epic. Phil. 2. part. sect. 2. c. 5. & 6. nec non 3. part. cap. 20. & 21. quam ob impietatem discipulus ejus Lucretius eumdem miris laudibus extollit tum in ipso limine lib. 1. ac 2. tum maxime 3. ubi ipsum ob eam causam in deos referendum canit.

*. Diog. Laertius in vita hujus philosophi eamdem opinionem ipsi adtribuit, hisce verbis, διατείνειν δ' αὐτοῦ (θεοῦ) τὴν πρόνοιαν μέχρι τῶν οὐρανίων, τὰ δ' ἐπίγεια κατὰ τὴν πρὸς ταῦτα συμπάθειαν οἰκονομεῖσθαι. Sed ea sententia in iis, quæ restant, Aristotelis scriptis non legitur.

*. Epicuro Deum neque creatorem mundi, neque, uti supra diximus, gubernatorem esse ignorat nemo: qua de re adiri potest Cl. Gassendus Phil. Epic. Syntagm. parte 2. sect. 1. cap. 3. & sect. 2. cap. 2. 3. 4. 5. & 6. Porro quod epicurei esse in ea opinione dicuntur, ut Deum adserant rebus admisceri omnibus, videtur istud respicere ad Lucretium qui lib 1. initio hæc ipsa sub Veneris nomine atque involucro significat. Hinc autem desumtos constat celebres duos Virgilii locos, alterum Georgic. 4. alterum 1. Æneid. quos consule.

*. Epicurum *ebrium* hic vocat, quippe qui ter in die, ut quidam tradidere, crapulam evomere consueverit, & priusquam in balneo voluntariam obiret mortem: Τὸν ἄκρατον ἕλκοντα, ut loquitur Diog. Laert. in ejus vita. Quod vero spectat ad susceptum ab eo voluptatis patrocinium, frustra sunt qui eum de animæ voluptate intelligendum aiunt; cùm ejus verba ab eodem Diog. memorata contrarium demonstrent: sunt autem hujusmodi: Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων, καὶ τὰς διὰ μορφῆς. Et hoc non minus evincit ejusdem cum perditissimis adolescentibus ac mulierculis consuetudo. Neque tamen dissimulandum eumdem Laertium ibidem scribere hanc dementiam illi ab æmulis invidiæ conflandæ ergo fuisse adtributam; nec defuisse magnos viros, qui se defensores Epicuri profiterentur, quorum antesignanum doctissimum Gassendum propter ejusdem philosophi vitam erudite admodum ab eo scriptam jure nominamus. Verum cùm Tullius lib. 3. Tusc. Quæst. hæc ipsa in libro Epicuri *De summo bono*, quem ejus esse negabat nemo, contineri adserat: cumque sancti Patres eamdem ipsi de voluptate sententiam tribuant; credibilius est, ut indicat idem Tullius, Epicuri discipulos invidiæ levandæ causa ad animi voluptatem tamquam ad sacram ancoram, cùm urgerentur, confugisse.

voluptatis patronum, ipsi qui putantur sobrii, A irrident philosophi? Nam de Aristotelis opinione quid loquar, qui putat Deum suis contentum esse finibus, & præscripto regni modo degere, ut poetarum loquuntur fabulæ, qui mundum [a] inter tres ferunt esse divisum; ut alii cælum, alii mare, alii inferna coercenda imperio, sorte obvenerint: eosque cavere ne usurpata alienarum partium sollicitudine, inter se bellum excitent. Similiter ergo adserit quod terrarum curam non habeat, sicut maris vel inferni B non habet. Et quomodo ipsi [*] excludunt quos sequuntur, poetas?

CAPUT XIV.

Dei cognitionem nihil fugere & Scripturarum testimoniis, & solis comprobatur exemplo, qui licet creatura sit, tamen vel lumine, vel calore cuncta penetrat.

51. SEquitur illa responsio, utrùm Deum, si C operis sui cura non præterierit, prætereat scientia. Ergo qui plantavit aurem, non audit: qui finxit oculum, non videt, non considerat?

52. Non præteriit hæc vana opinio sanctos prophetas. Denique David inducit eos loquentes, quos superbia inflatos adserit. Quid enim tam superbum, quam cùm ipsi sub peccato sint, alios indigne ferant peccatores vivere, dicentes: *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores* D *gloriabuntur?* Et infra: *Et dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob.* Quibus respondet Propheta dicens: *Intelligite nunc insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audit: Et qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguit, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Qui ea quæcumque vana sunt deprehendit, ea [b] quæ sancta sunt, nescit, & ignorat quod ipse fecit? Potest E opus suum ignorare artifex? Homo est, & in opere suo latentia deprehendit; & Deus opus suum nescit? Altius ergo profundum in opere, quam in auctore. Et fecit aliquid quod supra se esset, cujus meritum ignoraret auctor, cujus affectum nesciret arbiter? Hæc illis.

Psal. 93. 3.

Ibidem 7. & seq.

53. Ceterum nobis satis est ipsius testimonium, qui ait: *Ego sum scrutans corda & renes.* Et in Evangelio ait dominus Jesus: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Sciebat enim quod cogi- F tarent mala. Denique Evangelista testatur dicens: *Sciebat enim Jesus cogitationes eorum.*

Hier. 17. 10.
Luc. 5. 22.
Luc. 6. 8.

54. Quorum non poterit satis movere opinio, si facta eorum consideremus. Nolunt supra se esse judicem, quem nihil fallat: nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi. Sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. *In nocte*, inquit, *erit fur. Et oculus adulteri servabit tenebras, dicens: Non considerabit me oculus: & latibulum personæ posuit suæ.* Omnis enim [c] qui lucem fugit, diligit tenebras, studens latere, cùm Deum latere non possit, qui intra profundum abyssi, & intra hominum mentes non solum tractata, sed etiam volvenda cognoscit. Denique & ille qui dicit in Ecclesiastico: *Quis videt me? Et tenebræ cooperiunt me, & parietes, quem vereor?* quamvis in lecto suo positus hæc cogitet, ubi non putaverit, comprehenditur. *Et erit*, inquit, *dedecus, quòd non intellexerit timorem Dei.*

Job. 24. 14. & 15.
Eccli. 23. 25. & 26.
Ibidem 31.

55. Quid autem tam stolidum, quam putare quod Deum quidquam prætereat; cùm sol qui minister luminis est etiam abdita penetret, & in fundamenta domus vel secreta conclavia vis caloris ejus irrumpat? Quis neget verna temperie tepefieri interiora terrarum, quas glacies hiberna constrinxerit? Norunt ergo arborum occultam vim caloris vel frigoris, adeo ut radices arborum aut urantur frigore, aut fotu solis virescant. Denique ubi clementia cæli arriserit, varios terra se fundit in fructus.

56. Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt, se inserit, nec vectibus ferreis aut gravium valvarum obicibus, quominus penetret, impeditur; quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda semet quæ ipse creavit, inserere: sed ea quæ ipse fecit, non videt, & fecit ut meliora sint quæ facta sunt, & potentiora, quam ipse est qui ea fecit; ut possint quando volunt, cognitionem sui operatoris latere? Tantam ergo virtutem & potestatem inseruit mentibus nostris; ut eam comprehendere cùm velit, ipse non possit?

CAPUT XV.

Quibus displicet quod bonis male, & malis bene sit, eis Lazari exemplo & Pauli auctoritate ostenditur post vitam pœnas ac præmia reservari.

57. DUo absolvimus, & ut arbitramur, non incongrue nobis hujusmodi cecidit disputatio. Tertium genus quæstionis residet hujusmodi: cur peccatores abundent opibus & divitiis, epulentur jugiter, sine mœrore, sine luctu; justi autem egeant, & afficiantur aut conjugum amissione, aut liberorum? Quibus satisfacere debuit illa Evangelii parabola, quod dives bysso & purpura induebatur, & epulas copiosas exhibebat quotidie: pauper autem plenus ulcerum de mensa ejus colligebat reliquias. Post obitum vero utriusque, pauper erat in sinu Abrahæ requiem habens, dives in suppliciis. Nonne evidens est meritorum aut præmia aut supplicia post mortem manere?

Luc. 16. 23.

58. Et rectè, quia in certamine labor est, post certamen aliis victoria, aliis ignominia. Numquid priusquam cursus conficiatur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? Merito Paulus: *Certamen*, inquit, *bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Do-*

2. Tim. 4. 7. & 8.

a. Cunctæ edit. ac mss. haud pauci, *in tres ferunt* &c. Melius alii, *inter tres* &c. Iterum eædem edit. ac mss. aliquot *coercenda imperii sorte obvenerint:* mss. plures & antiquiores, *coercenda imperio* &c. Melius, ut vox *imperio* referatur ad *coercenda*. De divisione autem illa qua mundus inter tres Jovem nimirum, Neptunum ac Plutonem divisus fertur, opera Philosophi ad nos transmissa nihil habent.

*. Aristoteles quidem lib. 1. Metaph. cap. 2. poetas de diis indigna fabulantes negat audiendos, eorumque fabulas ibidem lib. 14. cap. 8. exagitat: sed hoc multo uberius tractatum reperias apud Platonem cum alibi, tum præcipue libris 2. 3. & 10. de Rep.

b. Edit. cum mss. aliquot, *quæ facta sunt.* Sed in plurimis ac probatissimis legitur *quæ sancta sunt.* In qua lectione inest antithesis non inelegans

c. Rom. edit. *qui male agit, lucem fugit* &c.

minus

minus in illa die, justus judex: non solum autem A *mihi, sed etiam his qui diligunt adventum ejus. In illa*, inquit, *die reddet*, non hîc. Hîc autem in laboribus, in periculis, in naufragiis, quasi athleta bonus decertabat; quia sciebat quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ergo non potest quis præmium accipere, nisi legitime certaverit, nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.

CAPUT XVI. B

Confirmato quod supra de præmiis & pœnis dictum fuerat, subjungitur non mirum esse si quibus merces in futuro non destinatur, hîc illi non laborent neque confligant: additurque ideo temporalia bona ipsis concedi, ne qua eis relinquatur excusatio.

a 59. NOnne injustus est,[a] qui ante dat præmium, quam certamen fuerit absolutum? Ideoque Dominus in Evangelio ait: *Beati* C *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Non dixit: Beati divites, sed pauperes. *Matth. 5. 3.* Inde incipit beatitudo judicio divino, ubi ærumna æstimatur humana. *Beati qui esuriunt, quia ipsi saturabuntur. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem habebunt. Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cùm vobis maledicent, & per-* D *sequentur, & dicent omne malum adversum vos, propter justitiam. Gaudete & exsultate quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* *Ibidem 5. & seq.* Futuram, non præsentem: in cælo, non in terra mercedem promisit esse reddendam. Quid alibi poscis, quod alibi debetur? quid præpropere coronam exigis, antequam vincas? quid detergere pulverem? quid requiescere cupis? quid epulari gestis, antequam stadium solvatur? Adhuc populus spectat, adhuc athletæ [b] in scammate sunt, & E b tu jam otium petis?

60. Sed forte dicas: Cur impii lætantur? cur luxuriantur? cur etiam ipsi non mecum laborant? Quoniam qui non subscripserint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis: qui in stadium non descenderint, non se perfundunt oleo, non oblinunt pulvere. Quos manet gloria, exspectat injuria. Unguentati spectare solent, non decertare: non solem, æstus, pulverem, imbresque perpeti. Dicant ergo & ipsis F athletæ: Venite, nobiscum laborate. Sed respondebunt spectatores: Nos hîc interim de vobis judicamus: vos autem sine nobis coronæ, si viceritis, gloriam vindicabitis.

61. Isti igitur qui in deliciis, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus, studia posuerunt sua, spectatores magis sunt quam præliatores. Habent * lucrum laboris, fructum virtu- *
tis non habent. Fovent otium, astutia & improbitate aggerant divitiarum acervos: sed exsolvent, seram licet, nequitiæ suæ pœnam. Horum requies in infernis, tua verò in cælo: horum domus in sepulcro, tua in paradiso. Unde pulcre vigilare eos in tumulo Job dixit; quia soporem quietis habere non possunt, quem ille dormivit, qui resurrexit. *Job. 21. 32.*

62. Noli igitur ut parvulus sapere, ut parvulus loqui, ut parvulus cogitare, ut parvulus vindicare ea quæ sunt posterioris ætatis. Perfectorum est corona. Exspecta, ut veniat quod perfectum est; quando non per speciem in ænigmate, sed facie ad faciem formam ipsam redopertæ veritatis possis agnoscere. Tunc qua causa ille dives fuerit, qui erat improbus & raptor alieni, qua causa potens alius, qua causa ille abundaverit liberis, ille fultus honoribus, revelabitur.

63. Fortasse ut dicatur raptori: Dives eras, qua causa aliena rapiebas? Egestas non compulit, inopia non coegit. Nonne ideo te divitem feci, ut excusationem habere non possis? Dicatur etiam potenti: Cur non adfuisti viduæ, orphanis quoque injuriam patientibus? Numquid tu infirmus eras? Numquid non poteras subvenire? Ideo te feci potentem, ut non inferres violentiam, sed repelleres. Non tibi scriptum est: *Eripe injuriam accipientem?* *Eccli. 4. 9.* Non tibi scriptum est: *Pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate?* *Psal. 81. 4.* Dicatur etiam abundanti: Liberis, & honoribus cumulavi te, salubritatem corporis concessi tibi; cur non sequutus es præcepta mea? Famule meus quid feci tibi, aut quid contristavi te? *Mich. 6. 3. & seq.* Nonne ego tibi liberos dedi, honores contuli, salutem donavi; cur me negabas? Cur æstimabas quod ad scientiam meam quæ gereres non pervenirent: cur tenebas dona mea, despiciebas mandata mea.

64. Denique de Juda proditore hæc colligere licet, qui & apostolus inter duodecim electus est, & loculos pecuniarum quas pauperibus erogaret, commissos habebat; ne videretur aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse. Et ideo ut justificaretur in eo Dominus, hæc ei contulit; ut non quasi injuria exasperatus, sed quasi prævaricatus gratiam, majori esset offensæ obnoxius.

CAPUT XVII.

Adolescentis officia, & exempla eidem ætati accommoda proponuntur.

65. QUoniam igitur & pœnam improbitati, & virtuti fore præmium satis claruit, de Officiis aggrediamur dicere, * quæ nobis ab * adolescentia spectanda sunt, ut cum ætate accrescant [c] simul. Est igitur bonorum adolescen- c tium timorem Dei habere, deferre parentibus, honorem habere senioribus, castitatem tueri,

a. Era. & sequentes edit. *qui ante quærat præmium.* Amerb. & mss. omnes, *qui ante dat præmium.* Non male; utrumque enim injustitiæ adscribi debet.

b. Ant. edit. cum paucis mss. *in stemmate:* Rom. cum aliis pluribus, *in scammate.* Quid sit autem *scamma*, dictum est ad lib. *De Elia & jejunio.* cap. 13. pag. 550.

*. *Lucrum laboris*, id est, immunitatem laboris; non vero lucrum quod ex labore gignitur.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 368. lin. 4. *Et quoniam officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, aliaque sunt juvenum &c.*

c. Omnes edit. *simul studia bonorum actuum:* sed quæ resecavimus, à mss. absunt, nec videntur sensui ullo modo necessaria. Rursus edit. & pauci recentioresque mss. *deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam:* plures autem ac potiores mss. jugulata voce, *reverentiam*, verbum *deferre* absolute ponunt; nec non & infra duobus locis, quorum è primo expungunt vocem *honorem*, quæ in edit. posita erat ante, *deferens:* in altero autem scribunt, *sedulo tamen obsequio*, pro, *sedulum tamen obsequium*, editionum.

non adspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamento sunt minori ætati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas; ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ.

Gen. 22. 9. & seq. 66. Erat Isaac Dominum timens, utpote Abrahæ indoles, deferens patri usque adeo, ut adversus paternam voluntatem nec mortem recusaret. Ibidem 37. 6. & seq. Joseph quoque cùm somniasset quod sol & luna & stellæ adorarent eum; sedulo tamen Ibidem 39. 2. & seq. obsequio deferebat patri: castus ita ut ne sermonem quidem audire vellet nisi pudicum: humilis usque ad servitutem, verecundus usque ad fugam, patiens usque ad carcerem, remissor injuriæ usque ad remunerationem. Cujus tanta verecundia fuit, ut comprehensus à muliere, vestem in manibus ejus fugiens mallet relinquere, Exod. 4. 10. quàm verecundiam deponere. Moyses quoque Hier. 1. 6. & Hieremias electi à Domino, ut oracula Dei prædicarent populo, quod poterant per gratiam, excusabant per verecundiam.

CAPUT XVIII.

De partibus verecundiæ: quemadmodum sermonem ac silentium temperet, pudicitiam comitetur, preces nostras Deo commendet, motibus corporeis moderetur; ubi refertur historia de duobus clericis observatu minime indigna: tum subnectitur qua ratione componendus ex eadem virtute incessus, quantave cautio ne quid inverecundum ore proferatur, aut detegatur in corpore, adhibenda sit: & hæc omnia exemplis appositissimis illustrantur.

* 67. PUlcra igitur virtus est * verecundiæ, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus; ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. SPECULUM enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere prima disciplina verecundia est: immo etiam in omni usu loquendi; ut sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat; ut verecunda principia commendent processum.

68. Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. Denique si aut infantiæ putatur aut superbiæ, probro datur: si verecundiæ, laudi Dan. 13. 35. ducitur. Tacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virorum; est enim & in oculis verecundia, ut nec videre viros femina, nec videri velit.

69. Neque vero quisquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. BONUS ENIM regendæ castitatis pudor est comes: [a] qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. a
Hic primus in ipso cognitionis ingressu, Domini matrem commendat legentibus, & tamquam Luc. 1. 29. & seq. testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, adstruit: quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu ejus, quod ad virilis sexus [b] speciem peregrinam turbatur adspectus Virginis. Itaque b quamvis esset humilis, præ verecundia tamen salutantem non resalutavit, nec ullum responsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit; ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem referret.

70. In ipsa oratione nostra multum verecundia placet, multum conciliat gratiæ apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit Publicanum, & commendavit eum qui nec oculos suos audebat ad cælum levare? Ideo justificatur magis Domini judicio, quam ille Pharisæus, quem deformavit præsumtio. Luc. 18. 13. & 14. Ideoque oremus in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples, ut ait Petrus. 1. P. 3. 4. Magna igitur modestia, quæ cùm sit etiam sui juris remissior, nihil sibi usurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum, apud quem nemo dives. Dives est modestia, quia portio Dei est. Paulus quoque orationem deferri præcepit cum verecundia & sobrietate. Tim. 2. 9. Primam hanc & quasi præviam vult esse orationis futuræ, ut non glorietur peccatoris oratio: sed quasi colore pudoris obducta, quo plus defert verecundiæ de recordatione delicti, hoc uberiorem mereatur gratiam.

71. Est etiam * in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. * Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. ITAQUE VOX quædam est animi, corporis motus.

72. * Meministis, filii, quemdam amicum, cùm sedulis se videretur commendare officiis; hoc * solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus ejus plurimùm dedeceret: alterum quoque cùm in clero reperissem, jussisse me ne umquam præiret mihi; quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cùm redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi, nec fefellit sententia; uterque enim ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter arrianæ infestationis tempore, fidem deseruit: alter pecuniæ studio, ne judicium [c] subiret sacerdotale, se nostrum nega- c

*. Cic. Offic lib. 1. pag. 369. lin. 43. *In primis provident, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus* &c.

a. Ita edit. ac mss. perpauci: alii frequentissimi, *qui si prætendat, & quæ prima... temerari non sinat*: unus, *qui sibi prætendat, & quæ prima* &c. alius, *quasi prætendat* &c. quæ lectio satis arridet.

b. Mss. nec pauci, nec inferioris notæ, *speciem peregrinatur*, quidam, *peregrinatus, adspectus* &c. Infra verò ubi edit. ac pauci mss. *sermonem refelleret*: reliqui legunt partim, *sermonem proferret*, aliqui, *proferret*: partim, *sermonem referret*, quod ultimum sensui videtur esse magis congruum.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 368. lin. 28. *Sed quoniam decorum illud in omnibus factis & dictis, in corporis denique motu & statu cernitur.*

*. Mirare quantam in corporeo ipso Clericorum habitu perfectionem requirebat sanctus Præsul; & hinc collige quas & quantas in eisdem animi virtutes expetebat.

c. Sic mss. magno consensu, si duos excipias qui perinde ac vet. edit. habent; *subiret, sacerdotem se nostrum* &c. Sola edit. Rom. *subiret sacerdotum, se nostrum* &c. sensu à lectione nostra non alieno. Videtur autem hic acceptæ administrationis aut furti cujuspiam rationem reddere defugiens, transfugisse ad arrianos. Porro de judiciis ecclesiasticis, ac bonorum Ecclesiæ œconomia alio loco dicetur commodius.

vit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, A species quædam scurrarum percursantium.

73. Sunt etiam qui * sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum motus nutantium; ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur.

74. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cùm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Nam plerumque festinantes anhelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festi- B nationis necessariæ, nævus est justæ offensionis. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur: sed quibus jugis & continua in naturam vertitur. Nec in illis ego tamquam simulacrorum effigies probo, nec in istis tamquam excussorum ruinas.

75. Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex; C NIHIL ENIM fucatum placet. Motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet; ut ars desit, non desit correctio.

76. Quod si etiam ista spectantur altius, quanto magis cavendum est ne quid turpe ore exeat; hoc enim graviter coinquinat hominem. Non enim cibus coinquinat, sed injusta obtrectatio, sed verborum * obscœnitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt. In nostro verò officio nullum verbum quod inhoneste cadat, non incutiat vere- D cundiam. Et non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hujus-
Gen. 39. 12. modi præbere dictis: sicut Joseph ne incongrua suæ audiret verecundiæ, veste fugit relicta; quoniam quem delectat audire, alterum loqui provocat.

77. Intelligere quoque quod turpe sit, pudori maximo est. Spectare vero si quid hujusmodi fortuitu accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, numquid potest in se ipso pla- E cere? * nec ipsa natura nos docet? quæ perfecte quidem omnes partes nostri corporis explicavit; ut & necessitati consuleret, & gratiam venustaret. Sed tamen eas quæ decoræ ad adspectum forent, in quibus formæ apex quasi in arce quadam locatus, & figuræ suavitas, & vultus species emineret, operandique usus esset paratior, obvias atque apertas reliquit: eas vero in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spectaculum, partim tamquam in ipso amandavit atque abscondit corpore, partim docuit & suasit tegendas.

78. Nonne igitur ipsa natura est magistra verecundiæ? Cujus exemplo * modestia hominum (quam à modo scientiæ quid deceret appellatam arbitror) id quod in hac nostri corporis fabrica abditum reperit, operuit & texit; ut ostium illud quod ex transverso faciendum in arca illa Noe justo dictum est; in qua vel Eccle- Gen. 6. 16. siæ, vel nostri figura est corporis: per quod ostium egeruntur reliquiæ ciborum. Ergo naturæ opifex sic nostræ studuit verecundiæ, sic decorum illud & honestum in nostro custodivit corpore, ut [a] ductus quosdam atque exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret, atque ab adspectu nostro averteret, ne purgatio ventris visum oculorum offenderet. De quo pulcre Apostolus ait: *Quæ videntur*, inquit, *membra* 1. Cor. 12. 23. *corporis infirmiora, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his abundantiorem honorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorem habent.* Etenim imitatione naturæ industria auxit gratiam. Quod alio loco etiam altius interpretati sumus, ut non Lib. 1. de Noe & Arca cap. 8. solum abscondamus ab oculis, verum etiam quæ abscondenda accepimus, eorum indicia usuque membrorum suis appellationibus nuncupare indecorum putemus.

79. Denique si casu aperiantur hæ partes, confunditur verecundia: si studio, impudentia æstimatur. Unde & filius Noe Cham offensam Gen. 9. 22. & seq. retulit, quia nudatum videns patrem risit: qui autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiam. Ex quo * mos vetus & in urbe Roma, & in plerisque civitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, vel generi cum soceris non lavarent, ne paternæ reverentiæ auctoritas minueretur: licet plerique se & in lavacrò quantum possunt tegant; ne vel illic ubi nudum totum est corpus, hujusmodi intecta sit portio.

80. Sacerdotes quoque veteri more, sicut in Exodo legimus, brachas accipiebant, sicut ad

*. Cic. lib. 1 Offic. pag. 369. lin. 8. *Nam & palæstrici motus* &c. Et infra 14. *Cavendum est autem ne aut tarditatibus* &c. Varii generis erant fercula apud antiquos, alia enim in triumphis usurpabantur, cùm devictarum gentium spolia, vestem pretiosam, aurum sive factum sive signatum, coronas, arma, machinas, ipsas denique urbium captarum imagines in plaustris ante currum triumphantium portabantur: alia erant ludorum ac spectaculorum, non multum prioribus illis absimilia: alia denique sacrorum, in quibus gestabantur deorum simulacra; & de ultimis hisce ferculis maxime hîc loqui Ambrosium ipse videtur declarare in sequentibus. Cæterum ab istis parum admodum abhorruisse constat funerum gestamina, quibus defuncti cadaver dum efferretur, avorum ejus præmittebantur imagines. Quæ omnia cùm non sine magna gravitate veherentur atque incessus tarditate, locum dare Ambrosianæ Ciceronianæque comparationi facile potuerunt.

*. Ibidem pag. 368. lin. 39. *Quarumque partium corporis usus sunt necessarii eas neque partes* &c.

*. Ibidem lin. 32. *Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem* &c. Hîc autem in Ambrosii contextu Era. & seq. edit. præferunt, *Hac ipsa natura nos docet*, mss. vero constantissime, *nec ipsa natura*, Amerb. *nec hoc ipsa natura* &c. Non male; est enim cœptæ interrogationis continuatio.

*. Ibidem pag. 372. lin. 47. *Itaque ut eamdem nos modestiam* &c.

a. Edit. *ut velut ductus quosdam aquæ, exitus cuniculorum* &c. Mss. vero prope ad unum ut nos in textu.

*. Ibidem pag. 369. lin. 3. *Nostro quidem more cum parentibus puberes filii* &c. Laudabilem hanc consuetudinem in Africa non obtinuisse indicat sanctus Augustinus Confess. lib. 2. cap. 3. Nam alioquin antiquis Christianis publicarum balnearum usu interdictum neutiquam fuisse non solum inde intelligimus, quod Marcianus aliique Christiani ac pii imperatores thermas construxere, verum etiam ex eo quod legamus apud Ireneum lib. 3. cap. 3. nec non apud alios scriptores ecclesiasticos Johannem apostolum cùm aliquando lavatum ivisset, ac intus Cerinthum reperisset, illotum discessisse, ne videlicet corrueret balneum in quo veritatis inimicus lavaret. Et certe usque adeo usum balnei, dummodo necessitatis non luxuriæ causa adhiberetur, vitiosum non putavit Gregorius Magnus, ut lib. 11. epist. 3. responderit eo ne dominica quidem die abstinendum. Porro valetudinem in causa fuisse cur eodem Johannes evangelista uteretur, auctor est Theodoretus lib. 2. Hæret. fabul. quamvis rem totam aliter narret Epiphanius Hær. 30. quem consule. Augustinus etiam ut mœstitudinem sibi allatam ex matris obitu deliniret, balneum se petiisse commemorat lib. 9. Confess. cap. 12. Sola igitur luxuria in balneis interdicitur; unde DD. Athanasius lib. de Virginibus, & Leander. de Instit. Virginum cap. 10. illas virginibus non omnibus quidem, sed sanis prohibuit, sicut è contrario easdem sanctus Benedictus Reg. cap. 36. monachis concessit ægrotis. Fuere tamen qui nec infirmi quidem iis uti vellent, ut Egesippus & Hieronymus narrant de Jacobo apostolo, Palladius de Isidoro atque Evagrio, de Basilio Gregor. Nazianzenus. Immo nec defuere inter philosophos qui hanc eamdem laudem sibi vindicarent, quemadmodum Seneca epist. 108. de seipso, & de Plotino Porphyrius tradidere.



Exod. 28. 42. & 43. Mosen dictum est à Domino: *Et facies illis brachas lineas, ut tegatur* [a] *turpitudo pudoris. A lumbis usque ad femora erunt, & habebit eas Aaron & filii ejus, cùm intrabunt in tabernaculum Testimonii: & cùm accedent sacrificare ad aram Sanctuarii, & non inducent super se peccatum, ne moriantur.* Quod nonnulli nostrorum servare adhuc feruntur: plerique spiritali interpretatione ad cautionem verecundiæ & custodiam castitatis, dictum arbitrantur. A

CAPUT XIX.

Decorum quomodo describatur ab Oratore: an & quantum ad virtutem conferat formositas: postremo qua cura ne quid affectatum aut effeminatum in nobis appareat, efficiendum?

81. DElectavit me diutius in partibus demorari verecundiæ; quia ad vos loquebar, qui aut bona ejus ex vobis recognoscitis, aut damna ignoratis. Quæ cùm sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta; tamen adolescentes, juvenilesque annos maxime decet.

82. In omni autem servandum ætate, ut deceat quod agas & conveniat, & quadret sibi ordo vitæ tuæ. Unde * Tullius etiam ordinem putat in illo decore servari oportere: idque positum dicit in formositate, ordine, ornatu ad actionem apto: quæ difficile ait loquendo explicari posse, & ideo satis esse intelligi.

83. Formositatem autem cur posuerit, non satis intelligo; quamvis ille etiam vires corporis laudet. Nos certe in pulcritudine corporis locum virtutis non ponimus, gratiam tamen non excludimus; quia verecundia & vultus ipsos solet pudore obfundere, gratioresque reddere. Ut enim artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet; ita tamen ut etiam ipse non sit affectatus decor corporis: sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus, non pretiosis * & albentibus adjutus vestimentis sed communibus; ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.

84. Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis speciem simulare consuerunt, sed formam quamdam & regulam ac succum virilem reservans. Hoc est enim pulcritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed ut molliculum & infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo; ita neque agrestem ac rusticum.
B Naturam imitemur: ejus effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est.

CAPUT XX.

Ad conservandam verecundiam intemperantium hominum consortia, convivia extraneorum, ac mulierum commercia vitanda: sed otium nostrum domi in piis honestisque studiis insumendum.

85. HAbet sane suos scopulos verecundia, non quos ipsa invehit, sed quos sæpe C incurrit; si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis. Hi si adsidui sunt, & maxime in convivio, ludo ac joco, enervant gravitatem illam virilem. Caveamus itaque ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum; usus enim cito inflectit naturam.

86. [b] Unde quam prudenter factis convenire b
D ecclesiasticis, & maxime ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia: vel ut ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus sit opprobrio locus. Convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam [c] epulandi produnt cupiditatem. Subre- c punt etiam fabulæ frequenter de sæculo ac voluptatibus: claudere aures non potes, prohibere, putatur superbiæ. Subrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius est tuæ domui
E semel excuses, quam alienæ frequenter: & ut ipse sobrius surgas, tamen ex aliena insolentia condemnari non debet præsentia tua.

87. * Viduarum ac virginum domos nisi visitan- *

a. MSS. aliquot, *turpitudo sudoris*: melius alii longe plurimi, ac vet. edit. *turpitudo pudoris*; ubi reposuit Rom .... *corporis*; nimirum ex LXX. apud quos: Καλύψαι ἀσχημοσύνην χρωτὸς αὐτῶν. Vulg. vero, *ut operiant carnem turpitudinis*: text. Hebr.... *nuditatis*.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 368. lin. 29. *Idque positum est in tribus rebus, formositate* &c.

*. Ibidem lin 49. *Quibus in rebus duo sunt maxime fugienda* &c. Albas vestes lætitiæ indices olim fuisse in confesso est. Hinc non solum Romanos in festis & in cœnis eum colorem indui solitos frequentissima scriptorum testimonia prodidere; verum etiam sacri interpretes, quod Christi vestimenta in transfiguratione alba facta sint, quodque Angeli post resurrectionem albati apparuerint, ad eamdem trahunt significationem: quo etiam non absurde id referatur, quod recens baptisati per octavam paschatis in alba veste incedere soliti erant; in quo tamen innocentiæ quoque demonstrabatur indicium. Sed nec adeo lætitiæ addictus erat candidus color, ut non luctui etiam inserviret; novimus enim quondam mulieres apud Romanos albatas fuisse in funeribus: quem morem etiam in Gallia servatum à reginis viduis fuisse volunt nonnulli. Aliàs tristitiæ niger seu pullus color convenire existimabatur; unde sibi eum monachi, quorum est tum sua tum aliorum peccata flere, delegerant. Quapropter Magnus Antonius martyrii desiderio incensus, ne coloris monastici cognitus indicio, ab accessu judicis prohiberetur, album induit, ut disserit in ejusdem vita Rosveidus. Eo similiter colore sacras virgines indui solitas Baronius ad an. 57. scribit. Idem vero è quodam loco epistolæ Hieronymi ad Nepotianum, quam ad annum 393. refert, clericos antiquitus non pulla nec alba, sed castanea veste ac violacea usos colligens, addit in Ecclesiam tunc primùm irrepsisse colorem nigrum, *cùm monachismus in nonnullis Ecclesiis à clericis receptus est, & ex monachis episcopi creati sunt.* Certe quidem in hac posteriori parte cum doctissimo Cardinali facere videtur, quod scribitur in vita sancti Martini, eum postquam ad episcopalem sedem evectus esset, nigrum pallium, quo prius monachum agens utebatur, retinuisse: verùm ille in exponendo Hieronymi loco dissentit à Petro Cluniacensi; hic enim eum ita interpretatur, ac si tantum admoneatur Nepotianus, in utriusque coloris usu fastum caveat. Sed quamvis minus coacta videatur Baronii expositio, certum tamen est ab Ambrosio hoc loci aliud nihil clericis prohiberi, nisi candorem vestium affectatum ac nimis lucentem; ut quæ sequuntur satis ostendunt, *nihil accedat nitori*. Ex hoc profecto mirifice convenit cum iis quæ Basilius epist. 1. ad Gregorium Nazian. præcipit. Sed illam ipse consulas licet.

b. Ita edit. ac mss. nonnulli: alii vero partim, *unde prudenter factis convenire*; partim, *unde quod prudenter agitis, convenire*, &c. non incongrue.

c. MSS. aliquot, *epulandi producunt cupiditatem*.

*. Magnam semper gessit Ecclesia existimationis ministrorum suorum curam. Hinc est quod Ambrosius hoc loco tot conditionibus clericorum adolescentiorum cum viduis ac sacris virginibus congressum circumscribit. Qua etiam prudentia inducti 4. Synodi Carthaginiensis Antistites, ut significarent omnem hujusmodi familiaritatis occasionem tollendam è medio, definierunt can. 102. *ad reatum episcopi pertinere .... si sustentandæ vitæ præsentis causa* (qua tamen vix alia justior esse potest) *viduæ vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subjiciantur.* Cùm autem qua ratione à clericis hujusmodi feminæ accedentes excipiendæ sint, S. Doctor nequaquam præcipiat; inde conjicias haud ita frequenter eas domo egredi ad invisendum quempiam consuevisse. Ab Ecclesia tamen universim provisum reperimus, ne mulier sine diaconissa ad diaconum debeat accedere. Quod si tanta cautione de simplici feminæ ad diaconum aditu constitutum sit, quis miretur presbyterorum cum mulieribus contubernium tot canonibus proscriptum esse?

di gratia, juniores adire non est opus: & hoc A cum senioribus, hoc est, vel cum episcopo, vel si gravior est causa, cum presbyteris. Quid necesse est ut demus sæcularibus obtrectandi locum? Quid opus est ut illæ quoque visitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? cur alieni lapsus subeas invidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decepit! Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspicioni!

88. Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia B vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur cùm oramus, illum audimus cùm divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus.

89. Humiles nos esse decet, mites, mansue- C tos, graves, patientes, modum tenere in omnibus; ut nullum vitium esse in moribus vel tacitus vultus, vel sermo annunciet.

CAPUT XXI.

Iracundiam priusquam oriatur, præcavendam; si oborta fuerit, reprimendam, ac mitigandam: si nec id adsequi valuerimus linguam saltem à conviviis coercendam; ut sint motus nostri puerilium commotionum similes. Dictum Architæ memora- D *tur, ostenditurque Davidem ipsi hac in re factis & scriptis praivisse.*

* 90. Caveatur * iracundia, aut si præcaveri non potest, cohibeatur; mala enim illex peccati indignatio est: quæ ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Primum est igitur, si fieri potest, ut morum tranquillitas usu quodam, affectione, proposito, in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerumque mo- E tus infixus est naturæ ac moribus, ut evelli atque evitari non queat: si prævideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quam consilio prospici ac provideri potuerit, ne occuparetur: meditare quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste iræ, si potes: cede,
Rom. 12. 19. si non potes; quia scriptum est: *Date locum iræ.*

Gen. 27. 42. & seq. 91. Jacob fratri indignanti pie cessit, & Re- F beccæ, id est, patientiæ instructus consilio, abesse maluit & peregrinari, quam excitare fratris indignationem; & tunc redire, cùm fratrem mitigatum putaret. Et ideo tantam apud Deum
Ibidem 32. 3. & seq. invenit gratiam. Quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliavit sibi; ut ille præreptæ benedictionis non meminisset, meminisset delatæ satisfactionis?

92. Ergo si prævenerit & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & adscenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis moverit, & perversitas impulerit ad indignationem: si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Deinde *inquire pacem, & sequere eam.* Pacem illam sanc- Psal. 33. 14. & 15.
ti [a] Jacob vide, qua tu primùm sedato animum: si non prævalueris, frænos linguæ impone tuæ: deinde reconciliationis studium non prætermittas. Hæc oratores sæculi de nostris usurpata in suis posuere libris: sed ille sensus hujus habet gratiam, qui prior dixit.

93. Vitemus ergo, aut temperemus iracundiam; ne sit ejus aut in laudibus exceptio, aut in vitiis exaggeratio. Non mediocre est mitigare iracundiam: non inferius quam omnino non commoveri. Hoc nostrum est, naturæ illud. Denique commotiones in pueris innoxiæ sunt, quæ plus habent gratiæ, quam amaritudinis. Et si cito pueri inter se moventur, facile sedantur, & majori suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdole artificioseque tractare. Nolite hos contemnere pueros, de quibus Dominus ait: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut* Matt. 18. 3.
pueri iste, non intrabitis in regnum cælorum. Itaque & ipse Dominus, hoc est, Dei virtus, sicut puer, cùm malediceretur, non remaledixit: cùm per- 1. Pet. 2. 23.
cuteretur, non repercussit. Ita ergo te compara, ut quasi puer injuriam non teneas, malitiam non exerceas: omnia à te innocenter proficiscantur. Non consideres quid ab aliis in te revertatur. Locum tuum serva, simplicitatem & puritatem tui pectoris custodi. Noli respondere irato ad iracundiam ejus, sive imprudenti ad imprudentiam. Cito culpa culpam excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit?

94. Ferunt gentiles, ut in majus omnia verbis extollere solent *, Architæ Tarentini dictum philosophi, quod ad villicum suum dixerit: O te infelicem, quem afflictarem, nisi iratus essem! Sed jam David & armatam dexteram in indi- 1. Reg. 25. 32.
gnatione compresserat. Et quanto plus est non remaledicere, quam non vindicare? Et bellatores adversus Nabal ad ultionem paratos, Abigail deprecatione revocaverat. Unde advertimus tempestivis quoque intercessionibus non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere. Eousque autem delectatus est, ut benediceret intervenientem, quod ab studio vindictæ revocatus foret.

95. Jam dixerat de inimicis suis: *Quoniam de-* Psal. 54. 4.
clinaverunt in me iniquitatem, & in ira molesti erant mihi. Audiamus turbatus in ira quid dixerit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & vo-* Ibidem 7.
labo, & requiescam? Illi ad iracundiam provocabant, hic tranquillitatem eligebat.

96. Jam dixerat: *Irascimini, & nolite peccare.* Psal. 4. 5.
Moralis magister, qui naturalem affectum inflectendum magis ratione doctrinæ, quam ex-

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 363. lin. 12. *Prohibenda maxime ira* &c. Hic porro dissidet à Cicerone noster Ambrosius; quandoquidem ille virtutem more Stoicorum in affectuum vacuitate, hic autem ex Christianorum scitis in moderatione constituit.

a. Rom. edit. sola, *Jacob vide. Quanta primum sedatio animi.* Vet. edit. & pauci mss. *Jacob vide, qua primum sedato animum:* alii nonnulli, *Jacob. Vide quanta: primum* &c. cæteri denique ut in textu, nisi quod pro, *qua tu*, legunt aliqui, *quanto:* perperam.

*. Val. Maximus eadem refert de Archita lib. 4. cap. 1. Hunc autem fuisse constat Davide multo posteriorem; ejus enim præceptorem Pythagoram vixisse anno demum 3389. post mundum conditum communior chronologorum calculus sancit; cùm David jam inde ab anno 2887. floruerit. Alii tamen aliis hæc ipsa adtribuerunt, ut Laertius Platoni, Plutarchus Charillo, Theanoni Stobæus.

tirpandum noverat, moralia docet; hoc est: Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis. * Non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur: alioquin non virtus, a sed lentitudo & remissio judicatur. Irascimini ergo ita, ut à culpa abstineatis. Vel sic: Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certe sic: Si irascimini, vobis irascamini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cito commotus est, desinit irasci alteri: qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, & cito in culpam cadit. Melior est autem secundùm Salomonem, qui iracundiam continet, quam qui urbem capit; quia ira etiam fortes decipit.

Prov. 16. 32.

97. Cavere igitur debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quam animos nostros ratio componat; exanimat enim mentem plerumque aut ira, aut dolor, aut formido mortis, & improviso percellit ictu. Ideo prævenire pulcrum est cogitatione, quæ volvendo mentem exerceat; ne repentinis excitetur commotionibus, sed jugo quodam rationis & habenis adstricta mitescat.

CAPUT XXII.

De cogitationibus, & appetitu: deque decoro sermonis in confabulatione, ac disceptatione servando.

98. SUnt autem gemini motus, hoc est, * cogitationum & appetitus: alteri cogitationum, alteri appetitus: non confusi, sed discreti & dispares. Cogitationes verum exquirere, & quasi emolere muneris habent: appetitus ad aliquid impellit agendum atque excitat. Itaque ipso genere naturæ suæ & cogitationes tranquillitatem sedationis infundunt, & appetitus motum agendi excutit. Ita ergo informati simus, ut bonarum rerum subeat animum cogitatio: appetitus rationi obtemperet (si vere illud decorum custodiamus, animum volumus intendere) ne rationem excludat rei alicujus affectus: sed ratio quid honestati conveniat, examinet.

99. * Et quoniam ad conservationem decori A spectare diximus, ut sciamus in factis dictisve quis modus: prior autem ordo loquendi quam faciendi est; sermo in duo dividitur, in colloquium familiare, & in tractatum, disceptationemque fidei atque justitiæ. In utroque servandum, ne sit aliqua perturbatio: sed tamquam mitis & placidus, & benevolentiæ plenus & gratiæ, sine ulla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio; quæstiones enim magis excitare inanes, quam utilitatis aliquid adferre solet. B Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Et sicut in omni actu vitæ id cavere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat, sed teneamus consilii locum: ita etiam in sermone formulam eam teneri convenit, ne aut ira excitetur, aut odium, aut cupiditatis nostræ, aut ignaviæ aliqua exprimamus indicia.

C 100. Sit igitur sermo hujusmodi de Scripturis maxime. Quid enim magis nos oportet loqui, quam de conversatione optima, adhortatione observationis, disciplinæ custodia. Habeat * caput ejus rationem & finis modum. Sermo enim tædiosus iram excitat. Quam vero indecorum, ut cùm omnis confabulatio habere soleat incrementum gratiæ, habeat nævum offensionis?

101. Tractatus quoque de doctrina fidei, de magisterio continentiæ, de disceptatione justi- D tiæ, adhortatione diligentiæ, non unus semper, sed ut se dederit lectio, nobis & arripiendus est, & prout possumus, prosequendus: neque nimium prolixus, neque cito interruptus; ne vel fastidium derelinquat, vel desidiam prodat atque incuriam. Oratio pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena gravitatis & ponderis: non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.

CAPUT XXIII.

E *Jocos etsi nonnumquam honesti sint, tamen in ecclesiasticis viris omnino proscribendos: vocem autem puram ac simplicem esse oportere.*

102. * MUlta præterea de ratione dicendi dant præcepta sæculares viri, quæ nobis prætereunda arbitror, * ut de jocandi dis-

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 370. lin. 4. *Objurgationes etiam nonnumquam incidunt necessaria* &c.

a. Ant. edit. cum parte mss. *sed lenitudo:* Gill. in marg. ac Rom. in textu, cum aliis mss. *sed lentitudo*: commodius; hæc siquidem in vitiis est: at non alia.

*. Cic. lib. 1. pag. 369. lin. 19. *Motus autem animorum duplices sunt, alteri cognitionis, alteri appetitus* &c.

*. Ibidem lin. 23. *Et quoniam magna vis orationis* &c. Infra etiam lin. 39. *Sit igitur hic sermo, in quo Socratici excellunt, lenis* &c. Item lin. 40. *Sed quoniam in omni vita* &c. Universam autem concionum ecclesiasticarum materiam duobus membris comprehensam proponit Ambrosius; aut enim ea circa fidem versatur, aut circa mores sive morales virtutes: has autem sub justitia, virtute scilicet universali, complectitur. Sic ipse Christus ad Johannem Baptistam, *oportet nos implere omnem justitiam*, id est, omnem virtutem; & sanctus Præsul eamdem justitiam generalem infra quasi in propria membra distribuit, nimirum in continentiam quæ ad nos ipsos, in justitiam particularem quæ ad proximum, denique in diligentiam quæ maxime ad Dei cultum atque obsequium pertinet. Quod autem subdit non unum tractatum esse oportere, sed prout se dederit peracta in Ecclesiæ conventu lectio, arripiendum; præcipit quidem aliter sermonem cùm in Scriptura de continentia agitur, aliter cùm de justitia vel de pietate instituendum: non tamen meditationem seu præparationem removet; immo potius eam requirit, ubi orationem æquo breviorem vetans fieri, causam hanc reddit, ne *desidiam prodat atque incuriam*. Sed forte iterum hac de re dicendi nascetur locus.

*. Ibidem lin. 49. *Et ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.*

*. Supra lin. 25. *Contentionis præcepta Rhetorum sunt multa* &c.

* Pag. 365. lin. 13. *Ludo autem & joco uti illis quidem licet* &c. S. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 2. ad 1. Ambrosii verbis nihil aliud vult significari, nisi jocos christianis oratoribus populo sacram doctrinam exponentibus abjiciendos esse. At bona cum venia tanti Doctoris, jocos ab ecclesiastica regula abhorrere non idem videtur ac jocis abstinendum in tradenda sacra doctrina, sed nullam esse in sacris paginis aut canonibus regulam, qua jocari clericis permittatur. Sed ut maxime de tradenda populo doctrina Christiana intelligatur hic locus, non tamen vim solvit objectionis; sibi enim ille opposuerat ejusdem Doctoris verba ex num. seq. ubi de fabulis, id est, familiari confabulatione agens, proposita Christi adversus ridentes comminatione, nullum omnino jocum non damnat. Neque vero mirum est Ambrosium jocorum usu clericis indicere, cùm universim ridere homini christiano fas esse neget Basilius Reg. brevior. Inter. 31. Hunc etiam consule epist. 411. & Constit. monastic. cap. 12. quem in hac quoque doctrina S. Benedictus Regulæ suæ cap. 6. est imitatus. Quæ quidem ita pertinent ad ascetas, ut etiam omnibus quotquot virtutis studiosi fuerint, conveniant, & maxime sacerdotibus, de quibus vere juxta ac pie Bernardus lib. 2. de Consid. cap. 13. *Inter seculares*, inquit, *nugæ, nugæ sunt: in ore sacerdotis, blasphemia.* Adi similiter Tract. de Ordine vitæ & morum Instit. inter opera S. Bernardo male adscripta, ubi cap. 3. textus Ambrosii, quo de agimus, ad verbum exscribitur. Ceterum fatendum in hoc genere omnium gravissime peccare eos, qui theatrales facetias ad sacrum transferunt suggestum, & histrionica scurrilique dicacitate gravitatem evangelicam solvunt & conspurcant. Vide Mabillonii nostri notam ad Bernardi locum supra laudatum. J. B. Thiers & alios.

ciplina. Nam licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula; quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus?

103. Cavenda enim etiam in fabulis, ne inflectant gravitatem severioris propositi. *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis!* ait Dominus: & nos ridendi materiam requirimus, ut hîc ridentes, illic fleamus? Non solum profusos, sed omnes etiam jocos declinandos arbitror; nisi forte plenum suavitatis & gratiæ sermonem esse, non indecorum est. (Luc. 6. 21.)

104. Nam de voce quid loquar, quam simplicem & puram esse satis arbitror: *canoram autem esse naturæ est, non industriæ. Sit sane distincta pronuntiationis modo, & plena succi virilis; ut agrestem ac subrusticum fugiat sonum, non ut rythmum adfectet scenicum, sed *mysticum servet.

CAPUT XXIV.

Tria in vitæ actibus observanda, nimirum ut rationi appetitus subjiciatur, ut in studiis justa servetur moderatio, denique ut suo quæque tempore atque ordine gerantur. Quæ omnia in sanctis veteris testamenti viris adeo præfulserunt, ut manifestum sit eos cardinalibus, quas vocant, virtutibus egregie instructos fuisse.

105. De ratione dicendi satis dictum puto, nunc de actione vitæ quid congruat, consideremus. *Tria autem in hoc genere spectanda cernimus: unum, ut rationi appetitus non reluctetur; hoc enim solum modo possunt officia nostra illi decoro convenire. Si enim appetitus rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus officiis conservari potest. Deinde ne majore studio quam res ipsa est quæ suscipitur, [a] vel minore: aut parvam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videamur. Tertium de moderatione studiorum, operumque nostrorum: de ordine quoque rerum & de opportunitate temporum, non dissimulandum puto.

106. Sed primum illud quasi fundamentum est omnium, ut appetitus rationi pareat: secundum & tertium idem est, hoc est, in utroque moderatio. Vacat enim apud nos speciei liberalis, quæ pulcritudo habetur, & dignitatis contemplatio. Sequitur de ordine rerum, & de opportunitate temporum. Ac per hoc tria sunt, quæ videamus utrum in aliquo sanctorum consummata possimus docere.

107. Primum ipse pater Abraham, qui ad magisterium futuræ successionis informatus & instructus est, jussus exire de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui; nonne multiplicatæ necessitudinis præstrictus affectu, tamen appetitum rationi obedientem præbuit? Quem enim terræ suæ, cognationis, domus quoque propriæ gratia non delectaret? Et hunc ergo mulcebat suorum suavitas, sed imperii cælestis & remunerationis æternæ consideratio movebat amplius. Nonne considerabat uxorem imbecillem ad labores, teneram ad injurias, decoram ad incentiva insolentium, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quam excusare consultius dijudicavit. Deinde cùm descenderet in Ægyptum, monuit ut diceret se sororem esse, non uxorem ipsius. (Gen. 12. 1. & seq.)

108. Adverte, quanti appetitus. Timebat uxoris pudori, timebat propriæ saluti, suspectas habebat Ægyptiorum libidines; & tamen prævaluit apud eum ratio exsequendæ devotionis. Consideravit enim quod Dei favore ubique tutus esse posset, offenso autem Domino, etiam domi non posset illæsus manere. Vicit igitur appetitum ratio, & obedientem sibi præstitit.

109. Capto nepote, non perterritus neque tot regum turbatus populis, bellum repetit: victoria potitus, prædæ partem cujus ipse fuit auctor, recusavit. Promisso quoque sibi filio, cùm consideraret emortui corporis sui vires depositas, sterilitatem conjugis, & supremam senectutem, etiam contra usum naturæ Deo credidit. (Gen. 14. 14. & seq.) (Ibid. 15. 5.)

110. Adverte convenire omnia. Appetitus non defuit, sed repressus est: animus æqualis gerendis, qui nec magna pro vilibus, nec minora pro magnis duceret, moderatio pro negotiis, ordo rerum, opportunitas temporum, mensura verborum. Fide primus, justitia præcipuus, in prælio strenuus, in victoria non avarus, domi hospitalis, uxori sedulus.

111. Sanctum quoque ejus nepotem Jacob delectabat domi securum degere: sed mater voluit peregrinari, ut daret fraternæ iracundiæ locum. Vicit appetitum consilii salubritas. Exsul domo, profugus à parentibus; ubique tamen convenientem mensuram negotiis tenuit, & temporibus opportunitatem reservavit. Acceptus domi parentibus, ut alter maturitate provocatus obsequii benedictionem daret, alter amore pio propenderet. Fraterno quoque judicio prælatus, cùm cibum suum fratri cedendum putasset: delectabatur utique alimento secundum naturam, sed secundum pietatem cessit petito. Pastor domino gregis fidus, socero gener sedulus, impiger in labore, in convivio parcus, in satisfactione prævius, in remuneratione largus. Denique sic fraternam mitigavit iracundiam; ut cujus verebatur inimicitias, adipisceretur gratiam. (Genes. 27. 24. & seq.) (Gen. 25. 32.) (Gen. 31. 6. & seq.) (Gen. 33. 1.)

112. Quid de Joseph loquar, qui utique habebat cupiditatem libertatis, & suscepit servitii necessitatem? Quam subditus in servitute, quam in virtute constans, quam benignus in carcere, sapiens in interpretatione, in potestate moderatus, in ubertate providus, in fame justus, ordinem laudis rebus adjungens, & opportunitatem temporibus, æquitatem populis officii sui moderatione dispensans? (Gen. 39. 1. & seq.)

113. Job quoque juxta secundis, atque adversis rebus irreprehensibilis, patiens, gratus Deo atque acceptus, vexabatur doloribus, sed se consolabatur. (Job. 1. 1. & seq.)

*. Cic. lib. 1. pag. 369. lin. 29. *In voce autem duo sequamur, ut clara sit & suavis* &c.

*. *Mysticum servet*, id est, mysteriorum sanctitati congruum.

*. Cic. lib. 1. pag. 370. lin. 37. *In omni autem actione suscipienda, tria sunt tenenda* &c.

a. MSS. non pauci, *vel minorem ac parvam magno ambitu* &c.

1 Reg. 17. 8. & seq. 114. David etiam fortis in bello, patiens in A adversis, in Hierusalem pacificus, in victoria mansuetus, in peccato dolens, in senectute providus, rerum modos, vices temporum per singularum sonos servavit ætatum; ut mihi videatur non minus vivendi genere, quam canendi suavitate prædulcis [a] immortalem Deo sui fudisse meriti cantilenam.

115. Quod his viris principalium virtutum officium defuit? Quarum primo loco * constituerunt prudentiam, quæ in veri investigatione B versatur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem: secundo justitiam, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat: tertio fortitudinem, quæ & in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, & domi eminet, corporisque præstat viribus: quarto temperantiam, quæ modum, ordinemque servat omnium, quæ vel agenda, vel dicenda arbitramur.

CAPUT XXV.

Exposito cur ductum non fuerit à memoratis virtutibus exordium, easdem in veteribus Patribus exstitisse pressius demonstratur.

116. HÆc forsitan aliquis dicat primo loco poni oportuisse, quoniam ab his quatuor virtutibus nascuntur officiorum genera. Sed hoc artis est, * ut primo Officium definiatur, postea certa in genera dividatur. Nos autem artem fugimus, exempla majorum propo- D nimus: quæ neque obscuritatem adferunt ad intelligendum, neque ad tractandum versutias. Sit igitur nobis vita majorum disciplinæ speculum, non calliditatis commentarium: imitandi reverentia, non disputandi astutia.

117. Fuit igitur in sancto Abraham primo loco prudentia, de quo dicit Scriptura: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* (Gen. 15. 6.) Nemo enim prudens, qui Deum nescit. Denique insipiens dixit quia *non est Deus;* (Psal. 13. 1.) nam sapiens non E diceret. Quomodo enim sapiens qui non requirit auctorem suum, qui dicit lapidi: *Pater meus es tu:* (Hier. 2. 27.) * qui dicit diabolo, ut Manichæus: Auctor meus es tu? Quomodo sapiens arrianus, qui mavult imperfectum auctorem habere atque degenerem, quam verum atque perfectum? Quomodo sapiens Marcion atque Eunomius, qui malunt Deum malum quam bonum habere? Quomodo sapiens, qui Deum suum non timet? *Initium enim sapientiæ timor Domini.* (Psal. 110. 9.) Et alibi habes: *Sapientes non declinant de ore Domini, sed tractant in confessionibus suis.* (Prov. 24. 7.) Simul quoque dicente Scriptura: *Reputatum est ei ad justitiam;* alterius virtutis ei gratiam detulit.

118. Primi igitur nostri definierunt prudentiam in veri consistere cognitione. Quis enim illorum ante Abraham, David, Salomonem? Deinde justitiam spectare ad societatem generis humani. Denique David ait: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* (Psal. 111. 9.) *Justus miseretur, justus commodat.* Sapienti & justo totus mundus divitiarum est. Justus communia pro suis habet, sua pro communibus. Justus se ipsum, priusquam alios, accusat. Ille enim justus, qui nec sibi parcit, & occulta sua latere non patitur. Vide quam justus Abraham. In senectute (Gen. 22. 3. & seq.) susceperat filium per repromissionem, reposcenti Domino negandum ad sacrificium, quamvis unicum, non putavit.

119. Adverte hic omnes virtutes quatuor in uno facto. Fuit sapientiæ, Deo credere, nec C filii gratiam anteferre auctoris præcepto: fuit justitiæ, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat devotionem. Accedit & quarta virtus, temperantia. Tenebat justus & pietatis modum, & exsecutionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit, ut filium reservaret.

120. Quid sapientius sancto Jacob, qui Deum (Gen. 32. 1. & seq.) vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid justius, qui ea quæ adquisierat, oblatis muneribus cum fratre divisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius eo qui modestiam ita & locis & temporibus deferebat, ut filiæ injuriam mallet prætexere conjugio, quam vindicare; eo quod inter alienos positus amori potius consulendum, quam odia colligenda censebat?

121. Noe quam sapiens, qui tantam fabricavit arcam? (Gen. 6. 14. & seq.) Quam justus, qui ad semen omnium reservatus, solus ex omnibus & præteritæ generationis superstes est factus, & auctor futuræ, mundo potius & universis magis quam sibi natus? Quam fortis, ut diluvium vinceret? Quam temperans, ut diluvium toleraret? quando introiret, qua moderatione degeret, quando corvum, quando columbam dimitteret, quando

a. Ita mss. frequentissimi, ac edit. Era. & Gill in marg. alii tamen nonnulli & omnes edit. in contextu: *moralem Deo:* Benig. *immortali Deo sui* &c.

*. Cic. lib. 1. pag. 352. lin. 36. *Sed omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua* &c.

*. Pag. 351. lin. 27. *Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire* &c.

* Plana sunt quæ hic tribuuntur Manichæo atque Arrio; hunc enim imperfectionem Christo quem in creaturarum ordinem dejecit, adfinxisse, illum vero corporalium rerum creationem diabolo adjudicasse, nemo est qui nesciat. At vero id fortasse cuipiam moveat difficultatem, quod Marcioni potius quam Arrio jungatur Eunomius. Constat siquidem hunc Aetii fuisse discipulum cum arrianis, ut Socrates lib. 2. cap. 15. testatur, idem & dicentis & sentientis, cujus etiam sectæ postea nomen dedit ipse Eunomius, ut idem Socrates loco citat. sicut & lib 4. cap. 7. & 13. significat. Cui jungere licet Sozomenum lib. 4. cap. 25. & lib. 6. cap. 26. atque alios. Sed nodum solvit Theodoretus; hic enim cùm lib. 2. Hist. cap. 29. tantum scripsisset Eunomium Arrii blasphemiam nova impietatis accessione cumulasse, in lib. 4. Hær. fabul. rem evolvit enucleatius ita inquiens: *Baptizantes usque ad pectus aqua madefaciunt, reliquis autem partibus tamquam exsecrandis aquam adhibere prohibent .... Sed & aliud audere illos dicunt, quod scriptis committere non ausim* &c. Hinc profecto aperte colligitur eum admisisse duplex principium, bonum alterum à quo partes corporis superiores quas bonas esse non negabant, procederent: malum alterum à quo inferiores, quas malas esse iidem contendebant. Unde miramur eos qui collectos ejusdem Eunomii errores scripto prodiderunt, ut puta ex antiquis Epiphanium & Augustinum, è recentioribus vero Baronium, Petavium aliosque omnes, impietatem de qua hic loquitur beatus Doctor, non advertisse. Porro in causa forte fuit ejusdem erroris atrocitas, cur in quibusdam imperatorum legibus, qualis ea Gratiani fuit, cujus meminit Sozomenus lib. 7. c. 1. cùm liberum cuique relinquatur quamcumque religionem aut cœtum sectari pro libito, adjectum fuerit, exceptis manichæis, photinianis & eunomianis. Non videtur certe dubium quin Ambrosius ipse ad hancce blasphemiam respexerit lib. 2. Hexaem. cap. 5. ubi nominantur eunomiani *radicis degeneris*, arrianorum scilicet, *fructus deterior*.

reciperet

reciperet revertentes, quando exeundi opportunitatem captaret, agnosceret? A

CAPUT XXVI.

In inquirenda veritate contra sua præcepta peccasse philosophos: Moysen vero illis sapientiorem se præbuisse. Eo majori studio enitendum ad comparandam sapientiam, quo major est ipsius dignitas, ad quam omnes ipsa natura impelluntur.

* 122. Itaque tractant * in veri investigatione tenendum illud decorum, ut summo studio requiramus quid verum sit, non falsa pro veris ducere, non obscuris vera involvere, non superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animum. Quid tam indecorum, quam venerari ligna, quod ipsi faciunt? Quid tam obscurum, quam de astronomia & geometria tractare, quod probant; & profundi aeris spatia metiri, cælum quoque & mare numeris includere: relinquere causas salutis, errores quærere? B

123. At non ille eruditus in omni sapientia Ægyptiorum Moyses probavit ista: sed illam sapientiam detrimentum & stultitiam judicavit, & aversus ab ea, intimo Deum quæsivit affectu; ideoque vidit, interrogavit, audivit loquentem. Quis magis sapiens quam ille quem docuit Deus, qui omnem sapientiam Ægyptiorum, omnesque artium potentias operis sui virtute evacuavit? Non hic incognita pro cognitis habebat, hisque temere adsentiebatur: quæ duo in hoc maxime naturali atque honesto loco vitanda discant, qui sibi nec contra naturam esse, nec turpe judicant saxa adorare, & à simulacris auxilium petere, quæ nihil sentiant. Exod. 3. 1. & seq. C

124. Quanto igitur excelsior virtus est sapientia, tanto magis enitendum arbitror, ut adsequi eam possimus. Itaque ne quid contra naturam, ne quid turpe atque indecorum sentiamus, duo hæc, id est, & tempus & diligentiam ad considerationem rerum examinandi gratia referre debemus. Nihil est enim quo magis homo ceteris animantibus præstet, quam quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui auctorem investigandum putat, in cujus potestate vitæ necisque nostræ potestas sit, qui mundum hunc suo nutu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostrorum actuum. NIHIL EST enim quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm ut credamus eum judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. D E F

125. Omnibus igitur hominibus inest secundum naturam humanam verum investigare, quæ nos ad studium cognitionis & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem. In quo excellere universis pulcrum videtur, sed paucorum est adsequi: qui volvendo cogitationes, consilia examinando, non mediocrem impendunt laborem; ut ad illud beate honesteque vivendum pervenire possint, atque operibus appropinquare. *Non enim qui dixerit*, inquit, *mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit ea quæ dico.* Nam studia scientiæ sine factis, haud scio an etiam involvant magis. Matth. 7. 21.

CAPUT XXVII.

Primum officii fontem esse prudentiam, ex qua derivatæ tres aliæ virtutes, ita cum ea atque inter se connexæ sunt, ut ab invicem divelli ac separari nequeant.

126. Primus igitur Officii fons * prudentia est. Quid enim tam plenum officii, quam deferre Auctori studium atque reverentiam? Qui tamen fons & in virtutes derivatur ceteras; neque enim potest justitia sine prudentia esse, cùm examinare quid justum, quidve injustum sit, non mediocris prudentiæ sit: summus in utroque error; *Qui enim justum judicat injustum, injustum vero justum, execrabilis apud Deum. Ut quid abundant* [a] *justitiæ imprudenti?* Salomon ait. Neque iterum prudentia sine justitia est; pietas enim in Deum initium intellectus. Quo advertimus illud ab hujus sæculi translatum magis quam inventum sapientibus; quia pietas fundamentum est omnium virtutum. * Prov. 17. 15. & 16. a

127. Justitiæ * autem pietas est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes: quæ & ipsa secundùm naturæ est magisterium. Siquidem ab ineunte ætate ubi primum sensus infundi cœperit, vitam amamus tamquam Dei munus, patriam, parentesque diligimus, deinde æquales quibus sociari cupimus. Hinc caritas nascitur, quæ alios sibi præfert, non quærens quæ sua sunt, in quibus est principatus justitiæ. *

128. Omnibus quoque animantibus innascitur, * primum salutem tueri, cavere quæ noceant, expetere quæ prosint, ut pastum, ut latibula quibus se à periculo, imbribus, sole defendant, quod est prudentiæ. Succedit quoque ut omnium genera animantium congregabilia natura sint: primo generis sui ac formæ consortibus, tum etiam ceteris; ut videmus boves armentis, equos gregibus, & maxime pares paribus delectari: cervos quoque cervis, & plerum- *

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 352. lin. 42. *Velut ex ea parte, quæ primo descripta est .... inest indagatio atque inventio veri* &c.

*. Ibidem pag. 353. lin. 4. *Ex quatuor autem locis in quos* &c.

a. Sic vet. edit. cum mss pluribus nec non antiquioribus: Rom. vero cum aliis, *pecuniæ imprudenti.* LXX. Interp. *Ἱνατί ὑπῆρξε χρήματα ἄφρονι*: à quibus non abludunt ceteræ versiones; nisi quod Aq. & Theod. scribunt *Ἱνατί τοῦτο ἀντάλλαγμα ἐν χειρὶ ἀνοήτου* magis ad textum Hebraicum.

*. Cic. ibid. lin. 22. *De tribus autem reliquis, latissime patet ea ratio* &c. Docet hoc loco sanctus Ambrosius pietatem justitiæ annexam esse, quod etiam adstruit Angelicus Doctor 2. 2. q. 8. a. 1. Et hæc pietas donum est Spiritus sancti, ut docet idem Thomas 2. 2. q. 121. art. 1. de illa vero quæ ad parentes, quamque virtutem ipse vocitat, in eo dissentit ab Ambrosio, quod parentes patriæ, Ambrosius autem patriam parentibus præponi jubet. Præivit autem sancto Præsuli Cicero lib. Offic. pag. 353. lin. 32. *Sed quoniam, ut præclare scriptum est à Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici* &c. Item pag. 358. lin. 35. *Sed cùm omnia ratione animoque lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea quæ cum Rep. est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi* &c. Lib. quoque 3. pag. 400. lin. 30. *Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? ... Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris.* Ceterum quæ verba ex Platone à se translata dicit Orator, ea reperiuntur epist. 9. ejusdem philosophi, quæ est ad Architam 1. hunc in modum. Ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 352. lin. 4. *Principio generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea* &c.

que hominibus adjungi. Jam de procreandi studio & sobole, vel etiam generantium amore, quid loquar, in quo est forma justitiæ præcipua?

129. Liquet igitur & has, & reliquas cognatas sibi esse virtutes. Siquidem & fortitudo quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena sit justitiæ: & scire quo consilio defendat atque adjuvet, captare etiam temporum & locorum opportunitates, prudentiæ ac modestiæ sit: & temperantia ipsa sine prudentia modum scire non possit: opportunitatem noscere, & secundum mensuram reddere, sit justitiæ: & in omnibus istis magnanimitas necessaria sit, & quædam fortitudo mentis, plerumque & corporis; ut quis quod velit, possit implere. *23. quæst. 3. c. Fortitudo.*

CAPUT XXVIII.

Societatem constare justitia & beneficentia: illius partes duas ultionem & privatam possessionem à Christianis non agnosci: quod vero de rerum communitate ac mutuo auxilio tradunt Stoici, hoc eos è Scripturis sacris mutuatos esse. Quantus justitiæ splendor, & quinam scopuli accessum ad illam præpediant?

130. Justitia * igitur ad societatem generis humani, & ad communitatem refertur. Societatis enim ratio dividitur in duas partes, justitiam & beneficentiam, quam eamdem liberalitatem & benignitatem vocant: justitia mihi excelsior videtur, liberalitas gratior: illa censuram tenet, ista bonitatem.

131. Sed * primum ipsum quod putant philosophi justitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi eam primam esse justitiæ formam, ut nemini quis noceat, nisi lacessitus injuria: quod Evangelii auctoritate vacuatur; vult enim Scriptura, ut sit in nobis spiritus Filii hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre injuriam. *Luc. 9. 56.*

132. Deinde formam justitiæ putaverunt, ut quis * communia, id est, publica pro publicis habeat, privata pro suis. Ne hoc quidem secundum naturam; natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia [a] ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. NATURA IGITUR jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum. Quo in loco aiunt * placuisse Stoicis, quæ in terris gignantur, omnia ad usus hominum creari: homines autem hominum causa esse generatos; ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint.

133. Unde hoc, nisi de nostris Scripturis dicendum adsumserunt? Moyses enim scripsit, quia dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem nostram & secundum similitudinem, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & pecorum, & omnium repentium super terram.* Et David ait: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris.* Ergo omnia subjecta esse homini de nostris didicerunt, & ideo censent propter hominem esse generata. *Gen. 1. 26.* *Psal. 8. 8. & 9.*

134. Hominem quoque hominis causa generatum esse in libris Moysi reperimus, dicente Domino: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Ad adjumentum ergo mulier data est viro, quæ generaret; ut homo homini adjumento foret. Denique antequam mulier formaretur, dictum est de Adam: *Non est inventus adjutor similis illi*; adjumentum enim homo nisi de homine habere non poterat. Ex omnibus igitur animantibus nullum animal simile, & ut absolute dicamus, nullus adjutor hominis inventus est: muliebris igitur sexus adjutor exspectabatur. *Gen. 2. 18.* *Ibidem 20.*

135. * Ergo secundum Dei voluntatem, vel naturæ copulam, invicem nobis esse auxilio debemus, certare officiis, velut in medio omnes utilitates ponere, & ut verbo Scripturæ utar, adjumentum ferre alter alteri, vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo; ut inter nos societatis augeatur gratia. Nec quisquam ab officio vel * periculi terrore revocetur: sed omnia sua ducat, vel adversa vel prospera. Denique sanctus Moyses pro populo patriæ bella suscipere gravia non reformidavit, nec regis potentissimi trepidavit arma, nec barbaricæ immanitatis expavit ferociam: sed abjecit salutem suam, ut plebi redderet libertatem.

136. * Magnus itaque justitiæ splendor, quæ aliis potius nata quam sibi, communitatem & societatem nostram adjuvat: * excelsitatem tenet; ut suo judicio omnia subjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena.

137. Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, * nisi prima avaritia infirmaret atque inflecteret tantæ virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, præstare divitiis; justitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amisimus. Quomodo enim potest justus esse, qui studet eripere alteri, quod sibi quærat?

138. Potentiæ * quoque cupiditas, formam justitiæ virilem effeminat? Quomodo enim potest pro aliis intervenire, qui alios sibi subjicere conatur: & infirmo adversus potentes opem ferre, qui ipse gravem libertati adfectat potentiam?



*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 353. lin. 22. *De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio* &c.
*. Ibidem lin. 25. *Sed justitiæ primum munus est ut ne cui* &c.
*. Ibidem lin. 26. *Deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis. Sunt autem* &c.
a MSS. aliquot, *ut partus omnibus communis esset. Et terra ergo foret* &c. Melius alii ac edit. ut in textu.
*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 353. lin. 32. *Sed quoniam, ut præclare scriptum est* &c.

*. Ibidem lin. 36. *In hoc naturam debemus ducem sequi* &c. Item pag. 357. lin. 37. *Optime autem societas hominum* &c.
* Ibidem pag. 354. lin. 35. *Est enim difficilis cura rerum alienarum; quamquam Terentianus* &c.
*. Ibidem pag. 353. lin. 23. *In qua virtutis splendor est maximus.*
*. Pag. 352. lin. 25 *Ex quo animi magnitudo* &c.
*. Pag. 353. lin. 49 *Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli* &c.
*. Pag. 354. lin. 7. *Maxime autem adducuntur plerique* &c.

CAPUT XXIX.

Justitiam in bello etiam atque ipsis hostibus servari oportere Moysis ac Elisæi exemplis ostenditur: ab Hebræis mutuo veteres accepisse, ut hostes appellarent nomine molliori: denique justitia fundamentum in fide esse, ac formam in Ecclesia.

139. QUanta autem justitia sit ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam B * hostibus reservatur; ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, adversus justitiam putetur aut loco prævenire, aut tempore. Intereſt enim utrum aliquis pugna aliqua & conflictu gravi capiatur, *an superiore gratia, vel aliquo eventu. Siquidem vehementioribus hostibus & infidis, & his qui amplius læserint,
Num. 31. 6. & seq. vehementior refertur ultio; ut de Madianitis qui per mulieres suas plerosque peccare fecerant ex plebe Judæorum, unde & Dei in popu- C lum patrum iracundia effusa est. Et ideo factum est ut nullum Moyses victor superesse pa-
Josue 9. 20. & seq. teretur: Gabaonitas autem qui fraude magis quam bello tentaverant plebem patrum, non expugnaret Jesus; sed conditionis impositæ adficeret injuria. Syros vero Elisæus, quos obsidentes in civitatem induxerat, momentanea cæcitate percussos, ut quo ingrederentur videre non possent, volenti regi Israel percutere non ad-
4. Reg. 6. 14. & seq. quiesceret dicens: *Non percuties quos non capti-* D *vasti in lancea & in gladio tuo: pone eis panem & aquam, ut manducent & bibant, & remittantur, & eant ad dominum suum;* ut humanitate provocati gratiam repræsentarent. Denique postea in terram Israel venire piratæ Syriæ destiterunt.

140. Si ergo etiam in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est? Et hanc gratiam propheta his detulit, qui ad eum corripiendum venerant. Sic enim legimus, quod in obsidionem ejus miserat rex Syriæ exercitum suum, E cognito quod Elisæus esset, qui consiliis & * argumentationibus ejus obviaret omnibus. Quem videns exercitum Giezi servus prophetæ, de salutis periculo trepidare cœpit. Cui dixit propheta: *Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Et rogante propheta ut aperirentur oculi servo suo, aperti sunt. Et vidit itaque Giezi totum montem equis repletum & curribus in circuitu Elisæi. Quibus descendentibus ait propheta: *Percute Deus cæcitate exerci-* F *tum Syriæ.* Quo impetrato, dixit ad Syros: *Venite post me, & ducam vos ad hominem quem quæritis.* Et viderunt Elisæum, quem corripere gestiebant: & videntes, tenere non poterant. Li- A quet igitur etiam in bello fidem & justitiam servari oportere; nec illud decorum esse posse, si violetur fides.

141. Denique etiam * adversarios molli veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent; hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod æque etiam ipsum de nostris adsumtum dicere possumus; adversarios enim suos Hebræi allophylos, hoc est, alienigenas latino appellabant vocabulo. Denique in libro Regnorum primo sic legimus: *Et factum est in* 1. Reg. 4. 1.
diebus illis, convenerunt alienigenæ in pugnam ad Israel.

142. * Fundamentum ergo est justitiæ fides; justorum enim corda meditantur fidem: & qui se justus accusat, justitiam supra fidem collocat; nam tunc justitia ejus apparet, si vera fateatur. Denique & Dominus per Esaiam: *Ecce*, inquit, Esai. 28. 16.
mitto lapidem in fundamentum Sion, id est, Christum in fundamenta Ecclesiæ. Fides enim om- C nium, Christus: Ecclesia autem quædam forma justitiæ est. Commune jus omnium: * in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui se ipsum sibi abnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Ideo & Pau- 1. Cor. 3. 11.
lus fundamentum posuit Christum, ut supra cum opera justitiæ locaremus; quia fides fundamentum est: in operibus autem aut malis iniquitas, aut bonis justitia est.

CAPUT XXX.

De beneficentia & ejus partibus benevolentia & liberalitate: quomodo illæ simul jungendæ sint; quænamve adjuncta, ut liberalitatem cum laude ac merito quis exerceat, requirantur?

143. SEd jam de beneficentia loquamur, quæ dividitur etiam ipsa in benevolentiam & liberalitatem. Ex his igitur duobus constat beneficentia, ut sit perfecta. Non enim sa- Dist. 86.
E tis est bene velle, sed etiam bene facere: nec c. Non satis.
satis est iterum bene facere, nisi id ex bono fonte, hoc est, bona voluntate proficiscatur: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Nam si invi- 2. Cor. 9. 7.
tus facias, quæ tibi merces est? Unde Apostolus generaliter: *Si volens hoc ago, mercedem ha-* 1. Cor. 9.
beo: si invitus, dispensatio mihi credita est. In 17.
Evangelio quoque multas disciplinas accepimus justæ liberalitatis.

144. Pulcrum est igitur bene velle, & eo lar- F giri consilio, * ut prosis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adultero ad mercedem adulterii largiendum putes; non est beneficentia ista, ubi nulla est benevolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri, si

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 355. lin. 23. *Atque in republica maxime conservanda jura belli* &c.

*. *Superiore gratia*, id est, majori aliqua temporis aut loci opportunitate, ut contextus clare demonstrat.

* *Argumentatio* non idem hic sonat atque argumenti seu rationis explicatio: sed idem prorsus valet, atque argute sive acute excogitata machinatio.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 355. lin. 46. *Equidem illud etiam animadverto quod qui proprio nomine perduellis esset* &c.

*. Pag. 353. lin. 39. *Fundamentum autem est justitiæ fides* &c.

*. Ad frequentandas Ecclesiæ synaxes precesque in communi apud Deum fundendas maximo semper opere populum Christianum exhortati sunt antiqui Patres, ut cognoscimus non modo ex vetustissima illa epistola nomine beati Barnabæ promulgata, verum etiam ex Ignatii epist. ad Ephes. ex Apologet. Tertulliani cap. 39. aliisque innumeris tum Patrum testimoniis, tum canonibus conciliorum. Verumtamen non de publicis hisce precibus hic agi verisimilius est: sed cùm dicitur, *in commune orat*, &c. hoc tantum modo significari, pro omnibus, sive in omnium utilitatem orat, operatur, ac tentatur: in quo sanctorum communio posita est Neque tamen ita Ecclesia orat in commune, ut non etiam preces nuncupet pro singulis: vidimus quippe tomo superiori Ambrosium peccatoribus, ut ad Ecclesiæ orationes confugerent, non semel suasisse: at vero hæ ipsæ preces pro singulorum utilitatibus conceptæ, etiam in commodum universorum caritatis beneficio derivantur. Juvat etiam hic adnotare sanctum doctorem continuo post, non uni fidei, quod heterodoxi faciunt, sed etiam operibus ex fide atque caritate profectis justificationem adtribuere.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 356. lin. 37. *Videndum est enim primum ne obsit benignitas & iis ipsis quibus* &c.

largiaris ei qui conspiret adversus patriam, qui congregare cupiat tuo sumtu perditos, qui impugnent Ecclesiam. Non est hæc probabilis liberalitas, si adjuves eum qui adversus viduam & pupillos gravi decernit jurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur.

145. Non probatur largitas, * si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si injuste quærat, & juste dispensandum putet; nisi forte ut ille Zacchæus, reddas prius quadruplum ei quem fraudaveris: & gentilitatis vitia fidei studio & credentis operatione compenses. Fundamentum igitur habeat liberalitas tua. [Luc. 19. 8.]

146. Hoc primum quæritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias oblatis; ne dicas te plus conferre, & minus conferas. Quid enim opus est dicere? Fraus promissi est: in tua potestate est largiri quod velis. Fraus fundamentum solvit, & opus corruit. Numquid Petrus ita indignatione efferbuit, ut Ananiam extingui vellet, vel uxorem ejus? Sed exemplo eorum noluit perire ceteros. [Act. 5. 3. & seq.]

147. Nec illa perfecta est liberalitas, * si jactantiæ causa magis quam misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Vides quam moralem judicem habeas. Te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat. *Nesciat*, inquit, *sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Non de corpore loquitur, sed etiam unanimus tuus, frater tuus quod facis nesciat; ne dum hîc mercedem quæris jactantiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occulte subvenit: quem laudat os pauperis, & non labia sua. [Matt. 6. 3.]

148. Deinde * perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur; ut primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si sciente te, fidelis egeat: si scias eum sine sumtu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat: si in causam ceciderit aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves: si sit in carcere, & pœnis, & suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur (nam etsi omnibus debetur misericordia, tamen justo amplius) si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret: si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. De quo pulcre Job dixit: *Benedictio perituri in me veniat.* [Dist. 86. c. Non satis. §. Perfecta liberalitas.] [Job. 29. 13.]

149. Personarum quidem Deus acceptor non est, quia novit omnia. Nos autem omnibus quidem debemus misericordiam: sed quia plerique fraude eam quærunt, & adfingunt ærumnam; ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet profundere misericordia. Non enim avarus Dominus est, ut plurimum quærat. Beatus quidem qui dimittit omnia, & sequitur eum: sed & ille beatus est, [a] qui quod habet, ex affectu facit. Denique duo æra viduæ illius divitum muneribus prætulit; quia totum illa quod habuit, contulit: illi autem ex abundantia partem exiguam contulerunt. Affectus igitur divitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Ceterum Dominus non vult simul * effundi opes, sed dispensari: nisi forte ut Elisæus boves suos occidit, & pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nullâ curâ teneretur domesticâ, sed relictis omnibus, in disciplinam se propheticam daret. [Luc. 21. 3.] [Dist. 86. c. Dominus non vult.] [3. Reg. 19. 21.]

150. Est etiam illa probanda liberalitas, * ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumtum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati: non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus; causa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias: sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis adquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, [b] & se juste facere putant. Et accusat quod eum divitem non feceris, cùm te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede. [Dist. 86. c. Est probanda.]

151. Consilium promsimus, auctoritatem petamus. Primum neminem debet pudere, si ex divite pauper fiat, dum largitur pauperi; quia Christus pauper factus est, cùm dives esset, ut omnes sua inopia ditaret. Dedit regulam quam sequamur, ut bona ratio sit exinaniti patrimonii; si quis pauperum famem repulit, inopiam sublevavit. Unde *& consilium in hoc do*, Apostolus dicit; *hoc enim vobis utile est, ut Christum imitemini.* Consilium bonis datur, correptio errantes coercet. Denique quasi bonis dicit: *Quia non tantùm facere, sed & velle cœpistis ab anno præterito.* Perfectorum utrumque est, non pars. Itaque docet & liberalitatem sine benevolentia, & benevolentiam sine liberalitate non esse perfectam. Unde ad perfectum hortatur, dicens: *Nunc ergo & facere consummate, ut quemadmodum promta est in vobis voluntas faciendi, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas promta est, secundum id quod habet, acceptum est, non secundum quod non habet. Non enim ut aliis refectio sit, vobis autem angustia: sed ex æqualitate in hoc tempore, vestra abundantia ad illorum inopiam, ut illorum abundantia sit ad* [2. Cor. 8. 10.] [Ibidem.] [Ibidem 11. & seq.]

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 356. lin. 42. *Et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia* &c.

*. Ibidem pag. 357. lin. 5. *Videre etiam licet plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos* &c.

*. Ibidem lin. 6. *Tertium est propositum ut in liberalitate delectus* &c. Item lin. 33. *Sed in collocando beneficio* &c.

a. Edit. ultimæ Paris. cum uno aut altero mss. *qui quod debet*, melius aliæ ac reliqui cod. *qui quod habet*, supple, in potestate: ut Marci 14. 8. *quod habuit, hæc fecit*:

*. Cic. lib. 1. pag. 356. lin. 49. *Alter erat locus cautionis* &c. Item pag. 358. lin. 9. *Sed quoniam copiæ parvæ sunt* &c.

*. Ibidem pag. 358. lin. 40. *Sed si contentio quædam & comparatio fiat* &c.

b. *Et se juste facere putant*, absunt isthæc ab ant. edit. ac maximo numero mss. ea tamen non solum in edit. Rom. sed etiam in mss. quatuor invenire est. Infra vero ubi edit. omnes, *Consilium præmisimus*; mss. fere ad unum legunt, *Consilium promsimus*. Obiter autem animadverte quanta Ambrosii prudentia hîc innotescat, quæ ita pietati quod suum est, adscribit, ut nihil detrahat justitiæ. Etenim pietatis est cognatos affinesque in beneficentia collocanda non præterire, sed eos primorum pauperum habere loco: justitiæ vero, non illos ex eo quod aliis debetur pauperibus, ditare. Nec vero existimandum est hoc veluti majoris cujusdam perfectionis esse consilium, alioqui enim neutiquam adderetur, *& accusat quod eum divitem non feceris, cùm te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede.* Facessant igitur inepta cupiditatis humanæ tegumenta, Ecclesiæ numquam fuit hoc propositum vel sacerdotis luxui, vel consanguineorum ejus ambitioni satisfacere.

vestram inopiam; ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit. A

152. Advertimus quemadmodum & benevolentiam, & liberalitatem, & modum comprehendit, & fructum, atque personas. Ideo modum, quia imperfectis dabat consilium; non enim patiuntur angustias, nisi imperfecti. * Sed & si quis Ecclesiam nolens gravare in sacerdotio aliquo constitutus aut ministerio, non totum quod habet, conferat; sed operetur cum honestate quantum officio sat est, non mihi imperfectus videtur. Et puto quod hic angustiam non animi, sed rei familiaris dixerit. B

153. De personis autem puto dictum: *Ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia ad vestram inopiam*; id est, ut populi abundantia sit bonæ operationis ad illorum sublevandam alendi inopiam: & illorum abundantia spiritalis adjuvet in plebe inopiam meriti spiritalis, & conferat ei gratiam. C

154. Unde exemplum optimum posuit: *Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minuit.* Bene hortatur ad officium misericordiæ omnes homines istud exemplum; quoniam & qui plurimum auri possidet, non abundat; quia nihil est quidquid in hoc sæculo est: & qui exiguum habet, non minuit; quia nihil est, quod amittit. Res sine dispendio est, quæ tota dispendium est.

155. Est etiam sic intellectus bonus: Qui plurimum habet, & si non donat, non abundat; D quia quantumvis adquirat, eget semper, qui plus concupiscit: & qui exiguum habet, non minuit; quia non multum est quod pauperem pascit. Similiter ergo & ille pauper qui confert spiritalia pro pecuniariis, etsi plurimum habeat gratiæ, non abundat; non enim onerat gratia, sed allevat mentem. (Luc. 7. 28.)

156. Sed etiam sic potest intelligi: Non abundas, ô homo. Quantum est enim quod accepisti, etsi tibi multum est? Johannes quo nemo major est inter natos mulierum, inferior tamen erat eo, qui minor est in regno cælorum. E

157. Potest & sic: Non abundat Dei gratia corporaliter, quia spiritalis est. Quis potest ejus aut magnitudinem aut latitudinem comprehendere, quam non videt? Fides si fuerit sicut granum sinapis, montes transferre potest, & non tibi datur ultra granum sinapis. Si abundet in te gratia [a], non est verendum ne mens tua tanto munere incipiat extolli; quia multi sunt qui ab altitudine cordis sui gravius corruerunt, quam si nullam habuissent Domini gratiam? Et qui parum habet, non minuit; quia non est corporeum ut dividatur: & quod parum videtur habenti, plurimum est cui nihil deest. F

158. Considerandà * etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnumquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales; ut senibus plus largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc juvanda promtius. Tum si quis ex divitiis cecidit in egestatem: & maxime si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit. (Dist. 86. c. Consideranda.)

159. Sed forte dicat aliquis: Cæcus uno loco sedet & præteritur, & juvenis validus frequenter accipit. Et verum est; quia obrepit per importunitatem. Non est illud judicii, sed tædii. Nam & Dominus ait in Evangelio de eo qui jam clauserat ostium suum, si quis ostium ejus procacius pulset, quia surgit & dat illi propter importunitatem. (Luc. 11. 8.)

CAPUT XXXI.

Acceptum beneficium largiori manu remetiendum terra præcipitur exemplo: nec non adductus ad eamdem rem Salomonis de convivio locus, postea spiritali sensu exponitur.

160. Pulcrum quoque est propensiorem ejus haberi rationem, qui tibi aut * beneficium aliquod, aut munus contulit, si ipse in necessitatem incidit. Quid enim tam contra officium, quam non reddere quod acceperis? Nec mensura pari, sed uberiore reddendum arbitror, & usum pensare beneficii; ut & tu subvenias, quantum ejus ærumnam repellas. Etenim superiorem non esse in referendo [b] quam in conferendo beneficio, hoc est minorem esse; quoniam qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior.

161. Unde imitanda nobis est in hoc quoque * natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere quam acceperit. Ideo tibi scriptum est: *Sicut agricultura est homo insipiens, & tamquam vinea homo egens sensu. Si reliqueris eum, desolabitur.* Sicut agricultura ergo etiam sapiens, ut tamquam fœnerata sibi majore mensura semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos uberiore cumulo refundit ac reddit. Utrumque debes quodam hereditario usu parentis, ne relinquaris sicut infœcundus ager. Esto tamen ut aliquis excusare possit * quod non dederit, quomodo excusare potest quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere vero non licet. (Prov. 24. 30. & 31.)

162. Ideo pulcre Salomon ait: *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige ea quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam sciens quod oportet te talia præparare. Si autem insatiabilis es,* (Prov. 23. 1. & seq.)

*. Ne quis crederet modum omnem in largiendo semper esse imperfectioni conjunctum, ex eo nimirum quod proxime dixerat, *Ideo modum, quia imperfectis dabat consilium*; clarius mentem suam exponit, adserens qui sibi partem aliquam patrimonii retinuerit, ne oneri sit Ecclesiæ, eum nequaquam imperfectum existimandum. Hinc cognoscimus ad Ambrosii nostri sententiam Augustinum severitatis aliquid adjecisse, qui clericos omnino patrimonio suo spoliatos volebat communem vitam simul agere, ut discere est è compluribus ejusdem operum locis, sed maxime ex lib. de Comm. vita Clericorum.

a. Negatio *non* deest in edit. omnibus & mss. nonnullis; ea tamen in longe pluribus potioribusque cod. reperitur. Si per interrogationem sententiam nobiscum acceperis, non incongrue.

*. Cic. lib. 1. pag. 357. lin. 6. *Tertium est propositum, ut in beneficentia* &c. Item lib. 2. pag. 332. lin. 12. *In illo autem altero genere largiendi* &c.

*. Ibidem lib. 1. pag. 357. lin. 20. *Sin autem erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia* &c.

b. *Quam in conferendo*, desunt in duobus mss. & Rom. edit. sed in reliquis exstant, nec sensum ullo modo impediunt.

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 357. lin. 24. *Annon imitari agros fertiles qui multo plus adferunt quam acceperunt.*

*. Ibidem lin. 27. *Demus nec ne in nostra potestate est; non reddere viro bono non licet.*

a *noli concupiscere escas ejus; hac enim obtinent* [a] *vitam fallacem.* Quas nos imitari cupientes sententias, scripsimus. Conferre gratiam bonum est: at qui referre nescit, durissimus. Humanitatis exemplum ipsa terra suggerit. Spontaneos fructus ministrat quos non severis, multiplicatum quoque reddit quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet

b Eccli. 8. 34. acceptam non referre gratiam? [b] In proverbiis quoque habes, quod ita plurimum redhibitio ista gratiæ apud Deum consuevit valere, ut etiam in die ruinæ inveniat gratiam, quando possunt præponderare peccata. Et quid aliis utar exemplis, cùm Dominus ipse remunerationem uberiorem sanctorum meritis in Evangelio polliceatur, atque exhortetur ut operemur bonum opus, dicens: *Dimittite & dimittetur vobis: date & dabitur vobis: mensuram bonam, commotam, supereffluentem dabunt in sinum vestrum?* (Luc. 6. 37. 38.)

163. Itaque & illud convivium Salomonis non de cibis, sed de operibus est bonis. Quo enim melius epulantur animi, quam bonis factis? Aut quid aliud tam facile potest justorum explere mentes, quam boni operis conscientia? Qui autem jucundior cibus, quam facere voluntatem Dei? Quem cibum sibi solum Dominus abundare memoravit, sicut scriptum est in Evangelio: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui est in cælo.* (Joan. 4. 34.)

164. Hoc cibo delectemur, de quo ait Propheta: *Delectare in Domino.* (Psal. 36. 4.) Hoc cibo delectantur, qui superiores delectationes mirabili ingenio comprehenderunt, qui possunt scire qualis sit illa munda & intelligibilis mentis delectatio. Edamus ergo panes sapientiæ, & saturemur in verbo Dei; quia non in solo pane, sed in omni verbo Dei vita est hominis facti ad imaginem Dei. De poculo vero satis expresse dicit sanctus Job: *Sicut terra expectans pluviam, sic & isti sermones meos.* (Job. 29. 23.)

CAPUT XXXII.

Præmisso quid gratiæ ob memorati convivii fercula sit referendum, variæ reddendi beneficii rationes recensentur; ubi & de benevolentiæ laude, effectis atque ordine disseritur.

165. Pulcrum est ergo ut divinarum scripturarum humescamus alloquio, & quasi ros sic in nos Dei verba descendant. Cùm igitur sederis ad illam mensam potentis, intellige quis sit iste potens: & in paradiso delectationis positus, atque in convivio sapientiæ locatus, considera quæ apponuntur tibi. Scriptura divina convivium sapientiæ est: singuli libri singula sunt

A fercula. Intellige prius quæ habeant ferculorum dapes, & tunc mitte manum; ut ea quæ legis vel quæ accipis à domino Deo tuo, operibus exsequaris, & collatam in te gratiam officiis repræsentes: ut Petrus & Paulus, qui evangelizando vicem quamdam largitori muneris reddiderunt, ut possent singuli dicere: *Gratia autem Dei sum quod sum, & gratia ejus egena in me non fuit: sed abundantius illis omnibus laboravi.* (1. Cor. 15. 10.)

166. Alius ergo fructum accepti beneficii, ut
B aurum auro, argentum argento rependit: alius laborem, alius, haud scio an etiam locupletius, * solum restituit affectum. Quid enim si reddendi nulla facultas suppetit? In beneficio referendo plus animus quam census operatur: magisque præponderat benevolentia, quam possibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipso quod habetur, refertur. Magna igitur benevolentia, quæ etiam si nihil conferat, plus exhibet: & cùm in patrimonio nihil habeat, largitur pluribus,
C idque facit sine ullo sui dispendio, & lucro omnium. Et ideo præstat benevolentia supra ipsam liberalitatem. Ditior hæc moribus, quam illa muneribus; plures enim sunt qui indigent beneficio, quam qui abundant.

167. Est autem benevolentia etiam conjuncta liberalitati, à qua ipsa liberalitas proficiscitur, cùm largitatis affectum sequitur largiendi usus: & separata atque discreta. Ubi enim deest liberalitas, benevolentia manet, communis quæ-
D dam parens omnium, quæ amicitiam connectit & copulat: * in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta; ut unusquisque benevolentis se magis quam sapientis credat consilio: ut David cùm esset prudentior, Jonathæ tamen junioris consiliis adquiescebat. * Tolle ex usu hominum benevolentiam, tamquam solem è mundo tuleris, ita erit; quia sine ea usus hominum esse non potest * ut peregrinanti monstrare viam, revocare errantem, [c] deferre hospitium, (1. Reg. 20. 42.)
E (non igitur mediocris virtus, de qua sibi plaudebat Job dicens: *Foris autem non habitabat hospes, janua mea omni venienti patebat*) (Job. 31. 32.) aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Benevolentia itaque in his est omnibus, tamquam fons aquæ reficiens sitientem, & tamquam lumen quod etiam in aliis luceat, nec illis desit, qui de suo lumine aliis lumen accenderint.

168. Est etiam illa benevolentiæ liberalitas, ut si quod habes debitoris chirographum, scin-
F dens restituas, nihil à debitore consequutus debiti. Quod exemplo sui facere nos debere Job sanctus admonet. (Ibidem 35. & seq.) Nam qui habet, non mutuatur: qui non habet, non liberat syngrapham. Quid igitur etiam si ipse non exigas, avaris heredibus reservas, quam potes cum benevolentiæ laude sine damno pecuniæ repræsentare?

a. Omnes edit. & pauci mss. *vitam falsam*: Alii multo plures, *vitam fallacem* LXX. Ταῦτα γὰρ ἔχει ζωῆς ψευδοῦς. Aq. & Th. Καὶ αὐτὸς ἄρτος ψευσμένος. Et continuo post edit. Amerb. *quam nos*; aliæ *quem nos* &c. mss. prope ad unum, *quas nos* &c.

b. Rom. edit. sola, *In Salomone quoque habes*: Sed aut Ambrosius locum memoriter citavit, aut non libri titulum, sed materiam designavit; constat enim proverbialibus sententiis Ecclesiasticus. Infra vero eadem edit. *illud convivium in proverbiis non de cibis* &c.

*. Cic. Offic. lib. 2. pag. 384. lin. 26. *Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certe potest, commode autem* &c.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 358. lin. 46. *Consilia, sermones, cohortationes* &c.

*. Translata est hæc sententia ex Cic lib *de Amicitia* pag. 425. lin. 18. ubi habetur: *Solem enim è mundo tollere videtur, qui amicitiam è vita tollunt.*

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 358. lin. 5. *Ex quo sunt illa communia: Non prohibere aquam profluentem: Pati ab igne* &c.

c. Post voces, *deferre hospitium*, edit. Rom. continuo subjungit, *aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere.* Verum non satis adtenderunt qui ei præfuerunt, viri doctissimi, verba ista, *Non igitur* &c. quamdam esse parenthesin quæ per causam verborum, *deferre hospitium*, introducta est.

169. Atque ut plenius discutiamus; * benevolentia à domesticis primum profecta personis, id est, à filiis, parentibus, fratribus, per conjunctionum gradus in civitatum pervenit ambitum, & de paradiso egressa mundum replevit. Denique cùm in viro & femina benevolentem Deus Gen. 2. 24. posuisset affectum, dixit: *Erunt ambo in una carne, & in uno spiritu.* Unde se Eva serpenti credidit; quoniam quæ benevolentiam acceperat, esse malevolentiam non opinabatur.

CAPUT XXXIII.

Benevolentiam in Ecclesia maxime, & earumdem aut affinium virtutum hominibus perseverare.

170. Augetur benevolentia cœtu * Ecclesiæ, fidei consortio, initiandi societate, percipiendæ gratiæ necessitudine, mysteriorum communione. Hæc enim etiam appellationes necessitudinum, reverentiam filiorum, auctoritatem & pietatem patrum, germanitatem C fratrum sibi vindicant. Multum igitur ad cumulandam spectat benevolentiam necessitudo gratiæ.

171. Adjuvant etiam parium * studia virtutum. Siquidem benevolentia etiam morum facit similitudinem. 1. Reg. 19. 2. & seq. Denique Jonathas filius regis imitabatur sancti David mansuetudinem, propter Psal. 17. 26. quod diligebat eum. Unde & illud: *Cum sancto sanctus eris*, non solum ad conversationem, sed etiam ad benevolentiam derivandum videtur. D Gen. 9. 22. & seq. Nam utique & filii Noe simul habitabant, & non erat in his morum concordia. Habitabant etiam Gen. 25. 27. in domo patria Esau & Jacob, sed discrepabant. Non enim erat benevolentia inter eos, quæ sibi Ibidem 27. 24. & seq. præferret alterum: sed magis contentio, quæ præriperet benedictionem. Nam cùm alter prædurus, alter mansuetus esset, inter dispares mores, & studia compugnantia, benevolentia esse non poterat. Adde quia sanctus Jacob paternæ degenerem domus virtuti præferre non poterat. E

172. Nihil autem tam * consociabile, quam cum æquitate justitia: quæ velut compar & socia A benevolentiæ, facit ut eos quos pares nobis credimus, diligamus. Habet autem in se benevolentia etiam fortitudinem; nam cùm amicitia ex benevolentiæ fonte procedat, non dubitat pro amico gravia vitæ sustinere pericula: *Et si mala mihi*, inquit, *evenerint per illum, sustineo.* Eccli. 22. 31.

CAPUT XXXIV.

Alia nonnulla benevolentiæ commoda memorantur.

B 173. Benevolentia etiam gladium iracundiæ extorquere consuevit. Benevolentia Prov. 27. 6. facit ut amici vulnera utilia quam voluntaria inimici oscula sint. * Benevolentia facit, ut unus fiat ex pluribus; quoniam si plures amici sint, unus fiunt, in quibus unus spiritus & una sententia est. Simul advertimus etiam * correptiones in amicitia gratas esse, quæ aculeos habent, dolorem non habent. Compungimur enim censoriis sermonibus, sed benevolentiæ delectamur sedulitate.

174. Ad summam, non * omnibus eadem semper officia debentur, nec personarum semper, sed plerumque causarum & temporum prælationes sunt, ut vicinum quis interdum magis quam fratrem adjuverit. Quoniam & Salomon dicit: *Melior vicinus in proximo, quam frater longe habitans.* Ibidem 10. Et ideo plerumque amici se benevolentiæ quisque committit, quam fratris necessitudini. Tantum valet benevolentia, ut plerumque pignora vincat naturæ. *

CAPUT XXXV.

De fortitudine quæ dividitur in bellicam atque domesticam: primam sine justitia & prudentia virtutem non esse: alteram maxime in tolerantia esse positam.

175. Satis copiose justitiæ loco honesti naturam & vim tractavimus. Nunc de * fortitudine tractemus, quæ velut excelsior ceteris, dividitur in res bellicas & domesticas. Sed bellicarum rerum studium à nostro officio jam alie-

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 357. lin. 37. *Optime autem societas hominum* &c. Item pag. 358. lin. 16. *Arctior vero colligatio societatis propinquorum* ..... *prima societas in ipso est conjugio* &c. Nec non lin. 40. *Sed si contentio quadam* &c.

*. Ibidem pag. 358. lin. 24. *Magnum est enim eadem habere* &c. Videtur autem per voces *percipiendæ gratiæ necessitudine* potissimum ea signari necessitudo, quæ inter ordinantem atque ordinatum, baptizantem & baptizatum, nec non inter catechizantem & catechizatum contrahitur, quo etiam referri potest quæ inter susceptores atque susceptos nascitur sacra cognatio. Quarum autem appellationum Ecclesiæ societas origo est, primam dicit *reverentiam filiorum*, qua videlicet non solum christiani laici, sed & clerici quoque episcopos patris nomine salutabant, ut infra cap. 41. beatum Sixtum ter compellat eo nomine sanctus Laurentius. Secundum vero statuit *auctoritatem & pietatem patrum*, qua nempe ibidem Sixtus vicissim appellat Laurentium, & Ambrosius cum passim hoc in opere clericos suos, tum alibi pluribus locis sacras virgines atque viduas filias nominat, quod quidem non minus pietatis esse quam auctoritatis ipsemet satis indicavit cap 7. ubi ait: *Neque enim minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quàm si in conjugio suscepissem* &c. Tertio demum loco *germanitatem fratrum* collocat, quo vocabulo primos christianos nominari consuevisse ex bene multis intelligitur Actuum apostolorum, canonicarumque epistolarum locis.

*. Ibidem lin. 25. *Sed omnium societatum nulla præstantior est* &c. Item lin. 30. *Nihil autem est amabilius* &c.

*. Ibidem lin. 28. *Et quamquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque ut eos diligamus* &c.

*. Ibidem lin. 32. *Efficiturque id quod Pythagoras* &c.

*. Ibidem lin. 46. *Interdum etiam objurgationes in amicis* &c.

* Ibidem lin. 43. *Sed his omnibus officiis tribuendis* &c.

*. Ibidem pag. 359. lin. 11. *Intelligendum est autem, cum proposita* &c. Quod Ambrosius armorum tractationem clericis illicitam esse patefaciens, particulam *jam* semel & iterum hîc adhibeat, manifestum est hoc modo eos distingui vel ab antiqui fœderis sacerdotibus ac levitis quibus arma ferre nefas non erat, vel potius à laicis Christianis, quos quidem Evangelica lex non prohibet à militia. Scimus tamen Erasmum traduci à Sixto Sen. lib. 6. Biblioth. Annot. 156. nec non ab aliis nonnullis, quasi in suis Annot. in cap. 3. maxime vero in 22. Evang. secundùm Lucam voluerit *licitum non esse Christianis bellum gerere*; adversæque opinioni notam inusserit impietatis. Verum ipsemet ita mentem explicat suam, ut sola christianorum in christianos bella penitus damnet, christianorum autem contra barbaros eatenus dicat se approbare cum Ambrosio, ut simul admoneat hæc ipsa puritatis evangelicæ non esse. Attamen hoc non ita habere vel hinc intelligas quod hi Cæsares quos ob gesta bella laudatos ab Ambrosio Erasmus narrat, non omnes semper pugnavere contra barbaros. Etenim qui inter illos principes ordinem ducit Theodosius, bello Maximum atque Eugenium tyrannos, christianos tamen, est persequutus. Et certe infra lib. 3. cap. 3 bellum à se non improbari S. Doctor palam indicat, ubi ait: *Cùm gloriosum unicuique ducatur, si periculis propriis quærat universorum tranquillitatem* &c. Quod igitur sanctus Martinus ubi primum christianus factus est, militiam, Sulpitio Severo teste, abdicare cogitans, *Christi*, inquit, *ego sum, pugnare non mihi licet*; hoc ad singularem Spiritus sancti impulsum, quo illè ad perfectius vocabatur pugnandi genus, referri debet. Hinc est quod imperatores, qui suis edictis milites spiritali hac militia interdixere, à sanctis Patribus liberius objurgati sunt. Alias autem eis qui Christo nomen dedissent, liberum semper fuisse armorum usum vel hoc evincit, quod primis temporibus referti erant militibus christianis exercitus etiam ethnicorum imperatorum. Vide Tertullianum de Corona militis, cap. 11. Aug. de Lib. Arbit. cap. 5. Serm. 303. de S. Laurentio, de Civ. Dei lib. 1. cap. 21. & alibi pluribus locis, & præter cæteros S. Thomam 2. 2. q. 40.

num videtur; quia animi magis quam corporis A officio intendimus: nec ad arma jam spectat usus noster, sed ad pacis negotia. Majores autem nostri, ut Jesus Nave, Hierobaal, Samson, David summam rebus quoque bellicis retulere gloriam.

176. Est itaque fortitudo velut excelsior ceteris, sed numquam incomitata virtus; non enim se ipsam committit sibi: alioquin * fortitudo sine justitia iniquitatis materia est. Quo enim vali- B dior est, eo promtior ut inferiorem opprimat; cùm in ipsis rebus bellicis justa bella an injusta sint, spectandum putetur.

177. Numquam David nisi lacessitus bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prælio. Nam & adversus Goliam
1. Reg. 17. 40. immani mole corporis virum singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur, respuit; virtus enim suis lacertis magis quam alienis integumentis nititur. Deinde eminus, quo C gravius feriret, ictu lapidis hostem interemit. Postea numquam nisi consulto Domino, bel-
2. Reg. 5. 19. & seq. lum adorsus. Ideo in omnibus victor præliis, usque ad summam senectutem manu promtus, bello adversum Titanas suscepto, ferocibus bel-
2. Reg. 21. 15. & seq. lator miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis.

178. Sed non hæc sola præclara fortitudo est; sed etiam illorum gloriosam fortitudinem accipimus, qui per fidem magnitudine animi *obstru-* D
Hebr. 11. 33. & 34. *xerunt leonum ora, extinxerunt virtutem ignis*[a], *effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate fortes*: qui non comitatu & legionibus succincti communem cum multis victoriam, sed nuda virtute animi singularem de perfidis retulerunt triumphum. Quam insuperabilis Daniel, qui cir-
Dan. 14. 38. ca latera sua rugientes non expavit leones? Fremebant bestiæ, & ille epulabatur.

CAPUT XXXVI.

Fortitudinis officium aliud esse, ut injuriam à debiliori depellamus: aliud ut non rectos animi motus coerceamus: aliud demum tum ut adspernemur humilia, tum ut honesta infracto animo prosequamur. Quæ ab universis quidem christianis, sed potissimum ab Ecclesiasticis viris præstanda demonstrantur.

178. NOn igitur in * viribus corporis & lacertis tantummodo fortitudinis glo- F ria est, sed magis in virtute animi: * neque in in-
23. q. 2. c. Non in inferenda. ferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est. QUI ENIM non repellit à socio injuriam, si
Exod. 2. 11. & seq. potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Unde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit; ita ut Ægyptium sterneret, atque in
Prov. 24. 10. arena absconderet. Salomon quoque ait: *Eripe eum qui ducitur ad mortem.*

179. Unde igitur hoc vel Tullius, vel etiam Panætius, aut ipse Aristoteles transtulerint, apertum est satis. Quamquam etiam his duobus antiquior dixerit Job: *Salvum feci pauperem de* Job. 29. 12. & 13.
manu potentis, & pupillum cui adjutor non erat, adjuvi. Benedictio perituri in me veniat. Nonne hic fortissimus, qui tam fortiter pertulit impetus diaboli, & vicit eum virtute mentis suæ? Neque vero de ejus dubitandum fortitudine, cui dicit Dominus: *Accinge sicut vir lumbos tuos,* Ibidem. 40. 2.
suscipe altitudinem & virtutem: omnem autem injuriosum humiliato. Apostolus quoque ait: *Ha-* Hebr. 6. 18.
betis fortissimam consolationem. Est ergo fortis qui se in dolore aliquo consolatur.

180. Et re vera jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque se ipsum * vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam, variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificentius, quam exercere mentem, afficere carnem & in servitudinem redigere; ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigre exsequatur propositum animi ac voluntatem?

181. Hæc igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus * fortitudo spectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quam expetenda ducat. Secundo, ut ea quæ summa sunt, omnes quæ res in quibus honestas & illud πρέπον cernitur, præclara animi intentione usque ad affectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quam ut ita animum informes tuum, ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras? Quod cùm ita affectus animo fueris, necesse est ut illud honestum ac decorum præponendum putes, illique mentem E ita intendas tuam, ut quidquid acciderit quo frangi animi solent, aut patrimonii amissio, aut honoris immunitio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior non sentias. Deinde ut te salutis ipsius pericula pro justitia suscepta non moveant.

182. Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi athleta, qui nisi legitimo certamine, non coronatur: An mediocre tibi videtur præceptum fortitudinis: *Tribulatio patientiam opera-* 2. Cor. 7. 5.
tur, patientia probationem, probatio autem spem? 2. Cor. 11. 24. & seq.
Vide quot certamina, & una corona. Quod præceptum non dat, nisi qui est confortatus in Christo Jesu, cujus caro requiem non habebat. Afflictio undique: foris pugnæ, intus timores. Et quamvis in periculis, in laboribus plurimis, in carceribus, in mortibus positus; animo tamen non frangebatur, sed præliabatur, adeo ut potentior suis fieret infirmitatibus.

183. Itaque considera quemadmodum eos qui ad officia Ecclesiæ accedunt, despicientiam rerum humanarum habere debere doceat. *Si ergo* Coloss. 2. 20. & seq.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 359. lin. 22. *Sed ea animi elatio quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitia vacat* &c.

a Ita Gill. & Rom. edit. cum parte mss. ant. vero cum alia, *effugarunt aciem gladii.* Sed in græco textu habetur, ἔφυγον στόματα μαχαίρας, *effugerunt* &c. cui consentiunt variæ translationes. At infra ubi omnes edit. ac mss. aliquot, *legionibus succincti*; legunt alii mss. *legionibus subjecti*, quidam *legionibus subjectis* &c.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 361. lin. 38. *Omnino autem illud honestum, quod ex animo excelso* &c.

*. Ibidem pag. 353 lin. 42. *Sed injustitiæ duo genera sunt* &c.

*. Ibidem pag. 360. lin. 13. *Non est autem consentaneum, qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate* &c.

*. Ibidem pag. 359. lin. 49. *Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur* &c.

mortui

mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, A *quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis?*
Ibidem 3. 1. *Ne tetigeritis, ne adtaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu*. Et infra: *Si ergo consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt*
Ibidem 5. *quærite, non quæ super terram*. Et iterum: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram*. Et hæc quidem adhuc omnibus fidelibus: tibi autem, fili, contemtum divitiarum, profanarum quoque & anilium fabularum suadet declinationem, nihil permittens nisi quod te exer- B ceat ad pietatem; quia corporalis exercitatio nulli rei usui est: pietas autem ad omnia utilis.

184. Exerceat ergo te pietas ad justitiam, continentiam, mansuetudinem; ut fugias juvenilia opera, confirmatus & radicatus in gratia bonum fidei subeas certamen: non te implices negotiis sæcularibus, quoniam Deo militas. Etenim si is qui imperatori militat, à * susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus; quanto C magis qui fidei exercet militiam, ab omni usu negotiationis abstinere debet, agelluli sui contentus fructibus, si habet: si non habet, * stipendiorum suorum fructu? Siquidem bonus testis est qui dicit:
Psal. 36. 25. *Juvenis fui, & senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. Ea est enim tranquillitas animi & temperantia, quæ neque studio quærendi afficitur, neque egestatis metu angitur.

CAPUT XXXVII.

Servandam ut in prosperis, ita & in adversis mentis æqualitatem: mala tamen interdum declinanda.

185. EA est etiam quæ dicitur * vacuitas animi ab angoribus; ut neque in doloribus molliores simus, neque in prosperis elatiores. Quod si hi qui * ad capescendam rempublicam adhortantur aliquos, hæc præcepta dant, quanto magis nos qui ad officium Ecclesiæ vocamur, talia debemus agere quæ placeant Deo; ut prætendat in nobis virtus Christi, & ita simus nostro probati imperatori, ut membra nostra arma justitiæ sint, arma non carnalia in quibus peccatum regnet, sed arma fortia Deo quibus peccatum destruatur: moriatur caro nostra, ut in ea omnis culpa moriatur; & quasi ex mortuis viventes, novis resurgamus operibus ac moribus.

186. Hæc sunt plena honesti & decori officii stipendia fortitudinis. [a] Sed quia in omnibus quæ agimus, non solùm quid honestum, sed etiam quid * possibile sit quærimus, ne forte aggrediamur aliquid quod non possimus exsequi. Unde nos tempore persecutionis de civitate in civitatem concedere, immo ut verbo ipso utar, *fugere* vult Dominus; ne temere aliquis dum martyrii desiderat gloriam, offerat se periculis, quæ fortasse caro infirmior, aut remissior animus ferre ac tolerare non queat. Matt. 10. 23.

CAPUT XXXVIII.

Adversus futura incommoda mentem exercitatione roborandam, nec non confirmandam prævidentiâ: & quæ hîc incurrant difficultates?

187. NEc rursus propter * ignaviam cedere quis ac deserere fidem debet metu periculi. Qua gratia præparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam; ut nullis perturbari animus possit terroribus, nullis D frangi molestiis, nullis suppliciis cedere. Quæ difficile quidem sustinentur: sed quia omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine, ideo si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas divini judicii metum, perpetui supplicii tormenta, potes animi subire tolerantiam.

188. Hoc igitur * diligentiæ est, ut quis ita se comparet: illud ingenii, si quis potest vigore mentis prævidere quæ futura sunt, & tamquam ante oculos locare quid possit accidere, & quid agere debeat, si ita acciderit, definire; inter-

*. Tria olim prohibita militibus fuisse ostendit Ambrosius, omnium causarum alienarum defensionem aut procurationem, negotiorum etiam propriorum nedum alienorum in foro prosecutionem, distractionem rerum venalium. Et de mercatura quidem, quam per leges vetitam fuisse militibus Chrysostomus quoque in Epist. 1. ad Timotheum prodit, plana sunt Auctoris nostri verba: duas vero priores partes non alio, quam quo eas interpretamur, sensu explicandas esse ex iis legibus, quæ plures in eamdem materiam supersunt, intelligere est. Etenim quas ille *litium susceptiones* vocat, quis non videat hoc ipsum esse quod lege 6. *de Cognitor. & Procur.* Olybrio & Probino Coss. ab Arcadio atque Honorio sancita exprimitur in illa verba: *Nemo militantium fiat susceptor defensorve causarum, nec ad cognitionem alieni jurgii suffragator* &c. Quam vero conveniunt hæ voces, *actu negotiorum forensium* cum lege 3. *de Commeatu*, iisdem Coss. atque ab iisdem principibus data, ubi legimus: *Hi qui vacationem temporariam .... impetrarint, nihil sibi necessitatis usurpent, nullorum actibus misceantur* &c: item cum seq. 15. & 17. *de Re militari*; quarum in priore quæ Arcadium 4. Honorium 3. Coss. præfert, sic habetur: *Si quis post hac militem in privato negotio repertus fuerit retinere* &c. in posteriore autem quæ Honor. 4. & Eutych. Coss. ita scriptum est: *Si quis miles... repertus fuerit vel sibi vacans, vel alieno negotio contentus, nobis illico nuncietur* &c? Quibus sane militem perinde à domesticis atque exteris arceri negotiis manifestum est. Neque tamen crediderimus Ambrosium respexisse ad eas leges, ut pote multo posteriores hocce tractatu: sed ipsas in aliarum similium quæ postea interciderint, confirmationem scriptas arbitramur. Quod etiam colligere licet ex Vegetio lib. 2. cap. 19. Ceterum Ambrosius ipsos forenses actus satis proscribit his verbis, *ab omni usu negotiationis*; cùm ea respondeant superioribus illis, *non te implices negotiis sæcularibus*, quibus contentiosa quoque fori negotia planum est contineri. De aliis vero negotiationis generibus ejusdem verba non tam rigide atque ad apices exponenda sunt. Constat siquidem non modo presbyteris & diaconis bonorum Ecclesiæ solitam committi administrationem; sed & sanctum Felicem omnibus pro Christo facultatibus exutum tria, ut scribit Paolinus, agri jugera conduxisse, unde suæ nec non aliorum se ipso pauperiorum vitæ consuleret: præterea can. 3. Synodi 4. Carthag. præcipitur ut clerici victum vestitumque sibi comparent, vel artificioli vel agriculturæ beneficio. Quæ omnia perfici sine quadam negotiatione non poterant. Videsis hac de re Sozom. lib. 3. cap. 17. edit. Vales. Decr. Dist. 88. & 89. Godefridum ad legem 6. imperatorum Arcadii & Honorii supra indicatam. Spenæum lib. 2. Digress. cap. 15. Reo. à Valle in Hypparcho sive lib. de Relig. negot. Thaumassinum atque alios.

*. *Stipendium* ad significandam pensionem viris ecclesiasticis ad victum atque vestitum præberi solitam è castris translatum; quando non solum Ambrosium hic, Augustinum Serm. 19 de verbis Domini. Hincmarum de Archid. & presbyt. eo usos reperias: verum etiam Conc. Carth. 4. can. 18. Agath. can. 36. Aquisgr. cap. 119. & alia non pauca.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 360. lin. 20. *Vacandum autem est omni animi perturbatione* &c. Item pag. 363. lin. 17. *Atque etiam in rebus prosperis & ad voluntatem nostram fluentibus* &c.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 360. lin. 45. *Capescentibus autem rempublicam nihilominus quam philosophis* &c. Item pag. 362. lin. 34. *Omnino qui reip. profuturi sunt* &c.

a Hic Rom. edit. jugulaverat voculam, *quia*, & pro *quærimus*, posuerat, *quæramus*; quod videlicet sensum quodammodo suspensum efficiat antiqua lectio: verum eamdem cùm aliæ edit. ac mss. omnes exhibeant, nobis visa est in integrum restituenda. Quare periodum ita interpreteris, ut ejus pars ultima sit, *ne forte aggrediamur* &c; quæ verba tantumdem valeat, ac si scriberetur, *caveamus ne aggrediamur* &c.

*. Ibidem pag. 361. lin. 3. *Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat ne id modo consideret* &c.

*. Ibidem lin. 4. *In quo ipso considerandum est* &c.

*. Ibidem lin. 6 *In omnibus autem negotiis* &c. Item lin. 47. *Fortis vero animi & constantis est non perturbari* &c.

dum duo & tria simul volvere animo, quæ con- A jiciat aut singula aut conjuncta accidere posse, & aut singulis aut conjunctis disponere actus quos intelligat profuturos.

189. Fortis ergo est viri non dissimulare cùm aliquid immineat, sed prætendere, & tamquam explorare de specula quadam mentis, & obviare cogitatione provida rebus futuris, * ne forte dicat postea: Ideo ista incidi, quia non arbitrabar posse evenire. Denique nisi explorentur adversa, cito occupant. Ut in bello improvisus B hostis vix sustinetur, & si imparatos inveniat, facile opprimit: ita animum mala inexplorata plus frangunt.

200. In his igitur duobus illa est animi excellentia, ut primum animus tuus bonis exercitus cogitationibus, mundo corde quod verum & honestum est videat; *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi etiam Deum videbunt*: atque id quod honestum est solum bonum judicet: deinde nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditati- C bus fluctuet. *Matt. 5. 8.*

201. Neque vero id facile quisquam facit. Quid enim tam difficile quam dispicere tamquam ex arce aliqua sapientiæ opes, aliaque omnia quæ plerisque videntur magna & præcelsa? Deinde ut judicium tuum stabili ratione confirmes, & quæ judicaveris levia, tamquam nihil profutura contemnas? Deinde ut si quid acciderit adversi, idque grave & acerbum putetur, ita feras, ut nihil præter naturam accidisse pu- D tes, cùm legeris: *Nudus sum natus, nudus exibo. Quæ Dominus dedit, Dominus abstulit*; utique & filios amiserat & facultates? Servesque in omnibus personam sapientis & justi, sicut ille servavit qui ait: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Et infra: *Sicut una insipientium mulierum loquuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, quæ mala sunt, non sustinebimus?* *Job. 1. 21.* *Ibidem* *Ibidem 2. 10.*

CAPUT XXXIX.

Fortitudinem adversus omnia vitia dimicare debere, præcipue adversus avaritiam: quod in sancto Job docetur factum.

202. NOn est igitur mediocris nec discreta à ceteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat: sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, & judicia custodiat; & quæ [a] inexpiabili prælio adversus omnia vitia F decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec (ut dicitur) ave dicat, pecuniam negligat, * avaritiam fugiat tamquam labem quamdam, quæ virtutem effeminet. NIHIL ENIM tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Frequenter pulsis hostibus, & inclinata in fugam adversariorum acie *, dum exuviis cæsorum capitur præliator, inter ipsos quos stravit, miserandus occubuit: & triumphis suis dejectæ legiones dum spoliis occupantur, hostem in se revocaverunt, qui fugerat.

203. Fortitudo igitur tam immanem pestem repellat & proterat, nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu; quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia, tamquam virtutis venena: iracundiam velut quibusdam propulset armis, quæ tollat consilium, & tamquam ægritudinem vitet. Gloriæ * quoque caveat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius expetita, semper autem usurpata.

204. Quid horum sancto Job vel in virtute defuit, vel in vitio obrepsit? Quomodo laborem ægritudinis, frigoris, famis pertulit? Quomodo despexit salutis periculum? Numquid rapinis divitiæ coacervatæ, de quibus tanta inopibus adfluebant? [b] Numquid avaritiam census, aut voluptatis studia cupiditatesque excitavit? Numquid trium regum injuriosa contentio, vel servorum contumelia in iram excussit? Numquid gloria sicut levem extulit, qui imprecabatur gravia sibi, si umquam vel non voluntariam celavisset culpam, vel reveritus esset multitudinem plebis, quominus annuntiaret eam in conspectu omnium? Neque enim consentaneæ sunt vitiis virtutes, [c] sed sibi constant. Quis igitur tam fortis quam sanctus Job: cui secundus adjudicari potest, qui parem vix reperit?

CAPUT XL.

Virtutem bellicam nostris etiam non defuisse, veterum exemplis, maximeque præclaro Eleazari facto demonstratur.

E

205. SEd fortasse aliquos * bellica defixos gloria tenet, ut putent solam esse præliarem fortitudinem; & ideo me ad hæc deflexisse, quia illa nostris deforet. Quam fortis Jesus Nave, ut uno prælio quinque reges captos sterneret cum populis suis? Deinde cùm adversùm Gabaonitas urgeret prælium, & vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamavit: *Stet sol*; & stetit, donec victoria consummaretur. Gedeon in trecentis viris de ingenti populo & acerbo hoste revexit triumphum. Jonathas adolescens [d] virtutem fecit in magno prælio. Quid de Machabæis loquar? *Josue 10. 5. & seq.* *Judic. 7. 8. & seq.* *1. Reg. 14. 1. & seq.*

206. Sed prius de populo dicam Patrum, qui cùm essent parati ad repugnandum pro templo *1. Mac. 2. 35. & seq.*

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 362. lin. 1. *Nec committere ut aliquando dicendum sit: Non putaram.*

a. Benign. & alii nonnulli, *inexplebili prælio*: Fisc. *insuperabili.*

*. Cic. Offic. lib 1. pag. 360. lin. 25. *Quamobrem & hæc vitanda sunt, & pecunia* &c.

*. Eodem sensu Polybius lib 10 Histor. Καὶ πολλοὶ δή τινες [illegible] Exemplum ejus rei ipsemet suggerit lib. 5 In Xenœta Antiochi præfecto Molonis perduellis arte ad internecionem deleto. Alia suppeditant Justinus lib. 1. in Cyro Tomyris astutia profligato, atque truncato: Corn. Tacitus libro 1. Annalium in Armenio Germanorum duce à Cæcina Germanici legato, & alii in aliis. Quæ quidem haud adnotaremus, nisi Christianorum, qui patrum memoria Turcas apud Erlam in Hungaria fusos ac stratos aviditate prædæ in se revocarunt, lugenda simul & erubescenda clades admoneret imperatores nostros alieno damno nihilo fieri cautiores. Prudenter ergo rex Israel libro 4 Regn. cap 8. ne sibi prædæ occasione fraus strueretur, prospiciebat. Similiter etiam Romani observatione illius moris de quo Polybius lib 10. jam allegato.

*. Cic. lib. 1. pag. 359. lin. 46. *Facillime autem ad res injustas* &c. Item pag. 360. lin. 18 *Cavenda est etiam gloriæ cupiditas* &c.

b. Ita mss. fere ad unum: edit. vero, *Numquid avaritia, census, aut voluptatis* &c.

c. Mss. aliquot, *Sed sibi consistunt*, Benig. *Sed sibi contra sistunt*, quæ lectio, si vox *sibi* dispungeretur, non displiceret.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 362. lin. 7. *Sed cùm plerique arbitrentur res bellicas majores esse* &c.

d Rom. edit. sola, *virtutem magnam fecit in prælio.*

Dei, & pro legitimis suis, dolo hostium die la- A cessiti sabbati, maluerunt vulneribus offerre nuda corpora, quam repugnare, ne violarent sabbatum. Itaque omnes læti se obtulerunt morti. Sed Machabæi considerantes quod hoc exemplo gens omnis posset perire, sabbato etiam, cùm ipsi in bellum provocarentur, ulti sunt innocentium necem fratrum suorum. Unde postea stimulatus rex Antiochus, cùm bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Gorgiam, ita cum Orientalibus suis & Assyriis ad- B tritus est copiis, ut quadraginta & octo millia in medio campi à tribus millibus prosternerentur.

1. Mac. 6. 43. & seq. 207. Virtutem ducis Judæ Machabæi de uno ejus milite considerate. Namque Eleazarus, cùm supereminentem ceteris elephantum, lorica vestitum regia, adverteret, arbitratus quod in eo esset rex, cursu concitus in medium legionis [a] se proripuit, & abjecto clypeo, utraque manu interficiebat, donec pervenit ad bestiam, atque intravit sub eam, & subjecto gladio interemit C eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi! Primo, ut mortem non timeret: deinde, ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contemta morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret: post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu; cujus ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus D triumpho.

208. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus; tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes * inermem, occupatum incursare non ausi, post casum ruentis bestiæ sic trepidaverunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur. Denique rex [b] Antiochus Lysiæ filius qui cum centum viginti millibus hominum armatis venerat & cum triginta duobus elephantis; ita ut ab ortu solis per singulas bestias E velut montes quidam splendor armorum coruscо, tamquam lampadibus ardentibus refulgeret, unius territus fortitudine, pacem rogaret. Itaque Eleazarus heredem virtutis suæ pacem reliquit. Sed hæc triumphorum sint.

CAPUT XLI.

Laudata Judæ ac Jonathæ magnitudine animi, martyrum in tolerando constantia, quæ pars non minima fortitudinis, ob oculos ponitur. F

1. Mac. 9. 8. & seq. 209. VErum quia fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam adversis probatur; spectemus nunc Judæ Machabæi exitum. Is enim post victum Nicanorem regis Demetrii ducem, securior adversus viginti millia exercitus regis, cum nongentis viris bellum adorsus; volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quàm turpem fugam suasit: *Ne crimen*, inquit, *nostræ relinquamus gloriæ*. Itaque commisso prælio, cùm à primo ortu diei in vesperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validissimam manum advertit hostium, aggressus facile avertit. Sed dum fugientes sequitur, à tergo vulneri locum præbuit: ita gloriosiorem triumphis locum mortis invenit.

210. Quid Jonatham fratrem ejus adtexam; qui cum parva manu adversus exercitus regios pugnans, desertus à suis, & cum duobus tantum relictus reparavit bellum, avertit hostem; fugitantes suos ad societatem revocavit triumphi?

211. Habes fortitudinem bellicam; in qua non mediocris honesti ac decori forma est; quod mortem servituti præferat ac turpitudini. Quid autem de martyrum dicam passionibus? Et ne longius evagemur, non minores de superbo rege Antiocho Machabæi * pueri revexerunt triumphos, quam parentes proprii. Siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt. Stetit invicta septem puerorum cohors, regiis cincta legionibus: defecerunt supplicia, cesserunt tortores; non defecerunt martyres. Alius corium capitis exutus, speciem mutaverat, virtutem auxerat. Alius linguam jussus amputandam promere, respondit: Non solum Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium. Linguæ flagellum times, flagellum sanguinis non times? Habet & sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamavit in Abel. * 2. Mac. 7. 1. & seq. Exod. 14. 15. Gen. 4. 10.

212. Quid de matre loquar, quæ spectabat læta filiorum quot funera tot trophæa, & morientium vocibus tamquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem? 2. Mac. 7. 20. & seq.

213. Quid de * bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt, quam sensum naturæ? Quid de sancta Agne, quæ in duarum maximarum rerum posita periculo, castitatis & salutis, castitatem protexit, salutem cum immortalitate commutavit?

214. Non prætereamus etiam sanctum Laurentium, qui cùm videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quo progrederis sine filio, pater: quo sacerdos sancte sine diacono pro-

a. Edit. Gill. ac Rom. cum mss. aliquot, *se prorupit*: melius aliæ cum mss. pluribus ac potioribus, *se proripuit*. Rursus vero ubi ant. edit. & plures mss. *interficiebat bestiam*, elegantius edit. Rom. atque alii mss. licet pauciores, *interficiebat*, *donec pervenit* (Rom. edit. *perveniret*) *ad bestiam*.

*. Quomodo *inermem*, qui gladio armatus utraque manu hostes interficiebat? Sed hoc ad abjectum clypeum referendum est, juxta illud Ciceronis orat. pro Cecina. pag. 45. *Arma esse suis nominibus alia ad tegendum, alia ad nocendum: quæ qui non habuerint eos inermes fuisse* &c.

b. Sic edit. Gill. & Amerb. in marg. cum mss. longe plurimis: aliæ vero cum mss. nonnullis omittunt, *Lysiæ filius*; quod videlicet contrarium Scripturæ auctoritati videatur. Sed hoc loco *filius* idem est ac pupillus sive alumnus; creditus enim à patre fuerat Lysiæ fidei & quasi tutelæ hic Antiochus.

*. Non pigeat conferre hanc narrationem de martyrio fratrum Machabæorum cum eorumdem historia lib. 2. de Jacob & Vita beata cap. 11. latius exposita, nec non cum illis cap. seq. num. 53. verbis: *Qua cithara dulciores ederet cantus* &c. videbisque alteram alteri exemplaris loco fuisse propositam.

*. Infantes intelligit à bimatu & infra Herodis jussu trucidatos, quos Ecclesiæ traditio semper numeravit inter martyres. Non incongruum scilicet esse creditum est, ut quibus ad peccati debitum aliena voluntas suffecerat, eis etiam sufficeret ad gloriæ meritum aliena, id est, Christi voluntas, & parentum dolor; *Quando Rachel ploravit filios suos; ut lacrymis ablutos suis pro Christo offerret infantes*, ut Ambrosius ipse loquitur epist. ad Horontianum, olim in vet. edit. 39: quam inde avulsam Rom. edit. inter Enarrationes in Genesim collocarunt. Habuerunt varii SS. Patres sermones in natalem SS. Innocentium; maxime vero Augustinus atque Bernardus, quos consule;

peras tuo? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici [a] sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. ABJECTIO discipuli detrimentum est magisterii. Quid quod illustres & præstantes viri discipulorum certaminibus quam suis vincunt? B

Gen. 22. 9. Act. 7. 57. Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit. Et tu, pater, ostende in filio virtutem tuam, offer quem erudisti; ut securus judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam.

215. Tunc Xystus ait: Non ego te, fili, relinquo ac desero: sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus: te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequeris. [b] Sacerdotem & levitam hic medius numerus decet. Non erat C tuum sub magistro vincere, quasi adjutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hereditatem ejus dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur; ut vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. Sic & Elias Elizæum reliquit. Tibi ergo mando nostræ virtutis successionem.

216. Talis erat contentio, digna sane de qua D certarent sacerdos & minister, quis prior pateretur pro Christi nomine. In fabulis ferunt tragicis excitatos theatri magnos esse plausus, cùm se Pylades Orestem diceret, Orestes, ut erat, Orestem se esse adseveraret: ille ut pro Oreste necaretur, Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat vivere, quod uterque esset parricidii reus: * alter qui fecisset, alter qui adjuvisset. Hîc Laurentium sanctum ad hoc nullus urgebat, nisi amor devotionis; tamen & ipse post triduum, cùm illuso tyranno, impositus super craticulam exureretur: *Assum est*, inquit, *versa & manduca*. Ita animi virtute vincebat ignis naturam.

CAPUT XLII.

Potestates non irritandas, neque adulationi præbendas aures.

217. CAvendum etiam reor, ne dum aliqui nimia gloriæ ducuntur cupiditate, insolentius abutantur potestatibus, & plerumque aversos à nobis animos gentilium in studia persecutionis excitent, atque inflamment ad iracundiam. Itaque ut illi perseverare possint, & supplicia vincere, quantos perire faciunt?

218. * Prospiciendum etiam ne adulantibus aperiamus aurem; emolliri enim adulatione, non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviæ videtur.

CAPUT XLIII.

De temperantia, & præcipuis ejus partibus, nimirum animi tranquillitate ac moderatione, honestatis cura, & decoris consideratione.

219. QUoniam de tribus virtutibus diximus, * restat ut de quarta virtute dicamus, quæ temperantia ac modestia vocatur: in qua maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur & quæritur.

220. Ordo igitur quidam vitæ nobis tenendus est, ut à verecundia prima quædam fundamenta ducantur: quæ socia ac familiaris est mentis

a. Ita vet. edit. quibus consentiunt omnes mss. nisi quod unus è Vat. & decem è Gall. habent *Dominici corporis & sanguinis consecrationem*. At Rom. edit. ab omnibus & scriptis & excusis Ambr. cod. discedens pro *consecrationem* reposuit *dispensationem*. Ex qua mutatione causam legitimam habere se sibi visi sunt heterodoxorum non pauci, ut corruptionem ac malam editorum fidem clamarent invidiosissime. Sed non satis consulta isthæc accusatio; meminisse enim ipsos oportuerat Hospinianum lib. 5. Hist. Sacram. cap. 6 non editioni Rom. quæ jam multis ab annis vulgata fuerat, verum Eutropio corruptionem hanc adtribuere. Nec forte vacat etiam temeritate hæc ipsa Hospiniani insimulatio. Etenim non solum in vita beati Sixti apud Lipomanum, Venetæ edit. an. 1554. verum etiam in vita sancti Laurentii, ut habetur in legenda Lombardica Jac. Genuensis excusa Nuremburgi an. 1487. legimus *Dominici sanguinis dispensationem*: quod quidem haud levi indicio est, alicubi exstare exemplar aliquod, in quo sic legatur. Verumtamen antiquiori atque genuinæ, minimeque, ut cum Card. Bona dicamus, formidandæ lectioni standum est. Enimvero sumitur *consecratio* vel pro ipso consecrandi actu, vel pro ejusdem effectu, id est, jam peracta consecratione, quorum neutrum à sensu catholico abhorret. Nam si placeat prima ratio, quid mirum Diacono consecrationem adtribui, cùm Guerricus abbas serm. 5. de Purif. etiam populum adserat consecrare? Sane Diacono competit non tamquam uni è fidelium conventu, sed tamquam primario consecrantis sacerdotis ministro illius actioni cooperari per modum cujusdam, ut sic loquamur, concelebrationis: quo spectat Synodi Rom. can 3. ad episcop. Gall. apud Sirmond. Tom. 1. Conc. Gall. Et hoc sensu accipiendos putamus locos duos, alterum Petri Blesensis epist. 123. ad epitc. Londin. alterum Petri Cant. lib. de Verbo Mirif. cap 41. quorum utrumque Hallerius lib 3. Hierar. pag. 575 de sola dispensatione, priorem vero de sola præsentia Cardin. Bona lib. 1. Rer. Liturg cap. 25. num. 4. interpretatur, quos consule, sicut & Menardum nostrum in Sacrament S. Gregorii. Porro secunda *consecrationis* acceptio, nimirum pro rei consecratæ distributione, omni prorsus caret offendiculo, maximeque nobis arridet: tum quia vox *commisisti* aliquid jam perfectum signat, & aliæ illæ *consummandorum consortium sacramentorum*, pulcre ad eamdem dispensationem referuntur: tum quia proprium Diaconorum officium erat plebi Dominicum sanguinem administrare, quemadmodum Conc. Aquisgr. cap. 7. *Nam sicut in sacerdote*, inquit, *consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.* Quæ verba etiam reperire est apud Isidorum lib. 2. off. Eccl. cap. 8, & veterem auctorem qui Hieronymi titulum falso præfert. Coactior autem hæc ei non videbitur explicatio, qui cum Ant. Godello Historiæ Eccl. To. 1. pag. 579. perpenderit in ipso missæ sacrificio dum in calice particula hostiæ sacræ immittitur, consecrationem sumi pro re consecrata. Huc adde quod ait Cardinalis Bona loco laudato, dici diaconum consecrare, *quatenus sanguinem dispensat, qui est consecratio & sanctificatio nostra, & fons atque essentia omnis sanctificationis.* Apage ergo vanum quorumdam cum Hospiniano commentum, qui loco citato & lib. 1. ejusdem Hist. Sacr. cap. 23. ex his Ambrosii verbis exprimere conatur licuisse olim diaconis in sacerdotum absentia eucharistiam conficere. Nam præterquam quod in mss. plusquam 24. & in omnibus scriptoribus à quibus hic idem locus citatur, *corporis* Dominici omittitur mentio; ipsemet sanctus Levita non sacrificantem, sed sacrificantis ministrum se profitetur, nec de sacerdotis absentia loquitur, sed de consortio. Quapropter sicubi diaconos alio sensu legimus consecrasse, id superbiæ ac temerariæ adscribendum est usurpationi.

b. Omnes edit. & mss. aliquot, *Inter sacerdotem* &c. At plures mss. omittunt, *Inter*. Cùm autem per *sacerdotem* episcopus intelligatur, & per *levitam* diaconus (nam ut postea Syn. Aquisgr. cap. 7. ex lib. 2. Constit. Apost. cap. 25. & epist. 85. sancti Hieron. definivit: *Diaconorum ordo à tribu Levi accepit exordium*) apte adseritur inter utrumque tridui interstitium convenire; sunt enim tres in hierarchia distincti gradus, episcopi, presbyteri ac diaconi, ut Patres Tridentini majorum traditioni adhærentes, confirmarunt.

*. *Alter qui fecisset*, id est, Orestes qui matrem Clytemnestram in ultionem occisi ab ea patris Agamemnonis interemerat. *Alter qui adjuvisset*, Pylades nimirum ejusdem Orestis cognatus atque amicus adeo fidelis, ut uterque pro veræ amicitiæ forma fuerit habitus. Hic autem locus desumtus translatusque est, non ex Euripidis *Iphigenia in Tauris*, ut in margine notavit Rom. edit. sed ex Cicer. lib. 5. de Fin. Bon. & Mal pag. 109. & Dial. de Amic. pag. 422. ubi hos plausus in M. Pacuvii tragœdia excitatos narrat.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 363. lin. 50. *Cavendum est ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus* &c.

*. Ibidem lin. 44. *Sequitur ut de illa reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia* &c.

placiditati, protervitæ fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit.

221. Sequatur conversationis electio, * ut adjungamur probatissimis quibusque senioribus. Namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt; quanto magis adolescentes cum senibus debent novum sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulcrius quam eosdem & magistros vitæ & testes habere.

222. Quærendum etiam in omni actu * quid personis, quid temporibus conveniat atque ætatibus, quid etiam singulorum ingeniis sit accommodum. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis.

2. Reg. 6. 14. 223. Saltavit ante arcam Domini David: non saltavit Samuel; nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Mutavit vultum a contra
1 Reg. 21. 13. regem, cui nomen Achis: at hoc si fecisset remota formidine quo minus cognosceretur, nequaquam levitatis reprehensione carere potuisset. Saul quoque vallatus choro prophetarum, etiam ipse prophetavit; & de solo quasi indigno
Ibidem 19. 24. memoratum est: *Et Saul inter prophetas!*

CAPUT XLIV.

Officio sibi congruo quemque studere oportere: sed multos impediri paternorum imitatione studiorum; contra quam Ecclesiastici viri faciunt.

224. Unusquisque igitur suum ingenium * noverit, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Itaque quid sequatur, prius consideret. Noverit bona sua, sed etiam vitia cognoscat: æqualemque se judicem sui præbeat; ut bonis intendat, vitia declinet.

225. Alius * distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet sacerdos, & quid cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore b impletur gratia.

226. Sed id cùm in omni vita difficile, tum in A nostro actu difficillimum est. * Amat enim unusquisque sequi vitam parentum. Denique plerique ad militiam feruntur, quorum militaverunt parentes, alii ad actiones diversas.

227. In ecclesiastico verò officio nihil rarius invenias quam eum qui sequatur institutum * patris: vel quia gravis deterret actus, vel quia in lubrica ætate difficilior abstinentia, vel quia alacri adolescentiæ videtur vita obscurior; & ideo ad ea convertuntur studia, quæ plausibiliora ar-B bitrantur. Præsentia quippe plures quam futura præferunt. Illi autem præsentibus, nos futuris militamus. Unde quo præstantior causa, eo debet esse cura adtentior.

CAPUT XLV.

De pulcro & honesto: quid sit inter illa discriminis tam apud prophanos auctores, quam sacros.

228. Teneamus igitur verecundiam, & eam quæ totius vitæ ornatum adtollit, C modestiam. Non enim mediocre est rebus singulis modum servare, atque impartiri ordinem, * in quo vere prælucet illud quod decorum dicitur: quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat. Siquidem & quod decet, honestum est: & quod honestum est, decet; ut magis in sermone distinctio sit, quam in virtute discretio. Differre enim ea inter se intelligi potest, explicari non potest.

229. Et ut conemur aliquid eruere distinctio-D nis, * honestas velut bona valetudo est, & quædam salubritas corporis: decus autem tamquam venustas & pulcritudo. Sicut ergo pulcritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, & tamen sine his esse non potest, neque ullo separari modo; quoniam nisi bona valetudo sit, pulcritudo esse ac venustas non potest: sic honestas decorum illud in se continet, ut ab ea profectum videatur, & sine ea esse non E possit. Velut salubritas igitur totius operis actusque nostri honestas est, & sicut species est decorum, quod cum honestate confusum, opinione distinguitur. Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Quid vero inhonestum, nisi quod ariditatem ac mortem adferat? Virente igitur substantia virtutis, decorum illud tam-F quam flos emicat, quia radix salva est: at vero c propositi nostri radice vitiosa, nihil germinat.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 368. lin. 5. *Est igitur adolescentis majores natu* &c. Item lib. 2. pag. 380. lin. 38. *Facillime autem, & in optimam partem cognoscuntur adolescentes* &c.

*. Ibidem pag. 365. lin. 42. *Altera autem qua proprie singulis est adtributa; ut enim in corporibus* &c.

a. Edit. & mss. non pauci, *coram rege:* alii vero non pauciores, sed iidem antiquiores, *contra regem*, id est, ex adverso regis.

*. Cic. Offic. lib 1. pag. 366. lin. 16. *Admodum autem tuenda sunt sua cuique* &c. Et infra lin. 40. *Suum igitur quisque noscat ingenium* &c. Item pag. 367. lin 30. *In qua deliberatione ad suam cujusque naturam, consilium est omne revocandum* &c.

*. Quamvis hic nulla fiat mentio acolythi & ostiarii, minime tamen hinc sequitur eorum ordines in Ecclesia tum temporis non exstitisse, cùm illi quatuor qui recensentur, tantum exempli causa memorentur. Quod autem cum lectore atque exorcista numerantur psalmista & sacrarii custos, quorum apud nos jam nulli sunt ordines; hoc inde putamus factum quod cùm minores illi clericatus ecclesiasticæ tantum institutionis sint, pro variis necessitatibus modo aucti, modo imminuti ab Ecclesia reperiuntur. De psalmista quidem sive cantore loquitur Conc. Carthag. 3. can. 21. Item 4. can. 10. Gregorius magnus lib. 11. 54. Ordo Rom. & alii: de custode vero sacrarii atque ipsius officio dicemus ad caput hujus libri 50. Observa interim non omnes omnibus, sed singulis singulos ordines tribui solitos: nec non in episcopi positum fuisse arbitrio quem cui ordini destinaret.

b. Ita mss. melioris notæ: alii vero & edit. *majore implet gratia*, parum admodum diverso sensu.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 367. lin. 5. *Quorum vero patres aut majores aliqua gloria præstiterunt, eorum plerique in hoc genere* &c

*. *Patris*, spiritalis scilicet, id est, instituroris ac magistri: aut si contenderis patrem naturalem intelligendum, minime sane repugnabimus, modo intellexeris de patre in minoribus tantum gradibus constituto; & eatenus de initiato majoribus, quatenus eos liberos ante ordinationem suam sustulerit. Etenim ab hoc ultimo necessarie servandam continentiam Ambrosium nostrum docuisse postea suo loco evidentissime ostendemus.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 363. lin. 47. *Hoc loco continetur id quod dici latine decorum potest* &c.

*. Ibidem pag. 364. lin. 10. *Ut enim venustas & pulcritudo corporis secerni non potest à valetudine* &c.

c. Mss. aliquot, *in virtute propositi nostri*; at commodiùs in aliis, nec non in edit. deest, *in virtute*.

230. Habes hoc in nostris aliquanto expressius. Dicit enim David: *Dominus regnavit, decorem induit.* (Psal. 92. 1.) Et Apostolus ait: *Sicut in die, honeste ambulate.* (Rom. 13. 13.) Quod Græci dicunt εὐσχημόνως, hoc autem proprie significat, bono habitu, bona specie. Deus ergo primum hominem cùm conderet, bona habitudine, bona membrorum compositione formavit, & optimam ei speciem dedit. Remissionem non dederat peccatorum: sed posteaquam renovavit eum spiritu, & infudit ei gratiam, qui venerat in servi forma, & in hominis specie adsumsit decorem redemtionis humanæ. (Psal. 64. 1.) Et ideo dixit Propheta: *Dominus regnavit, decorem induit.* Deinde alibi dicit: *Te decet hymnus, Deus, in Sion*; hoc est dicere: Honestum est ut te timeamus, te diligamus, te precemur, te honorificemus; scriptum est enim: *Omnia vestra honeste fiant.* (1. Cor. 14. 40.) Sed possumus & hominem timere, diligere, rogare, honorare: hymnus specialiter Deo dicitur. Hoc tamquam excellentius ceteris credere est decorum, quod deferimus Deo. Mulierem quoque [a] in habitu ornato orare convenit: (1. Tim. 2. 9. & 10.) sed specialiter eam decet orare velatam, & orare promittentem castitatem cum bona conversatione.

CAPUT XLVI.

Proponitur bifida decori divisio: tum postquam ostensum est quod secundum naturam sit, honestum: quod secus, turpe censendum; exemplis illustratur hac ipsa divisio.

231. Est igitur decorum quod præeminet, cujus * divisio gemina est. Nam est decorum quasi generale, quod per universitatem funditur honestatis, & quasi in toto spectatur corpore: est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet. Illud generale ita est, ac si æquabilem formam atque universitatem honestatis in omni actu suo habeat concinentem; cùm omnis sibi ejus vita consentit, nec in ulla aliqua re discrepat: hoc speciale, cùm aliquem actum in suis habet virtutibus præeminentem.

232. Simul illud adverte quod & * decorum est secundum naturam vivere, secundum naturam degere, & turpe est, quod sit contra naturam. Ait enim Apostolus quasi interrogans: *Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura* (1. Cor. 11. 13.) [b] *docet vos quod vir quidem si comam habeat, ignominia est illi; quoniam contra naturam est?* (Ibidem 15.) Et iterum dicit: *Mulier vero si capillos habeat, gloria est illi.* Est enim secundum naturam, quoniam quidem capilli pro velamine sunt; hoc est enim naturale velamen. Personam igitur nobis & speciem natura ipsa dispensat, quam servare debemus: utinamque & innocentiam ejus custodire possimus, nec acceptam nostra malitia mutaret.

233. Habes hoc decorum generale, quia fecit Deus mundi istius pulcritudinem. Habes & per partes, quia cùm faceret Deus lucem, & diem noctemque distingueret, cùm conderet cælum, cùm terras & maria separaret, cùm solem & lunam & stellas constitueret lucere super terram, probavit singula. (Genes. 1. 3. & seq.) Ergo decorum hoc, quod in singulis mundi partibus elucebat, in universitate resplenduit, sicut probat Sapientia, dicens: *Ego eram cui applaudebat .... cùm lætaretur orbe perfecto.* (Prov. 8. 30. & 31.) Similiter ergo & in fabrica humani corporis grata est uniuscujusque membri portio: sed plus in commune compositio membrorum apta delectat, quod ita sibi quadrare & convenire videantur.

CAPUT XLVII.

Ut in vita nostra eluceat decorum illud, quid præstare nos oporteat, quosve appetitus refrenare?

234. Si quis igitur * æquabilitatem universæ vitæ, & singularum actionum modos servet, ordinem quoque, & constantiam dictorum atque operum, moderationemque custodiat, in ejus vita decorum illud excellit, & quasi in quodam speculo elucet.

235. Accedat tamen * suavis sermo, ut conciliet sibi affectum audientium, gratumque se vel familiaribus, vel civibus, vel, si fieri potest, omnibus præbeat. Neque adulantem se, neque adulandum cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum.

236. Non * despiciat quid de se unusquisque & maxime vir optimus sentiat; hoc enim modo discit bonis deferre reverentiam. Nam negligere bonorum judicia vel arrogantiæ, vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ.

237. Caveat etiam * motus animi sui; ipse enim sibi & observandus & circumspiciendus est: & ut adversùm se cavendus, ita etiam de se tuendus. Sunt enim motus, in quibus est appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu; unde græce ὁρμὴ dicitur, quod vi quadam se repente proripiat. Non mediocris in his vis quædam animi atque naturæ est. Quæ tamen vis gemina est, una in appetitu, altera in ratione posita, quæ appetitum refrænet, & sibi obedientem præstet, & ducat quo velit: & tamquam sedulo magisterio edoceat quid fieri, quid evitari oporteat, [c] ut bonæ domitrici obtemperet.

238. Solliciti enim debemus esse, * ne quid temere aut incuriose geramus, aut quidquam

a. Rom. edit. *in habitu ordinato:* ceteræ non modo cum mss. sed etiam cum vulgata vers. *in habitu ornato* ex græco scilicet, ἐν καταστολῇ κοσμίῳ. Rursus vero eadem edit. Rom. pro eo quod aliæ, ac mss. plures habent, *cum bona conversatione*, reposuit cum nonnullis, *per bonam conversationem*, respiciens scilicet ad illud Apostoli ex loco citato, ἀλλ' (ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν) δι' ἔργων ἀγαθῶν *promittentes pietatem per bona opera*: ubi Ambrosius *pietatem* etiam mutavit in *castitatem*.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 364. lin. 13. *Est autem ejus descriptio duplex. Nam & generale quoddam decorum* &c.

*. Ibidem lin. 15. *Decorum id esse quod consentaneum sit hominis excellentia* &c. Item infra lin. 40. *Officium autem quod ab eo ducitur, hanc primum* &c. Ibidem pag. 367. lin. 31. *Nam cùm in omnibus quæ aguntur* &c.

b. Omnes edit. *nos docet quod vir* &c. sed contra mss. auctoritatem, quibus etiam suffragatur textus Apostolicus, διδάσκει ὑμᾶς ὅτι ἀνήρ &c. non vero διδάσκει ἡμᾶς &c.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 364. lin. 33. *Sic hoc decorum quod elucet in vita, movet* &c.

*. Ibidem pag. 370. lin. 3. *Maximeque curandum, eos quibuscum sermonem conferimus & vereri & diligere videamur.*

*. Ibidem pag. 364. lin. 35. *Adhibenda est igitur quædam reverentia adversus homines* &c.

*. Ibidem lin. 44. *Neque enim solum corporis ...... sed multo etiam magis animi* &c.

c. Omnes edit. ac mss aliquot, *ut bonæ dominatrici:* alii plures potioresque, *ut bonæ domitrici.* Aptius id quidem; refertur enim ad superiora, *quæ appetitum refrænet* &c.

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 364. lin. 48. *Omnis autem actio vacare debet temeritate & negligentia* &c.

omnino cujus probabilem non possimus rationem reddere. Actus enim nostri causa, etsi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur. Nec vero habemus, in quo nos possimus excusare. Nam etsi vis quædam naturæ in omni appetitu sit; * tamen idem appetitus rationi subjectus est lege naturæ ipsius, & obedit ei. Unde boni speculatoris est ita prætendere animo, ut appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat; ne præcurrendo perturbet atque excludat, eamque deserendo destituat. PERTURBATIO tollit constantiam, destitutio prodit ignaviam, accusat pigritiam. Perturbata enim mente latius se ac longius fundit appetitus, & tamquam efferato impetu frænos rationis non suscipit, nec ulla sentit aurigæ moderamina, quibus possit reflecti. Unde plerumque non solum * animus exagitatur, amittitur ratio; sed etiam inflammatur vultus, vel iracundia, vel libidine: pallescit timore, voluptate se non capit, & nimiâ gestit lætitiâ.

239. Hæc cùm fiunt, abjicitur illa * naturalis quædam censura, gravitasque morum: nec teneri potest illa quæ in rebus gerendis atque consiliis sola potest auctoritatem suam, atque illud quod deceat tenere, constantia.

240. Gravior autem appetitus * ex indignatione nimia nascitur, quam acceptæ plerumque accendit injuriæ dolor. De quo satis nos psalmi quem in præfatione posuimus, præcepta instruunt. Cap. 2. 6. & 7. Pulcre autem & hoc accidit, ut scripturi de Officiis, ea præfationis nostræ adsertione uteremur, quæ & ipsa ad officii magisterium pertineret.

241. * Sed quia supra, ut oportebat, perstrinximus quemadmodum unusquisque cavere possit, ne excitetur accepta injuria, verentes ne præfatio prolixior fieret, nunc de eo uberius disputandum arbitror. Locus enim opportunus est, ut in partibus temperantiæ dicamus quemadmodum reprimatur iracundia.

CAPUT XLVIII.

Repetito compescendæ iracundiæ argumento, tres eorum qui lacessuntur injuriis, ordines explicantur: ad quorum perfectissimum Apostolus ac David dicuntur pervenisse: ubi ex occasione quædam hujus ac futuræ vitæ traduntur discrimina.

242. TRia itaque genera esse hominum injuriam accipientium in scripturis divinis demonstrare volumus, si possumus. Unum est eorum quibus peccator insultat, [a] conviciatur, inequitat. Iis quia deest justitia, pudor crescit, augetur dolor. Horum similes plurimi de meo ordine, de meo numero. Nam mihi infirmo si quis injuriam faciat, forsitan, licet infirmus, donem injuriam meam. Si crimen objiciat, non sum tantus, ut sim contentus conscientia mea, etiamsi me ejus objecti alienum noverim: sed cupio abluere [b] ingenui pudoris notam, tamquam infirmus. Ergo oculum pro oculo, & dentem pro dente exigo, & convicium convicio rependo.

243. Si vero is sum qui proficiam, etsi nondum perfectus, non retorqueo contumeliam: & si [c] influat ille convicium, & inundet aures meas contumeliis, ego taceo, & nihil respondeo.

244. Si vero perfectus sim (verbi gratia loquor, nam veritate infirmus sum) si ergo perfectus sim, benedico maledicentem, sicut benedicebat & Paulus, qui ait: *Maledicimur, & benedicimus.* (1. Cor. 4. 12.) Audierat enim dicentem: *Diligite inimicos vestros, orate pro calumniantibus & persequentibus vos.* (Matt. 5. 44.) Ideo ergo Paulus persecutionem patiebatur, & sustinebat, quia vincebat & mitigabat humanum affectum propositæ mercedis gratia; ut filius Dei fieret, si dilexisset inimicum.

245. Tamen & sanctum David in hoc quoque genere virtutis imparem Paulo non fuisse edocere possumus. Qui primò quidem cùm malediceret ei filius Semei, & crimina objiceret, (2. Reg. 16. 7. & seq.) tacebat & humiliabatur, & silebat à bonis suis, (Psal. 38. 3.) hoc est, bonorum operum conscientiâ: deinde expetebat maledici sibi, quia maledicto illo divinam adquirebat misericordiam.

246. Vide autem quomodo & humilitatem & justitiam & prudentiam emerendæ à Domino gratiæ reservaverit. Primò dixit: *Ideo maledicit mihi, quia Dominus dixit illi ut maledicat.* (2. Reg. 16. 10.) Habes humilitatem; quia ea quæ divinitus imperantur, æquanimiter quasi servulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: *Ecce filius meus qui exivit de ventre meo, quærit animam meam.* (Ibidem 11.) Habes justitiam; si enim à nostris graviora patimur, cur indigne ferimus quæ inferuntur ab alienis? Tertiò ait: *Dimitte illum ut maledicat; quoniam dixit illi Dominus, ut videat humiliationem meam, & retribuat mihi Dominus pro maledicto hoc.* (Ibidem 12.) Nec solùm conviciantem pertulit, sed etiam lapidantem & sequentem illæsum reliquit, quin etiam (Ibidem 19. 22.) post victoriam petenti veniam libenter ignovit.

247. Quod ideo inserui, ut Evangelico spiritu sanctum David non solùm inoffensum, sed etiam gratum fuisse convicianti docerem, & delectatum potius quam exasperatum injuriis, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. Sed tamen quamvis perfectus, adhuc perfectiora quærebat. Incalescebat injuriæ dolore, quasi homo [d]: sed vincebat quasi bonus miles; tolerabat quasi athleta fortis. Patientiæ autem finis, promissorum exspectatio, & ideo dicebat: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit* (Psal. 38. 5.)

*. Cic. lib. 1. Offic. lin. 1. *Efficiendum autem est ut appetitus rationi obediant* &c.

*. Ibidem pag. 365. lin. 6. *A quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere* &c.

*. Ibidem lin. 11. *Neque enim ita generati..... sed ad severitatem potius* &c.

*. Ibidem pag. 370. lin. 12 *Rectum est autem etiam in illis contentionibus quæ cùm inimicissimis fiunt* &c.

*. In superior. edit. hoc erat initium cap. 48. sed incommode.

a. MSS. aliquot, *conviciator iniquus*: unus, *conviciator iniquitatis*: alii non pauci, *conviciatur iniquitas*; aliqui & edit. Amerb. *conviciatur iniquitate*: nonnulli, ac Eras. & Gill. *conviciatur, inquietat*: duo, *conviciatur, iniquitates incitat*: ceteri denique atque edit. Rom. *conviciatur, inequitat*: Quod verbum à scribis minime intellectum tantam peperit diversitatem; cùm hîc *inequitat*, nihil aliud sit, quam veluti calcaribus incitat exagitatque.

b. MSS. nonnulli, *injecti pudoris notam*.

c. Edit. & pauci mss. *influat ille conviciis*: alii mss. longe plurimi.... *convicium*. Rursus vero ubi edit. & mss. plerique *nihil respondeo*: mss. nonnulli habent, *nihil rependo*.

d. Ita mss. plures ac probatiores: alii nonnulli, atque edit. *Sed vincebat spiritu quasi* &c.

mihi. Finem illum quærit promiſſorum cæleſtium A, vel illum, quando unuſquiſque ſurget in ſuo ordine: *Primitiæ Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti, qui in adventum ejus crediderunt, deinde finis.* [1. Cor. 15. 23.] Tradito enim regno Deo & Patri, & evacuatis omnibus poteſtatibus, ut Apoſtolus dixit, perfectio incipit. Hîc ergo impedimentum, hîc infirmitas etiam perfectorum, illic plena perfectio. Ideo & dies illos requirit vitæ æternæ, qui ſunt, non qui prætereunt; ut cognoſcat quid ſibi deſit, quæ terra ſit repromiſſionis, B perpetuos fructus ferens, quæ prima apud patrem manſio, quæ ſecunda, quæ tertia, in quibus pro ratione meritorum unuſquiſque requieſcet.

248. Illa igitur nobis expetenda, in quibus perfectio, in quibus veritas eſt. Hîc umbra [a], hîc imago, illic veritas. [a Hebr 10. 1. & ſeq.] Umbra in Lege, imago in Evangelio, veritas in cæleſtibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus, nunc Chriſtus offertur: ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem; & offert ſe ipſe quaſi ſa- C cerdos, ut peccata noſtra dimittat: hîc in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quaſi advocatus intervenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, ubi plena perfectio; quia perfectio omnis in veritate eſt.

CAPUT XLIX.

Hic ſervandam in nobis virtutum imaginem, Diaboli vero & vitiorum eradendam, ac in primis avaritiæ: quæ libertatem nobis adimit, variiſque turbatos vanitatibus imagine Dei ſpoliat. D

249. ERgo dum hîc ſumus, ſervemus imaginem, ut ibi perveniamus ad veritatem. Sit in nobis imago juſtitiæ, ſit imago ſapientiæ; quia venietur ad illum diem, & ſecundum imaginem æſtimabimur.

250. Non inveniat in te adverſarius imaginem ſuam, non rabiem, non furorem; in his E enim imago nequitiæ eſt. Adverſarius enim diabolus ſicut leo rugiens quærit quem occidat, quem devoret. Non inveniat auri cupiditatem, non argenti acervos, non vitiorum ſimulacra; ne auferat tibi vocem libertatis. Vox enim libertatis illa eſt, ut dicas: *Veniet hujus mundi princeps, & in me inveniet nihil.* [Johan 14. 30.] Itaque ſi ſecurus es quod nihil in te inveniat, cùm venerit perſcrutari, dices illud quod dixit ad Laban Jacob patriarcha: [Gen. 31. 32.] Cognoſce ſi quid tuorum apud me eſt. Merito beatus Jacob, apud quem nihil Laban ſuum potuit reperire: Abſconderat enim Rachel ſimulacra deorum ejus aurea & argentea.

251. Itaque ſi ſapientia, ſi fides, ſi contemtus ſæculi, ſi gratia tua abſcondat omnem perfidiam, beatus eris; quia non reſpicis in vanitates & inſanias falſas. [Pſal. 39. 5.] An mediocre eſt tollere vocem adverſario, ut arguendi te non poſſit habere auctoritatem? Itaque qui non reſpicit in vanitates, non conturbatur; qui enim reſpicit conturbatur, & vaniſſime quidem. Quid eſt enim congregare opes, niſi vanum; quia caduca quærere vanum eſt ſatis? Cùm autem congregaveris, quî ſcias an poſſidere liceat tibi?

252. Nonne vanum eſt ut mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quo aggregare poſſit theſauri acervos, merces congreget, conturbetur ad pretium, ne forte minoris vendat quam emerit, aucupetur locorum pretia, & ſubito aut latrones [b] in ſe invidiâ famoſæ negotiationis excitet, aut non exſpectatis ſerenioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium impatiens moræ incidat?

253. An non conturbatur etiam ille vane, qui ſummo labore coacervat, quod neſciat cui heredi relinquat? Sæpe quod avarus ſumma congeſſerit ſollicitudine, præcipiti effuſione dilacerat heres luxurioſus: & diu quæſita turpis helluo, præſentium cæcus, futuri improvidus, quadam abſorbet voragine. Sæpe etiam ſperatus ſucceſſor invidiam partæ adquirit hereditatis, & celeri obitu extraneis aditæ ſucceſſionis transſcribit compendia.

254. Quid [c] ergo vane araneam texis, quæ inanis & ſine fructu eſt, & tamquam caſſes ſuſpendis inutiles divitiarum copias: quæ etſi fluant, nihil proſunt; immo exuunt te imaginem Dei, & induunt terreni imaginem? * Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius eſt damnationi? Tu deponis imaginem æterni imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Ejice magis de civitate animæ tuæ imaginem diaboli, & adtolle imaginem Chriſti. Hæc in te fulgeat, in tua civitate, hoc eſt, anima reſplendeat, quæ obliterat vitiorum imagines. De quibus ait David: *Domine, in civitate* [Pſ. 72. 20.]

a. Thuan. cod. ac tres alii, *hic imago, veritas in cæleſtibus.* Verum alia lectio non ſolum multo pluribus mſſ. omnibuſque edit. nititur, verum etiam conſenſione alterius loci ex Expoſ. Pſal 38. num. 25. ubi hæc eadem verba ſine ulla diverſitate legere eſt. Porro Edm. Albertinus lib. 2. cap. 2. pag. 505. his Ambroſii verbis *imago in Evangelio*, & *nunc in imagine* &c. hunc ſenſum affingit, quaſi neget vir ſanctus Chriſtum *jam hic offerri niſi in imagine, cùm è contra in cælis offerat ſe in veritate;* atque ita imago & veritas invicem opponantur, ut altera alteram excludat. Verum niſi partium ſtudio occæcatus eſſet, pervidiſſet utique Chriſtum non alia de cauſa in imagine offerri dictum, niſi quia *offertur quaſi homo, quaſi paſſionem recipiens.* Quapropter ut clare ſancti Doctoris mens pateat, advertendum eſt his verbis, *Hic umbra, hic imago* &c. Eccleſiam ab eo ſic deſcribi, ut ſit ſtatus quidam medius inter Synagogam & cælum; quod videlicet in illa fuerit ſola umbra, in hoc autem ſola veritas: at in Eccleſia utraque res ſimul conjuncta. Et certe adeo verum eſt ab Ambroſio veritatem cum imagine in Evangelico fœdere copulatam ſignificari, ut eas ſejungere non potuerit, quin ipſiuſmet cruenti ſacrificii, atque adeo Dominicæ incarnationis veritatem funditus everteret; cùm hæc myſteria ex mente ipſius non ad Synagogam, neque ad cælum referri queant, ſed ad Eccleſiam. Sed ipſe Ambroſius mentem ſuam loco citato Expoſ. pſal. 38. tam claris verbis expromit, ut nullam cavillis relinquat anſam. *Videmus nunc*, inquit, *per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus Principem ſacerdotum ad nos venientem, vidimus & audivimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum. Sequimur, ut poſſumus.... quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur* &c.

b. Mſ. unus, *in ſe vindices amor negotiationis excitet.*

c. Rom. edit. ſola, *Quid ergo telam aranea texis?*

*. Confer, ſi lubet, quæ hîc dicuntur cum iis quæ tom. 1. lib. 4. de Interpell. num. 24. & Expoſ. in Pſal. 38. num. 27. Sed præter hos duos locos ad quos hîc reſpexiſſe Ambroſium ipſa res loquitur, alibi quoque non ſemel ut puta lib. 6. Hexaem. cap. 9. num. 57. & & Serm. 10. Expoſ. in Pſal. 118. num. 25. meminit imaginum imperatoriarum. Neque mirum id quidem; certum enim eſt non alio honoris genere Romanos principes ambitioſius coli ſolitos. Namque ut omittamus imagunculas illas, quas privatim nonnulli ſecum ferebant, & quibus depromtis, eos qui ſibi mali quidpiam minitarentur, abſterrebant, ut Corn. Tacitus lib. 3. Annal. auctor eſt; iiſdem imperatoribus maxime poſtquam recens proclamati fuerant, aut inſignem aliquam victoriam adepti, ſtatuas aureas, argenteas, aut ex alia pretioſa materia non modo in earum urbium ubi erat imperii ſedes, privatis ac publicis ædibus erigi, verum etiam ad remotiores provincias mitti conſueſſe ex multis veterum monumentis colligere eſt. Videſis Zoſimi Hiſt. lib. 4. Libanii Epiſt. 841. ad Sever. & quæ nos ſuperiori tomo pag. 1095. annotavimus.

tua,

tua, ad nihilum deduces imagines eorum. Cùm A enim depinxerit Hierusalem Dominus ad imaginem suam, tunc adversariorum omnis imago deletur.

CAPUT L.

Levitas à terrenis cupiditatibus maxime alienos esse debere. Quæ sint illorum virtutes ex Apostolo, quantave in ipsis castimonia requiratur: item quæ dignitas eorum atque officium, ad quod primariæ virtutes sunt necessariæ. Hasce ignotas non fuisse philosophis, sed in ordine illos peccavisse: nonnulla esse natura secundùm officium, quæ ob adjuncta fiant contra officium; unde colligitur quantas dotes postulet dignitas levitarum: quæ sequitur verborum Moysis tribui leviticæ benedicentis expositio.

255. QUod si Evangelio Domini etiam populus ipse ad despicientiam opum informatus atque institutus est; quanto magis C vos levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est? Nam cùm videretur à Moyse possessio terrena populo parum, excepit levitas Dominus ᵃ à terrenæ possessionis consortio, quòd ipse illis esset funiculus hereditatis. Unde ait David: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Denique sic appellatur levita * ipse meus, vel ipse pro me. Magnum ergo munus ejus, ut de eo Dominus dicat: Ipse meus; vel quemadmodum Petro dixit de statere in ore D piscis reperto: *Dabis eis pro me & pro te.* Unde & Apostolus cùm episcopum dixisset debere esse sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non avarum, non litigiosum, domui suæ bene præpositum, addidit: *Diaconos similiter oportet esse graves, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.

Num. 18. 23. a

Psal. 15. 5.

*

Matth. 17. 26.

1. Tim. 3. 8.

256. Advertimus quanta in nobis requirantur: ut abstinens sit à vino minister Domini, ut testimonio bono fulciatur non solum fidelium, sed etiam ab his qui foris sunt. Decet enim actuum operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, ne derogetur muneri; ut qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales servulos habeat. LAUS ENIM Domini, ubi munda possessio, & innocens fa- B miliæ disciplina.

257. De * castimonia autem quid loquar; quando una tantum, nec repetita permittitur copula? Et in ipso ergo conjugio lex est non iterare conjugium, nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterati conjugii ad electionem muneris & ordinationis prærogativam impedimenta generentur; cùm etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus quia baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur in baptismate relaxatur: quod legis est in conjugio non solvitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis qui ipse conjugia frequentaverit?

* Dist. 26. Una tantum.

258. Inoffensum autem exhibendum & immaculatum ministerium, * nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis? Quod eo non præterii, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt: & id tamquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur; & tamen castificabatur etiam populus per biduum aut triduum, ut ad sacrificium purus accederet, ut in veteri Testamento legimus; & lavabant vestimenta sua. Si in figura tanta observantia, quanta

*

Exod. 19. 10.

a. MSS. duo, *æternæ possessionis consortio*: sed minus commode.

*. Hanc eamdem interpretationem habes Tomo 1. col. 210. num. 11. & fusius col. 1056. num. 4.

*. Cic. lib. 1. pag. 368. lin. 8. *Maxime autem hæc ætas à libidinibus* &c. Ob verba autem Ambrosiana Madeburgenses Cent. 4. cap. 10. Doctorem nostrum insimularunt, quod secundas nuptias videatur damnare. Sed illa vel de quibuslibet christianis dicta putaverunt, & sic auctoris mentem non pervidere: vel de solis clericis acceperunt, ut re vera accipienda sunt, atque ita non in unum Ambrosium, sed in Ecclesiam universam recidit ea criminatio. Siquidem digamiæ impedimentum ad sacros ordines antiquissimum est omnium, ut pote in ipsis Apostoli ad Timotheum ac Titum præceptis stabilitum. At enim mirum profecto videatur illud ita intelligi non tantum ab heterodoxis, sed quibusdam etiam catholicis, quasi nihil aliud sacris ministris interdicatur, nisi plurimarum eodem tempore uxorum usus. Quasi vero in Ecclesia umquam vel ipsis laicis permissa fuerit hujusmodi polygamia? Sed non est immorandum in eo errore refutando, qui tota Ecclesiasticæ traditionis serie invictissime profligatur. Est autem aliud quod doctores antiquos in opiniones diversas scidit, nimirum utrum qui aliam conjugem ante baptismum, aliam jam baptisatus accepisset, digamiæ lege teneretur. Affirmat hîc & epist. ad Vercell. Ambrosius, Hieronymus vero lib. 1 in Jovin. epist. 83. ad Ocean. & in cap. 1. ad Titum negat. Primum sequuti sunt fidelissimus ejus discipulus Augustinus lib. *De Bono conjug.* cap. 18. num. 21. Innoc. I. epist. ad Maced. quæ in codice canonum Quenellii cura edito exhibetur: & Leo etiam I. duabus epist. quarum altera est ad Anast. Thessal. Episc. altera ad Episc. Metropol. per Illyr. Quæ quidem horum summorum Pontificum definitio in Ecclesia occidentali apud omnes (si unum aut alterum excipias) deinceps obtinuit. Sunt autem viri eruditi qui apud orientalem Hieronymi valuisse sententiam autument, ducti potissimum adnotationibus Zonaræ ac Balsamonis in can. 17. apostolorum, quem ipsum aperte Hieronymo favere existimant. Verumtamen idem ille canon nullam conjugii ante susceptum baptisma initi facit mentionem. Et ut demus eorumdem auctorum, qui etiam non de conjugio, sed de peccatis regenerationis sacramentum antecedentibus loquuntur, eam quæ ipsis tribuitur, mentem esse; tamen quid ipsi sentiant, non quid universa orientis Ecclesia, eos testari contendemus. Quis enim credat memoratum Doctorem si tot auxiliaribus copiis fuisset succinctus, adeo timide in priore adversus Rufinum Apologia responsurum, ut cùm ad Oceanum adversam sententiam Cainitarum hæresi tantum non accenseret, in allegato opere animos demittens ita scriberet: *Sed interrogati à fratribus quid nobis videretur, respondimus, nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes.* Neque vero cùm omnem mundum plenum esse hujusmodi ordinationibus prius asseverasset, hîc verba sua ad sacerdotes nonnullos restringeret. Nihil autem agit Franciscus à Messana, dum hoc Ambrosii atque Hieronymi dissidium metaphysicis quibusdam distinctionibus nititur conciliare; non enim argutiis tam manifesta tollitur discrepantia. Ceterum haud facile alium in Patribus Ambrosio vetustiorem qui de hac digamia scripserit, invenimus. Nam quo jure ad Tertullianum revocaverit Spencerus hanc quæstionem, non satis constat, cùm è contrario digamiam ex marito ante baptismum contractam viduis obesse noluerit idem ille Pater Lib. de Monogamia cap. 11.

*. Ambrosianus hic locus pro clericali continentia tam clarus tamque apertus est, ut Centuriatores iisdem Cent. & cap. supra cit. ad solitas artes confugere coacti fuerint, id est, auctorem ipsum in falsi dogmatis crimen vocare. Atqui hoc loco non legislatorem agit sanctus Præsul, qui novum clericorum cervicibus jugum imponat: sed receptæ atque inolitæ consuetudini præbet testimonium. Enim vero quam universalis illa fuerit quamque firma vel hoc satis indicat, quod non nisi in *abditioribus locis*, quo solent vitia quærere perfugium, invenirentur, qui institutum illud violare attentarent. Accedit præterea quod isti non ullam novi fœderis auctoritatem, non cujusquam Concilii canonem, non usum quarumdam Ecclesiarum in defensionem afferebant suam: sed tantùm veteris Testamenti morem. Hoc autem incontinentium clericorum integumentum egregie discutit sanctus Doctor. Confer etiam quæ idem super hoc ipso argumento disputat epist. ad Vercellenses.

in veritate? Disce, sacerdos atque levita, quid A sit lavare vestimenta tua, ut mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore audes pro aliis supplicare, [a] audes aliis ministrare?

259. Non mediocre officium levitarum, de quibus dicit Dominus: *Ecce eligo levitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito aperiente vulvam filiis Israel: redemtiones eorum erunt isti,* B *& erunt mihi levitæ. Mihi enim sanctificavi primogenitum in terra Ægypti.* (Num. 3. 12. & 13.) Cognovimus quia non inter ceteros levitæ computantur, sed omnibus præferuntur, qui eliguntur ex omnibus, & sanctificantur; ut primogenita fructuum atque primitiæ quæ Domino deputantur, in quibus est votorum solutio, & redemtio peccatorum. *Non accipies*, inquit, *eos inter filios Israel: sed constitues levitas super tabernaculum testimonii, & super omnia vasa ejus adstare, & super quæ-* C *cumque sunt in ipso. Ipsi tollant tabernaculum & omnia vasa ejus, & ipsi ministrent in eo, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituant, & promovendo, tabernaculum ipsi deponant levitæ: & constituendo castra, rursum ipsum tabernaculum ipsi statuant. Alienigena quicumque accesserit, morte moriatur.* (Num. 1. 49. & seq.)

260. Tu ergo electus es ex omni numero filiorum Israel, inter sacros fructus quasi primogenitus æstimatus, præpositus tabernaculo, ut D prætendas in castris sanctitatis & fidei, ad quæ si alienigena accesserit, morte morietur, positus ut operias arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à levitis; ne videant qui videre non debent, & sumant qui servare non possunt. Moyses denique circumcisionem vidit spiritualem: sed operuit eam, ut in signo circumcisionem præscriberet. Vidit azyma veritatis & sinceritatis, vidit passionem Domini: operuit azymis corporalibus E azyma veritatis, operuit passionem Domini, agni vel vituli immolatione. [b] Et boni levitæ servaverunt mysterium, fidei suæ tegmine; & tu mediocre putas quod commissum est tibi? Primum ut alta Dei videas, quod est sapientiæ: deinde ut excubias pro populo deferas, quod est justitiæ: castra defendas, tabernaculumque tuearis, quod est fortitudinis: te ipsum continentem ac sobrium præstes, quod est temperantiæ.

261. Hæc * virtutum genera principalia constituerunt etiam hi qui foris sunt [c]: sed communitatis superiorem ordinem quam sapientiæ judicaverunt; cùm sapientia fundamentum sit, justitia opus sit, quod manere non potest, nisi fundamentum habeat. Fundamentum autem Christus est. (1. Cor. 3. 11.)

262. Prima ergo fides, [d] quæ est sapientiæ, ut Salomon dicit, sequutus patrem: *Initium sapientiæ timor Domini.* (Prov. 9. 10. Psal. 110. 10.) Et lex dicit: *Diliges dominum Deum tuum, diliges proximum tuum.* (Deut. 6. 5.) Pulcrum est enim ut gratiam tuam atque officia in societatem humani generis conferas. * Sed primum illud decorum est, ut quod habes pretiosissimum, hoc est, mentem tuam, qua nihil habes præstantius, Deo depures. Cùm solveris auctori debitum, licet ut opera tua in beneficentiam & adjumenta hominum conferas, atque opem feras necessitatibus, aut pecunia, aut officio, aut etiam quocumque munere; quod late patet in vestro ministerio: pecunia, ut subvenias: debito, ut obligatum liberes: officio, ut servanda suscipias, quæ metuat amittere, qui deponenda credidit.

263. Officium est igitur depositum servare ac reddere. * Sed interdum commutatio fit, aut tempore, aut necessitate, ut non sit officium reddere quod acceperis; ut si quis contra patriam, opem Barbaris ferens, pecuniam apertus hostis reposcat: aut si cui reddas, cùm adsit qui extorqueat: si furenti restituas, cùm servare non queat: si insanienti gladium depositum non neges, quo se ille interimat, nonne solvisse contra officium est? Si furto quæsita sciens suscipias, ut fraudetur qui amiserat, nonne contra officium est?

264. Est etiam contra officium nonnumquam (22. quæst. 4. c. Est etiam.) * solvere promissum, sacramentum custodire: ut Herodes qui juravit quoniam quidquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis: & necem Johannis præstitit, ne promissum negaret. (Matth. 14. 7. & seq.) Nam de Jephthe quid dicam, qui immolavit filiam, quæ sibi victori prima occurrerat, quo votum impleret, quod spoponderat, ut quidquid sibi primum occurrisset, offerret Deo? (Judic. 11. 39.) Melius fuerat

a. Edit. cum mss. aliquot, *audes pro aliis ministrare.* Melius in aliis pluribus potioribusque omittitur præpositio. Et post duos versus ubi vet. edit. cum mss. omnibus, *Ecce eligo levitas* &c. sola Rom. edit. *Ecce tuli ego levitas in medio filiorum Israel: redemtiones eorum erunt, & erunt mihi levitæ. Mihi enim ex quo die percussi primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi omne primogenitum in omni Israel.* Nobiscum autem satis consentiunt paginæ sacræ, nisi quod ultimam partem quam contractam exhibet Ambrosius, illæ paulo fusius dilatant in hæc verba. *Mihi enim omne primogenitum. In qua die percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi mihi omne primogenitum in Israel.*

b. Duo mss. *ut bono levitæ servaretur mysterium fidei sua tegmine*, unus, *& boni levitæ .... servaverunt & tegmina:* reliqui nobiscum faciunt exceptis paucis illisque junioris manus, qui cum edit. legunt, *Et boni levitæ.... sub hoc tegmine.*

*. Cic. lib. 1. Offic pag. 372. lin. 22. *Nam cum omnis honestas.... Placet igitur aptiora esse natura ea officia quæ ex communitate* &c. Culpat autem philosophos Ambrosius noster, quod justitiam quæ ad communitatem societatemque hominum refertur, anteposuerint sapientiæ; cum hujus initium sive pars prima ad fidem divinumque cultum pertineat. Verumtamen hoc loco S. Ambrosius nequaquam videtur Ciceronis doctrinam satis expendisse. Hic enim illi soli prudentiæ, *quam Græci φρόνησιν dicunt*, justitiam præfert, non vero illi principi omnium virtutum, *quam σοφίαν Græci vocant: quæ rerum est divinarum atque humanarum scientia, in qua continetur Deorum & hominum communitas, & societas inter ipsos.* Ubi vides divinitatis cognitionem, ac religionis officia sapientiæ ab Oratore accenseri. Quod porro illam φρόνησιν jubet postponi justitiæ, non mirum id cuiquam videatur; cum ad hanc etiam referat cultum divinum &c. Et sane ipsemet Ambrosius supra cap. 27. pietatem in Deum justitiæ subjicit. Quod autem prudentiæ dignitatem supra justitiam ex eo extollit, quod hujus illa sit fundamentum, *fundamentum autem Christus*, pie & christiane id quidem; non absurde tamen Tullius pag. 372. lin. 30. & seq. societatem omnibus officiis antecellere ita colligit: *Etenim*, inquit, *cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio; ita fit ut considerate agere pluris sit, quam cogitare prudenter.* Sed facile conciliabitur illud dissidium, si dixerimus originis ac necessitatis in prudentia, in justitia vero dignitatis ac utilitatis esse præstantiam.

c. Mss. aliquot, *sed commutavimus superiorem ordinem, quem* &c. Minus commode. At continuo post ubi edit. cum paucis mss. *fundamentum sit, justitia opus sit, quod* &c. alii partim, *fundamentum sit, justitia opus sit, quod* &c. partim, *fundamentum sit justitia, opus sit*, tria, *& opus sit quod* &c.

d. Era. & seq. edit. cum paucis mss. *quæ est sapientia.*

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 373. lin. *In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum.... ut prima Diis immortalibus* &c.

*. Ibidem pag. 354. lin. 41. *Sed incidunt sæpe tempora, cum ea quæ maxime* &c.

*. Ibidem lin. 47. *Potest etiam accidere promissum aliquod* &c.

nihil tale promittere, quam promissum solvere A parricidio.

265. Hæc quanti consilii sit prospicere, non ignoratis. Et ideo eligitur levita,* qui sacrarium custodiat, ne fallatur consilio, ne fidem deserat, ne mortem timeat, ne quid intemperantius gerat, ut specie ipsa gravitatem præferat *: nec solùm animum, sed etiam oculos continentes habere quem deceat; ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursus; quoniam *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, adulteravit* B *eam in corde suo*. Ita adulterium non solum facti colluvione, sed etiam adspectus intentione committitur.

Matth. 5. 28.

266. Magna hæc videntur, ac nimis severa, sed in magno munere non superflua; quando tanta est levitarum gratia, ut de his Moyses in benedictionibus diceret: *Date Levi* [a] *viros ejus, date Levi manifestos ejus, date Levi sortem suffragii sui, & veritatem ejus viro sancto, quem tentaverunt in tentationibus, maledixerunt super* *aquam contradictionis. Qui dicit patri suo & matri: Non novi te; & fratres suos non cognovit, & filios suos abdicavit: hic custodit verba tua, & testamentum tuum observavit.*

Deut. 33. 8. & seq.

267. Illi ergo viri ejus, & manifesti ejus, qui nihil in corde doli habeant, nihil fraudis occultent, sed verba ejus custodiant, & in corde suo conferant, sicut conferebat & Maria: qui suos parentes officio suo non noverint præferendos, qui violatores oderint castitatis, pudicitiæ ulciscantur injuriam, noverint officiorum tempora; quod majus, quod minus sit, quod cui aptum tempori est, & ut id solum sequantur quod honestum est;* sane ubi duo honesta, id quod honestius est, præponendum putent; hi jure benedicti.

Luc. 2. 19.

268. Si quis ergo manifestet justitias Dei, [b] incensum imponat: *Benedic, Domine, virtutem ipsius, opera manuum ejus suscipe*; ut gratiam propheticæ benedictionis inveniat apud eum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Deut. 33. 10.

*. Jam dixerat supra cap. 44. sanctus Ambrosius, *alius sacrario opportunior*: quæ verba magnis viris qui vel non legerant hunc locum, vel se legisse non meminerant, haud parum negotii facessivere. Nonnulli secretarii custodiam rati sunt illis etiam quandoque demandatam, qui nullum ordinem ne minorem quidem accepissent: quidam vero etsi ordinis alicujus ab aliis distincti nomen non esse arbitrarentur, hoc tamen officium hypodiaconis aut ostiariis committi solitum contenderunt. Cùm autem sacrarii nomine secretarium seu sacristia, & sanctuarium præcipue intelligantur, essent forte qui objicerent Synodi Laodic. can 20. quo hypodiaconis & eorumdem locorum ingressu & sacrorum vasorum tactu interdicitur. Responderi tamen poterat cum Balsamone ac Zonata, ingressum in sacrarium non nisi cùm sacra mysteria illic celebrarentur, tactum vero vasorum initiatorum non nisi cùm Christi sanguinem continebant aut in supplicationibus ferebantur, illis prohibitum; si locus hic rem non decideret in eorum gratiam qui sacrarii curam diaconis impositam volunt. Hinc sacrarium idem esse docent atque apud Græcos διακονικὸν & Σκευοφυλάκιον; licet huic officio non solum diaconos, verum etiam presbyteros & chorepiscopos Constantinopoli præfectos fuisse reperiamus. Sacrarium autem etiam idem erat, quod in orientali Ecclesia martyrium, sive pro cœmeterio accipias extra basilicas posito, ubi martyrum corpora sepulta essent, sive pro ipsis basilicis quæ non nisi super martyrum reliquiis ædificabantur, sive pro ipso sanctuario atque adeo sancto altari, sub quo cùm sanctorum reconderentur sacri cineres, proprie martyrum confessio atque memoria vocitabatur. Vide plura apud Hallerium de Eccl. Hierar. cap. de num. Eccles. Ordin. Morinum de Sacr. Ordin. Exercit. 11. cap. 1. Cardin. Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 20. & 24. Thaumassinum parte 1. Discipl. Eccl. lib. 2. cap. 36. & Cl. Cangium verbo *sacrarium*. Porro dubium non est quin sanctus noster provinciam hanc potissimum diaconis commissam voluerit, ut locum sanctum majori auctoritate prohiberent ab injuria, maxime vero à profanis illis conviviis, de quibus nos aliquid lib. de Elia & jejunio jam adtigimus, & forte in posterum, ubi se dederit occasio, nonnihil adjiciemus.

*. Cic. lib. 1. pag. 357. lin. 20. *Bene Pericles .... At enim prætorem, Sophocles, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.*

a. Edit. omnes, *veros ejus*; mss. è contrario, *viros ejus*. Potuit quidem fieri ut mss. recentiores antiquum aliquod exemplar sequuti sint, in quo i pro e fuerit positum, ut advertimus in Thuaneo plusquam 1000. an. scriptum esse *docit, studit, quodlibit, mercidem*, & similia; veri tamen similius est *viros ejus* germanum esse, repositumque ab editoribus *veros*, ut esset quasi synonymum voci *manifestos*, cùm LXX. tantum modo habeant Δότε Λευὶ δήλους αὐτοῦ, καὶ ἀλήθειαν &c. Sed fallacem esse eam conjecturam vel hinc intelligas, quod cùm sanctus Ambrosius lib. *De Benedict. Patriarch.* cap. 3. tantum posuerit, *Date Levi sortem suffragii sui & veritatem* &c. hinc conjecerit Flam. Nobilius S. Doctorem legisse χαίρους loco δήλους; cùm tamen eum utrumque legisse hic locus demonstret. Textus autem hebraicus præfert, *Perfectiones & illuminationes tua viro pio tuo*. Vulg. *Perfectio tua & doctrina tua viro sancto tuo*: Chald. paraph. *Perfectione & lumine induisti virum, qui inventus est sanctus coram te.*

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 372. lin. 20. *Eorum autem ipsorum quæ honesta sunt* &c.

b. Ita mss. complures, quibus etiam edit. accedunt, nisi quod secunda parte nonnihil immutata præferant, *& incensum ponat*. Codex autem Thuan. & alii aliquot bonæ antiquitatis, *manifeste justitias Dei incensum imponat*. Neque id pessime, si tamen hoc modo interpreteris: Si quis remota dissimulatione justitias Dei pro incenso vel tamquam incensum quoddam offerat. Iterum vero mss. plures & antiquiores post verbum *inveniat* finiunt primum librum: alii autem atque edit. addunt, *apud eum*, cod. Big. *apud Deum qui vivit & regnat*, quatuor mss. *apud te qui vivis & regnas* &c.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Vitæ beatitudinem adquiri honestate, quippe qua Christianus gloriam & favores hominum spernens, opera sua Deo soli placere in votis habet.

1. Superiore * libro de officiis tractavimus, quæ convenire honestati arbitraremur, in qua vitam beatam positam esse nulli dubitaverunt, quam Scriptura appellat vitam æternam. Tantus enim splendor honestatis est, ut B vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. Et ideo sicut exortus sol lunæ globum & cetera stellarum abscondit lumina; ita fulgor honestatis, ubi vero & incorrupto vibrat decore, cetera quæ putantur bona secundum voluptatem corporis, A aut secundùm sæculum clara & illustria, obumbrat.

2. Beata plane, quæ non alienis æstimatur judiciis, sed domesticis percipitur sensibus, tamquam sui judex. Neque enim populares opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pavet. Itaque quo minus sequitur gloriam, eo magis super eam eminet. Nam qui gloriam requirunt, his ea merces præsentium, umbra futurorum est, quæ impediat vitam æternam; B quod in Evangelio scriptum est: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*; de his scilicet qui velut tuba canente, vulgare liberalitatem suam quam faciunt circa pauperes, gestiunt. Similiter & de jejunio quod ostentationis causa faciunt: *Habent*, inquit, *mercedem suam*.

Matt. 6. 2.

3. Honestatis igitur est vel misericordiam fa-

*. Cic. Offic. lib. 2. pag. 373. lin. 45. *Quemadmodum officia ducerentur ab honestate .... explicatum arbitror libro superiore.*

cere, vel jejunium deferre in abscondito; ut A mercedem videaris à solo Deo tuo quærere, non etiam ab hominibus. Nam qui ab hominibus quærit, habet mercedem suam: qui autem à Deo, habet vitam æternam: quam præstare non

Luc. 23. 43. potest nisi auctor æternitatis, sicut illud est: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Unde expressius Scriptura vitam æternam appellavit eam quæ sit beata; ut non hominum opinionibus æstimandum relinqueretur, sed divino judicio committeretur.

CAPUT II.

Variæ philosophorum de beatitudine opiniones: eam in Dei cognitione ac bonorum operum studio consistere primùm probatur ex Evangelio: tum ne à philosophis videatur hoc sumtum, prophetarum testimoniis confirmatur.

* 4. ITaque philosophi * vitam beatam, alii in non dolendo posuerunt, ut Hieronymus: C alii in rerum scientia, ut Herillus, qui audiens ab Aristotele & Theophrasto mirabiliter laudatam esse rerum scientiam, solam eam quasi summum bonum posuit; cùm illi eam quasi bonum,

* non quasi solum bonum laudaverint. Alii * voluptatem dixerunt, ut Epicurus: alii, ut Calliphо, & post eum Diodorus, ita interpretati sunt, ut alter ad voluptatem, alter ad vacuitatem doloris, consortium honestatis adjungerent, quod sine ea non possit esse beata vita. Zenon Stoicus solum & summum bonum quod D honestum est: Aristoteles autem vel Theophrastus & ceteri peripatetici in virtute quidem, hoc est, honestate vitam beatam esse, sed compleri

a ejus beatitudinem etiam [a] corporis atque externis bonis asseruerunt.

5. Scriptura autem divina vitam æternam in cognitione posuit divinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique utriusque assertionis Evangelicum suppetit testimonium. Nam & de E

Johan. 17. 3. scientia ita dixit dominus Jesus: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et de operibus ita

Matth. 19. 29. respondit: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

6. Sed ne æstimetur hoc recens esse, & prius tractatum à philosophis, quam in Evangelio prædicatum (anteriores enim Evangelio philo- F sophi, id est, Aristoteles & Theophrastus, vel Zenon atque Hieronymus, sed posteriores prophetis) accipiant quam longe antequam philosophorum nomen audiretur, per os sancti David utrumque aperte videatur expressum. Scriptum

est enim: *Beatus quem tu erudieris, Domine; & de* Psal. 93. 12.

lege tua docueris eum. Habemus & alibi: *Beatus* Psal. 111. 1.

vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupiet nimis. Docuimus de cognitione, cujus præmium æternitatis fructum esse memoravit, adjiciens

Propheta, [b] quia in domo hujus timentis Domi- b

num, vel eruditi in Lege, & cupientis in man-

B datis divinis: *Gloria & divitiæ, & justitia ejus ma-* Ibidem. 3.

net in sæculum sæculi. De operibus quoque in eodem psalmo subjunxit vitæ æternæ suppetere

præmium viro justo. Denique ait: *Beatus vir qui* Ibidem 5. & 6.

miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio; quia in sæculum non commovebitur. In me-

moria æterna erit justus. Et infra: *Dispersit, dedit* Ibidem. 9.

pauperibus, justitia ejus manet in æternum.

7. Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum: habent & bona facta, quia vir justus & dictis & rebus probatur. Nam si exercitatus sit in sermonibus, & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis refellit: & gravius est scire quid facias, nec fecisse quod faciendum cognoveris. Contra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est ac si vitioso fundamento pulcra culminum velis elevare fastigia: quo plus exstruxeris, plus corruit; quia sine munimento fidei bona opera non possunt manere. Infida statio in portu navem perforat, & arenosum solum cito cedit, nec potest impositæ ædificationis sustinere onera. Ibi ergo plenitudo præmii, ubi virtutum perfectio, & quædam in factis atque dictis æqualitas sobrietatis.

CAPUT III.

Petita è Scripturis beatitudinis definitio expenditur, demonstraturque nihil ipsi vel propter externa bona accedere, vel decedere propter incommoda.

8. ET quoniam sola rerum scientia explosa est, vel quasi inanis secundum Philosophiæ disputationes superfluas, vel quasi semiperfecta sententia; consideremus quam enodem de eo divina scriptura absolvat sententiam, de quo

* tam multiplices & implicatas atque confusas videmus esse quæstiones Philosophiæ. Nihil enim bonum Scriptura nisi quod honestum asserit, virtutemque in omni rerum statu beatam judicat, quæ neque augeatur bonis corporis, vel externis, neque minuatur adversis: nihilque tam beatum, nisi quod à peccato alienum sit,

*. Quæ de variis philosophorum opinionibus circa naturalem beatitudinem hic referuntur, ea desumta sunt à Cicerone, non quidem ex Officiorum, sed ex aliis ejusdem philosophicis libris, puta ex iis qui supersunt *Academ. quæst.* è quinque libris lib. *De Finibus bon. & mal.* ac potissimum è quinto, nec non è libris totidem *Tuscul. quæst.* & maxime etiam ex ultimo: ubi tantam locutionum, doctrinæ, atque in multis ipsius ordinis consensionem cum eis quæ hoc & proximis duobus capitibus traduntur, advertere est; ut non sit dubium quin eo respexerit sanctus Ambrosius.

*. *Voluptatem* hanc non tam corpoream quam spiritalem intelligi debere, sunt qui contendant: qua de re satis diximus ad cap. 13. num. 50.

a. Edit. ac pauci mss. *corporis voluptatibus atque externis bonis:* alii nonnulli, *corporis egregiis voluptatibus* &c. Sed Thuan. duo Vatic. totidem Laudun. & alii aliquot, *corporis, atque externis bonis.* Optime, siquidem vox *corporis* congruit cum *bonis*; ut infra clarius exprimitur. Et post duos versus ubi edit. *vitam beatam in cognitione*, unus ms. *in conjunctione* &c. omnes alii legunt *vitam æternam* &c. Idque ita legendum esse declarant quæ continuo post adducuntur scripturæ testimonia, tum quod infra dicitur, *Habet ergo vitam æternam fides.* Porro ex tota serie facile intelligas non hic agi de illa æterna vita, quæ resurrectionem sequutura est, sed quæ per hanc etiam lucis usuram à justis vivitur; ac proinde vitam æternam appellari eam quæ sit beata, ut supra sub finem cap. 1. declaratur, proptereaque in sensu non errasse editiones.

b. Ita mss. multo plures potioresque: alii autem atque edit. *quæ sint in domo .... Gloria, inquit, & divitiæ in domo ejus* &c.

*. Tullius in libris de Fin. bon. & mal. nec non in Tuscul. quæst. tam multas opiniones circa naturalem hujus vitæ beatitudinem esse agnoscit, ut confusionis vitandæ causâ cogatur illas ad certum quemdam ordinem atque capita revocare. Sanctus autem Augustinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 1. à Varrone proditum scribit easdem usque ad 288. posse perduci. Adeundum hoc idem caput sicut duo proximè sequentia, ex quibus non parum lucis his quæ traduntur ab Ambrosio, adjici potest.

plenum innocentiæ, repletum gratiæ Dei. Scriptum est enim: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini fuit voluntas ejus.* Et alibi: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Psal. 1. 1. & 2. — Psal. 118. 1.

9. Innocentia igitur & scientia beatum faciunt. Bonæ quoque operationis mercedem esse beatitudinem vitæ æternæ superius advertimus. Restat igitur ut spreto patrocinio voluptatis, aut doloris metu (quorum alterum quasi infractum & molliculum; alterum quasi eviratum & infirmum [a] despuit) in ipsis doloribus vitam beatam eminere demonstret. Quod facile doceri potest, cùm legerimus: *Beati estis, cùm vobis maledicent, & persequentur, & dicent omne malum adversus vos propter justitiam. Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo. Sic enim persequuti sunt & prophetas, qui erant ante vos.* Et alibi: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.*

Sap. cap. 2. — Matth. 5. 11. & 12. — Matth. 16. 24.

CAPUT IV.

Idem argumentum, scilicet rebus externis non minui neque augeri beatitudinem, veterum exemplis illustratur.

10. Est ergo beatitudo & in doloribus, quos plena suavitatis virtus comprimit & coercet, ipsa sibi domesticis opibus abundans, [b] vel ad conscientiam, vel ad gratiam. Neque enim parum beatus Moyses, cùm Ægyptiorum vallatus populis, & mari clausus, per fluctus sibi & populo patrum pedestrem viam piis meritis invenisset. Quando autem fortior, quam tunc cùm extremis circumventus periculis non desperabat salutem, sed exigebat triumphum?

Exod. 14. 23.

11. Quid Aaron, quando se beatiorem credidit, quam tunc quando medius stetit inter vivos ac mortuos, & objectu sui statuit mortem, ne ad vivorum transiret agmina à cadaveribus mortuorum? Quid de puero Daniele loquar, qui tam sapiens erat, ut inter leones fame exasperatos, nulla bestialis sævitiæ formidine frangeretur: ita alienus à metu, ut posset epulari, nec vereretur, ne ad pastum exemplo sui feras provocaret?

Num. 16. 48. — Dan. 14.

13. Est ergo & in dolore virtus, quæ sibi bonæ suavitatem exhibeat conscientiæ; & ideo indicio est, quod non minuat dolor virtutis voluptatem. Sicut ergo nulla virtuti decessio beatitudinis per dolorem, ita etiam nulla accessio per voluptatem corporis, aut commodorum gratiam. De quibus pulcre Apostolus ait: *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimenta esse.* Et addidit: *Propter quem omnia damna duxi, & æstimo ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Phil. 3. 7. & 8. — Hebr. 11. 26.

12. Denique Moyses damnum suum credidit thesauros esse Ægyptiorum, & opprobrium Dominicæ crucis prætulit: nec tunc dives cùm abundaret pecunia, nec postea pauper cùm egeret alimento; nisi forte tunc alicui minus beatus A videretur fuisse, cùm in deserto quotidiana alimonia sibi & populo suo deforet. Sed quod summi boni ac beatitudinis nemo negare audeat, manna ei, hoc est, panis Angelorum ministrabatur è cælo: carnis quoque quotidiana pluvia totius plebis epulis redundabat.

Exod. 16. 13. & seq.

14. Eliæ quoque sancto panis ad victum deerat, si quæreretur: sed non videbatur deesse, quia non quærebatur. Itaque diurno corvorum obsequio mane panis, caro ad vesperam defe- B rebatur. Numquid ideo minus beatus, quia pauper erat sibi? Minime. Immo eo magis beatus, quia erat Deo dives. Aliis enim quam sibi divitem esse præstat, ut iste erat, qui tempore famis cibum à vidua petebat, largiturus ut hydria farinæ per triennium & sex menses non deficeret, & quotidianos usus olei vas viduæ inopi sufficeret ac ministraret. Merito ibi volebat Petrus esse, ubi istos videbat. Merito in monte cum Christo in gloria apparuerunt; quia & ipse pauper C factus est, cùm dives esset.

3. Reg. 17. 6. — Ibidem. 14. — Matth. 17. 4.

15. Nullum ergo adminiculum præstant divitiæ ad vitam beatam. Quod evidenter Dominus in Evangelio demonstravit dicens: *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuriunt & sitiunt, quia saturabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adjumento evidentissime pronuncia- D tum est.

Luc. 6. 20. & seq.

CAPUT V.

Quæ putantur bona, plerumque impedimento esse ad beatam vitam: & quæ mala, materiam esse virtutum: quod beatitudinis ac aliis exemplis confirmatur.

16. Sed & illa quæ videntur bona, divitias, satietatem, lætitiam expertem doloris, E detrimento esse ad fructum beatitudinis, Dominico declaratum judicio liquet, cùm dicitur: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram! Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis!* Et illis qui rident, quia lugebunt. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam [c] corporis, aut externa bona, sed etiam dispendio sunt.

Ibidem 24. & seq.

17. Inde enim beatus Nabuthe etiam cùm lapidaretur à divite, quia pauper & infirmus adversus opes regias, solo erat affectu & religione F dives, ut pecunia regali non commutaret paternæ vineæ hereditatem: eoque perfectus, quia sanguine proprio defenderet jura majorum suorum. Inde quoque miser Achab etiam suo judicio, quia pauperem necari fecerat; ut ejus possideret vineam.

3. Reg. 21. 13.

18. Certum est solum & summum bonum esse virtutem, eamque abundare solam ad vitæ fructum beatæ: nec externis aut corporis bonis, sed virtute sola vitam præstari beatam, per quam vita æterna adquiritur. Vita enim beata fructus præsentium: vita autem æterna spes futurorum est.

a. Edit. cum uno aut altero mss. *despuitur .... demonstrem*: alii mss. magno numero & consensu, *despuit .... demonstrat.* Non incommode, si modo ista duo verba referas ad Scripturam de qua numero superiori.

b. Mss. nonnulli, *vel ad constantiam.*

c. Mss. quatuor, *corporis voluptates, aut externa bona*: melius alii, *corporis aut externa bona*; uti supra 71.

19. Sunt tamen qui in hoc corpore tam infirmo, tam fragili, impossibilem vitam beatam putent, in quo necesse est angi, dolere, deplorare, ægrescere: quasi vero ego in corporis exsultatione dicam vitam beatam consistere, & non in altitudine sapientiæ, suavitate conscientiæ, virtutis sublimitate. NON ENIM in passione esse, sed victorem esse passionis beatum est, nec frangi temporalis [a] motu doloris.

20. Pone accidere hæc quæ gravia ad vim doloris feruntur, cæcitatem, exsilium, famem, stuprum filiæ, amissionem liberorum. Quis neget beatum Isaac, qui non videbat in senectute, & beatitudines suis benedictionibus conferebat? (Gen. 27. 1. & seq.) An non beatus Jacob qui profugus patria domo, mercenarius pastor exsilium sustinuit, filiæ pudicitiam ingemuit esse temeratam, famem pertulit? (Ibidem 31. 1. & seq.) Non ergo beati quorum fide Deus accipit testimonium, cùm dicitur: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob?* (Gen. 34. 1. & seq.) Misera est servitus, sed non miser Joseph; immo plane beatus, cùm dominæ libidines in servitute positus coerceret. (Ibidem 39. 8. & seq.) Quid de sancto David loquar, qui trium filiorum deploravit [b] obitum, & quod his durius, incestum filiæ? (2. Reg. 13. 3. 2. Reg. 18. 33.) Quomodo non beatus, de cujus successione beatitudinis auctor exortus est, qui plurimos fecit beatos? *Beati enim qui non viderunt, & crediderunt.* (Joan. 20. 29.) Fuerunt & ipsi in sensu infirmitatis, sed evaluerunt de infirmitate fortes. Quid laboriosius autem sancto Job vel [c] in domus incendio, vel filiorum decem interitu momentaneo, doloribus corporeis? (Job. 1. 14. & seq. Ibidem 2. 7. & seq.) Numquid minus beatus, quam si illa non pertulisset, in quibus magis probatus est?

21. Esto tamen fuisse in illis aliquid acerbitatis, quem virtus animi non abscondit dolorem. Neque enim * profundum mare negaverim, quia vadosa sunt littora: neque cælum lucidum, quia interdum obtexitur nubibus: neque terram fœcundam, quia aliquibus locis jejuna * glarea est: aut lætas segetes, quia intermixtam solent habere sterilem avenam. Similiter puta [d] beatæ messem conscientiæ interpellari aliquo acerbo doloris. Nonne totius manipulis vitæ beatæ, si quid forte accidit adversi atque amaritudinis, tamquam sterilis avena absconditur, aut tamquam lolii amaritudo frumenti suavitate obducitur? * Sed jam ad proposita pergamus.

CAPUT VI.

De utili non quæstuoso illo, sed justo & honesto, quod etiam damnis quæritur: ac dividitur in utile corporeum & pietatis.

22. SUperiore libro ita * divisionem fecimus, ut primo loco esset honestum ac decorum, à quo officia ducerentur, secundo loco quid utile. Et quemadmodum in primo diximus quia inter honestum & decorum est quædam distinctio, quæ magis intelligi quam explicari possit: sic & cùm utile tractamus, considerandum videtur quid utilius.

23. * Utilitatem autem non pecuniarii lucri æstimatione subducimus, sed adquisitione pietatis; sicut Apostolus ait: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ.* (1. Tim. 4. 8.) Itaque in scripturis divinis, si diligenter quæramus, sæpe invenimus quod honestum est, utile vocari: *Omnia mihi licent, sed non omnia utilia sunt.* (1. Cor. 6. 12.) Supra de vitiis loquebatur. Hoc ergo dicit: Licet peccare, sed non decet. In potestate sunt peccata, sed non sunt honesta. Luxuriari promtum, sed non justum. Non enim Deo esca, sed ventri colligitur.

24. Ergo quia quod utile, id etiam justum: justum est ut * serviamus Christo qui nos redemit; ideo justi, qui pro ejus nomine morti se obtulerunt: injusti qui declinaverunt, de quibus dicit: *Quæ utilitas in sanguine meo*; (Psal. 29. 10.) id est, qui justitiæ meæ profectus? Unde & illi: *Alligemus justum, quia inutilis est nobis*, [e] id est, injustus qui nos arguit, condemnat, corripit. (Esai. 3. 10.) Licet hoc possit etiam ad avaritiam hominum impiorum derivari, quæ perfidiæ vicina est; sicut in Juda proditore legimus, qui avaritiæ studio & pecuniæ cupiditate, laqueum proditionis incurrit atque incidit.

25. De hac igitur tractandum est utilitate, quæ sit plena honestatis, sicut ipsis verbis definivit Apostolus dicens: *Hoc autem ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum injiciam vobis, sed ad id quod honestum est.* (1. Cor. 7. 35.) Liquet igitur [f] quod honestum est, utile esse; & quod utile, honestum: & quod utile, justum; & quod justum, utile. Neque enim mihi ad mercatores lucri cupidine avaros, sed ad filios sermo est, & sermo de Officiis, quæ vobis quos elegi in ministerium Domini, inculcare gestio atque infundere; ut ea quæ mentibus ac moribus vestris usu atque institutione inolita at-

a Parif. quædam edit. *metu doloris*: aliæ ac mss. *motu doloris*. Continuo autem ubi omnes edit. cum duobus omnino mss. *metuentem accidere*: mss. aliquot, *pœna accidere*, perperam: alii nonnulli, *nec pœna accidere hæc*. Melius quidem; sed omnium optime Thuan. & alii longe plurimi: *Pone accidere*, id est, fac, esto, finge: quæ verba rhetoricæ concessioni inserviunt.

b. Ita mss. summo consensu; edit. vero subdunt, *interitum Ammon & Absalon atque infantuli ex ea quæ fuit Uriæ nati.... filiæ Thamar.*

c. Mss. nonnulli, *in domorum incendio*: sed cùm nullam Jobi domum incendio consumtam in sacris paginis reperiamus, non deerunt forte qui suspectam habeant utramque lectionem. Attamen recte dici potest *domus incendium*, pro clade illius ac ruina.

*. Ex Ciceronis lib. 5. de Fin. bon. & mal. sub finem, ubi hæc habentur: *At enim quæ in vita est aliquid mali, ea beata esse non potest. Ne seges quidem igitur spicis uberibus & crebris, si avenam uspiam videris: nec mercatura quæstuosa, si in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. An hoc usquequaque aliter in vita, & non ex maxima parte de tota judicabis?* &c.

*. *Glarea*, terra est arenosa, minutisque scrupis & calculis referta: de qua Virg. lib. 2. Georg. versu 212.

Nec jejuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias, roremque ministrat.

d. Sic edit. omnes, ac plerique mss. alii tamen aliquot partim, *beatam conscientiam*, partim, *beatæ esse conscientiæ*. Ubi vero eædem edit. ac pauci mss. *acerbo dolore*; alii plures legunt, *acervo*, partim, *beatam conscientiam*, partim, *beatæ esse doloris*: commodius vero Thuan. & reliqui, *acerbo doloris*.

*. Cic. lib. 2. pag. 374. lin. 49. *Sed jam ad instituta pergamus.*

*. Ibidem. *Quinque igitur rationibus propositis officii persequendi quarum duæ ad decus* &c.

*. Ibidem pag. 375. lin. 4. *Quod utile appellatur, in quo verbo lapsa consuetudo* &c.

*. Alluditur ad id quod ibidem pag. 376. lin. 48. dicitur: *Atque etiam subjiciunt se homines imperio alterius & potestati* &c.

e. Sex mss. *id est injustis*: cui lectioni conjecturæ suæ calculum adjecit vir non indoctus: alii tamen 28. & omnes edit *id est, injustus*. Magis apposite; non enim ad vocem, *nobis*: sed ad *inutilis* referenda est vox, *injustus*: cùm id agat hoc loco sanctus Doctor, ut & utile pro justo, & contra inutile pro injusto sumi demonstret.

f. Ita mss. omnes, duobus exceptis, in quibus est aliquid confusionis: edit. vero, *quod honestum est, utile & justum esse: & quod utile, honestum & justum: & quod justum, utile & honestum.*

que impressa sunt, etiam sermone ac disciplina A aperiantur.

26. Itaque de utilitate dicturus, utar illo versiculo prophetico: *Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam*; ne utilitatis sonus excitet pecuniæ cupiditatem. Denique aliqui habent: *Declina cor meum in testimonia tua, & non ad utilitatem*; hoc est, illam quæstuum nundinas aucupantem utilitatem, illam usu hominum ad pecuniæ studia inflexam ac derivatam. Vulgo enim hoc solum dicunt utile, quod quæstuosum: B nos autem de ea tractamus utilitate, quæ damnis quæritur; ut Christum lucremur, cujus quæstus est pietas cum sufficientia. Magnus profecto quæstus, * quo pietatem adquirimus, quæ apud Deum dives est, non caducis facultatibus, sed muneribus æternis: in quibus non tentatio lubrica, sed constans & perpetua fit gratia.

Psal. 118. 36.

1. Tim. 6. 6.

27. Est igitur utilitas alia corporalis, alia pietatis, sicut divisit Apostolus: *Corporalis enim exercitatio ad modicum*, inquit, *utilis est: pietas autem* C *ad omnia utilis est*. Quid autem tam honestum, quam integritas? Quid tam decorum, quam immaculatum servare corpus, & inviolatum atque intaminatum pudorem? Quid etiam tam decorum, quam ut vidua uxor defuncto conjugi fidem servet? Quid etiam hoc utilius, quo regnum celeste adquiritur? *Sunt* enim *qui se castraverunt propter regnum cælorum*.

Ibidem 4. 8.

Matth. 19. 12.

CAPUT VII.

Utilitatem idem esse ac honestatem; nihil autem utilius dilectione, quæ mansuetudine, affabilitate, beneficentia, justitia aliisque virtutibus comparatur; quemadmodum ex Moysis atque Davidis historia datur intelligi: postremo & è dilectione fidem nasci, & rursus è fide dilectionem.

28. Est igitur non solum familiare contubernium honestatis & utilitatis, sed eadem quoque utilitas, quæ honestas. Ideo & ille qui regnum cælorum volebat omnibus aperire, E non quod sibi utile quærebat, sed quod omnibus. Unde ordo quidam nobis & gradus faciendus est, etiam ab his usitatis & communibus ad ea quæ sunt præcellentia; ut ex pluribus utilitatis colligamus profectum.

29. Ac primùm noverimus nihil tam utile, * quam diligi: nihil tam inutile, quam non amari; nam odio haberi exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, ut omni sedulitate commendemus existimationem opinionemque F nostram, ac primum * placiditate mentis & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum ac facilitate, tum moderatione præcepti, * & affabilitate sermonis, verborum honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.

30. * Legimus enim non solum in privatis, sed etiam in ipsis regibus, quantum facilitas blandæ a affabilitatis profecerit, aut superbia verborumque obfuerit tumor; ut regna ipsa labefactaret, & potestatem solveret. Jam si quis consilio, usu, ministerio, officiis popularem comprehendat gratiam: aut si quis periculum suum pro universa plebe offerat; non est dubium quod tantum caritatis à plebe in eum refundatur, ut populus salutem ejus & gratiam sibi præferat.

31. Quantas Moyses à populo illatas absorbebat contumelias: & cùm Dominus in insolentes vindicare vellet; se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret? Quam miti sermone post injurias appellabat populum, consolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus: & cùm Deo constanter loqueretur; homines tamen humili & grata appellatione affari solebat? Merito æstimatus est supra homines, ut & vultum ejus non possent intendere, & sepulturam ejus non repertam crederent; quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur.

Exod. 32. 11 & seq.

Ibid. 33. 8. & seq.

Ibidem 34. 29. & seq.

Deut. 34. 6.

32. Quid ejus imitator sanctus David, electus ex omnibus ad plebem regendam, quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affectu? Ante regnum se pro omnibus offe- D rebat: rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convicio, ferre magis promtus quam referre injurias. Ideo tam carus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam invitus peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur; quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus.

1. Reg. 16. 12. & alibi.

33. Ita sibi gratis officiis plebem obligaverat, primum, ut in discordiis populi exsulare in Hebron mallet, quam in Hierusalem regnare: deinde, ut etiam in hoste positam virtutem diligeret: justitiam etiam his qui arma contra se tulerant æque ac suis præstandam putaret: denique fortissimum adversæ partis propugnatorem Abner ducem, & inferentem prælia miratus est, & orantem pacis gratiam non adspernatus, honoravit convivio: interemtum insidiis doluit & flevit, prosequutus exsequias honestavit, mortem ultus, conscientiæ fidem præstitit, quam filio inter hereditaria jura transscripsit, magis sollicitus, ne innocentis mortem inultam relinqueret, quàm quo suam mortem doleret.

2. Reg. 2. 1. & seq.

Ibidem 3. 12. & seq.

34. Non mediocre istud, præsertim in rege, sic obire humilitatis munia, ut communem se exhiberet etiam infimis, alieno periculo cibum non quærere, potum recusare, peccatum fateri, seque ipsum pro populo offerre morti, ut in se divina indignatio converteretur, cùm ferienti angelo offerens se diceret: *Ecce sum, ego pec-*

Ibidem 23. 15. & seq.

Ibidem 24. 17.

*. Cic. lib. 2. pag. 375. lin. 18. *Deos placatos pietas efficiat & sanctitas* &c.

*. Ibidem pag. 377. lin. 2. *Rerum autem omnium nec aptius est quidquam ad opes tuendas quam diligi* &c.

*. Ibidem pag. 378. lin. 24 *Sed est alius quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere* &c.

*. Ibidem pag. 380 lin. 48. *Sed tamen difficile dictu est quantopere conciliet animos hominum* &c.

*. Ibidem lin. 49. *Exstant epistolæ & Philippi ad Alexandrum ... quibus præcipiunt ut oratione benigna multitudinis animos* &c.

a. Rom edit. sola, *affabilitatis profuerit*. Et infra, *à populo Dei illatas* &c.

cavi, & ego pastor malum feci, & iste grex quid fecit? Fiat manus tua in me. A

Psal. 37. 14. & alibi. 35. Nam quid alia dicam, quod dolum meditantibus os suum non aperiebat, & tamquam non audiens nullum sermonem referendum putabat: non respondebat conviciis: cùm sibi derogaretur, orabat: cùm malediceretur, benedicebat? Ambulans in simplicitate, & superborum [a] fugitans, sectator immaculatorum, qui cinerem miscebat alimentis suis, cùm peccata propria deploraret, & potum suum temperabat B fletibus? Meritò sic expetitus est ab universo populo, ut venirent ad eum omnes tribus Israel

2. Reg. 5. 1. & seq. dicentes: *Ecce nos ossa tua & caro tua sumus: heri & nudiustertius cùm esset Saul, & regnaret super nos; tu eras qui producebas & inducebas Israel. Et dixit tibi Dominus: Tu pasces populum meum.* Et quid plura de eo dicam, de quo hujusmodi Dei

Psal. 88. 21. processit sententia, ut de eo diceret: Inveni David secundum cor meum? Quis enim in sanctitate cordis & justitia sicut iste ambulavit, ut C impleret voluntatem Dei: propter quem & delinquentibus posteris ejus venia data, & prærogativa est reservata heredibus?

3. Reg. 11. 12 & 13. 36. Quis igitur non diligeret eum, quem videbat ita carum amicis; ut quia ipse sincere amicos diligebat, æque diligi se à suis amicis arbitraretur? Denique parentes eum filiis suis,

1. Reg. 20. 30. & seq. filii præferebant parentibus. Unde graviter indignatus Saul, percutere Jonathan filium hasta voluit; quia pluris apud eum valere David ami- D citiam judicabat, quàm vel pietatem, vel auctoritatem paternam.

37. Etenim ad incentivum caritatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat, nec minus redamare se probet, quam ipse amatur, idque amicitiæ fidelis pateat exemplis. Quid enim tam populare, quam gratia? Quid tam insitum naturæ, quam ut diligentem diligas? Quid tam inolitum atque impressum affectibus humanis, quam ut eum amare indu- E cas in animum, à quo te amari velis? Merito

Eccli. 29. 13. sapiens dicit: *Perde pecuniam propter fratrem &*

Ibid. 22. 31. *amicum.* Et alibi: *Amicum salutare non erubescam, & à facie illius non me abscondam.* Siquidem vitæ & immortalitatis medicamentum in amico

Ibid. 6. 16. esse Ecclesiasticus sermo testatur: & summum in caritate præsidium nemo dubitaverit, cùm

1. Cor. 13. 7. & seq. Apostolus dicat: *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, caritas numquam cadit.*

38. Ideo David non cecidit, quia carus fuit F omnibus, & diligi à subjectis quam timeri maluit. * TIMOR ENIM temporalis tutaminis servat excubias, nescit diuturnitatis custodiam. Itaque ubi timor decesserit, audacia obrepit; quoniam fidem non timor cogit, sed affectus exhibet.

39. Prima ergo ad commendationem nostri est * caritas. Bonum est ergo testimonium habere de plurimorum dilectione. Hinc nascitur fides, ut committere se tuo affectui non vereantur etiam alieni, quem pluribus carum adverterint. Similiter etiam per fidem ad caritatem pervenitur; ut qui uni aut duobus præstiterit fidem, tamquam influat in animos universorum, & omnium adquirat gratiam.

CAPUT VIII.

Nihil ad conciliandam gratiam magis valere quam consilia: sed eis confidere posse neminem, nisi justitia nitantur ac prudentia: quantum autem hæ duæ virtutes eluxerint in Salomone, ex ipsius celeberrimo judicio palam fieri.

40. DUo igitur hæc ad commendationem nostri plurimum operantur, * caritas & fides, & tertium hoc si habeas quod in te admiratione dignum plerique existiment, & jure honorandum putent.

41. Et quia consiliorum usus maxime conciliat homines, ideo * prudentia & justitia in unoquoque desideratur, & ea exspectantur à pluribus; ut in quo ea sint, illi deferatur fides, quod possit utile consilium ac fidele desideranti dare. Quis enim ei se committat, quem non putet plus sapere, quam ipse sapiat qui quærit consilium? Necesse est igitur ut præstantior sit à quo consilium petitur, quam ille est qui petit. Quid enim consulas hominem, quem non arbitreris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis?

42. Quod si eum inveneris qui vivacitate ingenii, mentis vigore atque auctoritate præstet, & accedat eo ut exemplo & usu paratior sit, præsentia solvat pericula, prospiciat futura, denuntiet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solum ad consulendum, sed etiam ad subveniendum; huic ita fides habetur, ut dicat qui consilium petit: *Etsi mala mihi evenerint per illum, sustineo.* Eccli. 22. 31.

43. Hujusmodi igitur viro salutem nostram & existimationem committimus, qui sit, ut supra diximus, justus & prudens. Facit enim * justitia, ut nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, ut nulla sit erroris suspicio. Promtius tamen nos justo viro quam prudenti committimus, ut secundùm usum vulgi loquar. * Ceterum sapientum definitione, in quo una virtus est, concurrunt ceteræ, nec potest sine justitia esse prudentia. Quod etiam in nostris invenimus; dicit enim David: *Justus miseretur & fœnerat.* Quid fœneret justus, alibi dicit: *Jucundus vir qui miseretur & fœnerat, disponet sermones suos in judicio.* Psal. 36. 21. Psal. 111. 5.

44. Ipsum illud nobile Salomonis judicium nonne sapientiæ plenum ac justitiæ est? Itaque spectemus illud si ita est. Duæ, inquit, mulieres in conspectu regis Salomonis steterunt, & dixit una ad eum: Audi me, domine. Ego & 3. Reg. 3. 16. & seq.

a. Edit. ac mss. duo, *fugitans arrogantiam:* alii paulo plures, *conventicula fugiens:* reliqui maximo numero & auctoritate neque *arrogantiam* agnoscunt, neque *conventicula:* sed nec ulli omnino verbum *exstitit*, quod in editis legitur post, *sectator.*

*. Cic. lib. 2. pag. 377. lin. 8. *Malus enim custos diuturnitatis metus* &c.

*. Ibidem pag. 378. lin. 13. *Certum igitur hoc sit, idque & primum & maxime necessarium familiaritatis habere fidas* &c.

*. Ibidem pag. 376. lin. 38. *Quacumque igitur homines* &c. Item pag. 378. lin. 21. *Summa igitur & perfecta gloria constat* &c.

*. Ibidem pag. 378. lin. 34. *Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest* &c.

*. Ibidem lin. 39. *Justis autem & fidis hominibus, id est, bonis .... Harum igitur duarum ad fidem faciendam justitia plus pollet* &c.

*. Ibidem lin. 46. *Sed ne quis sit admiratus cur cùm inter omnes philosophos constet .... qui unam haberet* &c.

hæc mulier in uno habitantes cubiculo, ante diem tertium partu edito, singulos filios suscepimus, & eramus unâ, arbiter nullus domi, nec ulla alia nobiscum femina, nisi nos solæ: & mortuus est filius ejus hac nocte, ut obdormivit super eum: & surrexit media nocte, & accepit filium meum de sinu meo, & collocavit eum in gremio suo, & filium suum mortuum posuit in sinu meo. Et surrexi mane, ut lactarem parvulum, & inveni mortuum. Et consideravi illum diluculo, & non erat filius meus. Et respondit altera: Non, sed filius meus est, qui vivit: filius autem tuus, qui mortuus est.

45. Et hæc erat contentio, cùm utraque filium sibi vindicarent superstitem: defunctum autem suum negarent. Tunc rex jussit adferri machæram, & infantem dividi, ac singulas partes dari singulis: dimidiam uni, & dimidiam alteri. Exclamat mulier quæ vero erat affectu perculsa: Nequaquam, domine, infantem dividas: detur potius illi, & vivat, & non interficias eum. At illa respondit altera: Neque meus, neque hujus sit infans, dividite eum. Et statuit rex dari infantem ei mulieri quæ dixerat: Nolite interficere eum, sed date eum illi mulieri; quia mota sunt, inquit, viscera ejus in filio suo.

46. Itaque non immerito æstimatus est intellectus Dei in eo esse; [a] quoniam quæ occulta sunt Deo? Quid autem occultius internorum viscerum testimonio, in quæ sapientis intellectus velut quidam pietatis descendit arbiter, & velut quamdam genitalis alvi vocem eruit; quia maternus patuit affectus, qui eligeret filium suum vel apud alienam vivere, quàm in conspectu matris necari.

47. Sapientiæ igitur fuit latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem; & velut quadam machæra, ita spiritus gladio penetrare non solum uteri, sed etiam animæ & mentis viscera: justitiæ quoque, ut quæ suum necaverat, alienum non tolleret; sed vera mater reciperet suum. Denique etiam Scriptura hoc pronunciavit: *Audivit*, inquit, *omnis Israel hoc judicium, quod judicavit rex: & timuerunt à facie regis, eo quod intellectus Dei in eo esset, ut faceret justitiam.* [3. Reg. 3. 28.] Denique & ipse Salomon ita poposcit sapientiam, ut daretur sibi cor prudens audire & judicare cum justitia. [Ibidem 9.]

CAPUT IX.

Quamvis individuæ sint justitia atque prudentia, vulgi tamen cardinales virtutes distinguentis ingenio serviendum esse.

48. Liquet igitur etiam secundum scripturam divinam, quæ antiquior est, sapientiam sine justitia esse non posse; quia ubi una earum virtutum, ibi utraque est. [Dan. 13. 44. & seq.] Daniel quoque quam sapienter alta interrogatione fraudulentæ accusationis deprehendit mendacium, ut calumniatorum sibi responsio non conveniret? Prudentiæ igitur fuit vocis suæ testimonio reos prodere: justitiæ quoque, nocentes supplicio dare, innocentem subducere.

49. Est ergo individuum sapientiæ atque justitiæ contubernium: * sed vulgi usu dividitur una quædam forma virtutum, ut temperantia sit in despiciendis voluptatibus: fortitudo spectetur in laboribus & periculis: prudentia in delectu bonorum, sciens commoda & adversa distinguere: justitia quæ sit bona custos juris alieni, & vindex proprietatis, suum cuique conservans. Sit ergo nobis communis opinionis gratiâ quadripartita hæc facta divisio, ut ab illa subtili disputatione philosophicæ sapientiæ, [b] quæ limandæ veritatis causa quasi ex adyto quodam eruitur, retrahentes pedem, forensem usum ac popularem sensum sequamur. Hac igitur divisione servata, revertamur ad propositum.

CAPUT X.

Salutem justi viri quàm prudentis consilio magis committi: eum autem qui justitiam ac prudentiam in se conjunxerit, ab omnibus expeti solere: hujus rei exemplum fuisse tum Salomonem, de quo verba reginæ Saba exponuntur; tum Josephum, & Danielem.

50. Prudentissimo cuique causam nostram committimus, & ab eo consilium promtius quam à ceteris poscimus. Præstat tamen fidele * justi consilium viri, & sapientissimi ingenio frequenter præponderat. [c] *Utilia enim vulnera amici, quam aliorum oscula.* [Prov. 27. 6.] * Deinde quia justi judicium est, sapientis autem argumentum: in illo censura disceptationis, in hoc calliditas inventionis.

51. Quod si utrumque connectas, erit magna consiliorum salubritas, quæ ab universis spectatur admiratione sapientiæ & amore justitiæ; ut omnes quærant audire sapientiam ejus viri, in quo utriusque virtutis copula sit: sicut quærebant omnes reges terræ videre faciem Salomonis, & audire sapientiam ejus; ita ut & Saba regina veniret ad eum, & tentaret eum in quæstionibus. *Et venit, & omnia loquuta est quæ habebat in corde suo, & audivit omnem sapientiam Salomonis, nec ullum verbum præterivit eam.* [3. Reg. 10. 1. & 3.]

52. Quæ sit ista, quam nihil prætereat, nec sit aliquid quod ei non annuntiaverit verus Salomon, cognosce, ô homo, ex his quæ audis loquentem: *Verus est*, inquit, *sermo quem audivi in terra mea de sermonibus tuis, & de prudentia tua, & non credidi his qui dicebant mihi, donec veni, & viderunt oculi mei: & nunc non est nec dimidia quidem pars secundum ea quæ annuntiabant mihi. Apposuisti bona super omnia quæ audivi* [Ibidem 6. & seq.]

a. Omnes edit. ac pauci mss. *in quo occulta sunt Dei*: alii sex aut septem, *quoniam quæ occulta sunt Dei, manifesta facta sunt ei.* Ceteri ferme, *quoniam quæ occulta sunt Deo patent*: sed cùm verbum, *patent*, omittatur in antiquissimis, qui sententiam interrogationis forma efferendam non perspexere, de suo quisque quod sensui necessarium visum est, addiderunt.

*. Cic. lib. 2. pag. 378. lin. 50. *Quamobrem ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes* &c.

b. Paris. edit. nonnullæ, *quæ eliminandæ veritatis causa.* Non satis recte.

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 378. lin. 41. *Harum igitur duarum ad fidem faciendam justitia plus pollet* &c.

c. Edit. cum mss. pauculis, *Utiliora* (Amerb. *utilia*) *enim vulnera amici, quam alienorum oscula.* Mss. vero multo plures ac vetustiores, *Utilia ... quam aliorum oscula.* Hunc versiculum, qui habetur apud solos LXX. crebro citari ab Ambrosio advertas licet, semper autem illum ita exprimit, ut pro *utiliora* mss. probatiores exhibeant *utilia*, ubi subintellige adverbium *magis*, at vero pro *alienorum oscula*, quod hic scribitur, nusquam non invenias, *voluntaria oscula inimici*, ut LXX. nimirum ἑκούσια φιλήματα ἐχθροῦ.

*. Huc usque cap. 9. in vet. edit. protendebatur: quàm autem recte, quivis lectorum facile judicabit.

in terra mea. Beatæ mulieres tuæ, & beati pueri tui qui adsistunt tibi, qui audiunt omnem prudentiam tuam. Intellige convivium veri Salomonis, & quæ apponuntur in eo convivio, intellige sapienter, & considera in qua terra congregatio nationum audierit famam sapientiæ veræ atque justitiæ, & quibus eum viderit oculis, contemplantibus utique ea quæ non videntur. Quoniam *quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* (2. Cor. 4. 18.)

53. Quæ sunt beatæ mulieres, nisi illæ de quibus dicitur, [a] quia multæ verbum Dei audiunt & pariunt? (Luc. 11. 28. Math. 12. 50.) Et alibi: *Quicumque enim verbum Dei fecerit, ipse meus frater & soror & mater est.* Qui etiam pueri tui beati qui adsistunt, nisi Paulus qui dicebat: *Usque in hunc diem sto protestans minori ac majori?* (Act. 26. 22.) Symeon qui exspectabat in templo ut videret consolationem Israel? (Luc. 2. 25.) Quomodo enim dimitti posceret, nisi quia adsistens Domino, discedendi habere facultatem non poterat, nisi voluntatem Domini adeptus esset? Exempli causa propositus est nobis Salomon, à quo certatim ut audiretur ejus sapientia, postulabatur.

54. * Joseph quoque nec in carcere feriatus erat, quo minus de rebus incertis consuleretur. (Gen. 41. 10. & seq.) Cujus consilium Ægypto universæ profuit; ut non sentiret septem annorum sterilitatem, aliosque populos miseræ famis levaret jejunio.

55. Daniel ex captivis, regalium consultorum arbiter factus, consiliis suis emendavit præsentia, annuntiavit futura. (Dan. 2. 10. & seq.) Ex his enim quæ frequenter interpretatus ostenderat veri se esse annuntium, fides ei in omnibus deferebatur.

CAPUT XI.

Tertia conditio quæ ad fidem alicui conciliandam valet, in Moyse, Daniele ac Josepho fulsisse ostenditur.

56. Sed etiam * tertius locus de his qui admiratione digni æstimarentur, Joseph, Salomonis & Danielis exemplo decursus videtur. (Exod. 18. 13. & seq.) Nam quid de Moyse loquar, cujus omnis Israel quotidie consilia præstolabatur, quorum vita fidem faciebat prudentiæ, admirationemque ejus augebat? Quis se non committeret consilio Moysi, cui seniores si qua supra suum intellectum & virtutem esse arbitrarentur, dijudicanda servabant.

57. Quis Danielis consilium refugeret, de quo Deus ipse dixit: *Quis Daniele sapientior?* (Ezech. 28. 3.) Aut quomodo homines de eorum dubitare mentibus possent, quibus Deus tantam conferebat gratiam? Moysi consilio bella conficiebantur: Moysi meritis de cælo adfluebat alimonia, potus è petra.

58. Quam purus Danielis animus, ut mulceret barbaros mores, mitigaret leones? (Dan. 14. 39.) Quæ in illo temperantia? Quanta animi, & corporis continentia? Nec immerito mirabilis factus omnibus, quando (quod vehementer admirantur homines) regalibus fultus amicitiis, aurum non quærebat, nec delatum sibi honorem pluris faciebat quam fidem. Quin etiam periclitari malebat pro lege Domini, quam pro gratia hominis inflecti.

59. Nam de sancti Joseph (quem pœne præterieram) castimonia & justitia quid dicam; (Gen. 39. 8. & seq.) quarum alterâ illecebras heriles respuit, refutavit præmia: alterâ mortem contemsit, metum repulit, carcerem præoptavit? Quis hunc privatæ causæ ad consulendum idoneum non judicaret, (Ibidem 41. 25. & seq.) cujus ferax animus & mens fertilis, temporis sterilitatem quodam consiliorum & cordis ubere fœcundavit.

CAPUT XII.

Neminem ab homine vitiis contaminato consilium poscere; nec rursus à moroso & difficili: sed ab eo cujusmodi exemplar habemus in Scripturis.

60. Advertimus igitur quod in adquirendis consiliis plurimum adjungat vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, [b] facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Itaque ubi * luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio; quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluvionem? Quis utilem causæ alienæ judicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum * improbum, malevolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum; quis non eum omni studio declinet?

61. Quis vero quamvis instructum ad consilii opem, difficili tamen accessu, ambiat; in quo sit illud, tamquam si quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem; ut nec aliis influat, nec tibi prosit.

62. Pulcre autem & de illo convenit, qui habens prudentiam, * commaculat eam vitiorum sordibus, eo quod aquæ exitum contaminet. * Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes judicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non det sibi: & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet: cujus animum voluptates occupent, libido devincat, avaritia subjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hîc consilii locus, ubi nullus quieti?

63. Admirandus mihi & suspiciendus consiliarius, quem propitius Dominus Patribus dedit, offensus abstulit. (Esai. 3. 3.) Hujus imitator debet esse qui potest consilium dare, & alienam à vitiis custodire prudentiam, quoniam nihil inquinatum in illam incurrit.

a. Rom. edit. sola, *Beatæ quæ verbum Dei* &c. Sed hîc Scripturæ sensum, potius quam verba citari manifestum est.

*. In superioribus edit. hinc incipiebat cap. 11. sed male. Namque hoc & sequens exemplum ad cap. 10. spectare constat: postea vero de tertia illa parte agi, quæ capitis 8. initio proposita est.

*. Cic. lib. 2. pag. 379. lin. 3. *Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium* &c.

b. Omnes edit. *frugalitatis gratia.* Elegantius mss. prope ad unum, *facilitatis gratia*; nam frugalitas in vitæ probitate supra continetur, de facilitate vero infra etiam acturus est sanctus Ambrosius.

*. Cic. lib. 2 Offic. pag. 379. lin. 8. *Despiciunt autem eos & contemnunt, in quibus nihil virtutis* &c.

*. Ibidem lin. 10. *Nam quos improbos, maledicos* &c.

*. Ibidem lin. 15 *Nam & voluptates, blandissima domina* &c.

*. Translatum ex illo Virg. Æneid. 4.

Degeneres animos timor arguit.

CAPUT XIII.

Declarata divinis testimoniis sapientiæ pulcritudine, ad probandam ejus cum virtutibus aliis societatem transit oratio.

64. Quis igitur [a] tamquam vultu speciem præferat pulcritudinis, & belluinis posterioribus ac ferinis unguibus formæ superioris dehonestet gratiam; cùm tam * admirabilis & præclara forma virtutum sit, & specialiter pulcritudo sapientiæ, sicut series Scripturæ indicat. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem luci comparata invenitur prior. Lucem etenim hanc suscipit nox, sapientiam autem non vincit malitia. (Sap. 7. 29.)

65. Diximus de ejus pulcritudine, & Scripturæ testimonio comprobavimus: superest ut doceamus Scripturæ auctoritate nullum ei contubernium cum vitiis esse, sed individuam cum ceteris virtutibus conjunctionem: cujus spiritus est disertus, sine inquinamento, certus, sanctus, amans bonum, acutus, qui nihil vetet benefacere, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. [b] Et infra: Sobrietatem docet, & justitiam & virtutem. (Ibidem 7. 22. & seq.) (Ibidem 8. 7.)

CAPUT XIV.

Prudentiam cum omnibus virtutibus conjunctam esse, maxime vero cum opum despicientia.

66. Omnia * igitur operatur prudentia, cum omnibus bonis habet consortium. Nam quomodo potest utile consilium dare, nisi habeat justitiam, ut induat constantiam, * mortem non formidet, nullo terrore, nullo revocetur metu, nulla adulatione à vero deflectendum putet: exsilium non refugiat, quæ noverit sapienti patriam mundum esse: egestatem non timeat, quæ nihil deesse sapienti sciat, cui totus mundus divitiarum est? Quid enim præcelsius illo viro, qui auro moveri nesciat, contemtum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur: *Quis est*, inquit, *hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* (Eccli. 31. 9.) Quomodo enim non admirandus, qui divitias spernit, quas plerique saluti propriæ prætulerunt?

67. [c] Decet igitur omnes censura frugalitatis, continentiæ auctoritas, & maxime eum qui honore præstet, ne præeminentem virum thesauri possideant sui, & pecuniis serviat, qui præest liberis. Illud magis decet, ut supra thesaurum sit animo, & infra amicum obsequio. Humilitas enim gratiam auget. Hæc plena laudis & digna primario viro, non communem cum Tyriis negotiatoribus, & Galaaditis mercatoribus habere turpis lucri cupidinem, nec omne bonum locare in pecunia, & tamquam mercenario munere quotidianos numerare quæstus, [d] calculari compendia.

CAPUT XV.

De liberalitate. Quibusnam potissimum impartienda: & qua ratione illam tenuioris census homines opera & consiliis exerceant.

68. Quod si ab his sobrium gerere animum laudabile est, quanto illud præstantius si * dilectionem multitudinis liberalitate adquiras, neque superflua circa importunos, neque restricta circa indigentes?

79. Plurima autem * genera liberalitatis sunt, non solum quotidiano sumtu egentibus, quo vitam sustinere suam possint, disponere ac dispensare alimoniam; verum etiam his qui publice egere verecundantur, consulere ac subvenire, quatenus communis egenorum alimonia non exhauriatur. De eo enim loquor qui præest alicui muneri, ut si officium sacerdotis gerat, aut dispensatoris; ut de his suggerat episcopo, nec reprimat si quem positum in necessitate aliqua cognoverit, aut dejectum opibus ad inopiæ necessitatem redactum: * maxime si non effusione adolescentiæ, sed direptione alicujus & amissione patrimonii in eam reciderit injuriam, ut sumtum exercere diurnum non queat.

70. Summa etiam liberalitas, * captos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maxime feminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere. Nota sunt hæc nimis * Illyrici vastitate & Thraciæ: quanti ubique ve-

a. Era. & seq. edit *tantam vultu speciem*, Amerb. autem cum mss. fere omnibus, *tamquam vultu speciem*. Non incommode. Confer hunc locum cum initio Tract. Horatiani de Arte Poet.

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 379. lin. 19. *Quis non admiretur splendorem pulcritudinemque virtutis* &c.

b. Ita Amerb & mss. excepto quod nonnulli, *veritatem* legunt, non *virtutem*. Cùm autem eam sententiam Era. & Gill. resecuissent, illam edit. Rom. restituerat sic immutatam: *Et alibi: Sobrietatem enim & prudentiam edocet, justitiam & fortitudinem.*

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 379. lin. 25. *Itaque illa tria omnia justitia conficit* &c.

*. Ibidem lin 22 *Nemo enim justus esse potest, qui mortem* &c.

c. Paris. aliquot edit *Docet igitur omnes* Et infra *Illud magis docet* &c.

d. Omnes edit. *calculari compendio*: contra vero mss. *calculari compendia*. Multo commodius

*. Cic lib 1 Offic. pag. 378. lin. 26. *Quæ quidem, benevolentia beneficiis capitur maxime.* Item pag 382. lin. 1. *Nonnumquam tamen est largiendum* &c.

*. Ibidem pag. 383 lin. 12. *In illo autem genere largiendi* &c. Multa sunt in Ambrosiano textu quæ non perfunctorie sed attentius videntur observanda; primo enim hinc cognoscitur antiquis illis episcopis haud mediocri curæ fuisse, ne quis vel manifesto vel clanculum ac secreto indigentium necessario ad sustentandam vitam subsidio destitueretur: deinde constitui solitos quibus ea demandaretur provincia, sive illi è sacerdotum numero eligerentur, quod etsi frequentius erat in Ecclesia orientali, tamen in occidentali quoque nonnumquam usu venisse ex hoc & sequenti capite intelligimus; sive adsumerentur ex ordine diaconorum, quod fere obtinuisse per occidentem non modo quæ sanctus Præsul frequenter hoc in Opere de beato Laurentio; nec non & Prudentius in Hymno de eodem martyre tradunt, palam faciunt; verum etiam quod Sulp Severus in vita sancti Martini ab eo archidiaconum suum ei muneri præfectum fuisse commemorat. Postremum autem illud est quod hinc advertas, dispensatores illos non pro libito, sed ex episcopi, ad quem omnia referre consueverant, nutu & voluntate cuncta gessisse; ita ut nihil in ejus potestate non esset positum. Ex hoc sane oppido quadrat cum apostolorum can. 39 40. & 41 Synodi Laodic. can. 57. & sequentium Conc definitionibus prope innumeris.

*. Ibidem lin. 14 *Propensior benignitas.... nisi forte erunt digni* &c.

*. Ibidem lin. 25. *Atque hæc benignitas etiam reip. utilis est, redimi è servitute captos* &c.

* Hanc Illyrici Thraciæque populationem Baronius auctor est anno reparatæ salutis 387. contigisse. Verum hoc loco non satis cohærentia loquitur Cardinalis eruditissimus. Etenim si hoc eodem anno conflata & venumdata fuerint ab Ambrosio vasa sacra, necessario hinc eruitur non nisi post memoratum annum hosce libros Officiorum editos esse, cùm tamen ipsos toto decennió prius in lucem prodiisse ad annum 377. affirmaverit. Ceterum multo probabilius videtur cladem hanc, cujus hoc loco meminit sanctus Ambrosius, atrocem Valentis imperatoris exitum sequutam esse; cùm ipsius ducibus Trajano & Sebastiano cæsis, omnique adeo exercitu internecione deleto, Gothi aliique barbari vastato Illyrico usque ad Alpes Julianas ac Venetorum regionem omnia igne ferroque populati sunt, ut post Ammianum Marc. Socratem, Sozomenum atque Theodoretum Baronius ipse scripto prodidit. Adi etiam Cl. V. Hermannum in Ambrosii vita, lib. 2. cap. 22.

nales erant toto captivi orbe, quos si revoces, A unius provinciæ numerum explere non possint? Fuerunt tamen qui & quos Ecclesiæ redemerunt, in servitutem revocare vellent, ipsa graviores captivitate, qui inviderent alienam misericordiam. Ipsi si in captivitatem venissent, servirent liberi: si venditi fuissent, servitutis ministerium non recusarent; & volunt alienam libertatem rescindere, qui suam servitutem non possent rescindere, nisi forte pretium recipere emtori placeret: in quo tamen non rescinditur B servitus, sed redimitur.

71. Præcipua est igitur liberalitas, * redimere captivos, & maxime ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverit ad redemtionem: æs alienum subire, si debitor solvendo non sit, atque artetur ad solutionem, quæ sit jure debita, & inopiâ destituta: enutrire parvulos, pupillos tueri.

72. Sunt etiam qui virgines orbatas parenti- C bus tuendæ pudicitiæ gratia connubio locent, nec solum studio, sed etiam sumtu adjuvent. Est etiam genus illud liberalitatis quod Apostolus docet: *Ut si quis fidelis habet viduas, subministret illis, ut earum alimoniis Ecclesia non gravetur, ut his quæ vere viduæ sunt, sufficiat.* (1. Tim. 5. 16.)

73. Utilis igitur hujusmodi liberalitas, sed non communis omnibus. Sunt enim plerique etiam viri boni, qui tenues sunt censu, contenti quidem exiguo ad sui usum, sed non idonei ad sub- D sidium levandæ paupertatis alienæ; tamen suppetit aliud beneficentiæ genus, quo juvare possint inferiorem. * Est enim duplex liberalitas, una quæ subsidio rei adjuvar, id est, usu pecuniæ: altera quæ operum collatione impenditur, multo frequenter splendidior, multoque clarior.

(Gen. 14. 16.) 74. Quanto illustrius Abraham captum armis victricibus recepit nepotem, quam si redemisset? Quanto utilius regem Pharaonem sanc- E tus Joseph consilio providentiæ juvit, quam si contulisset pecuniam? Pecunia enim unius civitatis non redemit ubertatem: prospicientia totius Ægypti [a] per quinquennium famem repulit. (Gen. 41. 53. & seq.)

75. Facile autem * pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur: pecunia minuitur, & cito deficit, atque ipsam destituit benignitatem; ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves, & sæpe tibi desit quod aliis conferendum putaveris. Consilii autem operisque collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, & in suum fontem recurrir. In se enim refluit ubertas prudentiæ: & quo pluribus fluxerit, eo exercitius fit omne quod remanet.

CAPUT XVI.

Modum in liberalitate servandum, ne profundatur in indignos quod dignioribus debebatur; non tamen nimis parce ac timide ministrandas eleemosynas: sed imitandum beatum Joseph, cujus prudentia prolixioribus verbis commendatur.

76. Liquer igitur debere esse * liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas. Sobrietas tenenda est, maxime sacerdotibus, ut non pro jactantia, sed pro justitia dispensent. Nusquam enim [b] major aviditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia evacuare pauperum, exinanire sumtum: nec exiguo contenti, majora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. His si quis facile deferat fidem, cito exhaurit pauperum alimoniis profutura compendia. Modus largiendi adsit, ut nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperum in spolia fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, ut neque humanitas deseratur, nec destituatur necessitas.

77. Plerique simulant debita. Sit veri examen. Exutos se per latrocinia deplorant: aut injuria fidem faciat, aut cognitio personæ, quo propensius juventur. [c] Ab Ecclesia relegatis sumtus impartiendus, si desit eis alendi copia. Itaque qui modum servat, avarus nulli, sed largus omnibus est; non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quam vox pauperis. Neque vero fieri potest ut non extorquear amplius importunitas vociferantium: sed non semper impudentiæ locus sit. VIDENDUS est ille, qui te non videt: requirendus ille, qui erubescit videri. Ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest.

78. Quo plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio plerosque sacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundasse; quoniam quicumque bonum operarium videt, * ipsi confert quod

*. Cic. lib 2. Offic. pag. 382. lin. 15. *Liberales autem qui facultatibus aut captos à prædonibus redimunt ... aut in filiarum collocatione adjuvant* &c.

*. Ibidem pag. 381. lin 33. *Deinceps de beneficentia dicendum: cujus est ratio duplex* &c.

a. Gill. in marg. & Rom. edit. in corpore, *per septennium*. Sed cùm aliæ omnes, ac mss. præferant, *quinquennium*; credibile est sanctum Antistitem ita posuisse, quod putaverit populum Ægyptium saltem primis duobus annis victitasse privatis fructibus, antequam eum ad regia horrea confugere fames cogeret. Sane huic sensui videtur favere, quod legitur, καὶ ἐγένετο λιμὸς ἐν πάσῃ τῇ γῇ, ἐν δὲ πάσῃ τῇ γῇ Αἰγύπτου ἦσαν ἄρτοι. Licet dissimulandum non sit, haberi in mss. nonnullis οὐκ ἦσαν ἄρτοι: cui etiam concinit Syriaca versio. Sed aliarum omnium, ipsiusque textus hebraici consensus, nec non orationis ipsa series aliam adstruit lectionem.

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 381. lin. 37. *Largitioque quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit* &c.

*. Ibidem pag. 382. lin. 7. *Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit* &c.

b. Mss. aliquot, *major aviditas. Petitionis causa veniunt validi.* Et continuo post, alii pauci, *nisi vacandi habentes.*

c. Sic edit. omnes, & major potiorque pars mss. Aliqui tamen, *Ab Ecclesia religatis.* Quæritur autem in prima lectione quinam sunt illi, *ab Ecclesia relegati?* Voluerunt nonnulli eos hoc loco intelligendos qui propter fidem ab Ecclesiis suis exsulare coacti essent. Sed numquam tam parce ac tenuiter de his loquuturus erat sanctus Doctor. Eos ergo intelligimus qui ab Ecclesiæ sacris pœnitentiæ causa fuerant separati; quibus etsi Ecclesiasticas eleemosynas auferri consuevisse testetur Augustinus, tamen in extrema necessitate christiana liberalitas non deerat. Potest etiam ita explicari, ut *ab Ecclesia* referatur ad *impartiendus*, minime vero ad *relegatis*, id est, exsulibus.

*. Non sane properanti oculo transmittenda est laudabilis ea consuetudo, qua prisci illi christiani pecuniam suam œconomo seu dispensatori Ecclesiæ in manus tradebant, ab eodem postea fidelium pauperum gregibus distribuendam. Insignis hac de re locus est in beati Justini Apologia secunda proxime ante finem, cujus verba non pigebit hîc subjicere. *Ceterum qui locupletiores sunt*, inquit, *& volunt, pro arbitrio quisque suo, quod visum est, conferunt; & quod ita colligitur, apud præpositum deponitur: atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregre advenientibus hospitibus; & ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est.*

ille suo officio dispenset, securus quod ad pau- A
perem sua perveniat misericordia: nemo enim
a vult, nisi pauperi proficere suam [a] collationem.
Nam si quem aut immoderatum aut nimis tenacem dispensatorem viderit, utrumque despiciet: si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat sacculis. Sicut igitur modus liberalitatis tenendus est, ita etiam
b [b] calcar plerumque adhibendum videtur. Mo-
* dus ideo, * ut quod benefacis, id quotidie facere possis; ne subtrahas necessitati, quod in- B
dulseris effusioni: calcar propterea, quia melius operatur pecunia in pauperis cibo, quam in divitis sacculo. Cave ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum.

79. Potuit donare Joseph totas Ægypti opes, & effundere thesauros regios; noluit tamen de alieno effusus videri: maluit frumenta vendere, quam donare esurientibus; quia si paucis donasset, plurimis defuisset. Eam liberalitatem C
Gen. 41. 56. & 57. probavit, quo abundaret omnibus. Patefecit horrea, ut omnes emerent subsidium frumentarium, ne gratis accipiendo, cultus terrarum relinquerent; quoniam qui alieno utitur, suum negligit.

Ibidem 47. 14. & seq. 80. Itaque primum omnium coacervavit pecunias, deinde instrumenta cetera, ad postremum jura terrarum regi adquisivit, non ut omnes exueret suo, [c] sed fulciret: * publicum tributum constitueret, quo sua tutius habere possent. Quod ita fuit gratum omnibus quibus ter- D
ras ademerat; ut non venditionem sui juris, sed redemtionem salutis putarent. Denique dixe-
Ibidem 25. runt: *Sanasti nos, invenimus gratiam in conspectu domini nostri.* Nam & de proprietate nihil amiserant, qui jus receperant: & de utilitate nihil perdiderant, qui adquisierant perpetuitatem.

81. O * virum magnum, qui non largitatis superfluæ temporalem captavit gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit providentiæ! Fecit enim ut tributis populi se juvarent E
suis, nec in tempore necessitatis aliena subsidia desiderarent. Melius enim fuit conferre aliquid de fructibus, quam totum de jure amittere. Quintam portionem collationis statuit, & in providendo perspicacior, & in tributo liberalior. Denique numquam postea Ægyptus hujusmodi famem pertulit.

Ibidem 41. 22. & seq. 82. Quam præclare autem collegit futura! Primum, quam argute regalis interpres somnii veritatem expressit! Somnium regis primum hoc F
fuit. Septem juvencæ adscendebant de flumine, visu decoræ, & pingues corpore, & ad oram pascebantur fluminis. Aliæ quoque vitulæ visu deformes ac jejunæ corpore, post illas juvencas adscendebant de flumine, & juxta eas in ipso riparum thoro pascebantur: & visæ sunt hæ vitulæ tenues atque exiles devorare illas quæ præstabant & forma & gratia. Et somnium secundum hoc fuit: Septem spicæ pingues, electæ & bonæ de terra surgebant: & post eas septem spicæ exiles & vento [d] corruptæ ac marcidæ se d
subjicere moliebantur: & visum est quod lætas & uberes spicas steriles spicæ & tenues devoraverunt.

83. Hoc somnium ita aperuit sanctus Joseph, eo quod septem juvencæ septem anni forent, & septem spicæ similiter septem anni forent, ex fœtu & fructu interpretatus tempora. Fœtus enim juvencæ annum exprimit, & fructus segetis annum consummat integrum. Quæ ideo adscendebant de flumine, quod dies, anni, ac tempora fluminum prætereunt modo, & cursim labuntur. Annos itaque septem priores uberis terræ fertiles ac fœcundos declarat futuros: posteriores autem alios septem annos steriles atque infœcundos, quorum sterilitas absumtura foret ubertatem superiorum. Qua gratia prospiciendum admonuit, ut uberioribus annis congregaretur subsidium frumentarium, quod sustentare posset inopiam futuræ infœcunditatis.

84. Quid primum mirer? Ingenium quo in ipsum veritatis descendit cubile: an consilium quo tam gravi atque diuturnæ prospexit necessitati: an vigilantiam atque justitiam; quarum alterâ, imposito sibi tanto munere congregavit tam multiplices commeatus: alterâque æqualitatem per omnes servavit? Nam de magnanimitate quid loquar; quod venditus à fratribus in servitutem, non retulit injuriam, sed famem depulit? Quid de suavitate, qua dilecti fratris Gen. 44. 1. & seq.
præsentiam pia fraude quæsivit, quem simulato per elegantiam furto, reum statuit rapinæ, ut obsidem teneret gratiæ.

85. Unde merito ei à patre dicitur: [e] *Filius ampliatus meus Joseph, filius ampliatus meus, zelotes* Ibidem 49. 22. & seq.
filius meus adolescentior.... Adjuvit te Deus meus, & benedixit te benedictione cæli à summo, & benedictione terræ, terræ habentis omnia, propter benedictiones patris tui & matris. Prævaluit super benedictiones montium manentium, & desideria collium æternorum. Et in Deuteronomio: *Qui* Deut. 33. 16. & seq.
visus es, inquit, *in rubo, ut venias super caput Joseph, & super verticem ipsius. Honorificus inter fratres: primitivus tauri decus ejus, cornua unicornui cornua ipsius. In ipsius cornu gentes ventilabit simul usque ad extremum terræ.* [f] *Ipsi decem* f
millia Ephram, & ipsi millia Manasses.

a. Nonnulli mss. *suam consolationem.* Sed omnino cum aliis, atque edit. legendum, *suam collationem*, id est, suam eleemosynam, quam collectam vocat Apostolus. Et infra ubi edit. ac mss. non pauci, *utrumque despiciet!* Thuan. & alii aliquot præferunt, *utrumque displicet.*

b Codex Thuan. & alii non parvo numero, *calcar plerumque. Adhibendus videtur modus* &c.

*. Cic. lib. 2 Offic pag. 382. lin. 3. *Quid autem est stultius, quam quod libenter facias* &c.

c. Mss. aliquot, *sed fulciret publicam*, vel *publico: tributum* &c.

* Cic. lib. 2. Offic. pag. 385. lin. 3. *Danda est opera omnino, si possit* &c. Item lin. 15. *Danda etiam opera est, ne.... tributum sit conferendum* &c.

*. Ibidem pag. 386. lin. 33. *O virum magnum, dignumque* &c.

d. Thuan. & alii aliquot mss. *corrupta ac madida*: alii non pauci, *corrupta ac marcida*, quod non displicet.

e. Hæc duo testimonia è Genesi, ac Deuteronomio paulo aliter citantur lib. *De Benedict. Patriarch.* cap. 11. num. 46. & 53. Satis autem hoc loco conveniunt ant. edit. cum mss. nisi quod habent illæ, *zelotes filius meus, filius meus adolescentior. Adjuvet te.... & benedicat te.... in rubo, veniat su[illegible] caput* &c. Sed eas varietates sicut & quas addidit edit. Rom. ad scriptos cod. & maxime ad Thuan. castigavimus.

f. Rom. edit. sola, *Ipse decem millia Ephraim, & ipse millia Manasses.* At omnes aliæ, ac mss. nobiscum faciunt; quibus etiam hebraicus textus patrocinatur. LXX. vero præferunt, [illegible] Ἐφραΐμ, καὶ αὗται χιλιάδες Μανασσῆ: & his accedunt reliquæ versiones.

CAPUT XVII.

Quas virtutes in eo quem consulamus, inesse oporteat: & qua ratione iisdem Joseph ac Paulus ornati fuerint?

86. TAlis itaque debet esse qui consilium alteri det, ut se ipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; ut sit ejus sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium B utile, vita honesta, sententia decora.

1. Cor. 7. 25. & seq. Tit. 2. 7. 87. Talis erat Paulus, qui consilium dabat virginibus, magisterium sacerdotibus, ut primum se ipsum formam nobis præberet ad imitandum. Ideo & humiliari sciebat, sicut scivit & Joseph, qui summo ortus patriarcharum genere, non dedignatus degenerem servitutem, exhibebat eam obsequiis, illustrabat virtutibus. Scivit humiliari, qui & venditorem & emtorem passus est, & dominum appellabat eum. Audi C humiliantem se: Gen. 39. 8. & seq. *Si Dominus meus* [a] *propter me nihil scit in domo sua, & omnia quæcumque habet, dedit in manus meas, neque subtractum est à me quidquam præter te, quia uxor illius es; quomodo faciam verbum malum hoc, & peccabo coram Domino?* Plena vox humilitatis, plena castimoniæ: humilitatis, quia domino [b] deferebat; honorificentiæ, quia referebat gratiam: plena quoque castimoniæ, quia turpi flagitio contaminari, grave peccatum putabat.

88. Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, [c] nihil fallax, nihil simulatum, quod vitam ejus ac mores refellat, nihil improbum ac malevolum, quod avertat consulentes. * Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ malitiose possunt in noxam serpere; ut si is qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ avidus, ut possit pretio mutari: si injuriosus, hic fugitur ac declinatur. Qui vero vo- E luptuarius, intemperans, etsi alienus à fraude; tamen avarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur. Quod enim specimen industriæ, quem fructum laboris edere potest, quam recipere animo curam ac sollicitudinem, qui se torpori dederit atque ignaviæ?

Phil. 4. 11. 89. Ideo boni vir consilii dicit: *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.* Sciebat enim 1. Tim. 6. 10. omnium malorum radicem esse avaritiam, & ideo suo contentus erat, alienum non require- F bat. Satis mihi est, inquit, quod habeo, sive parum, sive plurimum habeam, mihi plurimum est. Expressius aliquid dicendum videtur. Signato verbo usus est: Sufficit mihi, inquit, in quo sum; id est, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quæro amplius: non superfluit, quia non solum mihi habeo sed pluribus. Hoc de pecunia.

A 90. Ceterum de omnibus dici potest quia sufficiebant illi præsentia, hoc est, non honorem majorem, non obsequia uberiora desiderabat, non gloriæ immodicæ cupidus, aut gratiam indebite quærebat: sed debiti finem certaminis, patiens laboris, securus meriti præstolabatur: *Scio*, inquit, *& humiliari.* Phil. 4. 12. Non ergo indocta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam & scientiam, laudi datur. Est enim humilitas formidinis, est imperitiæ atque ignorantiæ; & ideo B Scriptura ait: *Et humiles spiritu salvabit.* Psal. 33. 19. Præclare ergo dixit: *Scio & humiliari*, id est, quo in loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere. Nescivit Pharisæus humiliari, ideo dejectus est: scivit publicanus, ideo justificatus est.

91. Sciebat & abundare Paulus, quia animum Luc. 18. 11. & seq. habebat divitem; etsi thesaurum divitis non habebat. Sciebat abundare, qui non quærebat datum in pecunia, sed requirebat fructum in gra- C tia. Possumus & sic intelligere, quia sciebat abundare, qui poterat dicere: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* 2. Cor. 6. 11.

92. In omnibus erat imbutus, & saturari & esurire. Beatus qui sciebat saturari in Christo. Non ergo illa corporalis sed spiritualis est satietas, quam operatur scientia. Et merito scientia opus est; quia *non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Deut. 8. 3. Ergo qui sic sciebat saturari & sic esurire, sciebat ut semper nova quære- D ret, [d] esuriret Deum, sitiret in Dominum. Matth. 5. 6. Sciebat esurire, qui sciebat quia esurientes manducabunt: 2. Cor. 6. 10. sciebat & poterat abundare, qui nihil habebat, & possidebat omnia.

CAPUT XVIII.

Quantum iniqui consiliarii damni adferant, exemplo decem tribuum à rege Roboam desciscentium fit intelligi.

E 93. EGregie itaque viros alicui * præsidentes muneri commendat justitia: contra iniquitas destituit atque impugnat. Exemplo nobis est Scriptura quæ dicit quia cùm populus 3. Reg. 12. 4. & seq. Israel post mortem Salomonis rogasset filium ejus Roboam, ut relevaret cervices eorum à servitute dura, & paterni imperii temperaret austeritatem, illum spreto senili consilio de suggestione adolescentium responsum dedisse hujusmodi, quia & onus adjiceret super patrium ju- F gum, & leviora gravioribus suppliciis mutaret.

94. Quo responso exasperati responderunt populi: *Non est nobis portio cum David, neque hereditas in filiis Jesse. Revertere unusquisque in tabernacula tua, Israel;* Ibidem 16. [e] quoniam hic homo neque in principem, neque in ducem erit nobis. Itaque desertus à populo ac destitutus, vix duarum tribuum propter David meritum habere potuit societatem.

a. Edit. vet. & quædam Paris. cum paucis mss. *præter me nihil scit .... quæ uxor illius es.* Rom. cum potiori parte mss. ut in textu. Et quidem commodius, cum id reddatur, quod est apud LXX. *οὐ γινώσκει δι' ἐμὲ οὐδὲν .... διὰ τὸ σὲ γυναῖκα αὐτοῦ εἶναι).*

b. Ita mss. optimi quique ac numerosissimi: aliqui tamen & cunctæ edit. *deferebat honorificentiam, quia referebat gratiam.*

c. Omnes edit. *nihil fallax, nihil fabulosum:* sed *nihil fabulosum* in mss. longe plurimis nec non antiquissimis prætermittitur.

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 379. lin. 9. *Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant* &c.

d. Omnes edit. *esurire & sitire Dominum:* mss. nonnulli, *esurire Deum, sitiret,* aut *sitire & Dominum:* alii magno numero, *esuriret Deum, sitiret in Dominum;* in quorum tamen aliquibus non legitur *in* præpositio.

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 385. lin. 40. *Nullum igitur vitium tetrius .... quam avaritia, præsertim in principibus* &c.

e. *Quoniam hic homo* &c. non reperiuntur in Bibliis; sicut nec ultima verba, *erit nobis*, in pluribus potioribusque mss. quorum etiam aliqui pro *neque in ducem*, legunt *neque in judicem.*

CAPUT XIX.

Justitia & benevolentia & affabilitate plurimos conciliari: sed hanc sinceram esse debere.

95. CLaret ergo quoniam & * æquitas imperia confirmet, & injustitia dissolvat. Nam quomodo potest malitia regnum possidere, quæ ne unam quidem privatam potest regere familiam? Summa igitur benignitate opus est, ut non solum publica gubernacula, sed B etiam privata jura tueamur. Plurimum juvat benevolentia, quæ omnes studet beneficiis amplecti, devincire officiis, oppignerare gratia.

96. Affabilitatem quoque sermonis diximus ad conciliandam gratiam valere plurimum. Sed hanc volumus esse * sinceram ac sobriam sine ulla adulatione, ne simplicitatem ac puritatem alloquii [a] dedeceat sermonis adulatio; forma enim esse debemus ceteris non solum in opere, sed etiam in sermone, in castitate ac fide. QUALES HABERI volumus, tales simus: & qualem affectum habemus, talem aperiamus. Neque dicamus in corde nostro verbum iniquum, quod abscondi putemus silentio; quia audit in occulto dicta, qui occulta fecit: & cognoscit secreta viscerum, qui sensum visceribus infudit. Ergo tamquam sub oculis constituti judicis, quidquid gerimus, in luce positum putemus, ut omnibus manifestetur.

CAPUT XX.

Omnibus multum prodesse bonorum familiaritatem, maxime vero adolescentibus: hoc Jesu Nave ac Moysi, aliisque exemplis probari: quibus subjicitur qui ætate sint dispares, virtute interdum pares esse, ut Petrus ac Johannes patefaciunt.

97. PLurimum itaque prodest unicuique bonis jungi. * Adolescentibus quoque utile, ut claros & sapientes viros sequantur; quoniam qui congreditur sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Et ad instructionem itaque plurimum proficit, & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhærent; & ea convalescit opinio, quod ab his vivendi acceperint similitudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem.

98. Inde tantus Jesus Nave, quod eum non solùm erudivit ad Legis scientiam Moysi copula, verum etiam sanctificavit ad gratiam. Denique cùm in ejus tabernaculo divinâ refulgere præsentiâ videretur majestas Domini, solus erat in tabernaculo Jesus Nave. Moyses cum Deo

Exod. 24. 13.

A loquebatur, Jesus pariter nube sacra tegebatur. Presbyteri & populus deorsum stabant, Jesus cum Moyse, ad accipiendam Legem adscendebat. Omnis populus intra castra erat, Jesus extra castra in tabernaculo testimonii. Cùm columna nubis descenderet, & loqueretur cum Moyse, quasi fidus adstabat minister: nec exibat de tabernaculo juvenis, cùm seniores longè positi divina trepidarent miracula.

Exod. 33. 11.

99. Ubique igitur inter admiranda opera & reverenda secreta sancto Moysi individuus adhærebat. Unde factum est ut qui fuerat socius conversationis, fieret successor potestatis. Merito vir hujusmodi evasit, ut sisteret fluminum cursus, diceret: Stet sol, & staret sol; quasi ejus spectator victoriæ noctem differret, diem produceret. Quid (quod Moysi negatum est) solus eligeretur, ut populum introduceret in terram repromissionis. Magnus vir fidei miracu- C lis, magnus triumphis. Illius augustiora opera, hujus prosperiora. Uterque igitur divina subnixus gratia, ultra humanam processit conditionem: ille mari, hic cælo imperavit.

Deut. 34. 9. Josue 3. 15. & seq. Josue 10. 12. & 13. Exod. 14. 21.

100. Pulcra itaque * copula seniorum atque adolescentium. Alii testimonio, alii solatio sunt: alii magisterio, alii delectationi. Omitto quod Abrahæ adhæsit Lot adolescentulus etiam proficiscenti; ne forte hoc propinquitatis magis fuisse existimetur, & necessariæ potius quam D voluntariæ adjunctionis. Quid Eliam atque Elisæum loquamur? Licet non expresse Elisæum juvenem Scriptura significaverit, advertimus tamen & colligimus juniorem fuisse. In Actibus apostolorum Barnabas Marcum adsumsit, Paulus Silam, Paulus Timotheum, Paulus Titum.

Gen. 12. 4. 3. Reg. 19. 21. Act. 12. & alibi.

101. Sed illis superioribus videmus divisa officia, ut seniores consilio prævalerent, juniores ministerio. Plerumque etiam virtutibus pares, dispares ætatibus, sui delectantur copula, sicut E delectabantur Petrus & Johannes. Nam adolescentem legimus in Evangelio [b] Johannem & sua voce, licet meritis & sapientia nulli fuerit seniorum secundus, erat enim in eo senectus venerabilis morum & cana prudentia. VITA ENIM immaculata bonæ senectutis stipendium est.

CAPUT XXI.

Plurimum valere ad commendationem, si defendas infirmos, aut peregrinos suscipias, similiave officia exhibeas, & hoc maxime viris probatis. Ubi injecta avaritiæ vituperatione, potissimum prodigalitas in sacerdotibus improbatur. F

102. ADjuvat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis * si de potentis

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 378. lin. 8. *Quæ si populo Rom. injuste* &c. Item pag. 379. lin. 43. *Cùm igitur tanta vis justitiæ sit* &c.

*. Ibidem pag. 380. lin. 9. *Quam præclare Socrates hanc viam.... ut qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione* &c.

a. Edit. ultimæ Paris. cum paucis mss. *deleat sermonis adulatio.*

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 380. lin. 38. *Facillime autem.... adolescentes qui se ad claros & sapientes* &c.

*. Cic. lib. de Senectute pag. 409. lin. 9. *Etenim adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur* &c.

b. Rom. edit. resecaverat, *& sua voce*, quod tamen in aliis edit. & cunctis mss. reperimus.

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 381. lin. 29. *Maxime autem & gloria paritur & gratia defensionibus* &c. Quod autem ait Ambrosius, *de morte damnatum eruas*, de hoc adeas licet, quæ nos tomo 1. Expos. in Psal. 118. serm. 8. num. 41. subnotavimus. Hic vero id unum libet adjicere, cautionem appositam hoc loco hinc promanasse, quod cùm interdum episcopi, clerici vel etiam monachi ferventiore quam prudentiore zelo reos suppliciis eripere niterentur, aut seditionibus, aut saltem gravibus judicum imperialium querelis ansam dabant. Adde quod etiam fieri poterat, ut quos per corruptionem ipsi liberaverant, eos per vim ab episcopis raptos causarentur. Tollendo igitur huic malo leges nonnullæ reperiuntur datæ ab imperatoribus; ut puta à Theodosio & Arcadio lib. 15. & 16 *de Pœnis*. Porro morem hunc quo clerici ac monachi supplicio reos alias eximebant, Cujacius Paratitlo cod. *de Episc. audientia* autumat ortum duxisse ab exemplo paganorum sacrificorum; hos enim eo jure potitos esse Taciti, Suetonii, & Plutarchi auctoritate idem adstruit. Superest autem etiamnum apud nos vestigium quoddam priscæ hujus consuetudinis, dum Rothomagi singulis annis, festo Adscensionis die, unus de reis homicidii post quam solemni ritu sacrum Romani episcopi feretrum humeris subivit, absolvitur: Aureliani quoque novo episcopo in eam urbem ingredienti quisquis occurrerit, si rerum capitalium noxa teneatur, eadem donatur impunitate; cujus privilegii meminit Ivo Carnot. epist. 53.

manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine perturbatione fieri potest; ne videamur jactantiæ magis causa facere, quam misericordiæ, & graviora inferre vulnera, dum levioribus mederi desideramus. Jam si oppressum opibus potentis, & factione magis quam sceleris sui pretio gravatum liberaveris, egregiæ convalescit opinionis testimonium.

103. Commendat plerosque etiam * hospitalitas. Est enim publica species humanitatis, ut peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiose, pateat advenienti janua. Valde id decorum totius est orbis existimatione, peregrinos cum honore suscipi, non deesse mensæ hospitalitatis gratiam, occurrere officiis liberalitatis, explorare adventus hospitum.

Gen. 18. 1. & seq.

104. Quod Abrahæ laudi est datum, qui ante januam suam speculabatur, ne forte præteriret peregrinus aliquis: & diligenter prætendebat excubias, ut occurreret, ut præveniret, ut rogaret, ne transiret hospes, dicens: *Domine, si inveni gratiam ante te, ne præterieris puerum tuum.* Et ideo pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis recepit.

Gen. 19. 1. & seq.

105. Lot quoque nepos ejus non solum genere, sed etiam virtute proximus, propter hospitalitatis affectum Sodomitana à se suisque supplicia detorsit.

106. Decet igitur hospitalem esse, benignum, justum, non alieni cupidum; immo * de suo jure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quam aliena jura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concordiam & tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo jure virum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est. Primum dispendio litis carere, non mediocre est lucrum: deinde accedit ad fructum quod augetur amicitia, ex qua oriuntur plurimæ commoditates, [a] quæ contemnenti aliqua in tempore, postea fructuosæ erunt.

107. In officiis autem hospitalibus, omnibus quidem humanitas impartienda est: * justis autem uberior deferenda honorificentia: *Quicumque enim justum receperit in nomine justi, mercedem justi accipiet*, ut Dominus pronuntiavit. Tanta autem est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit? Vides quia Lot angelos recepit? Unde scis ne & tu cùm suscipis hominem, suscipias Christum? Licet in hospite sit Christus; quia Christus

Matth. 10. 41. & 42. — Gen. 18. 2. — Gen. 19. 3.

A in paupere est, sicut ipse ait: *In carcere eram, & venistis ad me: nudus eram, & operuistis me.* Matth. 25. 36.

108. Suave est igitur non pecuniæ, sed gratiæ studere. * Verum hoc malum jamdudum humanis influxit mentibus, ut pecunia honori sit, & animi hominum divitiarum admiratione capiantur. Inde se immersit avaritia, veluti quædam bonorum ariditas officiorum; ut homines damnum putent, quidquid præter morem impenditur. Sed etiam in hoc adversus avaritiam,

B ne quod adferre possit impedimentum, prospexit Scriptura venerabilis, dicens: *Quia melior est hospitalitas cum oleribus.* Et infra: *Melior est panis in suavitate cum pace.* Non enim prodigos nos docet esse Scriptura, sed liberales.

Prov. 15. 17. — Prov. 17. 1.

109. Largitatis enim * duo sunt genera: unum liberalitatis, alterum prodigæ effusionis. Liberale est hospitio recipere, nudum vestire, redimere captivos, non habentes sumtu juvare: prodigum est, sumtuosis effluescere conviviis,

C & vino plurimo; unde legisti: *Prodigum est vinum, & contumeliosa ebrietas.* Prodigum est, popularis favoris gratia exinanire proprias opes: quod faciunt qui ludis circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, ut vincant superiorum celebritates; cùm totum illud sit inane, quod agunt. Quandoquidem etiam bonorum operum sumtibus immoderatum esse non deceat.


Prov. 20. 1.

D 110. Pulcra liberalitas erga ipsos quoque pauperes * mensuram tenere, ut abundes pluribus: non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. Quidquid ex affectu puro ac sincero promitur, hoc est decorum: * non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias.

Dist. 86. cap. Pulcra.

111. Et maxime sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc

E cultu aula Domini resplendeat: impensas misericordiæ convenientes frequentare: quantum oporteat largiri peregrinis, non superflua, sed competentia: non redundantia, sed congrua humanitati; ne sumtu pauperum alienam sibi quærat gratiam, nec restrictiorem erga clericos aut indulgentiorem se præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum; si aut sumtus desit necessitati eorum quos à sordidis negociationis aucupiis retrahere debeas: aut voluptati superfluat.



*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 376. lin. 37. *Recte etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas* &c.

*. Ibidem pag. 383. lin. 30. *In omni re contrahenda .... æquum & facilem, multa multis de suo jure decedentem* &c.

a. Edit. omnes, *quæ contemnenti aliquo in tempore, postea fructuosa sint?* mss. vero omnes, ut in contextu; si tamen unum aut alterum excipias, ubi legitur, *quæ contemnenti aliqua in tempore, postea fructuosa erunt.*

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 384. lin. 22. *Itaque vulgo loquuntur se in beneficiis collocandis mores hominum* &c.

*. Ibidem lin. 23. *Sed quis est tandem qui inopis & optimi viri causa non anteponat* &c. Item lin. 43. *Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum.*

*. Ibidem pag. 382. lin. 12. *Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi dicuntur* &c. Quæ autem prodigalitatis exempla subjecit sanctus Ambrosius, eadem jam priore tomo sæpius exagitaverat; enim vero conviviorum luxum atque effusionem cum alibi non semel, tum plurimis locis lib. *de Elia & jejunio*, suis coloribus descripta reperies: de circi autem ac theatri spectaculis præcipue habes in Psal. 118. serm. 5. pag. 1025. Quod autem in gladiatorum munera non ita crebro invehitur, hinc forte merito collexeris, Mediolani parùm usitatum fuisse crudele illud oblectationis genus, quod numquam non summo cum stomacho detestati sunt antiqui Patres. De hujusmodi certaminibus præter veteres auctores è recentioribus accuratissime disputavit J. Lipsius lib. duob. Saturnalium: Rosinus in Antiq. Rom. nonnulla, Laurentius in Polymathia multa congessit. Ultimum tandem prodigi sumtus exemplum ponit venationes, circenses videlicet in quibus feras insolitas per totam Africam aliasque diffitissimas regiones maximis impensis conquisitas populo exhibebant: de qua venandi ratione multa sunt apud Martialem epigrammata: nonnulla quoque habet Suetonius, atque alii: sed adeundus præ ceteris Tertull. *de Spectaculis*, & Cassiod lib. 5. Var.

*. Ibidem pag. 383. lin. 34. *Habenda autem est ratio rei familiaris* &c.

*. Ibidem lin. 3. *Atque etiam illa impensa meliores sunt, muri, navalia, portus* &c.

CAPUT

A

CAPUT XXII.

Modum inter nimiam remissionem ac severitatem esse statuendum; eos enim qui affectata remissione in aliorum animos irrepere moliuntur, solidum ac duraturum nihil consequi: quod Abessalonis exemplum satis ostendit.

112. QUin etiam verborum ipsorum & præceptorum esse mensuram convenit; ne aut nimia remissio videatur, aut nimia seve- B ritas. Plerique enim * remissiores malunt esse, ut videantur boni esse: sed nihil simulatum & fictum veræ virtutis esse certum est; quin etiam diuturnum esse non solet. In principio vernat, in processu tamquam flosculus dissipatur & solvitur: quod autem verum ac sincerum, alta radice fundatur.

113. Et ut exemplis adsertiones nostras probemus, quoniam quæ simulata sunt, diuturna esse non possunt, sed tamquam ad tempus vi- C rentia cito decidunt, ex ea familia ex qua nobis plurima ad virtutis profectum exempla accersivimus, unum simulationis & fraudis proferamus testimonium.

2. Reg. 14. 25.

114. Abessalon erat David regis filius, decore insignis, egregius forma, præstans juventa; ita ut vir talis in Israel non reperiretur, à vestigio pedis usque ad verticem immaculatus. Is fecit sibi currus & equos, & viros quinquaginta, qui præcurrerent ante eum. Surgebat diluculo, D & stabat ante portam in via: & si quem advertisset regis judicia quærentem, accedebat ad eum, dicens: Ex qua civitate es tu? Respondebat ille: Ex una tribu sum de tribubus Israel, servus tuus. Referebat Abessalon: Verba tua bona sunt & directa, & qui te audiat non est tibi datus à rege. Quis constituet me judicem, & quisquis ad me veniet, cuicumque fuerit judicium necessarium, justificabo illum? Talibus delinibat singulos sermonibus. Et cùm accede- E rent adorare eum, extendens manus suas, apprehendebat atque osculabatur eos. Sic convertit in se corda omnium, dum blanditiæ hujusmodi intimorum tangunt viscerum sensum.

2. Reg. 15. 2. & seq.

115. Sed delicati isti & ambitiosi elegerunt honorabilia & grata ad tempus & jucunda: ubi parva processit dilatio, quam prudens omnium Propheta paulisper cedendo interponendam putavit, non potuerunt tolerare ac sustinere. F Denique non dubitans de victoria David, commendabat filium dimicaturis, ut ei parcerent. Ideoque nec prælio interesse maluit; ne vel referre arma, parricidæ licet, videretur, sed tamen filio.

2. Reg. 18. 5.

116. Liquet igitur ea esse perpetua ac solida, quæ vera sunt, & quæ sincere potius quam dolo congregantur: ea vero quæ simulatione atque adsentatione parata sunt, non posse diu perseverare.

CAPUT XXIII.

Eorum qui vel pecunia vel ambitu redemti fuerint, fluxam fidem esse.

117. QUis igitur vel illos * qui pecunia ad obedientiam redimuntur, vel eos qui adsentatione invitantur, fidos sibi arbitretur? Nam & illi frequenter se vendere volunt, & isti imperia dura ferre non possunt. Levi adsentatiuncula facile capiuntur: si perstrinxeris verbo, immurmurant, deserunt, infesti abeunt, indignantes relinquunt, imperare malunt, quam obedire: quasi obnoxios beneficio, subjectos sibi debere esse existimant, quos præpositos sibi habere debeant.

118. Quis igitur sibi fideles putet, quos vel pecunia vel adulatione sibi obligandos crediderit? Nam & ille qui pecuniam acceperit, vilem se & despectum judicat, nisi sæpe redimatur? Itaque frequenter exspectat pretium suum: & ille qui obsecratione ambitus videtur, vult semper se rogari.

CAPUT XXIV.

Bonis artibus ad honores nitendum, maxime Ecclesiasticos: adeptum vero munus moderate ac sapienter administrandum. Nec inferiores ordines simulatis virtutibus episcopo derogare, nec item episcopum cleri invidum esse debere: sed justum in omnibus, atque comprimis in judicando.

119. ERgo [a] bonis actibus & sincero proposito nitendum ad honorem arbitror, & maxime Ecclesiasticum; ut neque resupina arrogantia, vel remissa negligentia sit: neque turpis affectatio, & indecora ambitio. AD OMNIA abundat animi directa simplicitas, satisque se ipsa commendat.

120. In ipso verò munere * neque severitatem esse duram convenit, nec nimiam remissionem; ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur.

121. Enitendum quoque ut beneficiis atque officiis * obligemus plurimos, & collatam reservemus gratiam; ne jure beneficii fiant immemores, qui se graviter læsos dolent. Sæpe enim usu venit ut quos gratia foveris, vel aliquo superiore cumulaveris gradu, avertas, si indigne aliquem eis præponendum judices. Sed & sacerdotem beneficiis suis vel judiciis favere convenit, ut æquitatem custodiat, & presbytero vel ministro deferre, ut parenti.

122. Neque hos quia semel probati sunt, arrogantes esse oportet; sed magis tamquam memores gratiæ, humilitatem tenere: neque offendi sacerdotem, si aut presbyter, aut minister, aut quisquam de clero, aut misericordia, aut jejunio, aut integritate, aut doctrina & lectione existimationem accumulet suam. [b] GRATIA ENIM Ecclesiæ laus doctoris est. Bonum, opus

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 380. lin. 11. *Quod si qui simulatione, & inani ostentatione* &c. Item pag. 382. lin. 27. *Ipsaque illa delinitio multitudinis* &c.

*. Ibidem pag. 376. lin. 45. *Male enim se res habet, cùm quod virtute effici debet* &c. Item pag. 381. lin. 42. *Praclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat* &c.

a. Sic Amerb. cum mss. prope omnibus: Era. autem ac sequentes edit. *bonis artibus.*

*. Cic. lib. 1. Offic. pag. 363. lin. 5. *In juris aquabilitate exercenda etiam est facilitas .... & tamen ita probanda est mansuetudo* &c.

*. Lib 2. pag. 376. lin. 12. *Proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare sibi animos* &c. Item pag. 384. lin. 12. *Licet tamen opera prodesse multis* &c.

b. Mss. aliquot, *Grata enim Ecclesia laus* &c.

alicujus prædicari, ita tamen si nullo studio fiat jactantiæ. Laudent enim unumquemque proximorum labia, & non os suum: & commendent opera, non studia sua.

11. q. cap. Si quis vero.

123. * Ceterum si quis non obediat episcopo, extollere atque exaltare se se desideret, obumbrare merita episcopi simulata affectatione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is à vero devius superbit; quoniam veritatis ea est regula, [a] ut nihil facias commendandi tui causâ, quo minor alius fiat: neque si quid boni habeas, id ad deformationem alterius & vituperationem exerceas.

124. Ne * defendas improbum, & sancta indigno committenda arbitreris: neque iterum urgeas & impugnes, cujus crimen non deprehenderis. Nam cùm in omnibus * injustitia cito offendat, tum maxime in Ecclesia, ubi æquitatem esse oportet, ubi æqualitatem haberi decet; ut nihil sibi potentior plus vindicet, nihil plus usurpet ditior. Sive enim pauper, sive dives, in Christo unum sunt. Nihil sanctior plus sibi arroget; ipsum enim par est esse humiliorem.

125. Sed nec personam alterius accipiamus in judicio: gratia absit, [b] causæ merita decernant. Nihil sic opinionem, immo fidem gravat, quam si in judicando potentiori dones causam inferioris: vel pauperem innocentem arguas, divitem excuses reum culpæ. Pronum quidem est genus hominum favere honoratioribus, ne læsos se se putent, ne victi doleant. Sed primum si offensam vereris, * non recipias judicium: si sacerdos es, aut si quisquam alius, non lacessas. Licet tibi silere in negotio dumtaxat pecuniario; quamquam sit constantiæ adesse æquitati. In causa autem Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare peccatum est non leve.

CAPUT XXV.

Beneficia in pauperes potius conferenda quam in divites; hos enim aut quæsitam à se beneficii vicem putare, aut indignari quod videantur hinc facti debitores: pauperes vero & debitorem pro se Deum ipsum constituere, & libenter accepta beneficia confiteri. Quibus additur ad pecuniæ contemtum adhortatio.

126. Quid autem & tibi prodest favere diviti? An quia citiùs amantem remuneratur? * His enim favemus frequentius, à quibus referendæ vicem speramus gratiæ. Sed eo magis infirmo & inopi nos studere convenit; quia pro eo qui non habet, remunerationem speramus à Domino Jesu: qui sub specie convivii generalem virtutum edidit formam; ut his potius nostra conferamus beneficia, qui nobis ea non possunt repræsentare, docens ad convivium atque epulas non eos qui divites sunt, sed pauperes invitandos. Divites enim rogari videntur, ut ipsi quoque nobis reddant convivium: pauperes, quia non habent quod restituant, cùm acceperint, remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro paupere obligandum obtulit. Luc. 14. 12. & 13.

127. Ad ipsum quoque sæculi usum collatio beneficii facta in pauperes magis quam in locupletes plus juvat; * quia dives dedignatur beneficium, & pudet eum debitorem esse gratiæ. Quin etiam id quod collatum est sibi, meritis suis arrogat, quod velut debitum acceperit, vel ideo datum sit eo quod is qui dedit, reddendum sibi à divite uberius existimaverit. Ita in accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint divites, dedisse se magis quam accepisse existimant: * pauper vero etsi non habet unde reddat pecuniam, refert gratiam. In quo certum est quod plus reddat, quam acceperit; pecunia enim nummo solvitur, gratia numquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecunia: gratia autem & habendo solvitur, & solvendo retinetur. Deinde quod dives refugit, pauper fatetur quod sit obligatus debito, sibique subventum, non honori suo delatum putat: donatos sibi arbitratur filios, vitam redditam, servatam familiam. Quanto igitur melius apud bonos, quam apud ingratos locare beneficium?

128. Unde Dominus ad discipulos ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*; Matth. 10. 9. qua velut falce, pullulantem in pectoribus humanis succidit avaritiam. Petrus quoque claudo, qui ex utero matris suæ portabatur, ait: *Argentum & aurum non habeo: sed quod habeo, do tibi. In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Act. 3. 6. Itaque pecuniam non dedit, sanitatem dedit. Quanto melius est salutem habere sine pecunia, quàm pecuniam sine salute. Surrexit claudus, quod non sperabat: pecuniam non accepit, quam sperabat. Sed hæc vix in sanctis Domini reperiuntur, ut divitiæ contemtui sint.

*. Clericos episcopo suo perinde ac Deo ipsi morem gerere oportere beatus Ignatius multis epistolarum locis præcipit, maxime vero epist. ad Ephes. epist. ad Magnes. & epist. ad Trallian. Cyprianus vero epist. 55. & 65. docet non aliunde exoriri solere hæreses atque schismata, nisi ex eo quod præsulibus suis obedire cleri detrectent ac refugiant. Cujus quidem rei exemplum luctuosum in Arrio proponit Theodoretus Hist. Eccl. lib. 1. cap. 2. & in aliis alii.

a. Codex Thuan. *ut nihil fuci commendandi tui* &c. non male, si verbum aliquod subintelligas, quod forte à scriptore fuerit prætermissum.

*. Cic. lib. 2. Offic pag. 181. lin. 21. *Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum est, neque umquam innocentem judicio capitis accersas.... Nec tamen ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni contrarium* &c.

*. Ibidem pag. 384. lin. 48. *Extremum autem præceptum.... ne quid contendas* &c.

b. Omnes edit ac mss. aliquot, *causam merita decernant*, mss. nonnulli, *discernant*: Thuan. vero & antiquissimi quique, *causæ merita decernant*; id est, confligant, ac decertent.

*. His verbis non obscure innuere videtur Ambrosius, episcopis licitum fuisse causarum ac litium sæcularium recusare arbitrium: cùm tamen alii hoc munus ab Apostolo 1. Cor. cap. 6. ℣. 1. & seq. ipsis impositum fuisse contendant. Verumtamen observat Augustinus lib. de Opere Monach. cap. 15. à Paulo ipso impetrari non potuisse, ut hujusmodi munia exerceret. Quin immo ipsemet Christus Dominus delatam ad se de patrimonio quod fratrum duorum alter cum altero dividere nolebat, querelam non admisit. Quid igitur mirum, si sanctissimos quosque antistites hanc litium decidendarum necessitatem, sibi populorum improbitate obtrusam, tam frequenter, tamque graviter questos reperiamus.

*. Cic. lib. 2 pag. 384 lin. 24. *A quo enim expeditior & celerior remuneratio fore videtur* &c.

* Ibidem lin. 29. *At qui se locupletes honoratos* &c.

*. Ibidem lin 33. *At vero ille tenuis, cùm quidquid factum sit, se spectatum putet* &c.

CAPUT XXVI.

Quam vetus malum sit avaritia, multis veteris testamenti exemplis clarum esse; hincque præterea patere quam inanis sit pecuniarum possessio.

129. CEterum ita incubuerunt * mores hominum admiratione divitiarum, ut nemo nisi dives honore dignus putetur. Neque hic recens usus: sed jamdudum, quod pejus est, inolevit hoc vitium humanis mentibus. Siqui- B dem cùm Hiericho magna civitas tubarum sacerdotalium sono corruisset, & Jesus Nave potiretur victoria, cognovit infirmatam esse virtutem populi per avaritiam, atque auri cupiditatem. Nam cùm de spoliis urbis incensæ sustulisset Achar vestem auream, & ducenta argenti didrachmata, [a] & linguam auream, oblatus Domino negare non potuit, sed prodidit furtum. (Josue 7. 19. & seq.)

130. Vetus igitur & antiqua avaritia est, quæ C cum ipsius divinæ legis cœpit oraculis, immo propter ipsam reprimendam lex delata est. (Exod. 20. 16.) Propter avaritiam Balach putavit Balaam præmiis posse tentari, ut malediceret populum patrum: & vicisset avaritia, nisi Dominus à maledicto [b] eum abstinere jussisset. (Num. 22. 7. & seq.) Propter avaritiam præcipitatus Achar, in exitium deduxerat totam plebem parentum. Itaque Jesus Nave, qui potuit solem statuere, ne procederet, avaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. D Ad vocem ejus sol stetit, avaritia non stetit. (Josue 10. 12. & 13.) Sole itaque stante, confecit Jesus triumphum: avaritia autem procedente, pene amisit victoriam.

131. Quid fortissimum omnium Samson, nonne Dalilæ mulieris avaritia decepit? (Judic. 16. 5. & seq.) Itaque ille qui rugientem leonem manibus discerpsit suis, qui vinctus & alienigenis traditus, sine ullo adjutore solus dissolutis vinculis, mille ex his peremit viros: qui funes intextis nervis velut mol- E lia sparti fila disrupit; is super genua mulieris inflexâ cervice truncatus, invicti crinis ornatum, prærogativam suæ virtutis amisit. Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia.

132. Feralis igitur avaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non juvat. * Esto tamen ut aliquando adjuvet pecunia, inferiorem tamen & ipsam desiderantem. Quid ad eum qui non desiderat, qui non F requirit, qui auxilio ejus non indiget, studio non flectitur? Quid ad alios, si sit ille copiosior qui habet? Numquid idcirco honestior; quia habet quo honestas plerumque amittitur, quia habet quod custodiat magis, quam quod possideat? ILLUD ENIM possidemus quo uti- A mur: quod autem ultra usum est, non utique habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum.

CAPUT XXVII.

In pecuniæ contemtu inesse formam justitiæ: quam virtutem nec non alias nonnullas sectari debent tam clerici quam antistites; ubi potissimum de non ferenda præcipitanter excommunicatione.

133. AD summam novimus quod pecuniæ contemtus justitiæ forma sit; & ideo avaritiam declinare debemus; & omni studio intendere, ne quid faciamus umquam adversus justitiam; sed in omnibus gestis & operibus custodiamus eam.

134. Si volumus commendare nos Deo, caritatem habeamus, unanimes simus, humilitatem sequamur; alterutrum existimantes superiorem sibi. Hæc est enim humilitas, si nihil sibi quis atroget; & inferiorem se esse existimet. Episcopus ut membris suis utatur clericis, & maxime ministris qui sunt vere filii: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet.

135. * Cùm dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono absciditur. Sic episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscidere: postremo quod sanari non potest, cum dolore abscidere. Unde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, ut cogitemus non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum. (Phil. 2. 4.) Hoc enim modo nihil erit, quod vel irati nostro indulgeamus affectui, vel faventes nostræ plus justo tribuamus aliquid voluntati.

CAPUT XXVIII.

Misericordiam etiam cum invidia propria largius exercendam: ad quod refertur memorabilis vasorum sacrorum in captivorum redemtionem ab Ambrosio fractorum historia, & pulcherrima de auri & argenti quæ Ecclesia possidet, legitimo usu præcipiuntur. Hinc postquam ex facto sancti Laurentii quinam veri sint Ecclesiæ thesauri ostensum est, regulæ in conflandis atque impendendis vasis initiatis servandæ proponuntur.

136. HOc maximum incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus; & plus interdum quam possumus. (Dist. 86. cap. Pulcra. §. Compatiamur.) Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel invidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam; ut nos aliquando in invi-

*. Cic. lib. 2. Offic. pag. 384. lin. 43. *Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum* &c.

a. Ita Era. cum sequent. edit. ac potioribus mss. Amerb. vero, *lineam*, & mss. non pauci, *regulam*, aliqui, *laminam auream*. Et infra ubi nos cum melioris ævi cod. *lex delata est*: alii partim cum ant. edit. *lex Dei data est*, partim cum Rom. *lex Dei lata est*.

b. Omnes edit. *eum abstinere vetuisset*, contrario & inepto sensu, cui tamen etiam omnes mss. patrocinantur, excepto Fulliac. quem hoc loco ceteris ducimus præponendum.

*. Cic. lib. 2. pag. 384. lin. 45. *Illum fortasse adjuvat, qui habet* &c.

*. Eodem pietatis sensu hîc affectum se ostendit Ambrosius noster, quo Ecclesia filiorum suorum mater amantissima moveri se se contestatur, dum generalibus in Conciliis à suo corpore quempiam cogitur abscindere. Ephesina Synodus act. 1. in sententia contra Nestorium lata loquitur in hunc modum: *Coacti per sacros canones, & epistolam sanctissimi patris nostri & comministri Calestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus*. Conc. quoque Calcedonense act. etiam 1. & Constant. 7. adversus Eutychen ita lamentantur: *Unde lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem, decrevimus* &c. Vide similiter in Conc. Calced. act. 3. Patrum adversus Dioscorum subscriptiones, imprimis vero Maximi, Cyri, Constantini, Patricii atque Epiphanii.

diam incidimus, quod confregerimus * vasa mystica, ut captivos redimeremus, quod arrianis displicere potuerat; nec tam factum displiceret, quam ut esset quod in nobis reprehenderetur. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur à morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt: adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur?

137. Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosequuti sumus, ut confiteremur, multoque fuisse commodius adstrueremus, ut animas Domino quam aurum servaremus. Qui enim sine auro misit apostolos, Ecclesias sine auro congregavit. Aurum Ecclesia habet, non ut servet: sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerint? Nonne melius [a] conflant sacerdotes propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam ut sacrilegus contaminata asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame mori? Et certe habebas aurum, ministrasses alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercio sunt, nec redemti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut vasa viventium servares, quam metallorum.

Math. 10. 9. 11. quæst. 1. cap. Aurum. 4. Reg. 24. 13.

138. His non posset responsum referri. Quid enim diceres: Timui ne templo Dei ornatus deesset? Responderet: Aurum sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. ORNATUS sacramentorum redemtio captivorum est. Vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnoscitur, cùm in utroque viderit redemtionem; ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redimit. Quam pulcrum, ut cùm [b] agmina captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit. Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum utile, ecce aurum Christi quod à morte liberat, ecce aurum quo redimitur pudicitia, servatur castitas.

139. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quam aurum reservare. Hic numerus captivorum, hic ordo præstantior est, quam species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum Redemtoris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solùm irrutilasse, verum etiam divinæ operationis impressisse virtutem redemtionis munere.

140. Tale aurum sanctus martyr Laurentius Domino reservavit, à quo cùm quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit se demonstraturum. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus fides est. Denique Apostolus ait: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Quos meliores thesauros habet Christus, quam eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me.* Et infra: *Quod enim uni horum fecistis, mihi fecistis.* Quos meliores Jesus habet thesauros, quam eos in quibus amat videri?

2. Cor. 4. 7. Matt. 25. 35. Ibidem 40.

141. Hos thesauros demonstravit Laurentius, & vicit, quòd eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Joachim qui aurum in obsidione servabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ; & aurum vidit eripi, & se in captivitatem deduci. Laurentius qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quam persecutori reservare, pro singulari suæ interpretationis vivacitate sacram martyrii accepit coronam. Numquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere?

4. Reg. 24. 13.

142. Opus est ut quis fide sincera & perspicaci providentia munus hoc impleat. Sane si in sua aliquis derivat emolumenta, crimen est: sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere: Cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redemti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei est ædificatum: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.

12. q. 2. cap. Aurum. §. Nemo potest.

143. Opus est ut de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo intra Ecclesiam primum quæsita sunt vasa quæ initiata non essent: deinde comminuta, postremo conflata, [c] per minutias erogationis dispensata egentibus, captivorum quoque pretiis profecerunt. Quod si desunt nova, & quæ nequaquam initiata videantur, in hujusmodi usus, quos supra diximus, arbitror omnia pie posse converti.

*. Discimus ex hoc toto capite jam inde à primis sæculis in Ecclesia fuisse vasa pretiosa, quorum alia ad usum sacramentorum initiata & consecrata essent; alia minime, sed tantum ad decus & ornamentum: utraque vero tam multa exstitisse, ut redimendæ innumerorum captivorum multitudini sufficerent. Hinc præterea intelligimus auream illam Ecclesiæ supellectilem Ambrosio nullo modo fuisse improbatam, cùm non nisi certis ac definitis casibus, & deficientibus aliis subsidiis eam jure distrahi posse concedat. Itaque sicubi nonnulli sancti Patres, ut Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum, Chrysostomus hom. 52. in Matth. & 60. ad populum Antioch. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 88. & Bernardus cap. 11. Apologiæ, videntur aureorum argenteorumve ornamentorum in Ecclesiis usum condemnare; ita mens eorum interpretanda est, ut non usum legitimum, sed abusum proscriptum velint, videlicet aut luxum & fastum plane profanum, aut præposteram eorum religionem qui multos pauperes perire, quam aureum aliquod vasculum è sacrario decedere levius ferrent. Hoc autem animo fuisse agnoscimus arrianos illos, qui sancto nostro invidiam hujus numquam satis laudati facinoris occasione conflare moliebantur. Huc refer quæ supra habentur pag. 86. num. 70. ubi quo tempore ea acciderint subnotavimus, sicut & in Admonit. nostra ad hos de Offic. Minist. libros.

a. Era. & edit. seq. cum mss. nonnullis, *conflat sacerdos propter alimoniam* (edit. Rom. *pro alimonia*) *pauperum .... quam sacrilegus contaminata asportet*, quidam mss. *contaminat, adsportat hostis.* Rom edit. *quam ut sacrilegus contaminet & asportet* &c. Amerb. cum aliis longe plurimis, ut in textu, nisi quod aliqui mss. pro, *sacrilegus*, legunt *sacrilegiis.*

b. Codex Thuan. & alii magno numero, *agmina peccatorum.*

c. Edit. ac multi mss. *per minutas erogationes*: Thuan. vero & alii aliquot bonæ notæ, *per minutias erogationis.*

CAPUT XXIX.

Deposita viduarum, immo omnium fidelium in Ecclesia cum sui etiam periculo defendi oportere: quæ res Oniæ sacerdotis, Ambrosii, ac Ticinensis Episcopi exemplis lucem capit.

144. Illud sane diligenter intuendum est, ut deposita viduarum intemerata maneant, sine ulla serventur offensione, non solum viduarum, sed etiam omnium; fides enim exhibenda omnibus est, sed major est viduarum causa & pupillorum.

2. Machab. 3. 10. & seq.

145. Denique hoc solo viduarum nomine, sicut in libris Machabæorum legimus, commendatum templo omne servatum est. Nam cùm indicium factum esset pecuniarum, quas in templo Hierosolymis maximas reperiri posse Simon nefarius Antiocho regi prodidit, missus [a] in rem Heliodorus, ad templum venit, & summo sacerdoti aperuit indicii invidiam, & adventus sui causam.

146. Tunc sacerdos deposita esse dixit viduarum victualia & pupillorum: [b] quædam autem Hircani Tobiæ viri sancti, eaque demonstravit. Argenti talenta quadraginta erant, auri vero ducenta. Quæ cùm Heliodorus ereptum ire vellet, & regis vindicare commodis, sacerdotes ante altare jactaverunt se, induti sacerdotales stolas: & Deum vivum qui de depositis legem dederat, flentes invocabant, ut custodem se præceptorum præstaret suorum. Vultus vero & color summi sacerdotis immutatus declarabat dolorem animi, & mentis intentæ sollicitudinem. Flebant omnes, quod in contemtum locus venturus foret, si nec in Dei templo tuta fidei servaretur custodia: accinctæque mulieres pectus, & clausæ virgines pulsabant januam: ad muros alii currebant, per fenestras alii prospectabant, omnes ad cælum tendebant manus, orantes ut suis Dominus adesset legibus.

147. Heliodorus autem nec his territus, quod intenderat, urgebat, & satellitibus suis ærarium sepserat; cùm subito apparuit illi terribilis eques armis præfulgens aureis: equus autem ejus erat insigni ornatus opertorio. Alii quoque duo juvenes apparuerunt in virtute inclita, decore grato, cum splendore gloriæ, speciosi amictu, qui circumsteterunt eum, & utraque ex parte flagellabant sacrilegum, sine
A ulla intermissione continuato verbere. Quid multa? Circumfusus caligine in terram concidit, & evidenti divinæ operationis indicio exanimatus jacebat, nec ulla spes in eo residebat salutis. Oborta est lætitia metuentibus, metus superbis: dejectique ex amicis Heliodori quidam rogabant Oniam, vitam poscentes ei, quoniam supremum gerebat spiritum.

148. Rogante itaque sacerdote summo, iidem
B juvenes iterum Heliodoro apparuerunt, iisdem amicti vestibus, & dixerunt ad eum: Oniæ summo sacerdoti gratias age, propter quem tibi vita est reddita. Tu autem expertus Dei flagella, vade & nuntia tuis omnibus, quantam cognoveris templi religionem, & Dei potestatem. His dictis, non comparuerunt. Heliodorus itaque recepto spiritu, hostiam Domino obtulit, Oniæ sacerdoti gratias egit, & cum exercitu ad regem revertitur dicens: Si quem habes hos-
C tem, aut aliquem insidiatorem rerum tuarum, illuc illum dirige, & flagellatum recipies eum.

149. Servanda est igitur, filii, depositis fides, adhibenda diligentia. Egregie hinc vestrum enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis, quam vel vidua vel orphani tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur: si ostendatis plus apud vos mandatum Domini, quam divitis valere gratiam.

150. Meministis ipsi quoties adversus regales
D impetus pro viduarum, immo omnium depositis certamen subiimus. Commune hoc vobiscum mihi. Recens exemplum Ecclesiæ Ticinensis proferam, quæ viduæ depositum, quod susceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo qui sibi illud imperiali rescripto vindicare cupiebat, [c] clerici non tenebant auctoritatem: honorati quoque & intercessores dati non posse præceptis imperatoris obviari ferebant. Legebatur rescripti forma directior, magistri
E officiorum statuta, agens in rebus imminebat. Quid plura? [d] Traditum erat.

151. Tamen communicato mecum consilio, obsedit sanctus episcopus ea conclavia, ad quæ translatum illud depositum viduæ cognoverat. Quod ubi non potuit auferri, receptum sub chirographo est. Postea iterum flagitabatur ex chirographo: præceptum imperator iteraverat, ut ipse per semetipsum nos conveniret. Negatum est: & exposita divinæ legis auctoritate, & serie lectionis, & Heliodori periculo, vix tan-

a. Edit. omnes ac plerique mss. *missus in Hierusalem*: verum potiores antiquioresque constanter legunt, *missus in rem*. supple *præsentem*, id est, in ipsum locum.

b. *Quædam autem .... auri vero ducenta*, desunt istæc omnia in Thuan. aliisque pluribus ac melioris ævi cod. Et proinde nobis majorem in modum suspecta fuere. Attamen cùm in nonnullis, atque omnibus edit. habeantur eis spongiam inducendam non putavimus.

c. Mss. plures & antiq. *Clerici contendebant auctoritatem*: quatuor, *contemnebant auctoritatem*: unus, *obtendebant*: alius, *non tenebant, contendebant auctoritatem*. Attamen videtur potior aliorum & edit. lectio; nisi quis id velit per *contendebant*, significari, clericos interdixisse ac verbis amplificasse Cæsaream auctoritatem; propterea quod ei cederent: quod non male cohæret cum sequentibus. Infra vero ubi edit. Amerb. & Era. cum mss. aliquot, *Legebatur rescripti forma directior, magister officiorum statuta agens in rebus imminebat*. Gill. autem ac Rom. cum mss. etiam nonnullis, *Legebatur rescripti forma, directio magistri, officiorum* &c. Quidam mss .... *rescripti forma directi, magister*: quidam etiam, *rescripti forma, direptio magistri*: reliqui tandem in quibus Thuan. & alii probatioris notæ, ut nos in textu. Porro quid esset rescriptum, quibusve nominibus diceretur priore tomo pag. jam diximus: de quo etiam videas licet J. C. Bulengeri lib. 3. *de Imperat. Rom.* cap. 11. Sunt autem alia quædam vocabula, quæ ne moræ sint legenti, explicabimus. *Interpellare* hoc loco idem est ac compellare, convenire &, juridice postulare. *Honorati* non alii intelliguntur quam qui publicis muneribus ante defuncti, emerito honore pollebant. Sic non solum hic & lib. 3. cap. 7. sed etiam apud scriptores Ambrosio æquales suppares ve, nec non in Cod. Theod. tit. *de Officio Jud.* ea vox accipienda est. Vide Cassiod. *Variarum* lib. 2. epist. 3. 4. 8. 29. 40. Adi similiter eumdem Bulenger. *de Imperio Rom.* lib. 2. cap. 16. *Intercessores*, teste Gothofrido in lib 1. *de Pignoribus*, erant ii qui à rectoribus provinciarum exsequutores dabantur. *Magister Officiorum* palatinis præerat officiis. *Agentes* autem *in rebus dicti sunt*, quod sub Magistro Officiorum agerent, ut docet Gothofridus, Tit. *de Agentibus in rebus*: Bulengerus vero de hoc utroque officio tractat lib. 3. *de Imperio Rom.* cap. 14. & lib. 6. cap. 42. Postremo dicitur *rescripti forma directior*, id est, plana & aperta, nec ullis ambagibus involuta. De illo autem viduæ deposito apud Ecclesiam Ticinensem egimus in Admonit. in hosce de Offic. libros.

d. Mss. Divion. *creditum erat*. Mss. Feron. & Laud. *tradendum erat*. Sed nihil mutandum in lectione aliorum atque edit. sæpe enim per præteritum efferimus, quod statim futurum significamus; ut cùm dicimus, hoc factum puta, vel urbs capta erat, nisi auxilió venisset &c.

dem rationem imperator accepit. Post etiam A tentata fuerat obreptio; sed prævenit sanctus episcopus, ut redderet viduæ quod acceperat. Fides interim salva est: [a] impressio non est formidini; quia jam res, non fides periclitatur.

CAPUT XXX.

Libri conclusio per exhortationem ad fugiendos invidos, atque ad prudentiam, fidem aliasque virtutes prosequendas.

152. FIlii, fugite improbos, cavete invidos. Inter improbum & invidum hoc interest, improbus suo delectatur bono, invidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit; ut prope tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quam qui male omnibus.

153. Filii, ante factum cogitate: & cùm diutius cogitaveritis, tunc facite quod probatis. [b] Laudabilis mortis cùm occasio datur, rapienda est illico. Dilata gloria fugit, nec facile comprehenditur.

154. Fidem diligite, quoniam per fidem & devotionem Josias magnum sibi [c] ab adversariis amorem adquisivit; quoniam celebravit pascha Domini, cùm esset annorum decem & octo, quemadmodum nemo ante eum. Zelo itaque ut vicit superiores, ita & vos, filii, zelum Dei sumite. Exquirat vos Dei zelus & devoret; ut unusquisque vestrum dicat: *Exquisivit me zelus domus tuæ.* Apostolus Christi zelotes dictus est. Quid de Apostolo dico? Ipse Dominus ait? *Zelus domus tuæ comedit me.* Sit ergo Dei zelus, B non iste humanus quem invidia generat. 4. Reg. 23. 21. & seq. Psal. 68. 10. Luc 6. 15. Johan. 2. 17.

155. Sit inter vos pax, quæ superat omnem sensum. Amate vos invicem. Nihil caritate dulcius, nihil pace gratius. Et vos ipsi scitis quod præ ceteris vos semper dilexi & diligo: quasi unius patris filii coaluistis in affectum germanitatis.

156. Quæ bona sunt tenete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum in Domino Jesu: cui est honor, gloria, magnificentia, potestas, cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

a. Vet. edit. *oppressio non est formidini.* Rursus vero ubi eædem cum Rom. & pluribus mss. *quia jam res, non fides periclitatur:* cod. Thuan. & alii aliquot, *quia res non est, fides periclitabatur.* Sed forte *non est*, librarii lapsu scriptum est, pro *non &*, sive, *non etiam*; nisi hic quoque fuerit transpositio pro, *& non.*

b. Omnes edit. cum mss. nonnullis, *Laudabilis mors, cùm occasio* &c. Cod. Thuan. & alii probatiores, *Laudabilis mortis* &c. Magis apposite; non enim omnis mors laudabilis, nec proinde quælibet mortis occasio rapienda.

c. Ita mss. plures ac potiores: non pauci tamen atque omnes edit. *ab universis* Veri tamen similius est hoc loco alludere Ambrosium ad id quod lib. 2. Paralip. cap. 35. memoratur cum eo regem Ægypti non nisi invitum, & postquam amanter eum dissuadere conatus esset, manus conseruisse.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

A Davide ac Salomone nobis præceptum, qua ratione cum corde nostro conversandum sit, proindeque Scipionem dicti, quod ei tribuitur, primum auctorem non reputandum. Quam pulcra in otio suo perpetraverint sancti prophetæ: horum atque aliorum otia conferuntur, ostenditurque numquam solum aut in angusto justum esse.

1. DAvid propheta docuit nos tamquam in ampla domo deambulare in corde nostro, & conversari cum eo tamquam cum bono contubernali; ut ipse sibi diceret, & loqueretur
Psal. 38. 2. secum, ut est illud: *Dixi, custodiam vias meas.*
Prov. 5. 15. Salomon quoque filius ejus ait: *Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus;* hoc est
Prov. 20. 5. tuo consilio utere. *Aqua enim alta, consilium in*
Prov. 5. 17. & 18. *corde viri. Nemo*, inquit, *alienus particeps sit tibi. Fons aquæ tuæ sit tibi proprius: & jucundare cum uxore, quæ est tibi à juventute. Cervus amicitiæ, & pullus gratiarum confabulentur tecum.*

2. Non ergo primus * Scipio scivit solus non esse, cùm solus esset; [a] nec minus otiosus, cùm
Exod. 14. 15. otiosus esset: scivit ante ipsum Moyses, qui cùm taceret, clamabat: cùm otiosus staret, præliaba-
Ibidem 17. 11. & seq. tur; nec solum præliabatur, sed etiam de hostibus, quos non contigerat, triumphabat. Adeo otiosus, ut manus ejus alij sustinerent: nec minus A quam ceteri negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere qui dimicabant. Ergo Moyses & in silentio loquebatur, & in otio operabatur. Cujus autem majora negotia, quam hujus otia, qui quadraginta diebus positus in monte, totam Legem complexus est, & in illa solitudine qui cum eo loqueretur, non defuit? Unde & David ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et quanto plus est si cum aliquo Deus loquatur, quam ipse secum? Ibidem 24. 15. & seq. Psal. 84. 9.

3. Transibant apostoli, & umbra eorum curabat infirmos. Tangebantur vestimenta eorum, & sanitas deferebatur. B Act. 5. 16.

4. Sermonem loquutus est Elias, & pluvia stetit, nec cecidit super terram tribus annis & sex mensibus. Iterum loquutus est, & hydria farinæ non defecit, & vas olei toto famis diurnæ tempore non est exinanitum. 3. Reg. 17. 1. & seq.

5. Et quoniam plerosque delectant bellica, quid est præstantius, exercitus [b] magni lacertis, C an solis meritis confecisse prælium? Sedebat Elisæus in uno loco, & rex Syriæ magnam belli molem inferebat populo patrum, diversisque consiliorum acervabat fraudibus, & circumvenire insidiis moliebatur: sed omnes ejus apparatus propheta deprehendebat, & vigore mentis per gratiam Dei ubique præsens, cogitationes hostium suis annunciabat, & monebat qui- 4. Reg. 6. 8. & seq.

*. Cic. lib. 3. Offic. statim initio: *Publium Scipionem, Marce fili, eum qui primus* &c. De hac autem sententia multo fusius disputat Ambrosius epist. 5. ad Sabinum.

a. Vet. edit. *nec minus negotiosus, cùm otiosus esset*, Rom. cum mss. prope omnibus, *nec minus otiosus, cùm* &c. Sententiam autem hanc cùm non satis adsequerentur, qui ultimis Paris. edit. præfuerunt, particulam *quam*, ante voces, *cùm otiosus esset*, quasi sensui necessariam addidere. Sed eâ hoc loci non est opus, cùm procul dubio ellipsis quædam sit ita supplenda: *Nec primus scivit minus otiosus esse, cùm otiosus esset.* Duo tamen codices legunt, *nec minus pugnares quam ceteri, nec otiosus esset* &c. Non satis apte.

b. Amerb. Gill. ac mss. non pauci, *magnis lacertis*; melius tamen, *magni lacertis*, ut in ceteris. Et continuo post, Era. & seq. edit. cum paucissimis mss *suis meritis*; Amerb. vero cum aliis longe plurimis ac probatissimis, *solis meritis.*

bus caverent locis. Quod ubi regi Syriæ manifestatum est, misso exercitu, clausit prophetam. Oravit Elisæus, & omnes illos cæcitate percuti fecit, & captivos intrare in Samariam, qui venerant obsidere eum.

6. Conferamus * hoc otium cum aliorum otio. Alii enim requiescendi causa abducere animum à negotiis solent, & à conventu cœtuque hominum subtrahere se se; & aut ruris petere secretum, captare agrorum solitudines, aut intra urbem vacare animo, indulgere quieti & tranquillitati: Elisæus autem aut in solitudine Jordanem transitu suo dividit; ut pars defluat posterior, superior autem in fontem recurrat: aut in Carmelo resoluta difficultate generandi, inopina sterilem conceptione fœcundat: aut resuscitat mortuos: aut ciborum temperat amaritudines, & facit farinæ admixtione dulcescere: aut decem panibus distributis, reliquias colligit, plebe saturata: aut ferrum securis excussum, & in fluvii Jordanis mersum profundum, misso in aquas ligno, facit supernatare: aut emundatione leprosum, aut siccitatem imbribus, aut famem mutat fœcunditate.

4. Reg. 2. 8. Ibidem 4. 16. & seq.

7. Quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est? Quando solitarius est, qui numquam separatur à Christo? *Quis nos*, inquit, *separabit à dilectione Christi? Confido quia neque mors, neque vita, neque Angelus.* Quando autem feriatur à negotio, qui numquam feriatur à merito, quo consummatur negotium? Quibus autem locis circumscribitur, cui totus mundus divitiarum possessio est? Qua æstimatione definitur, qui numquam opinione comprehenditur? Etenim quasi ignoratur, & cognoscitur: quasi moritur, & ecce vivit: quasi tristis, & semper lætior: ut egenus, & largus: ut qui nihil habeat, & possideat omnia. Nihil enim spectat vir justus, nisi quod constans & honestum est. Et ideo etiamsi alii videatur pauper, sibi dives est: qui non eorum quæ caduca, sed eorum quæ æterna sunt, æstimatione censetur.

Rom. 8. 35. 2. Cor. 6. 8.

CAPUT II.

Quod philosophi de honesti atque utilis comparatione disputant, hoc apud Christianos locum non habere, quibus nihil utile nisi quod justum. Quæ officia perfecta, quæve media? Easdem voces diversis diverse convenire: postremo virum justum numquam alieno incommodo commodum suum quærere, sed contra semper aliorum studere utilitati.

8. ET quoniam de duobus superioribus locis diximus, in quibus * honestum illud & utile tractavimus, sequitur utrum honestatem & utilitatem inter se comparare debeamus, & quærere quid sit sequendum. Sicut enim supra tractavimus, utrum honestum illud an turpe esset, & secundo loco, utrum utile an inutile: similiter hoc loco, utrùm [a] honestum sit an utile nonnulli requirendum putant.

9. Nos autem movemur, ne hæc inter se velut compugnantia inducere videamur, quæ jam supra unum esse ostendimus: * nec honestum esse posse, nisi quod utile: nec utile, nisi quod honestum; quia non sequimur sapientiam carnis, apud quam utilitas pecuniariæ istius commoditatis pluris habetur, sed sapientiam quæ ex Deo est, apud quam ea quæ in hoc sæculo magna æstimantur, pro detrimento habentur.

10. Hoc etenim κατόρθωμα, quod * perfectum & absolutum officium est, à vero virtutis fonte proficiscitur. Cui secundum est commune officium, quod ipso sermone significatur non esse arduæ virtutis ac singularis, quod potest plurimis esse commune. Nam pecuniæ compendia captare familiare multis, elegantiori convivio & suavioribus delectari epulis usitatum est: jejunare autem & continentem esse paucorum est; & alieni cupidum non esse, rarum: contra autem detrahere velle alteri, & non esse contentum suo; nam in hoc cum plerisque consortium est. Alia igitur prima, alia * media officia. Prima cum paucis, media cum pluribus.

11. Denique in iisdem verbis frequenter discretio est. Aliter enim bonum Deum dicimus, aliter hominem: aliter justum * Deum appellamus, aliter hominem. Similiter & sapientem Deum aliter dicimus, aliter hominem. Quod & in Evangelio docemur: *Estote ergo & vos perfecti, sicut & pater vester qui in cælis est, perfectus est.* Ipsum Paulum lego perfectum & non perfectum. Nam cùm dixisset: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem si comprehendam*, statim subjecit: *Quicumque ergo perfecti sumus.* Duplex enim forma perfectionis: alia medios, alia plenos numeros habens: alia hîc, alia ibi: alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuri. Deus autem justus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus.

Matth. 5. 48. Phil. 3. 12. Ibidem 15.

12. Inter ipsos quoque homines distantia est. Aliter Daniel sapiens, de quo dictum est: *Quis Daniele sapientior?* Aliter alii sapientes, aliter Salomon, qui repletus est sapientia super omnem sapientiam antiquorum, & super omnes sapientes Ægypti. Aliud est enim communiter sapere, aliud sapere perfecte. * Qui communiter sapit, pro temporalibus sapit, pro se sapit; ut alteri aliquid detrahat, & sibi adjungat. Qui perfecte sapit, nescit sua spectare commoda: sed ad illud quod æternum est, quod decorum atque honestum, toto affectu intendit, quærens non quod sibi utile est, sed quod omnibus.

Ezech. 28. 3. 3. Reg. 4. 29. & seq.

13 Itaque * hæc sit formula, ut inter duo illa, honestum atque utile, errare nequeamus; eo quod

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 387. lin. 47. *Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc solitudo* &c.

*. Ibidem pag. 388. lin. 30. *Panætius igitur .... tribus generibus propositis* &c.

a. MSS. nonnulli, & ultimæ edit. Paris. *honestum sit an inutile:* concinnius reliqui .... *an utile.* Rursus vero ubi omnes edit. *Nos autem monemus:* mss. fere ad unum præferunt, *Nos autem movemur*, haud incommode; idem si quidem est, ac si scriptum sit, *Nos autem veremur* &c.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 389. lin. 3. *Nam sive honestum solum bonum est, ut stoicis places* &c.

*. Ibidem lin. 15. *Etenim quod summum bonum à stoicis dicitur, convenienter* &c.

*. Ibidem lin. 23. *Hæc igitur omnia officia .... media stoici appellant, ea communia* &c.

*. Ibidem lin. 36. *Nec vero cùm duo Decii, aut duo Scipiones fortes viri commemorantur, aut cum Fabritius* &c.

*. Ibidem lin 48. *Qui autem omnia metiuntur emolumentis, & commodis, neque ea volunt* &c.

*. Ibidem pag. 390. lin. 11. *Itaque ut sine errore dijudicare possimus .... formula quadam constituenda est* &c. Et infra lin. 21. *Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem* &c.

justus nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo suum commodum augeri velit. Hanc formam tibi præscribit Apostolus dicens: 1. Cor. 10. 24. *Omnia licent, sed non omnia expediunt: omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius;* hoc est, nemo commodum suum quærat, sed alterius: nemo honorem suum quærat, sed alterius. Unde & alibi dicit: Philip. 2. 3. & 4. *Alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum.*

14. Nemo etiam suam gratiam quærat, nemo suam laudem, sed alterius. Quod evidenter etiam in Proverbiis declaratum possumus advertere, dicente sancto per Salomonem Spiritu: Prov. 9. 12. *Fili, si sapiens fueris, tibi sapiens eris & proximis: si autem malus evaseris, solus hauries mala.* Sapiens enim aliis consulit, sicut justus; quando quidem consors sui est, utriusque forma virtutis.

CAPUT III.

Præmissum de non quærendo proprio emolumento præceptum urgetur, primùm à Christi exemplo, tum ab interpretatione nominis, denique ab ipsa membrorum forma & usibus. Unde ostendit quam flagitiosum sit alienæ utilitati detrahere; cùm hoc scelere naturalis lex æque ac divina violetur, atque insuper illud amittatur quo præstamus ceteris animantibus, ad postremum leges civiles cum summa infamia conculcentur.

15. SI quis igitur vult placere omnibus, per omnia quærat non quod sibi utile est, sed quod multis, sicut quærebat & Paulus. Hoc est enim conformari Christo, alienum non quærere, nihil alteri detrahere, ut adquirat sibi. Philip. 2. 6. & seq. Christus enim Dominus cùm esset in Dei forma, exinanivit se, ut formam susciperet hominis, quam operum suorum locupletaret virtutibus. Tu ergo spolias, quem Christus induit? Tu exuis, quem vestivit Christus? Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augere expetis.

16. Considera, ô homo, unde nomen sumseris; ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diversos in usum omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata humanitas specialis & domestica virtus hominis, quæ consortem adjuvet.

17. Ipsa te doceat * forma tui corporis, membrorumque usus. Numquid membrum tuum alterius membri officia sibi vindicat aut oculus officium oris, aut os oculi officium sibi vindicat, aut manus pedum ministerium, aut pes manuum? Quinetiam ipsæ manus dextera ac sinistra dispartita habent officia pleraque, ut si usum commutes utriusque, adversum naturam sit; priusque totum hominem exuas, quam membrorum tuorum ministeria convertas: si aut de sinistra cibum suggeras, aut de dextera fungaris ministerio sinistræ, ut reliquias ciborum abluas, nisi forte poscat necessitas.

18. Finge hanc & da oculo virtutem, ut possit detrahere sensum capiti, auditum auribus, A menti cogitationes, odoratum naribus, ori saporem, & sibi conferat; nonne omnem statum dissolvet naturæ? Unde pulcre Apostolus ait: 1. Cor. 12. 17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Omnes ergo unum corpus sumus & diversa membra, sed omnia corpori necessaria; non enim potest membrum de membro dicere: Non est mihi necessarium. Quinetiam ipsa quæ videntur infirmiora membra esse, multo magis necessaria sunt, & majorem plerumque tuendi se B requirunt sollicitudinem. Et si quid dolet membrum unum, compatiuntur ei membra omnia.

19. Unde quam grave est ut detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet: & cui debemus consortium ministerii, ei fraudi & noxæ simus. Hæc utique * lex naturæ est, quæ nos ad omnem adstringit humanitatem, ut alter alteri tamquam unius partes corporis invicem deferamus. Nec detrahendum quidquam putemus, cùm contra naturæ legem sit non juvare. Sic enim C nascimur ut consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio. Quod si unum desit officio suo, impediantur cetera: ut si eruat oculum manus, nonne sibi operis sui usum negavit? Si pedem vulneret, quantorum sibi actuum profectum inviderit? Et quanto gravius est totum hominem quam unum membrum detrahi? Jam si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totius humani- D tatis solvitur; violatur natura * generis humani, & sanctæ Ecclesiæ congregatio, quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei & caritatis adsurgit: Christus quoque Dominus, qui pro universis mortuus est, mercedem sanguinis sui evacuatam dolebit.

20. Quid quod etiam * ipsa lex Domini hanc formam tenendam edocet, ut nihil alteri detrahas, tui commodi servandi gratia, cùm dicit: *Non transferas terminos, quos statuerunt patres tui;* Prov. 22. 28. E cùm vitulum errantem fratris tui reducendum præcipit, Exod. 23. 4. cùm furem mori jubet, Exod. 22. 2. cùm vetat mercenarium debita mercede fraudari, Levit. 19. 13. cùm pecuniam sine usuris reddendam censuit. Deut. 23. 19. Subvenire enim non habenti humanitatis est: duritiæ autem plus extorquere quam dederis. Etenim [a] si ideo auxilio tuo erit opus, quia non habuit unde de suo redderet; nonne impium est, ut sub humanitatis simulatione amplius ab eo poscas, qui non habebat unde minus solveret? Absolvis igi- F tur alteri debitorem, ut condemnes tibi: & hanc humanitatem vocas, ubi est [b] iniquitatis auctio?

21. Hoc præstamus ceteris animantibus, quod alia genera animantium conferre aliquid nesciunt: feræ autem eripiunt, homines tribuunt. Unde & Psalmista ait: *Justus miseretur, & tribuit.* Psal. 36. 21. Sunt tamen quibus & feræ conferant. Siquidem collatione sobolem suam nutriunt, & aves cibo suo pullos satiant suos: homini autem soli tributum est, ut omnes tamquam suos pascat. Debet istud ipso naturæ jure. Quod si non licet non dare, quomodo detrahere licet? Nec ipsæ * leges

*. Cic lib. 3. Offic. pag. 390. lin. 27. *Ut enim si unumquodque membrum sensum hunc haberet* &c.

*. Ibidem lin. 32. *Illud quidem natura non patitur* &c.

*. Ibidem. lin. 37. *Atque hoc multo magis exigit ipsa natura ratio, quæ est lex divina & humana* &c.

a. Ita mss. longe plurimi atque antiquissimi: nonnulli tamen & omnes edit. *si ideo inops auxilio tuo eguit* &c.

b. Mss aliquot, *iniquitatis actio*. Minus commode.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 390. lin. 36. *Hoc enim spectant leges, hoc volunt* &c.

nos

nos docent ea quæ detracta sunt alicui cum injuria personæ, aut rei ipsius cumulo restitui jubent; quo furem à detrahendo, aut pœnis deterreant, aut multâ revocent. A

22. Pone tamen quod aliquis possit aut pœnam non timere, aut multæ illudere; numquid dignum est ut aliqui alteri detrahant? Servile hoc vitium, & familiare ultimæ conditioni; adeo contra naturam, ut inopia magis hoc extorquere videatur, quam natura suadere. Servorum tamen occulta furta, divitum rapinæ publicæ. B

* 23. Quid autem tam * contra naturam, quàm violare alterum tui commodi causa; cùm pro omnibus excubandum, subeundas molestias, suscipiendum laborem naturalis affectus persuadeat: & gloriosum unicuique ducatur, si periculis propriis quærat universorum tranquillitatem: multoque sibi unusquisque arbitretur gratius excidia patriæ repulisse, quam propria pericula: præstantiusque esse existimet quod operam suam patriæ impenderit, quam si in otio positus tranquillam vitam voluptatum copiis functus egisset. C

CAPUT IV.

Ubi strictius ostensum est eum qui commodi sui causa noceat alteri, graves conscientiæ suæ pœnas luiturum, colligitur uni utile nihil esse, quod itidem non sit omnibus: atque adeo proposita à philosophis de naufragis duobus quæstioni locum non esse apud christianos, quibus ubique caritas atque humilitas exercendæ sunt. D

* 24. HInc ergo * colligitur quod homo, qui secundum naturæ formatus est directionem, ut obediat ei, nocere non possit alteri: quod si cui noceat, naturam violet: neque tantum esse commodi quod adipisci se se putet, quantum incommodi, quod ex eo sibi accidat. Quæ enim pœna gravior, quam interioris vulnus conscientiæ? Quod severius judicium, quam domesticum, quo unusquisque sibi est reus, seque ipse arguit quod injuriam fratri indigne fecerit? E

a Quod non mediocriter a Scriptura commendat

Prov. 14. 3. dicens: *Ex ore stultorum baculum contumeliæ.* Stultitiâ igitur condemnatur, quia contumeliam facit.

* * Nonne hoc magis fugiendum, quam mors, quam dispendium, quam inopia, quam exsilium, quam debilitatis dolor? Quis enim vitium corporis, aut patrimonii damnum non levius ducat vitio animi, & existimationis dispendio.

25. * Liquet igitur b id spectandum & tenendum omnibus, quod eadem singulorum sit utilitas, quæ sit universorum: nihilque judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Quomodo enim potest c uni prodesse? Quod inutile sit omnibus, nocet. Mihi certe non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse. Etenim si una lex naturæ omnibus, una utique utilitas universorum, ad consulendum utique omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo ejus qui consultum velit alteri secundum naturam, nocere ei adversus legem naturæ. * b c

26. Etenim si hi * qui in stadio currunt, ita feruntur præceptis informari atque instrui, ut unusquisque celeritate non fraude contendat, cursuque, quantum potest, ad victoriam properet; supplantare autem alterum aut manu dejicere non ausit: quanto magis in hoc cursu vitæ istius, sine fraude alterius & circumscriptione d gerenda nobis victoria est? * d

27. Quærunt aliqui * si sapiens in naufragio positus insipienti naufrago tabulam extorquere possit, utrum debeat? Mihi quidem, etsi præstabilius communi videatur usui sapientem de naufragio quam insipientem evadere; tamen non videtur quod vir christianus, & justus, & sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat: ut pote qui etiam si latronem armatum incidat, * ferientem referire non possit; ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris aperta & evidens sententia est: *Recondе gladium tuum; omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur.* Quis latro detestabilior, quam persecutor qui venerat ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare. * * Matth 26. 52.

28. Cur enim * te potiorem altero judices, cùm viri sit christiani præferre sibi alterum, nihil sibi arrogare, nullum sibi honorem adsumere, non vindicare meriti sui pretium? Deinde cur non tuum tolerare potius incommodum, quam alienum commodum diripere adsuescas? Quid tam adversus naturam, quam non esse contentum eo quod habeas, aliena quærere, ambire turpiter? Nam si honestas secundum naturam, omnia enim fecit Deus bona valde, turpitudo utique contraria est. Non potest ergo honestati convenire & turpitudini, cùm hæc inter se discreta naturæ lege sint. *

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 390. lin. 45. *Itemque magis est secundum naturam pro omnibus gentibus* &c.

*. Ibidem pag. 391. lin. 1. *Ex quo efficitur hominem natura obedientem homini nocere non posse.*

a. Omnes edit. ac pauci mss. *Scriptura condemnat*: elegantius autem alii, *Scriptura commendat*. Hoc enim refertur ad domesticum judicium conscientiæ, quo de agitur.

*. Cic lib. 3. Offic. pag. 391. lin. 1. *Sin fugiendum id quidem censet, sed & multo illa pejora, mortem, paupertatem* &c.

*. Ibidem lin. 8. *Ergo unum debet esse omnibus* &c.

b. Mss. aliquot & edit. omnes, *id expetendum*: alii non pauci, *id exspectandum*: reliqui tandem etiam multi, *id spectandum*; quod aliis præstare negabit nemo.

c. Edit. omnes, at pauci nec non recentiores mss. *uni prodesse, quod inutile sit omnibus?* Alii paulo plures, *uni prodesse, quod omnibus noceat?* Quidam etiam utrumque .... *quod inutile est & omnibus nocet?* Aptius vero Thuan. ut in contextu. Iterum autem ubi cunctæ edit cum uno aut altero codice junioris manus, *utilitas universorum. Quod si una utilitas universorum, ad consulendum* &c. ceteri mss. omittunt quæ resecuimus.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 393. lin. 26. *Scitè Chrysippus .... qui stadia, inquit, currunt* &c.

d. Sic Amerb. cum longe plurimis vetustissimisque mss. Eta. autem & seq. edit. cum aliis, *quærenda nobis* &c.

*. Cic. lib. 3 Offic. pag. 391. lin. 24. *Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens* &c. Item pag. 400. lin. 20. *Si tabulam de naufragio stultus arripuerit* &c.

*. Ibidem lib. 2. pag. 376. lin. 22. *Si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque* &c. Item pro Milone, *Si vita nostra in aliquas insidias .... omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Confer cum hac Ambrosii doctrina quæ super eodem argumento tradit Tertullianus in Apologet. Cyprianus epist. ad Thebanos edit. Priorianæ 56. & 57. ad Cornelium Papam; Synodus Ancyr. can. 22. de homicidio involuntario, & Basilius epist. ad Amphiloch. can. 11. Ex his enim facile intelliges Doctorem nostrum non in Ciceronis aliorumque licet honestiorum inter paganos, sed in eadem Christi schola, qua sancti illi patres edoctum esse.

*. Ibidem pag. 391. lin. 39. *Modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans* &c.

CAPUT V.

Justum nihil agere quod sit contra officium, etiamsi latendi spem habuerit, ad hoc ipsum significandum fabulam de Gygis annulo excogitatam esse à philosophis, quâ explosâ, Davidis ac Johannis Baptistæ certa & vera exempla proferuntur.

29. SEd jam ut etiam * in hoc libro ponamus fastigium, in quo velut in fine disputationis nostræ dirigamus sententiam: ut nihil expetendum sit, nisi quod honestum. B a * Nihil agit sapiens, nisi quod cum sinceritate, sine fraude fit: neque quidquam facit, in quo se crimine quoquam obliget, etiamsi latere possit. Sibi enim est reus priusquam ceteris; nec tam pudenda apud eum publicatio flagitii, b quam conscientia est. Quod non fictis fabulis, ut philosophi disputant, sed verissimis justorum virorum exemplis docere possumus.

30. Non igitur ego simulabo terræ hiatum, C quæ magnis quibusdam dissiluerit * soluta imbribus, in quem descendisse Gyges, atque ibi fabularum illum equum æneum offendisse à Platone inducitur, qui in lateribus suis fores haberet: quas ubi aperuit, animadvertit annulum aureum in digito mortui hominis, cujus illic exanimum corpus jaceret, aurique avarum sustulisse annulum. Sed cùm se ad pastores recepisset regios, de quorum ipse numero foret, casu quodam, c quod palam ejus annuli ad palmam con- D verterat, ipse omnes videbat, atque à nullo videbatur: deinde cùm in locum suum revocasset annulum, videbatur ab omnibus. Cujus solers factus miraculi, per annuli opportunitatem reginæ stupro potitus, necem regi intulit, ceterisque interemtis, quos necandos putaverat, ne sibi impedimento forent, Lydiæ regnum adeptus est.

31. Da, inquit * hunc annulum sapienti, ut beneficio ejus possit latere, cùm deliquerit: non E enim minus fugiet peccatorum contagium, quam si non possit latere. NON ENIM latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia est. Denique *lex non justo, sed injusto posita est*; (1. Tim. 1. 9.) quia justus legem habet mentis suæ, & æquitatis ac justitiæ suæ normam: ideoque non terrore pœnæ revocatur à culpa, sed honestatis regula.

32. Ergo ut ad propositum redeamus, non fabulosa pro veris, sed vera pro fabulosis exempla proferam. Quid enim mihi opus est fingere hia- F tum terræ, equum æneum, annulumque aureum in digito defuncti repertum; cujus annuli tanta sit vis, ut pro arbitrio suo qui eum sit indutus an- A nulum, appareat, cùm velit: cùm autem nolit, è conspectu se præsentium subtrahat, ut præsens non possit videri? * Nempe eo tendit istud, utrum sapiens etiam si isto utatur annulo, quò possit propria flagitia celare, & regnum adsequi; nolitne peccare, & gravius ducat sceleris contagium pœnarum doloribus: an vero spe impunitatis utatur ad perpetrandum scelus? Quid, inquam, mihi opus est figmento annuli, cùm possim docere ex rebus gestis quod vir sapiens B cùm sibi in peccato non solùm latendum, sed etiam regnandum videret, si peccatum admitteret; contra autem periculum salutis cerneret, si declinaret flagitium; elegerit tamen magis salutis periculum, ut vacaret flagitio, quam flagitium quo sibi regnum pararet?

33. Denique David cùm fugeret à facie regis Saul, (1. Reg. 26. 2. & seq.) quod eum rex cum tribus millibus virorum electorum ad inferendam necem in deserto quæreret, ingressus in castra regis, cùm dormien- C tem offendisset, non solum ipse non percussit, sed etiam protexit; ne ab aliquo qui simul ingressus fuerat, perimeretur. Nam cùm diceret ei Abessa: *Conclusit hodie Dominus inimicum tuum in manibus tuis, & nunc occidam eum, respondit: Non consumas eum, quoniam quis injiciet manum suam in christum Domini, & purus erit?* (Ibidem 8. & seq.) Et addidit: *Vivit Dominus, quoniam nisi Dominus percusserit illum, aut nisi hora illius venerit, ut moriatur,* d *aut in pugna discesserit, & apponatur mihi; non sit à* D *Domino injicere manum meam in christum Domini.*

34. Itaque non permisit necari eum, sed solam lanceam quæ erat ad caput ejus, & lenticulam sustulit. Itaque dormientibus cunctis, egressus de castris transivit in cacumen montis, & coarguere cœpit stipatores regios, & præcipue principem militiæ Abner, quod nequaquam fidam custodiam regi & domino suo adhiberet: denique demonstraret, ubi esset lancea regis, vel lenticula quæ erat ad caput ejus. Et appellatus à E rege lanceam reddidit: *Et Dominus*, inquit, *restituat unicuique justitias suas, & fidem suam: sicut tradidit te Dominus in manus meas, & nolui* e *vindicare manu mea in christum Domini*. Et cùm hæc diceret, timebat tamen insidias ejus, & fugit, sedem exsilio mutans. Nec tamen salutem prætulit innocentiæ, cùm jam secundò facultate sibi tributa regis necandi, noluisset uti occasionis beneficio: quæ & securitatem salutis metuenti, & regnum offerebat exsuli.

35. F Ubi opus fuit Johanni Gygeo annulo, qui si tacuisset, non esset occisus ab Herode? (Marc. 6, 18.) Præstare hoc illi potuit silentium suum, ut & videretur & non occideretur: sed quia non solum

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 392. lin. 2. *Sed quoniam operi inchoato ... tamquam fastigium* &c.

a. Omnes edit. *Nihil namque agit sapiens, nisi quod honestum sit*: verum quæ omisimus, in omnibus mss. desiderantur.

*. Cic. lib 3. Offic. pag. 392. lin. 33. *Quamobrem hoc deliberantium genus pellatur è medio* &c. Et infra lin. 37. *Atque etiam in omni deliberatione celandi & occultandi spes* &c

b. Rom. edit *quam conscientia est*. Haud satis recte; nec enim hic significatur minus pudendam esse flagitii publicationem, quàm conscientiæ publicationem, sed quàm conscientiam ipsam, id est, interiorem admissi flagitii cognitionem. Infra etiam eadem edit. Rom. *quem magna quadam imbrium tempestate exorta, terram fecisse, & in quem* &c. Sed quorsum ea mutatio spectet, non satis adsequimur.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 392. lin. 40. *Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui cùm terra discessisset* &c.

c. Mss. omnes scribunt, *paleam*; tres tamen ex illis explicationis ergo hæc habent in margine: *Al. palam; sic enim vocat superiorem partem annuli, in qua lapis infixus est.*

*. Cic lib. 3. Offic. pag. 392. lin. 49. *Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens* &c.

*. Ibidem pag 393. lin. 3. *Hæc est vis hujus annuli & hujus exempli* &c.

d Vet. edit. ac Rom hoc loco non discrepant, nisi quod hæc sic interpungit .... *& apponatur, mihi non sit à Domino* &c. Nimirum ut respondeat his verbis ex LXX. Καὶ [illegible] &c. Mss. autem cum veteribus magis faciunt, excepto quod hæ præferunt, *vel in pugnam*, hi vero, *ut in pugnam*; & pro, *descenderit*, Thuan. *discesserit*. Et post pauca, ubi omnes edit. *& lenticulam tulit aqua, dormientibusque* &c. scribitur in mss. ut in textu.

e Omnes edit. *injicere manum meam in christum Domini*: quidam mss. *inducere manum* &c. ceteri omnes ut in textu.

peccare se propter salutis defensionem passus A non est, sed ne alienum quidem peccatum ferre ac perpeti potuit; ideo in se causam necis excitavit. Certe hoc negare non possunt potuisse fieri ut taceret, qui de illo Gyge negant potuisse fieri ut annuli beneficio absconderetur.

36. Sed fabula etsi vim non habet veritatis, hanc tamen rationem habet, ut si possit celare se vir justus; tamen ita peccatum declinet, quasi celare non possit: nec personam suam indutus annulum, sed vitam suam Christum indutus abscon- B dat, sicut Apostolus ait: *Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* (Coloss. 3. 3.) Nemo ergo hîc fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se jactet. (Luc. 9. 36.) Nolebat se Christus hîc cognosci, nolebat prædicari in Evangelio nomen suum, cùm in terris versaretur: venit ut lateret sæculum hoc. Et nos ergo simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus jactantiam, [a] prædicari non exspectemus. Melius est hîc esse in humilitate, ibi in gloria. *Cùm Christus*, inquit, *ap-* C *paruerit, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.* (Coloss. 3. 4.)

CAPUT VI.

Prævalere apud nos emolumentum non oportere. Quid obtendere soleant qui à frumentis lucrum captant: quidve illis debeat responderi? Ubi eisdem Evangelica parabola & Salomonis effata sub oculis ponuntur.

37. NOn vincat igitur * honestatem utili- D tas, sed honestas utilitatem: hanc dico utilitatem, quæ æstimatur secundum vulgi opinionem. Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. (Psal. 70. 15.) Sanctus in negotiationem introisse se negat; quia pretiorum captare incrementa non simplicitatis, sed versutiæ est. (Prov. 11. 26.) Et alius ait: *Captans pretia frumenti, maledictus in plebe est.*

38. Definita est sententia, nihil disputationi relinquens, [b] quale controversum genus solet dicendi esse, cùm alius allegat agriculturam E laudabilem apud omnes haberi, fructus terræ simplices esse, plus qui seminaverit eo probatiorem fore, * uberiores reditus industriæ non fraudari, negligentiam magis & incuriam ruris inculti reprehendi solere.

39. Aravi, inquit, studiosius, uberius seminavi, diligentius excolui, bonos collegi proventus, sollicitius recondidi, servavi fideliter, provide custodivi. Nunc in tempore famis [c] vendo, subvenio esurientibus: vendo frumentum non F alienum, sed meum; non pluris quam ceteri, immo etiam minori pretio. Quid hîc fraudi est, cùm multi possent periclitari, si non haberent quod emerent? (Gen. 41. 34.) Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num providentia vituperatur? Fortasse dicat: Et Joseph frumenta in abundantia collegit, in caritate vendidit. Num carius aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur emtori? Omnibus defertur emendi copia, nulli irrogatur injuria.

40. His igitur quantum cujusque fert ingenium disputatis, exsurgit alius, dicens: Bona quidem agricultura, quæ fructus ministrat omnibus, quæ simplici industria accumulat terrarum fœcunditatem, nihil doli, nihil fraudis interserens. Denique si quid vitii fuerit, plus dispendii est; quia si bene aliquis seminaverit, melius metet: si sincerum tritici granum severit, puriorem ac sinceram messem colligit. Fœcunda terra multiplicatum reddit, quod acceperit: fidelis ager fœneratos solet restituere proventus.

41. De reditibus igitur uberis glebæ exspectare debes tui mercedem laboris, de fertilitate pinguis soli justa sperare compendia. * Cur ad fraudem convertis naturæ industriam? Cur invides usibus hominum [d] publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiunt beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando sterilior proventus sit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arrisisse maledictum, ut nihil cuiquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria congeris opes: & hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, quæ astutia fraudis est; & hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ. Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tamquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur pretium tamquam sorte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis acervatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur usura: tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris male omnibus, quia major futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infœcundior annus sequatur? Lucrum tuum damnum publicum est.

42. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit: nec pretia captavit annonæ, sed perenne subsidium collocavit: nihil sibi adquisivit, sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, provida ordinatione disposuit. (Gen. 41. 56.)

43. Legisti quemadmodum hunc frumentarium pretii captatorem exponat in Evangelio dominus Jesus, cujus possessio divites fructus adtulit, * & ille quasi egens dicebat: *Quid faciam? Non habeo quo congregem, destruam horrea, & majora* (Luc 12. 17. & 18.)

a. Era. & seq edit. *prædicari non expetamus*: Amerb. & mss. aliquot, *prædicari non exspectamus*: alii demum elegantius.... *non exspectemus*.

*. Cic. lib. 3. Offic pag. 394. lin. 26. *Maneat ergo, quod turpe sit, id numquam esse utile* &c.

b. Edit. omnes & mss. nonnulli, *quale controversiarum genus*: alii autem numero & antiquitate præstantiores, *quale controversum genus*. Infra etiam ubi in iisdem edit. ac mss. pauculis habetur, *simplices esse triplos*; in longe plurimis probatissimisque omittitur, *triplos*.

*. Hunc omnem locum ex Cic. lib. Oeconomicon, qui jam non exstant, desumtum esse forsitan haud sine causa quis conjecerit. Etenim quod hîc dicitur: *Uberiores reditus industriæ* &c. id apertissime cum Xenophontis, cujus librum ejusdem argumenti ab Oratore translatum scimus, his verbis quadrat: Τοὺς γὰρ ἄριστα θεραπεύοντας αὐτὴν πλεῖστα ἀγαθὰ ἀντευεργετεῖ: & illis, ἀεὶ ὁ λαμβάνων οὗτος ἐκ τῆς αὐχῆς, ὁ γὰρ ἐπιμελεῖται εἰς αὐτὴν συνέσεως καὶ εἰς κόσμον γίνεται. Alia similia ipse per te observes licet.

c. Rom. edit. inde expunxerat verbum, *vendo*: sed cum aliarum & mss omnium injuria.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag 394. lin. 31. *Si vir bonus Alexandriâ Rhodum magnum frumenti* &c.

d. Mss. aliquot hîc & infra non *partus*, sed *pastus*, scribunt. Iterum vero post pauca nonnulli cod. habent, *te auctionante, & propter pretium condente frumentum*.

faciam; cùm scire non posset, utrum sequenti nocte anima sua ab eo reposceretur. Nesciebat quid faceret: quasi ei alimenta deessent, hærebat ambiguo. Non capiebant horrea annonam, & ille se egere credebat.

Prov. 11. 26. 44. Recte igitur Salomon: *Qui continet*, inquit, *frumentum*, *relinquet illud nationibus*, non heredibus, quoniam avaritiæ emolumentum ad successorum jura non pervenit. Quod non legitime adquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur. Et addidit: *Ibidem.* *Captans annonam maledictus in plebe est* [a]: *benedictio autem ejus qui participat*. Vides ergo quod largitorem frumenti esse deceat, non pretii captatorem. Non est igitur ista utilitas, in qua plus honestati detrahitur, quam utilitati adjungitur.

CAPUT VII.

Peregrinos tempore famis ex urbe neutiquam expellendos. Egregium hac in re christiani senis consilium refertur: cui opponitur indignum facinus Romæ admissum; nec non utroque inter se comparato, primum cum honestate atque utilitate conjunctum fuisse ostenditur, secus vero secundum.

45. SEd & illi qui * peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi: expellere eo tempore quo debent juvare, separare à commerciis [b] communis parentis, fusos omnibus partus negare, inita jam consortia vivendi averruncare: cùm quibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem. Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Illæ etiam conformem sui generis adjuvant, homo impugnat, qui nihil à se alienum debet credere quidquid humani est.

46. Quanto ille rectius, qui cùm jam provecta processisset ætate, & famem toleraret civitas, atque (ut in talibus solet) peterent vulgo, ut peregrini [c] urbe prohiberentur; præfecturæ urbanæ curam ceteris majorem sustinens, convocavit honoratos & locupletiores viros, poposcit ut in medium consulerent [d], dicens quam immane esse peregrinos ejici, quam hominem ab homine exui, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines excludimus: quam inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficiebat tabes: quantos urbi suæ perire, qui solerent adjumento

A esse, vel in conferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis: [e] neminem famem alienam juvare: protrahere ut plurimùm diem posse, non inopiam repellere; immo tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidentibus, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consuerunt: hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni ætate paverunt? Quanta sunt quæ ab ipsis nobis hoc ipso tempore ministrantur? *Non* *Deut. 8. 3* B *in solo pane vivit homo*. Nostra illic familia, plerique etiam nostri parentes sunt. Reddamus quod accepimus.

47. Sed veremur ne cumulemus inopiam. Primum omnium misericordia numquam destituitur, sed adjuvatur. Deinde subsidia annonæ, quæ his impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro. Numquid his deficientibus, non alii nobis redimendi cultores videntur? [f] Quanto vilius est pascere, quam emere cultoC rem. Ubi etiam repares, ubi invenias quem reformes? Adde si invenias, quod ignarum, & alieni usus, numero possis substituere, non cultui.

48. Quid plura? Collato auro, coacta frumenta sunt. Ita nec abundantiam urbis minuit, & peregrinis alimoniam subministravit. Quantæ hoc commendationis apud Deum fuit sanctissimo seni, quantæ apud homines gloriæ! Hic magnus vere probatus, qui vere potuit imperatori dicere, demonstrans provinciæ totius populos: D Hos tibi omnes reservavi, hi vivunt beneficio tui senatus, hos tua curia morti abstulit.

49. Quanto hoc utilius quam illud quod proxime Romæ factum est, ejectos esse urbe amplissima, qui jam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exsilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremtas affinitates? Et certe arriserat anni fœcunditas, invectitio urbs sola egebat frumento: potuisset E juvari, si peteretur ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur. Nihil hoc turpius, excludere quasi alienum, & exigere quasi suum. Quid illum ejicis, qui de suo pascitur? Quid illum ejicis, qui te pascit? Servum retines, trudis parentem? Frumentum suscipis, nec affectum impertis? Victum extorques, nec rependis gratiam?

50. Quam deforme hoc, quam inutile? Quomodo enim potest utile esse quod non decet?

a. Omnes edit. ac pauci mss. *benedictio autem ejus in capite*. Era. & seq. edit. *in capite ejus qui participat*. Quæ lectio cum hebræo textu, & præcipuis versionibus quadrat: antiquissimi tamen cod. cum Parapht. Chald. omittunt vocem, *in capite*, idque sine ullo sententiæ incommodo.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 394. lin. 6. *Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent* &c.

b. Mss. non pauci, nec infimæ notæ, *communes parentes*. Haud ita male; ut referatur ad id quod infra legitur, *Plerique etiam nostri parentes sunt*; concinnius tamen, *communis parentis*, id est, Romæ, quæ totius imperii erat quasi mater, vel potius terræ quæ communis omnium mater est.

c. Rom. edit. *urbe pellerentur*. Quis porro fuerit pius ille senex, cujus consilio Roma exacti non sint peregrini, ægre intelligas. Id tamen certum videri potest, fuisse videlicet cum christianæ religioni addictum, cùm ab Ambrosio sanctissimus senex appelletur: ac præterea non annonæ præfectum, sed urbis exstitisse; illum enim sub hujus auctoritate fuisse, ac utrumque annonæ civilis curam gessisse auctor est J. C. Bulengerus lib 6 de Imperio Rom. cap. 2. nec alio spectare diximus ambrosiana verba, *præfectura urbanæ curam ceteris majorem sustinens*: quibus verbis cum aliæ minores, tum potissimum annonæ præfectura includitur, sicut etiam frumenti dividendi, de qua idem Bulengerus ibidem lib. 5. cap 13. Quod autem Baronius hoc factum Graccho adscribendum autumat, quamquam nullo nititur alicujus auctoritatis momento, saltem nihil involvit contrarietatis. Cùm enim is secundam illam frumenti penuriam de qua continuo post agitur, collocet anno 383. quid prohibeat, quominus prior accidere potuerit an. 376. aut 377. quibus Gracchum præfecturam gessisse tradit Gothofridus lib. 3. de Quæstionibus, ubi etiam duos locos, alterum Hieronymi, Prudentii alterum, de eadem præfectura explicat. Sed in hoc cum Gothofrido Hermannus vitæ Ambr. lib. 1. cap. 6. non concinit, sicut nec cum Baronio de fame anni 383. primam quippe contigisse hoc anno ibidem lib. 3. cap. 8. vero putat simillimum.

d. Era. & seq. edit. *dicens quàm immane esset peregrinos ejici, quàm hominem exueret qui* &c. Amerb. & propemodum omnes mss. ut in contextu, nisi quod nonnulli pro, *ab homine*, habent, *ex homine*; quidam vero utrumque confodiunt.

e. Sic Amerb. ac mss. majori consensu: Era. vero & seq. edit. *neminem fame aliena juvari*; qua lectione ambiguitas evitatur, sed auctoris verba non retinentur.

f. Gill. in marg. & quædam Paris. edit. in corpore, *Quanto utilius est* &c Perperam: vilius enim hoc loco idem est, ac minori pretio atque impensis.

* Quantis* corporatorum subsidiis dudum Roma A fraudata est? Potuit & illos non amittere, & evadere famem, exspectatis ventorum opportunis flatibus, & speratarum commeatu navium.

51. Quam vero illud superius honestum atque utile? Quid enim tam decorum atque honestum, quam collatione locupletum juvari egentes, ministrari victum esurientibus, nulli cibum deesse? Quid tam utile, quam cultores agro reservari, non interire plebem rusticanorum?

52. Quod honestum igitur, & utile est: & quod B utile, honestum. Et contra quod inutile, indecorum: quod autem indecorum, id etiam inutile.

CAPUT VIII.

Eos qui honestum utili anteponant à Deo probari, Josue, Caleb, & aliorum exploratorum patere exemplis.

Exod. 12. 34. & seq. 53. QUando majores nostri servitio exire potuissent, nisi id non solum turpe, sed C etiam inutile credidissent regi servire Ægyptiorum?

Num. 13. 28. & seq. 54. Jesus quoque & Caleb missi ad explorandam terram, uberem quidem terram, sed à ferocissimis inhabitari gentibus nuntiaverunt. Terrore belli populus infractus, recusabat terræ Num. 14. 6. & seq. ejus possessionem. Suadebant missi exploratores Jesus & Caleb terram esse utilem: indecorum putabant cedere nationibus: lapidari potius eligebant, quod minabatur populus, quam D decedere de honestate. Dissuadebant alii, plebs reclamabat, dicens adversus diras & asperas gentes bellum fore, cadendum sibi in prælio, mulieres suas & pueros direptioni futuros.

55. Exarsit Domini indignatio, ut omnes vellet perdere: sed rogante Moyse, temperavit sententiam, ultionem distulit, satis esse perfidis supplicii judicans, etsi parceret interim, nec percuteret incredulos; ad eam tamen terram quam recusaverant, propter incredulitatis suæ pre- E tium non pervenirent: sed pueri & mulieres qui non immurmuraverant, vel sexu, vel ætate veniabiles, caperent ejus terræ promissam hereditatem. Denique quicumque erant à vigesimo anno & supra in deserto, eorum membra ceciderunt: sed aliorum dilata est pœna. Qui autem adscenderunt cum Jesu, & dissuadendum puta- a verunt, a plaga magna statim mortui sunt: Jesus vero & Caleb cum innoxia ætate vel sexu in terram promissionis intraverunt. F

56. Pars igitur melior gloriam saluti prætulit, deterior salutem honestati. Divina autem sententia eos probavit, qui honesta utilibus præstare arbitrabantur: eos vero condemnavit, apud quos ea quæ videbantur saluti potius quam honestati accommoda, præponderabant.

CAPUT IX.

Fraudes & turpia lucra maxime dedecere clericos, quorum est utilitati omnium inservire: illos in caussis pecuniariis intervenire nequaquam debere, secus vero in capitalibus. Eisdem ne cui etiam lacessiti, noceant exemplum David, neu autem vitam honestati præferant, cædes Nabuthe proponitur.

57. NIhil itaque deformius quam nullum habere amorem honestatis, & usu quodam degeneris mercaturæ, quæstu sollicitari ignobili, avaro æstuare corde, diebus ac noctibus hiare in alieni detrimenta patrimonii, non elevare animum ad honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulcritudinem.

58. * Hinc nascuntur[b] aucupio quæsitæ hereditates, continentiæ atque gravitatis simulatione captatæ: quod abhorret à proposito christiani viri; omne enim quod arte elicitum, & fraude compositum est, caret merito simplicitatis. In ipsis qui nullum Ecclesiastici ordinis officium receperint, incongrua judicatur affectatæ ambitio hereditatis. In supremo fine vitæ positos suum habere judicium, ut libere testentur quod sentiunt, qui postea non sunt emendaturi: cùm honestum non sit [c] competentia * compendia aliis vel debita, vel parata avertere; cùm vel sacerdotis vel ministri sit * prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini.

59. Denique si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum. Ideoque in caussis pecuniariis intervenire non est sacerdotis: in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. SACERDOTIS est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus: posse autem solius est Dei. Nam in caussa capitis nocere ei quem juvare debeas periclitantem, non sine peccato est gravi: in caussa autem pecuniæ odia quærere, insipientiæ est; cùm pro salute hominis graves frequenter fiant molestiæ: in quo etiam periclitari gloriosum sit. Proposita igitur forma in sacerdotis officio teneatur; * ut nulli noceat, ne lacessitus quidem, & aliqua injuria offensus. Bonus enim est vir qui dixit: *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Quæ enim est gloria, si eum non lædimus, qui nos non læserit? Sed illa virtus est, si læsus remittas.

60. Quam honestum, * quod cùm potuisset regi inimico nocere, maluit parcere! Quam etiam utile, quia successori hoc profuit, ut discerent omnes fidem regi proprio servare, nec usurpare imperium, sed vereri. Itaque & honestas utilitati prælata est, & utilitas sequuta honestatem est.

Marginal notes: * b (§ 58); c * * (§ 58); 14. quæst. 5. cap. Denique. (§ 59); * (§ 59); Psal. 7. 5. (§ 59); 1. Reg. 24. 5. & seq. * (§ 60).

*. Corporati dicuntur in variarum artium societates & collegia cooptati, ut puta sculptorum, pictorum &c. De his loquitur Symmach. lib. 10. epist. 27. & 58. Vid. Gothofrid. in L. 2. *de Privilegiis corporatorum* Cod. Theod. Scalig. & alios.

a. Edit. cum uno vel altero mss. *plaga mala statim* &c.

* Cic. lib. 3. Offic. pag. 398 lin. 2. *Mihi quidem etiam vera hereditates non honesta videntur* &c.

b. Ita mss longe plurimi ac vetustissimi: quidam tamen atque omnes edit. *aucupia quæsita hereditatis.*

c. Era. & seq. edit. expunxerunt, *competentia*, quæ vox tamen in Amerb. ac mss. prope omnibus reperitur. Quæ porro de caussis tum pecuniariis, tum capitis hîc dicuntur, cum his conferenda sunt quæ habentur sup. pag. 93. & 100.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 398. lin. 11. *Homo autem justus.... nihil cuiquam quod in se transferat, detrahet* &c.

*. Ibidem lin. 14. *Iam se ipse doceat eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus injuria.* Vide quod hanc in rem annotatum est à nobis pag. 114. ad num. 27.

*. Ibidem pag. 396. lin. 28. *Sive vir bonus est, qui prodest quibus potest nocet nemini* &c.

61. Parum est quod pepercit, addidit quod A etiam in bello doluit occisum, & flebiliter deploravit dicens: *Montes qui estis in Gelbeal, neque ros, neque pluvia cadat super vos. Montes mortis, quoniam ibi sublata est protectio potentium, protectio Saul.* [a] *Non est unctus in oleo & sanguine vulneratorum, & ex adipe belligerantium. Sagitta Jonathæ non est reversa retro, & gladius Saul non est reversus vacuus. Saul & Jonathas speciosi & carissimi, inseparabiles in vita sua, & in morte non sunt separati. Super aquilas leviores, super leones potentiores.* B *Filiæ Israel plorate super Saul, qui vestiebat vos vestimenta coccinea cum ornamento vestro, qui imponebat aurum super vestimenta vestra. Quomodo ceciderunt potentes in media pugna? Jonathas in morte vulneratus est. Doleo in te, frater meus Jonatha, speciosus mihi valde. Ceciderat amor tuus in me, sicut amor mulierum. Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiscenda?*

2. Reg. 1. 21. & seq.

62. Quæ mater sic unicum deflerет filium, quemadmodum hic deflevit inimicum? Quis C gratiæ auctorem tantis prosequeretur laudibus, quantis iste prosequutus est insidiatorem capitis sui? Quam pie doluit, quanto ingemuit affectu! Aruerunt montes prophetico maledicto, & divina vis sententiam maledicentis implevit. Itaque pro regiæ necis spectaculo pœnam elementa solverunt.

63. Quid verò sancto Nabuthe, quæ fuit causa mortis, nisi honestatis contemplatio? Nam cùm ab eo vineam rex posceret, pecuniam da- D turum se pollicens; indecorum pretium pro paterna recusavit hereditate, maluitque morte declinare hujusmodi turpitudinem. *Non mihi*, inquit, *faciat Dominus, ut dem tibi hereditatem patrum meorum*; hoc est, tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non utique de vitibus dicit, neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spatio, sed de jure loquitur patrum. Potuit utique alteram vineam de vineis regis accipere, & E amicus esse; in quo non mediocris sæculi hujus utilitas æstimari solet: sed quod turpe erat, judicavit non videri utile: maluitque periculum cum honestate subire, quàm utilitatem cum opprobrio: vulgarem utilitatem loquor, non illam in qua etiam honestatis gratia est.

3. Reg. 21. 3.

64. Denique & ipse rex potuit extorquere, sed impudens arbitrabatur, sed occisum doluit. Dominus quoque [b] mulieris immanitatem, quæ ho- F nestatis immemor turpe antetulit lucrum; congruo supplicio plectendam annuntiavit.

65. Turpis est itaque * omnis fraus. Denique etiam in rebus vilibus exsecrabilis est stateræ fallacia, & fraudulenta mensura. Si in foro rerum venalium, in usu commerciorum fraus plectitur, poteſtne irreprehensibilis videri inter officia virtutum? Clamabat Salomon: *Pondus magnum & exiguum, & mensuræ duplices immundæ sunt* [c] *coram Domino.* Supra quoque ait: *Statera adultera, abominatio est Domino, pondus autem æquum acceptabile est illi.*

Prov. 20. 10.

Prov. 11. 1.

CAPUT X.

De fraude in omni contractu fugienda non solum in politico jure cautum esse, verum etiam in sacris litteris, ut Josue ac Gabaonitarum patet exemplo.

66. In omnibus igitur decora est fides, justitia grata, mensura æquitatis jucunda. Quid autem loquar de contractibus ceteris, ac maxime de coemtione prædiorum, vel transactionibus, atque pactis? [d] Nonne formulæ sunt, * dolum malum abesse: eumque cujus dolus fuerit deprehensus, duplici pœnæ obnoxium fore? Ubique igitur honestatis præponderat consideratio, quæ dolum excludit, fraudem ejicit. Unde recte generalem David propheta promsit sententiam dicens: *Nec fecit proximo suo malum.* Non solum * itaque in contractibus (in quibus etiam vitia eorum quæ veneant, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emtoris transcripserit, doli actione vacuantur) sed etiam generaliter * in omnibus dolus abesse debet: aperienda simplicitas, intimanda veritas est.

Psal. 14. 3.

67. Veterem autem istam de dolo non jurisperitorum formulam, sed patriarcharum sententiam scriptura divina evidenter expressit in libro Testamenti veteris, qui Jesu Nave inscribitur. Nam cùm exisset fama per populos, siccatum esse mare in Hebræorum transitu, fluxisse aquam de petra, de cælo diurnam ministrari alimoniam tot populi millibus abundantem, corruisse muros Hierico sacro tubarum [e] sono, ictu, & ululatu plebis arietatos, Hethæorum quoque regem victum, & suspensum in ligno usque ad vesperam; Gabaonitæ metuentes validam manum, venerunt cum versutia, simulantes se de terra longinqua esse, diuque peregrinatos dirupisse calciamenta, detrivisse amictus vestium, quarum veterascentium indicia monstrarent: causam autem tanti laboris, emerendæ pacis, & ineundæ cum Hebræis esse amicitiæ cupiditatem: & cœperunt ab Jesu Nave poscere, ut secum firmaret societatem. Et quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognovit fraudes eorum, neque Deum interrogavit: sed cito credidit.

Josue 9. 3. & seq.

68. Adeo sancta erat illis temporibus fides eorum, ut fallere aliquos posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui ceteros de suo affectu æstimant; & quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit

a. Ita mss. plures ac potiores, quibus accedunt edit. nisi quod præfertur, *sed sanguine*: alii vero aliquot, *quasi non sit unctus oleo & a sanguine vulneratorum.*

b. Edit Rom. *mulieris ausus immanitatem.* mss. autem aliquammulti, *muliebris ausus immanitatem*, alii denique majori numero, nec non edit. Amerb. atque Era. ut in contextu.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 396. lin 29. *Numquam igitur est utile peccare, quia semper est turpe* &c.

c. Omnes edit. *apud Deum*: omnes mss. *coram Domino*, nonnulli, *coram Deo.*

d. In edit. omnibus habetur: *Nonne honestatis formulæ sunt*: in cunctis vero mss. desideratur *honestatis.*

*. Cic. lib. 3. Offic pag. 396 lin 5. *Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus* &c. Item infra lin. 31. *Ac de jure quidem prædiorum* &c. . . . *duplicem pœnam subiret.* &c.

*. Ibidem lin. 34. *Quidquid enim inest prædio vitii, id statuerunt . . . . præstare oportere* &c.

*. Ibidem pag. 397. lin. 6. *Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiose* &c Item lin 21. *Quintus quidem Scævola . . . . fideique bonæ nomen existimabat manare latissime* &c Item lin. 29. *Nec vero in prædiis solum jus civile ductum a natura* &c

e. Ita mss. fere ad unum: omnes autem edit. *sono ictus, & ululatu* &c. sed *ictu* ad collisionem lagenarum referendum est.

ignorant: libenter credunt quod ipsi sunt, nec A possunt suspectum habere quod non sunt. Hinc Salomon ait: *Innocens credit omni verbo.* Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. HOC EST INNOCENTEM esse ignorare quod noceat: & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene judicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. *Prov. 14. 15. 22. q. 4. c. Innocens.*

69. Hac igitur mentis suæ devotione inclinatus ut crederet, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmavit societatem. Sed ubi in terras B eorum ventum est, deprehensa fraude, quod cùm essent finitimi, advenas se esse simulaverant, circumscriptum se se populus patrum indignari cœpit. Jesus tamen pacem quam dederat, revocandam non censuit; quia firmata erat sacramenti religione; ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solveret. Multavit tamen eos vilioris obsequio ministerii. Clementior sententia, sed diuturnior; manet enim officiis pœna veteris astutiæ, hereditario in hunc diem ministe- C rio deputata. *Josue 9. 15. & seq.*

CAPUT XI.

Inductis per reticentiam rhetoricam fraudum quarumdam exemplis, eas atque alias omnes apertius in Scriptura damnari ostenditur.

70. NOn ego * in hereditatibus adeundis digitorum [a] percussiones, & nudi successoris saltationes notabo; nam hæc etiam vul- D go notabilia: non simulatæ piscationis compositas copias, ut emtoris illiceretur affectus. Cur enim tam studiosus luxuriæ ac deliciarum repertus est, ut hujusmodi fraudem pateretur?

71. Quid mihi tractare de Syracusano illo amœno secretoque secessu, & de * Siculi hominis calliditate: qui cùm peregrinum [b] aliquem repperisset, cognito quod cupidus esset hortorum venalium, ad cœnam in hortos rogaverit: promisisse invitatum, postridie venisse: offendisse illic E magnam piscatorum multitudinem, exquisitis copiis adornatum convivium, in prospectu cœnantium ante hortulos compositos piscatores, ubi numquam ante jaciebant retia: unusquisque quod ceperat, certatim offerebat epulantibus: supra mensam pisces ingerebantur, oculos recumbentium resilientes verberabant. Mirari hospes tantam copiam piscium, tantumque numerum cymbarum. Responsum quærenti, aquationem illic esse, dulcis aquæ gratia innumera- F biles eo pisces convenire. Quid multa? Pellexit hospitem, ut sibi extorqueret hortos: vendere volens cogitur, [c] pretium gravatus suscipit.

72. Sequenti die ad hortos emtor cum amicis venit, navigium nullum invenit. Percontanti num aliqua piscatoribus eo esset die feriarum solemnitas, respondetur nulla, nec umquam illic præter hesternum diem piscari solitos. Quam hîc redarguendi haberet auctoritatem doli, qui tam turpe captarit aucupium deliciarum? QUI ENIM alterum peccati arguit, ipse à peccato debet alienus esse. Non ergo hujusmodi nugas ego in hanc Ecclesiasticæ censionis auctoritatem vocabo, quæ generaliter condemnat omnem lucri turpis appetentiam, brevique sermonis compendio excludit levitatem ac versutiam.

73. Nam de illo quid loquar, qui de eo * testamento quod ab aliis licet factum, falsum tamen cognoverit, hereditatem sibi aut legatum vindicet, & lucrum quærat alieno crimine; cùm etiam leges publicæ eum qui sciens falso utitur, tamquam reum facinoris adstringant? Regula autem justitiæ manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, nec damno injusto afficere quemquam, nec doli aliquid adnectere, fraudisve componere.

74. Quid evidentius eo quod Ananias, qui fraudavit de pretio agri sui, quem ipse vendiderat, & portionem pretii tamquam summæ totius numerum ante pedes posuit apostolorum, sicut reus fraudis interiit? Licuit utique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset. Sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportavit, sed fallaciæ pœnam exsolvit. *Act. 5. 1. & seq.*

75. Et Dominus in Evangelio cum dolo accedentes repudiabat, dicens: *Vulpes foveas habent;* quoniam in simplicitate cordis, & innocentia nos jubet vivere. David quoque ait: *Sicut novacula acuta fecisti dolum;* nequitiæ arguens proditorem, eo quod instrumentum hujusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plerumque ulcerat? Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat proditoris exemplo, ut [d] eum quem protegere debeat, prodat ad mortem; instrumenti istius comparatione censetur, quod ebriæ mentis & titubantis vitio manus vulnerare consuevit. Sicut iste malitiæ ebrius vino, per funestæ proditionis indicium Abimelech sacerdoti necem detulit, eo quod Prophetam hospitio recepisset, quem rex invidiæ accensus stimulis persequebatur. *Matth. 8. 20.* *Psal. 51. 4.* *1. Reg. 22. 9.* *Ibidem 18.*

CAPUT XII.

Nihil promittendum quod sit inhonestum, nec si quid injustum juraveris, id observandum; contra quam peccasse Herodes demonstratur. Culpatur etiam votum à Iephthe nuncupatum, itemque alia omnia quæ sibi exsolvi Deus nolit. Denique filia ejusdem Iephthe cum duobus Pythagorais componitur ac præponitur.

76. PUrum igitur ac sincerum oportet esse affectum, ut unusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctitate possideat, nec fratrem circumscriptione verborum inducat, * nihil promittat inhonestum: ac si *22. q. 4. c. Unusquisque.*

*. Cic. lib. 3 Offic. pag. 398. lin. 7. *Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut si digitis concrepuerit .... At si daret hanc vim M. Crasso. ... in foro, mihi crede, saltaret* Ponitur autem digitorum percussio seu crepitus pro re vilissima; unde proverbium, digitorum crepitu non emam

a. Vet. edit. cum mss. longe plurimis, *nudi*, mss. aliquot, *crudi*, *successoris salutationes*: Rom. *nudis successoribus saltationes.* Melius alii mss. ut nos in textu.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag 395. lin. 30. *Caius Canius eques Romanus.... cùm se Syracusas otiandi causa, non negotiandi* &c.

b. Era. & seq. edit. cum mss. duobus, iisque recentioribus, *Promisit invitatus postridie se venire, veniens offendit* &c.

c Amerb. & mss. non pauci, *rogatus suscipit*: aliæ edit. *gravatim*, mss. *gravatus suscipit.*

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 395. lin. 41. *L. Minutii Basilii, locupletis hominis falsum testamentum quidam è Græcia* &c.

d. Sic mss magno consensu, si unum aut alterum exceperis, ubi sicut & in edit. legitur *Doech proditoris .... quem celare & protegere debeat.*

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 400. lin. 47. *Quid si sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat .... ut antequam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet* &c.

promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. [A]

77. Sæpe plerique * constringunt se ipsos jurisjurandi sacramento: & cùm ipsi cognoverint promittendum non fuisse; sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt: sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. [Sup. c. 5.] Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset perjurium sacramento? [B] Si tamen perjurium posset dici, quod ebrius inter vina juraverat, quod [a] eviratus inter saltantium choros promiserat. [Judic. 11. 31.] Infertur disco prophetæ caput: & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentiæ fuit.

78. Neque umquam adducar ut credam non incaute principem * promisisse Iephthe, ut immolaret Deo quidquid sibi reverte nti intra limen domus suæ occurreret; [C] cùm & ipsum voti pœnituerit sui, postquam filia occurrit sibi. Denique conscidit vestimenta sua, & dixit: *Heu me, filia mea, [b] impedisti mihi, stimulus doloris facta es mihi.* [Ibidem. 35.] Qui licet pio metu ac formidine acerbitatem duræ solutionis impleverit; tamen luctum annuum etiam posteris deplorandum statuit ac dereliquit. Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit. Denique factum est præceptum & decretum in Israel ex diebus in dies: [D] *Ambulabant,* inquit, *filiæ populi Israel, lugentes filiam Iephthe Galaaditidis quatuor diebus in anno.* [Ibidem 40.] Non possum accusare virum qui necesse habuit implere quod voverat: sed tamen miserabilis necessitas, quæ solvitur parricidio. [22. q. 4. cap. Unusquisque. §. Miserabilis.]

79. Melius est non vovere, quam vovere id quod sibi cui promittitur, nolit exsolvi. Denique in Isaac habemus exemplum, pro quo arietem Dominus statuit immolari sibi. [Gen. 22. 13.] Non semper igitur promissa solvenda omnia sunt. [22. q. 4. cap. Non semper.] [E] Denique ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam, sicut Scriptura indicat. Nam & in eo libro qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte & perdere populum: sed postea rogatus à Moyse, reconciliatus est populo suo. [Num 14. 12. & seq.] Et iterum ad Moysen & Aaron ait: *Dividite vos de medio Synagogæ ejus, & consummabo eos simul.* [Num. 16. 21.] Quibus discedentibus de cœtu, Dathan & Abiron subito impios terra prærupto soluta hiatu absorbuit. [F]

80. Præcellentius & antiquius istud exemplum de filia Jephthe, quam illud quod memorabile habetur apud philosophos * de duobus Pythagoræis* quorum alter cùm à tyranno Dionysio capitis damnatus esset, præscripto mortis die, poposcit ut domum pergendi ei facultas daretur, quo commendaret suos: ac ne revertendi nutaret fides, vadem mortis obtulit, ea conditione ut si ipse deforet ad constitutum diem, vas ejus sibi pro eo moriendum agnosceret. Nec qualitatem sponsionis qui offerebatur recusavit, constantique animo diem necis præstolabatur. Itaque alter se non subtraxit, [c] alter ad diem recepit. Quod eousque fuit mirabile, ut tyrannus eos sibi in amicitiam adsciscerent, quorum urgebat periculum.

81. Quod ergo in spectatis & eruditis viris plenum miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur, quæ ingemiscenti patri ait: *Fac mihi ut exivit de ore tuo.* [Judic. 11. 36. & seq.] Sed spatium duorum poposcit mensium, ut cum æqualibus conventum ageret in montibus, quæ virginitatem ejus prædestinatam neci pio affectu prosequerentur. Nec fletus æqualium movit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardavit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, ut quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.

CAPUT XIII.

Juditham cùm multa pericula pro honestate subiisset, multiplicem reportasse utilitatem.

82. Ecce tibi Judith se offert mirabilis, quæ formidatum populis virum Holophernem adit, Assyriorum triumphali septum caterva. [Judith. 10. 12. & seq.] Quem primò formæ gratia & vultus decore perculit, deinde sermonis circumscripsit elegantiâ. Primus triumphus ejus fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hostis revexit: [Ibidem 13. 20.] secundus, quod femina de viro reportavit victoriam, fugavit populos consilio suo.

83. Horruerunt Persæ audaciam ejus. [Ibidem 15. 1. & seq.] Utique quod in illis Pythagoræis duobus mirantur, non expavit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est gravius bonis feminis: non unius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidavit. Stetit inter cuneos bellatorum femina, inter victricia arma, secura mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit: quantum ad fidem, dimicatura.

84. Honestatem igitur sequuta est Judith, & dum eam sequitur, utilitatem invenit. Honestatis enim fuit prohibere ne populus Dei se prophanis dederet, ne ritus patrios & sacramenta proderet, ne sacras virgines, viduas graves, pudicas matronas barbaricæ subjiceret impuritati, ne obsidionem deditione solveret: [Judit. 8. 10. & seq.] honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo.

85. Quanta honestatis auctoritas, ut consilium

*. Cic lib. 3. Offic. pag 401. lin. 4. *Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia* &c.

a Ameth. cum mss. aliquot, *dejeratus*: quidam alii *ejuratus* .... *promiserat* non pauci, *promserat*: aliæ vero edit. ac mss. nobiscum faciunt, nisi quod pro *eviratus*, in quibusdam legitur, *iratus*: prorsus incongrue.

*. Cic. lib. 3. pag 401. lin. 11. *Quid Agamemnon cùm devovisset* &c.

b. Vet edit. *impedisti mihi, impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi.* Rom. *Decepisti me, impedimentum in oculis meis, in stimulum dolorum facta est mihi.* Mss. vero inter se consentiunt, nisi quod aliqui legunt, *impedisti mihi, in stimulum* &c. ubi reliqui, *impedisti me, stimulus* &c.

*. Cic. lib 3. Offic pag. 393. lin. 43. *Damonem, & Pythiam pithagoraos, ferunt hoc animo inter se fuisse,* &c. Vide etiam lib. 5. Tusc. Quæst. pag. 186. lin. 48. & Val. Max. lib. 4. cap. 7. & rursus Ambr. lib. 2. de Virgin.

c. Omnes edit ac mss. aliquot, *alter ad diem repedavit*: reliqui autem partim *rediit*, partim, *se recepit*, partim etiam, *receptus est*: Thuan. vero & alii nonnulli melioris notæ, *alter ad diem recepit.* Haud male, si ad vadem referas; idem enim prorsus erit ac si legeretur: *alter spopendi; ad diem constitutum, nisi rediisset reus, mortem subiturum.*

dc

de summis rebus femina sibi vindicaret, [a] nec principibus populi committeret? Quanta honestatis auctoritas, ut Deum adjutorem præsumeret: quanta gratia, ut inveniret?

CAPUT XIV.

Elisæi factum quam honestum atque utile fuerit. Ejusdem cum decantato Græcorum facinore comparatio. Iohannem pro honestate vitam impendisse: nec non Susannam eadem causa se mortis periculo objecisse.

86. Quid vero Elisæus nisi honestatem secutus est, cùm exercitum Syriæ, qui ad obsidendum eum venerat, captivum introduxit in Samariam, cujus oculos cæcitate obduxerat, & dixit: *Domine, aperi oculos eorum, ut videant, & viderunt*? (4 Reg. 6. 18. & seq.) Itaque cùm rex Israel percutere ingressos vellet, eamque sibi dari à propheta facultatem posceret; respondit non percutiendos, quorum captivitatem non esset manu operatus, armisque bellicis, sed magis subsidio alimentorum juvandos. Denique epularibus refecti copiis, numquam postea in terram Israel piratæ Syriæ revertendum putarunt.

87. Quanto hoc sublimius, quam illud Græcorum * quod cùm duo populi adversùm se de gloria imperioque decertarent, & alter ex his haberet copiam quemadmodum naves alterius populi clanculo exureret, turpe credidit: maluitque minus posse honeste, quam plus turpiter. Et isti quidem sine flagitio hoc facere nequibant, ut eos qui consummandi belli Persici gratia in societatem convenerant, hac fraude deciperent; quam licet possent negare, non possent tamen non erubescere: Elisæus autem non fraude, deceptos licet, sed potestate Domini percussos; maluit tamen servare quam perdere; quia decorum foret hosti parcere, & adversario donare vitam, quam potuisset auferre, nisi pepercisset.

88. Liquet igitur id quod decorum est, semper esse utile. Nam & Judith sancta decoro contemtu propriæ salutis solvit obsidionis periculum, [b] & publicam honestate propria adquisivit utilitatem: & Elisæus gloriosius ignovit, quam perculit: & utilius reservavit hostes, quos ceperat.

89. Quid autem aliud Johannes nisi honestatem consideravit, ut inhonestas nuptias etiam in rege non posset perpeti, dicens: *Non licet tibi illam uxorem habere*. (Matt. 14. 4.) Potuit tacere, nisi indecorum sibi judicasset mortis metu verum non dicere, [c] inclinare regi propheticam auctoritatem, adulationem subtexere. Sciebat utique moriturum se esse, quia regi adversabatur: sed honestatem saluti prætulit. Et tamen quid utilius quam quod passionis viro sancto advexit gloriam?

90. Sancta quoque Susanna denuntiato falsi testimonii terrore, (Dan. 13. 23.) cùm hinc se videret urgeri periculo, inde opprobrio, maluit honesta morte vitare opprobrium, quam studio salutis turpem vitam subire ac sustinere. Itaque dum honestati intendit, etiam vitam reservavit: (Ibidem 60.) quæ si id quod sibi videbatur ad vitam utile præoptavisset, non tantam reportasset gloriam: immo etiam id quod non solum inutile, sed etiam periculosum foret, pœnam criminis forsitan non evasisset. Advertimus igitur quia id quod turpe est, non possit esse utile: neque rursus id quod honestum est, inutile; quia complex honestatis est semper utilitas, & utilitatis honestas.

CAPUT XV.

Relato Romanorum generoso consilio, maximam fuisse Moysi honestatis curam, ex ejus factis declaratur.

91. Memorabile ferunt rhetores, quod * dux Romanorum cùm ad eum adversarii regis medicus venisset, pollicens daturum se regi venenum, vinctum eum ad hostem remiserit. Et revera præclarum, ut qui virtutis certamen susceperat, nollet fraude vincere. Non enim in victoria honestatem ponebat: sed ipsam, nisi honestate quæsitam, victoriam turpem pronuntiabat.

92. Redeamus ad nostrum Moysen, atque ad superiora revertamur; ut quanto præstantiora, tanto antiquiora promamus. Nolebat Ægypti rex populum dimittere patrum. Dixit Moyses sacerdoti Aaron, ut extenderet virgam suam super omnes aquas Ægypti. Extendit Aaron, & conversa est aqua fluminis in sanguinem, (Exod. 7. 20.) & nemo poterat bibere aquam, omnesque Ægyptii siti peribant: sincera autem fluenta patribus abundabant. (Ibidem 9. 10. & seq.) Jactaverunt favillam in cælum, & facta sunt ulcera, & vesicæ candentes in hominibus & quadrupedibus. Deduxerunt grandinem in igne flammeo, contrita erant super terram omnia. Rogavit Moyses, & universa in suam gratiam reverterunt: (Ibidem 30.) grando sedata est, sanata ulcera, solitos potus flumina præbuerunt.

93. Iterùm caligantibus tenebris operta erat terra per triduum, (Ibidem 10. 22.) ex quo Moyses manum levaverat, & tenebras infuderat. Moriebatur omne primogenitum Ægypti, (Ibidem 12. 29. & seq.) cùm Hebræorum omnis esset inoffensa progenies. [d] Rogatus Moyses, ut his quoque finem exitiis daret, oravit & impetravit. In illo prædicandum, quod à fraudis consortio temperaverit: in hoc mirabile quoniam divinitus intentata supplicia virtute propria etiam ab hoste detorserit, vere nimium, sicut scriptum est, mansuetus & mitis. (Num. 12. 3.) Sciebat quod fidem rex non servaret promissis; tamen honestum putabat ut rogatus oraret, læsus benediceret, appetitus remitteret.

94. Projecit virgam, & serpens factus est, (Exod. 7. 12.) qui devoravit serpentes Ægyptiorum: significans quod Verbum caro fieret, quæ serpentis diri ve-

a. Mss. Thuan. *nec à principibus populi adjutorem præsumeret.*

*. Cic. Offic. lib. 3. pag. 394. lin. 17. *Themistocles post victoriam hujus belli, quod cum Persis fuit* &c. Idem legimus apud Plutarchum in Aristide.

b. Mss. aliquot, *& publicam honestatem, propriam acquisivit utilitatem*: alii nonnulli, *& publicam honestatem propria acquisivit utilitate*. Magis scite reliqui ac edit. ut in textu.

c. Ita mss. longe plurimi: alii autem aliquot & omnes edit. *inclinari regi, propheticam auctoritatem adulatione subtexere.*

*. Cic. lib. 3. Offic. pag. 399. lin. 42. *Quamquam id quidem cum sæpe alias, tum Pyrrhi bello .... perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si præmium* &c.

d. Mss. ac vet. edit. hoc tantum dissident, quod pro *rogatur*, plures mss. legunt, *rogatus*, & pro *exitiis*. mss. nonnulli habent, *exitus*. Rom. autem edit. post verbum *daret*, adjecit *& benediceret*, sublatis hisce aliis, *oravit & impetravit.*

nena vacuaret per remissionem & indulgentiam A peccatorum. Virga est enim Verbum directum, regale, plenum potestatis, insigne imperii. Virga serpens facta est, quoniam qui erat Filius Dei ex Deo Patre natus, Filius hominis factus est, natus ex Virgine: qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Unde & ipse Dominus ait: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* *Johan. 3. 14.*

95. Denique & alterum signum ad dominum B Jesum pertinet, quod fecit Moyses: *Manum suam misit in sinum, & protulit eam, & facta est manus ejus sicut nix. Iterum misit, & protulit eam, & erat sicut carnis humanæ species*; significans domini Jesu primùm fulgorem divinitatis, postea susceptionem carnis, in qua fide credere omnes gentes populosque oporteret. Merito manum misit, quia dextera Dei Christus est, in cujus divinitate & incarnatione si quis non crediderit, quasi reprobus flagellatur: sicut iste C rex qui quoniam signis non credidit evidentibus, postea flagellatus orabat, ut veniam mereretur. Quantus igitur honestatis affectus esse debeat, ex his probatur, & eo maxime quod se objiciebat pro populo, dicens ut remitteret populo Deus, aut certe de libro viventium se deleret. *Exod. 4. 6. & 7.*

CAPUT XVI.

Paucis de Tobia injectis, Raguelem honestate philosophis antecelluisse evincitur.

96. Tobis quoque formam expressit honestatis evidentius, cùm relicto convivio mortuos sepeliret, & ad cibos pauperis mensæ invitaret inopes. Raguel præcipue, qui contemplatione honestatis, cùm rogaretur ut filiam suam in conjugium daret, vitia quoque filiæ non tacebat; ne circumvenire petitorem videretur tacendo. Itaque cùm Tobis filius To- E bis posceret ut sibi daretur puella: respondit lege quidem ipsi eam deberi tamquam propinquo, sed dedisse se eam jam sex viris, & omnes eos esse mortuos. Justus itaque vir plus alienis timebat, & malebat innuptam sibi manere filiam, quàm propter nuptias ejus extraneos periclitari. *Tobiæ 2. 2. & seq.* *Ibidem 7. 13. & seq.*

97. Quam breviter absolvit omnes quæstiones philosophorum. * Illi de vitiis tractant domorum, tegenda an prodenda à venditore vi- F deantur: noster iste nec filiæ vitia celanda arbitratus est. Et certe non ipse affectabat ut eam traderet, sed rogabatur. Quanto utique iste honestior sit illis, dubitare non possumus, si conferamus quanto præstantior sit filiæ causa, quàm rei venalis pecunia.



CAPUT XVII.

Quanto honestatis studio antiqui patres in captivitatem abituri, sacrum ignem occuluerint.

98. Consideremus aliud quod in captivitate gestum, summum tenuit honestatis decorem. Nullis enim adversis honestas impeditur, quæ in his eminet, & magis præcellit quàm in prosperis. Inter vincula itaque, inter arma, flammas, servitutem, quæ liberis omni supplicio gravior est, inter pœnas morientium, excidia patriæ, [a] vivorum formidinem, sanguinem peremtorum, non excidit tamen cura honestatis majoribus nostris: sed inter eversæ patriæ cineres, & favillas [b] in affectibus piis resplenduit & refulsit.

99. Nam cùm in Persidem ducerentur patres nostri, qui tunc Dei omnipotentis cultores erant, acceptum ignem de altari sacerdotes Domini occulte in valle absconderunt. Erat illic [c] velut patens puteus, aquæ secessu infrequens, nec populari usui patens, ignoto & ab arbitris remoto loco: ibi obsignaverunt * indicio sacro pariter ac silentio ignem reconditum. Non illis studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod servarent posteris suis: sed inter extrema sua honestatis curam habentes, sacrum ignem servandum putarunt; ne eum vel impuri contaminarent, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum acervus aboleret. *2. Mac. 1. 19. & seq.*

100. Abierunt itaque in Persidem sola religione liberi; quoniam sola illis per captivitatem extorqueri nequivit. Post vero plurimum temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem regi Persarum, ut restaurari in Judæa templum, & legitimos reparari Hierosolymis ritus juberet. Cujus gratia muneris Neemiam sacerdotem rex Persarum direxit. At ille secum deduxit sacerdotum illorum nepotes, qui profecturi de patrio solo, sacrum ne periret ignem abscondebant. Venientes autem, ut patrum sermone est proditum, non invenerunt ignem, sed aquam. Et cùm deesset ignis, quo adolerent altaria, haurire eos aquam Neemias sacerdos, sibique deferre, & adspergere super ligna jussit. Tunc, visu mirabile: cùm esset cælum intextum nubibus, sol repente illuxit, accensus est magnus ignis; ita ut omnes in tam evidenti Domini gratia factum stupentes, lætitia perfunderentur. Orabat Neemias, psallebant sacerdotes hymnum Deo. Utque consumtum est sacrificium, jussit iterum Neemias residua aqua majores perfundi lapides: quo facto flamma accensa est, [d] lumen autem refulgens ab altari consummatum illico est.

101. Hoc patefacto indicio, rex Persarum eo loco in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta est aqua, templum fieri mandavit, cui

*. Cic. Offic. lib. 3. pag. 395. lin. 4. *Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse norit* &c.

a. Amerb. cum mss. nonpaucis, *virorum formidinem*.

b. *In affectibus piis resplenduit, & refulsit*, desunt in mss. pluribus nec inferioris notæ, quorum in nonnullis pro *sed inter*, legitur, *nec inter*, minime male. Videtur tamen aliorum atque omnium edit. lectio hic præferenda.

c. Mss. aliquot, *velut puteus haud quaquam patens, aquæ secessu infrequens*; unus, *velut puteus aquæ non patiens*, alter, *haud aquam patiens, atque secessu infrequens*.

*. *Indicio sacro*, id est, notâ aliquâ mysticâ cujus ope locus postea dignosci posset.

d. Ita mss. ac vet. edit. magno consensu, nisi quod aliqui & edit. legunt, *consumtum est*, ubi probatissimi quique, *consummatum est*, Rom. autem edit. sola, *quæ tandem lumine refulgente ab altari consumta illico est*.

inferebantur dona plurima. Appellaverunt autem illud qui erant cum sancto Neemia,[a] ephthar, quod interpretationem habet purificationis: à plurimis nephthe vocatur. Invenitur autem in descriptionibus Hieremiæ prophetæ, quod jusserit accipere de igne eos qui postea essent futuri. Hic est ignis qui cecidit super sacrificium Moysi, & consumsit illud; sicut scriptum est: *Quia exivit ignis à Domino, & consumsit universa quæ erant super altare holocausta.* (Levit. 9. 24.) Hoc igne oportebat sanctificari sacrificium; B ideoque & in filios Aaron qui alienum ignem inferre voluerunt, exivit iterum ignis à Domino & consumsit eos, ita ut mortui extra castra projicerentur. (Levit. 10. 1. & seq.)

101. Veniens autem Hieremias in locum, invenit domum in modum speluncæ, & tabernaculum & arcam, & altare incensi intulit illuc, & obstruxit ostium: quod cùm hi qui simul venerant, curiosius perscrutarentur, ut notarent sibi locum; nequaquam comprehendere atque C invenire potuerunt. Ut autem cognovit Hieremias quod affectassent, dixit: Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat. Tunc Deus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini. (2. Mac. 2. 4. & seq.)

CAPUT XVIII.

Superioris eventus, ac potissimum oblati à Neemia sacrificii narratione Spiritum sanctum, christianorumque baptisma significari: & eodem etiam Moysis & Eliæ sacrificium, atque historiam Noe referri.

102. Congregationem populi tenemus[b], propitiationem domini Dei nostri agnoscimus, quam propitiator in sua operatus est passione. Arbitror quod nec ignem istum possimus ignorare, cùm legerimus quia baptisat dominus Jesus in Spiritu sancto & igni, sicut in Evangelio dixit Johannes. (Johan. 1. 33.) Merito consumebatur sacrificium, E quoniam pro peccato erat. Ille autem ignis typus Spiritus sancti fuit, qui descensurus erat post Domini adscensionem, & remissurus peccata omnium: qui quasi ignis inflammat animum ac mentem fidelem. Unde ait Hieremias accepto Spiritu: *Et factum est in corde meo ut ignis ardens, flammigerans in ossibus meis: & dissolutus sum undique, & ferre non possum.* (Hier. 20. 9.) Sed etiam in Actibus apostolorum cùm descendisset super apostolos Spiritus, & plerosque, qui F exspectabant promissa Domini, tamquam ignem dispersas esse linguas legimus. (Act. 2. 4. & seq.) Denique sic vaporabatur singulorum animus, ut musto[c] repleti esse æstimarentur, qui acceperant linguarum diversitatem.

103. Quid ergo sibi vult esse quod ignis aqua factus est, & aqua ignem excitavit; nisi quia spiritalis gratia per ignem exurit, per aquam mundat peccata nostra? Eluitur enim peccatum, & exuritur. Unde & Apostolus ait: *Uniuscujusque* A *opus quale sit, ignis probabit*; & infra: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* (1. Cor. 3. 13.) (Ibidem 15.)

104. Quod ideo posuimus, ut probaremus per ignem exuri peccata. Notum est ergo hunc esse vere ignem sacrum, qui tunc in typo futuræ remissionis peccatorum descendit super sacrificium.

105. Hic igitur ignis absconditur captivitatis tempore, quo culpa regnat: tempore autem libertatis promitur. Et licet in aquæ speciem mutatus, tamen servat ignis naturam, ut consumeret sacrificium. Nec mireris cùm legeris, quia Pater Deus dixit: *Ego sum ignis consumens*; (Deut. 4. 24) & alibi: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* (Hier. 2. 13.) Ipse quoque dominus Jesus quasi ignis inflammabat audientium corda, quasi fons refrigerabat; nam ipse in Evangelio suo dicit quod ideo venerit, ut ignem in terras mitteret, (Luc. 12. 49.) & potum sitientibus aquæ vivæ ministraret. (Johan 7. 37. & seq.)

106. Eliæ quoque tempore descendit ignis, quando provocavit prophetas gentium, ut altare sine igne accenderent. (3 Reg. 18. 38.) Et cùm illi nequissent facere, hostiam suam tertio ipse perfudit aquâ, & manabat aqua in circuitu altaris, & exclamavit, & cecidit ignis à Domino de cælo, & consumsit holocaustum.

107. Hostia illa tu es. Considera tacitus singula. In te descendit vapor Spiritus sancti, te videtur exurere, cùm tua peccata consumit. D Denique quod consumtum est sacrificium Moysi tempore, sacrificium pro peccato erat. Unde Moyses ait, sicut in Machabæorum scriptum est libro, eo quod non sit manducatum quod erat pro peccato, consumtum est. (2. Mac. 2. 11.) Nonne tibi consumi videtur, quando in baptismatis sacramento interit homo totus exterior? Vetus homo noster confixus est cruci, Apostolus clamat. (Rom. 6. 6.) Illic, sicut Patrum exempla te docent,[d] Ægyptius demergitur, Hebræus resurgit, sancto renovatus Spiritu, qui etiam per mare rubrum inoffenso transivit vestigio, ubi baptisati sunt patres sub nube, & in mari. (1. Cor. 10. 1. & seq.)

108. In diluvio quoque Noe tempore mortua est omnis caro, justus tamen cum sua progenie servatus est. (Gen 7 21. & seq.) An non consumitur homo[e], cùm absolvitur mortale istud à vita? Denique exterior corrumpitur, sed interior renovatur. Nec solum in baptismate, sed etiam in pœnitentia fit carnis interitus ad profectum spiritus; sicut Apostolica docemur auctoritate, dicente sancto Paulo: *Judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* (1. Cor. 5. 3. & 4.)

109. Prolixior excursus admirandi gratia mysterii factus videtur, dum studemus revelatum pleniùs sacramentum pandere, quod eousque plenum honestatis est, ut sit plenum religionis.

a. Rom. edit. ex LXX. *nephthar*: vet. autem edit cum Aldino cod. eorumdem LXX. *ephthar*, quo etiam accedunt mss. nisi quod eorum complures scriptorum inscitia exhibent, alii *epathar*, alii *ephatar*, quidam etiam *phatur*. Infra vero ubi omnes edit. multique mss. *nephthe*, mss. aliquot præferunt. *nephe*. Adi super hoc bituminis genere Plinium lib. 2. cap 118. & lib. 35. cap. 15.

b. Mss. aliquot, *propitiationem non cognoscimus*. Haud male, si modo per figuram admirationis aut interrogationis efferatur.

c. Cuncti propemodum mss. *repleti esse qui acceperant, æstimarentur linguarum diversitate*.

d. Edit. omnes, ac mss. aliquot, *Ægyptus demergitur*.

e. Ita mss. plures ac potiores; alii vero & edit. *cùm absorbetur*.

CAPUT XIX.

Narratur admissum in levitæ cujusdam uxorem à civibus Gabaa flagitium, atque ex illius ultione colligitur quam veteribus illis cordi fuerit honestatis ratio.

110. QUanta autem honestatis cura majoribus fuit, ut unius mulieris injuriam stupro inlatam intemperantium bello persequerentur, & victo populo, tribus Benjamin obtestarentur in conjugium se eis proprias filias non daturos? Remanserat tribus sine ullo posteritatis subsidio, nisi fraudis necessariæ accepisset licentiam. Quæ tamen indulgentia congruo intemperantiæ supplicio non videtur vacare, quando illis hoc solum permissum est, ut rapto inirent conjugia, non connubii sacramento. Et revera dignum fuit ut qui alienum contubernium solverant, ipsi nuptiarum amitterent solemnitatem.

Judic. 19. 1. & seq.

111. Quam plena autem miserationis historia? Vir, inquit, levita acceperat sibi jugalem (quam à concubitu * concubinam appellatam arbitror) quæ aliquanto post quibusdam, ut fieri solet, offensa rebus, ad patrem se contulit, & fuit illic quatuor mensibus. Et surrexit vir ejus, & abiit ad soceri sui domum, ut cum sua jugali repararet gratiam, & revocaret eam, ac reduceret: occurit ei mulier, atque in domum patris sui introduxit maritum.

112. Lætatus est adolescentulæ pater, venit obviam, & sedit cum eo tribus diebus; & epulati sunt, & quieverunt. Et sequenti die surrexit levita diluculo, & retentus est à socero, ut tam cito non desereret convivii jucunditatem. Et alio & tertio die non permisit pater adolescentulæ proficisci generum suum, donec lætitia & gratia inter eos omnis consummaretur. Sed die septimo cùm jam ad vesperum declinaret dies, post mensas & læta convivia, cùm prætexeret finitimæ noctis viciniam, ut apud suos potius, quam apud extraneos requiescendum putaret, nequivit tenere, & dimisit unà cum filia sua.

113. Verum ubi facta est aliqua progressio, cùm vesper jam propior urgeret, & appropinquatum foret ad urbem Jebusæorum, dicente servulo, ut ad eam dominus suus deflecteret, non adquievit dominus suus; quia non erat ea civitas filiorum Israel: sed intendit pervenire usque Gabaa, quæ habitabatur à populo tribus Benjamin. Nec erat quisquam qui advenientes reciperet hospitio, nisi vir peregrinus progressa ætate. Qui cùm adspexisset eos, & interrogasset levitam: Quo vadis, vel unde venis? quo respondente quod esset viator, & repeteret montem Ephræm, & non esset qui colligeret eum; hospitium ei obtulit, & adornavit convivium.

114. At ubi satietas epulandi facta est, & mensæ remotæ, irruerunt pestilentes viri, & circumierunt domum. Tunc senior filiam suam virginem, & [a] coæqualem ejus cum qua cubitare solita esset, offerebat viris iniquitatis, tantum ne vis irrogaretur hospiti. Verum ubi parum ratio processit, & vis prævaluit, cessit levites jugali sua: & cognoverunt eam, & tota nocte illuserunt ei. Qua atrocitate, vel dolore victa injuriæ, ante ostium hospitis, quo vir suus diverterat, projecit se, atque exhalavit spiritum, supremo licet vitæ munere affectum bonæ conjugis servans, ut exsequias saltem sui funeris marito reservaret.

Ibidem 20. 1. & seq.

115. Quo cognito (ne multis morer) omnis prope populus Israel in bellum exarsit, dubioque eventu cùm anceps maneret prælium, tertia tamen præliandi vice, traditus est populus Benjamin populo Israel, & divina judicatus sententia, pœnas intemperantiæ luit. Condemnatus quoque ne quis ei ex numero patrum filiam suam daret in uxorem: idque confirmatum jurisjurandi sacramento est. Sed compuncti quod tam acerbam in fratres tulissent sententiam, ita severitatem ejus temperaverunt, ut orbatas parentibus virgines in conjugium sibi adsciscerent, quorum patres pro delicto peremti forent, vel rapto copulam sociarent; quia pro tam turpis commissi facinore, qui alieni matrimonii jus violaverant, indignos se impetrando exhibuere matrimonio. Sed ne periret una populo tribus, fraudis indulta est conniventia.

Ibidem 21. 1. & seq.

116. Quanta igitur honestatis cura majoribus fuerit, hinc proditur, ut quadraginta millia virorum stringerent gladium adversus fratres suos de tribu Benjamin, dum ulcisci volunt [b] injuriam pudicitiæ; quia temeratores castitatis non sufferebantur. Itaque eo bello cæsa sunt utrinque [c] sexaginta quinque millia bellatorum, & exustæ urbes. Et cùm inferior primo fuisset populus Israel; tamen nec adversi metu belli percitus, vindicandæ castitatis sequestravit dolorem. Ruebat in prælium, vel sanguine suo parans commissi flagitii diluere notam.

CAPUT XX.

Post solutam ex Elisæi vaticinio diram Samariæ obsidionem, quanta fuerit quatuor leprosis honesti cura, enarratur.

4. Reg 6. 25 & seq.

117. ET quid mirum si populo Dei decorum illud atque honestum curæ fuit, quando etiam leprosis, sicut in libris Regnorum legimus, honestatis non defuit consideratio?

118. Fames erat magna in Samaria, quia obsederat eam Syrorum exercitus. Rex militares excubias supra murum sollicitus revisebat; interpellavit eum mulier dicens: Persuasit mihi hæc mulier ut adferrem filium meum, & adtuli, & coximus, & comedimus eum; & promisit ut & ipsa postea filium suum adferret, & carnes illius simul manducaremus: nunc autem filium suum abscondit, & non vult eum adferre. Motus rex quod non solum humanis, sed etiam parricida-

*. Adverte pulcherrime hinc confirmari, quod observatione in lib. 1. de Abraham cap. 4. col. 290. volum. 1. num. 23 diximus, nuptium legitimam uxorem haud raro concubinæ nomine vocitari.

a Edit. & pauci mss. *jugalem ejus. . . . solutus esset:* sed optimi quique iidemque frequentissimi ut in textu.

b. Quædam edit. *injuriam impudicitiæ:* aptius reliquæ, ac mss. *injuriam pudicitiæ*; nempe quam acceperat pudicitia.

c. Ita edit, ac mss. aliquot: alii vero partim, *quadraginta*, partim *quadraginta-quinque millia*. Sed nisi locum Ambrosius memoriter citavit, omnino legendum 65. millia, ut in sacris codicibus haberi, subducta mortuorum in singulis præliis ratione cognoscitur.

libus cadaveribus mulieres pastæ viderentur, & A tam atrocis calamitatis exemplo percitus, Elisæo prophetæ denuntiavit necem, cujus in potestate fore crederet, ut obsidionem solveret, propulsaret famem: vel quia non permiserat regi ut percuteret Syros, quos cæcitate perfuderat.

4. Reg. 6. 32. & seq. 119. Sedebat Elisæus cum senioribus [a] in Bethel, & priusquam introiret ad eum regis nuntius, ait ad seniores viros: Si vidistis quoniam filius homicidæ illius misit auferre caput meum? B Et introivit nuntius, & mandatum regis pertulit, denuntiantis præsens capitis periculum. Cui

Ibidem 7. 1. & seq. respondit propheta: Hac hora die crastina mensura similaginis siclo, & duæ mensuræ hordei siclo in porta Samariæ. Et cùm missus à rege nuntius non credidisset, dicens: Si pluerit Dominus de cælo abundantiam frumenti, nec sic quidem id posset effici; dixit ad eum Elisæus: Quia non credidisti, oculis tuis videbis, & non manducabis. C

120. Et factus est subito in castris Syriæ velut quadrigarum sonus [b], & vox multa equitum, & vox magnæ virtutis, atque ingens belli tumultus: & arbitrati sunt Syri quod rex Israel in societatem advocasset prælii regem Ægypti, & regem Amorrhæorum: & fugerunt diluculo relinquentes tabernacula sua; quoniam verebantur ne improviso adventu novorum opprimerentur hostium, & conjunctis regum viribus non possent resistere. Id incognitum Samariæ D erat; quoniam victi metu, & fame tabidi, nec prætendere audebant.

Ibidem 3. & seq. 121. Erant autem leprosi quatuor ad portam civitatis, quibus vita erat supplicium, & mori lucrum; & dixerunt ad se invicem: Ecce nos hîc sedemus, & morimur. Si ingredimur urbem, moriemur fame; si manemus hîc, nullum subsidium vivendi suppetit nobis: eamus in castra Syriæ, aut compendium mortis erit, aut salutis remedium. Perrexerunt itaque, & intraverunt E in castra: & ecce omnia nuda hostium. Ingressi tabernacula, primum repertis alimentis fugaverunt famem, deinde auri & argenti quantum potuerunt, diripuerunt. Et cùm [c] soli prædæ incumberent, disposuerunt tamen nuntiare regi fugisse Syros; quia id honestum arbitrabantur, quam represso indicio fovere fraudis rapinam.

122. Quo indicio egressus est populus, & diripuit castra Syriæ, & commeatus hostium F abundantiam fecit, annonæ vilitatem reddidit secundùm propheticum dictum; ut mensura similaginis siclo, & duæ mensuræ hordei pari pretio constarent. In hac lætitia plebis nuntius ille in quo requiescebat rex, [d] contritus inter exeuntium festinationem & remeantium exsultationem, conculcatus à plebe, mortuus est.

CAPUT XXI.

Hesther vitæ periculo honestatis decus secutam esse, immo & regem barbarum, illata nece viro amicissimo; amicitiam enim honestati semper conjungendam, ut Jonathæ atque Alchimelech exempla probant.

123. Quid Hesther regina, nonne ut populum suum periculo exueret, quod erat decorum atque honestum, morti se obtulit, nec immitis regis trepidavit furorem? Ipse quoque rex Persarum ferox, atque tumido corde, tamen decorum judicavit indici insidiarum quæ sibi paratæ forent, gratiam repræsentare, populumque liberum à servitute eripere, eruere neci, nec parcere ei, qui tam indecora suasisset. Denique quem secundum à se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod dehonestatum se ejus fraudulentis consiliis animadvertisset. Hesth. 4. 16. Ibidem 8. 3. & seq. Ibidem 7. 9.

124. Ea enim * amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sane opibus, honoribus, potestatibus: honestati vero præferri non solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Jonathæ, qui pro pietate nec offensam patris, nec salutis periculum refugiebat. Qualis fuit Abimelech, qui pro hospitalis gratiæ officiis necem pòtius sui, quam proditionem fugientis amici, subeundam arbitrabatur. 1. Reg. 20. 29. & seq. Ibidem 22. 6.

CAPUT XXII.

Honestatem amici causa non deserendam, si tamen adversus amicum testimonium dicendum fuerit, cautionem adhibendam. Inter amicos quis candor in aperiendo pectore, quæ generositas in patiendo, quæ in arguendo libertas requiratur? Amicitiam virtutum custodem esse, nec nisi in similium morum hominibus inveniri. Eamdem in corripiendo mitem, atque à propriis commodis alienam esse oportere; & inde quam rari divitibus veri amici! Quanta amicitiæ dignitas; quæ quo major, eo detestabilior amici perfidia, ut Judæ atque amicorum Job exemplis cognoscitur.

125. Nihil igitur præferendum honestati; quæ tamen ne amicitiæ studio prætereatur, etiam hoc Scriptura admonet de amicitia. Sunt enim pleræque philosophorum quæstiones: * utrum amici causa quisquam contra patriam sentire necne debeat, ut amico obediat? Utrum oporteat ut fidem deserat, dum indulget atque intendit amici commoditatibus?

126. Et Scriptura quidem ait: *Clava & gladius & sagitta ferrata, sic homo est testimonium dans falsum adversus amicum suum.* Sed considera quid adstruat. Non testimonium reprehendit dictum in amicum, sed falsum testimonium. Quid enim si Dei causa, quid si patriæ cogatur aliquis dicere testimonium? Numquid præponderare debet amicitia religioni, præponderare caritati ci- Prov. 25. 18.

a. Edit. *in domo sua* Et infra post duos versus *filius hic homicida* Utrobique autem mss. prope ad unum ut in textu.

b. Edit. cum uno vel altero mss. *& vox multitudinis*: alii mss. non multi, *& voces multa, quantum & vox magna virtutis*: ceteri nobiscum faciunt. Rursus vero ubi nos cum ant. edit. & cunctis mss. *& regem Ammorrhaeorum*, Rom. edit. substituerat, *& regem Ethaeorum*.

c. Sic mss. longe plurimi, ac notæ probatioris: nonnulli tamen & omnes edit. *soli possent prada incubare, elegerunt.* &c.

d. Omnes edit. cum paucis mss. *constitutus in porta inter* &c.

*. Cic. lib. 3. Offic. pag 393. lin. 30. *Maxime autem perturbantur officia in amicitiis* &c.

*. Ibidem lin. 33. *At neque contra rempublicam* &c. Item de Amic. pag. 424. lin. 1. *Quamobrem videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat*, &c.

vium? In his tamen ipsis rebus requirenda est veritas testimonii; ne amicus appetatur amici perfidia, cujus fide absolvi debeat. Amicus itaque neque noxio gratificari debet, neque innocenti insidiari.

127. Sane si necesse sit dicere testimonium, si quid in amico vitii cognoverit, * corripere occulte: si non audierit, corripere palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerumque meliores quam tacita amicitia. Et si lædi se putat amicus, tu tamen corripe; & si amaritudo correctionis animum ejus vulneret, tu tamen corripe, Prov. 27. 6. ne verearis: [a] *Tolerabilia sunt enim amici vulnera, quam adulantium oscula.* Errantem igitur amicum corripe, innocentem amicum ne deseras.* Constans enim debet esse amicitia, perseverare in affectu: non puerili modo amicos mutare vaga quadam debemus sententia.

128. Aperi * pectus tuum amico, ut fidelis sit Eccli. 6. 16. tibi, & capias ex eo vitæ tuæ jucunditatem. Fidelis enim amicus medicamentum est vitæ, & immortalitatis gratia. * Defer amico ut æquali, nec te pudeat ut prævenias amicum officio; amicitia enim nescit superbiam. Ideo enim Sa- Eccli. 22. 31. piens dicit: *Amicum salutare non erubescas.* * Nec deseras amicum in necessitate, nec derelinquas eum, neque destituas; quoniam amicitia vitæ adjumentum est. Ideo onera nostra portemus, sicut Apostolus docuit; dicit enim his quos ejus- Galat. 6. 2. dem corporis complexa est caritas. Etenim si amici secundæ res amicos adjuvant, cur non & in adversis amici rebus amicorum adjumentum suppetat? Juvemus consilio, conferamus studia, compatiamur affectu.

129. Si necesse est, toleremus propter amicum etiam aspera. Plerumque inimicitiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpe obtrectationes, si restiteris vel responderis, cùm amicus arguitur & accusatur. Nec te pœniteat Eccl. 22. 31. ejusmodi offensionis; justi enim vox est: *Etsi mala mihi evenerint propter amicum sustineo.* In adversis enim amicus probatur; nam in prosperis amici omnes videntur. Sed ut in adversis amici patientia & tolerantia necessaria, sic in prosperis auctoritas congrua est; ut insolentiam extollentis se amici reprimat & redarguat.

130. Quam pulcre in adversis positus Job di- Job. 19. 21. cit: *Miseremini mei, amici, miseremini.* Non quasi abjecta vox ista est, sed quasi censoria. Nam cùm injuste argueretur ab amicis, respondit: *Miseremini mei, amici;* hoc est, misericordiam debetis facere: opprimitis autem vos & impugnatis hominem, cujus ærumnis compati pro amicitia vos oportebat.

131. Servate igitur, filii, initam cum fratribus amicitiam, qua nihil est in rebus humanis pulcrius. * Solatium quippe vitæ hujus est, ut habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris tui; ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Quam boni amici He- Dan. 3. 16. & seq. bræi pueri, quos à sui amore nec fornacis ar- Supr. c. 9. dentis flamma divisit? De quo supra diximus. Bene ait sanctus David: *Saul & Jonathas speciosi* 1 Reg. 1. 23. *& carissimi, inseparabiles in vita sua, & in morte non sunt separati.*

132. Hic est amicitiæ fructus, * ut non fides propter amicitiam destruatur. NON POTEST enim homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amicitia est, & æqualitatis magistra; ut superior inferiori se exhibeat æqualem, inferior superiori. Inter * dispares enim mores non potest esse amicitia; & ideo convenire sibi utriusque debet gratia. Nec auctoritas desit inferiori, si res poposcerit, nec humilitas superiori. Audiat quasi parem, quasi æqualem: & ille quasi amicus moneat, objurget, non jactantiæ studio, sed affectu caritatis.

133. Neque * monitio aspera sit, neque objurgatio contumeliosa; sicut enim adulationis fugitans amicitia debet esse, ita etiam aliena insolentiæ. Quid est enim amicus, nisi consors amoris, * ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tamquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui causâ inhonestum petas? * Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. VIRTUS EST enim amicitia, non quæstus; quia non pecunia petitur, sed gratia: nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ.

134. Denique meliores amicitiæ sunt inopum plerumque quam * divitum: & frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. NON EST enim vera amicitia, ubi est fallax adulatio. Divitibus itaque plerique adsentatorie gratificantur: erga pauperem nemo simulator est. Verum est quidquid defertur pauperi, hujus amicitia invidiâ vacat.

135. Quid amicitia pretiosius, quæ Angelis communis & hominibus est? Unde & dominus Jesus dicit: *Facite vobis amicos de iniquo mam-* Luc. 16. 9. *mona, qui recipiant vos in æterna tabernacula sua.* Ipse nos Deus amicos ex servulis facit, sicut ipse

*. Cic. Offic. lib. 1. pag. 358. lin. 46. *Interdum etiam objurgationes in amicis vigent maxime.* Item de Amic pag 425. lin. 5. *Consilium verum dare gaudeamus libere* &c.

a. Roma. edit sola: *Utiliora sunt amici vulnera:* Vet. autem ac mss. *Tolerabilia,* seu, *tolerabiliora;* quidam tamen *probabiliora sunt amici vulnera.* &c.

*. Cic. de Amic. pag. 428. lin. 1. *Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum satietates* &c.

*. Ibidem pag. 426. lin. 15. *Tum sit inter eos omnium rerum consiliorum & voluntatum* &c.

*. Ibidem pag. 427. lin 38. *Quid, hac ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates* &c.

*. Ibidem pag. 428. lin. 20. *Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori* &c.

*. Ibidem pag. 421. lin. 39. *Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum* &c.

*. Lib. 3. Offic. pag 393. lin. 41. *Nam si omnia facienda sint quæ amici velint* &c. Item de Amic. pag. 424. lin. 15. *Quod si rectum statuerimus vel concedere amicis* &c. Item lin. 27. *Hac igitur prima lex in amicitia* &c.

*. Cic. de Amic. pag. 425. lin. 45. *Quamobrem hoc quidem.... constat, ut opinor, bonis inter bonos* &c. Item pag. 429. lin. 49. *Par est autem primum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere* &c.

*. Lib. 1 Offic. pag 370. lin. 9. *Magna autem ex parte clementi castigatione licet uti* &c. Item de Amic. pag. 430. lin. 48. *Nam & monendi amici sæpe sunt & objurgandi* &c.

*. Cic. de Amic pag. 429. lin. 41. *Est enim is amicus quidem, qui est tamquam alter idem..... Et alterum adquirit cujus animum ita cum suo commisceat.* &c.

*. Ibidem pag. 425. lin. 50. *Atque etiam mihi quidem videtur, qui utilitatis causa fingunt amicitias* &c.

*. Ibidem pag. 426. lin. 12. *Hæc enim est tyrannorum vita, nimirum in qua nulla fides, nulla caritas... Coluntur tamen simulatione amicitiæ &c. .. Multorum opes præpotentium excludunt fideles amicitias* &c.

Johan. 15. 14. ait: *Jam vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Dedit formam amicitiæ quam sequamur, ut faciamus amici voluntatem, ut aperiamus secreta nostra amico quæcumque in pectore habemus, & illius arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis aperiat suum. *Ideo*, inquit, *vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* (Johan. 15. 14.) Nihil ergo occultat amicus, si verus est: effundit animum suum, sicut effundebat mysteria patris dominus Jesus.

136. Ergo qui facit mandata Dei, amicus est; & hoc honoratur nomine. Qui est unanimis, ipse amicus est; quod unitas animorum in amicis fit: neque quisquam detestabilior, quam qui amicitiam læserit. Unde in proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quod ejus condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, & conviviis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit. Itaque sic ait: *Tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos!* (Psal. 54. 14.) Hoc est, non potest sustineri istud, quia unanimis appetisti eum, qui tibi donaverat gratiam: *Nam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*; (Ibidem 13.) & ab eo A qui me oderat, absconderem me. INIMICUS VITARI potest, amicus non potest, si insidiari velit. Illum cavemus cui non committimus consilia nostra: hunc cavere non possumus, cui commisimus. Itaque ad acervandam peccati invidiam non dixit: Tu vero servus meus, apostolus meus, sed unanimis meus; hoc est, non meus, sed etiam tuus proditor es, qui unanimem prodidisti.

137. Dominus ipse cùm à tribus regibus offensus esset, qui sancto Job non detulissent, B ignoscere his per amicum maluit, ut amicitiæ suffragium remissio fieret peccatorum. Itaque rogavit Job, & Dominus ignovit. Profuit illis amicitia, quibus obfuerat insolentia. (Job. 42. 7. & seq.)

138. HÆc apud vos deposui, filii, quæ custodiatis in animis vestris: quæ utrum aliquid profectus habeant, vos probabitis; interim copiam multam exemplorum offerunt: nam prope omnia Majorum exempla, plurima quoque dicta his tribus inclusa libris tenentur; ut etsi sermo nihil deferat gratiæ, series tamen vetustatis quodam compendio expressa plurimum instructionis conferat. (Operis conclusio.)

ADMONITIO IN LIBROS SEQUENTES,

UBI ET DE VIRGINUM SACRARUM ORIGINE DISSERITUR.

Virginitatis institutum cùm in ipsis Christi domini verbis, Doctorisque gentium consiliis stabilitum sit, atque in Ecclesia maximo semper fuerit in pretio; non immorabimur in refellendis illis hereticis qui contra manifestam Scripturæ ac universæ traditionis auctoritatem, vel cœlibatum postposuere matrimonio, vel continentiæ vota tamquam temeraria, impia atque illicita proscripsere. Sed quoniam inter catholicos alii jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis affirmant exstitisse virgines, quæ tum solemnia continentiæ vota nuncuparent, tum etiam communem vitam in monasteriis amplecterentur: alii autem ipsis sola privata vota, & vitam aut in multarum sæculari contubernio, aut singulatim in paternis domibus actam concedunt: alii demum in ipsis simplex propositum quod illæ velo & vestium suarum modestia testabantur, agnoscunt, Ambrosio nostro primam parthenonum institutionem adtribuentes; non ingratum duximus fore, si paulo uberius de eodem argumento proloqueremur.

Primam opinionem constat susceptam esse à pluribus, qui eam dissertationibus & ingentibus etiam voluminibus propugnare conati, Patrum & Conciliorum quorumdam testimonia, multorumque martyrum Acta congesserunt. Nihilominus tamen magnas ipsa difficultates pati videtur. Romanæ leges cœlibatum severe prohibebant ac puniebant: Christianorum vel minimos cogi conventus nequaquam sinebant idololatræ; qui etiam pro sua libidinis impotentia maxime in virgines debacchabantur. Hæc tamen difficultatum repagula eorum quæ in martyrum bene multorum Actis leguntur, auctoritate removerentur, nisi illam elevaret vehemens suspicio, ne dicamus indicia prope manifesta, corruptionis. Quod autem ad allatos Patrum aut Conciliorum locos, facile illos ita exponunt alii, ut in suas etiam partes traducant.

Proinde lubentes cum Innocentio I. agnoscimus duo sacrarum virginum genera; nimirum [a] *alias* quæ Christo specialiter nupserunt, & velari à sacerdote meruerunt: & alias quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se manere promiserunt. *At vero utrasque perpetuo virginitatis voto adstrictas fuisse contendimus. Et certe illud Patribus, maxime autem Augustino familiare videmus esse, ut voces* propositum *ac* votum *eodem usurpent significatu. Neque votum apud ipsos quoque scholasticos aliud sonat quam propositum voce firmatum. Quod utique sacræ illæ virgines factitabant, cùm illud vestium mutatione, ac loci in Ecclesia separati occupatione palam facerent.*

Quod si obtendant Cypriani locum, ubi præcipit: [b] Quæ perseverare nolunt aut non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant; *id ea ratione statutum esse respondetur ob lapsum quarumdam virginum, quæ offensionem Ecclesiæ etiamnum crudelitate tyrannorum vexatæ pariebant. Quocirca licet istiusmodi conjugia majorem in modum condemnaret, ea tamen tamquam minora mala vitandis majoribus toleranda censuit verius, quam probavit. Quin etiam sanctus* [c] *Epiphanius ac post eum* [d] *Augustinus quorum temporibus virginum illarum vota usitata fuisse non diffitentur adversarii, matrimonium post emissa vota contractum vetant dissolvi propter maritos, qui quidem si alias uxores duxissent domum, majori scelere se obligassent. Iidem vero maximum adserunt ipsarum esse crimen, ac pœnis Ecclesiasticis dignum. Quænam, obsecramus, alia mens fuit Cypriano? Numquid enim non dicit corruptas & pollutas illas virgines* firmiter continere decrevisse, atque Christo se devovisse; *quove pacto votum in his positum esse*

[a] Epist. ad Victric. Rotomag.
[b] Epist. ad Pompon.
[c] Hæres. 61.
[d] Lib de Bono Viduit. cap. 10 & 11.

negari queat? Et hinc est profecto quod idem Pater cum Augustino [a] adseverat adulterio teneri feminas illas, quippe quæ datam Christo domino fidem fregissent.

a Enarrat. in Psal. 83. & 75.

Maneat igitur virginum & continentium vivendi rationem ipsi Christianæ religioni ætate non esse inferiorem: jam inde ab Apostolicis temporibus puellas exstitisse, quæ Deo virginitatem seu voto seu firmo perpetuæ continentiæ promisso consecrarent: postremo hæc vota coram episcopis, aut presbyteris, aut parentibus, aut tandem omnibus christianis per externa illa indicia, quæ jam ante memoravimus, declarari consuevisse. Difficillimis autem vastata atque sub acerbissima tyrannide gementis ecclesiæ temporibus eædem virgines in paternarum ædium secreto degebant. Postquam verò divinæ benignitatis ope fidelibus tranquillitas concedi cœpta, illæ ipsæ Hominis-dei sponsæ monasteria instituere aggressæ sunt in Oriente; unde Athanasius ob arrianorum persecutionem Romam perfugere coactus, ut nonnulla ibi constituerentur, causam præbuit. Illic quidem hoc vitæ genus initio minus valuit [b] apud nobiles: at verò cùm illud illustres quædam matronæ essent amplexæ, sensim in alias regiones maximi cujusque præsulis studio propagatum est.

b Hieron. de laudib. Marcellæ.

In juvando tam sancto tamque utili instituto nemini inferiorem se se ostendit magnus Ambrosius; illud quippe non modo in diœcesi propria admissum totis viribus fovit atque auxit; verum etiam per vicinas provincias & trans maria quoque usque in Africam ac Mauritaniam amplificavit. Unde agnoscas sancto Antistiti sin minus primi apud Italos sanctimonialium parentis laus debeatur, proximam tamen eidem non posse nisi injuriâ negari, patroni scilicet ac propagatoris. Ut autem quâ ratione virginitatis professio dilatata est, manifestius appareat, librorum, quos hîc edimus, analysim aggrediamur.

Cùm nihil antiquius haberet vir sanctus, quam ut populum sibi creditum salutari doctrina informaret, operæ pretium episcopatus sui initio facturum se duxit, si demonstrata virginitatis sanctitudine ad eam profitendam christianas puellas pro sua virili accenderet. Habuit igitur de hoc argumento sermones tanta cum eloquentia & vehementia, ut maria ipsa pervaderent. Horum excita rumore beata ipsius soror Marcellina, eidem per litteras tam lætum prosperumque successum gratulata est: quem etiam ut viva quæ viva voce pronunciabat, quando sibi coram audire minime liceret, saltem transmitteret scripto mandata, obsecravit. Quare ut tam justæ petioni obsequeretur, conciones suas in tres illos libros, quos etiam nunc habemus, digerere animum induxit.

In primo libro virginitatis dignitatem expendit, ac post singularem sui demissionem statim in exordio demonstratam, quænam ad scribendum ipsum impulerint, aperit. Tum beatæ Agnetis cujus natalis inciderat in eum diem, præmissa laudatione, virginitatem à Deo Patre ad nos una cum Verbo descendisse affirmat. Inde colligit nullam apud Ethnicos, apud Hebræos autem adumbratam solum exstitisse virtutem illam: quam tametsi neutiquam imperetur, tamen matrimonio longe præstare compositis inter se ambobus, palam facit. Hinc arrepta occasione parentes ac potissimum viduas amanter arguit, quod filias ne vel ipsum de hac materia audirent concionantem, prohiberent. Ut autem quantopere hac in re peccent, planius fiat, illis ob oculos puellarum quæ Placentia & Bononia, immo etiam è transmarinis plagis Mediolanum Christo nupturæ veniebant, exemplum ponit. Ad postremum narrato pulcherrimo facinore cujusdam virginis, quæ ab altari, priusquam profiteretur continentiam, à suis avelli non potuit, liber clauditur.

In secundo virginum instituere mores aggressus, id à se negat commodius præstari posse quam exemplis, quorum primum ac præcipuum à Dei matre virginum omnium antesignana mutuatur. Hujus virtutes breviter quidem, sed summo cum ornatu & eloquentia describit. Huc Theclam addit Pauli discipulam, ac Mediolanensis Ecclesiæ patronam, quam illæ velut absolutum exemplar in se conentur exprimere. Verum ne exempla illa viribus suis majora causarentur, tertium ipsumque memoria recentioris eis objicit. Erat hæc virgo christiana, quæ dum se sponte exponit martyrio, ad lupanar à tyranno damnatur; unde christiani militis ope divinitus elapsa, cum eo tandem martyrii palmam consequuta est. Deinde sanctus Præsul ad idololatriæ considerationem mentem reflectens, in laudatissima Damonis atque Pythiæ historia, nihil observari posse contendit, quod jure cum generosa illius virginis constantia possit conferri. Denique excusata ista forte paulo nimia, quam in oratione adhibuerat, arte ac facundia, id eo concilio factum adserit, ut vi majori & suavitate ad Deum animos pelliceret.

Tertium librum orditur ab ea exhortatione, quam Liberius pont. max. ad Marcellinam cùm Romæ in Basilica Apostolorum, ipso Dominici natalis festo, spectante fidelium innumera multitudine, velaretur, habuit. Ea cum fratre sæpius de hoc ipso sermone fuerat colloquuta, cui proinde illum integrum hoc loco qui videbatur maxime opportunus, suis, non Auctoris verbis expressum, misit. Is autem erat animi fervor in hac virgine, ut intra Liberii præceptorum cancellos non clauderetur. Suadet itaque amantissimus juxta ac prudentissimus frater, ut remissis tantisper jejuniis, impensius orationi, atque interno reliquarum virtutum studio vacet. Cum vero isthæc non sorori tantum vellet prodesse, verum etiam aliarum virginum institutioni; quid sequi, quidve fugere ipsas oporteat, præscribit: atque in primis à conviviorum ac saltationis usu deterret. Postremo ubi Marcellinæ à qua interrogatus fuerat de illis virginibus quæ mortem sibi consciverant voluntariam, fecit satis, martyrium Sotheris cognationis vinculo sibi conjunctæ narrat, ac demum libro coronidem imponit. Quidquid enim deinceps legitur in editis cùm in omnibus mss. tractatum distinctum constituat, id post librum de Viduis visum est rejiciendum.

Hos quidem libros ab se [c] tertio episcopatus sui anno, id est, à reparata salute 377. compositos ipse testatur: sermones tamen quibus eos constare supra diximus, ante aliquod tempus pronuntiatos fuisse necessum est; cùm eorum fama loca tam vastis maris tractibus sejuncta peragrasset. In quo sane illud non possumus non admirari, hominem vixdum à provinciæ administratione sæcularibusque tribunalibus abductum, sacris litteris & Christiana facundia tam exquisite instructum se præbuisse, ut libros conscriberet [d] Hieronymi, [e] Augustini, atque omnium eorum, qui sequentibus sæculis in Ecclesia floruerunt, laudibus cumulandos.

c Lib. 2. cap. 7.
d. Epist. ad Eustoch. & Apolog. adversus Jovinian.
e Lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 21.

SANCTI

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE VIRGINIBUS

AD MARCELLINAM SOROREM SUAM

*LIBRI TRES.**

* Scripti an. 377.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Ambrosius ab unoquoque verborum talentorumque suorum reddendam Deo rationem intelligens, ad scribendum mentem appellit; tum recensitis aliquot divinæ misericordiæ exemplis provocat se se ad bene sperandum: sed mox illi officio imparem se esse confessus, ut secum tamquam cum Evangelica ficu agatur, optat; quo tamen os censoribus opprimat suis, sperare se testatur verba sibi non defutura, qui loquatur Christum.

Matth. 12. 36. 1. SI juxta cælestis sententiam veritatis, verbi totius, quodcumque otiosum fuerimus loquuti,
a habemus [a] præstare rationem: vel si unusquisque servus credita sibi talenta gratiæ spiritalis, quæ nummulariis dividenda forent, ut crescentibus multiplicarentur usuris, intra terram suam
Matth. 25. 14. & seq. vel quasi timidus fœnerator, vel quasi avarus possessor absconderit, non mediocrem, domino revertente, offensam incidet; jure nobis verendum est, quibus licet ingenium tenue, necessitas tamen maxima eloquia Dei credita populi fœnetare mentibus, ne vocis quoque nostræ poscatur usura: præsertim cùm studium à nobis Dominus, non profectum requirat. Unde scribendi aliquid sententia fuit. Majore siquidem pudoris periculo auditur vox nostra quam legitur; liber enim non erubescit.

2. Et quidem ingenio diffisus, sed divinæ mise-
A ricordiæ provocatus exemplis, sermonem meditari audeo; nam, volente Deo, etiam asina loquuta est. Num. 22. 28.
Quod si mihi sub istius sæculi oneribus constituto adsistat Angelus, ego quoque muta diu ora laxabo; potest enim solvere impedimenta imperitiæ, qui in illa asina solvit naturæ. Num. 17. 8.
In arca veteris Testamenti virga floruit sacerdotis: facile Deo ut in sancta Ecclesia [b] de nostris quoque nodis flos germinet. b
Cur autem desperandum quod Dominus loquatur in hominibus, qui Exod. 3. 4. & seq.
B est loquutus in sentibus? Deus nec rubum est dedignatus. Atque utinam meas quoque illuminet spinas. Erunt forrassis qui etiam in nostris sentibus aliquem [c] mirentur lucere fulgorem, c
erunt quos spina nostra non urat, erunt quibus de rubo audita vox nostra solvat de pedibus calceamentum, ut impedimentis corporalibus exuatur mentis incessus.

3. Sed hæc sanctorum merita virorum. Utinam me sub illa infructuosa adhuc ficu jacentem ex Johan. 1. 48.
C aliqua Jesus parte respiceret; ferret quoque post triennium fructus & nostra ficus. Luc. 13. 6. & seq.
Sed unde tantum peccatoribus spei? Utinam saltem ille Evangelicus Dominicæ cultor vineæ ficum nostram fortasse jam jussus excidere, remittat illam & hoc anno, usque dum fodiat, & mittat cophinum stercoris; ne forte de terra suscitet inopem, & de stercore erigat pauperem. Beati qui sub vite & olea equos suos alligant, [d] laborum cursus suorum luci & lætitiæ consecrantes: Gen. 49. 11. d
me ficus adhuc, id est, illecebrosa deliciarum obumbrat prurigo mundi, humilis ad altitudinem, fragilis

a. Mss. aliquot. *præsentare rationem.*

b. Ita edit. omnes, ac mss. non pauci: alii vero aliquot, *de nostris quoque nucleis*, non satis recte: manifestum enim est Ambrosium nostrum, quæ sua erat humilitas, seipsum cum virga rudi ac nodis aspera comparare.

c. Mss. aliquam multi, *mereantur ducere fulgorem, quos spina nostra*, &c.

d. Omnes edit. cum paucis mss. *laborem cursuum suorum paci & lætitiæ consecrantes, ne ficus . . . . obumbret*: alii mss. majori numero & auctoritate, ut in textu.

ad laborem, mollis ad usum, sterilis ad fructum. A

4. Ac fortasse miretur aliquis cur scribere audeo, qui loqui nequeo. Et tamen si repetamus quæ legimus in Evangelicis scripturis, & sacerdotalibus factis, ac nobis sanctus Zacharias propheta documento sit, inveniet esse quod vox non explicet, & stylus signet. Quod si nomen Johannis reddidit patri vocem, ego quoque desperare non debeo quod vocem licet mutus accipiam, si loquar Christum: cujus quidem generationem juxta propheticum dictum quis enarrabit? Et ideo quasi servus, [a] Domini familiam prædicabo; immaculatus enim Dominus immaculatam sibi familiam etiam in hoc pleno colluvionum fragilitatis humanæ corpore consecravit. B

Luc. 1. 63. & 64. — Isai. 53. 8.

CAPUT II.

Docet libri sui auspicato proferri exordium, cùm Natalis dies esset virginis, beatæ Agnetis videlicet: quam à nomine, à pudore, à martyrio elegantissime commendat: sed potissimum ab ætate, quippe quæ annos duodecim nata, terrores, promissa, cruciatus, mortem denique ipsam virili prorsus constantia devicerit. C

5. ET bene procedit, ut quoniam hodie natalis est virginis, de virginibus sit loquendum, & à prædicatione liber sumat exordium. Natalis est virginis, integritatem sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctæ Agnes, mirentur viri, non D desperent parvuli; stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum de ea loqui possumus, cujus ne nomen quidem [b] vacuum luce laudis fuit? Devotio supra ætatem, virtus supra naturam; ut mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quo indicavit quid esset futura.

6. Habeo tamen unde mihi subsidium comparetur. Nomen virginis titulus est pudoris. [c] Appellabo martyrem, prædicabo virginem. Satis E prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Facessant igitur ingenia, eloquentia conticescat. Vox una præconium est. Hanc senes, hanc juvenes, hanc pueri canant. NEMO EST est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant, dum loquuntur.

7. Hæc [d] duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati: immo magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ torvos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere, quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impavida manus, hæc stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata: vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis * focis trophæum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus: sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere.

8. Novum martyrii genus? Nondum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum læta successu, gradu festina virgo processit, non intorto crine caput comta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique quod tam facile vitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, jam quasi perfuncta donaret. Stupere universi, quod jam divinitatis testis existeret, quæ adhuc, * arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit denique ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: QUIA QUOD ultra naturam est, de auctore naturæ est.

9. Quanto terrore egit carnifex ut timeretur, quantis blanditiis ut suaderet, quantorum vota ut sibi ad nuptias perveniret? At illa: Et hæc [e] Sponsi injuria est exspectare placiturum. Qui me sibi [f] prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset: tremere percussoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo. Habetis igitur in una hostia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et virgo permansit, & martyrium obtinuit.

a. Rom. edit. ac mss. nonnulli, *Domini famulam* . . . . . *immaculatam sibi famulam*: melius vet. edit. cum reliquis mss. utrobique *familiam*. Etenim hic universim de virginum statu atque ordine prius loquitur, ac deinde ad aliquam singillatim laudandam progreditur.

b. Eadem Rom. edit. sola, *vacuum laudis est*: sed vocem *luce* ex ant. edit & cunctis mss. restituimus. Dicitur autem laudabile hoc nomen esse, quod agna sive Agnes, græce ἁγνή, id est, pura, cum innocentiæ symbolum sit, tum religionis; cùm ad sacrificium quondam maxime destinatum fuerit illud animal.

c. Edit. omnes cum Teller. cod. *Appellabo martyrem. Prædicavi satis. Prolixa* &c. Elegantius autem reliqui mss. ut in textu, nisi quod pro, *prædicabo* non pauci legunt, *prædicavi*. Rursus vero post duos versus Rom. edit. sola, *Vox una præconum est*, minus congrue.

d. Rom. edit. *Hæc tredecim annorum*, &c. Sic etiam non solum ejusdem sanctæ martyris Acta beato Ambrosio inter ejus epistolas nequicquam, ut suo loco ostendemus, inscripta, sed & magnus Augustinus serm. de Diversis 101. in edit. nova 273. quamquam in Florentensi ms. hæc verba *tredecim annorum* omnino desint. Verum tamen minime mutanda mss. omnium, ac vet. edit. lectio. Solemus quippe eos qui tertium decimum annum necdum impleverint, promiscue vel duodecim vel tredecim annorum vocitare. Illam autem scriptores cum Baronio satis conveniunt in ultima persecutione fuisse passam. Cujus quidem festum apud Græcos die 14. & 21. Januarii, nec non 15. Julii celebratur, apud Latinos vero 21. & 28. Januarii.

*. *Trophæum Domini signare*, id est, crucis figuram sublatis in altum brachiis exprimere, quod primis Christianis familiare fuit inter orandum.

*. Rogabit forte aliquis cur Agnem tredecim annos natam, arbitram sui aut ad ferendum testimonium habilem exstitisse neget Ambrosius, cùm ex Tertulliano lib. de Virgin. velandis cap. 11. constet moris fuisse apud Ethnicos, ut puellæ 12. anno masculi autem 14. *ad sua negotia* mitterentur. Verum observant ejus commentatores pupillas etsi à negotiorum tutela liberatas, nondum tamen absolvi à tutela auctoritatis. Unde licet propria negotia agere permitterentur, tamen quia etiamtum sub muliebri tutela erant, multa eisdem prohibebantur, quæ apud ipsos reperias. Postea vero legem *de venia ætatis* masculis anno 20. puellis 18. edidit Constantinus Magnus. Vide cod. Theod. ad hunc titulum, & Cassiod. lib. 3. Variar. form. 41. atque in eosdem Godefridi ac Fornerii observationes.

e. Omnes edit. ac mss. aliquot, *injuria est inquit*, mss. omittunt *inquit*, *expectare placituram*: alii mss. . . . . . *exspectare placiturum*. Aptius. Sed quid si legamus *spectare* pro *exspectare*? Certe hoc ultimum loco prioris perpetuo exhibent mss.

f. Plures mss. *priorem elegit*: melius tamen alii, & cunctæ edit. *Prior elegit*.

CAPUT III.

Variis è capitibus virginitatis laudes petuntur, sed hinc imprimis quod è cælo Verbum elicere in terram ipsa meruerit; unde postea ejus studium quod sub antiquo fœdere in paucis floruerat, propagatum est in innumeris.

10. INvitat nunc integritatis amor, & tu, soror sancta [a], vel mutis tacita moribus, ut aliquid de virginitate dicamus; ne veluti B transitu quodam perstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas, quia & in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat.

11. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cælo accersivit quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit è cælo, quæ sponsum sibi invenit C in cælo. Hæc nubes, aera, Angelos, sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore. Nam quis tan-
Cant. 1. 2. tum cùm invenerit, relinquat boni? *Unguentum enim exinanitum est nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te, & adtraxerunt te.* Postremo
Matth. 22. 30. non meum est illud, quoniam quæ non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli in cælo. Nemo ergo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Quis igitur ne- D get hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facile
4. Reg. 2. 11. invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit? Tunc in
Matth. 17. 3. utero [b] virgo concepit, & Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus.

Malac. 4. 3. 12. Dicet aliquis: Sed etiam Elias nullis corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur. Ideo ergo curru raptus ad cælum, ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Dominici
Exod. 15. 20. venturus est præcursor adventus. Et Maria tym- E panum sumens pudore virgineo choros duxit. Sed considerate cujus illa speciem tunc gerebat. Nonne Ecclesiæ, quæ religiosos populi cœtus qui carmina divina concinerent, immaculato virgo spiritu copulavit? Nam etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Sed
1. Cor. 10. 11. quid Apostolus dicit: *Hæc autem in figura contingebant illis, ut essent indicia futurorum;* figura enim in paucis est, vita in pluribus.

13. At vero posteaquam Dominus in corpus F hoc veniens, contubernium divinitatis & corporis sine ulla concretæ confusionis labe sociavit, tunc toto orbe diffusus corporibus humanis
Matth. 4. 11. vitæ cælestis usus inolevit. Hoc illud est quod ministrantes in terris Angeli declararunt futu- A rum genus, quod ministerium Domino immaculati corporis obsequiis exhiberet. Hæc est cælestis illa militia, quam laudantium exercitus Luc. 2. 9. & seq.
Angelorum promittebat in terris. Habemus ergo auctoritatem vetustatis à sæculo, plenitudinem professionis à Christo.

CAPUT IV.

Negatur virginitatis decus in ethnicis ullis umquam exstitisse, puta in vestalibus, sacris deæ phrygiæ ac Liberi patris, atque etiam in philosophis: ubi & de Pythagorea virgine, in qua tametsi laudatur animi magnitudo, continentia tamen desideratur; cùm utraque in nostris virginibus emineat.

14. CErte non est hoc mihi commune cum gentibus, non populare cum barbaris, non cum ceteris animantibus usitatum: cum quibus etsi unum eumdemque vitalem aeris hujus carpimus spiritum, vulgarem terreni corporis participamus statum, generandi quoque non discrepamus usu; hoc solo tamen naturæ parilis convicia declinamus, quod virginitas affectatur à gentibus, sed consecrata violatur: incursatur à barbaris, nescitur à reliquis.

15. Quis mihi prætendit * Vestæ virgines & Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia, sed annorum: quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur: Petulantior est talis integritas, cujus corruptela seniori servatur ætati. Ipsi docent virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem est illa religio, ubi pudicæ adolescentes jubentur esse, impudicæ anus? Sed nec illa pudica est, quæ lege retinetur: & illa impudica, quæ lege dimittitur. O mysteria! ô mores! ubi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur. Itaque nec casta est, quæ metu cogitur: nec honesta, quæ mercede conducitur: nec pudor ille, qui intemperantium oculorum quotidiano expositus convicio, flagitiosis adspectibus verberatur. Conferuntur immunitates, offeruntur pretia; quasi non hoc maximum petulantiæ sit indicium castitatem vendere. Quod pretio promittitur, pretio solvitur: pretio addicitur, pretio adnumeratur. NESCIT redimere castitatem, quæ vendere solet.

16. Quid de * sacris phrygiis loquar, in quibus impudicitia disciplina est, atque utinam sexus fragilioris. Quid de orgiis Liberi, ubi religionis mysterium est incentivum libidinis? Qualis igitur potest ibi vita esse sacerdotum, ubi colitur stuprum deorum? Non habent igitur [c] sacram virginem.

17. Videamus ne forte aliquam vel philosophiæ

a. Mss. duo, *vel mitibus tacita moribus:* reliqui, & omnes edit. *vel mutis*, &c. Rom. edit. addit, *petis*; at nulla causa, cùm aperte subintelligatur *invitas.* ubi Marcellinam sororem alloquitur, de qua in Admonitione.

b. Vocem *virgo* edit. Rom detraxerat, sed contra aliarum, ac mss. omnium fidem.

*. Virgines christianas vestalibus cum alibi non semel opponit atque anteponit Ambrosius noster, at maxime hoc loco & *Relat. adversus Symm.* quæ si invicem conferre non pigeat, lucem ex mutua contentione accipient. De ipsarum autem institutione, numero, officio, privilegio ac vivendi forma tractant abunde Dionysius Halicar. lib 2. J. Lipsius de vestalibus, & Joseph Laurentius pluribus locis.

*. *Sacra phrygia* celebrabantur in honorem Cybeles matris Deorum, cujus sacerdotes erant evirati quidam nebulones qui Galli dicebantur. De quorum sacrorum institutione multa refert Lucianus in *Dea Syria*; sicut de eorumdem Agyrtarum seu Gallorum spurcis ac infandis libidinibus & imposturis in *Asino*, quæ in suum postea transtulit auxitque Apuleius. Vide hac de re præter Servium in 9. Æneidos, Arnobium etiam lib. 5. & August. lib. 6. *de Civit. Dei* cap. 7. & lib. 7. cap. 25 atque alios. *Orgia* vero eadem erant ac bacchanalia, quæ ita vocabantur à verbo ὀργίζεσθαι, id est, irasci ac furere, quod hujus sacris proprium fuisse ignorat nemo De illis agunt T. Livius dec. 4. lib. 9. August. *de Civit. Dei* lib. 2. cap. 9. & uberius adhuc lib. 7. cap. 21. Jos. Laurentius variis locis, nec non alii.

c. Rom edit. cum ms. Teller *sacra virginem.* Quæ lectio minime displiceret, si paulo firmiori patrocinio niteretur.

præcepta formaverint, quæ magisterium sibi omnium solet vindicare virtutum. Pythagorea quædam una ex virginibus [a] celebratur fabulâ, cùm à tyranno cogeretur secretum prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem vel tormentis liceret, morsu linguam abscidisse, atque in tyranni faciem despuisse; ut qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret.

18. Eadem tamen forti animo, sed tumenti utero, exemplum taciturnitatis & proluvium castitatis victa est cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequivit. Igitur quæ mentis potuit tegere secretum, corporis non texit opprobrium. Vicit naturam, sed non tenuit disciplinam. Quam vellet in voce munimentum sui pudoris existere! Eoque fortasse [b] erudierat illam patientia, ut culpam negaret. Non igitur invicta undique; nam & tyrannus licet non potuerit invenire quod interrogabat, tamen quod non interrogabat, invenit.

19. Quanto nostræ virgines fortiores, quæ vincunt etiam quas non vident potestates: quibus non tantum de carne & sanguine, sed etiam de ipso mundi principe sæculique rectore victoria est? Ætate utique Agnes minor, sed virtute major, triumpho numerosior, constantiâ confidentior, non sibi linguam propter metum abstulit, sed propter trophæum reservavit. Nihil enim habuit quod prodi timeret, cujus non erat criminosa, sed religiosa confessio. Itaque illa secretum tantummodo celavit, hæc probavit Dominum, quem quia ætas nondum poterat confiteri, natura confessa est.

CAPUT V.

Virginitatis patriam cælum esse, auctorem vero Dei Filium: qui cùm virgo esset ante virginem, ex virgine tamen editus virginem Ecclesiam duxit uxorem. Ab ipsa susceptos nos omnes esse, cujus dotes nonnullæ commemorantur. Ejusdem filias hinc præcellere quod virginitas non subjiciatur præcepto, quodque ad pietatis cultum facultatem suppeditet quam expeditissimam.

20. IN laudationibus solet patria prædicari & parentes; ut commemoratione auctoris dignitas successionis exaggeretur: ego licet laudationem non susceperim virginitatis, sed expressionem; ad rem tamen pertinere arbitror, ut quæ sit ei patria, quis auctor, appareat. Ac prius ubi sit patria definiamus. Si enim ibi est patria, ubi genitale domicilium: in cælo profectò est patria castitatis. Itaque hìc advena, ibi incola est.

21. Quid autem est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus auctorem quem possumus æstimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, divinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint. Christus ante virginem, Christus ex virgine; à Patre quidem natus ante sæcula, sed ex virgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ utilitatis est. Illud erat semper, [c] hoc voluit.

22. Spectate & aliud virginitatis meritum: Christus virginis sponsus, & si dici potest, Christus virgineæ castitatis; virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, virgo quæ nos suo utero portavit, virgo quæ genuit, virgo quæ proprio lacte nutrivit, de qua legimus: *Quanta fecit virgo Hierusalem? Non deficient de petra ubera, neque nix à Libano, aut declinabit aqua valido vento quæ portatur.* (Hier. 18. 13. & seq.) Qualis est hæc virgo quæ Trinitatis fontibus irrigatur: cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt ubera, mella funduntur? Petra autem est juxta Apostolum Christus. Ergo à Christo non deficiunt ubera, claritas à Deo, flumen ab Spiritu. Hæc est Trinitas quæ Ecclesiam suam irrigat, Pater, Christus, & Spiritus.

23. Sed & jam à matre descendamus ad filias. *De virginibus*, inquit sanctus Apostolus, *præceptum Domini non habeo.* (1. Cor. 10. 4.) Si Doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum. Non enim imperari potest virginitas, sed optari; nam quæ supra nos sunt, in voto magis quam in magisterio sunt. *Sed volo vos*, inquit, *sine sollicitudine esse. Nam qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.... & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Nam quæ nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro suo.* (1. Cor. 7. 32. Ibidem 34.)

CAPUT VI.

Sanctus vir à se minime damnari matrimonium contestatus, tamen ut bona mulierum ac virginum inter se componat, primò quæ mala fœcunditatem comitentur, puta dolores pariendi, molestias educandi, addictam viro servitutem, nimiam formæ atque ornamentorum curam, proponit: tum illis opponit majorem virginum formæ gratiam felicioremque fœcunditatem; quibus eas Ecclesiæ perquam similes fieri adseverat.

24. NOn ego quidem dissuadeo matrimonium, sed virginitatis adtexo beneficium. *Qui infirmus est*, inquit, *olera manducet.* (Rom. 14. 2.) Aliud exigo, aliud admiror. *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Ne quæsieris uxorem.* (1. Cor. 7. 27.) Hoc præceptum est copulatis. De virginibus autem quid ait? *Et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* (Ibidem 38.) Illa non peccat, si nubat: [d] hæc si non nubat, æterna est. Ibi remedium infirmi-

a. Ita mss. omnes, excepto Teller. cum quo edit. *celebratur fabulis, cùm*, Rom. *quæ cùm, à tyranno....linguam abscidisse fertur.* Sed *fertur* additum fuisse ab iis, qui infinitivum *abscidisse* ad *celebratur* referendum esse non advertebant. Cæterum per virginem illam Pythagoream videtur sanctus Præses indicare Leænam Harmodii & Aristogitonis amicam, quæ eorum adversus Hipparchum conspirationis conscia & deprehensa, cùm libera linguæ abscissione silentium retinuisset, statuam meruit sub figuræ Leænæ ore patulo & lingua vacuo expressæ. Consule Herod. in Terpsic. Thucid. lib. 1. Plutarch. *de Garrul.* Plinium lib 34. cap. 8. & alios.

b. Omnes edit. *erudierat illam pænitentia*: optime vero cuncti mss. .... *patientia*; nam quod nonnulli habent, *patientiam* scriptorum inscitiæ imputandum est.

c. Mss. quatuor, *hoc voluit circa finem*: reliqui (uno excepto, ubi legas, *hoc fieri voluit*) exhibent tantum, *hoc voluit* Sic etiam edit. cunctæ præter Rom. in qua legitur, *hoc esse voluit*. Eadem quoque Rom. post vocem *Christus*, proxime sequentem adjecit, *virgo*, quæ neque in ant. edit. neque in mss. ullis reperitur.

d. Mss. quatuor, *hæc si non peccat, æterna est*: alii totidem, *hæc si non nubat, non peccat. æterna est.* Melius reliqui, & edit. ut in textu.

tatis, hîc gloria castitatis. Illa non reprehenditur, ista laudatur.

25. Conferamus, si placet, bona mulierum [a] cum ultimis virginum. Jactet licet fœcundo se mulier nobilis partu: quo plures generaverit, plus laborat. Numeret solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit & plorat. Qualia sunt vota, quæ flentur? Concipit, & gravescit. Priùs utique impedimentum fœcunditas incipit adferre, quam fructum. Parturit, & ægrotat. Quam dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum, quam voluptati! Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur.

26. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi [b] & copulandi? Felicium sunt istæ miseriæ. Habet mater heredes, sed auget dolores. Nam de adversis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi contremiscant. Vide, mi soror, quam grave sit pati, quod non oportet audiri. Et hæc in præsenti sæculo. Venient autem dies, quando dicant: *Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt.* (Luc. 23. 29.) Filiæ enim hujus sæculi generantur, & generant: [c] filia autem regni abstinet à voluptate viri, & à voluptate carnis; ut sit sancta corpore & spiritu.

27. Quid ergo famulatus graves & addicta viris servitia repiicem feminarum, quas ante jussit Deus servire quam servos? (Gen. 3. 16.) Quæ eo prosequor, ut indulgentius obsequantur; quibus hoc si probæ, merces est caritatis: si improbæ, pœna delicti.

28. Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, (S. Aug. lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 21.) ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant; & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. Quanta hîc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere; & dum verentur maritale judicium, prodere suum? Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm te ipsam, quæ videri times? Si pulcra es, quid absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, [d] nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere. Et irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur? Mala magistra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ passa lenonem est; ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat: tolerabilioraque propemodum in [e] altero crimina sunt; ibi enim pudicitia, hîc natura adulteratur.

29. Jam quanto pretio opus est, ne etiam pulcra displiceat? Hinc pretiosa collo dependent monilia, inde per humum vestis trahitur aurata. Emitur igitur hæc species, an habetur? Quid quod etiam ad odorem variæ adhibentur illecebræ? Gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet suum, ubi tam multa mutantur? Sensus suos amittit mulier, & vivere posse se credit?

30. Vos vero beatæ virgines, quæ talia tormenta potius quam ornamenta nescitis: quibus pudor sanctus verecunda suffusus ora, & bona castitas est decori: non humanis addictæ oculis, alieno errore merita vestra pensetis. Habetis sane & vos vestræ militiam pulcritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis: quam nulla extinguit ætas, nulla eripere mors potest, nulla ægritudo corrumpere. Solus formæ arbiter petatur Deus, qui etiam in corpore minus pulcro diligat animas pulcriores. Non uteri onus notum, non dolor partus; & tamen numerosior soboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet: fœcunda successoribus, sterilis orbitatibus, nescit funera, novit heredes.

31. Sic sancta Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo est castitate, mater est prole. [f] Parturit itaque nos virgo non viro plena, sed spiritu. Parit nos virgo non cum dolore membrorum, sed cum gaudiis Angelorum. Nutrit nos virgo non corporis lacte, sed Apostoli, quo (1. Cor. 3. 2.) infirmam adhuc crescentis populi lactavit ætatem. Quæ igitur nupta plures liberos habet quam sancta Ecclesia, quæ virgo est sacramentis, mater est populis, cujus fœcunditatem etiam Scriptura testatur dicens: *Quoniam plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum?* (Esai. 54. 1.) Nostra virum non habet, sed habet sponsum; eo quod sive Ecclesia in populis, sive anima in singulis, Dei Verbo, sine ullo [g] flexu pudoris, quasi sponso innubit æterno, effœta injuriæ, fœta rationis.

CAPUT VII.

Parentes ut ad virginitatem filias instituant, hortatur, eisque quot molestiæ nascantur ex voluptate quam illi quærunt in nepotibus, ponit ob oculos. Negat tamen à se prohiberi nuptias; quin immo illas contra hæreticos earumdem adversarios tuetur: ceterum ipsis virginitatem anteponens, quanta sit virginum sponsi pulcritudo, quibusve ab eo muneribus illæ donentur, explicat: tum expositis in eam rem Canticorum locis aliquot, inde morum ac virtutum præcepta exprimit virginum conditioni accomodata.

32. Audistis, parentes, quibus erudire virtutibus, quibus instituere disciplinis filias debeatis; ut habere possitis quarum meritis vestra delicta redimantur. Virgo Dei donum est, munus parentis, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cujus quotidiano sacrificio vis divina placatur. Virgo individuum pignus parentum, quæ non dote sollicitet, * non emigratione destituat, non offendat injuriis.

a. Mss. duo, *cum multis bonis virginum.*

b. Ita edit. cum parte mss. at alia pars haud multo minor, *& copulandi filium Sunt istæ miseriæ.* Non satis apte.

c. Rom. edit. *filia autem ... à voluntate viri, & à voluntate carnis,* &c. Vet. & mss. satis inter se consentiunt, nisi quod horum non pauci præ se ferunt, *filiæ autem regni abstinent,* &c quidam etiam pro *filia* legunt *filii*, utque loci totius constructionem restituant, ita concludunt, *ut sit quod Johannes dicit: Qui non ex voluptate viri, neque ex voluptate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

d. Mss plerique, *nec alieni gratiam oris habitura.* Minime male.

e. Omnes edit. cum paucis mss. *in adulterio crimina sunt*: ita etiam apud August. loco in marg. citato, qui isthæc ibi retulit in præclarum dictionis grandis exemplum: alii magno numero, *in altero,* &c. nimirum in eo quod hæc mulier admittit, quæ sibi peccat, non alteri.

f. Mss. aliquot, *Parturit itaque nos virgo non cum dolore*: alii vero & edit. prorsus conveniunt, nisi quod pro *parturit*, in Rom. edit. repositum est, *concipit.*

g. Ita vet edit. cunctique prope mss. at Rom edit. cum uno vel altero mss. *fluxu pudoris.*

*. Nihil apertius probare possit needum monasteria virginum Mediolani fuisse instituta, secus vero Bononiæ, ut docetur infra cap. 10. num. 57.

33. Sed nepotes aliquis habere desiderat, & avi nomen adquirere. Primum suos tradit, dum quærit alienos: deinde certis defraudari incipit, dum sperat incertos: confert opes proprias, & adhuc poscitur; nisi dotem solvat, exigitur: si diu vivat, onerosus est. Emere istud est generum, non adquirere, qui parentibus filiæ vendat adspectus. Ideone tot mensibus gestatur utero, ut in alienam transeat potestatem? Ideo [a] commendandæ virginis cura suscipitur, ut citius parentibus auferatur.

34. Dicet aliquis: Ergo dissuades nuptias? Ego vero suadeo, & eos damno qui dissuadere consuerunt; ut pote qui Saræ ac Rebeccæ & Rachel, ceterarumque veterum conjugia feminarum pro documentis singularium virtutum recensere soleam. Qui enim copulam damnat, damnat & filios: & ductam per successionum seriem generis societatem damnat humani. Nam quemadmodum duratura in sæculum ætas succedere posset ætati, nisi gratia nuptiarum procreandæ studium sobolis incitaret? Aut quomodo prædicari potest quod immaculatus Isaac ad altaria Dei victima paternæ pietatis accessit, quod Israel humano situs in corpore Deum vidit, & religiosum populo dedit nomen, quorum originem damnat? [Gen. 22. 6.] [Gen. 32. 27.] Unum sane habent * homines licet sacrilegi, quod in his etiam à sapientissimis probetur; quia conjugia damnando, profitentur se non debuisse nasci.

35. Non itaque dissuadeo nuptias, sed fructus sacratæ virginitatis enumero. Paucarum quippe hoc munus est, illud omnium. Nec potest esse virginitas, nisi habeat unde nascatur. Bona cum bonis comparo, quo facilius quid præstet, eluceat. Neque meam ullam sententiam adfero, sed eam repeto, quam edidit Spiritus sanctus per Prophetam: *Melior est*, inquit, *sterilitas cum virtute*. [Sap. 4. 1.]

36. Primum enim quod nupturæ præ ceteris concupiscunt, ut sponsi decore se jactent, eo necesse est impares sacris se fateantur esse virginibus, quibus solis contingit dicere: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*. [Psal. 44. 3.] Quis est iste sponsus? Non vilibus addictus obsequiis, non caducis superbus divitiis: sed cujus sedes in sæculum sæculi. Filiæ regum in honore ejus. *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, varietate circumamicta* virtutum. [Ibidem 10. & seq.] *Audi igitur, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui; quoniam concupivit Rex speciem tuam, quia ipse est Deus tuus.*

37. Et adverte quantum tibi Spiritus sanctus scripturæ divinæ testificatione detulerit regnum, aurum, pulcritudinem: regnum, [b] vel quia sponsa es regis æterni, vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum [c] non captiva haberis, sed quasi regina dominaris: aurum, quia sicut illa materies examinata igne pretiosior est, A ita corporis species virginalis Spiritui consecrata divino, formæ suæ adquirit augmentum: pulcritudinem vero quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur à Rege, probatur à Judice, dicatur Domino, consecratur Deo: semper sponsa, semper innupta; ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor.

38. Hæc profecto vera pulcritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire à Domino: *Tota es formosa, proxima mea, & reprehensio non est in te. Sponsa, veni huc à Libano, veni huc à Libano, transibis & pertransibis à principio fidei, à capite Sanir & Hermon, à latibulis leonum, à montibus pardorum.* [Cant. 4. 7. & 8.] B Quibus indiciis ostenditur perfecta, & irreprehensibilis virginalis animæ pulcritudo, altaribus consecrata divinis, inter occursus & latibula spiritalium bestiarum [d] non inflexa mortalibus, sed intenta mysteriis Dei meruisse dilectum, cujus ubera plena letitiæ: *Vinum* enim *letificat cor hominis*. [Psal. 103.]

39. C *Odor*, inquit, *vestimentorum tuorum super omnia aromata*. [Cant. 4. 10.] Et infra: *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor Libani*. [Ibidem 11.] Vide quem nobis tribuas, virgo, processum. Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Salvatoris missa sunt sepulturam: [Johan. 19. 39.] & emortuos corporis motus, membrorumque redolet obiisse delitias. Secundus odor tuus sicut odor Libani, Dominici corporis integritatem, virgineæ florem castitatis exhalat.

D

CAPUT VIII.

Locum sequentem Canticorum, Favus distillans *&c. sic edisserit, ut inde ansam arripiat cum apibus sacras virgines comparandi.*

40. Favum itaque mellis tua opera componant; digna enim virginitas quæ apibus comparetur: [Cant. 4. 11.] sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virginis est E sermo divinus; quia sicut ros Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura. Partus virginis fœtus est [e] labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis. In commune labor, communis est fructus.

41. Quam te velim, filia, imitatricem esse hujus apiculæ, * cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu, filia. Verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum; ut & puF ritatem habeant, & gravitatis plena sint.

42. Meritorum quoque tuorum tibi æterna posteritas [f] tuo ore pariatur. Nec soli tibi, sed etiam pluribus congreges (qui scis enim quando à te anima tua reposcatur) ne receptacula horreorum frumentis coacervata dimittens, nec vitæ tuæ usui profutura, nec meritis, rapiaris eo quo thesaurum tuum ferre non possis. Dives igitur esto, sed pauperibus; ut naturæ participes tuæ, participes sint etiam facultatum.

a. Rom. edit cum paucis mss. *comenda virginis*: aliæ cum reliquis, *commendandæ*, duo mss. *commendata, virginis*.

*. Manichæi scilicet, de quibus Augustinus in lib. de Hæres. cap. 46. ita loquitur. *Unde nuptias sine dubitatione condemnant, & quantum in ipsis est, prohibent; quando generare prohibent, propter quod conjugia copulanda sunt.*

b. *Vel quia sponsa est regis æterni*, hæc in mss. multo pluribus prætermittuntur.

c. Sic omnes edit. ac mss. aliquot: alii autem majori numero, *non captiva laberis*.

d Mss. longe plurimi, *non inflexa moralibus*, unus *moribus*.

e. Rom. edit. cum mss. aliquot, *fætus laborum*. Minus commode.

f. Mss. non pauci, *tuo opere pariatur*.

*. Hic non secus ac lib. 5. Hexaem. cap. 21. Virgilium imitatus est sanctus Doctor, ut illic à nobis observatum est.

43. Florem quoque tibi demonstro carpendum, illum utique qui dixit: [Cant. 2. 1. & 2.] *Ego flos campi, & lilium convallium. Tamquam lilium in medio spinarum;* quod est evidentis indicii, spiritalium nequitiarum sentibus virtutes obsideri; unde nemo fructum referat, nisi qui cautus accedat.

CAPUT VIII.

Pergit alios è Canticis canticorum locos aptare subjecto argumento, & primum virginem ad Christum inquirendum exhortatus, ubinam ille inveniatur, exponit: tum descriptâ ejusdem secundum utramque naturam præstantiâ, quibus ab eo perfectionibus Sponsa exornetur, quibusve muniatur præsidiis, aperit: postremo eamdem cum Angelis ob castitatem confert, nec non illi eorum parti quos è cælo intemperantia deturbavit, præfert.

44. Sume igitur alas, virgo, sed spiritus; ut supervoles vitia, si contingere cupis Christum: [Psal. 112. 5.] *In altis habitat, & humilia respicit;* & species ejus sicut cedrus Libani, qui comam nubibus, radicem terris inserit. Principium enim ejus è cælo, posteriora ejus in terris, fructus cælo proximos edit. Scrutare diligentius tam bonum florem, necubi eum in pectoris tui convalle reperias; humilibus enim frequenter inhalatur.

45. [Dan. 13. 7.] Amat generari in hortis, in quibus cum Susanna dum deambularet, invenit: mori prius, quam violari parata. Qui sint autem horti, ipse demonstrat dicens: [Cant. 4. 12.] *Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus;* eo quod in hortis hujusmodi impressa signaculis imagine Dei, sinceri fontis unda resplendeat; ne volutabris spiritalium bestiarum sparsa cœno fluenta turbentur. Hinc ille [a] murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus vitem redolet, flagrat oleam, rosam renidet; ut in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat. Hic est odor quem Jacob patriarcha flagravit, quando meruit audire: [Gen. 27. 27.] *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Nam licet plenus omnibus fere fructibus patriarchæ sancti fuerit ager; ille tamen fruges majore virtutis labore generavit, hic flores.

46. Accingere itaque, virgo, & si vis hujuscemodi tibi ut hortus adspiret, propheticis eum claude præceptis. [Psal. 140. 3.] Pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis; ut etiam tu possis dicere: [Cant. 2. 3.] *Tamquam malus in lignis nemoris, ita fraternus meus in medio filiorum. In umbra ejus concupivi & sedi, & fructus ejus dulcis in faucibus meis.* [Ibidem 3. 4.] *Inveni quem dilexit anima mea, tenui eum, & non relinquam.* [b] [Ibidem 5. 1.] *Descendit fraternus meus in hortum suum, ut manducet fructum pomorum suorum.* [Ibid. 7. 11.] *Veni, fraterne mi, exeamus in agrum.* [Ibidem 8. 6.] *Pone me ut sigillum in cor tuum, & velut signaculum super brachium tuum.* [Ibid. 5. 10.] *Fraternus meus candidus & rubeus.* Decet enim ut plene noveris, virgo, quem diligis, atque omne in eo & ingenitæ divinitatis & adsumtæ mysterium incorporationis agnoscas. Candidus merito, quia Patris splendor: rubeus, quia partus est virginis. Color in eo fulget & rutilat utriusque naturæ. Memento tamen antiquiora in eo divinitatis insignia, quam corporis sacramenta; quia non cœpit à virgine, sed qui erat, venit in virginem.

47. [c] Ille discretus à militibus, ille lancea vulneratus, ut nos sacri vulneris cruore sanaret, respondebit tibi profecto (est enim mitis & humilis corde, blandus adspectu) [c Matth. 27. 29. & seq. Iohan. 19. 34.] [Cant. 4. 16.] *Exsurge Aquilo, & veni Auster, adspira hortum meum, & fluant aromata mea.* Ex omnibus enim partibus mundi odor sacratæ religionis [d] inolevit, dilectæque virginis membra flagrarunt. [Cant. 6. 3.] *Formosa es, proxima mea, ut bona opinio: pulcra, ut Hierusalem.* Non caduci itaque corporis pulcritudo vel morbo peritura, vel senio; sed nullis obnoxia casibus opinio bonorum numquam moritura meritorum, virginibus est decori.

48. Et quoniam non humanis jam, sed cælestibus, quorum vitam vivis in terris, digna es comparari: accipe à Domino præcepta quæ serves. [Cant. 8. 6.] *Pone me ut sigillum*, inquit, *in cor tuum, & velut signaculum super brachium tuum:* quo signatiora prudentiæ tuæ factorumque documenta promantur, in quibus figura Dei Christus eluceat, qui paternæ ambitum exæquans naturæ, totum quidquid à Patre divinitatis adsumsit, expressit. Unde etiam apostolus Paulus in [Ephes. 1. 13.] Spiritu nos dicit esse signatos; quoniam Patris imaginem habemus in Filio, sigillum Filii habemus in Spiritu. Hac Trinitate signati caveamus diligentius, ne quod accepimus pignus in cordibus nostris, aut morum levitas, aut ullius adulterii fraus resignet.

49. Sed facessat hic sacris virginibus metus, quibus tanta præsidia tribuit primum Ecclesia, quæ teneræ prolis sollicita successu, ipsa quasi murus abundantibus in modum turrium increscit uberibus, [Cant. 8. 10.] donec soluto obsidionis hostilis incursu, pacem validæ juventuti maternæ præsidio virtutis adquirat. Unde & Propheta ait: [Psal. 121. 7.] *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

50. Tum ipse pacis Dominus postquam validioribus brachiis commissa sibi vineta complexus, palmites suos gemmare conspexerit, vultu præsule, nascentibus fructibus auras temperat, sicut ipse testatur dicens: [Cant. 8. 12.] *Vinea mea est in conspectu meo, mille Salomoni, & ducenti qui servant fructum ejus.*

51. Supra ait: [Cant. 3. 7. & 8.] *Sexaginta potentes in circuitu propaginis ejus, strictis armatos ensibus, & eruditos præliaribus disciplinis;* hîc mille & ducentos. Crevit numerus, ubi crevit & fructus; quia quo sanctior quisque, eo communitior. Sic Elisæus [4. Reg. 6. 17.] propheta exercitus Angelorum præsidia sibi adesse monstravit: sic Jesus Nave ducem militiæ [Iosue 5. 14.] cælestis agnovit. Possunt igitur fructum in nobis custodire, qui possunt etiam militare pro nobis. Vobis autem, virgines sanctæ, speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini servatis cubile. Neque mirum si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus milita-

a. Aliquot mss. *morali septus spiritu*

b. Ita mss. plerique: nonnulli tamen & omnes edit. *Descendat .... & manducet:* quod etiam consentit cum sacro textu.

c. Rom. edit. sola, *Ille spretus à militibus.*

d. Omnes edit. & pauci mss. *adolevit, dilecta quo* (Rom. *quo dilecta*) *virginis membra fragrarunt:* mss. vero ceteri nobiscum faciunt, nisi quod plures legunt, *flagrabunt*, unus *flagrabant.*

tis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam meretur.

52. Et quid pluribus exsequar laudem castitatis? Castitas etiam Angelos fecit. Qui eam servavit, Angelus est: qui perdidit, diabolus. Hinc [a] religio etiam nomen accepit. Virgo est, quæ Deo nubit: meretrix, quæ deos fecit. Nam de resurrectione quid dicam, cujus præmia jam
Matth. 22. 30. tenetis? *In resurrectione autem neque nubent, neque ducent uxores: sed erunt sicut Angeli*, inquit, *in cælo*. Quod nobis promittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum usus apud vos. De hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo. Sæculum vos habere meruit, tenere non potuit.

53. Quam præclarum autem * Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cælo, virgines propter castimoniam in cælum transisse de sæculo? Beatæ virgines, quas non illecebra sollicitat corporum, non colluvio præcipitat voluptatum! CIBUS PARCIMONIÆ, potus abstinentiæ docet vitia nescire, qui docet causas nescire vitiorum. Causa peccandi etiam
Exod 32. 6. justos sæpe decepit. Hinc populus Dei postquam sedit manducare & bibere, Deum nega-
Gen. 19. 33. vit. Hinc Lot concubitus filiarum ignoravit,
Gen. 9. 22. & pertulit. Hinc inversis vestigiis filii Noe patris quondam pudenda texerunt: quæ procax vidit, modestus erubuit, pius texit, offensurus si & ipse vidisset. Quanta vini est vis, ut quem diluvia non nudaverunt, vina nudarent?

CAPUT IX.

Ultima virginitatis laus proponitur avaritiæ nimirum immunitas. Hujus occasione sanctus Præsul sorori in mentem revocat, quanta sit illius felicitas quæ non cogatur luxui atque vanitati, quibus nupturæ mancipantur, morem gerere.

54. QUid illud? Quantæ felicitatis est, quod nulla vos habendi cupiditas inflammat? Pauper quod habes poscit, quod non habes non requirit. Fructus laboris tui thesaurus est inopi; & duo æra si sola sint, census est largientis.

55. Audi ergo, soror, quantis careas. Nam cavere quid debeas, nec meum est docere, nec tuum discere; perfectæ enim virtutis usus magisterium non desiderat, sed informat. Cernis ut pomparum ferculis similis incedat, quæ se componit ut placeat, omnium in se vultus & ora convertens, eo ipso quo studet placere, deformior; prius enim populo displicet, quam placeat viro. At in vobis rejecta decoris cura plus decet: & hoc ipsum quod vos non ornatis, ornatus est.

55. [b] Cerne laceras vulneribus aures, & depressæ onera miserare cervicis. Non sunt allevamenta pœnarum discrimina metallorum. Hinc collum catena constringit, inde pedem compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur an ferro. [c] Sic cervix premitur, sic gravatur incessus. Nil pretium juvat; nisi quod vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid interest, utrum aliena sententia, an vestra vos damnet? Hinc vos etiam miserabiliores quam qui publico jure damnantur, quod illi optant exui, vos ligari.

56. Quam vero miserabilis illa conditio, quod tamquam mancipii forma venalis nuptura licitatur; ut qui pretio vicerit, emat. Tolerabilius tamen mancipia veneunt, quæ sæpe sibi dominos eligunt: virgo si eligat, crimen est; si non eligat, contumelia. Quæ quamvis pulcra sit & decora, & timet & cupit videri: cupit, ut se carius vendat: timet, ne hoc ipsum dedeceat quod videtur. Quanta autem votorum ludibria, & ad procorum eventus suspecti metus, ne pauper illudat, ne dives fastidiat, ne pulcher irrideat, ne nobilis spernat?

CAPUT X.

Objicientibus frequentium Ambrosii ad virginitatem exhortationum nullum fructum esse ut satisfaciat, adducit exempla cum aliarum virginum, tum Mauritaniensium ac Bononiensium: sed harum imprimis virtutes ac propagandæ virginitatis ardorem laudat.

57. DIcet aliquis: Tu nobis quotidie virginum canis laudes. Quid faciam qui eadem quotidie cantito, & proficio nihil? Sed non mea culpa. Denique de Placentino sacrandæ virgines veniunt, [d] de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur. Magnam rem videtis. Hic tracto, & alibi persuadeo. Si ita est, alibi tractemus, ut vobis persuadeamus.

58. Quid, quod etiam qui me non audiunt, sequuntur: qui audiunt, non sequuntur? Nam plerasque virgines cognovi velle, & prohiberi etiam prodire à matribus, & quod est gravius, viduis, cum quibus hic mihi sermo est. Nempe [e] si hominem vellent amare filiæ vestræ, per leges

a. Theod. ac Tell. cod. *Hinc legio etiam dicitur.* Quod si cui arriserit, referendum erit ad diabolum, quem ob impuritatem in Evangelio *legionem* dictum indicat Sanctus noster lib. 6. in Lucam num. 47. Melius tamen reliqui, atque edit. *Hinc religio* &c. Cave autem putes vocem *religio* à *castitate* deduci ab Ambrosio. Quid enim inter has voces cognationis? At vero *nomen accepit*, interpretare *titulum accepit*, ut nempe religio virgo dicatur, quemadmodum continuo post ipse significat. Ceterum *religionem* Tullius lib. 2. *de Nat. Deor.* à *relegendo*, Lactantius lib. 4. cap 28. à *religando*, Augustinus denique à *reeligendo* dictam affirmant.

* Triplicem de Angelorum peccato opinionem, quam apud alios Patres invenit Ambrosius, ipse tamquam probabilem admisit. Primam etenim qua de bonis Angelis intelligitur, quod legitur secundum LXX. *Viderunt Angeli Dei filias hominum* &c. post Philonem & cum eo Patres fere ad unum, proponit hic & in *Apologia David* pag. 675. Secunda quæ eumdem locum de malis Angelis jam propter superbiam de cœlo lapsis exponit, ex eodem Philone & aliis nonnullis exhibetur lib. *de Noe & Arca* cap. 4. pag. 23. & *in Psalm.* 118. serm 49. 178. Tertia demum quæ de filiorum Seth conjugiis cum filiabus Cain locum explicat, præfertur in eumdem Psalm. 118. serm. 4. pag. 1011. Ad quos omnes locos vide quæ sunt à nobis animadversa. Interim autem observabis eam opinionem quæ quarto sæculo ex Ambrosii, Hieronymi & Augustini auctoritate nata videtur, solam postmodum obtinuisse.

b. Omnes edit. cum mss. uno vel altero, *Certe lacera vulneribus aures, & depressa onere misera cervices non sunt allevamenta pœnarum, sed* &c. Mss. non pauci, *Carnes laceras vulneribus, aures & depressa onera cervicis miserare. Non sunt* &c. Reliqui demum melius, ut in textu. Porro si totum hunc locum legas cum iis quæ in eamdem materiam leguntur apud Clem. Alex. lib. 2 Pædagogi sui, cap. 12. & Tertull *De Cultu femin.* cap. 6. componere; haud ægre animadvertes Ambrosio priscos hosce Patres nequaquam fuisse incognitos.

c. Ita mss. magno numero: nonnulli tamen & edit. *Si cervix premitur, si gravatur incessus, nil pretium* &c.

d. *De Bononiensi veniunt*, in mss. prope omnibus desideratur.

e. Edit. *Si hominem amarent*; mss. *vellent amare.* Qua autem ratione locus hic cum alio ex lib. 1. *De Abraham*, cap. 9. conciliandus sit, infra explicabitur in epistola ad Sisinnium.

possent

possent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? A

59. Contuemini quam dulcis pudicitiæ fructus sit, qui barbaricis quoque inolevit affectibus. Ex ultimis infra ultraque Mauritaniæ partibus deductæ virgines hîc sacrari gestiunt; & cùm sint omnes familiæ * in vinculis, pudicitia tamen nescit esse captiva. Profitetur regnum æternitatis, quæ mœret injuriam servitutis.

60. Nam quid de Bononiensibus virginibus loquar, fœcundo pudoris agmine, quæ mundanis se deliciis abdicantes, sacrarium virginitatis incolunt? Sine * contubernali sexu, contubernali pudore provectæ ad vicenarium numerum, & centenarium fructum, relictoque parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi, indefessæ milites castitatis: nunc canticis spiritalibus personant, nunc victum operibus exercent, liberalitati quoque subsidium manu quærunt. B

61. Quod si [a] investigandi virgines inoleverit odor (namque præ ceteris speculandi venatum pudoris explorant) totis curarum vestigiis prædam latentem usque ad ipsa cubilia persequuntur: aut si liberior alicujus volatus affulserit, totis omnes videas adsurgere alis, concrepare pennis, emicare plausu; ut casto pudicitiæ choro cingant volantem, donec albenti delectata comitatu, in plagas pudoris & indaginem castitatis, [b] domus patriæ oblita, succedat. C

CAPUT XI.

Ut optabile sit virgini favere parentes suos, eam tamen laude majori dignam esse, quam iis reluctantibus divinus amor ad hoc propositum instigaverit. Non timendam igitur nec vim parentum nec patrimonii jacturam; quod memorabili nobilis ac piæ virginis facto confirmatur.

62. Bonum itaque si virgini studia parentum quasi flabra pudoris adspirent: sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis etiam sine veteribus nutrimentis sponte se rapiat in fomitem castitatis. Dotem negabunt parentes: sed habes divitem sponsum cujus contenta thesauro, patriæ successionis emolumenta non quæras. Quanto dotalibus præstat compendiis casta paupertas?

63. Et tamen quam audistis aliquando propter studium integritatis, legitimæ factam successionis extorrem? Contradicunt parentes: sed volunt vinci. Resistunt primo, quia credere timent: indignantur frequenter, ut discas vincere: abdicationem minantur, ut tentent si potes damnum sæculi non timere: quæsitis blandiuntur illecebris, ut videant si variarum mollire te non queat blanditia voluptatum. Exerceris, virgo, dum cogeris. Et hæc tibi prima certamina, anxia parentum vota proponunt. Vince prius, puella, pietatem. Si vincis domum, vincis sæculum.

64. [c] Sed esto maneant vos damna patrimonii: nonne caducarum & fragilium dispendia facultatum futura cæli regna compensant? Quamquam si verbis cælestibus credimus, nemo est qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat septies tantum in hoc tempore: in sæculo autem venturo vitam æternam possidebit. *Matth. 19, 29.* Crede fidem tuam Deo: quæ homini pecuniam credis, fœnerare Christo. Bonus depositæ spei custos multiplicatis fidei tuæ talentum solvit usuris. Non fallit veritas, non circumscribit justitia, non decipit virtus. Quod si non creditis oraculo, vel exemplis credite.

65. Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cùm urgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quo enim melius virgo, quam ubi sacrificium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc justæ impatiens moræ, ac summum altari subjecta verticem. [d] Num melius, inquit, maforte me quàm altare velabit, D quod sanctificat ipsa velamina? Plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur. Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Jam dudum provisas habeo. Sponsum offertis? Meliorem reperi. Quaslibet exaggerate divitias, jactate nobilitatem, prædicate potentiam: habeo eum cui nemo se comparet, divitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non E reperitis, non providetis mihi, parentes, sed invidetis.

66. Silentibus ceteris, unus abruptius: Quid si, inquit, pater tuus viveret, innuptam te manere pateretur? Tum illa majori religione, moderatiore pietate: Et ideo fortasse defecit, [e] ne quis impedimentum possit adferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probavit exitio. Ita ceteri eadem sibi quisque metuentes, favere cœperunt, qui impedire F quærebant: nec dispendium debitarum adtulit virginitas facultatum, sed etiam emolumentum integritatis accepit. Habetis, puellæ, devotionis præmium: parentes, cavete offensionis exemplum.

*. Designatur hoc loco Tyrannis non Firmi, ut quidam volunt, cùm ille à comite Theodosio Theodosii Magni parente an. 373. victus fuerit: sed Gildonis qui licet in Firmum fratrem pugnasset pro Romanis, eo tamen exstincto, Africam ipsemet oppressit, ac Donatistarum atrociter catholicos divexantium partes adjuvit. Quod autem ad Legem quæ hoc anno data habetur in Cod. Theod. & qua baptismatis iteratio prohibetur; ea cùm destinata fuerit Flaviano Africæ Vicario qui & ipse hac eadem hæresi erat infectus, non credenda est Ecclesiæ peperisse quidquam auxilii. Videsis August. lib. 2. contra Petil. cap. 83. & epist. in nova edit. 87. num. 8. Item Amm. Marcell. lib. 28. & Claudianum *De bello Gildon*.

*. Id est, masculino, quia feminas sine virorum contubernio degere tunc rarum erat

a. Omnes edit. & mss. duo, *investiganda virginitatis*: alii aliquot, *investiganda virginis*: reliqui majori numero, ut in textu.

b. Sic mss. omnes: edit. vero, *domus patriaque oblita*.

c. Edit. Rom. sola, *Sed quid refert te an tuos maneant damna patrimonii?* Et infra, *& non recipiat multo plura .... vitam æternam. Crede &c.*

d. Amerb. atque Era. *Num melius, inquit, quam altare velabit?* Gill. & Rom. *Num melius, inquit, mater tu me, quam altare velabit*: optime vero cuncti mss. *Num melius, inquit, maforte &c.* Dicebatur autem maforte seu mavorte, ut Cassianus lib. 1. cap. 7. velum quoddam quo virginis in consecratione sua caput operiebatur, non secus ac flammeum sive flammeus quo puellæ, dum matrimonio copulabantur, faciem obnubebant, unde nubere nuptiæque deducuntur. Attamen nonnumquam etiam flammeus de velo dicitur virgineo, ut hoc ipso loco, quod infra videre est pluribus locis.

e. Rom. edit. cum paucis mss. *ne quod impedimentum posset afferre.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

A

Ambrosius hoc libro virginum mores instituendos esse cùm agnosceret, cur exemplorum viam sibi proposuerit, docet: inde præsumtionis invidiâ abs se quam modestissime derivatâ, cur scripto potius quam voce id aggressus sit, monet.

1. SUPERIORE libro quantum virginitatis munus sit, [a] voluimus (non enim potuimus) explicare; ut per se cælestis gratia muneris invitet legentem. Secundo libro virginem B instituí decet, & tamquam competentium præceptorum magisteriis erudiri.

2. Sed quoniam [b] nos infirmi ad monendum sumus, & impares ad docendum (debet enim is qui docet supra eum qui docetur excellere) ne vel susceptum deseruisse munus, vel nobis adrogasse amplius videremur, exemplis potius quam præceptis putavimus imbuendam: licet amplius proficiatur exemplo; quoniam nec difficile quod jam factum est æstimatur, & utile C quod probatum, & religiosum quod hereditario quodam paternæ virtutis usu in nos est successione transfusum.

3. Quod si quis nos præsumtionis arguit, arguat potius sedulitatis; quia rogantibus virginibus ne hoc quidem putavi negandum. Malui enim me in periculum deduci pudoris, quam non obsequi voluntati earum, quarum studiis etiam Deus noster placido se indulget adsensu.

4. Sed neque præsumtio notari potest, quo- D niam cùm haberent unde discerent, affectum potius quam magisterium quæsiverunt meum: [c] & excusari sedulitas; quoniam cùm haberent auctoritatem martyris ad observantiam disciplinæ, non superfluum judicavi, si nostri sermonis blanditiam derivarem ad professionis illecebram. Ille docere facilis, qui severo vitia coercet affectu: nos qui docere non possumus, blandiamur.

5. Et quoniam pleræque absentes nostri de- E siderabant sermonis usum, volumen hoc condidi: quo profectæ ad se vocis meæ munus tenentes, deesse non crederent, quem tenerent. Sed proposita persequamur.



CAPUT II.

Virginibus exemplum Mariæ proponitur, cujus variæ virtutes enumerantur, castitas, humilitas, vitæ asperitas, secessus amor; quæ quidem virtus ubi testimonio evangelico probata est, inde etiam ejus pietas erga propinquas, discendi sedulitas, atque adeundi templi studium commendatur. Narratur denique quemadmodum illa tot muneribus exornata, innumeris virginibus obviam ventura sit, nec sine magnifico triumpho ad thalamum Sponsi, & cælestia altaria quibus ob castitatem similes fuere, deductura.

6. SIt igitur vobis tamquam in imagine descripta [d] virginitas vitâ Mariæ, de qua velut speculo refulgeat species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, [e] quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt.

7. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam Splendor elegit? quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generavit? Nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, adsurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem; eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tamquam lucernæ lux intus F posita foris luceat.

S. Aug. li. 4. de doct. Christ. c. 21.

8. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ de-

a. Omnes edit. *evolvimus, non enim potuimus:* omnes mss. *voluimus*, &c. Optime, ut sensus per se satis declarat.

b. Edit. nonnullæ Paris. *infirmi ad movendum* Haud inscite quidem, si aliquo edit. aliarum vel mss. præsidio niterentur.

c. Omnes edit. *& excusari sedulitas non potest*; nullo vel contrario sensu, tollenda enim omnino negatio: sed deest etiam verbum in mss. quod subintelligendum relinquitur. Iterum vero ubi legitur in vet. edit. ac mss. aliquot, *auctoritatem matris*, & in edit. Rom. mss. aliis habetur, *auctoritatem martyris*: denique pro, *derivarent* quod est in omnibus edit. ac mss. nonnullis; alii plures concinnius exhibent, *derivarem*.

d. Ita mss. plures, ac potiores: alii autem, & omnes edit. *virginitas, vitaque beata Maria, de qua velut in speculo refulget species castitatis*, &c.

e. Omnes edit. *quid effugere:* mss. vero partim, *quid diffingere*, partim, *quid effingere*. Et hoc commodius; est effingere idem atque imitatione exprimere.

fuisse: illic nulla intermissa tempora, hîc con- A geminatos jejunio dies? Et siquando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; & tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.

9. Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conveniret, & hoc ipsum cum parentibus, B aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu; nullo meliore tamen sui custode quam se ipsa: quæ incessu affatuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem: plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet; quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria inten- C debat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret.

Luc. 1. 27. 10. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei prædicaverint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem ab- D rumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas cogitationes comites habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent; tot Archangeli, tot prophetæ?

Ibidem 28. & seq. 11. Denique & Gabriel eam ubi revisere solebat, invenit: & Angelum Maria [a] quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrina- E ta est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo; ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit: sed quæ primo [b] turbaverat affectum, postea promisit obsequium.

Ibidem 45. 12. Quam vero religiosa in propinquas fuerit, scriptura divina significat. Nam & humilior facta est, ubi se à Deo cognovit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit: non utique ut exemplo crederet, quæ jam cre- F *Ibidem 56.* diderat oraculo: *Beata* enim, inquit, *quæ credidisti.* Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos devotionis, quam naturæ.

13. Inde tot sequentibus signis, cùm sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret Magus, exspectaret Symeon, sidera nuntiarent, Maria mobilis ad introitum, im- *Luc. 2. 19.* mobilis ad miraculum: *Conservabat*, inquit, *hæc omnia in corde suo.* Quamvis mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat: & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

14. Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solemni die paschæ, & ibat cum *Ibidem 41.* Joseph? Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

15. Hæc est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus; ut quæcumque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum.

16. O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc thorum filii mei, hæc thalamos nuptiales immaculato servavit pudore. Quemadmodum eas ipse Dominus commendabit Patri; nimirum illud repetens suum: Pater sancte, istæ sunt quas *Joan. 17. 24.* custodivi tibi, in quibus Filius hominis caput reclinans quievit; peto ut ubi ego sum, & ipsæ sint mecum. Sed si non solis sibi debent prodesse, quæ non solis vixerunt sibi: hæc parentes, hæc redimat fratres. Pater juste, mundus *Ibidem 25.* me non cognovit, istæ autem me cognoverunt, & mundum cognoscere noluerunt.

17. [c] Quæ pompa illa, quanta Angelorum lætitia plaudentium, quod habitare mereatur in cælo, quæ cælesti vita vixit in sæculo? Tunc *Exod. 15. 20.* etiam Maria tympanum sumens, choros virginales excitabit cantantes Domino, quod per mare sæculi sine sæcularibus fluctibus transierunt. Tunc unaquæque exsultabit dicens: *Et Psal. 42. 4.* *introibo ad altare Dei mei, & ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Immolo Deo sacrificium *Psal. 49. 14.* laudis, & reddo Altissimo vota mea.

18. Neque enim dubitaverim vobis patere altaria Dei, quarum mentes altaria confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemtione corporis Christus immolatur. Nam si corpus virginis Dei templum est, animus quid est, qui tamquam membrorum cineribus exagitatis, sacerdotis æterni redopertus manu, vaporem divini ignis exhalat? Beatæ virgines, quæ tam immortali spiratis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria sacerdote!

CAPUT III.

Ut Maria vitæ informandæ, sic Thecla mortis obeundæ exemplar dicitur. Hanc à bestiis ad quas damnata fuerat, non solum nihil passam, sed è contrario cultam & adoratam esse. At ne quas superiora exempla deterreant, recentius quoddam narrandum proponitur.

19. ERgo sancta Maria disciplinam vitæ informet, Thecla doceat immolari: quæ

a Mss. magno numero, *quasi virum specie mutata*: nonnulli tamen & edit. *quasi virum* (edit. *viri*) *specie mota*: quod magis placet.

b. Omnes edit. *titubaverat adspectu*; omnes mss. *turbaverat affectum.*

c. Ita vet. edit. ac mss. paucis exceptis, ubi pro *Quæ pompa illa*, habetur, *Quæ bona illa*; non satis recte: Gill. autem, ac Rom. edit. post voces, *Quæ pompa illa sine sponsore ullo*, subjungunt, *quæ gratia.*

copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore A damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cùm adspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent.

20. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantem sono quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia: & propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines B amiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ: bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non impastos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulatos ira exasperavit, non usus decepit adsuetos, non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant * martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum virgi- C ni nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tamquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.

21. Dicet aliquis: Cur exemplum adtulisti Mariæ, quasi reperiri queat matrem Domini quæ possit imitari? Cur etiam Theclæ, quam gentium Doctor instituit? Da hujuscemodi doctorem, si discipulam requiris. Hujuscemodi recens vobis exemplum profero, ut intelligatis D Apostolum non unius esse doctorem, sed omnium.

CAPUT IV.

Antiochena virgo, cùm sacrificare idolis recusaret, ad lupanar damnata, inde militis Christiani operâ, mutatis inter se vestibus, sine ullo pudoris damno evadit; at cùm ille propterea duceretur ad supplicium, hæc è vestigio rediens, constanter de palma cum eodem contendit, qua tandem uterque E *donati sunt.*

22. ANtiochiæ nuper virgo quædam fuit[a] fugitans publici visus: sed quo magis virorum evitabat oculos, eo amplius incendebat. Pulcritudo enim audita nec visa plus desideratur, duobus stimulis cupiditatum, amoris & cognitionis: dum & nihil occurrit quod minus placeat, & plus putatur esse quod placeat; quod non judex oculus explorat, sed animus amator F exoptat. Itaque sancta virgo, ne diutius [b] alerentur potiendi spe cupiditates, integritatem pudoris professa, sic restinxit improborum faces, ut non jam amaretur, sed proderetur.

23. Ecce persecutio. Puella fugere nescia, certe pavida, ne incideret insidiatores pudoris, animum ad virtutem paravit: tam religiosa, ut mortem non timeret: tam pudica, ut exspectaret. Venit coronæ dies. Maxima omnium exspectatio. Producitur puella, duplex professa certamen, & castitatis, & religionis. Sed ubi viderunt constantiam professionis, metum pudoris, paratam ad cruciatus, erubescentem ad adspectus, excogitare cœperunt quemadmodum [c] specie castitatis religionem tollerent; ut cùm id abstulissent quod erat amplius, etiam id eriperent quod reliquerant. Aut sacrificare virginem, aut lupanari prostitui jubent. Quomodo deos suos colunt, qui sic vindicant: aut quemadmodum ipsi vivunt, qui ita judicant?

24. Hîc puella, non quod de religione ambigeret; sed de pudore trepidaret, ipsa secum: Quid agimus? Hodie aut martyr, aut virgo: altera in nobis invidetur corona. Sed nec virginis nomen agnoscitur, ubi virginitatis auctor negatur. Nam quemadmodum virgo, si meretricem colas: quemadmodum virgo, si adulteros diligas: quemadmodum virgo, si amorem petas? TOLERABILIUS est mentem virginem, quàm carnem habere. Utrumque bonum, si liceat: si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo simus. Et Rahab meretrix fuit, sed postquam Deo credidit, salutem invenit. Et Judith se, ut adultero placeret, ornavit; quæ tamen quia hoc religione, non amore faciebat, nemo eam adulteram judicavit. Bene successit exemplum? Nam si illa quæ se commisit religioni, & pudorem servavit & patriam; fortassis & nos servando religionem, servabimus etiam castitatem. Quod si Judith pudicitiam religioni præferre voluisset, perditâ patriâ, etiam pudicitiam perdidisset.

22 q. 5 cap. *Tolerabilius*

Josue 2. 9. & *seq.* *Judic* 9. 1. & *seq.*

25. Itaque talibus informata exemplis, simul animo tenens verba Domini, quibus ait: *Quicumque perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; flevit, tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret: nec pudoris elegit injuriam, sed Christi recusavit. Æstimate utrum adulterare potuerit corpus, quæ nec vocem adulteravit.

Marc. 10. 39.

26. Jamdudum verecundatur oratio mea, & quasi adire gestorum seriem criminosam atque explanare formidat. Claudite aurem, virgines. Ducitur puella Dei ad lupanar. Sed aperite aurem, virgines. Christi virgo prostitui potest, adulterari non potest. Ubicumque virgo Dei est,

*. Martyrem vocat beatam Theclam, quod ea tormenta pro fide pertulerit, quæ naturâ suâ mortem inferre debuerint; quamquam verisimilius putetur eam divinitus ab ipsis liberatam tranquille expirasse. Vide Baron. in Appendice ad tom. 10.

a. Mss. aliquot, *fugitans publici usus adspectum* &c. alii, & edit. ut in textu, nisi quod edit. præferunt, *evitabat adspectum*, ubi omnes mss. *evitabat oculos*. Multi porro in ea fuere opinione virginem, de qua hîc agitur, eamdem esse ac Theodoram illam Alexandrinam, quam à simili supplicio Didymi christiani militis ope liberatam fuisse Martyrologium antehac Bedæ Venerabilis nomine pervulgatum refert. Hoc in errorem non tantùm Molanum, Surium, aliosque complures induxerat, sed etiam ipsummet Baronium, qui proinde quod apud Ambrosium eventus ille *Antiochiæ* contigisse legitur, scriptorum imperitiæ tribuendum in Notis ad Martyr. 4. Kal. Maii scribit. Verum idem Cardinalis sententiam suam in Annal. ad an. 309. revocavit, hoc potissimum argumento ductus, quòd in citatis Martyrologiis passus cum Theodora Didymus non legatur. Alia duo proponunt Bollandi continuatores, nempe quod hæc virgo scribatur *nuper* in vivis fuisse, quodque ejus cum liberatore suo dialogus in quibusdam Theodoræ Actis non legatur. Sed responderi posset ad primum, eam comparatione quidem Theclæ quæ temporibus degebat apostolicis, *nuper* vixisse: ad secundum vero, colloquium illud non nisi brevitatis causa fuisse prætermissum. At quod illi putant esse aliquid in Ambrosii narratione quod ipse ex Actis proconsularibus, ut vocant, transtulerit, multo nobis verisimilius fuerit, illud ipsum ex Ambrosio in Acta illa translatum esse. Quænam igitur censenda est virgo illa Ambrosiana? Illud vero definire neque expeditum credimus, neque adeo necessarium.

b. Edit. omnes, *alerentur potiunda spe cupiditatis*: mss. fere ad unum ut in corpore.

c. Mss. complures, *speciem castitatis tollerent*: unus, *speciem castitatis, religionemque tollerent*: elegantius tamen alii, & edit. *specie castitatis* &c. Sperabant enim illam idolis potius sacrificaturam, quàm ut ad prostitutionem duceretur, passuram esse.

templum Dei est: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam.

27. Fit ingens petulantium concursus ad fornicem. Discite martyrum miracula, sanctæ virgines, dedisscite locorum vocabula. Clauditur intus columba, strepunt accipitres foris: certant singuli, quis prædam primus invadat. At illa manibus ad cælum levatis, quasi ad domum venisset orationis, non ad libidinis diversorium: Christe, inquit, [a] qui domuisti Danieli virgini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes. Chaldæis roravit ignis, Judæis se unda suspendit, misericordiâ tuâ non naturâ suâ. Susanna ad supplicium genu fixit, & de adulteris triumphavit: aruit dextera quæ templi tui dona violavit, nunc templum ipsum adtrectatur tuum, ne patiaris incestum sacrilegii, qui non passus es furtum. Benedicatur & nunc nomen tuum; ut quæ ad adulterium veni, virgo discedam.

Dan 14. 39. Ibid. 3. 50. Exod. 14. 21. Dan 13 42. 3. Reg. 13 4.

28. Vix compleverat precem, & ecce vir militis specie terribilis irrupit. Quemadmodum cum virgo tremuit, cui populus tremens cessit? Sed non illa immemor lectionis: Et Daniel, inquit, supplicium Susannæ spectaturus advenerat: & quam populus damnavit, unus absolvit. Potest & in hoc lupi habitu ovis latere. Habet & Christus milites suos, qui etiam legiones habet. Aut fortasse percussor intravit. Ne vereare, anima, talis solet martyres facere. O virgo, fides tua te salvam fecit!

Dan 13. 45. & seq. Matth. 26. 53.

29. Cui miles: Ne quæso paveas, soror. Frater huc veni salvare animam, non perdere. Serva me, ut ipsa serveris. Quasi adulter ingressus, si vis, martyr egrediar. Vestimenta mutemus, conveniunt mihi tua, & mea tibi: sed utraque Christo. Tua vestis me verum militem faciet, mea te virginem. Bene tu vestieris, ego [b] melius exuar, ut me persecutor agnoscat. Sume habitum, qui abscondat feminam: trade, qui consecret martyrem. Induere chlamidem quæ occultet membra virginis, servetque pudorem. Sume pileum quod tegat crines, abscondat ora. Solent erubescere qui lupanar intraverint. Sane cùm egressa fueris, ne respicias retro, memor uxoris Lot quæ naturam suam, quia impudicos licet castis oculis respexit, amisit. Nec vereare ne quid pereat sacrificio. Ego pro te hostiam Deo reddo, tu pro me militem Christo. Habes bonam militiam castitatis, quæ stipendiis militat sempiternis: loricam justitiæ, quæ spiritali munimine corpus includat: scutum fidei, quo vulnus repellas: galeam salutis; ibi enim est præsidium nostræ salutis, ubi Christus: quoniam mulieris caput vir, virginis Christus.

Gen. 19. 26.

30. Et inter hæc verba chlamydem exuit. Suspectus tamen adhuc habitus & persecutoris & adulteri. Virgo cervicem, chlamydem miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cùm in lupanari de martyrio certarent? Addantur personæ, miles & virgo, hoc est, dissimiles inter se natura, sed Dei miseratione consimiles; ut compleatur oraculum: *Tunc lupi & agni simul pascentur.* Ecce agna & lupus non solum pascuntur simul, sed etiam immolantur. Quid plura? Mutato habitu, evolat puella de laqueo, jam non suis alis, ut pote quæ spiritalibus ferebatur: & (quod nulla umquam viderunt sæcula) egreditur de lupanari virgo, sed Christi.

Esai. 65. 25.

31. At illi qui videbant oculis, [c] & non videbant, ceu raptores ad agnam, ceu lupi fremere ad prædam. Unus qui erat immodestior, introivit. Sed ubi hausit oculis rei textum: Quid hoc, inquit, est? Puella ingressa est, vir videtur. Ecce non fabulosum illud * cerva pro virgine, sed quod verum est, miles ex virgine. At etiam audieram & non credideram, quod aquam Christus in vinum convertit: jam mutare cœpit & sexus. Recedamus hinc, dum adhuc qui fuimus, sumus. Numquid & ipse mutatus sum, qui aliud cerno, quam credo? Ad lupanar veni, cerno * vadimonium: & tamen mutatus egrediar, pudicus exibo, qui adulter intravi.

Johan. 2. 9.

32. Indicio rei, quia debebatur tanto corona victori, damnatus est pro virgine, qui pro virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solum virgo, sed etiam martyres exierunt. Fertur puella ad locum supplicii cucurrisse, certasse ambos de nece, cùm ille diceret: Ego sum jussus occidi, te absolvit sententia, quando me tenuit. At illa clamare cœpit: Non ego te mortis vadem elegi, [d] sed prædem pudoris optavi. Si pudor quæritur, manet sexus: si sanguis exposcitur, fidejussorem non desidero, habeo unde dissolvam. In me lata ista sententia, quæ pro me lata est. Certe si pecuniæ te fidejussorem dedissem, & absente me, judex tuum censum fœneratori adjudicasset; eadem me sententia convenires, meo patrimonio solverem tuos nexus. Si recusarem, quis me indignam indigna morte censeret? Quanto major est capitis hujus usura? Moriar innocens, ne moriar nocens. Nihil hîc medium est: hodie aut rea ero tui sanguinis, aut martyr mei. Si cito redii, quis me audet excludere? Si moram feci, quis audet absolvere? Plus legibus debeo, rea non solum fugæ meæ, sed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non sufficiebant injuriæ. Est in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium declinavi, non martyrium. Tibi cessi vestem, non professionem mutavi. Quod si mihi præripis mortem, non redemisti me, sed circumvenisti. Cave, quæso, ne contendas, cave ne contradicere audeas. Noli eripere beneficium, quod dedisti. Dum mihi hanc sententiam negas, illam restituis superiorem. Sententia enim sententiâ superiore mutatur. Si posterior me non tenet, tenet superior. Possumus uterque satisfacere sententiæ, si me prius patiaris occidi. In te non habent aliam quam exerceant, pœnam: in virgine obnoxius

a. Non pauci mss. *qui domuisti virgini.* Haud male quidem, si referatur ad Theclam virginem, de qua supra.

b. Mss aliquot, *melius exuar, ut abscondaris; ne me persecutor agnoscat.* Et infra, *Sume pallium, quod tegat* &c.

c. Ita mss. omnes, nisi quod duo exhibent, *fremuere*: Rom. vero edit. post voces, *& non videbant*, sola subjungit, *corde*, at cum aliis particulam *ceu* detrahit ante vocem *lupi*.

*. Cervam intellige in sacrificio pro Iphigenia virgine Agamemnonis regis filia suppositam: de qua Dictys. Cret. lib. 1. Eurip. in *Iphigenia in Aulide.* Ovid. lib. 12. Metam. & alii.

*. Vadimonium proprie est promissio sistendi se ad constitutum diem coram judicibus, at dicitur hoc loco vadimonium quod se quasi vadem miles pro virgine constituerit.

d. Mss. aliquot, *sed prædam pudoris expavi.* Plures vero ubi omnes edit. cum paucis aliis mss. *manet nexus*, præferant elegantius, *manet sexus.*

pudor est. Itaque gloriosior eris, si videaris de A adultera martyrem fecisse, quàm de martyre adulteram reddidisse.

33. Quid exspectatis? Duo contenderunt, & ambo vicerunt: nec divisa est corona, sed addita. Ita sancti martyres invicem sibi beneficia conferentes, altera principium martyrio dedit, alter effectum.

CAPUT V.

Amicorum duorum è secta Pythagorea memorabile B *factum cum laude recensetur; superiori tamen ostenditur esse postponendum: ubi etiam de Dionysii in spoliandis idolis irrisione, nec non de deorum in tolerandis illius sacrilegiis infirmitate differitur, posita ex adverso quam Deus olim cepit de Hieroboam, severa ultione.*

34. AT etiam philosophorum gymnasia * Damonem & Pythiam Pythagoreos in cælum ferunt, quorum unus cùm esset C morti adjudicatus, commendandorum suorum tempus poposcit: tyrannus autem astutissimus, quod reperiri non posse existimaret, petivit ut sponsorem daret, qui pro se feriretur, si ipse faceret moram. Quid de duobus præclarius, nescio. Utrumque præclarum. Alter mortis vadem invenit, alter se obtulit. Itaque dum reus moram supplicio faceret, fidejussor vultu sereno mortem non recusavit. Cùm duceretur, amicus revertitur, cervicem substituit, colla subjecit. D Tunc admiratus tyrannus cariorem philosophis amicitiam quàm vitam fuisse; petivit ut ipse ab his quos damnaverat, in amicitiam reciperetur. [a] Tantam virtutis esse gratiam, ut & tyrannum inclinaret.

35. Digna laude, sed minora nostris. Nam illic ambo viri, hîc una virgo, quæ primo etiam sexum vinceret: illi amici, isti incogniti: illi tyranno uni se obtulerunt, isti tyrannis pluribus, hoc etiam crudelioribus, quod ille pepercit, isti E occiderunt: inter illos in uno obnoxia necessitas, in his amborum voluntas libera. Hoc quoque isti prudentiores, quod illis studii sui finis amicitiæ gratia, istis corona martyrii; illi enim certaverunt hominibus, isti Deo.

36. Et quoniam rei istius fecimus mentionem, par est contexere quid de diis suis senserit, quo magis infirmos judicetis, quos irrident sui. Namque is cum venisset in templum Jovis, * amictum aureum quo operiebatur simulacrum ejus, de- F trahi jussit, imponi laneum, dicens aurum hyeme frigidum, æstate onerosum esse. Sic deum irrisit suum, ut nec onus ferre posse, nec frigus putaret. Idem cùm Æsculapii barbam vidisset auream, tolli imperavit, incongruum esse appellans ut filius barbam haberet, [b] patre non habente. Idem simulacris tenentibus aureas pateras ademit, allegans accipere se debere, quod dii darent: Quoniam hæc sunt vota, inquit, hominum, ut à diis quæ bona sunt, adipiscantur: nihil autem auro melius: quod tamen si malum est, habere deos non debere: si bonum est, habere magis homines debere, qui uti scirent.

37. Ita ludibrio habiti sunt, ut neque Jupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, nec Apollo pubescere adhuc cœperit, neque omnes qui dicuntur dii, retrahere potuerint pateras quas tenebant: non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dii, nec abscondere quasi homines possunt?

38. At in templo Dei nostri cùm Hieroboam 3. Reg. 13.
rex sceleratissimus dona quæ pater ejus posue- 2. & seq.
rat, auferret, ac super sanctum altare libaret idolis; nonne dextera ejus quam tetendit, aruit, nec sua ei quæ invocabat, idola profuerunt? Deinde conversus ad Dominum, rogavit veniam, statimque manus ejus quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in uno & misericordiæ divinæ & indignationis exemplum exstitit, ut sacrificanti subito dextera adimeretur, pœnitenti venia daretur.

CAPUT VI.

Libri secundi conclusio, qua testatur Auctor modestissimus, si quid hactenus boni scripserit, id totum in virginum merita referendum: sui autem officii fuisse adseverat, antequam severiora traderet præcepta, earum animos orationis atque exemplorum suavitate mulcere; quod & humano usu, & divinorum codicum auctoritate demonstrat.

39. HÆc ego vobis, sanctæ virgines, nondum triennalis sacerdos munuscula paravi, licet usu indoctus, sed vestris edoctus moribus. Quantus etenim adolescere usus potuit tam parva initiatæ religionis ætate? Si quos hîc flores cernitis, de vestræ vitæ collectos legite sinu. Non sunt hæc præcepta virginibus, sed de virginibus exempla. Vestræ virtutis effigiem nostra depinxit oratio, vestræ gravitatis imaginem quasi in speculo quodam sermonis istius cernitis refulgere. Vos si quam nostro gratiam inhalastis ingenio, vestrum est quidquid iste redolet liber. Et quoniam quot homines, tot sententiæ: si quid defæcatum est in sermone nostro, omnes legant: si quid decoctum, maturiores probent: si quid modestum, pectoribus inhæreat, genas pingat: si quid florulentum, ætas florulenta non improbet.

40. Debuimus sponsæ excitare amorem; scriptum est enim: *Diliges dominum Deum tuum.* Deut. 6 5.
[c] Debuimus in nuptiis calamistris quibusdam c
crines saltem orationis ornare; scriptum est enim:
Plaude manu, & percute pede. Debuimus perpe- Ezech. 21.
tuos spargere thalamos rosis. Etiam in his con- 14.
jugiis temporalibus nubenti prius plauditur, quam imperatur; ne ante dura offendant im-

*. De hoc amicorum pari agitur apud Cic lib. 3. Offic. loco jam à nobis citato, atque alibi; nec non apud Val Max. lib. 4 c. 7 & alios.

a. Omnes edit. *Tanta virtutis est gratia* Omnes mss. *tantam virtutis esse gratiam*, supple *constat*, aut quid simile.

*. De hisce Dionysii in deos suos ludibriis consule Diodorum, Plutarch, Val. Maximum & alios.

b. Omnes edit. *Cùm Apollo pater ejus adhuc non haberet*, quæ verba in nullis mss. reperiuntur.

c. Rom. edit. *Debuimus in nuptiis sponsæ crines calamistris quibusdam saltem orationis ornare.* Vet. à mss. non discedunt, nisi quod hi pro *in nuptiis*, habent ferme ad unum, *innuptis*, id est, virginibus. Haud male quidem, edit. tamen ob sequentia videntur præponendæ. Rursus eadem Rom. edit sola, *perpetuis spargere* &c. Melius aliæ, ac mss. *perpetuos*; ut opponantur perpetui thalami temporalibus, de quibus versu sequenti. Ubi obiter adverte sola perpetuæ castitatis vota pro legitimis haberi ab Ambrosio.

peria, quam blanditiis amor fotus inolescat. A

* 41. Equorum vis * plausæ sonitum discit amare cervicis, ne recuset jugum. Denique prius adsuescitur verbo lasciviæ, quam verbere disciplinæ. Ast ubi colla subdiderit jugo; & habena constringit, & stimulus urget, & compares trahunt, & * jugalis invitat. Sic etiam virgo nostra debuit prius amore pio ludere, aurea thori cælestis fulcra mirari in ipso vestibulo nuptiarum, * & postes frondium sertis cernere coronatos, B & chori strepentis interius haurire delicias; ne se prius Dominico jugo timefacta subduceret, quam vocata inclinaret.

Cant. 4. 8. 42. *Veni* igitur *huc à Libano, Sponsa, veni huc à Libano, transibis & pertransibis.* Sæpius enim nobis iste versiculus recantandus est; ut vel Dominicis vocata verbis, sequatur, si qua non credit humanis. Hoc nos magisterium non invenimus, sed accepimus; sic instituit mystici carminis doctrina cælestis: *Osculetur me ab osculis oris* (Cant. 1. 1. & 2.) *sui, quia ubera tua super vinum, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Unguentum exinanitum est nomen tuum.* Totus iste deliciarum locus ludum sonat, plausum excitat, amorem provocat. *Ideo*, inquit, *adolescentulæ dilexerunt, & adtraxerunt te: retro odorem unguentorum tuorum curramus. Induxit me Rex in tabernaculum suum.* Ab osculis cœpit, ut ad tabernaculum perveniret. Ibidem 3.

43. At illa tam patiens duri laboris, exercitatæque virtutis, ut aperiat manu claustra, in agrum exeat, in castellis maneat; in principio tamen retro odorem currit unguenti: mox cùm in tabernaculum venerit, [a] unguentum mutatur à castellis. Denique quo vadit, vide: *Si murus*, inquit, *est, ædificemus super eum turres argenteas.* Quæ ludebat osculis, jam turres erigit; ut pretiosis sanctorum turrita fastigiis, non solum hostiles frustretur incursus, verum etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum. Cant. 8. 9.

* Agnosce apertam Virgilij imitationem ex 3. Georg. ubi legimus:
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, & plausæ sonitum cervicis amare.

*. Id est, jugarius, sive auriga.

* Veterem tangit nuptiarum morem, quo solebant in ejusmodi lætitia, corollis ac sertis fores ornare, ac musicorum tibicinumque choros conducere: qua de re scribit Lucianus vidisse nescioquam πάντα κατεσπαρμένα, καὶ αὐλητρίδας, καὶ θόρυβον, &c.

a. Rom. edit. sola, *unguentum mutatura castellis*: cum aliis, *denique quo evadat, videte*: mss. autem utrobique ut in contextu, nisi quod unus sic interpungit, *unguentum mutatur. A castellis denique*, &c. quod non displicet.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Liberii Marcellinam dato virginitatis velamine consecrantis refertur oratio: cujus exordium tum à frequentia confluentium ad illius Sponsi nuptias, à quo ipsos pascendos narrat, deducit: tum à convenientia diei quo ex virgine natus est Christus, ad cujus amorem eleganti perfectionum ejus descriptione illam inflammat.

1. QUoniam quæ habuimus superioribus B duobus libris digessimus, tempus est, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, * beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere; ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. Nàmque is, cùm Salvatoris natali ad apostolum Petrum virginitatis professionem * vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quo virgo posteritatem adquisivit?) adstantibus etiam puellis Dei compluribus quæ certarent invicem de tua societate: Bonas, inquit, filia nup- C tias desiderasti. Vides quantus ad natalem Sponsi tui populus convenerit, & nemo impastus recedit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina convertit. (Johan. 2. 9.) In te quoque sincerum sacramentum conferet virginitatis, quæ prius eras obnoxia vilibus naturæ materialis elementis. Hic est qui quinque panibus & duobus piscibus quatuor millia populi in deserto pavit. (Luc. 9. 13. & seq.) Plures potuit, si plures jam tunc qui pascerentur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit: sed jam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur è cælo.

2. Hodie quidem secundùm hominem homo natus ex virgine, sed ante omnia generatus ex Patre: qui matrem corpore, virtute referat patrem. Unigenitus in terris, unigenitus in cælo: Deus ex Deo, partus ex virgine: justitia de Patre, virtus de potente, lumen ex lumine: non impar generantis, non potestate discretus: non Verbi extensione, aut prolatione confusus, [a] ut cum Patre mixtus, sed ut à Patre generationis jure distinctus sit: ipse est fraternus tuus, sine quo nec cælestia, nec marina, nec terrestria, consistunt. (Cant. 5. 1.) Verbum Patris bonum, quod erat, inquit, *in principio*: habes ejus æternitatem. *Et erat*, inquit, *apud Patrem*: habes indiscretam à Patre, inseparabilemque virtutem. *Et Deus erat Verbum*: habes ingenitam ejus divinitatem; de compendio enim tibi fides est haurienda. (Johan. 1. 1. & seq.)

3. Hunc, filia, dilige, quia bonus est: *Nemo enim bonus nisi unus Deus.* Si enim non dubitatur quia Deus Filius, Deus autem bonus est: utique Luc. 18. 19.

* Hic Liberius Pontifex maximus idem quidem est, qui an. 357. Sirmiensi professioni à Demophilo sibi oblatæ, sive posteriori ut Petavius Not. in Epiphanium & Blondellus contendunt, sive priori, ut Baronio & recentioribus quibusdam novo rationum præsidio instructis placet, subscripsit, ut reditum ab exsilio impetraret. Sed is pulcre lapsum reparaverat suum, cùm Ariminensi concilio summa constantia adsensum suum ac suffragium negavit. Non itaque mirum est, si ab Ambrosio *Beatæ memoriæ* atque *vir sanctior* appelletur, quando non absimiles honoris ac venerationis titulos meruit à Basilio Magno epist. 74. ab Epiphanio Hæresi 75. cap. 7. à Siricio demum epist. ad Himer. Tarrac. can. 1. Obiit autem Liberius Baronii sententiâ 5. Idus Sept. an. 367. aliorum vero accuratiorum 8. Kal. Octob an. 366. cujus nomen in additionibus ad Usuardum, Bedæ martyrologio, necnon in eo quod à Vandelberto versibus scriptum tom. 5. Spicilegii editum est, in sanctorum albo describitur.

*. Adverte antiquitatem votorum publice nuncupandorum, quod sane non sine quibusdam ceremoniis peragebatur. Hoc videntur agnoscere Magdeburgenses pluribus locis, at præcipue Cent. 4. c. 7. ubi consecrandi monachi ritum è Dionysii Hierarchia referunt. Habes etiam apud Mabill. in antiquissimo Lection. veteris Liturgiæ Gallic. lib. 2. cap. 76. *Legenda in velatione virginum*, item in Missal Franc. lib. 3. cap. 10. *Bened. super virgines*; & cap. 11. *Bened. vestim. viduæ.* Vide quoque Greg. Sacram. pag. 173. & seq.

a. Sic omnes edit. cum mss. aliquot: alii vero plures, *ut cum Patre mixtus . . . . . distinctus sit persona, unitate confusus* (unus per*son: unitate confusus*) *ut ambo unum, non uterque unus sit; indifferentis* (quidam *indifferenter*) *enim ipse est fraternus tuus.* At horum plerique tam sapiunt interpolationem, quam quod maxime,

Psal. 109. 3. non dubitatur, quia Deus bonus Filius. Hunc, A inquam, dilige. Ipse est quem Pater genuit ante Luciferum, ut æternum: ex utero generavit, ut Psal. 44. 2. Filium: ex corde eructavit, ut Verbum. Ipse est Matth. 17. 5. in quo complacuit Pater: ipse est Patris brachium, quia creator est omnium: Patris Coloss. 2. 3. 1. Cor. 1. 30 sapientia, quia ex Dei ore processit: Patris virtus, quia divinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo. Quem Pater ita diligit, ut in sinu portet, ad dexteram locet; ut sapientiam discas, virtutem noveris.

4. Si igitur virtus Dei Christus, numquid aliquando sine virtute Deus? Numquid aliquando sine Filio Pater? Si semper utique Pater, utique semper & Filius. Perfecti ergo patris perfectus est Filius. Nam qui virtuti derogat, ei derogat, cujus est virtus. Inæqualitatem non recipit perfecta divinitas. Dilige igitur, quem Pater diligit: Johan. 5. 23. honorifica, quem honorificat Pater: *Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Et qui negat Filium, nec Patrem habet.* Hæc quan- C tum ad fidem.

CAPUT II.

Virginis institutionem aggreditur, quæ in potu & cibo ratio servanda, & quo pacto motus animæ cohibendi sint, præcipiens: qua occasione ubi fabulosam Hippolyti necem ac suscitationem retulit suggillavitque, postremo calidiores escas & convivia vitanda monet.

5. SEd interdum etiam cùm fides tuta sit, ju- D ventas suspecta est. Modico itaque vino utere, ne infirmitatem corporis augeas, non ut voluptatem excites; incendunt enim pariter duo, vinum & adolescentia. Infrænent etiam teneram ætatem jejunia, & parcimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. Ratio revocet, mitiget spes, restringat metus. Nam qui moderari nescit cupiditatibus, is sicut equis raptatus indomitis, volvitur, obteritur, laniatur, E affligitur.

6. Quod aliquando * juveni ob amorem Dianæ contigisse proditur. Sed poeticis mendaciis coloratur fabula, ut Neptunus prælati rivalis dolore incitatus, equis dicatur furorem immisisse, quo ejus magna potentia prædicetur, quod juvenem non virtute vicit, sed fraude decepit. Unde etiam sacrificium quotannis instaurant Dianæ, ut equus ad ejus immoletur aras. Quam virginem dicunt, quæ (id quod etiam meretrices erubescere solent) amare potuit non aman- F tem. Sed habeant per me licet fabulæ suæ auctoritatem; quia licet scelestum utrumque, minus tamen sit juvenem amore adulteræ sic flagrasse ut periret, quam duos, ut ipsi dicunt, deos de adulterio certasse: Jovem autem dolorem scortantis filiæ in medicum vindicasse adulteri, quod ejus curarit vulnera, qui Dianam in silvis adulteraverit, venatricem sane optimam non ferarum, sed libidinum, sed ferarum etiam, ut nuda venaretur.

7. Dent igitur Neptuno dominatum furoris, ut adstruant crimen incesti amoris. Dent Dianæ regnum in silvis quas incolebat, ut confirment adulterium quod gerebat. Dent Æsculapio quod mortuum reformaverit, dummodo profiteantur quod fulminatus ipse non evaserit. Dent etiam Jovi fulmina quæ non habuit, ut testificentur quæ habuit opprobria. Sed à fabulis ad propositum revertamur.

8. Escis quoque omnibus quæ gignant membris calorem, parce utendum puto; carnes enim B etiam aquilas volantes deponunt. In vobis quoque ales interior illa, de qua legimus: *Renovabitur* [a] *sicut aquila juventus tua*, sublime tenens, Psal. 101. 5. virgineo præpes volatu superfluæ carnis nesciat appetentiam. Conviviorum devitandæ celebritates, fugiendæ salutationes.

CAPUT III.

Hortatur ad fugiendas visitationes, ad servandum pudorem, nec non ad silentium exemplo Mariæ per mysteriorum celebrationem præbendum: ea gratia ethnici adolescentis facto, & profani poetæ dicto memoratis, sancti cujusdam sacerdotis miraculum adjungit.

9. IPsas visitationes in junioribus esse parciores volo, si fortè deferendum sit parentibus aut æqualibus. Teritur enim officiis pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas: interroganti non respondere, infantia: respondere, fabula est. Deesse igitur sermonem virgini, quam superesse malim. Nam si mulieres etiam de rebus divinis 1. Cor. 14. 34. in Ecclesia jubentur tacere, domi viros suos interrogare: de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?

10. An vero mediocre pudoris exemplum est, Gen. 24. 65. quod Rebecca cùm veniret ad nuptias, & sponsum vidisset, velamen accepit; ne prius videretur, quam jungeretur? Et utique pulcra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel; Gen. 29. 11. & 12. quemadmodum * extorto osculo, flevit & gemuit: nec flere desisset, nisi proximum cognovisset? Ita & pudoris servavit officium, & pietatis non omisit affectum. Quod si viro dicitur: *Virginem ne consideres, ne quando scandalizet te;* Eccli. 9. 5. quid dicendum est sacratæ virgini, quæ si amet, animo peccat: si amatur, & facto?

11. Maxima est virtus tacendi, præsertim in Ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod revocare velis, proferas: sed parcior loquendi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum. Homicidæ dictum est: *Peccasti, quiesce*, ne peccaret Prov. 10. 19. amplius: sed virgini dicendum est: Quiesce, ne Gen. 4. 7. pecces. Conservabat enim Maria, ut legimus, Luc. 2. 19. omnia in corde suo quæ de Filio dicebantur: & tu cùm legitur aliquid quo Christus aut ven-

*. Fabulam hanc de Hippolyto ab equis efferatis discerpto aliter narrat. Virg 7. lib. Æneid. Servius in eumdem librum, Ovid. lib 15. Metamorph. Hyginus & alii.

a. Ita mss. fere ad unum: nonnulli tamen & omnes edit *sicut aquila juventus tua.*

*. Versio Vulg. & aliæ cum textu Hebræo, *osculatus est eam; & elevata voce flevit, & indicavit ei* &c. è quibus verbis quod hic de fletu pudicum illud osculum consequuto narratur, eleganter quidem & apposite ad materiam tribuitur Racheli: cùm tamen ad Jacob referri oporteat. Et certe ut esset aliqua in aliis idiomatis ambiguitas, aperte apud LXX. legere est, καὶ βόησας τῇ φωνῇ αὐτοῦ, ἔκλαυσε.

tturus

turus annuntiatur, aut venisse ostenditur; noli fabulando obstrepere, sed mentem admove. An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur: circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute [a] deprompta omnium? a

12. Gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt. Unde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore, mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut natura vinceretur. Atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, quos si idem ignis contigisset, arsissent?

b 13. [b] Quanto melius quod quidam in convivio patris adolescens jubetur ne meretricios amores indiciis insolentibus prodat? Et tu in mysterio, Dei virgo, gemitus, screatus, tussis, risus abstine. Quod ille in convivio potest, tu in mysterio non potes? Voce virginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. Virginem mihi prius gravitas sua nuntiet, pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto; & prænuntia integritatis anteeant signa virtutis. NON SATIS probabilis virgo est quæ requiritur, cùm videtur.

14. Frequens sermo est, cùm plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi; tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationabile animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat: hominum tanta est immodestia, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati?

CAPUT IV.

Recitata Liberii exhortatione, sororis virtutes laudat Ambrosius: maxime vero jejunium illius, quod tamen ut tantisper remittat, alternisque exercitiis mentem colat, hortatur, adductis in eam rem exemplis elegantissimis. Præterea ipsam ad preces frequentandas, orationem Dominicam & psalmos noctu etiam repetendos, recitandumque antelucanis horis symbolum urget.

15. HÆc tecum sanctæ memoriæ Liberius: quæ apud alios [c] majora veris, apud

A te minora exemplis; ita omnem disciplinam non solum virtute adæquasti, sed etiam æmulatione vicisti. Namque jejunium in præceptis habemus, sed singulorum dierum: tu autem multiplicatis noctibus ac diebus, innumera tempora sine cibo transigis; & si quando rogaris ut cibum sumas, paulisper deponas codicem, respondes illico: *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Matth. 4. 4. Ipse epularum [d] usus cibis obviis; ut edendi fastidio jejunium desideretur: potus è d
B fonte, fletus in prece, somnus in codice.

16. Hæc junioribus convenere annis, donec mens ævi matura canesceret: ast ubi domiti trophæum corporis virgo sustulerit, moderandum labori, ut magistra [e] subpari servetur ætati. Cito e fœcundis onerata palmitibus emeritæ ætatis vitis crepat, nisi aliquando reprimatur. Eadem tamen donec adolescit, exuberet, & inveterata putetur; ne silvescat sarmentis, aut fœtu nimio exanimata moriatur. Bonus agricola optimam
C vitem & fotu terræ cohibet, & defendit à frigore, & ne meridiano sole uratur, explorat. * Agrum quoque vicibus exercet: vel si non patitur otiosum, diversa alternat semina, mutatis ut fœtibus arva requiescant. Tu quoque, virgo veterana, pectoris tui colles diversis saltem seminibus sere, nunc alimoniis mediocribus, nunc jejuniis parcioribus, lectione, opere, prece; ut mutatio laboris induciæ sint quietis. *

D 17. * Non totus messem generat ager. Hinc de collibus vinea consurgunt, illic purpurascentes cernas olivas, hîc olentes rosas. Sæpe etiam relictis aratris, ipse validus agricola digito solum scalpit, ut florum deponat radices: & asperis manibus quibus luctantes inter vinea flectit juvencos, molliter ovium pressat ubera. Eo quippe melior ager est, quo numerosior fructus. Ergo & tu boni agricolæ exemplum sequuta, non perennibus jejuniis tamquam depressis vomeri-
E bus humum tuam findas. Floreat in hortis tuis rosa pudoris, lilium mentis, & irriguum sacri sanguinis violaria bibant fontem. Vulgo hoc ferunt: QUOD VELIS prolixe facere, aliquando ne feceris. Debet esse aliquid, quod Quadragesimæ diebus [f] addatur: sed ita, ut nihil ostentationis causâ fiat, sed religionis. f

18. Oratio quoque nos Deo crebra commendet. Si enim Propheta dicit: *Septies in die laudem dixi tibi*; qui regni erat necessitatibus oc- Psal. 118. 164.
F cupatus, quid nos facere oportet, qui legimus: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* Certe Matth. 26. 41. solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cùm è somno surgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus sumere, cùm sum-

a. Omnes edit. *omnium, cùm gentiles .... deferant*: mss. autem magno consensu nobiscum faciunt. Porro subjectam ephebi hujusce barbari historiam memorat. V. Maximus lib. 3. cap. 3. *de Patientia.*

b. Edit. *Quid quod quidam.* Et infra, *in ministerio .... tusses, risus abstine .... in ministerio Dei non potes. Vocis* &c. mss. vero ut in texto, nisi quod aliqui pro *mysterio* legunt cum edit. *ministerio.* Ceterum hîc indicatur ab Ambrosio Terentianæ fabulæ, quæ inscribitur *Heautontimorumenos*, Actus 2. ubi sub finem scenæ 3. admonetur Clitipho adolescens, ut præsente patre modestiam in convivio retineat; ex eodem enim loco sanctus Præsul transtulit illa verba: *Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.*

c. Omnes edit. ac pauci mss. *majora verbis*, reliqui, *majora veris*; uno excepto, ubi legitur, *major haberis.* Non sat congrue.

d. Ita mss. complures, nisi quod pro *ut edendi fastidio* exhibent, *utendi fastidio*, quod non arridet: alii autem atque edit. *usus, cibus obvius, ut edendi fastidio* &c

e. Mss. aliquot, *suppari servetur ætate*: aptius alii, & edit.... ætati, hoc est, adolescentioribus.

*. Ex virgilianis illis lib. 1 Georg.

Mutatis requiescunt fœtibus arva &c.

*. Idem Virg. ibidem.

Non omnis fert omnia tellus &c.

f. Mss. non pauci, *augeatur, & ita ut nihil* &c. Si vero hoc præceptum conferas cum ea hymni vesperarum quadragesimalium strophe, qua jubemur cibo & potu uti parcius; haud injuria confiteberis, quo spiritu regitur Ecclesia, eodem afflatum fuisse Ambrosium.

* ferimus, & * hora incensi, cùm denique cubitum pergimus.

19. Sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cùm evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget; ut te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberam, divina meditantem somnus inveniat. Denique etiam * qui primus Philosophiæ ipsius nomen invenit, quotidie priusquam cubitum iret, tibicinem jubebat molliora canere, ut anxia curis sæcularibus corda mulceret. Sed ille, sicut is qui laterem lavat, sæcularia sæcularibus frustra cupiebat abolere; magis enim se oblinibat luto, qui remedium à voluptate quærebat: nos autem terrenorum vitiorum colluvione detersa, ab omni inquinamento carnis mentium interna mundemus.

20. Symbolum quoque specialiter debemus tamquam nostri signaculum cordis antelucanis horis quotidie recensere: quò etiam cum horremus aliquid, animo recurrendum est. Quando enim sine militiæ sacramento, miles in tentorio, bellator in prælio?

CAPUT V.

Ad lacrymas fundendas hortatus Davidis versiculo, vocem lectum *docet hic simpliciter accipi posse, vel figurate, ut corpus nostrum significet: quam acceptionem probat & confirmat. Quomodo Christus corpus doloris susceperit, stratumque versaverit in infirmitate? Omnia in honorem Christi referenda, & spiritali lætitia exsultandum, non autem illâ, quæ in conviviis insaniens Johanni Baptistæ mortem intulit.*

21. JAm illud quis non ad nostram institutionem dictum intelligat, quod ait sanctus Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo?* (Psal. 6. 7.) Nam sive lectum juxta litteram intelligas, tantam ubertatem ostendit profundi oportere lacrymarum; ut lavetur lectus, stratum rigetur fletibus obsecrantis: fletus enim præsentium, merces est futurorum; quoniam beati qui fletis, ipsi enim ridebitis (Luc. 6. 21.): sive pro corpore accipiamus propheticum dictum, delicta corporis pœnitentiæ lacrymis abluamus. Fecit enim sibi lectum Salomon ex lignis Libani, columnæ ejus erant argenteæ, adclinatorium ejus aureum, dorsum ejus gemmatum stratum (Cant. 3. 9. & 10.). Quis est iste lectus, nisi nostri corporis species? Namque [a] in gemmis aerii species fulgoris ostenditur, in auro ignis, aqua in argento, terra per lignum: ex quibus corpus humanum quatuor constat elementis, in quo nostra recubat anima; [b] si non aspero montium, non humi arido expers quietis existat, sed sublimis à vitiis, ligno fulta requiescat. Unde etiam David dicit: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* (Psal. 40. 4.) Nam lectus doloris esse quî potest, cùm dolere non possit, qui non habeat sensum? Corpus autem doloris sicut corpus est mortis ejus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. 7. 24.)

22. Et quoniam versiculum induximus, in quo Dominici corporis fecimus mentionem; nequem forte perturbet legentem quod Dominus corpus suscepit doloris, recordetur quia Lazari mortem & doluit & flevit, & in passione est vulneratus, atque ex vulnere sanguis & aqua exivit, spiritumque exhalavit (Johan. 11. 35. Ibidem 19. 34.). Aqua ad lavacrum, sanguis ad potum, spiritus ad resurrectionem. Unus enim Christus est nobis spes, fides, caritas: spes in resurrectione, fides in lavacro, caritas in sacramento.

23. Tamen ut corpus suscepit doloris, ita etiam stratum in infirmitate versavit (Ps. 40. 4.); quia [c] convertit in commodum carnis humanæ. Nam passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Et tamen mœrere pro sæculo, gaudere debetis in Domino: tristes ad pœnitentiam, alacres ad gratiam; licet & flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus oportere gentium Doctor salutari præceptione præscripserit (Rom. 12. 15.).

24. Verùm qui penitus enodare * cicatricem omnem desiderat quæstionis, ad eumdem confugiat Apostolum: *Omne*, inquit, *quodcumque facitis in verbo aut in facto, in nomine domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo Patri per ipsum.* (Coloss. 3. 17.) Omnia ergo dicta nostra factaque referamus ad Christum, qui vitam fecit ex morte, & lucem creavit ex tenebris. Namque ut corpus ægrotum nunc calidioribus fovetur, nunc frigidioribus temperatur; remediorumque mutatio, si juxta præceptum fiat medici, salutaris est: si contra mandatum usurpetur, languoris augmentum est; ita medico nostro quidquid penditur Christo, remedium est: quidquid usurpatur, incommodum.

25. Debet igitur bene consciæ mentis esse lætitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis; ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio. Ab hac virgines Dei procul esse desidero. Nemo enim, ut dixit * quidam sæcularium doctor, saltat sobrius, nisi insanit. Quod si juxta sapientiam sæcularem, saltationis aut temulentia auctor est, aut amentia; quid divinarum scripturarum cautum putamus exemplis, cùm Johannes prænuntius Christi, saltatricis optione jugulatus, exemplo sit plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam?

*. Horæ incensi meminit sanctus Lucas cap. 2. vers. 10. in quem locum Maldonatus, Jansenius Yprensis & alii scribunt in more fuisse apud Judæos, ut quotidie mane ac vespere thus adoleretur. Videtur autem Ambrosius de vespertina thuris oblatione intelligendus, cùm mentio cubitus mox subsequatur.

*. Pythagoram ejusque sectatores musica impendio delectatos multi litteris prodidere; puta. Cicero. lib. 4. *Tuscul. Quæst.* Macrobius in *Somnium Scipionis*, Gellius lib 1. cap 14. & Fabius lib. 9. ubi quod hoc loco docet Ambrosius apertissime confirmatur.

a. Omnes edit. cum mss. duobus, *in gemmis aer specie fulgoris*: reliqui . . . . *aerii species fulgoris*: unus, *fulguris*.

b. Ita edit. & pauci mss. alii vero bene multi, *si non asperum montium, si non humi aridum* minus tamen congrue; &c.

c. Mss. complures, *convertit incommoda*, &c.

*. Cicatricem vocat difficultatis residuum, ductâ metaphorâ à vulneribus, quibus sanatis eorum nota in carne adhuc perseverat.

*. Ciceronem designat apud quem eadem reperiuntur Orat. pro L. Muræna.

CAPUT VI.

Mentione sancti Praecursoris inductus, omnia caedis ejus adjuncta quàm eloquentissime describit & amplificat, ut à saltatione impiorumque conviviis deterreat.

26. ET quoniam talis viri non strictim praetereunda est recordatio, interest ut quis, & à quibus, & quam ob causam, quomodo, & quo tempore sit occisus, advertere debeamus. Ab adulteris justus occiditur, & à reis in judicem capitalis sceleris poena convertitur. Deinde praemium saltatricis mors est Prophetae. Postremo (quod etiam omnes barbari horrere consueverunt) inter epulas atque convivia consummandae crudelitatis profertur edictum: & à convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii circumfertur obsequium. Quanta in uno facinore sunt crimina?

Marc. 6. 21. — 27. Exstruitur regifico luxu ferale convivium, & explorato quando major solito turba convenerit, reginae filia intimis [a] mandata secretis, in conspectu virorum saltatura producitur. Quid enim potuit de adultera discere, nisi damnum pudoris? An quidquam est tam pronum ad libidines, quàm inconditis motibus ea quae vel natura abscondit, vel disciplina velavit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare cervicem, comam spargere? Merito inde in injuriam divinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiae potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur?

Ibidem 22. & 23. — 28. *Tunc rex*, inquit, *delectatus, dixit puellae, ut peteret à rege quod vellet. Deinde juravit quod vel dimidium regni, si petisset, concederet.* Vide quemadmodum saeculares ipsi de saecularibus suis judicant potestatibus, ut pro saltatione etiam regna donentur. Puella autem admonita à matre sua, poposcit afferri sibi in disco caput Johannis. Quod dicit: *Rex contristatus est*; non poenitentia regis, sed confessio iniquitatis est: quam divinae habet consuetudo sententiae, ut qui gesserunt impia, ipsi propria confessione se damnent. *Sed propter discumbentes*, inquit. Quid indignius quam ut homicidium fieri juberet, ne discumbentibus displiceret? *Et propter jus*, inquit, *jurandum*. O religionem novam! Tolerabilius pejerasset. Unde non immerito Dominus in Evangelio jubet non esse jurandum, ne sit causa perjurii, ne sit necessitas delinquendi. Itaque ne jusjurandum violaretur, percutitur innocens. Quid prius horrescam nescio. Tolerabiliora perjuria, quam sacramenta sunt tyrannorum.

[Ibidem 25. & seq. — Matth. 5. 34.]

A 29. Quis non cùm è convivio ad carcerem cursare videret, putaret prophetam jussum esse dimitti? Quis, inquam, cùm audisset natalem esse Herodis, solemne convivium, puellae optionem eligendi quod vellet datam, missum [b] ad Johannis absolutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad poenam propheta [c] convivali tempore, convivali praecepto, quo non cuperet vel absolvi: perimitur gladio, caput ejus B affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.

[Marc. 6. 27. & seq.]

30. Intuere, rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio. Porrige dexteram, ne quid saevitiae tuae desit; ut inter digitos tuos rivi defluant sancti cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditae saevitiae sitis; bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes C conspectum delitiarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriae. Os aureum illud exangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, [d] & adhuc times. Lingua tamen, quae solet etiam post mortem officium servare viventis, palpitante licet motu, damnabat incestum. Portatur hoc caput ad Herodiadem: laetatur, exsultat, quasi crimen evaserit; quia judicem trucidavit.

31. Quid dicitis vos, sanctae feminae? Videtis D quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltat, sed adulterae filia. Quae vero pudica, quae casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem. Vos autem, graves & [e] prudentes viri, discite detestabilium hominum epulas vitare. Si talia sunt convivia, qualia judicia perfidorum?

CAPUT VII.

E *Quaerenti Marcellinae quid sentiendum de illis, qui ne in persecutorum manus deveniant, sibi vim inferunt, respondet; eoque Pelagiae virginis, nec non ejusdem matris ac sororum exemplum oculis subjicit, singulari elegantia descriptum: quibus Beatae Sotheris ex qua ipse cum Marcellina ducebant originem, martyrium adjicit.*

32. JAm ad finem orationis vela pandenti bene suggeris, soror sancta, quid de earum meri- F tis existimandum sit, quae se praecipitavere ex alto, vel in fluvium demerserunt, ne persecutorum inciderent manus, cùm scriptura divina vim sibi Christianum prohibeat inferre. Et qui-

a. Rom. edit. *amandanda secretis*: aliae ac mss. *mandata secretis*, duo mss *commendata secretis*. Infra vero ubi edit. *filia de adultera discere matre*, voces *filia*, & *matre*, in mss. omnibus desunt.

b. Omnes edit. *ad Johannem ob solutionem*: mss. autem partim, *ad Johannem absolutionem*; partim, *ad Johannis absolutionem*. Magis congrue, nisi pro *missum*, quod antecedit, reponas *missam* &c.

c. *Convivali tempore*, in cunctis edit. habetur, contra in mss. desiderantur.

d. Edit. omnes, *& adhuc timetur*; mss. vero fere ad unum, *& adhuc times*.

e. Omnes edit. & pauci mss. *evitare. Talia sunt . . . . perfidorum*. Et infra, *quid super eorum meritis . . . . qui se* &c. alii mss. multo plures, ut nos in textu. Porro non obscurum est à sorore interrogatum Doctorem sanctum quid de iis qui sibi manus adferrent violentas, judicaret, eas laudasse quae castitatis tuendae causa mortem sibi sponte peculiari Dei afflatu consciscerent: Augustinus autem lib. 1. de Civ. Dei, cap. 19. & seq. de eadem materia disputans non sine dubitatione sententiam aperit suam; forte propter Circumcelliones, ut Baronius ad an. 309. existimat. Idem Cardinalis has ipsas martyres de quibus hoc loci Ambrosius, & etiam epist. ad Simplic. ibidem haud immerito conjicit easdem esse, quas taciris nominibus, loco citato memorat Augustinus. Utrum autem haec Ambrosii Pelagia distincta sit ab ea, cujus mentio exstat in Actis S. Luciani martyris & presbyteri Antiocheni, & apud Eusebium lib. 8. Hist. cap. 12. Vales. edit. nec non apud Joh. Chrys. duabus homiliis, non minimum difficultatis est, cùm in praecipuis circumstantiis eorum historiae dissideant. Sed de his consule Card. Baronium in notis ad Martyrologium Rom. ad 5. Idus Junii, & in Annal. Eccl. ad annum 309. jam citatum: item Frontonem Ducaeum in Chrysostomi Hom. 41. & 52. ad populum Antiochenum.

dem de virginibus in necessitate custodiæ con- A stitutis eno dem habemus adsertionem, cùm martyrii exstet exemplum.

33. Sancta Pelagia apud Antiochiam quondam fuit, annorum fere quindecim, soror virginum, & ipsa virgo. Hæc primo domi classico persecutionis inclusa, cùm se à prædonibus fidei vel pudoris circumsideri videret, absente matre & sororibus, vacua præsidio, sed Deo plenior: Quid agimus, inquit, nisi prospicias [a] captiva virginitatis? Et votum est, & metus est mori; quia B mors non excipitur, sed adsciscitur. Moriamur si licet, vel si nolunt licere, moriamur. DEUS REMEDIO non offenditur, & facinus fides ablevat. Certe si vim ipsam nominis cogitemus, quæ vis voluntaria? Illa magis est vis, mori velle, nec posse. Nec difficultatem veremur. Quis enim est qui vult mori, & non possit; cùm sint ad mortem tam proclives viæ? Jam enim sacrilegas aras præcipitata subvertam, & accensos focos cruore restinguam. Non timeo ne dextera deficiens C non peragat ictum, ne pectus se dolore subducat. Nullum peccatum carni relinquam. Non verebor, ne desit gladius. Possumus mori nostris armis, possumus mori sine carnificis [b] beneficio, matris in gremio.

34. Fertur ornasse caput, nuptialem induisse vestem; ut non ad mortem ire diceres, sed ad sponsum. Ast ubi detestandi persecutores ereptam sibi viderunt prædam pudoris, matrem & sorores cœperunt quærere. Verùm illæ spiritali vo- D latu jam campum castitatis tenebant, cùm subito hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluvio exclusæ à fuga, inclusæ ad coronam: Act. 8. 36. Quid veremur, inquiunt? Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur. Et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ regenerare consuevit. Excipiat nos aqua, quæ virgines facit. Excipiat nos aqua, quæ cælum aperit, [c] infirmos tegit, E mortem abscondit, martyres reddit. Te rerum conditor precamur, Deus, ne exanimata spiritu corpora vel unda dispergat; ne mors separet funera, quarum vitam non separavit affectus: sed sit una constantia, una mors, una etiam sepultura.

35. Hæc effatæ, [d] & suspenso paululum in cinctum sinu, quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus tamquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum; ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, illò vestigium dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit ubi gressum figeret: anxiæ cùm terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Vides piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, [e] immolo præsules castitatis, duces itineris, comites passionis.

37. Sed quis jure miretur tantam viventibus fuisse constantiam, cùm etiam defunctæ immobilem stationem corporum vindicaverint? Non cadaver unda nudavit, non rapidi cursus fluminis volutarunt. Quin etiam sancta mater licet sensu carens, pietatis tamen adhuc servabat amplexum: & religiosum quem strinxerat, nodum nec in morte laxabat; ut quæ religioni debitum solverat, [f] pietate herede moreretur. Nam quas ad martyrium junxerat, usque ad tumulum vindicabat.

38. Sed quid alienigenis apud te, soror, utor exemplis, quam hereditariæ castitatis inspirata successio parentis infusione martyris erudivit? Unde enim didicisti, quæ non habuisti unde disceres, constituta in agro, nulla socia virgine, nullo informata doctore? Non ergo discipulam, quod fieri sine magisterio non potest, sed heredem virtutis egisti.

39. Quî enim fieri posset ut sancta Sotheris * tibi non esset mentis auctor, cui auctor est generis? Quæ persecutionis ætate, servilibus quoque contumeliis ad fastigium passionis evecta, etiam vultum ipsum qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit injuriæ, & spectare potius tormenta quam perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, ut cùm teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo defecerit, quam martyr injuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit: non gemitum, non lacrymam dedit. Denique cùm cetera pœnarum genera vicisset, gladium quem quærebat, invenit. *

a. Omnes edit. cum mss. nonnullis, *captiva virginitas*: alii magno numero, *captiva virginitatis*. Minime incongrue; apostrophe namque est qua semetipsam alloquens syllepsi utitur, nunc plurali, nunc singulari adhibito.

b. Ita mss. plures & probatiores: ab his autem alii, ac edit. nihil discrepant, nisi quod interpungunt in hunc modum, *beneficio. Matris in gremio fertur* &c.

c. Rom. edit. sola, *inferos tegit*.

d. Omnes edit. *suspensa paululum, incincto sinu*: mss. nonnulli, *suspenso paululum incincta sinu*: reliqui, *suspenso paululum in cinctum sinu*, hoc est, in modum cinctus: quod cum sequentibus pulcre congruit.

e. Amerb. Eras. & Rom. cum duobus cod. *Præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis*: Gill. cum reliquis ut in contextu.

f. Plerique mss. *pietatis herede moreretur*: aliqui vero & edit. *pietati, herede moreretur* edit. vet. *moveretur*. Quod utrumque haud mediocriter nobis suspectum est. Beata hæc Sotheris, quæ Sotheres etiam dicitur in mss. quibusdam, & Sothera, ut Bollandi continuatoribus placet, vocari potest; cùm virgo non modo in martyrologiis, verum etiam in Exhort. ad virginitatem ab Ambrosio ipso nominetur, qua ratione hic *auctor generis*, ac supra *parens* Marcellinæ scribatur, non immerito lector ambigat. Respondent autem iidem Bollandi continuatores haud insolitum fuisse illorum temporum scriptoribus non solum avos à quibus rectà quis descenderet, sed & majores omnes ex quorum stirpe esset oriundus, sic appellare. Passa vero est sancta hæc martyr an. ab Incarn. 304. si Baronio credimus; nam sunt qui martyrium ejus an. 293. aut 287. adserant contigisse. Porro de loco ubi passa sit non minima est discordia inter auctores, è quibus à vero propius aberrare videntur ii, qui Romam eidem putant adsignandam. Festum autem ipsius ex martyr. Rom. 4. ex aliis vero 8. Idus Februarias renuntiatur.

*. Hisce verbis cùm tractatus desinat in mss. omnibus, quæ in edit. sequuntur, post librum *de Viduis* sub proprio titulo rejicienda esse duximus.

IN LIBRUM DE VIDUIS ADMONITIO.

UBI ET DE SANCTORUM INVOCATIONE NONNIHIL DELIBATUR.

Ambrosius in ipso Commentationis hujus limine [a] *profitetur ad eam tribus libris* de Virginibus *conjungendam Apostoli, à quo utriusque conditionis laudes passim in epistolis suis copulantur, auctoritate atque exemplo inductum esse. At vero in operis serie* [b] *quamdam occasionem deprehendimus quæ ipsum ut haberet chartisque committeret huncce tractatum, acrius movit. Exstincto conjuge matrona quædam, cui filiæ plures partim nubiles, partim jam nuptui traditæ supererant, ad commune mærentium omnium perfugium se se contulit, scilicet Ambrosium. Hanc vir sanctus pro sua facultate consolatus, eidem etiam auctor fuit, ut temperatâ mæstitiæ vehementiâ vestem lugubrem, quia fortassis constitutum luctui tempus jam effluxerat, deponeret. Vidua illa quæ sub pullo syrmate voluptatis amorem occultaverat, Ambrosiana verba in cupiditatis suæ gratiam interpretans, nihil aliud nisi adornandas novas nuptias agitabat. Non fugit hoc sanctum Præsulem; cùmque perspectissimum haberet quot mala, rixæ, lites, inimicitiæ, hinc necessario essent oritura; ut simul & illud conjugium dissuaderet, & suspicionem datæ approbationis abs se removeret, Christianæ viduitatis excellentiam prædicare, atque ad colendam eam viduas cohortari aggressus est.*

a. Num. 1.
b. Cap. 9. num. 57. & seq.

Principio igitur proxime ad virginitatem accedere viduitatis professionem, nec non matrimonio longe præcellere [c] *adseverat. Hujus rei argumentum profert non modò Apostolicum testimonium, verum etiam exemplum viduæ* [d] *Sareptanæ: cujus castitatem non solitariam exstitisse, sed pluribus aliis piis hospitalitate ac pietate stipatam docet. Enarratâ secundùm moralem & mysticum sensum hac historiâ transit ad* [e] *Annam prophetidem, à qua deinde ad eam viduam, cujus immissa in gazophylacium duo minuta Lucas memorat,* [f] *gradum facit. Postea decursis aliquot veteris testamenti exemplis, nimirum* [g] *Noemi,* [h] *Juditha* [i] *atque Deboræ, ipsarum historias & moraliter & mystice, Annæ tamen mystice tantum, edisserit. Libro denique post expositam* [k] *de socru Petri narrationem ad umbilicum perducto, viduas ad perseverandum in vita cælibe cujus sanctitatem, munera, propriasque virtutes ibi* [l] *describit, quantâ verborum valet efficaciâ, compellit.*

c Cap. 1.
d Num. 3. & seq.
e Cap. 4.
f. Cap. 5.
g. Cap. 6.
h Cap. 7.
i Cap. 8.
k Cap. 9. num. 53.
l. Cap. 10. & seq.

Porro dum socrus beati Petri mentionem facit, memoratam [m] *viduam, cujus tamen parcit nomini, alloquitur. Docet itaque omnes illas causas quibus ineundi novi conjugii tegebat voluntatem, leves esse atque sublestas, cùm reapse hîc solum voluptatis ac sæcularium voluptatum amorem sequeretur. Conjugale vinculum fatetur* [n] *bonum ac sanctum esse, Ecclesiamque* [o] *cum agro fertili, qui diversæ pulcritudinis flores in virginibus, viduis & conjugatis gignit, comparat. Cunctas igitur florum exornat vocabulo, sed Ecclesiæ aream frumento magis abundare quam liliis, hoc est, conjugatarum numero virgines plurimum superari adstruit. Denique ubi virginitati adversus conjugium primas vindicavit, ostenditque* [p] *solos idololatras umquam exstitisse, qui pœnas irrogarent viduitati ex hoc deducit Christianis omnibus feminis maritali necessitate absolutis à tam religioso proposito non recedendum: discussis postremo quæ viduæ nupturientes adhibere solent, larvatis rationibus, acriter* [q] *urget in libri calce; at satis patet eum non ob aliud tam concitata peroratione usum nisi ut perculsam hujusce mulieris mentem à consilio quod agitabat, facilius deterreret. Nihil dici potuit aut prudentius aut cum sana doctrina magis consonum, cùm neque secundas condemnarit nuptias, neque officio suo defuerit, quo viduitatem illis anteferre, animasque sollicitudini suæ creditas ad perfectiora semper impellere tenebatur.*

m Cap. 9. num 57. & seq.
n. Cap. 12. & seq.
o Cap. 14. num. 87.
p Cap 14. num. 84.
q. Cap 15. num. 86.

Ceterum illud esse voluit istius libri exordium, quod omnem de ipsius auctore dubitationem amoveat, nisi cui libros de Virginibus *Ambrosio etiam abjudicare libuerit; quod quam sit absurdum ignorat nemo. Verumtamen Centuriatores injecta hujus ejusdem libri mentione, non sine fastidio scribunt:* [r] Ambrosius, si tamen Ambrosii est, permulta crassa habet de invocandis sanctis mortuis. *Quo quidem dubio quid ineptius? Si tamen eis non sufficiat quod jam diximus, voluerintque hac de re ab Ambrosio doceri expressis verbis; adeant ejusdem commentarium in Evangelium secundùm Lucam, & illic Commentationem hanc ab eo pro sua quater ut minimum citatam, lectoremque ad illam remissum invenient. Sed ut magis ac magis quanti facienda sit ejusmodi censorum auctoritas, quivis intelligat, addemus Hieronymi testimonium ex Epist. 50. ad Pammachium:* [s] Legat, *inquit*, sancti Ambrosii de Viduis librum. *Quid igitur in causa fuit, cur ista dissimularent Magdeburgenses? Nimirum ut quæ super sanctorum invocatione tradit* [t] *pius Doctor, paulo audacius* crassa *dicerent. Sed nihil promoverunt ingeniosi viri; nemo quippe non intelligit quod illi crassum vocitant, orthodoxum Ambrosio visum fuisse; nec enim eum cudere voluisse novum dogma, sed veritati catholicæ testimonium reddidisse. Enim vero numquam ea quæ isti propterea tantum exagitant, quia cum Romanæ Ecclesiæ placitis aperte faciunt, prudentissimus præsul ex suggestu populo proposuisset, si quid aut abhorrens à pietate, aut quo quo modo infirmiorum offensioni obnoxium inesse in hac doctrina existimasset. Non est autem cur afferamus in medium quod scripsit Perkinsius*, librum de Viduis pugnare cum Commentario in cap. 1. Epist. ad Romanos; *quandoquidem Rivetus* [u] *ipse ejus sectæ atque ordinis rationem adeo futilem, nulla prorsus consideratione dignam esse judicavit.*

r. Centur. 4. cap. 4.
s. Apolog. adv. Iovin.
t. Cap. 9. num. 55.
u Crit. sac.

Ex iis omnibus quæ hactenus à nobis examinata sunt, intelligere est hunc librum sermonibus, in quibus viduam illam ad secunda nuptiarum vota adspirantem compellat sanctus Doctor, compositum esse: quem litteris deinde à se commendatum non multo post editos libros de Virginibus, *hoc est, post annum 377. in lucem emissum abunde ab ipso operis exordio declaravit.*



SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE VIDUIS

LIBER UNUS.*

* Script. circa an. 377.

CAPUT I.

Postquam actum est de virginibus, de viduis opportune tractari, cùm eas illis Apostolus sociaverit, ut pote quodammodo virginitatis magistras, & conjugatis longe superiores. Quam viduis gloriosum sit quod ad viduam fuerit Elias destinatus? At illas laude dignas non esse, nisi virtutem istius imitentur, maxime vero hospitalitatem. Quæ virtus quanta fuerit in hac femina, exponitur: sed prius perstringitur hominum avaritia, qui dum communia sibi arrogant, divinis promissis se se privarunt.

1. BENE accidit, [a] fratres, ut quoniam tribus libris superioribus de virginum laudibus disseruimus, viduarum tractatus incideret; neque enim inhonoras debuimus præterire, & à virginum præconio separare, quas apostolica sententia cum virginibus copulavit, juxta quod scriptum est: *Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu?* (1. Cor. 7. 34.) Quodammodo enim magisterium virginitatis viduarum valescit exemplis. Quæ cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt integritatem Deo esse servandam. Et propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta nescire. In utroque fortes; ut eas & conjugii non pœniteat, cui fidem servent, & conjugalia oblectamenta non alligent; ne videantur infirmæ, quæ sibi adesse non possint.

2. In hac ipsa tamen virtute præmia sunt reposita libertatis: *Mulier* enim *vincta est quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium; puto enim & ego spiritum Dei habeo.* (Ibidem 39. & 40.) Evidenter igitur expressit Apostolus quid interfit, cùm aliam vinctam esse dixerit, aliam beatiorem esse [b] memoraverit: idque non tam ex suo judicio quam divini Spiritus docuit infusione depromtum; ut cælestis ista, non humana sententia videretur.

3. Quid vero illud quod temporibus iis, quibus fames omne genus urgebat humanum, Elias ad viduam destinatus est? (3. Reg. 17. 9.) Et vide quemadmodum propria singulis gratia reservetur: Angelus ad virginem, propheta ad viduam. (Luc. 1. 27. & 28.) Adde quod Gabriel illic, hîc Elias; ut ex Angelorum & prophetarum numero præstantissimi principes videantur electi. Sed non simplex viduitatis laus est, nisi virtus etiam viduitatis accedat. Nam utique multæ viduæ ante, sed una omnibus antefertur: in quo non tam ceteræ revocantur ab studio, quam virtutis provocantur exemplo.

4. Sollicitas igitur aures [c] præfatio facit, quamvis simplicitas intellectus ipsa moralis sit, quæ ad virtutis exemplum viduas cohortetur; quia non professione, sed merito videtur unaquæque præstare, & hospitalitatis apud Deum gratiam non perire, qui potum aquæ frigidæ, sicut in Evangelio ipse memoravit, præmio æternitatis remuneretur amplissimo: (Matth. 10. 42.) & farinæ brevis, oleique mensuram indeficienti adfluentium copiarum ubertate compenset. (3. Reg. 17. 16.) Nam si * quis de gentilibus dixit communia omnia amicorum esse debere; quanto magis debent esse communia cognatorum? Cognati enim sumus, qui in unam seriem corporis copulamur.

5. Sed tamen non præscripto quodam hospitalitatis fine concludimur. Cur enim proprium

a. Cod. Reg. & Coll. unus, *frater, ut quoniam* &c.

b. Ita edit. omnes, & mss. aliquot: aliorum autem quidam legunt, *esse monstraverit*, quidam continuo post, *idque non jam ex suo judicio, sed divino*, &c.

c. Edit. omnes, *aures præsagio facit*: omnes mss. *aures præfatio facit.*

*. Sententiam hanc Diog. Laertius Pythagoræ tribuit in ejus vita. Citatur autem à Platone, Aristotele, Cicerone atque aliis: nec non ab Eras. explicatur Adag. Chil. 1. cent. 1. prov. 1.

id quod in sæculo est, putes; cùm commune A sit sæculum? Aut cur privatos terræ deputes fructus, cùm terra communis sit? *Respicite*, inquit, *volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt.* ETENIM QUIBUS nihil est proprium, nihil deest: & sententiæ suæ Deus arbiter novit servare promissum. Denique aves [a] non congregant, & edunt; quia pater cœlestis pascit illas. Nos autem generalis monita sententiæ ad usus proprios derivantes: *Omne*, inquit, *lignum quod habet in se fructus seminis sativi, erit vobis in* B *escam, & omnibus bestiis, & omnibus avibus, & omnibus serpentibus super terram*; congregando egemus, & congregando vacuamur. Non possumus enim sperare promissum, qui non servamus oraculum. Salubre est igitur præceptum quoque hospitalitatis advertere, ut hospitibus deferamus; quia nos quoque sumus hospites mundi.

Matth. 6. 26.

Gen. 1. 29. & 30.

6. Quam vero sancta vidua, quæ cùm fame urgeretur extrema, venerationem Deo debitam reservabat: nec sibi soli usurpabat alimenta, C sed cum filio dividebat, ne caro pignori superviveret. Magnum pietatis officium, [b] sed religionis uberius. Nam sicut neminem filio oportuit anteferri, ita propheta Dei, ejus filio præferri debuit & saluti. Cui non exiguum victum, sed vitæ suæ omne subsidium existimanda est detulisse, quæ nihil reliquit sibi: tam hospitalis, ut totum daret: tam fidelis, ut cito crederet.

3 Reg. 17. 12. & seq.

CAPUT II.

Vera viduæ præcepta traduntur ex Apostolo: scilicet ut liberos educet, parentes colat, Deo placere desideret, irreprehensibilem se exhibeat, meritorum maturitatem præ se ferat, uni viro fuerit copulata; ubi tamen secundas nuptias negat à Paulo fuisse condemnatas: adjicit demum eas apud omnes clara virtutum fama valere oportere. Cur fugiendæ viduæ juniores; quove modo nubere quam uri melius dicatur? Postremo hinc declaratur viduarum dignitas, quod ob illatas ipsis injurias ira gravissime divina moveatur.

7. ERgo vidua non abstinentiâ corporis tantum definitur, sed virtute designatur: cui præcepta non do ego, sed Apostolus tribuit. Honorificentiam non solus impartior, sed gentium Doctor prius detulit dicens: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum suam domum regere, & mutuam vicem reddere parentibus.* Unde & advertitur utrumque pietatis affectum viduæ inesse debere, ut filios diligat, parentibus deferat. Ita dum obsequium parentibus rependit, magisterium exercet [c] in filios, suoque se ipsa remuneratur officio; cùm id quod aliis defert, sibi proficit.

1. Tim. 5. 3. & 4.

8. *Hoc enim*, inquit, *acceptum est coram Deo.* Et ideo si cogitas, vidua, quæ Dei sunt, debes id sequi, quod Deo placere didicisti. Et supra quidem sanctus Apostolus ad continentiæ studium viduas cohortatus, dixit eas cogitare quæ sunt Domini. Alibi autem ubi eligitur vidua quæ probata est, non solum cogitare præcipitur, sed etiam sperare de Domino: *Quæ enim vere vidua est*, inquit, *& desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus die ac nocte.* Nec immerito has irreprehensibiles ostendit esse debere, quibus ut opus virtutis indicitur, ita etiam honorificentia larga defertur, ut etiam ab episcopis honorentur.

Ibidem.

1. Cor. 7. 34.

1. Tim. 5. 5.

9. Qualis autem eligi debeat, ipsius Doctoris sermone describitur: *Non minus*, inquit, *sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Non quo * senectus sola viduam faciat, sed quo viduitatis merita stipendia sint senectutis. Nam utique illa præclarior, quæ calorem adolescen- D tiæ, & junioris fervescentem edomat ætatis ardorem; nec mariti gratiam, nec uberiora liberorum oblectamenta desiderans: quàm quæ effœta jam corpore, frigida senectute, matura ævi, nec calere voluptatibus potest, nec sperare de partu.

Ibidem 9.

10. Neque vero si qua in secundas nuptias inciderit, quas utique * apostolica præcepta non damnant, quasi fructu pudoris amisso, si rursus soluta fuerit viro, ab affectu viduitatis E arcetur. Habebit illa quidem vel seræ meritum castitatis, sed probatior erit quæ alterius non fuerit experta conjugium; in illa enim eminet studium castitatis: huic aut senectus, aut pudor modum videtur fecisse nubendi.

11. Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna & uberrima disciplina virtutis: *Quæ in operibus bonis testimonium*

Ibidem 10.

a. Omnes edit. cum ms. Tell. *non congregant, & redundant .... monimenta sententiæ:* reliqui ut in textu. At sequentia in Rom. edit. ita fuerant partim inversa, partim mutata, *quæ dictum est: Omne lignum quod ... super terram: ad usus proprios derivantes, & congerendo egemus, & congerendo* &c.

b. Mss. aliquot, *sed religione superius.* Male; id enim hoc loco præcipit Ambrosius, quod jam docuerat lib 7. in Lucam, num. 146. religionem præstare pietatis officiis. Quod quidem etsi de religione quæ immediate in Deum, non autem quæ per creaturam aliquam in eumdem refertur, intelligendum sit; credibile tamen est viduam illam tam manifesta divinæ voluntatis indicia in sancto propheta animadvertisse, ut de veritate verborum ejus dubitare nequaquam posset. Neque vero quisquam dixerit eamdem, Chrysostomo teste, idolorum cultui fuisse addictam; ipsemet enim ita subjungit: *Sed religiosam mulierem, quæ præveniente Deo, quam modicam in capsa farinam, tam magnam in corde habebat fidem*

c. Sic Amerb. & omnes mss. aliquot exceptis, in quibus legas, *in filios suos: quæ se ipsam remuneratur:* Eras. edit. ac seq. ab Amerb. tantum discrepant, quod in his particula *se* jugulata est. Non adverterunt scilicet Ambrosium verbo *remunerari* in activa significatione uti solitum.

*. Ambrosius hunc Apostoli locum ita explicat, quasi non tam sexagenariam exigat ætatem, quam gravitatem, aliasque virtutes quas par est inesse in sexagenaria, quæ proinde si in minori ætate reperiantur, ea non excludi debeat à professione viduitatis. Hieronymus quoque ep. ad Furiam juniores viduas à Paulo rejici inficiatur, docens in iis solis ab eo requiri 60. annos, quæ Ecclesiæ sumtibus alendæ essent: quod etiam c. 3. Isaiæ ipse confirmat. Neque forsitan absurde illo referantur cum hæc ipsa Ambrosii verba, tum superiora illa: *Quibus ita honorificentia larga defertur, ut etiam ab episcopis honorentur*; voces enim *honor* & *honorificentia* apud scriptores ecclesiasticos subsidium quo quis in sustentanda vita adjuvatur, significant. At vero mavult in lib. de Sacris Ordin. Exerc. 10. cap. 2. pater Morinus huncce annorum numerum non in omnibus quæ vidualem continentiam profiterentur, esse debere, sed in iis tantum quæ ad munus diaconissæ adsumerentur. Hinc illas eligendas præcipi, quæ uni viro prius nupsissent. Negat autem Thomassinus Discipl. Eccl part 1. lib 2. cap. 53. alia commodiori via Patres hoc loco conciliari posse, quam si dicamus eos qui sexagenarias viduas esse volunt, intelligendos de viduis illis quæ ad munus aliquod ecclesiasticum eligerentur: qui vero etiam eadem ætate minores non rejiciunt, eos de viduis solam castitatem nuncupantibus loquutos. Nec sane quisquam sibi persuadeat Apostolum, ne viduæ debiles infra annum sexagenarium alerentur ab Ecclesia, prohibuisse; cùm id fieri postea in Conc 4. Carth. can. 101. & 102. decretum fuerit.

*. Adverte Doctorem nostrum moderatione multo superiorem hîc esse, non solum iis qui contra Ecclesiæ sententiam omnino proscripsere secundas nuptias, ut Tertullianus & alii; sed etiam veterum Patrum non paucis, qui paulo severius easdem nuptias videntur perstrinxisse.

habeat, si filios educaverit, si hospitio receperit, si A *sanctorum pedes laverit, si tribulationem patientibus subministraverit, si postremo omne opus bonum fuerit subsequuta.* Vides quam multas virtutum comprehenderit disciplinas: primum pietatis officium: secundum hospitalitatis studium, & humilitatis obsequium: tertium misericordiæ ministerium, liberalitatisque subsidium: ad summam omnis exsecutionem boni operis flagitavit.

Ibid. 11. 12. Et ideo adolescentiores devitandas putat, eo quod non queant tantæ operam implere virtutis. B Etenim vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum [a] æstus cupiditatum fervore calentis inflammatur ætatis: bonique doctoris est, materiam arcere peccati. PRIMA ENIM institutionis est disciplina culpam avertere, secunda virtutem infundere. Luc. 2. 36. & 37. Tamen cùm Apostolus sciret Annam illam ab adolescentia octogenariam viduam Dominicorum operum exstitisse prænuntiam, non puto quod juniores revocandas putarit à viduitatis affectu, maxime cùm C 1. Cor. 7. 9. dixerit: *Melius est nubere quam uri.* Nam utique pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur: non pro electione [b] præscripsit, ne castitatem continens sequatur; aliud est enim subvenire labenti, aliud suadere virtutem.

13. Et quid de humanis judiciis loquar, cùm divinis judiciis in nullo gravius Judæi Dominum læsisse prodantur, quam quod viduæ gratiam, minorumque jura violarent? Hæc propheticis causa vocibus conclamatur, quæ meritum Ju- D dæis rejectionis invexerit. Hæc sola causa delicti invidiam mitigatura memoratur, si honoretur vidua, minoribusque æqui justitia judicii deferatur; Esai. 1. 17. & 18. sic enim habes: *Judicate pupillo, & justificate viduam; & venite disputemus, dicit Dominus.* Psal 145. 9. Et alibi: *Pupillum & viduam suscipiet.* Et alibi: Psal 131. 15. *Viduam ejus benedicens benedicam.* In quo Ecclesiæ quoque figura prætexitur. Videtis igitur, sanctæ viduæ, nequaquam lubrico munus studio deferendum, quod divinæ benedictionis E subsidiis honoratur.

CAPUT III.

Redit ad Sarreptanam viduam, in qua Ecclesiæ figuram exstitisse ostendit, atque Esaiæ testimonio confirmat; unde colligit in illa virginibus, nuptis ac viduis exemplar esse. Conversus ad prophetam, in eo Christum quoque significatum dicit, quippe qui divina mysteria & futuram pluviæ irrigationem sit pollicitus. Eodem etiam geminum Gedeonis signum refertur atque explicatur. E quibus elicit nec cujusvis esse miracula facere, & Christi incarnationem Judæorumque abdicationem illic adumbrari. F

3. Reg. 17. 14. 14. QUid vero illud, ut ad superiora redeamus, quod cùm in omni terra esset fames maxima, viduæ tamen Deo cura non defuit, atque [c] ad alendum ad eam propheta directus Luc. 4. 25. est? In quo cùm me admoneat Dominus, quod in veritate dicturus sit, ad mysterium videtur sollicitare aures. Quid enim verius Christi & Ecclesiæ potest esse mysterio? Non igitur otiose inter multas viduas una præfertur. Quæ enim talis, ad quam tantus propheta, qui ad cælum raptus est, dirigatur, eo præsertim tempore, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra? Ubique ergo fames erat, & adhuc tamen hæc vidua non egebat. Qui sunt hi tres anni? Ne forte illi quibus Dominus venit in terras, & fructum in ficulnea invenire non potuit, juxta quod scriptum est: *Ecce anni tres sunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* Ibidem 7.

15. Hæc est profecto vidua illa, de qua dictum est: *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis; quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Esai 54. 1. Et bene vidua, cui bene dicitur: *Ignominiæ & viduitatis tuæ non eris memor; quia ego Dominus qui facio te.* Ibidem 5. Et fortasse ideo vidua quæ amisit quidem virum secundum corporis passionem, sed in die judicii Filium hominis quem amisisse visa est, receptura. *Tempus enim breve*, inquit, *dereliqui te*; Ibidem 7. ut gloriosius scilicet fidem derelicta servaret.

16. Habent itaque omnes quod imitentur exemplum, virgines, nuptæ & viduæ. Et fortasse ideo Ecclesia virgo, nupta, vidua; quia unum corpus in Christo sunt. Hæc igitur illa vidua est, propter quam verbi cælestis siccitas cùm esset in terris, prophetæ sunt destinati; erat enim vidua quæ sterilis erat, sed partum suo tempore reservabat.

17. Unde nec illius nobis videtur persona mediocris, qui aridam terram verbi rigavit rore cælesti, clausumque cælum non humana utique potestate reseravit. Quis enim est qui cælum potest aperire, nisi Christus, cui quotidie de peccatoribus [d] cibus, Ecclesiæ cumulus congregatur? Neque enim humanæ facultatis est dicere: *Hydria farinæ non deficiet, & vas olei non deficiet usque in diem, quo dabit Dominus pluviam super terram.* 3. Reg. 17. 14. Nam licet mos sit ita præfari prophetis, tamen hæc vera Dei vox est. Ideo præmissum est: *Quia hæc dicit Dominus*; Ibidem Domini enim est perpetuitatem sacramentorum spondere cælestium, & non defuturam spiritalis exsultationis gratiam polliceri, largiri munimenta vitæ, fidei signacula, dona virtutum.

18. Quid est autem? *Usque in illum diem, quo dabit Dominus pluviam super terram;* Ibidem. nisi quia & *descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram?* Ps. 71. 6. In quo veteris mysterium reseratur historiæ quo sanctus Gedeon mystici certaminis præliator, futuræ capiens insigne victoriæ, spiritale sacramentum vigore mentis agnovit, Judic. 6. 37. & seq. pluviam illam Verbi rorem esse divini: quæ primo pluit in vellus, cùm terra omnis perpetuis siccitatibus æstuaret: secundo verò indicio, universæ terræ aream fuso imbre madefecit, cùm siccitas esset in vellere.

19. Advertit enim vir præsagus futuræ Ecclesiæ crescentis insigne. Nam primo intra Judæam

a. Edit. *æstus cupiditatum fervorem calentis inflammat ætatis:* aptius omnes mss. ut in textu, nisi quod Tell. legit ..... *fervor inflammat ætatis.*

b. Omnes edit. cum solo cod. Tell. *præscripsit casta & continens quid sequatur:* ceteri autem magno consensu nobiscum faciunt.

c. Edit. omnes cum solo ms. Tell. *ad alendam eam.*

d. Ita plerique mss. edit. vero & cod. Tell. *cibus Ecclesia cumulo;* alius etiam, *cibus Ecclesia cumulis*, &c.

divini

Psal. 75. 1. divini cœpit ros ſermonis humeſcere (*notus enim in Judæa Deus*) cùm ª arida fidei totius orbis univerſa terra maneret. Sed ubi Joſeph greges Deum negare cœperunt, & auſu vario immanium delictorum contrahere divinitatis offenſam, tunc per omnes terras fuſo imbris rore cæleſtis, populus Judæorum æſtu perfidiæ ſuæ cœpit areſcere, cùm Eccleſiam ſanctam ex omnibus terrarum partibus congregatam propheticæ nubes, & ſalutaris imber apoſtolicus irrigarent. Hæc eſt illa pluvia non terrarum humido, non nebuloſo ᵇ concreta montium, ſed cæleſtium ſcripturarum ſalubri per totum orbem imbre diffuſa.

20. Oſtenditur igitur exemplo non omnium eſſe divinæ mereri miracula poteſtatis, ſed eorum quibus religioſæ devotionis ſtudia ſuffragentur: & divini eos fructu operis abdicari, qui reverentiæ ſunt cæleſtis exſortes. Oſtenditur etiam in myſterio, quod ad inſtaurandam Eccleſiam Dei Filius humani corporis ᶜ ſacramenta ſuſceperit, abdicato populo Judæorum, quibus conſiliarius & propheta, beneficiorumque ademta ſunt miracula dominicorum; eo quod civico quodam invidiæ nævo in Dei Filium credere noluerunt. Eſai. 3. 1. & ſeq.

CAPUT IV.

Qualis viduarum vita eſſe debeat, patefacit exemplo Annæ: quam in ſingulis ſuis ætatibus caſtitatis ſpecimen edidiſſe demonſtrat. Triplicem ex his adſtruit ejuſdem virtutis gradum eſſe, quos gradus Eccleſia omnes amplectitur, nec non ſingulis exempla in Maria, in Anna atque in Suſanna proponit. Addit tamen aliis duobus præſtare ſtatum virginitatis, viduæ autem curam ſervandæ famæ majorem eſſe oportere.

21. Docuit igitur Scriptura ᵈ quantam collatio conferat gratiam, quantum etiam ſit munus divinæ benedictionis in viduis. Quibus quoniam honorificentia à Deo tanta confertur, eſt advertere qualis debeat vita competere; docet enim Anna quales deceat eſſe viduas, quæ immaturo mariti obitu deſtituta, maturæ tamen ᵉ adoream laudis invenit: non minus religionis officio, quàm ſtudio caſtitatis intenta. Luc. 2. 36. & 37. Vidua, inquit, octoginta & quatuor annorum, vidua quæ non diſcederet de templo, vidua quæ jejuniis & obſecrationibus die ac nocte ſerviret.

22. Vides qualis vidua prædicetur, unius viri uxor, ætatis quoque jam probata proceſſu, ᶠ vivida religioni, & effœta jam corpore: cui diverſorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio: quæ dierum noctiumque temporibus indefeſſæ devotionis obſequio, cùm corporis agnoſceret ſenectutem, pietatis tamen neſciret ætatem. Sic inſtituitur à juventute vidua, ſic prædicatur in ſenectute veterana: quæ viduitatem non occaſione temporis, non imbecillitate corporis, ſed virtutis magnanimitate ſervaverit. Etenim cùm dicit ſeptem annis eam cum viro fuiſſe à virginitate ſua, ab adoleſcentiæ utique ſtudiis inchoata prædicat ſubſidia ſenectutis.

23. Docemur itaque triplicem caſtitatis eſſe virtutem: unam conjugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis; non enim aliam ſic prædicamus, ut excludamus alias. Suis quibuſque profeſſionibus iſta conducunt. In hoc Eccleſiæ eſt opulens * diſciplina, quod quos præferat, habet: quos rejiciat, non habet; atque utinam habere nunquam poſſit! Ita igitur virginitatem prædicavimus, ut viduas non rejiceremus: ita viduas honoramus, ut ſuus honos conjugio reſervetur. Non noſtra hoc præcepta, ſed divina teſtimonia docent.

24. Reminiſcamur itaque quemadmodum Maria, quemadmodum Anna, quemadmodum Suſanna laudentur. Sed quoniam non laudes earum tantummodo prædicandæ ſunt, ſed diſciplinæ etiam ſunt ſequendæ, reminiſcamur ubi Suſanna, ubi Anna, ubi Maria ſint repertæ: & Dan. 13. 7. advertamus quemadmodum ſingulæ aptis laudibus prædicentur, & ubinam commorentur: Luc. 2. 38. Ibid. 1. 28. ᵍ nupta in paradiſo, vidua in templo, virgo in ſecreto.

25. Sed in illis tardior fructus, in virgine maturior: illas ſenectus probat, virginitas laus ætatis eſt: nec adjumenta quærit annorum, quæ omnium eſt fructus ætatum. Adoleſcentiam decet, juventutem ornat, amplificat ſenectutem: omnique ævo habet juſtitiæ ſuæ canos, maturitatem gravitatis, velamen pudoris, quæ devotionem non impediat, religionem augeat. Adibid. 2. 41. vertimus enim ex ſequentibus quia quotannis in die ſolemni paſchæ ſancta Maria cum Joſeph Hieruſalem petebat. Ubique impigra devotio, ubique aſſiduus Virgini comes pudoris adjungitur. Nec inflatur Domini mater, quaſi ſecura de meritis: ſed quo meritum magis agnovit, eo votum uberius exſolvit, officium copioſius detulit, munus religioſius vexit, myſticum tempus implevit.

26. Quanto igitur vos magis convenit intentas eſſe ſtudio caſtitatis; ne locum ſiniſtræ relinquatis opinioni, quæ pudicitiæ teſtimonium in ſolis habetis moribus? Virgo enim licet in ea quoque major ſit morum prærogativa quam corporis; calumniam tamen integritate carnis Ibid 11. 2. abjurat: vidua quæ probandæ ſubſidium virginitatis amiſerit, non in voce obſtetricis, ſed in ſuis moribus habet caſtitatis examen. Docuit igitur Scriptura quam attentus viduæ eſſe debeat & religioſus affectus.

a Omnes edit. *arido fidei totius orbis univerſa torrerent;* omnes mſſ. excepto Tell. ut in textu. & paulò poſt omnes edit. *& auſu nefario*, omnes mſſ. *& auſu vario.*

b. Mſſ. aliquot, *congregata montium.*

c. Non pauci mſſ. *ſacra ſuſcepit.*

d. Omnes edit. & cod. Tell *quanta collatio*, Tell 1 manu, *conſolatio, gratia:* reliqui mſſ. *quantam collatio conferat gratiam.* Eſt autem hoc loci *collatio* idem ac beneficentia atque eleemoſyna

e. Vet edit. à *Deo remunerationem laudis invenit:* Rom. vero cum mſſ. omnibus, *adoream* &c. Erat præmium militare quod ex farris genere conſtabat quo Romani an. ab Urbe condita 300. victitarunt. Unde adorea per tropum pro laude atque honore ſumitur ac potiſſimum militari.

f. Mſſ. non pauci, *vidua & effœta jam corpore*

*. Diſciplina nihil hoc loco aliud eſt, quam inſtituta, leges, & conſuetudines, quæ vigent in Eccleſia Catholica; cùm ea vox non raro pro doctrina atque eruditione ſumatur.

g. Cod. unus è Colbert. *Nupta in pomerio*, lege *in pomario:* & intellige latinam vocem pro græca paradiſo ejuſdem ſenſus fuiſſe poſitam in hoc codice.

dæorum; frequenter enim, ut legimus, orationibus & meritis prophetarum cælestia Patribus adfuere subsidia. Sed his jam tunc de nequitiis spiritalibus victoria parabatur, quibus Matth. 25. 34. dicitur in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Ergo principium victoriæ à majoribus, finis in Ecclesia.

49. Ecclesia autem non armis sæcularibus vincit adversarias potestates, sed armis spiritalibus, 2. Cor. 10. 5. quæ sunt fortia Deo ad destruenda munitiones, & altitudinem nequitiæ spiritalis. Et Judic. 4. 19. ideo Sisaræ sitis lactis poculo restinguitur, [a] quia ratione superatur; quod enim nobis salutare ad escam, hoc adversariæ potestati lethale ad infirmitatem. Arma Ecclesiæ fides, arma Ecclesiæ oratio est, quæ adversarium vincit.

50. Ergo secundum historiam ad provocandos animos feminarum femina judicavit, femina disposuit, femina prophetavit, femina triumphavit, & præliaribus intermixta copiis, imperio viros [b] docuit militare femineo. Secundùm mysterium vero fidei militia Ecclesiæ victoria est.

51. Non ergo habetis quod per naturam vos excusetis, feminæ. Non habetis, viduæ, quod ad infirmitatem sexus, aut ad amissionem subsidii maritalis mobilitatem vestram referre possitis. SATIS UNICUIQUE præsidii est, si virtus non desit animæ. Et ipse in viduis frequens processus ætatis munimen pudoris est, & ipse amissi conjugis dolor, usus operis, domus cura, sollicitudo liberorum noxiam pudori solet arcere lasciviam: atque ipse lugubris [c] habitus, pompa funebris, fletus assiduus, & mœstæ fronti inarantibus rugis impressa tristitia petulantium premit oculos, restinguit libidines, procaces avertit adspectus. Bonus custos pudoris pietatis dolor: non obrepit culpa, si cura non desit.

CAPUT IX.

Earum quæ dictitarent, sibi melius fore si lætis successibus abundarent, objectioni occurrit, ostendens è sacris litteris subsidia viduis in filiis generisque suppetere: quod postquam exemplo socrus Simonis confirmatum est, eos hortatur ut ad Apostolos tamquam ad proximos atque affines confugiant; ubi pulcherrime de sanctorum invocatione disserit. Postea querimoniis quibusdam de solitudine ac patrimonii conservandi necessitate refutatis, indecentissimum esse demonstrat viduam cui filiæ jam nubiles aut jam nuptæ sint, adhuc nubere.

52. DIdicistis igitur, viduæ, subsidio vos non egere naturæ, & posse salubritatem tenere consilii: nec domestico indigere præsidio, quæ etiam publicæ potestis apicem potentiæ vindicare.

53. Sed fortasse dicit aliqua, ei tolerabilem

A viduitatem cui profluant res secundæ: adversis vero viduas cito frangi, facile succumbere. De quo etsi ipso doceamur usu [d] læta viduis lubrica magis esse quam seria; tamen Scripturarum 1. Tim. 5. 6. instruimur exemplis infirmitatibus quoque viduarum non deesse solere subsidia: faciliusque quam ceteris divina atque humana suppetere, si bene filios instituant, generos legant. Denique cùm socrus Simonis magnis febribus detineretur, Luc 4. 38. & 39. Petrus & Andreas rogaverunt Deum B pro ea: *Et stans super illam, imperavit febri, & remisit illam,* [e] *& continuo surgens ministrabat illis.*

54. *Magnis*, inquit, *tenebatur febribus, & rogaverunt illum pro ea.* Et tu habes proximos, qui pro te supplicent. Habes * apostolos proximos, habes martyres proximos, si in ipsa martyribus Luc. 10. 37. devotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinques; proximus est enim qui misericordiam facit. Fac & tu misericordiam, & eris Petro proxima. NON SANGUINIS C necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos; quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ; ut pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ. Verbo Dei pulsata surges illico, quæ in terris jacebas, ut Christo ministres. *Nostra* enim *conversatio in cælis est, unde & Sal-* Phil. 3. 20. *vatorem exspectamus dominum Jesum.* Nemo enim jacens Christo ministrat. Ministra pauperi, & ministrasti Christo: *Quod enim uni ho-* Matth. 25. 40. D *rum fecistis, mihi,* inquit, *fecistis.* Habetis ergo, viduæ, auxilium, si tales vobis generos, posteritati vestræ patronos, tales proximos eligatis.

55. Ergo rogaverunt pro vidua Petrus & Andreas. Utinam exsistat aliquis qui tam cito possit rogare pro nobis, vel certe isti qui pro socru rogant Petrus, & Andreas frater ejus; tunc enim [f] pro affine poterant, nunc jam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Videtis enim quod magno peccato obnoxia, minus idoE nea sit quæ pro se precetur, certe quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit invitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corF poris pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si qua habuerunt peccata, laverunt; isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; quia ipsi infirmitates corporis, etiam cùm vincerent, cognoverunt.

56. Invenit ergo Petri socrus qui pro se rogarent. Et tu, vidua, invenis qui pro te suppli-

a. Omnes edit. *oratione superatur*, haud male; infra enim, *arma Ecclesiæ oratio est*: at omnes mss. *ratione superatur*. Ibidem vero hæc verba, *Arma Ecclesiæ fides*, quæ habentur in omnibus edit. ac mss. aliquot, in aliis multo pluribus vetustioribusque desiderantur.

b. Mss. complures, *docet militare femina* . . . . . *vero fidei militi Ecclesia victoria est.*

c. Iidem Mss. *habiturus pompam funeris fletus assiduus, & mixta frontis inarantibus* &c.

d. Ita edit. omnes, ac mss. aliquot: alii vero longe plurimi, *lætas viduas lubricas magis esse quam serias.*

e. *Et continuo surgens ministrabat illis*, abest à maxima parte mss.

*. Vide quod supra in Admonitione de invocatione Sanctorum observavimus.

f. Omnes edit. *pro affinitate poterant*: omnes mss. *pro affine poterant* &c.

a 1.Tim.5.5. cent: si quasi vere vidua & desolata [a] in Deum A sperес, instes obsecrationibus, insistas orationibus, afficias corpus tuum quasi quotidie moriens, ut moriendo revivíscas: fugias delicias, ut etiam Ibidem 6. ægra saneris: *Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.*

57. Sublata est tibi causa nubendi, habes qui pro te intercedant; ne dixeris: Destituta sum. Querela nupturæ est. Ne dixeris: Sola ego sum. Castitas solitudinem quærit: pudica secretum, b impudica conventum. [b] Sed negotium habes: B habes & intercessorem. Adversarium vereris: apud judicem pro te Dominus intervenit di- Esai.1.17. cens: *Judicate pupillo, & justificate viduam.*

58. Sed & patrimonium vis tueri. Majus pudoris est patrimonium, quod melius regit vidua quam nupta. Servus peccavit. Ignosce; melius est enim alterius culpam feras, quàm tuam pro- c das. [c] Sed vis nubere. Licet. Non habet crimen simplex voluntas. Causam non quæro: cur fingitur? Si honestam putas, fatere: si incon- C gruam, sile. Ne accuses Deum, ne accuses propinquos, quod præsidia tibi desint; utinam non desit voluntas! Nec te consulere liberis dicas, quibus matrem eripis.

59. Est etiam quod facultate licet, & ætate non licet. Cur maternæ parantur nuptiæ inter nuptias filiarum, & plerumque post nuptias? Cur adulta filia discit prius sponsum matris quam suum erubescere? Suasimus, fateor, ut vestem mutares, non ut flammeum sumeres: ut D à sepulcro recederes, non ut thalamum præpa- rares. Quid sibi vult nova nupta, post generos? d [d] Quam indecorum est juniores habere liberos, quam nepotes?

CAPUT X.

Ad Christum redit cujus summam in adeundis miseris quibuslibet benignitatem laudans, eam oculis nostris Evangelii beneficio subjectam dicit. Sub hæc varias, quibus in curando idem medicus noster usus noscitur, rationes narrat: deinde curationis prædicat celeritatem, dummodo invocare medicum non negligamus: istis subnectit moralem de voluntate quam in socru Petri expressam docet, acceptionem: postremo ubi exposuit qualem Christi ministrum, maxime vero episcopum esse deceat, ipsorum ait esse proprium per gratiam surgere.

60. Sed ad propositum revertamur, neque nostrorum dolentes vulnera peccatorum, medicum relinquamus: & dum alienis medemur ulceribus, ulcera nostra cumulemus. Luc.4.39. Rogatur ergo hic medicus. Ne timeas, quia magnus est Dominus, & fortasse ad ægram dignetur venire; venit enim ad nos sæpe de cælo: nec solum divites, sed etiam pauperes solet & servulos pauperum visitare. Venit & nunc rogatus ad Petri socrum, *& stans super illam, imperavit febri, & remisit illam: & continuo surgens ministrabat illis.* Sicut dignus memoria, ita dignus desiderio, dignus etiam caritate Dominicæ in singulos dignationis affectus, & facta miranda. Visitare viduas non dedignatur, & tugurii vilis penetralia angusta succedere. Quasi Deus imperat, quasi homo visitat.

61. Gratias Evangelio per quod etiam nos qui oculis nostris venientem in hunc mundum non vidimus Christum, videmur ei, dum facta ejus legimus, interesse; ut sicut illi quibus appropinquabat, fidem mutuabantur ex eo; ita nobis, dum gestis ejus credimus, appropinquet.

62. Vides qualia habet genera sanitatum? Imperat febri, imperat spiritibus immundis, alibi ipse manus imponit. Non solum igitur ver- Ibidem 40. bo, sed etiam tactu ægros curare consuevit. Et tu igitur quæ variis mundi æstuas cupiditatibus, vel formâ viri alicujus capta, vel pecuniâ, roga Christum, adhibe medicum, porrige ei dexteram tuam, tangat interiora tua Dei manus, Verbique cælestis gratia interiorum venas scrutetur animorum, pulset Dei dextera secreta cordis. Aliis oculos luto illinit, ut videre possint, Iohan 9. 6. & 7. creatorque omnium docet nos nostræ memores debere esse naturæ, & corporis cernere vilitatem; nemo enim magis potest videre divina, nisi qui humilitatis conscientia suæ nescit adtolli. Alius sacerdoti se offerre præcipitur, ut carere Luc.5.14. in perpetuum lepræ possit exuviis. Solus enim mentis & animi potest servare munditiam, qui ei sacerdoti se novit offerre, quem pro peccatis nostris accepimus advocatum, illum utique cui dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Psal.109. 4.

63. Nec vereare moram aliquam sanitatis. Nescit impedimentum qui sanatur à Christo. Opus est ut remedium adhibeas, quod accepe- E ris; simul enim ut præceptum dederit, cæcus videt, paralyticus ambulat, mutus loquitur, surdus audit, febriens ministrat, lunaticus liberatur. Et tu igitur quæcumque indecore alicujus rei cupiditate languescis, obsecra Dominum, fidem defer, nec ullam timeas moram. Ubi adest oratio, adest Verbum, fugatur cupiditas, libido discedit. Nec confessionis verearis offensam; immo magis præsume prærogativam: incontinenti enim quæ corporis morbo antea laborabas, Christo incipies ministrare.

F 64. Potest etiam hoc loco videri Petri socrus affectio voluntatis, ex qua sibi velut semen futuræ posteritatis adsumserat; quod unicuique voluntas sua posteritatis est auctor. Ex voluntate enim sapientia nascitur, quam sapiens in matrimonium adsciscit sibi, dicens: *Proposui* Sap.8.2. *ego hanc adducere mihi in conjugium.* Ergo voluntas illa quæ primo variarum cupiditatum æstibus madefacta languebat, postea per apostolatus officium in ministerium Christi jam robusta surrexit.

a. Plerique mss. *in Deum spiritualibus instes obsecrationibus.*

b. Ita mss. omnes, excepto Tell. qui sicut & Amerb atque Eras. isthæc præfert: *Sed negotium habes, & intercessorem adversarii vereris: apud judicem* &c. Pessime vero Gill. ac Rom. edit. in hunc modum, *Sed negotium habes, & intercessorem: adversarium verearis apud judicem. Pro te* &c.

c. Amerb. & Rom. edit. *Sed vis nubere. Licet non habet*, Rom. *non habeat crimen simplex voluntas, causam non quæro* &c. Minus concinne.

d. Rom. edit. sola, *Tam indecorum est .... quam nepotes.* At hæc mutatio licet levicula pervertit sensum, ut quivis vel mediocris ingenii per se intelligat.

ciplinæ. Etenim quæ bene instituerit, bene erudierit nurum suam, Ruth ei deesse non poterit, quæ viduitatem socrus paternæ domui præferat: & si vir quoque ejus mortuus fuerit, non relinquat tamen, alat inopem, soletur mœrentem, nec dimissa discedat; nescit enim egere *Ibidem. 1. 5.* optima disciplina. Sic illa Noemi duobus destituta filiis & marito, quæ fructus fœcunditatis amiserat, pietatis emolumenta non perdidit; nam & solatium mœroris, & subsidium paupertatis invenit.

34. Videtis igitur, sanctæ feminæ, quam fœcunda sit vidua prole virtutum, meritorumque suorum sobole, quæ perire non possit. Bona igitur vidua egere non novit: & si fessæ fuerit ætatis, & supremæ paupertatis, eruditionis tamen suæ solet habere mercedem. Etsi proximi defuerint, invenit tamen extraneos qui matrem colant, revereantur parentem, parvisque alimentorum sumtibus mercedem cupiant suæ commendationis adquirere; plus enim viduæ [a] rependunt merita. Nam cibos quærit, sumtus impendit.

35. Sed tristes videtur ducere dies, & lacrymis tempus exigere. Hoc beatior, quod perpetua sibi gaudia exiguis fletibus emit, parvisque momentis tempora adquirit æterna. Quibus bene *Luc. 6. 21.* dicitur: Beatæ tristes, ipsæ enim ridebitis. Quis igitur falsas præsentium imagines gaudiorum futuræ securitatis præferat voluptati? An despicabilis nobis auctor videtur, ille Dominici cor- *Psal. 101. 10.* poris auctor electus, qui cinerem sicut panem manducabat, & potum cum fletu miscebat, & vespertinis lacrymis matutinæ sibi lætitiam redemtionis adquirebat. Unde igitur plurimum gaudere meruit, nisi quia plurimum flevit, & tamquam lacrymarum pretio suarum futuræ sibi gloriæ gratiam comparavit?

36. Habet igitur vidua bonam commendationis materiam, ut dum virum luget, fleat sæculum: ac in promtu sint lacrymæ redemtrices, dum impenduntur mortuis, viventibus profuturæ. [b] Paratus est mœstitudini animæ fletus oculorum: misericordiam conciliat, laborem minuit, dolorem ablevat, servat pudorem; nec jam misera sibi videtur, quæ consolationem in lacrymis habet, in quibus sunt caritatis stipendia & pietatis officia.

CAPUT VII.

Fortitudinem viduis non deesse in Judith ostenditur: cujus veste ac jejuniis commemoratis, describitur ejusdem in Holophernem præparatio. Quanta fuerit ejus castitas, atque in commentanda pia fraude sapientia: quanta etiam temperantia, & sobrietas. Ad extremum demonstrato non majorem in ipsa fortitudinis quam prudentiæ laudem emicare, summa ejus in tanto successu modestia declaratur.

37. Sed nec fortitudo bonæ viduæ deesse consuevit. Hæc enim vera est fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem mentis devotione transgreditur: qualis in illa fuit, cui nomen Judith, quæ viros obsidione fractos, perculsos metu, tabidos fame, sola potuit à colluvione revocare, ab hoste defendere. *Judith. 8. 6. & seq.* Ea enim, ut legimus, cùm Holofernes successu multorum terribilis præliorum, intra muros innumera virorum millia coegisset, armatis paventibus, & de extrema jam sorte tractantibus, extra murum processit: & illo præstantior exercitu, quem liberavit; & eo fortior, quem fugavit.

38. Sed ut discas maturæ viduitatis affectum, seriem ipsam persequere Scripturarum. A diebus enim viri sui quibus ille defunctus est, vestem jucunditatis deposuit, mœroris adsumsit: per omnes dies intenta jejunio, [c] sabbato tantum, & dominica sacratarumque temporibus feriarum, non refectioni indulgens, sed religioni deferens. Hoc est enim sive manducatis, sive bibitis, in *1 Cor. 10. 31.* nomine Jesu Christi agenda esse omnia; ut etiam ipsa refectio corporalis sacræ religionis cultui deferatur. Diuturnis igitur mœroribus, & quotidianis roborata jejuniis sancta Judith, *Judith. 10. 3. & seq.* quæ sæculi oblectamenta non quærit, periculi negligens, mortisque contemtu fortior; [d] ut commenta strueret doli, vestem illam jucunditatis, qua, vivente viro, vestiri solebat, se induit: quasi placitura viro, si patriam liberaret. Sed virum alium videbat, cui placere quærebat; illum utique, de quo dictum est: *Post me venit vir, qui ante me factus est.* *Johan. 1. 30.* Et bene conjugales pugnatura resumsit ornatus; quia monimenta conjugii arma sunt castitatis: neque enim vidua aliàs aut placere posset, aut vincere.

39. Quid cetera persequamur, quod inter millia hostium casta permansit? Quid ejus sapientiam prædicemus, quod hujuscemodi [e] est commentata consilium? Potentem elegit, ut intemperantiam à se inferioris arceret, occasionem pararet victoriæ. Abstinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reservavit. Nec cibo enim, ut legimus, maculata, nec adulterio, non minorem servatæ castitatis ex hostibus revexit triumphum, quam patriæ liberatæ. *Judith. 13. 1. & seq.*

40. Quid sobrietatem loquar? Temperantia enim virtus est feminarum. Inebriatis vino viris, & somno sepultis abstulit vidua gladium, [f] exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. *Ibidem 13. 4. & seq.* Advertitis igitur quantum nocere mulieribus possit ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur à feminis? Esto igitur vidua temperans: casta primum à vino; ut possis casta esse ab adulterio. Nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Judith bibisset, dormisset cum adultero. Sed quia non bibit, haud difficile ebrios exercitus unius sobrietas & vincere potuit, & eludere.

41. Nec dexteræ tantùm hoc opus, sed multo majora trophæa sapientiæ. Nam cùm manu

a. Omnes edit. cum mſ. Tell. *rependunt merita, quàm cibus quærit:* alii mſſ. ut in contextu.

b. Edit. ac mſſ. Tell. *Paratus est*, Rom. delevit *est*, *mœstudine animi:* magis scite reliqui mſſ. ut nos supra.

c. Rom. edit. sola confoderat, *& dominica*, sed cùm in omnibus aliis edit. ac mſſ. habeatur, dominicam hic idem esse atque in Scripturæ tam multis locis *Domini solemnitatem* quid vetat?

d. Vet. edit. *ut commento strueret dolum*: Gill. Rom. & mſ. Tell. *ut commentitium strueret dolum:* reliqui nostram exhibent lectionem.

e. Ita mſſ. prope ad unum: edit. autem, *commenta consilium, ut dum potentem elicit intemperantia, à se inferiores arceret, occasionem pararet victoria, abstinentia .... reservaret .... non minus,* Amerb. *non minorem, servata .... revexit trophæum.* Tell. vero partim aliis mſſ. partim edit. accedit.

f. Edit. ultimæ Parif. cum Tell. cod. *exteruit manum.* Et infra ubi omnes edit. ac mſſ. nonnulli, *ebrios exercitatos.*

a 65. Simul qualis esse debeat[a] qui Christo ministrat, ostenditur; oportet enim primo carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut corpus & sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger, minimeque sanus, immortalium sanitatum remedia ministrare. Vide quid agas, sacerdos, nec febrienti manu corpus Christi adtingas. Prius curare, ut
Luc. 17. 14. ministrare possis. Si mundos eos qui antè fuerant leprosi, Christus jubet occurrere sacerdotibus, quanto magis mundum ipsum convenit esse sacerdotem? Non habet igitur quod moleste ferat illa vidua quod sibi non pepercerim, quando nec mihi parco.

Luc. 4. 39. 66. Surrexit itaque Petri, inquit, socrus, & ministrabat illis. Et bene surrexit; sacramenti enim typum apostolica jam gratia ministrabat. Proprium est autem surgere Christi ministros,
Ephes. 5. 14. juxta quod scriptum est: *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis.*

CAPUT XI.

Caussis quæ pro nuptiarum iteratione afferri solent, explosis, profitetur à se non damnari secunda conjugia; quorum licet ex Apostolo incommoda percurrat, conditionem tamen affirmat approbatam in Ecclesia: quo loco hæreticos qui ea prohibebant, castigat. Cùm autem diversæ diversorum sint vires, hinc factum scribit, ut non imperaretur castitas, sed suaderetur.

b 67. Dicimus[b] igitur nec sumtibus egere viduas; quæ donare consueverint: nec subsidio, à quibus sæpe in periculis maximis defensæ copiæ sunt virorum: maritalia iis quoque officia vel à generis, vel à proximis facile solere reparari: esse etiam in eas divinam misericordiam promtiorem; & ideo cùm suppetere non videatur caussa nubendi, studium abesse debere.

68. Quod tamen pro consilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potius viduam, quàm ligantes; neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus. Alia est enim infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis. Plus dico; non prohibemus secundas
c nuptias, sed non probamus sæpe repetitas; [c] ne-
1. Cor. 6. 12. que enim expedit quidquid licet: *Omnia mihi licent*, dicit Apostolus, *sed non omnia sunt utilia.* Et vinum bibere licet, sed plurimum non decet.

69. Licet ergo nubere, sed pulcrius est abstinere; sunt enim vincula nuptiarum. Vultis sci-
Rom. 7. 2. re quæ vincula? *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir,*
A *soluta est à lege viri.* Probatum est igitur vinculum esse conjugium, quo mulier ligatur & solvitur. [d] Bona mutui amoris gratia, sed major est servitus. *Neque enim mulier sui corporis potestatem habet, sed vir.* Et ne forte tibi non conjugii videatur ista servitus esse, sed sexus: *Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quanta igitur conjugii necessitas, quæ subjicit alteri etiam fortiorem? Mutuis enim necessitatibus ab utroque servitur. Nec temperan-
B ti licet jugo subducere caput, cùm alterius intemperantiæ serviendum sit. *Pretio,* inquit, *emti estis, nolite fieri servi hominum.* Videtis quam evidens sit conjugalis definitio servitutis. Non ego hoc dico, sed Apostolus: nec ille, sed Christus qui loquebatur in eo. Et hanc utique servitutem de bonis conjugibus definivit. Namque supra sic habes: *Sanctificatus est vir infidelis per uxorem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per maritum fidelem.* Et infra: *Quod si infi-*
C *delis discedit, discedat. Non est servituti deditus frater aut soror in talibus.* Si igitur bonum conjugium servitus est, [e] malum conjugium quid est; quando nequeunt se invicem sanctificare, sed perdere?

d 1. Cor. 8. 4. — Ibidem 23. — Ibidem 14. — Ibidem 15. — e

70. Sed ut ad gratiam virtutis viduas adhortamur, ita etiam ad Ecclesiasticam disciplinam feminas provocamus; quia Ecclesia constat ex omnibus. Licet Christi grex, tamen in aliis pabulo vescitur, in aliis adhuc lacte nutritur; qui-
D bus lupi illi qui latent in vestitu ovium, sunt cavendi, abstinentiæ speciem prætendentes, provocantes autem intemperantiæ fœditatem. Etenim quia sciunt valida onera castitatis, cùm ipsi ea adtingere digitulis non queant, ab aliis supra modum exigunt, cùm ipsi servare nec modum possint, * sed injusto sub fasce succumbant. Mensura enim oneris pro mensura debet esse gestantis, alioquin impositi oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas est; nam & infan-
E tium fauces strangulat esca robustior.

71. Et ideo sicut multitudo vectorum non paucorum viribus æstimatur; nec tamen fortioribus de aliorum infirmitate præscribitur, sed unicuique quantum oneris subire cupiat, relaxatur, manente mercedis cumulo in virtutis augmento: ita etiam feminis non laqueus injiciendus, non supra vires abstinentiæ gravioris vectura subeunda est: sed relinquendum ut unaquæque se pendat, non auctoritate aliquâ coacta
F præcepti, sed incremento gratiæ provocata. Et ideo diversis virtutibus merces diversa proposita est. Nec aliud reprehenditur, ut aliud prædicetur: sed omnia prædicantur, ut quæ meliora sunt, præferantur.

a. Omnes edit. cum Tell. Cod. *qua Christo ministrat, ostenditur. Oportet eam* &c. Alii omnes mss. *qui Christo .... oportet enim* &c. Optime illud quidem; etenim sermonem suum episcopis vir sanctus accommodat, ut aperte declarant sequentia. Nec enim in Ecclesia id umquam concessum reperitur, ut Christi corpus feminæ administrarent; cùm è contrario legatur prohibitum non modo in Constitutionibus apostolicis lib 3. c. 15. & seq. nec non lib. 8. cap. 28. verum etiam apud Epiphanium Hæresi 79. atque in fine Panarii: in quibus locis diaconissarum ministerium fere in exuendis induendisve in baptisterio feminis totum collocatur.

b. Edit. ac ms. Tell. *Didicimus igitur*: ceteri, *Dicimus igitur.*

c. Sic omnes mss præter Tell. qui & cum eo cunctæ edit. præferunt, *Neque enim quidquid licet, & decet.* Quod autem ait Ambrosius nuptias sæpe repetitas à se non probari, mollius quidem loquitur quam multi alii Patres, qui ut in lib. 1. *de Abraham*, cap 4. observatum est, easdem fornicationis loco tantum non habent: attamen ipsas abs se non damnari tamquam illicitas, abunde ex hujus loci lectione arguitur.

d. Mss. aliquot, *Bona vis amoris gratia*: nonnulli etiam, *Bonam vis habere gratiam*: melius alii & edit. *Bona mutui* &c.

e. Plerique mss. *malum quid est; quando nequeunt se invicem sanctificare? Sed ad Ecclesiæ disciplinam* &c. Continuo vero post, ubi edit. omnes, *Et licet Christi grex constet ex omnibus; grex tamen in aliis* &c. omnes mss. exhibent eam lectionem, quæ à nobis in textum recepta est.

*. Injusto, id est, nimio & viribus majore: quæ locutio petita est è Virgiliano illo ex 3. Georg.

Injusto sub fasce viam dum carpit &c.

CAPUT XII.

Nonnulla traduntur præcepti atque consilii discrimina; quæ ut adhuc innotescant manifestius, divitis adolescentis, cujus Evangelium meminit, historia: nec non præmiorum consiliis præceptisque propositorum diversitas enarratur?

72. HOnorabile itaque conjugium, sed honorabilior integritas; nam *& qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* (1. Cor. 7. 38.) Quod igitur bonum est, non vitandum est: quod est melius, eligendum est. Itaque non imponitur, [a] sed præponitur. Et ideo bene Apostolus dixit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* (a Ibidem 25.) Etenim præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Ubi præceptum est, ibi lex est: ubi consilium, ibi gratia est. Præceptum, ut ad naturam revocet: consilium, ut ad gratiam provocet. Et ideo Lex Judæis lata est, gratia autem electioribus reservata est: Lex, ut à naturæ finibus culpæ studio demeantes, ad naturæ observantiam pœnæ terrore revocaret: gratia autem, ut electos cum studio bonorum, tum propositis etiam præmiis provocaret.

73. [b] En tibi distantia præcepti atque consilii, si illum recorderis, cui in Evangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat; (b Matth. 19. 18. & seq.) præceptum etenim ibi est, ubi est pœna peccati. At vero cùm se præcepta Legis memorasset implesse, consilium eidem datur, ut vendat omnia, & sequatur Dominum; hæc enim non præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namque forma mandati est: una præceptiva, altera voluntaria. Unde & Dominus in alia dicit: *Non occides*, ubi præcepit; in alia: *Si vis perfectus esse, vende omnia tua.* Ergo hic liber est à præcepto, cui defertur arbitrium.

74. Itaque qui præceptum impleverint, possunt dicere: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* (Luc. 17. 10.) Hoc virgo non dicit, non dicit ille qui bona sua vendidit: sed quasi reposita exspectat præmia, sicut sanctus Apostolus qui ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo nobis erit?* (Matth. 19. 27.) Non quasi inutilis servus, quod debuit facere, ea fecisse se dixit: sed quasi utilis domino, qui commissa sibi talenta quæsitis multiplicavit usuris, mercedem fidei atque virtutis bene sibi conscius, meritorumque securus exspectat. Et ideo ei cum ceteris dicitur: *Vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & ipsi supra duodecim sedes, judicantes tribus Israel.* (Ibidem 28.) At vero illi qui talenta servaverat, etsi præmia, minora tamen pollicetur dicens: *Quoniam super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* (Ibidem 25. 21.) Fides igitur ex debito, misericordia in præmio. Qui bene credidit, ut ei credatur, emeruit: qui bene contulit, quoniam suum non quæsivit, quod cæleste est, impetravit.

CAPUT XIII.

Allato Evangelii loco de spadonibus, eos qui vel natura vel hominum violentia tales facti sunt, non magnopere ob id laudandos: qui vero proprias manus in se converterint, damnandos ait; hanc actionem ostendens neque utilem esse, cùm mentis concupiscentiam minime auferat: neque honestam, cùm certamini locum non relinquat. Solos igitur prædicandos illos qui per continentiam se ipsi vicerint: sed cogendum ad hoc neminem esse, quando nec Apostolus, nec Christus ipse præcepto constrinxerit eam virtutem; unde intelligas non improbari matrimonii vota, sed castitatis anteferri.

75. IDeo ergo præceptum non datur, consilium datur; præceptum enim castitatis est, consilium integritatis: *Sed non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim spadones qui de matris utero sic nati sunt;* (Ibidem 19. 11. & 12.) in quibus naturæ necessitas, non virtus est castitatis hominibus. *Et sunt spadones qui se ipsos castraverunt;* voluntate utique, non necessitate. *Et sunt spadones qui facti sunt ab hominibus.* Et ideo magna in iis [c] continentiæ gratia; quia VOLUNTAS FACIT, non infirmitas continentem. Nam decet integrum divini operis servare munus. Nec illis forte parum sit lubrico corporis non teneri; nam si erepta est subeundi istius palma certaminis, erepta etiam materia periculi: & quamvis non queunt coronari, non queunt tamen vinci. Habent alia genera virtutum, quibus commendare se debeant, si fides firma sit, proflua misericordia, aliena avaritia, frequens gratia. Sed in istis nulla culpa; quia facti ignorantia.

76. Non eadem causa eorum, qui in se ipsos ferro utuntur, quo non imprudenter deflexi mus; sunt enim qui virtutis loco ponant, * ferro culpam compescere. De quibus etsi nostram nolumus proferre sententiam, quamvis sint sta-

a Mss. non pauci, *sed proponitur*. Iidem etiam infra, *ubi consilium, gratiam provocat. Et ideo* &c. Alii vero & omnes edit. nobiscum faciunt.

b. Ita mss nullo excepto: contra vero omnes edit. *Et ut intelligas distantiam consilii atque præcepti, illum recorderis.*

c. Mss. plerique, *continentia gratia, quia divini operis* &c. Sed manifesta lacuna est, cujusmodi multæ in hujus opellæ scriptis cod antiquariorum oscitantiâ relictæ sunt.

*. Imitatio Virgiliana ex eodem lib 3. Georg. *Continuo culpam ferro compesce* &c. Testatur autem hoc loco sanctus Doctor fuisse memoria sua, qui corporis motibus inhonestis non tantum oratione, jejuniis, vigiliis, verum etiam vi atque armata manu occurrendum existimarent. Epiphanius Her. 58. memorat frequenter auditu se accepisse Valesianos violentam hanc amputationem non in se tantum, sed & in peregrinos adhibere consuevisse. Verumtamen cùm ejusdem testimonio, illi se ab Ecclesia segregaverint, nec appareat multum propagatam fuisse istam hæresim, verisimilius est quosdam è Catholicis indicari ab Ambrosio; cumque hac ipsa de causa cum illis agere benignius; nisi quis malit id Origenis cujus scripta plurimi faciebat, honori datum. Ceterum non obscurum est crassam hanc evangelici loci, quo illi in errorem inducti fuere, interpretationem ab ipso non minus condemnatam esse quam ab aliis Patribus, puta Basil. lib. *de Virgin.* Chrysost. in cap. 19. sancti Matthæi, & Hieron. epist. 65. Quænam autem majorum statuta hic citentur, haud satis constat. Habemus enim hac de re inter canones apostolicos, 21. 22. 23. & 24. quos Nicæni Conc. canone renovatos affirmat eruditissimus Thaumassinus Discipl. Eccl. part. 1 lib. 2. c. 8 Neque obstat quod hos canones apostolicorum temporum non esse probent nonnulli: cùm eos & Originis exsectione posteriores, & Nic. Synodo anteriores dici nihil vetet. De hoc porro ejusdem Origenis facinore præter Eusebium lib. 6. cap 8 Epiphanium Hær 64. num 3 Theodoretum lib. 2. cap. 14. vide etiam Petri Halloix lib. 4. Origen. defensionis. Huetii lib. 1. Origen. cap. 1. num 13.

tuta

tuta majorum; considerent tamen, [a] ne quis id A ad professionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam. Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur: nec pedis utatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum. Sed quid prodest carnem abscindere, cùm etiam
Matth. 5. 28. culpa sit in ipso adspectu? *Nam & qui viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est* B *eam in corde suo.* Et quæ similiter virum in concupiscentiam viderit, adulteratur. Castos ergo, non infirmos esse nos convenit: pudicos oculos habere, non debiles.

77. Nemo igitur, ut plerique arbitrantur, se debet abscindere, sed magis vincere; victores enim recipit Ecclesia, non victos. Et quid argumentis utar, cùm præsto sit Apostolici forma præscripti? Sic enim habes: [b] *Utinam & abscin-* C
Gal. 5. 12. *dantur qui volunt vos circumcidi!* Cur enim coronæ occasio, & virtutis usus eripitur homini, qui natus ad laudem est, ad victoriam præparatus, qui potius virtute animæ castrare se pos-
Matth. 19. 12. sit? *Sunt enim spadones qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum.*

78. Sed & hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. Etenim qui mandata dat, decretorum semper tenere debet mensuram: & qui pensa distribuit, æquitatem debet D
Prov. 11. 1. examinis reservare: *Statera enim fallax, abominatio est apud Deum.* Est ergo minus pondus & majus: sed utrumque non recipit Ecclesia;
Ibidem 20. 10. *Pondus enim majus & minimum, & mensura duplices, immunda in conspectu Domini utraque.* Sunt pensa quæ dividit sapientia, & ita dividit ut virtutem, viresque æstimet singulorum. Et ideo di-
Matth. 19. 12. cit: *Qui potest capere, capiat.*

79. Scit enim creator omnium affectus esse varios singulorum, & ideo præmiis virtutem E provocavit, non infirmitatem vinculis alligavit.
Rom. 7. 23. & seq. Scit & ille gentium Doctor, bonus morum auriga nostrorum, & quidam interiorum rector affectuum, qui de se ipso didicerat legi mentis legem corporis repugnare, eamdem tamen Christi gratiæ cedere: scit, inquam, varios incursus mentium repugnare, & ideo neque in tantum adhortationem integritatis intendit, ut aboleret gratiam nuptiarum: neque ita conjugium prætulit, ut studia integritatis extingue- F ret. Sed à continentiæ persuasione incipiens, ad incontinentiæ remedia descendit: & cùm bravium supernæ vocationis fortioribus demonstrasset; deficere tamen in via neminem passus est: ita plaudens prioribus, ut non despiceret & sequentes; didicerat enim & ipse, quia
Joan. 6. 5. & seq. Matth. 26. 26. dominus Jesus aliis panem hordeaceum, ne in via deficerent, aliis corpus suum, ut ad regnum contenderent, ministravit.

80. Nec Dominus ipse præceptum imposuit, A sed voluntatem invitavit: nec Apostolus præ- 1 Cor. 7. 25.
ceptum statuit, sed consilium dedit. Sed non hoc humanum consilium humanarum virium habere mensuram: divinæ munus misericordiæ confitetur in se esse collatum; ut fideliter sciret prima præferre, secunda disponere. Et ideo *Existimo*, inquit, non statuo, *sed existimo bonum* Ibidem 26.
esse propter instantem necessitatem.

81. Non ergo copula nuptialis quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda. Lex enim adstrinxit uxorem, ut in laboribus & Gen. 3. 16.
in tristitia filios generet, & conversio ejus ad virum sit, quod ei ipse dominetur. Ergo laboribus & doloribus in generatione filiorum addicitur nupta, non vidua: & dominatui viri sola subditur copulata, non virgo. Omnium autem horum virgo libera est, quæ Verbo Dei suum spopondit affectum, quæ Sponsum benedictionis Matth. 25. 4.
cum facibus exspectat, bonæ lumine voluntatis accenso. Et ideo provocatur consiliis, non vinculis illigatur.

CAPUT XIV.

Etsi vidua non acceperit præceptum, consilium tamen tam frequens tamque utile illam accepisse, ut contemnendum non videatur. Nolle se cuiquam laqueum injicere, cùm Ecclesiæ ager ipso quoque ditetur conjugio: sed viduitatem quæ laudatur ab Apostolo, bonam negari nequaquam posse; unde non perfunctorie in eos agit, quorum legibus illam noverat esse proscriptam.

82. SEd nec vidua præceptum accipit, sed consilium: consilium autem non semel datum, sed sæpe repetitum. Nam & primò dixit: *Bonum* 1 Cor. 7. 1.
est enim mulierem non tangere; & iterum: *Volo sic* Ibidem 7.
omnes homines esse sicut & meipsum; & tertio:
Bonum est illis, si sic maneant sicut & ego; & Ibidem 8.
quarto: *Bonum est propter instantem necessita-* Ibidem 26.
tem: & hoc placere Domino, & hoc honestum esse: postremò beatiorem esse in viduitate [b] perseverantiam, non tantum suo consilio, sed etiam Dei Spiritu definivit. Quæ tam igitur talis consiliarii benignitatem recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id suadeat aliis quod in se expertus utile judicavit, non facilis comprehendi, nec fastidiosus æquari? Quæ igitur refugiat sancta fieri corpore & spiritu, cùm supra laborem sit præmium, supra usum gratia, supra opus merces?

83. Atque hoc ita dico, non ut laqueum ceteris injiciam, sed ut commissi mihi ruris operarius agrum hunc Ecclesiæ fertilem cernam, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem. Nam etsi diversi, unius tamen agri fructus sunt: nec tanta hortorum lilia, quantæ aristæ segetum, [c] messium spicæ, compluriumque spatia camporum recipiendis

a. Mss. magno numero, *ne quid sit ad professionem infirmitatis. Ergo nemo &c.*

b. Citatur Apostoli sensus, non verba. Sunt autem ea in græco hujusmodi, ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς, id est, *utinam abscindantur qui vos perturbant*, ut habet Vulg. edit. sive ut fert verbi proprietas, *qui vos ad res novas sollicitant.* Porro Ambrosiana ratiocinatio ea est: Apostolus satis demonstrat voluntariam genitalium amputationem magnum esse malum, quando eam pœnæ loco imprecatus est illis, qui circumcisionis necessitatem fidelibus imponere moliebantur. De virilium enim detruncatione Apostolicam illam imprecationem vulgo interpretantur veteres, ut Hieronymus, Chrysostomus, atque alii. Qui vero cum recentioribus eumdem locum de separatione ab Ecclesia maluerint intelligere, ipsi Ambrosio oportet adtribuere hujusmodi sensum: Si eos qui tantum pelliculam circumcidere imperabant, Apostolus optat ab Ecclesia separari; quanto magis eos qui hominem penitus evirare adtentarent.

b. Edit. omnes cum Tell. ms. *perseverantem*: reliqui, *perseverantiam.* Infra vero ubi Gill. ac Rom. edit. cum mss. *non facilis comprehendi, nec fastidiosus æquari*; Amerb. atque Eras. ediderant, *non facile comprehendi, nec fastidiosis æquari.*

c. *Messium spicæ*, reperitur in solis edit. & codice Tell.

aptantur seminibus, quam redditis novales fructibus feriantur.

84. Bona ergo viduitas, quæ toties Apostolico judicio prædicatur; hæc enim magistra fidei, magistra est castitatis. Unde & illi qui deorum suorum adulteria & probra venerantur, * cœlibatus & viduitatis statuere pœnas; ut æmuli criminum multarent studia virtutum: specie quidem qua fœcunditatem quærerent, sed studio quo propositum castitatis abolerent. Nam confectis & miles stipendiis arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur; ut & ipse exercitæ laboribus vitæ requiem consequatur, & alios spe futuræ quietis subeundis faciat operibus promtiores. Agricola quoque maturior [a] torquendam aliis stivam committit, & juvenili gravatus opera, providentiam curæ senilis explorat: vitem facilis tondere quam premere, ut juvenescentem luxuriam reprimat, & adolescentem lasciviam falce succidat, parcorum quamdam partuum castitatem docens etiam in vitibus expetendam.

85. Similis huic vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, etsi conjugii arma deponat; domus tamen totius pacem gubernat: etsi vehendis oneribus otiosa, maritandis tamen junioribus provida: ubi cultus utilior, ubi fructus uberior sit, quarum copula aptior, senili gravitate disponit. Itaque si maturioribus potius quam junioribus committitur ager, cur putes utiliorem nuptam esse quàm viduam? Quod si persecutores fidei persecutores fuerunt etiam viduitatis: utique fidem sequentibus viduitas non pro suplicio fugienda est, sed tenenda pro præmio.

CAPUT XV.

Earum quæ liberorum obtendunt desiderium, tollit excusationem: sed præcipue moratur circa illas, quæ ex priori conjugio filios habent; gravem enim earum servitutem, futuras inter liberos inimicitias, raram denique inter conjuges ipsos concordiam pulcre describit: postremo ne qua Scripturæ exemplis hac in re abutatur, cavet.

86. Sed fortasse aliquibus propter suscipiendos liberos conjugia iteranda videantur. Quod si filiorum studium causa nubendi est, utique ubi est fructus filiorum, causa non suppetit. Quamquam cujusce consilii sit iterum experiri velle frustra tentatam fœcunditatem, aut subire quam pertuleris, orbitatem? Hæc enim iterandi causa est filios non habentibus.

87. Ergo illa quæ liberos suscepit & perdidit (cum ipsa enim major contentio, quæ spem generandi habet) illa, inquam, nonne sibi videtur inter ipsa repetitarum fœdera nuptiarum amis-

A sorum prætexere funera filiorum? Nonne iterum passura quod repetit, & ad ipsos [b] votorum tumulos, exceptarum orbitatum imagines, lamentorum strepitus perhorrescit? Vel cùm accensis funalibus nox ducitur, nonne pompæ funebris exsequias magis putat, quam thalamum præparari? Cur igitur, filia, dolores magis quos times, repetis; quam filios quos jam non speras, requiris? Si gravis est dolor, subterfugienda causa ejus est, non petenda.

B 88. Nam tibi quid consilii tribuam, quæ liberos habes? Quæ tibi causa nubendi? Forte levitatis error, & intemperantiæ usus, & saucii cogit pectoris conscientia. Sed consilium sobriis, non ebriis datur; & ideo apud liberam conscientiam mihi sermo est, cui utrumque integrum est. Habeat saucia remedium, honesta consilium. Tu, inquam, filia, quid moliris? Cur heredes quæris extraneos, cùm habeas tuos? Non filios desideras, quos habes: sed servitu-
C tem, quam non habes. Hæc est enim vera servitus, in qua infractior amor, quem non deflorata pignus virginitatis, & plena sancti pudoris & gratiæ ætas prima commendat: ubi offensa gravior, suspectior insolentia, concordia infrequentior, quam non temporibus inolitus amor, non vigens annis forma conciliat. Molesta pietas, [c] ut amare liberos metuas, adspicere liberos erubescas; atque inde oriatur causa discordiæ, unde solet mutuus amor mulcere affectus paren-
D tum. Generare liberos vis non fratres futuros tuorum, sed adversarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare quos habes liberos: quibus pariter auferuntur & pietatis officia, & compendia facultatum?

89. Lex divina cælesti inter se conjuges auctoritate constrinxit, & difficile manet mutuus amor. Tulit enim costam de viro, & formavit feminam; ut sibi eos invicem copularet, dicens: *Et erunt duo in carne una*. Non hoc de secundis, *Gen. 2. 24.*
E sed primis nuptiis dixit; neque enim Eva secundum accepit virum, neque sancta Ecclesia secundum agnovit virum: *Sacramentum enim illud magnum est, in Christo & in Ecclesia*; & ideo cus- *Ephes. 5. 32.*
todiendum est. Sed neque Isaac aliam præter *Gen. 24. 67.*
Rebeccam scivit uxorem, [d] neque Abraham *Gen. 25. 10.*
patrem cum alia nisi Sara sepelivit uxore. *Gen. 29. 18. & seq.*

90. Nam in sancta Rachel magis figura mysterii fuit, quam ordo conjugii. Et tamen in ea
F quoque habemus, quod ad primi conjugii gratiam referre possimus; si quam primò sponsam habuit, plus amavit, nec fraus exclusit affectum, nec sponsæ amorem conjugii interventus abolevit. Itaque sanctus patriarcha nos docuit, quantum deferre primis nuptiis debeamus, cùm tantum primis sponsalibus ipse detulerit. Cavete igitur, filiæ, ne & gratiam nuptiarum tenere nequeatis, & molestias augeatis.

*. Intelligit legem Juliam atque Papiam de quibus vide quid à nobis observatum est ad lib. 3. in Lucam, num. 18.

a. Mss. complures, *torquenda aliis æstiva committit .... vitem facilius est tondere* &c. Perperam.

b. Tell. cod. & quædam edit. Paris. *votorum tumultus*. Male. Infra autem ubi edit. eædem Paris. *accensis funeralibus*, & mss. aliquot, *funabulis*; aptius reliqui mss. & edit. *funalibus*, id est, facibus confectis è funibus pice illitis, quibus in funeribus uti olim moris erat.

c. Plerique mss. *ut amare liberos erubescat .... unde solet mutuos mulcere* &c. Minus commode.

d. Eras. ac Gill. in textu, & cum illis Rom. edit. *neque Abraham pater aliam, nisi cum Saram*, Rom. *nisi Saram, sepelivit uxorem*. In marg. vero, sicut & Amerb. in textu cum mss. omnibus nostram exhibent lectionem. Quod autem pro, *in sancta Rachel .... in ea quoque* &c. edit. Rom. posuit, *in sancto Jacob .... in eo quoque* &c. hoc perinde cum aliis edit. atque cum mss. omnibus pugnat. Sed tamen ellipsi dictionis, *Jacob* quæ ante verbum *amavit* subintelligitur, sensuum paulo obscuriorem fieri non diffitemur.

IN LIBRUM DE VIRGINITATE
ADMONITIO.

HUnc tractatum à libro tertio de Virginibus, *quicum hactenus cum editiones omnes conjunxerant, separavimus; iis, ut opinamur, adducti momentis, quæ non magis distinctionis hujus necessitatem palam faciant, quàm tam apertæ ac simul tamdiu non deprehensæ confusionis incutiant admirationem. Enim vero in cunctis omnino manuscriptis idem ille tertius liber* de Virginibus, *his ipsis quibus eum terminavimus, verbis finitur: nec non distincta commentatio non solum ubique incipit in eum modum,* Nobile apud veteres *&c; verum etiam ipsa in plerisque ex iisdem illis codicibus proximam post librum* de Viduis *sedem obtinet. Deinde ipsemet Ambrosius memorato libro* de Virginibus *finem post quam de sancta Pelagia, ejusque matre ac sororibus egisset, abs se imponendum satis indicaverat, ibi loquutus in illa verba:* [a] Jam ad finem orationis vela pandenti *&c: quod profecto numquam dixisset, si disputationem aliam ea parte quæ jam eodem libro pertractata fuerat, multo longiorem subtexere constituisset. Ad hæc minime obscura est cum in argumento, tum in dicendi ratione discrepantia; neque enim toto hoc opere Marcellinam sororem usquam alloquitur, sed ubique ferme virgines, interdum tamen etiam viduas, universim compellat. Postremo locus quidam è libro* de Viduis, *quem constat libris* de Virginibus *posteriorem esse, aperte indicatur* [b] *in hac opella: quod cùm non fugerit Romanos editores, mirum sane est quemadmodum absurdam illam diversorum operum compactionem non adverterint. Ut vero eadem fiat clarior, paulo adtentius singulas hujus operis partes discutiamus.*

Exorsus à celeberrimo illo Salomonis judicio vir sanctus [c] *mysticam ejus intelligentiam declarat. Attamen ut fateamur quod res est, primæ huic parti cum reliqua lucubrationis serie non multum intercedit cognationis. Postea Jephthe sacrificio, quod sibi neutiquam probari profitetur, eleganter descripto,* [d] *subdit mirari* [e] *se quod virginis neci qui se opponeret, inventus non sit: sibi vero quod virginis nuptias illicitas prohibuerit, nemo non obtrectet. Hinc tam suam, quàm virginalis instituti defensionem aggressus,* [f] *factum quidem suum potissimum tuetur exemplo Præcursoris: virgineam vero conditionem inde adtollit,* [g] *quod Christus virgines quibus redivivus primum appareret, elegerit. Deinde perstrictis quam modestissime criminatoribus suis,* [h] *rem ipsam intensius urget, demonstrans* [i] *nihil se quod improbum, aut novum, aut inutile esset, persuasisse. Mox ad objectas difficultates pulchre* [k] *respondet: sed eam præ ceteris qua* [l] *negabatur virginum tenerioris ætatis admittenda consecratio, summa diluens eum prudentia, tandem pronuntiat solos annos obstare neutiquam debere; cùm & pueri* [m] *pro Christo sanguinem constanter effuderint, & Christus ipse accessum ad se voluerit patere infantibus, ac tandem in ipsis Ecclesiæ incunabulis eumdem turba, hoc est, cujuslibet sexus atque ætatis multitudo, sequuta fuerint. Inde veluti è re nata quando & ubi Christus inquiri debeat* [n] *à virginibus, expositione quorumdam è Canticis versiculorum aperit; & postquam ad eam viduam quam abs se* [o] *in alio libro,* de Viduis *nimirum, perstrictam dicit, reconciliationis causa vertit sermonem, ignavos doctores* [p] *ac plus æquo remissos vitandos monet. Eamdem prosequutus* [q] *Canticorum expositionem, docet quid animam, ut Christum quærat,* [r] *& ipsa quæratur à Christo; nec non ut eumdem intus excipiat, retineatque, præstare oporteat. Virtutibus autem quæ expetendæ, ac simul vitiis, quæ fugienda illic indicantur, scite admodum patefactis,* [s] *coercendorum quatuor animæ motuum quos ab Ezechiele volantis currus specie adumbratos Plato est imitatus, rationem tradit. Spondet animam hac via certo perventuram ad Christum, qui cùm in Evangelio* [t] *eadem die quæ sacra erat principibus apostolorum, publice recitato adscendisse in scapham Petri, illumque ad laxanda retia impulisse lectus fuisset; eamobrem quid sit in altum ducere, quidve apostolos laborare, perspicuum facit. Denique prosperam sibi piscationem ex præsentia Bononiensis episcopi fore auguratus* [u]*, atque virgines sicut & viduas ut se apostolicis retibus includant, cohortatus;* [x] *Petri ac Pauli quibus etiam Johannem addit, commendatione opus coronat.*

Quæ dicta sunt hactenus, ea liquido demonstrant hanc lucubrationem libro de Viduis *postponi, atque à libris* de Virginibus, *avelli oportuisse. At vero quem ei titulum inscribere debeamus, in promtu non est. Videtur sane detractum ex autographo exemplari folium cum præposteræ illi conjunctioni causam præbuisse, tum scriptoribus antiquariis licentiam, ut pro sua quisque libidine inscriptionem ei præfigerent. Hinc ii quibus eumdem tractatum proxime post tres libros* de Virginibus *libuit collocare, illum libri quarti* de Virginibus: *quibus vero hunc ipsum rejicere post librum* de Viduis *potius fuit, libri secundi* de Viduis *titulo prænotarunt. Sed cùm librum unicum* de Viduis *Ambrosio tribuat Hieronymus* [y]*, neque de viduis nisi paucis aliquot locis strictim atque obiter hoc in Opere disseratur, non potest ei hæc imponi nomenclatio. Rursus vero eumdem inscribi non magis licet librum quartum de Virginibus; non solum enim Hieronymus* [z] *tres tantum libros sub hoc titulo ambrosianos agnoscit: sed etiam totidem abs se compositos ipsemet testatur* [aa] *Ambrosius. Qua in dubitatione nihil satius visum nobis est, quam ut ipsum* de Virginitate *inscriberemus, rati scilicet ita satis & eum ab aliis ejusdem materiæ distingui tractatibus, & argumenti rationem designari; nec etiam multum aberrari à manuscriptis, quippe cùm in eorum plerisque desinat in hæc verba:* Explicit sancti Ambrosii de Virginitate; *nam quod addunt iidem codices* liber quartus, *de suo addunt.*

Constat porro tam ex ipsa [bb] *eloquutionis forma, quàm è Scripturæ quæ lecta in Ecclesia palam fuerat, citationibus* [cc] *hunc librum pro concione pronuntiatum esse. Illum tamen una eademque actione absolutum minime putamus; cùm præter eum sermonem qui in natali Apostolorum* [dd]*, tertio nimirum Kal. Julias, habitus fuit, alius ut minimum non obscure notari possit. Nec minus etiam certum videtur opere* de Viduis *posteriorem hunc librum esse, ac proinde anno, ut veri simillimum est, 378. idque exacto mense Iunio, elucubratum.*

a. Lib. 3. de Virgin. c. 7. num. 32.
b. Lib. de Viduis cap. 8. num. 46.
c. Cap. 1. num. 1. & seq.
d. Cap. 2. num. 5. & seq.
e. Cap. 3. num. 10.
f. Num. 11.
g. Num. 14. 15. & seq.
h. Cap. 5. num. 24. & seq.
i. Cap. 6. & 7.
k. Cap. 7. num. 35. & seq.
l. Num. 39. & seq.
m. Cap. 8. num. 42. & seq.
n. Num. 45.
o. Num. 46.
p. Num. 47. & 50.
q. Num. 48. & seq.
r. Cap. 9. & seq.
s. Cap. 15. & seq.
t. Cap. 19. num. 121. & seq.
u. Cap. 20. num. 129.
x. Num. 130. & seq.
y. Epist. 50. Apol. adv. Iovinian.
z. Ead. Apolog. pag. 392. col. 2.
aa. Lib. de Viduis cap. 1. num. 1.
bb. Cap. 5. num. 24.
cc. Cap. 3. num. 14. & Cap. 19. num. 21.
dd. Cap. 19. num. 124.

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE VIRGINITATE


LIBER UNUS. *

* Script. circa ann. 378.

CAPUT I.

Ubi Salomonis judicium inter duas mulieres latum historico modo enarravit, addit hoc ipsum idcirco litteris mandatum esse, uti noscamus vel reconditissima in lucem promi. Deinde ad mysterium conversus, falsam matrem de tentatione, veram de fide, macharam de verbo Dei exponit. Denique ad historiam Jephthe lectorem parat.

3. Reg. 3. 16. & seq.

1\. OBILE apud veteres Salomonis illud fertur fuisse judicium, cùm à duabus litigantibus mulieribus interpellatus esset: quarum altera conversa per somnum, cùm infantem oppressisset suum, postulabat alienum: altera veri amoris conscia, & culpæ nescia, filium jure proprium vindicabat. Utraque igitur perseveranter nitente, cognitoris hæsit intentio; non enim poterat Salomon arbiter esse interioris arcani, [a] cùm petentis utriusque mens esset occultior. Eventu conventus ambiguo macharam promi jussit, mandatoque ministris quo simularent triste ministerium, dividi jussit infantem, ut singulæ mulieres singulas partes adipiscerentur: quo audito, illa quæ petebat alienum, non solùm adquievit; sed etiam divisionem parvuli depoposcit, nullo affectu [b] conventa materno. Illa vero quæ suum sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari: nec jam solatio proprio, sed pignori suo consulens, orare hoc cœpit ut incolumis magis puer traderetur alienæ, quam sectus in partes matri propriæ redderetur. Unde Salomon qui non [c] majestate divina, sed argumentis ut homo interio- A rem interrogabat affectum; illi potius judicavit parvulum esse reddendum, quam veram matrem dolor proprius prodidisset: illam vero quam morituri parvuli misericordia non movebat, exsortem pronuntiavit esse naturæ, quam exsortem vidit esse pietatis.

2\. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuavit: diuque etiam bona mater eventu hæsit ambiguo, dum judicii periclitatur incerto. Hæc licet in figura superioribus sint facta temporibus, scripta sunt tamen ad correptionem nostram; ut intelligamus prodi omnia posse [d] quæ ficta sunt, & omnia composita revelari. 1. Cor. 10. 6. B

3\. Duæ igitur istæ (quoniam propositum est nobis hoc loco [e] non tractare de mulieribus) duæ, inquam, istæ fides est, atque tentatio. Tentatio, inquam, communis ab initio auctor erroris, quæ postquam posteritatem suam carnalis vitio conversationis, & somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. C Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat; donec machæra Christi latentes distinguat affectus. Quæ est hæc machæra Christi? Illa de qua scriptum est: *Gladium veni mittere in terram.* Matth. 10. 34. Est enim gladius, de quo scriptum est: *Et tuam ipsius animam pertransivit gladius.* Luc. 2. 35. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce: *Verbum*, Hebr. 4. 12. inquit, *acutum, & validum, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ, & spiritus, artuumque, & medullarum.* D Bonus gladius verbum Dei: bonus gladius, ut pote scrutator cordis, & renis, qui mendacium à veritate discernat, atque eos quorum animam pertransierit, non interficiat, sed reservet.

a. MSS. duo, *cùm parentis utriusque.* Rursus post pauca mss. omnes edit. *Eventu conventus* &c.

b. Sic omnes mss. & edit. Amerb. Eras. ac Gill. in corpore: Eras. autem & Gill. in marg. ac Rom. edit. in corp. *commota materno.*

c. MSS. complures, *majestatem divinam.* Non male, si referatur ad *interrogabat*; idem enim erit, ac Deum non consulebat, ut prophetæ solent.

d. Omnes edit. & pauci mss. *quæ facta sunt*: at reliqui melius, *quæ ficta sunt*; ut de simulata matre intelligantur.

e. In mss. aliquot ante verbum *tractare* deest negatio, forsan non male. Infra vero post duos versus, ubi edit. & mss. nonnulli, *posteritatem suam*, ultimæ edit. Paris. *posteriorem suam*; mss. plerique exhibent, *potestatem suam.* Non tam commode.

4. Hæc igitur de Regnorum dicta sint libro, A adsumta de causa, de historia recensita, de conscientia usurpata, ex fide promta. Nunc decursæ ex libro Judicum inspiciamus seriem lectionis. Non enim otiosis parricidium fuit auribus audiendum. Itaque repetamus historiam.

CAPUT II.

Nuncupatum à Jephthe in pugna votum, reditus ejusdem adepta victoria, & filiæ occursus memorantur: in quo etsi factum damnandum, in solvendo tamen voto fides non improbanda. Cur Deus cùm Abrahæ sacrificium prohibuisset, Jephthe parricidium non impedierit, disputatur.

5. JEphthe judex Judæorum fuit. Is eventu belli conflictatus ambiguo, [a] præliorumque (a *Judic* 11. 30. & 31.) veritus incerta, votum vovit hujusmodi, si adversarios depulisset, ut quidquid ei primum intra domus suæ limen occurrisset, hostiam immolaret Deo, suorum præsuli triumphorum. C Itaque bello potitus, fusisque hostibus, domum rediit, cui in ipso vestibulo filia memor pietatis, ignara oblationis occurrit. Sed recordatus illico pater, & propriæ sponsionis admonitus, ingemuit solvendi muneris sponsionem. (*Ibidem* 35. & *seq.*) *Heu me*, inquit, *filia, perdidisti me; ego enim aperui os meum de te ad Dominum.* Tum illa: *O pater, si in me aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi ita ut exivit de ore tuo.* Duorum tamen tantum mensium inducias postulavit, donec in D montem adscenderet, & super virginitatem suam fleret. Deinde duobus post exactis mensibus, remeavit ad patrem. Votum ille complevit; his enim verbis utendum est, quando (b) scriptura divina [b] effectum rei non prodidit, sed refugit parricidii mentionem.

6. Quid igitur? Hoc probamus? Minime gentium. Sed tamen etsi parricidium non probo, adverto prævaricandæ metum & formidinem sponsionis. Denique ad Abraham dic- E tum est: (*Gen.* 22. 12.) *Nunc scio quia amas dominum Deum tuum; quia non pepercisti unico filio tuo.* Habes igitur indicium, quo docetur prævaricandum temere non esse promissum. Verùm Deo parricidium non probari in eadem adseritur lectione; (*Ibidem* 13.) cùm pro filio ovis subjicitur, ut ipsa potius quam filius feriretur.

7. Habuit igitur Jephthe quod sequeretur exemplum; quia Dominus sanguine non delectaretur humano. In uno enim oraculo ad Abra- F ham promto docuit filiorum salutem religionis obsequio posthabendam: offerri à parentibus Deo debere filios, non debere jugulari. Certe cùm hic filia tam sollicita fuerit de patris voto, cur pater non dubitaverit de filiæ parricidio: & cùm illa paternum caverit mendacium, iste filiæ non caverit interitum?

8. Dicet aliquis: Qua ratione illic Deus non permiserit parricidium fieri, hîc sit passus impleri? Numquid acceptor personarum Deus? Non, sed meritorum atque virtutum. Certe dum consilium esset ambiguum, signari debuit oraculo quid & ad præsens factum, & in reliquo conveniret exemplum. Ubi vero jam præcessisset exemplum, necessarium non judicavit oraculum; cùm facti forma veteris quid fieri oporteret, ostendit.

9. Aut fortasse quia non una forma meritorum, ideo non una forma factorum. Pater doluit, flevit filia: uterque de Dei miseratione B dubitavit. Non doluit Abraham, nec consuluit parentis affectum. Ubi audivit divinitatis oraculum, non distulit sacrificium, sed maturavit obsequium. (*Ibidem* 3. & *seq.*) Non dubitavit Isaac, cùm imparibus sequeretur patrem passibus: non flevit, cùm ligaretur: non dilationem poposcit, cùm offerretur. Et ideo misericordia largior, ubi fides promtior. Et bene non flevit factum patris; quia risus est matris. (*Ibid.* 21. 6.) Pro qua devotionis exsultatione ovis pro illo jussa est immolari, quia se ipse non distulerat immolandum: nec de Dei miseratione ambiguus, nec de sui devotione sollicitus. Nemo igitur inventus est, qui tam cruentum patris revocaret affectum; [c] quia omnis promissi muneris conveniebat officium. (c)

CAPUT III.

Miratur sanctus vir quod cùm Jephthe parricidium nemo prohibuerit, aliqui virginitatis votum impleri prohibeant; quin etiam ipsemet accusetur, quod ne virgo sacra nuberet, vetuerit. Id officii sui fuisse non tantum Baptistæ exemplo & Scripturæ præceptis, sed etiam ipsis gentilium institutis probat: ac demum prædicat ex eo virginitatem, quod virgines resurgentem Christum primæ viderint.

10. SAcrificium itaque sanguinis immolatur, & nemo est qui resistat: sacrificium castitatis offertur, & qui prohibeat, [d] invenitur. (d) Pater E parricidium promisit, & solvitur: pater integritatem filiæ vovit, & tam piæ oblationis invidetur affectus. Illic filia dolens sanguinem suum obtulit pro patria sponsione: hîc tam pium promissum nec hereditario munere, nec propria solvitur voluntate.

11. Quo in negotio etiam nos vocamur in culpam. Quam tandem? Quia nuptias prohibuimus illicitas? Vocent ergo in eamdem culpam etiam Johannem Baptistam. Et cùm aliud nihil fortè F habeamus quod probetur in nobis, hoc solum condemnetur in nobis, quod probatum est in propheta. An erubescendum protulimus auctorem? Quam vero causam aliam habuit ille martyrii, repetite animo. Causa illius passionis certè hæc fuit: *Non licet*, inquit, *tibi eam uxorem habere.* (*Matth.* 14. 4.) Si hoc de uxore hominis, quanto magis de virgine consecrata? Si hoc regi dictum est, quanto magis dicendum privatis? Gratias itaque divinitati, quòd hîc nullus Herodes, atque utinam nulla Herodias!

a. Cod. bene multi, *plerumque virtus incerta votum* &c. sed alii atque edit. melius ut in contextu.

b. Plures mss. *effectum rei non prodidisset, qua refugit* &c.

c. Omnes edit. *quia omnis promissio muneris conveniebat officio*: plures mss. *quia ad omnes promissi muneris conveniebat officium*: alii magis congrue, *quia omnis promissi .... officium*; ubi vox *officium* idem significat atque solutio sive promissi exsequutio.

d. Negatio *non* ante verba *invenitur*, & *invidetur* in edit. omnibus perperam legebatur, quam nos ex mss. omnium fide sustulimus. Iterum autem hoc loco mss. nonnulli ab aliis abeunt, quod pro, *pater integritatem filiæ vovit*, exhibent, *integritatem filiæ vovit*.

12. Non licuit ergo pro virginitate sermonem dicere? Et cur scriptum est: *Judicate pupillum, & justificate viduam?* Et cur scriptum est: *Patris orphanorum, & judicis viduarum?* Ergo castimoniæ & integritati deditas deseremus, aut etiam condemnabimus?

Esai. c. 17. Psal. 67. 6.

13. At certe ipsis gentilibus inter aras & focos venerabilis solet esse virginitas: & in quibus nulla meritorum est pietas, nulla mentis integritas; in iis tamen carnis virginitas prædicatur. A profanis igitur ceremoniis virgines nemo prohibebit, ab Ecclesia Dei virginitas arcebitur? Illic coguntur, quod non docentur: hîc interdicitur, quod non licet non doceri? Illic præmiis revocantur à nuptiis, hîc ad nuptias coartabuntur injuriis? * Illic violentia fit, ut capiantur: hîc fiet violentia, ne profiteantur? Et potest esse patientia sacerdotum, ut non vel morte oblata, si ita necesse est, integritatis sacrificium vindicetur?

14. Considerate quia virgines præ apostolis resurrectionem Domini videre meruerunt. Certe hoc docuit hodierna quæ decursa est lectio; nam cùm in novo monumento, sicut Johannes dixit, corpus positum esset domini nostri Jesu Christi: in suo autem monumento, sicut est secundùm librum Evangelii Matthæi, posuisset Joseph Domini corpus, observabant virgines. Bene & Matthæus monumentum dixit novum; ne ex monumento veteri resurrexisse alius crederetur. Bene etiam secundùm spiritum in monumento justi positum est; quia Christus à mortuis in novo justi resurgit affectu. Bene etiam secundum litteram alienum monumentum fuit; quia suum monumentum Dominus non quæsivit. Habeant tumulum, qui sub lege sunt mortis: victor mortis suum tumulum non habebat; non enim ille sepulcrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat. Vidit ergo Maria resurrectionem Domini: & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, [a] quamvis adhuc ista nutaret.

Johan. 19. 41. & 42. Matth. 27. 25. & seq.

CAPUT IV.

Magdalenæ dubitantis occasione virgines ad fidem cohortatur: & quæ de Christi cum ipsa colloquio leguntur apud Johannem Evangelistam, spiritali sensu jucundissime percurrit.

15. HOc loco non mediocrem advertite quæstionem, ne dubitare de resurrectione Domini, virgines, debeatis. Videte [b] quod meritum non sola carnis virginitas facit, sed etiam mentis integritas. Denique Maria Magdalena Dominum prohibetur tangere, quia nutabat de resurrectionis fide. Illa igitur tangit Christum, quæ fide tangit.

Johan. 20. 2.

16. *Magdalena autem stabat ad monumentum foris plorans.* [c] Quæ foris est, plorat; nam quæ intus est, plorare non novit. Plorat autem, quia corpus non videt Christi: & periisse putat; quia ipsa non cernit. Ergo Maria foris: sed non Petrus, non Johannes foris. Denique illi currentes intraverunt; & ideo non ploraverunt, & gratulantes recesserunt. Illa quæ non introivit, flevit, non credidit, fraude sublatum putavit: nec cùm Angelos cerneret, credendum arbitrabatur. Et ideo dicunt ei Angeli: *Mulier quid ploras? quem quæris?* Hoc Angeli dicunt, & Dominus postea iisdem verbis repetivit; ut sciatis quia Angelorum verba mandata sint Domini.

Ibidem 11. Ibidem 4. Ibidem 13.

17. Denique eadem, ut dixi, etiam Dominus verba repetivit dicens: *Mulier quid ploras? quem quæris?* Quæ non credidit, mulier est; nam qui credit, in virum perfectum resurgit, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Mulier*, inquit: non de sexu, sed de cunctatione convicium est. Et bene mulier, [d] quæ nutabat; quia jam virgo crediderat. *Quid ploras?* hoc est: Tu tibi es causa plorandi, tu tibi auctor es flendi, quæ es Christi incredula. *Ploras*, quia non vides Christum: crede, & videbis. Adest Christus, nec umquam iis à quibus quæritur, deest. *Quid ploras?* hoc est, non lacrymis opus est, sed fide promta, & Deo digna. Noli cogitare mortalia, & non plorabis: noli cogitare peritura, & flendi causam habere non poteris. Cur inde ploras, unde alii gratulantur?

Ephes. 4. 13.

18. *Quem quæris?* hoc est: Non vides quia adest Christus? Non vides quia Christus est Dei virtus, quia Christus est Dei sapientia, quia Christus est sanctitas, quia Christus est castitas, quia Christus est integritas, quia Christus natus est ex virgine, quia Christus ex Patre, & apud Patrem, & in Patre semper, natus non factus, nec degener, [e] sed semper dilectus, verus Deus ex Deo vero?

19. *Tulerunt*, inquit, *Dominum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum.* Erras, mulier, quæ putas ab aliis Christum de monumento esse sublatum, & non potestate propria resuscitatum. Sed nemo tulit Dei virtutem, nemo tulit Dei sapientiam, nemo tulit venerabilem castitatem. Non tollitur Christus de monumento justi, nec de suæ virginis secreto, & piæ mentis arcano: & si qui volunt tollere, auferre non possunt.

Johan. 20. 15.

20. Tunc ait illi Dominus: * *Maria, respice ad me.* Quando non credit, mulier est: quando converti incipit, Maria vocatur, hoc est, nomen ejus accipit, quæ parturit Christum; est enim anima quæ spiritaliter parit Christum.

Ibidem 16.

*. Gellius lib. 1. cap. 12. *Capi autem*, inquit, *virgo vestalis propterea dici videtur, quia Pontifices maximi manu prehensa ab eo parente in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.* De vestalibus plura reperies lib .... *de Virginibus* cap.

a. Mss non pauci, *quamvis adhuc ista notaretur:* unus ..... *mutaret:* reliqui ac edit. magis scite, ut in contextu. Non inutile porro fuerit quæ hic de virginibus Dominicæ resurrectionis testibus dicuntur, cùm iis quæ habentur lib. 6. Expos. Evang. sec. Lucam, pag. 1387. num. 14. contendere, nec non subjectam eidem loco observationem consulere. Interim adverte Ambrosium aut labi memoria, quando contra expressum Marci cap. 16. vers. 9. testimonium Christum Magdalenæ secundo tantum loco apparuisse affirmat: aut piæ illorum opinioni subscribendum esse, qui, ut Estius ait, Dei genitricem hic in Maria volunt significatam. Quid vero si duas Magdalenas exstitisse hoc loco innuat sanctus Doctor? Confer hæc cum ultimo cap. in Luc. & nodum solve.

b. Omnes edit. *Videte quod meritum! Non sola carnis virginitas virginem facit:* omnes mss. ut in textu, nisi quod pro *meritum*, corrupte plures exhibent *meritorum*.

c. Pleríque mss. *qui foris est, plorat; nam qui* &c. Iterum post pauca, *flevit: quæ non credidit, fraude* &c.

d. Mss. non pauci, *quæ notabatur* Non incommode; idem enim est ac reprehendebatur, quod quidem post vocem, *convicium est*, apte ponitur. Hæc autem refer ad lib. 10. in Luc. num. 161.

e. Ita mss. complures: alii vero, cunctæque edit. prætermittunt vocem, *dilectus*.

*. Hunc textum neque in græcis Evangelistæ cod. neque in latinis ullis reperire est. Hæc autem refertur ad lib. 10. in Luc. num. 161.

Respice, inquit, *ad me*. Qui Christum respi- A cit, emendatur: errat autem, qui Christum non videt.

21. Et ideo illa conversa respexit, & dixit: *Rabbi, quod interpretatur magister*. Qui respicit, convertitur: qui convertitur, plenius intuetur: qui videt, proficit. Et ideo magistrum appellat, quem mortuum esse credebat: alloquitur quem putabat amissum.

Ibidem 17. 22. *Noli*, inquit, *me tangere*, hoc est, etsi correctionis tentamenta sunt; non tangit tamen B Christum nutantis affectus. *Noli*, inquit, *me tangere*, hoc est, noli tangere Dei virtutem, Dei sapientiam, reverendam integritatem, honorabilem castitatem.

23. *Sed vade ad fratres meos*. Quid est aliud dicere, nisi: Jam noli foris flere? Vade ad electos, & ad observantissimos sacerdotes; *& dic illis: Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum*. Quid est aliud dicere, nisi: Ne mulier hinc moveas quæs- C tionem? Certe à perfectioribus quære, dicent tibi quæ distinctio sit inter Patrem meum, & Patrem vestrum. Nam qui juxta divinam generationem Pater mihi est, is juxta adoptionem Pater vester est. *Patrem meum* dicendo, à creaturis se Dei Filius separavit: *Patrem vestrum* dicendo, adoptionis spiritalis gratiam designavit. Ita & *Deum meum* dicendo, mysterium suæ Incarnationis ostendit; ut quem Patrem naturaliter habet, Deum appellet propter suscepti D corporis sacramentum: *Deum* quoque *vestrum* cùm dicit, profectum in nobis suæ operationis ostendit.

CAPUT V.

Redit à digressione ad suam defensionem, & sibi objecta non tantum agnoscit, verum etiam ulterius intendit, cupere etiam nupturas ad virginitatis studium revocare sponte professus.

24. ET vere Deus noster factus est nobis, ex E quo passus est Christus; quando, ut alia omittam, pro integritate servanda mori virgines sunt paratæ. Nihil de causa, nihil de persona loquor; ubi enim Domini gratia, ibi debet esse pax Domini. Nec quemquam publice arguo, sed me ipsum defensatum venio. Accusati enim sumus, & nisi fallor, accusatores nostri plerique de vobis sunt. Horum ego affectus redarguere malo, quam personas prodere. Criminis autem invidia hæc est, quia suadeo F castitatem. Qui hoc non libenter accipit, ipse se prodit.

25. Virginitatem, inquit, doces, & persuades plurimis. Utinam convincerer, utinam tanti criminis probaretur effectus! Non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque utinam me exemplis potius argueretis, quam sermonibus cæderetis! Sed vereor ne [a] prævaricatores mihi apposuisse videar, qui me alienis commendent laudibus.

26. Initiatas, inquit, sacris mysteriis, & consecratas integritati puellas nubere prohibes. Utinam possem revocare nupturas: utinam possem flammeum nuptiale pio integritatis mutare velamine! An indignum videtur, ut sacratæ virgines à sacrosanctis altaribus non abducantur ad nuptias? Et quibus licet * sponsum eligere, non licet Deum præferre? In me ergo facti conditio mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat, quod semper spectavit ad gratiam sacerdotum, jacere semina integritatis, & virginitatis studia provocare.

CAPUT VI.

Ad virginitatem provocare nec improbum esse, nec novum, nec inutile: quorum primo capite paucis absoluto, alterum scilicet novum non esse Christi sententiâ, judicio Apostolorum, ac puerulorum exemplo docet: tum damnandas non esse nuptias monens, earum tamen multas & graves molestias declarat; utque neutram harum conditionum quisquam traducat, prudenter suadet.

27. QUæro enim utrum quasi improbum hoc, an quasi novum, an quasi inutile reprehendatur. Si quasi improbum, improba ergo vota sunt omnium, improba vita est Angelorum, quam gratia resurrectionis imitatur; qui enim non nubunt, neque ducunt uxores, erunt sicut Angeli in cælo. Qui hoc utique *Matth. 22. 30.* reprehendit, resurrectionis vota condemnat. Itaque improbum videri non potest, quod hominibus pro præmio constitutum est: nec potest ejus rei species displicere, cujus veritas & in fructu est, & in voto.

28. Sed esto, non sit improbum, numquid novum est? Nos enim nova omnia quæ Christus non docuit, jure damnamus; quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus non docuit quod docemus, etiam nos id detestabile judicamus. Discutiamus ergo utrum Christus integritatem docuerit, an repudiandam putaverit: *Et sunt*, *Matt. 19. 12.* inquit, *spadones, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*. Est ergo præclara militia, quæ regno cælorum militat. Itaque jam tunc Dominus docuit esse debere intemerata studia castitatis.

29. Unde & Apostoli eam ceteris præeminere cernentes: *Si ita est*, aiunt, *causa viri cum uxore*, *Ibidem 10.* *non expedit nubere*. Quo dicto & graviora judicaverunt onera vinculi conjugalis, & veræ integritatis gratiam prætulerunt. Sed Dominus qui sciret prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis: *Non omnes*, inquit; *Ibidem 11.* *capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, hoc est, non est communis plurimis, & vulgaris integritas: nec pro infirmitate permittitur, sed pro virtute conceditur. Denique cùm dixisset: *Et sunt spadones qui se ipsos castraverunt propter* *Ibidem 12.* *regnum cælorum*; ut ostenderet hoc non mediocris esse virtutis: *Qui potest*, inquit, *capere, capiat*.

30. Et ideo post hoc verbum offeruntur pueri ad benedicendum, qui corruptelæ expertes, integritatis munus immaculata ætate servarent.

a Mss. nonnulli, *prædicatores*; etsi non omnino insulse, minus tamen concinne. Prævaricator enim ille dicitur, qui eum quem vituperare atque accusare creditur, tacite fraudulenterque laudat ac defendit: quo sensu dictionem hanc Tullius in Philip. 2. non ita longe ab initio adhibuit; unde hunc locum Ambrosius noster videtur imitatus.

*. De hac facultate eligendi sponsi jam monuimus nos in epist. ad Sisin. aliquid esse dicturos.

Talium enim est regnum cælorum, qui in puerilem castimoniam tamquam in naturam infantium corruptelæ ignoratione remeaverint. Est ergo etiam cælesti voce probata virginitas, Dominicisque expetenda præceptis.

31. Quo loco magisterium divinæ vocis imitemur. Nam cùm in superioribus conjugium memoraverit non esse solvendum, nisi ex causa *Ibidem 9.* fornicationis, in posterioribus integritatis gratiam, donumque contexuit; ut doceret non damnandas esse nuptias, sed probandas; nuptiis B tamen ipsis integritatis studia præferenda. Quis enim tam aversus à vero, qui nuptias damnet? Sed quis tam alienus à ratione, qui conjugii *1. Cor. 7. 34.* onera non sentiat? Etenim *mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini; ut sit sancta corpore & spiritu. Nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.*

32. Et præter has molestias quamvis nubendo non peccet, contritionem tamen habebit carnis hujusmodi; graves enim partus labores, gra- C vis creandorum & erudiendorum liberorum molestia. Quibus ante præscripsit, ne quis hujusmodi averteretur injuriis; multæ enim in partus doloribus constitutæ, conjugio se renuntiare dicunt: multi etiam matrimonii onera non ferentes, alieno ab uxore avertuntur affectu. *Ibidem 27.* Et ideo Apostolus ante præmisit: *Ligatus es uxori? Noli quærere solutionem.* Et bene ait: *Ligatus es*; quodam enim vir & uxor nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam in- D vicem sibi habenis amoris adstricti sunt.

33. Bona igitur [a] vincula nuptiarum, sed tamen vincula: bonum conjugium, sed tamen à jugo tractum, & jugo mundi; ut viro potius cupiat placere, quam Deo. Bona etiam vulnera *Prov. 27. 6.* caritatis, & osculis præferenda: *Utilia enim vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.* *Matth. 26. 51.* Denique Petrus vulnerat, Judas osculatur: il- *Ibidem 49.* lum oscula condemnant, hunc vulnus emendat: illius osculis proditionis venena funduntur, istius E lacrymis culpa lavatur. Itaque ut ostenderet sermo propheticus bona vulnera caritatis, Ec- *Cant. 2. 5.* clesia dicit in Canticis canticorum: *Quia vulnerata caritatis ego sum.*

34. Nemo ergo vel qui conjugium elegit, reprehendat integritatem: vel qui integritatem sequitur, condemnet conjugium. Namque hujus sententiæ * adversarios interpretes damnavit jam dudum Ecclesia, eos scilicet qui audeant solvere copulam conjugalem. Audite enim quid F *Cant. 7. 11. & 12.* dicat sacrosancta Ecclesia: *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas, videamus si floruit vitis.* [b] Multos ager fructus habet, sed ille melior est qui & fructibus redundat, & floribus. Est ergo Ecclesiæ ager diversis fœcundus copiis. Hìc cernas germina virginitatis flore vernantia, illìc tamquam in campis silvæ viduitatem gravitate pollentem, alibi tamquam uberi fruge conjugii Ecclesiæ segetem replentem mundi horrea, ac veluti maritatæ vineæ fœtibus torcularia domini Jesu redundantia, in quibus fidelis conjugii fructus exuberat.

CAPUT VII.

Tertium caput aggressus, nempe virginitatem non esse inutilem, negat ullum hinc reipublicæ adferri damnum; quin immo ubi maxime ille status floreat, ibi copiosissimam civium esse frequentiam docet: quod ut secus esset, hunc tamen eo non improbandum; cùm in uxoribus castè viventibus id non culpetur. Postquam vero eorum qui juventuti nuptias hinc fieri difficiliores objiciebant, demonstravit inanitatem, iis qui virgines serius velandas esse contendebant, respondit hìc episcopi requiri prudentiam: at solam ætatem considerandam non esse Martyrum exemplis, ac puerorum ad Christum accedentium, probat.

35. Nec improbum igitur, nec novum integritatis est studium. Videamus ne forte inutile judicetur, nonnullos enim dixisse audivi quod periit mundus, defecit genus humanum, conjugia labefacta sunt. Quæro quis tandem quæsivit uxorem, qui non invenerit? Quando fuerint bella pro virgine? Quis umquam pro virgine sit peremtus? De conjugiis autem ista nascuntur, * ut perimatur adulter uxoris, raptor præliis appetatur. Ista reipublicæ semper damno fuerunt. Pro virgine sacra nemo damnatus est; quia castitatem non pœna cohibet, sed religio auget, fidesque conservat.

36. Si quis igitur putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis, & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hìc homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu non inutilis virginitas existimatur, præsertim cùm per virginem salus venerit, orbem fœcundatura Romanum.

37. Quod si quis hoc prohibet, prohibeat igitur pudicas uxores degere; quia frequentius possunt parere incontinentes. Nulla peregrinanti marito fidem servet; ne damnum faciat prolis futuræ, & partus frequentioris amittat ætatem.

38. Sed difficilior fit via adolescentibus ad nuptias impetrandas. Quid si forte commodior? Quæro enim cum his aliquem habere tractatum, qui arcendæ virginitatis sententiam gerunt. Itaque qui sunt isti, discutere debemus: utrum qui uxores habent, an qui non habent? Si qui habent, timere non debent; uxores enim eorum jam virgines esse non possunt. Si qui non habent, non sibi injuriam faciant, quod ejus tan-

a. Non pauci mss. *vincula sunt, sed tamen vincula; etsi vincula caritatis. Bonum &c*

* Marcionem, Manichæum ac Tatianum, eo quod nuptias condemnarent, condemnatos ab Ecclesia jam alibi observavimus.

b. Rom. edit. sola, *Multi agri fructus habent.*

*. Per legem Juliam de Adult. coercendis licebat patri filiam & quemlibet ejus adulterum ubicumque in hoc flagitio deprehensos interficere: marito quoque idem jus erat, sed sub certa personarum ac locorum definitione. Quod autem ad prœlia in uxoris alienæ raptorem excitata, quis nescius est famosissimum illud bellum quo Europa atque Asia inter se toto decennio collisæ sunt; quodque nonnisi trojani regni, ac totius gentis excidio sedari potuit; non ob aliam causam quam ob Helenam à Paride raptam susceptum esse: de quo præter Homerum vide Dyctin cretensem ac Daretem Phrygium historicos, licet in multis non minus ipsomet Homero fabulosos.

tum

tum nuptias speraverint, quæ nuptura non esset. A An fortasse patres pro filiarum conjunctione solliciti, molestè ferunt virgines consecrari? Nec hi quod vereantur, habent; si sequantur consilium. Inter paucas suæ citius eligentur.

39. Aiunt etiam plerique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo sacerdotalis cautionis esse debere, ut non temere puella veletur. Spectet plane, spectet ætatem sacerdos, sed fidei vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis cani- B tiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis: tum deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. Si hæc præsto sunt, non deest virgini longæva canities: si hæc desunt, differatur puella moribus quam annis adolescentior.

40. Non ergo ætas rejicitur florentior, sed animus examinatur. At certe Theclam non senectus, sed virtus probavit. Et hinc quid plura contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, per- C fecta sit Christo? Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, sed virtutis ætatem. Nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in parvulis passionem; scriptum est enim:
Psal. 8. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* An dubitamus si eum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia? Et quasi incredibile putamus, [a] si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in de- D serto; sicut legimus quia saturata sunt de quinque panibus quatuor millia hominum, *exceptis*, inquit, *pueris & mulieribus*. (Matth. 14. 21.)

41. Nolite ergo à Christo arcere infantes; quia & ipsi pro Christi nomine subiere martyrium: *Talium est enim regnum cælorum.* (Ibid. 19. 14.) Vocat eos Dominus, & tu prohibes? De ipsis enim Dominus ait: *Sinite eos venire ad me.* Nolite adolescentulas arcere, de quibus scriptum est: *Propterea adolescentulæ dilexerunt te.* (Cant. 1. 2.) Et induxe- E runt te in domum matris suæ. (Ibid. 8. 2.) Nolite postremo à Christi caritate etiam parvulos separare, quem etiam intra matris uterum adhuc positi exsultatione prophetica fatebantur. (Luc. 1. 41.)



CAPUT VIII.

Ætatem omnem quærendo Christo habilem esse supra docuit, hic nullum locum ad id oportunum non esse ostendit. Cur occidente sole ægri adferantur ad Christum, is autem quæratur orto jam die? ubi & de jactantia vitanda præcipitur. Ad sequendum per diem Christum exhortatio: eum vero nec in foro, nec in plateis, ubi vulnerari ac spoliari dicitur Sponsa, reperiri.

42. In ipsis adhuc Ecclesiæ principiis turbæ requirebant eum. Qua ratione? Quia *manus*, inquit, *imponens curabat eos.* (Luc. 4. 40.) Nec tempus ad sanandum, nec locus quæritur. Omnibus enim locis omnibusque temporibus non est prætermittenda medicina. Intra domum Maria ab Angelo benedicitur, intra domum David ungitur in prophetam. (Ibid. 1. 28. 1 Reg. 16. 13.) Ubique Jesus curat, ubique sanat: in itinere, in domo, in deserto. In itinere curatur quæ fimbriam tetigit: in domo principis Synagogæ filia resuscitatur: in deserto turba sanatur. (Matth. 9. 20. Marc. 5. 41. Luc. 4. 40.) Denique sic habes: *Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis his manus imponens curabat eos.* Sanabat ergo & in deserto, & occidente jam sole, & sanabat, manus imponens; ut & Deum se & hominem demonstraret. Non immerito igitur facta jam die turbæ requirebant eum.

43. Video ordinem. Sole occidente, ægri deferuntur ad Christum: facta autem die, turbæ requirebant eum. Quando enim nisi per dies quæritur Christus? Nam qui in luce ambulat, non recedit à Christo. Itaque nox habebat adhuc ægrotantium gemitus, dies jam fidem plebis, jam lætitiam sanatorum; ut quod scriptum est, compleretur: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* (Psal. 29. 6.) Quæ enim turbæ major gratia, quam ut etiam in desertum locum Christum sequatur?

44. In quo ille docet à perfecto abesse debere jactantiam; non enim sanandorum copiam, sed operum jactantiam declinabat. Et nos igitur si salvi esse desideramus, vel si jam meremur sanitatem, procul à luxuria, procul à lascivia; tamquam in arido vitæ istius [b] & jejuno solo quadam siti corporis fugitantem deliciarum Christum sequamur.

F 45. Sequamur per dies. Adest Ecclesiæ dies, quem Abraham vidit, & gavisus est. (Johan. 8. 56.) Sequamur ergo per dies Christum; non enim in noctibus reperitur. *In cubili*, inquit, *meo, in noctibus quæsivi quem dilexit anima mea: quæsivi eum,* (Cant. 3. 1.)

a. Mss. non pauci, *si puellæ nobiles*: melius alii atque edit.... *nubiles.* Verum cùm duodecimo anno virgines viro maturæ vulgo putentur; aliquid difficultatis hinc nasci potest quod tantula ætate contentus fuerit sanctus Antistes; quandoquidem non ita multo post ad virginum consecrationem Punica Synodus 3. can. 4. annos 25. plenos adsignavit: quod tempus postea Leo primus in antiquo Pontificali, & Majorianus imperator Constit. 8. usque ad quadragenariam ætatem ampliarunt. Attamen meminisse oportet duas consecrationes quas Innoc. primus à nobis in Præfatione ad lib. de virginibus jam laudatus, Leo primus epist. ad Rustic. Narb. & Gelasius epist. ad episc. Lucaniæ clare distingunt, olim exstitisse, solemnem scilicet ac privatam. Itaque nihil pugnabit, si can. Carth. & Leonis Majorianique constitutionem de priori intelligamus, de posteriori vero & hunc Ambrosii locum, & alium Hieronymi epist. ad Marcellam Asellæ duodenis tantum annis natæ consecrationem referentis: quibus addi etiam posset Basilii testimonium ad professionem virginitatis non ultra 16. aut 17. annos epist. can. conc 18. exigentis. Quod si contendas Ambrosiana verba etiam de solemni consecratione accipi debere, non admodum repugnabimus, cùm semper in Ecclesiæ potestate fuerit, justis de causis ac pro temporum necessitate suam mutare disciplinam. Mirare interim easdem illas adversus virginitatem objectiones nostra memoria renovatas fuisse ab hæreticis, quas Ambrosius in hoc opere tam prudenter atque invictè confutavit.

b. Ita edit. omnes ac mss. nonnulli: alii vero aliquot, *& jejuno solo quodam siti, corporis fugitantem delicias* &c. unus, *& jejuno solo, quod in appetitu corporis* &c alius, *& jejuno solo, quo jam petulantiam corporis fugitantes* &c. In reliquis autem nihil sani.

& non inveni eum: vocavi eum, & non obaudivit me. A

46. In foro aut in plateis Christus non reperitur. Denique nec illa eum in foro & in plateis potuit reperire, quæ dixit: *Exsurgam, ibo, & circumibo civitatem, in foro & in plateis, & quæram quem dilexit anima mea. Quæsivi eum, & non inveni eum: vocavi eum, & non obaudivit me.* (Ibidem 2.) Nequaquam igitur ibi quæramus Christum, ubi invenire non possimus. Non est Christus circumforaneus. Christus enim est pax, in foro B lites: Christus justitia est, in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium: Christus caritas est, in foro obtrectatio: Christus fides est, in foro fraus atque perfidia: Christus in Ecclesia est, in foro idola. Et ut illa vidua quam in alio perstrinximus libro, (De Viduis c. 9. & seq.) cognoscat non obtrectandi me loquutum illa studio, sed monendi: meque non asperum, sed sollicitum; [a] gratiâ reconciliationis accipiat: in Ecclesia vidua justificatur, in foro circum- C venitur. Fugiamus ergo forum, fugiamus plateas.

47. *Prudentiam autem notam adsume tibi, ut custodiat te à muliere aliena & mala.... Per fenestram enim de domo sua in plateas prospicit.* (Prov. 7. 4. & seq.) Fugiamus plateas. Non enim injuria tantummodo est non invenisse quem quæras; sed etiam plerumque * ubi non oportet quæsisse, vulnus est: quæsisse in domibus virorum qui sibi falsò doctorum nomen adsumunt: quæsisse procacius quam ve- D recundius.

48. Ergo caveamus [b] exemplo Ecclesiæ illius, ne nos custodes inveniant, qui circumeunt civitatem: *Invenerunt*, inquit, *me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt, & vulneraverunt me, & tulerunt pallium meum custodes murorum.* (Cant. 5. 7.) Non in se, filiæ; [c] non, inquam, in se, filiæ, sed in nobis vulneratur Ecclesia. Caveamus igitur ne lapsus noster vulnus Ecclesiæ fiat; ne quis à nobis pallium auferat, hoc est, amictum E prudentiæ, insigne patientiæ, quo molliores ambitio vestis exuitur: *Qui* enim *mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum sunt.* (Matth. 11. 8.) Nobis autem pallium dedit Christus, quo apostolos suos, & corpus suum ipse vestivit. (Ibid 5. 40.) Quod denique jubet te dare, si quis à te tunicam petat, ut dimittas ei & pallium, id est, insigne philosophiæ tuæ tradas, & quasi amictu prudentiæ tuæ eum qui ante nudus fuerit, circumvestias.

CAPUT IX.

Quærendum Christum in montibus aromatum atque in deserto: hujus fœcunditas, exposito cur flos atque lilium dicatur Christus, describitur: & induci in domum vini, ordinarique in se caritatem cupere narratur Ecclesia.

49. IBi igitur, filiæ, Christum quæramus, ubi quærit Ecclesia, in montibus boni A odoris, qui excelsorum sublimitate factorum suavem vitæ odorem pro meritorum verticibus exhalant. Fugit enim plateas, fugit conventus, & strepitus fori, juxta quod scriptum est: *Fuge, fraternus meus, & similis efficere cervo aut hinnulo cervi in montibus aromatum.* (Cant. 8. 14.) Serpentinis enim invisus colubris & fugitans canum, atque humi reptantibus infestus serpentibus, nescit habitare nisi in sublimitate virtutum, nescit commorari nisi in talibus Ecclesiæ filiabus, quæ possunt B dicere: *Christi* enim *bonus odor sumus Deo*; (2. Cor. 2. 15.) sed quibusdam odor mortis in mortem, in iis qui pereunt: quibusdam odor vitæ in vitam, in iis utique qui odorem resurrectionis Dominicæ vivida fide spirant.

50. Isti sunt aromatum montes, qui domini corpus Jesu acceperunt, & in linteis cum aromatibus ligaverunt; (Johan. 19. 40.) quicumque enim crediderunt quia Jesus mortuus est, & sepultus est, & resurrexit, hi excelsum veræ cacumen fidei virtutum fastigiis extulerunt. Ubi ergo Christus C quæritur? In pectore prudentis scilicet sacerdotis.

51. Et quoniam de deserto tractatus hîc sumitur, ubi quærendus sit, etiam ipse demonstrat, dicens: *Ego flos campi, & lilium convallium. Tamquam lilium in medio spinarum.* (Cant. 2. 1. & 2.) Ecce alium locum, in quo solet Dominus diversari; immo non in uno, sed in pluribus. *Ego*, inquit, *flos campi*; quia patentem simplicitatem puræ men- D tis frequentat. *Et lilium convallium*; flos enim humilitatis est Christus, non luxuriæ, non voluptatum, non lasciviæ: sed flos simplicitatis, flos humilitatis. *Tamquam lilium in medio spinarum.* Nonne inter asperitates laborum, contritionesque animorum boni flos odoris exsurgit; quia contrito corde Deus placatur?

52. Hoc est desertum, filiæ, quod ducit ad regnum, hoc est etiam desertum, quod floret ut lilium; juxta quod scriptum est: *Lætare sterilis, & exsulta desertum, & floreat ut lilium.* (Esai. 35. 1. Matth. 7. 17.) E In hoc deserto, filiæ, arbor illa bona fructifera, quæ bonos fructus facit, incipit brachia factorum suorum diffundere, verticem divinitatis adtollere. Juxta quam nostræ ligna silvæ frutescant; quia *sicut arbor mali inter ligna silvæ, ita fraternus meus inter medium filiorum.* (Cant. 2. 3.) Et videns hoc Ecclesia lætetur & gaudeat dicens: *In umbra ejus concupivi & sedi, & fructus ejus dulcis in faucibus meis.*

F 53. Videns, inquam, hoc Ecclesia, & fidei nostræ jam læta successu dicat: *Inducite me in domum vini, & ordinate in me caritatem.* (Ibidem 4.) Caritas non potest esse sine fide; tres enim sunt velut vades Ecclesiæ, spes, fides, caritas. Cùm spes præcesserit, fides fundata fuerit, ordinatur caritas, Ecclesia copulatur.

a. Omnes edit. ac mss. aliquot, *gratiam reconciliationis accipiat. In Ecclesia* &c. melius autem reliqui, *gratiâ reconciliationis* &c. Idem enim est ac si scripsisset in reconciliationis testimonium accipiat quod sum dicturus, nimirum in Ecclesia &c.

*. Adverte periculum eorum qui presbyteros aut doctrina ecclesiastica destitutos, aut sæcularibus cupiditatibus corruptos, aut denique innata quadam animi mollitie nimium indulgentes consulunt; ex his enim quisquis quærit viam salutis, haud dubie quærit ubi non oportet. Obiter autem monemus ab hoc loco in mss. non paucis lacunam esse, quæ ferme per tres integras columnas hiat.

b. Rom. edit. sola, *exemplo illius*: sed sublatam vocem *Ecclesia* supervacaneam non esse satis declarant sequentia.

c. *Non, inquam, in se, filia*, isthæc etiam Rom. edit. resciderat contra ceterarum, ac mss. omnium fidem.

CAPUT X.

Ut Christi mereamur in nos adventum, Spiritum sanctum invocari debere; illum enim non semper venire, neque ad omnes: sed ad eam animam quæ ita terrestrem exuerit tunicam, ut ipsam postea non resumat. Pedum lotio quid significet; & quod dicit Sponsa, quomodo inquinabo illos? *Denique spiritales animæ pedes hoc loco intelligendos esse demonstratur.*

54. Didicisti ergo ubi Christum requiras, disce etiam quemadmodum possis mereri, ut ille te quærat. Excita Spiritum sanctum (Cant 4. 16.) dicens: *Exsurge, aquilo, & veni auster; adspira* (Ibidem 5. 1.) *hortum meum, & profluant aromata mea. Descendat fraternus meus in hortum suum, & manducet fructus pomiferarum suarum.* Hortus Verbi animæ vernantis affectus est, & in pomiferis virtutis est fructus.

55. Venit ergo; & sive manduces, sive bibas, C si Christum invocas, adest dicens: (Prov. 9. 5.) *Venite, manducate panes meos, & bibite vinum meum;* sive etiam dormias, pulsat ad januam. Venit, inquam, frequenter, & per prospectum mittit manum suam: sed non semper, nec ad omnes, sed ad (Cant. 5. 3.) eam animam quæ potest dicere: *Nocte exui me tunicam meam.* Etenim in hac sæculi nocte prius tibi corporalis vitæ amictus est exuendus; exuit enim se carne Dominus, ut pro te de dominationibus & potestatibus mundi istius trium- D phare.

(Ibidem.) 56. *Quomodo induam illam?* Vide anima Deo devota quid dicat. Sic se actus corporis & terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere. *Quomodo induam illam?* hoc est, qua verecundia, quo pudore, qua postremo memoria? Consuetudo enim boni usum pravitatis veteris amisit.

(Ibidem.) 57. *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Didicisti in Evangelio quod pedes lavare fidei E mysterium, humilitatis insigne sit; juxta quod (Johan. 13. 14.) scriptum est: *Si ego lavi pedes vestros dominus & magister, quanto magis vos debetis alter alterius pedes lavare?* Sed hoc ad humilitatem pertinet. Quantùm vero ad mysterium, pedes debet lavare suos qui vult partem habere cum Christo: (Ibidem 8.) *Si enim non lavero,* inquit, *tibi pedes, non habebis partem mecum.* Cùm hoc Petro dicitur, quid de nobis censetur?

58. Qui lavit igitur pedes, non necesse habet F iterum lavare; & ideo caveat ne inquinet eos. Et bene sancta Ecclesia dicit: *Lavi pedes meos.* Non dicit: Quomodo iterum lavabo eos; sed, quomodo iterum inquinabo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita contagii. Admonet igitur in ministerio corporali quemadmodum spiritale debeamus actuum nostrorum diluere vestigium. Itaque pedes cùm semel laveris æterni fontis irriguo, & mysterii mundaveris sacramento; [a] cave ne iterum corporeæ cupiditatis illuvie, lutulentique actus terrenis sordibus inquinentur.

59. Isti sunt pedes quos David lavit in spiritu, A qui te docet quemadmodum eos inquinare non possis, dicens: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Hierusalem.* (Ps. 121. 2.) Utique hîc non corporis, sed animi intellige pedes. Quomodo enim terrenus homo in cælo haberet corporis pedes? Hierusalem enim, sicut Paulus te docuit, in cælo est. (Hebr. 12. 22.) Et idem te docuit quemadmodum in cælo stare possis, cùm dicit: *Nostra autem conversatio in cælis est;* (Philip. 3. 20.) conversatio morum, conversatio factorum, conversatio fidei.

B

CAPUT XI.

Bonum esse ad accessum Christi trepidare ac festinare: eum non cùm venerit solum, sed & prius quam veniat, solitum deferre mercedem, ut myrrha digiti ac manus fluant, hoc est, ut credamus Christum non vidisse corruptionem, cùm sit unguentum effusum nomen ejus. Hoc unguentum quod semper flagrabat apud Patrem, in tempore Filius effudit: sed exinanitum fuit in Judæis, & à gentilibus collectum; cùmque etiamnum fluat quotidie, diligenter excipiendum est, ut animam nostram totam penetret.

60. Quisquis sic vivit, potest dicere: *Fraternus meus misit manum suam per prospectum, & venter meus turbatus est ad illum: surrexi aperire fratri meo.* (Cant 5. 4.) Bonum est ut ad adventum Domini interiora turbentur. Si ad Angeli adventum Maria turbata est, quanto magis ad (Luc. 1. 29.) Christi nos turbamur adventum? INFLUENTIBUS quippe divinis, corporeus peregrinatur affectus, & usus ille exterioris hominis exolescit. Et tu turbare, & tu festina. Festinantes illi agnum manducare præcipiuntur. (Exod. 12. 11.) Surge, aperi, ad januam Christus est, vestibula domus tuæ pulsat: si aperueris, introibit, & introibit cum Patre.

61. Nec solum cùm ingressus fuerit, mercedem relinquit; sed etiam prius quam ingrediatur, mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quærit ubi Christus est, adhuc solvit vinculum carnis, & corporis claustra, adhuc Christus [b] foris pulsat: *Manus autem,* inquit, *meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni in manibus clausuræ.* (b Cant. 5. 5.) Quam myrrham stillant animæ manus, nisi illam quam obtulit justus ille Nicodemus magister in Israel, ille qui meruit (Johan 3. 1. & seq.) lavacri primus audire mysterium, qui adtulit (Ibidem 19. 39.) mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum, & misit in corpus Jesu: perfectum utique odorem fidei adtulit?

62. Hunc odorem flagrat anima quæ Christo aperire incipit; ut accipiat primo odorem Dominicæ sepulturæ, & credat quia caro ejus non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit: sed æterni illius floris, & semper virentis odore condita surrexit. Quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cujus nomen unguentum exinanitum est? Exinanivit se, ut spiraret tibi.

63. Semper unguentum hoc erat, sed erat apud Patrem, erat in Patre. Olebat tantum An- (Cant. 1. 2.)

a. Omnes edit. cum paucis mss. *cave iterum corporea cupiditatis illuviem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur*: alii multo plures ac potiores ut nos in textu.

b. Mss. non pauci, *fores pulsat.*

gelis & Archangelis, tamquam intra vas cæli. A
Esai. 49. 6. Aperuit os Pater dicens: *Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium; ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Descendit Filius, repleta sunt omnia novo odore Verbi.
Psal. 44. 2. Eructavit cor Patris Verbum bonum, flagravit Filius, Spiritus sanctus exhalavit, atque per om-
Rom. 5. 5. nium se corda diffudit; *Diffusa est* enim *caritas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum.*

64. Ipse Dei Filius in corpore tamquam in vase odorem primo cohibebat, suum opperiens B
Esai. 50. 4. tempus, sicut ait: *Dominus dat mihi linguam eruditionis; ut sciam quando oporteat dicere sermonem.* Venit hora, [a] & aperuit os, exinanivit unguentum, quando virtus exibat de eo.

65. Hoc unguentum exinanitum est super Judæos, & collectum est à gentibus: exinanitum in Judæa, & redoluit in omnibus terris. Hoc unguento uncta est Maria, & virgo concepit, virgo peperit bonum odorem, Dei Filium. Hoc unguentum effusum est super aquas, & sanctifi- C
Dan. 3. 23. cavit aquas. Hoc unguento uncti sunt tres pue-
Ibid. 6. 22. ri, & humorem iis flamma roravit. Hoc Daniel unctus est, & leonum ora mollivit, feritatemque permulsit.

66. Fluit hoc unguentum quotidie, & numquam deficit. Accipe vas tuum, virgo, & accede, ut possis hoc unguento repleri. Accipe unguentum æstimatum trecentis denariis, sed gratis datum, non venditum; ut omnes haberent
Johan. 12. 5. gratis. Virgo, ungere: noli contristari sicut Ju- D das, quia hoc unguentum effunditur, [b] sed consepeli in te Christum. Claude sane vas tuum, ne unguentum effluat. Claude integritatis clave, loquendi verecundia, abstinentia gloriandi.

67. Hoc quæ habet unguentum, Christum
Cant. 5. 6. recipit; & ideo quæ habebat, ait: *Aperui*, inquit, *fratri meo, frater meus transivit.* Quomodo transivit? Id est, mentis interna penetravit, sicut
Luc. 2. 35. dictum est Mariæ: *Et tuam ipsius animam pertran-*
Hebr. 4. 12. *sibit gladius.* Vivum enim Verbum Dei, sicut E gladius acutus, penetrans, & corporalium repagula cogitationum, & cordis interna rimatur.

CAPUT XII

Omnibus & maxime virginibus Christum exspectandum: si vero ille tardaverit, quod semper animæ fit socordiâ, surgendum & donorum ab eo jam acceptorum contemplatione invocandum Spiritum sanctum; extemplo enim Sponsum responsurum. Quid sit quod caput ac cincinnos suos humidos dicat? quo loco inseritur à capillorum cincinnis dehortatio. Deinde ubi animam rursus ad servandam innocentiam, & capiendum ex actibus ac fide odorem spiritalem impulit, spondet eam sic placituram, accessurumque ad ipsam Christum, neque se illi nisi tentationis causâ subducturum; atque adeo tentatores esse spernendos.

68. ET tu igitur, anima, una de populo, una de plebe (neque enim Christus stupet aliqua sæcularium discrimina dignitatum, ne auratam vestem, aut monile pretiosum, aut nobilia coruscantium gemmarum serta miratur, quorum dispendiis sæpe lis movetur in Ecclesia, pax fugatur) certe tu una de virginibus, quæ corporis tui gratiam splendore mentis illuminas (propior enim es quæ Ecclesiæ compararis) tu, inquam, in cubili tuo, & nocturno tempore constituta, semper meditare Christum, & ejus adventum omnibus sperato momentis.

69. Si tardare tibi videtur, exsurge. Tardare videtur, cùm diu dormis: tardare videtur, cùm ab oratione vacas: tardare videtur, cùm vocem non excitas * psalmis. Primitias vigiliarum tuarum Christo dicato, primitias actuum tuorum Christo immola. Audisti in superioribus quia vocavit te, dicens: *Veni à Libano, Sponsa, veni* Cant. 4. 8.
à Libano; transibis & pertransibis à principio fidei: transibis in sæculum certatura, pertransibis ad Christum triumphatura de sæculo. Audisti quia te à leonum & pardorum, id est, à spiritalium nequitiarum incursionibus separavit: audisti quia placet ei tuarum pulcritudo virtutum: audisti quia vestimentorum tuorum aromata, hoc est, bonum odorem integritatis omnibus odoribus prætulit: audisti quia hortus es conclusus, suavium pomiferarum refertus fructibus. Pete igitur ut adspiret tibi Spiritus sanctus, adspiret super cubile tuum, atque odorem piæ mentis, & gratiæ spiritalis accumulet. Respondebit tibi: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. 2.

70. Audis vocem pulsantis ad januam, & dicentis: *Aperi mihi, soror mea: surge proxima* Ibidem.
mea, columba mea, perfecta mea: caritate proxima, simplicitate columba, virtute perfecta; *quia caput meum repletum est rore.* Sicut enim ros cæli nocturnas amovet siccitates, ita ros domini nostri Jesu Christi nocturnis & sæcularibus tenebris æternæ vitæ stillavit humorem. Hoc est caput quod æstu mundi nescivit arescere; unde ait: *Quia si in humido hoc faciunt, in arido quid* Luc. 23. 31.
facient? Hoc igitur caput rorat aliis, sibi abundat. Et bene abundat caput Christi; quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna deficit largitate. In hoc caput ferrum non adscendit, quod est instrumentum belli, insigne discordiæ.

71. Nunc specta, & vide ros ille qualis sit, scilicet non vulgaris humoris: cincinni autem sunt in eo guttarum noctis. [c] Noli proxima mea, Cant. 5. 2.
accipere cincinnos corporalium capillorum. F Non illi ornamenta, sed crimina sunt: lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Alios cincinnos Nazaræus habet, in quibus ferrum non adscendit, quos nemo præcidit: qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplici crispantes virtutum nitentium gratia refulserunt. Disce in historia quales Nazaræus cincin- Judic. 16. 17.
nos habeat, quos quamdiu Samson habuit intactos, numquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum virtutis amisit.

a. Ita pleri que mss. nonnulli autem ac edit. *aperuit os, exivit unguentum.*

b. Paris. quædam edit *sed consepeli te in Christum*, perperam. Infra vero ubi omnes edit. ac mss. aliquot, *Claude integritatis clave* &c. alii habent partim, *claude ostium integritatis; claude loquendi verecundiam abstinentiâ gloriandi:* partim, *Claude integritatis clave loquendi verecundiam, abstinentiam gloriandi.* Neutra tamen harum lectionum satis commoda.

*. De psalmis domi privatim decantandis intelligimus, cùm publica psalmodia id temporis in Ecclesia Mediolanensi adhuc non videatur fuisse instituta. Vel certe per vocem *psalmis* signari possint alii quilibet cantici pii atque spiritales, ad quos nos exhortatur sanctus Apostolus.

c. Rom. edit. sola, *Cincinni autem mei guttarum noctis.*

72. Audita igitur voce Verbi, quam exueras A tunicam nocte, ne quæras quemadmodum induas eam; [a] offenditur enim, & frequenter offertur per nequitiam spiritalem. Quemadmodum, inquam, induas eam, obliviscaris, & nescias: & quasi jam Dominus adsistat, exsors corporalium vinculorum turbata consurgas: internam orationibus præpares mentem dum surgis; ut ex humilibus ad superna contendas, & studeas fores tui cordis aperire: dum manus tuas tendes ad Christum, fidelem tua gesta spira- B bunt odorem.

73. Admove igitur manus naribus tuis, & odorem actuum tuorum indefessa ac pervigili alacritate mentis explora. Mulcebit te odor dexteræ tuæ, & flagrantiam resurrectionis tua membra redolebunt, myrrham digiti tui sudabunt, hoc est, fidei veræ gratiam spiritalia gesta flagrabunt. Capis ergo, virgo, ex interiore tuo corpore voluptatem, & ipsa tibi dulcis, ipsa tibi suavis es, & ipsa tibi (quod peccantibus sæpe C contingit) non incipis displicere; plus enim tibi placebit nuda simplicitas, corporeæ fraudis exuta tegminibus.

74. Talem te Christus desideravit, talem te Christus elegit. Aperto itaque ingreditur ostio; neque enim potest fallere, qui se ingressurum esse promisit. Complectere igitur quem quæsisti: accede ad ipsum, & illuminaberis: tene illum, roga ne cito abeat, obsecra ne recedat; Verbum enim Dei currit, fastidio non capitur, D negligentia non tenetur. Obeat anima tua in verbo ejus, & cælestis sermonis insiste vestigio; cito enim transit.

Cant. 5. 6. 75. Denique quid ait illa? *Quæsivi eum, & non inveni illum: vocavi eum, & non obaudivit me.* Ne putes displicere te, quæ vocasti, quæ rogasti, quæ aperuisti, quod tam cito abiit: sinit nos sæpe tentari. Denique turbis roganti-
Luc. 4. 43. bus ne recederet, quid ait in Evangelio? *Et aliis civitatibus oportet me evangelizare* [b] *verbum Dei;* E *quia ideo missus sum.* Sed etiam si tibi ille abiisse videtur, exi, rursus explora.

Cant. 5. 7. 76. Noli jam Deo devota illos metuendos circumforaneos intelligibiles timere custodes, noli timere eos qui circumeunt civitatem, noli vulnera formidare, quæ sequentibus Christum nocere non possunt. Etiamsi corpus tuum, hoc est, vitam corporis tui auferant, vicinus est Christus: quem cùm inveneris, ubi cum eodem commorari debeas agnosce, ne forte à te disce- F dat; cito enim deserit negligentes.



CAPUT XIII.

Discendum nobis esse ab Ecclesia quo pacto Sponsus teneri queat, vinculis scilicet caritatis & suppliciorum beneficio: introducendum etiam eum in interiorem domum, sed virtute prius exornatam. Per quam fenestram manum mittere dicatur Sponsus, & quemadmodum fenestræ virgini sint parandæ? Eam quoque januæ suæ silentii seras apponere debere, quod magno suo malo Eva non fecit. Tunc mortificationis ac resurrectionis myrrham sudaturam; si modo virgo illa talis fuerit, qualis esse jubetur ab Apostolo: sed Christum inquiri velle, atque odio habere garrulitatem.

77. Quis igitur te nisi sancta Ecclesia debet docere quemadmodum Christum teneas? immo jam docuit, si quæ legis, intelligas. *Quam modicum*, inquit, *fuit, cùm transivi ab ipsis, donec inveni quem dilexit anima mea: tenui eum, & non relinquam eum.* Quibus igitur Christus tenetur? Non injuriæ nexibus, non restium nodis: sed vinculis caritatis, mentis habenis stringitur, & animæ tenetur affectu. Si vis & tu tenere Christum, quære jugiter, nec pœnam metuas; inter supplicia enim frequenter corporis, inter ipsas persequutorum manus Christus melius invenitur. *Quam modicum*, inquit, *fuit, cùm transivi ab ipsis.* Exiguo enim spatio, brevique momento cùm persequutorum manus evaseris, nec succubueris potestatibus mundi, tibi Christus occurret, nec te diu tentari patietur. Cant. 3. 4.

78. Quæ sic Christum requirit, quæ Christum invenit, potest dicere: *Tenui eum, nec relinquam eum; donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum ejus quæ me concepit.* Quæ est domus matris tuæ & cubiculum ejus, nisi internum tuæ secretumque naturæ? Hanc domum serva, hujus domus mundato penetralia; ut cùm immaculata domus fuerit, nec ullius adulterinæ conscientiæ sordibus inquinata, spiritalis domus in sacerdotium sanctum lapide angulari coagmentata consurgat, & Spiritus sanctus habitet in ea. Quæ sic Christum requirit, quæ sic Christum obsecrat, non relinquitur ab eo, immo etiam frequenter revisitur; est enim nobiscum usque ad consummationem mundi. Ibidem. Matt. 28. 20.

79. Ergo Christus repertus est, & tenetur: & repertus est ille qui per fenestram tuam manum misit. Quæ est fenestra nostra, nisi per quam opera Christi videmus, oculus scilicet animi, & mentis obtutus? Et ideo, virgo, per fenestram tuam Christus introeat, Christus manum suam mittat per fenestram, tibi veniat Verbi non corporis amor. Si igitur per fenestram tuam manum mittit Dei Verbum, vide quemadmodum fenestras tuas præpares, vide quemadmodum ab omni pulvere delictorum detergere debeas. Nihil tetrum habeat, nihil adulterinum fenestra virginis. Procul stibium & ceteras affectati nugas decoris, procul adulterini amoris illecebras. Similis aurium clausura est, quibus non suspendenda onera, non figenda vulnera: sed unus ornatus est, audire quod prosit. Cant. 5. 4.

a Amerb. & Eras. *offunditur enim:* Gill. ac Rom. cum paucis mss. *offertur enim:* alii mss. denique, *offenditur enim* &c. Non incommode, idem quippe est atque *occurrit.* Quid autem si legas *ostenditur?* Certe hanc lectionem duceremus multo potiorem, si quod aliud præsidium ei adesset præter conjecturam.

b. Rom. edit. sola, *regnum Dei.* Rursus vero eadem cum aliis, & mss. aliquot, *tu rursus explora;* ubi mss. nonnulli, *extrorsus explora:* & alii melius, *exi* &c.

80. Januam quoque tuam disce temporibus A
obserare nocturnis, non facile quisquam paten-
tem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, cùm
pulsat. Janua nostra os nostrum est, Christo
propemodum soli debet aperiri: nec aperiatur,
nisi ante pulsaverit Dei Verbum. Denique ideo
Cant. 4. 12. scriptum est: *Hortus conclusus, soror mea Sponsa,
hortus conclusus, fons signatus*; ne facile aperiat
os suum, nec vulgari designet alloquio. Neque
enim de ipsis divinis decet, nisi Verbo Dei inter-
pellata, respondeas. Quid tibi cum ceteris? Soli B
1. Cor. 14. 34. Christo loquere, soli fabulare Christo. Si enim
ut mulieres in Ecclesia taceant, scriptum est;
quanto magis non decet patere virginis januam,
non decet viduæ patere fores? Cito insidiator
a pudoris obrepit, [a] cito verbum excidit, quod
revocare desideres.

Gen. 3. 2. & seq. 81. Si Evæ clausa fuisset janua, nec Adam de-
ceptus fuisset, nec respondisset interrogata ser-
Hier. 9. 21. penti. Introivit mors per fenestram, hoc est, per
Evæ ostium. Ingreditur mors per ostium tuum, C
si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, pos-
tremo si ubi non oportet, loquaris. Clausæ
sint igitur labiorum fores tuorum, & obseratum
maneat vocis vestibulum: tunc fortasse reseran-
dum, cùm audieris Dei vocem, cùm audieris
Dei verbum.

Cant. 5. 5. 82. Tunc tibi myrrha sudabit, tunc tibi bap-
tismatis adspirabit gratia; ut ab elementis mun-
di commoriare cum Christo, & cum Christo
resurgas. *Quid adhuc*, inquit, *velut viventes de* D
Coloss. 2. 20. & seq. *hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne adtamina-
veritis, ne gustaveritis quæ sunt ad corruptionem
ipso usu*; corruptela enim abesse debet à castis:
Ibidem 3. 1. itaque carnis & mundi sepelite curam. *Qui cum
Christo resurrexistis, quæ sursum sunt quærite, ubi
Christus est.* Cùm Christum quæritis, Patrem
Deum videtis; Christus enim in dextera Dei
sedet.

83. Sed ea quæ Christum requirit, non de-
bet esse vulgaris, non debet esse in foro, non E
b in plateis, voce querula, gressu lubrica, [b] fa-
cilis auditu, vilis adspectu. Terrenum tibi Apos-
tolus consortium negat, & ultra naturæ prope-
modum terminos alis ad cælum docet spirita-
Ibidem 2. libus evolandum. *Quæ sursum sunt*, inquit, *sa-
pite, non quæ super terram.* Sed quia hoc im-
possibile erat in hoc corporis velut claustro
reclusis; & quia defunctis corporibus, anima
fertur ad superiora revolare, alligata dum vi-
vimus quadam nostræ lege naturæ, ideo ad- F
Ibidem 3. didit: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita
est cum Christo in Deo.* Si abscondita est cum
Christo in Deo, non appareat mundo; Chris-
tus enim mortuus est mundo, vivit Deo.

84. Vide nunc quemadmodum desiderari amet
Christus, confabulationes non amet. Aperuit
ergo virgo illa suas fores Dei Verbo: sed *transivit*, Cant. 5. 6.
inquit, *& exivit anima mea in verbo ejus.* Exi-
vit à mundo, exivit à sæculo, remansit in Christo. Ibidem.
Quæsivi, inquit, *eum, & non inveni eum*; amat
enim Christus diu requiri.

CAPUT XIV.

Sponsam inveniri à custodibus cælestis Hierusalem in quam illi ingrediendum, & qua ratione? Ejusdem civitatis lumen, muri, portæ, ac cives explicantur. Quomodo intelligatur anima spoliari à sanctis Angelis: quomodo etiam quæ Christum in foro & plateis mysticis quæsitum invenerit, ab eisdem Angelis vulneretur? Quibus jungitur alia pallii utiliter ablati expositio.

85. INvenerunt illam custodes murorum. For-
tasse sunt & alii custodes, quos magis in-
telligere debeamus. Est enim civitas quæ por-
tas murorum clausas non habet, de qua dictum
est: *Et portæ ejus non claudentur per diem*; nox Apoc. 21. 25.
enim non erit amplius in ea, adferent gloriam
& honorem gentes in illam. Illa est ergo civi-
tas Hierusalem quæ in cælo est, intra quam Hebr. 12. 22.
jam quasi perfecta & immaculata servaris; non
enim intrat in eam omne * commune. Com- * Apoc. 21. 27.
munis castitas non est, communis pudicitia non
est, quæ in libro vitæ scribitur.

86. Si igitur invenimus civitatem, ingredia-
mur in eam, videamus lumen ejus, videamus
muros, videamus tribus, videamus fundamen-
ta muralia, videamus etiam custodes murorum.
Sed quomodo ingrediamur in eam? In hac ci-
vitate vita est, & una est via quæ ducit ad vi-
tam: via autem Christus est; ergo Christum se-
quamur. Sed ipsa in cælo est civitas. Quomodo
igitur adscendamus ad cælum, docet * Evan- * Apoc. 21. 10.
gelista qui dicit: *Et duxit me Spiritus in mon-
tem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem
sanctam Hierusalem descendentem de cælo.* Adscen-
damus ergo spiritu; quia caro adscendere ad
eam non potest. Adscendamus nos interim ad
cælum, ut ad nos postea de cælo illa descendat,
in qua lumen est simile lapidis pretiosissimi, ut Ibidem 11.
lapidis jaspidis & crystalli. Habet murum mag-
num & altum.

87. Didicisti lumen, didicisti murum: disce Ibidem 12.
portas, disce custodes. *Habet*, inquit, *portas
duodecim; & in portis [c] Angelos duodecim, in qui-* c
*bus duodecim tribuum filiorum Israel superscripta
sunt nomina.* In portis patriarcharum nomina
continentur, in muro apostolorum; fundamen- Ibidem 14.
ta enim civitatis, apostoli: & lapis angularis est
Christus, in quo omnis structura consurgit.
Deus extra, Deus intus, Deus ubique est; ha- Ibidem 11.
bet enim, inquit, civitas majestatem Dei. Ergo
& vos, sanctæ virgines, & quicumque justi estis,

a. Rom. edit. sola, *cito verbum excipit.*

b. Ita vet. edit. ac plures mss. Rom. autem edit. & mss. nonnulli, *facilis aditu.*

*. *Commune* Scripturæ usu, idem est atque impurum, ut jam alibi annotavimus.

*. Fuere inter hæreticos tam veteres quam novos, qui Apocalypsim à Johanne Evangelista scriptam negarent: è quibus nonnulli etiam eo devenerunt impudentiæ, ut eam Cerintho attribuerent, cujusmodi fuerunt alogiani, quos refutavit Epiphanius. Exstiterunt quoque inter catholicos, qui eumdem librum aut alteri Johanni ejusdem cum Evangelista ætatis adscriberent, aut crederent merito dubitari posse, utrum illius auctor dici debeat Evangelista. Verumtamen quidquid in contrarium adferunt, infirmum est, si universo Patrum antiquorum agmini opponatur. Etenim pro communi opinione stant, Justinus Dial. cum Tryph. Irenæus lib 4. & 5. nec non apud Eusebium Hist Eccl. lib. 3. cap. 23 Clemens Alex. item eodem lib. cap. 25. universalis consensus: iterum apud eumdem lib. 5. cap. 18. & 28. Apollonius, & tandem lib. 6. cap. 25. Origenes, queis accedit Tertullianus adversus Marcionem. Cum his atque aliis omnibus concinit Ambrosius noster hic sicut & in Psal. 1. num. 54. in Psalm. 40. num. 26. atque alibi.

c. Mss. aliquot, *angulos duodecim*, non solum contra reliquorum atque edit. omnium, sed etiam sacri textus auctoritatem.

[a] & immaculatam animæ geritis castitatem, cives sanctorum estis & domestici Dei. Sed tunc nobilitatem istam patriæ possidebitis, si Christum intra civitatis hujus septa quæratis, ingressi per fidem actusque pretiosos, patriarcharum clarificati lumine, fundati super apostolos, versantes inter Angelos.

88. Quomodo igitur isti custodes Angeli sunt, Cant. 5. 7. qui castæ animæ pallium tollunt? Aliud pallium virginum est, aliud [b] adolescentiæ circumforaneæ. Illa quæ in foro Christum requirit, pallium etiam quod habebat, amisit; prudentia enim non in foro, non in plateis, sed in Ecclesia possidetur. Et fortasse (ut cum ipsis quoque veniamus in gratiam, atque omnium misericordem Deum esse doceamus; quia & illi Christum aliquando reperiunt, si tamen jugiter quærant) pallium hoc amictus est corporis.

89. Ergo qui quæsivit in cubili Christum (si Psal. 62. 7. tamen sic quæsivit, sicut ille qui dixit: *Sic memor fui tui super stratum meum*; si quæsivit in Psal. 133. 2. noctibus, juxta quod scriptum est: *In noctibus extollite manus vestras in sancta*; si quæsivit in civitate, in foro & in plateis: in civitate Dei nostri: in foro fortasse in quo judex ille divini juris sedet, in plateis unde collecti sunt: qui ad cœnam Dominicam convenerunt) potest custodientibus civitatem Dei Angelis, dum diu quærit, occurrere.

90. Quin etiam ex cælesti custodum natura cælestem intelligere possumus civitatem, cæleste forum justitiæ sempiternæ: non viles plateas, sed fortasse in quibus superfluere fons ille Prov. 5. 16. consuevit, de quo scriptum est: *Superfluant tibi aquæ de tuo fonte, & in plateis tuis diffundantur tuæ aquæ*. Qui sic ergo Christum requirit, ad Angelos pervenit.

91. Sed si bonis ad Angelos meritis perveniturt; cur qui pervenerit, vulneratur? Est & gladius bonus, cujus gladii bonum vulnus. Vulnerat Dei Verbum, sed non ulcerat. Est vulnus boni amoris, sunt vulnera caritatis; ideoque di- Cant. 2. 5. xit: *Vulnerata caritatis ego sum.* Quæ perfecta est, vulnerata est caritatis. Bona sunt igitur Verbi Prov. 27. 6. vulnera, bona sunt amantis vulnera: *Utilia enim vulnera amici, quam voluntaria oscula ini-* Gen. 24. 58. & seq. *mici*. Vulnerata caritatis Rebecca est, quæ relictis parentibus, migravit ad sponsum: vulne- Gen. 30. 1. rata caritatis Rachel, quæ zelavit sororem, amavit maritum. Sorori enim quod abundabat filiis, ipsa adhuc sterilis invidebat; quia ty- Isai. 54. 1. pum gerebat Ecclesiæ, cui dicitur: *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & exclama quæ non parturis*.

92. Invenerunt ergo custodes, & vulneraverunt eam, & tulerunt ei pallium, hoc est, actus corporalis involucrum sustulerunt, ut nuda mentis simplicitas quæreret Christum; quia nemo potest amictu vestitus philosophiæ, in habitu scilicet sapientiæ sæcularis Christum videre. Et bene tollitur ei amictus philosophiæ; ne quis Coloss. 2. 8. eam per philosophiam deprædetur. Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat; ut Deum visura mundo corde ingrediatur: *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. 7. Denique ubi mundavit cor, Verbum reperit, Deum vidit.

CAPUT XV.

Ad quærendum Deum animam excitat, explicatoque cur ea feminino vocabulo dicatur, monet divinum favorem esse implorandum, ut eadem ab illo gubernetur instar cujusdam currus; illi enim quatuor motus esse tamquam totidem equos, à quibus raptatur: quos docet ratione ac prudentia moderandos.

93. Quære ergo illum, virgo, immo quæramus omnes; anima enim sexum non habet: sed ideo fortasse femineum nomen accepit, quod eam violentior æstus corporis agit: ipsa autem impetus carnis amore sui molli quadam & blanda ratione demulcet.

94. Ergo orationibus & obsecrationibus Deum invitare debemus; ut quasi bonus auster afflare dignetur, Verbique nobis auram cælestis adspiret: quæ fructiferas arbores non turbare vento gravi, sed leni spiramine flatuque molli consuevit agitare. Unde scriptum est: *Posuit me currus* Cant. 6. 11. *Aminadab*; eo quod anima nostra dum jungitur corpori, velut quidam equorum frementium currus rectorem sui quærit aurigam; Aminadab enim pater Naason fuit, sicut in Numeris legi- Num. 1. 7. mus, qui erat princeps populi Juda: cujus figura refertur ad Christum, qui verus populi princeps animam justi velut currum agitator adscendens, Verbi habenis gubernat; ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur.

95. Sunt enim ejus velut quatuor equi, quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas, timor. Quibus furentibus cùm cœperit agi, nequaquam seipsa cognoscit; corruptibile enim corpus animam gravat, & tamquam [c] irrationabilium animalium currus invitam rapit, volventibus curis velut quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis passiones Verbi virtute mitescant. Hæc Verbi tamquam boni agitatoris est providentia, ne illi animæ quæ in se non est morti obnoxia, corpus mortale conjunctum agitationem sui faciat esse difficilem.

96. Primo igitur hos veloces motus corporis domitet, & nexu rationis infrænet: dein caveat ne dispari motu se velut equi implicet, ut bonum aut improbus decoloret, aut tardus impediat, aut turbidus inquietet; fremit enim equus malitiæ, seseque jactando currum lædit, gravat jugalem. Hunc bonus auriga demulcet, & in campum veritatis immittit, fraudis declinat amfractum. Tutus ad superiora cursus est, periculosus ad inferiora descensus. Inde quasi emeriti qui bene portaverint jugum Verbi, usque ad Domini præsepe ducuntur, in quo non fœnum est esca, sed panis qui descendit è cælo.

97. Hujus currus rotæ sunt, de quibus dixit propheta: *Et spiritus vitæ erat in rotis*; eo quod Ezech. 1. 20. currus animæ teres & rotundus sine ulla offensione volvatur.

a. Non pauci mss. *& immaculatam animam geritis castitate*: nonnulli, *& immaculato animo geritis castitatem*: ceteri ac edit. nobis consentiunt.

b. Ita edit. vet. & mss. omnes, tribus exceptis ubi legitur, *aliud adolescentia. Circumforanea illa quæ* &c. Rom. autem edit. hoc tantum recessit ab aliis, quod pro *adolescentia*, reposuit *adolescentula*.

c. Edit. ac pauci mss. *irrationabilium*, Rom. *irrationalium, animalium cursus*: alii magno numero .... *currus*.

CAPUT XVI.

Verbum in hortum nucis quæ tentationis figura est, invitatur; ut fidei ac virtutum odores capiat, melque manducet. In Christo omnibus omnia suppetere: ac proinde exemplo hæmoroissæ mulieris accedendum ad ipsum cum firma fide, cujus mirabiles effectus prædicantur. Adjiciendam fidei humilem quoque confessionem; nec eis qui Christo detrahant, respondendum: sed ejusdem mulieris more dicendum: Non laboravi &c. *Postremo ad conciliandam feminæ confitenti auctoritatem Petri & Pauli exempla ad eamdem virtutem pertinentia proponuntur.*

Cant. 6. 10. 98. SEd ne longius labamur, invitatur Dei Verbum in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis, & sacerdotalis est gratia, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est.
Num. 17. 8. Unde etiam virga Aaron nucea floruit, non jam naturâ suâ, sed virtute secreta. Descendat C ergo in hortum suum, ut vindemiet fidem, capiat odores, pabulum cæleste reperiat, suavita-
Cant. 5. 1. tem nostri mellis epuletur dicens: *Vindemiavi myrrham meam cum aromatibus, manducavi panem meum cum melle meo.* Quod diversarum virtutum
Prov. 6. 8. concretum floribus, illarum apum quæ sapientiam prædicant, [a] consono opere congregatum sancta Ecclesia in favis condit, ut cibus Christi sit.

99. Omnia igitur habemus in Christo. Omnis D anima accedat ad eum, sive corporalibus ægra peccatis, sive clavis quibusdam sæcularis cupiditatis infixa, sive imperfecta adhuc quidem, [b] sed intenta tamen meditatione proficiens, sive multis aliqua sit jam perfecta virtutibus: omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via E est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris,
Psal. 33. 9. alimentum est. *Gustate* igitur, *& videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*

Luc. 8. 43. & seq. 100. Speravit in eo illa, quæ fluxu sanguinis laborabat, & continuo sanata est: sed quia fidelis accessit. Et tu cum fide, filia, vel fimbriam ejus adtinge. Jam sæcularium fluxus voluptatum modo torrentis exundans, Verbi salutaris calore siccabitur; si cum fide tamen accedas, si pari devotione divini sermonis extremam saltem fimbriam comprehendas, si tremens procidas ante Domini pedes. Ubi sunt pedes Verbi, nisi ubi corpus est Christi? O thesauris omnibus opulentior fides! ô virtutibus corporis omnibus fides fortior! ô medicis omnibus salutarior! Simul ut accessit mulier, virtutem sensit, medicinam impetravit; ut si oculum lumini admoveas, illuminatur antequam sentias, & operatio lucis prævenit apparatum. Passio inveterata, passio immedicabilis, quæ & artis omnem vicerat excogitationem, & pecuniarum submi-A nistrationem, solo fimbriæ curatur adtactu. Illius igitur feminæ tibi, virgo, & in adeundo servanda verecundia, & in fide imitanda devotio est.

101. Quanta vero illa gratia, quod ea quæ videri erubescebat, vitium tamen non erubuit confiteri? Noli ergo lapsus occulere tuos, fatere quod ille jam novit: noli erubescere quod non erubuerunt prophetæ. Audi Hieremiam dicentem: *Sana me, Domine, & sanabor.* Sic & Hier. 17. 14.
B illa dixit, cùm contingeret fimbriam: *Sana me, Domine, & sanabor:* [c] *salva me, Domine, & salvabor; quia gloria mea tu es;* sola enim sana est, quam tu sanaveris.

102. Si quis tamen tibi dicat (quia sic plerumque tentantur fideles) *Ubi est verbum Domini?* Ibidem. 15.
Veniat; dictum est enim & Domino: *Descendat* Matth. 27. 42. & 43.
nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Domino, liberet nunc eum, si vult. Si quis ergo tibi insultando hoc dixerit, & te in fabulas voluerit evocare, noli respondere ei; noluit enim talibus respondere Christus. Solum Christum interroga; illis enim si dixeris, non credent: si interrogaveris, non respondebunt tibi. [d] Dic soli
Verbo: *Non laboravi sequens post te, & diem hominis non concupivi.* Hier. 17. 16.

103. Hoc dixit illa mulier, & stetit sanguis. Quamvis fatigata, quamvis ægra, quæ diu quæsierat Christum, dixit tamen: *Non laboravi sequens post te;* neque enim laborat, quæ Christum sequitur, cùm laborantes ad se ut requiescant, evocet. Ergo ipsum sequamur. Quamdiu Matth. 11. 28.
ipsum sequimur, non laboramus; quia non est Num. 23. 21.
labor in Jacob. Et in Esaia: *Qui exspectant Dominum ..... current, & non laborabunt.* Esai. 40. 31.

104. Deinde cùm quæreret Christus quis tetigisset eum, nonne tibi videtur illa dixisse: Luc. 8. 45.
Quid interrogas, Domine? Tu scis: quæ prodeunt per labia mea, ante faciem tuam sunt; & ideo non confundor peccata propria confiteri. *Confundantur qui persequuntur me, & non confundar ego.* Hier. 17. 18.

105. Non confusus est Petrus dicere: *Exi à me, Domine, quia peccator sum ego;* vir enim sapiens & gravis, in quo esset [e] Ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ, nihil utilius sibi esse prospexit, quam ne secundantis operis extolleretur eventu. Et ideo: *Exi,* inquit, *à me, Domine.* Non rogat ut deseratur, sed ne infletur. Luc. 5. 8.

F 106. Paulus quoque de carnis stimulo gloriatur, quod sibi ne extolleretur, provisum est. Illecebrosa jactantia est, quam etiam Paulus veretur: lubrica, quæ etiam in Paulo cavetur. Sed non iste facili mobilis casu, qui revelationibus timebat extolli; & ideo quasi fortis athleta lætatur quod vulnere corporis emere didicerat animæ sanitatem. 2. Cor. 12. 7.

a. Mss. complures, *consono ore congregatum.*
b. Mss. aliquot, *sed nitenti tamen meditatione.*
c. *Salva me, Domine, & salvabor,* in mss. pluribus omittuntur.
d. Paris. quædam edit. *Dic solo verbo.* Pessime.
e. Quidam mss. *fundamentum.* Non male, unde ii etiam è catholicis qui illa Christi Domini verba, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* à Patribus de Petro umquam intellecta eunt inficias, vel ex hoc solo sancti Doctoris loco revinci possunt; hic enim ad eum alludi manifestum est.

CAPUT

CAPUT XVII.

Cavendam jactantiam suadet cum aliis exemplis, tum potissimum apiculæ, habere enim animam nostram suos volatus, quibus mundo facta superior, Deo æternisque virtutibus jungatur. Has supra mundum esse docet exemplo Christi, ad cujus atque apostolorum imitationem animam urget. Ne tamen videatur exemplar sublimius, hortatur ut fiat Christi discipula, quo oratione adjuvetur: interim diligentiam adhibeat, ac vitia varia relinquat foris.

106. ERgo & tu si munera divina superfluere in te & redundare cognoveris, tuam metire virtutem, gratiam Deo redde, a [a] contemplationemque corporis, velut navis saburram suscipe; ne te in tantis mundi fluctibus jactantiæ alicujus aura circumferat. Apis illa sapiens cùm aeris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis, per inania se librat nubila; ne leve C alarum remigium præcipitent flabra ventorum. *Act. 14. 12. & 13.* Paulus & Barnabas putaverunt se gravari, cùm cernerent adorari. Et tu cave, virgo, illius apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum aura mundi hujus extollat.

107. Habet enim anima volatus suos. Et ideo *Esai. 60. 8.* dictum est: *Qui sunt isti, qui sicut nubes volant, & sicut columbæ cum pullis suis?* Habet ergo anima spiritales volatus, quæ brevi momento totum percurrit orbem; LIBERÆ enim sunt co- D gitationes prudentium: quanto ad altiora & diviniora se subrigunt, tanto magis sine ullo terrenæ molis impedimento feruntur. Itaque adhærens Deo, & imaginis in se referens cælestis effigiem, ubi cursus suos ab equorum perturbatione placidaverit, in illum æthereum, purumque locum plausu spiritalium evecta pennarum, despicit omnia quæ in hoc mundo sunt: & æternis intenta virtutibus, supra mundum labitur. b Supra mundum enim justitia est, [b] supra mun- E dum caritas, supra mundum castitas, supra mundum bonitas, supra mundum sapientia: & si in hoc mundo sit, supra mundum tamen est.

Matth. 4. 8. 108. Supra mundum erat justitia, cùm omnia regna mundi & universam ejus gloriam diabolus offerret. Supra mundum fuit, qui de mundo nihil adtigit. Denique ait: *Johan. 14. 30.* *Venit hujus mundi princeps, & in me*, inquit, *inveniet nihil.* Discite ergo in hoc mundo supra mundum esse: & si *Ibidem 15. 19.* corpus geritis, volitet in vobis ales interior. F Supra mundum est ille, qui tollit Deum in corpore suo.

109. Sed Deum imitari non possumus. Imitemur apostolos, quos mundus odio habuit; quia A non erant de hoc mundo. Hos imitare, hos sequere. Sed arduum putas humana virtute supra mundum adscendere. Bene adseris; nam & apostoli non quasi consortes, sed quasi discipuli sequendo Dominum, supra mundum esse meruerunt. Et tu esto Christi discipula, Christi æmula: & pro te rogat, qui pro illis rogavit. Non enim *Ibidem 17. & seq.* pro apostolis tantum, inquit, rogo; sed pro iis qui credent per sermonem eorum in me; ut omnes unum sint. Unum igitur nos esse vult Dominus, B ut supra mundum simus omnes; ut una sit castitas, una voluntas, una bonitas, una gratia. His enim alitur & augetur animæ volatus.

110. Ergo [c] non pigrescamus, sed de terrenis c consurgamus; ea est enim natura pennarum, ut agitando se virtutem capiant. Eo juvatur volatus, quo anima delectatur, quæ si semper Deum sequatur, atque in domo Domini habitare desideret, & ejus delectatione pascatur, ac miraculis virtutum alatur cælestium; foris relin- C quet invidiam, quæ extra chorum est Angelorum, foris cupiditates corporis, quæ templum Dei maculare non debent. Et ideo quoniam templum Dei sumus, materiales à nobis sollicitudines abdicemus.

CAPUT XVIII.

Quod à poetis animæ currus, equi & alæ adtribuuntur, id petitum à propheta Ezechiele. Hujus quatuor animalium formas quibus quatuor exprimuntur Evangelistæ, quatuor etiam cardinalium virtutum figuras esse ostenditur. David etiam de anima alis pulcre dixisse. Accendit ergo nos ad volatum sanctus Antistes, & quæ fugienda moneat Icari lapsus, nobis aperit. Deinde volandi difficultate proposita, docet si actus nostri sibi consenserint, fore ut videamus Christum in throno, qui nos dirigat: cùm vero legatur modo montem solitus adscendere, modo navim; hac ansam nactus, navis ac piscationis Petri mysticam enodat sententiam.

111. AC ne forte * philosophica alicui aut * poetica usurpasse videamur, ut currus, equos, alas animæ diceremus, quæ illi magis adsumsere de nostris; domesticis nos usos subsidiis propheticæ series lectionis ostendit, quæ in hunc modum à sancto Ezechiele scripta est: *Et facta est illic super me manus Do-* *Ezech. 1. 3. & seq.* *mini, & vidi, & ecce* [d] *spiritus surgens veniebat* d *ab Aquilone, & nubes magna erat in eo, & ignis refulgens, & lumen in circuitu ejus sicut lumen electri in medio ignis, & lumen in eo, & in medio sicut similitudo quatuor animalium.*

a. Rom. edit. *contentionemque corporis:* melius aliæ, ac mss. *contemplationemque corporis*; id est, considerationem corporeæ fragilitatis ac vilitatis. Est autem *saburra*, cujus continuo post mentio fit, arena in fundo navium posita, ne illæ aut nimium fluctuent, aut alteram in partem inclinentur. Quod vero subjungitur de apibus, id non obscure petitum fuit ex illo Virgilii lib. 4. Georg.

..... & sæpe lapillos
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram
Tollunt: his se se per inania nubila librant.

b. *Supra mundum caritas*, in mss. plerisque desiderantur.

c. Omnes edit. *non pigrescamus deserere terrena; eà est* &c. mss. vero nonnulli *non pigrescamus side terrena; ea est*, &c. reliqui multo plures ut in contextu.

*. Platonem hoc loco designari non inficiabitur, cui libuerit hunc locum & quæ lib. 2. *de Abraham*, cap. 8. num. 54. disputantur, inter se comparare. Sed & ante Ambrosium Justinus martyr orat. Paræn. eumdem philosophum prophetarum libros, & hunc in primis Ezechielis locum perlegisse testatus, adjicit: Ἔνθεν ἱερομύστης ὁ μεγαλόφωνος Πλάτων μετὰ πολλῆς παῤῥησίας θεῷ λέγων, Ὁ μὲν δὴ μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων.

d. Ita mss. fere ad unum: edit. vero, *spiritus urgens*, LXX. πνεῦμα ἐξαῖρον, id est, spiritus auferens, procellosus ac violentus: nihil tamen vetat quin Ambrosius verterit, *spiritus surgens*, cùm post ἐξαῖρον subintelligere potuerit ἑαυτὸν, hoc est, *adtollens se ipsum.* Rursus autem ubi nos cum mss. plerisque, *& ignis refulgens, & lumen in circuitu ejus*; alii mss. tantum exhibent: *& ignis refulgens, & lumen in eo, & in medi sicut similitudo* &c. ubi lacuna est minime dubia. Porro edit. à lectione nostra tantum discrepant, quod pro *& lumen in circuitu ejus sicut lumen*, præferunt, *& lumen in eo, & in medio sicut lumen.* Sed neutrum à propheticis verbis multum dissidet.

112. Vides igitur animalia jam quatuor esse descripta. Cujusmodi sint animalia ista debemus advertere: *Similitudo*, inquit, *vultus eorum facies hominis, facies leonis à dextris illis quatuor, & facies vituli à sinistris illis quatuor, & facies aquilæ desuper illis quatuor, & alæ eorum extensæ.* Ibid. 10. & 11.

113. Hîc quoque animam describi accepimus, cujus quatuor animalia, quatuor affectiones sunt: sed non ita, ut illæ quas supra descripsimus; adhuc enim illæ erudiuntur animæ, processumque accipiunt: hîc jam perfecta describitur. Denique illæ invitantur ad cælum, hæc in cælo est cum Dei Verbo. Habet autem quatuor affectiones, id est, similitudini hominis, leonis, vituli, & aquilæ comparandas. Quas formas pro librorum Evangelicorum proprietate accepimus figuratas. Et ideo hîc quoque in homine rationabilis, in leone impetibilis, in vitulo concupiscibilis, in aquila visibilis per figuras animalium species affectionis expressa est.

114. Nam in omni sapiente viro Prudentes Græciæ esse memoraverunt λογιστικὸν, θυμοειδικὸν, ἐπιθυμητικὸν, δικαστικόν: Latini vero prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam. Prudentia enim rationis humanæ est: fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemtum: temperantia sacratæ vinculo caritatis, mysteriorumque contemplatione cælestium negligit corporis voluptates: justitia in alto quodam suggestu locata videt, exploratque omnia: [a] quæ aliis potius nata quam sibi, non tam suas utilitates quam publica emolumenta rimatur. Meritoque anima operata justitiam, formam aquilæ accipit, quod terrena defugiens, totaque cælesti sublimis & intenta mysterio, resurrectionis gloriam pretio æquitatis adipiscitur. Propter quod ad eam dictum est: *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* Psal. 102. 5.

115. Est ergo & juxta David, alis spiritalibus anima fulta, quam eousque volucrem nobis voluit declarare, ut alibi quoque diceret: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Psal. 123. 7. Et alibi: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?* Psal. 10. 2. Habet igitur alas anima suas, quibus se possit libera levare de terris. Alarum autem remigium non materialis compago pennarum, sed continuus ordo bonorum factorum est; qualis ille Dominicus, cui bene dicitur: *Et in umbra alarum tuarum sperabo.* Psal. 56. 2. Non solum enim manus illæ Domini affixæ cruci in modum volantis extentæ, sed etiam facta cælestia, velut umbra refrigerante salutis æternæ, mundi ferventis incendia temperarunt.

116. Ergo quia volandi nobis data est copia, excitet in se unusquisque gratiam Dei, ac posteriora obliviscens, priora appetens, ad destinata contendat. Phil. 3. 13. Procul à * militiæ honoribus, procul ab æstibus mundi; ne quod fabulæ ferunt, æstu solis cera resoluta Icareos volatus penna relabente destituat. Nam licet [b] gravitas dictorum absit; poetico tamen sale declarare voluerunt prudentium maturitati tutos esse volatus per sæculum, juvenilem vero levitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, refluentibus pennis, & per oblivia veritatis meritorum compage resoluta, majore pernicie in terram relabi.

117. Haud facilis volatus omnibus: difficilis etiam [c] discordantibus internis animalibus vitæ cursus humanæ est. At si sibi actus nostri ordo conveniat, videbit & in nobis propheta rotam illam unam super terram conjunctam animalibus quatuor. Videbit ergo rursus Ezechiel; videt enim adhuc & viget, & vigebit. Ezech. 1. 15. & 16. Videbit, inquam, rotam in medio rotæ super terram sine offensione labentem. Rota enim super terram vita est corporis ad animæ aptata virtutem, & ad Evangelicum cohærenti cursu formata præceptum: rota autem in medio rotæ, veluti vita intra vitam; quod sanctorum sibi vita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis: vel quod in hac vita corporis vitæ volvatur usus æternæ.

118. Cùm ista congruerint, tunc divina vox resultabit, tunc super similitudinem throni similitudo sicut species hominis apparebit. Ibidem 26. Hic homo Verbum est, quia *Verbum caro factum est.* Johan. 1. 14. Hic homo [d] nostrorum est agitator animalium, nostrorum rector est morum, qui pro nostrorum ratione meritorum, aut currum plerumque aut montem adscendit, aut navim: sed navim in qua aut apostoli navigant, aut piscatur Petrus; Luc. 5. 3. & seq. nec enim vilis est navis, quæ ducitur in altum, hoc est, ab incredulis separatur? Matth. 17. 1. Cur enim navis eligitur in qua Christus sedeat, turba doceatur; nisi quia navis Ecclesia est, quæ pleno Dominicæ crucis velo sancti Spiritus flatu in hoc bene navigat mundo?

119. In hac navi piscatur Petrus: & nunc retibus, nunc hamo piscari jubetur. Grande mysterium! Spiritalis enim videtur esse piscatio, qua doctrinæ hamum mittere jubetur in sæculum; ut primum illum martyrem [e] Stephanum de mari elevet, qui censum Christi in interioribus contineret; Martyr enim Christi thesaurus Ecclesiæ. Martyr igitur ille qui de mari ad cælum primus adscendit, captus à Petro minister altaris, non reti, sed hamo levatur; ut rivo sui sanguinis elevaretur ad cælum. Cujus in ore thesaurus erat, cùm Christum in confessione lo-

a. Mss. aliquot, *quæ aliis potius nota*: melius alii & edit. *quæ aliis potius nata* &c. quam sententiam iisdem verbis reperies in Psal. 35. col. 768. num. 7.

*. Militia non solum de castrensi intelligitur, sed etiam de forensi professione. Symmachus lib. 7. epist. 124. *Fungetur militia in scriniis litterarum* &c. Immo vero etiam ad significandum quodlibet munus eam dictionem solemus adhibere, cujus exempla passim occurrunt.

b. Paris. quædam edit. ac mss. nonnulli, *gravitas dictorum obsit*: melius aliæ, ac plures mss. .... *absit*; hic enim gravitas idem est atque auctoritas seu veritas, quam poetis abrogat Ambrosius. Iterum, ubi omnes edit. ac mss. aliquot, *declarare voluerunt prudentium maturitati*, non pauci mss. legunt, *declarare voluerunt prudentiam maturitate* &c. non satis recte. Postremo Gill. in marg. & Rom. edit. in corpore cum mss. nonnullis habent *volatus per cælum*, ubi vet. edit. ac multo plures mss. rectius, *volatus per sæculum.*

c. Omnes edit. *discordantibus in terris animalibus*; mss. autem nonnulli, *discordantibus. In quaternis animalibus vita* &c. Elegantius reliqui ut in textu.

d. Mss. aliquot, *nostrarum agitator est animarum.*

e. Edit. *de mari verrat*: mss. partim .... *erueret* partim ..... *elevet.* De Stephano autem non solum hoc loco, sed etiam Hexaem. lib. 5. cap. 6. num. 16. & in Lucam lib. 5. num. 75. disputatur. Ceterum quod subditur post pauca, *minister altaris*, id sane aperte significat diaconos non ut Ecclesiæ facultates atque eleemosynas tantum administrantes, quemadmodum in Trullana Synodo contra Neocæsariensem, atque adeo universam Patrum traditionem constitutum est, sed ut altaris veri ministri censerentur, sicut jam alibi animadvertimus.

quaeretur. Quis enim thesaurus in nobis est, nisi A Dei Verbum? Dei ergo & retibus & hamo piscatur perfectior; ut reti concludat, hamo adurat: sed reti turba concluditur, hamo singularis eligitur. O si mihi liceret illum hamum vorare, qui adureret os meum a, & levi daret salutem vulnere!

CAPUT XIX.

Hortatur virgines, ut subeant retia sapientiæ, id est regnum cælorum, quo ducere jubetur Petrus. B *Alia ejusdem præcepti datur acceptio, ut cor viri per altum intelligamus atque Ecclesiam: mox proponitur & tertia de ipso Christo; unde & respondet idem apostolus incassum per noctem se laborasse. Quomodo etiamnum eadem Christus ac Petrus dicant: Denique subjungitur exhortatio ut si pretium quod Christo debemus, totum solvere minus liceat, saltem nos ejus beneficio non indignos exhibeamus; ne queratur frustra sanguinem se profudisse, ac locum subiisse corruptionis.* C

120. INtrate igitur, filiæ, in apostolorum retia, quæ non hominis auctoritate, sed Dei voce laxantur; rete enim sapientiæ spiritalis atque doctrinæ regnum cælorum est, quia Matth. 13. 47. scriptum est: *Simile est regnum cælorum reti missæ in mare.*

121. Audistis hodie dicentem dominum Jesum Luc. 5. 4. Simoni: *Duc in altum, & laxate retia vestra in* D *capturam.* Ante non ducebat in altum Petrus, Ibidem 5. quando piscabatur in stagno. Etsi mare erat, altum non erat. Altum mare Scriptura nescit. Prov. 18. 4. Quid ergo sit altum, accipe: *Aqua alta consilium in corde viri.* Altum cor viri est, ubi nihil vadosum est. Duc ergo in altum disputationis tuæ fideique remigium, duc in cor viri. Per parabolam hîc vocat ad Ecclesiam Petrum, quem secundùm Matthæum simplici vocavit sermone Matth. 4. 19. dicens: *Venite, & faciam vos piscatores hominum.* E

122. Est & aliud mysterium: *Duc in altum;* quia ante in arena erat, quando in Synagoga erat. Alta non erat aqua Judææ. Denique Samaritana & puteum altum putabat dicens: Johan. 4. 11. *Et puteus altus est, unde mihi dare habes aquam vivam?* Non ergo ducere b in altum poterat, quando cum Judæis credebat, qui etiam de puteo aquam haurire non poterant. Ideo dicitur Petro: *Duc in altum,* hoc est, duc ad Christum; altus est enim Christus, de quo dicitur ad Johannem à Patre: F Luc 1. 76. *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis.* Duc ergo ad Christum. Et bene altum, in quo est altitudo Rom. 11. 33. divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Duc in altum; c qui altus super altum custodit, & exaltat.

123. Ibi ergo altæ aquæ, ubi Christus est, d hoc est, fides. Altæ aquæ, quæ timent Dominum, Ps. 76. 17. quales illæ: *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt.* Apud Judæos e aqua alta non erat, quia non erat in corde viri. Ideoque Matt. 15. 8. Dominus ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* In corde amat esse Ibid 12. 40. Christus: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*

124. Denique ut scias quia de fide dicit: *Duc in altum;* ait Petrus: Luc 5. 5. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo retia.* Noctem habebat Petrus, antequam Christum videret. Nondum enim ei venerat dies; quia veram non viderat lucem. Synagoga nox est, dies Ecclesia est. Unde & Paulus dicit: Rom. 13. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Bona lux, quæ perfidiæ excussit caliginem, fidei diem fecit. Dies factus est Petrus, dies Paulus; ideoque hodie natali eorum Spiritus sanctus increpuit dicens: Ps. 18. 3. *Dies diei eructat verbum,* hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi. Et bonus uterque dies, qui nobis verum lumen evomuit.

125. Hæc in Evangelio legimus. Et fortasse in cælo hodie de nobis Christi & Petri iste sit sermo. Quotidie piscatur Petrus, quotidie ei dicit Dominus: *Duc in altum.* Videor mihi audire dicentem Petrum: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Nox fuit, * pauciores ad vigilias convenerunt. Laborat in nobis Petrus, quando nostra laborat devotio: laborat & Paulus. Denique audistis dicentem hodie: 2. Cor 11. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* f Nolite facere ut pro vobis laborent apostoli. Ergo dicunt ei: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Nullus certe de ditioribus jejunavit. Quibus hodie bene respondit Petrus: 1. Petr 1. 18. & 19. *In timore hoc incolatus vestri tempore conversamini, scientes quod non corruptibilibus argento vel auro redemti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Jesu.* Non ergo aurum & argentum vos liberavit, sed probatio fidei multò pretiosior auro, quod perit.

126. Bonus servus pretium studet reparare domino, quod pro se solutum est. Noli aurum parare, filia, noli argentum. Non divitiis istis te Christus redemit. Paratum habeto pretium. Non semper exigeris, sed semper debes. Sanguinem solvit, sanguinem debes. Ille pro te solvit, tu pro te redde. Eramus oppignorati malo creditori peccatis, contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus: venit dominus Jesus, suum pro nobis obtulit; sed non potes sanguinem reddere.

127. Bonus quidem servus debet pretium suum reparare domino suo: si non potest pretium reddere, vel hoc faciat, ne pretio videatur indignus. Ergo & tu dignam te gere tali pretio; ne veniat Christus qui te mundavit, qui te re-

a Mss. aliquot, *& levigaret salutem vulnere*: alii nonnulli, *& levigaret saltem vulnera*: melius reliqui, & edit. ut in textu.

b. Nonnulli mss. *in altum poterat. Quando poterat? Quando cum Judæis credebat. Quia etiam* &c. mendose.

c. Ita edit. Amerb. atque Eras. cum mss. multo pluribus, nisi quod in illis habetur, *custodiet & exaltabit.* Gill. vero & Rom. cum aliis nonnullis mss. *quia altum*, edit. *altos, super altum custodit & exaltat*, edit. *custodiet & exaltabit.*

d. Nonnulli mss. *hoc est, fides alta, & quæ timent*: alii non pauci, *est fidei alta aqua, qui*, unus *quæ timent* &c. Melius edit. omnes ut in contextu.

e. Vet. edit. *aqua alta non erat in corde viri*: elegantius Rom. cum mss. omnibus, ut nos supra.

* Hinc cognoscimus Apostolorum quorum festum eodem semper die celebratum est, natalem diem nunquam non maxima cum solemnitate cultum fuisse; quando quidem inde à primis Ecclesiæ seculis non sine vigiliis ac jejunio præmissis observabatur. Non tamen jejunium illud tantam quantam quadragesimale obligationem induxisse existimanus, cùm eos à quibus illud fractum fuerat, molliuscule castiget Ambrosius.

f. Aliquot mss. *Nolite deficere, ut proficiat, laborate. Apostoli ergo* &c.

demit; & si te in peccatis invenerit, dicat tibi: A *Quæ utilitas in sanguine meo?* Quid profecit tibi, *dum descendo in corruptionem.* [Psal. 29. 10.]

128. Sed ne mireris quomodo descenderit in corruptionem, cujus caro, ut alibi scriptum est, non vidit corruptionem. Descendit quidem in locum corruptionis, * qui penetravit inferna: sed corruptionem incorruptus exclusit. [Act. 2. 24. & seq.]

CAPUT XX.

Petit preces, piscationem suam cognoscens prosperam esse non posse sine favore Dei, cui gratias quod sibi auxilium mittere sit dignatus, agit. Suis se retibus non uti significat, sed Petri & Pauli, à quibus optat virgines vivificari. Quam utile Johanni fuerit omnia pro Christo deseruisse, cujus persona quo fuit vilior, eo major illi haberi debet auctoritas. Quantum etiam illud quod Moysi ac Eliæ piscatores à Christo socientur. Horum cum Moyse jucunda instituitur collatio.

129. Verum ut jam ad superiora redeamus, rogate ut & mihi dicatur: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Quis enim est, qui sine Deo piscetur hanc plebem; præsertim cùm tantæ tempestates & procellæ mundi hujus obsistant? Sed quando vult Dominus, jubet laxare retia, & capitur multitudo piscium: nec solum una, sed etiam altera navis impletur; quia plures Ecclesiæ immaculata plebe complentur. Et bene accidit quia nos laboraturos Dominus sciebat, & auxilium de sociis ministravit. Adest * piscator Ecclesiæ Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus. Da, Domine, pisces; quia dedisti adjutores.

130. Nec tamen nostris, sed apostolicis utimur retibus. In illos sinus, & quosdam apostolicarum [a] disputationum recessus vestrum, ò filiæ, cogatur agmen. Vivificet vos Petrus, filiæ: qui & pro vidua intervenit, quanto magis pro virgine? Qui diutius viduas flere non passus, motus earum lacrymis, resuscitavit altricem. Vivificet vos Paulus, qui vos præcepit honorari, qui ait: *Bonum est si sic maneant sicut & ego.* Honore provocat, magisterio docet, * invitat exemplo. [Act. 9. 39. & 40.] [1 Tim. 5. 3. 1. Cor. 7. 8. Matth. 4. 20. & seq.]

Vivificet ille, qui relictis suis omnibus, sequutus est Dominum: sequutus est Petrus, sequutus est Johannes.

131. Vide quid piscator etiam iste profecerit. Dum in mari lucrum suum quærit, vitam invenit omnium. Lembum deseruit, Deum reperit: scalmum reliquit, Verbum invenit: [b] lina laxavit, fidem vinxit: plicavit retia, homines elevavit: mare sprevit, cælum adquisivit. Hic ergo piscator dum ipse turbato agitatur salo, [c] mobili mentes statione nutantes fundavit in petra.

B 132. Adstruamus igitur piscatoris artem frequentius, ut plenius de virtute credamus. Fuerit minister ignobilis, ut sit Evangelista nobilior: paupertate egenus, ut virtute locupletior: vilis ad honorem videatur, sed pretiosus ad fidem. Quanto minus creditur piscatori, tanto amplius creditur; quia non sua, [d] sed divina sunt, quæ loquutus est. Obsequitur plebeia conditio, exspectationem aufert sapientiæ sæcularis, opinio-C nem auget sapientiæ spiritalis. Qui Legem non didicit, & quæ Legis sunt sapit, ipse sibi Lex est: qui Legem non didicit, & ultra Legem loquitur, ab eo accepit, à quo ipsa Lex venit. [Rom. 2. 14. & 15.]

133. Quæ tam repentina dignitas? Piscatores duo in monte Domini, uni latori Legis, exsequutori alteri conferuntur. Videte qualis sit iste piscator. Moyses quidem terrena omnia & mundanæ sapientiæ altitudinem supergressus, usque ad cælum & sidera prudentiâ mentis adscendit: D piscatoris istius mens non nubibus caligatur, non temporibus includitur, non mysteriis naturæ cælestis excluditur; sed omnem corporalem materiam supergressa, Verbum apud Deum vidit, & quòd Verbum ipsum Deus esset, adspexit: nec obtutu carnis in Petro infirmata trepidavit, sed Dei Filium etiam in homine deprehendit; ut adsumtio corporis [e] ad jus divinitatis adsumentis adscita, in nomen transiret auctoris. [Matth. 17. 1. & seq.] [Joan. 1. 1. & seq.] [Matth. 16. 17.]

134. Et Moyses quidem cùm dicit: *Et dixit* E *Deus .... & fecit Deus*; Patrem, Filiumque signavit: sed ille non ignorabat, ego adhuc ignorabam. Denique post Legem populus erravit, post Evangelium credidit. Magna [f] in diversis virtutibus Dei gratia. In illo, quia mundum descripsit: in isto, quia mundum ignoravit. [Gen. 1. 3. & seq.]

*. Apertis verbis sanctus Antistes sententiam suam de Christi ad inferos descensu promit: quem quidem cùm pro articulo fidei habendum negent nonnulli, de illo nobis ad tractatum *in Symbolum Apost.* nonnihil disputare necessum erit.

*. Eusebium Bononiensem episcopum hîc significari auctor est Baronius ad an. 377. nec vero quidquam ejus officit opinioni, cùm sanctus ille vir Aquileiensi concilio an. 381. simul cum Ambrosio interfuerit. Quod vero idem Cardinalis subjungit hunc ipsum Eusebium esse, cui Ambrosianus tractatus *de Institutione Virginis* dedicatur, id quidem majori indiget examine, ac proinde in præfatione ad eumdem tractatum pag. seq. discutietur. Porro beati Eusebii festum 6. Kal. Octob. notatur in fastis ecclesiasticis.

a. Mss. non pauci, *dispositionum recessus.*

*. Fuerunt Eusebio teste lib 3. Hist. Eccles. cap 30. qui cœlibatum Pauli negatum à Clemente Alexandrino contenderent: qua in opinione Clementi socium aliqui conjunxerunt etiam Ignatium epist. ad Philadelphios. Horum auctoritate moti catholicorum nostræ memoriæ nonnulli dubiam hac de re tulerunt sententiam: sed imprimis complures heterodoxi cupide hanc ad oppugnandam vituperandamque cœlibis vitæ conditionem arripuerunt. Verumtamen licet insuper quosdam paulinarum epistolarum locos, puta ex 1. Cor. 9. & ad Philip. 4. 5. male intellectos proferant, nihil hi contra alia ejusdem Apostoli clarissima testimonia, & communem universæ traditionis consensum valent. Certe numquam eorum opinioni favisse Ambrosium abunde significat hic ejus textus. Adi quoque super hac materia Baron. ad an. 57. Bellarm. lib. 1 *de Cleric.* cap 20. Pammel. in Tertul. *de Monog.* annot. 11. Leon. Allatium *de Methodiis,* & interpretum turmam in locos Apostoli controversos.

b *Lina laxavit, fidem vinxit: plicavit retia, homines elevavit,* isthæc in mss. pluribus desiderantur.

c. Mss. non pauci, *mobili mentis statione.*

d. Sic edit omnes: mss. vero partim, *divina loquutus est. Obsequii plebeia conditio:* partim, *divina loquutus est obsequia. Plebeia conditio.* Neutrum satis commode.

e. Mss. aliquot, *ab hujus divinitate adsumentis adscita:* nonnulli alii, *ad jus divinitatis ad usum mentis adsciti:* aptius reliqui, atque editi, quos hic sequimur.

f. Pauci mss. *in diversis ætatibus.* Haud ita male.

IN LIBRUM SEQUENTEM ADMONITIO.

Hoc opus in manu exaratis atque in editis codicibus non eodem titulo inscribitur; in illis enim prænotatur eo lemmate, Sermo de sanctæ Mariæ virginitate perpetua : in his vero, Ad Eusebium institutio vel de institutione Virginis. Et sua quidem utrique inscriptioni subest ratio. Enim vero qui priorem eidem præfixere, hoc vel maxime ductos apparet, quod hujusce lucubrationis potissima pars in refellendis ejusdem Mariæ adversariis impenditur. Non aliunde etiam putamus factum, ut cùm aliorum omnium qui ad virginale institutum pertinent, tractatuum reperiantur mss. complures, hujus tam paucos & imperfectos invenire sit. Illum scilicet arbitrati sunt ad virtutis & morum informationem minus referri, quam ad hæresis non exsoletæ solum, sed eversæ ac penitus extinctæ confutationem. Nec novam esse illam eorumdem manuscriptorum hujus hinc intelligas, quod in ea Canticorum expositione quam ex Ambrosianis operibus collegit Guillelmus Abbas S. Theoderici,[a] nihil quod ex hoc eodem libro petitum fuerit, insertum est. Quod autem editiones spectat, qui titulum eisdem indidere, ii magis operis scopum ac finem adsequuti sunt. Quapropter cùm utramque inscriptionem summarum paginarum amplitudo integram non caperet, eam tantum in fronte libri duximus præfigendam.

Idem in editionibus destinatus legitur Ad Eusebium : quod nomen licet in mss. nostris desideretur, tamen in iis codicibus, unde prælo commissa est ea scriptio, exstitisse negandum non est, sed solum quisnam ille fuerit, inquirendum. Nonnulli cum Baronio[b] eumdem hunc esse ac sanctum Eusebium Bononiensem episcopum existimarunt. Verum tamen videtur multo probabilius Eusebium alium designari Bononiensem civem, cui familiaritatem intercessisse cùm Ambrosio ejusdem sancti ad eum epistola satis declarat. Porro is erat familiæ nobilissimæ caput, ac filium habebat Faustinum pulchræ & numerosæ sobolis patrem. Nepotes suos pius ille avus ad Ambrosium, ut eorum curaret educationem, missitabat. Hos autem inter puellam, Ambrosiam scilicet, numerat sanctus Præsul, quam spiritalem columbam .... unctam oliva integritatis vocat, & quam cum fratre ejusdem nominis designat, ubi dicit utrumque Ambrosii pignus &c. Ergo cùm neptem suam sancto Antistiti enixe commendasset Eusebius,[c] hanc ille Mediolani non vulgari cum animi voluptate exceptam, cognito ejus desiderio ac parentum consensu, solemni ritu consecravit. Cum autem illam virginiatis victimam ad aras priusquam velamine obnuberetur, gravi piaque oratione ex more hortatus esset, eamdem orationem additis tantum duobus capitulis [d] ad religiosum illum virum transmisit.

Primo igitur Eusebium quod Ambrosiam sibi præ ceteris suis liberis caram esse significasset, [e] laudat, virgineam conditionem conjugali longe præstare multis demonstrans. Tum ubi docuit continentiæ semper adjungi oportere silentium atque orationem, [f] hujus ultimæ dotes exponit. Mox profitetur tametsi de præcellenti illa virtute sæpius egerit, [g] se tamen non gravate huic operi laborem Ambrosiæ gratia impendisse. Quibus præmissis, habitum abs se dum velaretur eadem Virgo, sermonem refert. In exordio utrique sexui virginitatem testificatur decori esse: [h] ac rebus ab origine prima repetitis, feminas immerito tamquam homini erroris & peccati causas in invidiam vocari probat. Respondet etiam solitæ illi criminationi, qua mulieres viris offendiculo esse dicuntur; [i] ubi de multarum ejusdem sæculi feminarum pietate atque jejuniis perpulcra narrat.[k] Hinc à veteri Eva ad novam conversus, nimirum ad Mariam, ipsam signum sacræ virginitatis extulisse primam adserit.[l] Quapropter sese mirari subdit Christianorum aliquos huic Dei simulque Virginum omnium parenti perpetuam integritatem ausos negare. Hoc sacrilegium æterno quidem silentio oprimendum dicit, sed cùm Episcopus (Bonosus videlicet Sardicensi aut potius Naissitanæ diœcesi, ut à nobis alibi declarabitur, præfectus) in eam impietatem inciderit,[m] jam non videri dissimulandum. Itaque veritus ne rectæ fidei noceret episcopalis auctoritas, illum in publico conventu quo infinita multitudo ad exteræ nobilissimæque virginis consecrationem advolaverat, aggreditur.[n] Primùm istorum hæreticorum sophismata in medium profert, quibus deinde suas singulis adhibet solutiones.[o] Porro non alia ferme respondet, quam quæ Helvidio Auxentii illius arriani discipulo reponit Hieronymus. Hoc tamen potissimùm inter se distinguntur, quod cùm ultimus adversariorum paralogismos diluere satis habeat, insuper argumenta quibus perpetua Mariæ virginitas demonstretur, addit Ambrosius. Ibi virgines ad ejusdem antesignanæ suæ imitationem ob sponsi zelotypiam cohortatus, [p] hujus ipsius divinitatem probat, ab iisdem hæreticis superbe impugnatam.[q] Postquam vero iterum ad imitandam Deiparæ castimoniam virgines excitavit, quænam virtutes in ipsis requirantur, explicat.[r] Denique nominatim ad Ambrosiam revocata oratione, quid ipsam præstare oporteat, paucis aperit.[s] Actis autem Deo gratiis quod in novo fœdere angelicam virginitais professionem Mariæ exemplo instituisset,[t] ipsi Ambrosiam sacro flammeo jam jam donandam offert; [u] atque ut illam virtutibus à Deo cumulatam non dedignetur in candidum sponsarum suarum chorum admittere, [x] ardentissimo affectu comprecatur.

Nunc restat ut scriptionis hujusce tempus indagetur. Adverte autem Ambrosium non modo plures, ut ipse loquitur, [y] libros jam edidisse, antequam huic lucubrando operam daret, verum etiam huic ipsi magnam affinitatem intercedere cum libris de Fide, cum tractatu de Mysteriis, immo etiam, quod notandum est cum opere de Sacramentis, cum epistola concilii Mediolanensis, ac Siriciana, sed præ ceteris cum Exposit. Evang. secund. Lucam, cujus tum doctrinam tum loquutiones exhibet non paucis locis, & quam consulere [y] verbis minime ambiguis nos jubet. Proindeque hic liber eodem Commentario cui annum 386. adsignavimus, posterior est. Ad postremum Bonosi hæresis, [z] cujus præcipua duo capita tam perspicue confutat sanctus Doctor, nec non ea epistola quam ipsemet è Capuana Synodo in qua ejusdem causa excussa est, dedit in multis persimilem isti oppella, hæ profecto duæ res faciunt, ut eamdem non nisi post annum 391. prodiisse existimandum sit nec tamen alium à memorato longe remotum eidem adtribuendum esse inde apparet, quod se tum primum in illam hæresim dicere, publice nimirum, Auctor testatur. Quocirca si horum temporum consuetudinem, qua sacræ virgines maxime in celebritate paschali velabantur, hîc sequutus est, illum sermonem in paschate anni 392. habitum fuisse jure dixeris.

a. Append. ad tom 1. pag. 1545.
b. Ad ann. 377.
c. Cap. 1. num. 1.
d. Cap. 1. & 2.
e. Cap 1. num. 1. & seq.
f. Ibid n 4. & seq.
g. Cap. 2. num. 8. & seq.
g Cap 2. num. 15.
h. Cap. 3. num. 16.
i Cap. 4. num 25 & seq.
k. Ibid n. 30. & 31.
l. Cap. 5. num. 32. & seq.
m. Ibidem num. 35. & seq.
n. Cap. 6. 7. & 8.
o. Cap. 9. num. 58. & seq.
p. Cap. 10. 11. & 12.
q. Cap. 13. 14. & 15.
r. Cap. 16. num. 100. & seq.
s. Cap. 17. num. 104. & seq.
t Ibid. num. 107. & seq.
u Ibid. num 114.
x. Cap 2. num. 15.
y. Cap 6. num 43.
z. Locis. cit.

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE INSTITUTIONE VIRGINIS ET S. MARIÆ VIRGINITATE PERPETUA AD EUSEBIUM

LIBER UNUS.*

* Scripta circa an. 392.

CAPUT I.

Parentibus merito curam esse majorem virginis sacræ quam reliquæ sobolis. Quam præstans illa consecratio: ubi præcipue de silentio, quod virginalis verecundiam commendat non secus atque Ecclesiam; cujus omnis gloria ab intus, & quam nos imitari convenit in orando.

1. 

COMMENDAS mihi pignus tuum, quod æque est meum, [a] Ambrosiam Domini sacram; & pio affectu ejus tibi adseris præstantiorem reliqua sobole sollicitudinem. Et vere ita est apud mentem fidelem; ceteros enim instituis, ut emittas domo, atque alienis copules, istam semper tecum habebis: in ceteris quoque paternæ uteris pietatis necessitudine; in hac ultra patrem procedis, votoque & studio progrederis, ut placeat Deo. Quæ cùm sit præstantior causa votorum; sola tamen solvat quidquid pro se & pro omnibus filiis debes.

2. Hoc est sacrificium quod Abel obtulit ex primitivis ovium suarum fœtibus. (Gen. 4. 4.) Quod & Apostolus præ ceteris laudat, ad Corinthios dicens: *Quoniam* [b] *qui statuit in corde suo firmus, & judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* (1 Cor. 7. 37. & 38.) Unde pulcre David cùm descripsisset Ecclesiæ gratiam, cujus omnis intus est gloria, non foris, (in bonis enim cogitationibus, atque immaculato castitatis affectu, & sinceræ proposito conscientiæ summa est laus) subtexuit dicens: *Adferentur Regi virgines post eam.* (Psal. 44. 15. & 16.) Et conversus ad dominum Patrem: *Proximæ*, inquit, *ejus adferentur tibi: adferentur in lætitia & exsultatione adducentur in templum Regis.*

3. Quæ est proxima, nisi quæ Christo propinquat, cui dicit Verbum: *Exsurge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea; quia ecce hyems præteriit?* (Cant. 2. 10. & 11.) Antequam Verbum Dei reciperet, hyems erat inhonora, sine fructu: ubi Verbum B Dei recepit, & mundus ei est crucifixus, æstas est facta. Denique fervore sancti Spiritus vaporata, flos esse cœpit, & spirare odorem fidei, flagrantiam castitatis, suavitatem gratiæ.

4. Unde & alibi addit: *Oculi tui columbæ extra taciturnitatem tuam;* (Cant. 4. 1.) eo quod tota spiritalis & simplex sicut columba, in cujus specie visus est à Johanne descendere Spiritus sanctus, (Johan. 1.) spiritalia videat, & noverit ea quæ viderit tacere mysteria. Non enim mediocris virtus tacere; est C enim & tempus tacendi, sicut tempus loquendi, sicut & scriptum est: *Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat dicere sermonem.* (Esai. 50. 4.)

5. Virginitatis itaque [c] dos quædam est verecundia, quæ commendatur silentio. Ideo & Ecclesiæ gloria intus est, non utique in multiloquio, sed in sensibus vel in penetralibus sacramentorum, sicut ipsa dicit ad Sponsum. *Quis dabit te fratrem mihi lactentem ubera matris meæ? Inveniens te foris osculabor te, & quidem non spernent me. Adsumam te, & ducam te in domum matris* (Cant. 8. 1. & 2.)

a. Duo mss. *Ambrosi, Domini sacram.*

b. Mss. aliquot, *qui stat in corde suo firmus.* Haud male; græcus enim textus habet, ὃς δ' ἕστηκε *qui stetit*: alii autem mss. atque edit. cum Vulg. & aliis versionibus, *qui statuit* &c.

c. Nonnulli mss. *dux quædam.* Non incongrue; cùm inter virginum virtutes prima & quasi ordinum ductrix sit verecundia. Vide quid de eadem virtute præcipiat Ambrosius noster lib. 1. Offic. cap. 18. num. 67. & seq.

meæ, & in secretum ejus quæ concepit me. Et supra ait: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Cant. 1. 3.

6. Foris [a] osculatur Ecclesia Christum, & ab eo in cubiculum introducitur. Osculatus est eam foris, quando *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit tamquam gigas ad currendam viam.* Ps. 18. 6. Tamquam gigas foris est; quia non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, formam servi accepit. Phil. 2. 6. & 7. Foris ergo factus est, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis quod in sinu est patris: cognosce illum foris, quando nos quærit, ut redimat. B Foris sibi factus est, ut mihi intus esset, [b] & fieret medius nostrum.

7. Ibi ergo sumus, ubi Christus medius est, radicatus & fixus in cordibus nostris. Et ideo sicut ipse præcepit: *Cùm oras, intra in cubiculum tuum*, Matth. 6. 6. & effunde super te animam tuam; cubiculum tuum interiorum secretum est, cubiculum tuum conscientia tua est. Denique Ecclesiastes tibi dicit: *Et quidem in conscientia tua regi ne maledixeris, & in penetralibus cubiculorum ne maledicto devoveris divitem.* Eccles. 10. 20. C Ibi ergo ora & ora in occulto; ut audiat te qui in occulto audit: & ora sine ira & disceptatione, 1. Tim. 2. 8. [c] abdicato occulto dedecoris: JUSTUS ENIM non proditionem criminis metuit, sed contagionem.

CAPUT II.

Orationem incboari debere à Dei laudibus, & post exposita postulata nostra in gratiarum actiones desinere. Eamdem pace ac tranquillitate commendandam; qua occasione evangelicus locus quam luculentissime explicatur, quem jubentur observare virgines. D

8. Quam bona oratio cum misericordia! Bona oratio quæ ordinem servat, ut primo a divinis inchoemus laudibus. Si enim cùm apud hominem agimus, benevolum volumus judicem facere; quanto magis cùm Dominum nostrum precamur? Primò ergo immolemus Deo sacrificium laudis; unde & Apostolus ait: E *Obsecro ergo primo omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones.* 1. Tim. 2. 1.

9. Doceat te davidicus psalmus octavus, qui cœpit à Dei laudibus: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Psal. 8. 2. & seq. Hactenus oratio: inde sequitur obsecratio, ut destruatur inimicus: postulatio, ut lunam, & stellas videat; lunam Ecclesiam, stellas filios Ecclesiæ, cælestis gratiæ luce fulgentes: & quod petit, prophetico spiritu visurum se esse promittit: gratiarum actio, quod tuetur Dominus hominem, & hunc limum corporis nostri divina visitatione confirmat; vel quod homini animantium genera universa subjecit.

10. Similiter & Dominica oratio omnia comprehendit, * quam vulgare non opus est. Tu autem qui legis, quemadmodum distinguere debeas recognosce; præcipue tamen, ut dixi, commendanda est oratio, sicut præmisi, placiditate animi & tranquillitate; ut unusquisque sibi constet & congruat, & fiat illud quod scriptum est: *Si duobus ex vobis convenerit super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet à Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Matth. 18. 19 & 20.

11. Qui sunt isti duo, nisi anima & corpus? Unde & Paulus castigabat carnem suam, & servituti redigebat; 1. Cor. 9. 27. ut esset animæ tamquam imperatrici suæ caro subdita, & mentis imperiis obtemperaret; ne esset in uno homine dissidium, ac bellum intra se gereret, & legi mentis repugnaret lex corporis. Duo igitur ista diversa ratione quadam & pace jungebat, secundùm quod ipse adseruit dicens: *Quia Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem sepis solvit, inimicitias in carne sua;* Ephes. 2. 14. ne id ageret, quod nollet: atque id faceret, quod odisset. Isti ergo sunt duo, anima & caro. Unde & David ait: *Non timebo quid faciat mihi caro*, Psal. 55. 5. quam adversariam animæ suæ nosset.

12. Quæ tamen duo, ut evidentius exprimamus, non solum duo sunt; sed etiam duo homines, unus interior, alter exterior. [d] Isti duo si sibi propositi æqualitate concurrant, ut cogitationes factis, & cogitationibus facta conveniant; vitæ nostræ rota sine ulla offensione volvetur, ut quemadmodum scriptum est: *Fiat vox tonitrui tui in rota.* Psal. 76. 19. Isti igitur duo unum sunt; nec solum unum, sed unus homo. Unde & Apostolus ait: *Ut duos conderet in uno homine, faciens pacem, & reconciliaret utrosque in uno corpore, Deo, per crucem interficiens inimicitias in semet ipso .... ut in utrisque accessum habeamus in uno Spiritu ad Patrem.* Ephes. 2. 15. & seq.

13. Sunt etiam duo homines, vetus & novus. Vetus ille peccato obnoxius & obsoletus, ac vestimenti veteris similitudine adtritus & scissus, quem in baptismate affigimus cruci. Unde Apostolus ait: *Quia vetus homo noster simul affixus est cruci, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Rom. 6. 6. Vetus ergo affigitur, ut moriatur peccato; ut novus resurgat, qui renovatur per gratiam. Diximus de duobus.

14. Fortasse dicat aliquis: Quid de tribus dicis, quoniam sic habet Scriptura: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum?* Matth. 18. 20. Hinc quoque ratio

a. Quatuor mss. *osculatur Ecclesiam Christus.*

b. Omnes edit. *& fieret medicus noster ..... ubi Christus medicus est:* omnes mss. ut in textu.

c. Omnes edit. cum uno aut altero mss. *abdicato occulta dedecoris:* alii mss. melius, *abdicato occulto dedecoris*; hoc est occulto dedecore, sive culpa etiam occulta repudiata.

*. Indicatur his verbis Dominicam orationem ex iis fuisse mysteriis quæ catechumenos quondam celabat Ecclesia. Ejus rei hanc causam Chrysostomus reddit Hom. 21. in Matthæum, quod patris nomine illi non liceat Deum appellare, qui non fuerit sacro baptismate regeneratus. Inde est quod ex. Ord. Rom. & Amal. Fortunato de Eccles. Offic. cap. 8. eam discimus cum brevi interpretatione secundum Romanam consuetudinem feria 4. hebdomadæ 4. quadragesimæ competentibus tradi consuevisse: quod in Africana Ecclesia tantum feria 2. post Dominicam palmarum fieri solitum Augustinus Hom. 42. ex 50. nunc Serm. 58 novæ edit. testatur. Verum uterque in hoc conveniunt, quod iisdem competentibus necessum fuisse scribunt, ut sabbato sancto memoriter eamdem redderent orationem. Quod porro dotes orationis exponens loco ex Epist. ad. Tim. 2. 1. Oratione Domin. & Psal. 8. utitur Ambrosius, atque in eodem Psalmo per lunam Ecclesiam, per stellas fideles intelligendos ait, his adeo similia in lib. 6. de Sacram. cap 5. legere est, ut dubium non videatur, quin si diversi eorum operum scriptores fuerint, alter alterum; sin vero unus ac idem, se suaque ipse descripserit, quod minime novum est in Ambrosio.

d. Edit. *Isti duo si sibi propositi in æqualitatem*, ultimæ Paris. *inæqualitate, concurrant:* commodius vero mss. omnes, quos hic sequimur.

1. Thess. 5. 23. manifesta est; quia idem Apostolus dicit: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in die adventus domini nostri Jesu Christi serventur.* Ubi ergo * tres isti integri, ibi Christus est in medio eorum: qui hos tres intus gubernat & regit, ac fideli pace componit.

15. Hæc igitur tria integra præ ceteris in se virgo custodiat; ut nullam det sacræ virginitatis querelam, & sit inoffensa, sine ruga, sine macula. De qua licet frequentibus libris diximus, tamen * memorati pignoris causa, hunc ad te librum condendum arbitrati sumus.

CAPUT III.

Culpandum non esse femineum sexum cui à Deo tanta dona collata fuerint: Deum enim idcirco non statim atque homo creatus est, illum approbasse, tum quia ejus dignitas non in corpore, sed in anima & in divina imagine consistat, tum quia tantum in operis totius fine laudandus homo, ac demum quia nondum creata erat mulier, quæ & ex ipso formata est, & cum ipso magni sacramenti figuram erat expressura; ex quo & nomen accepisse ipsa declaratur.

16. Bona virginitas, quæ sexum utrumque non solùm absolvit à crimine, verumetiam provocavit ad gratiam. Accusamus autem plerumque femineum sexum, quod erroris causam invexerit: & non consideramus quanto justius in nos objurgatio retorqueatur. Nam ut repetamus à principio, & rerum exordia interrogemus, quantum ei delatum sit, investigabimus: & quam in misera conditionis humanæ fragilitate femina tamen invenerit gratiam.

Gen. 1. 10. & seq. 17. Nam cùm omnia opera sua laudaverit Deus, cælum, terram, maria, noctem & diem, quod iste profecerit ad usum laboris, illa ad fructum quietis, laudaverit feras bestias; ubi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt. Quæ igitur causa est, nisi forte ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quam quod videtur: in homine nihil est inferius, quam quod videtur; qui cùm ex animo constet & corpore, hoc utique in eo servit, quod videtur: illud quoque in eo regit, quod non videtur.

18. Merito ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reservatur; quia aliorum gratia foris, hujus intus est: aliorum in nativitate, hujus in corde. Quid enim tam altum & tam profundum, quam mens hominis, quæ quasi involucro quodam corporis tegitur & occultatur; ut eam haud facile quisquam introspicere & speculari queat? Ideo ergo homo non ante laudatur, quia non in forensi pelle, sed in interiore homine ante probandus, sic prædicandus est: quem præclare definivit apostolus Petrus dicens absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. 1. Petr. 3. 4.

19. Merito ergo differtur, ut sequatur fœnerata ejus laudatio: cujus dilatio non dispendium, sed incrementum est. Nemo ergo se despiciat [a] quasi vilem, nec contuitu corporis se se æstimet. Nam etsi dixerit sanctus Job: *Nudus exivi de ventre matris meæ, nudus & hinc abibo;* Job. 1. 21. habuit tamen quo non solum inter homines, sed etiam apud Deum dives inveniretur.

20. Quid autem locupletius, quam quod ad imaginem Dei est ac similitudinem? Ad imaginem autem interior est homo, non iste exterior: ille qui sensu æstimatur, non oculis comprehenditur. Ille ergo nobis spectandus est, qui serius investigatur. Ideo Deus non putavit hominis fabricam esse laudandam; quia major ejus in virtute est portio. Præclara quidem species, & præstantior ceteris animantibus: sed irrationabilia corporis specie æstimentur; ea autem quæ rationis plena sunt, communem laudem sequestrent.

21. Homo igitur mihi non tam vultu quam affectu admirandus emineat atque excellat; ut in his laudetur, in quibus etiam Deus [b] prophetico judicio laudatur, de quo scriptum est: *Terribilis in consiliis super filios hominum*: cujus opera coram Deo luceant, qui bona jugibus operibus facta contexat; & ideo laudatio ejus non in exordio, sed in fine est: nemo enim nisi legitime certaverit, coronatur. Ideoque Sapiens tibi dicit: *Ante mortem non laudes hominem quemquam.* Qua ratione hoc dixerit, superioribus docuit dicens: *Quia in fine hominis nudantur opera ejus.* Psal. 65. 5. Eccl. 11. 30. Ibidem 29.

22. Spectemus tertium, in quo manifestavit Deus sententiam suam; cum enim fecisset hominem & posuisset in paradiso operari & custodire, dixit non esse bonum solum esse hominem. *Faciamus*, inquit, *ei adjutorium secundùm se.* Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere prædicatur. Nam cùm dicit non esse bonum solum esse hominem, confirmat utique bonum esse hominum genus, si virili sexui femineus sexus accedat. Gen. 2. 18.

23. Simul illud considerandum, quia ille de terra factus & limo est, ista de viro. Et caro quidem limus: sed ille adhuc informis, iste formatus.

24. Jam illud præclarum Apostolicum accessamus exemplum, quod habemus scriptum: *Quia relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* [c] Advertimus itaque per mulierem cæleste illud impletum esse myste- Ephes. 5. 31. & 32.

*. De tribus hisce, quibus constare hominem docet Ambrosius, vide sis quæ lib 1. in Lucam col. 1277. & lib. 7. ejusdem expositionis col. 1460. observavimus.

*. *Memorati pignoris*, id est, Ambrosiæ, de qua statim ab exordio libri, *Commendas mihi pignus tuum Ambrosiam* &c Quod autem ad libros in quibus de Virginitate disseruisse se profitetur, non solos eos intelligimus significari, quos de hoc argumento & sub eadem inscriptione lucubravit: sed & alios quoque, ubi quoties disserendi de hac ipsa virtute nata est occasio, eam nunquam non obviis manibus arripuit. Usque adeo illi cordi erat ubique doctorem agere virginitatis.

a. Sic omnes edit. cum mss. quatuor, nisi quod in his *levem* pro *vilem*, & *esse se* pro *se se* habetur: alii vero mss. legunt, *quasi vilem, nec contemtui se se æstimet.*

b. Duo mss. *prophetico spiritu laudatur.*

c. Mss. aliquot, *Audivimus itaque* Hic porro sequentis capitis initium erat in super. edit Quàm autem pulcre, prudentis lectoris esto judicium.

rium

rium Ecclesiæ in ea gratiam figuratam, propter A quam Christus descendit, & æternum illud opus humanæ redemtionis absolvit. Unde & Gen. 2. 23. Adam vocavit nomen mulieris suæ vitam; nam & in populis per mulierem successionis humanæ series & propago diffunditur, [a] & per Ecclesiam vita confertur æterna.

CAPUT IV.

Mulieris quam viri levius fuisse peccatum evinci B *disparitate sexus, tentationis ratione, divina sententia & responsionibus amborum. Post quæ adversus mulierum tentationes viris remedia præcipiuntur: in his maxime earumdem jejunantium imitatio.*

25. SAne negare non possumus quod erraverit mulier. Quid miraris tamen si erraverit Gen. 3. 1. & seq. & infirmior lapsus est sexus, cùm sit lapsus etiam fortior? Mulier * excusationem habet in pecca- C to, vir non habet. Illa, ut Scriptura adserit, à sapientissimo omnium serpente decepta est, tu à muliere: id est, illam superior creatura decepit, te inferior; te enim mulier decepit, illam malus licet, tamen angelus. Si tu inferiori non potuisti resistere, quomodo illa potuit superiori? Culpa tua illam absolvit.

26. Si de merito culpæ dubitas, interrogemus sententiam. Illi dictum est: Ibidem 16. *In tristitia paries filios, & ad virum conversio tua, & ipse tibi domi-* D *nabitur.* Viro autem dicitur: Ibidem 19. *Terra es, & in terram ibis.* Et vere [b] justa sententia; quandoquidem si Adam quod à domino Deo audierat, servare non potuit, quomodo potuit servare mulier quod audivit à viro? Si illum Dei vox non confirmavit, quomodo istam vox confirmaret humana?

27. Denique Adam conventus, quod contra divina quæ coram audierat præcepta, gustasset, nihil habuit quod diceret, nisi quod sibi mulier E dedisset, & manducasset: mulier autem ait; Ibidem 13. *Serpens traduxit me, & manducavi.* Quanto major mulieris absolutio? Ille arguitur, hæc interrogatur. Adde illud, quod & prior culpam fatetur; etenim quæ se [c] dicit esse seductam, testatur errorem. Erroris igitur medicina confessio est.

28. In judicio ipso quanto clementior mulier viro? Ille mulierem suam accusavit, ista serpentem, hoc est, nec accusata crimen retorsit: sed F ipsum accusatorem suum maluit, si posset, absolvere quam ligare.

29. Habes igitur & culpæ absolutionem in confessione, & sententiæ in exsequutione. *In tristitia*, inquit, *paries filios.* [d] Condemnationis suæ pondus agnoscit, munus pœnalis conditionis exsequitur. Pro te mulier doloribus suis militat, & remunerationem ex pœna invenit; ut per filios per quos affligitur, liberetur. Facta est itaque gratia ex injuria, salus ex infirmitate; scriptum est enim: *Quia salva erit per filiorum generationem.* 1 Tim. 2. 15. Cùm salute itaque parit, quos in tristitia parturivit: & ad laudem educat, quos peperit cum dolore.

30. Sed dicis, ô vir, quia mulier tentatio fuerit viri. Verum est. Jam si est decora, ecce alia tentatio. Tamen Abrahæ descendenti in Ægyptum Gen. 12. 16. & 20. uxoris pulcritudo non nocuit, immo magis profuit; honoratus est enim per uxorem, non ludibrio habitus in uxore. Cur autem tu vultus decorem in conjuge magis quam morum requiris? Placeat uxor honestate magis quam pulcritudine. Illa eligatur quæ Saram moribus referat. Non est vitium mulieris esse quod nascitur: sed vitium viri est quærere in uxore quo sæpe tentatur; in quo si infirmior fuerit, mulier ipsa labatur: si fortior, vir periclitetur. Non possumus reprehendere divini artificis opus: sed quem delectat corporis pulcritudo, multo magis illa delectet venustas, quæ ad imaginem Dei est intus, non foris comtior.

31. Si ergo uxor tentatio est, esto cautior, quære remedium adversus tentationis periculum: *Vigilate*, inquit, *& orate; ne intretis tentationem.* Matth. 26. 13. Dominus hoc dixit, vir audivit, mulier implevit. Quotidie mulieres jejunant, & non indicta præstant jejunia: peccatum agnoscunt, accersunt remedium. Semel de interdicto mulier manducavit, & quotidie jejunio solvit. * Qui sequutus es errantem, sequere corrigentem. Ambo manducastis, cur sola jejunat; hoc est, ambo deliquistis, cur sola remedium quærit errori?

CAPUT V.

Evam damnationis sententia in Sara tamquam solutam esse, sed multo magis in Maria, quæ virginitate integra Deum genuit, nec non ejusdem virtutis signum extulit. Quam impudenter ipsam virginem perseverasse negariut hæretici, quorum argumenta ex Evangeliis petita diluuntur.

32. VEni Eva jam sobria, veni Eva, etsi in te aliquando intemperans, sed jam in prole jejuna. Veni Eva jam talis, ut non de paradiso excludaris, sed rapiaris ad cælum. Veni Eva jam Sara, quæ parias filios non in tristitia, sed in exsultatione: non in mœrore, sed risu. Isaac tibi multiplex nascetur. Veni iterum Eva jam Sara, de qua dicatur viro: *Audi Sarai uxorem tuam.* Gen. 21. 12. Sis tu licet viro subdita, quia esse te decet; cito tamen solvisti sententiam, ut vir te audire jubeatur.

a. Tres mss. *& per Ecclesiam filii Dei regenerati augmentantur*: alii autem atque edit. hoc tantum dissident, quod in illis *confertur*, in his *conqueritur* legere est.

*. Obiter advertas licet, ei doctrinæ qua toto hoc capite peccatum Evæ Adamico levior ab Ambrosio defenditur, quodammodo contrariam à beato Thoma doceri 2. 2. quæst. 163 art. 4. Etenim quamvis Adami culpam ex conditione personæ graviorem quam Evæ habendam fateatur, per se tamen & ex sua natura leviorem fuisse adseverat. Ipsum consule, non secus ac Nicolai notas in eumdem locum.

b. Omnes edit. *Et vere juxta hanc sententiam*: omnes mss. magis commode, ut nos in textu.

c. Mss. duo. Gemet. *dicit esse seductam, medicatur.* Hi vero cod. sicut & alii duo Pratel. nimirum & Albin. reliquo tractatu avulso hic desinunt.

d. Rom. edit. *Commendationis sua.* Typographi quidem hic error est, sed qui tamen deinceps propagatus fuit in cunctis edit. Parisinis.

*. His ipsis verbis Ambrosium adversus Theodosium, dum ipsum post cædem Thessalonicensem Ecclesiæ aditu prohiberet, usum in ejus vita scripsit Paulinus; quam tamen sententiam in Ambrosianis operibus nusquam alibi reperire est.

33. Si * typum Christi illa pariendo à viro mereretur audiri, quantum proficit sexus qui Christum, salva tamen virginitate, generavit? Veni ergo Eva jam Maria, quæ nobis non solùm virginitatis incentivum adtulit, sed etiam Deum intulit. Unde lætus & exsultans tanto munere dicit Esaias: (Esai. 7. 14.) *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, (Matth. 1. 23.) quod est interpretatum, *nobiscum Deus*. Unde hoc munus? Non de terra utique, sed de cælo vas sibi hoc per quod descenderet Christus elegit, & sacravit templum pudoris. Per unam descendit, sed multas vocavit. Unde & speciale Maria Domini hoc nomen invenit, * quod significat; Deus ex genere meo.

34. (Exod. 15. 20.) Dictæ sunt & ante Mariæ multæ; nam & Maria soror Aaron dicta fuit; sed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem fragilitatis humanæ, ut conditionis amaritudo dulcesceret, Verbi cælestis suavitate & gratiâ temperata. Hoc significavit fons [a] Merrha per lignum dulcoratus; (Ibid. 23. & seq.) eo quod populus nationum amarus ante peccatis, vel caro nostra temperamento passionis Dominicæ in usus alteros mutaretur.

35. Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum erexit. Et tamen cùm omnes ad cultum virginitatis sanctæ Mariæ advocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere jamdudum maluimus: sed quia causa vocavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam * Episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum; & maxime quia & mulierem eam legimus, sicut qui in Cana Galilææ ipse Dominus ait dicenti sibi: (Johan. 2. 3. & 5.) *Vinum non habent, fili*; respondit: *Quid mihi & tibi est, mulier?* Et alibi legimus quod dixerit Matthæus de Joseph & Maria: (Matth. 1. 18.) *Inventa est antequam convenirent, in utero habens de Spiritu sancto*. (Ibid. 5.) Et infra: (Ibid. 19.) *Non cognovit eam, donec peperit*. Et iterum de Joseph: *Noluit eam traducere*. Et fratres Domini videntur significare, (Matth. 12. 47.) quod de Maria suscepti sint. Et Apostolus ait: (Galat. 4. 4.) *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Quæ singula [b] enodanda nobis sunt, ut qui illa legit, sermonis hujusmodi vinculo non alligetur. Respondeamus itaque suo ordine.

36. De mulieris nomine quid moveamur? Ad sexum retulit; non enim corruptelæ, sed sexus vocabulum est. VULGI USUS non præjudicat veritati. Denique virginitas primùm hoc nomen accepit; nam cùm sumsisset Deus unam de costis Adæ, & supplevisset carnem in locum ipsius: *Ædificavit*, inquit, *eam in mulierem*. (Gen. 2. 22.) Utique adhuc virum non cognoverat, & jam mulier vocabatur. Rationem quoque nominis hujus Scriptura non tacuit dicens: Quia *dixit Adam: Os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumta est*. (Ibidem 23.) Quia sumta est, inquit, de viro suo, non quia virum experta. Itaque quamdiu in paradiso fuit, mulier vocata est, & cognita viro non erat: ubi autem ejecta est de paradiso, tunc legitur quia Adam cognovit Evam mulierem suam, & tunc concepit & peperit filium. (Gen 4. 1.) Primus igitur solutus est nodus.

37. Secunda quæstio, quia scriptum est: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens*. (Matt. 1. 18.) Consuetudo autem divinæ Scripturæ ea est, ut causam quæ suscepta est, adstruat, * incidentem differat.

38. Quo solvitur etiam tertia quæstio, qua dictum est: *Non cognovit eam, donec peperit Filium*. (Ibid. 19.) Quid ergo? Postea cognovit? Minime. Denique habes scriptum: *Ego sum Deus, & donec senescatis, ego sum*. (Esai 46 4.) Numquid igitur postquam senuerunt, quibus *donec* dictum erat, Deus esse desivit? Item in prophetia David legimus: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. (Ps. 109. 1.) Numquid subjectis populis nationum, qui ante videbantur inimici, cùm salutis auctorem negarent, simulacris servirent, ad dexteram Patris Filius sedere desivit, aut in perpetuum non sedebit?

39. Quid autem præjudicat Mariæ, si cælestis consilii mysterium Joseph non intellexit, & putavit virginem non esse, quam prægnantem videret? Resurrectionem ejus Angeli ignoraverunt, quod significant versiculi: *Tollite portas*,

*. In Isaac ad sacrificium paterna voluntate destinato figuram Christi exstitisse notius est quam ut probatione indigeat.

*. Non admodum felix vocabuli *Maria* interpretatio: sed cùm moris esset, ut sæpe vidimus, Ambrosio nostro sermonis hebraici peritos in re simili consulere, illi à sciolo aliquo quem falso doctum existimarat, impositum esse credendum est. Quæ vero ejusdem dictionis etymologia proxime sequitur, potior est.

a. Omnes edit. *fons Mara*; nimirum cum hebraico textu, & & versionibus omnibus præterquam LXX. In his quippe ita legimus: ἦλθον δὲ εἰς μερρᾶ, καὶ οὐκ ἠδύναντο πιεῖν ἐκ μερρᾶς. Ab eis autem mss. nostri nihil dissident, nisi quod pro *Merrha* scriptorum imperitia exhibent *Mirra*.

*. Extra controversiam est episcopum tacito nomine hic indicatum Bonosum esse, cujus judicium ad vicinos præsules remiserat Synodus Capuana. Verum quæ sedes episcopalis ipsius fuerit, obscurius est. Garnerius in suis ad M. Mercatorem commentariis iterum ac tertio, nempe pag. 115. par. 2. pag. 130. & Dissert. 1. *de heresi & libris* Nestorii §. 6. id sibi ducit palmarium, quam rem Baron. ad an. 389. Petavius tom. 4. Ecclesiasticorum dogmatum lib 14. aliique magni nominis scriptores ignotam sibi esse confiteantur, eam libri à Mercatore lucubrati, abs se autem primum evulgati beneficio innotescere, scilicet Sardicensi metropoli præfuisse. Certe quidem Garnerio favet, quod Bonosum causam propter canones suffraganeis in primatem suum judicandi jus non permittentes Anysio Thessalonicensi ac Macedonibus episcopis tamquam vicinis demandatam adserit. Nihilominus tamen Luc. Holstenius in *Annot Geogr. de Patriarchatu Rom.* pag. 122. & 123. Naissi, quam urbem hic & in *Annot. ad Hortellium* in Dacia locat, adfirmat Bonosum illum sedem tenuisse. At enim objici posset eidem Holstenio, Bonosum siquidem metropolis Sardicensis suffraganeus erat, à Capuensibus Patribus ex canonum præscripto remittendum fuisse ad primatem suum; nisi admodum credibile videretur illum jam ab eodem primate condemnatum provocasse, cujus provocationis cognitionem Macedonibus commiserit Capuanus concessus. Etenim gravissimi momenti esse debet ab Holstenio citata Innocentii epistola; in ea quippe adseritur ordinatos à Bonoso in Naissitana Ecclesia fuisse presbyteros atque diaconos, quod soli proprio episcopo, non autem primati canones concedebant. Crediderimus igitur in mss. Garnerianis post vocem *Sardicensis* omissum aliquod verbum, puta provinciæ, aut aliud ei cognatum. Hac de re consuli etiam potest, qui & Holstenium sequutus est, Cl. Hermannus Ambros. vitæ lib. 7. cap 7. Non est autem prætermittendum Augustino cognitam non videri eam hæresim, quando nullam illius in Catalogo suo facit mentionem; quin immo de Joviniani, cujus Bonosus fuit sectator, hæresi agens, negat ullum episcopum qui eadem se se infici passus esset, usquam inventum.

b. Edit. *notanda nobis sunt*: mss. melius, *enodanda* &c. Porro objectiones illæ quæ hic collectim repræsentantur, novæ non erant, nec bononistarum propriæ; ut intelligere est ex Hieron. adversus Helv. & Epiph. adv. Antidicom.

*. Incidens causa sive quæstio secundarium caput est & minus præcipuum.

a Psal. 23. 7. & 8. [a] *principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ?* Interrogant quasi ignorent; & alii respondent: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, ipse est Rex gloriæ.* Et repetivit Propheta eosdem versiculos, & nihilominus illi quasi ignorantes iterum interrogaverunt; sic enim scriptum est: Ibidem 9. & 10. *Tollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ?* Quomodo ergo homo potuit divinum scire secretum, quod Angeli B nesciebant? Et in Esaiæ libro habes: Esai. 63. 1. *Quis est iste, qui advenit ex Edom; rubor vestimentorum ejus ex Bosor?* Et utique minus erat hominem resurrexisse, quam virginem parturisse. Etenim 3. Reg. 17. 22 jam Eliæ precibus, 4. Reg. 4. 35. Elisæi orationibus mortui resurrexerant: numquam autem ante, numquam postea virgo generavit.

Matth. 1. 20. 40. Hoc autem opinatus est quod traduceret eam quasi ream, antequam ab Angelo moneretur: postea autem quasi fidelis nec dubius virginitatis ejus, servavit oraculum.

CAPUT VI.

Solutis aliis duabus circa eamdem rem objectionibus, additur absurdum illud futurum fuisse, si Christus matrem in virginitate non perseveraturam elegisset, aut ei præclarissima virginitatis munera denegasset.

Matth. 1. 24. 41. Nec illud moveat, quod ait: *Quia Joseph accepit conjugem suam, & profectus est in Ægyptum*; desponsata enim viro conjugis 27. q. 2. cùm initiatur 1. & 2. nomen accepit. Cùm enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur; * non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur puella, conjugium est, non cùm virili admixtione cognoscitur.

b 42. Quod autem fuit desponsata connubio, [b] licet alibi plenius dixerimus, libare nunc satis est causam cælestis mysterii; ut ab his qui Mariam gravi utero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsatæ partus legitimus crederetur. Maluit enim Dominus aliquos de sua generatione, quam de matris pudore dubitare.

43. Fratres autem gentis, & generis, populi quoque consortium nuncupari docet Dominus Psal. 21. 23. ipse, qui dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.* Paulus quoque A ait: *Optabam ego anathema esse pro fratribus meis.* Rom. 9. 3. Potuerunt autem * fratres esse ex Joseph, non ex Maria. Quod quidem si quis diligentius prosequatur, inveniet. Nos ea prosequenda non putavimus, quoniam fraternum nomen liquet pluribus esse commune.

44. An vero dominus Jesus eam sibi matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cælestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam? Cujus exemplo ceteræ ad integritatis studium provocantur, ipsa ab hujusmodi quod per se ceteris propositum foret, munere deviaret.

45. Et quæ esset, * cui majus quam matri Dominus meritum reponeret, præmium reservaret? Nulli enim uberiora quam virginitati deputavit munera, sicut Scriptura nos docet. Sic enim per Esaiam Dominus loquutus est: *Ne dicat spado, quia ego sum lignum aridum. Hæc dicit Dominus spadonibus: Quicumque custodierint* Esai. 56. 3. & seq. C *præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectentur testamentum meum; dabo illis in domo mea & in muro meo locum nominatum meliorem & filiorum & filiarum, nomen æternum dabo illis, & non deficient.* Aliis promittit, ut non deficiant: matrem suam deficere patiebatur? Sed non deficit Maria, non defecit virginitatis magistra; nec fieri poterat ut quæ Deum portaverat, portandum hominem arbitraretur: nec Joseph vir D justus in hanc prorupisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu misceretur.

CAPUT VII.

Ubi probatum est Mariam perseverasse in integritate virginea, ex eo quod in matrem discipulo data fuerit; confirmatur virginitatis propositum ab ea minime mutari potuisse, cujus tanta constantia in Filii passione, tantaque virtus in Baptistæ exsultatione præfulserit.

E 46. Sed tamen Maria suis non alienis moribus defendatur. Non defecit, ut dixi. Ipse testis est Filius Dei, qui cùm esset in cruce, discipulum matri commendabat ut filium: discipulo eam tradebat ut matrem. Docuit hoc Johannes, * qui mystica magis scripsit; alii enim Johan. 19. 26. & 27. Evangelistæ scripserunt quod in passione Domini terra contremuit, sol refugit, persequutoribus venia postulata est: iste dilectus Domini, F qui è pectore ejus hauserat secreta sapientiæ, Matth. 27. 51. & seq. & piæ voluntatis arcana ab aliis dicta præter-

a. Rom. edit. ex uno cod. Var. *principes vestri*: quod Augustinus etiam legit, cum LXX. scilicet, in quibus, οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. Ambrosiani tamen reliqui mss. ac vet. edit. *principes vestras*: quomodo etiam præferunt Vers. Vulg. & Arab. Textus autem hebraicus ac ceteræ Versiones, *Adtollite, portæ, capita vestra.* Quod autem Dominicam resurrectionem dicuntur ignorasse Angeli, hoc ipsum Ambrosius jam docuerat lib. 2. in Luc. num. 15. Quam doctrinam similiter lib. 4. de Fide, cap. 1. sicut & lib. de Initiandis cap. 7. reperies elocutione admodum simili expositam. Eamdem vero fusius enucleat Auctor librorum de cælesti Hierarchia cap. 7. §. 3. cujus locum Angelicus doctor sibi objicit & solvit. 1. parte, quæst. 107. art. 4. ad 4. quem consule.

*. Planum fit ex hoc loco non in consummatione, sed in mutuo consensu conjugii naturam constitui ab Ambrosio. Qua quidem in re cum eo consentiunt Hieronymus, Augustinus, & ceteri Patres: quos in hoc postea Gratianus in Decreto, Pet. Lombardus in lib. 4. Senten. dist. 27. & alii canonistæ, theologique sequuti sunt.

b. Rom. edit. sola, *cùm alibi* &c. verum retinenda vox *licet* aliarum ac mss. authoritate; plus enim hoc loco significatur quam exprimitur: atque adeo post voces, *plenius dixerimus*, mente utique supplendum videtur, *ac proinde facile esset plura dicere.* Hic porro indicatur expositionis in Lucam liber. 2. ubi non solum huic, sed & reliquis ejus objectionibus fuse respondetur. Et hinc etiam patet virum sanctum, dum supra dixit, *silere jam dudum maluimus*, non de doctrina ipsa, sed tantum de personis quas illic ex industria non indicaverat, intelligendum.

*. Hanc opinionem Hieronymus in caput 1. Epist. ad Gal. refert ac refellit: cui quidem hac in re communiter subscribit schola theologorum.

*. Ambrosianum hoc principium qui intemeratam Mariæ conceptionem defendunt, quam latissime solent extendere: contra vero illud intra certos limites restringendum autumant oppositæ sententiæ propugnatores. Et certe negari non potest, quin ei quandoque termini sui tribuendi sint: qua de re adisis Th. Reinaudum in *Diptyc. Marianis* non uno loco.

*. Si quæ hoc fere toto capite dicuntur, cum libri 2. in Luc. num. 130. & seq. nec non cum loco ejusdem argumenti ex Epist. ad Vercell. contuleris, tantam in illis deprehendes consensionem, ut tria hæc opera ejusdem auctoris esse non sis negaturus.

Johan. 19. 25. iens, hoc diligentius prosequutus est, ut maternæ A virginitatis perseverantiam suo judicio comprobaret; quasi filius de matris pudore sollicitus, ne quis eam tanto convicio temeratæ integritatis adspergeret.

47. Dignum quippe erat ut qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris absolveret. Luc. 23. 43. Dicit enim ad matrem: *Mulier, ecce filius tuus. Dicit & ad Discipulum: Ecce mater tua.* Ipse est Discipulus, cui mater commendatur. Quomodo * marito uxorem tolleret, si fuerat Maria B mixta conjugio, aut usum thori conjugalis agnoverat?

48. * Claudite ora, impii: aperite aures, pii: audite quid Christus loquatur. Testatur de cruce Johan. 19. 26. dominus Jesus, & paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoram relinquat. Subscribitur Johannes testamento Christi. Legatur matri pudoris defensio, testimonium integritatis: legatur & discipulo matris custodia, pietatis gratia. Ibidem 27. *Et ex illo suscepit eam Discipulus in* C *sua.* Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relinquebat virum. Sed cum quo virgo habitare debebat, quam cum eo quem filii heredem, integritatis sciret esse custodem?

49. Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris, stabat intrepida. Videte utrum pudorem mutare potuerit mater Jesu, quæ animum non mutavit. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemtionem. Stabat non degeneri mater spectaculo, quæ D non metuebat peremtorem. Pendebat in cruce filius, mater se persequutoribus offerebat. Si hoc solum esset, ut ante filium prosterneretur, laudandus pietatis affectus, quod superstes filio esse nolebat: sin vero ut cum filio moreretur, cum eodem gestiebat resurgere, non ignara mysterii quod genuisset resurrecturum: simul quæ publico usui impendi mortem filii noverat, præstolabatur si forte etiam sua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Christi passio E adjutorio non eguit, sicut ipse Dominus longe Esai. 63. 5. ante prædixit: *Et respexi, & non erat auxiliator: & adtendi, & nemo suscipiebat; & liberabo eos brachio meo.*

50. Quomodo ergo extorqueri potuit integritas Mariæ, quæ fugientibus apostolis, supplicia non metuebat, sed ipsa se offerebat periculis? Cujus tanta gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam reservaret; sed etiam his quos viseret, integritatis insigne confer- F Luc. 1. 41. ret. Visitavit Johannem Baptistam, & in utero matris priusquam nasceretur, exsilivit. Ad vocem Mariæ exsultavit infantulus, obsequutus antequam genitus. Nec immerito mansit integer corpore, quem tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ & integritatis unguento Domini mater exercuit. Eademque postea Johanni Evangelistæ est tradita conjugium nescienti. Unde non miror præ ceteris loquutum mysteria divina, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum.

CAPUT VIII.

Ezechielis testimonia, & potissimum quod habet de porta non aperienda, in Mariam quadrare; utpote perquam non reseratam transierit solus Christus, sicque illam consortaverit, ut postea ne Josepho quidem patefacta sit.

51. Nunc mihi dicant qui hanc quæstionem ierunt, quid est quod ait Dominus per prophetam: *Nunc revocabo captivitatem Jacob, & miserebor adhuc domus Israel.* Ezec. 39. 25. Et infra, [a] *Congregabo*, inquit, *de gentibus eos, & congregabo illos de regionibus nationum, & sanctificabor in his in conspectu gentium: & scient quod ego sum dominus Deus ipsorum, dum apparebo illis inter nationes; & non avertam amplius faciem meam ab eis, pro eo quod effuderim iram meam in domum Israel, dicit Dominus.* a Ibidem 27. & seq.

52. Et infra dicit propheta vidisse se in monte alto nimis ædificationem civitatis, cujus portæ plurimæ significantur; una tamen clausa describitur, de qua sic ait: [b] *Et converti me secundum viam portæ sanctorum exterioris, quæ respicit ad orientem, & hæc erat clausa. Et ait ad me Dominus: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam; quoniam dominus Deus Israel transibit per eam. Eritque clausa, quoniam dux hic sedebit in ea, ut manducet panem in conspectu Domini. Secundum viam* [c] *Ælam portæ intrabit, & secundum viam ejus exibit.* Ezech. 40. 1. & seq. b Ezech. 44. 1. & seq. c Quæ est hæc porta, nisi Maria; ideo clausa, quia virgo? Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, * & genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula; cùm exiret ex virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non posset.

53. *Hæc*, inquit, *porta clausa erit, & non aperietur.* Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit.

54. Et ut doceamus quia portam habet om-

* Duo sunt hoc loco animadvertenda, primum est utrum Ambrosius noster qui superioris capitis initio verum inter Mariam ac Joseph matrimonium visus est agnoscere, hic sibi ipse sit contrarius: alterum, an scholastici ex hac Ambrosiana doctrina suam matrimonii rati à consummato distinctionem recte deducant. Sed à se minime dissidet sanctus Doctor, id enim tantum modo hic negat, uxorem ex qua maritus liberos procreaverit, aut quacum conjugalem habeat consuetudinem, ab illo sine injuria avelli posse: contra vero eam quæ cum conjuge tamquam cum fratre semper vixerit, à viri contubernio segregari jus fasque esse; modo causa propter quam copulati fuerant, sublata sit. Atqui nullo modo hinc consequitur solvi hac ratione vinculum conjugale, & eis qui sic fuerint separati, licere novum cum aliis inire conjugium; quod tamen inde confici posse memorati Theologi defendunt.

*. Hic septimi capitis initium erat, sed quia liquet illud non secus ac duorum sequentium alieno loco positum fuisse, ipsum perinde ac alia memoratorum capitum initia commodius alio transferri non dubitavimus: quod & fecimus.

a. Ita vet. edit. ac mss. quibus favet versio Syriaca. Rom. autem edit. cum. textu Hebr. & reliquis vers. *reducam.* L X X. Ἐν τῷ ἀποστρέψαι με &c.

b. Rom. edit cum textu hebr. & omnibus omnino vers. *Et convertit me:* vet. autem edit. ac mss. *Et converti me.* Forte an Ambrosius pro ἐπίστρεψα in cod. suo legerit ἐπίστρεψας, facili mutatione.

c. Dictionem *Ælam* quæ aberat à cunctis edit. ex mss. restituimus. Hanc etiam habent L X X. quam aliæ versiones interpretantur: *viam portæ vestibuli*, vel *porticus.*

*. Locus hic difficultatem alterius è libro 2. *expos. in Lucam*, quo maternam vulvam aperuisse Christus dicitur, penitus solvit. Ostendit enim illic Ambrosium eo modo non ob aliud loquutum, quam ut Moysis elocutioni suam accommodaret: nihil autem eâ significatum voluisse, nihi solum Christi exitum, sed virginitatis septis ac signis, qualia fuerant ante partum, in ipso partu & postea usque perseverantibus. Vide quæ citato libro *expos. in Lucam* col. 1300. num. 57. subnotavimus.

Psal. 23. 7. nis homo, per quam Christus ingreditur: *Tollite, inquit, portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* A Quanto magis ergo porta erat in Maria, in qua sedit Christus, & exivit? Est enim & porta ventris. Unde Job. 3. 9. & 10. ait Job sanctus: *Intenebrescant, inquit, stellæ noctis illius; quia non conclusit portas ventris matris meæ.*

55. Est ergo & porta ventris, sed non clausa semper: verum una sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium virginis partus exivit. B Ideo ait propheta: Ezech. 44. 2. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam,* hoc est, nemo hominum; *quoniam dominus,* inquit, *Deus Israel transibit per eam. Eritque clausa,* id est, ante & post transitum Domini erit clausa: & non aperietur à quoquam, nec aperta est; quoniam habuit semper januam Johan. 10. 7. suam Christum, qui dixit: *Ego sum janua,* quam nemo ab ea potuit avellere.

56. Hæc porta ad orientem adspiciebat; quoniam C verum lumen effudit, quæ generavit Orientem, peperitque Solem justitiæ. Audiant ergo imprudentes: Clausa, inquit, erit hæc porta, quæ solum recipit Deum Israel. Is igitur de quo Psal. 147. 13. dictum est ad Ecclesiam: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum,* suam portam confortare non potuit? Sed confirmavit profectò, & servavit intactam. Denique non est aperta.

57. Audiant igitur prophetam dicentem: *Non aperietur, eritque clausa,* hoc est, non aperietur, D ab eo cui desponsabitur; non licebit enim ut aperiatur, per quam Dominus transibit. Et post eum, inquit, erit clausa, hoc est, non aperiet Matth. 1. 20. eam Joseph; quoniam dicetur ei: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est.*

CAPUT IX.

Quomodo variis symbolis virginitas significetur, quidve ex eorum singulis discere debant sacræ virgines? E

Cant. 4. 12. 58. Porta ergo clausa virginitas est: & hortus clausus virginitas: & fons signatus virginitas. Audi, virgo, diligentius apertis auribus, & clauso pudore, aperi manus, ut te pauper agnoscat: claude ostium, ne temerator irrepat: aperi mentem, serva signaculum.

Esai. 11. 1. 59. Virga quoque à radice virginitas est; sic enim scriptum est: *Exiet virga à radice Jesse, & flos à radice ejus adscendet.* Non cavata est hæc F virga, sed solida. Nemo ergo adurat virgam tuam, ut florem tuum custodias. Virga es, ô virgo, non curveris, non inflectaris in terram; ut in te flos paternæ radicis adscendat.

60. Hortus clausus es, virgo, serva fructus tuos: non adscendant in te spinæ, sed uvæ tuæ floreant. Hortus clausus es, filia, nemo auferat sepem tui pudoris; quia scriptum est: *Et destruentem sepem mordebit serpens.* Eccles. 10. 8. Sed illam solam auferat, de qua dictum est: *Quid incisa est sepis?* Nemo parietem tuum destruat, ne sis in conculcationem. Paradisus es, virgo, Evam cave. Gen. 38. 29.

61. Fons signatus es, virgo, nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet; ut imaginem tuam in fonte tuo semper adtendas.

62. Porta clausa es, virgo, nemo aperiat januam tuam, quam semel clausit Sanctus & Verus, qui habet clavim David, qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Apoc. 3. 7. Aperuit tibi Scripturas, nemo eas claudat: clausit pudorem tuum, nemo aperiat eum.

CAPUT X.

Innuitur virginitatem coronam esse in manu Domini, quem unum non secundum perinde ac Patrem & Spiritum produnt Scripturæ. In hoc objiciunt Evangelii textum hæretici: at illo per alia testimonia soluto, fides catholica de Trinitate confirmatur.

63. Venio, inquit, *cito, tene quod habes: nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. 11. Quæ est corona tua, nisi illa de qua dictum est: *Et eris corona decoris in manu Domini?* Esai. 62. 3.

64. Quis hoc dicit, nisi ille de quo dixit Ecclesiastes: *Est unus & non est secundus?* Eccles. 4. 8. Quis est iste, nisi ille de quo dictum est: *Magister vester unus est Christus?* Matth. 23. 10. Unus est, quia unigenitus Dei filius: unus, quia solus, ut scriptum est: *Quia expandit cælum solus, & ambulat sicut in terra super mare.* Job. 9. 8. Hic ergo non est secundus; quia primus est: non est secundus; quia unus est: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* 1 Cor. 8. 6. Unus Deus Pater, [a] & unus Deus Filius, & unus Spiritus sanctus, sicut scriptum est: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis pro ut vult.* 1. Cor. 12. 11. Unus, inquit, quia unus Deus. Nullus secundus; quia quod vult facit, non quod imperatur. Unus ergo Pater Deus, & unus Dei Filius. Unus & unus; quia non sunt duo dii. Unus filius; quia cum Patre unum est, sicut ipse dixit: *Ego & Pater unum sumus.* Johan. 10. 29. Et unus Spiritus; quia unitas Trinitatis est, non ordine distincta, nec tempore.

65. Sed * dicunt lectum: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti;* Matth. 28. 19. & objiciunt, quia primo Patrem nominavit, secundo Filium, tertio Spiritum sanctum. Numquid ergo, quia dicit Evangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* Johan. 1. 1. inferiorem significavit Patrem; quia primo Verbum

a. Edit. *& unus Dei Filius*: mss. *& unus D.us Filius.* Magis commode.

*. Dubium hîc incidere potest utrum in verbo *dicunt* intelligendi sint bonosiani? Certe quidem Ambrosius neque supra cap. 5. neque in ea epist. qua Bonosii judicium ad Macedones episcopos remittit, hanc eis hæresim adtribuit. Sed respondere non difficile est, in opere quod instituendæ virginis causa susceptum esset, eum errorem qui ex diametro virginitati opponitur, ante omnia refutandum fuisse: in Capuensi autem Synodo non agendum nisi de dogmate eisdem hæreticis proprio; cùm illud quod ipsis atque arrianis erat commune, satis superque jam Ecclesiæ autoritas confodisset. Quod tamen obiter hîc refellere minime negligit idem præsul; quia qui Christi negaverit divinitatem, vix umquam de Mariæ virginitate perpetua rectè sentiat. Porro non injuria hoc loco designari bonosianos vel hinc intelligas, quod cum illis photiniani, quos Christi æternitati hostes infensissimos ex arriana hæresi pullulasse constat, ita postea confusi fuerint, ut hi amisso proprio nomine, in bonosiacorum transierint appellationem, quemadmodum Gennadius lib. *De Scriptor. Eccles.* cap. 14 testificatur. Concilium etiam Arelat. 2. can. 16. & 17. docet ex photinianorum errore venire bonosiacos, licet quæ de utrorumque baptismo illic traduntur, indicent in eorum doctrina aliquid exstitisse discriminis. Adi quoque Gelasii decretum de lib. prohibitis, ubi conjungi ab eo videntur utrique hæretici.

Dei in principio semper esse ac fuisse memoravit? Aut cùm dixit Apostolus: *In regno Christi & Dei*, ordinem fecit? Aut eùm dicit ipse Dominus Jesus: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem*; eminentiorem Filio Dei Spiritum esse testatus est? (Ephes. 5. 5. — Luc. 4. 18.)

66. Advertis, virgo, quemadmodum ista solvantur. Aperi ad hæc aures tuas, os tuum claude. Aperi aures, ut fidem audias: claude os, ut teneas [a] verecundiam.

67. Deinde illud legunt, quia dixit: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*; & non intelligunt quod ante præmiserit: *In nomine*, inquit. Tres personas quidem significavit, sed unum Trinitatis nomen adseruit.

68. Unus itaque Deus, unum nomen, una divinitas, una majestas. Nullus ergo secundus; quia principium omnium Trinitas est, & Trinitatis primatus super omnia est. Ergo unus & non est secundus. Unus est, qui secundum non habet; quia unicus solus sine peccato, solus sine adjutorio, qui ait: *Respexi, & non erat adjutor.* (Esai. 63. 5.)

CAPUT XI.

Cùm tantopere pro nobis laboraverit Christus, ei uni laborare nos oportere. Ipsum non legi secundum esse; nisi tantum quatenus homo est, quo sensu etiam novissimus appellatur. Et huc locus Ecclesiastis atque Elisæi exemplum adaptantur.

69. Non est finis labori ejus; quia pro omnibus advocatus noster est apud Patrem, & infirmitates nostras suscepit, & pro nobis dolet, pro nobis infirmatur, sicut ait: *Æger eram, & non visitastis me.* (Eccles. 4. 8. — Matth. 25. 43.)

70. *Cujus oculus non satiatur divitiis*; quia ipse est altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, in quo sunt thesauri mysteriorum cælestium. Cur ergo sæculo potius laboramus, & fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii nisi huic servire Domino debemus? (Ibidem.)

71. Hic ergo non est secundus. Ego certe hoc testimonium defero: lego quia primus est, lego quia non est secundus. Illi qui secundum aiunt, doceant lectione.

72. Sed dicit aliquis quia scriptum est: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* [b] Verùm adtende quid dicat. *Secundus*, inquit, *homo*; quasi hominem secundum dixit. Et ego dico quia primus est secundum divinitatem, ante quem nullus: secundus autem secundum carnem, quia post Adam. (1. Cor. 15. 47.)

73. Ego plus dico, non solùm ego secundum hominem, sed etiam novissimum. Denique sic habes scriptum: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Vide clementiam Christi: ipse est primus & novissimus. Qui primus erat, propter nos se novissimum fecit. Primus, quia per ipsum omnia: novissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim & projecit se, ut caderet, infra omnes se faciens, ut omnes jacentes levaret. (Ibidem 45.)

74. Unde & ait Ecclesiastes: *Quia si ceciderit unus, alter eriget socium suum: &* [c] *væ illi uni cùm ceciderit, & non est secundus, ut eum erigat. Et quidem si dormiant duo, est calor illis: & unus quomodo calefiet?* Hoc est, qui Christum habet secum, etsi ceciderit, resurget: etsi mortuus fuerit, revivisect; quia [d] adest illi qui venit ignem in terram mittere. Denique & Elisæus eùm puerum resuscitaret, insufflavit illi; ut infunderet vitæ calorem. Habeto ergo tecum hunc ignem in pectore tuo, qui te resuscitet; ne frigus tibi perpetuæ mortis irrepat. (Eccles. 9. 4. 10. & 11. — Luc. 12. 49. — 4 Reg. 4. 34.)

75. Hic ergo juvenis se projecit, qui venit per Mariam, & infundebat vitæ calorem pectoribus audientium. Unde dicunt illi in Evangelio: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm aperiret nobis Scripturas?* (Luc. 24. 32.)

CAPUT XII.

Christum juvenis secundi nomine ab Ecclesiaste designatum cum aliis locis, tum hujus ipsius continuatione intelligi: eum igitur esse qui & transisse portam, & in ea sedens manducasse describitur.

76. Hic est juvenis secundus, ut dicit Ecclesiastes: *Vidi universos qui vivunt, qui ambulant sub sole cum juvene secundo,* [e] *quis resurget pro eo?* Quis enim pro Christo resurget, cùm ille pro omnibus resurrexerit, & in illo omnes resurrexerint, cùm spem resurrectionis acceperint? (Eccles. 4. 15.)

77. De Christo autem dictum liquet, quando advertis congruere istum locum cum benedictione vel prophetia Jacob, qui ait de Juda: *Quis suscitabit eum?* Non utique alter; quia ipse se suscitavit, sicut ipse ait: *Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud.* Hoc autem dicebat de templo corporis sui. (Gen. 49. 9. — Johan. 2. 19.)

78. Illud quoque vere Christo convenit soli, quod addidit: *Non est finis omni populo ejus*; quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ [f] perpetuæ vitæ adquirit ætatem. Secundum carnem itaque & juvenem dictum, & cadere vel resurgere dubium non est. Denique & illud adnexuit; quia optimus puer pauper & sapiens: pauper enim factus est, eùm dives esset. (Eccles. 4. 16. — Ibidem 13.)

79. Ipse ergo rex Israel transivit hanc portam, ipse dux sedit in ea; quando Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, quasi Rex sedens in aula regali uteri virginalis, vel in olla ferventi, sicut scriptum est: *Moab aula spei*, vel *olla spei meæ.* Utrumque enim diversis in codicibus invenitur. Aula regalis est virgo, quæ non est viro subdita, sed Deo soli. Est & olla (Johan. 1. 14. — Psal. 59. 10.)

a. Mss. *verecundiam Dei. De illo legunt* &c. Minus concinne

b. Ita mss. edit. autem, *Verùm ante videamus de quo dicat.* Ceterum idem, Epiphanio teste, Photinus quoque objiciebat; unde optime id confirmatur, Photini cuipiam discipulo, qualem Bonosum fuisse supra ostendimus, hic respondere sanctum Doctorem.

c. Edit. *væ illi qui unicus ceciderit*: mss. *væ illi uni cùm ceciderit* Magis scite; L X X. enim, *καὶ οὐαὶ τῷ ἑνὶ ὅταν πέσῃ* &c.

d. Omnes edit. *adest ille*: mss. *adest illi.* Optime, ut referatur ad eum qui ceciderit, & relativi *qui* subintelligatur an cedens *is* aut alius. Infra vero ubi edit. vet. ac mss. *Hic ergo juvenis*, ultimæ voci spongiam induxit Rom. edit. Non satis recte.

e. Rom. edit. sola, *quis resurget cum eo*: sed aliarum & mss. lectioni favent etiam L X X. quorum hæc verba sunt, *ὃς ἀναστήσεται αὐτ.* &c. his etiam nec discrepant aliæ versiones.

f. Mss. *perpetuitate adquirit ætatem.*

uterus Mariæ, quæ Spiritu ferventi qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum, cùm peperit Salvatorem.

Ezech. 44. 3. Johan. 4. 34. 80. Qui manducavit in porta sedens, utique cibum illum de quo dicit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælo est.*

CAPUT XIII.

Mariæ virginitatem pulcre designari per ollam ac nubem levem: hujus nubis pluviam pluribus typis in veteri fœdere præsignatam à virginibus colligi, non secus ac efficacissimum illius ollæ unguentum excipi oportere; nec paupertatem ab ullo prætexendam, sed adhibendam præparationem.

81. O Divitias Marianæ virginitatis! Quasi olla ferbuit, & quasi nubes pluit in terras gratiam Christi; scriptum est enim de ea:
Esai. 19. 1. *Ecce Dominus venit sedens super nubem levem.* Vere levem quæ conjugii onera nescivit: vere levem, quæ levavit hunc mundum de gravi fœnore peccatorum. Levis erat, quæ remissionem peccatorum utero gestabat. Denique levavit Johannem in utero constitutum, qui ad
Luc. 1. 41. vocem ejus exsilivit, & infans exsultavit in gaudio, prius sensu devotionis quam spiritus infusione vitalis animatus.

82. Excipite igitur, excipite, sacræ virgines, nubis hujus pluviam spiritalem, temperamentum flagrantiæ corporalis; ut corporis omnes restinguatis ardores, atque interna mentis vestræ humescant. Hujus imbrem nubis sacratæ
Psal. 71. 6. patres nostri annuntiaverunt nobis salutem mundi futuram. Hunc imbrem significabant esse venturum stillicidia stillantia super terram,
Judic. 6. 36. & seq. quæ Hierobaal poposcit & meruit. Bonam nubem sequimini, quæ fontem intra se genuit, quo rigavit orbem terrarum. Excipite ergo voluntariam pluviam, pluviam benedictionis, quam hæreditati suæ Dominus effudit. Excipite aquam, & non effluat vobis; quia nubes est, diluat vos, & sacro humore perfundat; quia olla est, spiritu vaporet æterno.

83. Excipite itaque ex hac Moabitide olla gratiæ cælestis unguentum, nec vereamini ne deficiat: quod exinanitum est, & plus redun-
Psal. 59. 10. Cant. 1. 2. dat; quia in omnem terram odor ejus exivit, sicut scriptum est: *Unguentum exinanitum est nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Descendat istud unguentum [a] in ima præcordia, visceromque secreta, quo non deliciarum odores sancta Maria, sed divinæ gratiæ spiramenta redolebat.

84. Hæc pluvia Evæ restinxit appetentiam: hoc unguentum fœtorem hæreditarii erroris abstersit: hoc unguentum Maria soror Lazari in pedes Domini effudit, & tota domus pio repleta odore flagravit. Johan. 12. 3.

85. Nec ulla se pauperem putet, nulla se arbitretur inopem, nulla metuat ne pretiosum hoc unguentum emere non possit, aut fontem istum putet esse venalem. *Qui sititis*, inquit, *ite ad aquam: & quicumque non habetis argentum, ite & emite & bibite sine argento.* Et supra ait: *Gratis venumdati estis, & sine argento redimemini.* Ideo pauper factus est Dominus, cùm dives esset; ut eum omnes emant, & egenos præcipue sua paupertate locupletet. Esai. 55. 1. Esai. 52. 3.

86. Parate igitur vasa Domini, ut excipiatis hunc fontem aquæ vivæ, fontem virginitatis, integritatis unguentum, odorem fidei, & suavis misericordiæ [b] gratia florulentum. Induamini agni ejus innocentiam, qui cùm malediceretur, non remaledixit: cùm percuteretur, non repercussit. 1. Petr. 2. 23.

CAPUT XIV.

Quo virgines acrius impellantur ad Mariæ imitationem, ostenditur multa quæ mystice dicta sunt de Ecclesia, eidem quoque Deiparæ virgini competere.

87. HAnc imitamini, filiæ, [c] cui pulcre convenit illud quod de Ecclesia prophetatum est: *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab*; eo quod speciose Ecclesia Evangelii prædicatione processit. Speciose procedit anima, quæ corpore velut calceamento utitur; [d] ut quo velit, suum possit sine impedimento ullo circumferre vestigium. Cant. 7. 1.

88. In hoc calceamento speciose processit Maria, quæ sine ulla commixtione corporeæ consuetudinis auctorem salutis virgo generavit. Unde egregie Johannes ait: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*, id est, non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absolvere. Unde & Esaias dicit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Speciosi ergo gressus vel Mariæ vel Ecclesiæ; quoniam speciosi pedes evangelizantium. Johan. 1. 27. Esai. 53. 8.

89. Quam pulcra etiam illa quæ in figura Ecclesiæ de Maria prophetata sunt; si tamen non membra corporis, sed mysteria generationis ejus intendas? Dicitur enim ad eam: *Moduli femorum tuorum similes torquibus*, [e] *operi manuum artificis. Umbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto. Venter tuus sicut acervus tritici muniti inter lilia*; eo quod [f] continens sibi in omnibus Christi ortus ex virgine, sicut victores solent sæcularium præliorum, strenuorum vi- Cant. 7. 1. & seq.

a. Edit. *in anima præcordia*; mss. *in ima præcordia.*

b. Mss. *gratia florulentam induamini* &c.

c. Ita edit. mss. autem, *cui dictum est: Speciosi* &c. Iterum vero ubi edit. *eo quod speciose Ecclesia*, mss. habent, *eo quod speciosa*; minus concinne, ut sequentia docent.

d. Sententia in ms. uno sic invertitur, *ut quo possit, suum velit* &c.

e. Vet. edit. *opera manuum artificis*: Rom. *opere manuum artificis*, mss. denique *operi manuum artificis.* LXX. autem omnibus fere patrocinantur; eorum enim mss. partim legunt, ἔργον τεχνίτου, partim ἔργῳ χειρῶν τεχνίτου. Infra vero ubi vet. edit. ac mss. *minuti inter lilia*, Rom. edit. restituit, *muniti* &c. quæ quidem videtur vera lectio, cùm LXX. constanter præferant, περιπεφραγμένη ἐν κρίνοις.

f. Ita mss. nisi quod habent *onerare*, pro quo *honorare* ex edit. retinuimus: totum vero locum eædem edit. exhibent in hæc verba, *continens sibi sit in omnibus Christi ortus. Sicut victores* &c. Idem autem est hoc loco *continens sibi*, atque sibi congruens & cohærens; quo significatum voluit sanctus Doctor Christum in ortu suo perfectiones tam inter se connexas habuisse, ut coronam efficere quodammodo videantur. Ceterum quod significat moris fuisse ut certaminum victores torquibus donarentur, tam crebra scriptorum testimonia exploratum faciunt, ut de illis in medium proferendis non sit laborandum. Si quis tamen plura desideret, adeat Vegetium lib. II. cap. 27. & Lipsium de Milit. Rom. lib. 5 pag. 209. ubi ad eum morem nunc usitatos equestrium ordinum torques acceptos refert.

rorum donatis torquibus honorare cervices; ita jugum nostrum levavit, ut fidelium colla virtutis insignibus coronaret.

90. Vere autem alvus ille Mariæ crater tor-
Prov 9. 2. natilis, in quo erat Sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam divinitatis suæ plenitudine subministrans.

91. In quo virginis utero simul acervus tritici, & lilii floris gratia germinabat; quoniam & granum tritici generabat, & lilium. Granum B
Iohan 12. 24. tritici secundùm quod scriptum est: *Amen amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Sed quia de uno grano tritici acervus est factus, comple-
Psal. 64. 14. tum est illud propheticum: *Et convalles abundabunt frumento;* quia granum illud mortuum, plurimum fructum adtulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua cælestium munerum esca saturavit: consummatumque est illud prophetici oris eloquium, dicente eodem David: C
Psal. 80. 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.*

92. In hoc grano esse etiam lilium divina
Cant 2. 2. testantur oracula; quia scriptum est: *Ego sum flos campi, & lilium convallium: sicut lilium in medio spinarum.* Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Judæorum.

CAPUT XV.

Virgines quodam singulari modo dici posse lilia Christi: Christum vero ipsum rectè per acervum tritici liliis circumdatum adumbrari; quippe qui & Ecclesiam fœcundaverit, & diversorum retulerit coronas certaminum. D

Ibidem. 93. Audi, virgo, quid dicat: *Lilium*, inquit, *convallium* Christus, id est, humilium animarum & mitium. Esto ergo mitis, humilis, atque mansueta; ut in te sicut lilium
Ibidem 5. 13. germinet Christus. De quo & alibi habes: *Labia ejus lilia* [a] *stillantia myrrham primam*; id est, qui Christi passionem loquuntur, & suo ore concelebrant, ac mortificationem ejus in suo circumferunt corpore, Christi lilia sunt; specialiter sacræ virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas. Unde plerique accipiunt quod Ecclesia videatur dicere: *Ego sum flos campi, & lilium convallium*: quæ in hac convalle istius mundi gratiam boni odoris exhalat, sedulæ con-
Cant. 6. 1. & 2. fessione pietatis. Denique & alibi dicit: *Frater meus descendit in hortum suum, in phialas aromatis, pascere in hortis, & colligere lilia. Ego fratri meo, & frater meus mihi, qui pascit inter lilia.*

94. Ex illo ergo utero Mariæ diffusus est in hunc mundum acervus tritici muniti inter lilia; quando natus est ex ea Christus, cui dicit pro-
Psal. 64. 12. & seq. pheta David: *Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent fines deserti, & exsultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, & convalles abundant frumento; etenim clamabunt, & hymnum dicent.* A

95. Quis est annus Dominicæ bonitatis, nisi ille de quo dictum est: *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te;* quando populo- Esai 49. 8.
rum fide [b] Ecclesia abundavit, justitiam induit sacerdotes? Unde & Apostolus dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*; quan- 2. Cor. 6. 2.
B do venit Dominus prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis, sicut in Evangelio suo ipse memoravit dicens: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, &c.* Luc. 4. 18.

96. Tunc ergo Dominus operibus suis & gloria & honore sui tempus coronavit adventus; totus enim ille annus conversationis ejus in hoc mundo diversarum habuit certamina passionum. Vicit Herodem parvulus, de quo in pas- Matth. 2. 16.
sione infantium triumphavit. Esurivit, sitivit,
C pro nobis vapulavit, pro nobis contumeliarum indigna toleravit, crucem adscendit, mortuus est pro nobis.

CAPUT XVI.

Virginibus exeundum obviam Christo, & qua ratione. Hunc quidem à matre coronatum esse; sed tamen de ipsius divinitate non ambigendum. Sumendam itaque perfectam fidem in esca illa quam paravit Jacob, & in stola quam prudens mulier contexuit, præfiguratam; ut virgo benedictiones à Christo consequuta, in homine Deum videat, immo vero Christum induat, simulque omnium ornamenta virtutum.

97. Vides quanta [c] certamina? Sed tamen non avarus exactor præmii, cui abundavit una cælestis corona virtutis. Unde egredimini, filiæ Hierusalem, sicut vos hortatur scriptura divina in Canticis canticorum: *Egre-* Cant 3. 11.
E *dimini & videte regem Salomonem in corona, qua coronavit eum mater ejus in die sponsalium ejus, & in die jucunditatis cordis ejus; quia fecit sibi*, inquit, *caritatem à filiabus Hierusalem*, hoc est: Egredimini ex his angustiis & sollicitudinibus corporalibus, egredimini ex hac delectatione carnali, & peregrinamini de corpore, ut adesse Domino possitis; quoniam qui in carne sunt, Domino suo placere non possunt. Dicitur ergo Rom. 8. 8. & 9.
vobis quia non estis in carne, sed in spiritu, si
F potueritis comprehendere Salomonis veri illius pacifici caritatem, quam fecit sibi ipse; & ideo coronam accepit à matre.

98. Beata mater Hierusalem, beatus & Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit. Coronavit eum quando formavit: coronavit eum, quando generavit; quia etsi * eum sine aliqua sui operatione formaverit (quia Spiritus sanctus supervenit in virginem; unde & ipse

a. Edit. *Distillantia myrrham plenam*; sic enim LXX. *στάζοντα σμύρναν πλήρη*. Mss. tamen, & vulgata versio, *stillantia myrrham primam*; textus hebr. *myrrham transeuntem.*

b. Omnes edit. *Ecclesiam fœcundavit, justitia* &c. Mss. autem ut in contextu.

c. Voci *certamina* edit. addunt, *passus est:* quod elegantius subintelligitur in mss.

*. Cave putes hic negari ab Ambrosio purissimam virginem vere Dei genitricem habendam esse. Sed locum interpretare comparate ad eos hæreticos quos, ut vidimus, confutandos suscepit. Etenim ut Mariæ virginitatem semper mansisse intaminatam, & divinitatem Christo abjudicandam non esse probet, satis est si doceat eamdem Deiparam sine ullo genitali congressu sancti Spiritus operâ concepisse. Alioqui enim quomodo Maria negari posset tantumdem Christi generationi, quantum ceteræ matres liberorum suorum, contulisse, quæ illum, ut Ambrosianis verbis utamur, *formavit, generavit, concepit, ac peperit.* Verum de his iterum lib. 3. de Fide cap. 7.

ait:

[Ps. 138. 16.] ait: *Inoperatum meum viderunt oculi tui*) tamen hoc ipso quod ad omnium salutem eum concepit & peperit, coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit; ut per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus. Inoperata est ergo & caro Christi, quem ut Maria virgo conciperet, inusitato quodam novoque Incarnationis mysterio, sine ulla virilis seminis admixtione, divinæ gratia dispositionis quod erat carnis, adsumsit ex Virgine; atque in illa novissimi Adam immaculati hominis membra formavit.

99. Hominem audis, sed supra hominem intellige; quia scriptum est: [Exod. 34. 26.] *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Et alibi legis: [Hier. 17. 9.] *Et homo est, & quis agnoscet eum?* Ergo non debes agnum illum, [Coloss. 2. 9.] *in quo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat*, conditionis humanæ viribus æstimare, & majestatem incomprehensibilis potestatis [a] degeneris cognitionis infirmitate concludere. [Gen. 27. 25.] Non enim illum perfectæ fidei cibum Jacob coxit in lacte, quo Isaac pater ita est delectatus, ut ei prærogativam omnem benedictionis prophetica sobrietate conferret. Et ideo Apostolus scripsit succum lactis tenuis cibum esse doctrinæ, dicens: [Hebr. 5. 13.] *Quia omnis qui alitur lacte, expers est verborum justitiæ;* parvulus enim est: perfectorum autem est solida esca.

100. Et tu ergo, filia, sume stolam illam [b] mulieris pia operatione contextam, [Prov. 31. 19. & seq.] quæ manus suas aperit pauperi, & lucerna ejus non extinguitur in tota nocte: atque indue te, & hujusmodi epulas adfer ad patrem, ut dicat: [Gen. 27. 20. & seq.] *Quid est quod tam cito invenisti*, filia? laudans in tenera adhuc ætate prudentiam, piæ quoque devotionis affectum. Et dicat tibi: *Accede ad me*, filia; odoratusque odorem vestimentorum tuorum benedicat te dicens: *Ecce odor filiæ meæ, sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus;* &, *Det tibi Deus à rore cæli desuper, & ab ubertate terræ abundantiam.* Atque his adjungat: *Qui maledixerit tibi, maledictus erit: & qui benedixerit te, benedictus erit.*

101. [Gen. 32. 26. & seq.] Hac stola indutus Jacob hominem vidit, & ab eo quasi à domino Deo benedictionem poposcit, & appellavit locum, *visio Dei.* Hac stola indutus vidit illam stolam Christi, de qua ait: [Gen. 49. 11.] *Lavabit in vino stolam suam.* Et benedixit etiam Joseph dicens: [Ibidem 22.] *Filius meus ampliatus Joseph, filius meus ampliatus, zelatus filius meus adolescentior, ad me revertere*, significans Dominicæ resurrectionis insigne. Et addidit: [Ibidem 26.] *Benedictio patris tui & matris tuæ prævaluit super benedictiones montium manentium. & desideria collium æternorum*, id est, [c] super Regem gratiæ.

102. Hanc sume stolam, ut induas Christum, atque in ejus agnitione renoveris. [Coloss. 3. 12. & seq.] Indue ergo sicut electa Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, caritatem, quæ est unitatis vinculum; ut nemini quidquam debeas, nisi ut invicem sororem tuam diligas: nec gratiæ ejus invideas, sed quo probatiorem videris, imiteris; ut sit in te pax Christi & gratia, & verbum Dei habitet in corde tuo, atque hujus mundi [d] fugias cogitationes.

103. Semel mundo mortua, ne quæso, tetigeris, ne adtaminaveris quæ sunt istius sæculi: [Coloss. 2. 20. & seq.] sed semper in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus abducas te ab hujus sæculi conversatione, non homini, sed Deo cantans. Et sicut sancta faciebat Maria, conferas in corde tuo. [Luc. 2. 19.] Quasi bona quoque agnicula rumines in ore tuo præcepta divina, ut dicas & tu: *Exercebor in mirabilibus tuis.* [Psal. 118. 27.] Nec dormitet aut stillet [e] anima tua præ tædio. Stillicidia enim ejiciunt hominem in tempore hyemali de domo sua: [Prov. 27. 15.] anima autem perfecta non stillat, in qua nulla gravioris est rima peccati; sed manet in domo sua, & inoffensæ habitationis novitate lætatur & fruitur. At si aliquid forte nutaverit, dicas: *Confirma me in verbis tuis.* [Psal. 118. 28.]

CAPUT XVII.

Aguntur Deo gratiæ quod Angelorum vita in paradiso quondam perdita, jam fulgeat in virginibus; quodque mundo Christum edere, atque Hebræos per mare educere digna fuerit virginitas. Post hæc Ambrosia ipsa Deo commendatur ac offertur, ut suum in ea tueatur munus, & ad spiritales partus cælesti connubio illam conjungat, virtutes dotis atque ornamentorum loco tribuat, quarum beneficio Sponsum suum tenere mereatur. Denique Christus obsecratur, ut famulam suam lætus excipiat.

104. NUnc ad te, decursis omnibus, Pater gratiæ, vota converto, cujus pietati innumerabiles gratias agimus, quod in virginibus sacris Angelorum vitam videmus in terris, quam in paradiso quondam amiseramus. Quid enim vel ad imitanda virginum studia, confirmandamque virtutem, vel ad concelebrandam virginitatis gloriam plus conferre potuisti, quam ut Deus ex virgine nasceretur? * Amplius nobis profuit culpa, quam nocuit: in quo redemtio quidem nostra divinum munus invenit.

105. Sed ipse quoque unigenitus Filius tuus venturus in terras suscipere quod amissum est, puriorem carnis suæ generationem reperire non potuit, quam ut habitationi propriæ cælestis aulam virginis dedicaret; in qua esset & immaculatæ castitatis sacrarium, & Dei templum.

106. Quid autem illud adtexam, quod divino tuo munere cum sanctis Moyse & Aaron virgo Maria pedes per fluctus duxit Hebræorum exercitum? [Exod. 15. 20.] Relinquo vetera, privata non quæro: satis est ista nobilitas familiæ virginali.

107. Te quæso ut tuearis hanc famulam tuam, quæ tibi servire, tibi animam suam, tibi integritatis suæ studium dicare præsumsit. Quam

a. Rom. edit. sola, *degeneris cognationis infirmitate.* Non incommode.

b. Edit. *mulieris, pia operationis studio contextam:* mss. vero ut nos in textu.

c. Ita edit. omnes: mss. vero, *super regem gratia.* Quid si legamus, *super legem gratia.* Sane huic conjecturæ sensus videtur patrocinari; nec tamen absurdæ aliæ duæ lectiones.

d. Gill. edit. in marg. & Rom. in textu, *fugias contagiones:* aliæ & mss. *fugias cogitationes;* nihilo deteriori sensu.

e. Mss. *anima tua pretiosa* Non satis recte. Porro si locum hunc & quæ Comment. in Psalm. 118. Serm. 4. num. 15 disputantur, inter se contuleris, idem lucem ex illis accipiet non mediocrem.

*. Eodem sensu *lib. de Iacob, & vita beata*, cap. 6. num 21. *Facta est mihi culpa mea merces redemtionis; per quam mihi Christus advenit* &c. Item in Psal. 39. num. 20. *Felix ruina, quæ reparatur in melius.* Et alibi passim habemus non absimilia.

sacerdotali munere offero, affectu patrio commendo; ut propitius & præsul conferas ei gratiam, quo cælestium thalamorum immorantem adytis Sponsum excutiat, mereatur videre, introducatur in cubiculum Dei sui regis: mereatur audire dicentem sibi: (Cant. 4. 8.) *Ades huc à Libano, Sponsa, ades huc à Libano, transibis & pertransibis à principio fidei;* ut transeat sæculum, ad illa æterna pertranseat.

108. Intende igitur, Pater, in tuum munus, cui sanctificando nullius consilium quæsisti: sed illi sine ullo petitore atque arbitro tantam contulisti gratiam, quantam ante oracula divina credere nemo potuisset, ut in suo utero Deum virgo portaret. Cujus prærogativa muneris provocata crebrescunt studia virginitatis, & sacræ integritatis exempla. Quibus hæc quoque famula tua ad hujusmodi virtutis gratiam lacessita, tuis adsistat altaribus, * non rutilanti cæsarie flavum deferens crinem, flammeo nuptiali dicatum: (Iohan. 12. 3.) sed illum crinem quo Evangelica illa mulier sancta Maria pedes Christi sedula pietate detersit, & domum totam effuso implevit unguento, sacro offerens velamine consecrandum.

109. Adest puella, quam non nuptiarum festa, non præmia, non onerati pondus uteri, votivo nupturis dolore sollicitent: sed quæ immaculatos sibi fidei partus & pietatis exposcat; ut in utero accipiat de Spiritu sancto, & spiritum salutis Deo fœta parturiat. Sed ut ista procedere possit meritorum gratia, tu Deus pater omnipotens, suffragia commendationis adjunge; non enim solitaria dos pudoris est. Succingat sacræ virginitatis crinem modestia, sobrietas, continentia; ut virtutum accincta comitatu, purpureo Dominici cruoris redimita velamine, mortificationem domini Jesu in sua carne circumferat; hæc sunt enim meliora velamina, quæ sunt indumenta virtutum, quibus culpa obtexitur, innocentia revelatur.

110. His igitur famulam tuam indue vestimentis, quæ in omni tempore munda sint; mundum enim manet, quidquid nulla interveniens culpa fuscaverit, ut ei jure dicatur: (Eccles. 9. 7. & 8.) *Quoniam placuerunt Deo facta tua.* In omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum in capite non desit, quo faces suas mysticas possit accendere; (Matth. 25. 10.) ut cùm venerit Sponsus, inter illas sapientes virgines cælesti thalamo digna numeretur, quæ devotionis ac fidei suæ, gravitatisque lumine munus sacræ professionis illuminet.

111. Tuere igitur ancillam tuam, Pater caritatis & gloriæ, ut quasi in horto clauso & fonte signato teneat claustra pudicitiæ, signacula veritatis. Agrum suum colere noverit, quem colebat (Gen. 26.) sanctus Jacob; & sexagesimos ex eo centesimosque fructus capesset? In hujus virtutibus & for- A titudinibus agri suscites in ea gratiam, & resuscites caritatem. Inveniat quem dilexit, teneat eum, nec dimittat eum; donec bona illa vulnera caritatis excipiat, quæ osculis præferuntur. (Cant 5. 7.) Semper parata noctibus & diebus toto spiritu mentis invigilet, ne umquam Verbum eam inveniat dormientem. Et quoniam vult se dilectus ejus sæpius quæri, ut exploret affectum; recurrentem sequatur, exeat fides & anima ejus in verbum tuum, peregrinetur à corpore, ut adsit B Deo: vigilet cor ejus, caro dormiat, ne male incipiat vigilare peccatis.

112. Tu Domine, adjunge alios sacræ virginitatis ornatus, adjunge sedulos pios cultus; ut noverit possidere vas suum, noverit humiliari: dilectionem teneat, veritatis murum, pudoris septum. * Non pineæ velamen ejus, non vincant cupressi, pudicitiam ejus non turtures, simplicitatem ejus non vincant columbæ. Sit in corde simplicitas, in verbis modus, erga omnes C pudor, pietas erga propinquos, circa egenos & pauperes misericordia: quod bonum est teneat, ab omni specie abstineat mala: (Job. 29. 13.) veniat super eam benedictio morituri, & os viduæ benedicat eam.

113. (Cant. 8. 6.) *Pone ut signaculum verbum tuum in corde ejus, ut signaculum in brachio ejus;* ut in omnibus sensibus & operibus ejus Christus eluceat, Christum intendat, Christum loquatur. Aqua multa ejus non possit extinguere caritatem, nec D persecutionis gladius, nec periculum: sed confirmata in omni opere bono atque verbo, gloriam tuam induat, & in tua gratia conversetur in hoc mundo. Sanctifices eam in veritate, in virtute confirmes, in caritate connectas, atque ad illam pudicitiæ & integritatis cælestem gloriam, coronam illibatam, immaculatamque divino tuo favore perducas; ut illic Agni sequatur vestigia, & in meridiano pascat, in meridiano maneat, (Apoc. 14. 4. Cant. 1. 6.) [a] nec in grege sodalium ince- E dat: sed agnis tui admixta, sine offensione versetur comes virginum, pedissequa Mariarum.

114. Egredere itaque tu, domine Jesu, in die sponsalium tuorum, suscipe jamdudum devotam tibi spiritu, nunc etiam professione, imple agnitione voluntatis tuæ, adsume ab initio in salutem, in sanctificatione spiritus & fide veritatis, ut dicat famula tua: (Psal. 72. 24. Psal 144. 16. Psal. 85. 2.) *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & in gloria adsumsisti me.* Aperi manum tuam, & im- F ple animam ejus benedictione; ut salvam facias sperantem in te, & fiat vas in honorem sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum probatum: per illam æternabilem crucem, per illam venerabilem gloriam Trinitatis, cui est honor, gloria, perpetuitas, Patri Deo, & Filio, & Spiritui sancto, à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

*. De variis nubentium ornamentis, nuptialibusque ritibus multa nec indigna scitu habent Baron. Brissonius. Ant. & Franc. Hotmanni, Ios. Laurentius *Polymathia* lib 3. Synopsi 8. *De sponsalibus & nuptiis antiquorum:* nec non Synopsi 15. *De nuptialibus legibus* &c.

*. Is. Casaubonus *Notis in Treb. Pollionem*, pag 207. num. 12. de quibusdam Gallieni Cæsaris versibus minus pudicis agens, hunc Ambrosii locum citat, cui & subjungit: *Non dubito virum sanctum & facundum imitatum esse hunc Gallieni locum, & à sensu minus honesto ad honestum ac pium traduxisse.*

a. Ita mss. edit. autem, *nec in greges sodalium incidat.* Minime male.

IN EXHORTATIONEM VIRGINITATIS
ADMONITIO.

Deum opt. max. ut sui divexentur, nisi ad majorem ipsius gloriam, & illorum Ecclesiæque utilitatem numquam permittere, ex Ambrosiano illo itinere compertum redditur, quod huic operi dedit occasionem. Audierat vir sanctus Eugenium tyrannum in Italiam atque adeo Mediolanum, ut Paulinus [a] *auctor est, properare: igitur hominem qui sub christiana religionis obtentu idololatriam revocare moliebatur, non exspectandum ratus, Bononiam venit. Ibi interea dum moraretur, corporum Vitalis atque Agricolæ martyrum quæ divinitus ipsi revelata esse videtur à Paulino* [b] *significari, translationem solemnem celebravit. Hoc Florentini cùm didicissent, eum ingenti animorum ardore invitaverunt, ut se invisere ad dedicandam novam Ecclesiam ne gravaretur. Annuit eorum optatis sanctus Antistes, tametsi aliò statuisset* [c] *se se conferre. Cúmque aliquas Bononiensium martyrum reliquias secum adtulisset, eas deposuit in illa Ecclesia, quam ibidem celebri pompa ipse consecravit. Qua etiam in solemnitate habuit eam ex qua hic liber constat, orationem.*

a. In vita Ambros.
b. Ibidem.
c. Cap. 1. num. 1. & Paulin. in vit. Ambr.

Hæc in operis exordio ipse [d] *declarat. Sub quæ Martyrum supplicio & eorumdem reliquiarum exhumatione strictim* [e] *descriptis, addit ipsarum partem propriis manibus à se collectam ad eos adtulisse, nimirum* clavos, [f] sanguinem triumphalem & crucis lignum. *Negat enim* [g] *æquum fuisse ut repulsam à se pateretur Juliana vidua, quæ sacram ædem, à* [h] *Paulino propterea quod eam inauguravit idem Ambrosius,* Ambrosianam *dictam, construxerat. Cùm autem pia illa mater ac vere christiana facultates suas in condenda nobili Basilica Christo consecrasse non contenta esset, insuper se ipsam eum tota familia illi devovere apud se statuit. Jam quidem viro etiamnum in vivis agente, sacrificii sui primitias quasi libaverat. Etenim cùm is pietatis laude non cederet uxori, non multo ante obitum annorum numero, licet onera matrimonii satis gravia sustineret, nimirum filii unius ac filiarum trium; tamen Ecclesiasticæ utilitatis contemplatione sacris ordinibus initiari* [i] *de conjugis consensu non detrectavit. Hæc igitur jam tum continentiæ posuerat tyrocinium, sed postquam mortali sorte perfunctus esset ejus maritus, colophonem operi suo voluit imponere. Quapropter ut liberos suos ad amplectendam continentiæ professionem accenderet, eos illâ exstimulavit oratione, quam sanctus Doctor proprio stylo & eloquentia exornatam omnibus qui eò confluxerant,* [k] *proponit in hunc sensum.*

d. Cap. 1. num. 1.
e. Num. 2. & seq.
f. Cap 2. num. 9.
g. Ibid n. 10.
h. In vita Ambr.
i. Cap. 2. num 12.

Principio filium needum pueritiæ annos egressum alloquuta, [l] *ei propterea nomen Laurentio factum adserit, quod eùm parentes jam desperarent de masculа sobole progignenda, ipsum patrocinio tanti martyris obtinuissent. Illius esse ex hoc colligit, quando eumdem non secus ac Anna Samuelem Deo voverit, apud ipsius numen promissis matrem absolvere. Tum sermonem ad filias* [m] *convertens, eas conjugii incommodis cœlibatusque utilitatibus invicem oppositis, ad consecrandam Christo pudicitiam urget. Denique modo* [n] *ad filium, modo ad filias verba faciens, modo etiam ad omnes simul, nihil intentatum relinquit, ut eos ad implenda quæ parentes ipsorum nomine nuncupaverant vota, induceret. Nec frustra fuit pium illud matris desiderium. Laurentius in lectorum* [o] *numerum cooptatus est, ejus vero sorores more solemni* [p] *castimoniam professæ, illam in maternis ædibus servaverunt.*

k. Cap. 3. & seq.
l. Cap. 3. num. 14. & seq.
m. Cap 3. num. 17. & seq.
n. Cap. 4. num. 25. & seq.
o. Cap. 8. num. 54.

His itaque permotus Ambrosius Julianæ sermonem prosequi voluit [q] *etiam propria exhortatione. Istic easdem virgines quod sit illarum officium, quibus ipsas vacare exercitiis, quidve præstare oporteat, ut simul cum matre ex professionis suæ regulis vivant, edocet. Subinde autem & alias informat* [r] *christianas virgines, ad quas à tribus illis integritatis victimis sermonem transfert. Deinde variis exemplis quæ ipsæ imitari debeant, propositis, non prætermittit* [s] *sanctam Sotherim, ipsis, ut alibi* [t] *vidimus, consanguineam, cujus è suppliciis illud describit, quo sibi faciem carnificis pugno cædi cruentarique lubenti animo perpessa est. Addit* [u] *& alia quædam præcepta, quibus finitis, vidua illi* [x] *quæ se, liberos, omnesque opes Christo voverat, paratam ab eo uberrimam mercedem pollicetur. Ad postremum Deo* [y] *supplicat, ut in ea quam consecrabat, Ecclesia semper præsens atque propitius, fidelium preces ac Dominici corporis sacrificium accipiat, sed in primis hujusce totius familiæ integram admittat oblationem.*

p. Cap. 14. num. 93.
q. Cap. 9. & seq.
r. Cap. 10. num. 71. &c.
s. Cap. 12. num. 81.
t. Lib. 3. de Virginit. num. 39.
u. Cap 13. num. 83. & seq.
x. Cap 14. num 92.
y. Ibidem num. 93.

Eo tractatu quem, ut vidimus, in publico cœtu constat fuisse pronuntiatum, nihil præter unicum sermonem contineri probabile est. Sed licet multus in dicendo istic fuerit sanctus Doctor, vix tamen impetrare poterat ab animo suo, ut in tam læta celebritate orationem magis præcideret. Nec sane etiam à verisimili recesserimus, si qualis Florentiæ habita fuit, talem omnino in codicibus adhuc servari crediderimus. Quippe cùm ipsemet è concionibus suis libros condebat, eis ferme semper aliquid, unde mutatio illa dignosceretur, inserebat. Inde est quod aptius in mss. inscribitur Exhortatio virginitatis, *& in edit. ant.* Ad virgines exhortatio, *quam in Rom.* De Hortatione ad virginitatem tractatus: *verum tamen quodlibet istorum lemmatum non absurde operis argumento congruere quæ hactenus declaravimus, abunde probant. Mirum autem illud videri potest viduam filias alloquentem ipsa filiabusque audientibus inductam esse ab Ambrosio, atque illi orationem qualem ab ipsamet habitam fuisse conjici poterat, ab eodem accommodatam. Sed hoc procul dubio ita præstitit, ut major vis exhortationi suæ accederet.*

Hanc porro cùm habuerit, quo tempore Eugenium fugiebat, nec non post revelata sanctorum Vitalis atque Agricolæ sacra lipsana; hinc conficitur non ante nominati tyranni perduellionem, sed Præsule nostro propriæ sedi quam Kal. Augusti an. 394. repetivit, nondum reddito, id evenisse. Baronius [z] *quidem annum 392. tribuit huic operi, quod tamen procul dubio in sequentem rejiciendum est. Neque vero minus etiam videtur certum pascha imminente eamdem compositam ac dictam esse orationem; id enim ex eo quod vir sanctus ait:* [aa] Venit paschæ dies &c. *palam indicatur.*

z. Ad ann. 392.
aa. Cap 7. num. 42.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

EXHORTATIO VIRGINITATIS,

LIBER UNUS. *

* Scripta circa an. 393.

CAPUT I.

Ambrosius Bononia veniens ad eos à quibus fuerat invitatus, narrat apophoreta se detulisse, nempe reliquias Agricolæ ac Vitalis martyrum. Horum tametsi alter dominus exstiterit, alter servus, comparatio tamen instituitur; cùmque hic illi praiverit ad martyrium, hinc cognoscitur apud Christum impedimento servitutem non esse. Tum amborum certamen describitur; quod ex utriusque nominis præsagio Sanctus illustrat. Deinde quam in Judæorum acceperant tumulis, sepultura commemorata, quanto cum gaudio detecti atque educti sint, refert.

1. QUI ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt. Ego ad Bononiense invitatus * convivium, ubi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reservavi. Apophoreta autem solent [a] habere triumphos principum: & hæc apophoreta triumphalia sunt; Christi enim nostri principis triumphi sunt martyrum palmæ. Nec vero huc dirigebam iter: sed quia petitus à vobis sum, debui mecum deferre quæ aliis parabantur, ne minor ad vos venirem; ut quod in me minus est, quam præsumebatur, in martyre plus inveniretur.

2. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis [b] servus fuit ante, nunc consors & collega martyrii. Præcessit servus; ut provideret locum: sequutus est dominus, securus quod fide servuli A jam inveniret paratum. Non aliena laudamus; passio enim servi domini disciplina est. Hic instituit, ille implevit. Nihil illi decerpitur. Quomodo enim minui potest, quod Christus donavit? Egregie & ille quidem homini serviendo didicit quomodo Christo placeret: hic tamen geminam laudem adquisivit, in illo magisterii, in se martyrii. Certaverunt tamen inter se invicem beneficiis, postquam æquales esse meruerunt. Hic illum ad martyrium præmisit, ille istum accersivit.

B 3. Nullum ergo ad commendationem hominis conditio adfert impedimentum: nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides adfert. Sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus: *Et unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* Nec servitus derogat, nec libertas adjuvat. Vide ad eam rem quam nihil in conditione momenti sit. *Servus*, inquit, *vocatus es? Non sit tibi cura .... qui enim vocatus est in Domino servus, libertus est Domini. Similiter* C *& qui liber vocatus est, servus est Christi.* Vide, inquam, vim Apostoli. Plus putatur dedisse ei qui servus, quam ei qui liber vocatus est; [c] ex servo enim libertus Christi fit, ex libero servus. Sed nulli plus dedit, verùm utrisque æquali mensura divisit. APUD CHRISTUM enim servitus & libertas æqua lance penduntur, nec ullo discerniculo bonæ servitutis & libertatis merita dividuntur; quia nulla major est dignitas quam servire Christo. Denique Paulus servus Christi D Jesu; hæc enim servitus gloriosa est, in qua gloriatur & Apostolus. An non summa gloria est, quando tali pretio æstimati sumus, ut sanguine

Ephes. 6. 8. — 1. Cor. 7. 21. & 22. — c — Rom. 1. 1.

*. Convivium per metaphoram translationem sanctorum corporum vocat, eo quod conventus fuerit celebritatis ac lætitiæ plenus, qualia solent esse convivia.

a. Rom. edit. sola, *habere triumphi principum*. Erant autem apophoreta proprie munuscula, quæ olim ab his qui vocati fuerant ad convivium, referri domum consueverant, ut puta fructus, assatæ aviculæ, aut quid ejusmodi. Sic etiam dicta sunt munera quæ magistratum novum ineuntes amicis missitabant. Fuerunt quoque apophoreta triumphalia, ab imperatoribus scilicet triumphantibus distributa. Reperitur & pro vasis in quibus sacræ reliquiæ recondebantur, ea vox usurpata, sed in infima tantum latinitate. De quibus acceptionibus consule Turnebum lib. 19. Adversar. cap 23. Lipsium lib. 1. Saturn. cap. 16. Rosveidum in Notis ad epist. 5. sancti Paulini, Cangium in eadem voce, atque alios.

b. Ita edit. ac pauci mss alii autem magno numero, *servus fuit. Ante hunc consors & collega martyrii præcessit servus.* Minime male. Hos porro martyres Bononienses imperantibus Diocletiano & Maximiano coronatos esse ad an. 303. tradit Baronius, cujus opinionem Hermannus licet epistola non dubie supposititia, ut ipse agnoscit, nitentem amplectitur.

c. Mss. aliquot, *ex quo enim libertus Christi, fit ex libero servus.*

Domini redimeremur? Sed jam pergamus ad cetera.

4. [a] Cumque sanctus Vitalis cogeretur à persequentibus ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur dominum Jesum Christum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore ejus sine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Jesu Christe, Salvator meus, & Deus meus, jube suscipi spiritum meum; quia jam desidero ut accipiam coronam, quam Angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum.

5. Sanctus Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Ideoque differebant ejus passionem. Sed hæc persequutorum honorificentia omni erat immanitate acerbior, quæ invidebat martyrium. Denique ubi non adquievit sanctus Agricola, crucifixus est; ut advertamus illas blanditias eorum non sedulitatis fuisse, sed fraudis. Supplicio servi dominum terrere voluerunt. Vertit hoc Christus in gratiam, [b] ut martyrium servi dominus imitaretur.

6. Utriusque nomen aptum martyrio; ut designati ad martyrium ipsis vocabulis viderentur. Ille Vitalis dictus est, quasi qui contemtu istius vitæ veram illam vitam æternam sibi haberet adquirere: iste Agricola, qui bonos fructus spiritalis gratiæ seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritorum suorum, omniumque virtutum rigaret plantaria.

7. Sepulti autem erant in Judæorum solo, inter ipsorum sepulcra. Ambierunt Judæi cum servulis sepulturæ habere consortium, quorum Dominum negaverunt. Sic & aliquando Balaam
Num. 23. 10. dixit: *Moriatur anima mea in animis justorum*; tamen non communicavit eorum operibus, cùm viveret, quorum in animis cupiebat mori. Et istos quos viventes persequuti sunt, mortuos honorabant. Illic igitur martyris exuvias requirebamus, tamquam inter spinas rosam legentes.

8. Circumfundebamur à Judæis, cùm sacræ reliquiæ eveherentur: aderat populus Ecclesiæ
Cant. 2. 12. cum plausu & lætitia. Dicebant Judæi: *Flores visi sunt in terra*; cùm viderent martyres. Di-
Ibidem. cebant Christiani: *Tempus incisionis adest.* Jam
Johan. 4. 36. *& qui metit, mercedem accipit.* Alii seminaverunt, & nos metimus martyrum fructus. Iterum audientes Judæi voces plaudentis Ecclesiæ,
Cant. 2. 12. dicebant inter se: *Vox turturis audita est in terra*
Psal. 18. 3. *nostra.* Unde bene lectum est: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Dies diei*, Christianus Christiano: *nox nocti*, Judæus Judæo. Indicabant ergo Judæi quod haberent scientiam martyrum, sed non scientiam Verbi; id est, non secundum illam solius boni, & solius veri scientiam: *Ignorantes enim Dei justitiam, & volentes se justificare, justitiam Dei non receperunt.* Rom. 10. 3.

CAPUT II.

Primo reliquiarum pretium amplificat, deinde Julianam viduam, quæ illis donaretur, dignam adserit; hanc enim cum honorandam ex Apostolo, tum eo prædicandam quod Ecclesiæ damna quam propria sua magis doleret.

9. Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cujus gratiam in operibus agnoscitis. Certe & ipsi dæmones confitentur. Condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta, temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus: nos legimus martyris clavos, & multos quidem, ut plura fuerint vulnera quam membra. Clamare martyrem diceres ad populum Judæorum, cùm clavos ejus colligeremus: *Mitte manus tuas* Johan. 20.
in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. 27.
Colligimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum.

10. Hæc sanctæ viduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua [c] sancta est Juliana, quæ hoc Domino templum paravit atque obtulit, quod hodie dedicamus: digna tali oblatione, quæ in sobole suâ templa jam Domino pudicitiæ, atque integritatis sacravit. Dum Julianam volo dicere, Judæam dixi. Non erravit lingua, sed definivit; Judæa enim est anima quæ Christum fatetur. Denique *notus in Judæa Deus*; id est, ubi Psal. 75. 2.
agnoscebatur, non ubi negabatur. Est ergo in spiritu Judæa, ubi major portio, intellectus sincerior; *Quia salus ex Judæis est.* Linguæ igitur Johan. 4. 22.
error testimonium sanctitatis invenit.

11. Honoremus ergo hanc viduam; quia scriptum est: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* 1 Tim. 5. 3.
Licet verborum nostrorum honorem non ambiat, quæ Apostoli mandatum adæquaverit, habens in bonis operibus testimonium, quæ bene filios educaverit, melius instituerit.

12. Quis hanc non ut destitutam & miserabilem deploravit, quando amisit maritum? At ista ministrum sacris ereptum altaribus amplius ingemuit, quam sibi conjugem, aut patrem filiis. Nam etsi præsidio esset mariti viduata & solatio; tamen apud piam mentem causa Ecclesiæ præponderabat.

a. Ab hisce verbis, *Cumque sanctus Vitalis*, usque ad illa, *emisit spiritum*, quidquid continetur, in mss. ferme omnibus desideratur. Neque vero id totum nobis mediocriter suspectum est, maxime quod verba illa, *omnia tormentorum genera in eum exercentes*, cùm antecedentibus ac subsequentibus parum congruant. Horum tamen loco in epistola 55. quam Ambrosio Rom. edit. mss. aliquot auctoritate substituit, concinnius legitur, *adeo omni tormentorum genere cruciatus.* Porro cùm mss. nos deficiant, in edit. nihil mutamus.

b. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *ut martyrio servi Dominus invitaretur*: alii longe plurimi, ut in textu

c. Rom. edit sola, *sancta est Judæa.* Favet quidem quod infra ponitur, *dum Julianam volo* (edit. *volui*) *dicere, Judæam dixi*: sed tamen sine mss. aut saltem vet. edit. nulli fidimus conjecturæ. Sunt autem mss. aliquot in quibus habetur. *Ea igitur vidit atque obtulit quod hodie* &c. Interim hîc observabis quam antiqua sit dedicandarum cum celebri pompa Ecclesiarum consuetudo. Hujus quoque rei documentum præbet sancti hujus nostri ad Felicem Comensem epistola. Catholici nonnulli, atque heterodoxi Magdeburgenses in sæculum 2. tradunt hunc ritum non nisi post imperium Constantini receptum esse, cùm alii eumdem è veteri Synagoga in Ecclesiam nascentem translatum velint. Utramque vero sententiam conciliat Card. Bona lib. 1. *Rerum liturgic.* cap. 20. num 3.

CAPUT III.

Julianæ ad liberos exhortatio. Illic principio filium monet eum non temere vocari Laurentium, sed quod Martyris cognominis patrocinio conceptus fuerit, atque eidem promissus. Solvat igitur parentum vota. Nihil ipsi esse quo retardetur; cùm ceteris rebus divinum servitium præstantius sit, hominum autem vita miserrima: patere tamen exitum ex ejus malis, modo castitatem illi eligant, cui conjugii servitus hic opponitur.

13. SUccinxit itaque mentis viscera, & circumfusam se videns numero filiarum trium, & unius filii, quo solent terreri ceteræ, hoc fortior facta, tali filios alloquio convenit: Filii, amisistis patrem, matrem habetis. Melior quidem fuisset illa commutatio, si pater viveret, mater deesset. Tamen infirma licet & desolata ostendo vobis, si vultis sequi, quo arbitremini patrem vobis non decessisse; habetis enim meliorem de cælo parentem. Ille est qui & hos C suffulsit patres. Quid enim aliud jam superest spei? Pater vobis fuit dives gratia, non pecunia: opulentus ministerio, non patrimonio: cujus hereditas fides est, locuples Deo, sed egena sæculo. Satis vos divites reliquit, si propositum ejus sequamini. Sola fides utrique indiscreta sexui, census virorum, [a] dos virginum.

14. Et tu quidem, fili, aliquanto propior patri, agnosce quæ matri debeas, quod domui vocabulum reddas. Ætas te excusat, sed he- D reditas vocat. *Jucundentur*, fili, *pater & mater in te*. Noli matrem contemnere quasi imprudentem. *Regis admonitio*, inquit, [b] *quem erudivit mater sua*. Quid filius qui servat dictiones Dei? Primogenite tibi dico, fili: *Quid filius mei ventris? quid natus mearum orationum? Ne dederis mulieri tuam honestatem*. Audi quid sapiens dicat, quid Scriptura adserat.

Prov. 23. 25.

Prov. 31. 1. & seq.

15. Considera quis te ut nascereris, juverit: filius es votorum magis quam dolorum meo- E rum. Considera cui te muneri pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. * Ibi vota deposuimus, unde nomen adsumsimus. Vota effectus sequutus est, redde martyri, quod debes martyri. Ille te nobis impetravit, tu restitue quod de te hujusmodi nominis appellatione promisimus.

16. Quid autem est, fili, aliud quod eligendum putes, nisi Deum patrum tuorum? Ipse enim F pauperes & divites, humiles & excelsos facit, suscitat à terra pauperem, & de stercore erigit inopem, & sedere eum facit cum potentibus in tribunali honoris & hereditatis. Dat votum optanti, & benedicit annos justi. Quid hoc, fili, præcellentius? aut quid est vita hominis in hac terra, [c] nisi levis cursor? En transivimus, & nihil vidimus. Atque utinam hunc cursorem imitaremur; ut nihil videremus, & nulla onera portaremus: sed quod est gravius,

Iob. 9. 25.

A cursus vacuus, & onera inania. Inania sunt quidem, sed non levia, neque delicti vacua; quia grave fœnus peccati est. Unde clamat sanctus Job: *Nonne tentatio est vita hominis in terra, aut sicut mercenarii quotidiani vita ejus? Et sicut servus timens dominum suum, qui umbram invenerit, & sicut mercenarius exspectans mercedem suam; sic ego* [d] *exspectavi in vacuum, noctes autem dolorum datæ sunt mihi. Si dormiero, dico: Quando dies? Cùm surrexero, iterum: Quando vesper? Plenus sum* B *dolore à vespere usque mane. Vita autem mea levior quàm favilla. Periit autem in vana spe*. Nihil igitur est homo, nisi tu, Domine, intendas in eum, & visitationem ejus facias usque mane, & in requiem eum inducas. Arbor si excidatur, repullulat, & floret ab aquæ odore: homo cùm ceciderit, nihil est, [e] ingruunt super eum dolores.

Job. 7. 1. & seq.

17. Hanc igitur tentationem tantarum necessitatum, si vultis, filii, vitare, integritas corporis expetenda vobis est: quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. * SOLA EST ENIM virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest. Res magis voti est, quam præcepti. Quod enim gratiæ est, non jubetur, sed desideratur: electionisque magis est, quam servitutis. Unde & Apostolus dicit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus à Domino*. Legerat enim dixisse Dominum spadonibus: *Quicumque custodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectentur testamentum meum; dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorem filiorum & filiarum: nomen æternum dabo illis, & non deficient*. Meliorem, inquit, locum vobis dabo, spadonibus dicit; his videlicet, * qui se resecta genitali parte absciderint. Ipsi sunt ergo qui habent in cælo præmia ceteris præstantiora.

32. q. 1. c. integritas.

1. Cor. 7. 25.

Esai. 56. 4. & 5.

18. Hos in Evangelio suo prædicat Dei Filius; dicentibus enim Apostolis: *Quia si ita est causa viri, ut non liceat illi uxorem dimittere, nisi ex sola causa fornicationis, non expedit nubere*; respondit Dominus: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, hoc est: Non capit hoc conditionis humanæ infirmitas, ut omnibus pateat: sed illis solis facile est ad capiendum, quibus divina refulsit gratia; ut castrare se possint, quo regnum cœlorum adipiscantur.

Matth. 19. 10. & 11.

CAPUT IV.

Integritatis dignitate strictim proposita, quæ ad filias ex nuptiis damna reditura sint, explicat; utque ad ea fugienda illas excitet, Apostoli sententiam atque exemplum in medium affert. Hinc memoratis & quas in matrimonio pertulit, & quas in viduitate perpessura est, miseriis, affirmat fore, ut illæ omnes earum virginitate reparentur, nec ipsa posthac præsidio ullo indigeat.

19. AUdistis, filii, quantum sit præmium integritatis. Regnum adquiritur, & re-

a. Mss. non pauci, *dux virginum*. Haud satis recte.

b. Vet. edit. *quæ mater sua, qui filius, qui servat dictiones Dei?* Gill ac Rom. *quem erudivit mater sua. Quid servabis, fili? Dictiones Dei:* mss verò magno consensu nobiscum faciunt.

*. Agnoscant ex hoc loco novatores quam sit moris antiqui vota sanctis in cælum receptis nuncupare, quo eorum suffragiis à Deo fideles expeditius optata consequantur.

c. Edit. vet. ac mss. ut in textu, nisi quod in mss. nonnullis habetur; *levior cursor:* at Rom. edit. *nisi levior cursore? Transierunt & nihil viderunt*.

d. Rom. edit. sola, *exspectavi menses vacuos*, nimirum se ut Scripturæ textui, ac versionibus accommodaret, in quibus omnibus, *menses vacuos*, aut *menses vanitatis*.

e. Mss. non pauci, *in ævum super eum dolores*.

*. Id est, solùm suaderi potest, nisi tamen votum intercedat.

*. Vide lib. *de Viduis*, cap 13. num. 76.

gnum cæleste vitam Angelorum exhibet. Hoc A vobis suadeo, quo nihil pulcrius; ut inter homines Angeli sitis, qui nulla sibi ligantur nuptiali copula. Matth. 22. 30. Quoniam quæ non nubunt, & qui uxores non ducunt, sicut Angeli in terris sunt; ut tribulationem carnis non sentiant, servitutem ignorent, à mundanæ cogitationis ablevemtur contagio, divinis rebus mentem intendant; ut tamquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei, cogitent.

20. Considerate, filiæ, si velitis nubere, B quantum vobis desit, quibus pater deest. Deest opima dos; quod ipsum tamen si abundaret, emeretis magno pretio servitutem. Nunc vero quis non despiciet destitutas patre? quo confugietis? undè auxilium postulabitis adversus virorum injurias? quanta in ipsis conjugiis incommoda sunt? quam graves plerumque contumeliæ? quanta vincula?

21. Primo ipsum conjugium vinculum est, quo alligatur viro nupta, & ei in subjectionem ad- C stringitur. Bonum quidem caritatis vinculum est, sed tamen vinculum, de quo cùm velit se exuere nupta, non possit, nec liberum sui habere arbitrium. 1. Cor. 7. 4. Denique Apostolus dicit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Et quid mirum de muliere; quandoquidem & vir sui corporis potestatem non haber, sed mulier? Si qui fortior est, potestatem sui non habet, quanto minus infirmior? Non ergo absolvit mulierem communis servitus, sed gravius ad- D stringit.

22. Videte itaque quid Scriptura dicat, quid Apostolus suadeat. Quis vobis potest melius consilium dare, quam ille vas Dominicæ electionis? Quid igitur dicat percipite auribus. a Ibidem 7. [a] *Volo autem omnes homines sic esse sicut & me ipsum.* Et iterum dicit de non nuptis & viduis: Ibidem 8. *Bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* Volo vos imitatrices esse tanti Apostoli, ut vitam ejus sequamini, qui conjugii vinculum refugit, ut vinctus E esset Christi Jesu. Non potuisset ad tantam Apostolatus sui pervenire gratiam, si fuisset alligatus conjugii contubernio.

23. Quod si ille qui & doctrina præstantissimus erat, & tantum Christi donum habebat, judicavit tanti momenti esse, si abstineret ab usu copulæ conjugalis: & ideo sic mansit, ne plurimum suo muneri decerperetur; quod neque orationi vacare semper liceret, neque semper divinis intendere mandatis, quem con- F jugii cura revocaret, ut placere uxori esset necesse: quid utique vos eligere oportet, quibus sola virginitas potest libertatem dare; quoniam quæ nupserit, ad servitutem pecuniâ suâ venditur? MELIORI conditione mancipia quam conjugia comparantur: in illis meritum emitur servitutis, in istis pretium ad servitutem additur. Nupta venalis auro gravatur, auro æstimatur.

24. Experta sum, filii, labores copulæ, conjugii indignitates, & sub bono conjuge, nec tamen sub bono marito libera fui: serviebam viro, & laborabam ut placerem. Miseratus est Dominus, & fecit [b] altaris ministrum, b continuoque & mihi & vobis raptus est: & fortasse, miserante Domino, ne diceretur maritus.

25. Videtis, filii, longævam matrem doloribus, & adhuc [c] immaturam viduitatis stipendiis. c Videtis amissum omne præsidium & ornamentum. Nec auxilium viri habeo, nec virginitatis gratiam. Et de me levis cura: vos mœreo, vos considero. Remanserunt mihi onera conjugii, abiere adjumenta. Quanto mallem [d] in hos d numquam venisse usus!

26. Potestis tamen excusare patrem, ablevare matrem; si quod in nobis amissum est, in vobis repræsentetur. Hoc solo nos conjugii non pœnitebit, si vobis labor noster profecerit. Proximum putabo matrem esse virginum, ac si virginitatem tenerem. Considerate, filii, quam sibi veniens in has terras dominus Jesus matrem elegerit. Salutem mundo daturus per virginem venit, & mulieris lapsus partu virginis solvit: vestra quoque integritas meos solvat errores.

27. Quid boni sit virginitas, considerate. Destitutam me esse certum est, præsidio egere: sed si volueritis sic manere, nullius opem requiram, abundabit mihi [e] ad omnem opitulantiam vestræ e integritatis corona. Quis me non dicet beatam, quam nunc miseram putant? quis non honorabit tot virginum matrem? quis non venerabitur aulam pudoris?

CAPUT V.

Virginibus in utroque fœdere palmam publicæ salutis adtributam, variasque mysticarum virginum laudes celebratas: itemque designatam horti ac vineæ figura virginitatem, non secus ac olerum typo conjugium; unde filios admonet, ut rejectis Achab & Jesabel spiritalibus, verum illum Naboth amplectantur pro nobis accusatum atque occisum. Quamobrem venisse prædictus sit super nubem levem, & cur etiam matrem suam Johanni commendaverit? Quomodo tandem hic qui ut mysticus Levi nihil habebat, legitur eam accepisse in sua?

28. MUltas feminas scriptura divina in lucem evexit, palmam tamen publicæ salutis solis virginibus dedit. In veteri testamento terra ac mari clausum Hebræorum populum Exod. 15. 20. virgo per maria pedes duxit: in Evangelio auctorem mundi & redemtorem virgo genera- Luc. 1. 27. vit. Virgo est Ecclesia, quam studuit Apostolus virginem castam adsignare Christo: virgo 2. Cor. 11. 2. est filia Sion, virgo est civitas illa Hierusalem Esai. 37. 22. Apoc. 21. 27.

a. Ita vet. edit. cunctique mss. in quo cum textu Apostolico rite consentiunt. At Rom. edit. cum Vulg. vers. *Volo autem vos omnes esse sicut meipsum.* Confer cum lib. *de Virginit.* cap. 10. n. 130.

b Deerat in edit. omnibus vox *altaris*, quam tamen in mss. longe plurimis invenire est. Ex hoc autem loco manifestum fit continentiæ necessitatem etiam iis qui conjugati ad ministri, hoc est, diaconi ordinem allecti essent, jam inde à primis temporibus fuisse impositam.

c. Plerique mss. *immaturam virtutis stipendiis*: melius tamen alii, & omnes edit. *immaturam viduitatis stipendiis*, id est forte, nondum sexagenariam. Videtur siquidem hîc & lib. de Viduis cap. 2. num. 9. illud ætatis exigere, ut senilis viduitas Ecclesiæ stipendiis sustentetur.

d. Mss. non pauci, *in hos*, quidam melius *in hoc*, *numquam venissemus*.

e. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *ad omnem opitulationem*: alii mss. multo plures, *ad omnem opitulantiam*, unus *opulentiam*. Haudquaquam male.

quæ in cælo est, in quam nihil commune intrat atque immundum: virgo est & illa quam vocat A Jesus, cui & dixit: *Ades huc à Libano, Sponsa, ades huc à Libano; transibis & pertransibis à principio fidei.* (Cant. 4. 8.) Non solum transivit virgo, sed etiam pertransivit: quæ festinat ad Sponsum, transit sæculum, pertransit ad Christum: vel quia ea quæ Christo se dicaverit, transeundo ad cælestia, terrena pertranseat. Nam & ipse Sponsus (Cant. 2. 8.) sic venit ad Sponsam suam, ut saliat super montes, transiliat super colles.

B 29. (Cant. 4. 12.) Addit adhuc ad laudem virginitatis: *Hortus clausus soror mea Sponsa, hortus clausus, fons signatus;* quo meliores adferat fructus claustro pudoris septa virginitas, in qua intemerata permaneant castitatis signacula. Hunc hortum animæ vestræ, hunc fontem servate puri liquoris; ut eum in vobis nemo perturbet, nemo designet, quem genitalis in vobis origo signavit. Nemo auferat animæ vestræ vineam, & vilia olera ferat. Vinea enim quidam fructus virginalis est: C conjugia velut olerum plantaria sunt, in quibus [a] frequens gelu est; & ideo sicut olera herbarum cito cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum evehat continentia.

30. (3 Reg. 21. 2. & seq.) Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscat vineam vestram delere & extinguere: nec veniat in vobis Jezabel, vanum illud & sæculare profluvium; hoc enim significatur vocabulo, vana & vacua redundantia: sed veniat D Nabuthe, qui venit à patre, sicut indicat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, & pro ea mortem suam offerat. Hic est qui lapidatus pro nobis est, pro nobis mortuus, pro nobis falsis appetitus testimoniis: qui pauper huc venit, cùm dives esset, ut nos ejus inopia ditaremur. Hic est vitis, quæ redundantibus gratiæ suæ fructibus replevit universum orbem terrarum. Hic in vestris pectoribus alta maneat defixus radice; ut & fructus vester exuberet, E & liquore gratiæ spiritalis corporei vaporis incendia temperentur.

31. Hic est qui venit in nube levi, sicut dixit propheta: (Esai. 19. 1.) *Ecce Dominus sedet super nubem levem, & veniet in Ægyptum;* significans quod in Ægyptum, id est, in afflictionem mundi hujus veniret super virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat; levem, quia virgo erat, nullis oneribus gravata conjugii. (Num. 17. 8.) Ipsa est virga germinans florem, quia pura, & F ad Dominum libero corde directa virginitas, quæ nullis in hoc sæculo curarum amfractibus reflectitur.

32. Ideo illam Dominus de cruce discipulo (Johan. 19. 27.) suo dilectissimo sibi tradidit sancto Johanni, (Deut. 33. 9.) *qui dixit patri & matri: Non novi te.* (Matth. 4. 21.) Denique vocatus à Christo reliquit patrem, Verbum sequutus. Huic traditur virgo, qui suos nesciat: huic traditur virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam: huic traditur virgo, qui fratres suos non cognovit, & filios suos non scivit. Ideoque benedicit eum Lex: *Date Levi veros ejus, date Levi sortes ejus.* (Deut. 33. 8.)

33. Unde & matrem Domini ipse suscepit; (Johan. 19. 27.) scriptum enim habemus, quia *ex illa hora suscepit eam Discipulus in sua.* Quid est *in sua*, cùm reliquerit patrem & matrem, & Christum sequutus sit? Aut quomodo *in sua*, cùm ipsi Apostoli dixerint: (Matth. 19. 27.) *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te?* Quæ sua habebat Johannes, qui mundana & sæcularia non habebat, qui & de mundo non erat? Quæ ergo habebat sua, nisi ea quæ à Christo acceperat? Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ apostoli à Christo acceperint: (Johan. 20. 22. & 23.) *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum detinueritis, detenta erunt.* [b] Neque enim mater domini Jesu nisi ad possessorem gratiæ demigraret, ubi Christus habebat habitaculum.

CAPUT VI.

Adaptat filiis dicta superius, docetque qua ratione ipsi nubes leves esse queant per virginitatem: & dare levi veros ejus, si tales nimirum permaneant, quales primi parentes ante peccatum. Horum filios quos ejecti è paradiso genuerunt, comparat: & prioris filii occasione suos hortatur, ut mundanas non quærant possessiones, quas filiæ Salphaad ambierunt. Quid per hoc significetur, quasve sortes Levi jubemur dare? Dominicæ ac Mosaicæ sortitionis quodnam discrimen? Harum altera matrimonium, altera virginitatem signari, quæ libertatem ministrorum Christi pone sequitur.

34. Date ergo & vos, filii mei, vero illi Levi veros ejus. Estote nubes, sed leves. Eritis profecto, si ablevet virginitas onera conditionis, & tenebras hujus limosæ carnis illuminet. Ideo dicit illa: *Nigra sum, & decora, filiæ Hierusalem;* (Cant. 1. 4.) nigra per carnem, decora per virginitatem. Nubes itaque sunt, & graves nubes, quæ nupserint; namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cùm acceperint nupturæ velamina. Et vere graves nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonii. Nam etiam gravari alvo feruntur, cùm semina conceptionis acceperint.

35. *Date* ergo *Levi* [c] *veros ejus.* Quid tam verum, quam intemerata virginitas, quæ signaculum pudoris & claustrum integritatis genitale custodit? At vero cùm usu conjugii juvencula defloratur, amittit quod suum est, quando ei miscetur alienum. Illud enim verum quod nascimur, non in quod mutamur: quod à Creatore accepimus, non quod de contubernio adsumsimus. Date ergo vero Levi, illi sacerdotum principi, vero Aaron, vero Melchisedech veros ejus, quales ipse condidit, non quales sæculi hujus usus efficit; ut opus suum in vobis & illud genitale signaculum inviolatum atque integrum recognoscat.

36. Date illi, exhibete illum Adam qui fuit

a Ita mss. magno numero: quidam autem, atque omnes edit. *frequens zelus est.*

b. Rom. edit. sola, *Neque enim mater Domini Iesu ad possessorem gratiæ non demigraret, nisi ubi* &c. Parum congrue.

c. Mss. ubique habent, *viros ejus*: at germanam lectionem esse, *veros ejus*, proxima verba, *Quid tam verum*, & alia illa non ita multo post sequentia, *Illud enim verum quod nascimur*, certo demonstrant. Et hinc corrigendus idem locus supra col 69. num. 266. & emendanda ibidem subjecta annotatio; nisi quis malit Ambrosium variis in codicibus varie legisse, quod eidem alibi quoque usu venire haud difficulter animadvertas.

ante

ante peccatum, illam Evam quæ fuit antequam lubricum serpentis hauriret venenum, priusquam ejus supplantarentur insidiis, quando non habebant quo confunderentur? Nam utique nunc, licet bona conjugia, tamen habent quod inter se ipsi conjuges erubescant. Tales ergo estote, filii, quales Adam & Eva in paradiso fuerunt. De quibus scriptum est, quod posteaquam de paradiso est ejectus Adam, cognovit Evam uxorem suam, & illa concepit, [a] & peperit filium, quem vocavit Cain: & iterum concepit & peperit filium, cui nomen Abel. Melior itaque secundus, quam prior fructus; quia iste immaculatus, ille maculosus. Iste adhærens Deo, & totus à Domino, ille mundana & terrena possessio. Denique in isto mundi redemtio annuntiatur, ab illo mundi ruina. In hoc Christi sacrificium, in illo diaboli parricidium. Nihil ergo vobis sit, filii, cum possessione sæculi, nec terrenæ vobis & Judaicæ [b] possessionis ullos vindicandos esse sortitus arbitremini.

37. Legimus quidem quia Moyses, id est Lex, terras bello & cæde quæsitas, sorte distribuendas Hebræorum populo censuerit, quarum possessionem sibi Salphæ filiæ postularunt, quia Salphæ filiæ. Tamen idem Moyses levitis non divisit terram, quorum non erat terrenus, sed superior incolatus: sed iis sine labore terreno sacri stipendia ministerii deputavit. Salphæ autem filiæ quid sunt, quæ terram petunt, nisi, ut interpretatio docet, oris obumbratio? Quæ utique in illis est, quibus non est verbum in ore ipsorum, nec in sermone eorum veritas; sicut in populo Judæorum, qui nolunt Christum Jesum Deum Dei Filium confiteri. Tales igitur terram requirunt, & hujusmodi postulant possessionem, in qua tota vitæ suæ ætate desudent, & pro fructibus spinas curarum & sollicitudinum metunt.

38. Fugite ergo, filiæ, umbram oris, quæ in lumen æternum creditis, quod illuminat omnem hominem: quæ non tamquam in umbra Christum, sed in lumine confitemini. *Populus qui sedebat in umbra mortis, lux orta est illis.* Fuimus ergo in umbra, sed nunc jam non sumus, qui Christum fatemur. Atque utinam licuisset & mihi dicere, qui Christo profitemur. Et tamen profiteamur, ego viduitatem, vos virginitatem. Fiat in nobis ore ad salutem confessio.

39. Date ergo Levi illi salutari nostro [c] sortes ejus. Sors ejus levitica est, sors ejus virginitas est, sors ejus viduitas est; quoniam non solum virgo, sed etiam mulier innupta cogitat quæ sunt Domini. Unde & Apostolus dixit: *In quo & sorte constituti sumus.* Sicut enim in veteri Testamento terra sorte divisa est, ita in Evangelio sorte quadam Domino deputamur. [d] Unde & scriptum est de evangelistis: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et apostoli, cùm eligendus esset duodecimus apostolus in locum Judæ, sorte munus apostolatus deferendum arbitrati sunt. Itaque oratione facta, ut de duobus Dominus quem vellet eligeret, sors cecidit super Matthiam.

40. Illa igitur vetus terrena sortitio, hæc spiritalis. In illa census sæculi materialis, in hac personalis officii: ibi possessio curarum, hîc divisio gratiarum: illic possidemus arva plena laboris atque mœstitiæ, hîc possidemur à Christo. Unde [e] & sanctus David dicit: *Possedisti renes meos.* Hic, filii, possideat renes vestros, ut in illis seminaria maneant castitatis, incentiva virtutum. Ideo dicate vos Christo, & confitemini ei, ut dicatis: *Portio mea Dominus.* Non potest hoc nupta dicere, sed innupta; nupta enim quærit viro suo placere, innupta autem Christo. Illa mundi, hæc Christi possessio.

41. Christi possessio levita est, qui nihil sibi de terrenis vindicat. Qui quærit uxorem, non potest dicere: *Portio mea Dominus.* Denique Christi minister quid ait? *Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi: in nomine Jesu Nazareni surge, & ambula*; hoc enim acceperat, quoniam aurum non desiderabat. Denique missus erat sine virga, sine sacculo, sine pecunia. Et ideo gloriabatur, quia non habebat quod non acceperat; non enim erubescebat in paupertate, quem pauper redemerat. Ideoque dixit: *Surge & ambula*, quia legerat: *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.*

CAPUT VII.

Virginum sterilitatem aliarum fœcunditate potiorem esse, cùm Ecclesiæ imitetur copiosos partus, qui sorte, hoc est, gratia & non ex operibus producuntur. Dandas itaque sortes Christo, qui supra laborem mercedem solvit: dandam etiam veritatem, id est, virginitatem. Quot & quantis tentationibus ea impugnetur? Sed cùm bonam castitatem esse didicerimus ab Apostolo, indicat sancta Vidua recurrendum ad remedium: quod eleganti prisca illius Mariæ allegoria, in carnis mortificatione ac Dominicæ passionis merito, quo nos ad victoriam perducimur, positam esse significat. Quærendam posteà in cælestibus sapientiam, atque adtrahendam in interiora, ut vivamus.

42. Sit ergo vobis portio Dominus, Dominus qui sterilem & parientem facit. Utramque facit, sed altera in tristitia parit, altera in sterilitate lætatur, cui dicitur: *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & exclama, quæ non parturis.* Habet enim filios sine partus dolore. Unde dicitur de Ecclesia: *Quis audivit, si parturivit terra uno die, & gens nata est simul?* Uno autem die terra non parturit, sed parit gratia. Venit paschæ dies, in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacræ virgines. Uno ergo die sine aliquo dolore multos filios & filias so-

Gen. 2. 17. — Gen. 4. 1. — Num. 26. 33. — Ibid. 27. 1. & seq. — Deut. 18. 1. & seq. — Psal. 5. 10. — Esai. 9. 2. — Deut. 33. 8. — 1. Cor. 7. 34. — Ephes. 1. 11. — Josue 18. 10. — Johan. 19. 24. — Actor. 1. 26. — Psal. 138. 13. — Psal. 118. 57. — Act. 3. 6. — Luc. 9. 3. — Ps. 33. 7. — Esai. 54. 1. — Esai. 66. 8.

a. Omnes edit. *& peperit filium, cui nomen Abel.* Quem quidem locum mancum ac defectum esse cùm sequentia aperte clament, ita supplendum post Bandinium edixit Latinius, *& peperit Cain, & dixit: Possedi hominem per Deum. Et rursum concepit* &c. Sed mss. omnium factum est beneficio, ne isthac eorum conjectura opus haberemus.

b. Complures mss. *possessiones, illos vindicando*, nonnulli, *judicandos, vobis esse sortitos arbitremini.* Absurde.

c. Mss. aliquot, *sortes ejus. Levitica est sors ejus, viduata est.* Corruptissime.

d. Paris. quædam edit. *Unde & dictum est ab evangelistis.* Non recte; nihil enim aliud hoc loco significatum vult Ambrosius, nisi evangelistas in militibus vestimenta Christi dividentibus adumbratos esse. De quo adisis Expos. in Lucam lib. 10. col. 1528, num. 115. & seq.

e. Omnes edit. *sanctus Domini*: omnes mss. *sanctus David*.

let Ecclesia parturire. Ideoque pulcre dicitur: A *Et gens nata est simul*, de populo consecrato.

43. Videtis mysteria, videtis gratiam Christi, gratiam Spiritus sancti, qui velut quadam sorte defertur; quoniam non ex operibus, sed ex fide unusquisque justificatur à Domino. Sicut enim sortis eventus non in nostra est potestate, sed quem casus adtulerit; sic gratia Domini non quasi ex mercedis merito, sed quasi ex voluntate defertur. Unde & Apostolus ait de divisionibus gratiarum, quæ diverso modo Dei B servulis deferuntur: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* (1. Cor. 12. 11.) *Prout vult*, inquit, non prout debetur. Denique & Dominus ait uberiorem mercedem pro opere postulantibus, & conquerentibus quod parem accepissent cum iis, qui posterius advenerant: *Si ego bonus, oculus tuus quare nequam est?* (Matth. 20. 15.)

44. Date ergo, filii, sortes vestras ei qui ultra meritum laboris remunerationem suis donare consuevit. *Date veritatem ipsius viro* C *sancto*, (Deut 33. 8.) id est, integritatem; ipsius enim est integritas, qui immaculatus advenit. Veritas itaque virginitas: corruptela mendacium est. State ergo in corde vestro, sicut bona vinea in propagine sua.

45. Multæ tentationes sunt; ideoque ait Scriptura: *Tentaverunt eum tentatione, & maledixerunt ei super aquam contradictionis Cades.* (Deut 32. 51.) Tentatur virginitas à plerisque petitoribus, & cùm voluerit virgo perseverare, existunt qui D contradicant. Contradicit petitor, & refutatus maledicit. In opprobrio esse videtur innupta, vel virgo, vel vidua. Cades enim innupta est, quæ est sancta corpore & spiritu, & Domino se dicavit, quæ reliquit parentes, & non facit voluntatem eorum qui solent dicere: Debes nobis, filia, nepotes. Cades est quæ filios nescit. Quod si illa divitiis sæculi præfert opprobrium Christi, quod necesse est ut subeat, qui quærit Christo placere; quanto magis vos, quos E pater provocat ad integritatem: mater hortatur id sequi, quod convenit?

46. Bonum est ergo virginitas. Denique, *Qui judicavit*, inquit, *in corde suo* [a] *servare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* (1 Cor. 7. 37. & 38.) Ille bene facit propter laqueum, hic melius facit propter utilitatem. Illud pro remedio, istud pro præmio. *Beatior autem qui sic permanserit, secundùm meum quidem* (Ibidem 40.) F *consilium. Puto enim ut & ego Spiritum Dei habeam.* Sequimini ergo, filii, consilium Apostoli, donum Spiritus sancti.

47. Sumite ergo & vos, sicut sumsit Maria soror Moysis & Aaron, tympanum in manibus vestris, exite dicentes: *Cantemus Domino; gloriose enim honorificatus est, equum & adscensorem projecit in mare.* (Exod. 15. 20.) Mortificate membra vestra tympani modo: nulla in iis lascivia carnis exæstuet, omnisque flagrantiæ corporalis sensus intereat. Nesciat in iis nisi inter mortuas corporis voluptates solus spiritus resultare. Si enim mortui fueritis peccato, vivetis Deo: vivetis autem, si non regnet in corpore vestro mortuo ulla concupiscentia.

48. Versate manibus vestris crucem domini Jesu, & in vestris eam operibus elevantes, calcate mundi hujus profundum, & pertransite. Ille sicut equus adhinniens in libidinem, nullum locum inveniat in vobis; & quicumque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur. Dextera lævaque circa vos aquæ murus sit, ut vapor omnis corporis temperetur; donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & septuaginta arbores palmarum, ad illam * magni requiem sabbati divina vos dignatio perducat, & in montem hereditatis suæ plantare dignetur, ubi sancta Maria choros ducit.

49. Induite ergo, filii, dominum Jesum, quærite veram sapientiam, de qua dicit Job: *Sapientia autem unde inventa est, qui locus disciplinæ? .... Abyssus dixit: Non est in me. Mare dixit: Non est mecum.* (Job. 28. 12. & seq.) Bene abyssus dixit: *Non est in me*, quia resurrexit; non enim habet quem tenere non potuit. Denique habes in Evangelio, quia Angeli dixerunt mulieribus ad sepulcrum venientibus: *Jesum qui crucifixus est, quæritis: non est hic, sed surrexit.* (Matth 28. 5. & 6.) Quid est, *non est hic?* id est, non est in sepulcro, non est in infernis, sed in cælestibus est. Mare quoque, hoc est, sæculum dicit, mundus hic dicit: *Non est mecum;* quia supra mundum est, quem vitæ humanæ lapsus atque illecebra non immutavit; quia *peccatum non fecit, nec est dolus inventus in ore ejus.* (1. Petr. 2. 22.) Abyssus ergo dixit: *Non est in me;* mare dixit: *Non est mecum.* Sed cælum non dixit quia non est apud se, quem receperat resurgentem. Paradisus non dixit: *Non est in me*, quem regnare in se, absoluto quoque latrone, cognoverat; sicut ipse Dominus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.* (Luc. 23. 43.)

50. Adtrahite, filii, sapientiam in interiora vestri cordis promtuaria; quoniam ea est omni auro argentoque pretiosior, quam mors nescit; quia non mortui [b] laudabunt te Domine, sed viventes. (b Psal. 113. 17. & 18.) Et vos igitur ut vivatis, laudate Dominum, & laudate eum diebus ac noctibus. Laudabitis autem, si ab eo nulla vos avertat cupiditas matrimonii, & cura mundi; quoniam quæ conjugium sortiuntur, sollicitantur mundi hujus negotiis.

CAPUT VIII.

Ut prolem suam, quæ Deo jam à parentibus promissa erat, acrius urgeat, filiæ Jephthe in implendo paterno voto obsequium refert: deinde ad filium conversa ei revocat in memoriam quemadmodum precibus à Deo fuerit impetratus, cui proinde negari non possit sine crimine. His dictis, alacritatem piæ sobolis cernens in gratiarum actiones effunditur sancta mulier: cujus Ambrosius in Ecclesiam, ubi filium lectoris obeuntem munus reperit, processum narrat.

51. Considerate, filii, quid votis debeatis parentum. Aperuimus ad Deum os

a. Aliquot mss. *servare virginitatem suam.*

*. Hic beatæ resurrectionis quietem intellige, quam in septenario numero designari passim traditur ab Ambrosio. Ceterum Judæis tria erant quæ magna vocitabant, sabbata de quibus ad *Expos. in Lucam* lib 8. num. 25. aliquid observamus. Locum ipsum, si vacat, adi.

b. Omnes edit. cum mss. nonnullis, *laudant Dominum;* alii mss. magno numero, *laudabunt te Domine.*

nostrum: * VOTUM EST voluntas parentum. Nos oravimus, vos solvite. Quanta vis sit in votis parentum Jephthe Galaaditis filia vos debet docere, quæ ne frustraretur oblationem paternam, etiam mortem suam obtulit. (Judic. 11. 31. & seq.) Nam cùm ille sollicitus de belli periculo, vovisset ut si prosperior pugnæ eventus foret, id quod regredienti domum suam primò sibi occurreret, Deo immolaret; ubi victoria potitus est, occurrit filia, læta præ ceteris gaudio victoriæ & pietatis officio. Ingemuit pater [a] non affectus memor, sed memor voti. Quæsivit causam filia: respondit ille quid Domino promisisset. Tum illa hortata est ut promissum Deo munus impleret. Itaque incautam patris oblationem sanguine suo solvit.

52. Hæc [b] vobis communia. Tu autem, fili, quem mihi verus Helcana, id est, Dei dedit possessio, postulatus meus, petitus meus (inde enim etiam Samuel nomen accepit) (1. Reg. 1. 1. & seq.) tu, inquam, impetratus meus, & votivus meus, qui quomodo in uterum meum veneris, nescio (jam enim desperaveram sobolem sexus virilis) quem mihi vota mea, non aliqua solemnis cœtus secreta formarunt: tu, inquam, fili, agnosce à quo donatus sis mihi. Ille tua ora plasmavit, ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cujus templo, cujus obsequio te antequam nascereris, sacravi. Non parentibus, non tibi: sed Deo natus es; cujus antequam de vulva matris exires, esse cœpisti. Et omnes quidem illius sumus, sed tamen tu specialiter [c] promissus, Domino tuo redderis; quia scriptum est: *Vovete & reddite domino Deo vestro.* (Psal. 75. 12.) Ego misera, ego indigna, & tamen quasi Anna promisi ut omnibus vitæ tuæ diebus ac noctibus à conspectu Domini non recedas: ego promisi, tu exsequere: Dominus sibi hostiæ suæ munus implebit.

53. Hæc & alia pia mater: quæ postquam congruentem filiorum vidit affectum, ablactatum suum uberibus gratiæ spiritalis in templum Domini deducens, conversa est ad preces, & dixit: *Confirmatum est cor meum in Domino, exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos, lætetur in salutari tuo; quoniam non est sanctus alius quomodo Dominus, & non est justus quomodo Deus noster, & non est sanctus præter te.* (1. Reg. 2. 1. & 2.)

54. Ista igitur ad filios suos mater dixit, quæ simul & viduitatis in se, & integritatis in liberis titulos in domum suam intulit, quasi quosdam femineos principatus. Egregia sane femina, quæ sibi nihil reliquit: totum quod habuit, Deo obtulit; cujus vita institutio disciplinæ est, & quædam formula castitatis bono proposito, & meliore magisterio. EXEMPLUM enim viduitatis & virginitatis magisterium est.

55. Procedit in Ecclesiam filiarum virginum [d] septa comitatu, domesticum decus invehens: & invenit in Ecclesia quod suum dicat, filium sacrarum lectionum oracula personantem; ut videantur sibi sorores domi discere, cùm frater auditur. Mater quoque ad imitationem cælestis exempli gaudet se proficere de filio, & omnia legentis verba pio mandat affectui, & sedulo corde conservat.

CAPUT IX.

Maternam exhortationem ut suâ quoque cumulet sanctus Præsul, virgines illas ad quærendum in divinis scripturis Christum excitat. Sed eum quando quæritur, jam tum præsentem esse adseverans, docet interrogandum ubi maneat in meridiano, id est, in Patris lumine: requirendum etiam in lumine bonorum operum, atque in nocturnis orationibus: ubi vero ille transierit, sequendum; cùm delectetur sæpius quæri, ut gratiam suscitet, animamque vulneret caritate: cujus quidem qualia sint vulnera, variis sanctorum exemplis probat.

56. SEd quamvis nihil maternis defuerit hortationibus, ego quoque vos, filii, vel paucis alloquar. Quærite dominum Jesum, qui nos monet ut quæramus regnum Dei: *Et ecce omnia*, inquit, *suppetent vobis.* (Matth. 6. 33.) Sed malo ego vos ante meritum deferre, & sic exigere mercedem. Bona merces, sed divinior dispensator mercedis, & auctor muneris. In regno merces, in Christo remunerandi potestas. Quærite illam in scripturis divinis, ubi Christus invenitur, & dicite sicut illa dicebat: *Annuncia mihi quem dilexit anima mea.* (Cant. 1. 6.) Sed & Synagoga quærebat quem amiserat, vos quærite quem non amittatis. Sed cur, Synagoga, dicis *quem dilexi*, & non dicis quem diligo? Ideo non tenes, quia dilexisse te dicis: cur non potiùs adhuc diligis, ut possis tenere?

57. Verum illam omittamus. Tu, virgo, cùm cœperis quærere, adest; neque enim fieri potest ut desit quærentibus se, qui palam factus est non quærentibus, & inventus est non interrogantibus. (Esai. 65. 1.) Dum tractas & cogitas, præsto est. Disce interrogare cùm venerit, ubi pascat, ubi maneat; sicut illa dicebat: *Ubi pascis, ubi ma-* (Cant. 1. 6.)

*. Jam supra Laurentium trium illarum virginum fratrem Julianæ verbis votorum à parentibus nuncupatorum admonuerat, quasi maximum apud eumdem habere debeant momentum: hoc autem loco manifestius adhuc eorumdem votorum ad adstringendos liberos virtutem docet. Sane dubium non est, quin infantes olim monasteriis à parentibus oblati cogerentur, saltem in occidentis Ecclesia, monasticam vitam perpetuo servare Hoc apette præcipit Tolet. Conc. can. 48. ubi legimus, *Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit* &c. Item can 50 *Non aliter & hi qui detonsi à parentibus fuerint* &c. Isidorus quoque non solum in Decr. 20. q. 1 c. *Quicumque* relatus, sed etiam à sancto Benedicto Anianensi in Concord. Reg. cap 45 §. 3. & à Smaragdo in Regulæ sancti Benedicti cap. 49. citatus idem statuit. Hoc ipsum etiam jubent Synodus Aurelian 5. can. 19. sicut & 2. Matiscon. can 18 Quibus adjici potest Gregorius II. Papa Epist. 9. ad Bonif. Mogun. relata in Decr. 20. q. 1. c. *Addidistis* Confirmant eamdem rem præter Regulas sancti Benedicti, Magistri & alias, etiam formulæ quibus in offerendis filiis parentes utebantur, quas Menardus noster in Concord. Reg cap. 66. ac præter Acherium in Notis ad Lanfr. & alibi, Mabill. noster to 3. Analect. pag. 469. exhibent. Vide quoque doctissimi Thomassini Discipl. Eccl. p. 2. c 45. qui consuetudinem illam ad Hispan. conc. refert, quæ forte melius referretur ad hanc Ambrosii commentationem, aut saltem ad Regulam D. Benedicti Synodo Tolet 4. uno sæculo antiquiorem. Idem autem Thomassinus contrarium usum apud orientales, immo etiam apud occidentales per prima quatuor Ecclesiæ sæcula obtinuisse contendit.

a. Edit. omnes, ac pauci mss *non affectus immemor*: alii multo plures ac pauciores, *non affectus memor.* Et hæc potior lectio videtur, ut sensus sit cum erupisse in gemitus, non tam paterni affectus, quam cruenti voti recordatione.

b. ita mss. edit. vero, *vobis, filia, sunt communia*, Rom. *sint commendata* Et infra ubi edit. *coitus*, legunt mss. *cœtus*, eodem sensu.

c. Omnes edit. *promissus Domino. Tu redderis*: omnes mss. ut in corpore.

d. Mss. non pauci, *septa comitatu domestico, decus ingens.*

nes in meridiano? Ubi enim Christus manet, nisi ubi justitiæ meridies fulget. Idque sacratæ Psal.18.6. scripturæ docetur testimonio, quæ dicit: *In sole posuit tabernaculum suum.* Unde & alibi idem di- Psal.35.10. cit Propheta: *In lumine tuo videbimus lumen.* Lumen Filius est, lumen & Pater qui videtur Hebr.1.3. in Filio; quoniam Filius *splendor gloriæ Patris, & imago substantiæ ejus est.*

58. Sed etiam in tuo lumine, virgo, Christum require, in bonis cogitationibus, in bonis operibus, quæ luceant coram Patre tuo qui in cæ- B lis est. Quære in noctibus, quære in cubiculo tuo; quoniam & nocte venit, & pulsat ad januam tuam. Vult enim te omnibus invigilare momentis, vult januam tuæ mentis patentem invenire. Est & illa janua quam vult patere, ut aperiatur, & resonet os tuum laudem Domini, gratiam Sponsi, crucis confessionem: cùm symbolum recenses, psalmos in cubiculo tuo concinis. Ergo cùm venerit, vigilantem te inveniat, ut parata sis. Dormiat caro tua, vigilet C fides: dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia: membra tua redoleant crucem Christi, & sepulturæ odorem; ut nihil iis somnus caloris infundat, [a] nullos excitet motus. Ipsa est anima quæ se Christo aperit, quam nulli vapores carnis exagitant.

59. Cùm hæc invenerit Sponsus, transibit: anima tua illò sequatur, discedat à cubili suo, Cant.5.6. exeat in verbo ejus, sicut scriptum est: *Exivit anima mea in verbo tuo*, id est peregrinetur à D corpore, ut Deo adsit; quoniam cùm est in corpore, peregrinatur à Christo. Unde & Apos- b 2.Cor.5.8. & seq. tolus dicit: *Audemus ergo* [b] *& consentimus magis peregrinari de corpore, & adesse ad Dominum. Et ideo conamur, sive absentes, sive præsentes placere illi. Omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum.* Quàm cito causam probavit, qua corpus resurget! Oportet enim carnem resurgere, quæ remuneratio- E nem suorum est adeptura gestorum; ut quæ in corpore gessimus, in corpore recipiamus.

c 60. Vult igitur se Dominus sæpius quæri: [c] discedit, currit, ut resuscitet gratiam, quam vult à te etiam in te resuscitari, sicut habemus ad 2.Tim.1.6. Timotheum scriptum: *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quæ autem resuscitaverit gratiam, fit vulnerata caritatis, si- Cant.5.8. cut illa dixit: *Quia vulnerata caritatis ego sum:* F *si suscitaveritis & excitaveritis caritatem.* Quid istud sit, poterimus intelligere, si repetamus quia sagitta est dominus Jesus, cui dicit Pater: Esai.49.2. *Posui te sicut sagittam electam.* Et quia ipse est caritas, sunt utique jacula caritatis, quibus vulnerat se se quærentes. Denique & alligatæ vinculis ipsum sequuntur; quia quos vulnerat, ligat. Ergo sunt etiam vincula caritatis, quibus ligatus est Paulus, qui ait: *Paulus vinctus Jesu Christi.* Osee.11.4. Philem.1.

61. Vulnera autem caritatis esse docet Job, quo nemo amplius Christum dilexit, qui diligebat etiam in ipsius sui corporis cruciatibus. Unde dicebat: *Sagitta autem Domini in meo corpore* Job.6.4. *sunt, quarum furor ebibit sanguinem meum; cùm cœpero loqui, compungunt me.* Sunt ergo caritatis vulnera, & bona vulnera: denique *meliora* Prov.27.6. *vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.* Hieremias quoque æstuabat, & ignem caritatis Hier.20.9. quo inflammabatur ad officium prophetandi, ferre non poterat. Denique demergebatur in Ibid.38.6. lacum; quia Judæis futura excidia annuntiabat, & tacere non poterat. Lapidabatur Stephanus, Act.7.58. & illa pro Christo vulnera quasi vulnera caritatis pio excipiebat affectu. Vapulabant aposto- Ibid.5.40. li, & congratulabantur. Quam bonus est Dominus, pro quo dulces & injuriæ sunt, grata mors! Et bene grata, quæ adquirit immortalitatem.

CAPUT X.

Virginitati competere Ecclesiastis locum de vestibus, quod autem addit de oleo ferendo in capite, hoc & de mentis humilitate & de modesta corporis compositione intelligi; cùm ornamenta interiora maxime in nobis requirantur, & pauperum divitiæ sint innocentiæ simplicitas. Quomodo Ecclesiæ dicat Synagoga: Ubi pascis *&c? hæc vero eas Christi voces accipiat:* Nisi scias te *&c? Hinc significari divinam imaginem residere in anima nostra, & proinde maximam ejus curam gerendam esse. Quapropter monet juvenem, ut cordis innocentia delectetur: virgines autem, ut oculos hominum exemplo Mariæ defugiant, atque omnem declinent fabularum occasionem.*

62. In omni, inquit, *tempore sint vestimenta tua candida.* Quid candidius virginitate: quid candidius intacto vestimento pudoris? Bona quidem castitas conjugalis, & castitas viduitatis: munda omnis castitas, sed forte non omnis can- 1.Cor.7.4. & 5. dida, aut non candida in omni tempore. Non candida, quando non habet quis sui corporis potestatem, quando ad tempus sequestratur oratio. De virginitate ergo pulcre dicitur: *In om-* Eccles.9.8. *ni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum in capite tuo;* ut faces tuæ semper possint lucere, nec extinguantur, cùm cœperit Sponsus ille Matth.25.6. & seq. cælestis venire.

63. [d] Qua autem ratione *in capite tuo* Eccle- d Eccles.2.14. Luc 7.38. & seq. siastes dixerit, de Proverbiis colligemus; quia *Oculi hominis in capite ejus*, id est, sapientiæ tuæ sensus. Ideo forte & evangelica mulier illa laudatur, quæ pedes Domini capillis suis extersit, quod fide se humiliaverit; ne per carnis elata sapientiam videretur, [e] quam Legi subditam ve- e Rom.8.7. rus occultorum interpres Paulus negavit, eo quod Christo subjiceretur.

a. Plerique mss. *nullus excitet metus .... Cùm hæc venerit, Sponsus transibit, ut anima &c.* melius tamen alii, & edit. ut in textu.

b. Sic mss. nullo excepto: omnes autem edit. *& contendimus magis*: Græce, θαῤῥοῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν, *contendimus, & probamus*: Vulg. *audemus & bonam voluntatem habemus*: aliæ versiones denique, *confidimus & exoptamus.*

c. Mss. non pauci, *discedit. Curi? Ut resuscitet* &c. Non incongrue.

d. Ita mss. omnes; at è contrario omnes edit. *Quàm autem unctionem in capite tuo Ecclesiastes dixerit: de Proverbiis*, Rom. *de aliis locis, colligimus.* Sane citata ab Ambrosio verba reperiuntur loco indicato ad marginem; fieri tamen potest ut ille respexerit ad Prov. 17 24. [illegible], quam sententiam, ut interdum solet, ex memoria tantum protulerit.

e. Omnes edit. ut in textu: mss. nonnulli, *ut homini, quam Legi subditam verus .... negaverit, ea Christo subjiceretur*: unus; *ut homini, quam Lege subditam viro .... allegavit, ea*, &c. in reliquis autem nihil sani. At infra edit. omnes omissa post dictionem *quoniam* particula *si*, quam in cunctis mss. reperire est, nec non prava punctorum appositione totam periodi seriem dissolverant.

64. Et pulcre hoc possumus intelligere etiam A
corporaliter; quoniam si in propheticis scriptis
Esai. 3. 16. & seq. reprehenduntur filiæ Sion, quod alta cervice
procederent, nutibus oculorum, & itinere pe-
dum trahentes simul tunicas, & ludentes pe-
dibus; & ideo gloriam vestis earum, & ornatus
earum, crines & cincinnos Dominus ablaturum
esse se dicit: recte ista mulier sparsit capillos
Luc 7. 38. suos; ut nodos crinium Evangelica solveret dis-
ciplina. Unde & apostoli dixerunt: *Non impli-*
1. Petr. 3. 3. *catu capillorum*, sicut Petrus docuit; *neque in* B
tortis crinibus, aut auro, & margaritis, vel veste
1. Tim. 2. 9. *pretiosa*, ut Paulus adseruit: sed magis interio-
ris hominis ornamenta feminis requirenda; quo-
niam ille absconditus cordis homo, qui est pau-
per sæculo, ipse est locuples Deo.

a 65. Audistis, [a] filii, qui pauperes vos esse pu-
tatis. Quis autem est homo dives, cùm multis
egeat; nisi ille cui non est grave peccatum in
Eccles. 13 30. conscientia? *Bona est enim*, inquit, *substantia, cui*
non est peccatum in conscientia. Audistis, inquam, C
1 Petr. 3. 4. in quo possitis apud Deum esse locupletes; ut
sit in vobis, inquit, incorruptibilis & modestus
spiritus. Bonæ enim divitiæ sunt innocentiæ at-
que simplicitatis, quibus peccatum non impu-
tatur, quia nulla in iis doli fraudisque versutia
est; omnis enim simplex obtrectare non novit,
nescit invidere: suo contentus est, aliena non
quærit; & si egeat, sibi dives videtur, si suppe-
tat quod alimento est satis. Denique pulcre
2. Cor. 8. 2. apostolus Paulus: *Et profunda*, inquit, *paupertas* D
eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum.

66. Et quia Ecclesia congruis erat ornatibus
comta, & de Christo lumen accipiens refulge-
bat; potest etiam sic locus ille accipi, eo quod
Cant. 1. 6. Synagoga ad Ecclesiam dicat: *Ubi pascis, ubi*
manes in meridiano? Ne forte fiam circumamicta
super greges sodalium tuorum. Mercenaria esse de-
siderat, quæ sibi vindicabat ante dominatum.
Quam damnosa perfidia est!

67. Sed quia incredula, immitis, sacrilega; E
ideo eam à gregibus Ecclesiæ suæ separat Chris-
Ibidem 7. tus dicens: *Nisi scias te, ô decora in mulieribus*,
hoc est, te prius quæ sis ipsa cognosce, & tunc
pete ut meis gregibus appropinques. Et bene
in mulieribus decora dicitur Synagoga, non in
virginibus; quia Evam mulierem sequebatur,
b per quam lapsus advenit: Ecclesia autem [b] de-
cora in virginibus est; quia virgo sine ruga est.

68. Scire ergo se debet sive vir, sive mulier,
quia ad imaginem Dei est & similitudinem; ut F
animæ sequatur, non corporis pulcritudinem.
In quo enim sumus? In animæ substantia &
mentis vigore. Hæc nostra omnis portio. De-
Psal 55. 5. nique David inquit: *In Deo sperabo, non timebo*
quid faciat mihi caro. Non ergo caro sumus,
sed spiritus. De Judæis autem dictum est: *Non* Gen. 6. 3.
permanebit in iis spiritus meus; quia caro sunt.
Non aurum sumus, non pecunia, non divitia-
rum copia; illa enim nostra. Et ideo tibi dicit
Moyses: *Adtende tibi*, hoc est, animæ tuæ; ne Deut. 15. 9.
pereas, ne carnalis fias. *Adtende tibi*, hoc est,
imagini quam à Christo accepisti, similitudini
ad quam factus es. Ipsam serva imaginem, quam
Christus in te operibus suis pinxit, sicut ipse ait
ad Hierusalem, id est, ad animam pacificam:
Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos. Esai 49. 16.

69. Adtende ergo & tu præcipue, fili, *adtende*
tibi, ut læteris in juventute tua; cui dicit Scrip-
tura: *Lætare, adolescens, in juventute tua.* [c] Non Eccles. 11. 9. c
unius tibi dicit tempus ætatis. Est quasi quidam
flos vitæ, bonorumque ætas operum, de qua
scriptum est: *Renovabitur sicut aquilæ juventus* Psal. 102. 5.
tua. Et *oblectet*, inquit, *te cor tuum in diebus* Eccles. 11 9.
adolescentiæ tuæ, & ambula in viis cordis tui sine
macula, & in adspectu oculorum tuorum, & non
in audacia oculorum tuorum; in adspectu utique
spiritali, non in audacia sæculari. *Et scito quod* Eccles. 11. 14.
super hæc omnia adducet te Deus in judicium. Et
repelle iram à corde tuo, & amove nequitiam à
carne tua.

70. *Adtende tibi*, virgo, & tu, ut insistas ora-
tioni, & vultus tuus assidua obsecratione pal-
lescat. Sed ante orationem præpara animam Eccl. 18. 23.
tuam, ut non videaris tentare Deum, cùm de-
precaris; ut id quod oras, mores tui loquantur,
fides adjuvet, opera commendent. *Adtende ti-*
bi: [d] quod dico tibi cuicumque virgini. Nam d
tibi piæ non deest institutionis magistra.

71. Adtende, inquam, virgo sacræ præser-
tim professionis, & *ab omni irreverenti oculis* Eccl. 26. 14. & seq.
cave. Et si ad tempus præterierit quasi viator, ta-
men os suum aperit, & ab omni [e] *aqua proxima* e
bibet, ut te inebrier. Nullus sit tuus sine matre
processus, quæ sit anxia custos pudoris. Ipsa
quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit ado-
lescentulis. Considera quanta fuerit Maria, & Luc 1. 28.
tamen nusquam alibi, nisi in cubiculo reperitur,
cùm quæritur. Illa te doceat quid sequaris.
Angelum in specie viri vidit, & pavebat corde,
peregrinabatur adspectu. Unde dicit ad eam
Angelus: *Ne timeas Maria.* [f] DOCET SOLI- f
TUDO verecundiam: & gymnasium pudoris
secretum est.

72. Quid enim tibi opus est vel ad proximam
facile accedere? *Pes enim fatui facilis in domum* Eccles. 21 25.
proximi: qui autem sapiens est, verecundatur. Inde
nascuntur fabulæ, de quibus pulcre admoneris
ut caveas, cùm dicit vir tibi sapiens: *Quis dabit* Ibidem 22. 33.
disciplinæ meæ custodiam, & supra labia mea

a. Omnes edit. *Audistis, filiæ, quia pauperes vos vocatis*: omnes mss. ut contextu.

b. Edit. nonnullæ Paris. *decora in hominibus est.* Infra vero ubi omnes edit. ac duo mss *& similitudinem. In quo enim ad imaginem Dei sumus, nisi in anima* &c. reliqui mss. nostram præferunt lectionem.

c. Mss. quatuor, *Non unius tibi dicit: Tempus ætatis est quasi* &c.

d. Omnes edit. *quod dico tibi, cuicumque virgini loquor*: sed mss. verbum sine ulla sensus jactura prætermittunt. Iterum ubi vet. edit. & cuncti mss *præsertim professionis* Rom. edit. reposuit *præfersertim professioni.* Non bene; neque enim refertur ad verbum *adtende*, sed sacræ virgines hic opponuntur virginibus aliis de quibus paulo superius. Denique pro eo quod habetur in omnibus edit. *ab hominis irreverentis*, mss. duo, *ab omni irreverentia*, alii totidem, *ab omnis irreverentis*; reliqui tandem, *ab omni irreverenti.* Totum autem locum in græco idiomate sic legimus, [illegible], nec ab eo recedit Vulgata versio. Et hinc potest id confirmari, quod alicubi jam monuimus, Ambrosium sacro codice à nostris haud paulum diverso usum esse.

e. Non pauci mss. *aquâ proximâ bibe*: melius alii atque edit. ... *bibet* Adverte autem quantum solitudinis amorem sanctus Doctor exigat à virginibus, quando quidem ipsis etiam crebriori Ecclesiæ frequentatione vult interdictum.

f. Ita mss. omnes duobus exceptis: hi vero cunctæque edit. *Decet solitudo.* Minus concinne, ut satis ostendit id quod sequitur, *& gymnasium* &c.

signaculum certum; [a] *ne cadam ab illis, & lingua* A
Ibidem 21. 8. *mea perdat me.* Si virilis sexus jubetur tacere coram senioribus, quam indecorum est virgines loqui, & varios serere sermones?

73. Esto ut imperes tibi silentium, numquid potes aliis imperare, ne audias? Potest quis aliquando frænos ori suo imponere, & verbis stateram: auribus non potest. Loqui enim in nobis est, audire ex aliena pendet potestate; sæpe enim audimus, quod nolumus.

CAPUT XI.

Jungit nova monita superioribus, nempe ut jurandi facilitatem vitent, lætitiæ lacrymas anteponant: à risu per quem Synagoga periit, abstineant: iram temperent, sin minus eam valeant penitus extinguere: postremo si justum istic moderamen non tenuerint, compungantur.

74. Quid deinde aliud nos Scriptura admo-
Ibid 23. 9. neat consideremus. Non jurandum C facile; quia plerumque multi casus accidunt, ut non possimus implere quod juraverimus. Qui autem non jurat, utique non pejerat: qui autem jurat, aliquando necesse est incidat in per-
Psal. 115. 11. jurium; quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.

75. Ne ipsam quidem liberiorem lætitiam in virginibus decet esse. Quæ si non habent quod fleant, [b] fleant sæculum, fleant lapsus peccantium; etenim quæ aliorum lapsus fleverit, D suos cavebit. Fleant postremo vel illa contemplatione, ut hîc flentes, illic accipiant consolationem; ne sicut dives ille qui hîc luxuriatus
Luc 16 25. & seq. est, illic pœnas graves subire Domini declaratur oraculo, & tu audias: *Recepisti bona in vita tua.* Quanto beatior Lazarus qui hîc flevit, & illic exultat: hîc esurivit, & illic epulatur? Si vis ergo & tu bonam lætitiam sequi, demonstrat tibi Ecclesiastes liber quam sequi debeas, qui
Eccles. 9. 7. ait: *Veni, manduca in lætitia panem tuum; quoniam jam placuerunt Deo facta tua.* E

76. Quid autem idem Ecclesiastes monuerit nos omnes de immoderatione ridendi, consi-
Ibid. 7. 7. deremus. *Sicut vox*, inquit, *spinarum sub olla, ita risus stultorum.* Nempe spinæ cùm ardent, sonant, & cito exuruntur; ut nullus caloris sit
Psal. 117. 12. effectus. Unde & de Judæis dictum est: *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Exusti enim suo risu, conflagrarunt in Domini passione, quando in animæ suæ jocabantur incendium, dicentes: F
Psal. 21. 9. Marc. 15. 17. & seq. *Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Et deridentes percutiebant calamo caput ejus, & quoniam spinis eum coronabant, atque acetum ei ut biberet, offerebant; ille risus Synagogam incendit in æternum. Sic ergo est risus stultorum, qui sine gratia sonat, & ollam sui corporis urit. Merito ne-
Gen. 18. 15. gabat Sara quia riserat, ne videretur ridendo de effectu promissorum dubitasse cælestium; & tamen ille risus plenus gravitatis fuerat & pudoris, quem nemo alius testis, nisi Deus solus cognosceret, quem occulta non fallunt.

77. Quam pulcrum & illud: *Noli festinare in* Eccles. 7. 10
spiritu tuo irasci; quia ira in sinu stultorum requiescit, hoc est: etsi causa sit quæ moveat indignationem, non sit festina vindicta; ne immoderatius calor indignationis exæstuet. Non potest igitur auferre quod naturalis est motus, sed moram inserit, ut medicina consilii temperet iracundiam. Sic enim David ante jam dixerat:
B *Irascimini, & nolite peccare*; non quod impera- Psal. 4. 5.
ret iracundiam, sed quod id quod naturæ esset, auferre non posset: & quasi bonus medicus remedium daret, ut ipsa iracundia non noceret.

78. Denique etiam si quis prolapsus esset corde, quoniam ira nescit tenere moderamen; suadet ut compungatur in cubilibus suis, & suum unusquisque condemnet errorem. Sic enim scriptum est: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in* Ibidem.
cubilibus vestris compungimini. Voluit itaque omnes homines suorum delictorum esse censores; ut qui publico testimonio non tenetur, se ipsum judicem qui in occulto lapsus est, erubescat, & aculeo quodam coerceat amaritudinis & pudoris.

CAPUT XII.

Ad parcimoniam transit, qua corpus adteratur: jubet bonam parari existimationem: maxime vero requirit in virgine sobrietatem, id est, abstinentiam à lascivia & vanis corporis ornamentis, quæ affectari etiam à sacris quibusdam virginibus dolet. His opponitur exemplum sanctæ Sotheris, quæ formam suam adeo non excolebat, ut faciem carnificum pugnis lubens obtulerit deturpandam. Ejus cum Hetrusco juvene, quem sibi vultum fœdasse stigmatibus ferunt, comparatio.

79. Quid de parcimonia loquar, cùm Sapiens dicat: *Aufer à me ventris concu-* Eccles. 23. 6.
piscentiam, & concubitus cupiditatis ne apprehendat me? Nec infirmitatem ex jejunio, & abstinentia reformides; infirmitas enim gravis sobriam facit animam.

80. Quomodo etiam docent Salomonis Proverbia bonæ opinioni studendum, dicendo:
Potius est nomen bonum, quam divitiæ multæ? Prov. 22. 1.
Quid est enim patrimonium, [c] nisi bona illa gubernet & operatio? Unde sanctus Job dicit:
Benedictio morituri super me veniat, & os viduæ Job. 29. 13. & seq.
me benedicat. Oculus eram cæcorum, & pes claudorum, invalidorum pater. Si vidi nudum præ- Ibid. 31. 19 & seq.
tereuntem, & non vestivi: si me non benedixerunt egentes, & de velleribus ovium mearum humeros eorum non calefeci: si abscondi aliquando peccatum meum, quod vel imprudens non ex voluntate commiserim: si aliquando permisi vacuo sinu exire inopem januam meam? His enim nomen bonum paratur.

81. Præ ceteris tamen in virgine præcellit studium sobrietatis. Sobrietatem dico non vini abstinentiam, sed corporalis lasciviæ [d] & sæcu-

a. Rom. edit. *ne cadam ab illa*, disciplina scilicet; non secus ac apud LXX. ἵνα μὴ πέσω ἀπ' αὐτῆς, refertur ad superiorem vocem, φυλακὴν: at reliquæ edit. cum mss. omnibus, quibus etiam Vulg. versio suffragatur, *ne cadam ab illis*, labiis nimirum, hoc est, ne ab illis impellar in ruinam.

b. *Fleant sæculum*, aberat ab omnibus edit. sed nostræ ex omnibus scriptis cod. si duos tantum excipias, additum est.

c. Omnes edit. cum paucis mss. *nisi bona illa gubernatio*: ceteri mss. magno numero, ut in contextu.

d. *Et sæcularis jactantia*, deerant hæ voces in omnibus edit. quæ in nostra propemodum ex universis mss. restituuntur.

latis jactantiæ, qua gravius quam vino inebriamur; dat enim calicem ruinæ, & iræ poculum.
Psal. 51. 17. Unde & dicit Dominus ad Hierusalem: *Audi humiliata & ebria non à vino. Ecce accepi de manu tua calicem ruinæ, & poculum iræ.* Sed hunc [a] calicem exinaniverit Synagoga, non bibant filiæ
Ps. 143. 12. Ecclesiæ. De Judæis enim dictum est: *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ quomodo similitudo templi*: vos autem templum Dei estis, filiæ ejus qui non transfiguratur in Angelum lucis, sed verum lumen qui de vero est lumine. Ideo in vobis non similitudo, sed veritas fit. Multæ autem cùm studium castitatis profiteantur, affectant adminicula pulcritudinis; ut comtiores prodeant, nitidiore vultu quam sacras Domini decet, quibus Apostolico illo sermone respon-
Coloss. 2. 20. & seq. deo: *Quæ mortuæ estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis*, inquit, *ne adtaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam.*

82. At non sancta Sotheris, ut domesticum piæ parentis proferamus exemplum, (habemus enim nos sacerdotes nostram nobilitatem præfecturis & consulatibus præferendam, habemus, inquam, fidei dignitates, quæ perire non norunt) at non, ut dixi, Sotheris vultus sui curam gerebat: quæ cùm esset decora facie valde, & nobilis virgo majorum prosapia, consulatus & præfecturas parentum sacra posthabuit fide, & immolare jussa non adquievit: quam persecutor immanis palmis cædi præcepit; ut tenera virgo dolori cederet, aut pudori. At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta martyrio: & volens injuriæ occurrit, vultum offerens; ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim [b] dispendio pulcritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum ejus vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis ejus & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt.

83. * Etruscum juvenem veteres fabulæ ferunt, cùm propter admirandam oris proprii pulcritudinem in amorem incenderet feminas, stigmatibus inarasse vultum suum, ne qua eum posset amare. Videro utrum castus fuerit illius animus; affectus tamen non innocens, propter quem in se ipse animadverterit. Ille tamen sola excepit vulnera, ne noceret: hæc triumphales retulit martyrii cicatrices, ut imaginem Dei quam acceperat, reservaret.

CAPUT XIII.

Virgines de servanda in se imagine divina monet; ut à Deo ipso eruditi, alienæ linguæ flagellum non metuant. Hoc vero quomodo & quatenus non timendum; qua etiam ratione sibi cavendum à lingua propria? Quo loco in eam rem Susannæ, Josephi, Danielis & Jobi exempla referuntur.

84. Servate & vos hanc imaginem, filiæ, servate scripturæ præcepta divinæ; *Ut om-* Rom. 3. 19.
ne os, inquit, *obstruatur*. Scriptum est enim: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Psal. 93. 12. Bonus Dominus erudit & docet, & plerumque arguit: sed etiam quem arguit; beatum facit; beatus enim homo quem arguit Dominus. Psal. 93. 12. Et ideo increpationes ejus non refugias, quia caritatis & gratiæ sunt; ipse enim percutit, & quia bonus medicus, manibus suis sanat. Deut. 32. 39. *Septies de necessitatibus te liberat, in septimo autem non te continget malum. In fame eripit te à morte, in pugna autem de manu ferri te exuit, à flagello linguæ* [c] *te abscondit.* Job. 5. 19. & seq. Si enim tu nullis putaveris derogandum, alienæ linguæ flagella non metues.

85. Mire autem sermones maledicorum expressit dicendo linguæ flagellum, cujus sonus late resultat. A quo nos separare cupiens Petrus apostolus, monet ut non reddamus malum pro malo, & maledictum pro maledicto: sed magis cùm maledicitur nobis, benedictionis referamus gratiam. 1. Petr. 3. 9. Et ideo dicit: *Cohibe linguam tuam à malo*, tamquam linguæ flagello; nec timeas verborum sonum, si munda est conscientia tua. Psal. 33. 14. Bonum est quidem nullum, si fieri potest, locum obtrectationi dare: sed quia plerique non vitiis, sed virtutibus derogant; reprehendant quod laudis est, non inveniant quod erroris est.

86. Sed quod pejus est, non solum aliena lingua, sed etiam nostra flagellamur. Et hæc sunt graviora verbera, cùm ex multiloquio peccatum incurrimus. Et ideo custodi, virgo, vias tuas; ut non delinquas in lingua tua. Psal. 38. 2. Et bona loqui plerumque crimen est virginis. Sed quid miraris de virgine, cùm mulier in silentio jubeatur discere? 1. Tim. 2. 11. Bonus est pudor quem commendant silentia.

87. Susanna periclitabatur, & tacebat; ut melius tacito pudore loqueretur. Dan. 13. 35. Denique invenit verecundia defensorem, qui defenderet castitatem. De qua bene dicitur, quod eam à flagello linguæ Dominus abscondit.

88. Quid de feminis dicimus? Joseph tacuit accusatus, ut melius eum innocentia quàm lingua defenderet. Gen. 39. 20. Tacuit Daniel omnibus sapientior, & ora clausit leonum. Dan. 14. 29. & seq. Unde pulcre sanctus David dicit: *Posui*, inquit, *ori meo custodiam, dum consistit adversùm me peccator.* Ps. 38. 2.

89. Quid enim vis loqui? Veterisne, te tacente, objecta credantur. Sed audi bonum magistrum dicentem sanctum Job: *Ecce rideo opprobria, & non loquor: clamabo, & nusquam judicium*, id est, criminator aliquis opprobria jacit? Job. 19. 7. Habes quod intra te rideas, si crimen conscientia non recognoscit. Quid enim referas verba verbis? Nondum est judicium: & si clames, non appropinquat. Debentur tibi in hoc sæculo multa certamina.

90. Vicerat sanctus Job damni dolorem: vicerat, immo excluserat luctus acerbitatem in amissionibus filiorum, vicerat vulnerum [d] asperitates; vibicibus corporis adhibentur mulieris

a. Rom. edit. *calicem quem exinanivit*: aliæ & cuncti mss. elegantius per concessionem rhetoricam, *calicem exinaniverit* &c.
b. Paris. quædam edit. *stipendio pulcritudinis*. Incongrue.
* Hunc adolescentem Spurinam vocat Val. Maximus lib. 4. cap. 5. *de verecundia.*

c. In mss. multo pluribus sequentia desiderantur, *te abscondet. Si enim tu nullis putaveris derogandum, alienæ linguæ.* Sed lacunam esse quivis facile concesserit.
d. Ita mss. omnes, uno excepto: cum hoc autem omnes edit. *asperitates, vibices corporis; adhibentur* &c.

tentamenta, & ipsa non sensit. Adhuc amicorum increpationes ad certamen ei ultimum reservantur. Luctatus fuerat cum affectu patrio, luctatus cum dolore corporis & ægritudine; oportebat eum subire etiam sermonum tentationes.

Job. 1. 18. ibid. 2. 7.

CAPUT XIV.

Ex incommodis sæculi de cujusquam merito non judicandum, cùm hic locus sit certaminis, non autem coronæ. Hanc Paulum adseverasse cum sibi tum Christi adventum diligentibus reservari: annumerandam vero illis eam viduam quæ filiis omnibus, quos ipsa instituerat, Deo consecratis, geminum viduitatis suæ ac virginitatis filiorum obtulit sacrificium. Quibus coronidem admodum pia precatione ponit Ambrosius.

91. ERgo quando vides viduam dispendiis aliquibus laborare, aut filiorum [a] incommoditate: vel morte justum, vel injuriis affici; noli ex istius sæculi incommodis merita ejus pensare, aut mirari quod derelictus à Domino sit. Hìc quidem luctamur, sed alibi coronamur. Non de me tantum, sed de omnibus hominibus communiter sum loquutus. Nam unde mihi tantum meriti, cui indulgentia pro corona est? Hìc lucta, illic bravium: hìc militia, illic stipendium est. Ergo dum in hoc mundo sum, adhuc luctor, adhuc decerno, adhuc impellor ut decidam: sed potens est Dominus, qui impulsum suscipiat, labentem statuat, nutantem erigat. Quid ergo miraris aliquem laborare? Donec in hac vita est, certamen non deerit, non erit corona. Nullus probatur, nisi qui perseveraverit usque in finem; ut postea possit qui legitime certaverit, coronari.

92. Quis fortior Paulo, quis beatior? Ille tamen vas electionis Dominicæ non ante sibi coronam vindicavit, quàm certamen omne consummaret. Ideoque ait: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod reliquum, reposita est mihi corona justitiæ*; quam non solum sibi, sed etiam omnibus diligentibus adventum Domini dicit esse reddendam. Pulcre dixit, adventum Christi diligentibus; nemo enim festinat ad judicium, nisi qui de innocentia securus est, aut qui de labore præsumit, cui aut gratia Domini, aut pia pro Christo certamina suffragantur.

2. Tim. 4. 7. & 8.

93. Quam utique habebit prærogativam & ea vidua quæ bene filios educaverit, & in liberis gratulabitur, & maxime quæ omnes quos suscepit, Domino dedit. Unde & illa Evangelica vidua divitibus antefertur; non solum enim quia totum quod habuit, ad victum pauperum misit; sed etiam quod duo æra detulit, Dominica voce laudatur, id est, plenam fidem. Denique ad hominis sanitatem & ille Samaritanus duo æra stabulario dedit, quibus ulcera curaret illius à latronibus vulnerati. Ergo quia & secundùm vetus Testamentum Mariæ sororis Aaron virginitatem, & secundùm novum sanctæ Mariæ matris Domini integritatem in studio suæ prolis imitata est, remunerationem fidei divino judicio consequetur; quæ nihil sibi ad sæculi subsidium reservavit, sed totum Domino sobolis piæ munus impendit.

Luc. 21. 3. & 4. Luc. 10. 35. Exod. 15. 20. Matth. 1. 23.

94. Te nunc, Domine, deprecor ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spiritales, quibus sensibile tibi in singulis templum sacratur; quotidianus præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua suscipias misericordia. Fiat tibi [b] in odorem sanctificationis omne sacrificium quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cùm ad illam respicis hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur; respicias etiam ad has piæ hostias castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio; ut fiant tibi in odorem suavitatis hostiæ acceptabiles, Christo domino placentes, & integrum spiritum eorum, & animam & corpus sine querela usque in diem domini nostri Jesu Christi filii tui servare digneris.

a Omnes edit. cum uno mss. *incommoditate vel morte, justum injuriis affici*: reliqui ut nos in textu.

b. Ita vet. edit. ac pauci mss. alii vero longe plurimi, *in honorem sanctificationis*: at Rom. edit. sola, *in odorem suavitatis*.

IN LIBRUM DE LAPSU VIRGINIS CONSECRATÆ ADMONITIO.

Continetur hoc in opere vehementissima increpatio, qua puellam quæ post promissam ad aras virginitatem vitiari se ab impudico adolescente sæpius [a] passa, etiam conceptum ex eo infantem [b] necasse dicebatur, summo cum animi dolore objurgat ejusdem episcopus. Ingens erat suapte natura hoc flagitium, sed illud multo gravius cum alia multa, tum sequuta inde hominum [c] offensio reddiderat. Susanna, [d] sic enim illa votabatur, è nobili familia [e] ducebat ortum. Cùm autem perpetuam servare pudicitiam sibi proposuisset, contrarias expugnare nequivit parentum voluntates, nisi postquam [f] terrificis quibusdam visis ad id se moveri sancte affirmavit. Ipso Domini reviviscentis festo [g] in præcipua basilica, prope altare quo eam neophytorum greges cum cereis accensis deduxerant, vota sua, universo populo respondente, [h] amen, *pronuntiavit. Mox ipsi imposito post consuetam exhortationem velo illam aliis sanctimonialibus junctam idem præsul admisit [i] in asceterium, ubi eandem idoneis [k] præceptis frequens imbuere non negligebat. Vitam illic haudquaquam duxit ab omni criminis specie ac similitudine ita remotam quin non multo post ejus castitas adversis [l] rumoribus traduceretur. Hoc impatientissime tulit Susanna: episcopus vero conjunctis cum ejusdem parente curis, frustra ut auctores hujus calumniæ detecti canonicas luerent pœnas, desudavit. Ea cùm fieri cautior hinc debuisset, elapsis tamen tribus [m] annis, crimen cujus falsâ infamiâ prius laboraverat, non sine magno Judæorum ac gentilium scandalo*

a. Cap 4. num. 11. b. Cap 8. num. 31. c. Cap. 1. num. 3. d Cap. 1. num. 3 e. Cap 2. num. 4. f. Cap. 4. num. 16. g. Cap. 5. num. 18. h. Ibid n. 19. i. Cap 7. num. 27. & seq. k. Ibidem. l. Cap. 6. num. 24. m. Cap. 7. num. 29.

scandalo vere commisit. Omnem ut illud celaret, lapidem movit : neque ulla ratione ad ipsius confessionem adduci potuit. Convicta [a] *demum apud antistitem, publicæ addicta est pœnitentiæ. Quam cùm illa* [b] *jam cœpisset agere, ipsam acerrima oratione ex qua constat ista scriptio, idem præsul aggredi instituit. Ubi diritatem sceleris tum adjunctorum enumeratione tum depulsione excusationum oculis subjecit, docet remedium unicum ei superesse, æqualem* [c] *peccato pœnitentiam. Cujus quidem labores atque dedecus si generose ad extremum usque spiritum toleraverit, promittit fore ut inferni sibi debiti non desitura* [d] *evadat supplicia. Compellat etiam eisdem pseudonymæ virginis* [e] *corruptorem, eique Balthasaris nec non Sodomitarum &* [f] *Gomorrhæorum exemplo declarat, quæ ipsum pœnæ maneant, nisi similes resipiscentiæ suæ ostendat fructus, ad quos eumdem* [g] *exstimulat, proposita extremi judicii nemini evitanda necessitate. Tandem reversus* [h] *ad Susannam, ei quotidianam psalmi 50. recitationem indicit, ac præterea varios* [i] *suggerit quibus & se ad dolorem & Deum ad misericordiam moveat, mentis affectus.*

a. Cap. 6. num. 25.
b Cap. 8. num. 37.
c. Cap. 8. num. 33. & 35
d Cap. 8. num. 35. &c.
e Cap. 9. num. 38.
f Num. 40.
g. Num. 41.
h. Cap. 10. num. 42.
i. Num. 43. & seq.

Citat hoc opus secunda Synodus Duziac. sub nominibus Ambrosii atque Hieronymi, & revera inter utriusque opera illud reperitur. Erasmus in suis eorumdem Patrum editionibus censurâ maxime diversâ ipsum afficit. Cùm enim in Hieronymiana editione pronuntiasset stylum palam arguere non esse Hieronymi, gustum vero phraseos accedere ad Augustini orationem; contra in Ambrosiana * *adserit* declamationem esse, qualis est illa S. Hieronymi de matre & filia reconciliandis. *Quam similitudinem si eloquutionis intelligat, nihil utroque illo judicio potest esse discrepantius. At fortassis eam in hoc solo positam voluit, quod ambas istas commentationes declamationes putavit esse, hoc est, in ficto argumento styli exercendi gratia scriptas. Itaque nihil motus hac similitudine Marianus Victor hanc qua de agimus, in editionis suæ Hieronymianæ rejecit appendicem. Verum tamen Erasmi de ipsius cum dictione Augustini affinitate judicium perstrinxisse contentus, cur eamdem Hieronymo crediderit abjudicandam, prorsus reticet. Atqui in promtu erat ex ejusdem operis lectione rationem illius rei eruere omni exceptione majorem. Auctor siquidem episcopum esse se passim indicat, quod Hieronymo non congruere ignorat nemo.*

* Cum Perkinsio & Hospiniano.

Quamvis autem non tanta videatur repugnantia, si Ambrosio idem tractatus adtribuatur, non desunt tamen qui eumdem è legitimorum sancti Doctoris fœtuum catalogo censeant eximendum. Rob. Cocus [x] *propterea negat Ambrosianum esse, quod auctor scribat istam puellam, si virginitate integra mortem oppetisset, futuram fuisse pro parentum peccatis* [l] hostiam vivam, Domino propitiatricem. *Sed quid aliud legitur lib. 1.* de Virgin. [m] *ubi Ambrosius parentes virginum sic alloquitur*: Ut habere possitis quarum meritis vestra delicta redimantur .... virgo matris hostia, cujus quotidiano sacrificio vis divina placatur. *Itaque Rivetus* [n] *hac sodalis sui ratione insuperhabita, nihil adversus Ambrosianam ejusdem operis inscriptionem opponit, quam quod objiciunt nonnulli* [o] *auctorum catholicorum, videlicet cap.* 8. *n.* 40. [p] *sententiam haberi prorsus novatianam, quam duobus libris* de Pœnitentia *impugnat Ambrosius. Verum si auctor hujusce scriptionis ista hæresi infectus esset, qua ratione lapsam ad pœnitentiam publicam ita stimulasset, ut simul æternas pœnas quæ sceleri suo debebantur, evitandi spe sublevaret ? Adde his quondam Ecclesiæ morem fuisse, ut atrocium quorumdam criminum reis ne in morte quidem venia & reconciliatio concederetur, proindeque Auctorem inter eadem crimina & hoc Susannæ flagitium referre sine ulla erroris nota potuisse. Quapropter quæ loquutiones illic occurrunt paulo duriores, eas non alio consilio adhibitas putamus, quam ut majorem commissi propudii horrorem incutientes, acrius ad pœnitentiæ opera sontem excitarent, efficerentque ne vel propria mollitie vel remissioris cujuspiam doctoris indulgentia quandoque ab austeritate semel suscepta revocaretur.*

x. Censur. scripl. veter.
l. Cap 4. num. 15.
m. Cap 7. num 32.
n Crit Sac. lib 3. cap. 16.
o. Bellarm. & Possevin.
p. Num. 37.

Quæ cùm ita sint, nihil jam contra Ambrosium pugnare potest excepto stylo. Licet enim hujusce operis eloquutio quibusdam non multum videatur differre ab Ambrosiana; fatendum tamen est sanctum Præsulem etiam ubi orationem adhibet maxime concitatam, minus densis ac brevibus incisis uti. Quod etiam adjici potest in hac opella quasdam sententias atque exempla reperiri Ambrosio satis familiaria, in hoc quidem momentum aliquod inesse non inficiamur, sed illud haud propterea Achillæi, ut vocant, argumenti loco habendum est, cùm diversos auctores in similibus convenire non sit insolens. Atqui ut maxime constaret auctorem hujus operis non esse Ambrosium, nihilo etiam minus id certum esset, eidem fœtui patrem Doctori nostro ætate minime inferiorem adtribuendum; quandoquidem etiam tum qui cultum idolis exhiberent, plures [q] *fuisse, nec paucos etiam qui sacro paschatis festo* [r] *initiarentur, ac tandem eorum à quibus inter æternas pœnas atque gloriam status* [s] *quidam medius admittebatur, errorem viguisse manifestum est.*

q. Cap. 7. num 29.
r. Cap. 5. num. 18.
s. Cap. 8. num 35.

Non ignoramus Nicetam Daciarum episcopum, Gennadio [t] *teste, dedisse* ad lapsam virginem libellum, omnibus labentibus emendationis incentivum; *atque adeo non deesse viros eruditos, qui hunc ipsum librum ei tamquam vero domino restituendum scribant. At enim quid vetat Ambrosio quoque occasionem, unde ad tractandum idem argumentum induceretur, nasci? Certe Basilii exstat* [u] *epistola ejusdem materiæ atque epigraphes. Et apud Ambrosium ipsum si virgo Indicia falsi criminis* [x] *potuit accusari, potuit & alia veri. Quocirca rationi magis consonum nihil videtur, quam ut huncce tractatum auctoritate edit. ac mss. omnium, si recentiorem unum excipias, à quo perperam tribuitur Johanni Chrysostomo, inter Ambrosianas alias quæ ad virginitatem spectant, commentationes retineremus. Et quidem nullus est quin fateatur eum & Ambrosio dignum esse, & multiplici veteris Ecclesiæ disciplina refertum : sed quod eumdem pro epistola cuncti fere habeant, qui de illo aliquid tradidere, in eo certissime erratum est. Nam è concione ipsum constare vel sola ad corruptorem apostrophe* [y] *planum facit.*

t. In Catal.
u Ad Virg. Lapsu.
x. Epist ad Syagrium.
y. Cap. 9. num. 38. & seq.

tentamenta, & ipsa non sensit. Adhuc amico- A rum increpationes ad certamen ei ultimum reservantur. Luctatus fuerat cum affectu patrio, (Job. 1. 18. Ibid. 2. 7.) luctatus cum dolore corporis & ægritudine; oportebat eum subire etiam sermonum tentationes.

CAPUT XIV.

Ex incommodis sæculi de cujusquam merito non judicandum, cùm hic locus sit certaminis, non autem coronæ. Hanc Paulum adseverasse cum sibi B *tum Christi adventum diligentibus reservari: annumerandam vero illis eam viduam quæ filiis omnibus, quos ipsa instituerat, Deo consecratis, geminum viduitatis suæ ac virginitatis filiorum obtulit sacrificium. Quibus coronidem admodum pia precatione ponit Ambrosius.*

91. ERgo quando vides viduam dispendiis aliquibus laborare, aut filiorum [a] incommoditate: vel morte justum, vel injuriis affici; noli ex istius sæculi incommodis merita C ejus pensare, aut mirari quod derelictus à Domino sit. Hîc quidem luctamur, sed alibi coronamur. Non de me tantum, sed de omnibus hominibus communiter sum loquutus. Nam unde mihi tantum meriti, cui indulgentia pro corona est? Hîc lucta, illic bravium: hîc militia, illic stipendium est. Ergo dum in hoc mundo sum, adhuc luctor, adhuc decerno, adhuc impellor ut decidam: sed potens est Dominus, qui impulsum suscipiat, labentem statuat, nu- D tantem erigat. Quid ergo miraris aliquem laborare? Donec in hac vita est, certamen non deerit, non erit corona. Nullus probatur, nisi qui perseveraverit usque in finem; ut postea possit qui legitime certaverit, coronari.

92. Quis fortior Paulo, quis beatior? Ille tamen vas electionis Dominicæ non ante sibi coronam vindicavit, quàm certamen omne consummaret. Ideoque ait: (2. Tim. 4. 7. & 8.) *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod reliquum,* E *reposita est mihi corona justitiæ*; quam non solum sibi, sed etiam omnibus diligentibus adventum Domini dicit esse reddendam. Pulcre dixit, adventum Christi diligentibus; nemo enim festinat ad judicium, nisi qui de innocentia securus est, aut qui de labore præsumit, cui aut gratia Domini, aut pia pro Christo certamina suffragantur.

93. Quam utique habebit prærogativam & ea vidua quæ bene filios educaverit, & in liberis gratulabitur, & maxime quæ omnes quos suscepit, Domino dedit. Unde & illa Evangelica (Luc. 21. 3. & 4.) vidua divitibus antefertur; non solum enim quia totum quod habuit, ad victum pauperum misit; sed etiam quod duo æra detulit, Dominica voce laudatur, id est, plenam fidem. Denique ad hominis sanitatem & ille Samaritanus (Luc. 10. 35.) duo æra stabulario dedit, quibus ulcera curaret illius à latronibus vulnerati. Ergo quia & secundùm vetus Testamentum Mariæ sororis Aaron (Exod. 15. 20.) virginitatem, & secundùm novum sanctæ Ma- (Matth. 1. 25.) riæ matris Domini integritatem in studio suæ prolis imitata est, remunerationem fidei divino judicio consequetur; quæ nihil sibi ad sæculi subsidium reservavit, sed totum Domino sobolis piæ munus impendit.

94. Te nunc, Domine, deprecor ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spiritales, quibus sensibile tibi in singulis templum sacratur; quotidianus præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua suscipias misericordia. Fiat tibi [b] in odorem sanctificationis omne sacrificium quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cùm ad illam respicis hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur; respicias etiam ad has piæ hostias castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio; ut fiant tibi in odorem suavitatis hostiæ acceptabiles, Christo domino placentes, & integrum spiritum eorum, & animam & corpus sine querela usque in diem domini nostri Jesu Christi filii tui servare digneris.

a. Omnes edit. cum uno mss. *incommoditate vel morte, justum injuriis affici*: reliqui ut nos in textu.

b. Ita vet. edit. ac pauci mss. alii vero longe plurimi, *in honorem sanctificationis*: at Rom. edit. sola, *in odorem suavitatis*.

IN LIBRUM DE LAPSU VIRGINIS CONSECRATÆ

ADMONITIO.

COntinetur hoc in opere vehementissima increpatio, qua puellam quæ post promissam ad aras virginitatem vitiari se ab impudico adolescente sæpius [a] passa, etiam conceptum ex eo infantem [b] necasse dicebatur, summo cum animi dolore objurgat ejusdem episcopus. Ingens erat suapte natura hoc flagitium, sed illud multo gravius eum alia multa, tum sequuta inde hominum [c] offensio reddiderat. Susanna, [d] sic enim illa vocabatur, è nobili familia [e] ducebat ortum. Cùm autem perpetuam servare pudicitiam sibi proposuisset, contrarias expugnare nequivit parentum voluntates, nisi postquam [f] terrificis quibusdam visis ad id se moveri sanctè affirmavit. Ipso Domini reviviscentis festo [g] in præcipua basilica, prope altare quo eam neophytorum greges cum cereis accensis deduxerant, vota sua, universo populo respondente, [h] amen, *pronuntiavit. Mox ipsi imposito post consuetam exhortationem velo illam aliis sanctimonialibus junctam idem præsul admisit [i] in asceterium, ubi eandem idoneis [k] præceptis frequens imbuere non negligebat. Vitam illic haudquaquam duxit ab omni criminis specie ac similitudine ita remotam quin non multo post ejus castitas adversis [l] rumoribus traduceretur. Hoc impatientissime tulit Susanna: episcopus vero conjunctis cum ejusdem parente curis, frustra ut auctores hujus calumniæ detecti canonicas luerent pœnas, desudavit. Ea cùm fieri cautior hinc debuisset, elapsis tamen tribus [m] annis, crimen cujus falsâ infamiâ prius laboraverat, non sine magno Judæorum ac gentilium*

a. Cap 4. num. 11.
b. Cap. 8. num. 33.
c. Cap. 1. num. 3.
d Cap. 1. num 3.
e. Cap 2. num. 4.
f. Cap. 4. num. 16.
g. Cap. 5. num. 18.
h. Ibid n. 19.
i. Cap 7. num. 27. & seq.
k. Ibidem.
l. Cap. 6. num. 24.
m. Cap. 7. num. 29.

scandalo

scandalo vere commisit. Omnem ut illud celaret, lapidem movit: neque ulla ratione ad ipsius confessionem adduci potuit. Convicta [a] *demum apud antistitem, publicæ addicta est pænitentiæ. Quam cùm illa* [b] *jam cœpisset agere, ipsam acerrima oratione ex qua constat ista scriptio, idem præsul aggredi instituit. Ubi diritatem sceleris tum adjunctorum enumeratione tum depulsione excusationum oculis subjecit, docet remedium unicum ei superesse, æqualem* [c] *peccato pænitentiam. Cujus quidem labores atque dedecus si generose ad extremum usque spiritum toleraverit, promittit fore ut inferni sibi debiti non desitura* [d] *evadat supplicia. Compellat etiam eusdem pseudonymæ virginis* [e] *corruptorem, eique Balthasaris nec non Sodomitarum &* [f] *Gomorrhæorum exemplo declarat, quæ ipsum pœna maneant, nisi similes resipiscentiæ suæ ostendat fructus, ad quos eumdem* [g] *exstimulat, proposita extremi judicii nemini evitanda necessitate. Tandem reversus* [h] *ad Susannam, ei quotidianam psalmi 50. recitationem indicit, ac præterea varios* [i] *suggerit quibus & se ad dolorem & Deum ad misericordiam moveat, mentis affectus.*

a. Cap. 6. num. 25.
b Cap. 8. num. 37.
c. Cap. 8. num. 33. & 35
d Cap. 8. num. 35. &c.
e Cap 9. num. 38.
f Num. 40.
g. Num. 41.
h. Cap. 10. num. 42.
i. Num. 43. & seq.

Citat hoc opus secunda Synodus Duziac. sub nominibus Ambrosii atque Hieronymi, & revera inter utriusque opera illud reperitur. Erasmus in suis eorumdem Patrum editionibus censurâ maxime diversâ ipsum afficit. Cùm enim in Hieronymiana editione pronuntiasset stylum palam arguere non esse Hieronymi, gustum vero phraseos accedere ad Augustini orationem; contra in Ambrosiana * *adserit* declamationem esse, qualis est illa S. Hieronymi de matre & filia reconciliandis. *Quam similitudinem si eloquutionis intelligat, nihil utroque illo judicio potest esse discrepantius. At fortassis eam in hoc solo positam voluit, quod ambas istas commentationes declamationes putavit esse, hoc est, in ficto argumento styli exercendi gratia scriptas. Itaque nihil motus hac similitudine Marianus Victor hanc qua de agimus, in editionis suæ Hieronymianæ rejecit appendicem. Verum tamen Erasmi de ipsius cum dictione Augustini affinitate judicium perstrinxisse contentus, cur eamdem Hieronymo crediderit abjudicandam, prorsus reticet. Atqui in promtu erat ex ejusdem operis lectione rationem illius rei eruere omni exceptione majorem. Auctor siquidem episcopum esse se passim indicat, quod Hieronymo non congruere ignorat nemo.*

* Cum Perkinsio & Hospiniano.

Quamvis autem non tanta videatur repugnantia, si Ambrosio idem tractatus adtribuatur, non desunt tamen qui eumdem è legitimorum sancti Doctoris fœtuum catalogo censeant eximendum. Rob. Cocus [k] *propterea negat Ambrosianum esse, quod auctor scribat istam puellam, si virginitate integra mortem oppetiisset, futuram fuisse pro parentum peccatis* [l] hostiam vivam, Domino propitiatricem. *Sed quid aliud legitur lib. I.* de Virgin. [m] *ubi Ambrosius parentes virginum sic alloquitur:* Ut habere possitis quarum meritis vestra delicta redimantur .... virgo matris hostia, cujus quotidiano sacrificio vis divina placatur. *Itaque Rivetus* [n] *hac sodalis sui ratione insuperhabita, nihil adversus Ambrosianam ejusdem operis inscriptionem opponit, quam quod objiciunt nonnulli* [o] *auctorum catholicorum, videlicet cap. 8. n. 40.* [p] *sententiam haberi prorsus novatianam, quam duobus libris* de Pœnitentia *impugnat Ambrosius. Verum si auctor hujusce scriptionis ista hæresi infectus esset, qua ratione lapsam ad pænitentiam publicam ita stimulasset, ut simul æternas pœnas quæ sceleri suo debebantur, evitandi spe sublevaret? Adde his quondam Ecclesiæ morem fuisse, ut atrocium quorumdam criminum reis ne in morte quidem venia & reconciliatio concederetur, proindeque Auctorem inter eadem crimina & hoc Susannæ flagitium referre sine ulla erroris nota potuisse. Quapropter quæ loquutiones illic occurrunt paulo duriores, eas non alio consilio adhibitas putamus, quam ut majorem commissi propudii horrorem incutientes, acrius ad pænitentiæ opera sontem excitarent, efficerentque ne vel propria mollitie vel remissioris cujuspiam doctoris indulgentia quandoque ab austeritate semel suscepta revocaretur.*

k. Censur. script. veter.
l. Cap. 4. num. 15.
m. Cap 7. num 32.
n Crit Sac. lib 3. cap. 16.
o. Bellarm. & Possevin.
p. Num. 37.

Quæ cùm ita sint, nihil jam contra Ambrosium pugnare potest excepto stylo. Licet enim hujusce operis eloquutio quibusdam non multum videatur differre ab Ambrosiana; fatendum tamen est sanctum Præsulem etiam ubi orationem adhibet maxime concitatam, minus densis ac brevibus incisis uti. Quod etiam adjici potest in hac opella quasdam sententias atque exempla reperiri Ambrosio satis familiaria, in hoc quidem momentum aliquod inesse non inficiamur, sed illud haud propterea Achillæi, ut vocant, argumenti loco habendum est, cùm diversos auctores in similibus convenire non sit insolens. Atqui ut maxime constaret auctorem hujus operis non esse Ambrosium, nihilo etiam minus id certum esset, eidem fœtui patrem Doctori nostro ætate minime inferiorem adtribuendum; quandoquidem etiam tum qui cultum idolis exhiberent, plures [q] *fuisse, nec paucos etiam qui sacro paschatis festo* [r] *initiarentur, ac tandem eorum à quibus inter æternas pœnas atque gloriam status* [s] *quidam medius admittebatur, errorem viguisse manifestum est.*

q. Cap. 7. num. 29.
r. Cap. 5. num. 18.
s. Cap. 8. num 35.

Non ignoramus Nicetam Daciarum episcopum, Gennadio [t] *teste, dedisse* ad lapsam virginem libellum, omnibus labentibus emendationis incentivum; *atque adeo non deesse viros eruditos, qui hunc ipsum librum ei tamquam vero domino restituendum scribant. At enim quid vetat Ambrosio quoque occasionem, unde ad tractandum idem argumentum induceretur, nasci? Certe Basilii exstat* [u] *epistola ejusdem materiæ atque epigraphes. Et apud Ambrosium ipsum si virgo Indicia falsi criminis* [x] *potuit accusari, potuit & alia veri. Quocirca rationi magis consonum nihil videtur, quam ut huncce tractatum auctoritate edit. ac mss. omnium, si recentiorem unum excipias, à quo perperam tribuitur Johanni Chrysostomo, inter Ambrosianas alias quæ ad virginitatem spectant, commentationes retineremus. Et quidem nullus est quin fateatur eum & Ambrosio dignum esse, & multiplici veteris Ecclesiæ disciplina refertum: sed quod eumdem pro epistola cuncti fere habeant, qui de illo aliquid tradidere, in eo certissime erratum est. Nam è concione ipsum constare vel sola ad corruptorem apostrophe* [y] *planum facit.*

t. In Catal.
u Ad Virg. Lapsu.
x. Epist ad Syagrium.
y. Cap. 9. num. 38. & seq.

SANCTI AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE LAPSU VIRGINIS CONSECRATÆ

LIBER UNUS.

CAPUT I.

Silentium abrumpit auctor, & omnes ut Ecclesiæ propter sacræ virginis corruptionem lugenti condoleant, excitat: propositaque indignitate flagitii, suum hac de re promit mœrorem.

a 1. UID [a] taces, anima; quid cogitationibus æstuas; quid non erumpis in vocem, & mentis tuæ exponis ardorem, ut aliquod solatium capias? Hoc plane, hoc erit quasi reme- B dium ægritudinis tuæ, si aperto ore conceptum

b digeras scelus. Nam & ulcus [b] quamvis tumidum, cùm fuerit apertum, evaporans præstat refrigerium passionis.

2. Audite me nunc qui prope estis, & qui longe, & qui timetis Dominum, & Ecclesiæ ejus gaudio congaudetis, & tristitiæ conlugetis; sicut

Rom. 12. 15. scriptum est: *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* Vos, inquam, appello qui caritatem Christi verissimam retinetis, & super ini- C quitate non gaudetis, sed potius ingemiscitis.

c [c] Advertite verba oris mei, & quæ ex justo dolore procedunt, judicate; & detecti sceleris qualitatem mecum pariter perhorrete.

3. Virgo nobilis, dicata Christo, sapiens, erudita, ruit in foveam turpitudinis, concepit dolorem, & peperit iniquitatem: se perdidit, & Ecclesiam maculavit. Hinc omnis anima Christia-

Matth. 7. 6. na grave vulnus excepit; quia sanctum datum est canibus, & margaritæ missæ sunt ante por- D cos: à rabidis enim hominibus nomen laceratum est sanctitatis, & ab immundis & luteis pre- A tiosum conculcatum est propositum castitatis.

4. Hinc æstus animo meo, hinc [d] insanabilis dolor; quia unum malum bona plurima secum trahit: & unius nubecula peccatricis totam pene lucem obscuravit Ecclesiæ. Adsumam ergo vocem propheticam, & flebiliter dicam: *Audite me, omnes populi, & videte dolorem meum:* Thren. 1. 18. virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem. VERE HÆC est captivitas, ubi animæ à peccato captivæ ducuntur ad mortem, & à diabolica dominatione possidentur.

CAPUT II.

Corruptam alloquitur: & qualis quamque beata fuerit ante crimen admissum, in quam vero postea deciderit calamitatem ac turpitudinem, ejus oculis subjicit.

5. AD te ergo nunc mihi sermo fit, quæ caput horum & causa malorum es, quæ multipliciter misera cum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti; nefas est enim Susannam vocari non castam, [e] non licet lilium nominari quod non es. Unde incipiam, quid primum, quid ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti; an mala defleam, quæ invenisti?

6. Eras virgo in paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ: eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cùm dico toties eras, necesse est toties ingemiscas; quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tamquam columba illa, de qua scriptum est: *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in specie auri.* Psal. 67. 14. Splendebas ut argentum, fulge-

a. Hæc omnia usque ad sequentem numerum, quæ in superioribus edit. desiderabantur, nostræ ex mss. Floriacensi ac Regio-montano accesserunt. Eadem quoque in Pseudohieronymi exstat epistola: sed illis præmittuntur ibidem ista verba: *Puto levius esse crimen, ubi homo peccatum suum ultro confitetur, quam ubi celans mala, invitus detegitur, & nolens publicatur.* Nemo autem non videt eadem illa pugnare cum mente auctoris; hic enim non suum sed alienum crimen detegit. Nam quod infra dicitur *conceptum scelus*, hoc quidem nihil aliud signat, nisi cognitum scelus & silentio hactenus pressum. Huc etiam accedit quod eadem verba sine ulla fere mutatione reperiuntur cap. 8. num. 36. unde ab imperito quopiam in hunc locum translata fuisse oppido credibile est.

b. Pseudohieronymus, *cùm fuerit tumidum, quamvis suppuratum, evaporans* &c. Minus concinne.

c. Mss. nonnulli, *A veritate verba oris mei* &c.

d. Aliquot mss. *insanus dolor*, unus *insatiabilis dolor.* Lectio minus elegans, at prior minime displicet.

e. Omnes edit. ac mss. non pauci cum Pseudohier. *Non licet nominari quod est:* alii aliquot, *non lilium nominari, quod non est*, at manifestum est ad perfectam sententiam ex aliis & edit. verbum accersendum esse. Lilii porro hic mentio fit, quod Susannæ vocabulo flos ille, non secus ac rosa significentur.

bas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tamquam stella radians in manu Domini, nullum ventum, nullas belli nebulas pertimescebas.

7. Quæ ista subitanea conversio? Quæ ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio satanæ, de sponsa Christi scortum execrabile, de templo Dei fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritus sancti tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum; ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cælo, lumen tuum extinctum est, & conversa es in carbonem.

CAPUT III.

Quam sit misera quæ jam apud Deum accessum non habeat; immo vero neque apud ipsos homines: unde confusionis quam aliquando coram sanctis atque Angelis passura est, magnitudo intelligitur.

8. VÆ tibi, misera, & iterum væ, quæ tanta bona propter parvi temporis luxuriam perdidisti! Quam tibi spem apud Christum dominum reliquisti, cujus membra tollens fecisti membra meretricis? (1.Cor.6.15.) Quid te Spiritus sanctus visitabit, cùm eum repudiaveris, qui se à cogitationibus quoque sordidis longe facit?

9. Sed veniamus ad humana, ut per illa divina noscantur. Adspice quis sanctorum, aut quæ sanctarum tibi approximare non horreat: aperi oculos tuos, si potes; erige frontem, si audes: aliquem sanctorum fiducialiter intuere.[a] Nonne tuam faciem conscientia commissi tamquam plumbum inclinat & premit? Nonne tenebræ ante oculos tuos & dira caligo versabitur? Nonne timor & tremor animam tuam & membra quassabit?

10. Si ergo homines in carne constitutos, & alicujus delicti obnoxios non potes intueri, tam gravi confusione sepulta; quid facies coram castis apostolis? Quid facies coram Elia, Daniele, & tantorum exercitu prophetarum? Quid facies coram Johanne? Quid facies coram Maria, Thecla, & Agne,[b] & immaculato choro puritatis? Quid denique coram Angelis sanctis? Nonne splendore & claritate immaculatorum quasi fulminibus percussa combureris?

CAPUT IV.

Confutatis, quas corrupta excusationes solent prætexere, ad crimen rediens, parentum ejus ac totius familiæ vicem miseratur: docetque ipsis optabilius futurum fuisse ut prius moreretur: nec illis superesse aliud solatium, quam quod ei virginitatis professionem eligenti sola spe divinæ remunerationis consenserint: ipsam vero eorum exspectationem delusisse.

11. SEd [c] dictura es forsitan: Non potui sustinere; quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi beata Thecla cum suis innumerabilibus sociis: Et nos eadem carne amictæ fuimus, nec tamen plenum propositum castitatis nostræ, aut fragilitas carnis [d] potuit mutilare, aut sævitia tyrannorum potuit per varia tormenta dejicere. REVERA NON potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta. (32. q. 5. c. revera.) Remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in voluptate.

12. Sed dices: Nolui hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: Ego inter duos presbyteros posita, inter duos utique judices populi, sola inter silvas paradisi constituta vinci non potui; quia nec volui. (Dan.13.20. & seq.) Tu ab uno ineptissimo adolescente, & in media civitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ultro vitiari voluisti? Quis denique tuas voces audivit? Quis obluctationes sensit? Ut autem hæc omittam, certe post illatam violentiam prodere scelus si non aliis, vel parentibus, vel tuis sororibus debuisti; esset enim excusatio infelicitatis, esset conscientiæ plena purgatio, si hostem pudicitiæ tuæ deduxisses in publicum.

13. Sed erubuisti forsitan, ne te violatam multi cognoscerent. Et quid timuisti ubi non erat timor, nisi ut tacendo crimen cum adultero sæpius sociareris? Esto autem, pudor prohibuit confiteri; quid de secunda commixtione dicis, quid de tertia, quid de frequenti commercio fœditatis? Cesset, cesset jam violentiæ figmentum, cesset ruboris argumentum; ubi toties membra illa dicata Christo, scelestissimo mœcho suis visceribus polluenda præbuisti.

14. Horret, horret animus, mens tabescit, cùm ad aditum sceleris pervenitur. Nam & medicus quamvis fortis sit animo, cùm altius tamen secat vulnus, puto ex parte aliqua sustinebit horrorem. Heu perdita, jamne intelligis omnes tibi vias excusationis omnimodis clausas? Jamne sentis quantum tibi mali & in carne, & in anima nefaria libido contulerit?

15. Non istam de te confusionem tuus exspectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Non hunc luctum, & has lacrymas ex te sibi nasci tua crediderat mater, * quæ partus sui gemitum per tuam virginitatem consolabatur. Non fratres tui, non sorores hoc ex te dedecus exspectabant, quos omnes quasi uno gladio tui sceleris graviter sauciasti.

16. Si fuisses communi sorte defuncta, deflessent te modicùm propter desiderium parentes: sed exsultassent granditer; quia immaculatam præmisissent virginem, hostiam vivam Domino, propitiatricem videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam: lugent vivam, & non vivam: mortuam utique gloria virginitatis, vivam dedecore turpitudinis.

17. Iratus est pater suis visceribus, de quibus seminata es: maledicit suo utero mater, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti. Nec tamen modum sui doloris reperiunt, nisi hoc so-

a. Ita mss. non pauci ac Pseudohier. alii vero & omnes edit. *Nonne tua faciem conscientia commissi .... inclinant & premunt.* Infra autem ubi omnes edit. ac mss. quatuor, *alicujus forsitan delicti*, alii mss. maximo numero omittunt *forsitan.*

b. Amerb. Gill ac Rom. edit cum mss. aliquot, *& immaculato thoro:* Erasm & plures mss. *& immaculato choro*, nonnulli .... *clero.*

c. Mss. aliquot, *redditura est forsitan.* Haud incommode.

d. Non pauci mss. *potuit maculare.*

*. Habentur non multum absimilia in *Exhortatione Virginitatis* cap 4. num. 26.

lum plane videntur habere solatium, quia te A nec pater compulit, nec mater coegit ut virginitatem profitereris, quam ultro & propria voluntate professa es. Nam scio, cùm multas tibi difficultates tuus proponeret genitor, cùm arduum esse iter servandæ virginitatis ingereret; non solum pertinaciter restitisti, * sed & revelationes tibi datas dixisti terribiles.

17. In quantum ergo sibi mercedem sperabant ex eo quod tuo proposito non restiterunt, in tantum tibi intellige, misera, pondus judicii B crescere; quia non servasti quod ultro promisisti. Quibus te spiris serpens ille nequissimus obligavit? Quibus te venenis infecit ille, qui Evam decepit; ut tanta te cæcitate percuteret, tantam animæ tuæ faceret oblivionem? (Gen. 3. 6.)

CAPUT V.

In memoriam ei revocat, quo die, quo ritu, quove populi concursu sacrata fuerit, addens sanguinem ei potius profundendum, quam violandam fidem: C *quod secularium nuptiarum comparatione amplificat. Deinde objectionem ex Apostoli verbis petitam solvit.*

18. NON es memorata [a] dici sanctæ Dominicæ resurrectionis in quo divino altari te obtulisti velandam? In tanto, tamque solemni conventu Ecclesiæ Dei, inter lumina neophytorum splendida, inter candidatos regni cælestis quasi Regi nuptura processeras. Non es memorata qualis ad te die illo facta est allo- D cutio: Adspice, filia, intuere virgo, *& obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum; quia ipse est dominus Deus tuus?* (Psal. 44. 11. & 12.) Reminiscere ergo quantus ad Sponsi tui & Domini nuptias convenerit populus. Servare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare cui virginitatem spoponderis. Facilius te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem tuam. E

19. His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis, & multis super castitate tua præconiis, sacro velamine tecta es; ubi omnis populus dotem tuam subscribens, non attramento, sed spiritu, pariter clamavit, Amen. Vincor lacrymis, cùm hæc recordor: compungor stimulis, cùm hæc humana exempla considero. Nam si inter * decem testes confectis sponsaliis, nuptiis consummatis, quævis femina viro conjuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium; quid quod inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram Angelis & exercitibus cæli facta copula spiritalis per adulterium solvitur? Nescio an possit ei condigna mors aut pœna cogitari.

20. Dicet aliquis: [b] *Melius est nubere quàm uri.* (1. Cor. 7. 9.) Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Ceterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Et jam si voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est quæ occulta & furtiva turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est? Habitu virgo, facto non virgo: bis adultera, & in actu, & in adspectu.

CAPUT VI.

Pergit ea commemorare, quibus illam à turpitudine deterreri oportuerat. Cùm autem eadem jam ante triennium sinistra laborasset opinione, ipsius amentiam miratur, quod inimicos, amicos, ac Deum ipsum perinde spernens, nullum obicem non perfregerit.

21. SED ad te iterum redeo, quæ oblivionem tantorum passa bonorum, [c] receptaculum tantorum malorum facta es. Quomodo tibi in actu illo ignominioso non veniebat in mentem habitus virginalis, processus in Ecclesiam inter virgineos choros? Quomodo oculos tuos non perstringebat lux vigiliarum: aures tuas non penetrabat hymnorum spiritalium cantus: mentem tuam non ventilabat lectionum cælestium virtus; hinc vel maxime ad te clamante Apostolo: *Fugite fornicationem; quia omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?* (1. Cor. 6. 17.) Et cùm dicit: *In corpus suum;* tamen in Christum eum peccare demonstrat. Nam [d] subjungit: *An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, quæ habetis à Domino, & non estis* (Ibidem. 19.)

*. Revelationes eo sæculo raras non fuisse tùm ex ipsiusmet Ambrosii vita, tum ex aliis coævis auctoribus cognoscere est. Quod autem nonnullas tamquam frivolas aut superstitiosas rejiciunt heterodoxi, hoc minime officit veritati sanctarum ac divinarum. Cujusmodi si re vera quæ hîc referuntur, exstiterunt, eo graviori flagitio Susanna illa se te polluit.

a. Rom. edit. ex Pseudohier. sola *diem sanctum, diem Dominicæ resurrectionis.* Et post pauca cum vet edit. & mss. plerisque, *inter lumina illa splendida regni cælestis*; nos autem ex eodem Pseudohieronymo, & cod. Flav. & Regiom. locum restituimus: licet in Regiom. post vocem, *neophytorum* subjungatur, *luminaria Angelorum*, quod in contextus seriem recipiendum esse non putavimus. Ceterum hoc loco bene multa occurrunt, quæ ad veterem Ecclesiæ pertinent disciplinam. Primo enim discimus in more fuisse, ut recens baptizati cereos accensos manu gestarent: deinde quod jam in Exhort. Virgin. cap. 7. num. 42. docuerat, velandis virginibus festum paschatis olim destinatum, sicut & Dominicam nativitatis, ut supra lib 3. de Virgin. cap. 1 n. 1. idem tradiderat: quibus prætereа natales Apostolorum adjunxit Gelasius Pontifex Rom. tum ad ejusmodi consecrationem populi concursum fieri; ac demum ad virginem sermonem haberi consuevisse. Qua de re adisis lib. 3. de Virg. supra citatum.

*. Forte numerus definitus pro indefinito, vel etiam major pro minore. Attamen Fran. Hotmannus lib. *de Sponsalibus*, cap. 3. ita hunc locum interpretatur, ut ex eo totidem testes ad sponsalium validitatem olim necessarios fuisse adserat. Et hunc etiam numerum quondam ad legitimos actus fuisse necessarium Arcadii Constit. in L. D. de Test. & Legis Mamil. cap. 5. notisque scriptâ ex Val. Probo Edicti prætorii particulâ citatis, ostendit Brissonius Select. ex Jure Civ. antiquit. lib. 2. Quod autem paulo post subjungitur de periculo adulterorum, longo quidem tempore his nulla capitis pœna constituta fuit apud Romanos, ut August. auctor est lib *de Civit. Dei*, cap 5. Et hoc adeo verum existimant jurisconsulti, ut sicubi pœnam capitalem aut sanguinis in adulteros à primis imperatoribus latam reperiant, de civili morte, puta deportatione, condemnatione ad metalla, vel de simplici exilio dictum accipiant. At Constantinus Magnus ut religionis ita & castitatis vindex, legem de adulteris ultimo supplicio afficiendis primus tulit. Auxit etiam hanc pœnam Constans ejus filius lege, quam Baronius ad an. 339. refert, ut in hujusmodi reos tamquam in parricidas culeo vel igni animadverteretur imperans. Verum legem hanc non diu ad apices observatam esse intelligimus ex Amm. Marcellini lib. 28. cap. 1. Multa insuper privatim in adulteros deprehensos permittebantur, ut spoliatio, verberatio, rhaphanismus, mutilatio, immo etiam, uti à nobis libro *de Virginitate*, cap. 7. num. 35. observatum est, cædes.

b Mss. nonnulli, *Melius volo nubere.* Hanc autem objectionem sibi jam alibi propositam eodem plane modo expedierat Ambrosius.

c. Quatuor mss. *& spectaculum tantorum* &c. Iterum autem ubi nos ex potiori parte mss. *ad te clamante Apostolo*; alii legunt, *adtende clamantem Apostolum*: edit. vero *hinc*, Rom. *hoc, vel maxime clamante* &c.

d. Solus codex Regiom habet, *An nescitis*, usque ad *non estis vestri*: sed cùm hæc optime cum serie orationis quadrent, neque rarum sit Scripturæ locos in mss occurrere haud parum decurtatos; eadem in textum recipere non dubitavimus.

vestri; empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Et iterum dicit: *Ephes. 5. 3.* *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos.* Et seposita omni adulatione, sententiam figit Apostolus: *Ibidem 5.* *Hoc*, inquit, *scitote intelligentes quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non erit heres in regno Christi & Dei.*

22. Hæc tanta, & tam terribilia non tibi veniebant in mentem, cùm ad illud opus nefarium tua membra peterentur? Sed mortifera te oblivio tamquam in gurgitem altissimum demergebat, & quasi captivam execrabilis libido ducebat.

23. Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, [a] quæ sanctiores & digniores te erant? Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti: *1. Cor. 7. 34.* *Divisa est mulier & virgo: quæ non est nupta, cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu.* Tu autem in contrarium vertisti dictum, ita cogitans, ita agens, ut nec corpore esses sancta, nec spiritu: corpore quidem, fornicando; spiritu autem, virginitatem mentiendo.

24. Proh nefas! solet fama subsequi factum, tua autem malum fama prævenit. Nam cùm ante triennium rumor quidam & susurratio de te fuisset, tu sinceritatem prætendebas, & vindictam de maledicis in Ecclesia postulabas publice. Quos æstus ego sustinui? Quos pater tuus pro tua sustinuit opinione labores, requirentes singulos, singulos adstringentes, ut ad auctorem infamiæ veniremus? Grave enim erat nobis & omnibus bonis intolerabile de Dei virgine vel turpe aliquid dici, vel credi.

25. Nec hoc verita es, nec ante oculos habuisti; ne venires inimicis tuis in gaudium, & eos haberes infensos qui pro tua opinione laborabant. Multum audax, multum temeraria; ut te conscientia tua non terreret: sed simulata virginitate, putares te etiam Deum posse decipere. Sed ille qui dixit: *Matth. 10. 28.* *Nihil occultum quod non revelabitur*; & *2. Reg. 12. 12.* *Vos*, inquit, *fecistis in occulto: ego autem in manifesto faciam.* Ille qui non mentitur, furtivum scelus deduxit in publicum, & in conspectu solis hujus tenebrarum vestrarum opera denudavit.

26. [b] O quidquid prætendit sermo, crudeliora occurrunt: & cupiens moderari, non invenit modum. Oblita es propositum, oblita parentes, oblita es Ecclesiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita honorem dignitatis, etiam oblita promissionem regni, oblita judicium terribile: amplexa es corruptionem, protulisti fructum confusionis; finem vero * mortem sævissimam, & interitum sempiternum.

CAPUT VII.

Omnem Episcopalis officii curam illi à se præstitam fuisse adseverat: sed ipsam non solum inde nihil profecisse, verum etiam aliis objecisse grave scandalum, quod ostenditur in Evangelio severissima pœna damnari.

27. ET certe non habes quod de nostra negligentia conqueraris; quodcumque enim ad officium pastoris pertinet, & tibi & omnibus non negatum est. [c] Dilectio spiritalis adhibita, commonitio sancta non defuit. *Psal. 44. 11.* Oblita domum patris tui, ut scriptum est, ad monasterium virginale transisti. Inter tot posita non solum dico tuta esse debueras, si voluisses: sed etiam tutelam aliis præstare potuisses. Sed frustra hæc & alia provisa sunt.

28. Frustra * hymnum virginitatis exposui; quo & gloriam propositi, & observantiam pariter decantares. Seminavi secus viam, seminavi in spinis, seminavi in petrosa; *Luc. 8. 5. & seq.* aut enim ex corde tuo verba mea volucres, id est, dæmones rapuerunt: aut malis tuis cogitationibus suffocata sunt, aut aruerunt nimio æstu libidinis. Heu me, quia ubi putabam ædificare aurum, argentum, *1. Cor. 3. 12.* lapides pretiosos, inventus sum lignum, fœnum, stipulam, arsuras materias laborasse! Dicam & ego secundùm Prophetam: *Micha 7. 1.* *Heu me, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe?*

29. Et quidem si tibi soli damnum fecisses, erat quidem tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc vero quantas animas tuo scelere sauciasti, quantas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando? Aperuit in nos gentilitas os suum: adversus sanctam Ecclesiam Synagoga Judæorum [d] per tuum dedecus exsultavit.

30. *Matth. 18. 6.* Quod si is qui unum scandalizaverit, mola circumligatus jactari debet in mare, quid de te pronuntias, per cujus scelus omnis anima sauciata est, & nomen Domini in gentibus blas-

a. Rom. edit. *quasi sanctioris & dignioris*: vet. autem, ac mss. hoc tantum dissident, quod horum non pauci pro, *te erant*, scriptorum lapsu habent, *steterant*. Porro non sunt obeunda perfunctorie, quæ hoc in capite continentur ad antiquam disciplinam pertinentia. Nimirum statim ab ejus initio docet vestem suam peculiarem fuisse virginibus, easque non singulas, sed multas simul ad Ecclesiam è monasterio processisse: hoc autem loco illis adtributam in Ecclesia sedem non à viris solum, sed etiam ab aliis feminis separatam, nec non honoris causa matronas nobiles pacis osculum ab illis petere consuevisse; ac demum inscriptas fuisse parieti Scripturæ sententias, quibus eædem virgines officii sui commonerentur.

b. Rom. edit. & Pseudohier. *O*, *inquit*, *qui prætendit sermonem*, *crudeliora occurrit*. Pseudohier. *incurris*; melius: Paris. edit., *crudelior occurrit*; nec incommode id quidem: sed tamen in aliarum edit. ac mss lectione nihil mutandum.

*. *Mortem sævissimam*, hoc est, angore animi ac desperatione nisi dignos pœnitentiæ fructus faciat, plenam. Nec enim umquam apud christianos virgines vos fragæ violenta morte affectæ, quemadmodum apud ethnicos vestales in terra vivæ defodiebantur.

c. Codex Regiom. *Lectio spiritalis*, & continuo post Pseudohieronymus, *communio sancta*. Licet autem hæc ingressa dicatur in monasterium, cùm tamen eo tempore parthenonum aditus invisentibus viris concederetur, mirum utique non est si perditorum hominum temeritate hunc etiam in locum irrepere culpa potuerit.

*. Hymnum quandoque sumi pro omni Scriptura, sed maxime pro psalmis Davidicis jam à nobis adnotatum est lib. *de Fuga sæculi*, cap. 4. num. 20. Et hinc forte non injuria dici possit *hymnum Virginitatis* hoc loco nihil aliud esse, nisi aut inscriptas illas parieti sententias, de quibus supra: aut quod probabilius est, ultimam psalmi 44. partem; eâ quippe, scilicet à versiculo 10. usque ad ultimum, multa quæ ad gloriam & observantiam virginalis propositi pertinent, continentur; id est, sponsarum Christi dignitas; & quibus easdem ornari convenit, dotes ac virtutes. Si quis vero de hymno aliquo ad eum usum composito malit intelligi, non pertinacius obluctabimur; supra enim cap 5 ubi n. 18. quædam ex eo psalmo memoravit fuisse recitata, paulo post subdit, *His .... dictis & multis supra castitate tua præconiis*: quæ quidem verba non nimium coacte ad hujusmodi hymnum referri possunt.

d. Plurimi cod. *perpetuo dedecore exsultabit*, nonnulli, *exsultavit*.

phematum est? Nonne quoties dicitur: O vir- A gines, toties tibi cumulus iniquitatis augetur? Jaces ecce vulnerata, jaces ecce prostrata.

CAPUT VIII.

Quænam sit remedii quod adhibere cupit, difficultas atque ratio: suadere se ut ad pœnitentiam non qualemcumque illa confugiat, sed congruam; cujus actus interior, nec non exteriora signa hîc memorantur. Porro ejusdem beneficio fore, ut B *illa æternæ pœnæ immunitatem obtineat; si tamen eo in se fuerit severior, quo peccatum minus libere sit confessa. Ad quod etiam futuri judicii atrocitate ipsam accendit.*

32. Cupio prodesse, sed subvenire non possum; quia *totum caput in dolore, & totum cor in mæstitia: à pedibus usque ad caput*, sicut ait Esaias, *non est malagma imponere.* Infirmitas tua omne humanæ medicinæ exclusit auxilium. Et licet tam boni quam mali justa indignatione C permoti, te omni depopulatione [a] dignam, te omni tormentorum genere discruciandam judicent, morte mulctandam, aut ignibus exurendam: ego tamen qui scio graviora facinorosis servari tormenta, & sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos; aliis te volo cruciatibus affici, profuturis utique, non animam perdituris.

Esai. 1. 5. & 6.

33. Ergo secundum divinam sententiam dabo consilium; solum enim & unicum tentandum D est remedium illud, quod divina vox per Ezechielem miseris porrigit: *Nolo*, inquit, *mortem peccatoris, quantum ut convertatur, & vivat.* Et iterum post hæc inquit Dominus, *dixi: Convertere ad me. Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare non adscendit sanitas filiæ populi mei?* Hæc utique dicta pœnitentiam sapiunt, hæ sententiæ Dei vocant ad pœnitentiam [b] peccatores: POENITUDO ENIM lapsis necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria me- E dicamina.

Ezech. 33. 11.
Hier 8.22.

34. Sed quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia? Quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterii est, an duplex sit pro illa nece quæ facta dicitur in occulto: & secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed & facto. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit; & si te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cùm hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est prævaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post unum baptismum quam pœnitentiæ solatium; quantamvis afflictionem, quantumvis laborem subire, esto contenta: dummodo ab æternalibus pœnis libereris.

35. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, facti tui ipsa judex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ hujus [c] interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut & es, quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymis, qui masculum non simpliciter adspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam [d] irrubuit impudice. Denique totum corpus injuriis & jejuniis maceretur, cinere adspersum & opertum cilicio perhorrescat; quod male sibi de pulcritudine placuit. Cor vero sit liquescens tamquam cera, jejuniis inquietans se ipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur; quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malo cessit imperio.

36. Talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, [e] etsi non glo-

a. Floriac. codex & Pseudohier. *depopulatione dedecoratam*

b. Post vocem, *peccatores*, Rom. edit. è Pseudohier. in textum, transtulerat, *revocant ab errore*, quæ in ant. edit. ac mss. nostris desiderantur.

c. Ita omnes edit. cum mss. multo pluribus: Pseudohier. autem cum mss. duobus *intermittenda tibi est.* Minus concinne. Hic porro summatim pœnitentiæ exercitia proponuntur, tam interiora quam exteriora. In quibus lugubrem vestem & capillorum resecationem numerari si quis mirabitur, adeat Morinum *de Administ. Panit.* lib. 4. cap. 17. num. 7. & seq. ubi eadem illa tunc temporis pœnitentibus imperata esse reperiet. Verum cùm agatur hoc loco de virgine Deo consecrata alia difficultas ex usu præsenti quo solet sactis virginibus coma tonderi, oboritur. Atqui certum est olim hac in re variam pro varietate locorum fuisse disciplinam. Etenim præter Synodi Gangr. anno, ut volunt 324. celebratæ can. 17. velatis virginibus, ut non levibus rationibus contra Baronium à quo idem canon de mulierculis quibusdam hæreticis in Notis ad Martyrol. Rom. 12. Kal. Oct. intelligitur, defendit Gothofredus, ergo præter hunc can. tonsura sub anathemate virginibus interdicentem, exstat, ipso quoque fatente Baronio, Theodosii lex 27. de Episc. & Cleric. qua illud ipsum eisdem virginibus prohibetur. Data fuit ea lex an. 390. & de consensu quidem episcoporum; cùm eâdem quoque anathematis pœna imposita sit. Puellas sacras crinem aluisse ac sponsarum instar sparsum gessisse auctor est Optatus Milevitanus. Ambrosius etiam lib. *de Instit. Virg.* cap. 17. & Augustinus Epist. 109. satis declarant, apud populares suos ut virgines comam deponerent, morem non fuisse. Neque vero illud idem parum aperte indicat Hieronymus epist. 48. ad Sabinianum, quando quidem eum capillos amoris obsides accepisse docet ab ea moniali, quam corruperat in monasterio Bethlehemitico, in quod illa cùm Romæ velum accepisset, se receperat. Contra vero idem Hieronymus citata epist. tradit obtinuisse *in Ægypti & Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint .... crinem monasteriorum matribus offerrent desecandum.* Huc adde Palladium in Lausiacis cap. 41. ubi virginum hujusmodi fuisse habitum scribit, *ut essent tonsæ & cucullatæ.* Citatur præterea can. 66 Nicæn. Alph. Pisani, nec non etiam Athanasii *de vera virgin.* pro eodem usu, qui tandem solus invaluit, cùm feminæ sanctimoniales pœnitentiæ insignibus se se non minus quam monachos gloriari pia æmulatione testatum vellent. Sed de his præter memoratos auctores luculenter egerunt Spencerus lib. 5. *de Voti Redemt.* cap. 3. Menardus noster *in Sacram Gregor.* pag. 222. Heeften *Disquis. Monast.* lib. 5. Disq. 7. & Thomassin *Discipl. Eccles.* part. 1. lib. 1. cap 50.

d. Omnes edit ac mss. aliquot, *viruit impudice.* Minime male; viruit enim sumi eleganter potest pro viguit, quo sensu Tullius *viriditatem habere*, & Horatius *virere genua* dixerunt: alii tamen mss. plures ac potiores, *irrubuit impudice.* Neque hoc ipsum magis inscite; nam præterquam quod inter *pallescat & irrubuit* concinnius est antitheton, rubor in facie ut bonæ valetudinis, ita etiam vehementis affectus indicium est. Iterum pro *injuriis & jejuniis*, mss. nonnulli, *incuria & jejuniis.* Non absurde quidem, sed tamen non mutanda vox *injuriis*; idem enim est ac rigida & aspera castigatione, ut lib. 2. *de Abraham* cap. 8. num. 52. vitula dicitur *domari injuriis.* Postremo ubi omnes edit. ac mss. excepto Flor. *de pulcritudine placuit*, idem Flor. habet, *de turpitudine placuit.*

e. Codex Regiom. *etsi non coronam, tamen veniam, & certam pœnæ evacuationem*: reliqui autem & edit. nihil differunt, nisi quod ubi edit. ac pauci mss. præferunt, *vacuationem* aut *evacuationem*, alii mss. magno numero legunt, *vacationem.* Non desunt porro qui cum ex his verbis tum ex aliis epist. 2. ad Horont. Ambrosium accedere veterum quorumdam opinioni, qua feruntur inter beatorum gloriam ac damnatorum pœnas medium quemdam statum admisisse, de quo dicetur ad eamdem epist Hoc autem loco tantum monemus tangi quidem ab Auctore difficultatem, sed inexaminatam prætermitti. Hic enim oratoria concessio est, quasi diceret, & si gloriam adipisci non contingeret, de quo non disputo; saltem pœnarum obtinebis immunitatem. Siquis tamen exsortem gloriæ futuram illam virginem ab Auctore affirmari contendat, dummodo non gloriam omnem intelligat, sed singularem illam quæ virginibus pactam cœlesti sponso fidem servantibus destinata est, manus dabimus.

riam, certe pœnæ vacationem; dicit enim Deus: A *Joel. 2. 12. & 13.* *Convertimini ad me, & convertar ad vos. Convertimini ex toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu: dirumpite corda vestra, & non vestimentum; quoniam pius & misericors est.* Sic conversus magnus ille David justificatus est: sic *2. Reg. 12. 13.* Ninive peccatrix illa civitas incumbentem sibi *Johan. 3. 5. & seq.* evasit interitum. Peccator ergo si sibi ipsi non pepercerit, à Deo illi parcetur. Et si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, se ipsum ab æterno ju- B dicio liberabit.

37. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina: grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. * Nam non est dubium levius esse crimen, ubi peccatum suum ultro homo confitetur, & pœnitet: at ubi celat mala sua, invitus detegitur, & nolens publicatur; illud gravius scelus est. Quod tibi utique provenisse negare non poteris. Et ideo fortiùs dolendum; quia peccatum est fortius. C

38. Si mente cernerent [a] homines peccatores quale judicium emittet Deus in mundo, & sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, non infidelitate gravaretur: quantumvis & qualemvis cruciatum ad præsens libentissime sufferrent, etiamsi esset longior vita; dummodo in illas pœnas æterni ignis non incurrerent. Sed tu quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste, misera: fortiter inhære [b] tamquam in naufragiis tabulæ, sperans per ipsam te de pro- D fundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari; quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die judicii exspectare remedium.

CAPUT IX.

Objurgat virginis corruptorem; eumque Balthasaris exemplo terret. Quem deinde ut non contentus interno cruciatu, legitimam pœnitentiam amplectatur, monet: postremo ne sibi de peccantium multitudine blandiatur, ipsi Sodomæ & aliarum urbium incendium suggerens, ad confringendos inimici laqueos urget. E

39. DE te autem quid dicam, filio serpentis, ministro diaboli, violatore templi Dei: qui in uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique & sacrilegium? Sacrilegium F plane, ubi vas Christo oblatum, Domino dedicatum, dementi temeritate polluisti. Balthasar rex ille Persarum, qui in vasis Domini, quæ & à templo Hierosolymis fuerant à patre ejus *Dan. 5. 30.* ablata, bibere cum suis amicis & concubinis usurpavit; ipsa nocte Angeli manu percussus, crudeli morte punitus est: quid de te arbitraris, perdite pariter & perditor, qui vas rationabile consecratum Christo, [c] sanctificatum Spiritui sancto, impiè temerasti, polluisti sacrilegè, & tui propositi immemor, & judicii divini contemtor? Melius fuerat omnino te non fuisse natum, [d] quam sic natum, ut te sibi gehenna proprium filium vindicaret.

40. Et licet te ipsa conscientia sceleris agat per diversa præcipitem (*fugit* enim *impius, nemine persequente se*) *Prov. 28. 1.* licet te diræ imagines peccati dormientem quoque perterreant, non solùm vigilantem; tamen ne quid à pastore ovi morbidæ, vel morituræ medicaminis denegatum sit, do consilium. Petas ultro [e] carcerem pœnitentiæ, obstringas catenis viscera, animam tuam gemitibus jejuniisque crucies; sanctorum petas auxilium, jaceas sub pedibus electorum; ut non tibi cor impœnitens thesaurizet iram in *Rom. 2. 5. & 6.* die iræ & justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Nec te in eorum numerum constituas, quos luget Paulus: *2. Cor. 12. 21.* *Qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & libidinibus quas gesserunt.*

41. Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, & dicas: Non solus hoc ego egi, multos habeo socios: sed recogita, quia MULTITUDO sociorum impunitatem non facit criminum. Nam in Sodoma & Gomorrha & in *Gen. 19. 25.* totis quinque civitatibus innumerabiles utique habitabant populi, & omnes pariter qui libidinose corpora sua tractaverunt, igneis imbribus conflagrarunt: solus autem Loth de illo inevi- *Ibid. 29.* tabili incendio evasit; quia ab illa turpitudine se alienum præstiterat.

42. Exclude ergo vel nunc, infelix, de corde tuo blandimenta serpentis, & luctu, & fletibus continuis, dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, [f] remedium tibi in die necessitatis adquire, semper ante oculos *2. Cor. 5. 10.* tuos habens Apostoli sententiam: *Quia omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui secundùm quod gessit, sive bonum, sive malum.*



*. Sequenti sententiæ quam apud Pseudohier. ipso statim hujus libri initio exstare diximus, proprium hunc locum esse negabit nemo. Eâdem autem discere est illam priscorum temporum fuisse disciplinam, ut qui occultorum criminum ab aliis insimulabantur apud episcopum, sedulo peracta inquisitione, gravioribus pœnis condemnarentur, quam si se ipsos ultro accusassent. Qua de re consulat, cui libuerit, Morinum *de Administ. Pœnit.* lib. 1. cap. 10. & lib. 2. cap. 6.

a. Omnes edit. ac mss. aliquot, *homines peccatores* (edit. Rom. cum Pseudohier. delevit *peccatores*) *judicium imminet mundo, sensus humanus .... si non infidelitate gravaretur*, Rom. edit. & Pseudohier. *gravarentur*: ceteri mss. magis apposite ut in contextu.

b. Edit. omnes, & quidam mss. cum Pseudohier. *tamquam naufragus tabula, sperans per ipsam*: reliqui mss. *tamquam in naufragiis* &c. nisi quod omittitur in Floriac. *per ipsam*. Infra vero ubi edit. eædem cum paucis mss. *ab humano die posse veniam dari*. Et rursus, *ab illo solo quare remedium*; alii mss. numerosiores nobiscum faciunt, excepto quod in ultima parte multi exhibent, *ab ipso quare remedium*: Flor. autem ac Regiom. *ab illo solò te convenit* &c. Quos quia scriptoribus breviare, quam producere magis consuetum, hîc præferimus. Ceterum qui è postremis hisce periodis huic auctori novatianorum hæresim adtribuunt, eos nulla certa niti ratione in Admonitione demonstratum est.

c. Cod. Flor. & Regiom. *sanctificatum à Spiritu sancto*: Pseudohier. *sanctificatum Spiritu sancto*: Regiom. solus consequenter, *temeraratio & impio polluisti sacrilegio*.

d. Ita ms. Flor. alii autem & edit. *quam te sibi gehenna proprium filium vindicaret*; in plerisque mss. voces *proprium filium* non leguntur.

e. Non pauci mss. *turrem pœnitentiæ*. Minime male; pœnitentia enim propugnaculi cujusdam instar ab ira divina tutos nos præstat: Sed potest etiam eo referri, quod Ambrosio familiare est Adamum post expulsionem suam è paradiso in castello religatum dicere: forte quia mos erat in loco munito adservari noxios, quod cum aliorum mss. atque edit. omnium lectione sensu convenit.

f. Plures mss. & Pseudohier. *remedium tibi necessitatis*.

CAPUT X.

Ad virginem lapsam demum rediens, illi concitatas quasdam precationes & varios pœnitentiæ affectus è Scripturis hinc inde lectos suppeditat.

[Thren. 2. 13. & 19.] 43. Quis consoletur te, *virgo filia Sion; quia magna facta est sicut mare contritio tua. Effunde sicut aquam cor tuum ante faciem Domini:* extolle ad eum manus tuas [a] pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum. Et primum quidem nullo die quinquagesimus psalmus intermittatur; quia in tali negotio cantus est: & usque ad versiculum illum: [Psal. 50. 19.] *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit*, cum lacrymis gemituque percurre.

44. Insuper etiam hanc lamentationem non sine compunctione cordis in conspectu Dei judicis funde: [Hier. 9. 1.] *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum*, ut defleam vulnera animæ meæ? [Amos 8. 10.] Conversi sunt dies festi mei in luctum, & cantica in lamentationem: recessit sonus hymnorum, & lætitia psalmorum, & successit stridor dentium & fletus oculorum. [Psal. 38. 3. & 4.] *Obmutui & humiliata sum, & silui à bonis, & dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* [Jonæ 2. 6.] *Abyssus circumdedit me, postremo demersit caput meum* [b] *in scissuras montium.*

[Gen 19. 24.] 45. Heu me, quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorrha, quis miserabitur cineres meos? Durius offendi quam Sodoma; quia illa legem nesciens deliquerat, ego autem, accepta gratia, peccavi Domino. [c] [1. Reg. 2. 25.] Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat: ego peccavi in Dominum, quem propitiatorem inveniam? [Psal. 7. 15. & seq.] Concepi dolorem, & peperi iniquitatem: lacum aperui & effodi eum, & incidi in foveam quam operata sum. Ideo conversus est dolor meus in caput meum, & in verticem meum iniquitas mea descendit. Immunditia mea ante pedes meos: non fui memor novissimorum, & cecidi miserabiliter.

46. Non est qui consoletur me. O quam acerbus fructus luxuriæ! Amarior felle, crudelior gladio. [Psal. 72. 19. & 20.] Quomodo facta sum in desolationem? Subito defeci, perii propter iniquitatem meam [d] velut è somno exsurgens; ideo in civitate Domini nullificata est imago mea. [Ps. 101. 7.] Deletum est de libro vitæ nomen meum, facta sum sicut noctua in domicilio, sicut passer unicus in ædificio: non est qui consoletur me. Considero à dextris, & video quia non est qui agnoscat me. [Psal. 141. 5.] *Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam.* [Psal. 30. 13. & 14.] Facta sum sicut vas perditum, audivi vituperationem omnium circa me habitantium. Væ diei illi in quo me [e] infelix genuit mater, & lux ista crudelis excepit! Oportuerat me non fuisse natam, quàm sic in gentibus fabula fierem. [Job. 3. 3.] Propter me confusio facta est omnibus famulis Domini, & eum digne colentibus.

47. Lugete me montes & colles, lugete me fontes & flumina; quia fletus filia ego sum. Lugete me bestiæ silvarum, reptilia terræ, & volucres cæli, & omnis anima quæ vita frueris. Nam vos beatæ feræ & volucres, quibus nullus metus de inferis, neque post mortem reddenda est ratio: in nos manet pœna crudelis tartari, quia habentes sensum, delinquimus; ideo non est pax peccatoribus.

48. [f] Meum peccatum, mea iniquitas, non sunt similia offensis hominum; quia impietas est. [Esa. 48. 22.] Carnem pollicita servare virginem, & castitatem professa publice, mentita sum Domino; ideo non est mihi fiducia invocandi Dominum altissimum, quia obstructum est [g] os delinquentium. Nam meum malum Propheta cecinit, quod qui elongant se à Deo, peribunt: [Psal. 72. 27.] disperdit omnem fornicantem à se. Et iterum: [Psal. 21. 16.] *Adhæsit lingua mea faucibus meis, & in pulverem mortis* deductus sum.

49. Verumtamen clamabo ad Dominum, cùm adhuc tempus est, dum datur spatium; quia in morte non est memoria, & in inferno non est confessio. [Psal. 37. 1. & seq.] *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, nec est sanitas in carne mea à vultu iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ* [h] *superposuerunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Computruerunt & deterioraverunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis* afflicta *sum, &* curvata *usque in finem, rugio à gemitu cordis mei.* [Ibidem 11.] *Cor meum turbatum est intra me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* [Psal. 59. 3. & 5.] Deus, repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, potasti me vino compunctionis: expulsa sum ab oculis tuis, jam non adjiciam [i] ut resurgam ad templum sanctum tuum, & facta sum in exterminio.

50. [Psal. 29. 10.] *Quæ utilitas in sanguine tuo, dum descendi in corruptionem?* [Psal. 87. 11.] *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt?* Tuus sermo est, tua promissio est: [Ezech. 33. 11.] *Nolo mortem peccatoris,* [k] *sed conversionem & vivat*: [Psal. 145. 8.] ad te, Deus meus, mea con-

a. Omnes edit. *pro remedio animæ tuæ & peccatorum* &c. Omnes mss. cum Pseudohier. ut in contextu.

b. Mss. aliquot, *fissuras montium* Regiom. cum Pseudohier. *in fossuras* (Pseud. *in scissura*) *inferni*. Et infra idem ms. solus, *miserebitur sceleribus meis*.

c. *Si homo . . . . . in Dominum*, desunt istæc propemodum in mss. in nonnullis tamen, & cunctis edit. nec non apud Pseudohier. inveniuntur.

d. Ita mss. omnes: edit. vero, & Pseudoh. *velut somnium surgentis*. Et sequenti versu pro *vilificata est*, quod erat in omnibus edit. & mss. aliquot, alii mss. exhibent, *nullificata sum*, partim ut in contextu.

e. Omnes edit. cum mss. aliquot, & Pseudohier. *me infelix* (Rom. & Pseud. *infelicem*) *uterus genuit*: alii magno numero ut in textu.

f. Vet. edit. *Meum est peccatum, mea est iniquitas Non sunt similia offensa hominum; quia horribilis hæc impietas est, carne pollicita servare virginem, & castitatem professa publice mentita sum Deo.* Rom. edit. . . . *carne polluere virginitatem, & castitatem professam publice* &c. Mss. vero in lectionem nostram consentiunt, nisi quod pro *carnem pollicita*, duo præferunt, *carnem pollutam*, unus, *carne polluta*, alius denique, *carnem pollicitam*: quæ scriptoribus imputanda esse non videt nemo. Iterum expressam publice professæ virginitatis mentionem observes licet.

g. Codex Regiom. *os loquentium iniqua*. Rursus vero ubi omnes edit. *Adhæsit anima faucibus meis*, omnes mss. exhibent. *Adhæsit lingua mea* &c. quam quidem lectionem Scripturæ textus, omnesque ipsius versiones confirmant.

h. Tres mss. cum Pseudohier. *supergressæ sunt*.

i. Omnes edit. *ut respiciam*: omnes mss. partim *ut surgam*, partim *ut resurgam*

k. Ita mss duobus exceptis, ubi pro, *sed conversionem*, legimus *sed ut convertatur*: vet. edit. *sed conversionem, ut possit vivere. Ad te Deus meus conversio, quia solus*: Rom. *sed conversionem & vivam: ut possim vivere, ad te Deus me converto, qui solus*. Pseudohier. *sed conversionem. Ut possim vivere, ad te Deus conversio mea; quia solus* &c.

versio

versio; quia solus potes renovare omnia, & ab A inferis animas revocas. Tu solvis compeditos: tu, Deus, allisos erigis, cæcos illuminas, mortuos suscitas.

Psal. 118. 176. 50. *Erravi sicut ovis perdita:* require famulam tuam, ne lupus crudelis glutiat me. *Multi* Psal. 3. 3. *dicunt animæ meæ: Non est salus illi in Deo ejus.* Psal. 118. 84. Sed tuum consilium tecum est. Quot sunt dies famulæ tuæ, quando facies mecum judicium? Psal. 142. 2. Sed ne intres in judicium cum famula tua. *De-* Psal. 118. 81. *fecit in salutari tuo anima mea, defecerunt in la-* B *crymas oculi mei, effusa est in terram gloria mea.* Psal. 34. 17. *Quando respiciens restitues animam meam? Prop-* Psal. 38. 12. *ter iniquitatem meam corripuisti* me, *& tabescere fecisti sicut araneam, animam* meam. *Memento,* Psal. 24. 8. *Domine, quod pulvis sum: vide humilitatem meam, & laborem meum, & remitte omnia peccata mea.* Psal. 38. 14. *Remitte mihi ut refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero,* [a] nec in inferno erit confessio.

51. Potens es, Domine, conscindere saccum Psal. 29. 12. & præcingere me lætitia: dirumpere vincula Psal. 115. 13. mea, quibus ligata sum atque constricta, qui Rahab sordidam non adspernatus es. Iram Josue 2. 14. tuam, Domine, aufer à me, quia peccavi tibi crudeliter, donec justifices causam meam, & educas me in lumine. Deus virtutum, [b] da pœnitentiæ effectum, confessioni perseverantiam; ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi donum, hanc mihi gratiam de tuo fonte præstari cupio, Deus; ut in æternum tibi confitear: qui vivis & regnas in Trinitate in sæcula sæculorum. Amen.

a. Hic desinit tractatus apud Hieronymum: at Rom. edit. solum resciderat, *nec in inferno erit confessio*, quod mendose restituerant Paris. edit. hoc modo, *nec inferior erit confessio.* Consequenter autem post voces: *Potens es Domine*, aberant è cunctis edit *conscindere saccum meum, & præcingere me lætitia*, quod in hanc nostram ex mss fere omnibus proposito neutiquam incongruum reposuimus.

b. Tres mss. *Da patientiæ effectum.* Infra vero ubi omnes edit. & quidam mss. *præstare cupio, Deus ut in æternum* &c. mss. multo plures locum ita contrahunt, *præstari cupio, Deus qui regnas in trinitate* (tres, *in æternitate*) *in sæcula* &c.

IN LIBRUM DE MYSTERIIS
ADMONITIO.
QUA ET IDEM LIBER AMBROSIO ADSERITUR.

Auctor hujus operis in ipso ejus limine profitetur [a] *se & recens baptizatis elaborare, & sacramenta quæ illis hactenus ignota fuerint, adoriri. Mos quippe erat priscorum temporum antistitibus, ut sublimia illa mysteria quam studiosissime celarent nondum initiatos. Hi quidem quoad è catechumenis atque competentibus excederent, crebris precibus, exorcismis, aliisque ceremoniis ad baptismum præparabantur: admittebantur audiendis concionibus, ubi potissimum eos rigidis ethices christianæ dogmatis imbui solitos hic ipse auctor aperte docet.* [b] *Suis tamen orationibus adversus falsa & impia ethnicorum atque hæreticorum placita disputationes miscebant episcopi: neque etiam unitatis substantiæ divinæ, trinitatis personarum adorandarum, aliorumque capitum, quæ ipsis è Symbolo exponi consueverant, cognitionem inserere prætermittebant. At vero penitiori aliorum sacramentorum, & præ ceteris Eucharistiæ discussione prorsus abstinebant. Erant porro ea mentis docilitate boni illi religionis nostræ candidati, ut quæ ipsis manifesta esse nolebat Ecclesia, suam ad ea curiositatem minime protenderent, rati videlicet nihil falsi aut superstitiosi cultus in illa contineri religione, quæ tot miraculis ac prodigiis fulta, super idololatriæ quam subruebat, ruinis unius Dei adorationem erigebat, quæque sectatorum suorum mores ad amussim adeo severam & rationi consonam exigi postulabat. Hæc instituendæ vitæ præcepta nondum baptizatis à se tradita signat Ambrosius primis hisce verbis;* [c] De moralibus quotidianum sermonem habuimus *&c. ubi libros* de Abraham *atque alios quos ab eo coram catechumenis & competentibus pronuntiatos demonstravimus,* [d] *intelligi vix dubium est. Subjungit vero cùm eos qui sacro baptismate regenerati sint, hîc alloquatur;* [e] *sibi ut ipsis cum ejusdem sacramenti, tum aliorum rationem atque ceremonias declaret, incumbere.*

Primum igitur post explicatam oris atque aurium apertionem, [f] *ac memoratam quæ fiebat in baptisterio, ejurationem,* [g] *fontis benedictionem* [h] *tractat. Ibi autem ut probet non aquæ simplicis efficacia, sed præsenti Spiritus divini virtute regenerationem perfici, varia symbola quibus idem sacramentum in veteri lege præfiguratum est, expendit; unde etiam colligit sacram illam ablutionem eumdem semper effectum obtinere, cùm ad eum probitas improbitasve ministri nihil conferat. Mox è vivifico lavacro excedentium ad episcopum à quo post unctionem capitis ac pedum lotionem,* [h] *veste candida* [i] *induebantur, accessum narrat. Tum reddita cujusque ceremoniæ ratione, quantâ lætitiâ ob familiæ suæ amplificationem gestiat Ecclesia mater,* [k] *depromtis è Cantico canticorum sententiis exprimit. Postremo ubi neophytos accepta Confirmationis ope septem donis Spiritus sancti ditatos atque exornatos fuisse* [l] *affirmavit, quemadmodum solemni pompa ex baptisterio ad altare processerint, ubi Dominici corporis reficerentur sacramento, multis* [m] *edisserit. Nec sane mirum, si in hoc adserendo immoretur multo longius, cùm finis & consummatio sit ceterorum.*

Profitetur itaque id sibi esse in animo, [n] *ut* summo studio *cunctis veteris Synagogæ sacramentis hoc ipsum antiquitate atque excellentia præferendum adstruat; quorum quidem primum inde ostendit, quod panis ac vinum Abrahæ oblatum à Melchisedech, Eucharistiæ figura* [o] *exstiterit: secundum autem eo demonstrat, quod præ ipso manna quo nihil sanctius habuerunt Israelitæ, hoc mysterium* [p] *tanto præcellat, quanto* [q] potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus Auctoris quam manna. *Enim vero quia neophytis in promtu erat contra opponere:* [r] Aliud video, quomodo tu mihi adseris quod Christi corpus accipiam?

a. Cap. 1. num. 1.
b. Ibidem num. 1.
c Ibidem
d. Admonit. in hos lib.
e. Cap. 1. num 3.
f. Cap. 2. n 5. & 6.
g. Cap. 3. 4. & 5.
h Cap. 6. num. 29. & seq.
i Cap. 7. num. 34. & seq.
k. Ibidem num. 35. & seq.
l. Ibidem num 42.
m. Cap 8. num. 43.
n. Ibidem num. 44.
o. Ibidem num 45. & seq.
p Cap. 8. & 9.
q Cap. 8. num 49.
r. Cap. 9. num 50.

ad objectionis solutionem aggreditur. Ea propter ut repudiato sensuum corporeorum testimonio, panem in Domini corpus sacerdotali benedictione converti certo teneant, non modo [a] clarissima quaque prodigia quibus mutatam fuisse naturam vel etiam è nihilo creatam prisci testamenti ferunt tabulæ, in medium profert; verum etiam miraculorum omnium maximum citat, Christi [b] scilicet incarnationem. Tum quasi omni dubitationis occasione prorsus depulsa, innocentem hunc gregem accommodatis [c] Canticorum quibusdam versiculis monet, ut secretum præstantes mysterio, & Christum diversis virtutum fructibus in se pascentes, Ecclesiam exhilarent: nec in posterum de sua regeneratione umquam ambigant.

a. Cap 9. num. 51. & 52.
b. Ibidem num. 53.
c. Ibid. 55. & seq.

Hic porro nobis temperare minime possumus, quin pauca quædam Eucharistiæ occasione animadvertamus. Neophytos à baptismate adhuc madentes episcopus sacramentorum eisdem hactenus ignotorum prima cognitione instituit. Simplex est ea catechesis, & ab omni amplificationis ac eloquentiæ fuco plane aliena. Id eo loci Auctor probandum sibi proposuit, eucharistiam præ manna tantò præstantiorem esse, quantò umbram corpus superat, veritas figuram. Hoc ut demonstret, Christi carnem in quam per Dominica verba panem converti docet, in sacramento contineri sæpius repetit. Exemplis ad adserendam hanc mutationem utitur omnium maxime prodigiosis. Denique summo conatu adhibito, ut oculorum testimonio derogetur, contendit nec levissimæ dubitationi locum esse, quin è pane quem præsentem sensus nuntiant, non figura corporis, sed corpus ipsum fiat conceptum in Virginis utero, & ad extrema supplicia pro nobis traditum. Quis ergo neget Præsulem nostrum veram & substantialem conversionem hîc agnovisse? Hanc autem cùm istis Domini verbis, Hoc est corpus meum, [d] firmatam ac stabilitam velit, [e] nonne manifesto intelligitur ab eo illa in simplici atque proprio sensu accipi, non in figurato? Fatemur quidem adhibita quoque ab illo miraculorum quorumdam exempla, quibus regenerandi vim baptismo inesse persuaderet: sed illic de virtute producendi effectus agitur, non de substantiali aliqua mutatione; nusquam enim aquæ naturam converti in Spiritum istic reperias: at è contrario eam semper subsistere, ac post benedictionem etiam remanere tam expressis, tam sæpe iteratis verbis testatur; ut quodammodo videatur, ne quis hanc sibi opinionem in mentem induceret, præcavisse. Ad hæc nemo non videt quam diversa sit hoc loco catholici atque heterodoxi causa. Etenim quivis sacerdotum nostrorum Ambrosianam in rudibus istius mysterii cognitione instituendis rationem & laudabit & sequetur quam lubentissime: quis vero ministrorum sectariorum tenendam sibi plane contrariam non existimet? Addimus etiam orthodoxo dogmati stabiliendo in hac opella suppeditari expressa & positiva, ut vocant, firmamenta; cùm tamen Albertinus Carentonianus quondam minister hinc argumentum probandæ suæ opinioni nullum depromat; sed tantum sibi proponat [f] objectiones, quibus non nisi futilia penitus ac vana respondet. Atqui constare oportet apud æquos æstimatores ex hoc opere ubi familiariter primis præceptis novos Christianos Ambrosius imbuit, quid sententiæ super eucharistia illi fuerit, potius discendum, quam ex aliis ejusdem libris; quandoquidem in his de industria propter infideles atque catechumenos qui eum cum baptizatis confusi audiebant, obscurius eloquebatur.

d. Matth. 26. 26.
e. Cap 9. num. 52.
f. Lib. 2. de Sacrament. cap. 2.

Hujusce scriptionis qui meminere, magno consensu eam Ambrosio semper adtribuerant: sed tandem superiori sæculo exstiterunt quidam heterodoxi, qui possessione tam diuturna sanctum Doctorem abdicandum arbitrati sunt. Reperimus enim Henr. Bullingeri ad Joach. Vadianum litteras apud sanctum Gallum 7. Julii an. 1535. datas, quibus hunc librum cum sequentibus de Sacramentis una complectens, cum illo se de utroque opere sentire significat, nimirum stupidos hos nequaquam esse auctoris optimi & judicii emunctissimi fœturam. Causas istius rei tres adfert, styli differentiam, variam hîc & in exploratis Ambrosii libris exponendæ eucharistiæ rationem, tractationem rerum frigidiorem quam pro Ambrosiano acumine ac diligentia. His addit Erasmum etsi dissimularit, & judicium texerit suum, ne videretur eorum de sacramentis sententiam sectari; cùm tamen hos libros rejecerit in postremum Ambrosianæ editionis tomum, non dubitare se quin ille senserit mangonis cujuspiam illud esse opus. Quasi vero Erasmus quartum suum tomum ex solis adulterinis composuerit. Sed cùm de sententia Erasmi mera sit istæc ariolatio, explodenda potius videtur quam refellenda. Tribus autem illis quæ præmissa sunt, uno verbo respondebimus catechesim esse, atque adeo charactere sibi proprio, id est, simpliciter, aperte ac sine motibus editam oportuisse: interim Bullingerum censorem Ambrosianorum scriptorum non videri admodum idoneum, qui quo loco tam levibus momentis legitimum extrudit fœtum, commentaria in epistolas Pauli admittit pro indubitato.

g. Anno 1655.

Is cujus operâ Helmestadii Censura Roberti Coci prælo subjecta est, [g] hoc etiam opus ex Ambrosianorum catalogo exemit, qua in re eum Dallæus quoque in libro de Confirmatione sequutus est. Rationem judicii sui primam istam reddit: Affirmat auctor, inquit ille, Scripturam testari quod ad preces Hierobaal ignis descenderit de cælo. Atqui nihil tale de Hierobaal legitur in Scriptura. Sed quis non videat hîc aliud significari nihil, præterquam quod libri Judicum cap. 6. narratur Gedeon Angelo supplicasse, ut sibi sacrificium offerre concederet: quo annuente, cùm super azymis panibus, carnibusque elixis jus infudisset, Angelum summâ virgâ hæc contigisse, ac divinitus è petra, cui eadem imposita fuerant, ignem erupisse. Diccendum igitur quæ in Scriptura fusius memorantur, ea contractius referri ab Ambrosio Fieri vero etiam potuit, ut hanc historiam in codicibus suis paulo aliter atque in nostris narratam invenerit: quod in aliis quoque ipsi contigisse non semel, at præcipue in caput ultimum libri de Nabuthe, observavimus. Et hoc sane mirum illi non videbitur, qui adverterit tantam olim codicum veteris Testamenti fuisse diversitatem, ut quot Ecclesiæ, tot varia circumferrentur exemplaria, sicut Hieronymus in Præfationibus suis passim testatur. Idem ferme habet S. Augustinus de Doct. Christ. lib. 2. cap. 11.

h. Iohan. 5. 7.

Secunda expunctionis ratio hæc est: Quod auctor iste, adjicit idem, Paralytici verba: [h] Hominem non habeo, ita exponit, quasi per hominem Paralyticus intellexerit Christum mediatorem, perquam leviculum est. Sed perquam leviculus est qui sic arguit. Enim vero vel non intelligit, vel non intelligere se fingit id eodem loco agere sanctum Antistitem, ut in piscina figuram baptisma-

tis, in homine ægrum in eam demittente typum ipsius Christi, in ægro demum hominis peccatoris symbolum exstitisse ostenderet; atque adeo hic paralyticum mysticum sive, ut sancti nostri utamur verbo, intelligibilem, accipiendum. Quo quid cum Ambrosiano exponendæ Scripturæ modo magis congruum?

Tertiam objectionem ita exprimit: Quod in his libris peccata propria, 1. Actualia, per baptismum relaxari dicat: hereditaria vero, 1. Originalia, per lotionem pedum, certe hæreticum est. Cum Theologia & Ecclesiæ doctrina non convenit, teste Maldonato. *Et hoc quidem tam validum tamque ineluctabile argumentum Dallæo visum est, [a] ut qui alia quasi digito indicare satis habuerat, illud proprio voluerit cumulare suffragio. Nam cùm & hujus operis & librorum* de Sacramentis *auctorem de otione pedum incommode ac perabsurde philosophatos contendisset, allatis de quibus agebatur locis, ista subjungit:* Utrumque somnium, quod vel plane vel pœne idem est, ineptum, & instituto à Christo baptismati contumeliosum, satis ostendit neutrius opusculi auctorem esse Ambrosium. *Gravissima est, nec diffitemur, istæc accusatio. Sed hoc incommode ac perabsurde accusatoribus ipsis accidit, ut idem illud cui tam nigrum theta præfigunt isti aristarchi, non modo in aliis quæ exstant Ambrosii operibus non controversis invenire sit, verum etiam in deperditis quorum loci occurrunt apud fidelissimum ipsius discipulum Augustinum in suis adversus pelagianos disceptationibus, ubi dubium dogma, nedum hæreticum numquam impune proposuisset. Hæc si considerassent illi scriptores, in sententiam cum tantorum doctorum tum etiam veteris Ecclesiæ auctoritate munitam haud insurrexissent tantis animis. Verum eos quod voces* hereditaria peccata *quibus nihil, nisi concupiscentia sive ut ipse ait*, lubricum delinquendi, *significatur, nequaquam recte intellexerint in errorem inductos ad eum locum [b] demonstrabimus.*

a. Lib. 3. de Confirm. Cap. 8.

b Cap. 6. num. 32.

Ultima Cociani editoris ratio tam futilis est, ut à nobis referri vix mereatur; ait enim quod in baptismo exprimendas esse tres personas divinas *hic auctor dicit, cum eo pugnare quod in libris de Spiritu sancto adseritur, ad Baptismum* invocationem unius personæ divinæ tantum *sufficere. Sed si admitteretur hæc consecutio, ii omnes libri in quibus tres divinas personas in baptismo proferendas traditur, abjudicandi essent Ambrosio: quod affirmare vel ipsi adversarii erubescerent. At enim quænam in eo repugnantia, si quis de communi hujus sacramenti administrandi ratione agens, invocandas tres personas divinas dicat; idem tamen disputans utrum baptismum aliquando sub personæ unius invocatione collatum pro valido haberi oporteat, affirmantem teneat opinionem. Sed ea de re agemus suo loco. Interim illos pudeat, qui tam levibus momentis bonam scriptionem & Ambrosio minime indignam legitimo parenti ereptum eunt, idque non tantum contra mss omnium, verumetiam contra tot ac tantorum virorum qua catholicorum qua sectariorum, qua veterum qua recentium testimonia, ut si nolint eorum auctoritate persuaderi, saltem multitudine obrui possint. Nec dubitamus hoc pervidisse scriptores multos, magnique [c] nominis in communione calviniana; quandoquidem paucorum è suis censurâ insuper habitâ, calculum suum non subtraxere veritati.*

c. Blondel. Falcar. Albert, &c.

Cùm igitur Ambrosium hujus libri possessione nihil dejiciat, jam quærendum est quotum eidem annum adtribuamus. In ipso statim operis initio illius innuere tempus videtur sanctus Antistes; [d] hic quippe ait de moralibus quotidianum sermonem in exponendis patriarcharum gestis se habuisse: ubi libros de Abraham, Isaac & Jacob, & alios ab eo intelligi veri certe simillimum est. Fatemur tamen inde aliquid oboriri difficultatis, quod eadem de materia variis annis habuerit sermones, quod & nos suis locis [e] indicavimus. Verum tamen cùm credibile sit eum præcipuos tantum significare, non putamus eadem verba rectius ad alios referri posse quam ad memoratos; proindeque annum huic opellæ 377. *circiter duximus adsignandum.*

d. Cap. 1. num 1.

e. In Admonit.

Porro ejusdem inscriptio alibi aliter invenitur. Legitur apud Amerbachium. De Mysteriis initiandis: ***apud Erasmum & Gillotium***, De iis qui mysteriis initiantur: ***in Rom. edit.*** de Initiandis: ***in mss. longe plurimis***, de mysteriis sive Initiandis, ***nimirum prima eorumdem mysteriorum cognitione; nam alias scribendum esset*** de initiatis: ***in antiquissimis denique inscribuntur*** de divinis Mysteriis, ***aut simpliciter***, de Mysteriis: ***quos & sequimur.***



SANCTI

AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE MYSTERIIS

LIBER UNUS. *

* Script. circ. ann. 387.

CAPUT I.

Tractatibus, quos ante de moribus Sanctus habuerat, subjecturum se mysteriorum expositionem spondet. Deinde cur ea non prius patefecerit, declarato, mysticam aggreditur apertionem, quam à Christo ipso olim celebratam demonstrat.

1. DE moralibus quotidianum sermonem habuimus, cùm vel B Patriarcharum gesta, vel Proverbiorum legerentur præcepta; ut his informati atque
a instituti ᵃ ad suesceretis majorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire oraculis: quo renovati per baptismum, ejus vitæ usum teneretis, quæ ablutos deceret.

2. Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem ede- C re: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quàm edidisse æstimaremur. Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infu-
b derit, quàm si eam sermo ᵇ aliquis præcucurrisset.

3. Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpite: quod vobis significavimus,
* * cùm apertionis celebrantes mysterium dice-
Marc. 7. 34. remus: *Epheta, quod est adaperire*; ut venturus D unusquisque ad gratiam quid interrogaretur, A cognosceret: quid responderet, meminisse deberet.

4. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cùm mutum curaret Ibidem.
& surdum. ᶜ Sed ille os tetigit; quia & mutum c
curabat & virum: in altero, ut os ejus infusæ sono vocis aperiret; in altero, quia tactus iste virum decebat, feminam non decebat.

CAPUT II.

Quid initiandi Ecclesiam ingressi promiserint, quibusve coram testibus, & quamobrem se converterint ad orientem?

5. POst hæc reserata tibi sunt * sancta sanc- *
torum, ingressus es regenerationis sacrarium: repete quid interrogatus sis, recognosce
quid responderis. * Renuntiasti diabolo & ope- *
B ribus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.

6. Vidisti illic levitam, ᵈ vidisti sacerdotem, d
vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Præsentibus Angelis loquutus es, sicut scriptum
est: *Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius; quoniam Angelus* Malac. 2. 7.
est ᵉ Domini omnipotentis. Non est fallere, non e
C est negare: Angelus est qui regnum Christi & vitam æternam annuntiat. Non specie tibi

a Cod. Alnet. *ne adsuesceretis malorum ingredi vias.* Infra vero ubi vet. edit. & cunctæ pœne mss. *obedire oraculis*; Rom. edit. cum pauculis posuit, *obedire mandatis.*

b. Mss. nonnulli, *aliquò præcucurrisset.* Et post pauca in bene multis habetur, *illatum*, in quibusdam *illato*, *vobis munere sacramentorum capite*; pro eo quod est in aliis, & edit. omnibus, *inhalatum vobis* &c.

*. De hac ceremonia Gregorius Magnus in Sacram. Ordo Rom. Albinus & alii scripsere: ignotam vero Græcis eam fuisse observavit Menardus noster in Sacram. pag. 119 Porro cùm infra eamdem celebrasse Christus dicitur, hoc ita intellige non quod illam vere instituerit, sed ipsius institutioni causam præbuerit; quippe quæ ad ejusdem miraculi celebraretur imitationem. Nam ceremonias varias ab aliis institutas recte admonet VVal. Strabo lib *de Reb. Eccles.* cap. 26 Quando autem fieret & quo ritu, ex-
* plicatius docetur lib. *de Sacramentis* cap. 1.

c. Edit. Eras. Gill. & Rom. *sed illi os tetigit*: Amerb. & omnes mss. *sed ille* &c. Consequenter autem ubi plures mss. & omnes edit. *curabat & virum*; legitur in mss. aliquot, *curabat & surdum* Denique pro *sonum vocis*, quod exstat in cunctis edit. & mss. non paucis; melius in aliis *sono vocis*, id est, ad sonum vocis emittendum.

*. *Sancta Sanctorum*, hoc est, *regenerationis sacrarium, baptisterium, fons sacer*; his enim nominibus locus ille cum ab Ambrosio, tum ab aliis Patribus appellatur. Ceterum sanctorum reliquias cùm Paulinus epist. 12. *Sancta sanctorum* vocasse reperiatur, atque ex Ennodio Ticin. epist. ad Ural. & Gregorio Turon. lib 10. Hist. cap 31. sacra illa pignora in baptisteriis condi solita intelligamus; erit fortasse qui hac ipsa de causa locum istum putet ab Ambrosio ita vocatum. Verum tamen metaphoram tantum hîc esse probabilius est. De his autem omnibus quæ hoc loco commemorantur, consule Cyrillum Hierosol. Catech. 1. Mystag. & alios.

*. Etsi non omnes baptismi ceremonias enarret Ambrosius, hanc tamen cujus nemo fere Patrum non meminit; omissam noluit, utpote inter præcipuas annumeratam

d. Rom. edit. sola, *vidisti sacerdotes*, & sane in lib. 1. *de Sacram.* cap. 2. presbyter memoratur in singulari. Per hanc autem vocem non episcopum, ut solet, designat S. Præsul, sed secundi ordinis sacerdotem, ad cujus distinctionem Episcopus continuo post summus sacerdos nominatur. Iterum vero ubi Erasm. cum seq. edit. & mss. aliquot, *mysteriorum gratiam*; Amerb. cum pluribus ac potioribus, ut in textu.

e Mss. nonnulli cum textu hebræo & version. Vulg. & Chald. *Domini exercituum* Reliqui & edit. omnes cum LXX. Syriaca & Arabica, *Domini omnipotentis.*

æſtimandus ſit, ſed munere. Quid tradiderit A conſidera, uſum ejus expende, & ſtatum ejus agnoſce.

7. Ingreſſus es igitur ut adverſarium tuum cerneres, [a] cui renuntiandum in os putaris: ad orientem converteris; qui enim renunciat diabolo, ad Chriſtum convertitur, illum directo cernit obtutu.

CAPUT III.

In aqua & ſacris miniſtris præſentiam atque operationem divinitatis conſiderandam eſſe, pluribus figuris quibus baptiſma jam inde à mundi creatione ac poſtea prænunciatum eſt, docet. B

8. Quid vidiſti? Aquas utique, ſed non ſolas: levitas illic miniſtrantes, ſummum ſacerdotem interrogantem * & conſecrantem. Primo omnium docuit te Apoſtolus non ea contemplanda nobis *quæ videntur, ſed quæ non videntur; quoniam quæ videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna.* (2. Cor 4. 18.) Nam & alibi habes: *Quia inviſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, comprehenduntur: ſempiterna quoque virtus ejus ac divinitas* operibus æſtimatur. (Rom. 1. 20.) C Unde & ipſe Dominus ait: *Si mihi non creditis, vel operibus credite.* (Johan. 10. 38.) Crede ergo divinitatis illic adeſſe præſentiam. Operationem credis, non credis præſentiam? Unde ſequeretur operatio, niſi præcederet ante præſentia?

9. Conſidera autem quam vetus myſterium ſit, in ipſius mundi præfiguratum origine. In D principio ipſo, quando fecit Deus cælum & terram, *Spiritus*, inquit, *ſuperferebatur ſuper aquas.* (Gen. 1. 2.) Qui ſuperferebatur ſuper aquas, non operabatur ſuper aquas? [b] Sed quid dicam operabatur? quod ad præſentiam ſpectat, ſuperferebatur. Non operabatur, qui ſuperferebatur? Cognoſce quia operabatur in illa mundi fabrica, quando tibi dicit Propheta: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (Pſal. 32. 6.) E Utrumque prophetico ſubnixum eſt teſtimonio, & quia ſuperferebatur, & quia operabatur. Quia ſuperferebatur, Moyſes dicit: quia operabatur, David teſtificatur.

10. Accipe aliud teſtimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus ſuis. *Non permanebit*, inquit Deus, *Spiritus meus in hominibus, quia carnes ſunt.* (Gen. 6. 3.) Quo oſtendit Deus quia carnali immunditia, & gravioris labe peccati gratia ſpiritalis avertitur. Unde volens Deus reparare quod deerat, diluvium fecit, & juſtum F Noe in arcam juſſit adſcendere. (Gen. 7. 1. & ſeq. Gen. 8. 7. & 8.) Qui dum, decedente diluvio, corvum dimiſiſſet prius, qui non revertit; dimiſit columbam, quæ cum ramo oleæ legitur reverti ſſe. Vides aquam, vides lignum, columbam adſpicis, & dubitas de myſterio?

11. Aqua eſt ergo qua caro mergitur, ut omne [c] abluatur carnale peccatum. Sepelitur illic omne flagitium. Lignum eſt in quo ſuffixus eſt dominus Jeſus, cùm pateretur pro nobis. Columba eſt in cujus ſpecie deſcendit Spiritus ſanctus, ſicut didiciſti in novo Teſtamento, qui tibi pacem animæ, tranquillitatem mentis inſpirat. (Matt. 3. 16.) Corvus eſt figura peccati, quod exit, & non revertitur; ſi in te quoque juſti cuſtodia & forma ſervetur.

12. Tertium quoque teſtimonium eſt, ſicut te Apoſtolus docet: *Quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari.* (1. Cor. 10. 1. & 2.) Denique & ipſe Moyſes dicit in Cantico: *Miſiſti Spiritum tuum, & operuit eos mare.* (Exod. 15. 10.) Advertis quod in illo Hebræorum tranſitu jam tunc ſacri baptiſmatis figura præceſſerit, in quo Ægyptius interiit, & Hebræus evaſit. Quid enim aliud in hoc quotidie ſacramento docemur, niſi quia culpa mergitur, & error aboletur: pietas autem & innocentia [d] tuta permanſit?

13. Audis quia ſub nube fuerunt patres noſtri, & bona nube, quæ carnalium refrigeravit incendia paſſionum. Bona nubes obumbrat quos reviſit Spiritus ſanctus. Denique ſupervenit in Mariam virginem, & virtus altiſſimi obumbravit ei; (Luc. 1. 35.) quando redemtionem genti genuit humanæ. Et illud miraculum per Moyſen in figura factum eſt. (Exod. 14. 21. & ſeq.) Si ergo in figura adfuit Spiritus, non adeſt in veritate, cùm Scriptura tibi dicat: *Quia Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* (Johan 1. 17.)

14. Merrha fons amariſſimus erat: miſit in eum Moyſes lignum, & dulcis eſt factus. (Exod. 15. 23. & ſeq.) * Aqua enim ſine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt: cùm vero ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritalis lavacri & ſalutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyſes [e] miſit lignum, hoc eſt, propheta; ita & in hunc fontem ſacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.

15. Non ergo ſolis corporis tui credas oculis: magis videtur quod non videtur; quia iſtud temporale, illud æternum adſpicitur, quod oculis non comprehenditur, animo autem ac mente cernitur.

16. Denique doceat te decurſa Regnorum lectio. (4. Reg. 5. 1. & ſeq.) Naaman Syrus erat, & lepram habebat, nec ab ullo mundari poterat. Tunc ait puella

*. Omnes edit. *cui renuntiandum mox putares.* Omnes mſſ. *cui renuntiandum in os*, quidam *putares*, plures *putaris*, unus etiam *ſputaris.* In os autem renuntiare idem eſt ac palam & aperte. Sic εἰς πρόσωπον ſumitur in Didymo & Scholiis græcis pro φανερῶς. Sumitur etiam in aliis ſcholiis pro ἀναισχύντως impudenter: quo forte ſenſu Job. 1. 11. invenitur. Nec etiam nimium diſplicet quod habetur in cod. Reg. *ſputaris*, hoc eſt, os tibi ſputo illinitur. Sed tunc membra ſic eſſent diſtinguenda, *cui renuntiandum. In os ſputaris* &c. Diſcimus autem ex hoc loco moris fuiſſe, ut qui diabolo renuntiabant, in occidentem obverterentur, quandoquidem poſtea ut Chriſtum adſpiciat, convertitur in orientem.

*. De fontis conſecratione dicitur lib. 1. *de Sacram.* cap 5. quam etiam conſtat notam fuiſſe non ſolum auctoribus *Conſtit. Apoſt.* lib. 7. cap. 4. & operis *de Hierar. eccleſ.* cap *de Baptiſmo:* ſed etiam SS. Cypriano epiſt. Synod. ad Januar. & ceteros Numidas epiſc. Baſilio in Pſal. 70. Greg. Niſſeno & aliis; Unde merito editor Anglus operum Cypriani loco citato, negat illas formulas *tam nuperas eſſe quam novatores ſibi & aliis perſuadere conantur.*

b. Rom. edit. ſola. *Sed dicam operabatur. Quod ad præſentiam ſpectat, ſuperferebatur. Quod autem operabatur, qui ſuperferebantur in illa mundi fabrica, cognoſce quando tibi* &c.

c. Omnes edit. ac mſſ. aliquot, *abluatur peccatum. Sepelitur omne vitium*: reliqui mſſ. majori numero & antiquitate, ut in textu: unus tamen, *abluatur caritate peccatum.*

d. Vet. edit. ac pauci mſſ. *tota permanſit*: Rom. *tuta manet*: mſſ. aliquot, *tuta permanet*, plures, *tuta permanſit.*

*. Videbitur forte cuipiam in ea ſententia hic eſſe Ambroſius, ut aquam niſi prius oratione ſanctificata ſit, baptiſmo penitus inhabilem exiſtimarit. Sed obſervandum non hic agi de jure, ut aiunt, ac validitate: at ſolum referri conſuetudinem, & illi veterem figuram accommodari.

e. Abſtulerat edit. Rom. voces, *hoc eſt propheta*; quæ tamen vocabulo *ſacerdos* per antitheſin quamdam opponuntur.

ex captivis, quoniam esset prophéta in Israel, A qui posset eum à lepræ contagione mundare. Sumto, inquit, auro & argento, perrexit ad regem Israel. Qui cognita adventus ejus causa, scidit vestimenta sua, dicens quod tentaretur magis, cùm de se ea quæ non essent potestatis regiæ, poscerentur: Elisæus autem regi intimavit ut ad se dirigeret Syrum, quo cognosceret quod esset Deus in Israel. Et cùm venisset, mandavit ei ut septies mergeretur in Jordane fluvio.

17. Tunc ille secum tractare cœpit quod me- B liores aquas haberet patriæ suæ, in quibus se sæpe mersisset, & numquam à lepra esset ablutus; eoque revocatus non obediebat mandatis prophetæ: sed & admonitu & persuasionibus servulorum adquievit, ac mersit. Mundatusque illico intellexit non aquarum esse quod unusquisque mundatur, sed gratiæ.

18. Cognosce nunc quæ sit illa puella ex captivis junior, scilicet ex gentibus congregatio, id est, Ecclesia Domini depressa ante captivi- C tate peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat; cujus consilio vanus ille populus nationum verbum audivit propheticum, de quo ante diu dubitavit; postea tamen ubi credidit exsequendum, ablutus est ab omni contagione vitiorum. Et ille quidem dubitavit, antequam sanaretur: tu jam sanatus es, & ideo dubitare non debes.

CAPUT IV.

Aquam non mundare sine Spiritu, Johannis testimonio & ipsis quibus idem sacramentum administratur, verbis declaratur. Quod etiam adseritur significatum per Evangelicam piscinam, & paralyticum à Domino ibi sanatum: quo loco Spiritus sanctus in ejusdem Christi baptismo vere descendisse ostenditur, & quid in hoc mysterio intelligendum?

19. IDeo tibi ante prædictum est, ut non hoc solum crederes quod videbas; ne forte & tu diceres: Hoc est illud magnum myste-
1. Cor. 2. 9. rium; *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit?* Aquas video, quas videbam quotidie: istæ me habent mundare, in quas sæpe descendi, & numquam mundatus sum? Hinc cognosce quod aqua non mundat sine Spiritu.

20. Ideoque legisti quod tres testes in baptismate unum sunt, aqua, sanguis, & Spiritus; 1 Johan 5. 7.
quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Johan. 3. 5.
Credit autem etiam catechumenus in crucem domini Jesu, qua & ipse signatur: * sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire. *

21. Ergo ille Syrus septies mersit in Lege: [a] tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, recordare quid feceris, confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum. Tene ordinem rerum in hac fide, mundo mortuus es, & Deo resurrexisti. Et quasi in illo mundi consepultus elemento, peccato mortuus, ad vitam es resuscitatus æternam. Crede ergo quia non sunt vacuæ aquæ. a 4. Reg. 5. 14.

22. Ideo tibi dictum est: *Quia Angelus Domini descendebat secundùm tempus in natatoriam, & D movebatur aqua; & qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aquæ, sanus fiebat à languore quocumque tenebatur.* Johan. 5. 4.
Hæc piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabatur: sed nemo ante sanabatur, quam descendisset Angelus. Ut esset indicium quia descenderat Angelus, movebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides: illis Angelus descendebat, tibi Spiritus sanctus: illis creatura movebatur, tibi Christus operatur ipse dominus creaturæ.

23. Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur: aut certe unus solus populus christianus; est enim in aliquibus & aqua mendax. * Non Hier. 15 18. *
sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed 1. q. 1. c. non sanat.

*. Duo ex his verbis advertere est: 1. necessitatem baptismi ad peccatorum etiam in catechumenis ablutionem, quod similiter docetur in Psal. 118 Serm. 3 pag. 991. unde inferimus Ambrosium in ea opinione quæ ipsi de Valentiniano imperatore tribuitur, nequaquam fuisse: 2. ad baptismi formam tres divinas personas necessario exprimi oportere; ex quo sententiam de sacramenti ejusdem sub Christi tantum nomine administrati validitate perperam ipsi imponi deducimus. At de utraque re suis locis.

a. Rom. edit. cum uno aut altero mss. *Tu autem in gratia baptizatus es*: melius vero vet. edit. cum cod. reliquis omittunt, *in gratia*.

*. Voce *perfidorum* primum intelligi possunt ii, qui fidem Christo de servandis ejus mandatis in baptismo datam fregerunt. Deinde strictius qui per hæresim à mystico Christi corpore sunt segregati. Postremo, qui oblatum fidei lumen repudiarunt. Primus sensus ut affingatur sancto Præsuli, nihil suadet. Et certe is hæreticus negari nequit; cùm hunc VViclefi quartum art. *Si episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*; Constantiense Conc. Sess. 8. & Tridentinum Sess. 7. can. 17. condemnaverint. Qua de re adiiis Guil. Estium in 4. *Sentent.* Dist. 1. & Mabillonium in Serm 66. Sancti Bernardi Quod autem ad acceptionem de Baptismo hæreticorum; ingentem olim fuisse super hac materia inter Cyprianum ac Stephanum controversiam nemo nescit: neque etiam quæ fuerit Cypriani, Afrorumque sententia magis ignotum. Quod vero ad Stephani opinionem, exstiterunt nostra memoria, qui contra placita veterum eum in quibuslibet ab hæresi redeuntibus, licet in Trinitatis nomine non baptizatis, iterari baptisma vetuisse disputarent. Illorum momentum præcipuum est decretum ipsius Stephani à Cypriano contra ejusdem epistolam relatum, scilicet: *Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur* &c. Item Augustini locus in lib. *De Unico Bapt. cont. Petil.* cap. 14. ita loquentis: *Stephanus Baptismum hæreticorum in nullo iterandam esse censebat.* Verum forte an non satis advertere amborum verba ex usu qui per ea tempora vigebat, intelligenda; sicut Eusebius lib. 7. cap. 3. & Vincentius Lerin. Comm. 1. cap. 19. satis indicant: hæreticos autem rebaptizari ex traditione fere communi eos solos moris fuisse, qui tincti sub Trinitatis invocatione non fuerant; ut constat auctoritate non modo laudatorum auctorum, sed etiam Augustini passim contra Donatistas, Optati Milev. Facundi Hermian. atque aliorum. Et sane Leo Magnus camdem criminationem non effugeret, nisi simili modo acciperetur id quod ait epist. 89. ad Nicetam: *Qui baptismum ab hæreticis receperunt, sola S. Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt*; illic enim nulla hæreticorum distinctio exprimitur. Attamen multo etiam probabilius est conditionem illam, modo baptisma in nomine Trinitatis collatum fuerit, à Stephano exaratam esse in sua epistola. Quid enim aliud sibi voluit Firmilianus, dum ita scripsit: *Illud quoque absurdum, quo non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit; eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus sancti?* Idem quoque post narratam dæmoniacæ cujusdam feminæ historiam subdit. *Quid igitur de hujusce baptismo dicemus ....maxime cui nec Symbolum defuit Trinitatis* &c. Adde his quod nec Patres Arelat. Nec Augustinus cùm Cypriani atque Afrorum causam aperte damnarint, in Stephanum & Rom. Ecclesiam quidquam dixere; immo Facundus diserte prodit Cyprianum à Stephano jure culpatum. Utcumque porro se res habeat, certum est perperam in hac controversia citari hunc Ambrosii locum; non enim in eo de hæreticorum, sed de Judæorum, aut etiam de infidelium, quæ tertia acceptio est, baptismis agi tum ipsa orationis series, tum auctor operis *de Sacram.* lib. 2. c. 1. n. 2. testatum reddunt.

Marc. 7. 4. polluit. Judæus urceos baptizat & calices, quaſi A inſenſibilia vel culpam poſſint recipere, vel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuum ſenſibilem, in quo bona opera tua luceant, in quo gratiæ tuæ ſplendor fulgeat. Ergo & illa piſcina in figura; ut credas quia in hunc fontem vis divina deſcendit.

Iohan 5. 7. 24. Denique paralyticus ille exſpectabat hominem. Quem illum, niſi dominum Jeſum natum ex Virgine: cujus adventu non jam umbra ſanaret ſingulos, ſed veritas univerſos? Iſte eſt B ergo qui exſpectabatur ut deſcenderet, de quo Iohan 1. 33. dixit Deus Pater ad Johannem Baptiſtam: *Super quem videris Spiritum deſcendentem de cælo, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* De quo teſtificatus eſt Johannes Ibid. 32. dicens: *Quia vidi Spiritum deſcendentem de cælo quaſi columbam & manentem ſuper eum.* Et hîc quare Spiritus ſicut columba deſcendit, niſi ut tu videres, niſi ut tu agnoſceres columbam Gen. 8. 8. etiam illam quam Noe juſtus emiſit ex arca, C iſtius columbæ ſpeciem fuiſſe, ut typum agnoſceres ſacramenti?

25. Et fortaſſe dicas: Cùm illa vera columba fuerit quæ emiſſa eſt, hîc quaſi columba deſcenderit: quomodo illic ſpeciem fuiſſe dicimus, * hîc veritatem; cùm ſecundum * Græcos in ſpe- Luc. 3. 22. cie columbæ Spiritum deſcendiſſe ſit ſcriptum? Sed quid tam verum quam divinitas quæ manet ſemper? Creatura autem non poteſt veritas eſſe, ſed ſpecies, quæ facile ſolvitur atque mu- D tatur. Simul quia eorum qui baptizantur, non in ſpecie eſſe debeat, ſed vera ſimplicitas. Unde Matth. 10. 16. & Dominus ait: *Eſtote aſtuti ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Merito ergo ſicut columba deſcendit, ut admoneret nos ſimplicitatem columbæ habere [a] debere. Speciem autem & pro veritate accipiendam legimus & de Phil. 2. 7. Chriſto: *Et ſpecie inventus ut homo;* & de Pa- Iohan. 5. 37. tre Deo: *Neque ſpeciem ejus vidiſtis.*

CAPUT V.

Confirmatur adeſſe Chriſtum in baptiſmate, atque adeo non conſiderandos ejus miniſtros. Demum confeſſio Trinitatis à baptizatis edi ſolita paucis expenditur.

26. ESt ne adhuc quod dubitare debeas, cùm evidenter tibi clamet in Evange- Matt. 3. 17. lio Pater, qui ait: *Hic eſt Filius meus in quo complacui?* clamet Filius, ſuper quem ſicut F columba ſe demonſtravit Spiritus ſanctus? clamet & Spiritus ſanctus, qui ſicut columba Pſal. 28. 3. deſcendit? clamet David: *Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit: Dominus ſuper* A *aquas multas?* Cùm tibi Scriptura teſtetur quod 1. q. 1. c. cùm Script. ad Hierobaal preces ignis deſcenderit de cælo, Iudic. 6. 21. & rurſus precante Elia, ignis ſit miſſus [b] qui ſa- 3. Reg. 18. 38. crificium conſecrâvit? b

27. Non merita perſonarum conſideres, ſed officia ſacerdotum. Et ſi merita ſpectes, ſicut Eliam conſideres: Petri quoque merita ſpectato, vel Pauli, qui acceptum à domino Jeſu hoc nobis myſterium tradiderunt. Ignis illis viſibilis 1. q. 1. c. cùm Script. § ignis. mittebatur, ut crederent: nobis inviſibilis ope- B ratur, qui credimus: illis ad figuram, nobis [c] ad c commonitionem. Crede ergo adeſſe dominum Jeſum invocatum precibus ſacerdotum, qui ait: *Ubi fuerint duo vel tres, ibi & ego ſum;* quan- Matt. 18. 20. to magis ubi eſt Eccleſia, ubi myſteria ſua ſunt, ibi dignatur ſuam impertire præſentiam?

28. Deſcendiſti igitur, recordare quid reſponderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum ſanctum. Non habes illic: * Credo in majorem & minorem & * C ultimum: ſed eadem vocis tuæ cautione conſtringeris, ut ſimiliter credas in Filium, ſicut in Patrem credis: ſimiliter in Spiritum ſanctum credas, ſicut credis in Filium; hoc ſolo excepto, quod in crucem ſolius domini Jeſu fateris tibi eſſe credendum.

CAPUT VI.

Egreſſis è fonte baptiſmatis quare unctio fiat in capite: cur etiam pedum lotio poſt baptiſmum; quæve peccata utriſque remittantur?

D 29. POſt hæc utique adſcendiſti ad ſacerdotem: conſidera quid ſequutum ſit. Nonne illud quod ait David: *Sicut unguentum* Pſal. 132. 2. *in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron?* Hoc eſt unguentum, de quo & Salomon ait: *Unguentum exinanitum eſt nomen tuum, propterea* Cant. 1. 3. *adoleſcentulæ dilexerunt te, [d] & adtraxerunt te.* d Quantæ hodie renovatæ animæ dilexerunt te, domine Jeſu, dicentes: *Adtrahe nos poſt te, in* Ibidem 3. E *odorem veſtimentorum tuorum currimus;* ut odorem reſurrectionis haurirent?

30. Quare hoc fiat intellige, quia *oculi ſa-* Eccleſ. 2. 14. *pientis in capite ejus.* Ideo in barbam defluit, id eſt, in gratiam juventutis; ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, ſacerdotale, pretioſum; omnes enim in regnum Dei & in ſacerdotium ungimur gratia ſpiritali.

31. Adſcendiſti de fonte, memento Evangelicæ lectionis. Etenim dominus noſter [e] Jeſus in e F Evangelio lavit pedes diſcipulis ſuis. Quando venit ad Simonem Petrum, ait Petrus: *Non* Iohan. 13. 8. *lavas mihi pedes in æternum;* non advertit myſterium, & ideo miniſterium recuſavit; quod gravari humilitatem ſervi crederet, ſi ſibi ob-

*. Apud Lucam græce hic locus ita exprimitur, σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστεράν.

a. MSſ. plerique, ac edit. Amerb. hunc locum diſtinguunt alia ratione; hac videlicet, *debere: ſpeciem autem & pro veritate accipiendam. Legimus & de Chriſto.* Potiorem tamen alteram eſſe ſubſequentia plane declarant.

b. Rom. edit ſola, *qui ſacrificium conſumſit.* De igne autem in Hierobaal ſacrificium deſcendente, vide quæ in Admonitione diximus. Citatur porro hic locus ab Algero lib. 3. *de Sacram* cap. 10. ut probet vera ſacramenta eſſe apud hæreticos. Gratianus quoque eodem conſilio hunc ipſum adhibet in Decr. ſed corruptum; cùm pro Hierobaal, præferat Hierobeam. Obſervat vero ejuſdem commentator iſtic non agi de ſacerdotibus improbis, proindeque in ea cauſa male allegari hoc teſtimonium

c. MSſ. aliquot non inferioris notæ, *ad communitionem.*

*. Non alia efficatiori probatione omnimodam perſonarum divinarum æqualitatem contra arrianos, alioſque veteres hæreticos demonſtrarunt antiqui Patres, quam ea quæ petitur ex forma baptiſmatis. Quo telo etiam num Sociniani confodiuntur. Adverte vero hic baptiſma fieri per immerſionem.

d. Rom. edit ſola. *Adtrahe nos poteſt te.* Et infra, *in odorem unguentorum.* Quod ad primum ei congruit hebr. textus atque Vulg. nobis autem LXX & reliquæ verſ. Quod vero ad alterum, omnia Scripturæ idiomata eidem favent. Attamen locum hunc putamus ita citatum ab Ambroſio, ut ſimul ad flagrantiam veſtimentorum Jacob fraternam benedictionem à patre ſuffuranis adluderet.

e. Eadem edit. Rom. ſola, *Ieſus lavit pedes*, ublato nimirum, *in Evangelio.* Infra vero pro eo quod in edit. omnibus, & mſſ nonnullis habetur, *miniſterium recuſavit:* legitur in reliquis mſſ. *myſterium recuſavit.* Haud ſatis recte.

sequium domini patienter admitteret. Cui resA pondit Dominus: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* (Ibidem 9.) Quo audito, Petrus: *Domine, non tantum pedes*, inquit, *sed & manus & caput.* Respondit Dominus: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet: sed est mundus totus.*

32. Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: (Gen 3. 6.) quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem. * Ideo planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; B nostra enim propria per baptismum relaxantur.

33. Simul cognosce mysterium in ipso humilitatis consistere ministerio; ait enim: (Johan. 13. 14.) *Si ego lavi vobis pedes dominus & magister; quanto magis & vos debetis lavare pedes invicem vobis?* Cùm enim ipse auctor salutis per obedientiam nos redemerit; quanto magis nos servuli ejus humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obsequium?

CAPUT VII.

Vestimentis candidis peccatorum ablutionem indicari: cujus operâ ut Ecclesia se nigram atque decoram diceret, effectum est. Angelos nitorem ejus sicut & Dominicæ carnis miratos esse; quin immo ipsummet Christum sub variis figuris commendasse Sponsæ suæ formam: quorum in se mutui affectus describuntur.

(* De consec. dist. 4. c. accepisti.) 34. Accepisti post hæc * vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina, de quibus dixit Propheta: (Psal. 50. 9.) *Adsperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Qui enim baptizatur, & secundum Legem & secundùm Evangelium videtur esse mundatus: secundum Legem, quia hyssopi fasciculo Moyses adspergebat [a] sanguinem agni: (Exod. 12. 22.) secundùm Evangelium, quia Christi erant candida vestimenta sicut nix, cùm resurrectionis suæ gloriam in Evangelio demonstraret. (Matt. 17. 2.) Super nivem ergo dealbatur, cui culpa dimittitur. Unde & per Esaiam Dominus ait: (Esai. 1. 18.) *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem dealbabo.*

35. Hæc vestimenta habens Ecclesia per lavacrum regenerationis adsumta, dicit in Canticis: (Cant. 1. 4.) *Nigra sum & decora* [b] *filiæ Hierusalem.* Nigra per fragilitatem conditionis humanæ, decora per gratiam: nigra, quia ex peccatoribus; decora fidei sacramento. Hæc vestimenta cernentes filiæ Hierusalem stupefactæ dicunt: (Cant. 8. 5.) *Quæ est hæc quæ adscendit dealbata?* Hæc erat nigra, unde nunc subito dealbata?

36. Dubitaverunt etiam Angeli cùm resurgeret Christus, dubitaverunt Potestates cælorum videntes quod caro in cælum adscenderet. Denique dicebant: (Psal 23. 8. & 9.) *Quis est iste Rex gloriæ?* Et cùm alii dicerent: *Tollite portas* [c] *Principis vestri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ;* alii dubitabant dicentes: *Quis est iste Rex* C *gloriæ?* In Esaia quoque habes dubitantes virtutes cælorum dixisse: (Esai. 63. 1.) *Quis est iste qui adscendit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor, speciosus in stola candida.*

37. Christus autem videns Ecclesiam suam in vestimentis candidis, pro qua ipse, ut habes in Zachariæ libro prophetæ, (Zach. 3. 3.) sordida vestimenta susceperat, vel animam regenerationis lavacro mundam atque ablutam, dicit: (Cant. 4. 1.) *Ecce formosa es, proxima mea, ecce es formosa, oculi tui sicut co-* D *lumbæ;* (Luc. 3. 22.) in cujus specie Spiritus sanctus descendit de cælo. Formosi oculi [d] sicut columbæ; quia in ejus specie Spiritus sanctus descendit de cælo.

38. Et infra: (Cantic. 4. 2. & 3.) *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ adscenderunt de lavacro, quæ omnes geminos creant, & infœcunda non est in eis; ut resticula coccinea labia tua.* Non mediocris ista laudatio. Primum dulci comparatione tonsarum; capras enim & in altis pasci sine periculo novimus, & in præruptis securas cibum capere: deinde cùm

*. Hic locus jam à longo negotium plurimis facessivit. Etenim in margine cod. Clarom eadem qua textus manu notatum illud occurrit: *Mirum quod dicit in baptismo propria peccata lavari, in pedum ablutione à Domino discipulis factâ originalia peccata tolli.* Non alio etiam respiciebat Hugo Victor cùm in Johan 13. scriberet aliquos, *lotione pedum peccatum originale dimitti post baptismum* adseruisse. At multo vehementius nonnulli ex heterodoxis in eam sententiam, ut in Admonitione diximus, excandescentes, ob eam præcipue librum Ambrosio abjudicarunt. Verum tamen illis in mentem non veniebat duorum locorum, in quibus huic plane gemina docet S. Doctor. Primum qui è deperditis in Esaiam Comment. petitus fuit, Augustinus lib. 4. *Cont duas epist Pelag* cap. 11. citat in hæc verba: *Et alio loco in eodem Opere loquens de apostolo Petro: Ipse se, inquit, obtulit, quod ante putabat esse peccatum, lavari sibi non solum pedes & caput poscens; quod illico intellexisset lavacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiæ successionis aboleri.* Secundus autem locus, qui ab eodem Augustino laudatur adversus Julianum, in Exposit Psal 48. vers. 6. num. 8. sic habetur: *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hereditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus Unde Dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis: & Petrus reprehenditur, quod excusabat, ne sibi Dominus pedes lavaret. . . . Cui Dominus respondet: Qui lotus est non habet necesse ut lavet nisi pedes, sed est mundus totus.* Quid his tribus reperiri possit magis affine? Quamquam vero iisdem ad probandum originale peccatum utitur ibidem Augustinus, non est tamen existimandum Ambrosianam fuisse opinionem noxam originalem ejusmodi lotione aboleri. Quis enim credat Augustinum suis & Ecclesiæ adversariis testimonia, quæ à veritate ac fide abhorreant, oppositurum, maxime cùm eadem illa ceremonia in Africa, ut alibi dicetur, non obtineret? Aut quis rursus Ambrosium qui ubique baptismo perfectam justitiam regenerationemque attribuit, & hoc ipso loco sicut & aliis non paucis agnoscit Petrum fuisse mundum, existimet in ea sententia esse potuisse, ut originis maculam pedum lotione, quam non ignorabat omitti multis in Ecclesiis, ablui contenderet? Sed nihil hic opus est conjecturis, ipse mentem suam satis aperit citata Expos. Psal. 48. num. 9. in hunc modum: *Unde reor*, inquit, *iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoque Dominus . . . . lavemini inquit & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum; & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: & non metuat lubricum hereditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.* Quid autem clarius, quam per *lubricum delinquendi, lubricum calcanei, lubricum hereditatis*, nihil aliud indicari, ut ad hunc eumdem locum adnotavimus, quam concupiscentiam: quæ tametsi vere ac proprie in renatis non sit peccatum, tamen quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, dicitur peccatum ab Apostolo. Ut igitur hæc *hereditaria peccata*, sive illud quod Petrus *habebat primi hominis de successione peccatum* tolleretur, in pedum lotione peculiarem gratiam conferri existimabat Ambrosius: quod *majus subsidium sanctificationis* vocat fidus ejus interpres, si tamen non Ambrosius ipse, lib. 3. *de Sacram.* cap. 1. num. 7. Non ignoramus quosdam è catholicis esse theologis, qui peccata ista levia quæ naturalia nominat Augustinus, hereditaria ab Ambrosio dici arbitrentur. Sed cùm venialia peccata non minus quam capitalia in baptismo elui fides doceat, omnino standum illi expositioni, quam ipse suppeditat S. Doctor.

*. Candidarum vestium, quibus indui solebant recens baptizati qui non meminerit, ex antiquis Patribus, Ecclesiasticarumque rerum scriptoribus vix illum reperias.

a Rom edit. sola, *sanguinem avis.* Ubi notavit in margine Levit. 14. sed consensus vet. edit. ac mss. omnium facit ut sit probabilius ad locum à nobis adsignatum fieri allusionem.

b Sic omnes edit. cum mss. aliquot: alii numerosissimi, *filia Hierusalem.* Sed contra sacrorum omnium cod. auctoritatem.

c. Mss. partim, *principes vestri*, partim *principes vestras*, alii qui & plures, *Principis vestri.* De qua lectione dictum est ad lib. *de Instit Virg* cap. 5. num. 39. Ubi etiam de hac Angelorum ignoratione nonnihil subjunximus: de qua insuper cum alibi, tum lib. 1. *de Fide* cap. 6 tractat Ambrosius.

d. Vet. edit. cum mss. plerisque, *sicut diximus supra quia sicut columba descendit. Et infra* &c. Melius Rom. edit. cùm codicibus reliquis ut in contextu.

tondentur

tondentur, deonerari superfluis. Harum gregi A comparatur Ecclesia, multas in se habens animarum virtutes, quæ per lavacrum superflua peccata deponant, quæ mysticam fidem & moralem gratiam deferant Christo, quæ crucem domini Jesu loquantur.

59. In iis formosa est Ecclesia. Unde ad eam Verbum Deus dicit: *Tota formosa es, proxima* Ibidem 7. & 8.
mea; & reprehensio non est in te; quia culpa demersa est. *Ades huc à Libano, Sponsa, ades huc à Libano: transibis, & pertransibis à principio fidei;* eo quod renuncians mundo transierit sæculum, pertransierit ad Christum. Et
Cant. 7. 6. 6. & 7. Et iterum dicit ad eam Deus Verbum: *Quid pulcra & suavis facta es caritas in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmæ, & ubera tua botris.*

Cant 8. 1. & 2. 40. Cui respondet Ecclesia: *Quis dabit te, frater, mihi lactentem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te: & quidem non spernent me. Adsumam te, & inducam te in domum* C *matris meæ, & in secretum ejus quæ concepit me. Docebis me.* Vides quemadmodum delectata munere gratiarum, ad interiora cupit mysteria pervenire, & omnes sensus suos consecrare Christo? Adhuc [a] quærit, adhuc suscitat caritatem, & suscitari sibi eam poscit à filiabus Hierusalem, quarum gratiâ, hoc est, animarum fidelium, Sponsum in amorem sui uberiorem desiderat provocari.

41. Unde dominus Jesus & ipse invitatus tantæ studio caritatis, pulcritudine decoris & gratiæ; [b] quod nulla jam in ablutis delicta sorderent, dicit ad Ecclesiam: *Pone me ut signaculum* Ibidem 6.
in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum; hoc est, decora es, proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. *Pone me ut signaculum in cor tuum;* quo fides tua pleno fulgeat [c] sacramento. Opera quoque tua luceant, & imaginem Dei præferant, ad cujus imaginem facta es. Caritas Ibidem 7.
tua nulla persecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina undare non possint.

42. Unde repete quia accepisti * signaculum Esai. 11. 2.
spiritale, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus dominus; & dedit pignus 2. Cor. 5. 2.
Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicisti.

CAPUT VIII.

De mystico Dominici altaris convivio: quod ne quispiam minoris faciat, ostenditur Synagogæ sacris antiquius esse; cùm in sacrificio Melchisedech expressum fuerit: ipso autem manna longe præstantius, cùm sit corpus Christi; ac inter utrumque perelegans comparatio instituitur.

43. HIs abluta plebs dives insignibus, * ad Christi contendit altaria, dicens: *Et* Psal. 42. 4.
introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam; depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventute, cæleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, & videns sacrosanctum * altare compositum, exclamans ait: *Parasti in conspectu meo* D *mensam.* Hanc loquentem inducit David dicens: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit:* Psal 22. 1. & 2.
in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me. Et infra: *Nam etsi ambu-* Ibid 4 & 5.
lem in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam

a. Ita edit. Rom. cum parte cod. mss. veteres autem cum alia, *quærit suscitantem, & suscitari sibi eam* &c. Minus commode.

b. Rom edit. sola, *quod abluta nullis jam delictis sorderent.* Timuit forte ne abuterentur Ambrosianis verbis novatores, ut delicta non tolli sed tegi adstruerent. Verum futilis esset istorum ea probatio; ibi siquidem non sordent delicta, ubi nulla sunt.

c. Eadem Rom. edit. etiam hîc sola post vocabulum *sacramento* ista subjunxerat: *Ut signaculum super brachium tuum, quo opera tua .... facta es. Aqua multa non poterit extinguere caritatem, ut caritas tua .... non possint Unde? Repete, quia* &c.

*. De Confirmatione hoc dici extra dubium est. Sed cùm chrismationis mentio hîc nulla fiat, id multas parit nec exiguas difficultates. Nam contendebat P. Sirmondus recens baptizatis non aliam primis sæculis unctionem adhibitam in administrando hoc sacramento, nisi illam, quæ superiori capite designatur, qua sacerdos egredientium è sacro fonte caput linibat: episcopo autem reservatam solam manuum impositionem. Acerrimum ea in re adversarium expertus est Petr. Aurelium, qui chrismationem à sacerdote fieri solitam verticis fuisse disputabat, ac proinde aliam, frontis videlicet, adjici debuisse ab episcopo. Dallæus tutatur Sirmondi partes, & lib 3. *de Confirm.* cap. 8 diserte negat ullam neque hoc loco, neque lib 3 *de Sacram* cap 2. unctionem significari: sed contendit ab his auctoribus tantum agnosci duplex signaculum, unum corporis, de quo supra cap 6 & lib. 3. *de Sacram.* cap. 1. alterum spiritus, de quo locis modo cit primum chrismate ab eodem presbytero qui verticem unxerat, in fronte factum ad crucis instar: alterum quo per manuum antistitis impositionem septiformi gratia cor consignatur. Sed primo hîc errat ille minister, quod unctionem cap 6 hujusce libri, & cap. 1 lib 3. *de Sacram.* significatam à presbytero fieri docet; cùm ex simplici locorum inspectione manifestum sit soli episcopo hanc arrogari Deinde quod infert eamdem illam consignationem inter baptismatis numerandam esse ceremonias, pari etiam jure idem de sacramento eucharistiæ colligi posset: quod ne ille quidem umquam concederet. Verum hæc ulterius prosequi non est loci hujus. Addemus tamen Sanctibœuvium, qui ex SS. PP. chrismationi effectum & gratiam Confirmationis Dissert 3. art. 21. attribuit, numquam agere de impositione manuum, quin unctionem superiori capite memoratam ei adjungat. Si quis autem duas illas res tum hîc apud Ambrosium, tum lib. 3 de Sacram. cap. 1. & 2. nimium separatas dixerit, quam ut unum ex eis coeat sacramentum, nullo negotio respondebitur fieri potuisse, ut non sejungerentur in administratione, quæ in expositione disjonguntur. Certum enim est omnia eodem ordine, quo gerebantur non hîc referri; immo vero nec pauca etiam prætermitti. Hoc quidem favet eorum opinioni, qui arbitrantur cum Petro Aurelio peculiarem hoc loco includi chrismationem. Sed quidquid dixerint heterodoxi, cùm probabilius sit unctionem, quemadmodum loco citato propos. 6 docet Sanctibœuvius, tantummodo partem integrantem esse Confirmationis, sartam tectam ejusdem sacramenti substantiam semper habebimus. Ceterum duas chrismationes Greg. Sacramentarium distinctas notat, sed Gallic. Sacram. & Missale, atque item Missale Gothicum eam quæ frontis est, solam memorant. Verticalem quam à Silvestro papa institutam volunt, in iis locis in quibus necdum admissa fuerat, verisimile est canone Arausic. recipi jussam; quamquam tamen adfirmat P. Morinus ejusdem Concilii mentem fuisse, ut eam unctionem vel aboleret, vel declararet non necessariam. Quod autem addit frontalem diacono tributam à Concilio, minime mirum videri debet, si non est illi sacramento essentialis.

*. Hîc indicatur neophytorum à baptisterio ad altare, id est, ab infima Ecclesiæ parte ad sanctuarium, processus, ut ibi sancta pascerentur eucharistia. Hoc autem non fiebat sine pia quadam pompa, & plena majestatis. Singuli enim accensos cereos manu gerebant; cùmque per totam octavam eodem ornatu accederent ad sacram synaxim, si quæ puellæ virginitatem in paschatis festo essent professæ, ipsæ etiam inter hos innocentes greges deducebantur. Ultimum hoc liber *de Lapsu virginis* testatum facit: de luminibus autem agitur in opella *de Mysterio Pascha*, cap. 5. apud Gregorium Nazian. Orat. 40. prope finem, Cyrillum Hieros. *Procatech.* & *Catech.* 1. Fortunatum, atque alios. Huc adjungemus ab Ambrosio, fere quoties sacramenti eucharistici mentionem facit, & sane facit non infrequentem, psalmum 42. sed maxime 22. adhiberi. Vide quæ nos tomo super. ad Apologiam David priorem cap. 12. nom 59. observamus

*. *Altare compositum*, hoc est, ornatum. Etenim jam à primo Ecclesiæ exordio, ut altaria sacra bissinis pallis, velis, variis ex auro atque argento donariis, cereis, floribus denique exornarentur, in more fuisse auctores sunt Optatus Milevit. lib. 6. Victor. *de Perseq.* lib. 1. Paulinus Nol. *Poem.* 14 de sancto Felice, Hieronymus *epist. ad Nepot.* Augustinus lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 8. Theodoretus lib. 1. *Hist. Eccles.* cap. 31. & alii.

adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo A *caput meum*, [a] *& poculum tuum inebrians quam præclarum est?*

44. Nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns (quoniam quæ sunt invisibilia, non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi) dicat forte: Judæis Deus manna pluit, pluit coturnices: Ecclesiæ autem illi dilectæ hæc sunt quæ præparavit; de quibus dictum est: *Quod oculus non vidit, nec auris* B *audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum?* Ergo ne quis hoc dicat, summo studio volumus comprobare quod & antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ quam Synagogæ, & præstantiora quam manna est.

Exod. 16. 13.
1. Cor. 2. 9.

45. Antiquiora docet lectio Genesis quæ decursa est; Synagoga enim ex lege Moysi principium sumsit: Abraham vero longe anterior, qui victis hostibus, & nepote proprio recepto, C cùm potiretur victoria; tunc illi occurrit Melchisedech, & protulit ea quæ Abraham veneratus accepit. Non Abraham protulit, sed Melchisedech; qui inducitur sine patre, sine matre, neque initium dierum, neque finem habens, similis autem Filio Dei: de quo ait Paulus ad Hebræos: *Quia manet sacerdos in perpetuum*; qui interpretatione latina dicitur rex justitiæ, rex pacis.

Gen. 14. 18.
Exod. 34. 1. & seq.
Hebr. 7. 1. & seq.

46. Non agnoscis quis iste sit? Potest homo esse rex justitiæ, cùm ipse vix justus sit? Potest D esse rex pacis, cùm vix possit esse pacificus? Sine matre secundum divinitatem; quia ex Patre Deo genitus est, unius substantiæ cum Patre: sine patre secundum incarnationem, qui natus ex Virgine est: initium & finem non habens, quia ipse est initium & finis omnium, primus & novissimus. Non igitur humani, sed divini est muneris sacramentum quod accepisti, ab eo prolatum qui benedixit fidei patrem Abraham, E illum cujus gratiam & gesta miraris.

47. Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramenta, nunc cognosce potiora. Revera mirabile est quod manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cæli pascebantur alimento. Unde dictum est: *Panem Angelorum manducavit homo.* Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt: ista autem esca quam accipis, iste panis vivus qui descendit de cælo, vitæ æternæ substantiam subministrat; & quicumque hunc manducaverit, non morietur F in æternum: & est corpus Christi.

De consec. dist. 2. revera.
Psal. 77. 25.

48. * Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud è cælo, hoc supra cælum: illud cæli, hoc Domini cælorum: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione, A quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit, & sitit: tu cùm biberis, sitire non poteris: & illud in umbra, hoc in veritate.

* De consec. dist. 2. c. revera. §. considera.
Exod. 16. 14.
Ibid 17. 6.
Johan. 6. 55. & seq.

49. Si illud quod miraris, umbra est; quantum istud est, cujus & umbram miraris? Audi quia umbra est quæ apud patres facta est: *Bibebant*, inquit, *de consequenti eos petra: petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto.* Hæc autem in figura facta sunt nostra. Cognovisti præstantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cælo.

1. Cor. 10. 4. & 5.

CAPUT IX.

Ne quis externa perculsus specie, in fide fluctuet, plurimis exemplis, quibus mutatam aut victam fuisse naturam constat, in medium allatis, è pane veram Christi carnem fieri evincit. Postremo nonnullis quæ ad effectus ejus, utentium dispositiones ac similia pertinent, figurate propositis, tractatum claudit.

50. Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi adseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majoremque vim esse benedictionis quàm naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.

51. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere; & non erat potus in fluviis. [b] Rursus à prophetæ prece cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clausus: virgam levavit Moyses, separavit se aqua, & in murorum specie congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertit exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? [c] Merrha fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses

Exod. 4. 3. & 4.
Exod. 7. 20. & seq.
Exod. 14. 21. & seq.
Jos. 3. 16.
Exod. 15. 23. & seq.

a. Omnes edit. ac pauci mss. cum textu hebræo & Vulg. *& poculum meum:* mss. alii multo plures atque antiquiores, *& poculum tuum* Sic etiam LXX. & aliæ versiones. Infra vero edit. Rom. sola, *nec in cor hominis adscenderunt.* Cui versio quoque Arabica istic concinit.

*. Ab hisce verbis in superior. edit. caput 9. incipiebat: quam autem incongrue, nemo non videt. Porro ab hoc ipso loco ad finem usque operis tot tamque efficacia probandæ Christi in sacramento reali, ut vocant, præsentiæ suppetunt argumenta, ut ea depromere atque adversus temerariam Berengarii novitatem opponere strenuissimi ejusdem eucharisticæ veritatis propugnatores Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacensis, aliique certatim contenderint. Neque vero ut easdem elevarent aut eluderent probationes, segniorem operam navaverunt heterodoxi. Verumtamen inanes, ne dicamus ineptas, eorum argutias atque cavillationes esse prudens lector facile deprehendit. Adi eminent. Card. Perronii lib. 2. *de Euchar.* sect. 14. ac Tomum 2. operis *de Perpetuitate fidei* &c. vernaculo sermone evulgati, & hoc ibi tam clare demonstratum leges, ut qui Romanæ Ecclesiæ fidem in iisdem testimoniis non videant expressam, haud vulgariter excutire affirmaturus sis.

b. Edit. omnes, & mss. nonnulli, *ad prophetæ preces:* alii aliquot, & Lanfrancus cum illis, *ad prophetæ voces:* omnium veterrimi, *à prophetæ prece*, id est, statim finita ejus oratione.

c Veteres edit. cum mss. non paucis, *Marath fluvius:* Rom. sola, *Marath fons:* alii mss. frequentissimi, ut in textu.

lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. *4. Reg. 6. 6.* Sub Elisæo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est. Rogavit Elisæum, qui amiserat ferrum: misit etiam Elisæus lignum in aquam, & ferrum natavit. Utique & hoc præter naturam factum cognoscimus; gravior est enim * ferri species, quam aquarum liquor.

52. Advertimus igitur majoris esse[a] virtutis gratiam quam naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam? *3. Reg. 18. 38.* Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa * consecratione divina, ubi verba ipsa domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt*; *Psal. 148. 5. De consec. dist. c. 2. in quibus §. cujus clare.* sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? [b] Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.

53. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturæ usus præcessit, cùm Jesus dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit. Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est: quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est.

54. *Matth. 26. 26.* Ipse * clamat dominus Jesus: *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cælestium [c] alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. *De consec. dist. 10. §. hac & his.* Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. * Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat.

55. His igitur sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animæ firmatur substantia: meritoque videns profectum ejus gratiæ continentem, dicit ad eam: *Quam decora facta sunt ubera tua, soror mea Sponsa? quam decora facta sunt à vino: & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata?* *Cant. 4. 10. & seq.* [d] *Favus distillans labia tua, ô Sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor Libani. Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Quo significat signatum debere apud te manere mysterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio castitatis, ne divulgetur quibus non convenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos. Bona ergo debet esse fidei tuæ custodia, ut intemerata vitæ, ac silentii integritas perseveret.

56. Unde & Ecclesia altitudinem servans mysteriorum cælestium, rejicit à se graviores venti procellas, & invitat vernantis gratiæ suavitatem: & sciens quod hortus suus Christo displicere non possit, ipsum advocat Sponsum dicens: *Exsurge aquilo, & veni auster: perfla hortum meum, & defluant unguenta mea: Descendat frater meus in hortum suum, & edat fructum pomiferarum suarum.* *Ibidem 16. Cant. 5. 1.* Bonas enim arbores & fructiferas habet, quæ radices suas tinxerint sacri fontis irriguo, & in bonos fructus novæ fœcunditatis germine pullulaverint; ut non jam prophetica cædantur securi, sed Evangelica ubertate fœcundentur. *Math. 3. 10.*

57. Denique fertilitate earum etiam Dominus delectatus respondet: *Ingressus sum in hortum meum, soror mea Sponsa: vindemiavi myrrham meam cum unguentis meis,* *Cant. 5. 1.* [e] *manducavi cibum meum cum melle meo, bibi potum meum cum lacte meo.* *Matth. 25. 36.* Quare cibum & potum dixerit, fidelis intellige. Illud autem non dubium, quod in no-

*. Ferri species, hoc est, ferri natura & substantia. Namque isto significatu vocem *species* interdum sumi supra docuit ipse Ambrosius.

a. Dictio *virtutis* in mss. desideratur, quam nec agnoscit Algerus lib. 1. cap. 9. Exstat tamen apud Lanfrancum & in cunctis edit. Et certe si removeatur, subintelligenda necessario erit, vel alia non absimilis significationis.

*. Hic apertissime sacramentalis consecratio fieri docetur ipsissimis Domini verbis, illis videlicet quæ S. Præsul infra memorat: *Hoc est corpus meum.* Ita etiam lib. 4. *de Sacram.* ubi eadem eucharistiæ consecratio Dominicis etiam verbis cap. 4. attributa fuit, quænam illa sint, cap. seq. exponitur eo sane modo, quo nihil dici clarius potest. Semel enim atque iterum inculcat hæc ipsa esse: *Accipite, & edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum*; & alia illa *Accipite, & bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Et ne quid relinquat ambiguitatis, adjicit ante Christi verba panem ac vinum esse: illis autem pronuntiatis, jam esse corpus & sanguinem Domini. Non ignoramus quidem Græcos inter atque Latinos de forma consecrationis nonnihil intercedere dissidii, nec Scholasticis etiam omnino inter se convenire in hac materia: sed hoc loco sufficiat admonuisse omnino nullum ex antiquis Patribus hac de re manifestius loquutum esse, quam hos duos, si tamen duo sunt, auctores; præterea que consecrationem ac benedictionem hoc ipso loco idem sonare.

b. Ita edit. omnes, & mss. exceptis uno vel altero, quibuscum Algerus quoque lib 1. de Sacram. cap. 9. sic legit: *Num* *e majus est novas rebus dare* &c. Iterum vero post pauca, ubi Rom. edit cum mss. nonnullis, cumque Lanfranco, Guitmundo & Algero, ut nos in textu; vet. edit & multo plures mss. omittunt vocem *exemplo*, & mss. etiam non pauci, pro *veritatem* exhibent *veritate.*

c. Expuncta fuerat in Rom. edit. vox, *alia*: quam tamen in ceteris, & in cunctis mss. sicut apud Guitm. & Alger. legere est. At rursus vox *Christi*, quæ habetur in edit. omnibus, & apud Algerum ante verbum *significatur*, in mss. & apud Guitm. desideratur.

*. Primis Ecclesiæ incunabulis in more fuit, ut ex SS. Jacobi & Marci liturgiis intelligimus missæ canon clara voce recitaretur, prolatisque verbis consecrationis, populus, & sequutis temporibus ex liturgiis Basilii atque Chrysostomi, chorus responderet, Amen. Hunc in Ambrosiana Ecclesia usum fuisse probat Menardus in S. Gregorii *Sacram.* pag 385. hujus loci nec non alterius è lib. 4. *de Sacram.* cap 5. auctoritate. Idem etiam de orientalibus Ecclesiis docet Card. Bona *Rerum Liturg.* lib. 2. cap. 13. & 25. laudatâ in hanc rem Dionysii Alex ad Xystum Rom. Pont. epistolâ, & Tertull *de Spectac.* cap. 25. quorum tamen testimonia cum statim à consecratione *Amen* succineretur, an tantum post recitatas alias orationes, non liquido exponunt. Apertior autem est Flori locus, quem idem citat. Quod vero ad morem quo singuli eucharistiam accipientes respondebant, *Amen*, ejus meminere auctor *Constit. Apost.* cap. 13 Cyrillus Hierosol. Catech. 5. Augustinus *Serm. ad Infantes.* & auctor operis *de Sacram.* lib. & cap. supra laudatis. Ubi hoc maxime dignum est observatu, fideles in ipso articulo quo vel consecrabatur à sacerdote vel ab iis accipiebatur Domini corpus, veræ illius præsentiæ expressum reddidisse testimonium. Plura de his ritibus reperies cum apud scriptores jam memoratos, tum apud Baronium ad an. 57. Pamelium, & alios.

d. Vet. edit. cum mss. pluribus potioribusque, *Favus distillans*: Rom. cum reliquis, *Favum distillant.* Primæ lectioni favet sola Vulg. sed forte ad ejus formam locum accommodavere scriptores librarii, quod sæpe factum in mss. quivis non ægre deprehendet.

e. Rom. edit. sola, *manducabam panem meum . . . bibi vinum meum . . . Quare panem & vinum dixerim, fideles intelligunt.* Vet. & cuncti mss. ut in textu; nisi quod nonnulli præferunt partim *dixerunt*, partim *dixerim*: duo, *fideles intelligite*; unus, *fidelis intelligis.*

bis ipse manducat & bibit, sicut in nobis legisti A
Math. 25. 36. quia in carcere esse se dicit.

58. Unde & Ecclesia videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad
Cant. 5. 1. sacramenta concurrant, dicens: *Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini, fratres mei.* Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophe-
Psal. 33. 9. tam Spiritus sanctus expressit dicens: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui*
De consec. dist. cap. 2. in illo sacram *sperat in eo.* In illo sacramento Christus est; quia corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed B spiritalis est. Unde & Apostolus de typo ejus
1. Cor. 10. 3. ait: *Quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt, & potum spiritalem biberunt;* corpus enim Dei corpus est spiritale: corpus Christi
a corpus est divini Spiritus; [a] quia Spiritus Chris-
Thren. 4. 20. tus, ut legimus: *Spiritus ante faciem nostram*
1. Pet. 2. 21. *Christus dominus.* Et in Petri Epistola habe-
Psal. 103. 15. mus: *Christus pro nobis mortuus est.* Denique cor nostrum esca ista confirmat, & potus iste lætificat cor hominis, ut Propheta memoravit.

59. Unde adepti omnia, sciamus regeneratos nos esse: nec dicamus, quomodo regenerati sumus? Numquid in ventrem matris nostræ introivimus, & renati sumus? non agnosco usum naturæ. Sed nullus hîc naturæ ordo, ubi excellentia gratiæ est. Denique non semper usus na-
turæ [b] generationem facit: generatum ex Vir- b
gine Christum dominum confitemur, & naturæ ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit: sed de Spiritu sancto in utero
accepit, ut dicit Matthæus: *Quia inventa est* Matt. 1. 18.
in utero habens de Spiritu sancto. Si ergo superveniens Spiritus sanctus in Virginem, conceptionem operatus est, & generationis munus implevit: non utique dubitandum est quod superveniens in fontem, vel super eos qui baptismum consequuntur, veritatem regenerationis operetur.

a. Mss. aliquot non inferioris notæ, *quia Spiritus Christi.*

b. Omnes edit. & mss. nonnulli, *regenerationem facit.* cæteri qui & probatiores, *generationem.* Melius, ut ipse sensus aperte docet; nec enim regenerationis, sed generationis subjicitur exemplum

IN LIBROS DE SACRAMENTIS
PRÆFATIO,
UBI DE EJUSDEM OPERIS AUCTORE DISCEPTATUR.

Idem plane hujus operis argumentum est ac superioris libri de Mysteriis. *Hic enim nihil nisi sermones continentur, quibus neophytos sacramentorum quæ pridie paschatis acceperant, id est, baptismi, confirmationis, & eucharistiæ doctrina informat episcopus. Tria tantum consideratu digna hic reperias, quæ*
a Cap. 1. *non habentur in commentatione* de Mysteriis; *nimirum libro 3.* [a] *lotionem pedum quæ in Ecclesia sua in-*
b Cap. 5. & 6. *stituta erat, in Romana tradit fuisse inusitatam: Libro 4.* [b] *ut quibus verbis mirabilis illa panis in corpus Domini efficiatur conversio, planius innotescat, eam liturgiæ partem, quam canonem dicimus, exponit:*
c. Cap. 4. *denique libro 5.* [c] *Dominicæ orationis quam eis sese explicaturum fuerat pollicitus, enucleationem prosequi-*
d. Cap. 5. *tur. Quo quidem argumento iterum sub libri 6.* [d] *exitum repetito, precandi formam, eadem oratione Do-*
e. Cap. 3. *minica & psalmo 8. perfectissimorum exemplarium instar propositis, aperit, singillatim* [e] quomodo incipere, quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quemadmodum claudere, pro quo orare debeas, *edisserens. Ultima hæc pars, ubi de oratione generatim agitur, petita fuit ex Ambrosii*
f. Cap. 1. num. 7. & Cap. 2. n. 8. & seq. *scripto* de Institutione virginis: [f] *unde vero quæ libro 5.* [g] *in precationem nobis à Christo commendatam dicuntur, mutuatus sit Auctor, nos prorsus fugit. Nam licet illam haud semel à Doctore nostro explicatam constet, ejus tamen in legitimis quæ restant, operibus ista non reperitur expositio. In reliquis autem ita*
g. Cap. 4. *imitatur disputationem* de Mysteriis, *ut præter paucas ceremonias quas aut fusius ab Ambrosio enodatas contrahit, aut discutit ab eo prætermissas, fere tantum ejusdem libelli ratiocinia sententiasque amplificet. Verum ut ille Ambrosium, ita etiam illum alii expresserunt. Siquidem in Appendice Sermonum August. nova edit. qui numeratur 84. totus ex hoc opere iisdem pæne verbis decerptus fuit.*

De auctore hujus operis nostra & superiori ætate quæstio fuit admodum controversa. Cùm porro nobis per nostrum institutum non liceat eam quæstionem sinere indiscussam, rem examinabimus eo candore, ut studium partium omne omnino seponatur. Habemus autem illud persuasum, quisquis horum librorum auctor dicatur, nihil hinc veritatem catholicam damni passuram; certi videlicet, si scriptor ille ad sæculum 7. ut vult Al-
h. Lib. 2. de Sacr. Euch. pag. 509. *bertinus,* [h] *retraheretur, aut etiam in 8. ut Dallæus,* [i] *ea ratione nobis futuros testes traditionis duos episcopos, nempe Ambrosium* de Mysteriis, *& alterum* de Sacramentis *concionantem: qui cùm tribus aut*
i. Lib. 3. de Confir. c. 8. *quatuor sæculis ab invicem essent sejuncti, argumentum omnibus heterodoxorum cavillis validius præberent. Rem itaque, deposito quolibet præjudicio, perinde examinabimus, ac si nunc primum agitaretur ea quæstio. Quod ut clariori procedat ordine, argumentis atque responsis partis utriusque inter se compositis, adjiciemus quæ nobis vel Ambrosianarum commentationum lectio suppeditaverit, vel etiam aliunde contigerit super eadem hac materia comparare.*

Luridis atque odiosis admodum coloribus tum opus ipsum, tum auctorem ejus depingunt hæreticorum non-
k. Epist. ad Joach. Vadian. *nulli. Bullingerus* [k] *hos libros stupidos vocat, neque dubitat Erasmum sensisse,* mangonis cujuspiam hoc esse opus. *Editor Cociana censura eosdem etiam describens:* [l] Nam in his libris, *inquit,* habentur multa falsa,
l Helmest. ann. 1655. quædam ridicula, unum indubium hæreticum, alterum quod repugnat dogmati Ambrosiano. *Nec vero eumdem auctorem clementiori manu tractat Albertinus; in illo enim ingenti opere quod consarcinavit*
m. Lib. 2. c. 1 p. 507. de Sacramento Eucharistiæ, *ita loquitur:* [m] Ambrosii simia *est*, barbarismis scatet, multa habet quorum nonnulla & ridicula, Ambrosianaque gravitate prorsus indigna, nonnulla repugnantia & contradictoria, nonnulla etiam simpliciter falsa; inepte concludit, crassum effutit mendacium: sic ne desiperet Ambrosius? *Hæc sunt auctoris nostri apud ministros illos elogia, quæ in unum col-*

lecta lectorum oculis repræsentamus. Quantacumque autem Albertini ejusque operis admiratione teneantur calviniani, neutiquam tamen fore credimus, ut eorum paulo modestiores hujus ac similium scriptorum intemperias probaturi sint. Nam licet minister ille unico veritatis amore in eo inductus[a] *velit videri, nullus qui hæc legerit, eum multo vehementiori sectæ suæ quoquomodo opitulandi cupiditate permotum non deprehendet. Si enim qualis in ista tabella exhibetur hic auctor, talis revera exstitisset, id est, ignarus, impostor, ingenio absurdo & ridiculo; quid statuendum de tot tantisque viris, qui easdem commentationes per tot sæcula Doctori nostro adtribuerint; cùm interim eorum nemini crassa illa mendacia, graves contradictiones deridicula commenta penitus Ambrosiano candore, acumine, ac judicio indigna esse suboleverit? Nonne vero etiam Albertinum pudere debuerat; quod auctorem non modo proletarium, sed etiam propter tot flagitia, si qua ipsi fides, capite diminutum, in sententiam suam invitum pertrahere tanto conatu molitus fuerit? Illum ab eo plane aperteque rejectum oportebat; numquam enim quisquam inducet in animum aliquid utilitatis ex illo teste redituturn ad calvinistas, quem cum in verbis Evangelicis mentitum velint, æque mentiri potuisse in Eucharistia dubium non sit. Quoniam autem eorum etiam ore qui affectibus impensissime obsequuntur suis, quandoque veritas profertur; Albertini objectiones, in quibus ille Cociani editoris*[b]*, Riveti*[c] *& aliorum complures ac præcipuas est complexus, perinde examinabimus, ac si pacato animo & maxime libero proponerentur.*

a. Ibid. col. 1.

Itaque petitam ex hisce verbis: Ideo Romæ fideles dicuntur *&c. objectionem sic ille urget*[d]: Quasi vero hæc appellatio Romæ peculiaris esset. At ubique communis erat, in oriente, in meridie, in septemtrione, in occidente. Ambrosius ipsemet Mediolani hac utebatur in genuinis suis scriptis. *Respondet vir cl. Nat. Alexander*[e] *nec in codicibus melioris notæ (puta eorum quos consulere ipsi licuit) nec in editionibus accuratioribus, nempe ex eis quæ ad Romanæ formam expressæ sunt, haberi vocem* Romæ: *in manuscriptis autem ubi habetur, illud hinc factum, quod pro syllaba* Ræ *in eorum nonnullis adscripta quidam legerint* Romæ, *cùm legere debuissent* recte; *neque vero quidquam obstare quod posita sit diphthongus pro simplici, quippe quarum promiscuus usus occurrat in scriptis libris. Hanc quidem partem verissimam esse non diffitemur, quin & addimus toti solutioni favere haud mediocriter, quod loco* Romæ *in tribus codicibus, nimirum Vaticano, Regio, ac Thuaneo, legitur* recto nomine; *pro quo Romana editio adverbium* recte *substitutum maluit: verum tamen ne huic opinioni omnino subscribamus, facit manuscriptorum, in quibus vox* Romæ *integra exstat, numerus atque antiquitas. Etenim ex omni multitudine cujus paravimus varietates, exceptis tribus memoratis, nec non aliis duobus, in quibus antiquarii lapsu scriptum est* rotome, *alii sexdecim quos inter Benignianus, Remensis & Claromontanus superant annos* 800. *dictionem* Romæ *suis litteris expressam præ se ferunt. Huc etiam accedit, quod adbreviationem isti quæ de agitur, similem nusquam reperimus. Credimus igitur eamdem illam vocem hîc ἐμφατικῶς esse positam, ut plus significetur quam exprimitur. Itaque idem erit,* Romæ fideles dicuntur, *ac si dixisset non solum in hac aut in alia qualibet Ecclesia, verum etiam in omnium nobilissima baptizati fideles nominantur. Et huic nostræ interpretationi favet cum particula* & *quam vocabulo* Romæ *præmissam observavit in codicibus aliquot idem Alexander, nosque in pluribus nostrorum deprehendimus.*

b Supra cit. c. Crit. sacr. lib. 3 c. 18.
d. Lib. 2. pag. 507. col. 2.
e. Hist. Eccl. sæc. 4 p. 1. §. 2. pag. 503.

Quæ idem Albertinus objicit[f] *contra expositionem verborum Domini,* Oportet enim nos implere omnem justitiam, *nec non contra doctrinam de secretis precibus ab eodem auctore propositam, adeo levia sunt, ut sola locorum inspectione possit evinci nec inepte concludere, nec desipere, quem sic deridet.*

f. Loco cit. pag. 508. col. 1.

Gravior est sane quæ sequitur accusatio in illa verba:[g] Crassum effutit mendacium; ait enim Dominum in oratione Dominica non dixisse: Ne nos inducas in tentationem; sed, ne patiaris nos induci in tentationem. *Qua criminatione quid in Evangelicum præconem atrocius conferri potest? Attamen accusator in eo infelix fuit, quod teli tanto nisu destinati atque vibrati cassus plane ac inutilis ictus cecidit. Nam cùm ipse agnoscat eodem modo legisse Cyprianum, quod ibidem subjungit:* Sed aliud est ita legere, aliud adfirmare Dominum sic esse loquutum non aliter, *mera sycophantia est. Qui enim orationem qualem à Christo instituta est memorans, sextam illius petitionem effert his verbis:* Et ne patiaris nos induci in tentationem; *an non eamdem diversa sententia expressam sin minus ore, saltem animi cogitatione abunde negat? Neque profecto incurrere hic auctor debuit temeritatis aut mendacii crimen; quippe cui præsidio essent complures latinorum codicum, ut liquet Augustini*[h] *auctoritate.*

g. Ibid. col. 2.

Atqui, forte instabit aliquis, cùm Auctor alibi[i] *consultum abs se græcum idioma testificetur: cur hoc loco illud vel inspicere neglexit, vel contemsit inspectum? Augustinus enim eodem citato libro profitetur sibi non licuisse aliud quidquam reperire in græcis exemplaribus, nisi* Ne nos inferas in tentationem. *Quamvis autem ei objectioni color obductus videatur paulo verisimilior; nihilominus expedita responsio est. Enim vero cùm de solis illis codicibus quos ipse legere potuerat, loquatur Augustinus; quid vetet quominus quidam alterius provinciæ codices diverse habuerint hanc sententiam? Nec tamen fuit, cur adeunda sibi putaret græca exemplaria, cùm ad persuadendum eum tot latinorum consensus plane sufficeret.*

h. De dono Persev. c. 6.
i. Lib. 5. cap. 4.

Idem vero ille minister, Auctoris loco de pedum lotione fusius exscripto, illa subjicit:[k] Atqui in hoc discursu præter loquutionis barbariem (*fatemur autem in* hoc discursu *inesse barbariem, sed Albertini*) primo falsitas est. Quî enim dicere posset Ambrosius.... se Romanæ Ecclesiæ typum & formam in omnibus sequi, cùm ex Augustino constet Romam & Mediolanum in ceremoniis plerisque inter se variasse? Deinde & contradictio; nam postquam dixisset: In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, illico tamen quasi palinodiam agens (*& hoc etiam quam latinum in Censoris adeo severi eloquutione*) sed tamen & nos homines, inquit, sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus. Ac rursum postquam dixisset: Hoc ideo dico non quod alios reprehendam; subito illos reprehendit *&c. Verum in his omnibus quod sibi contradicat, nihil invenias; si modo ea candide, atque ex humani sermonis consuetudine interpretari volueris. Quis enim eat inficias ubi dici-*

k. Loco cit. pag. 508. col. 1.

tur: Cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen & nos homines sumus *&c. non simplicem aut absolutam, ut vocant, sed conditionalem esse sententiam; atque adeo illic mente & cogitatione supplendum,* quantum licuerit, aut visum fuerit expedire. *Sic in eis quoque verbis quæ præmittuntur:* Se Romanæ Ecclesiæ typum & formam in omnibus sequi, *nihil falsi subesse confitebitur, quisquis ipsa non detorquebit à legitimo sensu, nempe morali. Denique quod eos reprehendere arguitur, quos negaverat abs se reprehendi, pura puta vitilitigatio est. Quid enim communi loquendi usui magis congruum, quam ut quispiam ubi crimen à se propulsare nequeat, nisi illud transferat in alium, id eadem ratione præmolliat?*

a. Ibidem pag. 508. col. 2.
b Loco supra cit.

Jam vero istam criminationem quænam excipiat, consideremus. Aliam, inquit Albertinus, [a] *ab ea qua utebatur Ambrosius, auctor horum librorum sequitur versionem. Id quidem verissime dictum non abnuimus: sed* ex operum sancti Ambrosii lectione constat, *ut Alexander* [b] *scite reponit,* cum non iisdem semper verbis eosdem scripturæ sacræ locos laudasse. *Huic responsioni brevissima juxta ac certissima tantum addemus, cùm sine magna præparatione auctorem hunc nostrum dixisse non sit dubium, neutiquam sane mirum videri, si Scripturam non semper suis, sed iis quæ illi ex tempore suggessit memoria, verbis citavit: constare autem ipsummet, cùm Vulgatam, ut vocant, nusquam adhibuerit, Albertini opinione antiquiorem dicendum esse.*

Ad extremum alias quasdam minutias oggerunt; ut puta quod aiunt auctorem ludere vanis allegoriis: *verum quas illi vanas allegorias dictitant, hoc ipsum est quo redditur Ambrosianæ eloquutioni vicinior. Addunt in solo libello* de Mysteriis *reperiri ea testimonia, quæ quasi ex opere* de Sacramentis *petita laudat Ratramnus. At vero quid si imperfectus codex illi imposuit? quid si labilis memoria? Et sane hic error eo fuerat proclivior, quod uterque tractatus conjungi solet in manuscriptis. Clamant postremo ipsa styli diversitate auctorum quoque diversitatem prodi demonstrarique. Sed hæc objectio alicujus ponderis negatur esse;* [c] Quia patres diverso dicendi genere pro argumentorum diversitate utuntur. *Quam responsionem quatenus extendi veritas sinat, infra expendetur: nunc autem contrariæ opinionis audiendi propugnatores.*

c. Alex. ibid.

d. Bellarm. Sanctibæv. Alex. & alii.

Primum educunt illi [d] *numerosos ac pervetustos codices manu exaratos, cumque his editos omnes quibus post inventam typographiam iidem libri evulgati sunt. Deinde quasi succenturiatum agmen submittunt maximi nominis viros Hincmarum Remensem, Deoduinum Leodiensem, Paschas. Radbertum Corbei. abbatem, Ratramnum ejusdem asceterii monachum, Florum diaconum Lugdun. Lanfrancum, Berengarium, Algerum, Guitmundum, Durandum Troarn. Hugonem Lingon. Ivonem Carnut. Gratianum, Magistrum Sentent. ac demum quotquot ab ineunte nono sæculo ad nostram vel patrum memoriam eorumdem librorum meminere, ne dissentientibus quidem, si nuperos aliquot excipias, heterodoxis? At licet hoc argumentum omnium quæ in eamdem rem proponi solent, validissimum esse extra dubium sit, non tamen invicte & necessario concludit. Quot enim opera postquam diutissime sub auctorum quorumdam titulo pervagata essent, eo tandem exuta sunt, quotidieque exuuntur? Ceterum scriptores illi rem ipsi per se ac destinato consilio non discusserunt, sed vel alii alios sequuti sunt, vel fidem habuere suis manuscriptis, in quibus eamdem opellam alibi quidem Ambrosii nomendatione inscriptam, alibi verò tractatui alicui eamdem inscriptionem præferenti junctam reperere. Nam cùm antiquissimi quique codices nullum auctoris nomen exhibeant, qui exscribendis iis navaverunt operam, cùm Ambrosium hac ipsa de materia scripsisse cognovissent, non dubitarunt eidem ipsos adjudicare: alii autem etsi Ambrosianos esse non arbitrarentur, libro tamen* de Mysteriis *ob argumenti similitudinem duxerunt subjungendos.*

Proponitur secundo character dictionis, quam in scriptione de Mysteriis, *atque in hoc opere simillimam esse pertendunt: adversarii vero illud obnixe inficiantur. Sane quidem haud immerito; ita enim auctor conatur exprimere eum libellum, ut ferme omnia in stylum suum, hoc est, multo deteriorem, transferat convertatque. Sed ex eodem hoc loco ipsi illi adversarii ratiocinium ducunt plane contrarium. Nam cui verisimile sit, inquiunt, Ambrosium quod in disputatione* de Mysteriis *jam tractaverat, iterum recudere atque recoquere in alia? Verum tamen hoc argumentum nihilo firmius aut efficacius est, quam aliud. Nequaquam enim inauditum est, ut eadem materia in binis sermonibus aut libris explicata fuerit à Patribus; cùm illud ipsum alibi à nobis observatum sit in Ambrosio.*

e. Lib. 2. Cont. Jul. cap. 5. & seq. & Retr. lib 2 c. 4.

Quæ in tertio ordine ratio collocatur, his verbis concipitur: Ambrosium edidisse opus de Sacramentis *testis est Augustinus,* [e] *proindeque aut illud nobis, aiunt, repræsentetur, aut concedatur hoc ipsum esse quo de agimus. Verum in promtu responsio est; neque enim utriusque idem argumentum refertur, neque idem titulus. Quandoquidem id cujus mentio fit ab Augustino, non simpliciter inscribebatur* de Sacramentis, *sed adjiciebatur* sive de Philosophia: *cùm autem, eodem Augustino teste, compositum esset adversus platonicos, diversam in eo tractatam materiam obscurum non est.*

f. Lib. 1. c. 6.
g. Cap. 5. num. 28.
h. Lib. 6. Conf. cap. 3. num 3.
i. Lib. 6. cap. 5.

Postremo quædam alia in medium proferri possunt, ut si dixeris auctorem [f] *de vocis queri fragilitate, de qua ipsemet Ambrosius in* Apologia David secunda [g] *queritatur, quamque illi facile obtundi solitam memoratus ejusdem testatur discipulus* [h]. *Si addideris eumdem confiteri* [i] *quæ ipse non didicerit, se se docere: quod etiam haud parum familiare est Ambrosio. Si tandem institeris Dominicæ orationis expositionem, quam ejusdem Ambrosii in Lucam postulabat commentatio non ob aliud istic omissam, nisi quod alibi traditam ab se idem meminerat? Cùm autem ex omnibus quæ ipsius nomine circumferuntur operibus, in hoc solo explicata habeatur eadem oratio, cur illius hanc esse non agnoscamus? Sed opponi potest primæ objectioni, præterquam quod Ambrosio male tribui alteram illam David Apologiam probabilius est, complures & olim fuisse & esse etiam nunc, qui debilitate vocis ac pulmonum laborare se inter concionandum non dissimulent. Cùm autem nec desint etiam qui materiæ, quam aggressi sunt, enodandæ impares modestiæ causa se fateantur, indidem quoque ad secundam difficultatem patet responsum. Quod vero ad tertiam pertinet, illi similiter occurras licet, si Ambrosium quidquid voce pronuntiavit, scripto mandasse: quidquid autem scripto mandavit, ad nostram pervenisse ætatem negaveris. Eo forsan & hoc accedit, quod cùm*

in illam orationem Tertulliani & Cypriani libri exstarent latinorum Patrum, ab isto labore tamquam parum necessario est revocatus: sicut etiam de se testatur Hilarius Comment. in Matthæum *can.* 5.

Porro ex iis quæ hactenus à nobis disputata sunt, duo noscuntur. Etenim adhibita sectariorum argumentis solutiones palam faciunt contumeliis illis ac probris quorum tota plaustra isti effundunt in hunc auctorem, nihil probari, nisi molestissimam ipsis esse atque odiosissimam ejus doctrinam. Rursus vero quæ nos reposuimus catholicorum hoc ipsum opus Ambrosio vindicantium rationibus, ea demonstrant partem negantem haud minus probabilem esse quam affirmantem; proindeque non immerito hac in re dubitasse nonnullos [a] *orthodoxorum. Sed ne in omnibus pendeamus animi, tria nobis hoc loco inquirenda proposuimus, nimirum quæ fuerit ejusdem auctoris dignitas, quo tempore vixerit, qua in regione?*

Primi sane capitis in promtu definitio est. Constat siquidem illum fuisse antistitem, qui neophytos & creditum curæ suæ populum erudiebat. Ubique in apertum erumpit ea dignitas. Et ut alia deessent queis probaretur, locus ille tam decantatus vel solus sufficeret, nempe ubi dicitur: In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed nos *&c. Quis enim ita loqueretur, nisi episcopus?*

a. Cardin. Bona Rer. Liturg. lib 1. cap. 7. n 4. Arnald. de Fr. q. Commun p. 1. cap 13 Hermann. &c.

Quod autem pertinet ad secundum caput, ex memoratis auctoribus probabile fit scriptorem de quo inquirimus, ante octavum sæculum floruisse: at è codice sancti-Gallensi majusculis litteris, ante annos ut Mabillonius noster testis est [b] *locupletissimus, circiter mille exarato evincitur ipsum septimo etiam sæculo antiquiorem. Præterea vero hoc idem opus argumentis propriis ætatem remotiorem sibi vindicat. Etenim cùm has conciones ad neophytos nec paucos sane, quando hic præsul &* [c] multos *&* familiam candidatam *illos vocitat, habitas constet; inde intelligas necdum omnino receptam fuisse baptizandorum infantium consuetudinem. Et eo quidem tempus designari haud multò Augustini ætate posterius nobis videtur. Deinde satis innuit Gentilium cultum* [d] *etiam tunc in diœcesi sua viguisse. Ad hæc idem quoque confirmatur iis rationibus, quòd videlicet hæretici præter arrianos & eos qui Christi oppugnabant divinitatem, nulli refelluntur: quodque ex versione qua usus reperitur hic auctor, satis indicatur Vulgatæ id temporis nondum apud omnes adtributam auctoritatem.*

b Museo Italic p. 7.
c. Lib. 5 c. 3.
d. Lib 6. cap 4. & 5.

De tertia demum quæstione sic statuimus. Extra controversiam est horum librorum parentem non fuisse subditum Romanæ metropoli: nec minus tamen certum ipsius sedem ab Urbe haud multum dissitam; quippe cujus ceremonias & perspectas habebat & sequebatur in pluribus. Cùm vero etiam eisdem ceremoniis quarum mentio fit in hoc opere, cum veteris Ecclesiæ Gallicanæ sicut & cum Mediolanensis ritibus plurimum intercedat affinitatis; hinc deducimus vicinam utrique eamdem diœcesim exstitisse. Minime tamen refragabimur, si quis cum doctissimo viro [e] *eosdem sermones aut Venerio aut alii cuipiam Ambrosii discipulo, qui non multo post ipsum præfuerit Ecclesiæ Mediolanensi, tributos malit. Id unum hoc loci adjicimus ex iis quæ de sacra communione cum apud orientale populos tum apud suos* [f] *semel tantum singulis annis fieri solita memorat auctor, prudenter conjici haud dubie post Chrysostomi tempora ipsum vixisse; sed antequam in occidentem Romanus ordo & ceremoniæ reciperentur.*

e. Herman. vita Ambr. Elucid p 30.
f. Lib. 5. c. 4.

Ceterum quominus secundum eos à quibus Ambrosio hoc opus adjudicatur, omnino feramus suffragium, ea præcipue scrupulum movent. Primo diversitas eloquutionis; nam etsi stylum variari ab auctoribus, & pro re ac tempore modo adtolli modo deprimi non ignoremus; semper tamen scriptoris apparet ingenium & quasi intermicat: quique nobili & eleganti dictione uti consuevit, ad humilem numquam demittit se se: at vero frigidis illis & puerilibus interrogatis, quæ huic scriptioni subinde insperguntur, caute abstinet, ut in libro de Mysteriis, *ejusdem licet argumenti, fecit Ambrosius. Accedit & illud, quod Ambrosium non tam serviliter libros suos imitaturum fuisse existimamus; ista enim commentatio tota fere ex superiori* de Mysteriis, *partim etiam ex libro* de Institutione Virginis [g] *expressa fuit. Addimus quoque communionis tam infrequentis Mediolanenses à S. Præsule in certis suis libris nusquam incusari. Denique quod auctor tantis animis in Ecclesiam Romanam propter lotionem pedum insurgit, nobis Ambrosiani esse instituti minime videtur. Novimus quippe illum suos unicuique Ecclesiarum usus ac ritus adeo liberos esse voluisse, ut ad quamcumque forte pervenisset, ei se, quemadmodum Augustinus* [h] *tradit, accommodaret.*

g. Cap. 1. n. 7. & c. 2. num. 8.
h. Epist 54. alias 118.

Verumtamen quoniam hac in re derogatum nolumus opinioni cujusquam, nec etiam sumus nescii plurimos fore, qui scriptionem pro Ambrosiana tamdiu communi pæne consensu habitam solito suo loco privari moleste ferrent; eo propensius illam in ordine suo & possessione duximus conservandam, quod cùm ex Ambrosii sententiis & plerumque etiam verbis condita fuerit, hac saltem ratione qua Ambrosianis accenseatur, indigna non est.

Hoc porro liquet sex istos libros totidem conciones esse, quarum unam singulis diebus habebat Auctor. Quippe idem se vel pridie verba fecisse, vel postridie facturum, subinde ait. Orsus autem feria post Dominicam resurrectionem tertia, eo modo ad usque octavam ejusdem festi prosequutus est. Quandoquidem sub finem sermonis 4. [i] *eos qui supererant,* crastina die sabbato, & Dominica (*in albis videlicet*) *habiturum se pollicetur. Verum si quis maluerit Gallensis manuscripti auctoritatem sequi, librum ultimum in duos dividentis, jam sermonem primum secunda à paschate feria pronuntiatum dicat necessum erit. Cùm autem illa distributio videatur parum commoda, quippe qua ex libri 6. paucis versibus (ab illis nimirum verbis,* Aliud, Psalmorum David *&c.) novus liber constituatur; ejus scriptorem non alia re ductum putamus, quam quod illas voces,* crastina die sabbato, *de duobus intellexerit diebus; qui tamen eas per appositionem aut potius ellipsin grammaticam de unica rectius accepisset. Hinc etiam fieri potuit, ut sermo quidam in appendice Augustinianorum edit. novæ numero 247. quem Ivonis Carnutensis nomine typis editum, etiam ipsius esse unus è Bibliotheca nostra codicibus testatum facit; in Alnetino tamen* [k], *sub titulo libri 7* de Sacramentis, *post hosce nostros collocaretur. Quamvis à vero quoque non nimium abludat eos à quibus iidem sermones sunt exarati, illò spectasse, ut per octavam suum cuilibet diei adtribuerent, Dominicâ Resurrectionis, quod propter solemnitatem impeditior esset, tantum omissâ. Sed nec aliunde ortum videtur, ut in mss. aliquot liber* de Mysteriis *inscribatur* primus de Sacramentis: *qui vero primus est* de Sacramentis *in secundum ordinem dejiciatur, & sic deinceps.*

i. Cap. 6.
k. Monast. Alnetensis Ord. Cistert.



SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI

DE SACRAMENTIS

LIBRI SEX.

CAPUT I.

Ubi præmisit acturum se de sacramentis, quæ prius explicata non oportuit, accedit ad mysterium apertionis, quam à Christo in surdi ac muti curatione signatam docet.

a 1. DE sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior,[a] cujus rationem non oportuit ante præmitti; in christiano enim viro prima est fides. Ideo & Romæ fideles dicuntur qui
Rom 4. 3. baptizati sunt: & pater noster Abraham ex fide justificatus est, non ex operibus. Ergo accepistis baptismum, credidistis. Nefas est enim me aliud æstimare; neque enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia judicasset.

2. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem: quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos & nares. C
Marc. 7. 34. Quod significat in Evangelio dominus noster Jesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures ejus & os ejus: aures,
Ibidem. quia surdus erat; os, quia mutus; & ait: *Ephpheta.* Hebraicum verbum est, quod latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad alloquium sacerdotis.

3. Sed dicis mihi: Quare nares? Ibi quia mutus erat, os tetigit; ut quia loqui non poterat sacramenta cælestia, vocem acciperet à Christo. Et ibi, quia vir; hîc, quia mulieres baptizantur, & non eadem puritas servi, quanta & Domini (cùm enim ille peccata concedat,
De consec. dist. 4. c. propter gloriam. huic peccata donentur, quæ potest esse comparatio?) ideo propter gratiam operis & muneris
b non os tangit episcopus, sed nares;[b] ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, & ut dicas:
2. Cor. 2. 15. *Christi enim bonus odor sumus Deo*, quemad- A modum dixit Apostolus sanctus; & sit in te fidei devotionisque plena flagrantia.

CAPUT II.

Unctionem athletæ christiani exponit, quem ut excitet ad servandam fidem abrenuntiationis, testium quibus præsentibus ea facta est, dignitatem amplificat; ac demum rei lucem addit exemplo.

4. VEnimus ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid loquutus sis B considera, repete diligenter. Occurrit tibi levita, occurrit presbyter: * unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona. Luctaris in sæculo, sed coronaris à Christo, & pro certaminibus sæculi coronaris? Nam etsi in cælo præmium, hîc tamen [c] meritum præmii collocatur. De consec. dist. 4. c. Veni ad fontem. * c

C 5. Quando te interrogavit: Abrenuntias diabolo & operibus ejus, quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus ejus, quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias: teneris adstrictus, & reluctantem te fœnerator adstringit; si recusas, [d] vadis ad judicem, atque illic tua cautione convinceris. d

D 6. Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cælo. Considera ubi capias sacramenta cælestia. Si hîc corpus est Christi, hîc & Angeli constituti sunt. *Ubi corpus, ibi & aquilæ*, legisti in Evangelio. Ubi corpus Christi, ibi & aquilæ volare consuerunt; ut terrena fugiant, cælestia petant. Quare hoc dico? Quia & homines An- Matth. 24. 28.

a. MSS. aliquot recentiores, *quorum rationem*: Rom. edit. *cujus rei rationem*: reliqui mss. ac edit. *cujus rationem*. Non male; ratio enim sæpe sumitur pro ipsa re, atque adeo idem est ac si legeretur, *quem sermonem non oportuit*, sive ut quidam mss. *non putavi* &c. Consequenter autem ultima edit. Paris. reposuerat: *In christiano enim via optima est fides*, pro eo quod habetur in aliis ac mss. omnibus: *In christiano enim viro prima est fides*; quibus verbis habitum fidei supernaturalis infundi primum in baptismo clare indicatur. Denique de eo quod subjicitur, *Ideo & Romæ fideles* &c. jam dictum in Præfatione est, quam consule.

b. Hîc edit. & Grat. repetunt: *Quare nares*: at sine suffragio mss.

*. Hujus unctionis in libello *de Mysteriis* non fit mentio.

c. Gill. in marg. edit. Rom. in corp. & pauci mss. *meritum præmii colligitur*.

d. Ita edit. Gill. Rom. & mss. plures ac potiores: at in reliquis edit. ac mss. omittuntur, *si recusas, vadis ad judicem*.

geli

geli quicumque annuntiant Christum, & in An- A gelorum adsciscì videntur locum. Quomodo? Accipe Baptistæ rationem. Johannes natus erat ex viro & muliere; attamen audi quia Angelus est & ipse: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te.* Accipe aliud [a] Malachiæ prophetæ: *Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem exquirunt ex ore ipsius; Angelus est enim Dei omnipotentis.* Hæc ideo dicuntur, ut sacerdotis gloriam prædicemus, non ut aliquid personalibus meritis B arrogetur.

Matth. 11. 10.
Malac. 2. 7. a

8. Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti sæculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat: & tu qui fidem debes Christo, fidem serva, quæ multo pretiosior quam pecunia est; FIDES ENIM * æternum patrimonium est, pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare quid [b] promiseris; & eris cautior. Si teneas promissionem tuam, tenebis & cautionem tuam. C

CAPUT III.

Licet fontem atque ministros tantum viderint neophyti, majora tamen esse quæ non videntur, auctor ostendit.

9. DEinde accessisti propius: vidisti fontem, vidisti & sacerdotem supra fontem. Nec hoc possum dubitare, quod in animum vestrum non potuerit cadere, quod ce- D cidit in illum Syrum Naaman; quia etsi mundatus est, tamen ante dubitavit. Quare? Dicam, accipe.

4 Reg. 5. 11. & seq.

10. Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti levitam. Ne forte aliquis dixerit: Hoc est totum? Immo est totum. Vere totum, ubi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti quæ videre potuisti oculis tui corporis, & humanis conspectibus: non vidisti illa quæ operantur; quia non viden- E tur. Illa multo majora sunt quæ non videntur, quam quæ videntur; quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna.

2. Cor. 4. 18.

CAPUT IV.

Sacramenta christianorum diviniora & priora esse quam Judæorum: atque inibi de vocis pascha significatu.

11. ERgo dicamus primum, tene cautionem F vocis meæ, & exige. Miramur mysteria Judæorum, quæ patribus nostris data sunt, [c] primum vetustate sacramentorum, deinde sanctitate præstantia. Illud promitto quod diviniora & priora sacramenta sunt christianorum quam Judæorum.

12. Quid præcipuum quam quod per mare transiit Judæorum populus? ut de baptismo interim loquamur. Attamen qui transierunt Judæi, mortui sunt omnes in deserto. Ceterum qui per hunc fontem transit, [d] hoc est, à terrenis ad cælestia; hic est enim transitus, ideo pascha, hoc est, transitus ejus, transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem: qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

De consecr. dist. 4. c. per aquam baptismi.

CAPUT V.

In historia leprosi Naaman signatum esse aquam illam, quæ Christi gratiam habeat, solam sanare. Christum baptizari voluisse tantum propter nos. Quamobrem Spiritus sanctus in columbæ specie apparens, in illum non prius descenderit, quam idem ille aquam Jordanis esset ingressus: quonamve modo istic adfuerit tota Trinitas?

13. NAaman ergo leprosus erat, puella quædam ait uxori illius: Dominus meus si vult mundari, vadat in terram Israel, & ibi inveniet eum, qui possit ei lepram tollere. Dixit illa dominæ suæ, uxor marito, Naaman regi Syriæ, qui eum quasi acceptissimum sibi misit ad regem Israel. Audivit rex Israel quod missus esset ad eum cujus lepram mundaret, & scidit vestem suam. Tunc Elisæus propheta mandat ei: Quid est quod scidisti vestem, quasi non sit Deus potens, qui mundet leprosum? Mitte illum ad me. Misit illum; cui advenienti ait propheta: Vade in Jordanem, merge, & sanaberis.

4. Reg. 5. 1. & seq.

14. Ille cœpit cogitare secum & dicere: Hoc est totum? Veni de Syria in terram Judæam, & dicitur mihi: Vade & descende in Jordanem, merge, & sanaberis; quasi flumina meliora non sint in patria mea. Dixerunt ergo ei servi: Domine, quare non facis verbum prophetæ? Magis fac, & experire. Tunc ille ivit in Jordanem, mersit, & surrexit sanus.

15. Quid ergo significat? Vidisti aquam: sed non aqua omnis sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio. [e] Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit, & aquam illam consecraverit; sicut legisti quod cùm dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret, venit ad Johannem, & ait illi Johannes: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me! Respondit illi Christus: Sine modo. Sic enim decet nos im-*

De consecr. dist. 4. cap. per aquam 5. non omnis. e

Matth. 3. 14. & 15.

a. Mss. plerique, *Malachiel*: quidam etiam, sed recentiores legunt, *ait Malachiel propheta*.

*. Quæres cùm Deum per fidem obscure tantum, atque, ut Paulus loquitur, *ex parte cognoscamus*, nec non ex eodem Apostolo evacuari oporteat *quod ex parte est*; quomodo fides æternum dicatur patrimonium? Sed expedita est responsio. Etenim duo fides in se continet, cognitionem & obscuritatem. Hanc quidem superveniente clara & intuitiva, ut vocant, visione expellendam constat: cognitio vero non destruetur, sed luminis beatifici perficietur accessu; quod pueri qui dissipatis pueritiæ vitiis, virilem perfectionem demum adsequuntur, exemplum ibidem, nimirum 1. Cor. 13. propositum, satis ostendit.

b. Vet. edit. & mss. non pauci, *promiseris. Cautior, si teneas*: Rom. *promiseris. Si teneas*; reliqui mss. ut in textu, nisi quod conjunctio & abest à pluribus.

c. Ita mss. aliquot melioris notæ; ex quibus tamen Clarom. habet, *deinde sanctitate præstantia*: ceteri autem & vet. edit. *primum vetustatem sacramentorum, deinde sanctitatem præstantium.* Unde cùm nullus sensus exprimi posset; quid enim sibi vult, *sacramentorum præstantium vetustatem?* Rom. edit. voci, *præstantium*, adtexuerat vocem *virtutum*, successu non multo feliciori. Consequentes autem ubi omnes edit. *premitto*, magis commode legunt mss. *promitto*.

d. Eras. & sequentes edit. *transit à terrenis ad cælestia; hoc est enim pascha, id est, transitus*; sic etiam Gratian. nisi quod pro *transit* habet *transitus est*: Amerb. vero, & mss. omnes ut in contextu.

e. *Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est*, deerat in antiquis edit. atque in mss. non paucis: sed in edit. Rom. restitutum est, & in mss. pluribus reperitur. Opus autem hoc loco idem est, ac res naturalis seu elementum; nam alias effectum potius significat.

plere omnem justitiam. Vide quia * omnis justitia in baptismate constituta est.

16. Ergo quare Christus descendit, nisi ut caro ista mundaretur, caro quam suscepit de nostra conditione? Non enim [a] ablutio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii. Ergo si propter nos baptismum, nobis forma est constituta, fidei nostræ forma proposita est. *ibidem.*

17. Descendit Christus, Johannes adstabat qui baptizabat, & ecce quasi columba Spiritus sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba. Memento quid dixerim: Christus carnem suscepit, non sicut carnem; sed carnis istius veritatem, [b] veram carnem Christus suscepit: Spiritus autem sanctus non in veritate columbæ, sed in specie columbæ descendit de cælo. Ergo vidit Johannes, & credidit.

18. Descendit Christus, descendit & Spiritus sanctus. Quare prior Christus descendit, postea Spiritus sanctus; cùm forma baptismatis & usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum [c] facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea & precem defert; ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ: Christus autem ante descendit, sequutus est Spiritus. Qua ratione? Ut non quasi ipse egere dominus Jesus sanctificationis mysterio videretur: sed sanctificaret ipse, sanctificaret & Spiritus. *De consec. dist. 4. c. per aquam. § descendit.*

19. Ergo descendit in aquam Christus, & Spiritus sanctus sicut columba descendit. Pater quoque Deus è cælo loquutus est. Habes præsentiam Trinitatis. *Matth. 3. 16.*

CAPUT VI.

In mari rubro baptismi figuram præcessisse partium singularum accommodatione demonstratur. Idem quoque sed paucioribus verbis, ostenditur in diluvio: post quod absoluto primo sermone, sequens promittitur.

20. IN mari autem rubro figuram istius baptismatis exstitisse ait Apostolus dicens: *Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari.* Et subdidit: *Hæc autem omnia in figura facta sunt illis*: illis in figura, sed nobis in veritate. Tunc Moyses virgam tenebat, conclusus erat populus Judæorum, instabat Ægyptius cum armis ex una parte, [d] & ex altera parte mari claudebantur Hebræi; neque maria transire poterant, neque in hostem recurrere: murmurare cœperunt. *1. Cor. 10. 1. & 2. Ibidem 6. Exod. 14. 11. & seq.*

21. Vide, non te provocet quia exauditi sunt. Etsi exaudivit Dominus, tamen culpa non carent, qui murmuraverunt. Tuum est ubi constringeris, credere quod evadas, non murmurare: invocare, rogare, non querelam expromere.

22. Tenebat virgam Moyses, & ducebat populum Hebræorum in nocte, in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid est nisi veritas; quia apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid est, nisi Christus dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis & gratiæ spiritalis affectibus infudit humanis? At vero columna nubis est Spiritus sanctus. In mari erat populus, & præibat columna lucis: deinde sequebatur columna nubis, quasi umbratio Spiritus sancti. Vides quod per Spiritum sanctum, & per aquam typum baptismatis demonstraverit.

23. In diluvio quoque fuit jam tunc figura baptismatis, & adhuc utique non erant mysteria Judæorum. [e] Si ergo hujus baptismatis forma præcessit, vides superiora mysteria christianorum, quam fuerint Judæorum.

24. Sed interim secundum * fragilitatem vocis nostræ, & secundum temporis rationem satis sit hodie etiam de sacro fonte libasse mysteria. Crastina die, si dominus dederit loquendi potestatem vel copiam, plenius intimabo. Opus est ut sanctitas vestra aures paratas habeat, promtiorem animum; ut ea quæ nos colligere possimus de serie Scripturarum, & vobis intimaverimus, tenere possitis; ut habeatis gratiam Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Cui Trinitati perpetuum est regnum à sæculis, & nunc & semper, & in omnia sæcula sæculorum.

*. Diximus supra in Præfatione hunc locum ex illis esse unum quibus Albertinus minister utitur, ut librum Ambrosio abjudicandum probet. Relata quippe hac ipsâ dominici expositione responsi, ita subdit: *At verus Ambrosius variis in locis hanc ipsam responsionem expendens, non sic inepte concludit.* In cujus rei probationem locos nonnullos indicat, quorum & hic est ex Apol. David. cap 8. *Ad illud ergo perfectum tota intentione festinat, quo justitia omnis impletur, quod est baptismatis sacramentum.... sed postquam baptizatus Christus... justitia omnis impleta est.* Mirare vero quam cum paucis mss. ineptiat, qui inter duo illa discrimen conetur intrudere.

a. Gill. in marg. & Rom. edit. in corp. *abolitio peccatorum.* At paulo infra, ubi omnes edit. *baptismi forma est constituta*; mss. præferunt, *baptismum*, recentiores *baptismus*, *nobis forma est constituta.* Videtur autem *forma* hic intelligi celebrandi sacramenti ratio & ordo, ut etiam infra num. 18

b. Edit. cum mss. non paucis, *vere carnem*; ex his tamen aliquot omittunt, *carnem*: reliqui mss. exhibent, *veram carnem.* Rursus continuo post, ubi legebatur in edit. & mss. plurimis, *in specie columbæ, non in veritate columbæ, sed in specie* &c. in aliis aliquammultis, iisque melioris ævi habetur ut in textu. Ceterum abiunt è tractatu de Mysteriis, quæ de carne Dominica hic dicuntur, videnturque ad hæreticos aliquos à quibus ejusdem veritas negaretur, spectare. Quapropter cum verisimile sit jam extinctos fuisse veteres Cerdonis, Marcionisque discipulos, quos Christo Domino carnem phantasticam adtribuisse ex Tertull. *de Præscript.* cap 5 *de carne Christi* cap. 1. & advers. Marcionem, & aliis discere est: credideramus auctorem forsassis alludere ad Manichæos vel potius ad Priscilianistas; quippe quos usque ad Leonis Magni tempora superfuisse, atque eamdem pristorum istorum hæresiarcharum circa carnem Domini vesaniam tenuisse auctor est idem papa Epist. sua novæ edit 15. cap. 4.

c. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *facit, secundo super creaturam aquæ, invocationem postea* &c. alii mss. multo plures, *facit secundo creaturam aquæ invocationem*, quidam *per invocationem*, &c. commodius reliqui licet pauciores, ut in contextu. Diversitatis autem causam in adverbio *secundum* arithmetica nota in cod non paucis perperam breviato sitam fuisse manifestum est. Atqui *secundum* hic neque numeri neque ordinis adverbium est, sed tantum loci: ac plane idem significat ac prope, sive in proximo, ut pueri norunt. In memorandis autem baptismi ceremoniis non semper cum *Sacram. S. Gregorii*, neque cum Gothico missali congruit, sed magis accedit ad missale vetus. Gallic. itemque ad Sacram. etiam Gallic quod nobis vulgavit Mabillonius. Qua de re jam nos aliquid in Præfatione ad hosce libros.

d In cunctis edit. & mss. non paucis desiderantur, *& ex altera parte*: quæ verba è multis cod. aliis restituimus.

e. Omnes edit. ac plerique mss. *Sic ergo hujus bapt. forma præcessit. Vides ergo &c.*: sed omnium antiquissimi nobiscum faciunt.

*. Hæc de fragilitate vocis querela videtur quidem iis, ut in Præfatione dictum est, nonnihil favere, qui hosce libros Ambrosio adterunt: verum è contrario ipsis haud parum adversatur, quod auctor iste suos auditores paulo infra, & lib. 6. cap 5 compellans, *sanctitas*, inquit, *vestra aures* &c. Quam loquutionem Ambrosianam esse non facile isti probaverint, sicut nec incisas interrogationes passim insertas.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Resumit explicationem diluvii, quo figuratum esse adserit verum baptismum; ubi de aliis baptismis pauca subjungit.

1. IN diluvio quoque figuram baptismatis præcessisse hesterno cœpimus [a] disputare. Gen 7. 23. Quid est diluvium, nisi in quo justus ad seminarium justitiæ reservatur, peccatum moritur? B Ideo Dominus ut vidit hominum pullulare delicta, justum solum cum sua progenie reservavit: aquam autem supra montes quoque exire præcepit. Et ideo in illo diluvio omnis corruptela carnis interiit, sola justi prosapia & forma permansit. Nonne hoc est diluvium, quod est baptisma; quo peccata omnia diluuntur, sola justi mens & gratia resuscitatur?

2. Multa sunt genera baptismatum, sed unum Ephes. 4. 5. baptisma, clamat Apostolus. Quare? Sunt bap- C tismata gentium, sed non sunt baptismata. Lavacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lavatur, non culpa diluitur; immo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptismata Ju- Marc. 7. 8. dæorum, alia superflua, alia in figura. Et figura ipsa nobis proficit; quia veritatis est nuntia.

CAPUT II.

Piscinæ probaticæ ab Angelo commotæ, ac ei qui primus in illam descendisset, sanitatem restituentis; itemque paralytici ad Christum responsio edisseruntur. D

* Johan 5. 4. 3. QUid lectum est heri? * Angelus, inquit, secundùm tempus descendebat in piscinam, & quotiescumque descendisset Angelus, movebatur aqua; & qui prior descendisset, sanabatur ab omni languore quocumque b tenebatur. [b] Quod significat figuram venturam domini nostri Jesu Christi.

4. Angelus quare? Ipse est enim magni con- Esai. 9. 6. silii Angelus. Secundùm tempus, quod ad horam novissimam servabatur; ut in occasu ipso diem deprehenderet, & differret occasum. Quotiescumque ergo descendisset Angelus, movebatur aqua. Dicis fortasse: Quare modo non 1. Cor. 14. 22. movetur? Audi quare? Signa incredulis, fides credentibus.

5. Qui prior descendisset, sanabatur ab omni infirmitate. Qui est prior, tempore, an honore? F Utrumque intellige. Si tempore, prior qui descendisset, sanabatur ante, hoc est, de populo A Judæorum magis quam de populo nationum. Si honore, qui prior descendisset, hoc est, qui haberet Dei metum, studium justitiæ, gratiam caritatis, castitatis affectum; ipse magis sanabatur. Tamen tunc temporis unus sanabatur, tunc, inquam, temporis in figura qui prior descendisset, solus curabatur. Quanto major est gratia Ecclesiæ, in qua omnes salvantur, quicumque descendunt?

6. Sed videte mysterium. Venit dominus noster Jesus Christus ad piscinam, multi ægri jacebant. Et facile ibi multi ægri jacebant, ubi unus tantummodo curabatur. Deinde [c] ait ad illum paralyticum: *Descende*. Ait ille: *Hominem non habeo*. Johan. 5. 7. Vide ubi baptizaris. Unde fit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi? Ibi est omne mysterium; quia pro te passus est. In ipso rediméris, in ipso salvaberis.

7. *Hominem*, inquit, *non habeo*; hoc est, *quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. 1. Cor. 15. 21. Non poterat descendere, non poterat salvari, qui non credebat quod dominus noster Jesus carnem suscepisset ex Virgine. Hic autem qui opperiebatur mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, exspectans eum de quo dictum est: *Et mittet Dominus hominem qui salvos faciat eos*; Esai 19. 4. dicebat: *Hominem non habeo*; & ideo ad sanitatem meruit pervenire; quia credebat in advenientem. Melior tamen & perfectior fuisset, si credidisset jam venisse quem sperabat esse venturum.

CAPUT III.

Nonnullis ex historia Naaman enarratis, alias aliquot ejusdem sacramenti figuras perstringit.

8. NUnc vide singula. Diximus figuram præcessisse in Jordane, quando Naaman leprosus ille mundatus est. 4. Reg 5. 5. Puella illa ex E captivis quæ est, nisi quæ speciem habebat Ecclesiæ, & figuram repræsentabat? Captivus enim erat populus nationum, captivus erat, non dico captivitatem [d] sub hoste aliquo populo constitutam: sed eam captivitatem dico quæ major est, quando diabolus cum suis sævo dominatur imperio, & captiva sibi colla subjicit peccatorum.

9. Ergo habes unum baptisma, aliud in diluvio, habes tertium genus, quando in mari rubro baptizati sunt patres, habes quartum genus in piscina, quando movebatur aqua. Nunc te consulo utrum credere debeas quia habes præ-

a Rom. edit. sola *disputare sermone. Nam quid* &c. Sed nihilo deterius subintelligas *die*, quam *sermone*.

*. Hanc Evangelii lectionem intra paschalem octavam recitari consuevisse nulla liturgia, nec sacramentarium tradit. Hoc tamen forsitan innuitur in lib *de Mysteriis*, ubi dicitur: *Ideo tibi dictum est quia Angelus Domini descendebat* &c. Sed peculiaris hic usus esse potuit quarumdam Ecclesiarum, vel inseri hæc verba baptismali cuipiam precationi: & tunc dicendum esset ipso die paschatis habitum fuisse eumdem sermonem, cui opinioni favere potest, quod in Gallensi cod. prænotatur: *Incipit prima die in pascha*.

b. Ita vet. edit. ac plerique mss. alii etiam non pauci, *Quod significat figurâ venturâ Domini* &c. quæ lectio non omnino respuenda est, modo *figura* in sexto casu, & *ventura* in quarto plurali accipiantur. Sententiam vero mutavit edit. Rom. in hunc modum. *Quod in figuram venturi D. N. J. C. fiebat*: aperto sensu. Verumtamen auctoritate ac numero mss adducimur, ut antiquam lectionem præhabentes eodem modo interpretemur, *quod significat*, vel ut edit. *significabat, figuram venturam D. N.* quasi scriberetur, quod significabat præsentiam venturam D N. figura enim ac species plerumque inter se confunduntur, & speciem pro ipsa re seu exteriori rei conspectu sumi & supra ex Ambrosio annotavimus & ex variis Scripturæ locis adieri potest. Non tamen dissimulandum est haberi in uno cod. Vat. *figuram venturi* &c. haud incommode.

c. Mss. aliquot, *ait ad paralyticum: Vis sanus fieri? Ait ille: Hominem* &c Ex hoc autem loco contra auctorem hujus operis objectionem conflari in Præfation. diximus, quam consule.

d. Nonnulli mss. *sub hoste aliquo populo constituto*: reliqui & omnes edit. ut in textu, nisi quod in Rom vox *populo* jugulata est.

a præsentiam Trinitatis in hoc baptismate, [a] quo A baptizatur in Ecclesia.

CAPUT IV.

Alias duas baptismatis figuras, in ferro quod ad preces Elisæi natavit, nec non in fonte qui misso ligno, dulcis factus est, proponit Auctor.

10. IDem itaque dominus noster Jesus Christus in Evangelio suo dicit ad Apostolos: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & B Filii & Spiritus sancti.* Sermo hic Salvatoris est. (Mat 28. 19)

11. Dic mihi, ô homo. Invocavit Elias de cælo ignem, & descendit ignis de cælo. Invocavit Elisæus Domini nomen, & de aqua ferrum securis adscendit quod demersum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur: ubi baptizatus fuerit, non tamquam ferrum, sed tamquam jam levior fructuosi ligni species elevatur. Ergo & hîc fi- C gura altera. Securis erat qua cædebantur ligna. Cecidit manubrium de securi, hoc est, ferrum demersum est. Filius prophetæ nescivit quid faceret: sed hoc solum scivit, ut rogaret Elisæum prophetam, & remedium postularet. Tunc ille lignum misit, & ferrum levatum est. Vides ergo quod in cruce Christi omnium hominum levatur infirmitas? (3. Reg. 18. 38; 4. Reg. 6. 6.)

12. Aliud, etsi non ordinem tenemus; quis enim possit omnia gesta comprehendere Chris- D ti? sicut apostoli dixerunt. Moyses cùm venisset in desertum, & sitisset populus, & venisset ad Merrha fontem, & bibere [b] vellet aquam: quia ubi primum hausit, amaritudinem sensit, & cœpit bibere non posse; ideo Moyses misit lignum in fontem, & cœpit aqua quæ antea erat amara, dulcescere. (Joan. 21. 25; Exod. 15. 23. & seq. b)

13. Quid significat, nisi quia omnis creatura corruptelæ obnoxia, aqua amara est omnibus. Etsi ad tempus suavis est, etsi ad tempus ju- E cunda; amara tamen est, quæ non potest auferre peccatum. Ubi biberis, sities: ubi potus ceperis suavitatem, iterum amaritudinem senties. Amara ergo aqua: sed ubi crucem Christi, ubi acceperis cæleste sacramentum, incipit esse dulcis & suavis: & merito dulcis, [c] in qua culpa revocatur. Ergo si in figura tantum valuerunt baptismata, quanto amplius valet baptisma in veritate?

CAPUT V.

Ad preces sacerdotis adesse Trinitatem & colligit è superioribus, & ex figuris corporeis quibus in Christum atque in discipulos Spiritus sanctus illapsus dicitur, confirmat.

14. NUnc ergo consideremus. Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii & Spiritus sancti: utitur verbis [d] cælestibus. Cælestia verba quæ? Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Si ergo ad hominum sermonem, ad invocationem sancti aderat præsentia Trinitatis; quanto magis ibi adest, ubi sermo operatur æternus? Vultis scire quia descendit Spiritus? Audisti quia quasi columba descendit. Quare quasi columba? Ut increduli vocarentur ad fidem. In principio signum debuit esse, in posterioribus debet esse perfectio. (De consec. dist. 4. cap. venit Sacerdos.; Matt. 3. 16. d)

15. Accipe aliud: [e] Post mortem domini nostri Jesu Christi apostoli erant in uno loco, & orabant in die pentecostes, & subito factus est magnus sonus, quasi cùm vi magna Spiritus ferretur, & visæ sunt linguæ dispersæ, sicut ignis. Quid hoc significat, nisi descensum Spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiam corporaliter demonstrare, hoc est, corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentum? Ergo manifestum testimonium ejus adventus: nobis autem fidei jam prærogativa defertur; quia in principio signa incredulis fiebant, nobis jam in plenitudine Ecclesiæ [f] non signo, sed fide veritas colligenda est. (e Act. 2. 2. & 3.; f)

CAPUT VI.

Cùm in homines mortis sententia propter peccatum lata fuisset, baptismus ad eosdem resuscitandos inventus adstruitur.

16. NUnc disputemus quid sit quod dicitur baptisma? Venisti ad fontem, descendisti in eum, adtendisti summum sacerdotem, levitas & presbyterum in fonte vidisti. Quid est baptismum?

17. In principio Deus noster hominem fecit, ut si peccatum non gustaret, morte non moreretur. Peccatum contraxit, factus est obnoxius morti, ejectus est de paradiso. Sed Dominus qui sua vellet beneficia permanere, & insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoque omne quod nocuit; primum quidem sententiam tulit in hominem: *Terra es, & in terram ibis;* & morti hominem fecit obnoxium. Erat divina sententia, solvi humana conditione non poterat. Remedium datum est, ut homo moreretur, & resurgeret. Quare? Ut illud quod ante damnationis loco cesserat, loco cederet beneficii. Quid illud est nisi mors? Quæris quo- F modo? Quia mors interveniens finem facit peccati. Quando enim morimur, utique peccare desistimus. Satisfactum ergo sententiæ videbatur, quia homo qui factus fuerat ut viveret, si tamen non peccaret; incipiebat mori. Sed ut Dei perpetua gratia perseveraret, mortuus est homo: sed Christus invenit resurrectionem, id est, ut redintegraret cæleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum. Utrumque er- (Gen. 3. 19.)

a. Mss. ciatom. *quod baptizat Christus*: alii nonnulli, *quod baptizat Ecclesia.*

b. Ita mss. prope ad unum: edit. autem, *vellet, aquam ubi primum hausit, & amaritudinem sensit, & cepit* &c. Unde tamen Rom. delevit ultimum &. Ins a vero eadem sola post voces, *corruptelæ obnoxia*, subjunxit, *ut Maratib.*

c. Mss. aliquot, *in qua culpa resecatur.* ceteri ac vet edit ut in textu, nisi quod nonnulli pro *in qua* corrupte habent, *in aqua* vel *in aquam*: at Rom. edit. pro *revocatur*, posuit, *devoratur.*

d. Non pauci mss. *cælestibus, quæ Christi sunt*: reliqui & edit. vet. ut in corpore: Rom. vero, *cælestibus. Cælestia verba quæ sunt?* At in antiqua lectione nihil mutandum, præter punctuationem, quæ tamen retineri potest, modo verbum *sunt* semel suppleas in hanc formam, *Cælestia verba sunt, quæ Christi sunt* &c.

e. Quidam mss. *post adscensionem Domini* &c.

f. Vet. edit. ac mss. aliquot, *non signa, sed fide*; Rom. edit. *non signa sed fidei*: melius mss. complures, *non signo*, &c. quæ Latinii quoque conjectura est.

go pro nobis; quia & mors finis est peccatorum, & resurrectio naturæ est reformatio.

18. Veruntamen ne in hoc sæculo diaboli fraus vel insidiæ prævalerent, inventum est baptisma. De quo baptismate audi quid dicat Scriptura, immo Filius Dei, quia pharisæi qui noluerunt baptizari baptismo Johannis, consilium Dei spreverunt. Ergo baptismum consilium Dei est. Quanta est gratia, ubi est consilium Dei? *Luc. 7. 30.*

19. Audi ergo: nam ut in hoc quoque sæculo nexus diaboli solveretur, inventum est quomodo homo vivus moreretur, & vivus resurgeret. Quid est [a] vivus? Hoc est vita corporis vivens, cùm veniret ad fontem, & mergeretur in fontem. Quid est aqua, nisi de terra? Satisfit ergo sententiæ cælesti sine mortis stupore. Quod mergis, solvitur sententia illa: *Terra es, & in terram ibis*; impletâ sententiâ, locus est beneficio remedioque cælesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem vitæ nostræ non admittebat ut terra operiremur, & de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat; ideo fons quasi sepultura est. *Gen. 3. 19.*

CAPUT VII.

Triplicis interrogationis & immersionis exemplum in trina responsione Petri exstitisse. Quare cùm tota Trinitas peccata dimittat, dicitur unum nomen esse in quo salvari nos oporteat: & qua ratione Christo in baptismo commoriamur, atque ungamur in vitam æternam?

20. Interrogatus * es: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus? Dixisti: Credo, & mersisti; ideo & Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti; ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.

21. Denique ut vobis adferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus posteaquam in passione Domini lapsus videretur infirmitate conditionis humanæ; qui antea negaverat, postea ut illum lapsum aboleret & solveret, tertio interrogatur à Christo, si Christum amaret; tunc ille dicit: *Tu nosti, Domine, quia amo te.* Tertio dixit, ut tertio absolveretur. *Luc. 22. 57. & seq.* *Johan 21. 15 & seq.*

22. Sic ergo peccatum dimittit Pater, sicut dimittit Filius, sic & Spiritus sanctus. In uno autem nomine baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Noli mirari quia dixit unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas. Hoc est nomen de quo dictum est: *In quo oportet omnes salvos fieri.* In hoc nomine omnes salvati estis, redditi estis ad gratiam vitæ. *Act. 4. 12.*

23. Clamat ergo Apostolus, sicut audistis in lectione præsenti: *Quoniam quicumque baptizatur, in morte Jesu baptizatur.* Quid est in morte? Ut quomodo Christus mortuus est, sic & tu mortem degustes: quomodo Christus mortuus est peccato, & Deo vivit; ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine; cùm enim mergis, mortis suscipis & sepulturæ similitudinem: crucis illius [b] accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, & clavis confixum est ejus corpus. Tu ergo cùm crucifigeris, Christo adhæres, clavis domini nostri Jesu Christi adhæres; ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clavus Christi, quem revocat humanæ conditionis infirmitas. *Rom 6. 3. & seq.*

24. Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? * Deus, inquit, Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Vide ubi unctus es: in vitam, inquit, æternam. Noli hanc vitam * illi vitæ anteferre. Verbi gratia, si exsurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem, ut prævaricetur quisquam, vide quid eligas: [c] noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige illud in quo unctus es; ut vitam æternam vitæ præferas temporali. Per Christum dominum nostrum. Amen. *De consec. dist. 4. cap. mersisti.*

a. Rom. edit. sola, *vivus moreretur, & vivus resurgeret.*

*. Cùm formæ à sacerdote pronuntiatæ hic mentio non fiat, ambigere aliquis possit, num ipsius vicem ternæ illæ suppleverint interrogationes ac responsiones. Verum eam non fuisse prætermissam auctor infra satis indicat, ubi ait: *In uno autem nomine baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* &c. Dicendum igitur non interpositas singulis immersionibus singulas interrogationes, sed omnes eisdem simul præmissas esse; quemadmodum fieri consuevisse discimus è Sacram. Gregor. Ordine Rom. Sacram. & Liturg. Gallic. Tertull. adv. Praxeam. Cyrillo Hierosl. Catech. Mystag. 2. compluribusque aliis. Quocirca nihil aliud hoc loco designatur, nisi easdem interrogationes ac mersiones respondere sibi mutuo, non quidem celebrandi ordine, sed celebrantium, ut sic loquamur, intensione.

b. Clarom. cod. *accipe sacramenta.* Et post pauca pro *Christo adhæres*, legit *Christo aderis*, forte *adderis*, id est, adjungeris.

*. Hæc oratio in Sacram. Gregor. & Gallic. nec non in Missali quoque veteri Gallic. reperitur. Ex qua patet formam confirmationis, si tamen de illa hic agitur, deprecativam esse: quod etiam probare licet ex Tertul. lib *de Baptismo*, ex Cypriano Epist. 73. ex Hieron. *Dial. adversf. Lucif.* August. lib. 15. *de Trinit.* Isidoro lib 2. de Offic. cap. 26. & lib. 6. *Origin.* cap. ult. atque aliis.

*. Lat. Latinius conjicit legendum, *illi vita*: sed quorsum ea mutatione opus sit, non videmus.

c Mss. prope universi, omissis *in quo non es unctus*, & postremis illis *per Christum* &c. locum sic habent: *Noli eligere*, Benig. *negligere, illud: sed elige in quo unctus es, vitam* &c. Sed cum lectionem nostram cod. Clarom. cunctæque edit. præferant, credibile est hic lacunam esse scriptori veteris alicujus exemplaris, unde transcripti alii fuerunt, adscribendam.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quare in baptismo demersi ac vivificati recipiant unguentum in capite, & quid sit regeneratio: qua ratione etiam nos piscis in mari sæculi hujus imitari naturam oporteat? Item de mysteriò lotionis pedum, cujus licet usus in Ecclesia Romana non obtineat, utilitas haud parva declaratur.

a 1. HEsterno [a] die de fonte disputavimus, cujus species veluti quædam sepulcri forma est; in quem, credentes in Patrem & B Filium & Spiritum sanctum, recipimur & demergimur & surgimus, hoc est, resuscitamur. Accipis autem [b] μύρον, hoc est, unguentum supra caput. Quare supra caput? Quia sensus sapientis in capite ejus, Salomon ait; FRIGET ENIM sapientia sine gratia: sed ubi gratiam acceperit sapientia, tunc opus ejus incipit esse perfectum. Hæc regeneratio dicitur. (b. De consec. dist. c. 4. accepistis myst. — Eccles. 2. 14.)

2. Quid est regeneratio? Habes in Actibus apostolorum quod ille versiculus qui dicitur in C psalmo secundo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ad resurrectionem spectare videatur. Namque sanctus [c] apostolus Petrus in Actibus apostolorum sic interpretatus est, quod tunc quando resurrexit Filius à mortuis, Patris vox resultaverit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde & primogenitus à mortuis dicitur. Ergo resurrectio quid est, nisi quando de morte ad vitam resurgimus? Sic ergo & in baptismate, quoniam similitudo mortis est, sine dubio dum D mergis & resurgis, similitudo fit resurrectionis. Recte itaque secundum interpretationem apostoli Petri sicut illa resurrectio regeneratio fuit, ita & ista resurrectio regeneratio est. (Act. 13. 33. — c — Psal. 2. 7.)

3. Sed quid dicis quia in aquam mergis? Ideo peregrinaris, ideo te dubitatio tenet? Legimus quidem: *Producat terra ex se fructum germinantem.* Similiter & de aquis legisti: *Producant aquæ animantia*, & nata sunt animantia. Illa quidem in principio creaturæ: sed tibi reservatum est, (Gen. 1. 11. — Ibidem 20.)

A ut aqua te regeneret ad gratiam, sicut alia generavit ad vitam. Imitare illum piscem qui minorem quidem adeptus est gratiam; tamen debet tibi esse miraculo. In mari est, & super undas est: in mari est, & super fluctus natat. In mari tempestas furit, strident procellæ: sed piscis natat, non demergitur; [d] quia natare consuevit. Ergo & tibi hoc sæculum mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates. Et tu esto piscis, ut sæculi te unda non B mergat. Pulcre autem Pater dicit ad Filium: *Ego hodie genui te*, hoc est, quando redemisti populum, quando ad cæli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam; probasti meum esse te Filium. (d — Psal. 2. 7.)

4. Adscendisti de fonte, quid sequutum est? Audisti lectionem. [e] Succinctus summus sacerdos; licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii à summo est sacerdote. Succinctus, inquam, summus sacerdos pedes C tibi lavit. Quod est istud mysterium? Audisti utique quia Dominus cùm lavisset discipulis aliis pedes, venit ad Petrum; & ait illi Petrus: *Tu mihi lavas pedes?* Hoc est, tu dominus servo lavas pedes? tu immaculatus mihi lavas pedes? tu auctor cælorum mihi lavas pedes? Habes hoc & alibi: *Venit ad Johannem, & ait illi Johannes: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Ego sum peccator, & tu venis ad me D peccatorem, ut tua quasi peccata deponas, qui peccatum non feceris? Vide omnem justitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem: *Nisi lavero*, inquit, *tibi pedes, non habebis mecum partem.* (e — Johan. 13. 6. — Matth. 3. 14.)

5. Non ignoramus quod * Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur & formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, forte propter multitudinem declinavit. Sunt tamen qui dicant & excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non *

a. Vocula *die* in mss. prope omnibus desideratur; sed exstat in edit. omnibus: quod autem Rom. edit. voci *de fonte*, subjunxerat, *baptismatis*, id sine cujusquam suffragio fecerat.

b. Omnes edit. ac mss. longe plurimi, *mysterium, hoc est, unguentum*: Gemet. Pratell. Cænom. ac Teller. 1. præferunt partim *murrum* partim *myrrum* &c. Sed legendum μύρον, eamque germanam lectionem esse nemo cordatus ibit infitias. At infra pro *sed ubi gratiam* &c. mss. non pauci locum ita contrahunt: *sed ubi gratia cœperit esse perfecta, hæc regeneratio dicitur.*

c. Rom. edit. sola, *apostolus Paulus.* Et iterum sub finem hujus num. *interpretationem Apostoli sicut illa* &c. Sed memoriæ lapsum malumus auctori adtribuere, quam corruptos omnes & mss. & vet. edit. existimare. Continuo vero post ubi omnes edit. ac mss. aliquot, *sicut illa resurrectio generatio fuit*, plures ac potiores habent.... *regeneratio fuit.* Alteram autem partem mss. non pauci invertunt hoc modo, *ita & ista regeneratio resurrectio est*: reliqui & cunctæ edit. ut in textu.

d. Clarom. cod. *quia naturâ consuevit.* Hic autem locus ex illis unus est, quem subsannarunt heterodoxi. Sed illi discant ab Augustino Dei opera communia & quotidiana admirationem per se tantam mereri, quantam maxime extraordinaria.

e. Gill. & Rom. edit. *Succinctus est summus sacerdos.* Amerb. & Erasm. *Succinctus est sacerdos*: cuncti autem mss. omittunt verbum, *est*. plurimi etiam in quibus & antiquissimi adjectivum hic atque infra *summus* & *summo* non agnoscunt. Attamen usitatum erat istis sæculis, ut episcopus summi sacerdotis, ac episcopatus summi sacerdotii nomine vocarentur. Primi exempla in Exposit. Psal. 118. serm. 2. ℣. 23. & lib. de mysteriis, cap. 2 num. 6. præbet Ambrosius: secundi probatio est in ejus vita apud Paulinum; hic enim ait: *Flebat amarissime quotiescumque forte nuntiatum illi fuerat de cujuscumque obitu sacerdotis ... quia difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur.* Iterum autem hoc ipso loco, ubi omnes edit. pluresque mss. *exordium ministerii*, alii mss. exhibent, *consummatio mysterii*. Minus commode.

*. Quæ de hoc ritu lib. *de Mysteriis* cap. 6. memorantur, hoc loco explicantur paulo fusius. Etenim istius instituti causam, nimirum Dominicæ humilitatis quæ in præmissa Evangelii lectione proposita fuerat, imitationem, ejusdemque veluti proprium effectum, scilicet concupiscentiæ debilitationem, perstrinxisse auctor minime contentus, præterea non ordinem solùm quo ab episcopo presbyterisque perficiebatur, aperit, verum etiam confutat Rom. Ecclesiam, in qua ille mos non servabatur. Ceterum interpretationem illam qua Romani locum evangelicum de lavandis peregrinorum pedibus adserebant intelligendum, haud eo sensu ab aliis admissam constat, ut eam putarent in baptismate omitti posse, sed ut baptizatis imponeretur pedes peregrinorum lavandi necessitas. Vide in Append. Serm. S. August. pag. 288. tertium ex illis quos è cod. Remig. sub Augustini titulo Sirmondus ediderat: item Cæsarii sermonem qui ejusdem Append. 257. numeratur: sicut & alios duos Anonymi ibidem editos, nempe 149. & 158. quorum prior eidem lotioni non modo levia, sed lethalia quoque peccata remittendi vim adtribuit. Porro consuetudinem pedum in baptismo eluendorum in Gallicanis Ecclesiis etiam obtinuisse discimus è Missalibus Gothico pag. 249. & Gallicano veteri pag.... quæ Mabillonius noster evulgavit. Ab his quoque non abludit aliud Missale in *Itinere italico* ab eodem editum, nisi quod eamdem ablutionem collocat post datam vestem candidam. Hæc autem ablutio cùm aliquamdiu viguisset in Hispania, à Conc. Eliber. can. 48. sublata est. Quod ad Africanam Ecclesiam August. epist. 54. num. 10. & 55. num. 35. non pauca tradit quæ spectant ad eamdem ceremoniam: ex quibus quantum Ecclesia illa ab Ambrosiana vel Gallicana in hoc dissideret, cognoscere est. Berosus in Ceremoniali Ambrosiano ejusdem usum lotionis quo tempore scribebat, needum intercidisse testificatur.

in baptismate, non in regeneratione: sed quasi A hospiti pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est & sanctificatio: *Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem.* (Iohan. 13. 8.) Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectius custodimus.

6. Ipsum sequimur apostolum Petrum, ipsius B inhæremus devotioni. Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? Utique ipse auctor est nobis hujus adsertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. Ipse Petrus ait: *Domine non solum pedes, sed etiam manus & caput.* (Ibidem.) Vide fidem. Quod ante excusavit, humilitatis fuit: quod postea [a] obtulit, devotionis & fidei.

7. Respondit illi Dominus, quia dixerat manus & caput: *Qui lavit, non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet.* C Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa: sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, (Ibidem 3. Gen. 3. 6.) ideo lavas pedes; ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, [b] ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio. D

CAPUT II.

Baptizatum consignari Spiritu sancto, ad quem cùm spectent omnes virtutes, quodam tamen præcipuo jure septem pertinent: eidem baptizato ubi ad altare accesserit, oculos cæci in Johannis Evangelio descripti instar, luto liniri, per quod peccatorum confessio significatur: quo loco iis qui peccatores esse se negant, confutatis, oculos hac impositione luti ad videnda spiritalia aperiri demonstrat.

(De consec. dist. 4. c. accepisti §. sequitur. Esai. 11. 2.)

8. SEquitur spiritale signaculum quod audistis hodie legi; quia post fontem superest ut perfectio fiat; quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris: [c] septem quasi virtutes Spiritus.

9. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent: sed istæ quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quam pietas? quid tam principale, quam cognitio Dei? quid tam principale, quam virtus? quid tam principale, quam consilium Dei? quid tam principale, quam timor Dei? Sicut timor sæculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo.

10. Istæ sunt septem virtutes quando consignaris. Nam ut ait Apostolus sanctus: *Quia multiformis est*, inquit, *sapientia Dei nostri.* (Ephes. 3. 10.) Et ut multiformis est sapientia Dei, ita multiformis est Spiritus sanctus, qui habet diversas variasque virtutes. Unde & Deus virtutum dicitur: quod aptari potest Patri & Filio & Spiritui sancto. Sed hoc alterius disputationis, alterius est temporis.

11. Post hæc quid sequitur? Venire habes ad altare. (Psal. 79. 5.) [d] Quoniam venisti, videre habes quæ ante non videbas, hoc est, mysterium quod legisti in Evangelio; si tamen non legisti, certe audisti. Cæcus obtulit se Salvatori, ut curaretur: & ille qui alios verbo tantum & sermone curabat, & refundebat imperio lumen oculorum; tamen in libro Evangelii qui scribitur secundùm Johannem, qui vere præ ceteris vidit magna mysteria, & designavit, & declaravit; mysterium hoc in illo voluit præfigurare. Omnes quidem sancti evangelistæ, omnes apostoli præter proditorem, omnes sancti; tamen sanctus Johannes qui ultimus scripsit Evangelium, quasi necessarius requisitus & electus à Christo, majore quadam tuba fudit æterna mysteria. Quidquid loquutus est, mysterium est. Alius dixit cæcum curatum, dixit Matthæus, dixit Lucas, dixit Marcus: solus Johannes quid ait? *Tulit lutum, & linivit super oculos ejus, & dixit ei:* [e] *Vade, in Siloam. Et exsurgens ivit, & lavit, & venit videns.* (Iohan. 9. 6. & 7.)

12. Considera & tu oculos cordis tui. Videbas quæ corporalia sunt, corporalibus oculis: sed quæ sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc videre non poteras. Ergo quando [*] dedisti E nomen tuum, tulit lutum, & linivit super oculos tuos. Quid significat? Ut peccatum tuum fatereris, ut conscientiam tuam recognosceres, ut pœnitentiam ageres delictorum, hoc est, sortem humanæ generationis agnosceres. Nam etiamsi non confiteatur peccatum, qui venit ad baptismum; tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, ut justificetur, hoc est, ut à culpa ad gratiam transeat.

F 13. Nolite otiosum putare. Sunt quidam, scio certe aliquem fuisse qui diceret, cùm illi diceremus: In hac ætate magis baptizari debes, dicebat ille: Quare baptizor? Peccatum non ha-

a. Omnes edit. *se obtulit*: omnes mss. *obtulit*, supple pedes &c. Ibidem etiam ubi cunctæ edit. ac plures mss. *devotionis & fidei*, alii nonnulli præferunt, *devotio fidei*.

b. Clar cod. *ut in ministerio non erubescas*; Continuo vero post pro, *quod non dedignamur*, ut erat in omnibus edit. sublata negatione in mss. legimus, *quod dedignamur*. Et hanc veram lectionem esse perspicuum est.

c. Mss. aliquot, *septem virtutes quasi septem spiritus*.

d. Ita edit omnes & mss. plerique: duo tamen legunt: *qui modo venisti*: alii totidem, *quo ante non venisti*. Quæ lectio multum arridet. Infra vero ubi edit. ac plures mss. *si tamen non legisti*, negatio *non* desideratur in mss. haud paucis. Postremo quod subjicitur de cæco, id in libello *de Mysteriis* plane reticetur.

e. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *Vade, lava in Siloam*. Et post pauca, *oculis cordis tui*: utrobique autem alii mss multo plures ac probatiores, ut in contextu.

*. Nomen suum catechumeni dabant ad baptismum, qui in competentium ordinem admittebantur. Quod autem addit de confitendis priusquam baptizarentur, peccatis; eam olim fuisse consuetudinem observatum est *in Expos. Evang sec. Lucam*. lib. 6. col 1383. Et hinc intelligi potest Ambrosiani ingenii non omnino esse, quod auctor eam confessionem omitti posse infra significat. Nam quamvis vera sit illa opinio, quemadmodum post Doct. Angelicum 3. p. q. 8. art. 6. docent Theologi; Ambrosium tamen qui ex usu veterum aliorum Patrum ad hujusmodi præparationem suos hortari consueverat, aliquid dicturum unde ab eadem avocari possent, non admodum fit credibile. Immo vero cum sensus totius loci is videatur, tingendos non alio modo peccata sua confiteri solitos, quam quod confugiendo ad remedium, ægrotos se atque saucios tacita quadam & implicita confessione declarabat; hoc satis aperte probari arbitramur hasce homilias alibi quam in Ecclesia Mediolanensi habitas esse.

beo. Numquid peccatum contraxi? Hic lutum non habuit, quod ei Christus [a] non leverat, hoc est, non ei aperuerat oculos; nullus enim homo sine peccato.

14. Ergo agnoscit se hominem, qui confugit ad baptismum Christi. Itaque & tibi imposuit lutum, hoc est, verecundiam, prudentiam, considerationem fragilitatis tuæ; & dixit tibi: *Vade in Siloam.* Quid est Siloas? *Quod interpretatur*, inquit, *missus*, hoc est: Vade ad illum fontem in quo crux Domini prædicatur: vade ad illum fontem in quo omnium Christus redemit errores.

15. Isti, lavisti, venisti ad altare, videre cœpisti, quæ ante non videras; hoc est, per fontem Domini & prædicationem Dominicæ passionis tunc aperti sunt oculi tui: qui ante corde videbaris esse cæcatus, cœpisti lumen sacramentorum videre. Ergo, fratres dilectissimi, venimus usque ad altare, ad tractatum uberiorem. Et ideo [b] quia id temporis est, disputationem integram non possumus incipere: quia prolixior tractatus est, satis sit quod dictum est hodie; & crastina die, si Domino placet, de sacramentis ipsis tractabimus.

a. Vet. edit. & mss aliquot, *non laverat*: melius edit. Rom. & codex Teller. alter, *non linverat*: optime vero mss. reliqui, *non leverat*. Quod autem post duos versus pro *confugit ad baptismum*, ultimæ Paris. edit. substituerant, *consurgit ad baptismum*, in hoc à ceteris edit. ac mss. omnibus desciverant. Sed illud operarum peccatum fuit.

b. Clarom. solus, & per correct. sed eadem manu, *quia temporis non est disputationem integram incipere.*

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Secundum veteris legis Tabernaculum, & quæ moris erat ibi servari, ad baptisterium baptismique effectus adaptantur.

1. IN veteri Testamento sacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare consueverant: in secundum tabernaculum semel in anno summus intrabat sacerdos. Quod evidenter ad Hebræos recolens, seriem veteris Testamenti explanat apostolus Paulus. Erat autem in secundo tabernaculo manna, erat etiam virga Aaron quæ aruit, & postea refloruit, erat & thymiamaterium. *Levit. 16. 2. & seq.* *Hebr. 9. 1. & seq.*

2. Quo spectat hoc? Ut intelligatis quid sit secundum tabernaculum, in quod vos introduxit sacerdos, in quod semel in anno summus sacerdos intrare consuevit, hoc est, ad baptisterium, ubi virga Aaron floruit. *Num. 17. 8.* Ante arida erat, postea refloruit: & tu aridus eras, & cœpisti in fonte irriguo reflorescere. Arueras peccatis, arueras erroribus atque delictis: sed fructum jam adferre cœpisti, plantatus secus decursus aquarum.

3. Sed forte dicas: Quid hoc ad populum, si virga sacerdotis aruerat, & refloruit? Populus ipse quis est nisi sacerdotalis? Quibus dictum est: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, ut ait apostolus Petrus. *1. Petr. 2. 9.* Unusquisque ungitur in sacerdotium, ungitur & in regnum: sed spiritale regnum est, & sacerdotium spiritale.

4. In secundo quoque tabernaculo est thymiamaterium, quod bonum odorem flagrare consuevit; ita & vos jam bonus odor Christi estis, jam [a] nulla in vobis sors delictorum, nullus odor gravioris erroris. *Hebr. 9. 4.*

CAPUT II.

Humanam in baptismo conditionem admirationi esse ipsis Angelis; hanc enim per illum ad innocentiæ ac juventutis gratiam revocari.

5. SEquitur ut veniatis ad altare. Cœpistis venire: spectarunt Angeli, viderunt vos advenientes, & humanam conditionem illam, quæ ante peccatorum tenebroso squallore sordebat, adspexerunt subito refulgere. Ideoque dixerunt: *Quæ est hæc quæ adscendit à deserto dealbata?* *Cant. 8. 5.* Mirantur ergo & Angeli. Vis scire quia mirantur? Audi ergo apostolum [*] Paulum dicentem ea nobis esse collata, quæ concupiscunt & Angeli videre. *1. Petr. 1. 12.* Et iterum: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit.... quæ præparavit Deus diligentibus se.* *1. Cor. 2. 9.*

6. Deinde quid acceperis recognosce. Sanctus David propheta hanc gratiam in figura vidit & concupivit. Vis scire quia concupierit? Iterum audi dicentem: *Adsperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* *Psal. 50.* Quare? Quia nix, quamvis sit candida, cito aliqua sorde nigrescit atque corrumpitur: ista gratia quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua.

7. Veniebas ergo desiderans ad altare, ut pote qui tantam gratiam videras; veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentum. dicat anima tua: *Et introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* *Psal. 42. 4.* Deposuisti peccatorum senectutem, sumsisti gratiæ juventutem: hoc præstiterunt tibi sacramenta cælestia. Denique iterum audi dicentem David: *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* *Psal. 102. 5.* Bona aquila esse cœpisti, quæ cælum petis, terrena fastidis. Bonæ aquilæ circa altare: *Ubi enim corpus, ibi & aquilæ.* *Matth. 24. 28.* Forma corporis altare est, & corpus Christi est in altari: aquilæ vos estis, renovatæ ablutione delicti.

CAPUT III.

Ostensurus auctor sacramenta nostra quam Judæorum tum antiquiora tum diviniora esse, priorem partem conficit instituta inter Melchisedech atque Abraham comparatione; ubi illum & mysteriorum nostrorum auctorem & Christi figuram exstitisse planum facit.

8. VEnisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem

a. Gill. ac Rom. edit. & ms. Tell. alter, *nulla in vobis sordes*: alii aliquot, *nulla in vobis sordes*: reliqui multo plures potioresque, sicut & Amerb. atque Eras. edit. *nulla in vobis sors*. Bona lectio, & quam jam tom. 1. col. 61. in Ambrosio adnotavimus, & sæpius adnotare si visum esset, in promtu fuit. Unde colligas aut hunc auctorem Ambrosianorum librorum maxime studiosum, aut utrumque non multum diversis vixisse locis ac temporibus.

*. Istic ut alibi non semel auctorem fefellit memoria.

miratus es creaturam; tamen creaturam solemnem & notam.

Exod. 16. 15. 9. Forte aliquis dixerit: Judæis Deus tantam gratiam præstitit, manna illis pluit è cælo: quid plus dedit fidelibus suis, quid plus tribuit iis quibus plus promisit?

10. Accipe quæ dico, anteriora esse mysteria Christianorum quam Judæorum, & diviniora esse sacramenta Christianorum quam Judæorum. Quomodo? Accipe. Judæi quando esse cœperunt? Ex Juda utique pronepote Abrahæ: [a] aut, si vis & sic intelligere, ex Lege, id est quando Judæi Legem accipere meruerunt. Ergo ex pronepote Abrahæ Judæi dicti sunt, aut à tempore sancti Moysis. Et si tunc Deus Judæis murmurantibus manna pluit è cælo: tibi autem sacramentorum horum figura præcessit, quando Abraham erat, quando vernaculos trecentos decem & octo collegit, *Gen. 14. 18.* & ibi persequutus est adversarios, de captivitate eruens nepotem suum; tunc victor venit, occurrit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo auctor sacramentorum. *Hebr. 7. 1. & seq.* Quis est Melchisedech? Qui significatur rex justitiæ, rex pacis. Quis est iste rex justitiæ? Numquid homo quisquam potest rex esse justitiæ? Quis ergo rex justitiæ, nisi justitia Dei, qui est Dei pax, Dei sapientia? Qui potuit dicere: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* *Johan. 14. 27.*

11. Ergo primo intellige sacramenta hæc quæ accipis, anteriora esse quam sint Moysi sacramenta, quæcumque Judæi habere se dicunt; & prius cœpisse populum Christianum, quam cœpisse populum Judæorum: sed nos in prædestinatione, illum in nomine.

12. Obtulit ergo Melchisedech panem & vinum. Quis est Melchisedech? *Sine patre*, inquit, *sine matre, sine generationis ordine, neque initium dierum, neque finem vitæ habens:* hoc habet ad Hebræos epistola. Sine patre, inquit, & sine matre est. Similis cui? Filio Dei. Sine matre natus est Dei Filius generatione cælesti; quia ex solo Deo Patre natus est: & iterum sine patre natus est, quando natus ex Virgine est; non enim ex virili semine generatus est: sed natus de Spiritu sancto & virgine Maria, utero editus virginali, similis per omnia Filio Dei. *Matth. 1. 20.* Sacerdos quoque erat Melchisedech; quia & Christus sacerdos, cui dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* *Psal. 109. 4.*

CAPUT IV.

Ut persuadeat hoc sacramentum divinius habendum quam manna, ex pane ipsummet Christi corpus ejusdem Christi sermone fieri adseverat: quod postquam allatis variis effectibus, quibus ejusdem sermonis efficacitas claret, confirmavit; cur sanguis sub aliena specie detur, causam reddit.

13. Ergo auctor sacramentorum quis est, nisi dominus Jesus? De cælo ista sacramenta venerunt; consilium enim omne de cælo est. Vere autem magnum & divinum miraculum quod populo pluit Deus manna de cælo, & non laborabat populus, & manducabat.

14. Tu forte dicis: * Meus panis est usitatus. *[* De consec. dist. 2. c. panis est.]* Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit [b] caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia [c] quæ dicuntur in superioribus, à sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.

15. Quis est sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. *Gen. 1. 3 & seq.* Jussit Dominus, & factum est cælum: jussit Dominus, & facta est terra: jussit Dominus, & facta sunt maria. Jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo

a. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *aut, si vis, & sic intellige, ex Lege quam Iudæi accipere meruerunt*: reliqui magno numero, ut in textu.

*. Nasci possunt hinc duæ quæstiones, altera ex voce *meus*, altera ex voce *usitatus*. Nam jure quærat aliquis, an propterea *meus* dicatur à neophyto, quia eumdem ipse obtulisset? Quod sane palam faceret auctorem illum neutiquam sedisse Mediolani, quandoquidem in ea civitate neophytos ante octavam sui baptismatis panem à sacerdote consecrandum offerre non consuevisse to. 1. ad *Præfat. Expos. in Psalm.* 118. observatum est. Deinde rogabit nec immerito, num *panis usitatus* hoc loco idem sit ac fermentatus? In cibis enim quotidianis non alium ferme adhibemus quam fermentatum. Hæc erat opinio Jac. Sirmondi & Cardinalis Bonæ, doctiss. hominum, contra quos tamen Mabillonius *Dissert. de Azymo* pag. 88. & 131. tuetur oppositam, & panem azymum etiam quandoque dici communem atque usitatum Ruperti adstruit auctoritate. Sed ut difficultas utraque resolvatur, adverte neophyti mysteria sacra, quæ sibi prius ignota fuerant, primum adspicientis hæc verba esse: *Meus panis est usitatus*; proindeque ipsis non alium legitimum sensum tribui posse præter illum: Oculi mei hoc mihi renuntiant, nempe talem hunc esse panem, quali quotidie victito, non autem aliud; quod ad neutram propositarum difficultatum facere liquido patet. Etenim ut ab eone an ab alio fuerit oblatus, non hîc agitur; ita etiam panis fermentatus azymusve sit, statim è primo conspectu ejus non distinguitur. Quid vero si fermentatus cum azimo mixtus fuerit? Certe chronicon Datii, si qua inscriptioni fides, Mediolanensis episcopi Ambrosio hunc morem adtribuit: sed illud opus jure pseudonymum haberi manifestum est.

b. Mss. non pauci, & cum his Lanfrancus atque Algerus, *fit corpus Christi*, mss. tamen alii, & omnes edit. *fit caro Christi*. Rursus autem verba sequentia ita citat B. Algerus, ut omisso integro versu ista subnectat, *Consecratio igitur*: sed quæ continuo post ex hoc capite referuntur ab eodem Algero, locum contractius propositum esse clare ostendunt. Mss. autem & edit. hoc uno discrepant inter se, quod in multis illorum habetur *adstruimus*, & vox *consecratione* prætermittitur, atque in pluribus legas, *Consecratio autem*: edit. vero inter se conveniunt, nisi quod veteres interpungebant ad eum modum: *Hoc igitur adstruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione. Consecratio igitur* &c. Minus concinne.

c. Omnes edit. ac mss. undecim omittunt, *in superioribus, à sacerdote dicuntur*: quæ nos aliorum codicum, maxime vero Benig. & Clarom. auctoritate restituimus. At consequenter pro, *laudem Deo deferunt: oratio præmittitur*, quod habetur in edit. Rom. aliæ quidem & mss omnes exhibent, *laus Deo defertur*: sed in sequenti membro inter se trifariam dividuntur. Etenim vet. edit. ac quidam mss. legunt, *oratione petitur*: cod. Gemet. Pratel. Alnet. ac Teller. *oratio petit*: postremo Benig. Remen. Clarom. Sorb & Colber. *oratio petitur*; quam lectionem ob trium cod. antiquitatem ita præferimus, ut aliarum neutri derogemus. Observandum autem obiter missæ præfationem, ut loquuntur, ac sacrum trisagion per voces, *laus Deo defertur*: sequentem vero precationem, quam primam canonis vocitamus, per illas, *oratio petitur*, significari. Nec sane obstat quod scripsit auctor *pro regibus*, non pro imperatoribus. Nam præterquam quod rex pro imperatore apud bonos auctores & Ambrosium ipsum reperimus; forte usurpavit hoc vocabulum, ut Pauli elocutioni 1. Timoth. 2. 1. magis accederet. Adnotabimus præterea canonem à Gregorio M. lib. 7. Epist. 7. Indict. 2. & Cypriano lib. *de Unit. Eccl.* precem vocari; nec non precem inter ac orationem ab Augustino Epist. 149. edit. novæ constitui hoc discriminis, ut quæ consecrationem præcedunt, precationes: quæ vero illam sequuntur, orationes dici Ecclesiasticus mos voluerit. Sed huncce auctorem in singulis vocibus exactum non esse neutiquam mirabitur, qui canonis quem refert, integras orationes animadverterit ab eo prætermissas.

quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo A tanta vis est in sermone domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, [a] quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem David: *Psal. 148. 5.* *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.*

16. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi quia jam corpus est Chris- B ti. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postea quam consecratus es, nova creatura, esse cœpisti. Vis scire quàm nova creatura? *Omnis*, inquit, *in Christo nova creatura.* *2. Cor. 5. 17.*

17. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, & mutet, cùm vult, instituta naturæ. Quomodo requiris? Accipe, & primo omnium de generatione ejus sumamus exemplum. Consuetudo C est ut non generetur homo, nisi ex viro & muliere, & consuetudine conjugali: sed quia voluit Dominus, quia hoc elegit sacramentum, de Spiritu sancto & Virgine natus est Christus, *1. Tim. 2. 5.* hoc est, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Vides ergo quia contra instituta & ordinem natus est, homo est natus ex Virgine?

18. Accipe aliud. Urgebatur populus Judæorum ab Ægyptiis, interclusus erat mari: divino *Exod. 14. 21. & seq.* imperio virgâ Moyses tetigit aquas, & se unda divisit; non utique secundum suæ naturæ consuetudinem, sed secundum [b] gratiam cælestis imperii. Accipe aliud. Sitiebat populus, venit *Exod. 15. 23. & seq.* ad fontem: amarus erat fons, misit lignum sanctus Moyses in fontem, & factus est dulcis fons, qui amarus erat; hoc est, mutavit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe & quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in aquas, quasi ferrum sua *4 Reg. 6. 6.* consuetudine demersum est: misit lignum Elisæus, statim ferrum elevatum est, & aquis supernatavit: utique contra consuetudinem ferri; est enim materies gravior, quam aquarum est elementum.

19. Ex his igitur omnibus non intelligis quantum operetur sermo cælestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cælestis in aliis rebus, non operatur in cælestibus Sacramentis? Ergo didicisti quod ex pane corpus *De consec. dist. 2. c. panis §. ergo, & §. sed forte.* fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur: sed fit sanguis [c] consecratione verbi cælestis.

20. Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumsisti, ita etiam similitudi-

a. Ita ver. edit. ac mss. excepto cod. Illid. ubi, *quanto magis ... quæ erant*, totum omittitur: ultimam vero partem Rom. edit. his verbis effert, *ut quæ erant, in aliud commutentur.* Præiverat quidem illi Lanfrancus in lib. *de Sacram.* sic enim in mss. quibusdam locum hunc legi testificatur. Sed & Lanfranco & Rom. edit. gravissimum crimen intendit Edm. Albertinus lib. 2. *de Sacram. Euch.* p. 510. quasi eumdem locum depravarint. Verum nec Romanis quod tanti viri auctoritatem secuti sint, crimini vertendum, nec Lanfranco ipsi accusatio falsi impingenda est. Nam præterquam quod ea etiam omissa sunt supra in cod. Illid. & similiter omitti potuere in quibusdam aliis, quis credat ab eo quæsitum effugium, primo qui alteram lectionem in mss. pluribus exstare non dissimulans eam exponit, neque alio sensu intelligi posse nisi catholico plane demonstrat: 2. qui diversam illam quam anteponit, loco petito ex libello *de Mysteriis* apte confirmat; cùm enim hoc idem Ambrosii testimonium nonnisi absurde à realis præsentiæ sensu possit detorqueri, haud verisimile sit eum scriptorem, quem *Ambrosii Simiam* vocat Albertinus, illius placitis docere contraria: 3. tandem non cadebat in gravitatem ac prudentiam, qua erat Lanfrancus, ut sententiam illam corrumperet, quam evincebat ab adversario esse corruptam. Sed ad Lanfrancum omni malæ fidei suspicione liberandum ista sufficiant. Quod porro ad ipsum locum, idem Lanfrancus lib. cit. & Algerus *de Sacram.* lib. 1. cap. 7. respondent panem & vinum secundum speciem externam esse quæ erant: at vero secundum internam substantiam converti in corpus Christi. Quam expositionem licet Ambrosianis verbis atque exemplis ita roborent ut nihil amplius videatur desiderandum; tamen Mornæus Pless. idem argumentum quasi postliminio revocatum Card. Perronio opposuit. Ad hoc duo reposuit Cardinalis, nempe verba ipsa non carere suspicione corruptionis, scilicet propter memoratam Lanfranci auctoritatem: deinde illorum nequaquam hunc esse sensum, ut panis ac vinum dicantur esse *quæ erant*, sive id quod erant; cùm in priori parte sententiæ panis aut vini nulla sit mentio: sed ut *quæ erant* simpliciter dicantur esse, non autem destrui; eo quod sacramenti materia per transsubstantiationem tota essendi generalitate non spoliatur, sed ab esse specifico transfertur in aliud esse specificum, id est, non simpliciter ad non ens terminetur, sed ad aliud ens, cui successione, contiguitate existendi, & accidentium queis uterque terminus suppositus fuit, unitate jungitur & colligatur. Hæc vere ac sapienter dicta omnibus sinceritatis quam contentionis amantioribus poterant satisfacere; reclamat tamen adhuc Albertinus, ea de quorum substantia nihil permanet, quæque sunt simpliciter non ens, in latitudine entis remanere pernegans. His addit de pane ac vino pronuntiari, *ut sint quæ erant*: erant autem, inquit, in esse specifico panis & vini, unde concludit substantialem dici non posse hanc mutationem, sed accidentalem. Et vero suum hoc ratiocinium egregie confirmatum putat eo, quod subditur: *Tu ipse eras*, inquit auctor noster, *sed eras* &c. *Cui veri simile sit*, pergit Albertinus, *illum mutationis accidentalis exemplum ad theseos suæ confirmationem ex industria elegisse, si in ea de mutatione substantiali ageretur?* Primam harum rationem tomo 3. *de Perpetuitate fidei* lib. 7. c. 6. & 7. solutam reperies; ibi enim planissime docetur auctorem nostrum hoc loco ne minimum quidem ab usu & consuetudine loquendi recedere: quod aeris nec non aquæ fluvialis, quæ cùm perpetuo mutentur, eadem tamen semper dicimus, exempla mirifice illustrant. Hinc etiam difflari posset, quod intulit de specifico sensu idem Albertinus, nisi captionem argumenti supra nobis Perronius aperuisset ac diluisset, quod sedulo dissimulavit iste minister. Sed hic exemplum unum affertur mutationis accidentalis; ergo, inquit ille, de accidentali tantum conversione agitur in hoc loco. Sed hic exempla multa substantialium mutationum subjiciuntur; ergo, inquimus, de substantiali conversione agi multo potiori jure colligimus. Itaque geminam agnoscimus in eucharistia conversionem, alteram substantialem, quâ panis substantia in corpus Christi tota commutatur: alteram accidentalem, qua species panis ad ejus præsentiam significandam naturaliter destinatæ, Dominici corporis figuræ fiunt atque antitypi. Verissima quidem hæc, & ad catholicum dogma contra calvinianam cavillationem vindicandum contendimus esse invictissima: quid tamen si verbis illis, *ut sint quæ erant, & in aliud commutentur*, divisionem contineri affirmaverimus? Certe particulam *&* interdum pro *vel* positam legi negabit nemo. Quid enim frequentius istis formulis: *Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & sublevat?* Profecto non utrumque simul, sed utrum voluerit, Dominus facit. Expende totum locum, de quo agitur, & tres effectus divinæ potentiæ deprehendes illic proponi, creationem scilicet non existentium, existentium vero vel conservationem vel conversionem, pro ut Deo visum fuerit.

b. Ms. Clarom. *gratiæ cælestis imperium.*

c. Clar. cod. *consecratione cælesti.* Porro sequentis dubii solutionem adversus orthodoxam doctrinam sic vertit Albertinus, ut velit non alio modo Christum à nobis in eucharistia sumi, nisi quo eum in baptismo induere, ac sanguine ejusdem tingi dicimur. Sed respondetur inter eucharistiam ac baptismum comparationem in hoc institui, quod ex hoc auctore similitudinem idcirco in utroque sacramento Christus posuerit, ne in altero mortis, in altero corporis & sanguinis horrore afficeremur: duas autem illas similitudines in hoc differre, quod altera sit rei tantum per suos effectus, altera rei etiam per suam substantiam præsentis. Quod vero urget *speciem sanguinis* hic positam pro veritate, ut opponatur similitudini: nos quidem fatemur speciem hoc sensu quandoque sumi, cùm nempe in concreto, ut loquamur cum philosophis, accipitur; sed abstracte hoc loco poni jure contendimus. Nam 1. sic inter speciem & similitudinem abunde servatur oppositio, cùm species forma externa sit, & propria rei, ut Perronius loquitur, apparentia; similitudo vero his in locis nihil aliud nisi remotam analogiam sonet: 2. hic auctor Christi corpus atque sanguinem hoc toto capite præsentem clare supponit, ut planum fiet libera mente examinanti: 3. cùm hominem in baptismate mori ac resurgere in lib. 2. cap. 6. docere instituat, ei satis non est dicere: *Inventum est quomodo homo vivus moreretur & vivus resurgeret*; sed quasi vereretur ne quis crederet se in baptismo vere obiisse, statim subjungit. *Quid est vivus? Hoc est vitâ corporis vivens cùm veniret ad fontem, & mergeretur in fontem*: cùm autem in hoc libro panem & vinum fieri corpus ac sanguinem toties repetat, numquam tamen illorum naturalem remanere substantiam monet. Adde tandem non magis tolli horrorem rei cujuspiam si absit, quam si tegatur; horror enim nascitur è sensuum affectione, quæ non nisi ab externa forma commovetur.

nem pretiosi sanguinis bibis; ut nullus horror A cruoris sit, & pretium tamen operetur redemtionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus est Christi.

CAPUT V.

Ipsis Domini verbis corpus ac sanguinem ejus consecrari & vere confici; proindeque hinc bene colligi prae manna excellere hoc sacramentum, cujus veritas consignatur per vocem, Amen.

De consecr. dist. 2. c. panis §. vis scire.

21. VIs scire quia verbis caelestibus consecratur? Accipe quae sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, [a] ratam, rationabilem, acceptabilem: quod figura est corporis & sanguinis domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in caelum ad te, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis suis [b] & dis- C cipulis suis tradidit dicens: *Accipite, & edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.* (Luc. 22. 19.)

22. Similiter etiam calicem postquam coenatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit in caelum ad te, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, gratias agens, benedixit, apostolis suis & discipulis suis tradidit, dicens: *Accipite, & bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* (Matth. 26. 27. & 28.) Vide illa omnia. Illa verba Evangelistae D sunt usque ad *Accipite*, sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi: *Accipite, & bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Et vide singula.

23. Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite, & edite ex eo omnes; hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix E est vini, & aquae plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit. (Exod. 16. 13.) Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse dominus Jesus testificatur nobis quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Numquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare?

24. Jam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem & venerabile, quod manna Judaeis pluit è caelo: sed intellige. Quid est amplius, manna de caelo, an corpus Christi? Corpus utique Christi, qui auctor est caeli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est: qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in aeternum. (De consecr. dist. 2. c. ante §. qui manduc.)

25. Ergo [c] non otiose dicis tu: Amen, jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. B Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi; & tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

CAPUT VI.

Excellentiâ sacramenti hujus inde probatâ, quod per illud dominica passio renovetur, sermonem finit, de materia proximis diebus à se tractanda strictim praemonens.

26. UT scias autem hoc esse sacramentum, hujus figura ante praecessit. Deinde quantum sit sacramentum, cognosce. Vide quid dicat: Quotiescumque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum adveniam. (1. Cor. 11. 26.)

27. Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimae ejus passionis, & ab inferis resurrectionis, & in caelum adscensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitae aeternae: & petimus & precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium patriarchae nostri Abrahae, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech.

28. Ergo quotiescumque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescumque accipimus mortem Domini annuntiamus. (Ibidem.) Si mortem annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. (De consecr. dist. 2. c. si quotiesc.)

29. Interim & hodie quantum potuimus, explanavimus: sed crastina die sabbato & Domi-

a. Vox *ratam* deerat in cunctis edit. ac mss. nonnullis: at è pluribus aliis restituitur. Et interjectis duobus verbis, Rom. edit. sola, *quod fit in figuram corporis* &c. Sed communis lectio legitima est, nec vel transversum unguem à pio & catholico sensu abhorrens. Namque istic non de oblatione Dominici corporis ac sanguinis jam consecrata, sed de praeparatione oblationis agi clarum est. Atqui hoc in statu pani cum corpore, & vino cum sanguine analogiam quamdam ac similitudinem intercedere communi consensu ex SS. Patribus docent catholici. Ceterum ut maxime consecrationis effectus, sive ipsa consecratio ut jam peracta per anticipationem hic spectaretur, quae Albertini sententia est; non tamen illud contra catholicam doctrinam quidquam faceret. Quis enim puerulorum orthodoxorum, qui vel primoribus labris elementa religionis delibaverit, non statim respondeat in Eucharistia duo inesse, signum videlicet ac rem significatam, seu sacramentum & rem sacram: quorum alterum altero non excluditur? Quocirca Perronii firma & integra manet responsio. Quod autem Albertinus Rom editores adulterati hujusce loci tam invidiose insimulat, primum rogamus unde ipsi constet mss. in quo legatur *fit in figuram*, nullum exstare. At, inquit ille, alio modo vet. omnes edit. cuncti mss. Paschasius denique Durandus & alii locum efferunt. Fatemur quidem, sed corruptio loci adeo celebris eo videtur minus probabilis, quo facilius convinci potest. Adde non tam atrocem corruptionis censuram, ibi affigendam, ubi verbis parum mutatis, eadem sententia plane remanet: quod quidem hic factum esse liquet ex dictis.

b. *Et discipulis suis* in sola edit. Rom. praetermissum est. Infra etiam ubi omnes edit. cum mss. omnibus ferunt, *pro multis confringetur*, eadem edit. Rom. ita correxit, *pro vobis datur*; forte ut auctoris verba canoni liturgiae accommodaret. Sed quamvis idem ille canon, ut super. cap. & in Admonit. observatum est, hic referatur; cum tamen non exhiberi neque integrum neque iisdem semper vocibus quibus in missalibus libris habetur, facile agnoscet, qui ambos contulerit. Quod vel infidae auctoris memoriae, vel varietati codicum imputandum est.

c. Gill. & Rom. edit. cum paucis mss. *non otiose cùm accipis, tu dicis*, quidam cod. *respondes tu, Amen:* Amerb atque Eras. cùm mss. longe plurimis probatissimisque omittunt, *cùm accipis*. Et continuo post, ubi edit. omnes, ac plures mss. *in spiritu confitens:* alii mss. aliquot praeferunt, *in spiritu consitens:* alii mss. aliquot praeferunt, *in spiritu confidens*. Postremo ante voces, *dicit tibi sacerdos*, mss. nonnulli praemittunt, *cùm tu petieris*, quod abest à reliquis, & edit. omnibus. Ceterum tam perspicue aperteque panis ac vini in corpus & sanguinem Christi conversio, & realis, ut vocant, praesentia, hoc toto capite adseritur, ut qui aliquid ei novi luminis addere vellet, non aliud moliri videretur, quam si alios radios soli aptare cogitaret.

nica de orationis ordine dicemus, quemadmodum possumus. Dominus Deus noster conservet vobis gratiam quam dedit, & oculos quos vobis aperuit, plenius illuminare dignetur per unigenitum Filium suum regem ac salvatorem A dominum Deum nostrum, per quem sibi, & cum quo sibi est laus, honor, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto, à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Primum repetit quod jam ante dictum est sacramenti, atque adeo ipsius Christi figuram in Melchisedech ejusque sacrificio præcessisse: tum duplicem causam cur aqua in calice admisceatur, in medium profert.

1. HEsterno sermo noster ac tractatus usque ad sancti altaris sacramenta deductus est. Et cognovimus sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando
Gen.14.18. obtulit sacrificium sanctus Melchisedech, neque initium, neque finem habens dierum. Au-
Hebr.7.1. & seq. di, homo, quid dicat Paulus apostolus ad Hebræos. Ubi sunt qui Filium Dei dicunt [a] esse de tempore Melchisedech? Dictum est, quia neque initium, neque finem dierum habet: si Melchisedech non habet initium dierum, num Christus habere potuit? Sed non est plus figu-
Apoc.1.8. ra quam veritas. Vides ergo quia ipse primus & novissimus. [b] Primus, quia auctor est omnium: novissimus, non quod finem inveniat, sed quod universa concludat.

2. Diximus ergo quod in altari constituatur calix & panis. [c] In calicem quid mittitur? Vi-
De consec. dist. 2. c in calicem. num. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum
Exod.17.6. obtulit? Quid sibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe.

3. Primum omnium figura quæ ante præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia cùm sitiret populus Judæorum, & murmuraret quod aquam invenire non possent, jussit Deus Moysi ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra
1.Cor.10.4. undam maximam fudit, sicut Apostolus ait: *Bibebant autem* [d] *de spiritali consequenti eos petra: petra autem erat Christus.* Non immobilis petra quæ populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est, propheta: virga, hoc est, verbum Dei.

A Sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consequutus est. Didicisti ergo hoc.

4. Accipe & aliud. In tempore Dominicæ passionis cùm sabbatum magnum instaret; quia [e] vivebat dominus noster Jesus Christus vel latrones, missi sunt qui percuterent eos: venientes autem invenerunt defunctum dominum Je-
B sum Christum; tunc unus de militibus lancea tetigit latus ejus, & de latere ejus aqua fluxit & sanguis. Quare aqua? quare sanguis? Aqua, ut emundaret: sanguis, ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per feminam: gratia per dominum Jesum Christum. Johan.19.33.& seq. De consec. dist. 2. c. in calicem. §. De latere.

CAPUT II.

C *Quemadmodum qui mundatus fuerit, & invitetur à Christo, & ipse ad inæstimabilem sacramenti suavitatem adspiret, mystica quorumdam è Canticis locorum interpretatione ostenditur.*

5. VEnisti ad altare, vocat te dominus Jesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam, & ait: *Osculetur me ab osculis oris sui.* Vis ad Christum aptare? Nihil gratius. Vis ad animam tuam? Nihil jucundius. Cant.1.1.

6. *Osculetur me.* [f] Vides te mundum esse ab
D omni peccato, quia delicta detersa sunt; ideo te sacramentis cælestibus dignum judicat, & ideo invitat ad cæleste convivium: *Osculetur me ab osculis oris sui.*

7. Tamen propter sequentia anima tua, vel humana conditio, vel Ecclesia videns se ab omnibus mundatam esse peccatis, & dignam quæ ad altare Christi possit accedere (quid est enim altare [*] nisi forma corporis Christi) vidit sacramenta mirabilia, & ait: *Osculetur me ab osculis*

a. Erasm. & seq edit. *esse de tempore? De Melchisedech,* &c. Amerb. & mss. *esse de tempore? Melchisedech* &c. Sed interpunctioue minus commoda. Credimus autem ab auctore nostro illos hereticos designati, qui Melchisedechiani appellati sunt. Hi sacerdotem illum eximiam Dei virtutem fuisse dictitabant, & Christo ipso cum tempore tum dignitate præstantiorem; cùm Christus multis post sæculis exortus ejusdem sacerdotali ordine ornatus sit. Horum errores Epiphanius Hæresi 35. refert ac refellit: brevius autem perstringit Augustinus in Indice Hæresi 34.

b. *Primus, quia auctor est omnium: novissimus,* hæc in mss. pœne universis prætermittuntur.

c. Mss. aliquot, *in calice inquam mittitur vinum: alii multi* & vet. edit. *in calice*, Erasm. & Gill. *in calicem, inquit, mittitur vinum.* Cùm autem illud *inquit* Rom. editoribus merito displicuisset, ipsum propria auctoritate jugularunt: sed veram lectionem cod. Clarom. nobis restituit, ut in textu. De aquæ porro mixtione, quam reticet in lib. *de Mysteriis* Ambrosius, alii plerique Patrum ita loquuntur, ut eam à Christo ipso institutam esse significant; ut Irenæus lib 4. cap. 57. Cyprianus epist. 63. & ex eadem Augustinus lib. 4. *de Doctr. Christ.* cap. 21. item Punica Synodus 3. can, 24. quibus addere licet varias Liturgias Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, & cum his Damascenum lib. 4. *de Fide Orth.* In hoc autem dissidet Ecclesia orientalis ab occidentali, quod illa bis aquam infundit calici, nempe priusquam consecretur, frigidam, priusquam communicetur, calidam. Ceterum etiam fuerunt hæretici, qui solam aquam censebant offerendam: de quibus adisis Clementem Alex. *Stromat* lib. 1. Irenæum lib. 5. cap. 1. Augustinum *de Hæresibus* cap. 74 Theodoretum *Hæret fabul.* cap. 20. & alios.

d. Edit. vet. & mss multo plures, *de consequenti petra*, Rom. *de consequenti eos:* Clarom. & nonnulli alii, *de spiritali* &c. quod apostolico textui magis congruit Idem autem Clarom. continuo post legit, *Moyses propheta virga, hoc est, verbo Dei sacerdos tangit petram* &c.

e. Rom. edit. *quia pendebat Dominus .... inter latrones, missi sunt qui percuterent eum .... lancea latus ejus aperuit:* aliæ ac mss. omnes ut in textu, nisi quod Tell. unus legit, *percuterent eos viventes invenerunt* &c.

f. Omnes edit. *Videt te:* omnes mss. *Vides te.* At post pauca ubi vet. edit. cum mss. non multis, *de terra sunt:* aptius Gill. in marg. ac Rom. edit. in corp. cum mss. multo pluribus, *detersa sunt* Denique Rom. edit. sola voci, *convivium* adjunxerat, *inquiens*; & pro verbis illis, *Tamen propter sequentia anima tua*, reposuerat solum, *tum anima tua* &c.

*. [illegible]ur hic & super lib. cap. 2. num 7. altare forma seu figura corpo[illegible]isti; eo quod in corpore suo tamquam in ara sacra perpetuum [illegible] juge sacrificium Patri obtulit Christus Dominus.

oris sui, hoc est, osculum mihi Christus infigat. A

Cant. 1. 1. 8. Quare? *Quia meliora ubera tua super vinum;* hoc est, meliores sensus, meliora sacramenta tua super vinum. Super illud vinum, quod etsi suavitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet; tamen in illo lætitia sæcularis, in te autem jucunditas est spiritalis. Jam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Christi & Ecclesiæ, vel spiritus & carnis & animæ.

Ibidem 2. 9. Et addidit: *Unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te.* Quæ sunt istæ adolescentulæ, nisi animæ singulorum, quæ deposuerunt istius corporis senectutem, renovatæ per Spiritum sanctum. B

Ibidem 3. Johan. 12. 32. Cant. 1. 3. 10. *Adtrahe nos, post odorem unguentorum tuorum curremus.* Vide quid dicat. Non potes sequi Christum, nisi ipse te adtrahat. Denique ut scias: *Cùm exaltatus*, inquit, *fuero, omnia traham ad me ipsum.*

11. *Induxit me Rex in cubiculum suum.* * Græcus: *In promtuarium suum*, & *in cellarium suum*, habet. Ubi bona libamina, ubi boni odores, ubi mella suavia, ubi fructus diversi, ubi epulæ variæ; ut plurimis epulis tuum prandium condiatur. C

CAPUT III.

Quam uberes ad eos qui Dominicum corpus acceperint, fructus redeant; & quonam modo Ecclesiæ de convivarum multitudine gestienti respondeat Christus: quantam denique fideles ex Ægyptiaca servitute reduces in hac esca sentiant jucunditatem.

12. ERgo venisti ad altare, accepisti corpus Christi. Audi iterum quæ sacramenta es consequutus. Audi dicentem sanctum David: & ille in Spiritu hæc mysteria prævidebat, & lætabatur, & nihil sibi abesse dicebat. Quare? Quia qui acceperit corpus Christi, non esuriet in æternum.

De consec. dist. 2. c. in calicem §. Audi psalmum. Psal. 22. 1. & seq. 13. [illegible]oties audisti vicesimum secundum psalmum, [illegible]on intellexisti? Vide quemadmodum aptus sit cælestibus sacramentis: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum. Nam & si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus,* Ibidem. *ipsa me consolata sunt.* Virga imperium, baculus [a] passio est, hoc est, æterna divinitas Christi, sed etiam passio corporalis: illa creavit, hæc redemit. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quam præclarum est!*

14. Venistis ergo * ad altare, accepistis gratiam Christi, sacramenta estis cælestia consequuti. Gaudet Ecclesia redemtione multorum, & adstare sibi familiam candidatam spiritali exsultatione lætatur. Habes hoc in Canticis canticorum. Lætata invocat Christum, paratum habens convivium, quod dignum cælesti epulatione videatur. Ideoque ait: *Descendat frater meus in hortum suum, & capiat fructum pomiferarum suarum.* Cant. 5. 1. Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam: sed nunc per gratiam Christi [b] pomiferæ arbores pullulatis.

15. Libenter accipit dominus Jesus, & dignatione cælesti respondit Ecclesiæ suæ: *Descendi*, inquit, *in hortum, vindemiavi myrrham cum unguentis meis: manducavi panem meum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo. Edite*, inquit, *fratres mei, & inebriamini.* Ibidem.

16. *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis.* Quæ est ista vindemia? Cognoscite vineam, [c] & agnoscetis vindemiam. *Vineam*, inquit, *ex Ægypto transtulisti*, hoc est, populum Dei. Vos estis vinea, vos estis vindemia: quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis*, hoc est, in odorem quem accepistis. Psal. 79. 9.

17. *Manducavi panem meum cum melle meo.* Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit? *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vides hujusmodi esse lætitiam, quæ nullius peccati sordibus polluatur? Quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris in spiritu. Unde & Apostolus ait: *Nolite inebriari vino... sed implemini Spiritu sancto;* vino enim qui inebriatur, vacillat & titubat: Spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo * præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur. Hæc sunt quæ de sacramentis breviter percurrimus. D E

De consec. dist. 2. c. in calicem §. Quotiescumque. Ephes. 5. 18.

CAPUT IV.

Ut novos fideles instituat orandi formâ, propositam ipsis instar speculi Dominicam orationem paucis exponit.

18. NUnc quid superest, nisi oratio? Et nolite putare mediocris esse virtutis scire quemadmodum oretis. Apostoli sancti dicebant ad dominum Jesum: *Domine, doce nos orare, quemadmodum Johannes docuit discipulos* Luc. 11. 1. & seq. F

*. Scilicet ἐις ταμιεῖον αὐτοῦ, in promam-condam, seu penuariam cellam.

a. Edit. Rom. sola, *passio est: æterna divinitas Christi, passio temporalis.*

*. Ex hoc loco & è cap. 8. *de Mysteriis* advertere est recens baptizatos in illis Ecclesiis ad altare sacris communicare consuevisse. Quod vero ad fideles alios, hae in re non eadem ubique ratio servabatur. Nam Constantinopoli hoc moris fuit, ut laici saltem in eminentiori dignitate constituti postquam ad aram accessissent sacerdotibus oblaturi consecrandum panem, in choro tamdiu remanerent, quoad participes effecti essent sacramentorum: Mediolani autem oblatione facta iidem laici extra chorum statim recedentes, rursus altari cùm sacrificio participandum erat, se se sistebant. Et ibi quidem adeo rigide hanc legem servabat Ambrosius, ut Theodosium ipsum, qui post oblatum solitum munus intra clericorum septum substiterat, inde juberet abscedere: cui statim paruit imperator pientissimus, ut à nobis dicetur suo loco. Ceterum eamdem quoque consuetudinem in orientali Ecclesia servandam Conc. Laod. can. 19. præceperat: non secus ac posterioribus temporibus ipsam in Hispaniis Tolet. Syn. 4. can. 17. sanxit. Attamen contrarium usum apud Ecclesias Gallicanas obtinuisse non tantum ex Gregorio Turon. lib. 9. cap. 3. & lib. 10. cap. 8. discere licet, verum etiam è citata Synodo Tolet. in qua hic idem ritus can. 4. statuitur & comprobatur.

b Omnes edit. ac mss. nonnulli, *pomifera arbor pullulasti*, mss. duo *pullulas*, totidem *pullulatus est*, antiquissimi vero & numerosissimi præferunt ut in contextu. Quod quidem licet cum superiori membro non admodum congruat, haud tamen abhorret ab auctoris ingenio simplicius quam accuratius semper loquentis.

c. Mss. non pauci, *& agnoscite vindemiam.* Rursus versu seq. pro, *hoc est, populum Dei*, mss. aliquot habent, *hic est populus Dei.* Non incommode.

*. Hanc sententiam ubertim & eleganter expositam habes lib. 1. *de Cain & Abel*, cap. 5. num. 19. unde forsitan hunc in locum translata fuit.

a *suos*. Tunc ait ᵃ Dominus orationem : *Pater noster qui es in cælis : sanctificetur nomen tuum : adveniat regnum tuum : fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra : panem nostrum quotidianum da nobis hodie : & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris : & ne nos pa· tris induci in tentationem, sed libera nos à malo.* Vi· ·s quam brevis oratio, & omnium plena vir· tum : primus sermo quantæ sit gratiæ !

19. O h· ·o, faciem tuam non audebas ad cælum adt· ·ere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo servo factus es bonus filius ; ideo præsume, non de

Ephes. 2. 5. operatione tua, sed de Christi gratia : *Gratia enim salvati estis*, Apostolus ait. N· ergo hîc arrogantia est, sed fides : prædicat· quod acceperis non est superbia, sed devotio. Ergo adtolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit : ad Patrem qui· e per Filium redemit, & dic : *Pater noster*. B· ·a præsumtio, sed moderata. Patrem dicis · ·asi filius : sed noli tibi specialiter aliquid vindi·are. Solius Christi specialis est Pater, nobis omnibus in commune est Pater ; quia illum solum genuit, nos creavit.

Psal. 112. 4. Dic ergo & tu per gratiam : *Pater noster* ; ut filius esse merearis. Ecclesiæ contuitu & consideratione te ipse commenda.

20. *Pater noster, qui es in cælis.* Quid est *in*

b *cælis ?* Audi Scripturam dicentem : ᵇ Excelsus super omnes cælos Dominus. Et ubique habes quod super cælos cælorum Dominus sit, quasi non in cælis & Angeli, quasi non in cælis & Dominationes. Sed in illis cælis, de quibus dictum

Psal. 18. 2. est : *Cæli enarrant gloriam Dei.* C· ·m est ibi, ubi cessavit culpa : cælum est ibi, ub· ·agitia ferientur : cælum est ibi, ubi nullum mortis est vulnus.

Levit 19. 2. 21. *Pater noster qui es in cælis : sanctificetur nomen tuum.* Quid est, *sanctificetur ?* Quasi optemus ut sanctificetur ille qui ait : *Estote sancti,*

c *quia ego sanctus sum*, quasi aliquid ei ᶜ ex nostra precatione sanctificationis accedat. N· ·, sed sanctificetur in nobis, ut ad nos eju· possit sanctificatio pervenire.

A 22. *Pater noster qui es in cælis : sanctificetur nomen tuum : veniat regnum tuum.* Quasi non æternum sit Dei regnum. Ipse Jesus dicit : *Ego in hoc natus sum* ; & tu dicis Patri : ·niat regnum tuum ; quasi non venerit. Sed ·nc venit regnum Dei, quando ejus estis gra· ·am consequuti. Ipse enim ait : *Regnum Dei intra vos est.* Iohan. 18. 37. Luc. 17. 21. De consec. dist. 2. c. in calicem. §. fiat voluntas.

23. *Veniat regnum tuum : fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra : panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sanguine Christi pacificata sunt

B omnia, vel in cælo, vel in terra : sanctificatum est cælum, dejectus est diabolus. ᵈ Ubi versatur ? Ubi & homo, quem ille decepit. *Fiat voluntas tua*, hoc ·st, sit pax in terra, quemadmodum in cælo. d

24. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Memini sermonis mei cùm de sacramentis tractarem. Dixi vobis quod ante verba Christi quod offertu· ·nis dicatur ; ubi Christi verba depromta fueri· ·, jam non panis dicitur, sed Sup. li. 4. cap. 4. Dist. 2. c. In calicem. §. dixi vobis.

C corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica quæ postea sequitur, ait : *Pan· ·nostrum ?* Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus : sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideo Græce ἐπιούσιος dicitur : Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, ᵉ quem Græci dicunt advenientem ; quia Græci dicunt τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν advenientem diem. Ergo quod Latinus * Iohan. 6. 35. De consec. dist. 2. c. non iste panis. e

D dixit, & quod Græcus, utrumque utile videtur : Græcus utrumque uno sermone significavit, Latinus quotidianum dixit.

25. Si quotidianu· panis, * cur post annum illum sumis, · ·admodum Græci in oriente facere consuer· ·t ? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. * Quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat Iob. 1. 5.

E quotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent ? E· ·tu audis quod quotiescumque offertur sa· ·cium, mors Domini, resurrectio Domini, ·levatio

a. Rom. edit. sola, *Dominus, cùm oratis dicite : Pater &c.* Hanc porro Domini orationem quæ hoc loci ab auctore neophytis edisseritur, in multis Ecclesiis præsules exponere solebant catechumenis ante baptismum, ut nobis ad lib. *de Insti. Virg.* cap. 2. n. 10. observatum est. Inde colligas in hujusmodi ceremoniis pro locorum diversitate diversos quoque fuisse usus. Quin immo in eadem Ecclesia non semper eumdem servatum esse deprehendimus. Namque exempli causa Augustinus Serm 227. qui quartus numeratur in die Paschæ, diserte ait recens baptizatos peracta sanctificatione orationem Dominicam reddidisse ; cùm Serm. 58. aperte dicat ipsos in ejusdem festi pervigilio reddituros esse *non orationem, sed symbolum.* Igitur crediderimus illud spectasse ad episcopos, ut pro re, tempore, ac baptizandorum multitudine his de ritibus constituerent Sed fieri etiam potuit ut dictionum trajectione à librariis locus Serm 58. corruptus fuerit, ita corrigendus, *non symbolum, sed orationem :* cujusmodi transpositionum exempla occurrunt frequentia in mss. Nec etiam insulsum fuerit illa Serm. 227 verba, *dicimus orationem Dominicam, quam accepistis, & reddidistis*, intelligere non de recitatione quæ coram presbytero fieri solebat à neophytis, sed de illa qua cum episcopo celebrante ac simul universo populo sacris præsente memoratam orationem pronuntiabant.

b. Ita mss. plures ac probatiores : alii & vet. edit. *Excelsus super omnes gentes Dominus :* cui addit. Rom. *& super cælos gloria ejus.* At opinamur auctorem nostrum ex illo versu ea tantum verba quæ ad propositum suum faciebant, retulisse.

c. Vet. edit. cum parte mss. *ex nostra prædicatione.* Infra vero post voces, *Ego in hoc natus sum*, addit Rom. edit. *& in hoc veni in mundum.*

d Omnes edit. *diabolus. Ibi versatur, ubi & homo :* contra vero omnes mss. ut nos in textu, si tamen unum aut alterum excipias, in quibus legitur, *diabolus, ubi versatur & homo &c.*

e. Sic omnes edit. cum paucis admodum mss. in aliis autem sicut & in serm. 84. Append. Aug. desideratur, *quem Græci dicunt advenientem.* Negat porro Jos. Scaliger ἐπιούσιον reddi posse per *supersubstantialem*, eo quod non derivetur ἀπὸ τῆς οὐσίας ; *dicendum enim esset*, inquit, ἐπούσιον : sed ab ἐπὶ & ἰέναι ἰέσθαι, ἱέναι ἵεσθαι ab εἶμι, unde ἐπιὼν ; *unde postea* ἐπιοῦσα, *supple* ἡμέρα *crastina dies.* Recte atque ad illustrandum hunc auctoris nostri locum, apposite. Sed de his iterum lib. 3. de Fide, cap. 7

*. Haud temere invenias, ut in Præfatione indicavimus, Ambrosium in ceteris suis operibus hujusmodi querelam de suorum in accipiendo Christi corpore negligentia instituisse. Innuit quidem lib. 2. *de Pœnit.* cap. 9. quosdam fuisse qui pœnitentiæ obtentu à sacra communione se abstinerent : sed neque communem, neque tam diuturnam exstitisse illam abstinentiam inspectus locus abunde probat. Fatendum tamen illo jam sæculo intepuisse pristinum quotidianæ communionis usum ; uti ex Hieronymi epist. 50. adv. Jovin. & 28. ad Lucer. nec non Augustini epist. 54. ad Januar. intelligimus : verum illi posteriorem hunc morem ita non condemnabant, ut sibi priorem magis probari significarent ; namque Augustinus serm 227. novæ edit. neophytos ad quotidianum eucharistiæ convivium eadem ratione qua hic ipse auctor, inducere nititur. Quod autem ad Græcos, verum quidem est Chrysostomum populi sui fastidium & sumendæ eucharistiæ negligentiam castigare Homilia 3. in Epist. ad Ephesios, & apertius adhuc Hom. 5. in Epist 1. ad Timoth. loqui de annua illa Dominici corporis communione ; attamen ex eadem Hom. 3. supra laudata satis apparet non fuisse omnium istam indevotionem ; ac proinde non in oriente quam in occidente multo majorem. Quapropter Ambrosius eam consuetudinem Græcis potius quam Latinis non videtur fuisse objecturus ; atque adeo posteriori cuipiam auctori accusationem illam potius congruere non immerito hinc conjicias.

1. Cor. 11. 26. Domini significetur, & remissio peccatorum: A & panem istum vitæ non quotidianum adsumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste & venerabile Sacramentum.

26. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quo e si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi ho... est Christus, tibi quotidie resurgit. Quo-
Psal. 2. 7. modo? *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ho-
Hebr. 13. 8. die ergo est, quando Christus resurgit. *Heri & hodie ipse est*, apostolus Paulus ait. Sed & alibi B
Rom. 13. 12. ait: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit:* nox hesterna præcessit, dies hodiernus appropinquavit.

27. Sequitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* ... itum quid est, nisi peccatum? [a] Ergo si non ... res alieni fœnoris pecuniam, non egeres; & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Dives eras, ad imagi-
Gen. 1. 26. nem & similitudinem Dei factus: perdidisti C quod habebas, hoc est, humilitatem, dum arrogantiam desideras vindicare: perdidisti pecu-
Gen. 3. 7. niam, sicut Adam nudus es factus: accepisti à diabolo debitum, quod non erat necessarium. Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, Coloss. 2. 14.
sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore delevit: abstulit debitum tuum, reddidit libertatem.

28. Bene ergo ait: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dim... mus debitoribus nostris.* Vide quid dicas: Q... odo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si ... miseris, [b] bene convenis, ut dimittatur tibi. Si non dimittis, quomodo eum convenis, ut dimittatur tibi?

29. *Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos à malo.* Vide quid dicat: *Et ne patiaris induci nos in tentationem*, * ... m ferre non possumus. Non dicit: Non in... as in tentationem: sed quasi athleta talem v...lt tentationem, quam ferre possit humana conditio; & unusquisque à malo, [c] hoc est, ab inimico, à peccato liberetur.

30. Potens est autem Dominus qui abstulit peccatum vestrum, & delicta vestra donavit, tueri & custodire vos adversum diaboli adversantis insidias; ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare consuevit. Sed qui Deo se committit, diabolum non timet; *Si* enim *Deus* Rom. 8. 31.
pro nobis, qui contra nos? Ipsi ergo laus & gloria à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

a. MSS. aliquot, *Ergo si non acceperis, non egebis*: alii partim, *Ergo si non accepisses, non egeres*: partim ut in contextu. Ab his vero non discrepant edit. nisi quod pro *si* habent *etsi*: minus commode. At continuo post ubi vet. edit. ac plures mss. *dives nasceris*, & alii nonnulli, *dives nascebaris*; aptius Rom. edit. licet cum paucis mss. *dives nascereris.*

b. Omnes edit. *bene convenit*: omnes mss *bene convenis*: optimo sensu, sicut ostendunt sequentia illa, *quomodo eum convenis*, id est, compellas alloqueris &c.

*. Hæc verba *quam ferre non possumus* expositionem superiorum esse auctor satis indicat, cùm non tantum hìc & initio capitis, verum etiam lib. seq. cap. 5. post illas voces *induci in tentationem*, statim subjungit ultimam petitionem, *sed libera nos à malo.* Contra vero S. Hilarius in Psalm. 118. ℣. 8. videtur eadem ad textum referre voluisse ita inquiens: *Quod & in Dominicæ orationis ordine continetur, cùm dicitur: Non derelinquas nos in tentationem, quam ferre non possumus.* At neque apud Evangelistas Matthæum & Lucam, neque in ullis aliis Patribus memorata verba reperiuntur.

c. Edit. ultimæ Paris. *à vitio*: melius aliæ, ac mss omnes, *ab inimico.* Quod enim græce habetur, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ vulgo redditur latine, *à malo*, sive *à maligno*, quibus vocibus cacodæmon designari solet à SS PP. cùm tamen etiam sumi possit in neutro genere pro qualibet calamitate atque incommodo.

LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

Cùm Christi vera caro & verus sanguis in sacramento sint Divini scilicet verbi omnipotentia consecrati, & aliena specie, ne offensionem pariant, tecti; ex hoc intelligi nos divinæ substantiæ in illo alimento esse participes.

De consec. dist. 2. c. sicut est verus. [a] 1. Sicut verus est Dei Filius dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum [a] homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam B accipimus, & verus ejus est potus.

2. Sed forte dicas (quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes di-
Johan. 6. 54. centem: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in A me, nec habebit vitam æternam.) Forte dicas: De consec. dist. 2. c. forte dicas.
[b] Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. b

3. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi Sup. lib. 4. cap. 4.
qui operatur, ut possit mutare & [c] convertere c
genera instituta naturæ. Deinde ubi non tu- Johan. 6. 67.
lerunt sermonem Christi discipuli ejus, audientes quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant; solus tamen Petrus dixit: *Verba vitæ æternæ ha-* Ibid. 69.
B *bes, & ego à te quomodo recedam?* Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemtionis; ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed vere [d] naturæ gratiam virtutemque consequeris. d

a. Locum hunc Lanfrancus legit in illa verba, *ceteri homines per gratiam, sed quasi filius per naturam, id est, ex substantia patris.* Consequentia vero quæ apud Amerb. Eras. & in mss. longe plurimis habentur ut in textu, non aliter etiam leguntur apud Gill. nisi quod ante *est potus*, vocem *sanguis* præmissam voluit. At edit. Rom. cum eodem Lanfr. tribus mss. Gallic. & uno Vat. in marg. sic reposuit. *ita vera ejus*, mss *Christi, caro est* . . . . *& verus ejus sanguis est, quem potamus.* Quod quidem nisi codicum oppositorum numerus & antiquitas nos retineret, libentissime amplecteremur. Adverte autem ex hac comparatione recte consequi Christi carnem & sanguinem substantialiter esse in sacramento

b. Ita vet. edit. ac omnes mss exceptis paucis ubi additur, *caro.* Non tam concinne, cùm dictio *vera* simul ad carnem atque sanguinem referatur. Et hoc quidem explicatius habet edit. Rom. cum Grat. in hunc modum, *Quomodo vera caro, quomodo verus sanguis?*

c. Eras. & Gill. *convertere instituta generalia naturæ*: ab his autem eo tantum recedit edit. Rom. quod verbo *convertere* subjecit *in aliud*: Amerb. vero & cuncti mss. nobiscum conveniunt, nisi quod nonnulli, & cùm his Lanfrancus, habent, *genera & instituta.*

d. Claromont. cod. *naturam gratiamque consequeris*: Valliluc. *naturæ gloriam, virtutemque consequeris*: reliqui & omnes edit. ut in textu. Ceterum auctor in hoc capite solutionem objectionis petitæ à testimonio sensuum, quam jam lib. 4. cap. 4 num. 14. proposuerat, ita exprimit, ut omnem præcidat cavillationem. Primo enim substantialem conversionem jam abunde probatam monet, deinde cur sub aliena specie, quam similitudinem vocat, sacramentum institutum sit, rationem affert.

Ibidem 41. De con. dist. 2. c. sicut est verus 5. ego sum.

4. *Ego sum*, inquit, *panis vivus qui de cælo* A *descendi*. Sed caro non descendit è cælo, hoc est, carnem in terris adsumsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis è cælo, & panis vivus? Quia idem dominus noster Jesus Christus consors est & divinitatis & corporis: & tu qui accipis carnem, divinæ ejus substantiæ in illo participaris alimento.

CAPUT II.

In sacramentis omnibus Trinitatis operationem, B *divinarumque personarum æqualitatem adverti posse, ubi obiter perstringitur error arrianorum.*

5. ERgo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia, quod baptizatus es in nomine Trinitatis. In omnibus quæ egimus, servatum est mysterium Trinitatis. Ubique Pater & Filius & Spiritus sanctus, una operatio, una sanctificatio; etsi quædam veluti specialia esse videantur.

a 2. Cor. 1. 21. & 22.

6. [a] Quomodo? Deus qui te unxit, & signa- C vit te Dominus, & posuit Spiritum sanctum in corde tuo. Accepisti ergo Spiritum sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum Spiritus sanctus in corde, ita etiam Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis canticorum Christum dicentem ad Ecclesiam: *Pone me sicut signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachiis tuis.* (Cant. 8. 6.)

7. Ergo unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia ad crucis ipsius signatus es D formam, ad illius passionem: accepisti signaculum ad illius similitudinem; ut ad ipsius formam resurgas, ad ipsius vivas figuram, qui peccato crucifixus est, & Deo vivit: & tuus homo vetus in fonte dimersus, peccato crucifixus est, sed Deo resurrexit. (Rom. 6. 4. & seq.)

8. Deinde habes alibi speciale, quod te vocaverit Deus, in baptismate autem quasi specialiter concrucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter, quando accipis spiritale signaculum, E vide distinctionem personarum esse, sed connexum omne mysterium Trinitatis.

9. Deinde quid Apostolus tibi dixit, ut lectum est nudius tertius? *Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* [b] *Divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus. Divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Omnia, inquit, operatur Deus. Sed & de Spiritu Dei lectum est: *Unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* F Audi Scripturam dicentem quia dividit Spiritus pro voluntate sua, non pro obsequio. Ergo dividit vobis Spiritus gratiam prout vult, non prout jubetur; & maxime quia Spiritus Dei, Spiritus Christi est. Et illud tenete ipsum esse Spiritum sanctum, ipsum Spiritum Dei, ipsum Spiritum Christi, ipsum Spiritum paraclitum. (1. Cor. 12. 4. & seq. — Ibidem 11.)

10. Arriani putant se derogare sancto Spiritui, si dicant illum Spiritum paraclitum. Quid est paraclitus, nisi consolator? Quasi non & de Patre lectum sit, quia ipse est Deus consolationis. Vides ergo quia in eo derogandum putant Spiritui sancto, in quo Patris æterni potestas pio prædicatur affectu. (2. Cor. 1. 3.)

CAPUT III.

Orandi rationem traditurus, Christi atque Apostoli verba inter se conciliat, cubiculum quo de loquitur Christus, de secreto cordis ac silentio interpretandum esse declarans.

11. NUnc quomodo orare debeamus accipite. Multæ virtutes orationis sunt. Ubi orare debeamus non est mediocre, nec mediocris quæstio. Ait apostolus: *Volo autem viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.* Et Dominus dicit in Evangelio: *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum; & clauso ostio, ora Patrem tuum.* Non tibi videtur esse contrarium, ut dicat Apostolus: *In omni loco ora*; & Dominus dicat: *Intra in cubiculum tuum, & ora?* Sed non est contrarium. Hoc ergo absolvamus: deinde quomodo debeas incipere orationem, & quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quemadmodum claudere orationem, deinde pro quo orare debeas: [c] hæc omnia dicamus. (1. Tim. 2. 8. — Matth. 6. 6.)

12. Primo ubi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Numquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta? Non utique. Qua ratione? Quia non contrarius, sed interpres est Christi: *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut & ego Christi.* Quid ergo? Potes ubique orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Judæos positus sis; habes tamen ubique tuum secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum secretumque conservas.

13. *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum.* Bene ait, *intra*; ne sic ores quomodo Judæus, cui dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio. Animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctorium videat ille, cui te placere desideras. Videat quia ex corde oras, ut te ex corde orantem dignetur audire. (Esaj. 29. 13.)

14. *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum.* Habes hoc & alibi: *Ambula populus meus, & intra in recessus tuos, claude ostium tuum, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini.* Hoc loquutus est Dominus per prophetam: in Evangelio autem dixit: *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum; & clauso ostio, ora Patrem tuum.* (Esa. 26. 20.)

15. Quid est clauso ostio? [d] Audi quod ostium habeas, quod debeas claudere, quando oras.

a. Sic omnes edit. ac mss. nisi quod in horum nonnullis atque edit. Rom. omissum fuit, *te Dominus*. Hunc autem locum, non secus ac illum qui habetur infra, scilicet, *Quomodo? Habes hoc in Canticis*, mss. haud pauci exhibent sine interrogatione.

b. Omnes edit. & mss. aliquot, *divisiones mysteriorum*: melius reliqui cum Apostolico textu, *divisiones ministeriorum* quidam etiam, *ministrationum*.

c. Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *Hæc omnia discamus*.

d. Ita edit. omnes ac mss. bene multi: alii tamen aliquot præferunt, *Audi quod ostium habeas claudere*: unus etiam; *Quod ostium habemus? Audi quod debeas* &c. Hoc autem ex loco ineptiæ Auctorem accusat Albertinus, quod statim subjecerit: *Utinam mulieres audirent*. Quasi vero ineptum cuiquam sano videri possit, quod modestiæ submoneantur ex mulieres, quæ illius eousque oblitæ videbantur, ut intolerabiles in Ecclesia se se præberent; ut cap. seq. Auctor significat. Poterit profecto eodem jure etiam dici Ambrosius ipsemet ineptire; cùm non absimilia reperiantur apud illum lib. 3. *de Virgin.* cap. 3. num. 11. & deinceps.

Utinam

Utinam mulieres audirent! Audisti jam; sanctus A
Psal. 140. 3. David docuit te dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circuitus labiis meis.* Est alibi ostium, quod ait apostolus Paulus dicens:
Col. 4. 3. *Ut aperiatur, inquit, mihi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi*; hoc est, quando oras, noli sermone clamare, nec diffundere orationem tuam, nec jactare per populos. In secreto tuo ora, securus quod te in secreto possit audire, qui omnia videt, atque audit universa. Et
a ora Patrem tuum in abscondito, [a] qui audit te B in abscondito deprecantem.

CAPUT IV.

Quare secreto potius orandum sit, quam cum vociferatione: quare etiam viri in omni loco orare debeant, non autem mulieres: quonamve spectent voces subjectæ: levantes puras manus &c.

16. Quid prosit autem interrogemus, qua ratione secreto magis orare debeamus, quam cum vociferatione. Audi: de consuetudi- C ne hominum sumamus exemplum. Si aliquem rogas, qui cito audit, non opus putas esse clamorem: sensim rogas voce moderata. Si surdum aliquem roges, nonne incipis vociferari, ut te ille possit audire? Qui ergo clamat, putat quod aliter Deus non possit nisi clamantem audire;
b [b] & cùm rog·· eum, ejus derogat potestati:
Psal. 7. 10. qui autem ii· 'entio orat, fidem defert, & confitetur quc)eus scrutator cordis & renis sit, & orationem tuam ante ille audiat, quam D tuo ore fundatur.

1 Tim. 2. 8. 17. Ergo videamus: *Volo autem viros orare in in omni loco.* Qua ratione viros dixit? Utique communis oratio est & mulieribus & viris. Quod non invenio, nisi forte sanctus Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres usurparent, & male intelligerent *in omni loco*, & inciperent ubique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.

18. *Volo autem viros*, hoc est, qui possint ser- E vare præceptum, *orare in omni loco, levantes puras manus.* Quid est, *levantes puras manus?* Numquid debes in oratione tua crucem Domini gentibus demonstrare? Illud quidem sig-
c num [c] virtutis est, non pudoris. Est tamen quomodo possis orare, nec figuram demonstres, sed actus tuos leves. Si vis operari orationem tuam, leva puras manus per innocentiam. Leva eas non quotidie: semel levasti, non opus est ut iterum leves. F

19. *Volo autem in omni loco viros orare, levantes puras manus sine ira & disceptatione.* Nihil
Prov. 15. 1. verius: *Ira*, inquit, *perdit etiam sapientes.* [I]deo omni tempore, quantum fieri potest, C[hri]stianus vir iracundiam debet temperare, &
d maxime quando ad orationem [d] accedit; ne perturbet animum tuum indignatio iræ, ne quidam furor impediat orationem tuam: sed magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Servus peccavit? Tu accedis ad orationem, ut tua tibi delicta donentur, & alii indignaris. Hoc est, *sine ira*.

CAPUT V.

De inordinata orantium disceptatione, & qua modestia mulieres orare oporteat: item de inchoatione orationis, ejusque medio ac fine; cùm iterata Dominicæ orationis expositione, quæ tractatum ducit ad umbilicos.

20. Nunc de disceptatione videamus. Plerumque negotiator venit ad orationem, aut avarus: alter de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate; & putat quod eum Deus possit audire. Et ideo quando oras, divina humanis præferre te convenit.

21. *Similiter & mulieres*, inquit, *volo orare non* 1. Tim. 2. 9.
jactantes se in ornamentis, neque in margaritis, ait apostolus Paulus. Sed & apostolus Petrus: Mulieris, inquit, gratia plurimum valet, ut viri 1 Petr. 3. 1. & 2.
ejus convertatur affectus per uxoris suæ bonam conversationem, & incredulus se convertat ad gratiam Christi. Hoc valet mulieris gravitas & pudicitia, & ejus bona conversatio, ut virum suum vocet ad fidem & devotionem, quod & prudentis viri sermo frequenter operatur. Ergo Ibidem 3. & 4.
mulier, inquit, non in ornatu capillorum, non in tortis crinibus ornamentum suum habeat, sed in oratione ex corde puro, ubi est absconditus cordis homo, qui semper est apud Deum locuples. Habes ergo in quo sis dives. In Christo divitiæ tuæ pudicitiæ sunt & castitatis infulæ, fides, devotio, & misericordia. Hi sunt thesauri Esai. 33. 6.
justitiæ, sicut propheta memoravit.

22. Deinde unde debeas incipere. Dic mihi, si velis hominem rogare, & sic incipias: Da mihi, ecce illud quod te peto; nonne arrogans videtur oratio? Et ideo inchoari oratio debet à Dei laude, ut roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem præstandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit dicens: *Obsecro ergo primùm* [e] *fieri ora-* 1. Tim. 2. 1. e
tiones, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones. Prima ergo oratio laudem debet habere Dei: secunda supplicationem: tertia postulationem: quarta gratiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo primùm incipere, sed ante à laudibus Dei.

23. Unde & oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, ut judicem fautorem sibi præstent: incipiunt à laudibus ejus, ut benevolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare judicem, ut patienter dignetur

a. Vet. edit. ac mss. non pauci, *& audit*, Eras. ac Gill. *audiet te deprecantem*; Rom. edit. *ubi audit te deprecantem*: cæteri mss. ut in textu; si tamen Clarom. excipias, in quo legitur, *qui enim videt in abscondito, videt te deprecantem.*

b. Rom. edit. sola. *Et qui cum clamore rogat eum.* Est autem etiam hic locus ex eorum numero, qui Albertiniano vero confinguntur. Attamen si is ineptit, à quo supponitur eum qui clamat non putare se à Deo umquam audiri, nisi clamantem: quis non videat ab impio aliquo similem calumniam strui posse ipsimet Christo, nimirum quasi apud Matthæum cap. 6. eis qui orantes multum loquuntur, persuasum esse supposuerit nihil se nisi in multiloquio impetraturos. Verum ut Auctorem locum hunc evangelicum respexisse probabile est, ita nec minus ad clamores prophetarum Baal, nec non ad Eliæ verba eosdem 3. Reg. 18. irridentis videtur allusisse.

c. Mss. aliquot, *virtuti est, non pudori.* Rursus vero longe plurimi exhibent, *levas puras manus .... levas eas* &c. ubi alii nonnulli & omnes edit. *leva* &c. Magis concinne. Quod autem præmisit inter orandum crucem Domini gentibus ostentandam non esse, veterem Christianorum usum, quo supplicantes brachia tollebant in crucis modum, indicat. Vide lib. 1. de Virg. c. 2. & lib 2. c. 4.

d Omnes edit. ac mss. nonnulli, *accedit, ne perturbet animum suum indignatio, ne ira quidam furor impediat orationem suam. Magis placido* &c. Mss. autem alii plures ac potiores ut in textu.

e. Desunt in cunctis edit. multisque mss. *orationes, postulationes*: quæ tamen ex aliis percommode restituuntur.

audire. Audet tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo cœpit à laudibus Dei, sic debet in laudem desinere.

Matt. 6. 9. 24. Habes hoc in oratione Dominica: *Pater noster qui es in cælis.* a Laus Dei est, quod pater prædicatur: in eo pietatis gloria. Laus Dei, quia in cælis habitat, non in terris. *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum:* id est, ut sanctificet servos suos; nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando prædicantur homines christiani. Ergo optantis est, *sanctificetur nomen tuum.* Ibidem 10. *Adveniat regnum tuum.* Postulatio, ut in nobis sit regnum Christi. Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Ibidem 11. Culpa non regnat, peccatum non regnat: sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. Ibidem 12. Deinde: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hæc postulatio maxima est eorum quæ postulantur. *Et dimitte,* inquit, *nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ide quotidie b accipe, ut quotidie debito tuo indulgentiam petas. Ibidem 13. *Et ne patiaris nos induci in tentationem: sed libera nos à malo.* Quid sequitur? Audi quid dicat sacerdos: * per dominum nostrum Jesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

Sup. n. 22. 25. c Aliud: Psalmorum David licet unus libellus sit, habens eas virtutes orationis, quas supra diximus; tamen plerumque & in uno psalmo omnes istæ orationis partes inveniuntur, quomodo in octavo psalmo invenimus. Denique sic cœpit: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Psal. 8. 2. Oratio ergo prima. Deinde obsecratio: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum:* Ibidem 4. d hoc est, *cælos videbo, lunam & stellas, quas tu fundasti.* Utique non cælum dicit videbo, sed videbo cælos, in quibus incipit albescere gratia & splendor cælestis. Hos sibi cælos tunc promittebat Propheta dari, qui cælestem gratiam à Domino e mererentur. *Lunam & stellas quas tu fundasti:* lunam Ecclesiam, stellas vocat sanctos cælesti gratia refulgentes. Deinde vide postulationem ejus: *Quid est homo quod meministi ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Ibidem 6. & 7. Et alia gratiarum actio: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi, &c.* Ibidem 8. & seq.

26. Docuimus pro captu nostro f forsitan quod non didicimus; & ut potuimus, expressimus. Sanctitas vestra institutis sacerdotalibus informata, laboret tenere quod accepit à Deo: g & oblatio sicut hostia pura, in vobis semper suum signaculum recognoscat, ut & ipsi ad gratiam & ad præmia virtutum pervenire possitis, per dominum nostrum Jesum Christum: cui est gloria, honor, laus, perpetuitas à sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

a. Ita mss. longe plurimi, & ant. edit. ex quibus tamen aliquot mss. ac vet. edit. non habent *est*, & Gill. cum duobus mss. pro *in eo* legit *nova*, non incongrue: alii autem pauculi & cum his Rom. edit. *Laus hic Dei est, eo quod paterna prædicatur* &c. Quod vero omnes edit. exhibent, *& in terris*, è contrario cuncti mss. duobus exceptis præferunt, *non in terris.*

b. Rom. edit. *dicito:* vet. & quidam mss. *accipito:* reliqui *accipe.*

*. His verbis indicari videtur illam clausulam à sacerdote solo recitari solitam: quemadmodum in græca Ecclesia idem etiam solus, Aria Montano teste, pronuntiabat istam, [Greek] &c. quæ ex Jacobi, Basilii & Chrysostomi liturgiis in Evangelicum Matthæi textum & versiones orient. translata fuit, ut Erasmus, Grotius atque alii observarunt. Cùm porro memorata clausula in nullis latinis Ecclesiis usurpetur; ea cui præierat hic auctor, ad orientalem certum est magis accedere in eo ritu.

c. Sic omnes edit. ac mss. non pauci: alii vero partim, *Iste psalmorum David:* partim, *Alius psalmorum David* &c. Porro in præfatione monuimus ab hisce verbis incipere novum sermonem in cod. Sanctigallensi: addimus autem hæc eadem in uno reg. codice ita describi, quasi novi tractatus sit exordium: at in Clarom. cum reliqua parte prorsus omitti.

d. Rom. edit. resciderat voces, *hoc est, cælos videbo.*

e. Sic mss. aliquot, à quibus ceteri & ant. edit. eo discrepant, quod habent, *stellas cælestis gratia resurgentes.* Minus commode. At Rom. edit. sola, *mereretur . . . . stellas homines cælestis gloria refulgentes.*

f. Rom. edit. sola, *forsitan quod à Domino didicimus.*

g. Mss. non pauci, *ut oblatio sicut hostia pura, in vobis,* &c. satis commode: alii plures nobiscum faciunt, nisi quod pro *sicut* Vallilue. legit, *sit ut*, non incongrue. Reliqui tandem & omnes edit. nobis etiam accedunt, exceptâ voculâ, *&*, quam præmittunt dictionibus *in vobis*, hoc modo sententiam omnino corrumpentes.

IN LIBROS DE POENITENTIA.

ADMONITIO.

Quandoquidem hi duo libri adversus Novatianos scripti fuere, ut Ambrosii consilium, operis ordo atque series, vis ac pondus argumentorum percipiatur minori negotio, non ingratum lectori futurum duximus, si ejus oculis unde orta sit illa hæresis, quos habuerit progressus, quove in statu fuerit, cùm iidem libri lucubrarentur, proponamus.

Dicti sunt Novatiani ab auctoribus sectæ Novato & Novatiano, quos inter se cùm plerique veterum, & Græcorum imprimis, male confundant, numquam non distinguit Ambrosius. Horum prior Carthaginensis Ecclesiæ presbyter fuit, numquam vero ad episcopalem pervenit dignitatem; qua in re Baronius, Petavius, Labeus & alii nonnulli erraverunt. Is erat animo inquieto & scelerato, neque ad aliud magis quam ad res novas comparato. Idem se conjunxerat Felicissimo, qui lapsis in idololatriam nullâ impositâ pœnâ reddendam pacem delirabat. Cujus hæresi quo plusculum conciliaret auctoritatis, eum omni arte atque ambitu protrudit ad diaconatum, non modo non annuente, sed ne consulto quidem antistite ipsius Cypriano. Huic facinori alia tum impudicitiæ, tum atrocis crudelitatis plena cumulum addiderunt, propter quæ dies à fratribus ei dictus est apud Cyprianum: sed renovata per id temporis persecutio, ne ulterius in eumdem inquireretur, prohibuit. Usus ea occasione Novatus Romam profugit; eoque cùm sub anni 251. initium venisset, clerum ac populum ibi offendit de sufficiendo pontifice in locum Fabiani non pridem martyrio affecti dissentientes.

Divisa Romanorum studia duo presbyteri in se converterant, Cornelius & Novatianus. Hic stoicorum philosophorum scita profitebatur, homo acerrimi ingenii, multijugæ doctrinæ, nec facundiæ vulgaris: verum præterquam quod exorcismis subjectus fuerat, eum in lecto propter adversam valetudinem baptizatum sacra unctione episcopus non consignaverat. Neglectis tamen hisce defectibus, ipsum idem præsul honore sacerdotali

dignatus est; unde in animis populi haud parvam excitavit offensionem. Itaque cùm in pontificem plura justioraque suffragia Cornelium retulissent, virum eximiæ virtutis, atque in singulis Ecclesiæ gradibus exercitatum, Novatianus repulsæ impatiens electionem illam evertere secum statuit. Hoc inceptum ut perficeret, famosum libellum scripsit in Cornelium: ac denique ordinationem ejus idcirco legitimam esse negavit, quod eos Christianos qui sævienti persecutione thura idolis adoleverant, à sua communione non rejiceret. Pellexit in factionem suam non paucos è populo: quam occasionem Novatus rebus suis opportunam ratus, Novatiano se mancipavit. Igitur ut pro virili promoveret ejusdem partes, id technis suis est consequutus, ut ille à tribus episcopis, quos rudes & simplices ab exigua & vilissima Italiæ parte ad hoc exciverat, ordinaretur in pontificem; unde tum primùm antipapæ nomen à constituta Christi religione incognitum audiri cœpit. Ordinationem suam datis litteris missisque legatis Africanæ atque Orientali Ecclesiæ significavit: sed ea ubique repudiata est.

Interim ut invidiam Cornelio conflare pergeret, ac sibi auctoritatem quodam disciplinæ fuco compararet, docebat ea potestate carere Ecclesiam quâ lapsorum, quos in Libellaticos, Thurificatores, & Apostatas distinguebant, crimen dimitteretur; cùm tamen eosdem ad pœnitentiæ opera exhortandos esse neutiquam negaret. Primo quidem isti hos intra fines se continebant. Sed cùm acriter premerentur à Cypriano & aliis PP. qui non sine summa injuria quam veniam atrocioribus peccatis, puta homicidio, & adulterio concedebant, illam solis lapsis negari demonstrabant; eo denique compulsi sunt, ut peccata omnia contenderent æque esse irremissibilia. Puduit tamen eorum sectatores hujus amentiæ; postea enim non defuere, qui hanc sententiam ad sola graviora crimina restrictam vellent.

Arrisit plurimis severitatis illa species, brevique ex his secta numerosa coalescens, ut ab orthodoxis distingueretur, sibi vanissimum Καθαρῶν, id est, mundorum nomen adrogavit. Episcoporum ejusdem sectæ amplum catalogum magna cum laude texit Socrates.[a] Describit etiam suscepta ab ejusdem professoribus pro Christi divinitate certamina, eorumque tam claram in suppliciis constantiam fuisse tradit, ut ea inducti ipsi catholici, preces cum illis in templis ipsorum optarent sociare. Quæ quidem haberemus minus suspecta, si à scriptore in eas partes non tam propenso proficiscerentur. Eam hæresim diversa Concilia proscripserunt, & quid in iis qui redirent ad Ecclesiam, servandum esset, præceperunt. Quamvis autem in illam Patrum eruditissimi calamum strinxerint, ipsa tamen per omnes ferme christiani orbis plagas propagata diutissime perseveravit.

a. Lib. 4. hist. cap. 22.

Eamdem hoc in statu offendit Ambrosius, cùm ipsam hisce duobus libris[b] aggressus est. Primum aptissime à moderationis, quam in Novatianis desiderari certum erat, commendatione orditur. Tum commissam Ecclesiæ criminum quorumlibet absolvendorum potestatem[c] adstruit, Deum ad clementiam quàm ad severitatem magis propensum[d] esse demonstrans. Postea vero ubi objectioni à divina immutabilitate petitæ[e] satisfecit, ipsis vicissim è variis Scripturæ testimoniis, ac potissimum ex eo quod Petro cæli claves Christus[f] promisit, acriter instat. His alia momenta ex eorum principiis moribusque desumta[g] jungit. Mox ad alias objectiones[h] gradum faciens, maxime in eo refellendo quod de peccato ad mortem[i] venditabant, moratur; ostensoque doctrinam orthodoxam à Iohanne evangelista[k] clare adseri, futilia eorum responsa[l] prorsus evertit. Postremo ex Corinthii à Paulo separati, ac deinde sacris redditi historia[m] validissimum confirmando catholico dogmati ducit argumentum.

b. Cap. 1.
c. Cap. 2.
d. Cap. 3. & 4.
e. Cap. 5.
f. Num. 32. & 33.
g. Cap. 8.
h. Cap. 9.
i. Cap. 10.
k. Cap. 11.
l. Cap. 12.
m. Cap. 13. & seq.

In altero libro postquam docuit sollicite ac mature[n] agendam esse pœnitentiam, præcipua duo Novatianorum præsidia impugnat. Primum[o] illis suppeditabant Apostoli verba eos qui lapsi essent renovari non posse ad pœnitentiam adseverantis: secundum vero iidem mutuabantur ex Iohannis Evangelio[p], ubi dicitur peccatum in Spiritum sanctum neque in hoc neque in futuro sæculo dimittendum. Vtramque autem difficultatem ea vi rationum tractat & diluit, quæ posteris theologis pæne omnibus facem in his solvendis præluxerit, ut nos suis locis observavimus. Probat denique ab ipsis peccatores ad baptismi repetitionem induci[q], ut ejus beneficio veniam, quam pœnitentiæ operibus negabant, adsequerentur; cùm apostoli è contrario nobis criminum veniam nusquam non promittant. Hinc occasionem nactus, christianos invitat[r] ad pœnitentiam, cujus & partes singulas qualitatesque oculis subjicit. Adjungit fore ut Christus eorum lacrymis nec non matris Ecclesiæ precibus motus, ad eos accedat spiritalem resurrectionem operaturus, cujus formam in Lazaro exstitisse[s] memorat. Suscitationem ejus sicut & convivium, cui una cum Domino idem interfuit, contra Novatianos propositum confirmat, veniæ qua Corinthium donavit Paulus, exemplo iterum adhibito. Sub hæc oculos[t] in se ipse reflectens, ut sibi detur & à commissis propriis absolutio, & commiseratio in alienis, quanta maxima potest animi submissione Deum precatur. Ad ultimum excussis quæ circa pœnitentiam obrepere solent,[u] vitiis, & præmonstrata quæ in eligendo ad publicam pœnitentiam tempore observanda sit, cautione, librum absolvit.

n. Cap. 1.
o. Cap. 2. & 3.
p. Cap. 4.
q. Cap. 5. num. 36.
r. Cap. 6.
s. Cap. 7.
t. Cap. 8. num. 67. & seq.
u. Cap. 9. & seq.

Porro quod ad tempus hujus operis, nobis videmur illud non incommode ex locis duobus inter se comparatis colligere posse, nimirum ex illis verbis, de Pœnitentia duos jam dudum scripsi libellos, quæ in Expositione psalmi 37.[x] quam anno 393. scriptam ostendimus, habentur; & ex eo quod ait commentationis hujus lib. 2.[y] Peccamus & nos seniores, maxime vero è superioribus istis,[z] Ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi. Etenim cùm hoc ultimo loco publicum laborem, ac nemini non notum designari dubium non sit, cum de certamine vel in Iustinam Arrianorum antesignanam, vel in Symmachum idolorum propugnatorem suscepto oportet intelligi. Quapropter intermedium aliquem annum eidem huic operi adsignandum constat; forte 384. sit enim ea ratione ut vertente 393. Vir sanctus dicere potuerit, Jam dudum scripsi.

x. Num. 1.
y. Cap. 8. num. 74.
z. Num. 73.

Vltima hæc verba satis aperiunt cuinam auctori tribuenda sit ea commentatio: sed quod in ejusdem lib. 2. raptum se à tribunalibus, ac pro Ecclesia laborem suscepisse loquitur, hoc tam Ambrosianum est, ut Petrum Sotum[aa] vehementer miremur id operis Doctori nostro ereptum voluisse propter eos locos, quibus ut eidem ipsi adscribatur, persuaderi nemo non debeat. Sed ejus rationes, si tanti erunt, suo tempore discutiemus. Hic autem id unum adjiciemus August. eosdem libros tamquam vere Ambros. iterum[bb] ac tertio citantis vel solam auctoritatem præstare conjecturis omnibus, quæ quantum imponere soleant etiam doctis, in memorato theologo exemplum exstat. Verum majori haud dubie in culpa fuit Rivetus[cc], qui relatis Soti argumentis, opposita maligne tacuerit. Hujus silentii in opere quo censura hujusmodi librorum promittitur, causam pervidere arduum non est. Vix enim alibi clarius à Christo Ecclesiæ tradita peccatorum dimittendorum auctoritas, necessitas eorumdem confitendorum, ac tandem bonorum operum corporisque castigationum meritum manifestantur.

aa. Lib. Inst. Sacerd. de Necess. Confess. Lect. 9.
bb. Lib. de Peccat. orig. cap. 31. lib. 2. cont. Julian. cap. 3. & 9. & lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 11.
cc. Critic. sac. lib. 3. cap. 16.



SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE POENITENTIA

LIBRI DVO. *

* Scripti circ. ann. 384.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Moderationis laus. Quàm necessaria sit ea virtus præfectis Ecclesiæ, potissimum Dominicæ caritatis ac mansuetudinis exemplo demonstrari. Ab hac ergo cùm desciverint Novatiani, eos pro Christi discipulis habendos non esse: quorum superbia & inclementia castigatur.

1. SI [a] virtutum finis ille est maximus, qui plurimorum spectat profectum, moderatio prope omnium pulcherrima est: quæ ne ipsos quidem quos damnat, offendit; & quos damnaverit, dignos solet facere absolutione. Denique sola est, quæ Domini quæsitam sanguine Ecclesiam propagaverit, imitatrix beneficii cælestis, & redemtionis universorum salubri fine temperans, quem ferre possint aures hominum, mentes non refugere, non pavere animi.

2. ETENIM QUI studet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere, & [b] quodammodo pensare humeris, non abjicere. Nam pastor ille Evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse. Et Salomon ait: *Noli justus esse nimium*; debet enim justitiam temperare moderatio. NAM QUEMADMODUM se tibi curandum præbeat, quem A fastidio habeas: qui contemtui se, non compassioni medico suo putet futurum?

(Luc. 15. 5. — De pœnit. dist. 1. c. serpens § nam pastor — Eccl. 7. 17.)

3. Ideo dominus Jesus compassus nobis est; ut ad se vocaret, non ut deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego vos reficiam.* Reficit ergo dominus Jesus, non excludit, neque abjicit: meritoque tales discipulos elegit, qui Dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. B Unde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur: & cùm ipsi quærant Domini misericordiam, aliis eam denegant; ut sunt doctores Novatianorum, qui * mundos se appellant.

(Matth. 11. 28.)

4. Quid his superbius, cùm Scriptura dicat: *quia nemo mundus à peccato, nec unius diei infans*; & David clamet: *A delicto meo munda me?* Sanctiores isti quam David, de cujus nasci familia C Christus incarnationis elegit mysterio, cujus posteritas [c] aula cælestis est, utero virginali suscipiens mundi Redemtorem? Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent; cùm utique veniam negando, incentivum auferant pœnitentiæ? NEMO ENIM potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.

(Job. 14. 4. — Psal. 50. 2. — De pœnit. dist. 1. cap. nemo potest.)

a. Codex Germ. unus an. circ 800. ita incipit: *Quando nos Deus terret, non frangere vult, sed punire non vult. Ait quidam psalmus:* Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. *Arcus enim quando intenditur, quantum retrorsum manus reducitur, tanto ictus vehementior concitatur: sic & minæ Dei tanto gravius veniunt, quanto diutius differuntur. Tamen misericordia est cùm differtur, ut pœnitens sanetur, sanatus non damnetur. Apostolum audi:* An divitias bonitatis ejus longanimiter contemnis? Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Sed ut possimus vitia nostra infirmitatis emendare* &c. Alii cod. atque edit. sibi consentiunt invicem nisi quod in illorum nonnullis habetur. *Si virtutum finis.* Et infra, pro *redemtionis universorum*, in uno legitur, *redemtoris*, in duobus *redemtione universorum* Et pro *salubri fine temperans*, in quibusdam, *salubris finis & temperans*: in aliis *salubris fine & temperans.*

b. Mss. tres, *quoquo modo pensare*: Clar. *quodammodo pausare.*

*. Novatianos ut se à catholicis, quos pro immundis habebant distinguerent, Καθαρῶν appellationem sibi arrogasse auctores sunt Eusebius lib. 4. Hist. Eccl cap. 23. Epiphanius, *Hæresi* 79 Augustinus, *de Hæres.* 38. Theodoretus lib. 3. Hæret. Fab. & alii: quos inter festive admodum in eos August. lib. de Agone Christ. cap. 2. ita ludit: *Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mundos vocarent.* Iidem illi catholicos, ut ex Cypriano, Paciano, Augustino, multisque aliis discere est, nuncupabant *apostaticos* & *capitolinos*: quod iis qui in capitolio Jovi libaverant, communicarent: & ab his vicissim appellabantur. *montenses*, sive ab aliquo loco ita vocato, sive propterea quod Novatus studuisset Felicissimo, qui ut ex Cypr. epist. 41. discimus, in montem cum suis secesserat: dicebantur etiam *scevæ*, forte non ob aliud nisi quod cùm potestate ligandi peccata uterentur non autem solvendi, eos quodammodo imitarentur, qui omissa dextera, lævam solam ad ministerium adhibent. Vide Conc. Lab. tom 2. pag. 951.

c. Ita vet. edit. ac plures mss. at Rom. edit. cum aliis, *aula cælestis est uterus virginis*, mss. *virginalis*.

CAPUT II.

Quod Novatiani dicunt se non nisi lapsis negare communionem, hoc neque cum Scriptura, neque cum sua ipsorum doctrina congruere: quod vero divinæ potestatis reverentiam prætexunt, eos hoc ipso in illam esse injurios; cùm is injuriam inferat, qui creditum sibi munus aut ejus partem nolit exercere: ceterum ligandi & solvendi jus quod hæresi non potest adtribui, pulcre vindicari ab Ecclesia, quippe quæ spiritu sancto id acceperit, in quem isti superbe agunt.

5. SEd negant his oportere reddi communionem, qui prævaricatione lapsi sunt. Si unum tantùm crimen exciperent sacrilegii, cui veniam negarent, dure quidem, sed tamen divinis tantum redargui viderentur sententiis, adsertionibus tamen suis convenirent; Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donavit omnia. At cùm * omnia peccata Stoicorum quodam more paribus putent æstimanda mensuris, & æque eum qui gallum, ut aiunt, gallinaceum, atque illum qui patrem suffocaverit, perpetuo adserant cælestibus abdicandos mysteriis; quomodo unius criminis objiciunt reos, * cùm indignissimum esse non possint etiam ipsi negare, ut paucorum pœna perveniat ad multos?

Alias Cap. II. 6. Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, [a] quàm qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nàm cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum detinueritis, detenta erunt;* quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? (Johan. 20. 22. & 23.)

7. Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet: hæresis in altero immitis, in altero inobediens; vult ligare, quod non resolvat: non vult solvere, quod ligavit; in quo [b] se suâ damnat sententiâ. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. [c] Sicut enim secundum Dominicam sententiam, qui ligandi jus habet, & solvendi habet: ita istorum adsertio se ipsam strangulat; ut quia solvendi sibi jus negant, negare debeant & ligandi. Quomodo igitur potest alterum licere, alterum non licere? [d] Quibus donatum utrumque est, aut utrumque licere manifestum est, aut utrumque non licere certum est. Ecclesiæ utrumque licet, hæresi utrumque non licet; jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, [e] quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet. Non vindicando autem ipsa de se pronuntiat, quod cùm sacerdotes non habeat, jus sibi vindicare non debeat sacerdotale. Ita impudenti contumacia pudentem cernimus confessionem. (De pœnit. dist. 1. cap. verbum Dei. §. Dominus.)

8. Specta etiam illud, quoniam qui Spiritum sanctum accepit, & solvendi peccati potestatem & ligandi accepit. Sic enim scriptum est: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur: & quorum detinueritis, detenta erunt.* Ergo qui solvere non potest peccatum, non habet Spiritum sanctum. Munus Spiritus sancti est officium sacerdotis, jus autem Spiritus sancti in solvendis, ligandisque criminibus est; quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure & potestate? (Johan. 20. 22. & 23.)

9. Quid quod insolentiores sunt? Nam cùm ad misericordiam promtior quàm ad severitatem sit Spiritus Dei; quod ait se velle, id nolunt: quod nolle, hoc agunt; cùm vindicare judicis sit, remittere misericordis. Tolerabilius igitur, Novatiane, remitteres; quam ligares; aliud enim quasi [f] delinquendi parcus usurpares, aliud quási ærumnæ compassus ignosceres.

---

* Forte an pugnare inter se videantur, quod hic dicuntur omnia peccata æqualia esse Novatianis, & quod infra iidem referuntur manifestum discrimen inter graviores ac leviores culpas inducere. Verum ibidem non obscure indicat S. Doctor eam quam istic memorat responsionem, posteriorum esse Novatianorum: antiquiores autem de peccatorum paritate illud sensisse, quod hic traditur. Satis tamen probabile est Novatianum primo insimulatum quasi paria faceret quælibet peccata, eo quod libellaticos æque à reconciliatione excluderet ac thurificatores, tum doctrinæ suæ consequentia inductum peccatorum differentiam omnem rejecisse, tum etiam ut objectionem illam eluderet, quâ ad pœnitentiam, quæ lapsis ab eo denegabatur, adulteros admittere arguebatur à Cypriano: cùm vero æqualitas illa criminum sequutis temporibus nimis odiosam redderet eamdem sectam, recentiores illius professores ab eo dogmate duxisse recedendum. Quod porro ad exemplum à parentis & gallinacei nece petitum, illud ipsum proponitur à M. Tullio in Orat pro L. Murena, & aliud de patris etiam ac servi cæde in Paradoxo 3. Sed hic non satis sibi constare videtur ipse Cicero, nam cùm peccatorum æqualitatem ibi defendat, confiteri tamen cogitur, eum qui patrem occiderit, multa peccare. Merito igitur de hac opinione Stoicorum Horatius:

Queis paria esse fere placuit peccata, laborant
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant.

Et infra:

Nec vincet ratio hoc, tantumdem at peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divum sacra legerit &c.

*. Horum verborum quæ paulo intricatiora sunt, hic ordo est: *cùm ipsi etiam negare non possint indignissimum esse, ut paucorum,* lapsorum scilicet, *pœna perveniat ad multos*, nempe ad quorumcumque criminum reos.

a. Rom. edit. sola, *quam ei cujus volunt.* Male, cùm antecedens *nulli* non in tertio singulari casu, sed in primo plurali positum sit, ut clarum erit examinanti

b. MSS. aliquot, *se suamque damnat sententiam* Minus commode.

c. *Sicut enim .... & solvendi habet*, in mss. Laud. Sorb. & Mich. desiderantur, sensu nihilo deteriori.

d. Ita Gill. ac mss omnes præter Albin. duos, ubi legitur. *Quibus donatum utrumque est, & utrumque licere certum est. Ecclesia autem* &c. Amerb. vero & Eras. *Si quibusdam datum utrumque est licere, aut utrumque non licere: certum est Ecclesiæ utrumque licere, hæresi utrumque non licere.* At Rom. edit. sola, *Quibus datum, utrumque est licere: at quibus non datum, utrumque non licere certum est* &c. ut Amerb.

e. Edit. ult. Paris. *quæ verus Sacerdos habet.* Paucis vero interjectis pro *sacerdotes Dei* Rom. edit. cum mss. duobus habet, *sacerdotes veros.* Hoc autem loco Ambrosius in adversariorum suppositione disputans nihil aliud docet, nisi sacerdotales actus episcoporum presbyterorumve novatianorum illicitos esse; validam enim ipsorum exstitisse ordinationem Patres Conc. Nicæni can. 8 non obscure significarunt; quandoquidem clericis omnibus ab eadem hæresi ad Ecclesiam redeuntibus gradum suum atque ordinem decrevit conservandum. Sic ergo sacerdotes hæreticorum veri negantur ut vulgo negamus verum esse regem, qui non legitime utitur sua potestate.

f. Amerb. & Eras. *delinquendi parcens*: Gill. ac mss. non pauci, *delinquendi parte*, unus, *partem*: Rom. edit. ac reliqui cod. *delinquendi parcus*; excipe tamen Cistert. in quo *delinquenti parcere.*

CAPUT III.

Iisdem Novatianis veniam gravioribus tantum criminibus abs se denegari opponentibus, respondet S. Doctor hac sententiâ ab illis sectæ suæ parentem rursus damnari, & offendi ipsummet Deum, qui peccatorum quorumlibet remittendorum fecit potestatem: sed majoribus delictis majorem quoque pœnitentiam adhibendam esse. Adjicit autem ipsos in hoc perversos se se præbere, quod hujusmodi culparum distinctio severitatis materiam Deo relinquat: cujus misericordiam in incarnatione Christi adeo mirabiliter emicantem imitari detrectant.

10. SEd aiunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris [a] Novatianus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit; ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari à se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini: sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. (*De pœnit. dist. 1. cap. Deus.*) Sed qui culpam exaggeraverit, exaggeret etiam pœnitentiam; MAJORA enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos imitatores ejusdem & condemnatores; quia ibi minuitis studia pœnitentiæ, ubi augeri oportet; quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.

11. Quæ autem ista perversitas est, ut vobis vindicetis [b] possibilia concessu: Deo, ut ipsi dicitis, impossibilia reservetis? Hoc est sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam sæviendi relinquere. Et ubi est illud: *Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris?* (*Rom. 3. 4.*) Ut agnoscamus igitur Deum misericordiæ magis indulgentem esse, quàm severitatis tenacem, ipse ait: *Misericordiam malo, quàm sacrificium.* (*Osee 6. 6.*) Quomodo igitur vestrum potest acceptum esse sacrificium Deo, qui negatis misericordiam; cùm ipse dicat nolle se mortem peccatoris, sed correctionem? (*Ezech. 18. 32.*)

12. Cujus interpres Apostolus ait: *Quia Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne; ut justificatio Legis impleretur in nobis.* (*Rom 8. 3. & 4.*) Non in similitudinem carnis ait; quia Christus veritatem suscepit carnis humanæ, [c] non similitudinem: neque in similitudinem peccati ait; quia peccatum non fecit, sed peccatum pro nobis factus est: (*1 Petr. 2. 22.* *2 Cor 5. 21.*) sed venit *in similitudinem carnis peccati*, hoc est, suscepit similitudinem carnis peccatricis; A ideo similitudinem, quia scriptum est: *Et homo est, & quis agnoscet eum?* (*Hier. 17. 9.*) [d] Homo erat in carne secundùm hominem, qui agnosceretur: virtute supra hominem, qui non agnosceretur; ita & hic carnem habet nostram, sed carnis hujus vitia non habet.

13. Non enim sicut omnis homo est, ex virili erat & feminea permixtione generatus: (*Matth. 1. 18*) sed natus de Spiritu sancto & de Virgine, immaculatum corpus susceperat, quod non solùm B nulla vitia maculaverant, sed nec generationis aut conceptionis concretio injuriosa fuscaverat. (*S. Aug. lib. 2. cont. Jul. Pelag in princ & fin. Idem li. 2. de de pec. orig. c. 40 & l. 4. contra duas epist. Pel. c. 11.*) Nam omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* (*Psal 50. 5.*) Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom 7, 24.*) Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; C ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat ante colluvio per culpam.

14. Quid ergo dicemus ad hæc, nisi quod dixit Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam inter-* D *pellat pro nobis.* (*Rom. 8. 31. & seq.*) Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Novatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Quibus Christus dicit: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum;* (*Matth. 11. 29.*) Novatianus dicit: Immitis sum. Quibus Christus dicit: *Invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve est;* (*Ibid. 30.*) his grave onus, & durum imponit jugum Novatianus.

E

CAPUT IV.

Pergit divinam probare misericordiam, eamque majorem esse quàm severitatem Evangelici testimonii expositione ostendit. Eos vero qui Christum negaverunt coram hominibus, non eadem omnes ratione habendos esse, athletarum exemplo palam facit.

15. QUam propensus igitur ad misericordiam sit dominus Jesus, licet ista satis F instruant; tamen etiam ipse te doceat, qui cùm adversus impressionem persecutionis instruere nos vellet, ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* (*Matth. 10. 28.*) Et infra: *Omnis ergo qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.* (*Ibid. 32. & 33.*)

a. Rom edit ubique Novatum fecit è Novatiano: qua mutatione inductus in errorem Petavius Ambrosium nostrum iis Patribus à quibus ambo illi hæresiarchæ inter se confunduntur, accensuit. Verum doctissimus vir secus sensisset, si quam aliam edit. aut quemlibet manu exaratum codicem consuluisset.

b Ita Rom. edit. cum mss. duobus: reliqui mss. partim, *possibilia concessa à Deo*, partim cum antiq. edit. *possibilia concessa Deo* &c. Melius: unus etiam, *possibilia concedi, Deo* &c. Nec male. Rursus post pauca, ubi Amerb. Eras. ac Rom edit. cùm Tell. cod. *materiam serendi*, Gill. ac reliqui cod. *materiam sæviendi*.

c. Mss. nonnulli, *non tantum similitudinem, sed in similitudinem carnis peccati, hoc est, suscepit* &c. Sic etiam alii aliquot, nisi quod omittunt vocem *tantum*: reliqui & edit. ut in textu.

d. Ita edit. omnes, & plures mss. alii vero etiam non pauci, *hoc non erat in carne secundùm hominem, qui non agnoscitur* Minus commode.

16. Ubi confitetur, pro omnibus confitetur, A omnes complectitur: ubi negat, non omnes negat. Sicut enim supra habet: *Omnis qui me confessus fuerit, confitebor & ego eum*, hoc est, omnem: consequens erat ut infra quoque [a] sic redderet: *Omnis autem qui negaverit me*. Sed ne omnes negare videretur, ita subjecit: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum*. Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur injuriam. [b] Quod est miserationis, exaggerat: quod ultionis, extenuat. B

17. Atque ita scriptum est non solum in eo libro, qui secundùm Matthæum scribitur Evangelii domini Jesu: sed etiam in eo lectum est quem secundùm Lucam reperimus; ut scias non otiose id posuisse utrumque. (*Luc 12. 8.*)

18. Diximus quid scriptum sit, colligamus sententiam: *Omnis*, inquit, *qui me confessus fuerit*, id est, ex quacumque vita, ex quocumque statu qui confessus me fuerit, habebit me remuneratorem confessionis suæ. C Cùm dicitur, *Omnis*, nullus à remuneratione, qui fuerit confessus, excluditur. Non similiter, omnis qui negaverit, negabitur; potest enim fieri ut aliquis victus suppliciis, sermone Deum neget, & corde adoret. (*Alias Cap. III. Matth. 10. 32. De pœnit. dist. 1. cap. potest fieri. Psal. 66. 8. Ibidem 9. & 10.*)

19. Numquid eadem causa est ejus qui sponte negat, & ejus quem tormenta inclinaverint ad sacrilegium, non voluntas? Quam autem indignum, cùm apud homines valeat certaminis D gratia, ut apud Deum non valere adseratur? Nam sæpe in hoc athletarum sæculari certamine etiam victos quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consuevit; maxime quos viderit [c] forte dolo aut fraude victoria exclusos. Christus ergo athletas suos quos viderit gravibus paulisper cessisse suppliciis, sine venia patietur manere?

20. Numquid non habebit rationem laboris, qui etiam quos projicit, non in æternum proji- E cit? Dicit enim David: *Non in æternum projiciet Deus*; & contra hunc audiemus hæresim dicentem: Projicit in æternum? *Nec in finem*, inquit, *misericordiam suam abscidet à generatione in generationem, aut obliviscetur misereri Deus*, clamat Propheta: & sunt qui divinæ miserationis quædam inducant oblivia? (*Psal. 66. 8. Ibidem 9. & 10.*)

CAPUT V.

Objectioni ab immutabilitate Dei petitæ respondetur, allatis Scripturæ testimoniis, quibus misericordiam emergentibus è volutabro suo peccatoribus Deus promittit: additurque indulgentiam iis parari propensiorem, qui quodammodo inviti deliquerunt, quod eleganti bello captorum exemplo, & ipsiusmet diaboli prosopopœia illustratur. F

21. SEd aiunt ideo se ista adserere, ne mutabilem Deum facere videantur, si his quibus fuerit iratus, ignoscat. Quid ergo? Repudiabimus divina oracula, & opiniones istorum sequemur? Sed non Deus alienis adsertionibus, sed suis æstimandus est vocibus. Quod enim promtius edere possumus [d] insigne ejus misericordiæ, quàm quod ipse per prophetam Osee, quibus tamquam iratus minabat[ur], continuo tamquam reconciliatus indulget? Ait enim: *Quid tibi faciam Ephram, aut quid faciam tibi Juda? Misericordia vestra*, &c. Et infra: *Quomodo te constituam? Velut Adama efficiam te, & sicut Seboim*. In ipsa indignatione velut patrio quodam affectu hæret, quomodo ad pœnam tradat errantem: [e] etsi Judæus meretur, Deus tamen adhuc secum examinat. Sed continuo qui dixerat: *Sicut Adama faciam te, & sicut Seboim*; quæ duæ urbes ex vicinia Sodomorum parilis excidii traxere consortium: *Conversum est*, inquit, *cor meum in eo ipso, conturbata est pœnitentia mea: non faciam secundum iracundiam furoris mei*. (*Alias Cap. IV. Osee 6. 4. Osee 11. 8. De pœnit. dist. 1. cap. sed contin. Osee 11. 8. & 9.*)

22. Nonne apparet quod ideo nobis peccantibus indignetur dominus Jesus, ut indignationis suæ nos terrore convertat? Indignatio ergo ejus non ultionis exsecutio, sed magis absolutionis est operatio; sic enim dixit: *Si conversus ingemueris, salvus eris*. Exspectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos: exspectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam. Sic in Evangelio viduæ matris lacrymis compassus, filium ejus resuscitavit. Exspectat conversionem nostram, ut revertatur & ipse ad gratiam: quæ, si nullus lapsus nobis irreperet, in nobis perseveraret: sed quia peccatis nostris contrahimus offensam, indignatur, ut humiliemur: humiliamur, ut digni simus magis miseratione quam pœna. (*Esai 30. 15. Luc. 7. 13.*)

23. Doceat te certe Hieremias dicens: *Quia non repellet in æternum Dominus; quoniam cùm humiliaverit, miserebitur secundum multitudinem misericordiæ suæ: qui non humiliavit toto corde suo, neque repulit filios hominum*. Hoc certe in Threnis Hieremiæ legimus, & ex his, vel ceteris quæ sequuntur, advertimus [f] quia ideo humiliat sub pedibus suis omnes vinctos terræ, ut judicium ejus declinemus. Sed nec toto corde humiliat peccatorem usque ad terram, qui etiam de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem; NON ENIM ex toto corde humiliat, qui se veniæ reservat. (*Thren. 3. 31. & 32. Psal. 112. 7.*)

24. Quod si non ex toto corde omnem humiliat peccatorem, quanto magis non ex toto corde humiliat eum, qui non ex toto corde peccavit? Nam sicut dixit de Judæis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*; fortasse & de aliquibus lapsis dicat: Isti labiis me negarunt, sed corde mecum sunt. Vicit eos pœna, non avertit perfidia. Sine causa autem (*Esa 29. 13. Matth 15. 8.*)

a Omnes edit. cum uno ms. *sic diceret*: ceteri mss. *sic redderet*. Optime; idem enim est ac priori parti hanc opponeret. Male vero hic Scripturæ perverti sensum arguit Sotus, cùm Vir sanctus tantum sententiæ suæ confirmationem aliquam è voce, *Omnis*, in altero periodi membro omissa petat, ex ipso sensu fusius postea disputaturus. Quod etiam is reprehendit, quæ dicuntur infra num. 26. in hoc non multos habebit suffragatores. Locum adi, & fateberis eum contra adversarios æque ingeniose ac pie tractatum.

b. Totus hic locus in Clarom. cod. ita contrahitur: *Quam ejus miserationis exaggerationem non solum in eo libro qui secundùm Matthæum scribitur Evangelii domini Jesu: sed etiam in eo lectum, qui secundùm Lucam, reperimus*. Ceteri atque edit. inter se consentiunt, nisi quod illorum nonnulli pro *scribitur* legunt *inscribitur*.

c. MSS. Aliquot omittunt *forte* pro quo nonnulli habent *aut forte*: at loco vocis *exclusos* Eras. ac Rom. edit. & quidam mss. legunt *excussos*: Amerb. & Gill. *excisos*.

d. Albin. ac Thuan. cod. *insinuanda ejus misericordia*: melius alii, atque edit. *insigne ejus misericordia*, id est, signum, testimonium, documentum &c.

e. Vet. edit. *& si Judæus miretur*; male: Rom. & mss. aliquot, *& si Judæis minetur*; melius: optime ceteri mss. ut in contextu.

f. Germ. cod. ant. *quia non ideo humiliat*.

his aliqui veniam negant, quorum fidem [a] usque confessus persecutor est, ut eam studeret expugnare tormentis. Negarunt semel, sed quotidie confitentur: negarunt sermone, sed confitentur gemitibus, confitentur ejulationibus, confitentur fletibus, confitentur liberis non [illegible]actis vocibus. Cesserunt quidem ad tempus diaboli tentationi: sed etiam diabolus postea recessit ab his, quos sibi vindicare non potuit. Cessit eorum fletibus, cessit pœnitentiæ: quos invaserat alienos, perdidit suos.

25. Nonne ita istud est, ac si quis captivum victæ urbis populum abducat? Captivus ducitur, sed invitus: qui in alienas terras necessitate contendat, intimo tamen non migret affectu, patriam secum animo vehat, quærat copiam quemadmodum revertatur. Quid ergo? Cùm hujuscemodi revertitur, num est aliquis qui persuadeat non recipiendum; minore scilicet honore, sed studio propensiore, ne habeat in quo insultet adversarius. Si armato ignoscis, qui pugnare potuit; non ignoscis ei, in quo sola pugnabat fides.

26. Ipsius diaboli de hujusmodi lapsis si requiramus sententiam, nonne videtur dicere: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me?* Quomodo enim mecum est, qui non recedit à Christo? Sine causa autem me colere videntur, qui doctrinam Jesu custodiunt: ego autem putabam quod meam docerent. PLUS DAMNANT, dum comperta deserunt. Certe Jesus in his amplius gloriatur, dum recipit revertentes. Exsultant omnes Angeli; quia gaudium majus est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm in nonaginta & novem justis qui non indigent pœnitentia. De me in cælo, de me in terris triumphus sumitur. Nihil Christo perit, quando hi qui ad me cum fletu venerant, cum desiderio ad Ecclesiam revertuntur: & horum exemplo etiam de meis periclitor, qui didicerint nihil hîc esse, ubi homines præsentibus provocantur præmiis; & plurimum illic, ubi gemitus, lacrymæ, jejunia meis epulis præferuntur. *Luc. 15. 7.*

CAPUT VI.

Novatianos dum peccatores à Christi convivio excludunt, non pii Samaritani, sed superbi legisperiti nec non sacerdotis atque levitæ, qui reprehenduntur in Evangelio, imitatores esse; immo iisdem etiam inclementiores.

Alias Cap. V. *Luc. 10. 33. & 34.*

27. HOs ergo, Novatiani, excluditis? Quid est enim aliud excludere, nisi spem veniæ denegare? Sed neque semivivum illum derelictum à latronibus Samaritanus præteriit: & vulnera ejus oleo vinoque curavit, prius infundens oleum quo foveret: supra jumentum suum imposuit vulneratum, * in quo ejus peccata vexit omnia; nec ovem pastor despexit errantem. *Luc. 15. 4.*

28. Vos autem dicitis: *Noli me tangere.* Vos dicitis volentes justificare vos ipsos: Non est proximus noster, superbiores quam legisperitus ille qui Christum tentare cupiebat; ille enim dixit: *Quis est meus proximus?* Ille interrogat, vos negatis; sicut sacerdos ille descendentes, & sicut levita prætereuntes, quem curandum suscipere debuistis, nec recipientes hospitio, pro quo Christus [b] duo numeravit æra, cujus te proximum fieri Christus jubet, ut facias in eum misericordiam. IPSE ENIM est proximus, quem non solùm conformis natura conjunxerit, sed etiam misericordia copulaverit. Ab eo te alienum superbiâ facis, extollens te frustra inflatus mente carnis tuæ, & non tenens caput. Si enim caput teneres, adverteres non tibi eum deserendum, pro quo Christus mortuus est. Si caput teneres, adverteres corpus omne compaginando potius quam solvendo, in incrementum Dei per copulam caritatis, & redemtionem crescere peccatoris. *Luc. 10. 29.*

29. Cùm igitur fructum omnem aufertis pœnitentiæ, quid aliud dicitis, nisi hoc: Nemo de vulneratis nostrum ingrediatur hospitium: nemo sanetur in nostra Ecclesia? Apud nos non curantur ægroti: sani sumus, medicum non habemus necessarium; quia ipse ait: *Non opus est sanis medicus, sed his qui male habent.* *Matth. 9. 12.*

CAPUT VII.

Christum ut omnes ad cœnam suam invitet, obtestatus, Novatianos nec ipsos ad eam ingredi, nec aliis ingressum permittere significat, quod Ecclesia sancta non imitatur. Deinde eosdem hæreticos cum Christo, qui omnes salvos fieri cupiat, partem habere non posse planum facit.

Alias Cap. VI.

30. ERgo, domine Jesu, ad Ecclesiam tuam totus adveni, quoniam Novatianus excusat. Novatianus dicit: *Juga boum emi*, qui jugum Christi suave non suscipit, & onus grave collo imponit suo, quod portare non queat. Novatianus servos tuos à quibus invitabatur, tenuit, & contumelia affectos occidit, * quos iterati baptismatis labe inquinavit. Mitte ergo ad exitus viarum, & collige bonos & malos: & debiles, & cæcos, & claudos introduc in Ecclesiam tuam. Jube impleatur domus tua: introduc omnes ad cœnam tuam; quia quem tu vocaveris, dignum facies, si sequatur. Ille sane rejicitur, qui non habuerit vestem nuptialem, hoc est, amictum caritatis, velamen gratiæ. Mitte, inquam, ad universos. *Luc. 14. 19.* *Luc 14. 21.*

31. [c] Non excusat Ecclesia tua à cœna tua, excusat Novatianus. Non dicit familia tua: Sanasum,

a. Omnes edit. *usque confessatus*; omnes mss. *usque confessus*. Et certe persecutores quodammodo confitentur eos Christi fidem habere, quos tormentis aggrediuntur. Nam si eadem fide illos crederent destitutos, amicorum loco ipsos haberent.

b. Sic omnes mss. at contra edit. omnes, *duos numeravit denarios*: eodem sensu; cuncti enim parvi pretii nummi olim ærei erant. Hinc dicti χαλκολόγοι qui stipem ab aliis corrogabant. Hinc etiam duo illa λεπτὰ viduæ à Christo Domino præ divitibus multo plura in gazophylacium immittentibus commendatæ reddidit Hieronymus *duo æra*. Sed hujusmodi loquutionum referti sunt libri. Infra autem pro *ut facias in eum misericordiam*, ut in cunctis edit. & pluribus mss. legitur; alii præferunt, *ut facilius in eum misericordiam habeas*.

*. Cyprianus epist. 73. Eusebius Hist. Eccl. lib. cap. 8. & alii eamdam hanc baptismatis iterationem objiciunt Novatianis: sed eorum baptismum vicissim improbavit idem Cyprianus epist. 76. Immo vero constat sanctum etiam Basilium Epist. 1. ad Amphil. can. 1. & Epist. 3. can 47. de illo dubitasse; cùm tamen Conc. Nicæni can. 8. & aliorum omnium P P. calculis fuerit approbatus.

c. Ita vet. edit. & mss. plerique, nisi quod in quibusdam præmittitur *se* ante *Novatianus*: Rom. autem edit cum paucis mss. *Quos non excusat Ecclesia à cœna tua, excusat. Novatianus.*

Hier. 17. 14. ſum, medicum non requiro; ſed dicit: *Sana me, Domine, & ſanabor: ſalva me, & ſalvabor.* Denique Eccleſiæ tuæ ſpecies eſt in illa, quæ acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti tui, dicens Matth. 9. 21. intra ſe: *Quia ſi tetigero veſtimentum ejus, ſalva ero.* Hæc ergo Eccleſia confitetur vulnera ſua, hæc curari cupit.

32. Et tu quidem, Domine, omnes cupis ſanare, ſed non omnes curari volunt. Non vult Novatianus, qui ſe putat eſſe ſanum. Tu, Domine, ægrum te eſſe dicis, & in minimo noſ- B Matth. 25. 36. tram ſentis infirmitatem, dicens: *Æger eram, & viſitaſtis me:* Novatianus illum minimum De pœnit. diſt. 1. c. poteſt fieri. §. Dicis Petro. viſitare neſcit, in quo tu deſideras viſitari. Tu dicis Petro excuſanti, ne ei pedes lavares: *Niſi* Johan 13. 8. *lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quod ergo iſti poſſunt conſortium tecum habere, qui claves regni non ſuſcipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant?

33. Quod quidem recte de ſe fatentur; non habent enim Petri hereditatem, [a] qui Petri ſedem C non habent, quam impia diviſione diſcerpunt: ſed hoc improbe, quod etiam in Eccleſia do- Matth. 16. 19. nari peccata negant poſſe, cùm Petro dictum ſit: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis;* cùm & ipſe Vas electionis Domi- 2. Cor. 2. 10. nicæ dicat: *Si cui autem quid donaſtis, & ego; nam & ego quod donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Cur igitur Paulum legunt, ſi eum tam D impie arbitrabantur erraſſe, ut jus ſibi vindicaret Domini ſui? Sed vindicavit acceptum, non uſurpavit indebitum.

CAPUT VIII.

Quanta diſcipulis ſuis Chriſtus contulerit? Novatianos dum manus imponunt ac baptiſmum conferunt, à ſe ipſis redargui; quippe quod eadem auctoritate peccata remittantur in pœnitentia atque in baptiſmate. Ad extremum eorum tu- E *mor maxime Dominico exemplo caſtigatur.*

Alias Cap. VII. 34. VUlt Dominus plurimum poſſe diſci- Johan. 14. 12. pulos ſuos, vult à ſervulis ſuis ea fieri in nomine ſuo, quæ faciebat ipſe poſitus in ter- Matth. 10. 8. ris. Denique ait: *Et majora his facietis.* Dedit Act. 9. 7. ut mortuos ſuſcitarent. Et cùm ipſe Saulo reddere poſſet uſum videndi, eum tamen ad Ananiam diſcipulum ſuum miſit; ut ejus benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiſe- F Matth. 14. 29. rat. Petrum quoque ſecum in mari juſſit ambulare & quia titubavit, reprehendit illico, b eo quod [b] doni gratiam fidei puſillitate mi- Matth. 5. 14. nuiſſet. Dedit etiam diſcipulis ut lux mundi eſſent per gratiam, qui erat ipſe lux mundi. Et quia deſcenſurus eſſet è cælo, & in cæ- 4. Reg. 2. 11. lum adſcenſurus Eliam ad cælum levavit, inde eum terris complacito redditurus tempore. Matth. 3. 11. Baptizaturus quoque in Spiritu ſancto & igne, per Johannem baptiſmatis ſacramenta præmiſit.

35. Omnia denique donavit diſcipulis ſuis, de quibus ait: *In nomine meo dæmonia ejicient, lin-* Marc. 16. 17. & 18. *guis loquentur novis, ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſupra ægros manus imponent, & bene habebunt.* Omnia ergo dedit, ſed nulla in his hominis poteſtas eſt, ubi divini muneris gratia viget.

36. Cur ergo manus imponitis, * & benedictionis opus creditis, ſi quis forte revaluerit ægrotus? Cur præſumitis aliquos à colluvione diaboli per vos mundari poſſe? Cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium eſt: quid intereſt, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum ſacerdotes vindicent? Unum in utroque myſterium eſt.

37. Sed dicis quia in lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam: ubi vultis, repudiatis? Sed hoc inſolentis arrogantiæ, non ſancti timoris eſt; ut faſtidio vobis ſint, qui volunt [c] agere pœnitentiam. Perpeti videlicet flentium c lacrymas non poteſtis. Non ferunt oculi veſtri vilia veſtimentorum, illuviem ſordidatorum, ſuperbo oculo, & tumido corde delicati mei, indignanti voce dicentes ſinguli: Noli me tangere, quia mundus ſum.

38. Dicit quidem Dominus ad Mariam Magdalenam: *Noli me tangere;* ſed non dixit, quia Johan. 20. 17. mundus ſum, qui mundus erat: tu audes, Novatiane, mundum te dicere, qui etſi operibus mundus eſſes, hoc ſolo verbo fieres immundus? Eſaias dicit: *O miſer ego, & compunctus corde;* Eſai. 6. 5. *quia cùm ſim homo, & immunda labia habeam, in medio quoque populi immunda labia habentis habitem:* & tu dicis, mundus ſum, cùm mundus Iob. 14. 4. non ſit, ut ſcriptum eſt, nec unius diei infans? David dicit: *Et à delicto meo munda me,* Pſal. 50. 4. quem utique miſericordem ſæpe Domini juſtificavit gratia: tu mundus, cùm tam injuſtus ſis, Matth. 7. 3. ut non miſerearis; ut feſtucam in oculo fratris tui videas, trabem autem quæ in oculo tuo eſt, non conſideres? Immundus enim apud Deum omnis iniquus. Quid autem injuſtius, quam ut velis tibi dimitti peccata tua, cùm roganti ipſe non putes remittenda? Quid injuſtius, quam ut te juſtifices, in quo damnas alterum; cùm graviora committas?

39. Denique remiſſionem celebraturus peccatorum noſtrorum dominus Jeſus dicenti ſibi Johanni: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad* Matth. 3. 14. & 15. *me!* reſpondit: *Sine modo; ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Et Dominus quidem venit ad peccatorem, cùm peccatum ipſe non haberet; & baptizari voluit, cui mundari neceſſe non erat: vos quis ferat, qui putatis vobis opus non eſſe mundari per pœnitentiam;

a. Omnes edit. ac mſſ. nonnulli, *qui Petri fidem:* alii multo plures potioreſque, *qui Petri ſedem.*

b. Edit. omnes, *dona gratiarum:* pauci mſſ. *donum gratiæ:* reliqui, *doni gratiam.* Optime; nam hîc tantum agitur de gratia ſeu favore doni illius quo Petro ſuper aquas pedibus incedere concedebatur. Iterum autem, ubi vet. edit. & cuncti mſſ. *lux mundi* Rom. edit. ſola adjecerat, *per naturam.*

*. *Benedictionis opus*, hoc loco idem eſt ac *benedictionis effectus.* Ceterum videtur hîc ſignari ea benedictio, qua ægri à presbyteris inunguntur, precibuſque Deo opt. Max. commendantur, ex præcepto Jacobi apoſtoli, quam nos extremam unctionem appellamus. Nam præter quam quod hujus ſacramenti effectus etiam eſt ægri ſanitas. de impoſitione manuum epiſcopi, ſeu confirmatione jam obſervavimus nihil curaſſe Novatianos.

c Nonnulli mſſ *agere pœnitentiam, perpeti videlicet fletu, lacrymas audire non poteſtis* Minus commode.

quia mundatos vos esse dicitis per gratiam, quasi jam peccare vobis impossibile sit?

CAPUT IX.

Scripturæ verbis, Si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo, *collatione similium locorum ostenditur non significari neminem rogaturum, sed dignum deprecatorem inquirendum esse, quales fuerunt Moyses ac Hieremias, quorum precibus populo Israelitico pepercisse Deus legitur.*

Alias Cap. VIII. 1. Reg. 2. 25.

40. SEd dicitis: Scriptum est: *Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum: si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo?* Primum, ut supra jam dixi, tunc te ista paterer objicere, si solis * prævaricantibus non relaxares pœnitentiam. Tamen quid scrupuli ista adfert quæstio? Non enim scriptum est: Nullus orabit pro eo: sed, *Quis orabit*, hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur.

41. Denique habes in Psalmo decimoquarto: (Psal. 14. 1.) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Non enim nullus, sed probatus habitabit: nec hoc dicit quod nemo requiescat, sed requiescat electus. Ut scias hoc esse verum, non multo post in psalmo vigesimo tertio ait: (Psal. 23. 3.) *Quis adscendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* id est, non quicumque de vulgo, nec plebeiæ vilitatis aliquis: sed vitæ egregiæ, singularisque meriti. Et ut scias quia cùm *quis*, dicitur, non intelligitur nullus, sed aliquis significatur, cùm dixisset: (Ibidem 4.) *Quis adscendet in montem Domini?* subjecit: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Et alibi: (Osee 14. 10.) *Quis sapiens, & intelliget hæc?* Numquid dicit quia nullus intelliget? Et in Evangelio: (Luc. 12. 42.) *Quis fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Et ut comprehendas quia de eo dixit, qui utique est, non de eo qui non est, subjunxit: (Ibid. 43.) *Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem.* Et illud ita opinor dictum: (Psal. 82. 1.) *Deus quis similis tibi?* non utique nullus; quia imago Patris Filius est. (De pœnit. dist. 1. c. si sacerdos. §. Deus. Hebr. 1. 3.)

42. Similiter igitur accipiendum: *Quis orabit pro eo?* hoc est, singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum. Quo major culpa, eo majora sunt quærenda suffragia. Non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo, sed Moyses rogavit, quando (1. Reg. 2. 25. Exod. 32. 31.) vituli caput fidei immemores adoraverunt. Numquid erravit Moyses? Atqui non erravit, qui quod rogavit, & meruit & impetravit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando se objecit pro populo, dicens: *Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ?* (Ibid. 32.) Vides quia non tamquam deliciosus intercessor, & fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat, quod Novatianus metuere se dicit: sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, ut plebem ab offensionis periculo exueret & liberaret.

43. Merito ergo scriptum est: *Quis orabit pro eo?* hoc est, talis qualis Moyses qui se offerat pro peccantibus: talis qualis Hieremias, cui prophetæ cùm esset dictum à domino Deo nostro: *Noli orare pro populo isto*; (Hier. 7. 16.) tamen oravit, & veniam meruit. Denique intercessione prophetica, & obsecratione tanti vatis inflexus Dominus dicit ad Hierusalem; [a] quoniam ea quoque pœnitentiam pro delictis egerat, dicens: (Baruch. 3. 1. & 2.) *Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te: audi, Domine, & miserere.* Et jubet luctus vestimenta deponi, & abjici gemitus pœnitentiæ; sic enim scriptum est in fine libri: (Ibid. 5. 1.) *Exue te, Hierusalem, stola luctus & vexationis tuæ, & indue te decorem ejus, quæ à Deo data est tibi gloria in æternum.*

CAPUT X.

Johannem non absolute ac simpliciter prohibuisse ne pro sontibus peccati ad mortem *fieret oratio; cùm pro similibus Moysem, Hieremiam ac Stephanum orasse non ignoraverit: & ipse quoque iisdem veniam significaverit non denegandam.*

44. TAles igitur deprecatores in delictis maximis sunt requirendi; nam si quicumque de populo orent, non exaudiuntur. (Alias Cap. IX.)

45. Unde nec illa quæstio vestra quidquam poterit adferre ponderis, quam sumitis de epistola Johannis dicentis: (1. Joan. 5. 16.) *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabit illi vitam Deus; quia non peccat ad mortem. Est peccatum ad mortem, non de illo dico, ut oret*; non enim ad Moysen & Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere: cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam * justorum orationibus reservandam putet. Nam quomodo Johannes diceret (De pœnit. dist. 1. c. si sacerdos. §. Nam quomodo.)

*. Quod ait Ambrosius *paterer*, non sic accipiendum, quasi hoc prævaricationis crimen irremissibile judicaverit, cùm tota hac lucubratione probet contrarium: sed concedit id unum, nempe illos verba Evangelistæ plausibiliori quadam veritatis specie usurpaturos, si intra prævaricationis limites se continerent.

a. Clarom. codex solus, *quoniam ea quoque pœnitentia pro delictis erat.*

*. Quæras fortasse quidnam hoc loco per vocem *justorum* significetur? Ut autem facilius id intelligas, adverte non de quibuslibet justis eam accipi posse; cùm non dubium sit, quin in populo tales fuerint multi, quibus tamen nihil aliud nisi ut pro levioribus culpis veniam oratione sua mutuo impetrent, concessum tradit beatus Doctor. Itaque vel intelligendi veniunt insigniter justi, quales fuere prophetæ ac martyres in Moyse, Hieremia, atque Stephano hic designati: vel saltem soli sacerdotes, qui & ipsi sub prophetarum persona adumbrari solent. Non est sane in controverso Ambrosium alludere ad Jacobi locum: *Confitemini alterutrum*, id est, alii aliis, *peccata vestra .... multum enim valet deprecatio justi assidua*; quibus verbis peccata sacerdotibus confitendi præceptum contineri plurimi cum ex antiquis patribus tum è recentioribus theologis docent. Quapropter vocem *alterutrum* determinari existimant per vocem *justi*, sacerdotem ad quem solum delictorum absolutio pertinet, significantis. Neque vero id à sententia Doctoris nostri de remittendorum criminum sacerdotali potestate alienum est: de qua consule *Comment. in Psal.* 118. Serm. 10. num. 17. & *Expos. in Lucam* lib. 5. num 11. Quod autem ad leviorum culparum expiationem, præter eas orationes quas alii pro aliis ex interno affectu profundebant, recitari etiam poterant psalmi aliquot, oratio Dominica, symbolum, & maxime confessio generalis quæ initio sacræ liturgiæ fieri consuevit: de qua hunc locum Morinus *de Pœnitentia* lib. 5. cap. 32. censet intelligendum. Sed cùm & in isto & in aliis nonnullis quos eodem modo accipiendos tradit, hujusmodi confessionis nulla fiat mentio, credibilius est, de solis fidelium pro se vicissim orantium precibus agi.

non orandum pro delicto graviore, qui legisset Moysen rogasse, & impetrasse; ubi erat prævaricatio voluntaria: qui sciret etiam Hieremiam rogasse? (Hier. 14. 13.)

Apoc. 2. 12. 46. Quomodo Johannes diceret non orandum pro peccato quod esset ad mortem, qui ipse in Apocalypsi scripsit mandatum Angelo Ecclesiæ Pergami? Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filiis Israel, manducare immolata, & fornicari; ita & tu habes tenentes doctrinam Nicolaitarum, similiter age pœnitentiam: ceterum venio tibi cito. Vides quod Deus qui pœnitentiam exigit, veniam polliceatur? Denique & ibi dicit: *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manducare manna absconditum.* (Apoc 2. 7.)

47. Nonne ipse Johannes cognoverat Stephanum pro persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, deprecatum; cùm de ipsis à quibus lapidabatur diceret: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* (Act. 7. 59.) Cujus precationis effectum in Apostolo videmus; Paulus enim (Act. 9. 15.) qui lapidantium Stephanum vestimenta servabat, non multo postea per gratiam Christi factus est apostolus, qui fuerat ante persecutor.

CAPUT XI.

Superior Johannis sententia illustratur alio ejusdem testimonio, quo credentibus in Christum salus promittitur. Unde arguuntur Novatiani ut qui lapsis fidem suadeant, quibus negent veniam. Additur multos martyrum post lapsum duplicem gratiam consequutos esse; nec non pii Samaritani exemplo declaratur eos in quibus vel tenuissima fides spiret, non deserendos.

Alias Cap. X. 48. Ergo quia de Johannis [*] generali epistola sermo est, ipsius Johannis in Evangelio scripta interrogemus, utrum cum vestra interpretatione conveniant. Scribit enim dixisse Dominum: *Quia sic dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Johan. 3. 16.) Si quem ergo lapsum revocare cupias; [a] ut credat, an ut non credat, hortaris? Utique ut credat. Sed qui credit juxta Domini sententiam, habebit vitam æternam. Quomodo ergo prohibebis orare pro eo, cui æterna vita debetur? cùm divinæ sit gratiæ fides, sicut Apostolus in divisionibus gratiarum docet, quia alii datur in eodem Spiritu fides (1. Cor. 12. 9.); & discipuli Domino dicant: *Adauge nobis fidem.* (Luc. 17. 5.) Qui ergo fidem habet, habet vitam: qui vitam habet, non est utique exclusus à venia. *Omnis*, inquit, *qui credit in eum, non pereat.* Cùm omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur; non enim excipit eum qui lapsus est, si tamen postea bene credat.

49. Plurimos comperimus [b] se denuo reformasse post lapsum, & pro nomine Dei passos: num possumus his martyrum consortia negare, quibus dominus Jesus non negavit? Audemus igitur dicere non esse his vitam redditam, quibus Christus coronam reddidit? Sicut ergo post lapsum plerisque si patiantur, corona redditur; ita si credant, & fides redditur. Quæ fides Dei donum est; sicut habes scriptum: *Quia à Deo vobis datum est, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut pro illo patiamini.* (Philip 1. 29.) Numquid is qui Dei donum habet, potest non habere indulgentiam?

50. Non una autem, sed duplex gratia est, ut omnis qui credit, & patiatur pro domino Jesu. Habet igitur qui credit suam gratiam: habet autem alteram, si fides ejus passionibus coronetur. Neque enim priusquam pateretur Petrus, sine gratia fuit: sed ubi passus est, adquisivit alteram. Et plerique qui non habuerunt gratiam, ut pro Jesu paterentur; habuerunt tamen gratiam, ut in Jesum crederent.

51. Ideo dicitur: *Ut omnis qui credit in eum, non pereat.* (Iohan. 11.) *Omnis*, inquit, hoc est, ex quocumque statu, ex quocumque lapsu, si credat, perire non timeat. Potest enim fieri ut aliquem de Hierusalem descendentem in Hiericho, hoc est, de martyrii certamine relapsum in istius vitæ cupiditatem sæcularemque gratiam, vulneratum à latronibus, hoc est, à persecutoribus, & semivivum derelictum Evangelicus ille Samaritanus inveniat, qui nostrarum custos animarum est (Samaritanus enim custos dicitur) & non prætereat eum, sed curet & sanet. (Luc 10. 33.)

52. Fortasse ideo non præterit eum, quia aliquid in eo vitale agnoscit; unde is possit vitam resumere. Nonne vobis videtur ille qui lapsus est, semivivus esse, si vitale aliquid [c] fides spiret? Nam qui penitus Deum ex suo corde abjicit, ille mortuus est. Qui ergo non penitus abjicit, sed per impressionem tormentorum ad tempus negavit, semivivus est. Aut si mortuus est, cur ei dicitis agendam pœnitentiam, qui jam curari non potest? Si semivivus est, infunde oleum & vinum, non vinum sine oleo, scilicet quod & foveat & remordeat. (Ibid. 34. & 35.) Tolle eum in jumentum tuum, trade stabulario, duo æra ad ejus curam impende, esto ei proximus. Proximus autem esse non potes, nisi facias misericordiam; nemo enim potest dici proximus, nisi qui curaverit, non occiderit. Si autem vis dici proximus, dicit tibi Christus: *Vade & tu fac similiter.* (Ibid. 37.)

CAPUT XII.

Locis ex Johannis Evangelio jam citatis alius indidem adjungitur. Tum servandorum Dei mandatorum necessitatem objicientibus facile respondetur non ei soli qui semper, sed etiam ei qui post lapsum illa servaverit, vitam promitti. Quod ubi ex Davide comprobatum est, quamdam tamen esse inter utrumque differentiam declaratur.

53. Aliud simile consideremus: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem non credit Filio, non videbit vitam, sed ira* (Alias Cap. XI. Iohan. 3. 36.)

*. Generalis dicitur prima Johannis Epist. quia non singulari alicui personæ, ut secunda & tertia, sed toti simul Ecclesiæ destinatur.
a. Mss. aliquot, *ut credat, hortaris? Utique* &c.
b. Tres mss. *se armasse*; unus, *se renovasse*.

c. Mss. aliquot, *fide speret*. Minus commode. Sed fortassis legendum, *fide spiret*. Eadem autem ratione Cyprianus epist. 52. de iis qui fidem intus conservantes, idolis thus ob tormentorum metum obtulissent, loquitur, qua hoc in capite Ambrosius.

Dei manet super eum. Quod manet utique jam A cœpit, & ex delicto aliquo cœpit; quia ante non credidit. Ibid. 36. Ubi ergo quis credit, ira Dei discedit, vita autem accedit. Credere ergo in Christum, lucrum vitæ est; qui enim credit in eum, non judicatur.

54. Sed referunt hoc loco, quoniam is qui credit in Christum, custodire debeat sermonem ejus; sic enim aiunt scriptum, dicente Domino: Johan. 12. 46. & 47. *Ego lux in hunc mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat: & si quis* B *audierit sermonem meum, & custodierit eum, ego non judico eum.* Ille non judicat, & tu judicas? Ille dicit: *Ut qui credit in me, in tenebris non maneat*, hoc est, & si fuerit in tenebris, non permaneat in eis, errorem emendet, culpam corrigat, custodiat mandata mea; dixi enim: Ezech 33. 11. *Nolo mortem peccatoris, sed correctionem*, Dixi supra: *Quoniam qui in me credit, non judicatur;* Johan 3. 17. & hoc custodio: *Non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvetur mundus per me.* De pœnit. dist. 1. cap. Libenter. Libenter C ignosco, promte indulgeo: Osee 6. 6. *Misericordiam malo, quàm sacrificium*; quia per sacrificium justus commendatur, per misericordiam peccator redimitur. Matth 9. 13. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* In Lege sacrificium, in Evangelio misericordia est: Johan. 1. 17. Lex per Moysen data est, per me gratia. Quid hoc evidentius?

55. Denique & subter ait: Johan. 12. 48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum.* Num tibi videtur accipere verba Christi, qui D se non correxerit? Profecto non videtur. Qui ergo corrigit se, accipit verbum ejus; hoc est enim verbum ejus, ut se unusquisque revocet à culpa. Aut excludas igitur necesse est hanc ejus sententiam: aut si negare non potes, adquiescas.

56. Oportet eum quoque mandata custodire Dominica, qui peccare desinat, delictis renuntiet. Non ergo de eo debes interpretari dictum, qui semper custodierit; si enim hoc sensisset, E addidisset, semper: non addendo autem, de eo pronuntiavit, qui quod audivit, custodierit: audivit autem, ut corrigeret errorem: custodivit igitur quod audivit.

Alias Cap. XII.

57. Quam vero durum sit ut ad pœnam vocetur perpetuam, qui vel postea custodit Domini mandata, ipse te doceat, qui etiam non custodientibus mandata sua veniam non denegavit, sicut habes in psalmi corpore: Psal. 88. 32. & 33. *Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non* F *custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non disperdam ab eis.* Omnibus igitur promittit misericordiam.

58. Sed ne sine judicio hanc esse misericordiam putetis, est discretio inter eos qui perpetuam detulerint obedientiam mandatis cælestibus, & inter eos qui aliquando vel errore, vel necessitate lapsi sint. Et ne nostro circumscribi te argumento putes, Christi judicium accipe; Luc 12. 47. & 48. etenim ait: *Si sciens servus voluntatem domini sui non fecit, vapulabit multis: si autem nescivit, vapulabit paucis.* Uterque igitur si credat, recipitur, quia *castigat omnem filium Deus, quem recipit:* Hebr. 12. 6. & quem castigat, morti utique non tradit; quia scriptum est: *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Psal. 117. 18.

CAPUT XIII.

Qui peccatum ad mortem *fecerint, non deserendos, sed pœnitentiæ subjiciendos ex Paulo docetur. Quid sit* tradi satanæ in interitum carnis, *& quam hoc optandum? Satanam corpori debilitates inferre, sed eas in spiritus utilitatem converti; unde magna Dei elucet potentia, qua illum ut sibi noceat, & nobis prosit, cogit invitum.*

59. Denique Paulus docet non deserendos eos qui peccatum ad mortem fecerint, sed potius lacrymarum panibus, & potu coercendos flebili; ita tamen ut ipsa moderata esset tristitia. Hoc enim significat: *Potum dabis eis in lacrymis in mensura;* Psal 79. 6. ut ipsa mæstitia mensuram habeat, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur, qui agit pœnitentiam, 2. Cor. 2. 6. & seq. sicut scripsit ad Corinthios: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate, spirituque mansuetudinis?* 1. Cor. 4. 21. Sed nec virga gravis est, quoniam legerat: *Tu quidem percuties eum virga, animam autem ejus à morte liberabis.* Prov. 23. 14.

60. Quid esset in virga venire, docet invectio fornicationis, accusatio incesti, [a] reprehensio tumoris, quod inflati essent, quos magis lugere oporteret: 1. Cor. 5. 1. & seq. postremo condemnatio rei, ut tolleretur à consortio communionis, & traderetur adversario, non ad interitum animæ, sed carnis. Sicut enim Dominus in animam sancti Job Job. 2. 6. potestatem non dedit, sed in carnem ejus permisit licentiam; ita & hic traditur satanæ in interitum carnis, Mich. 7. 17. ut serpens terram ejus lingeret, animæ non noceret.

61. [b] Moriatur ergo caro nostra cupiditatibus, sit captiva, sit subdita, nec legi mentis nostræ repugnet, sed bonæ servituti subjecta moriatur; sicut in Paulo qui castigabat corpus suum, ut servituti redigeret; 1. Cor. 9. 27. quo probabilior fieret prædicatio, si lex carnis ejus cum lege mentis congrueret & conveniret. Interit enim caro, cùm sapientia ejus [c] transit in spiritum; ut jam non quæ carnis sunt, sapiat, sed quæ sunt spiritus. Utinam videam infirmari carnem meam, utinam non trahar captivus in legem peccati, utinam non in carne vivam, sed in fide Christi! Rom. 7. 23. Galat. 2. 20. Et ideo major in infirmitate corporis gratia, quàm in salute. Denique & Paulum quem multum dilexit, noluit liberare ab infirmitate carnis, cui petenti ut discederet à se infirmitas, respondit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* 1. Cor. 12. 8. & 9. Et Paulus plus sibi in infirmitatibus placet, dicens: *Cùm infirmor, tunc potens sum;* Ibid 10. consummatur enim carnis infirmitatibus animæ fortitudo.

Alias Cap. XIII.

62. Explanavimus Pauli sententiam, nunc verba ipsa consideremus, qua ratione dixerit

a. Codex. Germ. alter, *responsio tumoris.* Infra vero ubi cunctæ edit. ac plures mss. *condemnatio rei*; alii habent partim, *condemnatio erroris*, partim, *condemnatio communis.*

b. Nonnulli mss. *Mordeatur ergo caro nostra . . . , subjecta adoretur.* Non satis recte.

c. Mss. aliquot, *transit in Christum.*

* quod tradiderit eum ſatanæ in interitum carnis; quia tentator noſter diabolus eſt. Nam debilitates membris ſingulis infert, & ægritudines toti ſolet movere corpori. Denique percuſſit ſanctum Job ulcere malo à pedibus uſque ad caput; ª quia in poteſtate acceperat interitum carnis ejus, dicente Deo: *Ecce trado tibi eum, tantummodo animam ejus cuſtodi.* (Job. 2. 6.) Hoc iiſdem verbis Apoſtolus tranſtulit, dicens quod (1. Cor. 5. 5.) tradiderit hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis; ut ſpiritus ſalvus ſit in die domini noſtri Jeſu Chriſti.

63. Magna poteſtas, magna gratia, quæ imperat diabolo, ut ſe ipſe deſtruat. Se enim deſtruit, cùm hominem quem tentando ſupplantare ſtudet, ex infirmo fortiorem efficit; quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat. (De pœnit. diſt. 1. cap. poteſt. § ægritudo.) ÆGRITUDO enim carnis peccatum repellit: luxuria autem carnis culpam adolet.

64. Illuditur ergo diabolus, ut ſe ipſe morſu ſuo vulneret, & contra ſe armet, quem debilitandum putavit. Sic & ſanctum Job magis armavit, poſteaquam vulneravit: qui totum corpus diris perfuſus ulceribus, diaboli quidem morſum pertulit, ſed venena non ſenſit. Et ideo (Job 40. 24.) bene ei dictum eſt: ***Adduces draconem in hamo, illudes eum ſicut avem: ligabis eum ſicut paſſerem puer, imponens ſuper eum manum.***

65. Vides quemadmodum à Paulo illudatur, (Eſai. 11. 8. & 9.) ut in cavernam ejus, ſicut puer ille propheticus, manum mittat, & nihil ſerpens noceat ei, de latebris eruat eum, de veneno ejus faciat ſpiritale antidotum; ut quod venenum eſt, medicamentum fiat: venenum eſt ad interitum carnis, medicamentum fit ad ſalutem ſpiritus. (De pœnit. diſt. 1. cap. poteſt. § Quod nocet.) Quod enim nocet corpori, juvat ſpiritum.

66. Manducet ergo terram meam ſerpens, ᵇ dentem carni infigat, conterat corpus, dicat Dominus & de me: *Trado tibi eum, tantummodo animam ejus cuſtodi.* (Job 2. 6.) Quanta vis Chriſti, ut cuſtodia hominis imperetur etiam ipſi diabolo, qui ſemper vult nocere. Dominum ergo Jeſum nobis propitiemus: imperante Chriſto, & diabolus ipſe fit prædæ ſuæ cuſtos, vel invitus mandatis obſecundat cæleſtibus: & quamvis immitis, tamen manſuetis obſequitur imperiis.

67. Sed quid ego commendo obſequium ejus? Sit ille ſemper malus, ut ſit bonus Deus ſemper, qui malitiam ejus nobis in gratiam convertit. (Ibid. 7.) Vult nocere ille, ſed non poteſt, ſi Chriſtus obſiſtat: carnem ulcerat, ſed cuſtodit animam: terram devorat, ſed reſervat ſpiritum. Denique (Eſai. 11. 6. & ſeq.) ſcriptum eſt: *Tunc lupi & agni ſimul paſcentur: leo & bos paleam manducabunt, ſerpens autem terram ut panem: & non nocebunt, neque vaſtabunt in monte ſancto meo, dicit Dominus.* Damnati enim ſerpentis hæc eſt ſententia: *Erit tibi terra cibus.* (Gen. 3. 14. Ibid. 19.) Quæ terra? Ea utique de qua dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.*

CAPUT XIV.

Quod ſupra dixerit Ambroſius carnem ad interitum ſatanæ traditam à ſerpente comedi, hoc ita demum docet fieri, ſi anima carnalibus cupiditatibus liberetur. Quamobrem multa præcipit ad oculorum mentiſque cuſtodiam neceſſaria: quæ caſtiſſimi Joſephi exemplo firmat: dehinc omnes ad retia quibus in voluptatis ignem trahimur, declinanda hortatus; ne timeamus quominus à ſerpente caro noſtra edatur, ſuadet.

68. HAnc terram ſerpens manducat, ſi propitius eſt nobis dominus Jeſus, ᶜ ut non compatiatur anima carnis debilitati, non accendatur vapore carnis, & calore membrorum. *Bonum eſt nubere magis quam uri;* (1. Cor. 7. 9.) eſt enim flamma quæ interna urit. Unde hunc ignem (Prov. 6. 27.) non alligemus in ſinu mentis, & receſſu pectoris, ne interioris noſtri uramus exuvias, & forenſe hoc noſtræ animæ veſtimentum, velamenque carnale edax libidinis flamma conſumat, ſed tranſeamus per ignem. (Eſai. 43. 2.) Et ſi quis incidit amoris incendium, tranſiliat, & tranſeat: non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullos ſibi nodos aſſiduæ nexu meditationis adſtringat, non intendat ſæpius in formam mulieris meretricis, nec adoleſcentula ad vultum juvenis oculos levet. Et ſi fortuitu adſpexit, & capta eſt; quanto magis capietur, ſi curioſa adſpexit?

69. Vel conſuetudo nos doceat. Ideo velamine obnubit caput ſuum mulier, ut etiam in publico tuta verecundia ſit: non facile vultus ejus adoleſcentis oculos occurrat, nuptiali velamine tecta ſit; ne vel fortuitis occurſibus pateat ad vulnus vel alienum, vel ſuum: ſed utrumque ſuum vulnus eſt. Quod ſi tegmine caput (1. Cor. 11. 5. & ſeq.) velat, ne temere aut videatur, aut videat (dum enim caput velatur, vultus abſconditur) quanto magis velare ſe debet pudoris tegmine, ut etiam in publico habeat ſuum ipſa ſecretum?

70. Verum eſto, inciderit oculus, ſed non intendat affectus. Non enim vidiſſe crimen eſt, ſed cavendum ne origo ſit criminis. Videt carnalis oculus, ᵈ ſed premat cordis oculos, maneat mentis verecundia. Habemus moralem & indulgentem Dominum; dixit quidem propheta: *Nolo intendas in formam mulieris fornicariæ;* (Prov. 5. 2.) ſed tamen Dominus dixit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam adulteravit eam in corde ſuo.* Non dixit: Si quis viderit;

*. Duplex fuit hujus ſententiæ interpretatio apud antiquos: altera qua illam de pœnitentiæ operibus queis corpus affligatur, & conteritur Origenes Hom. 24. in Levit. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium can. 7. & alii expoſuerunt: alteram vero qua eamdem plures è Græcis patribus ut Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius aliique ita voluerunt accipiendam, ut ab Eccleſia tradi ſatanæ in eorum corpora, qui ſeparati à communione fuerint, ſæviendi jus arbitrarentur. Ultimum hunc ſenſum Apoſtoli non eſſe in eumdem locum probat Eſtius, cujus rationibus alias addit lib. 6. *de Pœnit.* cap. 11. Morinus. In hoc porro lapſi ſunt magni viri, quod prior Ambroſium ſecundam hanc interpretationem tantummodo ſequutum crediderit: poſterior autem quod eumdem Patrem hoc loco verba divi Pauli cenſeat non niſi de carnis caſtigatione, quæ coercendis animi cupiditatibus adhibetur, expoſuiſſe; quamvis etiam eis à quibus de operibus pœnitentialibus Ambroſianus hic locus intelligetur, non reclamaturum ſe ſignificet. Fatendum autem eſt Doctorem noſtrum utramque Paulini loci explicationem amplexum eſſe; ultimam enim quam Chryſoſtomi & aliorum aliquos Græcorum fuiſſe diximus, aperte hoc loco proponit, ut vel ſolum Jobi exemplum abunde probat. Nec ſane mirum, cùm ipſemet, Paulino diacono teſte, hanc dæmonis poteſtatem in hominis quem ſegregaverat à ſacris, miſero ſpectaculo fuiſſet expertus. Priorem vero interpretationem hoc ipſo capite num. 59. ſatis inſinuat, ubi ait qui *peccatum ad mortem* perpetraverint, pœnitentiæ laboribus addicendos: & adhuc manifeſtius cap. 7. ſub finem, quem conſule.

a. Rom. edit *quia poteſtatem acceperat in interitum.*

b. Mſſ. aliquot, *dente carnis conteras corpus.*

c. Non pauci mſſ. *ut non patiatur anima carnis debilitatem, non accendatur calore corporis. Bonum eſt* &c.

d. Ita vet. edit. ac mſſ. aliquot, à quibus edit. Rom. hoc ſolo diſcrepat, quod verbum *maneat* non retinuit: alii mſſ. *premat corporis oculos manens mentis verecundia:* in quibuſdam autem nihil ſani.

adulteravit; sed: *Si quis ad concupiscendum viderit*, [a] non adspectum obligavit, sed affectum quæsivit. Bonus tamen pudor, qui ipsos corporis oculos sic premere consuevit, ut sæpe non videamus etiam quod videmus. Etenim specie adspicere videmur, quidquid occurrerit; sed si non misceatur animi intentio, hîc quoque secundùm carnis officium noster adspectus vanescit; ita plus videmus animo, quam corpore.

71. Et si viderit caro ignem, non alligemus ignem in sinu, hoc est, in secreto mentis, animique arcano. Non implicemus ignem hunc ossibus, non ipsi nobis nodos injiciamus, non misceamus sermonem aliquem cum hujusmodi, unde exæstuet ignis adulterinus. Sermo juvenculæ nodus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris.

Gen 39. 7. 72. Vidit hunc ignem Joseph, quando eum adulterii cupida mulier alloquuta est: voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum, sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit: misit manum, & apprehendit vestem ejus, ut nodo stringeret.

Prov. 7. 21. Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt, manus ejus amoris nodus est: sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excussa vestis, solutus est nodus; & ideo quia non alligavit ignem in sinu mentis suæ, non combussit corpus suum.

Alias Cap. XIV. 73. Vides ergo, quia animus noster culpæ est auctor? Itaque innocens caro, sed plerumque peccati ministra. Ergo [b] non te vincat formæ concupiscentia. Multa retia tenduntur à diabolo, multi laquei. Oculus meretricis laqueus amatoris est. Ipsi nobis oculi nostri retia

Prov. 6. 25. sunt; & ideo scriptum est: *Neque capiaris oculis tuis.* Ipsi nobis ergo tendimus retia, quibus involvimur & implicamur. Ipsi nobis vincula

Ibid. 6. 2. nectimus, sicut legimus: Quia vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur.

74. Et ideo transeamus ignem adolescentiæ, ardoremque juvenilis ætatis: transeamus aquam, non remaneamus in aqua; ne flumina nos profunda concludant. Transeamus magis,

Psal. 123. 5. ut & nos dicamus: *Torrentem pertransivit anima nostra;* qui enim transit, salvus est. Denique

Esai. 43. 2. Dominus sic ait: *Si transeas per aquam, tecum sum, flumina te non concludent;* & Propheta

Psal. 36. 35. & 36. dicit: *Vidi impium superexaltatum ultra cedros Libani: & transivi, & ecce non erat.* Transi sæcularia, [c] & cecidisse adspicies altitudines impiorum. Moyses quoque transiens sæcularia

Exod. 3. 3. flumina, vidit visum magnum, & ait: *Transiens videbo hoc visum;* si enim fuisset in corporis vitiis, & sæculi istius lubricis voluptatibus, tanta non vidisset mysteria.

75. Transeamus ergo & nos ignem hunc libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum, fecerat ut jam non timeret sibi, dicit nobis: *Fugite fornicationem.* 1. Cor. 6. 18. Fugiamus ergo tamquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur nosmet ipsos. Ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus eam de nostro excutimus animo, tollimus eam magis, quam relinquimus. Transiliamus ergo eam, ne nobis dicatur: *Ambulate in igne flammæ vestræ,* Esai. 50. 11. *quem accendistis vobis.* Quoniam sicut ille *qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburit;* Prov. 6. 27. sic qui ambulat super ignem, pedes comburat necesse est; quoniam scriptum est: *Ambulabit quis super* Ibid. 6. 28. *carbones ignis, pedes autem non comburet?*

76. Gravis ignis est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Graviora his sunt fomenta verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ vitis mentem inebriant. Caveamus tamen & hujus abundantiam vini; ubi enim caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat. Et ideo ad utrumque utile præceptum est, quo monetur Timotheus: *Vino modico utere propter frequentes tuas infirmitates.* 1. Tim. 5. 23. Cùm calet corpus, trahit vaporem: cùm alget morbi frigore caro, refrigeratur anima tua: cùm dolet corpus tuum, tristis est mens tua, sed tristitia tua in gaudium veniet.

77. Noli ergo timere si manducetur caro tua; anima tua non devoratur. Ideo David non timere se dicit; quia carnem ejus non animam inimici edebant, sicut legimus: *Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas:* Psal. 26. 2. *qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.* Ruinam igitur solam facit sibi serpens; ideo serpenti traditur, qui à serpente elisus est; ut quem dejecit, hunc erigat: & fiat ruina serpentis hominis resurrectio. Satanam autem corporalis hujus contritionis & carnalis auctorem debilitatis Scriptura ostendit, Paulo dicente: *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar.* 2. Cor. 12. 7. Sic ergo curare Paulus didicit, quemadmodum ipse sanatus est.

CAPUT XV.

Rediens à digressione quid sit venire in virga vel in spiritu mansuetudinis *docet. Sequestrandum graviter lapsum, sed eum Apostoli exemplo sacris reddendum, ubi pia plebis oratione atque lacrymis fuerit expiatus. Expurgari vetus fermentum, cùm littera durities mollioris explicationis farinâ temperatur. Quomodo Ecclesia farina omnes conspergi ac cibo caritatis pasci debeant; ne similes evadant invidi illius fratris, quem æmulantur Novatiani, quorum tumor illic notatur.*

78. Bonus itaque doctor dum promittit alterum de duobus, utrumque donavit. Venit in virga, quia à communione sacra convictum removit. Et bene dicitur tradi satanæ, qui separatur à Christi corpore. Venit

a. Amerb. & Eras. cum multis nec inferioris notæ mss. omittunt *obligavit;* forte non sensu deteriore.
b. Mss. aliquot satis probatæ manus, *non te vincat formæ concupiscentia* &c. Iterum vero pro *laqueus amatoris*, non pauci legunt *laqueus amoris.*
c. Nonnulli mss. *& omnem gloriam cecidisse adspicies impiorum.*

etiam in caritate, ſpirituque manſuetudinis, vel quia ſic tradidit, ut ſpiritum ejus ſalvum faceret, vel quia eum quem ante ſequeſtraverat, poſtea ſacramentis reddidit.

79. Nam & ſequeſtrari oportet graviter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat: & expurgandum eſt vetus fermentum, vel in ſingulis vetus homo, hoc eſt, exterior homo cum actibus ſuis, vel in populo inveteratus peccatis, vitiiſque concretus. Et bene dixit expurgandum, non projiciendum: quod enim expurgatur, non totum judicatur inutile; ideo enim purgatur, ut utile ab inutili ſeparetur: quod autem projicitur, nihil in ſe utile habere creditur.

a Alias Cap. XV. 80. Jam tunc igitur Apoſtolus [a] reddendum ſacramentis judicavit cæleſtibus, ſi purgari ſe ipſe vellet. Et bene ait: *Expurgate;* velut enim operibus quibuſdam totius populi purgatur, & plebis lacrymis abluitur, qui orationibus & fletibus plebis redimitur à peccato, & in homine mundatur interiore. Donavit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ut unum per omnes redimeret, quæ domini Jeſu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur.

81. Hic ſenſus Pauli eſt, quem verba obſcuriorem faciunt. Conſideremus ipſum Apoſtoli
1.Cor.5.7. ſermonem: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum; ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi.* Sive quod tota Eccleſia ſuſcipiat onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore eſt: & quaſi fermento ejus ſe totam conſpergat; ut per univerſos ea quæ ſuperflua ſunt
b in aliquo pœnitentiam agente [b] virilis miſericordiæ aut compaſſionis velut collativa quadam admixtione purgentur. Sive ut illa mulier
Luc.13.21. Evangelica docet quæ typum prætendit Eccleſiæ, eo quod fermentum abſcondat in farina ſua, donec fermentetur totum; ut mundum omne ſumatur.

82. Docuit me Dominus in Evangelio quid
Matth.16.11. ſit fermentum, dicens, *Non intelligitis quia non de pane dixi: Adtendite à fermento phariſæorum & ſadducæorum?* Tunc, inquit, intellexerunt quia non dixit à panibus, ſed à doctrina phariſæorum & ſadducæorum adtenderent ſibi. Hoc ergo fermentum, hoc eſt, doctrinam phariſæorum, & diſputationem ſadducæorum abſcondit Eccleſia in farina ſua; cùm litteram Legis duriorem ſpiritali interpretatione mollivit, & velut mola quadam ſuæ diſputationis infregit, proferens velut * de folliculis litterarum myſteriorum interna ſecreta; & reſurrectionis fidem adſtruens; qua Dei miſericordia prædicatur, qua reparari vita creditur mortuorum. *

83. Non abſurda autem videtur ad hunc locum adſumtio comparationis hujus. Siquidem regnum cælorum eſt [c] peccatoris redemtio; & ideo farina Eccleſiæ conſpergamur omnes boni & mali, ut ſimus omnes nova conſperſio: c
Ne quis autem vereretur, ne fermenti vitioſioris admixtio maſſam decoloraret, ideo dixit:
Ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi, hoc eſt 1.Cor.5.7.
tales conſperſio vos reddet, qualis erat innocentiæ veſtræ pura ſinceritas. Ita ſi miſereamur, non fuſcamur peccato alieno: ſed redemtionem ejus adquirimus noſtræ gratiæ; ut qualis erat puritas, perſeveret. Et ideo addidit:
Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, Ibidem.
hoc eſt, paſſio Domini omnibus profuit, & peccatoribus donavit redemtionem, quos flagitii pœnituit admiſſi.

84. Itaque epulemur bonum cibum, pœnitentiam gerentes, læti redemtione; nullus enim cibus eſt benevolentia & pietate dulcior: epulis noſtris atque lætitiæ nulla de peccatore ſervato invidia admiſceatur; ne ſe ipſe à domo Patris quemadmodum expoſitus in Evangelio invidus ille frater excludat, qui fratrem receptum Luc.15.28.
doluit, quem in perpetuum gaudebat excluſum.

85. Cujus vos ſimiles eſſe, Novatiani, non poteſtis negare, qui ideo, ut dicitis, in Eccleſiam non convenitis, quia per pœnitentiam * tributa ſpes fuerat his qui lapſi ſunt, revertendi. Sed hoc prætentum eſt ſpecie. Ceterum epiſcopatus amiſſi dolore ſuccenſus Novatianus ſchiſma compoſuit. *

86. Sed non intelligitis quia de vobis quoque propheta vit Apoſtolus, & vobis dicit: *Et vos* 1.Cor.5.2.
inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis; ut tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit? Utique tunc penitus tollitur, cùm aboletur peccatum ejus; non enim excludendum ab Eccleſia dicit Apoſtolus, qui ſuadet eſſe purgandum.

a. Ita Rom. edit. ac mſſ. omnes: at vet. edit. male præferebant, *addendum ſatramentis*; & nihilo melius ult. Pariſ. *credendum ſacramentis*. Ceterum Ambroſius cùm in aliis ſuis libris, tum in his potiſſimum graviorum criminum reos tam frequenter ut ad Eccleſiæ univerſorumque chriſtianorum preces confugiant, hortatur, ut ambiguum haberi non poſſit, quin ſuffragia illa non fecerit minoris quam Tertullianus: cujus ea de re lib. de Pœnit. cap. 10. verba illa ſunt: *Cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras: æque illi cùm ſuper te lacrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus pro te vulneratur* &c. Quibus autem ceremoniis publicæ illæ preces ac lacrymæ pro pœnitentibus funderentur, diſcat iſtarum rerum ſtudioſus ab auctore *Conſtit. apoſtol.* lib. 2. cap. 18. & maxime lib. 8. cap. 9. item è Conc. Laodic. can. 19. quibus ſi libuerit adjicere quæ de hoc ritu apud Chryſoſtomum Hom. 72. in Matth. & 18. in 2. ad Corinth. legere eſt, eumdem in orientali Eccleſia receptum & communem fuiſſe compertum fiet. Sed in occidentali quoque ipſum non minus obtinuiſſe præter citatum Ambroſium variis locis, Pacianum *Exhort. ad Pœnit.* & Epiſt. 1. ad Sympron. & alios, teſtes etiam ſunt Sozomenus lib. 7. Hiſt cap. 16. & *Ordo Romanus* eo loci quo abſolutionis feriæ 5. in cœna Domini ratio deſcribitur.

b. Eraſmus & ſeq. edit. *viritim miſericordiæ*. Optime ſane & accommodate ad illas voces, *collativa quadam admixtione*; his enim non dubium eſt aliud ad laudatiſſimum hunc veterum morem, quo cùm quiſpiam amicorum caſu aliquo bonis everſus fuerat, illius amici viritim ἔρανον, id eſt, collatitiam pecuniam tribuebant, ut inde ſublevaretur ejus calamitas; ut docet Caſaubonus *Comment. in Theoph. Charact.* ad Cap. περὶ αὐθαδείας. Et eam quidem beneficentiam ſic amplificavit primorum chriſtianorum caritas, ut Apoſtolo non ſemel illius rei teſte fratribus qui non modo in eadem urbe, ſed etiam in diverſis atque diſſitis inopia premerentur, juvandis collectæ fierent. Quem morem à re corporea tranſtulit S. Doctor ad ſpiritalem. Attamen licet adverbium *viritim* peculiarem hoc loco gratiam habeat, cùm *virilis* in mſſ. omnibus & apud Amerb. legatur, vocem hanc duximus retinendam. Neque vero ipſa ſuo etiam caret lepore; per eam enim hîc miſericordia gravis ac generoſa requiri oſtenditur, non autem mollicula & muliebris, qualem vel inepta cauſa ſæpe commovet.

*. *Folliculis* grana ſeminum velut pelliculâ integuntur.

c. Germ. cod. aur. *peccatorum remiſſio*. At paucis interjectis, ubi omnes edit. *ut ſimus in nova conſperſione. Quis autem vereretur* &c. Omnes mſſ. magis commode ut in contextu.

*. Novatiani ut ſeceſſionem ſuam defenderent, Eccleſiam per lapſorum receptionem contendebant interiiſſe; ut Cyprianus Epiſt. 52. & Pacianus pag. 57. teſtificantur, atque adeo *in hæreſim ſchiſma verterunt*, ut loquitur Auguſtinus de Donatiſtis, qui ſe Novatianorum hac in parte ſedulos imitatores præbuerunt. Etenim Eccleſiam, quod cum Cæciliano communicaret à librorum ſacrorum, ut clamitabant, traditoribus ordinato, funditus periiſſe delirabant. Sed epiſcopatus amiſſi dolor Donatum non minus angebat, quam Novatianum: de quo hic Ambroſius noſter, & nos in Admonitione quæ conſulenda.

CAPUT XVI.

Novatiani cum Apostolo comparantur. Quam pulcre illis conveniat Domini verbum: Nescitis cujus spiritus estis? *Pœnitentiæ studium ab eis extingui, dum ejus fructum è medio tollunt. Hoc pacto Christi promissis privari peccatores; qui tamen non cito admittendi ad mysteria. Denique pœnitentium quorumdam exempla proponuntur.*

87. CUm igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum B negatis? Quis reverentior Christi, Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum misericordem, noverat dominum Jesum severitate magis discipulorum offensum, quam misericordia. (2.Cor.2.10.)

88. Denique Jacobum & Johannem dicentes quod ignem de cælo peterent, qui consumeret eos, qui Dominum recipere nolebant, confutavit Jesus dicens: *Nescitis cujus spiritus estis; Filius enim hominis non venit animas hominum perdere, sed salvas facere.* Et illis quidem dixit: *Nescitis cujus spiritus estis*, qui ipsius erant spiritus; vobis autem dicit: Non estis spiritus mei, qui meam clementiam non tenetis, qui meam refutatis misericordiam, qui excluditis pœnitentiam, quam ego per apostolos meos prædicari volui in nomine meo. (Luc. 9.55. & 56.)

89. Frustra enim dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. HOMINES enim ad aliquod studium aut præmiis aut fructibus incitantur: omne autem studium torpescit dilatione. Et ideo Dominus ut præsentium fructu cumularetur devotio discipulo- (Luc.24.47.) (Matth. 19. 29.) D

A rum, dixit quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum sequutus esset, [a] septies tantum reciperet & hîc & in futurum. Prius hîc promisit, ut fastidia dilationis auferret: addidit & in futurum, ut hîc disceres credere in futurum quoque solvenda tibi præmia. REMUNERATIO igitur præsentium testimonium futurorum est.

90. Si quis igitur * occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit; quomodo ista recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus; ut ignoscatur, obsecret: & cùm secundo & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat; ut de ipso dicat dominus Jesus: *Remissa sunt peccata ejus multa; quoniam dilexit multum.* (Luc. 7.47.)

91. Cognovi quosdam in pœnitentia sulcasse C vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper & pallido mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.

CAPUT XVII.

Severitati pietatem addendam esse, quod Apostolus præstitisse ostenditur in corinthio. Hunc baptismate contra Novatianorum cavillos initiatum fuisse adstruitur. Quibus additur non destructionem, sed castigationem carnis, per vocem interitum significari, quod etiam terræ similitudine confirmatur.

92. QUid exspectamus ut mortui mereantur veniam, qui mortem sibi intule- runt,

a. Ita vet. edit. ac multo plures mss. at Rom. edit. cum nonnullis aliis cod. habet *centies*: quod quidem ad loci Evangelici verba scite congruit. Nihilominus tamen *septies* à Cypriano quater, & ab Auctore *Quæst. novi & vet. Testam.* apud Augustinum ter citari observatum est à Latinio.

*. Mirum quantum hic locus Dallæum torserit. Nam lib. 3. de Confess. cap. 11. illum à Petronio objectum leviter admodum transiliens: *Et hæc*, inquit, *in Novatianos dicta sunt, significantque pœnitentem reconciliari debere, quod non negamus: nemini nisi peccata apud sacerdotem occulte confesso, ullum peccatum remitti, quod nos negamus, non significant.* Sed cum non posset non videre homo ingeniosus in promtu esse adversus ipsum concludere: Si peccata occulta habentem nec non eorum causa pœnitentem reconciliari oportuerit; ergo peccata occulta subjecta fuerunt pœnitentiæ publicæ, ergo subjecta etiam fuerunt sacerdotum auctoritati: ad id quidem ille hoc loco nihil. Verum lib 4. ejusdem Operis cap. 22. non diffitetur interdum fieri potuisse, ut qui conscientiam secretorum criminum sarcina gravem haberent, illam sponte ac sine legis cujusquam coactione exonerarent, apud sacerdotem, cujus consilio volentes lubentesque publicæ pœnitentiæ subjicerentur. Quod ibi fusius prosequutus adjicit: *Atque hæc in primis præfari hoc loco visum est, ne quem turbet, aut à vero abducat, si quod vel ipse offenderit, vel ab Arnaldo allatum viderit singulare hujusmodi pœnitentiæ apud veteres exemplum.* Ex quibus verbis facile nec sine causa colligitur non omnino rara vel singularia visa esse ista exempla; quippe qui negare quin talia & apud Arnaldum & alibi reperiantur, ausus non fuerit. Nune peteremus ab illo ministro, utrum esset minus scandalum quempiam occultam noxam voluntarie confessum publice pœnitere, quam ex legis imperio confessum? Immo vero scandalum eo majus moveret, quo rariores essent, qui publicam pro occulte commissis agerent pœnitentiam. Ergo cùm hujusmodi scandalum non prohibuerit, quominus pastores ad pœnitentiam publicam eos, qui voluntarie occulta confiterentur, admitterent; nec illos quoque potuit deterrere, ne legem de palam confitendis etiam reconditis criminibus sancirent. Eumdem rursus interrogaremus an distantia minor sit à peccato publico ad secretum voluntarie & ultro declaratum, quam ad declaratum ex legali necessitate? Hoc sane dixerit nemo, cùm evidentissimum sit contrarium. Cùm igitur hoc tantum discrimen non fuerit impedimento, quominus occulta voluntarie confitentes iisdem publicis pœnis addicerentur, quibus manifestorum scelerum reos afficiebant; nec etiam impedire debuit ne leges de secretis piaculis per eamdem publicam pœnitentiam qua curabantur manifesta, eluendis constituerentur. Ex hinc clarum est præcipua illa incommoda, quæ opponit necessariæ occultarum culparum confessioni, quam rejicit; non minus pugnare contra voluntariam, quam admittit. Itaque haud immerito illud responsum auctori suo non satisfecit: sed tertium adtulit prioribus multo futilius, cùm editos omnes codices corruptionis in verbo *occulta* postulavit. Exspectabamus ut editis codicibus opponeret manu exaratos, sin minus omnes, saltem aliquos, saltem unicum: quod cùm nec fecerit, nec potuerit, hic unus editorum ineditorumque librorum qua veterum qua recentium consensus plusquam sufficit, ut idem locus auctoritatem plene planeque conservet suam. Audiamus tamen ejus conjecturas. Primùm ille sciscitatur à catholicis, quorsum occultorum potius quam manifestorum istic mentio? Quasi vero, inquit, Novatiani solis occultis veniam negandam adseverassent, vel Ambrosius occultorum tantum exsolutionem ab Ecclesia sperandam ostenderet. Sed quis tam oculatum virum non miretur hoc loco tam cæcutire, ut non viderit hic propterea non nisi secretorum mentionem fieri, tum quia cuilibet expeditum erat à fortiori, ut aiunt, colligere de manifestis, de quibus alioqui abunde agitur in hoc Opere; tum quia sic evidentius fiebat crudelitatem Novatianorum patere latissime, quippe qua etiam occulti peccatores à spe veniæ excluderentur. Attamen urget adhuc Dallæus, & non *occulta*, sed *multa* legendum esse credit ex eo egregie probari, quod *proclive fuerit librariis hic decipi, & pro m duplex c c legere.* Quod quidem à similitudine utriusque elementi, ab antithesi inter multa peccata & pœnitentiam pro Christo susceptam hic apposita, denique à relatione quæ hisce verbis cum sequenti Evangelii loco intercedit. Sed primo pergratum ille nobis fecisset, si hujuscemodi lapsus aliquot exempla in medium protulisset; nobis enim nulladum observata possumus affirmare. Deinde quæ causa fuit, cur in citato Lucæ testimonio non idem peccarint librarii, vel saltem eodem loco admoniti fuerint admissæ corruptionis. Cur illam ex argumentis adeo, ut Dallæo videtur, perspicuis ante ipsum nemo deprehenderit? Sed profecto non minus referentur Ambrosiana verba ad memoratum testimonium si legeris *occulta*, quam si *multa*; nisi forte si occulta crimina non æque multa committi possint, ac manifesta. Quod vero ad antithesin, certe in lectione nostra multo pulcrior est, cùm sic clanculum admissa publicæ pœnitentiæ opponantur. Utcumque sit, inquit, an unicus hic locus & rationibus, & contrariis ceterorum PP. testimoniis æquum est anteponi? Sed hæc fuga est, non responsio. Nam & alios PP. hic Ambrosio contrarios esse pernegamus, & multos cum Ambrosii tum aliorum veterum locos huic suffragari contendimus. Nonnullos notavimus priore tomo, ut puta lib 7. in Luc. pag. 1465. & lib. 10. pag. 1525. atque alibi. Plures etiam suppeditabunt in editis de hac materia libris Alexander, Bibaqueus, ac Sammarthanus noster, quos consule.

2. Cor. 2. 6. runt, cùm viverent? Satis est, inquit, ei qui A talis est, objurgatio hæc quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis & consolemini; ne forte abundantiore tristitia absorbeatur. Si satis ad condemnationem est objurgatio, quæ fit à pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio, quæ fit à pluribus. Moralis magister & nostræ fragilitatis conscius, & pietatis divinæ interpres, vult donari peccatum, vult consolationem adhiberi; ne tristitia pœnitentem tædio longæ dilationis absorbeat.

93. Ideo ergo donavit Apostolus, nec solum donavit, sed etiam confirmari in eum caritatem voluit. Qui carus est, non habet duritiam, sed mansuetudinem. Nec solum donavit ipse, sed voluit etiam omnes donare, & se propter alios donasse dixit; ne multi propter unum
Ibidem 10. diutius contristarentur. *Si cui*, inquit, *donastis, & ego; nam & ego propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à satana; nec enim versutias ejus ignoramus.* Recte potest serpentem C cavere, qui ejus potest versutias non ignorare, quæ multæ ad nocendum sunt. Vult semper nocere, semper circumvenire; ut mortem inferat: sed debemus cavere ne remedium nostrum fiat ejus triumphus; circumvenimur enim ab eo, si per [a] nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam.

94. Et ut sciremus quia de baptizato dicit,
1. Cor. 5. 9. addidit: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mun-* D *di.* Et infra subjunxit:
Ibidem 11. *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si quis frater nominatur fornica-* A *tor, aut avarus, aut idolis serviens.* Quos simul junxit ad pœnam, simul voluit etiam ad veniam pertinere. *Si quis autem talis est*, inquit, *cum hoc nec cibum sumas.* Ibidem. Quam severus pertinacibus, quam indulgens rogantibus! Adversum illos Christi armatur injuria, his Christi invocatio suffragatur.

95. At ne quis forte eo moveatur, quia scriptum est: *Tradidi hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis*, Ibidem 5. & dicat: Quomodo potuit ad B veniam pertinere, cujus omnis interierat caro; cùm manifestum sit in utroque redemtum hominem, in utroque salvari: neque animam sine carne, neque carnem sine anima; cùm sibi sint gestorum [b] operum consortiis copulatæ; sine consortio vel pœnæ esse vel præmii? Is sibi responsum hoc habeat, quod interitus non consummatam absumtionem carnis significet, sed castigationem. Sicut enim mortuus peccato, Deo vivit: ita illecebræ carnis intereunt, & cupiditatibus suis moritur caro; ut castitati ceterisque bonis operibus reviviscat.

96. Et quod aptius exemplum, quam de matre sumamus? Namque ipsa de qua adsumti sumus, terra, intermisso exercitio cultuque, videtur deserta: & aut vinetis quibus consitus est ager, aut oleis moritur; succum tamen proprium velut quamdam sui animam non amittit. Denique repetita cultione, & creditis seminibus, quibus habilis æstimatur, feracior adsurgit fructibus. Non ergo alienum si etiam nostra caro interire sic dicitur; ut repressa magis, quam absumta credatur.

a. Germ. cod. antiquior, *nimiam obstinationem.*

b. Mss. non pauci, *gestorum operumque consortes copulata.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Ambrosius libri superioris præceptis nova subtexturus, necessitatem mature agendi pœnitentiam allegorice insinuat, quam & suadet agendam: deinde illius forma in Apostolo imitationi proposita, varios ejusdem fructus strictim proponit.

1. ETsi non pauca quæ ad cohortationem pœnitentiæ proficiant, scripta sint in libro superiore; tamen cùm adjici possint complura, ne velut semesas verborum nostro- B rum epulas reliquisse videamur, inceptum persequamur convivium.

2. Agenda est enim pœnitentia non solum sollicite, sed etiam mature: ne forte Evangelicus ille paterfamilias qui arborem ficum plantavit in vinea sua, veniat; & quærens fructum in ea, si non invenerit, dicat cultori vineæ:
Luc. 13. 7. *Succide illam. Ut quid etiam terram occupat?* Et nisi cultor vineæ interveniat, dicens:
Ibid. 8. & 9. *Domine, remitte illam & hoc anno, usque dum fodiam* C *circa illam, & mittam cophinum stercoris: & si* A *quidem fecerit fructum; sin autem, excidatur ficulnea.*

3. Stercoremus ergo & nos agrum hunc quem possidemus, & imitemur laboriosos agricolas, quos * non pudet fimo pingui satiare terram, & immundo cinere agrum adspergere, ut fructus uberiores colligant.

4. Et quemadmodum stercoremus, docet Apostolus dicens: [a] *Et æstimo omnia ut stercora, ut Christum lucrifaciam*, Philip. 3. 8. qui per infamiam & bo- B nam famam meruit Christo placere. Legerat enim quod Abraham dum se stercus & cinerem fatetur, Gen. 18. 3. summa humilitate invenit Dei gratiam. Legerat quod Job in stercore sedens, omnia quæ amiserat, recuperavit. Job 24. Legerat, prophetante David, quod Deus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem. Psal. 112. 7.

5. Et nos ergo * non erubescamus fateri Domino peccata nostra? Pudor est ut unusquisque crimina sua prodat: sed ille pudor C agrum suum arat, spinas tollit perpetuas, sentes amputat, fructus adolet, quos inter mor-

*. Imitatio illorum versum è lib. 1. Georg.
Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.

a. Vet. edit. & pauci mss. *Et æstimo stercora*: Rom edit. & alii pauciores, *Et æstimor stercora*: reliqui mss. ut in textu, nisi quod nonnulli habent, *æstimari.*

*. Hic agi de confessione quæ Deo apud sacerdotem illius ea in parte vicarium editur, compertum facit quod statim sequitur: *Pudor est* &c. Quem enim pudeat apud eum solum peccata fateri sua, cui eadem elatius quam sibi ipsi cognita esse perspectum habeat? Certe in eo quod illa perpetraverit, pudor esse poterit, non autem in illorum confessione. Rursus vero quod unusquisque dicitur prodere crimina sua, inde satis intelligitur non de publicis tantum criminibus & scandalo conjunctis agi, sed etiam de occultis & reconditis, quæ ab aliquo sponte deferantur ad sacerdotem. Consule quæ de reo minoris culpæ dicuntur infra cap. 4. num 27.

tuos esse credebat. Sequere illum qui bene A arando agrum suum, fructus quæsivit æternos. 1 Cor. 4. 12. & 13. *Maledicimur*, inquit, *& benedicimus : persecutionem patimur, & sustinemus : blasphemamur, & obsecramus : tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus.* Si & tu sic araveris, seminabis spiritalia. Ara, ut peccatum auferas, fructum adquiras. Ille aravit, ut persecutoris in se eradicaret affectum. Quid plus potuit nobis conferre Christus ad studium correctionis, quam ut converteret, & daret nobis ex persecutore B doctorem?

CAPUT II.

Apostolicum locum ab hæreticis contra pœnitentiam objectum solvit, eumque de baptismatis iteratione intelligendum cum singularum illius partium expositione, tum præmissa ibidem legalium baptismatum mentione ostendit; quamvis subjungat eo quoque illum posse referri, ut quod impossibile sit hominibus, Deo impossibile nequaquam habeatur. C

6. CUm igitur tam evidenti & ipsius Apostoli, & scriptorum ejus exemplo redarguantur, tamen adhuc obniti volunt, & auctoritatem aiunt * Apostolicæ sibi suffragari sententiæ, allegantes scriptum ad Hebræos : Hebr. 6. 4. & seq. *Impossibile est enim hos qui semel illuminati sunt, & gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & bonum gustaverunt Dei verbum,* D *virtutesque futuri sæculi, lapsos iterum renovari in pœnitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei, & ostentatione triumphantes.*

7. 2 Cor. 2. 10. Numquid Paulus adversus factum suum prædicare potuit? Donavit Corinthio peccatum per pœnitentiam; quomodo hîc potuit sententiam suam ipse reprehendere? Ergo quia non potuit quod ædificaverat destruere, non contrarium dixisse eum, sed diversum advertimus. Quod enim contrarium est, se ipsum im- E pugnat: quod diversum est, distinctam solet habere rationem. Ita autem contrarium non est; ut alterum suffragetur alteri. Etenim quia de remittenda prædicavit pœnitentia, debuit & de iis qui iterandum putant baptismum, non silere: & prius sollicitudinem nobis auferri oportuit, ut sciremus etiam post baptismum, si qui peccarent, donari eis posse peccatum; ne spe veniæ destitutos iterandi baptismatis opinio vana perverteret: deinde iterandum F non esse baptisma rationabili disputatione suadendum fuit.

8. De baptismate autem dictum verba ipsa declarant, quibus significavit impossibile esse lapsos renovari in pœnitentiam; per lavacrum enim renovamur, per quod renascimur, sicut Rom. 6. 4. ipse Paulus dicit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et alibi: Ephes. 4. 23. & 24. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est.* Et alibi: Psal. 102. 5. *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua;* [a] quod etiam aquila, cùm fuerit mortua, ex suis reliquiis renascitur, sicut per baptismatis sacramentum, cùm fuerimus peccato mortui, renascimur Deo, ac reformamur. Unum ergo baptisma docet, sicut alibi: Ephes. 4. 5. *Una fides, unum,* inquit, *baptisma.*

9. Illud quoque evidens, quod in eo qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei; quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu. Denique scriptum est, quia Rom. 6. 3. *quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus.* Et infra: Ibid. 5. & 6. *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci.* Et ad Colossenses ait: Coloss. 2. 12. *Consepulti ei per baptismum, in quo & consurrexistis.* Quod ideo scriptum est, ut credamus quia ipse crucifigitur in nobis; ut per illum peccata nostra mundentur, ut ipse chirographum nostrum affigat cruci, qui solus potest donare delicta. Ipse in nobis Principatus & potestates triumphat; quoniam de ipso scriptum est: Ibidem 15. *Principatus & potestates ostentavit, triumphans eos in semet ipso.*

10. Ergo quod ait in hac epistola quæ scribitur ad Hebræos, Hebr. 6. 6. impossibile esse *lapsos renovari in pœnitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei, & ostentatione triumphantes*, eo spectat, ut de baptismo dictum credamus, in quo crucifigimus Filium Dei in nobis; ut per illum nobis mundus crucifigatur, qui quadam triumphamus specie, dum similitudinem mortis ejus adsumimus, qui principatus & potestates in sua cruce ostentavit ac triumphavit; ut in mortis ejus similitudinem nos quoque de principatibus quorum jugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel peccato mortuus; & ideo unum non plura baptismata.

11. Quid quod & supra doctrinam baptismorum præmisit? Et quia multa erant baptismata in Lege, merito reprehendit illos qui perfecta dimittant, & principium verbi requirant. Docet nos scire oportere destructa esse universa Legis baptismata, unum baptisma esse in Ecclesiæ sacramentis. Hortatur autem nos, ut relinquentes initium verbi, ad perfectum tendamus: Hebr. 6. 3. *Et hoc faciemus*, inquit, *siquidem permiserit Deus;* non potest enim sine favore Dei aliquis esse perfectus.

12. Possem quidem etiam illud dicere ei, qui hoc de pœnitentia dictum putat; quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum: & potens est Deus quando vult donare nobis peccata, etiam quæ putamus non posse concedi. Et ideo quod nobis impossibile

*. Non alium locum qui magis hæresi suæ patrocinari videretur, quam istum proferebant Novatiani. Et hoc quidem in causa fuit, cur serius hæc epistola apud latinos habita fuerit pro canonica, quemadmodum ex Eusebio lib. 3. Hist. Eccles. cap. 3. & lib. 6. cap. 20. ex Philastrio, lib. de Hæres. 41. ex Hieronymo variis locis cognoscere est. Epiphanius quoque præcipuum Catharorum in eo loco firmamentum fuisse, dum de eadem hæresi loquitur, tradit. Ceterum Ambrosiana responsio verissima est, eamque nobilissimi quique scriptores Doctori nostro suppares aut posteriores amplexati sunt; quamquam nonnulli de pœnitentia locum interpretati moralem impossibilitatem ibi significatam maluerunt: quæ responsio etiam in fine capitis indicatur.

a. Rom. edit. sola, *quod est: Sicut aquila cùm fuerit . . . . sic per baptismatis* &c. Obiter autem observandum est, aquilæ illud adtribui ab Ambrosio, quod vulgo de phœnice dicitur, quem ex propriis cineribus renasci fabulantur multi scriptores.

impetratu videtur, Deo donare possibile est. Nam & impossibile videbatur, ut peccatum [4. Reg. 5. 11.] ablueret aqua: denique Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod impossibile erat, fecit Deus esse possibile, qui tantam nobis donavit gratiam. Similiter impossibile videbatur per pœnitentiam [Johan. 20. 22.] peccata dimitti: concessit hoc Christus apostolis suis, quod ab apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur. Sed tamen de baptismo dictum, ne quis iteraret, [a] vera ratione persuadet.

CAPUT III.

Superiorem solutionem confirmat propositâ ex Evangelio prodigi parabolâ, cujus singulas partes exponens, easdem contra Novatianas adsertiones ita convertit, ut inde necessario deducat etiam gravissimi criminis reo, siquidem digne pœnituerit, reconciliationem non denegandam.

[Luc. 15. 13. & seq.] 13. NEque enim Apostolus contra evidentem Christi doctrinam veniret, qui de peccatore pœnitentiam agente comparationem [b] posuit, eo quod peregre profectus acceptam à patre omnem substantiam devoraverit vivendo luxuriosè, & postea panem patris desideraverit, cùm vesceretur siliquis: & meruit stolam, annulum, calceamentum, immolationem quoque vituli, quæ speciem habet passionis Dominicæ, per quam cæleste sacramentum nobis donatur.

14. Bene dicitur quia *peregre profectus est*, qui erat à sacris altaribus separatus; hoc est enim ab Hierusalem illa quæ in cælo est, civico quodam & domestico sanctorum separari domicilio. Unde & Apostolus ait: [Ephes. 2. 9.] *Ergo jam non estis advenæ atque peregrini, sed cives sanctorum, & domestici Dei.*

15. *Et consumsit*, inquit, *substantiam suam.* Merito consumsit eam, cujus fides in operibus claudicabat: [Hebr. 11. 1.] *Fides* enim *eorum quæ sperantur, substantia est, rerum argumentum non apparentium.* Et bona substantia fides, in qua spei est nostræ patrimonium.

16. Nec mirum si fame peribat, qui divino alimento egebat; cujus desiderio compulsus: [Luc. 15. 18.] *Surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccavi in cælum, & coram te.* Nonne advertitis id evidenter nobis expositum, quod emerendi gratia sacramenti ad precandum impellimur; & hoc auferre vultis, propter quod agitur pœnitentia? * Tolle gubernatori perveniendi spem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam, desinit jactare retia. Quomodo ergo potest qui famem patitur animæ suæ, studiosius Deum precari, si sacram desperet alimoniam?

17. *Peccavi*, inquit, *in cælum, & coram te.* Fatetur utique peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cujuslibet criminis pœnitentiam jure exludi putaretis; quando is qui in cælum peccavit, vel in regnum cæleste, vel in animam suam, quod est peccatum ad mortem; & peccavit coram Deo, cui soli dicitur: [Psal. 50. 6.] *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.*

18. Tam cito veniam meretur, ut venienti & adhuc longe posito occurrat pater: osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis: stolam proferri jubeat, quæ vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, à convivio nuptiali excluditur: det annulum in manu ejus, quod est fidei pignus, & sancti Spiritus signaculum: calceamenta deferri præcipiat; [Exod. 12. 11.] celebraturus enim pascha Domini, epulaturus agnum, tectum debet adversus omnes incursus bestiarum spiritalium, morsusque serpentis habere vestigium: vitulum præcipiat occidi; quia [1. Cor. 5. 7.] *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Etenim quotiescumque [1. Cor. 11. 26.] sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annuntiamus. Sicut ergo semel pro omnibus [De pœnit. dist. 1. c. potest fieri. § Sicut semel.] immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.

19. Ergo evidentissime Domini prædicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cælestis refundendam gratiam. * Unde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est.

CAPUT IV.

Aliam objectionem ex blasphemia in Spiritum sanctum petitam retorquet in ipsos Novatianos; ostenditque per eam blasphemiam intelligi debere fidem non rectam: quod ubi Petri adversus Simonem magum sententiâ, nec non Evangelico testimonio confirmavit, eosdem hæreticos ad reditum in Ecclesiam cohortatur, ac tantam Domini clementiam esse adserit, ut Judæ traditori veniam si apud Christum pœnituisset, non fuisset denegaturus.

20. PErlatum est tamen ad nos, etiam illud vos objicere solere, quod dicatis scriptum esse: [Matth. 12. 31.] *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiæ non remittetur hominibus. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quo exemplo omnis adsertio vestra destruitur & absolvitur; scriptum est enim: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus.* Cur igitur non remittitis? Cur alligatis vincula, quæ non solvitis? Cur nodos nectitis, quos non relaxatis? Remittite ceteris: agite de iis, quos peccantes in Spiritum sanctum Evangelica auctoritate in perpetuum adstringi putatis.

a. Edit. Rom. cum duobus omnino mss. *vera ratio persuadet*. Minime male. Verum cum aliam lectionem vet. edit. cum reliquis mss. iisque multo probatioribus habeant, referendum est verbum *persuadet* ad ipsum Paulum; is enim locum citatum ita exprimit, ut illum non nisi de baptismi repetitione intelligendum persuadeat.

b. Rom. edit. sola, *posuit in eo, qui peregre* &c.

*. Exempla prorsus istorum similia proponit epist. 55. ad Anton. Cyprianus; unde illhæc imitatum esse Doctorem nostrum facile quispiam existimarit.

* Quam validum contra Novatianos hunc Evangelii locum arbitraretur, non ægre disces, si modo cum ejusdem expositione in Comment. super Lucam totum hoc caput conferre non pigeat.

* 21. Et tamen quos * adstringat, consideremus, A repetentes superiora lectionis ipsius, ut evidentius comprehendamus. Dicebant Judæi : *Hic non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Respondit Jesus : *Omne regnum divisum contra se destruetur, & omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit ; si enim satanas satanam ejicit, adversum se divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus ? Quod si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt ?* B

Matth. 12. 24 & seq.

22. De his utique expressum videmus, qui dominum Jesum in Beelzebub ejicere dæmonia loquebantur, quibus sic respondit Dominus, quod satanæ hereditas in iis esset, qui satanæ compararent salvatorem omnium, & in regno diaboli constituerent gratiam Christi. Et ut cognosceremus quia de hac dixit blasphemia, adjunxit : *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali ?* Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere. C

Decr. ca. 1 q. 1. cap. Petrus.

23. Denique Petrus Simoni, qui magicæ artis consuetudine depravatus, putasset quod gratiam Christi per impositionem manus, atque infusionem Spiritus sancti compararet pecunia, ait : *Non est tibi pars, neque sors in hac fide ; quia cor tuum non est rectum apud Deum. Pœnitentiam itaque age* [a] *ab hac nequitia tua, & precare Dominum, si forte remittatur tibi hæc recordatio cordis tui ; in obligatione enim iniquitatis, & amaritudine fellis video te esse.* Vides quod hunc magica vanitate blasphemantem in Spiritu sancto apostolica auctoritate condemnet ; D & eo magis quia puram conscientiam fidei non habebat : & tamen non interclusit ei spem veniæ, quem invitavit ad pœnitentiam ?

Act 8. 21. & seq.

24. Responsum est igitur à Domino blasphemiæ pharisæorum ; & ideo his potestatis suæ gratiam negat, quæ in remissione peccatorum est, qui cælestem ejus potestatem diabolico fultam suffragio vindicarent. Eos quoque adserit diabolico uti spiritu, qui separarent Ecclesiam E Domini ; ut omnium temporum hæreticos & schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat ; quod omne peccatum circa singulos est, hoc in universos. Soli enim sunt qui volunt solvere Christi gratiam, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quam passus est dominus Jesus, Spiritusque sanctus datus est nobis.

De pœnit. Dist 1. c. Iis potestatis.

25. Denique ut sciatis quia de dispersoribus dicit, sic habemus scriptum : *Qui non est mecum, contra me est : & qui non colligit mecum, dispergit.* Matth. 12. 30. Et ut sciremus de his dictum, statim subjunxit : *Ideo dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemiæ non remittetur hominibus.* Ibidem 31. Cùm dicit : *Ideo dico vobis ;* Ibid. 7. 17. nonne evidenter hoc præ ceteris à nobis intelligi voluit ? Meritoque adjunxit : *Arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit ;* congregatio enim mala bonum facere fructum non potest. Arbor itaque congregatio est, fructus bonæ arboris filii Ecclesiæ sunt.

26. Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam ; quia scriptum est : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Iohel. 2. 32. Denique etiam Judæorum populus qui dicebat de domino Jesu : *Dæmonium habet ;* Iohan. 8. 48. qui dicebat : *In Beelzebub ejicit dæmonia ;* Luc. 11. 15. qui crucifixit dominum Jesum, Petri prædicatione vocatur ad baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.

Alias Cap. V.

27. Sed quid mirum, si salutem negatis aliis, qui vestram recusatis, [b] licet illi nihil differant, qui à vobis pœnitentiam petunt. Arbitror enim quod etiam Judas potuisset tanta Dei miseratione non excludi à venia, si pœnitentiam non apud Judæos, sed apud Christum egisset. *Peccavi*, inquit, *quod tradiderim sanguinem justum.* Matth. 27. 4. Responderunt : *Quid ad nos ? Tu videris.* Quæ vox alia vestra est, cùm etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur ? Quid respondetis aliud, nisi hoc : *Quid ad nos ? Tu videris.* Hunc sermonem laqueus sequitur : eo feraliore pœna, quo culpa est minor.

De pœnit. dist. 1 c. Iis potestatis. §. quid mirum.

28. Sed si isti non convertuntur, vel vos revertimini, qui lapsu vario de innocentiæ fideique præcelso fastigio decidistis. Bonum dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocavit dicens : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates ; & memor non ero : tu autem memor esto, & judicemur.* Esai. 43. 25.

*. Huic objectioni sane quam gravissimæ iisdem duobus responsis quæ hic adhibentur ab Ambrosio, satisfacit etiam Pacianus *epist. 3. ad Sympron* sub medium. Porro his ipsis locis adductus est lib 9 *de Admin. Pœnit.* cap. 28. Morinus, ut utrique illi Patri eam doctrinam adtribueret, qua peccatum aliquod vere irremissibile constituerent. Is tamen de Paciano cogitur confiteri eum mentem suam ita declarasse, ut nihil per hosce locos tamquam irremissibile significari autumaret, nisi perseverantiam in crimine seu finalem impœnitentiam. Quod vero ad Ambrosianam sententiam, ubi dixisset : *Fatetur*, Ambrosius nimirum, *iis qui directe, ut illi pharisæi, blasphemant, veniam non esse sperandam* ; paucis interjectis subjungit : *Ut tamen argumenti robur elevet, peccatum illud extendit ad hæreticos & schismaticos, quibus pœnitentibus gratia non denegatur ; ut insinuet etiam aliis, si pœnitentiam agere possent, Dei misericordiam non defuturam.* Hæc Morinus, cui certe quidem probandum erat Doctorem sanctum existimasse blasphematoribus hujuscemodi possibilem non esse pœnitentiam, quod ab illo minime præstitum est. Ad clariorem vero hujus quæstionis intelligentiam adverte locis de blasphemia in Spiritum allatis ab hæreticis hîc responderi, 1. per concessionem rhetoricam qua illorum argumentum retorquetur in eos ipsos : 2. pressius eosdem locos examinari, inquirique quodnam tandem sit peccatum illud in Spiritum. Igitur ut exemplis res illustretur, hujus criminis rei pronuntiantur omnes illi, nimirum qui Christum in Beelzebub dæmones ejicere calumniabantur, Simò & qui cum eo venalia crederent gratiæ dona, postremo hæretici & schismatici. Cùm autem his postremis veniam revertentibus, vel ipso Morino non inficiante, passim spondeat Ambrosius, Simoni quoque, si resipuisset, gratiam vere promissam toto sequenti capite demonstret ; nihil est cur non idem de primis etiam eum sensisse existimemus : maxime cùm lib. 1. cap. 2. generatim pronuntiet : *Dominus nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia* ; quod enim regulæ hujus universalis blasphemiam ab eodem sancto habitam exceptionis loco memoratus theologus contendit, nullum idoneum hujus suæ opinionis profert argumentum. Maneat ergo nullum peccatum Ambrosio simpliciter fuisse alienum à spe veniæ præter finalem impœnitentiam. Augustinus quoque in hac quæstione, quam difficillimam omnium esse in *Enchiridio* cap. 8 & *De Verbis Dom.* Serm. nunc 71. num. 38. profitetur, eamdem sententiam lib. 2. Retract cap. 19. sequutus est. Si quis autem dixerit eodem modo culpas omnes dici posse irremissibiles, fatebimur id quidem, sed adjungemus blasphemiam propterea quod illi plus insit malitiæ ac superbiæ quàm infirmitatis, proindeque multo difficilius remittatur, singulari quadam ratione sic appellaram Vide Maldonatum in Matthæi locum de quo agitur : & Alexandrum *Dissertatione 22. in Histor. Eccles. sæculi 3* & alios tum interpretes in memoratum Matthæi textum tum scholasticos in 2. Sent. Dist 43. & 2. 2. B. Thomæ quæst. 14. art. 3.

a. Clarom. cod. *ab hac stultitia tua.* Rursus vero ubi omnes mss. & vet. edit. *recordatio cordis tui*, Rom. sola posuit, *cogitatio cordis tui.*

b. Omnes edit. ac mss. non pauci, *licet illi nihil deferant :* quorum verborum non sensum ullum esse putamus. Melius ergo reliqui mss. … *nihil differant*, id est, æque peccatores haberi debeant, ac vosmet ipsi.

CAPUT V.

Quod Simoni mago veniam à Petro affirmate promissam negant, refertur primo eum apostolum propter cognitam magi illius perfidiam dubia locutione uti potuisse: secundo autem apte ad causam per adverbium forte *affirmationem etiam significari ex pluribus veteris Testamenti locis, ex prophanorum auctorum usu, denique ex ipsis evangelistis confirmatur. Deinde addit apostolos pœnitentiam cujus à Davide fructus ostenduntur, ad nos transmisisse. Postremo exemplum adducit Ephræmitarum, ad quorum instar pœnitentiam nostram agendam tradit, ut ei divina misericordia & sacramenta concedantur.*

29. REferunt tamen quæstionem de verbis apostoli Petri. Quia dixit: [a] *Ne forte*, putant non confirmasse Petrum, ut agenti pœnitentiam peccatum remitteretur. Sed considerent de quo loquatur, hoc est, de Simone, C qui non ex fide crederet, sed dolum cogitaret. Denique & Dominus dicenti ei, cujus non plenam sinceritatem videret: *Sequar te*, ait: *Vulpes foveas habent*. Quem ergo Dominus ante baptismum prohibuit sequi, quoniam fraudulentum videbat; miraris si post baptismum prævaricantem non absolvit apostolus, quem in obligatione iniquitatis manere pronuntiavit?

[Margin: a Act. 8. 22. — Matth. 8. 20.]

30. Sed hoc illis responsum sit. Ego autem nec Petrum dubitasse dico, nec verbi unius præ- D judicio tantam causam strangulandam arbitror. Nam si putant dubitasse Petrum, numquid & Deus dubitavit? qui ait ad Hieremiam Prophetam: *Sta in atrio domus Domini, & responsum dabis omni Judæ, iis qui veniunt adorare in domo Domini, omnia verba quæ constitui tibi respondere illis, noli auferre verbum: forsitan audient, & avertentur.* Dicant ergo & Deum ignorasse quid esset futurum.

[Margin: Hier. 26. 2. & 3.]

31. Sed non ignorantia eo verbo exprimitur, E sed in scripturis divinis frequens hujusmodi consuetudo advertitur; eo quod simplex sit elocutio. Siquidem & ad Ezechielem dicit Dominus: *Fili hominis, mittam ego te ad domum Israel, ad eos qui me exacerbaverunt ipsi, & patres eorum usque in hodiernum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus, si forte audient & terrebuntur.* Nesciebat ergo eos posse aut non posse converti? Non ergo semper dubitantis ista est F elocutio.

[Margin: Ezech. 2. 4. & 5.]

32. Denique ipsi sapientes sæculi, qui omnem A gloriam suam statuunt in expressione verborum, quod latine *forte* dicimus, græce τάχα non ubique pro dubitatione posuerunt. Aiunt itaque dixisse primum suorum poetam ἦ τάχα χήρη ἔσομαι, quod est: Cito vidua ero. Et alibi: τάχα γάρ σε κατακτανέουσιν Ἀχαιοὶ πάντες ἐφορμηθέντες. Non enim dubitaret in omnibus simul insurgentibus, unum facile ab universis posse prosterni.

[Margin: Homer. lib 3. Iliad.]

33. Sed nos nostris magis quam alienis utamur. Denique habes in Evangelio quia ipse Filius de Patre ait (cùm misisset servos ad vineam suam, [b] & occidissent) dixisse Patrem: *Mittam Filium meum dilectissimum, forsitan ipsum verebuntur.* Et alibi ex sua persona Filius ait: *Neque me scitis, neque Patrem meum. Si enim me sciretis, & Patrem meum forsitan sciretis.*

[Margin: b Matth. 21. 37. — Iohan 8. 19.]

34. Si ergo his verbis usus est Petrus, quibus Deus usus est sine præjudicio scientiæ suæ; cur non accipiamus & Petrum his usum sermonibus sine suæ fidei præjudicio? Neque enim poterat dubitare de Christi munere, qui sibi solvendorum peccatorum dederat potestatem; præsertim cùm versutiis hæreticorum locum non deberet relinquere, qui ideo volunt [c] spem hominum destituere, ut iterandi baptismatis apud desperantes facilius inducant persuasionem.

[Margin: Matth. 16. 19. — c]

35. Sed apostoli hoc habentes, secundùm Christi magisterium pœnitentiam docuerunt; spoponderunt veniam, culpam relaxaverunt, sicut & docuit David dicens: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* * Utrumque enim beatum dixit, & cujus iniquitas remittitur per lavacrum, & cujus peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non solùm diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum.

[Margin: Psal 31. 1. & 2. — * — De pœnit. dist. 1. c. ita potestatis. § qui agit.]

36. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus; ut audiat nos dominus Deus noster ingemiscentes, sicut audivit lacrymantem Ephræm, quemadmodum scriptum est, dicente Deo: *Audiens audivi Ephræm lacrymantem.* Et ipsa verba Ephræm lamentantis expressit dicens: *Castigasti me, & castigatus sum, sicut vitulus non sum edoctus.* Vitulus enim ludit, & præsepia deserit; & ideo Ephræm sicut vitulus non est edoctus, longe positus à præsepi; quia præsepe Domini deseruit,

[Margin: Hier 31. 18. — Ibidem.]

a. Vet. edit. *Si forte, & putant:* Rom. *Si forte remittatur tibi &c. & putant?* mss. vero cuncti *Ne forte*, sed pro *putant*, aliqui legunt *putent*, aliqui etiam, *ut putant*. Non tam incommode.

b. Omnes edit. & cod. Tell. *& occisi essent:* reliqui mss. *& occidissent*, Albin. *& eos occidissent*. Non male quidem, sed propter aliorum numerum & antiquitatem videtur accipiendum verbum, *occidissent*, pro periissent. Rursus post pauca, eædem edit. *sine præjudicio sententiæ suæ:* mss. vero . . . *scientiæ suæ*. Melius, ut per se clarum est. Unus tamen . . . *conscientiæ suæ*.

c. Mss. aliquot antiquæ manus, *spem hominum destruere*.

*. Davidica hæc verba semel ac iterum superiore tomo exposita reperire est, scilicet lib. *de Noe & Arca* cap. 31. num. 117. & *Apol. David* cap 9. num 49. quibus in locis baptismum ac pœnitentiam à Propheta significari docet sanctus Doctor. At in secundo indignum non est quod observetur ab Ambrosio inter opera quibus crimen suum David texerit, etiam ea quæ lapsum ejusdem præcesserunt, enumerari; unde illa theologorum opinio qua bona opera peccato quopiam lethali mortificata per pœnitentiam reviviscere autumant, non minimum capit auctoritatis. Hic vero ubi contra Novatianos disputat, rem examinat accuratius. Itaque duo in pœnitentia distinguit, nempe *diluere lacrymis peccatum*, & illud *emendatioribus factis operire*, quorum quidem prius ad contritionem, posterius autem ad satisfactionem referri facile catholici omnes adsentientur. Et certe de primo nec Dallæus ipse lib. 7. *De Pœnit. & satisfact.* cap. 8. à nobis dissidet. De secundo autem ibidem contra Card. Bellarmin. disputans, contendit sanctum Præsulem hoc sensu loqui, ut velit peccatorem scelerum jam remissorum inhærentes adhuc cicatrices bonis operibus quasi lituris & tectorio quodam obumbrare atque contegere. Sed contrarium orationis series aperte monstrat. Illam expende ac præcipue subjectum exemplum Ephræmitarum, ac per te ipsemet intelliges de lacrymis atque operibus omnino sermonem institui, quæ non modo peccatis jam condonatis tectorium inducant, verum etiam quæ divinam peccatoribus propitient misericordiam, ut commissorum veniam consequantur. Quod vero ad primam partem eorumdem citati psalmi 31. versuum, quam de baptismo exponit Ambrosius, ita eam etiam interpretes Pauli, à quo eadem verba Rom. 4. 7. proponuntur, vulgo accipiunt.

Tob. 1. 5. & Hieroboam sequutus, vitulos adoravit, quod A
Exod. 31. prophetia futurum per Aaron indicaverat, sic lapsurum populum Judæorum. Ideoque agens
Hier. 31. 19. pœnitentiam dicit: *Converte me, & convertar; quia tu es dominus Deus meus. Quia in novissimo captivitatis meæ pœnitentiam egi: & postquam cognovi, ingemui super dies confusionis, & subjectus sum tibi; quia accepi opprobrium, & demonstravi te.*

Alias Cap. VI. Ibidem. 37. Advertimus quomodo agenda sit pœnitentia, quibus sermonibus, quibus fletibus; ut peccati dies, dies confusionis appelletur; con- B fusio est enim, quando Christus negatur.

38. Et ideo subjiciamus nos Deo, & non subditi simus peccato: & delictorum nostrorum memoriam recensentes, tamquam opprobrium erubescamus, non velut quamdam gloriam prædicemus, sicut quidam expugnata pudicitia, & oppressa justitia gloriantur: & tanta fiat conversio, ut qui Deum non agnoscebamus, ipsi eum jam aliis demonstremus: motus autem
Hier. 31. 20. Dominus tali conversione nostra, respondeat: C *A juventute mea dilectus mihi est filius Ephram, puer in deliciis; quoniam eo quod sermones mei in ipso sunt, memoria memor ero ejus; propterea festinavi super illum, misericordia miserebor ejus, dicit Dominus.*

Ibidem 25. & 26. 39. Quam autem misericordiam nobis polliceatur, infra ostendit dicens: *Inebriavi omnem animam sitientem, & omnem animam esurientem* D *satiavi. Ideo exsurrexi, & vidi, & somnus meus mihi dulcis est.* Advertimus [a] quod peccantibus Dominus sacramenta promittat sua; & ideo omnes convertamur ad Dominum.

CAPUT VI.

A fide vel innocentia lapsos denuo hortatur ad pœnitendum, ex Esaia quid eos à Deo exspectare, quidve ipsosmet præstare oporteat, docet. Hinc memorata Christi adversus Judæos proverbiali E *reprehensione, per ejus occasionem saltationes & choreas perstringens, idem proverbium ad spiritalem traducit intellectum. Deinde ex Hieremia pœnitentiam suscipiente pro Hierusalem, quas conditiones ea virtus requirat, aperit. Denique ut quanta sit efficaciæ hæc illa medicina, clarius exhibeat, qui eadem vel pro se vel pro aliis uti voluerint, multos numerat.*

40. SEd si isti non convertuntur vel vos revertimini, qui lapsu vario de innocentiæ F fideique præcelso fastigio decidistis. Bonum Dominum habemus qui velit donare omnibus,
Esai. 43. 25. qui te per prophetam vocavit dicens: *Ego sum, ego sum qui doleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, ut judicemur.* Ego, inquit, *memor non ero: tu autem memor esto,* hoc est: Non revoco illa, quæcumque delicta donavi tibi, velut quadam oblivione tecta sint: *tu autem memor esto.* Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor esto propter correctionem: memor esto, ut scias donatum esse peccatum; ne glorieris quasi innocens, ne te justificando, plus ingraves: sed si vis justificari, fatere delictum tuum. * SOLVIT ENIM criminum nexus verecunda confessio peccatorum. *

41. Vides quid à te exigat Deus tuus, ut memor sis ejus quam accepisti gratiæ, & non glorieris quasi non acceperis. Vides qua remissionis pollicitatione te provocet ad confitendum: vide ne reluctando mandatis cælestibus, in indevotionem Judæorum incidas, quibus dicit dominus Jesus: *Cantavimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non plorastis.* Luc. 7. 32.

42. Vilis sermo, sed non vile mysterium. Et ideo cavendum ne quis vulgari quadam sermonis hujus deceptus interpretatione, putet nobis * saltationis lubricæ histrionicos motus, & scenæ deliramenta mandari; hæc etiam in adolescentula ætate vitiosa sunt: sed saltationem mandavit, quam saltavit David ante arcam Domini. TOTUM ENIM decet, quidquid defertur religioni; ut nullum obsequium quod proficiat ad cultum & observantiam Christi, erubescamus. *

43. Non ergo illa deliciarum comes, atque luxuriæ prædicatur saltatio, sed qua unusquisque corpus adtollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Saltabat spiritaliter Paulus, cùm se pro nobis extenderet, & posteriora obliviscens, priora appetens, contenderet ad bravium Christi. Tu quoque cùm ad baptismum venis, manus elevare, pedes quibus ad æterna conscendas, velociores habere moneris. Hæc saltatio fidei socia, gratiæ comes. Phil. 3. 13. & 14.

44. Hoc est ergo mysterium: *Cantavimus vobis*, novi utique canticum Testamenti: *& non saltastis*, hoc est, non elevastis animam ad spiritalem gratiam. *Lamentavimus, & non plorastis*, hoc est, non egistis pœnitentiam. Et ideo derelictus est Judæorum populus; quia nec egit pœnitentiam, [b] & gratiam refutavit. Per Johannem pœnitentia, per Christum gratia. Istam quasi Dominus donat, illam quasi servus annuntiat. Utrumque igitur Ecclesia custodit, ut & consequatur gratiam, & non abjiciat pœnitentiam; gratia enim munus largientis est, pœnitentia delinquentis remedium. b

45. Scivit Hieremias magnum remedium esse pœnitentiæ, quam in Threnis suis suscepit pro Hierusalem, & ipsam inducit agentem Hieru-

a. Gill. ac Rom. edit. *quod pœnitentibus*: Amerb. atque Eras. cum Gill. in marg. & mss. omnibus, *quod peccantibus*; ubi subintellige dummodo pœnitentiam agat. At sequentis cap. initio, ubi omnes edit. *Si isti non convertantur*: omnes mss. exhibent, *Sed si isti non convertuntur*: quemadmodum legitur etiam in fine cap. 4. num. 29. Ceterum hæc illa versuum aliquot repetitio satis indicat quæcumque cap. superiori comprehendimus, quasi per digressionem posita esse, atque adeo in prioribus edit. capita non legitime distribui. Nec etiam ambiguum est quin ad hunc locum Sotus respexerit, cùm in hoc opere *non numquam eadem inculcari ad verbum* objecit; quasi vero insolentes essent repetitiones in Ambrosio.

*. Sunt è theologis orthodoxis non pauci, qui de sacramentali confessione hic agi adseverent, quorum etiam nonnulli hoc esse *meridiana luce clarius*, pronuntiant. Fatendum tamen est à nobis hic desiderari summam illam evidentiam; cùm potius agatur de confessione, quæ peccatorum jam remissorum apud Deum fit. Ceterum probabilis est illorum opinio cum propter antecedentia verba, *si vis justificari, fatere delictum tuum*; & superiora illa, *vel vos revertimini, qui lapsu vario de innocentia* &c. Illud vero omnino certum hic & in omni opere illam supponi confessionem; ubique enim tres ejusdem partes contritionem, declarationem ac satisfactionem esse ad remissionem peccati necessarias docent hi libri.

*. Latinius conjicit legendum, *saltationis ludicra*, nimirum propter id quod sequitur, *& scenæ deliramenta*: sed nihilo deteriori sensu cum omnibus & mss. & edit. legimus, *saltationis lubricæ*, id est, impuræ atque in luxuriam pronæ, ut infra describitur. Hunc porro Lucæ versiculum simili ratione interpretatur sanctus Doctor Commentarii in ejusdem Evang. lib. 6. num. 5.

b. Mss. complures, *refutavit*; *per Johannem pœnitentiam, per Christum gratiam*: aptius tamen alii & omnes edit. ut in textu.

[Thren. 1. 2.] ſalem dicens: *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, nec eſt qui conſoletur eam ab omnibus qui diligunt eam. Viæ Sion lugent.* Et [Ibidem 16.] adjecit: *In his ergo fleo, oculi mei caligaverunt à fletu, quia elongavit à me, qui me conſolabatur.* Advertimus quod hunc malorum ſuorum acerbiſſimum cumulum arbitrabatur, quia deerat qui conſolaretur mœrentem. Quomodo ergo vos ipſam conſolationem aufertis, qui ſpem relaxandæ negatis pœnitentiæ?

46. Sed audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concuſſione viſcerum, qua cordis converſione: [Ibidem 20.] *Vide*, inquit, *Domine, quia tribulor, venter meus turbatus eſt à fletu meo, converſum eſt cor meum in me.*

47. Cognoviſti intentionem animi, fidem mentis cognoſce, & habitum corporis. [Thren. 2. 10. & 11.] *Sederunt*, inquit, *in terra, tacuerunt ſeniores filiæ Sion, & impoſuerunt terram ſuper caput ſuum, præcinxerunt ſe cilicio, deduxerunt in terram principes, virgines Hieruſalem defecerunt in lacrymis, oculi mei caligaverunt, turbatus eſt venter meus, effuſa eſt in terra gloria mea.*

[Jonæ 3. 5.] 48. Sic flevit & Ninive populus, & denunciatum excidium civitatis evaſit; tanta eſt enim pœnitentiæ medicina, ut mutare videatur ſuam Deus ſententiam. In te eſt igitur ut evadas: vult rogari Dominus, vult de ſe ſperari, vult ſibi ſupplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoſcas, & putas Deum tibi non roganti ignoſcere?

[Luc 19 41.] 49. Ipſe Dominus Hieruſalem flevit, ut quia ipſa flere nolebat, Domini lacrymis [a] ad veniam pertineret. Ipſe nos flere vult, ut evadere poſſimus, ſicut habes ſcriptum in Evangelio: [Luc. 23. 28.] *Filiæ Hieruſalem, nolite me flere, ſed vos ipſas flete.*

[2. Reg. 24. 10.] 50. Flevit David, & meruit ut mortem populi pereuntis divina removeret miſericordia; quando tribus ſibi propoſitis optionibus, eam tamen in qua majorem Domini miſerationem experiretur, elegit. Quid erubeſcis tu peccata tua flere; cùm Deus etiam prophetas juſſerit flere pro populis?

[Ezech. 2. 9.] 51. Denique & Ezechiel juſſus eſt flere Hieruſalem, & accepit librum, in cujus capite ſcripta erat, *Lamentatio, & melos, & væ*, duo triſtia & unum delectabile; quoniam ille ſalvus erit in futurum, qui in hoc ſæculo plus fleverit: [Eccl. 7. 5.] *Cor enim ſapientium in domo luctus, & cor ſtultorum in domo epularum.* Et ipſe Dominus ait: [Luc. 6. 21.] *Beati qui nunc fletis; quia ridebitis.*

CAPUT VII.

Ad flenda & confitenda peccata hortatur, adſerens peccatoris & Eccleſiæ lacrymis Chriſtum excitari, ut illum juſtificet: quod accommodata Lazari ſuſcitati hiſtoria mire illuſtrat. Ubi poſtquam oſtendit Novatianos Judæorum de interficiendo Lazaro cogitantium ſucceſſores eſſe, perfectam cujuſcumque peccati juſtificationem per odorem unguenti à Maria in Chriſti pedes effuſi expreſſam docet: ruſuſque eoſdem hæreticos in Juda, cùm ceteri gauderent, invidentis perſona ſignatos monſtrat.

52. Fleamus igitur ad tempus, ut exſultemus in æternum. Timeamus Dominum, præveniamus eum confitendo peccata noſtra, corrigamus lapſus noſtros, emendemus errorem; ne & de nobis dicatur: *Heu me, anima mea! quia* [b] *periit reverens à terra, & qui corrigat in hominibus non eſt.* [Mich. 7. 2.]

53. Quid vereris apud bonum dominum tuas iniquitates fateri? *Dic*, inquit, *iniquitates tuas, ut juſtificeris.* [Eſai. 43. 26.] Adhuc reo culpæ juſtificationis præmia proponuntur; ille enim juſtificatur, qui proprium crimen ſponte agnoverit: denique *juſtus in exordio ſermonis accuſator eſt ſui.* [Prov. 18. 17.] Novit omnia Dominus, ſed exſpectat vocem tuam; non ut puniat, ſed ut ignoſcat: non vult ut inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præveni accuſatorem tuum: ſi te ipſe accuſaveris, accuſatorem nullum timebis: ſi te detuleris ipſe, etſi mortuus fueris, reviviſces.

54. Veniet ad monumentum tuum Chriſtus, & ſi viderit flere pro te Martham boni feminam miniſterii, flere Mariam quæ adtente audiebat verbum Dei, ſicut ſancta Eccleſia quæ optimam partem ſibi elegit; movebitur miſericordiâ, cùm viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet: *Ubi poſuiſtis eum?* [Johan. 11. 34.] hoc eſt, in quo reorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis; [c] ut lacrymis ſuis ipſe me moveat? Videam ſi jam peccato ei cujus venia poſcitur, defunctus eſt?

55. Dicet ei plebs: *Veni, & vide.* [Ibidem.] Quid eſt, *veni*? Hoc eſt, veniat peccatorum remiſſio, veniat defunctorum vita, mortuorum reſurrectio, veniat & in hunc peccatorem regnum tuum.

56. Veniet, & levari lapidem jubebit, quem cervicibus peccatoris lapſus impoſuit. Potuit removere lapidem imperio ſermonis; jubenti enim Chriſto etiam inſenſibilis ſolet natura obedire: poterat tacita vi operationis occultæ transferre ſaxum ſepulcri, in cujus paſſione re-

a. Rom. edit. *ad veniam pertingeret.* Haud male, niſi ſola eſſet.

b. Vet. edit. *periit timor tuus*: mſſ. partim, *periit timoratus*; partim, *periit reverens*: quos ſicut & Rom. edit. ſequuti ſumus.

c. Rom. edit. cum mſſ. duobus, *ſi lacrymis ſuis ipſe ſe moveat.* Commodius aliæ cum mſſ. reliquis, ut in contextu. Ceterum quæ hoc num. & ſeq. traduntur à ſancto Ambroſio, ea planiſſime declarant, quidquid ſupra de confeſſione apud ſolum Deum ſecreto facta dictum videbatur, eo ſenſu intelligendum, ut apud ſacerdotem quoque ipſa ederetur. Hac in re ne Dallæus quidem à nobis diſſidet, niſi quatenus publice coram Eccleſia contendit eamdem exomologeſin fieri debuiſſe. Cùm vero ſuam hanc adſertionem probari putet è cap. 10. hujuſce libri; ejus rationes iſtic expendemus. Interim quia pœnitentium ſtationes quarum ſingulæ variis hujus operis locis adtinguntur, hîc indicantur in univerſum, eas libuit hoc loco verbis Matthæi Blaſtaris in *Nomocan.* repræſentare. *Pœnitentes*, inquit, *in quatuor ordines diſtinguuntur, flentes, audientes, ſubſtratos, & conſiſtentes. Flentes illi ſunt qui ſtant extra portam oratorii, & ab ingredientibus & egredientibus fidelibus & precum ſubſidium poſtulant, & peccati condonationem. Audientes illi ſunt qui ſtant extra portam, in loco qui narthex dicitur, & divinas ſcripturas communiſque doctrinæ explicationem audiunt; & poſtea cum catechumenis exeunt. Subſtrati vero ſunt qui intra Eccleſiam ſtant, ſed poſt ambonem, ipſique cum catechumenis exeunt, cùm ſolemne illud:* Quicumque catechumeni, *à diacono promulgatur. Conſiſtentes denique cum fidelibus precantur & pſallunt: ſed tamen ſanctorum participatione abſtinentur, donec elapſo tempore ſtatuto, divinæ communionis perfectio eos exceperit.* Hæc ille: quem quia rem omnium clariſſime explicat, hic exſcripſimus.

motis subito lapidibus, plurima defunctorum sepulcra patuerunt: sed hominibus jussit ut removerent lapidem; in veritate quidem, ut increduli crederent quod videbant, & adspicerent resurgentem mortuum: in typo autem, quod nobis donaret ut levaremus delictorum onera, moles quasdam reorum. Nostrum est onera removere, illius est resuscitare, illius educere de sepulcris exutos vinculis.

57. Videns itaque grave onus peccatoris, illacrymat dominus Jesus; solam enim flere non patitur Ecclesiam. Compatitur dilectæ suæ, & dicit defuncto: *Veni foras*, hoc est: [a] Qui jaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, ut justificeris: *Ore enim confessio fit ad salutem.* (Iohan. 11. 43. — Rom. 10. 10.)

58. Si confessus fueris, à Christo vocatus, claustra rumpentur, & omnia solventur vincula, etiam si corruptelæ corporeæ fœtor gravis sit. Quatriduum enim habebat ille, cujus fœtebat in tumulo caro: cujus autem caro non vidit corruptionem, triduo fuit in sepulcro; carnis enim vitia nescivit, quæ ex quatuor constat elementorum substantiis. Quantumlibet ergo mortui fœtor sit, aboletur omnis, ubi sacrum redoleverit unguentum: & resurgit defunctus, & solvi jubentur ejus vincula, qui adhuc in peccato est: tollitur velamen de facie ejus, quod veritatem gratiæ quam acceperat, obumbrabat. Sed quia venia donatus est, revelare faciem, aperire vultum jubetur: NON HABET enim quod erubescat, cui peccatum remissum est. (De pœnit. dist. 1. cap. quantumlibet.)

59. In tanta vero domini gratia, tantoque divini muneris miraculo, cùm oporteret universos lætari, commovebantur impii, & adversus Christum concilium congregabant: Lazarum quoque interficere volebant. Nonne merito eorum successores vos fore cognoscitis, quorum duritiæ heredes estis? Nam & vos indignamini, & contra Ecclesiam congregatis concilium; quia videtis mortuos in Ecclesia reviviscere, & peccatorum indulta venia resuscitari. Itaque quod in vobis est, per invidiam rursus vultis interficere suscitatos. (Iohan. 11. 47. — Iohan. 12. 10.)

60. Sed Jesus non revocat beneficia, immo cumulo liberalitatis amplificat: revisit sollicite resuscitatum, & celebratæ resurrectionis gratia lætus ad cœnam venit, quam ei sua præparavit Ecclesia, in qua ille qui fuerat mortuus, unus inter discumbentes cum Christo invenitur.

61. Tunc mirantur omnes qui vident puro utique obtutu mentis, qui invidere non noverunt; tales enim Ecclesia filios habet. Mirantur, ut dixi quomodo ille qui jacebat in tumulo heri & nudiustertius, unus sit de discumbentibus cum domino Jesu. (Ibidem 3.)

62. Ipsa Maria mittit unguentum in pedes domini Jesu. Ideo forte in pedes, quia unus de infimis ereptus est morti; omnes enim corpus Christi sumus, sed alii forte superiora membra sunt. Os erat Christi Apostolus, qui dicebat: *Experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus.* Os ejus prophetæ, per quos loquebatur futura: utinam & ego pes ejus esse merear, & mittat in me Maria unguentum suum pretiosum, & ungat, & peccatum extergat. (1. Cor. 10. 17. — 2. Cor. 13. 3.)

63. Quod igitur de Lazaro legimus, in unoquoque debemus converso peccatore credere: qui licet fœtorem habeat, tamen [b] fidei pretioso emundatur unguento: TANTUM ENIM gratiæ fides habet, ut ubi ante diem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus. (Alias Cap. VIII.)

64. Fœtebat Corinthia domus, quando scriptum est de ea: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Fœtor erat, quia modicum fermentum totam massam corruperat. Cœpit bene olere, cùm dicitur: *Si cui quid donastis, & ego. Nam & ego quod donavi, propter vos in persona Christi.* Itaque, liberato peccatore, factum est in ea gaudium magnum, & redoluit domus tota suavitate gratiæ. Unde bene conscius Apostolus quod omnes Apostolicæ remissionis perfudisset unguento, ait: *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salvi fiunt.* (1. Cor. 5. 1. — 2. Cor. 2. 10. — Ibidem 15.)

65. Hujus igitur effusione unguenti lætantur omnes, solus Judas contradicit. Ergo & nunc qui prævaricator est, contradicit; reprehendit, qui proditor: sed à Christo ipse reprehenditur, qui Dominicæ remedium mortis ignorat, & tantæ mysterium sepulturæ non intelligit. Ideo enim & passus & mortuus est Dominus, ut nos redimeret à morte. Hoc excellentissimum indicat pretium suæ mortis, quo peccator absolvitur, & in novam adsumitur gratiam; ut veniant & mirentur omnes quomodo cum Christo recumbat, & laudantes Deum, dicant: *Manducemus & epulemur; quia hic mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est.* Si quis autem infidelis objecerit, quare cum publicanis & peccatoribus manducat; respondetur ei: *Non opus est sanis medicus, sed his qui male habent.* (Iohan. 12. 4. — Luc. 15. 24. — Matth. 9. 12.)

CAPUT VIII.

Ad confessionem & lacrymas urgere pergens ad se convertit orationem. Et ubi significavit desiderium emundandorum Domini pedum instar evangelicæ mulieris, in cujus actione traditam pœnitentiæ formam dicit; si quis tamen hujus exemplaris perfectionem non adsequatur, nihilominus Christum ad sepulcrum illius accessurum. Eum ut se in suo invisat ac resuscitet demississimo animo rogat; maxime vero ut det condolere peccatoribus, quorum delicta suis ipsius leviora esse persuasum habet. Non ergo insultandum iis pro quibus mortuus est Christus, à quo inter stipulas quas non negligit, se quoque colligi desiderat.

66. OStende igitur medico vulnus tuum, ut sanari possis. Etsi non monstraveris, novit: sed à te expetit audire vocem tuam. Absterge lacrymis cicatrices tuas. Sic peccatum mulier illa in Evangelio, fœtoremque sui erroris abstersit, sic culpam diluit; cùm Jesu pedes lacrymis lavat. (Ibid. 21.)

67. Utinam mihi quoque pedum tuorum

a. Ita mss. ad unum: omnes edit. è contrario. *Quid jaces . . . quodam reorum carcere? Exi foras.* Minime etiam male.

b. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *fidei pretiosa emendatur unguento:* elegantius ceteri mss. ut in textu.

erroris

a lutum, Jesu, reserves, quos dum [a] in me deambulas, inquinasti? Utinam sordes vestigiorum tuorum detergendas mihi offeras, quas ego actu meo tuis affixi gressibus. Sed unde mihi aqua viva, qua pedes tuos possim lavare? Si aquam non habeo, habeo lacrymas, quibus dum pedes tuos lavo, utinam me ipsum diluam! Unde mi-
Luc. 7. 47. hi, ut de me dicas: *Dimissa sunt ejus peccata multa, quoniam dilexit multum?* Plus debuisse me fateor, & plus dimissum mihi, qui de forensium strepitu jurgiorum, & à publicæ terrore admi- B nistrationis ad sacerdotium vocatus sum; & ideo vereor ne ingratus inveniar, si minus dili-
Ibidem 44. gam, cui plus dimissum est.

b 68. Sed [b] non omnes mulierem istam æquare possunt, quæ etiam Simoni, qui prandium Domino dabat, merito prælata est: quæ omnibus qui volunt veniam promereri, magisterium præstitit osculando pedes Christi, lacrymis lavando, tergendo crinibus, ungendo unguento.

69. In osculo insigne caritatis est; & ideo C
Cant. 1. 1. dicit dominus Jesus: *Osculetur me ab osculo oris*
c *sui.* Capilli quid significant, [c] nisi ut noveris, inclinata omni infularum dignitate sæcularium, obsecrandam indulgentiam; ut ad terram flens te ipse prosternas, ut humi jacens moveas mi-
d sericordiam? In unguento quoque [d] bonæ conversionis exprimitur odor. Rex nempe erat
Psal. 6. 7. David, & dicebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Et ideo tantam gratiam meruit, ut ex ejus fa- D milia virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet. Ideo & ista in Evangelio prædicatur mulier.

70. Tamen si hanc æquare non possumus, scit dominus Jesus & infirmis subvenire, ubi
Johan. 11. 7. non est quæ possit parare convivium, quæ deferre unguentum, quæ fontem aquæ vivæ secum portare. Venit ipse ad sepulcrum.

Johan. 11. 34. 71. Utinam ergo ad hoc monumentum meum digneris accedere, domine Jesu, tuis me lacry- E mis laves; quoniam durioribus oculis non habeo tantas lacrymas, ut possim mea lavare delicta. Si illacrymaveris pro me, salvus ero: si
e dignus fuero lacrymis tuis, [e] fœtorem abstergo delictorum omnium: si fuero dignus ut paulisper illacrymes, vocabis me de monumento hu-
Ibidem 43. jus corporis, & dices: Exi foras; ut non intra corporis hujus angustias inclusæ teneantur cogitationes meæ: sed egrediantur ad Christum, in lumine versentur; ut non cogitem opera tenebrarum, sed opera lucis. Qui enim peccatum cogitat, intra suam conscientiam studet se ipse includere.

72. Voca ergo foras servum tuum. Quamvis ligatus vinculis peccatorum meorum, vinctos habeam pedes, innexas manus, & cogitationibus & operibus mortuis jam sepultus, te vocante, liber egrediar, & inveniar unus de discumbentibus in convivio tuo, & domus tua pretioso replebitur unguento; si quem redimere dignatus es, custodieris. Dicetur enim: Ecce ille
* non in Ecclesiæ nutritus sinu, non edomitus à puero, sed raptus à tribunalibus, abductus de vanitatibus sæculi hujus, à præconis voce ad psalmistæ adsuefactus canticum, in sacerdotio manet non virtute sua, sed Christi gratia, & inter convivas mensæ cælestis recumbit.

73. Serva, Domine, munus tuum, custodi donum quod contulisti etiam refugienti. Ego enim sciebam quod non eram dignus vocari episcopus; quoniam dederam me sæculo huic: sed gratia tua sum quod sum. Et sum quidem minimus omnium episcoporum & infimus merito; tamen quia & ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere; ne quem perditum vocasti ad sacerdotium, cum sacerdotem perire patiaris.
[f] Ac primum da ut condolere norim peccanti- f
bus affectu intimo; hæc enim summa virtus,
quia scriptum est: *Et non gaudebis super filios* Abdi. 12.
Juda in die perditionis eorum, & ne magna loquaris in die tribulationis eorum: sed quotiescumque peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar: nec superbe increpem, sed lugeam & defleam; ut dum alium fleo, me ipsum defleam
dicens: *Justificata est magis Thamar, quam ego.* Gen. 38. 26.

74. Fortasse adolescentula lapsa sit, occasionibus quæ delictorum fomites sunt, decepta
ac præcipitata sit; peccamus & seniores. Re- Rom. 7. 23.
pugnat in nobis lex hujus carnis legi mentis nostræ, & captivos nos trahit in peccatum, ut faciamus quod nolumus. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi jam nulla; illa enim debet discere, nos docere. Ergo *justificata est magis Thamar, quam ego.*

75. Incusamus alicujus avaritiam, recordemur si nihil ipsi avare fecimus: & si fecimus,
quoniam radix est malorum avaritia, & tam- 1. Tim. 6. 10.
quam sub terra occulte in nostro serpit corpore; dicamus singuli: *Justificata est magis Thamar, quam ego.*

a. Ultimæ edit. Paris. *dum in terra ambulas*, Pessime ut docent sequentia, *Utinam sordes .... quas ego actu meo tuis* &c.

b. Sic omnes edit. ac mss. aliquot: reliqui vero, *non omnibus*: unus *non in omnibus, mulierem istam æquare possum.* Haud quidem male; sic enim à Vito sancto instituta de se ipso oratio non abrumpitur, quæ infra quoque pluribus verbis per summam humilitatem continuatur.

c. Omnes edit. *nisi ut movearis. ... ad obsecrandam indulgentiam*: è contrario omnes mss. ut nos in textu.

d. Edit. omnes ac mss aliquot, *bonæ conversationis*: ceteri qui & potiores, *bonæ conversionis.* Magis apposite, ut subjectum pœnitentis Davidis exemplum docet.

e. Ita cunctæ edit. ac plures mss. Ex reliquis vero duo legunt, *absterges*: duo *abstergo*: alii quoque duo, *abstergebis*: totidem, *abstergam*, quomodo etiam legendum conjicit Latinius. At forte neque hic neque alii à quibus hujusmodi mutationes inductæ sunt, satis adverterunt nihil frequentius occurrere in auctoribus, quam præsentia tempora pro futuris

*. Quod ait Ambrosius: *Non Ecclesiæ nutritus sinu*, cave sic intelligas, quasi se aliquando aut in Idololatrarum, aut in hæreticorum schismaticorumve cœtu vixisse fateatur. Illud enim tantum innuit, se inter eos qui destinati ad altaris ministerium à pueritia in Ecclesia instituebantur, non fuisse nutritum. De hac porro puerorum ecclesiastica institutione adi epist. 1. Siricii cap 3. & 9. item Conc. Carth. 3. can. 19. Paulinum episcopum de sancto Felice Carm. 4. Paulinum diaconum in Ambrosii vita de se loquentem, Ambrosium ipsum in *Exhort. Virgin.* de Laurentio, atque alibi, Augustinum lib. 1. *de moribus Eccles. Cath.* cap. 33. & alios. Addit etiam hoc loci Ambrosius noster, *sed raptus à tribunalibus*: quibus verbis etiam lib. 1. Offic. cap. 1. num. 4. usus reperitur. Opponit quoque non illepide præconis, qui tumultum reprimere atque audientiam parare in foro solet, clamoribus psalmistæ cantum, id est, cantorum ecclesiasticorum modos. Infra vero ubi se pro Ecclesia suscepisse quosdam labores testificatur, probabile est nihil aliud nisi certamina contra Symmachum aut Justinam imperatricem ab eodem inita designari. Quæ quidem omnia sicut & subinde inspersa intimæ demissionis testimonia tam clare auctorem loquuntur Ambrosium, ut mirum videatur, quid sibi voluerit Sotus, dum ob eadem Præsuli nostro hoc ipsum opus abjudicavit.

f. Omnes edit. ac mss. duobus exceptis, *ac primum ut condolere norim.* Cod. Laudun. *Ac primum ut condoleremus.* Optime Germ. antiqui, *ac primum da* &c.

76. Si commoti fuerimus in quemquam graviter, leviorem causam laicus habet quam episcopus, eo quod commotus egerit aliquid; retractemus nobiscum, & dicamus: Justificatus est magis iste, qui commotionis arguitur, quam ego. Hæc enim si dicamus, ipsi nobis cavemus; ne dicat nobis dominus Jesus, aut quisquam de discipulis ejus: (Matth. 7. 4. & 5.) *Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

77. Non ergo erubescamus dicere graviorem nostram culpam esse, quàm ejus quem arguendum putamus; quia dixit hoc Judas qui arguebat Thamar, & recordatus suam ipse culpam, ait: (Gen. 38. 26.) *Justificata est magis Thamar, quam ego.* In quo & altitudo mysterii est, & morale præceptum: & ideo culpæ ejus deputatum non est; quia ipse se accusavit prius, quam ab aliis accusaretur.

78. Non ergo gaudeamus super alicujus peccato, sed magis lugeamus; quia scriptum est: (Mich. 7. 8. & seq.) *Noli supergaudere mihi, inimica mea; quia cecidi: sed resurgam; quoniam si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me. Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei; donec justificet causam meam, & faciat judicium meum, & educat me ad lumen, & videbo justitiam ejus: & videbit inimica mea, & cooperietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, & erit in conculcationem sicut lutum in via.* Nec immerito, quoniam qui lapsu alieno gaudet, diaboli gaudet victoriâ. Et ideo doleamus magis, cùm audimus periisse hominem, pro quo Christus mortuus est, qui nec in messe stipulam negligit.

79. Atque utinam hanc stipulam in messe, hoc est, inanem avenam fructus mei non abjiciat, sed colligat, sicut ait quidam: (Mich. 7. 1.) *Heu me, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & racemum in vindemia!* ut vel primitiva manducet in me gratiæ suæ, etsi posteriora [a] non approbet.

CAPUT IX.

Quo pacto fides ad pœnitentiam necessaria? Quot etiam solvendi subsidia cuique suppetant? Orationem, fletus ac jejunia pecuniis potiora esse. Quod ubi exemplis confirmavit, additoque ad veniam liberalitatem multum valere, sed fidei conjunctam, vitia ejusdem liberalitatis nonnulla refert. His alios quosdam pœnitentiæ jungit defectus, eorum nempe vel qui statim reconciliari expetunt de solito luxu nihil remittentes, vel qui pœnitentiam in sola sacramentorum abstinentia locant, vel demum qui spe pœnitentiæ effunduntur in libidines.

80. Ergo & agendam pœnitentiam, & tribuendam veniam credere nos convenit; ut veniam tamen tamquam ex fide speremus, non tamquam ex debito; aliud est enim mereri, aliud præsumere. [b] Tamquam ex syngrapho fides impetrat: præsumtio autem arroganti est propior, quam roganti. Prius solve quod debitum est; ut quod speraveris, impetrare merearis. Solve boni affectum debitoris, ut versuram non facias, sed fidei tuæ censu contracti nominis fœnus evacues.

81. Plura solvendi habet subsidia, qui Deo quam is qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præsto est: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. NEMO PAUPER est qui Deo debet, nisi qui se ipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ vendat, habet quæ solvat. Oratio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est, multoque uberior, quam si quis ex pretiis fundorum pecuniam sine fide deferat.

82. Denique pauper erat Ananias, cùm vendito agro, pecuniam deferret ad apostolos; (Act. 5. 1. & 2.) unde nec solvere se potuit, sed implicavit. Dives illa vidua quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, de qua dictum est. (Luc. 21. 2.) Hæc vidua paupercula plus omnibus misit. Non enim pecuniam Deus, sed fidem quærit.

83. Neque ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis posse minui peccatum; (Alias Cap. IX.) sed si fides commendet expensas. Quid enim prodest collatio patrimonii sine gratia caritatis?

84. Sunt qui ad jactantiam solam decorem largitatis affectent; ut eo se probatos vulgo videri velint, quod sibi nihil reliquerint: sed dum præsentis sæculi mercedem requirunt, non recondunt futuri; & quia hîc perceperunt mercedem suam, illic sperare non possunt.

85. Sunt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non judicio perpetuo, (17. q. 4 c. Sunt qui opes.) ubi Ecclesiæ contulerunt, postea revocandas putarunt: quibus nec prima [c] merces rata est, nec secunda; quia nec prima judicium habuit, & secunda habuit sacrilegium.

86. Sunt quos pœnituerit opes suas divisisse pauperibus: SED EOS QUI pœnitentiam agunt, [d] hoc solum pœnitere non debet, ne ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam. Nam plerique futuri supplicii metu peccatorum suorum conscii, pœnitentiam petunt; & cùm acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore. HI VIDENTUR malorum petiisse pœnitentiam, agere bonorum.

87. Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam sacerdotem ligare; suam enim conscientiam culpa non exuunt, & sacerdotis induunt, cui præceptum est: *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas*

a. Sic omnes mss. omnes vero edit. *non approbem.*

b. Mss. complures, *ex ingrato*: unus, *ex integro*: ceteri *ex syngrapho*: pro quo edit. *ex syngrapha*. Iterum paucis post versibus, ubi cunctæ edit. & mss. nonnulli, *ut usuram non facias*: unus, *ut versutiam non facias*: reliqui, *ut versuram* &c. Est autem versuram facere ita mutare creditores, ut ad pecuniam quæ sub mediocri fœnore alicui debetur, dissolvendam, ab alio summam necessariam cum onere majoris fœnoris accipias.

c. Mss. plerique, *merces grata est*: unus, *gratia est*. Hoc autem loco mirari subit, quam abhorruerit ab avaritia noster Ambrosius; quandoquidem munera semel Ecclesiæ oblata & tradita repetenti domino restituere adeo paratum se significet. Animum à cupiditate adeo liberum discipulus ejusdem Augustinus egregie imitatus est, quemadmodum in ejus vita cap. 24. testatur Possidius. Aliis etiam locis non absimilem divitiarum contemptum præ se fert Ambrosius: vide quæ in Lucæ Evang. super eadem re disserit lib. 8. num. 79. sicut & Epist. *de Basilicis non tradendis.*

d. Ita vet. edit. in corpore, & cuncti mss. Eras. autem & Gill. in margine, *hoc solum timere oportet*: quam lectionem Rom. edit. transtulit in contextum.

vestras ante porcos, hoc est; [a] immundis impuritatibus sacræ communionis non impertienda consortia.

88. Itaque videas eos mutata veste incedere, quos lugere & gemere oportebat; quia vestem illam [b] ablutionis & gratiæ sordidarunt: feminas autem margaritis onerare aures, curvare cervices, quas bene Christo non auro inclinarent: quæ se ipsas flere debebant, quod margaritam quæ de cælo est, perdiderunt.

[*De Pœnit. Dist. 1 cap. Sunt qui arbitrantur.*]

89. Sunt etiam qui arbitrentur hoc esse pœnitentiam, si abstineant à sacramentis cælestibus. [c] Hi sæviores in se judices sunt; qui pœnam præscribunt sibi, declinant remedium, quos vel pœnam suam conveniebat dolere; quia cælesti fraudarentur gratia.

90. Alii proposita spe agendæ pœnitentiæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant; cùm pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incentivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento; quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur. Infirma deinde spes quæ committitur tempori; cùm omne tempus incertum sit, non omni spes tempori sit superstes.

CAPUT X.

Ut pudor quo revocantur à publica pœnitentia sontes, depellatur, prophanorum agendi ratione proposita, utilitatem precum ab omni Ecclesia simul emissarum, ac lugentium sanctorum exempla promit. Tum reprehensis qui eamdem pœnitentiam ducunt sæpius iterandam, quàm difficulter bene agatur, quove modo exsequenda sit, explicat.

91. An quisquam ferat ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? & pudeat te Deo supplicare, quem non lates; cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri? [d] An testes precationis & conscios refugis, cùm si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres, ut dignentur intervenire; ad genua te ipse prosternas, osculeris vestigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros, paternæ etiam veniæ precatores? Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad obsecrandum sanctæ plebis requiras; ubi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri; cùm omnes simus peccatores: ubi ille laudabilior, qui humilior; ille justior, qui sibi abjectior.

[*De Pœnit. Dist. 1. c. Fleat.*]

92. Fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lacrymis lavet, videat te Christus mœrentem, ut dicat: *Beati tristes; quia gaudebitis.* [*Luc. 6. 21.*] Amat ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduæ lacrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus resuscitavit. [*Luc. 7. 11.*] Ideo citius exaudivit Petrum, ut Dorcas resurgeret; [*Act 9. 36.*] quia pauperes mortem mulieris ingemiscebant. Ideo ipsi Petro statim remisit, quia amarissime flevit. Et tu si amarissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. [*Luc. 22. 61.*] [e] USUS ENIM DOLORIS ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.

93. Nihil ergo te revocet à pœnitentia, hæc tibi communis cum sanctis est: utinamque imitanda talis, qualis sanctorum deploratio. David manducabat sicut panem cinerem, & potum suum cùm lacrymis temperabat; ideo nunc amplius gaudet, quia amplius flevit: *Per exitus aquarum descenderunt*, inquit, *oculi mei.* [*Psal. 101. 10. Psal. 118. 136.*]

94. Johannes multum ploravit, & revelata sibi dicit Christi mysteria. [*Apoc. 5. 4.*] At vero illa mulier, quæ cùm esset in peccatis, & deberet flere, gaudebat; & veste purpurea atque coccinea operiebatur, & auro se multo & pretiosis lapidibus ornabat, æterni fletus nunc luget ærumnam. [*Apoc 17. 4.*]

[*De Pœnit. Dist 3. c. Reperiuntur.*]

95. [f] Merito reprehenduntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant; quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent; quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur; nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.

[*De Pœnit. Dist. 1. c. Sunt qui. §. Facilius.*]

96. Facilius autem inveni qui innocentiam servaverint, quàm qui congrue egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi adquirendæ ambitio dignitatis, ubi vi-

a. Eras. & Gill. in marg. ac Rom. edit. in corp. *immundis spiritibus*. At Rom. edit. sola, *non facile impertienda*: reliquæ omnesque mss. omittunt, *facile*.

b. Nonnulli mss. melioris ævi, *oblationis & gratiæ*. Non absurdo sensu. Etenim alludere potuit ad morem veterum, quo qui sacris operaturi erant, veste pura indui solebant: at in recepta lectione alluditur ad vestem baptismalem, de qua supra.

c. Rom edit sola, *Hi severiores*; & infra cum uno vel altero mss. *præscribunt, si declinant* &c.

d. Sic omnes edit. ac pauci mss. reliqui autem magno consensu, *Antistites precationis*, præter duos in quibus *prædicationis*; minus commode. Quod vero ad vocem *Antistites*, ea non omnino displicet, cùm referri possit ad presbyteros sive diaconos, qui pœnitentium orationibus præesse ab episcopo jubebantur. Sed gravior difficultas est quo sensu accipi debeant superiora illa, *cùm te non pudeat* &c. Bellarminus & alii catholici cum illo eadem de auriculari, ut vocant, confessione interpretantur: quæ contra Dallæus, Albertinus aliique heterodoxi pertinacius ad publicam publici peccati declarationem, quam non lingua vel ore, sed lacrymis, gestu & totius habitu corporis efferebant, transferunt. At eos adversus apertam veritatem vana moliri manifestum est. Nam primo locutione utitur singulari, *homini*, inquit, *quem lateas, confiteri*; nemo quippe non videt, si publicam exomologesin significare habuisset in animo, ratiocinium per numerum multitudinis multo efficacius fuisse futurum: 2. demonstrat series omnis orationis pœnitentes non ob aliud avocatos à publica supplicatione, nisi quia per ejus exteriores actus prodebant esse se peccatores: 3. satisfactionis & confessionis manifestum discrimen exprimitur; verba enim proxime citata pertinent ad confessionem, ad satisfactionem vero sequentia: *cùm si homini satisfaciendum sit* &c.

e. Mss. aliquot, *Usus enim*, Clar. *Vulnus enim, doloris abnegat*, quidam *obligat, luxuriam* &c.

f. Non pauci, nec deteriores mss. *Merito reperiuntur*: paulo melius qui cum Grat. distingunt, *merito. Reperiuntur*: quibus tamen præferendi alii, & edit. Porro non obscure hîc declaratur olim semel actam publice pœnitentiam non magis iterari consuevisse, quam baptismum. Idem etiam sub finem sequentis cap. significatur. Hanc autem sententiam Ambrosianam aliis Patribus communem fuisse cognoscere est ex Tertull. de Pœnit. cap. 7. Siricio Pont. Rom. *epist. 1, ad Himer* can. 4. August. epist. 157. novæ edit. & aliis. Immo vero non aliter hi loci Ambrosiani accipiuntur à *Magistro Sent.* in 4. distin. 14. à Divo Thoma 3. parte quæst. 80. art. 10. ad 2. atque ab aliis post ipsos theologis. Verum hac in re illi decepti sunt, quod eos qui peracta publica pœnitentia rursus in peccatum essent delapsi, ad secretam pœnitentiam admissos putaverint. Etenim qui ad pristina scelera quasi canes ad vomitum revertebantur, jam sibi ipsi relinquebantur, ut Deum qua potiori via visum fuisset, placarent; ita tamen ut in exitu vitæ per absolutionem reconciliati munirentur sacro viatico communionis. Qua de re adisis Morinum *de Administr. Pœnit* lib. 9. c. 29. & Alexandrum *Sæc. 3. Hist. Eccl. Dissert.* 10. Ceterum præter illam graviorum criminum pœnitentiam alia quoque erat pro culpis levioribus, & quotidianis. Tametsi vero utrumque peccati genus apte distinguatur ab Ambrosio, cùm tamen is quæ pro levibus, quæve pro gravibus haberi debeant, non edisserat, lectorem remittimus ad Auctorem ejus sermonis, qui inter dubios August. editus est 351. num. 7.

ni effusio, ubi ipsius [a] copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est: somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus: vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur: sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt [b] propter amores meretricios peregre profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi se non interpellavit, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum ego.

Matth. 16. 24. 97. Unde bene Dominus ait: *Qui vult post me venire, abneget semet ipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Etenim qui mortui & sepulti in Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. *Ne*
Coloss. 2. 20. *tetigeritis*, inquit, *nec adtaminaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu*, eo quod ipse hujus vitæ usus corruptela sit integritatis.

CAPUT XI.

Ubi præmisit quominus ad mortem usque baptismus rejiciatur, in causa esse pœnitentiam; eos à quibus ipsa procrastinatur, allatis Scripturæ testimoniis urget. Subjungit tamen tum agendam illam non esse, cùm adhuc fervent cupiditates, at quoad eædem resederint, exspectandum.

98. Bona ergo pœnitentia, quæ si non esset, omnes ad senectutem differrent ablutionis gratiam. Quibus satis responsi est quia melius est ut habeam quod sarciam, quam non habeam quod vestiar: sed sicut semel adsuta redintegrantur, ita frequenter suta solvuntur.

99. Eos autem qui pœnitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.* Nescimus ergo qua hora fur venerit, nescimus an proxima nocte à nobis nostra reposcatur anima. Adam post culpam statim de paradiso Deus ejecit, non distulit: sed statim separavit à deliciis, ut agerent pœnitentiam: statim tunicam vestivit pelliceam, non sericam.

Matth. 4. 17.

De Pœnit. Dist. 1. c. Adam.

Gen. 3. 21.

100. Quid enim est quod differas? An ut plura peccata committas? Ergo quia Deus bonus est, ideo tu malus, & divitias bonitatis ejus & patientiæ contemnis? Sed bonitas Domini magis ad pœnitentiam te debet adducere. Ideo ad omnes sanctus David dicit: *Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Dominum nostrum, qui fecit nos.* De peccatore autem sine pœnitentia mortuo; quia nihil aliud superest nisi graviter mœrere, nisi flere, habes plorantem ipsum & dicentem: *Filius meus Abessalon, filius meus Abessalon.* Qui enim penitus est mortuus, sine ulla exceptione defletur.

Rom. 2. 4.

Psal. 94. 6.

2. Reg. 18. 33.

101. De his autem qui exsules atque peregrini limitum paternorum, quos lex Moysi sancta præscripsit, mundanis implicabuntur erroribus, audis canentem: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur Sion.* Inducit enim [c] lapsorum gemitus, in ipso temporum præsentium & rerum labentium adhuc positos statu debere resipiscere; eorum videlicet exemplo, qui propter peccati pretium deducti erant in captivitatis ærumnam.

Psal. 136. 1.

102. Nihil est autem quod tam summo dolori sit, quam ut unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit, atque unde deciderit; eo quod ad corporea atque terrena ab illa speciosa ac pulcra [d] divinæ cognitionis intentione deflexerit.

De Pœnit. Dist. 1. c. Sunt qui. §. Nihil est.

103. Sic habes Adam abscondentem se, ubi Deum cognovit esse præsentem, & quæsitum latere voluisse, & vocatum à Domino ea voce, quæ latentis morderet affectum, hoc est: *Adam ubi es?* hoc est, cur te abscondis? cur lates? cur fugis eum, quem videre desiderabas? Ita gravis culpa est conscientiæ, ut sine judice ipsa se puniat, & velare se cupiat; & tamen apud Deum nuda sit.

Gen. 3. 9.

104. Et ideo nemo in peccato positus arrogare sibi debet auctoritatem aut usurpationem sacramentorum; quia scriptum est: * *Peccasti, quiesce.* Quod in præsenti psalmo David dicit: *In salicibus*, inquit, *in medio ejus suspendimus organa nostra*; & infra: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Si enim caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo, & mentis imperio, aliena est terra quæ non domatur exercitio cultoris, & ideo non potest fructus caritatis, patientiæ, ac pacis adferre. Melius

De Pœnit. Dist. 1. c. Sunt qui. §. Nemo.

* Gen. 4. 10.

Psal. 136. 1. & 2.

De Pœnit. Dist. 3. c. In salicibus.

a. Pauci mss. *culpa conjugalis.* Haud satis recte; non enim de adulterio, quod nemini licet: sed de conjugali congressu, à quo soli pœnitentes jubentur abstinere, hic agitur. Verum forasse mirabetis cur hujusmodi abstinentiam exigat Ambrosius, cùm eadem illa non memoretur in iis operibus, quæ pœnitentibus observanda imperant alii Patres. Attamen eum continentiæ usum obtinuisse illis temporibus videmur hinc posse colligere, quod Siricius papa epist. ad Himer. num. 5 eos qui publicam egerint pœnitentiam, si novum conjugium postea inierint, à communione præterquam in mortis articulo removet: quemadmodum etiam Conc. Arelat. 2. can. 21. cujus insuper can. 22 prohibetur, ne pœnitentia publica cuipiam conjugato sine conjugis consensu imponatur. His adde quod videatur mitigata illa severitas à Leone pont. epist. ad Rusticum Narbon. à Conc. Tolet. 6. can. 8. nec non à Tullen. 2. à quibus permittitur publicis pœnitentibus, ut si continere se non valeant, copulam legitimæ uxoris appetant, ne fornicationis periculo exponantur. Nec sane mirum si continentia imponebatur in publica pœnitentia, quando eadem ab innocentibus etiam in jejunio quadragesimali exigebatur: qua de re videas licet erudit. Thomassinum. Quod autem spectat alia publicorum pœnitentium opera, quæ ab Ambrosio hic describuntur, ea quoque exposita reperies apud alios PP. ut puta Tertull. *de Pœnit.* cap 9. 10. 11. & 12. Cyprian. in suis ac Rom. Cleri epist. *de lapsis*, Greg. Nyss. *Hom. de Pœnit* Pacianum *Paræn. ad Pœnit.* Cæsarium *Hom* 8. & alios.

b Vet. edit. ac mss. aliquot, *post amores meretricios*: Rom. edit. & alii quos hic sequimur, *propter amores meretricios*, nonnulli, *amorem meretricium* Rursus edit. ac pauci mss. *veteri occurrisse dilecta, quæ ubi non interpellatam*, Rom. *non interpellata, mirata putaverit*: quidam mss. *postea vero ei occurrisse dilectam, quæ ubi se non interpellatam mirata, hinc putavit*, aliqui, *admirata sit, putaverit*: ceteri qui & potiores, ut in textu.

c. Amerb. & Eras. *Inducit lapsorum gemitus in ipso tempore præsentium & rerum labentium* &c. Gill ac mss. ut nos in textu, nisi quod horum quinque pro *gemitus* habent *genus*, minime male. Nam ea vox per syllepsin ad adjectivum *positos* referri potest, ut hic sensus sit, *Inducit lapsos homines .... positos* &c. Rom. edit. *Inducit lapsorum gemitus & in ipso præsentium & rerum* &c.

d. Ita vet. edit. ac plures mss. quorum tamen unus pro *pulcra* legit *pura*, & alii non pauci, *defluxerit* pro *deflexerit*: At Rom. edit. ceterique mss. à nobis hoc solo dissident, quod è voce *cognitionis* fecere *conditionis*.

*. Etsi passim in hisce libris Ambrosius aliorum Patrum exemplo peccatores ad pœnitentiam non diutius procrastinandam impellat urgeatque; cùm tamen ea, sicuti dictum est, non iteraretur, prudenter monet ejusdem tempus iis neutiquam esse maturandum, qui adhuc ætatis cupiditatumque æstu sic abripiuntur, ut vix sperandum videatur ipsos in pristinam consuetudinem non relapsuros. Et hæc causa fuit etiam Monnicæ baptismatis in Augustino filio differendi. Interim quid istis præcipue observandum sit, præcipit sanctus Doctor: ac primum eos ab usurpanda, hoc est, indigne sumenda eucharistia deterret. Ad id venuste accommodat hunc ipsum Genesis locum, non secus ac verbo *quiesce* Cainum à sacrificio Deus removisset: quod verbum argute ad excusandi seu defendendi peccati prohibitionem idem traducit lib. 2. *de Cain & Abel* cap. 7.

EST ergo tunc quiescere, cùm exercere non queas opera pœnitentiæ; ne in ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat pœnitentia. Quæ si semel fuerit usurpata, nec jure celebrata; nec prioris fructum obtinet, & auferet usum posterioris. (*De Pœnit. Dist. 3. c. Si quis. § Pœnitentia.*)

105. Sane & cùm caro repugnat, mens ad Deum debet esse intenta: & si opera non sequuntur, [a] fides non deserat: & si impugnant vel carnis illecebræ, vel potestates adversariæ, maneat mens Deo dedita. Tunc enim maxime urgemur, cùm caro cedit: & sunt qui vehementer incumbant miseræ animæ, quærentes omne auferre præsidium. Unde illud est: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* (*Rom. 7. 23.* — *Psal. 136. 7.*)

106. Quam miseratus David ait: *Filia Babylonis misera.* Misera utique; quia Babylonis filia est, quæ Dei filia esse desivit. Cui tamen medicum invitat, dicens: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*, hoc est, qui infirmas & lubricas cogitationes elidat ad Christum; qui omnes irrationabiles motus sui reverentia & disceptatione comminuat, ut si adulterino quis amore raptatur, excludat ignem, copulamque meretricis; & se studio suo abdicet, ut Christum adquirat. (*Ibidem 8.* — *Ibidem 9.*)

107. [b] Didicimus ergo & agendam pœnitentiam, & eo agendam tempore quo culpæ defervescat luxuria: & in captivitate peccati positos, reverentiores nos, non usurpatores esse debere. Nam si Moysi propius accedere gestienti, ut cognitionem mysterii cælestis hauriret, dicitur: *Solve calceamentum pedum tuorum;* quanto magis nos animæ nostræ pedes exuere vinculis corporalibus, & gressus omnes mundi istius nexu debemus absolvere? (*b De Pœnit. Dist. 1. c. Sunt qui. § Didicimus.* — *Exod. 3. 5.*)

a. Amerb. atque Eras. *fides desiderat* Gill. & mss. aliquot, qui & probatiores *fides deserviat:* Rom *fides non deseratur;* reliqui mss. *non deserat.* nimirum istiusmodi peccatores.

b. Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *Dicimus ergo:* unius, *Discimus ergo:* reliqui autem, ac vet. edit. cum Grat. ut in textu. Iterum vero pro, *culpa defervescat luxuria*, mss. aliquot invertunt, *culpa defervescat luxuria.* Denique ubi edit. *usurpatores*, mss. uno excepto, efferunt, *usurpatiores.* Legendum forsitan, *usurpantiores.*

IN LIBROS DE FIDE.

ADMONITIO.

CUm Ecclesiam Mediolanensem Auxentius, pulso sancto præsule Dionysio, fretus Constantii Arriani imperatoris adminiculo, per vim occupasset, ac eam omni scelere lacerasset deformassetque; extra dubium est Ambrosium simul ac in hujus demortui locum electus fuit, nihil habuisse antiquius, quam ut ruinas sub tyrannica Arrianorum dominatione illatas repararet. Adspiravit tam piis conatibus divinus favor. Etenim licet à sæcularibus dignitatibus ad episcopalem esset translatus, illico tamen tantam sui admirationem concitavit, ut eum omnes spectarent quasi veritatis magistrum atque oraculum.

His motus Gratianus Cæsar cùm in procinctu esset, ut in Orientem proficisceretur, Valenti patruo suo contra Gothos bellum gerenti suppetias laturus, ab illo [a] commentationem qua divinitas Christi adstrueretur, poposcit; ut illâ se adversus Arrianam pestem in iisdem provinciis atrociter grassantem tamquam præsentaneo antidoto communiret. Ambrosius, laudata imperatoris [b] fide, lubentiori animo se se exhortationem ad fidem quàm disputationem de fide scripturum fuisse professus, ejus tamen voluntati obtemperare ita voluit, ut paucis atque ex auctoritate [c] Conciliorum, potissimum vero Nicani concertaret.

Opere in duos libros distributo, statim à limine quid inter Catholicam fidem atque Arrianam perfidiam intersit discriminis, [d] proponit. Illic etiam naturæ in Deo [e] unitatem, nec non personarum trinitatem adserit; unde Christum Filium Dei esse, ipsique [f] adorationem tamquam vero Deo deberi probat: quippe qui & adtributis divinis sit [g] præditus, & in Scriptura quatuor divinitatis nominibus [h] significetur. Deinde ex Esaia & Hieremia docet [i] hoc illud esse, quod communis natura clamat. *Mox præcipuis Arriani erroris capitibus ob oculos positis, nimirum queis [k] Filius* dissimilis Patri, ex tempore cœpisse, & creatus esse *prædicabatur: contra vero* bonus, omnipotens, verus Dei Filius, ac divinitate unus cum Patre *negabatur; singula hisce duobus libris adoritur atque evertit. Igitur ubi præmonuit [l] ex Arrianæ factionis ducibus, quos inter se dissidere non ignoraret, nullum abs se privatim, sed universim omnes sub hæreticorum nomine impugnandos; Filium in omnibus Patri [m] similem esse, ipsique coæternum [n] demonstrat, ac proinde nec factum [o] neque creatum. Unde colligit [p] Nicænorum Patrum definitioni, quam Ariminensium [q] quoque prima & tertia confessio probavit, subscribendum. Postremo Deum [r] comprecatur, ut lectoribus suis & maxime imperatori hanc mentem iniciat, qua sacro fidei deposito [s] præferant nihil.*

In II. libro postquam XII. titulos [t] quibus Dei Filium designat Scriptura, exposuit, initam in Arrianos pugnam prosequitur. Docet [u] quanta sit in neganda ipsius bonitate impietas. Postea eumdem [x] omnipotentem, & licet à Patre quem majorem dicebat, [y] missum, eique [z] subditum, plane tamen liberum [aa] fuisse probat. His addit infirmitatibus illis [bb] ac miseriis quas infinita sua benignitate victus subierat, ipsos adduci oportuisse ad saniora: sin minus illum [cc] eisdem timendum esse quasi judicem, cujus sententia tantum desperationis hæreticis incussura est, quantum fiduciæ catholicis. Sub hæc, oratione ad Gratianum [dd] conversa, hos libros à se breviter atque impolite conscriptos dicit; fore tamen ut hi sufficiant iis omnibus, qui veritatem sincere indagarent. Denique certam Augusto promittit [ee] victoriam, eique debitum ipsius fidei triumphum à Deo petit.

Duos hos libros ad Gratianum in orientem iter parantem misit Ambrosius. Eos autem usque adeo Cæsar probavit, ut redux in patriam per litteras obsecraverit [ff] sanctum Præsulem, ut ipsos iterum deferendos ad se curaret, hisque disputationem de Spiritus sancti divinitate adjiceret. Verum hæc eadem opella non majorem à catholicis retulerat approbationem, quàm offensionem ab hæreticis, qui omnibus artibus eam elevare studuerant. Nihil tamen quod reprehenderent, deprehendere in ea potuerant, nisi quod ipsum dictitabant [gg] de industria affectasse nimiam brevitatem, ut argumentis suis quæcumque solutione validioribus respondendi necessitatem sic eluderet. Hujusmodi criminationibus, quæ quantumvis iniquæ, movere tamen poterant infirmiores, viam præcludere voluit Ambrosius. Quapropter venia differendæ lucubrationis de Spiritu sancto ab imperatore [hh] petita, alios tres libros quibus Arriani adigerentur ad silentium, composuit.

a. Lib. 1. de fid. Prolog. lib. 3. cap. 1. num 1. b. Lib 1. Prolog. n. 4. c. Ibid. n. 5. d Lib. 1. c. 1. n. 6. & seq. e Ibid. n. 8. & seq. f. Cap 2. num 13. g. ibid. n. 14. & 15. h Num. 16. & seq. i. Cap. 3. & 4. k. Cap. 5. l. Cap 6. m. Cap. 7. n. Cap. 8. & seq. o. Cap 14. & seq. p. Cap. 18. & 19. q. Ibidem r. Cap. 20. num. 122. s. Ibidem num 136. t. Lib. 2. Prolog. u Cap. 1. & seq. x Cap. 4. & seqq. y. Cap. 9. z. Cap 8. aa. Cap 6. bb. Cap 7. cc. Cap 11. & seq. dd. Cap 15. ee Cap 16. ff. Epist. ad Ambros. gg. Lib. 3. cap. 1. n. 2. hh. Epist. ad Gratian. & lib. 5. cap 2. n. 34. & c.

In horum primo statim dilutis [a] *quibusdam adversariorum querelis, Arriani erroris fontem docet hunc esse, quod Christi divinitati qua* creator & altissimus *negari nequit,*[b] *ea tribuerent, quæ soli ejus humanitati; qua* redemtor & factus *jure dicitur, convenirent: hoc uno posito firmamento, omnes eorum molitiones cassas recidere, ipsosque nequicquam obtrudere quod in sacris paginis Pater* solus potens ac solus habens inmortalitatem[c] *adseratur; Filius autem* factus[d] & creatus.[e] *Postea eumdem Filium ostendit verum Deum esse sicut & Patrem, quippe quibus unum* [f] *regnum sit, una* [g] *majestas, una gloria. Subjungit cùm negare ipsi non possint, quin substantiæ* [h] *vox in Scripturis non sit usitata, eumdem Patri consubstantialem* [i] *cum Nicæna Synodo prædicandum esse, Ariminensi impietate* [k] *condemnata. Postremo alia nonnulla divinitatis Filii testimonia cum eorum, quæ ipsis opponebantur,* [l] *solutionibus librum finiunt.*

In subsequenti quamvis id mirum pronuntiet[m] *Scripturæ fidem abrogari ab hominibus, eosdem tamen circa divinitatem Christi hæsisse ambiguos mirandum negat; cùm in ipsius adscensione suam hac de re dubitationem professi fuerint Angeli ipsi. Dehinc ad hæreticorum objectiones facta transitione, quod ab illis objiciebantur hæc verba* [n]: caput Christi Deus; *itemque alia illa:* [o] Non potest à se Filius facere quidquam, *quo sensu intelligenda sint, edisserit. Mox demonstrato omnia ipsi* [p] *vere esse possibilia, eum nec propterea quod generare nequeat,* [q] *imperfectum: nec propterea quod sit genitus,* [r] *temporalem argui planum facit. Demum ubi difficultatem ex Filii* [s] *missione &* [t] *clarificatione petitam enodavit, alias quasdam* [u] *cavillationes refellit.*

Ultimus liber à brevi cœptus exordio, primum [x] *quæ scribendi horum V. librorum causæ fuerint, quidve inde speremur* [y] *à lectoribus, aperit. Continuo repetuntur objectiones, & locus ille:* [z] Ut cognoscant te verum Deum, *qua ratione Christo non officiat, fuse docetur. Alius iste:* [aa] Nos adoramus quod scimus, *tractatur paulo contractius: sed in eo quod à Domino dictum legitur:* Sedere autem ad dextram *&c. multus* [bb] *est Doctor noster. Accedit postmodum ad illas voces:* [cc] Dilexisti eos sicut me; *ubi iterum de Dominica missione paucis disputat. His disceptatis, quo intellectu Patrem* Dominum *Christus appellaverit,* [dd] *explicat; eaque occasione omnes hæreses hoc uno Davidis versiculo:* Dixit Dominus Domino meo *&c. extingui probat. Sub hæc postquam ostendit* [ee] *hæreticorum in eludendis baptismi verbis conatus quam sint inutiles, textum illum:* Qui credit in me, non credit in me *&c. demonstrat* [ff] *ipsis nequaquam favere ad abrogandam Christo divinitatem, quam ibidem variis argumentorum momentis* [gg] *confirmat. Ad extremum quidquid in sententia illa* [hh]: Cùm tradiderit regnum Deo *&c. itemque in hac alia:* [ii] De die illo & hora nemo scit *&c. salebrosum esse poterat, complanato, fidem suam profitetur* [kk]: *nec non in Arrii superbiam divinorum cognitionem secretorum, quæ ne Moysi quidem aut Paulo sunt revelata, sibi arrogantis invehitur, impium illum Lucifero ipso exstitisse magis tumidum diserte pronuntians.*

Citantur à multis [ll] *auctoribus hi libri sub titulo* de Trinitate, *quo similiter in mss. haud paucis inscriptos legas. Verumtamen certum est communem epigraphen* de Fide *illis prænotatam ab Ambrosio; non solum enim ita laudantur à Leone* [mm] *Rom. Pont. atque aliis, sed etiam ab Ambrosio ipso hac eadem appellatione sæpius* [nn] *memorantur. Quamquam autem frequenter in iis* [oo] *Manichæus, Sabellius, Photinus, aliique ex veterum hæreticorum ducibus impugnantur: attamen ipsos potissimum contra puri Arrianismi sectatorum commenta editos esse cum relatæ superius objectiones, tum omne opus clare loquitur.*

Ex iis porro quæ hactenus à nobis observata sunt, priores duos libros constat id temporis elucubratos esse, cùm Gratianus adversus Gothos, à quibus premebatur Valens, expeditionem adornabat, nempe sub exitum anni 377. aut 378. initium. Quod vero ad tres posteriores, cùm non nisi reverso in occidentem eodem imperatore compositos esse extra dubium sit, illos in annum 379. rejiciendos quivis intelligat. Verum tametsi diversis temporibus fuerint scripti, facile tamen in unum corpus & unitate argumenti, & auctoris ipsius consilio, quod non solum operis dispositione, sed etiam priorum in posterioribus frequenti [pp] *citatione declaravit, coaluere. Ceterum non evidentius est ab eo totam commentationem* [qq] *in V. libros fuisse distributam, quàm eorumdem librorum sectionem in capita ipsius non esse. Hoc probant cum manuscripti antiquiores, in quibus continua oratione exhibentur libri singuli, tum codices recentiores atque editiones, ubi capitum summaria tam inepta tamque alienis locis posita exstant, ut non modo nova, quod ubique in hoc opere fecimus, substituere; verum & orationem ipsam, quod raro alibi, hîc fere nusquam non aliter distinguere necessum fuerit.*

Cùm autem polemica opera lectoribus, maxime vero principibus insuavem quamdam satietatem afferre soleant; huic malo obviam ut iret Ambrosius, disputationem suam intra libellorum duorum angustias cogere statuerat: quos ipsos haud mediocriter exhilaravit tractandi dexteritate atque industria. Verum ubi materiam uberius discutiendam intellexit, multo prospexit diligentius, ut quidquid parere posset aliquid fastidii, removeretur. Eo consilio sedulam nectendis inter se probationibus objectionibusque operam dedit, aptas adhibuit atque ingeniosas transitiones, præfationes inseruit, subinde moralia præcepta, immo nonnumquam etiam nonnulla acute dicta miscuit atque inspersit. Ubique autem hac arte disponit objectiones, ut lector non sine voluptate solutiones earum prævideat: quas vero ipsemet profert, ita lecta sunt atque solida, ut quicumque postea eodem in argumento desudarunt, nullas alias his præferendas existimarint.

Quantùm hujus operis libri priores Gratiano accepti fuerint, jam ante à nobis observatum est. Verum communibus judicii sui testimoniis minime contentus, illustrius ejusdem indicium adjicere voluit, [rr] *cùm Ecclesiam quam sequestrari hæreticorum improbitas obtinuerat, catholicis jussit restitui. Pontifices* [ss] *max. Doctores,* [tt] *œcumenica* [uu] *concilia hos libros non solum eximiis laudibus exornarunt, sed etiam eorum testimoniis usi contra hæreses ætatibus posterioribus emergentes quam strenuissimè decertarunt. Quamobrem satis mirari non possumus inventos esse nostra & patrum memoria, qui universalem totius Ecclesiæ ac temporum omnium traditionem divinorum codicum auctoritate stabilitam, à Patribus in universis conciliis firmatam, sanguine tot martyrum, totque confessorum laboribus, ut Ambrosius* [xx] *ipse testatur, adsertam, probatam eruditissimis tot ac tantorum Doctorum libris, uno verbo ab innumeris viris ingenio, doctrina & pietate clarissimis receptam proculcantes, veterem illam atque exoletam hæresim renovare aggressi fuerint. Hoc autem etiam magis stupeas temerarios illos iis omnibus nihil opponere præter easdem objectiones, quas tam invicte sanctus Doctor hoc in Opere profligavit. Atqui ut testes hujusce rei non essent alii libri Socinianorum, impia Crellii commentatio* De uno Deo Patre *vel sola sufficeret, ut hoc ipsum nemini certum non fieret atque exploratum.*

a. Lib. 3. cap. 1.
b. Cap. 2.
c. Ibid. n. 11. & seq.
d. Cap. 4. & seq.
e. Cap. 7. & seq.
f. Cap. 12.
g. Cap. 13.
h. Cap. 14.
i. Cap. 15.
k. Cap. 16.
l. Ibid. & cap. seq.
m. Lib. 4. c. 1 & 2.
n. Cap. 3.
o. Cap. 4.
p. Cap. 5. & seq.
q. Cap. 8.
r. Cap. 9.
s. Cap. 10.
t. Ibid num. 130 & seq.
u. Cap. 11. & 12.
x. Lib. 5. Prolog.
y. Ibid. n. 8. & seq.
z. Cap. 1. & seq.
aa. Cap. 4.
bb. Cap. 5. & seq.
cc. Cap. 7.
dd. Cap. 8.
ee. Cap. 9.
ff. Cap. 10.
gg. Cap. 11.
hh. Cap. 12. & seq.
ii. Cap. 16. & seq.
kk. Cap. 19.
ll. Magist. Sent. Gratian. D. Thom.
mm. Epist. ad Leon. Imper.
nn. Epist. ad Gratian. lib. 1. de fid. Prolog. n. 4.
oo. Lib. 1. cap. 1. 6. lib. 2. cap. 5. lib. 4. c. 3. lib. 5. cap. 8. num. 104. & seq.
pp. Lib. 3. c. 12. n. 92. c. 13. n. 103. lib. 4. cap. 1. &c.
qq. Lib. 5. Prolog. n. 6. &c.
rr. Lib. 3. de Spirit. sancto cap. 1.
ss. Leo. 1. Agath. &c.
tt. Hieron. Augustin. Theodoret. Vinc. Lyrin. &c.
uu. Ephesin. Chalcedon. Constant. 3. &c.
xx. Lib. 3. c. 15. n. 128.

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE FIDE

LIBRI QUINQUE *

AD GRATIANUM AUGUSTUM.

* Quorum primi duo sub fin. an. 377. tres posteriores sequenti scripti fuere.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

Gratianum ob ardorem discendæ fidei laudat Ambrosius, semet vero deprimit. Quamquam autem illum humana doctrina indigere neget, quippe qui à Deo ipso fuerit institutus; addit tamen eumdem hac sua pietate viam sibi ad victoriam munire. Tum difficultate operis insinuata, non tam rationem quam auctoritatem, maxime vero Nicæni concilii, sequuturum se profitetur.

3. Reg. 10. 1. & seq. Ibid. 5. 1.

1. REGINA Austri venit audire sapientiam Salomonis, ut in libro Regnorum legimus. Hiram quoque rex ad Salomonem misit, ut cognosceret eum. Tu quoque, sancte imperator Gratiane, veteris imitator historiæ, fidem meam audire voluisti. Sed non ego Salomon, cujus mireris sapientiam: neque tu unius gentis, sed totius orbis Augustus fidem libello exprimi censuisti: non ut disceres, sed ut probares.

a
2. Quid enim discas, imperator Auguste[a], quam ab ipsis incunabulis pio fovisti semper

Hier. 1. 5.
affectu? *Priusquam te*, inquit, *formarem in utero matris tuæ, novi te: & priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* Sanctificatio ergo non traditur, sed infunditur; & ideo divina dona custodi: QUOD ENIM nemo te docuit, utique Deus auctor infudit.

3. Petis à me fidei libellum, sancte imperator, profecturus ad prælium; NOSTI ENIM fide magis imperatoris quàm virtute militum quæri solere victoriam. Nam & Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellum, & ex innumeris trophæa hostibus reportavit; * signoque Dominicæ crucis & nominis, quinque regum victriciumque turmarum subacto robore, & ultus est proximum, & fratris filium meruit & triumphum. Jesus quoque filius Nave hostes quos totius exercitus manu valida superare non poterat, septem tubarum sacerdotalium sono vicit, ubi ducem militiæ cælestis agnovit. Ergo & tu vincere paras, qui Christum adoras: vincere paras, qui fidem vindicas, cujus à me libellum petisti.

Gen. 14. 14. & seq.
*
Jos. 6. 6. & seq.
Ibid. 13. & seq.

4. Mallem quidem cohortandi ad fidem subire officium, quàm de fide disceptandi; in altero enim religiosa confessio est, in altero incauta præsumtio: sed quoniam neque tu cohortatione indiges, neque ego excusandi liber, ubi pietatis officium est, audax negotium verecunda occasione suscipiam; ut de fide pauca disceptem, de testimoniis plura contexam.

5. De Conciliis id potissimùm sequar, quod * trecenti decem & octo sacerdotes, tamquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum, toto orbe subactis perfidis, extulerunt; ut mihi videatur hoc esse divinum, quod eodem numero in Conciliis fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.

*

a. Edit. omnes cum duobus omnino mss. *cùm ab ipsis cunabulis pio fuisti* &c. Elegantius reliqui mss. ut in textu.

*. Signum crucis ponitur in littera T. quam in antiquis Hebræorum characteribus hanc ipsam figuram habuisse Hieronymus post Origenem auctor est in Ezech. cap 9. ℣. 4. cujus opinionem Grotius ad eumdem locum contra Scaligerum defendit. Quod autem ad numerum 318. is apud Græcos arithmetice efferebatur litteris τ & ιη, quarum posteriores duæ suavissimi nominis Jesu initiales sunt. Et hinc Ambrosianæ allusionis ratio patet. Illam autem hoc ipso libro cap. 18. rursus proposuit, non secus ac lib. 1. *de Abraham* cap. 9. jam expresserat. Neque vero ea propria est sancto Præsuli; eamdem enim etiam exhibet lib. 1. *de Spiritu S.* cap 1. Paschasius diaconus Gelasio papæ synchronus: sicut & Prudentius in *Præfat. Psychom.* sed obscurius. His autem omnibus præiverat Clem. Alexandrinus, qui eamdem interpretationem quasi ab antiquis theologis acceptam luculenter explicat lib 6. Stromaton p. 656. Unde perspicuum est priscis illis persuasum neutiquam fuisse mysteria religionis ita litteris hebraicis Deum alligata voluisse, ut non etiam in græcis indicarentur, quemadmodum Domini crucem per elementum græcum τ ab Ezechiele designari asserit Tertullianus lib. 3. *contra Marcionem* cap. 22.

*. Hunc Nicænorum PP. numerum rursus libri hujus cap. 18. scribit Ambrosius. In quo etiam ei suffragantur non modo Hilarius *contra Constant.* Hieronymus *in Chronic.* Rufinus & alii; verum & Athanasius ipse in Epist. ad Jovian. Quare nihil erat cur Valesius in Eusebium lib. 3. *de vita Constant.* cap. 8. constare negaret quot essent iidem episcopi; cùm potius Eusebiani loci nonnisi 250. assignantis corruptionem, de qua jam vulgo conveniunt, ipsum quoque agnoscere oportuisset. Hoc Socrates atque Eustathius planum faciunt, eumdem Eusebii textum allegantes; alter enim posuit trecentos & amplius, alter trecentos vel circiter, quod nequaquam ad 250. vulgatæ lectionis Eusebianæ, sed aptissime ad 318. referri potest: ubi tamen paucos Arrianos, qui Synodo interfuere, non comprehendimus.

CAPUT I.

Catholicam fidem à gentilium, Judæorum, ac hæreticorum erroribus distinguit: expositoque vocum Dei & Domini significatu, personarum discrimen, & naturæ unitatem demonstrat: quam dum separant Arriani, non tres Deos tantum inducunt, sed etiam Trinitatis regnum destruunt.

6. ADsertio autem nostræ fidei hæc est, ut unum Deum esse dicamus: neque, ut gentes, Filium separemus: neque ut Judæi, natum ex Patre ante tempora, & ex Virgine postea editum denegemus: neque ut * Sabellius, Patrem confundamus & Verbum; ut eumdem Patrem adseramus & Filium: neque ut Photinus, initium Filii ex Virgine disputemus: neque ut Arrius, plures credendo & dissimiles potestates, plures deos gentili errore faciamus; quia
Deut. 6. 4. scriptum est: *Audi, Israel, dominus Deus tuus, Deus unus est.*

7. Deus enim & Dominus nomen magnificentiæ, nomen est potestatis, sicut ipse dicit:
Esai. 42. 8. b *Dominus nomen est mihi.* Et sicut alibi Propheta adserit: *Dominus omnipotens nomen est ei.* Dominus ergo & Deus vel quod dominetur omnibus, vel quod spectet omnia, & timeatur à cunctis.

8. Si ergo unus Deus, c unum nomen, potestas una est Trinitatis. Denique ipse dicit:
Matth. 28. 19. *Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. In nomine* utique, non in nominibus.

Johan. 10, 30. 9. Ipse etiam dicit: *Ego & Pater unum sumus. Unum* dixit, ne fiat discretio potestatis & naturæ: *sumus* addidit, ut Patrem Filiumque cognoscas; quod perfectus Pater perfectum Filium genuisse credatur: & Pater & Filius unum sint, non confusione personæ, sed unitate naturæ.

Alias Cap. II. 10. Unum ergo Deum, non duos aut tres deos dicimus; ut impia Arrianorum hæresis dum criminatur, incurrit. Tres enim deos dicit, qui divinitatem separat Trinitatis; cùm
Matth. 28. 19. Dominus dicendo: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, unius esse Trinitatem potestatis ostenderit. Nos Patrem & Filium & Spiritum sanctum confitemur; ita ut in Trinitate perfecta & plenitudo sit divinitatis, & unitas potestatis.

11. *Omne regnum in se divisum facile destruetur*, Dominus hoc dicit. Non ergo divisum est regnum Trinitatis. Si ergo divisum non est, unum est; quod enim unum non est, divisum est. * Tale ergo regnum esse cupiunt Trinitatis, quod divisione sui facile destruatur. Immo quia non potest destrui, constat non esse divisum. Non enim dividitur unitas, nec scinditur; & ideo nec corruptelæ subditur, nec ætati. Matth. 12. 25.

CAPUT II.

Imperatorem ad fidei zelum exhortatus, ab ea quæ Christo cum Patre inest, voluntatis atque operationis unitate ipsum Deum esse ostendit. Quapropter expositis divinis adtributis, eadem Christo etiam convenire affirmat: cujus præterea varias appellationes prosequutus, iis substantialem unitatem personalemque distinctionem probari docet: tum exemplis aliquot ad explicandam unitatem illam adductis, negat aliter Dei unitatem defendi posse.

12. NOn quicumque, inquit, mihi dicit: *Domine, domine, intrabit in regnum cælorum.* Non ergo perfunctoria fides debet esse, imperator Auguste; scriptum est enim: *Zelus domus tuæ comedit me.* Itaque fideli spiritu & mente devota Jesum dominum invocemus, Deum esse credamus; ut in nomine ejus quidquid à patre petimus, impetremus. Pater enim se per Filium vult rogari, Filius vult rogari Patrem. Matth. 7. 21. Psal 68. 10.

13. Concordat pietatis gratia, nec virtutis facta discordant. Quæcumque enim Pater facit, eadem & Filius facit similiter. Et similiter facit, & eadem facit Filius: sed vult rogari Patrem in eo, quod ipse facturus est; uti non impossibilitatis indicium, sed unitatem potestatis agnoscas. Jure igitur adorandus atque venerandus est Dei Filius, qui mundum divinitate sua condidit, & nostrum pietate sua informavit affectum.

14. Et ideo bonum Deum, sempiternum, perfectum, omnipotentem, verum debemus

*. Præcipuarum hæresum in Trinitatem divinasque personas auctores memorat Ambrosius, Sabellium, Photinum atque Arrium. Primus, Eusebio teste lib. 7. Histor. cap. 6. errores Ptolemaide in urbe Pentapoleos circiter annum 257. spargere cœpit. Docebat autem in Deo unam tantum esse personam, sed tribus diversis nominibus eam efferri, ut auctores sunt Epiphanius *Hæresi* 62. Basilius epist. 64. Philastrius, Augustinus, atque alii. Photinus ex Galatia provincia natus Sirmiensis factus est episcopus quemadmodum à nobis in lib. 5. *Comment in Lucam* num. 4. notatum fuit. Is cùm doctrinam & eloquentiam singularem sibi comparasset, nova dogmata vulgare aggressus est anno circiter 343. Negabat porro Christum Maria priorem exstitisse, ex qua & Josepho ipsum conjugali congressu, ut Marius Mercator prodidit, natum blasphemabat. Unde cùm hîc apud Ambrosium Photinus refertur dicere Dei Filium *ex Virgine* ortum cepisse, aut *ex Maria Virgine* apud Epiphanium, id per quamdam licentiam accipiendum est, ut cùm Virgilius Egl. 6. Pasiphaen trium liberorum parentem virginem vocat, aut verius per antonomasiam, ut soliti nominis honore non privetur. Addit autem Epiphanius Photinum, cùm urgeretur, dicere solitum: *Erat in Patre Verbum, sed nondum erat Filius .... quod filius non existeret, sed id ipsum solum, cui filii nomen erat aliquando tribuendum* &c. Quibus quidem videtur Verbi æternitatem divinitatemque non negare. Inde est fortasse quod Augustinus Hæresi 44 cùm dixisset Photinum Paulo Samos. à quo initium Christo ex virgine tribuebatur, *similia credidisse*, continuo addit. *Secundùm aliquid tamen adversatus ei dicitur.* Ex hac ratione Garnerii conjectura confirmari non male posset, nisi adseruisset Photinum ὁμοούσιον fidem constanter tenuisse. Sic etiam loci PP. qui invicem contrarii apparent, conciliabuntur. Namque ubi traditur negatum ab eo Verbum consubstantiale esse, hoc ad veram ipsius opinionem erit referendum; ubi vero eidem adtribui oppositum videtur, illud intelligi de secunda responsione ad quam coactus confugiebat, poterit. Consule sis eumdem Garnerium *Dissert. 1. de Hæres. & lib Nestorii:* &, ut cognoscas quæ rationes contra eum faciunt, Alexandrum. Quod autem superioribus duobus hæreticis Arrium jungit, cùm toto hoc opere impugnetur ejus hæresis, de ipso actum est in Præfatione.

b. Huic & sequenti Scripturæ textui post vocem *Dominus* Rom. editi adjecerat, *Deus*, quæ in aliis ac mss. desideratur. Quod autem ad etymologias infra positas, prima plana est: altera vero deducitur ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι *videre*, quam indicat Gregorius Nyss. *ad Ablavium*, Basilius epist. 141. Dionysius, Damascenus & alii: tertia demum à voce δέος quæ metum significat, quod Deus timorem incutiat; unde Petronius atque Statius, *Primus in orbe Deos fecit timor.* Vide Vossii Etymol. ad eam dictionem.

c. Ita mss. plures ac potiores: alii nonnulli, *unum nomen potestatis, unum Trinitatis:* aliqui tandem cunctæque edit. *unum nomen, una potestas, una Trinitas.* Infra vero Rom. edit. sola, *utique ait, non in nominibus; ut unitas essentiæ ostendatur: per tria vero quæ supposuit, tres esse personas declaravit.* Quæ quidem unde petita fuerint, nec dum compertum.

*. Divisâ videlicet naturâ dividitur quoque potestas, ac proinde minor fit. Hinc illud celebre dictum Tertulliani: *Deus, si non unus est, non est.* Eleganter etiam Gregorius Nazian. Carm. 3.

Ἔστι γὰρ πολύαρχον ἐμοί, καὶ πάμπαν ἄναρχον
Μαρνάμενον. [illegible]
[illegible]

credere

credere, ut in Lege accepimus & prophetis, scripturisque divinis ceteris, quia sine his Deus non est. Non potest enim bonus non esse, qui Deus est, cùm in natura Dei plenitudo bonitatis sit: neque ex tempore Deus potest esse, qui fecit tempora: neque potest imperfectus Deus esse; qui enim minor est, imperfectus utique est, cui desit aliquid, quo majori possit æquari. Hæc igitur fidei prædicatio: Deus malus non est, Deo impossibile nihil est: Deus temporalis non est, Deus minor non est. [a] Si fallor, redarguant.

15. Quia igitur Deus Christus: & bonus utique, & omnipotens, & sempiternus, & perfectus, & verus est; hæc enim in natura divinitatis sunt. Aut igitur negent naturam divinitatis in Christo, aut quæ divinæ naturæ sunt, Deo negare non possunt.

16. Certe ne quis possit errare, sequatur ea quibus scriptura sancta, ut intelligere possimus Filium, significavit. Verbum dicitur, Filius dicitur, Dei virtus dicitur, dicitur Dei sapientia. * Verbum, quia immaculatus: virtus, quia perfectus: Filius, quia genitus ex Patre: sapientia, [b] quia unum cum Patre, unum æternitate, unum divinitate. Non enim Pater ipse, qui Filius: sed inter Patrem & Filium generationis expressa distinctio est; ut ex Deo Deus, ex manente manens, plenus è pleno sit.

17. Non sunt igitur hæc nuda nomina, sed operatricis virtutis indicia; est enim plenitudo divinitatis in Patre, est plenitudo divinitatis in Filio, non discrepans, sed una divinitas. Nec confusum, quod unum est: nec multiplex, quod indifferens.

18. Etenim si omnium credentium, sicut (Act. 4. 32.) scriptum est, erat anima una & cor unum: si omnis qui adhæret Domino, unus spiritus est, (1. Cor. 6. 17.) ut Apostolus dixit: si vir & uxor in carne una sunt: si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, unius substantiæ sumus: si hoc de humanis Scriptura dicit, quia multi unum sunt, quorum nulla potest esse cum divinis comparatio; quanto magis Pater & Filius divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ nec voluntatis ulla est differentia?

19. Namque aliter quomodo unum Deum dicemus? Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem; quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.

CAPUT III.

Patris ac Filii unitatem Scripturæ testimoniis probat, & primo Esaiæ locum aliorum comparatione ita illustrat, ut nullam à Patris natura in Filio inesse differentiam adstruat, nisi quantum ad carnem; ac proinde unam utriusque deitatem esse. Quod ubi auctoritate Baruch confirmatum est, fidem prophetis hac in re habendam tradit.

20. QUantam verò scriptura divina Patris & Filii secundum divinitatem expresserit unitatem, prophetica testantur oracula. Sic enim dicit Dominus sabaoth: *Laboravit*

A *Ægyptus, & mercatus Æthiopum & Sebaim: viri* (Esa. 45. 14.) *excelsi ad te transibunt, & tui erunt servi, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur; quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel.*

21. Audi propheticam vocem: *In te*, inquit, *est Deus, & non est Deus præter te.* Quomodo hoc secundum Arrianos convenit? Necesse est negent aut Patris aut Filii divinitatem, nisi B ejusdem divinitatis crediderint unitatem.

22. *In te*, inquit, *est Deus;* quoniam in Filio (Iohan. 5. 5.) Pater. Scriptum est enim: *Pater qui in me manet, ipse loquitur*, &c: *Opera quæ ego facio, & ipse facit.* Sed & alibi in Patre Filius est, qui dicit: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Dissolvant si (Iohan. 14. 10.) possint hanc naturæ proprietatem, & operis unitatem.

23. Deus igitur in Deo est, sed non duo dii: scriptum est enim, quia *unus Deus:* & Dominus (Deut. 6. 4.) C in Domino, sed non duo Domini; quia æque scriptum est: *Nolite duobus Dominis servire.* Et (Matth. 6. 24.) Lex dicit: *Audi Israel, dominus Deus tuus Deus unus est.* (Deut. 6. 4.) Et utique in eodem est Testamento: *Pluit Dominus à Domino. Dominus*, inquit, *à Domino pluit:* (Gen. 19. 24.) Sic & in Genesi habes: *Et dixit Deus, & fecit Deus;* & infra: *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei;* (Gen. 1. 3. & 26.) sed tamen non duo dii, sed unus Deus fecit. Utrobique igitur unitas operationis servatur & nominis. Nam utique D cùm legimus, Deus ex Deo, non duos deos dicimus.

24. Denique habes in Psalmo quadragesimo quarto, quod & Deum Patrem dixit Propheta, & Deum Filium declaravit, dicens: *Sedes tua, Deus, in seculum seculi;* (Psal. 44. 7. & 8.) & infra: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Deus est qui ungit, & Deus qui secundum carnem ungitur Dei Filius. Denique quos habet unctionis suæ Christus nisi in carne consortes? Vides igi- E tur quia Deus à Deo unctus: sed in adsumtione naturæ unctus humanæ Dei Filius designatur, nec Legis forma violatur.

25. Et hîc ergo cùm dicitur: *Pluit Dominus à Domino*, unitatem divinitatis agnosce. (Gen. 19. 24.) Operationis enim unitas non facit pluralem divinitatem, sicut ipse Dominus ostendit, dicens: *Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me: alioquin vel propter opera ipsa credite.* (Iohan. 10. 38.) Et hîc advertimus quod unitatem divinitatis per unita- F tem operum designaverit.

26. Ut autem una deitas & Patris & Filii, & una dominatio probaretur; ne gentilis aut Judaicæ impietatis incurreremus errorem, providens Apostolus, quid sequi deberemus ostendit dicens: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, &* (1. Cor. 8. 6.) *nos in ipso: & unus dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Sicut enim unum dicendo dominum Jesum Christum, Patrem dominum non negavit; ita unum dicendo Deum Patrem, æque à deitatis veritate nec Filium separavit. Unde nec pluralitatem divinitatis, sed unitatem potestatis ostendit; quia & in dominatione divinitas, & in divinitate dominatus est; sicut scriptum est: *Scitote quoniam* (Psal. 99. 3.)

*. Eodem sensu D Th. 1 p. q. 32. a. 2. ad 3. *ut ostendatur*, inquit, *immaterialiter genitus, dicitur Verbum.*

a Mss. aliquot, *Si fallo*, nec etiam male.

b. Nonnulli mss. pro *unum* tet haben: *unius* non recte.

Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.

27. *In te* igitur *est Deus*, per unitatem naturæ: *& non est Deus præter te*, per proprietatem substantiæ, repulsâ differentiâ.

28. In Hieremiæ quoque libro unum Deum Scriptura dicit, & tamen & Patrem & Filium
Baruc.3.36. & 37. confitetur. Itaque sic habes: *Hic Deus noster, & non reputabitur alius ad eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

29. De Filio dicit: Ipse enim est *cum hominibus conversatus*; & dicit: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum.* Quid discutimus eum, de quo tantus dicit propheta, quod ad eum non possit alius æstimari? Quæ enim potest esse alia æstimatio, ubi deitatis unitas est? Confitebatur hoc populus in periculis constitutus: nesciebat ferere quæstiones qui religionem timebat.

30. Adesto, sancte Spiritus, prophetis tuis, quibus [a] inesse consuesti, quibus credimus. Si prophetis non credimus, sapientibus credam hujus mundi? Sed ubi sapiens, ubi scriba? * Rusticus noster cùm ficus insereret, invenit
1 Cor.1.27. quod philosophus ignoravit. Quæ stulta sunt enim hujus mundi, elegit Deus, ut confundat
Psal.75.1. quæ sunt fortia. Credimus Judæis; quia notus aliquando in Judæa Deus? Sed hoc ipsum negant propter quod credimus; quia non norunt Patrem, qui Filium negaverunt.

CAPUT IV.

Argumentis aliquot ad probandam Dei unitatem collectim propositis, in tribus magorum muneribus Christi divinitatem humanitatemque adumbratas ostendit; non secus ac in Angelo cum tribus pueris inter flammas deambulante, divinitatis ac trinitatis veritatem.

31. Unum Deum communis natura testatur; quia unus est mundus. Unum Deum fides significat; quia una fides novi & veteris Testamenti. Unum Spiritum sanctum testificatur gratia; quia unum baptisma in nomine Trinitatis est. Unum Deum prophetæ dicunt, Apostoli audiunt. Unum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt, auro regem fatentes, ut Deum thure venerantes. Thesaurus enim regni, sacrificium Dei, myrrha est sepulturæ.

32. Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter abjecta præsepia; nisi ut intelligeremus in Christo differentiam divinitatis & carnis? Ut homo cernitur, ut Dominus adoratur: [b] jacet in pannis, sed fulget in stellis: cunæ nascentem indicant, & stellæ dominantem: caro est quæ involvitur: divinitas, cui ab Angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis majestatis amittitur, & adsumtæ carnis veritas comprobatur.

33. Hæc est fides nostra. Sic se Deus cognosci voluit ab omnibus, sic tres pueri crediderunt, nec incendia circumjecta senserunt; cùm infidos noxius ignis exureret, & fidelibus innoxia flamma roraret, quibus aliorum incendia refrigerabant; quia merito fidei perdiderat suam pœna naturam. Aderat enim in specie Angeli [c] qui monebat ut in numero Trinitatis, unius esset laudatio potestatis. Benedicebatur Deus, videbatur in Angelo Dei Filius, sancta & spiritalis in pueris gratia loquebatur.

CAPUT V.

Arrianorum variæ in Christum blasphemiæ referuntur, quibus antequam respondeatur, monentur catholici caveant à sophismatis philosophorum; eo quod scilicet in illis hæretici spem præcipuam collocarent.

34. Nunc consideremus quas Arriani de Dei Alias Cap. III.
Filio inferant quæstiones.

35. Dissimilem Patri dicunt esse Dei Filium. Hoc si homini objiciatur, injuria est.

36. Ex tempore cœpisse dicunt Dei Filium; cùm conditor ipse sit temporum. Homines sumus, & esse nolumus temporales. Ex tempore cœpimus, & sine tempore futuros esse nos credimus. Fieri nos optamus æternos, & quomodo negare possumus Dei Filium sempiternum, quem sempiternum docet atque demonstrat natura, non gratia?

37. Creatum dicunt. Quis auctorem inter opera sua deputet, ut videatur id esse quod fecit?

38. Bonum negant. Sacrilega vox ipsa se damnat, ut indulgentiam sperare non possit.

39. Negant verum Dei Filium, negant omnipotentem; cùm fateantur omnia facta per Filium, omnia creata per Dei esse virtutem. Quid est enim virtus, nisi perfecta natura?

40. Negant etiam divinitate unum esse cum Patre. Deleant ergo Evangelium, deleant Christi vocem. Ipse enim dixit: *Ego & Pater unum su-* Johan. 10. 30.
mus. Non ego hoc dico, Christus dixit. Numquid fallax, ut mentiretur? Numquid impius, ut quod non erat usurparet? Sed singula suis locis plenius digerentur.

41. Nunc quoniam hæreticus dicit esse dissimilem, idque versutis disputationibus adstruere nititur, * dicendum est nobis quod scriptum

a. Amerb. Eras. ac mss. aliquot, *inesse constituisti*

*. Non alium rusticum designat Ambrosius, quam Hieremiam; alludit enim ad ficuum calathos, de quibus apud eumdem cap. 24. 1. & seq.

b. Amerb. Eras. Rom. edit. ac mss. nonnulli, *latet in cunis*: Gill. cum mss. multo pluribus ac potioribus, *jacet* &c.

c. Rom. edit. ac mss. non multi, *qui muniebat*; haud pravo sensu: reliquæ tamen ac mss. complures, *qui monebat*; non etiam male. Sensus ergo est Angelum indicasse in tribus pueris divinarum personarum trinitatem significatam, non secus ac in se qui unus erat, indicabatur unitas potestatis seu naturæ; namque hæ voces promiscue ponuntur ab Ambrosio in hoc Opere. Quod autem docetur in Angelo exstitisse Dei Filium; ea sententia non unius Ambrosii est, verum etiam non paucorum è priscis Patribus. Hos inter Auctor. *Quæst. Vet. Testam.* longius progressus quæst. 18. dicit de Nabuchodonosore, *regni merito in camino Christum vidit.* Huic tamen videtur præivisse S. noster infra cap. 13. num. 80. Vide interpretes in Danielem, & scholasticos in 2. Senten. Dist. 8. sicut & in D. Thomæ 1. p. q. 51.

* Hilarius quoque relato eodem hoc Apostoli loco, nos præmunit adversus philosophorum argumenta & fallacias: à quibus etiam cavendum præcipiunt alii Patres, maxime vero Augustinus lib. 13 *contra Faust.* cap. 15. Sed Epiphanius Aristotelis dialecticam expresse notat: ad quam etiam spectasse Ambrosium non inviti crediderimus. Hinc forte nata est illa fabula, de qua Card. Cusanus in *Apologia doctæ ignorantiæ*: *Legitur*, inquit, *beatiss. Ambrosium letaniis addidisse*: *A dialecticis*, quidam *à dialectica Aristotelis, libera nos Domine.*

Coloss. 2. 8. & 9. est: *Cavete ne quis vos deprædetur per philosophiam, & inanem seductionem secundum traditionem hominum, & secundum elementa hujus mundi, & non secundùm Christum; quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* A

42. Omnem enim vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt, quæ philosophorum sententiâ definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum: *Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.* (1. Cor. 4. 20.) B

CAPUT VI.

Christum Patri dissimilem non esse probaturus, memoratis celebrioribus Arrianorum ducibus, quam male inter eos conveniat, aperit, atque adversus eos, tamquam in monstra quædam, præsidium Scripturarum ostendit.

Alias Cap. IV. 43. DIssimilem igitur dicunt esse: nos negamus; immo potius horremus hanc vocem. C Sed nolo argumento credas, sancte Imperator, & nostræ disputationi: Scripturas interrogemus, interrogemus apostolos, interrogemus prophetas, interrogemus Christum. Quid multa? Patrem interrogemus, cujus honori studere se dicunt, si Filius * degener judicetur. Sed non est honorificentia boni Patris Filii injuria. Non potest bono Patri placere, si Filius degenerasse potius à Patre, quam Patrem æquasse credatur. D

44. Da veniam, sancte Imperator, si ad ipsos paulisper verba converto. Sed quem potissimùm legam? a Eunomiumne, an Arrium, vel Aetium ejus magistros? Plura enim nomina, sed una perfidia, impietate non dissonans, communione discordans: non dissimilis fraude, b sed coitione discreta. Cur enim secum nolint convenire, non intelligo.

45. Eunomii personam defugiunt Arriani, sed ejus perfidiam adserunt, impietatem exsequuntur. Aiunt eum prodidisse effusius, quæ Arrius scripserit. Magna cæcitatis effusio! Auctorem probant, exsecutorem refutant. Itaque nunc in plures se se divisere formas. c Alii Eunomium, vel Aetium, alii Palladium, vel Demophilum atque Auxentium, vel perfidiæ hujus heredes sequuntur, alii diversos. Numquid divisus est Christus? Sed qui eum à Patre dividunt, ipsi se scindunt.

46. Et ideo quoniam communiter adversus Ecclesiam Dei, quibus inter se ipsos non convenit, conspirarunt, communi nomine hæreticos, quibus respondendum est, nominabo. Hæresis enim, velut quædam * Hydra fabularum, vulneribus suis crevit: & dum sæpe reciditur, pullulavit, igni debita, incendioque peritura: aut velut quædam monstruosi Scylla portenti in varias formas distincta perfidiæ, velut supervacuum Christianæ sectæ nomen obtendit: sed quos in illo impietatis suæ freto miseros inter naufragia fidei reperit fluctuantes, belluinis succincta prodigiis, tetri dogmatis sævo dente dilacerat.

47. Cujus speluncam, sancte Imperator, ut ferunt nautæ, cæcis latebris inhorrentem, omnemque ejus viciniam cæruleis canibus inter perfidiæ saxa resonantem, clausa quodammodo præterire aure debemus. Scriptum est enim: *Sepi aures tuas spinis.* (Eccles. 28. 28.) Et alibi: *Videte canes, videte malos operarios.* (Philip. 3. 2.) Et iterum: *Hæreticum hominem post primam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio damnatus.* (Tit. 3. 10. & 11.) Itaque tamquam boni gubernatores quo tutius prætermeare possimus, fidei vela tendamus, Scripturarumque relegamus ordinem.

*. *Degener* ab Ambrosio passim in his libris ille dicitur, qui à principio suo non tantum perfectione sed etiam naturâ & substantiâ descîscit. Nec aliter etiam ab Hilario sumitur lib. 8. *de Trinit. Dum nihil in eo*, Filio videlicet, *ex se Deus gignendo degenerat.* Nomen etiam *genus* passim ab eodem ponitur pro natura: in quo congruit cum Auctore *lib. de Definit.* apud Athanasium, ubi legimus φύσις ἢ οὐσία, καὶ γένος τὸ αὐτό.

a. Omnes edit. & mss. aliquot hîc & infra duobus locis, *Eudoxium, Eunomium* &c. alii vero mss. majori numero & auctoritate ubique omittunt *Eudoxium*. Et certe hanc esse germanam lectionem cognoscimus non solum quod in cunctis edit. ac mss. habetur, *ejus magistros*, ubi dicendum esset, *eorum magistros*: sed etiam quod, omisso eodem Eudoxio, post paucos versus agit de Eunomio. Illum autem fortasse hîc addiderit quispiam, qui legerit vel apud Athanasium lib. de Synodis p. 913. Aetium Eudoxii magistrum dici, vel apud Theodoretum lib. 2. c. 27. Aetium Antiochiæ invenisse Eudoxium, qui ejus urbis sicut & postea Constantinopolis episcopatum invaserat, doctrina secum consentientem. Aetius vero, quem atheum vulgo nuncupabant, cùm Epiphanio teste, litteras ad usque provectam ætatem ignorasset, operam dedit dialecticæ. Præcipua ejus doctrina in Aristotelicis categoriis posita erat, ac totos dies in divinis rebus per syllogismos geometricasque regulas tractandis, definiendis, dividendis terebat. Venit Alexandriam post intrusum in sedem patriarchalem Georgium, à quo etiam ad obeunda munia ecclesiastica videtur admissus; unde forsitan eum Athanasius putavit à Georgio diaconum ordinatum, cùm tamen eum ordinem ab eunucho Leontio Antiochiæ Arrianorum episcopo accepisset. Is rotunde affirmabat Filium Patri ἀνόμοιον esse, hoc est, dissimilem; unde sectatores ejus, qui nonnumquam ab auctoris nomine dicebantur Aetiani, frequentius Anomœi vocitabantur. Aetium reliqui Arriani exagitarunt, non quod diversa ille sentiret, sed quod mentem suam simplicius patefaciens, blasphemiis suis toti factioni conflabat invidiam. Itaque relegatus fuit à Constantio Ambladam in finibus Pisidiæ ac Phrygiæ sitam, ubi libellum 300. argumentis aut verius paralogismis fœtum vulgavit. Horum 47. confutat S. Epiphanius, qui tam de Auctore ipso quam de sequacibus ejus non perfunctorie agit. Adi quoque Sozomenum lib. 3. cap. 5. edit. Val. & Socratem lib. cap 35. Eunomius magistrum habuit Aetium, quem cùm Alexandriam anno 356. convenisset, eumdem anno 358. Antiochiam ad Eudoxium, uti diximus, proficiscentem comitatus est. Factus haud multo post ex Aetii notario Cyzicensis episcopus, tanta vehementia prædicavit errores suos, ut Eudoxius in Concilio, jubente imperatore, Constantinopoli habito illum exuere dignitate sua coactus fuerit. Rem quidem aliter Philostorgius narrat, sed ob professum in Eunomium studium, qui audiatur, plane indignus. Igitur abdicatus episcopatu idem Eunomius, ordinatis episcopis ac presbyteris, secessionem fecit; licet non videatur nisi sub Joviani imperio palam Eudoxio amicitiam renuntiasse. Qui non ignorabant in eadem opinione utrumque esse episcopum, quod Eudoxius per ignaviam defecisset ab Eunomio indignum rati, cùm hujus factione sub Eunomianorum vocabulo coiverunt. Ex his fuere Georgius Alexandrinus, Acacius Cæsariensis, aliique plures orientales episcopi; & inter occidentales qui Arrianis partibus nomen dederunt, prope universi. Eos vero ceteri Arriani ac Semiarriani rejiciebant. Scripsere Gregorius Nyssenus & Basilius contra Eunomium: de quo meminit etiam Epiphanius Hæres. 76. Augustinus de Hæres. cap. 24. & præter Theodoretum Socratem & Sozomenum, alii multi.

b. Vet. edit. cum uno vel altero mss. *sed cogitatione*: Rom. cum reliquis, *sed coitione*. Multo concinnius; respondet enim superioribus illis, *communione discordans*. Unus tamen è Thuan. *sed contentione*, non pravo sensu.

c. Omnes edit. & pauci mss. *Alii Eudoxium, alii Eunomium*: alii multo plures omittunt, ut monuimus, *alii Eudoxium*: nonnulli etiam pro *vel Aetium*, utrobique habent, *vel Eutitium*, non satis recte. At infra ubi nos cum reliquis edit. ac non minima parte mss. *alii diversos*; ceteri scite etiam præferunt, *alii è diverso sentiunt*. Quod autem ad tres illos hæreticos qui superioribus hîc accensentur, cùm de primis duobus ad Concilium Aquil. de postremo verò pluribus locis futura sit loquendi occasio, nunc de illis nihil addemus.

*. Monstra poetarum fabulis decantata, & ignota nemini. Cum his autem quam pulcre comparentur hæresis atque hæretici, tum Hydræ virus ac septena capita dum truncabantur, succrescentia: tum scyllæorum canum latratus & rabies, nec non crebra imprudentium ad eumdem scopulum naufragia plus satis probant. Sed de his vir sanctus iterum lib. 5. cap. 1.

CAPUT VII.

Ex Paulo, prophetis atque Evangelio Christus adscritur Patri similis; maxime vero ex hominis ad similitudinem divinam creatione.

48. Apostolus dicit imaginem Patris Christum esse; ait enim quod ipse sit imago Dei invisibilis, primogenitus universæ creaturæ. (Coloss. 1. 15.) Primogenitus, inquit, non primocreatus; ut & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur. B Alibi quoque Apostolus adseruit quod ipsum *posuit heredem omnium, per quem fecit & sæcula, qui est splendor gloriæ, & character substantiæ ejus.* (Hebr. 1. 2.) Imaginem Apostolus dicit, & Arrius dicit esse dissimilem: cur imago, si similitudinem non habet? In picturis homines nolunt esse dissimiles, & Arrius dissimilem Patrem contendit Filio, & vult ut Pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare similem non potuerit.

49. Prophetæ dicunt: *In lumine tuo videbimus lumen.* (Psal. 35. 10.) Prophetæ dicunt: *Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* (Sap. 7. 26.) Vide quanta dicantur. *Splendor;* quod claritas paternæ lucis in Filio sit: *speculum sine macula;* quod Pater videatur in Filio: *imago bonitatis;* quod non corpus in corpore, sed virtus in Filio tota cernatur. *Imago* docet non esse dissimilem, *character* expressum esse significat, *splendor* signat æter- D num. Imago utique non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris: sed simplex de Deo, egressa de Patre, expressa de fonte.

50. Per hanc imaginem Philippo Patrem Dominus demonstravit, dicens: *Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Et quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* (Johan 14. 9. & 10.) Videt enim in imagine Patrem, qui videt in Filio. Vides quam imaginem dicat? Imago ista veritas est, imago ista E justitia est, imago ista Dei virtus est: [a] non muta; quia Verbum est: non insensibilis, quia sapientia est: non inanis; quia virtus est: non vacua; quia vita est: non mortua; quia resurrectio est. Vides ergo quia dum imago dicitur, Patrem significat esse cujus imago sit Filius; quia nemo potest ipse sibi imago sua esse.

51. Plura possem [b] de Filii testimoniis dicere, sed ne forte ipse sibi nimium favisse dicatur, Patrem interrogemus. Nempe ipse dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (Gen. 1. 26.) Pater Filio dicit: *Ad imaginem & similitudinem nostram;* & tu dissimilem Filium Dei dicis?

52. Johannes dicit: *Dilecti, filii Dei sumus, & nondum apparet quid erimus: scimus quia si revelatum fuerit, similes ei erimus.* (1 Johan. 3. 2.) O improvida amentia! ô impudens pervicacia! Homines sumus, & in quo possumus, ad similitudinem Dei erimus; & similem audemus Dei Filium denegare?

A 53. Ergo Pater dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* In principio ipsius mundi Patrem & Filium esse audio, & unum opus cerno. Audio loquentem, agnosco facientem: sed & Patris & Filii unam imaginem, unam similitudinem lego. Similitudo hæc non diversitatis, sed unitatis est. Quod igitur tibi usurpas, Filio Dei derogas; cùm utique nisi per imaginem Dei, ad imaginem Dei esse non possis.

CAPUT VIII.

Ex probata Filii cum Patre similitudine, eumdem æternum etiam esse haud ægre demonstrari, quod nihilominus adstruitur è prophetia Esaiæ, ac Johannis Evangelio; cujus ultimi auctoritate obrui hæresiarchæ declarantur.

54. Claret igitur non esse dissimilem, & ideo proclivior via est, ut etiam sempiternum esse fateamur, cùm similis sempiterni C utique sempiternus sit. (Alias Cap. V.) Si autem Patrem sempiternum dicimus, & hoc idem Filium denegamus, dicimus esse dissimilem; sempiterno enim temporale dissimile est. Clamat Propheta sempiternum, clamat & Apostolus sempiternum: plenum est vetus Testamentum testimoniis Filii sempiterni, plenum est novum.

55. Ordinem ergo teneamus. Scriptum est in veteri Testamento, ut vel unum de pluribus dicam: *Ante me non fuit alius Deus, & post me non* (Esai. 43. 10.) *erit.* Nihil ergo argumentabor, te ipsum interrogo. Quis hoc dicit, Pater, an Filius? Utrum dixeris, eo te convinci intelliges: vel si credas, doceri? Quis ergo hoc dicit, Pater; an Filius? Si Filius: *Ante me,* inquit, *non fuit alius Deus:* si Pater: *Post me,* inquit, *non erit.* Hic priorem, ille posteriorem non habet: invicem in se & Pater in Filio, & Filius in Patre cognoscitur. Cùm enim Patrem dixeris, ejus etiam Filium designasti; quia nemo ipse sibi pater est: cùm Filium nominas, etiam Patrem ejus fateris; quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio. Semper igitur Pater, semper & Filius.

56. *In principio* enim *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* (Johan. 1. 1.) *Erat,* inquit, *apud Deum. Erat, erat, erat, erat:* ecce quater erat. Ubi impius invenit quod non erat? Alibi quoque Johannes in epistola sua dicit: *Quod erat in principio;* (1 Johan. 1. 1.) F indefinite tenditur, *erat:* quidquid excogitaveris, erat Filius.

57. Omnes autem hæreses hoc capitulo brevi piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. Ergo Arrius conticescat. Quod autem erat apud Deum, non permixtione confunditur: sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. *Et Deus erat Verbum.* Non ergo in prolatione sermonis hoc Verbum est, sed in illa cælestis designatione virtutis, [c] ut confutetur

a. Mss. haud pauci, *non mutabilis:* reliqui atque edit. *non muta* melius, ut ostendit subjecta ratio, *quia Verbum est.*

b Omnes edit. & pauci mss. *de Filio testimonia:* commodius reliqui, *de Filii testimoniis,* id est, ab ipso Filio redditis, ut quæ continuo sequuntur, liquido produnt.

c. Veteres edit. & quidam mss. *ut confitetur:* optime Rom. edit. & alii cod. majori numero, & antiquitate, *ut confutetur.* Photinus enim eùm veram animi sententiam aperiebat, Verbum non substantiale atque ἐνδιάθετον, sed transiens ac προφορικὸν esse contendebat, ut jam dictum est.

Photinus. Quod vero erat in principio apud A Deum, sempiternæ divinitatis in Patre & Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eunomius. Postremo cùm omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor novi utique Testamenti & veteris designatur; ut Manichæus locum tentationis habere non possit. Ita piscator bonus intra unum omnes rete conclusit; ut faceret inhabiles fraudi, quamvis essent inutiles captioni.

CAPUT IX.

Hæreticos interrogat Vir sanctus, ostensoque illorum responsione, qua Filium omni quidem tempore priorem, Patre autem posteriorem esse affirmabant, in Deum induci mutationem, æternitatem utrique personæ tribuendam colligit.

58. Dic mihi, hæretice, dat enim veniam clementissimus Imperator, ut te [a] non colloquendi studio, nec audiendi cupiditate, sed exponendi gratia, paulisper alloquar: dic C mihi, inquam, fuitne aliquando tempus quo omnipotens Deus Pater non erat, & Deus erat? Tempus, inquis, non adstruo. Bene & argute. Si enim tempus dixeris, te ipse convinces: quia necesse est adseras fuisse tempus ante Filium, cùm Filius temporis auctor sit & creator; non potest enim post opus suum ipse cœpisse: necesse est igitur auctorem operis sui esse fatearis.

59. Ante tempora, inquis, non nego Filium: sed cùm Filium dico, ostendo priorem Patrem D quia Pater, inquis, Filio prior. Quid est hoc? Negas esse tempus ante Filium, & tamen nescio quid ante Filium vis præcessisse, quod temporis sit; & ostendis media nescio quæ molimina fuisse generandi, in quo generationem Patris significas temporalem. Nam si Pater esse cœpit; Deus ergo primo erat, postea Pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus? Si enim ante Deus, postea Pater: utique generationis ac- E cessione mutatus est.

60. Sed avertat Deus hanc amentiam; nos enim ad impietatem eorum redarguendam, hanc retulimus quæstionem. Pia namque mens generationem sine tempore adserit; ut & sempiternum Patrem cum Filio dicat, nec aliquando adserat esse mutatum.

61. Jungat igitur honorificentia Patri Filium; quem divinitas junxit: non separet impietas, quem generationis proprietas copulavit. Honorificemus Filium, ut honorificemus & Patrem, sicut & in Evangelio scriptum est. Sem- F Johan. 5. 23. piternitas Filii paternæ majestatis insigne est. Si iste non semper fuit, ergo ille mutatus est: sed semper fuit Filius, ergo nec Pater aliquando mutatus est; quia immutabilis semper est. Itaque videmus quod illi qui volunt negare Filium sempiternum, volunt Patrem docere esse mutatum.



CAPUT X.

Ubi Christi æternitatem confirmavit ex Apostolo; Divinam generationem non ad humanæ modulum exigendam, aut curiosius excutiendam, at declinatis quæ hinc nascuntur, difficultatibus, quidquid more corporeo de hac generatione dicitur, spiritali sensu intelligendum esse declarat.

62. Accipe aliud quo clareat Filium sempiternum. Apostolus dicit quod Dei sempiterna virtus sit [b] atque divinitas: virtus autem Dei Christus, scriptum est enim Christum esse Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ergo si Christus est Dei virtus, quia virtus Dei sempiterna: sempiternus igitur & Christus. Rom. 1. 20. b 1. Cor. 1. 24.

63. Non ergo ex usu generationis humanæ calumniam, hæretice, struas; neque ex nostro sermone componas. Neque enim angustiis sermonibus nostris immensæ magnitudinem possumus divinitatis includere, cujus magnitudinis Psal. 144. 3. non est finis. Namque hominis generationem si definire contendas, tempus ostendis: generatio autem divina supra omnia est: late patet, supra omnes cogitationes adscendit & sensus. Scriptum est enim: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Johan. 14. 6. Quidquid igitur de Patre cogitaveris, quamlibet ejus æternitatem, non potes de eo aliquid nisi per Filium cogitare: nec potest ullus ad Patrem nisi per Filium transire sensus. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectissimus.* [c] *Est*, inquit, qui quod est, semper est. Unde & David: c Matt. 17. 5. *In æternum*, inquit, *Domine, permanet Verbum tuum in cælo.* Psal. 118. 89. Quod enim manet, nec substantia, nec æternitate deficit.

64. Quæris à me quomodo Filius sit, si non priorem habeat Patrem? Quæro item abs te, quando aut quomodo Filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet; non mea tantum, sed & Angelorum. Supra potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est; quia scriptum est: *Pax autem Christi quæ est supra omnem sensum.* Phil. 4. 7. Si pax Christi supra omnem sensum est, quemadmodum non est supra omnem sensum tanta generatio?

65. Tu quoque manum ori admove, * scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod natus sit: non licet discutere quemadmodum natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est. Nam si Paulus ea quæ audivit raptus in tertium cælum, ineffabilia dicit; quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire?

66. Verum si me ad consuetudinem trahis generationis humanæ, ut Patrem dicas priorem; vide utrum ad generationem Dei terrenæ generationis exempla conveniant. Si secundum hominem loquamur, negare non poteris priores esse in homine patris quam filii passiones:

a. Edit. omnes, ac mss. aliquot *non obloquendi*: alii vero etiam plures, *non colloquendi*.

b. Ebrul. codex. *atque sapientia*.

c. Vet. edit. cum mss. perpaucis, *Est, inquit, quod indefinenter est*.

*. Nimiam in scrutandis rebus divinis ac potissimum Filii generatione curiositatem non solus damnavit Ambrosius; eam enim ceteri fere Patres eodem modo proscriptam voluerunt. Sic Athanasius *Orat. 3. in Arrian.* Basilius. *Hom. 29.* Gregorius Nazian. *Orat. 1.* Cyrillus Hierosol. *Catech. 11.* Cyrillus Alex. *Dial. 2. de Trinit.* Hilarius lib. 2. atque alii. Nec tamen theologi nostri, qui de eadem generatione in scholis disputant, propterea sunt condemnandi; non enim ab inquieti ac superbi animi vitio, ut in hæreticis, nascuntur illorum disputationes; sed ab humili ac pia voluntate discendi.

Prior crevit, prior senuit, prior doluit, prior flevit. Si igitur hic tempore minor, ille antiquior passione. Si hic generationis incurrit ætatem, nec ille generandi evasit pudorem. A

67. Quid te ista quæstionum tormenta delectant? Audis Dei Filium: aut dele nomen, aut agnosce naturam. Audis uterum, agnosce generationis perspicuæ veritatem. Audis cor, Verbum intellige. Audis dexteram, agnosce virtutem. Audis os, agnosce sapientiam. Non hæc sunt in Deo corporaliter æstimanda. Incomprehensibiliter generatur Filius: impassibiliter generat Pater; & tamen ex se generavit, & ante omnem intellectum generavit Deus verus Deum verum. Pater diligit, & tu discutis: Pater complacet, & tu cum Judæis invides: Pater honorificat, & tu cum gentibus conviciaris. B

CAPUT XI.

Non posse probari è Scriptura Patrem Filio priorem esse; neque etiam argumentis ex hominum generatione desumtis; cùm inde innumera sequutura essent absurda: quod autem Christum ex tempore natum audent pronuntiare, id cumulum esse impietatis. C

68. Quæris à me utrum prior non possit esse, qui Pater est. Quæro à te, ut doceas quando Pater prior fuerit, testimoniis, aut argumentis collige veritatem. Si testimoniis, accepisti utique sempiternam Dei esse virtutem. Legisti etiam dicentem: *Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Aliud horum æternitatem, aliud[a] proprietatem substantiæ indifferentis significat; ut neque posteriorem Patre, neque alterius divinitatis Filium esse credamus. Nam si Patre posterior est, recens est: & si unius non est divinitatis, alienus est. Sed nec posterior; quia recens non est: nec alienus, quia ex Patre natus; quia *supra omnia est Deus benedictus in sæcula*, sicut scriptum est. D

Psal. 80. 10.

Rom. 9. 5.

69. Sed si alienum putant, * cur adorant eum, cùm scriptum sit: *Neque adorabis Deum alienum?* Aut si non adorant, fateantur, & finis est; ne quem sub religiosi nominis professione decipiant. Hæc nempe sunt testimonia Scripturarum. Aut si habes aliud, proferre debebis. E

Psal. 80, 10.

70. Superest ut & argumentis veritas colligatur. Quamquam etiam humanis testimoniis argumenta cedere soleant; argumentare tamen, hæretice, ut voles. Usu, inquis, accipimus eo qui nascitur, priorem esse qui generat. Persequere igitur omnia vestigia consuetudinis, & si cetera conveniunt, non obsisto quin & istud requiras: si autem nulla concordant, quemadmodum cùm desint cetera, hoc solum exigis? Ergo quia usum requiris, quando generatus est ex Patre, parvulus fuit. Vidisti in cunis infantulum vagientem, processus aliquos accepit ætatis; si enim infirmitatem generationis habuit, necesse F est ut non solum nascendi, sed etiam vivendi inciderit infirmitatem.

71. Sed fortasse eo prolabaris amentiæ, ut de Dei Filio ista non abnuas, qui eum ex infirmitate metiris humana; quid si Deum negare non potes nomine, infirmitate tamen hominem vis probare? Quid si dum Filium discutis, Patrem arguis: & dum Christo præjudicas, Patrem adjudicas?

72. Nam si divina generatio subjecta tempori fuit, & id ex usu generationis usurpatur humanæ; ergo & Pater corporali utero portavit Filium, decem mensium curriculis onus vexit. Sed quomodo sine sexu altero generationis usus? Vides solemnem generationis seriem non cœpisse, & tu [b] partus cujusdam corporeæ necessitatis putas fuisse solemnes. Tu usum quæris, ego sexum: tu tempus exigis, ego ordinem: tu finem discutis, ego quæro principium. Nempe finis ex principio, non principium pendet ex fine. b

73. Omne, inquis, quod natum est, principium habet; & ideo quia Filius est, principium habet, & ex tempore esse cœpit. Quod ipsorum ore sit dictum. Ego autem Filium natum esse profiteor: quod reliquum est impietatis, horresco. Deum confiteris, homo, & tali circumscribis calumnia? Deus hanc averruncet amentiam.

CAPUT XII.

Iteratæ in Filium objectioni iterum respondetur eam retorqueri etiam in Patrem posse; cùm ergo Pater nec loco, nec tempore, aliave ulla creatura indigeat, sic nec eorum indigentiam adtribuendam Filio: cujus singularis generatio est non solum è Patre, sed etiam è Virgine; propstereaque cùm in hac non sexus aut similia locum habuerint, in illa quoque non habuisse.

74. Rursus objiciunt: Ergo non est Filius, si non habet quæ habent filii. Ignoscat mihi Pater, ignoscat Filius, ignoscat & Spiritus sanctus, [c] quæstionem pro pietate referre cupienti. Est certe Pater, & manet semper: sunt etiam creaturæ pro dispositione divina. Est ergo aliquid earum quod non subjectum sit aut locis, aut temporibus, aut creationi, aut causæ alicui vel auctori? Profecto nihil. Quid ergo dicitis? Est horum aliquid quo egeat Pater? Impium est dicere. Ergo aut definite, quæ creaturarum sunt, aptare divinitati: aut si comparare contenditis, considerate quo vestra procedat impietas; quod absit ut vel in sensus nostros aliquando veniat. c

75. Nos enim piam responsionem tenemus. Namque omnipotens Deus est, & ideo nullo eorum Pater indiget, qui non habet mutationem sui aliquam, vel profectum quo nos egemus, quorum infirmitas ex hujusmodi rebus profectum accipit. Qui autem omnipotens est,

a. Rom. edit. sola *unitatem substantiæ.*

*. Hæc objectio haud leviter urgebat illos hæreticos, quam proinde ipsis subinde objicere Ambrosius non prætermisit: attamen eidem reponebant Patrem in Filio tamquam regem in imagine abs se adorari colique, ut ex *Athanasii orat. 4. in Arrianos* discere est. Sed cùm sequatur ex hoc responso, eamdem quoque venerationem homini utpote ad imaginem Dei condito exhiberi posse; illo effugio nihil obstante, auctores ejus in ethnicorum ferme ordinem reposuerunt idem Athanasius *orat. 3. & 4.* contra eosdem, Basilius *Hom. 27. in Sabell.* Gregorius Nyss. & alii. Consule etiam Valesii notas ad lib. 2. Hist. Theodor. 23.

b. Omnes edit. cum paucis mss. *partus cujusdam corporei necessitates:* alii mss. multo plures potioresque, *partus cujusdam corporeæ necessitatis*, id est, partus corporeæ conditionis necessitati subditos atque adstrictos putas.

c. Teller. codex unus, *quæstionem de proprietate.*

utique non creatus, & sine loco, & supra tempora est. Nihil enim ante Deum, immo hoc ipsum Verbum, ante Deum [a] dicere esse aliquid, grave. Ergo si ita est, quia nihil horum est in Deo Patre, quæ profectum significent; quia Deus est: nihil horum aptari etiam potest Dei Filio, ut vel initium accipiat, vel profectum; quia Deus verus ex Deo vero est.

76. Ergo quia usitatum non reperimus ordinem, adquiesce, Arriane, præcipuam Filii generationem fuisse. Adquiesce, inquam; & si mihi non credis, erubesce vel Dei vocem dicentis: *Cui me similem æstimastis?* (Isai. 46. 5.) Et iterum: *Quia non sicut homo, ita & Deus.* (Num. 23. 19.) Etenim si operatio Dei præcipua est, quia non manibus operatur aliquid, non labore conficit, non diebus absolvit; *Ipse* enim *dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt:* (Psal. 148. 5.) cur non credamus præcipuam generationem esse ejus in Filio, cujus [b] præcipuam creationem in operibus agnoscimus? Dignum certe est ut specialiter & præcipue videatur generasse Filium. Habeat generationis inusitatæ gloriam, qui habet potestatis inusitatæ gratiam.

77. Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi, admirabilis etiam ipsa generatio ejus ex Virgine. Tu illam dicis nostræ similem conceptionis, & ego probo & istam nostræ esse dissimilem, immo te ipsum cogam fateri. Dic quemadmodum fit natus ex Maria, quo usu uterus eum habuerit virginalis, quomodo sine semine viri partus, unde virgo prægnans, quemadmodum [c] puella mater ante fœtus, quàm copulam ut uxor experta? Causa deerat, & generabatur filius. Unde ergo legis novatæ partus?

78. Si igitur in Virgine usus defuit generationis humanæ, quemadmodum in Deo Patre propriæ generationis usum requiris? Certe usus in sexu est, quia sexus in carne est: ubi ergo caro non est, quemadmodum carnis infirmitatem exigis? NEMO MELIOREM discutit: credere tibi jussum est, non discutere permissum est. Scriptum est enim: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* (Gen. 15. 6.) Nec solum in generatione Filii sermo deficit, sed etiam in operibus Dei. Scriptum est enim: *Omnia opera ejus in fide.* (Psal. 32. 4.) Opera ergo in fide, generatio sine fide? Et discutimus quæ non videmus, qui jubemur credere magis quam discutere, quæ videmus.

CAPUT XIII.

Quæstionem quomodo genitus sit Filius solvit sanctus Doctor; & revelationi credendum Nabuchodonosoris ac Petri exemplo docet. Hujus ultimi visione æternitatem divinitatemque Filii signatam esse; atque adeo illi credendum neglectis philosophis, quibus jam ubique fides abrogabatur. Contra vero gentilibus ostenduntur similes Arriani.

79. DIcet aliquis: Quomodo generatus est [d] Filius? Quasi sempiternus, quasi Verbum, quasi splendor lucis æternæ; quia simul splendor operatur, ut nascitur. Apostoli istud exemplum est, non est meum. (Hebr. 1. 3.) Noli ergo credere quod fuerit vel momentum aliquod quo fuerit sine sapientia Deus, aut sine splendore lux. Noli, Arriane, ex nostris æstimare divina: sed divina crede, ubi humana non invenis.

80. Rex gentilis in igne cum tribus pueris Hebræis quarti quasi Angeli vidit figuram: & (Dan. 3. 92.) quia præstare putabat Angelis, Dei Filium, quem non legit, sed credidit, judicavit. Abraham quoque tres vidit, & unum adoravit. (Gen. 18. 2.)

81. Petrus in monte Moysen & Eliam cum Filio Dei vidit; nec erravit in natura, nec erravit in gloria. Denique quid facere deberet, non illos, sed Christum interrogavit; nam etsi tribus parabat obsequium, unius tamen exspectabat imperium. Sed quoniam vel tabernaculorum numerum deferendum tribus simpliciter æstimavit, emendatur Dei Patris auctoritate dicentis: *Hic est Filius meus dilectissimus, ipsum audite,* (Matth. 17. 5.) id est: Quid conservos tuos cum Domino socias tuo? *Hic est Filius meus.* Non Moyses filius, non Elias filius: sed hic Filius. Sensit emendationem apostolus, procidit in faciem, consternatus Patris voce, & Filii claritate: sed sublevatur à Filio, qui jacentes erigere consuevit. Unum vidit, solum vidit Dei Filium. Recesserunt enim servuli, ut solus Dominus, qui solus designabatur Filius, videretur.

82. Quid igitur sibi voluit illa visio, non æqualitatem Christi servorumque significans, sed mysterium signans, nisi ut appareret nobis quod Lex & Prophetæ cum Evangelio congruentes, sempiternum Dei Filium, quem annuntiaverant, revelarent? Ergo & nos cùm audimus ex utero Filium, ex corde Verbum, credamus quia non plasmatus manibus, sed ex Patre natus: non artificis opus, sed progenies est parentis.

83. Et ideo qui dicit: *Hic est Filius meus,* non dixit: Hic est temporalis; non dixit: Hæc est creatura mea, hæc factura mea, hic servus meus; sed hic Filius meus, quem videtis in gloria. Hic est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui apparuit in rubo Moysi, de quo Moyses ait: *Qui est, misit me.* (Exod. 3. 14.) * Non Pater in rubo, non Pater in eremo: sed Filius Moysi loquutus est. Denique de ipso Stephanus dixit: *Hic est qui fuit in Ecclesia, in eremo, cum Angelo.* (Act. 7. 38.) Hic est ergo qui Legem dedit, ipse qui loquutus est Moysi, dicens: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* (Exod. 3. 16.) Hic est ergo Deus patriarcharum, hic Deus est prophetarum.

84. Filium ergo legimus: mens tua percipit lectionem, edat lingua confessionem. Aufer hinc argumenta, ubi fides quæritur: in ipsis gymnasiis suis jam Dialectica taceat. Non quæro quid loquantur philosophi, requiro quid faciant. Soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide

a. Mss. aliquot, *dicere, est aliquid grave.*

b. Omnes edit. ac pauci mss. *præcipuam operationem*: alii nonnulli; *præcipuam generationem*. ceteri melius, *præcipuam creationem*, activam scilicet, qua creavit universa per Filium.

c. Ita mss. plerique: nonnulli alii, *matris ante fœtus, quam copulam uxoris*: alii demum & edit. omnes, nobiscum faciunt, nisi quod pro *fœtus*, plures efferunt *fœta*.

d. Edit. omnes, *Filius quasi sempiternus, quasi Verbum, quasi splendor lucis æternæ, quia splendor simul operatur, ut nascitur?* Aptius mss. fere ad unum, ut nos in textu.

*. Compone cum hoc loco quæ super hac quæstione disputat ante exortam Arrianorum hæresim Irenæus l. 4. adv. Hæres. c. 26. & postmodum Hilarius lib. 3. & 4. *de Trinit.* Basilius l. 2. adv. Eunom. Augustinus etiam *de Trinit.* lib. 2. cap. 7. Prudentius & alii.

* quam fides argumentis præponderet. * Illi quo- A
tidie à suis consortibus deseruntur, qui copiose
disputant: isti quotidie crescunt, qui simpliciter
credunt. Non creditur philosophis, creditur
piscatoribus: non creditur dialecticis, creditur
publicanis. Illi voluptatibus & deliciis orbem
ligarunt, isti jejuniis & doloribus exuerunt.
Plures itaque jam cœpit illicere injuria, quàm
voluptas.

85. Nunc videamus quo distant à gentilibus
Arriani. Illi deos appellant dispares sexu, dissi- B
miles potestate: isti Trinitatem adserunt diffe-
rentis divinitatis, & dissimilis potestatis. Illi deo-
rum suorum principium adseverant tempora-
le, & isti Christum cœpisse ex tempore men-
tiuntur. Nonne ex philosophia omnem impie-
tatis suæ traxerunt colorem? Illi tamen quod
venerantur, amplificant: isti Dei Filium creatu-
ram adserunt esse, qui Deus est.

CAPUT XIV.

Creaturam non esse Dei Filium hinc adstruitur, quod non jusserit sibi prædicari Evangelium, quod creatura vanitati subdita sit, quod omnia creaverit, quod legatur genitus, quod tandem tradita fuerit generationis & adoptionis differentia: ubi utraque natura in ipso declaratur. Quæ tot ac tanta testimonia Apostolici expositione confirmantur.

Alias Cap. VI. 86. Patuit, ut arbitror, sancte Imperator,
neque dissimilem Patri, neque ex tem-
pore esse Dominum Jesum. Restat ut illud quo-
que sacrilegium redarguatur, & probemus crea-
turam non esse Dei Filium: in quo nobis præ-
sentis oraculum lectionis adspirat, audivimus
Marc. 66. 15. enim legi, dicente Domino: *Ite in orbem uni-
versum, & prædicate Evangelium universæ crea-
turæ.* Qui universam creaturam dicit, nullam
excipit. Et ideo ubi sunt, qui creaturam Chris-
tum appellant? Nam si creatura esset, num-
quid ipse sibi mandaret Evangelium prædicari? E
Non igitur creatura est, sed creator, qui do-
cendæ creaturæ discipulis suis mandat officium.

Rom. 8. 20. 87. Non creatura Christus: *Vanitati enim
creatura subjecta est*, sicut Apostolus dixit. Num-
quid ergo Christus subjectus est vanitati? Rur-
Ibid. 22. sus juxta eumdem Apostolum: *Creatura conge-
miscit & comparturit usque nunc.* Numquid ergo
Christus congemiscit & comparturit, qui nos-
Ibidem 21. tros à morte gemitus liberavit? *Creatura*, in-
quit, *liberabitur à servitute corruptionis.* Vide- F
mus igitur magnam inter creaturam & Domi-
num esse distantiam, quia servitus creatura est;
2. Cor 3. 17. *Dominus autem spiritus est; ubi autem spiritus
Domini est, ibi libertas.*

88. Quis hunc induxit errorem, ut eum qui
creavit omnia, qui fecit omnia, diceret crea-
turam? Numquid ipse Dominus se creavit? Si
Iohan. 1. 3. enim lectum est quod *per ipsum omnia facta sunt,
& sine ipso factum est nihil*: numquid ipse se
fecit? Si lectum est, quòd negari non potest,
quia Deus in sapientia fecit omnia: numquid Psal. 103. 24.
verisimile videri potest [a] quia in se ipsa est fac-
ta sapientia?

89. Legimus genitum, quia Pater dixit: *Ego* Psal. 109. 3.
ex utero ante Luciferum genui te. Legimus pri-
mogenitum Filium, legimus unigenitum: pri- Matth. 1. 25.
mogenitum, quia nemo ante ipsum: unigeni-
tum, quia nemo post ipsum: legimus etiam: Iohan. 1. 14.
Generationem ejus quis enarrabit? Generationem,
inquit, non creationem. Quid his tantis ac ta- Esaia 53. 8.
libus conferri potest?

90. Ostendit etiam Dei Filius distantiam ge-
nerationis & gratiæ, dicens: *Adscendo ad Patrem* Iohan. 20. 17.
*meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum
vestrum.* Non dixit: Adscendo ad Patrem nos-
trum, sed: *Adscendo ad Patrem meum, & Patrem
vestrum.* Separatio ista diversitatem ostendit,
quod illius generator, noster creator sit.

91. Et addidit: *Deum meum, & Deum vestrum;*
C quia licet ipse & Pater unum sint, & illi Pater
sit proprietate naturæ, nobis Deus Pater cœ-
perit esse per Filium, non naturæ jure, sed gra-
tiæ; tamen utramque naturam hîc significare
videtur in Christo & divinitatis & carnis, di-
vinitatis ex Patre, carnis ex matre, illamque
ante omnia, istamque ex Virgine. Denique
ante Patrem ut Filius nominavit, Deum postea
ut homo nuncupavit.

92. Ubique autem Deum suum quod ex per-
D sona dicat hominis, testimonia docent: *Deus,* Psal. 21. 2.
Deus meus, respice me; quare me dereliquisti? Et
alibi: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Et Ibidem 11.
supra quasi homo patitur: & infra homo est,
qui ex matris ventre jactatur. Itaque cùm di-
cit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu*; sig- Psal. 21. 11.
nificat eum qui Pater semper erat, ex eo Deum
sibi esse, ex quo de ventre matris jactatus est.

93. Cùm igitur in Evangelio, in Apostolo,
in prophetis generationem Christi legerimus,
unde audent dicere creatum esse vel factum?
Et quidem in quo creatum legerint, in quo
factum, considerare deberent. Edoctum est
enim Dei Filium de Deo esse genitum, de Deo
natum: factum autem in quo legerint, diligen-
ter advertant; non enim Deus factus, sed Deus
Dei Filius natus est: pòstea autem secundum
carnem homo factus ex Maria est.

94. Si mihi non credunt, credant Apostolo
dicenti: *Postquam vero venit plenitudo temporis,* Galat. 4. 4.
*misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum
sub Lege. Filium*, inquit, *suum*, non unum de Conc. Chalcedon act. 1. in exposit. fid. Nic.
multis: non communem, sed suum. *Suum* cùm
dicit, generationis æternæ proprietatem signa-
vit. Hunc postea *factum ex muliere* adseruit, ut
factura non divinitati, sed adsumtioni corporis
adscriberetur: *factum ex muliere* per carnis sus-
ceptionem: *factum sub Lege* per observantiam
Legis: generatio autem illa cælestis ante Le-
gem, ista post Legem.

*. Liquet ex hoc toto loco eorum qui tunc temporis philosophiam profitebantur, plurimos idolis mancipatos fuisse. Jam inde ab anno 362. legem sanxerat Julianus apostata, quæ Christianos à docendis discendisve literis humanioribus ac philosophia in gymnasiis publicis removebat: cujus l. 5. *de Medic. & Profess. Cod. Theod.* appendicem esse Baronius atque alii observarunt. Contra cujus constitutionis injustitiam reclamarunt non modo scriptores Christiani, sed etiam infideles; ut legimus apud Gregorium Nazian. *Orat 1. in Iul.* Hieronymum in Chronico, Ambrosium *contra Symm.* Augustinum *de Civit. Dei* lib 18. c. 5. Ammian. Marcellinum lib 22. & alios. At revocata invenitur ea lex à Valentiniano, ut patet ex sequentibus num 6. & 7. in quas consule Godofredum. Cùm autem pagani iisdem legibus à scientiarum professione non prohiberentur, in eadem publice exercenda perseverarunt.

a Omnes edit. cum paucis mss. *quia à se ipsa:* concinnius vero mss. longe plurimi, *quia in se ipsa.*

CAPUT

CAPUT XV.

Duobus Scripturæ locis quibus factus & creatus Christus dicitur, ut satisfaciat sanctus Præsul: illos non nisi secundum naturam hominis ipsi convenire declarat: in quibus etiam præteritum pro futuro positum esse ex sacrorum codicum auctoritate planum facit.

Alias Cap. VII. 95. UNde & illud vane jactare consuerunt quod scriptum est: *Et Dominum eum* B *& Christum fecit Deus.* Imperiti legant totum,
Act. 2. 36. & intelligant; sic enim scriptum est: *Et Dominum eum fecit, & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Non divinitas crucifixa, sed caro est. Hoc utique fieri potuit, quod potuit crucifigi. Non ergo factura Dei Filius.

96. Facessat igitur & illud, de quo calumniari solent, & discant quemadmodum dictum
* fit: * *Dominus creavit me.* Non dixit: Pater
Prov. 8. 22. creavit, sed *Dominus creavit me.* Caro Domi- C num agnoscit, gloria Patrem significat: creatura nostra Dominum confitetur, caritas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit, in quo & hominem testificatur di-
Johan. 7. 20. cens: *Quid me quæritis occidere hominem, qui veritatem loquutus sum vobis?* Hominem dicit, in quo & crucifixus & mortuus, & sepultus est.

97. Nec dubitandum quod præteritum posuit, quod erat futurum; hæc enim consuetu- D do est prophetiæ, ut quæ futura sunt, vel quasi præsentia, vel quasi facta dicantur. Denique
Psal. 21. 13. in Psalmo XXI. legisti: *Tauri pingues obsederunt*
Ibidem 19. *me*; legisti etiam: *Diviserunt sibi vestimenta mea:* quod Evangelista de tempore passionis prophetatum esse significat; Deo enim quæ sunt futura, præsentia sunt: & ei cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt, sicut scriptum
Esai. 45. est: *Qui fecit quæ ventura sunt.*

98. Nec mirum si ante sæcula fundatum se E
1. Tim. 1. esse dicit, cùm legeris prædestinatum ante tempora sæcularia. Quam verè de incarnatione id videatur expressum, declarant sequentia: *Sa-*
Prov. 9. 1. & seq. *pientia*, inquit, *ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem, & interfecit suas hostias: miscuit in cratera vinum suum, & paravit suam mensam; & misit suos servos, convocans cum al-*
a *tissima prædicatione, dicens:* [a] *Qui est insipiens, declinet ad me.* Nonne in Evangelio post incarnationem hæc omnia videmus esse comple- F cta, quod sacri convivii celebravit mysteria, quod apostolos misit, voce magna clamavit
Johan. 7. 37. dicens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat?* Ergo sequentia respondent prioribus, & totius cursum incarnationis videmus prophetiæ expositione digestum.

99. Multa alia documenta præsto esse possent hujusmodi de incarnatione dicta videri: sed non me involvo libris, ne tractatus videatur esse diffusior.

CAPUT XVI.

A *Arrianos, si creatum & genitum illis idem sit, Christo inferre injuriam: sin autem illa distare credant, quem legerint genitum, creaturæ loco non habendum. Hoc Pauli ne creaturæ serviatur, prohibentis; Christi tamen se servum esse profitentis, testimonio confirmari: cui potius credendum quam Arrio. Subditur etiam creaturam in Deo non esse, cùm simplex sit: nec Filium in creaturæ ordinem redigendum; cùm in eo Patri complaceat.*

100. NUnc ipsos Arrianos interrogo, utrum idem putent esse genitum, quod creatum? Si enim idem dicunt, nihil utique distat inter generare & creare. Ergo quoniam & nos creati sumus, inter nos & Christum & elementa nulla distantia est. Sed quamvis amentes sint, id tamen non audebunt dicere.

101. Postremo ut insipientiæ eorum quod verum non est, indulgeam; si nihil, ut putant, distat in verbo: cur non eum quem colunt, meliore appellant nomine? cur verbo non utuntur Patris? cur abjiciunt quod honorificentiæ est, adsumunt quod injuriæ?

102. Si autem distat inter creatum & genitum, ut ego arbitror, cùm legerimus genitum, non utique idem & genitum intelligimus & creatum. Dicant igitur generatum ex Patre, ex Virgine procreatum: aut dicant quomodo Dei Filius & genitus & creatus. Una natura, & maxime Deus diversitatem non recipit.

103. Certe facessat nostra sententia: Paulum interrogemus, qui Spiritu Dei plenus has prævidens quæstiones, generaliter contra gentes, specialiter contra Arrianos loquutus, ait divino judicio eos esse damnatos, qui servirent creaturæ potius quam creatori. Denique sic habes: *Tradidit illos Deus in desideria cordis* Rom. 1. 24.
ipsorum, ut contumeliis afficiant corpora sua inter & 25.
semet ipsos: qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est Deus benedictus in sæcula.

104. Prohibet itaque me Paulus creaturæ servire, & Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. *Paulus*, inquit, *servus* Ibid. 1.
Jesu Christi. Et bonus servus qui Dominum recognoscit, ipse creaturæ servire nos prohibet: quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si creaturam Christum putaret? Aut igitur desinant colere quem creaturam appellant, aut desinant quem colere se simulant, dicere creaturam; ne sub appellatione cultorum sacrilegia graviora committant. Detestabilior enim domesticus hostis, quam extraneus: & gravius scelus ut adversus Christum abutantur Christi nomine.

105. Quem igitur meliorem interpretem quærimus Scripturarum, quam illum doctorem gentium, vas electionis, electum de persecutoribus? Qui Jesum persequutus fuerat, fatetur. Legerat

* Huic loco quem non mediocriter jactabant Arriani, numquam non eodem modo respondet Ambrosius, puta *in Psalm.* 118. *serm* 5. & infra hujus Operis lib. 3. cap. 4. ubi eumdem accuratius examinat. Eamdem quoque solutionem habes apud Athanasium pluribus locis, Basilium & Gregorium Nyss. *adversus Eunomium*, Gregorium Naz. Hieronymum, Augustinum atque alios. Fuere tamen qui illum ipsum locum diverso modo interpretarentur, qua de re consuli potest Petavius, *Theol. Dogm.* lib. 2. *de Trinit.* cap. 1.

a. Mss. aliquot. *Quis est insipiens? Declinet ad me.*

utique Salomonem plus quam Arrius, & erat peritus in Lege; & ideo quia legerat, non creatum Christum dicit esse, sed genitum. Legerat Psal. 148. 5. enim: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Numquid dicto factus est Christus? numquid mandato creatus est Christus?

106. Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturæ simplicis est, non conjunctæ atque compositæ: [a] cui nihil accedat sed solum quod divinum est in natura habeat sua; complens omnia, nusquam ipse confusus: penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in cælo, vel in terris, vel in novissimo maris præsens: visu incomprehensibilis, fatu ininterpretabilis, sensu inæstimabilis, fide sequendus, religione venerandus; ut quidquid religiosius sentiri potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire.

Matth. 17. 5. 107. Ergo quia in Filio complacet Pater, crede quia dignus Patre Filius, crede quia à Iohan. 8. 42. Deo exivit Filius, ut ipse testatur dicens: *Ex Deo processi, & veni*; & alibi: *A Deo exivi.* Iohan. 16. 27. Qui ex Deo processit, & à Deo exivit, nihil aliud potest habere, nisi quod Dei est.

CAPUT XVII.

Christum Deum verum esse ex eo probat, quod sit proprius Dei Filius; præmissaque difficultatis suborientis solutione, eamdem rem inde confirmat, quod sit genitus, quodque ex Deo exierit. His subdit Patris ac Filii unitatem operationis ac voluntatis. Tum apostolis & Centurione quem cum Arrianis contendit, in testimonium adductis Esaiam jungit ac Johannem.

108. Unde non [b] solum Deus, sed etiam verus Deus, verus è vero, & adeo verus, ut ipse sit veritas. Itaque si nomen quærimus, veritas est: si majestatem quærimus naturalem, eo usque Filius Dei verus est, ut & Rom 8. 32. proprius. Scriptum est enim: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit eum:* tradidit utique secundum carnem. Proprietas divinitatis est, veritas proprietatis, misericordia pietatis, oblatio securitatis.

109. Sed ne calumniarentur, quia scriptum Galat. 1. 3. & 4. est: *Tradidit eum Pater;* ipse Apostolus alibi dixit: *Pax à Deo Patre, & domino nostro Jesu Christo, qui se dedit pro peccatis nostris;* & alibi: Ephes. 5. 2. *Sicut Christus* [c] *dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis.* Si ergo & traditus est à Patre, & ipse se tradidit, apparet unam esse operationem, unam esse Patris & Filii voluntatem.

110. Si naturalem ergo majestatem quærimus, genitus est. Qui genitum inficiatur, proprium negat: qui proprium abnuit, communem ceteris arbitratur. Sin vero generationis ipsius proprietatem requirimus, ex Deo exivit. Nam cùm in usu nostro id sit exire [d] quod jam sit; & ex interioribus secretis prodire videatur, quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus proprietatem divinæ generationis advertimus, ut non ex loco aliquo videatur exisse, sed ut Deus ex Deo, Filius ex Patre; nec videatur cœpisse ex tempore, qui ex Patre nascendo prodit, ut dixit ipse qui natus est: *Ex* Eccles. 24. 5. *ore altissimi prodii.*

111. Sed si naturam non agnoscunt, si non credunt Scripturis, vel operibus credant. Cui dicit Pater: *Faciamus hominem;* Gen. 1. 26. nisi ei quem verum Filium sciret? In quo nisi in vero suam imaginem recognosceret? Non est unum adoptivus & verus; nec Filius diceret: *Unum sumus;* Johan. 16. 22. [e] si se cum vero, qui verus non esset ipse, conferret. *Faciamus* ergo dicit Pater. Qui dixit, verus est: potestne ergo verus non esse ille, qui fecit; & quod dicenti defertur, facienti negatur?

112. Quomodo autem nisi verum Filium sciret, committeret ei voluntatis suæ unitatem, & operis veritatem? Cùm enim eadem faciat Filius opera, quæ Pater facit, & quos vult vivificet Filius, sicut scriptum est; Iohan. 5. 19. & 21. nec differens potestate, & liber est voluntate: ita unitas servatur; quia & virtus Dei in divinitatis proprietate est; & libertas non in aliqua differentia, sed in unitate est voluntatis.

113. Turbati in freto [f] apostoli, licet adhuc non credentes corde, ubi primum sub pedibus Matth. 14. 25. & seq. Domini ludere aquas, & inquieto maris æstu deambulantis Domini super aquas intrepida videre vestigia; subitoque navi quæ fluctibus turbaretur, ubi eam tamen Christus adscendit; placidata æquora, & elementa conspexere famulantia, verum Dei Filium crediderunt, dicentes: *Vere Dei Filius es.* Ibidem. 33.

114. Hoc idem Centurio cum aliis qui secum erant, tremefactis mundi cardinibus in passione Domini confitetur: & tu, hæretice, negas! Centurio dicit: *Vere Filius Dei erat iste.* Matth. 27. 54. *Erat*, inquit Centurio, & Arrianus dicit, non erat. Ille ergo generationis & veritatem & æternitatem adserit manu cruentus, sed mente devotus: tu, hæretice, veritatem generationis negas; tempus adscribis! Utinam manus potius quàm animam cruentasses! Sed nec manu innocens, & mente feralis, quantum in te est, mortem infers, qui infirmum opinaris; immo, quod gravius est, etsi divinitas vulnus sentire non possit, quod in te tamen est, majestatem suam in Christo non corpus interficere conaris.

115. Verum igitur Deum dubitare non possumus, quem verum Dei Filium & carnifices crediderunt, & dæmones fatebantur: quorum nunc non testimonia requiruntur, sed tuis tamen sacrilegiis præferuntur. Illos nominavimus, ut erubesceres: divina quoque responsa adhibuimus, ut crederes.

a. Vet. edit. ac mss. nonnulli, *cui nihil accidat:* Rom. edit. & alii mss. numerosiores .... *accedat.* Et infra ubi nos cum eadem Rom. edit. ac mss. pluribus, *fatu ininterpretabilis*, aut *affatu* ut in mss. quibusdam; ceteri mss. & edit. *factu interpretabilis.* Non omnino male, si *factu* positum fuerit pro facto sive operatione, unde Deum interpretamur atque cognoscimus

b. Ita Gill. ac Rom. edit. cum mss. plerisque: Amerb. vero & Eras. *& à Deo verus:* reliqui denique mss. *& à Deo Deus.*

c. Mss. aliquot, *dilexit vos, & .... pro vobis.*

d. Mss. tres, *quod jam sit ex interioribus secretis exire, quod* &c. unus, *quod jam ex interioribus secretis prodire videatur* &c.

e. Omnes edit. ac pauci mss. *si se cum uno:* ceteri, *si se cum vero.* Melius, ut per se liquet

f. Non pauci mss. *Turbati in freto apostolorum licet adhuc non credentium chori:* unus, *Turbatum in freto apostolorum licet adhuc non credentium cor:* commodius alii & edit. ut in textu.

Esai. 65. 16. 116. Clamat Dominus per Esaiam: *Servientibus mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram, & benedicent Deum verum: & qui jurant super terram, jurabunt per Deum verum.* Hæc, inquam, dixit Esaias, quando vidit majestatem ejus. Hoc in Evangelio designatur, quod majestatem viderit Christi, & loquutus sit de eo.

117. Accipe tamen quid etiam scripserit Evan-
1. Johan. 5. 20. gelista Johannes in epistola sua dicens: *Scimus quia Filius Dei apparuit, & dedit nobis sensum,* B
a [a] *ut cognoscamus Patrem, & simus in vero Filio ejus Jesu Christo domino nostro. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Verum Johannes Filium Dei, & verum Deum dicit: ergo si verus Deus, utique non creatus, nihil fallax habens atque fucatum, nihil confusum atque dissimile.

CAPUT XVIII.

In Nicæna definitione Arrianos errores, ne quem decipiant, commemorari. Iidem cum anathemate suo referuntur, quod non modo Nicææ latum dicitur, sed & Arimini semel ac iterum. C

Alias Cap. VIII. 118. DEus igitur ex Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, ex Patre natus, non factus, unius substantiæ cum Patre.

* 119. Sic nempe * nostri secundum Scripturas dixerunt Patres, qui etiam sacrilega dogmata ideo suis inserenda putavere decretis, ut Arrii perfidia ipsa se proderet, ne quasi fucis quibusdam & coloribus illita velaretur. Fucum enim D faciunt, qui non audent explicare quod sentiunt. Censorie itaque impietas arriana non expositione reseratur, sed damnatione detegitur; ut qui curiose gestit audire, prius damnatam cognosceret, ne laberetur, quàm expositam audiret, ut crederet.

b Alias Cap. IX. 120. Eos, [b] inquit, qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam nasceretur non erat: & qui ex nihilo factum, aut ex alia substantia vel οὐσία dicunt esse, aut mutabilem, aut convertibilem Dei Filium, anathematizat catholica & apostolica Ecclesia. E

121. Accepisti, sancte Imperator, eos qui talia adserunt, jure damnatos. Non humana
c Prolog. n. 5. industria, [c] non composito aliquo trecenti decem & octo, ut supra pressius dixi, episcopi ad Concilium convenerunt: sed ut in numero eorum per signum suæ passionis & nominis dominus Jesus suo probaret se adesse Concilio; Crux in trecentis, Jesu nomen in decem & octo est sacerdotibus.

122. Hoc & in * Ariminensi Concilio habuit prima confessio, & post Ariminense Concilium secunda correctio. Confessionem epistola ad imperatorem Constantium missa testatur, correctionem sequuta Concilia confitentur. *

CAPUT XIX.

Ubi Arrio primum è memoratis erroribus adtribuit, eumdem refellit Johannis testimonio, ac è re nata tragicam hæresiarchæ mortem describit. Mox singillatim reliquas ejusdem blasphemias expendit & confutat.

123. ARrius ergo dicit: Erat quando non erat; sed Scriptura dicit, *Erat*, non dicit, non erat. Denique Johannes scripsit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud* Iohan. 1. 1.
Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Ecce quoties *erat*, & nusquam dixit quod non erat. Cui ergo credimus? Johanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio * inter effusa se sua viscera volutanti; ut agnosceremus similem Judæ proditoris Arrii quoque fuisse perfidiam, quem similis pœna damnavit. *

124. Effusa sunt enim & Arrii viscera, pudet dicere ubi, atque ita crepuit medius, prostratus in faciem, ea quibus Christum negaverat, fœda ora pollutus. Crepuit enim, sicut etiam de Juda Petrus apostolus dixit, quia pos- Act. 1. 18.
sedit agrum de mercede injustitiæ, & in faciem prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus. Non est fortuita mors, ubi in sacrilegio pari pœnæ parilis processit exemplum; ut idem subirent supplicium qui eumdem Dominum negaverunt, & qui eumdem Dominum prodiderunt.

125. Veniamus ad alia. Arrius dicit: Antequam nasceretur, non erat: sed Scriptura dicit omnia esse per Filium. Quomodo ergo aliis dedit esse, qui non erat? Cùm autem dicit impius, quando & ante, hæc utique duo verba tempus ostendunt. Quomodo ergo negant tempus ante Filium, & volunt prius fuisse quæ temporis sunt: cùm idipsum, quando & ante, & aliquando non fuisse, sit temporis?

a. Ita edit. omnes ac mss. aliquot: alii vero multo plures, *ut cognoscamus potestatem.* Non satis recte.

*. Superiorem fidei definitionem nihil aliud esse quam Nicæni Symboli compendium declarat Ambrosius. Idem quoque discimus è collectoribus Actuum Synodicorum, ex posterioribus Conciliis, Chalcedonensi & aliis, ex variis quoque PP. Athanasio *epist. ad Iovin.* Basilio epist 78. &c. item è codicibus canonum Ecclesiæ Romanæ atque Africanæ: postremo ex historicis Rufino lib. 1. cap. 6. Socrate lib. 1. cap. 8. Theodoreto lib. 1. cap. 12. qui ultimi duo etiam referunt Eusebii Cæsariensis hac de re epistolam.

b. Vet. edit ac mss. hoc uno inter se dissentiunt, quod horum non pauci habent *inquam* pro *inquit:* at Rom. edit. verbo, *Erat* subjungit *aliquando.* Invenitur quidem in monumentis omnibus hujus Synodi, sed quia facile à lectoribus subintelligi potest, ideo à sancto Doctore putamus prætermissum.

c. Omnes edit. & quidam mss. *non compositione aliqua: sed trecenti decem & octo, ut supra dixi, episcopi ad Concilium convenerunt. Sed &c.*

*. Concilium hoc celebratum fuit anno 359. Arimini, quæ civitas maritima est in Romania Italiæ provincia. Quapropter ejusdem concessus acta, quæ, teste Hieronymo in Luciferianos, in publicis Ecclesiarumque tabulariis adservabantur, à Mediolanensibus non abfuisse per quam credibile est. Utitur tamen sanctus Ambrosius solo testimonio Synodicæ ad Constantium epistolæ: qua episcopi, qui ad quadringentos & amplius coiverant, certiorem faciunt Imperatorem, se statuisse, ne quid eorum quæ apud Nicæam sancita fuerant, mutaretur. Hæc epistola, qua vix pretiosius aliud antiquitatis pignus ad nos pervenit, exstat in Athanasii lib. *de Syn. Arim. & Seleuc.* refertur que non modo à Socrate, Sozomeno & Theodoreto Græcis scriptoribus, at etiam ab Hilario in fragmentis. Verum præclara illa confessio non diu integra perseveravit; illam enim primo decem Concilii ad Constantium legati, deinde omnes ferme isti antistites non correxerunt, sed corruperunt: cùm partim ab Imperante territi, partim decepti ab Arrianis, in vocum *substantia & consubstantialis* abolitionem consensere: cujus quidem prævaricationis eorum qui memoriæ prodiderunt res Ecclesiæ nemo non meminit. Certe jam vidimus quid sanctus Doctor de illa scripserit in Luc. lib. 5. num. 71. de qua etiam dicturus est infra lib. 3. & alibi pluribus locis. Sequuta est demum vera correctio, quam Ambrosius secundam vocat. Synodi porro quarum hîc testimonia indicantur, eæ sunt, Alexandrina, cui præfuit Athanasius an. 362. Parisina eopse anno coacta, cujus Synodica epistola inter Hilarii fragmenta exstat; Romana denique habita sub Damasi pontificatu an. 369. quas omnes adire operæ pretium sane fuerit.

*. Hancce tam fœdam atque horribilem Arrii mortem Athanasius memorat *Orat. 1. in Arrian.* & fusius adhuc *epist. ad Serap.* ubi Macarium presbyterum ejusdem narrationis prædem citat. Meminit etiam ejus Epiphanius hæresi 69. Quod autem ad historicos Ecclesiasticos, cùm vix ullus eorum illam prætermiserit, supervacaneum esset ipsorum nomina hîc prodere.

126. Arrius dicit ex nihilo Dei Filium. Quomodo ergo Dei Filius? quomodo paterno generatus ex utero? quomodo eructatum ex corde Verbum legitur, nisi ut ex intimo & inæstimabili Patris intelligatur, ut scriptum est, prodiisse secreto? Filius enim aut per adoptionem, aut per naturam est: per adoptionem nos filii
Psal. 44. 2. dicimur, ille per veritatem naturæ est. Quomodo ergo ex nihilo ille, qui ex nihilo fecit omnia?

127. Non habet Filium, qui nescit unde sit. Denique nec Judæi habebant Filium, quia unde esset nesciebant. Et ideo dixit his Dominus: *Nescitis unde veni;* & infra: *Neque me nostis, neque Patrem meum scitis.* Qui enim negat ex Pa-
Galat. 4. 5. tre Filium, nec Patrem ex quo est Filius, novit: neque Filium novit; quia Patrem nescit.

128. Arrius dicit: Ex alia substantia. Quæ igitur alia substantia æquatur Dei Filio, ut ex ipsa Dei Filius sit? Aut quomodo reprehendunt
Iohan. 8. 14. quia nos in Deo aut οὐσίαν græce, aut latine
Ibidem 19. substantiam dicimus, cùm ex alia dicendo substantia [a] Dei esse Filium, etiam ipsi substantiam Dei esse confirment?

129. Sed si de nomine substantiæ aut naturæ divinæ voluerint dicere, facile revincentur; quia & οὐσίας græce, & latine substantiam frequenter Scriptura memoravit. Et Petrus vult
2. Petr. 1. 4. nos, ut legimus, divinæ consortes fieri naturæ. Quod si ex alia substantia Filium dicent, ipsi se revincunt, & verbum substantiæ quod metuunt confitendo, & Filium creaturis quibus præferre se simulant, conferendo.

130. Arrius dicit creaturam Dei Filium, non sicut ceteras creaturas. Quæ enim creatura [b] non sicut alia creatura non est? Homo non ut Angelus, terra non ut cælum, sol non ut aqua, lumen non ut tenebræ. Nihil ergo præferendo donavit, sed ad simplices decipiendos misero colore fraudem suæ impietatis obduxit.

131. Arrius dicit mutabilem & convertibilem Dei Filium. Quomodo ergo Deus, si mutabi-
Malac. 3. 6. lis; cùm ipse dixerit: *Ego sum, ego sum, & non sum mutatus?*

CAPUT XX.

Optat ad se mundandum ut olim ad Esaiam Seraphim aliquem advolare: immo vero ad se, ad Imperatorem aliosque lectores suos Christum invitat: ac tandem Dominico poculo mystice designato, ut ejus virtute Gratianus ceterique fideles inebrientur, petit.

132. VErùm nunc mihi propheticum illud est confitendum, quod prophetaturus de Domino præmittit Esaias dicens: *O miser ego, & compuncto corde, qui cùm immunda labia*
Esai. 6. 5. *habeam, in medio quoque populi inhabitem immunda labia habentis; vidi Dominum Sabaoth.* Ergo si Esaias miserum se dicit, qui vidit Dominum Sabaoth: quid ego de me dicam, qui cùm immunda labia habeam, cogor de Dei generatione tractare? Quo igitur de iis quæ metuo, loquuturus erumpo; cùm David de iis quæ sciat, Psal. 38. 2. ori suo custodiam petat? O si mihi quoque unus de Seraphim candentem illum carbonem, quem de altari divino sumsit, utriusque forcipe deferens Testamenti, immunda adurat labia!

133. At quia tunc Seraphim descendit in fi- Esai. 6. 6. gura ad prophetam: tu autem, Domine, revelato mysterio ad nos in carne venisti, non per legatum, neque per nuntium, sed ipse per te, ab occultis meis conscientiam meam mundes; ut ego quoque dudum immundus, sed jam per tuam misericordiam fide mundus, illud Davidicum canam, dicens: *Psallam tibi in cithara,* Psal. 70. 22. & 23.
Deus Israel: gaudebunt labia mea, dum cantavero tibi; & anima mea, quam redemisti.

134. Itaque, Domine, calumniatores tuos & hostes relinquens, confer te ad nos; & sanctifica aures principis Gratiani, omniumque prætera quorum in manus hic libellus venerit, vacuas mihi præsta aures; necubi auditæ perfidiæ sordes residеant. Emunda ergo, emunda aurem non fontanis poculis, nec fluviali haustu, nec susurro prætermeantis rivuli: sed sermonibus ad vicem aquarum operantibus, supra nitorem aquarum perspicuis, & omni purioribus nive; illis utique sermonibus, quibus dixisti: *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem* Esai. 1. 18.
dealbabo.

135. Est etiam poculum quo secreta mentis mundare consuevisti, poculum non naturæ veteris, nec ex vite solemni: sed poculum novum de cælo delatum in terram, expressum ex illo botryone peregrino, qui sicut uva de vite, ita ille in carne crucis pependit è ligno. Ex hoc ergo botryone [c] est vinum quod lætificat cor hominis, sobrietatem inebriat, crapulam fidei & veræ religionis exhalat, crapulam castitatis infundit.

136. Hoc igitur vino, Domine meus, [d] domini aures Augusti mentis emunda, ut sicut vino naturali homines inebriati, quietem diligunt, timorem mortis expellunt, injurias non sentiunt, aliena non quærunt, suorum obliviscuntur: ita etiam vino tuo crapulatus, pacem diligat, & fidei exsultatione securus, mortem infidelitatis ignoret, patientiam caritatis exhibeat, sacrilegia aliena non teneat, fidem etiam [*] pignoribus suis præferat, secundùm quod scrip-
tum est: *Relinque omnia tua, & veni, sequere me.* Matth. 19. 21.

137. Hoc vino, Domine Jesu, sensus etiam nostros dilue, ut te adoremus, te colamus visibilium & invisibilium creatorem. Non potes ergo invisibilis aut bonus non esse, qui id etiam tuis operibus contulisti.

a. Omnes edit. cum parte non minima mss. *Deum esse filium:* melius tamen alii, qui nec pauciores nec inferiores, *Dei esse Filium:* ut per se clarum est.

b. Edit. omnes, & mss. aliquot, *non sicut alia creatura est!* Male; hoc enim significaretur quamlibet creaturam esse sicut aliam, quod cum sequentibus non cohæret. Optime igitur ex aliis mss. negationem quidam removent, plures vero geminant ut in textu.

c. Hic & infra ubi plurium potiorumque mss. auctoritate restituimus, *vinum & vino;* in cunctis edit. & mss. nonnullis habetur *poculum* & quater *poculo*

d Mss. aliquot, *Domine, aures augusta mentis* Minus commode.

*. Vix aliud testimonium de Gratiani liberis habemus quam hoc Ambrosianum. Citabatur quidem etiam Augustini locus lib. 5. *de Civit. Dei* cap. 25. in antiquis edit. conceptus in hæc verba, *cùm parvulum haberet & fratrem:* at cùm in nova edit. particula *&* sublata fuerit auctoritate mss. probatiorum; licet neutiquam raro eveniat, ut hujusmodi copulæ excidant diligentissimis quoque librariis, tamen eidem jam plena fides haberi nequit. Discimus igitur ex Ambrosio liberos Gratiano fuisse, dum hæc scriberentur. An vero unum pluresve progenuerit, incompertum est. Certe illud non est dubium, sobolem de qua hic agitur, non è secunda conjuge quam recens duxerat, ut diximus ad Expos. Psal. 61. pag. 965. natam esse: verum è priore, quam Constantiam vocant. His porro Ambrosii cohortationibus adtribuitur, quod Gratianus amore propriæ prolis, quominus adoptaret Theodosium, revocari se non passus fuerit.

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Ambrosius libro superiori hunc adjecturus 12. nomina Filii Dei primò trifariam divisa non ejus tantum, sed Patris etiam æternitatem probare docet. Mox eadem cum 12. sacerdotalis vestis lapidibus cursim comparans, quàm necessario conjungenda sint, inducta ipsorum nova distributione patefacit. Deinde ad propositam comparationem rediens, allegorice memorati amictus texturam ac lapillos laudat. Hinc mystica etiam geminæ divisionis ratione allata, institutam comparationem pergit exponere; ex qua fidem operibus colligens adtexendam esse, contractam ejusdem fidei de Filio descriptionem subdit.

1. SAtis, ut arbitror, libro superiore, sancte Imperator, edoctum est sempiternum esse Dei Filium, non dissimilem Patri, genitum, non creatum: Deum quoque verum Dei Filium Scripturarum lectionibus approbavimus, & apertis majestatis suæ indiciis designatum.

2. Itaque quamvis ista ad fidem copiose redundantia sint, quod à fontis meatu magnitudo plerumque decurrentis fluminis æstimatur; tamen quo purius niteat fides nostra, tripartito videtur derivanda distinctio. [a] Sunt enim evidentia indicia quæ proprietatem deitatis ostendant: sunt quæ similitudinem Patris & Filii: sunt etiam quæ perspicuam divinæ majestatis exprimant unitatem. Proprietatis itaque sunt, generatio, Deus, Filius, Verbum: similitudinis, splendor, character, speculum, imago: unitatis æternæ, sapientia, virtus, veritas, vita.

3. Hæc indicia ita Dei Filium signant, ut ex his & sempiternum Patrem esse cognoscas, nec ab eo Filium discrepantem. Ex eo enim qui est, generatio; ex sempiterno Deus, ex Patre Filius, ex Deo Verbum, splendor gloriæ, character substantiæ, speculum Dei, majestatis imago, [b] de bono bonitas, de sapiente sapientia, de forti virtus, de vero veritas, de vivente vita. Concordant igitur Patris & Filii indicia, quibus non discrepare inter se, sed unius majestatis esse nemo dubitaverit. Quorum singulorum proferremus exempla nominum, nisi coartandi sermonis studio teneremur.

Exod. 28. 17. & seq. 4. His duodecim tamquam lapidibus pretiosis fidei columna consurgit. Hi sunt enim pretiosi illi lapides, sardius, jaspis, smaragdus, chrysolitus, & ceteri, quibus sancti Aaron, illius utique qui figuram gerit Christi, veri scilicet vestimentum sacerdotis intexitur: circumdati auro lapides, & insculpti de nominibus filiorum Israel, duodecim lapides sibi invicem cohærentes. Nam si eos aliquis separet atque secernat, omnis fidei structura dissolvitur.

5. Itaque principium fidei nostræ est * scire quod genitus est Dei Filius: si genitus non est, nec Filius est. Nec satis est dixisse Filium, nisi & unigenitum Filium designaveris. Si creatura est, Deus non est: si Deus non est, nec vita est: si non est vita, nec veritas est.

6. Ergo tria illa, id est, generatio, Filius, unigenitus, principaliter & proprie indicant ex Deo Filium.

7. Tria sequentia, id est, Deus, vita, veritas, virtutem ejus manifestant, qua condidit & fecit subsistere creaturam: *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*, sicut Paulus dixit. Et ideo in illis tribus proprietas Filii, in istis aliis paternæ ac Filii operationis unitas declaratur. Act. 17. 28.

8. Imago quoque & splendor & character dicitur Dei Filius; quia hæc incomprehensibilem & investigabilem paternæ majestatis divinitatem in Filio, & expressam similitudinem revelarunt. Hæc quoque tria videmus ad similitudinem pertinere.

9. Reliquum est, virtus, [c] sapientia, justitia; ut his singulis operationibus æternitas probaretur.

10. Hoc igitur est illud vestimentum pretiosis lapidibus adornatum, hic veri amictus est sacerdotis, hæc vestis nuptialis; hic textor propheticus, qui bene noverit ista contexere. Neque vilis ista textura est, de qua Dominus dicit per prophetam: *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam?* Nec communes isti lapides, * lapides, ut legimus, supplementi: OMNIS ENIM in eo perfectio est, si nihil desit. Lapides compositi & circumdati auro, intelligibili scilicet natura; si eos bene mens nostra componat, naturalisque sensus probabili ratione compaginet. Denique quam non mediocres lapides sint, lectio docet, quod cùm alii alia viliora deferrent, istos tamen lapides super humeros suos religiosi principes adtulerunt, ex quibus fecerunt rationale, opus textile. Textile enim opus est, quando fidei facta concordant. Exod. 28. 3. & seq. — Job 38. 36. — Exod. 35. 27. — Ibidem.

11. Nec me aliquis errare putet, quia supra tripartitam de quaternis, subter vero quadripartitam de ternis feci distinctionem. Boni operis gratia per diversas plus placet formas. Bona enim & illa quæ textrinum indumenti sacerdotalis ostendit, vel Lex scilicet, vel Ecclesia, quæ binas vestes fecit viro suo, sicut scriptum est: unam operis, alteram mentis, fidei intexens factorumque velamina. Itaque alibi, sicut legimus, aurum prætexit, & postea hya- Prov. 31. 22. & seq.

a. Rom. edit. sola, *Sunt enim nomina quædam, quæ evidenter proprietatem* &c

b. *De bono bonitas* quod membrum supra non memoratum est, etiam in plerisque mss. omissum fuit; cùm tamen in aliis aliquot, & cunctis edit. reperiatur.

*. De hoc fidei principio multum atque acriter cum orthodoxis Arriani maxime vero Eunomiani decertarunt, quemadmodum fusius disputatur lib. *De Incarn. Myst.* cap. 9.

c. Cod. Audoen. Ebrul. & alii nonnulli, *sapientia, verbum* Sed neque hæc dictio, neque *justitia*, quæ in aliis mss. & edit. omnibus legitur, satis huic loco conveniunt. Nam *Verbum* pertinebat ad primam seriem, ubi repositum fuit *unigenitus*: de *Justitia* vero nulla mentio facta fuerat. Unde colligas in his vocibus liberius lusisse sanctum Doctorem.

*. LXX. Interpretes, τοὺς λίθους τῆς πληρώσεως .... καὶ τοῦ συνθέσεως. Textus Hebr. *lapides plenitudinum.* Chaldaica paraphr. *lapides ad implendas cælaturas.* Quod autem subdit Ambrosius, *lapides compositi*, quæ verba referenda sunt ad τοῦ συνθέσεως, ea nihil habent in Hebræo aut versionibus aliis quod sibi respondeat: sicut nec *lapides supplementi* in Vulgata.

cinthum ac purpuram cum cocco subjungit & A byssum. Rursus alibi ex hyacintho & ceteris prius
a flosculos format, aurumque subnectit, [a] & unus est habitus sacerdotis; ut iisdem coloribus micans, gratiæ decorisque diversitas ordinis diversitate resplendeat.

Psal. 11. 7. 12. Itaque ut etiam rationis typicæ series digeratur, auro & argento probabili non est dubium eloquia Domini designari, quibus fides constat. Scriptum est enim: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, pro-* B *batum terræ, purgatum septuplum.* * Hyacinthus autem aeris habet similitudinem, quem spiramus, & cujus carpimus flatum: purpura quoque speciem aquarum exprimit: per coccum ignis intelligitur: terra per byssum; hæc enim ex terra gignitur. Ex his autem quatuor elementis corpus subsistit humanum.

13. Sive ergo mentis fidei præcedenti concinentia corporis facta subnectas: sive facta præcedant, & fides adstipuletur comes religiosa C factorum, hic religiosi ornatus antistitis, hoc velamen est sacerdotis.

14. Bona ergo fides, cùm pulcro operum renitet ornatu: de qua, ut ad summam loquar, definitiones istæ sunt, quæ non queunt solvi. Si ex nihilo est, non est Filius: si creatura est, non est creator: si factura est, non est omnium factor: si discens, non præcognitor: si accipiens, non est perfectus: si proficiens, non est Deus: si dissimilis, non imago: si per gratiam, D non per naturam: [b] si divinitatis expers, auctor b.
Marc. 10. 18. malitiæ: *Nemo bonus, nisi unus Deus.*

CAPUT I.

Arrianorum Dei Filio bonitatem abrogantium objectionem non sine horrore propositam ut solvat, Christi sententiam ex personis loquentium, nec non ex ipsis dictionibus explicat.

15. STupeo itaque ad reliqua, sancte Imperator, & toto corpore animoque deficio, esse aliquos homines, vel potius non homines, sed humana adopertos specie, intus autem dementiæ bestialis; qui post tanta Domini & tam divina beneficia, bonum negent ipsum auctorem bonorum. E

16. Scriptum est, inquiunt: *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Scriptum agnosco: sed littera errorem non habet; utinam arriana interpretatio non haberet! Apices sine crimine sunt, sensus F in crimine. Dictum Domini salvatoris agnosco: sed consideremus quando dicat, cui dicat, qua circumspectione dicat.

17. Dicit utique in hominis forma Dei Filius, & dicit scribæ, ei scilicet qui magistrum bonum Dei Filium nominaret, Deum negaret. Quod ille non credit, Christus adjungit; ut Dei Filium non ut bonum magistrum, sed ut bonum Deum credat. Nam sicubi unus Deus dicitur, nequaquam tamen Dei Filius [c] ab unitatis plenitudine separatur; quomodo ubi unus Deus c bonus nuncupatur, à plenitudine divinæ bonitatis unigenitus excluditur? Necesse est igitur aut Deum negent Dei Filium, aut Deum bonum esse fateantur?

18. Et ideo circumspectione cælesti non dixit: Nemo bonus, nisi unus Pater; sed: *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Pater enim proprium generantis est nomen, Deus autem unus nequaquam deitatem Trinitatis excludit, & ideo natura laudatur. Bonitas ergo in natura est Dei, & in natura Dei etiam Dei Filius; & ideo non quod singularitatis, [d] sed quod unitatis est, prædicatur. d

19. Non igitur à Domino bonitas negatur, sed talis discipulus refutatur. Nam cùm scriba dixisset: *Magister bone*, respondit Dominus: Ibidem 18.
Quid me dicis bonum? id est, quem Deum non credis, non est satis ut bonum dicas. Non tales ego quæro discipulos, qui me magis secundùm hominem magistrum bonum, quàm secundum divinitatem Deum bonum credant.

CAPUT II.

Bonum esse Dei Filium ab operibus probat, nimirum ab ejus in Israelitas sub Testamento veteri, & in Christianos sub novo, beneficiis. Tum ubi subjecit utile sibi esse ut bonum dominum ac judicem suum arbitretur: paternum de Filio testimonium adfert; immo etiam partis non exiguæ Judæorum, quibus proinde pejores Arriani esse declarantur. Quæ omnia verborum Sponsæ, eamdem Christi bonitatem designantium, claudit expositio.

20. SEd nolo prærogativâ naturæ suæ & privilegio potestatis utatur. Non dicatur bonus, si non meretur, à nobis. Si hoc non meretur operibus, si beneficiis non meretur, abdicetur suæ jure naturæ, subdatur nostro judicio. Qui judicaturus de nobis est, non dedignatur judicari; ut justificetur in sermonibus Psal. 50. 6.
suis, & vincat cùm judicatur.

a. Thuan. unus, *& unus est* &c. Infra vero ubi nos cum Gill. in margine, Rom. edit. in corpore ac mss. quatuor, *series digeratur*; alii mss. ac edit. *series designatur*, Eras. & Gill. *serie designatur.*

*. De illa horum 4. colorum interpretatione adisis observationem nostram in *Expos. Psal.* 118. *Serm.* 19 *num.* 22.

b. Omnes edit. ac plures mss. *si bonitatis expers:* Audoen. tamen, Ebrul. Big. & Colb. unus, *si divinitatis.* Aptius sane, ut subjectus Scripturæ textus clare ostendit. Porro cùm hoc eodem testimonio hæretici illi abuterentur, ut Christum spoliarent divinitate, illud strenue Patres contra ipsosmet retorquebant, adstruebantque non posse propter illum locum Filio negari divinitatem, quin simul bonitas quoque ipsi negetur. Unde ulterius promoventes malum eumdem in eorum opinione dicendum evincebant. Quo genere argumenti non solum hîc & supra lib. 1. cap. 5. nec non *Exposit. in Luc* lib 8. num. 65. & seq. utitur Ambrosius, verum etiam præter Hilarium Epiphaniumque hujus Operis lib. & cap. citatis memoratos, Basilius lib. 4. *contra Eunom.* Gregorius Nyss. Orat. 12. in eumdem hæreticum, & Cyrillus Alex. in *Thesauro* simili ratione argumentati sunt. Quod autem Petavius tomo 2. *Theolog. Dogm.* lib. 2. *de Trinit.* cap 4. scribit quosdam veteres esse, quos inter Gregorium Nyss. & Ambrosium numerat, *qui non satis animadversa re, vehementius in hæreticos illos invecti sunt, tamquam malum esse Dei Filium ex eorum oratione consequens foret:* non videtur vir magnus rem satis ipse expendisse. Nam si Filius non per se & naturâ suâ bonus est, sed tantum externa & adventitia bonitate ut creaturæ aliæ, quod ex eorum oratione deduci ipse Petavius fatetur; inde profecto rite sequitur eumdem Filium seclusa precaria illa bonitate spectatum hoc sensu malum fore, quod esset imperfectus, & corruptioni, errori, peccato denique obnoxius. Et hoc plusquam satis erat Patribus, ut non aliter in Arrianos inveherentur, quam quo modo invectos reperimus. His etiam accedit quod Ambrosius l. 1. Offic. c 25. n. 117. Eunomium Marcioni jungit, quasi eadem de duobus principiis sentientem. De quo nos ibi.

c. Ita Rom. edit. cum mss. multo pluribus; quorum tamen duo legunt, ... *à plenitudine divinæ majestatis & bonitatis:* vet. autem edit. ac pauci mss. *à divinitatis plenitudine separatur* ... *à plenitudine divinæ potestatis* &c.

d. Ver. edit. & mss. nonnulli, *sed quod Trinitatis:* Rom. & reliqui mss. *sed quod unitatis*; uno tamen excepto ubi, *sed quod divinitatis.* Eodem sensu.

(Psal. 22. 6. Exod. 14. 6. & seq.) 21. Hiccine ergo non bonus, qui bona tribuit mihi? Hiccine non bonus, qui cùm sexcenta millia populi Judæorum persecutoribus suis cederent, dehiscentem subito Rubri maris æstum individua aquarum mole divisit; ut fideles circumfusa unda muniret, infidos refusa demergeret.

(Ibid. 17. 6.) 22. Hiccine non bonus, cujus imperio maria solidata fugientibus, saxa humefacta sitientibus; ut opus veri agnosceretur auctoris, cùm humor rigesceret, petra inundaret? Quod ut agnosceres opus Christi, Apostolus dixit: *Petra autem erat Christus.* (1 Cor 10. 4.)

(Exod 16. 13. & seq.) 23. Hiccine non bonus, qui tam innumera populi millia, ne qua incesseret fames, in deserto pavit pane cælesti, sine usu laboris, cum fructu quietis; ita ut eorum per quadraginta annos nec vestimenta veterascerent, nec calceamenta tererentur, (Deut. 8. 4.) [a] instar fidelibus futuræ resurrectionis ostendens, quod nec factorum decor splendidorum, nec circumfusæ virtutis nitor, nec vitæ cursus periret humanæ?

24. Hiccine non bonus, qui nobis cælum fecit esse, quod terra est; ut sicut in cælo, quasi in speculo quodam, stellarum lucentium refulgerent globi; ita etiam apostolorum & martyrum & sacerdotum, vice stellarum fulgentium, toto illucescerent chori mundo?

25. Ergo non solum bonus, sed etiam pastor bonus, hoc est, non sibi tantum, sed etiam ovibus suis bonus: *Bonus* enim *pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* (Iohan. 10. 11.) Posuit plane animam suam, ut nostram levaret: sed pro divinitatis potestate posuit & sumsit, sicut scriptum est: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam. Nullus eam tollit à me, sed ego à memet ipso pono eam.* (Ibid. 17. & 18.)

26. Vides bonitatem; quia sponte posuit: vides potestatem, quia sumsit; & tu bonum negas, cùm ipse de se in Evangelio dixerit: *Si ego bonus; quare oculus tuus nequam?* (Matth. 20. 15.) Ingrate, [b] quid agis? Bonum negas, per quem bona speras, si tamen credas? Bonum negas, qui dedit nobis quæ oculus non vidit, nec auris audivit? (1. Cor. 2. 9.)

(Psal. 117. 8.) 27. Mihi expedit ut bonum credam: *Bonum est* enim *confidere Domino.* Mihi expedit ut Dominum confitear; scriptum est enim: *Confitemini Domino; quoniam bonus.* (Ibidem 1.)

28. [c] Mihi expedit, ut judicem meum bonum arbitrer; Dominus enim judex bonus domui Israel. Ergo [d] si judex Dei Filius; utique quoniam judex Deus bonus, judex autem Dei Filius est; Deus bonus judex & Dei Filius est.

29. Sed fortasse non credas aliis, non credas Filio; audi Patrem dicentem: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* (Psal. 44. 1.) Bonum ergo Verbum est, Verbum hoc de quo scriptum est: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* (Iohan 1. 1.) Ergo si Verbum bonum, Filius autem Dei Verbum est: bonus utique Deus est Dei Filius; etiamsi non placeat Arrianis. Erubescant aliquando.

30. Judæi dicebant: *Bonus est.* (Iohan. 7. 12.) Etsi alii dicebant: *Non est*, alii dicebant tamen: *Bonus est*; & vos omnes bonum negatis.

31. Bonus est, qui peccatum unius donat; & bonus non est, qui peccatum mundi abstulit? De ipso enim dictum est: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* (Iohan 1. 29.)

32. Sed quid dubitamus? Credidit jam Ecclesia bonum, & confessa est dicendo: *Osculetur me ab osculis oris sui; quoniam bona ubera tua super vinum*; (Cant. 1. 1.) & alibi: *Et faux tua tamquam vinum est optimum.* (Cantic. 7. 9.) Bonus ergo ille nos Legis & gratiæ nutrit uberibus; cælesti curas hominum prædicatione demulcens; & nos bonum negamus, cùm sit imago bonitatis, exprimens æternæ in se bonitatis effigiem; sicut & supra ostendimus scriptum, quia ipse est *speculum sine macula, & imago bonitatis illius?* (Sap. 7. 26.)

CAPUT III.

Filium Dei Deum bonum ac verum esse, cùm Deus unus sit.

(Alias Cap. II.) 33. Sed quid vobis videtur; qui bonum & verum Deum Dei Filium denegatis; cùm scriptum sit quod nullus Deus, nisi unus? (1. Cor. 8. 4.) Nam etsi sunt qui dicantur dii, an inter eos Christum annumeratis, qui dicuntur, & non sunt? Cùm speciale sit ejus, ut semper sit: & præter ipsum bonus & verus alius Deus non sit; quoniam in ipso est Deus: speciale autem etiam Patris sit, ut post ipsum verus alius Deus non sit; quia unus Deus, nec juxta Sabellianos Patrem Filiumque confundens, nec juxta Arrianos Patrem Filiumque secernens. Pater enim & Filius distinctionem habent, ut Pater & Filius; separationem divinitatis non habent.

CAPUT IV.

Omnipotentem esse Dei Filium prisci novique fœderis auctoritate demonstratur.

(Alias Cap. III.) 34. Itaque cùm verus & bonus Dei Filius; utique omnipotens Deus Dei Filius: num hinc quoque dubitari potest? Supra diximus lectum quia dominus omnipotens nomen est ei. (Sup. lib. 1. cap. 1.) Ergo quia Filius dominus, dominus autem omnipotens; omnipotens est Dei Filius.

35. Sed accipe etiam eam de qua dubitare nequeas, lectionem: *Ecce venit*, inquit, *cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ. Etiam, amen. Ego sum A & Ω dicit dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* (Apoc. 1. 7. & 8.) Quem igitur compunxerunt, & quem speramus esse venturum, nisi Filium? Ergo omnipotens dominus & Deus Christus est.

36. Accipe aliud, sancte Imperator, & accipe Christum loquentem: *Hæc dicit Dominus omnipotens: Post honorem misit me super gentes, quæ* (Zach. 2. 8. & 9.)

a. Amerb. & Erasf. cum majori numero mss. *instar infidelibus*: Gill. & Rom. cum cod. sex manu exaratis, *instar fidelibus*. Melius; nam supra de iisdem Israelitis dicitur, *ut fideles circumfusa* &c.

b. Rom. edit. sola, *quid ais?*

c. Vet. edit. *Nec in bonum credam? Bonum est enim confiteri Domino. Mihi expedit ut Dominum confitear* Cum his etiam faciunt mss. nonnulli, nisi quod omittunt, *nec in bonum credam*. Rom. edit. sola; *Mihi expedit ut Dominum confitear.... Mihi expedit ut bonum*; Optime vero ceteri mss. ut nos in textu, nisi quod pro *confidere*, in quibusdam legitur *confiteri*.

d. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *si judex, Dei Filius utique; quoniam judex Dominus, & Deus bonus est. Judex autem Dei Filius est, & Deus* &c. Rom. edit. .... *& Deus bonus, judex autem Dei Filius est Deus* &c Reliqui mss. melius, ut in contextu.

deprædaverunt vos; quoniam qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi ejus. Quia ecce ego injicio manum meam super eos, qui deprædaverunt vos, & eruam vos; & erunt in prædam, qui deprædaverunt vos, & scient quia Dominus omnipotens misit me. Utique qui dicit: Dominus est omnipotens: & qui misit, Dominus est omnipotens. Ergo & Patris & Filii omnipotentia: sed tamen Deus unus omnipotens; quia unitas potestatis est.

37. Atque ut scias, Imperator auguste, Christum esse, qui loquutus est & in propheta & in Evangelio, tamquam in prædestinatione Evangelii per Esaiam dicit: *Ipse qui loquebar, adsum,* hoc est: Adsum in Evangelio, qui loquebar in Lege. *Esai. cap. 52. 6.*

38. Deinde alibi: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Quæ sunt omnia? Non utique loquutus est de creatis; hæc enim omnia facta sunt per Filium: sed ea quæ Pater habet, id est, æternitatem, majestatem, divinitatem, quæ nascendo possedit. Ergo eum qui omnia habet, quæ Pater habet (scriptum est enim: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt*) omnipotentem esse dubitare non possumus. *Iohan. 16. 15.*

CAPUT V.

Objectos adversus Christi omnipotentiam Scripturæ textus exponit; ac maxime in eo immoratur, ut eumdem non raro ex humanæ naturæ affectu loquutum probet.

39. NEc vereor ne quia scriptum est de Deo: *Beatus & solus potens*, ab eo Dei Filius separaretur; cùm Scriptura Deum solum potentem dixerit, non Patrem solum: & ipse de Christo Deus Pater adserat per Prophetam: *Posui adjutorium super potentem.* Non ergo Pater solus potens, sed potens etiam Deus Filius; in Patre enim laudatur & Filius. *1 Tim. 6. 15.* *Psal. 88. 20.*

40. Certe ostendat aliquis quid sit, quod non possit Dei Filius: quis ei adjutor cùm cælum faceret, fuit: quis adjutor cùm conderet mundum? An qui in constitutione Angelorum & Dominationum adjutore non eguit, eguit ut hominem liberaret?

41. Scriptum est, inquiunt: *Pater meus, si possibile est, transfer à me calicem hunc.* Et ideo si omnipotens est, quomodo de possibilitate *Matth. 26. 39. & Luc. 22. 42.*

A ambigit? Ergo quia omnipotentem probavi, probavi utique ambigere eum de possibilitate non posse.

42. Verba, inquis, Christi sunt. Verum dicis: sed quando, & in qua forma loquatur, adverte. [a] Hominis substantiam gessit, hominis adsumsit affectum. Denique supra habes quia progressus pusillum procidit in faciem suam, orans & dicens: *Pater, si possibile est.* Non ergo

B quasi Deus, sed quasi homo loquitur; Deus enim possibile aliquid aut impossibile nesciebat? Aut aliquid impossibile Deo, cùm scriptum sit: *Impossibile enim tibi nihil est?* *Iob 42. 2.*

43. * De quo autem dubitat de se, an de Patre? De eo utique qui dicit: *Transfer:* & dubitat hominis affectu. Ergo propheta non putat aliquid impossibile Deo. Propheta non dubitat, & Filium dubitare tu credis? Num infra homines constituis Deum? Et dubitat de Patre

C Deus, & de morte formidat? Timet ergo Christus; & cùm Petrus non timeat, Christus timet? Petrus dicit: *Animam meam pro te ponam;* Christus dicit: *Anima mea turbatur.* *Iohan. 13. 37.* *Iohan. 12. 27.*

44. Utrumque verum est, & plenum utrumque rationis; quod & ille qui est inferior, non timet: & ille qui superior est, gerit timentis affectum: ille enim quasi homo vim mortis ignorat, iste quasi Deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit; ut eorum qui

D sacramentum incarnationis abjurant, excluderetur impietas. Denique & hæc dixit, & * Manichæus non credidit, Valentinus negavit, Marcion phantasma judicavit.

45. Eousque autem * hominem quem veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, ut diceret: *Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis;* cùm utique similiter sit Christi velle, quod Pater vult: cujus similiter est facere, quod Pater facit. *Matth. 26. 39.*

E 46. Quo loco etiam illa vestra quæstio conticescit, quam soletis objicere, quia dixit Dominus: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis;* & alibi: *Ad hoc descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit.* *Matth. 26. 39* *Iohan. 6. 38.*



a. Mss aliquot, *fragilitatem gessit:* unus, *naturam gerit:* reliqui & edit. *substantiam gessit:* quidam etiam *gerit.*

*. Magister Sent lib 3. Dist. 17 § *Ceterum*, ita hunc locum refert, ut simul eo difficultatem haud mediocrem contineri profiteatur: *Quod tamen*, inquit, *ea ratione dictum accipi potest, non quia ipse* (etiam in quantum homo) *dubitaverit, sed quia modum gessit dubitantis, & hominibus dubitare videbatur.* Atqui non satisfecit Estio ista solutio; eâ siquidem in eumdem locum relatâ, subdit: *Rectius autem dicemus dubitationem Ambrosio esse non judicium anceps de veritate rei, sed indifferentiam quamdam partis sensitivæ ad sequendum effectum naturæ, vel rationem dubitantem* &c. Sed neque sua se responsione plane contentum non dissimulat, cùm ejus beneficio futurum dicit, ut locus hic possit *utcumque intelligi.* Verumtamen miramur quis tantus nodus in eo esse videatur, quod Christum hominis affectu dubitare dicat Ambrosius. Etenim è tota sermonis ac ratiocinationis serie haud difficulter intelligitur Christum hominis affectu dubitare nihil aliud esse Doctori nostro, nisi Christum præ se tulisse idem dubitationis signum, quod in simili statu exhibere alii homines consuevere. Id quoque non obscure significatur in Expos. Psal. 39. n. 16. ubi eumdem locum eadem prorsus ratione enucleans; *secundùm hominis loquutus est affectum, quem innuit cautum esse debere, nec præsumere quod facile implere non possit.* Et infra, *hominum sensum exprimit, qui putant se à Domino suo, quando sunt in periculis, derelictos.* Hinc autem patet Magistri solutionem repudiari ab Estio non debuisse: maxime vero cùm neque citatis locis, neque in Lucam lib. 4. num. 12. ubi hic idem textus delibatur, modum quo Christus, ut homo, dubitare vel ignorare potuerit, prorsus non tangat. Sed fusius de his lib. 5 agit Ambrosius.

*. Quod adserit Ambrosius de Manichæo, illud etiam traditur à multis aliis Patribus, nimirum illum veritatem incarnationis inficiatum, Christo phantasticam carnem, quæ humanis illuderet sensibus, adtribuisse. Hoc docet Athanasius lib. *de salutari Adventu Chr.* pag 365. Epiphanius *Hær.* 66 Augustinus *Hær.* 46. & Theodoretus pluribus locis. Certum est quoque Valentinum Christo corpus quoddam spirituale quod è cælo per Virginem tamquam per canalem descendisset, adfinxisse: Marcionis vero eam fuisse impietatem, ut eumdem Dominum nonnisi spectrum nescio quod esse blasphemaret. Testatum id faciunt de Valentino quidem Tertull. *de Præscript.* cap. 49. Epiphanius ex Irenæo *Hær.* 31. August. Theodor. & alii: de Marcione autem Tertull. adversus eumdem cap. 8. Theodoretus lib 1. *Hæret. Fabul.* c. 11. & lib *de Incarn. Christi* At de utroque simul laudatus jam non semel Tertull. lib *de Præscript.* cap. 30 ubi amborum tempus, sectam philosophicam, religionem atque errores memorat.

* Macarius atque Stephanus ut Monothelitarum hæresim defenderent, hunc locum in 6. Synodo generali, quæ 3. Constant. est, Act. 4. citaverunt, sed pro hæreticorum ingenio mutilatum, quemadmodum à catholicis demonstratum est. Lectæ quoque fuerant in Act. 4. litteræ Agathonis Rom. Pont. à quo ceteris Patrum in hæc Evangelica verba: *Pater si possibile est* &c testimoniis præmittitur Ambrosiana sententia, quæ cap. seq. num. sic legitur: *Suscepit ergo voluntatem meam* &c. Quem locum in Act. 10. iterum placuit recitari. Unde quanti facerent Doctorem nostrum, cognoscere est.

CAPUT

CAPUT VI.

Occasione superiorum Scripturæ locorum tantisper digrediens, libertatem Domini primùm ex eo quod eadem præditus affirmetur Spiritus sanctus, deinde expressis quibus ipsa Filio Dei adtribuitur, testimoniis demonstrat.

47. Ergo ut quasi interpositis plenioris expositionis paulisper induciis, cur dixerit: *Si possibile est*, voluntatis interim liberæ Dominum fuisse doceamus. In tantum processistis impietatis, ut negetis quod Filius Dei liberæ voluntatis * sit: At certe soletis etiam sancto Spiritui derogare, & negare non potestis scriptum esse: *Spiritus ubi vult, spirat. Ubi vult*, inquit, non ubi jubetur. Ergo si Spiritus ubi vult, spirat, Filius quod vult, non agit? Et certe idem Dei Filius in Evangelio suo dicit, ubi velit spirandi suppetere Spiritui facultatem. Numquid ergo superiorem fatetur; quia illi licet, quod sibi non licet? Iohan 3. 8.

48. Apostolus quoque dicit quia *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Prout vult*, inquit, hoc est, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Et dividit Spiritus non mediocria; sed quæ Deus consuevit operari, gratiam curationum, & operationem virtutum. Ergo dividit Spiritus prout vult, Filius Dei non liberat, quem vult? Sed audi etiam ipsum agere quod vult. Dixit enim: *Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Et alibi: *Voluntarie sacrificabo tibi.* 1. Cor. 12. 11. Psal 39. 9. Psal 53. 8.

49. Scivit sanctus apostolus Petrus Jesum in potestate habere quæ vellet; & ideo cùm videret ambulare eum supra mare, ait: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Petrus credidit quia si Christus jubeat, naturæ possit conditio mutari; ut humanis se subjiciat unda vestigiis; & discrepantium naturarum possit convenire concordia. Petrus poscit ut jubeat, non ut roget Christus: Christus non rogavit, sed jussit, & factum est: & Arrius contradicit? Matth. 14. 28.

50. Quid est tamen quod Pater velit, Filius nolit: aut Filius velit, & Pater nolit? *Pater quos vult, vivificat; & Filius quos vult, vivificat*, sicut scriptum est. Dic nunc quos vivificaverit Filius, & Pater vivificare noluerit. Cùm autem Filius quos velit vivificet, & operatio una sit; vides quia non solum Filius voluntatem Patris, sed etiam Pater Filii faciat voluntatem? Quid est autem vivificare, nisi per Filii passionem? Passio autem Christi voluntas est Patris. Quos ergo Filius vivificat, per Patris vivificat voluntatem. Una igitur est voluntas. Iohan. 5. 21.

51. Quæ autem voluntas Patris, nisi ut veniret Jesus in hunc mundum, & nos mundaret à vitiis? Audi leprosum dicentem: *Si vis, potes me mundare.* Respondit Christus, *Volo*; [a] & statim sequutus est effectus sanitatis. Vides quia Filius suæ arbiter voluntatis est, & Christi voluntas eadem quæ paterna est? Quamquam cùm dixerit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt*; sine dubio quia nihil excipitur, quam Pater habet, eamdem habet & Filius voluntatem. Matth. 8. 2. Iohan. 16. 15.

CAPUT VII.

Redit ad proposita difficultatis solutionem, & voluntatem affectusque humanos à Christo verè susceptos esse, ac proinde quidquid in ipso non congruit divinitati, ex eisdem oriri docet, atque ad id quod simul Deus & homo erat, referri.

52. Una ergo voluntas, ubi una operatio; in Deo enim voluntatis series operationis effectus est. Sed alia voluntas hominis, alia Dei. Denique ut scias vitam in voluntate esse hominis; quia mortem timemus: passionem autem Christi in voluntate divina; ut pateretur pro nobis: cùm Petrus eum vellet à passione revocare, Dominus ait: *Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Matth. 16. 23.

53. Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit; quia ut homo suscepit tristitiam meam; ut homo loquutus est; & ideo ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu: NEMO ENIM moriturus exsultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me & in me doluit; qui pro se nihil habuit quod doleret. Matth. 26. 39.

54. Doles igitur, domine Jesu, non tua, sed mea vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, sicut ait propheta: *Quia pro nobis dolet*: & nos, Domine, æstimavimus te esse in doloribus; cùm tu non pro te, sed pro me doleres. Esai. 53. 4.

55. Et quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat; qui Lazarum resuscitaturus illacrymat? Verum & ibi piæ sororis lacrymis commovetur; quia [b] mente humana tangebatur: & hîc alto operatur affectu; ut sicut mors ejus mortem abstulit, livor ejus ulcera nostra sanavit: ita etiam mœrorem nostrum mœror ejus aboleret.

56. Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur: [c] Non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas: sed turbatur anima: turbatur secundum humanæ fragilitatis adsumtionem. Et ideo quia suscepit animam, * suscepit & animæ passiones; non enim Deus eo quod Deus erat, aut turbari aut mori potuisset. Denique, *Deus Deus*, inquit, *meus, quare me dereliquisti?* Ut homo Psal. 21. 1.

*. Arrius ejusque sectatores cùm libertatem aliter eripere Christo non possent, eo devenerant impietatis, ut ab illo non animam, sed solam carnem adsumtam contenderent. Testis est hujus rei Athanasius de Salut. Adventu Chr. pag. 635. Epiphanius *Hær.* 69. num. 49. Augustinus *Hær.* 49. & Theodoretus lib. 5. *Hæret. Fabul.* cap. 11.

a. Ita edit. omnes & mss. aliquot: alii vero non pauci vocem *sanitatis* prætereunt; pro qua substituunt aliqui, *& statim leprosus sanus effectus est.* Rursus autem pro *arbiter suæ voluntatis*, Theod. codex solus exhibet, *arbiter suæ potestatis.*

b. Vet. edit. ac mss. bene multi, *mentem humanam tangebat*, duo *tangebant*: Rom. edit. *mentem humana tangebant*: mss. reliqui ut in textu. At continuo post ubi vet. edit. cum parte mss. *operabatur effectu*: Rom. edit. cum aliis mss. *affectu.*

c. Mss. aliquot, *Non turbatur ut virtus.*

*. Intellige affectus innocuos, nec non vitiorum quibus nostros depravari dolemus, immunes. Etsi vero eosdem alii post Hieronymum in Matth. 36. *propassiones* vocare maluerunt, quam passiones; hanc tamen vocem adhibere voluit Ambrosius, ut Arriano errori validius orthodoxa veritas opponeretur. De Christi porro affectibus ubertim Magister in 3. *Sentent.* Distinct. 15. D. Thom. 3. p. s. q. 15. a. 4. & 6. aliique post eos Theologi disputant.

Psal. 21. 2. ergo loquitur, meos circumferens metus; quod A in periculis positi, à Domino deseri nos putamus. Ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur.

57. Sic enim & apostolus Paulus dixit: Quia Galat. 5. 24. *Christi carnem crucifixerunt*. Et alibi apostolus 1. Pet. 4. 1. Petrus ait: *Christo passo secundum carnem*. Caro igitur est passa, divinitas autem mortis libera: passioni corpus naturæ humanæ lege concessit; an vero mori divinitas potest, cùm anima non Matth. 10. 28. possit? *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus pos-* B *sunt occidere, animam autem non possunt*. Si ergo anima occidi non potest, quomodo divinitas potest?

58. * Unde illud quod lectum est, Dominum Alias Cap. IV. 1. Cor. 2. 8. majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus: sed quia [a] idem Deus idem homo, per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Jesus Christus, dominus majestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturæ, id est, humanæ atque divi- C næ, in natura hominis subiit passionem; ut indiscrete & Dominus majestatis dicatur esse qui passus est, & Filius hominis, sicut scriptum est, Johan 3. 13. *qui descendit de cælo*.

CAPUT VIII.

Ex principio proxime ante constituto illud solvitur, quod Christus dixit: Pater major me est. *Quæ verba & alia ejusdem rationis ubi secundum* D *humanitatem intelligenda esse ostensum est, eumdem Dominum secundum naturam divinam dici non posse Patri inferiorem multis confirmatur.*

59. PEr naturam igitur hominis & dubitavit, [b] & tæduit, & resurrexit; quod enim cecidit, hoc resurgit. Per naturam hominis dicit etiam illud, de quo calumniari solent, quia Johan. 14. 28. dictum est: *Quoniam Pater major me est*.

60. Verum quia alibi dicitur: *Exivi à Patre*, Johan. 16. 28. E *& veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem;* quomodo vadit, nisi per mortem: & venit, nisi per resurrectionem? Denique addidit, ut de adsumtione se dixisse signaret: *Propterea dixi vobis priusquam fiat; ut cùm* Johan. 14. 29. *factum fuerit, credatis*. Loquebatur enim passionem sui corporis, & resurrectionem per quam credere cœperant, qui ante dubitabant; neque enim Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo est qui vadit, ipse est qui venit. Denique & alibi dicit: *Surgite, eamus* Ibidem 31. F *hinc*. In eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum.

61. Nam quomodo potest minor esse Deus, cùm Deus perfectus & plenus sit? Sed minor in natura hominis: & miraris si ex * persona hominis Patrem dixit majorem, qui in persona hominis se vermem dixit esse, non hominem; dixit enim: *Ego autem sum vermis, & non homo;* Psal. 21. 7. & alibi: *Sicut ovis ad occisionem ductus est*. Esai. 53. 7.

62. Si in hoc minorem dicis, negare non possum: sed, ut verbo utar Scripturæ, non minor natus, sed *minoratus*, hoc est, minor factus est. Hebr. 2. 9. Quomodo autem minor factus, nisi quia: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbi-* Phil. 2. 6. & 7. *tratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit:* non remittens utique quod erat, sed adsumens quod non erat; quia formam servi accepit.

63. Denique ut sciremus per susceptionem corporis minoratum, de homine se David prophetare signavit dicens: *Quid est homo, quod* Psal. 8. 5. & 6. *memor es ejus: aut Filius hominis, nisi quia visitas eum? Minorasti eum paulominus ab Angelis*. Et hoc ipsum interpretatus Apostolus, ait: *Nam* Hebr. 2. 9. *paulo quam Angelos minoratum videmus Jesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum; ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem*.

64. Non solum ergo Patre, sed etiam Angelis minor Filius Dei factus est. Et si hoc ad præjudicium trahis; num ergo Filius in natura Dei minor est, quam sui Angeli qui ei serviunt Matth. 4. 6. & ministrant? Ita dum minorem vultis adserere, impietatem incurritis; ut Angelorum naturam Dei Filio præferatis. Sed *non est servus* Matth. 10. 24. *supra Dominum suum*. Denique & in carne constituto Angeli ministrabant; ut nihil eum agnoscas per naturam corporis imminutum; Neque enim Deus sui pati potuit detrimentum, cùm id quod adsumsit ex Virgine, nec accessio divinæ nec diminutio potestatis sit.

65. Non est ergo secundum divinitatem minor, qui plenitudinem habet divinitatis & gloriæ. Major enim & minor in iis quæ corporalia sunt, distingui solent: aut statu major, aut plenitudine, aut certe ætate. Vacant ista, ubi de divinis tractatus inducitur. Major enim vulgo dici solet, qui aliquem instituit & informat: in Dei autem sapientiam non cadit, ut instituta sit alterius disciplinis; cùm ipsa disciplinarum omnium tradiderit institutum. Quam bene autem posuit Apostolus: *Ut sine Deo pro omnibus* Hebr. 2. 9. *gustaret mortem;* ne divinitatis illam passionem putaremus fuisse, non carnis:

66. Ergo si non invenerunt quemadmodum possent probare majorem, non verbis calumnientur, sed verborum rationem requirant. Ergo illos interrogo quo putent esse majorem? Si quia Pater est, eo majorem putant: sed non hîc ætas & tempus, neque canities Patris, &

*. Hic locus non modo in epist. 134. Leonis Magni ad *Leon. August.* verum etiam in Conc. Chalced. Act. 2. & in epist. 24. ejusdem Leonis papæ ad *Flavian.* relatus invenitur. Ambigitur autem à quo idem cum aliorum PP. testimoniis additus fuerit in epistola memorata. Garnerius *Præfat. in Schol. S. Cyrilli* hoc à Theodoreto factum contendit: Quenellius vero in *Not. ad epist.* 24. Leonis supra citatam, dispunctis Garnerii rationibus, eadem illa testimonia à Leone ipso proposita, & ejus nomine in Concilio recitata esse disputat. Sed isthæc parum ad nostrum propositum.

a. Rom. edit. *Idem Deus & homo.* Quod autem hîc & infra l. 3. dicitur propter intimam illam in Christo divinæ humanæque naturæ unionem Dominum majestatis è cruce pependisse, ac vice versa è cælo descendisse Filium hominis, rite pronuntiari; hoc ipsum postea docuit Augustinus lib. 1. *de Trinit.* c. 13. n. 28. quem consule. Hoc porro illud est, quod communicatio idiomatum appellatur à scholasticis.

b. Ita omnes edit. ac mss. aliquot: ceteri vero partim, *& tædiavit*, partim *& tædificavit*.

*. Paulo durior videtur ea loquutio, quippe quæ hominis naturam personamque saltem voce tenus confundat. Difficultatem ut solvat Petavius Dogm. Theolog. de Trinit. ait personam hîc eo significatu accipiendam, quo vulgus dicit aliquem in persona alicujus loqui vel agere, id est, vice, nomine vel auctoritate: quo sensu personæ vocem etiam ab aliis quibusdam Patribus positam censet. Addere potuisset Ambrosium ipsum infra c. 10. num. 84 ubi dicit mortis obedientiam incarnationis fuisse, *in qua & officia nostra suscepit & nomina*. Verum quidquid sit de hac acceptione, cùm passim in hoc Opere naturam ac personam satis distinguat S. Doctor, certum est orthodoxam hoc loco esse ipsius sententiam, nec aliud sibi voluisse, nisi Christum ut hominem seu secundum naturam humanam loquutum, cùm Patrem majorem dixit; sicut etiam lib. 4. ait eumdem Christum *ex persona hominis incarnati susceptione loqui*.

a filii pueritia est; hæc etim majorem [a] solent fa- A
cere patrem. Ceterum pater & filius generan-
tis & nati nomina sunt, quæ non videntur se-
parare, sed jungere; non enim pietas naturæ
detrimentum est: namque homines sibi invicem
conciliat necessitudo, non separat.

67. Itaque si nec de natura adferre possunt
aliquam quæstionem, vel testimoniis credant.
Denique Filium non esse eo minorem, quia
Filius est, Evangelista testatur; & æqualem esse,
Iohan. 5. 18. quia Filius est, ipse significat dicens: *Propterea* B
enim volebant eum occidere Judæi, quia non solùm
solvebat sabbatum, sed & Patrem proprium dicebat
Deum, æqualem se faciens Deo.

68. Non Judæi hoc dicunt, sed Evangelista
testatur, quod æqualem se faciebat Deo, pro-
prium se Filium Dei dicens. Non enim scrip-
tum est ex persona Judæorum dicentium: Prop-
terea volebamus eum occidere; sed Evangelista
ex sua persona dicit: *Propterea enim volebant il-*
lum Judæi occidere. Et interpretatus est causam, C
ideo Judæos ad necem ejus esse commotos,
quod cùm & sabbatum quasi Deus solveret, &
Deum Patrem sibi proprium vindicaret, non
solum in solutione sabbati majestatem divinæ
b potestatis, sed etiam [b] in Patris proprii nomine
jus sibi æternæ æqualitatis adscisceret.

69. Quibus aptissime respondit Dei Filius, ut
Ibidem 19. & Dei se Filium, & æqualem probaret: *Quæ-*
cumque, inquit, *Pater fecerit*, *eadem & Filius*
facit similiter. Filius igitur Patri & dicitur & D
probatur æqualis. Bona æqualitas, quæ & diffe-
rentiam divinitatis excludit, & cum Filio Pa-
trem signat, cui Filius sit æqualis: non est enim
diversa, nec singularis æqualitas; quia nemo
æqualis ipse sibi solus est. Ergo Evangelista in-
terpretatus est quid sit proprium Filium Dei se
dicere, hoc est, æqualem se facere Deo.

Phil. 2. 6. 70. Unde id sequutus Apostolus dixit: *Non*
rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Quod
enim quis non habet, rapere conatur. Ergo E
non quasi rapinam habebat æqualitatem cum
Patre, quam in substantia sui tamquam Deus &
Ibidem 7. Dominus possidebat. Unde addidit: *Formam*
c *servi accepit.* [c] Contrarium utique servus, &
æqualis. Æqualis ergo in Dei forma, minor in
susceptione carnis, & hominis passione. Nam
quomodo eadem posset minor esse æqualisque
natura? Quomodo autem si minor est, eadem
similiter facit, quæ Pater facit? Nam quemad-
modum eadem operatio diversæ esset potesta-
tis? Numquid sic potest minor, quemadmodum
major operari? aut una operatio potest esse, F
ubi diversa substantia est?

71. Itaque accipe Christum * secundum di-
vinitatem minorem non posse dici. Ipse loqui-
Gen. 22. 16. tur ad Abraham: *Per me ipsum juravi.* Osten-
dit autem Apostolus eum qui per se jurat, mi-
norem esse non posse. Itaque sic ait: *Abrahæ* Hebr. 6. 13. & 14.
cùm repromisisset Deus, quoniam nullum alium ma-
jorem habebat, juravit per se ipsum, dicens: Nisi
benedicendo benedixero te, & multiplicando mul-
tiplicavero te. Ergo majorem non habuit Chris-
tus, & ideo per se juravit. Et bene addidit:
Homines enim per majorem se jurant; quia homi- Ibid. 16.
nes majorem habent, Deus non habet.

72. Aut si volunt de Patre dictum videri, re-
liqua non cohærent; neque enim Pater visus est
Abrahæ, nec Deo Patri pedes lavit, sed ei in
quo futuri hominis est figura. Denique Filius
Dei dicit: *Abraham diem meum vidit, & gavisus* Iohan. 8. 56.
est. Ipse est ergo qui per se juravit, quem Abra-
ham vidit.

73. Et revera quomodo majorem habet, qui
divinitate cum Patre unum est? Quod enim Iohan. 10. 30.
unum est, dissimile non est: inter majorem au-
tem minoremque discretio est. Ergo de Filio
& Patre præsentis docet lectionis exemplum,
quia nec Pater minorem habet, nec majorem
Dei Filius; cùm in Patre & Filio nulla distan-
tia divinitatis sit, sed una majestas.

CAPUT IX.

Objicientibus Filium cùm à Patre sit missus, eo uti-
que minorem esse; respondetur illum etiam à Spi-
ritu missum, quo tamen minor non habeatur.
Additur etiam Spiritum mitti à Patre & Filio,
ut utriusque operationum unitas designetur:
Hinc admonemur sedulo distinguendum quæ lo-
cutiones Christo ut Deo, quæve eidem ut homini
conveniant: quarum exempla non pauca subji-
ciuntur exponunturque.

74. Nec illud sane metuo, quod solent
obtendere minorem esse, quia missus
est. Si enim & minor non docetur, & hono-
rificentiæ docetur æqualitas; cùm ita omnes
honorificent Filium, sicut honorificant Patrem,
constat eo minorem non esse, quod missus est. Iohan 5. 23.

75. Non ergo humani sermonis angustias,
[d] sed verborum caritatem intuere, operibus d
crede. Considera quia dominus noster Jesus
Christus in Esaia loquutus est ab Spiritu sanc-
to esse se missum. Numquid ergo Spiritu minor Esa. 61. 1.
Filius, quia missus ab Spiritu est? Habes igitur
scriptum quod Filius à Patre & Spiritu ejus di-
cat esse se missum: *Ego sum*, inquit, *primus, &* Esaia 48. 12 & 13.
ego in æternum, & manus mea fundavit terram,
dextera mea solidavit cælum; & infra: *Ego loqu-* Ibid. 15. & 16.
tus sum, & ego vocavi; adduxi eum, & prosperum
iter ejus feci. Accedite ad me, & audite hæc: non
in occulto ab initio loquutus sum. Cùm fierent, illic
eram: & nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.
Utique qui cælum fecit & terram, ipse dicit à
Domino & à Spiritu ejus esse se missum. Vide-
tis ergo quod simplicitas sermonis, non injuria

a. MSS. aliquot, *solent fateri patrem.*

b. Codex Tell. *in Patre proprio nomen ejus* &c.

c. MSS. nonnulli, ac edit vet *Contrarium*, edit. *Contrarius, utique servus æquali:* reliqui mss. & edit. Rom. ut in textu. Infra vero ubi omnes edit. atque mss duobus exceptis, *quomodo eadem*; iidem duo legunt, *quomodo eidem* &c.

*. Hic aperte declarat Ambrosius, quod ex toto capitis hujus contextu cognoscitur, Filium scilicet quatenus Deum nullo modo posse Patre minorem dici. Qua quidem responsione præcipuam Arrianarum legionum machinam everti, & confringi non dubium est. Veruntamen ex Patribus non defuerunt, qui eumdem Filium, etiam qua Deum, voluerunt eatenus dici minorem posse, quatenus omnimoda naturæ inter utrumque servetur æqualitas; ut hoc unum Filius infra Patrem habeat, quod sit genitus: & Pater hoc unum, supra Filium, quod sit ingenitus, ac Filii origo. Adisis hac de re Synodum Sardic. in epist. Synod. Alexandrum Alex. episc. scribentem ad Alexandrinos, cujus literæ à Theodoreto lib. 1 cap 4. referuntur, Athanasium lib. 2. *in Arrianos*, Gregorium Naz. Orat. 3. & 30. Chrysost. hom. 75. in Johan. & alios Græcos: inter Latinos autem Hilarium lib 9. *de Trinit.* c. 31 atque Augustinum lib. 3. *Cont Maxim Arrian.* cap. 14. Magis tamen Ambrosiana distinctio obtinuit apud posteros.

d. MSS. Aud. & Ebrul. *sed verborum claritatem.*

missionis sit. Ipse igitur missus à Patre, ipse est A missus ab Spiritu.

76. Et ut cognoscas nullam majestatis esse distantiam, etiam Filius Spiritum mittit, sicut
Johan. 15. 26. ipse dixit: *Cùm venerit autem paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritus veritatis, qui à Patre meo procedit.* Hunc eumdem paraclitum & à Patre esse mittendum supra docuit di-
Johan. 14. 26. cens: *Paraclitus autem ille Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Vide unitatem, quia quem Deus Pater mittit, mittit & Filius: & B
a quem mittit Pater, mittit & Spiritus. [a] Aut si nolunt Filium missum, quia dexteram Patris Filium legimus; ipsi de Patre quod de Filio abnuunt, fatebuntur: nisi forte aut alterum sibi Patrem, aut alterum sibi Filium inveniant Arriani.

b 77. Sileant igitur [b] inanes de sermonibus quæs-
1. Cor. 2. 4. tiones; quia regnum Dei, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Servemus distinctionem divinitatis & C carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius; quia in eodem utraque natura est: & si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt divina; quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana; quia in mea substantia loquebatur.

Johan. 6. 51. 78. *Hic est panis vivus, qui descendit de cælo.*
Ibidem 52. Panis hic caro est, sicut ipse dixit: *Hic panis quem ego dabo, caro mea est.* Hic est qui descen- D dit de cælo, hic est quem Pater sanctificavit,
c & misit in hunc mundum. [c] Nec ipsa littera nos docet sanctificatione divinitatem eguisse, sed
Johan. 17. 19. carnem. Denique ipse Dominus dixit: *Et ego memet ipsum sanctifico pro ipsis*; ut agnoscas quod & sanctificatur in carne pro nobis, & divinitate sanctificat.

Galat. 4. 4. 79. Hic idem est quem Pater misit, sed *factum ex muliere, factum sub Lege*, ut Apostolus
Luc. 4. 18. dixit. Hic est: qui ait: *Spiritus Domini super me,* E *propter quod unxit me: evangelizare pauperibus*
Johan 7. 16. & 17. *misit me.* Hic est qui dicit: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo est, an ego à me ipso loquar.* Alia ergo ex Deo doctrina, alia ex homine. Itaque Judæi cum doctrinam ejus secundùm hominem
Johan. 7. 15. quærerent, & dicerent: *Quomodo hic litteras novit, cùm non didicerit?* respondit Jesus, & dixit: *Mea doctrina, non est mea;* nam cùm sine eruditione litterarum doceat, non quasi homo, sed potius ut Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed invenerit.

80. Adinvenit enim omnem viam disciplinæ, ut supra lectum est; Nam utique de Filio Dei dictum est: *Hic est Deus noster, & non æstimabi-* Baruc 3. 36. & seq. *tur alius ad eum, qui adinvenit omnem viam disciplinæ. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Quomodo ergo secundum divinitatem doctrinam suam non habet, qui adinvenit omnem viam disciplinæ, antequam videretur in terris? Aut quomodo minor, de quo dictum est: *Non æstimabitur alius ad eum?* Utique incomparabilis dicitur, ad quem nemo alius æstimari potest: sed ita incomparabilis, ut Patri nequeat anteferri. Quod si de Patre dictum putant, impietatem * Sabellii non evadent, * ut Patri susceptionem humanæ carnis adtribuant.

81. Persequamur sequentia: *Qui à semet ipso,* Johan 7. 18. inquit, *loquitur, gloriam suam quærit.* Vide unitatem, quæ & Patrem signat & Filium. Non potest non esse, qui loquitur: sed non potest à semet ipso esse quod loquitur, in quo naturaliter ex Patre sunt omnia.

82. Quid est autem: *Gloriam suam quærit?* Hoc est, non divisam à Patre gloriam; nam utique & Verbum Deus habet gloriam. Denique dicit: *Ut videant gloriam meam.* Sed illa Verbi Johan. 17. 24. gloria eadem Patris gloria est, sicut scriptum est: *Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Pa-* Philip. 2. 11. *tris.* Ita igitur secundum divinitatem Dei Filius suam gloriam habet, ut Patris & Filii una sit gloria. Non est ergo minor in claritate, quia una gloria: non minor divinitate, quia plenitudo divinitatis in Christo est.

83. Et quomodo, inquis, scriptum est: *Pater,* Johan. 17. 1. *venit hora, clarifica Filium tuum?* Qui hoc dicit, clarificatione, inquis, indiget. Hucusque oculos habes: quod reliquum est non legisti; sequitur enim: *Ut Filius tuus clarificet te.* Numquid Ibidem. & Pater indiget, qui clarificandus à Filio est?

CAPUT X.

Objectionem à Filii obedientia desumtam solvit, ostensoque Trinitatis unam potentiam, divinitatem atque operationem esse, addit Christum etiam matri, qua minor dici neutiquam potest, obedientiam exhibuisse.

84. PAri modo obedientiam Filii objicere solent; quia scriptum est: *Et specie in-*

a. Ant. edit. cum uno vel altero mss. *Aut si volunt:* Rom. & mss. ceteri, *Aut si nolunt* Optime, referendum enim ad ultima verba loci ex Esaia citati, *Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Etenim qui Christum hic à propheta loquentem induci negaverit, cum hæc verba Patri adtribuere necessum erit.

b. Ita non solum Ambrosiani cod. omnes scripti ac editi; verum etiam *Concilium Ephes.* quod est generale 3. cap. 24. inter *excepta ex opusculis Patrum*, tom. 3. edit. Labb. quæ in Act. quoque 6. repetita sunt in *Collect. Baluz. & Concil. Chalc. œcumen* 3. act 1 & 2. tom. 4. ejusdem edit. Labb. verum etiam in *epist. Leonis papæ ad Leon. imperat.* cum apud Labbeum to. 3. tum in edit. Quenelliana Operum ejusdem Leonis in contextu citatæ epist. attamen ibidem in margine Quenellius in cod. Thuan. scriptum notavit, *inanis dissertationis quæstiones.* Infra vero diligentiss. Baluzius ex vet. exemplaribus Ephes. Concilii, ex Contio, & ms. Corbei. Synodi Chalced. cui etiam Rustici lectionem addit, quibus præterea jungere licuisset ex ipsa Synodo Chalc. edit. Labb. græca illa εἷς ἐν ἑκατέρῳ λαλεῖ ὁ τοῦ θεοῦ υἱός, sicut & laudatam Leonis epist. edit. Quen. in eodem igitur Ephes. Conc. Baluzius reposuit, *unus in utroque loquutus est* &c. ubi apud Ambrosium, Facundum, & in Act 5. Concilii Later. sub Martino papa, nec non in mss. duobus Colb. legebatur, *unus in utraque loquutus est* &c. Quam tamen lectionem præter hæc à Baluzio ipso memorata nostri omnes mss. laudata Concilia Ephes. & Chalc. in Labb. edit. atque epist. Leonis ibidem, series quoque orationis plane confirmant.

c. Omnes edit. ac mss. non pauci, *Hæc ipsa littera . . . . non divinitatem eguisse:* alii mss. & græcus textus Synodi Chalc. edit. Labb. nobiscum faciunt; excepto quod nonnulli cod. geminant negationem in hunc modum, *nec ipsa littera . . . . non divinitatem eguisse:* quam lectionem ex antiq. exemp. Ephes. Synodi, & duobus Ambros. prætulit Baluzius. Verum omnino expungendam secundam negationem docet ipse sensus: aut saltem cum M. Mercatore atque Contio, quos ibidem refert Baluzius, legendum erit, *Et ipsa littera* &c.

*. Epiphanius in *Anaceph.* lib. sui 2. scribit, *Sabelliani cum Noetianis in omnibus propemodum consentiunt, nisi quod Patrem ipsum negant passum.* Qua sententia quid magis cum Ambrosiana pugnare videatur? Verum præceptori suo commodum Augustinus tulit suppetias: is enim Hær. 41. citatis Epiphanii verbis ita subjungit: *Quomodo de Sabellianis intelligi potest; cùm sic innotuerint dicere Patrem passum, ut Patripassiani quam Sabelliani crebrius nuncupentur?* Sed hæc inter se alio loco conciliabuntur.

Phil. 2. 7. & 8. *ventus ut homo, humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem.* Et hominem præmisit, & usque ad mortem dixit; ut intelligeremus obedientiam mortis non divinitatis fuisse, sed incarnationis: in qua & officia nostra suscepit, & nomina.

85. Didicimus itaque unam esse potentiam Trinitatis, quam nos [a] in ipsa atque post ipsam docuit passionem; Filius enim patitur per corporis sacramentum, apostolis Spiritus sanctus infunditur: in manus Patris commendatur spiritus, Deus quoque Pater maxima voce signatur. Didicimus unam Patris & Filii esse imaginem, unam similitudinem, unam sanctificationem. Didicimus unam esse operationem, unam gloriam, unam quoque divinitatem.

86. Unus ergo & solus Deus; quia scriptum est: (Deut. 6. 13.) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Unus Deus, non ut ipse sit Pater & Filius, sicut impius Sabellius adserit: sed quia Patris & Filii, Spiritusque sancti una divinitas sit: ubi autem una divinitas, una voluntas, una præceptio.

87. Denique ut scias & Patrem esse, & Filium esse, & unum opus Patris ac Filii esse, Apostolum sequere, qui dixit: (1. Thess. 3. 11.) *Ipse autem Deus, & Pater noster, & dominus noster Jesus dirigat viam nostram ad vos.* [b] Et Patrem loquitur, & Filium loquitur: sed unitas directionis est; quia unitas potestatis est. Sic & alibi habes: (2. Thess. 2. 15. & 16.) *Ipse autem dominus noster Jesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia; consoletur corda vestra, & confirmet.* Quantam unitatem ostendit, ut consolationis unitas non pluralitas sit! Conticescat ergo perfidia, aut si ratione non vincitur, morali humanitate flectatur.

88. Consideremus quam moraliter egerit Dominus; ut nos non solum fidem, sed etiam mores doceret. Namque in forma hominis constitutus, (Luc. 2. 51.) subditus erat Joseph & Mariæ. Numquid ergo minor & hominibus, quia subditus? Aliud pietatis, aliud potestatis est: sed non præjudicat pietas potestati. In quo ergo legis subditum Patri? In corpore scilicet, in quo erat subditus matri.

CAPUT XI.

Proponit cum Arrianis humaniter agere Christi exemplo vulnera vino & oleo curantis: ad quod cæleste medicamentum omnes invitans, quo consilio is carnem induerit, & qua utilitate, tradit. Hinc aperit quantum prosit fidem habere; qua Christum propter nos omnem infirmitatem suscepisse cognoscimus, cujus divinitas in passione erumpebat. Ex quibus intelligere est Dei Filium sine subjectione ulla missum fuisse: nec metuendum ne fides hæc displiceat Patri; quippe qui in Filio sibi complacere significet.

89. Agamus & nos moraliter, persuadeamus illis quod sibi prosit, obsecremus & ploremus ante Dominum qui fecit nos. (Psal. 94. 6.) Non enim vincere volumus, sed sanare: non insidiose agimus, sed religiose monemus. SÆPE FLECTIT humanitas, quos nec virtus potuerit superare, nec ratio. Denique Dominus illum hominem (Luc. 10. 30. & seq.) qui ex Hiericho descendens, incidit in latrones, quem non asperioribus Legis medicamentis, non prophetico rigore curaverat, oleo curavit & vino.

90. Veniant ergo ad hunc omnes qui sanari volunt, accipiant medicamentum, quod & à Patre detulit, & præparavit in cælo, ex illis confectum immortalibus succis. Hoc ex terra non pullulat; expers enim est omnis natura hujus confectionis. Divino enim consilio suscepit hanc carnem, ut ostenderet legem carnis legi esse subditam mentis. Suscepit carnem, ut quasi homo vinceret, qui homines erudiret.

91. Quid mihi prodesset, si quasi Deus exerta potestate divinitatem suam tantummodo inviolabilem demonstrasset? Aut cur susciperet carnem, nisi ut tentari se naturæ atque infirmitatis meæ conditione pateretur? Tentari debuit, compati mihi debuit; ut scirem quemadmodum tentatus vincerem, compassus evaderem. Vicit per continentiam, vicit per contemtum divitiarum, vicit per fidem: calcavit ambitionem, fugavit intemperantiam, [c] lasciviam relegavit.

92. Hoc medicamentum Petrus vidit, & retia sua, instrumenta videlicet quæstus & subsidia, dereliquit, renuntians carnis concupiscentiæ tamquam corruptæ navi, in quam quasi sentina quædam multarum ingreditur passionum. Magnum ergo medicamentum, quod non solum cicatricem vetusti vulneris amputavit, sed etiam causam passionis incidit. O fides thesauris omnibus opulentior! ô vulnerum nostrorum, peccatorumque medicina præstantior!

93. Consideremus quia nobis prodest bene credere. Mihi enim prodest scire quia propter me Christus suscepit meas infirmitates, (Esai. 53. 4.) mei corporis subiit passiones: pro me peccatum, hoc (2 Cor. 5. 21.) est, pro omni homine, pro me maledictum factus est, pro me atque in me subditus atque subjectus, pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me servus, pro me filius ancillæ, pro me diem judicii ignorans, pro me nesciens diem aut horam.

94. Nam quomodo posset diem nescire, qui dies fecit & tempora? Quomodo posset diem ignorare judicii, qui & horam futuri judicii expressit & causam? Factus ergo maledictum non secundum divinitatem, sed secundum carnem; scriptum est enim: (Deut. 21. 23.) *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Secundum carnem utique pependit; & ideo maledictum; qui nostra maledicta suscepit. Ille flevit, ne tu homo diu fleres: ille injurias passus est, ne tu injuriam tuam doleres.

95. GRANDE REMEDIUM, solatium habere de Christo. Ille enim pro nobis hæc patientius tulit, & sumus qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus! Quis appetitus non discat ignoscere, quando & pro persecutoribus

a. Vet. edit. *in ipsa quoque docuit passione. Filius enim patitur; in manus Patris commendatur spiritus, Deus quoque Pater maxima voce,* Gill. solus *inclamatur, atque post ipsam docuit passionem. Filius enim patitur* &c. Confuse perturbateque. MSS. autem nobiscum faciunt, paucis tamen exceptis qui ultimam partem ita efferunt, *Spiritus sanctus infunditur. Pater quoque* &c. omissis vocibus quæ interjiciuntur.

b. Edit. ultimæ Paris. *Et pater loquitur, & Filius loquitur.* Corrupto sensu.

c. MSS. aliquot, *lasciviam religavit,* nonnulli etiam, *ligaverit.*

suis Christus etiam crucifixus orabat? Videsne A illas quas tu putas Christi infirmitates, tuas esse virtutes? Cur de remediis nostris ei quæstionem movemus? Lacrymæ illæ [a] nos lavant, fletus illi nos abluunt, ac dubitatio illa nos firmat; ne tu si cœperis dubitare, desperes. Quanto major est injuria, tanto uberior debetur gratia.

Matth. 27. 51. 96. Sed in ipsis injuriis cognosce divinitatem. In cruce pendebat, & elementa ei omnia serviebant. Sol refugit, dies occidit, obfusæ & circumfusæ tenebræ, terra tremuit: non tre- B muit qui pependit. Quid aliud hæc, quàm Auctoris reverentiam signant? Quia in cruce est, vides: quia regnum Dei donat, non vides. Luc. 23. 43. Quia mortem gustavit, legis: quia latronem quoque ad paradisum invitavit, non legis. Mulieres flentes intueris ad tumulum, non intueris Iohan. 20. 12. Angelos excubantes. Quid dixerit legis, quid gesserit non legis. Dicis Chananææ mulieri di- Matth. 15. 24. xisse Dominum: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel:* non dicis, quoniam id C quod ab ea rogatus est, fecit.

97. Unde intelligere te convenit, quia missus non id significat, quod alieno sit coactus imperio, sed quod voluntario functus sit arbitratu: alioquin contemtum ostendis Patris. Si enim, ut tu interpretaris, paternorum famulus præceptorum Christus venerat in Judæam, ut solis ejus incolis mederetur, & Chananææ prius filiam, ut legimus, liberavit; non utique alieni fuit exsecutor imperii, sed voluntarii liber ar- D bitrii. Ubi autem libertas voluntatis, ibi nulla prævaricatio missionis.

98. Nec vereare ne displiceat Patri, quod Iohan. 8. 29 fecit Filius; cùm ipse dicat: *Quæcumque placita sunt ei, facio semper;* & alibi: *Opera quæ ego facio,* Iohan. 14. 12. *ipse facit.* Quomodo ergo Patri potuit displicere, quod ipse fecit per Filium? Unus enim Deus, Rom. 3. 36. sicut scriptum est, *qui justificavit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

99. Omnia lege, omnia diligenter adverte; E invenies sic demonstrasse se Christum, ut Deus in homine cerneretur: nec malitiose accipias Matth. 17. 5. de Patre Filium gloriantem; cùm audias Patrem in Filio complacentem.

CAPUT XII.

Christum in persona judicis consideratum Catholici an Arriani melius sibi concilient, inquiritur. Objectio propter judicis sessionem ac Patris voces exorta dissolvitur; demonstraturque nullam in F *Filio nec subjectionem significari, quod sedeat à Patre invitatus: nec prælationem, quod ad ejus dextram sedeat. Denique ex Angelico Trisagio personarum in Deo Trinitatem, ac simul unitatem naturæ significari declaratur.*

100. SEd si moralibus flecti non queunt, provocemus ad judicem. Ad quem tandem ibimus? Nempe ad eum qui judicium haIohan. 5. 22. bet. Numquid ad Patrem? Sed *Pater non judicat quemquam; omne* enim *judicium dedit Filio.* Dedit utique generando, non largiendo. Vide quam te noluerit Filio suo derogare, ut tibi ipsum judicem daret.

101. Videamus ergo ante judicium quis causam meliorem habeat; ego, an tu. Nempe prudentis actoris est prius conciliare sibi judicem. Hominem honoras, Deum non honoras? Quid ergo conciliat cognitorem, honorificentia, an injuria? Pone me peccasse, quod non est; num offenditur honore suo Christus? Peccamus omnes: quis ergo veniam promerebitur, qui defert honorificentiam, an qui irrogat contumeliam?

102. Aut si te ratio non movet, species saltem judicii ipsa commoveat. Attolle oculos ad judicem tuos, intuere qui sedeat, cum quo sedeat, ubi sedeat. Sedet Christus ad dexteram Patris. Aut si oculis hoc non potes comprehendere, audi dicentem Prophetam: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam.* Psal. 109. 1. Sedet ergo ad dexteram Patris Filius. Dic nunc qui de sæcularibus arbitraris æstimanda divina, num tibi videatur inferior qui ad dexteram sedet? num injuria Patris, quia ad sinistram sedet? Pater honorat, & tu injuriam putas? Pater mavult id esse pietatis exemplum, & tu putas præceptionis imperium? De morte surrexit, & ad dexteram Dei sedet.

103. Sed *dixit*, inquis, Pater. Accipe etiam ubi non dicit Pater, & prædicit Filius: *Amodo* Matth. 26. 64. *videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis.* Et hoc de adsumtione corporis dicit; huic dicit: *Sede ad dexteram meam.* Psal. 109. 1. Nam si de æterna sede divinitatis inquiris, interrogatus à Pilato si ipse esset rex Judæorum, ait: *In hoc* Iohan. 18. 37. *sum natus.* Unde & Apostolus monet hoc esse nobis utile, si Christum non ex præcepto, neque ex gratia, sed quasi dilectissimum Filium ad dexteram Dei sedere credamus. Sic enim habes: *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est* Coloss. 3. & 2. *ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite.* Hoc est enim superiora sapere, credere quia Christus ut sedeat, non quasi jussus obsequitur, sed quasi Filius dilectissimus honoratur. Propter rationem ergo corporis dicit: *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum* Psal. 109. 1. *pedum tuorum.*

104. Quod si & hoc ad calumniam trahis, quia Pater dixit: *Ponam inimicos tuos;* etiam Pater trahit ad Filium, quos Filius suscitet atque vivificet: *Nemo enim*, inquit, *potest venire ad me,* Iohan. 6. 44. *nisi Pater qui misit me, adtraxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et tu Filium Dei pro infirmitate dicis esse subjectum, cui Patrer adtrahit, quos ille in novissimo die suscitet? Hæccine tibi videtur esse subjectio, in qua regnum Patri paratur, cùm pater ad Filium trahat, & calumniæ locus non sit, cùm Patri regnum Filius tradat, [b] nec aliquid præferatur? Hæc enim documenta pietatis sunt, quod & Pater Filio, & Filius Patri tradat; ita enim sibi tradunt, ut neque ille qui accipit, quasi alienum adquirat: nec qui tradit, amittat.

105. Ad dexteram quoque sedere nulla prælatio est, neque ad sinistram injuria; divinitas enim gradum nescit, nec loco aliquo circumscribitur, nec temporibus definitur. Angustis animis homines ista pensamus. Nulla differentia caritatis, nullum discrimen est unitatis.

a. Nonnulli mss. *nos liberant:* concinnius alii, & edit. *nos lavant*

b. Codex Albin. *nec aliquis*, Tellet. *nec alicui præferatur.*

106. Sed cur longius evagamur? Circumspectasti omnia, vidisti judicem, advertisti Angelos prædicantes. Illi laudant, & tu vituperas! Dominationes & Potestates venerantur, & tu calumniaris! Adorant omnes sancti ejus: non adorat Dei Filius, non adorat Spiritus sanctus. Seraphim dicunt: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Esai. 6. 3.

107. Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater & Filius & Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? (1 Iohan. 5. 7.) Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum præteriret: non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse deitatem, cùm tertio dixisset: *Sanctus, sanctus, sanctus;* (Esai. 6. 3.) addidit singulariter: *Dominus Deus sabaoth.* Sanctus igitur Pater, sanctus Filius, sanctus & Dei Spiritus. Adoratur igitur Trinitas, non adorat: laudatur Trinitas, non laudat. Ego malo sicut Seraphim credere, & sicut omnes Potestates Virtutesque cælestes adorare.

CAPUT XIII.

Continuatâ judicii Dominici allegoriâ, blasphemas Arrianorum, Sabellianorum, & Manichæorum de suo judice opiniones Ambrosius paucis refellit. Deinde propositis Christi de ceteris suis adversariis expostulationibus, judicium sibi mitius futurum sperat.

108. IGitur prosequutionem tuam videamus, quemadmodum concilies tibi judicem. Dic sane, dic, inquam: Ego te, Christe, puto esse dissimilem Patri. Respondebit & ille: Discerne, si potes; discerne, inquam, in quo putes esse dissimilem.

109. Dic aliud: Creaturam, inquies, te arbitror. Respondebit & Christus: Si duorum hominum testimonium verum est, tu nec mihi, nec Patri saltem credere debuisti, qui genitum nominavit?

110. Bonum, inquies, nego. Dicet & ille: Fiat tibi secundum fidem tuam, ut tibi bonus non sim.

111. Omnipotentem non arbitror. Respondebit & ipse: Non possum ergo tibi tua peccata donare.

112. Subjectum dico. Referet ad hoc: Cur igitur libertatem ac veniam ab eo petis, quem putas pro servitio esse subjectum?

113. Video hærere prosequutionem tuam: non urgeo, quia peccatorum meorum ipse sum conscius. Non invideo veniam; quia ipse opto indulgentiam: votum tuum scire desidero. En allego apud judicem desideria tua: non prodo crimina, seriem tuorum exspecto votorum.

114. Dic itaque ea quæ in communi voto sunt; dic, inquam: Domine fac me ad imaginem Dei. Respondebit ille: Ad quam imaginem? Quam negasti?

115. Dic, Fac me incorruptibilem. Referet utique: Quomodo te incorruptibilem facere possum, quem tu creaturam dicendo, capacem corruptibilitatis esse voluisti? Mortui resurgent incorrupti, & tu corruptibilem dicis quem Deum cernis? (1. Cor. 15. 52.)

116. Dic, Bonus esto mihi. Dicet tibi: Quid postulas, quod negasti? Ego te bonum esse volui, ego dixi: *Estote sancti, quoniam ipse sanctus sum;* (Levit. 19.) & tu mihi id negare contendis? & tu exspectas veniam peccatorum? Sed nemo potest donare peccata, nisi solus Deus. Itaque cùm verus & solus tibi Deus non sim, non possum utique tua peccata donare.

117. Hæc Arrianus dicat, & Photinianus: Nego te, inquit, Deum. Respondebit ei Dominus: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* (Psal. 52. 1.) De quo dictum putas, de Judæo, de gentili, an de diabolo? De quovis dictum sit, Photiniane, tolerabilior est ille, qui tacuit: tu vero & voce ausus es dicere, ut insipiente insipientior probareris. Negas ergo, inquit, Deum, cùm ego dixerim: *Dii estis, & filii excelsi omnes.* Et tu Deum negas, cujus opera divina circumspicis? (Psal. 81. 6.)

118. Dicat & Sabellianus: Ego te ipsum Patrem & Filium & Spiritum sanctum arbitror. Respondebit & Dominus: Non audis Patrem, non audis Filium. Numquid hîc ulla confusio est? Scriptura ipsa [a] te docet Patrem esse, qui detulit judicium: Filium esse, qui judicat. Non audisti me dicentem: *Solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater.* (Iohan. 8. 29.)

119. Dicat & Manichæus: * Ego auctorem carnis nostræ diabolum credo. Respondebit ei: Ergo quid facies in cælestibus? Vade ad auctorem tuum. Ego eos volo mecum esse, quos dedit mihi Pater. Tu te à diabolo creatum, Manichæe, arbitraris: ad illius ergo festina sedem, ubi ignis & sulphur, ubi non restinguitur ejus incendium, ne umquam pœna moriatur.

120. Mitto alia hæreticorum portenta, [b] non nomina; quid eis erit judicii, quæ erit forma sententiæ? Respondebit his omnibus & ille moraliter: *Populus meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te?* (Mich. 6. 3.) Nonne ex Ægypto eduxi te, & ex domo servitutis liberavi te?

121. Sed parum est ex Ægypto liberasse, & ex domo servitutis eripuisse: plus est te ipsum dedisse pro nobis. Dices ergo: Nonne vestras omnes suscepi injurias? Nonne corpus meum pro vobis obtuli? Nonne mortem appetivi, quod non erat divinitatis meæ, sed vestræ [c] redemtionis? Hæcine referuntur gratiæ? Hoc profecit sanguis meus, sicut in Propheta ipse jam dixi: *Quæ utilitas in sanguine meo; quia descendi in corruptionem?* (Psal. 29. 10.) Hoc ergo profecit, ut me impie negaretis, pro quibus ista sustinui.

122. Ego vero tunc, domine Jesu, etsi gravium peccatorum mihi ipse sim conscius, dicam tamen: Non te negavi; habes quod ignoscas fragilitati carnis. Delictum fateor, peccatum non abnuo: *Si vis, potes me mundare;* quia hoc dixit, (Matth. 8. 2.)

a. Ita edit. cum mss. aliquot; aliorum vero nonnulli, *nos docet;* nonnulli, *vos docet:* duo etiam, *te non docet.* Perperam, nisi per interrogationem accipiatur.

*. Manichæos principia duo admisisse, alterum boni, mali alterum: à mali autem principio corporea omnia condita docuisse auctores sunt à nobis jam sæpius laudati Epiphanius Hær. 76. & Augustinus *Hær.* 47. qui etiam adjicit ab illis eædem animalium sedulo prohibitam; ne principes tenebrarum offenderentur.

b. Omnes edit. à mss. aliquot, *non nomina, qui dicunt: Qui dies erit judicii:* alii nonnulli, *non nomina. Qui dies erit judicii* unus . . . *Quid gesserit judicii.* Optime autem reliqui, ut in textu, duobus tamen exceptis, ubi pro *non nomina* legitur *non nomino,* nec pravo sensu.

c. Nonnulli mss. *redemtionis devotione.*

Psal.142.2. emeruit. *Ne*, quæso, *in judicium intres cum servo* A *tuo.* Non quæro ut judices, sed ut ignoscas.

CAPUT XIV.

Judicis exponit sententiam; discussisque adversariorum cavillis, ab ea provocationem non dari planum facit.

123. Quid putamus Christum judicaturum? Ego scio, judicaturum dico? Immo
Johan.5.23. jam judicavit. Tenemus ejus sententiam: *Om-* B *nes*, inquit, *honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.*

124. Si displicet sententia, appella ad Patrem, rescinde judicium, quod Pater detulit. Dic quia dissimilem habet filium. Respondebit tibi: Ego
Gen.1.26. ergo mentitus sum, qui dixi Filio: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

125. Dic quia creavit. Respondebit tibi: Cur ergo adorasti, quem creaturam putasti? C

126. Dic quia minorem generavit Filium. Res-
* pondebit: * Metire, videamus.

127. Dic quia ei non debuisti credere. Refe-
Matth.17.5. ret ad hoc: Non tibi dixeram: *Hic est filius meus dilectissimus, in quo complacui, ipsum audite?*
Johan.17.10. Quid est, *ipsum audite?* Dicentem utique: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Hoc audierunt
Matth.17.6. apostoli, sicut scriptum est: *Et ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Si ceciderunt qui confessi sunt, quid facient qui negarunt? D Sed illos Jesus tetigit & levavit: vos jacere patietur, ne videatis gloriam, quam negastis.

128. Videamus ergo quoniam quem Filius damnat, & Pater damnat. Et ideo honorificemus Filium, sicut honorificamus Patrem; ut per Filium ad Patrem pervenire possimus.

CAPUT XV.

Modeste sentit de Opere suo: dicit tamen ad fidem illud sufficere; cùm divinæ generationi tot locis Scripturæ suffragetur, cui obsurdescunt Arriani. Horum pervicaciam judaicæ plane similem patefaciens, adprecatur illis veritatis amorem. Postremo deserendos eos, utpote hæreticos & Antichristos, docet.

129. Hæc ego, Imperator auguste, carptim ac breviter imposita magis proposui, quam enodata digessi. Quod si qua Arriani inconsummata arbitrantur, ego vix fateor inchoata: si qua adhuc superesse opinantur, ego prope omnia; infidelibus enim totum deest, abundat fidelibus. Denique una confessio Pe-
Matth.16.16. tri abundavit ad fidem Christo: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* sat est enim generationem scire
a divinam, non divisam, [a] non diminutam, non derivatoriam, non creatam.

130. Hoc etiam totis Scripturarum exponitur libris, nec adhuc ab impiis creditur: *Incrassa-* Esai.6.10. *tum est* enim, ut scriptum est, *cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos gravaverunt; ne quando oculis suis videant, & auribus audiant, & corde intelligant.* Namque, more Judaico, aures suas Arriani claudere solent, aut serere tumultus, quotiescumque verbum salutis auditur.

131. Et quid mirum si humanis vocibus credere non soleant infideles, qui non credunt divinis? Filius Dei dicebat, sicut habes in Evangelio: *Pater clarifica nomen tuum.* Vox Patris de Johan. 12.28. cælo audita est dicentis: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Infideles hæc audiebant, sed non credebant. Dicebat Filius, respondebat Pater; & dicebant Judæi: *Tonitruum factum est illi;* alii Ibidem 29. dicebant: *Angelus loquutus est ei.* Act.9.4.

132. Paulus quoque, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, cùm voce Christi vocaretur ad gratiam, plaresque comites pariter incederent, solus vocem Christi audisse se dixit. Adeo, sancte Imperator, qui credit, audit; & audit, ut credat: qui non credit, non audit; sed nec vult, nec potest audire, ne credat:

133. Atque utinam, quod in me est, audire vellent, ut crederent: audire cum bona caritate & mansuetudine, ut verum quærentes, non veritatem impugnantes. Scriptum est enim, ut non intendamus *fabulis & genealogiis inter-* 1 Tim 1.4 & seq. *minabilibus, quæ quæstiones magis præstant quàm ædificationem Dei, quæ in fide est. Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Alibi quoque idem Apostolus dicit: *Stultas autem & sine disciplina* 2 Tim. 2.23. *quæstiones devita.*

134. Tales [b] deserendos Apostolus dicit, qui b E quæstiones serunt, hoc est, hæreticos: de quibus & alibi dicit quod *discedent quidam à fide,* 1.Tim.4.1. *intendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.*

135. Et Johannes dicit hæreticos esse Anti- 1.Johan.2.18. christos, Arrianos utique designans. Hæc enim hæresis post omnes hæreses cœpit, & ex omni hæresi venena collegit. Sicut enim de Antichristo scriptum est quia *aperuit os suum in blas-* Apoc 13.6. *phemiam ad Deum, blasphemare nomen ejus, &* F *bellum facere cum sanctis ejus:* ita & isti Filio Dei derogant, nec martyribus pepercerunt; &, quod fortasse ille non faciet, * Scripturas fal- * savere divinas. Itaque qui dicit quia Jesus non est Christus, hic est Antichristus: qui negat Salvatorem mundi, negat Jesum: qui negat Filium, negat & Patrem; quia scriptum est:

*. Irridentur hîc Arriani, qui cùm philosophiæ placitis niti se jactarent, relationem quantitatis, ubi philosophice loquendo qualitatis esse debeat, inducebant. Sic etiam Cyrillus Alex. in *Thes. dissert.* 11. eamdem Eunomii fallaciam arguit. Eapropter autem difficultatem hanc uno verbo perstrinxit Ambrosius, quia ipsam supra abunde enodavit.

a Mss. haud pauci, *non demutatam.* Quamquam non absurde, melius tamen alii, atque edit *non diminutam* Hanc autem vocem, perinde ac sequentem non possis rectius intelligere, quam ex hoc Hilarii loco lib. 6. *de Trinit.* sic loquentis: *Nescit in Deo portionem, sed scit Deum totum ex Deo toto: scit ex uno unum; non defectum, sed natum: scit nativitate Dei nec diminutionem esse gignentis, nec infirmitatem esse nascentis.*

b. Ita mss. plures ac potiores: alii vero partim, ut Amerb atque Eras. *qui quæstiones adserant, hos esse hæreticos;* partim ut Gill. . . . *serunt, hos esse hæreticos,* unus ms. *& eos esse hæreticos:* Rom. edit. *hoc est, eos esse hæreticos.*

*. Ambrosium in *Exposit. Psal.* 36 atque alibi questum vidimus, quod initium Evangelii Johannis minus commode distinguerent Alexandrini; quam distinctionem etiam memorat infra non semel: sed eam non se corruptionis loco habuisse ibidem ipse plane significat. Quare aliam adulterationem hîc designatam ab eo manifestum est: quam etiam minime levem fuisse inde colligas, quod non solum hoc in Opere de illa expostulat, sed etiam in Commentatione *de Spiritu S.* lib. 2. cap. 6. & fusius adhuc lib. 3. cap. 11. ubi ejusdem corruptionis exemplum profert.

Omnis

1. Johan. 2. 23. *Omnis qui negat Filium, [a] negat & Patrem.*

CAPUT XVI.

Gratiano victoriam spondens, eam ab Ezechiele prædictam narrat. Ex pietate Imperatoris hanc spem confirmat, superiores clades hæresi orientalium acceptas ferens. Deum tandem obsecrat, ut jam placatus, fideli exercitui, regioni, ac duci ferat auxilium.

136. Neque vero te, Imperator, pluribus tenere debeo bello intentum, & victricia de barbaris trophæa meditantem. Progredere plane scuto fidei septus, & gladium spiritus habens: progredere ad victoriam superioribus promissam temporibus, & divinis oraculis prophetatam.

137. Namque & futuram nostri depopulationem, & bella Gothorum Ezechiel illo jam
Ezech. 38. 14. & seq. tempore prophetavit; sic enim habes: *Propterea prophetiza, fili hominis, & dic: O Gog, hæc dicit Dominus: Nonne in die illa cùm constituetur habitare populus meus Israel in pace, surges & venies de loco tuo, ab extremo Aquilone: & gentes tecum multæ, sessores equorum omnes, [b] congregatio multa & magna, & virtus copiosa; & adscende ad populum meum Israel, ut nubes operire terram in novissimis diebus, &c.*

138. Gog iste Gothus est, quem jam videmus exisse, de quo promittitur nobis futura victo-
Ezech. 39. 10. & seq. ria, dicente Domino: *Et deprædabuntur eos, qui deprædati eos fuerant, & despoliabunt eos, qui sibi spolia detraxerant, dicit Dominus. Eritque in die illa, dabo Gog*, hoc est, Gothis, *locum nominatum, monumentum Israel multorum virorum congestum, qui supervenerunt ad mare: & per circuitum [c] struet os vallis, & obruet illic Gog & totam multitudinem ejus, & vocabitur Ge Polyandrium Gog; & obruet eos domus Israel, ut purgetur terra.*

139. Nec ambiguum, sancte Imperator, quod qui perfidiæ alienæ [d] pugnam excepimus, fidei catholicæ in te vigentis habituri simus auxilium. Evidens enim antehac divinæ indignationis causa præcessit; ut ibi primum fides Romano imperio frangeretur, ubi fracta est Deo.

140. [e] Non libet confessorum neces, tormenta, exsilia recordari, piorum sacerdotia proditorum munera. Nonne de Thraciæ partibus per Ripensem Daciam & Mysiam, omnemque Valeriam Pannoniorum, totum illum limitem sacrilegis pariter vocibus & barbaricis motibus audivimus inhorrentem? Quid poterat nobis vicinia tam feralis invehere? aut quemadmodum res Romana tali tuta poterat esse custodia?

141. Sed jam satis superque, omnipotens Deus, [f] nostro exsilio, nostroque sanguine, confessorum neces, exsilia sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus: satis claruit eos qui violaverint fidem, tutos esse non posse. Convertere, Domine, fideique tuæ adtolle vexilla.

142. Non hîc aquilæ militares, neque volatus avium exercitum ducunt: sed tuum, domine Jesu, nomen & cultus. Non hîc infidelis [g] aliqua regio, sed ea quæ confessores mittere solet Italia; Italia aliquando tentata, mutata numquam: quam dudum ab hoste barbaro defendisti, nunc etiam vindicasti. Non hîc in Imperatore mens lubrica, sed fides fixa.

143. Ostende nunc evidens tuæ majestatis indicium; ut is qui te verum virtutum Dominum, & cælestis militiæ ducem: is qui te veram Dei virtutem credit esse atque sapientiam, non temporalem utique nec creatam, sed sempiternam, sicut scriptum est, Dei virtutem & 1 Cor. 1. 24.
divinitatem, tuæ majestatis fultus auxilio, fidei suæ trophæa mereatur.

a. Sex mss. *nec Patrem habet*. Sic etiam græce, [illegible]. Reliqui tamen mss & edit. omnes, *negat & Patrem*.

b. Mss. aliquot, *congregatio copiosa, & adscendet*: reliqui, atque edit. ut in textu, nisi quod ver. edit. cum mss. nonnullis habent, *& descendet*, Rom. vero, *& adscendes*. Ceterum hanc Ambrosii interpretationem qua per vocem Gog Gothos autumat intelligendos Hieronymus *Præfat. lib. 11. in Ezech.* sicut & in *Quæst. seu Tradit. Hebraicis* cap. 10. eatenus sibi non probari significat, ut tamen eam aperte improbare veritus fuerit. Et certe primo loco in ipsam cujus auctorem non sine honoris testimonio designat, nihil certi ac definiti proponit; secundo autem etiam paratum se ad eamdem, si modo confirmaretur eventu, sequendam satis indicat: quod enim addit Gothos magis appellari Getas ab eruditis quam Gog & Magog, id parum urget. Certum quippe est plurima gentium nomina aliter in sacris codicibus, aliter in Græcis Latinisve scriptoribus haberi. Credibile ergo est Hieronymum si post victoriam Theodosii scripsisset, hac in re Ambrosio fuisse accessurum. Hanc ipsam interpretationem cùm Proclus Constantinopolitanus episcopus, imperante Theodosio juniore, verba è suggestu faciens, ad victoriam de barbaris qui eisdem temporibus imperium vastabant, relatam accommodasset, retulit ab auditoribus ingentem plausum, ut Socrates lib. 7. Hist. cap. 43. testificatur. Debuerat igitur his revocari Johan. Dallæus, ne lib. 2. *de Usu Patrum cap 3.* ita pronuntiaret: *Ambrosius, ut supra adtigimus, per Gog & Magog Gothos.... parum considerate intelligit*: qua in censura, ne quid gravius dicamus, parum considleratum semet ostendit.

c. Amerb cum paucis mss. *struet has valles, istum & eos: & obruet illic Gog*; deest in iisdem mss. *istum & eos*, cujus loco cod. Tell. habet. *& per circuitum istum instruet eos vallis*: Eras. & sequentes edit. *struet peristomium, & obruet eos*, Rom. vero, *struent .... obruent*: Reliqui mss. ut in textu, nisi quod legunt, *struet eos* pro *struet os*, græce [illegible]. Infra vero ejusdem Eras. & seq. edit. *Et vocabitur Polyandrion*: Amerb. & mss. *Ge Polyandrion*. Sic etiam LXX. [illegible]: valles autem & confragosa loca hebraice dicta *gai* sive *ge* auctor est Hieronymus in eum locum.

d. Mss. aliquot, *pœnam excepimus*, non male: recte tamen alii quoque, ac omnes edit. *pugnam excepimus*, hoc est, bellum propter alienam perfidiam, Constantii videlicet ac Valentis imperatorum Arrianorum, divinitus immissum. Hoc intulerunt Gothi, qui sedibus suis expulsi ab Alanis, permissu Valentis transmisso Danubio, partem Thraciæ colendam acceperant. Sed non multo abhinc tempore in eumdem imperatorem arma capientes, post multas ejus ducibus clades illatas, regiones quæ ab Ambrosio hic memorantur, cædibus, stupris, incendiisque fœdaverunt. Gratianus igitur cùm in procinctu esset, ut contra barbaros illos Valenti ferret auxilium, hos libros à Doctore nostro postulavit; nimirum ut ad Arrianum profecturus imperatorem, salubri antidoto præmuniretur. Hoc autem gothicum bellum cum ab aliis, tum ab Amm. Marcellino lib. 31. cap. 4. & seq. diligenter descriptum reperies.

e. Ita edit. omnes & mss. quidam, alii omittunt, *tormenta*, & pro *piorum sacerdotia*, nonnulli habent, *impiorum*, vel *perfidorum sacerdotia*; quidam autem totum locum hoc modo legunt, *exsilia recordari piorum sacerdotum, perfidorum* &c. Porro quantum sub Arrianis principibus passi fuerint catholici episcopi, præter historicos ecclesiasticos eleganter describit Gregorius Naz. *Orat. ad* 150. *Episcopos*, & *Orat. ad Arrian* atque alibi.

f. Rom. edit. cum uno vel altero ms. *nostro exitio*: vet. cum reliquis, *nostro exsilio*; non male. Loquitur enim in catholicorum persona, quorum certum est non paucos his barbarorum incursionibus è patria sua expulsos.

g. Mss. nonnulli, *aliqua religio*, minus concinne.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Ubi præmisit Ambrosius quamobrem strictius tractata in prioribus libris, in his uberius tractanda suscipiat; objectum sibi fabularum usum exemplo Scripturæ diluit cum alia poetica memorantis, tum maxime Sirenas, quæ figura sunt voluptatum: à quibus & Pauli verba & Christi facta oportet avocent Christianos.

1. QUoniam, clementissime Imperator, instruendi tui gratiâ, aliqua de fide mihi scribenda mandaveras, & verecundantem coram etiam ipse fueras adhortatus; ideo quasi in procinctu positus, duos tantum conscripsi libellos, quibus vias quasdam fidei & semitas demonstrarem.

2. Sed quoniam mens prava quorumdam serendis intenta quæstionibus, stylo lacessit [a] uberiore confici; tuæ quoque pia me cura clementiæ ad cetera vocat, volens in pluribus experiri, quem in paucis probasti; ea quæ perstricta paucis superius sunt, placuit mihi paulo latius exsequi; ne ea quasi diffidentiâ assertionis deseruisse potius, quam securitate fiduciæ proposuisse videamur.

Sup lib. 1. cap. 4. 3. Et quia [b] Hydræi nominis, & Scyllæi littoris comparationem induximus, ut ostenderemus vel rediviva plantaria cavenda perfidiæ, vel famosa naufragia: si quis contra licitum putat colorem disputationis ejusmodi à poeticis fabulis derivatum, & cùm in fide nihil quod vituperare possit invenerit, aliquid in sermone reprehendit; agnoscat non solum sententias, sed etiam versiculos poetarum scripturis insertos esse divinis.

Act. 17. 8. 4. Unde enim illud: *Hujus & genus sumus*, quod Paulus usu prophetico doctus usurpat? Nam & gigantes, & vallem Titanum prophetici sermonis series non refugit. Et Esaias Sirenas, & filias passerum dixit. Et Hieremias de Babylonia memoravit quod habitabunt in ea filiæ Sirenum; ut ostenderet Babylonis, hoc est, sæcularis confusionis illecebras, vetustæ [c] lasciviæ fabulis comparandas; quæ velut scopuloso in istius vitæ littore, dulcem resonare quamdam, sed mortiferam cantilenam ad capiendos animos adolescentium viderentur: quam sapiens etiam ab ipso poeta Græco inducitur, quasi quibusdam prudentiæ suæ circumdatus vinculis præteriisse. Ita difficile judicatum est ante adventum Christi etiam fortiores non posse capi speciosæ deliciis voluptatis.

(Num. 13. 34. 2. Reg. 5. 18. Esai 43. 20. Hier. 27. 39. Hom 12. Odyss.)

Alias Cap. II. 5. Quod si poeta ille perniciosam mentibus hominum, & subeundis obnoxiam naufragiis, lasciviæ sæcularis illecebram judicavit; quid nos æstimare oportet, quibus scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentia?* Et alibi: *Castigo corpus meum, & servituti redigo; ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar?* (Rom. 13. 14. 1 Cor. 9. 27.)

6. Non enim per luxuriam nobis Christus, sed per jejunium salutem adtulit. Neque ille emerendæ gratiæ suæ causa, sed nostræ eruditionis gratia jejunavit. Neque infirmitate corporis victus est, ut esuriret: sed esuriendo suscepti corporis fidem præstitit; ut non solùm corpus, sed etiam infirmitates nostri corporis doceret à se esse susceptas, sicut scriptum est: *Quoniam infirmitates nostras suscepit, & ægritudines nostras portavit.* Esai. 53. 4.

CAPUT II.

Quæ corporis sunt à Christo pro nobis suscepti, divinitati non tribuenda: secundum hanc illum altissimum; quod qui neget, eum Patri adscribere incarnationem. Cùm Deus legitur solus esse, aut solus habere immortalitatem, id etiam intelligendum de Christo, tum ut memorata impietas declinetur, tum quia eadem Filii, ac Patris adseritur operatio.

7. COrporis est igitur, hoc est, nostrum est, quod esurivit: nostrum est, quod flevit, quod tristis fuit usque ad mortem. Cur ad divinitatem quæ sunt nostra referuntur? Corporis est, quod etiam factus adseritur. Denique sic habes: *Mater Sion dicet: Homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Homo*, inquit, *factus est*, non Deus factus est. Psal. 86. 5.

8. Qui autem idem altissimus, idem homo, nisi *Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semet ipsum redemtionem pro nobis?* Et hoc utique ad incarnationem pertinet; redemtio enim nostra per sanguinem, remissio per potestatem, vita per gratiam. Quasi altissimus donat, quasi homo precatur: aliud creatoris, aliud redemtoris est. Distincta licet, unius tamen auctoris beneficia sunt; decuit enim ut ille nos redimeret, qui creavit. (1. Tim. 2. 5. & 6.)

9. Quis autem neget Christum esse altissimum significatum? Nam qui aliter sentit, Deo Patri sacramentum incarnationis adscribit. Sed hinc dubitari non potest quod altissimus Christus sit; cùm etiam alibi dixerit de mysterio passionis: *Dedit vocem suam altissimus, & mota est terra.* Et in Evangelio habes: *Et tu puer propheta altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Qui altissimus? Dei Filius. Ergo qui altissimus Deus, Christus est. (Psal 17. 14. Luc. 1. 76.)

10. Et solus utique cùm dicitur Deus, non separatur etiam Dei Filius. Qui enim altissimus, solus, sicut scriptum est: *Et cognoscant quoniam nomen tibi Dominus, tu solus altissimus super omnem terram.* Psal. 82. 19.

11. Unde etiam illud explosum est, quod solent ad calumniam derivare, quia de Deo scriptum est: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem*; de Deo enim scriptum est, quod est commune nomen Patri & Filio. 1. Tim. 6. 16.

a. Rom. edit. sola, *uberiore confligi*: vet. edit. ac mss. nonnulli, *uberiore confligi*: melius reliqui, ut in tex. n.

b. Amerb. & Eras. *Hydræ numinis* .. *calorem disputationis*: Gill. ac Rom. *Hydræ nominis* ... *calorem disputationis*: mss. vero nobiscum faciunt; excipe tamen Thuan. unum, ubi legitur, ... *vel residua plantaria* ... *vel plaginosa naufragia* &c. Per colorem autem disputationis intellige ornatum ejus ac lepores.

c Pro voce *lasciviæ* in Thuan. uno cod. habetur hic & infra, *fallaciæ*.

12. Nam si ubicumque Deum legunt, negant etiam Filium designari; & impii sunt, divinitatis potentiam Filio denegando, & incarnatum Patrem Sabelliana impietate adstruere videbuntur. Dicant enim quomodo illud non impie de Patre intelligere possint, quod Apostolus ait: Coloss. 2. 12. *In quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis*; & advertant de sequentibus quid incurrant; sequitur enim: Ibid. 13. & 14. *Et cùm mortui essetis delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit nos cum illo, donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exuens se carne.*

a 13. [a] Ergo non Deus Pater solus intelligendus est, qui suscitavit carnem: & non etiam Filius, cujus templum resuscitatum est. Qui suscitavit, utique & vivificavit: qui vivificavit, & delicta donavit: qui delicta donavit, & chirographum tulit: qui chirographum tulit, affixit illud cruci: qui affixit illud cruci, carnem se exuit. Sed Pater non se exuit carnem; non enim Pater Johan 1.14. caro factus est, sed *Verbum*, sicut legimus, *caro factum est.* Videtis ergo quod Arriani dum separant à Patre Filium, in id periculum incidant, ut Patrem passum esse commemorent.

14. Nos autem facile docemus de Filii dictum operatione; nam & ipse corpus suum re- Johan 2.19. suscitavit, sicut ipse dixit: *Solvite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud.* Et ipse vivificat Johan. 5. 21. nos cum suo corpore: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat; sic & Filius quos vult, vivi-* Luc 5. 20. *ficat.* Et ipse delicta donavit dicens: *Dimissa sunt tibi peccata tua.* Et ipse chirographum affixit cruci, qui crucifixus est per corporis passionem. Nec alius se carnem exuit, nisi Dei Filius, qui carnem se induit. Ipse ergo significatur Deus, qui opus nostræ resurrectionis operatus est.

CAPUT III.

Filium à Patre non separandum ex Apostolo confirmari, cùm Filio quoque conveniat beatum esse, solum potentem, ac immortalem, naturâ videlicet, non gratiâ qua ipsi etiam Angeli sunt immortales; & lucem habitare inaccessibilem: quo ultimo qua ratione fiat explicato, quo pacto Pater solus, ac Filius pariter solus dicantur, ostenditur.

15. Ergo cum legis Deum, non separes Patrem, non separes Filium; quia deitas & Patris & Filii una eademque est. Et ideo nec ibi separes, ubi legis quia *beatus & solus potens*; b 1. Tim. 6. 13. [b] de Deo enim dictum est, sicut habes: *Præcipio coram Deo, qui vivificat omnia*; sed etiam Christus vivificat: convenit ergo & Patri & Filio Dei nomen; quando convenit & operationis effectus. Persequamur & cetera. *Præcipio*, inquit, *coram Deo qui vivificat omnia, & Christo Jesu.*

16. In Deo est etiam Verbum, sicut scriptum est: *In Deo laudabo Verbum.* In Deo sempi- Psal. 55. 11. terna sua [c] virtus est Jesus: in Deo igitur unitatem divinitatis, in Christi autem nomine incarnationis testificatus est sacramentum. c

17. Denique ut de incarnatione Christi se dixisse ostenderet, subdidit: *Qui testimonium* 1 Tim 6.13. & seq. *reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem; ut serves mandatum sine macula usque in adventum domini nostri Jesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, rex regum, & Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem: quem vidit hominum nemo, sed nec videre potest.* Ergo de Deo hæc scripta sunt, cujus nominis & dignitas & veritas communis est Filio.

18. Cur igitur hoc loco Filius separatur, cùm etiam Filio hæc cuncta conveniant? Aut si non conveniant, nega Deum; [d] ut neges quæ Deo d sunt convenientia. Beatus negari non potest, qui beatitudines donat: *Beati* enim *quibus re-* Psal. 31. 1. *missæ sunt iniquitates.* Beatus negari non potest, qui sanam doctrinam tribuit, sicut scriptum est: *quæ est secundùm Evangelium claritatis beati* 1. Tim 1. 11. *Dei.* Potens abnui non potest, de quo Pater dicit: *Posui adjutorium super potentem.* Immorta- Psal. 88 20. litatem autem ejus quis audeat diffiteri, cùm etiam aliis immortalitatem ipse largitus sit, sicut scriptum est de sapientia Dei: *Per hanc ha-* Sap 8. 13. *bebo immortalitatem?*

19. Sed alia immortalitas suæ naturæ, alia nostræ. Non sunt fragilia comparanda divinis: una sola substantia divinitatis est, quæ mori nescit. Unde & Apostolus, cùm sciret & animam & Angelos immortales, quod solus Deus immortalitatem habeat prædicavit. Nam & anima moritur: *Anima enim quæ peccat, ipsa morie-* Ezech. 18. 20. *tur:* nec Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est creatoris.

20. Neque ad præjudicium trahas, quod non moritur Gabriel; non moritur Raphael, [e] non e moritur Uriel; & in ipsis enim naturæ capacitas vitio obnoxia, sed non obnoxia disciplinæ. Omnis enim rationabilis creatura accidentia recipit, & subjecta judicio est. In accidentibus autem & pœna judicii, & corruptela est, & profectus. Unde & Ecclesiastes ait: *Quoniam* Eccl 12. 14. *omne opus suum Deus adducet in judicium.* Ergo corruptelæ & mortis, etiam si non moriatur aut peccet, capax tamen omnis est creatura: nec ex immortali natura habet, sed ex disciplina vel gratia, si se in aliquibus ad vitia non mutat. Alia ergo immortalitas quæ donatur, alia quæ sine capacitate mutabilitatis est semper.

21. An negatur immortalis divinitas Christi, quia in carne pro omnibus mortem gustavit?

a Mss complures, *Ergo si Deus* Male, nisi per interrogationem, aut admirationem dictum accipias, ubi particula *&* esset expungenda.

b. Edit. *de eo enim*: mss. *de Deo enim* &c

c. *Virtus est Iesus*, vox ultima in mss. plerisque omissa est.

d. Non pauci mss. *sicut negas quæ Deo sunt consequentia.*

e. *Non moritur Uriel*, abest à mss. non paucis; cùm autem in aliis quibusdam & cunctis edit. inveniatur, nihil prohibet quin Ambrosii esse arbitremur. Etenim quamvis cl. vir J. B Thiersius in epist. ad Lucam Acherium & *[illegible]* argumentis pluribus, maxime vero testimoniis Caroli Magni, Haitonis Basileensis, Concilii Aurelian. & Conc. Rom. 2. sub Zacharia pontifice, ex Angelorum albo expungendum esse hunc Urielem demonstraverit; tamen cum lib. 4 Esdræ ubi nomen illud sæpius occurrere agnoscit Thiersius, pro canonico sæpius Ambrosius laudaverit, non est dubium quin ejusdem auctoritatem hic etiam sequi potuerit. Nam quod ibidem addit vir eruditus Urielem forte à Doctore reprobis angelis annumerari, hoc ab ejus mente prorsus alienum est. Ceterum pulcre ac sapienter hoc loco immortalitatem naturalem à participata, distinguit sanctus Præsul, & priore Deo soli concessâ & reservatâ, alteram tantummodo Angelis adtribuit: in quo eum Augustinus quoque postea sequutus.

Jam ergo melior Gabriel quam Christus; quia A ille non est defunctus, hic mortuus est. Matth. 10. 24. Sed non est servus supra Dominum; alia enim carnis infirmitas, alia divinitatis æternitas: mors carnis est, immortalitas potestatis. Quod si divinitas fecit ne caro videret corruptionem, quæ utique corruptelæ erat obnoxia per naturam; quomodo mori posset ipsa divinitas?

22. Quomodo autem lucem inaccessibilem non habitat Filius; cùm in sinu Patris Filius B sit: lux autem Pater, lux etiam ipse sit Filius; Johan. 1. 9. quia Deus lux est? Aut si aliam lucem inaccessibilem nisi deitatis putamus, numquid melior Patre lux est; ut non sit in luce, qui sicut scriptum est, Ibidem 1. & apud Patrem est, & in Patre? Non ergo separent Filium, cùm legunt solum Deum: nec Patrem separent, cùm legunt Filium solum.

23. In terris Filius sine Patre non est, & putas quia Pater sine Filio sit in cælo? In carne est Filius, cùm dico in carne est, vel in terris, se- C cundum Evangelii tempora loquor; nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum: ergo in carne est Filius, & solus non est, secundum quod scriptum est: 2 Cor. 5. 16. *Et non sum solus, quia Pater mecum est;* & putas quod sit Pater solus in luce?

24. At ne hoc [a] argumentum putes, accipe etiam testimonium: Johan. 8. 16. Johan. 1. 18. *Deum*, inquit, *nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quomodo solus Pater, si in D sinu Patris Filius est? quomodo enarrat, quem non videt? Non ergo solus Pater.

25. Accipe nunc & solum Patrem, & solum Filium. Solus Pater, quia alius Pater non est: solus Filius, quia alius Filius non est: solus Deus, quia una divinitas Trinitatis est.

CAPUT IV.

Christum non nisi secundum carnem factum narrari; quippe qui ut homines redimeret, non eguerit E adjutorio, sicut nec ut se resuscitaret; cùm aliis ut mortuos resuscitarent, oratione opus fuerit. Etsi autem ipse oraverit, hoc referendum ad humanitatem: divinitatem vero ex eo quod imperaverit, æstimandam; in quo diabolus Arrianis anteponitur. Tum exposito cur Filius hominis potens dicatur, argumenti ponitur conclusio.

Alias Cap. III.

26. Satis ergo claret & solum Deum non esse Patrem sine Filio, & solum Deum F non intelligi Filium sine Patre; [b] quia secundum carnem factus legitur Dei Filius, non secundum divinam generationem.

27. In quo autem factus sit, per os sancti patriarchæ loquutus adseruit, dicens: Psal. 87. 4. & seq. *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* Et hîc *sicut homo*, inquit, non sicut Deus, factus sum. Et *repleta est malis anima mea:* anima utique, non divinitas. Factus est in eo, in quo erat infernis debitus: factus est in eo, in quo cum aliis æstimatus est; divinitas enim similitudinem collationis abjurat. Et tamen in ipsa carne morti obnoxia majestatem adverte divinitatis in Christo. Et si factus est sicut homo, & sicut caro factus est; factus est tamen inter mortuos liber, & liber sine adjutorio.

28. Sed quomodo hîc sine adjutorio fuisse se Filius dicit, cùm supra dictum sit: *Posui adjutorium super potentem?* Sup. cap. 2. Psal. 88. 20. Ergo & hîc distingue naturas. Adjutorium caro habet, divinitas non habet. Liber igitur est, quia mortis vincula nescivit; non captus ab inferis, sed qui operatus sit in infernis: sine adjutorio est; quia neque per nuntium, neque per legatum, sed ipse per se Dominus salvum fecit populum suum. Quomodo enim potuit adjutorium sui corporis quærere suscitandi, qui alios suscitavit?

29. Ac licet homines quoque suscitaverint mortuos; non in sua tamen virtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, aliud imperare: aliud mereri, aliud donare.

30. Elias ergo suscitavit, sed oravit, non imperavit. 3. Reg. 17. 21 & 22. Elisæus suscitavit [c] configuratus mortuo: suscitavit etiam ipsius mortui corporis 4. Reg. 13. & 14. tactus; ut esset typus venturum eum qui missus in similitudinem carnis peccati, etiam sepultus mortuos suscitaret.

31. Petrus quoque cùm Æneam curaret, ait: *In nomine Jesu Nazareni surge & ambula:* Act. 2. 6. non in suo ait, sed in Christi nomine. Surge autem verbum est imperantis: sed fiducia de merito est, non præsumtio [d] de potestate; & de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis auctoritas. Quid igitur Arriani dicunt? In nomine Christi & Petrus imperat, & illi nolunt imperasse Dei Filium, sed rogasse.

32. Sed lectum est quia rogavit. Disce distantiam. Rogat quasi filius hominis, imperat quasi Dei Filius. An non defertis hoc Dei Filio, quod etiam diabolus detulit, & vos majore sacrilegio derogatis? Ille dicit: *Si filius Dei es, dic lapidi huic ut fiat panis.* Luc. 4. 3. Ille dicit, impera: vos dicitis, obsecra. Ille credit quod, jubente Dei Filio, elementorum rerumque natura in adversum vertatur: vos creditis quod nisi roget Dei Filius, nec voluntas ipsius impleatur. Et diabolus de potestate æstimandum putat Dei Filium, vos de infirmitate. Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli, quam argumenta Arrii.

33. Nec moveat quia potentem Filium dixit hominis, cùm Dominum majestatis legeris crucifixum. 1. Cor. 2. 2. Quæ autem major potentia, quàm supra cælestes potestates habere dominatum? Ephes. 1. 21. Habebat autem qui Thronis, Dominationibus, Angelis imperabat. Nam etsi erat inter bestias, Marc. 1. 13. sicut scriptum est, tamen Angeli ministrabant ei; ut agnoscas aliud incarnationis esse, aliud potestatis. Secundum carnem itaque tentatur à bestiis, secundum dignitatem ab Angelis adoratur.

a. Eras. ac Gill. in marg. & edit. Rom. in corp. *argutum putes:* iidem Eras. & Gill. in corp. nec non Amerb. cum mss. omnibus, *argumentum putes.* Optime, siquidem non semel advertere licuit Ambrosio argumentum esse probationem humano ingenio & solertia excogitatum, cui opponere solet Scripturæ testimonium, ut hoc in loco.

b. Deest in antiq. edit. ac mss. aliquot, *quia secundum carnem* &c. quod Rom. edit. prima restituit: à qua plures nostrorum mss. hoc solo distant, quod pro *factus intelligitur*, exhibent *factus legitur.*

c. Tres mss. *configuratus mortuo, corporis tactu:* unus vero quæ continuo sequuntur, ita legit, *ut esset typus venturi ejus, qui missus in similitudinem carnis, mortuos humana etiam sepultus carne suscitaret.*

d. Mss. aliquot, *de potestate & hominis operatione* &c.

34. Didicimus igitur factum esse hominem, A & ad hominem hoc esse referendum. Denique Rom. 1. 3. & alibi habes: *Qui factus est ei ex semine David*, secundum carnem utique ex semine David factus est: Deus autem ante sæcula ex Deo natus est.

CAPUT V.

Factum *in Scriptura non semper idem esse ac* creatum *exemplis ex ipsa petitis docet. Inde colligit non cavillandum ex littera more Judæorum, quibus tamen hæreticos pejores probat; atque iterum propositam confirmat sententiam.* B

35. NEc semper tamen factum esse ad creationem refertur; scriptum est enim: Psal. 89. 1. Psal. 117. 14. *Domine, refugium factus es nobis;* & : *Factus es mihi in salutem.* Non utique creationis definitio vel editio declaratur: sed refugium factus mihi, & conversus mihi dicitur ad salutem, sicut 1. Cor. 1. 30. & Apostolus dixit: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio.* C Nobis factum non creatum ex Patre dixit. Denique quomodo dicat factum nobis esse sapientiam, in posterioribus exposuit dicens: Sed 1. Cor. 2. 7. & 8. *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante tempora sæcularia in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent.* Ubi mysterium passionis exprimitur, non utique generationis æternæ series declaratur. D

36. Sapientia igitur mea crux Domini est, redemtio mea mors Domini est; sanguine enim pretioso redemti sumus, ut apostolus Petrus 1. Petr. 1. 19. dixit. Sanguine igitur suo, quasi homo, Dominus nos redemit; idemque, quasi Deus, peccata donavit.

37. Non ergo in verbis quasdam constituamus insidias, & verborum tendiculas aucupemur; ut quia & aliud secundum impios significare putatur sermo qui legitur, non id quod E sensus exprimat, sed quod littera ostendat, interpretemur. Sic perierunt Judæi, dum sensuum profunda despiciunt, & sequuntur nuda 2. Cor. 3. 6. verborum; *Littera* enim *occidit*, *spiritus autem vivificat.*

38. Et tamen inter duo gravia sacrilegia fortasse detestabilius sit ad divinitatem referre quæ carnis sunt, [a] quàm ad litteram referre quæ spiritus sunt. Illi timuerunt in Deo carnem credere; & ideo redemtionis gratiam perdiderunt, quia causam salutis abjurant: isti divini- F tatis majestatem usque ad carnis infirma deducunt. Detestandi Judæi, qui carnem Domini crucifixerunt: detestabiliores tamen eos arbitror, qui divinitatem Christi cruci subditam crediderunt. Denique qui cum Judæis sæpe tractabat: *Hæreticum*, inquit, *post unam correptionem devita.* Tit. 3. 10.

39. Nec tamen sine injuria Patris [b] factum nobis esse sapientiam, ad illam inenarrabilem, nec ullis temporibus momentisque obnoxiam Christi generationem sacrilega interpretatione derivant. Nam præter id quod Filii injuria Patris est contumelia, etiam in Patrem sacrilegia ista procedunt, de quo scriptum est: *Fiat autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. 3. 4. Aut si de Filio putant dictum, generationi quidem non præjudicant: [c] Deum autem & Deum verum hujus lectionis auctoritate quod abnuunt, confitentur.

40. Prolixum est si velim singula recensere, quoties factum legerimus, non utique per naturam, sed per gratiam. Nam & Moyses dicit: *Adjutor & protector factus est mihi in salutem.* Exod. 15. 2. Et David dicit: *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias.* Psal. 30. 3. Et Esaias dicit: *Factus est omni civitati humili adjutor.* Esai. 25. 4. Non utique sancti Deo dicunt: Creatus es, sed protector & adjutor per gratiam tuam factus es nobis.

CAPUT VI.

Objectionem ex Johanne desumtam ut diluat, primò demonstrat Manichæis patrocinari Arrianum sensum: deinde varia distinguendorum verborum ejusdem loci exposita ratione, ipsum nullo modo ad substantiam divinam sine Patris injuria referri posse aperte probat, verumque illius exponit intellectum.

41. UNde nec illud verendum est, quod solent Arriani sæva interpretatione componere, dicentes factum esse Dei Verbum; quia scriptum est, inquiunt: *Quod factum est in ipso*, [d] *vita est.* Johan. 1. 4.

42. Primum intelligant si ad substantiam divinam referant, *quod factum est*; Manichæorum se quæstionibus implicari. Objiciunt enim Manichæi: Si quod in ipso factum est, vita est: est ergo aliquid quod in ipso factum non sit, & mors sit; ut duo impie inducant principia. Sed hoc damnat Ecclesia.

43. Deinde unde possunt docere sic pronuntiasse Evangelistam? * Plerique enim docti & fideles sic pronuntiant: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est;* Johan. 1. 3. & 4. alii sic: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil;* denique: *Quod factum est*, pronuntiant, & subjungunt: *in ipso*, hoc est: Quidquid autem factum, est in ipso. Quid est, *In ipso?* Apostolus docet dicens: *In ipso enim sumus, & vivimus, & movemur.* Act. 17. 28.

44. Tamen etiamsi quemadmodum velint, pronuntient, non possunt hîc calumniari Deo

a. Nonnulli mss. *quàm ad carnem referre* &c.

b. Amerb. & mss. aliquot *factam nobis esse sapientiam*: melius tamen reliquæ edit. ac mss. *factum*, quippe quod ad superiora referatur Apostoli verba, *Qui factus est nobis sapientia* &c.

c. Ita mss. prope ad unum: edit. vero, *quia Deum verum hujus lectionis* &c.

d. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *vita erat*: alii mss. plures potioresque, *vita est*.

*. Alexandrinos atque Ægyptios hic indicari cognoscere est ex iis quæ S Doctor *Exposit. Psalmi* 36. num. 35. memorat. Ex his autem duobus locis duas præcipuas legendi hujusce textus rationes fuisse intelligas; alteram quæ verbis illis, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, absolutum sensum includebat: alteram vero qua sensus non nisi sequentibus istis, *quod factum est*, terminabatur. Sed nec deerant qui sensum perducerent usque ad illa verba, *quod factum est in ipso*. Hanc distinctionem sequuti sunt Gregorius Nyss. lib. 1. *Cont. Eunomium*, & Epiphanius in *Ancorat.* num. 75. ubi primam acerbe notat quasi Spiritui sancto injuriosam; de qua lib. 1. *de Spiritu S.* forte aliquid erit dicendum. Primam vero Augustinus ita admittit, ut secunda ejus pars hoc modo distinguatur: *Quod factum est, in illo vita erat*; alteram autem ejusdem partis subdistinctionem qua virgula post voces, *in ipso*, apponebatur, absurdam censet. Vide lib. 5. *de Gen. ad Litt.* cap. 14. & Tract. 1. in Johan. num 16. sicut & Interpretes ad eumdem locum.

Verbo, si ad substantiam ejus velint referre: A *Quod factum est;* quin calumnientur & Patri Deo, de quo scriptum est: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem; ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* (Johan. 3. 21.) Ecce hîc opera hominis in Deo facta legimus, & ad substantiam tamen divinam referre non possumus: sed aut per ipsum facta cognoscimus, ut est etiam illud Apostolicum, quod *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant:* (Coloss. 1. 16.) aut, ut docet præsentis [a] lectionis B testimonium, virtutes quibus vitæ æternæ fructus adquiritur, in Deo factas æstimare debemus, castitatem, pietatem, religionem, fidem, & alia hujusmodi, quæ in voluntate Dei facta sunt.

45. Ergo sicut in Dei Patris, ita etiam in Christi voluntate & virtute facta sunt, sicut legimus: *Creati in Christo in operibus bonis;* (Ephes. 2. 10.) & in psalmo: *Fiat pax in virtute tua;* (Psal. 121. 7.) & alibi: *Omnia in sapientia fecisti.* (Psal. 103. 24.) *In sapientia*, inquit, *fecisti*, C non sapientiam fecisti. Nam cùm omnia in sapientia facta sint, Christus autem Dei sapientia sit, (1 Cor. 1. 24.) non accidens utique, sed subsistens & permanens in æternum; si facta est sapientia, jam deteriore conditione facta est quam omnia; quia sapientia fieri per se ipsam non potuit. Ergo si factum esse frequenter ad aliquid, non ad naturam refertur, etiam creatum esse ad causam refertur.

CAPUT VII.

Quod à Salomone dictum est: Dominus creavit me *&c. incarnationem Christi ad redimenda Patris opera factam signare; quo ex ipsius Filii verbis declarato,* principium *ostendit etiam accipi posse de documentis virtutum, quarum omnium vias nobis Dominus aperuisse, ac vere principium exstitisse demonstratur.*

Alias Cap. IV.

46. Unde intelligimus illud quod de incarnatione Domini scriptum est: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, (Prov. 8. 22.) id significare quod ad redimenda opera Patris dominus Jesus ex Virgine sit creatus. Neque enim dubitari potest de incarnationis dictum esse mysterio, cùm propter opera sua à corruptelæ servitio liberanda Dominus susceperit carnem; ut illum qui imperium habebat mortis, per sui corporis destrueret passionem. Caro enim Christi propter opera, divinitas ante opera; quia ipse ante omnia, sed & omnia F in ipso constant.

47. Non ergo divinitas propter opera, sed propter divinitatem opera; sicut Apostolus declaravit, dicens quod propter Filium Dei omnia. Sic enim habes: *Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis eorum per passionem consummari.* (Hebr. 2. 10.) Nonne evidenter exposuit quia Dei Filius qui propter divinitatem suam omnia creavit, is postea propter populi salutem & carnis susceptionem, & mortis adsumserit passionem?

48. Propter quæ autem opera sit creatus ex Virgine, ipse Dominus cùm illum cæcum curaret, ostendit dicens: *In illo me oportet operari opera ejus, qui misit me.* (Johan. 9. 4.) Et addidit, ut de incarnatione ejus dictum crederemus: *Cùm in hoc mundo sum, lux sum hujus mundi.* (Ibidem 5.) Etenim quasi homo in hoc mundo pro tempore est; nam quasi Deus semper est. Denique & alibi ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi.* (Matth. 28. 20.)

49. Nec de principio residet aliquid quæstionis, cùm interrogatus in carne: *Tu qui es?* responderit: *Principium quod & loquor vobis.* (Johan. 8. 25.) Quod non solum [b] ad substantiam divinitatis æternæ refertur, sed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim & Deum se probavit æternum; quia omnium ipse principium est, & uniuscujusque virtutis auctor, quia Ecclesiæ caput est, sicut scriptum est: *Quia ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* (Coloss. 1. 18.)

50. Liquet igitur & de incarnatione dictum esse *principium viarum suarum*, quod ad sacramentum suscepti corporis videtur esse referendum. Ideo enim carnem suscepit, ut ad cælum nobis sterneret iter. Denique ait: *Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* (Johan. 20. 17.) Denique ut scias quod vias suas omnipotens Pater secundum incarnationem præscripserit Filio, habes in Zacharia ad Jesum indutum vestimenta sordida ab Angelo dictum: *Hæc dicit Dominus omnipotens: Si in viis* D *meis ambulaveris, & præcepta mea custodieris.* (Zach. 3. 7.) Quod est vestimentum illud sordidum, nisi carnis adsumtio?

51. Viæ igitur Domini velut quidam tramites bonæ vitæ sunt, quæ diriguntur à Christo, qui ait: *Ego sum via, & veritas, & vita.* (Johan. 14. 6.) Via ergo superna est Dei virtus; Christus enim nobis via est. Et bona via, quæ credentibus cæli regna patefecit. Viæ autem Domini viæ rectæ sunt, sicut scriptum est: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi.* (Psal. 24. 4.) E Via castitas, via fides, via est abstinentia. Est namque via virtutis, est & via iniquitatis; scriptum est enim: *Et vide si est via iniquitatis in me.* (Psal. 138. 24.)

52. Principium itaque nostræ virtutis est Christus. Principium integritatis, qui docuit virgines non viriles exspectare concubitus, sed integritatem mentis & corporis sancto magis dicare Spiritui, quàm marito. (2. Cor. 11. 2.) Principium parsimoniæ Christus, qui pauper factus est, cùm esset dives. (2. Cor. 8. 9.) F Principium patientiæ Christus, qui cùm malediceretur, non remaledixit; cùm percuteretur, non repercussit. (1. Petr. 2. 23.) Principium humilitatis Christus, qui formam servi accepit; cùm Patrem Deum majestate virtutis æquaret. (Philip. 2. 7.) Ex illo enim accepit virtus unaquæque principium.

53. Et ideo ut hæc virtutum genera disceremus: *Filius datus est nobis, cujus principium super humeros ejus.* (Esai. 9. 6.) Principium illud crux Domini est; principium fortitudinis, quo via sanctis est reserata martyribus ad sacri certaminis passionem.



a. Ita mss. probatiores: alii vero & omnes edit. *lectio testimonii.* Rursus autem ubi nos cum mss. omnibus, *castitatem, pietatem;* edit. omnes è contrario legebant, *caritatem, pietatem* &c.

b. Vet. edit. cum mss. aliquot, *ad divinitatis æternitatem.*

CAPUT VIII.

Versiculus in Esaia proxime citatus de Christi humanitate ac divinitate explicatur, eoque varias hæreses jugulari evincitur.

54. Vidit hoc principium Esaias, & ideo ait: [a] *Puer natus est, Filius datus est nobis.* Viderunt & Magi, & ideo cùm parvulum in præsepi cernerent, adoraverunt dicentes: *Puer natus est;* cùm stellam conspicerent, prædicantes: *Filius datus est nobis.* (Matth. 2. 11.) Aliud munus B è terris, aliud munus è cælo, & utrumque unus in utroque perfectus, & sine mutabilitate divinitatis, & sine humanæ imminutione naturæ. Unum adoraverunt, eidemque munera obtulerunt; ut ostenderent ipsum esse cæli Dominum, qui in præsepibus videretur.

55. Distingue singulorum momenta verborum: *Puer natus est, Filius datus est nobis.* Etsi ex Patre natus, non tamen nobis natus, sed datus est; quia non Filius propter nos, sed C nos propter Filium. Neque enim nobis natus est, qui & ante nos natus est, & totius est conditor creaturæ: neque nunc primum nascitur, qui erat semper, [b] & erat in principio; sed illud quod non erat, nobis nascitur. Quod etiam Angelus pastoribus cùm loqueretur, dixit esse generatum, sicut habes scriptum: (Luc. 2. 11.) *Quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Nobis ergo quod non erat, natum est: hoc est, puer ex Virgine, corpus ex D Maria; hoc enim post nos, illud ante nos.

56. Alii codices sic habent: *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis;* hoc est, qui erat Filius Dei, [c] hic ex Maria puer natus est nobis, & datus est nobis. Quia datus sit, audi Prophetam dicentem: (Psal. 84. 8.) *Et salutare tuum da nobis.* Quod enim supra nos est, datur: quod de cælo est, datur, sicut etiam de Spiritu legimus quod, (Rom. 5. 5.) *Caritas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* E

57. Sed videte quemadmodum hic locus multas hæreses extinguat. *Puer natus est nobis,* non Judæis: *nobis,* non Manichæis: *nobis,* non Marcionitis. Propheta dicit: *Nobis,* hoc est credentibus, non incredulis. Et ille quidem misericordia sua omnibus natus est, sed perfidia hæreticorum fecit, ut non omnibus nasceretur, qui omnibus natus est. Nam & lumen diei oriri (Matth. 5. 45.) jubetur super bonos & malos: sed oriri non videntibus non videtur. F

58. Sicut ergo puer non omnibus natus est, sed fidelibus: sic Filius non infidelibus datus est, sed fidelibus. Nobis datus est, non Photinianis; illi enim non datum nobis Dei Filium dicunt esse, sed ab initio inter nos natum: nobis datus est, non Sabellianis; illi enim nolunt Filium datum, eumdem adserentes Patrem esse quem Filium: nobis, non Arrianis; & ipsi enim non habent Filium pro salute datum, sed pro infirmitate transmissum: non habent consiliarium, quem putant futura nescisse: non habent Filium, quem sempiternum non putant; cùm A scriptum sit de Verbo Dei, *quod erat in principio;* & alibi: *In principio erat Verbum:* (Iohan. 1. 1.) Denique ut ad propositum revertamur exemplum: *In principio,* inquit, *antequam terram faceret,* [d] *antequam abyssos faceret, & antequam produceret fontes aquarum, ante omnes colles genuit me.* (Prov. 8. 23. & seq.)

CAPUT IX.

Difficultatem ex loco Salomonis supra laudato exorientem solvit Ambrosius, illic & præteritum sumi pro futuro, & geminam in Christo naturam designari patefaciens.

59. Fortasse dices, quomodo de incarnatione Christi dictum esse memoraverim: *Dominus creavit me;* cùm ante incarnationem Christi creatura sit mundi? Sed considera quia moris est scripturis divinis, & futura pro præteritis dicere, & geminam in Christo significare substantiam divinitatis, & carnis; ne quis aut divinitatem neget ejus, aut carnem.

60. Nam sicut in Esaia habes: (Esai. 9. 6.) *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis;* ita hîc quoque ante præmisit creaturam carnis, & subtexuit adsertionem divinitatis; ut scires non duos Christos, sed unum esse: qui & ante sæcula generatus sit ex Patre, & ultimis temporibus creatus ex Virgine, hoc est: Ego sum ille creatus ex homine, creatus ad causam, qui sum generatus ante sæcula.

61. Denique dicturus: *Dominus creavit me,* præmisit: *Commemorabo quæ à sæculo sunt.* Dicturus: *Genuit,* præmisit: *In principio antequam terram faceret, ante omnes colles genuit me. Ante,* cùm dicitur, in infinitum retro sine aliqua definitione porrigitur. Denique, *ante Abraham,* (Iohan. 8. 58.) inquit, *ego sum,* non utique post Adam: & *ante Luciferum,* non utique post Angelos. (Psal. 109. 3.) Sed *ante,* cùm dixit, non se intra aliquem, sed omnia intra se dixit; sic enim moris est æternitatem Dei scripturis significare divinis. Denique alibi habes: (Psal. 89. 2.) *Priusquam montes fierent, & formaretur orbis terræ, à sæculo & usque in sæculum tu es.*

62. Ante omnia ergo generatio, inter omnia & propter omnia creatura. Natus ex Patre supra Legem, factus ex Maria sub Lege.

CAPUT X.

Baptistæ verba ex quibus Christum etiam ante incarnationem factum disputabant, soluturus, ubi præmisit ea referri posse ad prædestinationem; intelligenda tamen de incarnatione ab antecedentibus probat. Hinc progrediens ad mystica, ipsum dignitate ac merito ante Johannem fuisse declarat: maxime cùm Ecclesiæ, cujus typus in historia Ruth expressus fuerat, sponsus, etiam excluso Moyse, solus exstiterit; quam licet Synagoga non omnino neglectâ, solus vocavit.

63. Sed scriptum est: *Post me venit vir, qui ante me factus est; quia prior me erat.* (Alias Cap. V.) Unde dicunt: Ecce qui erat, factus est. Ipsa verba perpendamus. *Post me,* inquit, *venit vir.* (Iohan. 1. 30.) Vir ergo est qui venit, ipse qui factus est. Vir

a. Edit. omnes ac pauci mss. hic & infra *Puer natus est nobis,* plures mss. omittunt, *nobis,* melius, ut patet è contextu.
b. Mss. aliquot, *ut erat in principio.*
c. Non pauci mss. *hic Maria. Puer natus est* &c.
d. *Antequam abyssos faceret,* desiderabatur in edit. quod nos ex mss. restituimus.

autem nomen est sexus: sexus autem non utique divinitati, sed naturæ deputatur humanæ.

64. Possem ergo dicere: Erat in præcognitione quidem corporis, sed æternitate virtutis; nam & Ecclesia erat, & sancti erant prædestinati ante sæcula: sed non id hoc loco dico, at illud adsero, factum esse non ad divinitatem, sed ad incarnationis pertinere naturam; sicut ipse Johannes dixit: *Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est.*

65. Itaque cùm geminam, sicut supra dixi, in Christo substantiam proposuisset, ut utramque intelligas & divinitatis & carnis, [a] hoc loco cœpit à carne. Est enim scripturis promiscua consuetudo divinis, ut interdum à divinitate Christi incipiant, & ad incarnationis sacramenta descendant; interdum ab humilitate incarnationis exordium sumant, & ad gloriam divinitatis adsurgant, ut in prophetis, & in evangelistis frequenter, & in Paulo. Ergo & hîc juxta memoratam consuetudinem ab incarnatione Domini cœpit de ejus divinitate dicturus; non ut confunderet humana atque divina, sed ut distingueret. Verum Ariani, velut Judaici caupones, miscent aquam cum vino; quia divinam generationem, humanamque confundunt, ad deitatem referentes, quod de carne sit dictum.

66. Nec metuo quod objecturi videntur quia in superioribus non habet, Virum; sic enim habet: *Qui post me venit.* Sed videant & ibi Johan. 1. 14. quid præmiserit: *Verbum*, inquit, *caro factum est.* Et ideo non addidit, Virum; quia carnem dixerat: per carnem autem istic virum intelligimus, & per virum carnem. Ergo quia dixerat: *Verbum caro factum est*, virum hoc loco nominare superfluum fuit, quem jam carnis expressione signaverat.

67. Quo exemplo in posterioribus quoque Ibidem 29. & agnum præmisit, qui tolleret peccata mundi; & ut incarnatum intelligeres, quem ante memoraverat, ait: *Hic est de quo ante dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est*, hoc est, virum dixi, non Deum factum. Sed ut ipsum incarnatum declararet esse, qui ante sæcula erat; ne duos filios crederemus, ait: *Quia prior me erat.* Nam si, *Factus est*, ad divinam generationem retulisset, quid opus erat ut adhuc adderet tertium, atque iteraret quod supra dixerat? Sed quia ante de incarnatione tantum dixerat: *Post me venit vir, qui ante me factus est*; ideo addidit: *Quia prior me erat*, quoniam divinitatis æternitas fuerat exprimenda. Et hæc est causa prælationis, ut merito antelatus videatur, qui proprii Patris sempiterna virtus est.

68. Dat tamen intellectus spiritalis ubertas, ut excurrere & evagari ad concludendos libeat Arrianos, qui volunt factum hoc loco non ad virum, sed ad divinitatem referre. Quid est enim tenere [b] quod possint; cùm dixerit Baptista: *Post me venit, qui ante me factus est*; hoc est, supra meritum meum factus, supra meam gratiam, tempore carnis posterior, divinitatis honore venerabilis? *Post me* enim *venit*, tempo-

A ris est: *prior me erat*; æternitatis: *ante me factus est*; honoris; quia etiam incarnationis mysterium supra humanam est gratiam.

69. Denique in inferioribus quid supra contexuisset expressit dicens: *Post me venit vir, cujus non sum dignus calciamenta portare*; Johan. 1. 27. præstantiam utique [c] dignitatis, non æternitatem divinæ generationis exponens. Quod eousque ad incarnationem pertinet, ut typum in hominibus mystici calciamenti ante præmiserit. Lege Num. 36. 6. B enim proximo defuncti vel fratri copula deferebatur ejus uxoris; ut semen fratris vel proximi resuscitaret. Unde quod Ruth, licet ipsa Ruth. 4. 5. alienigena; tamen quia maritum habuerat ex Judæis, qui reliquerat superstitem proximum, eamque colligentem manipulos suæ messis, quibus alebat & se & socrum, Booz vidit & amavit: Ibidem 7. non aliter eam accipit uxorem, nisi calciamentum ejus ante solvisset, cui uxor debebatur ex Lege.

C 70. Historia simplex, sed alta mysteria; aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum litteram sensum torqueamus, prope quidam pudor & horror in verbo est, si ad commixtionis corporeæ consuetudinem sententiam intellectumque referamus. Designabatur autem futurus ex Judæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est, populi mortui semen doctrinæ cælestis semine suscitaret, cui calciamentum nuptiale Ecclesiæ co- D pulandæ præscripta Legis spiritalia deferebant.

71. Non Moyses sponsus; illi enim dicitur: *Solve calciamentum pedum tuorum*; ut Domino Exod. 3. 5. suo cedat. Non Jesus Nave filius sponsus; nam & ipsi dicitur: *Solve calciamentum pedum tuorum*; Josue 5. 16. ne ex similitudine nominis sponsus Ecclesiæ crederetur. Non alius sponsus, sed solus Christus est sponsus, de quo dixit Johannes: *Qui habet sponsam sponsus est.* Iohan. 3. 29. Illis igitur calciamentum solvitur, huic solvi non potest, sicut dixit Johan- E nes: *Non sum dignus solvere corrigiam calciamenti ejus.* Iohan. 1. 27.

72. Solus ergo Christus est sponsus, cui illa veniens ex gentibus sponsa, ante inops atque jejuna, sed jam Christi messe dives, innubat: quæ manipulos fœcundæ segetis, Verbique reliquias gremio legat mentis interno; ut exhaustam illam viduam morte filii, atque inopem defuncti populi matrem novis pascat alimentis, non relinquens destitutam viduam, & novos F quærens.

73. Solus ergo Christus est sponsus, qui nec Synagogæ ipsi manipulos suæ messis invideat. Utinam se non ipsa excluderet! Habuit quos per se colligeret: sed quia [d] populus ejus est mortuus, quasi filio egena defuncto, per Ecclesiam manipulos, quibus viveret, colligebat; quos venientes in exsultatione portabunt, sicut scriptum est: *Venientes autem venient in exsultatione, tollentes manipulos suos.* Psal. 125. 6.

74. Quis enim sibi alius sponsam audeat Ecclesiam vindicare, quam à Libano unus & solus vocavit dicens: *Ades huc à Libano, sponsa*; Cant. 4. 8.

a. Mss. aliquot, *hoc loco certam carnem*

b. Ametb. ac Erasm. *tenere quod posuit*: Gill. & Rom. edit. cum mss. ut in textu.

c. Nonnulli mss. *divinitatis*; aptius alii, & cunctæ edit. *dignitatis.*

d. Omnes edit. *sponsus ejus est mortuus*: omnes mss. *populus ejus* &c. Magis congrue; hoc enim referendum ad superiora illa: *inopem defuncti populi matrem.*

ades

ades huc à Libano. Aut de quo alio potuit Ec- A clesia dicere: Cant. 5. 16. a [a] *Fauces ejus dulcedines, & totus desiderium?* Et quia de calciamento pedum tractatum sumsimus, cui alii nisi Verbo Dei Ibidem 15. incarnato convenit dictum: *Crura ejus columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas?* Solus enim Christus inambulat animis, & graditur in mente sanctorum, in quibus velut aureis basibus, fundamentisque pretiosis solidata vestigia Verbi cælestis hæserunt.

75. Claret igitur & virum & typum ad in- B carnationis spectare mysterium.

CAPUT XI.

Redit ad locum propositum, & ubi Christus dicitur factus, hoc vel ad incarnationem vel ad causam sive adjunctum aliquod referri docet. Ad eum sensum plurima sacrorum codicum & Pauli imprimis testimonia edisserit: maxime autem in eo immoratur, ut Christum verum sacerdotem esse atque in Melchisedech præfiguratum, eique cum Patre operationis unitatem, non vero solam similitudinem inesse persuadeat.

76. NOn ergo ad substantiam divinitatis, sed ad incarnationem sæpe, nonnumquam etiam ad causam pertinet, cùm dicitur factus. Nam si ad divinitatem refers, ergo & in opprobrium Deus factus est; sic enim habes: Psal. 88. 39. *Tu autem repulisti, & ad nihilum redegisti, dispulisti Christum tuum;* & infra: Ibidem 42. *Et factus est in* D *opprobrium vicinis suis. Vicinis*, inquit, non civibus, non domesticis, non adhærentibus; quoniam 1. Cor. 6. 17. *qui adhæret Domino, unus spiritus est:* qui vicinus est, non adhæret. Et, *Factus est in opprobrium;* quia crux Domini Judæis scandalum, b 1. Cor. 1. 23. [b] Græcis stultitia. Nam sapientibus per eamdem crucem excelsior factus est cælis, excelsior Angelis, & melioris testamenti factus est sponsor, ipse qui erat prioris.

77. Vide quam non defugiam ista, ut etiam E congeram: sed quomodo factus sit, considera.

78. Primum quod Hebr. 1. 3. & 4. *purificatione facta, consider in dextera magnitudinis in excelsis, tanto melior factus Angelis.* Ubi purificatio, hostia: ubi hostia, corpus: ubi corpus, oblatio: ubi munus oblationis, ibi sacrificium passionis.

79. Deinde Ibid. 7. 22. *sponsor melioris testamenti. Ubi* Ibid. 9. 16. *testamentum, mors necesse est præcedat testatoris*, sicut subter est scriptum: mors autem non ad divinitatis æternitatem, sed ad fragilitatem re- F fertur humanam.

80. *Excelsior* quoque *cælis factus* quomodo sit, ostenditur: Ibid. 7. 26. & 27. *Immaculatus*, inquit, *segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet quotidie necessitatem, sicut sacerdotes, prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo*, sicut scriptum est. Nemo excelsior factus dicitur; nisi qui in Hebr. 1. 9. aliquo fuerit humilior: in eo igitur [c] excelsior c factus est, sedendo ad dexteram Patris, in quo se minor Angelis factus, obtulit passioni.

81. Postremo ipse Apostolus ad Philippenses ait, quia *in similitudine hominis factus, & specie* Phil. 2. 7. & 8. *inventus ut homo, humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem.* Vide ubi factus sit: *In similitudine*, inquit, *hominis*; non in potestate Dei: & *factus obediens usque ad mortem;* [d] ut d obedientiam quidem hominis habuerit, regnum divinitatis.

82. Quantis igitur adhuc utemur exemplis ad incarnationem, vel ad aliquid referendum esse [e] quod factus est? Quod autem & factum est, e idem est & creatum: *Dixit enim, & facta sunt:* Psal. 148. 5. *ipse mandavit, & creata sunt. Dominus creavit me*, secundum carnem dictum: creatum quoque supra ostendimus in libro primo de incarnatione Cap. 14. & seq. dictum videri.

83. Ipse etiam Apostolus adserendo servien- C Rom. 1. 25. dum non esse creaturæ, significavit ex Deo Filium non creatum esse, sed genitum. Tamen etiam alibi, ut manifestaret quomodo in Salomone sit lectum: *Dominus creavit me;* quid in Prov. 8. 22. Christo creatum esset, ostendit.

84. Itaque totius seriem capitis recenseamus; sic enim habes: *Ergo quia filii participes sunt car-* Hebr. 2. 14. *nis & sanguinis, & ipse similiter particeps factus est eorumdem; ut per mortem destrueret hunc qui mortis habebat imperium.* Quis ergo est qui nos participes suæ voluit esse carnis & sanguinis? Utique Dei Filius. Quomodo nisi per carnem particeps factus est noster? aut per quam, nisi per corporis mortem mortis vincula dissolvit? Mortis enim mors facta est susceptio mortis in Christo. Ergo de incarnatione proposuit.

85. Videamus sequentia: *Nec enim statim An-* Ibidem 16. & 17. *gelos*, inquit, *adsumsit, sed semen Abrahæ. Unde habuit per omnia fratribus similari; ut misericors fieret & fidelis princeps, sacerdos ad Deum, ut expiaret peccata populi. In quo enim passus est ipse, & tentatus, potest & tentatos juvare.... Propter quod,* Ibidem 3. 1. & 2. *fratres sanctissimi, vocationis cælestis participes; intuemini apostolum & principem sacerdotum confessionis nostræ Jesum fidelem esse creatori suo, sicut & Moyses in domo ejus.* Hæc nempe verba sunt Apostoli.

86. Videtis in quo creatum dicat: in quo *adsumsit*, inquit, *semen Abrahæ*, corporalem utique generationem adserit. In quo autem, nisi in corpore expiavit populi peccata? In quo passus est, nisi in corpore; sicut & supra diximus: *Christo passo secundum carnem?* In quo sacerdos, nisi in eo quod sacerdotali adsumsit ex genere?

87. Sacerdos enim aliquid debet offerre; & Hebr. 9. 12. secundum Legem in sancta intrare per sangui-

a. Mss. aliquot, *Fauces ejus dulcedinis & totius desiderii.*

b. Non pauci mss. *Græcis stultitia sapientibus. Per eamdem* &c.

c. Edit. omnes, *excellentior*: mss. prope ad unum, *excelsior.*

d. Ita edit. ac plures mss. nonnulli tamen pro *obedientiam* legunt *obedientia*, virgulam expungentes ante *regnum divinitatis*: pro quibus vocibus alii etiam aliquot habent, *regnum dignitatis.*

e. Rom. edit. cum mss. duobus, *quod factum est*: vet. edit. cum reliquis, *quod factus est*, Christus videlicet. Subjungit autem Ambrosius factum & creatum eamdem habere significationem, eam nimirum qua de productione rerum ex nihilo intelliguntur. Et hoc quidem in græco idiomate verissimum est, ut Hieronymus *in cap. 4. Epist. ad Ephes.* & Augustinus *lib. 1. Cont. Advers. Leg. & Prophet.* cap. 23. docent: licet ultimus utrumque etiam in Scripturis indifferenter de rebus sive ex materia aliqua factis sive ex nulla dici adserat. Quod autem ad latinam linguam, iidem illi Patres creari ac fieri & de generatione liberorum & de magistratuum institutione usurpari memorant, quod probatorum scriptorum usu planissimum est. Græcorum igitur Patrum, qui Verbum divinum κτίσμα, id est, creaturam dicere semper exhorruerunt, Ambrosius ubique quam firmissime vestigiis adhæsit, ea ratione omnia Scripturæ testimonia, queis Arriani abutebantur, commodissime exponi posse persuasum habens.

Ibidem 11. nem: ergo quia sanguinem taurorum, hircorumque repudiaverat Deus, hunc utique sacerdotem per suum sanguinem, sicut legisti, in sancta sanctorum cæli summa penetrantem oportebat intrare; ut æterna nostrorum esset [a] oblatio peccatorum. Idem ergo sacerdos, idem & hostia: & sacerdotium tamen, & sacrificium humanæ conditionis officium est; nam & agnus ad immolandum ductus est, & sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech.

88. Nemo igitur ubi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi jus divinitatis adserat. Nam
Gen. 14. 18. & illum Melchisedech per quem Abraham hostias suas obtulit, [*] non Angelum utique secundum Judaica ludibria intelligit Ecclesia, sed virum sanctum, ac sacerdotem Dei, qui typum gerens Domini, & sine Patre, & sine matre, & sine generationis enarratione, & sine initio, & sine fine describitur; ut ostenderet sempiternum Filium Dei in hunc mundum esse venturum, qui & sine Patre secundum incarnationem natus est, & sine matre secundum divinam generationem, & sine enarratione generationis;
Esa. 53. 8. quia scriptum est: *Generationem autem ejus quis enarrabit?*

89. Ergo illum Melchisedech in Christi typo sacerdotem Dei accepimus; sed illum in typo, hunc in veritate: typus autem umbra est veritatis: illum in nomine unius civitatis, hunc regem in reconciliatione totius mundi; quia scrip-
2. Cor. 5. 19. tum est: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi;* hoc est, sempiterna divinitas: aut, si Pater in Filio, sicut Filius in Patre, & substantiæ utique & operationis unitas non negatur.

90. Quomodo autem negare merito possunt,
Johan. 14. 10. etiam si velint, cùm scriptum sit: *Pater autem qui in me manet, ipse facit opera;* &: *Opera quæ ego facio, ipse facit?* Non dixit: Et ipse facit; ne similitudinem magis, quàm unitatem operis æstimares: sed dicendo: *Quæ ego facio, ipse facit,* manifestum reliquit quod unum opus Patris & Filii credere debeamus.

91. Denique ubi similitudinem operum, non
Ibidem 12. unitatem voluit intelligi: *Qui credit*, inquit, *in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet.* Bene hîc & interponendo, similitudinem nobis donavit; & tamen unitatem naturalem negavit. Unum est igitur opus Patris & Filii, etiamsi non placeat Arrianis.

CAPUT XII.

Regnum Patris atque Filii unum esse ac indivisum; & unam similiter utriusque divinitatem.

92. Quæro autem quomodo regnum velint Patris & Filii esse divisum; cùm Dominus dixerit, ut supra ostendimus:
Matth. 12. 25. *Omne regnum in se divisum, facilè destruetur?*

93. Et ideo ad excludendum arrianæ sacrilegium sævitatis, unum imperium Patris & Filii etiam Petrus sanctus adseruit dicens: *Quapropter satagite, fratres, certam vestram vocationem & electionem facere. Hæc enim facientes non errabitis; sic enim abundantius ministrabitur vobis introitus in æternum imperium Dei, & domini nostri [b] conservatoris Jesu Christi.* 2. Petr. 1. 10. & 11.

94. Aut si quis de Christi tantum imperio dictum putat, & hoc ideo sic accipit, ut Patrem Filiumque potestate secernat; is tamen & regnum Filii fatebitur, & æternum. Itaque non solum duo inducent regna divisa, ut obnoxia sint defectui; sed etiam cùm regna comparabilia nulla sint Dei regno, quod Filii esse, etiamsi velint, negare non possunt: [c] aut contra suam sententiam redibunt, ut idem Patris & Filii regnum esse fateantur: aut, quod sacrilegium est dicere, jus Patri regni minoris adscribent: aut, quod contrarium est, quem minorem divinitate impie memorant, ejus regnum fatebuntur æquale.

95. Sed hoc non quadrat, non congruit, non cohæret. Dicant igitur unum esse regnum, sicut nos dicimus, & probamus: probamus autem non nostris, sed cælestibus testimoniis.

96. Primùm enim etiam aliis exemplis disce regnum cælorum, regnum etiam Filii esse; ipse enim dixit: *Amen amen dico vobis quoniam sunt aliqui [d] de hîc adstantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regnum suum.* Dubitari ergo non potest quod sit regnum Filii Dei. Matth. 16. 28.

97. Sed accipe ipsum esse regnum Filii, quod Patris est: *Amen dico vobis quod sunt quidam circumstantium, qui non gustabunt mortem, donec videant [e] regnum Dei veniens in virtute.* Eo enim usque unum regnum est, ut unum sit præmium, idem heres, eadem merita, idem sponsor. Marc. 8. 39.

98. Quomodo non idem regnum, cùm præsertim ipse de se Filius dixerit: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris mei?* Quod enim Patris est per majestatis proprietatem, id etiam Filii est per ejusdem claritudinis unitatem. Ergo & Patris regnum Scriptura dixit, & Filii. Matth. 13. 43. Johan. 17. 5.

99. Accipe nunc quia ubi regnum Dei dicit, nec Patris nec Filii separat potestatem; quia & paternum & Filii regnum uno Dei nomine comprehendit, sicut habes: *Cùm videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes prophetas in regno Dei.* An negamus in regno Filii prophetas esse, cùm & latroni dicenti: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum;* responderit Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso?* Aut quid est [f] esse in regno Dei, nisi æternam nescire mortem? Qui autem nesciunt æternam mortem, vident Filium hominis venientem in regnum suum. Luc. 13. 28. Luc. 23. 42. & 43.

100. Quomodo ergo potest non in potestate habere quod donat dicens: *Tibi dabo claves regni cælorum?* Et videto distantiam. Servus Matth. 16. 19.

a. Omnes edit. ac mss. aliquot, *ablutio peccatorum*; ceteri mss. *oblatio peccatorum.* Magis apposite, idem enim est atque oblatio pro peccatis, de qua hîc agitur.

*. Hieronymus epist. 25. *ad Evagr.* hanc opinionem non judæis, sed Origeni ac Didymo adscribit.

b. Ms. unus, *creatoris*; alii nonnulli, & omnes edit. *Salvatoris*: ceteri qui & probatiores, *conservatoris*.

c. Edit. omnes cum mss. aliquot, aut contra *sententiam suam ridebunt.* Quid magis ridiculum?

d. Vet. edit. ac mss. non pauci, *de istis adstantibus*: Rom. *de istic adstantibus*: reliqui mss. *de his adstantibus.* At omnino scribendum ut in textu; hoc namque loco, sicut & apud Marcum infra citatum in græco constanter legas, *τῶν ὧδε ἑστηκότων.* Rursus vero ubi habetur in cunctis edit. ac mss. quibusdam, *Dubitari ergo non potest*; in reliquis cod. præfertur, *Dubitare ergo noli.*

e. Omnes edit. *regnum Dei venientis*: mss. *regnum Dei*, unus *filium Dei*, *veniens*: quod omnibus quoque Scripturæ idiomatis confirmatur. Iterum autem ubi omnes edit. ac plures mss. *idem heres*; alii nonnulli exhibent, *iidem homines.*

f. Nonnulli mss. *in regno Filii.*

aperit, Dominus largitur: iste per se, ille per A Christum: famulus claves accipit, Dominus ordinat potestates: [a] aliud jus donantis, aliud dispensantis obsequium est.

101. Accipe adhuc unum regnum, unum imperium esse Patris & Filii. Habes ad Timotheum: 1. Tim. 1. 1. *Paulus apostolus Jesu Christi secundùm imperium Dei salvatoris nostri, & Christi Jesu spei nostræ.* Unum igitur Patris & Filii regnum evidenter est declaratum, sicut & apostolus Paulus Ephes. 5. 5. asseruit dicens: *Hoc enim scitote quod omnis im-* B *pudicus, aut immundus, aut avarus, quod est idololatria, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Ergo unum regnum, & una divinitas.

102. Unam divinitatem Lex probavit, quæ Deut. 6. 4. dicit unum Deum. Probavit & Apostolus, dicendo de Christo: Coloss. 2. 9. *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Si enim juxta Apostolum plenitudo omnis corporaliter divinitatis in Christo est, aut unius divinitatis Patrem & Filium fatebuntur: aut si Patris & Filii divinita- C tem cupiunt separare, cùm omnem plenitudinem divinitatis corporaliter Filius habeat; quid est quod [b] existimant amplius reservandum, cùm amplius nihil sit plenitudine perfectionis? Ergo una divinitas.

CAPUT XIII.

Filio majestatem suam esse, ac paternæ æqualem: cujus socii non sint Angeli, sed spectatores.

Alias Cap. VII. Sup. lib. 1. cap. 7.

103. Imaginem autem unam, & similitudinem D unam supra diximus, superest ut unius quoque majestatis Patrem Filiumque doceamus. Nec longe aberit; cùm enim ipse dixerit de se Filius: Matth. 25. 31. *Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Ecce Filii expressa majestas est: quid ei deest, cujus increatam majestatem negare non possunt? Est ergo Filii majestas.

104. Accipiant nunc, ut dubitare non pos- E sint, quod Patris & Filii una majestas sit; ipse enim dominus dixit: Luc. 9. 26. *Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet; cùm venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Quid est: *Et sanctorum Angelorum*, nisi quia honorantur & servi dignitate domini sui?

105. Dignitatem ergo suam ad Filium & Patrem retulit; non ut Angeli habeant cum Patre & Filio æquale consortium, sed ut præeminentem gloriam Dei cernant. Neque enim suam F majestatem Angeli habent, sicut lectum est de Filio: Matth. 25. 31. *Cùm sederit in sede majestatis suæ*; sed adsistunt, ut Patris & Filii [c] gloriam videant, quibus aut possunt aut merentur adspectibus.

106. Denique ipsa se explanant verba divina, ut intelligas illam gloriam Patris & Filii cum Angelis non esse communem; sic enim habes: *Cùm autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Et ut doceret unam majestatem & unam gloriam esse Patris & suam, ipse in alio libro ait: *Et Filius hominis* [d] *confundet eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.* Marc. 8. 38. Illi in obsequio, hic in gloria: illi in comitatu, hic in suggestu: illi stant, hic sedet; ut verbo tamen usus utamur humani, hic judicat, hi ministrant.

107. Divinam autem non præmisit majestatem Patris, & subdidit suam & Angelorum; ne de superioribus ad inferiora fecisse gradum quemdam & ordinem videretur. Sed quia Pater inferior videri non poterat, præmisit majestatem suam, & addidit Patris & Angelorum; ne se medium inter Patrem & Angelos nominando, aut ab Angelis ad Patrem per sui quoque incrementa fecisse quemdam videretur adscensum, aut à Patre rursus ad Angelos per ordinem cum sui etiam diminutione crederetur fecisse descensum. Nam nos qui unam divinitatem Patris & Filii confitemur, diversum, ut Arriani, ordinem non putamus.

CAPUT XIV.

Unius substantiæ cum Patre Filium esse: hanc autem etiam secundum divinitatem sumi debere in multis Scripturarum testimoniis, tametsi in aliis nonnullis hoc verbum aut de possessionibus aut de incarnatione intelligatur.

108. De substantia autem, Imperator auguste, quid loquar unius Filium cum Patre esse substantiæ; cùm imaginem paternæ substantiæ Filium legerimus, ut in nullo secundum divinitatem à Patre intelligas discrepare? Sap. 7. 26.

109. Juxta hanc imaginem dixit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Johan. 16. 15. Ergo nec * substantiam in Deo possumus denegare; neque enim insubstantivus est, qui aliis dedit habere substantiam: licet alia sit substantia Dei, alia creaturæ. Nec posset insubstantivus Filius Dei esse, per quem cuncta subsistunt.

110. Et ideo ait: *Non est occultatum os meum quod fecisti in abscondito, & substantia mea in inferioribus terræ.* Psal. 138. 15. Virtuti enim & divinitati ea, quæ ante constitutionem mundi, vel imperspicabili majestate sunt gesta, abscondita esse non poterant. Legimus ergo substantiam.

111. Sed dices de incarnatione dictam esse substantiam. Interim nomen substantiæ lectum probavi, & lectum non pro patrimoniis, ut dicitis. Jam, si placet, accipiamus secundùm mysterium in inferioribus Christi fuisse substantiam. Etenim ut defunctorum animas in sui corporis anima liberaret, vincula mortis solveret, peccata donaret, operatus est in inferno.

a. Mss. aliquot, *jus donationis.*

b. Omnes edit. *æstimant amplius adscribendum*; mss. nonnulli, *æstimant*, plures *existimant*; sed omnes omnino, *amplius reservandum.*

c. Mss. aliquot, *gratiam videant.*

d. Ita omnes edit. ac plures mss. Rom. autem sola, *confundetur eum*; ubi reliqui mss. præ se ferunt, *confitebitur eum.*

*. Substantia ubique Ambrosio idem est atque οὐσία Græcorum, id est, ipsamet rei natura, sive hoc ipsum quod res quæque est. Qui sane intellectus cùm negari non possit admodum catholicus, tandem invaluit apud Latinos, ut Deus habere substantiam & Christus Patri consubstantialis esse diceretur. Nam cùm vocem *substantia* Latini ad originem suam referebant, sive illam deducerent à verbo *subsistere*, ut Augustinus lib. 7. *de Trinit.* cap. 4. & 5. sive à verbo *substare*, ut Boetius lib. *de duab. naturis*, eamdem vocem proprie sumi non posse affirmabant, nisi de eo quod subjectum esset, sive substaret & quasi substerneretur accidentibus. Eosdem adeas licet, sicut & Marium Victor. qui Constantii florebat temporibus. Hic enim & varias hujus dictionis significationes fuse prosequitur, & omnes locos quos hîc refert Ambrosius noster, idem commemorat. Phæbadius quoque hæc ipsa pertractat, ex quibus omnibus quantum ab ea voce abhorrerent intelligitur. Sed non omittendus Athanasius qui libro de Synodis pag. 903. secundum Sirmiensem confessionem referens, illic statutum ut vocibus *substantiæ* & *consubstantialitatis* abstineretur, scribit.

112. Et tamen quid obstat quominus illam divinam intelligas esse substantiam; cùm Deus ita ubique sit, ut ei dictum sit: *Si adscendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades?* Ibidem. 8.

113. Denique ad substantiam divinam derivandum esse intellectum sequentibus declaravit dicens: *Inoperatum meum viderunt oculi tui;* eo quod non operis factura sit Filius, sed Verbum genitum potestatis æternæ: ἀκατέργαστον enim dixit, hoc est, inoperatum atque increatum Verbum sine alicujus creaturæ testimonio ex Patre natum: & tamen abundamus aliis substantiæ testimoniis. Sit ista hoc loco substantia corporalis, dummodo non opus Dei Filium, sed inoperatam ejus divinitatem & ipse fatearis. Ibidem 16.

114. Scio autem aliquos dicere inoperatum esse etiam incarnationis mysterium, quod non sit virilis copulæ usus operatus; quia partus est Virginis. Si ergo plerique hoc loco nec Mariæ partus opus esse dixerunt, tu Arriane, opus putas esse Dei Verbum?

115. Aut hîc tantum substantiam legimus? Nonne & alibi dixit: *Portæ civitatum effractæ sunt, montes ceciderunt, & revelata est substantia?* Numquid hîc quoque creatura signatur? Solent enim aliqui dicere pecuniariam esse substantiam. Ergo si ad hunc sensum refers, ideo ceciderunt montes, ut pecuniarium patrimonium cerneretur. Nahum 2. 6.

116. Sed meminerimus qui montes ceciderunt, illi utique de quibus dictum est: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, & jactare in mare.* Montes ergo sunt altitudines se extollentes. Matth. 17. 19.

117. Denique in Græco, * *regna ceciderunt*, habetur. Quæ regna, nisi satanæ, de quo dixit Dominus: *Quomodo stabit regnum ipsius?* Ipsos ergo legimus montes, quæ regna sunt diaboli. Ideoque istis cadentibus regnis de corde fidelium, revelatum est paternæ Dei filium Christum esse substantiæ. Qui sunt etiam illi ipsi montes ærei, de quorum medio quatuor currus procedunt? Matth. 12. 26. Zach. 6. 1.

118. Advertimus altitudinem illam extollentem se adversus scientiam Dei verbo Domini corruisse; cùm diceret Dei Filius: *Obmutesce, & exi immunde spiritus.* De quo & propheta dixit: *Ecce ego ad te, mons corrupte.* Marc. 1. 25. Hier. 51. 25.

119. Isti ergo ceciderunt montes, & revelatum est quod esset in Christo divina substantia, dicentibus iis, qui viderant: *Vere Filius Dei est;* non enim humana, sed divina potestate dæmoniis imperabat. Hieremias quoque dicit: *Super montes accipite luctum, & super semitas desertas planctum, quia defecerunt; eo quod non sint homines, non acceperunt vocem substantiæ: à volatilibus usque ad jumenta expaverunt & defecerunt.* Luc 4. 41. Hier. 9 10.

120. Nec præteriit etiam alibi, cùm fragilitates exponeret conditionis humanæ, ut susceptam à se infirmitatem carnis, & affectum nostræ mentis ostenderet, dixisse Dominum per Prophetam: *Memento, Domine, quæ est substantia mea;* quia in natura fragilitatis humanæ Dei Filius loquebatur. Psal. 88. 48.

121. De quo supra, ut incarnationis mysteria revelaret, ait: *Tu vero repulisti, Domine, & pro nihilo habuisti: dispulisti Christum tuum, evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctitatem ejus.* In quo utique servum dixit, nisi in carne, quia *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & specie inventus ut homo?* Mea ergo susceptione servus, sua Dominus potestate. Ibidem, 39. & 40. Philip. 2. 6. & 7.

122. Quid illud quod habes? *Quoniam quis stetit in substantia Domini;* & alibi: *Et si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, & si docuissent plebem meam; avertissem eos à nequitiis & adinventionibus suis?* Hier 23. 18. Ibidem 22.

CAPUT XV.

Cùm Filium Patri ἑτερούσιον Arriani dicant, eos in Deo substantiam aperte agnoscere: nec ob aliud hanc vocem defugere, nisi quod illum verum Dei Filium fateri nolint, ut significavit Eusebius Nicomediensis. Rectè igitur constitutum à Nicænis PP. verbum ὁμοούσιον, ut pote hæresi oppositum & in Scriptura firmatum; proindeque neglectis, quæ isti fingunt de Sabellianis, retinendum.

123. Quomodo negant Dei esse substantiam? Quomodo verbum substantiæ, quod creberrimum in Scripturis est, putant esse vitandum; cùm ipsi ex alia substantia, hoc est, ἑτερούσιον dicendo Filium, substantiam tamen in Deo esse non abnuant?

124. Non igitur verbum, sed vim verbi fugiunt; quia nolunt verum esse Dei Filium. Nam licet humano verbo non possit divinæ generationis series comprehendi; tamen judicarunt Patres fidem suam [a] tali proprie contra ἑτερούσιον sermone signandam, auctoritatem sequuti prophetæ, qui ait: *Quis stetit in substantia Domini, & vidit Verbum ejus?* Secundum impietatem igitur suam positum substantiæ verbum recipiunt Arriani, secundum pietatem autem fidelium comprobatum repudiant & refutant.

125. Nam quid est aliud, cur ὁμοούσιον Patri nolint Filium dici, nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? sicut auctor ipsorum Eusebius Nicomediensis * epistolâ suâ prodidit scribens: Si verum, inquit, Dei Filium & increatum dicimus, ὁμοούσιον cum Patre incipimus confiteri. Hæc cùm lecta esset epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu Fidei posuerunt Patres, quia id viderunt adversariis esse formidini; ut tamquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefandæ caput hæreseos amputarent.

*. LXX. Interpr. καὶ τὰ βασίλεια ἔπεσον.

a. Amerb & Erasm. tali proprie ἑτερουσίῳ: Gill. & Rom. edit. cum mss. ut textu, si tamen duos cod. excipias, in quibus habetur, *contra ἑτερούσιον.* Non rectè.

*. Ambigitur inter eruditos quænam sit illa Eusebii Nicom. epistola, cujus hic mentio fit ab Ambrosio. Hermannus lib 2. Vitæ S. Athan. cap. 8 post Card. Baronium ad annum 325. putat eam esse, cujus Theodoretus lib. 1. cap. 8 edit. Vales. commeminit. Valesius vero in eumdem locum non de epistola Nicomediensis, sed de libello fidei ab Eusebio Cæsar. Patribus concilii oblato intelligendum hunc Theodoreti locum defendit, allatis in hanc rem quibusdam rationibus: quæ sane tanti non videntur, ut ejus opinio omni careat difficultate. Verum quidquid sit certum est Ambrosium non de formula seu libello fidei, sed de epistola hoc loco loqui. Quod vero idem Eusebius Ambrosio dicitur Arrianorum auctor, hoc sancto viro non est singulare; Athanasius enim passim Arrianos Eusebianorum nomine significat. Socrates quoque lib. 1. cap 6. de litteris Alexandri Alexandrini episc. agens, Eusebium non tam Arrii doctrinam defendisse, quam suam ipsius propagare voluisse scripto prodidit.

116. Frustra autem verbum istud propter Sabellianos declinare se dicunt, & in eo suam imperitiam produnt; * ὁμοούσιον enim aliud alii, non ipsum est sibi. Rectè ergo ὁμοούσιον Patri Filium dicimus; quia verbo eo & personarum distinctio & naturæ unitas significatur.

117. An negare possunt οὐσίαν lectam, cùm & [a] panem ἐπιούσιον Dominus dixerit; & Moyses scripserit: ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος? Aut quid est οὐσία, vel unde dicta; nisi οὖσα ἀεὶ, quod semper maneat? Qui enim est, & est semper, Deus est; & ideo manens semper οὐσία dicitur divina substantia. Propterea ἐπιούσιος panis, quod ex Verbi substantia substantiam virtutis manentis cordi & animæ subministret; scriptum est enim: *Et panis confirmat cor hominis.*

Matth. 6. Exod. 19. Psal. 103. 15.

118. Servemus igitur præcepta majorum, nec hæreditaria signacula [b] ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non Seniores, non Potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi ejus prærogativa est servata. Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum à confessoribus, & multorum jam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude, signarunt: qui violare non ausi sunt, confessores & martyres exstiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?

CAPUT XVI.

Ut catholici contra fraudes Arrianorum præmuniantur, subdolas quasdam eorum confessiones exponit: nec sufficere quod Filium nonnumquam Deum vocitent, nisi eum admittant Patri æqualem, collectis argumentis probat.

119. NEmo metuat, nemo formidet: PLUS CONFERT fidelibus, qui minatur. Venenatæ sunt blanditiæ perfidorum, tunc cavendæ, cùm id quod negant, prædicare se simulant. Sic decepti sunt & ante, qui facile crediderunt; ut ibi perfidiæ laqueos inciderent, ubi fidem esse credebant.

130. Qui dicit, inquiunt, Christum creaturam secundum ceteras creaturas, anathema sit. Audierunt simplices, & crediderunt; *Innocens* enim, sicut scriptum est, *credit omni verbo.* Audierunt ergo, & crediderunt, primo decepti sono; ac velut aves intenti ad escam fidei, extentum sibi laqueum non caverunt. Ita dum fidem sequuntur, hamum nefandæ fraudis adtrectaverunt. Et ideo: *Estote*, inquit, *astuti sicut serpentes; & simplices sicut columbæ;* præmittitur astutia, ut sit tuta simplicitas.

Prov. 14. 15. Matth. 10. 16.

131. Sunt enim serpentes Evangelici, qui exuunt veterem usum, ut induant novos mores, sicut scriptum est: *Exspoliantes veterem hominem cum actibus ejus, & induentes novum secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Discamus ergo depositis vetusti hominis exuviis, Evangelicorum serpentium vias; ut more serpentium servare caput, fraudem cavere noscamus.

Coloss. 3. 9. & 10.

132. Satis fuerat dicere: Qui dicit creaturam Christum, anathema sit. Cur bono confessionis, Arriane, venena permisces, ut totum corpus contamines? Addendo enim: Secundum ceteras creaturas, non creaturam Christum negas, sed creaturam dicis esse dissimilem; creaturam enim dicis, etsi præstantiorem ceteris adseras creaturis. Denique Arrius hujus impietatis magister Dei Filium creaturam dixit esse perfectam, sed non sicut ceteras creaturas. Videtis igitur hæreditario patris vestri vos usos esse sermone? Sat est creaturam negare, quid opus fuit addere: Sed non sicut ceteras creaturas? Recide quod putruit, ne serpat contagio: venenum habet; mortem adfert.

133. Deinde dicis interdum Deum Christum: sed ita dic [c] Deum verum, ut plenitudinem ei paternæ divinitatis adsignes; sunt enim qui dicuntur dii sive in cælo, sive in terra. Non ergo perfunctorie nuncupandus Deus, sed ita ut eamdem divinitatem prædices in Filio, quam Pater habet, sicut scriptum est: *Sicut enim Pater vitam habet in semet ipso, sic dedit & Filio vitam habere in semet ipso.* Dedit utique quasi Filio per generationem, non quasi inopi per gratiam.

Iohan. 5. 26.

134. Et *potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Vide quid addidit, ne tu calumnieris ex verbo. Filium hominis legis, & accipientem arguis? Nega ergo Deum, si non omnia Filio quæ Dei sunt, deferuntur; cùm enim dixerit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt;* cur tu non omnia quæ divinæ naturæ sunt, etiam in Filio confiteris? Nam qui dicit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt;* quid excipit quod non habet?

Iohan. 16. 15.

135. Quid est quod ἐμφατικῶς, quam fideli magis sermone commemores, quod mortuos suscitaverit, maria pedes transmiserit, infirmitates hominum curaverit? Hæc enim etiam servulis suis præstitit. Plus ista miror in hominibus, quod tantam eis dederit potestatem. Aliquid de Christo audire desidero, quod speciale sit Christi, quod cum iis quæ creata sunt, non possit esse commune; quia genitus, quia unicus est Dei Filius, quia Deus verus ex Deo vero, quia ad dexteram Patris sedet.

136. Ubicumque lego confessum Patris & Fi-

*. Hoc illud est, quod scribit Basilius epist. 300. οὐ γάρ αὐτό τι ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ.

a. Edit ultimæ Paris. *panem ἐπιούσιον*; ut & infra *ἐπιούσιος panis.* Absurde. Ceterum Marius Victor. lib. 1 & 2 *Cont. Arrianos*, eodem modo vocem ἐπιούσιος defendit, quo hic defenditur ab Ambrosio Unde non satis caute videtur Petavius lib. 4. *de Trinit.* c 2. n 13. de hoc Ambrosii loco ita scripsisse: *Verum levius id argumentum, quam ut eo persuaderi possit οὐσίας vocem in Scripturis nominatim exprimi. Melius id alii demonstrant ex eo quod Deus ipse ὁ ὢν appellatur.* Certum est enim Arrianos contra hanc vocem quasi Scripturis omnino incognitam reclamare solitos, ut Athanasius Orat 2 *Cont. Arrianos*, Epiphanius *Hær.* 69. Marius Vict. atque alii testificantur; quibus querimoniis Ambrosium hic recta occurrere manifestum est. Quod autem ad etymologiam, quàm hic & lib *de Incarn. Myst.* cap. 9. tradit sanctus Doctor, fatemur quidem eum dictionem simpliciter repetendam à participio ὤν, sed in hujusmodi originibus rem ad vivum resecare velle æquo severius est. Proinde vix ullum fore existimamus, qui effrænem illam intemperiem probet; qua Dallæus lib 2. *de usu PP* cap 3. ob similes nævos in Patres aliquot invehitur, maxime vero in Ambrosium.

b. Nonnulli mss. *ut rudes temeritate* &c. Librum porro sacerdotalem vocat Ambrosius Niceni Concilii definitionem & symbolum, quod ut everterent Arriani in concilio Ariminiensi Valens Sygid. catholicis episcopis simplicibus Arrianæ perfidiæ venenum propinavit; cùm in secunda hujus concilii Confessione inter varias propositiones orthodoxæ fidei congruentes hanc vir callidissimus inseruit, qua anathemate feriebantur, qui Christum creaturam sicut ceteras creaturas profiterentur. Porro quibus artibus hanc tragœdiam ex[c]itarint Arriani narrat Sulp. Sev l. 2. & Hieron. *Adv. Lucif.* Quam A[rr]ii ipsius impietatem nusquam non exagitat Ambrosius.

c. Omnes edit. ac mss. aliquot, *dic Deum, ut Deum verum, ut plenitudinem* &c. elegantius reliqui, ut in textu.

lii, semper ad dexteram Filius sedet. Numquid melior Filius Patre? Non hoc dicimus: sed quem caritas Dei honorat, humana iniquitas derogat. Scivit Pater ferendas esse de Filio quæstiones, præbuit nobis quod sequeremur, pietatis exemplum, ne Filio derogemus.

CAPUT XVII.

Objectioni quæ hîc nasci poterat, occurrens, cur Dominus Stephano stare visus sit, explicat: & ex hujus ad Filium precibus ejusdem ac Patris æqualitate confirmata, librum terminat.

Act. 7. 55. 137. UNo tantum loco stantem ad dexteram Dei Jesum Stephanus vidisse se dixit. Et hoc disce, ne quam hinc moveas quæstionem. Cur enim ubique ad dexteram sedere ostenditur, uno legitur in loco stare? Sedet quasi judex vivorum & mortuorum: stat quasi advocatus suorum. Stabat ergo quasi sacerdos, quando Patri hostiam boni martyris offerebat: stabat quasi bono luctatori bravium tanti præsul certaminis redditurus.

138. Accipe & tu spiritum Dei, ut ista distinguas, sicut accepit & Stephanus; & dicas sicut dixit & martyr: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram Dei.* Qui cælos apertos habet, Jesum ad dexteram Dei cernit: qui clausos oculos habet mentis, Jesum ad dexteram Dei non videt. Confiteamur ergo Jesum ad dexteram, ut cælum & nobis aperiatur. Claudunt sibi cælum, qui aliter confitentur.

A 139. Quod si qui objiciunt quod Filius stabat, ostendant hoc loco quod Pater sedebat. Nam licet Filium hominis stare dixerit; tamen hoc loco nec Patrem sedere commemoravit.

140. Ut autem evidentius cognosceretur nulla esse stantis injuria, sed potestas, Filium Stephanus obsecrabat, ut se amplius commendaret Patri, dicens: *Domine Jesu, recipe spiritum meum.* Ibid. 58. Et ut eamdem Patris & Filii potestatem esse ostenderet, repetivit dicens: *Domine, ne* Ibid 59.
B *statuas illis hoc peccatum.* Hoc Dominus in passione propria quasi Filius hominis Patri dicit: hoc & Stephanus Filium Dei in suo martyrio deprecatur. Cùm eadem gratia à Patre Filioque deposcitur, eadem potentia declaratur.

141. Aut si volunt Stephanum Patri dixisse, videant quid propria testificatione significent. Licet nos ista non moveant; advertant tamen qui totum in littera constituunt & in ordine, quod Filius prius sit rogatus. Nos autem & se-
C cundum eorum interpretationem ostendimus unitatem Paternæ majestatis & Filii; nam cùm Pater rogatur & Filius, æqualitas precationis operationis indicat unitatem. Si autem illis non placet Filio dictum, *Domine*; videmus quod etiam Dominum eum negare conantur.

142. Sed jam quia martyris tanti corona processit, studia certaminis relaxemus, ferias hodierni sermonis habeamus. Prosequamur sanctum martyrem laudibus, sicut post magna de-
D cebat certamina, vulneribus quidem adversarii cruentatum, sed Christi præmiis coronatum.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Haud mirum esse quod homines in Christi cognitione erraverint, sed quod Scripturæ non obtemperaverint: illum quoque nec ab Angelis nisi revelatione fuisse cognitum, sicut nec ab ipso Præcursore. Ejusdem Christi in cælum adscendentis triumphus qualis, & raptu prophetarum quorumdam quanto præstantior? Tum descripto Angelorum hac de re colloquio, contra Arrianos Filius omnipotens esse ostenditur.

1. COnsideranti mihi, Imperator auguste, qua ratione sic erraverit [a] genus hominum, ut de Dei Filio plerique, væ mihi, diversa sequerentur; nequaquam satis mirum videtur quia erravit humana scientia de supernis, sed quod Scripturis non detulit obedientiam.

2. Quid enim mirum, si mysterium [b] Dei Coloss. 2. 3. Patris & domini Jesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec Angeli cognoscere nisi ex revelatione potuerunt?

A 3. Quis enim potuit opinione magis quam fide sequi dominum Jesum, nunc de cæli altissimis interna penetrantem, nunc ab inferis ad cælestia resurgentem: subito exinanitum, ut habitaret in nobis; nec umquam imminutum, cùm semper Filius in Patre, & in Filio Pater esset?

4. Dubitavit in eo ipse Prænuntius, licet * per Synagogæ typum, dubitavit ipse ante Domini faciem destinatus. Denique missis dis-
B cipulis, interrogat: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Matth. 11. 3.

5. Obstupuerunt & Angeli cæleste mysterium. Unde cùm resurgeret Dominus, atque illum quem dudum secundum carnem angustus sepulcri locus texerat, resurgentem ab inferis [c] cæli alta sustinere non possent, hæserunt etiam cælestia opinionis incerto.

6. Veniebat enim novis victor redimitus exuviis, Dominus in templo sancto suo; præibant
C Angeli & Archangeli, mirantes spolium ex morte quæsitum: & quamvis scirent nihil Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum

a. Sic mss. plures ac potiores: alii autem ac edit. *genus hominum* (vet. edit. *humanum*) *de Dei Filio, ut plerique diversa* (vet. edit. *væ diversa*) *sequerentur.*

b. *Dei Patris & Domini*, in mss. plerique omittitur copula.

*. *Per Synagogæ typum*, id est, in quantum Synagogæ figura erat, ejusque personam repræsentabat: in quantum autem Christi præcursor, non cadebat in talem prophetam tanti erroris suspicio, ut ipse Ambrosius tradidit lib. 5. *in Lucam*, num. 93. ubi fusius hæc prosequitur. Videri etiam possunt præter D. Thomam 2. 2. q. 2. art. 7. ad 2. sacri interpretes in 11 Matthæi, & 7. Lucæ. Quod vero ad Angelorum dubitationem, jam à nobis observatum est ad lib. *de Instit. Virg.* cap. 5. num. 39. Doctorem nostrum eamdem hanc opinionem sæpius repetere: sed eam nusquam pertractat uberius, quam hoc ipso loco.

c. Mss. aliquot, melioris notæ, *cæli astra sustinere .... opinionis incerta.*

omnia sunt; tamen trophæa crucis, cujus principium super humeros ejus, & triumphatoris æterni manubias intuentes, quasi eum quem emiserant cæli portæ, capere non possent; licet numquam ejus capiant majestatem, majorem viam quærebant aliquam revertenti: adeo nihil exinanitus amiserat!

7. Debuit tamen novo victori novum iter parari; semper enim victor tamquam major & præcelsior est: sed quia æternæ sunt justitiæ portæ, [a] eædemque novi & veteris Testamenti, quibus cælum aperitur, non mutantur utique, sed elevantur; quia non unus homo, sed totus in omnium redemtore mundus intrabat.

Gen. 5. 24. 4 Reg. 2. 11. Johan. 3. 13. Deut. 4. 6.

8. Translatus erat Enoch, raptus Elias: sed non est servus supra Dominum. *Nullus enim adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* Nam & Moysen, licet corpus ejus non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cælesti legimus, nisi posteaquam Dominus resurrectionis suæ pignore vincula solvit inferni, & piorum animas elevavit. Translatus ergo Enoch, raptus Elias; ambo famuli, ambo cum corpore: sed non [b] post resurrectionem, non cum manubiis mortis, & triumpho crucis viderant illos Angeli.

9. Et ideo Dominum omnium primum ac solum de morte triumphantem venire cernentes, tolli portas principibus imperabant, cum admiratione dicentes: *Tollite portas, principes, vestri; & elevamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.* (Psal. 23. 7.)

10. Erant tamen adhuc & in cælestibus qui stuperent, qui admirarentur novam pompam, novam gloriam; & ideo requirebant: *Quis est iste rex gloriæ?* (Ibidem 8.) Sed quia & Angeli processus habent scientiæ, & capacitatem profectus; habent utique discretionem virtutis, atque prudentiæ: solus enim sine processu Deus; quia in omni perfectione semper æternus est.

11. Dicebant alii, illi utique qui adfuerant resurgenti, illi qui viderant vel jam cognoverant: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

12. Iterum multitudo Angelorum triumphali agmine præcinebant: *Tollite portas, principes, vestri; & elevamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*

13. Rursus alii stupentes dicebant: *Quis est iste rex gloriæ? Vidimus eum non habentem speciem neque decorem:* si ergo ipse non est, *Quis est iste rex gloriæ?* (Ibidem 10. Esai. 53. 2.)

14. Respondetur à scientibus: *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Ergo Dominus virtutum ipse est Filius. Et quomodo infirmum Arriani dicunt, quem Dominum virtutum, sicut & Patrem, credimus? Quomodo Arriani discretionem faciunt potestatis, cùm Dominum sabaoth Patrem, Dominum sabaoth Filium legerimus? Nam & hîc sic positum plerique codices habent, quod [c] *Dominus sabaoth ipse sit rex gloriæ:* sabaoth autem interpretes alicubi Dominum virtutum, alicubi regem, alicubi omnipotentem interpretati sunt. Ergo quoniam qui adscendit Filius est: qui adscendit autem, Dominus est sabaoth; omnipotens utique Dei Filius est.

CAPUT II.

In cælum sine fide adscensurum neminem, vel si quis adscenderit, ejiciendum: illam itaque sedulo conservari debere. Esse etiam in nobis cælos, quorum portæ aperiendæ, ac per Christi divinitatis confessionem elevandæ sunt. Has ab Arrianis non elevari, nec ab iis qui requirunt Filium inter terrena; proindeque illos cum Magdalenâ remittendos ad Apostolos, in quos portæ inferi non prævalebunt. Colligitur ex dictis à servo Domini dignitati non derogandum.

14. Quid igitur agemus? Quomodo adscendemus ad cælum? Sunt illic dispositæ potestates, ordinati principes, qui cæli januas servant, qui adscendentem interrogant: quis me admittet, nisi omnipotentem annuntiem Christum? Clausæ sunt portæ, non cuicumque aperiuntur: non quicumque vult, nisi qui fideliter credit, ingreditur. Custoditur aula imperialis.

15. Sed esto, indignus obrepserit, latuerit principes portarum cælestium, discubuerit in cœna Domini; ingressus Dominus convivii, videns non indutum nuptiale fidei vestimentum, projiciet eum in tenebras exteriores, ubi sit fletus & stridor dentium, si fidem pacemque non servet. (Matth. 22. 11. & seq.)

16. Servemus igitur nuptiale quod accepimus vestimentum, nec Christo propria denegemus, quem omnipotentem annuntiant Angeli, prophetæ significant, apostoli testificantur, sicut jam supra ostendimus. (Sup. lib. 2. cap. 4.)

17. Et fortasse non de istius tantummodo cæli portis propheta dixerit quod præteribit; & alios enim cælos Dei Verbum penetrat, de quibus dictum est: [d] *Habemus enim sacerdotem magnum, principem sacerdotum, qui pertransivit cælos, Jesum Filium Dei.* (Hebr. 4. 14.) Qui sunt isti cæli, nisi & hi de quibus dicit Propheta: *Cæli enarrant gloriam Dei?* (Psal. 18. 1.)

18. Stat enim Christus ad januam mentis tuæ, audi eum dicentem: [e] *Ecce sto ad januam, & pulso; si quis mihi aperuerit, ingrediar ad illum: & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* (Apoc. 3. 20.) Et Ecclesia de eo dicit: *Vox fratris mei pulsat ad januam.* (Cantic. 5. 2.)

19. Stat ergo, & non solus stat; sed præcedunt eum Angeli, qui dicunt: *Tollite portas, principes, vestri.* (Psal. 23. 7.) Quas portas? Illas utique de quibus & alibi dicit: *Aperite mihi portas justitiæ.* (Psal. 117. 19.) Aperi ergo Christo portas tuas, ut ingrediatur in te: aperi portas justitiæ, aperi portas pu-

a. Thuan. cod. unus, *idemque novi & veteris Testamenti aditus, quibus* &c.

b. Non pauci mss. *post resurrectionem jam cum manubiis.* Non ita male; subintelligitur enim, ut postea Christus adscendit.

c. Mss. aliquot, *interpretes alicubi omnipotentem interpretati sunt.* Et sane cum Ambrosius ex voce *omnipotens* argumentetur, sine dispendio sensus aliæ interpretationes omitti possent. Verum cùm habeantur in aliis cod. manu exaratis, nec non in editis omnibus, rejiciendas alias duas non putavimus. Primam qua *sabaoth* exponitur *virtutum* sive *exercituum*, agnoscit Epiphanius *Hær.* 26. & præter alios Patres Origenem, Gregorium Nazianz. Augustinum & Hieronymus epist. 136 ad Marcellam: sicut & eamdem simul atque tertiam, qua scilicet memorata dictio idem sonat ac *omnipotens* epist. 142. comprobat. Quod autem illa ipsa vox etiam pro rege sumi dicitur, hoc non reperimus alterius cujusquam firmatum suffragio.

d. Rom. edit. *Habemus enim principem sacerdotum, qui penetravit;* aliæ ac mss. ut in textu, nisi quod vet. edit. cum Rom. legunt, *penetravit.*

e. Mss. nonnulli, *Ecce steti ad januam mentis tuæ, & pulso.*

pudicitiæ, aperi portas fortitudinis atque sapientiæ. A

Psal. 23. 7. 20. Crede Angelis dicentibus: *Et elevamini portæ æternales, [a] & introibit rex gloriæ, Dominus sabaoth.* Porta tua vocis fidelis canora confessio est: porta tua ostium verbi est, quam *Coloss. 4. 3.* sibi Apostolus optat aperiri, dicens: *Ut aperiatur mihi ostium verbi ad eloquendum [b] mysterium Christi.*

21. Aperiatur igitur Christo porta tua, nec solum aperiatur, sed etiam elevetur; si tamen B æternalis est, non caduca; scriptum est enim: *Et elevamini portæ æternales.* Elevatum est su- *Esai. 6. 7.* perlimen Esaiæ, quando Seraphim labia ejus tetigit, & vidit regem Dominum sabaoth.

22. Tuæ ergo portæ elevabuntur, si sempiternum, si omnipotentem, si inæstimabilem, si incomprehensibilem, si eum qui & præterita omnia & futura noverit, Filium Dei credas. Quod si præfinitæ potestatis & scientiæ, subjectumque opinaris, non elevas portas æter- C nales.

23. Eleventur ergo portæ tuæ, ut non Arriano sensu parvulus, non pusillus, non subditus ad te Christus introeat: sed intret in Dei forma, intret cum Patre, intret talis, qualis est & cælum & omnia supergressus, emittat tibi Spiritum sanctum. Expedit tibi ut credas quia adscendit, & sedet ad dexteram Patris. Nam si eum inter creaturas & terrena impiâ cogitatione detineas, si non tibi abeat, non tibi adscen- D dat, nec paraclitus ad te veniet, sicut ipse dixit: *Johan. 16. 7.* *Nam si ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam illum ad vos.*

24. Quod si inter terrena eum requiras, sicut Maria Magdalene requirebat; cave ne & tibi *Johan. 20. 17.* dicat: *Noli me tangere; nondum enim adscendi ad Patrem meum.* Portæ enim tuæ angustæ sunt, capere me non queunt: elevari non queunt, intrare non possum.

Ibidem. 25. Vade ergo ad fratres meos, hoc est, ad E illas portas æternales, quæ cùm Jesum viderint, *Matth. 16. 18.* elevantur. Æternalis porta est Petrus, cui portæ inferi non prævalebunt. Æternales portæ *Marc. 3. 17.* Johannes & Jacobus, utpote filii tonitrui. Æternales portæ sunt Ecclesiæ, ubi laudes Christi *Psal. 9. 15.* annuntiare Propheta desiderans, dicit: *Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

26. Grande ergo mysterium Christi, quod stupuerunt & Angeli; & ideo venerari debes, & Domino famulus derogare non debes. Igno- F rare non licet; propterea enim descendit ut credas: si non credis, non descendit tibi, non *Johan. 15. 22. & 23.* tibi passus est. *Si non venissem*, inquit, *& loquutus non fuissem his, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit.* Quis igitur odit Christum, nisi qui derogat? Sicut enim amoris est deferre, ita odii est derogare. Qui odit, quæstiones movet; qui amat, reverentiam defert.

CAPUT III.

Verba illa: Omnis viri caput Christus.... caput autem Christi Deus; *primo in Arrianos ipsos retorquet: deinde Christi tantum secundum naturam humanam considerati Deum caput esse ex alio Scripturæ loco, quem objicere solebant iidem hæretici, probat: nec prudentius quoque oppositum ab ipsis textum illum:* Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. *Quibus explicatis, quo pacto Pater in Filio, & Filius in Patre, nec non in utroque fideles esse dicantur, aperitur.*

27. Itaque discutiamus eorum alias quæstiones. Scriptum est, inquiunt: *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput autem Christi Deus.* Qua in quæstione dicant mihi, velim, utrum conjungere, an dividere hæc quatuor velint. Si enim conjungere, atque ita dicunt Deum caput esse Christi, sicut vir est mulieris caput, videte quid incidant. Nam si hæc tamquam ex paribus sumta est comparatio, & hæc quatuor, id est, mulier, vir, Christus, & Deus, quasi ex unius atque ejusdem naturæ similitudine comparantur: ergo mulier & Deus unius incipient esse naturæ. Alias Cap. II. *1. Cor. 11. 3.*

28. Quod si hoc displicet, quia sacrilegum est dicere, ut volunt dividant. Itaque si Christum apud Deum Patrem ita volunt esse, sicut est mulier apud virum; unius utique Christum & Deum dicunt esse substantiæ, quoniam mulier & vir unius sunt in carne naturæ: nam *Gen. 2. 24.* quod distat, in sexu est. Cùm vero inter Christum & Patrem sexus non interveniat; quod unum inter Filium & Patrem in natura est, fatebuntur: quod diversum in sexu est, denegabunt.

29. Placetne ista divisio? An mulierem, virum & Christum unius volunt esse substantiæ, & Patrem separant? Hæccine igitur divisio placet? Si ita est, videte quid incidant. Aut enim non solum Arrianos, sed etiam Photinianos se necesse est confiteantur; quia Christum hominem tantùm fatentur, quem humanæ tantummodo naturæ æstimant copulandum: aut vel invitos adquiescere par est nostræ sententiæ, per quam id quod impie cogitarunt, pie religioseque defendimus; ut sit Christus quidem secundum generationem divinam Dei virtus, secundum adsumtionem autem carnis, unius cum omnibus hominibus in carne substantiæ: salva tamen incarnationis suæ gloria; [c] quia veritatem suscepit, non imaginem carnis.

30. Sit ergo juxta humanam conditionem caput Christi Deus; non enim dixit caput Christi Pater, sed *caput Christi Deus*; quia divinitas, ut pote creatrix, caput est creaturæ. Et bene dixit: *Caput Christi Deus;* ut & divinitatem Christi significaret, & carnem, hoc est, incarnationem in Christi nomine: in Deo autem unitatem divinitatis, & magnitudinem potestatis.

31. Eousque autem caput Christi Deus secundum incarnationem dictum est, ut & caput viri

a. Ita mss. plures ac potiores: alii vero, & edit. *ut introeat in te rex gloriæ &c.*
b. Mss. aliquot, *martyrium Christi.*

c. Vet. edit. *qui auctoritatem suscepit, non imaginem carnis.* Rom. & mss. ut in textu, nisi quod eadem præfert, *qui veritatem:* & cod. Thuan. unus, *quia veritas suscepit imaginem carnis.* Pessime.

Christus

Christus secundum incarnationem Verbi dictum sit. A Quod alibi Apostolus evidenter exposuit dicens: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut & Christus caput Ecclesiæ.* (Ephes. 5. 23.) Et in consequentibus addidit: *Qui se tradidit pro ea.* (Ibid. 25.) Secundum incarnationem igitur caput viri Christus; quia secundum incarnationem facta traditio est.

32. [a] Est ergo caput Christi Deus; ubi servi, hoc est, hominis, non Dei forma tractatur. Sed nihil præjudicat Dei Filio, si secundum carnis veritatem similis sit hominibus, qui in divinitate cum Patre unum est; B (Johan. 10. 30.) non enim potestas hac interpretatione minuitur, sed misericordia prædicatur.

33. Quis autem unam divinitatem Patris & Filii pie abneget; cùm ipse Dominus consummaturus præcepta, discipulis suis dixerit: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus?* (Johan. 17. 11.) Pro testimonio enim fidei positum est, licet ab Arrianis ad argumentum perfidiæ derivetur. Etenim quoniam toties lectam negare non queunt unitatem, extenuare conantur; C ut talis videatur divinitatis unitas inter Patrem & Filium, qualis est inter homines unitas devotionis & fidei: licet etiam inter ipsos homines unitas naturæ sit ex communitate naturæ.

34. Unde & illud apertissime solvitur, quod ad extenuationem Dominicæ unitatis objicere consuerunt, quia scriptum est: *Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt.* (1. Cor. 3. 8.) Hoc Arriani, si saperent, non objicerent. Quomodo enim negare conantur quia Pater & Filius unum sunt; D cùm Paulus & Apollo & natura unum sint & fide? Sed tamen per omnia unum esse non possunt; quia nequeunt comparari humana divinis.

35. Inseparabilis ergo Deus Pater Verbo, inseparabilis virtute, inseparabilis sapientia per divinæ unitatem substantiæ; & est in Filio, sicut frequenter est scriptum: est vero non ut [b] egentem sanctificans, nec ut vacuum implens; quia non vacua Dei virtus. E Nec enim virtus virtute augetur; quia non duæ virtutes, sed una virtus: nec divinitas divinitatem accipit; quia non duæ divinitates, sed una divinitas: nos autem per acceptam & inhabitantem in nobis virtutem unum erimus in Christo.

36. Communis ergo littera, sed discrepans divina, humanaque substantia. Nos unum erimus, Pater & Filius unum sunt: nos secundum gratiam, Filius secundum substantiam. Alia autem per conjunctionem, alia per naturam unitas. F Denique vide quid ante præmiserit: *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te.* (Johan. 17. 21.)

37. Considera ergo quia non dixit: Tu in nobis, & nos in te: sed *tu in me, & ego in te*; ut se à creaturis separaret. Et addidit: *Et isti in nobis,* (Ibidem.) ut etiam hîc suam potentiam & Patris à nobis secerneret; ut quod nos in Patre & Filio unum sumus, non naturæ videatur esse, sed gratiæ: quod autem Filius & Pater unum sunt, non hoc Filius accepisse per gratiam, sed naturaliter ut Filius possidere credatur.

CAPUT IV.

Objectum ab hæreticis locum illum: Non potest filius facere à se quidquam &c. *primo è subsequentibus verbis exponit: deinde singulas integri textus voces expendens, eas Arriana interpretatione sumi sine impietate aut absurditate haud quaquam posse potissimum creationis mundi & quorumdam Christi miraculorum exemplis docet.*

38. Aliud rursus objiciunt, adserentes unam atque eamdem potestatem Filii & Patris esse non posse; (Alias Cap. III.) quia ipse dixit: *Amen amen dico vobis, non potest Filius facere à se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* (Johan. 5. 19.) Itaque nihil ex se fecisse Filium dicunt, nec facere posse, nisi quod viderit facientem Patrem.

39. O præscia sapientia infidelium argumentorum! quæ subjecit quod solveret quæstionem, addendo quod sequitur: *Quia quæcumque ille fecerit, eadem & Filius facit similiter;* (Ibidem.) hoc nempe sequitur. Cur ergo scriptum est: Eadem facit Filius, [c] & non talia; nisi ut in Filio unitatem, non imitationem paterni operis æstimares?

40. Sed tamen ut illorum quoque argumenta discutiamus, quæro ut respondeant, utrum videat Filius opera Patris. Videt itaque, an non? Si videt, ergo & facit: si facit, desinant omnipotentem negare, quem omnia posse facere, quæ Patrem facientem viderit, confitentur.

41. Quid est autem, *viderit?* Corporaliumne [d] aliquis usus oculorum est? Sed si hoc de Filio velint dicere, corporalis etiam in Patre usum operationis ostendent; ut facientem videat, quod ipse facturus est.

42. Quid est autem: *Non potest Filius facere à se quidquam?* Hoc interrogemus, hoc consideremus. Est ergo aliquid impossibile Dei virtuti atque sapientiæ? Hoc est enim Dei Filius, qui utique non alienam accepit fortitudinem: sed quemadmodum vita est, non aliena vivificatione subnixus, sed alios vivificans, quia ipse vita est: ita etiam sapientia est, non quasi insipiens accipiens sapientiam, sed qui de suo alios faciat esse sapientes: ita etiam virtus est, non quasi per infirmitatem consequutus incrementa virtutis; sed ipse virtus, qui virtutem fortibus largiatur.

43. Quomodo ergo virtus quasi cum jurisjurandi adtestatione dicit: *Amen, amen dico vobis,* (Ibidem.) quod est: [*] Fideliter, fideliter dico? Fide-

a. Omnes edit. *Est ergo caput viri Christus, caput Christi Deus:* mss. vero concinnius omittunt, *caput viri Christus*, ut proxime sequentia satis ostendunt.

b. Omnes edit. ac duo mss. *egentem significans:* reliqui mss. *egentem sanctificans.* Magis commode. Ceterum obiter observabimus arrianam hanc verborum Johannis interpretationem admodum communem fuisse. Nam præter Ambrosium nostrum eamdem quoque referunt ac refellunt Athanasius *Orat* 4. *Cont. Arrian.* Hilarius lib. 8. *de Trinit.* August. lib 3. *Cont. Maxim.* Cyrillus Alex. & alii.

c. Mss. aliquot, *& non alia:* reliqui & edit. omnes, *& non talia.* Rectius; eadem quippe facere, æqualitatis est; talia, id est, similia, imitationis. Objectionem porro, quam ex superiori loco urgebant Arriani, non solum hic, & lib. 2. *de Spiritu sancto*, cap. 12. confutat; verum etiam lib. 2. *Hexaem.* cap. 5 n. 19. & in Psal. 118. Serm 20. num 32. quem ultimum locum non sine operæ pretio examinabis.

d. Nonnulli mss. *aliquis visus oculorum est .... corporales etiam in Patre visus* &c.

*. Hunc significatum dictionis *Amen* tradit etiam Hieronymus epist. 134. quæ est *ad Sophronium*, & 137. quæ *ad Marcellam.* In illis autem alias duas acceptiones addit, nimirum ubi quandoque pro *fiat*, quandoque pro *vere* seu *verum est*, ponitur. Easdem similiter admittit Ambrosius, priorem scilicet *in Psalm.* 40. num. 36. alteram autem lib. *de Myst.* cap. 9. num. 54. & alibi.

liter ergo dicis, domine Jesu, & cum sacramenti quadam repetitione confirmas quod nihil facere potes, nisi quod facientem Patrem videris. A Fecisti mundum, numquid alterum mundum Pater tuus fecit, quem quasi ad exemplar acceperis? Ergo necesse est fateantur impii * aut duos, aut certe multos esse mundos, quod philosophi adserunt; ut se etiam in hoc errore gentilitatis involvant. Aut si velint verum sequi, dicant sine exemplari te fecisse, quod feceris.

Marc. 6. 48. 44. Dic mihi, Domine, quando in mari Patrem incarnatum videris ambulantem. B Ego enim nescio, ego hoc de Patre credere sacrilegum puto, qui te solum carnem adsumsisse cognovi. Johan. 2. 9. Quando videris in nuptiis Patrem aquam in vina vertentem. Sed solum te unigenitum Filium legi ex Patre natum, solum te ex Spiritu sancto accepi & Virgine secundum incarnationis sacramenta generatum. Matth. 1. 25. Ergo ista, quæ memoravimus à te gesta, non fecit Pater: sed sine exemplari paterni operis ad redimendam C tuo sanguine salutem mundi solus immaculatus ex alvo Virginis processisti.

45. Ac ne forte incarnationis tantummodo putent sequestrandum esse mysterium (licet Johan. 5. 19. cùm dicunt: *Non potest Filius à se facere quidquam*, nihil excipiant, ita ut & quidam impius dixerit: Nec culicem facere potest; tam temerario ausu, petulantique sermone majestatem supernæ virtutis irridens) dic, domine Jesu, quam terram sine te Pater fecerit? Cælum enim sine D te non fecit, quia scriptum est: Psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt.*

46. Sed nec terram sine te fecit, quia scriptum est: Johan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Nam si aliquid sine te Deo Verbo Pater fecit; non ergo omnia facta per Verbum, & Evangelista mentitur. Quod si omnia facta per Verbum, & omnia per te cœperunt esse, quæ non erant; utique quæ non vidisti à Patre facta, à te ipse fecisti. E Nisi forte * philosophicas tibi ideas Platonica illa disputatione præstituunt, quas ab ipsis tamen philosophis scimus irrisas. Si autem ex te ipse fecisti, vana est adsertio perfidorum, quæ auctori omnium, cui suppetit ex se faciendi magisterium, tribuit discendi profectum.

47. Quod si per te negant cælum esse factum, vel terram, considerent impii quo se suo furore præcipitent; cùm scriptum sit: Hier. 10. 11. *Dii qui non fecerunt cælum & terram, pereant.* F Peribit ergo, Arriane, qui quod perierat, & reperit & redemit? Sed ad proposita revertamur.

CAPUT V.

Cæptam objecti loci expositionem urgens, rationes quatuor quibus aliquid fieri non posse affirmamus, explicat, & earum primas tres in Christum non cadere, solutis quibusdam objectiunculis, demonstrat; & Filium propter solam potestatis cum Patre unitatem nihil à se facere posse deducit.

48. Quomodo *non potest Filius facere à se quidquam?* Quæramus quid sit quod B facere non possit. Multæ sunt impossibilitatum differentiæ. Est aliquid naturâ impossibile, & est aliquid quod est possibile per naturam, impossibile per infirmitatem. Est etiam tertium quod sit possibile per corporis & animi firmitatem: impossibile per imperitiam aut impotentiam. Est etiam quod per definitionem immutabilis propositi, & constantis perseverantiam voluntatis atque amicitiæ fidem sit impossibile mutari.

C 49. Sed hæc ut evidentius possimus advertere, per exempla nobis disputatio dirigatur. Impossibile est ut avis sapientiæ disciplinam aliquam adsequatur aut artem: impossibile est & lapidem prodire quoquam; impossibile est enim lapidem moveri, nisi motu moveatur alterius: non potest ergo lapis per se ipsum moveri, & transire de loco. Non potest etiam aquila humanis imbui disciplinis. Habes unam speciem, cui impossibilitatis causa natura est.

D 50. Impossibile est & debili facere opera robusti: sed huic alia impossibilitatis causa est; quod enim facere potest per naturam, per infirmitatem non potest. Causa igitur huic quoque impossibilitati infirmitas. Alia ergo impossibilitatis hæc species; quoniam à faciendi possibilitate corporis infirmitate revocatur.

51. Tertia quoque impossibilitatis est causa, qua etiamsi per naturam quis, & firmitatem corporis facere aliquid possit; non potest tamen E facere per imperitiam vel impotentiam, ut aut indoctus, aut servus.

52. Quas igitur harum, quas enumeravimus, impossibililatum causas, ut quartam interim sequestremus, Filio Dei existimas convenire? Numquid insensibilis per naturam, & immobilis, sicut lapis? Pet. 2. 6. Lapis quidem est impiis in ruinam, fidelibus angularis. Sed non insensibilis, supra quem sensibilium populorum fideles ædificantur affectus. Non immobilis petra: 1. Cor. 10. 4. *Bibebant enim ex consequenti petra; petra autem erat* F *Christus.* Non ergo paternum opus per naturæ distantiam impossibile Christo.

53. Numquid forte per debilitatem impossibile ei aliquid existimamus? Sed non ille debi- Marc. 2. 11.



* Quam hoc loco tangit Vir sanctus philosophorum quorumdam de mundorum multiplicitate opinionem, ejusdem alibi non semel mentionem facit, ut exempli causa lib. 1. *Hexaem.* cap. 1. n. 3. & lib 2 cap. 2 num 5. Hæc autem illa sententia bifariam dividebatur. Etenim plures mundos existere corporeos adseverabant nonnulli, cùm alii geminum tantum, corporeum scilicet quem habitamus, atque incorporeum qui & archetypus vocitabatur, admittebant De priore intelligendus videntur Ambrosius citatis locis, non secus ac Magnus Augustinus lib. 3. *Cont. Academ.* cap. 10. num. 23. nec non lib. 2. *de Civit. Dei*, cap. 2. & lib. 11. cap. 5. plurésque alii: de posteriore autem idem Augustinus lib. 1. *de Ordine*, cap. 11. num 32 & lib. 1. *Retract.* cap. 3. Eusebius lib. 11. *Præpar. Evang.* num. 27. ex lib. 6. *Strom.* Clementis Alex, & multi alii. Porro Gregorius quoque Nazianz. *Orat.* 36. non minori impetu invehitur in Arrianos, quod duos vel etiam quatuor mundos inducerent.

*. Ambrosius tum hic, tum lib. 1 *Hexaem.* cap. 1. num. 1. veteres PP. sequutus, ut puta Justinum Mart. *Paren. ad Græcos*, Clementem Alexand. lib. 6. *Stromat.* Tertullianum *de Anima* cap. 8. & *Præscript.* cap. 7. atque alios, idearum nomine intelligit naturas quasdam incorporeas, æternas, increatas, à Deo & mundo distinctas, quo sensu illas Aristoteles variis locis *Metaphys.* atque *Ethic.* explicat, & irridet. Sed ipsum sive quod præceptori suo invideret, sive quod non satis caperet illius mentem, ejusdem doctrinam traduxisse ad absurdum sensum multi arguunt; cùm per ideas nihil aliud intellexisset divinus philosophus, nisi formas in mente Dei existentes, ad quas ille mundum creaverit. Sic eum interpretantur præter Eusebium lib. 11. *de Præpar. Evang.* num. 53. & lib. 15. num. 13. Augustinus lib. *de Quæst.* 83. q. 46. & lib. 1. *Retract.* cap. 3. & plures alii.

lis, qui aliorum debilitates imperiali sermone A
sanabat. An debilis videbatur, cùm paralytico
Marc. 2, 11. præcipiens: *Tolle grabatum tuum, & ambula*; sanitatis jam mandabat officium; cùm adhuc ille
remedium debilitatis oraret? Num debilis Dominus virtutum, cùm illuminaret cæcos, incli-
Psal. 145. 8. Matth. 11. 5. natos erigeret, mortuos suscitaret, votis nostris
medicinæ præcurreret effectus, orantes curaret, & fimbriæ mundaret adtactus?

Marc. 6. 56. 54. Nisi forte debilitatem illam, impii, putabatis, quandò vulnera videbatis. Erant qui- B
dem illa corporis vulnera, sed non erat vulneris illius ulla debilitas, ex quo omnium vita
Esai. 53. 5. profluebat. Unde & propheta dixit: *Livore ejus nos sanati sumus*. An qui in vulnere debilis non
erat, erat in majestate? Quomodo quæro. Cùm
Luc 5. 20. dæmoniis imperaret, & reis peccata dimitteret;
Johan. 17. 9. an cùm rogaret Patrem?

55. Quo loco fortasse dicant: Quomodo Pater & Filius unum sunt, si Filius nunc imperat, nunc precatur? Et unum sunt, & imperat, C
& precatur: sed neque cùm imperat, solus; nec cùm precatur, infirmus. Solus non est; quia
Johan. 5. 19. quæcumque Pater facit, eadem similiter & Filius facit: infirmus non est; quia etsi in carne infirmatus est propter peccata nostra, tamen
Esai. 53. 5. [a] illud nostræ erat in eo pacis eruditio, sicut scriptum est, non suæ majestatis infirmitas.

56. Denique ut scias quia secundùm hominem rogat, divinitate imperat, habes in Evangelio
Luc. 22. 32. quia Petro dixit: *Rogavi pro te, ut non deficiat* D
Matth. 16. 18. *fides tua*. Eidem autem supra dicenti: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, respondit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves regni cælorum*. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat; quem cùm petram dicit, [b] firmamentum Ecclesiæ indicavit? Quando igitur roget, quando imperet, considera. Rogat, quando passurus ostenditur: imperat, quando Filius Dei creditur. E

57. Duas igitur species impossibilitatis vacare jam cernimus, quod neque insensibilis, neque infirma potest esse Dei virtus. Numquid tertium profertis in medium, quod quasi imperitus sine magistro facere nihil possit, aut servus sine domino? Ergo mentitus es, domine Jesu, qui te & magistrum, & dominum ipse dixisti,
Iohan. 13. 13. & fefellisti discipulos tuos, dicens: *Vos vocatis me magistrum & dominum*, [c] *& bene dicitis; sum etenim*. Sed non falleres, veritas, eos præser- F
tim quos amicos vocasti.

58. Tamen si ut imperitum te ab artifice secernunt, [d] viderint ut tibi, hoc est, Dei sapientiæ dicant peritiam defuisse; unitatem tamen substantiæ inter te & Patrem separare non possunt. Artificem namque ab imperito imprudentia non natura secernit: sed non in Patre artificium, neque in te insipientia; non est enim insipiens sapientia.

59. Ergo si neque insensibilis in Filio natura, neque debilitas, neque imperitia, neque servitus potest esse; considerent quod & per naturam & majestatem unum sit cum Patre Filius; & per operationem non discrepet à Patre virtus; cùm omnia quæ Pater fecerit, eadem Filius faciat similiter: neque enim similiter potest quisquam facere idem opus, quod alius fecerit; nisi qui & inæqualitatem non habeat operationis, & naturæ ejusdem habeat unitatem.

60. Adhuc tamen requiro, quid sit quod non possit facere à se Filius, nisi viderit facientem Iohan. 5. 19.
Patrem; & insipienter aliqua [e] de vilioribus exempla propono: *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. 2. Cor. 12. 11.
Nam quid insipientius, quam de majestate Dei argumenta discutere, *quæ quæstiones* 1. Tim. 1. 4. & 5.
magis præstant, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide? Sed argumentis argumenta respondeant: illis verba, nobis caritas, [f] quæ in Deo est, *de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta*. Ergo ad infirmationem tam ineptæ propositionis, non piget etiam ridicula derivare.

61. Quomodo ergo videt Filius Patrem? Videt equus picturam, quam per naturam imitari non potest: non utique sic videt Filius. Videt parvulus viri opera majoris, sed imitari non potest: nec utique sic videt Dei Filius.

62. Ergo si Filius per ejusdem cum Patre arcanum commune naturæ invisibiliter & videre & facere potest, & per plenitudinem divinitatis quod voluerit exsequi: quid superest, nisi ut per unitatem inseparabilem potestatis nihil credamus Filium facere, nisi quod viderit Patrem facientem; [g] quia per incomparabilem caritatem nihil à se facit Filius; quoniam nihil vult, quod Pater nolit? Quod utique non infirmitatis, sed unitatis est.

CAPUT VI.

Accedit ad quartam è rationibus supra memoratis; & Filium nihil facere quod non probetur à Patre; cùm sit utriusque perfecta voluntatis atque potestatis unitas, liquido probans, nonnullas difficultates subinde tollit.

63. Ergo nec contumax Filius, ut etiam de quarta propositione dicamus; nihil enim consiliarius Filius fecit, quod cùm Patris non conveniat voluntate. Denique vidit Pater quæ fecit Filius, & probavit quia bona valde; sic enim habes in Genesi: *Et dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux; & vidit Deus lucem, quia bona est*. Gen. 1. 3. & 4.

64. Numquid hîc dixit Pater: Fiat talis lux, qualem ipse feci: [h] aut fiat lux, quæ ante non fuerat: aut Filius qualem faceret, interrogavit? Sed fecit, ut voluit, qualem Pater usque eò voluit, ut probaret. Ergo novum opus Filii est.

65. Deinde si reprehenditur in Filio secundum interpretationes Arrianorum quia quod viderit, fecit, qui utique secundum Scripturas quod non vidit, & fecit; & dedit esse quæ non erant: quid dicunt de Patre, qui quod viderat

a. Mss. aliquot, *illud*, quidam, *illa nostra erat* &c.
b. Mss. nonnulli, *firmamentum Ecclesiæ judicavit.*
c. Duo mss. *& benefacitis.*
d. Nonnulli mss. *videro utrum tibi* &c.
e. Bigot. cod. *debilioribus exempla* &c.
f. Nonnulli mss. cum Apostolico textu omittunt, *in Deo*; & infra pro *tam ineptæ*, iidem codices præferunt *tua inepta* &c.
g. Ita mss plures ac probatiores: alii, autem & edit. *quia per inseparabilem unitatem.*
h. Omnes edit. & mss. aliquot, *sed fiat lux ...; aut Filius*; ultimæ edit. Paris. *At Filius*. Haud incommode: reliqui autem mss. ut in textu.

prædicavit, quasi ea quæ facienda forent, non A potuerit prævidere.

66. Similiter ergo videt Filius Patris opus, sicut Pater opus Filii: nec quasi alienum laudat, Johan. 5. 19. sed quasi proprium recognoscit: *Quæcumque enim Pater fecerit, eadem Filius facit similiter*; ut idem opus Patris Filiique sentires. Nihil ergo facit Filius, nisi quod Pater probet, Pater laudet, Pater velit; quia ex Patre totus est: non ut creatura, quæ multa committit, dum studio lapsuque peccati voluntatem frequenter B offendit auctoris. Nihil ergo Filius facit, nisi quod placeat Patri; quia una voluntas, una sententia est, una est vera caritas, unius operationis effectus.

67. Denique ut scias caritatis esse quod *non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit facientem Patrem*, cùm præmisisset: *Quæcumque ille fecerit, eadem & Filius facit similiter*, subjecit: *Pater enim diligit Filium.* Ergo quod dixit Scriptura quia *non potest*, ad inseparabilis C & individuæ caritatis retulit unitatem.

68. Quod si naturaliter est, ut vere est, inseparabilis caritas; inseparabilis utique est etiam operatio naturaliter: & impossibile ut opus Filii Johan. 12. 50. cum Patris non conveniat voluntate; quando id quod Filius operatur, operatur & Pater: & quod Pater operatur, operatur & Filius: & a quod loquitur Filius, loquitur & Pater, sicut Johan. 14. 10. scriptum est: [a] Pater meus qui in me manet, ipse D loquitur; & opera quæ ego facio, ipse facit. Nihil enim Pater sine virtute atque sapientia sua condidit; quia omnia in sapientia fecit, sicut Psal. 103. 24. scriptum est: *Omnia in sapientia fecisti.* Nihil etiam Deus Verbum sine Patre fecit.

69. Non operatur sine Patre, non sine patria Hebr. 10. 10. voluntate sacrosanctæ illi se obtulit salutaris mundi totius hostia passioni, non sine patria voluntate mortuos suscitavit. Denique Lazarum suscitaturus levavit oculos sursum, & dixit: E Johan. 11. 41. & 42. *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me: & ego sciebam quia semper me audis: sed propter turbam quæ circumstat, dixi; ut credant quia tu me misisti:* b ut quamvis [b] ex personæ hominis incarnati susceptione loqueretur, unitatem tamen paternæ voluntatis & operationis exprimeret; quia Pater omnia audit, omnia videt quæ vult Filius. Videt ergo & Pater facientem Filium, audit volentem. Denique non rogavit, & exauditum se esse dixit.

70. Nec existimari potest quia non audit Pa- F ter, quod velit Filius: & ut scias quia semper auditur à Patre, non quasi servus, nec quasi propheta, sed quasi Filius: *Et ego*, inquit, *sciebam quia semper me audis: sed propter turbam quæ circumstat, dixi; ut credant quia tu me misisti.*

71. Propter nos igitur [c] gratias agit, ne eumdem Patrem, eumdemque Filium esse credamus, cùm idem opus Patris audimus & Filii. c Nam ut cognosceres non quasi infirmum gratias egisse, sed quasi Dei Filium semper sibi divinam potentiam vindicare, clamavit: *Lazare veni foras.* Imperantis utique vox ista est, non precantis.

CAPUT VII.

Proposita doctrina hinc confirmatur, quod Filius sit Patris Verbum, non quale nostrum, sed vivum & operatorium; atque adeo non possit negari ejusdem cum Patre voluntatis, potestatis ac substantiæ.

72. SEd ut ad superiora redeamus, & proposita concludamus, facit quasi Verbum Filius voluntatem Patris. Verbum hoc nostrum utique prolativum est, syllabæ sunt, sonus est; & tamen à sensu nostro, & mente non discrepat, & quæ interiori tenemus affectu, ea tamquam operantis verbi testificatione signamus. Sed non sermo noster operatur, solum est Verbum Dei, quod nec * prolativum est, nec quod ἐνδιάθετον dicunt; sed quod operatur & vivit & sanat. *

73. Vis scire quale Verbum? Audi dicentem: *Vivum est enim Verbum Dei, & validum atque operatorium & acutum, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum.* Hebr. 4. 12.

74. Verbum igitur audis Dei Filium, & à patria voluntate & potestate secernis? Audis quia vivit, audis quia sanat: noli ergo nostro comparare verbo. Si enim verbum nostrum quæ non obtutu viderit, non auditu audierit, loquitur; & loquitur tamen cognita per quædam naturæ humanæ interna mysteria: quomodo non impius, qui secundum divinitatem in Dei Verbo & obtutum quemdam corporeum exigit, & auditum: & putat quod non possit à se quidquam facere Filius, nisi quod Patrem facientem viderit; cùm per unitatem, Johan. 5. 19. ut diximus, ejusdem substantiæ idem velle atque idem nolle & idem posse & in Patre sit & in Filio & in Spiritu sancto?

75. Quod si homines plerumque sensuum qualitate discreti, tamen unius propositi intentione concordant; quid de Patre nos & Dei Filio congruit æstimare: cùm id quod humana imitatur caritas, substantia divina possideat?

76. Ponamus tamen, sicut ipsi volunt, quia quasi in exemplari, quod viderit Patrem facientem, Filius faciat. Et hoc utique ejusdem substantiæ est; nullus enim potest alterius imitationem operationis implere, nisi qui ejusdem naturæ habeat unitatem.

a. Rom. edit. sola, *Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor; &c.: Pater meus qui in me manet, ipse facit opera.* Quæ quidem verba hic habentur apud Johannem citatis locis. At contra consensum mss. ac vet. edit. nihil movemus.

b. Quinque mss. *ex persona hominis in carnis susceptione*: reliqui & edit. ut in textu. Jam autem monuimus vocem *persona* non semper stricte & scholastico rigore sumtam ab Ambrosio. Et sane hoc loco nihil aliud sonat, nisi in quantum homo. Quod vero ad voluntatis cum Patre unitatem, de qua hic loquitur, si per eam voluntatis humanæ unitatem intelligamus, nihil aliud erit illa unitas, nisi consensio, subjectio & conformitas. At quominus eam de vera divinæ voluntatis unitate interpretemur, nihil vetat.

c. Omnes edit. ac mss. quidam, *gratias egit. Nec eumdem* &c. alii, sed. majori numero & auctoritate, *gratias agit, ne eumdem* &c. Optime; quamobrem enim propter nos gratias egerit, hæc ratio redditur, ne videlicet Patris ac Filii unam personam esse credamus, cùm nemo sibi ipsi gratias agat.

*. Verbum prolativum seu προφορικὸν verbo interno sive ἐνδιαθέτῳ opponi jam adnotavimus. Verbum autem divinum προφορικὸν qui eo modo diceret, ut syllabas aut sonum corporeum esse fingeret, nemo usque adeo insanus fuit: at illud ipsum esse ἐνδιάθετον contendebant, ac similem humanis habitibus, proindeque accidentalem, atque à Patris natura separatum, ut ex Basilii Homil. 27. Cont. Arrianos &c. intelligimus. Verumtamen idem illud Verbum spiritali quadam ratione prolativum adseverabant Arriani, quod nimirum ex Patre nasceretur non per generationem *Verbi manentis*, sed quasi per prolationem *fluentis sermonis*, quod toto hoc opere impugnat Ambrosius.

CAPUT VIII.

Hæreticorum objectionem, qua Filium quod alium generare non possit, Patri negabant esse æqualem, primo in adversarios ipsos retorquet: deinde hominum ostendit exemplis quod quispiam generet aut secus, ad potentiam non pertinere; maxime cùm alioqui ipsemet Pater minus potens dicendus esset. Inde colligit divina ex humanis non esse judicanda, sed standum Scripturæ auctoritati. Postremo omnipotentiam vel Patri abjudicandam, B *vel adjudicandam Filio ubi demonstravit, ipsos si filios non genuerint, propriis servis qui sobolem procreaverint, minus potentes fore inducit, proindeque totam eorum disputationem ineptam esse.*

Alias Cap. IV. 77. Illud ridiculum est, [a] Imperator auguste, quod quidam hoc etiam ad inæqualitatem Dei Patris & Filii objiciendum usurpare consuerunt, quod dicant omnipotentem Patrem esse, quod generavit Filium: negent au- C tem omnipotentem Filium, dicentes quia generare non potuit.

78. Sed vide quemadmodum sæva impietas, ut dialecticâ philosophorum se ipsa convincat. Hac enim quæstione aut coæternum Patri Filium necesse est sua voce fateantur; aut si principium temporis Filio aliquod adscribunt, principium potentiæ necesse est tribuant etiam Patri. Ita cùm omnipotentem Filium negant; incipiunt, quod nefas dictu est, adserere per Fi- D lium Patrem omnipotentem esse cœpisse.

79. Nam si per generationem omnipotens Pater, utique aut coæternus Patri Filius est; quia si semper omnipotens Pater, sempiternus & Filius: aut si fuit, quando non erat Filius sempiternus; fuit ergo quando non erat omnipotens Pater. Nam cùm volunt dicere Filium aliquando cœpisse, in illud recidunt, ut & Patris potentiam dicant non semper fuisse, sed ex Filii generatione cœpisse. Ita dum Filio Dei E cupiunt derogare, plus tribuunt; ut contra fas omne auctorem paternæ potentiæ declarare videantur; cùm Filius dicat: *omnia quæ Pater habet, mea sunt*, hoc est, non quæ Patri ipse tradiderit, sed quæ à Patre jure generationis acceperit. Johan. 16. 15.

80. Et ideo Filium sempiternam dicimus esse virtutem: si ergo sempiterna ejus virtus atque divinitas, utique & potentia ejus est sempiterna. Filio igitur qui derogat, Patri derogat, pietatem offendit, violat caritatem. Nos ho- F norificemus Filium, in quo Pater complacet; placet enim Patri ut laudetur Filius, in quo ipse complacuit. Rom. 1. 16.

81. Respondeamus tamen intentioni eorum, * ne epilogo quodam invidiam quæstionis declinasse videamur. Generavit, inquiunt, Pater, A non generavit Filius. Quod hîc argumentum est inæqualitatis? Generatio enim paternæ proprietatis est, non potentiæ: & pietas æquat, non separat. Denique in ipso usu nostræ infirmitatis frequenter evenire cognoscimus, ut & infirmi filios habeant, & non habeant fortiores: habeant servi, non habeant domini: habeant inopes, non habeant [b] qui potentes sunt.

82. Sed si dicunt & hoc infirmitatis esse, quia volunt homines filios habere, nec possunt: quamvis humana non sint conferenda divinis; intelligant tamen inter ipsos quoque homines non potentiæ esse, sed paternæ proprietatis habere filios, vel non habere: nec in potestate nostræ voluntatis esse generare, sed in corporis qualitate; nam si esset potentiæ, utique potentior multos haberet. Ergo non est potentiæ habere filios vel non habere.

83. Numquid naturæ est? Si naturæ infirmitatem putatis, & ad humana vos confertis exempla, eadem Patris est natura quæ Filii est. Itaque aut verum Filium dicitis, & Patri in Filio derogatis per unitatem ejusdem naturæ (sicut enim Pater natura Deus est, ita & Filius: deos autem ait Apostolus non natura deos esse, sed dici) aut si negatis esse verum Filium, hoc est, ejusdem naturæ; non est ergo generatus: si non est generatus Filius, non generavit Pater. 1. Cor. 8. 5.

84. Colligitur itaque juxta sententiam vestram, ut non sit omnipotens Deus Pater; quia generare non potuit, si non generavit Filium, sed creavit. Sed quia omnipotens Pater, cùm juxta sententiam vestram solus generator omnipotens sit; generavit utique Filium, non creavit. Verum ipsi magis quam vobis credendum est. Ille ait: *Genui*; & frequenter ait, generationis suæ testis. Psal. 109. 3.

85. Non est ergo naturæ, non est potentiæ in Christo aliqua, quia non generavit, infirmitas; quia generatio, sicut sæpe jam diximus, non ad sublimitatem potentiæ, * sed ad proprietatem refertur naturæ. Nam si ideo omnipotens Pater, quia Filium habet; omnipotentior ergo esse potuit, si plures haberet.

86. An vero potentia ejus in una generatione defecit? At ego ostendam & Christum habere filios, quos quotidie generat, sed ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non naturæ; adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis. Quod ipsa Scriptura nos docuit; dicit enim Johannes; quia *in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Johan. 1. 10. & seq.

87. [c] Didicimus itaque potestatis esse, quod

a Omnes edit. & mss. aliquot omisso, *illud ridiculum est*, statim incipiunt, *Imperator auguste*, *quidam* &c. Unde non pauci mss. etiam resecant, *Imperator auguste:* melius alii, quamquam pauciores, ut in contextu.

*. Epilogum pro querimoniis ab Ambrosio usurpatum *Hexaem.* lib 6. cap. num. 24. observabamus. Neque vero eamdem vocem hoc loci usurpat sensu admodum alieno; nihil enim aliud signat quam ejusmodi sermonem, qualem oratores, ut judicum mentes à causæ quæ agitur, cogitatione avertant, ad movendos eiendosque affectus adhibere solent.

b. Ita vet. edit. & plures potioresque mss. at Rom. edit. cum aliis nonnullis, *qui ditiores sunt.*

*. Hanc Ambrosii sententiam Petavius lib. 2. *de Trinit. cap.* 5. ita exponit, *hoc est*, inquit, *proprium quiddam esse personæ, sive naturæ divinæ, quæ in Patre subsistit.* Quod ut adhuc fiat planius, advertendum ex natura Patris generari Filium, non quatenus natura est, sed quatenus est in Patre; ut ille simul & consubstantialis sit Patri, & ab eo personaliter distinctus.

c Rom. edit. & quidam mss. *Dicimus itaque:* vet. edit. & alii mss. *Didicimus itaque* Aptius, refertur enim ad superiora, *dedit illis potestatem* &c. Iterum vero ubi omnes, & mss. aliquot, *proprietatis autem generationem*, Amerb. Atque Eras. *generationes*; reliqui cod. invertunt sententiam in hunc modum, *proprietatem autem generationis.* Minus commode.

nos filios Dei fecit: proprietatis autem generationem esse oracula divina declarant; dicit enim Sapientia Dei: (Eccl. 24. 5.) *Ex ore Altissimi prodivi*, hoc est, non coacta, sed libera: non potestati obnoxia, sed nata generationis arcano, privilegio dominationis & [a] jure potestatis. Denique de eadem Sapientia, hoc est, de domino Jesu, alibi Pater dicit: (Psal. 109. 3.) *Ex utero ante luciferum genui te.*

88. Quod utique ideo dixit, non ut corporalem alvum declararet, sed ut proprietatem veræ generationis ostenderet. Nam si ad corporalem referas; ergo omnipotens Pater cum dolore & conceptione generavit. Sed absit, ut Deum ex infirmitate corporis metiamur. Est quidam uterus paternæ arcanum substantiæ, interiusque secretum, quod non Angeli, non Archangeli, non Potestates, non Dominationes, non aliqua creaturarum potuit penetrare natura. Cùm Patre enim semper, & in Patre semper est Filius: cum Patre per distinctionem indissociabilem Trinitatis æternæ, in Patre per divinæ unitatem naturæ.

89. Quis igitur hic arbiter divinitatis, qui discutiat Patrem ac Filium: ille, quare generaverit: iste, cur non generaverit? Servulum suum aut ancillulam cur non generaverit, nemo condemnat: isti condemnant, cur non generaverit Christus; condemnant enim sua opinione, cùm derogant. Nec conjugibus inter se cur non generaverint, aut caritas minuitur, aut meritum derogatur: isti quia non generavit, Christi minuunt potestatem.

90. Cur, inquiunt, Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est. Cur non iste generavit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est: nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius: (Johan. 16. 15.) *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis!

91. Est quædam indistincta distinctæ incomprehensibilis & inenarrabilis substantia Trinitatis. Distinctionem etenim accepimus Patris & Filii & Spiritus sancti, non confusionem: [b] distinctionem, non separationem: distinctionem, non pluralitatem. Divino itaque admirandoque mysterio manentem semper accipimus Patrem, semper Filium, semper Spiritum sanctum: non duos Patres, non duos Filios, non duos Spiritus. (1. Cor 8. 6.) *Unus* enim *Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus dominus Jesus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Unus natus ex Patre dominus Jesus, & ideo unigenitus. (Ibid. 12. 11.) *Unus & Spiritus sanctus*, ut idem Apostolus dixit: Sic accipimus, sic legimus, sic tenemus. Distinctionem scimus, [c] secreta nescimus: causas non discutimus, sacramenta servamus.

92. Facinus indignum, ut qui generationis suæ facultatem non habent, divinæ generationis examen sibi arrogent, vindicent potestatem! Negent ergo æqualem Patri Filium, quia non generavit Filius: negent æqualem Patri Filium, quia Patrem habet. Hoc si de hominibus dicerent, quorum aliqui volunt filios habere, nec possunt, injuriam putaremus: sic etiamsi inter duos honore pares habenti filios qui non habet, negaretur æqualis. Et ideo hoc, inquam, grave & de ipsis hominibus videtur, ut quis ideo minor putetur, quod Patrem habet. Nisi forte tamquam constitutum in familia putant Christum dolere, quod emancipatus à Patre non sit, & administrandi patrimonii non habeat facultatem. Sed non est Christus in sacris, [d] qui sacra universa destruxit.

93. Quomodo volunt tamen, respondeant, verane generatio sit, & verus Filius ex Deo Patre natus, hoc est, ex substantia Patris, an ex alia natus substantia? Si enim dicunt ex Patre, hoc est, ex Dei substantia, [e] convenit; quia ex substantia Patris Filium dicunt. Ergo quia unius substantiæ, unius utique potentiæ. Si vero ex alia substantia Filius est, quomodo omnipotens Pater est, & omnipotens Filius non est? Quid enim præstantius si ex alia substantia Filium Deus fecit, cùm utique & Filius ex alia nos substantia filios Dei fecerit? Ergo aut unius substantiæ Filius cum Patre, aut unius potentiæ.

94. Friget igitur eorum quæstio, quia de Christo judicare non possunt; immo quia vincit ille, cùm judicatur. Digni tamen sunt isti judicio suo, qui hanc objiciunt quæstionem. Si enim ideo æqualis Patri Filius non est, quia non generavit Filium, & isti utique fateantur, si non habent filios, qui ferunt hujusmodi quæstiones, suos sibi etiam servulos præferendos, eo quod habentibus filios æquales esse non possunt. Si autem habent filios, non putent sibi meritum, sed filiorum juri deferri.

95. Non consistit igitur hæc quæstio, quia æqualis Filius Patri ideo esse non possit, quia Pater generaverit Filium, Filius nullum ex se ipse generaverit. Nam & fons fluvium generat, & fluvius fontem ex se ipse non generat: & lux splendorem generat, non splendor lucem; & una natura est splendoris & lucis.

CAPUT IX.

Varias Arrianorum captiunculas, queis Filium cœpisse argutabantur, profert & explodit. Nam præter quam quod eos aut contra se, aut nihil efficere constat; cùm rerum omnium principio non possit esse principium, in humanis etiam eorum argumentatio vitiosa est. Tempus igitur non præcessisse auctorem suum: qui si aliquando non fuit, tunc Pater fuit sine sua virtute ac sapientia. Denique ubi humanis exemplis ostensum est aliquem priusquam nascatur, esse dici, hæreticorum temeritatem detestatur.

96. Unde cùm inæqualitatem ex generationis objectu probare non potuerint,

a. Mss quatuor, *jure pietatis.* Haud incongrue.

b. Sic omnes edit. & mss. non pauci: alii vero jugulatis vocibus, *distinctionem non separationem*, subjungunt, *divinitatemque admirando mysterio manentem semper accipimus ex Patre, semper per Filium, semper in Spiritum sanctum*: unus è Colbert. *distinctionem, non separationem, non pluralitatem didicimus.* Cetera ut in contextu.

c. Nonnulli mss. *secreta scimus, sacramenta servamus.*

d. Vet. edit. *qui sacra universa distinxit*: Rom. & mss. .... *destruxit.* Dicebantur autem pupilli in sacris esse, ut patet ex Cod. Theod. *de Maternis bonis* L. L. 1. 9.

e. Omnes edit. *convenit quod .... dicant*: mss. *convenit, quia ... dicunt.* Optime, idem enim est ac si legeretur, convenit inter nos, sive in hoc non dissentimus &c.

intelligant etiam illam divulgatam suæ calumniam quæstionis explosam. [a] Solent enim proponere : Quomodo æqualis potest esse Filius Patri? Nam si Filius est, antequam generaretur, non erat : aut si erat, cur natus est? Et Arrianos se negare consuerunt, qui proponunt Arrii quæstiones?

97. Itaque exigunt à nobis responsionem, ut si dixerimus : Antequam generaretur, erat, astute referant : Ergo antequam generaretur, creatus est, & non differt à ceteris creaturis; quia prius cœpit creatura esse quàm Filius. Et adjiciunt : Cur qui erat, natus est? An quia imperfectus erat, ut postea perfectior fieret? Si autem responderimus quia non erat, objiciunt statim : Ei ergo generatio contulit ut esset, qui non erat antequam nasceretur; ut hinc colligant : Erat ergo, quando non erat Filius.

98. Sed qui hoc proponunt, & obscuritate volunt involvere veritatem, dicant ipsi vtrum temporaliter generet Pater, an intemporaliter. Si enim temporaliter dixerint, quod Filio objiciunt, Patri adscribent; ut videatur Pater cœpisse esse, quod non erat : si intemporaliter, quid superest, nisi ut ipsi solvant, quam proposuerint quæstionem; ut cùm generationem Patris abnuant temporalem, generationem quoque Filii temporalem non esse fateantur?

99. Si ergo non est generatio ejus ex tempore, æstimari datur quod nihil præcesserit ante Filium, qui non sit ex tempore. Si enim aliquid ante Filium, jam non sunt in ipso creata omnia, quæ vel in cælo sunt vel in terris, & Apostolus redarguitur, qui hoc in epistola sua scripserit : quod si nihil ante generationem, non adverto cur posterior asseratur, quem nemo præcessit. *Coloss. 1. 16.*

100. Connectenda est alia eorum plena impietatis objectiò, quæ latentem habeat dolum, quo sensus facilium, mentesque perstringat. Interrogant enim, utrum omne quod finem habet, aliquando cœperit. Et si acceperint ejusmodi responsionem, quia quod finem habet, cœpit aliquando; referunt, utrum Pater desierit generare Filium. Quod cùm tenuerint, nostro adspirante consensu, contexunt : Cœpit ergo generatio. Id si non abnuas, consequi videtur, ut si cœpit generatio, videatur in eo cœpta, qui natus est; ut natus esse dicatur, qui ante non fuerat; unde definiant : Aliquando ergo Filius non fuit.

101. Adjiciunt alias ineptias loquacitatis suæ, dicentes : Si Verbum Patris Filius est, & ideo genitus dicitur, quia Verbum est : quod autem Verbum est, opus non est : multifariam loquutus est Pater; multos ergo generavit filios, [b] si non operatus est, sed loquutus est Verbum. Amentes homines! quasi non intelligant, quid intersit inter prolativum sermonem, & in æternum permanens Dei Verbum ex Patre natum : natum utique, non prolatum : in quo non composita syllaba, sed plenitudo divinitatis æternæ est, & vita sine fine. *Hebr. 1. 1.*

102. Subtexunt aliam impietatem, proponentes utrum volens, an invitus generaverit Pater; ut si dixerimus volentem, antiquiorem generatione voluntatem videamur fateri, & referant quia non sit Filius coæternus Patri, quem aliquid antecessit : aut quia & ipse sit creatura; quia scriptum est : *Omnia quæ voluit, fecit*; cùm hoc ipsum non de Patre & Filio, sed de his quas Filius fecit, dictum sit creaturis. Sin autem invitum Patrem generasse responderimus, invalidum Patrem dixisse videamur. *Psal. 113. 11*

103. Sed nihil in sempiterna generatione præcedit, nec velle, nec nolle : ergo nec invitum dixerim, nec volentem; quia generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in jure quodam & proprietate paterni videtur esse secreti. Nam sicut bonus Pater non aut ex voluntate est, aut necessitate, [c] sed super utrumque, hoc est, naturâ; ita non generat ex voluntate aut necessitate Pater.

104. Esto tamen, sit generatio in voluntate generantis, quando hanc voluntatem fuisse dicunt? Si in principio, in principio utique Filius : si sempiterna voluntas, sempiternus & Filius : si cœpit voluntas, displicuit igitur sibi quod erat Deus Pater, ut mutaret statum. Displicuit ergo sibi sine Filio, placere cœpit sibi in Filio.

105. Jam illa consequentia ut dicamus : Si studium generandi nostro more adsumsit; ergo & cetera quæ generationem præcedere solent, nostro more adsumsit : nostro autem usu generationis votum est, non voluntas.

106. Produnt igitur impietatem suam, qui volunt generationem cœpisse Christi; ut videatur non generatio illa Verbi manentis, sed prolatio fluentis esse sermonis : deinde multos inducendo filios, negent in Christo divinæ proprietatem naturæ; ut nec unigenitus, nec primogenitus æstimetur : postremo ut si principium credatur accepisse, etiam finem videatur habiturus.

107. Sed neque principium adsumsit aliquando Dei Filius, qui erat in principio : neque finem, habebit qui est principium universitatis & finis. Nam cùm sit principium, quomodo quod habebat, accepit? aut quomodo sui finem habebit; cùm omnium ipse sit finis, ut in illo fine sine fine maneamus? Dei enim generatio cùm temporalis non sit, nec ante se, nec in se tempus invenit. *Iohan. 1. 1. Iohan. 8. 10.*

108. Frigida igitur eorum & vana quæstio in creaturis ipsis non habet locum; ipsa etenim quæ temporalia sunt, discretionem in quibusdam habere temporis non videntur. Lux nempe splendorem generat, nec comprehendi potest quod splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior; quia ubi lumen est, splen-

a. Ita mss. prope ad unum : edit. vero, *Solent enim opponere.* Ceterum ea objectio una semper fuit è præcipuis Arrianorum : sed illam peculiari quadam ratione nobis instructam rationibus intorquebant Eunomiani. His responderunt Gregorius Nyss. lib. 8. *in Eunom.* Basilius lib 4. contra eumdem, Hilarius lib. 12. *de Trinit* atque alii.

b. Mss. duo, *si non creavit* : unus, *si non creatus est.*

c. Vet. edit. *sed per naturam, ita generat* : non pauci mss. ac Gill. in marg. *sed super utrumque, ita generat* : Reliqui atque edit. Rom. ut in textu. Erat porro ipsius Arrii hæc objectio, ut Epiphanius Hær. 76. num. 6. scriptis mandavit. Geminam ei responsionem Patres opponebant : alii enim Filium voluntate agnoscebant genitum, voluntatem tamen quod hoc etiam loco non prætermisit Ambrosius, generatione priorem esse pernegabant : alii vero plures hanc ipsam quam Doctor hic noster, solutionem afferebant.

dor est: & ubi splendor, etiam lumen est. Itaque nec sine splendore lumen, nec splendor potest esse sine lumine; quia & in splendore lumen, & splendor in lumine est. Unde & Apostolus splendorem paternæ gloriæ Filium dixit; (Hebr. 1. 3.) quia splendor paternæ lucis est Filius: coæternus, propter virtutis æternitatem: inseparabilis, propter claritudinis unitatem.

109. Ergo si temporalia & aerea hæc comprehendere & separare non possumus, quæ videmus; Deum quem non videmus, qui super omnem est creaturam, in ipso suæ generationis arcano possumus comprehendere? Possumus eum à Filio tempore separare, cùm omne tempus opus Filii sit?

110. Desinant ergo dicere: Et antequam generaretur, non erat. Ante enim temporis est, generatio ante tempora; & ideo quod posterius est, prius non est: nec opus ante auctorem potest esse; cùm opera ipsa principium de operatore suo sumant. Nam quomodo ante operatorem suum usus operis æstimetur; cùm omne tempus opus sit, & omne opus de operatore suo ut esset, accepit?

111. Experiri igitur adhuc istos volo, qui sibi videntur astuti; ut de nostris respondeant, qui calumniantur divinis, longeque refugiunt ab inscrutabili supernæ generationis arcano: quæstionem suam humanæ adstruant generationis exemplo. De Filio Dei dicunt quia antequam generaretur non erat, hoc est, de Dei sapientia, de virtute Dei, [a] de Dei Verbo, cujus generatio nihil ante se novit. Quod si aliquando, ut volunt, non fuit (quod nefas dictu est) non fuit ergo in Deo perfectionis aliquando plenitudo divinæ, si postea processum generationis accepit.

112. Tamen ut sciant quam vana sit & solubilis eorum quæstio; licet nihil in eo humanis divinisve commune, tamen docebo homines, antequam nascerentur, fuisse. Aut negent Jacob (Gen. 25. 23.) sanctum fuisse, priusquam nasceretur, qui fratrem supplantavit in materni adhuc uteri positus arcano: negent Hieremiam, antequam nasceretur, [b] fuisse, cui dicitur: (Hier. 1. 5.) *Priusquam te formarem in utero matris tuæ, novi te: & priusquam exires de vulva, sanctificavi te, & prophetam in gentibus posui te.* Quid hoc evidentius tanti exemplo prophetæ, qui sanctificatus est, antequam natus, & antequam formaretur, est cognitus?

113. Quid etiam de Johanne loquar, de quo mater religiosa testatur, quia intra materna situs adhuc viscera, præsentiam Domini spiritu cognovit, exsultatione consignavit, sicut scriptum meminimus, matre dicente: (Luc. 1. 41.) *Ecce enim ut facta est in auribus meis vox salutationis tuæ, exsultavit in gaudio infans in utero meo?* Erat igitur qui prophetabat, an non erat? At certe erat; erat enim qui venerabatur auctorem, erat qui loquebatur in matre. Denique Elizabeth filii spiritu replebatur, Maria filii spiritu sanctificabatur; sic enim habes, quia (Ibidem.) *exsultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth.*

114. * Vide singulorum verborum proprietates. Vocem quidem Mariæ prior Elizabeth audivit, sed Johannes prior Domini gratiam sensit. Pulcre sibi conveniunt oracula oraculis, femina mulieri, & pignus pignori. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus; duplicique miraculo, licet honore diverso, prophetant matres spiritu parvulorum. Quis igitur auctor hujus miraculi, nonne Dei Filius, qui fecit esse non natos?

115. De rebus humanis [c] quæstio vestra non potest convenire; potestne de divinis convenire secretis? Quid est: Antequam generaretur, non erat? Numquid Pater aliqua tempora conceptionis accepit, ut Filium tempora prævenirent? Aut femineæ more naturæ generationis suæ molitus est partum; ut molitio ipsa Filio esset antiquior? Quid est hoc? Cur divina secreta discutimus? Proprietatem legi divinæ generationis, non qualitatem.

116. Facinus indignum: ut ex se quidam cælestia metiantur, qui Christum non nasci potuisse, sed fieri, tamquam unum de spadonibus putant: aut tamquam unum de spadonibus Patrem Filium, quem generare non potuerit, adoptaverit.

CAPUT X.

Objicientibus Christum, Johanne teste, vivere propter Patrem, ac proinde ipsi æqualem non habendum, respondetur Filii vitam secundum divinitatem nec cœpisse ex tempore, nec pendere ab aliquo: locum vero de humana ipsius vita intelligendum ex eo probari, quod ibidem de corpore ac sanguine suo præmiserat. Tum duarum controversi loci expositionum primam referri ad humanitatem, & secundâ Filii cum Patre æqualitatem, nec non cum homine similitudinem signari docet. Deinde perstrictâ quam Filio inurebant, injuriâ, quo pacto etiam secundum divinitatem propter Patrem vivat, aperit. Ac tandem exposito quæ vita nostra cum divina unitas sit, aliam objectionem, qua Filius per Patrem clarificari opponitur, paucis absolvit.

117. Plerique etiam hinc faciunt quæstionem, quia scriptum est: *Sicut misit me vivus Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivit propter me;* dicentes: Quomodo æqualis est Patri Filius, qui dixit quia propter Patrem vivit? (Alias Cap. V.)

118. Qui hoc proponunt; primum respondeant, cujusmodi vita sit Filii, [d] utrum ea quam Pater largitus sit non habenti? Sed quomodo vitam aliquando potuit non habere; cùm ipse sit vita, sicut ait: *Ego sum via, veritas & vita?* (Ibid. 14. 6.) Vita utique sempiterna, sicut virtus est sempiterna. (Rom. 1. 20.) Aliquando ergo, ut sic loquar, se vita non habuit?

119. Considerate quid lectum sit hodie de

a. Paris. quædam edit. *de Deo vero.*
*. Confer, si vacat, hanc istius loci enarrationem cùm ea quam lib. 2. *in Lucam* tantum non iisdem verbis reperies.

b. Omnes edit *sanctum fuisse:* melius mss. omittunt *sanctum.*
c. Edit. *quæstio nostra:* mss. *quæstio vestra*, id est, objectio vestra.
d. Edit. ultimæ Paris. *utrum eam quam Pater largitus sit, non habenti.*

domino

1.Thess. 5. 10. domino Jesu, quia *mortuus est pro nobis; ut sive* A *vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.* Cujus mors vita est, hujus divinitas vita non est; b [a] cùm divinitas vita sit sempiterna?

120. An vero vita ejus in Patris est potestate? Sed ne corporis quidem sui vitam in alterius fuisse potestate memoravit, sicut scriptum est: Johan. 10. 17. & seq. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam illam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & iterum potestatem habeo sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre* B *meo.*

121. Ejus ergo vita secundùm divinitatem in alterius potestate posita judicatur, cujus vita secundùm corpus alienæ non erat subdita potestati? Aliena enim potestas erat, si non erat unitas potestatis. Sed sicut potestatis suæ esse significat ponere animam, & liberæ voluntatis: ita etiam quod secundùm mandatum deposuit Patris, suæ ac paternæ voluntatis significat unitatem. C

122. Ergo si vitam Filius neque aliquo accepit ex tempore, neque alienæ habet potestati subditam, videamus qua ratione dixerit: Ibid. 6. 58. *Sicut misit me vivus Pater, & ego vivo propter Patrem.* Exponamus ut possumus; immo ipse potius exponat.

123. Considera igitur quid ante præmiserit; ait enim: *Amen, amen dico vobis.* Ante instruit Ibidem 54. quemadmodum audire debeas: *Vere*, inquit, *vere dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii* D *hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Secundùm Filium hominis se dicere ante præmisit, & tu quod secundùm Filium hominis de carne est loquutus & sanguine, ad divinitatem putas esse referendum?

Ibid. 56. 124. Denique addidit: *Caro enim mea vere est esca, & sanguis meus est potus.* Carnem audis, sanguinem audis, mortis Dominicæ sacramenta cognoscis; & divinitati calumniaris? Audi Luc. 24. 39. dicentem ipsum: *Quia spiritus carnem & ossa non* E 1. Cor. 11. 26. *habet.* Nos autem quotiescumque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium * * in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annuntiamus.

125. Ergo posteaquam se loqui secundùm hominis Filium declaravit, & carnem sæpe repe- Johan. 6. 58. tivit & sanguinem, subdidit postea: *Sicut misit me vivus Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivit propter me.* Quomodo igitur hoc accipiendum putant? Potest enim F duplex videri comparatio. Prima ita: *Sicut misit me vivus Pater, & ego vivo propter Patrem.* Secunda ita: *Sicut misit me vivus Pater, & ego vivo propter Patrem; ita & qui manducat me, ipse vivit propter me.*

126. Si primam eligunt, hoc significat quia sicut missus sum à Patre, & descendi à Patre; ita vivo propter patrem. c [b] Quasi quis autem missus est, atque descendit; nisi quasi Filius hominis, sicut ipse supra dixit: *Nemo adscendit in* Johan. 3. 13. *cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis?* Ergo sicut quasi Filius hominis missus est, atque descendit; ita quasi Filius hominis vivit propter Patrem. Denique & qui manducat quasi Filium hominis, & ipse vivit propter Filium hominis. Actum ergo incarnationis suæ adventui comparavit.

127. Quod si secunda complacuit, nonne & æqualitatem Filii cum Patre, & similitudinem ejus cum homine manifesta distinctione colligimus? Nam quid est: Sicut ipse vivit propter Patrem, & nos vivimus propter ipsum; nisi quia sic vivificat Filius hominem, sicut Pater in Filio carnem vivificavit humanam? *Sicut enim* Johan. 5. 21. *Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & Filius, quos vult, vivificat*, ut ipse Dominus supra dixit.

128. Æqualitas ergo Filii ad Patrem per unitatem quoque vivificationis adstruitur; quando sic vivificat Filius, ut Pater. Agnosce ergo ejus vitam & potentiam sempiternam. Similitudo etiam nostra ad Filium, & quædam secundùm carnem unitas declaratur; quoniam quemadmodum Dei Filius à Patre, sic homo est vivificatus in carne. Sic enim scriptum est, quia sicut Deus Jesum Christum à mortuis suscitavit, Rom. 4. 24. ita etiam nos quasi homines vivificamur à Dei Filio.

129. Secundum hanc ergo expositionem non solum ad conditionem humanam derivatur gratia largitatis, sed etiam divinitatis æternitas prædicatur: divinitatis, quia ipsa vivificat: humanæ autem conditionis, quia vivificata est & in Christo.

130. Quod si quis utrumque ad Christi refert divinitatem: ergo Filius Dei hominibus comparatur; ut ita Filius propter Patrem vivat, sicut nos propter Filium Dei vivimus. Sed Filius Dei vitam largitur æternam, nos autem largiri nequimus: ergo nostri comparatione nec ille largitur. Habeant igitur Arriani fidei suæ præmium, ne vitam æternam adipiscantur à Filio.

131. Libet jam ulterius progredi; nam si illis placet hunc locum ad divinæ perpetuitatem referre c substantiæ, accipiant etiam tertiam ex-

a. Tres mss. *cùm divina vita sit sempiterna:* unus, *cùm divinitas sit sempiterna.*

*. Eloquutionem plane similem è lib. *de Incarn.* cap. 4. citaverat Card. Perronius lib. 2. *de Sacram. Euch. Auctor* 31. eaque idem significari docuerat, quod vertere significat in Virgiliano illo: *Formas se vertit in omnes*, nimirum conversionem corporis in aliam formam & figuram. Huic Albertinus lib. 2. *de Sacram. Euchar.* respondere conatus, ait duas alias hujus verbi significationes adjici posse. At hæ causam ipsius nihil adjuvant. Nam primo indicat interdum idem esse ac *efficere*, ut cùm Plinius dicit de amygdalis, *ex dulcibus transfigurantur in amaras*: nec diffitetur hoc sensu Christi corpus offerri altaribus transfigurandum. Qua in re ab eo minime dissentimus, nisi quod symbolicum corpus intelligere se non dissimulat. Enim vero absurdum est illud ultimum; nam præterquam quod erat jam corpus symbolicum in antitypis, certum est semper veram aliquam conversionem indicari sive substantiæ, si de substantia agatur; sive accidentis, ut in Pliniano exemplo. Secundam autem acceptionem hanc esse dicit, qua compositum ponitur pro suo simplici; ut idem sit in corpus transfigurari, ac figurari in corpus, hoc est, ex ipsius quidem sententia, corporis figuram fieri. Verum quis umquam hominum ita loquutus est? Certe exempla verborum *tradere* atque aliorum, & suam compositorum rationem nusquam deponunt; nec, ut maxime illam exuant, hic ullo modo faciunt ad propositum. Nihil igitur hic significatur ab Ambrosio, nisi quod habetur lib. *de Myster.* cap. 9. n. 50. *Benedictione etiam ipsa natura mutatur.* Nam *sacra orationis mysterium*, idem est ac benedictio, & ipsa Domini verba: qua de re ibidem num. 52.

b. Amerb. & Eras. *Quis autem missus est:* aliæ edit. ac omnes mss. *Quasi quis autem missus est.* Excipe tamen ultimas edit. Paris. ubi pro *Quasi* legitur: *Quomodo.* Male; est enim, *Quasi quis*, idem atque in cujus conditione ac nomine. Iterum vero ubi edit. cum uno vel altero mss. *sicut ipse*, Rom. edit. *ipsa*; *supra sapientia*; plures probatioresque mss. omittunt, *sapientia.*

c. Mss. aliquot, *proprietatem referre substantiæ.*

positionem. Nonne evidenter videtur dicere A quod sicut vivus Pater est, ita vivit & Filius? Quod utique quis non advertat ad unitatem vitæ, quod eadem Patris & Filii vita sit, esse referendum? *Sicut enim Pater vitam habet in* Iohan. 5. 26. *semet ipso, sic dedit & Filio vitam habere in semet ipso.* Dedit per unitatem: dedit non ut auferat, sed ut clarificetur in Filio: dedit, ut complaceat: dedit non ut Pater custodiret, sed ut Filius possideret. B

126. Sed objiciendum putant quia dixerat: Iohan. 6. 58. *Ego vivo propter Patrem.* Utique si ad divinitatem referunt, propter Patrem vivit Filius; quia ex Patre Filius est: propter Patrem; quia unius substantiæ cum Patre: propter Patrem; Psal. 44. 2. quia eructatum est Verbum ex Patris corde, Psal 109. 3. quia à Patre processit, quia ex paterno generatus est utero, quia fons Pater Filii est, quia radix Pater Filii est.

127. Sed dicunt fortasse: Si unitatem putas C Patris ac Filii vitæ esse, cùm Filius dixerit: Iohan 6. 58. *Et ego vivo propter Patrem;* numquid unitas est Filii vitæ atque hominum: cùm dixerit Filius quia *Qui manducat me, & ipse vivit propter me?*

128. Immo plane, sicut unitatem fateor esse vitæ cælestis in Patre & Filio per divinæ unitatem substantiæ; ita vel divinæ naturæ vel Dominicæ incarnationis excepto privilegio, societatem nobiscum vitæ spiritalis in Filio esse profiteor per humanæ unitatem naturæ: *Qualis* D 1. Cor. 15. 48. enim *cælestis tales & cælestes.* Denique sicut in illo sedemus ad dexteram Patris, non quia cum ipso sedemus, sed quia sedemus in Christi Infr. lib. 5. corpore, de quo postea dicemus plenius: sicut, inquam, sedemus in Christo per corporis unitatem; ita & in Christo vivimus per corporis unitatem.

129. Non solum autem non vereor quia scriptum est: *Et ego vivo propter Patrem;* sed etiam si per Patrem dixisset, non vererer. E

Alias Cap. VI. 130. Solent enim etiam illud objicere quia Iohan. 11. 4. dixit: *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro claritate Dei; ut clarificetur Filius ejus per ipsum.* Non solùm enim per Patrem, & à Patre Filius Ibid. 17. 5. clarificatur; quia scriptum est: *Clarifica me,* Ibid 13. 31 & 32. *Pater;* & alibi: *Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificavit eum:* sed etiam per Filium, & à Filio Ibid 17. 4. clarificatur Pater; quia veritas dixit: *Ego te clarificavi super terram.* F

131. Sicut ergo clarificatur per Patrem, ita etiam propter Patrem vivit. Unde & * quidam δόξαι opinionem magis putaverunt esse, quàm gloriam; & ideo sic interpretati sunt: Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi; & nunc clarifica me, Pater, hoc est, δόξασον, ut sit hic sensus: Ego opinionem de te hominibus hujusmodi infudi, ut cognoscant te Deum verum; & tu hanc de me confirma illis opinionem, ut credant me tuum Filium & Deum verum.

CAPUT XI.

Discrimen quod conflare Arriani moliebantur è verbis Apostoli ex Patre omnia, & per Filium omnia esse docentis, irridetur. Ostenditur enim illic eamdem Patris ac Filii omnipotentiam exprimi: quod cum ex aliis locis, tum ex ipsius Pauli textu confirmatur. Hunc absurde ad Patrem referri ab hæreticis, ac pertinere ad Filium ex ejusdem serie demonstrari: nec tamen quidquam Filii derogari potentiæ, si de Patre intelligatur. Postremo in istis, ex quo, per quem, & in quo aliquid, nullam intercedere differentiam, & hæc omnia de tribus personis dici, evincit.

132. Jam illud ridiculum est, quod quidam ex illo Apostolico discretionem inter Patrem & Filium faciunt potestatis, [a] quia scriptum est: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & unus dominus Jesus Christus,* 1. Cor. 8. 6. *per quem omnia, & nos per ipsum.* Aiunt enim non mediocrem divinæ majestatis esse distantiam, quia dictum est: Ex illo omnia, & per hunc omnia. Nihil autem expressius, quam quod hoc loco omnipotens Filius evidenti ratione signatur; nam ut ex illo omnia, ita per hunc omnia.

133. Inter omnia [b] Pater non est, cui dictum est: *Quia universa serviunt tibi.* Psal. 118. 91. Inter omnia Filius non est, quia *omnia per ipsum facta sunt,* Iohan. 1. 3. *& omnia in ipso constant, & ipse est super omnes* Coloss. 1. 17. *cælos.* Non ergo inter omnia Filius, sed super omnia: qui secundum carnem quidem est ex familia Judæorum; idem tamen super omnia Rom. 9. 5. Deus benedictus in sæcula: cujus est nomen super omne nomen, & de quo dicitur: *Omnia* Psal. 8. 8. *subjecisti sub pedibus ejus.* Subjiciendo autem omnia, nihil reliquit ei non subjectum, sicut Hebr. 2. 8. Apostolus dixit. Quod si hoc etiam secundùm incarnationis loquutus est sacramentum, quemadmodum possumus de supernæ generationis incomparabili majestate dubitare?

134. Nihil igitur potestatis inter Patrem & Filium certum est interesse. Denique eousque nihil interest potestatis, ut idem Apostolus ex ipso dixerit esse omnia, per quem omnia, sicut habes: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso* Rom 11. 36. *sunt omnia.*

135. Si igitur Pater, sicut putant, tantummodo significatur, non potest idem & omnipotens esse, quia ex ipso omnia: & omnipotens non esse, quia per ipsum omnia. Aut igitur invalidum, nec omnipotentem Patrem sua adsertione memorabunt, aut certe omnipotentem etiam Filium vel inviti voce propria fatebuntur.

136. Eligant tamen utrum hîc Patrem declaratum putent. Si Patrem, ergo & per ipsum omnia: si Filium, ergo & ex ipso omnia. Si autem & per Patrem omnia, nihil utique Filio derogandum: & si ex Filio omnia, similiter & Filio deferendum.

137. Ac ne insidiari nos unius arbitrentur obreptione versiculi, totum caput recenseamus: *O altitudo,* inquit, *divitiarum sapientiæ & scien-* Ibid. 33. & seq.

*. Hoc eodem sensu hunc locum interpretatur Didymus in *Catena Græc. Patr. in Iohan.* Similiter etiam ipsum explicat Cyrillus Alex. in Thesau. Adsert. 30. ubi tradit Ambrosianis verbis plane similia. Sed alia expositio germanior est.

a Nonnulli mss. *quia scriptum est non esse differentiam potestatis, quia scriptum est ex Patre omnia, & per Filium omnia ejus per ipsum: nobis tamen unus:* alii, & omnes edit. magis congrue ut in contextu.

b. Mss. nonnulli, *Filius non est.*

tiæ Dei: quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. A

138. De quo igitur dictum putant, de Patre, an de Filio? Si de Patre: sed non est Sapientia Dei Pater; quia Sapientia Dei Filius est. Quid est autem quod non possit Sapientia, de qua

Sap. 7. 27. scriptum est: *Cùm sit una omnipotens & permanens, in se omnia innovat?* Non ergo accedentem legimus, sed permanentem. Habes ergo juxta Salomonem, omnipotentem & permanentem Sapientiam. Habes etiam bonam, quia

Ibid. 30. scriptum est: *Sapientiam autem non vincit malitia.* B

139. Sed ad propositum revertamur. *Quam inscrutabilia sunt*, inquit, *judicia ejus.* Si igitur

Johan. 5. 22. omne judicium Pater dedit Filio, Filium Pater videtur declarare, qui judicat.

140. Denique ut scias quia non de Patre, sed de Filio dicit, addidit: *Quis prior*, inquit, *dedit illi?* Dedit enim Pater Filio: sed dedit jure generationis, non munere largitatis. Et ideo quia negari non potest à Patre accepisse Fi- C

Matth. 11. 27. lium, secundùm quod scriptum est: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo;* dicendo tamen: *Quis prior dedit illi?* non accepisse per naturam à Patre Filium denegavit, sed priorem non posse dici inter Patrem & Filium declaravit; quia etsi Pater dedit Filio, non tamen quasi posteriori dedit: quia increata & inæstimabilis Trinitas, quæ unius est æternitatis & gloriæ, nec tempus nec gradum vel posterioris recipit vel prioris. D

141. Quod si Græcos magis codices sequendos putamus, qui habent * τίς προέδωκεν αὐτῷ; vides quoniam cui nihil addi potest, non dispar à pleno est. Ergo si Filio magis convenit hoc totum Apostolicum caput, videmus & de Filio esse credendum, quia ex ipso omnia, sicut scriptum est: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* E

142. Esto tamen de Patre dictum putent. Itaque meminerimus quia sicut ex ipso legimus omnia, ita etiam per ipsum omnia: in universitatem quippe totius creaturæ Patris & Filii profertur auctoritas. Ac licet superius omnipotentem Filium paterno probaverimus exemplo; tamen quia illis derogare studium est, considerent quia & Patri derogant. Si enim infirmus Filius, quia per ipsum omnia; numquid infirmus & Pater, quia & per Patrem omnia? F

143. Sed ut agnoscant nullam discretionem inter hæc esse, iterum demonstrabo ejusdem esse, ex quo aliquid, & per quem aliquid; & ostendam utrumque de Patre lectum. Sic enim

1. Cor. 1. 9. habemus: *Fidelis Deus per quem vocati estis in communionem Filii ejus.* Quid Apostolus dixerit, considerent. Per Patrem vocamur, & nihil est quæstionis: per Filium creamur, & hoc vilius æstimarunt? Pater in communionem Filii vocavit, & religiose hoc sicut debemus, accipimus: Filius omnia creavit, & putant non liberæ fuisse voluntatis arbitrium, sed coactæ atque servilis operationis obsequium?

144. Ut autem agnoscas plenius nihil distare inter Patris & Filii potestatem, cùm per Patrem in communionem Filii ejus vocemur; ex Filio est ipsa communio, sicut scriptum est: *Quoniam* Iohan. 1. 16. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus;* licet secundùm græcum Evangelium, ex plenitudine ejus intelligere debeamus.

145. Ecce & per Patrem communio, & ex Filio communio: sed non discrepans, sed una communio; sicut idem Johannes in epistola sua dixit: *Et communicatio nostra sit cum Patre, & cum* 1. Iohan. 1. 3. *Filio ejus Jesu Christo.*

146. Accipe etiam quia non solum ex Patre & Filio, sed etiam ex Spiritu sancto unam nobis communionem Scriptura commemoravit: *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis.* 2. Cor. 13. 13.

147. Quæro autem in quo minor videatur is per quem omnia, quam is ex quo omnia? [a] An quia operator adseritur? Sed operatur & Pater; quia verus est, qui dixit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Johan. 5. 17. Sicut igitur Pater operatur, operatur & Filius. Non ergo operator infirmus aut vilis est; quoniam operatur & Pater: & ideo quod commune est Filio cum Patre, vel propter Patrem inferiore loco accipi non oportet; ne Patri potius in Filio ab hæreticis derogetur.

148. Nec mediocre illud, quod alibi etiam idem sanctus Johannes ad refellendas Arrianæ perfidiæ quæstiones ait? *Si scitis quoniam justus* 1 Iohan. 2. 29. *est, scitote quoniam* [b] *qui facit justitiam, ex ipso natus est.* Justus autem quis nisi Dominus, qui justitias dilexit? Psal. 10. 8. Aut quem, sicut superiora indicant, repromissorem vitæ habemus æternæ, si Filium non habemus? Si igitur Filius Dei vitam nobis promisit æternam, & ipse justus est, ex ipso utique nati sumus. Aut si ex Filio nos per gratiam natos negant, nec justum Filium confitentur.

149. Credas igitur necesse est etiam ex Dei Filio omnia; quia omnium sicut Deus Pater, ita & Filius & auctor est & creator. Videmus ergo inanem esse hanc quæstionem; cùm & de Filio credi conveniat quoniam *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

150. Diximus quomodo ex ipso, quomodo etiam per ipsum. In ipso autem omnia esse quis dubitet, cùm alibi scriptum sit: *Quoniam in ipso* Coloss. 1. 16. *condita sunt omnia in cælis, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant?* Habes ergo ex ipso gratiam, ipsum operatorem, in ipso omnium firmamentum.

*. Deerant græcæ voces in Amerb. & Eras. Sed hic ultimus in margine hanc adscripsit observationem: τίς προέδωκεν αὐτῷ. *Sic habet locus apud Esaiam cap. 40. & item apud Paulum. Ambrosius tamen legisse videtur* προσδέδωκεν, sive προσδίδοται, *cùm dicit*, cui nihil addi potest. *Et eamdem lectionem indicabant qualiacumque vestigia græcorum elementorum: quamquam quod nobis tradidit editio Aldina, nec consentit cum eo quod vertit Hieron. nec cum eo quod editum est nomine LXX. latine.* Non absimilia quoque leguntur apud Estium in Rom. 11. 35. ubi additur: *Germaniorem lectionem esse* προέδωκεν, *quod ei magis apposite respondeat verbum* ἀνταποδοθήσεται. Ceterum quæ hoc in cap. disputat Ambros. super discrimine præpositionum *ex* & *per*, iterum fusius disceptantur lib. 2. de *Spiritu S.* ubi hanc ipsam argumentationem ex Basilio desumtam esse ostendemus.

a Pauci mss. *An quia operatus.*

b. Mss. aliquot, *qui justificat justitiam .... aut per quam, sicut sup. indicant, repromissionem vitæ habemus? Sic igitur* &c.

CAPUT XII.

Quod objiciebatur ex Johanne Filium viti & Patrem agricolæ comparari, de incarnatione intelligendum: qui vero secundum generationem divinam illud accipiant, Filio duas injurias inferre, quem & Paulo postponant, & æquent aliis hominibus: totidem etiam Patri, quem non solum eidem Apostolo parem, sed etiam nihili esse testificentur. Tum falsa interpretatione denuo rejecta, veraque confirmata, Filius quoque secundum divinitatem agricola esse, ac uva secundum humanitatem, adstruitur; unde superior præcellentiæ paternæ explicatio stabilitur.

Alias Cap. VII. Iohan. 15. 1. 151. Illud quoque ad separandam Patris & Filii divinitatem objicere consueverunt, quia Dominus dixit in Evangelio: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est;* agricolam & vitem diversæ dicentes esse naturæ, & vitem in agricolæ esse potestate.

152. Sic ergo vultis esse Filium secundum divinitatem, sicut vitis est; ut sine cultore nihil valeat, & possit deseri vel recidi: & ex littera calumniam comparatis, quia Dominus vitem se esse dixit, incarnationis suæ significans sacramentum? Tamen si placet ut ex littera argumentemur, fateor & ego, immo profiteor quia vitem se Filius nominavit. Væ enim mihi, si sacramentum salutis publicæ denegavero!

153. Quomodo ergo vultis accipere quod se vitem Dei Filius nominavit? Si secundum divinam substantiam dictum accipitis; & sicut inter agricolam & vitem, ita etiam inter Patrem & Filium divinitatis creditis esse distantiam, geminam Filio, geminam Patri facitis injuriam: Filio, quia si secundum divinitatem inferior est quàm agricola, inferior etiam Paulo apostolo vestra adsertione necesse est æstimetur; quia & 1. Cor. 3. 6. Paulus agricolam se esse dixit, sicut habes: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit.* Num ergo vultis ut Paulus melior sit Dei Filio?

154. Habetis unam injuriam. Alteram, quia si secundum substantiam generationis æternæ, Johan. 15. 5. vitis est Filius, cùm dixerit: *Ego sum vitis, vos palmites estis;* unius nobiscum etiam illa divina Exod. 15. 11. generatio videbitur esse substantiæ. Sed *quis similis tibi in diis, Domine*, sicut scriptum est? Psal. 88. 7. Et rursus in psalmo: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei?*

155. Nec tamen soli Filio derogatis, sed etiam Patri. Nam si in agricolæ nomine omnis paternæ prærogativa est potestatis; cùm etiam Paulus agricola sit, Patri utique, cui Filium negatis æqualem, Apostolum comparatis.

1 Cor 3. 7. 156. Deinde cùm scriptum sit: *Sed neque qui plantat, est quidquam, neque qui rigat: sed qui dat incrementum Deus;* in eo nomine vos [a] summam paternæ majestatis locabitis, quod videtis infirmum. Si enim qui plantat, & qui rigat, nihil est, sed qui dat incrementum Deus; videte quid vestra adserere moliatur impietas, ut & Pater nomine sit contemnendus agricolæ; & Deus aliquis incrementum paterno operi qui tribuat, requirendus. Impie igitur ex nomine agricolæ præferendam Dei Patris existimant potestatem, in quo sit Patri Deo cum homine appellationis commune consortium.

157. Quid autem egregium, si ei (ut vultis hæretici) Filio præferatur, cujus divina substantia ab humana conditione non discrepet? Nam si vitem Filium secundum divinam substantiam appellatum putatis, non solum corruptelæ, incertisque elementorum obnoxium judicatis, sed etiam humanæ tantummodo consortem naturæ; quia unius naturæ sunt vitis & palmites: ut non per incarnationis sacramentum carnem Dei Filius adsumsisse videatur, sed principium sumsisse de carne.

158. Ego autem dicam plane carnem ejus, licet novo generationis mysterio, unius tamen naturæ fuisse nobiscum, & hoc salutis nostræ sacramentum esse, non divinæ generationis exordium. Vitis enim est, quia meas sustinet passiones; quandoquidem in illo nixa fragilis prius humana conditio fœcundis rediviva fructibus pietatis adolevit.

159. Verumtamen si te pompa delectat agricolæ; [b] dicas, velim, quis ille sit, qui loquutus est in propheta: *Domine, notum mihi fac, ut sciam: tunc vidi cogitationes eorum. Ego ut agnus ductus sum innocens ad immolandum, & nesciebam: adversùm me cogitaverunt consilium, dicentes: Venite, injiciamus lignum in panem ejus.* Si enim Filius incarnationis futuræ loquitur sacramentum, quia impium est ut de Patre credas, Filius est utique qui supra dicit: *Ego plantavi te vitem fructiferam, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ?* Hier. 11. 19. Hier. 2. 21.

160. Itaque & Filium vides esse agricolam, unius nominis cum Patre, unius operis, unius dignitatis atque substantiæ. Ergo [c] si agricola & vitis est Filius, vitem utique secundùm incarnationis accipimus sacramentum.

161. Sed non solùm se esse vitem dixit, sed etiam botryonem voce prophetica nuncupavit, tunc quando ad vallem botryonis exploratores Moyses jussu Domini direxit. Quæ est illa vallis, nisi humilitas incarnationis, & fœcunditas passionis? Et puto botryonem ideo dictum, quia ex vinea illa translata ex Ægypto, hoc est, ex familia Judæorum, [d] utilis mundo fructus emicuit. Nemo certe botryonem potest ad generationem referre divinam: aut qui refert, aliud nihil relinquit, nisi ut botryonem illum natum ex vite credamus. Itaque adscribit insipiens Patri, quod reprehendit in Filio. Num 13. 24. Psal. 79. 9.

162. Verum si jam dubitari non potest quod vitis secundum incarnationem Dei Filius nominatus sit, videtis secundùm quod sacramentum Dominus sit loquutus: *Quoniam Pater major me est.* Nam cùm hoc in superioribus dixerit, continuo subjecit: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est;* ut agnosceres secundùm Johan. 14. 28. Ibid. 15. 1.

a. Non pauci, nec infimæ notæ mss. *summa paternæ majestatis.*
b. Mss. nonnulli, *dicas vel invitus.* Et post pauca, verbis, *notum mihi fac*, addunt duo cod. *finem meum:* quod nec in aliis, neque in Hieremia legere est.
c. Ita edit. omnes, ac pauci mss. alii vero, *& si agricola vitis est Filius:* unus, *si agricola* &c.
d. Nonnulli mss. *utilis modo fructus*, haud malo sensu.

id Patrem esse majorem; quia sicut agricola vitium, ita Pater Dominicæ carnis est cultor: quæ & augeri potuit per ætatem, & per passionem recidi; ut omne humanum genus ab æstu sæcularium noxio voluptatum, diffusæ salutaribus brachiis crucis umbra velaret.

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

Quisnam fidelis & prudens servus? Ejus merces in Petro indicatur, item etiam in Paulo, cujus auctoritati parere Ambrosius cupiens hunc librum aliis adjectum voluit, qui non potuerit in superiore comprehendi. Quid in hoc disputaturus sit, quove consilio? Deberi sibi veniam, cùm ab omnibus ministris quærenda sit credita sibi pecuniæ usura. Hanc sibi usuram fideles esse: beatum autem fore, si mercedem sperare sibi liceat; se tamen sanctorum præmia non tam optare, quam pœnarum immunitatem, ad quam merendam omnes hortatur.

Matth. 24. 45. & 46. 1. QUisnam est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore cibum? Beatus ille servus, quem veniens dominus ejus invenerit sic facientem. Non vilis hic servus est, magnus aliquis esse debet: quis sit iste consideremus.

2. Est Petrus ipsius Domini ad pascendum gregem electus judicio, qui tertio meretur audire: Johan. 21. 15. & seq. *Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, pasce oviculas meas.* Itaque pascendo bene cibo fidei gregem Christi, culpam lapsus prioris abolevit. Et ideo tertio admonetur ut pascat, tertio utrum Dominum diligat, interrogatur; ut quem tertio ante crucem negaverat, tertio fateretur. Matth. 26. 70. & seq.

3. Beatus & ille servus, qui potest dicere: 1. Cor. 3. 2. *Lac vos potavi, non escam; nondum enim poteratis;* novit enim quos quemadmodum pascat. Quis nostrum hoc facere potest? Quis nostrum potest vere dicere: 1. Cor. 9. 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam?*

4. Et tamen ille tantus ad curam gregis electus à Christo, qui sanaret infirmos, curaret invalidos, hæreticum à commisso sibi ovili statim post unam correptionem repellit; Tit. 3. 10. ne unius erraticæ ovis scabies serpenti ulcere totum gregem contaminet. Jubet præterea stultas quæstiones & contentiones esse vitandas. Ibidem. 9.

5. Quid igitur nos agemus, inter messis antiquæ nova zizania imprudentes accolæ constituti? Si taceamus, cedere videbimur: si contendamus, verendum est ne nos quoque judicemur esse carnales. Scriptum est enim de hujusmodi quæstionibus, quæ generant lites: 2. Tim. 2. 23. & 24. *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,* [a] *cum modestia docentem eos qui resistunt;* & alibi: 1. Cor. 11. 16. *Si quis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Eoque scribere aliquid [b] sententiæ fuit, ut sine strepitu aliquo impietati hæreticorum nostra pro nobis scripta respondeant.

6. Quintum itaque, Imperator auguste, hunc librum paramus ordiri: nam & quartum librum oportuit in illa vitis disputatione finiri; ne coacervasse magis librum eumdem quodam videremur quæstionum tumultu, quam fructu spiritalis vineæ replevisse: nec inconsummatam fidei vindemiam tantis adhuc superfluentibus disputationibus decuit derelinqui.

7. [c] Quinto igitur libro de Patris ac Filii & Spiritus sancti inseparabili divinitate digerimus, sequestrata interim [d] pleniore disputatione de Spiritu sancto, provocati magisterio evangelicæ lectionis; ut credita nobis quinque fidei talenta, quasi quadam horum quinque forte librorum, humanis fœneremus affectibus; ne forte cùm venerit Dominus, & invenerit in terra absconditam pecuniam suam, dicat mihi: Matth. 25. 15. *Serve male & piger, sciebas quia meto, ubi non semino; & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis; ut veniens ego recepissem quod meum est:* Ibidem 26. & 27. aut quemadmodum in alio libro est: *Et ego*, inquit, *veniens cum usuris utique exegissem illam.* Luc. 19. 23.

8. Date ergo veniam, si quos prolixioris hujuscemodi sermonis offendit audacia. Officii contemplatio cogit credere quod accepimus: *Dispensatores sumus mysteriorum cælestium.* 1 Cor 4. 1. Ministri sumus, non ex æquo omnes: *sed unicuique*, inquit, *sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.* Ibid. 3. 5. & 6. Unusquisque igitur enitatur ut mercedem possit accipere secundùm suum laborem; *Dei* enim *sumus*, ut Apostolus dixit, *cooperarii, Dei cultura, Dei ædificatio.* Ibidem 9. Beatus itaque ille qui tales fœnoris sui cernit usuras: beatus & ille qui fructus sui operis intuetur: *Beatus* quoque *qui superædificat supra fundamentum fidei aurum, argentum, lapides pretiosos.* Ibidem 12.

9. Vos nobis estis omnia, qui hæc auditis aut legitis: [e] vos fœneratoris usuræ; verbi usuræ, non pecuniæ: vos agricolæ redditus: vos ædificatoris aurum, argentum, lapidesque pretiosi. In vestris meritis sacerdotalis summa laboris est, in vestris animis fructus episcopalis operis enitescit; in vestris profectibus aurum Domini refulget, multiplicatur argentum, si eloquia divina teneatis: *Eloquia* enim *Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Psal. 11. 7. Vos ergo facietis fœneratorem divitem, agricolam fructuosum: vos peritum probabitis architectum. Non arroganter dico; quia non tam mea sunt, quam vestra, quæ voveo.

10. O si mihi liceat secure de vobis [f] tunc

a. Rom. edit. sola, *cum modestia corripientem.*

b. MSS. aliquot, *sententia Dei fuit.*

c. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *Quinque igitur libros*: melius reliqui mss. ut in contextu.

d. Non pauci mss. *planiore disputatione*

e. Omnes edit. & quidam mss. *vos fœneratores usura .... vos adificatores .... lapidesque pretiosos superædificantes*: alii mss. majori numero & auctoritate, *vos fœneratoris* &c. quam germanam esse lectionem & antecedentia hæc, *vos nobis estis omnia*; & sequentia illa, *in vestris meritis sacerdotalis summa laboris est* &c. planissime demonstrant.

f. Ita edit. Amerb. atque Eras. cum mss. pluribus melioribusque: Gill. autem & Rom. cum aliis, *nunc temporis*. Non recte; neque enim de tempore præsenti, sed de resurrectione futura hic agitur.

Matth 25. 20. temporis dicere: *Domine, quinque talenta mihi* A *dedisti, & ecce alia quinque lucratus sum*; & ostendere vestrarum talenta pretiosa virtutum: *Habemus* enim *thesaurum in vasis fictilibus*. Hæc sunt talenta quæ jubet Dominus spiritaliter fœnerari: aut duo æra novi & veteris testamenti, quæ spoliato illi à latronibus Samaritanus ille evangelicus ad curanda vulnera dereliquit.

2.Cor.4.7.

Luc.10.35.

11. Neque ego, fratres, [a] voti avarus ideo hæc opto, ut supra multa constituar: sat est mihi præmium de vestro profectu. Utinam non B indignus eo inveniar, quod accepi! Ea quæ sunt me majora melioribus tribuenda, non exigo; licet soleas, Domine, dicere: *Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi.* Accipiat potestatem supra decem civitates, qui meretur.

Matth 20. 14. Luc.19.17.

12. Sit ille talis, qualis Moyses, qui Legis decem verba conscripsit. Sit ille Jesus Nave, qui subegit quinque reges, & Gabaonitas in deditionem accepit; ut esset typus venturum ejus nominis virum, cujus imperio corporales om- C nes deliciæ vincerentur, converterentur gentes; ut fidem Jesu Christi magis, quàm pristina studia sua & vota sequerentur. Sit ille David, cui occurrerunt psallentes juvenculæ, dicentes: *Saul triumphavit in millibus, David in decem millibus.*

Deut.5.5. & seq. Josue 10. 22. & seq.

1.Reg.18.7.

13. Mihi sat est, si non in exteriores tenebras extrudar, quemadmodum ille qui commissum sibi talentum in terra quadam suæ carnis abscondit: [b] sicut princeps Synagogæ, ceterique principes Judæorum, qui credita sibi eloquia D Dei humo quadam sui corporis occuparunt; deliciisque carnis intenti, quasi in quamdam exaltati cordis foveam fœnus cæleste merserunt.

Matth.25. 14 & seq.

14. Nos igitur non intra latibula carnis absconditam Domini teneamus pecuniam, vel mnam illam in sudario reponamus: sed tamquam boni nummularii cum sudore quodam mentis & corporis æquo & parato semper libremus affectu; ut prope sit verbum in ore tuo & in corde tuo.

Luc.19.20.

Deut. 30. 14.

15. Hoc verbum Dei est, pretiosum est talentum, quo redimeris. Hæc est pecunia per mensas animarum sæpe cernenda; ut frequenter agitando in omnem terram bonorum sonus possit exire nummorum, per quem vita paretur æterna. *Hæc est autem vita æterna*, quam largiris omnipotens Pater; ut cognoscamus *te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

Iohan 17.3.

CAPUT I.

Quam impii sint Arriani, dum illud in quo humana felicitas constat, impugnant. Johannem semper cum Patre Filium conjungere, maxime ubi ait: Ut cognoscant te solum verum *&c. Illic igitur* verum Deum *etiam intelligendum de Filio, quando is nec Deus negari possit, nec falsus dici; immo nec etiam nuncupativus. Quod ultimum ubi ex Apostolo demonstratum est, Christum verum Deum esse rite conficitur.*

16. UNde advertant Arriani quam impii sint, qui de spe nostra & voto nobis faciunt quæstiones. Et quoniam hinc præ ceteris vociferari solent, dicentes separatum à solo A & vero Deo Christum, intellectus impios pro nostris viribus confutemus.

17. Hoc enim loco magis intelligere debent quia hæc utilitas, hæc merces est perfectæ virtutis, hoc divinum & incomparabile munus, ut cognoscamus cum Patre Christum, nec separemus à Patre Filium, sicut Scriptura non separat. Namque hoc magis ad unitatem, quàm ad distantiam divinæ proficit potestatis, quod idem præmium, unum honorem nobis dat Pa- B tris, Filiique cognitio: quam mercedem habere non poterit, nisi qui & Patrem cognoverit & Filium; sicut enim Patris, ita Filii cognitio vitam adquirit æternam.

18. Itaque sicut in principio statim Verbum cum Deo Patre pia confessione junxit Evangelista dicens: *Et Verbum erat apud Deum*; ita & hîc scribendo verba Domini: *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*; conjunctione illa Patrem utique copulavit, C & Filium, ut Christum verum Deum à majestate Patris nemo secernat: numquam enim conjunctio separat.

Iohan.1.1. Ibid.17.3.

19. Et ideo dicendo: *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*; & Sabellianos interficit, & Judæos exclusit, eos utique qui audirent loquentem; ne aut illi eumdem Patrem putarent esse quem Filium, si non addidisset & Christum: aut isti à Patre Filium separarent.

D 20. Quæro autem cur non putent subaudiendum, & ex superioribus colligendum; ut quia præmisit solum verum Deum Patrem, subaudiamus etiam Jesum Christum solum verum Deum? Exprimendum enim aliter non fuit, ne duos deos dicere videretur; nam neque duos dicimus deos, & ejusdem cum Patre divinitatis Filium confitemur.

21. Itaque quæramus qua ratione divinitatis hîc putent factam esse distantiam, utrum Deum E negent Christum? Sed negare non possunt. An verum Deum negent? Sed dicant, si verum negant, utrum falsum, an nuncupativum Deum judicent? Nam secundum Scripturas aut verus Deus est, aut tantummodo nuncupativus, aut falsus. Verus ut Pater, nuncupativus ut sancti, falsus ut dæmones atque simulacra. Dicant igitur qua Filium Dei confessione designent, utrum [c] falsò præsumtum Dei nomen, an verò quasi nuncupativo inspirationem tantum F divinitatis inesse arbitrantur.

23. Falso præsumtum nomen non puto quod dicant, ut apertiore se crimine impietatis involvant; ne ut dæmoniis & simulacris, ita etiam Christo falsum Dei inditum nomen insinuando se prodant. Sin autem ideo dictum putant Deum, quia inspirationem divinitatis habuit, sicut & multi sancti viri (eos enim Scriptura deos dixit, ad quos sermo fiebat Dei) ergo non ultra homines eum præferunt, sed comparandum hominibus arbitrantur; ut hoc eum putent esse quod hominibus ipse donavit, dicens ad Moysen: *Posui te in Deum Pharaoni.* Unde & in psalmo dictum est: *Ego dixi, dii estis.*

Iohan. 10. 35.

Exod.7.1. Psal.81.6.

a. Mss. aliquot, *voti avarus, haud ideo* &c.

b. Omnes edit. ac pauci mss. *sicut principes*: alii plures potiores que, *sicut princeps.*

c. Edit. & pauci mss. hic & infra, *falso præreptum*,

24. Et hanc tamen sacrilegorum opinionem A Paulus excludit, qui ait: *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra.* (1 Cor 8. 5.) Non dixit, sunt dii, sed *sunt qui dicantur. Christus* autem, sicut scriptum est, *heri & hodie ipse est.* (Hebr. 13. 8.) *Est*, inquit; hoc est, non solum nomine, sed etiam veritate.

25. Et bene scriptum est: *Heri & hodie ipse est;* ut Arrii impietas adstruendi sacrilegii locum invenire non posset. Qui cùm legeret in psalmo secundo dicentem Filio Patrem: *Filius* B (Psal. 2. 7.) *meus es tu, ego hodie genui te;* adnotavit *hodie* non heri, ad æternitatem divinæ generationis referens, quod de carnis adsumtione memoratum est, sicut Paulus in Actibus apostolorum ait: *Et nos vobis adnuntiamus, quæ ad patres nostros repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit* [a] *filiis nostris, resuscitans dominum Jesum Christum, sicut scriptum est in psalmo secundo: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (Act 13. 32. & seq.) Sancto igitur Spiritu repletus Apostolus, ut illam eliderct sævitatem, ait: *Heri & hodie ipse est, & in sæcula:* C *heri*, propter æternitatem: *hodie*, propter corporis susceptionem.

26. Est ergo Christus, & est semper; qui enim est, semper est. Christus autem semper est, de quo dicit Moyses: *Qui est, misit me.* (Exod. 3. 14.) Erat utique Gabriel, erat Raphael, erant Angeli; sed semper esse, qui aliquando non fuerint, nequaquam pari ratione dicuntur. Christus autem, sicut legimus, *non fuit, est, & non: sed est in illo* D (2. Cor. 1. 19.) *fuit;* unde vere Dei solius est esse, qui semper est.

27. Ergo si & nuncupativum Deum non audent dicere, & falsum eum dicere majoris est impietatis; restat ut Deus verus sit, veri Patris non dissimilis, sed æqualis. Qui cùm & justificet & sanctificet quos velit, (Rom. 9. 18.) non foris adsumens, sed in se habens sanctificandi potestatem, quomodo non est verus Deus? Nam Apostolus eum utique verum Deum dixit, [b] qui naturaliter Deus esset, sicut habes: *Quia tunc*, inquit, *nescientes Deum, servistis his qui natura non erant dii;* (Galat. 4. 8.) E hoc est, qui veri dii esse non poterant, quibus hoc naturaliter minime suppetebat.

CAPUT II.

Cùm probatum sit Filium esse verum Deum, nec in eo minorem Patre; ostenditur per vocem solus *cùm in Scripturis de Patre dicitur, non excludi Filium; quin immo hanc ei vocem præ cunctis & soli ipsi convenire. Trinitatem non inter omnia,* F *sed super omnia solam esse: Filium vero solum facere, quæ facit Pater, ac solum habere immortalitatem; nec proinde in verbis controversis eum à Patre separandum; licere tamen eum locum intelligere de incarnatione; ab illis demum Patrem ab hominum redemtione secludi, qui ab hoc Filium sejunctum volunt.*

28. VErùm copiose jam verum Deum Christum in superioribus libris Scripturarum lectionibus approbavimus. Ergo si Christus, ut edoctum est, Deus verus est, quæramus qua ratione, cùm solum verum Deum Patrem legant, à Patre Filium cupiunt separare.

29. Si dicunt quia verus Deus solus Pater est, negare non possunt quia & Filius solus Deus veritas est; quia Christus veritas est. Numquid veritas vero minor est, cùm secundum appellationem nominum verus plerumque à veritate dicatur, sicut sapiens à sapientia, justus à justitia? Hoc nos inter Patrem non sentimus & Filium; quia & Patri nihil deest, [c] quia Pater est verax: & Filius quia veritas est, æqualis est vero.

30. Ut sciant autem, cùm solum legunt, nequaquam esse à Patre Filium separandum, meminerint in prophetis à Deo dictum: *Ego extendi cælum solus.* (Esai. 44. 24.) Et utique non extendit sine Filio Pater. Ipse enim Filius qui sapientia Dei est, dicit: *Quando parabat cælum, cum ipso aderam.* (Prov 8. 27.) Et Paulus de Filio dictum esse confirmat: *Initio terram tu fundasti, Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli.* (Hebr. 1. 10.) Sive ergo Filius cælum fecit, sicut & Apostolus voluit intelligi, & ipse utique non sine Patre cælum solus extendit, sive ut in Proverbiis habes, *Deus in sapientia fundavit terram, paravit autem cælos in intellectu,* (Prov. 3. 19.) ostenditur quia nec Pater solus sine Filio cælos fecit, nec sine Patre Filius; & tamen qui cælum extendit, solus dicitur.

31. Quam vero id & de Filio aperte intelligendum sit, quod solus appelletur, [d] etsi numquam, inscio Patre, aliquid fecisse credatur; etiam alibi habes, ubi scriptum est: *Extendens cælum solus, & ambulans quasi in pavimento super mare.* (Iob. 9. 8.) Namque Evangelium Domini docuit nos, quod in mari non Pater, sed Filius ambulavit, quando Petrus rogavit eum dicens: *Domine, jube me venire ad te.* (Matth. 14. 28.) Sed etiam prophetia ipsa documento est; sanctus enim Job adventum Domini prophetabat, de quo vere dixit quia magnum cetum erat debellaturus, (Iob. 3. 8.) & factum est: nam feralem illum cetum, [e] diabolum scilicet, ultimis temporibus venerabili corporis sui passione prostratum perculit & afflixit. (Esa. 27. 1.)

32. Est ergo solus & verus Deus Filius; hæc enim & Filio prærogativa defertur. De nullo namque qui creatus est, propriè dici potest, quia solus est. Nam cui inest communitas creaturæ, quemadmodum quasi solus potest à ceteris separari? Itaque homo rationabilis videtur inter omnia terrena animantia, sed tamen non est solus rationabilis; scimus enim rationabilia esse & cælestia opera Dei, Angelos & Archangelos rationabiles confitemur. Si ergo Angeli rationabiles, non utique solus rationabilis homo dicitur.

33. Sed dicunt solum dici posse solem; quia sol alter non est. At & ipse sol habet communia multa cum stellis, (Gen. 1. 14.) quod percurrit cælum,

a. Rom. edit. cum uno mss *filiis illorum:* ceteri cod. *filiis nostris.* Sic etiam nonnulla græca exemplaria, & Vulg. versio: plures autem græcorum cod. *τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν.* Tota porro hæc peritome, *sicut Paulus in Actibus . . . ego hodie genui te*, quæ ab antiq. edit. ac mss. non paucis aberat, sicut & alia plurima, primum conjecta fuerat inter varias lectiones Gill. edit. & postea in textum Rom. admissa, ubi nos eam mss. aliquot melioris ævi auctoritate duximus retinendam.

b. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *qui naturaliter verus Deus esset:* melius in mss. plerisque omittitur *verus*, ut patebit adtentius consideranti.

c. Mss aliquot, *quia Pater est veritas:* unus, *veritatis.*

d. Tres mss. *& se numquam inscio Patrem:* unus, *Patre* &c.

e. Omnes edit. *Zabulum*; & certe sæpius eo nomine diabolum designat Ambrosius; verum hoc loci cuncti prope scripti cod præferunt, *diabolum.*

quod æthereæ illius cælestisque substantiæ est, A quod creatura est, quod inter omnia Dei opera computatur, quod cum omnibus Deo servit, Psal. 148. 3. cum omnibus benedicit Deum, cum omnibus laudat. Non ergo solus proprie dicitur, quia nec à ceteris separatur.

34. Itaque cùm Patris & Filii Spiritusque sancti divinitati, quæ sola non inter omnia, sed super omnia est, nulla possit creatura conferri, ut de Spiritu interim adsertio reservetur: sicut Pater dicitur solus Deus verus, cui nihil B sit commune cum ceteris; ita etiam solus est Filius imago veri Dei, solus dextera Patris, solus virtus Dei atque sapientia.

35. Solus ergo Filius facit sicut & Pater; Iohan. 5. 16. quia scriptum est: [a] *Quæcumque facio, ipse facit.* Cùm enim unum opus sit Patris & Filii, bene de Patre & Filio dicitur quia Deus solus operatus est; unde etiam cùm creatorem dicimus, & Patrem & Filium confitemur. Nam utique cùm Rom. 1. 25. Paulus diceret: *Qui servierunt creaturæ potius* C *quam creatori;* nec Patrem creatorem negavit, ex quo omnia hæc; nec Filium, per quem omnia.

36. A quo alienum utique non videtur, quia 1 Tim. 6. 16. scriptum est: *Qui solus habet immortalitatem.* Quomodo enim immortalitatem non habet, qui vitam habet in semetipso? Habet utique in natura, habet in substantia; & habet non per gratiam temporalem, sed per sempiternam divinitatem: habet non ex dono quasi servus, sed ex generationis proprietate quasi Filius coæter- D nus; & habet sicut Pater: Iohan. 5. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semet ipso, ita & Filio dedit vitam habere in semet ipso;* sicut habet, inquit, sic dedit. Sup. lib. 4. cap. 6. Didicisti supra quemadmodum dederit; ne putares esse gratiæ largitatem, ubi generationis arcanum est. Cùm ergo inter Patrem & Filium vitæ nulla distantia sit, quemadmodum quod immortalitatem solus habeat Pater, Filius non habeat, æstimari potest?

37. Vnde intelligant nec hoc loco à solo vero E Deo Patre Filium separandum; quia probare non possunt quod solus & verus Deus Filius non sit: cùm præsertim & hîc aut subaudiatur, ut diximus, & Christum verum solum Deum esse: aut certe aliud ad divinitatem Patris & Filii, aliud ad incarnationem Christi relatum intelligendum sit; quia non est perfecta cognitio, nisi quæ & secundum æternitatem unigenitum Deum verum Dei Filium Jesum Christum, & secundum carnem generatum ex Virgine confitetur. F Quod alibi hic ipse Evangelista nos docuit dicens: 1. Iohan. 4. 2. *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, de Deo est.*

38. Denique quam non alienum sit etiam incarnationis hoc loco intelligere sacramentum, docet nos ipsius series lectionis; sic enim habes: Iohan. 17. 1. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Utique cùm & horam venisse commemoret, & clarificari petat, quomodo nisi secundum carnis adsumtionem loquutum eum convenit æstimari? Nam nec ulla sibi temporum præscripta momenta divinitas habet, nec clarificatione indiget lumen æternum. Ergo in solo vero Deo Patre & Filium Dei solum verum secundum divinitatis intelligimus unitatem, & in Jesu Christi nomine, quod ex Virgine natus accepit, incarnationis agnoscimus sacramentum.

39. Quod si cùm solum verum Deum Patrem legunt, Filium cupiunt separare; ergo cùm de Filii incarnatione legunt: *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli;* & infra: Act. 4. 11. & 12. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* Patrem existimant ab impertiendæ nobis salutis beneficio separandum. At neque sine Patre salus, neque vita æterna sine Filio.

CAPUT III.

Arrianis contra urgentibus Deos induci duos ex unitate substantiæ, respondetur pluralitatem ex diversitate potius inferri, proindeque in ipsos recidere suam accusationem. Diversitatem multiplicem in causa esse cur duo homines unus homo dici non possint; cùm tamen omnes homines singulariter homo dicantur, ubi naturæ unitas indicatur. Solam in his naturam unam esse; at omnimodam in personis divinis unitatem: à Patre igitur non separandum Filium; maxime cùm ei debitam esse adorationem negare non audeant.

40. SEd adserunt Arriani: Si solum verum Deum sicut Patrem, ita & Filium dicitis, & unius substantiæ Patrem & Filium confitemini, non unum Deum, sed duos deos inducitis; quia qui unius substantiæ sunt, non unus Deus, sed duo dii videntur esse, sicut duo homines, aut duæ oves, pluresve dicuntur: homo autem & ovis nec duo homines dicuntur, nec duæ oves; sed unus homo, & una ovis.

41. Hæc Arriani dicunt, & hac disputatione versuta simpliciores capere nituntur. Tamen si legamus scripturas divinas, inveniemus pluralitatem magis in ea cadere, quæ diversæ discretæque substantiæ sunt, hoc est, ἑτερουσία. Idque in Salomonis libris habemus expressum, eo loco scilicet in quo dicit: *Tria sunt autem impossibilia intelligere, & quartum quod non cognosco; vestigia aquilæ volantis, & vias serpentis super petram, & semitas navis navigantis, & vias viri in juventute.* Prov. 30. 18 & 19. Utique aquila & navis & serpens unius non sunt generis atque naturæ, sed differentis discretæque substantiæ; & tamen tria sunt. Contra se igitur sua esse intelligunt argumenta testimoniis Scripturarum.

42. Itaque dicendo Patris & Filii discretam esse substantiam, differentemque deitatem, duos utique ipsi deos adserunt: nos autem cùm & Patrem confitemur, & Filium; adserendo tamen unius esse deitatis non duos deos, sed unum Deum dicimus. Et hoc Dominicis eloquiis approbamus; quia ubi plures sunt, ibi aut naturæ aut voluntatum & operationum est differentia. Denique ut suis sibi testimoniis revincantur, duo homines dicuntur; quia licet unius naturæ sint jure nascendi, tamen & tempore & cogitatione & opere & loco distant: & ideo non potest unus homo dici in significatione & numero duorum; quia unitas non est, ubi est diversitas: unus autem Deus dicitur, & Patris

a. Rom. edit sola. *Quæcumque facit ipse, hæc & Filius similiter facit.*

& Filii

& Filii ac Spiritus sancti gloria & plenitudo A signatur.

43. Denique tanta veritas unitatis est, ut etiam quando natura sola generationis aut carnis significatur humanæ, & unus homo de multis
Psal. 117. 6. dicatur, sicut habes: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*, id est, non una persona hominis, sed una caro, & una fragilitas generationis humanæ. Et addidit:
Ibidem 9. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in homine.* Nec hîc utique specialem hominem, sed generalem B conditionem designavit. Denique statim subjecit de pluribus:
Ibidem 8. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in principibus.* Sed ubi homo dicitur, naturæ interdum, ut supra diximus, communis inter omnes unitas significatur: ubi principes, variarum quædam differentia potestatum est.

44. Sed inter homines aut in hominibus unius alicujus rei unitas est, aut caritatis, aut cupiditatis, aut carnis, aut devotionis & fidei: gene- C ralis autem unitas, & quæ in se secundum divinitatis gloriam complectitur omnia, solius est Patris & Filii & Spiritus sancti.

45. Unde & Dominus cùm diversitatem inter se hominum designaret, qui nihil habent inter se quod possit ad unitatem individuæ sub-
Johan. 8. 17. stantiæ pertinere: *In Lege vestra*, inquit, *scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est.* Et cùm præmisisset: *Duorum hominum testimonium verum est;* ubi venit ad suum & Patris D testimonium, non dixit: Verum est testimonium nostrum, quia duorum deorum testimonium
Ibid. 18. est; sed: *Ego*, inquit, *sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Supra quoque similiter ait:
Ibid. 16. *Et si judico ego, judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Itaque & infra & supra & Patrem significavit & Filium, nec pluralitatem admiscuit, nec divinæ unitatem substantiæ separavit. E

46. Evidens est igitur quia quod unius est substantiæ, separari non potest; etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ græce μονότης dicitur. Singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam. Ea vero quæ diversæ substantiæ sunt, non solum unum, sed etiam plura dici solere licet jam & prophetico claruerit testimonio; expressius tamen
1. Cor. 8. 5. ipse Apostolus declaravit dicens: *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra.* F Vides igitur quia hi qui ex diversis substantiis sunt, & non ex unius veritate naturæ, dii appellantur? Pater autem & Filius quia unius substantiæ sunt, non duo dii, sed *Unus Deus,*
Ibidem 6. *Pater ex quo omnia, & unus dominus Jesus Chris-*
Ibidem 4. *tus, per quem omnia. Unus*, inquit, *Deus Pater, & unus dominus Jesus;* & supra: *Unus Deus, non duo dii;* & infra: *Unus dominus, & non duo.*

Sup. lib. 1. cap. 5. 47. Pluralitas ergo excluditur, non unitas sequestratur. Sed quemadmodum cùm legimus dominum Jesum, nec Patrem, ut supra diximus, à dominationis jure secernimus, quod ei commune cum Filio est: ita cùm legimus solum verum Deum Patrem, nec Filium à solius veri Dei jure possumus separare, quod ei commune cum Patre est.

48. Aut dicant quid aliud sentiant, quidve arbitrentur, cùm legimus: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies;* utrum Christum Matth. 4. 10. non adorandum, & Christo non existiment serviendum? Quod si illa quæ adoravit eum Chananæa, impetrare meruit quod poposcit; & Pau- Matth. 15. 25. lus apostolus, qui servum se Christi prima scrip- Rom. 1. 1. torum suorum præfatione profitetur, apostolus esse meruit, non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum; dicant quid arbitrentur sequendum, utrum cum Arrio malint sibi societatem esse perfidiæ; ut solum & verum Deum Christum negando, ostendant quia nec adorandum eum, nec serviendum ei judicent: an verò consortium malint habere cum Paulo, qui serviendo atque adorando etiam Christum, utique solum verum Deum voce affectuque non diffitebatur, quem pio servitio fatebatur.

CAPUT IV.

Objiciebatur ab hæreticis Christum Patri adorationem exhibuisse. At reponitur & hoc referendum ad humanitatem, ut ex loci examine manifestatur: illic tamen addita esse divinitatis testimonia, quod in aliis etiam Christi operibus factum videmus.

49. Quod si quis dicat quoniam Deum Pa- Alias Cap. 11. trem adorat & Filius; quia scriptum est: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod* Johan. 4. 22. *scimus;* consideret quando, & apud quem, & cujus suscepto loquatur affectu.

50. Denique & in superioribus non immeri- Ibid. 6. & 7. to præmissum est quia Jesus fatigatus ex itinere sedebat, & à Samaritana bibere postulabat; quia secundum carnem hominis loquebatur: nam secundum divinitatem nec fatigari poterat, nec sitire.

51. Deinde cùm Samaritana quasi Judæum appellaret, & prophetam putaret; quasi Judæus qui spiritaliter mysteria Legis doceret, respondit: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Nos*, inquit, hoc est, se hominibus copulavit. Quomodo autem nisi secundum carnem hominibus copulatur? Et ut ostenderet quia secundum incarnationem responderat, addidit: *Quia salus ex Judæis est.* Ibid. 22.

52. Sed statim post hoc sequestravit hominis affectum, dicens: *Veniet hora, & nunc est, quan-* Ibid. 23. *do veri adoratores adorabunt Patrem.* Non dixit: Adorabimus. Quod utique dixisset, si consortium nostri subiret obsequii.

53. Verum cùm legerimus quod Maria ado- Matt. 28. ravit eum, intelligere debemus quod non potest per eamdem naturam & adorare quasi servus, & adorari quasi Dominus: sed potius quia ut homo inter homines adorare dicitur, & quasi [a] Dominus à famulis adoratur.

54. Multa ergo secundùm incarnationis legimus & credimus sacramentum, sed in ipsa

a. Edit. Amerb. Eras. & Gill. sed hæc in marg. *Dominus & Filius:* Gill. in corpore, ac Rom. cum scriptis cod. *Dominus à famulis.* Rursus vero post tria verba mss. aliquot legunt, *secundum incarnationem legimus & credimus sacramenta:* sed contra aliorum, ac edit. omnium auctoritatem. Neque etiam hic de sacramentis disputatur, sed de Scripturæ testimoniis.

naturæ humanæ affectione majestatem licet spectare divinam. Fatigatur ex itinere Jesus, ut reficiat fatigatos: [a] petit bibere, sitientibus potum spiritalem daturus: esurit, cibum salutis esurientibus traditurus: moritur, vivificaturus: sepelitur, resurrecturus: tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes: cælum caligine obducit, ut illuminet: terras tremefacit, ut solidet: maria conturbat, ut mitiget: reserat tumulos mortuorum, ut ostendat domicilia esse vivorum: creatur ex Virgine, ut ex Deo natus esse credatur: nescire se simulat, ut scire faciat nescientes: adorare quasi Judæus dicitur, ut quasi verus Deus Filius adoretur.

CAPUT V.

Dominica ad Zebedæi filiorum matrem verba ingerentibus Ambrosius respondet, quod Christus mæstitia illam afficere noluerit, clementiæ fuisse. Affertur hujusce indulgentiæ causa multiplex. Maluisse igitur Dominum petitionis illius concessionem ad Patrem remittere, quàm eamdem impossibilem pronuntiare; nec tamen Christo incommodare suum responsum, tum ex ipsis ejusdem verbis, tum ex aliorum locorum comparatione ostenditur.

55. Quomodo, inquiunt, Filius Dei solus verus Deus potest esse similis Patri; cùm ipse dixerit filiis Zebedæi: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo?* (Matth. 20. 23.) Hoc igitur vestrum divinæ, ut vultis, [b] inæqualitatis est argumentum; cùm in eo magis venerari Domini clementiam, adorare gratiam deberetis: si tamen virtutis atque sapientiæ Dei profunda secreta possetis advertere.

56. Considerate enim [c] quæ cum filiis & pro filiis petat. Mater est utique, cui pro filiorum honore sollicitæ immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæva, studio religiosa, solatio destituta: quæ tunc temporis quando vel juvanda vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, [d] & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum: qui prima voce vocati à Domino, ut legimus, relictis retibus & patre, sequuti sunt eum. (Matth. 4. 22.)

57. Hæc igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior, obsecrabat Salvatorem, dicens: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad sinistram in regno tuo.* (Ibid. 20. 21.) Etsi error, pietatis tamen error est; nesciunt enim materna viscera patientiam: etsi voti avara, tamen veniabilis cupiditas, quæ non pecuniæ est avida, sed gratiæ: nec inverecunda petitio, quæ non sibi, sed liberis consulebat. Matrem considerate, matrem cogitate.

58. Sed nihil mirum si vilis vobis videtur circa filios affectus parentum, qui etiam omnipotentis Patris vilem putatis esse circa unigenitum Filium caritatem. Dominus cæli atque terrarum verecundabatur (ut secundum adsumtionem carnis & virtutes animæ loquar) verecundabatur, inquam, & ut ipsius verbo utar, confundebatur matri pro filiis postulanti etiam suæ sedis consortium denegare: vos æterni Dei Filium proprium interdum pro ministerio stare contenditis, [e] interdum famulatorium, hoc est, non ex majestatis unitate, sed ex Patris præceptione vultis ejus esse consessum; & negatis hoc Deo vero Dei Filio, quod ille hominibus aperte noluit denegare.

59. Considerabat enim matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandævam solabatur senectam, & desideriis licet fessa maternis, carissimorum pignorum tolerabat absentiam.

60. Considerate etiam feminam, hoc est, sexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmaverat passione. Considerate, inquam, Evæ illius primæ mulieris heredem transfusa in omnes immoderatæ cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam suo cruore diluerat. Hereditario igitur mulier delinquebat errore.

61. Et quid mirum si mater pro filiorum suorum, [f] quod est tolerabilius quam pro se; quando etiam apostoli ipsi inter se, sicut legimus, de sui prælatione certabant? (Luc. 22. 24.)

62. Non debuit igitur medicus omnium destitutam matrem, & ægram adhuc mentem pudoris convicio sauciare; ne postulato sibi superbius denegato, quasi immoderatæ petitionis damnata mœreret.

63. Denique Dominus [g] qui honorandam sciret esse pietatem, non mulieri, sed filiis ejus respondit dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Dicentibus autem illis: *Possumus; ait illis Jesus: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* (Matth. 20. 22. & 23.)

64. Quam patiens & clemens Dominus, quam alta sapientia & bona caritas! Volens enim ostendere quia non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam quam impetrare non possent, [h] prærogativam ejus paternæ honorificentiæ reservavit: non metuens, ne quid juri proprio derogaret, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo;* (Philip. 2. 6.) simul diligens discipulos, quia sicut habes, *usque in finem dilexit eos,* (Johan. 13. 1.) noluit iis quos diligeret, videri quod peterent denegasse: sanctus & bonus Dominus, QUI MALLET aliquid dissimulare de jure, quam de caritate deponere: *Caritas enim patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt.* (1. Cor. 13. 4.)

a. Ita omnes edit. at è contrario cuncti prope cod. manu exarati, *petit bibere, daturus*.

b. Mss nonnulli, *inæqualitatis est sacramentum* Non satis recte.

c. Iidem mss. *quæcumque filiis & pro filiis petat mater. Est utique pro filiorum honore sollicita. Immoderatior quidem* &c.

d. Mss aliquot, *& voluntati suæ mercedem.* Infra etiam, *Hæc igitur studio materno, sed utilitatis indulgentior* Parum commode.

e. Plures mss. *interdum famulari*: aptius reliqui & edit. ut in textu.

f. Tres mss. post voces *quod est tolerabilius*, omittunt, *quam pro se*, cujus loco unus exhibet, *honore sollicita fuit*: Amerb. ac Eras. *quam si ipsi*.

g. Mss. duo, *quo honorandam doceret*: unus, *diceret* &c.

h. Edit. Gill. ac Rom. *prærogativam eis*: aliæ cum mss. *prærogativam ejus*, rei scilicet quam postulabant iidem apostoli. Rursus autem pro *juri proprio derogaret*, quod est in edit. omnibus, & mss. nonnullis; alii mss. majori numero præferunt, *juri proprio denegaret*.

65. Denique ut agnoscatis non infirmitatis, sed indulgentiæ esse, quia dixit: *Non est meum dare vobis*; ubi sine matre filii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit; sic enim habes: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.* Ita Marcus evangelista posuit. Ubi vero mater pro filiis rogat, hoc est, secundùm Matthæum: *Non est*, inquit, *meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*; hìc addidit: *A Patre meo*; quia majorem indulgentiam maternus poscebat affectus.

Marc. 10. 40.

Matth. 20. 23.

66. Quod si putant, dicendo: *Quibus paratum est à Patre meo*, quia aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogavit; dicant utrum & illic putent Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio Filius de Patre: *Pater non judicat quemquam.*

Johan. 5. 22.

67. Quod si sacrilegum putamus credere quia Pater ita judicium detulit Filio, ut ipse non habeat; habet enim, nec potest amittere quod habet naturaliter divina majestas: sacrilegum utique æstimare debemus quia non potest Filius dare quidquid aut homines mereri possunt, aut quævis accipere creatura; præsertim cùm ipse dixerit: *Ego ad Patrem vado, & quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Si enim quod Pater dare potest, Filius non potest; mentita est ergo veritas, & non potest facere quidquid in nomine ejus Pater fuerit obsecratus. Nec enim ideo dixit: *Quibus paratum est à Patre meo*; ut tantummodo à Patre poscatur: nam omnia quæcumque à Patre fuerint postulata, se donare memoravit. Denique non dixit: Quodcumque à me petieritis, [a] hoc faciam; sed: *Quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam.*

Johan. 14. 12 & 13.

CAPUT VI.

Accuratius propositam soluturus objectionem, contendit memoratam petitionem, si modo in se impossibilis non fuit, possibilem fuisse Christo; maxime cùm ipsi omne judicium Pater dederit, quod sine ulla imperfectionis nota intelligendum. Attamen idem postulatum inter impossibilia censendum probat. Quod ut omnino esset possibile, tunc responsum Christi secundum naturam humanam accipiendum tradit, ac loci explicatione declarat. Denique iterum suam confirmat de sessionis hujus impossibilitate responsionem.

68. Quæro nunc utrum possibile aliquid humanæ conditioni, aut alicui creaturæ, an impossibile putent à Zebedæi conjuge & filiis postulatum? Si possibile, quomodo ad sinistram suam vel ad dexteram impertiendæ apostolis sedis non habuit potestatem, qui omnia fecit esse, quæ non erant? Aut quomodo non poterat judicare de meritis hominum, cui Pater dedit omne judicium?

Johan. 5. 22.

69. Notum est quemadmodum dederit: nam quomodo quasi indigens accepit Filius, qui omnia creavit ex nihilo? Quorum igitur naturas fecerat, eorum judicium non habebat? Dedit autem Pater Filio omne judicium; *Ut omnes*, inquit, *honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Non igitur potentia Filii, sed cognitio nostra proficit: neque aliquid ad substantiam ejus accedit, sed ad nostram utilitatem, quod à nobis cognoscitur; ut cognoscendo Dei Filium, vitam habeamus æternam.

Ibidem 23.

Johan. 17. 3.

70. Cùm autem in cognitione Filii Dei honor illius, noster autem non illius sit profectus; si quis putat quia Dei virtus illo honore cumulatur, necesse est etiam Deum Patrem credat posse cumulari; quia & ipse per cognitionem nostram clarificatur sicut Filius, juxta quod scriptum est, dicente Filio: *Ego te clarificavi super terram.* Ergo si possibile aliquid erat quod petebatur, in potestate utique Filii fuit.

Ibidem 4.

71. Sed tamen ostendant, si possibile putant, qui de hominibus aut ceteris creaturis, aut ad dexteram, aut ad sinistram Dei sedeat; Pater enim dicit Filio: *Sede ad dexteram meam.* Itaque si quis ad dexteram Filio sedet, inter ipsum utique & Patrem, ut humano usu loquamur, Filius medius reperitur.

Psal. 109. 1.

72. Non ergo possibile homini aliquid petebatur, sed noluit dicere quod homines sedere secum non possint; si quidem divinam suam gloriam celari, priusquam resurgeret, non divulgari cupiebat. Nam & supra cùm inter famulos suos Moysen & Eliam apparuisset in gloria, monuerat discipulos, ne cui dicerent, quod vidissent.

Matth. 17. 9.

73. Itaque si possibile non erat hominibus vel creaturis ceteris hoc mereri, non debet videri Filius minus posse, quia non dedit apostolis, quod nec Pater hominibus vel creaturis ceteris dedit. Aut dicant cui horum dederit Pater. Non utique Angelis, de quibus Scriptura dicit, quia omnes Angeli stabant in circuitu sedis. Denique Gabriel se stare dixit, sicut habes: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Dominum.*

Apoc. 7. 11.

Luc. 1. 19.

74. Non ergo Angelis, non senioribus qui adorant sedentem; illi enim non super sedem majestatis sedent: sed, ut dixit Scriptura, in circuitu sedis; sedes enim aliæ viginti & quatuor sunt, ut habes in Apocalypsi Johannis: *Et supra sedem viginti quatuor seniores sedentes.* In Evangelio quoque ipse Dominus dicit: *Cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & ipsi super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Non ergo sedis suæ dixit apostolis dari posse consortium, sed alias illas sedes esse duodecim; quas tamen non pro corporali consessu, sed pro successu spiritalis gratiæ æstimare debemus.

Apoc. 4. 4.

Matth. 19. 28.

75. Denique in libro Regnorum dixit Michæas propheta: *Vidi dominum Deum Israel sedentem super thronum suum, & omnis militia cæli stabat circa eum, ad dexteram ejus & ad sinistram.* Quomodo igitur stantibus Angelis ad dexteram vel ad sinistram domini Dei, stante omni militia cælesti, sedebunt homines ad dexteram Dei, vel ad sinistram, quibus pro virtutis præmio Angelorum similitudo promittitur, sicut Dominus dicit: *Eritis sicut Angeli in cælo? Sicut Angeli*, dicit, non plus quam Angeli.

3. Reg. 22. 19.

Matth. 22. 30.

76. Si ergo nihil plus dedit Pater quam Filius, nihil utique minus dedit Filius quam Pater: nihil igitur minus Filius potest quam Pater.

77. Ponite tamen possibile impetratu homi-

a. Mss. aliquot, *hoc faciet*: unus, *hoc faciat*. Reliqui, ac edit. omnes, nec non cod. sacri quorumcumque idiomatum, *hoc faciam*.

Matth. 20. 23. nibus quod posceretur, quid est quod ait: *Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis?* Quid est *meum?* Supra dixit: *Calicem quidem meum bibetis;* & infra posuit: *Non est meum dare vobis;* & supra *meum*, & infra *meum* dixit, nec immutavit. Ergo superiora docent propter quid dixerit *meum*. A

78. Rogatus enim à muliere quasi homo, ut ad dexteram vel ad sinistram suam filios ejus sedere pateretur; quia illa quasi hominem rogaverat, & Dominus quasi tantummodo homo B de sua passione respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ibid. 22.

79. Itaque quia secundum carnem de passione sui corporis loquebatur, demonstrare voluit quod secundum carnem quidem subeundæ passionis nobis exemplum ac similitudinem derelinqueret, secundum humanam autem conditionem non sedis supernæ consortia donaret. Hoc est enim quod dixit: *Non est meum;* sicut alibi: Iohan. 7. 16. *Mea doctrina non est mea;* non est enim, inquit, C [a] secundum carnem mea: quia quæ divina sunt, non sunt carnis eloquia.

80. Indulgentiam autem suam circa discipulos quos diligeret, quam expresse revelavit, præmittens: *Calicem quidem meum bibetis?* Etenim quia non debebat id dare quod petierant, aliud proposuit; ut prius commemoraret quid iis tribueret, quam quid negaret: quo magis æquitatem sibi petitionis, quam studium Dominicæ liberalitatis intelligerent defuisse. D

81. *Calicem quidem*, inquit, *meum bibetis*, hoc est, passionem quidem quæ carnis meæ est, non negabo; quod enim humanæ adsumtionis habeo, potestis imitari: donavi vobis victoriam passionis, hereditatem crucis: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare vobis.* Non dixit: Non est meum dare; sed, *non est meum dare vobis*, hoc est, non sibi potestatem deesse adserens, sed meritum creaturis.

82. Accipe aliter: *Non est meum dare vobis.* E Quod est, *non est meum*, qui veni [b] humilitatem docere: *non est meum*, qui veni non ministrari, sed ministrare: *non est meum*, qui justitiam servo non gratiam.

83. Denique ad Patrem referens, addidit: *Quibus paratum est;* ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Act 10. 34. Rom. 8. 29. Unde & Apostolus ait: *Quos præscivit, & prædestinavit;* non enim ante prædestinavit, quàm F præsciret: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.

84. Jure igitur reprehenditur mulier, quæ & impossibilia & speciali quodam privilegio ab eo Domino postulavit, qui ea quæ sanctis judicavit esse donanda, non duobus apostolis, sed omnibus discipulis, etiam sine cujusquam precatione, voluntaria sui largitate contulerit, sicut scriptum est: Matth. 19. 28. *Duodecim vos sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.*

85. Ergo etiamsi possibile putemus postulatum fuisse, calumniæ locus non est; tamen cùm legerim Seraphim stare, quomodo possum quod Esai. 6. 2. homines ad dexteram vel ad sinistram Filio Dei sedeant, arbitrari? Supra Cherubim Dominus sedet, sicut habes: *Qui sedes super Cherubim, appare;* Psal. 79. 2. quomodo apostoli super Cherubim sedebunt?

86. Et hoc tamen colligo non ex meo ingenio, sed ex Dominicæ vocis oraculo; ipse enim Dominus in posterioribus apostolos commendans Patri, ait: *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Iohan. 17. 24. Utique si judicasset quia divinam sedem Pater hominibus daret, dixisset: Volo ut ubi ego sedeo, & illi sedeant mecum; Sed *volo*, inquit, *ut sint mecum*, Ibidem. non ut sedeant mecum; & *ubi ego*, non quomodo ego.

87. Deinde sequitur: *Ut videant claritatem meam.* Nec hîc dixit: Ut habeant claritatem meam, sed *ut videant;* servus enim videt, Dominus possidet, sicut & David docuit dicens: *Ut videam* [c] *voluptatem Domini.* Psal. 26. 4. Et ipse Dominus in Evangelio revelavit adserens: *Beati mundi corde, ipsi enim Deum videbunt. Videbunt*, inquit, Matth. 5. 8. non super Cherubim cum Deo sedebunt.

88. Desinant ergo viliora secundum divinitatem æstimare de Dei Filio; ne viliora quoque de Patre æstiment. Qui enim male crediderit de Filio, non potest bene sentire de Patre: [d] qui male crediderit de Spiritu, non potest bene sentire de Filio. Ubi enim una dignitas, una gloria, una caritas, una majestas est; in commune derogatur, quidquid in aliquo putaveris derogandum: jam enim non erit plenitudo quam discernas & dividas in aliquas portiones.

CAPUT VII.

Objectio petita ex hoc loco: Dilexisti eos, sicut & me dilexisti, *ut diluatur, primo Arrianorum expositionis impietas demonstratur, deinde comparantur eadem verba cum similibus, ac demum totus locus consideratur. Hinc deducitur Christi missionem, etsi secundum carnem accipienda est, illi non officere. Quo probato, qui fiat divina missio describitur.*

89. Existunt tamen, Imperator auguste, Alias Cap. III. qui hanc divinæ unitatem substantiæ negare cupientes, extenuare studeant Patris & Filii caritatem; quia scriptum est: *Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Iohan. 17. 23. Quod cùm dicunt, quid aliud agunt, nisi inter Dei Filium & homines æqualitatem quamdam comparationis inducunt?

90. Numquid sic diligi possunt à Deo homines quemadmodum Filius, in quo complacuit Pater? Ille per se complacet, nos per ipsum: in quibus enim Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adsciscit in gratiam filiorum; ut quemadmodum per imaginem ad

a. Edit. Amerb. Eras. & ultimæ Paris. *secundum carnem meam:* Optime Gill. Rom. & mss *secundum carnem mea*, nempe *doctrina*.
b. Mss. aliquot, *in humilitate docere... qui justitiam servo. Nam gratiam denique.... deferre solere, non meritis.* Pessime.
c. Non pauci mss. *voluntatem Domini:* sed voluntatem & voluptatem frequenter in mss. commutari, sæpius licuit advertere.

d *Qui male crediderit de Spiritu, non potest bene sentire de Filio*, in mss. plerisque desideratur. Ceterum quod in ea refellenda objectione longiuscule hæserit Ambrosius, nihil mirum est; eam enim ab Arrianis jactari solitam ex iis discas, quæ Basilius lib. 4. *Cont. Eunom.* p. 107. Epiphanius *Hær.* 69. num. 58. & Cyrillus Alex. *Adsert.* 26. aliique scriptis mandarunt.

imaginem sumus, sic per generationem Filii in A adoptionem vocemur. Alius igitur naturæ amor sempiternus, alius gratiæ.

91. Aut si ex verbis faciunt quæstionem; quia scriptum est: *Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti*; & comparationem factam putant: ergo & illud Luc. 6. 36. comparative dictum putant: *Estote misericordes, sicut & Pater vester qui est in cælis, misericors est*; Matth. 5. 48. & alibi: *Estote perfecti, sicut & Pater meus qui in cælis est, perfectus est*. Quod si ille secundum plenitudinem majestatis suæ perfectus est, nos B autem perfecti [a] secundùm virtutis accedentis profectum; etiam Filius diligitur à Patre secundum semper manentis plenitudinem caritatis: in nobis autem caritatem Dei virtutis emeretur profectus.

92. Vides igitur quam [b] gratiam Deus dederit hominibus, & tu Patris & Filii vis dissolvere naturalem & individuam caritatem; & tu verba adhuc discutis, ubi unitatem majestatis advertis?

93. Vide totum hunc locum, ex cujus affectu C loquatur; habes enim dicentem ipsum: Johan. 17. 5. *Clarifica me, Pater, claritate ea quam habui, priusquam mundus esset, apud te*. [c] Vide quia ex primi hominis loquatur affectu; quia nobis ea petitione deposcit, quæ ante peccatum in paradiso homo meminerit esse collata, ut & latroni in passione Luc. 23. 43. memoravit: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Hæc est ante mundum claritas. Mundum autem pro hominibus dixit, D sicut habes: Iohan. 12. 19. *Ecce mundus totus post ipsum abit*; & alibi: Ibid. 14. 31. *Ut cognoscat hic mundus quia tu me misisti*.

94. Et tamen ut scires magnum Deum & salutarem & omnipotentem Dei Filium; [d] indicium suæ majestatis admiscuit dicendo: Ibidem 10. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea*. Omnia habet, & tu missum esse ad injuriam derivas?

95. Qui si secundum carnem non accipis missum, ut Apostolus dixit, Rom. 8. 3. & ex verbo simplici E præjudicium struis, quo dicas inferiores à superioribus mitti solere: quid ad illa respondes, quia Filius ad homines missus est? Nam si minorem putas eum qui mittitur, eo videlicet à quo mittitur; disce quod & minor majorem misit, [e] & majores ad minores missi sunt. Nam & Tobias Raphaelem Archangelum misit, Tobia 9. 3. & Angelus ad Balaam missus est, Num. 22. 22. & Dei Filius ad Judæos. Matth. 15. 24.

96. Numquid ergo minor etiam Judæis Dei Filius, ad quos mittebatur? De ipso enim scrip- F tum est: Matth. 21. 37. *Novissime autem misit eis filium suum unicum dicens: Verebuntur filium meum*. Et vide quia ante servos, postea filium nominavit; ut scias quod Deus Filius unigenitus secundum divinitatis potentiam nec nomen habet, nec consortium commune cum servis: reverendus mittitur, non cum famulis conferendus.

97. Et bene addidit, *meum*, ut non unus de multis, nec degeneris naturæ, nec minoris alicujus potestatis: sed verus à vero, & paternæ imago venisse substantiæ crederetur.

98. Esto tamen, minor sit qui mittitur, eo à quo mittitur; ergo & Pilato minor Christus; quoniam Pilatus misit eum ad Herodem. [f] Sed sermo non præjudicat potestati: Scriptura, quæ missum dicit à Patre, missum dicit à præside.

99. Unde si sobrie de Dei Filio quæ digna sunt, opinemur; ideò missum intelligere debemus, quia ex illo incomprehensibili inenarrabilique secreto majestatis profundæ dedit se comprehendendum pro captu nostro mentibus nostris Dei Verbum, non solùm cùm se exinaniret, sed etiam cùm habitaret in nobis, sicut scriptum est: *Quoniam inhabitabo in illis*. 2. Cor. 6. 16. Denique & alibi habes quia Deus dixit: *Venite, descendamus, & confundamus linguas eorum*. Gen. 11. 7. Non enim Deus de loco aliquando descendit, qui ait: *Ego cælum & terram compleo*; Hier. 23. 24. sed in eo descendere videtur, si nostros Dei Verbum penetret affectus, sicut dixit propheta: *Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus*; Esai. 40. 3. ut quemadmodum ipse promisit, veniens cum Patre, apud nos faciat mansionem. Evidens est igitur quomodo veniat.

CAPUT VIII.

Christo in quantum verus est Dei Filius, dominum non esse, sed in quantum homo est; ut verbis ejusdem modo Patrem modo Dominum compellantis significatur. Quot hæreses uno jugulentur Scripturæ versiculo. Distinguenda igitur quæ Christo vel ut Dei vel ut Davidis filio conveniant; illi enim sub ultimo tantum nomine adscribendum, quod servus fuerit. Ad extremum complures locos demonstrat non nisi secundum incarnationem accipi posse.

100. Unde & evidens est quomodo dominum dicat, quem Patrem novit; ait enim: *Confiteor tibi, Pater, domine cæli & terræ*. Matth. 11. 25. Ante Patrem dixit Sapientia suum, postea creaturæ dominum nuncupavit. Itaque dominatum non esse ubi vera progenies est, ipse Dominus ostendit in Evangelio suo, dicens: *Quid vobis videtur de Christo? cujus Filius est? Dicunt ei: David. Ait illis Jesus: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis?* Matth. 22. 42. & seq. Et addidit: *Si ergo David in spiritu vocat eum dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum*.

101. O quam caute propter Arrianos etiam in hoc testimonio Dominus fidei prospexit; Non enim dixit: Vocat eum spiritus dominum, sed quia David dixit in spiritu; ut cujus secùn-

a. Nonnulli mss. *secundum virtutes accedentes. Profecto etiam Filius*: alii vero, & edit. inter se consentiunt, nisi quod hæ legunt, *accidentis*, pro *accedentis*.

b Mss. aliquot *gratiam Dei*.

c. *Vide quia ex primi hominis .... quia tu me misisti*, hæc omnia non solum in omnibus edit. sed etiam in gallicanis mss. quotquot consulere nobis licuit, desiderantur; ea vero restituimus ex uno cod. Vaticano Et sane præter quam quod ab ingenio Ambrosiano minime abhorrent, iisdem omissis, nec satis implebatur, quod proxime ante vir sanctus ad totum locum excutiendum provocat, nec satis cohærebat cum antecedentibus, quod infra de Christi missione subjicitur.

d. Duo mss. *judicium suæ majestatis*.

e. Big. cod. *& majores à minoribus*: alii nonnulli, *& majores minoribus*. Magis commode.

f. Vet edit *Sed præjudicat potestati Scriptura*: Gill. Rom. & mss. aliquot, *Sed non præjudicat* &c. Reliqui mss qui & potiores, ut in textu, nisi quod pro *quæ missum*, in quibusdam habetur *quem missum*. Non malo sensu.

dum carnem Filius est, David scilicet, ejus etiam secundum divinitatem & dominus & Deus crederetur. Vides igitur quia nomen [a] pietatis & dominii discretum est.

102. Et bene Dominus suum quidem Patrem, cæli autem & terræ dominum prædicavit; ut tu cùm legis & Patrem & dominum, intelligas Patrem Filii, & dominum creaturæ. In alio prærogativa naturæ est, in alio auctoritas potestatis; formam enim servi accipiens, eo utique dominum vocat, quo servitutem suscepit, æqualis in Dei forma, servus in corporis: servitus enim carnis, dominatus autem divinitatis est. (1. Cor. 1. 3.) Unde & Apostolus ait: *Deus domini nostri Jesu Christi, pater gloriæ*, hoc est, Deum adsumtionis humanæ adserens, Patrem autem gloriæ. Num enim duos filios habuit Deus Christum & gloriam? Minime. Ergo si unus Dei Filius Christus, utique Christus est gloria. Quid autem ei derogas, qui Patris gloria est?

103. Si ergo & Filius gloria est, & Pater gloria; quia Pater gloriæ non potest aliud esse quam gloria: non divisio gloriarum, sed una est gloria. Itaque ad proprietatem naturæ gloria refertur, dominatus autem ad suscepti corporis servitutem. Si enim caro etiam justi animæ subdita est, sicut scriptum est: (1 Cor 9. 27.) *Castigo corpus meum, & servituti redigo;* quanto magis subjecta est divinitati, de qua dicitur: (Psal. 118. 91.) *Quoniam universa serviunt tibi?*

104. Una autem quæstione & Sabellianos & Photinianos & Arrianos Dominus exclusit. Nam cùm Dominum dixisse Domino dicit, Sabellius excluditur, qui eumdem Patrem vult esse quem Filium. Excluditur Photinus, * qui secundum carnem judicat; quia dominus David regis non poterat esse, nisi qui Deus est; scriptum est enim: (Deut. 6. 13.) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Numquid contra Legem propheta sentiret, qui sub Lege regnaret? Excluditur Arrius, qui Filium sedere audit ad dexteram Patris; ut si ex usu argumentetur humano, ipse se perimat, & venenum sacrilegæ disputationis suæ in se refundat, [b] ut dum inæqualitatem Patris & Filii ex consuetudine hominum interpretatur, in utroque à vero devius, eum præferat cui derogat, confessurus priorem quem audit ad dexteram. Excluditur etiam Manichæus; non enim negat esse se David filium secundum carnem; ut pote qui clamantibus cæcis: (Matth. 20. 30.) *Jesu fili David miserere nobis;* & delectatus est fide, & stetit & curavit eos: sed negat hoc suæ esse æternitatis, si David solius filius à perfidis nominetur.

105. Nam Filius Dei est contra * Hebionem, Filius David est contra Manichæos: Filius Dei est contra Photinum, Filius David est contra Marcionem: Filius Dei est contra Paulum Samosatenum, Filius David est contra Valentinum: Filius Dei est contra Arrium atque Sabellium gentilis erroris heredes: Dominus David est contra Judæos, qui Dei Filium in carne cernentes, hominem tantummodo impio furore credebant.

106. Sed Ecclesiastica fide & Dei Patris & David idem atque unus est Filius; quia incarnationis Dei mysterium universæ salus est creaturæ, secundùm quod scriptum est: *Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem*, id est, quod creatura omnis sine passione aliqua divinitatis Dominici sanguinis redimenda sit pretio, ut alibi habet: *Omnis creatura liberabitur à servitute corruptionis.* (Hebr. 2. 9.) (Rom. 8. 21.)

107. Aliud est igitur secundum divinam substantiam, aliud secundum susceptionem carnis filium nominari: nam secundum generationem divinam Deo Patri æqualis est Filius, & secundum susceptionem corporis Deo Patri servus est; quia formam servi, inquit, accepit: unus tamen atque idem est Filius. (Phil. 2. 7.) Contra autem sancto patriarchæ David secundum gloriam suam Dominus est, secundum corporalis successionis seriem filius est, * non deficiens à se, sed nostræ jus sibi adoptionis adquirens.

108. Nec solum ex genere David servitutem suscepit in persona hominis; [c] sed etiam ex nomine, sicut habes: *Inveni David servum meum;* & alibi: *Ecce ego mittam ad vos servum meum, Oriens nomen est ei.* (Zach 3. 8.) Et ipse Filius ait: *Sic dicit Dominus, qui finxit me ex utero servum sibi, & dixit mihi: Magnum tibi est vocari puerum meum. Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium; ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* (Esai 49 6. & seq.) Cui hoc dicitur, nisi Christo? qui cùm in forma Dei esset, exinanivit se, & formam servi accepit. (Phil. 2. 6.) Quid est in Dei forma, nisi in divinitatis plenitudine?

109. Disce igitur quid sit: Formam servi accepit, id est, plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinem obedientiæ. Ideoque dicit in psalmo trigesimo: *Statuisti in loco spatioso pedes meos. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Illustra faciem tuam super* [d] *servum tuum.* (Psal. 30. 9. 12. & 17.) Servus dictus est homo, in quo sanctificatus est: servus homo, in quo unctus est: servus homo, in quo factus sub Lege, factus ex Virgine est; & ut compendio dicam, servus dictus est, in quo matrem habet, sicut scriptum est: *O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ;* (Psal. 115. 7.) & alibi: *Afflictus sum & humiliatus sum nimis.* (Psal. 37. 9.)

110. Quis nimis humiliatus est, nisi Christus, qui venit ut omnes liberaret per obedientiam? *Sicut* enim *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* (Rom. 5. 19.) Quis cali- (Psal. 115. 15. & 17.)

a, Quidam mss. *Patris & Domini.*

*. Id est, qui Christum antequam carnem susciperet, fuisse negat, ut alibi à nobis observatum est.

b Mss. aliquot, *ut Deo inæqualitatem .... interpretans, in utraque* &c

* Hebionem in Christo nihil agnovisse, quod non esset puri ac nudi hominis, tradit Tertullianus lib. *de Carne Chr.* cap. 18. Eusebius lib. 3. Hist. cap. 21. & 27. Epiphanius Hær. 30. Augustinus *de Hær.* cap. 10. & alii. Pauli quoque Samos. is error fuit, quemadmodum ex Eusebii lib. 5. cap. 28. & lib. 7. cap. 27. 29. & 30. cognoscere est, ut purum hominem Christum diceret. Addebat tamen Verbum è cælo delapsum in Jesu habitasse, uti testatur Epiphanius *Hær.* 65. Ejusdem hæretici Augustinus quoque meminit lib. *de Hæres.* cap. 44. atque alii.

*. Hilarius lib. 2. *de Trinit. Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*, id est, incarnatione suscipitur. Quæ duo membra tam apte respondent duobus hisce Ambrosianis, ut iis commentarii vicem præstare possint.

c. Nonnulli mss. *sed etiam ex Domino.* Parum congrue.

d. Mss. aliquot, *servum tuum. Servus est, in quo unctus est: servus est, in quo sanctificatus est: servus est, in quo creatus est, & ut compendio dicam* &c.

cem salutarem accepit, Christus princeps sacerdotum, an David, qui neque sacerdotium habuit, neque passionem subiit? Quis sacrificavit hostiam laudis?

Psal. 85. 2. 111. Sed si hoc parum est, accipe aliud: *Custodi animam meam, quoniam ego sanctus sum.* Numquid de se hoc diceret David? Sed ille dicit, qui
Psal. 15. 10. Psal. 85. 2. ait: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Idem ergo utrumque dicit.

Ibid. 16. 112. Addidit vero: *Salvum fac servum tuum;* & infra: *Da potestatem puero tuo, & filio ancillæ*
Ezech. 24. 23. & 24. *tuæ*, & alibi, id est, in Ezechiele: *Et suscitabo super eos pastorem unum, & reget eos servus meus David. Ipse pascet eos, & erit eorum pastor: & ego Dominus ero illis in Deum, & servus meus David in medio eorum princeps.* Utique David jam defunctus erat, filius Jesse. De Christo itaque dicit, qui propter nos filius ancillæ factus est, secundum formam hominis; nam secundum divinam generationem non matrem habet, sed Patrem: nec corporalis ventris est fructus, sed sempiterna Dei virtus.

113. Ergo etiam illud cùm legimus quia dixit
Johan. 7. 8. Dominus: *Tempus meum nondum impletum est;*
Ibidem 13. 33. &: *Adhuc modicum vobiscum sum;* &: *Vado ad*
Ibidem 31. *eum qui misit me;* &: *Clarificatus est Filius hominis*, ad incarnationis sacramentum referre debemus. Cùm autem legimus: *Et Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificavit eum;* quid ibi est quæstionis, ubi & Filius clarificatur à Patre, & Pater clarificatur à Filio?

114. Denique ùt fidem unitatis & copulam Trinitatis aperiret, etiam ab Spiritu clarifican-
Ibidem 16. 14. dum esse se dixit, sicut habes: *Ille de meo accipiet, & clarificabit me.* Clarificat ergo Dei Filium etiam Spiritus sanctus. Quomodo igitur
Ibid. 8. 54. ipse dixit: *Si ego clarificavero me ipsum, claritas mea nihilum est?* Ergo nihil est claritas Filii? Sacrilegum est dicere, nisi referas ad carnem; quia ex persona hominis Filius loquebatur, eo quod comparatione divinitatis nulla est carnis claritas.

115. Desinant igitur impie objicere, quod in suam perfidiam retorquetur. Dicunt enim:
Ibidem 13. 31. Scriptum est: *Nunc clarificatus est Filius hominis.*
a [a] Non nego scriptum: *Clarificatus est Filius hominis;* sed videant quid sequatur: *Et Deus clarificatus est in eo.* Ego excusationem habeo de Filio hominis, ille de Patre non habet; quia Pater non suscepit carnem. Excusationem habeo, & non utor: ille non habet, & calumniatur. Aut simpliciter me patiatur intelligere, aut ad carnem referre quæ carnis sunt. Pia mens, quæ leguntur secundum carnem divinitatemque, distinguit: sacrilega confundit, & ad divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum.

CAPUT IX.

Judaico more ordinem verborum: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *objicientibus, præter responsum quod vir sanctus indicat à se jam datum, regerit etiam Filium ante Patrem sæpe locari.*

116. QUid quod etiam more Judaico falsi & impudentes interpretes Arriani verborum sunt divinorum, dicentes usque adeo aliam Alias Cap. IV.
Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse potestatem, ut scriptum sit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti;* & ex verborum ordine differentiam divinæ faciunt potestatis? Matth. 28. 19.

117. Ego autem licet hoc ipsum testimonium in superioribus libris pro unitate adseruerim majestatis ac nominis; tamen si hinc faciunt quæstionem, possum testimoniis adserere Scripturarum in plerisque locis prius Filium nominatum, postea Patrem dictum. Numquid igitur quia Filii significatio ante præmissa est, verborum, ut Arriani volunt, præjudicio Pater secundus à Filio est? Absit, inquam, absit. Nescit hunc ordinem fides, nescit discretum Patris & Filii honorem. Non legi, non audivi, nec aliquem in Deo inveni gradum. Nusquam secundum, nusquam tertium Deum legi: primum Esai. 44. 6.
legi, primum ac solum audivi.

118. Si ordinis exigimus superstitionem, nec ad dexteram Patris sedere Filius debet, nec primum se & principium debuit dicere. Male ergo Evangelista prius à Verbo, quam à Deo cœpit, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Etenim juxta humani ritus Iohan. 1. 1.
ordinem, prius Patrem debuit nominare. Nescivit etiam Apostolus ordinem, qui ait: *Paulus servus Christi Jesu, vocatus apostolus, segregatus* Rom 1. 1.
in Evangelium Dei; & alibi: *Gratia domini nostri* 2. Cor 13. 13.
Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Spiritus sancti. Si verborum persequamur ordinem, in primo Filium posuit, in secundo Patrem. Sed verborum ordo sæpe mutatur; & ideo non debes vel de ordine, vel de gradu Patri Deo & Filio ejus facere quæstionem, cùm secundum divinitatem divisio nulla sit unitatis.

CAPUT X.

Arrianos ad gentiles palam transire, dum objiciunt illa verba: Qui in me credit, non in me credit, &c. *Verus loci sensus explicatur, & ne credatur Dominus nostram in ipsum fidem prohibuisse, alias ut Deus, alias ut homo loquutus ostenditur. Mox variis ejusdem fidei effectibus prolatis in medium, alios quoque nonnullos locos eodem modo sumendos probat.*

119. AD extremum ut christianos se non esse manifestent, negant in Christum esse credendum, dicentes scriptum esse: *Qui in* Iohan. 12. 44.
me credit, non credit in me, sed in eum qui me misit. Hanc ego exspectabam confessionem, quid me quibusdam ambagibus ludebatis? Sciebam mihi adversum gentiles esse contentionem:

a. Veteres edit. ac plures mss. *Scriptum est enim, non nego: Nunc clarificatus est Filius hominis. Sed videant quid adjectum sit: Clarificatus est Filius hominis. Videant etiam quid sequatur* &c. Edit. Rom. cum mss. nonnullis, ut in textu. Licet autem non absurda sit ejus lectio, nobis tamen altera magis arrideret, si pro *Nunc clarificatus est Filius hominis*, primo loco positum esset, *Si ego clarificavero me ipsum* &c. Hoc quippe modo concinnior esset orationis textus & series.

sed illi convertuntur, vos non convertimini. Illi si credant, salvum est sacramentum: vos perdidistis acceptum; & nec ceptum fortasse, sed fictum.

120. Scriptum est, inquiunt: *Qui in me credit, non in me credit, sed in eum qui me misit.* Sed videte quid sequatur, & videte sic quemadmodum se Dei Filius vult videri; sequitur enim:
Iohan. 12. 45. *Et qui videt me, videt eum qui me misit*, hoc est, quia Pater videtur in Filio. Exposuit igitur id quod ante præmisit, quia ille credit in Filium, B qui confitetur & Patrem. Nam qui Filium nescit, nec Patrem novit; omnis enim qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Filium, & Patrem habet.

121. Quid est ergo: *Non credit in me?* Non in id quod corporaliter cernitis, non in hominem tantummodo, quem videtis: non enim in hominem tantummodo credendum adseruit, sed ut credas quia Jesus Christus ipse est Dei Filius
Ibid. 7. 28. & homo. Propter quod & utrumque ait: *A meipso non veni;* & alibi: *Ego sum principium quod* C
Ibid. 8. 25. *& loquor vobis.* Quasi homo, à se non venit: quasi Dei Filius, non ex homine principium
Ibid. 12. 46. habet: sed sum, inquit, ipse *principium quod & loquor vobis:* neque humana, sed divina sunt, quæ loquutus sum.

122. Neque enim fas est credere quod nega-
Ibid. 6. 40. verit in se esse credendum, cùm ipse dixerit: *Ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat;* & alibi: *Hæc est enim voluntas Patris mei qui me* D *misit, ut omnis qui videt Filium & credit in eum,*
Ibid. 14. 1. *habeat vitam æternam;* & alibi: *Creditis in Deum, & in me credite.*

123. Nemo ergo Filium sine Patre accipiat, quia Filium legimus. Habet Patrem Filius, sed non temporalem, non ex passione, non ex conceptione, non ex gratia. Generationem legi,
Psal. 2. 7. non legi conceptionem. Et Pater dicit, *genui;* non dicit, creavi: & Filius non creatorem suum Deum secundum æternitatem divinæ generationis, sed Patrem nominat. E

124. Se quoque nunc ex persona hominis, nunc in Dei majestate significat: nunc unitatem sibi divinitatis cum Deo Patre vindicans, nunc fragilitatem humanæ carnis adsumens: nunc doctrinam suam se non habere, nunc voluntatem suam se non quærere: nunc testimonium suum verum non esse, nunc verum esse
Iohan. 5. 31. significans. Nam ipse dixit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est ve-* F
Ibid. 8. 14. *rum.* Et ipse in posterioribus ait: *Etsi ego testimonium perhibeo de me, verum est testimonium meum.*

125. Quomodo igitur non est verum testimo-
Luc. 23. 41. & seq. nium tuum, domine Jesu, cui qui credidit, in cruce licet positus, & inter confessi sceleris supplicia constitutus, merita latronis exuit, præmia innocentis emeruit?

Act. 9. 18. 126. Deceptus est ergo Paulus, qui ideo recepit oculos, quia credidit; quos amiserat, antequam crederet?

Josue 5. 13. 127. Erravitne etiam Jesus Nave, qui ducem militiæ cælestis agnovit? Sed posteaquam cre- A didit, statim vicit, dignus qui fidei prælio triumpharet. Denique non æratas acies in bella produxit, nec ariete, ceterisque tormentorum machinis, sed tubarum septem sacerdotalium sono, murorum hostilium septa deposuit. Ita bellum immane confecit tubæ clangor, & infula sacerdotis. Josue 6. 20.

128. Vidit hoc meretrix, & quæ in excidio civitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ passionis adtollens, coccum in fenestra ligavit; Ibid. 2. 18. ut species cruoris mystici quæ foret mundum redemtura, vernaret. [a] Ita foris Jesu nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species Dominicæ passionis periclitantibus ad salutem. Unde quia intellexit Rahab cæleste mysterium, dicit Dominus in psalmo: *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me.* Psal. 86. 4.

129. Quomodo ergo non est verum testimonium tuum, Domine, nisi secundum fragilitatem hominum? *Omnis* enim *homo mendax.* Psal. 115. 2.

130. Denique ut secundùm hominem dixisse se demonstraret, ait: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me.* Verum autem est Iohan. 8. 18. testimonium secundum divinitatem, sicut ipse ait: *Et verum est testimonium meum; quia scio unde veni, & quo vado: vos autem nescitis unde veni, & quo vado. Vos secundum carnem judicatis.* Non ergo secundum divinitatem, sed secundùm hominem judicant, qui putant Christo testificandi scientiam defuisse. Ibidem 14. & 15.

131. Ergo cùm audis: *Qui credit in me, non credit in me;* &: *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit;* didicisti [b] quo id putes esse referendum. Denique mandatum quod esset, ostendit dicens: *Pono animam meam, ut iterum sumam illam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Vides ideo dictum, ut ostenderet liberam sibi ponendæ ac resumendæ animæ potestatem, sicut ipse dixit: *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Ibid. 12. 49. Ibid. 6. 17. & seq. Ibidem.

132. Sive igitur mandatum, sive, ut aliqui latini codices habent, præceptum, non utique secundum divinitatem, sed secundum [c] incarnationem datur, ad subeundæ victoriam passionis.

CAPUT XI.

Quod Christus legatur nihil à se loqui, hoc referendum ad ipsius humanitatem. Quomodo etiam secundum divinitatem audire ac videre Patrem rectè dicatur, exposito, Dei Filium creaturam non esse multis coacervatis argumentis evincit.

133. AN vero in hanc humilitatem Dei Filium deducemus, ut nisi quæ audierit, facere aut loqui nesciat: & præscriptam agendi loquendique ei putemus esse mensuram; quia scriptum est: *Ex me ipso non sum loquutus;* & infra: *Sicut dixit mihi Pater, ita loquor?* Sed ad obedientiam carnis, aut ad fidem unitatis ista referantur. Plerique enim doctiores & audire Filium, & dicere aliquid Filio Patrem accipiunt per Alias Cap. V. Iohan. 12. 49. Ibid. 50.

a Mss. nonnulli, *Ita futuri Iesu nomen* &c. Minus apposite.
b Quidam mss. *quod Patri sit deferendum.*
c Pauci mss *incarnationem naturæ subeundæ* &c. Porro ubi latini cod. vertunt *mandatum*, sive *præceptum*; græci habent ἐντολὴν: in quam vocem observat Grotius ἐντέλλεσθαι etiam dici, ubi locus non sit imperio propriè dicto.

unitatem

unitatem naturæ; quod enim per unitatem voluntatis novit Filius Patrem velle, videtur audisse.

134. Unde non officium corporale, sed arbitrium indissociabile [a] cooperationis declaratur; neque enim verborum hîc aliquem significat auditum, sed unitatem voluntatis atque virtutis, quæ & in Patre est & in Filio. Quam etiam in Spiritu sancto esse memoravit alio loco, dicens: *Non enim loquetur à se, sed quæcumque audit, loquetur*; (Johan. 16. 13.) ut adverteremus quia quidquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius: & quidquid loquitur Filius, loquitur & Pater; quia [b] una sententia & operatio Trinitatis est. Sicut enim Pater videtur in Filio, non utique specie corporali, sed unitate divinitatis; ita etiam Pater loquitur in Filio, non temporali voce, nec corporali sono, sed operis unitate. Denique cùm dixisset: [c] *Pater qui in me manet, ipse loquitur: & opera quæ ego facio, ipse facit*; (Ibid. 12. 60) addidit: *Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite.* (Ibid. 14. 50. Ibid. 11.)

135. Hic intellectus est noster secundum divinarum seriem scripturarum: Arriani autem qui nolunt de Deo æstimare quæ digna sunt, vel apto suis meritis confutentur exemplo, ne totum carnaliter credant; cùm ipsi Patris sui diaboli opera incorporaliter videant. Sicut de eorum consortibus Judæis Dominus declaravit dicens: *Vos quod vidistis patrem vestrum facientem, facitis*; (Ibid. 8. 38.) cùm utique non quia diabolum operantem viderint, sed quia [d] arbitria ejus fecerint, arguantur, invisibiliter in his secundum iniquitatem suam diabolo operante peccatum. Hoc secundùm Apostolum propter insipientiam posuimus perfidorum. (2. Tim. 3. 9.)

136. Ceterum satis probatum est Scripturarum exemplis ad unitatem majestatis pertinere divinæ, quod & Pater maneat in Filio; & ea quæ loquitur Filius, à Patre videatur audisse. Unitatem autem majestatis quibus aliis possumus intelligere, quam quod eadem Patri & Filio deferuntur? Nam quid præcellentius potest dici, quam quod Apostolus dixit Dominum majestatis crucifixum? (1. Cor. 2. 8.)

137. Filius ergo est & Deus majestatis, & Dominus majestatis; sed non creaturis subjecta majestas: non ergo creatura Filius.

138. Filius paternæ est imago substantiæ: (Hebr. 1. 3.) omnis autem creatura dissimilis supernæ substantiæ, sed non dissimilis Dei Patris Filius: non ergo creatura Filius.

139. Filius non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: (Phil. 2. 6.) sed nulla creatura æqualis Deo, æqualis autem Filius: non ergo creatura Filius.

140. Omnis creatura mutabilis: sed non mutabilis Dei Filius: non ergo creatura Dei Filius.

141. Omnis creatura accidentia & boni & mali recipit suæ capacitate naturæ, eademque decessionem sentit: Dei autem Filio nihil potest ex ejus divinitate vel decedere vel accedere: non ergo creatura Dei Filius.

142. Omne opus suum adducet Deus in judicium, (Eccl. 12. 14.) sed Dei Filius non adducitur in judicium; quia ipse judicat: non ergo creatura Dei Filius.

143. Postremo ut unitatem intelligas, de ovibus dicens Salvator: *Nullus*, inquit, *rapit eas de manu mea. Pater quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* (Johan 10. 29. & 30.)

144. Sic vivificat Filius, ut Pater: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat; sic & Filius quos vult, vivificat.* (Ibid. 5. 21.) Sic suscitat Filius, ut Pater: sic conservat Filius, ut Pater. Qui non impar est gratia, quomodo impar est potestate? Sic etiam non perdit Filius, ut Pater. Et ideo ne quis vel duos deos crederet, vel discretionem potestatis induceret, unum se esse cum Patre dixit. Id quemadmodum potest dicere creatura? Non ergo creatura Dei Filius est.

145. Non idem est regnare & servire: Christus autem & rex est & filius regis: non ergo servus est Dei Filius. Omnis autem creatura servit; sed non servit Dei Filius, qui ex servis filios Dei facit: non ergo creatura Dei Filius.

CAPUT XII.

Superiora confirmat ex parabola divitis ad quærendum sibi regnum proficiscentis; ostenditque cùm regnum tradat Patri Filius, ad contumeliam non accipiendum, si omnia huic subjicere Pater dicatur. Nos hîc esse Christi regnum, & in Christi regno; futuros aliquando in regno Dei, ubi regnat ex æquo tota Trinitas.

146. Divine itaque illam parabolam induxit divitis, (Luc. 19. 12.) qui in regionem longinquam profectus est accipere regnum & reverti, se ipsum secundum substantiam divinitatis incorporationisque describens. Ipse enim dives secundum plenitudinem divinitatis, qui pro nobis pauper factus est, cùm dives esset & rex æternus, & æterno rege progenitus: peregre profectus secundum corporis susceptionem; quia vias hominis tamquam iter ingressus alienum, venit in hunc mundum, ut regnum sibi pararet ex nobis.

147. Venit ergo Jesus in hanc terram regnum accipere de nobis, quibus ait: *Regnum Dei intra vos est.* (Ibid 17. 21.) Hoc est regnum quod Christus accepit, hoc est, quod Patri tradidit. Nam quomodo regnum accepit, qui erat rex sempiternus? *Venit ergo Filius hominis accipere regnum, & reverti.* Noluerunt eum suscipere Judæi, de quibus ait: *Illi qui noluerunt me regnare super se, adducite & interficite eos.* (Ibid. 19. 27)

148. Sequamur Scripturarum ordinem. Ille qui venit, regnum Deo Patri tradet: (1. Cor. 15. 24 & 28.) & cùm tradiderit regnum, tunc & ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia; ut sit Deus omnia & in omnibus. Si ut Filius hominis regnum accepit Dei Filius; ut Filius utique hominis etiam

a. Ita omnes edit. plures vero ex mss. expungunt vocem *cooperationis*, cujus loco [illegible] habet, *comparatur* Mendose.
b. Mss. aliquot, *una essentia*: Thuan. unus, *una substantia*. Magis ad usum ambrosianum accommodate.
c. Rom. edit. sola, *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor; & Pater qui in me manet, ipse facit opera.* Sic etiam supra l. 4. c. 6. n. 68.
d. Paris. quædam edit. *arbitrio ejus*: rectius aliæ, ac mss. *arbitria ejus*, id est voluntatem & præcepta ejus.

a traditurus est, [a] quod accepit: si ut Filius hominis tradit, ergo & ut Filius hominis subjectionem, utique per conditionem carnis, non per majestatem divinitatis, agnoscit.

149. Et tu ad contumeliam objicis, quod ei subjecerit omnia Deus; cùm audias quod regnum Filius hominis Deo tradat, & ut in superioribus diximus libris, legeris: *Nemo venit ad me, nisi Pater adtraxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die?* (Sup. lib. 2. cap. 4.) Si litteram sequamur, vide magis atque adverte unitatem honorificentiæ: & Pater subjecit Filio, & Filius Patri tradit. Dic quid sit amplius trahere, an resuscitare? Nonne secundùm morem hominum ministerium trahentis, potestas est suscitantis? Sed & Filius ad Patrem trahit, & Pater ad Filium trahit: & Filius suscitat, & Pater suscitat. Facessant sacrilegæ commenta discretionis, ubi unitas potestatis est.

b 150. [b] Tradat igitur Patri regnum suum Filius? Non deperit Christo regnum quod tradit, sed proficit. Nos sumus regnum, quia nobis dictum est: *Regnum Dei intra vos est.* (Luc. 17. 21.) Et sumus regnum Christi ante, postea Patris; quia scriptum est: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* (Iohan. 14. 6.) Cùm in via sum, Christi sum; cùm pervenero, Patris sum: sed ubique per Christum, & ubique sub Christo.

151. Bonum est in regno Christi esse, ut Christus nobiscum sit, sicut ipse ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi.* (Matth. 28. 20.) Sed melius est esse cum Christo: *Dissolvi enim & cum Christo esse multo melius.* (Phil. 1. 23.) c [c] Cùm in hoc mundo sub peccato sumus, Christus nobiscum est; ut per unius obedientiam justi constituantur multi. (Rom. 5. 19.) Et si peccatum hujus mundi evasero, incipiam esse cum Christo. Denique ait: *Veniam iterum, & adsumam vos ad me;* (Iohan. 14. 3.) & infra: *Volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum.* (Ibid. 17. 24.)

d 152. Ergo nunc sub regno Christi sumus, [d] dum in corpore versamur, & nondum forma exuimur servi, quam ille cùm se exinanivisset, accepit: cùm vero gloriam ejus viderimus, quam habuit priusquam mundus esset, erimus in regno Dei, in quo patriarchæ sunt & prophetæ, de quibus scriptum est: *Cùm videritis Abraham, Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei;* (Luc. 13. 28.) ut jam pleniore Dei cognitione potiamur.

153. Sed in Filii regno & Pater regnat, & in regno Patris Filius regnat; quia Pater in Filio, & in Patre Filius: & in quo habitat Filius, habitat & Pater; & in quo habitat Pater, habitat & Filius, sicut ipse ait: *Ego & Pater ad eum venimus, & apud eum mansionem faciemus.* (Iohan. 14. 23.) Ergo sicut una domus, ita & unum regnum. Eousque autem unum Patris & Filii regnum est, ut quod Filius tradit, Pater accipiat: & quod Pater accipit, Filius non amittat. Ergo in uno regno unitas potestatis est. Nemo igitur divinitatem inter Patrem Filiumque secernat.

CAPUT XIII.

Quæ Christi subjectio sit, quæsiturus, ubi subjectiones varias proposuit ac rejecit, Apostolicum textum percurrit; unde impiam explodit hæreticorum hac de re opinionem. Subjectionem quæ futura significatur, divinitatis esse non posse; cùm inter Patrem & Filium voluntatis summa semper fuerit concordia. Etiam eidem Filio secundum divinitatem vere omnia subjecta esse, at nondum subjecta hoc sensu dici, quod ejus mandatis non pareant omnes homines: qui postquam illis fuerint subditi, tum Christus in his subjicietur, & Patris opus perfectum erit.

154. Quod si Patri & Filio unum Dei nomen & jus est, cùm Deus verus, & rex sempiternus sit etiam Dei Filius; non utique secundum divinitatem subjectus est Dei Filius. (Alias Cap. VI.) Subjectum itaque, Imperator auguste, quemadmodum debeamus accipere, consideremus.

155. Quomodo enim subjectus Dei Filius? Ut creatura vanitati? Sed impium est de divinitatis substantia tale aliquid æstimare.

156. An quemadmodum creatura omnis Dei Filio, quia æque scriptum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus?* (Psal. 8. 8.) Sed non Christus sibi ipse subjectus est.

157. An quemadmodum mulier viro, sicut legimus: *Mulieres viris suis subjectæ sint;* (Ephes. 5. 22.) & alibi: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione?* (1. Tim. 2. 11.) Sed sacrilegum est vel Patri virum, vel Dei Filio mulierem comparare.

158. An quemadmodum Petrus dixit: *Subjecti estote omni [e] humanæ creaturæ?* (1. Petr. 2. 13.) e Nec sic utique Christus.

159. Vel quemadmodum Paulus scripsit: *Deo & Patri subjecti invicem in timore Christi?* (Ephes. 5. 21.) Sed neque in suo, neque in alterius Christi timore subjectus est Filius; quia unus est Christus. Quorum verborum vim considerate, quia Patri subjecti sumus, dum etiam Christum veremur.

160. Quomodo ergo subjectum intelligimus? Totum Apostolicum caput recenseamus; ut nihil videatur fraude subtractum, [f] aut obreptione præstrictum: f *Si in hac,* inquit, *vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* (1. Cor. 15. 19. & 20.) Videtis quoniam de resurrectione Christi tractata est disputatio.

161. *Quoniam sicut per unum hominem,* inquit, *mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde hi qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem &* (Ibidem 21. & seq.)

a. Ita vet. edit. ac plures mss. nisi quod eædem edit. nec pauci mss. habent hic & supra, *sicut Filius hominis*; ubi nos ex potioribus restituimus, *si ut Filius:* & quidam virgulam præfigunt verbo *tradit*, quam alii post *tradit ergo* rejiciunt: denique sententiam edit. claudunt verbo *agnosceret*, ubi *agnoscit* habetur in dictis mss. Tres autem alii cod. *quod accepit sicut Filius hominis. Tradit ergo & Dei Filius. Hominis susceptionem .... agnosce.* Neque vero ab his dissidet edit. Rom. nisi quod ita distinguit, *quod accepit: sicut Filius hominis ergo tradit & Dei Filius. Hominis vero susceptionem utique .... agnosce.*

b. Rom. edit. cum paucis mss. *Tradis igitur .... Nec deperit* &c. Melius autem vet. edit. cum mss. multo pluribus, *Tradat* &c. Iterum vero ubi omnes edit. ac plures mss. *cùm in via sum*; in aliis quibusdam mss. legitur, *cùm in vita sum.*

c. Omnes edit. *cùm in hoc .... sumus*; post quæ notato puncto, ea verba superiori sententiæ subnectunt: mss. vero exhibent eam lectionem quæ est in textu.

d. Mss. aliquot, *dum in opere versamur & facto, dum formam sequimur servi.* Non satis apte.

e. Sic omnes edit. at è contrario mss. prope ad unum, *omni humanæ ordinationi.*

f. Nonnulli mss. *obreptione præscriptum.*

virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors; omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cùm autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia. Cùm autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia; ut sit Deus omnia in omnibus. Quod etiam ad Hebræos idem Apostolus dixit: *Nunc autem nondum videmus omnia illi esse subjecta.* Accepimus Apostolicæ seriem lectionis.

Ibidem 27. — Hebr. 2. 8.

162. Quomodo igitur subjectum dicimus? Sabelliani & Marcionitæ dicunt quod hæc futura sit Christi ad Deum Patrem [a] subjectio, ut in Patrem Filius refundatur. Si ergo ea erit Verbi subjectio, ut resolvatur in Patrem Deus Verbum: ergo & quæcumque Patri Filioque subjecta sunt, in Patrem & Filium resolventur; ut sit Deus omnia & in omnibus creaturis. Sed absurdum est dicere: non igitur per refusionem subjectio. Alia sunt enim quæ subjiciuntur, ea utique quæ creata sunt: & alius, cui fit illa subjectio. Conticescant itaque sævæ refusionis interpretes.

163. Atque utinam & illi tacerent, qui quoniam resolubile Dei Verbum, Deique sapientiam probare non possunt, infirmitatem divinitati subjectionis adscribunt, dicentes quia scriptum est: *Cùm autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit illi.*

1. Cor. 15. 28.

164. Videmus igitur quia nondum subjectum, sed subjiciendum esse Scriptura commemorat: ergo nunc non est subjectus Deo Patri Filius. In quo igitur Filium subjectum fore dicitis? Si in divinitate; nec inobediens est, quia non est à Patre discors: nec subjectus, quia non est servus, sed unicus proprio Patri Filius. Denique cùm cælum crearet, terram conderet, & potestatem exercebat & caritatem. Nulla igitur servilis in Christi divinitate subjectio. Si autem nulla subjectio, voluntas libera est.

165. Quod si eam subjectionem putant Filii, quia cum ejus voluntate omnia faciat Pater: discant hoc ipsum esse individuæ potestatis argumentum; quia unitas voluntatis est, quæ non cœpit ex tempore, sed erat semper. Ubi autem unitas perpetua voluntatis, non utique temporalis subjectionis infirmitas. Si enim per naturam subjiceretur, semper subjectus maneret: cùm verò subjiciendus dicatur in tempore, dispensationis ergo susceptæ, non perpetuæ infirmitatis erit illa subjectio; maxime cùm sempiterna Dei virtus non possit statum mutare pro tempore, nec Deo Patri ex tempore jus potestatis accidere. Nam si Filius aliquando mutabitur, ut secundum divinitatem subjiciatur: ergo & Deus Pater, si aliquando plus poterit, ut subjectum secundùm divinitatem habeat Filium, nunc interim minus posse secundum interpretationem vestram necesse est æstimetur.

166. Quid autem culpæ commeruit Filius, ut postea secundum divinitatem subjici posse credatur? Numquid [b] secundum carnem ad dexteram Patris sedere præripuit, & invito Patre, sibi prærogativam paterni solii vindicavit? Sed ipse ait: *Omnia quæ placita sunt ei, facio semper.* Ergo si in omnibus Patri complacet Filius, cur subjicietur qui ante subjectus non erat?

Iohan. 8. 29.

167. Videamus itaque ne non divinitatis illa, sed nostra fiat in Christi timore subjectio, plena gratiæ, & plena mysterii. Itaque rursus Apostolica verba pendamus. *Cùm autem subjecta*, inquit, *illi fuerint omnia, tunc & ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia; ut sit Deus omnia & in omnibus.* Ergo quid dicis? Nunc subjecta non sunt ei omnia? Non subjecti sanctorum chori? non Angeli, qui in terris posito ministrabant? non Archangeli, qui etiam ad Mariam adventus Dominici prænuntii mittebantur? non omnis militia cælestis? non Cherubim & Seraphim, non Throni & Dominationes & Potestates, quæ venerantur & laudant?

Matth. 4. 11. — Luc. 1. 26.

168. Quomodo ergo subjecta erunt? Sic utique quemadmodum ipse Dominus dixit: *Tollite jugum meum super vos*; non enim indomiti jugum portant, sed humiles atque mansueti. [c] Hæc est plane nec ipsis hominibus vilis, sed gloriosa subjectio; *ut in nomine Jesu omne genu curvetur cælestium, & terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia dominus Jesus in gloria est Dei Patris.* Ideo autem ante subjecta non erant omnia, quia nondum receperant sapientiam Dei, [d] nondum habile jugum Verbi mentis quadam cervice portabant. *Quotquot autem*, sicut scriptum est, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Matth. 11. 29. — Phil. 2. 10. & 11. — Iohan 1. 12.

169. Dicet aliquis: Ergo jam subjectus est Christus; quia plurimi crediderunt? Minime; quia non in paucis est Christi subjectio, sed in omnibus. Sicut enim si in me concupiscat adhuc caro adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, non videor esse subjectus, etsi ex parte sim subditus: ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quamdiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cùm autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus: tunc & ipse subjectus erit; ut per ipsius subjectionem *sit Deus omnia & in omnibus.*

170. Sicut autem nondum subjectus est Christus, ita nondum perfectum est opus Patris; quia dixit Filius Dei: *Meus cibus est ut faciam*

Iohan. 4. 34.

a. Quidam mss *subjectio, ut resolvatur in Patrem Deus. Verbum ergo*: nonnulli etiam .... *in Patre. Deus ergo Verbum*: commodius alii, & omnes edit ut in textu. Ceterum quæ hic referuntur de Sabelliana refusione Verbi in Patrem non absurdam viam nobis suppeditant Epiphanii atque Augustini inter se conciliandorum. Diximus enim supra lib. 2. cap. 9 priorem ab alio reprehensum fuisse, quod à Sabellianis Patrem negari passum adseverant, cùm scilicet Patrem, Filium ac Spiritum sanctum in unam personam isti confunderent. At tamen credibile est illos, quod sæpe usu venit cunctis hæreticis, in opinione responsisque suis titubasse; atque ut Patripassianorum eluerent appellationem, aliquando professos Verbum quidem ante incarnationem cum Patre idem exstitisse, per incarnationem verò emanasse e Patre, in quem consummata demum passione fuerit resolutum. Id sane non solum cum hoc Ambrosiano loco, sed etiam cum alio lib. 2. *de Spiritu sancto* cap. 7. pulcre concinit; potuitque fieri, ut Augustinus, cùm argueret Epiphanium, ad hanc Sabellianorum forte paucorum obscuriorumque cavillationem animum non adverteret.

b Omnes edit. *secundum divinitatem*: omnes mss *secundum carnem*. Consequenter autem Rom. edit. cum paucis mss. *ut invito Patre ... vindicaret*, ubi ceteræ ac plures mss. ut in textu.

c. Ita mss. plures & potiores, nisi quod pro *plane*, in nonnullis legitur *plena*: reliqui vero & edit omnes præferunt, *Nec est plane Angelis, nec ipsis hominibus* &c.

d Nonnulli mss. *non domabili jugo Verbi* &c. minime male, si *domabili* cum *cervice*, non autem cum *jugo* construatur.

voluntatem Patris mei qui me misit, & perficiam opus ejus. Quid igitur quæstionis est, quia in me erit Filii subjectio, in quo imperfectum est opus Patris; quia non sum ipse perfectus? Ergo qui imperfectum opus facio Patris, ipse Filium facio esse subjectum? Sed non est injuria ista, sed gratia; quia in eo quod subjicimur, noster utique non divinitatis est profectus; ut subjiciamur Legi, subjiciamur gratiæ. Quoniam ante, sicut ipse dixit Apostolus, sapientia carnis inimica erat in Deum; *Legi enim non erat subdita:* nunc autem jam per Christi est subdita passionem.

Rom 8, 7.

CAPUT XIV.

Prosequitur cœptam difficultatem, & Christum non nisi secundum carnem subjectum docet: sed ipsum dum carne subjiceretur, præbuisse tamen signa divinitatis. Repugnare ut secundum hanc subjiciatur: humanitatem vero quam adoptavit, ita in nobis subditam esse, quo pacto in eadem ejus humanitate exaltatur & nostra. Denique quando futura sit eadem illa Christi subjectio, explicatur.

171. ET tamen ne quis calumnietur, videre quid divinitus inspirans Scriptura præcaverit; ostendit enim nobis in quo subjectus erit Deo Christus, dum docet in quo sibi universa subjecerit. Ideoque dicit: *Nunc autem non videmus omnia ei subjecta.* Nam paulominus quam Angelos minoratum vidimus Jesum propter passionem mortis. Ostendit itaque minorem factum in carnis susceptione. Quid igitur impedit quin etiam subjectionem in carnis susceptione significet, per quam subjiciet sibi omnia, dum in ipsa Patri Deo est ipse subjectus?

Hebr. 2. 8.

172. Consideremus itaque ejus subjectionem: *Pater*, inquit, *meus, si vis, transfer calicem hunc à me: verum non mea voluntate, sed tuâ fiat.* Ergo secundum humanæ naturæ adsumtionem erit illa subjectio; quia sicut legimus: *Specie inventus ut homo humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem.* Subjectio utique obedientiæ est, obedientia mortis, mors adsumtionis humanæ: adsumtionis ergo humanæ erit illa subjectio. Nequaquam igitur divinitatis infirmitas, sed dispensatio ista pietatis est.

Luc. 22. 42.
Phil. 2. 8.

173. Vide quam non timeam eorum propositiones. Illi objiciunt subjiciendum Patri Deo, ego lego Mariæ subditum matri; quia scriptum est de Joseph & Maria: *Et erat subditus illis.* Aut si hoc putant, dicant quia hominibus erat subjecta divinitas.

Luc. 2. 51.

174. Non igitur præjudicet quia subjectus dicitur, cui non præjudicat, quia servus legitur, quia crucifixus adseritur, mortuus prædicatur. Qui cùm moreretur, vivebat. cùm subjiceretur, regnabat: cùm sepeliretur, resuscitabat; ac subjectum se potestati præbebat humanæ, aliâs se Dominum majestatis declarabat æternæ. Erat sub judice, & ad dexteram Dei solium sibi judex perpetuus vindicabat. Scriptum est denique: *A modo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Vapulabat à Judæis, imperabat Angelis: natus ex Maria sub Lege erat, ante Abraham supra Legem erat. In cruce venerandus naturâ: denique sol refugit, terra contremuit, conticuerunt Angeli. Cujus igitur passionem elementa videre timuerunt, hujus generationem videre potuerunt? Et in quo subjectionem corporis non tulerunt, in eo subjectionem naturæ venerabilis sustinebunt?

Matth. 26. 64.
Galat. 4. 4.
Matth. 27. 51.

175. Sed cùm unius naturæ sint Pater & Filius & Spiritus sanctus, utique non erit Pater sibi ipse subjectus. Et ideo non erit in eo subjectus Filius, in quo cum Patre unum est; ne per unitatem divinitatis videatur & Pater Filio esse subjectus. Ergo sicut in illa cruce non divinitatis plenitudo, sed nostra fragilitas erat subdita: ita etiam postea subjectus erit Filius Patri, in nostræ utique participatione naturæ; ut subjectis carnis illecebris, [a] non divitiæ sint cordi, non ambitio, non voluptas: sed omnia nobis Deus sit, si per omnia quantum capere possumus, ad ejus imaginem, similitudinemque vivamus.

176. Ad communitatem igitur beneficium transivit à specie; quia in sua carne naturam totius humanæ carnis edomuit. Et ideo juxta Apostolum: *Sicut portavimus imaginem hujus terreni, portemus & imaginem hujus cælestis.* Quod utique nisi per interiorem hominem non potest evenire. Deponentes igitur universa, hoc est, illa quæ legimus: *Iram, animositatem, blasphemiam, turpiloquium;* & sicut infra dictum est: *Exspoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.*

1. Cor. 15. 49.
Coloss. 3. 8.
Ibidem 9. & 10.

177. Et ut scires, quia cùm dicit: *Ut sit Deus omnia & in omnibus*, à Deo Patre non separet & Christum, ipse ad Colossenses dicit: *Ubi non masculus*, inquit, *& femina, Judæus & Græcus, Barbarus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.* Ergo etiam ad Corinthios dicens: *Ut sit Deus omnia & in omnibus*, & unitatem & æqualitatem cum Deo Patre complexus est Christi; quia nec à Patre Filius separatur. Et similiter sicut Pater omnia & in omnibus, ita omnia in omnibus etiam Christus operatur. Si ergo Christus quoque in omnibus omnia operatur, non utique in divinitatis majestate subjectus est, sed in nobis. Quomodo autem subjectus est in nobis, nisi eo modo quo minor Angelis factus est, in corporis scilicet sacramento? In eo enim nondum subjecta ei omnia videbantur, quæ creatori suo à principio sui utique serviebant.

Coloss. 3. 11.
1 Cor. 15. 28.
1. Cor. 12. 6.

178. Quod si quæsieris quemadmodum sit subjectus in nobis, ipse ostendit dicens: *In carcere eram, & venistis ad me: infirmus eram, & visitastis me. Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.* Infirmum audis, & non moveris: subjectum audis, & moveris; cùm in eo infirmus, in quo subjectus, in quo peccatum atque maledictum pro nobis factus est.

Matt. 25. 36. & seq.

179. Sicut igitur non propter se, sed propter nos peccatum atque maledictum factus est: ita non pro se, sed pro nobis erit subjectus in nobis, non in natura subjectus æterna, neque

a. Omnes edit. cum uno alterove mss. *non cupiditas dominetur cordi*: alii mss. multo plures ac probatiores, ut in textu.

Galat. 3. 13. in natura maledictus æterna : *Maledictus enim* A *omnis qui pendet in ligno.* Maledictus, quia nostra maledicta suscepit : subjectus quoque ; quia subjectionem nostram ipse suscepit, sed in servilis formæ adsumtione, non in Dei majestate ; ut dum ille nostræ fragilitatis se præberet in carne
2. Petr. 1. 4. consortem, nos in virtute sua divinæ faceret consortes naturæ. Non quo aut hoc nobis cum superna Christi generatione naturale consortium, aut divinitatis in Christo sit illa subjectio: sed sicut in illo per carnem illam, quæ est pig- B
Ephes. 2. 6. nus nostræ salutis, sedere nos in cælestibus Apostolus dixit, utique non sedentes ; sic & ille per nostræ adsumtionem naturæ dicitur subjectus in nobis.

Supr. c. 5. & seq. 180. Quis enim tam demens qui putet, ut supra diximus, quod ad dexteram Dei Patris sedes sibi venerabilis [a] debeatur ; cùm licet etiam secundum carnem Christo ea à Patre, generationis tamen supernæ & æqualis potentiæ deferatur ? Angeli adorant, & tu tibi præsumtione C sacrilega solium Dei sternis ?

Ephes. 2. 5. & 6. 181. Scriptum est, [b] inquies, quia *cùm mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvi facti ; & simul suscitavit, simulque fecit sedere in cælestibus, in Christo Jesu.* Agnosco scriptum : sed non ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur Deus, sed ut in Christo sedere ; quia ipse est omnium fundamentum, & ipse est caput Ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura prærogativam sedis D
Ephes. 5. 23. cælestis emeruit : in Christo enim Deo caro ; in carne autem humani natura generis omnium hominum particeps honoratur.

Galat. 3. 13. 182. Sicut nos ergo in illo sedemus [c] per corporeæ communitatem naturæ, ita & ille qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est ; cùm maledictum utique in benedictum Filium Dei non cadat : ita, inquam, & ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis ; cùm Gentilis crediderit ; cùm Judæus E agnoverit, quem crucifixit ; cùm Manichæus adoraverit ; quem in carne venisse non credidit ; cùm Arrianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit ; cùm postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, caritas, resurrectio. Per sua igitur opera Christus & genera diversa virtutum erit in nobis Patri subditus ; cùm vitiis abdicatis, & feriante delicto, unus in omnibus Deo cœperit in uno sensu populo-
1. Cor. 15. 28. rum omnium spiritus adhærere, tunc erit Deus F omnia & in omnibus.

CAPUT XV.

Superius disputata strictim resumit, ex unitate divinæ potestatis in Patre ac Filio quæcumque de Filii subjectione dicuntur, ad solam referenda humanitatem scite colligens : quod præterea ex caritate, quæ eadem utriusque est, confirmat.

183. Conclusionem igitur totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem, injuriosæ subjectionis excludit : evacuatio potestatum, & victoria de morte quæsita, triumphatoris utique non minuit potestatem ; subjectionem operatur obedientia, obedientiam Christus adsumsit, obedientia usque ad crucem, crux ad salutem. Ergo ubi opus, ibi & auctor est operis. Cùm igitur omnia Christo subjecta fuerint per obedientiam Christi, ut in nomine ejus omnes genu flectant, tunc erit ipse omnia in omnibus ; nunc enim, quia non omnes credunt, non videntur omnes esse subjecti. Cùm omnes ergo crediderint, & Dei fecerint voluntatem, erit omnia & in omnibus Christus : cùm Christus fuerit omnia & in omnibus, erit omnia & in omnibus Deus ; quia Pater manet semper in Filio. Quomodo ergo infirmitatis arguitur, qui redemit infirmos ?

184. Ac ne fortè & illud ad infirmitatem Filii referas, quod scriptum est quia subjecit ei Deus omnia ; disce quod omnia sibi etiam ipse subjecerit ; scriptum est enim : *Nostra autem conversatio in cælis est ; unde & Salvatorem exspectamus dominum Jesum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conforme ut fiat corpori gloriæ suæ secundum operationem, quo possit etiam subjicere sibi omnia.* Didicisti ergo quod omnia possit sibi ipse subjicere, secundum operationem utique divinitatis. Phil. 3. 20. & 21.

185. Disce nunc quoniam secundum carnem omnia subjecta accipiat, sicut scriptum est : *Qui operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem ; & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro ; & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Secundum carnem igitur ei omnia subjecta traduntur, secundum quam & à mortuis suscitatus est, & secundum animam humanam ac rationabilem subjectionem. Ephes. 1. 20. & 21.

186. [d] Divine plerique interpretantur quod scriptum est : *Nonne Deo subjecta erit anima mea :* animam dixit, non divinitatem ; animam, non majestatem. Et ut sciremus quod Dominus per Prophetam de susceptione naturæ est loquutus humanæ, addidit : *Usquequo adjicietis super hominem ?* secundùm illud quod ait in Evangelio : *Quid me quæritis interficere hominem ?* Et addidit : *Verumtamen pretium meum voluerunt repellere, cucurrerunt in siti ; ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Judæi enim, reportante Juda pretium, recipere noluerunt ; currentes in siti amentiæ ; quia spiritalis potus gratiam recusarunt. Psal. 61. 1. Ibid. 3. Johan. 8. 40. Psal. 61. 4. Matth. 27. 6.

187. Hæc est pia subjectionis interpretatio. Etenim cùm Dominicæ passionis hoc munus sit, utique in quo passus est ; in hoc erit subjectus in nobis. Quærimus qua causa ? Ut neque Angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque præsentia ; neque futura, neque creatura alia separare nos possit à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. Videmus itaque ex his quæ diximus, nullam exceptam esse creaturam : sed istis, quas supra dixit, omnem, si qua est, annumeratam esse. Rom. 8. 38. & 39.

a. Ita mss. magno consensu : edit. vero, *non debeatur, cùm scilicet etiam* &c.

b. Omnes edit. *inquiunt, quod cùm mortui essetis peccatis, convivificavit vos :* omnes mss. *inquies, quia* &c.

c Vet edit. *per corporeæ commune natura ;* Rom. . . . *communionem naturæ :* mss. aliquot, *per corpus commune naturæ ;* reliqui nobiscum faciunt.

d. Nonnulli mss. *Domini jure plerique.*

Ibid. 35. 188. Simul etiam illud est considerandum, A quod cùm in superioribus dixerit: *Quis nos separabit à caritate Christi?* subter posuit: *Neque mors, neque vita, nec alia creatura separare nos poterit à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Videmus ergo eamdem caritatem Dei esse, quæ Christi est. Denique non otiose posuit caritatem Dei, *quæ est in Christo Jesu;* ne separatam Dei & Christi intelligeres caritatem. Nihil autem est quod caritas dividat, nihil quod divinitas sempiterna non possit, nihil quod lateat verita- B tem, fallat justitiam, prætereat sapientiam.

CAPUT XVI.

Arrianos à Spiritu sancto per David condemnatos, quippe qui scientiæ Christi derogare audeant. Locum ab illis ad hoc citatum suspicione corruptionis minime carere; sed ut maxime careat, distinguendam esse vocem Filius; *Christo enim ut Dei Filio scientiam deesse non posse, cùm sit sapientia: nec partis ullius cognitionem, cùm om-* C *nia crearit. Eum qui sæcula fecerit, futurum non posse non cognoscere, & multo minus diem judicii. Sive quid magnum sit ea cognitio, sive quid parvum, eam Filio non negandam; immo neque etiam Spiritui sancto. Demum his addit varia signa, quibus hæc scientia inesse Christo colligi potest.*

Alias Cap. VII. 189. UNde exsecrabiles eos qui ista commemorant, & à Spiritu sancto esse damnatos scire debemus. Quos enim alios, ni- D si specialiter Arrianos Propheta condemnat, qui dicunt quod Dei Filius nesciat tempora & annos? Non enim est aliquid quod ignoret Deus: est autem Deus Christus, & altissimus Christus; ipse est enim super omnia Deus.

190. Videte quemadmodum sanctus David hujuscemodi homines qui Dei Filio scientiam Psal. 72. 5. & seq. derogent, perhorrescat; sic enim habes: *In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo obtinuit eos superbia eorum;* E *cooperti sunt iniquitate & impietate sua: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, pertransierunt in dispositionem cordis.* Utique eos condemnat qui ex dispositione cordis æstimanda quæ divina sunt, arbitrantur: nam Deus nec dispositioni est subjectus, nec ordini; quando etiam ipsa quæ sunt in usu hominum, & [a] successione generis humani, non semper aliqua solemnis dispositione rationis, sed plerumque secretis latentibusque decursa mysteriis, evenire cernamus. F

Ibid. in 8. 191. *Cogitaverunt*, inquit, *& loquuti sunt nequitiam, iniquitatem in Excelsum loquuti sunt, posuerunt in cælum os suum.* Videmus itaque quod impii sacrilegii reos damnet, qui ex similitudine humanæ naturæ, dispositionem sibi arrogent cælestis arcani.

192. Et dixerunt: *Quomodo scivit Deus? & si est scientia omnis in Altissimo?* Nonne hæc quotidie perstrepunt Arriani, scientiam omnem in Christo esse non posse? Quia ipse, inquiunt, diei & horæ se professus est esse ignarum. Nonne dicunt: Quomodo scivit, qui eum non potuisse scire commemorant, nisi quæ audierit, & viderit: & ea quæ spectant ad divinæ unitatem naturæ ad infirmitatem sacrilega interpretatione derivant? Ibidem 11.

193. Scriptum est, inquiunt: *De die autem illo & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nec Filius, nisi solus Pater.* Primùm * veteres non habent codices græci quia nec Filius scit: sed non mirum si & hoc falsarunt, qui scripturas interpolavere divinas. Qua ratione autem videatur adjectum, proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur. Marc. 13. 32.

194. Pone tamen ab Evangelistis scriptum. Medium utique nomen est Filii: nam & Filius hominis dicitur; ut secundum [b] imprudentiam adsumtionis nostræ diem futuri judicii nescisse videatur. Quomodo enim nesciret diem Dei Filius, cùm in ipso sint thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi? Coloss. 2. 3.

195. Quæro autem utrum ex substantia, an ex accidenti habuerit scientiam; omnis enim scientia aut ex natura, aut ex disciplina est: ex natura suppetit, ut equo currere, pisci natare; hæc enim faciunt antequam discant: ex disciplina rursus suppetit natare homini; nam nisi didicerit, scire non poterit. Cùm ergo mutis animantibus suppetat ex natura facere & scire quæ non didicerint, quid censes de Dei Filio, utrum ex institutione, an ex natura habeat scientiam? Si ex institutione: ergo non est natus sapientia, & ex processu cœpit esse perfectus, nec erat semper. Quod si naturalem scientiam habet, utique perfectus in principio erat, perfectus ex Patre processit; & ideo præscientiâ non eguit futurorum.

196. Non ergo nescivit diem; neque enim sapientiæ Dei est ex parte scire, & ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia; cùm minus sit scire, quam facere? Multa enim scimus, quæ facere non possumus: nec eodem modo omnes scimus, sed ex parte cognoscimus. Novit enim ventorum vim, stellarumque cursus aliter rusticus, aliter civitatis incola, aliter gubernator. Etsi non omnes norunt omnia, tamen nosse dicuntur: solus autem plene novit ille, qui fecit omnia. Novit gubernator quotâ vigiliâ procedat * Arcturus, Johan. 1. 3.

a. Ita vet. edit. ac plures mss. at Rom. edit. cum aliis, *successione fruuntur humana.*

*. Hilarius can. 26 in Matth. *De fine*, inquit, *temporum curam sollicitudinis nostræ ademit, diem illum dicens nemini esse cognitum, & non solum Angelis, sed etiam sibi ignoratum.* At licet ita differat in Matthæum, hinc tamen minime probatur eum hæc verba, *nec Filius* legisse apud eumdem Evangelistam, cùm ita ratiocinari potuerit ex aliis istis, *nisi solus Pater*; vel certe adludere ad locum Marci, ubi exhibentur. Verumtamen nec apud hunc eadem legisse videtur Ambrosius; alioqui enim hæreticis expedita fuisset responsio hæc ipsa in Marci Evangelio exstare. Hieronymus quoque idem quodammodo indicat in eumdem vers. 36 cap. 24. Matth. cùm ex eo quod memorata verba non reperiantur in græcis & maxime in Adamantii & Pierii exemplaribus, argumentum elicit adversus Arrium atque Eunomium: quibus utique ut hujus rationis vim eliderent, sufficiebat, si apud Marcum eadem habebantur. Quod autem Erasmus in eumdem Matthæi locum autumat has ipsas voces è textu Matthæi sublatas fuisse, cùm à Marco ejusdem Matthæi breviatore referantur; is merito reprehenditur à Grotio in eum locum, easdem potius ex Marco in Matthæum à librariis translatas affirmante. Sed ipsum consulere lectori licet.

b. Rom. edit. sola, *imprudentia adsumtionem nostra.*

*. Arcturus, qui & Bootes & Arctophylax vocatur, constellatio septemtrionalis, primum atque ultimum nomen hinc adeptus est, quod retro & quasi ad caudam Ursæ positus sit, quemadmodum etiam Bootes dicitur quod sequi ac regere plaustrum cæleste videatur. Orion à multitudine aquarum nomen obtinuit, quod oriatur hyemali tempore, & pluvias tempestatesque ciere existimetur. Postremo Vergiliæ à Latinis idcirco, quod vere ortum suum habeant, fuerunt nominatæ; sicut & à Græcis Pleiades, quod plures simul appareant; unde Ambrosius noster nominat *colligationes*, sive ut in mss. quibusdam legitur: *collegiationes, vergiliarum.*

quales ortus exploret Orionis; non tamen colligationes Vergiliarum, ceterarumque stellarum Psal.146.4 aut numerum novit, aut nomina, sicut ille, *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus his nomina vocat:* quem utique non fallit operis sui virtus.

197. Quomodo enim vultis hæc fecisse Dei Filium? Numquid quasi * annulum, qui non sentit quod exprimit? Sed omnia [a] in sapientia Pater Psal.103.24. fecit, id est, omnia per Filium fecit, qui est virtus 1.Cor.1.24. Dei & sapientia: sapientiæ autem id convenit, B ut suorum operum & virtutes norit & causas. Et ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nescire quod ipse donavit: novit ergo diem quem fecit.

198. Sed dicis, quia præsentem novit, nescit futurum. Licet inepta sit propositio, tamen ut de Scripturis satisfaciam tibi, disce quia non solum præterita fecit, sed etiam quæ futura sunt, sicut scriptum est: Esai.45.11 *Qui fecit quæ adventura sunt.* Et alibi ait Scriptura: C Hebr.1.2. & 3. *Per quem & facta sunt sæcula, splendor est gloriæ, & character substantiæ ejus.* Sæcula enim & præterita & præsentia & futura sunt. Quomodo ergo facta sunt quæ futura sunt; nisi quia operatoria virtus & scientia comprehendit numerum omnium sæculorum? Rom. 4.17. Sicut enim vocat quæ non sunt, tamquam quæ sunt: sic & fecit quæ futura sunt, tamquam quæ sint; [b] quia non contingit ut non sint, sed necessario sunt futura, quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere D quo sunt futura cognovit.

199. Si hoc de sæculis, multo magis de judicii credendum est die; eo quod cognitionem ejus habeat Dei Filius tamquam à se jam factæ; quia scriptum est: Psal.118.91. *Dispositione tua [c] permanebit dies.* Nec solùm permanet dixit, sed etiam *permanebit*; ut ejus dispositione quæ ventura sunt, gubernentur. Quæ disposuit ergo, non novit? Psal.93.9. *Qui plantavit aurem, non audiet? qui finxit oculum, non considerat?*

200. Videamus tamen ne quid fortè magnum E sit, quod creatorem suum potuerit præterire; & tamen eligant utrum quasi magnum aliquid & præstantius putent esse quam cetera: an quasi minimum atque abjectum? Si minimum atque abjectum, non est injuria, ut nostro usu loquar, vilia & exigua nescire; nam cùm potentiæ sit scire quæ maxima sunt, despexisse magis videtur degeneris operis vilitatem. Fastidio igitur F absolutus est, non potestate fraudatus.

201. Quod si magnum & summum arbitrantur scire judicii diem, dicant quid Deo Patre majus aut melius sit. Patrem igitur Deum novit, ut ipse ait: Matth.11.27. *Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Patrem, inquam, novit, & diem nescit? Sic ergo creditis quia Patrem revelat, & diem non potest revelare?

202. Deinde quia gradus quosdam facitis; ut Patrem Filio, Filium Spiritui præferatis; dicite mihi utrum Spiritus sanctus noverit judicii diem; nihil enim de eo scriptum est hoc loco. Negatis profecto. Quid si doceo quod noverit? Lectum est enim: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei.* 1.Cor.2.10. Utique quia alta Dei scrutatur, cùm Deus noverit judicii diem, etiam Spiritus novit. Novit enim omnia quæ Deus novit, sicut Apostolus declarat dicens: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ibidem 11. Videte igitur, [d] ne aut negando Spiritum sanctum scire, negetis & Patrem scire; quia quæ Dei sunt, cognovit & Dei Spiritus: quæ autem non cognovit Spiritus Dei, utique Dei non sunt: aut confitendo quia Spiritus Dei novit, quod negatis Filium scire, contra vestram adsertionem Spiritum Filio præferatis. Verùm non solum sacrilega ista, sed etiam inepta dubitatio.

203. Nunc consideremus quibus modis scientia colligatur, & ostendamus ipsum Filium demonstrasse quod & diem sciret. Quod enim scimus, aut tempore, aut loco, aut signis, aut personis declaramus, aut ordine. Quomodo igitur nescivit judicii diem, qui & horam judicii & locum, & signa expressit & causas.

204. Denique sic habes: *In illa hora qui fuerit in tecto, non descendat tollere vasa de domo sua; & qui in agro, similiter non redeat retro.* Luc.17.31. Eousque igitur futurorum norat periculorum eventus, ut etiam præsidia periclitantibus demonstraret.

205. An poterat Dominus diem ignorare, qui ipse de se dixit quia Filius hominis * dominus est sabbati? Matth.12.8.

206. Locum quoque etiam alibi designavit, cùm sibi structuras templi ostendentibus discipulis, diceret: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Matth.24.2.

207. De signo quoque interrogatus ab Apostolis respondit: *Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus;* Luc.21.8. & infra: *Terræ motus*, inquit, *magni erunt per loca singula, & fames, & pestilentia, terroresque de cælo, & signa magna erunt.* Ibidem 11. Itaque & personas expressit & signa.

208. Quo autem modo, vel circumdaturos exercitus Hierusalem dicat, vel implenda tempora gentium, & quo ordine, Evangelicæ utique lectionis adtestatione reseratur. Scivit ergo omnia.

*. Annulum signatorium intellige, qui expressam sui in ceris relinquit imaginem.

a. Mss. aliquot, *in sapientia perfecit, id est,* &c.

b. Colb. unus, *non quia contigerit ut jam sint, sed quia.* Minime male.

c. Rom. edit. sola, *permanet dies. Nec solum permanet, sed etiam permanebit (dixit autem: Permanet, quia prophetis etiam futura præsto sunt in spiritu) ut ejus* &c. Sed manifestum est hujusmodi interpolatione Ambrosianam corrumpi sententiam, ac S. Doctorem scripsisse, *permanebit dies*; quamvis ipsemet in Psal.118. communem sequutus fuerit lectionem.

d. Ita mss. plures ac probatiores: alii vero & cum eis Gill. ac Rom. edit. *ne negando .... & Patrem scire. Quæ Dei sunt ... Dei non sunt. Confitendo igitur quæ Spiritus, ... Spiritum Filio præfertis.* Minus concinne. Porro apud Amerb. & Eras. lacuna est ab initio hujus num. usque ad locum de quo agimus.

*. Ne cui videatur obscurum quod Ambrosius diem judicii Christo cognitum fuisse exinde probet, quia Dominus est etiam sabbati; advertendum hanc mentem esse Doctoris nostri, Christum scilicet ea quorum fuerit ipse Dominus, ignorare haud quaquam posse: eum autem diei judicii dominum esse ex eo doceri, quod sit dominus etiam sabbati, qui dies & aliorum omnium præstantissimus, & resurrectionis, ut idem Ambrosius sæpius tradit, figura est. Quæ vero de destruendis Hierosolymis subjiciuntur, spiritualiter intelligenda noscas è lib. 10. *in Lucam* num. 15. & sequentibus.

CAPUT XVII.

Quod Christus diem judicii revelare noluerit, in hoc nostræ utilitati consultum esse. Illud aliâ Domini sententiâ declaratur; nec non & Pauli loco plane simili. Urgentibus vero cur ita responderit discipulis ac si nescisset, alii loci quibus Patri eadem tribui videtur ignoratio, opponuntur: ex quibus si ignorantiam impotentiamve in Patre illi admittant, hinc in Filio eamdem quæ in Patre substantiam admittendam esse contra ipsos arguit Ambrosius; nisi tamen malint mendacii accusare Filium; cùm neque in hunc neque in Patrem cadat fallere, sed memoratis locis utriusque unitas designetur.

Luc. 19. 43. 209. SEd quærimus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inveniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat; ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tamquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus; ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. Non enim prodest scire, sed metuere quod futurum est; scriptum est enim: *Noli alta sapere, sed time.* Rom. 11. 20.

210. Nam si diem designasset expresse, uni ætati hominum quæ proxima erat judicio, videretur disciplinam præscripsisse vivendi, superioris temporis aut justus esset remissior, aut peccator securior. Namque adulter nisi quotidianam pœnam metuat, non potest [a] ab adulterandi cupiditate desinere: nec latro obsessorum saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momentis omnibus imminere supplicium. PLERUMQUE enim quibus incentivum est impunitas, timor tædio est.

211. Ideo ergo dixi quia scire non proderat, immo proderat ignorare; ut ignorantes timeremus, ut observantes emendaremur, sicut ipse dixit: *Estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est.* Math. 24. 44. Namque miles nisi bellum in manibus esse cognoscat, prætendere non novit in castris.

212. Unde alibi quoque ipse Dominus interrogatus ab apostolis, inquam, qui utique non sicut Arrius intelligebant, sed Filium Dei futura scire credebant; nam nisi hoc credidissent, numquam interrogassent: interrogatus ergo quando restitueret regnum Israel, non se nescire dixit, sed ait: *Non est vestrum scire tempora & annos, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. 7. Adtende quid dixerit: *Non est vestrum scire.* Lege iterum, *Non est vestrum. Vestrum* dixit, non meum; jam enim non secundum perfectionem, sed secundùm profectum humani corporis ac nostræ animæ loquebatur. *Vestrum* ergo dixit, non meum.

1 Thess. 5. 1. 213. Quod & Apostolus sequutus: *De temporibus autem & momentis, fratres, non habetis,* inquit, *opus ut vobis scribamus.* Itaque ne Apostolus quidem ipse Christi servus dixit se nescire momenta, sed non opus esse doceri populum, A qui semper spiritalibus munimentis esse debet armatus; ut virtus Christi in unoquoque prætendat. Cùm autem dicit Dominus: *De temporibus quæ Pater posuit in sua potestate,* utique non potest exsors esse scientiæ paternæ, cujus nequaquam exsors est potestatis; cùm potestas ex sapientia & virtute gignatur, quod utrumque Christus est.

214. Sed quæritis qua causa non ita discipulis negaverit, Marc. 13, 32. quasi sciret & nollet dicere: sed B neque Angelos, neque Filium scire memoraverit? Interrogabo vos & ego, qua causa in Genesi Deus dicat: *Descendam itaque, ut videam secundùm clamorem illorum venientem ad me, si consummabuntur: sin autem, ut sciam?* Gen. 18, 21. Qua causa etiam Scriptura de Domino dicat: *Et descendit Dominus videre civitatem & turrim, quam ædificarent filii hominum?* Gen. 11. 5. Qua causa etiam dicat Propheta in Psalterio: *Dominus respexit super filios hominum, si est intelligens, aut requirens Deum;* Psal. 52. 3. C quasi & illic si non descenderet Deus, & hîc si non prospiceret Dominus, aut opera hominum ignoraret aut merita?

215. Sed etiam in Evangelio habes secundùm Lucam, quia Pater dicit: *Quid faciam? Mittam filium meum dilectissimum, forsitan hunc verebuntur.* Luc. 20. 13. Secundùm Matthæum autem, & secundùm Marcum habes: *Quoniam misit unicum filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.* Matth. 21. 37. Marc. 12. 6. In D uno libro dicit: *Forsitan verebuntur,* & quasi nesciens dubitat; nam hic sermo dubitantis est: in duobus autem aliis libris: *Verebuntur,* inquit, *filium meum;* hoc est, confirmat reverentiam deferendam.

216. Sed neque dubitare Dei est, neque falli; dubitat enim, qui ignorat quod futurum est: fallitur autem, qui aliud prædixit, & aliud est sequutum. Quid autem evidentius, quam quod Scriptura habet aliud Patrem dixisse de Filio, E & aliud accidisse eadem Scriptura testatur? Ille dixit: *Verebuntur filium meum:* Filius autem vapulavit, illusus est, crucifixus est, mortuus est; Matth. 27. 29. & seq. multoque illis servis qui prius fuerant destinati, graviora secundum carnem passus est. Fefellit igitur Pater, an ignoravit, vel subvenire non potuit? Sed verus nescit fallere; scriptum est enim: *Fidelis Deus qui non mentitur.* Tit. 1. 2. Quomodo autem ignoravit, qui novit omnia? Dan. 13. 42. Aut quid non potuit, qui omnia potest?

217. Tamen si aut ignoravit, aut non potuit F (facilius enim adquiescitis, ut dicatis Patrem ignorasse, quam confiteamini Filium scisse) videtis quia [b] ex hoc ipso unius substantiæ est Filius cum Patre; si quemadmodum Pater, ita & Filius, ut secundum vestram insipientiam loquar, aut non omnia novit, aut non omnia potest. Non sum enim avarus aut præceps circa Filii laudes, ut plus audeam dicere Filium posse quam Patrem, qui nullam inter Patrem & Filium discretionem facio potestatis.

218. Sed fortasse dicatis, non ita dixisse Patrem, sed de Patre Filium fefellisse. Jam ergo

a. Vet. edit. *adulterandi cupiditatem desinere:* Rom.... *relinquere:* mss. vero ut in contextu.

b. Omnes edit. & pauci mss. *ex hoc ipso quod unius substantia est Filius cum Patre, sic quemadmodum* &c. reliqui mss. nobiscum faciunt. Et recte quidem; non enim supponebant adversarii Filium cum Patre unius esse substantiæ, ut hine adversus eos argueret Filium perinde ac Patrem aut non omnia novisse, aut non omnia potuisse: sed è converso exinde quod illi eumdem scientiæ ac potentiæ defectum in Patre admittebant, quem contendebant esse in Filio, hinc sequi affirmat unam ac eamdem utrique inesse substantiam.

non

non solùm infirmitatis Filium, sed etiam sacrilegii & mendacii arguitis. Verumtamen si non creditis de Patre Filio, nec de eo credatis; si enim fallere nos voluit, quia dixit dubitasse Patrem, quasi nesciret quod esset futurum: fallere ergo etiam de se nos voluit, quia futura nescire se dixit; multoque tolerabilius ad pudorem, si ignorantiam ante prætendit, quod de se facit, quam si contrario promissis lusus videatur effectu, quod de Patre prædicavit.

219. Sed neque fallitur Pater, neque fallit Filius: verum ea est in scripturis consuetudo divinis, sicut & superiora, & multa alia exempla testantur, ut Deus dissimulet se nescire quod novit. Et in hoc ergo unitas divinitatis,[a] & unitas dispositionis in Patre probatur & Filio, si quemadmodum Deus Pater cognita dissimulat, ita Filius etiam in hoc imago Dei, quæ sibi sunt nota dissimulet.

CAPUT XVIII.

Dominici ad apostolos responsi causam allaturus, primo illud indulgentiæ Christi acceptum refert, mox alia quorumdam ratione proposita, germanam hanc esse profitetur, quod idem Dominus ex humano affectu loquutus fuerit. Inde colligit scientiam Patris ac Filii æqualem esse; atque adeo non minorem Patre Filium. Postea ubi textui quo dicitur minor, alium quo æqualis traditur, opposuit; Arrianorum de Filio judicantium temeritatem castigat, & cùm illum impie minorem adstruerent, ipsum pie lapidem abs se dici ostendit.

220. Edoctum est igitur non ignorasse Dei Filium quæ futura sunt. Quod si fatentur, & ego, ut jam respondeam qua ratione neque Angelos, neque Filium, sed Patrem scire memoravit; solemnem ejus in discipulos caritatem etiam in hoc loco & gratiam recognosco, quod ex frequentia ipsa debet omnibus esse jam cognitum. Mavult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, petentibus his quæ cognitu inutilia judicaret, videri ignorare quod noverat, quam negare; plusque amat nostram utilitatem instruere, quàm suam potentiam demonstrare. *Marc. 13. 32.*

221. Sunt tamen plerique non ita timidiores, ut ego; malo enim alta timere, quam sapere: sunt tamen plerique eo freti, quod scriptum est: *Et Jesus proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines*, qui dicant confidenter quod secundum divinitatem quidem ea quæ futura sunt, ignorare non potuit, sed secundum nostræ conditionis adsumtionem ignorare se quasi Filium hominis ante crucem dixit. Etenim cùm Filium dicit, non quasi de alio dicit; nam ipse est & Dominus noster Dei Filius, & Filius Virginis: sed medio verbo nostrum informat affectum, ut quasi hominis filius secundum susceptionem nostræ imprudentiæ, vel profectus non plene adhuc scisse omnia crederetur;[b] non enim est nostrum scire quæ futura sunt. Eadem igitur videtur ignorare conditione, qua proficit: nam quomodo secundum divinitatem proficit, in quo habitat plenitudo divinitatis? Aut quid est quod nesciat Dei Filius qui dicebat: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quomodo nesciat, de quo dicit Scriptura: *Jesus autem norat cogitationes eorum?* *Luc. 2. 52.* *Coloss. 2. 9.* *Matth. 9. 4.* *Luc. 6. 8.*

222. Hæc tamen alii dicant: ego autem ut ad superiora redeam, qui proposuerim scriptum quia Pater dixit: *Fortasse reverebuntur filium meum*; quod utique ideo arbitror positum; ut quia de hominibus loquebatur Pater, humano loquutus videatur affectu: multo magis arbitror quia Filius qui cum hominibus conversatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nostrum adsumsit affectum; ut nostra ignoratione nescire se diceret, non quia aliquid ipse nesciret. Nam etsi homo in veritate corporis videbatur; erat tamen vita, erat lux, & virtus exibat de eo, quæ vulnera sauciorum majestatis suæ auctoritate sanabat. *Luc. 20. 13.* *Luc. 6. 19.*

223. Advertitis ergo quæstionem vobis esse sublatam; cùm & Filii dictum ad susceptionem integræ conditionis referatur humanæ, & de Patre ideo scriptum sit, ut vel sic calumniari Filio desinatis.

224. Nihil ergo fuit quod ignoraverit Dei Filius; nihil enim fuit quod ignoraverit Pater: Quod si nihil & Filius ignoravit, ut jam concludamus; dicant in quo eum minorem velint videri. Si minorem generavit Deus Filium, minus contulit; si minus contulit, aut minus voluit, aut minus potuit: sed nec infirmus, nec invidus Pater; quia nec voluntas ante Filium; nec potestas: in quo enim minor, qui omnia habet quæ Pater habet? Nam & omnia à Patre jure generationis accepit, & totum Patrem gloriâ suæ majestatis expressit. *Johan. 16. 15.*

225. Scriptum est, inquiunt: *Quoniam Pater major me est.* Sed scriptum est: *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.* Scriptum est quod propterea volebant illum Judæi occidere, quia Filium se dicebat Dei, æqualem se faciens Deo. Scriptum est: *Ego & Pater unum sumus.* Unum legunt, multa non legunt. Numquid ergo & minor & æqualis per naturam eamdem potest esse? Sed aliud ad divinitatem refertur, aliud ad carnem. *Ibid. 14. 28.* *Philip. 2. 6.* *Johan. 5. 18.* *Ibid. 10. 30.*

226. Minorem dicunt: quæro quis mensus sit; quis tam exaltati cordis, qui velut ante tribunal suum Patrem Deum & Filium constituat; ut de prælatione dijudicet? *Non est exaltatum cor meum, neque in vanum elati sunt oculi mei*, David dicit. Rex David exaltare cor metuit in rebus humanis, nos exaltamus adversus divina secreta. Quis igitur judicat de Dei Filio? Throni, Dominationes, Angeli, Potestates? Sed fa- *Psal. 130. 1.* *Hebr. 1. 7.* *Esai. 6. 2.*

a. MSS. duo, *& unitas dispensationis*: unus . . . *disputationis*.

b. Omnes edit. ac mss. aliquot, *Non est vestrum scire*: ceteri mss. *non enim est nostrum scire.* Multo concinnius; est quippe ratio superioris illius, *nostrum informat, affectum, ut quasi* &c. Illam porro quorumdam opinionem qua Christum tempore suæ missionis secundum naturam humanam de facto nonnulla ignorasse, ac vere scientia profecisse affirmabant, ut in fide quodammodo periculosam sibi non probari declarat Ambrosius. Quapropter qui eamdem vulgo sequuntur heterodoxi, quin sanctum Doctorem hac parte contrarium habeant, negare non possunt. Neque vero timendum fuerit, ne illa dissimulatio quam admittit, videatur conjuncta mendacio. Etenim præterquam quod adtemperabat se iis quos alloquebatur, quibus debita non erat ista cognitio; ipsemet ut homo loquebatur; id est, ut præditus anima rationali, cui naturaliter minime competebat futura cognoscere, licet eadem ex Verbi unione non ignoraret. Quo sensu etiam interpretari possis Athan. Orat. 4. *cont. Arrian.* Hilar. lib. 9. *de Trinit.* Basil. epist. 391. & Gregor. Nazianz. Orat. 36. & alios.

mulantur & serviunt Archangeli, sed ministrant Cherubim & Seraphim, sed laudant. Quis igitur judicat de Dei Filio, cùm legerit quia ipse
Matth. 11. 27. Pater noverit Filium, non judicet; *Nemo enim novit Filium, nisi Pater. Novit*, inquit, non judicat. Aliud est nosse, aliud judicare. Habet Pater in se scientiam, Filius supra se non habet potestatem. Et rursus: *Nemo novit Patrem, nisi Filius*; & ipse novit Patrem, sicut eum Pater novit.

227. Sed dicis quia minorem se dixit: dixit &
Johan. 14. 28. lapidem. Plus dicis, & impie calumniaris: minus dico, & pie adstruo. Minorem dicis, & supra Angelos confiteris: ego minorem Angelis dico, & non derogo; quia non divinitatem arguo, sed misericordiam prædico.

CAPUT XIX.

Conversus ad Deum Patrem Vir sanctus, cur Filium eo minorem non statuat, exponit: tum adserit suum non esse ut metiatur Dei Filium; cùm Angelo metiri tantum Hierusalem datum fuerit, immo & forte Christo, ut homini: sed Arrium sathanæ imitatorem se præbuisse. Temere igitur de divina generatione disputari; cùm tantum humanæ signum per Esaiam sit propositum; nec debeat comparatio fieri in divinis. Postremo quantum fugienda sit Arrii arrogantia, variorum Scripturæ exemplorum oppositione demonstrat.

228. Ad te nunc, omnipotens Pater, cum lacrymis verba converto. Ego te quidem inaccessibilem, incomprehensibilem,
Hebr. 1. 3. inæstimabilem promte dixerim: sed Filium tuum minorem non ausim dicere. Nam cùm illum splendorem gloriæ, & imaginem substantiæ tuæ legerim; vereor ne minorem imaginem tuæ dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere videar, cujus imago sit Filius; cùm plenitudo tuæ divinitatis omnis in Filio sit. Immensum te Filiumque tuum & Spiritum sanctum, incircumscriptum, inæstimabilem, inenarrabilem legi frequenter, credo libenter. Et ideo æstimare non possum, ut examinare possim.

229. Esto tamen, spiritu ausuque temerario metiri te velim; unde, quæso, te metiar? Fu-
Ezech. 40. 3. niculum agrimensorium vidit propheta, quo metiebatur Angelus Hierusalem. Metiebatur tamen Angelus, non Arrius: metiebatur Hierusalem, non Deum. Et fortasse nec Hierusalem metiri poterat Angelus; vir enim erat. De-
Ibidem. nique sic habes: *Et allevavi oculos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funiculus agrimensorius.* Vir erat quia typus suscipiendi corporis declarabatur. Vir erat ille, de quo est dictum: *Post*
Johan. 1. 27. *me venit vir, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Ergo Christus in typo Hierusalem metitur, [a] Arrius Deum.

2. Cor. 11. 14. 230. Et Satanas transfigurat se in Angelum lucis, quid mirum si Arrius suum imitatur auctorem, ut usurpet illicita? Licet quod Pater suus
a diabolus per semet ipsum non fecit, intolerabiliore iste sacrilegio divinorum sibi scientiam secretorum, & supernæ generationis arcana præsumat; diabolus enim verum Dei Filium fatebatur, Arrius negat.

231. Si ergo metiri te, omnipotens Pater, non queo, possumne sine sacrilegio de tuæ generationis disputare secreto? Possumne dicere quod aliquid inter te & Filium tuum plus minusve sit; cùm ipse qui ex te natus est, dixerit: *Omnia quæ Pater habet mea sunt?* Quis me con- Johan. 16. 15.
stituit judicem aut divisorem de rebus humanis? Hoc Filius dicit, & nos inter Patrem & Filium divisionem nobis & judicium vindicamus? Bona pietas arbitros refugit etiam in divisione patrimonii. Nos ergo erimus arbitri, ut inter te & Filium tuum [b] increatæ majestatem substantiæ dividamus? b

232. *Generatio*, inquit, *hæc, generatio nequam* Luc. 11. 29.
est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Signum utique datur non divinitatis, sed incarnationis. Denique de incarnatione dicturus ait: *Pete tibi signum.* Et cùm Esai. 7. 11. & seq.
ille dixisset: *Non petam, neque tentabo Dominum*, responsum est: *Ecce virgo in utero accipiet.* Ergo signum divinitatis videre non possumus, mensuram quærimus? Væ misero mihi, impie discutere audemus, quem digne rogare non possimus!

233. [c] Viderint tamen quid faciant Arriani: c
ego te, Pater, si majorem omnibus dixero, injuriose te tuis operibus comparavi: si majorem Filio, ut Arrius adserit, impie judicavi. De te prior erit illa sententia, nam neque ulla fieri potest nisi ex comparatione prælatio, neque præferri quisquam, nisi de quo prius fuerit judicatum.

234. Jurare nobis per cælum non licet, [d] judi- Matth. 5. 34. d
care de Deo licet: sed Filio tuo soli judicium de omnibus detulisti.

235. Johannes carnem Domini baptizare metuebat, Johannes prohibebat dicens: *Ego à te* Matth. 3. 14.
debeo baptizari, & tu venis ad me; & ego Christum judicio meo subdam?

235. [e] Moyses excusat sacerdotium, Petrus imperatum in ministerio declinat obsequium: Arrius scrutatur etiam alta Dei? Sed non Arrius Spiritus sanctus: sed Arrio & hominibus dictum est: *Altiora te ne quæsieris.* Eccl. 3. 22. e

236. Moyses vultum Domini prohibetur videre: Arrius meruit videre secretum. Moyses Exod. 33. 23.
& Aaron in sacerdotibus ejus, Moyses qui cum Domino apparet in gloria; Moyses ergo ille posteriora tantummodo Dei in typo vidit: Arrius totum Deum facie ad faciem comprehendit. *Sed nemo*, inquit, *videre potest faciem meam*, Exod. 33. 20.
& vivit.

237. Paulus etiam de inferioribus dicit: *Ex* 1 Cor. 13. 9.
parte cognoscimus, & ex parte etiam prophetamus: Arrius dicit ex toto Deum, non ex parte cognovi. Inferior ergo Paulus, quam Arrius; & vas electionis ex parte scit, vas perditionis totum scit: *Scio*, inquit, *hominem, sive in corpore* 2. Cor. 12. 3. & 4.

a. Vet. edit. *Non Arrius Deum:* Rom. cum mss. aliquot sustulit negationem, quod & sequimur. Nonnulli tamen alii mss. negationem habent, sed vocem Deum non agnoscunt, haud malo sensu.

b. Mss. aliquot, *increatæ majestatis substantiam.*

c. Ita Rom. cum parte mss. vet. autem edit. cum aliis cod. scripsis, *Videro tamen, ..., de te prius erit* &c.

d. Omnes edit. *judicare de Dei Filio:* mss. contra prope ad unum, *judicare de Deo.*

e. Vet. edit. *Moyses excusat*, Rom. edit. *se excusat, Petrus* &c. mss. autem nonnulli *Moyses se excusat sacerdotio, Petrus* &c. plures ac potiores ut nos in textu. Infra vero ubi omnes edit. ac plures mss. exhibent *in ministerio*, quidam alii cod. præferunt, *in mysterio.*

sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audivit verba ineffabilia. Paulus raptus usque ad tertium cælum, se ipsum nescivit: Arrius in stercore volutatus Deum scivit. Paulus dicit de se ipso, *Deus scit:* Arrius de Deo dicit: Ego novi.

238. Sed non Arrius raptus in cælum, quamvis eum sequutus sit, qui jactatione damnabili divina præsumeret, dicens: *Ponam thronum meum super nubes, & ero similis Altissimo*; sicut enim ille dixit: *Ero similis Altissimo:* sic & Arrius altissimum Dei Filium sui similem vult videri: quem non in divinitatis æternæ majestate veneratur, sed ex carnis infirmitate metitur.

Esai. 14. 14.

IN LIBROS DE SPIRITU SANCTO
ADMONITIO.

Gratianus Augustus, cùm primos duos libros de Fide *ab Ambrosio per litteras peteret, cum etiam, ut in Admonitione* [a] *ad illud Opus observavimus, rogaverat, ne de Spiritus sancti divinitate commentationem quoque scribere gravaretur. Tam piæ Cæsaris voluntati morem non gerere sancto Præsuli non licebat; moram tantum postulaverat,* [b] *ut destinatam disputationem magis serio meditaretur. Illam igitur in tres libros abs se divisam, supremâ manu impositâ, quamprimum misit ad imperatorem.*

Primo libro præmittit exordium, [c] *quo Gedeonem non tantum Christi figuram, liberato suo populo, præ se tulisse, verum etiam ingenti illo prodigio* [d] *roris modo in vellus, modo in aream decidentis effusionem sancti Spiritus à Judæis ad Christianos quandoque transferendam, & cujus operâ novissime tot hominum millia in Ecclesiæ gremium* [e] *revocati essent, expressisse pulcre demonstrat. Hinc argumentum suum aggressus, supra conditarum rerum* [f] *ordinem, ac vere Deum esse Spiritum sanctum probat* [g] *ex eo potissimum, quod in Evangelio* peccatum in Spiritum *negatur in hoc futurove sæculo remittendum. Addit* [h] *eumdem in sacris codicibus appellari Dei Spiritum, loquutum esse per prophetas atque apostolos, infinitamque ipsius bonitatem juxta in sanctificatione* [i] *creaturarum innotescere, ac in sui effusione* [k] *per omnes locos atque homines simul didita, immensitatem, immutabilitatem, æternitatem. Et hoc mystici* [l] *unguenti, quo de Scriptura loquitur, expositione confirmato, substantialem ejus cum aliis duabus personis unitatem aperit: cui unitati* [m] *missionem adversari omnino negat; cùm inter divinas omnes personas unitas intercedat* [n] *pacis, gratiæ, caritatis, ac ceterarum dotum & qualitatum.*

In ipso libri secundi exordio, propositâ non multis verbis Samsonis historiâ, docet [o] *prospere illum, dum Spiritus sanctus ei adfuit, semper egisse: improspere autem, ubi primum eodem præsidio destitutus est. Postea declarato ipsam hanc Spiritus sancti* [p] *virtutem eamdem esse, quæ Patris & Filii, nec diversum* [q] *ipsius atque illorum consilium; adstruit nostram omnium* [r] *vitam non magis in hoc esse positam, ut illos cognoscamus, quam ut ipsum, cujus operatione* [s] *perinde atque amborum vivificamur. Sub hæc postquam eum rerum* [t] *conditorem, atque adeo adoratione colendum esse multis adseruit, objectionibus* [u] *quibusdam expeditis, in Ecclesia constituenda unam Spiritui cum Patre ac Filio* [x] *voluntatem, vocationem, & præceptionem fuisse planum facit. Deinde hunc ipsum nec Patri nec Filio scientiâ decedere ubi* [y] *firmatum est, nonnullaque circa eam rem difficultates* [z] *evolutæ, eidem, institutionem* [aa] *prophetiæ atque apostolatus tamquam ipsi cum duabus aliis personis communem vindicat; unde unam esse trium illarum operationem scite colligit.*

Continuatur in tertio libro cœptum in superiore argumentum, & non solum [bb] *prophetarum apostolorumque, sed & ipsius quoque Domini missionem ad Spiritum referendam esse statuitur; unde tamen non putandum est ullam ad Filium redire subjectionem, cùm ipsemet Spiritus etiam mittatur à Patre & Filio. In hoc itaque nihil præter unitatem divinitatis intelligendum, sicut nec in hisce locutionibus,* [cc] *queis* digitus, dextera, & manus *vocitatur, non secus atque ubi* [dd] arguere, judicare, vindicare, contristari [ee], tentarive *significatur. Fusior exsurgit* [ff] *disputatio de Johannis verbis,* Spiritus est Deus, *quæ ex Evangelii diptycis sacrilega temeritate expunxerant: quo quidem loco non secus ac quibusdam aliis,* [gg] *quos suppeditant Paulinæ epistolæ, Spiritus divinitas validissime comprobatur. Ostenditur autem ne tres* [hh] *dii vel domini* [ii] *ob hoc dicantur, periculum non esse; quandoquidem divinæ tres personæ eadem constent sanctitate* [kk] *atque natura. Postremo revocatis* [ll] *tamquam in fascem præcipuis totius commentationis capitibus, nonnullisque illorum denuo tractatis & adsertis, opus coronatur.*

Illud vero non aliter inscriptum oportere, quam de Spiritu sancto *ex iis, quæ hactenus explicata sunt, liquido constat; quamvis tamen confiteamur & apud quosdam scriptores* [mm] *citatum reperiri sub titulo* de Trinitate, *& in codicibus non paucis eamdem præfigi tribus his libris, non secus ac quinque superioribus inscriptionem. In utroque Opere cum eisdem adversariis confligitur, videlicet cum Arrianis, qui Spiritum adserebant Filio inferiorem esse; tametsi puros Pneumatomachos certis locis* [nn] *aggrediatur. Hos libros non nisi post memoratos quinque* de Fide *lucubratos esse nemo non videt; id ergo unum superaddimus, quamquam Gothorum rex Athanaricus, qui Constantinopoli obiit VIII. Kal. Febr. an. 381. jam tum è vivis excesserat, cùm illud operis edidit sanctus Doctor; eum tamen nihildum rescisse de morte Petri Alexandrini, sed nec de Gregorii abdicatione, qua novæ Romæ patriarchatu cessit in Synodo II. generali illic habita: cujus Synodi cùm nulla in hisce libris exstet mentio, illos sub medium annum 381. ad umbilicum adductos liquet.*

Verum enim vero Hieronymiana censura librorum de Spiritu sancto, *quos tacito scriptoris nomine, paulo severiore obelo fodit, nobis haud paulum facessit negotii. Volunt plerique non alium hic designari quam Ambrosium, qua de re ut quivis tutius ferre valeat judicium, neve eludere difficultatis nodum ipsimet videamur, locum integrum hic subjicimus:* [oo] Malui alieni operis interpres existere, quam (ut quidam faciunt) informis cornicula alienis me coloribus adornare. Legi dudum cujusdam libellos de Spiritu sancto, & juxta comici sententiam ex græcis bonis latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile, nihil districtum, quod lectorem vel ingratiis ad adsensum trahat: sed to-

a. Sup. pag. 439. b Epist. ad Gratian. c. Prolog. n. 1. & seq. d. Num. 5. & seq. e Num. 17. f Cap. 1. & seq. g. Cap. 3. n. 53 & 54. h. Cap. 4. i. Cap. 5. & seq. k. Cap. 8. & seq. l. Cap. 11. m. Cap. 12. n Cap. 13. & seq. o. Prolog. p. Cap. 1. q. Cap. 2. r. Cap. 3. s. Cap. 4. t. Cap. 5. u. Cap. 6. & seq. x. Cap. 10. y. Cap. 11. z. Cap. 12. aa Cap. 13. bb. Cap. 1. & 2. cc. Cap. 3. & seq. dd Cap. 6. & 7. ee. Cap. 8. & 9. ff. Cap. 10. & 11. gg. Cap. 12. & 14. hh. Cap. 13. ii. Cap. 15. kk. Cap. 16. & 17. ll. Cap. 18. & seq. mm Ivo. Decret. part. 2. cap. 7. Grat. &c. nn. Lib. 3. cap. 15. &c.

oo. Epist. ad Paulinian. huic Operi præfixa.

tum flaccidum, molle, nitidum atque formosum, & exquisitis hinc inde odoribus pigmentatum. Didymus vero meus oculum habens sponsæ.... Certe qui hunc legerit, latinorum furta cognoscet, & contemnet rivulos, cùm cœperit haurire de fontibus. *Quis commentationem ullam durioribus verbis umquam traduxit?*

Rufinus, cùm simultas inter ipsum atque Hieronymum oborta esset, summa cùm indignatione in eum ob illam ipsam sententiam insurgens: [a] Sed quoniam polliciti sumus, *inquit*, probaturos nos quomodo laceret virum omnium admiratione dignum Ambrosium episcopum, qui non solum Mediolanensis Ecclesiæ, verum etiam omnium Ecclesiarum columna quædam, & turris inexpugnabilis fuit. *Et multis interjectis pergit in hunc modum:* Audistis quemadmodum quem corvum ante dixerat, & totum tenebrosum, nunc iterum corniculam dicat alienis se pennis vel coloribus depingentem: & quam turpiter laceret, & nihil virile dicat habere virum, qui ad Ecclesiarum Christi gloriam electus à Deo est; qui in testimoniis Domini loquutus est in conspectu persecutorum regum, & non est confusus. Ambrosius sanctus de Spiritu sancto non solum verbis, sed & sanguine suo scripsit. Obtulit enim persecutoribus sanguinem suum, quem in se fudit, sed à Deo ad alios adhuc reservabatur labores. Quod etiamsi sequutus est græcos catholicos nostrorum scriptores, & aliquid de eorum scriptis præsumsit, non continuo hæc debuit tua summa esse cura, hic labor, hoc studium, ut pro hac causa interpretareris librum Didymi de Spiritu sancto, ut illius furta cognoscerentur...... Si ergo neque tanto ac tali viro Ambrosio pepercisti, *&c.*

a *Lib. 2. invect. v. in Hieronym.*

Baronius, cùm persuasum haberet Ambrosium non exiguam Operis sui partem à Basilio mutuatum esse, Rufinum insimulavit [b] *calumnia in Hieronymum; quippe quod hic prius sua Didymiani libri interpretationi, quàm ab illo conderentur isti tres libri, manum admoverit. Verum ut omittamus Hieronymi versionem non nisi post Damasi obitum absolutam esse, atque adeo post vulgatam ab annis jam aliquot Ambrosii lucubrationem, quis umquam credat Rufinum tam atrocem accusationem, nisi rem ipsam certissimam exploratissimamque habuisset, tanta confidentia intentaturum fuisse Hieronymo: vel Hieronymum, qua erat vehementia & animo parum ad injuriam dissimulandam nato, sibi temperaturum, quin accusatori suo meritam calumniæ notam infligeret; cùm tamen impositum sibi hoc tantum crimen nusquam depellat?*

b. *Ad ann. 381.*

At enim nihil opus est his conjecturis; nam quisquis cum Didymi tractatu Ambrosianum contenderit, comperiet non pauca ex illo in hunc translata esse, ut puta quæ de Spiritus sancti effusione, [c] *sanctificatione, à scientia, donisque* [e] *disputantur, quibus etiam locum* [f] *prophetiæ Amos jungas licebit. Neque tamen ita Didymo addictus fuit Ambrosius noster, ut quæ in aliorum scriptis argumento suo congruere existimabat, decerpere inde, operique suo inserere fastidiret. Itaque cùm eum Patres* [g] *Florentini plurima Basilio* [h] *debere animadvertissent, non injuria affirmaverunt ipsum tres libros Basilii* de Spiritu sancto *exposuisse: quorum sententiam sequutum videmus magnum Baronium. Occurrunt praterea petitæ ex Athan. Gregorio Nyss. nonnullisque aliis probationes; ut non absurde quivis judicet Doctorem nostrum, dum scriptioni suæ operam daret, præstantissimas quasque commentationes, quæ in eamdem materiam editæ fuerant, ob oculos sibi proposuisse.*

c. *Lib. 1. cap. 5. & 7.*
d. *Lib. 2. c. 11. & 12.*
e. *Lib. 1. c. 13. & seq.*
f. *Lib 2.*
g. *Sess. 22. cap. 6.*
h. *Lib. 2. c. 8. & seq.*

Quamquam autem quæ in rem suam facere putat, hinc inde carpit; non tamen temere ac promiscue delapsas, ut narrat Hieronymus, ab aliis avibus Æsopicæ corniculæ instar diripit plumas: sed potius apis industria ac diligentis more florum plantarumque, unde mella sua colligat, succos distinguentis, alia tollit, alia respuit, quædam immutat, quædam transponit, non pauca demum profert de suo, quæ apud aliorum auctorum neminem reperias. Verum tamen etiamsi nihil haberetur in hisce libris, quod in aliorum non legeretur; haud propterea videretur consectarium omnia ex alienis scriptis desumta esse. Quis enim nescit sæpius contingere, ut qui in eodem desudant argumento, etsi numquam inter se animi cogitata communicaverint, plurima tamen efferant longe simillima; maxime vero si unusquisque probationes suas ex iisdem fontibus, ut puta è scriptura divina oraculis, ducat, atque hauriat.

Quapropter ingenue fatemur Rufinum indignatione sua ultra quam par fuit, abreptum esse, cùm Hieronymum criminatus est, quasi eo tantum consilio Didymi libros in latinam linguam convertisset, [i] ut illius, *Ambrosii scilicet*, furta cognoscerentur. *Sed rursus non dissimulabimus memoratam Hieronymi censuram, si vere Ambros. illa perstringebat, exaggerationis modum haud parum esse prætergressam. Nec sane hic dissensurum à nobis fuisse putamus ipsum Baronium; quandoquidem* [k] *in accusatione, qua idem Hieronymus Romanam ibidem traducit Ecclesiam, apertam hyperbolen agnoscere non dubitavit. Enimvero neque concedi potest sanctum Præsulem Didymianam commentationem eo modo expilasse, quo illud actum indicare videtur citatus Doctor. Et certe ut magis dialecticum se se Didymus præstet, quam Ambrosius; hujus tamen dictio nobilior est, oratio copiosior, ordo concinnior; quique argumentationes utriusque adtentiore animo perpenderit, facile agnoscet hunc non minus valide propositum suum adsequi atque conficere, quam Didymum. Non igitur absurdum fuerit, si Hieronymum idem dixerimus hoc loco passum, quod solent ii, qui auctores in quos aliquid studii, atque operæ posuerunt, nimiis encomiis cumulasse minime contenti, etiam editas ab aliis de eadem materia lucubrationes, infra quam veritas atque æquitas sinit, deprimunt.*

i. *Loc. cit.*
k. *Ad ann. 385.*

Quæ cùm ita sint, quisquis verum ac legitimum de hac Ambrosii commentatione judicium ferre voluerit, æquiores æstimatores sibi duces in hoc eligat, sacra scilicet Concilia, [l] *multosque doctissimos viros,* [m] *qui testimonium atque auctoritatem illorum proponentes, quanti eos facerent, ostenderunt. At imprimis præsto nobis est, quem Stridoniensi presbytero opponamus, Hipponensis præsul, cujus in polemicis operibus sane quam exercitatissimi sententia illa est de hoc Opere:* [n] Sanctus Ambrosius, cùm agat rem magnam de Spiritu sancto, ut eum Patri & Filio demonstret æqualem; submisso tamen dicendi genere utitur; quoniam res suscepta non ad ornamenta verborum, aut ad flectendos animos, rerum documenta desiderat. *Quod quidem judicium, quo vix aliud cum Hieronymiano magis pugnare potest, nemo dixerit à discipulo ad præceptoris gratiam latum: quando & per se summopere moderatum est, & Augustino ex Ambrosii tractatibus alii erant ad manum, quos in submissæ dictionis specimen proponeret, si hunc* flaccidum, molle, nitidum atque formosum *existimasset.*

l. *Florent. sess. 22. &c.*
m. *Cassiod. in Instit div. litt. cap. 16. &c.*
n. *Lib. 4. de doctr. Christ. c. 21. n. 46.*

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SPIRITU SANCTO LIBRI TRES * AD GRATIANUM AUGUSTUM.

* Scripti anno 381.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

In Gedeonis electione Dominicæ incarnationis figuram fuisse: in hœdi sacrificio peccatorum per Christi corpus expiandorum: in vituli, profanorum sacrorum abolendorum: in trecentis denique militibus futuræ per crucem redemtionis. Quod plura petierit signa idem Gedeon, mysterii fuisse; per velleris enim siccitatem ac madefactionem, Judæorum infidelitatem, gentiumque vocationem significatas: per rorem autem pelvi exceptum pedum apostolorum ablutionem. Hac sibi pedum B *mundari sordes orat Ambrosius, simulque Christi benignitatem laudat. Quam utile sit hanc imitari! Eamdem aquam à Dei Filio missam in orbe mirabiles conversiones operari: sed ab alio mitti non posse, cùm sit effusio Spiritus sancti, qui alienæ potestati non subjicitur.*

1. IEROBAAL cùm sub arbore, ut legimus, quercu tritici messem virgâ cæderet, accepit oraculum, ut à po- C testate alienigenarum in libertatem Dei populum vindicaret. Nec mirum si est electus ad gratiam, cùm sub umbra jam tum sacræ crucis & venerabilis sapientiæ prædestinato incarnationis futuræ mysterio constitutus, feracis segetis sensibilia de latibulis frumenta produceret, electionemque sanctorum à purgamentis inanis paleæ sequestraret: [a] qui tamquam virgâ veritatis exerciti, superflua veteris E hominis cum ejus actibus deponentes, quasi in torculari, ita in Ecclesia congregantur; Ecclesia enim tocular est fontis æterni, in qua cælestis vitis fructus exundat. (Judic. 6. 11.)

2. [b] Quo motus oraculo Gedeon, cùm audisset quod deficientibus licet populorum millibus, in uno viro Dominus plebem suam ab hostibus A liberaret; obtulit hœdum caprarum, cujus carnem secundùm præceptum Angeli, & azyma supra petram posuit, [c] & ea jure perfudit: quæ simul ut virgæ cacumine, quam gerebat Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit; atque ita sacrificium quod offerebatur, absumtum est. Quo indicio declaratum videtur quod petra illa typum habuerit corporis Christi; quia scriptum est: *Bibebant de consequenti eos petra, petra autem erat Christus.* Quod utique non ad divinitatem B ejus, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni rivo sui sanguinis inundavit. (Ibid. 14. Ibid. 19. & seq.) (1. Cor. 10. 4.)

3. Jam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia dominus Jesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret: nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur; jus ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est: *Quia concupivit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne?* Quod igitur C extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exivit; ostendit quod caro Domini Spiritu repleta divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde & Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram.* (Num. 11. 4.) (Judic. 6. 21.) (Luc. 12. 49.)

4. Advertit igitur vir doctus & præsagus futuri superna mysteria; & ideo secundùm oracula occidit vitulum à patre suo idolis deputatum, & ipse septennem alium vitulum immolavit Deo. Quo facto manifestissime revelavit post E adventum Domini omnia gentilitatis abolenda sacrificia, solumque sacrificium Deo Dominicæ passionis pro redemtione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christus, in quo septem spiritalium plenitudo virtutum, sicut Esaias dixit, habitabat. Hunc vitulum & Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, & gavisus est. Hic est qui nunc in hœdi typo, (Judic. 6. 25.) (Esai. 11. 2.) (Johan. 8. 56.) (Judic. 7. 6.)

a. Sic omnes edit. ac mss. nisi quod in paucis pro *qui tamquam*, legitur *Et tamquam*: & in Rom. edit. pro *virga veritatis*, repositum est, *virga virtutis*.

b. Rom. edit. *Commotus oraculo*: vet. & mss. longe plurimi, *Quo motus oraculo*: quidam alii, *Quo doctus oraculo*; & sane infra Gedeon nominatur, *vir doctus*, ut etiam apud Origenem Hom. in eumdem, *vir eruditus*.

c. Mss. aliquot, *& super eam jus effudit*: Albin. unus, *& ea thure effudit*.

nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur. Hœdi, quod sacrificium pro delictis sit: ovis, quod voluntaria hostia: vituli, quod immaculata sit victima.

5. Prævidit ergo mysterium sanctus Gedeon. Denique trecentos elegit ad prælium; ut ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incursu graviorum hostium liberandum. Et tamen licet fortis & fidus, pleniora adhuc de Domino futuræ victoriæ documenta quærebat, dicens: *Si salvas in manu mea Israel, quemadmodum loquutus es, Domine; ecce ego pono lanæ vellus in area: & si ros factus fuerit super vellus, & super omnem terram siccitas, cognoscam quia in manu mea secundum promissa tua populum liberabis. Et ita factum est.* Sed adjecit postea, ut rursum ros proflueret super totam terram, & siccitas esset in vellere.

Judic. 6. 36. & seq.

6. Quærit fortasse aliquis utrumnam quasi incredulus esse videatur, qui frequentibus informatus indiciis adhuc plura poscebat? Sed quemadmodum potest videri quasi ambiguus incertusque tentasse, qui mysteria loquebatur? Non ergo ille ambiguus, sed providus, ne nos ambigeremus. Nam quomodo ille ambiguus, cujus precatio habebat effectum? Unde autem securus adorsus esset prælium, nisi intellexisset oraculum: ros enim in vellere fides erat in Judæa; quia sicut ros, Dei verba descendunt.

Deut. 32. 2.

7. Ergo quando totus orbis infructuoso æstu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille cælestis visitationis in vellere. Postea vero quam oves quæ perierunt domus Israel (unde puto figuram Judaici velleris adumbratam) oves, inquam; illæ fontem aquæ vivæ negarunt; ros fidei humentis exaruit in pectoribus Judæorum, meatusque suos fons ille divinus in corda gentium derivavit. Inde est quod nunc fidei rore totus orbis humescit: at vero Judæi prophetas suos & consiliarios perdiderunt.

Matth. 15. 24. Hier. 2. 13. Esaia 3. 2.

8. Nec mirum si perfidiæ subeant siccitatem, quos dominus Deus prophetici imbris ubertate privavit, dicens: *Mandabo nubibus meis ne pluant super vineam istam.* Est enim propheticæ nubis pluvia salutaris, sicut & David dixit: *Descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Hanc nobis scripturæ divinæ totius mundi pluviam pollicebantur, quæ rigaret orbem sub domini Salvatoris adventu [a] Spiritus rore divini. Venit ergo jam Dominus, venit & pluvia, venit Dominus stillicidia secum cælestia deferens; & ideo jam nos bibimus, qui ante sitiebamus, & divinum illum Spiritum haustu interiore potamus.

Esaia 5. 6. Psal. 71. 6.

9. Hoc ergo prævidit sanctus Gedeon, quia verum & spiritalem rorem etiam gentium nationes erant fidei perceptione bibituræ, & ideo diligentius exploravit; est enim necessaria cautela sanctorum. Siquidem etiam Jesus Nave cùm vidisset ducem militiæ cælestis, interrogavit: *Noster es, an adversariorum?* ne forte aliquibus adversarii præstigiis falleretur.

Jos. 5. 13.

10. Non tamen otiose quod vellus non vel in campo posuit, vel in prato: sed posuit in area, ubi messis est tritici: *Messis enim multa, operarii autem pauci*; eo quod per fidem Domini futura esset messis fœcunda virtutum.

Luc. 10. 2.

11. Nec illud otiose quod exsiccavit vellus Judaicum, & rorem ejus misit in pelvim, ut repleretur aqua, non tamen ipse eo rore pedes lavit. Alii debebatur tanti prærogativa mysterii. Exspectabatur ille qui sordes omnium solus posset abluere. Non erat tantus Gedeon, qui hoc sibi [b] mysterium vindicaret. Non enim Gedeon, sed *Filius hominis venit non ministrari, sed ministrare.* Itaque cognoscamus in quo hæc mysteria videantur esse completa. Non in sancto Hierobaal; adhuc enim erant illa principia. Ideo gentes victæ, quia siccitas erat adhuc in gentibus: ideo Israel vicit, quia ros tunc manebat in vellere.

Judic. 6. 39. & 40. Matth. 20. 28.

12. Veniamus ad Dei Evangelium. Invenio Dominum spoliantem se vestimenta, & præcingentem se linteo, mittentem aquam in pelvim, lavantem pedes discipulorum. Hæc erat aqua ros ille cælestis, hoc prophetabatur [c] quod illo rore cælesti discipulorum suorum dominus Jesus pedes lavaret. Et nunc extendantur pedes animorum nostrorum. Vult dominus Jesus & nostros lavare pedes; non enim Petro soli, sed unicuique dicit fideli: *Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem.*

Johan 13. 4. & seq. Ibidem 8.

13. Veni ergo, domine Jesu, exue te vestimenta, quæ propter me induisti: esto nudus, ut nos misericordia tua vestias. Præcinge te propter nos linteo, ut nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in pelvim: lava non solum pedes, sed etiam [d] caput: nec solum corporis nostri, sed etiam mentis vestigia. Volo exuere omnes nostræ sordes fragilitatis; ut & ego dicam: *Nocte exui tunicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Ibidem 9. Cant. 5. 3.

14. Quanta ista majestas est! Quasi minister pedes famulorum tuorum lavas, quasi Deus rorem mittis è cælo. Nec solum pedes lavas, sed etiam ut tecum recumbamus invitas, & exemplo nos tuæ dignationis hortaris dicens: *Vocatis me dominum & magistrum, & bene facitis; sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros dominus & magister, & vos invicem lavate pedes vestros.*

Johan 13. 13. & 14.

15. Volo ergo & ego pedes lavare fratrum meorum, volo Domini implere mandatum, [e] volo in me non verecundari, non dedignari quod ipse prius fecit. Bonum mysterium humilitatis; quia dum alienas sordes lavo, meas abluo. Sed non hoc omnes [f] haurire poterant mysterium. Lavare voluit quidem & Abraham pedes, sed hospitalitatis affectu. Volebat & Gedeon lavare pedes Angelo Domini, qui apparuit sibi: sed volebat uni, volebat quasi is qui deferret obsequium, non qui donare consor-

Gen. 18. 4.

a. Nonnulli mss. *Spiritus ore divino.*

b. Ita edit. omnes, ac plures mss. at non male aliquot alii, *ministerium vindicaret.*

c. Mss. nonnulli, *quod illo opere cælesti* &c.

d. Omnes edit. ac mss. non pauci, *caput Nec solum .... vestigia volo exuere, omnes:* sed alii mss. commodius verba distinguunt, ut in textu.

e. Mss. aliquot, *voluit me non verecundari.* Item post tria verba nonnulli alii, *Bonum ministerium humilitatis.* Utrobique reliqui, & omnes edit. nobiscum faciunt.

f. Quidam mss. *audire poterant* &c. Quod autem subjicitur Gedeonem voluisse Angelo pedes abluere, hoc undenam sumtum fuerit, nobis non liquet. Etenim ea de re in Bibliis, quæ exstant, nulla fit mentio.

tium. Hoc mysterium magnum est, quod ne- A mo cognovit. *Johan.13.7.* Denique Petro dixit: *Quod ego facio tu nescis, cognosces postea.* Hoc, inquam, divinum mysterium est, quod etiam qui laverint, requirent. [a] Non est ergo simplex aqua cælestis mysterii, per quam consequimur, ut partem cum Christo habere mereamur.

16. Est & quædam aqua quam mittamus in *Psal.22.2.* pelvim animæ nostræ, aqua de vellere & libro Judicum, aqua de libro Psalmorum. Aqua est ros cælestis oraculi. Veniat igitur, domine Jesu, B hæc aqua in meam animam, in meam carnem; *Psal.71.6.* ut hujus humore pluviæ nostrarum convalles mentium atque intimi cordis arva viridescant. Veniant in me stillicidia tua, gratiam immortalitatemque rorantia. Dilue gressus mentis meæ, ne iterum peccem. Ablue [b] animi mei *Gen.3.15.* calcaneum, ut possim abolere maledictum; ne morsum serpentis interiore pede sentiam, sed sicut ipse jussisti sequentibus te, ut serpentes & *Luc.10.19.* scorpiones illæso possim calcare vestigio. Rede- C misti mundum, redime unius animam peccatoris.

17. Hæc est specialis tuæ prærogativa pietatis, qua totum mundum in singulis redemisti. *3 Reg.17.9.* Elias ad unam missus est viduam, Elisæus mun- *4.Reg.5.14.* davit unum: tu nobis, domine Jesu, hos hodie mille mundasti. Quantos in urbe Roma, quantos Alexandriæ, quantos Antiochiæ, quantos etiam Constantinopoli? Nam etiam Constantinopolis jam Dei verbum recepit, & evidentia D meruit tui documenta judicii. Etenim quamdiu venena Arrianorum suis fovebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, [c] muros armis circumsonabat hostilibus. Postea vero quam fidei exsules abdicavit, [d] hostem ipsum judicem regum, quem semper timere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet. Quantos ergo & Constantinopoli, quantos postremo toto hodie in orbe mundasti?

18. [e] Non mundavit Damasus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius; nostra enim servitia, sed tua E sunt sacramenta. Neque enim humanæ opis est divina conferre: sed tuum, Domine, munus & Patris est, qui loquutus est per prophetas, dicens: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt* [f] *filii & filiæ eorum.* *Johel 2. 28.* Hic est in typo ros ille cælestis: hæc pluvia voluntaria, sicut legimus: *Pluviam voluntariam segregans* *Psal.67.10.* *Deus hæreditati suæ.* Non enim Spiritus sanctus *Alias cap.I.* aut potestati alienæ est subjectus aut juri; sed suæ libertatis arbiter, omnia pro auctoritate propriæ voluntatis dividens, sicut legimus, singulis prout vult. *1.Cor.12.11.*

CAPUT I.

Argumentum suum aggressus Ambrosius, imperatorem cùm propter fidem, tum propter Basilicam Ecclesiæ restitutam laudat: hinc ubi dixit adversarios, si Spiritum sanctum servire negaverint, quin sit super omnia, diffiteri non posse; addit Spiritum eumdem, cùm dixit: Universa serviunt tibi, *satis innuisse à creaturis se separari: quod aliis quoque testimoniis adstruitur.*

19. NOn ergo inter omnia, sed super omnia Spiritus sanctus est. Jam enim de eo ([g] quoniam ita plene de Dei Filio, clementissime Imperator, instructus es, ut ipse jam doceas) cupientem te & exigentem audire aliquid expressius non morabor; præsertim cùm ita te adsertione istiusmodi testificatus sis proxime delectatum, ut Basilicam Ecclesiæ sine ullo monitore præceperis reformari.

20. Fidei itaque tuæ gratiam, & nostræ præmium jam tenemus; neque enim aliud possumus dicere, nisi sancti Spiritus hanc fuisse gratiam quod ignorantibus omnibus, subito Basilicam reddidisti. Spiritus, inquam, sancti hoc munus, hoc opus est, qui à nobis quidem [i] tunc prædicabatur, sed in te operabatur.

21. Nec superioris temporis damna deploro; quandoquidem sequestratio illa Basilicæ cujusdam fœnoris traxit usuras. Etenim Basilicam sequestrasti, ut fidem probares. Implevit igitur propositum suum pietas tua, quæ sic sequestraverat, ut probaret: sic probavit, ut redderet.

a. Ita vet. edit. & cuncti mss. exceptis paucis, ubi pro *cælestis mysterii*, habetur *cæleste mysterium*. At Rom. edit. sic locum effert, *Hoc est enim simplex aqua, sed cæleste mysterium.*

b. Mss. Theod *inimici mei calcaneum.* Non satis recte. Quid porro per animi calcaneum ejusque ablotionem designetur ab Ambrosio, non perfunctorie ad cap. 6. lib. *de Mysteriis* num. 32. explicatum reperies

c. Omnes edit. ac pauci mss. *muros circumsonabat armis*, alii nonnulli mss. *muros armis circumdabat*; sed concinnius ceteri .... *circumsonabat*; eodem enim modo dici potest urbs muros armis circumsonat, quo dicitur homo sagittâ percussus caput, & similia. Videtur autem hic indicari Constantinopolim antequam Arrianos ejiceret, perpetuo metu propter Gothorum etiam vicina loca populantium incursiones trepidasse. Has autem calamitates Ambrosius hæresi Arrianæ exceptas refert. Siquidem postquam in Pauli patriarchæ per summam injuriam dignitate sua exuti sedem intrusus fuit Eusebius Nicomediensis, eamdem Ecclesiam fere per annos 40. occuparunt perditissimi hæretici ac hæresiarchæ; quoad extincto Valente imperatore, ad pascendum curandumque afflictum illum gregem vocatus est ab orthodoxis Greg. Nazian quem quantum continuo auxerit, ipsemet exponit *Carm. de Vita sua*, & *Orat.* 32. & 48.

d. Rom. edit. *hostem ipsum, quem regnum semper* &c. Quam lectionem ita exponit Valesius in Notis ad Ammiani Marcell. lib. 27 *hostem ipsum (id est Athanaricum regem cum suis) quem regnum (id est imperium Rom. in Oriente) semper* &c. Verum doctissimo viro editio Rom non imposuisset, si quam ex vet. edit. aut mss. ullum consuluisset. Etenim ipsemet paulo superius ad hæc Marcellini verba ex eodem cap. *Athanaricum ea tempestate judicem potentissimum* illam adscripserat observationem: *Sic Gothorum reges, spreta regis appellatione, judices dici malebant. De Athanarico id testatur Themistius in Orat.* 10. *ad Valentem* &c. Hic porro Athanaricus suorum factione pulsus, magnificentissime à Theodosio longius ipsi obviam procedente Constantinopolim exceptus fuit: quem brevi post ibidem fato defunctum idem imperator more plane regio sepeliendum curavit, ut Ammianus loco citato, Zozymus lib. 4. Chronica Idatii ac Marcellini; compluresque alii scriptis mandarunt.

e *Non mundavit Damasus, non mundavit Petrus*, in mss. nonnullis prætermittunt. Attamen in ceteris, nec non in edit. omnibus illud habetur; & quidem recte, cùm non modo scribis frequentius sit omittere, quam adjicere, maxime vero ubi ab eadem voce plurima membra incipiunt, ut sit hoc loco; verum etiam cùm in usu positum reperiamus, ut majorum sedium simul nominarentur episcopi. Sic Hieronymus epist. *ad Marcum presbyt.* sic Theodosius l. 11. *de Fide cathol.* Damaso Rom. pont. Petrum patriarcham Alex. conjunxerunt. Quidni etiam idem hic fecisse Ambrosium nostrum arbitrabimur? Certe utriusque sedem æque memoravit, atque Gregorii. Nec obstat quod diem suum jam tum obierat Petrus; qui tamen nominatur inter superstites; poterat enim ipsius obitum necdum rescisse Ambrosius, ut dictum est in Admonitione. Quod autem Antiochiæ cujus quoque mentionem fecit, episcopum tamen reticuit, hoc ita factum ob divisionem Paulini atque Meletii non inconsulto crediderimus.

f. Rom. edit. sola, *filii vestri & filiæ.*

g. Ita Gill. ac Rom. edit. cum pluribus melioribusque mss. vet. autem edit & mss. reliqui ab eis hoc solo dissentiunt, quod pro *quoniam* illæ exhibeant, *quia non*; & pro, *ut ipse jam doceas*, legitur in iisdem mss. *ut ipsi jam instructionem audimus*: quibus verbis addit cod. Big *ut lector doceat cupientem & exigentem.* Sed istæc mera commenta.

i. Rom. edit. *tunc precabatur.* Forsitan error typographicus; in multas tamen edit. posteriores propagatus.

Nec fructum amisi, & judicium teneo, patuitque omnibus in quadam facti discretione discretam tibi numquam fuisse sententiam. Patuit, inquam, omnibus & tuum non fuisse, cùm sequestrares: & tuum esse, cùm redderes.

22. Primum igitur ab inferioribus inchoemus, ut quasi per gradus quosdam tractatus noster adscendat, quo facilius hi qui [a] fidem non deferunt, vel ratione flectantur. Possunt enim dicere in principio: Nec nos dicimus servire Spiritum. Sed cùm dicant servire Christum, quomodo possunt negare de Spiritu? Quod si secundum carnem in servi forma consentiunt [b] Christum fuisse, constat & convenit. Ergo si secundum divinitatem suam Christus non servit, non servit etiam Spiritus. Quod si non servit Spiritus, omnia autem serviunt: super omnia igitur Spiritus est, qui non servit [c] sicut omnia.

23. Nunc idipsum quod diximus, testimoniis adstruamus. Principium disputationis est, quia serviunt omnia. Servire autem omnia liquet, quoniam scriptum est: *Universa serviunt tibi.* (Psal. 118. 91.) Dixit hoc Spiritus per Prophetam. Non dixit, servimus: sed, *serviunt tibi*; ut crederes quod à servitio sit ipse exceptus. Ergo cùm universa serviant, non serviat Spiritus, utique inter universa non est Spiritus sanctus.

24. Nam si inter omnia dicimus esse Spiritum sanctum, utique cùm legerimus quia alta Dei scrutatur Spiritus, (1.Cor.2.10.) Deum Patrem esse super omnia denegamus. Etenim cùm ex Deo Spiritus sit, & Spiritus oris ejus, quomodo possumus inter omnia dicere Spiritum sanctum; cùm super omnia Deus sit, cujus est Spiritus, plenæ utique perfectionis, perfectæque virtutis?

25. Ac ne Apostolum arbitrentur errasse, accipiant quem fiduciæ hujus sit sequutus auctorem. Dominus enim in Evangelio dixit: (Johan 15. 26.) *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre meo, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me.* Ergo & à Patre procedit Spiritus sanctus, & testificatur de Filio. Testificatur etiam de Patre testis & fidelis & verus: quo nihil ad expressionem divinæ majestatis est plenius, [d] nihil ad unitatem divinæ potestatis evidentius; cùm idem noverit Spiritus quod & Filius, qui paternorum testis & consors individuus secretorum est.

26. Exclusit itaque à cognitione Dei societatem & multitudinem creaturæ: non excludendo autem Spiritum sanctum, ostendit non esse socium creaturæ. Unde & illud quod lectum est in Evangelio: (Johan.1.18.) *Quia Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* ad exceptionem pertinet Spiritus sancti. Quomodo enim Deum non vidit, qui scrutatur etiam alta Dei? (1.Cor.2.10.) quomodo Deum non vidit, qui cognovit quæ Dei sunt? quomodo Deum non vidit, qui ex Deo est? Ergo cùm ita positum sit *quia Deum nemo vidit umquam*, vidit autem Spiritus; utique exceptus est Spiritus. Super omnia igitur est, qui est exceptus ex omnibus.

CAPUT II.

Spiritum sanctum esse inter omnia non probari ex illis verbis: Omnia per ipsum facta sunt; *cùm factus non sit. Namque alias perinde probaretur Filius, immo etiam Pater numerandus inter omnia. Quod est ejusdem impietatis.*

27. Videtur, sancte Imperator, plena ratio esse pietatis, sed impiis non videtur. Denique quid moliantur adverte. Solent enim dicere hæretici ideo inter omnia Spiritum sanctum esse numerandum, quia scriptum est de Dei Filio: *Omnia per ipsum facta sunt.* (Johan. 1. 3.)

28. Quam male [e] confunditur actio, quæ non tenet veritatem, & præpostero ordine assertionis involvitur! Hoc enim tunc valeret, ut inter omnia dicerent esse Spiritum sanctum, si factum probarent. Namque omnia per Filium Scriptura dicit esse, quæ facta sunt: cùm autem factus non doceatur Spiritus sanctus; utique nec inter omnia probari potest, qui neque factus est sicut omnia, nec creatus. Mihi igitur ad utrumque hoc proficit testimonium, ut & super omnia probetur esse, quia factus non est; & quia super omnia est, non videatur factus esse: nec inter ea quæ sunt facta, numerandus.

29. Quod si quis, quia omnia facta per Verbum Evangelista posuit, non excipit Spiritum sanctum (quamquam in Johanne loquutus Spiritus Dei, *Omnia per ipsum facta sunt*, dixerit, non omnia facti sumus; cùm utique loqui in Evangelistis Spiritum Dei ipse Dominus ostenderit, dicens: *Non enim vos eritis loquentes, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*) (Matth.10. 20.) tamen si quis, ut dixi, hoc loco non excipit Spiritum sanctum, sed inter omnia numerat; nec ibi ergo excipit Dei Filium, ubi Apostolus dixit: *Nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia, & nos per illum.* (1.Cor.8.6.) Sed ut sciat quia inter omnia non est Filius, legat sequentia; nam cùm dicit: *Et unus dominus Jesus, per quem omnia;* (Ibidem.) ab omnibus utique excipit Dei Filium, qui excepit & Patrem.

30. Ejusdem autem impietatis est vel Patri, vel Filio, vel Spiritui sancto derogare. Non enim credit in Patrem, qui non credit in Filium: nec credit in Dei Filium, qui non credit in Spiritum: nec potest sine regula veritatis fides stare. Nam qui negare cœperit unitatem potestatis in Patre & Filio & Spiritu sancto, non potest utique ibi, ubi nulla divisio sit, fidem probare divisam. Ergo quia pietatis unitas est bene credere, etiam unitas impietatis est male credere.

31. Itaque qui putant Spiritum sanctum inter

a. Ita vet. edit. mss. ac melioris notæ, alii autem non pauci, *qui fidem non deferunt:* melius Rom edit. cum mss. aliquot *qui fidei non deferunt.* Non tamen abjicienda prima lectio, nam post dictionem *fidem*, facile subintelligi potest ad tractatus lectionem.

b. Mss aliquam multi, *Christum servisse.*

c. *Sicut omnia*, subjungitur in ant. edit. ac in Paris. nonnullis, *Non esse ergo inter creaturas Spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia. Non enim alienæ aut potestati, aut juri subjectus est: sed suæ libertatis est arbiter. Siquidem omnia pro auctoritate propria voluntatis dividens, sicut scriptum est, singulis prout vult.* Sed illa non habentur in mss: & puram putam interpolationem esse, partim è titulo hujus capitis, prout legitur in mss. & vet. edit. partim ex ipso textu, sicut patet ex fine superioris prologi, consarcinatam atque adsutam negabit nemo.

d. Paris. quædam edit. *nihil ad veritatem* &c. Non satis recte.

e. Eras. & seq. edit. in margine, *confunditur ratio.* Sed nihil vetat quin *actio* retineatur, ut hic non secus ac sæpe alibi ea vox idem sit atque accusatio.

omnia

debere numerari, quia omnia legunt facta per Filium, etiam Filium utique inter omnia annu-
1.Cor.8.18. merandum putant, quia legunt: *Ex Deo omnia.* Consequenter autem nec Patrem secernunt ab omnibus, qui à creaturis omnibus Filium non secernunt; quoniam sicut ex Patre omnia, ita etiam per Filium omnia. [a] Hoc ipsum in Spiritu prævidens Apostolus, dixit; ne inter omnia posuisse Filium vel impiis videretur, qui audierant dixisse
Johan. 10. 29. Filium: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est.*

CAPUT III.

Quod Apostolus dixerit ex Patre per Filium omnia esse, ab eorum consortio Spiritum non secludi; cùm quæ ad unam referuntur personam, aliis quoque adtribuantur. Sic baptizati in nomine Christi simul in Patris ac Spiritus nomine censentur baptizati; si tamen simul in tres personas crediderint: secus autem, nullus erit baptismus. Hæc etiam baptismo in Spiritus sancti nuncupatione convenire. Si autem ob eumdem locum Spiritus ab aliis personis separaretur, utique ob alios locos Pater Filio dicetur postponendus. Ab angelis Filium adorari, non à Spiritu; hunc enim testem ejus esse, non ministrum. Cùm omnibus anteponitur Filius, intelligendum de creaturis. Dignitatem sancti Spiritus à peccati in eum admissi irremissibilitate probari. Unde sit illa irremissibilitas; & quomodo unus Spiritus.

1.Cor 8. 6. 39. SEd fortasse aliquis dicat, qua ratione cùm dixerit hîc ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu sancto tacuerit; & hinc cupiat præjudicium comparare. Quod si pergit malitiose interpretari, quam multis inveniet locis prædicatam sancti Spiritus potestatem, in quibus vel de Patre vel de Filio nihil Scriptura expresserit, sed intelligendum reliquerit?

40. Numquid ergo cùm gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris aut unigeniti Filii denegatur? Non ita, quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre, [b] ita etiam *diffusa est*, inquit, *caritas Dei*
Rom. 5. 5. *in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; quia unum nomen, potestas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur, non solùm ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium: nec solùm ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum.

41. Denique Æthiops eunuchus Candacis Act 8. 27.
reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consequutus est. Et illi qui negaverunt se Act.19. 1. & seq.
scire Spiritum sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Johannis baptismo, baptizati sunt postea; quia Johannes in remissionem peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine. Et ideo Spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Johannes baptizare solebat, acceperant. Johannes enim licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat & Spiritum. Denique cùm interrogaretur, ne forte ipse esset Christus, respondit: *Ego vos aqua baptizo, veniet autem for-* Johan 1.26.
tior me, cujus non sum dignus calceamenta portare: & 27.
ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Ergo isti quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere baptismatis sacramentum.

42. Baptizati sunt itaque * in nomine Jesu *
Christi: nec iteratum est in his baptisma, sed novatum; unum enim baptisma. Ubi autem non Ephes. 4. 5.
est plenum baptismatis sacramentum, nec principium, vel species aliqua baptismatis æstimatur. Plenum autem est, si Patrem & Filium Spiritumque sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem & Filium & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Denique & illi ipsi qui dixerant: *Nec si Spiritus sanc-* Act.19 2.

a. Omnes edit. & quidam mss. *Hoc ipsum supra evidenter Apostolus* &c. Alii vero majori numero & auctoritate ut nos, in textu

b. Mss. aliquot, *ita etiam in Spiritu sancto. Diffusa est, inquit, caritas:* reliqui & omnes edit. hoc uno inter se distant, quod in his, verbum, *inquit*, *non invenitur.*

*. Vix alius Ambrosianus locus tantam dissidii segetem, quantam hic præbuit theologis. Beda Venerabilis in Actuum 19. hæc ipsa verba edisserens, Ambrosii sententiam hanc esse docet, ministrum baptismatis, pronuntiato solo J. Christi nomine, vere ac valide baptizare: cui sententiæ & ipse subscribit. Eidem quoque majorem adhuc auctoritatem videtur addere calculo suo Nicolaus I. pont. Rom. in *Respon. ad Consulta Bulgar.* c. 104. Hanc ipsam opinionem non hæsitanter amplexus est Petrus Lombardus in 4. *Sent. Dist.* 3. cap *Sed quod* & seq. Nec ab his B. Thomam parte 3. quæst. 66. art. 6. dissidere judicabimus, si Cajetano, qui etiam nunc baptismum, una tantum Trinitatis persona nominata, contendit efficaciter conferri posse, fidem habeamus. Verum alii Thomistæ hanc sententiam à magistri sui mente alienam conantur ostendere, quod quidem examinare nostri non fuerit instituti. Ceterum Nicolao papæ ac Magistro Sent. accenseri procul dubio etiam debet Hugo Victor. lib. 1. *de Sacram.* cap. 13. Unde colligas hanc opinionem antiquis theologis fuisse admodum familiarem. At vero prudenter Bellarminus *de Sacram. Bapt* lib. 1. cap. 3. *Sed fundamentum præcipuum*, inquit, *omnium auctorum post Ambrosium est ipsius Ambrosii auctoritas; quare si forte Ambrosius non illud voluit dicere, quod ejus verba sonare videntur, ruit fundamentum præcipuum illius opinionis.* Itaque ut rimando sensui Ambrosiano lucem afferat idem cardinalis, præmonet Ambrosium ex Basilio quem sequutus est, intelligendum; seque addit iis accedere, qui Ambrosium & ex eo Bedam non de forma baptismi accipiendos cerdunt, sed tantum de verbis Actuum, quæ proferuntur; nec aliud velle sanctum Doctorem, quam eo loco & similibus, in quibus una quælibet divinarum personarum exprimitur, alias duas tacite inclusas contineri. Eamdem proponunt solutionem Estius in 4. *Sent.* dist. 3. §. 5. Nicolai *Observat. ad D. Tho* locum cit. Alexander Sæc. 3 *Dissert.* 13 & Harduinus *de Bapt. in nomine Christi.* Sed tres ultimi priori responsioni secundam adjiciunt; dicunt enim Ambrosium hoc loco de illa tantum fidei professione explicandum, quam qui baptizabantur adulti, edere solebant. Namque interrogati, ut alibi vidimus, *credis in Patrem?* respondebant *credo.* Et sic de duabus aliis personis. Hoc igitur intendit sanctus Præsul baptizandos, etsi de una sola Trinitatis persona rogari essent, respondissentque, baptismum tamen legitimum accepturos fuisse, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent. Quæ duæ expositiones quin sint per se veritati consentaneæ, dubium nemini videatur; sed posterior magis quam prior congruit cum verbis Ambrosii. Etenim in illis etiam agi de pronuntiandis in baptismate personis divinis ipsa orationis series plane ostendit: at eam pronuntiationem non esse, quæ simul cum ablutione à ministro editur, multa persuadent. Nam primo si de ultima hîc ageretur, consequens esset formam sub sola Spiritus sancti pronuntiatione validam esse, quod à nemine præter quam à Magistro Sent. admissum reperies. Deinde cùm Ambrosius haud dubie hîc Basilium, & fortasse etiam Didymum sibi sequendum proposuerit, neutiquam credibile est eum ab ipsis recedere hoc loco voluisse, quos constat prolationem trium personarum in baptismi forma censuisse prorsus necessariam. Adi Basilium lib. *de Spiritu sancto* cap. 10. 11. & 12. item lib. 5. *in Eunom.* cap. 3. Quod vero ad Didymum, ex eo divinitatem sancti Spiritus validissime demonstrari asserit, quod in baptismate administrando tam necessario Spiritus persona pronuntianda sit, quam Patris & Filii, quarum qualibet à sacerdote prætermissâ invalidum effici sacramentum disertè tradit. Sed quod argumentum multo validius existimandum est, Ambrosius ipse sexcentis locis trium personarum prolationem ad verum baptismum necessario requiri adseverat. Ipsum consule lib. 8. *in Lucam* num. 67. lib. *de Mysteriis* cap. 4. num. 20. ad quem locum jam aliquid hac de re subnotavimus; & ut omittamus auctorem lib. *de Sacram.* lib. 2 c. 5. & 7. in hac ipsa lucubratione baptismum cùm à catholicis, tum ab ipsis hæreticis numquam nisi sub expressa trium personarum prolatione à ministro conferri haud semel significat; unde aliorum quoque PP. exemplo Spiritus adstruit divinitatem.

tus sit audivimus, baptizati sunt postea in nomine A *domini Jesu Christi*. Et hoc abundavit ad gratiam; quia jam Spiritum sanctum, Paulo prædicante, cognoverant.

43. Nec contrarium debet videri, quia quamvis etiam postea tacitum sit de Spiritu, tamen creditum est: & quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cùm enim dicitur: *In nomine domini nostri Jesu Christi*, per unitatem nominis impletum mysterium est: nec à Christi baptismate Spiritus separatur; quia Johannes in B
Ibidem 4. pœnitentia baptizavit, Christus in Spiritu.

44. Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum; ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est, Filium, & Spiritum sanctum quo unctus est, designasti. Scriptum est enim: C
Act. 10. 38. *Hunc Jesum à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto*. Et si Patrem dicas, & Filium ejus & Spiritum oris ejus pariter indicasti; si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, & Deum Patrem, à quo procedit Spiritus; & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti.

45. Unde ut rationi copuletur auctoritas, in Spiritu quoque recte nos baptizari posse Scriptura indicat, dicente Domino: *Vos autem bapti-* D
Act. 1. 5. *zabimini in Spiritu sancto*. Et alibi Apostolus ait:
1. Cor. 12. 13. a *Omnes enim* [a] *in ipso corpore, in unum Spiritum baptizati sumus*. Unum opus, quia unum mysterium: unum baptisma, quia mors una pro mundo; unitas ergo operationis, unitas prædicationis, quæ non potest separari.

46. Quod si hoc loco separatur Spiritus ab
b operatione Patris & Filii, quia dictum est: [b] Ex
1 Cor. 8. 6. Deo omnia, & per Filium omnia; ergo & ubi
Rom. 9. 5. Apostolus de Christo dicit: *Qui est super omnia* E *Deus benedictus in secula*, non solùm eum creaturis omnibus; sed etiam Patri (quod dictu nefas est) prætulit. Sed absit; non enim inter omnia Pater, non inter plebem quamdam creaturarum suarum. Subter creatura omnis, supra divinitas Patris & Filii & Spiritus sancti. Illa servit, hæc regnat: illa subjacet, ista dominatur: illa opus, hæc auctor est operis: illa adorat omnes, hæc adoratur ab omnibus.

Hebr. 1. 6. 47. Denique de Filio scriptum est: *Et adorent* F
c *eum omnes* [c] *Angeli Dei*. Non habes: Adoret Spi-
Ibid. 13. ritus sanctus. Et infra: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt*, inquit, *ministri spiritus in ministerium, qui mittuntur?* Cùm dicit, *omnes*, numquid & Spiritum sanctum comprehendit? Non utique, quia Angeli & ceteræ Potestates in ministerium & obsequium Dei Filio, ut serviant, destinantur.

48. At vero Spiritus sanctus non minister, sed testis est Filii, quemadmodum de ipso Filius
dixit: *Ille testimonium perhibet de me*. Testis est Iohan. 15. 26.
ergo Filii, Spiritus. Qui testis est, novit omnia, sicut Deus Pater testis est. Sic enim habes in
posterioribus, quia confirmata est salus nostra, Hebr. 2. 4. & 5.
testificante Deo, signis quoque & prodigiis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti divisionibus.
Qui dividit quod vult, utique supra omnia, non 1. Cor. 12. 11.
inter omnia est; dividere enim operatoris gratia, non operis est materies.

49. Si supra omnia Filius, per quem initium salus nostra, ut prædicaretur, accepit: utique & Pater Deus, qui testificatur & adseverat signis & prodigiis de salute nostra, exceptus à cunctis est. Similiter autem & Spiritus qui divisionibus suis nostræ testimonium fert saluti, non est in creaturarum plebe numerandus, sed cum Patre æstimandus & Filio, qui non per incisionem sui dividitur ipse, cùm dividit; individuus enim cùm sit, nihil amittit, cùm omnibus largiatur: sicut & Filius, regnum patre accipiente,
nihil perdit; nec Pater Filio cùm sua tradat, 1. Cor 15. 6.
amittit. Nullum itaque damnum esse in divisione gratiæ spiritalis, Domino adtestante, cog-
novimus; qui enim ubi vult spirat, ubique sine Iohan. 3. 8.
damno est. De quo infra dicemus plenius.

50. Interim nunc quoniam propositum est ordine suo adserere, non esse inter omnia Spiritum computandum, ipsum Apostolum, de cujus verbis faciunt quæstionem, adsertionis hujus adhibeamus auctorem. Quæ enim essent illa omnia, sive visibilia, sive invisibilia, ipse signa-
vit dicens: *Quoniam in ipso condita sunt omnia* Coloss. 1. 16.
in cælis & in terra. Vides omnia de his dicta, quæ vel in cælis sunt, vel in terra; sunt enim in cælis etiam invisibilia, quæ facta sunt.

51. Tamen ne cui esset incognitum, addidit
de quibus diceret: *Sive sedes*, inquit, *sive domi-* Ibid 16. & 17.
nationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Numquid ergo hîc inter creaturas Spiritum sanctum comprehendit? Aut cùm dicit ante omnes esse Dei Filium, numquid ante Patrem dixisse æstimandus est? Non utique; nam sicut hîc per Filium dicit omnia creata esse, & in ipso omnia constare cælestia: ita etiam in Spiritu sancto vires habere universa cælestia dubitari non potest, quando
lectum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spi-* Psal. 32. 6.
ritu oris ejus omnis virtus eorum. Super omnia est igitur, de quo est omnis cælestium & terrestrium virtus. Qui igitur super omnia est, utique non servit: qui non servit, liber est: qui liber est, habet jura dominatus.

52. Hoc si à principio dicerem, negaretur. Sed quemadmodum illi minora negant, ne majora credantur: ita & nos minora præmittamus, ut aut perfidiam suam etiam in minoribus prodant: aut si vel minoribus consentiunt, majora de minoribus colligamus.

53. Arbitror, clementissime Imperator, plenissime confutatos eos, qui audent inter omnia

a. Rom. edit. *in uno corpore, in uno Spiritu*: vet. autem à mss. hoc uno discrepant, quod habent, cum eadem Rom. *in uno Spiritu*. Græcus textus ἐν ἑνὶ πνεύματι ..., εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν. Rursus vero ubi mss. & vet. edit. habent *unum opus*; Rom. emendandum putavit, *unum corpus*.

b. Rom. edit. sola, *Ex Patre omnia*. Infra vero ubi nos ex mss. melioris notæ, *& ubi Apostolus*; alii & omnes edit. præferunt, *& ibi quia Apostolus* &c.

c. Omnes edit. *Angeli ejus*: omnes mss. *Angeli Dei*.

Spiritum sanctum computare. Sed tamen ut sciant se non tantum apostolicis testimoniis, sed etiam Dominicis perurgeri; quomodo audent inter omnia numerare Spiritum sanctum, quando ipse Dominus dixit: *Qui blasphemaverit in Filium hominis, remittetur ei: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, nec hîc, nec in futurum remittetur ei?* [Luc. 12. 10.] Quomodo igitur inter creaturas audet quisquam Spiritum computare? Aut quis sic se obligat, ut si creaturæ derogaverit, non putet sibi hoc aliqua venia relaxandum? Nam si Judæi, quia adoraverunt militiam cæli, divino præsidio destituti sunt [4. Reg. 7. 16.]: qui autem adorat & confitetur Spiritum sanctum, acceptus est Deo; qui non confitetur, sacrilegii reus sine venia damnatur: utique hinc æstimari potest non inter omnia, sed super omnia esse Spiritum sanctum, cujus injuria æternis suppliciis expiatur.

54. Cur autem dixerit Dominus: *Qui blasphemaverit in Filium hominis, remittetur ei: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, nec hîc, nec in futurum remittetur ei*; [Matth. 12. 32.] diligenter adverte. Numquid alia est offensa Filii, alia Spiritus sancti? Sicut enim una dignitas, sic una injuria. * Sed si quis corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de Christi carne, quàm dignum est (neque enim vilis nobis debet videri, quæ aula virtutis, fructus est Virginis) habet culpam; non est tamen exclusus à venia, quam fide possit adsciscere. Si quis vero sancti Spiritus dignitatem, majestatem & potestatem abneget sempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici dæmonia, sed in Beelzebub: non potest ibi exoratio esse veniæ, ubi sacrilegii plenitudo est; quia qui Spiritum negavit, & Deum Patrem negavit & Filium; quoniam idem est Spiritus Dei, qui Spiritus est Christi.

CAPUT IV.

Spiritum sanctum unum & eumdem esse, qui loquutus est in prophetis & in apostolis, qui Spiritus Dei & Christi est, quem præterea Spiritum paraclitum, Spiritum vitæ ac veritatis Scriptura significat.

55. Unum autem esse Spiritum nemo dubitaverit, etsi de uno Deo plerique dubitaverunt. * Alium enim dixerunt plerique hæretici Deum veteris, alium novi Testamenti. Sed sicut unus Pater, qui & olim loquutus est, ut legimus, patribus in prophetis: & in novissimis diebus nobis loquutus est in Filio [Hebr. 1. 1. & 2.]: & sicut unus Filius, qui juxta veteris seriem Testamenti * ab Adam offensus [Gen. 3. 10.], ab Abraham visus [Gen. 3. 6. 18.], adoratus à Jacob est [30. & 31.]: ita etiam Spiritus sanctus unus est, qui efferbuit in prophetis [1 Petr 1 21.], insufflatus est apostolis [Johan. 20. 22.], copulatus est Patri & Filio in baptismatis sacramentis [Matth. 28. 19.]. De ipso enim dicit David: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* [Psal. 50. 13.] De ipso etiam alibi dixit: *Quo ibo à Spiritu tuo?* [Psal. 138. 7.]

[Alias Cap. IV.] 56. Ut scias quia idem Spiritus Dei est, qui est Spiritus sanctus, sicut & in Apostolo legimus: *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu; & nemo potest dicere dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* [1. Cor. 12. 3.], ipsum Apostolus Spiritum Dei dixit. Ipsum etiam Spiritum Christi appellavit, sicut habes: *Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu; si tamen Spiritus Dei inhabitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* [Rom. 8. 9.] Et infra. *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis.* [Ibidem 11.] Ipse est ergo Spiritus Dei, qui Spiritus est Christi.

57. Ipse etiam est Spiritus vitæ, sicut ait Apostolus: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* [Ibidem 2.]

58. Quem igitur Spiritum vitæ [a] Apostolus dixit, ipsum Dominus in Evangelio paraclitum nominavit, ipsum Spiritum veritatis, sicut habes: *Et rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis; ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec cognoscit eum.* [Johan. 14. 16. & 17.] Habes ergo & paraclitum Spiritum, eumdem & Spiritum veritatis & Spiritum invisibilem designatum. Quomodo igitur secundum divinitatem quidam * Filium visibilem putant, cùm etiam Spiritum mundus videre non possit?

59. Accipe nunc ejusdem vocem Domini, quod ipse sit Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis; habes enim in ultimo libri hujus: *Accipite Spiritum sanctum.* [Johan. 20. 22.] Ipsum quoque esse Spiritum sanctum, qui est Spiritus Domini, Petrus docet dicens: *Anania, quid tibi visum est tentare & mentiri Spiritui sancto?* [Act. 5. 3.] Et statim ad uxorem Ananiæ idem ait: *Quid vobis visum est tentare Spiritum Domini?* [Ibidem 9.] Cùm dicit, *vobis*, ostendit de eo dictum Spiritu, de quo Ananiæ dixerat. Ipse est ergo Spiritus Domini, qui Spiritus sanctus.

60. Ipsum etiam Spiritum sanctum, qui Spiri-

*. Morinus lib. 9. *de Pœnit.* cap. 28. citato hoc Ambrosii loco, non dubitat adserere illum vere ac proprie de peccato, quod à plerisque P P. pro irremissibili habitum censet, intelligendum. Sed ut valeret ista ejus opinio, docendum erat Doctoris nostri sententiam esse, omnibus qui Spiritus sancti divinitatem semel negassent, omnem ad fidem & veniam reditum intercludi: quod sane non esset probatu admodum facile. Cùm autem hîc nequaquam discutiatur, neque utrum peccatum aliquod vere sit irremissibile, neque quibus conditionibus tale reddatur, qui plura de hac quæstione voluerit, consulat quæ lib. 2 de Pœnit. cap. 4. subnotavimus, sicut & nostram in lib. *de lapsu Virg. Consecr.* admonitionem. Obiter autem observabimus hoc argumentum semper contra impugnantes Spiritus sancti divinitatem visum esse quam efficacissimum, proindeque diligenter & copiose tractatum à Didymo, Basilio, Cyrillo & aliis.

*. Hoc testatur Epiphanius de Simone mago Hær. 21. de Marcionitis Hær. 42. & de Manichæis Hær. 66. De his autem ultimis idem memorat August. de Hær. cap. 26.

*. Dicitur Filius offensus ab Adamo, quia creationem mundi, & omnes veteris Testamenti apparitiones Ambrosius cum plerisque veterum P P. Filio tribuere consuevit, ut non semel supra licuit advertere. Quæ porro hîc de Spiritus sancti unitate, hæc mutuata videntur à Didymo statim post libri primi exordium.

a *Apostolus dixit*, sic prosequuntur non pauci mss. *de ipso etiam alibi dicit: Quo ibo à Spiritu tuo? ut scias quia idem Spiritus est Dei, qui est Spiritus sanctus, sicut & in Apostolo legimus: Nemo in Spiritu loquens dicit anathema Jesu; &, nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Ipsum Apostolus Spiritum Dei dixit, ipsum Dominus in Evangelio paraclitum* Tres mss. post verbum *dixit*, addunt *heredem*. Porro tota fere hæc lacinia, nempe ab illis verbis, *ut scias*, sive *& scias*, ut est in cunctis edit. desideratur suo loco in memoratis omnibus mss. Verùm cùm iidem exhibeant proxime ante verba illa: *De ipso etiam alibi dixit: Quo ibo à Spiritu tuo*, hujusmodi repetitio facit, ut in aliis suspicemur transpositionem.

*. Impiam hanc opinionem Arrianorum fuisse auctor est Augustinus epist. 112. nunc 148. num. 10. & lib. 2. *de Trinit.* cap. 9. Sed lib. 1. *Cont. Maxim* cap. 3. & lib. 2. cap. 26. docet eos hæreticos hoc effugio uti conatos, ut dicerent minora videri à majoribus, ut puta Angelos ab Archangelis, eoque modo videri à Patre Filium, ac Patrem solum à nemine videri posse: quam cavillationem ab ipsomet Arrio in *Thalia sua* propositam tradit Athanasius in lib. *de Synodis*. Quod autem Ambrosium hîc spectare Arrianam hanc distinctionem autumat Petavius lib. 8. *de Trinit.* cap 2. id sine teste ac ratione scripto tradit.

tus Patris est, declaravit Dominus, dicens secundùm Matthæum in persecutione non esse cogitandum quid loquamur: *Non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (Matth. 10. 20.) Idem autem secundùm Lucam ait: *Nolite solliciti esse qualiter respondeatis aut dicatis; Spiritus enim sanctus Dei docebit vos in ipsa hora, quæ oporteat dicere.* (Luc. 12. 11. & 12.) Ergo quamvis multi dicantur spiritus, quia lectum est: *Qui facit Angelos suos spiritus;* (Psal. 103. 4.) unus tamen est Dei Spiritus.

61. Ipsum igitur unum Spiritum & apostoli & prophetæ sunt consequuti. Sicut etiam vas electionis, doctor gentium dicit: *Quia unum Spiritum potavimus;* (1. Cor. 12. 13.) quasi eum qui non queat scindi, sed infundatur animis, & sensibus allabatur, ut sæcularis sitis restinguat ardorem.

CAPUT V.

Spiritum sanctum, cùm creaturas sanctificet, nec creaturam esse, nec mutabilem: eum semper bonum esse, cùm à Patre detur & à Filio; nec inter ea quæ declinare dicuntur, numerandum; fontem bonitatis, Spiritum oris Dei, malorum emendatorem, bonum necessario confitendum: postremo cùm in Scripturis bonus affirmetur, & Patri ac Filio conjungatur in baptismate, bonum negari neutiquam posse; nec tamen dici in bono proficientem, sed perficientem: quod eum ab omnibus distinguit creaturis.

62. NOn ergo sanctus Spiritus de substantia corporalium; hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam: sed nec de substantia invisibilium creaturarum est; nam & illæ sanctificationem hujus accipiunt, & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt. Sive Angelos dicas, sive Dominationes, sive Potestates, omnis creatura exspectat sancti Spiritus gratiam. Sicut enim nos per Spiritum liberi, quia *misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba Pater. Itaque jam non est servus, sed filius:* (Galat. 4. 6. & 7.) ita etiam omnis creatura revelationem filiorum Dei exspectat, (Rom. 8. 19.) quos utique sancti Spiritus gratia filios Dei fecit. Ergo & creatura ipsa omnis spiritualis gratiæ revelatione mutabitur, *& liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* (Ibidem 21.)

63. Omnis ergo creatura mutabilis, non solum ea quæ jam peccato aliquo aut elementorum conditione mutata est; verum etiam quæ corruptelæ potest esse obnoxia vitio naturæ, etsi nondum est studio disciplinæ; nam ut in superioribus libris docuimus, (Lib. 3. de fide cap. 2.) & Angelorum naturam liquet potuisse mutari. Utique æstimare convenit quia qualis unius natura, talis & ceterorum. Mutabilis ergo & reliquorum natura, sed melior disciplina.

64. (Alias Cap. V.) Ergo omnis mutabilis creatura, sed bonus & non mutabilis Spiritus sanctus; neque enim aliquo vitio mutari potest, qui omnium abolet vitia, peccata condonat. Quomodo ergo mutabilis, qui sanctificando alios mutat ad gratiam, non ipse mutatur?

65. Quomodo mutabilis, qui bonus semper est? Neque enim umquam malus Spiritus sanctus, per quem nobis quæ bona sunt, ministrantur. Unde & Evangelistæ duo in uno eodemque loco, diversis quidem inter se verbis, sed eadem designarunt; habes enim in Matthæo: *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* (Matt. 7. 11.) Secundùm Lucam autem invenies ita scriptum: *Quanto magis Pater vester de cælo* [a] *dabit Spiritum sanctum petentibus se?* (Luc. 11. 13.) Advertimus ergo bonum esse Spiritum sanctum Domini judicio, evangelistarum testimonio; quando alius pro sancto Spiritu bona, alius pro bonis sanctum Spiritum nominavit. Si igitur quod bonum est, hoc est Spiritus sanctus, quomodo bonus non est?

66. Nec fallit quod nonnulli codices habent etiam secundùm Lucam: *Quanto magis Pater vester de cælo dabit bonum datum petentibus se?* Hoc bonum datum gratia spiritalis est, quam dominus Jesus effudit è cælo, postquam patibulo crucis fixus, triumphales revehens evacuatæ mortis exuvias, victor mortis à mortuis resurrexit, sicut habes scriptum: *Adscendens in altum* [b] *captivam duxit captivitatem: dedit data hominibus.* (Psal. 67. 19.) Et bene ait, *data;* sicut enim Filius datus, de quo scriptum est: *Puer natus est, filius datus est nobis,* (Esai. 9. 6.) data est & gratia spiritualis. Quid autem dubito dicere quia datus est & Spiritus sanctus, cùm scriptum sit: [c] *Caritas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* (Rom. 5. 5.) Quem utique quoniam pectora recipere captiva non poterant, prius dominus Jesus captivam duxit captivitatem; ut liberis affectibus gratiæ divinæ munus effunderet.

67. Pulcre autem dixit: *Captivam captivitatem.* Christi enim victoria, victoria libertatis est, quæ omnes gratiæ vindicavit, nullum adstrinxit injuriæ. Ergo in omnium absolutione nemo captivus est. Et quia Dominicæ tempore passionis [d] sola feriabatur injuria, quæ captivos omnes amiserat quos tenebat; in se recurrens captiva facta est ipsa captivitas, jam non Belial addicta, sed Christo, cui servire libertas est. Qui enim in Domino vocatus est servus, [e] libertus est Domini. (1. Cor. 7. 22.)

68. Sed ut ad proposita revertamur: *Omnes, inquit, declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* (Psal. 13. 3.) Si excipiunt Spiritum sanctum, etiam ipsi eum non esse inter omnia confitentur: si non excipiunt; ergo & ipsum inter omnes declinasse fateantur.

69. Sed videamus utrum bonitatem habeat, cùm fons sit principiumque bonitatis. Nam si-

a. Nonnulli mss. *Spiritum bonum:* sed plures ac melioris ævi, sicut & omnes edit. *Spiritum sanctum* Græci quoque cod. πνεῦμα ἅγιον, quod secundum latinam interpretationem Syriacæ versionis reddunt *Spiritum sanctitatis:* secundum interpretationem Æthiopicæ, *bonum donum Spiritus sancti:* at Persica adhuc simplicius, *Spiritum sanctum* Hanc eamdem lectionem Matthæi & Lucæ observarat etiam Didymus, à quo similiter tractata superiora argumenta reperies.

b. Tres mss. *captivam elegit captivitatem:* reliqui & omnes edit. *captivam duxit* &c. Græcum idioma. ᾐχμαλώτευσας, *captivam fecisti, in captivitatem redegisti* vel quid simile.

c. Mss. aliquot, *Gratia Dei,* ceteri atque edit. *Caritas Dei* textus Apostoli, ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ, caritas, dilectio &c.

d. Mss. non pauci, *soli feriebatur injuria:* duo, *sola feriebatur,* paulo melius: quidam, *solus feriebatur injuriâ*, parum commode, Præstat igitur cum aliis mss. & cunctis edit legere, *sola feriabatur injuria*, id est, otiosa erat, nec jam cuipiam nocere poterat.

e. Nonnulli mss. *liber est Domini:* reliqui, omnesque edit. *libertus est Domini.* Apostolus etiam, ἀπελεύθερος τοῦ κυρίου.

cut Pater bonitatem habet & Filius, ita etiam A
bonitatem habet & Spiritus sanctus. Quod
Galat 5.22. etiam Apostolus docuit dicens : *Fructus autem*
Spiritus pax, caritas, gaudium, patientia, bonitas. Quis autem dubitat quod bonus sit,
Matth. 7. 17. cujus fructus est bonitas? *Arbor* enim *bona bonos*
fructus facit.

70. Itaque si bonus Deus, quomodo non bo-
Psal. 32. 6. nus qui oris ejus est Spiritus, qui scrutatur etiam
a alta Dei? An in alta Dei [a] contagio mali possit
1. Cor. 2. 10. intrare? Unde & illud intelligitur, quam amen- B
tes sint, qui bonum Filium Dei abnegant,
Johan. 19. 15. cùm bonum Spiritum Christi negare non pos-
sint; de quo ait Dei Filius: *Propterea dixi de*
meo accipiet.

71. An non bonus Spiritus, qui bonos de
pessimis facit, peccatum abolet, malum delet,
crimen excludit, bonum munus infundit, de
* persecutoribus apostolos facit, * de peccatori-
Ephes. 5. 8. bus sacerdotes? *Eratis,* inquit, *aliquando tenebræ,*
nunc autem lux in Domino. C

b 72. Sed quid [b] differimus eos? Nam si verba
exigunt, cùm facta non abnuant, accipiant bo-
Psal. 142. 10. num Spiritum scriptum; dixit enim David: *Spi-*
ritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Quid
est enim Spiritus, nisi plenus bonitatis? Qui cùm
sit inaccessibilis natura, receptibilis tamen prop-
ter bonitatem suam nobis est, complens virtu-
te omnia, sed qui solis participetur justis, sim-
plex substantia, opulentus virtutibus, unicui-
que præsens, dividens de suo singulis, & ubi- D
que totus.

Matth 28. 19. 73. Meritoque Filius Dei dixit: *Ite, baptizate*
gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti,
non dedignatus Spiritus sancti societatem. Cur
igitur nunc quem Dominus non dedignatus est
in Baptismatis sacramento, moleste ferunt ali-
qui Patri vel Filio Spiritum nostra devotione
conjungi?

74. Bonus ergo Spiritus: bonus autem, non
quasi adquirens, sed quasi impertiens bonita- E
tem. Non enim accipit à creaturis, sed accipi-
tur Spiritus sanctus: sicut non sanctificatur, sed
ipse sanctificat; creatura enim sanctificatur,
sanctificat autem Spiritus sanctus. In quo licet
verbi communio, discretio tamen naturæ est.
Sanctus enim dicitur & homo qui accipit, &
Deus qui tribuit sanctitatem; quia legimus:
Levit. 19. 2. *Estote sancti, quoniam & ego sanctus sum.* Non
ergo potest sanctificatio & corruptela unius esse
naturæ; & ideo non potest gratia sancti Spiri- F
tus & creatura unius esse substantiæ.

75. Itaque cùm omnis invisibilis præter Trini-
tatem reliqua natura, cujus rationabilem & in-
corpoream jure quidam substantiam putant,
non impertiat spiritalem gratiam, sed adquirat:
nec participet, sed adsumat; separanda utique
est à societate Spiritus sancti communitas crea-
turæ. Credant igitur quia creatura non est
Spiritus sanctus: aut si creaturam putant, cur
adsociant Patri? Si creaturam arbitrantur, cur
Filio Dei jungunt? Quod si à Patre & Filio
non existimant separandum, non æstiment
creaturam; quia ubi una sanctificatio, una na-
tura est.

CAPUT VI.

Quamquam in aqua & Spiritu baptizamur, hunc tamen illi longe præstare; atque adeo non sejungendum à Patre & Filio.

76. Sunt tamen plerique qui eo quod in
aqua baptizamur & Spiritu, non pu-
tent aquæ & Spiritus distare munera; & ideo
non putant distare naturam. Nec advertunt
quia in illo aquarum sepelimur elemento, ut
renovati per Spiritum resurgamus. In aqua enim
imago mortis, in Spiritu pignus est vitæ; ut per
aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi quo-
dam tumulo corpus includit: & per virtutem
Spiritus renovemur à morte peccati, renati in
Deo.

77. Et ideo hi tres testes unum sunt, sicut
Johannes dixit: *Aqua, sanguis, & Spiritus.* Unum 1. Johan. 5. 8.
in mysterio, non in natura. Aqua igitur testis
est sepulturæ, sanguis testis est mortis, Spiritus
testis est vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non
ex natura aquæ, sed ex præsentia est Spiritus
sancti.

78. Numquid in aqua vivimus, sicut in Spiri-
tu? Numquid in aqua signamur, sicut in Spiri-
tu? In ipso enim vivimus, & ipse est pignus he-
reditatis nostræ, sicut & Apostolus scribens ad
Ephesios, ait: *In quo credentes signati estis Spiritu* Ephes. 1. 13.
promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nos- & 14.
træ. [c] Sancto igitur Spiritu signati sumus, non c
natura, sed à Deo, quia scriptum est: *Qui un-* 2 Cor. 1. 21.
xit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus & 22.
Spiritum in cordibus nostris.

79. Signati ergo Spiritu à Deo sumus. Sicut
enim in Christo morimur, ut renascamur; ita
etiam Spiritu signamur, ut splendorem atque
imaginem ejus & gratiam tenere possimus:
quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi
[d] specie signemur in corpore, veritate tamen in d
corde signamur; ut Spiritus sanctus exprimat
in nobis imaginis cælestis effigiem.

80. Quis igitur audeat dicere discretum à
Deo Patre & Christo esse Spiritum sanctum;
cùm per ipsum ad imaginem & similitudinem
Dei esse mereamur; & per ipsum fiat, quem-
admodum Petrus apostolus dixit, ut divinæ si- 2. Petr. 1. 4.
mus consortes naturæ? In quo utique non car-
nalis successionis hereditas, sed adoptionis gra-
tiæ spiritale commercium est. Atque ut sciamus
cordis nostri magis hoc, quam corporis esse
signaculum, docet Propheta qui dicit: *Signa-* Psal 4. 7.
tum est in nobis lumen vultus tui, Domine; dedisti
lætitiam in corde meo.

a. Mss. aliquot, *cogitatio mali.*

*. Idem Ambrosius *Serm 10. in Psalm 118 num 17. Accepimus Spiritum sanctum, qui non solum nostra peccata dimittit: sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere.*

b. Rom. edit. cum mss. aliquot, *deferimus eos*: vet. edit. cum aliis, *differimus eos*, id est, quid non statim respondemus?

c Nonnulli mss. *Secundùm igitur Spiritum signati sumus, non à creatura* &c.

d Vet. edit cum mss aliquot, *Spiritu signemur*: aptius Rom. cum reliquis, *specie signemur.*

CAPUT VII.

Spiritum sanctum creaturam non esse, cùm sit incircumscriptus, & apostolis per omnes regiones dispersis infusus, quin etiam Angelos ipsos, quibus æquales nos reddit, sanctificet. Eodem Mariam repletam esse, nec non etiam Christum dominum, atque adeo superiora & inferiora omnia: de cujus operatione, quæ per piscinæ commotionem designabatur, ortum ducit omnis benedictio.

81. CUm igitur omnis creatura certis naturæ suæ sit circumscripta limitibus; si quidem & illa invisibilia opera, quæ non queunt locis & finibus comprehendi, substantiæ suæ tamen proprietate clauduntur: quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habet circumscriptam determinatamque virtutem; quia & in omnibus & ubique semper est, quod utique divinitatis & dominationis est proprium: *Domini* enim *est terra, & plenitudo ejus?* (Sap. 7. 23. Psal. 23. 1.)

81. Et ideo cùm Dominus servulos suos apostolos destinaret, ut agnosceremus aliud creaturam esse, aliud gratiam spiritalem, alios alio destinabat; quia omnes simul ubique esse non poterant. Dedit autem omnibus Spiritum sanctum, qui licet separatis apostolis inseparabilis gratiæ munus infunderet. Erant igitur diversæ personæ, sed unus in omnibus operationis effectus; quia unus est Spiritus sanctus, de quo ait: *Accipietis virtutem venientem, Spiritum sanctum in vos; & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Judæa & Samaria usque in fines terræ.* (Act. 1. 8.)

82. Incircumscriptus igitur & infinitus Spiritus sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum divortia discreta regionum, remotosque fines totius orbis infudit, quem nihil potest præterire vel fallere. Et ideo sanctus David ait: *Quo ibo à Spiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam?* (Psal. 138. 7.) De quo Angelo Scriptura hoc dicit? de qua Dominatione? de qua Potestate? Cujus inveniemus Angeli virtutem per plurimos esse diffusam? Angeli enim ad paucos mittebantur, Spiritus autem sanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet quin divinum sit, quod infunditur [a] simul pluribus, nec videtur: corporeum autem, quod & videtur à singulis, & tenetur?

83. Sed quemadmodum sanctificans apostolos Spiritus, non est humanæ consors naturæ; ita etiam sanctificans Angelos, Dominationes & Potestates, non habet consortium creaturæ. Si qui autem putant non esse spiritalem in Angelis sanctitatem, sed aliam quamdam gratiam [b] suæ proprietate naturæ, hi inferiores profecto Angelos hominibus judicabunt. Cùm enim & ipsi fateantur quod Spiritui sancto Angelos conferre non audeant, [c] nec possint negare quod hominibus infundatur Spiritus sanctus: sanctificatio autem Spiritus donum munusque divinum sit; invenientur utique homines qui meliorem sanctificationem habent, Angelis præferendi. Sed cùm Angeli hominibus in adjumentum descendant, (Hebr. 1. 14.) intelligendum est quod creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritalis; ejusdem tamen & erga nos & illos munus auctoris sit.

84. Quanta autem gratia, quæ præmiis Angelorum etiam inferiorem creaturam humanæ conditionis exæquet, sicut Dominus [d] ipse promisit dicens: *Eritis sicut Angeli in cælo?* (Matth. 22. 30.) Nec difficile; qui enim illos Angelos fecit in Spiritu, (Psal. 103. 4.) homines quoque per eamdem gratiam similes faciet Angelorum.

85. De qua autem creatura dici potest quia repleverit universa, quod scriptum est de Spiritu sancto: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem?* (Iohel. 2. 28.) Non hoc de Angelo dici potest. Denique Gabriel ipse missus ad Mariam: *Ave*, (Luc. 1. 28.) inquit, *gratiâ plena;* spiritalem utique in ea declarans gratiam, quod in eam Spiritus sanctus supervenisset, & plenum gratiæ uterum Verbo esset habitura cælesti.

86. Domini enim est omnia complere, qui dicit: *Ego cælum & terram compleo.* (Hier. 23. 24.) Si ergo Dominus est, qui cælum complet & terram; quis potest Spiritum sanctum judicare dominationis, & [e] divinæ potestatis exsortem, qui replevit orbem, & quod ultra totum orbem est, replevit Jesum mundi totius redemtorem? Scriptum est enim: *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est ab Jordane.* (Luc. 4. 1.) Quis igitur alius nisi qui ejusdem esset plenitudinis, complentem omnia posset implere?

87. Sed ne hoc secundùm carnem dictum objiciant; quamquam plus unus ille, quam omnes, de cujus carne exibat virtus, quæ sanaret omnes: tamen sicut Dominus complet omnia, ita etiam & de Spiritu lectum est: *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* (Sap. 1. 7.) Habes etiam de omnibus qui convenerant cum apostolis dictum quia, *repleti sancto Spiritu, loquebantur verbum Dei cum fiducia.* (Act. 4. 31.) Vides quia & plenitudinem & fiduciam dat Spiritus sanctus; cujus operationem Archangelus nuntiat Mariæ, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te.* (Luc. 1. 35.)

88. Habes etiam in Evangelio quia Angelus (Iohan. 5. 4.) secundùm tempus descendebat in natatoriam, & movebatur aqua: & qui prior descendisset in natatoriam, sanus fiebat. Quid in hoc typo Angelus, nisi descensionem sancti Spiritus nunciabat, [f] quæ nostris futura temporibus, aquas sacerdotalibus invocata precibus consecraret? Ille ergo Angelus sancti Spiritus erat nuntius, eo quod per gratiam spiritualem medicina nostris esset animi ac mentis languoribus deferenda. Eosdem ergo & Spiritus habet, quos Deus Pater & Christus ministros. Sic omnia replet, sic omnia possidet, sic omnia operatur & in omnibus, quemadmodum & Deus Pater operatur & Filius.

89. Quid igitur sancti Spiritus operatione divinius, cùm etiam benedictionum suarum præsulem Spiritum Deus ipse testetur dicens:

a. Mss. aliquot, *simul pectoribus*; minus commode.
b. Nonnulli mss. *super proprietatem naturæ.*
c. Amerb. & Eras. *nec possent vetare.* Gill. & Rom. *nec possint negare.* Mss. vero partim his, partim illis accedunt.
d. Paris. edit. ultimæ, *ipse præmisit.* Infra vero ubi nos cum ant. edit. ac mss fere omnibus, *fecit in Spiritu*; Rom. edit. reposuit *fecit spiritus.*
e. Mss. aliquot, *divinæ potestatis extorrem.*
f. Ita edit. omnes, & quidam mss. ceteri autem partim, *quæ nostris futura .... invocatas precibus*: partim, *qui nostris futuras temporibus aquas, sacerdotalibus invocatus precibus consecraret.*

Esai.44.3. *Ponam Spiritum meum super semen tuum, & benedictiones meas super filios tuos?* Nulla enim potest esse plena benedictio, nisi per infusionem Spiritus sancti. Unde & Apostolus nihil melius hoc nobis quod optaret invenit, sicut ipse dixit: Coloss.1.9. *Non deficimus pro vobis orantes & obsecrantes, ut repleamini cognitione voluntatis ejus in omni sapientia & intellectu spiritali, ambulantes digne Deo.* Hanc igitur Dei esse docuit voluntatem, ut magis in bonis operibus & sermonibus & sensibus ambulantes repleamur voluntate Dei, (B) qui ponit in cordibus nostris Spiritum sanctum. Ergo si is qui habet Spiritum sanctum, Dei repletus est voluntate; utique inter Patrem & Spiritum nulla distantia voluntatis est.

CAPUT VIII.

A Deo solo dari Spiritum; neque tamen totum singulis, cùm præter Christum nemo fuerit qui totum eum capere posset. Per Spiritum effundi caritatem, quæ per mysticum unguentum figurata, (C) nihil commune cum creaturis habere ostenditur: ipsum autem cùm ex ore Dei dicatur procedere, inter creata non reponendum; nec inter divisibilia, cùm sit æternus.

Rom.5.5. 90. Simul illud adverte quia Deus dat Spiritum sanctum. Non enim humanum hoc opus, neque ab homine datur: sed qui invocatur à sacerdote, à Deo traditur, in quo [a] Dei munus, ministerium sacerdotis est. Nam Ephes.5.18. si Paulus apostolus judicavit quod ipse donare (D) Spiritum sanctum sua auctoritate non posset, & in tantum se huic officio imparem credidit, ut à Deo nos Spiritu optaret impleri; quis tantus est, qui hujus traditionem muneris sibi audeat adrogare? Itaque Apostolus votum precatione detulit, non jus auctoritate aliqua vindicavit: impetrare optavit, non imperare præsumsit. Petrus quoque ait quia non erat idoneus qui posset Spiritum sanctum vel cogere, vel arcere. Act.11.17. Sic enim dixit: (E) *Ergo si eamdem gratiam concessit illis Deus sicut & nobis, ego quis eram, qui possem prohibere Deum?*

91. Sed fortasse apostolicis non moveantur exemplis, & ideo divinis utâmur oraculis; scriptum est enim: Esai.42.1. *Jacob puer meus, suscipiam eum: Israel electus meus, suscepit eum anima mea, dedi Spiritum meum in ipsum.* Dominus quoque per Esai.61.1. Esaiam dixit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.*

92. Quis ergo audeat dicere creatam Spiritus (F) sancti esse substantiam, qui cùm illuxerit in cordibus nostris, divinæ cernimus pulcritudinem veritatis, & distantiam creaturæ divinitatisque cognoscimus, ut opus segregetur ab auctore? Aut de qua creatura Deus ita loquutus est, quod aut Dominationes aut Potestates effundat aut Angelos? Johel 2.28. Sed *de Spiritu*, inquit, *meo effundam.* Non Spiritum ait, sed *de Spiritu*; neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantum accipimus, quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate diviserit. Philip.2.6. Sicut enim Dei Filius *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit*, ut nos eum nostris animis percipere (A) possemus; exinanivit autem non quod ipse esset vacuus suæ plenitudinis; sed quo mihi qui plenitudinem ejus sustinere non possem, pro eo quod capere possem, infunderetur: ita etiam de Spiritu sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem; non enim totum effudit, sed quod effudit, omnibus abundavit.

93. Supra nos ergo effusum est de Spiritu; at vero super dominum Jesum, cùm in forma esset hominis, manebat Spiritus, sicut scriptum est: *Supra quem videris Spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Johan.1.33. Circa nos ex adfluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo. Quod igitur nobis satis esse judicavit, effudit: & quod effusum est, non separatum est, nec incisum: sed unitatem habet plenitudinis, quo aciem nostri cordis illuminet pro nostræ possibilitate virtutis. Denique tantum capimus, quantum profectus nostræ mentis adquirit; inseparabilis est enim plenitudo gratiæ spiritalis, sed nobis pro nostræ participatur facultate naturæ.

94. Effundit ergo Deus de Spiritu, effunditur etiam caritas Dei per Spiritum: quo loco unitatem debemus agnoscere operationis & gratiæ. Sicut enim de Spiritu sancto Deus effudit, ita etiam, *Caritas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum;* Rom.5.5. ut intelligamus [b] non esse opus sanctum Spiritum, qui divinæ arbiter & fons profluus caritatis est.

95. Similiter autem ut credas id quod effunditur, cum creaturis non posse esse commune, sed speciale divinitatis; etiam & Filii nomen effunditur, sicut habes: *Unguentum exinanitum est nomen tuum.* Cant.1.2. Cujus virtute sermonis nihil potest esse præstantius. Nam sicut inclusum in vase aliquo unguentum cohibet odorem suum, qui odor quamdiu vasis illius angustiis coercetur, etsi ad plures non potest pervenire, tamen vim suam servat; cùm verò de vase illo, quo claudebatur, unguentum fuerit effusum, longe lateque diffunditur: ita & Christi nomen ante ejus adventum in Israel populo, quasi in vase aliquo Judæorum mentibus claudebatur: *Notus enim in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus:* Psal.75.1. hoc utique nomen, quod vasa Judæorum angustiis suis coercitum continebant.

96. Magnum quidem & tunc nomen, cùm infirmiorum atque paucorum hæreret angustiis; sed magnitudinem sui nondum per corda gentium, & in fines totius orbis effuderat. Postea vero quam per omnem mundum suo illuxit adventu, per omnem utique creaturam divinum illud suum nomen extendit, non repletum accessione aliqua (plenitudo enim nescit augmentum) sed replens vacua, ut esset admirabile nomen ejus in universa terra. Hujus igitur effusio nominis abundantem quamdam exuberantiam gratiarum, bonorumque cælestium significat largitatem; ex abundantia enim superfluit, quidquid effunditur.

97. Itaque sicut creata non potest dici sapientia, quæ ex ore Dei procedit, nec Verbum, quod eructatur ex corde, nec virtus, in qua plenitudo

a. Parif. quædam edit. ac mss. aliquot, *Dei manus.*

b. Mss. aliquot, *nos esse opus Spiritus sancti.*

A majestatis æternæ est : ita etiam creatus non potest Spiritus æstimari, qui ex ore Dei funditur; cùm ipse Deus tantam ostenderit unitatem, ut effundere se de Spiritu suo dicat. Quo intelligamus quia etiam Dei Patris eadem gratia sit, quæ Spiritus sancti est, & quod sine incisione ac detrimento aliquo dividatur mentibus singulorum. Quod ergo de Spiritu Dei effunditur, nec inciditur, nec partibus aliquibus corporalibus comprehenditur, aut secatur.

Alias Cap. VIII.

B 98. Quomodo enim credibile est, quod Spiritus sectilibus aliquibus dividatur? Dicit Johannes de Deo : *Ex hoc cognoscimus quia manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* (1. Johan. 3. 24.) [a] Quod autem manet semper, utique nec mutatur : ergo si mutationem non habet, æternitatem habet. Et ideo Spiritus sanctus sempiternus est, creatura autem obnoxia vitio, ideoque mutabilis. (Rom. 8. 20.) Quod autem mutabile est, esse non potest sempiternum : & ideo non potest Spiritui sancto & creaturæ esse consortium; quia sempiternus est Spiritus, creatura autem omnis in tempore est.

C 99. Sempiternum autem Spiritum sanctum, etiam Apostolus ostendit : *Si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ adspersus inquinatos sanctificat ad carnem emundandam; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sempiternum se obtulit immaculatum Deo?* (Hebr. 9. 13. & 14.) Ergo sempiternus est Spiritus.

CAPUT IX.

Spiritum sanctum rectè dici unguentum Christi, & oleum lætitiæ, & quas ob causas? Christum ipsum non esse unguentum; cùm unctus sit Spiritu sancto : mirum autem id non videri, si unguentum vocetur & Spiritus, cùm Pater ac Filius etiam Spiritus appellentur. Nec ullam tamen in ipsis confusionem esse; cùm solus Christus in corpore oppetierit mortem, cujus salutifera crux prædicatur.

100. Plerique autem arbitrati sunt unguentum Christi esse Spiritum sanctum. [b] Et bene unguentum, quia oleum lætitiæ nuncupatum est, plurimarum redolente copula gratiarum : verùm illum Deus omnipotens Pater unxit principem sacerdotum, qui non ut alii in typo unctus ex Lege, sed & secundum Legem unctus in corpore, & in veritate supra Legem virtute sancti Spiritus ex Patre plenus est.

101. Hoc est oleum lætitiæ, de quo dicit Propheta : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* (Psal. 44. 8.) Denique Petrus unctum Spiritu dicit Jesum, sicut habes : *Vos scitis quod factum est verbum per totam Judæam, incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicavit Johannes, Jesum à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto.* (Act. 10. 37. & 38.) Oleum igitur lætitiæ Spiritus sanctus est.

102. Et pulcre oleum lætitiæ dixit, ne creaturam putares; olei enim hujusmodi natura est, ut nequaquam [c] naturæ alterius humido misceatur. Lætitia quoque non corpus ungit, sed intima cordis illuminat, sicut Propheta dixit : *Dedisti lætitiam in corde meo.* (Psal. 4. 7.) Ergo cùm ludat operam, qui oleum velit cum creatura humidiore confundere; quia cùm olei natura levior sit ceteris, residentibus aliis, elevata secernitur : quomodo putant isti deterrimi caupones oleum lætitiæ cùm ceteris creaturis sua posse fraude confundi; cùm utique non queant incorporeis corporea, increatis creata misceri.

B 102. Et bene oleum lætitiæ dicitur, quo unctus est Christus; neque enim usitatum fuit ei oleum & commune quærendum, quo aut vulnera curantur, aut æstus levatur : cùm fomentum vulnerum suorum [d] salus mundana non quæreret, nec refectionem corporis fatigati virtus sempiterna deposceret.

103. Nec mirum si habet oleum lætitiæ, qui fecit exsultare morituros, tristitiâ mundum exuit, [e] mœstæ fœtorem mortis abolevit. Et ideo Apostolus ait : *Christi enim bonus odor su-*
C *mus Deo*; (2. Cor. 2. 15.) utique de spiritalibus significans se loquutum. Sed & cùm ipse Filius Dei dicat : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*, (Luc. 4. 18.) spiritale signat unguentum. Ergo unguentum Christi est Spiritus.

104. Aut quia unguentum exinanitum est nomen Jesu, si ibi Christum ipsum intelligere volunt unguenti expressum nomine, non Spiritum Christi; utique cùm unctum Spiritu sancto dominum Jesum Petrus apostolus dixerit, liquet
D sine dubio quod unguentum dicatur & Spiritus.

105. Sed quid mirum, cùm & Pater & Filius spiritus esse dicatur? De quo quidem dicemus plenius, cùm de unitate nominis dicere cœperimus. (Infr. c. 14.) Tamen quia hîc quoque incidit pulcherrimus locus, ne sine corollario eum præterire videamur, accipiant quia & Pater dicitur spiritus, sicut in Evangelio Dominus loquutus est, *quoniam spiritus est Deus*; (Johan. 4. 24.) & Christus spiritus dicitur; quia Hieremias dixit : *Spiritus ante faciem*
E *nostram Christus dominus.* (Thren. 4. 20.)

106. Et Pater ergo spiritus, & Filius spiritus; quia quod non est creaturæ corpus, hoc spiritus est : sed non confusus cum Patre & Filio Spiritus sanctus, verum & à Patre distinctus & à Filio. Non enim Spiritus sanctus est mortuus, qui mori non potuit; quia carnem non suscepit, nec mortis capax esse potuit sempiterna divinitas : sed mortuus est secundum carnem Christus.

F 107. In eo utique mortuus, quod suscepit ex Virgine : non in eo, quod habebat ex Patre; in eo enim mortuus, in quo crucifixus est Christus. Spiritus autem sanctus non potuit crucifigi, qui carnem & ossa non habuit : sed crucifixus est Dei Filius, qui carnem & ossa suscepit; ut in illa cruce nostræ carnis tentamenta morerentur. Suscepit enim quod non erat, ut celaret quod erat : celavit quod erat, ut tentaretur in eo, & redimeretur quod non erat; ut ad id quod erat, per id quod non erat, nos vocaret.

108. O divinum crucis illius sacramentum,

a. Ita mss. plures ac potiores : nonnulli tamen & omnes edit. *Quod autem manet, semper utique est, nec mutatur.* Et post duos versus ubi vet. edit. ac multo major numerus mss. *obnoxia vitio* : Rom. edit. cum aliis nonnullis cod. *obnoxia vanitati.*

b. Mss. aliquot, *Qui bene ungit.*

c. Non pauci mss. *naturæ alterius humidioris.*

d. Mss. nonnulli, *salus mundanda* : melius alii aliquot, *salus mundi* : reliqui & omnes edit. *salus mundana.*

e. Amerb. & Eras. cum parte mss. *majestate fœtorem mortis* : Gill. & Rom. cum alia parte, ut in textu.

in

[a] in qua hæret infirmitas, virtus libera est, affi- guntur vitia, eriguntur trophæa! Unde quidam sanctus ait: *Confige clavis à timore tuo carnes meas;* (Psal. 118. 120.) non ferreis clavis, ait, sed timoris & fidei: VEHEMENTIOR est enim [b] virtutis strictura, quàm pœnæ. Denique Petrum, cùm usque in atrium (Matth. 26. 58.) principis sacerdotum Dominum sequeretur, quem nemo ligaverat, fides vinxerat: & quem fides vinxit, pœna non solvit. Rursus cùm ligaretur à Judæis, devotio solvit, pœna non tenuit; quia non recessit à Christo.

109. Ergo & tu crucifige peccatum, ut moriare peccato; qui enim peccato moritur, Deo vivit: vivas ei qui Filio proprio non pepercit; ut in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, ut nos in illius redivivo corpore viveremus. Mortua est ergo in illo non vita nostra, sed culpa: *Qui peccata*, inquit, *nostra pertulit in corpore suo super lignum; ut à peccatis nostris separati, cum justitia vivamus, cujus vulnere plagarum sanati sumus.* (1. Petr. 2. 24.)

110. Lignum igitur illud crucis velut quædam nostræ navis salutis vectura nostra est, non pœna; [c] alia enim salus non est, nisi vectura salutis æternæ. Dum mortem expetendo, non sentio: dum pœnam contemnendo, non patior: dum metum nescio, negligendo.

111. Quis est igitur cujus vulnere plagarum sanati sumus, nisi Christus dominus: de quo idem prophetavit Esaias quia plaga ejus nostra (Esai. 53. 5.) medicina est: de quo Paulus apostolus in epistolis suis scripsit: [d] *Qui peccatum non cognovit, sed pro nobis peccatum factus est?* (2. Cor. 5. 21.) Hoc quippe divinum in eo, quia caro peccatum non fecit, nec in eo suscepti corporis creatura peccavit. Nam quid mirum, si non peccavit sola divinitas, cùm peccandi incentiva non habeat? Si autem solus exsors peccati Deus, omnis utique creatura per naturam sui, ut diximus, obnoxia potest esse peccato.

CAPUT X.

Quod Spiritus peccata condonat, hoc illi cum Patre ac Filio, non autem cum Angelis esse commune.

(Alias Cap. IX.) 112. DIc igitur, [e] quicumque Spiritus sancti divinitatem negas: Spiritus autem obnoxius non potuit esse peccato, qui magis peccata condonat? Numquid Angelus donat? numquid Archangelus? Non utique: sed donat solus Pater, solus Filius, solus Spiritus sanctus. (Luc. 5. 21.) [f] Nemo autem quod potest donare, non potest evitare.

113. Sed fortasse dixit aliquis quia & Seraphim dixit Esaiæ: *Ecce tetigit hoc labia tua*, [g] *& auferet iniquitates tuas, & peccata tua circumpurgabit. Auferet*, inquit, *& circumpurgabit:* (Esai. 6. 7.) non ego auferam, sed ignis ille de altari Dei, hoc est, gratia spiritalis. Quid enim aliud pie intelligere possumus in altari Dei esse, nisi Spiritus gratiam? Non utique lignum silvarum, nec fuliginem atque carbonem. Aut quid tam pium, quàm ut secundùm mysterium intelligamus quia revelabatur in ore Esaiæ omnes homines per passionem Christi esse purgandos, qui velut carbo secundum carnem exussit nostra peccata, sicut in Zacharia habes: *Nonne hic titio ejectus ab igni? Et ille erat Jesus indutus vestimenta sordida.* (Zach. 3. 2. & 3.)

114. Denique ut sciamus communis hoc redemtionis mysterium per prophetas evidentissime revelatum, etiam hoc loco habes dictum: *Ecce abstulit peccata tua;* (Ibid. 4.) non quod Christus peccata sua deponeret, qui peccatum non fecit; sed quod in carne Christi omne à peccatis suis genus absolveretur humanum.

115. Sed etiamsi Seraphim abstulisset peccatum, quasi unum utique de ministris Dei ad hoc esset mysterium destinatum. Sic enim dixit Esaias: *Quia missum est ad me unum de Seraphim.* (Esai. 6. 6.)

CAPUT XI.

Spiritum ad omnes mitti, nec transire ex loco in alium; cùm nec loco, nec tempore concludatur. Sic igitur eum exire à Filio, ut ipse Filius à Patre, in quo semper manet: sed eumdem venire nobis, cùm ipsum recipimus. Eodem etiam modo venire quo Pater ipse, à quo separari nequaquam potest.

116. ET Spiritus quidem missus dicitur: sed Seraphim ad unum, Spiritus ad omnes: (Alias Cap. X.) (Johan. 16. 7.) Seraphim mittitur in ministerium, Spiritus operatur mysterium: Seraphim quod jubetur, exsequitur, Spiritus quod vult, dividit: (1. Cor. 12. 11.) Seraphim de loco ad locum transit; non enim complet omnia, sed & ipsum repletur ab Spiritu: Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transitu; at verò de Spiritu sancto hoc non possumus æstimare, de quo dicit Filius Dei: *Cùm venerit paraclitus Spiritus veritatis, quem ego mitto vobis, qui à Patre procedit.* (Johan. 15. 26.)

117. Etenim si de loco procedit Spiritus, & ad locum transit; & ipse Pater in loco invenietur, & Filius. Si de loco exit, quem Pater mittit, [h] aut Filius; utique de loco transiens Spiritus atque progrediens, & Patrem sicut corpus secundum impias interpretationes relinquere videtur & Filium.

118. Hoc secundum eos loquor, qui dicunt quod habeat Spiritus descensorium motum. Sed neque in loco aliquo Pater circumscribitur,

a. Big. cod. *in qua erat infirmitate.*

b. MSS. Aliquot, *timoris strictura.* Et infra pro *pœna non solvit*, iidem habent, *potestas non solvit.*

c. Ita edit. omnes, & mss. aliquot: horum autem alii partim, *alia enim salus est vectura salutis æternæ:* partim, *talis enim navis est vectura* &c.

d. Non pauci mss. *quia peccatum pro nobis factus est.* Iterum autem pro *corporis natura*, quod erat in omnibus edit. omnes prope mss. legunt, *corporis creatura.*

e. Remig. cod. *quicumque es Spiritus sancti divinitatem negans, Spiritus sanctus obnoxius non potuit esse peccato; quia nullus peccata donat: numquid Angelus* &c. Edit. autem, ac mss. reliqui inter se consentiunt, nisi quod pro *non potuit*, legitur in Rom. edit. *num potuit.* Sed non minimus timendi locus est, ne ubique hic locus corruptus habeatur.

f. Amerb. atque Eras. cùm mss. non paucis, *Nemo autem quod non potest donare, non potest vitare.* Perperam; si quidem idem sensus esset, ac si scriberetur, omnes quod non possunt donare, possunt vitare. Melius ergo Gill. cum reliquis mss. ut in contextu. Neque ab his discrepat Rom. edit. nisi quod geminat negationem . . . . *non potest non evitare.*

g. Omnes edit. *& abstulit . . : . circumpurgavit:* Omnes mss. *& auferet . . . . circumpurgabit:* in quo cum hebræo & versionibus græcis ac latinis consentiunt.

h. Sic omnes edit ac mss. aliquot: alii vero partim, *ita ut Filius;* partim, *ita & Filius;* at pro *utique* omnes ferme habent, *itaque.*

qui eſt ſuper omnia, non ſolum corporeæ naturæ, ſed etiam inviſibilis creaturæ: neque Filius ſuorum operum locis temporibuſque concluditur, qui ſuper omnem eſt creaturam totius opifex creaturæ: neque Spiritus veritatis, ut pote Dei ſpiritus, circumſcribitur aliquibus finibus corporalibus: qui cùm ſit incorporeus, omnem intelligibilem ſubſtantiæ creaturam inenarrabili divinitatis plenitudine ſupereminet, ſpirandi ubi velit, & inſpirandi quomodo velit, habens ſuper omnia poteſtatem. (Sap. 7. 23. — Iohan 3. 8.)

119. Non ergo quaſi ex loco mittitur Spiritus, aut quaſi ex loco procedit, quando * procedit ex Filio, ſicut ipſe Filius cùm dicit: *De Patre proceſſi, & veni in mundum*, omnes interficit opiniones, quæ ex loco ad locum poſſunt, ſicut in aliquibus corporalibus, æſtimari. Similiter autem cùm aut intus aut foris legimus Deum eſſe, non utique Deum aut intra aliquod corpus includimus, aut ab aliquo corpore ſeparamus: ſed alta hoc & inenarrabili æſtimatione penſantes, divinæ naturæ intelligimus arcanum. (Ibid. 16. 28.)

120. Denique ita Sapientia ex ore altiſſimi prodiiſſe ſe dicit, non ut extra Patrem ſit, ſed apud Patrem; quia *Verbum erat apud Deum*: nec ſolùm apud Patrem, ſed etiam in Patre. Dicit enim: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Sed neque cùm de Patre exit, de loco recedit, aut quaſi corpus à corpore ſeparatur: neque cùm in Patre eſt, quaſi in corpore tamquam corpus includitur. Spiritus quoque ſanctus cùm procedit à Patre & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio. Quemadmodum enim ſeparari poteſt à Patre, qui Spiritus oris ejus eſt? Quod utique & æternitatis indicium, & divinitatis exprimit unitatem. (Eccl. 24. 5. — Iohan 1. 1. — Ibid. 14. 10. — Pſal. 32. 6.)

121. Eſt ergo & manet ſemper, qui oris eſt Spiritus: ſed deſcendere videtur, cùm illum recipimus, ut habitet in nobis; ne nos ſimus à gratia ejus alieni. Nobis deſcendere videtur, non quod ille deſcendat, ſed quod ad illum animus noſter adſcendat. De quo plenius diceremus, niſi meminiſſemus in libris jam ſuperioribus poſitum quod & Pater dixerit: *Deſcendamus & confundamus linguas eorum*; & Filius dixerit: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* (Lib. 5. de Fide cap. 7. — Gen. 11. 7. — Iohan. 14. 23.)

122. Sic igitur venit Spiritus, quemadmodum venit Pater; quia ubi Pater eſt, ibi eſt & Filius: & ubi Filius eſt, ibi eſt Spiritus ſanctus. Non ergo diſcrete venire æſtimandus eſt Spiritus ſanctus. Venit autem non de loco ad locum, ſed à diſpoſitione conſtitutionis ad ſalutem redemtionis, à gratia vivificationis ad gratiam ſanctificationis; ut de terris ad cælum,[a] de injuria ad gloriam, de ſervitio ad regnum transferat.

123. Sic ergo venit Spiritus, quemadmodum venit Pater. Dixit enim Filius: Ego & Pater *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Numquid corporaliter Pater venit? Sic ergo & Spiritus venit; in quo cùm venit, & Patris & Filii plena præſentia eſt.

124. Quis autem poteſt à Patre & Filio Spiritum ſanctum ſeparare, cùm vel appellare Patrem & Filium ſine Spiritu non queamus? *Nemo enim dicit dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto.* Ergo ſi appellare dominum Jeſum ſine Spiritu non poſſumus, utique ſine Spiritu prædicare non poſſumus. Si autem & Angeli prædicant dominum Jeſum, quem nemo poteſt ſine Spiritu prædicare; & in ipſis ergo Spiritus ſancti munus operatur. (1. Cor. 12. 3.)

125. Probavimus igitur unam præſentiam eſſe, unam gratiam eſſe Patris & Filii & Spiritus ſancti: quæ tam cæleſtis atque divina eſt, ut pro ea agat gratias Patri Filius, dicens: *Confiteor tibi, Pater domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* (Matth. 11. 25.)

CAPUT XII.

Patris & Filii & Spiritus ſancti unam eſſe pacem atque gratiam: ſimiliter unam caritatem, quæ maxime in hominum redemtione apparuit: unam denique trium communicationem.

126. Ergo cùm una vocatio ſit, una etiam gratia eſt. Denique ſcriptum eſt: *Gratia vobis, & pax à Deo patre noſtro & domino Jeſu Chriſto.* Ecce habemus quia Patris & Filii una eſt gratia, & Patris & Filii una eſt pax: ſed hæc gratia & pax fructus eſt Spiritus, ſicut ipſe Apoſtolus docuit dicens: *Fructus autem Spiritus eſt caritas, gaudium, pax, patientia.* Et bona pax & neceſſaria, ut nemo diſputationum turbetur incertis,[b] neque paſſionum corporalium tempeſtate quatiatur: ſed ſimplicitate fidei, & tranquillitate mentis quietus circa Dei cultum perſeveret affectus. (Alias Cap. XI. — Rom 1. 7. — Galat 5. 22.)

127. De pace probavimus: de gratia autem propheta Zacharias dicit, quia promiſit Deus effundere in Hieruſalem Spiritum gratiæ & miſericordiæ; & apoſtolus Petrus dicit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine domini Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum; & accipietis gratiam Spiritus ſancti.* Ergo ſicut Patris & Filii, ita & Spiritus ſancti gratia eſt. Quomodo enim ſine Spiritu poteſt eſſe gratia, cùm gratia divina omnis in Spiritu ſancto ſit? (Zach. 12. 10. — Act. 2. 38.)

128. Nec ſolum pacem & gratiam legimus Patris & Filii & Spiritus ſancti; ſed etiam caritatem, &[c] communionem, fidelis Auguſte. De caritate enim dictum eſt: *Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei.* Accepimus caritatem Patris. Eadem caritas quæ Patris, etiam Filii eſt. Ipſe enim dixit: *Qui me diligit, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Quæ eſt enim caritas Filii, niſi quia ſe pro nobis obtulit, & ſuo ſanguine nos redemit? Eadem autem caritas & in Patre eſt, quia ſcriptum eſt: *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* (Alias Cap. XII. — 2. Cor. 13. 13. — Iohan 14. 21. — Epheſ. 5. 2. — Iohan 3. 16.)

129. Tradidit ergo Pater Filium, & Filius ipſe

*. Ambroſius hic & ſub finem ſequentis numeri, ut miſſionem temporalem Spiritus ſignificet, adhibet verbum *procedere*; quare mirum eſt Eſtium in lib. 1. Sent. Diſt. 14. iſta ſcripſiſſe: *Sciendum non facile reperiri apud Patres, ut miſſio Spiritus ſancti nomine proceſſionis ſignificetur, præterquam apud Bedam &c.*

a. Mſſ. aliquot, *de inferis ad gloriam.*

b. Nonnulli mſſ. *neque paſſionem corporalium tempeſtatum patiamur*: quidam etiam, *neque paſſionum .... tempeſtatem patiamur*: ceteri, & edit. ut in textu.

c. Tres mſſ. *communionem fidelis æternitatis.*

se tradidit. Servatur caritas, nec læditur pietas; nulla est enim pietatis injuria, ubi nulla est traditionis ærumna. Tradidit volentem, tradidit offerentem, non utique ad pœnam Pater Filium, sed ad gratiam. Si discutis facti meritum, interroga pietatis vocabulum. Vas electionis unitatem hanc divinæ caritatis evidenter ostendit; quia & Pater tradidit Filium, & Filius
Rom. 8. 32. ipse se tradidit. Pater tradidit, qui *Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*
Galat. 2. 20. De Filio quoque dicit: *Qui se tradidit pro me. Tradidit*, inquit. Si gratiæ, quid arguo? si injuriæ, plus debeo.

130. Sed sicut Pater tradidit Filium, & Filius ipse se tradidit, accipe quia & Spiritus eum tra-
Matth. 4. 1. didit. Scriptum est enim: *Tunc Jesus ductus est in desertum ab Spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Ergo & Spiritus diligens tradidit Dei Filium. Sicut enim una est caritas Patris & Filii, ita
Rom. 5. 5. hanc caritatem Dei supra effundi per Spiritum sanctum, & fructum esse sancti Spiritus decla-
Galat. 5. 22. ravimus; quia *fructus est Spiritus caritas, gaudium, pax, patientia.*

Alias Cap. XIII. 131. Communicationem autem & Patris & Filii esse manifestum est, quia scriptum est:
1. Johan. 1. 3. *Et communicatio nostra cum Patre; & Filio ejus*
2. Cor. 13. 13. *Jesu Christo*; & alibi: *Communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis.* Si igitur una pax, una gratia, una caritas, una communicatio est Patris & Filii & Spiritus sancti; una certe operatio est: & ubi una operatio est, utique non potest virtus esse divisa, & discreta substantia. Nam quomodo operationis ejusdem gratia conveniret?

CAPUT XIII.

Divinarum trium personarum unum esse nomen è Scripturis demonstrat Ambrosius: at in primis unitatem nominis Filii ac Spiritus sancti; cùm uterque paraclitus dicatur & veritas.

Alias Cap. XIV. 132. **Q**Uis igitur unitatem negare audeat nominis, cùm operationis videat unitatem? Sed quid ego unitatem nominis argumentis adstruo; cùm divinæ vocis evidens testimonium sit unum nomen esse Patris & Filii & Spi-
Matth. 28. 19. ritus sancti? Scriptum est enim: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. In nomine* dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud
a nomen Spiritus sancti; quia unus Deus: [a] non
1. Cor. 8. 4. plura nomina; quia non duo dii, non tres dii.

133. Et ut aperiret quia una divinitas, una majestas est, quia unum nomen Patris & Filii & Spiritus sancti; nec in alio nomine venerit Filius, in alio nomine Spiritus sanctus, ait ipse
Johan. 5. 43. Dominus: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

133. Quod autem nomen Patris est, hoc idem
Exod. 33. 19. Filii Scriptura declarat; quia in Exodo dixit
b Dominus: *Ego antecedam te in* [b] *nomine meo, & vocabo in nomine meo Dominum in conspectu tuo.* Dominus ergo dixit quia in nomine suo vocabit Dominum: Dominus ergo & Patris est nomen & Filii.

134. Cùm autem unum nomen sit Patris & Filii, accipe quia & Spiritus sancti idem nomen sit; quoniam & Spiritus sanctus in nomine Filii venit, sicut scriptum est: *Paraclitus autem Spi-* Johan. 14.
ritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, 26.
ille vos docebit omnia. Qui autem venit in nomine Filii, utique etiam in nomine Patris venit; quia unum nomen Patris & Filii est. Sic fit ut unum & Patris & Filii nomen sit & Spiritus sancti. Nec enim est aliud nomen sub cælo da- Act. 4. 12.
tum, in quo oporteat nos salvos fieri.

155. Simul docuit unitatem divini nominis esse credendam, non disparilitatem; quoniam in unitate nominis venit Christus: in suo autem nomine venturus Antichristus est, sicut scriptum est: *Ego veni in nomine Patris mei, & non ac-* Johan. 5. 43.
cepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

156. Edoctum est igitur ex his non esse in Patre & Filio & Spiritu sancto paraclito nominis diversitatem: & quod nomen est Patris, id esse etiam Filii nomen: similiter quod nomen est Filii; esse id etiam Spiritus sancti; quando etiam paraclitus Filius dicitur, sicut & Spiritus sanctus. Et ideo ait in Evangelio dominus Jesus: *Rogabo patrem meum, & alium paracli-* Johan. 14.
tum dabit vobis, qui vobiscum sit in æternum; 16.
Spiritum veritatis. Et bene dixit *alium*, ne ipsum Filium, ipsum Spiritum intelligeres; unitas enim nominis est, non Filii [c] Spiritusque Sa- c
belliana confusio.

157. Itaque alius paraclitus est Filius; alius Alias Cap.
paraclitus Spiritus sanctus; Filium enim para- XV.
clitum dixit etiam Johannes, sicut habes: *Si quis* 1. Johan. 2.
peccaverit, paraclitum habemus apud Patrem Jesum 1.
Christum. Itaque quemadmodum unitas nominis, ita etiam unitas potestatis est; ubi enim paraclitus Spiritus, ibi etiam Filius.

158. Nam sicut hîc in æternum Dominus futurum cum fidelibus Spiritum dicit, ita etiam de se alibi ostendit quod in æternum cum apostolis sit futurus, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omni-* Math. 28.
bus diebus usque ad consummationem mundi. Unum 20.
sunt ergo Filius & Spiritus: unum nomen est Trinitatis, & una inseparabilisque præsentia.

159. Sicut autem ostendimus paraclitum Filium nominatum; ita etiam ostendimus veritatem Spiritum nuncupatum. Veritas Christus; veritas Spiritus; habes enim in epistola Johan-
nis: *Quoniam Spiritus est veritas.* Non solum er- 1 Johan. 5.
go Spiritus veritatis, sed etiam veritas dicitur 6.
Spiritus, sicut & Filius veritas prædicatur, qui
ait: *Ego sum via & veritas & vita.* Ibid. 14. 6.

a. MSS. aliquot, *non plura numina.* Non bono sensu.

b. Ita vet. edit ac plures MSS. à quibus Rom. hoc solo distat, quod exemit præpositionem *in*: quidam autem MSS ultimam partem exhibent in hunc modum: *Invocabo te nomine meo, Domine* &c. LXX. vero Ἐγὼ παρελεύσομαι ἔμπροσθέν σου τῇ δόξῃ μου, καὶ καλέσω τῷ ὀνόματί μου (quidam MSS. ὀνόματι μείν) κύριος ἐναντίον σου. Quod August. *Quæst. vet. Testam.* ita vertit; *Ego transibo ante te, gloria mea: & vocabo nomine Domini in conspectu tuo:*

c Vet. edit. *Spiritus, qua est Sabelliana confusio*: MSS duo; *Spiritus, quem Sabelliana dicit confusio*: unus, *ut fatetur Sabelliana confusio*: Reliqui, & Rom. edit. ut in textu.

CAPUT XIV.

Singulas Trinitatis personas è sacris codicibus lucem esse; Spiritum autem etiam ignem significari apud Esaiam, cujus quidem ignis in Moysis rubo, in linguis flammeis, & in lagenis Gedeonis figura exstitit. Negari non posse ejusdem Spiritus divinitatem, cùm eadem sit ejus, quæ Patris & Filii operatio, nec non Dominici vultus lumen ignisque prædicetur.

Alias Cap. XVI. 160. Quid autem adstruam quod sicut Pater lumen, ita etiam Filius lumen, & Spiritus sanctus lumen est? Quod utique divinæ potentiæ est. Deus enim lux est, sicut
1. Johan. 1. 5. dixit Johannes: *Quia Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt.*

161. Lux autem & Filius, quia *vita erat lux*
Ibid. 1. 8. & 9. *hominum.* Et ut ostenderet se de Dei Filio Evangelista dixisse, ait de Johanne Baptista: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ergo quia Deus lux est, lux autem vera est Dei Filius: sine dubio Deus verus est Dei Filius.

162. Habes & alibi quia Filius Dei lux est:
Esai. 9. 2. *Populus qui sedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem vidit magnam.* Quid autem hoc evidentius,
Psal. 35. 10. quod ait: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen?* hoc est, quod apud te, Deus omnipotens Pater, qui fons vitæ es,
a in [a] lumine tuo Filio, lumen videbimus Spiritus sancti. Sicut ipse Dominus ostendit dicens:
Johan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum*; & alibi: *Et virtus*
Luc. 6. 19. *exibat de eo.*

163. Ipsum autem Patrem quis dubitet lucem esse, cùm lectum sit de Filio ejus quia splendor
Hebr. 1. 3. sit lucis æternæ? Cujus enim nisi Patris æterni splendor est Filius, qui & cum Patre semper est, nec dissimili, sed eadem claritate semper præfulget?

164. Et Esaias significat non solum lucem, sed etiam ignem esse Spiritum sanctum, dicens:
Esa. 10. 17. *Et erit lux Israel in ignem.* Itaque prophetæ eum ignem ardentem dixerunt; quia in tribus istis generibus propensius majestatem divinitatis advertimus: quoniam & sanctificare, divinitatis; & illuminare, ignis & lucis est proprium: & in specie ignis exprimi vel videri divinæ est con-
Deut. 4. 24. suetudinis: *Deus enim est ignis consumens*, sicut Moyses dixit.

165. Vidit enim ipse in rubo ignem, & audierat Deum, tunc quando vox facta est de flam-
Exod. 3. 15. ma ignis ad eum dicens: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Vox ergo de flamma, & in rubo flamma, & flamma non noxia.
Ibidem 2. Urebatur enim rubus, & non exurebatur; eo quod illo mysterio Dominus figuraret quia illuminaturus spinas nostri corporis adveniret: nec consumturus ærumnosos, sed mitigaturus ærum-
Matth. 3. 11. nas: qui baptizaret in Spiritu sancto & igni; ut gratiam tribueret, peccata consumeret. Ergo in specie ignis Deus servat propositum.

166. In Actibus quoque apostolorum cùm supra fideles Spiritus sanctus descendisset, ignis Act. 2. 2. & 3. species videbatur; sic enim habes: *Et factus est subito de cælo sonus, tamquam vi magna Spiritus ferretur; & replevit totam domum, ubi erant sedentes: & visæ sunt illis dispersæ linguæ tamquam ignis.*

167. Unde & illud quando Gedeon superaturus Madian, trecentos viros jussit hydrias sumere, & in hydriis faces accensas habere, & in dextris tenere tubas; ita nostri acceptum ab apostolis servavere majores, quod hydriæ sunt corpora nostra, figurata[b] de limo, quæ timere non norunt, si fervore gratiæ spiritalis ignescant, & Jesu domini passionem canora vocis confessione testentur. Iudic. 7. 16.

168. Quis igitur de divinitate sancti Spiritus dubitet, cùm ubi Spiritus gratia sit, ibi species divinitatis appareat? Quo testimonio non diversitatem, sed unitatem divinæ colligimus potestatis. Nam quemadmodum potest esse discretio potestatis, ubi unus in omnibus operationis effectus est? Neque vero potest esse gratia sacramentorum, nisi ubi fuerit venia peccatorum.

169. Quis est igitur iste ignis? Non utique virgultis vilibus concretus, aut stipula silvarum fragosus incendiis: sed ignis ille, qui ut aurum bona facta meliorat, & ut stipulam peccata consumit. Hic est utique Spiritus sanctus, qui Dominici vultus & ignis appellatur [c] & lumen: c
lumen, sicut supra diximus: *Signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine.* Quod est ergo lumen Psal. 4. 7. signatum, nisi illius signaculi spiritalis, in quo credentes *Signati*, inquit, *estis Spiritu promissionis sancto?* Ephes. 1. 13.

170. Et sicut lumen est vultus divini, ita etiam ignis emicat ex Dei vultu; quia scriptum est: Alias Cap. XVII. *Ignis in conspectu ejus ardebit.* [d] Præfulget enim Psal. 49. 3. gratia diei judicii, ut sequatur absolutio, quæ sanctorum remuneretur obsequium. O magna abundantia Scripturarum, quam nemo possit humano ingenio comprehendere! O maximum divinæ unitatis indicium! His enim duobus versiculis quam multa signantur!

CAPUT XV.

Spiritum sanctum æque ac Patrem & Filium vitam esse; immo vero sive Pater intelligatur, apud quem est fons vitæ, sive Filius, fontem illum aliud non esse quam Spiritum.

171. Diximus quia lux est Pater, lux Filius, lux Spiritus sanctus: accipiamus etiam quia vita est Pater, vita Filius, vita Spiritus Alias Cap. XVIII. sanctus. Dixit enim Johannes: *Quod erat ab initio, quod audivimus & quod vidimus, & oculis nostris perspeximus, & manus nostræ scrutatæ sunt de Verbo vitæ: & vita apparuit, & vidimus & testamur & annuntiamus vobis de vita, quæ erat apud Patrem.* Et Verbum vitæ dixit & vitam; ut 1. Johan. 1. 1. & 2.

a. Ita omnes edit. & plures mss. sed alii nonnulli, *in lumine tui Filii videbimus* &c. quidam etiam, *in lumine tuo Filii lumen videmus & Spiritus sancti.*

b Mss. aliquot, *signata de limo, quæ opera tenere non norunt, nisi fervore* &c. nonnulli alii, *de limi opere tenera, quæ tumorem non norunt, si fervore* &c. reliqui & edit. in nostram lectionem consentiunt. Hanc porro expositionem lagenarum ac facularum, quibus Gedeon usus legitur, invenies etiam apud Origenem *Hom.* 9. *in lib. Judic.* Augustinum *Quæst.* 49. in eumdem librum, & Gregorium M. lib. 30. *Moralium*, &c.

c. Albin. cod. *& lumen; quia lumen Dei vulnus Spiritus sancti lumen est.*

d Mss. nonnulli, *Præfulgurat enim gratia Dei in judicio*: ceteri ut edit. nisi quod in quibusdam legitur, *die judicii*,

& Patrem vitam significaret & Filium. Quod enim est vitæ verbum, nisi Dei Verbum? Ac per hoc & Deus & Verbum Dei vita est. Et sicut Verbum vitæ dicitur, ita & Spiritus vitæ.
Ezech. 1. 20. Scriptum est enim: *Et Spiritus vitæ erat in rotis.* Itaque sicut Verbum vitæ vita est, ita & vitæ Spiritus vita est.

Alias Cap. XIX. 172. Accipe nunc quia sicut Pater fons vitæ est, ita etiam Filium plerique fontem vitæ
Psal. 35. 10. memorarunt significatum; eo quod apud te, inquit, Deus omnipotens, * Filius tuus fons vitæ sit, hoc est, fons Spiritus sancti; quia Spiritus
Johan. 6. 64. vita est, sicut Dominus ait: *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt;* [a] quia ubi Spiritus, & vita est: & ubi vita est, etiam Spiritus sanctus.

173. Plerique tamen hoc loco Patrem volunt tantummodo per fontem significatum, quamquam videant quid Scriptura memoraverit:
Psal. 35. 10. *Apud te*, inquit, *fons vitæ*, hoc est, apud Patrem
Johan. 1. 1. Filius; quoniam Verbum apud Deum, quod erat in principio, & erat apud Deum.

174. Sed sive Patrem quis hoc loco, sive Filium intelligat fontem; fontem utique intelligimus non aquæ istius, quæ creatura est: sed divinæ illius gratiæ, hoc est, Spiritus sancti; ipse est enim aqua viva. Propterea Dominus
Ibid. 4. 10. dicit: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.*

Psal. 41. 3. 175. Hanc aquam sitivit anima David. Harum fontem aquarum desiderat cervus; non sitiens venena serpentum. Viva est enim aqua gratiæ spiritalis, eo quod mentis interna purificet, & omne animi peccatum abluat, occultorumque mundet errorem.

CAPUT XVI.

Spiritum sanctum flumen esse magnum, cujus munere mystica Hierusalem irrigatur. Eumdem fonti suo, id est, Patri ac Filio æqualem esse, atque in Scriptura significari. Illius aquam sitit Doctor sanctus: sed ut ea conservetur in nobis, diabolum, cupiditatem, ac hæresim admonet vitari oportere; cum nobis vasa sint fragilia: deserendos etiam contritos lacus, ut Domini aquam Samaritanæ patriarcharumque exemplo inveniamus.

Alias Cap. XX. 176. Sed ne quis forte tamquam pusillitatem Spiritus redarguat, & hinc velit quamdam facere distantiam magnitudinis, quod aqua portio videatur esse fontis exigua: * quamquam creaturarum exempla minime divinitati aptanda videantur; tamen ne quid ex hac quoque creaturæ comparatione præjudicent, discant non solum aquam, sed etiam flumen dictum Spiritum sanctum, secundùm quod lectum est:
Johan. 7. 38. & 39. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem* A *dicebat de Spiritu, quem incipiebant accipere, qui credituri erant in eum.*

177. Ergo flumen est Spiritus sanctus, & flumen maximum, quod secundùm Hebræos [b] de Jesu fluxit in terris, ut ore Esaiæ accepimus prophetatum. Esai. 66. 12. Magnum hoc flumen, quod fluit semper, & numquam deficit. Nec solùm flumen, sed etiam profusi impetus, & magnitudinis redundantis; sicut etiam David dixit: *Quia fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Psal. 45. 5.

B 178. Neque enim civitas illa Hierusalem cælestis meatu alicujus fluvii terrestris abluitur: sed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus sanctus, cujus nos brevi satiamur haustu, in illis cælestibus Thronis, Dominationibus & Potestatibus, Angelis & Archangelis redundantius videtur effluere, pleno septem virtutum spiritalium fervens meatu. Si enim fluvius riparum editis superfusus exundat, quanto magis Spiritus omnem supereminens creaturam, cùm reliqua C tamquam inferiora nostræ mentis arva perstringat, cælestem illam creaturarum naturam effusiore quadam sanctificationis ubertate lætificat?

179. Nec moveat quod vel hîc dixit *flumina*, Johan. 7. 38. vel alibi *septem spiritus;* [c] his enim sanctificationibus septem spiritalium, sicut Esaias dixit, Apoc. 5. 6. significatur plenitudo virtutum: spiritus sapientiæ Esai. 11. 2. & intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris D Dei. Unum ergo flumen, sed multi spiritalium donorum meatus. Hoc igitur flumen exit ex fonte vitæ.

180. Nec hîc rursus sensum tuum ad inferiora detorqueas, quia quædam diversitas videtur esse fontis & fluminis; & tamen ad omnia prospexit Scriptura divina, ne infirmitas humani caperetur ingenii vilitate sermonum. Proponas tibi licet quodvis flumen, è fonte est; unius tamen naturæ, unius splendoris & gratiæ. Dic sane E & tu Spiritum sanctum unius cum Filio Dei & Deo Patre esse substantiæ, unius claritatis & gloriæ. Capiam fidele compendium de unitate virtutis, nec verebor aliquam de diversitate magnitudinis quæstionem. Nam etiam in hoc nobis Scriptura prospexit; dicit enim Dei Filius: *Qui biberit de aqua, quam ego dabo ei; fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Johan. 4. 14. Hic fons utique gratia spiritalis est fluvius ex vivo fonte procedens. Fons igitur vitæ etiam Spiritus F sanctus est.

181. [d] Advertis ergo ex verbis ipsius divinæ significari magnitudinis unitatem, nec posse Christum etiam à perfidis fontem negari; cùm fons dicatur & Spiritus. Et sicut flumen dicitur Spiritus, ita & Pater dixit: [e] *Ecce ego decurro in vos, sicut fluvius pacis, & sicut torrens inundans gloriam* Esai. 66. 12.

*. Non poterat sanctus hîc Doctor apertius processionem Spiritus ex Filio significare. In quo quidem & illud non negligenter prætereundum est, illum eam opinionem non sibi vindicasse quasi privatam, sed pletisque communem prædicare. Nec vero dubium est, quin eorum in numero comprehenderit Athanasium; is enim lib. *De humana natura suscepta*, Davidis versum ad quem hîc adluditur, allegans [illegible]; inquit, [illegible]

a. Rom. edit. sola, *quia ubi spiritus, & ubi vita; etiam Spiritus sanctus.*

*. Similiter Gregorius Nazian. cùm *Orat* 37. eas retulisset similitudines, quibus catholici personarum divinarum cognitionem utcumque faciliorem reddere cupientes utebantur, se tamen non sine timore quodam atque scrupulo easdem adhibere profitetur.

b. Ita omnes edit. ac plures mss. alii autem nonnulli, *de Jesu fluit internis.* Et continuo post Amerb. Eras. & mss. aliquot ha ent *ut ore sæpe accepimus prophetarum;* ubi reliqui mss. atque edit. ut in contextu.

c. Nonnulli mss. *his enim significationibus.*

d. Mss. aliquot, *Advertis ergo ex verbis ipsius fontem divinæ significari magnitudinis; nec posse* &c. Reliqui ac edit. inter se non dissident, nisi quod hæ legunt *etiam*, illi autem *ergo*, & pro *verbis ipsis*, quod Eras. Gill. & Rom. edit. præ se ferunt, Amerb. & mss. habent. *verbis ipsius*, nempe Dei Filii supra cit.

e. Ita mss. plures ac potiores: alii autem nonnulli, & vet. edit. *decurram in vos;* Rom. edit, ex sac. is cod. *decurram in eos.*

gentium. Quis autem dubitet flumen esse vitæ Dei Filium, de quo æternæ vitæ flumina profluebant?

182. Bona ergo aqua, spiritalis gratia: quis hunc fontem dabit pectori meo? In me saliat; in me fluat vitæ largitor æternæ. Superfluat in nobis fons iste, non effluat. Dicit enim Sapientia: *Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus, inque plateis tuis superfluant aquæ tuæ.* Quomodo hanc aquam tenebo, ne effluat, ne labatur? Quomodo vas meum conservabo, [a] ne qua penetrans rima peccati, æternæ vitæ distillet humorem? Doce nos, domine Jesu, doce sicut docuisti apostolos tuos, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea exterminat, & ubi fures effodiunt & furantur.* Prov. 5. 15. & 16. — Matth. 6. 19.

182. Furem videlicet immundum spiritum esse significat, qui in bonorum operum luce gradientibus non possit obrepere: in tenebris autem sæcularium cupiditatum, & inter oblectamenta terrestrium si quem ceperit voluptatum, omni virtutis æternæ flore despoliet. Et ideo Dominus dicit: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea exterminat; & ubi fures non effodiunt & furantur. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.*

183. Ærugo nostra lascivia est, ærugo nostra libido est, ærugo nostra luxuria est, quæ flagitiorum sordibus aciem mentis obducunt. Tinea rursus nostra Arrius est, tinea nostra Photinus est, qui sanctum Ecclesiæ vestimentum impietate sua scindunt; & unitatem divinæ potestatis individuam separare cupientes, sacrilego morsu pretiosum fidei velamen obrodunt. Funditur aqua, si Arrius dentem impresserit: effluit, si aculeum suum in alicujus vas Photinus infixerit. Vile figmentum sumus, cito [illegible]sentimus. Sed nemo dicit figulo: *Quid me fecisti sic?* Nam etsi vile vas nostrum, aliud tamen in honore, aliud in contumelia est. Noli ergo aperire lacum tuum, noli fodere vitiis atque criminibus, ne quis dicat: *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam operatus est.* Rom. 9. 20. — Ibidem 21. — Psal. 7. 16.

184. Si Jesum quæritis, contritos lacus deserite; Christus enim non ad lacum, sed ad puteum sedere consuevit. Ibi eum Samaritana illa quæ credidit, illa quæ aquam haurire cupiebat, invenit. Quamvis mane venire debueris, tamen etiamsi serius veneris, etiam sexta hora Jesum fatigatum ab itinere invenies. Fatigatus est, sed in te; quia diu te quæsivit, tua illum tamdiu incredulitas fatigavit. Non offenditur tamen, si modo venias: petit bibere, daturus. Bibit autem non aquam prætermeantis rivuli, sed salutem tuam: bibit affectum tuum, bibit calicem, hoc est, passionem illam tuorum criminum redemtricem; ut tu sitim istius mundi, sacri potus cruore restinguas. Iohan. 4. 6.

185. Sic Abraham Deum posteaquam puteum fodit, emeruit. Sic Isaac dum ad puteum deambulat, venientem illam in typo Ecclesiæ accepit uxorem. Fidelis ad puteum, infidelis ad lacum. Denique & [b] Rebecca sicut legimus, petitorem invenit ad fontem, & meretrices in lacu Jezabel se cruore laverunt. Gen. 21. 30. — Ibid. 24. 62. — Ibidem 67. — 3. Reg. 22.

a. Ita edit. omnes ac plures mss. alii vero aliquot, *ne aqua penetrans rimam.*

b. Mss. non pauci, *Rebeccam, sicut legimus, petitor invenit*, tres, *petiturus invenit.*

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Tres divinas personas ut priscis judicibus ita & Moysi non fuisse ignotas: declaratam etiam cum alibi tum apud illum Filii cum Patre, nonsecus ac trium inter se æqualitatem. Spiritum sanctum adfuisse Samsoni, cujus deinceps percurritur mira historia, & variis Ecclesiæ mysteriis aptatur. Eodem autem Spiritu recedente, ipsum in multiplices incidisse calamitates, quod resecatis capillis ne tribuatur, spiritales illorum significationes proponit Ambrosius.

1. Etsi in libro primo veteris historiæ lectione [a] patefactum sit; & in ipsis judicibus veterum Judæorum septiformis gratiam Spiritus refulsisse, & per Spiritum sanctum cælestium sacramentorum revelata mysteria, quem Moyses non ignoravit æternum. Denique statim in principio mundi, immo ante principium, cum Deo junxit, quem ante mundi principium sempiternum esse cognovit. Namque si quis diligenter advertat, & Patrem in principio & Filium cognoscet & Spiritum. De Patre enim scriptum est: *In principio fecit Deus cælum & terram.* De Spiritu dictum est: *Spiritus superferebatur super aquas.* Et bene in exordio creaturæ baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari. Lectum etiam de Filio quod ipse est, qui discrevit inter medium lucis & tenebrarum; unus est enim Deus Pater qui dicit, & unus dominus Jesus qui facit. Gen. 1. 1. & 2. — Ibidem 4.

2. Sed ne rursus * aut arrogans putes dicentis imperium, aut vile facientis obsequium; æqualem sibi Pater Filium confitetur operis unitate, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Imago enim & operatio & similitudo communis quid aliud nisi majestatis ejusdem significat unitatem? Ibidem 26.

3. Tamen ut æqualitatem plenius Patris Filiique cognoscas, sicut dixit Pater, & Filius fecit; ita & Pater operatur, & Filius dicit. Pater operatur, sicut scriptum est: *Pater meus usque modo* Iohan. 5. 17.

a. Sic omnes edit. ac plures mss. alii vero nonnulli, *patefactum sit, si diligenter advertamus, & ipsis judicibus veterum Iudæorum spiritalem invenimus gratiam refulsisse:* quidam omittunt, *si diligenter advertamus.* Sed tam hoc quam verbum *invenimus* verisimile est addita fuisse ab iis librariis, qui orationem in aut. mss. pendedere, nec plenum sensum exhibere animadverterunt. Quamquam autem in receptam lectionem vitium ex aliqua voce in mss. prætermissa irrepsisse non diffiteamur, malumus tamen mancam eamdem relinquere, quam ipsi membrum quod alienum judicemus, adsuere.

*. Non defuerunt antiqui Patres & ante & post Nicænum concilium, qui Patrem Filio præcepisse agnoscerent, ut Irenæus lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 75. Marius victor lib 1. *de Rerum creat.* Athanasius lib. *Decr. Synodi Nicænæ* & Basilius *de Spiritu sancto* cap. 16. Sed imperium paternum esse, non despoticum: nullamque in Filio servitutem inducere iidem existimant: quemadmodum luculenter explicant Basilius lib. cit. cap. 8. Cyrillus Alex. in eumdem locum Geneseos. & Gregorius Nazian. Orat. 36. Vide quæ nos lib. *De Fide* jam notavimus.

Matth. 8. 8. *operatur.* Habes dictum ad Filium: *Dic verbo, & sanabitur.* A Johan. 17. 24. Et Filius dicit Patri: *Volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum.* Fecit Pater, quod Filius dixit.

Gen. 18. 2. & 3. 4. Sed nec Abraham ignoravit Spiritum sanctum: denique tres vidit, & unum adoravit; quia unus Deus, unus Dominus, & unus Spiritus. Et ideo unitas honoris; quia unitas potestatis.

5. Et quid de singulis loquar? Samson divina promissione generatus, Spiritum comitantem habebat; B Iudic. 13. 25 sic enim legimus: *Quia benedixit ei Dominus, & cœpit Spiritus Domini comitari cum eo in castra.* Ibid 14. 1. & seq. Et ideo futurum prævidens sacramentum, ex alienigenis poscebat uxorem: quod Pater ejus ac mater, ut scriptum est, ignorabant, Ibidem 5. & seq quoniam à Domino est. Meritoque fortior ceteris habebatur, quia eum Spiritus Domini dirigebat, quo duce, solus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem morsu inviolabilis, fortitudine insuperabilis, discerptum manibus dividebat. C Utinam tam cautus ad servandam gratiam, quàm fortis ad superandam bestiam!

6. Et fortasse hoc non solùm virtutis miraculum, sed etiam sapientiæ mysterium, prophetiæ oraculum fuit. Neque enim otiosum videtur quod cùm tenderet ad mysterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei, quem manibus Ibidem 8. & seq. ille discerpsit, in cujus corpore, [a] connubio potiturus optato, congregationem apum reperit, D & mel sustulit de ore ejus, quod Patri edendum matrique tribuit. Habebat gentium populus mella, qui credidit: qui populus feritatis erat ante, nunc Christi est.

7. Nec ipsa quæstio vacat sacramentis, quam Ibidem 14. proposuit sodalibus suis, dicens: *De edente exivit esca, & [b] de potente exivit dulce.* Denique eo usque mystica, ut tribus diebus ejus revelatio quæreretur, quæ non potuit nisi per fidem Ecclesiæ, die septima, completo Legis tempore, E post passionem Domini revelari. Sic enim habes, quia & apostoli ideo non intelligebant, quia Johan. 7. 39. *Jesus nondum fuerat honorificatus.*

Judic. 14. 18. 8. *Quid*, inquiunt, *dulcius melle, & quid fortius leone?* Ad quæ ille respondit: *Si non domuissetis vitulam meam, non invenissetis quæstionem meam.* O divinum mysterium! ô evidens sacramentum! Evasimus interemtorem, potentem vicimus. Ibi nunc cibus vitæ est, ubi erat ante miseræ fames mortis. In salutem pericula, in suavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte.

9. Sunt tamen qui è contrario putent fundari non potuisse conjugium, nisi occiso leone de tribu Juda: & ideo in corpore ejus, hoc est, Ecclesiæ, [c] apes repertas, quæ condunt mella sapientiæ; quia post Domini passionem magis apostoli crediderunt. Hunc igitur leonem Samson quasi Judæus occidit, sed in eo mel quasi in figura redimendæ hereditatis invenit; ut reliquiæ salvæ fierent secundum electionem gratiæ. Rom. 11. 17.

10. *Et decidit*, inquit, *super eum Spiritus Domini, & descendit in Ascalonem, & percussit inde* Iudic 14. 19. & 20. [d] *triginta viros.* Neque enim potuerat victoriam non tenere, qui sacramenta cernebat. Accipiunt itaque in stolis præmium sapientiæ, conversationis insigne, qui absolvunt & renuntiant quæstionem.

11. Rursus hîc alia oboriuntur mysteria, quod uxor ejus aufertur; & ideo vulpes incendunt Ibid. 15. 1. & seq. manipulos alienigenarum. [e] Eos enim qui adversus divina sacramenta contendunt, decipere sua consuevit astutia. Unde iterum dicit in Canticis canticorum: *Prendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas; ut vineæ nostræ florcant.* Cant. 2. 15. [f] Bene pusillas dixit; quia majores vineas exterminare non poterant, licet fortibus & diabolus sit pusillus.

12. Ergo ille (ut compendium faciamus historiæ; Iud 15. 15. & seq. suo enim tempori totius lectionis digestio reservanda est) invictus erat, quamdiu habuit gratiam spiritalem, sicut Dei populus ille electus à Domino, ille Nazaræus in Lege. Invictus ergo Samson, atque ita insuperabilis, ut in maxilla asini viros mille percuteret: ita plenus gratiæ cælestis, ut etiam aquam in maxilla asini sitiens reperiret; sive hoc ad miraculum conferas, sive ad mysterium vertas, quod in populi foret humilitate gentilis & requies & triumphus. Juxta quod scriptum est: *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram.* Matth. 5. 39. Per hanc enim injuriarum patientiam, [g] quam erudiunt sacramenta baptismatis, de quibusdam stimulis iracundiæ triumphamus; ut morte obita, resurrectionis requiem consequamur.

13. Illene ergo Samson, qui funes intextos Iudith 16. 9. & seq. nervis, qui novas restes sicut mollia fila dissolvit? Illene Samson qui crinium suorum palo constricta defixo vincla non sensit, quamdiu habuit gratiam spiritalem? Is, inquam, posteaquam Spiritus Dei discessit ab eo, * longe mutatus ab illo Samsone, qui rediit allophylorum indutus exuvias, in muliebribus genibus virtutis suæ degener, [h] palpatus & captus, sacro crine tondetur?

14. Tantumne ergo momenti crines habuere capitis, ut manentibus his, virtus invicta duraret: tonso autem capite, fortitudo omnis viri

a. Amerb. & Eras. *connubia petiturus optata*: mss nonnulli, *connubium petiturus optatum*: alii plures, & cum his Gill. ac Rom. edit. ut in textu.

b. Ita vet. edit. cum mss. longe plurimis, nisi quod in quibusdam pro *dulce* præfertur *dulcedo*: at edit. Rom. cum nonnullis aliis mss pro *& de potente*, legunt *& de forti* &c

c. Mss non pauci, *apes reperta, qua condidit mel* Rursus vero ubi cunctæ edit cum mss. uno vel altero, *& in eo mel in figura*; mss. reliqui, *sed in eo* &c

d. Post voces, *triginta viros*, addunt quatuor mss. *implevit triginta annos.*

e. Mss. aliquot, *Sunt enim qui adversus divina sacramenta decipere suâ consuerunt astutiâ.*

f. Thuan. cod colb. unus & Alb. *Bene pusillas vineas*: Tell. & vet. edit. *Bene pusillas vulpes.* Rom. edit. ac plures mss. ut in textu.

g. Mss. non pauci, *quam erudiunt* (quidam *qua erudimur*) *de quibusdam iracundiæ stimulis triumphamus, ut sacramenta baptismatis capiamus* (nonnulli, *baptismatis videas*) *triginta annorum baptizatum dicit* (alii *dicimus*) *esse Salvatorem. In triginta annis* (aliqui *post triginta annos*) *incarnationis dominus Jesus à Judæis interficitur; ut post mortem obitam*: non pauci sicut & edit. *morte obita*; est enim non obscura imitatio Virgiliani illius è lib. 10. Æneid. *Morte obita, quales fama est volitare figuras.* Ceterum superiores varietates eo consilio exhibuimus, ut hoc tamquam specimine pateat, quantum sibi quandoque scribarum permiserit audacia.

*. Manifesta hîc etiam Virgilii è lib. 2. Æneid. imitatio; sic enim illic: —— —— *Quantum mutatus ab illo*
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis.

h Ita vet edit & plures mss. at Rom. edit. cum aliis nonnullis, *colligatus & capius*,

subito solveretur? Non ita est, ut tantam vim corporalium capillorum putemus. Sunt quidam crines religionis & fidei: crines Nazaræi in Lege perfecti, in parcimonia & abstinentia con- Iohan.12.3. secrati, quibus illa in typo Ecclesiæ, quæ Domini pedes oleo perfuderat, Verbi cælestis vestigia detergebat; tunc enim & secundum carnem noverat Christum. Isti videlicet crines, de qui- Cantic.4.1. bus dicitur: *Capillatura tua ut greges caprarum*; ex illo capite pullulantes, de quo dictum est: 1 Cor.11.3. *Caput viri, Christus*; & alibi: *Caput ejus aurum* B Cant.5.11. *cephas, & crines ejus abietes nigræ.* a Et bonæ ex abiete naves Tharsis, quæ fluctibus supernatent mundi, & tutum remigium salutis exhibeant.

15. Unde & in Evangelio Dominus noster visibiles capitis & intelligibiles capillos quosdam Matth.10.31. esse significans, ait: *Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt*, spiritalium videlicet significans facta virtutum; neque enim de capillis nostris cura est Deo. Quamquam & illud non C absurdum sit æstimare, quia pro majestate divina eum latere nihil possit.

16. Sed quid mihi prodest, si Deus ipse omnes meos novit capillos? Illud mihi redundat & proficit, si bonorum operum pervigil testis, remunerationem gloriæ donet æternæ. Denique & ipse Samson non corporales, sed intelli- Iudic.16.17. gibiles hos capillos esse declarans ait: *Et si tonsus fuero, discedet à me virtus mea.* Hoc de mysterio: nunc lectionis seriem consideremus.

CAPUT I.

Spiritum Domini etiam Dominum ac virtutem esse, nec in hoc Patri vel Filio inferiorem.

Iudic.13.24 & 25. 17. Supra habes quia *benedixit ei Dominus, & cœpit Spiritus Domini comitari cum eo.* Ibid.14.6. Infra ait: b *Et direxit super eum Spiritus Domini.* Ibid.16.17. Item ait: *Si tonsus fuero, discedet à me virtus mea.* Postea quam tonsus est, vide Scriptura quid dicat: *Dominus*, inquit, *discessit ab eo.* Ibidem 20.

18. Vides ergo quia ille qui comitabatur, ipse discessit. Idem est ergo Dominus, qui Spiritus Domini, hoc est, ipsum Spiritum Dei, Dominum nuncupavit, sicut & Apostolus ait: 2 Cor.3.17. *Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Habes ergo Dominum dictum etiam Spiritum sanctum; non enim unus, sed unum sunt Spiritus sanctus & Filius.

1 Iohan.5.7. 19. Hoc quoque loco virtutem dixit, & Spiritum significavit. Sicut enim Pater virtus, ita & Filius virtus, & Spiritus sanctus est virtus. De 1.Cor.1.24. Filio legisti, Christum Dei virtutem esse, & Dei sapientiam. Legimus etiam quia virtus est Pater, sicut scriptum est: *Videbitis Filium ho-* Matth.26.64. *minis sedentem ad dexteram virtutis Dei.* Hîc utique virtutem Patrem dixit, cujus ad dexte- Psal.109.1. ram Filius sedet, sicut habes: *Dixit Dominus* A *Domino meo, sede ad dexteram meam.* Virtutem etiam Spiritum sanctum ipse Dominus nuncupavit dicens: c *Accipietis virtutem, adveniente in vos Spiritu sancto.* Act.1.8.

CAPUT II.

Unum esse Patris & Filii & Spiritus sancti consilium.

20. Ipse enim Spiritus virtus est, quia legisti: *Spiritum consilii atque virtutis.* Et sicut Fi- Esai.11.2. lius magni consilii Angelus, ita etiam Spiritus consilii est, d ut unum scias Patris & Filii & Spiritus sancti esse consilium. Consilium non de rebus incertis aliquibus, sed præcognitis & statutis.

21. Arbitrum autem divini consilii Spiritum, etiam inde cognosce. Nam cùm supra docuerimus arbitrum baptismatis esse Spiritum sanctum, baptismum autem Dei esse consilium legerimus, sicut habes: * *Pharisæi autem consilium Dei spreverunt in se, non baptizati ab eo*; liquido Sup. lib. 1. cap 6. Luc.7.30. claret, cùm sine Spiritu baptisma esse non possit, sine Spiritu quoque non esse consilium Dei.

22. Et ut sciamus plenius virtutem esse Spiritum, scire debemus ipsum esse promissum, quando dixit Dominus: *Effundam de Spiritu meo* Iohel.2.28. *super omnem carnem.* Ille ergo qui promissus est nobis, ipse est virtus; sicut etiam in Evangelio idem Dei Filius declaravit dicens: *Et ego mitto* D *promissa Patris mei in vos, vos autem sedete in ci-* Luc.24.49. *vitate, quousque induamini virtute ex alto.*

23. Eousque autem virtutem esse Spiritum sanctum Evangelista significat, ut & cum vi magna eum sanctus Lucas descendisse memoraret, dicens: *Et factus est subito de cælo sonus, tamquam vi magna Spiritus ferretur.* Act.2.2.

24. Sed ne rursus putes ad sensibilia & corporalia hoc esse vertendum, accipe quia sic descendit & Spiritus, quemadmodum descensurus E est Christus. Nam & ipse cum virtute descendet, sicut habes: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, in virtute maxima &* Matth.24.30. *majestate.*

25. Quomodo enim non est una virtus atque eadem potestas; cùm unum opus, unum judicium, unum templum, una vivificatio, una sanctificatio, unum etiam regnum sit Patris & Filii & Spiritus sancti?

F

CAPUT III.

Sicut vita est cognoscere Patrem & Filium, ita vitam esse cognoscere Spiritum sanctum; proindeque à Patris divinitate non separandum.

26. Dicant enim in quo dissimilitudinem divini operis arbitrentur. Quandoquidem sicut vita est cognoscere Patrem & Filium, quemadmodum ipse Dominus declaravit dicens:

a. Ver. edit. *Et bona abietes naves Tharsis*: Rom. *Et bene ex abiete sunt naves Tharsis*: mss. vero nobiscum faciunt exceptis paucis in quibus legitur. *Et bona adducentes naves* &c.

b. Rom. edit. sola, *& irruit super eum*: mss. aliquot, *Et decidit super eum.* Non male: in quibusdam enim græcis exemplaribus legitur, ἐ κατηύθυνεν ἐπ' αὐτόν, licet habeatur in pluribus, καὶ ἥλατο *& insiliit & irruit* &c.

c. Rom. edit. cum mss. nonnullis, hîc & lib. 1. cap. 7. *accipietis virtutem advenientem in vos Spiritum sanctum*: vet. edit. hic cum aliis aliquot mss. . . *advenientis in vos spiritus sancti.* Eædem vet edit. citato loco lib. 1. & mss. plures utrobique . . . . *adveniente in vos Spiritu sancto.* Sed ultimæ duæ lectiones æque respondent græcis verbis, ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος.

d. Thuan. mss. *ut unum scias Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse, consilium non* &c.

*. Idem *Expos. in Luc.* lib. 6. num 4 *Consilium Dei est in baptismate Iohannis; quis igitur dubitet Dei esse consilium in Christi lavacro? Hoc est consilium quod magni consilii Angelus reperit, quod nemo cognovit. Quis enim cognovit sensum Domini* &c.

Hæc

Johan 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum;* A ita etiam vita est cognoscere Spiritum sanctum. Ibid 14. 15. & seq. Dicit enim Dominus: *Si diligitis me, mandata mea servate: & ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec cognoscit eum: vos autem scitis eum, quia apud vos manet, & in vobis est.*

27. Ergo mundus non habebat vitam æternam, B quia non acceperat Spiritum: ubi autem Spiritus, ibi vita æterna; ipse est enim Spiritus vitæ operator æternæ. Unde miror, cur de solo & vero Deo Arriani moveant quæstionem. Sicut enim vita æterna est cognoscere solum & verum Deum, ita vita æterna est cognoscere Jesum Christum, ita vita æterna est cognoscere Spiritum sanctum: quem sic non videt mundus, quemadmodum Patrem: sic non cognoscit, [a] quemadmodum Filium. Qui autem de hoc C mundo non est, habet vitam æternam, & cum ipso manet Spiritus in æternum, qui est lumen vitæ æternæ.

28. Ergo si hoc confert cognitio solius veri Dei, quod confert Filii Spiritusque cognitio; cur Filium & Spiritum à veri Dei honore secernis, cùm à magnitudine beneficii non secernas? Aut enim credas necesse est solius veræ divinitatis esse hoc maximum munus, & solam & veram divinitatem sicut & Patris, ita & Filii & D Spiritus confitebere: aut si dixeris quia vitam æternam [b] potest & is conferre, qui uerus Deus non sit; incides ut Patri magis derogare videaris, cujus opus non putes solius veræ divinitatis esse præcipuum, sed creaturæ operibus conferendum.

CAPUT IV.

Spiritum sanctum non secus ac Patrem & Filium, operatione non diversâ vivificare.

Johan. 5. 21. 29. Quid autem mirum si Spiritus operator est vitæ, qui vivificat sicut Pater, vivificat sicut Filius? Vivificare autem quis abnuat esse majestatis æternæ? Scriptum est enim: Psal. 118. 17. *Vivifica servum tuum.* Vivificatur ergo qui servus est, hoc est, homo, qui vitam ante non habuit, sed ut haberet, accepit.

30. Videamus igitur utrum vivificetur Spiritus, an ipse vivificet. Sed scriptum est: 2. Cor. 3. 6. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Ergo vivificat Spiritus. F

31. Sed ut intelligas Patris & Filii & Spiritus sancti vivificationem non esse divisam, accipe quia vivificationis quoque unitas sit; quando ipse per Spiritum vivificat Deus; dixit enim Paulus: Rom. 8. 11. *Qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

CAPUT V.

Sicut Patrem ac Filium, ita etiam Spiritum creatorem in Scriptura significari. Hoc ipsum à paganis quoque scriptoribus adumbratum: sed planissime demonstratum esse in mysterio incarnationis, de qua ubi delibavit Ambrosius nonnulla, cœptum argumentum ex eo quod adoratio, quæ soli debetur creatori, etiam Spiritui debeatur, confirmat.

32. Quis vero dubitare potest quia vivificet omnia Spiritus sanctus, quando & ipse sicut Pater & Filius, creator est omnium, nec quidquam nisi cum Spiritu sancto Deus omnipotens Pater intelligatur operatus; quandoquidem & in principio creaturæ Spiritus superferebatur super aquam? Gen. 1. 2.

33. Itaque cùm superferebatur Spiritus, nulla erat gratia creaturæ: postea vero quàm operationem Spiritus etiam creatura mundi istius suscepit, omnem hanc gratiæ meruit venustatem, qua mundus illuxit. Denique sine Spiritu sancto universitatis gratiam manere non posse Propheta declaravit dicens: *Auferes Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & innovabis omnem faciem terræ.* Psal. 103. 29 & 30. Non solum igitur sine Spiritu docuit omnem creaturam stare non posse, sed etiam creatorem totius esse Spiritum creaturæ.

34. Et quis neget opus esse Spiritus sancti quod creata est terra, cujus opus est quod novatur? Nam si negare cupiant quod per Spiritum sit creata; cùm per Spiritum novandam negare non possint; meliorem ergo operationem Spiritus sancti, quàm Patris & Filii, qui cupiunt separare, defendent: quod abhorret à vero; neque enim dubium est quod novata terra melior, quàm creata sit. Aut si primo sine operatione Spiritus sancti terram Pater fecit & E Filius: postea vero Spiritus sancti operatio copulabatur; videbitur id quod factum est, ejus quod accessit eguisse præsidio. Sed absit ut hoc quisquam existimet, ut operatio divina varietatem creatoris, * quam Manichæus inducit, habere credatur.

35. An vero sine opere Spiritus sancti substantiam putamus esse terrarum, sine cujus opere nec cæli convexa subsistunt? Scriptum est enim: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Psal. 32. 6. Adverte quid dicat: Omnem, inquit, virtutem cælorum ad Spiritum esse referendam. Qui enim superferebatur, antequam terra fieret; Gen. 1. 2. quomodo [c] cùm terra fieret, feriabatur?

36. Gentiles * homines per umbram quamdam nostros sequuti, quia veritatem Spiritus hauriri non poterant, quod cælum ac terras, lunæ

a. Mss. aliquot, *quemadmodum Patrem.*

b. Nonnulli mss. *potest conferre qui verus non est Deus: non sic incides & .. cujus opus non potest* &c.

* Quid sit quod Manichæi per varietatem creatoris intellexerint, perquam aperte cognosci potest ex Epiphanio; hic enim *Hær 66.* num 25 deliramenta quæ ab Archælao mutuatus fuerat Manichæus, dum commemorat, multa quibus hic Ambrosii locus illustretur, habet.

c. Amerb Eras. & mss. aliquot, non *ferebatur*: Gill. ac Rom. edit. cum mss. pluribus, *feriabatur*

*. Gregorius Nazian. *Orat.* 37. testatur sancti Spiritus in orbis gubernatione operationem sub quibusdam nominum involucris designatam fuisse ab iis Ethnicorum, qui Theologiæ majori floruerunt laude, propiusque ad nos accesserunt, nimirum ab Aristotele, Anaxagora, & Hermonymo, ut Elias Cret. interpretatur. Nec dubium est quin hoc loco Nazianzeni vestigiis insistat Ambrosius, verum cùm scriberet Latinis hominibus, auctoritatem quæ iisdem notior esset, indicatam voluit. Petita fuit illa è lib 6. Æneidos, ubi canitur:

Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

quoque stellarumque micantium globos Spiritus intus alat, suis versibus indiderunt. Ergo illi per Spiritum non negant virtutem subsistere creaturæ: nos qui legimus, denegamus? Sed flatilem putatis ab illis spiritum designatum. Si illi auctorem omnium flatilem spiritum declararunt, nos dubitamus Spiritum Dei esse omnium creatorem?

37. Sed quid alienis immoror? Accipiant documentum evidens, nihil posse esse quod Spiritus sanctus negetur operatus, nec de Angelis, nec de Archangelis, nec de Thronis, nec de Dominationibus posse dubitari, quod ejus operatione subsistant; quandoquidem ipse secundum carnem Dominus, cui Angeli serviebant, Spiritu in Virginem superveniente, genitus sit; sicut & secundùm Matthæum ad Joseph Angelus dixit: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam uxorem tuam; quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est.* Et secundùm Lucam dixit ad Mariam: *Spiritus sanctus superveniet in te.*

Matth. 1. 20. — Luc. 1. 35.

38. Opus ergo Spiritus Virginis partus est. Opus Spiritus fructus est ventris, secundùm quod scriptum est: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Opus Spiritus flos radicis est: ille, inquam, flos, de quo bene est prophetatum: *Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus adscendet.* Radix Jesse Patriarchæ familia Judæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus; qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe, virginali ex utero germinavit, sicut ipse dixit: *Ego flos campi, & lilium convallium.*

Ibidem 42. — Esa. 11. 1. — Cant. 2. 1.

39. Flos odorem suum & succisus reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit; ita & dominus Jesus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit; & illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nescius, [a] & mortuis æternæ vitæ munus exhalans. In hoc igitur Spiritus sanctus virgæ regalis flore requievit.

40. Bona virga, ut quidam putant, est caro Domini, quæ de radice terrena ad superna se subrigens, odoriferos sacræ fructus religionis circumtulit mundo, mysteria divinæ generationis, & gratiam cælestibus altaribus superfundens.

41. Dubitare ergo non possumus Spiritum creatorem, quem Dominicæ cognoscimus incarnationis auctorem. Quis enim dubitet, cùm in principio Evangelii habeas, quia Christi generatio sic erat: *Cùm desponsata esset Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens* [b] *ex Spiritu sancto?*

Matth. 1. 18.

42. Nam licet plerique habeant, *de Spiritu;* græcus tamen unde transtulerunt latini, ἐκ πνεύματος ἁγίου dixit, hoc est, ex Spiritu sancto. Quod enim ex aliquo est, aut ex substantia est, aut ex potestate ejus. Ex substantia, sicut Filius, qui ait: *Ex ore Altissimi prodivi,* sicut Spiritus, *qui à Patre procedit;* de quo dicit Filius: *Ille me clarificabit; quia de meo accipiet.* Ex potestate autem, sicut illud est: *Unus Deus Pater, ex quo omnia.*

Eccl. 24. 5. — Iohan. 16. 14. — 1. Cor. 8. 6.

43. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia: ergo Spiritus in carnem & ossa conversus est? Non utique. Si quasi ex operatione & potestate ejus Virgo concepit; quis neget Spiritum creatorem?

44. Quid quod etiam Job creatorem suum Spiritum evidenter ostendit dicens: *Spiritus divinus, qui fecit me?* Et divinum utique & creatorem uno versiculo demonstravit. Si igitur creator est Spiritus, non est utique creatura; creaturam enim Apostolus creatoremque divisit dicens: *Servierunt creaturæ potius quam creatori.*

Job. 33. 4. — Alias Cap. VI. — Rom. 1. 25.

45. Simul creatori admonet serviendum, damnando eos qui serviunt creaturæ, cùm creatori servitium debeamus. Et quoniam creatorem Spiritum noverat, docet eidem serviendum, dicens: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem; nos enim sumus circumcisio,* [c] *qui Spiritui Dei servimus.*

Philip. 3. 2. & 3.

46. Quod si quis de latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, græcos inspiciat codices, & advertat quia ibi scriptum est: οἱ πνεύματι θεοῦ λατρεύοντες, quod interpretatur latinus: *qui Spiritui Dei servimus.*

47. Ergo cùm serviendum dicat Spiritui idem Apostolus, qui non creaturæ, sed creatori adserit serviendum; evidenter utique & ipse sanctum ostendit Spiritum creatorem, & in æternæ divinitatis honore venerandum; quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies.*

Matth. 4. 10.



a. Nonnulli mss. *& mortuus.* Non satis recte.

b. Mss. aliquot, *de Spiritu sancto. Nam licet plerique non habeant, græcus tamen* &c. Quid autem præpositiones *ex* & *de* inter se differant, luculenter explicat Augustinus lib. *de Natura Boni*, cap. 27. ibi enim hoc Apostoli textu *quoniam ex ipso & per ipsum* &c. in Manichæos proposito, ita disserit: Ex ipso *autem non hoc significat, quod* de ipso. *Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso: non autem omne quod ex ipso est, rectè dicitur de ipso. Ex ipso enim cælum & terra; quia ipse fecit ea: non autem de ipso; quia non de substantia ejus* &c. Item in *Actis cum Felice Manichæo* lib. 2. cùm hæreticus quæreret de anima rationali *utrum vere ex Deo est? Augustinus dixit: Ex Deo, non de Deo.* Verumtamen non semper ea severitate loquuntur boni auctores, at promiscue eodemque sensu has particulas passim usurpant. Et sane in Vulgata versione, ubi par est religiosiorem esse, translator cunctos prope locos in quibus ἐκ græci codices habent, per *de* reddidit. Immo vero cautionem hanc nonnumquam Ambrosius ipse neglexit, ut videbitur infra cap. 9. num. 94. & seq. ibi enim ut probet voces *ex ipso* etiam Spiritui sancto convenire, testimonia in quibus *de* pro *ex* ponitur, passim adhibet; & supra num. 88. *omnia esse de Spiritu*, diserte profitetur.

c. Ita mss. septem; omnes autem edit. ac pauci mss. *Spiritui Deo:* alii denique adhuc pauciores, *Spiritu Deo.* Augustinus quidem lib. 3. *cont. duas Epist. Pelag.* cap. 7. tres hujusce loci lectiones refert, sed quam aliis præferendam putet, non addit. Verum lib. 1. *de Trinit.* cap. 6. in omnibus aut pœne omnibus græcis codicibus & pluribus latinis observat scriptum, *Spiritui Dei:* quod autem in quibusdam reperiatur, *Spiritu Deo*, errorem esse. Cùm autem paulo ante Ambrosium non obscure designaverit (quod intelligitur non solum ex eo quod hos libros constat lectos esse ab eodem Augustino, sed etiam quod eadem Pauli atque Matthæi testimonia, quæ hîc citantur, allegantur quoque in laudato capite lib. 1. *de Trinit.*) inde collige corruptionem, cujus hæretici, Arriani scilicet, hîc accusantur, in eo fuisse positam, quod pro *Spiritui Dei*, reposuerint, *Spiritu Deo:* deinde vero legitimam esse lectionem, quam amplectimur. Nam licet Eras. edit. & seq. non secus ac mss. aliquot græcas voces ita efferant, οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες, tamen plures plures mss. & Amerb. tantummodo exhibent, πνεύματι λατρεύοντες. Quin & Eras. ipse in cujus edit. Ambrosianorum operum vox θεῷ primum inducta est, in sua tamen observatione ad eumdem Apostoli textum agnoscit lectionem nostram Ambrosii esse. Hanc ipsam sequitur Zezerus in eadem verba, & non solum Ambrosii atque Augustini, sed etiam Salviani auctoritate defendit.

CAPUT VI.

Objicientibus ex verbis Amos creari Spiritum, reponitur hanc vocem illic intelligendam de vento; qui sæpius creatur: quod sane dici non potest de Spiritu sancto; quippe qui & æternus sit, nec morte, aut hæretica in Patrem refusione resolvi possit. Quod si urgeant pervicacius eumdem locum de Spiritu sancto scriptum fuisse, docet recurrendum ad expositionem spiritualem; Christum enim adventu suo tonitrua, id est, verborum divinorum vim firmavisse: per Spiritum autem humanam animam significari, sicut & carnem à Christo susceptam. Hujus porro cùm qualibet Trinitatis persona vere sit creatrix, inde adstruitur Spiritum similiter incarnationis Domini auctorem esse, qui rerum omnium creator jam ante adsertus est.

Alias Cap. VII. 48. NEc me præterit hæreticos objectare consuevisse ideo videri creatum Spiritum sanctum, quia plerique eorum ad argumentum adstruendæ suæ impietatis adsciscunt illud, quod Amos de flatu ventorum loquutus est, ut ipse propheticus sermo declarat. Sic enim habes: *Ecce ego firmans tonitruum, & creans spiritum, & nuntians in homines Christum suum, faciens lucem & nebulam, & adscendens super excelsa; dominus Deus omnipotens nomen est ei.* Amos 4. 13.

49. Si hinc faciunt quæstionem, quod creatum Spiritum dixit, quia creatur Spiritus Esdras nos docuit, dicens [a] in quarto libro: *Et in die secundo iterum creasti spiritum firmamenti;* tamen ut propositis inhæreamus, his videlicet quæ Amos dixit, nonne evidenter dictorum testificatur series de istius creatura mundi loquutum prophetam? 4. Esdr. 6. 41. a

50. Denique ita cœpit: *Ego Dominus firmans tonitruum, & creans spiritum.* Ipse ordo nos doceat; nam si de Spiritu sancto dicere voluisset, non de tonitruo utique præmisisset. Neque enim antiquiora tonitrua sunt, quam Spiritus sanctus: quamvis impii sint, tamen id non audent dicere. Deinde cùm subjectum videamus esse de luce & nebula, nonne manifestum est quod de creatura mundi dictum intelligendum sit? Cùm enim fiunt aliquæ tempestates istius mundi, præcedere tonitrua, sequi ventorum flatus, cælum nebulis caligare, lucem refundi ex tenebris, ipso usu quotidiano, exemploque cognoscimus. Nam etiam flatus ventorum spiritus dicitur, sicut scriptum est: *Ignis, & sulphur, & spiritus procellæ.* Psal. 10. 7.

51. Et ut scires quia hunc spiritum dixit, ait: *Firmans tonitruum, & creans spiritum;* quia frequenter creantur ista, cùm fiunt: Spiritus autem sanctus æternus est; quem si quis audet dicere creatum, non potest tamen dicere quod quotidie creatur, sicut flabra ventorum. Denique ipsa Sapientia secundùm suscepti loquuta corporis sacramentum, ait: *Dominus creavit me.* Quamvis ventura prophetaret, tamen quia prædestinatus erat domini Salvatoris adventus; non dixit, creat me, sed *creavit;* ne frequenter, sed semel crederent ex virgine Maria Jesu corpus esse generandum. Prov. 8. 22.

52. Et hoc igitur quod velut quotidianam operationem Dei in tonitrui firmamento, & in spiritus creatione propheta declaravit, intelligere nefas est, ut de Spiritu sancto tale aliquid æstimemus, quem ipsi impii ante sæcula esse negare non possunt; unde & semper eum esse, & semper manere pia adsertione testamur. Neque enim qui ante mundum superferebatur super aquas, potest videri cœpisse post mundum: aut multos esse Spiritus sanctos æstimari fas est, qui veluti quotidiana generatione generentur. Absit ut se quisquam tali impietate contaminet; ut dicat frequenter creari, aut umquam creari Spiritum sanctum. Cur enim frequenter creari videatur, non intelligo; nisi forte & mori eum credant frequenter, & frequenter creari. Sed quemadmodum mori potest Spiritus vitæ? Ergo si mori non potest, causam non habet cur sæpius sit creandus. Gen. 1. 2.

53. At qui aliter putant, in illud sacrilegium recidunt, ut non distinguant Spiritum sanctum, * qui prolativum Verbum putant in Patrem redire, prolativum Spiritum in Deum refundi; ut unius refusio sit, & quædam vicissitudo in varias formas se sæpe mutantis: cùm Patris & Filii & Spiritus sancti manens semper inmutabilisque distinctio, unitatem suæ teneat potestatis. a

54. Si quis tamen propheticum dictum ideo derivandum putat ad interpretationem Spiritus sancti, quia habet: *Annuntians in homines Christum suum;* is ad incarnationis Dominicæ mysteria dictum facilius derivabit. Nam si te movet quia spiritum dixit, & ideo non hoc putas derivandum ad mysterium adsumtionis humanæ; prosequere Scripturas, & invenies optime congruere de Christo, de quo bene convenit æstimari quia firmavit tonitrua adventu suo, vim videlicet & sonum cælestium scripturarum, quarum velut quodam tonitruo mentes nostræ redduntur adtonitæ; ut timere discamus, & reverentiam cælestibus deferamus oraculis. Amos 4. 13.

55. Denique in Evangelio fratres Domini filii tonitrui dicebantur; & cùm vox Patris facta esset dicentis ad Filium: *Et honorificavi, & iterum honorificabo;* Judæi dicebant: *Tonitruum factum est illi.* Nam licet gratiam veritatis haurire non possent, tamen confitebantur inviti, & ignari mysterium loquebantur, eo quod magnum Patris de Filio testimonium resultabat. In Job quoque libro Scriptura dicit: *Firmamentum quoque tonitrui sui quis scit quando faciet?* Utique si ad hæc commotionum cælestium tonitrua pertinerent, non futura eorum firmamenta, sed facta dixisset. Johan. 12. 28. Ibidem 29. Job. 26. 14.

56. Ergo tonitrua ad sermones Domini retulit, quorum in omnem terram exivit sonus: spiritum autem hoc loco animam, quam suscepit rationabilem atque perfectam, intelligimus; quia Scriptura frequenter & animam hominis

a. Vet. edit. ac mss. prope ad unum, *in libro tertio.* Et sane quin Ambrosii hæc lectio sit, [illegible] prohibet; à nobis enim in *Admonit.* ad librum *de Bono mortis* observatum est hos Esdræ libros varie in variis codicibus distinctos esse.

*. De hac Verbi in Patrem refusione nonnihil à nobis observatum est ad cap. 13. lib. 5. *De Fide* num 162. Hic autem illud admonebimus, quæ toto hoc capite ad objectum ex Amos locum respondentur, à Didymo quoque fuisse disputata, sicut & à Basilio lib. 3. *adversus Eunomium*; nec aliena esse ab expositione sancti Hieronymi in eumdem allegati prophetæ locum.

Zach. 12. 1. spiritus vocabulo designat, sicut habes: *Qui* A *creat spiritum hominis in ipso.* Unde & Dominus animam suam spiritus appellatione significans Luc. 23. 46. ait: *In manus tuas commendo spiritum meum.*

57. Et ut scires quia de Jesu domini descen- Amos 4. 13. sione memoravit, addidit quod nuntiaret in homines Christum suum; annunciavit enim in Matth. 3. 17. baptismate, dicens: *Tu es Filius meus dilectissimus, in quo bene complacui.* Annuntiavit in monte, Matth. 17. 17. dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Annuntiavit in passione, cùm sol recessit, maria B terræque tremuerunt. Annuntiavit in centurio- Ibid. 24. 35. ne, qui ait: *Vere Dei Filius erat iste.*

58. Totum igitur hunc locum aut ad simplicem intellectum istius flatus qui vivendo hauritur, aut ad mysterium Dominici corporis referre debemus; nam si hîc creatum dixisset Spiritum sanctum, utique & alibi idem Scriptura declarare potuisset, sicut de Filio Dei fre- Rom. 1. 3. quenter legimus quia secundum carnem & factus est & creatus. C

59. Cujus tamen majestatem in eo ipso quod carnem pro nobis suscepit, considerare nos Alias Cap. VIII. convenit; ut divinam potentiam in ipsa corporis adsumtione videamus. Etenim sicut legimus quia creavit Pater Dominicæ incarnationis sacramentum, creavit & Spiritus: ita etiam legimus quod & ipse Christus suum corpus creavit; creavit enim Pater, secundùm quod Prov. 8. 23. scriptum est: *Dominus creavit me;* & alibi: *Misit* Gal. 4. 4. *Deus Filium suum*[a] *factum ex muliere, factum sub* D *Lege.* Creavit & Spiritus illud omne mysterium, Matth 1. 18. secundùm quod legimus, quia *inventa est Maria in utero habens ex Spiritu sancto.*

60. Habes quia creavit Pater, creavit & Spiritus: accipe quia creavit & Filius Dei, di- Prov. 9. 1. cente Salomone: *Sapientia fecit sibi domum.* Ergo Spiritus sanctus qui creavit Dominicæ incarnationis sacramentum, quod super omnes est creaturas, quomodo esse potest creatura?

Sup. cap. 5. 61. De generalitate autem supra ostendimus E quia secundum carnem creator est noster Spiritus sanctus in homine exteriore: [b] nunc ostendamus quia creator est noster, etiam secundùm gratiæ sacramentum. Et sicut creat Pater ita creat & Filius, ita creat & Spiritus sanctus, Ephes. 2. 8. & seq. sicut legimus, dicente Paulo: *Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis.*

CAPUT VII.

Creationis spiritalis seu regenerationis non minus auctorem Spiritum esse, quam Patrem ac Filium. In quo consistat illa creatio, ejusque præstantia: & quomodo quod membra & corpus Deo tribuere videntur sacri codices, debeat intellgi?

Alias Cap. IX. 62. Ergo creat Pater in operibus bonis: creat & Filius; quia scriptum est: Johan. 1. 12. & 13. *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

63. Similiter ex Spiritu secundum gratiam nos renasci Dominus ipse testatur, dicens: *Quod natum est ex carne, caro est; quia de carne* Ibid. 3. 6. & seq. *natum est: & quod natum est de spiritu, spiritus est; quia Deus Spiritus est. Noli mirari quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis: sed nescis unde veniat, aut quo vadat; sic est omnis qui natus est de Spiritu.*

64. Claret igitur spiritalis quoque generationis auctorem esse Spiritum sanctum; quia secundùm Deum creamur, ut filii Dei simus. Ergo cùm ille nos in regnum suum per adoptionem sacræ regenerationis adsumserit, nos ei quod suum est, denegamus? Ille nos supernæ regenerationis fecit heredes, nos hereditatem vindicamus, refutamus auctorem? Sed non potest manere beneficium, cùm auctor excluditur: nec auctor sine munere, nec sine auctore munus. Si vindicas gratiam, crede potentiam: si refutas potentiam, gratiam ne requiras. [c] Qui Spiritum negavit, statim negavit & donum. Nam si auctor vilis, quomodo dona pretiosa? Cur nostris ipsi muneribus invidemus, spem imminuimus, dignitatem repudiamus, consolatorem negamus?

65. Sed illum negare [d] non possumus. Absit enim ut negemus quod maximum est, cùm Apostolus dicat: *Vos autem, fratres, secundùm* Galat. 4. 28. & 29. *Isaac promissionis filii estis: sed sicut tunc qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundùm Spiritum.* Iterum utique subauditur de superioribus, qui secundùm Spiritum natus est. Qui ergo secundùm Spiritum nascitur, secundùm Deum nascitur. Renascimur autem, quando in interiore renovamur affectu, & exterioris hominis [e] vetustatem deponimus. Et ideo ait iterum Apostolus: *Renovamini autem Spiritu* Ephes. 4. 23. & 24. *mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in veritate, & justitia, & sanctitate.* Audiant quemadmodum unitatem divinæ operationis Scriptura signaverit. Qui renovatur Spiritu mentis, induit novum hominem, qui secundùm Deum creatus est.

66. Sancti igitur Spiritus opus est regeneratio ista præstantior; & novi hujus hominis, qui creatur ad imaginem Dei, auctor est Spiritus: quem utique meliorem hoc exteriore esse nostro homine nemo dubitaverit. Siquidem cælestem alterum, terrenum alterum Apostolus sig- F nificavit dicens: *Qualis cælestis, tales & cælestes.* 1. Cor. 15. 48.

67. Ergo cùm cælestem faciat gratia spiritalis, quod terrenum creare possit, etiam sensu debemus advertere, licet careamus exemplis. Dicit enim alibi sanctus Job: *Vivit Dominus, qui* Iob. 27. 2. & 3. *sic me judicat; & omnipotens, qui ad amaritudinem perduxit animam meam: Spiritus autem divinus, qui est in naribus meis.* Non utique spiritum hîc auram vitalem hanc & spiramentum corporeum designavit, sed nares hîc interioris sui hominis significat, quibus vitæ odorem carpebat æternæ, & gratiam cælestis unguenti

a. Mss. aliquot *natum ex muliere.* Et infra, *in utero habens de Spiritu sancto*

b. Iidem mss. *nunc ostendamus in interiore. Pater ita creavit, & Filius ita creavit, & Spiritus sanctus.*

c. Omnes edit. & mss. non pauci, *Qui Christum negavit, statim amisit & nomen:* at multo concinnius alii octo, ut nos in textu.

d. Mss. aliquot, *non possumus. Nos negamus? Sed absit.* Minus eleganter.

e. Non pauci mss. *vetusta desideria deponimus.*

geminis quibusdam sensibus hauriebat.

68. Sunt enim nares spiritales, ut legimus, quas habet Sponsa Verbi, cui dicitur: *Et odor naris tuæ*; & alibi: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Sunt ergo quædam interioris membra hominis, cujus[a] manus in actu, aures in auditu, pedes in processu quodam boni operis æstimantur. Itaque ex officiis, veluti quasdam colligimus membrorum figuras; neque enim in interiore homine secundum carnalia aliquid nos convenit opinari.

Cant. 7. 8. Gen. 8. 21.

Alias Cap. X.

69. Et sunt quidam qui corporaliter Deum putant[b] esse formatum, cùm legunt aut manum ejus, aut digitum: nec advertunt quod hæc non propter formam scripta sint corporis; quia in divinitate nec membra, nec partes sunt: sed propter unitatem divinitatis expressa, ut credamus quia impossibile est à Patre Deo vel Filium, vel Spiritum sanctum separari; cùm plenitudo divinitatis velut corporaliter habitet in substantia Trinitatis. Ideo igitur & Filius Patris dextera nuncupatur, sicut lectum est: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.*

Psal. 117. 16.

CAPUT VIII.

Argutiam hæreticorum qui Deum idcirco dictitabant in Spiritu, *non autem* cum Spiritu *glorificandum, ut hinc eumdem Spiritum esse inferiorem colligerent, diluit; quamobrem particulam* in *etiam Filio, immo & Patri quoque aptari planum facit: at è contrario* cum *creaturis etiam adtribui sine ulla divinitatis injuria; proindeque in iisdem præpositionibus simpliciter agnoscendam divinarum personarum conjunctionem.*

70. SEd quid mirum si de verbis amentes homines faciunt quæstionem, * cùm faciant & de syllabis? Sunt enim qui hinc putent faciendam esse distantiam, quod dicant in Spiritu Deum, non cum Spiritu prædicandum: & ex una syllaba, vel usu quodam divinitatis æstimandum putent esse momentum, argumentantes quod si in Spiritu Deum prædicandum putent, ministerium sancti Spiritus signare videantur: si verò cum Spiritu dicant Dei vel virtutem esse, vel gloriam, societatem quamdam & communionem Patris & Filii & Spiritus sancti designare videantur.

71. Sed quis separet, quod non potest separari? quis dividat societatem, quam individuam Christus ostendit? *Ite*, inquit, *baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Numquid hîc vel circa Patrem vel Filium vel Spiritum sanctum aut verbum mutavit, aut syllabam? Non utique: sed *In nomine*, inquit,

Matth. 28. 19.

A *Patris & Filii & Spiritus sancti.* Idem de Spiritu quod de Patre & de se sonat. Unde nullum Spiritus sancti ministerium, sed consortium magis honoris aut operis, cùm in Spiritu dicitur, æstimatur.

72. Considera & hîc quia ad Patrem & Filium hoc opinionis vestræ præjudicium derivatur; quia hîc non dixit: Cum Patris & Filii & Spiritus sancti nomine; sed *in nomine*: & tamen non ministerium aliquod Trinitatis hac syllaba B exprimitur, sed potestas.

73. Denique ut scias quia fidei non præjudicat syllaba, sed[c] commendat fides syllabam, & Paulus loquitur in Christo. Nec ideo minor Christus est, quia Paulus loquutus in Christo est, sicut habes: *Coram Deo in Christo loquimur.* 2 Cor. 2. 17. Quemadmodum igitur Apostolus dicit quia in Christo loquimur; ita illud est quia loquimur in Spiritu, sicut ipse Apostolus dixit: *Nemo dicit* 1. Cor. 12. 3. *dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Non subjectio itaque hoc loco Spiritus sancti, sed gratiæ copula designatur. C

74. Et ut scias discretionem non esse de syllaba, alibi quoque ait: *Et hæc quidem fuistis:* 1 Cor. 6. 11. *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Quam multa possum hinc exempla proferre! Scriptum est enim: *Omnes vos unum estis in* Galat. 3. 28. *Christo Jesu*; & alibi: [d] *Sanctificatis in Christo* 1. Cor. 1. 2. *Jesu*; & iterum: *Ut nos essemus justitia Dei in* 2 Cor. 5. 21. D *ipso*; & alio loco: *Ut excidant à castitate, quæ est* 2. Cor. 11. 3. *in Christo Jesu.*

75. Verum quid ago? Dum enim similiter dico scriptum esse de Filio, quemadmodum de Spiritu scriptum est, magis illud incurro; ut non quia de Filio scriptum est, religiose dictum videatur de Spiritu: sed quia idem de Spiritu scriptum est, etiam de Filio propter Spiritum [e] objiciant derogatum. Dicunt enim: Numquid de Deo Patre scriptum est?

E 76. Sed accipiant etiam de Deo Patre dictum? *In Domino laudabo verbum*; & alibi: *In* Psal. 55. 5. *Deo faciemus virtutem*; &: *In te commemoratio* Psal. 59. 14. *mea semper*; &: *In nomine tuo* [f] *exsultabimus*; ite- Psal. 70. 6. rum alibi: *Ut manifestentur opera ejus, quia in* Psal. 88. 17. *Deo sunt facta*; & Paulus: *In Deo qui omnia crea-* Johan. 3. 21. *vit*; & iterum: *Paulus & Silvanus & Timotheus* Ephes. 3. 9. *Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre & Domino* 1. Thess. 1. 1. *Jesu Christo*; & in Evangelio: *Ego in Patre, &* Johan. 14. 10. *Pater in me*; &: *Pater qui in me manet.* Scriptum Ibidem. F est etiam: *Qui gloriatur in Domino glorietur*; & 2. Cor. 10. 17. alibi: *Vita autem nostra abscondita est cum Christo* Coloss. 3. 3. *in Deo.* Numquid hîc plus Filio quam Patri detulit, ut in Deo nos diceret esse cum Christo? aut numquid plus nostra conditio, quàm

a. Rom. edit. sola, *manus in tactu.* Sed in communi lectione nihil mutandum; manus enim non tantum est tangere, at multo magis agere atque operari.

b. Omnes edit. ac plures mss. *esse formandum.* Non male; idem enim est, ac imagine seu figura exprimendum. At simplicius tamen alii mss. *esse formatum*, hoc est, configuratum, atque exteriori specie compositum. Videtur autem Ambros. hoc loco perstringere Anthropomorphitas seu Vadianos, de quibus Epiph. *Hær* 70. & August. *de Hær*, c. 5.

*. Quos hic designat Ambrosius noster, dubium non est quin iidem sint, qui Basilio scribendi libri *de Spiritu sancto* causam præbuere, nimirum Aetiani. Narrat enim idem Basilius cùm aliquando preces in Ecclesiæ conventu ita clauderet, ut *glorificationem Deo ac Patri, interdum cum Filio ipsius, interdum per Filium in Spiritu sancto* tribueret, nonnullos illa oratione tamquam christianis auribus peregrina offensos esse. Quapropter horum errorem, quem partim ex Aetii commentis, partim è profanorum philosophorum placitis fluxisse dicit, memoratâ opellâ confutavit: cujus doctrinæ hoc toto & sequenti capite inhæret Ambrosius.

c. Vet. edit. *sed convincat fides syllabam*: Rom. & mss. aliquot, *sed commendat fidem syllaba*: reliqui mss. qui & plures potioresque ut in contextu.

d. Rom. edit. *Sanctificatis in Christo Jesu. Et iterum: Ut nos efficeremur justitia Dei .... Sic sensus vestri excidant à castitate.* Vet. edit. & quidam mss. *sanctificatos in Christo Iesu. Et iterum: Ut nos essemus .... Ut excidant à fide.* Ceteri mss. nobiscum faciunt, nisi quod unus pro *excidant à castitate*, habet *excidant à veritate.*

e. Ita vet. edit. cum mss. longe plurimis: at Rom. edit. cum aliis pauculis, *objiciant derogandum.*

f. Rom. edit. *exsultabunt*: aliæ ac mss. *exsultabimus*: aliqui tamen, *exsultavimus.*

Spiritus gratia sibi vindicat; ut nos possimus esse cum Christo, Spiritus sanctus esse non possit? Et cùm Christus velit esse nobiscum, sicut ipse dixit: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum*, dedignetur esse cum Spiritu? Scriptum est etiam: *Convenientibus vobis & meo Spiritu* [a] *cum virtute domini Jesu*. Ergo nos cum virtute Domini convenimus, & audemus dicere quod nolit dominus Jesus cum Spiritu convenire, qui non dedignatur convenire nobiscum?

(Iohan. 16. 24. — 1. Cor. 5. 4.)

77. Nullam igitur distantiam putat Apostolus hac an illa syllaba utaris. Syllaba enim conjunctionis est, conjunctio autem sejunctionem non facit; neque enim si divideret, conjunctio diceretur.

78. Quid igitur te movet ut dicas quia gloria est Deo Patri, vel Christo ejus, vita, virtus, magnificentia, potestas in Spiritu sancto, & nolis dicere cum Spiritu sancto? An quia times ne & Spiritum cum Patre & Filio sociare videaris? Sed audi & de Spiritu scriptum: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu*. Et alibi Deus pater dicit: *Et adorabunt te, & in te deprecabuntur*. In Christo orare nos debere Deus Pater dicit; & tu putas Spiritui derogari, si in eo gloria Christi esse dicatur?

(Rom. 8. 2. — Esai. 45. 14.)

79. Audi quod times de Spiritu confiteri, non timuisse de se sibi Apostolum vindicare; ait enim: *Dissolvi, & cum Christo esse multo melius*. Cum quo igitur est Apostolus, cum eo negas esse Spiritum, per quem Apostolus meruit esse cum Christo?

(Phil. 1. 23.)

80. Quæ igitur ratio est, ut in Spiritu malis dicere, quam cum Spiritu gloriam Dei esse vel Christi? An quia si dicas in Spiritu, [b] minor Christo Spiritus declaratur? Quamvis hoc refutabile sit, ut majorem Dominum facias & minorem; tamen cùm lectum sit: *Quia pro nobis peccatum factus est Christus, ut nos essemus justitia Dei in ipso*; [c] ille invenitur potissimus, in quo sumus nos infimi. Sic & alibi habes: *Quia omnia in ipso constant*, hoc est, in ejus virtute. Nec comparari possunt illi, quæ in eo constant; quia ex virtute ejus ut constent, substantiam consequuntur.

(2. Cor. 5. 21. — Coloss. 1. 17.)

81. Numquid igitur sic Deum regnare vultis in Spiritu, ut virtus Spiritus regnandi Deo principium quasi fons quidam substantiæ largiatur? Sed hoc impium est. Et ideo ut unam Patris & Filii & Spiritus sancti * majores nostri dicerent potestatem, cum spiritu gloriam Christi esse memorabant, quo individuam copulam declararent.

82. Quomodo enim separatur Spiritus sanctus à Filio, cùm *ipse Spiritus testimonium reddat spiritui nostro quod sumus filii Dei? Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. Quis igitur tam amens, qui conjunctionem Spiritus & Christi dissociet sempiternam; cùm Spiritus etiam disjuncta connectat, per quem Christi efficimur coheredes?

(Rom. 8. 16. & 17. — Ibidem.)

83. *Si tamen*, inquit, *compatimur, ut & conglorificemur*. Si nos ergo conglorificabimur cum Christo per Spiritum, quomodo & ipsum conglorificari Christo Spiritum recusamus? Dissociamus vitam Christi & Spiritus sancti, cùm Spiritus dicat quod simul victuri sumus cum Dei Filio? Dicit enim Apostolus: *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod etiam simul vivemus cum illo*; deinde alibi: *Si enim compatimur*, inquit, *& convivemus: nec solum convivemus, sed etiam conglorificabimur: nec solum conglorificabimur, sed etiam conregnabimus*.

(Ibidem. — Rom. 6. 8. — 2. Tim. 2. 11. & 12.)

84. Non est igitur in syllabis istis ulla discretio; utraque enim syllaba conjunctionis est. Denique sæpe reperimus in Scripturis alteram interpositam, & alteram intellectam, sicut scriptum est: *Introibo in domum tuam in holocaustis*, hoc est, cum holocaustis; & alibi: *Eduxit*, inquit, *eos in argento & auro*, hoc est, cum argento & auro. Alibi quoque ait: *Non egredieris in virtutibus nobiscum*; pro eo quod est, cum virtutibus. Ergo cùm & in usu sermonis calumnia esse non possit, & ex sermone calumnia divinitati non debeat excitari, opus est ut ad justitiam corde credatur, & ex fide cordis fiat ad salutem in ore confessio. Sed qui corde non credunt, calumniam struunt verbis.

(Psal. 65. 13. — Psal. 104. 37. — Psal. 43. 10. — Rom. 10. 10.)

CAPUT IX.

Apostolicum locum quo hæretici, ut discrimen inducerent inter personas divinas, abutebantur, exponit: & declarata hæreticæ interpretationis impietate, ostendit locum integrum de singulis personis rectè dici posse; quem tamen proprie ad Filium pertinere adstruit: postremo quod affirmaverat omnia ejusdem loci membra unicuique personæ convenire, multis confirmat testimoniis: & eo ipso quod Patri competit, ut dicatur ex illo omnia, *eidem etiam tribui posse* per illum & in illo omnia *scite colligit*.

85. Denique simile & illud est, quod aiunt discretionem esse, quia scriptum est: *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*. Volunt enim cùm dicitur, *ex illo*, materiam designari: cùm dicitur, *per illum*, quoddam vel instrumentum operis, vel ministerium declarari: cùm autem dicitur, *in illo*, aut locus significetur aut tempus, in quo omnia facta videantur.

(1. Cor. 8. 6.)

86. Ita igitur distantiam quamdam substantiæ probare desiderant, tamquam instrumentum ab operatore proprio vel auctore, & tamquam tempus aut locum ab instrumento dirimere gestientes. Numquid ergo alienus secundum naturam Filius à Patre; quia alienum instrumentum ab operatore proprio vel auctore? aut numquid alienus Filius à Spiritu; quia ab instrumenti genere aut locus separatur aut tempus?

87. Compara nunc assertiones nostras. Illi volunt ex Deo tamquam ex natura Dei esse

a. Nonnulli mss. *in virtute Domini Jesu*. Perperam.

b. Omnes edit. ac multi mss. *minor Christus Spiritu declaretur*: Septem tamen codices melioris notæ, ut in textu. Et hanc lectionem manifestissime sensus exigit.

c. Sic omnes edit. ac plures mss. aliorum autem aliqui, *ille invenitur, in quo sumus potentes, non infirmi*; aliqui, *ille invenitur, in quo sumus potissimum nos infirmi*: alii denique ab edit. hoc solo distant, quod verbo *sumus*, adjiciunt *positi*.

*. Qui sint illi majores quamvis hoc loco non explicetur, facile tamen intelliges ex Basilii lib. 3 de Spiritu sancto cap. 29. ubi eorum & nomina refert & verba. Nam cùm hic tantum innuat Ambrosius, quanti faciendam traditionis auctoritatem putet; multo fusius Basilius id argumentum citato & superiori cap. ejusdem lib. 3. prosequitur.

materiam, ut si dicas ex ligno arcam esse factam, A
ex lapide statuam: ita ex Deo materiam processisse, & eamdem materiam tamquam per instrumentum aliquod factam esse per Filium, ut non tam operatorem Filium, quam instrumentum operis esse declarent: & omnia ita facta in Spiritu, tamquam in aliquo loco facta vel tempore: singula singulis tribuunt, in commune omnia negant.

88. Verum nos ostendimus ita ex Deo Patre esse omnia, ut nec amiserit Deus Pater, quod B
vel per ipsum & in ipso omnia sint, nec tamquam ex materia ex ipso omnia sint: ita quoque per dominum Filium esse omnia, ut non
a privatus sit eo, quod ex Filio sint omnia, [a] & in
ipso sint omnia: & ita omnia esse in Spiritu, ut doceamus omnia esse per Spiritum, & omnia esse de Spiritu.

89. Nam istæ syllabæ, sicut illæ de quibus superius diximus, se invicem signant. Non enim
ita dixit Apostolus: Ex Deo omnia, & per Fi- C
lium omnia; ut separabilem substantiam Patris Filiique signaret: sed ut inconfusibili distinctione quod alius Pater, alius sit Filius, edoceret. Non igitur tamquam compugnantes syllabæ istæ, sed tamquam sociæ atque concordes sunt; ut etiam uni sæpe conveniant, sicut
Rom. 11. 36. scriptum est: *Quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

90. Quod si vere consideres unde translatum sit, de Filio dictum esse non ambiges. Dicit D
enim Apostolus secundum prophetiam Esaiæ:
Esai. 40. 13. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Et addidit: Quia ex ipso, & per ipsum, & ipso sunt omnia.* Quod Esaias de operatore om-
Esai. 40. 12. nium dixit, sicut habes: *Quis mensus est manu aquam, & cælum palmo, & universam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera? Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

91. Et addidit Apostolus: *Quoniam ex ipso,* E
& per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quid est, *ex ipso?* Quod ex ipsius voluntate natura sit omnium, & ipse sit auctor omnium, quæ esse cœperunt. *Per ipsum*, quid est? Quia per ipsum constitutio & perseverantia omnibus impertita videatur. *In ipso*, quid est? Quia omnia admirabili quodam desiderio, & inenarrabili amore auctorem vitæ & ministratorem gratiæ suæ ac muneris intuentur, secundùm quod scriptum
Psal. 144. 15. est: *Oculi omnium in te sperant*; &: *Aperis manum* F
tuam, & imples omnem animam bona voluntate.

92. De Patre quoque si dicas: ideo *ex ipso*, quia ex ipso operatrix Sapientia, quæ omnibus ex sua & Patris voluntate dedit esse, quæ non erant: *Per ipsum*, quia per Sapientiam ejus
b facta sunt omnia: *In ipso*, [b] quia ipse est vivificatoriæ fons substantiæ, in quo vivimus & sumus & movemur.

93. Ex Spiritu quoque, ut per ipsum formati, per ipsum firmati, in ipso roborati, vitæ capiamus munus æternæ.

94. Cùm hæc igitur vel Patri vel Filio vel Spiritui sancto convenire videantur, nihil utique humile in his certum est declarari; cùm & ex Filio dicamus esse pleraque, & multa per
Patrem, sicut habes de Filio dictum: *Ut au-* Ephes. 4. 15. & 16.
geamur in ipso per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum, inquit, *corpus compactum & connexum per omnem juncturam ministrationis in mensuram uniuscujusque partis, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.* Et iterum ad Colossenses de his qui non haberent cognitionem
unigeniti Filii Dei: *Quia non tenent*, inquit, *ca-* Coloss. 2. 19.
put, ex quo omne corpus per compaginationes & colligationes subministratum & copulatum crescit in incrementum Dei; caput enim Christum esse Ec- Coloss. 1. 18.
clesiæ supra diximus. Et alibi habes quia *de* Johan. 1. 16.
plenitudine ejus nos omnes accepimus. Et ipse Dominus dixit: *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ibid. 16. 14.
Et supra ait: *Cognovi virtutem exisse de me.* Luc. 8. 46.

95. Similiter ut agnoscas unitatem, etiam
de Spiritu dicitur: *Quia qui seminat in Spiritu,* Galat. 6. 8.
de Spiritu metet vitam æternam. Et Johannes ait:
Ex hoc cognoscimus [c] *quia in nobis est, quoniam de* c 1. Johan. 4. 13.
Spiritu suo dedit nobis. Et Angelus dicit: *Quod*
ex ea nascetur, de Spiritu sancto est. Et Dominus Matth. 1. 20.
ait quia *quod natum est de Spiritu, Spiritus est.* Johan. 3. 6.

96. Ergo sicut ex Patre legimus esse omnia, ita & ex Filio posse dici omnia, per quem omnia sunt: & ex Spiritu esse omnia, in quo omnia sunt, testimoniis edocemur.

97. Nunc consideremus utrum per Patrem
esse aliquid docere possimus. Sed scriptum est: 1 Cor. 1. 1.
Paulus servus Christi per voluntatem Dei; & alibi: Galat. 4. 7.
Unde jam non es servus, sed Filius: si autem Filius, & heres per Deum; & alibi: *Sicut resurrexit Christus à mortuis per gloriam Patris.* Et alibi
Deus Pater ad Filium dicit: *Ecce proselyti venient* Rom. 6. 4.
ad te per me. Esai. 54. 15.

98. Multa reperies alia, si quæras per Patrem facta. Numquid ideo minor Pater, quia in Filio & ex Filio pleraque esse legimus: &
per Patrem facta [d] vel data plurima in scriptu- d
ris cælestibus reperimus?

99. Sed etiam per Spiritum similiter legimus
facta pleraque, sicut habes: *Nobis autem reve-* 1. Cor. 2. 10.
lavit Deus per Spiritum suum; & alibi: *Bonum* 1. Tim. 1. 14.
depositum custodi per Spiritum sanctum; & ad
Ephesios: *Confortari per Spiritum ejus*; & ad Co- Ephes. 3. 16.
rinthios: *Alii enim datur per Spiritum sermo sa-* 1. Cor 12. 8.
pientiæ; & alibi: *Si autem per Spiritum facta car-* Rom. 8. 13.
nis mortificaveritis, vivetis; & supra: *Qui sus-* Ibidem 11.
citavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

100. Sed fortasse dicat: Ostende mihi specialiter lectum, quia ex Filio omnia, vel ex Spiritu omnia. At ego refero, ut & illi mihi lectum esse ostendant quia per Patrem omnia. Sed cùm hæc vel Patri probaverimus, vel Filio, vel Spiritui sancto convenire, nec ullam ex hujusmodi syllabis nasci posse divinæ distantiam potestatis; non est dubium quin per quem omnia, ex eo omnia: & ex quo omnia, per eum omnia: & in quo omnia, per eum

a. *Et in ipso sint omnia*, desiderantur in cunctis edit. ac mss. non paucis; ea tamen ex aliis sex melioris notæ restituimus. At post pauca ubi omnes mss. ac vet. edit. *Ex Deo omnia*; Rom. sola reposuit, *ex Patre omnia*.

b. Omnes edit. & quidam mss. *quia in ipso est*: reliqui mss. magno numero, *quia ipse est*.

c. Mss. non pauci, *quia in nobis est, de Spiritu quem* &c.

d. Omnes edit. *vel dicta*: omnes mss. *vel data*.

vel ex eo omnia esse intelligere debeamus. Omnis enim creatura & ex voluntate, & per operationem & in virtute est Trinitatis, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; & alibi: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Gen. 1. 26. Psal. 32. 6.

CAPUT X.

Probaturus unam Trinitatis esse voluntatem, vocationem atque jussionem, docet non secus ac Pater & Filius Ecclesiam vocarunt, ita & Spiritum eam vocasse; idque ex electione Pauli & Barnabæ ostendit, sed potissimum ex missione Petri ad Cornelium. Hic obiter ejusdem Spiritus potestate, ac trina Petri confessione perstrictis, in ejusdem apostoli visione adumbratam fuisse declarat vocationem gentium, quæ cùm prius ferarum similes exstitissent, Spiritus opera deposuere feritatem. Tum ubi superiora ex alio loco stabilivit, in Hieremia in lacum à Judæis demisso, & inde educto ab Abdemelech, Spiritus sancti ab iisdem Judæis contemtui habiti, & à gentibus quas mundavit, honorati symbolum præivisse demonstrat.

Alias Cap. XI.

101. Nec solum una operatio est ubique Patris & Filii & Spiritus sancti, sed etiam una atque eadem voluntas, una vocatio, una præceptio: quod licet in illo magno ac salutari Ecclesiæ spectare mysterio. Sicut enim Pater vocavit gentes ad Ecclesiam, dicens: *Vocabo non plebem meam, plebem meam:* [a] *& non dilectam, dilectam*; & alibi: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus*: ita etiam dominus Jesus ad evocandam & congregandam Ecclesiam Paulum à se dicit electum, sicut habes ad Ananiam dictum à domino Jesu: *Vade, quoniam vas electionis est mihi hic ad ferendum nomen meum coram gentibus.* (a Osee 2. Esai. 56. 7. — Act. 9. 15.)

102. Sicut ergo Pater Deus vocavit Ecclesiam, ita vocavit & Christus: & quemadmodum Christus vocavit, ita vocavit & Spiritus, dicens: *Separate mihi Paulum & Barnabam in opus, quo vocavi eos. Tunc jejunantes*, inquit, *& orantes, imposuerunt eis manus, & dimiserunt eos. Ipsi autem præmissi ab Spiritu sancto devenerunt in Seleuciam.* Ergo non solum Christi, sed etiam Spiritus sancti imperio apostolatum Paulus accepit, & ad congregationem gentium festinavit. (Act. 13. 2. & seq.)

103. Nec solus Paulus, sed etiam Petrus, sicut legimus in Actibus apostolorum. Nam cùm in oratione vidisset cælum apertum, & quatuor initiis ligatum vas quoddam, tamquam linteum in quo erant omnia genera quadrupedum & ferarum & volucrum cæli; *facta est vox ad eum: Surge, occide, & manduca. Et Petrus dixit: Absit, Domine: numquam manducavi commune & immundum. Et vox rursus ad eum: Quod Deus mundavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter, & receptum est vas in cælum.* Ergo cùm hoc secum Petrus tacitus cogitaret, & venissent ad eum Cornelii servuli ab Angelo destinati, ait illi Spiritus: *Ecce viri quærunt te, surge itaque, & descende, & vade cum eis: ne dubites; quoniam ego misi illos.* (Act. 10. 11. & seq. — Ibidem 19. & 20.)

104. Quam evidenter expressit suam Spiritus sanctus potestatem! Primo omnium quia adspiravit oranti, adfuit deprecanti: deinde quoniam vocatus Petrus respondit, *Domine*, & ideo secundum evidentius meruit oraculum, quia confessus est Dominum. Sed quis iste sit Dominus Scriptura declarat; respondenti enim, is utique cui responderat, loquebatur: Spiritum autem ostendunt sequentia declaratum; quia ipse qui mysterium figurabat, mysterium revelabat.

105. Simul illud adverte quia tertio repetita figura mysterii operationem Trinitatis expressit. Et ideo * in mysteriis interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur: nec potest quis nisi trina confessione purgari. Unde & ipse Petrus in Evangelio tertiò interrogatur, utrum diligat Dominum; ut trina responsione vincula, [b] quæ Dominum negando contraxerat, & quibus se ipse ligavit, absolverentur. (Iohan. 21. 15.)

106. Tum deinde quia ad Cornelium Angelus mittitur, Petrum Spiritus sanctus alloquitur: *Oculi enim Domini super fideles terræ.* Nec illud otiosum, quod cùm in superioribus præmisisset: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris*; subito decidit super gentiles, ut mundaret eos Spiritus sanctus; unde ostenditur operationem Spiritus operationem esse divinam. Petrus autem missus ab Spiritu, non exspectavit imperium Dei Patris, sed ipsius quoque Spiritus illud est confessus oraculum, ipsius Spiritus gratiam esse testatus est dicens: *Si ergo eamdem gratiam illis concessit Deus, sicut & nobis; ego quis eram, qui prohiberem Deum?* (Act 10 3. — Psal 100. 6. — Act 10. 15. — Act. 11. 17.)

107. Spiritus ergo sanctus est, qui nos ab illa gentili colluvione mundavit. In illis enim generibus quadrupedum, & ferarum & volucrum figura erat conditionis humanæ, quæ ferarum modo bestialem videtur induta sævitiam, nisi Spiritus sanctificatione mitescat. Bona ergo gratia, quæ ferinam rabiem [c] spirituali simplicitate commutat: *Eramus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis: nunc autem per renovationem Spiritus heredes Christi, Angelorum cœpimus esse coheredes.* (Tit. 3. 3.)

108. Itaque Spiritu videns sanctus propheta David ex feris nos similes futuros esse cælestium: *Increpa*, inquit, *feras silvæ*, silvam videlicet significans non ferarum fragosam cursibus, nec bestiarum gemitibus inhorrentem, sed illam silvam de qua scriptum est: *Invenimus eam in campis silvæ.* In qua, sicut dixit Propheta: *Justus ut palma florebit, & velut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur.* Illa silva, quæ Verbi cælestis alimoniam propheticarum verticibus arborum concussa defluxit. Illa silva, ad quam Paulus lupus quidem raptor intravit, sed pastor exivit: *In omnem* enim *terram exivit sonus eorum.* (Psal. 67 31. — Psal. 131. 6. — Psal 91. 13. — Psal 18. 5.)

a. Mss. aliquot, *& non electam, electam.*

*. *In mysteriis*, hoc loco idem significat atque in sacramento baptismatis. Clarum quippe est trinas illas interrogationes ac responsiones hic designari, de quibus ad lib. 1. *de Sacram.* cap. 7 ubi eædem describuntur, nos etiam aliquid observavimus. Quod vero, paucis interjectis, additur: *Nec potest quis nisi trina confessione purgari*; hoc de more solito atque ordinatio intelligendum est: aut sane eo sensu accipiendum, quo in una confessione aliæ duæ comprehenduntur, quemadmodum ab ipsomet Ambrosio expositum est superiori libro, cap 3. num. 42. & seq.

b. Ita mss. aliquot probatiores: alii vero, & edit *quæ Dominum* (Rom. *quibus Dominum*) *negando ligaverat* [edit. vet. *ligavit*, Rom. *se ligavit*] *absolveret.*

c. Nonnulli mss. *Spiritu atque simplicitate commutat.*

109. Eramus

109. Eramus ergo feræ, & ideo dicit Dominus: *Adtendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* (Matth. 7. 15.) Sed per Spiritum sanctum jam leonum sævitia, pardorum varietas, astutia vulpium, luporum rapacitas de nostris exolevit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cælo terras mutavit; ut conversatio nostra, sicut Apostolus dixit, in cælis sit, (Philip. 3. 20.) qui ante sicut feræ errabamus in silvis.

110. Sed nec hoc tantum loco Petrus apostolus, sed etiam alibi in eodem libro à Spiritu sancto ædificatam Ecclesiam demonstravit. Habes enim dixisse eum: *Deus qui novit corda hominum, testimonium perhibuit, dans his Spiritum sanctum, sicut & nobis; & nihil discrevit inter nos & illos, mundans per fidem corda eorum.* (Act. 15. 8. & 9.) In quo illud est contuendum, quia sicut Christus lapis est angularis, qui unitatem plebis utriusque connexuit; ita etiam Spiritus sanctus non discrevit utriusque populi corda, sed junxit.

111. Non ergo tamquam Judæus contemnas Filium, quem annuntiaverunt prophetæ; contemnas etiam Spiritum sanctum, contemnas Esaiam, contemnas Hieremiam, quem de lacu Judaicæ domus ille adsumtus à Domino (Hier. 38. 10.) [a] pannis & funibus elevavit. Verbum enim propheticum despiciens, in lacum demerserat eum populus Judæorum. Nec quisquam inventus est de Judæis qui levaret prophetam, sed unus Æthiops Abdemelech, sicut Scriptura testatur.

112. In quo nomine figura pulcherrima est, quia sermonem propheticum, quem Judæi velut in cœnum suæ mentis carnisque detruserant, (Ibidem 11.) nos videlicet ex gentibus peccatores, nigri ante delictis, & quondam infructuosi elevavimus de profundo. Et ideo scriptum est: *Æthiopia* [b] *prælevabit manus suas Deo.* (Psal. 67. 32.) In quo sanctæ Ecclesiæ species significatur, quæ ait in Canticis canticorum: *Nigra sum & decora, filiæ Hierusalem;* (Cant. 1. 4.) nigra per culpam, decora per gratiam: nigra per conditionem, decora per redemtionem: aut certe nigra exercitii sui pulvere. Nigra ergo, dum præliatur: decora est, dum victoriæ suæ insignibus coronatur.

113. Et bene funibus levatur propheta; fidelis enim dixit: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* (Psal. 15. 6.) Bene pannis; quia ipse Dominus, excusantibus his qui primo ad nuptias vocati fuerant, ad exitus viarum misit; ut quotquot invenirentur & boni & mali, ad nuptias vocarentur. (Matth. 22. 9. & 10.) His itaque pannis propheticum verbum levavit è cœno.

CAPUT XI.

Imitaturos nos Abdemelech, si credamus Filium & Spiritum sanctum omnia cognoscere. Spiritui cognitionem hanc tribui in Scripturis, Filio quoque eamdem adtribui. Filium à Spiritu clarificari, sicut & à Filio Spiritum: item ex eo quod Patrem, Filium atque Spiritum legamus eadem loqui, ac revelare, unitatem in ipsis naturæ & scientiæ agnoscendam: denique quod alta Dei scrutatur *Spiritus, ignorantiæ non esse; cùm Pater & Filius etiam dicantur scrutatores, & Paulus tametsi à Christo domino electus, edoctus tamen fuerit à Spiritu.*

114. Eris igitur & tu Abdemelech, hoc est, adsumtus à Domino, si de profundo (Alias Cap. XII.) gentilis imprudentiæ levaveris Dei Verbum: si credideris quia non fallitur, non præteritur Dei Filius, non ignorat quæ futura sunt; non fallitur etiam Spiritus sanctus, de quo dicit Dominus: *Cùm venerit autem ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* (Iohan. 16. 13.) Qui dicit *omnem*, nihil præterit, non diem, non horam, non præterita, non futura.

115. Et ut scias quia & omnia novit, & futura annuntiat, & unius est scientiæ cum Patre & Filio; audi quid dicat de eo Dei veritas: *Non enim loquetur à semet ipso, sed quæ audierit, loquetur: & quæ evenient, annuntiabit vobis.* (Ibidem.)

116. Itaque ut advertas quia novit omnia, cùm diceret Filius: *De die autem illa & hora nemo novit, neque Angeli cælorum;* (Marc. 13. 32.) excepit Spiritum sanctum. Si autem exceptus est Spiritus sanctus ab ignorantia, quomodo non exceptus est Dei Filius?

117. Sed dicis quia cum Angelis annumeraverit & Dei Filium. Annumeravit quidem Filium, sed non annumeravit & Spiritum. Aut fatere igitur potiorem esse Spiritum sanctum Dei Filio, [c] ut jam non solum quasi Arrianus, sed etiam quasi Photinianus loquaris: aut agnosce quo referre debeas, quod nescire Filium dixit. Etenim quasi homo annumerari creaturis potuit, qui creatus est.

118. Quod si vis discere quia novit omnia, & præscientiam habet omnium [d] Dei Filius futurorum, quæ Filio incognita putas, ea de Filio Spiritus sanctus accepit. Accepit autem per unitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius: *Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* (Iohan. 16. 14. & 15.) Quid igitur hac evidentius unitate? Quæ habet Pater, Filii sunt: quæ habet Filius, accepit & Spiritus.

119. Accipe tamen quia novit judicii diem Filius. Lectum est in Zacharia: *Et veniet dominus Deus meus, & omnes sancti cum eo. In illa die non erit lumen, sed frigus & gelu: & erit dies una, & dies illa nota Domino.* (Zach. 14. 5.) Hæc igitur dies nota Domino, qui veniet cum sanctis suis, secundo nos illuminaturus adventu.

121. Sed quod orsi sumus de Spiritu, perse-

a. Rom. edit. hic & infra, *rudibus pannis.* Reliquæ, ac mss. omittunt, *rudibus*, pro qua voce in Bibliis habetur *veteribus* sive *putribus*.

b. Mss. aliquot, *prævaluit*: unus, *prælibabit*: ceteri atque edit. *prælevabit.* Græce habetur προφθάσει, præoccupabit, præveniet &c.

c. Ita edit. ac multo plures mss. alii vero, *utinam enim non solum . . . Filium Dei dixit.*

d. Mss. nonnulli, *Dei Spiritus.* Minus congrue.

quamur. Habes enim in eo quod prætulimus A exemplo quia Filius dicit de Spiritu: *Ille me clarificabit.* Clarificat ergo Spiritus Filium, sicut clarificat & Pater: sed etiam Spiritum clarificat Dei Filius, sicut supra diximus. Non est ergo infirmus, qui reddit mutuam claritatem per unitatem lucis æternæ: nec inferior sancto Spiritu, cujus hoc ipsum est, quod clarificatur ab Spiritu.

122. Adsumeris ergo & tu, si credas quia hoc loquutus est Spiritus, quod loquutus est Pater, B quod loquutus est Filius. Denique [a] Paulus ideo adsumtus est, quia sic credidit, sic docuit, quia

1. Cor. 2. 9. & 10. *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, nobis revelavit per Spiritum suum,* sicut scriptum est. Et ideo revelationis Spiritus

Esai. 64. 4. dicitur, sicut habes: *Dat enim Deus sic præparantibus se Spiritum sapientiæ & revelationis* [b] *in agnitionem ejus.*

123. Unitas igitur est scientiæ, quando sicut C Pater revelat, qui dat Spiritum revelationis, sic revelat & Filius; quia scriptum est:

Matth. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Plus dixit de Filio, non quod plus habeat quam Pater, sed ne minus habere credatur. Nec immerito sic revelatur Pater à Filio; quia sic novit Patrem Filius, quemadmodum Filium Pater novit.

124. Accipe nunc quia Deum Patrem novit D

1. Cor. 2. 11. & Spiritus; scriptum est enim quia *sicut ea quæ hominis sunt, nemo novit nisi spiritus qui in ipso est: sic & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Nemo,* inquit, *cognovit, nisi Spiritus Dei.* Numquid exclusus est Dei Filius? Non utique; quia nec Spiritus sanctus exclusus est, cùm dicitur: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius.*

125. Ergo unius & Pater & Filius & Spiritus sanctus & naturæ sunt & scientiæ. Neque cum omnibus quæ per Filium facta sunt, annumerandus est Spiritus, cùm Deum Patrem noverit, E

Matth. 11. 27. quem (sicut scriptum est) quis potest nosse nisi Filius? Sed & Spiritus sanctus novit. Quid ergo? Cùm dicitur universitas creaturarum, non Spiritus sanctus comprehenditur.

126. Nunc velim respondeant, quid est in homine, quod cognoscat quæ sunt hominis? Utique rationabile, quod ceteris animæ virtutibus superemineat, & quo præcipua natura hominis æstimatur. Quid est igitur Spiritus, qui F alta Dei novit, per quem Deus omnipotens revelatur? Numquid plenitudine divinitatis inferior est, qui ejusdem cum Patre substantiæ etiam hoc exemplo probatur? Aut aliquid igno-

1. Cor. 2. 7. & seq. rat, qui novit consilia Dei, & mysteria ejus ab initio abscondita? Quid est quod nesciat, qui

Ibidem 10. novit omnia quæ Dei sunt? *Spiritus* enim *etiam alta Dei scrutatur.*

127. Ac ne putes quod scrutetur incognita, & ideo scrutetur, ut discat id quod ignoret; ante præmisit quia revelavit nobis Deus [c] per Spiritum suum: simul ut disceres quia novit Spiritus quæ nobis per ipsum Spiritum revelantur, in posterioribus ait: *Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est: sic & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ergo si hominis spiritus novit quæ hominis sunt, & antequam scrutetur novit, potestne aliquid Dei esse, quod Spiritus Dei nesciat? De quo non otiose Apostolus dixit: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei;* non quod scrutando cognoverit, sed noverit per naturam: non quod accidens in eo scientia divinorum, sed cognitio naturalis sit.

128. Verum si te movet quia dixit, *scrutatur;* accipe quia id quoque de Deo scriptum est, eo quod sit scrutator cordis & renum. Ipse enim dixit: *Ego sum scrutans corda & renes.* Etiam de Hier. 17. 10.

Filio Dei habes ad Hebræos: *Qui scrutator est* Hebr. 4. 12.

animi & cogitationis. Unde liquet quia nemo inferior superioris scrutatur interna; divinæ enim solius est potestatis occulta novisse. Similiter ergo scrutator est Spiritus sanctus ut Pater, similiter scrutator & Filius: cujus proprietate sermonis id exprimitur; ut videatur nihil esse quod nesciat, quem nihil præterit.

129. Denique ille electus à Christo, instructus ab Spiritu est. Nam sicut ipse testatur, per Spiritum divini cognitionem consequutus arcani, ostendit quia & novit Spiritus Deum, & ea nobis quæ Dei sunt, Spiritus revelavit, sicut revelavit & Filius. Et addidit: *Nos autem non* 1. Cor. 2. 12. & 13.

spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in suasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtute Dei?

CAPUT XII.

Probato Spiritum æque revelare ac Patrem & Filium, quomodo non loquatur à se idem Spiritus, explicatur; ostenditurque non cogitanda in ipso corporea organa, nec ullam inferioritatem ex eo fingendam, quod audire legatur; quando idem Filio esset adtribuendum; immo vero etiam Patri, cùm & ipse audiat Filium. Spiritum igitur eo sensu audire & clarificare Filium, quod eum prophetis atque apostolis revelavit; quæ ex re operationis trium personarum unitas adstruitur; & cùm eadem Spiritus operetur, quæ Pater, eadem quoque declaratur utriusque esse substantia.

130. Probatum est igitur quia sicut Deus nobis quæ sua sunt, ita & Filius quæ Dei sunt, ita etiam Spiritus revelavit. Ex uno enim Spiritu per unum Filium in unum Patrem cognitio nostra procedit: & ex uno Patre per unum Filium in unum Spiritum sanctum bonitas & sanctificatio & imperiale jus æternæ traditur potestatis. Ubi ergo ostensio Spiritus, ibi Dei virtus: nec potest esse discretio, ubi opus unum est. Et ideo quod loquitur Filius, loqui-

a. Mss. aliquot, *Paulus à Deo adsumtus est.*

b. *In agnitionem ejus*, his verbis nonnulli mss. subjungunt: *Quia sicut Pater novit Filium, sic & Filius Patrem novit, sic & Spiritus Deum Patrem novit; & sicut Pater revelat nobis quæ sua sunt, sic & Filius, sic Spiritus sanctus revelavit.* Sed cùm eadem alio loco in aliis quibusdam mss. habeantur; in aliis vero non textus, sed tituli vicem obtineant, non secus ac in edit. ant. in quibus ibi legebantur paucis mutatis, ubi caput 12. incipiebat, hinc ea margini tantum duximus adscribenda, ut discas quantum in similibus oscitarint, aut sibi permiserint scriptores librarii.

c. Nonnulli mss. *Spiritum suum. Si ante præmisit quia revelavit nobis Deus, simul ut disceres* &c. Minus commode.

tur & Pater: & quod Pater loquitur, loquitur & Filius: & quod loquitur Pater & Filius, loquitur & Spiritus sanctus.

131. Unde & de Spiritu Filius Dei dixit: *Non enim loquetur à se*, hoc est, non sine mea & Patris communione, neque enim divisus ac separatus est Spiritus, sed quæ audit, loquitur: audit videlicet per unitatem substantiæ, & per proprietatem scientiæ. Neque enim foraminibus aliquibus corporalibus recipit auditum, & quibusdam divina modulis carnalibus vox resultat, vel audit id quod ignorat; quoniam in rebus humanis scientiam plerumque auditus operatur, & tamen nec in ipsis hominibus semper alloquium corporale, aut carnalis auditus est: *Qui* enim *loquitur linguis, non hominibus*, inquit, *loquitur, sed Deo. Nemo enim audit, Spiritu autem loquitur mysteria.* — Iohan. 16. 13. — 1. Cor. 14. 2.

132. Ergo si in hominibus non semper auditus est corporalis; in Deo tu infirmitatis humanæ sonitus, & quædam organa exigis carnalis auditus; cùm ideo audire dicatur, ut scire credatur? Nos enim id scimus, quod audierimus, & ante audimus, ut scire possimus: in Deo autem qui novit omnia antequam fiant, scientia præcedit auditum. Itaque ut quod velit Pater, Filium non ignorare dicamus, audisse memoramus: sed non in Deo sonus, neque syllaba, quæ significare solent indicium voluntatis; sed voluntatis unitas divinis quidem intelligitur arcanis, nostris autem significatur indiciis.

133. Quid est ergo: *Non enim à se loquetur*? Hoc est, non sine me loquetur; quia loquitur veritatem, sapientiam adspirat. Non sine Patre loquitur, quia Dei Spiritus est: non à se audit, quoniam ex Deo omnia.

134. Omnia accepit à Patre Filius; quia ipse dixit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Omnia Patris habet Filius; quia iterum ait: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* Et quæ accepit ipse per unitatem naturæ, ex ipso per eamdem unitatem accepit & Spiritus, sicut ipse dominus Jesus declarat, de Spiritu suo dicens: *Propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quod ergo loquitur Spiritus, Filii est: quod dedit Filius, Patris est. Ita nihil à se aut Filius loquitur aut Spiritus, quia nihil extra se Trinitas loquitur. — Matth. 11. 27. — Iohan. 16. 15. — Ibidem.

135. Quod si ad infirmitatem Spiritus sancti, & quamdam corporeæ similitudinem vilitatis id derivari contendas, etiam ad Filii injuriam derivabis; quia & de se Filius dixit: *Sicut audio, judico*; &, *Non potest aliud facere Filius, nisi quod viderit facientem Patrem.* Si enim verum est, sicut verum est, quod dixit Filius: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt*; & secundum divinitatem unum est cum Patre Filius, unum per substantiam naturalem, non unus secundum Sabellianam perfidiam. Quod unum utique est per substantiæ proprietatem, non potest separari; & ideo non potest Filius facere, nisi quod audierit à Patre; quia in æternum est permanens Dei Verbum, nec umquam Pater à Filii operatione dividitur: & quod operatur Filius scit Patrem velle: & quod vult Pater, Filius novit operari, — Iohan. 5. 30. — Ibidem 19. — Psal. 118. 89.

136. Denique ne vel in tempore, vel in ordine aliquam inter Patrem & Filium putares operis esse distantiam, sed ejusdem operationis crederes unitatem: *Et opera*, inquit, *quæ ego facio, ipse facit.* Et rursus ne discretionem aliquam in operis distinctione sentires, sed idem velle, idem facere, idem posse Patrem & Filium judicares, dicit tibi Sapientia de Patre: *Quæcumque enim ille fecerit, eadem & Filius facit similiter.* Non ergo alicui prior vel secundus est actus, sed idem unius operationis effectus. Et ideo nihil à se posse facere Filius dicitur; quia à Patre non potest ejus operatio separari. Similiter & Spiritus sancti operatio non secernitur. Unde etiam ea quæ loquitur, audire à Patre dicitur. — Iohan. 5. 17. — Ibidem 19.

137. Quid si doceo quia & Pater audit Filium, sicut & Filius audit Patrem? Habes enim scriptum in Evangelio, quia dicit Filius: *Pater, gratias tibi ago, quia audisti me.* Quomodo audivit Pater Filium, cùm Filius nihil ad Patrem in superioribus de Lazaro sit loquutus? Ac ne putares quia semel à Patre auditus est Filius, addidit: *Et ego sciebam quia semper me audis.* Ergo non subjectæ obedientiæ, sed unitatis auditus est sempiternæ. — Iohan. 11. 41. — Ibidem 42.

138. Similiter igitur & audire à Patre Spiritus, & clarificare Filium dicitur. Clarificare ideo, quia docuit nos Spiritus sanctus Filium Dei imaginem esse invisibilis Dei, & splendorem gloriæ, & characterem substantiæ ejus; Spiritus enim & in patriarchis & in prophetis loquutus est: & apostoli denique tunc perfectiores esse cœperunt, posteaquam Spiritum receperunt. Nulla ergo distantia divinæ virtutis & gratiæ; nam licet *divisiones gratiarum sint, idem autem Spiritus: &* [a] *divisiones ministeriorum sint, idem autem Dominus: & divisiones operationum sint, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Divisiones sunt munerum, non separationes Trinitatis. — Coloss. 1. 15. — Hebr. 1. 1. & 2. — 1. Cor. 12. 4. & seq. — a

139. Denique idem est Deus qui operatur omnia in omnibus; ut scias quia non est discretio operationis inter Deum Patrem & Spiritum sanctum, quando ea quæ operatur Spiritus, operatur & Pater Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nam cùm operetur omnia in omnibus Pater: *Alii* tamen *datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* — Ibidem 8. & seq.

140. Non est ergo dubium, quia ea quæ operatur Pater, operetur & Spiritus. Nec ex præcepto, sicut qui corporaliter audit, operatur: sed ex voluntate, qui sui est liber arbitrii, non alienæ famulus potestatis. Non enim quasi jussus obtemperat, sed quasi largitor suæ moderator est largitatis.

141. [b] Vide nunc interim utrum omnia operari dicas Spiritum, quæ operatur & Pater; negare tamen non potes quia operatur Pater, — b

a. Tres mss. & *divisiones mysteriorum*.

b. Mss. aliquot, *videro nunc .... negari tamen non potest.*

quæ operatur Spiritus sanctus: alioquin non omnia operatur Pater, si non operatur ea quæ operatur & Spiritus. Quod si ea quæ operatur Spiritus, operatur & Pater; cùm Spiritus operationes suas pro voluntate sua dividat, necesse est id quod dividit Spiritus, aut invito Patre Deo, dicas eum ex sua voluntate dividere: aut si idem velle dixeris Patrem, quod vult Spiritus sanctus; necesse est ut unitatem voluntatis operationisque divinæ vel invitus, & si non corde, saltem ore fatearis.

142. Quod si unius & voluntatis & operationis est cum Patre Deo Spiritus sanctus, unius etiam substantiæ est; quoniam ex operibus suis creator agnoscitur. *Idem* igitur *Spiritus, idem*, inquit, *Dominus, idem*, inquit, *Deus*. (Ibidem 5.) Et si Spiritum dicas, idem est: & si Dominum dicas, idem est: & si Deum dicas, idem est. Non idem ut ipse Pater, ipse Filius, ipse sit Spiritus: sed quia & Pater & Filius ejusdem est potestatis. Idem ergo est per substantiam atque virtutem; quia non est in divinitate vel Sabelliana confusio, vel Arriana discretio, vel terrenâ corporalisque mutatio.

CAPUT XIII.

Prophetiam fuisse non solum à Patre ac Filio, sed etiam à Spiritu: hujus quoque idem cum eis imperium atque operationem in apostolos significari; & inde in tribus intelligendam imperii, constitutionis largitatisque unitatem: non timendum tamen ex eo consortio præjudicium; cùm illud nec in humana amicitia locum habeat. Denique hanc esse apostolicæ fidei hereditatem hinc confirmatur, quod apostoli scribantur Spiritui sancto obtemperasse.

143. Accipe aliud, sancte Imperator, in causa [a] validum exemplum & tibi notum. *Multifariam*, inquit, *& multis modis etiam Deus loquutus est patribus in prophetis.* (Heb. 1. 1.) Et Sapientia Dei dixit: *Mittam prophetas & apostolos.* (Luc. 11. 49.) Et, *alii datur*, sicut scriptum est, *per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia.* Ergo secundùm Apostolum non solùm per Patrem & Filium, sed etiam per Spiritum sanctum prophetia; & ideo unum munus, una est gratia. Habes ergo quia etiam Spiritus auctor est prophetiarum.

144. Apostoli quoque dixerunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* (Act. 15. 28.) Et cùm dicunt, *visum*, non solùm operatorem gratiæ, sed etiam auctorem imperatæ exsecutionis ostendunt. Sicut enim de Deo legimus: *Placuit Deo*; ita etiam cùm dicitur quia *visum est Spiritui sancto*, arbiter suæ exprimitur potestatis.

145. Et quomodo non arbiter, qui ea quæ vult, loquitur, quæ vult, mandat; sicut mandat Pater, mandat & Filius? Sicut enim audivit Paulus vocem dicentem sibi: *Ego sum*, inquit, *Jesus, quem tu persequeris*; (Act. 16. 7.) ita etiam Spiritus Paulum & Silam vetuit ire in Bithyniam. Et sicut Pater loquutus est per prophetas, ita etiam de Spiritu Agabus dicit: *Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum cujus est zona hæc, sic alligabunt eum in Hierusalem.* (Ibid. 21. 11.) Et sicut misit Sapientia apostolos, dicens: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium*; (Marc 16. 15.) sic & Spiritus sanctus dicit: *Separate mihi Paulum & Barnabam in opus, quo vocavi eos.* (Act. 13. 2.) Itaque præmissi à Spiritu sancto, quod infra Scriptura indicat, (Ibidem 4.) nullam discretionem inter ceteros habuerunt apostolos, quasi aliter à Patre Deo, aliter à Spiritu mitterentur.

146. Denique cùm Paulus missus esset à Spiritu, & vas electionis erat Christi, & Deum in se operatum esse commemorat, dicens: *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi ad gentes.* (Galat. 2. 8.) Cùm igitur idem sit operatus in Paulo, qui est operatus in Petro, hoc utique ostenditur cùm Spiritus sit operatus in Paulo, quod etiam in Petro Spiritus sanctus operatus sit. Sed & Deum Patrem in se operatum Petrus ipse testatur, sicut est in Actibus apostolorum, quia surgens Petrus dixit ad eos: *Viri fratres, vos scitis quia à diebus antiquis in nobis Deus elegit ex ore meo audire nationes verbum Evangelii.* (Act. 15. 7.) Ecce igitur in Petro Deus gratiam prædicationis operatus est. In quo utique cùm per Christum electus sit & adsumtus, operationem Christi quis audeat diffiteri, cùm ipse Dominus dicat: *Pasce agniculos meos?* (Iohan. 21. 15.)

147. Una igitur operatio Patris & Filii & Spiritus sancti: nisi forte hoc putetis, qui negatis ejusdem erga apostolos operis unitatem, ideo operatum Patrem, ideo operatum Spiritum in Petro, in quo Filius operatus fuerat, quasi ei Filii operatio minime redundaret ad gratiam. Et ideo velut adjunctis atque collatis viribus Patris & Filii & Spiritus sancti operationem fuisse multiplicem, ne ad confirmandum Petrum Christi solius operatio vacillaret.

148. Nec solum una operatio in Petro Patris & Filii & Spiritus sancti invenitur, sed etiam in omnibus apostolis divinæ operationis unitas revelatur, & quædam supernæ constitutionis auctoritas. Operatio enim divina habet imperium, non habet ministerium; neque enim cùm operatur Deus, aut [b] labore aliquid extundit, aut arte: sed *dixit, & facta sunt.* (Psal. 32. 9.) Dixit, *Fiat lux, & facta est lux*; (Gen. 1. 3.) in præcepto enim Dei operationis effectus est.

149. Hanc igitur regalem quamdam etiam sancto Spiritui potestatem Scripturarum testificatione delatam, si velimus advertere, facile possumus reperire; omnesque apostolos non solum Christi fuisse discipulos revelabitur, sed etiam Patris & Filii & Spiritus sancti ministros. Sicut etiam Doctor gentium docet dicens: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores: deinde* (1. Cor. 12. 28.)

a. Ita mss. plures ac potiores: alii vero, & cum his omnes edit. confixere vocem *exemplum.* Nec aliam hujus expunctionis causam putamus, nisi quod *exemplum* ubi de Scripturæ testimoniis agitur, visum est nimis improprium. Attamen hunc ipsum tractatum qui diligentius examinarit, eamdem vocem hoc ipso sensu haud semel positam deprehendet.

b. Amerb. Eras. ac mss. longe plurimi, *labore aliquo extenditur*, mss. aliquot, *extendit*: melius edit. Rom. *labore aliquo id extundit.* Optime Gill. & mss. reliqui, ut in textu. Infra vero ubi omnes edit. *omnes apostolos non solum Christi fuisse discipulos, sed etiam* &c. cuncti mss. è contrario, *omnesque apostolos .... discipulos revelabitur* &c.

virtutes, gratiam curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.

150. Ecce Deus posuit apostolos, posuit prophetas atque doctores, dedit curationum gratiam, quam supra habes dari per Spiritum sanctum, dedit genera linguarum. Sed tamen non omnes apostoli, non omnes prophetæ, non omnes doctores. Non omnes, inquit, habent gratiam curationum, neque omnes, inquit, linguis loquuntur. In singulis enim hominibus universa dona divina esse non possunt: pro captu unusquisque id accipit, quod aut desiderat, aut meretur. Sed non hujus infirmitatis similis potentia Trinitatis, quæ omnium munifica gratiarum est. *Ibidem 30.*

151. Denique posuit apostolos Deus. Hos quos Deus posuit in Ecclesia, Christus elegit, [a] & apostolos ordinavit, & in orbem direxit dicens: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium universæ creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit: qui verò non crediderit, damnabitur. Signa autem credentes ista sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Ecce doctores posuit Pater, posuit etiam Christus in Ecclesiis; & sicut Pater dat gratiam curationum, ita dat & Filius: sicut Pater dat dona linguarum, ita largitus est & Filius. *Marc. 16. 15. & seq.*

152. Similiter de sancto Spiritu supra accepimus, quia eadem gratiarum genera largiatur. *Datur enim*, inquit, *per Spiritum alii gratia curationum, alii genera linguarum, alii prophetia.* Ergo eadem dat Spiritus, quæ dat Pater, dat etiam Filius. Accipiamus nunc expressius, quod superiùs prælibavimus, quia idem quod Pater & Filius, etiam Spiritus sanctus mandet officium, eosdemque constituat; dixit enim Paulus: *Attendite vobis, & omni gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei.* *1. Cor. 12. 9. & 10.* *Act. 20. 28.*

153. Unitas igitur imperii, unitas constitutionis, unitas largitatis. Nam si constitutionem separes & potestatem, quæ erat causa ut quos posuerat apostolos Christus, poneret Deus Pater, poneret & Spiritus sanctus; nisi forte ut homines tamquam in consortio possessionis aut juris [b] præjudicium verebantur? Et ideo dividebatur operatio, distribuebatur imperium.

154. Hæc inter ipsos homines angusta sunt & minuta, qui plerumque tamen etiamsi operatione non congruunt, congruunt voluntate. Unde quidam interrogatus quid amicus esset: Alter *, inquit, ego. Si ergo homo amicum ita definivit, ut alterum se esse diceret, per unitatem videlicet amoris & gratiæ; quanto magis in Patre & Filio & Spiritu sancto unitatem majestatis æstimare debemus, cùm per eamdem operationem ac divinitatem vel unitas, vel certe id quod amplius est, ταὐτότης sicut græce dicitur, exprimatur? [c] ταὐτὸ enim idem significat; eo quod idem habeat & Pater & Filius & Spiritus sanctus; ut idem velle, & idem posse non ex affectione sit voluntatis, sed in substantia Trinitatis.

155. Hæc est apostolicæ fidei & devotionis hereditas, quam licet & ex ipsorum apostolorum considerare Actibus. Paruerunt ergo Paulus & Barnabas sancti Spiritus imperatis. Paruerunt & omnes apostoli, statimque eos quos separari jusserat Spiritus, ordinaverunt: *Separate*, inquit, *mihi Paulum & Barnabam.* Videtis jubentis imperium? Spectate merita servientium. *Act. 13. 4.*

156. Credidit Paulus; & quia credidit, studia persecutoris abjecit, coronam justitiæ reportavit. Credidit ille qui Ecclesias devastabat: sed conversus ad fidem, prædicabat in Spiritu, [d] quod Spiritus imperabat. Ungebat athletam suum Spiritus, & pulvere impietatis excusso, debellatorem infidelium ineluctabilem variis impiorum congressionibus offerebat, atque ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu diversis passionibus erudiebat. *Act. 9. 20. & seq.*

157. Barnabas quoque credidit, & quia credidit, paruit. Itaque sancti Spiritus electus imperio, quod ei ad omne redundat insigne meritorum, non fuit tanto indignus collegio. Una enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat.

158. Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens architectus sciens vestigia credentium fundare populorum: nec Paulus, inquam, indignus apostolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem.

a. Rom. edit. sola, *& apostolos nominavit.*

b. MSS. aliquot, *præjudicio verebantur*, alii majori numero & auctoritate, nec non omnes edit. *præjudicium verebantur.* Infra vero ubi omnes edit. cum paucis mss. *destruebatur imperium*: plures potioresque mss. magis apposite exhibent, *distribuebatur imperium.*

*. Quin hoc loci ab Ambrosio Tullius designetur nulli dubitamus. Hujus vero sententiam ex ipsius lib. *de Amicitia* petitam citavimus ad Ambrosii lib. 3. *de Offic.* cap. ultimo, ubi agitur de amicitia & amicis.

c. Nonnulli mss. ὁ αὐτὸς; vet edit. ταὐτὸ: melius Rom. & alii mss. ταὐτὸ, *idem*, unde ταὐτότης, quam identitatem dicunt philosophi, & cui opponitur ἑτερότης.

d. Tres mss. *quod Deus imperabat.*



LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Non tantum prophetas & apostolos à Spiritu missos, verumetiam Filium Dei. Probatur id ex Esaia, & Evangelistis, quamque ob causam eumdem Spiritum sicut columbam descendisse ac super Christum manere Lucas scripserit, exponitur. Dehinc eadem Christi missione confirmata, Filium à Patre & Spiritu non secus ac Spiritum à Patre & Filio mitti colligitur.

Sup. lib. 2. cap 12. 1. SUperiori libro evidentibus testimoniis Scripturarum docuimus apostolos & prophetas, illos ad prophetandum, hos ad evangelizandum à sancto Spiritu, sicut à Patre & à Filio [a] destinatos: nunc adjicimus quod omnes jure mirentur, & dubitare non possint, quod Spiritus super Christum; & quod sicut ille Spiritum misit, & Filium Dei Spiritus misit. Esa.61.1. Dicit enim Filius Dei: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum.* Quod cùm de libro Esaiæ legeret, ait Luc.4.21. in Evangelio: *Hodie completa est hæc Scriptura in auribus vestris;* ut de se dictum esse signaret.

2. Ergo mirari possumus si & prophetas & apostolos Spiritus misit, cùm Christus dixerit: Ibidem 18. *Spiritus Domini super me?* Et bene, *super me*, dixit; quia quasi filius hominis loquebatur. Quasi filius enim hominis & unctus & missus est ad Evangelium prædicandum.

3. Sed si non creditur Filio, audiant etiam Patrem loquentem quia Spiritus Domini super Christum. [b] Dicit enim Johanni: Johan 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Ibidem 34. Dixit hoc Deus Pater Johanni: Johannes & audivit, & vidit, & credidit. Audivit à Deo, vidit in Domino, credidit quia Spiritus erat, qui descendebat de cælo. Non enim columba, sed sicut columba descendit; sic enim scriptum Marc.1.10. est: *Et vidi Spiritum descendentem de cælo, sicut columbam.*

Luc.3.22. 4. Sicut Johannes vidisse se dixit, ita scripsit & Marcus: Lucas autem addidit quod corporali specie descendit Spiritus sanctus, sicut columba; ne incarnationem illam putares fuisse, sed speciem. Ideo autem speciem prætendit, ut per speciem crederet, qui Spiritum non videbat: & per speciem declararet unius honoris in imperio, unius operationis in mysterio, unius muneris in lavacro cum Patre & Filio sibi esse consortium; nisi fortè invalidum credimus, ut in eo baptizetur servulus, in quo baptizatus est Dominus.

Johan.1.33. 5. Pulcre autem dixit, *manentem super eum;* quia ad prophetas quoties volebat Spiritus, vel inspirabat verbum, vel faciebat: semper autem manebat in Christo.

6. Nec rursum moveat, quod *super eum* dixit; de Filio enim hominis loquebatur, quia sicut Filius hominis baptizabatur. Ibidem. Nam secundum divinitatem non super Christum est Spiritus, sed in Christo; quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre: ita Dei Spiritus & Spiritus Christi & in Patre est & in Filio, quia oris est Spiritus. Psal.32.6. Manet enim in Deo qui ex Deo est, sicut scriptum est: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* 1.Cor.2.12. Et manet in Christo, qui à Christo accepit: & in Christo est, quia iterum scriptum est: [c] *Ille de meo accipiet;* Johan.16.14. & alibi: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Rom.8.2. Non ergo secundum divinitatem Christi super Christum est; quia non super se est Trinitas, sed super omnia: supra se autem non est, sed in se est.

7. Quis ergo dubitet quia prophetas & apostolos Spiritus misit, cùm dicat Dei Filius: *Spiritus Domini super me?* Luc.4.18. Et alibi: *Ego sum primus, & ego in æternum: & manus mea fundavit terram, & dextera mea solidavit cælum: vocabo eos, & adstabunt simul, & congregabuntur omnes, & audient. Quis illis hæc denuntiavit? Diligens te, feci voluntatem tuam adversus Babylonem, ut tollatur semen Chaldæorum. Ego loquutus sum, & ego vocavi: adduxi eum, & prosperum iter ejus feci. Accedite ad me, & audite hæc. Non ab initio in occulto loquutus sum: cùm fierent, illic eram. Et nunc dominus Deus misit, & Spiritus ejus.* Esa.48.12. & seq. Quis est, qui dicit: *Misit me dominus Deus, & Spiritus ejus;* nisi qui venit à Patre, ut salvos faceret peccatores? Quem ut audis, *& Spiritus misit;* ne cùm legis quia Filius Spiritum mittit, inferioris esse Spiritum crederes potestatis.

8. Ergo & Pater Filium misit, & Spiritus: Spiritum quoque & Pater misit, & Filius: Pater misit, quia scriptum est: *Paraclitus autem ille Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Johan.14.26. Filius misit, quia dixit: *Cùm venerit autem paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* Ibid. 15.26. Si ergo se invicem Filius & Spiritus mittunt, sicut Pater mittit, non subjectionis injuria, sed communitas potestatis est.

CAPUT II.

Filium perinde ac Spiritum dari; unde non subjectio, sed una divinitas operatione demonstratur.

9. NEc solùm misit Pater Filium, sed etiam dedit, sicut ipse se Filius dedit. Lectum est enim nobis: *Gratia vobis à Deo Patre nostro, & domino Jesu Christo, qui se dedit pro peccatis* Galat.1. 3. & 4.

a. Sic Amerb. & Eras. cum parte mss. Gill. vero & Rom edit. cum alia parte, *designatos*. Porro vet. edit. ab initio hujus capitis usque ad verba illa, *Et Dominus misit me, & spiritus ejus*, quæ infra num.7. continentur, præfationem constituunt. Tum adscripto titulo, *Quia spiritus super Christum: & sicut Filius Spiritum misit, ita & Spiritus Filium Dei misit*, caput 1. orditur ab illis verbis: *Quis est qui dicit* &c. Verum multo concinnius Rom. edit. ex majori numero mss. præfationem illam cum sequenti capite redegit in unum caput. Nonnulli tamen mss. præfatiunculam etiam exhibent, sed pauculis versibus comprehensam; definit enim post illa verba num. 1. *dubitare non possint:* deinde loco tituli ponuntur, quæ sequuntur in textu, nimirum: *Quod Spiritus super Christum, & quod sicut ille Spiritum misit, & Filium Dei Spiritus misit.* Quæ quidem verba cùm in aliis aliquot mss. desiderentur, & in reliquis non secus ac in edit. conveniant cum titulo supra memorato, suspecta nobis sunt haud mediocriter.

b. Quinque mss. *dicit enim Johannes.*

c. Mss. aliquot, *Ille de me accipiet.* Sed sive *de me*, sive *de meo* legas, perinde est; cum græce habeatur ἐκ' ἐμῦ.

nostris. Si subjectum in eo putant fuisse, quia A missus est; gratiæ esse negare non possunt, quia datus est. Datus est autem à Patre, ut Esaias
Esai. 9. 6. dixit: *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis;*
a datus est autem, audeo dicere, [a] & ab Spiritu, qui missus ab Spiritu est. Cùm enim non definierit propheta à quo datus sit, ostendit datum gratia Trinitatis: cùm autem ipse se Filius dederit, utique non potuit ipse sibi secundum divinitatem esse subjectus. Ergo non potuit divinæ subjectionis esse quod datus est. B

10. Datus est autem & Spiritus sanctus; quia
Iohan. 14. 16. lectum est: *Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Et Apostolus ait:
1. Thess. 4. 8. *Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum in nobis.* Esaias quoque &
Esai. 42. 5. Spiritum datum ostendit & Filium: *Sic*, inquit,
b *dicit dominus Deus, qui fecit cælum,* [b] *& finxit illud: qui solidavit terram, & quæ in ea sunt: & dat populo qui est super eam Spiritum, & Spiritum*
Ibid. 6 & 7. *calcantibus eam.* Et ad Filium: *Ego dominus Deus,* C *qui vocavi te in æquitate, & tenebo manum tuam, & confortabo te: & dedi te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, educere de vinculis alligatos.* Cùm ergo Filius & missus & datus sit, Spiritus quoque missus & datus sit; habent utique unitatem divinitatis, qui habent operis unitatem.

CAPUT III.

Eamdem quoque unitatem inde cognosci, quod Spiritus digitus dicatur, & Filius dextera; humani enim sermonis consuetudine juvari divinorum intelligentiam. Hoc digito scriptas fuisse legis tabulas, quæ postea fractæ sunt, & qua de causa? denique Christum scripsisse eodem digito: nec ullam tamen è corporea comparatione in Spiritu admittendam esse inferioritatem. D

11. UNde etiam & digitus Dei appellatus est Spiritus, eo quod sit Patri & Filio E & Spiritui sancto individua, inseparabilisque communio. Nam sicut Filium Dei Scriptura
Exod. 15. 6. dexteram Dei dixit, sicut lectum est: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua, Domine, confregit inimicos;* ita Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei, sicut
Luc. 11. 20. ipse Dominus dicit: *Quod si in digito Dei ego ejicio dæmonia.* Hunc enim digitum in alio libro Evangelii eodem loco Dei Spiritum nominavit,
Marc. 12. 28. sicut habes: *Quod si in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia.* F

12. Quid igitur expressius ad significandam divinitatis vel operationis dici potuit unitatem, quæ secundum divinitatem est Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti, quam ut intelligamus mul-
c to [c] magis quam corpus hoc nostrum æternæ plenitudinem divinitatis scindi videri, si quis unitatem substantiæ separet, multiplicet potestates; cùm una sit ejusdem divinitatis æternitas?

13. Plerumque enim ex nostris sermonibus ea quæ supra nos sunt, convenit æstimari: & quia illa videre non possumus, ex his quæ videre possumus, colligamus: *Invisibilia enim* Rom. 1. 20.
ejus, ait Apostolus, *à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et subdidit: Ibidem.
Sempiterna quoque virtus ejus & divinitas. Quorum aliud de Filio, aliud de Spiritu sancto dictum videtur; ut quemadmodum sempiterna virtus Patris dicitur Filius, ita etiam Spiritus quia divinus est, sempiterna divinitas esse credatur. Nam & Filius quia semper vivit, vita sempiterna est. Hic ergo digitus Dei & sempiternus est, & divinus. Quid enim Dei proprium, quod non sempiternum sit & divinum?

13. Hoc digito, sicut legimus, tabulas illas lapideas Deus inscripsit, quas Moyses accepit. Exod. 31. 18.
Non enim carnali digito Deus harum litterarum, quas legimus, apices & elementa formavit: sed Spiritu suo dedit Legem. Et ideo Apostolus dixit: *Lex enim spiritalis est, quæ utique non atramento inscripta est, sed Spiritu Dei vivi: non in* 2. Cor. 3. 3.
tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Nam si Apostoli epistola scribitur in Spiritu, quid obstat quominus etiam legem Dei non atramento, sed Spiritu Dei scriptam credere debeamus: quæ utique cordis nostri mentisque secreta non maculat, sed illuminat?

14. Scripta est autem in tabulis lapideis, quia Exod. 32. 19.
in typo scripta est: sed tabulæ fractæ primo sunt, & abjectæ de Moysis manibus; quia Judæi à propheticis operibus exciderunt. Et bene tabulæ fractæ sunt, non scriptura deleta. Et tu vide ne frangatur tabula tua, ne mens tua & animus dividatur. Numquid divisus est Christus? Non divisus est, sed unum est cum Patre: & te nemo ab eo separet. Si fides deficiat, tabula cordis tui frangitur. Comminuitur animi firmitudo, si unitatem divinitatis in Trinitate non credas. Scripta est & fides tua, scripta est & culpa tua, sicut Hieremias dixit: *Scripta* Hier. 17. 1.
est, Juda, culpa tua [d] *graphio ferreo & ungue ada-* d
mantino. Et scripta est, inquit, *in pectore & in corde tuo.* Ibi igitur culpa est, ubi gratia: sed culpa graphio scribitur, gratia Spiritu designatur.

15. Hoc digito mystice etiam dominus Jesus, Iohan. 8. 6.
inclinato capite, scribebat in terra, cùm à Judæis adultera esset oblata: significans per figuram, quando de peccatis alterius judicamus, nostri nos debere meminisse peccati.

16. Ac ne rursus quia Legem Deus Spiritu suo scripsit, inferius aliquid tamquam de ministerio Spiritus crederemus, vel ex corporis nostri æstimatione portionem quamdam exiguam Dei Spiritum putaremus, ait alibi Apostolus 1. Cor. 2. 13.
non se humanæ scientiæ verbis loqui, sed doctis Spiritus, & spiritualibus spiritalia comparare; animalem autem hominem non percipere quæ sunt Spiritus Dei; sciebat enim quod is, qui divina carnalibus compararet, inter animalia esset, non inter spiritales homines computandus:

a. Thuan. cod. *& Spiritus, qui missus à Christo est.*
b. Rom. edit. *& fixit illud.* Est quidem in græco idiomate, ϗ *πήξας αὐτὸν*, sed in hebræo & vers. Syriaca, & vulg. latina legitur, *& extendens* in Arabica vero, *& erigens:* ut hinc pateat variam esse loci istius lectionem.
c. MSS. nonnulli, *magis corpus hoc nostrum, quam æterna* &c.

d Rom. edit. sola, *graphio ferreo in ungue adamantino* At licet ita legat versio Vulg. melius reliquæ edit. ac mss. Ambr. cum vers. Chald. & Syriaca. . . . *& ungue adamantino:* unguis enim, ut observat Grotius ad eumdem locum, est ipsum acumen adamantis, quod ad scribendum sculpendumve adhiberi solet. Porro hic textus in græco idiomate desideratur.

Ibidem 14. *Stultitia enim*, inquit, *illi est.* Et ideo quia A scirct has futuras esse animalium hominum
Ibidem 16. quæstiones, præsagus futuri ait: *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum?* Nos autem sensum Christi habemus.

CAPUT IV.

Spiritum propterea quod digitus vocatur, minorem esse contendentibus, regerit hoc quoque in Filii, qui dextra dicitur, injuriam converti. Hæc ergo nomina non nisi ad unitatem divinitatis referenda; unde Moyses totam Trinitatem in maris rubri transitu cecinit operatam. Nec sane mirum ibi Spiritus exstitisse operationem, ubi baptismi figura fuit; siquidem in hoc tres personas ex æquo operari, sanctificareque Scriptura docet.

Alias Cap. III. 17. SEd si quis adhuc carnalibus inhæret ambiguis, & corporalibus vacillat exemplis; consideret quia non potest bene sentire de C Filio, qui potest male sentire de Spiritu. Nam si ideo portionem quamdam exiguam putant esse Spiritum Dei, quia digitus Dei dicitur; iidem utique & portionem exiguam dicunt esse in Filio Dei, quia dextera Dei dicitur.

18. Sed Filius & dextera & virtus dicitur: itaque si verba nostra pendamus, nulla potest sine virtute esse perfectio; & ideo caveant ne putent, quod nefas dictu est, semiperfectum in sua substantia Patrem perfectionem accepisse D per Filium, & desinant coæternum Filium Patri negare. Quando enim non fuit Dei virtus? Quod si aliquando putant non fuisse Dei virtutem, aliquando plenitudinem in Deo Patre negabunt fuisse, cui putant aliquando defuisse virtutem.

19. Sed hæc, ut dixi, scripta sunt, ut ad unitatem divinitatis ista referamus, & credamus
Coloss. 2. 9. quod Apostolus dixit, quia plenitudo divinitatis corporaliter habitat in Christo, & habitat E in Patre, & habitat in Spiritu sancto: & quod sicut unitas divinitatis, ita & unitas operationis sit.

20. Quod etiam ex Cantico Moysis colligi potest; ipse enim cùm per maria traduxisset populum Judæorum, & Dei Patris operationem
Exod. 15. 6. & Filii est confessus & Spiritus, dicens: *Dextera manus tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tua, Domine, confregit inimicos.* Habes quia & Filium sit confessus & Patrem, F cujus est dextera. Et infra, ne Spiritum sanctum
Ibidem 10. præteriret, adjecit: *Misisti Spiritum tuum, & cooperuit eos mare:* [a] *& Spiritu iracundiæ tuæ divisa est aqua.* Quo significatur unitas divinitatis, non inæqualitas Trinitatis.

Alias Cap. IV. 21. Vides igitur quia & Spiritus sanctus cooperatus Patri & Filio sit, ut tamquam congelascentibus fluctibus in medio mari, aquarum quidam murus insurgeret ad transitum Judæo-
Exod. 14. 22. rum, & rursus Ægyptiorum populum per Spi-
Exod. 13. 21. ritum refusus obrueret. Inde & columnam nubis plerique præcessisse in die populo Judæorum, & columnam ignis in nocte arbitrantur, quo protegeret plebem suam gratia spiritalis.

22. Hanc autem operationem Dei, quam totus orbis jure miratur, sine sancti Spiritus opere non fuisse etiam Apostolus declaravit, dicens in figura illa præcessisse spiritalis mysterii veritatem; sic enim habes: *Quoniam patres nostri* 1. Cor. 10. 1. & seq.
omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem bi- B *berunt.*

23. Nam quemadmodum typus sacramenti potuit esse sine operatione Spiritus sancti, cujus veritas omnis in Spiritu est? Quod & Apostolus docuit dicens: *Sed abluti estis, sed sancti-* 1. Cor. 6. 11.
ficati estis, sed justificati estis in nomine domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

24. Vides igitur quia & Pater operatur in Filio, & Filius [b] operatur in Spiritu. Et ideo secundum seriem Scripturarum noli dubitare in figura fuisse, quod in veritate esse ipsa etiam veritas declaravit. Quis enim operationem ejus abnuat in lavacro, in quo operationem ejus sentimus & gratiam?

25. Nam sicut sanctificat Pater, ita sancti- Alias Cap. V.
ficat & Filius, sanctificat & Spiritus sanctus. Sanctificat Pater, secundùm quod scriptum est:
Deus pacis sanctificet vos, ut integer spiritus vester, 1. Thess. 5. 23.
& anima & corpus sine querela in die domini nostri Jesu Christi servetur. Et alibi Filius dicit: *Pater sanctifica eos in veritate.*

26. De Filio autem idem Apostolus dixit: Johan. 17. 17.
Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & 1. Cor. 1. 30.
sanctificatio, & redemtio. Vides quia factus est sanctificatio? Sed factus est nobis; non ut ille mutaret quod erat, sed ut nos sanctificaret in carne.

27. Spiritum quoque sanctum sanctificare Apostolus docet. Sic enim dicit: *Gratias agere* 2. Thess. 2. 12.
debemus Deo semper pro vobis, fratres dilectissimi à Domino; quia elegit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, & fide veritatis.

28. Ergo sanctificat Pater, sanctificat & Filius, sanctificat & Spiritus sanctus: sed una est sanctificatio, quia unum est baptisma, & una Ephes. 4. 5.
gratia sacramenti.

CAPUT V.

Colligit cœptum argumentum, & unitatem per digitum atque dexteram significari inde confirmat, quod eadem opera Dei sint, quæ sunt manuum; & quæ manuum, eadem etiam sint digitorum: ac demum quod manus Filio & Spiritui perinde conveniat, ac Spiritui & Filio digitus.

29. SEd quid mirum si sanctificat singulos Alias Cap. VI.
ipse sanctificatione non indigens, sed redundans; quando tantam, ut dixi, majestatem ejus accepimus, ut tamquam digitus à corpore, ita à Deo Patre inseparabilis videatur Spiritus sanctus?

30. Quod si quis ad diminutionem, non ad unitatem potestatis putat esse referendum, is profecto in eam amentiam cadet, ut tamquam in unam velut corporis formam Patrem &

a. Ita mss. aliquot, & Amerb atque Erasm. cum eis: Gill. vero cum aliis mss. pluribus quidquid sequitur illa verba, *eos mare*, usque ad *Vides igitur*, prætermittunt: at posteriorem partem, nempe ab istis verbis, *Quo significatur unitas*, edit. Rom. restituit: sed cur priorem repudiaverit, nihil causæ est.

b. Mss. nonnulli, *operatur & Spiritus.*

Filium & Spiritum sanctum videatur effingere, A & distinctiones quasdam figurare membrorum.

31. Sed accipiant, ut sæpius dixi, non inæqualitatem, sed unitatem potestatis hac testificatione signari; quandoquidem quæ opera Dei sunt, eadem sint opera manuum, eadem etiam legerimus opera esse digitorum. Scriptum est [Psal. 18. 1.] enim: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum;* & alibi: [Psal. 101. 26.] *Initio terram tu fundasti, Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Eadem igitur sunt opera manuum, B quæ sunt opera Dei. Non ergo aliqua pro membrorum corporalium qualitate discretio operationis, sed unitas potestatis est.

32. Quæ autem opera sunt manuum, eadem opera digitorum; quia æque scriptum est: [Psal. 8. 4.] *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quas tu fundasti.* Quid hîc igitur digiti minus quam manus fecisse produntur; cùm idem fecerint digiti, quod manus; sicut [Psal 91. 5.] scriptum est: *Quoniam delectasti me, Domine, in* C *factura tua, & in operibus manuum tuarum delectabor.*

33. Et tamen quia [a] manum legimus Filium [Esai. 66 2.] (scriptum est enim: *Nonne manus mea fecit hæc omnia?* & alibi: [Exod. 33. 22.] *Ponam te in foramine petræ, & protegam manum meam super te. Posui manum meam sub tegumento petræ:* quod ad incarnationis mysterium spectat, quia integumentum corporis virtus Dei sempiterna suscepit) utique liquet manus & de Filio Dei & de Spiritu D sancto Scripturam loquutam.

34. [Luc. 11. 20.] Et rursus quia digitum Dei Spiritum legimus, ideo appellatos digitos æstimamus, ut Filium Spiritumque signaret. Denique ut & Filii & Spiritus sanctificationem se habere me- [Job. 10, 8.] moraret, ait quidam sanctus: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.*

CAPUT VI.

Spiritum perinde ac Patrem & Filium arguere; immo vero judicare non posse judices absque ipso, ut Salomonis Danielisque judiciis, quæ obiter paucis explicantur, ostenditur; neque alium Danieli adspirasse, quam Spiritum sanctum.

[Alias Cap. VII.] 35. Cur enim verborum similitudinem recusamus, ubi unitatem potestatis adserimus; cùm eousque unitas potestatis sit, ut & arguat Spiritus, sicut arguit Pater, & arguit [Psal. 6. 1.] Filius? Sic enim scriptum est: *Domine, ne ira tua* F *arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Deinde in quadragesimo nono psalmo sicut dicit [Psal 49 21.] Dominus: *Arguam te, & statuam ante faciem tuam peccata tua;* ita etiam de Spiritu sancto Filius [Johan. 16, 7. & 8.] dixit: *Cùm autem abiero, mittam paraclitum ad vos: & ille veniens arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.*

36. Sed quo nos perfidorum hominum deducit amentia, [b] ut quasi de ambiguo quod Spiritus sanctus arguat, videamur adstruere; cùm judices ipsi non queant nisi per Spiritum judicare? Denique nobile illud Salomonis judi- [3 Reg. 3. 16.] cium, quod inter dubia certantium; cùm una, oppresso parvulo, quem ipsa susceperat, vindicare sibi vellet alienum, altera proprium filium defensaret; & fraudem in ipsis cogitationibus occultis, & pietatem in maternis visceribus deprehendit, utique [c] per Spiritus sancti munus emicuit. Neque enim latentem conscientiam feminarum alia aliqua penetrasset nisi Spiritus sancti machæra, de qua ait Dominus: [Matth. 10. 34.] *Non veni pacem mittere, sed machæram;* quia non ferro, sed Spiritu mens interna penetrabilis: [Sap. 7. 22.] *Est enim Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis;* & infra: *Omnia prospiciens.* [Ibidem 23.]

37. Vide propheta quid dicat, quia omnia prospicit. Et ideo etiam Salomon prospexit, [3. Reg 3. 24.] ut machæram illam juberet afferri; quia simulato quod dividere vellet infantem, consideravit quod vera mater plus consuleret Filio quam solatio; & gratiam juri, non gratiæ jura præferret. At vero illa quæ matris simularet affectum, vincendi studio cæca, parvi duceret ejus exitium, in quo nesciret pietatis dispendium. Itaque vir ille spiritalis, qui dijudicaret omnia (*Spiritalis* enim *dijudicat omnia*) naturam in [1. Cor. 2. 15.] affectibus quæsivit, quæ latebat in vocibus: & pietatem interrogavit, ut proderet veritatem. Vicit itaque mater caritatis affectu, quæ fructus est Spiritus.

38. Dijudicat in propheta, quia per Spiritum datur sermo sapientiæ: quomodo ergo negatur quod arguere possit Spiritus sanctus mundum de judicio, qui judicii tollit ambiguum, largitur eventum?

39. Daniel quoque nisi accepisset Dei Spiritum, numquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cùm Susanna presbyterorum conjurationibus appe- E tita, inflexam populi mentem videret contemplatione seniorum; & omnibus destituta subsidiis, sola [d] inter homines pudicitiæ suæ conscia Deum arbitrum precaretur: *Exaudivit*, inquit, [Dan. 13 44. & 45.] *Dominus vocem ejus, cùm duceretur, ut periret: & excitavit Dominus Spiritum sanctum pueri adolescentis, cui nomen Daniel.* Itaque secundum accepti Spiritus sancti gratiam vacillantia perfidorum testimonia deprehendit; neque enim alia nisi divinæ fuit operatio potestatis, ut eos vox sua proderet, quorum latebat affectus.

41. Percipite igitur Spiritus sancti sacrum & cæleste miraculum. Illa quæ maluit sibi casta esse, quam populo: illa quæ maluit innocentiæ subire periculum, quam pudoris: quæ cùm accusaretur, tacebat: cùm damnaretur, silebat, conscientiæ suæ contenta judicio: quæ reverentiam pudoris etiam in periculis reservabat; ne extorsisse petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerant castitatem: ubi

a. Tres mss. *quia unum legimus* &c.

b. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *ut quæ sunt quasi*: alii mss. qui & plures potioresque concinnius, *ut quasi* &c.

c. Ita omnes edit. ac plures mss. nonnulli tamen, *per Spiritum sanctum istud munus emicuit*: Albin. unus, *Spiritus sancti munere doctus est.* Iterum sequenti sententia ubi omnes edit. ac mss. *aliqua nisi .... penetrasset*; Rom. edit. *aliqua potuit, nisi ... detegere.* Postremo paucis interjectis pro *mens interna penetratur. Penetrabilis est*, quod legitur in cunctis edit. & mss. uno aut altero excepto; in reliquis omittitur verbum *penetratur*, & *penetrabilis* refertur ad voces *mens interna*. Melius id quidem; nec enim *penetrabilis* habetur in loco *Sapientiæ* citato, neque etiam ad probandam Ambrosii propositum requiritur; cùm satis ex eo probetur, quod *subtilis mobilisque* Spiritus nominatur.

d. Eras. & seq. edit. *inter hostes*: Amerb. & mss. magno consensu, *inter homines.*

Dominum invocavit, Spiritum meruit, qui latentem presbyterorum conscientiam revelavit. A

42. Discant pudicæ calumniam non timere. Nam quæ castimoniam vitæ prætulit, nec vitæ dispendium pertulit, & gloriam retulit castitatis. Sic & Abraham quondam jussus [a] adire peregrina, Gen. 20. 2. nec uxoriæ periculo pudicitiæ, nec mortis propositæ terrore revocatus, & vitam suam, & castimoniam servavit uxoris. NULLUM ITAQUE Deo credidisse pœnituit: & castitas devotionem cumulauit in Sara, & B devotio castitatem.

43. Ac ne quis forte existimet, quia dicente Scriptura: *Excitavit Deus Spiritum sanctum pueri adolescentis*, Dan. 4. 21. spiritum in eo putet fuisse hominis, non Spiritum sanctum; legat [b] in posterioribus, & inveniet quia Spiritum sanctum accepit Daniel, & ideo prophetavit. Denique & rex eum prætulit, quia habebat gratiam spiritalem. Sic enim dicit: *Tu autem, Daniel, potes; quia Spiritus sanctus Dei in te est.* Dan. 6. 3. Et infra Scrip- C tura dicit: *Et fuit Daniel præpositus illis; quoniam Spiritus erat superans in eo.* Sed etiam Moysis Spiritus judicaturis divisus est. Num. 11. 25.

CAPUT VII.

Filium ipsum non judicare aut vindicare sine Spiritu; unde idem Spiritus Verbi gladius appellatur. Sed cùm vicissim Verbum dicatur Spiritus gladius, summam in utroque potentiæ unitatem inde cognosci.

44. SEd quid de ceteris loquamur? [c] ipsum dominum Jesum in Spiritu non solùm judicare accepimus, sed etiam vindicare. Neque enim vindicaret in Antichristum, nisi ante de ejus meritis judicaret, quem (sicut legimus) *Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui.* 1. Thess. 2. 8. Sed hîc non adquisita gratia est, sed individua manet unitas; Alias Cap. VIII. quia neque Christus sine Spiritu, neque Spiritus potest esse sine Christo. Non enim potest divinæ naturæ unitas separari.

45. Et quia in medium id venit exemplum quod Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, Ephes. 6. 17. gladius quidam Verbi Spiritus intelligitur. Denique & in Evangelio dicit ipse dominus Jesus: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. 10. 34. Venit enim ut Spiritum daret; ideoque & in ore ejus gladius bis acutus, Apoc. 19. 15. utique gratia spiritalis. Spiritus ergo Verbi gladius est.

46. Et ut scias inæqualitatem non esse, sed unitatem naturæ, Verbum quoque gladius est Spiritus sancti; scriptum est enim: Ephes. 6. 16. & 17. *Accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia tela maligni ignita extinguere, & galeam salutis adsumite, & gladium Spiritus, quod est Verbum Dei.*

47. Cùm igitur Verbi gladius Spiritus sanctus sit, & Spiritus sancti gladius Verbum Dei sit; utique unitas est potentiæ.



CAPUT VIII.

Prædictam unitatem eo probari, quod sicut Pater, ita etiam Filius contristari ac tentari legitur. Tentatum etiam Filium in deserto, ubi erecta fuit in æneo serpente figura crucis: sed Spiritum quoque ibidem tentatum dici ab Apostolo. Hinc Israelitas ab eodem Spiritu directos in terram promissam, ipsique unam esse cum Patre & Filio voluntatem ac potentiam colligit Ambrosius.

48. QUam unitatem licet etiam aliis Scripturarum locis considerare. Alias Cap. IX. Nam cùm dicat Ezechiel ad populum Judæorum. *Et contristastis me in omnibus his, dicit Dominus;* Ezech. 16. 43. Paulus novo populo in epistola sua dicit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.* Ephes. 4. 30. Rursus cùm Esaias dicat de ipsis Judæis: *Ipsi autem non crediderunt, sed exacerbaverunt Spiritum sanctum;* Esai. 63. 10. David de Deo dicit: *Et exacerbaverunt altissimum in siccitate, & tentaverunt Deum in cordibus suis.* Psal. 77. 17. & 18.

49. Accipe etiam quia cùm alibi dixerit Scriptura tentatum Spiritum, tentatum etiam Deum, eadem dicat & Christum esse tentatum; habes enim ad Corinthios Apostolum: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* 1. Cor. 10. 9. Justa vindicta, ut adversarii venena sentirent, qui non venerabantur auctorem.

50. Et bene Dominus, æreo serpente suspen- Num. 21. 9. D so, jussit curari vulnera sauciorum; imago enim crucis æreus serpens est; nam etsi in carne sua suspensus est Christus, tamen in eo & ipse crucifixus est mundo, & ipsi crucifixus est mundus: *Mihi enim*, inquit, *mundus crucifixus est, & ego mundo.* Galat. 6. 14. Crucifixus est ergo in suis mundus illecebris; & ideo non verus, sed æreus suspensus est serpens; quia in veritate quidem corporis, sed sine veritate peccati suscepit Dominus speciem peccatoris; ut per lubricum infirmitatis E humanæ simulando serpentem, depositis carnis exuviis, veri destrueret serpentis astutiam. Per crucem itaque Domini, quæ in tentationis ultione subvenit, offensam in perfidis Trinitatis agnosco, qui medicinam Trinitatis accipio.

51. Ergo cùm habeas in libro Moysi, quia Num. 21. 6. Dominus tentatus serpentes immiserit populo Judæorum, necesse est aut unitatem in majestate divina fatearis Patris & Filii & Spiritus sancti: aut certe [d] cùm Spiritum dicat Apostolica scrip- F tura tentatum, Domini nomine Spiritum utique designavit. Tentatum autem Spiritum sanctum ad Hebræos scribens Apostolus dicit; sic enim habes: *Quia hæc dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: Semper isti erant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas, sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Hebr. 3. 7. & seq.

a. Amerb. *adire peregrinam:* Eras. & seq. edit. *adire peregrinam terram:* omnes mss. ut in textu.

b. Rom. edit. sola, *in superioribus.* Infra vero eadem edit. Rom. cum mss. non paucis, *præpositus illius.*

c. Mss. aliquot, *Per ipsum dominum Iesum Spiritum non solùm* &c.

d. Rom edit. & cod. Flor. *cum Dominum.* Haud bono sensu. Namque Apostolica scriptura quæ indicatur, non alia est quam quæ subjicitur, ubi scilicet *dicit Spiritus sanctus* ... *tentaverunt me patres vestri.* hinc enim aperte conficitur eumdem à Paulo Spiritum dici, qui à Moyse in lib. Numer. Dominus appellatur.

52. Ergo secundùm Apostolum tentatus est Spiritus. Si & ipse tentatus est, & ipse utique in terram repromissionis Judæorum populum dirigebat, sicut scriptum est: [Esai. 63. 13. & 14.] *Quia adduxit eos per abyssum, sicut equum per desertum, & non laboraverunt, & sicut pecora per campum. Descendit Spiritus à Domino, & direxit eos.* Et ipse utique serenam cælestis alimoniæ pluviam ministrabat, ipse quotidianam messem, quam terra non parturierat, agricola non severat, imbre fertili fœcundabat.

[....16.22.] 53. Nunc spectemus singula. Requiem Judæis promiserat Deus, eam requiem Spiritus suam dicit. Tentatum se à perfidis Deus Pater memorat, tentatum ab iisdem se dicit & Spiritus; quia una tentatio est, qua tentata est à sacrilegis una divinitas Trinitatis. [Num. 14. 8.] Condemnat Deus populum Judæorum; ut in terram fluentem lac & mel, hoc est, ad resurrectionis requiem pervenire non possit: eadem sententiâ condemnat & Spiritus dicens: [Psal. 94. 11.] *Si introibunt in requiem meam.* Unius ergo sententia voluntatis, unius excellentia potestatis est.

CAPUT IX.

Spiritum sanctum exacerbari confirmatur ex Petri verbis; ubi unum & idem esse Spiritum Dei, ac Spiritum Domini, cum ex aliis locis, tum è memorata ejusdem apostoli sententia in Ananiam ac Saphiram ostenditur: unde Spiritus sancti vel cum Patre ac Filio conjunctionem, vel propriam divinitatem evinci contenditur.

54. Fortasse tamen aliquis diceret hoc exemplum non posse ad proprietatem sancti Spiritus derivari; nisi alio loco etiam Petrus apostolus nos docuisset peccatis nostris etiam Spiritum posse tentari; sic enim habes ad Ananiæ conjugem dictum: [Act. 5. 9.] *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?* Etenim Domini Spiritus ipse est Dei Spiritus; quia unus sanctus est Spiritus, ut etiam Paulus apostolus docuit dicens: [Rom. 8. 9.] *Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Præmisit Spiritum Dei, & statim subdidit eumdem esse Spiritum Christi. Et cùm dixisset de Spiritu, ut intelligeremus quia ubi Spiritus sanctus, ibi Christus est, addidit: [Ibidem 10.] *Si autem Christus in vobis.*

55. Deinde quomodo hîc intelligimus quia ubi Spiritus, ibi & Christus; ita etiam alibi ostendit quia ubi Christus, ibi etiam Spiritus sanctus sit. Nam cùm dixisset: [2. Cor. 13. 3.] *Numquid experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus;* alibi ait: [1. Cor. 7. 40.] *Puto enim & ego Spiritum Dei habeo.* Inseparabilis ergo est unitas, quia ubi aut Pater, aut Christus, aut Spiritus, Scriptura testificante, signatur; ibi omnis plenitudo est Trinitatis.

[Alias Cap. X.] 56. Sed & ipse Petrus in eo, quod proposuimus, exemplo præmisit Spiritum sanctum; & postea dixit Spiritum Domini; sic enim habes: [Act. 5. 3. & seq.] *Anania, cur implevit Satanas cor tuum ad mentiendum Spiritui sancto, ut fraudem faceres de pretio agri? Ita nonne manens tibi manebat, & venditus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hoc scelus? Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Et subter ad ejus uxorem ait: [Ibidem 9.] *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?*

57. Primùm intelligimus quia Spiritum sanctum Spiritum Domini dixit. Deinde cùm præmiserit Spiritum sanctum, & addiderit: *Non es hominibus mentitus, sed Deo;* necesse est in Spiritu sancto aut unitatem divinitatis intelligas; quoniam cùm Spiritus tentatur, Deus fallitur: aut si unitatem divinitatis conaris excludere, secundum Scripturæ verba ipse utique [a] Spiritum Deum credis.

58. Si enim & de Spiritu expressum intelligimus & de Patre, in Deo utique Patre & Spiritu sancto veritatis & scientiæ advertimus unitatem; quia similiter à sancto Spiritu sicut à Deo Patre mendacium deprehenditur. Quod si utrumque de Spiritu accipimus, cur quod legis, perfide, negare conaris? Aut igitur unitatem divinitatis [b] Patris & Filii & Spiritus sancti, aut divinitatem sancti Spiritus confitere. Utrum dixeris, in Deo utrumque dixisti; quia & unitas divinitatem adstruit, & divinitas unitatem.

CAPUT X.

Spiritus sancti divinitatem adstrui ex Johannis loco. Hunc quidem deletum fuisse ab hæreticis, at inani conatu; cùm inde facilius eorum perfidia convinci possit. Ut ostendatur hic idem locus esse de Spiritu, contextus series expenditur. Eum de Spiritu sancto nasci, qui renascitur de eodem Spiritu, de quo Christus ipse natus ac renatus creditur. Iterum ex duobus Johannis testimoniis colligitur Spiritus divinitas, ac demum quomodo Spiritus, aqua & sanguis testes dicantur, exponitur.

59. Nec solum hoc loco evidenter sancti Spiritus θεότητα, hoc est, deitatem Scriptura testatur; sed etiam ipse Dominus dixit in Evangelio: [Alias Cap. XI.] [Johan. 3. 6.] *Quoniam Deus Spiritus est.* Quem locum ita expresse, Arriani, testificamini esse de Spiritu; ut eum de vestris codicibus auferatis: atque utinam de vestris, & non etiam de Ecclesiæ codicibus tolleretis! Eo enim tempore quo [c] impiæ infidelitatis Auxentius Me-

a. Omnes edit. ac mss. aliquot, *Spiritum Domini credis*: melius reliqui mss. *Spiritum Deum credis.* Nam hæc clausa respondet inferiori illi, *aut divinitatem sancti Spiritus confitere*; cùm utrobique colligatur contra hæreticos, si divinitatis unitatem in tribus personis confiteri noluerint, eos saltem coactum iri, ut Spiritus sancti non inficientur divinitatem.

b Edit. Rom. sola. *Patris & Filii in Spiritu sancto* Consequenter autem eadem Rom. cum ant. edit. & mss. nonnullis, *aut divinitatem sancti Spiritus in Patre & Filio confitere.* At mss. plures potioresque non agnoscunt, *in Patre & Filio.*

c. Mss. aliquot, *impia infidelitas Auxentii.* Ceterum hanc ejusdem Auxentii intrusionem, quæ contigit anno 355. factam esse à Constantio imperatore eodem armorum terrore ac violentia, qua sanctum Dionysium è sede sua deturbatum in exsilium expulit, discimus ex epist. Athanasii ad Solitarios, & libro Hilarii contra eumdem Constantium. Quod vero ad vexationem Sirmiensis Ecclesiæ, non dubium est Sirmiensia indicari concilia: Quandoquidem in primo quod celebratum fuit anno 351. Photinum eadem sede abdicarunt, fideique formulam ediderunt, quæ speciem orthodoxi dogmatis ita præferebat, ut ipsam tueri conatus fuerit Hilarius in libro *de Synodis*; licet eamdem Athanasius in libro *de Synodis Arim. & Seleuc.* damnarit. At vero iidem illi, qui deposito hæresiarcha, de Ecclesia videbantur benemeriti, ut in vacua sede Germinius sive Garminius Arrianarum partium hæreticus constitueretur, à Constantio impetravere; atque in secunda Synodo ibidem anno 357 habita formulam illam proposuerunt, quam cùm magnus Hosius terrore, tædio & fatiscentis ætatis infirmitate victus subscripsisset, ingentem hoc suo casu catholicis omnibus peperit doloris materiem. In tertia denique anno 359. coacta formulam aliam promulgarunt, quam dictavit Marcus Arethusius, fidei catholicæ haud minus infestam exitiosamque. Hinc intelligas *nutantibus sacerdotibus* hic idem esse ac episcopis in proposito veræ fidei parum firmis. Quod si quis contra Petavium, Valesium & alios recentiores non tria Concilia, sed unicum tantum fuisse velit, ex quo variæ illæ tres formulæ profectæ sint, nihilo tamen secius ad illud referri ea poterunt, quæ hic dicuntur ab Ambrosio.

diolanensem Ecclesiam armis exercituque occupaverat, vel à Valente atque Ursatio, nutantibus sacerdotibus suis, incursabatur Ecclesia
a Sirmiensis, [a] falsum hoc, & sacrilegium vestrum in Ecclesiasticis codicibus deprehensum est. Et fortasse hoc etiam in Oriente fecistis.

60. Et litteras quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat; neque enim vos poteratis oblinire veritatem, sed illa litura de libro vitæ nomina vestra radebat. Cur B auferebatur: *Quoniam Deus Spiritus est;* si non pertinebat ad Spiritum? Si enim de Deo Patre
b vultis expressum, ergo & Deum [b] Patrem negatis, qui putatis esse delendum. Utrum vultis, eligite: in utroque vos laqueus vestræ impietatis adstringet, si gentiles vos esse fateamini vel Patrem Deum negando, vel Spiritum. Tenetur igitur vestra confessio, qua delestis oraculum, dum formidatis exemplum.

61. Delestis quidem in pectoribus animisque C vestris: ceterùm divinum non deletur oraculum, non deletur Spiritus sanctus, sed aversatur impias mentes: non deletur gratia, sed iniquitas; quia scriptum est: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Esai. 43. 25. Denique Moyses pro populo petens: *Dele, inquit, me de libro tuo, si non parcis huic populo.* Exod. 32. 32. Nec tamen deletus est; quia non habebat iniquitatem, sed gratiam profluebat.

62. Vestra igitur estis confessione convicti, D
c quod sapienter factum non potestis dicere, [c] sed astute. Astute enim cognovistis loci istius vos adtestatione convinci, nec argumenta vestra adversus id posse testimonium convenire. Quo enim possit alio intellectus loci istius derivari, cùm series lectionis tota de Spiritu sit?

63. Nicodemus quærit de regeneratione, respondet Dominus: Johan. 3. 5. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit* [d] *per aquam & Spiritum, non potest introire in regnum Dei.* Et ut ostenderet E aliam generationem secundum carnem esse, aliam secundùm Spiritum, addidit: Ibidem 6. *Quod natum est ex carne, caro est; quia de carne natum est: & quod natum est de Spiritu, Spiritus est; quia Deus Spiritus est.* Prosequere ergo totam seriem lectionis, & invenies quod Dominus impietatem vestram plenitudine adsertionis excluserit. *Noli,* inquit, *mirari quia dixi: Oportet vos nasci denuo.* Ibidem 7. & 8. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis: sed nescis unde veniat, aut quo vadat; sic est omnis qui natus est de Spiritu.* F

64. Quis est qui nascitur de Spiritu, & qui efficitur Spiritus; nisi qui renovatur Spiritu mentis suæ? Hic est utique qui per aquam regeneratur & Spiritum sanctum; quoniam per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti spem vitæ capimus æternæ. Et alibi Petrus apostolus ait: *Vos autem Spiritu sancto baptizabimini.* Act. 11. 16. Quis est autem qui baptizatur Spiritu sancto, nisi qui renascitur per aquam & Spiritum sanctum? Ergo de sancto Spiritu Dominus dixit: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquam & Spiritum, non potest introire in regnum Dei.* Et ideo de ipso nasci nos in posterioribus definivit, per quem renasci nos in superioribus est loquutus. Hæc Dominica sententia est: * scripto nitor, non argumento. *

65. Quæro tamen cur si non dubitatur per Spiritum sanctum [e] nos renasci, dubitetur de Spiritu sancto nos nasci; cùm ipse Dominus Jesus de Spiritu sancto & natus sit & renatus? e Quem si natum de Spiritu sancto confitemini, Matth. 1. 20. quia non potestis negare: renatum autem negatis; Matth. 3. 16. magna insipientia, ut quod singulare Dei est, confiteamini: quod commune est hominum, denegetis. Et ideo bene vobis dicitur quod Judæis dictum est: *Si terrena vobis dixi, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Johan. 3. 12.

66. Sed tamen utrumque locum ita scriptum invenimus in græco, ut non per Spiritum dixerit, sed de Spiritu. Denique sic habet: Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, hoc est, *de aqua & Spiritu.* Ergo cùm dubitari non debeat de sancto scriptum esse Spiritu, *quod natum est de Spiritu;* non est dubium quin Deus sit & sanctus Spiritus, secundùm quod scriptum est, quia *Deus Spiritus est.*

67. Alibi quoque ut hoc de sancto Spiritu scripsisse se idem evangelista reseraret: *Per aquam,* inquit, *& Spiritum venit Christus Jesus,* 1 Johan. 5. 6. & 8. *non solum in aqua, sed per aquam* [f] *& sanguinem.* f *Et spiritus testimonium dicit, quoniam Spiritus est veritas; quia tres sunt testes, Spiritus, aqua, sanguis: & hi tres unum sunt.*

68. Audi quomodo testes: Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, [g] sanguis spectat ad pretium. g Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur invisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequimur spiritali; quia *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.* Rom. 8. 16. Etsi in utroque plenitudo sit sacramenti, distinctio tamen muneris est: ergo ubi distinctio est muneris, non est utique testificationis æqualitas.

a. Omnes edit. *falsum hoc & sacrilegum simulacrum:* contra vero mss. prope ad unum, *falsum hoc & sacrilegium vestrum* Minime male; idem enim est ac si legamus, falsitas seu corruptio & adulteratio, hæc simul & sacrilegium vestrum deprehensum est. *Sacrilegum* vero *simulacrum* quid significat?

b. Rom. edit. *Patrem negastis, quem putastis esse delendum.* Et continuo post mss. non pauci, *Utrum velitis eligere* &c.

c. Mss. aliquot, *sed astute actum. Cognovistis* &c. Infra etiam iidem cod. *Quo enim possit vestra argumentatio alio intellectum loci illic derivare?*

d. Non pauci mss. *ex aqua & Spiritu sancto.* Et infra, *de carne caro est.* Porro sequentes voces, *quia de carne natum est,* non minus absunt ab omnibus omnium idiomatum bibliis, quam illæ de quibus hic disputatur, *quoniam Deus Spiritus est.* Atqui ut dubitare nequaquam licet, quin hæ ultimæ ab hæreticis fuerint ex albo sacrarum paginarum erasæ, ita satis mirum est easdem nusquam in proprium locum fuisse restitutas. Forte quærat aliquis cur è cap. 3. hæc verba expuncta sint, cùm eadem in capite 4. ℣. 24 integra perseverent? Sed rationem satis indicat Ambrosius noster, videlicet quod verba cap. 4. ad Patrem detorqueri posse putarent hæretici.

*. *Scripto nitor, non argumento* propterea dicit Ambrosius, quod *etiam humanis testimoniis argumenta cedere soleant,* ut ipse scribit lib. 1. *De Fide* cap. 11. num. 70. Vide similiter quæ notavimus ad lib. 3. cap. 3. num. 24.

e. Pauci mss. *nos nasci, dubitetur de Spiritu sancto nos renasci.*

f. Vet. edit. & quidam mss. *& sanguinem, & Spiritus testimonium: quoniam Spiritus est veritatis ... unum sunt in Christo Jesu.* Mss. vero ceteri nobiscum faciunt, excepto quod pro, *Spiritus est veritas,* nonnulli habent cum Vulg. vers. sola, *Christus est veritas.*

g. Mss. nonnulli, *sanguis expiat ad pretium.*

CAPUT XI.

Objiciebatur Johannis verba, nimirum, Spiritus est Deus, *ad Deum Patrem referenda esse; quando postea Deum adorandum* in Spiritu & veritate *prædicit Christus. Respondetur primo voce* spiritus *interdum gratiam spiritalem significari: deinde si personam Spiritus sancti per voces* in spiritu *intelligendam velint, proptereaque ipsi deberi negent adorationem, ostenditur argumentum æque pugnare in Filium: quem tamen cùm adorandum innumera probent exempla, hinc de Spiritu quoque idem statuendum intelligitur. Quid adorari præcipitur scabellum pedum? Hoc designari Domini corpus, cujus cùm auctor sit Spiritus, ipsum sequitur adorandum esse, nec tamen proinde Mariam adorandam. Non ergo abrogari Spiritus adorationem, sed ejus cum Patre conjunctionem exprimi, cùm Pater* in Spiritu *dicitur adorandus: quod similibus locutionibus confirmatur.*

Alias Cap. XII.

69. SEd fortasse referatur quia in posterioribus istius ipsius libri iterum Dominus Deum Spiritum dixit, sed de Patre Deo sensit. Sic enim habes in Evangelio: *Nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* (Johan. 4. 23. & 24.) Non solum enim hoc exemplo divinitatem sancti Spiritus vultis negare; sed etiam in Spiritu adorari Deum tamquam ad subjectionem Spiritus derivatis.

70. Cui loco respondebo breviter, quia spiritus plerumque ponitur pro gratia spiritali, sicut & Apostolus dixit: *Quia ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* (Rom. 8. 26.) hoc est, gratia spiritalis; nisi forte gemitus vos sancti Spiritus audire potuistis. Ergo & hîc adoratur Deus, non in malitia cordis, sed in gratia spiritali. *In animam* enim *malevolam non intrat sapientia;* (Sap. 1. 4.) quia *nemo potest dicere dominum Jesum, nisi in spiritu sancto.* (1. Cor. 12. 3.) Statimque subdidit: *Divisiones vero gratiarum sunt.* (Ibidem 4.)

71. Non igitur hoc ad plenitudinem, nec ad portionem Spiritus potest pertinere; quia neque humana mens ejus plenitudinem capit, neque in ullas sui dividitur sectiones: sed donum gratiæ spiritalis infundit, in quo adoratur Deus, sicut adoratur etiam in veritate; non enim adorat, nisi qui veritatem divinitatis ejus pio haurit affectu. Nec utique velut personaliter Christum, aut sanctum personaliter Spiritum comprehendit.

72. Aut si putas quod velut personaliter dictum de Spiritu videatur & de Christo: ergo Deus similiter adoratur in veritate, sicut adoratur in Spiritu. Aut similis igitur subjectio, quod absit ut credas; & nec Filius adoratur: aut, quod verum est, similis unitatis est gratia, & Spiritus adoratur.

A 73. Colligamus hîc ergo & concludamus Arrianorum impias quæstiones. Si enim ideo negant adorandum Spiritum, quia Deus adoratur in Spiritu; negent ergo adorandam veritatem, quia Deus adoratur in veritate. Nam licet plurimæ veritates sint, quia scriptum est: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum;* (Psal. 11. 1.) donatæ tamen sunt à veritate divina, quæ est Christus qui ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* (Johan. 14. 6.) Ergo si hoc loco veritatem ex usu intelligunt, intelligant etiam B gratiam spiritalem, & nihil est offensionis: aut si veritatem Christum accipiunt, adorandum negent.

74. Sed refelluntur factis piorum, serie Scripturarum. Adoravit enim Christum Maria, & ideo prænuntia resurrectionis ad apostolos destinatur, (Johan. 20. 18.) solvens hereditarium nexum, & feminei generis immane delictum. Hoc enim operatus est in mysterio Dominus; *ut ubi superabundaverat peccatum, superabundaret & gratia.* (Rom. 5. 20.) C Meritoque ad viros femina destinatur; ut quæ culpam viro prima nuntiaverat, prima Domini gratiam nuntiaret.

75. Adoraverunt & apostoli; & ideo quia (Matth. 28. 17.) detulerunt fidei testimonium, acceperunt fidei magisterium. Adoraverunt & Angeli, de quibus scriptum est: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* (Hebr. 1. 6.)

76. Adorant autem * non solum divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, sicut scriptum est: *Et adorate scabellum pedum ejus;* (Psal. 98. 5.) D *quoniam sanctum est.* Aut si negant quia in Christo etiam incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus velut vestigia quædam divinitatis expressa, & vias quasdam Verbi cælestis advertimus; legant quia & apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem. (Matth. 28. 17.)

77. Ergo si nihil derogat Christo, quod Deus adoratur in Christo; quia adoratur & Christus: nihil utique derogat etiam Spiritui, quia Deus adoratur in Spiritu; quia adoratur E & Spiritus, sicut Apostolus dixit: *Spiritui Dei servimus.* (Philip. 3. 3.) Qui enim servit, & adorat, sicut supra dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* (Deut. 6. 13.)

78. Sed ne forte propositum aliquis prætersugere videatur exemplum, qua ratione ad incarnationis Dominicæ sacramentum spectare videatur, quod ait Propheta: *Adorate scabellum pedum ejus,* (Psal. 98. 5.) consideremus; non enim ex usu hominum æstimare debemus scabellum. Nam neque corporalis Deus, aut non F immensus; ut tamquam fulcrum pedibus ejus scabellum subjectum putemus. Neque adorandum quidquam præter Deum legimus; quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies.* (Deut. 6. 13.) Quomodo ergo adversus Legem Propheta præciperet, sub Lege nutritus, & eruditus in Lege. Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: *Cælum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum.* (Esa. 66. 1.) Sed nec terra adoranda

*. Quæstionem de adoratione Christi etiam secundum humanitatem non sine causa hîc paulo diligentius tractat sanctus Doctor. Etenim Apollinaristæ, ut impium suum dogma de unica in Christo natura statuerent, ex adulterina Julii Pont. Rom. epistola dictitabant, siquidem non unius sed duplicis naturæ Christus esset, à catholicis unam adorari, alteram non adorari oportere, ipsosque in divinam baptizari, non autem in humanam. Hinc erat, quod orthodoxos invidiose ἀνθρωπολάτρας appellare solebant, & januis suis inscribebant *adorandum esse non hominem Deiferum, sed Deum carniferum.* Horum errores acerrime confutarunt Athanasius lib. *de Incarn. Christi*, & epist. *ad Adelph.* Epiphanius *Ancor.* num. 51. Leo Bizant. Ambrosius hîc & lib. *de Incarn. Sacram.* atque alii. Christum porro secundum utramque naturam una & eadem adoratione colendum post Synodum Chalced statuit Constantin. 5. can. 8.

est nobis, quia creatura est Dei.

79. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam dominus Jesus in carnis adsumtione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem * caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, & quam apostoli in domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus: neque cùm adoratur tamquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur. Cùm igitur incarnationis adorandum sit sacramentum, incarnatio autem opus Spiritus, sicut scriptum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei:* haud dubie etiam sanctus Spiritus adorandus est; quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiritu sancto est.

1.Cor.1.13. — *Luc.1.35.*

80. Ac ne quis hoc derivet ad Mariam virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus, qui operabatur in templo.

81. Nihil ergo officit, quod Deus adoratur in Spiritu; quia & Spiritus adoratur. Quamquam si ipsa verba consideremus, quid aliud in Patre & Filio & Spiritu sancto, nisi ejusdem potestatis unitatem intelligere debemus? Quid est enim: *In Spiritu & veritate adorare oportet?* [a] si tamen hoc non ad gratiam spiritalem referas, nec ad veram conscientiæ fidem: sed, ut diximus, personaliter (si tamen dignum hoc verbum est majestatis expressione divinæ) de Christo accipias & de Spiritu.

Johan. 4. 24.

82. Quid est ergo adoratur in Christo Pater, nisi quia est in Christo Pater, & loquitur in Christo Pater, & manet in Christo Pater? Non utique quasi corpus in corpore; non enim Deus corpus: nec quasi confusus in confuso; sed quasi verus in vero, Deus in Deo, lumen in lumine, quasi Pater sempiternus in Filio coæterno. Non ergo insertio corporis intelligitur, sed unitas potestatis. Ergo per unitatem potestatis coadoratur in Patre Christus, cùm Deus pater adoratur in Christo. Similiter itaque per unitatem potestatis ejusdem coadoratur in Deo Spiritus, dum Deus adoratur in Spiritu.

83. Adhuc verbi istius vim atque sermonis diligentius pertractemus, & proprietatem ejus ex aliis colligamus: *Omnia*, inquit, *in Sapientia fecisti.* Quid hîc igitur intelligimus exsortem factorum esse Sapientiam? Sed *omnia per ipsum facta sunt.* Et David ait: *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Ergo [b] ipse qui Dei Filium etiam cælestium dicit auctorem, ita utique dixit in Filio facta omnia, ut in operum instauratione Filium à Patre minime separaret, sed Patri jungeret.

Psal.103. 24. — *Johan.1.3.* — *Psal.32.6.*

84. Paulus quoque ait: *Quoniam in ipso condita sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia.* Numquid cùm dicit, *in ipso*, negavit per ipsum? Non negavit utique, sed adseruit. Denique & alibi dixit: *Unus dominus Jesus, per quem omnia.* Ergo cùm dicit, *per ipsum*, negavit in ipso condita esse omnia, per quem dicit esse omnia? Hanc vim habent verba hæc: *In ipso, & cum ipso;* ut unum in his atque consimile, non contrarium intelligatur. Quod etiam in inferioribus manifestavit dicens: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt;* hæc enim tria in Christo unum esse: *cum ipso, & per ipsum, & in ipso*, sicut supra diximus, Scriptura testatur. Habes enim per ipsum & in ipso condita esse omnia.

Coloss.1.16. — *1.Cor.8.6.* — *Coloss.1.16.* — *Ibidem.* — *Lib.1.c.1. & 9.*

85. Accipe etiam quia cum ipso Pater, & ipse cum Patre erat; cùm omnia conderentur. Sapientia dicit: *Cùm pararet cælos, cum illo eram; cùm faceret fontes aquarum.* Et in veteri Testamento dicendo Pater, *Faciamus*, ostendit Filium secum adorandum, quasi omnium conditorem. Sicut ergo in Filio [c] creata dicuntur, quorum Filius creator accipitur; ita etiam cùm in veritate adorari Deus dicitur, verbi ipsius proprietate in eumdem modum frequenter expressa debet intelligi, quod & Filius adoretur. Similiter itaque adoratur & Spiritus; quia Deus adoratur in Spiritu. Ergo Pater & cum Filio adoratur, & cum Spiritu; quia Trinitas adoratur.

Prov.8.27. — *Gen.1.26.*

*. Mirum est quantum torserit hic locus neotericos heterodoxos. Eum proposuerunt Cardinales Bellarminus lib. 3. cap. 12. & Perronius lib. etiam 3 *de Euchar.* cap. 14. tamquam ad probandum summam &, ut vocant, latriæ adorationem Christo in eucharistica liturgia deberi, & re vera jam inde à felicibus illis florentis Ecclesiæ temporibus deferri consuevisse, validissimum. Contra vero Plessæus & Albertinus ejusdem vim responsis suis sin minus frangere, saltem debilitare conati sunt. Prior siquidem duo respondet: Ambrosium de adoratione eodem sensu loqui, quo de manducatione; eodem autem de manducatione, quo de tactu seu palpatione: atqui, ait ille, Ambrosius in *Expos. Luca* agens de Magdalena, Christum jam non corporaliter, sed per fidem contingi adseverat. Verum nihil ea responsione ineptius. Namque adeo non negat sanctus Doctor Christum tangi posse post resurrectionem, ut Mariam alteram Christi pedes amplexam tenuisse clare affirmet. Deinde ut maxime Christum in eucharistia corporeo tactu palpare nequamus, sed tantummodo, quibus vestitur, accidentia; quid vetet ne quem vere præsentem esse, licet lateat, per fidem cognoscimus, vera & externa adoratione veneremur. Secunda ejusdem responsio est Christum quidem in mysteriis adorari, sed non adorari mysteria in sacramento, non adorari ipsummet sacramentum. Quod quidem eo maxime probare nititur, quia quibusdam locis à Patribus & ab Ambrosio ipso sacramentum creatura dicitur: sed cùm illic sacramentum sumatur vel pro materia sacramenti nondum consecrata, vel pro typis seu speciebus sacramentalibus, ex hac etiam parte nihil promovet. Neque verò felicior est, cùm Christum adorari in mysteriis ita explicat, ut non de adoratione singulari, quæ Christo præsenti exhibeatur, sed de communi illa qua in quolibet religionis actu, puta in baptismatis aut alio simili, sedentem ipsum ad paternam dexteram veneramur. Verum frustra captantur hujusmodi effugia & diverticula. Clarum quippe est hoc unum esse Ambrosii nostri consilium, nempe ut adorationem Spiritui negari non posse exinde probet, quod Christi caro, cujus auctor est idem Spiritus, vere adoretur: id autem ita habere uti doceat, adserit eamdem carnem in resurrectione adoratam esse ab apostolis, & etiamnum à nobis in mysteriis adorari. Quis igitur non intelligat ideo adorari in mysteriis, quia ibidem nobis præsens est, quemadmodum propterea eum in resurrectione adoraverunt apostoli, quia præsentem ipsum intuebantur. Attamen urget Albertinus nihil hîc esse, cur per mysteria eucharistiæ potius, quam baptismatis sacramentum intelligamus; cùm multi Patres nos in baptismo eumdem cultum Christo deferre præcipiant. At qui locorum quos iste affert, verba expenderit, facile advertet, non illic agi de peculiari veneratione, quæ carni Dominicæ exhibeatur, sed tantum de communi illa, qua Christum ubicumque positi possumus adorare. Quod vero locus hic de sola eucharistia interpretandus sit, præter illa quæ jam diximus, Augustinus fidelissimus Ambrosii discipulus plane confirmat; is enim exponens supra citatum ab Ambrosio psalmi 98. versum, *Adorate scabellum pedum ejus*, ut eum sacramento altaris accommodaret, non solum Ambrosianas sententias, sed & verba ipsa mutuatus est.

a. Amerb. & Eras. *Nisi ut hoc numquam ad gratiam spiritualem referas:* mss. aliquot, *Nisi ut hoc non aliter quam ad gratiam* &c. Gill. vero, & Rom. cum mss. multo pluribus, ut in textu. Quod autem voci *personaliter* adjicit, *si tamen dignum hoc verbum* &c. indicat homines cùm divina humanis verbis explicare cogantur, nihil quod majestate Dei dignum sit, eloqui posse. Nec vero minus caute atque timide eodem personæ vocabulo usum reperies Augustinum lib. 7. *de Trin.* cap. 4 Vincentium Lyrin. atque alios.

b. Ita Gill. & Rom. edit. cum majori numero mss. Amerb. vero & Eras. cum aliis mss. *ipse quidem Filium ... auctorem. Ita utique* &c.

c. Amerb. & Eras. *creatura discutitur;* aliæ edit. & cuncti mss. *creata dicuntur.* Iterum vero ubi omnes edit. ac plures mss. *cùm in veritate adorari*, alii aliquot legunt, *cùm in Filio, in veritate* &c.

CAPUT XII.

Ex eo quod in Trinitate divinitatis lucem, quam in Christo tres apostoli adoraverunt, inesse Paulus significaverit, adorandus etiam Spiritus declaratur. Ostenditur ex ipsis verbis Spiritum designatum ab Apostolo. Ejusdem Spiritus divinitas inde probatur, quod templum habeat, in quo non ut sacerdos habitet, sed ut Deus: nec non cum Patre ac Filio adoretur; unde in iisdem naturæ unitas intelligitur.

86. AN vero negat aliquis adorandam divinitatem Trinitatis æternæ? cùm & Scripturæ divinæ inexplicabilem majestatem exprimant Trinitatis, sicut alibi Apostolus dicit: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ* [a] *claritatis Dei in facie Jesu Christi.* 2.Cor.4.6.

87. Nempe hanc claritatem viderunt apostoli, cùm dominus Jesus divinitatis suæ luce in monte fulgeret: *Viderunt*, inquit, *apostoli, & in faciem prociderunt.* Putasne illos vel cùm prociderent, adorasse; cùm fulgorem divini luminis corporalibus oculis sustinere non possent, & splendor lucis æternæ aciem visus mortalis obduceret? Aut quid aliud tunc temporis dixerunt illi videntes gloriam ejus, nisi: *Venite adoremus, & procidamus ante eum? Illuxit* enim *Deus in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Jesu Christi.* Matth.17.6. Psal.94.6. Alias Cap. XIII. 2.Cor.4.6.

88. Quis est ergo qui illuxit, ut cognoscamus Deum in facie Christi Jesu? Dixit enim, *Illuxit Deus*, ut cognoscatur claritas Dei in facie Christi Jesu: quem putamus alium præter Spiritum declaratum? Aut quis est alius præter Spiritum sanctum, cui divinitatis potentia deferatur? Qui enim Spiritum excludunt, necesse est inducant alium, qui cum Patre & Filio gloriam divinitatis accipiat.

89. Eadem igitur verba repetamus: *Deus est qui illuxit ad illuminationem claritatis Dei in facie Jesu Christi.* Habes Christum evidenter expressum. Cujus ergo claritas illuminare dicitur, nisi Spiritus? Ipsum ergo Deum expressit, quia claritatem Dei dixit: si Patris, superest ut *qui dixit de tenebris lumen splendescere, & illuxit in cordibus nostris*, Spiritus sanctus intelligatur; alium enim non possumus cum Patre Filioque venerari. Si igitur Spiritum intelligis, & hunc Apostolus Deum dixit; necesse est igitur deitatem Spiritus etiam vos fateamini, qui negatis.

90. Sed quam impudenter negatis, cùm legeritis quia templum habet Spiritus sanctus! Scriptum est enim: *Templum Dei vos estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis.* Deus ergo templum habet, creatura templum non habet verum. Spiritus autem habet templum, qui habitat in nobis. Nam scriptum est: *Quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* 1.Cor.3.16. 1.Cor.6.15.

91. In templo autem non quasi sacerdos, nec quasi minister, sed quasi Deus inhabitat; quoniam ipse dominus dixit Jesus: *Inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo; & ero illorum Deus,* Levit.26.12.

A *& ipsi erunt mihi populus.* Et David dicit: *Dominus in templo sancto suo.* Ergo Spiritus habitat in templo sancto suo, sicut habitat Pater, habitat & Filius, qui ait: *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Psal.10.5. Johan.14.23.

92. Manet autem in nobis Pater per Spiritum, quem dedit nobis. Quomodo igitur potest simul dispar manere natura? Utique non potest. Manet autem cum Patre & Filio Spiritus sanctus. Unde & Apostolus cum gratia Jesu Christi B & caritate Dei communicationem sancti Spiritus copulavit dicens: *Gratia domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis.* 2.Cor.13.13.

91. Advertimus igitur quod Pater & Filius & Spiritus sanctus in uno eodemque per naturæ ejusdem maneant unitatem. Ergo divinæ est potestatis, qui habitat in templo; sicut enim Patris & Filii, ita & Spiritus sancti sumus templum: non multa templa, sed unum templum; C quia unius templum est potestatis.

CAPUT XIII.

Objicientibus catholicos, dum Spiritui adtribuunt divinitatem, tres deos inducere, retorquetur ab ipsis ob eamdem causam induci duos deos, nisi divinitatem Filio negaverint. Deinde orthodoxa doctrina exponitur.

92. SEd quid veremini, an illud quod oblatrare consuestis, ne tres faciatis deos? D Absit; ubi enim una deitas intelligitur, unus Deus dicitur. Neque enim cùm Filium Deum dicimus, duos deos dicimus. Nam si cùm deitatem Spiritus [b] confitemini, putatis tres deos dici: ergo & cùm deitatem Filii dicitis, quia non potestis eam negare, duos inducitis deos. Necesse est igitur juxta sententiam vestram, si Deum personæ unius, non unius naturæ nomen putatis, aut duos deos dicatis, aut Deum Filium denegetis. Alias Cap. XIV.

E 93. Sed excusemus vos ab inscientia, etsi non excusamus à culpa. Etenim secundum nostram sententiam quia unus Deus, una divinitas, & unitas intelligitur potestatis. Sicut unum Deum dicimus, & Patrem vero deitatis nomine confitentes, nec Filium denegantes; ita etiam Spiritum sanctum à deitatis non excludimus unitate, & tres deos non adserimus, sed negamus; quia pluralitatem non unitas facit, sed divisio potestatis. Quomodo enim pluralitatem reci- F pit unitas divinitatis; cùm pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat divina natura?

CAPUT XIV.

Præter superiora testimonia, alios locos ad probandum trium personarum imperium adferri posse. Adferuntur duo ex epistolis ad Thessalon. & iisdem Spiritui dominatum sicut & aliis personis arrogari, aliorum Scripturæ textuum collatione ostenditur. Demum citato alio ex altera ad Corinth. adhuc expressiore loco, & dominum Spiritum esse, & ubi sit dominus, Spiritum esse colligitur.

94. UNus ergo Deus, salva majestate Trinitatis æternæ, sicut proposito Alias Cap. XV.

a. Bigot. cod. *caritatis Dei.* Sed contra non solum aliorum omnium, atque edit; verum etiam Apostolici textus auctoritatem.

b. Ita mss. plures ac probatiores: nonnulli autem alii & omnes edit. *confitemur, putatis nos tres deos dicere.*

declaratur exemplo. Nec eo tamen solo loco A Trinitatem videmus nomine divinitatis expressam, sed cum plerisque locis, sicut & supra diximus, tum maxime in his epistolis quas ad Thessalonicenses Apostolus scripsit, divinitatem atque dominatum Patris & Filii & Spiritus sancti evidentissime declaravit. Sic enim habes: 1. Thess. 3. 12. & 13. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate invicem & in omnes, sicut & nos in vobis, ad confirmanda corda vestra sine querela in* B *sanctificatione coram Deo & Patre nostro in adventu domini Jesu.*

95. Quis est igitur dominus, qui multiplicet nos, & abundare faciat coram Deo & Patre nostro in adventu domini Jesu? Patrem dixit, & Filium dixit: quem ergo cum Patre & Filio præter Spiritum junxit? Quis est dominus qui corda nostra in sanctificatione confirmet? Sanctificatio enim [a] gratia spiritalis est, sicut & infra 2. Thess. 2. 12. dixit: *In sanctificatione Spiritus, & fide veritatis.* C

96. Quem putatis ergo hîc dominum, præter Spiritum nuncupatum? [b] Nec Deus Pater docere vos potuit, qui ait: Johan. 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto?* Luc. 3. 22. Descendit enim Spiritus in specie columbæ; ut & sapientiæ testimonium ferret, & sacramentum lavacri spiritalis impleret, & unius se cum Patre & Filio operationis ostenderet.

97. Ac ne per imprudentiam aliquid excidisse D Apostolo judicetis, sed scientem prudentemque & sancto infusum Spiritu significasse dominum, quem Deum sentiebat, etiam in secunda ad Thessalonicenses epistola hoc idem 2. Thess. 3. 5. repetivit dicens: *Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione Dei, & patientia Christi.* [c] Si dilectio Dei est, & Christi patientia, quis est dominus qui dirigat, debet ostendi, si directionem sancti Spiritus denegamus.

98. Sed negare non possumus, quoniam de E Johan. 16. 12. & 13. ipso Dominus dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Alias Cap. XVI. Psal. 142. 10. Et David de ipso dicit: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.*

99. Vide quid de Spiritu sancto vox Dominica resultaverit. Filius Dei venit, & quia nondum infuderat Spiritum, parvulos quosdam [d] nos degere sine Spiritu declaravit. Spiritum dixit esse venturum, qui faceret ex parvulis F fortiores, incremento videlicet spiritalis ætatis. Quod ideo posuit, non quo virtutem Spiritus anteferret, sed ut in cognitione Trinitatis ostenderet plenitudinem esse virtutis.

100. Necesse est igitur aut quartum aliquem dicatis, quem sentire præter Spiritum debeatis: aut certe non alium dominum judicetis, nisi Spiritum designatum.

101. Quod si evidentem conceptionem verborum exigitis, quibus dominum Spiritum Scriptura memoraverit, nec id latere vos potuit; quia scriptum est: *Dominus autem Spiritus est.* 2. Cor. 3. 17. Quod utique dictum de Spiritu sancto totius series lectionis ostendit. Et ideo Apostolica consideremus eloquia: *Quoties legitur Moyses,* Ibidem 15. & 16. inquit, *velamen positum est super cor eorum: cùm vero conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

102. Non solùm itaque Spiritum dominum dixit, sed etiam addidit: *Ubi autem Spiritus* Ibidem 18. *Domini, ibi libertas. Nos itaque omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, ad eamdem imaginem reformamur à gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu,* hoc est, qui ad Dominum sumus ante conversi, ut spiritali intellectu quasi in quodam speculo Scripturarum Domini gloriam videremus, nunc ab hac gloria quæ nos convertit ad Dominum, in illam cælestem gloriam reformamur. Ergo cùm dominus sit ad quem convertimur, dominus autem Spiritus sit à quo reformamur, qui conversi ad dominum sumus, dominus utique Spiritus sanctus est designatus; ipse enim conversos suscipit, qui reformat. Nam [e] quomodo quos non susceperat, reformaret?

103. Quamquam quid expressionem quærimus vocis, ubi expressionem cernimus unitatis? Nam etsi dominum Spiritumque distinguas; negare tamen non potes quia ubi dominus, ibi & Spiritus: & qui fuerit conversus ad dominum, erit conversus ad Spiritum. Si litteram calumniaris, unitatem non inficiaris: si unitatem vis secernere, potestatis dominum ipsum Spiritum confiteris.

CAPUT XV.

Etsi Spiritus dominus appelletur, tres tamen dominos hinc non induci; cùm ex eo quod Filius non secus ac Pater in variis Scripturæ locis dominus appellatur, non inducantur duo domini: dominationem enim in divinitate esse, & in dominatione divinitatem, quæ tribus personis indivisim congruant.

104. SEd fortassis iterum dicas: Si dominum Spiritum dixero, tres dominos declarabo. Alias Cap. XVII. Numquid cùm dominum Filium dicis, aut Filium negas, aut duos dominos confiteris? Absit; ipse enim Filius dixit: *Nolite duobus dominis servire.* Matth. 6. 24. Sed non utique aut se aut Patrem dominum denegavit; nam & Patrem dominum dixit, sicut habes: *Confiteor tibi, Pater domine cæli & terræ.* Matth. 11. 25. Et se memoravit dominum, sicut in Evangelio legimus: *Vocatis me dominum & magistrum,* [f] *& bene facitis; sum etenim.* Johan. 13. 13. Sed non duos dominos dixit; immo ostendit se non duos dominos dixisse, [g] cùm præmonet: *Nolite duobus dominis servire.* Non sunt enim duo domini, ubi dominatus unus est; quia Pater in Filio, & Filius in Patre; & ideo Dominus unus.

105. Sic & Lex docuit: *Audi Israel, dominus Deus tuus dominus unus est:* Deut. 6. 4. hoc est, immuta-

a. MSS. aliquot non inferioris notæ, *gratia spiritualis est.*

b. Gill. & Rom. cum mss. nonnullis, *Hoc Deus Pater:* Amerb. & Erasm. cum aliis multo pluribus, *Nec Deus Pater.* Non male, est enim interrogatio quæ cum stomachatione quadam & objurgatione conjuncta est

c. Nonnulli mss. *Si directio Dei est ea, & Christi .... qui diligat, debet ostendi, si dilectionem* &c.

d. Thuan. cod. *nos degeneres sine Spiritu declaravit.*

e. MSS. aliquot, *quomodo quis quod non susceperat, reformaret.*

f. Rom. edit. cum uno aut altero mss. *& bene dicitis.*

g. Unus mss. *cùm pariter moneat.* Infra vero ubi nos cum ant. edit. & mss. non paucis, *ubi dominatus unus est*; Rom. edit. & quidam mss. *ubi dominus unus est*: alii paulo plures, *ubi dominator* &c.

bilis

bilis, semper in unitate permanens potestatis, semper idem, nulla accessione, nulla diminutione mutatur. (Gen. 19. 24.) Ergo unum dixit Moyses, & idem tamen Dominum à Domino pluisse memoravit. [a] (2. Tim. 1. 18.) Apostolus quoque: *Det*, inquit, *Dominus misericordiam invenire à Domino.* Dominus pluit à Domino, Dominus dat à Domino misericordiam: Dominus nec ibi discernitur, ubi pluit à Domino; nec hîc separatur, ubi miseretur à Domino, sed utroque in loco unitas dominationis exprimitur.

(Psal. 109. 1.) 106. In psalmis quoque habes: *Dixit Dominus Domino meo.* Nec ideo Patrem suum dominum denegavit, quia Filium dominum suum esse memoravit: sed ideo Filium dominum suum dixit, ne crederes Filium prophetæ fuisse, sed Dominum: quod in Evangelio ipse Dominus manifestavit dicens: (Matth. 22. 43.) *Si enim David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est?* In spiritu dicit David dominum, non Spiritus dicit. Aut si hinc calumniantur, quia dominum Spiritus dixit, necesse est pari sacrilegio Filium Dei etiam Spiritus sancti Filium videantur adserere.

107. Ergo quemadmodum duos non dicimus dominos, cùm & Patrem & Filium designamus; ita nec tres dominos dicimus, cùm dominum Spiritum confitemur. Sicut enim sacrilegium est tres dominos aut deos dicere, ita etiam hoc plenum sacrilegii est, duos dominos aut deos dicere; quia unus Deus, unus dominus, unus est Spiritus sanctus: & qui Deus, dominus: & qui dominus, Deus; quia & in dominatione divinitas, & in divinitate dominatus est.

108. Denique & dominum & Deum legisti Patrem: (Psal. 140. 1.) *Domine Deus meus*, [b] *clamabo ad te, exaudi me.* Et dominum & Deum habes Filium, sicut in Evangelio legisti, quia cùm tetigisset (Johan. 20. 28.) Thomas latus Christi, ait: *Dominus meus & Deus meus.* Ergo sicut Pater Deus, & Filius dominus: ita & Filius Deus, & Pater dominus. Alternatur pia significatio, non alternatur divina natura, sed immutabilis manet gratia. Non enim largitatis collativa, sed naturalis [c] placita caritatis sunt; quia & unitas proprietatem habet, & proprietas unitatem.



CAPUT XVI.

Patrem sanctum esse, ac similiter Filium & Spiritum, atque hinc trisagio eodem celebrari: nec posse à nobis Deum prædicari dignius, quam si eumdem sanctum dicamus; unde clarum fit Spiritui sancto non derogandum. Eidem inesse omnia quæ Dei sunt, cùm in baptismate una cum Patre & Filio nominetur, eique Pater dederit quod majus omnibus est, nec quisquam ipsi valeat eripere. Igitur è loco Johannis unde calumniam conflabant hæretici, Trinitatis æqualitatem unitatemque adstrui deitatis. Tandem ubi expositum est quo pacto Filius à Patre accipiat, quemadmodum citato loco jugulentur varii hæretici, aperitur.

109. Ergo sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus & Spiritus: sed non * tres sancti; quia unus est Deus sanctus, unus est dominus. (Alias Cap. XVIII.) Una est enim vera sanctitas, sicut una est vera divinitas, una illa vera sanctitas naturalis.

110. Ideo omnia hæc quæ sancta nos credimus, illam solam prædicant sanctitatem. Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant & dicunt: *Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus Sabaoth.* (Esai. 6. 3.) Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes: sed ter repetunt, & idem dicunt, ut etiam in hymno distinctionem Trinitatis, & divinitatis intelligas unitatem: hoc cùm dicunt, Deum prædicant.

111. Nos quoque nihil pretiosius invenimus quo Deum prædicare possimus, nisi ut sanctum appellemus. Quodlibet aliud inferius Deo, inferius est domino. Ergo hinc quoque considerate utrum aliquid sancto Spiritui derogandum sit, cujus nomen Dei laus est. Sic enim laudatur Pater, sic laudatur & Filius, quemadmodum & Spiritus nominatur & laudatur. Seraphim laudat, omnis beatorum chorus laudat, ut sanctum Deum dicat; sanctum Filium, sanctum Spiritum.

112. Quomodo igitur non omnia habet quæ Dei sunt, qui cum Patre & Filio à sacerdotibus in baptismate nominatur, & in oblationibus invocatur, cum Patre & Filio à Seraphim in cælestibus prædicatur, cum Patre & Filio habitat in sanctis, infunditur justis; inspiratur prophetis. Unde & in Scriptura divina θεόπνευστος omnis ex hoc dicitur, quod Deus inspiret, quæ loquutus est Spiritus. (2. Tim. 3. 16.)

113. Aut si nolunt omnia habere quæ Dei sunt & posse omnia Spiritum sanctum, dicant quid non habeat, quidve non possit. Nam sicut omnia habet Filius, nec invidet Pater quominus omnia naturaliter det Filio, qui dedit

a. Mss. aliquot, *Apostolus quoque distinguit: Det vobis Dominus misericordiam* &c.

b. Ita vet. edit. & mss. nonnulli, à quibus edit. Rom. & a 1 Colb. hoc solo recedunt, quod pro *clamabo* præferunt, *clamavi*: reliqui autem scripti cod. habent, *clamabo ad te, & exaudisti me.*

c. Thuan. codex, *placita veritatis sunt.*

* Eadem protsus ratione in Symbolo quod Athanasio tribuitur, *Non tres æterni, non tres increati, non tres immensi.* Neque etiam aliter August. lib. 11. *de Civit. Dei.* cap. 24. *Unus Deus*, inquit, *propter inseparabilem divinitatem sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam; ita tamen ut cùm de singulis quæritur, unusquisque eorum & Deus & omnipotens esse respondeatur: cùm de omnibus simul, non tres dii, vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens. Tanta est ibi in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari.* Quibus verbis cum Ambrosii sententiâ nihil congruentius. Etenim quemadmodum causam cur tres sanctos dicere non liceat, hanc reddit Sanctus noster, quod nempe una vera & naturalis sit sanctitas; sic Augustinus eo quod una sit omnipotentia, tres dici posse omnipotentes negat. Ubi apparet voces *omnipotens & sanctus* ab eis sumtas in sensu concreto, ut vocant Theologi, id est, pro re ipsa quæ sancta sit atque omnipotens. Et forte non à nobis multum discrepent, qui post D. Thom. 1. p. q. 39. a. 3. substantive accipi tradunt eadem vocabula: qua de re vide Commentatores in eumdem locum

quod majus est omnibus, quemadmodum Scriptura testatur dicens: *Pater quod dedit mihi, majus est omnibus*; ita etiam Spiritus Christi habet, quod majus est omnibus; quia justitia nescit invidiam. Johan. 10. 29.

114. Itaque si diligenter advertamus, etiam hîc divinæ potestatis comprehendimus unitatem. *Pater*, inquit, *quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere ea de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* Nam si recte supra ostendimus manum Dei esse Spiritum sanctum, eadem utique manus Patris est, quæ Filii est manus; quoniam idem Spiritus Patris, qui Spiritus Filii est. Ideo sicut non rapitur Patri, ita non rapitur Filio, ita non rapitur & Spiritui, quicumque de nobis in hoc nomine Trinitatis vitam accipit æternam. ibidem 30. Lib. 3 cap 3.

115. Ex ipso autem quod & dedisse Filio Pater, & accepisse à Filio Spiritus dicitur; quia scriptum est: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis* (quod de munere magis dispensationis videtur, quam de potestatis divinæ jure dixisse, quia quos Filius redemit, Spiritus quoque sanctificaturus accepit) ex istis ipsis, inquam, verbis, de quibus calumniam instruunt, unitas divinitatis advertitur, non indigentia largitatis. Johan. 16. 14.

116. Dedit Pater per generationem, non per adoptionem: dedit quasi id quod esset in ipso divinæ jure naturæ, non quasi liberalitatis gratiâ, quod deesset. Et ideo quia sic adquirit Filius populos ut Pater, sic vivificat Filius ut Pater, [a] æqualitatem suam ad Patrem unitate potestatis expressit dicens: *Ego & Pater unum sumus.* Cùm enim dicit, *Ego & Pater*, revelatur æqualitas: cùm dicit, *Unum sumus*, unitas declaratur. Æqualitas confusionem excludit, unitas separationem: æqualitas Patrem Filiumque distinguit, unitas Patrem Filiumque non separat.

117. Ergo cùm dicit, *Ego & Pater*, Sabellianum repellit; quia alium se, alium Patrem dixit: repellit Photinianum, quia se cum Deo Patre junxit. Illos superioribus repellit, quia dixit, *Ego & Pater*: inferioribus Arrianos, quia dicit: *Unum sumus*; tamen & in superioribus & in inferioribus hæreticam [b] jugulat sævitatem Sabellianorum; quia *unum* dixit *sumus*, non unus sumus: Arrianorum; quia *ego & Pater*, non Pater & ego dixit. Quod utique non contumaciæ, sed pietatis & præscientiæ fuit; ne nos errorem in ordine putaremus. NESCIT ENIM unitas ordinem, gradum nescit æqualitas: nec cadit in Dei Filium, ut per contumaciam pietatem læderet magister ipse pietatis.

CAPUT XVII.

Ubi ad intelligentiam verborum Domini loca, in quibus verba illa dicta fuerint, juvare exemplis ostendit Ambrosius, Christum sententiam ex Johanne citatam loquutum esse in porticu Salomonis, per quam sapientis anima significatur, docet; eum enim hæc in corde stulti aut turbulenti negat fuisse prolaturum, & quamobrem. Addit ab iis qui fidem non habeant iisdem verbis, Christum lapidari: & quemadmodum Petro, quod illa sit confessus, claves cæli datæ fuerunt; ita Iscariotem, quod hæc ipsa non crediderit, male periisse. Per hanc occasionem in Judæos, qui Dei Filium emerunt, ac vendiderunt Josephum, invehitur. Mystice utriusque pretia edisserit; ac murmure proditoris de unguento Magdalenæ eadem ratione exposito, subjicit alio modo Christum emi ab hæreticis, alio à catholicis, illosque nequicquam sibi nomen usurpare christianorum, si Spiritum à Patre diviserint.

118. Refert itaque advertere quo loci hæc Dominus disputaverit; frequenter enim ejus oracula ex locorum in quibus diversatus est, qualitatibus æstimantur. Jejunaturus, ab Spiritu (sicut legimus) ducitur in desertum, ut evacuaret diaboli tentamenta. Nam etsi in abundantia copiarum continenter vixisse laudandum est; tamen in divitiis & amœnitatibus frequentior tentationis illecebra est. Denique tentator ut tentet, copias pollicetur: & Dominus ut vincat, famem nutrit. Nec ego diffiteor in divitiis esse posse continentiam: sed etsi qui mare navigat, frequenter evadit; magis tamen obnoxius est periculo, quam qui navigare noluerit. Matth. 4. 1.

119. Videamus cetera. Promissurus regnum cælorum Jesus montem adscendit. Alibi per sata ducit discipulos, seminaturus in eorum affectibus cælestium segetem præceptorum; ut messis animorum fœcunda flavesceret. Consummaturus susceptæ carnis officia, cùm perfectionem in discipulis jam videret, quos verborum suorum radice fundaverat, hortum ingreditur, [c] ut olearum novellas in domo Domini plantaret, & justum palmæ florentem modo, vitemque fœcundam rivo sui sanguinis irrigaret. Matth. 5. 1. Matth. 12. 1. Johan. 18. 1. Psal. 127. 3.

120. Hoc quoque loco in porticu Salomonis deambulabat dedicationis, ut legimus, die, hoc est, in pectore sapientis atque pacifici deambulabat Christus, ejus sibi dedicaturus affectum. Quæ ista porticus sit, docet Propheta dicens: *Deambulabam in innocentia cordis mei in medio* [d] *domus tuæ.* Habemus ergo in nobis domum Dei, habemus atria, habemus & porticus, habemus & plateas; quia scriptum est: *Inque plateis tuis superfluant aquæ tuæ.* Dilata ergo hanc porticum tui cordis Dei Verbo, quod tibi dicit: *Dilata os tuum, & adimplebo illud.* Johan. 10. 23. Psal. 100. 2. Prov. 5. 16. Psal. 80. 11.

121. Ergo deambulans in corde sapientis

a. Nonnulli mss. *æqualitate sua cum Patre unitatem potestatis expressit.*

b. Mss. aliquot, *jugulat cæcitatem.* Minus commode; nam præter quam quod *jugulare cæcitatem*, parum elegans est, sævitas Ambrosio, ubi de hæreticis agitur, vox familiaris est. Verum haud scimus an ubicumque apud hunc sævitas exaratur, non potius scriptum oporteat *scævitas*; ut non tam significetur, crudelis & fera mens hæreticorum, quam sinistra atque infausta.

c. Haud pauci mss. ut *olerum novellas .... plantaret*, unus, *plantasset*, duo, *plantatas*, quidam *palmæ florentis.*

d. Ita mss. plerique: alii vero nonnulli, & omnes edit. *domus meæ.* Sed hanc lectionem tametsi præferant sacri codices, tamen alii postponendam videtur ostendere, quod statim sequitur: *Habemus ergo in nobis domum Dei.*

atque pacifici Dei Verbum, audiamus quid lo- Johan. 10. 30. quatur: *Ego & Pater unum sumus.* Non dicet hoc in pectore perturbatoris & stulti; quia 1.Cor.2.14. *Animalis homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim illi est.* Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora. Denique Johan.10. 31. Judæi audientes: *Ego & Pater unum sumus; tulerunt lapides, ut lapidarent eum.*

122. Qui hoc audire non potest, Judæus est: qui hoc audire non potest, lapidat Christum asperioribus omni caute perfidiæ suæ saxis; & si mihi creditis, vulnerat Christum. Nam etsi 2.Cor 5 16. ille jam nunc vulnus sentire non possit: *Nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum;* tamen Arrianorum impietate lapidatur, qui Ecclesiæ pietate lætatur.

Psal. 118. 72. 123. Bonum mihi est, Domine, lex oris tui; servo præceptum tuum. Unum te esse cum Math. 16. 19. Patre ipse dixisti. Quia hoc credidit Petrus, claves regni cælorum accepit, & sui securus Ibid 27. 5. peccata donavit; quia hoc non credidit Judas, impietatis suæ se laqueo strangulavit. O dura infidelium saxa verborum! O informem laqueum proditoris, sed deformius pretium Judæorum! O argentum improbum, quo aut emi- Gen.37.28. tur ad necem justus, aut venditur: Joseph ven- Math.26. 15. ditus, emtus Jesus Christus: alter ad servitutem, alter ad mortem. Detestabilis hereditas, feralis auctio, quæ aut fratrem vendit injuriæ, aut Dominum licitatur exitio, salutis omnium redemtorem.

124. Duo igitur quæ præstantiora sunt omnibus, Judæa violavit, fidem atque pietatem; sed in utroque Christum fidei & pietatis auctorem. Nam & in patriarcha Joseph typus Christi Phil. 2. 6. & 7. fuit, & in veritate sui corporis Christus: *Qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed formam servi accepit;* propter lapsus videlicet nostros suscipiens servitutem, nec refugiens passionem.

* 125. * Alibi viginti aureis emitur, alibi triginta. Quomodo enim poterat verum ejus pretium comprehendi, cujus non potest meritum definiri? Erratur in pretio, quia erratur in studio. Gen 37.28. Viginti aureis in veteri Testamento venditur, Matth.26. 15. triginta in Evangelio; pretiosior enim typo veritas, largior gratia, quàm disciplina: opimior Lege præsentia; quia Lex promisit adventum, Legem adventus implevit.

126. Viginti aureis emunt Ismaelitæ, triginta Judæi. Nec hîc figura mediocris. Ad sacrilegium perfidi largiores, quàm ad salutem fideles sunt. Utriusque tamen contractus considerare convenit qualitatem. Viginti aurei pretium servitutis, triginta aurei crucis sunt. Quamvis enim simili modo adsumtionis & passionis sint admiranda mysteria; plenitudo tamen fidei in sacramento est passionis. Non minoris quidem æstimo sanctæ Virginis partum: sed gratius sumo benedicti corporis sacramentum. Quid clementius, quam quod mihi suas donavit inju-

A rias? Plenius tamen est, quod tantum contulit nobis; ut qui moriturus non erat, quia Deus erat, nostra ille morte moreretur, ut nos ejus Spiritu viveremus.

127. Denique non otiose & Judas Iscarioth Johan.12 5. unguentum illud trecentis denariis æstimavit: quod utique ipsius pretii definitione crucem videretur Domini declarare. Unde & Dominus ait: *Hæc enim mittens hoc unguentum in corpus* Math.26. 12. *meum, ad sepeliendum me fecit.* Cur igitur Judas B hoc carius æstimavit? Quia peccatoribus pluris constat remissio peccatorum, & indulgentia videtur esse pretiosior. Denique habes scriptum: *Quia cui multum dimittitur, plus diligit.* Ergo Luc. 7. 47. & ipsi peccatores Dominicæ passionis, quam perdiderunt, gratiam confitentur, & testimonium ferunt Christo, qui Christum sunt persequuti.

128. Aut quia *in malevolam animam non intrat* Sap. 1. 4. *sapientia;* etiam hoc loquebatur proditoris af- C fectus, carius æstimabat Dominici corporis passionem; ut omnes à fide pretii enormitate revocaret. Ideoque Dominus gratis se obtulit, ne quem revocaret à Christo paupertatis necessitas. Patriarchæ eum vili vendiderunt, ut omnes emerent. Esaias dixit: *Quicumque non* Esa. 55. 1. *habetis argentum,* [a] *ite, emite, & bibite: manducate sine argento;* ut eum adquireret, qui non habebat argentum. O Juda proditor, unguentum passionis ejus trecentis denariis æstimas, Math.26. 15. D & passionem ejus triginta denariis vendis; Dives in æstimatione, vilis in scelere.

129. Ergo non omnes eodem pretio emunt Christum. Alio emit Photinus, qui ad mortem emit: alio Arrianus, qui emit ad injuriam: alio catholicus, qui emit [b] ad gloriam. Sed emit sine pecunia, secundùm quod scriptum est: *Qui non* Esai. 55. 1. *habet pecuniam, emat sine pretio.*

130. *Non omnes,* inquit, *qui dicunt mihi,* Matth. 7. 21. *Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum.* E Etsi multi se nominent christianos, nomen usurpant, non tamen omnes mercedem habent. Et Cain obtulit sacrificium, & Judas accepit Gen. 4. 3. osculum, sed audivit: *Juda, osculo Filium homi-* Luc.22. 48. *nis tradis?* * hoc est, amoris pignore scelus imples, ac pacis instrumento odia seris, & charitatis officio mortem irrogas.

131. Ergo nec Arriani sibi usurpato nomine blandiantur, quia christianos esse se dicunt. Respondebit eis Dominus: Nomen meum præ- F tenditis, & substantiam denegatis: sed non agnosco nomen meum, ubi non est mea sempiterna divinitas. Non est nomen meum, quod à Patre dividitur, ab Spiritu separatur: non agnosco nomen meum, ubi non agnosco doctrinam meam: non agnosco nomen meum, ubi non agnosco Spiritum meum. Nescit enim se Spiritus Patris comparare servitiis, quæ crea- Lib. 1. 6. 1. & seq. vit. De quo multa jam diximus.

*. De venditione Christi Ambrosius lib. 6. in Lucam num. 31. alibi se plura dixisse commemorat, quo loco credibile est eum vel hoc ipsum caput indicasse, vel cap. 3. *de Joseph Patriarcha*, n. 14. ubi multa habentur iis, quæ hîc legimus, perquam similia.

a. Amerb. & Eras. *venite, emite & bibite. Et manducaverunt, & satiati sunt in deserto:* Gill. & Rom. *venite, emite, & bibite: manducate* (Rom. *emite*) *sine argento:* mss. aliquot, *venite, & bibite, & manducate* &c. plures vero & probatiores, ut in textu.

b. Floriac. cod. *ad gloriam; eo quod aliis sit odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Sed emit* &c.

* Lib. 10. *in Lucam*, num. 63. *hoc est, amoris pignore vulnus infligis, & caritatis officio sanguinem fundis, & instrumento pacis mortem irrogas.*

CAPUT XVIII.

Spiritus sancti divinitatem ex iis quæ hactenus disputata sunt, confirmaturus, nonnulla iterum tractanda sumit, nimirum peccata eum non habere, sed condonare: creaturam non esse, sed creatorem: ac demum non adorare, sed adorari.

Alias Cap. XIX. 132. AD summam tamen, ut in fine quæ disperse dicta sunt, expressius colligamus; cùm ex ceteris, tum ex quatuor istis præ ceteris [a] manifesta divinitatis gloria comprobatur; Deus enim ex eo cognoscitur, aut quia sine peccato est, aut quia peccata condonat: aut quia creatura non est, sed creator est: aut quia non adorat, sed adoratur.

133. Sine peccato itaque [b] nemo est, nisi unus Deus; quia nemo sine peccato, nisi unus Deus. Peccata quoque nemo condonat, nisi unus Deus; quia æque scriptum est: *Quis potest peccata donare, nisi solus Deus?* (Luc. 5. 21.) Creator quoque omnium non potest esse, nisi qui creatura non est: qui autem creatura non est, sine dubio Deus est; quia scriptum est: *Servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est Deus benedictus in sæcula.* (Rom. 1. 25.) Deus quoque non adorat, sed adoratur; quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* (Deuter. 6. 13.)

134. Consideremus ergo utrum horum aliquid habeat Spiritus sanctus, quæ testimonium afferant divinitatis. Primum igitur de eo tractemus, quia nemo sine peccato nisi unus Deus: & exigamus ut doceant quod peccatum habeat Spiritus sanctus.

135. Sed docere non possunt, & auctoritatem requirunt, ut lectione doceamus, quia non peccavit Spiritus sanctus, sicut de Filio lectum est, quia peccatum non fecit. (1. Petr. 2. 22.) Et hoc accipiant Scripturarum auctoritate nos docere; scriptum est enim: *Quia in Sapientia est Spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, bene mobilis, disertus, immaculatus.* (Sap. 7. 22.) Immaculatum dicit Scriptura: numquid mentita est de Filio, ut de Spiritu credas esse mentitam? Dixit enim propheta in eodem loco de Sapientia, quia nihil maculosum in illam incurrit. Ipsa immaculata est, & immaculatus ejus est Spiritus. Ergo si peccatum non habet Spiritus, Deus est.

136. Sed quomodo reus potest esse peccati, qui donat ipse peccata? Ergo peccatum non fecit: & quia sine peccato est, creatura non est. Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est: sola autem est à peccato immunis & immaculata sempiterna divinitas.

137. Nunc videamus utrum peccata donet Spiritus. Sed hîc dubitari non potest, cùm ipse Dominus dixerit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt.* (Johan. 20. 22.) Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus A potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris & Filii & Spiritus sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, divinitas donat; humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis.

138. Per baptismum quoque peccata donari non est ambiguum: in baptismo autem operatio Patris & Filii & Spiritus sancti est. Ergo si [c] peccatum donat Spiritus, cùm scriptum sit: *Quis potest dimittere peccata, nisi unus Deus;* (Marc. 2. 7.) B utique qui non potest ab unitate naturalis nominis separari, non potest etiam à Dei potestate secerni. Si autem à Dei non secernitur potestate, quomodo à Dei appellatione secernitur?

139. Videamus nunc utrum creatura sit, an creator? Sed cùm supra creatorem evidentissime probaverimus; (Sup lib. 2. cap. 5 & 6.) quia scriptum est: *Spiritus divinus qui fecit me:* (Job. 33. 4.) & innovari faciem terræ per Spiritum, (Psal. 103. 30.) & sine Spiritu fatiscere omnia C declaratum sit; apparet Spiritum esse creatorem. Sed quis hoc dubitet, quando sicut supra ostendimus, ne Domini quidem ex Virgine adsumta generatio, quæ præstantior omnibus creaturis est, operationis exsors sit Spiritalis?

140. Non ergo creatura Spiritus, sed creator est: qui autem creator, non utique creatura. Et quia creatura non est, sine dubio [d] creator est, qui Patri & Filio cooperator est omnium. (Sup. lib. 2. cap. 5.) Si autem creator, utique dicendo Apostolus in D condemnationem gentilitatis: *Quia servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est Deus benedictus in sæcula:* (Rom 1. 25. Sup lib. 2. cap. 5. & 6.) suadendo quoque, ut supra docuimus, serviendum esse Spiritui sancto; & creatorem ostendit, & quia creator est, Deum appellari debere monstravit. Quod etiam in epistola quæ ad Hebræos scripta est, comprehendit dicens: *Quoniam qui omnia creavit, Deus est.* (Hebr. 3. 4.) Aut dicant igitur quid sit quod sine Pa- E tre & Filio & Spiritu sit creatum, aut Spiritum quoque unius cum Patre & Filio deitatis esse fateantur.

141. Adorandum quoque docuit, quem dominum & Deum dixit. Qui enim Deus universitatis & dominus, utique ab omnibus adorandus est; sic enim scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies.* (Deut. 6. 13.)

142. Aut dicant ubi legerint quia adorat Spiritus. Dictum est enim de Dei Filio: *Adorent eum omnes Angeli ejus:* (Hebr. 1. 6.) non lectum est, adoret Spiritus. Quomodo enim potest adorare, qui non inter famulos & ministros est, F sed cum Patre & Filio servitia habet subjecta justorum; quia scriptum est: *Spiritui Dei servimus.* (Philip 3. 3.) Adorandus igitur est nobis, cui serviendum à nobis Apostolus docuit: cui autem servimus, hunc & adoramus, juxta quod scriptum est, ut eadem sæpe repetamus: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

143. Quamquam nec hoc prætermiserit Apostolus, quin & Spiritum diceret adorandum.

a. MSS. nonnulli, *manifesta divinitatis.*

b. Omnes edit. *itaque nemo est, quia nemo sine peccato, nisi &c.* ex quibus verbis nonnulli mss. exterunt, *quia nemo sine peccato:* reliqui autem magno numero & antiquitate nobiscum faciunt. Et sane verba illa, *quia nemo sine peccato &c.* videntur citari tamquam ipsius Scripturæ textus, & in superiorum adserri probationem. Cùm autem secundum apices non exstent in Bibliis, credibile est respexisse ad locum illum Matth 19. 17. *nemo bonus, nisi solus Deus.*

c. Omnes edit. ac multo plures mss. *peccatum non habet.* cod. Ebrul. & Aud. *peccatum donat.* Optime sane; hîc enim in eo non est Ambrosius, ut probet Spiritum peccata non habere, sed ipsum peccata dimittere jam disputat.

d. Ita mss. plerique: nonnulli tamen, & cunctæ edit. *creator est omnium, Patri & Filio qui cooperatur est in omnibus.*

Cùm enim docuerimus quia Spiritus in prophetis est, nec hoc quisquam possit ambigere, quia per Spiritum prophetia datur,[a] utique cùm adoratur qui in prophetis est, idem Spiritus adoratur. Itaque sic habes: *Si conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intret autem idiota aut infidelis, nonne dicet quod insanitis. Sin autem prophetent omnes, intret autem quis idiota aut infidelis, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta etiam cordis ejus manifesta fiunt; & ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronuncians quod vere Deus sit in vobis.* Deus est ergo qui adoratur, Deus qui manet, & qui loquitur in prophetis: manet autem & loquitur Spiritus; ergo & Spiritus adoratur. (1. Cor. 14. 23. & seq.)

CAPUT XIX.

Ex eo quod supra probatum & Spiritum manere & loqui in prophetis, colligit ab eo cognosci omnia, quæ Dei sunt; atque adeo unum esse cum Patre & Filio. Hoc ipsum exinde iterum confirmat quod omnia habet, quæ habet Deus, nempe divinitatem, cordis cognitionem, veritatem, nomen super omne nomen, potestatem mortuos suscitandi, quod ultimum eidem adjudicat ex Ezechiele, in quo & ipsum Filio æqualem probat.

144. Itaque sicut Pater & Filius unum sunt; quia Filius omnia habet, quæ Pater habet: ita & Spiritus unum est cum Patre & Filio; quia & ipse omnia Dei novit. Non enim extorsit, ne sit amittentis injuria: non rapuit, ne damnum sit ejus, cui videtur ereptum. Neque enim aut per indigentiam rapuit, aut per excellentiam virtutis validioris extorsit, sed per unitatem possidet potestatis. Ergo si hæc omnia operatur, quia omnia operatur unus atque idem Spiritus; quomodo non Deus, qui omnia habet, quæ Deus habet? (Johan. 16. 15. 1. Cor. 2. 10. 1. Cor. 12. 11.)

145. Aut consideremus quid habeat Deus, quod non habeat Spiritus sanctus. Habet Deus Pater divinitatem, habet & Filius, in quo habitat plenitudo divinitatis: habet & Spiritus; quia scriptum est: *Spiritus divinus qui est in naribus meis.* (Job. 27. 3.)

146. Habet Deus ut scrutetur corda & renes; quia scriptum est: *Deus scrutans corda & renes.* Habet & Filius, qui dicebat: *Quid cogitatis in cordibus vestris mala?* Sciebat enim Jesus cogitationes eorum. Habet & Spiritus, qui etiam prophetis alieni cordis occulta manifestat, sicut supra diximus, quia occulta cordis ejus manifesta fiunt. Et quid miramur si hominum scrutatur occulta, qui scrutatur etiam alta Dei? (Psal. 7. 10. Matth. 9. 4. Lib. 2. c. 13. 1. Cor. 2. 10.)

147. Habet Deus ut verax sit; quia scriptum est: *Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et alibi scriptum est: *Fidelis Deus, qui non mentitur.* Numquid mentitur Spiritus, qui est Spiritus veritatis; immo quem docuimus veritatem dictum; quia & ipsum Johannes veritatem sicut Filium nuncupavit? Et in psalmo ait David: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Si lucem hîc Filium putas, ergo Spiritus veritas est: aut si Filium putas veritatem, ergo Spiritus lux est. (Rom. 3. 4. Tit. 1. 2. Johan. 16. 13. Psal. 42. 3.)

148. Habet Deus nomen super omne nomen, & dedit Filio nomen; sicut legimus, ut omnes in nomine Jesu genua flectant. Hoc nomen utrum habeat Spiritus consideremus. Sed & scriptum est: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Habet ergo nomen super omne nomen. Quod ergo habet Pater & Filius, habet & Spiritus per naturalis nominis unitatem. (Phil. 2. 9. Marc. 16. 15.)

149. Habet Deus quod suscitat mortuos: *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius quos vult, vivificat.* Suscitat autem etiam Spiritus, per quem Deus suscitat; quia scriptum est: *Vivificabit & mortalia corpora vestra per habitantem Spiritum ejus in vobis.* Tamen ne infirmam gratiam putes, audi quia & Spiritus suscitat; dicit enim propheta Ezechiel: *Veni Spiritus, & insuffla in mortuos istos, & vivent. Et prophetavi sicut mandavit mihi, & intravit in eos Spiritus vitæ, & vixerunt, & steterunt in pedibus suis congregatio nimis multa.* Et infra Deus dicit: *Scietis quod ego sum Dominus, cùm aperiam sepulcra vestra; ut educam de sepulcris populum meum: & dabo Spiritum meum in vos, & vivetis.* (Alias Cap. XX. Johan. 5. 21. Rom. 8. 11. Ezech. 37. 9. & 10. Ibidem 13. & 14.)

150. Utique cùm Spiritum suum dixerit, numquid alium præter Spiritum sanctum nuncupavit? Neque enim flatilem spiritum suum diceret, nec hic spiritus à quatuor mundi posset venire cardinibus; quia ventorum flatus hic, quem videmus, partis non universitatis est: & hic spiritus quo vivimus, singulorum non universorum est: Spiritus autem sancti est, ut & super omnes, & in omnibus sit. Itaque ex verbis propheticis spectare licet quemadmodum ossa, dudum resolutorum membrorum compage dispersa, in formam redivivi corporis vivificante Spiritu, revertantur; & in suos artus favilla concrescat, sensu prius animata coeundi, quam specie reformata vivendi.

151. Nonne in facti similitudine unitatem divinæ recognoscimus potestatis? Sic suscitat Spiritus, sicut & Dominus in passione propria suscitavit; cùm subito in momento oculi defunctorum sepulcra patuerunt, & rediviva corpora surrexere de tumulis, mortisque fœtore deterso, ac vitæ odore reparato, expirantium favillæ spirantium faciem receperunt. (Matth. 27. 52.)

152. Habet ergo Spiritus, quod habet Christus: habet igitur quod habet Deus; quia omnia quæ habet Pater, habet & Filius; ideoque dixit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* (Johan. 16. 15.)

CAPUT XX.

In flumine de sede Dei promanante figuram fuisse Spiritus sancti; per aquas vero quas David memorat, cælestes virtutes designari. Regnum Dei opus esse Spiritus: nec mirum, si hic idem conregnet cum Filio, quando nos etiam Filio conregnaturos promittat Paulus.

153. Nec illud mediocre, quod de throno Dei exire fluvium legimus. Sic enim (Alias Cap. XXI.)

a. Nonnulli mss. *utique cùm Deo servimus; adoratur qui in prophetis est, id est, Spiritus adoratur.*

Apoc. 22. 1. & 2. habes, dicente Johanne evangelista: *Et ostendit mihi flumen aquæ vivæ, splendidum tamquam cryſtallum, procedens de ſede Dei & agni: in medio plateæ ejus, & ex utraque parte lignum vitæ, faciens fructus duodecim, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum, & folia ligni ad medicinam omnium gentium.* A

154. Hic eſt utique fluvius de Dei ſede procedens, hoc eſt, Spiritus ſanctus, quem bibit qui credit in Chriſtum, ſicut ipſe ait: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu.* Ergo flumen eſt Spiritus. (Johan 7. 37. & 38.) B

155. Hic igitur eſt in Dei ſede; neque enim aqua abluit Dei ſedem. Denique David non ſupra ſedem Dei dixit, ſed ſupra cælos eſſe, quamlibet illam intelligas aquam; quia ſcriptum eſt: *Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Laudent*, dixit, non laudet. Nam ſi aquæ elementum voluiſſet intelligi, laudet utique dixiſſet: dicendo autem pluraliter, virtutes voluit æſtimari. (Pſal. 148. 4.) C

156. Et quid mirum, ſi in ſede Dei Spiritus ſanctus eſt; cùm ipſum regnum Dei operatio Spiritus ſit, ſicut ſcriptum eſt: *Quia non eſt regnum Dei* [a] *eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto?* Et ipſe cùm dicit Salvator: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſtruetur.* Deinde ſubjiciendo: *Quod ſi in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei;* oſtendit regnum Dei individuum ſibi eſſe cum Spiritu. (Rom. 14. 17. Matth. 12. 25. Ibidem 28.) D

157. Quid autem dementius, quam ut neget quiſquam Chriſto conregnare Spiritum ſanctum; cùm etiam nos in Chriſti regno conregnaturos Chriſto Apoſtolus dicat: *Si enim commortui ſumus, & convivemus; ſi ſuſtinemus, & conregnabimus:* ſed nos per adoptionem, ille per poteſtatem: nos gratia, ille natura. (2 Tim. 2. 11 & 12.)

158. Habet igitur conſortium regni cum Patre & Filio etiam Spiritus ſanctus, qui unius naturæ, unius dominationis, unius etiam poteſtatis eſt. E

CAPUT XXI.

Miſſum à Spiritu fuiſſe Eſaiam, proindeque eumdem Spiritum ab eo viſum. Quid per currentes rotas, alaſque diverſas intelligendum, & qua ratione cùm Spiritus à Seraphim prædicetur Deus Sabaoth, hoc ei nomen negari niſi ab impiis neutiquam poſſit. F

Alias Cap. XXII. 159. Itaque cùm habeat conſortium regni, quid obſtat quominus Spiritum ſanctum intelligamus, à quo Eſaias miſſus eſt? Neque enim Paulo poſſumus auctore dubitare, cujus ſententiam in Actibus apoſtolorum Lucas evangeliſta ſic probavit, ut ſcriberet. Denique ſic habes, dicente Paulo: *Bene loquutus eſt Spiritus ſanctus per Eſaiam ad patres noſtros, dicens: Vade ad plebem iſtam, & dic: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non adſpicietis.* (Act. 28. 25. & 26.)

160. Spiritus ergo eſt, qui miſit Eſaiam. Si Spiritus miſit, Spiritus eſt utique quem, mortuo Ozia rege, vidit Eſaias, quando dixit: *Vidi Dominum Sabaoth ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum, & plena erat domus majeſtatis ejus: & Seraphim ſtabant in circuitu ejus; ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, & duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant; & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus Deus Sabaoth: plena eſt univerſa terra majeſtate ejus.* (Eſai. 6. 1. & ſeq.)

161. Si ſtabant Seraphim quomodo volabant? Si volabant, quomodo ſtabant? Si hoc non poſſumus comprehendere, quomodo Deum comprehendere volumus, quem non videmus?

162. Sed ſicut rotam intra rotam vidit propheta currentem (quod utique non ad corporalis refertur ſpeciem viſionis, ſed ad utriuſque gratiam Teſtamenti; quia teres vita ſanctorum ſit, & ita ſibi concinens, ut ſuperioribus poſteriora reſpondeant. Rota igitur intra rotam eſt vita ſub Lege, vita ſub gratia; eo quod Judæa intra Eccleſiam ſit, Lex intra gratiam. Nam intra Eccleſiam eſt, qui Judæus eſt in occulto: & circumciſio cordis intra Eccleſiam ſacramentum eſt. Sed illa Judæa intra Eccleſiam, de qua ſcriptum eſt: *Notus in Judæa Deus*) ergo ſicut rota intra rotam currit, ſimiliter alæ ſtabant, & alæ volabant. (Ezech 1. 16. Pſal. 75. 2.)

163. Similiter & *Seraphim duabus alis faciem, & duabus pedes velabant, & duabus volabant.* Nam hîc quoque ſpiritalis ſapientiæ ſacramentum eſt. Stant tempora, volant tempora: ſtant præterita, volant futura: & quaſi alæ Seraphim, ita faciem Dei, vel pedes velant; [b] eo quod in Deo qui nec principium nec finem habet, omnis ab hac cognitione principii ejus & finis curſus temporum feriatur. Stant ergo præterita vel futura, præſentia volant. Ne quæras principii ejus, vel finis arcana, quæ non ſunt. Habes præſentia: ſed laudato, non diſcute.

164. Seraphim indefeſſis vocibus laudant, & tu diſcutis? Quod utique cùm faciant, oſtendunt nobis non aliquando diſcutiendum Deum, ſed ſemper eſſe laudandum. Ergo Dominus Sabaoth & Spiritus ſanctus eſt. Niſi forte diſplicet impiis doctor, quem Chriſtus elegit: aut Dominum virtutum negare poſſunt Spiritum ſanctum, qui donat quas voluerit ipſe virtutes. (Alias Cap. XXIII.)

CAPUT XXII.

Ut regni unitas probetur in tribus perſonis, citatus Eſaiæ locus expenditur: & in iis à quibus vel de Patre vel de Filio vel de Spiritu expoſitus ſit, nullam ſenſus diverſitatem fuiſſe declaratur. Ad hæc majeſtate Spiritui inde adſerta, quod crucifixus dicatur dominus majeſtatis, ejus cum Patre ac Filio tanta æqualitas oſtenditur, ut ipſum hinc numquam dejecturi ſint Arriani.

165. Nunc unitatem majeſtatis & regni licet in Patre, Filioque, & ſancto Spiritu cognoſcere. Nam plerique dicunt Patrem

a. Mſſ. haud pauci, *caro & potus.*

b. Eraſ. & ſeq. edit. cùm mſſ. nonnullis, *eo quod in Deo* (Rom *in Deum*) . . . . *curſus temporum feratur*: Amerb. autem cum aliis mſſ. multo pluribus ut in textu, niſi quod pro *cognitione* in quibuſdam legitur, *cogitatione*. Senſus vero eſt, in Deo qui æternitate immutabili fruitur, temporum vices locum non habere.

Esai. 6. 1. Deum ab Esaia hoc tempore visum; Act. 28. 25. Paulus Spiritum dixit, Lucas probavit, Johannes Evangelista ad Filium retulit. Sic enim scriptum est de Filio: Johan. 12. 36. *Hæc loquutus est Jesus, & abiit & abscondit se ab his. Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; ut sermo Esaiæ impleretur, quem dixit:* Esai 53. 1. *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias:* Esai. 6. 10. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & corde intelligant, & convertantur, & sanabo eos. Hæc dicit Esaias, quando vidit majestatem ejus, & loquutus est de eo.*

166. Ipsa verba dixit Johannes dixisse Esaiam, & majestatem ei Filii apparuisse evidentissime revelavit: Paulus autem Spiritum hæc dixisse memoravit. Unde igitur ista diversitas?

167. Diversitas quidem verborum, non sensuum est. Nam licet diversa dixerint, nullus erravit; quia & Pater videtur in Filio, qui dixit: Johan 14. 9. *Qui me videt, videt & Patrem.* Et Filius videtur in Spiritu; 1. Cor. 12. 3. quia sicut *nemo dicit dominum Jesum nisi in Spiritu sancto;* ita non carnali oculo, sed spiritali gratia Christus videtur. Unde & Scriptura ait: Ephes. 5. 14. *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Et Paulus cùm oculos perdidisset, quomodo nisi in Spiritu Christum videbat? Unde & Dominus ait: Act. 9. 8. Act. 26. 16. *Ad hoc enim tibi visus sum, ut constituam te ministrum & testem quibus vidisti me, & in quibus visurus es.* Nam & prophetæ Spiritum accipiebant, & Christum videbant.

168. Una igitur visio, una præceptio, una majestas. An negamus etiam dominum majestatis esse Spiritum sanctum, cùm Dominus majestatis sit crucifixus, 1. Cor. 2. 8. qui natus est de Spiritu sancto ex virgine Maria? Quia non alter Christus, sed unus est: & ante sæcula ex Patre, ut Dei filius natus; & in sæculo, ut homo carnis adsumtione generatus.

169. Quid autem dicam, quia sicut Pater & Filius; ita etiam Spiritus immaculatus est & omnipotens; Sap. 7. 23. quia græce παντοδύναμον, πᾶν ἐπίσκοπον Salomon dixit, eo quod omnipotens & speculator sit omnium; sicut lectum esse in libro Sapientiæ supra est demonstratum. Sup. cap. 18. num. 135. Ergo & Spiritus in honore est & in majestate.

170. Intuere nunc, ne quid eum forte non deceat: aut si tibi displicet, Arriane, detrahe eum de Patris Filiique consortio. Sed si detrahere volueris, [a] cælos supra te reverti videbis; Esai. 51. 6. quia virtus eorum omnis ab Spiritu est. Si detrahere volueris, in Deum tibi prius mittenda est manus; Johan. 4. 24. quia Deus Spiritus. Sed quomodo detrahes eum, qui alta scrutatur Dei? 1. Cor. 2. 10.

a. Omnes edit. & mss. aliquot, *cælos supra te verti:* commodius reliqui, *cælos supra te reverti*, quidam *everti*, id est, illabi & cadere.

IN LIBRUM DE INCARNATIONIS DOMINICÆ SACRAMENTO.

ADMONITIO.

Hæreticorum solemnis ea consuetudo est, ut quantumvis argumentorum ac veritatis viribus dejecti atque prostrati, numquam tamen pacate agere, nedum se victos fateri, acquiescant. Ambrosius, qui hoc eorum ingenium pulcre noverat, cùm Arrianorum errores quinque libris de Fide *judicaret abunde esse confutatos, illis in posterum nihil addere* [a] *constituerat. Verumtamen ipsorum dolis atque artibus effectum est, ut quominus cum eis denuo in arenam descenderet, magnis adactus occasionibus, detrectare ac defugere non potuerit.* a. Cap. 7. num. 62.

Induxerunt eum in hancce disputationem Arriani duo [b], *Gratiani Cæsaris cubicularii, quibus objectiones, quas contra Dominicam incarnationem ambitiose arroganterque proposuerant, postridie in Basilica Portiana coram omni fidelium cœtu se soluturum fuerat pollicitus.* b. Paulin. in vit. Ambr. *Angustius videbatur illud spatium, quam ut orationi de rebus adeo gravibus præparandæ sufficeret; maxime cùm verisimile admodum esset hæreticos magno numero ad eam, si quid forte minus caute aut cogitate dictum haberet, carpendam & suggillandam advolaturos. Non tamen defuit Ambrosius noster suis promissis; at cùm tempori præstituto non convenisse videret* [c] *memoratos aulicos, quamvis eosdem animo subdolo moram trahere suspicaretur, ut se dicentem inopinato adventu conturbarent; nihilo secius tamen verba facere statim aggressus est.* c. Cap. 1. num. 1.

Verum ut ipsis accedendi facultatem adhuc relinqueret, occasionem ex historia oblati à duobus primis fratribus sacrificii, quæ frequenti Ecclesiæ synaxi perlecta fuerat, nactus [d], *quonam vitio Caini sacrificium infectum esset, paucis* [e] *aperit. Deinde terribilem hanc sententiam, qua ille ipsomet Dei ore perculsus fuit, ad omnes etiam hæreticos protendi* [f] *docet, sed imprimis ad eos, quorum sertem in Apollinaristis perperam de humana Christi anima sentientibus desinentem pertexit. Denique auditores suos, ne se umquam ab Ecclesiæ gremio distrahi patiantur, vehementer* [g] *hortatus, Christum æternum esse ac vere Deum adversus Arrianos eleganter juxta ac valide* [h] *probat. Ab his ad Apollinaristas, quorum tamen nomini parcit, convertitur* [i]; *nec non cujusdam libri* [k] *auctorem, quem Apollinarium ipsum existimamus, presso quoque nomine, blasphemiæ arguit. Postea reliquos* [l] *eorumdem errores urgere pergens, ubi præmonuit inter ea quæ Christi divinitati propria sunt, & ea quæ ad ejus pertinent humanitatem,* [m] *distinguendum esse diligentius; unum è præcipuis eorumdem hominum commentis, quo* [n] divinitatem Domini & carnem unius esse substantiæ *delirabant, invictissimis rationum momentis destruit: quam in rem illum*

d. Num. 1. e. Num. 3. & seq. f Cap. 2. n. 6. & seq. g. Num. 13. h. Cap. 3. & 4. i. Cap. 5. k. Cap. 6. num. 51. l. Cap. 6. m. Cap. 4. num. 23. & seq. n. Cap. 6. num. 49. & seq.

egregie ac perite admodum epistolæ Athanasii [a] ad Epictetum subsidio usum affirmare jure possumus. At nec inferiore ingenii robore alteram illam ipsorum opinionem, quæ rationalem animam Domino abrogabat, [b] evertit: quem quidem errorem cùm Arrianorum etiam fuisse [c] perhibeant, quod isthac iidem imperatoris cubicularii Arrianis partibus addicti atque adscripti objecissent, nullus mirabitur.


Hic finierat sermonem suum beatus Præsul; cùm autem librum ex eo concinnaret, placuit difficultatis, quæ post eumdem sermonem pronuntiatum sibi fuerat proposita, solutionem ad calcem [d] adjicere. Cùm enim Gratiani, qui Ambrosium in Portiana Basilica, uti dictum est, verba facientem non audierat, pietati numquam non insidiarentur hæretici, apud eum magna cum fiducia jactaverunt Patrem qui esset ingenitus, cum Filio quem genitum negabat nemo, ejusdem substantiæ esse non posse. In hac objectione tamquam in præcipuo quodam cardine Arriana hæresis vertebatur, quemadmodum ex eorum, qui catholicam fidem singulari cum laude propugnarunt, libris intelligimus. Quapropter eam objectionem Ambrosius ab Augusto ad se relatam tanta soliditate expedivit; ut nihil plane relinquatur, quod amplius desideremus. Ad postremum alia quadam difficultate, sed multo leviori, quæ ad Christi omnipotentiam pertinet, [e] exsoluta, liber clauditur.

Ceterum non possumus quin hoc loco prudentiam ac moderationem sancti Antistitis valde prædicemus; is quippe, tametsi luctuosum duorum cubiculariorum, quos memoravimus, exitum, cùm sermonem suum redigeret in librum, minus quam quisquam alius ignoraret; ne tamen ullo modo crederetur commotioni alicui indulgere, nullum ea de re verbum sibi excidere passus est. Clarior exstitit ille casus, quam ut omittatur: sed cùm habeatur à Paulino vitæ Ambrosii nostri historico eleganter & accurate descriptus, eum ipsius verbis repræsentabimus: Fuerunt etiam, *inquit*, [f] duo cubicularii tunc temporis Gratiani imperatoris de hæresi Arrianorum, qui tractandam Episcopo quæstionem proponerent. Ad quem audiendum altero die ad Basilicam Portianam omnes se adfuturos promiserant. Erat enim quæstio de Incarnatione Domini. Sed alio die miserandi homines, superbiæ tumore completi, nec memores promissorum, contemnentes Deum in sacerdote ipsius, nec plebis exspectantis considerantes injuriam: immemores etiam dictorum Dominicorum, quoniam *qui scandalizaverit unum ex minimis istis, oportet ut mola asinaria collo ejus alligetur, & demergatur in profundum maris;* conscendentes in rhedam quasi gratia gestandi, civitatem egressi sunt, exspectante sacerdote, & plebe in Ecclesia constituta. Sed hujus contumaciæ qui finis fuerit, horresco referens. Subito enim præcipitati de rheda, animas emiserunt: atque corpora illorum sepulturæ sunt tradita. Sanctus vero Ambrosius cùm ignoraret quid factum esset, nec diutius posset plebem tenere, adscendens pro tribunali, de eadem quæstione, quæ fuerat proposita, sermonem adorsus est dicens: *Debitum, fratres, curo solvendum: sed hesternos meos non invenio creditores;* & reliqua quæ scripta sunt in libro, qui *de Incarnatione Domini* intitulatur.

Ita Paulinus, cujus etiam ultima verba libri declarant inscriptionem. Hanc ipsam apud alios quoque scriptores, à quibus eadem opella temporibus sequutis non sine commendatione [g] allegata est, reperimus: cui præterea nonnulli adjiciunt [h], Contra Apollinaristas. Non defuerunt etiam, qui Operis exordio permoti, sub titulo [i] sermonis de Cain & Abel citatum vellent. Sed profecto omnium optima inscriptio est, quam non solum manuscripti plurimi ac probatissimi, nec non veteres editiones præ se ferunt; verum etiam quam indicat [k] ipsemet Ambrosius, nimirum de incarnationis Dominicæ Sacramento, sive, ut cum auctoribus quibusdam Romani editores maluere, Mysterio.

Quod vero ad ætatem ejusdem libri, ut nihil certius est, quam illum libris de Fide [l] posteriorem esse, ita non exiguæ difficultatis fuerit, quot annis eumdem hi anteverterint, definire. In iis quidem citandis semel hoc in Opere vocem [m] dudum adhibet sanctus Doctor: sed aliis locis in quibus aliquam ipsorum mentionem facit, ejusmodi locutionibus semper utitur, quæ significent illos editos non ita pridem. Verumtamen cùm iidem libri de Fide non nisi anno, ut ostensum est, 379 fuerint absoluti, Paulinus vero hoc ipsum Opus, de quo agitur, superstite adhuc Gratiano Augusto qui anno 383. vita functus est, conditum tradat; vox dudum ut illud ante annum 382. compositum existimaremus, vix pateretur: sicut nec Gratiani obitus, ut illud multo post eumdem annum rejiceremus.

a. Edita inter ejus Opera & apud Epiphan. Hæres. 77.
b Cap. 7.
c. August. de Hæres. c. 55. Theodoret. Hæret. fabul. lib. 4. cap. 1.
d. Cap. 8. & seq.
e Cap. 10 Num. 111. & seq.
f. In vit. S. Ambr.
g. Synod. adv. Trag. Iren. in collect. Conc. Baluf. & Christ. Lup. &c.
h. Theodor. in Polymor
i. Ivo decret. 2 part c. 7. Grat de consec. dist. 2
k Cap. 7. num. 65.
l. Ibidem n. 62. &c.
m. Cap. 8. num. 79.



SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE INCARNATIONIS DOMIN. SACRAMENTO

LIBER UNUS.

Scriptus an. circ. 382.

CAPUT I.

Indicata dicendi occasione, ad sacrificia Caini & Abelis accedit Ambrosius. Tum quid in prioris oblatione Deo displicuerit, explorat. Deinde ubi Abelis holocaustum paucis exposuit, quosnam lata in Cainum feriat sententia, docet.

1. DEBITUM,[a] fratres, cupio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores; nisi forte improviso conventu putaverunt nos esse turbandos: sed numquam fides vera turbatur.

2. Itaque dum illi forsitan veniunt, ad istos qui propositi sunt, deflectamus agricolas, quorum alter, hoc est, Cain, à fructibus terræ: (Gen. 4. 3. & 4.) alter autem, Abel videlicet, ex primitivis ovium suarum hostiam Domino obtulit. Nihil invenio quod in specie munerum reprehendam, nisi quod & Cain munera sua displicuisse cog- C novit, & Dominus dixit: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* (Ibidem 7.)

3. Ubi igitur est crimen? ubi culpa? Non in oblatione muneris, sed in oblationis affectu. Sunt quidam qui recte arbitrantur, quia alius quæ offerret, elegerat: alius quæ viliora habuit, offerebat. Sed non est ita inops spiritalium sensus in nobis, ut putemus quia Dominus coporale sacrificium, non spiritale quærebat. Et ideo addidit, *quiesce*, (Ibidem.) tolerabilius sig- D nificans abstinere à muneribus deferendis, quam infideli studio munus offerre. Qui enim nescit dividere, nescit dijudicare: spiritalis autem dijudicat omnia. (1. Cor. 2. 15.) Et ideo Abraham sacrificium quod offerebat, divisit. (Gen. 15. 10.)

4. Scivit etiam Abel dividere, (Gen. 4. 4.) qui ex primitivis ovium obtulit sacrificium, docens non terræ munera placitura Deo, quæ degenerave- A rant in peccatore, sed ea in quibus divini gratia mysterii refulgeret. Prophetavit itaque nos per passionem Domini à culpa esse redimendos, de quo scriptum est: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* (Johan. 1. 29.) Unde & de primitivis obtulit, ut primogenitum designaret. Ostendit ergo verum Dei sacrificium nos futuros, de quibus Propheta ait: *Afferte Domino filios arietum.*[b] (Psal. 28. 1.) Meritoque Dei judicio comprobatur.

5. Illi autem reprobato dicitur, *quiesce*: quam B puto generalem in omnes extra Ecclesiam constitutos latam esse sententiam; multorum enim hîc[c] figuram cerno populorum, (Gen. 4. 5.) quos divina sententia comprehendit, quorum in illo Cain jam tunc munera refutavit.

CAPUT II.

Post enumerata varia hominum genera, qui fere sub nominis christiani falso velamine Ecclesiam lacerantes, memoratæ sententiæ obnoxii sunt, admonet quemadmodum nobis declinanda sit eadem sententia.

6. GEneralis enim hæc in impios omnes sententia est. Itaque si Judæus offerat, qui Filium virginis Mariæ à Patre Deo separat, dicitur ei: *Si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti: quiesce.* (Ibidem 7.)

7. Si offerat Eunomianus, qui ex impietatis Arrianæ fonte progrediens, redundanti perfidiæ suæ labitur cœno, generationem Christi, quæ super omnia est, asserens ex Philosophiæ traditionibus colligendam: cùm utique alia creaturarum sit ratio, alia secretorum potentia divinorum; & ipsi dicitur: *Si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti: quiesce.*

8. Dicitur hoc Sabelliano, qui Patrem Filiumque confundit. Dicitur hoc Marcionitæ, qui alium putat Deum novi, alium veteris

a. Ita vet. edit. & plures mss. nisi quod *fratres* in multis non habetur: edit. Rom. & alii aliquot mss. *fratres curo*: ceteri, *fratres credo* &c.

b. Omnes edit. ac mss. longe plurimi: *Meritoque Dei judicio comprobatur, quam sententiam* &c. alii autem nonnulli, *Meritoque hoc dici comprobatur, quam sententiam* &c. Locum verò ex uno codice Vict. duobus Colb. & uno Sorb. restituimus.

c. Mss aliquot, *futuram cerno turbam populorum.*

Testamenti. Dicitur hoc Manichæo & Valentino, qui non putaverunt veritatem carnis humanæ à Christo esse susceptam. * Paulus quoque Samosatenus & Basilides in eadem sententiæ sorte numerantur.

9. Similiter quoque ejusdem sententiæ auctoritate damnantur, * qui divinitatem sancti Spiritus negaverunt. Alii enim quidam vel Arrianorum Judæi, vel Arriani sunt Judæorum; quia sicut illi Filium à Patre, ita & isti Spiritum à Deo Patre, & Filio Dei separant.

10. Novato quoque & Donato & omnibus qui scindere corpus Ecclesiæ gestierunt, viritim dicitur: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* Ecclesiæ enim sacrificium est, quod offertur Deo, ad quam Paulus dixit: *Obsecro autem vos, fratres, per misericordiam Dei exhibere corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* (Rom.12.1.) Male ergo sacrificium diviserunt, Ecclesiæ membra lacerando.

11. Illos quoque percellit ista sententia, * qui animam rationabilem ab incarnationis Dominicæ segregant sacramento, naturam hominis ab homine separare cupientes. Et isti fortasse recte offerunt Trinitati: sed rationem nesciunt naturæ humanæ divinæque distinguere; Dei enim simplex natura est, homo ex anima rationabili constat & corpore. Si alterum tollas, totam naturam hominis sustulisti.

12. Adversus omnes igitur hæreses ista sententia est, quæ fraterno nomine, non fraterne Ecclesiam persequuntur. Siquidem [a] sub optione nominis christiani, & quadam nuncupativa fidei germanitate parricidalibus gladiis nos cupiunt vulnerare; quia [b] conversio nostra ad eos est, & dominantur nobis in sæculo peccatores. PECCATOR ENIM dominatur in sæculo, justus in Dei regno.

13. Caveamus igitur ne quis nos * à cubiculo regis æterni, & à secreto matris Ecclesiæ separare conetur, ad quod illa anima in Canticis (Cant.3.4.) canticorum Verbum Dei se introduxisse significat. Caveamus ne à sinu Patris, & quodam utero paterno, arcanæque naturæ substantiam unigeniti Filii separemus, verbisque his quibus veritas susceptæ incarnationis adstruitur, divinæ generationi præjudicia inferre meditemur; ne & nostrûm alicui dicatur: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti: quiesce.* hoc est: Si nesciamus quæ propria sunt divinitatis æternæ incarnationisque distinguere: si creatorem cum suis operibus conferamus: si auctorem temporum dicamus cœpisse post tempora. Neque enim potest fieri ut per quem sunt omnia, sit unus ex omnibus.

CAPUT III.

Iis qui Johannis testimonium de Verbi æternitate non reciperent, increpitis: nec non laudato eodem evangelista, locum expendit: quo non solum Verbi æternitatem divinitatemque signari tradit; sed etiam ex his eadem in Patre adtributa demonstrari. Corporeum in Verbo nihil cogitandum; & quamvis ejus naturam minime capiamus, sufficere nobis debere Johannis auctoritatem, qui quomodo Verbum viderit, explicatur.

14. NOlo nobis credatur, Scriptura recitetur. Non ego dico à me quia *in principio erat Verbum*, sed audio: non ego affingo, sed lego; quod omnes legimus, sed non omnes intelligimus. (Johan.1.1.) Et cùm legitur, audimus omnes, & non audiunt omnes: *Incrassatum est enim cor quorumdam, & aures eorum graviter audierunt*; (Act.28.27.) aures scilicet interioris affectus. Non enim caro peccat, quæ suum servat officium, & recipit auditum, sed animus puri auditus pravus interpres; qui recusat audire quæ dicuntur, intelligere quæ leguntur. Quid aures tamquam cera & plumbo clauditis, & tamen Dominica beneficia & officia naturæ non potestis excludere? Auditis inviti, auditis fastidientes: auditis, ne quod non audieritis, excusare possitis.

*. Paulus Samosat. Christum, ut à nobis observatum lib. 5. *De Fide*, cap. 8. num. 105. purum hominem fuisse blasphemabat, tametsi non iret inficias Verbum in eo divinum habitasse. Basilides verò carnem Christo adtribuebat tantum modo phantasticam, cujus loco Simonem Cyreneum, captis ac delusis Judæorum oculis, cruci affixum delirabat, quemadmodum auctor est Irenæus lib. 1. *adv. Hæreses* cap. 23. Epiphanius *Hæresi* 24. num. 3. & post eos alii. Unde Theodoretus Dial. 2. pag. 52. eosdem Basilidem & Samosatenum in duobus hæreticorum ordinibus, qui adverso fronte inter se pugnent, enumerat. Quæ igitur causa potuit esse Ambrosio, ut inter se conjungeret tam dissidentes? Verum fortasse non propter opinionum, sed propter *sententiæ*, id est, condemnationis similitudinem copulati sunt. Possumus tamen inter utriusque dogmata illud affinitatis deprehendere, quod ex eorum mente Verbum aut Deus passus mortuusve dici nequaquam poterat; cùm alter in Christo veram carnem non agnosceret, alter in eo hypostaticam negaret unionem, aut etiam duas personas induceret. Sed cùm hoc ultimum litteris quibusdam Dionysii Alex. nitatur, quæ sunt caducæ suspectæque auctoritatis, illud tamquam certum & exploratum non proponimus. Qua de re adisis Garnerium *Dissert. 1. de Hær. & libris Nestorii*, Alexandrum Sæc. 3. p. 1.

*. Pneumatomachos intellige, & eos contra quos editi sunt superiores libri *De Spiritu sancto*.

*. Designat sectatores Apollinarii Laodicensis, qui, ut Hieronymus in Chron ad ann. 379. prodidit, *jactatione ingenii quosdam errores pertinaciter adseverans, hæresim sui nominis suscitavit: quam Damasus, habito Romæ concilio, damnavit.* Ejus autem ex erroribus præcipuus hic erat, quod Verbum non animam cum carne simul adsumsisse, at ipsum carni animæ vicem præstitisse contendebat, quemadmodum cognoscere est ex Gregorio Nazian. epist. ad Cledon. Augustino *De Hæres.* cap. 55. Leontio Bizan. Act. 4. Vincentio Lyrin *Commen.* 1. cap. 17. Socrate lib. 2. *Hist. Eccles.* cap. 46. Vales. edit. aliisque pluribus. Qui tamen auctores etiam indicant istum hæresiarcham postmodum animam Christo concessisse, sed mente seu ratione destitutam, id est, sensitivam tantum animæ partem; unde Suidas non illepide in voce *Apollinaris: Hic carnem*, inquit, *anima vituli præditam adsumsisse dicebat Dominum, mentem vero nostram non admisisse.* Alias præterea idem commentus est circa incarnationem pravas opiniones, de quibus infra cap. 6. Id ergo unum hîc adjungemus ipsum de Trinitate quoque haud catholico sensu statuisse. Nam Gregorius Nazian. epist. 1. ad Cledon. ab eo Trinitatem ex magno, majori & maximo compositam fingi diserte docet, in quo eum Theodoretus lib. 4. *Hæret. Fabul.* cap. 8. sequutus reperitur. Basilius insuper epist. 59. eumdem insimulat, quod personas Trinitatis inter se confunderet: quod etiam legimus apud Theodoretum loco citato. Sed præterquam quod idem Basilius epist. 293. accusationem hanc forte ab ejus adversariis profectam insinuat, eum defendunt Vincentius. Lyrin. & Leontius Bizan. cit. locis. Quibus addi potest Epiphanius *Hæresi* 77. ubi Vitalis Apolinaristæ disputationem adversus Paulinum referens, huic Sabellianum dogma ab eo objectum narrat, quod sane numquam fecisset, si ipse Sabellii opinionibus fuisset addictus. Sed ipsemet Ambrosius satis indicat Apolinaristas errorum circa Trinitatem sibi non omnino esse suspectos, quando subnectit, *& isti fortasse recte offerunt Trinitati.* Quibus quidem verbis à se non Arrianos, qui & ipsi animam humanam à Christo adsumtam inficiabantur, sed Apollinaristas designari, satis exprimit.

a. Rom. edit. & pauci mss. *sub opinione*: vet. edit cum aliis frequentiss. *sub optione.* Non incommode; idem enim est ac sub electione adoptationeque nominis christiani, quod illi sibi falsò & adulterino titulo imponunt.

b. Vet. edit. cum paucis mss. *conversio nostra à Deo est*: Rom. cum reliquis magis apposite .... *ad eos est*; alluditur quippe ad illud Gen. cap. 3. ℣. 16. secundum LXX. *καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, καὶ αὐτός σου κυριεύσει.*

*. Non invenuste alludit ad cubiculum regium, propter illos scilicet imperatoris cubicularios, quos huic scriptioni causam præbuisse in Admonitione declaravimus.

Johan. 1. 1. 15. Auditis ergo cùm legitur : *In principio erat Verbum.* Quis hoc dicit? Johannes utique ille piscator : sed non quasi piscator hoc dicit, sed quasi humani piscator affectus; qui jam non pisces caperet, sed homines vivificaret. Non suum est, quod dicit : sed ejus qui vivificandi *Luc. 5. 10.* ei tribuit potestatem. Piscator enim ipsis, quos ante capiebat, piscibus taciturnior erat; & circa divina mysteria magis mutus, qui vocis suæ nesciebat auctorem : sed vivificatus à Christo vocem audivit in Johanne, Verbum agnovit in Christo.

16. Et ideo plenus Spiritu sancto, qui sciret principium non temporis esse, sed supra tempora, reliquit sæcula, & adscendens spiritu super omne principium, ait : *In principio erat Verbum*, hoc est, remaneat cælum; nondum enim erat, quando *in principio erat Verbum.* Nam etsi cælum habet principium, Deus non *Gen. 1. 1.* habet. Denique *in principio fecit Deus cælum & terram.* Aliud est, *fecit :* aliud est, *erat.* Quod fit, incipit : quod erat, principium non accipit, sed prævenit. Remaneant etiam tempora, quia post cælum tempora. Remaneant etiam Angeli & Archangeli. * Etsi principium eorum non invenio; erat tamen quando non erant. Non erant enim, qui aliquando cœperunt. Si ergo principium eorum invenire non possum, quos certum est habere principium; quomodo possum Verbi invenire principium, à quo omne principium non solùm creaturarum, sed etiam cogitationum nostrarum omnium prævenitur?

17. Aperte itaque sempiternam divinitatem ejus expresserat : sed tamen ne quis à Patre divideret Verbi æternitatem, ut eamdem crederemus Verbi esse, quæ Patris est, bonus ille pis- *Johan. 1. 1.* cator adjunxit : *Et Verbum erat apud Deum.* Hoc quod dixerat, sic æstimandum est : *Erat Verbum*, quomodo erat Pater; quoniam cum Patre erat, & in Patre erat, & apud Patrem erat semper. Nempe quomodo de Patre legimus, *erat;* ita & de Verbo legimus, *erat.*

18. Quid discernis intellectum, qui non discernis auditum? Verbi esse apud Patrem est : Patris esse cum Verbo est; legimus enim quia *Verbum erat apud Deum.* Itaque si secundum tuam opinionem aliquando non erat; ergo secundum tuam opinionem & is in principio non erat, apud quem erat Verbum. Per Verbum enim audio, per Verbum intelligo quia Deus erat. Nam si sempiternum Verbum esse credidero, quod credo; non possum de Patris æternitate dubitare, cujus æternus est Filius. Si temporalem generationem ejus existimo, incipit communitatem habere nobiscum; ut videatur Pater esse cœpisse : sed si de Patre non ambigis, quia incipere esse Dei non est; de Patre non ambigis, quia Dei est sempiternam habere perfectionem; ne forte usu sermonis labereris humani, dum Verbum dicis & Filium, ideo addidit : *Et Deus erat Verbum.* *Ibidem 1.*

19. Habet utique quod Pater, quia Deus erat. Quomodo hujus negas æternitatem, cui unum cum Patre Dei nomen est? Non te sonus capiat, similitudoque sermonis : aliud Verbum est, quod tempora habet, quod syllabis colligitur, litterisque componitur : non tale Verbum Filius, quia non talis est Pater Verbi.

20. Cavendum ergo [a] ne & ibi quæstionem vocis corporalis videamur ingerere. Incorporeus est Deus : vocem utique incorporeus corporalem non habet. Si vox corporalis non est in Patre, nec Filius verbum est corporale. Si corpus in Patre non est, nec tempus in Patre est. Si tempus in Patre non est, utique nec in Verbo est. Quod si nullum principii tempus in Verbo, nec numerus utique, nec gradus Verbi est. Quia si numerus in Verbo, ergo multa verba. Si multa verba, multi & filii. Sed unum Verbum est, quod & gradum excludit & numerum : unum secundum naturam.

21. [b] Ne quærite cujusmodi naturam. Nescio multo melius hoc, quam scio. Hoc solum bene scio, quod nescio, quæ scire non possum. *Quod* *1. Johan. 1. 3.* *vidimus*, inquit, *& quod audivimus*, Johannes dicit : hoc solum bene scire se dixit, quod audivit & quod vidit, qui in Christi pectore recumbebat. Ergo illi satis est audisse, mihi non est satis.

22. Sed quod ille audivit, hoc mihi dixit : & quod audivit à Christo, [c] hoc nec ego possum negare verum esse de Christo. Ergo quod audivit, audivi : & quod vidit, vidi; ille enim vidit, quod vidit : non utique divinitatem, quæ secundum naturam suam videri non potest. Sed quia secundum naturam suam videri non poterat, suscepit quod erat præter naturam divinitatis; ut secundum naturam corporis videretur. Denique & Spiritus sanctus in specie *Luc. 3. 22.* visus est, sicut columba; quia videri divinitas in suæ claritatis veritate non poterat.

CAPUT IV.

Non sufficere si credamus in Christo veram carnem, nisi à divinitate omnem cum ea confusionem, aliamve infirmitatem secludamus : neque si eumdem utriusque fœderis Deum dicamus, nisi coæternum ipsimet Verbum profiteamur : nec demum, si ante Virginem agnoscamus illum cœpisse, nisi omni principio antiquiorem prædicemus. Commendatur Petri confessio; & cur ille, loquentibus aliis, tacuerit, quamve pulcre idem postea responderit, exponitur.

23. NOli igitur & tu secundum naturam interpretari, quod præter divinitatis naturam est. Nam etsi credas à Christo veram

*. De tempore quo Angeli creati fuere, Augustinus lib. 11. *de Civit. Dei*, cap. 9. & 32 nec non lib. 12. c. 15. fuse disputat, sed tandem non nisi dubitanter magistri sui exemplum imitatus, definit.

a Gill. & Rom. edit. cum uno aut altero mss. *ne & illi :* Ameth. & Eras. cùm aliis multo pluribus, *ne tibi :* melius alii mss. licet exiguo numero, *Ne & ibi*, hoc est, in Johannis loco. Rursus vero pro *videamur ingerere*, quod est in cunctis edit. ac plerisque mss. habent alii nonnulli, *videamur inferre.*

b Mss. aliquot, *Quærit iste cujusmodi naturam. Nescio, nescio* &c. Reliqui, & omnes edit. inter se consentiunt, nisi quod hæ cum paucis mss. *hujusmodi* præferunt, ubi in aliis pluribus legitur, *cujusmodi :* eorumdem vero mss. quidam etiam geminant verbum *nescio :* quidam omittunt, *multo melius hoc, quam scio.*

c. Omnes edit. & mss. non pauci, *hoccine ego possum . . . . quod audivit, audivi : & quod vidit, audivi*, Rom. edit. *quod audivit, audio : & quod vidit, video* : ceteri mss. qui & potiores, ut nos in textu. Et rursus infra ubi omnes edit. & pars non minima mss. *naturam suam eum videre non poterat*, nonnulli mss. *non poterant ;* ceteri etiam magno numero, & majori auctoritate *videri non poterat.*

carnem esse susceptam, & offeras * transfigurandum corpus altaribus; non distinguas tamen naturam divinitatis & corporis, & tibi dicitur: *Si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti.* (*Gen.* 4. 7.) Divide quod meum, divide quod suum Verbi est. Ego quod erat illius, non habebam: & ille quod meum est, non habebat. Suscepit quod meum est, ut impertiret quod suum est: suscepit non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem, affingas confusionem; Manichæus esse desisti, nec tamen Ecclesiæ filius esse cœpisti.

24. Si credas susceptionem corporis, adjungas divinitati compassionem: portionem utique perfidiæ, non perfidiam declinasti; credis enim quod tibi prodesse præsumis: non credis quod Deo dignum est.

25. Rursus si credas quia idem Deus & novi & veteris Testamenti est, tempora autem Verbo ejus & momenta præmittas: tolerabilior Valentinus est, qui non sæcula ante Deum, sed deos putat esse, * quod sæcula sunt; minoris enim sacrilegii est copulari divinitati sæcula, quam præferri.

26. Si credas iterum quia Christus principium non sumsit ex Virgine, sed tamen aliquod ante Christum æstimes esse principium: in tempore distantia, [a] de impietate contentio est; Virginis enim supparem negasti esse, non temporis. Ego autem & supparem Virginis secundum susceptionem corporis non negabo, & creatorem temporis confitebor. Quid enim proficis, si dicas quia Christus hæc an illa sit creatura? Creatura mutatur,[b] non divinitas adoratur.

27. Noluit se sic Christus agnosci, nec his tantum, quæ supra hominem sunt, meritis æstimari. Denique cùm interrogasset: *Quem me dicunt esse homines?* (*Matth.* 16. 13.) cùm alii dicerent Eliam, alii Hieremiam, aut unum ex prophetis; nullius sententiam prædicavit: cùm Petrus dixisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* (*Ibidem* 16.) hunc solum non immerito laudavit.

28. Ergo Johannes dicit, Petrus dicit, Christus probavit, & tu non probas, Arriane? Nec Johanni & Petro putas esse credendum, quos vel solos pro testimonio gloriæ suæ dominus noster Jesus Christus ad omnium fidem credidit abundare? (*Matth.* 17. 1.) Denique quasi ad testimonium veteris & novi Testamenti Moyses cum Elia adsciscitur, cum Johanne Petrus frequenter adhibetur. (*Johan.* 21. 16.)

29. Petrus dicit: *Tu es;* non dicit: Tu esse (*Johan.* 13. 23.) cœpisti. Petrus dicit: *Tu es Filius Dei;* non dicit: Tu es creatura. Dixit hoc Johannes. Si adhuc non credidisti, quia non intellexisti mysterium supra sapientiam recumbentis, repetivit Petrus. Commendavit utrumque Christus, alterum judicio, alterum mysterio; id enim addidit, ut legeres quod in Christi pectore recumbebat, & intelligeres quod ejus caput, in quo principale omnium sensuum est, arcano quodam sapientiæ replebatur. Sed si non putas intelligendum esse mysterium, saltem noli impugnare judicium. Laudatur Petrus, quia Dei Filium credidit, quem videbat; quia se ab imperitæ plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Denique cùm interrogasset Dominus, quid homines de Filio hominis æstimarent, cùm diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat.

30. Taces ergo, Simon, & respondentibus aliis, adhuc taces; (*Matth.* 16. 14.) cùm ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas: nec times, ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti? Ideo, inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam; legi enim: *Ut non loquatur os meum opera hominum:* (*Psal.* 16. 4.) opus autem est perfidorum perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id quod sentio interrogor: non proferam labiis, quod animus non probavit. Erit tempus quando respondeam. Interrogabor & ipse quid sentiam, tunc demum respondebo quod meum est; meum est enim fidem loqui, pietatem adserere, gratiam prædicare.

31. Non igitur quasi pigrior sensu, voce tardior tacet, nec quasi fastidiosus differt vocis obsequium: sed quasi [c] cautus periculum vulgaris opinionis evitat, qui periculum non evitabat salutis. Denique in posterioribus habes quia exsilivit è navi, ut occurreret Domino, (*Matth.* 14. 29.) non gloriæ cupidus, sed obedientiæ præmaturus.

32. Hic ergo qui ante reticebat, ut doceret nos quod impiorum nec verbum debeamus iterare: hic, inquam, ubi audivit: *Vos autem quid me dicitis?* (*Matth.* 16. 15.) statim loci non immemor sui, primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis. Hoc est dicere: Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes sunt: debeo compensare quod tacui, debet prodesse quod silui. Lingua mea non habet spinas, sine impedimento fides debet exire. Dum alii cœnum, alienæ licet, prolatæ tamen impietatis evacuant, qui aut Eliam, aut Hiere- (*Ibidem* 14.)

* Eodem plane sensu dictum vidimus lib. 4. *de Fide*, cap 10. *Sacramenta summus, quæ per sacra orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem.* quæ verba ibidem à sacramentariorum strophis ipsamet à legitimo & naturali sensu detorquentium propugnavimus. Verum hic ipse locus peculiarem meretur animi adtentionem. Primo enim nemo est ex antiquis auctoribus à quibus citatus repetitur, Theodoreto scilicet, Ivone, ac Petro Lombardo, qui eum simplici significatione & κατὰ λέξιν non acceperint. De posterioribus duobus non reluctaturos existimamus adversarios. at prioris verba, quibus Ambrosiana græce reddit, considerandа. Sunt autem hujusmodi, καὶ γὰρ πιστεύετε ὡς ἀληθῶς ὅτι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ προσκομίζετε τῷ θυσιαστηρίῳ πρὸς μεταποίησιν &c. Quibus verbis figurativam tantum signari mutationem quis sibi persuadeat? aut potius quis non illic manifestum agnoscat fidei græcorum de veritate eucharistica testimonium? Deinde cùm in priori membro voces, *veram carnem esse susceptam*, ponantur in sua naturali significatione, in posteri membro vocem *corpus* non in diversa accipiendam series ipsa per se admonet. Sed efficaciora sunt adhuc verba sequentia, *non distinguas tamen naturam divinitatis & corporis*; ubi vero corpori veram divinitatem opponi vel meridiana luce clarius est. Postremo sensus, quem Ambrosio adfingunt adversarii, perquam absurdus est Idem enim est, ac si scripsisset sanctus Antistes: Nequaquam satis est, si credatis Christum in cruce affixum pependisse; nec si credatis figuram ejus æneum serpentem exstitisse; nisi etiam credatis christum in eo expirasse, non autem ejus divinitatem. Quod ratiocinium ineptissimum esse nemo non videt: verum è contra ro pulcherrima gradatio conficietur, si Ambrosiana verba à suo naturali significatu non avertantur.

*. De hac Valentini absurditate præter Epiph. *Hær.* 31. & August. *de Hæres.* cap. 11. vide Iræn. l. 1. *adv. Hær.* Tertul. *adv. Valent.* &c.

a. Rom. edit. *consensio est*: aperto quidem sensu, sed ab omni auctoritate destituto.

b. Omnes edit nec pauci mss. *divinitas adoratur*: reliqui mss. *non divinitas adoratur.* Melius, cùm hic sensus sit, dum Christum unam dicis creaturam esse, non aliam; creaturam quidem mutas, ejus autem divinitatem non adoras

c. Mss. aliquot, *cautus periculum. Vulgares opiniones evitat.* Infra vero edit. Rom. sola, *in superioribus habes.*

miam, aut unum ex prophetis Christum esse dixerunt; habuit enim ista vox cœnum, habuit ista vox spinas: dum alii, inquam, [a] hoc lavant cœnum, dum in aliis enodantur hæ spinæ, vox nostra Filium Dei Christum resultet. Mihi purus est sermo, cui nullas spinas expressa reliquit impietas.

Ibidem 16. 33. Hic est ergo Petrus qui respondit pro ceteris apostolis, immo præ ceteris; & ideo fundamentum dicitur, quia novit non solùm proprium, sed etiam commune servare. Huic adstipulatus est Christus, revelavit Pater. Nam qui veram generationem loquitur Patris, à Patre adsumsit, non sumsit ex carne.

CAPUT V.

Fidem hanc Ecclesiæ fundamentum esse ac valere adversus omnes hæreses, qua in Christo divina simul & humana generatio creditur. Duas illas generationes invicem sibi non officere: sed quæ ad utramque pertinent, salva etiam in passione ac sepultura mansisse. Non ergo infirmitates corporis divinitati adtribuendas; cùm hæc à loco & tempore absoluta sit: & nihil nisi secundum carnem pati potuerit Verbum divinum.

34. Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non prævalebunt: sed confessio vicit infernum. (*Ibidem.*) Et hæc confessio non unam hæresim exclusit; nam cùm Ecclesia multis tamquam bona navis fluctibus sæpe tundatur, adversus omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum.

35. Dies me citius defecerit, quam nomina hæreticorum diversarumque sectarum; adversum omnes tamen generalis ista est fides, quia Christus est Dei Filius, & sempiternus ex Patre, & natus ex Maria virgine. Quem quasi gigantem sanctus David propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ unus sit consors divinitatis & corporis: (*Psal. 18.6.*) qui *tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit tamquam gigas ad currendam viam.* Sponsus animæ secundùm Verbum: gigas terræ, quia usus nostri officia percurrens, cùm Deus semper esset æternus, incarnationis sacramenta suscepit, non divisus, sed unus; quia utrumque unus, & unus in utroque, hoc est, vel divinitate vel corpore: non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.

36. Generatio generationi non præjudicat; nec caro divinitati; quia nec pignus Patri, nec voluntas passioni, nec passio voluntati. * Idem enim patiebatur, & non patiebatur: moriebatur, & non moriebatur: sepeliebatur, & non sepeliebatur: resurgebat, & non resurgebat; quia corpus proprium suscitabat: quia quod cecidit, hoc resurgit: quod non cecidit, non resurgit. Resurgebat igitur secundum carnem, quæ mortua resurrexit: non resurgebat secundùm Verbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud Deum semper manebat.

37. Ergo & moriebatur secundum nostræ susceptionem naturæ, & non moriebatur secundum æternæ substantiam vitæ: & patiebatur secundum corporis susceptionem; ut suscepti corporis veritas crederetur: & non patiebatur secundum Verbi impassibilem divinitatem, quod totius exsors doloris est. Denique idem dicebat: *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?* (*Psal. 21. 1.*) quia secundum carnem relictus est, qui secundum divinitatem nec deseri potuit, nec relinqui.

38. Idem etiam dicit: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*, (*Ibidem.*) hoc est, non capiatur, qui audit: *Quare me dereliquisti?* sed intelligat quod secundum carnem ista dicantur, quæ longe à plenitudine divinitatis aliena sunt. Aliena sunt enim à Deo verba delictorum; quia aliena sunt & delicta verborum: sed quoniam delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum verba suscepi; ut derelictum me à Patre Deo esse dicam, qui apud Deum semper sum.

39. Erat igitur immortalis in morte, impassibilis in passione. Etenim quasi Deum non cepit mortis ærumna, & eumdem quasi hominem inferna viderunt. Denique *emisit spiritum*, (*Matth. 27. 50.*) & tamen quasi arbiter exuendi suscipiendique corporis, emisit spiritum, non amisit. Pendebat in cruce, & omnia commovebat. Tremebat in ligno, quem totus tremebat hic mundus. Erat inter supplicia, [b] excipiebat vulnera, & regnum cæleste donabat. Peccatum omnium factus, peccata generis abluebat humani. Postremò mortuus est, & secundo & tertio exsultans atque ovans dico, mortuus est; ut illius mors vita fieret mortuorum.

40. Sed nec sepulcrum quidem ejus miraculo caret. (*Luc. 23. 53.*) Nam cùm esset unctus à Joseph, & in ejus monumento sepultus, novo opere quodam ipse defunctus defunctorum sepulcra reserabat: & corpus quidem ejus jacebat in tumulo; ipse autem inter mortuos liber, remissionem in inferno positis, soluta mortis lege, donabat. Erat ergo caro ejus in monumento, sed virtus ejus operabatur è cælo. Ostendebatur omnibus per corporis veritatem; quia non caro erat Verbum, sed caro erat Verbi. Caro quidem gustavit mortem, sed impassibilis Dei virtus: & si exuit corpus, nullum tamen de corpore Deo damnum.

41. Cur divinitati adtribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani & divinæ connectis naturæ? *Nunc anima*, inquit, *mea turbata est.* (*Johan. 12. 27.*) Anima turbata est, non sapientia; immutabilis enim manebat sapientia, etsi circumdaretur amictu carnis. Nam in illa servi forma erat veri luminis plenitudo: & cùm se exinanivit, lumen erat. Denique dicebat: *Ambulate dum lumen habetis.* (*Johan. 12. 35.*) Et quando in morte fuit, in umbra non erat. Denique etiam in inferno positis vitæ lumen fundebat æternæ. Radiabat etiam illic lux vera sapientiæ; illuminabat infernum, sed inferno non claudebatur. Quis enim locus est sapientiæ? Denique dicit justus: *Sapientia autem unde inventa est? Quis autem locus est disciplinæ? Nescit homo viam ejus, nec inventa est inter homines.* (*Job 28. 12. & 13.*)

a. Amerb. & Eras. & mss. nonnulli, *in hoc labant cœnum*: Gill. & Rom. *in hoc lavant cœnum*, sed melius in mss. pluribus *in* omittitur.

*. Athanasius epistola ad Epictetum quæ reperitur inter ejus Opera, & apud Epiphanium Hæresi 77. καὶ ἐν αὐτῷ ἦν ὁ πάσχων καὶ μὴ πάσχων &c. locum ipsum adi & cum hoc Ambrosiano compone.

b. Mss. non pauci, *expiabat vulnera.*

a 42. Ergo nec in tempore, nec in loco [a] Sapientia est; unde & tempus esse significat. Sed quomodo in tempore, quæ in principio erat? quomodo in loco, quæ apud Deum erat? Unigenitus Filius si quæritur, in sinu Patris evangelico spiritu reperitur. Numquid sinum Patris locum putatis? Et quæritis quomodo nata sit, A
Job.28.13. cùm dicat propheticus vir: *Nescit homo viam ejus?* Et secundùm homines ortum ejus æstimatis, cùm Job dicat quod inter homines non sit inventa? Et mortem tribuitis Sapientiæ, de qua B
Ibidem 14. *abyssus dicit: Non est in me; & mare dicit: Non est mecum?* Non dicit cælum, Non est in me: *sed abyssus dicit, Non est in me.* Non enim abysso,
Luc 23.46. sed Patri dixit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Ipsa anima etsi fuit in abysso, jam non
Psal.15.10. est; quia scriptum est: *Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

43. Mare ergo dicit: *Non est mecum*, hoc est, vita nostra dicit fluctibus sæculi inquieta. Non C est enim inter homines caro ejus; quia secundum carnem jam non novimus Christum. Ter-
2.Cor.5.16. ra dicit: *Non est mecum*, quia resurrexit. Deni-
Luc.24.5. que Angelus ait: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Et bene mare dixit: *Non est mecum;* quia super mare erat. Denique in mari & corporeis vestigiis ambulabat, quando & subjecto
Matth.14.29. mari super mare Petrum ambulare præcepit; qui licet titubaverit; titubavit tamen non per imbecillitatem jubentis, sed per infirmitatem D obedientis.

44. Ergo splendori gloriæ non permisceas nostræ atramentum naturæ, non luci nebulam humanæ carnis offundas. Rursus passionem prædicans, si nequaquam id quod est passibile recognoscas, pietatem Domini refellisti, salutem tuam negasti. Unde amentes eos æstimare debemus, qui audientes dicentem Dei Filium:
Johan. 18.23. *Quid me cædis?* secundum naturam divinitatis subjectum injuriæ putaverunt. Dixit enim: E
Esai 50.6. *Quid me cædis?* sed cædem divina natura non sensit. Dixit: *Dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in palmas: vultum autem meum*
b [b] *non converti à confusione sputorum.* Dorsum dixit & maxillas & vultum, hoc est, humani corporis portiones. Quod enim caro Verbi patiebatur vel manens in carne, Dei Verbum patie-
1.Petr. 4.1. batur carne, sicut scriptum est: *Christo in carne passo;* in se utique pro corporis adsumtione referebat; ut quæ nostra sunt, in se ipse susciperet, & suis circumvestiret humana. F

45. Rectè igitur secundum naturam suam & caro passa est, nec ea corporis passione Verbi
c [c] natura mutata est; in veritate enim nostra est resurrectio, & ideo in veritate Christi passio prædicatur.



CAPUT VI.

Perstringuntur hi omnes hæretici, qui Christum vel in phantasmate passum, vel duas in se personas complexum dicunt, non secus ac qui vel à Dei Filio Verbum distingunt, vel à carne non distingunt divinitatem, vel hanc tamquam imperfectam injuriis corporis subjiciunt. Cùm autem horum omnium auctores sint ii, qui divinitatem carnemque Domini unius naturæ esse fingebant, eos Nicæni concilii auctoritatem falsò venditare ostendit Ambrosius, Christum in Scripturis tantum secundum humanitatem passum narrari patefaciens. Addit carnem ab eo propterea susceptam, ut quod peccaverat, in se redimeret; cùm Deo & peccato nihil queat esse commune. Postremo quam absurda sint, quæ ex adversariorum opinione sequantur, aperit.

46. Neque enim, quod quidam dicunt, in phantasmate passus est; quia nec in phantasmate super mare ambulavit, quod dis- Matth. 14.26.
cipuli in Evangelio opinati esse produntur. Sed excusantur, quia: *Nondum erat Spiritus datus;* Johan.7.39. Rom 5.5.
nondum enim Jesus fuerat honorificatus. Nobis jam crucifixus est Christus & resurrexit: nobis jam Spiritus datus est, qui adsertor est veritatis. Et discipuli quidem aliquando erraverunt, ne nos postea errare possemus. Ergo illorum error nobis proficit. Quasi homines errarunt, quasi discipuli crediderunt.

47. Et hos igitur qui in phantasmate venisse Jesum prædicant, & illos condemnare debemus, qui adversa erroris linea non unum eumdemque Filium Dei dicunt: sed alium esse qui ex Deo Patre natus sit, alium qui sit generatus ex Virgine; cùm Evangelista dicat quia Johan. 1.14.
Verbum caro factum est; ut unum dominum Jesum, non duos crederes.

48. Nonnulli etiam aliud Dei Verbum, aliud Dei Filium crediderunt; cùm ipsum, qui in principio erat Verbum apud Deum Patrem, in sua propria venisse Evangelista testetur. Sunt Ibidem 11.
autem qui tamquam ad unum prophetarum; ita ad Christum factum esse Verbum arbitrati sunt, non ipsum esse Dei Verbum. Sed de nullo prophetarum dictum est quia *Verbum caro factum est.* Nullus prophetarum abstulit peccata mundi. De nullo alio dictum est: *Hic est Fi-* Matth.3.17.
lius meus dilectus, in quo complacui. De nullo prophetarum legimus quod sit Dominus majestatis, quod de Christo Apostolus dixit quia 1.Cor.2.8.
Judæi dominum majestatis crucifixerunt.

49. Sed dum hos redarguimus, emergunt alii qui carnem Domini & divinitatem dicant unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit; ut majore contentione adserant Patrem & Filium & Spiritum sanctum unius non esse substantiæ; quia isti divinitatem Domini & carnem substantiæ unius dicere tentaverunt. Deinde cùm isti dicant quia Verbum in carnem, capillos, sanguinem & ossa conversum est, & à na-

a. Ita vet. edit. ac plures mss. Rom. vero, & alii per interrogationem, *unde tempus significat?* Minime male.
b. Omnes edit. ac pauci mss. *non averti;* reliqui *non converti*, supple, in aliam partem.
c. Mss. aliquot, *natura immutata est:* absurdo sensu, nisi *immutata* illic ponatur pro *mutata.* Ceterum quæ hoc & toto seq. capite disputantur, tantam habent affinitatem cùm Athanasii epistola supra laudata, vix ut alia major queat cogitari.

tura propria mutatum est; datur illis locus ut A infirmitatem carnis ad infirmitatem divinitatis, quadam facta divinæ naturæ mutatione, detorqueant.

50. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, ut putent quia divinitas Domini circumcisa est, & imperfecta de perfecta facta est; & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia divina in carnis specie coagulata pendebat. Quis autem non horrescat? Quis audiat quia non ex Maria virgine, sed ex divina sub- B stantia passibilem sibi carnem fecerit Dei Verbum? Quod adserendo eo prolabuntur, ut non ex tempore corpus Domini esse susceptum, sed coæternum Dei Verbo semper fuisse contendant.

51. Horum omnium auctores sunt, qui divinitatem & carnem Domini unius naturæ fuisse dixerunt. Legi enim quod non crederem, nisi ipse legissem: legi, inquam, in cujusdam libris sic positum *, & organum, & eum à quo move- C batur organum, unius in Christo fuisse naturæ. Quod ideo posui, ut ex scriptis nomen deprehendatur auctoris; & advertant, quamvis exquisitissimis argumentis, & phaleratis sermonibus non posse vim veritatis obduci.

52. Et hic mihi frequenter Nicæni concilii tractatum se tenere commemorat. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed Dei Verbum unius substantiæ cum Patre esse dixerunt; & Verbum quidem ex paterna processisse D substantia, carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicæni concilii nomen obtenditur, & nova inducuntur, quæ numquam nostri sensere majores; cùm utique Scripturæ dicant quia Christus secundum carnem passus est, non secundum divinitatem: (1. Petr. 1. 1.) Scripturæ dicant quia Virgo in utero accipiet, & pariet Filium? (Esai. 7. 14.) Accepit enim virtutem, & peperit Filium, [a] quem ex se ipsa suscepit.

53. Denique hoc etiam Gabriel proprio ser- E mone declarat dicens: (Luc. 1. 35.) *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Dei Filius. Ex te*, inquit, ut secundùm hominem quod ex ipsa nasceretur, adverteres; ex se enim generavit Maria, ut quod generaretur ex ipsa, in eo [b] salvâ generationis Dominicæ prærogativâ, corporis esset vera natura. Sed & Paulus dicit se prædestinatum esse in Evangelium Dei: (Rom. 1. 2. & 3.) *Quod ante, inquit, promiserat per prophetas de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* F Et ad Galatas: (Gal. 4. 4.) *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Et ad Timotheum dixit: (2. Tim. 2. 8.) *Memor esto Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David.*

54. Ergo ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro: & quod nostrum non erat, ex suo nobis divina sua largitate conferret. Secundum naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est: multaque in eodem & secundum naturam invenies, & ultra naturam. Secundum conditionem etenim corporis in utero fuit, natus est, lactatus est, in præsepio est collocatus: sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit: ut crederes quia Deus erat, qui novabat naturam; & homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine.

55. Neque enim, ut quidam interpretati sunt, natura ipsa Verbi mutata est, quæ immutabilis semper est, sicut ipse dixit: (Malac. 3. 6.) *Videte, videte me, quia ego sum, & non sum mutatus.* Sed etiam Paulus dixit: (Hebr. 13. 8.) *Quia Jesus Christus heri & hodie, ipse est in secula*, hoc est, qui non secundum naturam mutatus est carnis, sed immutabilis etiam in ipsa mutabili conditionis humanæ qualitate permansit.

56. Didicistis igitur quia sacrificium de nostro obtulit. Nam quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur? Quod peccaverat igitur, hoc redemtum est. Non est ergo immolata divinitas Verbi; quia non peccaverat divinitas Verbi: & ideo non est Verbi natura [c] in carnis conversa naturam; quia immunis peccati divinitas pro peccato, quod non fecerat, se non debebat offerre. Hoc enim in se obtulit Christus, quod induit: & induit, quod ante non habuit. Non igitur divinitatis suæ divinitatem induit, in quo erat plenitudo divinitatis æternæ: sed carnem adsumsit, ut spolium carnis exueret, atque in semet ipso & manubias diaboli crucifigeret, & trophæa virtutis erigeret.

57. Ergo [d] si caro omnium & in Christo subjacuit injuriæ, quomodo unius illam cum divinitate dicitis esse substantiæ? Si enim unius est substantiæ Verbum & caro, quæ de terra habet naturam; cur unius substantiæ adseratur Verbum atque anima, quam perfectam naturæ suscepit humanæ? Unius autem substantiæ est Verbum cum Deo secundum paternam professionem, & ipsius Domini adsertionem, qui ait: (Johan. 10. 30.) *Ego & Pater unum sumus.* Unius ergo substantiæ Pater cum terreno corpore prædicatur. Et adhuc indignamini in Arrianis, quia hi dicunt Filium Dei creaturam esse; cùm ipsi dicatis Patrem unius cum creaturis esse substantiæ?

58. Quid autem aliud agitis ista dicendo, nisi ut aut limum Adæ, terramque nostram divinæ substantiæ comparetis, aut certe divinitatem in terrenæ corruptelæ injuriam transferatis. Dicendo enim quod Verbum caro & ossa factum est, in terram utique dicitis esse conversum; quoniam caro & ossa de terris sunt.

59. Sic scriptum est, inquiunt, quia * (Johan. 1. 14.) *Verbum caro factum est.* Scriptum est, non nego: sed considera quid sequatur; sequitur enim: (Ibidem.) *Et ha-*

*. Leontius Bizant. *lib. Adv. Fraudes Apollin.* cùm hæc ipsa verba tamquam *ex Oratione disputat.* ipsiusmet Apollinaris referat, quem auctorem Ambrosius indicet, palam facit.

a. Omnes edit. ac pauci mss. *quem & ipsa suscepit*: alii paulo plures, *quem ex ipsa suscepit*, non male, si voces *ex ipsa* referas ad *virtutem*: plurimi tamen exhibent, *ex se ipsa*, id est, ex propria substantia, cui sensui consequentia patrocinantur.

b. Mss. nonnulli, *salva incarnationis Dominica* &c. haud satis rectè, cùm generationis æternæ prærogativa designetur.

c. Iidem mss. *in incarnationis*; nec magis commode.

d. Vet. edit. *si caro omnis & in Christo*, Rom. *si caro & in Christo omni* &c. mss. autem magno consensu, *si caro omnium* &c. optimo sensu; indicatur siquidem carnem Christi & nostram omnium ejusdem esse substantiæ ac naturæ, proindeque alteram iisdem injuriis, quibus afficitur altera, subjacere.

*. Hanc objectionem ab Apollinaristis magnifice admodum ostentatam fuisse non solum ex eo colligere licet, quod illam accurate confutat Ambrosius; verum etiam quod ab Athanasio in sua ad Epictetum epistola non inferiore studio refellitur; quamquam in hoc rationem nonnihil diversam uterque sit sequutus.

bitavit in nobis, hoc est, illud Verbum quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est, in carne habitavit humana; & ideo Emmanuel dictus est, hoc est, nobiscum Deus. (Matth. 1. 23.) Hoc ergo *Verbum caro factum est*, pro eo quod est, homo factus est. Sicut etiam in Johel dixit: (Johel. 2. 28.) *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*; non enim super irrationabilem carnem, sed in homines futura promittitur gratiæ spiritalis effusio.

60. Quod si secundum litteram vos tenetis, ut putetis ex eo quod scriptum est, quod *Verbum caro factum est*, Verbum Dei in carnem esse conversum; numquid negatis scriptum esse de Domino, (2 Cor. 5. 21. Gal. 3. 13.) quia peccatum non fecit, sed peccatum factus est. Ergo in peccatum conversus est Dominus? Non ita; sed quia peccata nostra suscepit, peccatum dictus est. Nam & maledictum dictus est Dominus, non quia in maledictum conversus est Dominus; sed quia nostrum suscepit ipse maledictum: (Deut. 21. 23.) *Maledictus enim*, inquit, *qui pendet in ligno*. Miraris ergo quia scriptum est: *Verbum caro factum est*, cùm caro adsumta sit à Dei Verbo; quando de peccato quod non habuit, (2 Cor. 5. 21.) scriptum est quia peccatum factus est, hoc est, non natura operationeque peccati, ut pote in similitudinem carnis peccati factus: sed ut peccatum nostrum in sua carne crucifigeret, susceptionem pro nobis infirmitatum obnoxii jam corporis peccati carnalis adsumsit.

61. Desinant ergo dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam; ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati. Aliud est enim quod adsumsit, & aliud quod adsumtum est. Virtus venit in Virginem, (Luc. 1. 35.) sicut & Angelus ad eam dixit quia *virtus Altissimi obumbrabit te*. Sed natum est corpus ex Virgine; & ideo cælestis quidem descensio, sed humana conceptio est. Non ergo eadem carnis potuit esse, divinitatisque natura.

CAPUT VII.

Quod libris superioribus hunc addiderit, excusat: deinde ubi rationes eorum, qui animam à Christo negabant esse susceptam, ineptas demonstravit, eamdem animæ susceptionem Scripturæ adstruit testimoniis: tum exposito cur animam à Domino non prætermissam oportuerit, eosdem vano timore agitari ostendit. Quomodo metuere aut proficere dicatur Christus; neque tamen periculum sit, ne dividatur, vel tetras videatur induci: quod ultimum in eos ipsos retorquetur.

62. POssem latius persequi, sed vereor ne hæc ipsa aliquibus aut superflua aut prolixa videantur. Fortassis enim dicat aliquis: Nonne de Patris & Filii divinitate quinque illis, quos scripsisti, libris conclusurum te esse promiseras? Sed quid faciam, cùm quotidie novas seminent quæstiones? Non præterit sponsio, sed adstringit objectio. Nam quemadmodum potest finis esse responsi, si modus nullus objecti sit?

63. Et tamen de Patris & Filii divinitate consummaturum responsionem in superioribus me spoponderam: hoc autem libro de incarnationis Dominicæ sacramento plenior, sicut debuit, facta digestio est. Nam cùm illud quod ait Dominus: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; (Matth. 26. 38.) & infra: *Pater meus, si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*; (Ibidem 39.) non ad Spiritus sancti compassionem, sed ad rationabilis adsumtionem animæ, & naturæ humanæ refertur affectum, consequens est ut per adsertionem Dominici sacramenti & plenitudinem naturæ humanæ fuisse adstruamus in Christo, & ab infirmitatis præjudicio Spiritum sanctum separemus. NON EST ENIM obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passioni.

64. Quæro igitur qua ratione * animam putent quidam à domino Jesu non esse susceptam; an quia metus est ne sensu Christus laberetur humano? Dicunt quippe quia concupiscentia carnis legi mentis repugnet. (Rom. 7. 23.) Sed qui hoc ait, tantum abest ut Christum putaverit lege carnis in peccati vincula fuisse deducendum; ut ipse in æstu positus fragilitatis humanæ, per Christum sibi subveniri posse crediderit dicens: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum.* (Ibidem 24. & 25.) Qui ergo alios à carnis lubrico vindicabat, numquid formidare poterat, ne etiam ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur?

65. Sed carnis istius, sicut volunt, formidabat illecebras. Ergo & carnis susceptionem declinare debuerat; ne ad lubricum traheretur erroris. Sed quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus advenerat? Et ideo cùm susceperit carnem hominis, consequens est ut perfectionem incarnationis plenitudinemque susceperit; nihil enim in Christo imperfectum. Suscepit itaque carnem, ut resuscitaret: adsumsit animam, sed animam perfectam, rationabilem, humanam adsumsit atque suscepit.

66. Nam quis potest negare quod susceperit animam, cùm ipse dicat: *Animam meam pono pro ovibus meis?* (Johan. 10. 15.) Et iterum: *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam illam.* (Ibidem.) Non per parabolam hoc dicitur, nec perfunctoria significatione, in qua aliud dicitur, & aliud intelligitur, sicut illud: *Neomenias & sabbata vestra odit anima mea:* (Esai. 1. 13.) licet etiam illud ad Christi animam possit referri, quæ ideo posita est, ut aboleret Judaicæ superstitionis errorem, & unius sacrificii institueret veritatem.

67. Sed de hoc dubitent prophetico, evangelicum hoc refutare non possunt de animæ proprietate dictum; cùm de morte Domini & resurrectione sit dictum; denique addit: *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* (Johan. 10. 18.) Eamdem igitur ponit, quam suscepit. Suscepit dico; non enim Verbum ipsum Dei vivum in sua carne ad nostræ animæ vicem factum est: sed sicut carnem nostram, ita & animam nostram perfectam naturæ humanæ adsumtione suscepit. Adsumsit,

*. Arrium in ea sententia fuisse litteris prodiderunt August. *de Hæres.* cap. 55. Theodoretus lib. 4. *Hæret. Fabul.* cap. 1. &c.

inquam,

inquam, animam; ut incarnationis suæ benedi- ceret sacramento: suscepit affectum meum, ut emendaret.

68. Quid autem opus fuit carnem suscipere sine anima; cùm utique insensibilis caro, & irrationabilis anima nec peccato sit obnoxia, nec digna præmio? Illud ergo pro nobis suscepit, quod in nobis amplius periclitabatur. Quid autem mihi prodest, si totum me non redemit?
Johan. 7. 23. Sed totum me redemit, qui ait: *Mihi indignamini, qui totum hominem sanum feci in sabbato?* Totum me redemit; quia in virum perfectum fidelis non ex parte, sed totus resurgit.

69. Desinant ergo isti misericordes timere, ne Christus carnem suam, vel animam perfectam sensumque hominis non potuerit gubernare,
Luc. 19. 30. qui etiam illum asinæ pullum, quem ante nemo
Psal. 93. 9. sederat, gubernavit. *Qui plantavit aurem, non audiet?* Qui alios regebat, se regere ipse non poterat? Qui peccata donabat, peccatum ipse faciebat? Desinant nimium solliciti isti, tamquam pædagogi Christi, vereri ne etiam in ipso concupiscentia carnis legem mentis op-
Rom. 7. 23. presserit, quæ non oppressit in Paulo, sed tantummodo repugnavit. Athleta Christi victorias mentis numerat suæ: hi trepidant ne caro titubaverit in Domino, quæ vicit in servulo?

70. Non vult pro se timere nos Christus, non vult pro se flere nos Dominus. Denique dicit:
Luc. 23. 28. *Filiæ Hierusalem, nolite me flere, vos ipsas flete.* Et istis dicit: Nolite mihi timere, vobis timete.
Psal. 26. 1. An non audistis dicentem David: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus*
Psal. 117. 6. *defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* & alibi: *Non*
Psal. 55. 5. *timebo quid faciat mihi homo*; & alibi: *Non timebo quid faciat mihi caro.*

71. Dicit ergo: Ego lapsum naturæ humanæ timere potui, quem homo ipse non timuit: Deus igitur ante carnem, Deus in carne, perfectionem naturæ adsumsi humanæ: suscepi sensum hominis, sed non sum sensu carnis inflatus. Sensu hominis animam meam dixi esse turbatam: sensu hominis esurivi: sensu hominis rogavi, qui rogantes exaudire consuevi: * sensu ho-
Luc. 2. 52. minis profeci, sicut scriptum est: *Et Jesus proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines.*

72. Quomodo proficiebat Sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut secundùm hominem crederes dictum; ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientiâ hominis: sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia. Jesus autem proficiebat ætate & sapientia. Quis sensus proficiebat? Si humanus, ergo & ipse susceptus est: si divinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius: sed quod divinum est, non mutatur: quod ergo mutatur, non utique divinum. Sensus igitur proficiebat humanus; sensum ergo suscepit humanum.

73. Et ut sciamus quia secundùm hominem loquebatur, præmisit supra dicens: *Puer autem* Ibidem 40.
crescebat & confortabatur & implebatur sapientiâ; & gratia Dei erat cum illo. Et *puer*, nostræ nomen ætatis est: nec confortari virtus poterat Dei, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitudo divinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia. Nam quomodo implebatur, qui ut Ephes. 4. 10.
omnia [a] impleret, descendit?

74. Per quem autem sensum Esaias dixit, patrem puer nesciebat aut matrem? Scriptum est enim: *Priusquam sciat puer patrem aut matrem,* Esai 8. 4.
accipiet virtutem Damasci & spolia Samariæ. Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt: expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat.

75. Sed verendum est, inquis, ne si duos principales sensus aut geminam sapientiam Christo tribuimus, Christum dividamus. Numquid cùm & divinitatem ejus adoramus & carnem, Christum dividimus? Nunquid cùm in eo imaginem Dei, crucemque veneramur, dividimus eum? Apostolus certe, qui de eo dixit: *Quoniam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra,* 2. Cor. 13. 4.
vivit tamen ex virtute Dei; ipse dixit quia non divisus est Christus. Numquid etiam cùm di- 1. Cor. 1. 13.
cimus quia animam rationabilem & intellectus nostri suscepit capacem, dividimus eum?

76. Non enim ipse Deus Verbum pro anima rationabili & intellectus capaci in carne sua fuit, sed animam rationabilem & intellectus capacem, & ipsam humanam, & ejusdem substantiæ, cujus nostræ sunt animæ, & carnem nos-

*. Hæc Ambrosii doctrina de Christi in sapientia profectu tam incommoda visa est Petro Lombardo, ut eam ab aliorum Patrum atque adeo ab Ecclesiæ sensu alienam esse pronuntiet; nisi tamen accipiatur de profectu externo, & secundum aliorum hominum opinionem: *Quia ita se habebat*, inquit, *& gerebat, ac si agnitionis expers esset.* Verum isthæc responsio non injuria Estio aliisque theologis non satisfacit; quippe quæ causam adjudicaret adversariis. Quid enim illis expeditius, quam ut speciem illam profectus tantummodo externam divinitati, qua in Christo animæ vicem suppleri dictitabant, adscriberent? Petavius lib. 11. *de Incarn.* cap. 2. non eamdem hac de re Patrum omnium scribit esse sententiam; cùm alii profectum hominis in Christo admitterent, alii negarent. De sancto autem nostro ita loquitur: *Ambrosius vero re ipsa Christum profecisse, & incrementum cepisse ut ætatis, ita & sapientiæ, gratiaque præcipue magis quam ceteri omnes affirmare videtur.* Hæc ille, in cujus suæ opinionis confirmationem citat sequentis num verba, *Quomodo proficiebat* &c. Verumtamen quominus magno viro hic adsentiamur, prohibet ipsemet Ambrosius. Etenim cùm lib. 5. *de Fide*, cap 18. num 221. retulisset non paucos esse, qui Dominum quidem secundum divinitatem omnia cognovisse, at secundum humanitatem vere ignorasse nonnulla profitebantur; sequenti num. sibi non probari hanc opinionem non dissimulat Nec tamen propterea eos ullo modo habet pro hæreticis, quin immo catholicos fuisse haud immerito ex ipsis verbis, quibus utitur, colligimus. Unde facile pateremur nos persuaderi sanctum Doctorem, cùm videret eamdem opinionem quæ & multorum & catholicorum erat, refellendis Apollinaristarum commentis commodam esse, in ea hic argumentari, non in propria: quod & nonnumquam ipsi usu venire à nobis jam non semel observatum est. Ceterum nihilominus verisimile nobis videtur, quidquid hoc loco disputandum de Christi profectu, accommodandum adtribuendumque tertiæ illi scientiæ, quam in eo præter beatam atque infusam sub nomine adquisitæ sive experimentalis admittunt theologi. Hanc esse aiunt qua Sanctus noster dicit sensu humano Christum profecisse, nimium per notitiam rerum à sensibus acceptam: non quod eam notitiam ignorantia præcederet, sed quoniam quæ antea sciret, id novo cognoscendi modo, id est, experiendo per ætatis accessum disceret. Quale aliquid in Adamo factum agnoscit August. lib. 8. *de Gen. ad litt.* cap. 8. Sed ne mentem cum Ambrosii tum aliorum quorumdam Patrum ea in re liquido perspectam habeamus, hoc in causa est, nempe quod ad adserendam Christo domino humanam animam videbant sufficere, si profectum aliquem, qualiscumque demum is esset, è Scriptura in ipso demonstrarent, proindeque non multum de inquirenda ejusmodi profectus natura satagebant. Nec difficulter illud advertas apud Epiphanium Hæresi 77. n. 26. Theodoretum lib. 5. *Hæret. Fabul.* cap. 13. atque alios.

a. Duo mss. *impleret, adscendit*: absono & contrario sensu.

træ similem, ejusdemque cujus caro est nostra A substantiæ, suscipiens Deus Verbum, perfectus etiam homo fuit, sine ulla tamen labe peccati; quia peccatum ipse non fecit, sed pro nobis peccatum factus est; ut nos essemus justitia Dei in ipso. Caro ergo ipsius & anima ejusdem cujus anima nostra caroque substantiæ est. 2 Cor. 5. 21.

77. Nec timeo * ne tetrada videar inducere, nos enim vere solam, qui hoc adserimus, colimus Trinitatem. Non enim Christum divido, cùm carnis ejus divinitatisque distinguo B substantiam: sed unum Christum cum Patre & Spiritu Dei prædico, & illos magis qui carnem Christi unius cum divinitate ejus dicunt esse substantiæ, tetrada inducere demonstrabo. Non enim quod ejusdem substantiæ est, unus, sed unum est; nam utique Filium ejusdem cum Patre substantiæ confitentes in tractatu concilii Nicæni, non unam personam, sed unam divinitatem in Patre & Filio crediderunt.

78. Ergo cùm dicunt ejusdem carnem, cujus C & Filius Dei erat, fuisse substantiæ; ipsi quod nobis objiciunt ineptiis vanæ adsertionis incurrunt, ut dividant Christum. Itaque quartum increatum, quod adoremus, inducunt; cùm sola increata sit divinitas Trinitatis.

CAPUT VIII.

Contra catholicam hanc sententiam, Filium qui generatus est, Patri qui generavit, æqualem esse, opponentibus adversariis genitum cum ingenito D *ejusdem naturæ esse non posse; respondetur voces* genitum *atque* ingenitum *quæ in Scripturis non leguntur, ab iis hic induci, cùm illas* naturam *&* substantiam *ideo repudient, quod eas in iisdem Scripturis negent exstare. Tum etiam in Deo naturam ac substantiam esse ex sacris codicibus evincitur.*

79. Concluseram librum: sed religionis fuit, [a] ne prætervecti videremur, quod solvere nequiremus. Nam cùm dudum audierint quidam, dicentibus nobis, Filium Dei, qui generatus sit, Patri qui generavit, inæqualem esse non posse, quamvis ille generatus sit, iste generaverit; quia generatio non potestatis est, sed naturæ: adversus illam quidem quæstionem vocem sibi arbitrantur occlusam: sed tergiversatione damnabili in eodem loco vestigium vertunt; ut putent mutationem fieri quæstionis, mutatione sermonis, dicentes: Quomodo pos- F sunt ingenitus & genitus esse unius naturæ atque substantiæ?

80. Ergo ut respondeam, clementissime Imperator, per te mihi propositæ quæstioni; primùm omnium ingenitum in scripturis divinis nusquam invenio: non legi, non audivi. Cujus igitur mutabilitatis sunt homines istiusmodi, ut nos dicant ea usurpare, quæ non sunt scripta; cùm ea quæ sunt scripta, dicamus: & ipsi objiciant quod scriptum non sit? Nonne ipsi sibi adversantur, & auctoritatem calumniæ suæ derogant?

81. Dicunt etenim non esse scriptum Dei esse substantiam atque naturam; cùm utique Filium Dei Patris esse splendorem gloriæ, & characterem substantiæ ejus Scriptura testetur, Hebr. 1. 3. & multos alios de divina dixisse substantia in alio libro plenissime ostenderimus. Lib. 3. de fide, cap 4.

82. Naturam quoque divinam quis abnuat; cùm Petrus apostolus in epistola sua scripserit, id operatam Domini misericordiam per passionem crucis, ut nos, inquit, faceret divinæ consortes naturæ? Sed etiam alibi Paulus scripsit: 2. Petr. 1. 4. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii, servistis.* Gal 4. 8. Ita enim & in græcis codicibus invenimus, quorum potior auctoritas est.

83. Quid igitur agunt, qui negant naturam esse divinam, nisi ut jam non solum Filio calumnientur, sed etiam Patri? Si enim negatur naturâ Deus esse, ergo per gratiam est, ut homines: aut certe falsò creditur, ut dæmones, quorum simulacra Dei appellatione donantur. Sed Apostolicam auctoritatem sequamur, ut dicamus in simulacris naturam non esse divinam. Si ergo in simulacris non est, non est in 1. Cor. 10. dæmoniis: superest ut in Deo divina sit natura atque substantia.

84. Docuimus igitur apostolica auctoritate rectè de Deo Patre dici quod natura sit Deus; accipiant nunc quod eadem Dei Patris sit natura quæ Filii est, eadem sit & Spiritus sancti; ne forte itidem dicant: Naturam quidem legimus esse divinam, naturæ autem divinæ non legimus unitatem. Sed cùm ipse Filius dixerit: *Ego & Pater unum sumus*; unitatem divinitatis Johan. 10. 30. probavit. Cùm dixerit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt*; Johan. 16. 15 & infra: *Pater, omnia mea tua sunt, & tua mea*; Johan. 17. 10. adseruit unitatem. Cùm dixit: *Pater qui in me manet*, [b] *ipse & opera quæ ego facio, ipse facit*; [b] Johan 14. 10. unitatem evidentissime declaravit.

85. Deinde Petrus unam naturam ostendit Ibidem 10. E esse divinam: *Ut nos*, inquit, *faceret divinæ consortes naturæ.* 2 Petr. 1. 4. Potuit enim sic dicere, si aliter æstimasset; potuit, inquam, sic dicere: Ut nos faceret divinarum consortes naturarum; maxime cùm per Filium in naturæ divinæ consortium transeamus. Numquid potest donare, quod non habet? Ergo non est dubium quia de eo, quod habet, donat; & ideo habet naturam divinam, qui consortia divinæ donat naturæ.

86. Apostolus quoque Paulus dicendo: *Qui natura non sunt dii*; Galat. 4. 8 ostendit unam veri Dei esse naturam. Namque & ipse potuit dicere: Qui naturis non sunt dii, si sciret pluralitatem divinæ esse naturæ, ut alia esset in Patre, alia in Filio, alia in Spiritu sancto. Dicendo ergo: *Natura non sunt dii*; unitatem naturæ expressit divinæ.

87. Quid est autem natura Deum esse, nisi verum Deum esse? sicut ad Thessalonicenses dixit: *Quomodo conversi estis ad Deum à simulacris servire Deo vivo & vero?* 1. Thess. 1. 9. Illi enim dii esse simulantur, naturâ autem Deus vivus & verus est.

*. Hoc quoque objectum fuisse ab Apollinaristis testatur Athanasius epist. ad Epict. jam sæpius laudata.

a. Mss. aliquot, *ne prætervecti divideremus*: reliquorum autem nonnulli, ac edit. Amerb. atque Eras. *ne prætergredi videamur*: plures ac potiores, & cum his edit. Gill. & Rom. ut in contextu.

b. Rom. edit. sola, *ipse facit opera.* Et, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Nam & in ipso usu nostro est adoptivus Filius,
& verus Filius. Adoptivum Filium non dicimus
Filium esse natura: sed eum dicimus natura
esse, qui verus est Filius.

88. Ergo & naturam & substantiam esse divinam probavimus lectione: unitatem quoque non pluralitatem divinæ esse naturæ apostolica auctoritas demonstravit.

CAPUT IX.

Dum ingenitum Patrem, quod in Scriptura non legerunt hæretici, sibi concedi volunt, eos contentionis studium patefacere. Fatendum tamen id scriptum esse, sed apud Arrium, cui opponitur Apostolus. Retorquetur eorum objectio contra ipsos, & vox ingenitus *etiam creaturæ communis adseritur. Mox explicato adversariorum ratiocinio, reponit Ambrosius vocibus geniti atque ingeniti non naturam significari, sed qualitatem. Adductis exemplis hoc fuse probat, sed in eo præsertim longior est, ut ex diversis initiis eamdem substantiam exoriri posse palam faciat.*

89. NUnc illi adserant ubi ingenitum Patrem legerint. Sed si dialectico more concedi sibi id postulant, ut quod lectum non sit pro lecto usurpent; produnt se contentionis [a] studio differri, non cognitionem quærere veritatis. Namque in ipsa dialectica si non concedatur, quod concedi sibi postulant, quo aditum contentionis invenire desiderant, principium invenire nequeunt disputandi. Et hoc ibi, ubi contentio est magis de disputationis argutiis, quàm de examine veritatis. Hæc est enim dialecticorum gloria, si videantur expugnare verbis & refellere veritatem: & contra definitio fidei est, ut veritas, non verba pendantur. Denique verba philosophorum excludit simplex veritas piscatorum.

90. Quæ igitur ista adsertio est, ubi si non donavero eis verbum ingeniti, adsertionis principium invenire non possunt? Ubi ergo legerint, demonstrent.

91. Exciderat animo: nunc redeo in memoriam. Lectum est, inquiunt; nam Arrius dixit ingenitum Patrem, & genitum & creatum Filium. En quo auctore contra apostolica scripta contendant: contendant tamen, si modo se Arrii discipulos esse fateantur. Nam quomodo negant magistrum, cujus inventum sequuntur?

b Ephes. 3. 14.

92. Sed si illi [b] hoc dicunt, quod Arrius: justius ego debeo dicere, quod Apostolus dixit. Patrem enim dixit, non ingenitum nominavit: Filium dixit, & genitum Filium dixit. Quod legi, non nego; immo libenter usurpo: quod non legi, usurpare non debeo. Sed tamen, quod in dialectica non faceremus, usurpent; si non & forte dicant quia genitum non legimus Patrem sicut Filium, ideo ingenitum æstimare debemus.

93. Intelligitur hoc, ergo non legitur. Sed si intelligitur, nec Spiritum sanctum genitum

A legi: ergo & Spiritus, quia genitus non est, ingenitus utique secundum vestram sententiam nominandus est. Si igitur ingenitum dicitis & genitum non posse unius esse substantiæ; superest ut de Patre & Spiritu sancto, quia nec Patrem genitum legimus, nec Spiritum sanctum, unitatem divinæ naturæ & substantiæ non negetis. Si enim in eo est vis omnis vestræ disputationis, quod ingenitus & genitus non possunt esse unius naturæ: ergo qui non est genitus,

B cum eo qui non sit genitus, unius naturæ atque substantiæ est. Et si ideo putatis Patrem majorem esse, quia genitus non est; numquid & Spiritus sanctus major est Filio?

94. Multa possunt & innumera exempla suppetere, ut de eo quod genitum non sit, dicatur ingenitum. Nam & mundum * plerique ingenitum esse dixerunt, & materiam rerum omnium, quam Græci hylen dicunt, quasi sylvam materialem, ingenitam esse memorarunt. Vi-

C dent igitur in hoc verbo prærogativam quamdam potestatis esse non posse, nisi forte hoc verbo sibi honorare Deum videntur, quo philosophi mundum putaverunt esse donandum. Numquid ergo sic ingenitus Pater, sicut mundus? Absit. Aut hic solus Deum decet sermo, cùm Deus ultra sermonum omnium sit ambitum. Nihil igitur pretiosum Deo in eo sermone, qui communis possit esse cum ceteris.

95. Sed tamen quemadmodum vultis, inæsti-

D mabilis sit hujus prærogativa sermonis, quæ non auctoritate aliqua designatur, sed vestro æstimatur arbitrio. Quo igitur hoc proficit, ut ex verbo velitis facere inter Patrem & Filium distantiam naturæ, distantiam potestatis? Ingenitus, inquit, & genitus non possunt unius esse naturæ atque substantiæ; aut, quemadmodum interdum dicunt, inoperatus & factus non sunt unius naturæ. Neque enim discretionem faciunt ingeniti & inoperati, neque distantiam

E volunt esse inter genitum vel creatum, modo ut creaturam Filium dicant.

96. Dicunt ergo quia Pater omnem causam, hoc est αἰτίαν, sicut Græci dicunt, supergressus, cùm ex alio creatus non sit, non sit filius; cùm utique substantia sit, non aliunde principium habens vel causam, ex qua sit: & ideo, inquiunt, alia talis substantia esse non potest, quia omnia ex Patre Deo habent subsistendi causam. Unde non esse verisimile dicunt, ut

F Filius quia ex Patre est, & ex se causam non habeat ut sit, sed ex Patre, similis sit Patri: cùm Pater ex alio causam non habeat, Filius autem, ut ipsi allegant, esse non potuerit, nisi hoc ipsum ex Patre ut esset, acceperit.

97. Ideoque ingenitum & genitum dicunt esse dissimilem; quasi vero, quod alibi sæpe jam dixi, generatio potestatis sit, non naturæ. Cùm enim dico genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis expressi; & hoc exemplis evidentioribus approbabo. Nam si generaliter dicam Filium, nec

a. Mss. non pauci, *studio defendere*: alii non pauciores, *studio deferre*; haud male, si modo *deferre* accipiatur pro *cedere* vel *obsequi*: aliquot alii & edit. Rom. *studia adferre*. Planus quidem sensus; at cùm legatur in mss. longe plurimis, & antiq. edit. *studio differre*, vitium emendavimus è cod. Remig. reponentes *studio differri*, hoc est, affectu distrahi, jactari & agitari.

b. Tres mss. *hoc dicunt, quod Arrius justius senserit: ego debeo.* Id autem hic obiter adjiciemus, Ambrosium quæ de vocabulo *ingenitus* disputat, imitatum videri ex Basilii *Orat. 2. Cont. Arrianos.*

*. Quinam hoc docuerint, cognosces ex initio lib. 1. Hexaem.

addam cujus, potest intelligi & filius hominis, A & filius iniquitatis, & filius pestilentiæ, & filius diaboli, sicut de Judæis Scriptura testatur: *Johan. 8. 44.* & quod in usu est, & fœtus pecudis, & pulli columbarum. Et ideo in appellatione filiorum non est expressio significata naturæ. At vero si naturam designare desidero, aut hominem nuncupabo, aut equum nominabo, aut avem dicam, ut natura possit intelligi.

98. Ita ergo si naturam cupio designare divi- B nam, Deum verum debeo nominare. Cùm autem Filium dico, generatum significo: cùm Patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cùm sit hoc significatorium generantis & geniti: significatoria autem hujusmodi exprimunt substantiæ qualitatem; multi enim, ut dixi, filii, sed diversitas filiorum: alius per naturam, alius per gratiam.

99. Multæ creaturæ invisibiles & visibiles: C invisibiles, ut Principatus & Potestates, Throni & Dominationes: visibiles, ut sol, luna, stellæ, homo, terra. Ergo diversæ species, & diversæ creaturarum substantiæ sunt. Itaque si velis proprietatem creaturæ alicujus exprimere, aut solem, aut lunam nominabis, aut stellas: & sic intelligitur quid sit, quod significandum putaveris.

100. Ceterum si factum dicas aut creatum, quod interdum Filium dicunt; quia multa facta D & creata sunt, non proprietatem substantiæ videris significasse, sed speciem qualitatis. Aliud enim substantia, aliud qualitas est. Denique * diximus & alibi, οὐσίας ita interpretatos Latinos, ut substantiam dicerent. οὐσία autem Dei cùm dicitur, quid aliud significatur, nisi Deum semper esse? Quod litteræ ipsæ exprimunt, quoniam vis divina οὖσα ἀεὶ, hoc est, cùm sit semper, οὐσία dicitur, unius litteræ mutato ordine propter sonum & compendium decorem- E que sermonis. Ergo οὐσία, quod semper sit Deus, significat: ingeniti autem, ut tu vis, vel geniti appellatio [a] quomodo sit, declarat, hoc est, quod non ex alio sit Pater, nec ex se Filius. Species hîc videtur esse diversa. Species utique distincta, sed indistincta divinitas.

101. Quæris quomodo hoc probari possit? Etiam in creaturis ostendam * diversam speciem, diversa initia in plerisque, & unam esse substantiam, & de Scripturis exempla profe- F ram. Itaque si in his quæ mortalia sunt, hoc potest convenire; quemadmodum Patris & Filii & Spiritus divinitati legem cujusdam necessitatis imponunt?

102. Omnia nempe volatilia quæ ejusdem generis videntur, ejusdem utique & naturæ sunt, ut aquilarum unum genus & una natura est, vulturum similiter, & ceterorum secundùm genus suum volatilium. Quemadmodum autem cœperint esse volatilia, tres species reperimus, & ortus eorum causas legimus esse diversas. Scriptum est enim dixisse Deum: *Producant aquæ repentia animarum viventium, & volatilia volantium.* *Gen. 1. 20.* Et paulo post, cùm paradisum fecisset Deus, & posuisset in eo hominem, scriptum est, quia figuravit Deus de terra bestias agri, & volatilia cæli. *Ibid. 2. 19.* Significantur ergo volatilia hoc loco figurata de terra. Supra quoque legisti quia dixit Deus avibus: *Crescite & multiplicamini;* *Ibid. 1. 22.* utique ex coitu maris & feminæ generationis incrementa præcipiens. Itaque B advertimus etiam quæ unius generis sunt, diverso modo esse cœpisse: alia de aquis, alia de terra, alia de maris & feminæ generatione; & unius tamen hæc esse naturæ, dissimilitudinemque substantiæ non habere.

103. Quid vero tam unius naturæ, quàm caro nostra cum Dominici corporis veritate? Diversis tamen utraque ducta causis, diversis orta principiis est. Caro enim Domini Spiritu *Luc. 1. 35.* C in Virginem superveniente generata, non exspectavit virilis feminеique coitus solemne commercium: caro vero nostra, nisi virilis juxta femineusque sexus genitalia sulcis naturalibus obducat semina, intra viscera nescit materna formari; & tamen cùm generationis fuerit causa diversa, carnis tamen in Christo cum hominibus omnibus una natura est.

104. Partus enim Virginis non naturam mutavit, sed generandi usum novavit. Denique D caro de carne nata est. Habuit ergo de suo Virgo, quod traderet; non enim alienum dedit mater, sed proprium è visceribus suis contulit inusitato modo, sed usitato munere. Habuit igitur carnem Virgo, quam naturæ solemnis jure transcripsit in fœtum. Eadem igitur secundum carnem generantis Mariæ, genitique natura, nec dissimilis fratribus; quia dicit Scriptura, ut per omnia similis fratribus fieret. *Heb. 2. 17.* Similis utique Dei Filius nostri non secundum E divinitatis plenitudinem, sed secundum animæ rationabilis, & ut expressius dicamus, humani nostrique corporis veritatem.

105. Quid autem de ipso loquamur Adam, *Gen. 2. 17.* qui cùm sit formatus è limo terræ, generavit utique filios suæ consortes naturæ, participes generis, successionis heredes? Diversa quidem in filiis & parente principia, sed humanæ conditionis una natura; nec tamen dissimilitudo ortus similitudini substantiæ præjudicavit. Si- F milis ergo filius patri etiam in his, quæ propter humanæ conditionis fragilitatem similitudinis plenitudinem habere non possent: quomodo ergo Dei Patris dissimilis Filius verus?

---

*. Ex iis quæ dicuntur hoc loco de voce οὐσία, manifestum est nos ab Ambrosio non remitti ad aliud Opus, quam ad lib. 3. *de Fide*, cap. 15. num. 127. ubi & Dallæum ob ejusdem vocis etymologiam cum sancto Doctore asperius egisse ostendimus.

a. Edit. *quid sit declarat*: mss. *quomodo sit declarat*, id est, non substantiam, sed modum significat. Optime sane; hoc enim petitum est, ex illis Basilii verbis lib. 4. *Cont. Eunom.* ὑπάρχει πρῶτα τὸ ἀγέννητον, ἢ τὴν οὐσίαν εἶναι. Adverte autem paucis post verbis vocem *species* positam pro individuo, quod insolens non esse apud Ambrosium alibi observatum à nobis reperies.

*. Hoc argumentum tractatum occurrit non modo in lib. 4. Basilii *Cont. Eunom.* cap. 2. verumetiam in lib. Athanasii *de Decr. Nicena Synodi*, in lib. 2. Gregorii Nyss. *advers. Eunom.* & apud alios

CAPUT X.

A superioribus eos non discrepare, qui Filium Patri similem agnoscentes, ejusdem substantiæ inficiantur. Non enim posse inter eos accidentalem aut partialem intercedere similitudinem; cùm hujusmodi similitudines puris hominibus cum Deo tribuantur, at Filio cum Patre naturæ sit similitudo, cujus & perfecta imago est. Nihil ergo vocem ingenitum *catholicis obstare, sed hæreticorum prodere perfidiam; quippe qui dum vocem in Scriptura ignotam usurpabant, omnipotentiam quæ illis personis ibi tribuitur, negabant.*

106. SEd plerique eamdem sectam sequentes, disputationis genere discordare se putant ab his, qui dissimilem Patri per omnia Filium dicunt. Ideo horum quoque qui similem dicunt Filium, sed non unius substantiæ cum Patre, ineptias discutiamus.

107. Sed quæ non unius naturæ sunt, diversæ sunt utique atque distantis: & quæ distantis naturæ, consequens est ut similia esse non possint; nisi forte secundum speciem similia dicas, dissimilia secundum veritatem. Nam & lactis & nivis & cygni albentis concolor species est, sed discrepantiam servat distantis naturæ; nec differentia naturarum specierum similitudine coloratur.

108. Quomodo ergo isti similem dicunt Patrem & Filium, qui unitatem substantiæ negant? An secundum formam & figuram & colorem similem putant? Sed hæc corporis sunt, hæc compositionem quamdam indicant. Quomodo autem [a] invisibili similitudinem secundum colorem aptamus aut formam? Aut quomodo creatura potest esse similis increato? Quomodo splendor gloriæ, & character substantiæ ejus; si diversa gloria, ut illi dicunt, diversa substantia est. — *Hebr. 1. 3.*

109. Secundum gloriam, inquiunt, & operationem similis est, & propterea imago Dei dicitur Filius. Ergo si per aliqua, non per omnia similis, pro parte similis, pro parte dissimilis. Huic autem propositioni consequens est, ut si ex parte similis, non in toto est, pro parte sit Dei imago composita: ac per hoc sequitur, ut & ipse compositus videatur, cujus sit imago composita. Composita autem si ex parte similitudinem servet, imago ejus ex parte similis esse non possit.

110. Sed qui similem secundum unitatem naturæ negant, similem ceteris arbitrantur. Solent enim dicere: Cur putatis quia multum dedit Scriptura Filio, quia imaginem dixit, cùm ipse Deus dixerit hominibus: *Estote sancti, quoniam & ego sanctus sum?* Et Filius dixerit: *Estote perfecti, sicut & Pater vester qui in cælis est, perfectus est?* Nec intelligunt eo ipso adstrui quia non secundum partem, sed secundum plenitudinem divinitatis & perfectionem similis sit Filius Patri. Denique si multi similes, cur solus Filius imago invisibilis Dei dicitur, & character substantiæ ejus, nisi [b] quia in eo naturæ ejusdem unitas, & ejus majestatis expressio est? — *Levit. 19. 2.* — *Matth. 5. 48.*

111. Alia enim secundum imitationem similitudo, alia secundum naturam: quod propositorum exemplorum etiam verba indicant; dicit enim Scriptura: *Estote sancti*; ut id fiant per imitationem. Hominibus ergo dicitur: *Estote*, quia non sunt: de se autem dicit Deus, *quia sanctus sum*; non utique proficiente processu, sed manente natura. Deinde ait Sapientia: *Estote perfecti*; ut incipiant habere, quod non habent. De Patre autem dicit: *Sicut Pater vester, qui in cælis est, perfectus est.* Est ergo perfectus Pater, qui semper est. Ideo ejus vel οὐσία græce, quod sit semper; vel latine, quod in suo maneat, nec ope subsistat aliena, appellatur substantia.

112. Sanctus ergo Pater, & perfectus Pater; sanctus etiam & perfectus Filius, quasi imago Dei. Imago autem Dei, quia omnia quæ sunt Dei, videntur in Filio, id est, sempiterna divinitas, omnipotentia atque majestas. Talis ergo qualis est Deus; sua videtur in imagine. Unde oportet ut imaginem ejus talem credas, qualis est Deus. Nam si imagini detrahas, & utique ei, cujus imago est, videbitur esse detractum: si minorem imaginem credas, minor Deus apparebit in imagine. Qualem enim æstimaveris imaginem, talis tibi videbitur is, cujus invisibilis est imago. Dixit imago: *Qui me videt, videt & Patrem.* Et qualem æstimaveris eum, cujus imaginem esse Filium credis; talis tibi necessario Filius æstimandus est. Unde quia increatus Pater, increatus & Filius; quia non minor Pater, non minor Filius; quia omnipotens Pater, omnipotens Filius. — *Johan. 14. 9.*

113. Dictum est igitur, etiamsi usurpent quod non legunt, ut ingenitum dicant; eo verbo tamen nihil impediri quominus unius naturæ atque substantiæ Christum cum Patre esse credamus. Quod si unius naturæ, utique unius potentiæ.

114. Qui quidem locus haud difficilior est ad refellenda studia perfidorum. Quomodo enim negant omnipotentem Christum, quod scriptum est, qui volunt usurpare, quod non docent scriptum? Omnipotentem etenim Christum supra docuimus, & in Johannis evangelistæ Apocalypsi, & in Zachariæ prophetia, & in Evangelio significatum. Quæ si quis recensenda putat, superiora revolvat & repetat. — *Lib. 1. de fide c. 5.*

115. Tamen quod ibi propter congestionem testimoniorum pene præterii, dicant de quo putent dictum, quod Amos prophetavit; sic enim scriptum est: *Dominus qui adtigit terram*, — *Amos 9. 5. & 6.*

a. Ita edit. omnes; exceptis ultimis duabus Parif. ubi legimus *in invisibili*; . . . *aptamus*, novissima *optamus*. Cum hac mss. prope ad unum consentiunt, nisi quod particulam *in* prætermittunt, potior tamen est communis, quæ nostra etiam est, lectio.

b. Mss. tres, *in eo natura ejusdem unitatis*, *& ejusdem* &c. duo, *in ejus natura ejusdem unitatis* &c. Reliqui vero & omnes edit. ut nos in textu.

*. Hactenus disputavit Ambrosius contra puros ac rigidos Arianos, quales erant Aetiani, Eunomiani, & Anomœi, quos omnes communi nomine Troglitas seu Troglodytas, quod in speluncis conventus ac synaxes suas haberent, vocari solitos ex Theodoreti lib. 4. *Hæret. Fabul.* cap. 3. intelligimus: jam vero ad remissiores accedit, eos nimirum à quibus dictio ὁμοούσιος, quæ in Nicæna Synodo instituta est, rejiciebatur; ut ei substitueretur vox ὁμοιούσιος. Hos Epiphanius Hæres. 73. Semiarrianos appellat, sicut & Augustinus de Hæres. cap. 58. Quod vero ad divisionem Arianorum in plures rivos, illam jam perstrinxerat Ambrosius lib. 1. *de Fide* cap. 6. num. 45.

& movet eam, & lugebunt omnes commorantes in ea. Et [a] *adscendet sicut flumen Ægypti, quia ædificat super cælum adscensionem suam, & repromissionem suam super terram confirmat: qui advocat aquam maris, & effundit eam super faciem terræ, Dominus omnipotens nomen est ei.* Nonne hæc omnia in Filium intelligunt convenire, qui terram descendens tetigit, in passione commovit, de terris adscendit in cælum, & super terram descendit è cælo, sicut ipse promiserat?

115. Sed quid de Filio laboro, cùm etiam Spiritum omnipotentem Scriptura testetur? Scrip- A tum est enim: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Psal. 32. 6. Et de Sapientia scriptum est quia habeat in se omnipotentem Spiritum; dicit enim Salomon: *Quia omnium artifex docuit me Sapientia.* Sap. 7. 22. Est enim in ea Spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, [b] subtilis, bene mobilis, disertus, immaculatus, manifestus, inviolabilis, bonum amans, acutus, providens, possibilis, munificus, benignus, stabilis, integer, sine sollicitudine, B qui omnia potest, omnia spectans, & per omnia penetrans spirituum intelligibilium.

a Rom edit sola, *Et adscendet sicut flumen consummatio ejus, & descendet sicut flumen Ægypti. Quia ædificat* &c.

b Vet. edit. ac mss. non pauci, *subtilis, bonus, mobilis*: Rom. & mss. ceteri, *subtilis, bene mobilis.* Rursus vero ubi omnes edit & mss. longe plurimi, *acutus, providens, possibilis*, nonnulli mss. *acutus, impassibilis.* Denique pro, *spirituum invisibilium*, quod est in cunctis edit. & majori numero mss. legitur in quibusdam, *spiritus invisibilium.*

FRAGMENTUM AMBROSIANUM
EX THEODORETO DESUMTUM,
POLYMORPHI DIALOGO II.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΑΜΒΡΟΣΙΟΥ Ἐπισκόπου Μεδιολάνου ἐν ἐκθέσει πίστεως.

Ὁμολογοῦμεν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, πρὸ πάντων μὲν τῶν αἰώνων ἀνάρχως ἐκ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα: ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας τὸν αὐτὸν σαρκωθέντα, καὶ τέλειον τὸν ἄνθρωπον ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος ἀνειληφότα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Δύο γὰρ φύσεων τελείων ἕνωσις γεγένηται ἀφράστως. Διὸ ἕνα Χριστὸν, ἕνα υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καθομολογοῦμεν, εἰδότες ὅτι ὁ συναΐδιος ὑπάρχων τῷ ἑαυτοῦ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καθ' ἣν καὶ πάντων ὑπάρχει δημιουργὸς, ἠξίωσε μετὰ τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας Παρθένου, ἡνίκα εἴρηκε πρὸς τὸν Ἄγγελον: Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου, ἀπορρήτως ἑαυτῷ ἐξ αὐτῆς οἰκοδομῆσαι ναὸν, καὶ τοῦτον ἑνῶσαι ἑαυτῷ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως, οὐ συναΐδιον ἐκ τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας οὐρανόθεν ἐπιφερόμενον σῶμα, ἀλλ' ἐκ τοῦ φυράματος τῆς ἡμετέρας οὐσίας, τουτέστιν ἐκ τῆς Παρθένου, τοῦτο εἰληφὼς καὶ ἑαυτῷ ἑνώσας.

Οὐκ ὁ Θεὸς Λόγος εἰς σάρκα τραπεὶς, οὔτε μὴν φάντασμα φανεὶς: ἀλλ' ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως τὴν ἑαυτοῦ διατηρῶν οὐσίαν, τὴν ἀπαρχὴν τῆς φύσεως τῆς ἡμετέρας εἰληφὼς, ἑαυτῷ ἥνωσεν. Οὐκ ἀρχὴν ὁ Θεὸς Λόγος ἐκ τῆς Παρθένου εἰληφὼς, ἀλλὰ συναΐδιος τῷ ἑαυτοῦ πατρὶ ὑπάρχων, τὴν τῆς φύσεως τῆς ἡμετέρας ἀπαρχὴν ἑαυτῷ διὰ πολλὴν ἀγαθότητα ἑνῶσαι κατηξίωσεν, οὐ κραθεὶς, ἀλλ' ἐν ἑκατέραις ταῖς οὐσίαις εἷς καὶ ὁ αὐτὸς φανεὶς, κατὰ τὸ γεγραμμένον: Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. Λύεται γὰρ ὁ Χριστὸς Θεὸς κατὰ τὴν ἐμὴν οὐσίαν ἣν ἀνέλαβε, καὶ λε-

A *SANCTI AMBROSII EPISCOPI Mediolanensis in Expositione fidei.*

Confitemur dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, ante omnia sæcula sine principio ex Patre genitum secundum divinitatem: in novissimis vero diebus ex sancta virgine Maria eumdem incarnatum esse, perfectumque B hominem ex anima rationali & corpore adsumsisse, consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem. Duarum enim perfectarum naturarum unio facta est ineffabiliter. Ideo unum Christum, unum filium dominum nostrum Jesum Christum filium Dei confitemur, scientes quod Patri suo secundum divinitatem coæternus existens, secundum quam omnium etiam est conditor, dignatus est, C post sanctæ Virginis adsensum, quando dixit Angelo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* Luc. 1. 38. ineffabiliter sibi ex ea templum ædificare, & hoc sibi ab ipsa conceptione unire, non coæternum ex sua substantia cælitus delatum corpus, sed ex substantiæ nostræ massa, hoc est, ex Virgine id assumens, & sibi ipsi uniens.

Non in carnem mutatus Deus Verbum, D neque ut spectrum apparens, sed sine mutatione & alteratione suam conservans substantiam, adsumtas naturæ nostræ primitias sibi uniit. Non principium sumens Deus Verbum ex Virgine, sed Patri suo coæternus existens, naturæ nostræ primitias per immensam bonitatem sibi unire dignatus est, non commixtus, sed in utraque substantia unus & idem apparens, sicut scriptum est: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joan. 2. 19. Solvitur enim Christus Deus secundum meam substantiam, quam adsumsit: & solutum templum idem excitat se-

λυμένον ἐγείρει τὸν ναὸν ὁ αὐτὸς κατὰ τὴν θείαν οὐσίαν, καθ' ἣν καὶ πάντων ὑπάρχει δημιουργός.

Οὐδέποτε μετὰ τὴν ἕνωσιν, ἣν ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑαυτῷ ἑνῶσαι κατηξίωσεν, ἢ ἀποστὰς τοῦ οἰκείου ναοῦ, ἢ ἀποστῆναι διὰ τὴν ἄφατον φιλανθρωπίαν δυνάμενος· ἀλλ' ἔστιν ὁ αὐτὸς παθητὸς, καὶ ἀπαθής· παθητὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἀπαθὴς κατὰ τὴν θεότητα. Ἴδετε γὰρ, ἴδετέ με, ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ οὐκ ἠλλοίωμαι. Ἐγείρας τοιγαροῦν τὸν ἑαυτοῦ ναὸν ὁ Θεὸς Λόγος, καὶ ἐν αὐτῷ τῆς φύσεως ἡμῶν ἀνάστασιν καὶ ἀνανέωσιν ἐργασάμενος, καὶ ταύτην τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς δείξας, ἔλεγε: Ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε, οὐκ ὄντα, ἀλλ' ἔχοντα. ἵνα καὶ τὸν ἔχοντα, καὶ τὸν ἐχόμενον κατανοήσας, οὐ κρᾶσιν, οὐ τροπὴν, οὐκ ἀλλοίωσιν· ἀλλ' ἕνωσιν γεγενημένην ἐπίδοις.

Διὰ τοῦτο καὶ τοὺς τύπους τῶν ἥλων, καὶ τῆς λόγχης τὴν νύξιν ἐπέδειξε, καὶ ἔμπροσθεν τῶν μαθητῶν ἔφαγεν, ἵνα διὰ πάντων τὴν ἀνάστασιν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐν αὐτῷ ἀνανεωθεῖσαν πιστώσηται αὐτούς. Καὶ ὅτι κατὰ τὴν μακαρίαν τῆς θεότητος οὐσίαν ἄτρεπτος, ἀναλλοίωτος, ἀπαθὴς, ἀθάνατος, ἀνενδεὴς διατελῶν, πάντα τὰ πάθη εἴασε κατὰ συγχώρησιν τῷ οἰκείῳ ἐπενεχθῆναι ναῷ, καὶ τοῦτον τῇ οἰκείᾳ ἀνέστησε δυνάμει, διά τε τοῦ οἰκείου ναοῦ, τελείαν τὴν ἀνανέωσιν τῆς ἡμετέρας ἐξειργάσατο φύσεως.

Τοὺς δὲ λέγοντας ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, ἢ παθητὸν τὸν Θεὸν Λόγον, ἢ εἰς σάρκα τραπέντα, ἢ συνουσιωμένον ἐσχηκέναι τὸ σῶμα, ἢ οὐρανόθεν τοῦτο κεκομικέναι, ἢ φάντασμα εἶναι, ἢ θνητὸν λέγοντας τὸν Θεὸν Λόγον δεδεῆσθαι τῆς παρὰ τοῦ Πατρὸς ἀναστάσεως, ἢ ἄψυχον τὸ σῶμα ἀνειληφέναι, ἢ ἄνουν ἄνθρωπον, ἢ τὰς δύο φύσεις τοῦ Χριστοῦ κατὰ ἀνάκρασιν συγχυθείσας μίαν γεγενῆσθαι φύσιν: καὶ μὴ ὁμολογοῦντας εἰς κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν δύο φύσεις εἶναι ἀσυγχύτους, ἓν δὲ πρόσωπον, καθὸ εἷς Χριστὸς, εἷς υἱὸς, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία.

A cundum divinam substantiam, secundum quam & omnium est conditor.

Numquam post unionem, quam sibi ex ipsa conceptione unire dignatus est, vel à suo templo recedens, vel propter ineffabilem benignitatem valens recedere. Sed idem est patibilis & impatibilis; patibilis secundum humanitatem, impatibilis secundum divinitatem. *Videte enim, videte me, quia ego sum, & non mutor.* (Malach. 3. 6.) Resuscitato igitur templo suo Deus Verbum, & in ipso naturæ nostræ resurrectione ac renovatione perfecta, hanc discipulis suis ostendens B dicebat: *Palpate me, & videte, quod spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me*, (Luc. 24. 39.) non esse, sed *habere*; ut habentem & id quod habetur considerans, non mixtionem, non conversionem, nec alterationem, sed unionem factam intelligas.

Ideo & fixuras clavorum & lanceæ ictum demonstravit, & coram discipulis comedit; ut omni ratione naturæ nostræ resurrectionem in se renovatam persuaderet. C Et cùm secundum beatam divinitatis substantiam mutationis & alterationis expers, impatibilis, immortalis, nulla re indigens esset, passiones omnes templo suo inferri permisit, & hoc propria potentia excitavit, & per templum suum perfectam naturæ nostræ renovationem effecit.

Eos vero qui dicunt nudum hominem esse Christum, D vel passioni obnoxium Deum Verbum, aut in carnem conversum, vel consubstantiatum corpus habuisse, vel de cælo id detulisse, aut phantasma esse: vel qui mortalem dicunt Deum Verbum opus habuisse, ut à Patre suscitaretur, vel inanimatum corpus sumsisse, vel sine mente hominem, vel duas Christi naturas per commixtionem confusas unam naturam factas esse: & qui non confitentur in domino nostro Jesu Christo duas esse naturas incon- E fusas, unam autem personam, quatenus unus est Christus, unus Filius, eos anathematizat catholica & apostolica Ecclesia.

Etsi hoc in fragmento tam aperta legantur contra hæreses Nestorii atque Eutychetis, ut illud auctoris esse Ephesino & Chalcedonensi Concilio posterioris quispiam non sine veritatis specie sibi persuadeat; cùm tamen apud Theodoretum loco citato integrum, & apud Leonem Byzantinum lib. 1. adversus memoratos hæreticos pars ultima ejusdem fragmenti, ab his scilicet verbis, Eos vero qui dicunt &c. *exaretur, ipsum ex aliqua Ambrosii commentatione quam invidia temporis interceperit, excerptum libentiori animo existimamus. Itaque propter illius cum libris* de Fide, *ac potissimum* de Incarn. Dom. Sacramento *affinitatem rati nusquam melius quam hoc loco exhiberi posse, hic idem illud Theodoreti verbis cum versione sua ex ultima edit. Paris. repræsentamus.*

IN EPISTOLAS SANCTI AMBROSII
NOVO ORDINE DISTRIBUTAS.
ADMONITIO.

Omnes quidem scriptores cum in universis suis operibus, tum vel maxime in epistolis effigiem sui consignare extra dubium est: præ ceteris vero sanctum Ambrosium & passim in omnibus suis lucubrationibus quosdam quasi ductus ac characteres virtutum suarum appinxisse, & potissimum in hoc epistolarum syntagmate expressam spirantemque sui imaginem reliquisse negabit nemo. Etenim hoc in Opere, nam de aliis interim hic silebimus, emicant suis quæque locis egregiæ illæ virtutes, quibus, ut absolutum episcoporum exemplar Ambrosius habeatur, effectum est. Quanto amore ad propugnandam christianæ religionis dignitatem impelleretur, oblati Valentiniano libelli seu epistolæ testificantur. Quanto ardore flagraret defendendi catholici dogmatis, ac sanguinis pro illius integritate profundendi, quæ in causa basilicarum scripsit, patefaciunt. Alibi miramur ejus in condonandis injuriis, beneficiisque in sibi inimicissimos conferendis magnanimitatem: alibi ejus adversus imperatores atque tyrannos constantiam obstupescimus. Occurrunt epistolæ in quibus pastoralis ejus sollicitudo, quæ non solum diœcesim Mediolanensem, sed & alias quoque licet dissitas complectebatur, elucet: sunt aliæ, in quibus erumpit doctrina ejus, prudentia, sanctitas, & ab omnis avaritiæ sordibus abalienatio; quibus dotibus adducti eum tamquam commune sæculi sui oraculum, diaconi, presbyteri, atque episcopi consulebant: ac non modo privati, verum etiam principes viri gravissima negotia ejus fidei committebant atque solertiæ. Postremo in his epistolis ubique sancti Præsulis pietas, caritas, misericordia, modestia, æquitas, atque indefessa in vigiliis piisque laboribus perseverantia non sine admiratione conspicitur; ut non levem ac monogrammam Ambrosii picturam, sed effictum & solidum signum, immo vero Ambrosium ipsum redivivum cernere videamur.

Persuasum omnino habemus ex pulcherrimis his epistolis ad lectorem redire magnam utilitatem, utque reddatur eadem uberior, non solum illustrationi locorum, quos vindice indigere duximus, verum etiam novæ totius operis distributioni operam impendimus. Sane perquam optatum nobis fuisset ab alterutro vulgatorum ordinum non discedere, certis nimirum in eo genere nihil mutari sine aliquo eorum incommodo, qui varia testimonia inde ab auctoribus, sive indicata, sive citata in propriis inspicere fontibus volunt: attamen tanta utriusque perturbatio est, tanta confusio, ut alium quempiam excogitare nobis plane fuerit necessarium. Enim vero antiquiores editiones præterquam quod plurimis epistolis carent, quas addiderunt Romani editores, eam exhibent epistolarum seriem, quæ neque ad temporis, neque ad materiæ rationem adaptetur. Editio Romana, dum huic malo mederi tentat, omnia magis confudit. Nam & epistolas complures è natali solo, sit verbo venia, per vim avulsas in alienum transtulit: nec ullam distinguendorum temporum curam, quam profecto maximam esse oportebat, adhibuit; ut interim hîc sileamus quam parum feliciter in materia digerenda illi cecidit, non raro distractis quæ conjungendæ fuerant epistolis, & quæ distrahendæ fuerant, conjunctis. Sed nec perfugium nobis erat ad manuscriptos; illi enim præter vitia, quibus laborare diximus editiones, cum ab utroque earumdem editionum ordine haud parum dissident, licet minus ab antiquarum, tum ita discrepant ipsi inter se, ut epistola quæ XXX est in codice Thuaneo, LXIX sit in Longipontino: quæ in Longipontino, XXXVI hæc ipsa in Thuaneo XLVIII collocetur; & in aliis multis eodem modo.

Quamobrem ut coacti hanc tantam confusionem digereremus, nihil commodius nobis visum est, quam ut omnes illas epistolas, quarum ætatis notam aliquam licuit deprehendere, secundum temporum rationem, quam novimus potissimum probari ab eruditis, distribueremus. Inde classis exsurgunt duæ, sed quarum prior posteriorem longe superat. Ut vero intelligant lectores quidnam in adsignando singulis epistolis loco suo atque numero sequuti simus, argumenta, quibus ipsarum probatur ætas, breviter & continenti serie proponemus. Potuissent quidem & aliæ quædam epistolæ accedere primo huic ordini, si ad statuendum ipsarum tempus earumdem cum aliis nonnullis aut styli aut materiæ affinitatem sufficere judicassemus: at firmamenta istiusmodi debiliora nobis videntur, quam ut his solis tuto nos niti posse credamus. Quod vero ad posteriorem classem, hoc modo eam duximus instituendam; ut epistolæ, quæ pertinent ad exponendos sacros codices, in fronte locarentur: sequerentur, quæ in gravi ac religioso quopiam versantur argumento: ac demum aliquot epistolia, quæ ad neutram partem referri satis apte concinneque poterant, agmen clauderent.

Jam monuimus non paucas epistolas, quæ in antiquis editionibus non habebantur, in Romana vulgatas esse; nihilo tamen minus certum nobis est multo adhuc plures intercidisse, aut saltem in aliquo ignotæ bibliothecæ angulo luctari cum tineis. Etenim ut maxime certum est non pauca ab Ambrosio [a] ad Satyrum fratrem aliosve nonnullos ex amicissimis datas fuisse; ita similiter ex iis quæ restant, cognoscere est alias plures quas ad Marcellinam sororem, ad Theodosium imperatorem, ad Eugenium tyrannum, ad Alypium, ad Phœbadium atque Delphinum scripserat sanctus Præsul, desiderari. Has ut è tenebris erueremus, cùm adhibitâ curâ, qua majorem non potuimus, nihil hac parte profecissemus; quod unum fuit reliqui, sedulo in residuis, quas omnium à sancto Præsule scriptarum pulcherrimas esse arbitramur, ornandis incubuimus. Itaque præter illa quæ jam supra memoravimus à nobis fuisse præstita, magnum numerum manuscriptorum, è quibus plerique antiquissimam optimamque manum præferunt, ad earum emendationem adhibuimus. Ad hæc spurias aliquot à reliquis segregavimus, cujus rei, ne hoc temere à nobis factum quis existimet, ratio reddetur suis locis. Denique ut pro virili eorum quibus citata ex aliis editionibus in nostra consulere opus fuerit, laborem relevemus; triplicem catalogum secundum tres ordines omnium editionum inter se comparatos subjici curavimus, quartumque adjunximus alphabeticum, quorum ope omnis salebra complanabitur ac difficultas. Sed prius chronologia primæ nostræ classis est demonstranda.

[a] *Lib. de Excessu Satyri.*

ORDO

ORDO EPISTOLARUM SECUNDUM
TEMPORUM RATIONEM DISTRIBUTARUM ADSERITUR.

Annus 379. PRima epistola respondet Gratiano imperatori, cujus litteræ etiam præmittuntur. In ipsa excusat Ambrosius quod eidem principi ex oriente reverténti non occurrerit. Cùm autem hic Gratiani reditus intelligi commodius non possit quam de illo ipso, quo is post victum à Gothis atque in tuguriolo agresti III. Kal. Sept. ann. 378. ambustum Valentem patruum, cui suppetias iverat, sequenti anno in occidentem regressus est, non immerito huic epistolæ annum 379. adtribuimus.

II. quæ Constantio novo episcopo muneris sui officiis instituendo destinata est, ipsi quoque Immolensem commendat Ecclesiam, utque ab Arrianis ab Illyria venientibus caveat, monet. Quod quidem cùm de incursionibus Gothorum exstincto, ut jam dictum est, Valente provincias illas populantium intelligatur, cúmque dierum ingruentium quadragesimæ mentionem faciat; hinc colligimus eamdem epistolam sub quadragesimam anni 379. scriptam fuisse.

Annus 380. III. & IV. Felici inscribuntur. Harum ætatem inde colligas, quod posterior, cui priorem non multis diebus præmissam constat, Comensem illum episcopum invitet ad dedicationem basilicæ à Bassiano Laudensi episcopo constructæ, cujus consecrationem anno 380. factam fuisse tradit Ughellus tomo 2. *Ital. sacræ.* Si porro isthæc epocha legitima sit, erit etiam adjiciendum hanc ipsam epistolam pridie Kal. Novemb. datam fuisse; quippe quæ eumdem diem aperte prodat.

V. & VI. Syagrio Veronensi episcopo scriptæ sunt. His Ambrosius illi nuntiat judicium ab eo contra Indiciam virginem latum, à se in episcoporum conventu rescissum esse. Quamvis autem qui volunt id contigisse anno 380. nullam opinionis suæ rationem reddant; nobis tamen cur ab eis non recedamus, causæ non desunt. Nam primo loco satis clarum est ipso episcopatus ejusdem Syagrii initio hæc facta esse, cùm Indicia quæ ab ejus decessore Zenone ante multos annos velum acceperat, criminis accusaretur, potissimum in juniores annos, animumque minus maturum quadrare soliti: deinde Nicetus ille, cujus mentio fit in hac epistola, idem esse existimatur atque is Nicetus, quem lex 11. *Ne sanctum baptisma* &c. anno 377. data memorat.

VII. & VIII. Justo inter Lugdunenses præsules tertiodecimo missæ creduntur. Itaque cùm is post concilium Aquileiense, cui simul cum Ambrosio anno 381. interfuerat, dicatur numquam deinceps Lugdunum revertisse, sed in Ægypti se recepisse solitudines; hinc efficitur utramque epistolam dicta Synodo priorem esse.

Annus 381. IX. X. XI. & XII. eæ sunt, quibus Aquileiense concilium in causa Palladii ac Secundiani habitum occasionem dedit. Illas una cum actis ejusdem Concilii hanc in editionem non solum ideo recepimus, quia in Romana fuerant evulgatæ, & inter Ambrosiana opera in manuscriptis quibusdam reperiuntur; sed multo magis quod Patribus Aquileiensibus & linguæ in disputando, & manus in scribendo officium præstitisse noscatur sanctus Præsul. Jam vero tempus Concilii clare definitur, cùm ejusdem acta Syagrii atque Eucherii Coss. nomina in fronte præferant, quorum consulatum in annum 381. incidisse extra dubium est.

Attamen quid faciemus P. Franc. Chiffletio, qui eadem Acta adulterina esse, & à Vigilio Tapsensi, qui vertente quinto sæculo scriptitabat, fabricata contendit; eoque non solum illa edi curavit inter legitima Vigilii opera, sed & judicium suum propria dissertatione defendit? Nos vero ut appareat cur adsentiri eidem non potuerimus, præcipua ipsius dispiciemus, quam brevissime nobis licebit, argumenta.

Narrat igitur Vigilium ad procudendam Synodum A illam ea re ductum, quod Arrianos, quos impugnare professo nomine neutiquam audebat, facilius objectâ Concilii auctoritate arbitraretur esse confutandos. Illud autem inde confirmat, quod alios quoque libros abs se compositos Athanasio atque Ambrosio supposuerit idem Vigilius. Verum ut maxime certa esset ultima ista suppositio, plurimum inter se illa differunt, libello cuipiam recens elucubrato veteris auctoris nomen adscribere, & pro vero Concilio, cujus Acta jam pridem in vulgus exierint, & Ecclesiarum eruditorumque scriniis conserventur, falsum substituere. Primum illud non ita insolens est, B nec tam facile deprehenditur, maxime si auctor qui peregrino idiomate scripserit, adoptetur: secundum vero prope inauditum est, nec ferme nisi ab amente homine tentari queat. Quis igitur sibi persuadeat præsulem eruditum, famam propriam, atque Ecclesiæ catholicæ causam Arrianorum probris ac ludibriis usque adeo prostituisse? Nam cùm idem ille integrum Concilium penes se haberet, cujus etiam epocham, subscriptiones, licet alicubi corruptas, nec non Synodalium epistolarum partem retinuerit, ut scribit ipsemet Chiffletius; quo pacto sibi tantum adulari potuit, ut crederet hanc eamdem synodum apud nullum alium neque in Africa, neque in C Gallia, neque in Italia ipsa usquam servari? Quin immo quare vera illa monumenta non ipse vulgavit, majorem haud dubie adversus hæreticos vim habitura, quam commentitia? Huc adde nihil in iisdem Actis occurrere, quod non argumento & personis ex tempore ac subito quodam calore disputantibus apte congruat.

Instat tamen adhuc Chiffletius, & quod Valerianus illic Ambrosio contra decus ac sedis Mediolanensis dignitatem semper præponatur, nec non Anemius Illyrici primatum sibi vindicando ex æquo contra modestiam ac veritatem peccet, reprehendit. Atqui si vera Concilii Acta, ut Chiffletius tradit, habuit Vigilius, cur in eis illa potissimum mutata voluit, unde minimo negotio D fraus ejus atque impostura detegeretur? Sed nihil istic, quod merito reprehendatur, admissum esse à nobis demonstrabitur propriis locis.

Alia nonnulla objicit idem auctor iis, quæ retulimus, adhuc debiliora, & quorum aliqua non modo in rem ejus nihil faciant, sed & in ipsum possint retorqueri majore ictu. Quapropter non dubitamus germana esse hæc eadem acta, illudque unum exoptaremus, nempe ut integra ad nostram ætatem ipsa pervenissent. Nam quod Chiffletius pro complemento hujus operis libellum *de Filii divinitate* obtrudere nobis voluit, id ab omni specie veritatis suo loco tam abhorrere declarabimus, quam quod maxime.

E XIII. & XIV. epistolæ, quas cur Ambrosianis adjunxerimus, illic à nobis explicabitur, nomine Italorum episcoporum inscriptæ sunt. Annus 381. & 382. Prima versatur tam in causa schismatis Antiocheni, quàm ordinationum Maximi Cynici atque Nectarii: quorum ultimus ad sedem Constantinopolitanam in Synodo universali anno tantum 381. mense martio illic habita, vel ut volunt alii, anno 382. rursus coacta, fuit adscitus. Itaque si cui allubuerit prima sententia, quominus eamdem epistolam in concilio Aquileiensi scriptam censeat, nihil vetabit. Quod vero ad epistolam XIV. cùm in ea Theodosio propter datam superiori responsionem agantur gratiæ, ipsam à Concilio F ante annum 382. convocato non fuisse profectam manifestum est.

Annus 383. XV. & XVI. in quibus de morte sancti Ascholii, deque Anysii in Sedem ejus subrogatione agitur, non alterius anni quam 383. esse videntur. Ascholius enim Romanæ synodo an. 382. celebratæ interfuerat, eique Anysius, Damaso cujus mors anno 384. ponitur, adhuc

superstite, jam succedebat. Quocirca dum & Thessalonicam rediret Ascholius, & Ambrosium de obitu ejus certiorem Anysius faceret, postremos anni 382. menses, ac primos 383. interim effluxisse necessum fuit.

Annus 384. XVII. & XVIII. contra Symmachi Relationem datæ sunt. Earum tempus non difficulter cognosci potest. Nam cùm Symmachus, Valentiniano sub matris hæreticæ tutela adhuc posito, & Gratiano Maximi fraude ac scelere extincto, peropportunam revocandis fictitiorum numinum religionibus occasionem existimasset, eidem Valentiniano relationem obtulit suam. Huic ubi primùm licuit, respondit Ambrosius, nimirum ipso anno 384. quo & ipse à prima sua ad Maximum tyrannum legatione in Italiam rediit, & Symmachus Urbis præfecturam administrabat. Ceterum in hoc certamine orator prophanus christiano usque adeo inferior fuit, ut nec aræ Victoriæ, nec aliarum ceremoniarum restitutionem obtineret. Unde haud illepide cecinit de hoc eventu Ennodius:

Dicendi palmam Victoria tollit amico:
Transit ad Ambrosium, plus favet ira Deo.

Annus 385. XIX. Vigilio ad Tridentinum episcopatum ante paucos menses evecto eorum quæ ad episcopale munus pertinent, præcepta tradit. Vigilius annos 20. ut ipsius testantur Acta, præfuit eidem Ecclesiæ: ejus vero martyrium contigisse dicitur sub consulatu Stiliconis, quem anno 400. & 405. eam dignitatem gessisse comperimus. Itaque pontificatum suum non potuit nisi anno 380. vel 385. inire novus præsul; unde cùm anno 380. quo & sequenti etiam Abundantium illius decessorem in vivis egisse Aquileiensis concilii Acta testantur, id non contigisse manifestum sit, relinquitur ut contigerit anno 385. Non tamen sumus nescii Mabillonium nostrum in *Præfat. sæculi quinti Benedictini.* Acta quædam ejusdem Vigilii abs se conspecta testatum esse, quibus ipsi non anni 20. episcopatus, sed tantum 12. adtribuantur. Verum ne hisce Actis posterioribus fidem habeamus, illud dissuadet, quod in hac hypothesi ejusdem Vigilii pontificatus iniri debuisset anno 388. vel 393. proindeque alterutro posterior esset hæc epistola; quam tamen antequam Theodosii lege Judæorum cum christianis conjugia prohiberentur, hoc est, ante annum 388. scriptam agnoscimus. Etenim cùm in ea potissimum agatur de hujusmodi matrimoniis, Ambrosius cui eadem lex ignota esse non potuisset, illius uti auctoritate dubio procul hac in causa non omisisset.

Annus 385. & 386. XX. & XXI. cum Sermone illis adjuncto è vexatione, quam à Justina imperatrice aliisque Arrianis passus est Ambrosius, ortum duxere. In confesso est sanctum Præsulem sic fuisse agitatum hac tempestate, ut cùm eodem anno quo incœperat, sedata esset, iterum sequenti recruduerit. Autumat Baronius priorem hujus persecutionis annum incidisse in 386. reparatæ salutis, quo sanctus noster primùm suum libellum seu epistolam XXI. ad Valentinianum destinavit: proxime autem sequenti anno Sermonem de Basilicis habitum dominica palmarum, ac postridie scriptam ad Marcellinam epistolam. Attamen rem secus se habere obscurum non est. Enim vero quo tempore eumdem Sermonem pronuntiabat, basilica multos jam dies à militibus obsessa erat, & Ambrosius, ne raperetur, illic à populo diu noctuque adservabatur; cùm è contrario intelligatur ex epistola ad Marcellinam ipsum ad ædes proprias hac ipsa dominica cubitum rediisse, paratum, si juberetur, in exsilium proficisci. Exinde etiam cognoscas eumdem sanctum feria VI. & sabbato proxime superiori summa cum libertate domo in Ecclesiam atque ex Ecclesia domum itavisse. Adde his plurima, quæ in Sermone memorantur, in illa epistola reticeri: qualia sunt promulgata lex pro Ariminensi concilio, jussio veniendi ad Comitatum, & cùm ei sanctus Præsul non paruisset, excedendi Mediolano, hymni denique ab eo compositi. Neque sane opponi potest omnia illa sorori ab eo aliis litteris esse significata; nam etiamsi ex eodem Baronio non ejusdem anni sint epistola XX. & memorata concio, in utraque tamen acerrime in exsecrandam illam legem invehitur. Postremo cùm epistolam illam & concionem synchronas esse ambarum demonstret comparatio, ex eo ipso quod eas separavit idem Cardinalis, quam parum firma ejus opinio sit, intelligitur.

Sed nec levioris negotii est persecutioni posteriori annum ab incarnato Deo 387. adscribere. Nam potissimum circa paschalia debacchabatur ista procella, cùmque postea deferbuisset, legatus ad Maximum missus est Ambrosius, cujus legationem etiam alia legatio deinde sequuta est, ac demum irrupit in Italiam cum exercitu idem tyrannus, quod factum esse mense Augusto nonnulli tradunt. His autem omnibus tam exiguum temporis spatium satis fuisse vix quisquam credat. Ad hæc Augustinus, ut peritiorum calculis definitur, anno 387. per festa paschatis genitalis aquæ sacramento regeneratus est: quæ non ipso tot tantarumque turbarum anno, sed proxime sequuto factum esse idem testatur.

Sed Baronium atque alios in errorem illud induxit, quod legem anno 386. synodi Ariminensis gratia latam arbitrati sunt vexandi catholicos ansam dedisse. Novimus quoque à Mabillonio, ex eo quod Evangelium de ingressu Christi Hierosolimam olim in multis Ecclesiis prima Adventus dominica recitaretur, & etiam nunc Mediolani mos idem perstet, hoc observari, nimirum eidem anno ita tribui posse duas illas epistolas atque Sermonem, ut quæ ad sororem est, in paschate dicatur scripta, in sequentem vero Adventum alia & memoratus Sermo rejiciatur. Verum ut sileamus tunc temporis non è consuetudine, sed casu quodam lectum esse illud Evangelium, anni duo persecutioni adsignantur ab Ambrosio, quodque ex lege sæpius decantata contra Baronium objicitur, & in hanc opinionem pariter valet.

Quamobrem agnoscendum est duobus distinctis annis à nefaria Justina sævitum esse. Sed nihil vetat, immo vero cuncta persuadent, ut eamdem persecutionem, quæ in sola imperatricis impotentia fontem habuit, jam à festis Resurrectionis anni 385. ortam credamus. Hanc sanctus Præsul in ipso initio sorori suæ significavit. Justina vero cùm caruisse illam effectu moleste ferret, odio solito exstimulata, legem in Ariminensis concilii gratiam ineunte sequenti anno ferri curavit. Cùm nec etiam satis hac via ipsi procederet, tum conveniri voluit Ambrosium nostrum, ut cum Auxentio certamen iniret in palatio. At respuente hanc conditionem sancto Doctore, in apertam vim atque insaniam tandem erupit illa femina. Itaque cùm ille in basilica obsideretur, ad populum pronuntiavit dictum Sermonem. Hunc porro ea re distractum noluimus ab hisce epistolis, tum quod ex ea conjunctione historiæ series facilius intelligatur, tum quod eumdem Marcellinæ ab Ambrosio missum fuisse non dubitemus, ad quam similiter idem duos alios sequenti epistola inclusos destinavit.

XXII. tota est in texenda inventionis, ac translationis corporum Gervasii & Protasii fratrum martyrum descriptione. Alterum è Sermonibus, quos hac epistola contineri supra diximus, injuriâ Romani editores expulerant è loco proprio, in quem à nobis postliminii jure restitutus est. Cùm porro finem adtulerit persecutioni eadem inventio, hanc epistolam anno 387. à Baronio, à nobis autem 386. adjudicatur. Horum corporum translationem Romanum Martyrologium XIII. Kal. julias renuntiat, quo die habitus etiam ab Augustino in eamdem rem Sermo superest; unde sibi in animum induxerunt aliqui hoc ipso die sacra illa pignora ab Ambrosio translata esse. Verumtamen è persecutionis fine, quem illi ipsi festis paschalibus tributum volunt, satis docemur ejusdem translationis celebrationem propter paschales solemnitates in aliud tempus esse rejectam. Annus 386.

XXIII. quibusdam episcopis, qui super paschatis VII. Kal. maias anno 387. incidentis difficultate Ambrosium consuluerant, respondet. Huic annum à Christo nato 381. ideo adsignat Bucherius, quod *ante biennium* paschæ dominicam XI. Kal. maii celebratam illa testatur, quo die idem hoc festum anno 379. evenisse in confesso est. Verùm Bucherio illud reclamat, quod nec Ambrosius de

paſchate ante ſex annos non redituro dicturus fuit, *quod futurum erat proximè:* nec ii à quibus ille conſulebatur, tam præmatura ſollicitudine laboraturi. Huc adde in epiſtola, quam anno 381. ſcriptam fuiſſe idem adſerit, hæc verba *temporibus paulo ſuperioribus*, quæ de ſolo 380. anno poſſent intelligi, inepte ſonatura; cùm pulcre in hypotheſi noſtra tam de illo anno, quam de 385. accipiantur. Adſignandus ergo eſt huic epiſtolæ annus 386. agnoſcendusque lapſus in voce *biennium*, quam inde factam licet conjicere, quod è numero ſeptenario his notis ſcripto VII. primus character V. detritus ſit, & remanſerint tantum ſequentes duo numeri, II. videlicet. Erroris originem aliò refert Franc. Balbus, ut videbitur proprio loco, ubi etiam de alio quodam cyclo paſchali dicendum erit.

Annus 387. XXIV. ſcripta eſt in reditu ſecundæ legationis ab Ambroſio ad Maximum ſuſceptæ, cujus rationem atque ordinem Valentiniano juniori narrat. Profectus erat ſanctus Antiſtes paulo poſt ſedatas, quas Juſtina in eumdem concitarat, turbas: redeuntem vero in Italiam idem tyrannus cum exercitu pone ſequutus eſt 387. ſalutis anno.

XXV. Studio reſpondet, an aliquem capitali ſententia damnare liceret, ambigenti. Dubitatio omnis in eo vertebatur, quod clericorum nonnulli erant, à quibus communione privabantur ii, qui ultimo ſupplicio animadverti in reum quempiam juſſiſſent. Agnoſcit porro ſanctus Ambroſius majorem ex eo acceſſiſſe difficultatem, quod inter epiſcopos etiam non deerant, qui reorum ſupplicium apud ſæculares judices proſequerentur. Cùm autem Ithacianos Priſcilliani, qui anno 385. ſecuri percuſſus fuit, ſupplicio afficiendi auctores deſignaverit, nec tamen ſignificaverit eos ab orthodoxorum conſortio adhuc expulſos, quod non multo poſt Maximi ſupplicium anno 388. interemti tandem factum eſt; neceſſario hinc efficitur epiſtolam hanc medio intervallo eorumdem annorum 385. & 388. fuiſſe datam.

XXVI. ſuperioris continuatio eſt, in qua Dominicum de adultera muliere judicium, quod ſupra tantùm delibaverat, uberius expendit. Inde eſt quod utraque & eodem tempore, & ad eumdem hominem, licet inſcriptionis quædam varietas ſit, miſſa noſcitur.

XXVII. earum omnium quæ inſcribuntur ad Irenæum, prima vel ſaltem è primis eſſe eo probatur, quod hiſce verbis in ea loquitur Ambroſius: *Non erubeſcas patrem interrogare.* Annum verò quo ſcripta fuit, hinc eruimus, quod quæ indicatur pro Chriſto paſſus, ea intelligi commodius non poſſe videantur, quam de Juſtinæ perſecutione. Quapropter illam aut huic anno 387. aut ſuperiori 386. tribuendam exiſtimamus. Et ſane tanta eſt eorum quæ in ea tractantur, cum argumento epiſtolæ ad Simplicianum ſecundæ affinitas atque conſenſio, ut alterius ætatem altera quodammodo demonſtret ac confirmet.

XXVIII. ſatis concinne cohæret atque connectitur cum ſuperiore. Namque ubi ſupra expoſitum eſt quam fugiendus nobis ſit improborum convictus & ſocietas, hic Iræneum ad ſublimiorem gradum promovet, eum ut pote Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptum, ceteris chriſtianis vitæ ſanctimonia præcellere debere patefaciens. Hinc intelligas eadem epiſtola ſuperiore hanc non eſſe niſi parvo ſpatio poſteriorem.

XXIX. præcepta majoris adhuc perfectionis tradit Irenæo. Oſtendit enim ad tam perfectam cum ſummo bono conjunctionem adſpirare ipſum debere; ut ad inferiora, quæ hanc ob cauſam relinquenda ſunt, numquam redeat. Hanc ergo epiſtolam ſuperiores duas brevi ſequutam dubium non eſt. Quod præterea Gratiani luctuoſa mors, quæ non obſcure ibidem indicatur, multùm confirmat.

XXX. verſatur in exponendo Aggæi loco. Hanc Ambroſius ſtatim atque XXIX. obſignaſſet, tradidiſſetque tabellario, abs ſe exaratam primis ejus verbis teſtificatur.

XXXI. XXXII. & XXXIII. ſic ſibi invicem concatenantur. Cùm ſanctus Præſul quæſtioni ſibi ab Ireneo propoſitæ epiſtola XXXI. ſatisfeciſſet, in citatis ſub ejus finem Deuteronomii verbis proponendæ novæ quæſtionis occaſionem invenit Irenæus. Illi reſpondet idem ſanctus ea epiſtola, quam XXXII. eſſe oportebat. Sed cùm antequam ultimas illas Irenæi litteras is accepiſſet, epiſtolæ XXXI. aliam ſubjunxiſſet, in locum XXXIII. illa rejecta fuit. In inſcriptione quidem XXXII. à Romanis editoribus facta eſt mutatio, ſed quæ melius notis illic addendis explicabitur. Itaque ut ætatem illarum inveſtigemus, advertendum eſt in XXXIII. ſententiam illam, *omnis ſanctus eſt primogenitus*, diſputari multo fuſius, quam in lib. *de Cain & Abel.* Hinc conjicimus in libro *de Benedict. Patriarch.* c. 11. n. 55. ubi agitatur idem argumentum, ad hanc epiſtolam remitti lectores his ejus verbis; *ſicut alibi demonſtravimus.* Eſt enim illud admodum probabile hujuſmodi epiſtolas non ea mente ſcriptas eſſe ab Ambroſio, ut legerentur ab iis ſolis, ad quos inſcriptione ſua deſtinabantur, ſed ut communicarentur etiam cum aliis. At ſi admittenda eſt hæc conjectura, neceſſum erit eidem libro, quem anno circiter 387. editum eſſe exiſtimamus, priorem haberi hanc epiſtolam. Cùm autem ipſa non ſcripta fuerit, niſi poſt XXVII. quæ prima eſt reſponſionum ad Irenæum; hinc efficitur has epiſtolas eidem tempori tribuendas eſſe, cui ſuperiores. Ceterum quæ hîc diximus ſatis oſtendunt Ambroſii epiſtolam in Apollinarium, in qua ſub finem mentio fit perdicis Hieremianæ contra Hermanni opinionem adhuc ſupereſſe.

XXXIV. XXXV. & XXXVI. ſtatim à primis verbis abunde produnt, quam parvo temporis ſpatio inter ſe diſtent. Ad Horontiani dubitationes his reſpondetur. In tertia vero queritur ſanctus Antiſtes martyrii occaſiones, cùm prope ad voti exitum jam perveniſſet, ſibi ereptas. Nemo autem non videt hoc non poſſe aliò referri magis congrue, quàm ad crudelia Juſtinæ ſævientis tempora: & quamvis definire non facile ſit, num hæc à longo elapſa eſſent; tamen his verbis ſanctus vir loquitur, quæ vicinam occaſionem quodammodo magis declarent. Annus 387

XXXVII. & XXXVIII. ad Simplicianum datæ ſunt eum, qui Ambroſium excepit in epiſcopatu. Baronius cum in *Ambroſii Vita*, tum in *Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 375. ac 385. omnes Ambroſianas ad Simplicianum epiſtolas à ſancto Præſule primis initi epiſcopatus annis ſcriptas adſerit, ut à nobis ad epiſtolam LXV. explicabitur. Quæ vero ab opinione doctiſſimi Cardinalis hoc loco nos avocant, ea potiſſimum ſunt. I. quod intelligatur ex ipſo exordio epiſtolæ XXXVIII. Ambroſium, cùm illam exaravit, in medio ipſo concionum ſuarum curſu extitiſſe. II. ethnicos philoſophos è ſacris noſtris Auctoribus plurima mutuatos non quaſi aliud agendo, ſed ex inſtituto probare aggreditur, quod argumentum etiam in *Expoſit. Pſal.* 118. & in libris *de Patriarchis* maxime tractat. Igitur haud parum veriſimile eſt, omnes illas commentationes adverſus ſuperbos illos atque imperitos homines, qui ſacros eoſdem auctores è prophanorum fontibus hauſiſſe, uti teſtatur ſanctus Auguſtinus, inepte jactitabant, ad idem propemodum tempus eſſe referendas. Poſtremo tanta eſt hujus XXXVII. epiſtolæ cum lib. *de Jacob & Vita beata* in elocutione atque in ſententiis ac toto argumento cognatio, ut facile ab omnibus eidem tempori adjudicentur. Quod vero ad XXXVIII. cùm ſuperioris continuatio ſit, inter utramque interjectum conſtat non eſſe longum ſpatium.

XXXIX. Fauſtino mortem ſororis immodice lugenti deſtinata eſt. Ad eum communium calamitatum exemplo conſolandum ibi memorantur *ſemirutarum urbium cadavera*, quas quidem urbium everſiones ut ad irruptionem Maximi tyranni in Italiam referat Baronius, Pacati utitur auctoritate. Verum tamen non de Italia, ſed de Galliis agitur eo Pacati loco, quem indicare ad id videtur. Sed cùm eaſdem nobilium urbium exciſiones ad bellum Eugenii referre haud minus difficile ſit, quam ad Maximi, à Baronii ſententia non recedimus, hanc-

que epistolam exeunte anno 387. cùm verisimilius occurrat nihil, scriptam putamus.

Annus 388. aut 389. X L. tota est in persuadendo Theodosio, ut edictum de synagoga quadam Judæorum ab episcopo castri Callinici reædificanda, deque monachis qui fanum Valentinianorum hæreticorum ab iis contumelia provocati incenderant, supplicio afficiendis revocaretur. Contendit Gothofredus non aliam legem indicari hac epistola, nisi L. I V. *de Judæis* Constantinopoli I I I. Kal. Octobr. anni 393. latam; atque adeo eamdem epistolam huic ipsi anno adtribuendam. Confirmandæ suæ opinioni addere insuper is potuisset ab Ambrosio & incensæ *dudum* Constantinopoli domus episcopalis, & injuriæ Antiochenis à Theodosio condonatæ mentionem fieri. Nihilominus tamen istis omnibus potior nobis est Paulini auctoritas, in præceptoris sui rebus testis oculati. Aperte autem hic profitetur, *extincto Maximo, Theodosio constituto Mediolani; Ambrosio vero episcopo constituto Aquileiæ* scriptam fuisse hanc epistolam. (*In Ambrosii Vita.*) Et re vera in Maximo commemorando Ambrosius ibi multus est, satisque innuit ipsa ratione qua de illo agit, eum non à longo tempore Theodosii armis devictum esse. Constat igitur legem, quæ causam præbuit huic epistolæ, non Constantinopoli, sed Mediolani editam fuisse; ac proinde ab ea quam proposuit idem Godofredus, longe diversam. Quod ad veniam datam Antiochenis, eam Sozomenus lib. 7. cap. 25. refert ad illud tempus, quo Theodosius ad bellum Eugenio tyranno inferendum se se parabat: sed ipsum in hoc errare omnes agnoscunt. Quod vero ad episcopi Constantinopolitani incensas ædes, quos anno 388. flagrasse narrat Socrates, eas profecto nihil officere, quominus in epistola ejusdem anni adverbium *dudum* adhiberi jure potuerit, loco suo demonstrabimus. Statuendum itaque hanc epistolam tunc temporis fuisse scriptam, cùm profligato Maximo, Mediolanum rediit imperator. Atqui ex Codice Theod. intelligitur eumdem X I I. Kal. Octobres anni 388. nondum recessisse Aquileia, V I. vero idus ejusdem mensis jam venisse Mediolanum, qua in urbe usque ad maium sequentis anni commoratus est. Ex quibus liquet hoc ipso intervallo sanctum Præsulem, qui negotiorum suorum causa Aquileiam se contulerat, super memorati edicti revocatione scripsisse ad Theodosium.

XLI. eam ob rem exarata est ab Ambrosio, ut sororem faceret certiorem, quo pacto Episcopi ac Monachorum causa, qua de agitur in epistola superiori, felicem exitum esset consequuta. Eidem adjunxit & eum Sermonem, quem reversus Mediolanum, eadem de re coram Theodosio pronuntiavit. Hinc nemo neget hanc epistolam parvo intervallo postquam superior scripta fuisset, sequutam esse. Nullus enim locus est dubitandi, Ambrosium ubi primùm ei licuit, ad sedem suam reversum esse, ut iis à quibus decipi potuisset religio imperatoris, aditus præcluderet, & ipse eorum quæ peroptabat, fieret compos.

X L I I. respondet Syricio. Namque hic papa, cùm Romæ Joviniani hæresis palam erupisset, habito Romani cleri concilio, ejus auctorem ac sectatores anathematis pœnæ subjecit. Tum vero synodicam epistolam ad Mediolanenses ideo scripsit; ut idem hæreticus, quem è monasterio non procul à muris Mediolanensibus posito, & Ambrosii vigilantia gubernato profugisse noverat, in illa urbe tamquam anguis quidam in specu suo suffocaretur. Acceptis Syricii litteris, eamdem hæresim in synodo Mediolani coacta damnari curavit Ambrosius, & episcoporum præsentium nomine id ita significavit pontifici, ut simul hæresim validis rationibus confutaret. In cognitionem ætatis hujus epistolæ deducimur his ejus verbis: *Impietas Manichæorum, quam clementissimus imperator exsecratus est.* Quæ quidem verba ad legem X X. *de Hæreticis* anno 391. promulgatam referuntur à Godofredo; attamen cùm ibi nulla Manichæorum mentio fiat, illis ad legem X V I I I. *de Hæreticis* allusum esse cum Baronio existimamus. Cùm ergo hæc ultima lex anno 389. V. Kal. Julias lata prodatur, non incongruum putamus fore, si Concilium ac epistolam eidem anno vel potius 390. adjudicemus.

X L I I I. & X L I V. Horontiano inscribuntur. (Annus 389.) Hic post lectum Hexaemeron eam ob causam scripserat Ambrosio, ut quia ibidem non satis explicatum viderat, cur postremus rerum omnium homo creatus à Deo esset, illud sibi planius aperire non gravaretur. Primis ejus dubiis cùm satisfecisset sanctus Antistes, aliam difficultatem ex ejusdem Operis lectione sibi exortam iterum idem illi proposuit. Hanc similiter Ambrosius dissolvit: ex quibus responsis constant hæ duæ epistolæ. Constat igitur utramque Hexaemero posteriorem esse, id est, anno 389. circa quem illud Operis in vulgus exiisse declaravimus: easdem tamen haud interjecto longo tempore illud sequutas hinc evincitur, quod cùm Horontianus Ambrosio, cujus manibus in diaconum aut presbyterum fuerat consecratus, artissima necessitudine conjungeretur, nullum dubium est, quin idem ille Hexaemeron, mox ubi editum fuit, ab eo acceperit evolveritque.

X L V. earum quæ ad Sabinum scriptæ habentur, ordinem ducit. Fuit autem Sabinus ille Placentinus episcopus, qui Aquileiensi concilio subscripsit, cujus miraculum quoddam refertur lib. 5. Dial. sancti Gregorii cap. 10. & nomen in Martyrologio Romano ad I I I. idus Decembris commemoratur. Hexaemeri quoque lectio ipsi moverat quamdam propter hoc difficultatem, quod nihil ibidem de paradiso disputaretur. Cognito ex ejus litteris illo dubio, Ambrosius cur illud caput prætermisisset, hanc causam reddit, quod videlicet idem argumentum ante plures annos jam tractavisset. Hinc intelligas epistolam hanc librum *de Paradiso* non paucis annis, librum verò *Hexaemeron* brevi spatio sequutam esse.

X L V I. & X L V I I. Sabino quoque se missas ferunt. Harum priori occasionem dedit nescio quis Apollinarista, qui ad suam hæresim proseminandam terras ac maria peragraverat. Idem cùm venisset Mediolanum, quædam in Ambrosii libris carpere cœpit: quem publice a se confutatum hac epistola nuntiat sanctus Doctor. In sequenti autem ubi de libro, quem distinctius quam antea scriptum, ad Sabinum deferri curaverat, pauca præmisit, de mutui commercii epistolarum, in quibus potissimum aliquid è Scripturis discutiatur, utilitate fusius agit. Porro cùm prorsus verisimile sit commentationes Ambrosianas, quas arrodere ausus narratur ille Apollinarista, quasque peritiori manu descriptas se transmisisse Ambrosius memorat, easdem esse ac libros *de Fide*, ac *de Incarn. Dom. sacram.* cùm præterea is de se quasi jam sene mentionem faciat; eis de causis non arbitramur utramque epistolam ad alium annum melius, quam ad hunc 389. vel circiter referri posse.

X L V I I I. ut argumento sic & ætate conjuncta est superioribus. Libellos enim quos hîc testatur Ambrosius sibi redditos, non alios ab his esse credimus, qui missi Sabino supra dicuntur. Idque hinc etiam adstrui potest, quod ætatis suæ provectioris nec in hac epistola mentionem omittat beatus Præsul.

X L I X. è superiore etiam pendet. Etenim cùm epistolis, maxime vero quibus aliquid è sacris libris examinetur, optam se daturum frequentiorem illic testetur Ambrosius noster, in hac epistola, quæ in sententiis divinis pene tota est, fidem profecto liberat suam; proindeque ab aliis eam abstrahi non oportere negabit nemo.

L. Chromatii precibus concessa est Aquileiensis episcopi, qui Ambrosium, ut sibi aliquid è sacris codicibus epistolari familiaritate disputatum mitteret, obsecraverat. Ejus optatis ut sanctus noster satisfaceret, è prophetia Balaam elegit argumentum. Propterea vero hanc epistolam superiorum ordini accensuimus, quod in ea quoque suæ senectutis mentionem injiciat.

L I. Theodosio imperatori Mediolanum postquam Thessalonicæ strages edita esset, venienti ob id missa est, ut Ambrosius cur non exspectasset ejus adventum, causas proponeret. Cædem autem illam anno 390. patratam fuisse in confesso est. (Annus 390.)

L I I. eo tempore datam se prodit, quo Rufinus ex Magistro Officiorum consul & præfectus prætorio crea- (Annus 392.)

tus fuit. Cùm autem eum anno 392. ad has dignitates A gradum fecisse non ambigatur, hanc epistolam ineunte eodem anno ad Tirianum perlatam constat.

LIII. immaturam ac tristem Valentiniani minoris mortem amanter luget, de cujus etiam sepultura accelaranda interpellat Theodosium. Certum autem est anno 392. eumdem illum Valentinianum idibus maii extinctum esse; unde hanc epistolam non ita multo post missam fuisse intelligimus.

LIV. & LV. Eusebio, qui caput erat nobilis familiæ Bononiensis, destinatæ sunt. Agitur in earum altera de quodam apparitore, deque tussi Faustini pueri: at in B altera eumdem puerum cum Faustino ipsius patre ad eum Bononiam profectum, Mediolani autem secum remansisse Ambrosium atque Ambrosiam scire nuntiat noster Ambrosius. Porro cùm eamdem hanc Ambrosiam non ob aliud *spiritalem columbam* vocet, nisi quia ipsam virginali velo, sicut ad lib. *de Instit. Virg.* annotatum est, consecraverat; hinc colligitur eidem libro, cui nos annum 392. adtribuimus, posteriores esse has epistolas

LVI. Theophili Alexandrini respondet epistolæ. Materia scribendi fuerat Antiochenum schisma, de quo plura ad Ambrosii epistolam dicenda erunt. Observandum in- C terim in eadem culpari Flavianum, quod se adversus Capuanæ synodi auctoritatem rescriptis à Theodosio, qui tunc in orientem reversus erat, impetratis communiisset. Exacto in Italia prope triennio, imperator non nisi VI. Kal. decembris anni 391. redierat Constantinopolim; proindeque Synodum illam intra eum diem atque idus maias anni sequentis, quo die necatum diximus Valentinianum, habitam fuisse necesse est. Nam post id temporis conventus episcopales in Italia haberi per excitata ab Eugenio tyranno bella neutiquam licuit. Finita Synodo, quod in ea super memorato dissidio statutum D fuerat, Theophilo significarunt Capuani Patres. At ipse cùm postea litteras eamdem ob causam destinasset ad Ambrosium, à Viro sancto epistolam, de qua hîc agitur, elicuit. Quis igitur eat inficias vix illam ante anni 392. exitum scribi potuisse?

Superiori epistolæ aliam subjecimus in Bonosi hæreseos postulati causa versantem. Jam tota res in Capuano consessu, de quo proxime ante dicebamus, tractata fuerat; ejusque cognitio vicinis istius hæretici episcopis ad maturius & accuratius examen demandata. Cùm vero iidem antistites consuluissent auctorem hujus epistolæ, ac ei judicium hoc viderentur permittere; hic non sibi, sed E ipsis ut pote quibus commissum erat à Concilio, id competere responsum dedit: ac simul etiam errorem bonosianum circa perpetuam Deiparæ virginitatem valide confutavit. Illa quidem planum faciunt hanc epistolam superiori synchronam esse, & ab eadem non solum hoc nomine, sed etiam quod Capuanæ synodi tamquam pars altera sit, in editione Romana male abstractam. Illud vero difficilius, cuinam auctori hæc debeatur, patefacere. Sunt rationes in utramque partem haudquaquam leves, quas loco proprio excutiemus.

Annus 393. LVII. Eugenio tyranno, cur eo Mediolanum acceden- F te, Ambrosius hinc recessisset, causas aperit. Est autem perquam verisimile tyrannum illum non statim atque, Valentiniano idibus maii è vivis sublato, in solium ab Arbogaste collocatus est, in Italiam impetum fecisse, at prius alias quasdam absolutas ab eo esse expeditiones. Id quidem tum è Paulino in *Ambrosii Vita*, & Severo Alexandro apud Gregorium Turonensem *Hist.* lib. 2. c. 9. intelligimus, tum ex hac ipsa epistola, ubi Ambrosius eumdem Eugenium *in primordiis imperii* ad se scripsisse, ac se postea, si quando emersisset aliqua necessitas, ad eum quoque litteras dedisse testificatur. His ergo ducti eam tyranni irruptionem non nisi exeunte anno 392. vel potius ineunte 393. factam putamus; atque adeo hanc epistolam eidem tempori adtribuendam.

LVIII. in argumento versatur plane celebri. Nihil enim ea tempestate Paulini avitis atque propriis honoribus nobilissimi abdicatione ac secessu illustrius. Non tamen scripta est hæc epistola, postquam ille Nolam jam recesserat, id est, anno 394. ut opinatus videtur Baronius. Nam præterquam quod ex epistolis ejusdem Paulini ad Alypium atque Augustinum, nec non utriusque ad eumdem Paulinum haud male colligitur ipsum ab anno 393. Nolam venisse; hæc ipsa epistola satis indicat Ambrosium, cùm eam scripsit, illius conspectu numquam potitum. Vidit autem postea eumdem Florentiæ, quo tempore Romam iret habebat, statim hinc Nolam se recepturus. Huc etiam accedit, quod primis annis, quos egit Barcinone idem Paulinus, non omnes simul suas facultates publicaverit, vendideritque, sed illas in plures partes sensim distraxerit. Itaque cùm venditis illis omnibus, Paulinum ipsum jam factum pauperem testetur Ambrosius, illum in procinctu ad iter suum, cùm sanctus noster ista scriberet, jam tum fuisse existimamus. Et hinc clarum fit hanc ipsam epistolam adjudicari non posse melius, quam aut anni 392. postremis mensibus, aut primis 393.

LIX. illud observatione dignum præ se fert, quod nempe quoto ætatis Ambrosii anno data fuerit, planum faciat. Aperte enim testatur sanctus Antistes *annum tertium & quinquagesimum* se peregisse, cùm hæc scriberet. Verum quæ præmittuntur paulo superius, multo plus negotii verba facescunt. Sic autem habent: *Objecti*, ait ille, *barbaricis motibus, & bellorum procellis, in medio versamur bellorum freto.* Hunc locum ad Maximi tyranni bella referendum autumant Baronius in *Ambrosii vita* & in *Annalibus*, Ughellus in *Italia sacra*, & Bollandistæ in *Actis hujus sancti Severi*: hincque colligunt & hanc epistolam anno 387. esse tribuendam, & cum eodem concurrisse annum Ambrosianæ ætatis 53. Addunt insuper sanctum Præsulem, cùm vitam ad usque mensem aprilem anni 397. produxerit, annos implevisse quatuor supra sexaginta. Illud autem opinioni suæ impendiò favere putant, quod in Maximiano bello fusum fuerit multo plus sanguinis, quam in Eugeniano. Sed tamen hæc eorum ratio nihil efficit; namque in epistola, de qua loquimur, barbarici motus ac bellorum procellæ commemorantur, an vero eadem bella exstiterint aliis quibusdam crudeliora, nemo hinc probet. Mavult Hermannus locum Ambrosii à nobis propositum de bello Eugenii scriptum fuisse: idque contendit cùm Ambrosianæ vitæ historia magis congruere, quam quidem ultra 57. annum productam negat. Sed hoc non usque adeo perspicuum est. Fatendum ergo memorata verba sive Eugenii sive Maximi bello accommodentur, perinde esse. Illud autem Baronii opinioni magis favere forte videatur, quod Ambrosius in non paucis epistolarum superiorum locis senectutis suæ mentionem subinde iteret, quod sane illi viro minus convenit, qui vitæ curriculum anno 57. quàm qui 64. terminaverit. Verum tamen non ignoramus illud Basilio aliisque sanctis quibusdam usu venisse, ut quamvis in ætate minus provecta diem obierint, de se tamen quasi jam senibus loqui amarent. Inde est quod lectoribus integrum relinquere velimus rei judicium. Monemus tamen illud discriminis in episcopatus Ambrosii annis nihil mutare, sed solùm in actis ante episcopatum: hos tamen ipsos plus æquo producere videtur Baronius.

LX. Paternum deterret, ne filium cum nepte ex filia, id est, avunculum cum filia sororis, matrimonio jungat. Nititur autem in dissuadendo potissimum his argumentis Ambrosius noster, quod hujusmodi conjugium & divinis legibus contrarium sit, & prohibitum constitutione Theodosii, à quo *amplissimum*, inquit, *accepisti honorem.* Hæc porro verba cùm aptari non possint commodius, quam dignitati *comitis sacrar. Largit.* qua Paternum ornatum fuisse ex multis Symmachi epistolis cognoscere est, quamque ab eodem administratam anno 393. indicat lex XIV. *de Metallis*, hanc quoque epistolam eidem anno 393. adtribuamus, nobis persuadent. Quod autem ad prohibitionem Theodosii supra memoratam, ea quidem ad ætatem nostram transmissa non est, sed ejus in aliis quibusdam exstat mentio, quemadmodum à nobis declarabitur proprio loco.

LXI. ad Theodosium, à quo sanctus vir de gratia- Annus 394.

rum actionibus ob profligatum non sine miraculo Eugenium tyrannum Deo reddendis litteras acceperat, responsio est. Hac ergo Ambrosius imperatorem eorum quæ exsequendis ejus postulatis ipse præstiterat, certionem facit. Unde hæc epistola per se loquitur non alio anno nisi 394 se missam esse; cùm tyrannus ille hoc ipso anno mense septembri luerit supplicium.

L X I I. eidem principi, eodem tempore, & in argumento non absimili exarata est. Quippe qua illis Ambrosius ab imperatore veniam petit, qui cùm tyrannum essent sequuti, eo interfecto, confugerant in Ecclesias, criminis sui pœnam declinaturi

Annus 396. L X I I I. postremum primæ nostræ classis locum obtinet. Ejus scribendæ hæc causa fuit. Morte Limenii, non autem, ut quibusdam videtur, Eusebii, quem anno 371. vivere desiisse Hieronymus in *Chronico* & in *Scriptoribus Ecclesiasticis* docet, episcopo destituta erat diœcesis Vercellensis. Tanti mali originem, nimirum cleri atque populi contentiones resecare cupiens Ambrosius noster, hanc epistolam ad eos misit. Extra dubium est eam Aquileiensi Synodo, anni 381. cui subscripsit idem Limenius, posteriorem esse: at præterea non nisi anno 396. ponendam fatebitur, qui noluerit Actis Gaudentii Novariensis, quæ à Mombritio atque Bollando ad x x. Kal. Februarias referuntur, fidem abrogare. Legimus enim in illis Actis Ambrosium paucis mensibus antequam è vita excederet, Vercellas componendi cujusdam dissidii causa se contulisse. Quod quidem iter commodissime intelligemus, si dixerimus sanctum Præsulem, cùm litteris suis parum profecisset apud obstinatos animos, eò profectum; ut demum eorumdem pervicaciam præsens expugnaret.

Qui ob mentionem *Venetiarum* hanc epistolam Ambrosio putant suppositam, ii non advertunt cum apud alios ejusdem ætatis, tum apud Ambrosium ipsum in certis operibus usurpari eamdem vocem. (Epist. 18. num. 21.) Majori forte an veri specie maxima fragmenta ex aliis Doctoris nostri commentationibus in hanc translata atque inserta, quæ nos suo quæque loco indigitabimus, iidem obtenderent. Verum tamen id non abhorret ab Ambrosii consuetudine, & ut maxime nusquam is alibi hoc usurparet, hîc nihilominus mirum non esset, si quæ meminisset de continentia, de jejunio, de vigiliis non segniter abs se alibi disputata, eadem contra Sarmationem ac Barbatianum harum virtutum infensissimos adversarios rursus instrueret intenderetque. Ceterùm quidquid dicitur de istis hæreticis, ætatem hujus epistolæ liquido confirmant: ejus vero dictio, character atque argumentum illam Ambrosio tamquam vero parenti validissime adserunt.

SECUNDA CLASSIS.

Alteram classem epistolarum in Admonitione trifariam divisam fore indicavimus, nimirum in eas epistolas vel quæ de Scripturis edisserendis, institutæ sunt, vel quæ in serio aliquo versantur argumento, vel ad postremum quæ familiaris urbanitatis atque officii significationes tantum continent.

Prima series epistolis omnino tredecim constat, de quibus illud est admonendum, eam scilicet quæ in aliarum fronte ponitur, & inscribitur ad Irenæum, non incommode subjici potuisse epistolæ X X V I I. Utraque enim & eidem Irenæo, & in locos ejusdem libri Exodi scriptæ fuerunt.

Similiter etiam L X X. & L X X I. quæ datæ sunt ad Horontianum, & quibus cum animæ in peccatum delapsæ ad bonam frugem atque virtutem reditus, rum varii ejusdem in virtutis itinere progressus aperiuntur; epistolæ x x x i v. in qua ad eumdem Horontianum de ejusdem animæ spiritualitate disputatur, jungi poterant: si ex sola hujusmodi affinitate idoneum duci argumentum judicassemus tempori adserendo.

L X X I I. quæ Constantio inscribitur, varias diluit, quæ ab ethnicis atque hæreticis circa institutionem abrogationemque circumcisionis proponebantur difficultates. Cùm autem ea tempestate tres Constantii, episcopali dignitate omnes ornati reperiantur, nempe Arausicanus, Scisciensis, atque alius sedis incertæ, quemadmodum à nobis in Acta concilii Aquileiensis observabitur, non facile definiatur ad quem illorum, immo vero num ad illorum omnino ullum destinata sit. Huc tamen nos propendemus magis libenter, ut ad eumdem scriptam putemus, ad quem & secunda hujus editionis missa fuerat. Cùm enim hic Constantius sanctum Doctorem, sicut vidimus, non secus ac patrem de vitæ suæ institutione, atque muneris administratione consuluerit, verisimile est eum Ambrosio, si quid aliud obortum fuerit difficultatis, proponere non dubitasse. Hæc porro epistola melius alibi collocari posse non videbatur quam isto loco, quippe quæ partim ad antiquum fœdus, in quo circumcisio instituta est, partim ad novum, in quo eadem est abrogata, referri possit.

Denique L X X I V & L X X V. varias epigraphas in fronte gerunt, ut alibi commodius dicetur. Id vero tantùm hoc loci non silebimus has duas epistolas, quantum ex orationis genere conjici potest, ipso Ambrosiani episcopatus initio datas fuisse; quando videlicet volvendis operibus Origenianis maxime incumbebat sanctus Antistes.

Secunda series hujusce classis octo epistolas tantum exhibet, sed omnes magnis de rebus gravique stylo elucubratas. In his quippe modo novi fœderis dignitatem antiquo præcellere ostendit Ambrosius, modo ad maturanda baptismi sacramenta pie hortatur. Alibi clericos animo despondentes in officio confirmat, alibi qua ratione familiarum consulendum sit tranquillitati, verbo & exemplo juxta declarat. Alibi demum sancte justeque facta atque consulta non sinit privari laudibus suis. Cùm autem in iisdem epistolis nihil occurrat, quod non aptius in notis ad illas edisseratur, pluribus modo supersedemus.

Tertia series aliis cedit tam paucitate ac brevitate epistolarum, quam gravitate. Non enim eâ continentur nisi septem epistolæ, familiari stylo ad amicorum nonnullos scripta: sed quæ tamen non tantum Sancti urbanitatem, verum etiam in honestis jocis amœnitatem patefaciunt.



ORDO NOVUS
EPISTOLARUM SANCTI AMBROSII
CUM ANTEA VULGATIS COMPARATUS.

ORDO novus.	ORDO. Editionum Amerb. Erasmi, Gill. &c.	ORDO Editionis Romanæ & posteriorum Patrum	*PRIMA CLASSIS.*	
......	25.	Tom. 4.	*Gratianus Ambrosio.* pag.	751
I.	26.	Tom. 4.	Gratiano imperat.	752
II.	44.	XIX.	Constantio.	754
III.	51.	LIX.	Felici.	762
IV.	5.	LX.	Felici.	763
V.	64.	XLVI.	Syagrio.	765
VI.	65.	XLVII.	Syagrio.	771
VII.	1.	Tom. 1.	Justo.	777
VIII.	63.	X.	Justo.	783
			GESTA CONCILII AQUILEIENSIS.	786
IX.	*deest.*	II.	Episcopis Gall. &c.	806
X.	*deest.*	I.	Imperat. Gratiano &c.	806
XI.	*deest.*	IV.	Imperat. Gratiano &c.	810
XII.	*deest.*	III.	Imperat. Gratiano &c.	812
XIII.	*deest.*	*deest.*	Imper. Theodosio &c.	814
XIV.	*deest.*	*deest.*	Imper. Theodosio &c.	817
XV.	59.	XXII.	Anatolio, Numerio &c.	819
XVI.	60.	XXIII.	Anysio fratri.	822
XVII.	30.	XI.	Valentiniano imperat.	824
......	......	......	*Relatio Symmachi.*	828
XVIII.	31.	XII.	Valentiniano imper.	833
XIX.	70.	XXIV.	Vigilio.	842
XX.	33.	XIV.	Marcellinæ.	852
XXI.	32.	XIII.	Valentiniano imper.	860
......	......	......	Sermo de Basilicis &c.	863
XXII.	84.	LIV.	Dominæ sorori.	874
XXIII.	83.	Tom. 4.	Episcopis per Æmil.	880
XXIV.	27.	LVI.	Valentiniano imper.	888
XXV.	58.	LI.	Studio.	892
XXVI.	76.	LII.	Studio, *vel* Irenæo.	894
XXVII.	4.	Tom. 1.	Irenæo.	898
XXVIII.	6.	XX.	Irenæo.	902
XXIX.	11.	Tom. 2.	Irenæo.	904
XXX.	12.	Tom. 2.	Irenæo.	910
XXXI.	13.	XXXV.	Irenæo.	914
XXXII.	48.	Tom. 2.	Irenæo.	917
XXXIII.	14.	XXXVI.	Irenæo.	919
XXXIV.	21.	XXXVIII.	Horontiano.	921
XXXV.	22.	XXXIX.	Horontiano.	925
XXXVI.	23.	XL.	Horontiano.	929
XXXVII.	7.	Tom. 1.	Simpliciano.	930
XXXVIII.	10.	XXVII.	Simpliciano.	941
XXXIX.	8.	LXI.	Faustino.	944
XL.	29.	XVII.	Theodosio imperat.	946
XLI.	*deest.*	XVIII.	Frater sorori.	956
......	80.	VI.	*Syricius Mediol. Ecclesf.*	963
XLII.	81.	VII.	Syricio Papæ &c.	965
XLIII.	38.	Tom. 1.	Horontiano.	970
XLIV.	39.	Tom. 1.	Horontiano.	976

ORDO novus.	ORDO. Editionum Amerb. Erasmi, Gill. &c.	ORDO Editionis Romanæ & posteriorum Patrum	*PRIMA CLASSIS.*	
XLV.	42.	Tom. 1.	Sabino. pag	981
XLVI.	47.	VIII.	Irenæo, *nunc* Sabino.	984
XLVII.	45.	LXV.	Sabino.	988
XLVIII.	40.	LXIII.	Sabino.	990
XLIX.	41.	XXXI.	Sabino.	991
L.	37.	Tom. 1.	Chromatio.	993
LI.	28.	LIX.	Theodosio imperat.	997
LII.	53.	L.	Titiano.	1001
LIII.	34.	LVII.	Theodosio imperat.	1002
LIV.	35.	LXII.	Eusebio.	1003
LV.	46.	LXVI.	Eusebio.	1004
LVI.	78.	IX.	Theophilo.	1006
......	79.	V.	*De causa Bonosi.*	1008
LVII.	*deest.*	XV.	Eugenio imperat.	1010
LVIII.	36.	XXX.	Sabino.	1013
LIX.	37.	XXXII.	Severo.	1016
LX.	66.	XLVIII.	Paterno.	1017
LXI.	*deest.*	LVIII.	Theodosio imperat.	1020
LXII.	*deest.*	XVI.	Theodosio imperat.	1021
LXIII.	82.	XXV.	Vercellensi Eccl. &c.	1022
			SECUNDA CLASSIS.	
LXIV.	62.	Tom. 1.	Irenæo.	1049
LXV.	2.	Tom. 1.	Simpliciano.	1051
LXVI.	56.	Tom. 1.	Romulo.	1054
LXVII.	3.	Tom. 1.	Simpliciano.	1057
LXVIII.	52.	Tom. 1.	Romulo.	1060
LXIX.	15.	Tom. 1.	Irenæo.	1061
LXX.	18.	Tom. 2.	Horontiano.	1062
LXXI.	19.	Tom. 2.	Horontiano.	1068
LXXII.	77.	Tom. 1.	Constantio.	1071
LXXIII.	71.	XLI.	Irenæo.	1077
LXXIV.	72.	XLII.	Irenæo *vel* Clement.	1080
LXXV.	73.	XLIII.	Clementiano.	1083
LXXVI.	16.	XXVII.	Irenæo.	1085
LXXVII.	20.	XXVIII.	Horontiano.	1089
LXXVIII.	74	XLIV.	Horontiano.	1093
LXXIX.	9.	XXVI.	Bellicio.	1095
LXXX.	75.	XLV.	Bellicio.	1096
LXXXI.	17.	Tom. 2.	Clericis.	1097
LXXXII.	24.	XLIX.	Marcello.	1100
LXXXIII.	43.	LXIV.	Sisinnio.	1103
LXXXIV.	67.	LXXII.	Cynegio.	1105
LXXXV.	54.	XXI.	Syricio.	1105
LXXXVI.	49.	LXVII.	Syricio.	1106
LXXXVII.	55.	LXX.	Segatio & Delphino.	1106
LXXXVIII	50.	LXVIII.	Attico.	1107
LXXXIX.	69.	LXXIV.	Alypio.	1107
XC.	68.	LXXIII.	Antonio.	1108
XCI.	61.	LXXI.	Candidiano.	1108

Quatuor in Appendicem rejectæ, & una prætermissa.

ORDO ROMANÆ EDITIONIS CUM VETERIBUS

ET HAC NOVA EDITIONE COMPARATUS.

ORDO Editionis Romanæ & posteriorum Parif.	ORDO Editionum Amerb. Erasmi, Gill. &c.	ORDO novus.		
Tom. 1.				
I.	38.	XLIII.	Horontiano. *pag. no. ed.*	970
II.	39.	XLIV.	Horontiano.	976
III.	42.	XLV.	Sabino.	981
IV.	4.	XXVII.	Irenæo.	930
V.	62.	LXIV.	Irenæo.	1049
VI.	2.	LXV.	Simpliciano.	1051
VII.	1.	VII.	Justo.	777
VIII.	56.	LXVI.	Romulo.	1054
IX.	3.	LXVII.	Simpliciano.	1057
X.	77.	LXXII.	Constantio.	1071
XI.	71.	LXVIII.	Romulo.	1060
XII.	37.	L.	Chromatio.	993
XIII.	15.	LXIX.	Irenæo.	1061
Tom. 2.				
I.	7.	XXXVII.	Simpliciano.	930
II.	17.	LXXXI.	Clericis.	1097
III.	11.	XXIX.	Irenæo.	904
IV.	48.	XXXII.	Irenæo.	917
V.	10.	LXX.	Horontiano.	1062
VI.	19.	LXXI.	Horontiano.	1068
VII.	12.	XXX.	Irenæo.	910
Tom. 4.				
I.	25.	......	*Gratianus Ambrosio.*	751
II.	26.	I.	Gratiano imperat.	752
III.	83.	XXIII.	Episcopis per Æmil.	880
Tom. 5.				
I.	*deest.*	X.	Imperat. Gratiano &c.	806
......	*desunt.*	......	*Acta Concilii Aquileiæ.*	786
II.	*deest.*	IX.	Episcopis Gall. &c.	806
III.	*deest.*	XII.	Imperat. Gratiano &c.	812
IV.	*deest.*	XI.	Imperat. Gratiano &c.	810
V.	79.	*De Bonoso.*	Theophilo & Anysio.	1008
VI.	80.	......	*Syricius Mediol. Eccles.*	963
VII.	81.	XLII.	Syricio Papæ &c.	965
VIII.	47.	XLVI.	Sabino.	984
IX.	78.	LVI.	Theophilo.	1006
X.	63.	VIII.	Justo.	783
XI.	30.	XVII.	Valentiniano imperat.	824
......	......	......	*Relatio Symmachi.*	828
XII.	31.	XVIII.	Valentiniano imper.	833
XIII.	32.	XXI.	Valentiniano imper.	860
XIV.	33.	XX.	Marcellinæ.	852
XV.	*deest.*	LVII.	Eugenio imperat.	1010
XVI.	*deest.*	LXII.	Theodosio imperat.	1021
XVII.	29.	XL.	Theodosio imperat.	946
XVIII.	*deest.*	XLI.	Marcellinæ.	956
XIX.	44.	II.	Constantio.	754
XX.	6.	XXVIII.	Irenæo.	902
XXI.	54.	LXXXV.	Syricio.	1105
XXII.	59.	XV.	Anatolio, Numerio &c.	819
XXIII.	60.	XVI.	Anysio fratri.	822
XXIV.	70.	XIX.	Vigilio. *pag. nova edit.*	842
XXV.	81.	LXIII.	Vercellensi Eccl. &c.	1022
XXVI.	9.	LXXIX.	Bellicio.	1095
XXVII.	10.	XXXVIII.	Simpliciano.	941
XXVIII.	20.	LXXVII.	Horontiano.	1089
XXIX.	*deest.*	*Append.*	*Floriano.*	488
XXX.	36.	LVIII.	Sabino.	1013
XXXI.	41.	XLIX.	Sabino.	991
XXXII.	57.	LIX.	Severo.	1016
XXXIII.	84.	*Rejecta.*	*Demetriadi.*	
XXXIV.	*deest.*	*Append.*	*Virginibus sacris.*	479
XXXV.	13.	XXXI.	Irenæo.	914
XXXVI.	14.	XXXIII	Irenæo.	919
XXXVII.	16.	LXXVI.	Irenæo.	1085
XXXVIII.	21.	XXXIV.	Horontiano.	921
XXXIX.	22.	XXXV.	Horontiano.	925
XL.	23.	XXXVII	Horontiano.	929
XLI.	71.	LXXIII.	Irenæo.	1077
XLII.	72.	LXXIV.	Clement. *vel* Irenæo.	1070
XLIII.	73.	LXXV.	Clementiano.	1083
XLIV.	74.	LXXVIII.	Horontiano.	1093
XLV.	75.	LXXX.	Bellicio.	1096
XLVI.	64.	V.	Syagrio.	765
XLVII.	65.	VI.	Syagrio.	771
XLVIII.	66.	LX.	Paterno.	1017
XLIX.	24.	LXXXII	Marcello.	1100
L.	53.	LII.	Titiano.	1001
LI.	58.	XXV.	Studio.	892
LII.	76.	XXVI.	Studio, *vel* Irenæo.	894
LIII.	*deest.*	*Append.*	*Fratribus per Italiam.*	484
LIV.	85.	XXII.	Marcellinæ.	874
LV.	*deest.*	*Append.*	*Fratribus & univer. &c.*	487
LVI.	27.	XXIV.	Valentiniano imperat.	884
LVII.	34.	LIII.	Theodosio imperat.	1002
LVIII.	*deest.*	LXI.	Theodosio imperat.	1020
LIX.	28.	LI.	Theodosio imperat.	997
LX.	5.	IV.	Felici.	763
LXI.	8.	XXXIX.	Faustino.	944
LXII.	35.	LIV.	Eusebio.	1003
LXIII.	40.	XLVIII.	Sabino.	990
LXIV.	43.	LXXXIII.	Sisinnio.	1103
LXV.	41.	XLIX.	Sabino.	991
LXVI.	46.	LV.	Eusebio.	1004
LXVII.	49.	LXXXVI.	Syricio.	1106
LXVIII.	50.	LXXXVIII	Attico.	1107
LXIX.	51.	III.	Felici.	762
LXX.	55.	LXXXVII.	Segatio & Delphino.	1106
LXXI.	61.	XCI.	Candidiano.	1108
LXXII.	67.	LXXXIV	Cynegio.	1105
LXXIII.	68.	XC.	Antonio.	1108
LXXIV.	69.	LXXXIX.	Alypio.	1107

ORDO
VETERUM EDITIONUM
CUM ROMANA
ET HAC NOVA EDITIONE COMPARATUS.

ORDO. Editionum Amerb. Erasmi, Gill, &c.	ORDO Editionis Romanæ & posteriorum Paris.	ORDO novus.		
I.	Tom. 1.	VII.	Justo. *pag. novæ edit.*	777.
II.	Tom. 1.	LXV.	Simpliciano.	1051.
III.	Tom. 1.	LXVII.	Simpliciano.	1057.
IV.	Tom. 1.	XXVII.	Irenæo.	898
V.	60.	IV.	Felici.	763
VI.	20.	XXVIII.	Irenæo.	902
VII.	Tom. 1.	XXXVII.	Simpliciano.	930
VIII.	61.	XXXIX.	Faustino.	944
IX.	26.	LXXIX.	Bellicio.	1095
X.	27.	XXXVIII.	Simpliciano.	941
XI.	Tom. 2.	XXIX.	Irenæo.	904
XII.	Tom. 2.	XXX.	Irenæo.	910
XIII.	35.	XXXI.	Irenæo.	914
XIV.	36.	XXXIII.	Irenæo.	919
XV.	Tom. 1.	LXIX.	Irenæo.	1061
XVI.	27.	LXXIV.	Irenæo.	1085
XVII.	Tom. 2.	LXXXI.	Clericis.	1097
XVIII.	Tom. 2.	LXX.	Horontiano.	1062
XIX.	Tom. 2.	LXXI.	Horontiano.	1068
XX.	28.	LXXVII.	Horontiano.	1089
XXI.	38.	XXXIV.	Horontiano.	921
XXII.	39.	XXXV.	Horontiano.	925
XXIII.	40.	XXXVI.	Horontiano.	929
XXIV.	49.	LXXXII.	Marcello.	100
XXV.	Tom. 4.	....	*Gratianus Ambrosio.*	751
XXVI.	Tom. 4.	I.	Gratiano imperat.	752
XXVII.	56.	XXIV.	Valentiniano imper.	858
XXVIII.	59.	LI.	Theodosio imperat.	997
XXIX.	17.	XL.	Theodosio imperat.	946
XXX.	11.	XVII.	Valentiniano imperat.	824
....	....		*Relatio Symmachi.*	828
XXXI.	12.	XVIII.	Valentiniano imper.	833
XXXII.	14.	XXI.	Valentiniano imper.	860
XXXIII.	14.	XX.	Marcellinæ.	852
XXXIV.	57.	LIII.	Theodosio imperat.	1002
XXXV.	62.	LIV.	Eusebio.	1003
XXXVI.	30.	LVIII.	Sabino.	1013
XXXVII.	Tom. 1.	L.	Chromatio.	993
XXXVIII.	Tom. 1.	XLIII.	Horontiano.	970
XXXIX.	Tom. 1.	XLIV.	Horontiano.	976
XL.	58.	XLVIII.	Sabino.	990
XLI.	31.	XLIX.	Sabino.	991
XLII.	Tom. 1.	XLV.	Sabino.	981

ORDO Editionum Amerb. Erasmi, Gill &c.	ORDO Editionis Romanæ & posteriorum Paris.	ORDO novus.		
XLIII.	64.	LXXXIII.	Sisinnio. *pag. novæ edit.*	1103
XLIV.	19.	II.	Constantio.	754
XLV.	65.	XLVII.	Sabino.	988
XLVI.	66.	LV.	Eusebio.	1004
XLVII.	8.	XLVI.	Irenæo, *nunc* Sabino.	984
XLVIII.	Tom. 1.	XXIII.	Irenæo.	917
XLIX.	67.	LXXXVI.	Syricio.	1106
L.	68.	LXXXVIII	Attico.	1107
LI.	69.	III.	Felici.	762
LII.	Tom. 1.	LXV.	Romulo.	1054
LIII.	50.	LII.	Titiano.	1001
LIV.	21.	LXXXV.	Syricio.	1105
LV.	70.	LXXXVII.	Segatio & Delphino.	1106
LVI.	32.	LIX.	Romulo.	1054
LVII.	Tom. 1.	LXVI.	Severo.	1016
LVIII.	51.	XXV.	Studio.	892
LIX.	22.	XV.	Anatolio, Numerio &c.	819
LX.	23.	XVI.	Anysio fratri.	822
LXI.	71.	XCI.	Candidiano.	1108
LXII.	Tom. 1.	LXIV.	Irenæo.	1049
LXIII.	10.	VIII.	Justo.	783
LXIV.	46.	V.	Syagrio.	765
LXV.	47.	VI.	Syagrio.	771
LXVI.	48.	LX.	Paterno.	1017
LXVII.	72.	LXXXIV.	Cynegio.	1105
LXVIII.	73.	XC.	Antonio.	1108
LXIX.	74.	LXXXIX.	Alypio.	1107
LXX.	24.	XIX.	Vigilio.	842
LXXI.	41.	LXXIII.	Irenæo.	1077
LXXII.	42.	LXXIV.	Irenæo.	1079
LXXIII.	43.	LXXV.	Clementiano.	1083
LXXIV.	44.	LXXVIII.	Horontiano.	1093
LXXV.	45.	LXXX.	Bellicio.	1096
LXXVI.	52.	XXVI.	Studio, *nunc* Irenæo.	894
LXXVII.	Tom. 1.	LXXII.	Constantio.	1071
LXXVIII.	9.	LVI.	Theophilo.	1006
LXXIX.	5.	......	*De causa Bonosi.*	1008
LXXX.	6.	......	*Syricius Mediol. Eccles.*	963
LXXXI.	7.	XLII.	Syricio Papæ &c.	965
LXXXII.	25.	LXIII.	Vercellensi Eccl. &c.	1022
LXXXIII.	Tom. 4.	XXIII.	Episcopis per Æmil.	880
LXXXIV.	33.	*Rejecta.*	*Ad sacram Virg. Demetriad.*	
LXXXV.	54.	XXII.	Dominæ sorori.	874

EPISTOLARUM
INDEX ALPHABETICUS.

SANCTI

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI EPISTOLÆ

IN DUAS CLASSES DISTRIBUTÆ.

Prior eas continet, quas in ordinem chronologicum licuit digerere: posterior ceteras secundum argumenti rationem distinctas complectitur.

I. CLASSIS.

GRATIANI AD AMBROSIUM EPISTOLA.

Scripta an. 379.

AMBROSIUM ad se invitat, ut se in fide de Filii ac Spiritus sancti divinitate confirmet. Librum etiam petit, cui & alium de Spiritu sancto jungi postulat.

AMBROSIO *religioso sacerdoti omnipotentis Dei* GRATIANUS AUGUSTUS.

1. *CUPIO valde ut quem recordor absentem, & cum quo mente sum, cum eo etiam corpore sim præsenti. Festina igitur ad me, religiose Dei sacerdos, ut doceas* a *doctrinam vere credentem: non quod contentioni studeam, aut velim magis Deum verbis quam mente complecti; sed ut magis aperto pectori revelatio divinitatis insidat.*

2. *Docebit enim me ille, quem non nego, quem fateor Deum ac dominum esse meum,* * *non ei objiciens, quam in me video, creaturam, qui Christo nihil me addere posse confiteor;* b *velle tamen ut etiam Patri me commendem, Filium prædicando. Non ego in Deo verebor invidiam: non me talem laudatorem putabo, qui divinitatem verbis augeam. Ego infirmus & fragilis, quantum possum, prædico: non quantum est ipsa divinitas.*

3. *Rogo te ut mihi des* * *ipsum tractatum, quem dederas, augendo illic de Spiritu sancto fidelem disputationem: Scripturis atque argumentis Deum esse convincas. Divinitas te servet per multos annos,* * *parens, & cultor Dei æterni, quem colimus, Jesu Christi.*

EPISTOLA I.

Scripta an. 379.

AMBROSIUS *apud Cæsarem se, quod non venerit, excusat, & laudata ipsius humilitate, fide ac pietate, à se mitti libros petitos scribit, seque voluntati ejusdem in lucubrandis tractatibus de Spiritu sancto satisfacturum spondet.*

Beatissimo augusto GRATIANO, & * christianissimo principi AMBROSIUS episcopus.

1. NON mihi affectus defuit, christianissime principum; nihil enim habeo, quod hoc verius & gloriosius dicam: non, inquam, mihi affectus defuit, sed affectum verecundia retardavit, quominus clementiæ tuæ occurrerem. * Revertenti tamen si non occurri vestigio, occurri animo, occurri voto, in quo majora sunt officia sacerdotis. Occurri, dico? Quando enim absui, quem toto sequebar affectu, cui sensu ac mentibus inhærebam? ET CERTE major animorum præsentia est. Tuum quotidianum iter legebam, nocte ac die in tuis castris cura & sensu locatus, orationum excubiis prætendebam: & si invalidus merito, sed affectu sedulus.

a. MSS. & superiores edit. partim, *doctrinam veram credentem*: partim nobiscum, *doctrinam vere credentem*.

*. Hoc est, non illud ad negandam Christi divinitatem vertens, quod naturam meam ab eodem susceptam credo

b. MSS. nonnulli, *vellem tamen .... me commendarem*.

*. Priores duos libros *De Fide* intelligit, qua de re dictum est in Admonitione ad eosdem libros: nec non in ea quam Operi. *De Spiritu sancto* præfiximus.

*. Quemadmodum amorem suum Gratianus in Ambrosium testabatur, eum parentem appellando; sic Ambrosius etiam quam tenere Gratianum diligeret, illum filii nomine vocitando significabat: *Doleo te, fili Gratiane, suavis mihi valde &c.* Locum ipsum consule sub finem orationis *in Obitu Valentiniani*, ubi præclara mutui amborum amoris testimonia reperies.

*. Christianissimi titulum imperatoribus tribui non ita consuevisse quodammodo indicat Ambrosius; namque in epistolæ principio, cùm Gratianum rursus eodem vocabulo compellasset, rationem ejus statim adjicit: *Nihil enim*, inquit, *habeo &c.* Sane quidem jure merito christianissimus ille salutatus est, qui cùm se ab arriana peste, quæ Valentem patruum, Justinam novercam, aliosquo principes infecerat, intactum servasset, tanto ardore flagitabat vera fide se informari, cujus propugnator semper exstitit quam acerrimus. Eodem quoque modo idem Ambrosius Valentinianum in lemmate prioris adversus Symmachum epistolæ appellat christianissimum; ut videlicet hoc illo titulo eum ad christianæ fidei defensionem teneri significaret.

*. Hoc intellige de Gratiani reditu ex oriente in Germaniam, de quo vide quæ nos in Admonitione ad libros *De Fide* observamus.

2. Et hæc quidem cùm * pro tua salute deferebamus, pro nobis faciebamus. Nihil hîc adulationis est, quam tu non requiris, ego alienam nostro duco officio: sed plurimum gratiæ, quam dedisti. Scit ipse nostri arbiter, quem fateris, & in quem pie credis, refici viscera mea tua fide, tua salute, tua gloria: meque non solùm * officio publico debitas pendere preces, sed etiam amore privato. * Reddidisti enim mihi quietem Ecclesiæ, perfidorum ora, atque utinam & corda, clausisti: & hoc non minore fidei, quàm potestatis auctoritate fecisti.

3. Nam quid de litteris recentibus loquar? Scripsisti tua totam epistolam manu; ut ipsi apices fidem tuam pietatemque loquerentur.
Gen. 18. 7. Sic Abraham sua manu quondam vitulum occidit, ut hospitibus epulantibus ministraret: nec in ministerio religioso aliorum adjumenta quæsivit. Sed ille privatus aut Domino & Angelis, aut Domino in Angelis deferebat: tu, Imperator, dignatione regali honoras infimum sacerdotem. Sed Domino defertur, cùm servulus honoratur; ipse enim dixit: *Quod uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. 40.

4. At ego humilitatem tantummodo prædico in imperatore sublimem, ac non amplius fidem, quam vere conscia meriti tui mente dixisti, quam docet te ille, quem non negas? Quis enim alius docere te potuit, ut ei non objicias, quam in te vides, creaturam? Nihil moralius, nihil expressius dici potuit; creaturam enim Christum dicere, pro objectu contumeliæ est, non pro confessione reverentiæ. Deinde quid tam insolens, quam id eum existimare, quod nos sumus? Docuisti igitur me, à quo te discere velle profiteris: nihil tale adhuc legi, nihil tale audivi.

5. Quam pium autem illud, quam admirabile, quod in Deo non vereris invidiam! De Patre remunerationem pro Filii amore præsumis, & laudando Filium, non ei te posse aliquid addere profiteris: sed velle ut etiam Patri te Filii prædicatione commendes. Quod utique solus te docuit ille, qui dixit: *Qui me diligit, diligetur à Patre meo* Johan. 14. 21

6. Addidisti ad hæc, quia tu infirmus & fragilis non te talem laudatorem putabas, ut divinitatem verbis augeas: sed quantum possis prædices, non quantum est ipsa divinitas. Hæc infirmitas in Christo fortior est, sicut & Apostolus dixit: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 12. 10. Hæc humilitas excludit fragilitatem.

7. * Veniam plane, & festinabo, ut jubes; ut hæc præsens audiam, ut hæc præsens legam, cùm ex tuo ore procedunt. Misi autem duos libellos, quorum jam, quia tuæ clementiæ sunt probati, periculum non verebor: de Spiritu verò interim veniam scriptioni peto; quoniam quem judicem mei sim sermonis habiturus, agnovi.

8. Interim tamen sententia & fides tua de Domino & Salvatore depromta de Dei filio, redundat ad adsertionem uberrimam, per quam sancti quoque Spiritus divinitas sempiterna credatur; ut non ei objicias, quam in te vides creaturam, nec Deum Patrem domini nostri Jesu Christi Spiritui suo existimes invidere. QUOD ENIM creaturæ caret communione, divinum est.

9. Si Dominus faverit, huic etiam clementiæ tuæ satisfaciam voluntati; ut cujus accepisti gratiam, eum plane in Dei gloria præeminentem suo nomine æstimes honorandum.

10. Beatissimum te & florentissimum Deus omnipotens Pater domini nostri Jesu Christi tueri ætate prolixa, & regnum tuum in summa gloria, & pace perpetua confirmare dignetur, domine Imperator auguste, [a] divino electe judicio, principum gloriosissime.

EPISTOLA II.

CONSTANTIUM *in Episcopum nuper electum monet, ut Ecclesiam in mari ac fluminibus regat, quid utroque significetur, promens. Hortatur ut aquas, queis populi mentes riget, colligat: & cujusmodi sermones ejus esse, quasve illum præcipere virtutes oporteat, ubi docuit, de statera, qua sermo expendatur, tractat. Humilitatis ostensurus utilitatem, exemplum affert beati Joseph; præsentiumque vanitate, ejusdem Joseph ac David historiis demonstrata, populos ad veras opes sibi parandas excitandos tradit. Denique Ecclesiam Fori Cornelii ei commendans, de prudentia in hæreticos, de justitia in vicinos, deque humanitate in servos nonnihil addit.*

[b] AMBROSIUS CONSTANTIO.

1. SUscepisti munus sacerdotii, & in puppe Ecclesiæ sedens, navim adversus fluctus gubernas. Tene clavum fidei, ut te graves hujus sæculi turbare non possint procellæ. Mare

*. Ex hoc loco publicas preces pro imperatoribus in expeditionem profectis episcoporum jussu fieri consuevisse non sine causa colligi potest. Baronius quidem ad ann. 379. Ambrosium non solum fuisse, qui Gratiani arma publicis orationibus Deo commendaverit, hinc demonstrari sibi persuadet, quod in oratione Ausonii de suo consulatu anno citato eidem imperatori oblata sic legamus: *Forum & basilica olim negotiis plena, nunc votis votisque pro tua salute susceptis; nam de sua cui non, te imperante, securitas.* Verum non satis advertit magnus Cardinalis vocem *basilica* non pro æde sacra hic positam esse, quo sensu apud Hieronymum, Ambrosium nostrum aliosque auctores ecclesiasticos frequens occurrit; sed pro amplo quodam loco, ubi consilia & judicia, convivia, ludi & similia fiebant, ut à Cicerone aliisque usurpata est. Hoc intelligas non solùm ex eo quod foro conjuncta est ab Ausonio, sed etiam quia ibidem de utroque juxta dicitur, *olim negotiis plena.* Quod autem additur publicam securitatem in salute principis esse positam; id pulcre convenit cum superioribus illis Ambrosianis: *Et hæc quidem cùm pro tua salute* &c.

*. Vexationes aliquas hîc indicari, quas ipso episcopatus initio ab Auxentii fautoribus passus fuerit sanctus Præsul, non ambigimus. Et certe libro 1. *de Spiritu sancto* cap. 1. basilicæ cujusdam mentio exstat, quam prius, Justinæ procul dubio precibus & auctoritate, à Gratiano sequestratam, catholicis postea idem restituit. Sed ea huic epistolæ posteriora sunt.

*. Roget aliquis num revera ad Gratianum Ambrosius se contulerit? Baronius ad annum 379. sic factum putat. Neque vero illud penitus à fide videtur alienum; cùm Ambrosius tam diserte hanc profectionem sit pollicitus, cumque Gratianus tam officiosa humanitate anteverterit. Verum tamen negantem opinionem existimamus probabiliorem, tum propter alia, tum quod libros ab eo postulatos ad eumdem non pertulerit ipse, sed miserit; tum etiam quod imperatorem mense Augusto hujus ipsius anni Mediolani reducem fuisse comperiamus.

a. *Divino electe judicio* &c. quæ deerant in edit. è cod. Mediol. restituta sunt. Id autem citata verba significant, principes etiam in hereditaria successione non sine divino judicio institui: sed insuper videntur indicare extraordinariam Gratiani novennis pueri electionem, quæ qua ratione de communi consensu exercitus à patre Valentiniano facta sit, describit Ammianus lib. 27.

b. Sic vet. edit. ac mss. excepto solo Longip. ubi scribitur *Ambrosius Constantino.* Esse tamen etiam alibi ms. aliquem sub eadem hac inscriptione ex eo cognoscimus, quod Ughellus tomo 2. *Italiæ sacræ* p. 633. ex hac epistola locum proponens, eam nominat *ad Constantinum imperatorem.* Sed crassus hic error est, cùm id temporis nec Constantinus ullus imperator esse potuerit, & eum ad quem data fuit hæc epistola, episcopum vel prima ejusdem verba declarent: *Suscepisti munus sacerdotii* &c. Hoc ergo non male Rom. editores indicassent, cùm pro lemmate eidem præfixerunt *Ambrosius episcopus Constantio fratri*; nisi eum in argumento epistolæ *Arausicorum episcopum designatum* significassent. De quo nos infra.

quidem magnum & spatiosum, sed noli vereri; A Psal. 23. 2. quia *ipse super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam.* Itaque non immerito inter tot mundi freta Ecclesia Domini tamquam Matth. 16. 18. supra apostolicam ædificata petram immobilis manet, & inconcusso adversum impetus sævientis sali perseverat fundamine. Alluitur undis, non quatitur: & licet frequenter elementa mundi hujus magno illisa resultent fragore; habet tamen quo laborantes excipiat, tutissimum portum salutis.

2. Sed tamen etsi in mari fluctuat, currit in B fluminibus; & vide ne in illis fluminibus magis, Psal. 92. 3. de quibus dictum est: *Elevaverunt flumina vocem suam.* Sunt enim flumina, quæ de ventre Johan. 7. 38. ejus fluent, qui potum à Christo acceperit, & de Spiritu Dei sumserit. Hæc ergo flumina, cùm redundant spiritali gratia, elevant vocem suam. Esai. 66. 12. Est & fluvius qui decurrit in sanctos suos sicut Psal. 45. 5. torrens. Est & fluminis impetus, qui lætificat animam pacificam atque tranquillam. Ex hujus fluminis plenitudine quicumque acceperit, C sicut Johannes evangelista, sicut Petrus & Paulus, elevat vocem suam: & sicut apostoli evangelicæ prædicationis vocem usque in totos fines orbis terrarum canoro diffuderunt præconio; ita & iste incipit evangelizare dominum Jesum. Accipe ergo à Christo, ut & tuus sonus exeat.

3. Mare est scriptura divina, habens in se sensus profundos, & altitudinem propheticorum ænigmatum: in quod mare plurima introierunt D Johan. 4. 14. flumina. Sunt ergo & fluvii dulces atque perspicui, sunt & [a] fontes nivei, qui saliant in vitam Prov. 16. 24. æternam: sunt & sermones boni, sicut favi mellis: & gratæ sententiæ, quæ animos audientium spiritali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium suavitate mulceant. Diversa Esai. 9. 5. igitur scripturarum divinarum fluenta. Habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum.

Psal. 148 5. 4. Collige aquam Christi, illam quæ laudat E Dominum. Collige aquam de pluribus locis, Eccl. 11. 3. quam effundunt nubes propheticæ. Quicumque colligit de montibus aquam, atque ad se trahit, vel haurit è fontibus, & ipse rorat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tuæ; ut terra tua humescat, & domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit & intelligit, impletur: qui fuerit impletus, alios rigat; ideoque Scriptura di-Ibidem. cit: *Si impletæ fuerint nubes, pluviam in terram effundent.*

5. Sint ergo sermones tui proflui, sint puri, & dilucidi; ut morali disputatione suavitatem infundas populorum auribus, & gratia verborum tuorum plebem demulceas; ut volens quo ducis, sequatur. Quod si aliqua vel in populo vel in aliquibus contumacia, vel culpa est, sint sermones tui hujusmodi, ut audientem stimu-Eccl. 12. 11. lent, compungant male conscium: *Sermones enim sapientium tamquam stimuli.* Stimulavit & dominus Jesus Saulum, cùm esset persecutor. Quam salutaris fuerit stimulus, considera, qui Act. 9. 5. ex persecutore apostolum fecit, dicendo: *Durum est tibi, ut adversus stimulum calces.*

6. Sunt etiam sermones sicut lac, quos in- 1. Cor. 3. 2. fudit Paulus Corinthiis; qui enim fortiorem cibum epulari non queunt, succo lactis ingenii sui exercent infantiam.

7. Alloquia tua plena intellectus sint. Unde & Salomon ait: *Arma intellectus labia sapientis;* Prov. 14. 3. & alibi: *Labia tua alligata sint sensu*, id est, ful- Prov. 15 5. geat sermonum tuorum manifestatio, intellectus coruscet, & alloquium tuum atque tractatus aliena non indigeat adsertione: sed sermo tuus velut armis suis se se ipse tueatur, nec ullum verbum tuum in vanum exeat, & sine sensu prodeat. Est enim alligatura, quæ constrin- Esai. 1. 6. gere solet animorum vulnera: quam si quis rejicit, desperatam sui prodit salutem. Et ideo circa eos qui gravi ulcere vexantur, utere oleo sermonis, quo foveas mentis duritiam: appone malagma, adjunge alligaturam salutaris præcepti; ut vagos & fluctuantes circa fidem, vel disciplinæ observantiam nequaquam soluto animo & remisso vigore patiaris perire.

8. Admone igitur plebem Domini, atque obsecra, ut abundet in operibus bonis, renuntiet flagitiis, non accendat flammarum incendia, non dicam in sabbato, sed in omni tempore; ne comburat corpus suum: fornicatio Ephes. 5. 3. & immunditia non sit in Dei servulis; quia immaculato servimus Dei Filio. Noverit unusquisque se, & vas possideat suum, quo subacto 1. Thess. 4. 4. quodam sui corporis solo, fructus exspectet debitos, nec spinas & tribulos ei terra sua ger- Gen 3. 18. minet, sed dicat & ipse: *Terra dedit fructus suos;* Psal. 84. 13. atque in hac dumosa quondam passionum fragilitate insitiva virtutum efflorescant.

9. Edoce etiam atque institue, ut faciant quod bonum est, & unusquisque non intermittat opus probabile, sive à pluribus videatur, sive sine arbitro sit; abundat enim sibi locuples testis conscientia.

10. Fugiat etiam mala opprobria; etiamsi se credat non posse convinci. Nam etsi clausus parietibus sit, & opertus tenebris, sine teste, sine conscio; habet tamen facti arbitrum, quem nihil fallat, ad quem facta clamant omnia. Denique clamavit & vox sanguinis. Se ipsum unus- Gen. 4. 10. quisque & animum suum severum judicem sui, ultorem sceleris, & vindicem criminis habet. Denique timens & tremens oberrabat Cain, Ibid. 14. parricidialis facinoris luens pœnas; ut ei remedio sua mors fuerit, quæ vagum exsulem formidato per omnia momenta terrore mortis, per mortem exuit. Nemo igitur vel solus, vel cum altero aliquid turpe aut improbum faxit. Et si quis solus est, se ipsum præ ceteris erubescat, quem maxime debet vereri.

11. Nec concupiscat plurima, quia & pauca ei plurima sunt; paupertas enim & opes inopiæ & satietatis vocabula sunt. NEC DIVES est, qui indiget aliquo: nec pauper, qui non indiget. Nec quisquam viduam spernat, circumscribat pupillum, fraudet proximum suum. Væ Hab. 2. 6. enim illi, qui congregatam dolo habet substantiam, & in sanguine ædificat civitatem, id est,

a. Rom. edit. sola, *fontes vivi.* Haud incommode, nisi aliarum & mss. prævaleret consensus. Intelligantur ergo *fontes nivei* non è nivibus collecti, sed frigidi; aut certe puri ac nitidi, ut proxime ante dicitur de fluviis.

Psal.121.3. animam suam: Hæc est enim, quæ ædificatur A sicut civitas. Hanc civitatem non ædificat avaritia, sed destruit: non ædificat libido, sed exurit atque incendit. Vis bene ædificare civitatem?
Prov.15.16. *Melius est exiguum cum Dei timore, quam thesauri magni sine timore.* Divitiæ hominis ad redemtionem animæ debent proficere, non ad de-
Prov.13.8. structionem. Et thesaurus redemtio est, si quis eo bene utatur: & iterum laqueus est, si quis uti nesciat. Quid enim homini pecunia sua, nisi quoddam viaticum est? Multa oneri, moderata B usui. Viatores sumus vitæ hujus: multi ambulant, sed opus est, ut quis bene transeat; cùm illo enim est dominus Jesus, qui bene transit. Ideo-
Esai.43.2. que legis: *Si transeas per aquam, tecum sum; flumina te non concludent, nec ignis exuret vestimen-*
Prov.6.27. *ta tua, si transeas.* Qui autem ignem alligat in corpore suo, ignem libidinis, ignem immodicæ cupiditatis, non transit, sed exurit involucrum
Prov.22.1. istud animæ suæ. Præclarior est bona existimatio quam pecunia, & super omnes argenti acervos C bona est gratia. Fides ipsa abundat sibi, satis superque censu suo dives. Sapienti quoque nihil
a alienum, nisi quod virtuti incongruum: quo-
Prov.17.5. cumque [a] accesserit, inveniet sua omnia. Totus mundus possessio ejus est; quoniam toto eo quasi suo utitur.

12. Quid igitur circumscribitur frater? quid
Prov.6.26. fraudatur mercenarius? Non magna, inquit, lucra de mercede meretricis, id est, lubricæ istius fragilitatis. Meretrix ista non specialis, D sed publica est: non una mulier, sed vaga omnis cupiditas meretrix est. Omnis perfidia, omnis fallacia meretrix, non illa sola, quæ corpus prostituit suum; sed omnis anima quæ spem suam vendit, quæ deformes quæstus & degenerem stipem quærit. Et nos mercenarii sumus, qui ad mercedem laboramus, & hujus operis nostri mercedem speramus à domino nostro & Deo. Si quis cognoscere vult quam mercenarii sumus, audiat dicentem: *Quantis panibus* E
Luc 15.17. *mercenarii patris mei abundant? ego autem hic fa-*
Ibid.19. *me pereo*; & infra: *Fac me*, inquit, *sicut unum mercenariorum tuorum.* Omnes mercenarii, omnes operarii: qui tamen fructum exspectat laboris, consideret quod is qui alium mercede fraudaverit debita, & ipse fraudabitur sua. Fœneratum istud offendit, & postea cumulatiore mensura exsolvet. Ergo qui non vult amittere, quod est perpetuum, non eripiat alii, quod temporale est. F

13. Nemo etiam in dolo loquatur ad proxi-
Prov.6.2. mum suum. Laqueus est in labiis nostris, & sæpe unusquisque sermonibus suis non explicatur, sed
Prov.22.14. involvitur. Fovea alta est os malevoli: grande innocentiæ præcipitium, sed majus malevolen-
Prov.14.15. tiæ. Innocens dum credit facile, cito labitur; sed tamen iste lapsus resurgit: maledicus autem suis artibus præcipitatur, unde numquam exsiliat atque evadat. Ponderet ergo unusquisque
Prov.11.1. sermones suos, non cum fraude & dolo: *Statera fallax improbabilis apud Deum:* non illam state-
b ram dico, [b] quæ mercem appendit alienam (& in vilibus quidem rebus carò constat fallacia)

sed statera verborum ipsa apud Deum est crabilis, quæ prætendit pondus gravitat briæ, & subnectit versutias fraudulentiæ. maxime condemnat Deus, si decipiat a proximum suum promissorum benignitat subdola iniquitate defœneratum opprim: hil sibi profuturus astutiæ suæ artibus. enim prodest homini, si totius mundi opes, animam autem suam vitæ æternæ d det stipendio?

14. Alia piis mentibus consideranda s qua singulorum facta trutinantur, in q rumque ad judicium peccata propendu bene gesta peccatis præponderant. V si præcedant flagitia, & ad mortis præj lethali vergant pondere: Tolerabilius s quantur omnia tamen manifesta Don ante judicium: nec bona possunt latere quæ plena sunt offensionis, abscondi.

15. Quam beatus qui radicem vitior care, potuerit avaritiam! Is profectò hanc non reformidabit. Avaritia enim que sensus hebetat humanos, & perv niones; ut quæstum pietatem putent. niam quasi mercedem prudentiæ. M tem magna pietatis est, & quæstus s habere quod usui est satis. Quid eni mundo prosunt divitiarum superflua iis & nulla adjumenta nascendi sint pedimenta moriendi? Nam & sine in to in hoc mundo nascimur, & sine vi cedimus, sine hereditate sepelimur.

16. Pendet singulis nostrorum sta torum, atque exiguis vel boni oper generis flagitii momentis huc atque inclinatur: si mala vergant, heu me præsto est venia. Nemo enim à pecc nis: sed ubi propendunt bona, elev cata, obumbrantur, teguntur. Ergo dicii aut nostra opitulabuntur nobis ipsa nos in profundum, tamquam mo sos lapide, mergent. Gravis est enim lento plumbeo suffulta, iniquitas; i avaritia, atque omnis superbia, te lentia. Et ideo hortare plebem Do re magis in Domino, abundare in plicitatis, in quibus ambulet sine l impedimento.

17. Bona etiam puri sermonis si locuples apud Deum, etiamsi inter l bulet; tamen quia alii nescit insidias la innectere, non alligatur.

18. Illud quoque præcipuum, si ut noverint humiliari, sciant verum colorem, naturam noverint. Multi militatis speciem, virtutem non ha cam foris prætendunt, & intus im fucum præferunt, ad veritatem al gratiam negant: *Est enim qui nequ se, & interiora ejus plena sunt doli.* nimium submittit ab humilitate mu ergo humilitas nisi sine fuco, sine est vera, quæ habet piam mentis s Magna virtus ejus. Denique per in

a. Mss. non pauci & cum his omnes edit. *accesserit, sua omnia*: sed verbum *inveniet* in pluribus ac potioribus mss. inventre est.

b. Vet. edit. cum parte mss. *qua mercedem*: R te, *qua mercem*.

unius hominis mors introivit, & per obedientiam unius domini Jesu Christi facta est universorum redemtio.

Gen.37.28. 19. Scivit humiliari sanctus Joseph, qui cùm esset à fratribus in servitutem venditus, vel à negotiatoribus coemtus, humiliatus in compedibus, ut Scriptura dicit, virtutem humilitatis didicit, infirmitatem repudiavit. Itaque emtus in Ægypti partibus à servo regio, coquorum præposito, non prosapiæ nobilis conscientia, quasi germen Abrahamitarum, dedignatus obsequia vernacula, fastidivit degenerem conditionem: sed magis gnavum se & fidelem herili imperio præbuit, alto intendens consilio nihil interesse in quo statu quis probabilem se præstaret: sed illum esse finem bonorum, ut in quocumque statu probarentur; illudque præcipuum, si magis mores commendarent statum, quam status mores. Etenim quo status inferior, eo virtus eminentior. Talem itaque se exhibebat, tam sedulum; ut ei dominus suus totam domum suam crederet, ipsi omnia committeret. (Psal 104. 18. Gen. 39. 1. & seq.)

Ibid. 7. & seq. 20. Unde & uxor ejus oculos injecit in eum, capta formæ venustate; nihil enim ad nos, si petulantibus oculis aut ætas expetitur, aut pulcritudo. Ars desit, nullum est crimen decoris: illecebra facessat, inoffensa est species, & formæ gratia. Itaque percita atque animi furens interpellat juvenem, & cogente libidine, victa passionum stimulis crimen fatetur. Verùm ille abjurat flagitium,* dicens nec moribus Hebræorum convenire, nec legibus, ut alienum violent thorum, quibus cura est tuendi pudoris; ut integri nuptiarum integris socientur virginibus, nec ulli conveniant feminæ, quæ legitimi usus thori nesciat: religionemque sibi esse, [a] ne ebrius turpis intemperantiæ, ingratus herilis indulgentiæ, cui obsequium deberet, ei gravem inferret contumeliam.

21. Numquid erubescebat illum vilem dominum tamen dicere, & se servum fateri? Quin etiam cùm ambiret mulier, obsecraret etiam metu proditionis, vel amoris sui lacrymas funderet ad extorquendi necessitatem, nec misericordia flexus ad flagitii consensum, nec coactus metu, & precibus restitit, nec minis cessit, præponens præmiis periculosam honestatem, quàm turpem remunerationem casto pudori. Iterum quoque mulier majoribus adorsa tentamentis, cùm inflexibilem adverteret, etiam [b] secunda vice immobilem, passione effera & impudentia vires ministrante, juvenem aggreditur, veste apprehensa ad cubile trahens, complexum offerens: & pene ceperat, nisi exuisset Joseph vestem, qua tenebatur; ne exueret amictum humilitatis, indumentum pudoris. (Ibid. 39. 11. & seq.)

22. Scivit igitur humiliari, qui humiliatus est usque ad carcerem; & cùm sustineret calumniam, maluit crimen falsum subire, quam verum referre. Scivit; inquam, humiliari, quia humiliabatur pro virtute. Humiliabatur in typo ejus, qui se erat humiliaturus usque ad mortem, mortem autem crucis: qui venturus erat, ut vitam hanc de somno resuscitaret; & somnium esse hunc vivendi usum doceret, in quo diversæ commutationum vices tamquam ebriæ, & nihil solidum, nihil firmum, tamquam dormientis somnium videntes non videmus, & audientes non audimus, & manducantes non satiamur, gratulantes non gratulamur, currentes non pervenimus. Vanæ spes hominum in hoc sæculo, qui ea quæ non sunt, tamquam quæ sint, sequenda arbitrentur. Itaque inanes & vacuæ rerum species tamquam in somnio venerunt, abierunt: adstiterunt, evanuerunt. Circumfusæ & dispersæ sunt, teneri videntur, & non tenentur. Denique ubi quis audivit dicentem: *Surge qui dormis*, & de sæculi istius somno exsurrexit, falsa hæc intellexit omnia: evigilavit, & fugit somnium, fugit potestas, abiit cura patrimonii, formæ venustas, honorum studium. Hæc enim somnia sunt, quibus non moventur, qui vigilant corde: sed dormientes exagitantur. (Ephes. 5. 14.)

23. Vadatur hunc sermonem meum sanctus Joseph, non esse perpetua nec diuturna, quæ sunt hujus sæculi, qui ab initio nobilis genere, censu dives, subito ignobilis servulus est, & (quod ipsam servitii vilitatem acerbat) degeneris domini ære emtum mancipium. Minus enim vile putatur servire libero: geminatur autem servitus, ubi servitur vernaculis. Servus igitur ex genere præclaro, pauper ex patre divite, de amore ad odium, de gratia ad supplicium: rursus de carcere ad aulam, de reatu ad judicium traductus; neque adversis fractus est, neque elevatus secundis. (Gen. 41. 39. & seq.)

24. Adstipulatur etiam momentarias esse vices rerum etiam sancti David frequenter variatus status, qui despectus patri, pretiosus Deo; triumpho nobilis, invidiâ vilis, accitus ad ministerium regium, electus ad affinitatem, postremo faciem & ora mutatus, exsul regni, fugitans parricidii, nunc sua offendicula deplorabat, & rursus aliena removebat, conciliato herede nobilior, quam decolorato. Expertus igitur omnia, pulcre dixit: *Bonum mihi quod humiliatus sum.* (1. Reg. 16. 11. & seq. 1. Reg. 18. 2. & seq. 2. Reg. 11. 1. & seq. Psal. 118. 71.)

25. Quamquam hoc & ad eum possit referri, qui cùm esset in Dei forma, facilis inclinare cælos; descendit tamen, & formam servi accipiens nostras portavit infirmitates: qui prævidens sanctos suos, non quasi rapinam sibi proprium honorem adsumere; sed subjicere se æqualibus, & alios sibi anteferre, dixit: *Bonum mihi est quod humiliatus sum.* Bonum mihi est quod me subjeci; ut subjecta mihi sint omnia, & fit Deus omnia & in omnibus. Hanc infunde humilitatem singulorum animis, & te ipsum formam præbe omnibus, dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* (Phil. 2. 6. 1. Cor. 15. 27. & 28. 1. Cor. 11. 1.)

26. Discant bonorum operum divitias quærere, & morum esse locupletes. Pulcritudo divitiarum non in sacculis divitum, sed in alimentis pauperum est. In illis infirmis & egenis melius opes lucent. Discant itaque pecuniosi non sua, sed ea quæ sunt Christi, quærere; ut illos & Christus requirat, ut illis sua largiatur. Impendit pro illis sanguinem suum, effundit illis (Rom. 8. 32.)

*. Hac de re adisis Philonem lib. *De Joseph* ultimæ edit. Parisiensis pag. 533.

a. Nonnulli mss. *ne Hebræus*, minus concinne.

b. Omnes edit. *etiam secundo immobilem passione, effera impudentia* &c. omnes mss. ut in textu, nisi quod bene multi omittunt & ante vocem, *impudentia*.

Spiritum suum, offert illis regnum suum. Quid A amplius dabit, qui se ipsum obtulit? Aut quid est quod non sit daturus Pater, qui pro nobis unicum Filium tradidit morti? Admone igitur illos servire Domino in sobrietate & gratia, tota mentis sedulitate erigere oculos ad cælestia, nihil ponere in lucro, nisi quod vitæ æternæ sit; nam iste omnis hujus quæstus sæculi animarum dispendium est. Denique omnium detrimentum passus est, qui volebat Christum lucrari: quod etsi mirabiliter dixerit, minus tamen B expressit, quam acceperat. Hic enim de alienis loquutus est, Christus autem dixit: *Qui vult post me venire, abneget se ipsum sibi*; ut ipse suum detrimentum sit, quo fiat lucrum Christi. Caduca hæc omnia, [a] cum damno, sine lucro: illud solum est lucrum, ubi fructus perpetuus, ubi æternæ merces quietis.

Phil. 3. 8. — Luc 9. 23.

27. Commendo tibi, * fili, Ecclesiam, quæ est ad Forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur epis- C copus. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longe non possum excurrere.

28. Habes illic Illyrios de mala doctrina Arrianorum, cave eorum zizania: non appropinquent fidelibus, non serpant adulterina semina: * advertant quid propter suam perfidiam acciderit sibi, quiescant, ut veram fidem sequantur. Difficile quidem imbuti animi infidelitatis venenis abolere possunt impietatis suæ glutinum; si tamen in iis virus infaustum inole- D verit, nec facile iis credendum putes. Nervi enim sunt, & quidam artus sapientiæ, non temere credere, maxime in causa fidei, quæ raro perfecta est in hominibus.

29. Tamen si quis est, qui licet suspectæ sit infirmitatis, & nutantis affectus, purgare habitam de se opinionem velit; permitte ut satisfecisse se putet, indulge aliquantulum; cujus enim excluditur satisfactio, avertitur animus. Nam etiam medendi periti cùm vident * notas ægri- E tudines, ut ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent; sed tamen medicinæ tempus exspectant: nec deserunt invalidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt, palpant delinimentis; ne aut intermissa ægritudo desperatione animi gravescat, aut crudior medicinam respuat: eo quod ad maturitatem pervenire nequeat, si indigestæ insolens rerum hujusmodi medicus adhibeat manus. Siquidem & pomum cùm immaturum exagitatur, cito deperit.

30. Et quia de agro exemplum sumsimus, præcipe illis inviolata confinii servare jura, paternos custodire terminos, quos Lex tuetur. Supra fraternam caritatem frequenter est vicini gratia; ille enim sæpe longe, hic in proximo est, vitæ omnis testis, conversationis arbiter. Delectet eum per finitima spatia laxari liberum pecus, & in herba viridi projectum secura captare otia.

Deut. 19. 14.

31. Servos quoque dominus jure servitii subditos habeat pro moderamine coercitionis, quasi animæ consortes. Paterfamilias enim dicitur, ut quasi filios regat; quoniam & ipse Dei servus est, & patrem appellat dominum cæli, moderatorem potestatum omnium. Vale & nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

EPISTOLA III.

Script. circ. ann. 380.

Felicis *munusculum prædicat, sed eum quod se à longo tempore non inviserit, arguens; utnon tamdiu procrastinetur, petit.*

Ambrosius Felici.

1. Misisti mihi tubera, & quidem miræ magnitudinis; ut stupori forent ea tam grandia. * Nolui in sinu, ut aiunt, abscondere: sed aliis quoque demonstrare malui. Itaque partem direxi amicis, partem mihi reservavi.

2. Suave munus, non tamen ita præpollens, ut comprimeret querelam meam jure excitatam, quod nos tamdiu amantes tui nequaquam revisas. Et cave posthac ne majora [b] invenias doloris tubera. Nam hujus nominis diversa ratio; ut enim grata in munere, ita in corpore atque in affectu molesta sunt. De te impetra, quominus te abesse doleam; nam causa commotionis meæ, desiderium est tui. Effice, si potes, ut minus gratus sis.

3. Rem exposui, causam probavi. Intorquenda est * amentata illa non manipularis sententia. Metuisti certe: sed vide quam movear, ut delectet jocari. Postea tamen ne excusaveris: etenim quamvis tua hæc * vectigalis mihi sit excusatio; male tamen de te judicat, nec de me

a. Mss. non pauci, *sine damno, sine lucro:* melius alii, & edit. omnes, ut in textu.

*. Episcopum, à quo episcopus alius filii vocabulo compellatus sit, haud facile reperias apud antiquos. Nec sane aliam ullam causam, cur hoc nomine Constantium appellaverit Ambrosius, mens nobis suggerit, nisi quod ille aut è clero Mediolanensi ad episcopatum adsumtus fuerit, vel statim à consecratione in Ambrosii disciplinam se tradiderit spiritalis vitæ placitis instituendum. Utcumque sit, eum vere fuisse episcopum totius epistolæ series clamat; proindeque Rom. edit. in summula male scripsisse *episcopum designatum*. Sed nec felicius ea ibidem Arausicanam sedem ipsi adsignat. Qui enim isthuc fieri possit, cùm eidem præsuli hoc ipso loco Ecclesia Fori Cornelii commendetur, *de proximo* frequentius intervisenda? Nam quæ urbs Forum Cornelii olim nuncupabatur, eadem nunc dicitur Imola; sicuti discimus ex P. Varnefrido lib. 2. *de Gestis Langob.* cap. 18. quem geographi posteriores sequuti sunt. Ea metropolitæ Ravennati hodie paret. Fuit hoc eodem tempore Constantius alius, qui simul cum Arausicano subscripsit Aquileiensi Concilio, episcopus Seissiensis. Verùm cùm Seissiam novi geographi eamdem esse velint ac Segestam, quæ sita est in Pannonia, nec etiam ad hunc Constantium destinari potuit hæc epistola. Cùm igitur ejusdem nominis præter hos duos nullus Antistes, qui floruerit illa ætate, nobis occurrat; nostri hujus sedem ingenue fatemur nobis ignotam.

*. Non alia clades procul dubio hic indicatur, nisi qua, Valente Ariano imperatore profligato atque combusto, illæ provinciæ à Gothis victoribus dirum in modum pervastatæ sunt.

*. Forte legendum *notas ægritudinis*, ut designetur statim atque deprehensa sunt prima ægritudinis indicia, medicinam non adhiberi: nempe secundùm Hippocratis pronuntiatum, Πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ ὠμά. Quod pulcre convenit cum verbis Ambrosii infra positis, *aut crudior*, ægritudo scilicet, *medicinam respuat*. Verumtamen per *notas ægritudines* intelligere etiam possumus consuetos & non immodicos morbos; cùm in extremis atque insolitis, quando periculum in mora est, actutum curatio sit necessaria. Quapropter in lectione omnium mss. & edit. nihil mutandum.

*. Multæ sunt proverbiales formulæ à sinu ductæ, quibus occultum quidpiam significatur: ut puta *in sinu gaudere, in sinu esse*: de quibus Erasm. Chil. 1. Cent. III. Prov. 13.

b. Omnes edit. *invehas*, omnes mss. *invenias*. Neutrum incommode. At quod ultimæ Paris. edit. pro *grata in munere* contra ceterarum & mss. fidem posuerunt, *grata in mente*, id quidem à mente auctoris alienum est: cùm tubera, quæ in amici munere sibi grata fuisse significat, pro fructu terræ videlicet posita; eadem posita pro tumore corporis ex vulnere, aut animi quasi turgescentis ægritudine, molesta esse testificetur.

*. *Amentata sententia* metaphorice dicitur ab amentata hasta, id est, vinculo quodam quod amentum dicitur, illigata; ut certius validiusque intorqueretur. De quo vide Junium Adagiorum Cent. III. prov. 12.

*. *Vectigalis* hoc est, quæstuosa; eo quod munusculorum quasi vectigal secum adtulerit.

melius, ſi aut tuam abſentiam muneribus compenſandam, aut me muneribus redimendum putes. Vale, & nos amantes tui dilige.

Scripta an. 380.

EPISTOLA IV.

Sermone FELICIS *recreatum ſe eſſe; maxime vero quod venturum ad baſilica conſecrationem eum ſperaret, poſtquam celebraſſent initi abs ſe epiſcopatus diem. Suas ad hoc preces ei promittit, mutuaſque ab eodem repoſcit, dum ingreditur ſancta ſanctorum. Tum quæ illic contineantur, myſtice decurſis,* FELICIS *adminiſtrationem prædicat, pollicetur que adjutores ei non defuturos.*

AMBROSIUS[a] FELICI ſalutem.

1. ETſi habitu corporis minus valebam, tamen ubi ſermonem unanimi mihi pectoris tui legi, non mediocrem ſumſi ad convaleſcendum gratiam, quaſi quodam tui alloquii [b] puleio refotus; ſimul quia celebrem utrique noſtrum annuntiaſti diem adfore, quo ſuſcepiſti gubernacula ſummi ſacerdotii, de quo ante momentum cum fratre noſtro [c] Baſſiano loquebar. C Ortus enim ſermo de Baſilicæ, quam condidit apoſtolorum nomine, dedicatione, dedit huic ſermoni viam; ſiquidem ſignificabat quod ſedulo tuæ quæreret ſanctitatis præſentiam.

2. Tum ego noſtris fabulis intexui * diem natalis tui, qui foret in exordio ipſo Kalendarum novembrium: eumque, ſi non fallerer, appropinquaſſe, & craſtina celebrandum die; unde poſthac non excuſaturum. Promiſi ergo de te, quoniam & tibi id de me licet: promiſi illi, D exegi mihi; præſumtum enim habeo quod affuturus ſis, quia debes adeſſe. Non ergo te magis meum promiſſum tenebit, quam tuum inſtitutum, qui id in animum indueris, ut quod oportet facias. Advertis itaque quia non tam promiſſi audax, quam tui conſcius fratri ſpopondi. Veni igitur, ne duos ſacerdotes redarguas: te, qui non adfueris; & me, qui tam facile promiſerim.

3. Natalem autem tuum proſequemur noſtris orationibus, & tu noſtri in tuis votis non E oblivifcaris. Te noſter ſpiritus comitabitur: tu quoque cùm ingredieris ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum; facito noſtro more, ut nos quoque tecum inducas. Cùm ſpiritu adoles aureum illud thymiamaterium, nos ne intermiſeris; ipſum eſt enim quod in ſecundo tabernaculo eſt, de quo plena ſapientiæ oratio tua ſicut incenſum dirigitur ad cæleſtia. (Exod. 26. 35. & ſeq.)

4. * Ibi arca Teſtamenti undique auro tecta, A id eſt, doctrina Chriſti, doctrina ſapientiæ Dei. Ibi dolium aureum habens manna; receptaculum ſcilicet ſpiritalis alimoniæ, & divinæ promtuarium cognitionis. Ibi virga Aaron inſigne ſacerdotalis gratiæ. Aruerat ante, ſed in Chriſto refloruit. Ibi Cherubim ſuper tabulas Teſtamenti, lectionis cognitio ſacræ. Ibi propitiatorium, ſupra quod in excelſis Deus Verbum eſt, imago inviſibilis Dei, quod tibi dicit: *Loquar tecum deſuper propitiatorium de medio duorum* B *Cherubim*; ſic enim loquitur nobiſcum, ut nos ejus ſermonem intelligamus: vel quia non mundana, ſed intelligibilia loquitur, ſicut ait: *Aperiam in parabolis os meum.* Ubi enim Chriſtus, ibi omnia, ibi doctrina ejus, ibi peccatorum remiſſio, ibi gratia, ibi ſeparatio mortuorum ac viventium. (Coloſſ. 1. 15. Exod. 25. 22. Pſal. 77. 2.)

5. Et Aaron quidem ſemel ſtetit in medio eorum, objiciens ſe, ne mors tranſiret ad viventium agmina, à funeribus mortuorum. Hic C autem quaſi Verbum ſemper ſtat in ſingulis, quem nos non videmus, intra nos ſeparans rationabiles virtutes à cadaveribus paſſionum lethalium, & peſtilentium cogitationum. Hic ſtat, quaſi qui in hunc mundum venerit, ut aculeum mortis hebetaret, devoratorium ejus obſtrueret, viventibus æternitatem gratiæ daret, defunctis reſurrectionem concederet. (Num. 16. 47. & 48. Hebr. 2. 14. & 15.)

6. Huic tu militas bonam militiam, hujus depoſitum cuſtodis, hujus pecuniam fœneras, D ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Fœnerabis gentibus.* Bonum fœnus ſpiritalis gratiæ, quod veniens Dominus cum uſuris exiget; & cùm te bene diſpenſaſſe invenerit, dabit tibi plura pro paucioribus: eritque mihi fructus dulciſſimus, quod meum in te judicium comprobabitur. * Ordinatio non reprehendetur, quam accepiſti per impoſitionem manuum mearum, & benedictionem in nomine domini Jeſu. Fac ergo bonum opus, ut in illo die mercedem invenias, E & ego in te, & tu in me requieſcamus. (1. Tim. 1. 18. Deut. 15. 6. 2. Tim. 1. 6.)

7. Multa meſſis Chriſti, ſed pauci operarii; & difficile reperiuntur, [d] qui adjuvent. Verùm hoc vetus: ſed potens eſt Dominus, qui mittat operarios in meſſem ſuam. Certe in illo ordine Comenſium jam plerique cœperunt credere magiſterio tuo, & doctrina tua verbum Dei receperunt: ſed qui dedit credentes, & adjutores dabit; quo & tibi excuſandi auferatur neceſſitas, quod ſerius nos inviſeris: & mihi (Matth. 9. 37.)

a. Omnes edit. *Felici Comenſi epiſcopo*: omnes mſſ. *Felici ſalutem*, præter paucos in quibus omittitur *ſalutem*, & Thuan. ubi habetur *Feliciano*. Non ſatis recte. Hunc porro Felicem Comenſi diœceſi præfuiſſe hujus epiſtolæ contextus aperte probat; eumdem autem eſſe cum eo, ad quem datum eſt ſuperius epiſtolium, non è nomine ſolo colligi datur, ſed potiſſimum ex argumenti affinitate. Cùm enim Felici excuſanti quod non veniſſet, priores literæ deſtinatæ eſſent, hæ ipſæ non obſcuram ejuſdem excuſationis faciunt mentionem. Adde quod utraque ad familiariſſimum, nec nimio intervallo ſemotum ſcriptæ cognoſcuntur. Hujus Felicis, cujus nomen ſanctorum catalogo inſeri meruit, feſtum renuntiatur pridie idus Julias in hæc verba: *Novocomi ſancti Felicis primi ejuſdem civitatis epiſcopi*. Eum Ughellus adſerit ab Ambroſio non tamquam Metropolitano, ſed tamquam apoſtolico legato epiſcopum Comenſis Eccleſiæ fuiſſe inſtitutum; cùm hæc ſedes Aquileienſi numquam ſubjecta non fuerit. At nullum ſententiæ ſuæ argumentum profert. Quod vero eumdem primum Novocomi ſediſſe negat, id non injuria ex ultima parte hujus epiſtolæ refelli poteſt. Expende, lector, & pronuntia.

b. Ubi edit. *pulegio*, mſſ. habent partim *poleio*, partim *puleio*. Et ſane pulegium & puleium eadem herba eſt; legimus enim in *Gloſſis Philoxeni puleium* βλήχων ſive γλήχων. Eſt etiam herba polium dicta ἀπὸ τῆς πολιότητος è canitie. De quarum ambarum virtutibus conſule Dioſcoridem atque alios.

c. Cod. Lat. & Carol. *Baſſiliano*: ceteri & edit. *Baſſano*. Subſcripſit is Concilio Aquileienſi & epiſtolæ ad Syricium, ac utrobique ſicut & apud Paulinum in vita Ambroſii vocatur Laudenſis epiſcopus. Baſilicæ ab eodem conditæ meminit Ughellus, ut dictum eſt in Admonitione. Ejus vero nomen inſcriptum albo ſanctorum legitur XIV Kal. Februarias.

*. Ambroſius anniverſarium conſecrationis epiſcopalis diem hoc loco vocat *diem natalis*, quo etiam modo illum vocarat lib. 8. Expoſ. in Luc. num. 73 Cùm autem jam ibi nonnihil de conſuetudine celebrandi ejus diei obſervatum ſit, id unum placuit hic addere, eum qui uberius quidpiam de hoc more deſideraverit, plura reperturum in *Notis Caſauboni ad Spartianum* pag 10. n. 45.

*. Quemadmodum hic per arcam Teſtamenti ſanctorum Evangeliorum liber deſignatur, ita per dolium aureum manna refertum ſignificatur ſacra illa pyxis, in qua ſervabatur adoranda eucharistia.

*. Adverte inſtitutum epiſcopum numquam reperiri, niſi per manuum alterius etiam epiſcopi impoſitionem: qui mos temere antiquatus eſt ab hæreticis.

d. Belvac. cod. *qui adnuntient*. Et continuo poſt habet Albin. *Verbum hoc vetus*: Boyer. *Verum hoc apud nos.*

crebrior tuæ præsentiæ refundatur gratia. Vale, & nos dilige, ut facis.

Scripta circ. an. 380.

EPISTOLA V.

Sententiam abs se in causa Indiciæ latam defendens, SYAGRII judicium arguit, quod legitima in eo forma non servata sit. Maximum tragœdiæ auctorem apud se non comparuisse: Syagrium inspectionem virgini contumeliosissimam decrevisse; cùm alia, unde judicari virgo debeat, suppetant: inspectionem incertam atque inutilem; aliud enim obstetricum officium esse: non ergo hac ratione causam decidendam; præsertim cum peperisse diceretur Indicia. In quibus inspectio sit toleranda! Syagrium vanam afferre excusationem: Maximum vere accusatorem esse. Postremo accusatione ac testibus rursus vituperatis, refertur Marcellinæ aliarumque pro Indicia testimonium, post quod judicium Ambrosianum subjicitur.

AMBROSIUS [a] SYAGRIO.

1. PRospiciendum esse ne de nostro obloquantur judicio carissimi nostri Veronenses, propriis texuisti litteris. Non arbitror fore, certe non solent. Aut si obloquantur, de quo obloqui soleant, haud dubie liquet: cùm * exasperati huc veniant, pacifici ad te revertantur; præsertim cùm hoc judicium nostrum cum fratribus & consacerdotibus nostris participatum processerit: tu autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium tibi solus [b] vindicandum putaris; in quo tamen ante judicium præjudicium feceris, ut puellam Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque sanctificatam benedictione post tot annos, sine auctore criminationis, sine accusatore, [c] sine professore delationis, in periculum reatus deducendam arbitrare: cui invidia esset à vanis, ab hæreticis, ut ipsi volunt, à turpibus personis conflata per scelus, per avaritiam, per intemperantiam, quærentibus proprii libertatem flagitii, ab iis, postremo qui domo ejus ejecti atque eliminati forent, quod discolora opera subtexerent, quam prima fronte suæ professionis prætenderant.

2. Hujusmodi accusatores, hujusmodi testes in tuo constituebas judicio, qui neque accusare audebant, neque delationis se nexu obligare; atque ita inspectioni adjudicandam constituebas virginem, quam nullus argueret, nullus deferret. Ubi hæc cognitionis solemnitas? Ubi talis judicandi formula? Si leges publicas interrogamus, accusatorem exigunt: si Ecclesiæ; *Duobus*, inquit, *& tribus testibus stat omne verbum:* (Matth. 18. 16.) sed illis testibus qui ante hesternum & nudiustertius non fuerint inimici; ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci sese velint.

3. Inoffensus igitur affectus testium quæritur; ita tamen ut accusator prius in medium procedat. Ipsi illi presbyteri Judæorum manus (Dan. 13. 34. & seq.) suas prius supra caput imposuerunt Susannæ, & accusationem professi sunt, & pariter addiderunt testimonii auctoritatem, quam imprudenter populus sub errore positus acceperat: sed divino judicio per prophetam retexit, & redarguit omnipotens Deus; ut liqueret omnibus eos velle invidiam præseminare adversùm innocentis periculum, qui deficerent accusationis argumento, & firmamento probationis, conjicientes videlicet quod si præoccupatis vulgi auribus invidia mentem incesseret, præjudicium examinandæ veritatis inferret. Etenim cùm audita præveniunt, aurem obstruunt, animum occupant; ne probatio desideretur, ut rumor pro convicto teneatur crimine.

4. Nos igitur accusatorem exegimus, & auctorem totius scenæ Maximum perurgendum arbitrati sumus. Verum ille accusationem, quam studio informaverat, verbo detulerat, deseruit professione; & tamen affectu urgebat, arte exsequebatur: sed fugiebat nomine, quod diffideret probationi. Denique sparsis rumoribus, sed etiam epistolis compositis & destinatis, quæsivit acerbare invidiam delationis: sed nequaquam opprimi potuit integritas & circumveniri. Nam si habuisset probationes, numquam inspectionem tua sententia flagitavisset.

5. Quid igitur sibi velit, & quo spectet quod obstetricem adhibendam credideris, non possum advertere. Itane ergo liberum erit accusare omnibus, & cùm probatione destiterint, patebit ut genitalium secretorum petant inspectionem, & addicentur semper sacræ virgines ad hujusmodi ludibria, quæ & visu & auditu, horrori & pudori sunt? Denique non minima etiam in tuis litteris tentatæ expressionis verecundia est. Quæ ergo sine damno pudoris in alienis auribus resonare non queunt, ea possunt in virgine sine ejus tentari verecundia?

6. Invenisti tibi vile mancipium, procacem vernulam, cur non abutaris pudibundo ministerio, & exponas ejus modestiam; cùm præsertim nihil sanctius in virgine sit, quam verecundia? Non enim sacra virgo ut corpore tantummodo integra sit quæritur, & non ut in omnibus ejus inoffensus maneat pudor. Virgo Domini suis est nixa fulcris ad sui probationem, nec alienis dotibus eget; ut se virginem probet: & nec abditorum, occultorumque inspectio, sed obvia omnibus modestia adstipulatur integritati. NON PLACET Deo, quam non suorum gravitas morum probat: non probatur Domino, quæ unius obstetricis indiget testimonio, quod plerumque quæritur pretio. Ea ergo tibi locuples videtur ad fidem, quæ & redimi & falli potest; ut excuset ream, & crimen tegat, aut nesciat, & non possit flagitium deprehendere?

a. Omnes edit *Syagrio Veronensis Ecclesiæ episcopo*: mss. contra, ut in textu. Eum tamen cui hac epistola respondet Ambrosius, illius Ecclesiæ clavum tenuisse dubium non est.

*. Intellige Veronenses ob judicium episcopi sui non servata forma legitima contra Indiciam virginem sacram latum graviter offensos Ambrosium convenisse, ut eadem causa ab eo tamquam metropolitano ad examen revocaretur. Quod quidem sanctus Præsul vocatis ad Concilium vicinis episcopis præstitit anno, ut censent Ughellus & Baluzius, 80. post 300.

b. Ita mss. at vero edit *judicandum putaris*. Zenonem autem illum, à quo Indicia probata & consecrata dicitur, eumdem esse, cujus memoria pridie idus April. ponitur in Rom. Martyrologio, in suis notis negat Baronius. Alium vero esse contendit etiam Veronensem episcopum, sed alio posteriorem, cujus sermones Zenonis martyris nomine vulgati sunt. Atqui contra non desunt, qui hunc Zenonem Syagrii decessorem, ad hæc tempora solum ejus nominis Veronensem gubernasse Ecclesiam affirment; eique forte propterea quod sub Juliano apostata aliquid perpessus fuerit, martyris nomen adtributum in ea sermonum collectione, quæ ex variorum Patrum operibus compacta eidem adscribitur.

c. Mss. aliquot, *sine professore declinationis*: alii nonnulli.... *declamationis*: reliqui & omnes edit.... *delationis*. Rectius id quidem: verum non ita male quod pro *professore*, mss. aliquot legunt *professione*.

7. Neque

7. Neque vero illud justum arbitror, quod tuis comprehendisti litteris, quia nisi inspecta fuerit, integritas periclitetur, & incerto sui fluctuet. Ergo omnes quæ inspectæ non sunt, periculum subierunt pudoris? Ergo & quæ nupturæ sunt, prius inspiciantur, ut nubant probatiores? Ergo & quæ velandæ sunt, prius subjiciendæ sunt hujusmodi adtrectationi; non enim visitantur, sed adtrectantur: & rectius secundum tuam sententiam inspicitur non probata, quàm consecrata.

8. Quid, quod etiam * ipsi archiatri dicunt non satis liquido comprehendi inspectionis fidem, & ipsis medicinæ vetustis doctoribus id sententiæ fuisse? Nos quoque usu hoc cognovimus, sæpe inter obstetrices obortam varietatem, & quæstionem excitatam; ut plus dubitatum sit de ea, quæ inspiciendam se præbuerit, quàm de ea quæ non fuerit inspecta. Siquidem & proximo id comperimus exemplo: nam quædam conditionis servilis [a] Altini inspecta & refutata, postea Mediolani non meo quidem jussu, sed Nicenti ex tribuno & notario domini vel patroni sui voluntate visitata est à peritissima & locupleti femina hujusmodi artis; & cùm simul ista suppeterent, ut neque paupertas obstetricis suspectam faceret fidem, neque indocilitas imperitiam, tamen adhuc manet quæstio.

9. Quid profuit igitur eam inspici, cùm damnatio maneat? Nam ut quisque voluerit, aut imperitam medicam, aut redemtam adferet; ita sine effectu ullo injuria inspectionis est. Quid deinde fiet? Quotiescumque emerserit, qui non credat, toties [b] virgo adtrectabitur? Nam si umquam se visitandam abnuerit, secundum adsertionem tuam de crimine confitebitur. Et facilius est ut refutet, quod numquam fecerit, quam quod fecerit. Variabuntur igitur obstetrices, ne suspectæ aliqua repetatur gratiæ. Erit itaque inter plures, quamquam paucarum etiam in magnis urbibus hic usus medendi sit: erit, inquam, vel malevola, vel imperita, quam pudoris claustra prætereant, & per imperitiam integro notam affigat pudori. Vides in quod periculum inducas virginalem professionem, dum obstetricem adhibendam putas; ut jam non solum verecundiæ suæ dispendio, sed etiam obstetricis incerto periclitetur.

10. Nunc consideremus quod obstetricis officium sit. Legimus etiam in veteri Testamento obstetrices, sed non inspectrices: denique ad parturientes ingrediebantur, non ad virgines; ut partus susciperent, non ut pudorem examinarent. Unde & * obstetrices dictæ, eo quod obsistant dolori: vel certe pignori, ne laxatis uteri genitalibus claustris, in terram defluat. Secundo & tertio loco in Scripturis invenimus obstetrices adhibitas: sed ubique partui, nusquam inspectioni. Primo ubi Rachel parturit, *Gen 35.17.* deinde ubi Thamar parit, *Gen 38.27.* tertio ubi necandos mares Pharao mandat Hebræorum obstetricibus; *Exod. 1.15. & seq.* quando responderunt illæ, non eo more Hebræas feminas parere, quo pariunt Ægyptiæ: sed Hebræas prius parere, quam introeant obstetrices ad eas. Qui locus ut superiori utilis ad Hebræorum salutem; ita reliquo confragosus ad obstetricum fidem, quæ didicerunt mentiri pro salute, & fallere pro excusatione.

11. Quid igitur suspecta & dubia captamus; cùm majora sint alia examinandæ veritatis documenta & testimonia, in quibus expressiora insignia vel temerati pudoris sint? Quid enim est quod magis publicum sit, quàm offensa pudoris, & defloratio virginitatis? Nihil profecto quod magis se prodat, quam castitatis dispendium. Tumescit alvus, & incedentem fœtus sui onera gravant; ut prætermittamus alia, quibus se vel tacita prodit conscientia.

12. At forte sterilitatis obtentu abscondi in aliquibus possit flagitium. Hîc vero cùm editus partus & expositus, vel necatus (dum invidiæ magis, quam probationi consulitur) dissipatus sit per aures universorum, strangulata est libertas calumniarum, si peperit. Nempe Veronæ fuit, visebatur frequenter à virginibus & mulieribus; in honore enim semper erat. Visebatur & à sacerdotibus propter pudicitiæ reverentiam, & gravitatis speculum. Quomodo ergo potuit occulere crimen, quod se vel specie sui proderet? Quomodo texit uterum? quomodo non refugit adspectum mulierum, oculos salutantium? quomodo parturiens vocem repressit? Sed hoc non patitur dolor: denique Scriptura *Gen 3.16.* hos maximos dicit dolores, qui sunt parturientis. Sic enim inquit, Dies Domini subito venit, *Esai 13.8. & 9.* & improvisus adest, ut dolor partus, qui intercludit omnia effugia delitescendi.

13. Hæc est verior documentorum fides, quam erubescunt & mulieres. Denique Elizabeth occultabat se mensibus quinque; eo quod *Luc. 1.24.* sterilis conceperat in senectute. His signis & ipsa Mariæ virginitas apud ignaros mysterii, probri suspectabatur. Unde & Joseph, cui desponsata erat Virgo, suspectum habebat vitium; *Matth. 1.18.* dum adhuc nesciret Dominicæ incarnationis sacramentum.

14. Quid ergo, negamus inspiciendas virgines? Interim quod nusquam legerim, non adstruo, nec verum arbitror. Sed quia pleraque ad speciem facimus, non ad veritatem; & erroris gratia complura frequenter prætendimus (sunt enim qui nesciant recte facere, nisi metu pœnæ) relinquamus hoc illis, quas non verecundia revocat à lapsu, sed solus injuriæ de-

* Si cujus interfuerit plura de hac re & explicatiora discere, illum ad archiatros, hoc est, principes in medendi arte remittimus. Interim observabimus non solum è Patribus Ambros. quam incerta sit turpis illa integritatis exploratio, docuisse; sed etiam Cyprianum epist. ad Pomponium, ubi legimus: *Cùm & manus obstetricum & oculus sæpe fallantur.* Immo vero periculosam etiam esse Augustinus satis indicat, cùm lib. 1. *de Civit. Dei*, cap. 18. ita loquitur: *Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentia, sive inscitia, sive casu, dum inspicit, perdidit.*

a. Mss. aliquot, *saltim* aut *saltem inspecta*. Non satis recte; Altinum enim fuit Italiæ municipium haud ignobile, cujus ab Attila, ut volunt, solo æquati ruinæ quædam adhuc visuntur, ut tradit Leand. Albertus in *Marchia Tarvisiana*. Iterum autem ubi omnes edit. exhibent, *Nitenti extribuni & notarii*, omnes mss legunt, *Nicenti ex tribuno & notario*: duriuscule quidem, sed tamen non prorsus incongrue. Hujus porro Nicenti Paulinus meminit in Ambrosii vita, & eumdem esse autumat Godefridus ac Nitentium illum cujus mentio fit in lege 22. anni 377. *Ne sanctum Baptisma iteretur.*

b. Amerb. & mss. nonnulli, *virgo obtrectabitur*. Non pravo sensu.

*. Vossius in Etymol. postquam hanc vocis illius originem memoravit, addit illud sibi magis arridere, ut *obstetrix* dicatur quasi *adsestrix*, quod parienti adsideat. Sed haud scimus an multis approbaverit hanc sententiam, nobis sane non approbavit.

terret metus: apud quas nulla cura pudoris, & castitatis gratia, sed pœnæ timor est. Relinquamus vernaculis, quibus formido est deprehendi magis, quam peccasse. Absit à virgine sacra, ut obstetricem noverit: partus putatur, & remedium doloris ducitur, non examen pudoris. Relinquamus etiam illis, si quæ gravibus appetitæ calumniis, * oppressæ testimoniis, strangulatæ argumentis, ad id confugiant, ut se offerant inspectioni, quo vel corporis probetur custodia; si tamen deprehendi potest, in quibus nutat pudoris gratia, & disciplina integritatis. MALE TAMEN se habet causa, ubi potior est carnis, quàm mentis prærogativa. Malo morum signaculo, quam corporis claustro virginitatem exprimi.

15. Jam illud præclarum, quod scripsisti insinuatum tibi à quibusdam quod nequaquam tibi communicarent, si eam sine visitatione suscipiendam crederes. Ergo judicandi accepisti formulam. Quales illi, qui volunt præscribere sacerdotibus quid sequi debeamus? Liberavimus itaque te à cognitionis gravissimæ necessitate, ne necesse haberes formulam mandatam exsequi. Quid nobis futurum est, qui eorum studiis non obtemperavimus?

16. Sed tamen scio illic plerosque esse, qui timeant Dominum. Nam & hîc vidimus dudum, & illic esse comperimus, qui compositam hanc querantur calumniam: quos aiunt eo offensos favisse Maximo, quod ista virgo non circumeat domos, nec eorum matronas salutet atque ambiat. Quid igitur fiet, quomodo tanto eam exuemus crimine? quomodo persuadebimus ut cultus adsumat novos, suos exuat? Grave flagitium virginem intra secreta domus degere, claudi penetralibus suis! Sic certe lectio docet [a] Mariam domi repertam, cùm ad eam Gabriel Archangelus venisset. Susanna fugiens turbarum inducitur. Denique cùm se lavaret, paradisum claudi jubebat. Quid autem præstantius (præsertim in virgine, cujus præcipuum opus [b] verecundia) quam secretum? quid tutius secreto, & ad omnes actus expeditius? Munia enim pudoris induit, non concursationis. Sed de aliis videro, tuæ nunc mihi respondendum epistolæ est.

Luc. 1. 28. Dan. 13. 15. & seq.

17. Te miror, frater, qui tantopere defendas Maximum non fuisse accusatorem, sed parentis dolore doluisse invidiam sparsi rumoris; cùm ille se inimicum & adversarium litigatorem, proposito jam jurgio, negare non potuerit adversus sacram virginem judicia adtentavisse: muroque interjecto, discretas ædes uxoris suæ ac virginis, divisam germanitatis inter sorores societatem; [c] aliaque, quibus doleret quod virgo in agro affinitatis suæ refugisset consortium. Quomodo ergo non accusator, qui affectum accusatoris jamdudum exercuit, qui sermone suo accusationem detulit, aures tuas implevit clamore, * & testes auditionis deduxit, cognitionem poposcit?

18. Quamlibet argumentatus, negare non potuisti quod ad Indiciam scripseris, quoniam Maximus seu impulsu aliorum, seu dolore proprio crimen grave detulerit. Sola hæc epistola satis est ad accusationis testimonium; neque enim te ego tuis ad me datis litteris urgendum putavi, sed iis lectis, quas ad virginem dederas, adverti diversum esse, quod ad me scripseras: & tamen cùm epistolæ tuæ sibi non convenirent, consulendum te, non arguendum putavi. Quid igitur sibi vult illa argumentatio, quia illud detulerit, quod ad me scripseras, delatam videlicet eam in turpi crimine; ita ut editum & obrutum partum dici adserat? Quasi vero istud ad Indiciam, non ad me scripseris. Illa ubi audivit litteris tuis Maximum subduci accusationi, litteras tuas protulit, quibus eum criminis delatorem probavit: ad me datas non legerat, nec quid haberent, sciebat.

19. Ego autem exhorrui à primo calumniam, quia advertebam non crimen intendi, sed injuriam virginis desiderari, cujus inspectio & visitatio postulabatur, non aliquod flagitium deferebatur. Quis enim istud à principio fraude compositum nequaquam sibi congruere & convenire non arbitraretur? Cucurrisse mulieres viles * ad monasterium, jactasse partum virginis, & necem pignoris, de monasterio rumorem per populos sparsum, eumque affluxisse in aures novi affinis Maximi, ab ipso interpellatum episcopum, dimissas eas quæ dixisse ferebantur, atque in fugam coactas, ut apud nos patuit: eos qui audisse se dicerent, ad Ecclesiam vocatos prodisse Renatum & Leontium, duos illos iniquitatis viros, quos apposuit Jezabel, redarguit Daniel, subornavit Judæorum populus; ut auctorem vitæ suæ falso appeterent testimonio. Qui tamen cùm simul composuissent flagitium, simul ingressi essent viam, & ne quid prætercam, adjuncti Maximo, comitantibus, ut dixit Leontius, iis qui illum rumorem sparserant; tamen ubi in meo adstiterunt judicio, cùm primò de origine causæ quærerem, diversa & distantia promsere, non locorum separati, sed mendaciorum divortio.

3. Reg. 21. 10. Dan. 13. 15. & seq. Matth. 26. 59. & 60.

20. Cùm igitur sibi ipsi non convenirent; Mercurium & Leam vilissimæ conditionis & detestabilioris nequitiæ personas amandavissent, aufugisset Theudule, non ignara objiciendi sibi facinoris, quod ante lectum Renati sola cubitavisset, ancilla præsto esset alia, quæ stupro ejusdem Renati se diceret coinquinatam; die

*. Ita etiam Cyprianus jam laudata epist. *ad Pomponium* quamvis incertam esse hanc indagandæ virginitatis viam agnovisset, cùm tamen ageretur de puellis, quæ se una cum viris cubitasse confiterentur, negarent autem venereum aliquid expertas esse, præcipit eas explorari: *Inspiciantur*, inquit, *interim virgines ab obstetricibus diligenter.*

a. Mss. aliquot, *Mariam matrem Domini repertam.*

b. Vet. edit. *verecundia quæ secreta est, tutius secreto, ad omnes actus expeditius?* Rom. & mss. aliquot, ut nos in textu. Nec male etiam reliqui mss. ita legunt, *verecundia, quæ secreto est tutior, secreto ad omnes actus expeditior.*

c. Omnes edit. *aliaque, pro dolor! & quod virgo* &c. mss. è contrario ad unum nobiscum faciunt.

*. *Testes auditionis* ii sunt qui rem auditu solum & ex rumore acceptam, non autem propriis oculis conspectam adseverant; cùm tamen, ut Plautus ait:

Pluris fit oculatus testis unus, quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt.

*. Si monasterium hoc Veronæ institutum feminarum erat; quod maxime videtur verisimile, inde cognoscas illic è sanctimonialibus alias fuisse, quæ in communi parthenone degerent, alias quæ in suis aut parentum ædibus; privatim enim Indicia habitavisse liquido ex multis hujus epistolæ locis intelligitur. Sed idem observatum quoque aliis locis, uti non semel ante designatum est.

ipso, qui dictus erat cognitioni, subtraxerunt se episcoporum conventui; licet etiam pridie subito se profecturos idem Renatus clamaverit.

21. Unde ego judicio præscripsi diem, & tamen nullo accusante, nullis testimoniis perurgentibus, insinuavi sanctæ sorori quod peteres coram ipsa inspici & visitari memoratam virginem. At illa sancte inspectionem quidem recusavit, sed testimonium non declinavit, dicens nihil se in Indicia comprehendisse, nisi quod esset virginalis pudoris & sanctitatis: habitasse eam Romæ in domo nostra, nobis absentibus, nulli eam [a] se vitiorum familiaritati dedisse, optare cum ea sibi à domino Jesu partem reservari in regno Dei.

22. Paternam quoque filiam nostram interrogavi, quod ab ea numquam soleat discedere, cujus caritas vitæ hujus testimonium est. Itaque etsi quod injurata diceret, fidei sacramento conferendum foret; sub obtestatione tamen professa est alienam criminis quo appetebatur, nec quidquam in ea scire se bonæ vacuum conversationis.

23. Nutricem quoque liberæ conditionis interrogavimus, cui & status haudquaquam degeneri servitio obnoxius libertatem vera fatendi daret, & fides atque ætas ad veritatem adstipularetur, & officium nutricis ad cognitionem secreti. Ea quoque nihil se indecorum vidisse, nihil sibi quasi parenti commissum à virgine aliqua dignum reprehensione.

24. His moti, Indiciam inoffensi virginem muneris pronuntiavimus: Maximum autem & Renatum & Leontium ita involvit sententia, ut Maximo, si errorem emendaret, spes reditus reservaretur; Renatus autem & Leontius excommunicati manerent, nisi forte probata sui pœnitentia, & hujus facti diuturna deploratione, dignos se præberent misericordia. Vale, frater, & nos dilige; quia nos te diligimus.

Script. an. circ. 380.

EPISTOLA VI.

Cum Syagrio *quod Indiciam contumeliosæ inspectioni sententiâ suâ addixisset*, Ambrosius *amice expostulat; eique atrocissimam ultionem, quam Israelitæ ob violatam in levitæ uxore castitatem repetiverunt, ante oculos ponens, totam rei seriem eleganter describit.*

Ambrosius Syagrio.

1. Quæ sint in nostro judicio decursa, comperta retines; & ideo nunc quasi animæ portionem convenio meæ, habens apud te pro castitatis contumelia familiarem & dolentem querelam. Itane oportuit inoratam atque inauditam virginitatis causam adjudicari, ut non possit absolvi? Hoc est, nisi suâ injuriâ, nisi ab honesto pudore traducatur ad indecoram sui corporis oblationem, grande videlicet relatura sui testimonium, ut exponatur ludibrio, & procacitatis notetur. Hanc igitur prærogativam detulisti integritati, hujusmodi honorificentiam, qua se lacessiri aut invitari gaudeant, quæ hoc munus recipiendum putant; ut amittant libertatem communis adsertionis, nec se jure tueantur vel sanctæ legis, vel publico, ut non accusatorem exigat, non arcersitorem urgeat: sed impudentiam solam induat, ac se se projiciat ad injuriam?

2. Non ita majores nostri despicabilem habebant castimoniam, cui tantum deferebant reverentiæ, ut bellum adversùm temeratores pudicitiæ suscipiendum putarent. Denique tantum fuit ultionis studium; ut omnes tribules de Benjamin tribu extinguerentur, [b] nisi sexcentos qui bello reliqui forent, natura editioris loci defendisset; sic enim lectionis divinæ serie expressum tenetur, cujus tenorem recensere congruit. (*Judic.* 20. 1. & seq. — *Ibid.* 20. 47.)

3. Levites [*] vir animo major quam opibus, habitabat in partibus montis Ephræm; ei quippe tribui sortito obtigerat locus in possessionem terræ datus pro funiculo hereditatis. Is sibi accepit jugalem de Juda Bethleem. Et ut se habent prima copularum exordia, ardebat juvenculam immodica animi cupiditate: simul quia similibus ejus non fungebatur, [c] exardescebat magis magisque possessione, atque immane quantum exæstuabat. Unde quia nihil referebatur ex parte adolescentulæ, vel levitate amoris, vel vi doloris, quod haudquaquam mercede pari secum decerneret, cum eadem expostulabat. Hinc frequens jurgium: quo mulier offensa, [*] claves remisit, domum revertit. (*Judic.* 19. 1. & seq.)

4. At ille amore victus, qui quod speraret non habebat aliud; cùm quartum jam mensem fluere cerneret, eo contendit, fretus quod consilio parentum emolliretur animus adolescentulæ. Occurrit pro foribus socer, generum introduxit, filiam reconciliavit; & ut lætiores dimitteret, triduo tenuit, quasi repararet nuptias: ac volenti abire, quartum quoque diem comperendinavit, prætenta humanitatis specie, moras innectendo. Pari modo cùm etiam quintum diem vellet adjungere superioribus, & jam novæ deessent causæ morandi; paterno tamen affectu retinendæ filiæ desiderium non deforet, promissam profectionis copiam distulit in meridiem, ut viam cibo curati adorirentur. Post epulas quoque volens dilationem adtexere, eo quod jam vesper appropinquaret, generi precibus, ægre licet, tamen adquievit. (*Ibidem* 3. & seq.)

5. Ille iter suum perrexit lætus animi, quod dilectam sibi recuperavisset. Qui uno comitati servulo, cùm jam declinaret dies, festino viam celerabant gradu. Mulier vehebatur jumento, viro nullus sensus laboris, qui fructu desiderii, simul & vario mulieris ac vernaculi sermone viam levaret. Denique ubi Hierosolymam appropinquarunt, quæ triginta stadiis aberat, quam tunc temporis Jebusæi tenebant; suggessit puer deflectendum in civitatem, (*Ibidem* 10. & seq.)

a. Eras. & seq. edit. *se virorum familiaritati.* Optimo sensu. Verum cùm nec sensus lectionis mss. & Amerb. absurdus videatur, ab eorum consensu recedere religio est.

b. Mss. non pauci, *nisi quingentos:* quorum etiam aliquot infra loco virginum quadringentarum è Jabis excidio reservatarum non nisi trecentas habent. Sed alii & omnes edit. melius, ut in textu.

*. Quæ sequuntur, non omnia quidem reperiuntur in sacris codicibus; attamen leguntur apud Josephum lib. 5. *Antiq. Judaic.* cap. 2.

c. Omnes edit. *Exardescebat magis, atque;* mss. frequentissimi, *exardescebat magis possessio, atque:* sed omnium optime cod. Lat. ut in contextu.

*. *Claves remisit.* Hoc petitum est ex jure Romanorum, quorum si quis uxorem dimitteret *suas sibi res habere* vel *curare* illam jubebat, simulque claves eidem adimebat, quemadmodum ex Ciceronis Philip. 2. ostendit Sigonius lib. 1. *de Antiq. Jure civ. Rom.* cap. 9. & alii.

quia sub noctem suspecta essent etiam illa, quæ A tutiora sunt, cavendaque tenebrarum ambigua; maxime quia locorum incolæ non essent de filiis Israel. Et ideo prævertendum, ne quid adversa studia gerentes insidiarum inferrent, obscuro noctis dolum quærentibus ad perpetrandum facinus satis opportuno. Sed domino ejus haudquaquam placuit sententia, ut inter alienigenas hospitio succederent; cùm Gaba & Rama non longe abessent civitates Benjamin. Itaque prævalens sententiâ, posthabuit servuli suggestionem; quasi ex conditione consilium B æstimaretur, & non consilio quamvis infima conditio allevaretur. Et jam sol in occasu erat: denique vix occurrit, cùm jam urgeretur vespere in civitatem succedere.

Ibid. 15. & seq. 6. Gabaonitæ incolebant locum, inhospitales, immites, intolerabiles; [a] omnia tamen tolerabiliores, quam si aliquem hospitio recepissent. Denique commodius huic viro levitæ cesserat, si in Gabaa hospitium non reperisset. Verum ne quid deesset offensionis, primo ingressu diver- C sorium non reperit: & cùm in publico situs, alienam misericordiam imploraret, offendit advenientem ex agro senem, quem vesper ex opere agresti compulit nocte decedere. Et cùm esset ei conspicuus, rogatus quo iret, & unde adventaret, respondit: De Bethleem Juda revertor, contendo ad montem Ephræm, & mulier est mecum: sed ecce huc diverti, & nemo est qui hospitio recipiat, & requiescendi usum ministret. Non quo cibi aut potus sibi, aut pecori D pabulorum esset indigentia, sed tecti hospitio prohiberentur: præsto esse illa, nudum tecti hospitium desiderari. Ad ea senior benigne satis & placide: Pax, inquit, tibi: & succede hospes pariter & civis; nam & mihi origo de montis Ephræm partibus, & hîc hospitalis habitatio: sed tempore diuturno incolatus sedes fundavit. Itaque receptos domicilio ministerio sui & subsidiis hospitalibus [b] juxta fovit.

Ibid. 22. 7. Hortabatur ad lætitiam senior, & frequen- E tiotibus provocabat poculis, ut vino aboleret curarum oblivia; cùm subito circumsistunt eos Gabaonitæ, juvenes ad omnem projecti libidinem, nihil pensum ac moderatum habentes; quos forma mulieris illexerat, & in omnem amentiam præcipitabat; capti enim ejus decore, & per senectutem hospitis, atque infirmitatem subsidii, accepta spe potiundi, poscunt mulierem, & pulsant januam.

Ibid. 23. & 24. 8. Itaque egressus senior rogabat eos, ne hos- F pitales mensas turpi flagitio fœdarent, & reverendum jus etiam indomitis barbararum gentium nationibus violandum arbitrarentur: contribulem illum sibi, Israelitem virum legitimi thori subnixum copula non sine indignatione cælestis arbitri tanta affici contumelia. Quod ubi parum procedere advertit, esse sibi filiam virginem adjecit, illam se offerre majore parentis dolore, sed minore gratiæ hospitalis dispendio: [c] publicum flagitium privato dedecore tolerabilius habere. At illi exagitati æstu furoris, & inflammati incentivo libidinis, eo amplius ardebant formam juvenculæ, quo magis negabatur. Et justitiæ exsortes ridebant verba æquitatis, filiam senis, quia minore invidia sceleris offerebatur, despectui habentes.

9. Itaque cùm piæ nihil proficerent preces, & seniles frustra hospes manus tenderet, desperato præsidio, rapitur mulier, & per totam noctem injuriæ impletur. At ubi lux finem intemperantiæ dedit, januam hospitalem repetit, non quo viri conspectum exposceret, quem magis declinandum putaret, contumeliæ pudore miserabilis: sed ut affectum viro referret, quæ castitatem amiserat, & contumeliæ suæ funus lamentabili specie ante januam hospitalem exponeret. Egressus itaque levita, cùm jacentem invenisset, arbitratus quod verecundiâ vultum nequaquam adtollere auderet, consolari cœpit; quia non voluntate, sed invita tantæ injuriæ succubuisset: hortari adsurgere, & secum repetere domum. Sed ubi nullum responsum referebatur, quasi quiescentem majore voce è somno excitare. *Ibid. 25. & seq.*

10. Verum ubi mortis supremæ patuit fides, impositas jumento reliquias domum pertulit, & divisos artus mulieris in partes duodecim misit per singulas tribus Israel. Quo commotus universus populus convenit in Massephat, atque ibi querela per levitam cognita, omnes in bellum exarsere, statuentes neminem virorum fas esse in tabernaculum succedere, priusquam de tanti sceleris auctoribus ultio capesseretur. Animis itaque ruebant in prælium: sed consilium prudentiorum prævertit sententiam, non temere confligendum bello cum civibus, sed prius verbis experiendum de flagitio, & decernendum conditionibus pro delictis: neque justum videri, ut paucorum sceleris pretium ad omnes perveniret, & privata adolescentium peccata statum salutis publicæ labefactarent. Itaque miserunt viros, qui denuntiarent Gabaonitis, ut tanti reos flagitii offerrent: sin autem, cognoscerent non minoris esse criminis tantum facinus defendisse, quam exercuisse. *Ibid. 28.* *Ibid. 20. 1. & seq.*

11. Verum illis superba referentibus, consilia pacis bello mutata. Neque primo aut secundo conflictu cùm plurimi à paucis affligerentur, cedendum Israelitæ adversis præliis æstimarunt; quadringenta enim millia virorum bellantium adversum vigintiquinque millia Benjamin tribus, & septingentos Gabaonitas expertos belli juvenes decertabant. Et cùm sinistra forte duo sibi jam cecidissent prælia; animi tamen promtus haudquaquam deposuit Israel vincendi fiduciam, & ulciscendi præsumtam spem. *Ibid. 13. & seq.*

12. Sed quia causa numeroque præstantiores, inferiores pugnæ eventu pedem retulerant, divinam offensam rati, jejunio & fletu maximo reconciliationem gratiæ cælestis affectavere. Itaque orata Domini pace, acriores in bellum revertuntur; ut pote quibus oraculum animos *Ibid. 26. & seq.*

a. Edit. vet. *omnia tamen tolerabiliora*: melius Rom. & cuncti mss. *omnia tamen tolerabiliores*; ubi Paris. quædam pro *omnia* posuere *omnes*. Haud recte; hîc enim dicitur per ellipsin *omnia tolerabiliores*, non secus ac apud Horatium *cetera latus*, & similia.

b. Nonnulli mss. *juxta vires fovit*.

c. Rom. edit. *publico flagitio privatum dedecus tolerabilius haberi*. Bono quidem & perspicuo sensu: sed cùm ea lectio non solum à ceteris edit. verum etiam à mss. omnibus abhorreat, eam tanto consensui non præferimus. Quid vero si legas *intolerabilius*? Certe mutatio in communi lectione levior esset.

dederat, spem accumulaverat. Et simulato à A fronte quod cederetur, ac dispositis per noctem insidiis à tergo urbis, in qua locata erat manus hostium; dum hi cedunt, & illi sectantur, invadendi urbem vacuam factâ copiâ, & mox admoto, statimque adulto incendio, flammarum fragor atque æstus furens captæ urbis speciem manifestarunt. Quo & suis fracti animi, & erecti hostium. Nam & Benjamin viri clausos se & circumventos rati, priusquam à tergo invaderentur, dispergere se se, atque in deser- B tum fugere cœperunt; & contra Israel gemino agmine urgere eos, ac palantes persequi.

Ibid. 35. & seq. 13. Cæsa itaque vigintiquinque millia, id est, omnes fere de viris Benjamin, præter sexcentos, qui arrepto scrupeæ rupis munimento, partim loci ingenio & subsidio naturæ, partim desperatione victoribus terrori fuere. NAM SECUNDÆ RES cautionis admonent: in adversis ultio pro victoria habetur. Nec feminarum numerus tanti discriminis exsors fuit: sed C omnis tribus Benjamin muliebris sexus cum pueris & puellis, omnique ætate gladio aut igne extinctus; sacramentumque additum, ne quis tribus illius viro filiam suam in uxorem daret, quo reparandi nominis omnis aboleretur successio.

Ibid. 21. 2. & 3. 14. Belli finis simul atque iræ factus, & furor in pœnitentiam vertit: armisque positis, in unum convenientes viri Israel fleverunt fletum magnum, & celebrarunt jejunium, dolentes unam D tribum periisse ex fratribus, atque extinctam populi sui validam manum: jure quidem pro delicti pretio bellatum adversum propugnatores flagitiorum, sed misere * in sua populum conversum viscera, & bello civili utrumque afflictum. Lacrymarum effusio movit passionem animi, & affectum perpulit, sævitiæ ratio successit: missique legati ad sexcentos illos Benjamin viros, qui per quatuor menses edito se præruptarum tuebantur rupium, aut deserti indigen- E tia, quæ multitudini obsidentium periculo foret, deploraverunt communem illam ærumnam, quod illi contribules, isti cognatos & socios amisissent; sed tamen non penitus interceptam reparandæ tribus successionem: consulere se in medium quomodo & sacramenti fides sibi constet, & tribus una nequaquam à corpore avulsa intercidat.

Ibid. 4. & seq. 15. Altari itaque posito, reconciliationis & pacis oblatum sacrificium. Et quia Jabis Galaad F populus erat pœnæ & maledicto obnoxius (obstrinxerat enim se omnis Israel magno sacramento, ut si quis non adscendisset cum eo ad puniendum flagitium, morte moreretur) [a] duodecim millia bellatorum directa; ut & viri omnes & mulieres ferro extinguerentur, solas virilis thori exsortes reservarent adolescentulas. Interfectis itaque omnibus Jabis Galaad, solæ virgines quadringentæ exitio ceterorum superfuerunt. Quas accipiens Israel, statuit viros Benjamin belli metum deponere, & in conjugium sibi sumere integras ævi juxta ac pudoris puellas: quibus & caussa esset apud viros integra, quod nemo suorum adversùm eos bellum susceperat: & caritatis gratia, quia propter eos supremo supplicio ereptæ forent. Hoc igitur modo quadringentis juvenibus quæsita copularum consortia sunt.

16. Sed quia ducenti numero supererant, Ibid. 16. & seq. quibus jugales deerant, iis quoque sine fraude sacramentorum consultum accepimus. Dies festus in Silo quotannis celebrabatur. Ibi exsultare solitæ virgines, & choreas ducere in honorem religionis: aliæ præire matribus, & totum iter agmine viantum repleri. Dixit unus ex senioribus: Si ducenti illi tribus Benjamin viri intra vineas siti excubias tenderent, donec se omnis feminea turba effunderet, & surgentes ex vineis unusquisque quam occursus dederit, uxorem sibi vindicaret, fraudi id nequaquam futurum; populum etenim favere reparandæ Tribus successioni, propter sacramentum impertire non posse filiarum suarum societatem: neque tamen contra sacramentum videri, si prohibendum non putaret; quia sacramento neque cogendi, neque prohibendi necessitas imposita videretur: illos sibi sine metu consulere oportere. Sane si puellarum parentes vindictam efflagitarent, partim prece, partim etiam retorquendo [b] in ipsos invitæ culpam custodiæ, se se revocaturos; quia cùm scirent Benjamin viros exsortes esse jugalium, cum filiabus processerint: dignam sane tribum jam non pœna, sed misericordia: satis dure sævitum in eos, & debellatam corporis sui partem: immoderatius exarsisse plebem, ut successionem domesticam extingueret, atque ex suis necaret: placere Deo non perire populo tribum, neque pro una muliere tam acerbe consuli.

17. Probaverunt consilium Israelitæ: exse- Ibid. 23. quuti sunt viri Benjamin, & dispositi in vineis loco opportuno & tempore, plenas feminei agminis vias occupaverunt. Præbuit illis festum nuptiarum religionis solemnitas. Avulsæ de complexu patrum filiæ, tamquam in manum ab ipsis parentibus tradebantur, & velut pactam è gremio matris non abduci, sed prodire arbitrareris. Ita tribus Benjamin pene intercepta atque extincta brevi floruit, documentum exhibens, quod magno exitio sit insolentibus vindicta pudicitiæ, & læsæ castitatis ultio.

18. Nec hoc solo loco, sed plerisque Scriptura hoc docet. Nam & in Genesi legimus exer- Gen. 12. 17. citum * quæstionibus regem Ægypti Pharao, quod Saram adtentavisset; & tamen alienam esse uxorem nesciebat.

19. Est igitur Domino castitatis tuendæ voluntas, quanto magis est defensandæ integritatis? Unde nulla debet virginibus sacris irrogari injuria; quæ enim non nubunt, & qui uxores Luc. 20. 36. non ducunt, habentur sicut Angeli Dei in cælo. Et ideo cælesti gratiæ non inferamus corporalem contumeliam; quoniam potens est Deus, quem nec prævaricatio prætereat, & moveat accepti sibi muneris & consecratæ vir-

*. *In sua populum conversum viscera*, id est, populum conversum in suam & cognatæ tribus perniciem. Est autem imitatio illius ex lib. 1. Lucani de Bello Pharsal. *populumque potentem in sua victrici conversum viscera dextra.*

a. MSS. aliquot, *viginti duo millia bellatorum.*

b. Ita mss. nonnulli, & vet. edit. Rom. vero sola, *in ipsos in diligentis culpam custodiæ:* at in pluribus mss. hic nihil sani.

*. *Quæstionibus*, hoc est, tormentis & doloris cruciatibus.

ginitatis acerba & gravis contumelia. Vale, frater, & nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA VII.

Script. ante ann. 381.

JUSTO *sciscitanti quidnam didrachmi dimidium pro redemtione afferri preceptum significasset*, AMBROSIUS *rescribit fidem ac misericordiam, in quibus redemtio est, eo signari: hac de re idem pretium cunctis prascriptum, in quo cum manna, cujus mensura de sapientia & Christi sanguine explicatur, congruit: congruis praterea cum paschali agno, qui aqualiter distributus aqualem singulis redemtionem tribui indicabat; quo etiam refertur promissa in Evangelio eadem merces. His subdit Christum nostram esse redemtionem, qua cùm pro se non indigeat, staterem non sua, sed nostra causa dari jussisse. Quid eodem statere significetur, aut cur illum ignoraverint Judai à Christianis haud imitandi Adjicit dimidium didrachmi eorum figuram esse, qui vita partem mundo impendunt: quod non fecerunt Hebrai pueri. Denique ubi exposuit, quare Dominus quod non debebat, solverit, mystica quadam enucleat ad instituendos mores idonea.*

AMBROSIUS *JUSTO salutem.

1. PUlcre admones, frater, ut epistolares fabulas, & sermonem absentium ad interpretationem conferamus oraculi cælestis, interrogans me quid significet illud *didrachmum, cujus dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemtione animæ suæ. (*Exod. 30. 12. & seq.*) Quid enim tam consociabile, quam de divinis rebus sermonem contexere?

2. Est autem dimidium didrachmi, drachma: redemtio autem animæ, fides: fides ergo drachma, quam illa mulier in Evangelio, ut legimus, amissam diligenter requirit, lucernam accendens, & mundans domum suam; & si invenerit, convocat amicas & vicinas petens congratulari eas secum, quod invenerit drachmam, quam perdiderat. (*Luc. 15. 8. & seq.*) Magnum enim damnum animæ, si quis fidem amiserit, vel gratiam, quam fidei pretio adquisivit sibi. Et tu ergo accende lucernam tuam: *Lucerna tua oculus tuus est*, (*Matt. 6. 22.*) ille scilicet interior oculus mentis. Istam lucernam accende, quæ accipit oleum spiritale, & lucet in tota domo tua. Quære drachmam redemtionem animæ tuæ, quam qui amiserit, turbatur; qui invenerit, exsultat.

3. Est & redemtio animæ misericordia; redemtio enim animæ hominis divitiæ ejus, (*Prov. 13. 8.*) quibus utique fit misericordia, quæ sumtu pauperes juvat. [a] Fides igitur, gratia, misericordia, redemtio est animæ, quæ drachmæ, id est, integro pretio summæ plenioris expenditur. Sic enim scriptum est, dicente Domino ad Moysen: *Cùm acceperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, dabunt singuli* [b] *redemtionem animæ suæ Domino, & non erit in his ruina, in visitatione eorum. Et hoc est quod dabunt, quotquot perambulant visitationem, didrachmi dimidiam partem, quod est secundùm didrachmum sanctum. Viginti oboli didrachmum: dimidia autem pars didrachmi illatio Domino. Omnis qui intraverit visitare à viginti annis & supra, dabunt illationem Domino. Qui dives est, non adjiciet: & qui pauper est, non minorabitur à dimidia parte didrachmi; cùm cœperint dare oblationem Domino, exorare pro animabus suis. Et accipies pecuniam illationis à filiis Israel, & dabis illam in opus Tabernaculi testimonii, & erit filiis Israel legitimum memoriale in conspectu Domini, exorare pro animis vestris.* (*Exod. 30. 12. & seq.*)

4. Ita ergo deerat vel dives, qui plus offerret; vel pauper, qui minus haberet, si in pecunia dimidium didrachmum istud, & non in virtute esset? Unde advertendum quod non materialis ista, sed intelligibilis drachma sit, quæ ex æquo ab omnibus conferenda æstimatur.

Denique etiam de illa cælesti esca (esca autem & delectatio alimenti cælestis sapientia est, qua vescebantur in paradiso locati, qui erat indeficiens animæ cibus, quem vocavit manna divinus sermo) ita legimus distributionem factam per singulas animas, ut æqualis fieret divisio. Et collegerunt secundum dispositionem Moysi, qui plurimum, & qui minimum: & mensuram * fecerunt gomor, & non abundavit, nec superfuit ei, qui multum, & ei qui minus, non defuit. (*Exod. 16. 17. & 18.*) Unusquisque enim pro numero animarum, qui apud se erat in tabernaculis, collegerunt per singula capita [c] gomor, id est, mensuram vini, sicut habet interpretatio.

6. Est autem mensura sapientiæ, quæ si supra mensuram sit, nocet; quia scriptum est: *Noli esse multum sapiens.* (*Eccl. 7. 17.*) Et Paulus docuit secundum mensuram dari divisionem gratiarum, cùm dicit: *Quia unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, alii sermo sapientiæ,* [d] *alii sermo scientiæ, alii fides sapientiæ per spiritum scientiæ secundùm eumdem spiritum, fides in eodem spiritu;* (*1. Cor. 12. 7. & seq.*) & dividi

*. Ita mss. at edit. nomini *Justo* nihil plane addunt. Solent quidem Augustinus, Hieronymus, Leo & alii illius ad quem scribunt, nomen etiam titulo dignitatis aut professionis decorare: Ambrosius vero hujusmodi titulis nisi in iis epistolis, quæ datæ sunt ad imperatores, fere abstinet. Hinc fit ut difficilius eos quibus missæ sunt, cognoscamus; nisi quid in ipso contextu illos indicet. Porro præterquam quod familiaritatem quamdam spirat tota hujus series, hic ipse Justus ab Ambrosio *frater* vocatur: quo vocabulo cùm olim episcopi raro alios dignarentur, quam episcopos, hine illum eadem dignitate præditum fuisse conjicere est: cùm autem eo tempore sanctus Justus, cujus meminit 1 v. Non. Sept. Rom. Martyrologium, Lugdunensi Ecclesiæ præfuerit, idemque Aquileiensi Concilio interfuerit, dubio procul ab Ambrosio hujusce Concilii auctore præcipuo invitatus, non alius nobis Justus occurrit, cui justius destinata dicatur hæc epistola.

*. *Didrachmum* apud Hæbræos pondere idem erat ac siclus. Itaque ut duplex siclus fuit, alius prophanus qui duas dragmas seu decem obolos continebat; alius ecclesiasticus qui dragmas quatuor, sive obolos viginti: sic geminum etiam didragmum admittendum est, vulgare quod decem obolis, & sacrum quod viginti constabat. Eamobrem quod Ambrosius *didragmi dimidiam partem*, hoc Versio Vulg. transfert, *dimidium sicli*; & quod ille, *viginti obolis didragmam*, hoc eadem Vulg. *Siclus viginti obolos habet.* Plura de hisce ponderibus tradunt Munsterus, Fagius & Vatablus in eumdem locum: itemque Gualperius in Matth. 17.

a. Vet. edit. *Fides igitur gratia, gratia misericordia, misericordia redemtio*, à quibus plures mss. hoc tantum distant, quod habent, *gratia misericordia*, & sequentem dictionem, scilicet *misericordia* expungunt: sed cod. Belvac. & aliquot alii vetam exhibent lectionem, quam amplectimur.

b. Cum mss. in hoc Exodi textu vet. edit. satis congruunt: at Rom edit. immutavit nonnulla, quæ uno conspectu hic exhibemus, *pretium redemtionis . . . in ipsis plaga . . . didrachmi oblatio . . . . intraverit visitationem . . . dabit oblationem . . . . non minorabit . . . pecuniam oblationis . . . . Israel memoriale . . . . ad propitiandum pro animabus.*

*. Gomor mensura est trium chenicum atticarum, teste Hieronymo. Josephus inquit eam habere τρεῖς ἡμιοκοτύλας: cotyla autem & hemina idem est, teste Fannio. Continet ergo heminam & ejus dimidium. Ita Nannius, à quo Fagius in Exodi 16. non discrepat.

c. Rom. edit sola, *gomor, id est, mensuram, seu consummationem.* Et Hieronym. quidem *de Nomin. Hebraic. Gomor adsumtio, sive consummatio, vel perfectio est*: sed non hic agitur de hujusmodi significatione; nihil quippe aliud indicatur, nisi cujusnam generis mensura sit, quæ sic dicitur. Propterea infra subdidit Ambrosius: *Gomor ergo mensura est, & mensura vini.*

d. Ita mss. magno consensu: contra vero edit. omnes à communi lectione Apostolici textus non recedentes, eumdem efferunt in hæc verba: *alii sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii genera sanitatum in uno spiritu, &c.*

eam gratiam secundum voluntatem Spiritus. A Quod dividit, æquitatis est: quod autem secundum voluntatem suam dividit, potestatis. Vel quia id velit unicuique conferre, quod profuturum noverit.

7. Gomor ergo mensura est, & mensura vini, *Psal. 103. 15.* quod lætificat cor hominis. Quid autem nisi sapientiæ potus jucunditas cordis est? Hoc est *Prov. 9. 2.* illud vinum, quod miscuit in cratere Sapientia, & offert bibendum, ut sumamus nobis sobrietatem & prudentiam; quod ea æqualitate trans- B fundi oportet sensibus & cogitationibus nostris, & omnibus motibus, qui intra hanc nostram sunt domum; ut sciamus posse abundare omnibus, deficere nulli.

8. Plenius autem de sanguine Christi intel- ligitur, * cujus ad gratiam nihil minuitur, nihil adjungitur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemtionis.

Exod. 12. 4. 9. Pascha quoque Domini, hoc est, agnum, C ita patres epulari jubentur, ut secundùm numerum animarum epulentur suarum, neque plures, neque pauciores: neque aliis plus dari, aliis minus, sed secundum animas singulorum; ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis dividitur, redemtio dividitur, donum dividitur. Neque plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redemtionis recedat. Plures sunt, quando aliqui extra numerum sunt: sancti autem numerati sunt D *Matth. 10. 30.* omnes, & capilli eorum; cognovit enim Dominus qui sunt ipsius: neque pauciores, ne magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior.

10. Et ideo omnes æqualitatem devotionis & fidei deferre præcepit ad pascha Domini, id *1. Cor. 5. 8.* est, ad transitum. Pascha autem est, quando anima irrationabilem deponit passionem, sumit autem bonam compassionem; ut compatiatur Christo, & transitum ejus in se suscipiat, ut inhabitet in ea, & deambulet, & fiat ejus Deus. E Gratia itaque æqualis per omnes, virtus autem diversa in singulis. Unusquisque ergo portionem competentem suis viribus sumat, ne aut fortior indigeat, aut oneretur infirmior.

Matth. 20. 10. 11. Habes hoc in Evangelio, quia merces æqualis omnibus solvitur in vinea laborantibus: sed pauci ad bravium, pauci ad coronam perveniunt, pauci dicunt: *2. Tim. 4. 8.* *Reposita est mihi corona justitiæ.* Alia est enim merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis stipendium, a laboris re- F muneratio.

12. Ergo didrachmum redemtio est, immo dimidium didrachmi. Redemit autem nos à morte, redemit à servitute; ne subjecti simus mundo, cui renuntiavimus. Unde Dominus in Evangelio dicit ad Petrum, ut vadat ad mare, *Matth. 17. 26.* mittat hamum, & in ore piscis inventum * staterem sumat, & det pro Domino & pro se exigentibus b didrachma. Hoc est igitur didrachma, quod exigebatur secundum Legem: sed non debebat illud filius regis, sed alienus. Quid enim *Ibid 24.* se Christus redimeret ab hoc mundo, qui venerat ut tolleret peccatum mundi? Quid se à *Johan. 1. 29.* peccato redimeret, qui descenderat, ut omnibus peccatum dimitteret? Quid se redimeret à *Phil. 2. 7.* servitute, qui se exinaniverat, ut universis libertatem daret? Quid se redimeret à morte, qui carnem susceperat, ut morte sua omnibus resurrectionem adquireret?

13. Non utique opus habuit redemtione redemtor universorum: sed sicut circumcisionem *Luc. 2. 21.* accepit, ut Legem impleret; & ad baptismum venit, ut impleret justitiam: ita etiam didrachma *Matth. 3. 15.* exigentibus solutionem non recusavit, sed statim staterem pro didrachmo jussit pro se & Petro dari. Maluit enim supra Legem solvere, *Matth. 17. 26.* quam id quod erat Legis negare. Ostendit au- *Ibidem.* tem contra Legem Judæos facere, qui ab uno didrachmum exigerent; cùm dimidium didrachmi exigendum Moyses præscripserit. Et ideo & pro se & pro Petro tamquam singulas drachmas in statere solvi mandavit. Bonus autem census Christi, qui statere solvitur; quia statera justitia est, justitia autem supra Legem. Denique finis Legis Christus ad justitiam omni cre- *Rom. 10. 4.* denti. Hic stater in ore piscis invenitur: illius piscis, quem capiunt piscatores hominum: illius piscis, c qui ponderat sermones suos, ut igne *Psal. 17. 31.* examinatos proferat.

14. Hunc staterem nescierunt Judæi, quem proditori dederunt. Lex autem dimidium didrachmi pro redemtione animæ exigit, quam drachmam Deo deputat; quia totum didrachmum vindicare non poterat. Vix enim in Judæo vel portio devotionis poterat investigari. Qui autem verus est liber, verus Hebræus, totus est Dei; totum quod habet, libertatis est. Nihil habet illius, qui libertatem recusat dicens: *Exod. 21. 5.* *Dilexi dominum meum, & uxorem & infantes: non abibo liber.* Quod non solùm ad dominum, sed etiam ad ejus refertur infirmitatem, qui se subjecerit mundo, quod diligat mundum, d vel mentem suam, id est, νοῦν, hujus auctorem voluntatis. Nec solum ad uxorem; sed etiam ad delectationem refertur, quæ domesticam, non illam æternam curam suscipit. Huic ergo ad limen & ostium suum dominus suus aurem pertundit; ut meminerit sermonis sui, quo servitutem elegit.

*. Hic locus reperitur citatus ab Ecclesia Lugdunensi in fine libri *de Tenenda Scripturæ veritate*, ubi tamen quonam ex opere fuerit desumtus, non exprimitur.

a. Rom. edit. *alia laboris remuneratio*: sed vocem *alia* neque vet. edit, neque mss. ulli agnoscunt. Melius utique; nam virtutis & laboris merces gratiæ & liberalitatis dono concinne opponitur: non autem laboris remuneratio stipendio virtutis; cùm hoc loco virtus in labore posita sit. Eadem edit. Rom. ante vocem *à morte* posuit *Christus*, & voci *à servitute* subjunxit *peccati*: sed utraque abest à mss. & antiq. edit. nec ullo modo sensui est necessaria

*. Stater nomen erat nummi Dorici, quem ejusdem pretii fuisse ac siclum sive majus didrachmum non ex hac tantum Ambrosii epistola, verum etiam ex collatione cap. 30. Exodi tralationis LXX. Interp. cum Versione Vulg. ejusdem cap. Unde cùm Origenes in Matthæi 17. dicit: *Præcipit Salvator dari staterem, in quo erant duo didragma*; intelligendus videtur non de didrachmis templi, sed de communibus. Itaque minus rectè à Nannio in Scholiis ad hancce epistolam reprehenditur Budeus, quod staterem quatuor drachmas valere docuerit; si enim de minoribus drachmis loqui voluit, à vero pretio non aberravit. Ipsum consule.

b. Ita mss. & vet. edit. hic & infra semel ac iterum. Nec male quidem; habetur enim bis apud Matthæum cit. loco, τὰ δίδραχμα in recto plurali; dici tamen *drachma* in singulari quod continuo sequitur, ostendit: sed Rom. edit. ubique anteposuit *didrachmum*.

c. Rom. edit. *qui statera ponderat*: aliæ omnes, ac mss. omittunt vocem *statera*.

d. Vet. edit. *vel mentem suam, id est, non*: Rom. νοῦν quidem restituerat, sed vocum ordinem inverterat, quem nos restituimus è cunctis mss. Ceterum non parum lucis hic locus accipiet, si eum cum lib. I. *de Paradiso* cap. 2. num. 11. conferre volueris.

15. Et ideo tu, christiane, [a] istum non imitteris; quia tibi scriptum est, non ut didrachmi dimidium, si tamen vis perfectus esse, Deo offeras: sed ut omnia tua vendas, & des pauperibus. (Matth. 19. 21.) Nec ut portionem servitutis mundo reserves: sed ut totum te abneges, & Domini crucem tollas, & sequaris eum.

16. Cognovimus itaque ideo dimidium didrachmi Lege postulari, quia dimidium generi hujus mundi, id est, conversationi sæculari, & usui domestico, & posteritati reservabatur, quibus necesse erat & [b] sortem ex sorte, id est, transmissionis deputari. Unde & Dominus tentantibus se pharisæis subdola interrogatione utrum suaderet censum dari Cæsari, respondit: *Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma census.* (Matth. 22. 18. & 19.) At illi obtulerunt ei denarium, in quo erat imago Cæsaris. Ait illis: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo;* (Ibidem 21.) ostendens illos ita esse imperfectos, qui sibi perfecti viderentur, ut prius Cæsari quam Deo solverent. Quibus enim prior esset cura mundi, ab iis priùs solvendum foret, quod erat mundi. Unde & ait: *Reddite*, id est, vos reddite, *quæ sunt Cæsaris*, apud quos figura & imago invenitur Cæsaris. (Dan. 2. 17.)

17. Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui non adoraverunt imaginem regis, qui non receperunt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tenebantur ad solutionem tributi. (Dan. 3. 18. Dan. 1. 8. Deut. 18. 2.) Nihil enim eorum, quæ sub rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non solvunt tributum, quibus portio Deus est. Ideo Dominus ait: *Reddite*, id est, vos reddite, qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos invenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus mundi habeo: *Venit enim hujus mundi princeps, & in me inveniet nihil.* (Joan. 14. 30.) Nihil debet Petrus, nihil apostoli mei; quia non sunt de hoc mundo, etsi in hoc mundo sunt. Ego misi eos in hunc mundum: sed jam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mundum.

18. Ergo quod divinæ legis est, solvi jubetur, non quod Cæsaris. Sed tamen & ipsum perfectus, id est, prædicator Evangelii jam non debebat, qui plus prædicabat. Non debebat Filius Dei, non debebat & Petrus in adoptionem à Patre adscitus per gratiam: sed *ne scandalizentur*, inquit, *vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus adscenderit, tolle; & aperto ore ejus, invenies ibi staterem, illum sumens da iis pro me & te.* (Matth. 17. 26.) O magna mysteria! dat dimidium didrachmi quod Lex jubebat, & non negat quod Legis est, quasi factus ex muliere, factus sub Lege. (Galat. 4. 4.) Factum secundùm incarnationem loquutus sum, ex muliere secundùm sexum: mulier sexus est, virgo species: sexus generis, virgo integritatis. In quo ergo venit sub Lege, in eo factus est ex muliere, id est, in corpore. Et ideo didrachmum solvi jubet pro se & Petro, quia uterque sub Lege generati. Jubet ergo secundum Legem solvi; ut eos qui sub Lege erant, redimeret. (Galat. 4. 5.)

19. Et tamen staterem dari jubet, quo vectes imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent. Et jubet dari in ore piscis repertum, ut agnoscerent Verbum. Qui enim quod Legis est, exigebant; cur quod Legis est, nesciebant? Verbum enim Dei ignorare non debebant; quia scriptum est: *Prope est Verbum in ore tuo, & in corde tuo.* (Deut. 30. 14.) Totum igitur didrachmum Deo solvit, qui sæculo nihil reservavit. Deo enim justitia solvitur, quæ est mentis sobrietas: Deo solvitur sermonis custodia, quæ est sermonis sobrietas: *Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem.* (Rom. 10. 10.)

20. Potest autem & drachma pro veteri Testamento accipi, didrachmum pro utriusque Testamenti pretio; quia secundum Legem unusquisque per Legem redimebatur: qui autem secundùm Evangelium redimitur, solvit drachmam secundum Legem, sanguine redimitur Christi secundum gratiam, geminam habens redemtionem, & devotionis & sanguinis. Nec enim fides sola ad perfectionem satis est, nisi etiam baptismatis adipiscatur gratiam, [c] & sanguinem Christi redemtus accipiat. Bona ergo drachma, quæ Deo solvitur.

*. Non est drachma denarius, sed diversum est. Denique in denario imago Cæsaris est, in drachma imago Dei; quia unius est Dei, ad imitationem ipsius. Ab uno incipit, & in infinitum diffunditur: & iterum de infinito numero in unum, quasi in finem omnia revertuntur; (Matth. 28. 21.) quia Deus & principium & finis omnium est. Unde nec numerum monada, sed elementum numeri, quibus ea cura est, appellaverunt. Et hoc propterea diximus, quia scriptum est: *Ego sum α & ω, primus, & novissimus;* (Apoc. 1. 8.) &: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* (Deut. 6. 4.)

21. Et tu ergo ad similitudinem Dei unus esto atque idem: non hodie sobrius, cras ebrius: hodie pacificus, crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incontinens; mutatur enim unusquisque morum varietate, & fit alter: in quo non agnoscitur, quod fuit, & incipit esse, quod non fuit, sui degener. GRAVE est enim mutari in pejus: sed esto sicut imago in drachma, immutabilis, eumdem habitum servans quotidie. Videns drachmam, adtende imaginem, hoc est, videns Legem, adtende in Lege imaginem Dei Christum; (Col. 1. 15.) quia ipse imago Dei invisibilis & incorruptibilis, luceat tibi velut in speculo Legis. Confitere eum in Lege, ut eum in Evangelio recognoscas. Si cognovisti in mandatis, recognosce in operibus. Vale, & si non infructuose didrachmum istud commissum mihi arbitraris,

e. MSS. nonnulli, *Christum non imiteris.* Minus rectè; istum enim certum est referri ad servum illum, de quo proxime ante dictum fuit. Adverte autem illud non admodum esse usitatum, ut quis ad amicum privatim scribens, litteris suis morales præceptiones, quæ alios spectent, adspergat, quemadmodum hic & in fine Ambrosius. Attamen haud absimiles exhortationes reperias apud Hieronymum sicut in epist. 128. ad Fabiolam, & 129 ad Dardanum; unde conjicias utrumque sanctum epistolas suas publici juris aut fore prævidisse, aut fortean facere decrevisse.

f. Cod. Vat. Thuan. & Belv. *sortem exsortem*, hoc est, vanam atque inutilem, utpote terrenam; non secus ac dicitur à Græcis [illegible]: mss. tamen ceteri & edit. omnes, *sortem ex sorte*, nimirum portionem illius possessionis, quæ in prima divisione ac sortitione singulis tribubus adtributa est.

g. Ita vet. edit. ac mss. prope ad unum: nonnulli tamen & Rom. edit. *sanguine Christi redemtus crucem accipiat.*

*. An drachma & denarius pretio inter se conveniant, dissentiunt inter se, ut Nannius in scholiis observat, Budeus, Alciatus, atque Rod. Agricola, ad quos hujusmodi studiosos eruditionis remittimus, sicut & ad Villapandum, Brerewodum ac Valtonum.

arbitraris, iterum si quid habes, committere ne dubitaveris.

EPISTOLA VIII.

Scripta ante ann. 381.

Adversus eos, qui secundum artem negabant scripsisse sacros auctores, contendit ab his ipsis illos qui de eadem arte praeceperunt, expressisse placita sua. Tum propositis sacrorum codicum aliquot locis, dicendi leges illic servari sedulo probat.

AMBROSIUS * JUSTO.

1. NEgant plerique * nostros secundum artem scripsisse. Nec nos obnitimur; non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quae super omnem artem est; scripserunt enim quae Spiritus iis loqui dabat. (Act. 2. 4.) Sed tamen ii, qui de arte scripserunt, de eorum scriptis artem invenerunt, & condiderunt commenta artis, & magisteria.

2. Denique in arte requiruntur praecipue, ut sit αἴτιον, ὕλη, ἀποτέλεσμα; cùm igitur legamus sanctum * Isaac Patri dicere: *Ecce ignis & ligna, ubi hostia*, (Gen. 22. 7.) quid horum deest? Nam qui quaerit, dubitat: qui respondet quaerenti, pronuntiat, & dubitationem absolvit. Ecce ignis, id est αἴτιον: & ligna, id est, ὕλη, quae latine materia dicitur: tertium quid superest, nisi ἀποτέλεσμα, quod filius quaesivit, pater retulit dicenti: *Ubi hostia? Deus*, inquit, *providebit sibi sacrificium, fili.* (Ibidem 8.)

3. [a] Differamus paulisper mysterium. Ostendit Deus arietem pendentem cornibus: (Ibid. 13.) aries autem est Verbum plenum tranquillitatis, & moderationis, atque patientiae; quo ostenditur bonum sacrificium esse sapientiam, & prudenter emerendi ac propitiandi rationem cognoscere. Unde & Propheta ait: *Sacrificate sacrificium justitiae* (Psal. 4. 6.) Itaque justitiae, ita ut sapientiae sacrificium est.

4. Ecce ergo mens calida & fervens, ut ignis, quae operatur: ecce & intelligibilia, id est, materia; ubi est tertium, intelligere? [b] Ecce color; ubi est videre? Ecce sensibilia; ubi est sentire? Materia enim non ab omnibus videtur; ideoque Deus dat munus intelligendi, & sentiendi, & videndi.

5. Verbum ergo Dei ἀποτέλεσμα est, id est, definitio & consummatio disputationis, quod infunditur prudentioribus, & dubia confirmat. Pulcre autem etiam ii, qui in adventum Christi non crediderunt, se ipsos revincunt; ut confiteantur, quod negandum putant. * Dicunt enim arietem Verbum Dei, & non credunt passionis mysterium; cùm in illo mysterio Verbum Dei sit, in quo impletum est sacrificium.

6. Ergo primùm accendamus in nobis ignem mentis, ut operetur in nobis. Quaeramus [c] subjicientis materiam, quid sit quod nutriat animam, tamquam in tenebris requiramus eam. Neque enim vel Patres sciebant, quid esset manna: (Exod 16. 15 & 16.) invenerunt, inquit, manna dicentes ipsum esse sermonem & Verbum Dei; unde omnes disciplinae fonte jugi ac perpetuo fluunt, atque derivant.

7. Haec est esca caelestis. Significatur autem ex persona dicentis: *Ecce ego pluam vobis panes de caelo:* (Ibidem.) αἴτιον ergo, eo quod operatur Deus, qui irrigat mentes rore sapientiae: ὕλη, quia videntes animae & gustantes delectantur, & requirunt unde sit illud splendidius luce, dulcius melle. Respondetur eis Scripturae serie: *Hic est panis, quem dedit vobis manducare Dominus;* (Ibidem 15.) & hoc est Verbum Dei, quod disposuit Deus, vel ordinavit: quo pascitur anima prudentium, & delectatur: quod est candidum & suave, veritatis splendore illuminans, & virtutum suavitate demulcens audientium animas.

8. In se enim didicerat propheta quid esset consummandae rei αἴτιον. Nam cùm mitteretur ad populum Dei liberandum, ad regem Ægypti, ait: *Quis sum ego, ut vadam, & educam* (Exod 3. 11. & 12.)

*. Veri admodum simile est, cùm Ambrosius extremis ultimae epistolae verbis Justo potestatem fecisset denuo circa Scripturas, si quid videretur, interrogandi; hunc ab eo sciscitatum fuisse, quidnam de stylo & dicendi charactere, quem Foederis utriusque scriptores sequuti sunt, sentiret: illumque hac responsione ejusdem interrogato satisfecisse.

*. Quod negabatur à plerisque ex artis praeceptis scripta composuisse sacros auctores, nemini mirum videri debet. Nam de veteri quidem Testamento, licet partim à Moyse in Ægyptiorum sapientia peritissimo exaratum sit, partim ab aliis quorum non paucos multijugi doctrina excultos constat; tamen quia ob raram primigenii eorumdem librorum sermonis cognitionem, fere non nisi in versionibus, iisque de verbo prope redditis, legebantur, illos necesse erat parum prae se ferre elegantiae, utpote nativâ suâ perinde ac peregrinâ destitutos. Quod autem ad novas Tabulas, cùm earum scriptores rustici ac imperiti fuerint, si modo Lucam, & Paulum, qui tamen humanae sapientiae lenociis usum se negat, excipias; quomodo consentaneum arbitraremur, ut scripta quaesito & adscititio nitore perpoliturì essent? Cùm igitur *nostros secundum artem scripsisse* à plerisque negari tradit Ambrosius, hoc non de solis exteris & infidelibus accipiendum est, à quibus frequens jactabatur isthaec accusatio: verum etiam de christianis ipsis, qui objectionis agnoverunt veritatem. Namque, ut omittamus alios plures, Origenes lib. 1. *Cont. Celsum* de apostolis ita loquitur: *Non enim*, inquit, *ulla his inerat ex arte dicendi vis, sive pronuntiandi: vel pro Graecorum artificio dialectico quodam aut rhetorico ordo aliquis aut modus, quo auditores allicerent.* Arnobius quoque lib. 1. *Adv. Gentes* non diffitetur *ab indoctis hominibus & rudibus* condita esse sacra volumina, quorum sermonem non modo *trivialem & sordidum* appellat; sed nec clamitantibus res nostras *barbarismis ac soloecismis* obsitas esse refragatur, barbariem illam in christianae causae utilitatem transtulisse contentus, quod etiam ab Origene libro cit. factitatum est. Quid ergo, inquies, an contra tantorum virorum auctoritatem sacros codices ad grammaticales canones exactos, vel rhetoricis flosculis & calamistris comtos adserit Doctor noster? Minime sane; hoc enim unum contendit, auctores sacros quae ad cujusque rei cognitionem praecipue exponenda sunt, ita expressisse, ut posteris formam, ex cujus observatione ars confici posset, relinquerent: quod quidem cum styli simplicitate aut etiam barbarie neutiquam pugnat.

*. Haec & pleraque alia hujus epistolae ex Philonis libro *de Profugis* hausit Ambrosius. Ut autem ea minori negotio capias, adverte Philonem agere eo loci de scientiarum adeptione: ubi, postquam exposuit quadruplicis generis hominum affectus atque conatus erga scientiam, secundi generis, nempe eorum qui & quaererent illam, & invenirent, figuram fuisse in Josepho atque Isaacio docet. Ut autem eam rem demonstret de Isaacio, quam apte idem causas dubii sui interrogando aperuerit, quamque absolutam à patre tulerit responsionem, ostendit.

a. Rom. edit. *Disseramus paulisper*: ceterae cum mss. prope universis, *Differamus* Minime male; idem enim est atque expandamus, & quasi in plura distrahamus Iterum verò ubi edit. vet. *bonum esse sacrificium justitia etiam sapientiam, & prudenter*: & Rom. autem *justitia, esse sapientia prudenter*: mss. nobiscum faciunt, nisi quod nonnulli *patientiam* exhibent, non *sapientiam*; quidam etiam utrumque habent. Postremo pro, *Itaque justitia, ita ut sapientia est*, quod in cunctis edit. ac mss. legitur, solus Belv. cod. habet, *itaque justitia, itaque sapientia.*

b. Rom. edit. sola, *Ecce visus, aer, color; ubi est videre? Ecce sensus, ecce sensibilia; ubi est sentire?* Nimirum ex Philonis, libro citato, ubi legimus, ἰδοὺ ἡ ὅρασις, ἰδοὺ τὸ χρῶμα, ποῦ τὸ ὁρᾶν; καὶ αὐτόλως, ἰδοὺ αἴσθησις τὸ κριτήριον, ἀλλὰ καὶ τὰ αἰσθητὰ αἱ ὕλαι, τὸ δὲ αἰσθάνεσθαι ποῦ;

*. Ambrosii mentem facile adsequeris, si observaris Philonem, cùm dixisset proprium Dei esse sibi providere de victima, paulo post addere: Κριὸς δ' ὥσπερ κατεχόμενος, τουτέστι λόγος ἡσυχάζων καὶ ἐπέχων &c. quod supra num. 3. redditum est.

c. Omnes edit. & mss. nonnulli, *subjicientes materiam*: reliqui mss. partim, *subientis*; partim, *subjicientis materiam*, Laet. solus, *naturam.* Et post duos versiculos, ubi vet. edit. cum omnibus mss. *Invenerunt* &c. sola Rom. edit. emendavit: *Invenientes vero manducaverunt ipsum esse Verbum Dei.* Nec sane multum reclamaremus, si in recepta lectione vocem *dicentes* tantum vertisset in *discentes*; nam & scribis hic labi pronum, & Philo posteriori dictioni favet; ubi scribit: ὥσπερ μαθόντες ῥῆμα Θεοῦ καὶ λόγον θεῖον &c.

populum à regis potestate? Respondit Dominus: *Ego ero tecum.* Interrogabat iterum Moyses: *Quid dicam illis, si requirant: Quis est Dominus, qui misit te, & quod nomen est illi? Dixit Dominus: Ego sum qui sum. Dices: Qui est, misit me.* Hoc est verum nomen Dei, esse semper. Unde & Apostolus de Christo: *Dei enim filius Jesus Christus, qui in vobis est, qui per nos prædicatus est, per me & Silvanum & Timotheum; non fuit*, inquit, *Est & Non: sed Est in illo fuit.* Respondit Moyses: *Si non crediderint mihi, neque obaudierint vocem meam, dicentes, quia non apparuit tibi Deus, quid dicam illis?* Dedit illi signa facere, ut crederetur quia à Domino missus est. Tertio ait Moyses: *Non sum dignus, & gracili voce sum, tardiore lingua, quomodo me audiet Pharao?* Responsum est ei: *Vade, & ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui.*

Exod. 3. 13. & 14.
2. Cor. 1. 19.
Exod. 4. 1. & seq.
Ibid. n. 10.
Ibidem 12.

9. Interrogationes ergo illæ in medio & responsiones habent sapientiæ semina & θεωρίαν. Gratum tamen ἀποτέλεσμα est; quia ait: *Ego ero tecum.* Et quamvis dederit ei signa facere; tamen dubitanti iterum, ut scias quia signa non credentibus, promissum autem credentibus, respondit ad infirmitatem vel meriti, vel voti: *Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui.* Perfectum ergo ἀποτέλεσμα servatum est.

Exod. 3. 12.

10. Habes hoc & in Evangelio: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Pete ἀπὸ τοῦ αἰτίου, id est, ab auctore quære. Habes ὕλην intelligibilia, quibus quæras: pulsa, & aperit tibi Deus Verbum. Quæ petit, mens est, quæ operatur, sicut ignis: intelligibilia, in quibus mentis ardor operatur, sicut ignis in lignis: aperit tibi Verbum Deus, quod est ἀποτέλεσμα. Habemus & alibi in Evangelio, dicente Domino: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eritis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Matth. 7. 7.
Matth. 10. 16.

11. Habes hoc & in Genesi, * dicente Isaac: *Quod est, quid tam cito invenisti, fili;* Qui dixit: *Quid tradidit dominus Deus tuus in manus meas.* Ἀποτέλεσμα Dominus est. Qui per Dominum quærit, invenit. Laban denique qui per Dominum non quæsivit; quia quærebat idola, non invenit.

Gen. 27. 20.
Gen. 31. 33. & seq.

12. Pulcre autem quos dicunt ὅρους, servavit. Primus est ὅρος: *Vade, affer mihi de venatione tua, ut manducem.* Excitat atque adolet velut igni quodam adhortationis suæ mentem ejus, ut operetur & quærat. Secundus ὅρος: *Quid est, quod tam cito invenisti?* Hic in interrogatione est. Tertius ὅρος in responsione: *Quod tradidit dominus Deus tuus in manus meas.* Ἀποτέλεσμα Deus est, qui concludit & consummat omnia: de quo dubitandum non est.

Gen. 27. 24.
Ibid. n. 20.

13. Est & ille ὅρος de spontaneis: [a] *Si non seminaveritis, non metetis;* nam etsi cultura provocet semina, tamen natura spontaneo quodam, ut surgant, in iis operatur ingenio.

[a] Levit. 25. 11. & seq.

14. Unde Apostolus: *Ego plantavi*, inquit, *Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est quidquam; neque qui rigat: sed qui dat incrementum, Deus.* Dat tibi Deus in spiritu, & in corde tuo seminat Dominus. Age ergo, ut inspiret, & seminet; ut metas: si non seminaveris, non metes. Quasi admoneris, ut semines: non seminasti, non metes; sententia est. Principio finis convenit: principium semen est, finis messis.

1. Cor. 3. 6. & 7.

15. Disce, inquit, ex me: natura adjuvat discentem: Deus autem auctor naturæ est. Dei quoque, ut bene discamus; quia hoc naturæ est, perdiscere: duri enim corde non discunt. Incrementa per naturam, quæ divini habet gratiam muneris: consummationem & perfectionem Deus dat, id est, illa præstantissima & divina Trinitatis natura & substantia. Vale, & nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

*GESTA CONCILII * AQUILEIENSIS contra* PALLADIUM *&* SECUNDIANUM *hæreticos.*

* Ann. 381.

Consessus Patrum, & AMBROSII ad eos de conficiendis actis oratio.

1. SYAGRIO *& Eucherio viris clarissimis coss.* [b] *III. Non. sept. Aquileiæ in Ecclesia considentibus, cum episcopis, Aquileiensium civitatis Valeriano, Ambrosio, Eusebio, Limenio, Anemio, Sabino, Abundantio, Artemio, Constantio, Justo, Philastro, Constantio, Theodoro, Almachio, Domnino, Amantio, Maximo, Felice, Bassiano, Numidio, Januario, Proculo, Heliodoro, Jovino, Felice, Exuperantio, Diogene, Maximo, Macedonio, Cassiano, Marcello, & Eustathio episcopis; Ambrosius episcopus dixit:*

2. [c] Diu citra acta tractavimus: & quoniam tanta sacrilegia à parte Palladii & Secundiani nostris auribus ingeruntur, ut difficile quisque credat tam aperte eos blasphemare potuisse; vel ne qua ipsi calliditate dicta sua postea negare conentur, licet de tantorum sacerdotum

*. Eadem habet Ambrosius lib. *de Isaac* cap. 8. sed paulo fusius explicata. Illic autem cùm monuerimus imitationem esse Philoniani lib. *de Profugis*, hic adjicimus Judæum illum ibi docere typum atque imaginem eorum, qui scientiam non laboriosa inquisitione, sed vi & sagacitate ingenii, invenirent, in Jacobo patriarcha nobis proponi: & hoc inde probari ab eodem Philone, quod Isaac admiranti filii celeritatem, is causam illius statim reddiderit voluntatem divinam; ex qua ingeniorum oritur diversitas. Per ὅροι vero de quibus infra, non tantum accuratæ definitiones intelligendæ, sed etiam formulæ ac modi omnes, quibus quidpiam clare exponitur.

a. Rom. edit. *Non seminabitis, neque metetis spontanea adscendentia. Et si dixeritis: Si non seminaverimus, non metemus; respondebitur vobis, sicut scriptum est: & mittam benedictionem meam vobis in anno sexto, & faciet fructus in tres annos. Quod utique verum est. Nam* &c. Veteres edit. cum mss. omnibus, *Si non seminaveritis, non metetis.* Propius ad verba Philonis, ubi tantum legas, Οὐ σπερεῖτε, οὐδὲ μὴ ἀμήσητε τὰ αὐτόματα ἀναβαίνοντα αὐτῆς.

* Aquileia ubi habita fuit ea Synodus, Carnorum, ut observat Binius, metropolis erat, & ab aquis legendis sic dicebatur: de qua idem pluscula addit in notis suis ad hanc Synodum. Ughellus verò ex Strabone etiam ab aquila Rom. sic dictam tradit. Hoc autem coactum Concilium fuit adversus Palladium & Secundianum Arrianæ impietatis adsertores. Constat quidem eos episcopos fuisse in Dacia & Moesia, ut Patres sua ad imperatores epistola significant: cujus dioecesis incertum est. Palladii meminit Ambrosius lib. 1. *de Fide* c. 6. n. 45. tamquam hominis Arrianorum partibus addictissimi. Habemus etiam Palladium quemdam Germinii adversarium, ac Secundianum sacerdotem Illyricum, Ursacii ac Valentis ministrum: sed alios ab his illos fuisse probabilius est. Porro episcopi à quibus damnati sunt iidem hæretici, etsi non frequentissimi sederint, saltem meritò exstitere longe clarissimi. Eorum sedes maximam partem infra cum ipsorum suffragiis reperias: ubi si quid de illustrioribus notandum videbitur, breviter adjungemus.

b. Edit Rom. & Labb. *Nonis septembribus*: cod. vero Tell. ac Chifl. III. *Non. sept.* Et certe proclivius hic fuit aliquid omittere, aut integrum numerum pro fracto ponere, quam contra. Sed continuo post ubi idem cod. & Labb. atque Chifl. *cum episcopis*, sola Rom. edit. prætermittit, *cum* diversitate sensus non mediocri.

c. Rom. edit. sola: *Jamdiu, fratres consacerdotes, nostras disputationes citra acta tractavimus. Verum quia tanta tamque aperta* &c.

testificatione dubitari non queat: [a] tamen quo- A niam omnibus episcopis placet, fiant acta; ut unusquisque professionem suam negare non possit. Quid ergo vobis, sancti viri, placeat declarandum est.

Omnes episcopi dixerunt: [b] *Placet.*

Ambrosius episcopus dixit: Disceptationes nostræ ex re firmandæ sunt scripto imperiali, ut allegentur.

Scriptum imperiale recitatur in Concilio.

3. SAbinianus diaconus recitavit: [c] *Ambiguâ dogmatum reverentiâ ne diffideant sacerdotes quamprimum experiri cupientes, convenire in Aquileiensium civitatem ex diœcesi meritis excellentiæ tuæ creditam, episcopos jusseramus.* [d] *Neque enim controversiæ dubiæ sententiæ rectius poterant expediri, quam si obortæ altercationis interpretes ipsos constituissemus antistites; ut videlicet à quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eisdem discor-* C *dis eruditionis repugnantia solveretur.*

4. *Neque sane nunc aliter jubemus ac jussimus, non invertentes præcepti tenorem, sed superfluam convenarum* [e] *copiam resolentes. Nam quod Ambrosius & vitæ merito, & Dei dignatione conspicuus episcopus Mediolanensium civitatis ibi multitudinem non opus esse suggerit, ubi veritas non laboraret in pluribus, si locata esset in paucis: seque eorum qui contra adstarent adsertionibus, & sacerdotes vicinarum ex Italia civitatum satis abundeque sufficere posse sug-* D *gerit; abstinendum venerabilium virorum fatigatione censuimus, ne quis vel maturo ævo gravis, vel corporali debilitate confectus, vel laudabili paupertate mediocris, insuetas repetat terras. Et reliqua.*

AMBROSIUS *lectam Arrii epistolam damnari à Palladio petit: hic tergiversatur, & nisi in generali Concilio negat se responsurum: Patres anathemate percellunt eos, qui Filii Dei vel divinitatem vel æternitatem negarent. Effugium aucupatur in eo Palladius, quod se fateri dictitat Christum verum esse Dei Filium. Ejus fraus in con-* E *fitendo eumdem esse Deum atque unigenitum. Postea transitur ad Christi immortalitatem, atque ab ea ad sapientiam, à qua similiter ad bonitatem; ubi more suo Palladius conatur illudere. Deinde utrum Dei Filium omnipotentem, utrum etiam judicem eum agnoscat, urgetur: ad quæ post multam tergiversationem solita utitur ad plenum Concilium provocatione. Sub hac Attalo condemnato, qui respondere etiam recusabat, Palladius auditores laicos petit, & condemnatur.*

5. AMBROSIUS *episcopus dixit:* Ecce F quod Christianus constituit imperator. Noluit injuriam facere sacerdotibus; ipsos interpretes constituit episcopos. Ac per hoc, quoniam in sacerdotali Concilio considemus, responde ad ea quæ tibi proponuntur. Arrii epistola lecta est: etiam nunc recitabitur, si tibi videtur. A principio habet blasphemias, solum Patrem æternum dixit. Si tibi videtur quod Dei Filius sempiternus non sit, hoc ipsum quemadmodum vis, adstrue: si damnandum putas, damna. Evangelium præsens est, & Apostolus, omnes Scripturæ præsto sunt. Unde vis adstrue, si putas non esse Dei Filium sempiternum.

6. *Palladius dixit: Vestro studio factum est, si-* B *cut* [f] *dictat lectio sacra à vobis prolata, ut non esset generale & plenum Concilium: absentibus consortibus nostris, nos respondere non possumus.*

Ambrosius episcopus dixit: Qui sunt consortes vestri?

Palladius dixit: Orientales episcopi.

7. *Ambrosius episcopus dixit:* Interim quia superioribus temporibus Concilium sic factum est, ut orientales in orientis partibus constituti haberent Concilium, occidentales in occiden- C te; nos in occidentis partibus constituti, convenimus ad Aquileiensium civitatem, [g] juxta imperatoris præceptum. Denique etiam præfectus Italiæ litteras dedit, ut si vellent orientales convenire, in potestate haberent: sed quia scierunt consuetudinem hujusmodi, ut in oriente orientalium esset Concilium, intra occidentem occidentalium; ideo putaverunt non esse veniendum.

8. *Palladius dixit: Imperator noster Gratianus* D *jussit orientales venire: negas tu jussisse eum? Ipse imperator nobis dixit se orientales jussisse venire.*

Ambrosius episcopus dixit: Utique jussit, qui non prohibuit huc venire.

Palladius dixit: Sed ne venirent tua petitio fecit: sub specie falsæ voluntatis hoc impetrasti, & distulisti Concilium.

9. *Ambrosius Episcopus dixit:* Non opus est diutius evagari, responde nunc. Bene dixit Arrius solum æternum Patrem? Et secundum E Scripturas hoc dixit, an non?

Palladius dixit: Non tibi respondeo.

*Constantius episcopus dixit: Non respondes, * qui tamdiu blasphemasti?*

Eusebius episcopus dixit: Sed debebis simpliciter fidei tuæ prodere libertatem. Si à te gentilis exigeret quemadmodum in Christum crederes, confiteri erubescere non deberes.

10. *Sabinus episcopus dixit: Tu petisti ut res-* F *ponderemus: hodie ex voluntate tua, & te urgente, convenimus, & non exspectavimus reliquos fratres, qui poterant venire. Proinde non tibi liberum est evagari. Christum dicis esse creatum? aut sempiternum dicis esse Filium Dei?*

Palladius dixit: [h] *Dixi tibi, nos ideo diximus vobis ut veniremus, & convinceremus quod non recte fecistis subrepere imperatori.*

a. Rom. edit. sola, *ubi omnibus episcopis placeat, fiant acta. Ita namque unusquisque . . non poterit &c.*

b Eadem Rom. edit *Scribantur acta, placet . . . . controversiæ nostræ firmandæ, & rescripto imperiali publicandæ sunt, ut allegari possint. Recitetur ergo rescriptum, si placet. Omnes episcopi dixerunt, placet*

c. Sequentibus rescripti verbis edit. Rom. præmittit: *Gratianus, Valentinianus & Theodosius &c. Imperatores &c*

d Eadem edit. Rom. *Neque enim sententiæ rectius manifestari poterant controversiæ, quam si in obortæ altercationis judicium.*

e. Eadem edit. *copiam recidentes.*

f. Chifl. *indicat lectio sacra à vobis prolata*; Rom edit *dictat divalis sanctio*: Tell. autem & Labb. *lectio sacra*, quod sensu minime diversum est infra vero, ubi eadem edit. ac Chifl. habent, *consortibus nostris*, Tell. & Labb. legunt, *consacerdotibus nostris.*

g. Rom. edit. Labb. & Chifl. *imperatorum præscriptum* emelius cod. Tell. *imperatoris*, Gratiani scilicet, cujus unius mentio hic passim exstat.

*. *Qui tamdiu blasphemasti*, refer hæc verba ad superiora illa: *Diu citra acta tractavimus*, quibus docemur disputationem jam prius utrimque fuisse agitatam.

h. Rom edit *Dico tibi nos ideo dixisse jam vobis, quod veniremus ut conveniretis & vos; quia exspectabamus consortes. sed non recte fecistis subrepere.* Labb. vero & Chifl. satis congruunt cum mf. Tell. nisi quod Chifl. solus pro *diximus* habet *scripsimus*; & pro *convinceremus* legit cum Labb *conveniremus*: denique ubi iste cum utroque *subrepere*, Tell. exhibet *subripere*. Forte an haud ita male, cum eodem sensu infra ponatur, *subripuistis.*

Ambrosius episcopus dixit : Legatur epistola Palladii, utrum nobis hoc mandaverit, & docebitur quod etiam nunc fallit.

Palladius dixit : Legatur plane.

Episcopi dixerunt : Imperator cùm esset præsens Syrmio, tu illum interpellasti, an ipse te compulit? Et addiderunt: Quid ad ista respondes?

Palladius respondit : Dixit mihi : Vade. Diximus: Orientales conventi sunt ?[a] *Ait : Conventi sunt. Numquid si orientales non fuissent conventi, numquid nos convenissemus?*

11. *Ambrosius episcopus dixit :* Sequestrata sit causa orientalium, sententiam tuam hodie quæro. Arrii tibi epistola lecta est: soles te Arrianum negare. Aut damna hodie Arrium, aut defende.

Palladius dixit : Non est auctoritatis tuæ, ut hoc à me quæras.

Eusebius episcopus dixit : Non credimus religiosum imperatorem aliud dixisse, quam scripsit. Episcopos jussit convenire : non potuit tibi soli contra rescriptum suum dicere, ut sine orientalibus causa minime diceretur.

Palladius dixit : Si Itali soli jussi sunt convenire?

Evagrius presbyter & legatus dixit : Ut ante quatuor dies, & ante biduum responderet se affuturum. Quid ergo exspectabas? Orientalium, ut dicis, consortium tuorum[b] *sententiam exspectandam? Sic debuisti mandare, non promittere conflictum.*

Palladius dixit : Quia quasi ad Concilium plenum veneram, vidi non convenisse consortes meos, [c] *ut convenirem, & dicerem secundum jussionem ageretis in præjudicium futuri Concilii.*

12. *Ambrosius episcopus dixit :* Ut hodie resideremus, ipse exegisti. Denique etiam hodie tu ipse dixisti quia christiani ad christianos venimus. Christianos igitur nos probasti. Promisisti te conflictaturum, promisisti[d] te allaturum aut acceptaturum esse rationem. Libenter itaque accepimus præfationem tuam. Optavimus ut quasi christianus venires. Obtuli tibi epistolam Arrii, quam scripsit Arrius, de cujus nomine dicitis vos injuriam frequenter sustinere. Dicitis quod Arrium non sequamini. Hodie aperta debet esse sententia : aut condemna illum, aut adstrue [e] quibusvis lectionibus. *Et addidit :* Ergo juxta epistolam Arrii Christus Dei Filius non est sempiternus?

Palladius dixit : Nos diximus probaturos nos christianos, sed in Concilo pleno. Non vobis respondemus omnino in præjudicium Concilii futuri.

Eusebius episcopus dixit : Sine calliditate fidei tuæ professionem debes exponere.

Palladius dixit : Et quid Concilio reservamus?

13. *Ambrosius episcopus dixit :* Omni ore condemnatio facta est in eum, qui negaret Dei Filium sempiternum. Negavit Arrius, hunc sequitur Palladius, qui non vult condemnare Arrium. Itaque utrum hujus probanda sententia sit, considerate; & utrum secundum Scripturas dicat, aut contra Scripturas, intelligere licet. Lectum est enim : *Sempiterna virtus Dei atque divinitas. Dei virtus Christus est?* Si igitur sempiterna Dei virtus est, sempiternus utique Christus est; quia Christus est Dei virtus. Rom. 1. 20 1. Cor. 1. 24

Eusebius episcopus dixit : Hæc fides nostra est, hæc intelligentia catholica. Qui hæc non dixerit, anathema.

Omnes episcopi dixerunt : Anathema.

14. *Eusebius episcopus dixit: Specialiter dicit solum Patrem sempiternum, & Filium aliquando cœpisse.*

Palladius dixit : Arrium nec vidi, nec scio qui sit.

Eusebius episcopus dixit : Arrii blasphemia prolata est, in qua negat Dei Filium sempiternum. Hanc perfidiam damnas cum auctore, aut adseris?

Palladius dixit : Ubi auctoritas pleni Concilii non est, non dico.

15. *Ambrosius episcopus dixit :* Dubitas post divina judicia damnare Arrium, cùm crepuerit medius? *Et addidit :* Dicant etiam sancti viri legati Gallorum.

Constantius episcopus & legatus Gallorum dixit : Hanc impietatem ejus hominis & semper damnavimus, & nunc damnamus non solum Arrium; sed & quicumque Filium Dei non dixerit sempiternum.

Ambrosius episcopus dixit : Quid etiam dicit dominus meus Justus?

Justus episcopus & legatus Gallorum dixit : Qui Filium Dei coæternum cum Patre non confitetur, anathema habeatur.

Omnes episcopi dixerunt : Anathema.

16. *Ambrosius episcopus dixit :* Dicant etiam Afrorum legati, [f] qui omnium civium huc adtulere sententias.

Felix episcopus & legatus dixit : Si quis Filium Dei negaverit sempiternum, & coæternum negaverit, non solus ego legatus totius Africanæ provinciæ damno : sed & cunctus chorus sacerdotalis, qui ad hunc cœtum sanctissimum me misit, etiam ipse ante damnavit.

Anemius episcopus dixit : Caput Illyrici non nisi civitas est Syrmiensis : ego igitur episcopus illius civitatis sum. Eum qui non confitetur Filium Dei æternum, & coæternum Patri, quod est sempiternum, anathema dico : [g] *sed etiam iis qui idem non confitentur.*

17. *Ambrosius episcopus dixit :* Audite sequentia.

Et recitatum est : Solum æternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem.

Ambrosius episcopus dixit : Et in hoc damna eum, qui negat Filium Deum verum. Cùm enim ipse sit veritas, quemadmodum non est Deus [h] verus? *Et addidit :* Quid ad hoc?

Palladius dixit : Filium verum quis non dicit?

Ambrosius Episcopus dixit : Arrius negavit.

Palladius dixit : Cùm Apostolus dicat, Christum

a. *Ait : Conventi sunt*, deerant in edit. Rom. quæ nos ex cod. Tell. Labb. & Chifl. restituimus.

b. Rom. edit. *præsentiam :* Tell. Labb. & Chifl. *sententiam exspectandam.*

c. Edit Rom. *Judicavi vero, ut convenirem secundum jussionem, ut dicerem ne aliquid egeritis.*

d. Ita cod. Tell. nisi quod pro *allaturum* lapsu librarii scriptum est, *ablaturum :* in edit. autem deerat, *aut acceptaturum.*

e. Rom edit sola, *quibusvis rationibus.*

f. Edit. Rom. & Chifl. *qui omnium Africæ sacerdotum.* Tell. & Labb. ut in textu.

g. Ita Chifl. à quo non recedunt Tell. & Labb. nisi quod primum membrum legunt hoc modo : *sed etiam is quidem non confitetur :* totum autem locum edit. Rom. sic habet : *& etiam, ut recitatum est, eum qui confitetur solum Patrem æternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, non etiam Filium æqualem, anathema dico. Ambrosius episcopus dixit : & in hoc damno.*

h. Rom. edit. sola, *verus. Palladius dixit : Quid est hoc? Filium verum quis non dicit?*

ſuper omnia Deum, poteſt aliquis negare verum Filium Dei?

18. *Ambroſius epiſcopus dixit:* Ut ſcias quam ſimpliciter veritas à nobis requiratur, ecce dico ego, ut dicis: ſed ſemiplenum [a] habeo. Cùm enim ita dicis, videris negare Deum verum: ſi autem ſimpliciter confiteris: verum Deum Filium Dei, eo ordine adſtrue, quo ipſe propono.

Palladius dixit: Ego ſecundum Scripturas tibi loquor, verum Filium Dei dominum dico.

Ambroſius epiſcopus dixit: Verum [b] dominum dicis Filium Dei?

Palladius dixit: Cùm verum Filium dicam, quid amplius?

Ambroſius epiſcopus dixit: Non quæro tantummodo, ut verum Filium dicas, ſed ut verum dominum Dei Filium dicas.

19. *Euſebius epiſcopus dixit: Chriſtus Deus verus eſt, ſecundum omnium fidem, & catholicam profeſſionem?*

Palladius dixit: Verus Dei Filius eſt.

Galat. 4. 7. *Euſebius epiſcopus dixit: Nam & nos per adoptionem filii ſumus, ille ſecundum proprietatem generationis divinæ. Et addidit: Confiteris ergo verum Filium Dei dominum verum eſſe [c] ſecundum nativitatem & proprietatem.*

Palladius dixit: Verum Dei Filium unigenitum dico.

Euſebius epiſcopus dixit: Hoc ergo putas contra Scripturas, ſi Chriſtus Deus verus eſſe dicatur?

20. *Cúmque Palladius reticeret, Ambroſius epiſcopus dixit:* Solum verum Filium Dei qui dicit, & non vult dicere dominum verum, [d] videtur negare. Hoc igitur ordine confiteatur, ſi tamen confitetur, Palladius; & dicat utrum verum dominum Dei Filium dicat.

Johan. 17. 3. *Palladius dixit: Cùm dicat Filius:* Ut cognoſcant te ſolum verum dominum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum; [e] *affectu, an in veritate?*

1. Johan. 5. 20. *Ambroſius epiſcopus dixit:* Johannes dixit in epiſtola ſua: *Hic eſt verus Deus.* Nega hoc.

Palladius dixit: Cùm dicam tibi verum Filium, profiteor veram etiam divinitatem.

Ambroſius epiſcopus dixit: Et in hoc eſt fraus; ſic enim ſoletis dicere unam & veram divinitatem, ut Patris tantummodo non etiam Filii veram & unam divinitatem dicatis. Ergo ſi aperte vis dicere, quia ad Scripturas me provocas, dic quod dixit evangeliſta Johannes: *Hic eſt verus Deus:* aut nega dictum.

Palladius dixit: Abſque Filio alius genitus non eſt.

21. *Euſebius epiſcopus dixit: Chriſtus verus Deus ſecundum omnium fidem, & catholicam profeſſionem, an in ſententia tua Deus verus non eſt?*

Palladius dixit: Virtus Dei noſtri eſt.

Ambroſius epiſcopus dixit: Non habes libertatem profitendi; ac per hoc anathema ei, qui non confitetur [f] verum dominum Filium Dei.

Omnes epiſcopi dixerunt: Anathema habeatur, qui A *Chriſtum Filium Dei dominum verum non dixerit.*

22. *Iterum addidit: Solum verum, ſolum immortalitatem habentem.*

Ambroſius epiſcopus dixit: Filius Dei habet immortalitatem, aut non habet ſecundum divinitatem?

Palladius dixit: Apoſtolum admittis, an non? Rex regum, qui ſolus habet immortalitatem. 1. Tim. 6. 16.

Ambroſius epiſcopus dixit: De Chriſto Filio Dei quid dicis?

Palladius dixit: Chriſtus nomen divinum eſt, an B *humanum?*

23. *Euſebius epiſcopus dixit: Secundùm carnis quidem ſacramentum Chriſtus dicitur, ſed idem Deus & homo eſt.*

Palladius dixit: Chriſtus nomen carnis eſt: Chriſtus nomen humanum eſt; & reſpondete vos mihi.

Euſebius epiſcopus dixit: Quid ſuperfluis immoraris? Cùm legeretur impietas Arrii, qui hoc dicit de Patre, quia ſolus habet immortalitatem, adtuliſti teſtimonium ad conſenſum impietatis Arrii, ex C *Apoſtolo dicens:* Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inacceſſibilem habitat. *Sed ſi intelligis, totius naturæ dignitatem, in Dei nomine expreſſit: ſiquidem in Dei nomine Pater & Filius deſignantur.* Ibidem.

Palladius dixit: Et ego vos, quod interrogavi, reſpondere noluiſtis.

24. *Ambroſius epiſcopus dixit:* Aperte de te ſententiam quæro: Filius Dei habet immortalitatem ſecundum generationem divinam, an non habet?

D *Palladius dixit: Secundum generationem divinam incorruptibilis, & per carnem mortuus eſt.*

Ambroſius epiſcopus dixit: Non divinitas mortua eſt, ſed caro mortua eſt.

Palladius dixit: Ante vos mihi reſpondete.

Ambroſius epiſcopus dixit: Filius Dei ſecundum divinitatem habet immortalitatem, an non habet? [g] Sed & jam fraudes & inſidias tuas non ſecundum Arrii profeſſionem prodidiſti? *Et addidit:* Qui Filium Dei negat habere immorta- E litatem, quid vobis videtur?

Omnes epiſcopi dixerunt: Anathema habeatur.

25. *Palladius dixit: Satus divinus immortalis eſt.*

Ambroſius epiſcopus dixit: Aſtute & hoc, ut de Dei Filio nihil exprimas evidenter, & ego dico: Immortalitatem habet Dei Filius ſecundum divinitatem, aut nega quia non habet immortalitatem.

Palladius dixit: Chriſtus mortuus eſt, an non?

Ambroſius epiſcopus dixit: Secundum car- F nem: anima noſtra non moritur; ſcriptum eſt enim: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Cùm igitur anima noſtra mori non poſſit, putas quod Chriſtus ſecundum divinitatem mortuus ſit? Matth. 10. 28.

Palladius dixit: Mortis appellationem quare tu horres?

Ambroſius epiſcopus dixit: Immo non horreo, ſed confiteor [h] ſecundum carnem meam; eſt enim

a. Edit. Rom. ſola, *habeo reſponſum.*

b. Hic & infra pluribus locis ubi Rom. edit. ponit *Deum*; aliæ ac Tell. mſ. conſtanter habent, *Dominum*

c. Chifl. ſolus, *ſecundum divinitatem.*

d. Ita Tell. Lab. & Chifl. Rom. autem edit. *Deum verum, Deum eſſe videtur negare.*

e. Rom. edit. *humano affectu dicit, an in veritate?*

f. Eadem edit. Rom. *verum Deum, Filium Dei.*

g. Rom. edit. *Sed jam fraudes & inſidias tuas ſecundum* &c. Senſu quidem magis concinno, ſi quod aliud ei præſidium ſuffragaretur.

h. Ita cod. Tell. & edit. Labb. & Chifl. at Rom. edit. locum reffinxit in hæc verba: *ſecundum carnem Chriſtum mortuum eſſe. Ejus namque morte diaboli vinculis revinctus à mortis poteſtate ſum erutus.* At obſervandum vocem *revinctus* in hoc contextu negationem involvere, ut illæ aliæ ſeclusus, reſectus & ſimiles: quod non videntur advertiſſe Romani.

per quem à mortis vinculis sum revinctus. A

Palladius dixit : Mortem separatio facit spiritus ; nam Christus Filius Dei carnem suscepit, & per carnem mortuus est.

Ambrosius episcopus dixit : Scriptum est [a] Christum passum. Secundum carnem igitur passus est, secundum divinitatem habet immortalitatem. Hoc qui negat, diabolus est.

Palladius dixit : Ego Arrium non novi.

26. *Ambrosius episcopus dixit :* Ergo male dixit Arrius, cùm etiam Filius Dei habeat immortalitatem secundum divinitatem. B *Et addidit :* Bene dixit ergo, an male?

Palladius dixit : Non consentio.

Ambrosius episcopus dixit : Cui non consentis? Anathema illi, qui non explicat fidei libertatem.

Omnes episcopi dixerunt : Anathema.

Palladius dixit : Dicite quod vultis, ejus est divinitas immortalis.

Ambrosius episcopus dixit : Cujus, Patris, an & Filii? *Et addidit :* Multas impietates congessit C Arrius. Sed ad alia transeamus.

27. *Et recitatum est : Solum sapientem.*

Palladius dixit : Pater à se sapit : Filius autem sapiens non est.

Ambrosius episcopus dixit : Ergo Filius non est sapiens, cùm ipse sit sapientia? Nam & nos dicimus, quia ex Patre natus est Filius. (1. Cor. 1. 24.)

Eusebius episcopus dixit : Est aliquid tam impium, tam profanum, quam quod dixit sapientem Filium Dei negare? D

Palladius dixit : Sapientia dicitur, quis potest sapientiam denegare?

Ambrosius episcopus dixit : Sapiens est, an non?

Palladius dixit : Sapientia est.

Ambrosius episcopus dixit : Sapiens ergo, cùm sit sapientia.

Palladius dixit : Secundum Scripturas vobis respondemus.

Ambrosius episcopus dixit : Etiam sapientem, E quantum video, Filium Dei Palladius negare conatus est.

Eusebius episcopus dixit : Qui negat Filium Dei sapientem, anathema sit.

Omnes episcopi dixerunt, Anathema.

28. *Eusebius episcopus dixit : Etiam Secundianus ad hoc respondeat.*

Cùmque Secundianus reticeret, Ambrosius episcopus dixit : Qui tacet, integrum vult habere judicium. *Et addidit :* Solum Patrem bonum F cùm dicit, Filium confessus est, an negavit?

Palladius dixit : Legimus : Ego sum pastor bonus; *& nos negamus? Quis non dicat bonum Dei Filium?* (Johan. 10. 11.)

Ambrosius episcopus dixit : Ergo bonus est Christus?

Palladius dixit : Bonus.

Ambrosius episcopus dixit : Male ergo Arrius de solo Patre dixit, cùm etiam [b] Filius Dei Deus omnibus sit.

Palladius dixit : Qui bonum non dicit Christum, male dicit.

29. *Eusebius episcopus dixit : Christum bonum confiteris? Nam & ego bonus sum. Mihi dixit :* Euge serve bone, *& :* Homo bonus profert de thesauro suo bona. (Matth. 25. 20. Luc. 6. 45.)

Palladius dixit : Jam dixi, vobis non respondeo usque ad plenum Concilium.

Ambrosius episcopus dixit : Judæi dicebant quia bonus est: & Arrius negat quia Filius Dei bonus est. (Johan. 7. 12.)

Palladius dixit : Quis potest hoc negare?

Eusebius episcopus dixit : Bonus est ergo Deus Filius Dei.

Palladius dixit : Bonus Pater bonum Filium genuit.

30. *Ambrosius episcopus dixit :* Et nos bonos genuit; sed non secundum divinitatem. Deum bonum Dei Filium dicis. (Gen. 1. 31.)

Palladius dixit : Filius Dei bonus est.

Ambrosius episcopus dixit : Vides ergo quia Christum bonum, bonum Filium, non bonum Deum dicis; quod à te quæritur. *Et addidit :* Qui bonum Filium Dei Deum non confitetur, anathema.

Omnes episcopi dixerunt : Anathema.

31. *Item recitavit : Solum potentem.*

Ambrosius episcopus dixit : Potens est Filius Dei, an non?

Palladius dixit : Qui omnia fecit, non est potens? Qui omnia fecit, minus potest?

Ambrosius episcopus dixit : Ergo Arrius male dixit. *Et addidit :* Vel in hoc damnas Arrium?

Palladius dixit: Unde scio qui sit? Ego pro me respondeo tibi.

Ambrosius episcopus dixit : Filius domini Dei Deus potens est?

Palladius dixit : Potens.

Ambrosius episcopus dixit : Deus bonus est?

Palladius dixit : Jam dixi Filium Dei unigenitum esse potentem.

Ambrosius episcopus dixit: Dominum potentem.

Palladius dixit : Filium Dei potentem.

32. *Ambrosius episcopus dixit :* Potentes & homines sunt; scriptum est enim : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Et alibi. *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Illud à te requiro, ut confitearis Dominum potentem esse Christum Dei Filium : aut si negas, adstrue. Nam qui unam potentiam dico Patris & Filii, sic Filium Dei dico potentem sicut & Patrem. Dubitas ergo confiteri Dominum potentem esse Dei Filium? (Psal. 51. 3. 2. Cor. 12. 10.)

Palladius dixit : Jam dixi, secundum disputationem, prout possumus, respondemus vobis; vos enim soli vultis esse judices : vos litigatores esse vultis. Non vobis respondemus nunc, sed in Concilio generali & pleno respondebimus vobis.

Ambrosius episcopus dixit : Anathema illi, qui negat Dominum potentem Christum.

Omnes episcopi dixerunt : Anathema.

33. *Item recitatum est : Solum potentem, omnium judicem.*

Palladius dixit : Omnium judicem [c] Filium Dei. Est qui dat, est qui accipit.

Ambrosius episcopus dixit : Per gratiam dedit,

a. Rom. edit. *passum in carne.... Arrianus est :* aliæ cum Tell. cod. omittunt, *in carne*, & præferunt, *diabolus est.*

b. Edit. Rom. & Chifl. *Filius Dei bonus Deus sit.* Tell. ac Labb. ....*bonus omnibus sit.* Et post duos versus, ubi edit. *Christum bonum;* cod. Tell. exhibet, *Christum Deum bonum.* Magis accommodate ad sequentia.

c. Rom. edit. *Filium Dei profiteor : sed Pater est, qui dat; & Filius est, qui recipit.*

an per naturam? Et hominibus datur judicium. A

Palladius dixit: Patrem majorem dicis, an non?

Ambrosius episcopus dixit: Postea respondebo tibi.

Palladius dixit: Ego tibi non respondeo, si non respondes mihi.

Eusebius episcopus dixit: Nisi impietatem Arrii ex ordine damnaveris, interrogandi non tibi dabimus facultatem.

Palladius dixit: Non tibi respondeo.

Ambrosius episcopus dixit: Filius Dei, sicut B lectum est, judex est, an non?

Palladius dixit: Si non respondes mihi, ego tibi, ut impio, non respondeo.

34. *Ambrosius Episcopus dixit:* Habes professionem meam, qua respondebo tibi. Interim perlegatur epistola Arrii. *Et addidit:* In epistola Arrii invenies & hoc sacrilegium, quod tu moliris.

Palladius dixit: Ego qui interrogo, non respondetis? C

Eusebius episcopus dixit: Filium Dei Deum æqualem dicimus.

Palladius dixit: Tu judex es, tui exceptores hic sunt.

Ambrosius episcopus dixit: Scribant tui, qui volunt.

35. *Palladius dixit: Pater major est, an non?*

Eusebius episcopus dixit: Secundum divinitatem æqualis est Filius Patri. Habes in Evangelio Johan. 5. 18. *quod Judæi persequebantur eum; quia non solùm* D *solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Quod ergo impii persequentes confessi sunt, nos credentes negare non possumus.*

Ambrosius episcopus dixit: Et alibi habes: Philip. 2. 6. *Qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus obediens usque ad mortem. Et addidit:* Vides quia in forma Dei æqualis est? Et E Ibidem. *formam*, inquit, *servi accepit.* In quo ergo minor est? Secundum formam utique servi, non Dei.

Eusebius episcopus dixit: Sicut in forma servi constitutus, inferior servo non fuit: ita in forma Dei constitutus, inferior Deo esse non potuit.

36. *Ambrosius episcopus dixit:* Aut dic quia secundum divinitatem minor est [a] Filius Dei.

Palladius dixit: Pater major est.

Ambrosius episcopus dixit: Secundum carnem.

Johan. 14. 27. *Palladius dixit:* Qui me misit, major est me. F *Caro missa est à Deo, aut Filius Dei?*

Ambrosius episcopus dixit: Falsari à vobis divinas scripturas hodie comprobamus; sic enim scriptum est: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* [b] *Non turbetur cor vestrum: non quomodo hic mundus dat, ego do vobis. Si diligeretis me, gauderetis quia dixi, vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Non dixit: Qui me misit, major me est.

Palladius dixit: Pater major est.

Ambrosius episcopus dixit: Anathema illi, qui divinis scripturis addit aliquid, aut minuit.

Omnes episcopi dixerunt: Anathema.

37. [c] *Palladius dixit: Pater major est Filio.*

Ambrosius episcopus dixit: Secundum carnem Filius minor est Patre, secundum divinitatem æqualis est Patri: legi igitur Dei Filium æqualem Patri, sicut jam & prolata exemplaria testantur. Secundum carnem autem quid miraris minorem; cùm dixerit se servum, cùm dixerit se lapidem, cùm dixerit se vermem, cùm dixerit se minorem Angelis; quia scriptum est: *Minorasti eum paulominus ab Angelis?* Psal. 115. 16. Matth. 21. 42. Psal. 21. 7. Psal. 8. 6.

Palladius dixit: Impie vos adserentes video: non respondemus vobis sine auditoribus.

Sabinus episcopus dixit: Nemo requirat ab eo sententiam, qui tam innumeris sententiis blasphemavit.

Palladius dixit: Non vobis respondemus.

38. *Sabinus episcopus dixit: Ab omnibus jam damnatus est Palladius: Arrii blasphemiæ multo minores sunt quam Palladii. Et cùm Palladius surrexisset, atque foras exire voluisset: Ideo, inquit, surrexit Palladius, quoniam apertis Scripturarum testimoniis convincendum esse se cernit, sicut jam convictus est; sic enim lectum est, secundum divinitatem quod æqualis Patri Filius sit. Accipiat autem quia Filius Dei secundum divinitatem majorem non habet. Scriptum est:* Abrahæ cùm repromisisset Deus... quoniam nullum alium habebat majorem, per quem juraret, juravit per semet ipsum. *Vides igitur Scripturam, quia nullum alium majorem habet, per quem juraret. Filius autem est, de quo dicitur quoniam ipse visus est Abrahæ; unde & ait:* Abraham diem meum vidit, & gavisus est. Hebr 6. 13. Johan. 8. 56.

Palladius dixit: Pater major est.

Eusebius episcopus dixit: Quando ut Deus loquutus est, majorem non habuit: quando ut homo loquutus, majorem habuit.

39. *Palladius dixit: Pater genuit Filium, Pater misit Filium.*

Ambrosius episcopus dixit: Anathema illi, qui negat Filium secundum divinitatem æqualem Patri.

Omnes episcopi dixerunt: Anathema.

Palladius dixit: Filius subjectus Patri, Filius præcepta Patris custodit.

Ambrosius episcopus dixit: Subjectus secundum carnis rationem. Ceterum & ipse meministi quia legisti: *Nemo venit ad me, nisi quem Pater adtraxerit.* Johan. 6. 44.

Sabinus episcopus dixit: Dicat si secundum divinitatem subjectus est Patri, an secundum incarnationem?

40. *Palladius dixit: Ergo Pater major est.*

Ambrosius episcopus dixit: Et alibi scriptum est: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem Filii ejus.* Ego dico Patrem majorem esse secundum carnis adsumtionem, quam suscepit Filius Dei, non secundum divinitatem. 1 Cor. 1. 9.

Palladius dixit: Quæ enim comparatio est Filii Dei? Et caro potest dicere: Deus me major est? Caro loquebatur, aut divinitas; quia ibi erat caro?

a. Ita Tell & Labb. at Rom. edit. & Chisl. *Filius Patre* Continuo vero post, pro *Pater major est*; Rom. edit. sola, *Pater, inquit, major me est.*

b. *Non turbetur cor vestrum*, sicut & verbum *dixi* ante *vado* in in edit. Rom. desideratur.

c. Hic versus in Chisl. totus desideratur.

A *Ambrosius episcopus dixit:* Caro sine anima non loquitur.

Eusebius episcopus dixit: Deus in carne loquebatur secundum carnem, quando dicebat: Johan. 8. 40. Quid me persequimini hominem? *Quis hoc dixit?*

Palladius dixit: Filius Dei.

Ambrosius episcopus dixit: Deus ergo Filius Dei est secundum divinitatem, & homo est secundum carnem.

Palladius dixit: Carnem suscepit.

B *Eusebius episcopus dixit: Ergo humanis verbis usus est.*

Palladius dixit: Carnem humanam suscepit.

41. *Ambrosius episcopus dixit:* Dicat quia non secundum divinitatem Apostolus [a] dixit subjectum, sed secundum carnem; scriptum est enim: Philip. 2. 8. *Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem.* In quo ergo mortem gustavit?

Palladius dixit: Quia se humiliavit.

Ambrosius episcopus dixit: Non divinitas, sed caro humiliata est atque subjecta. *Et addidit:* C Creaturam perfectam bene dixit Arrius, an male dixit?

Palladius dixit: Ego tibi non respondeo auctoritatem non habenti.

Ambrosius episcopus dixit: Profitere quod vis.

Palladius dixit: Non respondeo vobis.

b 42. *Sabinus episcopus dixit:* [b] *Pro Arrio non respondes, ad interrogata non respondes?*

Palladius dixit: Pro Arrio ego non respondi.

D *Sabinus episcopus dixit: Usque adeo respondisti, ut Filium Dei negares potentem, negares verum Deum.*

Palladius dixit: Ego te judicem non patior, quem impietatis arguo.

Sabinus episcopus dixit: Ipse nos coegisti sedere.

Palladius dixit: Mandavi ut sederetis, ut arguerem vos. Quare subripuistis imperatori? Ut plenum Concilium non esset, obripuistis.

E *Ambrosius episcopus dixit:* Cùm Arrii impietates legerentur, & impietas tua pariter condemnata est, quæ consensit Arrianæ impietati. c [c] Placuit tibi in epistola media lectionem proponere, quam volebas: responsum tibi est quemadmodum Filius Patrem majorem dixerit, eo quod secundum carnis susceptionem Pater major est eo. Proposuisti etiam subjectum esse Filium Dei; & in hoc responsum tibi est, quia subjectus Filius Dei secundum carnem est, non secundum divinitatem. Habes professionem F nostram, nunc audi cetera. Quoniam tibi responsum est, responde ad ea, quæ leguntur.

43. *Palladius dixit: Non tibi respondeo; quia quacumque ego dixi, non sunt scripta: vestra tantummodo scribuntur verba: non vobis respondeo.*

Ambrosius episcopus dixit: Omnia vides scribi. Denique quæ scripta sunt, abundant ad tuæ impietatis indicium. *Et addidit:* Creaturam dicis Christum, an negas?

Palladius dixit: Non respondeo.

Ambrosius episcopus dixit: Ante horam citra actam, cùm legeretur quia Arrius dixit creaturam Christum, negasti: oblatum est tibi, ut damnares perfidiam, noluisti: vel nunc dic utrum natus ex Patre Christus sit, an creatus?

Palladius dixit: Si vultis, exceptores nostri veniant, & sic totum excipiatur.

Sabinus episcopus dixit: Adducat suos exceptores.

Palladius dixit: Pleno Concilio vobis respondebimus.

44. *Ambrosius episcopus dixit:* Attalus in tractatu Nicæni Concilii subscripsit. Neget factum, quia venit ad Concilium. Dicat hodie utrum subscripserit in tractatu Nicæni Concilii, an non.

Cúmque Attalus reticeret, Ambrosius episcopus dixit: Attalus presbyter licet inter Arrianos sit, tamen habet auctoritatem loquendi: libere profiteatur utrum subscripserit in tractatu Nicæni Concilii sub episcopo suo Agrippino, an non.

Attalus dixit: Jam dixisti me aliquoties damnatum: non tibi respondeo.

Ambrosius episcopus dixit: Subscripsisti in tractatu Concilii Nicæni, an non?

Attalus dixit: Non tibi respondeo.

45. *Palladius dixit: Modo vultis tractatum plenum haberi, an non?*

Chromatius presbyter dixit: Creaturam non negasti, potentem negasti. Omnia negasti, quæ fides catholica profitetur.

Sabinus episcopus dixit: Testes sumus nos Attalum subscripsisse in Concilio Nicæno, & nunc nolle respondere. Quid cunctis videtur?

Cúmque Attalus reticeret, Ambrosius episcopus dixit: Dicat utrum subscripserit in tractatu Concilii Nicæni, an non?

46. *Palladius dixit: Exceptor vester & noster stent, & omnia scribant.*

Valerianus episcopus dixit: Jam quæ dixisti, & quæ negasti, scripta sunt omnia.

Palladius dixit: Dicite quod vultis.

Ambrosius episcopus dixit: Quia sæpius vult damnari Palladius, qui jam frequenter damnatus est, lego epistolam Arrii, quam ille noluit condemnare: profitemini quid vobis videtur?

Omnes episcopi dixerunt: Legatur. Et recitata est: Nato autem non putative, & reliqua.

Ambrosius episcopus dixit: Respondi tibi de majore, respondi tibi & de subjecto: nunc & ipse responde.

47. *Palladius dixit: Non respondebo nisi auditores veniant post Dominicam diem.*

Ambrosius episcopus dixit: Veneras tractaturus, sed posteaquam objeci tibi, vidisti epistolam Arrii, quam damnare noluisti, adserere autem non potes; idcirco nunc refugis & cavillaris. Plenarie ipsam [d] recito ad singula. Dic utrum d Christus creatus videatur, an fuit, quando non fuit: an vero semper fuit unigenitus Dei Filius?

a. Rom. edit. *dixit, obediens usque ad mortem.*

b. Eadem edit. Rom. *Pro Arrio respondes, ad nostra interrogata non respondes.*

c. Sic Tell, Labb. & Chifl. nisi quod habetur in hoc ultimo, *in media epistola lectione proponere quod volebas*: totum vero locum Rom. edit præfert hoc modo: *Placuit tibi ut Arrii epistola legeretur: dictum est ut dubitationem proponeres, quam volebas; proposuisti quod Filio Pater major est .... quod Patrem majorem dixerit Filius Dei.*

d. Ita cod. Tell. à quo non abeunt Labb. & Chifl. nisi quod ille punctum postponit verbo *recito*; hic autem illud præfigit adverbio *utrum*: quocum edit. Rom. etiam conveniret, nisi *audes* pro *potes* reposuisset, & ante *recito* dictionem *iterum* apposuisset.

Cùm

Cùm Arrii epistolam audieris, aut damna, aut proba.

48. *Palladius dixit: Cùm impietatis te arguam, te judice non utor. Transgressor es.*

Sabinus episcopus dixit: Quas impietates objicis fratri nostro & consacerdoti nostro Ambrosio, dicito.

Palladius dixit: Jam vobis dixi, pleno Concilio respondebo, & [a] *præsentibus auditoribus.*

Ambrosius episcopus dixit: In consessu fratrum meorum cupio confutari & redargui. Quæ igitur impie dixerim, dicito: sed impius tibi videor, qui pietatem adstruo.

Sabinus episcopus dixit: Ergo impius tibi videtur, qui Arrii blasphemias [b] *arguit?*

49. *Palladius dixit: Ego non negavi bonum Filium Dei.*

Ambrosius episcopus dixit: Dicis ergo Christum Deum bonum?

Palladius dixit: Non vobis respondeo.

Valerianus episcopus dixit: Nolite multùm adigere Palladium, non potest vera nostra simpliciter confiteri. Ipsius enim conscientia duplici blasphemia confusa est; nam à Photinianis est ordinatus, & cum ipsis est damnatus: & [c] *nunc plenius damnabitur.*

Palladius dixit: Hoc proba.

Sabinus episcopus dixit: Non aliter poterat Christum verum negare, nisi auctores suos sequeretur.

50. *Ambrosius episcopus dixit:* Objecisti me esse impium, hoc proba.

Palladius dixit: Expositionem nostram afferemus; cùm autem adtulerimus, [d] *tunc disputatio habebitur.*

Ambrosius episcopus dixit: Damna impietatem Arrii.

Cùm reticeret Palladius, Eusebius episcopus dixit: Superfluis immoratur. Tot impietates Arrii Palladius noluit condemnare, immo potius adserendo confessus est. Hunc qui non damnat, similis illius est, & hæreticus jure dicendus est.

Omnes episcopi dixerunt: A nobis omnibus anathema sit Palladio.

51. *Ambrosius episcopus dixit:* Adquiescis, Palladi, ut cetera legantur Arrii.

Palladius dixit: Date auditores: veniant & ex utraque parte exceptores. Non potestis esse judices, si auditores non habuerimus; & nisi ex utraque parte venerint, qui audiant, non vobis respondemus.

Ambrosius episcopus dixit: Quos quæris auditores?

Palladius dixit: Sunt hic viri honorati multi.

Sabinus episcopus dixit: Post tot blasphemias auditores petis?

Ambrosius episcopus dixit: Sacerdotes de laicis judicare debent, non laici de sacerdotibus. Sed tamen quos judices petas, dicito.

Palladius dixit: Auditores veniant.

Chromatius presbyter dixit: Salva condemnatione sacerdotali, quin & qui Palladii sunt, etiam [e] *nunc in pleno legantur.*

52. *Palladius dixit: Non permittuntur loqui. Auditores veniant, & ex utraque parte exceptores, & respondebunt vobis hi in Concilio generali.*

Ambrosius episcopus dixit: Etsi in multis impietatibus deprehensus sit, erubescemus tamen, ut videatur qui sacerdotium sibi vindicat, à laicis esse damnatus: ac per hoc quoque & in hoc ipso damnandus est, qui laicorum exspectat sententiam; cùm magis de laicis sacerdotes debeant judicare. Juxta ea quæ hodie audivimus Palladium profitentem, & juxta ea quæ condemnare noluit, pronuntio illum sacerdotio indignum, [f] & carendum, ut in loco ejus catholicus ordinetur.

Omnes episcopi dixerunt: Anathema Palladio.

53. *Ambrosius episcopus dixit:* Imperator clementissimus & christianus sacerdotum judicio causam, & [g] ut ipsi arbitri essent altercationis, inquit, constituissemus. Quoniam igitur nobis judicium videtur delatum interpretes esse Scripturarum, condemnemus Palladium, qui impii Arrii noluit damnare sententiam: & quia ipse Filium Dei sempiternum, & cetera quæ actis inhærent, negavit. Ergo anathema habeatur.

Omnes episcopi dixerunt: Omnes condemnamus eum, anathema habeatur.

Patrum singulorum in Palladium condemnatio.

54. *Ambrosius episcopus dixit:* Quoniam omnes consistunt viri christiani, & Deo probati fratres, & consacerdotes nostri, dicat unusquisque quid sibi videatur.

* *Valerianus episcopus dixit: Mihi quidem videtur, quia qui Arrium defendit, Arrianus est: qui blasphemias ejus non condemnat, ipse blasphemus est; ideoque hujusmodi hominem à consortio sacerdotum censeo esse alienum.*

Palladius dixit: Cœpistis ludere, ludite. Sine Concilio orientali vobis non respondemus.

55. * *Anemius episcopus Sirmiensis dixit: Quicumque hæreses Arrianas non condemnat, Arrianus sit necesse est. Hunc igitur alienum etiam à*

a. Tell. & Labb. *præsentibus actoribus.* Non satis recte.

b. Verbo *arguit* Rom. edit. ista subnectit, *& profiteor Deum bonum Filium Dei.*

c. Rom. edit. *nunc ut Arrianus plenius damnabitur.*

d. Sic Tell. ac Chifl. Labb autem, *tunc dispositio*: Rom. *tunc probatio.*

e. Rom. edit. *etiam nunc audiantur*: aliæ ac Tell. ut in textu.

f. Chifl *& curandum*: Tell. & Labb *& carendum*; eadem forma se licet, qua dicebant *abstinendum*, pro eo quod est, privandum, quam ultimam vocem posuit Rom. editio.

g. Ita Labb. & Chifl. à quibus Tell. hoc solo differt, quod primam partem his verbis legit, *licet & ut ipse arbiter esset*, quæ similiter Rom. edit. exhibet, sed præterea expunxit, *inquit*, & post *constituissemus*, addidit *commisit.*

* Valerianus qui semper in hoc Concilio primus nominatur, & in duobus Romanis altero anni 370. altero 381, post Damasum Papam memoratur, in Aquileiensi episcopatu Fortunatiano successisse creditur, Arriano catholicus. Ejus hæc laus præcipua est, quod clerum suum optime instituerit, ut inde quasi è sacro seminario quam plurimi episcopi adsciti postea fuerint. Illic se ad pietatem formari voluit Hieronymus: Rufinus vero ibidem in monasterio educatum se esse narrat. Eidem etiam Valeriano rescriptum imperatoris destinatum fuisse existimat Hermannus; & causam, cur hîc ponatur ante Ambrosium hanc esse putat, vel quod revera Dalmatiæ metropolita esset, vel certe quod Itali episcopi ad eum, dum sedes Mediolanensis ab Auxentio occuparetur, tamquam ad metropolitanum recurrerent: quo quidem honore ipsum maxime in Ecclesia propria spoliare noluerit Ambrosius. Porro de dignitate ejusdem Ecclesiæ plura apud Ughellum reperies.

*. Anemius post mortem Germinii qui Sirmiensem invaserat Ecclesiam, illic ab Ambrosio, Justinâ quæ modis omnibus Arrianum eligi satagebat, invitâ, ordinatus fuit: in qua ordinatione miraculum insigne factum Paulinus in Ambrosii vita commemorat. Quod autem Sirmium Illyrici caput supra nominavit idem Anemius, id vel de occidentali Illyrico intelligendum est; vel si etiam de orientali, dicendum erit sedem Thessalonicensem needum à Damaso in metropolis dignitatem evectam fuisse, ut idem Hermannus in Ambrosii vita prudenter observat.

nostra communione, & sacerdotali cœtu denuo privatum esse censemus.

* Constantius episcopus Arausicus dixit: Palladium Arrii discipulum, cujus impietates jam olim damnatæ sunt à patribus nostris in Concilio Niceno, & nunc hodie probatæ, cùm recenserentur, à Palladio singulæ; quia [a] non confusus est dum Dei filium à Deo Patre esse alienum, cùm creaturam confitetur: cùm temporalem cœpisse dicit, Dominum verum negat, in sempiternum censeo esse damnandum.

56. * Justus episcopus dixit: Palladium, qui blasphemias Arrii damnare noluit, sed etiam magis has confiteri videtur, censeo ulterius sacerdotem dici non posse, nec inter episcopos deputari.

[b] Eventius episcopus Ticiniensis dixit: Palladium, qui impietatem Arrii damnare noluit, arbitror à consortio sacerdotali in perpetuum esse remotum.

57. Abundantius Episcopus Tridentinus dixit: Cùm evidentes blasphemias Palladius defendat, damnatum se ex Concilio Aquileiensi cognoscat.

* Eusebius episcopus Bononiensis dixit: Quia impietates Arrii diabolico stylo conscriptas, quas non licebat nec ad aures admittere, Palladius non solum noluit condemnare; sed & earum exstitit adsertor, negando Filium Dei Dominum verum, Dominum bonum, Dominum sapientem, Dominum sempiternum, hunc à cœtu sacerdotali, & mea sententia & omnium catholicorum judicio arbitror jure esse damnatum.

58. * Sabinus episcopus Placentinus dixit: Quoniam cunctis patefactum est, Palladium, [c] qui Arrianæ perfidiæ auctor est, etiam ejus impietatem tenere, quæ contra evangelica & apostolica instituta venit, justa in eum totius Concilii illata sententia est, qui mea licet parvitatis sententia sacerdotio denuo privatus, ex hoc sacrosancto cœtu jure pellatur.

Felix & Numidius legati Afrorum dixerunt: Arrianæ hæresis secta, in qua in Aquileiensi Synodo Palladius declaratus est, anathema. Sed & eos qui contra veritatem Nicanæ synodi repugnantes sunt, condemnamus.

59. * Limenius episcopus Vercellensis dixit: Arrianam doctrinam sæpe esse damnatam manifestum est; & ideo Palladius conventus in hac sacra Synodo Aquileiensi, quia noluit se corrigere vel emendare; sed magis probavit [d] reprehensibilem, & se olctavit perfidia, quam se publice confessus est tenere, hunc

A sententia mea & ego profiteor à consortio sacerdotali esse privandum.

Maximus episcopus * Emonensis dixit: Palladium, qui blasphemias Arrii nec damnare voluit, sed magis ipse confessus est, juste ac merito esse damnatum, & Deus novit, & fidelium conscientia condemnavit.

60. Exuperantius episcopus Dertonensis dixit: Palladium, qui sectam Arrii vel ejus doctrinam
B damnare noluit, sed defendit, ut ceteri consortes mei damnaverunt, etiam & ego condemno.

* Bassianus episcopus Laudensis dixit: Audivi sicut & ceteri consortes mei, impietates Arrii, quas Palladius non solum non condemnavit, sed confirmavit: hic anathema sit, & sacerdotio privabitur.

61. * Philaster episcopus Brixianus dixit: Blasphemias & iniquitatem Palladii, qui Arrianam doctrinam sequitur & defendit, una cum omnibus ego condemnavi.

C * Constantius episcopus Scisciensis dixit: Palladium, qui blasphemias & impietates Arrii non condemnavit, sicut & ceteri consacerdotes mei, & ego censeo damnandum.

* Heliodorus episcopus Altiniensis dixit: Qui perfidiam Arrii, omniumque hæreticorum, quorum consors est Palladius, cujus insipiens cor, qui veritatem non est confessus, cum ceteris consacerdotibus meis condemno.

62. * Felix episcopus Jadertinus dixit: Palladium,
D qui blasphemias dicit in Filium sicut Arrius, cum omnibus pariter condemno.

Theodorus episcopus Octodorensis dixit: Palladium, qui Christum Deum verum, coæternum Patri negavit nec christianum hunc, nec sacerdotem ullo modo censemus.

Domninus episcopus Gratianopolitanus dixit: Palladium in perfidia Arrii permanentem in perpetuum, sicut & fratres damnaverunt, etiam & ego censeo esse damnandum.

E 63. Proculus episcopus Massiliensis dixit: Palladium, qui Arrii blasphemias sub quadam impia hereditate non condemnando defendit, sicut hunc & plurimorum jam venerabilium sacerdotum sententia blasphemum designavit, atque à sacerdotio alienum dixit, ita mea pariter sententia in perpetuum condemnatum designat.

Diogenes episcopus Genuensis dixit: Palladium, qui Christum dominum Deum verum similem &

*. Jam monuimus ad epistolam II. voci Constantio ad quem eadem illa destinata est, perperam addidisse Romanos editores Arausicano episcopo. Quod autem Arausicanum spectat, ejus auctoritatem hinc conjicias quod cum pluribus synodis interfuisse reperiamus.

a. Rom. edit. sola, quia non confusus est dicere Dei Filium .... & cùm creaturam confitetur, cùm tempore &c.

*. Cùm hunc Justum non alium ab eo esse, ad quem Ambrosianæ duæ epistolæ exstant, admodum sit verisimile, ibidem à nobis de eodem satis dictum putamus.

b. Edit. Conc. Bin. ac Labb. in textu Citiniensis, & in marg. Tiniensis: Regius cod. & Chiff. ex Divion Ticiniensis. Et hinc optime confirmatur Baronii conjectura, qua hunc Eventium Ticinensem episcopum facit, cujus festum sub nomine Juventii sive Eventii VI. Idus febr. celebratur. Nam quod opinionem illam videtur propter auctoritatem Rom. edit. ubi Cenetensis episcopus dicitur, abjicere, non admodum firmo movetur argumento; quando quidem ei lectioni auctoritas mss. & aliarum edit. refragatur.

*. Nihil obstare sane credimus, quin hic Eusebius idem ipse sit, qui lib. de Virginit. cap. 20. num. 129. ab Ambrosio dicitur piscator Ecclesiæ Bononiensis, aptus ad hoc piscandi genus, id est, ad persuadendum puellis sacræ virginitatis propositum: & sub quo florentissima Bononiæ fuerunt sanctimonialium contubernia, quæ ab eodem Ambrosio laudantur lib. 1. de Virgin. cap. 2. num. 60.

*. Sabinum hunc, seu Savinum, jam diximus in Admonit. non alium videri ab eo Sabino, ad quem haud paucæ Ambrosii exstant epistolæ: de quo proinde rursus occurret dicendi locus.

c. Sic Tell. & Labb. Rom. autem edit. qui ... adsertor est. Chiff. adsertorem.

*. De Limenio jam perstinximus aliquid in Admonit. & forte ad epist. ad Vercell. nonnihil etiam adjiciemus.

d. Chiff. deprehensibili se se collutavit perfidia.

*. Urbem Emonam Geographia sacra locat in provincia Istria sub metropoli Aquileiensi: Valesius autem eam esse existimat, quæ ab Herodiano Ema dicitur, ac prima Italiæ urbium ponitur.

*. Bassiani hujus, seu Bassiliani, ut vocatur in cod. Tell. mentio fit in secunda ad Felicem Comensem epistola, num. 1. ad quem locum nonnulla etiam observavimus.

*. Philaster ingenii sui monumentum reliquit libellum de Hæresibus, at multo clariorem sanctitatis suæ memoriam in dypticis Ecclesiasticis, in quibus ad XV. Kal. Augusti renuntiatur.

*. Constantius hic à Sciscia, quæ urbs in finibus Pannoniæ sita est, dicitur Sciscientis. Et hinc colligas neque etiam hunc esse, ad quem superior epistola ad Constantium exarata fuit; cùm ab Imola, quæ proxima Ecclesiæ hujus Constantii dicitur, nimio intervallo distet Scisciа.

*. Heliodori doctrinam ac pietatem aliquot Hieronymi epistolis consignatam habemus: ejus vero nomen in sanctorum albo scriptum legitur III. Non. Julii.

*. Felicis Jadertini sive Jadrensis sedes episcopalis erat Jadera urbs Dalmatiæ, hodie Zara Vecchia.

æqualem Patri dum non confitetur, immo negavit, A *damnationem judico cum ceteris fratribus meis* [a] *vel consacerdotibus sortiri.*

64. *Amantius episcopus Niciensis dixit: Palladium, qui sectam Arrii non destruxit, secundùm consacerdotum meorum judicium etiam & ego condemno.*

Januarius episcopus dixit: Sicut omnes consacerdotes mei damnaverunt Palladium, ita & ego pari judicio eum censeo esse damnandum.

Secundianus Christum agnoscere Deum verum interpellatus eadem, qua Palladius, cavillatione conatur Patres ludificari. B

65. ET cùm [b] *Secundianus subripuisset, Ambrosius episcopus dixit:* Audisti Secundiane, cujusmodi Palladius impius sententiam, sacerdotali Concilio damnatus exceperit; licet displicuerit nobis quod ejus, hoc est, Palladii non horrueris amentiam, tamen de te aliqua specialiter quæro. Utrum Dei Filium dominum nostrum Jesum Christum, ve- C rum vel non verum Deum dicas?

Secundianus dixit: Qui negat Deum verum esse Patrem domini & Dei nostri Jesu Christi, non est christianus: [c] *nec qui negat dominum Filium Dei verum.*

Ambrosius episcopus dixit: Deum verum Dei Filium confiteris?

Secundianus dixit: Verum Dei Filium, unigenitum Dei Filium verum dico. D

66. *Ambrosius episcopus dixit:* Verum dominum dicis?

Secundianus dixit: Verum unigenitum Filium: quis negat verum Filium Dei?

Eusebius episcopus dixit: Non sufficit [d] *quod Filium Dei unigenitum confiteris; nam hoc omnes confitentur: sed hoc movet, quod Arrius dixit Dominum solum Patrem, solum verum: negavit Filium Dei Dominum verum. Simpliciter Filium Dei Deum verum confiteris?* E

Secundianus dixit: Quis fuerit Arrius, ignoro: quid dixerit nescio? Mecum loqueris vivus ad vivum. Illud dico quod Christus dixit: [e] Unigenitum qui est in sinu Patris; *ergo unigenitum Filium se adserit Patris: Filius igitur unigenitus est Dei Filius verus.* Joan. 1. 18.

67. *Ambrosius episcopus dixit:* Deus verus est, [f] verus Dei Filius Deus? *Et addit:* In divinis libris scriptum est: *Quia qui jurant super terram, jurabunt Deum verum.* Quod utique de Christo esse non dubium est. Nos ergo verum Deum profitemur: & fides nostra hæc est, & professio, quia unigenitus Patris Filius est verus Deus. Dic & tu de Deo vero, deinde Filium Deum verum. Esai. 66. 16.

Secundianus dicit: De Deo vero.

68. *Ambrosius episcopus dixit:* Filius Dei Deus verus est?

Secundianus dixit: [g] *Ergo mendax.*

Ambrosius episcopus dixit: In hoc fraudem facis, ut non Deum verum dicas, sed Deum unigenitum verum, ac per hoc dic simpliciter: Unigenitus Dei Filius Deus verus est.

Secundianus dixit: Unigenitum dixi Dei Filium.

69. *Eusebius episcopus dixit: Hoc Photinus non negat, hoc Sabellius confitetur.*

Ambrosius episcopus dixit: Et qui hoc non confitetur, jure damnatur: ac per hoc sæpe te convenio, licet cavillando negaveris veritatem. Non quæro ut tantummodo unigenitum verum Filium dicas Dei, sed etiam Deum verum.

Secundianus dixit: Veritatis me servum profiteor. Quæ dico, non scribuntur: & quæ dicis, scribuntur. Christum verum Dei Filium dico. Quis negat Filium Dei verum esse?

70. *Ambrosius episcopus dixit:* [h] Qui negat Deum verum unigenitum Dei Filium, anathema sit.

Secundianus dixit: Deum verum unigenitum Filium Dei? Quid mihi profiteris, quod non est scriptum?

Ambrosius episcopus dixit: Apertum sacrilegium est, quando Christum Dei Filium Arrius Deum verum negavit.

Secundianus dixit: Iesum Christum [i] *Filium Dei Deum, qui Christus dicatur Filius verus, Filium Dei dico: sed verum Deum non est scriptum.*

71. *Ambrosius episcopus dixit:* Nondum resipuisti? *Et adjecit:* Ne quid illi videatur esse subreptum, confirmet sententiam suam. Dicat ergo unigenitum Christum Dei Filium Deum verum.

Secundianus dixit: Iam dixi. Quid mihi extorquere vis amplius?

Ambrosius episcopus dixit: Quid dixisti? Certe [k] si dixisses tanta, quod gloriose dicitur, sæpe repetendum est.

Secundianus dixit: Dictum est: Sit sermo vester, est est, non non. Matth. 5. 37.

72. *Ambrosius episcopus dixit:* Qui dicit ipsum Patrem Filium, sacrilegus est. Hoc à te quæro, ut dicas de Deo vero Deum verum Dei Filium natum.

Secundianus dixit: Ego Filium à Deo genitum, [l] *dicente ipso:* Genui te; *& confitentem se genitum esse, dico.* Psal. 109. 3.

73. *Ambrosius episcopus dixit:* A Deo vero Deus verus est? F

Secundianus dixit: Et cùm nomini etiam addis, & verum; audis qualis in te fides sit, & christianus es?

Eusebius episcopus dixit: Qui negavit illum Deum verum? Arrius & Palladius negavit. Tu si Deum

a. Tell. cod. *damnationes ejus cum ceteris fratribus meis, vel consacerdotibus ejus sociari:* edit vero inter se consentiunt, nisi quod pro *consacerdotibus* habet Rom. *cum sacerdotibus*

b. Rom edit. sola, *Secundianus se paululum subripuisset, & postea convenisset.*

c. Eadem edit. sola, *idem qui negat Christum Filium Dei verum.* Et infra: *Dei Filium unigenitum verum Filium Dei dico.* Et etiam non multo post, *unigenitum Christum quis negat?*

d. Ita Tell. Labb & Chifl. Rom. autem edit. *quod verum Filium Dei... Hoc vero potissimum nos movet, quod Arrius dixit Deum solum Patrem solum bonum: negavit vero Filium Dei Deum verum. Simpliciter ergo* &c

e. Rom edit. sola, *dixit: Unigenitus qui* &c. Chifl. & Labb. *dixit unigenitum Filium se,* reliqua desunt.

f. Eadem Rom. edit. *verus Dei Filius? Responde Et addit: In divinis lectionibus scriptum est quia jurantes.* Et post duos versus: *Nos ergo Filium Dei verum* &c.

g. Tell. & Labb. *Ergo mendax unigenitus.* Et infra: *sed Deum unigenitum* In sequentibus demum vocem *verum* semel atque iterum prætermittunt.

h. Iidem Tell. & Labb. *Qui negat unigenitum.*

i Rom. edit. sola, *Filium Dei, quia Christus dicitur Filius Dei, verum Filium Dei dico: sed verum Deum non est scriptum.*

k Eadem Rom edit. *Si verum multoties dixisses, adhuc respondere deberes. Nam quod gloriose* &c.

l Rom. edit. *dicente Patre: Ego hodie genui te; & consitente se genuisse, unigenitum Dei verum esse dico.*

verum credis, debes simpliciter designare. A

74. *Ambrosius episcopus dixit :* Si non dixeris Deum verum de Deo vero natum esse, Christum negasti.

Secundianus dixit : Interrogatus de Filio, dedi responsum : quemadmodum deberem profiteri, respondi.[a] *Habemus vestram expositionem, asseremus, legatur.*

Ambrosius dixit : Hodie afferre debueras, ceterum tu subterfugere conaris.[b] Professionem à me exigis : & professionem à te exigo. Deus B verus est Dei Filius?

Secundianus dixit : Unigenitus est[c] *Deus Dei Filius. Et ego eum interrogo : Unigenitus est?*

75. *Ambrosius episcopus dixit :* [d] Ratio permoveat nos, & impietas & insipientia tua. [e] Cùm dicis Deum verum unigenitum, non Deum verum dicis : sed verum unigenitum. Ac per hoc, ut istam adimas quæstionem, ita responde : Ex Deo vero Deus verus est?

Secundianus dixit : Ergo Deus Deum non ge- C *nuit?* [f] *Deus verus ille qui est, quod est, genuit : unum verum, unigenitum filium genuit?*

Ambrosius dixit : Non confiteris Deum verum, sed vis dicere verum unigenitum. Et ego unigenitum dico, sed & Deum verum.

Secundianus dixit : Ego dico genitum à Patre, verum genitum dico omnibus.

Episcoporum & presbyterorum qui Concilio interfuerunt, nomina. D

76. *Valerianus episcopus Aquileiensis.*
Ambrosius episcopus Mediolanensis.
Eusebius episcopus Bononiensis.
Limenius episcopus Vercellensis.
Anemius episcopus Sirmiensis Illyrici.
Sabinus episcopus Placentinus.
Abundantius episcopus Tridentinus.
Philaster episcopus Brixianus.
Constantinus episcopus Arausicus, legatus Gallorum.
Theodorus episcopus Octodorensis. E
Domninus episcopus Gratianopolitanus.
Amantius episcopus Niciensis.
Maximus episcopus Emonensis.
Bassianus episcopus Laudensis.
Proculus episcopus Massiliensis, legatus Gallorum.
Heliodorus episcopus Altiniensis.
Felix episcopus Jadertinus.
Eventius episcopus Ticiniensis.
Exsuperantius episcopus Dertonensis.
Diogenes episcopus Genuensis. F
Constantius episcopus Sisciensis.
Justus episcopus Lugdunensis, alius legatus Gallorum.
Felix legatus Afrorum.
Numidius legatus Afrorum.
* *Evagrius presbyter & legatus.*
Artemius, Almachius, Ianuarius, Iovinus, Macedonius, Cassianus, Marcellus, Eustathius, Maximus, * *Chromatius presbyter.*

EPISTOLA IX.

Concilium Gallis episcopis gratias agit, eisque Palladii & Secundiani damnationem scribit.

Concilium quod convenit Aquileiæ, dilectissimis fratribus episcopis Galliarum provinciæ Viennensis & Narbonensis primæ & secundæ.

1. Agimus gratias sanctæ unanimitati vestræ, quod in dominis & fratribus nostris Constantio & Proculo omnium vestri præsentiam nobis contulistis : simulque præscripta majorum sequentes, non mediocre addidistis pondus sententiis nostris, cum quibus etiam vestræ sanctitatis convenit professio, domini fratres dilectissimi. Itaque ut libenter suscepimus memoratos de vestro nostroque consortio sanctos viros ; ita etiam uberi gratiarum actione dimittimus.

2. Quam necessarius autem conventus hic fuerit, rebus ipsis patescet, quando adversarii & inimici Dei, Arrianæ sectæ ac hæresis defensores, Palladius ac Secundianus, duo tantum, qui ausi sunt ad Concilium convenire, debitam præsentes excepere sententiam, super impietate convicti. Valete. Incolumes vos & florentissimos Deus noster tueatur omnipotens, domini fratres dilectissimi. Amen.

EPISTOLA X.

Imperatoribus de Synodi convocatione gratias agit, qui ad eam convenerint, exponit, hæreticorum tergiversationem blasphemias ac pervicaciam memorat, tandem implorat fidem imperatorum, ut & eorum auctoritate exsecutioni mandentur concilii decreta, & alii nonnulli hæretici coerceantur.

Imperatoribus clementissimis & christianis, beatissimisque principibus GRATIANO, VALENTINIANO & THEODOSIO, sanctum Concilium, quod convenit Aquileiæ.

1. Benedictus Deus pater domini nostri Jesu Christi, qui vobis Romanum imperium dedit ; & benedictus dominus noster Jesus Christus unigenitus Dei Filius, qui regnum vestrum sua pietate custodit, apud quem gratias agimus vobis, clementissimi Principes, quod & fidei vestræ studium probavistis, qui ad removendas altercationes congregare studuistis sacerdotale Concilium, & episcopis dignatione vestra honorificentiam reservastis ; ut nemo deesset volens, nemo [g] cogeretur invitus.

2. Itaque juxta mansuetudinis vestræ præceptum convenimus sine invidia multitudinis, & cùm affectu disceptationis : nec ulli de hæreticis episcopi sunt reperti, nisi Palladius & Secundianus, nomina vetustæ perfidiæ, propter quos congregari Concilium postulabant de extrema orbis parte Romani. Ecce nullus se-

a. Edit. Rom. *Habemus nostram expositionem... legetur.*
b. Tell. & Labb. *professionem à me exige.*
c. Rom. edit. *verus Dei Filius. Et ego te interrogo.*
d. Sic Tell. & Labb. Rom. autem edit. *Ratio permoveat nos, & non impietas* : Chifl. *Ratione permoveat nos impietas.*
e. Edit. Rom. *Cùm dicis Filium verum unigenitum... ut istam diluas.* Sed sine cujusquam suffragio.
f. Eadem edit *Filium non genuit? Deus verus ille, qui est? Et quid est, genuit? nisi quia Deus unum.* Et infra, *unigenitum verum dico, & Deum verum :* aliæ ac Tell. ut in textu.
*. Evagrius cujus nationis legatus ad Synodum venerit, non exprimitur : forte cujuspiam privati episcopi ; nam cùm nationum suffragia colligerentur, conticuit.
*. De hoc Chromatio, qui postea episcopus Aquileiensis fuit, diximus in Admonitione, & fortasse iterum aliquid dicturi sumus.
g. Quidquid à verbis *cogeretur invitus* usque ad *senectutis gravatus* continetur, in Rom. edit. rejectum fuerat post inferiora illa, *super egenum & pauperem.*

nectutis gravatus annis, cujus vel ſola eſſet reverenda canities, de ultimo ſinu maris Oceani venire compulſus eſt, [a] & Concilio nihil defuit: nullus debile corpus trahens, jejuniorum ſtipendiis oneratum, itineris eſt coactus injuriâ fortitudinis amiſſæ damna deflere: nullus poſtremo pauperiem in ſacerdotibus glorioſam ſubſidio veniendi deſtitutus ingemuit. Unde completum eſt in te, clementiſſime principum Gratiane, quod ſcriptura divina laudavit: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Pſal. 40. 1.

3. Quam vero grave fuiſſet propter duos tantum [b] in perfidia carioſos ſacerdotes toto orbe eſſent Eccleſiæ ſummis ſacerdotibus deſtitutæ? Qui etiamſi venire propter prolixitatem itineris nequiverint, tamen omnes prope ex omnibus provinciis occidentalibus, miſſis adfuere legatis, & adteſtationibus evidentibus id ſe tenere, quod nos adſerimus, & in tractatu Nicæni congruere Concilii deſignarunt, ſicut ſubjecta declarant. Ubique ergo nunc pro veſtro imperio concinunt vota populorum, nec tamen arbitrio veſtro fidei adſertores defuerunt. Nam licet evidentia eſſent præſcripta majorum, à quibus impium eſt & ſacrilegum deviare; tamen diſceptandi obtulimus facultatem.

4. Ac primo principium ipſum obortæ diſcuſſimus quæſtionis, atque Arrii epiſtolam putavimus eſſe recitandam, qui auctor Arrianæ hæreſis invenitur, unde & hæreſis nomen accepit; ea videlicet & gratia, ut quoniam Arrianos ſe negare conſueverant, Arrii blaſphemias aut incuſando damnarent, aut adſtruendo defenderent, aut certe non recuſarent nomen ejus, cujus impietatem, perfidiamque ſequerentur. Sed quia auctorem ſuum [c] nec damnare poterant, nec probare volebant; cùm ipſi ad diſceptandum ante triduum provocaſſent loco & tempore conſtituto, non exſpectata conventione, prodiiſſent, ſubito qui dixerant ſe quia chriſtiani eſſent facile probaturos (quod nos libenter accepimus, & optavimus ut probarent) fugere congreſſum illico, & diſceptationem declinare cœperunt.

5. Multus tamen nobis cum his ſermo fuit, propoſitæ divinæ in medio ſcripturæ, diſceptandi de primo ortu diei in horam ſeptimam copia data, delata patientia. Atque utinam pauca dixiſſent, vel certe quæ audivimus, poſſemus abolere! Nam ſacrilegis vocibus cùm Arrius ſolum Patrem ſempiternum, ſolum bonum, ſolum verum Deum, ſolum immortalitatem habentem, ſolum ſapientem, ſolum potentem dicendo, expertem horum Filium [d] impia commonitione voluiſſet intelligi; iſti Arrium potius ſequi, quam ſempiternum Deum Dei Filium, & verum Deum, & bonum Deum, & ſapientem, & potentem, & immortalitatem habentem voluerunt fateri. Multas horas fruſtra conſumſimus. Creſcebat illorum impietas, nec corrigi ullo poterat modo.

6. Denique cùm viderent ſe Arrii epiſtolæ ſacrilegiis perurgeri (quam ideo ſubdidimus, ut eam etiam veſtra clementia perhorreſceret) reſilientes [e] de media epiſtolæ lectione, petierunt ut eorum propoſitis reſponderemus. Quamquam non eſſet ordinis neque rationis, ut propoſita interrumperemus; reſponſumque eſſet à nobis ut damnarent Arrii impietates, & de quibus vellent, ordine, locoque ſervato, [f] eorum intentionibus reſponderemus: tamen adquievimus præpoſteræ voluntati. Ibi tum Evangelii ſcripta falſantes, propoſuerunt nobis, dixiſſe Dominum: Qui me miſit, major me eſt; cùm aliter ſcriptum doceat ſeries Scripturarum.

7. Redarguti de falſitate ſunt, ut faterentur; nec tamen ratione correcti. Nam cùm diceremus ſecundum carnis ſuſceptionem minorem Patre ſuo Filium dici, ſecundum divinitatem autem pro teſtimoniis Scripturarum parem Patri & æqualem probari, nec poſſe ibi eſſe [g] diſcretionis gradus alicujus, aut magnitudinis, ubi eſſet unitas poteſtatis; non ſolùm illi noluerunt emendare errorem, ſed etiam veſaniam augere cœperunt, ut & ſubjectum ſecundum divinitatem dicerent Filium, quaſi ulla Dei ſecundum divinitatem & majeſtatem ſuam poſſit eſſe ſubjectio. Mortem denique ejus non ad ſacramentum noſtræ ſalutis, ſed ad infirmitatem quamdam divinitatis referunt.

8. Horremus, clementiſſimi Principes, tam dira, ſacrilegia, pravoſque doctores: & ne ulterius populos deciperent, [h] quos tenebant, ſacerdotio putavimus abdicandos; quoniam ſubditi libelli impietatibus concinebant. Neque enim dignum eſt ut ejus ſacerdotium ſibi vindicent, quem negarunt. Veſtram fidem, veſtram gloriam deprecamur, ut reverentiam imperii veſtri deferatis auctori, cenſeatiſque impietatis adſertores, & adulteros veritatis, datis apicibus clementiæ veſtræ ad judicia competentia, ab Eccleſiæ arcendos eſſe liminibus, & ut in damnatorum locum per noſtræ parvitatis legatos ſancti ſubrogentur ſacerdotes.

9. Attalum quoque presbyterum de prævaricatione confeſſum, [i] & Palladii ſacrilegiis in-

a. *Et Concilio nihil defuit* in Rom. edit omiſſum erat.

b. Ita cod. Reg ac Tell. necnon edit. Labb. & Chiſl. niſi quod Tell. prima manu habebat *curioſos*, & Reg. ſolus pro *ſuis deſtitui* legit *ſummis deſtitus* & ſub totius periochæ finem, ubi nos cum Tell. & Chiſl. *præſcripta majorum*, Cod. Regius præfert, *reſcripta*, Labb. *præcepta majorum*: Rom. autem edit. locum ſic habet, *in fide carioſos, ſacerdotes toto ex orbe huc convenire, ac Eccleſias ſuis deſtitui paſtoribus, clementia veſtra perpendere dignetur. Nihilominus etſi nonnulli propter itineris prolixitatem venire nequiverint, tamen omnes ex omnibus occidentis prope provinciis, vel miſſis adfuere legatis, qui adteſtationibus . . & quod Nicæni Concilii congruit tractatui proteſtantur, prout ſcripta declarant Ubique ergo nunc per veſtrum imperium concinant, ſicut nec pro veſtro arbitrio fidei adſertores hic defuerunt. Denique licet . . . opponentibus tamen* &c.

c. Rom edit ſola, *nec probare poterant, nec damnare volebant.* Sed in aliarum ac mſſ lectione nihil mutamus.

d. Ita Tell. & Chiſl Labb. vero, *impia commotione*: at cod. Reg. ac Rom. edit. *impia commendatione*, forte melius legatur, *commentatione* Quod autem Rom. edit. habet, *voluiſſet intelligere*, in hoc mſ. ei nullus adſtipulatur.

e Tell. & Labb. *de media epiſtola electionem petierant.*

f. Rom. edit. *eodem propoſitionibus reſponderemus, tandem* &c.

g. Reg. cod. *diſcretionem gradus.*

h. Ita reg. cod. Tell. autem atque edit. Rom. Labb. & Chiſl. *quod tenebant, ſacerdotio putamus abdicandos. Neque enim* &c.

i Edit. Rom. & Labb cum Tell. cod. *& palam ſacrilegiis . . . . comprehendas.* Chiſl. cum Reg. cod. ut in textu. Infra vero ubi Attali hujus magiſter nominatur, ſolus cod. Regius habet *Juliano Valente*, cùm prænomen in Tell. & tribus edit. prætermittatur. Hic porro minime confundendus videtur cum Valente Murſiano Urſacii collega, quem veriſimile eſt ante hunc annum vivere deſiiſſe: at junior alius potius fuit, qui Patavione in Pannonia intruſus ab Arrianis in ſedem Marci pii & catholici epiſcopi adhuc ſuperſtitis; hoc enim ſignat *ſuperpoſitus*, inde brevi poſt ejectus, in Italiam fugit, & illic eas turbas excitavit, quæ in hac atque in ultima hujus Concilii epiſtola memorantur.

hærentem, parilis sententia comprehendit. Nam quid de magistro ejus Juliano Valente dicamus? qui cùm esset proximus, declinavit sacerdotale Concilium, ne eversæ patriæ, proditorumque civium præstare causas sacerdotibus cogeretur. Qui etiam torquem, ut adseritur, [a] & brachiale, Gothica profanatus impietate, more indutus gentilium, ausus sit in conspectu exercitus prodire Romani: quod sine dubio non solùm in sacerdote sacrilegium, sed etiam in quocumque [b] christiano est; etenim abhorret à more Romano. Nisi forte sic solent idololatræ sacerdotes prodire Gothorum.

10. Moveat pietatem vestram sacerdotale nomen, quod ille sacrilegus infamat: qui etiam suorum vocibus, si qui tamen superesse possunt, nefandi sceleris arguitur. Certe domum repetat suam, non contaminet florentissimæ Italiæ civitates, qui nunc illicitis ordinationibus consimiles sui sociat sibi, & seminarium quærit suæ impietatis atque perfidiæ [c] per quosque perditos derelinquere; qui episcopus esse nec cœpit. Nam primò Patavione superpositus fuerat sancto viro Marco, admirabilis memoriæ sacerdoti: sed posteaquam deformiter dejectus à plebe est, qui Patavione esse non potuit, is nunc Mediolani post eversionem patriæ, [d] dicamus proditionem, inequitavit.

11. Super omnibus ergo pietas vestra nobis consulere dignetur; ne nos obtemperantes vestræ tranquillitatis statutis, frustra convenisse videamur. Non solum enim cavendum est, ne nostra, sed etiam vestra decreta [e] infamentur. Petimus igitur ut legatos Concilii, sanctos viros æque clementia vestra audire dignetur, & cum effectu eorum quæ poscimus, maturius redire præcipiat; ut mercedem recipiatis à domino Deo Christo, cujus Ecclesias ab omni sacrilegorum labe purgastis.

12. Photinianos quoque, quos & superiori lege censuistis nullos facere debere conventus, [f] & eam quæ de sacerdotum Concilio data est congregando, removistis; petimus, ut quoniam in Syrmiensi oppido adhuc conventus tentare cognovimus, clementiâ vestrâ, interdicta etiam nunc coitione, reverentiam primum Ecclesiæ catholicæ, deinde etiam legibus vestris deferri jubeatis; ut & vos, Deo præsule, triumphetis, qui paci Ecclesiarum quietique consulitis.

EPISTOLA XI.

Imperatoribus, quid in Synodo actum fuerit, significant; eosque monent, ne Ursinum sibi patiantur obrepere, ipsum turbarum auctorem esse, nec non infami crimine accusatum adseverantes. Rogant denique ut Romani cleri, ac simul omnium incolumitati prospiciant.

Imperatoribus clementissimis, & principibus christianis, gloriosissimis ac beatissimis GRATIANO, VALENTINIANO, & THEODOSIO Concilium, quod convenit Aquileiæ.

1. PRovisum est quidem, clementissimi Principes, vestræ tranquillitatis statutis, ne Arrianorum perfidia possit ulterius vel latere, vel serpere; etenim effectum Concilii decretis putamus [g] minime defuturum: nam quantum ad partes spectat occidentis, duo tantum reperti sunt, qui auderent prophanis & impiis vocibus obviare Concilio, vix angulum Ripensis Daciæ turbare consueti.

2. [h] Aliud est quo magis angimur, de quo, quoniam convenimus, fuit rite tractandum; ne posset totum corpus Ecclesiæ toto orbe diffusum, & universa turbare. Nam licet frequenter convenerimus * Ursinum non potuisse obrepere pietati vestræ (quamvis quietum nihil esse patiatur, & inter tot bellicas necessitates obreptio importuna tentetur) tamen ne sancta mens vestra, animique tranquillitas, quæ omnibus consulere gestit, importuni hominis simulata adulatione flectatur, deprecandos vos & obsecrandos, si dignanter ducitis, æstimamus, non solum præcaventes futura, sed etiam præterita, quæ jam ipsius temeritate gesta sunt, perhorrescentes. Nam si aliquam viam nactus fuerit audaciæ, quid non ille confundat?

3. Sed si unius miseratio vos inflectere potest, multo magis vos precatio omnium moveat sacerdotum. Quis enim nostrum ei communionis societate jungetur, cùm indebitum sibi gradum usurpare conatus sit, nec jure ad eum potuerit pervenire; & quem importune affectavit, impor-

a. Reg. cod. *& brachiales Gothica profanatos* &c.

b. Tell. cod. & Labb. *christiano abhorretur more Romano*, Rom. edit. . . . *atque Romano*: Reg. cod. & Chifl. ut in texto.

c. Rom. edit *ut perditos quosque sibi conciliet*: aliæ & mss. inter se conveniunt, nisi quod pro *derelinquere* Tell. habet *derelinqueret*, Labb. *delinqueret*

d. Edit. *ne dicamus*, mss. *dicamus*: at ubi Reg. cod. & Rom. edit. exhibent *latet*, Labb. legit, *inquietavit*, Tell. & Chifl. *inequitavit*; sensu quidem minime diverso, verbo autem magis Ambrosiano. Rursus vero pro *nobis consulere*, ut in Reg. cod. & Rom. edit. legitur, Labb. & Chifl. cum Tell. ms. habent *consolari*.

e Reg. ms. *ladantur*, Chifl *ludantur*, edit. Rom. *infirmentur*, Tell. & Labb. *infamentur*. Iterum vero ubi edit. Rom. *opportune redire*, aliæ duæ, & totidem cod. *maturius redire*. Magis ad mentem Conciliorum, quæ longam aut non necessariam episcoporum in principum aula commorationem numquam non damnarunt.

f. Rom. edit. sola, *prout jam & sacerdotum Concilio sententia in eos lata est. Petimus insuper ut* &c. Quam lectionem si quis amplecti voluerit, sacerdotum illud Concilium, cujus mentio fit in hac epistola, non sine causa de illorum aliquo intellexerit, in quibus Photinum condemnatum fuisse auctor est Hilarius in fragmentis pag. 343. & 344. ubi & Synodi Mediolanensis an. 347. celebratæ, ad quam alludere possent hi antistites, idem meminit. Sed in aliis quoque Conciliis damnatus fuit hæreticus ille, in quibus Epiphanius *Hæresi* 71. Sardicense ponit, qua in re non omnes illi consentiunt. Verùm cum duo scripti cod. & totidem editi lectionem plane diversam exhibeant, quænam Lex in eosdem hæreticos lata dicatur, modo inquirendum. Baronius ad an. 381. eam esse autumat VI. *Leg. de Hæreticis*, quæ data IV. idus Januarii hujusce anni Photinianis, ne conventus in urbibus habeant, interdicit. Sed opinioni huic opponitur I. non esse probabile legem, quæ in oriente lata fuerit, istic citari: deinde II. illam legem non ad Photinianos solos, sed etiam ad alios nonnullos hæreticos pertinere. Attamen primæ rationi responsio facilis esset, hanc ipsam legem adoptari potuisse à Gratiano: secundæ vero, Photinianos primos ac præcipuos esse, contra quos lex eadem promulgata est. Verum cùm hæc epistola lege, quam hic allegat, aliam abrogari testificetur, quod non reperitur in eadem lege VI. hinc intelligitur aliam quampiam, quæ non superstit, à Concilio commemorari.

g. Ita Reg. cod. & Sirmondus: at edit. Rom. addit, *nec id temere*.

h. Rom. edit. *jam turbare consueti. Sed aliud est propter quod magis animo angimur. . . . & universa fœdare*.

*. Ursinus hic sive Ursicinus, qui presbyter à Liberio factus, basilicæ Juliæ ministerio addictus erat, ab iis qui adhæserant eidem Liberio, electus fuit in pontificem, ut Damaso qui Felicis partibus studuerat, & ministrabat in Laurentiana, opponeretur. Hoc dissidium quam plurimas inter fideles pugnas ac cædes intulit, quarum causam in Damasum quidem refundere conantur Marcellinus atque Faustinus schismatici, quibus etiam subsidio venit Ammianus religionis christianæ apertus hostis: verum quanti facere oporteat hujusmodi hominum testimonia, nemo non videt. Certe Damasum abunde à culpa liberant cum Joventii ac Prætextati præfectorum Urbis, tum Valentiniani ipsius sententiæ Ursinum Roma expellentium: maxime vero Conciliorum Romanorum & hujus Aquileiensis judicia, elogia sanctorum Ambrosii atque Hieronymi: ac demum Rufini, Socratis aliorumque historicorum testimonia.

tunissime repetere moliatur? Turbarum toties A damnatus, incedit adhuc quasi præteritis non perhorrescendus exemplis. Qui plerumque (sicut in hoc Concilio cognovimus, & vidimus) cum Arrianis copulatus atque conjunctus erat * eo tempore, quo turbare Mediolanensem Ecclesiam cœtu detestabili moliebatur [a] cum Valente: nunc ante Synagogæ fores, nunc in Arrianorum domibus miscens occulta concilia, & suos eis jungens; & quoniam ipse aperte in eorum congregationes prodire [b] non poterat, B instruens & informans quemadmodum pax Ecclesiæ turbaretur: quorum furore respirabat, quod eorum posset fautores & socios emereri.

Tit. 3. 10. 2. Joan. 10. 4. Cùm igitur scriptum sit: *Hæreticum post unam correptionem devita*; cùm & alius vir sancto loquutus Spiritu, dixerit declinandas hujusmodi bestias, nec salutatione recipiendas, neque congressu: quomodo fieri potest, ut eum quem societati eorum insertum vidimus, non etiam adsertorem perfidiæ judicemus? Quid C etiam si deforet? tamen totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant. Et ideo petimus & rogamus ut obrependi ei adimere dignemini facultatem.

5. Scimus clementiæ vestræ sanctum pudorem; ne auditu vestro indigna ingerat, non aliena ab officio & nomine sacerdotis interstrepat, D non inverecunda vobis loquatur; quem cùm 1. Tim. 3. 7. habere oportuerit testimonium etiam ab his qui foris sunt, quali testimonio & cives proprii prosequuti sunt, clementia vestra meminisse dignetur. Pudet enim dicere, inverecundum est recensere quam turpis fama ejus convicio sauciaverit. Quo saltem pudore constrictus conticescere debuisset; & si haberet aliquam conscientiam sacerdotis, pacem Ecclesiæ, concordiamque ambitioni suæ & studio præoptaret. E Verum longe alienus ab omni verecundia, per abscissum hominem Paschasium, signiferum furoris sui, missis litteris, serit turbas, gentiles quosque ac perditos homines concitare conatur.

6. Oramus igitur, ut jam & populo Romano, qui post relationem præfecti Urbis pendet incertus, & nobis sacerdotibus securitatem interdictam [c] importunissimi hominis abjectione tribuatis. Quo impetrato, apud Deum omnipotentem Patrem, & Christum & dominum Deum gratias jugi continuatione celebremus.

EPISTOLA XII.

Aguntur imperatoribus gratiæ ob restitutam Ecclesiæ tranquillitatem, eisdemque episcoporum preces promittuntur. Tum nuntiatis quibusdam catholicorum dissidiis, rogantur iidem principes, ut Alexandriæ jubeant coire Concilium, cui & auxilium suum impendere non dedignentur, magnum episcopis collaturi beneficium.

Imperatoribus clementissimis christianisque, & gloriosis, beatissimisque principibus GRATIANO, VALENTINIANO, & THEODOSIO sanctum Concilium, quod convenit Aquileiæ.

1. Quamlibet etiam redundantibus gratiarum actionibus, nequaquam tamen possumus beneficia vestræ pietatis æquare, Imperatores clementissimi, atque beatissimi & gloriosissimi principes Gratiane, Valentiniane & Theodosi dilecti Deo Patri, & Filio ejus domino nostro Jesu Christo. [d] Nam cùm post multa tempora, & persecutiones varias, quas catholicis intulerunt Arriani, maximeque [e] vel Lucius ille monachorum & virginum impia cæde grassatus, sed etiam * Demophilus dirum perfidiæ caput, [f] omnes Ecclesiæ Dei, maxime quæ per orientem, catholicis restitutæ sint: in occidentalibus autem partibus vix duo hæretici, qui obviare possint sancto Concilio, sint reperti; quis est qui putet se gratiarum vestrarum fore idoneum relatorem?

2. Sed tamen etsi beneficia vestra verbis explicare non possumus, votis tamen Concilii compensare desideramus: qui licet per singulas quasque Ecclesias quotidianas apud Deum nostrum pro imperio vestro celebremus excubias; tamen conducti in unum quo munere

*. Quo facilius intelligatur quodnam tempus hîc designetur, adverte Ursinum, quem ad extinguendum seditionis incendium an. 366. ejecerat, ut jam dictum est, Joventius, anno sequenti revocatum esse à Pretextato: sed eùm hoc ipso anno ab eodem præfecto Urbis in Gallias fuisset amandatus, illic usque ad an. 372. exsulasse, quo sibi exsilii pomœria laxari obtinuit: ad postremum cùm an. 378. falsis criminibus Damasum per quemdam Isaac Judæum, & christianorum sacrorum desertorem appetivisset, Judæo in Gallia exsulare jusso, ipsum in Hispanias fuisse relegatum; unde postea revertisse non invenitur. Dicendum igitur nebulonem hunc eo temporis intervallo, quo liberius vagari sinebatur, abusum variis locis turbas excitasse, ac Mediolani, maxime post Valentiniani senioris excessum, se se Arrianis, ut hîc dicitur, conjunxisse. Nec profecto abhorret à verisimili, si credamus ab Ambrosio hos ipsos motus Gratiani auctoritate sopitos indicari; cùm primâ ad eum epistolâ ipsi propter redditam Ecclesiæ pacem gratias agit.

a *Cum Valente* in edit Rom. prætermissum est. Intellige autem non Valentem Mursensem, ut Labb. admonet in nota marginali: sed Petavianum, de quo superiori epistola.

b. Hunc locum Rom. edit. ita refinxerat, *non poterat, eos, quorum favore respirabat, quo magis posset fautores, & socios emereri, instruxit & informavit, quemadmodum pax Ecclesiæ turbaretur.* Sirm. & Reg cod. ut in textu, nisi quod pro *respirabat*, Sirm. edidit *sperabat*.

c. Rom. edit. *objectione tribuatis. Quo ea impetrata à clementia vestra, apud Deum Patrem omnipotentem, & Christum ejus Filium Deum ac dominum gratias agamus, & merita vestra jugi oratione celebremus.* Reg cod. atque Sirm. ut in contextu, nisi quod hic pro *dominum Deum*, legit *dominum ejus filium*.

d. Rom. edit. *quod post multa pericula*.

e. Eadem edit. *maximeque Vellutius ille in monachorum & virginum impias cædes grassatus, ut & Demophilus*: cod. Reg. ut nos in textu: Sed nec dissidet edit. Sirmondi, excepto quod habet, *maximeque Lucius . . . atque Demophylus*. Animadvertit scilicet vir doctissimus non de alio ullo hîc agi, quam de Lucio illo, qui post obitum Athanasii occupata per scelus Alexandrina Ecclesia, pios aliquot monachos è speluncis suis per vim extractos amandavit in exsilium, quemadmodum Theodoretus lib. 4. Hist. Eccl. cap. 21 scribit. Quod vero ad cædes virginum, quam ignominiose jussu ejusdem Lucii ab ethnicis militibus nudatæ in Ecclesia fuerint, & per urbem pertractæ, quamque inhumaniter earum non paucæ atrocitate incussorum verberum occubuerint, in epistola Petri Alexandrini apud eumdem Theodoretum capite sequenti memoratur.

*. Commode porro eidem Lucio jungitur Demophilus; is enim unus è præcipuis Arrianarum partium ducibus fuit. Cùm Berrhææ in Thracia episcopus esset, eo nomine interfuit Ariminensi Concilio. Deinde vero cùm exsularet eadem in urbe Liberius, ei Sirmiensem confessionem, Athanasiique condemnationem obtulit subscribendam, nec ipsi minima causa lapsus exstitit. Mortuo Eudoxio Constantinopoli Arrianorum episcopo, ab eadem factione suffectus est in ejus locum idem Demophilus anno 370. Sed post decennium à Theodosio in exsilium fuit ejectus. Verumtamen anno 383. eum variarum sectarum antesignanis, quos Theodosius componendæ, si qua fieri posset, concordiæ causa Constantinopolim evocaverat, reperitur etiam convenisse: qua in urbe anno demum 386 mortem oppetiit. Ejus mentionem fecit Ambrosius lib. 1. *de Fide* cap. 6. & historici Ecclesiastici certatim ac fuse meminerunt.

f. Ita cod. Reg ac Sirm. at Rom. edit. *omnibus tandem Ecclesiis Dei, maximeque per orientem catholicis per clementiam vestram pax & tranquilitas sit restituta.*

nihil esse pulcrius opinamur, Deo nostro omnipotenti & pro imperio, & pro pace ac salute vestra gratias agimus, quod per vos nobis pax & concordia [a] ita sit refusa.

3. Equidem per occidentales partes duobus in angulis tantum, hoc est, in latere Daciæ Ripensis, ac Mœsiæ, fidei obstrepi videbatur: quibus tandem nunc post Concilii sententiam, vestræ favore clementiæ opinamur illico consulendum. Per omnes autem tractus atque regiones, & vicorum claustra usque ad oceanum manet una & intemerata fidelium communio. In Orientalibus autem partibus cognovimus quidem summo gaudio atque lætitia, ejectis Arrianis qui Ecclesias violenter invaserant, sacra Dei templa per solos catholicos frequentari.

4. Sed tamen quoniam invidia diaboli numquam quiescere solet, inter ipsos catholicos audimus crebras dissensiones esse, impacatamque discordiam; totoque confundimur affectu, quod innovata pleraque comperimus, eosque gravari nunc, quos oportuit adjuvari, qui in nostra semper communione durabant. Denique Alexandrinæ Ecclesiæ * Timotheus episcopus, sed & Antiochenæ Paulinus, qui semper communionis nobiscum intemeratam habuere concordiam, dissensionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, feruntur urgeri. Quos quidem, si fieri potest, & fides plena commendat, ad consortia nostra optamus adjungi: sed ita ut vetustæ communionis sociis sua prærogativa servetur, quorum nobis non superflua cura est: primo omnium, quia communionis societas nullam debet habere offensam: deinde, quia utriusque partis dudum accepimus litteras, præcipueque illorum, qui in Antiochena Ecclesia diffidebant.

5. Et quidem nisi hostilis impedimento fuisset irruptio, aliquos etiam de nostro numero disposueramus illò dirigere, qui sequestres & arbitri refundendæ, si fieri posset, pacis existerent. Sed quia studia nostra tunc temporis habere effectum per tumultus publicos nequiverunt, oblatas [b] pietati vestræ opinamur preces nostras, quibus juxta partium factum poposcimus ut altero decedente, penes superstitem Ecclesiæ jura permanerent, nec aliqua superordinatio vi adtentaretur. Ideoque petimus vos, clementissimi & christiani Principes, ut & Alexandriæ sacerdotum catholicorum omnium Concilium fieri censeatis, qui inter se plenius tractent atque definiant quibus impertienda communio, [c] quibusque servanda sit.

6. Nam etsi Alexandrinæ Ecclesiæ semper dispositionem ordinemque tenuerimus, & juxta morem, consuetudinemque majorum ejus communionem indissolubili societate ad hæc usque tempora servemus; tamen ne aut aliqui videantur esse posthabiti, qui etiam pacto, quod stare volumus, communionem nostram rogarunt: aut illius pacis & societatis fidelium neglecta compendia; id obsecramus, ut cùm inter se cœtu pleniore tractaverint, etiam auxilia decretis sacerdotalibus vestræ pietatis adspirent. [d] Et nobis deferri in notitiam censeatis; ne titubanti nutemus affectu, sed læti atque securi pietati vestræ apud Deum omnipotentem agamus gratias, non solum quia exclusa perfidia est, sed quia catholicis fides & concordia est restituta. Quod à vobis Africanæ & Gallicanæ Ecclesiæ per legatos obsecrant, hoc est, ut toto vobis faciatis in orbe episcopos debitores; licet non mediocre sit debitum; [e] quod virtuti vestræ debetur.

7. Ad deprecandam autem clementiam vestram, & impetranda quæ poscimus, legatos fratres & compresbyteros nostros direximus, quos petimus ut & clementer audire dignemini, & redire maturius censeatis.

EPISTOLA XIII.

Actis Theodosio gratiis de restitutis in basilicas orthodoxis, & dolore suo propter Ecclesiæ turbas significato, episcopum Antiochiæ mortuo Meletio subrogatum queritur: & ut Nectarius Constantinopoli post Maximum ordinatus loco cedat, vel de utriusque ordinatione in Synodo Romæ pronuntietur, petit.

Beatissimo Imperatori, & clementissimo principi * THEODOSIO, AMBROSIUS & ceteri episcopi Italiæ.

1. SAnctum animum tuum Deo omnipotenti pura & sincera fide deditum sciebamus: sed recentibus * cumulasti beneficiis, quod catholicos Ecclesiis reddidisti, Imperator auguste. Atque utinam catholicos ipsos reverentiæ veteri reddidisses, ut nihil novarent contra præscripta majorum, nec temere vel servanda rescinderent, vel rescindenda servarent. Itaque dolentius fortè quam inconsultius ingemiscimus, Imperator, facilius expelli potuisse hæreticos, quam inter catholicos convenire. Quanta enim nuper confusio facta sit, explicari non potest.

2. Scripseramus dudum, ut quoniam * Antiochena civitas duos haberet episcopos, Paulinum atque Meletium, quos fidei concinere putaremus,

a. Rom. edit. *ita sit refusa, quod per occidentales* &c.

*. Hic Timotheus in episcopum Alexandriæ cooptatus est post mortem Petri, qui illic Athanasio successerat, & Maximum Cynicum philosophum, & Apollinaris erroribus infectum Gregorio Nazian. superordinaverat. Sed commodius de his, sicut & de Paulino Antiocheno dicetur ad epistolam subsequentem.

b. Rom. edit. *pietati vestræ nostras repetimus preces, quibus poposcimus* &c. Labb. & cod. Reg. ut in textu: sed pro *partium factum* Valesius legendum censet, *partium pactum*. Et revera statim ejusdem pacti conditiones subjiciuntur.

c. Ita Reg. cod. & Sirm. Rom. autem edit. *quibus observanda sit*. Et infra post vocem *societate* eadem addit, *ad hæc usque tempora*.

d. Rom. edit. *& vobis deferri* &c.

e. Eadem edit *virtuti vestræ pro totius orbis Romani pace debetur* &c.

*. Hanc & sequentem epistolam primus è mss. Regiæ biblioth. vulgavit Jac. Sirmondus in *Append. Cod. Theodos.* unde in suam Concil. edit. illas transtulit Phil. Labbeus. Cùm autem necdum inter Ambrosii opera prodiissent, easdem in edit. nostram idcirco admittendas esse duximus, quod negari minime possit ipsas ad Ambrosium non minus pertinere, quam Concilii Aquileiensis epistolas. In qua porro Synodo scriptæ illæ fuerint, ignoratur; licet Italicam illam fuisse jure dicatur.

*. His verbis sextam indicari conjectant Theodosii legem *de hæreticis*, qua & his conventus habere prohibetur, & catholicis Ecclesias reddi præcipitur. Quemadmodum autem Arriani Ecclesiis, quas Constantinopoli occupabant, cesserint, descriptum habes apud Socratem lib. 5. cap. 7. & Sozomenum lib. 7. cap. 5.

*. Eadem plane superiore patrum Aquileiensium ad Theodosium epistola num. 5. memorantur de hoc Paulini ac Meletii pacto: de quo etiam consuli possunt Socrates lib 5. cap. 5. & Sozomenus lib. etiam 5 cap. 3. Nam quod Theodoretus lib 5. cap. 3. oblatam hujusce pacti à Meletio conditionem à Paulino repudiatam fuisse narrat, cùm ab omnium aliorum in hoc recedat testimoniis, id non injuria ipsius in Meletium ac Flavianum propensioni tribuitur.

putabamus, aut inter ipsos pax & concordia A salvo ordine Ecclesiastico conveniret: aut certe, si quis eorum, altero superstite, decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum, superstite altero, gigneretur. At nunc Meletio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse consortia, quæ à majoribus inoffense ducta, testantur, contra fas atque Ecclesiasticum ordinem * in locum Meletii, non tam subrogatus, quàm superpositus adseritur.

3. Atque hoc factum allegatur consensione B & consilio * Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus. Namque in Concilio nuper, cùm Maximus episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ communionem manere secum, lectis Petri sanctæ memoriæ viri litteris, prodidisset; ejusque intra privatas ædes, quia Arriani Ecclesiæ basilicas adhuc tenebant, * secretum esse, mandatoribus episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime Principum, in quo de episco- C patu ejus dubitare possemus; cùm vim sibi repugnanti à plerisque etiam de populo & clero testatus esset illatam.

4. Tamen ne, absentibus partibus, præsumte aliquid definisse videremur, clementiam tuam, datis literis, putavimus instruendam; ut ei consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ; quia revera advertebamus Gregorium nequaquam secundum traditionem patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi sacerdotium vindica- D re. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus. * Adeo ipso tempore qui generale Concilium declinaverunt, Constantinopolique gessisse dicuntur; nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam (quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopi, & orientalium plerique fecerunt; ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius occidentis confugisse judicium viderentur) cùm eum, sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui episcopatum ejus abnuerant, compe- rissent; præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii.

5. Postremo prius constare oportuit, utrum huic abrogandum, quam alii conferendum sacerdotium videretur; ab his præsertim, à quibus se Maximus vel destitutum, vel appetitum injuria querebatur. Itaque cùm Maximum episcopum receperunt in communionem nostra consortia, quoniam eum à catholicis constitit episcopis ordinatum, nec ab episcopatus Constantinopolitani putavimus petitione removendum. Cujus allegationem præsentibus partibus æstimavimus esse pendendam. * Nectarium autem cùm nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum orientalibus partibus

*. Quis in Meletii locum suffectus fuerit, hîc subticetur. Constat autem non alium designari, quam Flavianum: quem contra proprium jusjurandum à juniorum factione, nequidquam dissentiente Gregorio Nazian. electum scimus; unde non tantum hac Synodica epistola, sed & Ambrosii ad Theophil. improbatur illius electio.

*. Sozomenus lib. 7. cap. 11. occidentales episcopos Paulino semper favisse testificatus; *Ad Flavianum vero*, inquit, *nullus litteras dabat. Quin & Diodorum Tarsi, & Acacium Bereæ episcopos, qui illum ordinaverant in crimen vocabant, & ab eorum communione abstinebant.* Ubi vides nullam Nectarii fieri mentionem: sed eum ordinationis Flaviani auctorem fuisse forsitan è communi rumore acceperat Synodus. Quod autem ad ordinationem ipsius Nectarii, quæ hîc perstringitur; sciendum est eum in Constantinopolitanam sedem impositum fuisse, postquam ea se ultro abdicasset Nazianzenus. Quæ quidem abdicatio, nec non sequuta Nectarii institutio qua ratione peractæ sint, explicat Socrates lib. 5. cap. 8. & Sozomenus lib 7. cap 8. licet hic ultimus rem ita narret, ut videatur parum admodum verisimilis. Theodoretus lib. 5. cap. 9. Synodicam Concilii Constantinopolitani epistolam refert, qua Nectarium summo cleri consensu ac plausu civitatis à se ordinatum significat: sed quæ Constantinopoli acta fuerant, fortasse nondum pervenerant in cognitionem Latinorum: neque his satis perspectum erat vafrum ac subdolum Maximi ingenium, ut à mendaciis & involucris, quibus ordinationis suæ vitia tegere satagebat, cavere possent.

*. Valesius Observat. in lib. 7. Sozom. cap. 9. docet legendum, *se creatum esse mandato, tribus episcopis ordinantibus.* Egregia quidem emendatio, licet in textum sine mss. patrocinio non admittenda. Porro cùm de Maximo falsa veris intexta hîc referantur, ut ab invicem facilius secerni queant, paulo altius repetenda narratio est. Is patriâ fuit Alexandrinus, qui Cynicorum philosophorum impudentiam cum christianis institutis aggressus sociare, varias urbes, unde quam primum ob notum improbitatem ejiciebatur, peragravit. Tandem cùm venisset Constantinopolim, tam fraudulenter in animum Gregorii episcopi se insinuavit, ut ab eo publica oratione laudaretur. Verum brevi post in ipsum Gregorium insurgens, tantum solitis suis artibus promovit; ut antistites à quibus manuum impositionem acciperet, à Petro Alexandriæ episcopo mitterentur. Ordinatus est in domo choraulæ cujusdam, non propterea quod basilicæ ab Arrianis occuparentur, ut mendaciter persuasit Latinis præsulibus; sed ne catholici ordinationem ipsius prohiberent. Hinc detegitur aliud ejusdem mendacium, quo scilicet sibi, ut consecraretur, vim adhibitam adseveravit. Et certe cùm noctu Ecclesiam sanctæ Anastasiæ occupasset, inde à clero & populo expulsus est. Itaque Constantinopolim deserere coactus, Thessalonicam venit ad Theodosium: à quo cùm rejectus fuisset, Alexandriam se contulit, ubi ejus impudentia eo pervenit, ut etiam Petro se invasurum ipsius sedem minatus sit; nisi ab eo restitueretur in Constantinopolitanam. Verum inde ejectus à præfecto Ægypti, tantisper quietem colere adactus est, quoad Concilium in Italia indictum esse cognovisset. Tunc igitur venit ad Concilium (quod enim Valesius literas tantum ab eo missas existimavit, minus cum hujus epistolæ verbis videtur congruere) cùmque Petri Alexandrini, cujus maxima erat apud Latinos auctoritas, secum litteras adtulisset, à Patribus admissus est in communionem. Illi tamen ne, parte inaudita altera, quid statuerent, hujusce impostoris historiam cùm Damaso atque aliis probe cognitam esse ignorarent, hanc epistolam super ea re ad Theodosium destinarunt. At quæri potest ad hanc ne Synodum, an ad superiorem aliquam accesserit Maximus? Vero quidem similius videtur eum ad aliam venisse prius habitam; hoc enim & adverbium *nuper* quod hîc ponitur, & epistola à Petro adhuc superstite, qui tamen vita functus hîc indicatur, extorta satis ostendunt.

*. Labbeus adscribit in margine *At eo* Haud incommode. Sed quod Synodum œcumenicam, de qua hîc mentio fit, indicat ibidem camdem esse, quam ab Ambrosio prohibitam in Concilio Aquileiensi toties objectat Palladius; hoc quidem non tantam præ se fert speciem veritatis. Quo enim pacto qui ne generalis esset ea Synodus, in causa fuerant, orientalibus quod ad eam venire detrectassent, crimini darent? Attamen de Synodo in occidente celebrata hîc agi sequentia planum faciunt.

*. Gregorium nequaquam secundum Ecclesiasticos canones Constantinopolitanæ diœcesi fuisse præpositum cognoscere est è can. 16. synodi Antiochensis, quem habemus à Dionysio Exiguo ita redditum: *Si quis episcopus vacans in vacantem Ecclesiam prosiliat, sedemque pervadat absque integro perfectoque Concilio, hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit.* Huc adde can. 1. Synodi Sardicensis, & 15. Nicenæ 1. sicut & Hieron. *epist ad Oceanum.* Verum tamen eadem Gregorii translatio, postquam eam universale Concilium approbavit, ex eodem can. Antiocheno facta est legitima: sed hoc nondum rescivere potuerant occidentales.

*. *Gregorium* non vero *Nectarium* legendum esse Valesius & post eum Hermannus arbitratur. Et sane historica ratio pulcre convenit. Nam cùm Gregorium Meletius aliique Patres Constantinopolitanæ synodi eidem Ecclesiæ præfecissent, ubi è vivis excessit idem Meletius, Gregorio sponte loco cedenti Nectarium Præsules suffecere. Attamen vix credibile sit Nectarium irrepsisse in omnes cod. pro Gregorio. Nam primo certum est præcipue agi de Nectario hac tota epistola, neque Maximo nisi respectu Nectarii convenire, quod infra dicitur, *is reddatur Constantinopoli, qui prior electus est.* deinde hanc Nectarii destitutionem eo referre licet, quod Theodosio Nectarium necdum baptismo initiatum eligenti plures episcopi, si tamen Sozomeno lib. 7. cap. 8. id adserenti credendum est, initio reluctati sunt: tertio demum hæc etiam potuit esse Maximi impostura, quam ille ut efficacius Latinos in partes suas pertraheret, commentus fuerit.

non videmus; præsertim cùm ab iisdem Necta- A rius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus.

6. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quædam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire; nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus: aut certe super duorum ordinatione fit in urbe Roma nostrum orientaliumque Concilium.

7. Neque enim indignum videtur, Auguste, B ut Romanæ Ecclesiæ antistitis, finitimorumque & Italorum episcoporum debeant subire tractatum, * qui unius Acholii episcopi ita exspectandum esse putaverunt judicium, ut de occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. Si quid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est?

8. Nos autem à beatissimo principe fratre tuæ pietatis admoniti, ut tuæ clementiæ scriberemus imperio; postulamus ut ubi una com- C munio est, commune velit esse judicium, concordantemque consensum.

* Scripta circa an. 382.

EPISTOLA XIV*.

Theodosio quod restituendæ inter orientalem atque occidentalem Ecclesiam unitati operam dedisset, commendato, episcopi cur de ea re superiorem scripserint epistolam, exponunt: addunt curæ etiam sibi fuisse ut fautores Apollinaris condemnarentur: postremo nec se Concilium petendo injuriam cuipiam intulisse, nec à majorum insti- D tuto usquam defecisse adserunt.

Beatissimo imperatori, & clementissimo principi Theodosio, Ambrosius & ceteri episcopi Italiæ.

1. Fidei tuæ diffusa toto orbe cognitio intimum nostræ mentis demulsit affectum; eoque, ut hæc quoque gloria tuo imperio crearetur, quod unitatem reddidisse * occidentalium juxta atque orientalium Ecclesiis vi- E dereris, clementiam tuam obsecrandam pariter, ac super Ecclesiasticis negotiis instruendam nostris litteris æstimavimus, Imperator tranquillissime ac fidelissime. Dolori enim erat inter orientales atque occidentales * interrupta sacræ communionis esse consortia.

2. Silemus jam quorum errore, quorumve delicto, ne serere fabulas & alloquia cassa videamur. Nec nos tentasse pœnitet, quod intentatum caderet in culpam. Isto enim sæpe F arguebamur, quod posthabere orientalium societatem, & refutare gratiam videremur.

3. Laborem quin etiam nobis indicendum putavimus, non pro Italia, quæ jam dudum ab Arrianis quieta atque secura est, nec ulla hæreticorum perturbatione vexatur: non, inquam pro nobis; quia non quærimus quæ nostra sunt, sed quæ sunt omnium: non pro Gallia atque Africa, quæ omnium sacerdotum concordi societate potiuntur; sed ut ea quæ communionem nostram de orientis parte turbaverunt, cognoscerentur in synodo, & omnis è medio scrupulus tolleretur.

4. Non solum enim de his de quibus * clementia tua dignata est scribere, sed etiam de illis, qui dogma nescio quod, Apollinaris adseritur, in Ecclesiam conantur inducere, nos pleraque moverunt, quæ partibus fuerant resecanda præsentibus; ut convictus in dogmate novo, & redargutus in errore, nequaquam sub generali fidei lateret nomine: sed illico, quod doctrinæ magisterio non teneret, & officium deponeret, & vocabulum sacerdotis; nec fibræ aliquæ posthac fallere cupientibus, & præstigiarum commenta remanerent. Nam qui convictus non fuerit præsentibus partibus, quod vere augusto principalique responso tua clementia definivit, referendam semper ansulam quæstionis arripiet.

5. Eo igitur obsecravimus * sacerdotale Concilium, ut nemini liceret mendacium in absentem componere, & in Concilio discuteretur quid esset in vero. Itaque non cadit in eos intentionis vel facilitatis ulla suspicio, qui omnia præsentibus partibus observarunt.

6. Sane allegata texuimus, non definiendi, sed instruendi gratia: & qui judicium petivimus, non deferimus præjudicium. Neque ullum eorum æstimandum convicium fuit, cùm rogarentur ad Concilium sacerdotes, quorum frequenter præsentior absentia fuit, quando in commune consuluit. Neque enim vel nos æstimavimus esse convicium, cùm unus Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter, Paulus * nomine, intra Achaiam synodum orientalium juxta atque occidentalium postulaverit.

7. Advertit clementia tua non fuisse irrationabile postulatum, quod etiam ab orientalibus est petitum. Sed quia Illyrici suspecta movetur, ideo maritima ac tutiora quæsita sunt. Neque plane nos tamquam ex forma aliquid innovavimus: * sed sanctæ memoriæ Athanasii, qui quasi columen fidei fuit, & veteris sanctitatis patrum nostrorum in Conciliis definita servantes, non evellimus terminos, quos posuerunt patres nostri; nec hereditariæ communio-

*. Hermannus lib. 10. Vitæ Gregorii Nazian. cap 5. hæc referenda esse conjicit ad historiam Concilii Constantinopolitani, ubi dicitur episcopos in causa ut videtur Meletii ac Paulini inter se dissidentes, litteris propere ad Ægyptios & Macedonicos antistites datis, ipsos invitasse, quod eorum auctoritate, maxime vero Acholii Thessalonicensis, concordiam restitui posse confiderent. Idem porro est ille Acholius qui Theodosium an. 380. baptizavit. & cujus virtutes epist. xv. prædicat Ambrosius.

*. Hæc verba referenda videntur ad ista superioris epistolæ num. 5. *cohærere communionem nostram cum orientalibus partibus non videmus*. Quod autem hic subjungitur: *Silemus jam* &c. hoc sensu intellige, ut Patres & errorem suum fuisse, quod Nectarii electio ut fuerit peracta ignoravissent, agnoscant; & Maximi delictum, quod Concilio mendaciis suis ac fraudibus imposuisset.

*. Hinc intelligas, nec non ex eo quod infra legitur, *augusto principalique responso*, primis episcoporum litteris rescripsisse imperatorem, & seriem qua Nectarii facta est ordinatio, non secus ac Maximi dolos ac scelera significasse, sicut & quæ ad Paulini ac Flaviani causam pertinebant. Ejus porro quod de Apollinaristis additur, nulla mentio fit in epistola superiore; & quodammodo indicari videtur non ita pridem cognitam sibi fuisse illam hæresim, cùm tamen eam jam ante Damasus papa damnavisset.

*. Respondet hic locus istis superioris epistolæ verbis num. 6. *super duorum ordinatione fit in urbe Roma nostrum orientaliumque Concilium*. Quod enim mentem suam in Concilii postulatione immunem vitii fuisse, nec accusari merito potuisse contendunt; similiter quoque in eadem superiore epistola criminandi sui causas anteverterant non uno loco.

*. Labb. ad marginem illhæc adscribit: *Deturbatus an. 342. cum Hermogene à populo cæso, Constantius Macedonium in sede Constantinopolitana collocavit.*

*. Eodem sensu hæc verba accipimus, quo in priore quoque epistola dicebatur: *jure & more majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius* &c.

nis jura violamus: sed debitam vestro imperio honorificentiam reservantes, studiosos nos pacis & quietis ostendimus.

* EPISTOLA XV.

* Scripta an. 383.

Acholii mortem se rescivisse, nec sine quodam miraculo: illum non tam mortuum esse, quam ad feliciorem vitam translatum: actiones ejus ut Elisæo similis haberetur, commeruisse; ut autem etiam Eliam dicatur exprimere, maxime successorem, quem spiritus sui heredem fecit, persuadere: jucundissimum sibi fuisse Acholii primum congressum, & ejus obitum plurimis valde flebilem: sed viri sancti desiderium levari virtute successoris.

AMBROSIUS ANATOLIO, [a] NUMERIO, SEVERO, PHILIPPO, MACEDONIO, AMMIANO, THEODOSIO, EUTROPIO, CLARO, EUSEBIO, & TIMOTHEO [b] Domini sacerdotibus, & omni clero & plebi Thessalonicensium dilectis salutem.

1. DUm semper affixum tenere animo desidero virum sanctum, atque omnes actus ejus quasi in specula positus exploro, hausi nimia indagine sollicitudinis amaritudinem nuntii celerioris, & quod adhuc mallem nescire, cognovi in cælestibus jam requiescere [c] virum, quem in terris requirebamus.

2. Quæritis quis hoc annuntiaverit, cùm vestræ sanctitatis nondum venissent litteræ? Non teneo auctorem nuntii: & usu quidem venit, ut non libenter teneamus nuntium mœstitudinis; sed tamen clauso tunc temporis mari, occupatis terrarum barbarica infestatione regionibus, cùm deesset qui advenire potuerit, non defuit qui nuntiaret: ut mihi videatur ipse sanctus annuntiasse se nobis, eo quod jam perpetuo laboris sui potiretur stipendio, & solutis vinculis corporis, inter Angelorum ministeria Christo adhæreret, cupiens amantis sui errorem absolvere; ne illi longævitatem vitæ hujus deprecaremur, cui vitæ æternæ jam præmia deferebantur.

3. Abiit ergo, non obiit, & emigravit à nobis veteranus Christi Jesu, [d] cælo terræ istius solum mutans, & plaudens alis atque remigiis spiritalibus, dicit: *Ecce elongavi fugiens.* (Psal. 54. 8.) Cupiebat enim Apostolico spiritu jamdudum terras relinquere: sed tenebatur votis universorum, sicut de Apostolo legimus, quia remorari eum diutius in carne erat Ecclesiæ necessarium. (Philip. 1. 23. & 24.) Vivebat enim non sibi, sed omnibus: & populi erat vitæ æternæ minister; ut prius ejus fructum etiam in aliis, [e] quàm cognitionem in se adipisceretur.

4. Est igitur jam superiorum incola, possessor civitatis æternæ illius Hierusalem, quæ in cælo est. Videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum: & hæc omnia jamdudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem manifestata videns dicit: *Sicut audivimus, ita & videmus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* (Psal. 47. 9.) Ibi ergo positus appellat populum Dei, dicens: *O Israel, quam magna est domus Dei, & quam ingens locus possessionis ejus! magnus & non habens finem.* (Baruch. 3. 24 & 25.)

5. Sed quid hoc est? Dum merita viri considero, & quasi discedentem spiritu sequor, & sanctorum choris deducentibus intermisceor, non merito ullo, sed affectu, pene sum oblitus mei. Itane ergo raptus est nobis murus fidei, gratiæ, & sanctitatis: * quem toties ingruentibus Gothorum catervis, nequaquam tamen potuerunt barbarica penetrare tela, expugnare multarum gentium bellicus furor? Denique in ceteris populatores locis, illic pacem rogabant; mirantibusque quid sibi sine milite ullo obsisteret, à prudentioribus intimabatur Elisæi intus imitatorem degere, ætate supparem, non imparem spiritu: caverent ne exemplo Syriaci agminis sibi quoque cæcitas offunderetur. (4. Reg. 7. 5. & seq.)

6. Et tamen circa discipulos suos diversa dona Christi sunt. Elisæus quidem in Samariam captivas acies induxit Syrorum, sanctus autem Acholius precibus suis fecit, ut de partibus Macedoniæ victores fugaret. Nonne & hoc intelligimus virtutis superioris fuisse; ut ubi miles nullus aderat, illic pellerentur sine milite? Nonne & hoc cæcitatis est, ut fugerent, quos nullus urgebat? Sed urgebat & præliabatur sanctus Acholius non gladiis, sed orationibus: non telis, sed meritis.

7. An incognitum nobis est dimicare sanctos, etiam cùm feriantur? Nonne otiosus erat Elisæus? Otiosus scilicet corpore; sed vibrabat spiritu, & orationibus præliabatur, quando in castris Syriæ vox equitum & vox virtutis magnæ audiebatur: adeo ut putarent Syri aliorum regum adversus se venire exercitus, qui populo Israel adjumento forent; unde perculsi magno fugerunt pavore, ita ut leprosi quatuor, qui mortis egressi fuerant desiderio, castra hostium deprædarentur. Nonne in Macedonia similia Dominus per orationes sancti Acholii fecit mira; aut prope majora? Non enim inani metu, nec superflua suspicione, sed sæviente lue, & ardenti pestilentia perturbati Gothi ac territi sunt. Denique tunc fugerunt, ut evaderent: regressi postea pacem rogaverunt, ut viverent.

8. Vidimus itaque in tanti viri meritis superiora sæcula, & opera prophetarum, quæ legebamus, adspeximus. Quasi Elisæus inter arma, inter acies, dum vixit, versatus est, meritis suis componens prælia. Denique ubi securitas cohabitantibus reddita est, quod ipso fuit duriùs bello, sanctum exhalavit spiritum. Quasi Elias usque ad cælum elevatus est, non curru quidem igneo, nec equis igneis, nisi forte illa non vidimus, nec in commotione aeris: sed in vo- (4 Reg. 2. 11)

a. Mss. aliquot melioris notæ, *Munerio.*

b. Vet edit. *dominis sacerdotibus*: Rom. & mss. aliquot, *Domini sacerdotibus*: utrumque vero in aliis pluribus omittitur. At continuo post, ubi omnes edit. *clero plebis Thessalonicensis*; mss. prope ad unum nobis suffragantur.

c. Ed 1. dictioni *virum* subjungunt *sanctum Acholium* quidam recentiores mss. ex his alterutram ponunt: plures autem & antiquiores neutram. Ii porro nequaquam absurde sentiunt, qui Ambrosium in sequentibus tacite indicare existimant sibi Acholium post mortem in visione apparuisse.

d. Ita mss. At contra edit. posita post vocem *cælo* virgula, dictioni *terræ* conjunctionem *que* subjungebant. Non satis recte: hic enim *terræ istius solum* opponi *cælo* per se clarum est.

e. *Cognitionem*, quæ vox deest in edit. è mss. restituimus.

*. Hæc Baronius contigisse affirmat an. 378. Cùm extincto Valente, Gothi victores crudelissimas populationes ac strages edidissent, de quibus non semel loquuti sumus. Nihil tamen vetat, quin hic etiam indicentur anni sequentes, adverbium enim *toties* eamdem rem sæpius factam plane testatur.

luntate & placiditate Dei nostri, & sanctorum Angelorum lætitia, qui ad se tantum virum transisse gratulabantur.

9. Certe dubitare illa nequaquam possumus, quandoquidem reliqua congruerunt. Siquidem eodem momento, quo ille adhuc elevabatur,
* velut quodam * melotidis suæ dimisso amictu, sanctum Anysium discipulum suum induit, & sui vestivit infulis sacerdotii: cujus meritum & gratiam non nunc primùm audio, nec in vestris epistolis didici, sed in vestris litteris recognovi. B Nam quasi præscius successurum sibi, etsi promissis tegebat, tamen indiciis designabat, adjutum se ejus cura, labore, officio memorans; ut jam declarare consortem videretur, qui non quasi novus ad summum sacerdotium veniret, sed quasi vetus sacerdotii exsecutor accederet. Cui pulcre convenit dictum illud Evangelicum:
Matth. 25. 23. *Euge bone serve & fidelis, quoniam super pauca fidelis fuisti, super multa te constituam.*

10. Hæc mihi de sancto Acholio vobiscum C communia: illud tamen speciale, quod devinctus sum beatæ memoriæ viro; quia tribuit mihi,
* ut eum non ignorarem. Nam cùm * eo veniente ad Italiam, ægritudine confectus tenerer, ut non possem occurrere, ipse ad me venit & visitavit. Quo studio, quo affectu ipse in me, & ego in eum irruimus! Quo gemitu mala istius sæculi, & ea quæ hîc acciderent, deploravimus! ita ut lacrymarum profluvio vestem infunderemus, dum salutatione exoptatissima, D mutuo desiderio, & expetito diu fruimur, adhæremus amplexu. Itaque quod voti mei erat, illius beneficii fuit, quia potui illum videre. Nam etsi major portio, & plenior cognitio sit
a [a]in spiritu, quo diligimus; tamen etiam in figura corporis videre desideramus. Sic aliquando
3.Reg. 10. 24. reges terræ quærebant faciem Salomonis videre, & audire ejus sapientiam.

11. Discessit igitur à nobis, & nos in hoc reliquit salo: sed quod illi utile, id multis ipso E barbarico furore est gravius; quia illum iste depellebat, hunc nobis quis poterit repræsentare? Sed repræsentat Dominus, & se ipse in discipulo repræsentat. Repræsentant judicia
Deut. 33. 18. vestra, quibus dictum est: *Date Levi manifestos ejus, & veritatem suam viro sancto.* Dedistis manifestum ejus, ut pote ejus institutione fundatum: dedistis imitatorem viri ejus, qui dixit pa-
Ibidem 9. tri suo & matri suæ: *Non vidi te; & fratres suos* non scivit, & filios non recognovit: custodivit F verbum Domini, & Testamentum ejus obser-
Eccl. 44. 15. vavit. Narrabunt populi justitiam ejus.

12. Talis viri vita, talis hereditas est, talis conversatio, talis successio. Ille se monasteriis puer dedit, & intra Achaiam angusto clausus A tugurio, gratiâ tamen multarum terrarum peragravit divortia. Ad summum sacerdotium à Macedonicis * obsecratus populis, electus à sa- *
cerdotibus; ut ubi ante fides [b] per sacerdotem b
claudebatur, ibi postea per sacerdotem muralia fundamenta fidei confirmarentur.

13. [c] Non alia etiam ejus discipulus imitatio- c
ne, qui & ipse *dixit patri suo & matri suæ: Non* Deut. 33. 9. & seq.
vidi te. Non vidit enim studio, non vidit affectu: & fratres suos non scivit; quia Dominum B scire desideravit. Et hic recognovit verbum Domini, & custodivit testamentum ejus, & imponet honorem in ara ejus semper. Benedic, Domine, fidem ejus, sanctitatem, sedulitatem.
Benedictio tua veniat super caput ejus, & su- Ibidem 6. & seq.
per cervicem ipsius. Sit honorificus inter fratres suos: sit in eo tauri species; ut ventilet corda inimicorum suorum, & sanctorum mentes demulceat, & judicium sacerdotum tuorum in eo sicut lilium floreat. Valete, fratres, & diligite me; quia ego vos diligo.

EPISTOLA XVI.

Anysio in Acholii locum recens adscito gratulatur, & decessoris sanctimoniam, adolescentiam in monasterio exactam, ornatam virtutibus juventutem, cumulatamque senectutem laudans, ut Anysius ejusdem meritorum successor fiat, apprecatur.

AMBROSIUS episcopus ANYSIO fratri.

1. JAmdudum teneo, etsi nunc primum lego, meritisque compertum habeo, quem D oculis non videram. Doleo quidem illud accidisse, sed hoc successisse gaudeo; quia licet, superstite me, non optaverim illud contingere; speravi tamen post illius sancti viri exitum hoc solum posse merito succedere. Tenemus ergo te sanctæ memoriæ Acholii dudum discipulum, nunc successorem, heredemque ejus vel honoris vel gratiæ. Magnum meritum, frater. Gaudeo tibi, ne uno quidem momento de succes- E sore tanti dubitatum viri. Et magnum onus, frater, tanti nominis pondus subisse, tantæ libræ, tantique examinis. Quæritur in te Acholius: & sicut erat in affectu tuo, ita in officiis desideratur illius virtutis, illius disciplinæ effigies, illius fortitudo animi in tam senili corpore.

2. Vidi, fateor, virum; nam & hoc meritis illius debeo, quod illum viderim: vidi ita illum
esse in corpore, ut extra corpus putarem: vidi 1.Cor. 12. 2.
F imaginem illius, qui se sive in corpore, sive extra corpus nesciens, raptum ad paradisum viderat; ita enim percurrebat omnia excursu frequenti, Constantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, ut juniores eum non possent consequi. Cedebant fortiores corpore, quia eum sine im-

*. Melotis nihil aliud est quam pellis ovina; quippe quod ovis græce μῆλον dicatur. Quamvis autem hoc loco præcipue ad Eliæ pallium, quod LXX. μηλωτὴν vocant, Ambrosius alludat; nihil tamen prohibet, quin illum ea voce propterea etiam usum putemus, ut significaret Acholium in episcopatu quoque retinuisse vestem monasticam. Etenim non solum Athanasius Antonium eo indumenti genere usum scribit: sed illud etiam commune Ægyptiis monachis fuisse ex Cassiano, Palladio, Socrate atque aliis cognoscere est.

*. Non sine verisimilitudine loquuntur, qui hunc primum Acholii cum Ambrosio nostro congressum anno 382. adtribuunt; cùm scilicet ille in Italiam venit, Concilio quod eodem vertente anno Romæ habitum, cuique Ambrosium etiam interfuisse dicunt, præsens futurus.

a Omnes edit. *in spiritu videre, quos diligimus:* omnes mss. omittunt quidem verbum *videre*; sed potiores tantum pro *quos diligimus*, habent *quo diligimus*.

*. Adverte hoc loco populis non eligendi aut instituendi episcopi, sed obsecrandi & postulandi tantum jus adtribui. De quo nos plenius infra in epist. ad Vercell.

b. Mss. non pauci, *per sacerdotem claudebat*: sed non multo minus carere videtur corruptione, quam ... *claudebatur*. Quid ergo si legeremus *claudicabat*? Certe concinnius opponeretur sequenti membro: *fundamenta fidei confirmarentur*. Sed *claudebat* potest etiam idem significare, à verbo *claudeo* scilicet, seu *claudo* quæ non penitus inusita esse Vossius docet.

c. Edit. *Non aliter etiam*: mss. vero partim, *Non alias etiam*; partim, *Non alia etiam*: quod & melius.

pedimento esse corporis noverant; ut eo tantum pro velamine uteretur, non pro officio: certe ad servitium, non ad subsidium; ita enim affecerat corpus suum, ut in eo mundum crucifigeret, & mundo semet ipsum.

3. Benedictus Dominus, & benedicta adolescentia ejus, quam exegit in tabernaculis Dei Jacob, positus in monasteriis, in quibus cùm quæreretur à parentibus vel proximis, dicebat: Matth. 12. 48. *Qui sunt fratres mei, aut quæ mater mea?* Non novi patrem, vel matrem, vel fratres meos; [B] nisi qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Benedictus etiam processus juventutis ipsius, in qua ad summum electus est sacerdotium, maturo jam probatus virtutum stipendio. Venit enim 1. Reg. 5. 3. tamquam David ad pacem populi reformandam. Venit tamquam illa navis aurum secum 3. Paral. 9. 21. intelligibile vehens, & ligna cedrina, & lapides pretiosos, [a] & illas columbæ pennas deargen- Psal. 67. 14. tatas, quibus medias inter sortes somno pacis & tranquillitatis sopore dormivit.

[C] 4. Est enim sanctorum etiam somnus operarius, secundùm quod scriptum est: Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et secundùm quod Gen. 28. 13. Jacob sanctus divina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non viderat, de cælo ad terras aerem pervium sanctis, respicientem Dominum, & pollicentem terræ ejus possessionem. Itaque brevi somno dormiens impetravit, quod magno labore postea adquisivit hereditas ejus. Est enim somnus sanctorum feriatus ab omni- [D] bus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti invehens, placiditatem animæ; ut tamquam soluta nexu corporis se ablevet, & Christo adhæreat.

5. Hic est somnus vita sanctorum, quam vivebat sanctus Acholius, cujus benedicta etiam Sap. 4. 8. senectus. Ipsa est vere senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit; ea est enim reverenda canicies, quæ est canicies animæ, in [E] Ibidem 9. canis cogitationibus & operibus effulgens. Quæ est enim vere ætas senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cujus sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitas? Quo enim diuturnior, eo fortior: & quo diutius eam vitam vixerit, eo fortius in virum perfectum excrescit.

6. Hujus igitur successorem te Dominus non solum honore, sed etiam moribus probet, & summâ fundare dignetur gratiâ; ut ad te quo- [F] Esai. 60. 8. que populi concurrant, de quibus dicas: ***Qui sunt isti, qui sicut nebulæ volant, & sicut columbæ cum pullis suis?*** Veniant quoque sicut naves 2. Paral. 9. 21. Tharsis, quæ accipiant frumentum, quod Salomon verus impertivit viginti mensuras tritici. Accipiant oleum & sapientiam Salomonis, & sit pax inter te, & populum, & testamentum pacis [A] custodias. Vale, frater, & nos dilige; quia & nos te diligimus.

EPISTOLA XVII.

Imperatorum esse religionem tueri: nec ab eis instaurationem superstitionis postulandam. Nullam ergo illorum habendam rationem à quibus quidpiam contra fidei christianæ decus flagitatur. Falso petitionem senatus nomine oblatam esse, cùm ei christiani senatores non consenserint. De hoc referri oportere ad Theodosium, & ad episcopos: Valentinianum, si privilegia infidelibus concesserit, ab [B] *Ecclesia rejiciendum, sed & fratris ac patris memoriæ irrogaturum injuriam, de qua graviter expostulantes, inducuntur.*

AMBROSIUS episcopus beatissimo principi, & christianissimo imperatori VALENTINIANO.

1. CUm omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacræ fidei militatis. Aliter [C] enim salus tuta esse non poterit, nisi unusquisque Deum verum, hoc est, Deum [b] christianorum, à quo cuncta reguntur, veraciter colat; ipse enim solus verus est Deus, qui intima mente veneretur: *Dii enim gentium dæmonia*, Psal. 95. 5. sicut Scriptura dicit.

2. Huic igitur Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniventiam, sed fidei studium & devotionis impendit. Postremo si non [D] ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis, & profanis ceremoniarum cultibus exhibere. NEMO ENIM Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt.

3. Ergo cùm à te, Imperator christianissime, fides Deo vero sit exhibenda, cùm ipsius fidei studium, cautio atque devotio, miror quomodo aliquibus in spem venerit, quod debeas aras diis gentium tuo instaurare præcepto, ad usus [E] quoque sacrificiorum profanorum præbere sumtum; quod enim jamdudum [c] vel fisco vel arcæ est vindicatum, de tuo magis conferre videbere, quam de suo reddere.

4. Et de dispendiis queruntur, qui numquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa Ecclesiarum ædificia subruerunt. Petunt etiam ut illis privilegia deferas, * qui loquendi & docendi nostris communem usum Juliani lege proxima denegarunt, & privilegia illa, quibus sæpe de- [F] cepti sunt etiam christiani: nonnullos enim illis privilegiis partim per imprudentiam, partim propter publicarum necessitatum molestias declinandas irretire voluerunt; & quia non omnes fortes inveniuntur, etiam sub principibus christianis plerique sunt lapsi.

5. Sed hæc si jam sublata non essent, auferenda tuo imperio comprobarem: at cùm per

a. Ita mss. & vet. edit. nisi quod pro *&* hæ præferunt, *ut*: Rom. autem edit. locum sic mutat: *ut illa columba pennas habens deargentatas.*

*. Codex Long. *Libellus sancti Ambrosii ad Valentinianum imperatorem juniorem contra Symmachum* Et revera ipsemet Ambrosius ejusdem Symmachi relationi respondens libelli nomine hoc scriptum citat. Sed cum in mss. ceteris, atque in edit. omnibus epistola non libellus dicatur, mutandam esse vulgatem inscriptionem non putavimus.

b Ita vet. edit. ac mss. aliquot: Rom. edit. *christianorum, à quo cuncta reguntur, ipse enim solus verus est Deus, intima mente veneretur*: mss. complures recidunt etiam illa verba, *à quo cuncta reguntur.* Sed ipsa varietas aliunde non videtur exorta, nisi ex eo quod verbum *veneretur* passivo significatu dici posse non crediderant, quo tamen haud semel ab Ambrosio positum, si attentius legeris, deprehendes.

c. Mss. longe plurimi, *fisco vel arcæ*: alii nonnulli, *fisco vel are.* Non prorsus male; idem enim est, atque confiscatione vel emtione. Verum ab aliis, & cunctis edit. non recedimus.

*. Christianis à Juliano prohibitum fuisse, ne disciplinas docerent humaniores, jam ad lib. 1. *de Fide*, cap 13. num. 84 annotavimus. Legem autem proximam hanc forte dicit, quam ultimam promulgaverat idem imperator.

totum fere orbem * à pluribus retro principibus inhibita interdictaque sint, Romæ autem à fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis; ne, quæso, vel fideliter statuta convellas, vel fraterna præcepta rescindas. De negotiis civilibus, si quid statuit, nemo putat esse temerandum; & præceptum de religione calcatur.

6. Nullus obrepat juniori ætati tuæ: sive ille gentilis est, qui ista deposcit, non debet mentem tuam vinculis suæ superstitionis innectere: sed proprio studio docere & admonere te debet, quemadmodum veræ fidei studere debeas; quando ille tanto motu veri vana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum & ego suadeo: sed Deum certum est omnibus præferendum.

7. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in præliis viri exspectari sententia, consilium comprobari: quando de religione tractatus est, Deum cogita. NULLIUS INJURIA est, cui Deus omnipotens antefertur. Habet ille sententiam suam. Invitum non cogitis colere, quod nolit; hoc idem vobis liceat, Imperator, & unusquisque patienter ferat, si non extorqueat imperatori, quod moleste ferret, si ei extorquere cuperet imperator. Ipsis gentilibus displicere consuevit prævaricantis affectus; libere enim debet defendere unusquisque fidele mentis suæ & servare propositum.

8. Quod si aliqui nomine christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit: TOLERABILIUS TAMEN est unius sacrificium, quam lapsus omnium. Totus hic christianorum periclitatur senatus.

9. Si hodie gentilis aliquis, Imperator, quod absit, aram statueret simulacris, & eo convenire cogeret christianos; ut sacrificantibus interessent, ut oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, favilla de sacrilegio, fumus ex busto: & in ea curia sententiam diceret, ubi jurati ad aram simulacri in sententiam cogerentur (propterea enim interpretantur aram locatam, ut ejus sacramento, ut ipsi putant, unusquisque conventus consuleret in medium, cùm majore jam curia christianorum numero sit referta) persecutionem esse crederet christianus, qui cogeretur tali optione ad senatum venire:

A quod fit plerumque; nam & injuriis convenire coguntur. Te ergo imperatore, christiani in aram jurare cogentur? Quid est jurare, nisi ejus quem testaris fidei tuæ præsulem, divinam potentiam confiteri? Te imperatore, hoc petitur & postulatur; ut aram *jubeas elevari, sumtum sacrificiis profanis dari?

10. Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni; unde rogo te ne id decernas, statuas, vel in ejusmodi decreta subscribas. Convenio B fidem tuam Christi sacerdos: omnes conveniremus episcopi, * nisi incredibile hoc & repentinum ad aures pervenisset hominum, quod tale aliquid esset vel in consistorio suggestum tuo, vel à senatu petitum. Sed absit ut hoc senatus petisse dicatur: pauci gentiles communi utuntur nomine. Nam & ante biennium ferme, cùm hoc petere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ Ecclesiæ sacerdos, judicio Dei electus, libellum quem christiani senatores C dederunt, & quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere gentilium istiusmodi [a] petitionibus, non præbere consensum: questi etiam publice privatimque se non conventuros ad curiam, si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus vestris, hoc est, christianis temporibus, ut dignitas christianis senatoribus abrogetur; quo gentilibus profanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiæ vestræ direxi; un-D de constitit non senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse legatis.

11. Sed fortasse dicatur: Cur dudum non interfuerint senatui, cùm ista peterentur? Satis loquuntur quid velint, qui non interfuerunt: satis loquuti sunt, qui apud imperatorem loquuti sunt. Et miramur tamen si privatis resistendi Romæ eripiunt libertatem, qui nolunt esse liberum tibi non jubere, quod non probas; [b] servare, quod sentis.

E 12. Et ideo memor * legationis proxime mandatæ mihi, convenio iterum fidem tuam, convenio mentem tuam; ne vel respondendum secundum hujusmodi petitionem gentilium censeas, vel in ejusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adjungas. Certe refer ad parentem pietatis tuæ principem Theodosium, quem super omnibus fere majoribus causis consulere consuesti. NIHIL MAJUS est religione, nihil sublimius fide.

12. Si civilis causa esset, diversæ parti responsio servaretur; causa religionis est, [c] episcopus

*. Disignantur hic procul dubio Constantinus Magnus, ejusque filii. Sane quidem superest adhuc lex IV. Constantii *de Paganis*, qua templa idolorum claudi, aboleri sacrificia, & facultates huic sacrilego cultui destinatas fisco vindicari decernit. Sed cùm Julianus illa omnia, sicuti lib. 4. Hist. cap. 3. prodidit Sozomenus, in usum revocasset; Valentinianus*, Valens, & Gratianus demto profanas commentitiorum numinum religiones proscripserunt, bonis earum fisco addictis, quemadmodum ex lege XX. *de Paganis*, & lege VIII. *de jure fisci* cognoscas licet. Porro Godefridus in Leg. III. *de Quæst.* eorum, qui aram Victoriæ an. 382. eversam volunt, errorem esse communem dicit; idque multo ante factum autumat, an. scilicet 376. cùm sub Graccho præfecto Urbis hoc contigisse doceant Hieronymus epist. 7. & Prudentius lib. 1. *cont. Symmachum*. Sed licet apud hos nulla speciatim ejusdem aræ Victoriæ fiat mentio, eam tamen aliquot annis ante 382. sublatam constat, quando quidem & hoc ipso anno ut eadem repararetur, tentare aggressi sunt: & jam ab an. 379. Italiæ ac Romæ præesse Gratianus desiisset.

*. Hinc conjicimus relationem Symmachi clanculum imperatori oblatam esse, idque fortassis ne vel episcopi, priusquam ejus postulatis Valentinianus annueret, intercederent: vel christiani senatores contrario libello dato reclamarent, quod jam in simili causa contigisse testatur Ambrosius.

a. MSS. aliquot, *petitionibus nos præbere consensum.*

b. Ita mss melioris notæ: aliorum aliquot, & cum his edit. *non servare quod non sentis*: reliqui in locandis negationibus inter se dissentiunt, sed pravo sensu.

*. Legationem designat à Damaso papa sibi commissam, ut nempe apud Gratianum ageret, ne concederet postulata infidelium. Non enim ita dicit, *convenio iterum fidem tuam*, quasi Valentinianum jam convenisset, sed quod ipse jam semel simili provincia, licet apud alium defunctus esset. Sic etiam eamdem legationem *proxime* sibi creditam ait, quod ab illa obita hanc solam suscepisset, quemadmodum legem proximam ea te ab ipso Ambrosio fortasse dictam vidimus, quod esset ultima Juliani imperatoris.

c. MSS. aliquot, *episcopos convenio.* Quod autem dicitur non multo post: *clementia tua parens*, dictio *parens* non hic naturæ significationem habet, sed honoris ac benevolentiæ. Siquidem ea quasi monetur Valentinianus adolescentulus, & adhuc sub materna tutela constitutus, ut Theodosium filii amore ac veneratione prosequatur.

convenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, ut ego plenius respondeam; & sic de omnibus consultus clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certe si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus; licebit tibi ad Ecclesiam convenire: sed illic non invenies sacerdotem, aut invenies resistentem.

14. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: * Munera tua non quærit Ecclesia; quia templa gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti; vox enim tua, manus tua: & subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum dominus Jesus recusat & respuit, quoniam idolis obsequutus es; dixit enim tibi: *Non potestis duobus dominis servire.* (Matth. 6. 24.) Privilegia tua sacratæ Deo virgines non habent, & vindicant virgines Vestæ? Cur sacerdotes Dei requiris, quibus petitiones profanas gentilium prætulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus.

15. Quid respondebis his verbis? Puerum esse te lapsum? OMNIS ÆTAS perfecta [a] Christo est: omnis Deo plena. Pueritia fidei non probatur: parvuli etiam Christum intrepido adversus persecutores ore confessi sunt.

16. Quid respondebis germano tuo? Nonne tibi dicet: Victum me esse non credidi, quia te imperatorem reliqui: mori non dolui, quia te heredem habebam: imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, præsertim de religione divina, omnibus sæculis mansura credebam? Hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has de sæculo manubias, hæc spolia de diabolo, has ego de adversario omnium exuvias offerebam, in quibus æterna victoria est. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Abrogasti decreta mea: quod adhuc ille qui contra me levavit arma, non fecit. Nunc gravius telum corpore recipio, quod à fratre mea statuta damnantur. Meliore parte mei apud te periclitor; illa enim mors corporis, ista virtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod est gravius, abrogatur à tuis, abrogatur à meis: & id abrogatur, quod in me etiam mei adversarii prædicarunt. Si volens adquievisti, damnasti fidem meam: si invitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo, quod gravius est, & in te periclitor.

16. Quid respondebis etiam patri, qui te majore dolore conveniet, dicens: De me, fili, pessime judicasti, qui putasti quod ego gentilibus conniventiam præstitissem: nemo ad me * detulit aram esse in illa Romana curia; numquam tantum nefas credidi, quod in communi illo christianorum gentiliumque concilio sacrificarent gentiles, hoc est, insultarent gentiles præsentibus christianis, & inviti christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa & diversa crimina, me imperante, commissa sunt, ultus sum quæcumque sunt deprehensa: si quis tunc latuit, debet ergo dicere me probasse, quod ad me nemo detulerat? De me pessime judicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea servavit imperium.

17. Unde cùm id advertas, Imperator, Deo primum, deinde patri & fratri injurias irrogari, si quid tale decernas; peto ut id facias, quod saluti tuæ apud Deum intelligis profuturum.

RELATIO SYMMACHI URBIS PRÆFECTI *. (* Scripta an. 384.)

Imperatoribus supplicat senatus nomine, ut veteres religiones instaurentur, ac reparetur ara Victoriæ, ut ad eam jusjurandum exigatur more antiquo; non enim superiores principes in eo imitandos, quod eam sustulere, sed in eo quod alios ritus non sustulerunt. Hoc ab eis Romam poscere, & profecto sine damno ærarii concedi posse: iniquum autem illud habendum, quod bona sibi legata Vestales sacrificique adire prohibeantur: quam rem dii ulti dicuntur immissa fame. Negat denique dicendum, quod petit, sumtum publicum: & orationem cohortando imperatores ad postulata sibi præstanda claudit.

1. *UBi primum senatus amplissimus, semperque vester, subjecta legibus vitia cognovit, & à principibus piis vidit purgari famam proximorum temporum, boni sæculi auctoritatem sequutus, evomuit diu pressum dolorem, atque * iterum me querelarum suarum jussit esse legatum:* [b] *cui ideo divi principis denegata est ab improbis audientia; quia non erat justitia defutura, domini imperatores Valentiniane, Theodosi, & Arcadi, incliti, victores ac triumphatores, semper augusti.*

2. *Gemino igitur functus officio, & ut præfectus vester gesta publica prosequor, & ut legatus civium mandata commendo. Nulla est hic dissensio voluntatum; quia jam credere homines desierunt* [c] *aulicorum se studio præstare, si discrepent.* AMARI, COLI, *diligi, majus imperio est. Quis ferat obfuisse reipublicæ privata certamina?* MERITO ILLOS *senatus insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulerunt.*

3. *Noster autem labor pro clementia vestra ducit*

*. Cùm Valentinianus adhuc tantum esset catechumenus, nec ei missæ fidelium adesse liceret, hæc munera non possunt intelligi de iis muneribus ac donis, quæ iidem fideles ut ex illis à sacerdote consecratis communicarent, offerebant: sed accipienda sunt de variis illis donariis, quæ ad templorum ornamenta, victum ministrorum, aliosque similes usus christiani jam inde à priscis temporibus conferebant. Unde Marcellinus calumniandi Romanos pontifices ansam arripiens, mirum esse negat, si pontificatus ab ipsis ambiatur: *Cùm id adepti*, inquit, *futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum*, &c. Ceterum quis non miretur non modo quam Ambrosius piæ se fert, verum etiam quam in antistitibus aliis præfulsisse testatur episcopalem fortitudinem! Felicia tempora, quæ tales sacerdotes edidere!

a. Omnes edit. ac plures mss. *Christo est. Omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur:* at locum nobis restituere cod. Belv. Thuan. Reg. & Carol. ut in textu. Ibi autem observa non obscuram allusionem ad Apostolica illa 1. Cor. 14. 20. *Nolite pueri effici sensibus* &c. Opportunum porro hoc tempus pagani ad sacrorum obtinendam restitutionem arbitrati sunt, non solum propter imperatoris pueritiam per quam regimen esse consuevit debilius, sed & propter Maximum tyrannum, à quo Italiæ cruentum bellum imminebat.

*. Baronius ad an. 371. hæc verba magis rhetorico impetu ad deliniendum Valentiniani pueri animum, quam ex veritate dicta existimat, Seniorem enim illa ignorare non potuisse: nec sane mirum, si dissimularit, cùm leges etiam promulgaverit pro libertate Ethnicæ religionis. Sed pace tanti viri, nequaquam videtur prudentiæ, qua erat Ambrosius, illa dixisse, quorum falsitatem non nesciret fore ab adversario quam facillime revincendam. Et sane ut eidem principi ignorare non licuerit hanc illam aram in curia positam fuisse, maxime tamen credibile est de sacrificiis, quibus ibidem interesse adigebantur christiani, deque juramentis quæ ab his exigere solebant infideles, ad eum nihil delatum esse.

*. Discimus ex his verbis eumdem Symmachum ab ethnicis senatoribus ante biennium electum fuisse, ut sacrorum suorum obtinere instaurationem conaretur: de qua Ambrosius superiori epist. num. 12.

b. *Cui ideo divi principis ... semper augusti*, hæc tota pericope in Rom. edit. jugulata est: quæ non solum in aliis edit. cunctisque mss. invenitur, verum etiam libellorum supplicum formula erat.

c. Ita mss. & Rom. edit. Amerb. vero, Eras. ac Gill. *credere desierunt. Aliquorum ministri regum coguntur studio se præstare.* At infra ubi vet. edit. cum mss. longe plurimis, *jura & facta*.

*excubias. Cui enim magis commodat quod instituta majorum, quod patriæ jura & fata defendimus, quam temporum gloriæ: quæ tum major est, cùm vobis contra morem parentum intelligitis nil licere? Repetimus igitur religionum statum, qui reipublicæ diu profuit. Certe numerentur principes utriusque sectæ, utriusque sententiæ: * proximus eorum ceremonias patrum coluit, recentior non removit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum.*

4. *Quis ita familiaris est barbaris, ut aram victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus. Reddatur tamen saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Aversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiva est: nemo colendam neget, quam profitetur optandam.*

5. *Quod si* [a] *hujus ominis non esset justa vitatio, ornamentis saltem curiæ decuit abstinere. Præstate, oro vos, ut ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito divi* * *Constantii factum diu non stetit.* OMNIA VOBIS *exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis. Æternitatem curamus famæ & nominis vestri; ne quid futura ætas inveniat corrigendum.*

6. *Ubi in leges vestras & verba jurabimus? qua religione mens falsa terrebitur; ne in testimoniis mentiatur?* OMNIA QUIDEM *Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus: sed plurimùm valet ad metum delinquendi etiam præsentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum: neque aliquid magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi juratus noster ordo decernit. Patebit ergo sedes profana perjuriis, & hoc incliti principes mei probabile judicabunt, qui sacramento publico tuti sunt.*

7. *Sed divus Constantius idem fecisse dicitur. Cetera potius illius principis æmulemur: qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius deviasset.* CORRIGIT ENIM *sequentem lapsus prioris,* [b] *& de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio. Fas fuit ut parens ille clementiæ vestræ in re adhuc nova non caveret invidiam. Num potest etiam nobis eadem defensio convenire, si imitemur, quod meminimus improbatum?*

8. *Accipiat æternitas vestra alia ejusdem principis facta, quæ in usum dignius trahat.* * *Nil ille decerpsit sacrarum virginum privilegiis, replevit nobilibus sacerdotia, Romanis ceremoniis non negavit impensas, & per omnes vias æternæ Urbis lætum sequutus senatum, vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis* [c] *Deorum nomina, percontatus est templorum origines, miratus est conditores. Cúmque alias religiones ipse sequeretur, has servavit imperio; suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes* [d] *urbibus & cultus mens divina distribuit. Ut animæ nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur.* * *Accedit utilitas, quæ maxime homini Deos adserit. Nam cùm ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum? Jam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est* [e] *tot sæculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos.*

9. *Romam nunc putemus adsistere, atque his vobiscum agere sermonibus: Optimi principes, patres patriæ reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Utar cerimoniis avitis; neque enim pœnitet. Vivam meo more; quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc sacra Annibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longæva reprehendar? Videro quod instituendum putatur; sera tamen & contumeliosa emendatio senectutis.*

10. *Ergo diis* [f] *patriis, diis indigetibus pacem rogamus. Æquum est quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune cælum est, idem nos mundus involvit. Quid interest qua quisque prudentia verum requirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum: sed hæc otiosorum disputatio est:* [g] *nunc preces, non certamina offerimus.*

*. *Proximus*, id est, Julianus: *recentior*, nempe Valentinianus; qui etiam sequenti sententia cum Valente fratre significatur nomine *proximorum.* Adverte autem in hac Symmachi Relatione admodum desiderari prudentiam, quandoquidem non secus de suis numinibus ac sacrificiis cum imperatore christiano loquitur passim, ac si cum idolorum cultore loqueretur.

a. Reg. edit. *hujus ominis non est etiam justa vitatio:* ab his mss. aliquot hoc solo distant, quod pro *non est etiam*, legunt *non esset:* reliqui vero locum ita exhibent, *hujus hominis non esset justa visitatio.* Non satis recte. Porro aliam lectionem sequitur Onuphr. Panuinus lib. *de Civit. Rom.* voces *hujus hominis*, mutans in *hujus numinis* & ponens *visitatio* pro *vitatio*; indicans etiam alicubi scriptum, *usitatio.* Sed præstare putamus lectionem nostram, cujus hic est sensus: etsi justum non esset vitare malum omen, quod ex dejecta Victoriæ ara ducitur, tamen &c.

*. Ita edit. ac mss. omnes, excepto uno Long. ubi habetur *Constantini factum.* Baronius autem ad an. 346. suadet legendum *Constantis factum* quasi exprobraret Symmachus imperium Constantis breve fuisse, ac propter vetita Deorum sacra eum à Magnentio de medio sublatum. Quam conjecturam egregie hinc putat confirmari, quod infra subditur: *Sed divus Constantius* cod. Long. *Constantinus* &c. Idem ad an. 356. eadem iterat atque adserit. Baronium sequitur Godefridus in leg. II & III. *de paganis*, quas Constantis esse arbitratur; atque in hanc ultimam eo loci à Symmacho Constantis facto tacite Magnentii deorum nempe sacra reddentis factum opponi existimat. Deinde vero propositis Constantii tribus legibus, queis templorum aditu, nec non usu sacrificiorum interdicitur, in III tradit per hæc tempora, scilicet an. 356 à Constantio aram Victoriæ dirutam esse, idque ex his Symmachi ac Ambrosii scriptis probari. Verumtamen eorum argumenta non sunt tanti, ut contra tot mss. & cunctarum edit. auctoritatem *Constantium* hic deseramus. Quid enim vetat, ne dicatur ipsius factum non diu stetisse, cùm illud proximus ejusdem Constantii successor Julianus antiquaverit? Deinde quod Constantii Symmachus iterum fecerit mentionem, id more Oratorum eadem subinde, cùm sibi ex usu esse putant, iterantium non abhorret. Huc adde quod infra dicitur: *qui nihil tale esset aggressus, si quis ante se alius deviasset.* Quo enim pacto ista Constantio è Symmachi mente convenirent, si latas à germano hac de re leges, atque à Magnentio sublatas intellexisset idem Constantius? Credibile ergo est nocturna tantum sacrificia à Constante fuisse prohibita, quæ Magnentius restituisse reperitur.

b. Rom. edit. sola, *& deprehensionis antecedentis exemplo.*

*. Marcellinus lib. 16. cap. 10. Constantii in Urbem ingressum commotationemque describit, ad quam haud dubie hoc loco alludere voluit Symmachus.

c. Mss. aliquot, *Deûm numina.*

d. Ita omnes edit. mss. autem fere ad unum omittunt negationem: nec pauci quoque dictionem *cultus*; cujus loco legit *urbibus cunctis* citatus jam supra Panuinus.

*. Epictetus Enchir. cap. 38. ὅπου γὰρ τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές. Uterque ergo pietatis fundamentum vult esse utilitatem: sed non eodem modo hanc definiunt.

e. Rom. edit. sola, *totius sæculi fides.*

f. Mss. non pauci, *diis patriis indigetibus*, quidam corrupte *indigentibus.* Sane quidem Virg. lib. 1. Georg. conjunctim ponit, *dii patrii indigetes:* at nihil impedit quominus duo hæc nomina Symmachus diviserit. Nam ut non raro indigetes pro iisdem accipiantur, qui dicuntur à Græcis θεοὶ πατρῷοι καὶ ἐγχώριοι, sæpe tamen pro Heroibus in deos relatis, atque inter eos degentibus sumuntur. Vide alias quoque ejusdem significationes apud Vossium in Etymol. Jos. Laurentium lib 2. Polym. Dissert. 49. atque alios.

g. Ita vet. edit ac mss. exceptis paucis, ubi etiam legitur *nunc certamina:* Rom. autem edit. *nos preces non certamina.* Per certamina vero intelligi non debent pugnæ armis commissæ, sed concertationes illæ, quas proxime ante dicit esse *otiosorum.*

14. *Quanto*

11. Quanto commodo sacri ærarii vestri Vestalium A virginum prærogativa detracta est? Sub largissimis imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt? Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur [a] sacrificii vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt; quoniam paupertate à dispendio tutæ sunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt; SIQUIDEM SALUTI publicæ dicata virginitas crescit merito, cùm caret præmio.

12. Absint ab ærarii vestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augeatur. Ullumne lucrum compensat invidia? Et quia avaritia in mores vestros non cadit, hoc miseriores sunt, quibus subsidia vetera decerpta sunt. Etenim sub imperatoribus, qui alieno abstinent, qui resistunt cupiditati, ad solam detrahitur amittentis injuriam, quod desiderium non movet auferentis.

13. Agros etiam virginibus & ministris * deficientium voluntate legatos fiscus retentat. Oro vos, justitiæ sacerdotes, ut Urbis vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi, & sciant sub principibus non avaris stabile esse, quod scripserint. Delectet vos ista felicitas generis humani, cœpit causæ hujus exemplum sollicitare morientes. Ergo Romanæ religiones sub Romana jura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas? Capiunt legata liberti, servis testamentorum * justa commoda non negantur; tantum nobiles virgines, & fatalium sacrorum ministri excluduntur prædiis hereditate quæsitis. Quid juvat saluti publicæ castum corpus dicare, & imperii æternitatem cælestibus fulcire præsidiis, armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere, & jus cum omnibus non habere? Itaque melior est servitus, quæ hominibus impenditur. Rempublicam lædimus, cui numquam expedit ut ingrata sit.

14. Nemo me putet solam causam religionum tueri: * ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honoraverat lex parentum vestales virgines, ac ministros deorum, victu modico, justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Sequuta est hoc factum fames publica, & spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit: sacrilegio annus exaruit; necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.

15. Certe si est hujus mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem viribus annorum. Gravis hanc sterilitatem aura constrinxit: silvestribus arbustis vita producitur, & rursus [b] ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia convolavit. Quid tale provinciæ pertulerunt, cùm religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in usum hominum concussa quercus, quando vulsæ sunt herbarum radices, quando alternos regionum defectus deseruit fœcunditas mutua; cùm populo & virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum proventus victus antistitum: & remedium magis, quam largitas erat. An dubium est semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicavit?

16. Dicet aliquis sumtum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Absit à bonis principibus ista sententia; [c] ut quod de communi quibusdam tributum est, in jure fisci esse videatur. Nam cùm respublica de singulis constet; quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis, sed suum cuique servatis: plusque apud vos justitia, quam licentia valet. Consulite certe munificentiam vestram, an hæc publica velit existimari, quæ in alios transtulistis? Semel honori Urbis delata compendia desinunt esse tribuentium: & quod à principio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum divino animo vestro tentat incutere, si quis adserit conscientiam vos [d] habere præbentium, nisi detrahentium subieritis invidiam.

17. Faveant clementiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia: & hæc maxime, quæ majores vestros aliquando juverunt, vos defendant, à nobis colantur. Eum religionum statum petimus, qui divo [e] parenti culminis vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit heredes. Spectat senior ille divus ex arce siderea lacrymas sacerdotum, & se culpatum putat more violato, quem libenter ipse servavit.

18. Præstate etiam divo fratri vestro alieni consilii correctionem: tegite factum quod Senatui displicuisse nescivit. Siquidem constat ideo exclusam legationem, ne ad eum judicium publicum perveniret. Pro existimatione est temporum superiorum, ut non dubitetis abolere, quod probatum est principis non fuisse.

a. Rom edit. sola, *sacerdotii vacare muneribus.*

*. *Deficientium* nomine illos appellat, quorum vita senectutis oneri cedit, quos Ambrosius *defectos* vocare solet; maxime enim obsignantur ab hujusmodi testamenta.

*. *Justa commoda* ideo dicit, quia nec hereditatem integram, nec legata quælibet accipere servis licebat: sed vel peculium, id est, modicam pecuniæ summam, vel pensionem aliquam, ut puta fructuum, vestium &c. Nam *commoda* pro pensione quæ sacerdotibus, militibusve adtribuatur, usurpari ex Suetonio, Juvenali atque aliis intelligimus.

*. Vetus erat ac trita paganorum criminatio, ut imperium nullam pateretur calamitatem, quin eam christianæ religioni acceptam ferrent. Eleganter Tertullianus *Apolog.* cap. 40. *Si Tiberis*, inquit, *adscendit ad mœnia, si Nilus non adscendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues; statim christianos ad leonem.* Verum hasce calumnias præter eumdem Tertullianum hoc ipso Apologetico, & Ambrosium nostrum sequenti dissertatione, alii quoque innocentiæ christianorum defensores confutarunt, inter quos Augustinus editus libris *de Civit. Dei* palmam tulit.

b. Mss. nonnulli, *ad idoneas arbores.* Male; sunt enim dodonææ arbores quercus, è quarum glandibus victitasse feruntur primi homines: ac proinde tanta fuisse fames significatur, ut mitiorum frugum defectu glandes esitatare pauperes coacti sint.

c. Mss. aliquot, *ut quod commune;* reliqui, ac edit. *ut quod de commune*, vet. edit. *olim de commune.*

d. Nonnulli mss. *habere præsentium.* Non recte; *conscientiam* enim *habere præbentium* &c. idem est ac tam in culpa esse, quam si præberent, nisi detraxerint.

e. Rom. edit. *parenti vestro culminis servavit* &c. Quod autem ait numinum suorum religionibus servatum Valentiniani senioris imperium, hoc eo sensu intelligendum est, non quod illas sequutus fuerit, sed quod non aboleverit, sicut à Symmacho supra dictum est. Hanc etiam ob rem eumdem principem commendat ethnicus Marcellinus lib 30. c. 9. Quin immo idem Valentinianus libertatem cuique sequendæ religionis, quam elegisset, à se relictam lege IX. *de Maleficiis* testificatur. Et hoc ipsum est cur de Valentiniano juniori Ambrosius in funebri ejusdem laudatione: *Quod patri defuerat*, inquit, *adjunxit: quod frater constituit, custodivit.*

* Scripta an. 384.

*EPISTOLA XVIII.

Relationi Symmachi respondet AMBROSIUS, *& post conciliatam sibi* VALENTINIANI *benevolentiam, tria in eadem Relatione præcipua capita aggreditur. Nam prosopopœiæ qua Roma priscos suos ritus poscere fingebatur, alia ejusdem Romæ contraria efflagitantis opponitur, cum Vestalibus & sacrificulis virgines sacræ & Christi sacerdotes comparantur, ac tandem quod sublatas illas ceremonias famem ultam fuisse dictitabatur, id vanum esse invictissimis argumentis demonstratur.*

AMBROSIUS episcopus beatissimo principi, & clementissimo imperatori VALENTINIANO augusto.

1. CUm * vir clarissimus præfectus Urbis Symmachus ad clementiam tuam retulisset, ut ara quæ de urbis Romæ curia sublata fuerat, redderetur loco; & tu, Imperator, licet adhuc in minoris ævi tyrocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus obsecrata gentilium non probares; eodem, quo comperi, puncto libellum obtuli: quo licet comprehenderim, quæ suggestioni necessaria viderentur; poposci tamen exemplum mihi Relationis dari.

2. Itaque non fidei tuæ ambiguus, sed providus cautionis, & pii certus examinis, hoc sermone Relationis adsertioni respondeo, hoc unum petens; ut non verborum elegantiam, sed vim rerum [a] exspectandam putes. Aurea enim, sicut scriptura divina docet, est lingua sapientium litteratorum, quæ phaleratis dotata sermonibus, & quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos [b] specie formosi, visuque perstringit. Sed aurum hoc, si diligentius manu tractes, * foris pretium, intus metallum est. Volve, quæso, atque excute sectam gentilium: pretiosa & grandia sonant, veri effœta defendunt: Deum loquuntur, simulacrum adorant.

a Eccl. 6. 11.

3. Tria igitur in relatione sua vir clarissimus præfectus Urbis proposuit, quæ valida putavit: quod Roma veteres, ut ait, suos cultus requirat, & quod sacerdotibus suis virginibusque Vestalibus emolumenta tribuenda sint, & quod emolumentis sacerdotum negatis, fames sequuta publica sit.

4. In prima propositione, flebili Roma questu sermonis illacrymat, veteres, ut ait, cultus ceremoniarum requirens. Hæc sacra, inquit, * Annibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo * Annibal diu sacris insultavit Romanis, & diis contra se dimicantibus, usque ad muros Urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant?

5. Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tulissent; nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana præsules habent. Ubi tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur?

6. Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Annibal eosdem Deos colebat. Utrum volunt igitur, eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt.

7. Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela: [c] non hanc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus: Quid me casso quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum trophæa victoriæ sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa, cæsis Tarpeiæ rupis triumphatoribus, reportavit: stravit virtus, quos religio non removit. Quid de * Attilio loquar, qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter Capitolii aras, sed inter Annibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam * bimestres imperatores, & terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est novum, barbaros suis excessisse finibus? Numquid etiam illi christiani fuerunt, quorum miserabili novoque exemplo * alter captivus imperator, sub altero captivus orbis, [d] fefellisse quæ victoriam promittebant, suas cerimonias prodiderunt? Numquid & tunc non erat ara victoriæ? Pœnitet lapsus: vetusta canicies pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longæva converti. VERUM CERTE est quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudata, sed morum. NULLUS PUDOR est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum Sap. 4. 9.

*. *Vir clarissimus* non tam honori personæ tribuitur, quam dignitatis titulus ac significatio est, ut jam alicubi observavimus. Adi etiam, si vacat, Alciati lib. 3. *Dispunctionum*.

a. Rom. edit. *expendendam putes*: reliquæ, ac mss. *exspectandam putes*, uno Vat. cod excepto, ubi *expetendam*.

b. Duo mss. *specie formosa, visuque perstringit*: unus, *specie formositatis perstringit*: ceteri & edit. *specie formosi, visuque*, Rom. *visusque perstringit*.

*. *Foris pretium*, supple, auri præ se fert. *Intus metallum*, æs videlicet aut ferrum; ubi generis nomen pro viliori specie positum est.

*. Annibalem Carthaginensium ducem Romano populo infensissimum nemo nescit in summum periculum res Romanorum adduxisse: qui tandem Apuliæ deliciis emollitus, & Fabii cunctatione debilitatus, Italia recedere coactus fuit, ac postmodum à Scipione Africano debellatus. Senones vero cùm è Celtica Gallia in Italiam transissent, Urbem ipsam armis ceperunt, at capitolium delusa canum custodia occupaturi, anserum gingritu detecti sunt, & à Manlio de Tarpeia rupe dejecti

c. Omnes edit. *non hac Roma mandavit*: mss. aliquot, *non hanc rem mandavit*: reliqui melius, *non hanc* &c supple querelam.

*. Camillus quinquies dictator creatus est, & ob præclara in Remp. merita alter Romulus dictus. Hic collectis Romanorum reliquiis Senonas prædæ intentos fudit ac profligavit: quo potissimum nomine hic ab Ambrosio memoratur.

*. Attilius Regulus à Carthaginensibus, à quibus captus in bello fuerat, ad senatum de permutandis captivis missus, cùm eam permutationem efficaciter dissuasisset, Carthaginem ad certissimam & crudelissimam mortem rediit.

*. Galbam, Othonem, Vitellium intelligit, quorum Galba septimo imperii mense occisus est, Otho nonagesimo quinto die, Vitellius octavo mense: tres certe annos trini principes in imperio non impleverunt, quod eleganti carmine comprehensum est ab Ausonio

Galba senex, Otho lascive, famose Vitelli,
Tertia vos Latio regnantes nescüt æstas.

Nisi hoc potius referri velimus ad Æl. Pertinacem qui duobus mensibus & diebus 25. & ad Didium, qui duobus mensibus & quinque diebus in imperio fuere: quod certius convenit cum spatio Ambrosiano. Ita Nannius.

*. Idem Nannius ad hæc verba: Id haud dubie, inquit, de Lic. Valeriano, & filio ejus Gallieno intelligendum, quorum pater captus à rege Persarum Sapore, cui adscensuro cervicem pro scabello subjiciebat, in miserabili servitute consenuit: alter orbem terrarum luxu & nequitia perdidit; adeo ut triginta tyranni provincias occupaverint, & feminæ quoque contra eum diadema sumserint.

d. Mss. aliquot, *fefellitque quæ victoriam promittebat*. Minus commode.

barbaris, quia Deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis Dei voces? Venite, & discite in terris cælestem militiam: hîc vivimus, & illic militamus. Cæli mysterium doceat me Deus ipse, qui condidit: non homo, qui se ipsum ignoravit. Cui magis de Deo, quam Deo credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis?

8. Uno, inquit, itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognovimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa sapientia Dei & veritate compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobiscum. Vos pacem diis vestris ab imperatoribus obsecratis, nos ipsis imperatoribus à Christo pacem rogamus. Vos manuum vestrarum adoratis opera, nos injuriam ducimus omne quod fieri potest, Deum putari. Non vult se Deus in lapidibus coli. Denique etiam ipsi philosophi vestri ista riserunt.

9. Quod si vos ideo Christum Deum negatis, quia illum [a] mortuum esse non creditis (nescitis enim quod mors illa carnis fuerit, non divinitatis, quæ fecit ut credentium jam nemo moriatur) quid vobis imprudentius, qui contumeliose colitis, & honorifice derogatis; vestrum enim Deum lignum putatis. O contumeliosa reverentia! Christum mori potuisse non creditis. O honorifica pervicacia!

10. Sed vetera, inquit, reddenda sunt altaria simulacris, ornamenta delubris. Reposcantur hæc à consorte superstitionis: christianus imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia ministerium suis cogunt [b] sacrilegiis exhibere? Vox imperatoris nostri Christum resultet, & illum solum, quem sentit, loquatur; *quia cor regis in manu Dei.* Prov. 21. 1.
Numquid imperator gentilis aram Christo levavit? Dum ea quæ fuerunt, reposcunt, exemplo suo admonent quantum christiani imperatores religioni, quam sequuntur, debeant deferre reverentiæ; quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt.

11. Dudum cœpimus, [c] & jam sequuntur exclusos. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium movet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi injuriam putant. Numquam nobis amplius contulerunt, quam cùm verberari christianos atque proscribi ac necari juberent. PRÆMIUM fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos. Per injurias, per inopiam, per supplicium [d] nos crevimus: illi ceremonias suas sine quæstu manere posse non credunt.

11. Habeant, inquit, * Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc, qui nesciunt credere, quod possit esse gratuita virginitas: provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quantas tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus, quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt.

12. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile [e] velamen usui, nobile castitati: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulcritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum: non privilegia, non lucra: omnia postremo talia, ut revocari à studio putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium provocatur. Suis castitas cumulatur dispendiis. NON EST virginitas, quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur: non est integritas quæcumque [f] in auctione nummario ad tempus licitatur compendio. PRIMA CASTITATIS victoria est facultatum cupiditates vincere; quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus. Quæ christianis munera redundabunt? quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet, ut qui totum sibi sub imperatoribus gentilibus vindicarunt, iidem sub principibus christianis non putent nobis sortem debere esse communem?

13. Sacerdotibus quoque suis & ministris queruntur alimenta publica non deberi. Quantus hinc verborum tumultus increpuit? At contra, nobis etiam privatæ successionis emolumenta * recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur; non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus. Si privilegium quærat sacerdos, * ut onus curiale declinet, patria atque avita & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles si haberent, ingravarent querelam, quod sacerdos ferias ministerii sui emat totius patrimonii sui damno, & privati universæ commoditatis dispendio usum publici mercetur obsequii: prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede soletur; quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparavit.

14. Conferte causas. Vos excusare vultis * decurionem, cùm Ecclesiæ excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus

a. Nonnulli mss. *mortuum esse creditis:* reliqui, & omnes edit. . . . *non creditis.* Melius ut docent sequentia, *Christum mori potuisse non creditis.*

b. Pauculi mss. *sacrificiis exhibere.*

c. Vet. edit. *Dum cœpimus, sequamur exclusos:* Rom. & mss. nobiscum consentiunt, nisi quod retinuit *sequamur*, ubi illi prope ad unum ponunt *sequuntur*

d. Omnes edit. *nos credimus:* omnes mss. *nos crevimus.*

*. De Vestalibus vide quod à nobis observatum est ad lib. 1. *de Virgin.* cap. 4. num. 15 Quod autem infra dicitur *Vestales capiuntur*, allusio est ad illam pontificis novam virginem accipientis formulam: *Caplo te, amata*

e. Edit. ac pauci mss. *velamen, usui* (Rom. edit. *usu*) *nobile castitatis:* mss plures & potiores ut in textu.

f. Omnes edit. *tamquam in auctione . . . sollicitatur:* omnes mss. nobiscum faciunt, nisi quod pro *auctione* unus legit *actione*, alter *cautione.*

*. Volunt hic designari ab Ambrosio Valentiniani legem xx. *De episcopis* &c. ad Damasum pont. Rom destinatam, qua de facto clerici prohibentur à piis mulieribus, quæ se illis adjunxerint, testamento quidquam accipere. Quod autem Ambrosius detrimento, quod eadem lex clericis irrogabat, se non moveri testificatur, cùm Hieronymo pulcre consentit: sed hic se graviter dolere non dissimulat, quod eidem legi causam præbuerit clericorum avaritia. Lege secundam ejusdem epistolam *de vita Clericorum*

* De onere curiali dicetur commodius *epist ad Theodosium*

*. Intellige Theodosii leg. CIV. *De Decurionibus:* de qua etiam erit dicendi locus ad epistolam ante citatam.

ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune jus clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur; tamen officio mulcta præscribitur. Quod sacerdotibus fani legaverit christiana vidua, valet: quod ministris Dei, non valet. Quod ego non ut querar, sed ut sciant quid non querar, comprehendi; malo enim nos pecunia minores esse, quam gratia.

15. Sed referunt, ea quæ, vel donata vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata. Dicant & ipsi quis templis dona detraxerit, * quod factum est christianis. Quæ si facta essent gentilibus, redderetur potius quam inferretur injuria. Nunccine demum justitia prætenditur, æquitas postulatur? Ubi tunc erat ista sententia; cùm direptis christianorum omnium facultatibus, ipsos vitales anhelitus inviderent, & nullis usquam negata defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista victoria est, quod & ipsi jam facta majorum carpunt, quorum gesta condemnant. Sed quæ, malum! ratio, ut eorum munera petant, quorum gesta condemnant?

16. Nemo tamen donaria delubris, & * legata haruspicibus denegavit: sola sublata sunt prædia; quia non religiose utebantur iis, quæ religionis jure defenderent. Qui nostro utuntur exemplo, cur non utebantur officio? Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet. Hos redditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ * sumtus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exsulibus vivendi subsidia ministraverint. [a] Prædia igitur intercepta, non jura sunt.

17. En quod factum, quæ triste piaret nefas, fames, ut aiunt, publica vindicavit; quia usui omnium proficere cœpit, quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, ut aiunt, arbusta exuta corticibus, succo miserabili deficientium ora lambebant. Propterea [b] Chaoniam frugem glande mutantes, rursus in pecudum pastus, & ad infelicis victus alimenta revocati, concussa quercu, famem in silvis [c] miseram solabantur. Nova videlicet prodigia terrarum, quæ numquam ante acciderant; cùm superstitio gentilis toto orbe ferveret? Re vera quando ante * vacuis avenis seges avari vota lusit agricolæ, & spem rusticæ plebis quæsita sulcis frugis herba destituit?

18. Et unde Græcis [d] oracula habita suæ quercus, nisi quia remedium silvestris alimoniæ cælestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis dodonæas arbores nisi gentium populus adoravit; cùm pabulum [e] triste agri nemorum honore donaret? Non est verisimile quod indignantes eorum dii id pro pœna intulerint, quod solebant placati conferre pro munere.

Quæ autem æquitas, ut paucis sacerdotibus dolentes victum negatum, ipsi omnibus denegarent; cùm inclementior esset vindicta, quam culpa? Non est igitur idonea, quæ tantam ægritudinem mundi fallentis causa constrinxerit, ut virentibus segetibus subito spes anni adulta moreretur.

19. Et certe ante plurimos annos templorum jura toto orbe sublata sunt: modone demum diis gentilium venit in mentem suas injurias ultum ire? Propterea nec adsueto cursu Nilus intumuit, * ut urbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum?

20. Esto tamen si superiore anno deorum suorum injurias vindicatas putant; cur præsenti anno contemtui fuere? Jam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec baccæ silvestris explorat solatia; [f] nec cibum de sentibus rapit: sed operum læta felicium, dum messes suas & ipsa miratur, explevit voti satietate jejunium: usurarios nobis reddidit terra proventus.

21. Quis ergo tam novus humanis usibus vices stupeat annorum? Et tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse fructibus. De Galliis quid loquar solito ditioribus? Frumentum Pannoniæ, quod non severant, vendiderunt: [g] & secunda Rhetia fertilitatis suæ novit invidiam; nam quæ solebat tutior esse jejunio, fœcunditate hostem in se excitavit: Liguriam Venetiasque autumni frumenta paverunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quod largo fœtu vineæ redun-

*. Hanc Ecclesiarum direptionem sub Juliano factam fuisse constat. De qua Sozom. lib. 5. Hist. cap 5. Theodoret. lib 3. c. 12. & *Tripart. Hist.* lib. 6. cap. 32.

*. *Pro legata haruspicibus* legendum *legata æris speciebus* conjicit Samuel Petit lib. 3. *Variar. lection.* cap. 7. non injuria *infelix criticus* à Valesio vocitatus. Certe ut omittamus mss. ac edit. consensum, lectio illa minime Ambrosiana est, nec rationes, quibus nititur, satis idoneæ. Locum expende, ac pronuntia.

*. Hanc legem, qua Ecclesiam omnem teneri hoc loco testatur Ambrosius, quam perfecte ipsemet impleverit, cognosces ex iis, quæ ad lib. 2. Offic. cap. 15. & 28. observavimus.

a. Mss. duo, *Præda igitur intercepta.* Et post secundum versum, ubi vet. edit. ac mss. aliquammulti, *quod*, nonnulli *qua, triste piare nefas*, melius edit. Rom. cum reliquis, *quæ triste piaret nefas.* Est quippe imitatio illius versus è lib. 2. Æneid.

Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret.

b. Hic mss. & edit. inter se conveniunt, excepto quod in illorum nonnullis dictio *glande* prætermittitur: sed tamen ulcus his verbis inest minime obscurum. Nam præter quam quod Ambrosium respexisse liquet ad versum illum ex 1 Georg. *Chaoniam pingui glandem mutavit arista*; vox *Chaoniam* ducitur à regione Epiri, in qua Dodone urbs condita erat. Non longe autem ab hac surgebat silva Jovi sacra, & tota quercina; unde Symmachus in *Relatione*, & Ambrosius infra quercus *Dodoneas arbores* vocant. Scribendum ergo vel *Chaoniam fruge glandem mutantes*, vel *chaonia frugem glande* &c.

c. Non pauci mss. *miseram solabamur.* Et istic alluditur etiam ad Virgilianum illud è lib. jam citato:

Concussaque famem in silvis solabere quercu.

*. Virg. lib. cit. *Ex pectata seges vacuis elusit avenis.*

d. Ita mss. edit. autem, *oracula habita.* Utique ex Virg. lib. 2. Georg. ubi legitur:

Atque habita Grajis oracula quercus.

De dodoneis porro quercubus hîc agi constat; de quibus præter Virgilii commentatores ad versum citatum, consulere etiam licet Erasmum *Chil.* 1. *Cent.* 1. *Adagio* 7.

e. Omnes edit. *pabulum triste sacri nemoris*: omnes mss. ut nos in textu.

*. Quemadmodum Roma per Antonomasiam Urbs, ita & Romanos sacerdotes hoc loco Urbicos vocat Ambrosius.

f. Nonnulli mss. *nec cibus de sentibus sapit.* Sequenti autem sensu parodia est ex illo Virg. Georg. 1.

Et ipsa suas mirantur Gargara messes.

g. Omnes edit. *& fœcunda Rhetia*: omnes mss. *& secunda Rhetia.* Hodie dividitur ea regio in superiorem & inferiorem: an autem Ambrosii ætate in primam & secundam distingueretur, nobis non constat. Vide situm ejus apud Ptolomeum lib. 2. & apud Geographos recentiores.

daverint. Itaque & messem fœneratam recepimus, & liberalioris vindemiæ beneficia possidemus.

22. Postremus superest & maximus locus, utrum ea quæ vobis profuerint, Imperatores, restituere subsidia debeatis; ait enim: Vos defendant, à nobis colantur. Hoc est, fidelissimi Principes, quod ferre non possumus; quia exprobrant nobis vestro se nomine diis suis supplicare, & vobis non mandantibus, sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant præsidia sua: suos, si possunt, illa defendant. Nam si iis à quibus coluntur, auxilio esse non possunt; quomodo possunt vos defendere, à quibus non coluntur?

23. Sed majorum, inquit, servandus est ritus. Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse, qui vel primum * coactis elementorum per inane seminibus, tenero orbe, concreverat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore; nonne postea distincto cæli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas quibus speciosus videtur, accepit? Exutæ humentibus tenebris novum terræ stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat, & caloris exæstuat.

24. Luna ipsa, qua propheticis oraculis species Ecclesiæ figuratur; cùm primùm resurgens in menstruas reparatur ætates, [a] tenebris nobis absconditur; paulatimque cornua sua complens, vel è regione solis absolvens, clari splendore fulgoris irrutilat.

25. Exerceri in fructus terræ ante nesciebant: post * ubi imperare arvis sollicitus cœpit agricola, & informe solum vestire vinetis, silvestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt.

26. Anni ipsius ætas prima, quæ nos usu parili coloravit [b] nutu gignentium: sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus.

27. Nos quoque ævi rudes, sensus [c] habemus infantiam: sed mutati in annos ingenii rudimenta deponimus.

Dicant igitur in suis omnia manere debuisse principiis; mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse, quam corporis; fideique jubar emicuisse, quam solis? Er-

A go & mundi sicut omnium rerum [d] primæva nutarunt; ut venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc movet, reprehendant messem; quia sera fœcunditas est: reprehendant vindemiam; quia in occasu anni est: reprehendant olivam; quia postremus est fructus.

28. Ergo & messis nostra fides [e] animorum est; Ecclesiæ gratia meritorum vindemia est, quæ ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos; ut adver-
B terent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi (nulla enim sine adversario corona victoriæ) sed explosa opinione, quæ ante convaluit, [f] quod erat verum, sit jure prælatum.

30. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam pretio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid, ut de ipso respondeam quod queruntur, captarum simu-
C lacra urbium, victosque deos, & peregrinos ritus sacrorum alienæ superstitionis æmuli receperunt? Unde igitur exemplum, quod [g] currus suos simulato Almonis in flumine lavat Cybele? Unde Phrygii vates, & semper invisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quam * Cælestem Afri, Mitram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate. Sic deam esse & victoriam crediderunt, quæ utique munus est, non potestas;
D donatur, non dominatur, legionum gratiâ, non religionum potentiâ. Magna igitur dea, quam militum multitudo sibi vindicat, vel præliorum donat eventus?

31. Hujus aram strui in urbis Romæ curia petunt, hoc est, quo plures conveniunt christiani. Omnibus in templis aræ, ara etiam in templo victoriarum. Quoniam numero delectantur, sacrificia sua ubique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, unius aræ sacrificium vin-
E dicare? Ferendumne istud, ut gentilis sacrificet, & christianus intersit? Hauriant, inquit, hauriant vel inuiti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, [h] & aversantium licet ora excitata focis nostris favilla respergat. Non illi satis sunt lavacra, non porticus, non plateæ occupatæ simulacris? Etiamne in communi illo concilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium vocibus, adjurantium sacramentis. Si refutet, videbitur mendacium pro-

*. Compone, si lubet, totum hunc locum cum simili apud Virgilium Egl. VI. & alterum ex altero petitum non diffitebetis.

a. Mss. aliquot, *tenebris noctis absconditur.*

*. Mutuatus est etiam hunc locum Ambros. ex illo Virg. Georg. I.

Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

Alios quoque versus è lib. 2. hic expressi sunt, quos ipse per te facile deprehendes.

b. Rom. edit. *nuda gignentium*; optimo sensu, sed mss. atque edit. vet. præsidiis destituto. Idem vero est, *nutu gignentium* ac gignentium arbitrio seu lege.

c. Omnes edit. *habemus infantia*: omnes prope mss. *habemus infantiam.*

d. Edit. cum paucis mss. *primæva viam mutarunt*: alii mss. magno numero, *primæva nituerunt*: reliqui melius, *nutarunt*, id est, præ infirmitate vacillarunt.

e. Rom. edit. *fides animarum, & in Ecclesia gratia* &c.

f. Omnes edit. *id quod erat verum, jure prælatum*, mss. partim, *quod erat verum, sit jure prælatum*, partim .... *injuria prælatum*, partim etiam .... *in jure prælatum.* Nec male forsitan legeremus .... *id jure prælatum.*

g. Mss. aliquot; *cursus suos.* Est autem Almo, ut Nannius observat, fluvius Romæ in prima regione, apud quem olim Romani sacra Cybelis faciebant eodem ritu, quo Galli sacerdotes in Phrygia. Tum subjectis de eodem fluvio nonnullis Ovidii ac Juvenalis versiculis, idem adjungit: Ad cujus similitudinem cùm alibi sacra fiunt, proximum fluvium Almonem esse fingunt; si quidem mos est, ut quæ in sacris haberi nequeant simulentur: quod perinde accipitur, ac si vera essent. Virg. 4. Æneid.

Sparserat & latices simulatos fontis averni.

Hæc Nannius. Porro de sacris peregrinis, quæ Romæ adoptata tradit Ambrosius, eleganter quoque Leo pont. Rom. serm. I. *de Apostolis*: *Cùm pene omnibus*, inquit, *dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus* &c. Verumtamen facta sæpius edicta de pellendis ex Urbe religionibus peregrinis non ignoramus.

*. Sumtum est ex illo Herodoti, *Ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων, καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ Μίτραν.* Ita Nannius.

h. Amerb. cum mss. non paucis, *& adversantium*; aliæ cum reliquis, *& aversantium.*

dere: si adquiescat, sacrilegium confiteri.

32. Ubi, inquit, in leges vestras & verba jurabimus? Ergo mens vestra, quæ legibus tenetur inclusa, ceremoniis gentium suffragium colligit, fidem stringit? Jam non solum præsentium, sed absentium etiam, & quod est amplius, Imperatores, fides vestra pulsatur; vos enim cogitis, si jubetis. [a] Constantius augustæ memoriæ nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putavit, si aram illam videret. Jussit auferri, non jussit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc præcepti non habet.

33. Nemo sibi de absentia blandiatur. * PRÆSENTIOR EST, qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti, quam corpore copulari. Vos senatus cogendi concilii præsules habet, [b] vobis coit: vobis conscientiam suam, non diis gentium præstat: vos liberis suis, non tamen fidei suæ præfert. Hæc est caritas expetenda, hæc est caritas major imperio, si fides tuta sit, quæ servat imperium.

34. Sed fortasse aliquem moveat * ita fidelissimum principem destitutum: proinde quasi meritorum pretium caducis æstimetur præsentium. Quis enim sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum novit negotia; quia non eosdem semper successus habent: sed variant status, & mutant vices?

35. Quem beatiorem Cneio Pompeio Romana templa miserunt? At is cùm tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exsul imperii, Canopei * manu spadonis occubuit.

36. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius orientis terræ regem dederunt? Is quoque cùm principes potentissimos adversantes vicisset, * victos reservasset, muliebribus armis fusus interiit. Et ille rex qui superatos etiam confessus honore donaverat, exsecto capite, & intra utrem plenum cruoris, [c] satiari jussus, incluso, femineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitæ curriculo non paria paribus, sed longe diversa referuntur!

37. Quem etiam magis sacrificiis deditum, quam Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? Qui cùm toto prælii tempore inter acies positus dimicantes, sacrificium faceret; ubi partem suorum victam esse cognovit, in ipsos quos adolebat, se præcipitavit ignes: ut eos [d] vel corpore suo restingueret, quos sibi nihil profuisse cognoverat.

38. Nam de Juliano quid loquar? qui cùm responsis haruspicum male credulus esset, * ademit sibi subsidia revertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa; neminem etenim promissa nostra luserunt.

39. Respondi lacessentibus tamquam non lacessitus; refellendæ etenim Relationis, non exponendæ superstitionis mihi studium fuit. Te tamen, Imperator, ipsa eorum Relatio faciat cautiorem. Nam cùm de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus ceremonias patrum coluit, recentior non removit; addidisset etiam: Si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum; evidenter docuit quid & fidei tuæ debeas, ut gentilitii ritus non sequaris exemplum: & pietati, ut fratris statuta non violes. Si enim pro suis dumtaxat partibus eorum dissimulationem principum prædicarint, qui cùm essent christiani, decreta tamen gentilium minime removerunt: quanto magis amori debes deferre fraterno, ut qui dissimulare deberes, etiamsi quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, & nunc teneas quod & fidei tuæ, & germanitatis necessitudini judicas convenire.

* EPISTOLA XIX.

* Scrip. circ. ann. 385.

AMBROSIUS à VIGILIO ad episcopatum recens allecto, ut sibi formam institutionis traderet, obsecratus, admonet ne fideles cum infidelibus patiatur inire conjugia: deterreat populum à fraudibus atque fœnoribus: ad hospitalitatem vero illum hortetur: sed potissimum ut memorata christianorum cum gentilibus matrimonia efficacius prohibeat, historiam Samsonis universam decurrit atque edisserit.

* AMBROSIUS VIGILIO.

1. POposcisti à me institutionis tuæ insignia, quoniam novus accitus es ad sacerdotium. Et quoniam te ipsum ædificasti, ut oportuit, qui dignus habitus es tanto munere; quomodo & alios ædifices, significandum videtur.

2. Primum omnium cognosce Ecclesiam Domini tibi commissam, ideoque vitandum semper, ne quid obrepat offensionis, & fiat velut commune corpus ejus gentilium admixtione. Unde Scriptura tibi dicit: Ne accipias uxorem de filiabus Chananæorum, sed vade in Mesopotamiam, in domum Bathuel, id est, domum sapientiæ; [e] & ejus tibi adquire copulam. Mesopotamia autem regio est in partibus orientis, quæ duobus maximis per ea locorum Euphra- Gen. 28. 1. & 2.

a. Cod. Long. & Lat. *Constantinus.* Sed omnino legendum Constantius, de cujus baptismate scribit Socrates lib. 2. cap. 47. & alii.

*. Ambrosius supra epist. XIV. num. 6. *Quorum frequenter præsentior absentia fuit:* & hæc sententia sancto Præsuli erat admodum familiaris.

b. *Vobis coit* in mss. fere omnibus desideratur.

*. Gratianus dubio procul hic designatur, de cujus morte adi Exposit. psal. LXI. & quæ nos ibidem annotabamus.

*. Pompeium, amissa Pharsalica pugna, ad regem Ægypti perfugientem, cùm è navi sua in Ægyptiam ingressus esset, Achillas regius eunuchus nefarie trucidavit, ut Plutarchus in illius Vita, Suetonius in Vita Jul. Cæsaris, atque alii commemorant. Canopeum autem spadonem vocat à Canopo Ægypti urbe, quæ ab Alexandria CXX stadiis dissita erat.

*. De Cyro Persarum rege, qui devictum Crœsum perhumaniter planeque regie tractaverat, à Thomyri capto & obtruncato scripsit Herodotus libro 1. Histor. Justinus lib. etiam 1. atque alii.

c. *Satiari jussus* deest in mss. fere omnibus: at contra in cunctis edit. invenitur.

d. Ita omnes mss. paucis exemtis, in quibus pro *restingueret* habetur *restringeret:* omnes vero edit. *vel cruore suo restingueret.*

*. Hanc Juliani apostatæ bellum adversus Persas adorientis imprudentiam, qua combustis navibus sibi ac Romano exercitui redeundi spem intercepit, descriptam habes apud Sozomenum lib. 6. cap. 1. Theodor. lib. 3. cap 25. & alios.

*. Vigilium ad quem data est hæc epistola, non alium esse à Vigilio Tridenti episcopo jam in *Admonit.* ad lib. *de Tobia* indicavimus, nec à nobis hac in re quisquam dissenserit. Ejus porro mortem *Rom. Martyrol.* VII. Kal. julias annuntians, eum à paganis cùm idololatriæ reliquias exscindere conaretur, lapidibus obrutum tradit, in quo illi concinnunt collectio Usuardi, & Acta in Mabillonii *Præfat.* in X. suum seculum memorata. Unde in promtu est, cur à permittendis fidelium atque ethnicorum inter se connubiis Vigilium tantopere dehortatus fuerit Ambrosius.

e. Rom. edit. sola, *& de filiabus Laban tibi &c.*

te & Tigri fluminibus circumvenitur, * quibus origo eſt in Armeniæ locis. Influunt autem diverſo meatu a in mare Rubrum; & ideo Meſopotamiæ nomine ſignatur figura Eccleſiæ, quæ maximis fluentorum prudentiæ irriguis atque juſtitiæ fœcundat mentes fidelium, quibus ſacri baptiſmatis, cujus typus præceſſit in Rubro mari, infundit gratiam, culpamque abluit. Doce ergo plebem, ut non ex alienigenis, ſed ex domibus chriſtianis conjugii quæratur copula.

3. Nemo fraudet * mercenarium mercede debita; quia & nos mercenarii ſumus Dei noſtri, & ab eo mercedem laboris noſtri exſpectamus. Et tu quidem, ô quicumque es negotiator, mercenario tuo mercedem pecuniariam negas, id eſt, vilem, caducam: tibi autem negabitur merces promiſſorum cæleſtium: *Non fraudabis* ergo, ut Lex dicit, *mercenarium mercede ſua.* Levit.19.13. Deut.24.14.

4. Non dabis pecuniam tuam ad uſuram; quoniam ſcriptum eſt quod is qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, habitabit in tabernaculo Dei; b nam ille ſupplantatur, qui uſurarum captat emolumenta. Itaque vir Chriſtianus ſi habet, det pecuniam quaſi non recepturus: aut certe ſortem, quam dedit, recepturus. Habet in ea non mediocrem gratiæ uſuram. Alioquin decipere iſtud eſt, non ſubvenire. * Quid enim durius, quam ut des pecuniam tuam non habenti, & ipſe duplum exigas? Qui ſimplum non habuit, unde ſolveret; quemadmodum duplum ſolvet? Pſ.14.5.

5. Exemplo nobis ſit Tobis, qui numquam requiſivit pecuniam, quam dederat, niſi extremo vitæ ſuæ tempore; * magis ne fraudaret heredem, quàm ut depoſitam pecuniam cogeret ac recuperaret. c Populi ſæpe conciderunt fœnore, & ea publici exitii cauſa exſtitit. Unde nobis ſacerdotibus id præcipue curæ ſit, ut ea vitia reſecemus, quæ in plurimos videntur ſerpere. Tob.4.21.

6. Hoſpitem doce voluntarium magis quam ex neceſſitate eſſe oportere; ne in hoſpitio deferendo inhoſpitalem affectum animi ſui prodat, & in ipſa hoſpitis ſuſceptione per injuriam violetur gratia: ſed magis excolatur officiorum uſu, & aliquo humanitatis miniſterio. * Non enim à te munera exiguntur ditia, ſed officia voluntaria, plena pacis, & convenientis concordiæ; meliora ſunt enim olera cum amicitia & gratia, quam ſi exquiſitis dapibus adornetur convivium, ſi deſit affectus gratiæ. Legimus peremtos gravi populos excidio propter violata jura hoſpitii. Propter libidinem quoque commiſſa bella atrocia. Prov.15.17. Judic.20.44. Gen.34.25.

7. Sed prope nihil gravius quam copulari alienigenæ, ubi & libidinis & diſcordiæ incentiva, & ſacrilegii flagitia conflantur. Nam cùm ipſum conjugium * velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat; quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia? Cùm oratio communis eſſe debeat, quomodo inter diſpares devotione poteſt eſſe conjugii communis caritas? Sæpe plerique capti amore feminarum fidem ſuam prodiderunt; ut patrum populus in Beelphegor. Unde Phinees, arrepto gladio, interfecit Hebræum & Madianiten feminam, & mitigavit indignationem divinam; ne totus populus extingueretur. Num.25.8.

8. Quid de pluribus exemplis loquar? Ex multis unum proferam, & ejus commemoratione liqueat, quam pernicioſum ſit alienigenæ mulieris adſciviſſe copulam. Quis fortior, & ab incunabulis ſuis & munitior Dei ſpiritu, quam nazaræus Samſon? Et ipſe proditus eſt, & ipſe per mulierem non potuit ſuam tenere gratiam. Cujus generationis & vitæ totius ſeriem hiſtorico digeſtam ſtylo enarrabimus ſecundum ſacri libri continentiam, quæ in hunc eſt modum, non verborum ſerie, ſed ſenſu. Judic.16.18. & ſeq.

9. Multos per annos Hebræorum populum ſubditum Palæſtini ac ſubjectum habebant; quoniam fidei prærogativam amiſerat, qua victoriam patres adepti fuere. Non penitus tamen interciderat inſigne electionis apud auctorem ſuum, & funiculus hereditatis: ſed quia rerum ſecundarum inſolentia ſæpe extollebantur, dabat eos plerumque in poteſtatem hoſtium; ut more ingenii humani remedium malorum de cælo ſibi quærerent. TUNC ENIM Deo ſubditi ſumus, cùm adverſis aliquibus urgemur: ſecundæ res mentem extollunt. Quod cùm alias uſu probatum ſit, tum maxime in ea rerum converſione, qua rurſus ad Hebræos à Palæſtinis verſa vice res mutatæ.

10. Namque cùm diuturna injuria longæ ſubjectionis ita eſſent depreſſa Hebræorum Judic.13.1. & ſeq.

*. Meſopotamia ergo propterea dicitur hic terræ tractus, quod ſit μέσος ποταμῶν.

a. Rom. edit. *in mare Perſicum*; ſed præſtat in geographiam errorem pati, quam ab omnibus mſſ. atque edit. deficere.

*. Eadem præcipiebat vir ſanctus Conſtantio epiſt. 2. num. 12. Immo etiam chriſtianis omnibus lib. *De Tobia* cap 24 num. 92.

b. Ita mſſ. duobus tantummodo exceptis, ubi prima manu poſitum fuerat, *ſupplantator*, quod legitur in omnibus edit. Sed veriſimilius eſt *ſupplantatur* activo ſenſu hîc uſurpari. Ceterum quod pecuniam dare jubet ſine ſpe recipiendi, id quam ſimillimum eſt iis, quæ lib. *de Tobia* cap 2. num. 8. cap 14. num. 49. & cap. 16. num. 54. præcipiuntur.

*. Eodem ſenſu lib. *de Tobia* cap. 4. num 11. *Quid vobis iniquius* &c. Item cap. 3. num. 11. *Minus datis & plus exigitis* &c. denique cap. 14. num. 48. *Durum eſt repetere* &c.

*. Citato lib. *De Tobia* cap. 2. num. 6. *Non tam cupiens commendatum repoſcere* &c.

c. Long. cod. *Populi ſibi condiderunt fœnora*: alii, atque edit. ut in textu, niſi quod pro *ſæpe conciderunt*, pauci mſſ. habent *ſe conciderunt*. Non alii porro populi hîc indicantur, quam Chuni illi, de quibus lib *de Tobia* cap. 11. num. 39. dixit Ambroſius *plures ſuis quam hoſtilibus jactibus interire*.

*. Non alio plane ſenſu idem Ambroſius lib. 1. *de Abraham* cap. 5. num. 35. *Non opes à te hoſpes requirit* &c.

*. Nihil magis omnibus notum, quam feminas apud ethnicos caput crocei coloris velamine, dum ad maritum ducebantur, obnubere conſueviſſe. Hoc etiam apud chriſtianos à primis temporibus uſu receptum eſſe diſcimus à ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ſed ejus rei originem Tertullianus *de Veland. Virg.* cap. 11. atque Ambroſius lib. 1. *de Abrah.* cap 9 referunt ad Rebeccæ imitationem, quæ conſpecto marito, ad quem contendebat, exemplo velavit ſe ſe, quemadmodum ſcripturæ divinæ memorant. Hac autem velatione ſignificatum docet Ambroſius nuptiis præire debere verecundiam. Iſidorus autem lib. 2. *De Eccleſiaſt. Offic.* cap. 19. ſubjectionem uxoris erga maritum ſignatam tradit. Porro quod Ambroſius utitur his verbis *velamine ſacerdotali*, videtur indicare illud velamen à ſacerdote ipſo imponi ſolitum, quod non facile apud alium auctorem invenias. Quod vero ad benedictionem non modo illius uſum in prima Eccleſia viguiſſe oſtendunt Innocentius 1. *epiſt. ad Victric.* Synodus 1v. Carthag. can. 13. Iſidorus lib. 2. *de Eccleſ. Offic.* c. 19. & alii; ſed etiam ante hos Tertullianus lib. 2. *ad Uxorem* c. 9. Syricius *epiſt. 1. ad Himerium* cap. 4. ubi ſic loquitur: *Illa benedictio, quam nuptura ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt; ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Tertullianus autem benedictioni oblationem jungit: nec ſane mirum, cùm apud pleroſque infideles conjugium ſine ſacrificio non celebraretur.

pectora, ut nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Samson divino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus, & quod sine ulla controversia sit, viribus corporis omnium facile primus. Eoque ingenti admiratione nobis spectandus à principio; non illa quæ temperantiæ & sobrietatis jam inde à pueritia vini abstemius præclara insignia dedit, nec illa quæ intonso capite nazaræus sacra diu servavit custodia: sed ab adolescentia, quæ in aliis ætas mollior, in hoc egregia, atque supra humanum modum perfectæ virtutis stupenda facinora effecit: quibus divini oraculi mox aperuit fidem, quod non perfunctorie tanta eum anteisset gratia; ut descenderet Angelus, per quem ortus ejus præter spem parentibus annuntiaretur, [a] futurum regimen & præsidium suis; nam gravibus jamdiu Palæstinorum imperiis affligebantur.

Judic. 13. 2. & seq. 11. Pater illi erat de tribu Dan timens Deum, haud ignobili genitus loco, præstans ceteris: mater utero sterilis, sed animi virtutibus haud infœcunda; quæ propriæ hospitio mentis recipere meruit visionem Angeli, mandatum tenuit, oraculum implevit. Nec tamen passa sine viro scire vel divinitatis secretum, insinuavit marito visum sibi hominem Dei, præclara specie, futuræ sobolis ferentem oracula: qua pollicitatione se se fidentem cum conjuge fidem promissorum cælestium participare. Quod ubi comperit, pie Deum precatus oravit; ut sibi quoque visionis ejus gratia tribueretur, dicens: *Ad me, Domine, Angelus veniat tuus.*

12. Unde ego arbitror, non zelo mulieris, quæ esset spectabilis pulcritudinis, aliquid eum suspectum habuisse, * ut quidam existimavit: sed magis divinæ zelo gratiæ provocatum, conspectus sacri voluisse participari munere. Neque enim vitiis animi prave affectus, tantam apud Dominum invenisset gratiam, ut Angelus in ejus domum reverteretur: qui monitis iis quæ usus oraculi postulavisset, subito flammæ vehementis elevatus specie, se se recepit. Id formidolosum viro, mulier salubrius interpretata, in gaudium vertit, atque ademit sollicitudinem; eo quod prosperorum indicium, non adversantium sit visere Deum.

13. Talibus è cælo commendatus insignibus ubi primum adolevit, conjugio mentem intendit, sive quod vagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricæ libidinis consuetudinem: sive quia jam causa quærebatur, quemadmodum à cervicibus plebis suæ averteret Palestinorum potentiam, duraque imperia. Ibid. 14. 1. & seq. Pergens itaque in Thamnatam (urbi hoc nomen est in illis positæ locis, quæ tunc temporis Palæstinorum incolis frequentabatur) virginem adspexit, grata specie, & vultu decoro; & parentes proprios, quorum comitatu fultus gradiebatur, oravit ut eam in conjugium sibi poscerent. Verum illi ignorantes quod eo intentio vergeret, ut Palæstinis aut negantibus infestior foret, aut adquiescentibus, affectus inferendæ in subditos injuriæ demeretur; cùm ex conjunctione æqualitas par, & gratia consortii jure accresceret, aut si quid offensum esset, longius ultionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabantur. Sed ubi flectere animum pignoris legitimorum objectu frustra experti, in arbitrium ejus volentes concessere.

14. Recepta itaque petitione, Samson cùm sibi promissam viseret, divertit, & paulisper de aggere deflexit; continuoque occurrit ei leo ferus de silva, agresti libertate sævior. Comes nullus, telum in manibus haudquaquam suppeditabat: cedere pudor, & conscia virtus fiduciam dare. Ruentem in se brachiis amplexus necat, & lacertorum nodo exanimatum, præter aggerem supra silvestria germina projecit ac dereliquit. Locus erat lætus pabuli herboso gramine, vinetis consitus. Itaque apud dilectissimam sibi sponsam exuvias feræ credidit sine momento futuras; cùm talium rerum tempora non terribilibus spoliis, sed mitibus gaudiis, & festa fronde fiant venustiora. Denique post eadem regrediens via, favum in utero leonis offendit, atque abstulit, donum parentibus ac puellæ futurum; talia enim sponsam munera decent; ac degustato melle, favum prædictis edendum dedit, causam repressit.

15. Sed forte quadam die nuptialis festi celebrabatur convivium, * læta in epulis juventus mutuis se ad ludum invitabat sermonibus; cùm alius alium salsiore dicacitate perstringeret, sicut se hujusmodi usus habet, certamen lætitiæ accendebatur. Ibi tum quæstionem hujusmodi proposuit Samson juvenibus coepulantibus: *De manducante exivit esca, & de forti processit dulce;* absolventibus pollicens præmium, quasi mercedem sapientiæ, triginta sindones, & totidem stolas, secundùm numerum virorum comessantium: aut mulctam ignorantibus. Ibidem 14. & seq. | Ibidem.

16. Qui cùm enodare implexa, & distinguere ambigua nequirent, mulierem ejus partim minis exagitando, partim fatigando precibus, eo impulere; ut à viro posceret quæstionis ejus absolutionem, insigne futurum conjugalis gratiæ in mercedem amoris. Atque ea seu animi territa, seu muliebri ingenio inflexa, veluti pio questu maritalis odii dolorem prætexere hoc cœpit, quod secretum viri consors totius vitæ [b] & conscia non comperisset, similisque ceteris habita foret, cui arcanum viri proprii

a. Edit. omnes, *futuri regimen*, mss. è contrario, *futurum regimen*; si tamen unum alterumve excipias, ubi habetur, *futurus regimen*, sed incongrue. Porro quod *Palæstinos* appellat, quos LXX & Vulg. versio dicunt *Philistiim*, in eo sequitur non Josephum modo, verum etiam textum Hebraicum, cui Versio quoque Syriaca & Arabica consentiunt.

*. Non alius his verbis designatur, quam Josephus; is enim lib. 5. *Antiq.* cap. 10. ubi eximiam matris futuræ Samsonis formam prædicavit, non multo post subjungit: ἦν δὲ καὶ μανιώδης ὑπ' ἔρωτος ἐπὶ τῇ γυναικὶ, καὶ διὰ τοῦτο ζηλότυπος ἀκρατῶς. Ac demum post factam primæ Angeli apparitionis mentionem addit: ἡ δὲ πυθομένῳ τἀνδρὶ παρὰ τοῦ ἀγγέλου ἐκδιηγεῖται, ἐκθαυμάζουσα τοῦ νεανίσκου τὸ κάλλος, τὸ μέγεθος, ὡς ἐκεῖνον, ἐκ τῆς ἐκπλήξεως κατὰ ζηλοτυπίαν προελθεῖν, καὶ ὑπόνοιαν τὴν ἐκ τοιούτων παθῶν κινουμένην.

*. Josephus loco citato τοῦ πότου ἀκμάζοντος, καὶ παιδιᾶς οὔσης, οἷα φιλεῖ παρὰ τοῖς τοιούτοις χωρεῖν. Hinc animadverte quam vetus fuerit miscendæ genialibus epulis verborum lasciviæ consuetudo, & unde thalassionis fescenninorumque carminum licentia ortum duxerit.

b. Omnes edit. & pauci mss. *& consocia*: ceteri, qui & melioris notæ, *& conscia*.

non

non crederetur. *Odisti me*, inquit, *& non amasti, quam celasti usque adhuc.*

17. [a] Hisque & ceteris talibus invictus ad cetera animus, muliebribus emollitus blandiciis, aperuit dilectæ propositam quæstionem, & illa civibus. A quibus vix tandem septimo die, qui præscriptus absolvendæ parabolæ fuerat, ante occasum solis comperta soluta sunt, atque in hunc modum relata: *Quid fortius leone? Quid dulcius melle?* Et ille respondit: * Nec muliere aliquid perfidiosius: *Nam si non domuissetis vitulam meam, numquam intelligeretis parabolam meam*; & statim descendit in Ascalonem & triginta viros peremit, quorum exuvias auferens, eos qui propositam quæstionem solverant, promisso munere donavit.

18. Abstinuit autem conjugio puellæ, cujus perfidiam deprehenderat, atque in patriam domum se se recepit. Turbataque animi juvencula, quæ indignationem læsi, ferociam fortissimi fraudi sibi futuram justa formidine perhorresceret, in alterius viri concessit nuptias; quem tamen paranymphum sibi Samson quasi fidum sodalem, cùm duceret eam uxorem, adsciverat. Nec sic tamen, prætento licet conjugio, offensionis periculum avertit. *Judic. 15. 1. & seq.* Namque ubi res prodita, volentique ad conjugem redire interclusa copia, quod pater eam alii viro nupsisse diceret, sororem sane ejus, si vellet, ducere liceret; stimulo injuriæ exulceratus, publicam excogitavit ultionem capessere domesticæ contumeliæ indignatione: correptisque trecentis vulpibus, adulta æstate, cùm jam matura essent in agris frumenta, binas sibi invicem caudam ad caudam ligavit, atque in medium earum ardentem inseruit facem, nodoque adstrinxit inexsolubili, & ultor injuriæ super manipulos messis dimisit frumentariæ, quam secuerant incolæ Palæstinorum. At illæ igni exterritæ, quacumque præcipites convolvebantur, spargebant incendium, & exurebant spicas eorum. Quo dispendio commoti, quod omnes sibi locorum fructus interierant, factum principibus suis intimaverunt. Et illi miserunt viros in Thamnatam, qui mulierem quæ variato fidem conjugio mutaverat, ac totam ejus domum parentesque igni involvêre; quod ea causa suæ vastitatis & injuriæ foret: nec oportuisse lædi virum pronuntiantes, qui posset malo publico se ulcisci.

19. Nec tamen Samson populis Palæstinorum delicti gratiam fecit, atque eo vindictæ fine contentus fuit: sed concidit eos strage maxima, plurimique eorum ferro interiere. Ipse autem concessit in Etam, ad torrentem in deserto. Petra illic erat munitio tribus Juda. Palæstini vero, ut qui eum non auderent lacessere, nec munitionis prærupta arduaque superare, tribum Juda denuntiato adorsi urgere prælio, [b] cùm justa referri cernerent, quod subditos sibi & tributarios perditum iri nequaquam verum & æquum atque ex usu videretur publico, pro alieno præsertim facinore: consulentes in medium, tradi sibi designatorem tanti flagitii postulaverunt, atque ita illis quod ab eo commissum, futurum sine noxa esset.

20. Qua præscripta sibi conditione, viri de tribu Juda tria millia ex suis congregantes adscenderunt ad eum, & præfato quod essent subditi Palæstinorum, quibus sibi necessitas obediendi non ex arbitrio, sed ex periculi formidine maneret; facti sui invidiam retorquebant in eos, qui jus cogendi habebant. Tum ille: Et quæ, inquit, justitiæ forma est, genus Abrahamidarum, ut circumscriptæ primò conjugis, deinde abductæ perniciosa mihi vindicta sit, & sine periculo domesticam injuriam non licuerit ulcisci? Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obsequium; ut exsecutores vos alienæ præbeatis insolentiæ, atque in vosmet ipsos vertatis manus? Si pereundum est, quia dolorem habui liberum, juvat perire manibus Palæstinorum. Tentata domus, sollicitata uxor: si non licuit mihi vivere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine meorum scelere. Retuli ego acceptam injuriam, non intuli? Vos æstimate an digna vicissitudo fuerit. Illi de damno fructuum queruntur, ego de conjugis amissione: conferte manipulos messis, & sociam thori. Dolorem meum ipsi probarunt, cujus injurias vindicaverunt. Videte quo vos ministerio dignos putant. A vobis eum in mortem affici volunt, quem ipsi ultione dignum de iis, qui læserant, judicaverunt, & qui vindictæ præbuere ministerium. Sed si adeo subdita superbis colla geritis, tradite me hostium manibus, vos nolite occidere. Non mortem abnuo, * sed vestrum fugio contagium. Verum si formidine ceditis insolentibus, alligate vinculis manus; inermes licet, invenient sibi arma nodis solutæ. Certe conditioni impositæ satis futurum arbitrati sunt, si viventem in potestatem daretis.

21. Quibus illi auditis, quamvis tria millia virorum adscenderant, sacramentum dederunt quod à se vitæ ejus vis nulla irrogaretur; *Ibidem 13. & seq.* tantummodo patiens vinculorum esset, ut deditionem ejus patrarent, quo vacui fierent ejus, cujus arguebantur, facinoris.

22. Accepta itaque fide, spelæo egressus, deseruit petræ munitionem: ac duobus innexus funibus, ubi appropinquare accitos ad suscipiendum Palæstinorum validos videt, infremuit spiritu, & universa dirupit vincula; atque arripiens maxillam asini jacentem, percussit mille viros, fugavit alios grandi virtutis spectaculo; cùm inermi & uni cederent armatorum agmina. Et qui cominus ausi fuerant congredi, facili negotio, nullo labore obtruncati; aliis fuga exitium demsit. Unde hodieque [c] Agon loco

a. Omnes edit. *His atque talibus invictus certe animus*: at omnes mss. ut nos in textu, nisi quod nonnulli non ponunt *ad* ante *cetera*.

*. Josephus, *οὐδὲ γυναικὸς ἐστὶ τι δολιώτερον*: quæ verba cùm desint in sacris codicibus, ab eodem historico transtulit sanctus Doctor.

b. *Cùm justa referri cernerent*, desideratur in cunctis edit. sed è cunctis mss. restituitur.

*. *Vestrum fugio contagium* hoc loco ita interpretandum, caveo ne vos ex morte mea contagium peccati contrahatis.

c. Rom. edit. *Siagon loco nomen est ..., virtute egregia asini maxilla consummaverit*. Verum tametsi & in sacris paginis & apud Josephum locus ille *Maxilla* & *elevatio Maxillæ* vocitetur: tamen cùm in omnibus mss. & antiq. edit. scribatur *Agon*, & nuncupationis causa reddatur certamen ibidem consummatum, mentione asininæ maxillæ prætermissa, non dubitamus quin nostra lectio sit etiam Ambrosiana. Verisimile ergo est in illis Josephi verbis, *ὁ σιαγὼν καλεῖται νῦν διὰ τὴν Σαμψῶνος ἀνδραγαθίαν ἐπ' αὐτῷ γενομένην*, Ambrosium legisse *ὁ ἀγὼν καλεῖται* &c. Porro quod subjicitur de Samsonis animo in victoria sua elato, nec non divini beneficii immemore, id ex eodem historico petitum fuit.

nomen est, quod ibi Samson gloriosum certamen virtute egregia consummaverit.

23. Sed utinam quam fortis in hostem, tam moderatus in victoria fuisset. Verum quod facile usu venit, insolens rerum secundarum animus, qui debuit eventum pugnæ divino favori & præsidio deferre, sibi arrogavit, dicens: *In maxilla asinæ delevi mille viros.* Nec aram statuit Deo, nec hostiam immolavit: sed negligens sacrificii, adsumtor gloriæ, ut triumphum suum perpetuo consecraret nomine, vocavit locum Maxillæ interfectionem.

24. Et mox siti graviter cœpit inardescere, & potus deerat, nec jam ferre ac tolerare poterat. Unde intelligens quod nihil tam facile esset [a] humanæ opis, quod sine divino adjumento non difficile foret, exclamavit atque obsecravit; ne sibi Deus omnipotens in offensam verteret, quod imprudenter incauto sermone sibi aliquid adsignavisset. Quinetiam illam victoriam Deo deputabat dicens: *Tu dedisti in manu servi tui salutem magnam hanc; & nunc subveni; quia ecce morior siti, & in potestatem eorum, de quibus tantum donasti triumphum, sitis necessitate adjudicor.* Quomodo Dei misericordia, cùm projecisset ille maxillam, aperuit scissuram ejus, & fons erupit ex ea, & bibit Samson, & resumsit spiritum, & vocavit locum [b] Invocationem fontis, eo quod victoriæ jactantiam invocationis precibus emendasset: ita diversa judicia mature edita, quod & arrogantia cito offensam incurreret, & humilitas sine ulla offensione se se reconciliaret.

25. Verum ubi decursa serie bellum Palæstinorum composuit, & suorum declinans ignaviam, & hostilem despiciens manum, Gazam se se contulit, ea civitas erat in locis Palæstinorum, & habitabat illic in diversorio. Quod cognitum Gazei haudquaquam dissimulatione præterierunt, sed festinantes circumdederunt diversorium ejus, & obsederunt universos aditus domus; ne fugam in nocte componeret. Itaque Samson cognito quid pararetur, compositas insidias noctis medio [c] prævertens, columnas domus manibus amplexus, materiem totam & culminis molem cervice valida sustentans, in verticem montis altissimi transportavit, qui imminebat urbi Chebron, quæ populis Hebræis incolebatur.

Judic. 16. 1. & seq.

26. Sed cùm libero & vago motu transgrederetur non solum regionis paternæ terminos, sed etiam morum limites, & majorum observatione præscriptos, eam sibi futuræ mox cladis pestem invenit. Namque parum fida expertus alienigenæ uxoris prima connubia, qui debuisset cavere vel postea, rursus Dalilæ mulieris fornicariæ copulam non declinavit; & cùm eam diligeret impense, tentandi se causam dolis hostilibus præstitit. Adscendentes enim Pa-

A læstini ad eam, polliciti sunt pecuniam viritim daturos mille & centum denarios, si proderet eis in quo ille fiduciam virtutis suæ constitutam haberet: quo cognito, circumveniri & capi posset.

27. At illa quæ semel se pecuniæ prostituerat, astute satis [d] & callide inter pocula & illecebras amoris quasi admirans fortitudinis ejus eminentiam, quærere hoc cœpit, quo tandem genere tantùm præstaret reliquorum virtutibus,

Ibidem 6. & seq.

B simul & quasi pavida atque sollicita orare, ut dilectæ suæ committeret, qui nexus adstrictum alienæ potestati substerneret. Ille autem adhuc sobrius & fortis animi adversus delinimenta meretricia dolum dolo retulit, dicens quia si vitibus virentibus adhuc & non aridis alligaretur, infirmitate corporis adæquaret aliorum similitudinem. Quo Palæstini per Dalilam sibi comperto, cùm vitea soporanti circumdedissent vincula, quasi de improviso excitum, haud degenerem

C offendêre notæ & solitæ fortitudinis; cùm solutis nexibus, virtus libera multis licet, resisteret ac repugnaret.

28. Sed ubi parum processit, rursus Dalila quasi derisa & conquerens repetere artes suas, & fidem amoris poscere non prætermittebat. Cui Samson validus adhuc consilii, dolum ridens, significavit ligatum se septem funibus, qui adhuc sine usu forent, venturum in potestatem hostium; sed & hoc frustra fuit. Ter-

D tiò quoque tamquam de mysterio depromsit; & jam [e] lapsuro propior, si dissoluti essent crines septem capitis sui, & quasi in cubitum intexti, discederet ab eo virtus sua. Et hoc quoque lusit insidiarum fabricatores.

29 At postremùm cùm illusum sibi toties procax mulier deploravisset; indignam se habitam dolens, cui committeretur arcanum dilecti; & id quod pro remedio quæreret, ad proditionem suspectari videret, lacrymis fidem coegit:

E simul quia debebatur invictæ ad id tempus fortitudinis viro, ut ærumnam incideret; saucius animi secretum aperit: prætendere in se virtutem Dei, & esse Domino sanctificatum, secundùm ejus præceptum comam pascere, quæ si adtonderetur, desineret nazaræus esse; & propriæ virtutis usum amitteret. Palæstini per mulierem comperta infirmitate viri, sceleris mercedem afferunt; ut pretio obnoxia, dolum patraret.

F 30. At illa meretriciis delinimentis fessum amoris in soporem compulit, & tonsore adhibito, septem crines capitis ejus admotâ novaculâ abscidit, continuoque interdicti prævaricatione vires minutæ. Denique ex somno expergitus: *Faciam*, inquit, *sicut soleo, & excutiam me super adversarios*; sed nec animi sui alacritatem, nec virtutem agnovit: nec vigor erat,

a. Ita vet. edit. ac mss. omnes, uno excepto, ubi habetur, *humano operi*, minime male: at Rom. edit. emendavit, *humana opi*. Verum tamen *humanæ opis* recte servari potest, modo sic construatur, nihil humanæ opis, id est, humanarum virium, tam facile esset, quod &c.

b. Rom. edit. sola, *invocationis fontem*. Hunc porro non ex ipsa maxilla, sed è vicina petra scaturivisse narrat Josephus.

c. Eadem edit. Rom. *prævertens, fores portæ urbis, & utrosque postes manibus amplexus, materiem totam & seram cervice* &c. vet. edit. cum mss. omnibus, ut in contextu, nisi quod pro *materiem* unus ms. exhibet *maceriem*. Non satis recte; nam per *materiem totam* redduntur illa Josephi verba, ὅτι τε ἄλλα σὺν αὐταῖς ἐπὶ ξύλοις. Ceterum ut vectes portæ omittit Ambrosius, ita etiam *culminis molem* solus memorat.

d. Vet. edit. inter epulas & illecebras; Rom. cum mss. multo pluribus, *inter pocula & illecebras*: quinque mss. *interpolat & illecebras*; quos quidem non repugnantes hic sequeremur, nisi cum Josepho magis alii congruerent.

e. Belv. cod. *lapsui propior*. Quod autem infra ponitur *in cubitum*, videtur idem hoc esse ac *licio* sive *in licium*, ut in Scriptura legitur; attamen erat etiam vinculi genus, quod vocabatur ἀγκωνόδεσμος, quo respicere potuit Ambrosius.

nec gratia manebat. Itaque reputans secum A [a] quod improvide se mulieribus credidisset, & calvi ratus tentare ulterius aliquid damnatum infirmitatis cæcitati oculos, vinculis manus præbuit; & compedibus innexus carcerem intravit multis sibi incognitum tempestatibus.

Judic. 16. 21 & seq.

31. Et jam processu temporis crescere ei coma cœperat; itaque cùm esset celebre convivium, Palæstinorum conventui producitur de carcere Samson, ac statuitur in populi conspectu. Erant tria millia ferme hominum virilis ac muliebris sexus; & gravibus eum insultabant conviciis, circumagebant ludibriis, quod durius & ultra ipsam captivitatis speciem viro ingenitæ virtutis conscio tolerabatur. NAM VIVERE & mori naturæ functio, ludibrio esse probro ducitur. Cupiens igitur tantam contumeliam vel ultione solari, vel morte in reliquum prævertere, simulato quod propter infirmitatem corporis & nodos compedum sustentare se se nequiret; proposcit à puero, qui dirigebat C vias ejus, ut admoveret eum ad columnas proximas, quibus domus omnis suffulciebatur. Et admotus, utraque manu fulcra totius comprehendit ædificii, atque intentis ad festa sacrificii Palæstinis, quod Dagoni deo suo deferebant, per quem sibi adversarium suum datum in potestatem arbitrabantur, muliebris perfidiæ dolos beneficiis annumerantes cælestibus, exclamavit ad Dominum dicens: Domine, adhuc semel memor pueri tui esto, ut pro duobus oculis meis vindictam tribuas de nationibus; ne D dent gloriam suis diis, quod ipsis juvantibus, me in potestatem acceperint: nec vitam meam pluris facio. *Moriatur anima mea cum Palæstinis;* ut agnoscant sibi infirmitatem meam non minus quam virtutem exitialem fuisse.

32. Concussit itaque columnas magna vi, ac dissolvit & comminuit eas: quas sequuta ruina superioris culminis, & ipsum involvit, & universos, qui desuper adspectabant, præcipitavit. Ibi E magna vis marium, feminarumque promiscue exanimata, [b] & triumphus quæsitus peremto & supra omnes superiores victorias haud quaquam degenere & decoloro exitu. Nam etsi inviolabilis ad id locorum & deinceps, atque incomparabilis in hac vita expertis belli fuerit viris; tamen in morte se ipsum vicit, & insuperabilem gessit animum, ut contemneret, & quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum.

33. Virtutis igitur fuit quod victoriarum numero diem clausit, nec captivum exitum, sed triumphalem invenit. Circumscriptum autem fuisse à muliere, naturæ potius quam personæ adscribendum; quia humana [c] conditio, quam culpa inferior; premitur enim & cedit illecebris flagitiorum. Itaque cùm Scriptura ei testificetur quod plures in morte, quam in lumine vitæ istius positus occiderit; videtur ad adver- B sariorum magis exitium captus, quam quo ipse dejectior fieret, aut minor esset: NON EST ENIM se expertus inferiorem, cujus sepultura præstantior, quam potentia fuit. Denique non telis, sed cadaveribus hostium pressus & humatus est; proprio tectus triumpho, clarum insigne relinquens posteris; eo quod populum suum, quem captivum invenerat, viginti annis in libertate judicio suo rexit, & sepultus in patrio solo libertatis heredem dimisit.

34. Hoc ergo exemplo liquet * alienigenarum consortia refugienda; ne pro caritate conjugii proditionis insidiæ succedant. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

* EPISTOLA XX.

* Script. ann. 385.

Narrat sorori quæ Mediolani per dies aliquot propter basilicam, quam Arriani petebant evenere: quomodo à Valentiniani ministris ipse fuerit compellatus, populus autem reclamaverit: deinde quomodo missis decanis ad basilicam invadendam, raptus fuerit à populo Castulus Arrianus, cujus occasione, licet sua ipsius cura liberati varia sequuta sunt condemnationes; post quæ iterum interpellatus imperatoris nomine sanctus præsul magnâ constantiâ respondet. Addit postridie occupatâ basilicâ, milites se ad catholicos transituros promisisse, nec populum de fortitudine quidquam remisisse: tentationes Job & maxime quas à muliere passus legitur, huic tempori accommodatas: interim liberatam basilicam, sed Notarium sibi dura nuntiasse, quibus neutiquam motus fuerit: postremo prophetiæ Jonæ ad res præsentes adaptationem, populi ob liberatam basilicam, & multam mercatoribus remissam gaudium, verba Valentiniani ad comites, & suum ad Calligoni minas responsum subdit.

[d] 1. QUoniam in omnibus fere epistolis sollicite quæris de Ecclesia, accipe quid agatur. Postridie quam accepi litteras tuas, quibus significaveras quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum gravium cœpit moveri. Nec jam * Portiana, hoc est, extramu-

a. Omnes edit. *quam improvide se mulieri adversariorum credidisset, & calvatus tentare ulterius aliquid damatus infirmitatis nequiret, cæcitati oculos*, Eras. & Gill. *cæcatus oculos, vinculis* &c. mss. vero lectionem nostram exhibent magno consensu, nisi quod voces *calvi ratus* pleique compingunt in *calviratus*, quæ dictio nulla est apud latinos. Ut autem ultimam hanc partem facile adsequaris, eam hoc modo interpretare: *calvi ratus*, id est, decipi se ratus: *tentare ulterius aliquid*, hoc est, si tentaret &c. denique *damnatum infirmitatis*, idem est atque, cùm damnatus esset &c.

b. Mss. duo, *& triumphus quietus*: alii totidem, *& triumphus magnus*.

c. Omnes edit. *conditio major, quam culpa inferior*: nullo sensu vel absurde enuntiato: optime igitur omnes mss. dictionem *major* excloserunt, ut humana conditio dicatur culpæ obnoxia. Suffragantur correctioni nostræ etiam Josephi verba, in calce memorati jam sæpe loci ita loquentis, ἢ τὸ ἐπὶ τοῦτο γυναικὸς ἁλῶναι, διὰ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων συμπέφυκεν ἥττονι ἁμαρτημάτων εἶναι &c.

*. Non hac tantum epistola conjugia christianorum cum alterius sectæ personis proscribuntur ab Ambrosio, verum etiam variis prioris voluminis locis, nimirum lib. 1 *de Abraham* cap. 9. num. 84. *Exposit. in Psal.* 118. serm. 20. num. 48. & lib. 8. *in Luc.* num. 2. Magna vero controversia est inter veteres novosque scholasticos, utrum ea cultus, ut vocant, disparitate matrimonium non modo contrahendum impediri, sed etiam dirimi dissolvique contractum censeat Doctor noster. Affirmantem defendunt opinionem Gratianus P. Lombardus, atque alii: à negante autem stat Bellarminus, Estius, & cetera turba recentiorum. Hi porro potissimum ducuntur ea ratione, quod hæreticos quoque in eamdem classem cum ethnicis ac Judæis cogat Ambrosius: atque adeo impedimentum illud usu potius & tacito consensu quam ulla lege dirimens factum esse iidem contendunt. Fatemur quidem non tam perspicue loquutum hac de re Ambrosium, ut nullus supersit dubii locus: attamen si testimonia ipsius jam indicata penitius introspicias, omnia ejusmodi connubiorum genera ab eo sic prohiberi comperies, ut pro nullis habenda esse satis significet. Quod vero ad principum constitutiones, Theodosii legem habemus an. 388. datam, quæ christianis ac Judæis inter se matrimonio coeuntibus adulterii pœnam, hoc est, capitalem, indixit. Ceterum ante illa tempora in eadem re varias variis locis consuetudines observari consuevisse credibile est.

d. Rom. edit. sola, *Ambrosius episcopus Marcellinæ sorori.*

*. Mabillonius noster *Itineris Ital.* pag. 17. *Sancti Victoris Basilica, ævo Ambrosii extra murana, à conditore Portiana vocabatur.*

rana basilica petebatur: sed basilica nova, hoc est, intramurana, quæ major est.

2. Convenerunt me [a] primo principes virtutum viri, comites consistoriani, ut & basilicam traderem, & procurarem, ne quid populus turbarum moveret. Respondi quod erat ordinis, templum Dei à sacerdote tradi non posse.

3. Acclamatum est sequenti die in Ecclesia: etiam * præfectus eo venit; cœpit suadere vel ut basilica Portiana cederemus. Populus reclamavit. Ita tunc discessum est, ut intimaturum se imperatori diceret.

4. Sequenti die, erat autem Dominica, * post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus [b] in baptisteriis tradebam basilicæ. Illic nuntiatum est mihi comperto quod ad Portianam basilicam de palatio * decanos misissent, & vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, * missam facere cœpi.

5. Dum offero, raptum cognovi à populo C Castulum quemdam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret, [c] ne cujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret: certe ut meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa? Missis presbyteris & diaconibus, eripui injuriæ virum.

6. Condemnationes illico gravissimæ decernuntur: primo in corpus omne mercatorum. D Itaque sanctis diebus hebdomadis ultimæ, * quibus solebant debitorum laxari vincula, stridunt catenæ, imponuntur collo innocentium, A exiguntur ducenta pondo auri [d] infra totum triduum. Respondent aliud se tantum aut duplum, si peterentur, daturos, dummodo servarent fidem. Erant pleni carceres negotiatoribus.

7. Palatina omnia officia, hoc est, * memoriales, agentes in rebus, apparitores diversorum comitum temperare à processu jubentur, specie qua seditioni interesse prohibebantur: honoratis multa minabantur gravissima, nisi B basilicam traderent. Fervebat persecutio: ac si aperuissent portam, prorupturi in omne facinus videbantur.

8. Convenior ipse à comitibus & tribunis; ut basilicæ fieret matura traditio, dicentibus imperatorem jure suo uti; eo quod in potestate ejus essent omnia. Respondi, si à me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, [e] quidvis hujusmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mei sunt, essent pauperum: verum ea quæ sunt divina, imperatoriæ potestati non esse subjecta. Si patrimonium petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? [f] voluptati est mihi. Non ego vallabor circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor.

9. Horrebam quippe animo, cùm armatos ad basilicam Ecclesiæ occupandam missos cognoscerem; ne dum basilicam vindicant, aliqua strages fieret, quæ in perniciem totius vergeret civitatis. Orabam ne tantæ urbis vel totius Italiæ busto superviverem. * Detestabar invidiam fundendi cruoris, offerebam jugulum

a. *Principes virtutum* desideratur in multis mss. in nonnullis tamen & cunctis edit. reperitur. Forsitan autem *principes virtutum* non alii dicantur ab Ambrosio, quam magistri militum, & principes agentium in rebus: de quorum officiis consule J. C. Bulengerum lib. 3 *de Imperio Rom.* cap. 22. & lib. 4. cap. 44. Comites vero consistoriani vocantur ii, qui principis consistorio intererant: de quibus idem Bulingerus lib. 3. *de Imperat. Rom.* cap 12. & lib. 2. *de Imperio Rom.* cap. 9. Quibus etiam addere licet Godefridum in Leg. *de Comit. Consist.*

*. Erant varia præfectorum genera, de quibus citatus Buleng. *de Imp. Rom.* variis locis, sicut & Godefr. at cùm *præfectus* simpliciter hîc appellatur, intelligimus præfectum prætorio, cujus officium passim explicant iidem auctores.

*. *Post lectionem* videlicet sacrarum paginarum: *atque tractatum*, concionem scilicet, sive lectionis expositionem. Quod autem ait se competentibus tradidisse symbolum, jam quidem ad lib 1 *de Elia* cap. 10. num. 34. quinam vocarentur competentes, explicuimus: quando vero symbolum acciperent, hoc loco diserte exprimitur. Isidorus quoque lib. 1. de Eccles. Offic. cap. 27 loquens de Dominica palmarum: *Hac autem die*, inquit, *symbolum competentibus traditur.* Sed non diu stetisse eam consuetudinem hinc deducimus, quod Alb. Flaccus, dum agit de eadem re, non verbum *utitur*, sed *utebatur*, adhibet. Immo vero non ubique eamdem diem tradendo symbolo etiam Ambrosii ætate attributam intelligimus ex Augustino. Expende ipsius Serm. 59. *in Matthæum* Serm. 212. *de Tradit. Symb.* atque alios.

b. Rom. edit. cum mss. aliquot, *in baptisterii tradebam basilica*: aliæ edit. cum ceteris mss. ut in contextu. Notum vero est baptisteria, statim atque libertas Ecclesiæ affulsit, inferiori Ecclesiarum parti adjungi cœpisse. Adi hac de re Paulini epist 32. *ad Severum.*

*. Godefridus ad leg. *de Decanis* eorum idem officium esse atque lictorum adserit: *Ideo*, inquit, *corripiendis reis: velis item seu cortinis regiis, locis fisco vindicatis, suspendendis operam decani navabant.* Quod ut ostendat, hunc ipsum locum allegat. Eumdem etiam citat Bulengerus lib. 6. cap. 73 quem consule.

*. *Missam facere cœpi* non de missione competentium, sed de sacrificio ipso dictum videtur. Nam alioqui verbo *cœpi*, cùm jam catechumenos dimisisset, admodum improprie usus fuisset.

c. Vet. edit. & mss. non pauci, *nec hujus sanguis.* Non quidem absurde, si referatur ad Castulum: melius tamen Rom. edit. cum mss. aliquot, *ne cujus sanguis.* Primum auctorem hujus emendationis Costerium laudat Nannius: attamen sibi suppuratum adhuc locum videri hanc ob rem ait, quod sanguis fieri Latine non dicatur. Proinde non *fieret*, sed *flueret* legendum putat. Gronovius *Observat. in Eccle.* 23. Nannii scrupulum, allatis T. Livii testimoniis, removet. Verum is ipse dum pro *ne cujus sanguis* legendum censet, *ne quis sanguis*, acutius, quam par sit, philosophatur.

*. Idem Ambrosius in Psalm. 118. Serm. 15. num. 7. agens de oleo misericordiæ: *Hoc oleum*, inquit, *lucet in Ecclesia solemnitatibus.* At potissimum in paschali solemnitate vinctos laxari olim solitos testatur Gregorius Nyss. Orat. 3. *de Resurrect. Dom.* Chrysostomus Orat 6. *ad popul. Antioch.* & alibi, nec non alii Patres. Datæ sunt quoque in eamdem rem leges plurimæ, ut puta III. IV. VI. VII. & VIII. *de Indulg. Crim.* Sed sanctum nostrum ad III. & IV. quæ à Valentiniano I. an. 367. & 368. latæ sunt, hîc alludere facile deprehendas.

d. Ita mss. à quibus non recedunt edit, nisi quod pro *infra* exhibent *intra*, & quod vocem *totum* Rom. edit. jugulavit. Continuo vero post, ubi omnes edit. & pauci mss. *Respondent aliqui*; mss. plures potioresque præferunt, *Respondent aliud.*

*. *Omnia officia*, id est, plurima, nimirum quæ hîc significantur; licet etiam nonnulla forte reticuerit. Sunt autem *memoriales*; qui scrinio memoriæ præsunt, de quibus Buleng. lib. 4. *de Imperio Rom.* cap. 23. *De agentibus in rebus* Titulus est in *Cod. Justin.* l. 12. multa etiam mentio in *Cod. Theod.* præsertim lib. 6. Sunt qui generale nomen putent in eos relatum, qui res Cæsaris agunt, ut aut procuratores sint principis: aut commissarii per diversas provincias ad legatos, aucto imperio, dispersos; unde in libris posterioribus ducenarii quidam, alii centenarii leguntur. Ita Nannius ex Alciato, quam tamen sententiam refellens, ait divinare se agentes in rebus eos esse qui ordinem ducunt, hoc est, militares magistratus; idque ex legibus Theodosii ac Justiniani, ubi palatinæ militiæ iidem opponuntur, probari putat. *Apparitores* ii dicebantur, qui variis parebant magistratibus. De quibus Bulengerus lib. cit. cap. 17. *De Comitibus* autem idem auctor tot locis agit, ut longius esset eos vel recensere. Præstat igitur eodem lectorem remittere sicut & ad Godefr. De *honoratis* tandem jam nonnihil dictum est ad lib 2. *de Officiis* cap. 29. num. 150. quibus tantum addimus illos ab Alciato *lib. Præterm.* 1. definiri, *qui palatinam dignitatem habent, administratione autem abstinent*: & à Nannio pro iisdem haberi, qui Romæ senatores, in municipiis decuriones vocabantur; quod ut ostendat, ex lib. 16. Tit. 4. leg. 44. Theodosii citat. Adi etiam Godefridum ad legem *de officio jud. civil.*

e. Vet. edit. cum mss multo pluribus, *jus hujusmodi*: Rom. cum aliis *quidvis hujusmodi.*

f. Mss. prope ad unum, *voluntati est mihi*: melius omnes edit. *voluptati* &c.

*. Id est, magis horrebam, ne invidia & offensio alieni sanguinis in me rediret, quam ne meus ipsius funderetur.

meum. Aderant Gothi tribuni, adoriebar eos, dicens: Propterea vos possessio Romana suscepit, ut perturbationis publicæ vos præbeatis ministros? Quo transibitis, si hæc deleta fuerint?

10. Exigebatur à me, ut compescerem populum. Referebam in meo jure esse, ut non excitarem: in Dei manu, uti mitigaret. Postremo si me [a] incentorem putaret, jam in me vindicari oportere, vel abduci me in quas vellet terrarum solitudines. His dictis, illi abierunt: ego in basilica veteri totum exegi diem. Inde domum cubitum me recepi; ut si quis abducere vellet, inveniret paratum.

11. Ante lucem ubi pedem limine extuli, circumfuso milite occupatur basilica. Idque à militibus imperatori mandatum dicitur, ut si prodire vellet, haberet copiam; se tamen præstò futuros, si viderent eum cum catholicis convenire: alioquin se ad eum cœtum, quem Ambrosius cogeret, transituros.

12. Prodire de Arrianis nullus audebat; quia nec quisquam de civibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi. Quibus ut olim * plaustra sedes erat, ita nunc plaustrum Ecclesia est. Quocumque femina ista processerit, secum suos omnes cœtus vehit.

13. Circumfusam basilicam esse gemitu populi intellexi: sed dum leguntur lectiones, intimatur mihi plenam populi esse basilicam etiam novam: majorem videri plebem, quàm cùm essent omnes liberi: lectorem efflagitari. Quid plura? Milites ipsi, qui videbantur occupasse basilicam, cognito quod præcepissem, ut abstinerentur à communionis consortio, ad conventum hunc nostrum venire cœperunt. Quibus visis, turbantur mulierum animi, prorípit se una. Ipsi tamen milites se ad orationem venisse, non ad prælium loquebantur. Clamavit aliqua populus. Quam moderate, quam constanter, quam fideliter poscebat, ut ad illam pergeremus basilicam! In illa quoque basilica fertur quod populus præsentiam flagitabat meam.

14. Tunc ego hunc adorsus sermonem sum: Audistis, filii, librum Job legi, qui solemni munere est decursus & tempore. Scivit ex usu hunc librum etiam diabolus intimandum, quo virtus omnis suæ tentationis aperitur & proditur; & ideo se hodie motu majore concussit. Sed gratias Deo nostro, qui vos ita firmavit fide atque patientia. Unum Job miraturus adscenderam, omnes Job quos mirarer, inveni. In singulis vobis Job revixit, in singulis sancti illius patientia & virtus refulsit. [b] Quid enim præsentius dici potuit à christianis viris, quam id quod hodie in vobis Spiritus sanctus est loquutus? Rogamus, Auguste, non pugnamus: non timemus; sed rogamus. Hoc christianos decet; ut & tranquillitas pacis optetur, & fidei veritatisque constantia nec mortis revocetur periculo. Est enim præsul Dominus, qui salvos faciet sperantes in se. *Psal. 16. 7.*

15. Sed veniamus ad propositas lectiones. Videtis diabolo tentandi licentiam dari; ut boni probentur. [c] Invidet iniquus bonis profectibus, tentat diversis modis. Tentavit sanctum Job in patrimonio, tentavit in filiis, tentavit in dolore corporis. Fortior in suo corpore tentatur, infirmior in alieno. Et mihi meas divitias, quas in vobis habeo, volebat auferre; & hoc tranquillitatis vestræ patrimonium dissipare cupiebat. Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium: vos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur involvere. Duo igitur jam genera tentationis excepi. Et fortasse quia infirmiorem me dominus Deus novit, adhuc in corpus meum non dedit potestatem. Etsi ipse cupiam, etsi offeram; adhuc me fortasse huic certamini imparem judicat, & diversis exercet laboribus. Nec Job ab isto cœpit certamine; sed in hoc consummavit. *Job. 1. 11.*

16. Tentatus est autem Job nuntiis coacervatis malorum, tentatus est etiam per mulierem, quæ ait: *Dic aliquod verbum in Deum, & morere.* Videtis quanta subito moveantur, Gothi, arma, gentiles, multa mercatorum, pœna sanctorum. Advertitis quid jubeatur, cùm mandatur: Trade basilicam, hoc est: *Dic aliquod verbum in Deum, & morere.* Nec solum dic adversùm Deum; sed etiam fac adversus Deum. Mandatur: Trade altaria Dei. *Job. 2. 9.*

17. Urgemur igitur præceptis regalibus, sed confirmamur Scripturæ sermonibus, quæ respondit: *Tamquam una ex insipientibus loquuta es.* Non mediocris igitur ista tentatio; namque asperiores tentationes has esse cognovimus, quæ fiunt per mulieres. Denique per Evam etiam Adam supplantatus est; eoque factum, ut à mandatis cælestibus deviaret. Quo errore cognito, prævaricatricis conscientiæ reus latere cupiebat, sed latere non poterat; & ideo ait ei Deus: *Adam, ubi es?* hoc est, quid eras ante? ubi nunc esse cœpisti? ubi te constitueram? quo ipse transgressus es? Agnoscis esse te nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidisti. Folia sunt ista, quibus nunc velare te quæris: Repudiasti fructum, sub foliis Legis latere cupis, sed proderis. Recedere à domino Deo tuo propter unam mulierem desiderasti, propterea fugis, quem videre quærebas. Cum una muliere te abscondere maluisti, relinquere speculum mundi, incolatum paradisi, gratiam Christi. *Ibidem 10.* *Gen. 3. 6.* *Ibidem 9.*

18. Quid dicam quod etiam Eliam Jezabel cruente persequuta est? quod Johannem Baptistam Herodias fecit occidi? Singulæ tamen singulos, mihi quo minora longe merita, eo tentamenta graviora. Virtus infirmior, sed plus periculi. Succedunt sibi mulierum vices, alternantur odia, commenta variantur, seniores con- *3. Reg. 19. 2. & seq.* *Matth. 14. 3. & seq.*

a. Omnes edit. *incentorem putarent*. . . . *in quas vellent*: omnes mss. *putaret* nempe imperator aut potius Justina ipsius mater.

*. Gothi Scythica gens creditur, qui in curribus degunt, ἁμαξόβιοι, & ἁμαξοδίαιτοι appellantur. Gothorum sedes tum orientalium, hoc est, *Oostgothen*, vulgo *Ostrogothen*; tum occidentalium, hoc est, *Vuestgothen*, vulgo *Visogothen*, in mari Balthico ad Suediam demonstrantur. Arbitror illis nomen inditum à bonitate, hoc est *goeth*, ut altera gens se à malitia, hoc est, *quaeth*, appellaverant Quados: ut Franci dicti sunt *vrii anchen*, hoc est, juvenes cælibes, nondum mariti. Ita Nannius. Innuitur ergo ab Ambrosio synaxes Arrianorum fuisse ambulatorias.

b. Rom. edit. sola, *Quid enim præstantius?* At minime mutandum *præsentius*; idem enim est ac si scribas: Quodnam dictum ab animo sibi magis præsente, & affectibus libero proferri potuit?

c. Omnes edit. *Invidet inimicus*: omnes mss. nihilo deteriori sensu, *Invidet iniquus*.

veniuntur, prætexitur regis injuria. Quæ ratio igitur est adversus hunc vermiculum [a] gravioris tentationis, nisi quia non me, sed Ecclesiam persequuntur?

16. Mandatur denique: Trade basilicam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere; nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, * quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. (Matth. 22. 21.) Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse imperatorem: Debeo & ego unam basilicam habere. [b] Respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Christi conjugio copulata.

20. Dum hæc tracto, suggestum est mihi * cortinas regias esse collectas, refertam autem populo basilicam, præsentiam mei poscere; statimque eo converti sermonem meum, dicens: Quam alta & profunda oracula sunt Spiritus sancti! Matutinis horis lectum est, ut meministis fratres, quod summo animi dolore respondemus: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam.* (Psal. 78. 1.) Et re vera venerunt gentes, & plus etiam quam gentes venerunt; venerunt enim Gothi, & diversarum nationum viri: venerunt cum armis, & circumfusi occupaverunt basilicam. Hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, [c] sed nostra imprudentia aliud opinabatur.

21. Venerunt gentes, sed vere in hereditatem tuam venerunt; qui enim gentes venerunt, facti sunt christiani. Qui ad invadendam hereditatem venerunt, facti sunt coheredes Dei. Defensores habeo, quos hostes putabam: socios teneo, quos adversarios æstimabam. Completum est illud quod de domino Jesu David propheta cecinit, quia *factus est in pace locus ejus*, & : *Ibi confregit cornua arcuum, scutum, gladium, & bellum.* (Psal. 75. 3. & 4.) Cujus enim hoc munus, cujus opus, nisi tuum, domine Jesu? Videbas ad templum tuum armatos venire: hinc gemere populum, & frequentem adesse, [d] ne basilicam Dei tradere videretur: inde vim militibus imperari. Mors ante oculos mihi; ne quid inter hæc furori liceret: inseruisti te, Domine, medium, & fecisti utraque unum. (Ephes. 2. 14.) Compescuisti armatos, dicens profecto: Si ad arma concurritur, si in templo meo [e] clausi commoventur, *quæ utilitas in sanguine meo?* (Deut. 32. 36. — Psal. 29. 10.) Gratias itaque tibi, Christe. Non legatus, neque nuntius, sed *tu, Domine, salvum fecisti populum tuum: conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia.* (Ibidem 12.)

22. Hæc ego dicebam, miratus imperatoris animum studio militum, obsecratione comitum, precatu populi posse mitescere. Interea nuntiatur mihi missum * notarium, qui mandata deferret. Concessi paululum, mandatum intimat. Quid tibi visum est, inquit, ut contra placitum faceres? Respondi: Quod placitum sit ignoro, quidve temere factum dicatur, incertum habeo. Ait: Cur presbyteros ad basilicam destinasti? Si tyrannus es, scire volo; ut sciam quemadmodum me adversùm te præparem. Retuli dicens me nihil in præjudicium fecisse Ecclesiæ: eo tempore quo audieram occupatam esse à militibus basilicam, gemitum tantummodo liberiorem habuisse; multisque adhortantibus ut eo pergerem, dixisse: Tradere basilicam non possum, sed pugnare non debeo. Postea vero quam cognoverim cortinas regias inde esse sublatas, cùm me populus eo ire deposceret, direxisse presbyteros; me tamen noluisse ire, sed dixisse: Credo in Christo quod ipse nobiscum faciet imperator.

23. Si hæc tyrannidis videntur, habeo arma, sed in Christi nomine: habeo offerendi mei corporis potestatem. Quid moraretur ferire, si tyrannum putaret? * Veteri jure à sacerdotibus donata imperia, non usurpata: & vulgo dici quod imperatores sacerdotium magis optaverint, quam imperium sacerdotes. Christus fugit, ne rex fieret. (Johan. 6. 15.) Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis sacerdotis, infirmitas est: *Cùm infirmor*, inquit, *tunc potens sum.* (2. Cor. 12. 10.) Cavere tamen ne ipse sibi tyrannum faceret, cui Deus adversarium non excitavit. * Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego sim Valentiniani, qui se meæ legationis objectu queritur ad Italiam non potuisse transire. Addidi quia numquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpe sunt passi.

24. Exactus est totus ille dies in mœrore nostro: scissæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ. Ego domum redire non potui; quia circumfusi erant milites, qui basilicam custodiebant. Cum fratribus psalmos in Ecclesiæ basilica minore diximus.

25. Sequenti die lectus est de more liber Jonæ, quo completo, hunc sermonem adorsus sum: Liber lectus est, fratres, quo prophetatur quod peccatores in pœnitentiam revertantur. Ac-

a. Ita mss. plures, & potiores: alii vero, *gravioris tentationis*: quod ut congruum effici posset, edit. præmiserant verbum *movens*.

*. Imperatoribus in Ecclesiam resque divinas nullum jus esse jam supra dixerat sanctus Doctor, & infra quoque in suo ad Valentinianum libello denuo repetit. Hanc veritatem plurimi ac sanctissimi viri laboribus innumeris, & quandoque etiam sanguine proprio tutati sunt. Alii vero eam libris editis invicte propugnarunt, quos inter Facundus contra libr. Justin. cæsaris *adversus tria capitula* de magnanimitate, qua Ecclesiæ jura ab episcopis defendenda sunt, validissimis disputat argumentis, sed præcipue lib. 12 quem consule.

b. *Respondi. Non tibi licet illam habere*, desunt in mss. prope omnibus. Verum cùm non solum in cunctis edit. habeantur, sed etiam videantur sensui non parum necessaria, è textu expungenda non putavimus.

*. Cortinæ regiæ vela quædam erant, quæ alicubi suspendebantur, ut locus in fisco principis esse indicaretur.

c. Mss. aliquot, *sed nostra impudentia*. Non satis recte.

d. Omnes edit. *ne basilica Dei traderetur. Inde vim militibus, imperatori: mortem ante oculos.* Mss. ut in contextu, nisi quod pro *vim militibus* &c duo habent, *ut à militibus imperatoris mors ante oculos.* Unus ms. *Compescuisti armatos, duces & præfectos. Si arma concurrunt, si in templo meo clausi* &c

e. Ita mss. edit. vero, *lis commovetur.* Minus concinne.

*. Tria erant officiorum genera, quæis ad perferenda secreta mandata utebantur imperatores, scilicet notarii, tribuni & comites. Verum tamen illæ dignitates nonnumquam in uno homine coalescebant: cujus rei plurima suggerit exempla Godefridus ad leg. 1. *de Mandatis principum*, & nos infra unum in Ambrosii libello reperiemus. Agit de notario Bulengerus lib. 6. cap. 5.

*. In antiquo fœdere à Samuele Saul & David uncti fuere, ac Salomon à propheta Nathan. Reges vero Saul & Ozias, cùm sacerdotale munus usurpassent, in gravem Dei offensam inciderunt.

*. Hoc de priori legatione intelligendum, ut à nobis dictum est in Admonitione.

ceptum eſt ita, ut ſperaretur in præſenti futurum. Addidi quod vir juſtus etiam offenſam contrahere voluiſſet, ne vel ſpectaret, vel denuntiaret excidium civitati. Et quod lugubre eſſet illud dictum, contriſtatus quoque ſit, quod aruiſſet cucurbita. Deum quoque dixiſſe ad prophetam: *Si triſtis es pro cucurbita?* Reſpondiſſe Jonam, *Triſtis.* Dixiſſe Dominum, ſi illud doleret quod exuſta eſſet cucurbita, quanto magis ſibi curæ eſſe oportere tantæ plebis ſalutem? Et ideo excidium, quod paratum toti urbi fuerat, removiſſe.

26. Nec mora, nuntiatur imperatorem juſſiſſe, ut recederent milites de baſilica: negotiatoribus quoque, quod exacti de condemnatione fuerant, redderetur. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? qui totius populi plauſus? quæ gratiæ? Erat autem dies quo ſe ſe Dominus pro nobis tradidit, quo in Eccleſia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nuntiare milites, irruentes in altaria, oſculis ſignificare pacis inſigne. Tunc agnovi quod Deus vermem ante lucanum percuſſerat, ut tota civitas ſervaretur.

27. Hæc geſta ſunt, atque utinam jam finita: ſed graviores motus futuros plena commotionis imperialia verba indicant. Ego tyrannus appellor, & plus etiam quam tyrannus. Nam cùm imperatorem comites obſecrarent, uti prodiret ad Eccleſiam; idque petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: Si vobis juſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis. Quid poſt hanc vocem ſuperſit, conſidera. Quam vocem omnes cohorruerunt, ſed habet à quibus exaſperetur.

28. Denique etiam ſpeciali expreſſione * Calligonus præpoſitus cubiculi mandare mihi auſus eſt: Me vivo, tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Reſpondi: Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris; ego enim patiar quod epiſcopi, tu facies [a] quod ſpadones. Atque utinam Deus avertat eos ab Eccleſia, in me omnia ſua tela convertant; meo ſanguine ſitim ſuam [b] expleant.



* EPISTOLA XXI.

* Scripta ann. 386.

Excuſat Ambroſius quod vocatus non venerit ad conſiſtorium. adſerens in cauſa fidei vel eccleſiaſtica judicare niſi ſacerdotes neminem debere; nec ſe in eo contumacem, quod injuriam ordini ſuo non inurat. Addit Auxentium forte Judæos aut infideles electurum judicum loco, id eſt, Chriſti inimiciſſimos: nec recuſare quominus in Eccleſia vel in Synodo de his diſputaret: hæc demum ſe coram fuiſſe dicturum, niſi à coepiſcopis & populo eſſet prohibitus.

Clementiſſimo imperatori, & beatiſſimo Auguſto VALENTINIANO, AMBROSIUS epiſcopus.

1. DAlmatius * me tribunus & notarius mandato, ut allegavit, clementiæ convenit tuæ, poſtulans ut & ipſe judices legerem, ſicut elegiſſet Auxentius. Nec tamen expreſſit eorum nomina, qui fuerant poſtulati: ſed id addidit, quod in conſiſtorio eſſet futura certatio, arbitro pietatis judicio tuæ.

2. Cui rei reſpondeo, ut arbitror, competenter. Nec quiſquam contumacem judicare me debet, cùm hoc adſeram, quod auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolum * ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit: In cauſa fidei vel eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis; hæc enim verba reſcripti ſunt, hoc eſt, ſacerdotes de ſacerdotibus voluit judicare. Quinetiam ſi alias quoque argueretur epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hæc voluit ad epiſcopale judicium pertinere.

3. Quis igitur contumaciter reſpondit clementiæ tuæ? Ille qui te patris ſimilem eſſe deſiderat, an qui vult eſſe diſſimilem? Niſi forte vilis quibuſdam tanti imperatoris æſtimatur ſententia, cujus & * fides confeſſionis conſtantiâ comprobata eſt, & ſapientia melioratæ reipublicæ profectibus prædicatur.

4. Quando audiſti, clementiſſime Imperator, * in cauſa fidei laicos de epiſcopo judicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut ſacerdotalis juris ſimus immemores; & quod Deus donavit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? Si docendus eſt epiſcopus à laico, quid ſequetur? Laicus ergo diſputet, & epiſcopus audiat: epiſcopus diſcat à laico. At certe

*. Quænam præpoſiti cubiculi dignitas eſſet, explicat Bulengerus lib. 3. *de Imperio Rom* cap. 13. Et Godefr. *lege de Præpoſ. S. cub.* Quod autem pertinet ad inſolentiſſimas hujuſce eunuchi minas, nec non ad liberam ac generoſam Ambroſii vocem, eas quidem *lib. de Joſeph* cap 6 num. 33. idem ſanctus tacite tangit, ſicut & cruentum iſtius ſupplicium; id tamen tanta cum modeſtia facit, ut nihil ab inſultandi modo magis abhorreat. De ſupplicio autem ejus vide quæ ex Auguſtino diximus in ejuſdem libri Admon.

a. Ita vet. edit. ubi poſt vocem *epiſcopi* ſubintellige pati ſolent; ac ſimiliter poſt vocem *ſpadones* mente ſupplendum, facere ſolent. Qua oratione alludere potuit ad Achillam illum Ægyptium, à quo interemtum Pompeium libello in Relationem Symmachi deſignat Ambroſius. Porro edit. Rom. hic pro *ſpadones* ponit *ſpadonis* & continenter ſola ſubjungit: *Minas tuas non timeo; carnem enim occidere potes, animam autem non potes. Vitam iſtam corporis potes eripere, meritum non potes extinguere. Anima namque quæ Deo ſubdita eſt, humanæ poteſtati non eſt ſubjecta. An nocere te putas? imo magnum mihi commodum præſtas. Vitam adimis temporalem, ut ſuccedat perpetua.*

b. Verbo *expleant* adjicit edit. Rom. *vale, ſoror in Domino.*

*. In uno cod. Vat. & Long. hoc lemma præmittitur; *Libellus ejuſdem Ambroſii ad Valentinianum imperatorem contra Auxentium.* Ipſe quoque Ambroſius ita ſubſcribit: *Ego Ambroſius epiſcopus hunc libellum obtuli* &c.

*. Notariis ac tribunis imperatores ad ſecretiora mandata uſos fuiſſe diximus in *epiſt. ſuperiore ad Marcellinam.*

*. Sozomenus lib. 6. cap. 7. refert epiſcopis Helleſponti ac Bithyniæ à Valentiniano poſtulantibus, *ut ad corrigendam fidei doctrinam convenire permitterentur*, imperatorem ſic reſpondiſſe: *Mihi quidem in laicorum ordine conſtituto fas non eſt hujuſmodi negotia curioſius ſcrutari: ſacerdotes vero, quibus id curæ eſt, ſeorſum ubicumque voluerint, conveniant.* Quæ ſane cum Ambroſii verbis pulcre concinunt. Sed his addere etiam liceret, quæ memorantur à Theodoreto lib 4 cap 6. nec non quæ Marca lib. 2. *Concordiæ* cap 6. & quæ ſuper Ambroſii ordinatione diſputat. Quod autem ad leges hic deſignatas, Baronius ad an 369. cenſet indicatam eſſe ab Ambroſio Valentiniani legem xx. *Quorum appellationes.* Sed à Godefrido in eamdem legem refellitur. Veriſimilius ergo putamus legem, de qua hic Ambroſius, jam non extare. Alia vero habetur anno 376. data Gratiani nomine, nempe XXIII qua jubetur, *ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis ad religionis obſervantiam pertinentia locis ſuis, & à ſuæ diœceſeos ſynodis audiantur.* Vide Godefridum in eamdem legem.

*. Hic alluditur ad generoſum illud Valentiniani ſenioris factum, quo cùm inter præfectos Juliani numeraretur, miniſtrum quemdam, à quo aqua luſtrali adſperſus fuerat, impacto in faciem pugno cecidit.

*. Non aliter quoque Athanaſius pag. 845. dicit: *Quando à condito ævo auditum eſt, quando judicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab imperatore accepit?* &c.

si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est [a] qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus Christianis, non imperatores de episcopis judicare.

5. Eris, Deo favente, etiam senectutis maturitate provectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille episcopus sit, qui laicis jus sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo favente, vir maturioris ævi, dicebat: Non est meum judicare inter episcopos; tua nunc dicit clementia: Ego debeo judicare. Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse judicii: clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta servantur, arrogat de fide judicium; cùm fidei ipsius sacramenta non noverit?

6. Quales autem elegerit judices, possumus existimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant plane, si qui sunt, ad Ecclesiam: audiant cum populo, non ut quisquam judex resideat, sed ut unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote: si audierit illum populus, & putaverit melius disputare, sequatur fidem ejus: non invidebo.

7. Omitto quia jam ipse populus judicavit: taceo quia eum, quem habet, * de patre tuæ clementiæ postulavit: taceo quia pater pietatis tuæ quietem futuram spopondit, si electus susciperet sacerdotium. Hanc fidem sequutus sum promissorum.

8. Quod si de aliquorum peregrinorum adsentatione se jactat, ibi sit episcopus, unde sunt ii, qui eum episcopatus putant nomine esse donandum. Nam ego nec episcopum novi, nec unde sit scio.

9. Ubi illud constituimus, Imperator, quod jam ipse tuum judicium declarasti; immo etiam dedisti * leges, ne cui esset liberum aliud judicare? Quod cùm præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi: Leges enim imperator fert, quas primus ipse custodiat. Visne igitur experiar, ut incipiant ii, qui judices eliguntur, aut adversus tuam venire sententiam, aut certe excusare quod imperatoris tam severo, & tam districto imperio non potuerint obviare?

10. Sed hoc contumacis, non modesti est sacerdotis. Ecce, imperator, legem tuam jam ex parte rescindis: sed utinam non ex parte, sed in universum; legem enim tuam nollem esse supra Dei legem. Dei lex nos docuit quid sequamur, humanæ leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt.

11. Quis erit igitur ille, qui cùm legat per tot provincias uno momento esse mandatum, ut quicumque obviaverit imperatori, feriatur gladio: quicumque Dei templum non tradiderit, protinus occidatur? quis, inquam, est qui possit vel unus, vel inter paucos dicere imperatori: Lex tua mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere sacerdotibus, permittitur laicis? Et judicabit de fide, qui aut gratiam sperat, aut metuit offensam?

12. Deinde ipse committam, ut eligam judices laicos, qui cùm tenuerint fidei veritatem, aut proscribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? Ego igitur aut prævaricationi offeram homines, aut pœnæ?

13. Non tanti est Ambrosius, ut propter se dejiciat sacerdotium. Non tanti est unius vita, quanti est dignitas omnium sacerdotum, * quorum de consilio ista dictavi, intimantibus ne forte etiam gentilis esset aliquis, aut Judæus, qui ab Auxentio esset electus, quibus traderemus de Christo triumphum, si de Christo judicium committeremus. Quid illos aliud, nisi Christi injuriam audire delectat? Quid illis aliud potest placere, nisi (quod absit) ut Christi divinitas denegetur? Cum iis plane bene convenit Arriano, qui creaturam Christum dicit, quod etiam gentiles ac Judæi promtissime confitentur.

14. Hoc scriptum est in Ariminensi synodo: meritoque concilium illud exhorreo, sequens tractatum * concilii Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Quam fidem etiam parens clementiæ tuæ Theodosius beatissimus imperator & sequitur, & probavit. Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ, & cum pia divini Spiritus confessione custodiunt.

15. Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici: quod majores fecerunt mei. Si conferendum de fide sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est * sub Constantino augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus. Factum est etiam sub [b] Constantio augustæ memoriæ imperatore, paternæ dignitatis herede: sed quod bene cœpit, aliter consummatum est. Nam episcopi sinceram primo scripserant fidem: sed dum volunt quidam de fide intra palatium judicare, id egerunt, ut circumscriptionibus illa episcoporum judicia mutarentur. Qui tamen inflexam statim revocavere sententiam. Et certe [c] major numerus Arimini Nicæni concilii fidem probavit, Arriana decreta damnavit.

a. Golb. codex, *qui annuat*. Non bono sensu.

*. Quæ in Ambrosii electione magis singularia contigerunt, hic modestissime adtinguntur. Ea fusius tractata reperies apud Paulinum in ejusdem Ambrosii vita.

*. Designat hoc loco sanctus Præsul leg. IV. *de Fide catholica*, quæ & Arrianis in Ecclesias conveniendi licentiam dabat, & capitis pœnam non solum iis qui eidem constitutioni per vim obsisterent, sed etiam iis qui supplices libellos imperatori adversus eamdem offerrent, denuntiabat. Qua ratione autem ea lex promulgata fuerit, eleganter descripsit Sozomenus lib. 7 cap 13.

*. Hinc intelligas episcopos statim post legem à Valentiniano latam, Ambrosii cura convenisse; ut in hoc rerum articulo viderent, ne quid Ecclesia caperet detrimenti.

*. Nicænæ tantum synodi testimonio, non autem Constantinopolitanæ, ideo fortassis utitur Ambrosius; quod hujus auctoritas non admitteretur in occidente. Unde etiam non sine veri similitudine dixerimus, eum ad adstruendam, quam obiter tangit, Spiritus sancti divinitatem, non ejusdem concilii canones, sed Galliarum Hispaniarumque confessionem proposuisse.

*. Hac de re Socrates lib. 1. cap. 23. ita loquitur: *Tunc igitur cùm de pace & concordia abunde disseruisset*, Constantinus scilicet, *deinceps ut de religionis nostra dogmatibus accuratius disquirerent*, nimirum episcopi, *eorum arbitrio potestatique reliquit*. Adi etiam Athan. *Orat. Adv. Arrianos*.

b. Codex Belv. & alii quatuor, *sub Constantino*: Non satis recte, quemadmodum ex sequentibus intelligitur.

c. Edit. ultimæ Paris. *minor numerus*; quod cum synodi Ariminensis historia minus cohæret. Etenim cùm ibi primo Nicænam fidem magno consensu amplexi essent, postea vero, inflexis quos ad Constantium destinaverant legatis, propemodum omnes articulis Valentis subscripsissent; postremo tandem *major numerus* illatum hac subscriptione fidei damnum considerans, resipuit, ac formulam Arrianæ confessionis ejuravit. De quo consule quæ nos lib. 1. *de Fide* cap. 18. num. 122. observavimus.

16. Si

16. Si ad Synodum provocat Auxentius, ut de fide disputet (licet non sit necesse * propter unum tot episcopos fatigari; qui etiamsi Angelus de cælo esset, paci Ecclesiarum non deberet præferri) cùm audiero Synodum congregari, & ipse non deero. Tolle igitur legem, si vis esse certamen.

17. Venissem, Imperator, ad consistorium clementiæ tuæ, ut hæc coram suggererem; si me vel episcopi, vel populus permisissent, dicentes de fide in Ecclesia coram populo debere tractari.

18. Atque utinam, Imperator, * non denuntiasses, ut quo vellem pergerem. Quotidie prodibam, nemo me adservabat. Debuisti me, quo volueras, destinare, quem ipse omnibus offerebam. Nunc mihi à sacerdotibus dicitur: Non multum interest, utrum volens relinquas, an tradas altare Christi; cùm enim reliqueris, trades.

19. Atque utinam liquidò mihi pateret quod Arrianis Ecclesia minime traderetur, sponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de aliis omnibus invadendis Ecclesiis est præceptum? Utinam confirmetur, ut Ecclesiis nullus molestus sit: Opto ut de me, qualis videtur, sententia proferatur.

20. Dignanter igitur, Imperator, accipe quod ad consistorium venire non potui. * Ego in consistorio nisi pro te stare non didici: & intra palatium certare non possum, qui palatii secreta nec quæro, nec novi.

21. Ego Ambrosius episcopus hunc libellum obtuli clementissimo imperatori, & beatissimo augusto Valentiniano.

SERMO CONTRA AUXENTIUM de Basilicis tradendis.

Populi ob imperialem jussum sollicitudinem levaturus, responsum suum exponit, additque ad consistorium se non ivisse, quod basilicæ traditionem esset veritus. Tum adversarios ad disceptandum in Ecclesia provocatis, negat se armis exterreri: suoque de sacris vasis responso memorato, paratum se ad certamina esse testatur. Eludi non posse Dei decretum, nec præsidium ipsius superari, sed in servis suis pati eumdem velle. Cum ipse a ???a non fuerit captus, liquere quam inaniter hæretici tumultuentur. Deinde ubi Nabuthæ historiam, & Christi ingressum in Hierusalem rei præsenti accommodavit, Auxentii perstringit crudelem legem, solutisque Arrianorum objectionibus, libenter se coram populo disputaturum prædicat: Auxentium vero jam à paganis, quos in judices elegerat, damnatum, sicut & à Paulo & Christo ipso. Quod idem hæreticus ad Cæsarem provocaret, eum oblitum anni superioris: & Arrianos, dum servis Christi conflant invidiam, multo pejores esse Judæis: Ecclesiam enim non Cæsaris, sed Christi præferre imaginem. Sub quæ ubi pauca de suo responso & hymnis adjecit, se non inobedientem, ac imperatorem Ecclesiæ filium, & Auxentium plusquam judæum esse declarat.

1. Video vos præter solitum subito esse turbatos, atque adservantes mei. [a] Mi-A ror quid hoc sit, nisi forte quia per tribunos me vidistis aut audistis imperiali mandato esse conventum; ut quo vellem, abirem hinc: & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo ne Ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipse mandaverim, potuistis advertere: deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse; quia plus Dominum mundi, quam sæculi hujus imperatorem timerem: sane si me B vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem: paratum me esse; ut si ille faceret, quod solet esse regiæ potestatis; ego subirem, quod sacerdotis esse consuevit.

2. Quid ergo turbamini? Volens numquam vos deseram, coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt; talia enim munimenta sunt C sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere: fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo; ne quis gravioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi quod imperatoribus soleam deferre, non cedere: suppliciis me libenter offerre, nec metuere quæ parantur.

3. Utinam essem securus quod Ecclesia hæreticis minime traderetur! Ad palatium imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacer- D dotis officio; ut in palatio magis certarem, quàm in Ecclesia. Sed in consistorio non reus solet Christus esse, sed judex. Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat: inclinatum jam vel imperatoris judicium, * quod lata lege patefecit; quod impugnat fidem: vel sperata ambientium quorumdam studia non requirat. Non committo, ut quisquam vendat injuriam Christi.

E 4. Circumfusi milites, armorum crepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam: sed mentem exagitant, ne dum me tenetis, perniciosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Ego enim jam didici non timere: sed vobis timere plus cœpi. Sinite, quæso, vestrum sacerdotem congredi: habemus adversarium qui lacessit; adversarius enim noster *diabolus, sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, ut apostolus dixit. 1.Pet.5.8. Accepit sine dubio, accepit F (non fallimur, sed admonemur) tentandi hujusmodi potestatem; ne forte corporis mei vulneribus possim à fidei intentione revocari. Legistis & vos quia [b] multis his tentavit sanctum Job diabolus: ad postremum potestatem hujusmodi petiit, & accepit, ut tentaret corpus ejus, quod perfudit ulceribus. b

*. Sic etiam in epistola ad Gratianum Aquileiensi Concilio subjecta num. 3. legere est: *Quam vero grave fuisset, propter duos tantum in perfidia carit?os sacerdotes toto orbe essent Ecclesiæ summis sacerdotibus destitutæ!*

*. Videtur imperator Ambrosio hanc optionem proposuisse per Dalmatium, ut vel in consistorium veniret ad defendendam adversus Auxentium suam dignitatem, vel eadem simul ac civitate ultro cederet: sed hoc utroque sanctum Præsulem ab episcopis & plebe catholica fuisse prohibitum.

*. Ad hunc locum ita Nannius: Tacite, inquit, illi objicit, quod pro eo ad Maximum legatus bis coactus sit contra decus episcopale in consistorio stare: semel eo destinatus pro pace, semel ut Gratiani fratris reliquias reportaret. Est autem consistorium tribunal imperatoris, ubi jus dicit. Hæc ille; verum in eo falsus est vir doctus, quod utramque Ambrosii legationem existimavit anteriorem huic epistolæ, cum tamen de prima sola id dici possit, ut in Admonitione demonstratum est.

a. Mss. nonnulli, *Miror quod hic fit... me vidistis alii, audistis alii*, quæ ultima verba in mss. pluribus sic efferuntur: ceteri autem ac edit. magis concinne ut in textu.

*. De hac lege abunde dictum superiore epistola.

b. Omnes edit. *multis alus tentavit* mss. nonnulli, *multis tentavit*: alii multo plures, ac notæ potioris, *multis his tentavit*, nimirum corporis vulneribus. Nam quod subjungit *ad postremum potestatem* &c. hujus tentationis probatio est, non alterius explicatio.

5. Cùm esset propositum * ut Ecclesiæ vasa A jam traderemus, hoc responsi reddidi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam imperatoris saluti; quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere; accipiat enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat à Christi injuria.

6. Hæc plena humilitatis sunt, & ut arbi- B tror, plena affectus ejus, quem imperatori debet sacerdos. Sed quia *lucta nobis est non solum adversus carnem & sanguinem; sed etiam*, quod gravius est, *adversus spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus*, tentator ille diabolus per ministros suos certamen auget, vulneribus corporis mei experiendum arbitratur. Scio, fratres, vulnera hæc, quæ pro Christo excipimus, non esse vulnera, [a] quibus vita non amittitur, sed propagatur. Sinite, quæso, esse certamen: spectato- C res vos esse decet. Considerate quia si quidem habet civitas vel athletam, vel alterius nobilis artis peritum, optat offerre certamini. Cur in majoribus rebus repudiatis, quod vel in minoribus velle consuestis? Non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur.

Ephes. 6. 12.

7. Certe si Dominus huic nos certamini deputavit, frustra pervigiles tot noctibus & diebus custodias exhibuistis & excubias: implebi- D tur Christi voluntas. Omnipotens enim noster est dominus Jesus, hæc est fides nostra; & ideo quod fieri mandat, implebitur: nec convenit nos divinæ obviare sententiæ.

8. Audistis quod * hodie lectum sit: Pullum sibi asinæ Salvator per apostolos jussit adduci, mandavitque ut si quis resisteret, diceretur: *Dominus operam ejus desiderat.* Quid si & nunc pullum istum asinæ, hoc est, ejus animalis quod gravem sarcinam portare consuevit, sicut est E humana conditio, cui dicitur: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam: tollite jugum meum, quia leve est;* quid si, inquam, pullum istum ad se modo jussit adduci, missis apostolis illis, qui jam exuti corpore incomprehensibilem oculis nostris Angelorum speciem gerunt? Nonne si ab aliquo resistatur, dicent: *Dominus operam ejus desiderat?* si resistat vel vitæ hujus cupiditas, si resistat caro & sanguis, si resistat conversatio corporalis; quia F aliquibus forsitan grati videmur. Sed qui nos hîc diligit, multo amplius diliget, si sinat fieri hostiam Christi; quia *dissolvi, & cum Christo esse multo melius: etsi manere in carne magis necessarium propter vos.* Nihil est ergo quod vereamini, fratres dilectissimi; scio enim quia quidquid passus fuero, pro Christo patiar. Et legi quod eos timere non debeam, qui possunt carnem occidere. Et audivi dicentem: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Luc 19. 33.

Matth. 11. 28.

Philip. 1. 23.

Matth. 10. 39.

9. Ergo si vult Dominus, certum est quod nullus obsistat. Quod si adhuc nostra differt certamina, quid veremini? Servum Christi non custodia corporalis, sed Domini providentia sepire consuevit.

10. Turbati estis quia apertas reperistis geminas fores, quas captus oculis quidam, dum hospitium proprium repetit, patefecisse memoratur. In quo cognoscite quod nihil suffragetur humana custodia. Ecce unus qui videndi munus amisit, solvit vestra universa munimina, & custodias lusit: Dominus autem suæ misericordiæ custodiam non amisit. Nonne ante biduum, ut meministis, etiam illud repertum est, quod à parte leva basilicæ ingressus quidam pervius fuit, quem putabatis clausum esse atque munitum? Sepserunt nempe armati basilicam, explorabant hos atque illos aditus: cæcitate perfusi sunt, ut quod apertum erat, videre non possent: itaque per plurimas noctes quod apertum fuerit, non ignoratis. Desinite ergo sollicitari; quia hoc erit, quod Christus jubet, & quod esse expedit.

11. Denique exempla vobis Legis proferam. 4 Reg. 6. 14. & seq. Elisæus quærebatur à rege Syriæ, missus erat exercitus qui eum caperet, circumvallatus erat undique: cœpit timere ejus servulus; quia servulus erat, hoc est, non erat liberæ mentis, & liberæ potestatis. Petivit aperiri ejus oculos sanctus propheta, & ait: *Respice, & vide quanto plures sint pro nobis, quam contra nos.* Et respexit, & vidit Angelorum millia. Advertistis igitur quod servulos Christi ii magis custodiant, qui non videntur, quam qui videntur. Sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus advocati: legistis nempe eos ipsos, qui Elisæum quærebant, ingressos esse Samariam [b] ad eum ipsum, quem capere gestiebant: cui non solum non potuerunt nocere; sed ipsius, adversus quem venerant, intercessione servati sunt.

12. Petrus quoque apostolus utriusque rei Act. 12. 4. & seq. vobis edat exemplum. Nam ubi eum Herodes quæsivit & cepit, * recepit in carcerem; non enim recesserat Dei servulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia, sed apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis. Missus est Angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere, [c] mortem ad tempus evasit.

13. Idem Petrus postea, victo Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos gentilium: quibus cum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est; rogabatur enim ut

* Erant in Ecclesiis duo vasorum genera, inauguratorum scilicet, quæ sacris mysteriis inserviebant, & eorum quæ propter pretium aut artem suam inter ornamenta numerabantur. Sed hæc fusius ad lib. 2 Offic. cap 28 num. 136. explicata sunt.

a. Edit. omnes, *quibus vita amittitur*, mss. è contrario *non amittitur*. Melius, hîc enim conjunctiones quippe vel utpote subaudiuntur.

* Hæc quidem lectio Dominicis Palmarum erat propria, sed cùm eadem *casu* recitata infra dicatur, hæc eo die facta fuisse hinc non sequitur.

b. Mss. aliquot, *duce ipso*, *quem*. Minime male.

*. Dubium esse putat Nannius an recipere in carcerem idem sit quod recondere seu retrudere. Attamen solemnis in hac re juris formula est; siquidem Ulpianus D. L. 1. *de Custod. reor.* *Utrum in carcerem*, inquit, *recipienda sit persona.* Et Callistratus eodem tit. L. *In eos.* *Cù n recepti essent in carcerem* &c.

c. Rom. edit. cum paucis mss. *mortem evasit*: aliæ cum ceteris cod. interponunt voces *ad tempus*.

ad instituendum & confirmandum populum
se reservaret. Quid multa? Nocte muros egre-
di cœpit, & videns sibi in porta Christum oc-
currere, urbemque ingredi, ait: Domine, quo
a vadis? Respondit Christus: a Venio iterum cru-
cifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum
pertinere responsum; Christus enim non pote-
rat iterum crucifigi, qui carnem passione sus-
Rom. 6.10. ceptæ mortis exuerat: *Quod enim mortuus est,*
peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit
Deo. Intellexit ergo Petrus quod iterum Chris-
tus crucifigendus esset in servulo. Itaque spon-
te remeavit; interrogantibus Christianis re-
sponsum reddidit, statimque correptus, per cru-
cem suam honorificavit dominum Jesum.

14. Videtis igitur quod in servulis suis pati
velit Christus. Quid si & huic servulo dicit:
Joan. 21. 22. *Illum volo manere, tu autem me sequere;* & de
hac arbore gustare vult fructum? Nam si illius
Ibid. 4.34. cibus erat, ut faceret voluntatem Patris: itidem
cibus illius est, ut nostris passionibus epuletur.
Nonne, ut de ipso Domino sumamus exem-
plum, quando voluit, passus est: & cùm quæ-
reretur, inventus est? quando autem hora non
Joan. 7.30. venerat passionis, per medium quærentium tran-
sibat, & videntes eum tenere non poterant?
Quod utique evidenter ostendit quia quando
Dominus vult, unusquisque invenitur & capi-
b tur: b quod autem differt, etiamsi quærentium
occurrat oculis, non tenetur.

15. Ergo ipse non quotidie vel visitandi gra-
tia prodibam, vel pergebam ad Martyres? non
* regiam palatii * prætexebam eundo atque re-
deundo? Et tamen nemo me tenuit, cùm ex-
turbandi me haberent, ut prodiderunt postea,
voluntatem, dicentes: Exi de civitate, & vade
quo vis. Exspectabam, fateor, magnum ali-
quid, aut gladium pro Christi nomine, aut in-
cendium: at illi delicias mihi pro passionibus
obtulerunt; sed athleta Christi non delicias,
sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos tur-
bet, quod aut carrum præparaverunt, aut dura,
ut videbatur sibi, Auxentii ipsius, qui se dicit
episcopum, ore jactata.

16. Plerique narrabant percussores præmis-
sos, pœnam mortis esse decretam: nec illa ti-
meo, & ista non desero. Quo enim abibo, ubi
non omnia plena gemitus sint, atque lacryma-
rum; quando per Ecclesias jubentur ejici ca-
* tholici sacerdotes, resistentes gladio feriri, * cu-

A riales proscribi omnes, nisi mandatum imple-
verint? Et hæc episcopi manu scripta, & ore
dictata, qui se ut probaret doctissimum, vetus
non omisit exemplum; legimus enim in pro- Zach. 5. 1.
pheta quod viderit falcem volantem: hanc imi-
tatus Auxentius gladium volantem per omnes
urbes direxit. Et satanas transfigurat se in An- 2. Cor. 11. 14.
gelum lucis; & in malum imitatur ejus po-
tentiam.

17. Tu, domine Jesu, uno momento mun-
B dum redemisti: Auxentius uno momento tot
populos, quod in ipso est, trucidabit, alios
gladio, alios sacrilegio? c Meam Basilicam pe- c
tit cruento ore, sanguinolentis manibus. Cui
bene præsens respondit lectio: *Peccatori autem* Psal. 49.16.
dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? id 2 Cor. 6.15.
est, non convenit paci & furori, non convenit 3 Reg. 21. 1. & seq.
Christo & Belial. Meministis etiam quod lectum 12. 4. &c.
est hodie Nabuthe sanctum virum possessorem convenitur
vineæ suæ, interpellatum petitione regia, ut 3. Nabuthe.
C vineam suam daret; ubi rex succisis vitibus,
olus vile sereret, cumque respondisse: *Absit ut*
ego patrum meorum tradam hereditatem; regem
contristatum esse, quod sibi esset alienum jus
relatione justa negatum, sed muliebri consilio
deceptum. Nabuthe vites suas vel proprio cruo-
re defendit. Si ille vineam non tradidit suam,
nos trademus Ecclesiam Christi?

18. Quid igitur a me responsum est contuma-
citer? Dixi enim conventus: Absit à me ut tra-
D dam Christi hereditatem. Si ille patrum here-
ditatem non tradidit, ego tradam Christi he-
reditatem? Sed & hoc addidi: *Absit ut tradam*
hereditatem patrum, hoc est, hereditatem Dio-
nysii, qui in exsilio in causa fidei defunctus est,
hereditatem Eustorgii confessoris, hereditatem
Myroclis, atque omnium retro fidelium episco-
porum. Respondi ego; quod sacerdotis est:
quod imperatoris est, faciat imperator. Prius
est ut animam mihi, quàm fidem auferat.

E 19. At cui tradam? Præsens lectio Evangelii
docere nos debet, quid petatur, à quibus pe-
tatur. Audistis nempe legi, quod cùm Christus Luc. 19. 35.
super pullum asinæ sederet, clamabant pueruli,
& moleste ferebant Judæi. Denique interpel-
laverunt dominum Jesum, dicentes ut faceret
eos tacere; respondit: *Si hi tacuerint, lapides* Ibidem 40.
clamabunt. Deinde ingressus templum, ejecit
nummularios, & cathedras, & columbas ven-
dentes in templo Dei. Lectio nempe ista nulla

a Ita vet. edit. & cuncti mss. paucis exceptis, ubi posterior aliqua manus *Romam* addidit, quam vocem etiam in textum admisit Rom. edit. Ceterum hujus Petro factæ Christi apparitionis præter Hegesippum lib. 3. Ambrosium hoc loco, & Gregorium in Psal. 4. Pœnit. vix alium ex antiquis reperias, qui meminerit. Quod vero ad Petri Romam adventum, ejusque de Simone Mago victoriam, utrumque tam multiplici Patrum veterum testimonio celebratur, ut nos puderet vel recensendis eorum nominibus immorari; cùm tamen quosdam ex heterodoxis adhuc non pudeat rem à Calvino ipso & Blondello evidentiæ vi coactis agnitam & confessam inficiari.

b. Omnes edit. *Quando autem differt, etiamsi quærentium manibus occurrat & oculis:* omnes mss. nobiscum tacite, nisi quod ita legitur in uno Colb. . . . . *etiamsi quæratur, quærentium oculis non tenetur.*

* *Prætexebam*, id est, non pertransibam, inquit Nannius; regiam palatii ire atque redire? Ut intelligatur illum diverticula non quæsiisse, aut obliquasse iter, dum ad martyres tenderet, ne regiam præteriret.

* *Curiales* dicebantur hi, qui magistratibus atque officiis municipalibus fungebantur. De quibus vide Bulengerum *de imp. Rom.* lib. 7. c. 3. & 5. & Godefr. Ceterum in ferenda lege pro Ariminensi Concilio, quam ab Auxentio ipso dictatam, & scriptam esse affirmat Ambrosius, id contigisse testificantur Rufinus Hist. lib. 2. cap. 16. Gaudentius *Præfat. in Serm.* Sozomenus lib. 7. *Hist. Eccl.* cap. 13. nimirum Benevolum Memoriæ scriniis præfectum, cùm illam dictare ac subscribere jussus fuisset, magnâ constantiâ recusasse, ac propterea ejectum esse in exsilium à Justina.

c Plures mss. *Mihi basilicam:* alii & edit. omnes, *Meam basilicam*, hoc est, unam ex meis; erant quippe non paucæ Mediolani.

b. In codicibus varie scribuntur nomina horum episcoporum; nam in quibusdam *Extorgi*, & *Euxtorgi*, pro *Eustorgii*, sicut & *Metrocli*, ac *Merocli*, pro *Myroclis* habetur. Fuit autem Myrocles, si credendum Ughello, octavus Mediolanensis episcopus, sin vero sequamur vetustissimum catalogum in *Museo Italico* pag. 110. vulgatum, septimus à sancto Barnaba, qui recentissima manu exemplari adscriptus traditur. Eustorgius & apud Ughellum & apud Mabillonium decimus numeratur. At vero Dionysius, qui tantum tertio decimo loco in *Italia sacra* ponitur, Eustorgium in citato *Museo* proxime sequitur. Hunc eo quod Athanasium in synodo Mediol. damnare detrectasset, à Constantio ejectum in exsilium, in illo diem obiisse tradit Rufinus lib. 1. *Hist.* cap. 19. Socrates lib. 2. cap. 36. atque alii

nostra dispositione recitata est, sed casu: quæ A
præsentibus bene aptatur temporibus. Semper ergo Christi laudes verbera perfidorum sunt. Et nunc cùm laudatur Christus, dicunt hæretici quia seditio commovetur: dicunt hæretici quia his mors parabatur; & vere mortem habent in laudibus Christi. Quomodo enim laudes ejus ferre possunt, cujus infirmitatem prædicant? Itaque & hodie cùm laudatur Christus, Arrianorum amentia verberatur.

Luc. 8. 37. 20. Geraseni præsentiam Christi ferre non B poterant, isti pejores Gerasenis nec laudationem Christi sustinere possunt. Vident pueros Christi gloriam concinentes; quia scriptum est:
Psal. 8. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Irrident istam ætatulam fidei plenam, cùm dicunt: *Ecce quid clamant?* Sed respondit iis Chris-
Luc. 19. 35. tus: *Si hi tacebunt, lapides clamabunt*, hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & juvenes,
a clamabunt & maturiores, clamabunt [a] & senes: isti lapides ad illum jam solidati lapidem, de quo C
Psal. 117. 22. scriptum est: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

21. His igitur laudationibus invitatus tem-
Johan. 2. 15. plum suum Christus ingreditur, & flagellum prehendit, & ejicit de templo nummularios. Non patitur enim in suo templo pecuniæ esse vernaculos, non patitur in suo templo esse eos, qui vendant cathedras. Quid sunt cathedræ, nisi honores? Quid sunt columbæ, nisi simplices mentes, vel animæ fidem candidam & pu- D ram sequentes? Ego ergo inducam in templum, quem Christus excludit? Jubetur enim exire, qui dignitates vendit & honores: jubetur exire, qui vendere vult simplices mentes fidelium.

22. Ergo Auxentius ejicitur, Mercurinus excluditur. Unum portentum est, duo nomina. Etenim ne cognosceretur quis esset, mutavit sibi vocabulum; ut quia hîc fuerat Auxentius episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem, E
b quam ille tenuerat, [b] se vocaret Auxentium. Mutavit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutavit: exuit lupum, sed induit lupum. Nihil prodest quod mutavit nomen: quid sit agnoscitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hîc vocatur: nomina pro regionibus habet. Habet ergo jam duo nomina; & si hinc alio perrexerit, habebit & tertium. Quomodo enim patietur ut maneat ei vocabulum ad tanti sceleris indicium? Minora fecit in Scythia; & ita F erubuit, ut mutaret vocabulum: sceleratiora hîc ausus est; & volet, quocunque perrexerit, nomine suo prodi? Tantorum populorum sanguinem manu sua scribet, & poterit consistere animo?

23. Paucos excludebat dominus Jesus de templo suo, Auxentius nullum reliquit. De templo suo Jesus flagello ejicit, Auxentius gladio: Jesus flagello, Mercurinus securi. Pius Dominus flagello exturbat sacrilegos; nequam persequitur pios ferro. De quo bene dixistis hodie: Leges suas secum ferat. Feret, etiamsi nolit: feret conscientiam suam, etsi non fert chartulam: feret sanguine inscriptam animam suam, etsi atramento inscriptam epistolam non feret. Scripta est, Juda, culpa tua graphio ferreo & Hier. 17. 1.
ungue adamantino, & scripta in pectore tuo, hoc est, ibi scripta, unde processit.

24. Is mihi etiam audet mentionem facere c
tractandi, plenus sanguinis, plenus cruoris? Qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans quod lex fidem possit hominibus imperare. Non audivit & id quod hodie dictum est: *Quoniam non justificatur homo* Galat. 2. 16.
ex operibus Legis; aut: *Per Legem Legi mortuus* Ibidem 19.
sum, ut Deo vivam, id est, per legem spiritalem interpretationi Legis est mortuus corporali. Et nos per legem domini nostri Jesu Christi moriamur huic legi, quæ sancit decreta perfidiæ. Non lex Ecclesiam congregavit, sed fides Christi. Lex enim non est ex fide: *Justus autem ex fide* Ibid. 3. 11.
vivit. Justum ergo fides, non lex facit; quia non est per legem justitia, sed per fidem Christi. Qui autem fidem repudiat, & legis jura præscribit, ipse se testatur injustum; quia *Justus ex fide vivit.*

25. Hanc ergo legem quisquam sequatur, qua firmatur Ariminense concilium, in quo creatura dictus est Christus? Sed aiunt: *Misit* Ibid. 4. 4.
Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege. Ergo, *factum*, legunt, hoc est, creatum. Nonne hoc ipsum considerant, quod propo-
suerunt, quia factus dicitur Christus, sed *ex muliere*, hoc est, secundùm partum Virginis factus est, qui secundum divinam generationem ex Patre natus est? Legerunt & hodie, quia *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus* Ibid. 3. 13.
pro nobis maledictum. Numquid maledictum Christus secundum divinitatem est? Sed quare maledictum dicatur, Apostolus te docet, dicens quia scriptum est: *Maledictus omnis, qui pendet* Ibidem.
in ligno, hoc est, qui in carne sua nostram carnem, in suo corpore nostras infirmitates & nostra maledicta suscepit, ut crucifigeret; non enim ille maledictus, sed in te maledictus. Denique habes alibi: *Qui peccatum non cognovit,* 2. Cor. 5. 21.
sed pro nobis peccatum factus est; quia nostra peccata suscepit, ut sacramento suæ passionis aboleret.

26. Hæc ego, fratres, coram ipso apud vos plenius disputarem: sed certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen, & gentiles quosdam quatuor aut quinque ferme homines elegit * cognitores sibi, si tamen aliquos elegit:
quos vellem adesse in cœtu omnium, non ut de Christo judicent, sed ut majestatem audiant Christi. Tamen illi jam de Auxentio pronuntiaverunt, cui tractanti quotidie non crediderunt. Quæ major ejus condemnatio, quam quod

a. MSS. non pauci, *& senes isti laudes, ad illum* &c.

b. Omnes edit. *se vocaret Mercurinum*; omnes MSS. *Auxentium.* Et certe correctionem hanc sensus exigit. Id enim hoc loci indicat Ambrosius istum qui sub Mercurini nomine odiosus evaserat, ut in Arrianorum Mediolanensium, quorum [illegible]imus pseudo episcopus Auxentius fuerat, animos nominis similitudine facilius irreperet, Auxentii nuncupationem adoptasse.

c. Rom. edit. sola, *facere retractandi.* Forte an pro iterum tractandi, quia jam anno superiore tractaverant. Sed non est, cur propterea quidquam mutetur.

*. Cognitor sæpe ipse judex est, qui causam cognoscit: sæpe procurator litis, cui apud judicem præsenti à præsente litigatore causa committitur: sæpe etiam is est, qui alios de statu suo disceptantes agnoscere se dicit, & eorum natalia, patriamque docet. Cic. in Verrem: Civem Romanum qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem. Ita Nannius.

fine adversario apud judices suos victus est? Ergo & ipsorum sententiam contra Auxentium jam tenemus.

27. Et quod gentes elegit, jure damnandus est; quia Apostoli præcepta dimisit, cùm Apostolus dicat: *Audet aliquis vestrum adversus alterum habens negotium, judicari apud iniquos, & non apud sanctos? Aut nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* Et infra ait: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratres: sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles?* Vides quia quod ille obtulit, contra auctoritatem Apostoli fit. Vos eligite utrum Auxentium an Paulum sequi debeamus magistrum.

1. Cor. 6. 1. — Ibidem 5. & 6.

28. Sed quid dicam de Apostolo, cùm ipse Dominus clamet per prophetam: *Audite me, populus meus. Qui scitis judicium, quorum in corde lex mea est.* Deus dicit: *Audite me populus meus. Qui scitis judicium;* Auxentius dicit: Nescitis judicium. Videtis quia jam Deum contemnit in vobis, qui sententiam cælestis refutat oraculi? *Audite me*, inquit, *populus meus*, dicit Dominus. Non dicit: Audite gentes. Non dicit: Audite Judæi. Jam enim populus Dei qui fuerat, populus erroris est factus: & qui populus erroris erat, populus Dei esse cœpit; quia in Christum credidit. Iste ergo populus judicat, cujus in corde lex divina est, non humana: lex non atramento scripta, sed spiritu Dei vivi: non in charta exarata, sed in corde signata: lex gratiæ, non cruoris. Quis igitur vobis injuriam facit, qui recusat vestram, an qui eligit audientiam?

Isai. 51. 7. — 2. Cor. 3. 3.

29. Conclusus undique ad versutiam patrum suorum confugit. De imperatore vult invidiam commovere, dicens judicare debere adolescentem catechumenum, sacræ lectionis ignarum, & in consistorio judicare. Quasi vero superiore anno quando ad palatium sum petitus, cùm præsentibus primatibus ante consistorium tractaretur, cùm imperator basilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim sacerdotis, aut imminuto jure discesserim? Nonne meminerunt quod ubi me cognovit populus palatium petisse, ita irruit, ut vim ejus ferre non possent; quando comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt omnes se neci pro fide Christi? Nonne tunc rogatus sum, ut populum [a] multo sermone mulcerem? spondarem fidem, quod Basilicam Ecclesiæ nullus invaderet? Et cùm pro beneficio meum sit officium postulatum, tamen quod populus ad palatium venisset, mihi invidia commota est. In hanc igitur invidiam me redire desiderant.

30. Revocavi populum, & tamen invidiam non evasi: quam quidem invidiam ego temperandam arbitror, non timendam. Quid enim timeamus pro Christi nomine? Nisi forte illud movere me debet, quod aiunt: Ergo non debet imperator unam Basilicam accipere, ad quam procedat: & plus vult Ambrosius posse, quam imperator; ut imperatori prodeundi facultatem neget? Quod cùm dicunt, apprehendere sermones nostros gestiunt, sicut Judæi qui Christum versuto sermone tentabant dicentes: *Magister, licet tributum dare Cæsari, aut non?* Semper ne de Cæsare servulis Dei invidia commovetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, ut imperiale nomen obtendat? Et isti possunt dicere quod eorum non habeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium?

Matth. 22. 17.

31. Et tamen videte quanto pejores Arriani sint, quam Judæi. Illi quærebant utrum solvendum putaret Cæsari jus tributi, isti imperatori [b] volunt dare jus Ecclesiæ. Sed ut perfidi suum sequuntur auctorem; ita & nos quæ nos Dominus & auctor noster docuit, respondeamus. Considerans enim Jesus dolum Judæorum, dixit ad eos: *Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium.* Et cùm dedissent, dixit: *Cujus imaginem habet & inscriptionem?* Respondentes dixerunt: *Cæsaris.* Et ait illis Jesus: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Ergo & ego dico illis, qui mihi objiciunt: *Ostendite mihi denarium.* Jesus Cæsaris denarium vidit, & ait: *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt; & quæ Dei sunt, Deo.* Numquid de Ecclesiæ Basilicis occupandis possunt denarium offerre Cæsaris?

Ibidem 18. — Ibidem 19.

32. Sed in Ecclesia unam imaginem novi, hoc est, imaginem Dei invisibilis, de qua dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram;* illam imaginem, de qua scriptum est; quia Christus *splendor gloriæ, & imago substantiæ ejus.* In ista imagine Patrem cerno, sicut dixit ipse dominus Jesus: *Qui me videt, videt & Patrem.* Non enim hæc imago à Patre est separata, quæ unitatem me docuit Trinitatis, dicens: *Ego & Pater unum sumus;* & infra: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Et de Spiritu sancto, dicens quia Spiritus Christi sit, & de Christo accepit, sicut scriptum est: *Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Gen. 1. 26. — Hebr. 1. 3. — Johan. 14. 9. — Ibid. 10. 30. — Ibid. 16. 15. — Ibidem 14.

33. Quid igitur non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit, non negamus. * Agri Ecclesiæ solvunt tributum: si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum; nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare: non faciant de agris invidiam, tollant eos, si libitum est imperatori: non dono, sed non nego. Aurum quærunt, possum dicere: Argentum & aurum non quæro. Sed invidiam faciunt, quia aurum erogatur. Nec ego hanc invidiam perhorresco. Habeo * ærarios: ærarii mei pauperes Christi sunt, hunc novi congregare thesau

a. Rom. edit. sola, *molli sermone.*
b. Mss. aliquot, *nolunt dare* Contrario sensu.
*. Non mirum, si affirmetur ab Ambrosio Ecclesiæ agros vectigales esse, ac tributum pendere imperatoribus; exstant siquidem in *Cod. Theod.* leges à Constantino, ejusque successoribus promulgatæ, puta l. 1. *de annona & tributis* atque aliæ tit. de *Episcopis & clericis:* quibus Ecclesiæ possessiones vectigalibus subjiciuntur. Quod vero ad clericos, certum est eorum facultates tributo obnoxias fuisse, & plerumque etiam personas muneribus publicis, ut dicit Ambrosius contra Symmachum

*. Ærarios, inquit Nannius, fieri dicebantur, qui plebeius censoribus in Cæritum tabulas referebantur, ac per hoc ex albo centuriæ suæ expuncti, amplius æra mereri non poterant. Quod cùm per imperatorem fieret, ære diruti nominabantur. Livius dec. tertiæ l. 9. inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Sed & ærarii aliquando milites dicebantur contrario sensu, qui æra accipiebant, qui μισθοφόροι dicebantur. Cicero ad Atticum. Milites non tam ætarii, quam ut appellantur ærati. Atque ita hic capitur: nam pauperes qui de stipendio Ecclesiæ vivebant, ærarios Christi appellavit.

rum. Utinam hoc mihi semper crimen adscri- A bant, quia aurum pauperibus erogatur: Quod si objiciunt quod defensionem ab iis requiram, non nego, sed etiam ambio. Habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cæci illi & claudi, debiles & senes robustis bellatoribus fortiores sunt. Denique munera pauperum Deum obligant; quia scriptum est: *Qui largitur pauperi, Deo fœnerat.* Præsidia bellatorum divinam sæpe gratiam non merentur. (Prov. 19. 17.)

34. Hymnorum quoque meorum carmini- B bus deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, Patrem & Filium & Spiritum sanctum norunt versibus prædicare. Facti sunt igitur omnes magistri, qui vix poterant esse discipuli.

35. Quid igitur obaudientius potest esse, quam ut Christi sequamur exemplum, qui *specie in-* C *ventus ut homo, humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem?* Denique omnes per obedientiam liberavit: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* Si ergo ille obediens, accipiant obedientiæ magisterium, cui nos inhæremus, dicentes iis qui nobis de imperatore invidiam faciunt: Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non D negatur: Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici; quia jus Cæsaris esse non potest Dei templum. (Philip. 2. 7. & 8. — Rom. 5. 19. — Matth. 22. 21. — 2a. Quæst. 8. e Conventiov. 5. Tributum.)

36. Quod cum honorificentia imperatoris dictum nemo potest negare. Quid enim honorificentius, quam ut imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cùm dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. [a] IMPERATOR ENIM intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est; bonus enim imperator quærit auxilium Ecclesiæ, E non refutat. Hæc ut humiliter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, * deportationem minantur. Didicimus Christi servuli non timere. Non timentibus numquam est gravis terror. Denique scriptum est: *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum.* (Psal. 63. 8.)

37. Satis igitur propositis responsum videtur. Nunc illos interrogo, quod Salvator interrogavit: *Baptismum Johannis de cælo est, an ex hominibus?* Et non potuerunt respondere ei Judæi. Si baptismum Johannis non solverunt Judæi, Auxentius solvit baptismum Christi? Non enim istud ex hominibus est baptismum, sed de cælo, quod detulit nobis consilii magni Angelus, ut justificemur Deo. Cur igitur * rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis; cùm Apostolus dicat: *Una fides, unum baptisma:* & se hominum dicat adversarium esse, non Christi; cùm consilium Dei spernat, & condemnet baptismum, quod Christus nobis ad redimenda nostra peccata donavit. (Luc. 20. 4. — Esai. 9. 6. — Ephes. 4. 5. — Luc. 7. 30.)

*. EPISTOLA XXII.

[a] Scripta an. 386.

Inventione corporum Gervasii ac Protasii martyrum nuntiata, refert se ad populum illa dixisse: Cælos esse martyres, sicut & apostolos: diem quoque fuisse illorum confessionem: eosdem à Domino humiliatos, ac deinde suscitatos de terra; idque eorum resurrectionem esse, cùm tot miracula operati sint: gratias ob tantum præsidium Deo egisse, illudque amplificasse ex gestis Elisæi: tandem reliquiarum descriptionem, ac translationis consilium populari plausu excepta. Subjungit sequentis diei sermonem, quo memorata catholicorum lætitia, invidentiam Arrianorum exagitavit, ostendens eos, dum evidenti miraculo fidem negant, Judæorum similes esse, atque aliter credere, quam martyres crediderunt: dum vero Trinitatem quam dæmones confitebantur, non agnoscerent, ipsis dæmoniis esse pejores.

[b] Dominæ sorori vitæ atque oculis præferendæ frater.

1. QUia nihil sanctitatem tuam soleo eorum præterire, quæ hîc te geruntur absente; scias etiam sanctos martyres à nobis repertos. Nam cùm ego basilicam [c] dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt dicentes: Sicut Romanam basilicam dedices. Respondi: Faciam, si martyrum reliquias invenero. Statimque subiit veluti cujusdam * ardor præsagii.

2. Quid multa? Dominus gratiam dedit: formidantibus etiam clericis jussi eruderari terram eo loci, qui est ante cancellos sanctorum Felicis atque Naboris. Inveni signa convenientia: adhibitis etiam quibus per nos manus imponen-

a. Omnes edit. *Imperator enim bonus*: omnes mss. omittunt, *bonus*, licet in sequenti sententia ubique habeatur.

*. Deportatio sævissimum exsilii genus est, ubi nimirum quis in remota insula includitur.

*. Augustinus lib. *de Hæres.* cap. 49. *Rebaptizari quoque*, inquit, *ab his*, nempe Arrianis, *catholicos novimus, utrum non catholicos nescio.* Gregorius etiam Turon. tempore Vandalicæ persecutionis iteratum ab Arrianis baptismum testatur lib. 2. cap. 31. & alibi. Vide etiam Alexandrum Dissert. 23. tom. 8. Hist. Eccl.

b. Sic edit. vet. ac mss. nisi quod in horum nonnullis pro *atque oculis* legitur *atque osculis*, voci *frater* additur *Ambrosius*, & loco verbi *præterire*, ponitur in uno *prætermittere*: at Rom. edit. totum id refinxit in hanc formam: *Ambrosius episcopus Marcellinæ sorori: Quoniam nihil eorum, quæ hîc te absente geruntur, sanctitatem tuam celare soleo, scias etiam, dilectissima soror*, &c.

c. Rom. edit. sola, *dedicare vellem .... Sicut in Romana, sic basilicam dedices*: in hac vero secunda parte variant vet. edit. & mss. Ubi enim illæ cum paucis mss. *Sic in Romana basilica dedices*: alii mss. exhibent partim, *Sic in Romanam basilicam*, partim, *Siccine Romanam basilicam dedicas*: alii demum *sic & Romanam*, aut, *sicut Romanam basilicam dedices*: quæ quidem lectio videtur omnium potissima. Sensus autem est, cùm Ambrosius Ecclesiam dedicasset, nec tamen reliquias in ea condidisset, populum illud ægre ferentem efflagitasse, ut ne hanc etiam ceremoniam prætermitteret, quam in Romanæ basilicæ consecratione non omiserat. Samuel Petitus lib. 1. Observ. c. 8. ait nonnullos ex hoc loco duo colligere, primum fuisse Mediolani Romanam regionem, unde Romana basilica nominata sit: alterum eam basilicam, de cujus dedicatione hîc agitur, eamdem esse ac Romanam. Utrumque evertere idem aggreditur. Et secundum quidem per se caducum est; namque ex serie liquido colligimus basilicam, in quam sanctorum Gervasii & Protasii ossa translata sunt, Ambrosianam esse, cùm ex Paulino manifestum sit in Romana corpus beati Nazarii fuisse depositum. Quod vero nomen Romanæ ex regione impositum ideo negat, quia non in Romana fuisse dicitur, sed ipsa Romana appellatur; id quidem frigidius est, quam ut refutatione indigeat. Sed nec multo validiores sunt, quas hujus nuncupationis rationes profert, quod enim eam basilicam aut à ritu Romano, qui in eadem forsan observaretur, aut à Petro, cui dedicata erat, Romanæ fidei ac sedis primo parente Romanæ suspicatur traxisse nomen, nos ejus suspicioni fidem negamus. Cùm ergo constet hanc Ecclesiam ad eam portam quæ Romana vocitabatur, constructam fuisse, verisimilius est eidem è vicinia nomen factum. Vide Herman. in Vita Ambrosii lib. 4. cap. 17. Ughellum in Ital. sacra, & alios.

*. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 7. has reliquias Ambrosio *per visum* revelatas dicit: & lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 8. eas *per visionem* manifestatas. Unde colligitur non modo per interiorem illum afflatum de illis admonitum esse sanctum Præsulem, sed etiam per apparitionem? At non omnia hîc memorari quæ contigere, satis intelligitur ex eo quod subjicitur. *Quid multa?*

da foret, ſic ſancti martyres eminere cœperunt; A
ut adhuc nobis ſilentibus, arriperetur urna, &
ſterneretur prona ad locum ſancti ſepulcri. In-
venimus miræ magnitudinis viros duos, ut priſca
ætas ferebat. Oſſa omnia integra, ſanguinis
plurimum. Ingens concurſus populi per totum
a illud biduum. Quid multa? a Condivimus inte-
gra ad ordinem: tranſtulimus veſpere jam in-
cumbente ad baſilicam Fauſtæ: ibi vigiliæ tota
nocte, manus impoſitio. Sequenti die tranſtu-
* limus ea in baſilicam, quam appellant * Am- B
broſianam. Dum transferimus, cæcus ſanatus
eſt. Talis mihi ad populum fuit ſermo.

3. Cùm tam effuſam, tamque inauditam con-
ſiderarem conventus veſtri celebritatem, & di-
vinæ gratiæ munera, quæ in ſanctis martyribus
refulſerunt, imparem me, fateor, huic muneri
judicabam; nec fieri poſſe, ut ſermone abſol-
verem, quod vix poſſumus animo intendere,
oculis comprehendere. Sed ubi ſanctarum legi
cœpit ſeries ſcripturarum, largitus eſt Spiritus C
ſanctus, qui loquutus eſt in prophetis, quo dig-
num aliquid tanto cœtu & exſpectatione veſ-
tra, martyrumque ſanctorum meritis profe-
ramus.

Pſal. 18. 1. 4. *Cæli*, inquit, *enarrant gloriam Dei*. Cùm
legitur hic pſalmus, occurrit quod non tam
elementa materialia, quam cæleſtia merita dig-
num Deo præconium deferre videantur. Ho-
dierno tamen fortuita lectione patuit qui cæli
enarrant gloriam Dei. Adſpicite ad dextram D
meam, adſpicite ad ſiniſtram reliquias ſacro-
b ſanctas: b videte cæleſtis converſationis viros,
ſpectate animi ſublimis trophæa. Iſti ſunt cæli,
qui enarrant gloriam Dei: hæc opera manuum
ejus, quæ annuntiat firmamentum. Non enim
eos ſæcularis illecebra, ſed divini operis gratia
ad firmamentum ſacratiſſimæ paſſionis evexit:
multoque ante morum virtutumque documen-
tis annuntiavit in his martyrium, quod adver-
ſus lubricum ſæculi hujus ſtabiles permanſe- E
runt.

Phil. 3. 20. 5. Cælum erat Paulus, qui ait: *Noſtra conver-*
Marc. 3. 17. *ſatio in cælis eſt*. Cæli erant Jacobus & Johannes:
denique filii tonitrui nuncupantur; & ideo quaſi
Johan. 1. 1. cælum Johannes Verbum apud Deum vidit.
Ipſe dominus Jeſus perpetui luminis erat cæ-
lum, cùm enarraret Dei gloriam, ſed eam quam
Johan. 1. 18. nemo ante conſpexerat. Et ideo dixit: *Deum*
nemo vidit umquam, niſi unigenitus Filius, qui
eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Opera quoque
Job. 33. 4. manuum Dei ſi quæris, audi Job dicentem:
Spiritus divinus, qui fecit me. Et ideo adverſus
diaboli tentamenta firmatus, inoffenſæ veſti-
gium conſtantiæ ſervavit. Sed veniamus ad
reliqua.

6. *Dies*, inquit, *diei eructat verbum*. Ecce veri Pſal. 18. 3.
dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce
veri dies pleni luminis & fulgoris æterni, qui
non perfunctorio ſermone verbum Dei, ſed in-
timo corde eructarunt in confeſſione conſtan-
tes, in martyrio perſeverantes.

7. Alius pſalmus lectus dicit: *Quis ſicut do-* Pſal. 112. 5.
minus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia
reſpicit in cælo & in terra? Reſpexit ſane hu-
milia Deus, qui latentes ſub ignobili ceſpite
reliquias ſanctorum martyrum ſuæ Eccleſiæ re-
velavit, quorum anima in cælo, corpus in ter-
ra: *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens* Ibidem 7.
pauperem; quos videtis ut eos cum principibus
populi ſui collocarit. Principes populi quos
alios niſi ſanctos martyres æſtimare debemus,
quorum c jam in numerum diu ante ignorati c
Protaſius Gervaſiuſque præferuntur, qui ſteri-
lem martyribus Eccleſiam Mediolanenſem, jam
plurimorum matrem filiorum lætari paſſionis
propriæ fecerint & titulis & exemplis?

8. Nec hoc abhorreat à vera fide: *Dies diei* Pſal. 18. 3.
eructat verbum, anima animæ, vita vitæ, reſur-
rectio reſurrectioni. *Et nox nocti indicat ſcien-*
tiam, hoc eſt, caro carni, quorum paſſio veram
fidei ſcientiam omnibus indicavit. Bonæ noctes,
noctes lucidæ, quæ habent ſtellas; *Sicut enim*
ſtella à ſtella differt in claritate, ita & reſurrectio 1. Cor. 15. 41.
mortuorum.

9. Non immerito autem plerique hanc mar-
tyrum reſurrectionem appellant; d videro ta- d
men utrum ſibi, nobis certe martyres reſurre-
xerint. Cognoviſtis, immo vidiſtis ipſi multos
à dæmoniis purgatos: plurimos etiam, ubi veſ-
tem ſanctorum manibus contigerunt, iis quibus
laborabant, debilitatibus abſolutos: reparata
e vetuſti temporis miracula, quo ſe per adven- e
tum domini Jeſu gratia terris major infuderat;
umbra quadam ſanctorum corporum plerosque
ſanatos cernitis. * Quanta oraria jactitantur?
quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas
& tactu ipſo medicabilia repoſcuntur? Gaudent
omnes extrema linea contingere; & qui conti-
gerit, ſalvus erit.

10. Gratias tibi, domine Jeſu, quod hoc tem-
pore tales nobis ſanctorum martyrum ſpiritus
excitaſti, * quo Eccleſia tua præſidia majora
deſiderat. Cognoſcant omnes quales ego pro-
pugnatores requiram, qui propugnare poſſint,
impugnare non ſoleant. Hos ego adquiſivi ti-
bi, plebs ſancta, qui proſint omnibus, nemini
noceant. Tales ego ambio defenſores, tales

a. Omnes edit. *Condivimus integra; ad ordinem tranſtulimus: Veſpere jam incumbente ad baſilicam Fauſtæ*. Quæ lectio cùm claudicaret, Rom. edit. ſubjecit verbum *venimus* pro tibicine. Omnes vero mſſ. nobiſcum faciunt, niſi quod Belv. habet, *vigilia ad ordinem*: ſed melius ceteri reſpuunt *vigilia* in quibus *ad ordinem* idem ſignificat, ac *per ordinem*.

*. Baſilica illa *Ambroſiana* dicebatur à conditore, & etiam nunc ſancti Ambroſii majoris appellatur. Quam vero baſilicam Fauſtæ appellat Ambroſius, ea nunc SS. Vitalis & Agricolæ titulo gaudet. At illa unde eruta ſunt ſacra Gervaſii ac Protaſii lipſana; quam SS. Naboris ac Felicis dictam ait Paulinus, jam vocabulo mutato ſancti Franciſci nominatur. De his adeas Ughellum, ubi de reliquiis, quæ Mediolani adſervantur differit, & Mabillonium *Itin. Ital.* p. 15.

b. Ita omnes mſſ. paucis exceptis, ubi pro *videte* ponitur *videtis*: omnes vero edit. *videtis .... ſpectantes* &c.

c. Thuan. cod. ſolus, *quorum jam nomina, diu ante ignorata*: ſed cùm ceteris mſſ. *præferuntur*, ubi omnes edit. *proferuntur*.

d. Omnes edit. & pauci mſſ. *Videro*, non nulli mſſ. *video* & *videbo*, *tamen utrum ſibi, an nobis certe* quidam *ceteri martyres*: at reliquorum alii ſic habent, *Videro tamen utrum ſibi, an nobis, certe martyres* &c. alii tandem ut nos in textu.

e. Ita mſſ. plures potioreſque: alii vero & omnes edit. *vetuſti corporis miracula*.

*. *Oraria* hoc loco dicuntur ſudaria; nam alioqui ſunt etiam oraria in ſacerdotalibus indumentis.

*. Hic indicatur Juſtinæ auguſtæ perſecutio, quemadmodum in Admonitione jam diximus. Ceterum obiter annotandum eſt ſententiam infra poſitam, nempe *Tales ego ambio defenſores*, factam patrum memoria celebriorem, cùm eam vexillo ſanctorum Gervaſii ac Protaſii imaginibus inſignito, & in publica ſupplicatione ad ſedandam luem deferendo inſcribi ſanctus Carolus juſſit, ut habetur in ejus Vita.

a milites habeo: hoc est, non sæculi milites, sed milites Christi. Nullam de talibus invidiam timeo, quorum quo majora, eo tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis, qui mihi eos invident, opto præsidia. Veniant ergo & videant stipatores meos; talibus me armis ambiri non nego: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei nostri magnificabimur.* (Psal. 19. 8.)

11. Elisæum scripturæ divinæ series refert, cùm ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti servulo, ne timeret: *quia plures*, inquit, *pro nobis sunt, quam contra nos*; & ut hoc probaret, petisse ut oculi Giezi aperirentur: quibus ille apertis, innumeros adesse vidit propheta exercitus Angelorum. (4. Reg. 6. 16.) Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi, quamdiu obruta sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus, vidimus auxilia, quibus sumus sæpe defensi. Non videbamus hæc, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis quasi dixerit Dominus: Adspicite quantos vobis martyres dederim: ita b reseratis oculis gloriam Domini speculamur, quæ est martyrum passione præterita, & operatione præsens. Evasimus, fratres, non mediocrem pudoris sarcinam: patronos habebamus, & nesciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præstare majoribus. Sanctorum martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus.

12. Eruuntur nobiles reliquiæ è sepulcro ignobili, ostenduntur cælo trophæa. * Sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphalis notæ, inviolatæ reliquiæ loco suo & ordine repertæ, avulsum humeris caput. Nunc senes repetunt audisse se aliquando horum martyrum nomina, titulumque legisse. Perdiderat civitas suos martyres, quæ rapuit alienos. Etsi hoc Dei munus est; tamen gratiam quam temporibus sacerdotii mei dominus Jesus tribuit, negare non possum: & quia ipse martyr esse non mereor, hos vobis martyres adquisivi.

13. Succedant victimæ triumphales * in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redemti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi; dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit: sed cedo sacris victimis dexteram portionem; locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas & c dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.

14. Acclamavit populus, ut in Dominicum differretur diem martyrum depositio: sed tandem obtentum, ut sequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit.

15. * Hesterno tractavi versiculum: *Dies diei eructat verbum*, prout nostri captus tulit ingenii: hodie mihi non solum superiore tempore, sed præsenti quoque prophetasse videtur scriptura divina. (Psal. 18. 3.) Nam cùm diebus ac noctibus continuatam videam sanctitatis vestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis oracula declararunt, hesternum atque hodiernum, de quibus opportunissime dicitur: *Dies diei eructat verbum*; & istas noctes, de quibus aptissime disputatur, quia *nox nocti indicat scientiam*. Quid enim aliud hoc biduo, nisi verbum Dei intimo eructastis affectu, & scientiam vos habere fidei probavistis?

16. Cui tamen celebritati vestræ, qui solent, invident. Et quia celebritatem vestram invidis animis d ferre non possunt, causam celebritatis oderunt: atque in tantum amentiæ prodeunt, ut negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum; siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus: *Jesu Fili Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos?* (Matth. 8. 29.) Et cùm hæc audirent Judæi; ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones, & confitentes martyribus quod pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis, e ut nos tam graviter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare; cùm tormenta dæmonum ipsorum f voce probentur, & beneficia martyrum remediis sanatorum, & absolutorum indiciis declarentur.

17. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desivi; & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. * Notus homo est, publi-

a. Pro *milites habeo* legendum conjicit Latinius *milites aveo*. Verbum quidem *habeo* in mss. nonnullis deest, sed in multo pluribus, & cunctis edit. repetitur. Ea vero quæ sequuntur, nempe *hoc est, non sæculi .... invidiam timeo*, in edit. omissa erant, sed ex omnibus mss. restituuntur. Iterum autem ubi omnes edit. ac pauci mss. *qui mihi invident*: alii magno numero inserunt voculam *eos*, haud incongrue.

b. Rom. edit. sola, *reseratis oraculis*. Minus apposite.

*. Gregorius Turon. lib. 1. Mirac. cap. 47. rem narrat, quam in historia SS. Gervasii ac Protasii proditam negat, sed sibi an cujusdam narratione cognitam; nimirum cùm inter sacra è camera decidens tabula in capita martyrum illisa esset; tamdiu sanguinem inde fluxisse, quoad omnia linteamina & vela Ecclesiastica affatim eo tingerentur.

*. Quid hoc loco expressius ad veram & corporalem Christi in altari sacro præsentiam probandam dici possit, sane non videmus. Omnia illius verba perpendant sectarii, & si quid eis insit sinceritatis ac bonæ fidei, rem fatebuntur.

c. Omnes edi. at pauci mss. *dignis ædibus*: contra vero plerique mss. *dignis sedibus*.

*. Hæc ultima pars ab hujus epistolæ corpore avulsa, inter sermones in omnibus edit. collocatur: sed quam inepte, penes lectorem esto judicium.

d. Mss. non pauci, *referre non possunt*. Nec plane sine sensu aliquo; potest enim *referre* sumi pro exprimere, ac talem voluptatem, qualem catholicis afferebat ea solemnitas, animo percipere.

e. Ita mss. at edit. inter *ut* & *nos* inserunt *ante tempus*.

f. Mss. aliquot, *voce prodantur*: aliorum autem quidam *probantur*; alii, ac edit. *probentur*. Et rursus ubi omnes edit. & mss. nonnulli, *remediis cæcorum*; alii partim *remediis sanctorum*, partim *sanatorum* præferunt: quod magis placet.

*. Nihil hoc miraculo certius aut magis testatum, non modo propter gravissimam Ambrosii auctoritatem, & adjuncta illius universis mediolanensibus, quos alloquebatur hic idem Præsul, compertissima; verum etiam propter Augustini oculatum, sit verbo venia, testimonium, quod lib. 22. *de Civit. Dei* cap. 8. & expressius adhuc *Serm in Natali mart. Gerv. & Prot.* legere est. Idem etiam miraculum simul cum aliis, quæ memorantur in hac epistola, narrat, qui similiter oculatus testis esse potuit, Paulinus in Ambrosii Vita. Mirum igitur tantam fuisse Arrianorum pervicaciam, ut miracula tam evidentia pro commentitiis, immo etiam, ut Paulinus auctor est, pretio simulatis habuerint. Veruntamen ex iisdem Augustino atque Paulino cognoscimus perfidiam hæreticorum ea Martyrum manifestatione, si non minus fractam, saltem debilitatam fuisse, ac deferbuisse persecutionem. Et hinc sane magis miramur inter nostri temporis heterodoxos, qui vix majorem in alium ullum è Patribus, quam in Ambrosium nostrum venerationem præ se ferunt; inventum tamen, qui veterem Arrianorum calumniam, licet sub quibusdam dicteriorum involucris, renovaret.

cis

cis cùm valeret mancipatus obſequiis, Severus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium, poſtquam inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum ante ſuſtentabatur obſequiis: eos indices ſuæ viſitationis arceſſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Clamat quia ut contigit fimbriam de veſte martyrum, qua ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit.

18. Nonne ſimile iſtud eſt, atque illud quod in Evangelio legimus? Unius enim potentiam laudamus auctoris: nec intereſt utrum opus ſit, an munus; cùm & muneretur in opere, & operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donaverit, hoc in aliorum opere nomen ejus operatur. Legimus ergo in Evangelio Judæos, cùm viderent in illo cæco ſanitatis remedium, requiſiſſe parentum teſtimonium. Interrogabant: Quomodo videt filius veſter? Cùm ille diceret: *Cæcus cùm eſſem, modo video.* Hoc & iſte dicit: Cæcus fui, & modo video: Interrogate alios, ſi mihi non creditis, interrogate extraneos, ne adſtipulari mihi parentes putetis. Deteſtabilior iſtorum, quam Judæorum pertinacia. Illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant: iſti occulte interrogant, palam negant, jam non operi increduli, ſed auctori. *Joan. 9. 35.*

19. Sed quæro quid non credant, utrum à martyribus poſſint aliqui viſitari? Hoc eſt Chriſto non credere; ipſe enim dixit: Et majora his facietis. An ab iſtis martyribus, quorum merita jam dudum vigent, corpora dudum reperta ſunt? Quæro hîc utrum mihi, an ſanctis martyribus invideant? Si mihi, numquid à me aliquæ virtutes fiunt? numquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi invident, quod meum non eſt? Si martyribus (reſtat enim ut ſi mihi non invident, martyribus invidere videantur) oſtendunt alterius fidei fuiſſe martyres, quàm ipſi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inviderent; niſi fidem in his fuiſſe eam, quam iſti non habent, judicarent. Fidem illam majorum traditione firmatam, quam dæmones ipſi negare non poſſunt, ſed Arriani negant. *Joan. 14. 12.*

21. Audivimus hodie dicentes eos, quibus manus imponebatur, neminem poſſe [a] eſſe ſalvum, niſi qui in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum credidiſſet: illum mortuum, illum funereum, qui Spiritum ſanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, ſed Arriani nolunt fateri. Dicit diabolus: Sic torqueatur, quemadmodum ipſe à martyribus torquebatur, qui Spiritus ſancti deitatem negaret.

22. Non accipio à diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Invitus dixit diabolus, ſed exactus & tortus. Quod nequitia ſupprimit, extorquet * injuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere neſciunt Arriani. Quanta perpeſſi ſunt, & quemadmodum Pharao, malis ſuis indurantur? Dicebat diabolus, ut ſcriptum legimus: *Scio te quis ſis, tu es Filius Dei vivi.* Dicebant Judæi: *Neſcimus quis ſit.* Dicebant hodie & ſuperiore die vel nocte dæmones: Scimus quia martyres eſtis. Et Arriani dicunt: Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus: Veniſtis perdere nos; Arriani dicunt: Non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria. Audivi multa componi, hoc nemo umquam fingere potuit, [b] ut dæmonem ſe eſſe ſimularet. Quid illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? Ubi hîc locus fraudi eſt? ubi ſuſpicio ſimulandi? *Marc. 1. 24. Johan. 9. 19.*

23. Sed non ego ad ſuffragium martyrum uſurpo vocem dæmoniorum. Beneficiis ſuis ſacra paſſio comprobetur. Habet judices, ſed purgatos: habet teſtes, ſed abſolutos. Melior vox eſt, quam ſanitas loquitur eorum, qui debiles advenerunt: melior vox eſt, quam ſanguis emittit; habet enim ſanguis vocem canoram, quæ de terris ad cælum pervenit. Legiſtis dicentre Deo: *Sanguis fratris tui clamat ad me.* Et hîc ſanguis clamat coloris judicio: ſanguis clamat operationis præconio: ſanguis clamat paſſionis triumpho. * Sariſfactum eſt petirioni veſtræ, ut condendas heſterno in hodiernum diem differremus reliquias. *Gen. 4. 10.*

*EPISTOLA XXIII.

*Scripta anno 386.

Definiendi paſchalem diem difficultate ac ſimul neceſſitate propoſitis, licitam eſſe dierum obſervationem, dum ſuperſtitio abſit, probat, ſuumque conſilium aperit. Ad hoc quænam conſideranda, quove pacto obſervanda Lex? Poſt quæ diem paſſionis ac diem reſurrectionis diſtinguendos eſſe ubi demonſtravit, difficultateſque diluit exemplo temporum ſuperiorum: ad litteram nos non teneri declarat: & confirmata tota diſputatione, virtutes celebrando paſcha neceſſarias perſtringit.

Dominis fratribus dilectiſſimis epiſcopis per Æmiliam conſtitutis AMBROSIUS epiſcopus.

1. NOn mediocris eſſe ſapientiæ diem celebritatis definire paſchalis & ſcriptura divina nos inſtruit, & traditio majorum: qui convenientes * ad ſynodum Nicænam, inter

a. Omnes edit. *eſſe ſalvum, qui Patrem & Filium & Spiritum ſanctum negaret, qui Trinitatis* &c. mſſ. contra malo excepto locum reſtituere, ut in contextu

*. *Extorquet injuria*, id eſt, cruciatus, & dolor. Sic lib. 2. *de Abraham* cap. 8 num 5. *demetur injuriis*, pro, labore ac verberibus.

b. Vet. edit. *ut dæmoniacum*: mſſ. nonnulli, *ut dæmonium*: alii plures, & Rom. edit. *ut dæmonem.*

*. Hæc tranſlatio ſacrarum reliquiarum in Martyrol. Rom. refertur XIII. Kal. Jul. de qua nos in admonitione.

*. Bedam aliosque nonnullos, qui non concilio Nicæno, ſed Euſebio Cæſarienſi decemnovalem Cyclum attribuunt, Baronius ad annum 325. reprehendit Ambroſiani hujuſce loci auctoritate, cui etiam Dionyſii Exigui teſtimonium ex prima ejus epiſtola jungere potuiſſet. Verum tamen erroris Dionyſium arguit Bucherius: Ambroſium autem in hac epiſtola minus clare loquutum ex eo probat, quod infra circulum enneadecaeteridos non dicit aperte conſtitutum, ſed his verbis utitur: *Si quos diligenter intendat, ſtatuendum putarent.* Nos quidem Bucherio non adſentimur in eo, quod ut Ambroſium quæ hic ſuper paſchæ celebratione tradit, à Theophilo probet mutuatum fuiſſe, hanc epiſtolam an. 381. poſt paſcha, *ſecundo poſt editum à Theophilo Alex. Laterculum paſchalem anno* ſcriptam affirmat; cùm nobis probabilius videatur hanc ipſam eodem laterculo paſchali antiquiorem eſſe. Quod vero ad enneadecaeteridem, cujus mentionem aliquam in Nicæna ſynodo factam non negat ipſemet Bucherius, eam non ita definite decretam ac ſtabilitam putamus, ut plana fieret de celebrando paſchate controverſia; In quam quidem opinionem non ſolum propter Ambroſii verba ſupra laudata adducimur, verum etiam propter eas difficultates, quas cum ex hac ipſa epiſtola, tum ex Cyrillo, Leone Magno atque aliis etiam poſtea emerſiſſe certum eſt. Credimus igitur definitum à Concilio, ut paſcha reſurrectionis Græci ac Latini eodem die celebrarent, deinde ut ad Judæorum differentiam ea dies eſſet Dominica XIV lunæ martii menſis proxime ſequens, tertio ut circuli decemnovalis uſus admitteretur: ſed quædam tamen ad eumdem uſum neceſſaria non ſatis explicata fuiſſe, unde poſtea natæ difficultates. Adi hac de re Franc. Balbi notas in hanc epiſtolam inter opuſcula Nic. Fabri editas.

illa fidei ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituêre circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum enneadecaterida nuncuparunt, sequentes illud, quod non debeamus vana quadam opinione super celebritate hujusinodi fluctuare: sed vera ratione comperta, ita omnium concurrat affectio, * ut una nocte ubique sacrificium pro resurrectione Domini deferatur.

2. Domini fratres dilectissimi, eo usque à vero nos deviare non convenit, nec vago ingenio discrepare, ut quædam necessitas celebritatis hujus omnibus sit imposita christianis; quando quidem ipse Dominus eum elegit diem, quo pascha celebraret, qui cum observantiæ veræ ratione concurrit. Scriptum est enim: *Venit autem dies, in qua necesse erat Pascha immolari, & misit Petrum & Johannem, dicens: Euntes parate nobis pascha ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad illos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret homo amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias: Dicit tibi magister; Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis manducem? Ipse vobis ostendet in superioribus locum magnum: ibi parate.* (Luc. 22. 10. & seq.)

3. Advertimus igitur quod non ad terrena descendere, sed in superioribus locum magnum stratum quærere debeamus; ut Domini pascha celebremus. Abluere etiam sensus nostros quadam spiritali aqua fontis æterni, & devotæ celebritatis tenere mensuram; nec opinione vulgari dies quosdam explorare lunares, cùm Apostolus dicat: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos; timeo ne sine causa laboraverim in vobis*; nam incipit esse contrarium. (Galat. 4. 10.)

4. Sed aliud est observare gentilitio more, ut qua luna quid adoriendum sit judices, ut puta * quintam esse fugiendam, nihilque ea inchoandum: varios quoque cursus lunæ obeundis negotiis commendare, vel cavere quosdam dies, quemadmodum plerique [a] posteros dies vel Ægyptiacos declinare consuerunt. Aliud vero est observantiam religiosæ mentis intendere in eum diem, de quo scriptum est: *Hic est dies, quem fecit Dominus.* (Psal. 117. 24.) Nam etsi scriptum sit quod pascha Domini quartodecimo die mensis primi celebrari debeat, & vere quartamdecimam lunam ad celebrandam Dominicæ seriem passionis inquirere debeamus; tamen ex hoc possimus intelligere, quod ad hujusmodi solemnitatem vel Ecclesiæ perfectio, vel claræ fidei plenitudo quæratur, sicut dixit Propheta, cùm loqueretur de Filio Dei, quia *sedes ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta, in æternum manebit.* (Psal. 88. 38.)

5. Inde est quod & ipse Dominus, cùm opera in terris miranda fecisset, quasi jam fundata humanarum mentium fide, tempus passionis esse memoravit dicens: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum; ut Filius tuus clarificet te.* (Joan. 17. 1.) Hanc enim celebrandæ passionis claritudinem quæsitam alibi docet dicens: *Ite, dicite illi vulpi: Ecce ejicio dæmonia hodie, & cras sanitates perficio, & sequenti consummor die.* (Luc. 13. 32.) His utique consummatur Jesus, qui incipiunt esse perfecti; ut plenitudinem divinitatis & redemtionis ejus fide sua credant.

6. Ergo & diem & horam exquirimus, ut Scriptura nos instruit. Propheta etiam David dicit: *Tempus faciendi, Domine*, petens accipere sensum ad cognoscenda Domini testimonia. (Psal. 118. 126.) Et Ecclesiastes quoque ait: *Omni rei tempus.* (Eccl. 3. 1.) Hieremias clamat: *Turtur & hirundo, agri passeres agnoverunt tempora introitus sui.* (Hier. 8. 7.) Quid autem evidentius, quam de passione Domini dictum videri potest: *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui?* (Esai. 1. 3.) Agnoscamus ergo hoc præsepe Domini, in quo alimur, pascimur & reficimur.

7. Hoc igitur tempus præcipue scire debemus, quo per universum orbem consona sacræ noctis fundatur oratio; quia & tempore commendantur preces, sicut scriptum est: *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* (Esai. 49. 8.) Hoc est tempus de quo Apostolus dixit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* (2. Cor. 6.)

8. Unde necesse fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitiones, * episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ, per litteras plerique meam adhuc exspectant sententiam, quid existimem scribere de die paschæ. Nam licet futuri diei paschæ inciderit quæstio; tamen etiam in reliquum quid tenendum videatur, aperimus; si qua quæstio talis incurrerit.

9. Duo autem sunt observanda in solemnitate paschæ, quartadecima luna, & primus mensis, qui dicitur novorum. Itaque ne à veteri Testamento videamur discedere, ipsum de paschæ celebrandæ die capitulum recenseamus. Monet Moyses populum, dicens custodiendum mensem novorum, eum primum esse mensem

*. Observa veteris Ecclesiæ consuetudinem, qua sacrificium in pervigilio paschatis eo ipso tempore offerebatur, quod Christi resurrectione consecratum est.

*. De gentilium superstitionibus in quarti diei observatione tractavit Ambrosius lib. 4. *Hexaem* cap. 9. quod autem hoc loco dicit de luna quinta, id dubio procul referendum est ad illud Virg. ex 1. Æneidos:

Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
Felices operum: quintam fuge &c

a. Gill. *pasteros dies*. Operarum lapsus, sed tamen qui in edit. Paris. anni 1586 receptus fuit. Posteros vero dies Bucherius, ita explicat: *Posteri dies*, inquit, *qui postridie Kal Non. vel Idus erant, Romanis infausti habebantur.* Gellius lib. 5. cap. 17. Quod ad Ægyptios pertinet, eorum Augustinus quoque in Apostoli verba, quæ supra citantur ab Ambrosio, mentionem facit, sed quinam fuerint, non aperit. Cangius ad verbum *dies* varias recentiorum de iisdem diebus opiniones referens, singulis mensibus duos fuisse tradit aggrediendis rebus inauspicatos. Vide etiam Abulenem in Exod. 12.

*. Utrum vox *episcopi* cum adjectivo *plerique* & verbo *exspectant* conveniat, an vero posita sit in gignendi casu & ad τὸ *definitiones* referatur, ambigi potest. Attamen ultimum nobis verisimilius est, cùm & adverbii *quoque* proprium sit antecedenti orationi sequentem connectere, nec satis recte dici videatur plerosque episcopos Ecclesiæ Romanæ Ambrosianam adhuc exspectare sententiam: nisi quis malit *Ecclesia Romana* hoc loco poni pro metropoleos Romanæ. Sed præterquam quod inusitatior est ea locutio, quæ causa esset, cur potius Mediolanensis quam Romani metropolitæ sententiam quærerent iidem antistites? Itaque vocem *episcopi* accepimus indefinite pro episcoporum; cùm à plerisque pontificibus Romanis constitutiones de paschali festo ante illud tempus editas constet. Quin immo eamdem difficultatem, quæ Ambrosium nostrum ad scribendum hæc de re compulerat, etiam postea rediisse ex epistola sancti Leonis ad Marcianum imperatorem cognoscere est. Utramque epistolam compara, & affinitatem inter illas non mediocrem comperies.

Exod. 12. 2. prædicans; ait enim: *Hic mensis vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni: & facies pascha domino Deo tuo quartadecima die mensis primi.*

Joan. 1. 17. 10. Lex nempe *per Moysen data est: gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est.* Ipse ergo qui Legem loquutus est, postea veniens per Virginem novissimis temporibus plenitudinem Legis consummavit; Matth. 5. 17. quia venit non Legem solvere, sed implere; & celebravit pascha hebdomade, in qua fuit quartadecima luna quinta feria. Denique ipsa die, sicut superiora docent, pascha cum discipulis manducavit: sequenti autem die, hoc est, sexta feria, crucifixus est, luna quintadecima. Sabbato quoque magno illo sextadecima fuit: ac per hoc septimadecimâ lunâ resurrexit à mortuis.

11. Unde hæc lex paschæ nobis servanda est, ut non quartamdecimam observemus in die resurrectionis, sed in die magis passionis, aut certe aliis proximis superioribus diebus; quia resurrectionis celebritas die Dominica celebratur: Dominica autem jejunare non possumus; quia * Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus. Hoc est enim in resurrectionem Christi non credere, si legem quis jejunii die resurrectionis indicat; cùm Lex dicat pascha edendum cum amaritudine, Exod. 12. 8. hoc est, cum dolore, quod tanto sacrilegio hominum auctor salutis sit interemtus: die autem Dominica exsultandum Propheta docet, dicens: *Hic est dies, quem fecit Dominus; exsultemus & lætemur in eo.* Psal. 117. 24.

12. Ergo non solum passionis diem, sed etiam resurrectionis observari oportet à nobis; ut habeamus & amaritudinis & lætitiæ diem: illo jejunemus, isto reficiamur. Unde si inciderit, sicut futurum est proxime, * quartadecima luna mensis primi die Dominica; quia neque Dominica jejunare debemus, neque tertiadecima luna die sabbati incidente jejunium solvere, quod maxime die passionis est exhibendum: in alteram hebdomadam celebritas paschæ est differenda. Siquidem sequitur quintadecima luna, qua passus est Christus, & erit secunda feria: tertia quoque feria erit sextadecima luna, qua Domini caro in sepulcro quievit; cùm quartâ etiam feriâ septimadecima luna futura sit, qua Dominus resurrexit.

13. Cùm igitur triduum illud sacrum in hebdomadam proxime incurrat ultimam, intra quod triduum & passus est, & quievit, & resurrexit, de quo triduo ait: *Solvite hoc templum,* Joan. 2. 19. *& in triduo excitabo illud*; quid nobis potest molestiam dubitationis afferre? Nam si ea res scrupulum movet, quia quartadecima luna non celebramus ipsum diem vel passionis, vel resurrectionis; ipse Dominus non quartadecima luna passus est, sed quintadecima, & septimadecimâ resurrexit. [a] Quod si movet, quia quartamdecimam lunam transeuntes, quæ die Dominica incidit, hoc est, quartodecimo kalendas maii, sequenti Dominica instaurandam celebritatem suademus; auctoritas exstat hujusmodi.

14. Nam temporibus paulo superioribus, cùm incidisset quartadecima luna mensis primi in Dominicam diem, sequenti alterâ Dominicâ celebrata solemnitas est. [b] Octogesimo autem & nono anno ex die imperii Diocletiani, cùm quartadecima luna esset nono kalendas aprilis, nos celebravimus pascha pridie kalendas aprilis. Alexandrini quoque & Ægyptii, ut ipsi scripserunt, cùm incidisset quartadecima luna [c] vigesimo & octavo die phamenoth mensis, celebraverunt pascha quinta die pharmuthi mensis, quæ est pridie kalendas aprilis, ac sic convenere nobiscum. Rursus nonagesimo & tertio anno à die imperii Diocletiani, cùm incidisset quartadecima luna in quartumdecimum diem pharmuthi mensis, quæ est quinto idus aprilis, quæ erat Dominica die, celebratum est pascha Dominica pharmuthi vigesimo & primo die, qui fuit secundum nos [d] sextodecimo kalendas maii. Unde cùm & ratio sit & exemplum, nihil super hoc movere nos debet.

15. Nunc illud est, quod enodandum videtur, quia plerique putant secundo mense nos celebraturos pascha, cùm scriptum sit: *Custodi primum mensem novorum;* Deut. 16. 1. quod non potest incidere, ut præter mensem novorum pascha celebrent, nisi qui quartamdecimam lunam ita observant secundum litteram, ut non alio nisi ipso celebrent die. Denique futurum Judæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt pascha, hoc est, [e] decimo tertio kalendas aprilis, secundum nos: secundum Ægyptios autem vigesimoquarto die phamenoth mensis, qui est non primus mensis, [f] sed duodecimus; primus enim mensis apud Ægyptios dicitur pharmuthi, & incipit sexto kalendas aprilis, & finitur septimo kalendas maii. Ergo secundum Ægyptios primo mense celebraturi sumus Dominicam paschæ, hoc est, septimo kalendas maii, qui est dies trigesimus pharmuthi mensis.

*. De jejunio Dominicæ diei à Manichæis observari solito consule Augustini epistolam 36. *ad Casulanum* num. 27. & 29. De quo etiam nonnihil habet Proterius in epistola ad Leonem.

*. Hic erat cardo difficultatis, de qua consultus fuerat Ambrosius, nimirum quod cùm pascha incideret in XIV. Kal. maias, utrum in VII transferri posset, dubium erat propter rationes hic à sancto Ambrosio, & à Proterio in epistola citata propositas. Ubi obiter animadvertes, quod in *Admonit. ad lib. Elia & jejun.* à nobis dictum est de jejunio sabbati sancti, plane confirmari.

a. Omnes mss. *Quid si movet .... quæ die* &c.

b Vet. edit. *Octogesimo autem anno & nonagesimo tertio:* Rom. edit. tantum resecavit, *& nonagesimo tertio:* melius Franc. Balbus, & Bucherius, *Octogesimo autem & nono anno:* quo cyclum decemnovennalem, inquit Balbus, XIII. invenio: F. litteram domin. ampliaturoque pascha in pridie Kal aprilis. Hunc autem annum post reparatam salutem 373. fuisse tradit Bucherius. Et hæc utriusque emendatio etiam ex epistola Proterii, nec non ex æra Diocletiani, quam anno Christi 284. IV. Kal. Sept. institutam volunt, confirmatur.

c. Ita Rom. edit. & mss. cum epist. Proterii, & Balbi ac Bucherii supputatione: Vet. autem edit. *& vigesimo, & octavo die pharmuthi.*

d. Vet. edit. *non quinto decimo:* restituit edit. Rom. *nos sexto decimo.* Et certe manifestum est, priore dominica in V. idus aprilis incidente, proxime sequentem non in XV. sed in XVI. Kal. maii incidere.

e. Edit. antiq. *tertio Kal. april.* Rom cum mss. *tertio decimo* &c. unde confirmari mutationem *pharmuthi* in *phamenoth*, de qua superius dictum est, observat Balbus.

f. Ita Rom. edit. vet. autem, *sed duodecimus; & incipit sexto.* Mendose, certum enim est mensem *phamenoth* incipere V. Kal. martias & finire VII Kal. april. ac proinde mensem *pharmuthi* initium sumere à VI. Kal. ejusdem aprilis. At illud animadvertendum videtur Ambrosium, cùm *pharmuthi* primum mensem appellat, intelligendum esse de primo novorum, qui primus anni erat secundum Legem: nam apud Ægyptios mensis primus *Thot* dicebatur, & nostro Septembri respondebat. Vide Lact. Firmianum lib. 2. cap. 6.

16. Nec absurdum arbitror, ut inde observandi mensis trahamus exemplum, ubi primum pascha celebratum est. Unde & majores nostri in tractatu concilii Nicæni, [a] eumdem enneadecaterideni, si quis diligenter intendat, statuendum putarunt, & ipsum mensem novorum recte custodierunt; quia in Ægypto hoc primo mense nova secantur frumenta: hic autem mensis & primus est secundum Ægyptiorum proventus, & primus secundum Legem, & octavus secundum consuetudinem nostram; B [*] indictio enim septembri mense incipit. Octavo igitur mense kalendæ aprilis sunt: incipit autem mensis non secundùm vulgarem usum, sed secundum consuetudinem peritorum ab æquinoctio, qui dies est duodecimo kalendas aprilis, & finitur undecimo kalendas maii. Inde maxime intra hos triginta & unum dies [b] sæpe celebrati paschæ dies.

17. Sed cùm [*] ante sexennium celebraverimus paschæ Dominicam undecimo kalendas maii, C hoc est, trigesimo die mensis, secundum nostram scilicet calculationem, moveri non debemus, si & proxime trigesimo die pharmuthi mensis celebraturi sumus paschæ Dominicam. Verum si quis mensem secundum inde existimat, quia post triduum completi mensis, qui compleri videtur undecimo kalendas maii, paschæ Dominica erit; illud consideret, quia quartadecima luna, quæ quæritur, quartodecimo kalendas maii erit, hoc est, intra præscriptum D mensis numerum. Lex autem diem passionis exigit intra primum mensem novorum debere celebrari.

18. Satisfactum est igitur secundum plenitudinem lunæ, cui ad complendum mensem supersunt tres alii dies. Non ergo in alterum mensem recidit, quando intra eumdem mensem, qui primus est, pascha celebrabitur. Ad litteram autem nos teneri non oportere, licet consuetudo celebrandi pascha ipsa nos instruat; E tamen & Apostolus docet, qui ait: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* (1. Cor. 5. 7.) Sed & proposita lectio docet litteram non sequendam; sic enim habes: *Et facies pascha domino Deo tuo quartodecimo die mensis primi.* (Exod. 12. 18.) A Diem pro luna dicit; unde peritissimi quoque secundum Legem lunari cursu computant mensem: & ideo cùm à pluribus nonis lunæ cursus incipiat, hoc est, dies primus, [c] vides nonas maii adhuc ad mensem primum novorum computari posse. Ergo & juxta Legis sententiam primus hic mensis est. Denique μήνην lunam vocant Græci, unde μῆνας græce dicunt menses; & naturalis usus nationum exterarum lunam pro diebus appellat.

19. Alium autem diem passionis, alium resurrectionis celebrandum veteris quoque Testamenti series ostendit; sic enim habes: *Agnus sine macula, mundus, consummatus, anniculus, masculus erit vobis, ab ovibus & hædis sumetis, & erit vobis in observatione usque in quartamdecimam mensis hujus, & occidetis illum tota multitudo Synagoga filiorum Israel ad vesperum, & sument de sanguine ejus, & ponent super duos postes, & super limen ostii domus, in qua manducabunt* (Ibidem 5. & seq.) C *eum inter semet ipsos: manducabunt carnem hanc nocte igni assatam;* & infra: *Et edetis illum cum sollicitudine; pascha est enim Domini & pertransibo in terram Ægyptiorum in nocte illa, & percutiam omne primitivum in Ægypto ab homine usque ad pecus, & in omni terra Ægypti faciam vindictam, ego Dominus. Et erit vobis sanguis in signo in domibus, in quibus eritis ibi; & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga exterminii. Et conteram terram Ægypti, &* D *erit dies hic vobis memorabilis & solemnis, & diem festum agetis eum Domino in progenies vestras, legitimum sempiternum, diem festum agetis illum.*

20. Advertimus & passionis diem descriptum in jejunio, quia ad vesperum occidendus est agnus; licet ultimum tempus pro vespere possimus accipere secundùm Johannem, qui ait: *Pueri, novissima hora est.* (1. Johan. 2. 18.) Sed & juxta mysterium vespere diei constat occisum, quando tenebræ statim factæ sunt: & jejunium deferendum eo die verum est, quia ita edetis illum cum sollicitudine; jejunantibus enim sollicitudo adhæret. Resurrectionis autem die exsultatio refectionis est atque lætitiæ, quo die videtur exisse populus ex Ægypto, primitivis Ægyp-

a. Edit. vet. *eum diem endecaterille*: Rom. *eumdem*, mensem nimirum, *enneadecateridem.* Optima correctio; id enim hoc loci docet Ambrosius Nicænos patres propterea statuisse, ut circulus decemnovalis à mense novorum inciperet, atque in eum desineret; quia in eodem primum pascha olim à Judæis celebratum est.

*. Ex hoc potissimum loco astruunt chronologi Ambrosium è Patribus latinis primum fuisse, à quo indictionum facta sit mentio. Verùm tamen illud potiori jure collegissent ex lib. *de Noe & Arca*, cap. 17. num. 60. ubi earum usum non diu ante cœpisse satis insinuat. Dubitari autem hic potest, quam indictionem utroque loco designaverit; utrum Constantinopolitanam, quæ incipiebat Kal. septembris, an Constantinianam, cujus initium erat VIII Kal. ejusdem mensis; an tandem Romanam, Antiochenam vel aliam ex earum numero, quæ à scriptoribus commemorantur? Sed inter se satis conveniunt peritiores Ambrosium de Constantiniana intelligendum: cujus quidem institutio, quamvis rem obscurissimam esse asserat Baronius, receptiori tamen sententia tribuitur anno Domini 312. Constantino Magno imperante. Nec vero leve hujus opinionis argumentum est, quod Athanasius in lib. *de Synodis* agens de conventiculo Arrianorum Antiochiæ habito, illud præsente Constantio indictione XIV. coïvisse declarat: & hinc qui Theodosio indictiones his Ambrosii locis persuasi attribuunt, liquido refelluntur. Porro indictionum crebra mentio fit in Cod. Theodos. quarum laterculum Godefridus exhibet statim initio. Vide etiam Chronicon Marcellini, & Alexandrinum, licet innumeris erroribus fœdatum.

b. Tres mss. Vat. *sæpe celebratos*; unus qui & antiquissimus, ac omnes edit. *sæpe celebrati*; exceptis quibusdam Paris. ubi legimus, *sæpe celebratur.* Ceterum quod ait Ambrosius *intra hos triginta & unum dies*, erratum etiam ibi videtur; sunt enim XXXII. à XII. Kal. april. ad XI. Kal. maii.

*. Scite advertit Balbus sequentia cum τῷ biennium quadrare non posse; nec enim ea convenire alii anno, quam 95 æræ Diocletiani, Christi vero 379. Unde colligit biennium ex eo factum quod scriptum fuerat VI annum. Qua conjectura nihil probabilius. Nihilominus tamen Bucherius vulgatem retinet lectionem, annumque designatum per voces *ante biennium* Christi 369. fuisse arbitratur. Verùm ea supputatio non cohæret cum eo quod de anni 387. pascha hic dicitur: *quod futurum est proxime*; cùm hanc epistolam idem Bucherius scriptam anno 381. censeat. Et certe recurrente postmodum simili difficultate de paschate anni 355. sanctus Leo non ante annum 553 consulendos peritos existimavit. Quod autem Hermannus tradit fieri potuisse, ut alius cyclus à Victoriniano observaretur: & revera alium hoc ipso antiquiorem etiam à Bucherio editum esse, in quo pascha resurrectionis anni 384. ponatur XII Kal. maii, id est, XI. cùm festum paschatis apud eum auctorem ab anno 378. semper uno die anteverteatur. Sed idem canon tot mendis scatere deprehenditur, ut ei fidere non audeamus.

c. Rom. edit. *Vides pridie nonas maii*: vet. *Vides nonas maii.* Commoda lectio: cùm enim nova luna primi mensis, ut notat Balbus, ex Alexandrinorum cyclo incipere possit vel V. april. tot ut nonæ maii primo lunari mense includantur aliquando. Sed forte non putarunt Rom. editores nonas ad superiorem mensem pertinere posse; cum ex Festo nonæ dicantur à nova luna, quod incidat in eas lunæ principium: ex Macrobio autem, quod sint quasi exordium novæ observationis. At hujusmodi etymologiæ non sunt tanti. Et profecto recte hic ab Ambrosio dicitur, *cum à pluribus nonis* &c. non autem ab omnibus.

tiorum necatis. Quod posteriora evidentius do- A cent, in quibus ait Scriptura, quia postquam fecerunt Judæi pascha, sicut præcepit Moyses, *factum est circa mediam noctem, & Dominus percussit omne primitivum in terra Ægypti, à primitivo Pharaonis. Et vocavit Pharao Moysen & Aaron nocte, & dixit illis: Surgite & exite de populo meo, & vos & filii vestri: ite & servite domino Deo vestro.* Et urgebant Ægyptii populum, festinantes quam celerrime expellere. Denique sic profecti sunt Israelitæ, ut non occurreret B sibi azyma fermentare; ejecerunt enim eos Ægyptii, & non potuerunt sustinere, [a] quem apparatum sibi fecerant in viam.

Exod. 12. 29. Ibidem 31.

21. Referatum est igitur diem resurrectionis observandum post diem passionis, qui dies resurrectionis non quartadecima luna debet esse, sed postea, ut vetus loquitur Testamentum; quia dies resurrectionis is, cùm egrediens populus de Ægypto, in mari & in nube baptizatus, ut Apostolus dicit, mortem vicit, panem spi- C ritalem accipiens, & potum de petra hauriens spiritalem: nec passionem Domini die Dominica posse celebrari; & si quartadecima luna in Dominicam inciderit, adjungendam hebdomadam alteram, sicut & septuagesimo sexto anno ex die imperii Diocletiani factum est. Nam tunc [b] vigesimo octavo die pharmuthi mensis, qui est nono kalendas maii, Dominicam paschæ celebravimus sine ulla dubitatione majo- D rum. Simul etiam lunæ cursus & ratio suffragatur, quoniam vigesima prima luna proximum pascha celebrandum est; nam usque ad vigesimam primam lunam consuevit extendi.

1. Cor. 10. 1. & seq.

22. Ergo cùm tot veritatis indicia concurrant, juxta majorum exempla festum publicæ salutis læti exsultantesque celebremus, postes nostros ubi est ostium verbi, quod sibi Apostolus optat aperiri, fide passionis Dominicæ colorantes. De hoc ostio dicit etiam David: *Pone* E *Domine, custodiam ori meo, & ostium circuitus labiis meis*; ut nihil aliud nisi sanguinem Christi loquamur, quo mortem vicimus, quo redempti sumus. Flagret in nobis odor Christi. Ipsum audiamus, in illum & mentis & corporis oculos dirigamus, opera ejus mirantes, beneficia prædicantes: super limen ostii nostri sacræ redemtionis confessio resplendeat. Sumamus ferventi spiritu sacramentum in azymis sinceritatis F & veritatis, pia doctrina gloriam Patris [c] & Filii, & Spiritus majestatem individuam concinentes.

Coloss. 4. 3. Psal. 140. 3.

EPISTOLA XXIV.

* Scripta an. 386.

Exposito cur legationis suæ rationem reddat, quomodo in consistorium ingredi coactus, Maximi osculum recusaverit; & accusationes quibus hic ab eo si deceptum, & à Bautone immissos imperio barbaros criminabatur, in ipsum retorserit, narrat. Tum ubi retulit, qua libertate Valentiniani clementiam ejus crudelitati opposuerit, utque Gratiani corpus redderetur, institerit, nec non post exprobratam tyranno Vallionis cædem fuerit ejectus, suam non tam de periculo suo, quam de Hygini exsilio sollicitudinem subdit.

AMBROSIUS VALENTINIANO imperatori.

23. ETsi superioris legationis meæ fides ita approbata sit tibi, ut ratio ejus à me non quæratur; satis enim claruit eo ipso quod aliquot dies retentus sum intra Gallias, [d] me volentia Maximo non recepisse, neque iis adstipulatum, quæ ad voluntatem ejus magis, quàm ad pacem propenderent: denique non commisisses secundam legationem, nisi primam probasses. Sed quia regredienti mihi decernendi secum imposuit necessitatem, ideo hac epistola expositionem legationis meæ insinuandam putavi; ne cujusquam sermo [e] veris prius vana intexeret, quam reditus meus integra, & sinceræ veritatis expressa signaculo manifestaret.

2. Cùm pervenissem Treviros, postridie processi ad palatium. Egressus est ad me * vir Gallicanus, præpositus cubiculi, eunuchus regius. Poposci adeundi copiam, quæsivit num rescriptum haberem clementiæ tuæ. Respondi habere. Retulit non posse me, nisi in consistorio videri. Dixi non esse hunc morem sacerdotalem, certe esse aliqua de quibus [f] serio deberem cum suo principe confabulari. Quid plura? Consuluit eum, sed eadem referenda credidit; ut liqueret etiam priora ex illius arbitrio depromta. Dixi tamen alienum id quidem à nostro munere, sed me recepto officio non defuturum; gratam mihi esse humilitatem in tuo præsertim, & quod verum est, fraternæ pietatis negotio.

3. Ubi sedit in consistorio, ingressus sum, adsurrexit ut osculum daret. Ego inter consistorianos steti. Hortari cœperunt alii, ut adscenderem: vocare ille. Respondi ego: Quid oscularis eum, quem non agnoveris? Si enim me agnovisses, non hoc loco videres. Commotus es, inquit, episcope. Non, inquam, injuria, * sed verecundia, quod alieno consisto loco. Et prima, inquit, legatione ingressus es consistorium, Nec illud, inquam, mei erroris fuit: vocantis

a. Vet. edit. cum tribus mss. *sustinere, apparatum sibi fecerant*: Rom. *sustinere, nec apparatum sibi fecerunt*. Et certe suffragantur huic correctioni verba illa Exodi 12. [Greek] &c. Verumtamen eam lectionem unus Vat. codex suppeditet ab illo textu haud multum recedentem, in textum recipiendam existimavimus.

b. Omnes edit. *trigesimo die pharmuthi mensis, qui est septimo Kal. maii*. Sed Balbus ac Bacherius emendationis locum indigere deprehenderunt, atque adeo reponendum *vigesimo octavo die... qui est IX. Kal. maii*. Optima correctio; cùm enim illic agatur de anno reparatæ salutis 360. aliter ea inter cohærere nequaquam possunt.

c. Ms. unus, *& Filii majestatem & Spiritus sancti individuam concinnitatem*.

d. Edit. Amerb. & mss. aliquot, *me violenti à Maximo*: seq. edit. *me violentiam à Maximo*: neutrum congruo sensu: reliqui mss. partim *me volente à Maximo*, partim, *me volenti à Maximo*, vel *me volentia Maximo*, quæ vera lectio est. Sic enim Tacitus: *Hæc atque talia plebi volentia fuere*. Ita etiam Salust. Indicat igitur Ambrosius placentia Maximo se vel non admisisse, vel facturum se non promisisse; hic enim verbum *recepisse* utroque modo potest explicari. Rursus vero, ubi nos cum antiq. edit. & mss. pluribus, *ad pacem pretenderent*: Rom. edit. & quidam mss. ... *propenderent*, unus *prætenderent*.

e. Vet. edit. & mss. non pauci, *viri prius vana*, nonnulli, *veri prius vana*; nec incommode, cùm non sit insolens Ambrosio, ut veritatis vacua imitatione Virgilii appellet *veri vana*: bene tamen aliquot mss. ac Rom. edit. ut in textu.

*. An per catachresin *vir* nominetur, qui vere fuerit evitatus: an vero quod *eunuchus* dicitur, nomen sit muneris ac dignitatis, non definimus. Vide quæ ad lib. *de Joseph patriarcha* cap. 6. observavimus.

f. Rom. edit. sola, *secreto deberem*.

*. Cum ex hoc Ambrosii exemplo, tum ex aliis virorum sanctitate ac modestia præcellentium cognoscimus honorem moneri ac dignitati suæ debitum tueri non vanitatis, sed magnanimitatis esse; modo non personæ tribuatur, quod speciei dignitatis expetitur.

non ingredientis vitium est. Cur, inquit, ingressus es? Quia, inquam, tunc ut inferiori pacem petebam, nunc ut æquali. Cujus, inquit, beneficio æquali? Respondi: Omnipotentis Dei, qui Valentiniano regnum, quod dederat, reservavit.

4. Ad postremum erupit dicens: Quoniam me lusistis tu & ille * Bauto, qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit, qui etiam barbaros mihi immisit: quasi ego non habeam, quos possim adducere; cùm mihi tot millia barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quod si ego tunc temporis quando venisti, non fuissem retentus, quis mihi obstitisset & virtuti meæ?

5. Ad hæc ego leniter: Non opus est, inquam, ut commovearis, cùm causa nulla sit commotionis: sed patienter audias, quæ referantur istis. Propterea & ego veni, quia prima legatione, dum mihi credis, per me deceptum te esse adserebas. Gloriosum mihi est & hoc pro salute pupilli imperatoris. Quos enim episcopi magis, quam pupillos debemus tueri? Scriptum est enim: *Judicate pupillo, & justificate viduam, & eripite injuriam accipientem;* & alibi: *Iudices viduarum, & patres orphanorum.*

Esai. 1. 17
Psal. 67. 6.

6. Tamen non exprobrabo beneficium meum Valentiniano. Ut verum eloquar, ubi ego tuis legionibus obstiti, quominus influeres in Italiam? Quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? An verò corpore meo clausi tibi Alpes? * Utinam hoc meum esset: objectionem non timerem, non vererer criminationes tuas. Quibus promissis lusi te, ut paci adquiesceres? Nonne intra Gallias juxta urbem Moguntiacum comes * Victor occurrit mihi, quem direxisti, ut pacem rogaret? In quo ergo te fefellit Valentinianus, qui prius pacem à te rogatus est, quàm postularet? In quo te fefellit Bauto, qui devotionem imperatori exhibuit suo? An quia principem suum non prodidit?

7. In quo ego te circumscripsi? Qui ubi primum veni, cùm diceres quod Valentinianus ad te quasi filius ad patrem venire deberet; responderim non esse æquum, ut aspero hiemis tempore puer cum matre vidua penetraret Alpes: sine matre autem tanto itineri dubiis rebus committeretur? De pace [a] nobis legationem commissam, non de adventu ejus promissionem: spondere nos id non potuisse certum est, quod mandatum non erat: me certe nihil spopondisse, adeo ut diceres: Exspectemus quid Victor responsi referat. Illum autem liquet, me retento, pervenisse Mediolanum; nega- A tumque ei, quod postulabat. De pace tantum conspirare studia, non de adventu imperatoris, quem moveri non oporteret. Præsens eram, ubi Victor rediit. Quomodo ergo revocavi Valentinianum? Legati iterum missi ad Gallias, qui ejus adventum negarent, apud Valentiam Gallorum me repererunt: milites utriusque partis, qui custodirent juga montium, offendi revertens. Quos ego tuos revocavi exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immisit B barbaros Bauto comes?

8. Et quid mirum si hoc Bauto fecisset, Transrhenanus genere; cùm tu minitaris imperio Romano barbarorum auxilia, & turmas translimitanas, quibus commeatus [b] provincialium tributa solvebant? Vide autem quid intersit inter tuas minitationes, & Valentiniani augusti pueri mansuetudinem. Tu flagitabas quod barbarorum stipatus agminibus Italiæ te infunderes: Valentinianus * Hunnos atque Alanos appro- C pinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet invidiæ, si Bauto barbaros cum barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is adversùm se utrinque prætendit, in medio Romani imperii sinu * Juthungi populabantur Rhetias; & ideo adversus Iuthungum Hunnus accitus est. Idem tamen quia de finitimo proterebat Alemanniam, [c] & jam de vicinia mali urgebat Gallias; coactus est triumphos suos deserere, D ne tu timeres. Confer utriusque factum. Tu fecisti incursari Rhetias, Valentinianus suo tibi auro pacem redemit.

9. Adspice illum quoque, qui tibi ad dexteram adsistit, quem Valentinianus, cùm posset suum dolorem ulcisci, honoratum ad te redire fecit. Tenebat eum in suis terris, atque in ipso nuncio necis fraternæ frænavit impetus: nec tibi vicem etsi non paris dignitatis, ejusdem tamen necessitudinis retulit. Confer ergo, te E judice, utriusque factum. Ille tibi * fratrem tuum viventem remisit, tu illi vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi adversùm se auxilia non negavit?

10. Sed vereris ne exuviarum reditu renovetur militibus dolor; hoc enim allegas. Quem viventem deseruerunt, eum defendent peremptum? Quid eum mortuum times, quem occidisti, cùm posses servare? Hostem, inquis, meum peremi. Non ille tuus hostis, sed tu illius. Ille jam non sentit [d] defensionem, tu causam considera. Si quis adversùm te hodie imperium in his partibus usurpandum putet, quæro utrùm te hostem illius dicas, an illum tibi?

*. Bautonis comitis iterum sanctus noster meminit epistola ad Theodosium. Ejus filiam Arcadio imperatori nupsisse tradit Philostorgius lib. 11. Histor. Zosimus vero tam prolixa voluntate eumdem laudat, ut fere suspicionem injiciat, quod idolorum superstitioni addictus fuerit. Hunc ipsum quoque non alium esse arbitrabantur ab eo Bautone, qui tum temporis consulatum gerebat, cùm ipsi panegyricam orationem Mediolani Augustinus pronunciavit, ut ipse scripsit lib 3. *advers. Litt. Petil.* cap. 25.

*. Quam sincero affectu Ambrosius Valentiniano puero operam suam in obeundis hisce duabus legationibus præstiterit, idem ipse in ejusdem principis laudatione funebri commemorat, quam consule.

*. Victorem, cujus hic mentio fit, alium esse constat à Victore Maximi filio, quem Arbogastes à Theodosio post necem ejusdem Maximi in Gallias missus interfecit.

a. Plures mss. *vobis legationem promissam*: alii & edit. potiori sensu, *nobis . . . commissam.*

b. Rom. edit. cum paucis mss. *provinciarum.*

*. Verisimile est Hunnos, postquam una cum Gothis à Theodosio, ut Zozimus lib. 4. memorat, victi fuissent, pacem usque tunc coluisse cum Romanis: quod autem ad Alanos, Gratianus eam gentem adeo diligebat, ut à se propterea animos Romanorum abalienaverit, dederitque Maximi usurpationi occasionem.

*. Quos Treb. Pollio Vitingos seu Vitinguos vocat, eosdem esse qui Juthungi ab Ambrosio hic appellantur, suspicari se se indicat Casaubonus in eum auctorem p. 221. num. 104.

c. Eras. & seq. edit. *& jam vicinia.* Amerb. & omnes mss. *& jam de vicinia.*

*. Quomodo hic vocatus fuerit, reticetur à sancto Præsule: at Marcellino nomen ei fuisse Pacatus in Panegyr. Theodosii aperte prodit.

d. Omnes edit. *defensionem, tuam causam*: scripti cod. magno numero, *defensionem tuam. Causam considera*: Thuan. expungit *tuam*, cujus loco Reg. habet *tu causam*. Magis concinne.

Niſi fallor, uſurpator bellum infert, imperator jus ſuum tuetur. A Ergo quem non debueras occidere, ejus reliquias negas? Habeat Valentinianus imperator vel fratris exuvias pacis tuæ obſides. Et quomodo allegabas quòd eum non mandaveris occidi, quem prohibes ſepeliri? Poterit igitur credi quod ei non invideris vitam, cui etiam ſepulturam invides?

11. Sed ad me revertar. Audio te queri quod ſe ad Theodoſium imperatorem potius contulerint, qui ſunt cum Valentiniano imperatore. B Quid igitur futurum ſperabas, cùm tu refugientes eos ad pœnam poſceres, captos necares: Theodoſius autem muneribus ditaret, donaret honoribus? Quos, inquit, occidi? Reſpondi ei, [a] Vallionem. At quem virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit juſta cauſa exitii, quod imperatori ſuo fidem ſervavit? Non ego, inquit, eum juſſi occidi. Reſpondi: Hoc audivimus, quod occidi juſſus ſit. Sed, inquit, ſi ipſe ſibi vim non intuliſſet, juſſeram eum C deduci Cabillonum, & ibi vivum exuri. Reſpondi: Ergo propterea & illud creditum eſt, quod eum occideris. Quis autem ſibi parcendum putaret, cùm occiſus ſit bellator ſtrenuus, miles fidelis, comes utilis? Ita tum diſceſſi, ut ſe tractaturum diceret.

12. Poſtea cùm videret me * abſtinere ab epiſcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos, devios licet à fide, ad necem petebant; commotus eis juſſit me ſine mora regredi. Ego D vero libenter, etſi me plerique * inſidias evaſurum non crederent, ingreſſus ſum iter, hoc ſolo dolore percitus, quod Hyginum epiſcopum ſenem in exſilium duci comperi, cui nihil jam niſi extremus ſupereſſet ſpiritus. Cùm de eo convenirem comites ejus, ne ſine veſte, ſine * plumario paterentur extrudi ſenem, extruſus ipſe ſum.

13. Hæc eſt expoſitio legationis meæ. Vale, Imperator; & eſto tutior adverſus hominem E pacis involucro bellum tegentem.

* EPISTOLA XXV.

*Scripta poſt an. 385. & ante ann. 387.

STUDIO *num ſibi in reos ſententiam ferre liceret, conſulenti reſpondet ipſi quidem uſum gladii eſſe permiſſum, ut tamen utatur clementia, expedire. Quam in rem Chriſti adulteram mulierem abſolventis exemplum promit; & cur communio judicibus capitalibus neganda non ſit, explicat.*

[b] AMBROSIUS STUDIO.

1. RECognoſco puræ affectum mentis, & fidei ſtudium, & domini noſtri Jeſu Chriſti timorem. De quo etiam ego vererer reſponſum referre: conſtrictus altero, quod eſt commiſſum vobis propter cuſtodiam legum; altero autem propter miſericordiam & gratiam, niſi de hoc Apoſtolicam haberes auctoritatem: *Quia non ſine cauſâ gladium portat, qui judicat*; Dei enim vindex eſt in eos, qui male agunt. Rom 13. 4.

2. Quod tamen etſi cognitum tibi foret, non otioſe ſciſcitandum putaſti. Nam ſunt, [c] extra Eccleſiam tamen, qui eos in communionem non vocent ſacramentorum cæleſtium, qui in aliquos capitalem ſententiam ferendam æſtimaverunt. Plerique etiam ſponte ſe abſtinent: & laudantur quidem, nec ipſi eos poſſumus non prædicare: qui auctoritatem Apoſtoli eatenus obſervamus, ut iis communionem non audeamus negare.

3. Vides igitur quid auctoritas tribuat, quid ſuadeat miſericordia. Excuſationem habebis, ſi feceris: laudem, ſi non feceris. Sed ſi non potueris facere [d], nec tamen nocentes atterere ſqualiore carceris, ſed abſolvere, plus quaſi ſacerdos probabo. Poteſt enim fieri ut cauſa cognita, recipiatur ad ſententiam reus, qui poſtea aut indulgentiam ſibi petat, aut certe ſine gravi ſeveritate, quod quidam ait, habitet in carcere. Scio tamen pleroſque gentilium gloriari ſolitos, * quod incruentam de adminiſtratione provinciali ſecurim revexerint. Si hoc gentiles, quid chriſtiani facere debent?

4. Ad omnia tamen accipe reſponſum Salvatoris. Nam cùm adulteram reperiſſent Judæi, obtulerunt eam Salvatori, captantes ut ſi abſol- Joan 8. 3. & ſeq.

a. Nomen hujus comitis varie repetitur; omnes enim edit. ſcribunt *Balionem*: mſſ. nonnulli *Ballionem*: alii demum longe plurimi *Vallionem*. Optime ſane. Ita namque de eodem Pacatus in Panegyr. citato: *Vallio triumphalis ... poſt ampliſſimos magiſtratus, & purpuras conſulares, & contractum intra unam domum quemdam honorum ſenatum vita ſe abdicare compulſus eſt.*

*. Quod Ambroſius adſerit ſe abſtinuiſſe à communione epiſcoporum, qui cum Maximo ſacrorum ſocietatem conſervabant, nihil miramur; quando ipſum quoque Maximum à communione, ut narrat Paulinus in ejus Vita, reſcidit: divina ultione, niſi eum pœniteret, graviſſimis verbis denuntiata. Quod autem ad alios epiſcopos, quos hic indicat, haud dubie Ithacium, Idacium eorumque fautores intelligit, qui Priſcillianum, devium à fide ſcilicet, uſque ad capitale ſupplicium perſequuti ſunt; quemadmodum turius epiſtola 26. ſignificatur.

*. Forte an ad hoc periculum reſpiciebat Ambroſius, cùm in funebri laudatione ejuſdem Valentiniani dolere ſe, quod minas à Maximo ſibi intentatas evaſerit, teſtatur.

*. *Plumarium*, id eſt, plumatea culcitra, ut paulo mollius fracta boni illius ſenis membra cubitarent. Ceterum ſuſpicatus Baronius ad an. 387. hunc Hyginum eumdem eſſe atque Adiginum Cordubenſem epiſcopum, à quo primum antiſtites adverſus Priſcillianum concitatos narrat Severus lib 2. Hiſt. Verum tamen cùm ex eodem hiſtorico, Adiginus ille, ſeu Iginus, ut in ſequentibus appellatur, priſcillianiſtas admiſerit in communionem, id cùm Hygini noſtri generoſitate non cohæret; niſi forte is exſilii propoſiti aſperitate deterritus, priorem conſtantiam abjecerit, quod Ambroſio adhuc in reditus itinere poſito innoteſcere nequaquam potuerit.

b. Edit. *Ambroſius epiſcopus Studio*: mſſ. *Ambroſius Studio*: Gem. *Studioſo* Fuit autem Studius quidam comes R. P. an. 401. lege 17. *de Bonis Proſcript* & P. V. anno 404. lege 13 *de Epiſc.* Sed utrum idem ille fuerit, ad quem hæc & ſequens epiſtola deſtinatæ ſunt, definiri certo non poteſt.

c. Ita mſſ. ſummo conſenſu: vet. edit. à nobis minime diſcrepantes, niſi negationem hoc modo inſeruiſſent, *nam non ſunt*: at Rom edit. negationem quidem rejecit, ſed ſimul quoque exemit è textu ſequentes voces, *extra Eccleſiam tamen*, perperam; etenim nimiam hanc ſeveritatem non fuiſſe catholicorum verba inferius poſita plane demonſtrant: *Et ideo majores maluerunt indulgentiores eſſe circa judices* &c. Eamdem rem etiam aperte definivit Innocentius I. *epiſt.* 3. *ad Exuper.* cujus verbis ſuperſedemus. Veriſimile ergo putamus non alios hic deſignari quam Novatianos, qui inter alia, quæ affectabant, rigidioris diſciplinæ documenta, & illud adjecerunt, ut judicem qui reum juſte capitis condemnaſſet, ab altaris communione removerent.

d. Omnes edit. ac mſſ. longe plurimi, *nec tamen innocentes*: Gem. vero & Prat. *nec tamen nocentes* Et ſane ſic legendum hunc locum evincit quod ſubditur, *plus quaſi ſacerdos probabo*, quando innocentes in vinculis teneri nemo non improbat. Interjectis vero non multis verbis, ubi omnes mſſ. ac vet. edit. *recipiatur ad ſententiam reus*, inde Rom edit. reſecaverat, *ad ſententiam*.

*. Iſti dicuntur græce *ἀναιμωτί* imperium adminiſtrare, quale T. Veſpaſiani traditur, cujus vox eſt, ſe malle perire quam perdere. Ita Nannius: quibus etiam addere potuiſſet à Capitolino dictum de Antonino Pio: *Solus omnium prope principum prorſus ſine civili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſe ipſum pertinet, vixit.* *Ἀναίμακτον* quoque imperium Severo tribuit Lamprid. at falſo titulo.

veret eam, videretur Legem solvere, qui dixerat: *Non veni Legem solvere, sed adimplere*: si damnaret, videretur adversus finem venisse propositi sui. Hoc igitur prævidens dominus Jesus, inclinato capite, scribebat in terra. Quid scribebat, nisi illud propheticum: *Terra, terra, scribe hos viros abdicatos*; quod de Jechonia descriptum est in Hieremia propheta?

Matth. 5. 17.

Hier. 22. 29.

5. Cùm Judæi interpellant, in terra scribuntur nomina Judæorum: cùm adeunt christiani, non scribuntur in terra fidelium nomina, sed in cælo. In terra autem scribuntur abdicati à patre proprio, qui patrem tentant, & contumelias irrogant auctori salutis. Cùm interpellant Judæi, inclinat caput Jesus; & quia non habet ubi reclinet caput suum, iterum erigit, quasi dicturus sententiam, & ait: *Qui sine peccato est, prior lapidet eam*. Et iterum inclinato capite, scribebat in terra.

Matth. 8. 20.

Johan. 8. 7.

6. Audientes illi exire cœperunt singuli, incipientes à senioribus: vel quod ipsi plura haberent crimina, qui diu vixerant: vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores; & cœperunt sua magis peccata deflere, qui alieni criminis venerant accusatores.

7. Recedentibus ergo illis, remansit solus Jesus, & elevans caput ad mulierem, ait: *Ubi sunt, qui te accusabant?* [a] *Nemo te lapidavit? Et illa respondit: Nemo. Dicit ei Jesus: Nec ego te damnabo. Vade, & vide amodo ne pecces.* Non damnat, quasi redemtio: corrigit, quasi vita: quasi fons, abluit. Et quia quando se inclinat Jesus, ideo inclinat, ut jacentes elevet; ideo ait remissio peccatorum: *Nec ego te damnabo*.

Ibid. 10. & 11.

8. Habes quod sequaris; potest enim fieri, ut ille criminosus possit habere spem correctionis: si sine baptismo est, ut possit accipere remissionem: si baptizatus, * ut pœnitentiam gerat, & corpus suum pro Christo offerat. Quantæ sunt ad salutem viæ!

9. Et ideo majores maluerunt indulgentiores esse circa judices; ut dum gladius eorum timetur, reprimeretur scelerum furor, & non incitaretur: quod si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata pœna. Maluerunt igitur priores nostri, ut in in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit legis. Vale, & nos dilige; quia nos quoque te diligimus.

EPISTOLA XXVI.

Argumento superioris epistolæ repetito, ad Judæos adulteram Christo sistentes redit, quibus episcopos reorum mortem prosequentes comparat. Hinc locum ubi oblata fuit mulier, exponens, de remissione peccatorum multa disputat. Postremo singulas ejusdem historiæ partes ex Evangelio, recenset, atque enucleat.

AMBROSIUS [b] IRENÆO.

1. ETsi jam superiore epistola hanc, quam proposuisti, quæstiunculam absolverim; tamen aliquid plenius requirenti tibi, ut filio afferre atque exsculpere non supersederim.

2. Ac semper quidem decantata quæstio, & celebris absolutio fuit mulieris ejus, quæ in libro Evangelii, quod secundùm Johannem scribitur, adulterii rea oblata est Christo. Id enim Judæorum commentata est tergiversatio; ut si contra Legem absolveretur, contra Legem prolata domini Jesu sententia teneretur: si autem damnata esset ex Lege, vacare Christi videretur gratia.

Johan. 8. 11.

3. Sed vehementior facta est, posteaquam episcopi reos criminum gravissimorum in publicis judiciis [c] accusare, alii & urgere usque ad gladium, supremamque mortem, alii accusationes hujusmodi, & cruentos sacerdotum triumphos probare cœperunt. Quid enim aliud isti dicunt, quam dicebant Judæi reos criminum legibus esse publicis puniendos; & ideo accusari eos etiam à sacerdotibus in publicis judiciis oportuisse, quos asserunt secundum leges oportuisse puniri? Eadem causa est, sed numerus minor, hoc est, non dispar judicii quæstio, sed pœnæ dispar invidia. Unam Christus puniri ex Lege non passus est, isti minorem numerum asserunt esse punitum.

4. At quo loci hoc judicat Christus? * Nam plerumque secundum qualitates locorum in quibus docebat famulos suos, disputationes suas formare dignatus est; ut in porticu Salomonis, hoc est, sapientis, deambulans loquebatur: *Ego & Pater unum sumus*; ut in templo Dei dicebat: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit*. Hoc quoque judicium in templo positus exercet, sicut scriptum est in posterioribus; sic enim habes: *Hæc verba loquutus est Jesus in gazophilacio, docens in templo; & nemo apprehendit eum*. Quid est gazophilacium? Collatio fidelium, sumtus pauperum, requies egenorum, juxta quod sedens Christus, ut habes secundùm Lucam, duo æra mulieris viduæ divitum muneribus censuit præferenda, divino videlicet testimonio præferens opimæ præmiis largitatis [d] sedulæ liberalitatis affectum.

Johan. 10. 30.

Johan. 7. 16.

Johan. 8. 20.

Luc. 21. 2.

a. Rom. edit. *Nemo te condemnavit*, aliæ cum mss. omnibus, *lapidavit*.

*. Canonicæ pœnitentiæ labores olim tanti tamque diuturni erant, ut non immerito pro capitali pœna, tamquam mors quædam importunior, subjici possent.

b Omnes edit. *Studio*: omnes mss. *Irenæo*: excipiendi tamen cod. Corb. Germ. & Fol. in quibus prætermissâ primâ sententiâ, continuatur cum epist. ad Bellicium, quæ in edit. antiq. 75. in Rom. vero 45. numeratur. Certum quidem est ex argumento non ad alium scriptam esse hanc epistolam, quam ad eum cui superior inscribitur: verùm ex hoc ipso credibilius est ab editoribus pro *Irenæo* positum fuisse *Studio*, quam pro *Studio* à scriptoribus *Irenæo* substitutum. Quare cùm is ad quem datæ sunt eædem epistolæ, Studius Irenæus vocari potuerit, nihil prohibet, quin prior priori vocabulo, posterior autem posteriori inscripta fuerit.

c. Mss. Corb. Germ. & Fol. *accusarent alii, & urgerent . . . alii accusationes*, Germ. *accusatores, hujusmodi . . . . improbare cœperunt.* Veritati autem maxime congruum est, quod Hermannus lib. 5. *Vita Ambr.* cap. 4. & lib. 7. cap. 1. nec non Thaumassinus tom. 1. part. 1 lib. 2. cap. 11. sentiunt, nimirum non alios episcopos hic designari, quam Ithacianos; quippe quorum impulsu Maximus tyrannus Priscilianum jusserit affici supplicio, ut Sev. Sulpitius lib. 2. commemorat. Ceterum quantopere ab eorum crudelitate abhorruerit mitissimus Ambrosii animus non solum ex hac & superiori epist. patet, sed etiam ex iis quæ ab eodem tradita sunt in *Psal.* 118. Serm. 8. num. 41. & lib. 2. Offic. cap. 21.

*. Eodem plane sensu dixerat lib. 3. *de Spiritu sancto* cap. 17. *Refert itaque advertere quo loci hæc Dominus disputaverit: frequenter enim ejus oracula ex locorum, in quibus diversatus est, qualitatibus æstimantur.*

d. Mss. Corb. Germ. & Fol. *sedula liberalitatis affectum.*

5. Qui

5. Qui tale habebat judicium, videamus quid ipse juxta gazophylacium positus conferebat; non enim otiose viduam prætulit duo æra mittentem. Pretiosa ista paupertas est fidei opulenta mysterio. Ista sunt duo æra quæ Samaritanus ille evangelicus ad ejus curanda vulnera, qui incidit in latrones, stabulario dereliquit. Ergo & ista specie vidua, in typo Ecclesiæ, hoc gazophylacio sacro conferendum putavit, quo pauperum sanarentur vulnera, peregrinorum jejunia sedarentur. Luc.10.35.

6. Unde & nunc quid Christus conferat, spiritaliter te oportet expendere; dividebat enim populis argentum igne examinatum eloquiorum cælestium, & imaginis regiæ pecuniam populorum annumerabat affectibus. Nemo plus misit, quam qui totum donavit. Satiabat esurientes, replebat inopes, illuminabat cæcos, redimebat captivos, paralyticos erigebat, mortuos resuscitabat, & quod est amplius, conferebat absolutiones reorum, peccata donabat. Hæc sunt duo æra, quæ misit Ecclesia, [a] posteaquam accepit à Christo. Quid enim sunt duo æra, nisi pretium novi & veteris Testamenti? Pretium Scripturæ fides nostra est; nam quod legitur, pro intelligentis æstimatur arbitrio. Remissio igitur peccatorum utriusque pretium Testamenti est, [b] quæ per agnum in typo annuntiata est, in veritate completa per Christum. Psal.11.6.

7. Ideo habes neque septem dierum purgationem sine trium dierum esse purgatione. Septem dierum purgatio secundum Legem, quæ in specie præsentis sabbati spiritale sabbatum annuntiavit: trium dierum purgatio secundum gratiam, quæ Evangelii testificatione signatur; quia tertio die Dominus resurrexit. UBI POENA præscribitur, debet esse pœnitentia peccatorum: ubi remissio donatur, gratia est. Præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neque pœnitentia ergo sine gratia, neque gratia sine pœnitentia; debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, ut gratia possit abolere. Ideo typum Legis accipiens Johannes baptizavit in pœnitentiam, Christus ad gratiam. Exod.12.3. Levit.12.2. Luc.24.7. Matth.3.11.

8. * Septimus ergo dies Legis mysterium signat, octavus resurrectionis, sicut habes in Ecclesiaste: *Da partem illis septem, & illis octo.* Nam & in propheta Osee legisti dictum ad eum: *Conduc tibi fornicariam quindecim denariis;* eo quod gemino ære veteris & novi Testamenti, hoc est, integro fidei pretio, mulier illa vago quodam & meretricio gentium convenarum comitatu fulta conducitur. Eccl.11.2. Osee 3.2.

9. *Et conduxi*, inquit, *eam gomor hordei, & semigomor, & nevel vini.* Per hordeum significat quia imperfectos vocaret ad fidem, ut perfectos redderet: per gomor intelligitur plena mensura, per semigomor semiplena mensura. Plena mensura in Evangelio est, semiplena in Lege, cujus plenitudo novum est Testamentum. Siquidem ipse Dominus ait: *Non veni Legem solvere, sed implere.* Ibidem 2. Matth.5.17.

10. Nec otiose quindecim anabathmorum psalmos Davidicos legimus, & quindecim gradibus adscendisse solem, cùm Ezechias justus rex vitæ hujus acciperet commeatum. Significabatur enim esse venturus sol justitiæ, qui gradus quindecim veteris & novi Testamenti illuminaturus esset præsentiæ suæ lumine, quibus nostra fides ad vitam adscendit æternam. Unde & hoc quod hodie in Apostolo lectum est, mysticum reor, eo quod quindecim diebus apud Petrum manserit: videtur enim mihi quod apostolis sanctis scripturæ divinæ interpretationem sermone secum vario conferentibus pleni luminis refulserit claritudo, ignorantiæ umbra decesserit. Sed jam veniamus ad mulieris hujus adulteræ absolutionem. Isai.38.8. Malac.4.2. Galat.1.18.

11. Oblata erat à scribis & pharisæis domino Jesu adulterii rea, & hac oblata fraude, ut si eam absolveret, Legem solvere videretur: sin vero damnaret, propositum sui mutaret adventus; quia peccata omnium remissurus advenit. Denique supra ait: *Ego non judico quemquam.* Offerentes ergo eam, dixerunt: *Hanc mulierem invenimus publice mœchantem. Scriptum est enim in lege Moysis omnem mœcham lapidari. Tu vero quid dicis de ea?* Johan.8.3. & seq. Johan.8.15. Levit.20.10.

12. Quæ cùm dicerent, Jesus inclinato capite, digito scribebat in terra. Et cùm exspectarent, ut audirent eum, erigens caput dixit: *Qui sine peccato est, prior lapidet eam.* Quid tam divinum, quam ista sententia, ut is peccata puniat, qui exsors ipse peccati sit? Quomodo enim feras alieni ultorem, & proprii criminis defensorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat, quod ipse committit.

13. Hoc autem dixit, & scribebat in terra. Quid? Utique dicens: *Festucam, quæ in oculo est fratris tui, vides: trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides.* Libido enim velut festuca est, cito accenditur, propere consumitur: sacrilegium [c] perfidiæ, quo Judæi negabant propriæ salutis auctorem, sceleris magnitudinem personabat. Matth.7.3.

14. [d] Scribebat autem in terra digito, quo Legem scripserat. Peccatores in terra scribuntur, justi in cælo, sicut habes dictum ad discipulos: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Secundò autem scripsit, ut gemino Testamento Judæos scias esse damnatos. Exod.31.18. Matth.17.13. Luc.10.20.

15. Audientes autem hoc verbum, exierunt foras unus post unum, incipientes à senioribus, & sedebant cogitantes de se. Et remansit solus Jesus, & mulier in medio stans. Bene ait quod exierunt foras, qui nolebant esse cum Christo. Foris littera est, intus mysteria. Sequebantur enim divinarum lectionum quædam velut arborum folia, non fructum; qui vivebant in umbra Legis, & solem justitiæ videre non poterant. Johan.8.9.

16. Denique discedentibus illis, remansit solus Jesus, & mulier in medio stans. Donaturus peccatum, solus remanet Jesus, sicut ipse ait: *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in sua, & me solum relinquatis;* Johan.16.32.

a. Thuan. cod *posteaquam accepit Christum.*
b. Mss. quatuor, *quæ per annum in typo annuntiata est* &c.
*. Vide quæ ab Ambrosio disputata sunt Exposit. in Luc. lib. 7. num 49. & quæ ibidem annotavimus.
c. Quidam mss *perfidia in salutis auctorem* &c.
d. Tres mss. *Peccatoribus in terra scribitur, justis in cælo.*

non enim legatus, neque nuntius, sed ipse Do- A
Esai. 63. 8. minus salvum fecit populum suum. Solus remanet; quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune, ut peccata condo-
Johan. 1. 29. net. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi. Meruit & mulier absolvi, quæ recedentibus Judæis, remansit sola cum Jesu.

17. Elevans autem caput Jesus dixit mulieri:
Johan. 8. 10. & 11. *Ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te lapidavit? Et illa respondit: Nemo, Domine. Et ait ad illam Jesus: Nec ego te damnabo; vade, & amodo vide ne* B *pecces.* Vide, lector, divina mysteria, & clementiam Christi. Cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat: elevat autem, ubi deficit accusator; ita nullum damnari vult, absolvi omnes.

18. Breviter autem omnes hæreticorum interimit quæstiones, dicendo: *Nemo* [a] *te lapidavit?* qui dicunt Christum diem nescire judicii,
Matth. 20. 23. vel qui ait: *Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis;* ecce & C hîc ait: *Nemo te lapidavit?* Quomodo utique interrogat, quod videbat? Sed interrogat nobis, ut cognosceremus non esse lapidatam. Est etiam humani affectus hæc consuetudo, ut interrogemus sæpissime, quod videmus. Et ideo mulier respondit: *Nemo, Domine;* hoc est dicere: Quis potest lapidare, quam ipse non damnas? Quis potest alium sub tali sententiæ conditione punire? D

19. Cui respondit Dominus: *Nec ego te damnabo.* Adverte quomodo propriam sententiam temperavit; ut Judæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent, si queri vellent: dimittitur enim mulier, non absolvitur; quia deerat accusator, non quia innocentia probabatur. Quid ergo quererentur, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicii destiterunt? E

20. Addidit autem deviæ: *Vade, & amodo vide ne pecces.* Emendavit ream, non crimen absolvit. Etenim severiore sententia culpa damnatur, si unusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum. ETENIM CUM reus occiditur, persona magis, quàm culpa punitur: ubi vero culpa deponitur, absolutio personæ est pœna peccati. Quid est ergo: *Vade, & amodo vide ne pecces?* hoc est: Ex quo te Christus redemit, [b] corrigat gratia, quam F pœna non emendaret, sed plecteret. Vale, fili, & nos dilige, ut filius; quia nos te, ut parentes diligimus.

* EPISTOLA XXVII.

* Scripta circa an. 387.

Ægyptiorum abominationes IRENÆUM *docet pecora esse: hinc intelligi pietatem atque virtutem improbis displicere; ac proinde viros bonos contrariis instare studiis oportere. Hoc illustratur exemplo uxorum Jacob ad fugiendum patrem sequendumque conjugem consensum præbentium: qua in allegoria quidnam præstare conveniat accedentes ad Ecclesiam declaratur.*

AMBROSIUS * IRENÆO salutem.

1. MOveri te significasti mihi, eo quod legeris: [c] *Abominanda apud Ægyptios* Exod. 8. 26. *immolemus Deo.* Sed habuisti quo istud solveres; Gen. 46. 34. quia in Genesi scriptum est quod Ægyptii pastorem pecorum abominabantur, non utique propter hominem, sed propter pecora. Illi enim aratro terram invertebant: Abraham autem, & Jacob, & postea Moyses & David [d] pastores fuerunt, regalem quamdam in hoc munere disciplinam induentes.

2. Oderant ergo Ægyptii [e] immolata sacrificia, id est, perfecta studia virtutum, & plena disciplinæ. Quod ergo vitiosi oderunt, hoc apud bonos sincerum ac pium est. Opus virtutis detestatur [f] luxuriosus, helluo refugit. Ægyptium itaque corpus, quod illecebras diligit, aversatur animæ virtutes, abominatur imperium, refugit virtutum disciplinas, & omnia opera, quæ hujusmodi sunt.

3. Quæ ergo Ægyptius refugit, Ægyptius ille & non homo, hæc tu amplectere, qui habes humanitatis scientiam. Illa autem declina, quæ illi sequuntur atque eligunt; quoniam duo sibi ista congruere non possunt, prudentia & insipientia. Itaque sicut iis quæ in quodam censu imprudentiæ atque intemperantiæ sunt, abdicat se prudentia, abdicat continentia: ira eorum exsors omnis insipiens est atque incontinens, quæ in bonis atque in hereditate sapientis viri sunt & continentis.

4. Denique sanctæ illæ tali conjugio Lia & Gen. 29. 16. Rachel, una laboriosa, altera adspiratio fortis, refugientes non generis necessitudinem, sed morum discrepantiam; cùm viri exercitii Jacob sermone edoctæ essent, quod vellet discedere, ut Laban & filiorum ejus invidiam declinaret atque ignaviam, responderunt: *Numquid est* Gen. 31. 14. & 15. *nobis portio aut hereditas in domo patris nostri? Nonne sicut aliena æstimamur ei? Vendidit enim nos, & devoravit pretium nostrum.* Ecce primum, quia ignavus & invidus laboriosam & disciplinæ tenacem alienat à se ac defugit, seseque

a. Rom. edit. posuit *condemnavit*, *condemnatam*, *condemnare*, ubi reliquæ & cuncti mss. *lapidavit* &c.

b. Corb. & Ful. *corrigat gratia, quod pœna non poterat:* quibus verbis concludunt epistolam.

*. Irenæus ille, ad quem tot Ambrosii epistolæ exstant, quisnam fuerit, ambiguum est. Attamen eum diaconum, aut potius secundi ordinis sacerdotem fuisse conjicimus, tum quod epistola sequenti ei sacerdotalis vitæ præcepta tradit sanctus noster, tum quod ipsum de Scripturæ difficultatibus consultum ex epistola 33. deprehendimus. Quod autem Ambrosius eumdem in epistularum calce filium salutat, nec non propter persecutiones ob Christi gloriam constanti animo toleratas laudat; hinc forte non sine ratione colligatur eumdem inter clericos Mediolanenses tempore concitatæ à Justina persecutionis vitam degisse.

c. Rom. edit. *Nam abominationes Ægyptiorum sacrificabimus domino Deo.* Cod. Prat. & Gem. *abominata apud Ægyptios immolata Deo.* reliqui, ac vet. edit. .... *immolemus Deo.* Rursus vero eadem edit. Rom. cum uno cod. Vat. *quod studio solveres:* at ceteræ cum reliquis aptius, *quo istud solveres.*

d. Post vocem *pastores* Rom. edit. sola repetit *pecorum:* ubi autem vet. ac mss. longe plurimi, *disciplinam induentes*; eadem Rom. cum duobus omnino cod. *disciplinam innuentes.* Non displiceret *innuentes*; sed receptiori lectioni nihil detrahimus.

e. Ita vet. edit. & mss. Rom. autem edit. *immaculata sacrificia.* Nimirum ex Philonis lib. *de Profugis*, ubi habes, τὰ λῷα γὰρ ἐν Ἐγυπτίοις ἱερεῖα οἱ ἄριστοι: quibus verbis similia etiam leguntur in lib. *de Sacrif.* Sed forte immolata sacrificia idem sunt hoc loco, ac perfecta: quandoquidem ad eorum spectabat perfectionem, ut mola salsa adspergerentur; unde immolandi tractum est verbum.

f. Omnes edit. ac mss. aliquot, *luxuriosus helluo, refugit Ægyptius: ita corpus* &c. reliqui autem mss. qui & probatiores, ut in textu. Quam quidem lectionem idem Philo in libro citato *de Profugis* unde non pauca huc translata sunt, confirmat. Sic enim ibi, ὁ φιλαπαθὴς φεύγει τὸν ἀπολαυστικόν... [illegible]

cupit separare; quoniam eas oneri esse cernit sibi, putat se lucrum fecisse, quod alienavit eas, & hoc esse suum pretium judicat, eumque fructum voluptatis suæ.

5. Nunc audiamus quomodo quæ habet virtus, non habeat ignavia; aiunt enim: *Omnes divitiæ & gloria, quam tulit Deus patri nostro, nobis erit, & filiis nostris.* (Ibidem 16.) Meritò, Deo arbitro, dicunt esse sublata, quia ipse est auctor bonorum, cujus gratia ignavi exuuntur; quia decorem hereditatis divinæ capere improbi atque infirmi non queunt: [a] succedit autem intentus, & spiritum in se fortis habens. Quis autem fortis nisi solus Deus, qui omnia coercet & regit?

6. His ergo debetur hereditas Dei. Unde & Esaias dicit: *Est hereditas* [b] *credentibus in Domino.* (Isai. 54. 17.) Et pulcre ait: *Est hereditas*; ipsa enim sola hereditas est, alia non est. Neque enim cæcus thesaurus hereditas est, neque caduca omnia hereditatis habent commodum: sola est illa hereditas, in quibus est portio Deus. Unde sanctus Domini dicit: *Portio mea Dominus*; (Psal. 118. 57.) & alibi: *Heres factus sum testimoniorum tuorum.* (Ibidem 111.) Vides quæ possideat justus, mandata Dei, oracula ejus, præcepta ejus. In his dives est, in his pascitur, in his delectatur, quasi in omnibus divitiis.

7. Hæc ergo possidentes Lia & Rachel, opes patrias non requirebant, in quibus erat pecunia adultera, irrationabilis species, & spiritalis expers vigoris. Denique quasi divites & liberæ non eum divitem, sed egentem arbitrabantur. Omnis enim bonarum & liberalium consors disciplinarum * neminem insipientium divitem putat, sed inopem atque egenum, abjectum quoque; etsi regalibus divitiis affluat, & superbus auro suam jactet potentiam.

8. Fugienda est igitur talium societas, etiamsi qua generis copulentur necessitudine: NOXIÆ SUNT enim conversationes cum insipientibus, & inficiunt sobriam mentem ac decolorant; quia sicut adhærens sancto sanctus eris, ita cum perverso [c] perversus eris. (Psal. 17. 26. & 27.) Frequenter enim accidit, ut quis contra propositum suum intemperantem audiens, cùm velit ipse continentiæ disciplinam tenere, fuco insipientiæ coloretur, meritoque contrariæ sibi sunt & repugnantes disciplina atque insolentia.

9. Unde cùm vir exercitatus earum sententiam quæreret, vocem emittunt probatæ jam diuturno exercitio virtutis: *Numquid est nobis portio aut hereditas in domo patris nostri?* (Gen. 31. 14.) id est, consulis nos utrum velimus ab eo recedere? Quasi vero non cognoveris quod nullam habeamus cupiditatem ejus societatis, neque nos [d] dulcis pluribus sæcularium divitiarum cupiditas teneat, aut luxuriæ lætitia? Hæc sunt quæ nos misera, ac nobis aliena duximus: hæc sunt quæ plena inopiæ atque egestatis arbitramur.

10. Adjiciunt etiam causam secessionis, quia veram gloriam, & boni thesauri copias amisit Laban, [e] in quibus nascimur. Vigor datus est mentis, & bona moneta imaginis Dei & similitudinis; quia spiritalis moneta. Amisit, quia splendida magis sæculi elegit, quam vera & utilia vitæ suæ: quorum decor expertem divinorum bonorum præterit; quoniam ille quæ putat pulcra, in iis se fallit ipsum & decipit. Unde audi ejus verba, & judica.

11. Sequutus sanctum Jacob & filias suas; ne forte apud eas suorum vitiorum reperiret aliquid, & revocandi ad se haberet auctoritatem, coarguens justum, cùm ratione esset redargutus, & nihil respondere ac referre posset, quo cum deberet tenere: *Si annuntiasses*, inquit, *mihi*, [f] *emisissem te.* (Ibidem 27.) In quo prodidit quid justus fugerit, ne eum prosequeretur, ne deduceret, ne tali comitatu stipatus procederet. Primum quod multorum dominorum mancipio se subjicere non debuit; ut ab eo tamquam servulus dimitteretur. Deinde quia vir exercitio intentus, & quærens veram viam ad virtutem persequi, non hominem deductorem, sed oracula quæsivit cælestia. Quæ me, inquit, hinc præceperunt abire, & nunc comitantur viantem.

12. Sed quomodo me dimisisses? An cum lætitia tua, quæ plena est mœstitudinis, cum tympanis scilicet atque organis [g] immoderata modulantibus, & sonis tibiarum suavibus insuavia resultantibus, sonis dissonis, crepitibus discrepantibus, vocibus mutis, cymbalis animam ferientibus? His me delectari posse credidisti? his revocari? Hæc sunt quæ ego fugi: nec vereor verborum tuorum invidiam. Fugi, ne me talia sequerentur, ne quid de tuis accipiens abirem.

13. Non enim talibus deductoribus ad Ecclesiam Christi pervenitur, ad quam tendebat Jacob; ut eo deduceret populorum copias, inveheret nationum divitias, posteritatem infunderet, fugiens umbras inanium rerum, præferens insensibilibus simulacris virtutum spirantem decorem, plausibilibus præponens seria. Vides enim quemadmodum convivia gentiles adornent, festa annuntient: sed ea piis mentibus infestiora sunt; quia iis plerique decipiuntur, dulcibus capiuntur epulis, capiuntur saltantium choris: dum jejunia nostra fugiunt, dum ea sibi aspera putant, dum corpori noxia & molesta arbitrantur.

14. An opinatus es quia aurum tuum desiderarem? Sed non habes aurum igne examinatum, quo justi probantur. (Psal. 11. 7.) An quia argentum cuperem? Sed non habes argentum, [h] qui non habes splendorem alloquii cælestis. Sed fortasse speravi quod adjiceres mihi ad obsequium servuum...

a. Ultimæ edit. Paris. *Succedit autem intus.* Non bono sensu.

b. Rom. edit. sola, *servientibus Domino.*

*. Tullius quidem Paradoxo ultimo solum sapientem divitem esse disputat: sed eadem sententia apud Philonem quoque reperitur libro jam laudato, quem consule.

c. Vocibus *perversus eris*, addit Rom. edit. *sicut scriptum est.*

d. Ita vet. edit. & cuncti mss. at Rom. edit. resecavit vocem *pluribus.*

e. Omnes edit. & mss. nonnulli, *in quibus maximus vigor datus est .... quia spiritalem monetam amisit, quia* &c. Sed præter quam quod triplo major numerus mss. lectionem nostram constituunt, ei etiam sensus perspicuitas patrocinatur.

f. Post *emisissem te* subjungit edit. Rom *cum lætitia & cymbalis.* At melius illa prætermitti indicat subjecta dubitatio: *Sed quomodo me dimisisses?*

g Rom. edit. sola, *immodulata modulantibus*: aliæ, ac mss. *immoderata*, horum nonnulli, *immoderate*, *modulantibus.* Infra vero, ubi omnes edit. excepta Amerb. *vocibus mutis*; omnes prope mss præferunt, *vocibus multis.* Sed scriptorum imperitiæ hoc tribuendum; hic enim respiciebat Ambrosius illa Philonis κινοῦντας ἀνάλμας ἢ ἄλογα.

h. Eadem Rom. edit. *quia splendorem alloquii cælestis abjecisti*,

vulos tuos? Ego vero liberos quæro, fugio servos peccati. Sed forte comites itineris, & duces viarum necessarii fuerunt? Utinam sequi possent: ego illis monstrarem Domini vias. Sed qui Deum nescitis, vias ejus quomodo novistis? Vias ejus ingrediuntur electi Domino: non quicumque intrant eas, sed tamen nemo excluditur.

15. Sequatur qui paratus est, ingrediatur viam, quæ ducit ad Mesopotamiam; ut qui eam petit, per aquas transeat, aquas Tigris atque Euphratæ, fortitudinis atque justitiæ, per lacrymas pœnitentiæ, baptismum gratiæ. ᵃ In ea est via exercitus Dei; omnes enim qui sunt in Ecclesia, Deo militant. In ea est grex ille insignis diversarum virtutum, quem Jacob sibi elegit; omnis enim sine signo anima, indocta & inerudita est, disciplinarum nescia: quæ autem insignita, eadem dives operum, & gratiarum opima.

16. Ad eam qui venit, iratum fratrem reconciliet prius. Ad eam qui venit, Sichimam pretiosam illam & actuosam inhabitet virtutum officinam, ubi læsæ castitatis gravis est ultio. Ad eam qui venit, luctetur cum Deo; ut ad imitationem ejus se exerceat, ad humilitatem Christi & passiones ejus congrediatur. Tollat crucem suam, & Christum sequatur. (Matth. 16. 24.) Denique bonus congressor non æmulatur, non inflatur; immo etiam benedicit congredientem sibi tali munere.

17. Sequamur ergo sanctum Jacob, & vias ejus; ut perveniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, ᵇ perveniamus ad humerum, perveniamus ad patientiam matrem fidelium, & ad patrem Isaac, id est, jucunditatis capacem, lætitiæ redundantem. Ubi jam patientia, ibi lætitia; quia post tribulationes patientia, patientia autem probationem operatur, in qua est spes, de qua non confundimur; (Rom. 5. 3.) quoniam qui non fuerit confusus crucem Christi, nec Christus confundetur in eo. Vale, fili, & non erubescas patrem interrogare, qui non erubescis in passionibus Christi gloriari.



* EPISTOLA XXVIII.

(* Scripta circa ann. 387.)

Pythagoricum adagium, communem viam esse declinandam, petitum fuisse ex sacris paginis, indeque colligi à plebeia vita abhorrere debere sacerdotalem. Hinc Ambrosius Irenæum ut populares opiniones & cupiditates fugiat, ingrediatur Domini portas, & viam artam, atque ducentem ad superiora, calcet, excitat.

AMBROSIUS IRENÆO salutem.

1. PYthagoricum mandatum * in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quod ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc unde adsumserit, non est incognitum. Nam cùm * ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta: meritoque magnus apud philosophos habitus; ᶜ æqualem, ut aiunt, vix reperit. Legerat itaque in Exodo Moysi divino præceptum esse oraculo: *Solve calceamentum pedum tuorum.* (Exod. 3. 5.) Id etiam præceptum Jesu Nave, (Josue 5. 16.) videlicet ut detritæ & popularis viæ deponerent pulverem, qui viam Domini ambulare desiderarent. Legerat præceptum eidem Moysi, ut montem cum sacerdotibus adscenderet, populus autem seorsum staret. (Exod. 24. 13. & 14.) Separavit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysen intra nubem introire præcepit.

2. Vides divisiones? Nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu & moribus inconditæ multitudinis? SOBRIAM à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te adspiciat, quod ultra se inveniat, si quæ iu se erubescit, in te quem reverendum arbitratur, offendat?

3. Supergrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conversationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus, ac vulgaris semitæ solum, quam currit ille, cujus vita levior cursore, de quo dicitur: ᵈ *Transivit, & non vidit.* (Job 9. 25.) Sed quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, inviam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deterat, maculosus scilicet ignaviæ suæ sordibus, & fumo iniquitatis oblitus, tenebrisque & parietinis quibusdam animæ ruinosus, qui nullam virtu-

a. Omnes edit. *in ea est virtus*: omnes mss. *in ea est via.*

b. Vet. edit. & cuncti mss. *Perveniamus ad murum*; edit. Rom. *Perveniamus ad humerum.* Quam quidem correctionem non potuimus non retinere. Manifestum quippe est Sichimam hoc loco designari, quam vocem Ambrosius numquam non humerum interpretatur. Evolve superiori tomo lib. 1. *de Abraham* cap. 2. num. 5. & lib. 2. cap. 3. num 8. lib. *de Joseph* cap. 3. num. 9. lib. de *Benedict. Patriarch.* cap. 3. num. 11. &c.

*. Non alium hic intelligimus, quam Philonem, qui initio libri *Quod omnis probus liber sit*, Pythagoream sententiam *τὰς λεωφόρους μὴ βαδίζειν ὁδοὺς*, quam *ἱεροπρεπῆ δίαιταν* vocat, commode & eleganter explicat. Eamdem quoque inter Pythagorea symbola refert Erasmus, & ex Hieronymo in eumdem plane intellectum exponit. Qua autem ratione præceptum illud observarint Pythagorei, & maximus eorum numerus, quod in se aliorum hominum, quos fugiebant, odium concitassent, internecione deletus fuerit, narrant Laertius lib. 8. Justinus lib. 20. Arnobius lib. 1. *adversus Gentes* & alii.

*. De Pythagoræ natali solo multa controversia est apud antiquos, ut discere licet ex clemente Alex. lib. 1. *Stromat.* Diogene Laert. lib 8. & aliis, quibus addimus erudit. Huetium lib. 1. *Demonst. Evang.* Propos. 4. cap. 2. Quod vero plurima è Judæorum fontibus hausisse hic dicitur, nihil ea de re adjiciemus his, quæ priori tomo in Psal. 118. Serm. 5. & alibi subnotavimus.

c. Ita vet. edit. & cuncti mss. Rom. autem edit. *qualem vix reperis ullum*; quod ex Virgilii Epigr. desumtum esse addita marginali notula indicavit. Verum quidem est inter illa epigrammatia Maroni adscripta unum, quod etiam inter Ausonii Idyllia repetitur, exstare, in quo illud hemistichium habetur, ubi tamen *reperis* legitur, non *reperis*. Verum tamen non eo respexisse Ambrosium jure dixeris, sed vel ad Josephum qui lib. *Cont. Appion.* eidem Pythagoræ pietatis ac sapientiæ palmam adjudicat, vel ad Ovidii testimonium lib. 15. *Transform.* de eodem Philosopho ita canentis:

Mente deos adiit, & quæ natura negavit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

vel denique ad alios quospiam antiquorum locos, ubi non infrequentes Pythagoræ laudes occurrunt.

d. Edit. ultimæ Paris. *transivi, & non vidi.* Et infra, ubi nos cum ant. edit. & pluribus potioribusque mss. *fumo iniquitatis*; Rom. edit. cum aliis mss. *fimo iniquitatis.* Non malo sensu. At vero quod pro *oblitus* quidam mss. præferunt, *obligatus* inscitiæ est.

a tis suavitatem gustaverit, aut [a] certe limis eam A spectandam magis quam directo affectu, & aperto sinu mentis suscipiendam arbitratus sit: & (quod plerique amant, qui sibi faceti atque urbani videntur, pulcritudinem sapientiæ in decus versutiæ transfigurantes) veram non intuens gratiam, tamquam in nocte positus, non credit in die viventibus; quia de numero Themanorum & Sabæorum est deficientium & avertentium se à veritate, de quibus dicit Job: *Videte vias Themanorum, & semitas Sabæorum; quia* B *confusionem incident, qui in civitatibus & divitiis spem habent. Ita & vos insurrexistis in me sine misericordia; unde viso vulnere meo, timete.* (Job 6.19 & 20)

4. Has igitur devias semitas declinantium, & illum deficientium pulverem, qui propter suam appetentiam ceciderunt sæpe in deserto, derelinquamus. Convertamur autem, & sequamur sapientiæ viam, quam non calcaverunt filii glorificantium se & jactantium, quam [b] interitio ignorat, mors nescit; quia Deus direxit C eam: *Abyssus dixit: Non est in me; mare dixit: Non est mecum.* (Job 28.14.) Sed si quæris viam sapientiæ & disciplinæ; colere Deum, atque ei subditum esse sapientia est: abstinere autem à peccatis disciplina est.

5. Quid igitur nobis cum istius sæculi via, in qua est tentatio; immo ipsa vita hominis tentatio est, & exsilior quam sermo fabularum, habitare in luteis domibus, dies & noctes in lucris ponere, & de lucris semper cogitare, & D sicut mercenarios diurnam mercedem quærere, atque, ut cicadas aiunt, aura quadam pasci cupiditatum? Vere sicut cicadas, quia de die in diem vivunt, [c] questu rumpuntur suo. Quid enim aliud sunt homines nullius ponderis, nullius disciplinæ; nisi ut videantur sicut cicadæ, ad mortem nati diurnam, strepentes magis quam loquentes? Qui sub ardore ferventium cupiditatum se mulceant cantu sibi noxio, statimque occidant, nullum fructum ferentes, nihil E habentes gratiæ. Horum igitur viæ noxiæ tortuosæque serpentium, qui venenato lapsu corporis se se trahunt, atque [d] in spiram nequitiæ se se colligunt, & erigere non queunt ad cælestia.

6. Ingrediamur autem portas Domini, portas justitiæ, quas justus qui fuerit ingressus, confitetur Domino. (Psal. 117.19.) Sed hæc paucorum ingressio, unde Dominus ait, quia *angusta porta, & arta est via, quæ ducit ad vitam; & pauci* F *sunt, qui inveniunt eam.* (Matth. 7. 14.) Lata autem porta & spatiosa via, qua multi gradiuntur, ad mortem dirigit, & viatores suos eo ducit.

7. Sit ergo via nostra angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis artior, vigor mentis exundans, semitæ rectæ; quia inflexibilia sunt virtutum vestigia. Unde Salomon: *O qui dereliquerunt semitas rectas!* (Prov. 2.13.)

8. Sit gressus ad superiora; quia melius est adscendere. Denique, sicut lectum est hodie: *Væ iis, qui descendunt in Ægyptum!* (Esai 31.1.) Non utique transire in Ægyptum criminosum est: sed transire in mores Ægyptiorum, transire in eorum [e] perfidiæ sævitatem, & luxuriæ deformitatem. Qui eo transit, descendit: qui descendit, cadit. Declinemus itaque Ægyptium hominem, & non Deum. Vitiis enim suis etiam ipse rex Ægyptiorum in potestatem est datus, cujus comparatione Moyses Deus æstimatus est, imperans regnis, subjiciens sibi potestates. Unde ei dictum legimus: *Faciam te in Deum regi Pharaoni.* (Exod. 7.1.) Vale, & nos, ut facis, quasi filius dilige.

*EPISTOLA XXIX.

(*Scripta circ. an. 387.)

Pulcritudinem summi boni quærendam suadet, fore ut illâ recreetur oculus noster, atque anima nutriatur spondens; eo quod hic animæ cibus sit, cujus cognitionem sanctis Deus revelat, quemque David cupide indagavit. Hoc bonum diligenter tenendum esse; quando idem ipsum sit, quod annuntiaverunt Evangelistæ, scilicet Christum. Hoc bonum qui cum desiderio hauserit, eum ad mysteriorum scientiam perventurum, & jam neglecturum quæ sunt corporis, ad quod Apostolus nos adhortatur. Elevandam igitur animam ab affectibus, ut feratur ad bonum illud, in quo fons vitæ est, & quò non nisi virtute perducimur. Verum perseverantiam ad id opus esse & constantiam.

AMBROSIUS IRENÆO salutem.

1. INter legendum, cùm paululum requievissem animo, quia lucubratione destiteram, versiculum illum cœpi mecum volvere, (Psal. 44.3.) * quo vesperi in vigiliis usi fueramus: Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες (Rom. 10.15.) E τῶν εὐαγγελιζομένων αὐτόν. Et vere nihil * speciosius illo summo bono, cujus etiam prædicatio speciosa est nimis, & maxime perseverantis sermonis processus, & quædam apostolicæ prædicationis vestigia. Sed illa qui possunt? Quibus donavit Deus, non solùm ut Christum annuntiarent, sed etiam pro illo paterentur.

2. Nos quantum possumus, intendamus illo animum, & in illo simus, illud animo teneamus, quod est pulcrum, decorum, bonum; ut fiat F illuminatione ejus, & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Nam si oculi nostri cùm aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate, & specie nemoris, vel collis

a. Mss. aliquot, *aut certe lippis oculis.* Minus commode.

b. Nonnulli mss. *interior ignorat mors: nescit quia* &c. Melius vero ceteri, & edit. ut in textu.

c. Vet. edit. *questuque* Rom. *questuque*: mss. omittunt copulam *que*, non incommode; sed minus concinne *quæstu* per diphthongum efferunt. Etenim hic non obscure alluditur ad illud Virg. ex lib. 3. Georg. *Et cantu querulæ rumpebant arbusta cicadæ.* Quod autem easdem cicadas aurâ victitare adserit sanctus Præsul, etsi respicere potuerit aut ad Arist. lib. 5. *de Hist. animal.* cap. 7. aut ad Plinii lib. 2. cap. 26. maxime vero ad Virg. Eclog. 5. ubi legimus: *Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.* Certam tamen est imitationem hic Philonis esse ex citato libro *Quod omnis probus liber* non longe ab initio.

d. Mss. aliquot, *in sphæram*: alii, & edit. *in spiram.* Virg. lib. 2. Georg. *Squameus in spiram tractu se colligit anguis.*

e. Vet. edit. & mss. non pauci, *perfidiam, esca cupiditatem, luxuria*, quidam, *aviditatem & luxuriæ deformitatem*: Pratell. & Gem. *perfidiam esca cupiditate, & luxuria deformitate*; alii, ac Rom. edit *perfidiæ sævitatem*, Albin. *castitatem*, &c.

*. De primis vigiliis quæ statim prima noctis hora persolvebantur, hic locus est. De iisdem etiam loquitur Hieronymus epist. 7. *ad Lætam* hisce verbis, *accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum* supple adsuescat. A lucerna autem dicebatur lucernarium, de quo Epiphan. in *Anaceph.* Basil. *de Spiritu sancto* cap. 29. & & Chrysost. Hom. 29. *ad Antioch.* Porro de aliis duabus vigiliis quæ & media nocte, & sub ortum solis agebantur, clare loquitur Ambrosius lib. 2. *de Abrah.* cap. 9. lib. *de Elia & jejunio* cap. 15. in Psal. 36. vers. 25. & in 118. Serm. 19.

*. Hunc versum de corporea Christi specie vulgo interpretantur novi Theologi; cùm veteres Patres eum de sola interiori pulcritudine intellexerint, corporeæ formæ ignobilitatem ad humilitatem incarnationis pertinere existimantes. Qua de re consule Rigaltii dissertationem *de pulcritudine Christi.*

herbosi omnem inæqualitatem ægrescentis ob- A
tutus repellunt, & quadam salubri specie pu-
pillæ ipsæ, atque orbes colorari videntur; quan-
to magis hic mentis oculus cùm illud summum
intuetur bonum, & in eo versatur, atque eo
pascitur, splendescit, atque enitet, ut fiat illud
Psal. 62. 6. quod scriptum est: *Tamquam adipe & pinguedi-
ne repleatur anima mea?* Denique qui scienter
agnoscit animas gregis sui, curam adhibet her-
bis campestribus, ut sint ei pascua plurima;
herbis enim suavioribus & agni pinguiores fiunt, B
& succus lactis salubrior. Quibus pascuis usi
Psal. 21. 30. sunt divites illi, qui *manducaverunt & adoraverunt;* sunt enim bona fidei pascua in quibus
collocatur sanctus Dei.

3. Est ergo & fœnum, quo aluntur greges
ovium, qui emittunt vellera sapientiæ, & dant
amictum prudentiæ. Et fortasse hoc est fœnum
montanum, in quod verba descendunt pro-
Deut. 32. 2. phetæ: *sicut nix super fœnum;* & quod diligen-
Prov. 27. 25. ter colligit sapiens, ut sint ei oves ad vestitum, C
spiritalis utique velaminis. Habet ergo cibum
suum & amictum anima, quæ illi summo bono
adhæret, quod est divinum: quod apostolus
Petrus suadet quærendum; ut per ejus cogni-
2. Petr. 1. 4. tionis adquisitionem divinæ simus consortes
naturæ.

4. Hujus cognitionem aperit sanctis suis
Deus bonus, & donat hoc de thesauro suo
Deut. 28. 11. & 12. bono, sicut testificatur lex sacra, dicens: *Quia
juravit Dominus* [a] *patribus tuis dare tibi & ape-* D
rire thesaurum suum bonum: de quo thesauro cæ-
lesti dat pluviam terræ suæ, benedicere omnia
opera manuum tuarum. Hæc est pluvia elo-
Deut. 32. 2. quium Legis, quod irrorat animam illam fœ-
cundam & fertilem bonorum operum; ut ha-
beat humorem gratiæ.

5. Hujus boni cognitionem quærebat David,
Psal. 26. 4. sicut ipse significat, dicens: *Unam petivi à Do-
mino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domi-
ni omnes dies vitæ meæ, & videam delectationes* E
Domini, & considerem templum ejus. Denique
hoc esse summum bonum subtexuit statim in
Ibidem 13. eodem psalmo: *Credo videre bona Domini in ter-
ra viventium.* Hîc enim quæritur, illic facie
ad faciem plene videbitur. Hoc bonum in do-
mo Dei est, in illo secreto ejus ac recessu. Un-
Psal. 64. 5. de iterum ait: *Replebimur in bonis domus tuæ.*
Alibi quoque hanc summam esse benedictionis
Psal. 127. 5. expressit, dicens: *Benedicat te Dominus ex Sion,
& videas quæ bona sunt Hierusalem.* Ideo beatus F
qui illic habitat in ingressu fidei, hospitioque
mentis, devotionis habitaculo, conversatione
virtutis.

6. In illo igitur simus, atque in eo manea-
b Esai. 52. 7. mus; [b] de quo & Esaias dicit: *Quam speciosi pe-
des evangelizantium pacem, evangelizantium bo-
na!* Qui sunt qui evangelizant, nisi Petrus,
nisi Paulus, nisi omnes apostoli? Quid evange-
1. Cor. 1. 1. lizant nobis, nisi dominum Jesum? Hic est pax
nostra, hic est bonum illud summum; quia ipse
Matth. 7. 18. bonus ex bono, ex arbore enim bona bonus
fructus legitur. Denique & spiritus ejus bonus,
Psal. 142. 10. qui ex ipso accipit, & deducit Dei servulos in
viam rectam. Quis autem habens spiritum Dei
in se, neget bonum, cùm ipse dicat: *An oculus* Matth. 20. 15.
tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hoc bo-
num veniat in animam nostram, in nostræ
mentis viscera, quod propitius Deus dat pe-
tentibus se. Hic est thesaurus noster, hic est
via nostra, hic est sapientia nostra, justitia nos-
tra, pastor noster, & pastor bonus, hic est vi-
ta nostra. Vides quanta bona in uno bono?

7. Hæc bona nobis prædicant Evangelistæ.
Hæc bona requirens David, ait: *Quis ostendit* Psal. 4. 6.
nobis bona? Et ostendit ipsum esse bona, subji-
ciens: *Signatum est in nobis lumen vultus tui.* Ibidem 7.
Quis autem lumen vultus Patris, nisi splendor Hebr. 1. 3.
gloriæ, & imago invisibilis Dei, in quo & vide-
tur & clarificatur Pater, sicut ipse clarificat Johan. 17. 5.
Filium suum?

8. Ipse est ergo dominus Jesus summum bo- 1. Tim. 3. 16.
num, quod nobis annuntiatum à prophetis,
prædicatum ab Angelis, promissum à Patre,
evangelizatum est ab apostolis. Qui nobis tam-
quam maturitas advenit: nec solum tamquam
maturitas, sed tamquam maturitas in montibus
adest; ut nihil acerbum, nihil immaturum in
nostris consiliis sit, nihil immite, nihil asperum
in operibus, ac moribus, qui primus Evange-
lizans bona adfuit. Unde & ait: *Ipse qui loque-
bar, adsum,* id est, qui loquebar in prophetis,
adsum in corpore, quod suscepi ex Virgine:
adsum interior imago Dei, character substan- Hebr. 1. 3.
tiæ; & adsum ut homo. Sed quis cognoscit
me? Hominem enim viderunt, sed operibus Johan. 11. 35.
supra hominem crediderunt. An non ut homo,
cùm Lazarum fleret; & rursus supra hominem,
cùm eum resuscitaret? An non ut homo, cùm Johan 1. 29.
vapularet; & rursus supra hominem, cùm totius
mundi peccatum tolleret?

9. Ad illum igitur properemus, in quo sum-
mum est bonum; quoniam ipse bonitas, ipse
patientia Israel, qui ad pœnitentiam te vocat;
ne venias in judicium, sed accipias remissionem
peccatorum. *Agite,* inquit, *pænitentiam.* Ipse Matth. 4. 17.
est de quo clamat Amos propheta: *Exquirite* Amos 5. 14.
bonum. Ipse est summum bonum, qui nullius in-
diget, & abundat omnibus. Facile abundat, in
quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Coloss. 2. 9.
Facile abundat, de cujus plenitudine omnes Johan. 1. 16.
accepimus, & in illo repleti sumus, ut dicit
Evangelista.

10. Hoc igitur verum & summum bonum,
si illo concupiscibili suo & delectabili anima
gustaverit, & duabus his hauserit affectionibus,
excludens dolorem & formidinem, incredibili-
ter exæstuat. Osculata enim Verbum Dei, mo-
dum non capit, nec expletur, dicens: *Suavis* Psal. 118. 68.
*es, Domine, & in jucunditate tua doce me justifi-
cationes tuas.* Osculata Dei Verbum, concupis-
cit super omnem decorem, diligit super om-
nem lætitiam, delectatur super omnia aroma-
ta, cupit frequenter videre, sæpe intendere,
cupit adtrahi, ut sequi possit. *Unguentum,* in- Cant. 1. 2.
quit, *exinanitum est nomen tuum;* propterea te
diligimus adolescentulæ, propterea certamus,
sed comprehendere te non possumus. Adtrahe
nos, ut possimus currere, ut odore unguento-
rum tuorum accipiamus virtutem sequendi.

a. Nonnull. mss. *patribus tuis, ut aperiret thesaurum.*

b. Rom. edit. sola, *de quo & Apostolus dicit,*

Ibidem. 11. Feſtinat etiam interna myſteria videre, pſam requiem Verbi, ipſam boni illius ſummi habitationem, & lucem ejus, & claritatem. In illo ſinu ac receſſu patrio feſtinat audire ſermones ejus; & cùm audierit, ſuper omnem ſuavitatem accipit. Doceat te Propheta, qui guſtavit, & ait: *Quam dulcia faucibus meis verba tua, ſuper mel & favum ori meo!* (*Pſal. 118. 103.*) Quid enim aliud deſiderat anima, quæ ſemel ſuavitatem Verbi guſtaverit, quæ ſemel claritatem ejus viderit? Moyſes in monte poſitus quadraginta diebus Legem accipiens, cibum corporis non requirebat (*Exod. 34. 28.*): Elias ad illam feſtinans requiem, rogabat ut acciperetur à ſe anima ſua (*3 Reg 19. 4.*): Petrus adſpiciens & ipſe in monte Dominicæ reſurrectionis gloriam, nolebat deſcendere, dicens: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe.* (*Matth. 17. 4.*) Quanta igitur illa divinæ ſubſtantiæ gloria, quanta Verbi bona, in quæ concupiſcunt & Angeli proſpicere (*1 Petr. 1. 12.*)?

12. Anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimamque ſibi familiaritatem cum eo eſſe debere intelligit, renunciat ſæculo, abducit ſe à vinculis carnis, exuit omnibus voluptatum iſtarum nexibus. Denique Stephanus Jeſum videbat (*Act. 7. 55. & ſeq.*), & lapidari non formidabat; immo cùm lapidaretur, non pro ſe, ſed pro illis à quibus perimebatur, rogabat. Paulus quoque raptus uſque ad tertium cælum (*2. Cor. 12. 2.*), cum corpore eſſet, an ſine corpore, neſciebat: raptus, inquam, in paradiſum, uſum proprii jam non ſentiebat corporis; & audiens verba Dei, quomodo ad corporis infirmitates deſcenderet, erubeſcebat.

13. Itaque ſciens quid vidiſſet in paradiſo, vel quid audiſſet, clamabat dicens: *Quid adhuc velut videntes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne guſtaveritis quæ ſunt omnia ad corruptelam ipſo uſu.* (*Coloſſ. 2. 20. & ſeq.*) Volebat enim nos * in figura eſſe iſtius mundi, non in poſſeſſione atque uſu; ut ita utamur hoc mundo tamquam non utamur, tamquam prætereuntes, non tamquam reſidentes: ambulantes tamquam in imagine ſæculi, non in cupiditate, [a] ut velociſſima diſputatione ipſam imaginem hujus mundi tranſeamus. Denique ipſe fide ambulans, non ſpecie, peregrinabatur à corpore, aderat Domino; & cùm eſſet in terris, non in terrenis, ſed in cæleſtibus converſabatur.

14. Ergo anima noſtra, quæ Deo vult appropinquare, elevet ſe à corpore, ſemper illi ſummo adhæreat, illi bono quod eſt divinum, quod eſt ſemper, & quod erat ab initio, & quod erat apud Deum, hoc eſt, Dei Verbum. Ipſum eſt illud divinum, *in quo vivimus, & ſumus, & movemur.* (*Act. 17. 28.*) Ipſum eſt quod erat in principio (*Johan. 1. 1.*), ipſum eſt quod eſt: *Dei enim filius Jeſus Chriſtus* [b] *in vobis*, inquit, *eſt: in quo non fuit, Eſt & Non; ſed Eſt in illo fuit.* (*2. Cor. 1. 19.*) Ipſe dixit Moyſi, ut diceret: *Qui eſt, miſit me.* (*Exod. 3. 14.*)

15. Cùm hoc igitur anima noſtra ſit, & ſit (ſi fieri poteſt) ſemper; ut & noſtrum poſſit quis dicere: *Anima mea in manibus tuis ſemper.* (*Pſal. 118. 109.*) Erit autem, ſi non in carne ſit, ſed in ſpiritu: erit, ſi ſe terrenis non miſceat. Cùm enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira & indignatione exæſtuat, tunc mœſtitia afficitur, tunc * ſupinatur per arrogantiam, tunc dolore affligitur.

16. Hæ ſunt ægritudines animæ graves, quibus plerumque ad mortem cogitur; dum oculi ejus cæcantur, ut non videant veræ lumen gloriæ, & divitias æternæ hereditatis. Quod ſi eos ad Deum ſemper intendat, accipiet à Chriſto fulgorem ſapientiæ; ut illuminatum in agnitione Dei habeat obtutum, videat illam ſpem noſtræ vocationis, adſpiciat illud quod eſt bonum, & placitum, & perfectum. Quod enim bonum, complacitum Patri: quod complacitum, perfectum; ſicut habes in Evangelio, ubi dicit Dominus: *Diligite inimicos veſtros, ut imitemini Patrem, qui pluit ſuper juſtos & injuſtos* (*Matt. 5. 44. & ſeq.*); quod eſt utique bonitatis. Et poſtea concludit, dicens: *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter, qui in cælis eſt, perfectus eſt.* Caritas enim perfecta eſt: denique plenitudo Legis eſt (*Rom. 13. 10.*). Quid autem tam bonum quam caritas, quæ malum non cogitat?

17. Et ideo terras fugito, in quibus invidia eſt, ubi ambitio, ubi contentio. Boni ergo illius capacem ſe anima tua præbeat; ut ſupra nubes volet, ſicut aquila renovetur, ſicut aquila pennas emittat; ut renovatis * alarum remigiis, alta petere non reformidet, hanc habitationem relinquat: terrenum enim habitaculum gravat animam (*Sap. 9. 15.*). Exuat vetera, abjiciat erroris deſideria, abluat oculos ſuos; ut videat illum fontem veræ ſapientiæ, illum fontem vitæ æternæ, qui affluit, atque exundat omnibus, nullius indigens. Quis enim dedit illi, cùm *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* omnia ſint? (*Rom. 11. 35.*)

18. Vitæ igitur fons eſt ſummum illud bonum, ex quo vivendi ſubſtantia miniſtratur omnibus: ipſum autem in ſe habet vitam manentem. A nullo quaſi inops accipit: largitur bona aliis, non aliunde adſumit ſibi; neque enim noſtri indiget. Unde & ait ex perſona hominis: *Quoniam bonorum meorum non indiges.* (*Pſal. 15. 2.*) Quid ergo pulcrius, quam ei appropinquare, ei adhærere? [c] quæ major voluptas eſt? Quod is qui viderit, & de fonte aquæ vivæ gratis guſtaverit, quid poteſt aliud deſiderare? quæ regna? quas poteſtates? quam pecuniam? cùm advertat quam miſeræ etiam hîc regum conditiones ſint, quam mutabiles imperii ſtatus, quam exigua vitæ hujus ſpatia, quanta in ipſo imperio ſervitia; cùm ad aliorum, non ad ſuum vivant arbitrium.

*. Subobſcurus ſermo, inquit Nannius: ſenſum hunc opinor. Volebat nos verſari in mundo, quaſi in re imaginaria, & quæ nulla ſoliditate ſubſiſteret. Puto enim illum alluſiſſe ad illud primæ ad Corinth cap. 7. *Præterit enim figura hujus mundi*; nam poſtea addit: *Ambulantes tamquam in imagine ſæculi*. Ita ille.

a. Edit. Eraſ. & Gill. cum duobus mſſ. *velociſſima diſpoſitione*: Rom. *velociſſima prætiritione*: Amerb. & ceteri mſſ. ... *diſputatione*. Commodo ſenſu; nihil enim aliud exprimit Ambroſius, niſi velle ſe quam pauciſſimis verbis de imagine mundi diſputare. Iterùm autem poſt duos verſus, ubi nos cum pluribus mſſ. & edit. *aderat Domino*, Rom. *ſed aderat Domino*; unus mſſ. exhibet, *adhæſerat Domino*, alter, *adhærebat Deo*.

b. Rom. edit *qui in vobis eſt, non fuit*, inquit, *in eo*, vet. autem ac mſſ. ut in contextu, niſi quod pro *in vobis*, vet. edit. præferebant, *in nobis*.

*. Deſcribit vultum ſuperbi, qui os ſublime in cælum erigit: è contrario eſt demiſſus, qui vultum in terram dejicit. Ita Nannius.

*. Cùm id avibus alæ ſint, quod remigium navibus; hinc ducta eſt à poetis, & maxime à Virgilio, iſta metaphora, unde illam tranſtulit Ambroſius.

c. Edit vet. *Quæ major voluptas eſt, quam quod is qui viderit ... guſtaverit? Quid poteſt* &c. his etiam accedit. Rom. niſi quod habet, *quam cùm quis id viderit*: melius vero exarati cod. quos & ſequimur.

19. Quis autem peculiatus ad vitam æternam A transit, nisi virtutum fultus peculio, quod receptum omnibus, solis divitibus impossibile pronuntiatur? Matth. 19. 26. Non ergo his uti beatum est, sed illud videre, quo ista despicias, [a] & vana veri refellas, atque inania & cassa judices, illam nudæ veritatis pulcritudinem diligas, quæ has sæculi fucosissimas vanitates redarguat.

20. Erige igitur oculos, anima, tuos; illos oculos, de quibus tibi Verbum Dei dicit: * *Corde nos cepisti, soror mea sponsa, corde nos cepisti* B *uno ab oculis tuis.* Cant. 4. 9. Adscende in palmam, vince sæculum, ut teneas Verbi altitudinem. Imaginem istam mundi foris relinque, foris malitiam: introduc autem bonitatem mentis, quæ habet gratiam in ligno vitæ; si laverit stolam suam, & ingrediatur in civitatem, quæ vera est gratia sanctorum, in qua est Dei tabernaculum, circa quod scribæ Domini * prætendunt, ubi non dies, aut sol, aut luna lumen ministrant: Apoc. 21. 23. sed ipse Dominus lumen est, totam illam civi- C tatem illuminans; est enim lux mundi: Johan. 8. 12. non utique lux visibilis, sed animarum, quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ, Luc. 24. 32. prædicatur in Evangelio, incorporeæ virtutis inflammans vapore secreta mentium, animorumque penetralia.

21. Si quis igitur incola esse cœperit illius civitatis supernæ, incola videlicet conversatione ac moribus, non discedat ab ea, non exeat; D non reflectat vestigium, non corporis dico, sed mentis vestigium, non revertatur retro. Retro luxuria, retro impuritas est. Denique adscendens ad montem Lot, retro reliquit sodomitana flagitia; Gen. 19. 30. quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora evadere. Non ergo pedes tui retro, sed mores non revertantur. Non fiant manus tuæ remissæ, & devotionis tuæ, ac fidei genua dissoluta. Non fiat voluntatis tuæ recidiva infirmitas, non ullus intercursus crimi- E num. Sed ingressus es, mane: pervenisti, consiste: Gen. 19. 17. *salvans salva animam tuam.*

22. Adscendens directum adtolle gradum, nullus inde tuto redit. Hinc via, inde ruina est. Hinc adscensus, inde præcipitium. Adscendendi quidem labor, sed descendendi periculum: sed potens est Dominus, qui te fundatum illic custodiat septum propheticis muris, & apostolicis turribus. Joel. 3. 13. Ideo tibi dicit Dominus: Intrate, calcate, quia adsistit vindemia. Intus, non foris simus. Et in Evangelio Dei Filius dicit: Luc. 17. 31. *Qui est in tecto, non descendat vasa sua tollere.* Non utique de hoc tecto dicit, sed de illo: 4. Esdr. 16. 60. *Extendit cælum sicut cameram.*

23. Intus ergo esto, intra Hierusalem, intra animam tuam pacificam, mitem atque tranquillam. Non exeas de ea, neque descendas vas tuum istud, aut honoribus, aut divitiis, aut arrogantia adtollere. Intus esto, ut per te alienigenæ non transeant, peccata animam tuam non transeant, vanæ operationes & [b] cogitationes inanes: non transibunt autem, si sanctificaveris bellum pro devotionis & fidei certamine, pro veritatis studio adversus passionum illecebras, & sumseris arma Dei adversum spiritales nequitias, & astutiam diaboli, qui pertentat sensus nostros fraude ac dolo; quem mansuetus bellator facile proterit, qui non serat jurgia, sed sicut decet servum Domini, cum modestia fidem doceat, & eos qui adversantur, redarguat. De hoc dicit Scriptura: *Qui mansuetus est, bellator exsurgat,* Joel 3. 9. & infirmus dicat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. 13.

24. Hac fide fretus etiam qui infirmus est, prævalebit, & erit sancta anima ejus, & stillabunt ei montes prophetici, vel apostolici dulcedinem, Joel 3. 18. & colles fluent lac: qualis ille collis, qui lactis potum Corinthiis dabat; 1. Cor. 3. 2. & fluent ei aquæ de suis vasis, & de puteorum suorum fontibus: vel de ventre ejus aquæ vivæ, spiritales videlicet quas fidelibus suis Spiritus sanctus ministrat, qui etiam animam tuam dignetur rigare, ut abundet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Johan. 4. 14. Vale, & nos [c] ut filius dilige; quia nos te ut parentes diligimus.

* EPISTOLA XXX.

*Script. circ. an. 387.

Docet non habitandum in locis depressis more luxuriosorum, sed sanctorum instar in editioribus, ubi ædificandum est templum Domino, scilicet in propriis mentibus. A luxuriosis non ædificari hoc templum, cujus fastigium æquitatis ope metimur. Quinam sepulcra negantur sibi condere, & adscendere in domum Dei; quove pacto ad struendam tam qua minis, qua promissis excitantur?

AMBROSIUS IRENÆO salutem.

1. UBi superiorem absolvi epistolam, & perferendam tibi tradidi, venit in mentem illud quod Dominus in manu Aggæi prophetæ loquutus est dicens: *Si tempus vobis est, ut habitetis * in domibus cælatis?* Agg. 1. 4. Quid ergo istud est, nisi in superioribus habitandum, non in vallestribus & subterraneis habitaculis? Qui enim infra terram habitant, non possunt ædificare templum Dei, & dicunt: *Non venit tempus ut ædificetur domus Domini;* Ibidem 2. simul quia * luxuriosorum est hypogæa quærere, captantium frigus æstivum, eo quod resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare non queant, & ideo requirant umbrosa penetralia: vel quod desidiosi ignava sub terris agant otia: deinde quod tenebrosa illos & opaca delectent magis, quibus

a. Mss. aliquot, *& velut vana refellas*, quidam *& vana veris* (unus, *vere*) *refellas*: rectius alii, & omnes edit. *& vana veri &c.* de qua locutione jam diximus.

*. Græcum verbum ἐκαρδίωσας, quod hic vertitur ab Ambrosio, majorem quamdam emphasin habere observat Nannius; cùm idem sonet atque excordiasti: quod vetus interpres reddidit, *Vulnerasti cor meum* &c.

*. *Prætendunt*, id est, ante alios tentoria sua figunt, & eos custodiis suis cingunt, ut scite annotavit Nannius, & jam alicubi à nobis observatum esse meminimus.

b. Plerique mss. *cogitationes inanes non transibunt*, unus *non transeant, si autem sanctificaveris*: concinnius vero alii & edit. ut nos in textu, nisi quod vet. edit. habent, *suscitaveris*, pro *sanctificaveris*

c. Ultima edit. Paris. *ut filios dilige . . . ut parentem diligimus*: sensu præpostero.

*. Legitur in græco ἐν οἴκοις κοιλοστάθμοις, id est, in domibus cavatis; unde Nannius existimat Ambrosium per voces *in domibus cælatis* significatum voluisse in illis ædibus subterraneas cellas exstitisse. Nihilominus tamen idem agnoscit infra dictum ab Ambrosio, *domos cælatas*, & *argentum cælatum*

*. Hypogæa, inquit Nannius, loca subterrestria, ubi caupones & meretrices stabulari solent, quæ ob similitudinem cubilium ferarum lustra Romanis appellantur. Meretrix certe χαμαιτύπη & χαμαιτυπεῖον nominatur.

operiti

operiri flagitia sua credant, secundùm illud: *Tenebræ circumdant me & parietes, quem vereor?* [Eccli. 23. 26.] Sed frustra hoc sperant, cùm profunda abyssi & abscondita Deus cernat, & omnia deprehendat, antequam fiant. [Sap. 1. 8.]

2. At non Elias in hypogæis, non Elisæus habitabant. [3 Reg. 17. 22.] Denique alter mortuum viduæ filium tulit ad superiora, in quibus consueverat sedere, & ibi eum resuscitavit: alteri quoque Sunamitis illa magna mulier, ut Scriptura testificatur, [4. Reg. 4. 16 & seq.] in superioribus hospitium paravit, & ibi concipiendæ sobolis, quia non habebat, meruit prærogativam, ejusdemque resuscitati pignoris vidit miracula. Quid de Petro dicam, qui [a] ad horam sextam adscendens in superiora, baptizandarum gentium cognovit mysteria? [Act. 10. 9. & seq.] At vero parricida Abessalon in valle Regis sibi titulum statuit, [2. Reg. 18. 17.] & in fossam projectus est, cùm esset peremtus. Ergo sancti adscendunt ad Dominum, flagitiosi ad vitia descendunt: sancti in montibus, criminosi in vallibus; *Deus enim montium est, & non* [b] *Deus vallium.* [3. Reg. 20. 20.]

3. Qui ergo illic, id est, in domibus habitabant vallestribus, in quibus non habitat Deus; domum Dei in se habere non poterant; hanc enim Dominus quærebat ab illis domum, ut semet ipsos ædificarent, atque intra se Dei templum vivis fidei lapidibus adtollerent. Neque enim terrenorum parietum constructiones, & silvestrium [c] ligna culminum desiderabat, quæ cùm fuissent, manus dirueret hostilis: sed illud templum quærebat, quod in hominum conderetur mentibus, quibus dicendum foret: *Vos estis templum Dei;* [1. Cor. 3 16.] in quo habitaret dominus Jesus, & unde ad redemtionem universorum procederet; ut in utero Virginis sacra reperiretur aula, in qua Rex habitaret cælestium, & corpus humanum Dei templum fieret; quod etiam, cùm solutum esset, in triduo resuscitaretur.

4. Sed hanc domum luxuriosi non ædificant, [Aggæi 1. 4.] qui cælatas inhabitant domos, & cælato argento delectantur; sordet enim illis purum argentum, ita & istis sordet simplicis habitationis locus. Sinuant spatia domorum, & adjiciendo adjiciunt, [Isaiæ 5. 8.] conjungentes domum ad domum, & villam ad villam, effodiunt terram; ut elementum quoque eorum cedat habitaculis, & quasi terræ filii intra ejus recondantur uterum, & abscondantur alvo. Isti plane sunt, de quibus dicit Hieremias: *O qui ædificant domum suam non cum justitia!* [Hier. 22. 13.] Qui enim cum justitia ædificat, non in terrenis ædificat, sed in cælestibus.

5. *Ædificasti*, inquit, *domum, metire superiora ejus, perflatilia distincta fenestris, & contignata cedro, & illita minio.* [Ibidem 14.] Metitur autem superiora, qui contemplatus judicium Dei, judicat judicium humilis, & judicium pauperis. Qui autem in avaritiam intendit, & in sanguinem innocentis, non ædificat superiora cum judicio, nec mensuram tenet; quia non habet Christum: nec adspirare sibi divinæ flatus explorat gratiæ, nec pleni luminis splendorem requirit: nec illita minio habet cænacula, cui non potest dici: *Sicut resticula coccinea labia tua.* [Cant. 4. 3.]

6. *Non sepelietur*, inquit, *hujusmodi;* [Hier. 22. 19.] qui enim vivum se sub terram infodit, & tamquam in sepulcro sepelivit, eripuit sibi mortuo requiem sepulturæ. Depositus itaque in valle corporalium delectationum, non invenit sepulcrum, de quo possit resurgere. Hujusmodi ergo vir, nec templum Deo ædificat; quia non novit tempus correctionis suæ. Quomodo enim possunt tales homines templum ædificare, qui quasi feræ ac bestiæ in spelæa ferarum & bestiarum latibula se se receptant, atque in foveas se serpentium more demergunt, & consuetudine fraudulentæ vulpis infodiunt?

7. Sed nec sepulcrum sibi condit, qui ante tempus moritur; vivens enim mortuus est: [1. Tim. 5. 6.] nec audit vocem Aggæi, id est, * epulantis, ut interpretatio declarat; quoniam non ingreditur tabernaculum Dei, *in voce exsultationis & confessionis, sonus epulantis.* [Psal. 41. 5.] Quomodo enim vocem ejus audit, qui opera ejus non videt? Nam si videret, audiret verbum, quod in ejus manu factum est, delectatus ejus actibus, quibus pulsavit, & apertum est ei, & descendit in ejus animam; ut epuletur in eo sinceritatis & [d] veritatis cibos.

8. Ergo quia non audivit, fit iterum in manu Aggæi verbum, [e] & dicit: [Aggæi 1. 8.] Surgite de cælatis & depressis malitia domibus, & adscendite in montem scripturarum cælestium, & cædite lignum sapientiæ, lignum vitæ, lignum cognitionis: & dirigite vias vestras, ordinate actus vestros; ut habeant ordinem suum debitum, qui necessarius & utilis est ad ædificandam Domini domum.

9. Nam si non feceritis, *nec cælum dabit rorem suum*, [Ibid. 10.] id est, sermo cælestis, qui sicut ros descendit super fœnum, non temperabit fervidos corporalium motus passionum; nec ignita restinguet diversarum spicula cupiditatum: *nec terra ejus*, id est, [f] anima, *fructus dabit;* eo quod arescat, nisi repleatur irriguo verbi Dei, & perfundatur rore cælesti, spiritalis ubertate gratiæ.

10. Et quia sciebat desides esse habitantes in hypogæis, & voluptatum gurgustiis: [g] *Excitabo*, inquit, *illis spiritum Zorobabel de tribu Juda, & Jesum Josedech sacerdotem magnum;* [Ibid. 14.] ut incitentur ad ædificationem divinæ domus. *Nisi enim Dominus ædificaverit sibi domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* [Ps. 126. 1.] Ipse est Zorobabel jugis redundantia; utpote fons vitæ, & Ver-

a. Amerb. cum mss. aliquot, *ad horam nonam.* Quod autem subditur *adscendens in superiora*, ibi vetus consuetudo Judæorum indicatur, superiorem ædium partem, cùm oraturi erant, conscendentium.

b. *Deus vallium* his vocibus subjungit Rom. edit. *Inquit ergo: Ponite jam corda vestra in vias vestras, adscendite in montem.* Sed sine ullo scripti editive codicis suffragio.

c. Nonnulli mss. *lignorum culmina.* Sed retinenda ceterorum, & edit. lectio, cùm *ligna culminum* hic idem significet, ac ligna montium.

*. Aggæum vulgo interpretantur festivum, solemnem & gyrantem: sed forte illud vocabulum reddidit Ambrosius per τὸ *epulantem*, quod solemnitatum non minima pars in epulis soleat esse posita.

d. Vet. edit. & mss. non pauci, *veritatis cibus.* Non satis recte, nisi quis τὸ *epuletur* passive accipiat, pro manducetur.

e. Rom. edit. sola, *& dicit: adscendite in montem, cædite ligna, & ædificate domum; quasi dicat: Surgite* &c.

f. Edit. Rom. *anima germina sua dabit.*

g. Ita vet. edit. ac mss. nisi quod illæ omittunt, *Jesum* ante *Josedech:* at Rom. edit. sic emendavit: *Excitavit, inquit, illis Dominus spiritum Zorobabel . . . & spiritum Jesu filii Josedech sacerdotis magni.*

bum Dei, *per quod omnia, & ex quo omnia, & omnia in ipso.* Hæc dicit redundantia: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, hoc est, profluvium indeficientis meatus. Profluvium quoque nocturnum [a] legimus Zabulon, quod est propheticum: sed jam & ipsum hujus fluenti infusione resplenduit, per quod evanuit illud profluvium vanitatis in Jesabel, quæ inimica veritati, & adversaria prophetarum eloquiis, ita dilacerata est canum morsibus; ut nullum ejus superesset vestigium, sed toto corpore suo cum omnibus posteritatis suæ insignibus extingueretur. Ipse igitur Zorobabel ex tribu Juda, ipse Jesus magnus sacerdos, & tribu designatus & nomine: duo significari videntur, & unus exprimitur; quia idem quasi potens natus ex potente, quasi redemtor ortus ex virgine, in utriusque idem naturæ diversitate dividuæ, unius Filii Dei veritatem gigas salutaris implevit.

11. Excitaturus [b] itaque à mortuis Zorobabel sanctum, ait: *Adhuc semel ego movebo cælum, & terram, & maria, & desertum.* Moverat ante hæc, cùm de Ægypto liberaret populum suum, quando in cælo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cælestium multiplicabatur, petra solvebatur in fontes aquarum: sed movit & postea in passione domini Jesu; quando cælum tenebris obductum, sol refugit, petræ scissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati, draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum, non solum navigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo.

12. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus messe cœpit devotionis & fidei flavescere; & eousque deserti, & gentium commotio facta est, ut apostolorum quos direxit ad gentes vocandas, tanta esset & tam vehemens prædicatio; ut *in omnem terram* exiret *sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Tanta, inquam, commotio deserti, ut plures filii fierent desertæ, quam ejus quæ habebat virum; & floreret desertum, ut lilium: introirent electa gentium ad residuos populi; quo reliquiæ salvæ fierent per electionem gratiæ.

13. *Et replebo*, inquit, [c] *domum hanc* argento meo & auro; eloquiis cælestibus, quæ sunt sicut argentum igne examinatum, & veri claritate luminis, sicut auro spiritali in sanctorum occultis mentibus refulgente. Has divitias confert Ecclesiæ suæ, quibus intelligibiles thesauri replentur, & gloria augetur domus super priorem gloriam, quam populus habuit [d] electus.

14. Pax enim & tranquillitas animæ super omnem domus gloriam est; quia pax superat omnem sensum. Hæc est pax super pacem, quæ dabitur post tertiam commotionem cæli, maris, terræ, deserti; quando destruet omnes Potestates & Principatus. *Cælum* enim *& terra transibunt*, & omnis istius mundi figura: & unusquisque in romphæa insurget ad fratrem suum, id est, verbo penetrante medullas animæ; ut destruatur quidquid est contrarium, currus ex Ephræm, & equus ex Hierusalem, ut Zacharias dixit. Et sic erit pax per omnia, nullis obsistentibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis; ut fiat in omnibus omnia Christus, subdita Patri exhibens corda universorum.

15. Unde & ad ipsum solum mystice dicitur: *Sumam te, Zorobabel, & ponam te sicut signaculum; quia te elegi.* Etenim cùm fuerit anima nostra pacifica, ut dicatur ei: *Convertere, convertere Sunamitis:* quod pacificam significat, & ut tuo nomine utar εἰρηνικήν; tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, id est, imaginem Dei, ut sit ad imaginem; quoniam *qualis cælestis, tales & cælestes.* Et oportet nos portare imaginem cælestis, id est, pacem.

16. Atque ut sciamus verum esse, habes in Canticis, in ultimo jam perfectæ animæ dici, quod & tibi dicat dominus Jesus: *Pone me ut signaculum in brachium tuum;* ut luceat pax in corde tuo, & in operibus tuis Christus, & formetur in te sapientia, & justitia, & redemtio. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

*EPISTOLA XXXI.

* Scripta circ. an. 387.

Quærenti IRÆNEO *num eos qui statim à pueritia, & eos qui jam ætate provectiores crediderint, diversa caritate Deus diligat; respondet sanctus Præsul in Scriptura Deum Synagogæ, quæ prius fidelis fuerat, lapsum doluisse; postea tamen caritatem suam transtulisse ad Ecclesiam, ut per duas uxores David, nec non Moysis de muliere captiva locum significatur.*

AMBROSIUS IRENÆO salutem.

1. DIfferentia caritatis utrum sit aliqua apud Deum, eorum qui à pueritia crediderint, & eorum qui juventutis, aut posterioris ætatis processu, prudenter requirendum putasti; nam hoc quoque scriptura divina non prætermisit, neque intactum reliquit. Siquidem dominus Deus noster ad Joel prophetam non otiose ait: *Lamentare ad me super Sponsam præcinctam sacco in virum ejus virginalem*, dolens Synagogam, quæ antea virginitate sua desponsata Dei Verbo foret, vel animam certe quæ [e] de bonis meritis decidisset; ita offendiculum incidisse peccatorum flagitiis, ut odia contraheret, & inquinamento impietatis, ac perfidiæ obsoleta sordibus, miserabili esset despectui, longe mutata ab illius Sponsæ gratia, quæ ante meruerat audire: *Sponsabo te mihi in fide & justitia & misericordia.*

2. Nec immerito lamentabilis pronuntiatur, quæ tantorum munerum amiserat pretium, & virtutum dotalium tam grave subierat dispendium, ut ei virginalis Sponsus eriperetur. Nostris enim meritis Verbum Dei nobis aut vivit, aut moritur; nam si bona studia atque opera nostra sint, vivit atque operatur in nobis Dei Verbum: si tenebrosæ cogitationes operationesque nostræ sint, occidit nobis sol justitiæ.

a. Vet. edit. *legimus, quod est Zabulon, id est, propheticum; sed etiam & ipsum.* Rom. *legimus quod est propheticum, & ipsum:* at mss. magno consensu nobis suffragantur.
b Rom. edit. sola è textu eximit & à *mortuis.*
c. Rom. edit. *domum hanc gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, Replevi ergo argento &c.*
d. Eadem edit. *Hoc enim est quod sequitur: Magna erit gloria domus istius novissima super primam, dicit dominus exercituum. & in loco isto dabo pacem. Pax enim* &c.
e. MSS. nonnulli, *de bonis mentis.*

Et ideo lamentandum præcepit pro ea anima. Nam sicut illis gratulandum & epulandum est, cum quibus Sponsus est; ita illi animæ lugendum, cui Sponsus fuerit ereptus, sicut de apostolis scriptum est in Evangelio: quoniam *cùm* Matth. 9. 15. *auferetur ab eis Sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.*

3. Ergo & hæc anima habebat ante lætitiam & exsultationem, cùm haberet παρθενικὸν λόγον. Et ideo non jejunabat, quia dies erant epularum & refectionis; cùm adesset Sponsus, invehens quibus aderat, a [a] ubertatis affluentias, Psal. 103. 15. cælestis alimenti copias, vini rigatus, quo corda hominum lætificantur: sed posteaquam Sponsum factis suis amisit, jubetur in cilicio agere pœnitentiam peccatorum suorum, & deflere semet ipsam; quia mortuus est & crucifixus pro ea Christus, qui est παρθενικὸς λόγος.

4. Si à prima ætate convenit, nec alterius anima hæc videtur experta copulam; sed à principio virginalem fidei suæ florem Christo dicavit, atque ipsi primis fœderata pietatis mysteriis sacros juvencula cultus recepit; ipsa b est Israelitica anima [b] veteris prosapiæ ex genere patriarcharum, quæ si inoffensum fidei servasset curriculum, magni meriti foret Sponsa Verbi virginalis, tamquam illa quæ apprehendit justitiam, & obviabit illi quasi mater, Eccli. 15. 2. & quasi mulier à virginitate suscipiet illam.

5. Altera quoque est adquisita ex gentibus, & utraque Sponsa unius Verbi, quod est magnum mysterium. Idque tibi demonstratur in libro Regnorum; si quidem David duas uxores 1 Reg. 25. 19. habuit Achinaam Jezrahelitem, & Abigæam adquisitam sibi postea: illam rigidiorem, istam misericordiæ plenam & gratiæ, hospitalem ac liberalem animam, quæ revelata facie Patrem vidit, speculata ejus gloriam; quæ suscepit divinum illum paternæ gratiæ rorem, ut habet nominis interpretatio. Quid autem ros Patris, c nisi Dei Verbum; [c] quod humore fidei atque justitiæ infudit corda universorum?

6. Pulcre igitur huic animæ verus dicit David, quod illi Abigææ dictum est: *Benedictus* Ibid. 32. & seq. *dominus Deus Israel, qui misit te hodie huc obviam mihi, & benedicti mores tui.* Et iterum dicit ei: Ibidem. *Adscende in pace in domum tuam. Vide, jam audivi vocem tuam, & reveritus sum faciem tuam.* Denique in Canticis etiam hæc verba sunt Cant. 2. 14. Sponsi ad Sponsam: *Ostende mihi faciem tuam, & insinua mihi vocem tuam.*

7. Et tunc quidem dimissa est, quoniam alterum habebat virum, qui dicebatur hebraice d Nabal, [d] latine insipiens, durus, inhospitalis, inhumanus, ingratus qui officia nesciret referre: sed posteaquam defunctus est vir ejus, solutam à lege viri accepit eam sibi in uxorem e prophera David. Per cujus copulam [e] Ecclesiæ crediture ex gentibus significantur mysteria, quæ amisso viro, cui ante juncta fuerat, transi-

A vit ad Christum, censu pio dives, humiliatis & fidei, misericordiæ quoque dotata patrimonio.

8. Sed hoc loco non ista deploratur, sed illa Achinaam, quæ fuit male fortis in fratrem; & ideo illi frater factus est in commotionem. Unde ex persona eorum dictum est: *Posuisti nos in* Psal. 43. 15. *parabolam in gentibus, commotionem capitis in populis.* Quam nutantem inveniens diabolus, sicut leo diruit, & jucunditatem ejus abstulit: Mich. 4. 4. vineam ejus & ficum evertit, sub quibus so- B lebat ante requiescere, & arescere fecit fructus ejus.

9. Quos aridos miseratus, atque albentes siccitate nimia, dicit ad prophetam Deus: *La-* Joel 1. 9. *mentare ad me super Sponsam præcinctam cilicio, & super virum ejus virginalem*, id est, super animæ hujusmodi vel Synagogæ virum mortuum. Cui loco alio expostulans dicit, eo quod oblita Osee 4. 6. propositi sui, oblita caritatis, immemor gratiæ, devia disciplinæ, superiorem uxoris affectum C amiserit. Meritoque suis eam sermonibus redarguit, memorans & retexens ejusdem blandicias, & pietatis vocabula: Non sicut domesticum me vocabas, & patrem & initiatorem virginitatis tuæ.

10. Ergo huic animæ cui per intemperantiam ejus mortuum est Dei Verbum, & ille παρθενικὸς λόγος occidit, [f] luctum indicit, intercessorem adhibet; ut vocetur ad pœnitentiam, f quo possit mereri misericordiam. Illa autem D quæ bona intellectu, & decora in adspectu valde, sicut Abigæa adquisita sibi erat in prælio; 1 Reg. 25. 10. devictis adversariis, & mortuo viro, qui vallatus nequitiis spiritalibus repugnabat ac resistebat, ne sibi speciosa uxor adimeretur: quasi victor & diligens Sponsus jucunditatem confert & gratiam, emundans eam ab omnibus pulcritudinis ejus impedimentis, & exuens vestimentis captivitatis; ut depositis omnibus capitis sui capillis, id est, peccatorum criniculis, qui qua- E si superflui nostro in corpore videntur: *Quoniam* 1 Cor. 11. 14. *si vir comam nutriat, ignominia est illi*; in unitare fidei, in virum perfectum, in mensuram æta- Ephes. 4. 13. tis plenitudinis Christi studeat occurrere; ut omnem deponat animi perturbationem, & caritate fundata augeatur in domino Jesu, [g] & g universo adquirat incrementum corpori.

11. Hæc est anima illa, quam Lex demonstrat tibi in specie mulieris bonæ, quam si videris in præda, & concupieris accipere in uxorem tibi: F *Induces*, inquit, *eam in domum tuam*; ut tota Deut. 21. 11. & seq. ei committas interiora domus tuæ, omnium tuorum viscerum possessionem, auferas ejus superflua, tondeas lapsus; & novacula non satis acuta, ne faciat dolum, tuarum exuvias passionum, atque inanes sensus recidas. Ideo ait: *Rades ejus caput*; quo nulla obstacula patiantur oculi sapientis, qui sunt in capite ejus. *Et* Eccles. 2. 14. *sedebit*, inquit, *triginta diebus in domo tua*, peccata propriæ deplorans nativitatis, & commen-

a. Omnes edit. & mss. aliquot, *ubertatis adfluentiam cælestis alimenti, copia vini rigatus*: alii mss. ut nos in textu, paucis exceptis, in quibus habes, *ubertatis adfluentiâ, cælestis alimenti copiâ vini rigatus*, cod. Long. *vino rigatus*. Hoc ultimum non satis apte, cùm *rigatus* sit in quarto casu pro, rigationes.

b. Duo mss. *veritatis prosapiæ*: melius alii totidem, *veritatis prosapiâ*: unus, *pietatis prosapia*. Minus eleganter.

c. Cod. Boyer. *quod humore gratia & fidei.*

d Amerb. & sex mss. *latine insipientia.*

e. Cod. Boyer *Ecclesia creduntur significata mysteria.* Et rursus pro *censu pio dives*, idem habet, *censu prædives.*

f. Ultima edit. Paris. *luctum incidit.*

g. Omnes edit. & nonnulli mss. *& universa adquirat incrementa corporis*: a ii mss. plures & potiores, *& universo adquirat incrementum*, quidam *incrementa, corpori.*

Hier.17.11. ta nequiſſimi patris diaboli, qui vult congregare, quæ non generavit; ut hujus myſtici numeri purificatione mundata, conjugii claves adipiſcatur.

12. Et pulcre ait: *Poſtea intrabis ad eam;* ut totus ingrediaris in animam tuam, atque intra ipſam te colligas, & in ea habites, apud eam commoreris, in ipſa tibi ſit omnis converſatio; ut ſis non in carne, ſed in ſpiritu, & proponas adjungere eam tibi ad conſortium vitæ, ſciens quoniam communicabit tecum de bonis; &
Sap.8.19. perfunctus ejus gratia dicas: *Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.* Et illa
Cant.3.4. tibi reſpondeat: *Adſumam te, & inducam te in domum matris meæ, & in ſecretum ejus, quæ me concepit.* Bona mater animarum Hieruſalem illa, quæ in cælo eſt.

13. Erit ergo uxor tua, & inveniens te oſcu-
Deut.21.14. labitur te. *Et ſi poſtea diſplicuerit tibi;* quod caſtiget corpus ſuum, & ſervituti redigat, non patieris eam ſervire, id eſt, voluptatibus corporis, nec ſubjicies eam carni, ſed liberam permanere patieris: nec alienabis eam, hoc eſt enim vendere: nec contemnes eam, ſed permittes ſervire eam Deo ſuo in caſtitate fidei, & bonorum operum ſobrietate. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

* Scripta circa an. 387.

*EPISTOLA XXXII.

Perdicis fallacia & libidine adumbrari ſatanam tradit. Quomodo hic clamando ſibi congregaverit populos, & eos Chriſtus etiam clamando ad ſe revocaverit? quonamve pacto id cum perdicis natura conveniat? Sub quæ colligit non incaſſum Chriſtum clamaſſe, ac poſtquam diabolus omnino ſpoliatus fuerit, tunc ſtultum illum, quem Deus elegit, ſalvum futurum.

[a] AMBROSIUS IRENÆO ſalutem.

Hier.17.11. 1. C*Lamavit perdix, congregavit quæ non peperit.* [b] Licet enim mihi de ſuperioris
3.Reg.4.33. fine epiſtolæ, ſequentis mutuari exordium. Celeberrima quæſtio; & ideo ut poſſimus eam abſolvere, quid de natura avis iſtius habeat * hiſtoria, conſideremus. Nam & hoc conſiderare non mediocris prudentiæ eſt, ſiquidem & Salomon cognovit naturas animalium, & loquutus eſt de pecoribus, & volatilibus, & de reptilibus, & de piſcibus.

2. Dicitur itaque avis iſta plena eſſe doli, fraudis, fallaciæ, quæ decipiendi venatoris vias calleat, atque artes noverit, ut cum à pullis avertat ſuis; omniaque tentamenta verſutiæ non prætermittere, quo poſſit venantem abducere à nido & cubilibus ſuis. Certe ſi inſiſtere adverterit, tamdiu illudit, quamdiu ſoboli fugiendi ſignum tribuat & poteſtatem. Quam ubi evaſiſſe ſenſerit, tunc ſe & ipſa ſubtrahit, & lubrica arte deceptum inſidiantem relinquit.

3. Fertur etiam promiſcuæ eſſe permixtionis, [c] ut in feminas cum ſummo certamine mares irruant, & vaga caleſcant libidine. Unde impurum & malevolum & fraudulentum animal adverſario & circumſcriptori generis humani, fallaciſſimoque, & impuritatis auctori conferendum putatur.

3. Clamavit ergo perdix, * qui à perdendo nomen accepit, ſatanas ille, qui latine contrarius dicitur. Clamavit in Eva primùm, clama-
Gen.3.4. & 5. vit in Cain, clamavit in Pharao, Dathan,
Exod.5.2. Num.16.1. Abiron, Core. Clamavit in Judæis, quando pe-
Exod.32.1. tierunt ſibi fieri deos, cùm Moyſes Legem acciperet. Clamavit iterum, quando de Salvato-
Matth.27.23.& 25. re dixerunt: *Crucifigatur, crucifigatur;* & : *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Cla-
1.Reg.8.5. mavit, quando ſibi regem fieri poſtulaverunt; ut recederent à domino Deo rege. Clamavit in omni vano & perfido.

4. His vocibus congregavit ſibi populos,
Gen.1.27. quos non creaverat; Deus enim hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, & diabolus ſibi hominem vocis ſuæ fraude ſociaverat. Congregavit ſibi nationum populos, faciens divitias non cum judicio. Unde in proverbio eſt de divite avaro, quia perdix iſte congregat divitias non cum judicio. At vero meus Jeſus quaſi judex bonus cum judicio omnia agit, qui venit,
Eſai.61.1. ſicut ſcriptum eſt, dicens: *Ego loquor juſtitiam & [d] judicium ſalutis.*

5. Ea igitur gratia deprædatus eſt perdicem illum diabolum, abſtulit ei male congregatas divitias multitudinis, revocavit ab errore animas gentium, mentesque nationum deviantium. Et quia diaboli voce deceptos ſciebat, & ipſe ut vincula nexuſque veteris erroris ſolveret,
Gen.4.10. clamavit primùm in Abel, cujus clamavit vox
Exod.14.15. ſanguinis. Clamavit in Moyſe, cui dixit: *Quid*
Joſue 1.1. *clamas ad me?* Clamavit in Jeſu Nave. Clama-
Pſal.118.146. vit in David, qui ait: *Clamavit ad te, ſalva me.* Clamavit & in omnibus prophetis. Unde & ad
Eſai.40.6. Eſaiam dicit: *Clama;* & ille ait: *Quid clamabo?* Clamavit in Salomone, convocans cum altiſſi-
Prov.9.5. ma [e] prædicatione ſapientia: *Venite, edite de*

a. Ita mſſ. magno numero, & vet. edit. cod. autem Vat. unus Long. ac Lat. & cum his Rom. edit. *Ambroſius Sabino*, quam inſcriptionem jam jam excutiemus.

b. Rom. edit. ſola, *liceat mihi de ſuperioris ad Irenaeum de incarnationis Dominicæ ſacramento contra Apollinarium epiſtolæ fine* &c. Manifeſtum autem eſt iſtæc ab editoribus ea mente interpolata eſſe, ut indicarent hujuſce epiſtolæ initium referri oportere ad finem illius, quæ ſic definit. *derelictus eſt.... perdix, qui clamavit, ut congregaret quæ non peperit* &c. Hujus quidem ultimæ in ant. edit. inſcriptio legitur *Irenæo:* ſed cùm eamdem epiſtolam non modo cuncti mſſ. verum etiam ipſamet edit. Rom. *Sabino* inſcriptam exhibeant; mirum eſt cur in eadem edit. dicatur exarata *ad Irenaeum*. Contigiſſe porro videtur, ut quemadmodum quæ *ad Sabinum* eſt ideo in vet. edit. inſcripta fuit *ad Irenaeum*, quia editores eam huic ipſi deſtinatam putarant, ad quem hæc noſtra; non aliter etiam hanc, qua de agitur, tres memorati mſſ. inſcriptam *Sabino* exhibent, quod librarii illam eidem deſtinatam fuiſſe, ad quem alia illa, ſibi perſuaſerint. Sed illas diverſis ſcriptas ut arbitremur, facit vel ipſa ratio, quæ in utraque ſervatur; in illa enim agitur cum Sabino, quaſi cum viro eximii cujuſdam meriti atque auctoritatis, in hac autem familiarius cum Irenæo, quippe quem etiam filii vocabulo compellare in ſubſcriptione non dubitaverit ſanctus noſter. Itaque cùm multo major numerus mſſ. & omnes vet. edit. eamdem hanc epiſtolam ad Irenæum datam ſignificent, eamque prima hujuſce verba commode referri queant ad illa ſuperioris num.11. *& commenta nequiſſimi diaboli, qui vult congregare quæ non generavit;* eidem ordinem ſuum & inſcriptionem reſtituenda eſſe putavimus.

*. Intellige *Hiſtor. Anim.* Ariſtotelis, ubi lib. 9. cap. 6. vel *Hiſt. Natur.* Plinii, ubi lib. 10. cap. 33. ſubjecta perdicis in venatores aſtutia deſcribitur. Nonnulla etiam hac de re tradit Baſilius Hom. 8. *in Hexaem* & plura Hom. 23. *Exhort ad Bapt* Multa ſimiliter Aldrovandus lib. 13. *Ornithol.* & Huetius *in Obſervat. ad Origen. Comment.* pag. 16 & 17. quos conſule.

c. Mſ. colb. *ut in mares veluti feminas.*

*. Hanc perdicis etymologiam à recentioribus confictam dicit Aldrovandus; unde intelligas eum in hunc Ambroſii locum non incidiſſe. Quod autem illam ridiculam eſſe idem contendit, non refragamur; cùm ad Ambroſii propoſitum ſatis fuerit eam ipſius ætate receptam eſſe. Dalechampius in Plinium dictam ait à verbo πέρδειν, & alii alias ejuſdem vocis origines excogitarunt.

d. Rom edit. ſola, *judicium ſalutaris.*

e. Omnes edit. *prædicatione ad ſapientiam:* Vat. unus, *prædicatione ac ſapientia:* melius ceteri mſſ. ut in contextu.

meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. A Clamavit etiam in corpore ſuo, ſicut ſcarabæus in ligno. Clamavit ut inſidiatorem falleret & circumveniret, dicens: *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Clamavit ut diſpoliaret, reſpondens latroni: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Itaque ubi clamavit Jeſus, continuo perdix ille à congregatis in dimidio dierum ſuorum derelictus eſt.

[Habac. 2. 11. Matth. 27. 46. Luc. 23. 43.]

6. Unde & quidam naturæ perdicis etiam iſtud aptandum putarunt, eo quod aliena diripiat ova, & foveat ſuo corpore, atque hac ſua B fraude partus alienos ſtudeat adquirere. Sed (quod aiunt, [a] cornici oculum; habent enim & volatilia ſuas artes) ubi iſtud adverterit, cujus aut ſingula ova direpta, aut cubile fuerit invaſum, aut ſollicitata ſoboles [b] errore ſimilitudinis, ſpeciei ſimulatione decepta, etſi infirmior viribus, induit ſe atque armat verſutiâ; & cùm labor omnis impenſus nutrimentorum educantem exhauſerit, atque adoleſcere pulli C cœperint, tunc vocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem advocat. Quæ naturali quodam auditu excitata agnoſcit parentem, & ſimulantem deſerit. Ita cùm vult congregare quæ non peperit, amittit quos nutriendos putavit.

7. Non ſuperfluo igitur & Jeſus clamavit; ut quia totius mundi populus voce perdicis, blanditiis, arte, ſpecie deceptus ab auctore proprio deviaverat, lubricas artes ſequutus, ve- D ri parentis voce revocatus fallacem relinqueret, atque in dimidio dierum ejus fraudulentum deſereret, id eſt, ante hujus finem ſæculi, cui nos eripuit dominus Jeſus, & ad vitam æternam vocavit. Itaque nunc mortui mundo, vivimus Deo. [Rom. 6. 8.]

8. Cùm igitur perdix iſte penitus à falſis filiis derelictus fuerit, tunc erit ſtultus ille, quem elegit Deus, & ſapientem confudit, ſalvus; quoniam quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus. E Ideoque ſi quis videtur ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Vale, fili, & nos dilige, ut facis; quoniam nos te diligimus. [1 Cor 1. 27.]

*EPISTOLA XXXIII.

[* Scripta circa ann. 387.]

IRENÆO *vereri ſe ne quis ex loco Scripturæ de duabus uxoribus duas in eodem homine animas eſſe arbitretur, ſignificanti; ſcribit varias ibidem indicari animæ qualitates; in amabili enim animam voluptati deditam adumbrari, in odibili vero ſeveriores virtutes conſectantem: hujus autem unius primogenitos eſſe cum ex altero loco, F tum ex eo etiam qui fuit propoſitus, intelligi.*

AMBROSIUS IRENÆO ſalutem.

1.* SUperiore epiſtola ſcripſimus liberandam ab adverſariis animam noſtram, & cum ea indiſſociabilis vitæ ſubeundum conſortium. Et quia ſermo iſte nobis de Deuteronomio exemplum adſumſit adſertionis ſuæ, quo loci ſub- jectum eſt de viro, qui duas uxores habebat, unam odibilem, alteram amabilem; non perfunctorie motus videris, ne forte duas animas iſtum ſibi adſciviſſe aliquis intelligat: quod fieri nequaquam poteſt. [Deut. 21. 16.]

2. Verum ipſe non ignoras quod interdum Scriptura cùm allegoriam dicit, alia ad ſpeciem Synagogæ, alia ad Eccleſiæ refert: alia ad animam, alia ad Verbi myſterium: alia ad diverſas ſpecies & qualitates animarum: quæ diſcernit, qui dijudicat ſpiritu. Unde ſequenti capitulo Legis non duas animas, ſed diverſas qualitates unius animæ comprehenſas eſſe arbitror. Eſt enim amabilis animæ ſpecies, quæ concupiſcit voluptaria, quæ laborem fugit, compunctionem declinat, judicium Dei negligit. Ideo amabilis, quia dulcis & ſuavis ad tempus videtur, quæ mentem non afficiat, ſed oblectet. At illa altera triſtior, quæ zelo Dei conficiatur, ſicut uxor ſevera ſcortari comparem ſuum nolit, non patiatur, non ſinat, nihil indulgeat corpori, nihil voluptati & delectationi relaxet, abdicet occulta dedecoris, dura laborum ſequatur, gravia periculorum.

2. Si igitur pepererint ei ambæ, non poterit, inquit, primitivum filium amabilis in hereditatis inſtitutione præponere primitivo filio odibilis; cùm ſciat odibilis filium primitivum eſſe. In quo non tam prælationem ſimpliciter ſignificari puto, quaſi inter primitivos duos, quàm expreſſionem ſolam odibilis filium primitivi habere prærogativam. Primitivus enim primogenitus eſt, ſancti autem primogeniti ſunt; quia *omnis maſculus adaperiens vulvam, ſanctus Domino vocabitur.* Non tamen omnis primogenitus ſanctus; non enim ſanctus Eſau, qui utique primogenitus. [Ibidem.] [Exod 13. 2. Luc. 2. 23.]

3. Sancti autem primogeniti ſunt; denique habes in Numeris: * *Ecce tuli levitas de medio filiorum Iſrael pro omni primogenito, qui aperit vulvam, à filiis Iſrael. Mihi enim in quo die percuſſi omne primogenitum Ægypti, ſanctificavi omne primogenitum Iſrael.* Ergo levitas pro primogenitis accepit, quaſi ſanctos; ſanctos enim primogenitos eſſe cognoſcimus ex epiſtola ad Hebræos ſcripta, in qua habemus: *Sed appropinquaſtis Sion monti, & civitati Hieruſalem, & decem millibus Angelorum, & Eccleſiæ primitivorum.* Ergo ſicut primogeniti Eccleſiæ ſancti, ſic & levitæ; quoniam ipſi quoque primogeniti. Non enim naſcendi ordine ſancti, ſed ſanctificationis munere; Levi enim tertius filius fuit Liæ, non primus utique. [Num. 3. 12.] [Hebr. 12. 22.] [Gen. 29. 34.]

4. Qui autem ſanctificatur, ipſe aperit vulvam. Quam vulvam? Audi dicentem: *Erraverunt peccatores ab utero.* Quia intellexiſti primogenitum, qui aperit vulvam; intellige uterum bonæ matris, à quo non errant ſancti, ſed peccatores. Levitæ autem auferuntur de medio [Pſal. 57. 4.]

a. Edit. *cornicis oculum*; mſſ. *cornici oculum*, quomodo etiam Tullius *orat. pro L. Flacco.* Videtur autem Ambroſius proverbium græcum, de quo Macrobius lib. 7. *Saturn.* meminit, innuere; ſcilicet cornix cornici oculum effodit, id eſt, callidus callidi artem, qua ſibi fraudem facere moliebatur, aſtutiori arte deludit. Vide Adag. Eraſ. Chil 1. cent 3. Prov. 75.

b. Ita Eraſ. & ſeq. edit. cum mſſ. aliquot: Amerb. autem cum aliis nonnullis, *erroris ſimilitudine, ſpeciei ſimulatione*, colb. unus *ſpecie ſimulationis, decepta*: Prat. vero, & Gem. *errori, ſimilitudine, ſpecie, ſimulatione decepta.* Quæ quidem lectio non diſplicet.

* *Superiore epiſtola* non *omnino* ſuperiore, ſed tantum penultima; cùm illam inter & eam quæ hic incipit, alia videatur fuiſſe interjecta, ut in Admonit. oſtenſum eſt.

*. Hunc locum etiam in lib 2. de Cain & Abel, cap. 2. num 7. tractatum reperies. Utrum vero ad eum librum, an ad hanc epiſtolam Ambroſius de eodem Numerorum loco in libro *de Benedict. Patriarch.* diſſerens, lectorem remiſerit, in Admonit. examinavimus.

Israel; quia nihil habent commune cum popu- A
lo, cujus primogenita sæcularia destruuntur.
Primogenita enim sæculi alterius matris sunt,
Galat. 1. 15. à cujus utero segregatus Paulus est, cùm ad
gratiam vocaretur Dei. Et ideo de medio po-
puli segregatus, Verbum recepit, quod est
medium in corde nostro. Unde & illud dictum
Johan. 1. 26. est: *Medius autem vestrum stat, quem vos non videtis.*

6. Non otiosus itaque nobis à Lege in Le-
gem excursus fuit, ut primogenitum non esse B
amabilis illius, id est, remissioris & voluptariæ
filium doceremus; quamvis propositi capituli
Deut. 21. 17. verba hoc exprimant, dicente Scriptura: Non
a poterit filium amabilis [a] primitivum præponere,
cùm sciat filium odibilis primitivum esse. Ille
est vere primitivus, qui sanctæ matris sanctus
est partus; sicut illa vera mater, à cujus utero
non errant veri filii, sed peccatores. Ergo ille
non veræ matris filius, non primitivus verus,
sed quasi primitivus juvatur sumtu, ne egeat; C
non ut dives sit, honoratur: hic autem dupla
ex omnibus accepit, ut abundet; sicut etiam
Gen. 45. 22. in Genesi habes patriarchas à fratre suo Joseph
geminæ singulos stolæ donatos munere, cùm
b remitterentur ad patrem, [b] ut significarent pa-
tri repertum Joseph, quem defunctum esse cre-
diderat pater.

7. Primogenitus itaque hereditatis accepit
Deut. 21. 17. prærogativam, dicente Scriptura: *Hic est ini-
tium filiorum ejus, & huic debentur primogeni-* D
talia. A primogenito igitur Dei Filio primo-
Apoc. 1. 8. geniti sancti, & ab illo initio (quia ipse est ini-
tium & finis) initium sanctus nuncupatur, ini-
tium filius, cui debetur primitiarum prærogati-
Gen. 21. 10. va, secundùm illud ad Abraham dictum: *Ejice
ancillam, & filium ejus; non enim heres erit filius
ancillæ cum filio meo Isaac.*

8. Quod magis ad hereditatem virtutum,
quàm pecuniæ spectare divino oraculo docetur,
Ibidem 12. dicente Domino: *Omnia quæcumque tibi dixerit* E
*Sarra, audi vocem ejus; quoniam in Isaac vocabi-
tur tibi semen.* Quæ erat alia in Isaac, nisi sanc-
titatis hereditas, quæ nobilitaret patrem? Et
filium quidem ancillæ super nationes præfecit,
quasi simpla conferens patrimonii: filio autem
Sarræ dupla dedit, cui non solum temporalia,
sed etiam superna & perpetua collata sunt.
Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

* Scripta circ. ann. 387.

* EPISTOLA XXXIV. F

HORONTIANUM *an anima, de qua prave sentiunt philosophi, cælestis substantiæ sit, quærentem primo remittit ad libros Esdræ; tum dignitatem ejus ostendens Pauli testimonio, qua ratione ibidem omnis creatura ingemiscere, ac rursus liberanda esse dicatur, explicat.*

AMBROSIUS HORONTIANO salutem.

1. QUæsisti à me utrum anima cælestis esse
*] videatur substantiæ; * non enim aut
sanguinem, aut ignem, aut nervorum harmo-
niam animam putas, ut vulgus philosophorum
interpretatur: aut, ut illa patricia quædam eo-
rum prosapia Platonis disputat, quod ipsum se
movet, & non movetur ab alio, ipsa tibi ani-
ma videtur: vel certe ut Aristoteles acri inge-
nio quintum quoddam elementi genus induxit,
probasti, id est ἐντελέχειαν, ex quo compone-
res & velut fingeres animæ substantiam.

2. De quo tibi * Esdræ librum legendum *
suadeo, qui & illas philosophorum nugas de-
spexerit; & abditiore prudentia, quam collegè-
rat ex revelatione, perstrinxerit eas substantiæ
esse superioris.

3. Apostolus quoque etsi [c] non expresse, ta- [c]
men intelligendum nobis reliquit, quasi bonus
magister, & spiritalis agricola, occultis doctri-
næ seminibus excitans discipulorum ingenia,
quod animæ nostræ potioris creaturæ sint, &
cujusdam præstantissimæ naturæ. Cùm enim di-
cit, quia *vanitati creatura subjecta est non sponte,* Rom. 8. 20. & seq.
*sed propter eum qui subjecit in spe; quoniam &
ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in
libertatem gloriæ filiorum Dei;* ostendit non me-
diocrem animarum esse gratiam, quarum vi-
gore & virtute in adoptionem filiorum Dei ad-
surgit humanum genus, habens in se quod ad
similitudinem & imaginem Dei tributum est
sibi. Animæ enim neque tactu aliquo compre-
henduntur, neque visu corporeo videntur; &
ideo præferunt illius incorporeæ & invisibilis
naturæ similitudinem, & supergrediuntur sub-
stantia sua corpoream & sensibilem qualitatem.
Quæ enim videntur, temporalia sunt, tempo-
ralia significant, temporalibus agglutinantur:
illa autem quæ non videntur, æterno illi &
summo adhærent bono, atque in ipso vivunt, Act. 17. 28.
& sunt, & moventur; nec ab eo, si boni con-
sulunt, se patiuntur separari ac dividi.

4. Unaquæque ergo anima videns se corpo-
reo isto clausam gurgustio, quæ tamen terrenæ
hujus habitationis consortio non degeneraverit,
ingemiscit gravata corporis hujus conjunctio- 2. Cor. 5. 4.
ne; quia corruptibile corpus gravat animam, Sap. 9. 15.
& inclinat terrenum habitaculum mentem mul-
tarum cogitationum: simulque cognoscens quia
per fidem ambulat, non per speciem, peregri- 2. Cor. 5. 7.
nari vult de corpore, & adesse ad Dominum.

5. Advertamus igitur quomodo vanitati crea- Rom. 8. 20.
tura subjecta sit, non ex voluntate sua, sed ex
divino arbitrio, quo dispositum est animas cor-
poribus conjungi oportere propter spem ea-
rum; ut dum sperant bona, dignas se præstent
cælesti remuneratione: *Omnes* enim *nos oportet* 2. Cor. 5. 10.
*adesse ad tribunal Christi; ut referat unusquisque
propria corporis.* Ideo uniuscujusque anima præ-
videat rependenda sibi merita conversationis
suæ. Et pulcre ait, *propria corporis*, id est, quod Rom. 8.
suscepit regendum; ut si bene rexit, præmium
referat, propter quod in spe subjecta est: & si

a. Ita omnes edit. ac pleríque mss. non male tamen Prat. & Gem. *primitivo præponere.*

b. Omnes edit. & mss. nonnulli, *ut significarent fratrem*, alii tamen plures ac probatiores, *ut significarent patri.*

*. Congerit Ambrosius fere omnium philosophorum opiniones de anima. Siquidem Xenocrati anima mens est nullo corpore, Zenoni ignis, Aristoteli quinta quædam essentia, quam entelechiam nominat, Aristoxeno corporis intentio quædam, Empedocli cordi affusus sanguis, Euripidi Deus, Pythagoræ numeri, Dicæarcho nomen inane, Democrito atomi. Hæc P. Nannius, quibus etiam præmisit relatam à sancto Præsule Platonis sententiam ex lib. 5. *de Legibus* petitam esse. Adiis quoque lib. *de Noe & Arca*, cap. 15. num. 92. & Ciceronem lib. 1. *Quæst. Tuscul.*

*. Liber 4. Esdræ hoc loco indicatur, de cujus auctoritate actum reperies in Admonit. ad lib. *de Bono Mortis.*

c. Eras. & seq. edit. *non expressit* Amerb. & omnes mss. *non expresse.*

male, supplicium; quia non speravit in Deum, nec ad illam adoptionem filiorum, & ad veræ libertatem affectavit gloriæ.

6. Docuit igitur Apostolus quod humani generis creatura subjecta vanitati sit. [a] Quid enim tam homo, quàm anima ejus? De consortibus ejus dicit: *Cùm sumus in corpore isto, ingemiscimus gravati.* [2 Cor. 5. 4.] Sed & David dicit: *Homo vanitati similis factus est;* [Psal. 143. 4.] &: *Universa vanitas, omnis homo vivens.* [Psal. 38. 6.] Vita itaque hominis in hoc sæculo vanitas est. Huic vanitati subjecta est anima. Itaque sanctus cùm facit quæ sunt corporis, non sponte facit, non volens, sed *propter eum qui subjecit in spe,* [Rom. 8. 20.] [b] facit ut ei pareat. Ab hoc igitur exemplo animæ progrediamur ad creaturas reliquas.

7. Propone tibi solem, lunam, & stellas, quæ cæli lumina etsi præclaro fulgent nitore, creaturæ sunt tamen, & ad quotidianum ministerium vel surgunt, vel occidunt, servientes [c] dispositioni creatoris æterni, ministrantes splendorem, quo vestiuntur, atque die nocteque emicant. Quoties sol iste obtexitur nubibus, quoties [d] objectu aufertur terræ, vel cùm è regione ejus luminis sui radius fuerit repercussus, oriuntur eclipses, & ut ait Scriptura: *Luna novit occasus suos.* [Psal. 103. 19.] Novit quando pleno orbe suo luceat, quando exinanito. Stellæ quoque nebulis obductæ vanescunt, quæ sustinent ministerii hujus mundani usus, non sponte utique, sed in spe; * quia sperant etiam hujus laboris gratiam ab eo, qui subjecit eas. Ideoque propter eum sustinent, id est, propter ejus voluntatem.

8. Nec mirum si patienter sustinent, cùm sciant dominum suum, & creatorem omnium sive quæ in cælo, sive quæ in terra sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem, nostræ conditionis servitutem. Cur ergo illa servitutem corruptionis suæ non patienter sustineant; cùm Dominus omnium pro toto mundo se humiliaverit usque ad mortem, servi formam susceperit, [Philip. 2. 7.] peccatum mundi, maledictum etiam pro nobis factus sit? [Galat. 3. 13.] Illius ergo imitantes bonitatem cælestes creaturæ licet ingemiscant, quod mundi hujus vanitati subjectæ sint, consolantur se tamen quod liberabuntur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ; cùm filiorum Dei adoptio venerit, quæ est universorum redemtio: *Cùm enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit.* [Rom. 11. 25.] Cui enim non ignoscet populo, qui ignoscit etiam illi persecutori suo, qui dixit: *Crucifige, crucifige eum;* [Johan. 19. 6.] &: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros?* [Matth. 27. 25.] Sed quia vanitati etiam cælestis subjecta creatura est, licet istud in spe, etiam horum perfidiam & temulentiam, vanitate hujus mundi lapsam, pertinere ad veniam patietur veritatis pietas, & redemtio universitatis. [Rom. 8. 20.]

9. Ergo ut concludamus, & ille tantus ac talis sol, & illa luna quam noctis tenebræ non operiunt, & illæ stellæ quæ sunt ornamenta cæli, servitutem corruptionis nunc sustinent; quia corruptibile omne corpus: siquidem & cæli peribunt, & cælum & terra præteribunt. [Matth. 24. 35.] Postea autem & sol & luna & cetera stellarum lumina requiescent in gloria filiorum Dei; quando *erit Deus in omnia in omnibus:* [1. Cor. 15. 28.] qui & in te & in nobis sit per suam plenitudinem & misericordiam.

10. An ipsos quoque Angelos, qui in istius mundi laboribus diversa sustinent ministeria, sicut in Apocalypsi legimus Johannis, [Apoc. 1. 1. & 19.] * non ingemiscere credimus; cùm adhibentur pœnarum & excidiorum ministri? [e] Qui habentes vitam beatam, mallent utique eam in illo superiore tranquillitatis suæ statu recurrere, quàm nostrorum peccatorum pœnis ultricibus interpolari. Etenim qui gaudent unius peccatoris redemtione, [Luc. 15. 10.] utique tantorum peccatorum ærumnis ingemiscunt.

11. Si igitur etiam cælestes creaturæ & Potestates servitutem corruptionis sustinent, sed in spe, ut pro nobis postea & nobiscum lætentur; etiam nos passiones hujus temporis futuræ spe & exspectatione consolemur gloriæ. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

a. Omnes edit. *Quid enim tam subjectum vanitati, quam homo, & quam anima ejus:* omnes mss. *quid enim tam homo, quam anima ejus.* Haud incommode: hinc enim homo probatur vanitati obnoxius, quod ejus anima, in qua maxime consistit, eidem subdita sit.

b. Rom edit. sola, *facit in spe, ut ei* &c.

c. Quædam edit. Paris. *dispositione creatoris . . . . quo vestiuntur: itaque die* &c.

d. Vet. edit. cum mss. Reg. *objectum afferunt terra;* mss. non pauci, *objectu afferunt terra;* in quorum tamen aliquot verbum *afferunt* prætermittitur, cujus loco non male substituitur in uno Vat. *ut ferunt:* sed nihilo deteriori sensu Rom. edit. cum mss. quatuor, *objectu aufertur terræ.* Continuo vero post, ubi vet. edit. ac mss. *vel cùm è regione ejus,* Rom. edit reposuit, *vel cum è regione lunæ:* at rursus paucis interjectis, pro *oriuntur ipsi: sed ut ait:* ut habent edit. vel ut mss. partim, *oriuntur ipsis,* partim *oriuntur ex eis, & ut ait;* unus codicum Vat. restituit, *oriuntur eclipses* &c. Denique locum Psalmistæ, qui exhibetur in ant. edit. & cunctis mss. *luna novit occasus suos,* edit. Rom. ex sacris codicibus effert his verbis. *Fecit lunam in tempora, sol novit* &c.

*. Hic locus præbuit nonnullis occasionem, ut Ambrosium cælo & sideribus rationales animas secundum Origenis opinionem attribuere existimarent. Qua de re consuli potest Dion. Petavius lib. 1. *de Opificio sex dier.* cap. 12. & Dan. Huetius lib. 2. *Origen. quæst.* 8. Verum præterquam quod respondetur ab aliquibus hic à sancto Doctore quamdam fieri prosopopœiam, advertere operæ pretium est non paucos illis temporibus exstitisse, qui rationali anima præditos esse globos cælestes arbitrarentur, in quorum hypothesi & sententia, quæ nondum ab Ecclesia damnata erat, hoc loco loquitur Ambrosius: at eidem hanc opinionem non pro vera & certa habitam esse hinc intelligas, quod sequenti epistola altas proponit, & Horontiano, ut quam potissimam censuerit, sequatur, liberum relinquit. Non possumus autem quæ fuerit sancti Præsulis hac de re sententia, melius aliunde colligere quam ex lib. 2. *Hexaem.* cap. 4. num. 17. ubi distincte negat cælos ac firmamentum tamquam spirituales quasdam virtutes Deum laudare, sed tantum modo quasi opera mundi. Locum expende, & cum simili apud Basilium *Homil.* 3. in Hexaem. compara.

*. Quamvis reprobos angelos ad exigendas criminum pœnas Deus potissimum adhibeat, quasi justitiæ suæ lictores ac satellites, unde legimus psal. 77. vers. 49. *immissiones per angelos malos;* bonis tamen quandoque ad hoc ministerium utitur, ut non solum ex variis locis Apocalypsis intelligimus, verum etiam è lib. 4. Regum. cap. 19. & Daniel. cap. 10. Quod autem testatur Ambrosius eosdem Angelos ingemiscere, id eo sensu accipiendum est, quo sequenti epistola significat hos ipsos corpori Ecclesiæ compati, tamquam membra superiora inferioribus membris laborantibus. Hac autem compassione illorum non impediri felicitatem Augustinus cum alibi non semel, tum in lib. *de Civit. Dei* pluribus locis docet, ac post eum agmen Theologorum.

e. Mss. aliquot. *Qui non habentes.* Minus commode. Infra vero, ubi ant. edit. cum mss. multo pluribus, *interpolari,* edit. Rom. cum aliis cod. paucalis præfert, *interpellari.* Sed eam sæpe, ait Nannius, in his libris occurrit *interpolari* pro *interpellari,* ut dubium sit, num S. Ambrosius promiscue illis utatur.

* Scripta circa ann. 387.

*EPISTOLA XXXV.

In hac epistola quaeritur primo, cur cùm in verbis Apostoli non omnis creatura dicatur corruptioni obnoxia, congemiscere tamen omnis dicatur: postea ex iis quae ibidem sequuntur, de Spiritu adoptionis, de magnitudine praemiorum caelestium, de sanctorum gemitu, primitiis Spiritus, adoptione filiorum, ac spe salvante disseritur.

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. SUperior epistola tuae inquisitioni respondit; haec meae responsionis portio est, quae non solvat, sed impleat superiorem. Nam dum ulteriora recenseo, movit me, fateor, quia addidit: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit*; (Rom. 8. 20.) cùm in priori capitulo sine adjectione dixerit: *Quia creatura vanitati subjecta est.* Non enim omnem creaturam, sed creaturam subjectam dixit. Et iterum ait: *Quoniam & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis.* (Ibidem 21.) Tertiò autem addidit quod omnis creatura congemiscat. (Ibidem 22.)

2. Quid sibi igitur vult ista adjectio; nisi forte quia non omnis creatura subjecta vanitati est: & quia non omnis vanitati subjecta est, non omnis à servitute corruptionis liberabitur? Quid enim [a] liberetur, quae à subjectione vanitatis & à servitute corruptionis ejus expers atque immunis sit? Omnis autem congemiscat non in suo, sed in nostro labore, & * comparturiat illum fortasse spiritum salutis, spiritum jucunditatis, exspectans adoptionem filiorum Dei; ut communem de redemtione humani generis consequatur laetitiam & exsultationem. Aut propter caritatem igitur suam omnis ingemiscit nostrum laborem, aut propter membrum sui corporis, cujus caput Christus est. Sed sive ita ut diximus, sive simpliciter subjectam creaturam omnem dixerit congemiscere & comparturire, ut voles intellige.

3. Nunc illud consideremus quod adjecit: *Non solum autem illa, sed etiam nos primitias spiritus habentes, ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionem filiorum exspectantes, redemtionem corporis nostri.* (Rom. 8. 23.) Quid sit adoptio filiorum superior pagina docet; & ideo exponendi sensus gratia ad superiorem recurrendum est paginam.

4. Qui spiritu, inquit, facta carnis mortificat, vivet. (Ibidem 13.) Nec mirum si vivat, cùm filius Dei fiat, qui habet Spiritum Dei. Adeo est filius Dei, ut non accipiat spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis filiorum; eousque ut testimonium spiritui nostro sanctus Spiritus reddat quod sumus filii Dei. Testimonium autem hoc est Spiritus sancti, quod ipse est qui clamat in cordibus nostris, *Abba pater*, (Galat. 4. 6.) sicut ad Galatas scriptum est. Sed & illud grande testimonium quod filii sumus Dei; quia sumus heredes Dei, (Rom. 8. 16. & seq.) coheredes autem Christi: coheres autem est ejus, qui conglorificatur ei: [b] conglorificatur verò illi, qui patiendo pro ipso, compatitur ei.

5. Et ut nos hortetur ad passionem, adjungit (Ibidem 18.) quia omnia quae patimur, minora sunt & indigna quorum pro laboribus tanta rependatur futurorum merces bonorum, quae revelabitur in nobis; cùm ad Dei imaginem reformati gloriam ejus facie ad faciem adspicere meruerimus.

6. Et ut magnitudinem revelationis futurae extolleret, addidit quod & creatura hanc revelationem exspectet filiorum Dei, quae nunc vanitati subjecta est non sponte, sed in spe; quia sperat de Christo gratiam ministerii sui: vel quia & ipsa liberabitur à servitute corruptionis; ut adsumatur in libertatem gloriae filiorum Dei, ut sit una libertas creaturae, & filiorum Dei, cùm revelata fuerit eorum gloria. Verum nunc dum revelatio procrastinatur, congemiscit omnis creatura exspectans adoptionis & redemtionis nostrae gloriam, parturiens jam illum spiritum salutis, & volens liberari à vanitatis servitio.

7. Cui conjunxit Apostolus etiam sanctorum gemitum, qui habent primitias Spiritus; nam & ipsi ingemiscunt. Quamvis enim de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemtio totius corporis Ecclesiae, compatiuntur. Cùm enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia membra, licet superiora, non compatiuntur membris unius corporis laborantibus?

8. Unde puto dixisse Apostolum quia tunc & ipse Filius subjectus [d] erit, qui ei subjecit omnia: (1. Cor. 15. 28.) qui enim adhuc laborant, nondum subjecti sunt, in quibus fortasse adhuc sitit Christus, adhuc esurit, in quibus nudus est; eo quod non impleant verbum Dei, non induant Christum, qui est indumentum credentium, amictus fidelium. Sed & illi in quibus aeger est, adhuc medicina indigent; & ideo nondum subditi; subjectio enim ista virtutis est, non infirmitatis: denique in fortibus & facientibus mandatum Dei, subjectus est Dei Filius. Nunc autem magis in iis laborat, qui non subveniunt laborantibus, quam in illis, qui sibi postulant subveniri. Haec est pia interpretatio & vera subjectionis domini Jesu, qui ideo se subjiciet, ut sit Deus omnibus in omnia.

9. Sensum Apostolicum percurrimus: nunc consideremus qui sunt primitias Spiritus habentes. (Rom. 8. 23.) Et ideo Legem interrogemus quid sit quod primitiarum vel initii nomine declaraverit. *Initia*, inquit, *areae & lacus tui non fraudabis*; (Exod. 22. 29.) & infra: *Initia primitiarum tuarum inferes in domum domini Dei tui.* (Exod. 34. 26.) Aliae sunt primitiae, aliae decimae: primitiae majoris gratiae, sanctificationis observantissimae. Ideo placuit Abel, quia (Gen. 4. 4.) non est suum munus moratus, qui de primitivis ovium obtulit. Licet aliqui distantiam velint esse inter primitias & primogenita, id est, quae primò nascuntur; eo quod collectis seminibus, quasi ex omnibus initia offerantur areae: tamen de messe quod primum tollitur, id offertur

a. Omnes edit. & mss. nonnulli, *Quid enim liberetur; quae vanitatis, & corruptionis*: alii mss. complures, *Quid enim liberetur, quae vanitatis & à servitute corruptionis*: at locum restituit cod. Albin. ut in texto.

*. Graecum verbum ὠδίνω & parturio & doleo significat, ad utramque significationem hic allusit S. Ambrosius, quae in latina dictione parturio non est. Ita Nannius.

b. Edit. ac plures mss. *conglorificatur verò ille*; alii cod. *conglorificatur verò illi*, quod gradationem efficit magis concionam.

c. Rom. edit. sola, *subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia.*

Domino

Domino, * sed de hoc aliàs. Sanctificari autem videtur primitiarum munere tota areæ messis, sed ipsæ sanctiores primitiæ sunt.

10. Similiter sancti primitiæ sunt Domini, præcipue apostoli; primum enim Deus posuit in Ecclesia apostolos, (1.Cor.12.28.) qui & pleraque prophetarunt, & evangelizarunt dominum Jesum; quia primi receperunt eum. (Luc.2.28.) Recepit eum Symeon propheta, Zacharias propheta, Johannes filius ejus, Nathanael, (Joan.1.47.) in quo dolus non erat; & ideo sub ficu requiescebat: Joseph, qui dicebatur justus, (Luc.23.51.) qui sepelivit eum. Isti sunt primitiæ fidei nostræ; sed tamen eadem ceterorum natura seminum, quæ primitiarum, licet in aliquibus minor gratia: (Matth.3.9.) *Potens est enim Deus ex lapidibus filios Abrahæ excitare.*

11. En tibi exemplum de ipso domino Jesu. In resurrectione mortuorum primogenitus ex mortuis dicitur. (Coloss.1.18.) Eumdem ipse Apostolus primitias significavit dicens: (1.Cor.15.22.) *In Christo omnes vivificantur, unusquisque autem in suo ordine: primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt.* Eadem in illo corporis veritas, quæ in nobis: sed tamen & primogenitus ex mortuis dicitur; quia primus resurrexit: & primitiæ; quia sanctior omnibus fructibus, qui etiam ceteros consortii sui fructus sanctificavit. Ipse etiam initium eorum qui ad imaginem, quasi imago invisibilis Dei, (Coloss.1.15. Hebr.1.3.) in quo secundum divinitatem nihil corporeum, nihil temporale; quia splendor est gloriæ paternæ, & imago substantiæ ejus. Produximus sermonem epistolarem, dum volumus quid sint primitiæ significare.

12. Primitiæ ergo nostræ apostoli, electi [a] ex omnibus præsentis scilicet tunc temporis fructibus, quibus dictum est: (Joan.14.12.) Et majora his facietis; fudit enim se in eos gratia Dei. Isti, inquam, ingemiscebant, exspectantes redemtionem totius corporis, & adhuc ingemiscunt; quia multorum est labor, qui adhuc fluctuant. [b] Ut si aliquis ad superiora se littoris subsistat & adhuc medio corpore cædatur fluctibus, ingemiscit & comparturit, donec totus evadat. Ingemiscit utique, qui adhuc nobis dicit: (2.Cor.11.29.) *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

13. Non ergo nos moveat, quod ita scriptum est: (Rom.8.23.) *Qui primitias Spiritus habentes, ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionem filiorum exspectantes, redemtionem corporis nostri;* sensus enim apertus est, eo quod primitias Spiritus habentes ingemiscunt, adoptionem filiorum exspectantes: quæ adoptio filiorum, redemtio totius corporis est, quando facie ad faciem quasi Dei filius per adoptionem videbit illud divinum & æternum bonum; est enim adoptio filiorum in Ecclesia Domini, quando clamat Spiritus, *Abba pater;* (Galat.4.6.) sicut habes ad Galatas. Sed illa erit perfecta, quando resurgent omnes in incorruptione, honore, gloria, qui mereantur Dei faciem videre; tunc enim vere redemtam se humana judicabit conditio. Unde Apostolus gloriatur dicens: *Quia spe salvi facti sumus.* (Rom.8.24.) Salvat enim spes, sicut & fides, de qua dicitur: *Fides tua te salvum fecit.* (Luc.18.42.)

14. Ergo creatura quæ non sponte, sed in spe vanitati subjecta est, spe salvatur, (Rom.8.20.) sicut & Paulus, cùm sciret lucrum sibi esse mori, (Philip.1.21.) ut cum Christo esset solutus corpore, permanebat in carne propter eos quos Christo adquireret. Spes autem quid est, nisi futurorum exspectatio? Unde ait: *Spes autem quæ videtur, non est spes.* (Rom.8.24.) Non enim quæ videntur, sed quæ non videntur, æterna sunt: *Nam quod videt quis, quid sperat?* Videmur enim tenere ea, quæ videmus: quomodo ergo quæ tenemus, speramus? Nihil igitur eorum quæ sperantur, videtur: *Oculus* (1.Cor.2.9.) enim *non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus eum.*

15. Ergo si sperari non potest quod videtur, non bene habent aliqui: *Nam quod videt quis quid, & sperat.* [c] Nisi forte sic: *Nam quod videt quis, quid & sperat*, vel quid exspectat? Quia illud verum est, quia id speramus, quod non videmus; & ideo quamvis abesse videatur à nobis, exspectamus illud per patientiam: *Exspectans enim exspectavi Dominum, & respexit me.* (Psal.39.1.) Ideo ergo exspectamus patienter, quia *bonus est Dominus sustinentibus eum.* (Thren.3.25.) Et videtur convenire, quia reddidit per patientiam: Exspectamus quæ speramus, & non videmus. Multum enim facit, qui sperat ea & exspectat, quæ non videntur; & propterea quod intendat mentem ad illud omne quod est, sustinet.

16. Pulcre autem dicitur: *Spes autem quæ videtur, non est spes;* (Rom.8.24.) de potestatibus istius sæculi, de dignitatibus, de divitiis. Vides nescio quem fascibus præeminentem & curribus, nihil habet spei in curribus, qui videntur. Nec in ipso cæli elemento spes est, sed in Domino cæli. Nec * Chaldæus in stellis spem habet, quas observat; nec dives in possessionibus, nec avarus in usuris: sed ille spem habet, qui in eum spem suam ponit, quem non videt, id est, in domino Jesu, qui medius nostrum stat, & non videtur. (Joan.1.26.) Denique *oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Dominus diligentibus eum.* (1.Cor.2.9.)



*. In margine Rom. edit. annotabatur lib. 2. de Cain & Abel cap.1. & re vera ibi num.5. & 6. nonnulla de primitiis atque initiis mystice disputantur. Nobis tamen credibilius est Doctorem nostrum Horontiano hic polliceri se fusius aliquando hac de re ad eum conscripturum, quam eodem illum remittere. Sententiam porro hujus loci Ambrosiani Nannius enarrat in hunc modum. Hanc differentiam S. Ambrosius facit inter primitias & initia, quod primitiæ sint ex messe, initia ex tritura: primitiæ cum aristis sint, initia puro semine constent: quod primum metitur, primitiæ: quod primum excusso frumento ex tritura colligitur, initia vocat. Hoc quoque adjici potest, initia tum proprie vocari, quia Deo initiata sint & consecrata; sic primitias esse in concipiendis votis, initia in reddendis. Hæc ille.

a. Rom. edit. hinc exemerat vocem *præsentis*, quæ & in ceteris, atque in mss. omnibus occurrit, nec sensui omnino videtur inutilis. Dictionem vero *scilicet* è præcipuis cod. huic adjunximus.

b. Eadem Rom. edit. *Et si aliquis ad superiora se subrigat*: aliæ ac mss. *Et si*, mss. non pauci melius *Ut si, aliquis ... subsistat*. Albin. cod. *sustollat*, si vel uno alio fulciretur, jure ceteris præferendus.

c. Ita omnes mss. ac edit. *nisi & forte sic intelligas.* Paucis vero interpositis, ubi omnes edit. ac plures mss. *Quia, illud verum est*, legitur in mss. aliquot, *Quid aliud? Verum est* &c.

*. Chaldæorum vanitatem superiori tomo ita frequenter impugnat Ambrosius, ut magis expeditum nobis videatur lectores ad indicem remittere, quam eos locos hic recensere.

* Scripta circa ann. 387.

*EPISTOLA XXXVI.

Roganti quemnam spiritum Paulus scripserit postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, respondetur non alium denotari nisi Spiritum sanctum, qui & orationes nostras dirigit, & gemit pro delictis nostris, gemitu inenarrabili, hoc est, cælesti.

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. CONcatenantur sibi epistolæ nostræ, ut tamquam inter præsentes videamur ser-
monem cædere; ita ego ex tua interrogatione,
tuque ex mea explanatione epistolis scribendis
materiam damus.

2. Moveri enim te indicasti de quo spiritu
Rom. 8. 26. dictum sit: *Quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Superiora igitur repetamus; ut
Ibidem. lectio manifestet, quod quærimus: *Similiter*, inquit, *& Spiritus adjuvat infirmitatem nostræ orationis.* Nonne tibi videtur Spiritus sanctus,
quia adjutor nobis est, sicut ille cui dicitur:
a Psal. 26. 9. [a] *Adjutor meus es tu, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.*

3. Quis enim alius spiritus, qui possit docere
Luc. 11. 1. Paulum quid oraret? Docet autem Spiritus
Christi, sicut & Christus, orare discipulos suos.
Quis autem post Christum doceret, nisi Spiritus ejus, quem ipse misit, ut doceret, & dirigeret
1 Cor. 14. 15. nostras orationes: oramus enim Spiritu,
Psal. 142. 11. oramus & mente. Ut bene mens possit orare,
præcedit Spiritus, & deducit eam in viam rectam; ne obrepant carnalia, ne minora, ne
1. Cor. 12. 7. etiam majora viribus: *Unicuique enim datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Denique scrip-
Matth. 6. 33. tum est: Petite magna, & parva adjicientur
vobis, Petite cælestia, & terrena adjicientur.

4. Ergo vult nos majora petere, non in ter-
1. Cor. 12. 11. renis morari. Ille autem scit quid tribuat, *dividens singulis, prout vult.* Dicit enim interdum, sciens mensuram, quam nos ignoramus:
Non potestis hæc modo accipere. Peto mihi
b Matth. 26. 41. passionem martyrii, [b] Spiritus sanctus promtus
est: sed videns infirmum carnis meæ, ne dum
majora cupio, minora amittam, dicit: Non
* potes hæc accipere. * Quales occasiones habui;
& de ipso prope fine revocatus sum? Novit
* enim bonus medicus * quæ esca cui apta sit infirmitati, & cui tempori ad profectum valetudinis. Interdum opportunitas escæ sanitatem
reddit: quod si importune aliquis accipiat, aut
non convenientem, implicatur periculo.

Rom. 8. 26. 5. Ergo quia nos nescimus quid oremus, &
c quomodo oporteat, postulat [c] pro nobis Spiritus sanctus; est enim Spiritus advocati nostri
Jesu: & postulat gemitibus ineffabilibus; dolet
Esai. 53. 4. enim pro nobis & Christus. Et Deus Pater di-
A cit: *Ventrem meum doleo.* Et frequenter indig- Hier. 4. 19.
nantem eum legimus & dolentem. Gemit autem, ut auferat peccata nostra, doceat nos
agere pœnitentiam. Est enim pius gemitus, &
plenus auctoritatis, de quo dicit Propheta: *Et gemitus meus non est absconditus à te.* Non enim Psal. 37. 10.
latebat ut Adam, sed dicebat: *Ecce ego pastor*, 2. Par. 21. 17.
& grex iste quid deliquit? Ego peccavi, in me vindica.

6. Ex hoc igitur gemitus Spiritus Dei; [d] & d
B ille Prophetæ gemitus, bene ineffabilis; quia
cælestis. Ea enim quæ in cælo audivit Paulus, 2. Cor. 12. 4.
ineffabilia audivit; ut fari ea homines non debeant: sed quæ occulta hominibus, Deo nota
sunt. Novit enim omnia, qui scrutator est cor- Rom. 8. 27.
dis: sed illa scrutatur, quæ mundavit Spiritus.
Novit ergo Deus quid postulet Spiritus, [e] & e
quæ Spiritus sapientia sit; quæ interpellat pro
sanctis, sicut habes: *Quia & Spiritus interpellat pro nobis;* pro quibus enim Christus passus Ibidem.
C est, & quos sanguine mundavit suo, pro iis interpellat & Spiritus. Vale, & nos ut filius dilige; quia nos te diligimus.

* Scripta circa an. 387.

*EPISTOLA XXXVII.

Cùm SIMPLICIANUS AMBROSIO testatus esset eum utiliter facturum, si quid ex Apostolo dissereret apud populum, ipsius voluntati se hoc daturum spondet sanctus vir, maxime cùm amicum in eo judicem sibi futurum noscat. Itaque mittit ad eum, quod eodem absente disputaverat, scilicet libertatem nostram in sapientia positam esse: quam sententiam à philosophis ambitiose jactatam dicit. Hanc tamen à Patribus proditam cum ex Salomone adstruit, tum exemplis Jacobi ac Josephi. Ex his ostendit non venditione servum, at sapientia liberum quemque fieri. Hinc demonstrato quis liber, an secus, eum solum definit sui juris esse, qui non cogitur; unde colligit servire cum libertate interdum jungi. Sub hæc sequuntur vere liberorum quædam exempla & descriptiones, quibus subditur libertate hunc demum frui, qui vivat ex legibus. Deinde nonnullis contra philosophos disputatis, eorum heroibus Christianos opponit. Ac tandem ubi confirmavit eos, qui pravis affectibus serviunt, liberos non esse; quomodo membra nostra justitiæ serviant, docet.

AMBROSIUS [f] SIMPLICIANO salutem. f

1. PRoxime cùm veteris amoris usu familiaris inter nos sermo cæderetur, delectari te insinuasti mihi, cùm aliquid [g] de Pauli g
apostoli scriptis coram populo ad disputandum
assumerem; quod ejus profundum in consiliis
vix comprehendatur, sublime in sententiis au-
F dientem erigat, disputantem accendat: tum
quia in plerisque ita se ipse suis exponat sermonibus, ut is qui tractat, nihil inveniat quod
adjiciat suum; ac si velit aliquid dicere, grammatici magis quam disputatoris fungatur munere.

a. Nonnulli mss. *Adjutor meus iste*

b. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *Spiritus promtus est*: sed plures ac potiores addunt ô *sanctus*; quæ vox cum serie orationis minime pugnat.

* Legationes suas ad Maximum tyrannum, sicut & Justinæ persecutionem: de qua si quæ scripsit sanctus Antistes, attentius perlegas, fateberis non illam martyrio, sed martyrium illi defuisse.

*. Ambrosianum hunc locum confer cum Augustinianis aliquot, maxime vero cum his è lib. 1. *ad Simplic.* quæst. 2. & lib. *de Dono Persever.* c. 14. ubi de congruentia vocationis divinæ disputatur; & non mediocrem inter præceptorem ac discipulum doctrinæ affinitatem reperies.

c. Mss. aliquot, *pro nobis; Spiritus est enim advocati*: reliqui, & omnes edit. ut nos in textu, nisi quod vet. edit. ac mss. non pauci vocem *Spiritus* ante *advocati* prætermittunt.

d. Nonnulli mss. *& ille profecto gemitus.*

e. Pauci mss. *& quæ Spiritus sapientia sit.*

f. Thuan. unus, *Feliciano*: sed aliorum, atque edit. retinenda inscriptio est.

g. Rom. edit. sola, *de Psalmista mysteriis, vel de Pauli .... quod eorum profundum .... ipsi suis exponant sermonibus.* Manifestum autem est non alio consilio hæc & similia ab editoribus Rom. interpolata fuisse in hac epistola, nisi ut illam inter expositiones Psalmorum intruderent. Quod porro ad locorum quorumdam Paulinorum obscuritatem, eodem plane modo de illa loquitur Augustinus in *epist. ad Rom.* Quin & Petrus ipse epist. 2. cap. 3. vers. 16 eamdem agnoscit.

2. In eo tamen quoniam & veteris affectum amicitiæ, & quod plus eſt, paternæ gratiæ amorem recognoſco (nam vetuſtas habet aliquid cum pluribus conſociabile, patrius amor non habet) tum quia non jejune me feciſſe jam, quod poſtulas, arbitratus es, parebo voluntati tuæ, admonitus præſertim, & provocatus exemplo meo, quod mihi non difficillimum; quia non magnum aliquem, ſed me ipſum imitabor, cùm in meos non magnos aliquos uſus revertor.

3. Et de conſiliis quidem, cùm beatæ vitæ imago atque effigies noſtro ſermone exprimeretur, putamus eam factam complexionem, ut pluribus fortaſſe aliis, tibi certe amanti noſtri non improbemur; licet difficilius ſit tuo judicio, quam plurium non diſplicere: ſed judicii pondus affectu ablevas, eoque mihi blandior.

4. Hæc autem epiſtola, quoniam te abſentem [a] offendit, de ſententiis Pauli eſt apoſtoli, qui nos à ſervitute in libertatem vocat dicens: 1.Cor.7.23. *Pretio emti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*, oſtendens libertatem noſtram [b] in cognitione eſſe ſapientiæ. Quæ ſententia magno à philoſophis fluctuata atque jactata eſt diſputationis molimine, dicentibus quia omnis ſapiens liber, omnis autem [c] inſipiens ſerviat.

5. Sed multo hoc prius David filius dixit, Eccli.27.11. qui ait: *Stultus ſicut luna mutatur.* Sapiens enim non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non adtollitur proſperis, non triſtibus mergitur; ubi enim ſapientia, ibi virtus animi, ibi conſtantia & fortitudo. Sapiens ergo idem eſt animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus: nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, ſed manet perfectus in Chriſto, fundatus caritate, radicatus fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, [d] & varios animi caſus neſcit: ſed fulgebit ſicut Matth.13.43. ſol juſtitiæ, qui in regno Patris ſui fulget.

6. Unde tamen hoc plenius hauſerit Philoſophia, de qua Patrum diſciplina & prudentia, conſideremus. Nonne primus Noe, cùm advertiſſet quia inſipienter filius ſuus Cham riſerat nudatum patrem, maledixit ei, dicens: Gen.9.25. [e] *Maledictus Cham, ſervus domeſticus erit fratribus ſuis*; & præpoſuit ei fratres ejus dominos, qui ſapienter patris ſenectutem honorandam putarunt?

7. Nonne etiam fons ille diſciplinarum om- Gen.27.29. nium Jacob, ubertatem diſputationis hujus omnium pectoribus infudit, qui ſapientiæ merito prælatus eſt fratri ſeniori? Denique pater pius, A qui inter duos filios affectu certaret paterno, ſed diſcreparet judicio (affectus enim neceſſitudine defertur, meritis autem judicia formantur) cùm divideret alteri gratiam, alteri miſericordiam: ſapienti gratiam, inſipienti miſericordiam; quia ad virtutem ſe propriis viribus erigere non poterat, nec ſpontaneum greſſum adtollere, benedixit eum, ut ſerviret fratri ſuo, & eſſet ipſius ſervus, oſtendens ita [f] deteriorem eſſe ſervitute inſipientiam, ut remedio B ei ſervitus ſit; quia ſtultus regere ſe non poteſt, & niſi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus.

8. Diligens ergo pater [g] & conſulens, ſervum eum fratris ſui fecit, ut ejus regeretur conſilio. Ideo inconſultis populis ſapientes quique adhibentur rectores, qui plebeiam inſipientiam vigore proprio regant; ut potentiæ ſpecie dominentur, quo vel invitos auctoritate poteſtatis ſubjiciant ad obediendum prudentioribus, & C obſequendum legibus. Impoſuit igitur inſipienti velut indomito jugum, & cui in gladio ſuo vivendum dixerat, libertatem negavit; ne temeritate laberetur, præfecit ei fratrem, cujus auctoritate & moderatione ſubjectus proficeret ad converſionem. Et quia ſervitus habet diſcretionem (eſt enim neceſſitatis infirmior, voluntatis fortior; quia pulcrius eſt bonum, quod non ex neceſſitate fit, ſed ex voluntate) ideo ei primo jugum impoſuit neceſſitatis, poſtea D benedictionem ei voluntariæ ſubjectionis impertivit.

9. Non igitur natura ſervum facit, ſed inſipientia: nec manumiſſio liberum, ſed diſciplina. Denique Eſau liber natus eſt, & ſervus Ibidem. factus eſt: Joſeph venditus in ſervitutem eſt, & Gen.37.28. Gen.41.41. electus eſt ad poteſtatem; ut ſuis emtoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obſequium ſedulitatis, ſed tenebat virtutis faſtigium, conſervabat libertatem innocentiæ, integrita- E tis auctoritatem. Unde pulcre pſalmiſta ait: *In ſervum venumdatus eſt Joſeph: humiliaverunt* Pſ.104.18. *in compedibus pedes ejus. In ſervum*, inquit, *venumdatus eſt*, non ſervus factus. *Humiliaverunt pedes ejus*, non animam ejus.

10. Quomodo enim humiliata eſt anima, de qua dicit: *Ferrum pertranſivit anima ejus?* Nam cùm aliorum animas peccatum tranſeat (ferrum enim peccatum eſt, quod eſt penetrabile) Joſeph ſancti anima ita non patuit peccato, ut magis peccatum ipſa penetraret. Denique nec herilis illecebræ flexus eſt delinimento, nec immerito flammas non ſenſit libidinis; quia

a. Rom. edit. ſola *offendit, de pſalmo eſt c 1 v. qui hodie lectus eſt, & de ſententiis* &c

b. Omnes edit. in *Chriſti eſſe ſapientia*; mſſ. frequentiſſimi, *in Chriſto eſſe ſapientia*: unicus Boyer. & edit. Eraſ. ac Gill. ad marginem, *in cognitione eſſe ſapientiæ*. Neque vero germanam hanc lectionem eſſe dubitamus, alias ex voce *cognitione* in antiquo exemplari exeſa profluxiſſe exiſtimantes. Nam ſive legas *in Chriſto ſapientia*, quod ſenſum efficit parum congruum, ſive *in Chriſti ſapientia*, quod paulo concinnius videtur; quonam pacto ſubjungeret ſanctus Doctor hanc ſententiam magna contentione jactatam eſſe à Philoſophis. Atqui è contrario libertatem in cognitione ſapientiæ poſitam, ſed ſolum ſapientem eſſe liberum ſtoici magno ambitu venditaverunt. Verſatur in hac materia *Paradoxum* 5. M. Tullii, & 6. non in multum diverſa. Clemens Alex. lib. 3. Pædag. c 6. ſolum chriſtianum divitem adſtruit: Philo quoque omnem probum potiri libertate demonſtrat edita commentatione ſub eodem titulo, ex quo non pauca in hanc epiſtolam tranſtulit Ambroſius noſter, quemadmodum in lib. 2. de Jacob & Vita beata cap 7. & 8. & lib. 2. cap. 2. & 3. ubi tractatur idem argumentum, quædam etiam mutuatus eſt, ut in Admonit. ad eoſdem libros obſervavimus.

c. Rom. edit. *inſipiens ſervus.* At ſequenti verſu pro *David filius dicit*, mſſ. multo plures legunt, *David dicit*: aliquot autem *Salomon dicit*. Quam ob rem porro Salomoni Ambroſius tribuat Eccleſiaſticum, diximus tomo 1. pag. 807. De plagiis vero philoſophorum tot tamque multis locis cum eodem priori tomo, tum etiam hoc ipſo diſputat, ut eis recenſendis arbitremur ſuperſedendum.

d. Omnes edit. *varium animum neſcit*: mſſ. vero plurimi *varios animi caſus*, quidam etiam *metus neſcit*: alii nonnulli, *varius animi*, Boyer. *varius eſſe animi, neſcit.* Haud incommode.

e. Rom. edit. ſola, *Maledictus Chanaam*. Et certe ſcribunt LXX, Κεκατηραμένος χαμ, quos hoc loco, ſicut & alibi ſequutum conſtat Ambroſium.

f. Eadem edit. *deteriorem eſſe inſipientiam*: ſed cur ſublata ſit vox *ſervitute*, nihil cauſæ eſt.

g. Mſſ. aliquot, *& conſilians ſervum eum* &c.

majore divinæ flagrabat ardore gratiæ. Unde A & hoc pulcre de eo dictum est: *Quia eloquium Domini ussit eum*; (Psal. 104. 19) quo restinxit ignitas diaboli sagittas.

11. Quomodo hic servus, qui erudivit principes populi in illa frumentaria dispensatione; ut futuræ inopiæ consulerent & providerent? (Gen. 47. 20.) Aut quomodo servus, qui totam terram adquisivit, & universum populum Ægyptiorum in servitutem redegit? Non ut conditionem servitii ignobilis irrogaret, sed ut tributum consti- B tueret, præter possessionem tamen sacerdotalem, quam à tributis immunem reservavit; ut apud Ægyptios quoque inviolabilis haberetur religio sacerdotalis.

12. Non fecit igitur eum servum venditio; nam utique negotiatoribus erat venditus: verùm si pretium spectes, multos invenies qui emerunt sibi puellulas formæ elegantioris, quarum amore capti, turpi servitio se se dederunt. (3 Esdr. 4. 29 & 30.) Videbatur Apeme concubina Darii regis se- C dens ad dexteram ejus, auferens de capite ejus diadema, & suo imponens vertici, palmis faciem ejus sinistra manu verberans: quam rex aperto ore intuebatur, gaudens si quando arrideret ei mulier: quod si ea indignaretur, miserum se atque afflictum putaret; ut potestate submissa, [a] blanditias obtexeret, & conciliari sibi eam deprecaretur.

13. Sed quid ista magno allegamus ambitu? Non videmus plerumque in potestatem pira- D ticam vel immanium barbarorum redactos parentes à filiis [b] redimi pecunia? Numquid leges pecuniæ potiores, quàm leges naturæ? Numquid in servitute accersitur pietas? Plerique emtores leonum sunt, & tamen non dominantur leonibus: sed ita subjiciuntur versa vice, ut si exasperatos eos excutere cervice toros viderint, fugiant & delitescant. Nihil ergo præjudicat pecunia, quæ plerumque sibi dominos emit: nihil tabulæ auctionales, quibus E emtor frequenter adjudicatur atque addicitur. CONTRACTUS NON mutat genus, nec sapientiæ libertatem adimit. (Prov. 17. 2.) Denique famulo sapienti multi, ut scriptum est, serviunt liberi: & est servus intelligens, qui regat dominos stultos.

14. Quem ergo magis liberum censes? Sola est sapientia libera, quæ divitibus pauperes præficit, & quæ servos propriis fœnerare dominis facit: fœnerare non pecuniam, sed intellectum: fœnerare talentum illius Dominici æternique F thesauri, qui numquam corrumpitur, cujus & usura pretiosa est: fœnerare illud intelligibile eloquiorum argentum cælestium, de quo (Deut. 15. 6.) Lex dicit: *Fœnerabis gentibus, tu autem non mutuaberis.* Quod Hebræus fœneravit gentibus, ipse autem non accepit à populis doctrinam, sed tradidit: cui aperuit Dominus thesaurum suum, un gentes pluvià sermonis sui faceret humescere, & fieret princeps gentium, ipse autem supra se principem nullum haberet.

15. Liber est ergo qui sapiens est, pretio emtus oraculorum cælestium, illo auro, illo argento sermonis divini: pretio emtus sanguinis (non enim minimum est emtorem agnoscere) pretio emtus gratiæ, qui audivit & intellexit dicentem: *Qui sititis, ite ad aquam; & quicumque non habetis argentum, ite, emite, & bibite, & manducate.* (Esai. 55. 1.)

16. Liber est ille, qui progrediens in bellum, (Deut. 21. 10. & 11.) si viderit mulierem bonam adspectu, & deprædatus opes inimicorum suorum, repertam illic concupierit eam, demtis superfluis, & indumento captivitatis detracto, in uxorem sibi copulaverit, jam non servam, sed liberam; intelligit enim famulatui prudentiam & disciplinam non subjacere. Ideoque Lex dicit: *Non venumdabitur pecunià*; (Ibidem 14.) omne enim pretiosum non est ea dignum. Et Job dicit: *Adtrahe sapientiam in interiora.* (Job 28. 18.) Non illi comparabitur [c] Æthiopiæ topazion, quod auro habetur argentoque pretiosius.

17. Sed non ille solum liber, [d] qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit: sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est, legem sciens naturæ præscriptam esse moribus, non conditionibus; & mensuram officiorum consentaneam non hominis arbitrio, sed naturæ disciplinis. Utrum igitur iste liber tibi tantummodo, an quidam censor videtur, & præfectus moribus? (Prov. 12. 7.) Unde vere ait Scriptura quia pauperes divitum præpositi erunt, & privati utique administrantium.

18. An tibi liber videtur, qui pecunia suffragium sibi emit? qui plausum populi magis, quam judicium requirit prudentium? Ille ergo liber est, qui popularibus auris movetur; ille qui reformidat sibilum vulgi? Sed non ista libertas, quam manumissus accipit, * & palma lictoris donatus adquirit. Non enim munificentiam, sed virtutem libertatem esse arbitror: quæ non suffragiis defertur alienis, sed magnanimitate propria vindicatur ac possidetur. Sapiens enim semper liber est, semper honoratus, semper is qui præsit legibus. Denique justo non (1. Tim. 1. 9.) est posita lex, sed injusto; justus enim ipse sibi lex est, non habens necesse longius sibi accersere formam virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum habens opus legis in tabulis cordis sui, cui dictum sit: *Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus.* (Prov. 5. 15.) Quid enim nobis tam proximum, quam Dei verbum? Hoc est verbum in corde nostro, & in ore nostro, quod non videmus & tenemus.

19. Sapiens ergo liber, quoniam qui ea facit, quæ vult, liber est. Sed non omnis [e] bona voluntas, sed sapientis est omnia quæ bona

a. Codex Boyer. *Blandiens furorem obtexeret.*

b. Ita edit. & mss. longe plurimi, nisi quod omittitur in omnibus edit. & paucis mss. vox *pecunia*: cod. vero Boyer. locum sic effert, *redimi. Numquid pecuniæ subjacent leges naturæ? Numquid in servitutem accersitur pietas?*

c. Boyer. cod. *aurum de Æthiopia, & topazion.*

d. Duo mss. *qui dominum litigatorem* unus, *liciatorem.* Neutrum commode; idem enim est, *licitatorem non pertulit*, ac qui emtus in auctione non fuit. Quod autem additur, *tollentem digitum non vidit*, ibi tangitur prisca consuetudo, qua qui emebant, digitum in adscensus testimonium elevabant. Cicero Verr. 3. *Accurrunt ad tempus emtores, digitum tollit.*

*. Putat Nannius palmam lictoris idem esse ac prætoris vindictam apud Horatium. Erat autem vindicta, sive, ut alii vocant, festuca, quædam virga cujus extremo, sive prætor, sive jussu ejusdem lictor, caput illius, qui adserebatur in libertatem, tangebat; malumus tamen palmâ significari domini seu lictoris manum, qua illi alapam manumittendo infligebant: de quo Vide lib. 2. Phædri Fab. 10.

e. Rom. edit *bona voluntatis, sed sapientis tantum est*: alii cum omnibus omnino mss. ut nos in textu.

sunt velle; odit enim malum, quia quod bonum est, elegit. Ergo si quod bonum est elegit, arbiter electionis, & eligens operationis liber est; quia quod vult facit: liber ergo sapiens. Sapiens omnia quæ facit, bene facit. Qui autem bene facit omnia, recte facit omnia: qui vero recte facit omnia, utique inoffense, & irreprehensibiliter, & sine damno & commotione sui facit omnia. Cui igitur hoc subest, ut inoffense faciat omnia, faciat irreprehensibiliter, faciat sine commutione sui, sine damno; nihil insipienter facit, sed sapienter omnia. Qui autem sapienter facit, nihil habet quod metuat; metus enim in peccato est. Ubi autem nulla formido, ibi libertas: ubi libertas, ibi potestas faciendi quod vult: solus ergo sapiens liber est.

10. Etenim qui neque cogi potest, neque prohiberi, is nequaquam servus: sapientis autem est neque cogi, neque prohiberi: non est igitur servus sapiens. Prohibetur enim, qui non fungitur iis, quæ desiderat: quæ autem desiderat sapiens, nisi ea quæ virtutis & disciplinæ sunt, sine quibus esse non potest? In ipso enim sunt, nec divelluntur ab eo. Quod si divelluntur, jam non sapiens, qui sit sine virtutis usu ac disciplina, quibus ipse se fraudet, si non sit voluntarius virtutis interpres. Quod si cogitur, manifestum est quod invitus faciat. In omnibus autem factis aut à virtute correctiones sunt, aut à malitia prolapsiones, aut media, aut indifferentia. Virtutis non coactus, sed voluntarius exsecutor est sapiens; quoniam omnia quæ placent, agit malitiæ fugitans, nec somnium ejus admittit. Indifferentibus ita non movetur, ut nullis momentis sicut vulgus hominum huc atque illuc inclinetur, sed tamquam in statera mens ejus æqua lance pendeat; ut neque ad voluptaria propendeat, neque omnino ad ea, quæ sunt avertanda, vel leviter studium inclinet suum, sed immobilis maneat affectu. Unde liquet quia nihil invitus facit sapiens, neque cogitur; quia si servus esset, cogeretur: liber igitur est sapiens.

1. Cor 9.1. 11. Apostolus quoque sic definit dicens: *Non sum ego liber, non sum apostolus?* Sed adeo liber, ut cùm subintrassent quidam tentare libertatem ejus, nec ad horam, ut ipse ait, cederet Gala. 2. 5. subjectioni, ut veritas Evangelii prædicaretur. Qui ergo non cessit, volens prædicavit. Ubi voluntas, ibi merces voluntatis: ubi necessitas, ibi obsequium necessitatis. Melior ergo voluntas quàm necessitas. Velle ergo sapientis est, parere & servire insipientis.

12. Hæc etiam est Apostoli definitio dicentis: 1. Cor. 9. 17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habebo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* Sapienti igitur merces defertur, sapiens autem ex voluntate facit: liber itaque secundùm Apostolum Galat. 5. 13. sapiens. Unde & ipse clamat: *Vos enim in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis.* Sequestrat à lege Christianum, ne invitus videatur legi succumbere: vocat in Evangelium, quod volentes & prædicant & operantur. Judæus sub Lege, Christianus per Evangelium: in Lege servitus, in Evangelio libertas, ubi cognitio sapientiæ. Omnis ergo qui Christum recipit, sapiens: qui autem sapiens, liber: omnis igitur Christianus & liber & sapiens.

13. Docuit me tamen Apostolus quod ultra ipsam libertatem sit, ut servire libertas sit: *Cùm liber*, inquit; *essem, omnium me servum feci; ut plures lucrifacerem.* 1. Cor 9. 19. Quid est ultra libertatem, nisi habere Spiritum gratiæ, habere caritatem? Libertas enim liberum facit hominibus, caritas amicum Deo. Unde ait Christus: *Vos autem dixi amicos.* Johan. 15. 15. Bona caritas, de qua dicitur: *Per caritatem Spiritus servite invicem.* Galat 5. 13. Servivit & Christus, ut omnes liberos faceret. *Manus ejus in cophino servierunt:* Ps. 80. 7. qui non rapinam est arbitratus esse se æqualem Deo, formam servi accepit; Phil. 2. 6. & omnia omnibus factus est, ut omnibus 1. Cor 9. 22. salutem afferret. Ibidem 22. Cujus imitator Paulus, & quasi sub Lege erat, & quasi sine Lege vivebat pro eorum utilitate, quos cupiebat lucrari: & infirmis volens fiebat infirmus, ut eos confirmaret: & currebat, ut comprehenderet: & corpus suum castigabat, ut potestates aereas in Christo triumpharet.

14. Est ergo sapienti & servire libertas. Unde colligitur quia stulto & imperare servitus est; & quod pejus est, cùm paucioribus præsit, pluribus dominis & gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit cupiditatibus suis, quarum dominatum nec nocte potest fugere, nec die; quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile. Gemina enim servitus est, altera corporis, animarum altera: domini autem corporis quidem homines, animarum autem malitiæ & passiones, à quibus sola animi libertas sapientem vindicat; ut servitio ei liceat exire.

15. Quæramus igitur illum vere sapientem, vere liberum, qui quamvis sub plurimorum dominatu degat, libere dicit: *Quis est, qui mecum judicio contendat? Tu solus manum tuam à me abstine, à cujus conspectu non potero me abscondere: & timor tuus non me percellat.* Job 13. 19. & seq.

16. Quem sequutus David rex ait: *Tibi soli peccavi.* Psal. 50. 6. Regali enim subnixus fastigio, quasi legum dominus legibus reus non erat, soli Deo obnoxius tenebatur, qui dominus est potestatum.

17. Alium audi liberum: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis dijudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum dijudico; nihil enim mihi sum conscius.... qui autem dijudicat me, Dominus est.* 1. Cor 4. 3. & 4. Vera libertas hominis spiritalis, quia dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur, 1. Cor. 2. 15. nec à quocumque creaturæ participe, sed soli Deo se subditum novit, qui solus sine peccato est, de quo dicit Job: *Vivit Dominus, qui sic me judicat;* Job. 27. 2. solus enim ille potest judicare justum, cujus in conspectu cælum non est mundum, nec stellarum pura & clara lumina.

18. Quis est qui * Sophoclea in medium ferenda ...

* Hoc Sophoclei versus exemplum ex Philone cum aliis plurimis mutuatus videtur Ambrosius; at inter utrumque illud occurrit discriminis, quod Judæus ille prophana exempla plura commemoret, quam sacra; & eadem illa tamquam ad veram virtutem pertinentia laudet atque amplificet: Ambrosius autem cum in prophanis referendis multo parcior sit, tum etiam illa semper deprimat, ut eis Judæorum aut christianorum facta dictave anteponat. Ita hoc loco Sophoclem, quem olympiade tantum 92. vixisse constat, beato Job, quem multi censent scriptorum omnium antiquissimum, posteriorem dicit; ut illum ex hoc accepisse ostendat.

rat carmina dicentia: Jupiter mihi præeſt, nullus [A] autem hominum? Quanto antiquior Job, quanto vetuſtior David? Agnoſcant ergo de noſtris ſe habere, quæcumque præſtantiora loquuti ſunt.

29. Quis igitur ſapiens, niſi qui ad ipſa pervenit divinitatis ſecreta, & manifeſtata ſibi cognovit occulta ſapientiæ? Solus igitur ſapiens, qui duce Deo uſus eſt ad cognoſcenda veritatis cubilia, & mortalis homo immortalis Dei heres & ſucceſſor eſt factus per gratiam, & quidam [B] jucunditatis particeps, ſicut ſcriptum eſt: [Pſal. 44. 8.] *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

30. Si quis igitur propius ea introſpiciat rerum negotia, cognoſcet quanta ſapienti adjumenta, & quanta in ipſis inſipienti refragia ſint; quod huic adjumento libertas, illi impedimento ſervitus ſit. Inſurgit enim ſapiens quaſi victor debellatis à ſe ac triumphatis libidine, timore, ignavia, mœſtitudine, ceteriſque vitiis; donec [C] ea de poſſeſſione ſuæ mentis eliminet, & omnibus terminis finibuſque ſuis propulſet atque arceat: quoniam dux cautior novit excurſus cavere latrocinantium, & quædam * furta belli, quæ iniquiſſimi animæ noſtræ adverſarii ignitis ſæpe pertentant ſpiculis; Sunt enim nobis quædam & in pace prælia, & in bello pax. Unde & ille ait: [2. Cor. 7. 5.] *Foris pugnæ, intus timores. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* [Rom. 8. 37.] [a] Dicit quia neque anguſtiis, neque [D] perſecutionibus, neque fame, periculo, morte terretur.

31. Qui vero hæc timet, qui mortem reformidat, quomodo non ſervus? Servit profecto, & miſeram quidem ſervitutem; nihil enim ſic animam ad omnem ſervitutem dejicit, quomodo formido mortis. Quomodo enim ſe erigat abjectus & vilis ſenſus atque ignobilis, demerſus in omnem infirmitatis voraginem vitæ hujus cupiditate? Vide quam ſervus: [Gen. 4. 14.] *Abſcondam me*, inquit, *& ero gemens & tremens ſuper terram; & erit, omnis qui invenerit me, occidet me.* [E] Itaque quaſi ſervus ſignum accepit, nec ſic tamen necem potuit evadere. Servit igitur peccator formidini, ſervit etiam cupiditati, ſervit avaritiæ, ſervit libidini, ſervit malitiæ, ſervit iracundiæ, & videtur hujuſmodi ſibi liber: ſed magis ſervit, quam ſi ſub tyrannis poſitus.

32. Illi autem liberi ſunt, qui legibus vivunt. Lex autem vera ſermo rectus, lex vera non in- [E] ſculpta tabulis, nec ære inciſa, ſed impreſſa mentibus, atque infixa ſenſibus; [Rom. 2. 14. & 15.] quando ſapiens non ſub lege, ſed ipſe ſibi lex eſt, opus legis in corde ſuo continens, naturali ſibi ſtylo & quadam inſcriptione formatum. Tantumne igitur cæcitatis eſt, ut non videamus manifeſtas rerum expreſſiones, & virtutum imagines? Et quam indignum, ut populi integri obediant humanis legibus, quo ſint libertatis participes: ſapientes autem veram legem naturæ expreſſam ad imaginem Dei, veramque rationem ſigniferam libertatis negligant & derelinquant; cùm in ea tanta libertas ſit, ut parvuli ſervire vitiis neſciamus, alieni ab ira, exſortes avaritiæ, ignari libidinis? Quam miſerum igitur, ut qui naſcimur in libertate, moriamur in ſervitute?

33. Sed hoc ſit levitate animi, atque infirmitate morum; quia curas inanes volvimus, & operamur ſupervacua: ſapientis autem cor, actumque & opus radicatum eſſe decet atque immobile. Hoc docuit Moyſes, quando manus ei graviores fiebant, ita ut vix ſuſtineret eas Jeſus Nave. Ideoque vincebat populus, [Exod. 17. 12.] quando non perfunctoria gerebantur opera, ſed plena ponderis atque virtutis, non nutantis animi, nec titubantis affectu, ſed fundatæ mentis ſtabilitate. Ergo ſapiens extendit manus ſuas, ſtultus autem contrahit, ſicut ſcriptum eſt: *Quia ſtultus complexus eſt manus ſuas, & voravit viſcera ſua*, [Eccleſ. 4. 5.] carnalia magis cogitans quam ſpiritalia. At non filia Juda, quæ expandens manus, clamavit ad Dominum: *Tu ſcis quia falſum teſtimonium adverſus me dicunt.* [Dan. 13. 43.] Melius eſt arbitrata non peccare, ſed & incidere in calumnias accuſantium, quam peccatum ſubire ſub impunitatis velamine. Ea ergo contemtu mortis ſervavit innocentiam. Sed nec filia Jephte, [Judic. 11. 36.] quæ votum patris de immolatione ſua proprio atque hortatorio firmavit adſenſu.

34. Non enim ego de contemtu mortis libros philoſophorum depromo, aut gymnoſophiſtas Indorum, quorum præ ceteris Calani laudatur reſponſum Alexandro, cùm eum juberet ſequi: Qua me, inquit, laude dignum Græciam petere poſcis, ſi poſſum cogi facere quod nolo? Et vere plenus auctoritatis ſermo, ſed magis mens plena libertatis. Denique & epiſtolam ſcripſit.

Calanus Alexandro.

35. Amici perſuadent tibi manus & neceſſitatem inferre Indorum [b] philoſophis, nec in ſomnis quidem videntes noſtra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum: animas non coges facere, quod nolunt, non magis quam ſaxa & ligna vocem emittere. [c] Maximus ignis viventibus corporibus dolorem inurit, & gignit corruptionem: ſuper hunc nos ſumus; viventes enim exurimur. Non eſt rex, neque princeps, qui extorqueat nobis facere, quod non propoſuimus. Nec ſimiles ſumus Græciæ philoſophorum, qui verba pro rebus meditati ſunt ad opinionis celebritatem: nobis res ſociæ verbis, & verba rebus: res celeres, & ſermones breves: in virtute nobis libertas beata eſt.

36. Præclara verba, ſed verba: [d] præclara

*. Stratagemata intellige, quæ furta belli vocitat, imitatus Salluſtium atque Virgilium pluribus locis.

a. Edit. *Dicit quia* (Rom. *hoc quia*) *neque anguſtiis .... neque periculo mortis*: mſſ. vero nobiſcum faciunt, excepto Boyer. qui ſuffragatur editionibus.

b. Mſſ aliquot & vet. edit *Indorum philoſopho.* At paucis interjectis, ubi omnes mſſ. ac vet. edit. *Corpora enim transferes* &c edit. Rom. locum ſic effert. *Corpora transferes .... animos non magis coges facere quod nolunt, quam ſaxa* &c. Porro etiam à Philone propoſitum eſt lib. cit. Calani philoſophi exemplum, de quo Plutarchus in *Alexandro Magno* etiam agit.

c. Rom. edit. ſola *Maximum ignis .... dolorem gignit & corruptionem.*

d. Eadem edit. *præclara conſtantia, & viri præclara epiſtola*: multo concinnius aliæ, ac mſſ. ut nos in textu. Clarum enim eſt eo loco poſitum, *ſed viri*, ut ei puellarum, de quibus mox agetur, opponatur conſtantia, & magnanimitas. Videtur porro Ambroſius diſſimulare quod Cicero, Valerius Max. Plutarchus & alii de morte Calani prodiderunt, quem vivum in ardentem pyram conſcendiſſe memorant. Sed cùm ſuperbiæ & oſtentationi hæc mors tribuenda ſit, non mirum eſt eam pro nihilo duxiſſe ſanctum Præſulem.

constantia, sed viri: præclara epistola, sed philosophi. Apud nos autem & puellæ de mortis appetentia sublimes usque ad cælum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar, quæ tamquam nobilia * vitulamina pullulantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exsultavit, [a] & rugientes bestias spectavit intrepida. Et ut nostra cum Indorum gymnosophistis conferamus, quod ille verbis gloriatus est, sanctus Laurentius factis probavit; ut vivus exureretur, & flammis superstes diceret: Versa, manduca. Haud degener Abrahamidarum, & Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant: alii cùm exurerentur, non rogabant, ut parceretur: sed invehebantur, ut amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens.

2. Mach. 7. 7. 5. & seq.

38. Quid autem sublimius sancta Pelagia, quæ vallata persecutoribus; priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens moriar, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem, mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam: nullum prædones lucrum suæ capient insolentiæ. Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam, & prosapiam prudentiæ. Quod servum est, hîc manebit, nullos in usus debitum. Magna igitur piæ virginitatis libertas, quæ septa agminibus persecutorum, inter maxima pericula integritatis & vitæ nequaquam inclinata est.

Prov. 29. 22.
Joan. 8. 34.

39. At non ille cui dominatur ira, subjicitur enim jugo peccati; homo etiam iracundus peccatum effodit: *Qui autem peccatum facit, servus est peccati.* At non ille liber, qui servit avaritiæ; non potest enim possidere vas suum. Non ille liber, qui serviens desideriis & voluptatibus, vago fluitat errore. Non ille liber, qui curvatur ambitu; servit enim alieno imperio. Sed ille liber, qui potest dicere: *Omnia mihi licent,* [b] *sed non omnia mihi utilia; omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis.* Ille liber, qui ait: *Quid enim libertas nostra judicatur ab infideli conscientia?*

1. Cor. 6. 12.
Ibidem 13.

40. Libertas igitur [c] sapienti, non insipienti convenit; quoniam qui deligat lapidem in fundibalo, similis est ei, qui dat imprudenti claritatem: se ipsum vulnerat, sibique potius, dum intorquet jaculum, affert periculum. Certe sicut tormento acerbatur, & geminatur malum saxi ruinâ; sic insipientis in libertate ruina vehementior est. Recidenda igitur insipienti potestas, non adjicienda libertas est; servitus enim ei convenit. Ideoque addidit: *Spinæ nascuntur in manu ebriosi, servitus autem in manu imprudentis;* quia sicut ille suis vulneratur poculis, ita insipiens suis factis. Ille bibendo se peccato inserit, iste operando se culpæ adjudicat, & factis suis trahitur in servitutem. Videbat se Paulus in captivitatem trahi à lege peccati; & ideo ut liberaretur, confugit ad libertatis gratiam.

Prov. 26. 8.
Ibidem 9.
Rom. 7. 23.

41. Non sunt igitur liberi insipientes, quibus dicitur: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In freno & chamo maxillas eorum constringe, qui non appropinquant tibi. Multa flagella peccatorum;* quia multis flagellis opus est, ut eorum imprudentia coerceatur. Disciplina hoc exigit, non inclementia. Denique *qui parcit baculo suo, odit filium suum:* simul quia unusquisque gravius suis peccatis flagellatur. Gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, sicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cicatrices, & putrescere faciunt mentis ulcera.

Psal. 31. 9. & seq.
Prov. 13. 24.
Psal. 37. 5. & 6.

42. Deponamus igitur tam gravem servitutis sarcinam, renuntiemus luxuriæ ac deliciis, quæ nos quibusdam adstringunt nexibus cupiditatum, & vinculis ligant. Nihil enim prosunt deliciæ stulto: & quicumque à pueritia dederit se deliciis, manebit in servitute; ut vivens mortuus sit. Recidatur ergo luxuries, [d] deliciæ recesentur: & si quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus. Recisa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit, neglecta luxuriat. Ideoque scriptum est: *Tamquam agricultura homo imprudens, & tamquam vinea homo egens sensu; si reliqueris eum, desertus erit.* Colamus ergo corpus hoc nostrum, castigemus illud, redigamus in servitutem, non illud despiciamus.

Prov. 24. 30.

43. Sunt enim * membra nostra arma justitiæ, sunt & arma peccati. Si elevantur, arma justitiæ sunt, ut peccatum in his non dominetur: si mortuum [e] fuerit corpus nostrum peccato, non regnabit in eo culpa, & erunt membra nostra à peccato libera. Non obediamus igitur cupiditatibus ejus, neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, membra tua arma peccati sunt. Si loquutus es ad sollicitandam eam, lingua tua & os tuum membra peccati sunt. Si abstulisti terminos à patribus positos, membra tua arma peccati sunt. Si festinasti velocioribus pedibus ad effundendum innocentium sanguinem, membra tua arma iniquitatis sunt.

44. Contra, si vidisti egenum, & induxisti in domum tuam, membra tua arma justitiæ sunt. Si eripuisti injuriam accipientem, vel eum qui ducebatur ad mortem, si scidisti chirographum debitoris, membra tua arma justitiæ sunt. Si confessus es Christum (arma enim intellectus [f] labia sapientiæ) labia tua membra justitiæ sunt. Qui potest dicere: *Oculus eram cæcorum, pes claudorum, pater infirmorum*, membra ejus membra justitiæ sunt.

Prov. 14. 7.
Job. 29. 15.

*. Metaphora ab arboribus petita, in quibus stolones, & surculi pullulant, quæ ἀκρεμόνες nominantur à græcis. Ceterum exempla hic & infra posita sancto Doctori perquam familiaria sunt, ut non opus sit de illis quidquam adjungere. De Pelagia tantum admonebimus, quæ sub finem lib. 3. *de Virg.* observata sunt, adiri posse.

a. Amerb & Rom. edit. cum mss. non paucis, *rudentes bestias exspectavit*: Eras. & Gill. *prodeuntes bestias exspectavit*: Aptius mss. aliquot, *rugientes bestias spectavit*: unus, *adspectavit*.

b. *Sed non omnia mihi utilia, omnia mihi licent:* ex mss. Boyeriano restituta sunt.

c. Ultimæ edit. Paris. *sapienti convenit*, omisso *non insipienti*.

d. Codex Boyer. solus, *divitiæ resecentur*.

* Forsitan non ingratum fuerit, si quæ sequuntur usque ad numerum ultimum, conferre libuerit cum iis, quæ in lib. 1. *de Jacob*, & *Vita beata* cap. 3. num. 10. disseruntur.

e. Ita cod. Boyer. ceteri vero, & omnes edit. prætermiserunt, *corpus nostrum*. Haud bono sensu.

f. Rom. edit. & pauci mss. *labia sapientis*: vet. & mss. multo plures, *labia sapientiæ*; forsasse *sapientia*: nam græcus habet ὅπλα ... αἰσθήσεως χείλη σοφά.

45. Ergo liberati à peccato, quasi pretio A emti sanguinis Christi, non subjiciamur servituti hominum vel passionum. Non erubescamus peccatum nostrum fateri, Vide quam liber, qui poterat dicere: *Non reveritus sum multitudinem populi; ut non annuntiarem in conspectu omnium peccatum meum.* (Job. 31. 33.) Qui enim confitetur Domino, exuitur à servitute; *Justus enim accusator est sui in principio sermonis.* (Prov. 18. 17.) Non solum liber, sed etiam justus: sed justitia in libertate est, & libertas in confessione; simul enim ac B confessus quis fuerit, absolvitur. Denique *Dixi, pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* (Psal. 31. 5.) Mora ergo absolutionis in confitendo est, confessionem sequitur peccatorum remissio. Sapiens est igitur, qui confitetur: liber, cui peccatum dimissum est, nulla jam contrahens æra peccati. Vale, & nos dilige, ut facis; quia & ego te diligo.

*EPISTOLA XXXVIII.

(* Scripta circ. ann. 387.)

Sapientem esse divitem, neque hic ullum sexum excipi se didicisse ex Petri epistola, cujus locus enucleatur. Pacem aliasque virtutes divites esse, divitumque ordini Enoch atque Eliam annumerandos. Post quæ Achab & Nabuthe inter se comparatis, propositum problema confirmatur.

AMBROSIUS SIMPLICIANO salutem.

1. VIdebamur proxime in disceptationes incidisse philosophiæ, cùm de apostoli D Pauli epistola sumentes exordium, tractaremus quod omnis sapiens liber. Verum postea, cùm Petri apostoli epistolam legerem, adverti quod omnis sapiens etiam dives: nec sexum exceperit, qui feminas ornatum omnem non in pretiosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit:[a] *Non enim*, inquit, *extrinsecus capillorum implicatio, aut auri circumpositio, aut habitus vestimentorum ornamentum, sed ille absconditus cordis homo.* (a 1 Petr. 3. 3. & 4.)

2. Duo sunt igitur & esse hominem in homine, & illum esse divitem, qui sibi nullarum E divitiarum usum requirat. Pulcre autem cordis hominem dixit, eo quod totus sapientiæ sit absconditus, sicut ipsa sapientia, quæ non videtur, sed intelligitur. Nemo ante Petrum tali expressione usus est, ut diceret cordis hominem; exterior enim homo plurima in se membra habet: interior autem cordis homo totus plenus sapientiæ est, plenus gratiæ, ple- F nus decoris.

3. *In incorruptione*, inquit, *quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum dives.* (Ibidem.) Et vere dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est: sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitate, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus & modestus spiritus, A qui numquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis; ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, & nova quærat, & semper desiderando, fiat in summis divitiis inops?

4. Ea est[b] pax vere dives, quæ superat omnem mentem. (b Philip. 4. 7.) Dives pax, dives modestia, dives fides; *Fideli enim totus mundus possessio est:* (Prov. 17. 6.) dives simplicitas; sunt enim & divitiæ simpli- B citatis, quæ nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum, aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu.

5. Dives bonitas, quam si quis servaverit, pascitur in divitiis cælestis hereditatis; & ut antiquioribus exemplis Scripturæ utamur: *Beatus*, inquit, *vir, quem arguit Dominus. Admonitionem autem Dei ne recusaveris..... In fame liberabit te à morte, in prælio de manu ferri liberabit te, & à flagello linguæ te abscondet.... Feræ bestiæ pa-* C *cificæ erunt tibi, & scies quod in pace erit domus tua.* (Job. 5. 17.) Mitigatis enim carnis hujus vitiis, & passionibus, quæ militare adversus animam solent, tabernacula tua sine perturbatione erunt, domus sine offensione, semen sine defectu, * posteritas sicut odor agri pleni, sepultura sicut messis. Siquidem quando alii[c] suum defectum arbitrantur, tunc acervus tritici tui supernis maturus infertur * apothecis.

6. Merito justus semper fœnerat, iniquus D indiget. (Psal. 36. & seq.) Ille[d] justitias fœnerat, fœnerat mandatum Dei pauperibus & egenis: at vero insipiens & quod putat se habere, nequaquam possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans, avata & misera torquetur sollicitudine? Ille vero eget, & si aliis dives videtur, sibi pauper est; quia non utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat: UBI ENIM nullus cupiditati modus, qui fructus divitiarum? Nemo est dives, qui E secum hinc auferre non potest quod habet: quod enim hîc relinquitur, non nostrum, sed alienum est.

7. Dives Enoch, qui quod habuit secum transtulit, & omnem illum bonitatis suæ censum cælestibus intulit receptaculis: qui ideo *raptus est, ne cor ejus malitia mutaret.* (Gen. 5. 24. Sap. 4. 11.) Dives Elias, qui virtutum suarum thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis invexit. (4. Reg. 2. 11.) Et tamen iste non mediocres divitias heredi reliquit, F quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cùm victus quotidiani indigens alimoniâ, mitteretur ad viduam, ut pasceretur ab ea; (3. Reg. 17. 9. & seq.) quando ad ejus vocem cælum claudebatur & aperiebatur, quando ad ejus verbum hydria farinæ & vas olei non deficiebat per triennium, sed abundabat: nec minuebatur usu, sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit, ad cujus voluntatem descendebat ignis, quem (4. Reg. 1. 14. 4. Reg. 2. 8.) invia aliis flumina non concludebant, sed in

a. Ita mss. & edit. nisi quod Rom. præfert, *Quarum non sit*, inquit, &c. ms. vero Boyer. totum locum his verbis reddit: *Non inquit, extrinsecus capillorum intricatio, aut auri compositio, aut vestimentorum habitus ornamentum est, sed interior absconditus cordis homo.*

b. Nonnulli mss. *pax vera dives*: Boyer. *pax vera & dives*: melius tamen ceteri, ac edit. ut in textu.

*. Alluditur ad Gen. 27. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni* &c. nec non ad Job. 5. 26. *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici* &c.

c. Codex Boyer. *suum fructum arbitrantur.*

*. Ubi aliquid reponitur, ait Nannius, apotheca dicitur: nunc autem pharmacopolarum officinas ita appellamus.

d. Rom. edit. *justitias fœnerat mandato Dei*: aliæ, ac mss. *justitias fœnerat mandatum Dei.* In solo Boyer. geminatur *fœnerat*, quod saltem in aliis subintelligitur.

suum

suum fontem recurrebant; ut sicco propheta A transiret pede?

3 Reg. 21. 1. & seq. 8. Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab, & pauperem Nabuthen; quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? Alter regali fulcro divitiarum præditus, inexplebilis insatiabilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desideravit: alter [a] despiciens animo βασιλέων τὰς πολὺ χρύσους τύχας, imperialesque gazas, suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis dives, hic magis rex, * qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates; ut nihil B alienum concupisceret? ille autem egentissimus, cui aurum suum vile, alienus palmes pretiosissimus æstimabatur? Sed qua ratione [b] egentissimus, cognosce: quia divitiæ injuste congregatæ evomuntur, radix autem justorum manet, & ut palma floret.

Job. 20. 15. Prov. 12. 12. Psal. 91. 13. Psal. 143. 4. Psal. 36. 35. & 36.

9. An non egentior paupere is, qui tamquam umbra prætetit? Hodie impius exaltatur, cras non erit, nec invenietur aliquis locus ejus. Quid est itaque divitem esse, nisi abundare? C Quis autem abundat, qui sit animo contractior? Qui autem animo contractior; utique angustior: quæ igitur in angustiis abundantia? Non ergo dives, qui non abundat. Unde pulcre David: *Divites*, inquit, *eguerunt*, *& esurierunt*; Psal. 33. 10. quoniam cùm haberent scripturarum thesauros cælestium, eguerunt qui non intellexerunt, & esurierunt qui nullum spiritalis gratiæ gustarunt cibum.

10. Nihil igitur affectu sapientis ditius, nihil D insipientis egentius. Math. 5. 3. Nam cùm regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest? Et ideo præclare Apostolus: Rom. 11. 33. *O altitudo*, inquit, *divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Psal. 118. 14. Præclare etiam David, qui in via testimoniorum cælestium, quasi in omnibus divitiis, delectabatur. Expresse Moyses, qui ait: Deut. 33. 23. *Nephthalim satietas accipientium.* Nephthalim, [c] abundantia significatur latina interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo abundantia, ubi satietas: ubi autem fames cu- E piditatum, ubi inexplebilis appetentia; ibi utique paupertas. Sed quia vix ulla rei pecuniariæ vel mundi hujus cupiditas satietatem habet; Ibidem. [d] ideo addidit: *Et replebitur benedictione.*

1. Pet. 3. 3. 11. Secundum hæc Petrus apostolus definivit non in auro & argento & indumentis feminarum esse ornamentum, sed in occulto cordis homine atque abscondito; unde nulla se exuat cultum pietatis, ornatum gratiæ, vitæ æternæ hereditatem. Vale, & nos dilige; quia F nos te diligimus.

* EPISTOLA XXXIX.

* Scripta haud multo post ann. 387.

Faustinum propter sororis mortem hominum consortium fugientem arguit, hoc ipsi sorori injurium, ac interitum non hominibus solum, sed & civitatibus communem esse monens. Nihil ergo illi jam deberi nisi preces; vetare siquidem Apostolum, ne quem secundum carnem jam cognoscamus, at novam creaturam. Quænam illa sit, & quomodo illum solari Ambrosius ipse tentatur, expenditur.

AMBROSIUS FAUSTINO salutem.

1. ACerbo te doliturum dolore obitum germanæ tuæ non ignorabam; non tamen ut à nobis te ablegares, sed ut nobis te redderes: nam etsi minus jucunda solatia mœrentibus, tamen nonnumquam necessaria sunt. Tu autem abiisti in secreta montium, & inter ferarum diversaria spelæa, omni humanæ conversationis usu abdicato, & quod gravius est, judicio tuo.

2. Tantumne de te commeruit germana tua, ut propter quam excellere apud te debuit conditio humana, quæ tam egregiam feminam tulit, propter eam apud te minoris prærogativæ sit? Illa certe vitâ excedens, hoc se mulcebat solatio, quod te sibi superstitem derelinqueret, parentem nepotibus, præsulem parvulis, auxiliatorem destitutis: tu ita te & nepotibus & nobis abnegas, ut consolationis illius fructum non sentiamus. Illa te cara pignora vocant non ad dolendum, sed ad consolandum; ut cùm te videant, matrem sibi [e] non credant obiisse: in te eam recognoscant, in te ejus præsentiam teneant, in te vitam ejus sibi manere arbitrentur.

3. Sed doles quod dudum florentissima repente occiderit. Verùm hoc nobis commune non solum cum hominibus, sed etiam cum civitatibus, terrisque ipsis est. * Nempe de Bononiensi veniens urbe à tergo Claternam, ipsam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas, in dextera erat Brixillum, à fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipso adhuc nomine sonans, ad lævam Apennini inculta miseratus, & florentissimorum quondam populorum castella considerabas, atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera non te admonent unius, sanctæ licet & admirabilis feminæ, decessionem consolabiliorem habendam; præsertim cùm illa in perpetuum prostrata ac diruta sint: hæc autem ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigat?

4. Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam [f] lacrymis tuis, sed magis oblationibus

a. Amerb. cum mss. non paucis, *adspiciens animo.*

* Divitem eum esse definit Cicero loco cit. *cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivend. m facile contentus sit, qui nihil quærat, nihil appetat* &c. Maxime vero ab ejus argumentandi ratione in eo discrepat Ambrosius, quod pro veterum Romanorum exemplis, quæ ille adhibet, hic nullis utitur nisi è divina scriptura petitis.

b. Cod. Boyer. *egentissimus? quia divitiis congregata pereunt, radix enim* &c.

c. Idem cod. Boyer. *latinæ interpretationis significatione abundantiam vel dilatationem significat.* Quod vero ad hunc significatum, in eo alluditur ad illa verba citati loci ex Deut. *Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus.* Nam alioqui rectius interpretaremur idem vocabulum comparationem, retortionem ac tortuositatem, ut vulgo solent.

d. Boyer. solos, *ideo de justo dicitur.*

e. Cod. Boyer *non credant abesse.*

*. Imitatio est Servii Sulpitii ad Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ: Ex Asia rediens, cùm ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circum circa prospicere: post me erat Ægina; ante Megara, dextra Pyreus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerant, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum cogitare, hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est; cùm in uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Ita Nannius.

f. Ms. Boyer *lacrymis tuis animam, sed magis oblationibus ejus commendandam arbitror.* Observabis obiter Ambrosium hoc loco sicut & alibi non semel consuetudinem orationum atque oblationum pro mortuis faciendarum testificari.

animam ejus Domino commendandam arbitror.

5. Verum forte adseras securum te[a] de meritis ejus ac fide; nequire tamen ferre desiderium, quod eam jam non videas secundum carnem, idque tibi summo dolori sit. Nec illud te movet Apostolicum, quod ait: [2. Cor. 5. 16.] *Quia neminem novimus ex hoc secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus?* Caro enim nostra perpetua esse ac diuturna non potest, necesse est occidat, ut resurgat: necesse est resolvatur, ut requiescat, [Ibidem.] [b]ut fiat quidam finis peccati. Et ideo multos cognovimus secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Ipsum dominum Jesum cognovimus, inquit Apostolus, secundum carnem: *sed nunc jam non novimus.* Jam enim carnis deposuerat exuvias, jam specie hominis non videbatur, jam pro omnibus mortuus erat, & omnes in illo mortui; sed ut per ipsum renovati, & vivificati spiritu, jam non sibi, sed Christo vivant. Unde & alibi ait idem Apostolus: [Gal. 2. 20.] *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus.*

[2. Cor. 5. 16.] 6. Meritoque qui ante cognoverat secundum carnem Christum, jam operationes ejus invisibiliter agnoscens, jam non carnem ejus, sed potentiam scrutans, [Act. 9. 1. & seq.] qui ante persecutor discipulos hominis, & pedissequos carnis infestis odiis urgebat, postea doctor gentium factus, veneratores majestatis ejus ad prædicationem Evangelii instruere atque informare cœperat. Et ideo addidit: [2. Cor. 5. 17.] *Si quis in Christo nova creatura*, id est, qui perfectus in Christo, nova creatura est; quoniam qui caro est, imperfectus est. Denique ipse Dominus ait: [Gen. 6. 3.] *Non permanebit spiritus meus in istis hominibus, quoniam carnes sunt.* Carnalis itaque non est in Christo: sed si quis in Christo est, nova creatura est, non naturæ novitate formatus, sed gratiæ. Vetera itaque quæ secundum carnem erant, transierunt: facta sunt nova omnia. Quæ illa, nisi quæ scriba [Matth. 13. 52.] doctus in regno cælorum novit, similis illius patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera: neque vetera sine novis, neque nova sine veteribus? Ideo & Ecclesia dicit: [Cant. 7. 13.] quia *nova & vetera servavi tibi.* Sed transierunt vetera, id est, Legis mysteria abscondita, in Christo facta sunt omnia nova.

7. Hæc est nova creatura, de qua Apostolus ad Galatas ait: [Galat. 6. 6.] *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed nova creatura, per quam jam renovata caro floret, & fructum invenit gratia, quæ ante inveterati flagitii spinas habebat.* Quid ergo est[c] quod mœreamus, si jam ad animam dicitur: [Psal. 102. 5.] *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua?* Quid est quod ingemiscamus pro mortuis, [2. Cor. 5. 18.] cùm jam reconciliatio mundi apud Deum Patrem facta sit per dominum Jesum?

8. Quoniam ergo Christi beneficia tenemus, cùm apud omnes, tum apud te pro Christo [Ibidem 20.] legatione fungimur; ut noveris irrevocabilia ejus esse dona, ut credas, quod semper credidisti: nec nimio mœrore tuam in dubium adducas sententiam; quia ideo peccatum factus est dominus Jesus, ut tolleret peccatum mundi, [Johan. 1. 29. 2. Cor. 5. 21.] & essemus in illo omnes justitia Dei: jam non culpæ obnoxii, sed justitiæ remuneratione securi. Vale & nos dilige; quia nos te diligimus.

* EPISTOLA XL.

[*Scripta sub fin. an. 388.]

Ab imperatore audiri se postulat, affirmans in principe laudari facilitatem: tacere se sine utriusque periculo non posse: nec regibus displicere libertatem: illum vero, quamvis pius sit, decipi posse: sententiam de synagoga reparanda esse periculosam: cùm episcopum martyrio vel prævaricationi exponat. In hanc rem exemplo Juliani proposito, rescripti causæ refelluntur: maxime quod Judæi plures usserint Ecclesias. Hinc agitur de Valentinianorum, qui gentilibus pejores declarantur, fano; ac donariis, quæ dicebantur sublata, extenuatis, januam ad calumnias Judæis aperiri, triumphumque de Christo dari demonstratur. Hac de re allegorica instituitur Domini expostulatio: postquam deterretur Maximi exemplo Theodosius, neve Judæos aut hæreticos ulcisci velit, admonitus, denuo stimulatur ad clementiam.

[d] Clementissimo principi, ac beatissimo imperatori THEODOSIO augusto AMBROSIUS episcopus.

1. EXercitus[e] semper jugibus fere curis sum, Imperator beatissime: sed numquam tanto in æstu fui, quanto nunc; cùm video cavendum ne quid sit, quod adscribatur mihi etiam de sacrilegii periculo. Itaque peto ut patienter sermonem meum audias. Nam si indignus sum, qui à te audiar; indignus sum, qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committas preces. Ipse ergo non audies eum, quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris judicium tuum, ne cùm indignum putaris, quem audias; indignum feceris, qui pro te audiatur?

2. Sed neque imperiale est libertatem dicendi denegare, neque sacerdotale, quod sentias, non dicere. Nihil enim in vobis imperatoribus tam populare & tam amabile est, quàm libertatem etiam in iis diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denuntiare. Siquidem scriptum est: [Psal. 118. 46.] *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar;* & alibi: [Ezech. 3. 18. & 19.] *Fili hominis, speculatorem te posui domui Israel, in eo* inquit, *ut si avertatur justus à justitiis suis, & fecerit delictum; quia non distinxisti ei*, [f] hoc est, non dixisti quid sit cavendum, *non retinebitur memoria justitiæ ejus, & sanguinem ejus de manu tua exquiram. Tu autem si distinxeris justo, ut non*

a Codex Boyer. solus *de meritis ejus ad fidem.*

b Mss. nonnulli, *& fiat quidam* &c. Boyer. solus, *necesse est ut fiat quosdam fines peccato.*

c. Cod. Long. *quod mereamur*; non satis recte.

d. Ita omnes edit. & mss. longe plurimi: nonnulli tamen solùm præligunt: *Ambrosius Theodosio imperatori.* Hujus porro epistolæ Paulinus meminit, ejusque scribendæ occasionem, materiam atque exitum narrat, de quibus omnibus in ejusdem tempore adsignando satis disputatum est in Admonitione.

e. Mss aliquot; *Exercitiis semper jugibus, seu curis sum, imperator beatissime, deditus.* Haud male quidem; alii tamen plures, & omnes edit. nobis patrocinantur, nisi quod Rom. edit. expunxit adverbium *semper.*

f. Reg. cod. *hoc est, non distinxisti.* Et infra, *quia distinxisti* Ac vice versa ubi idem codex cum aliis multo pluribus & cunctis edit. *si distinxeris justo*: mss. Prat. ac Gem. legunt, *si dixeris justo.*

peccet, & ipse non peccaverit, justus vita vivet; quia dixisti ei: & tu animam tuam liberabis. A

3. Malo igitur, Imperator, bonorum mihi esse tecum, quam malorum consortium; & ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. Non ergo importunus indebitis me interfero, alienis ingero: sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio. Quod facio primùm tui amore, tui gratia, tuæ studio conservandæ salutis. B Si id mihi vel non creditur, vel interdicitur; dico sane [a] divinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter; malo enim te sine meo acceptum Deo esse & gloriosum periculo. Sin autem silentii mei dissimulationisque culpa & me ingravat, nec te liberat; malo importuniorem me, quam inutiliorem aut turpiorem judices. Siquidem scriptum est, dicente sancto apostolo Paulo, cujus non potes doctri- C nam refellere: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* 2. Tim. 4. 2.

4. Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit; præsertim cùm etiam imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere, & patienter audiatis unumquemque pro suo suggerentem officio; immo corripiatis, si non utatur * militiæ suæ ordine. Quod ergo in iis libenter accipitis, qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri; D cùm id loquamur, non quod volumus sed quod jubemur? Scis enim lectum: *Cùm stabitis ante reges & præsides, nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamvis etiam illic justitia servanda sit, non tanto adstringar metu, si non audiar: in causa vero Dei quem audies, si sacerdotem non audias, cujus majore E peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat? Matth. 10. 19. & 20.

5. Novi te pium clementem, mitem, atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem: sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundum scientiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cavendum arbitror. Novi pietatem tuam erga Deum, lenitatem in homines: obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarum. Et ideo plus metuo, amplius sollicitor; ne etiam ipse tuo me postea judicio condemnes, quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionem non evitaveris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere; scriptum est enim: [b] Si frater tuus in te peccaverit, corripe illum primo, deinde increpa, duobus aut tribus testibus. Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Causam ergo Dei tacebo? Quid igitur sit, quod metuam consideremus. Rom. 10. 2. Matth. 18. 15. & seq.

6. Relatum est à * comite orientis militarium partium incensam esse synagogam, idque auctore factum episcopo. Jussisti vindicari in ceteros, synagogam ab ipso exædificari episcopo. [c] Non adstruo exspectandam fuisse adsertionem episcopi; sacerdotes enim turbarum moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cùm & ipsi moventur injuria Dei, aut Ecclesiæ contumelia. [d] Sit alioquin iste episcopus ferventior in exustione synagogæ, timidior in judicio: non vereris, Imperator, ne adquiescat sententiæ tuæ; ne prævaricetur, non times?

7. Non etiam vereris, quod futurum est; ne verbis resistat comiti tuo? Necesse erit igitur ut aut * prævaricatorem aut martyrem faciat: utrumque alienum temporibus tuis, utrumque persecutionis instar, si aut prævaricari cogatur; aut subire martyrium. Vides [e] quo inclinet causæ exitus. Si fortem episcopum putas, caveto martyrium fortioris: si inconstantem, declina lapsum fragilioris: Plus enim adstringitur, qui labi infirmum coegerit.

8. Hac proposita conditione, puto dicturum episcopum quod ipse * ignes sparserit, turbas compulerit, populos conduxerit; ne amittat occasionem martyrii, & pro invalidis subjiciat validiorem. * O beatum mendacium, quo adquiritur sibi aliorum absolutio, sui gratia! Hoc est, Imperator, quod poposci & ego; ut in me

a. Reg. cod. solus, *divinæ offensæ memor. Nam si ... tu hauseris.*

*. Prorsus & in principio hujus epistolæ (nempe his verbis, *qui obsequio militiæ*) videtur militiam ponere non tantum pro castrensi stipendio, sed pro quavis functione, ministerio, & officio. Hæc Nannius.

b. Reg. cod. solus; *Quod si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Adverte ergo, Imperator, quod causam Dei dissimulare non queam. Quid igitur? Causam Dei* &c.

*. Cedrenus in Hist. hunc magistratum appellat *Honoratum præfectum*, nimirum Constantinopolis, ubi hanc actionem contigisse memorat. Sed in rei veritatem tam multa peccat, ut ejus haberi possit nulla ratio. Valesius in Amman. Marcellinum pag. 4. de comite orientis agens: *Ceterum*, inquit, *cum hæc civilis potestas fuerit, miror sanctum Ambrosium in epistola ad Theodosium hæc scribere: Relatum est à comite orientis militarium partium ... ad hunc modum solvent periti.* Fuit sane in eo solvendo felicior Godofredus; hic enim in *Chronol. Cod. Theod.* & in Comment. in leg. 1 x. *de Judæis* docet eum qui ab Ambrosio dicitur *comes orientis militarium partium*, quem lex citata titulo *comitis & magistri utriusque militiæ* per orientem signat, ut distinguatur ab altero comite orientis civilium partium, quem describit Zozimus lib. 5. Bullengerus lib. 4. *de imp. Rom.* cap. 15. quamvis duas illas dignitates non videatur satis distinguere, attamen ad comitem orientis militiam quoque pertinuisse clare indicat hisce verbis: *Quia Persæ Armeniam & Mesopotamiam vastabant, comes orientis vir spectabilis ei cum exercitu impositus, vicarius præfecti prætorio.* Et paulo post: *Comes & magister militum per orientem illustris L. VIII. de Metatis.* Idem vero sequenti cap. duos comites rei militaris fuisse in oriente tradit, quem consule. Hæc porro abunde Valesii diluunt dubitationem. Quod autem Godofredus contra Baronium hanc epistolam anno 393. scriptam contendit, jam ante examinavimus suo loco.

c. Aliquot mss. *Non assero.* Dictionem vero *adsertionem*, quæ pone sequitur, Nannius exponit in hunc modum: *Adsertionem*; id est, defensionem. Metaphora inde sumta, quod in causa liberali adsertorem sive vindicem adesse oportebat, quo alterius libertatem, qui in servitutem petebatur, assereret. Ita ille. Sed forte verius ac simplicius dixeris *adsertionem* sive affirmationem episcopi testimonium esse, quo remne illam fecisset, an secus, declararet. Est autem in verbis *Non adstruo* quædam præteritio rhetorica, qua, quod maxime dicitur, dici negatur.

d. Omnes edit. ac mss. plerique, *Sit aliquis*: alii nonnulli, *Sit aliquibus*. Reg. & Latinii conjectura, *Sit alioquin.*

*. Prævaricari Nannius idem hic esse vult, atque in idololatriam incidere: prævaricatorem quoque eumdem dici, quem nunc apostatam vocant; cùm in litteris prophanis prævaricator is sit, qui cum reo colludit, & causam adversario prodit.

e. Mss. aliquot, *quo inclinentur causæ*, vel *quo inclinet causa.*

*. Eliberitanæ synodi an. 305. habitæ canon 6 x. prohibuit, ne quis ob idolum confractum interemptus, in martyrum catalogum admitteretur. Verum ea exustio, de qua hic agitur, rationis lege; & jure gentium, ut infra dicitur, non videbatur illicita.

*. *O beatum mendacium!* eodem sensu hoc intellige, quo ab Ecclesia canitur: O *felix culpa!* propter effectum scilicet; per se enim mendacium semper malum est. Adi, si lubet, quæ nos priori tomo lib. 1. *de Abraham* cap. 8. num. 71. annotavimus.

magis vindicares: & si hoc crimen putares, mihi adscriberes. Quid mandas in absentes judicium? Habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quod ego synagogam incenderim, certe quod ego illis mandaverim; ne esset locus in quo Christus negaretur. Si objiciatur mihi, cur hîc non incenderim? Divino jam cremari cœpit judicio: meum cessavit opus. Et si verum quæritur, ideo segnior fui, quia non putabam hoc vindicandum. Quid facerem, quod nullo ultore sine præmio foret? Tangunt hæc verecundiam, sed revocant gratiam; [a] ne fiat quo Dei summi contrahatur offensio.

9. Esto tamen, nemo episcopum ad hoc munus conveniat; rogavi enim clementiam tuam: & licet ipse hoc revocatum adhuc non legerim, revocatum tamen constituamus. Quid si alii timidiores, dum mortem reformidant, offerant ut de suis facultatibus reparetur synagoga; aut comes ubi hoc compererit primò constitutum, ipse de christianorum censu exædificari jubeat? Habebis, Imperator, comitem prævaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic labarum, hoc est, [b] Christi sacratum nomine, qui synagogam instauret, quæ Christum nesciat? Jube labarum synagogæ inferri, videamus si non resistunt.

10. Erit igitur locus Judæorum perfidiæ factus de exuviis Ecclesiæ: & patrimonium, quod favore Christi adquisitum est christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitus condita [c] de manubiis Cimbrorum, de spoliis reliquorum hostium. Hunc titulum Judæi in fronte synagogæ suæ scribent: Templum impietatis factum de manubiis christianorum.

11. [d] Sed disciplinæ te ratio, Imperator, movet. Quid igitur est amplius disciplinæ species, an causa religionis? CEDAT OPORTET censura devotioni.

12. * Non audisti, Imperator; quia cùm jussisset Julianus reparari templum Hierosolymis, divino, qui faciebant repurgium, igne flagrarunt? Non caves ne etiam nunc fiat? Adeo à te non fuit jubendum, ut Julianus hoc jusserit;

13. Quid tamen movet? Utrum quia quodcumque ædificium publicum exustum est, an quia synagogæ locus? Si ædificio incenso moveris vilissimo (quid enim in tam ignobili castro esse potuit) non recordaris, Imperator, quantorum Romæ domus præfectorum incensæ sint, & nemo vindicavit? Immo si quis imperatorum voluit factum severiùs reprehendere, ejus magis qui tanto est perculsus dispendio, [e] causam gravavit. Quid igitur dignius, ut Callinici castri in parte aliqua ædificiorum incendium, an urbis Romæ vindicandum æstimaretur, si oporteret tamen? * Constantinopoli dudum domus episcopi incensa est, & filius clementiæ tuæ intercessit apud patrem; ut & suam, hoc est, filii imperatoris injuriam, & domus sacerdotalis incendium non vindicares. Non consideras, Imperator, ne & hoc cùm vindicari jusseris, ipse iterum interveniat, ne vindicetur? Sed bene illud adquisitum est à patre filio; dignum erat enim, ut suam injuriam prius ipse donaret. Bene illud cum gratiæ distinctione divisum est, ut & filius pro sua, & pater pro filii injuria rogaretur. Hinc nihil est quod filio reserves, & vide ne quid Deo deroges.

14. Non est ergo causa tantæ commotioni idonea; ut propter ædificii exustionem in populum tam severe vindicetur: multo autem minus quia synagoga incensa est, perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod Deus damnavit ipse. Sic enim legimus per os Hieremiæ, dicente domino Deo nostro: *Et faciam domui, ubi invocatum est nomen meum super ipsam, in qua confiditis vos, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, [f] sicut feci Selon: & projiciam vos à facie mea, sicut projeci fratres vestros omne semen Ephræm. Et tu noli orare pro populo isto, & noli postulare illis misericordiam, & neque accesseris ad me pro illis; quia non exaudiam te. Aut non vides quid isti faciunt in civitatibus Juda?* Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos putas. Hier. 7. 14. & seq.

15. At certe si jure gentium agerem, dicerem * quantas Ecclesiæ basilicas Judæi tempore imperii Juliani incenderint: duas Damasci, quarum una vix reparata est, sed Ecclesiæ non

a. Omnes edit. *ne fiat opus*: at mss. è contrario omittunt *opus*.

b. *Christi sacratum nomine*, Rom. edit. adjicit, *signum*. Sed præterquam quod hanc vocem nulla alia edit. aut mss. agnoscit, labarum propriè signum non erat, id est, è solida materia non erat, sed velum augustale. Hujus instituendi occasionem, non secus ac ejusdem formam abunde describit Eusebius lib. 1. *Vita Const.* cap. 31. ex quo eamdem descriptionem certatim posteriores historici prodiderunt. Cùm autem idem Eusebius ibidem lib. 2. cap. 8. electos à Constantino commemoret ex protectorum numero viros 50. quorum hoc unum erat officium, ut vexillum illud, quod alternatim humeris sustinebant, circumstantes satellitio suo tuerentur: quos Theodosius junior λαβάρῳ, sic enim Græci labarum dicunt, præpositos vocari, & è scholis domesticorum adsumi jubet in una ex legibus Cod. Theod. mirum fortasse videri queat, cur Ambrosius, istis omissis, mentionem absentis comitis hîc instituat. Verum tamen fieri potest, ut Theodosius aut discedens ab Oriente huic comiti vexillum illud reliquerit, aut post victoriam ipsum cum eodem redire voluerit; quemadmodum Stiliconem post mortem [illegible] readii Constantinopolin proficiscentem illud idem vexillum secum tulisse auctor est Sozomenus lib. 9. cap. 4.

c. Pauculi mss. *de manibus Cimbrorum .... de manibus christianorum*. Non satis rectè; sunt enim manubiæ aut pecuniæ ex præda hostili vendita comparatæ, aut præda ipsa. De Cimbris autem à Mario deletis consule Flori lib. 3. cap. 3. & Paterculi lib 2. atque alios.

d. Reg. cod. unus, *disciplina & ratio*: cæteri & edit. inter se conveniunt, nisi quod Rom. pro *movet* posuit *moveat*, minus commode.

*. Sensus est, ut ait Nannius: Non audisti, Imperator, eos qui purgabant arenam, à parietinis & caducam materiam euderabant, ut ibi novum templum jussu Juliani consurgeret, cælesti igne combustos esse. Nam in Theodoreti lib. 3. *Eccles. Hist.* cap. 20. legitur ignem ex fundamentis erupisse & concremasse operarios. Hæc ille: quibus addere potuisset testem hac parte omni exceptione majorem Ammianum lib. 23. cap. 1 & auctorem *Hist. Tripart.* lib 6. cap. 43.

e. Long. cod. *causam curavit*. Ceterum castrum Callinicum in Osdroena orientis provincia situm fuisse Godofredus loco citato auctoritate Ammiani, Zozimi ac Notitiæ imperii tradit.

*. Discimus ex Socrate lib. 5. cap. 17. incensam esse Nectarii domum, idque Theodosio Augusto & Cynegio Coss. accidisse, hoc est, ipso anno, quod huic epistolæ adsignamus. Neque vero nobis officit, quod Ambrosius dudum incensam dicit eamdem domum; perinde enim hoc loco agit, ac si quis quempiam judicio defendens, qui commisso per imprudentiam homicidio, statim pœnam subire cogeretur, eum cum alio qui cædem ante sex menses ex insidiis perpetratam impune tulisset, ita compararet: Sententiam in hunc insontem jam vos tulistis, cùm in scelcratum illum, à quo dudum civis immaniter trucidatus est, nihil dum gravius decreveratis. In quo videtis ab usu communi nihil recedere.

f. Ita mss. edit. autem Amerb. cum LXX. Interpr. scribit *Selo*: Eras. & sequentes cum Vulg. vers. *Silo*. Infra vero pro *fratres vestros* mss. nonnulli habent, *patres vestros*.

*. Consule super his basilicarum incendiis Gregorii Nazian. Orat 19. in Julian. Chrysostomi orat. 4. tom. 1. Cyrillum Alex. & alios.

synagogæ impendiis : altera basilica informibus horret ruinis. Incensæ sunt basilicæ Gazis, Ascalonæ, Beryto, & illis fere locis omnibus, & vindictam nemo quæsivit. Incensa est basilica & Alexandriæ à gentilibus & Judæis, quæ sola præstabat ceteris. Ecclesia non vindicata est, vindicabitur synagoga?

16. Undicabitur etiam Valentinianorum fanum incensum? Quid est enim nisi fanum, in quo est conventus gentilium? Licet gentiles duodecim deos appellent, [a] isti triginta & duos Æonas colant, quos appellant deos. Nam & de ipsis comperi relatum & præceptum, * ut in monachos vindicaretur, qui prohibentibus iter Valentinianis, quo psalmos canentes ex consuetudine usuque veteri pergebant ad celebritatem Machabæorum martyrum, moti insolentia incenderunt fanum eorum in quodam rurali vico tumultuarie conditum.

17. [b] Quanti se offerre habent tali optioni; cùm meminerint tempore Juliani illum, qui aram dejecit, & turbavit sacrificium, damnatum à judice fecisse martyrium? Itaque numquam alias ille judex, qui audivit eum, nisi persecutor habitus est: nemo illum congressu, nemo illum umquam osculo dignum putavit. Qui nisi jam esset defunctus, timerem, Imperator, ne in eum tu vindicares, quamquam vindictam cælestem non evaserit, * suo superstes heredi.

18. Sed refertur cognitionem mandatam judici, scriptumque eo quod non referre debuerit, [c] sed vindicare: requirenda quoque sublata donaria. Omittam alia: incensæ sunt à Judæis Ecclesiarum basilicæ, & nihil redditum est, nihil repetitum, nihil quæsitum. Quid autem habere potuit synagoga in castro ultimo; cùm totum quidquid illic est, non multum sit, nihil pretiosum, nihil copiosum? Quid deinde incendio potuit rapi Judæis insidiantibus? Artes istæ sunt Judæorum volentium calumniari; ut dum ista queruntur, mandetur extra ordinem militaris censura judicii, mittatur miles fortasse dicturus quod hîc aliquando ante tuum, Imperator, dixit adventum: Quomodo poterit nos Christus juvare, qui pro Judæis adversus Christum militamus? [d] qui mittimur ad vindictam Judæorum? Suos perdiderunt exercitus, nostros volunt perdere.

19. In quas præterea non prosiliant calumnias, qui etiam Christo falsis testimoniis calumniati sunt? In quas non prosiliant calumnias homines & circa divina mendaces? Quos non auctores seditionis fuisse dicant? Quos non appetant, etiam quos non recognoscant; ut catenatorum ordines innumeros spectent de christiano populo, ut captiva videant colla plebis fidelis, ut condantur in tenebras Dei servuli, ut feriantur securibus, dentur ignibus, tradantur metallis, ne pœna cito transeat?

20. Hunc dabis triumphum Judæis de Ecclesia Dei? hoc trophæum de Christi populo? hæc gaudia, Imperator, perfidis? hanc celebritatem Synagogæ, hos luctus Ecclesiæ? Referet Judæorum populus hanc solemnitatem in dies festos suos; & inter illos profecto numerabit, quibus aut de Amorrhæis, aut de Chananæis triumphavit, aut de Pharao rege Ægypti, aut de Nabuchodonosor regis Babyloniæ manu liberari potuit. Addet hanc celebritatem, significans se de Christi populo triumphum egisse.

21. Et cùm ipsi romanis legibus teneri se negent, ita ut crimina leges putent; nunc velut romanis legibus se vindicandos putant. Ubi erant istæ leges, cùm incenderent ipsi sacratarum basilicarum culmina? Si Julianus non est ultus Ecclesiam; quia prævaricator erat: tu, Imperator, ulcisceris synagogæ injuriam, quia Christianus es?

22. Et quid tecum posthac Christus loquetur? Non recordaris quid David sancto per Nathan prophetam mandaverit? Ego te de 2. Reg. 7. 8. & seq.
fratribus tuis minorem elegi, & de privato imperatorem feci. Ego de fructu seminis tui in sede imperiali locavi. Ego tibi subjeci nationes barbaras, ego tibi pacem dedi, ego tibi inimicum tuum in potestatem tuam captivum deduxi. Frumentum non habebas ad exercitus alimoniam, ipsorum hostium manu patefeci tibi portas, aperui horrea: dederunt tibi hostes tui commeatus suos, quos sibi paraverant. Ego perturbavi hostis tui consilia, ut se ipse nudaret. Ego ipsum usurpatorem imperii ita vinxi, ac mentem ejus ligavi, ut cùm haberet adhuc fugiendi copiam; tamen cum omnibus suis tamquam metuens, ne quis tibi periret, ipse se clauderet. * Ego comitem ejus atque exercitum ex

a. Rom. edit. *triginta Æonas colant.* Et re vera totidem agnoscunt Irenæus lib. 1. *Advers. Hæreses*, Tertullianus *Advers. Valent.* Epiphanius Hær. 31. Theodoretus, Paulinus in *Vita Ambr.* & Augustinus *de Hæres.* cap. 11. Sed cùm ultimus hic proditum à Valentinianis adserat omnes illos Æonas ex Bytho & Sige generatos, movet consensus mss. & vet. edit. ut utrumque ab Ambrosio aliis 30. annumeratum arbitremur. Certe ipsemet lib. *de Incarn. Dom.* cap. 4. num. 2. ubi eamdem horum hæreticorum insaniam tangit, Æonum numerum non exprimit. Porro per duodecim illos deos, qui superiori versu memorantur, Nannius recte intelligit consentes deos, quod Jovis consiliis interesse crederentur, ita nominatos, ac suo quemque mensi præfectos. Horum nomina efferuntur hoc disticho apud Ennium:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

*. Hic multa occurrunt, quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam: nimirum publicarum supplicationum antiquitas, celebritas monasticæ institutionis, ac denique Machabæorum martyrum prisca veneratio, quam etiam plurimi sermones Patrum Græcorum ac Latinorum in eorumdem natalibus habiti contestantur.

b. Omnes edit. *Quot se offerre* . . . *illum quia aram*: omnes mss. *Quanti se offerre*, sed plures tantum, *illum qui aram*: unus etiam Reg. ante vocem *illum* exhibet nomen *Capitolinum*. Verum tamen si opinio Baronii ad an. 362. nec non Hermanni lib. 5 *Vita Ambr.* cap. 13 admittenda est, quæ certe probabilis admodum nobis videtur, Æmilianus appellabatur hic ipse martyr. Etenim eidem uterque adtribuit, quæ de Emiliani Dorostoritani martyrio Hieronymus in Chronico tradidit, sicut & Theodoretus lib. 3. Hist. cap. 7. ubi judici nomen fuisse Capitolino scribit. Quod vero subdit neminem eidem judici osculum postea non negasse, de iis osculis potissimum intelligimus, quibus jusserunt Apostoli christianos invicem salutare, quæque præsertim in sacrorum celebratione singuli singulis offerebant. Qua de re adisis Baronium ad an. 45. Albaspinæum in Observat. & lib. 2. *de Veteri Politia* cap. 15. & seq. Card. Bonam lib. 2. *de Rebus Liturg.* cap. 16. atque alios.

*. Heres hic, ait Nannius, non qui in jus defuncti successit, sed successurus esse sperabatur; ut intelligas filium ante patrem mortem obiisse.

c. Ita mss. longe plurimi: alii autem nonnulli, & omnes edit. *sed vindicare. Requirenda* . . . . *donaria, ut omittam alia. Incensæ sunt* &c. Innuitur autem ab Ambrosio Ecclesiam illis temporibus numerosa pretiosarum rerum ac vasorum supellectile abundasse.

d. Omnes edit. *Qui mittuntur ad vindictam Judæorum: suos* &c. omnes mss. melius, ut in textu.

*. Intelligo, inquit Nannius, classem navarchi, quem Maximus bello maritimo præfecerat, tempestate disjectam fuisse. Sunt enim qui duas naturæ partes appellent, terram & aquam: aerem & ignem non esse elementa, sed elementata: nata nimirum aliunde, non autem primordia, aut semina rerum naturæ. Ita Nannius. Ceterum hic multa tanguntur historiæ capita, quæ cum narrationibus hi[illegible]oricorum ejusdem ætatis conferre non fuerit supervacaneum. Vide similiter quæ ad Psal. 61. num. 63 observavimus.

altera parte naturæ, quos ante disperseram, ne ad belli societatem coirent, ad supplementum tibi victoriæ congregavi. Ego exercitum tuum ex multis indomitis convenam nationibus, quasi unius gentis fidem & tranquillitatem & concordiam servare præcepi. Ego cùm periculum summum esset ne Alpes infida barbarorum penetrarent consilia, intra ipsum Alpium vallum victoriam tibi contuli, ut sine damno vinceres. Ego ergo te triumphare feci de inimico tuo, & tu de plebe mea das meis inimicis triumphum.

23. Nonne propterea Maximus destitutus est, qui ante ipsos expeditionis dies, cùm audisset Romæ synagogam incensam, edictum Romam miserat, quasi vindex disciplinæ publicæ? Unde populus Christianus ait: Nihil boni huic imminet. Rex iste Judæus factus est: [a] defensorem istum disciplinæ audivimus, quem mox Christus probavit, qui pro peccatoribus mortuus est. (Rom. 5. 6.) Si de sermone hoc dictum est, quid de ultione dicetur? Ille igitur statim à Francis, à Saxonum gente, in Sicilia, [b] Sisciæ, Petavione: ubique denique terrarum victus est. Quid pio commune cum perfido? Abolenda cum impio sunt etiam impietatis exempla. Quod illi nocuit, quo victus offendit; hoc non sequi debet, sed damnare, qui vicit.

24. Itaque illa tibi non quasi ingrato recensui, sed quasi jure collata numeravi; ut his admonitus, [*] cui plus collatum est, plus diligas. Denique hoc respondenti Simoni dixit Dominus Jesus: *Rectè judicasti.* (Luc. 7. 44.) Statimque conversus ad mulierem quæ pedes ejus unguento unxit, typum Ecclesiæ gerens, ait Simoni: *Propter quod dico tibi, remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* (Ibid. 47.) Hæc est mulier quæ in domum Pharisæi intravit, & ejecit Judæum, Christum autem adquisivit. Ecclesia enim Synagogam exclusit: cur iterum tentatur, ut apud Christi famulum, hoc est, de pectore fidei, de domo Christi Synagoga excludat Ecclesiam?

25. Hæc ego, Imperator, amore & studio tui in hunc sermonem contuli. Debeo enim beneficiis tuis, [*] quibus me petente, liberasti plurimos de exsiliis, de carceribus, de ultimæ necis pœnis; ut malle debeam pro salute tua etiam offensionem tui animi non timere (nemo majore fiducia utitur, quàm qui ex affectu diligit: nemo certe debet lædere, qui sibi consulit) ne tot annorum conceptam [c] cujuscumque sacerdotis gratiam uno momento amittam. [d] Et tamen non damnum gratiæ deprecor, sed salutis periculum.

26. Quamquam quantum est, Imperator, ut quærendum aut vindicandum non putes, quod in hunc diem nemo quæsivit, nemo umquam vindicavit? Grave est fidem tuam pro Judæis periclitari. Gedeon cùm occidisset sacratum vitulum, dixerunt gentiles: Dii ipsi injuriam suam vindicent. (Judic. 6, 31.) Quis habet Synagogam vindicare? Christus quem occiderunt, quem negaverunt? An Deus Pater vindicabit eos, qui nec Patrem recipiunt, dum Filium non receperunt? Quis habet Valentinianorum hæresim vindicare: [e] quam pietas tua quomodo vindicat, cùm eos excludi jusserit, nec conveniendi usurpare copiam? Si Josiam tibi objiciam regem Deo probatum, hoc in istis damnabis, quod in illo probatum est. (4. Reg. 23. 2.)

27. Certe si mihi parum fidei defertur, jube adesse quos putaveris episcopos: tractetur, Imperator, quid salva fide agi debeat. Si de causis pecuniariis comites tuos consulis, quanto magis in causa religionis sacerdotes Domini æquum est consulas?

28. Consideret clementia tua quantos insidiatores habeat Ecclesia, quantos exploratores: levem rimam si offenderint, figent aculeum. Secundum homines loquor: ceterum [f] plus hominibus Deus timetur, qui etiam imperatoribus jure præfertur. [g] Si amico aliquis, si parenti aut propinquo deferendum existimat, recte ego & deferendum Deo, & cum præferendum omnibus judicavi. Consule tibi, Imperator, aut patere me consulere mihi.

29. Quid respondebo postea, si compertum fuerit, data hinc auctoritate, aliquos christianorum aut gladio, aut fustibus, aut plumbeis necatos? Quomodo hoc purgabo factum? Quomodo excusabo apud episcopos, qui nunc quia per triginta & innumeros annos [h] presbyteri qui-

a. Tota illa pericope, *defensorem istum .... pro peccatoribus mortuus est*, in uno cod. Reg. desideratur: forte non male.

b. Long. cod. *Scythia*, melius alii, atque edit. *Siscia*, quod nomen male scribitur in edit. *Sicia*: erat enim *Siscia* sedes episcopalis non ignobilis in Pannonia superiore. Infra vero, ubi omnes edit. ac multo plures mss. *& quo victus offendit*: alii aliquot præ se ferunt, *te quoque victus offendit*.

*. Sensus nonnihil obscurus ob verborum trajectionem, quæ ut facilius explicentur, ita ordinanda sunt, *ut plus diligas, cui plus collatum est*.

*. Hoc temporibus relatam de Eugenio victoriam sequutis Hermannus adtribuit, atque multos sancti Antistitis rogatu ab exsilio, & extremo supplicio liberatos esse. Verum præterquam quod ex Orosio & Pacato Theodosium victoria sua clementer usum ipse agnoscit, jam advertimus Ambrosium multa hujusmodi impetrasse à Theodosio. Et certe episcoporum esse, ut pro miseris imperatores conveniant, non semel à nobis observatum est apud Ambrosium, & ex pluribus Augustini epistolis advertas licet.

c. Omnes edit. *cujuscumque sacerdotii*: mss. è contrario prope ad unum *cujuscumque sacerdotis*. Quibus prior lectio magis arriserit, ita intelligant: Ne mihi comparatam sacerdotio meo, quodcumque illud sit, sive dignum sive indignum, gratiam & favorem amittam. Lectionem vero posteriorem possumus interpretari illo sensu: Ne *cujuscumque sacerdotis*, id est, omnium episcoporum gratiam, qua jam à tot annis principum adversus reos indulgentiam obtinere solent, amittam.

d. Colb. cod. *Et tamen damnum gratiæ deprecor. Sed salutis periculum quantum est, Imperator, ut quærendum aut vindicandum* &c. Infra vero pro *fidem tuam*, idem ms. habet, *fidem nostram*.

e. Reg. cod. unus, *quamquam præ ceteris ipse tua quos modo vindicas, cum eos excludi jusseris*: reliqui mss. & omnes edit. ut in textu, nisi quod pro *quomodo*, quidam cod. legunt, *quo quo modo*. Ceterum exstant plures leges in Cod. tit. *de Heret.* quibus omnium hæreticorum conventicula prohibita sunt, licet illic Valentiniani speciatim non nominantur.

f. Mss. non pauci, *Ceterum plus omnibus* &c.

g. Mss. aliquot, *Si amico suo aliqui, si parenti aut propinquo; deferendum Deo & cum* &c.

h. Non pauci mss. *presbyterii quidam* &c. Curiæ porro officium clericis maxime onerosum erat, quandoquidem ad illud tributorum, ac publicorum ædificiorum cura pertinebat. Onerosius tamen adhuc fuisset, si spectacula profana curare clericos oportuisset, ut Innocentius I. decretali sua ad *Victric. Rothom.* cap. 13. edit. Quesn. item epist. 4. *ad Nucer.* cap. 1. & epist. 23. *ad episc. Synodi Tolet.* videtur significare. Probabilius tamen est intelligendum esse eumdem pontificem de laicis curialibus, quos vetat in clericalem gradum adoptari. Saltem dubitare non licet clericos profanis illis ministeriis neutiquam fuisse obnoxios, dum hæc scriberet Ambrosius noster: nam alioqui numquam tam leviter rem adeo indignam prætermisisset. Quod ad alia curiarum munera, eorum immunes clericos esse voluerat Constantinus Magnus lege 1. *de episcop.* Verum non modo Julianus apostata omnes clericorum immunitates rescinderat, ut Sozomenus lib. 5. cap. 5. sed & alii quoque imperatores easdem partim revocaverant, partim variis appositis conditionibus restrinxerant, ut discere est ex variis legibus Cod. Theod. Vide pariter supra epist. 18. num. 13. & 14.

dam gradu functi, vel ministri Ecclesiæ retrahuntur à munere sacro, & curiæ deputantur, A graviter gemunt? [a] Nam si qui vobis militant, certo militiæ tempore servantur; quanto magis etiam eos considerare debetis, qui Deo militant? Quomodo, inquam, hoc excusabo apud episcopos, qui queruntur de clericis, & impressione gravi vastari scribunt Ecclesias?

30. Hoc tamen in notitiam clementiæ tuæ pervenire volui; de hoc, ut placet, arbitrio tuo consulere & temperare dignaberis: illud autem B quod me angit, & jure angit, exclude atque ejice. Ipse facis, quidquid fieri jussisti: aut si ille facturus non est, malo te magis esse clementem, quam illum non fecisse, [b] quod jussus est.

31. Habes in quibus Domini adhuc debes circa imperium Romanum invitare & emereri clementiam, * habes quibus amplius, quam tibi speres: illorum gratia, illorum salus te in hoc sermone [c] conveniat. Timeo ne causam tuam alieno committas judicio. Integra adhuc C tibi sunt omnia. In hoc me ego Deo nostro pro te obligo, * nec verearis sacramentum. Numquid Deo displicere poterit quod pro ejus emendatur honorificentia? Nihil mutaveris certe in illa epistola, sive missa, sive nondum missa est: dictari jube aliam, quæ plena fidei, plena pietatis sit. Tibi integrum est emendare, mihi non est integrum dissimulare.

32. * Antiochenis tuam donasti injuriam, inimici tui [d] filias revocasti, nutriendas apud affi- D nem dedisti, matri hostis tui misisti de ærario tuo sumtus. Hæc tanta pietas, tanta erga Deum fides hoc facto obfuscabitur. Tu igitur qui armatis pepercisti hostibus, & servasti inimicos tuos; ne, quæso, tanto studio putes vindicandum in christianos.

33. Nunc te, Imperator, rogo, ut non adspernanter acceperis me & pro te & pro me timentem; sancti enim vox est: *Ut quid factus sum videre contritionem populi mei*, ut offensam E incurram Dei? Ego certe quod honorificentius fieri potuit, feci; ut me magis audires in regia, ne si necesse esset, audires in Ecclesia.

1. Mach. 2. 7.

*EPISTOLA XLII.

* Scripta an. 388.

Sororem ut de iis quæ synagogæ ac fani supra dictorum causâ evenerant, certiorem faciat, refert quemadmodum loco Hieremiæ de sacerdotum verbis, explicato, Evangelicam lectionem enarraverit, ostenderit illic Domini misericordiam commendari, cujus idem à nobis exigit imitationem: ac docuerit qua ratione evangelicam peccatricem Dominicos pedes lavando, tergendo, ungendo atque osculando referamus; alioqui nos propheticæ reprehensioni, fore obnoxios: denique quo modo sermone converso ad Theodosium, tandem ut revocaret edictum, obtinuerit.

[e] FRATER SORORI.

1. SOllicitam sanctitatem tuam esse adhuc scribere dignata es mihi, eo quod sollicitum me esse scripserim; unde miror quod litteras non acceperis meas, quibus refusam mihi scripseram securitatem. Nam cùm [f] relatum esset synagogam Judæorum incensam à christianis, auctore episcopo, & Valentinianorum conventiculum; jussum erat, me Aquileiæ posito, ut synagoga ab episcopo reædificaretur, & in monachos vindicaretur, qui incendissent ædificium Valentinianorum. Tum ego, cùm sæpius agendo parum proficerem, epistolam dedi imperatori, quam simul misi; & ubi processit ad Ecclesiam, hunc sermonem habui.

2. In libro prophetico scriptum est: *Sume tibi baculum nucinum;* & qua ratione hoc dixerit Dominus prophetæ, debemus considerare: non otiose etenim scriptum est; quandoquidem & [g] in Pentateucho legimus quod virga nucina Aaron sacerdotis, cùm diu reposita fuisset, effloruit. Nam videtur per virgam significare quod directa esse debeat prophetia vel sacerdotalis auctoritas; ut non tam delectabilia, quam utilia persuadeat. Hier. 1. Num. 17. 8.

3. Ideoque nucinum baculum sumere jubetur propheta, quia memoratæ pomum arboris amarum in cortice, durum in testa, intus est fructuosum; ut ad ejus similitudinem propheta quoque amara & dura prætendat, & denuntiare tristia non reformidet. Similiter etiam sacerdos, quia præceptio ejus etsi ad tempus aliquibus amara videatur, & tamquam virga Aaron reposita diu in auribus dissimulantium; tamen aliquando cùm æstimatur aruisse, floreſcit.

4. Unde & Apostolus ait: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate, spirituque mansuetudinis?* Prius enim virgam dixit, & tam. 1. Cor. 4. 21.

a. Reg. codex, *Nam si quis vobis militat, certo se militia tempore tuetur... considerari oportet*: reliqui, & edit. satis conveniunt, nisi quod in his habetur: *Nam cùm si quis* &c. Fornerius parte 3. Select. 7. pro *serventur*, ut erat in edit. sive *servantur*, ut legunt plerique mss. emendandum putat, *ferientur*, haud incongrue. Ceterum hoc loco Ambrosius indicat leg. 88. *de Decurion.* & legem 100. ejusdem tituli, quibus post quinquennium armatæ militiæ, aut 30. annos palatinæ dignitatis immunitas ab hisce muneribus conceditur. Adi Smibter leg. 12. *de Privil. eor. qui in sacr.* &c. qua ipsemet Theodosius palatinæ militiæ tempus ad 20. annos redegit.

b. Codex Reg. *quod tu jusseris.*

*. Intellige Theodosii liberos hic designari.

c. Omnes edit. ac plerique mss *conveniat meo, ne causam*: colb. unus, *conveniat. Moneo ne causam*: Reg. ut nos in textu.

*. Scilicet *sacramentum custodire* interdum contra officium est, quemadmodum tradit ipsemet sanctus Doctor lib. 1. *de Offic.* cap. 50. num. 264.

*. Antiochiæ per seditionem eversas esse Flaccillæ imperatricis atque etiam Theodosii statuas Zozimus, Sozomenus aliique scriptores litteris commendarunt. Hujus porro facinoris occasione cùm maximo in metu essent Antiochenses, ad eos consolandos pulcherrimas orationes *de Statuis* habuit Chrysostomus adhuc presbyter. Sed converso tandem ad mitiora consilia Theodosio, idem Chrysost. Orat. 20. *ad Antioch.* egregie ipsius clementiam commendavit.

d. Mss. Belv. Thuan. & Carol. *filios revocasti nutriendos* &c. Quæ quidem lectio si vera esset, eo laude dignior haberetur Theodosius, qui contra propriam securitatem masculis hostis sui liberis pepercisset. Verum tamen præter Victorem, quem ab Andragathio interemtum narrat Zozimus, virilem prolem Maximo fuisse non reperimus.

e. Rom. edit. in qua primum vulgata fuit hæc epistola, eam inscribit *Ambrosius episcopus Marcellinæ sorori*: cod. Reg. in quo solo eamdem licuit reperire, simplicius præfigit, *Frater sorori.* Ceterum hanc ipsam epistolam tam distincte tamque expresse signat Paulinus, ut dubitare, quin vere Ambrosiana sit, nulli possimus.

f. Reg. cod. omissis vocibus, *imperatori & in partibus orientis* pro *Valentinianorum lucum* habet *Vallent. conventiculum.*

g. Rom. edit. *in heptateucho*, qua voce in Psal. quoque 118. Serm. 21. num. 12. usus est Ambrosius, ubi vim ejusdem vocabuli explicuimus. Pentateuchus vero v. librorum Moysis complexio est.

quam virgâ nucinâ percussit errantes, ut postea A consolaretur eos spiritu mansuetudinis. [1. Cor. 4. 21.] Itaque quem virga sacramentis abdicavit cælestibus, eumdem mansuetudo restituit. Discipulo quoque talia præscripta dedit, dicens: [2. Tim 4. 2.] *Argue, obsecra, increpa.* Duo dura, unum mite: sed ideo dura, ut etiam ipsa molliret; quia sicut ægris redundanti felle corporibus ciborum aut potus amaritudo dulcescit, & contra epularum suavitas amaritudini est: ita ubi animus est saucius, [a] voluptariæ fotu adulationis ægrescit, & rursum B correctionis temperatur amaritudine.

5. Hæc de prophetica lectione libata sint: Evangelii quoque lectio quid habeat consideremus: [Luc. 7. 36. & seq.] *Rogavit quidam pharisæus dominum Jesum, ut manducaret cum illo: & ingressus domum pharisæi, discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo pharisæi, adtulit alabastrum unguenti: & stans retro secus pedes ejus,* [b] *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Et reliqua recitavit usque ad locum: C *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Quam simplex, subjunxi, in verbis, quam profunda in consiliis Evangelii lectio! [Esai 9. 6.] Itaque quia magni consiliarii sermo est, altitudinem ejus consideremus.

6. Dominus noster Jesus Christus judicavit magis homines beneficiis alligari posse, & provocari ad ea [c] quæ sunt recta facienda, quam metu: plusque caritatem proficere, quàm formidinem ad correctionem. Itaque præmisit gra- D tiam, veniens per Virginis partum; ut in baptismo peccata donaret, quo sibi faceret gratiores. Deinde si competentia [d] gratis viris officia reponeremus, ipsius gratiæ remunerationem futuram omnium in hac muliere declaravit. Nam si tantummodo prima debita nobis remisisset, videretur cautior, quam indulgentior; correctionisque [e] providentior quam remunerationis magnificentior. Angusti animi sola astutia est, ut illiciat: Deo autem convenit, ut quos E invitaverit per gratiam, eosdem gratiæ ipsius incrementis provehat. Ideoque nobis & ante donat per baptismum, & post bene servientibus uberiora largitur. Ita ergo Christi beneficia & incentiva virtutis & præmia sunt.

7. [f] [Luc. 7. 41.] Sed nemo vocabulum fœneratoris horrescat. Fuimus ante sub fœneratore duro, qui F nisi morte debitoris expleri ac satiari nequiret. Venit dominus Jesus, vidit [g] gravi nos obligatos fœnore. Nemo fœnus suum patrimonio innocentiæ suæ poterat exsolvere: de meo, unde me liberarem, habere non poteram, novum genus absolutionis mihi detulit; ut creditorem mutarem, quia fœnus unde solverem, non habebam. Debitores autem nos non natura, sed culpa fecerat; peccatis enim nostris æra gravia contraximus, ut essemus obnoxii, qui eramus liberi; debitor enim est, qui aliquid accepit de fœneratoris pecunia. Peccatum vero à diabolo est: tamquam in ejus patrimonio has habet impius opes; SICUT ENIM Christi divitiæ virtutes sunt, ita diaboli opes crimina sunt. Redegerat humanum genus in perpetuam captivitatem [h] obnoxiæ hereditatis gravi fœnore, quod obæratus auctor ad posteros de fœnerata successione transmiserat. Venit dominus Jesus, mortem suam pro morte omnium obtulit, sanguinem suum pro sanguine fudit universorum.

8. Mutavimus ergo creditorem, non evasimus; immo evasimus, manet enim debitum, fœnus intercidit, dicente domino Jesu [Esai. 49. 9.] *qui in vinculis sunt: Exite; & his qui in carcere sunt: Procedite;* dimissa sunt ergo peccata vestra. Omnibus igitur dimisit, nec quisquam est, cui non relaxarit. Sic enim scriptum est, quia donavit [Coloss. 2. 13. & 14.] *omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti.* Cur nos aliorum tenemus chirographa, & volumus exigere aliena, qui nostrorum utimur indulgentia? Qui donavit omnibus, ab omnibus exigit; ut quod unusquisque sibi dimissum meminit, alii ipse dimittat.

9. Vide ne graviorem causam incipias habere fœnerator, quam debitor: sicut ille in Evangelio, cui dominus suus dimisit [i] omne debitum, [Matth. 18. 27. & seq.] ille postea à conservo suo cœpit exigere, quod ipse non solverat; unde iratus dominus ejus de ipso summis exegit injuriis, quod ei ante donaverat. Caveamus ergo ne nobis hoc accidat, ut non remittendo, quæ nobis debentur, incipiamus & illa solvere quæ remissa sunt nobis; ita enim scriptum est, dicente domino Jesu: [Ibidem 35.] *Sic & vobis faciet Pater meus, qui in cælis est, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Dimittamus ergo pauca, quibus plura donata sunt: & intelligamus eo nos Deo acceptiores fore, quo etiam plura donamus; quia hóc gratiores Deo sumus, quo nobis plura dimissa sunt.

10. Denique interrogatus à Domino pharisæus: *Quis,* inquit, *eum plus diligit?* Respondit: [Luc. 7. 42. & 43.] *Æstimo quia is cui plus donavit.* Cui Dominus dixit: *Recte judicasti.* Laudatur pharisæi judicium, sed arguitur affectus. De aliis bene judicat: sed quod de aliis opinatur, ipse non credit. Audis laudantem Judæum Ecclesiæ disciplinam, ejusque veram gratiam prædicantem, honorantem sacerdotes Ecclesiæ, [k] hortaris ut credat, renuit; ita quod in nobis laudat, ipse non sequitur. Non ergo plena ejus laudatio est, quia audivit à Christo: *Recte judicasti;* nam & Cain recte obtulit, sed non recte divisit; ideoque dixit illi Deus: [Gen. 4. 7.] *Si recte offeras, non recte autem dividas; peccasti, quiesce.* Ergo & hic recte

a. Reg. mss. *voluntaria .... correptionis.*

b. Reg. codex *lacrymis rigabat pedes ejus;* post quæ omissis, *& reliqua recitavit usque ad locum,* totam evangelici textus seriem ad finem usque capitis prosequitur. Et hac decussa subdit, *Quam simplex in verbis* &c.

c. Idem codex, *quæ sunt recta, quam metu; plusque caritate proficere, quam formidine* &c.

d. Ibidem, *gratiarum in nos officia despenderemus,* forte rependeremus

e. Ita codex manu exaratus: at Rom. edit. hæc tantum habet, *providentior. Angusti namque animi est, ut illiciat, non autem promoveat. Ideoque* &c.

f. Præmittit edit. Rom *Erant duo debitores cuidam fœneratori,* quod in codice Reg. prætermittitur.

g. Regius codex, *gravi obligatos ære funereo,* forte melius legas, *fœnereo.*

h. Rom. edit *obnoxia hereditas;* non satis recte: at rursus quod legit *obæratus,* ubi scriptus codex præfert, *operatus,* anteponenda est.

i. Eadem edit. *omne debitum. Nam quia ille ... non solverat, iratus dominus ejus de ipso exegit, quod* &c Sed non erat cur jugulaterur *summis injuriis;* nam jam non semel annotavimus per injurias Ambrosium tormenta & cruciatos significare.

k. Reg. codex, *hortaris ut credat, & quod in nobis* &c.

obtulit

obtulit, quia judicat Chriſtum à chriſtianis amplius diligendum; quia multa nobis peccata donavit: ſed non rectè diviſit, quia putavit quod peccata hominum poſſet ignorare, qui hominibus peccata dimitteret.

Luc. 7. 44. 11. Ideoque ait Simoni: *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis ſuis rigavit pedes meos.* 1 Cor. 12. 12. Omnes unum corpus Chriſti ſumus, cui caput Deus, membra autem nos ſumus: alii fortaſſe oculi, ut prophetæ: dentes, ut apoſtoli, qui Evangelicæ prædicationis cibum noſtris infundere pectoribus; meritoque ſcriptum eſt: Gen. 49. 12. *Oculi ejus hilares à vino, & dentes candidiores lacte.* Sunt & manus ejus illi, qui videntur exſecutores bonorum operum. Sunt & venter ejus, qui vires alimoniæ pauperibus largiuntur. Sunt ergo & pedes ejus aliqui: atque utinam merear ejus eſſe calcaneum! Aquam igitur mittit in pedes Chriſti, qui etiam ultimis quibuſque peccata concedit; & dum plebeios liberat, Chriſti tamen lavat veſtigium.

12. Mittit & ille aquam in pedes Chriſti, qui à peccatorum colluvione mundat conſcientiam ſuam; ambulat enim Chriſtus in pectoribus ſingulorum. Cave igitur ne pollutam habeas conſcientiam, & pedes Chriſti incipias inquinare. Cave ne ſpinam in te improbitatis offendat, qua ejus in te deambulantis calcaneum ſaucietur. Luc. 7. 44. Nam ideo aquam pedibus Chriſti non dedit phariſæus, quia mundum à colluvione perfidiæ animum non habebat. Unde enim ſuam mundaret conſcientiam, qui aquam non ſuſceperat Chriſti? Eccleſia autem & aquam habet, & lacrymas habet: aquam baptiſmatis, lacrymas pœnitentiæ. Fides namque, quæ ſuperiora peccata deplorat, nova cavere conſuevit. Ergo Simon phariſæus, qui aquam non habebat, utique & lacrymas non habebat. Quomodo enim haberet lacrymas, qui pœnitentiam non gerebat; quoniam vero non credebat in Chriſtum, nec habebat lacrymas? Nam ſi habuiſſet, laviſſet oculos ſuos; ut Chriſtum videret, quem adhuc, cùm ſimul accumberet, non videbat. Nam ſi vidiſſet, non utique de ejus poteſtate dubitaſſet.

13. Non habebat capillos phariſæus, qui Nazaræum ſcire non poterat: habebat Eccleſia, quæ Nazaræum quærebat. Capilli veluti in ſuperfluis corporis æſtimantur; iidem tamen ſi ungantur, bonum reddunt odorem, & ornamento ſunt capiti: ſi non ungantur oleo, ingravant; ita & divitiæ oneri ſunt, ſi his uti neſcias, ſi non adſpergas iis Chriſti odorem. Si vero alas pauperes, laves eorum vulnera, illuviemque detergas, terſiſti utique pedes Chriſti.

Ibidem 45. 14. *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravi, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Oſculum utique inſigne eſt caritatis. Unde ergo Judæo oſculum, qui pacem non recognovit, Johan. 14. 27. qui pacem à Chriſto non accepit dicente: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis?* Non habet Synagoga oſculum, habet Eccleſia, quæ exſpectavit, quæ dilexit, quæ dixit: Cant. 1. 1. *Oſculetur me ab oſculis oris ſui;* diuturnæ enim cupiditatis ardorem, quem adventus Dominici exſpectatione adoleverat, oſculo ejus volebat ſtillanter exſtinguere, hoc explere ſitim ſuam munere. Ideoque [a] ſanctus Propheta ait: Pſal. 50. 17. *Os meum aperies, & annunciabit laudem tuam.* Qui ergo laudat dominum Jeſum, oſculatur eum: qui laudat, credit utique. Denique ipſe David ait: Pſal. 115. 10. *Credidi, propter quod loquutus ſum;* & ſupra: Pſal. 70. 8. *Repleatur os meum laude tua, & cantem gloriam tuam.*

15. De ſpecialis quoque gratiæ infuſione eadem te Scriptura docet, quod oſculetur Chriſtum, qui accipit Spiritum, dicente Propheta ſancto: Pſ. 118. 131. *Os meum aperui, & adtraxi Spiritum.* Oſculatur ergo Chriſtum, qui confitetur illum: Rom. 10. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Oſculatur vero pedes Chriſti, qui Evangelium legens, domini Jeſu geſta cognoſcit, & pio miratur affectu; ideoque religioſo oſculo velut quædam deambulantis Domini lambit veſtigia. [b] Oſculamur ergo Chriſtum communionis oſculo: *Qui legit, intelligat.* Matth. 24. 15.

16. Unde hoc Judæo oſculum? Qui enim non credidit in adventum ejus, nec in paſſionem credidit. Quomodo enim credit paſſum, quem veniſſe non credidit? Non ergo habebat oſculum phariſæus, niſi forte Judæ proditoris. Sed nec Judas habebat, ideoque cùm Judæis promiſſum oſculum, tamquam ſignum proditionis vellet oſtendere, dicit ei Dominus: Luc. 22. 48. *Juda, oſculo Filium hominis tradis:* hoc eſt, oſculum offers, qui non habes oſculi caritatem: oſculum offers, qui neſcis oſculi ſacramentum. Oſculum non labiorum quæritur, ſed cordis & mentis.

17. Sed dicis: Oſculatus eſt Dominum. Verùm oſculatus eſt labiis. Hoc habet oſculum populus Judæorum, ideoque dictum eſt: Matth. 15. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Ergo non habet oſculum, qui fidem & caritatem non habet; oſculo enim [c] vis amoris imprimitur. Ubi non eſt amor, non eſt fides, non eſt dilectio; quæ poteſt eſſe ſuavitas oſculorum?

18. Eccleſia autem non ceſſat oſculari pedes Chriſti; & ideo non unum, ſed multa in Canticis canticorum exigit oſcula, quæ velut ſancta Cant. 1. 1. Maria ad omnes ejus eſt intenta ſermones, Luc. 2. 51. omnia ejus verba excipit; cùm legitur Evangelium, vel propheta, & omnia ejus dicta conſervat in corde ſuo. Sola ergo Eccleſia habet oſcula quaſi ſponſa; oſculum enim quaſi pignus eſt nuptiarum, & prærogativa conjugii. Unde Judæo oſcula, qui non credit in Sponſum? Unde Judæo oſcula, qui Sponſum adhuc veniſſe non novit?

19. Nec ſolum oſcula non habet, ſed nec Ibid. 7. 46. oleum habet, quo ungat pedes Chriſti; nam ſi haberet oleum, cervicem utique ſuam ante molliret. Denique Moyſes dicit: Exod. 34. 9. *Populus hic duræ cervice eſt;* & Dominus ait quod levita & Luc. 10. 31. & 32. ſacerdos præterierunt, nec quiſquam eorum

a. Regius codex, *ſanctus ait: Os meum aperui, & annunciavi.*

b. Idem codex *Oſculemur Chriſtum* &c. ubi obſervabimus veſtigium religioſi illius ſilentii, quo Euchariſtiæ myſterium à priſcis Patribus, quoties coram non initiatis verba faciebant, occultabatur.

c. Rom. edit. *vis amoris exprimitur:* aptius codex manu exaratus . . . *imprimitur*, hoc eſt, non extrinſecus tantum oſtenditur, ſed etiam tranſmittitur, ac transfunditur.

oleum aut vinum illius à latronibus percussi vulneribus infudit: non enim habebant quod infunderent; nam si habuissent oleum, suis quoque vulneribus infudissent. Sed clamat Esaias: *Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturam.* Esai. 1. 6.

20. Ecclesia autem habet oleum, quo suorum vulnera fovet; ne duritia vulneris alte serpat: habet oleum, quod [a] accepit absconse. Hoc oleo Aser pedem suum lavit, sicut scriptum est: *Benedictus filius Aser; & erit acceptus fratribus suis, & intinget in oleo pedem suum.* (Deut. 33. 24.) Hoc ergo oleo ungit Ecclesia cervices suorum, ut suscipiant jugum Christi: hoc oleo unxit martyres, ut sæcularem ab eis pulverem detergeret: hoc oleo confessores unxit; ne labori cederent, ne succumberent fatigati, ne æstu mundi istius vincerentur: ideo unxit eos, [b] ut spiritali ipsos oleo refrigeraret.

21. Synagoga hoc oleum non habet, quæ olivam non habet, quæ non intellexit illam columbam, quæ ramum oleæ detulit post diluvium. (Gen. 8. 11.) Illa enim columba postea descendit, cùm Christus baptizaretur, & mansit super eum, sicut in Evangelio testatur Johannes dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem de cælo quasi columbam, & mansit super eum.* (Johan. 1. 32.) Quomodo ergo vidit columbam, qui non vidit eum, super quem Spiritus quasi columba descendit?

22. Ecclesia igitur & lavat pedes Christi, & capillis suis tergit, [c] & oleo ungit, & perfundit unguento; quia non solum saucios curat, & lassos fovet; verùm etiam suavi gratiæ odore respergit: nec divitibus tantum ac potentioribus, sed etiam plebeiæ familiæ viris eamdem transfundit gratiam, æqua omnes lance examinat, omnes eodem sinu suscipit, eodem gremio fovet.

23. Semel mortuus Christus est, semel sepultus est: & nihilominus quotidie vult in pedes suos mitti unguentum. In quos ergo Christi pedes mittimus unguentum? Pedes Christi illi sunt, de quibus ipse dicit: *Quod uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.* (Matth. 25. 40.) Hos pedes illa mulier Evangelica refrigerat, hos lacrymis suis irrigat (Luc. 7. 38.); quando infimis peccatum remittitur, culpa lavatur, donatur indulgentia. Hos pedes osculatur ille, qui etiam infimos plebis sacræ diligit. Hos pedes unguento ungit ille, qui etiam tenuioribus mansuetudinis suæ gratiam impertit. In his se martyres, in his apostoli, in his ipse dominus Jesus honorari indicat.

24. Vides quàm moralis Dominus sit, ut exemplo sui te ad pietatem provocet: moralis est etiam, cùm arguit. Denique accusans Judæos ait: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo servitutis liberavi te?* (Mich. 6. 3. & 4.) Et addidit: *Et misi ante faciem tuam Moysen & Aaron & Mariam?* (Num. 23. 2. & seq.) In mente habeto quid cogitaverit in te Balac, hoc est, ille magicæ artis opem quærens: sed tamen eum tibi non permisi nocere. Deprimebaris utique in peregrinis exsulans terris, gravibus [d] urgebaris oneribus: misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam, & primùm ille, qui spoliaverat exsulem, spoliatus ipse est. (Exod. 14. 29.) Tu, qui amiseras tua, adquisisti aliena, liberatus ab hostibus circumvallantibus, atque inter aquas medias tutus stragem vidisti inimicorum tuorum; cùm eadem unda, quæ te circumfusa provexerat, hostem refusa demergeret. Nonne cùm tibi per desertum venienti alimenta deessent, altricem tibi pluviam, & commeatus, quocumque pergeres, circumfluos ministravi? (Exod. 16. 4. & seq.) Nonne te, debellatis inimicis omnibus, in regionem Botryonis induxi? (Num. 13. 24.) Nonne ipsum Sehon Amorrhæorum regem, hoc est, superbum, exasperantium [e] ducem: (Num. 21. 24.) nonne regem Hai viventem tibi tradidi, quem suffixum ligno ac sublatum in cruce maledicto vetere condemnasti? (Josue 8. 23. & seq.) Quid dicam cæsa quinque regum agmina, quæ debitas tibi terras negare contendebant? (Josue 10. 16.) Et nunc pro his omnibus quid aliud à te quæritur, homo, nisi ut facias judicium & justitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum domino Deo tuo? (Mich. 6. 8.)

25. Ad ipsum regem David, illum pium atque mansuetum, qualis per Nathan prophetam expostulatio? (2. Reg. 12. 7. & seq.) Ego, inquit, te minorem elegi de fratribus tuis: ego te mansuetudinis replevi spiritu: ego te per Samuelem, in quo ego eram, & meum nomen, unxi in regem. [f] Ego te, sublato illo rege superiore, quem malus spiritus exagitabat, ut persequeretur sacerdotes Domini, de exsule feci triumphatorem. Ego de semine tuo in throno tuo non prius heredem quam consortem locavi. Ego tibi feci etiam alienigenas subditos, ut tibi serviant, qui te impugnabant: & tu servientes mihi in potestatem deduces inimicorum meorum: & tu auferes quod erat servuli mei, in quo & tibi peccatum inuritur, & habebunt de quo mei adversarii glorientur?

26. Ergo Imperator, ut jam non solum de te, sed etiam ad te verba convertam; quoniam advertis quam graviter Dominus convenire soleat, quo gloriosior factus es, eo amplius auctori tuo deferendum noveris. Scriptum est enim: Cùm te induxerit dominus Deus tuus in terram alienam, & manducaveris fructus alienos, non dicas: Virtus mea & justitia mea hoc mihi dedit; sed dominus donavit Deus, sed Christus misericordia sua contulit: (Deut. 9. 4.) & ideo corpus ejus, hoc est, Ecclesiam diligendo, aquam da pedibus ejus, osculare pedes ejus; (Johan. 13. 5.) ut non solùm absolvas eos, qui in peccatis deprehensi sunt, verum etiam pace tua dones concordiæ, & quieti relaxes. Mitte unguentum in pedes ejus, ut tota domus in qua Christus recumbit, tuo repleatur unguento, omnes recumbentes cum eo gaudeant tuis [g] odoribus, hoc est, sic honora ultimos, ut eorum absolutione gaudeant Angeli, sicut super uno peccatore pœnitentiam agente; (Luc. 15. 10.) lætentur apostoli, delectentur prophetæ. Non enim possunt dicere oculi manui: *Operam tuam non desideramus; aut caput pedibus:* (1. Cor. 12. 21.)

a. Post verbum *accepit* Rom. edit. adverbium; *absconse* non agnoscit.

b. Regius codex, *ut his spiritale oleum refrigeraret.*

c. Rom. edit. *& ideo ungit.*

d. Codex manu exaratus, *urgebaris fraudibus.*

e Idem codex, *ducem viventem tibi extuli, quem suffixum* &c.

f. Reg. codex, *Ego & sublato illo tuarum partium rege superiore.*

g. Idem Reg. cod. *odoribus, sic est qui honorat ultimos.*

Non estis mihi necessarii. Ergo quia omnes necessarii sunt, tuere omne corpus domini Jesu; ut ipse quoque regnum tuum cælesti sua dignatione custodiat.

27.[a] Ubi descendi, ait mihi: De nobis proposuisti. Respondi: Hoc tractavi, quod ad utilitatem tuam pertineret. Tunc ait: Re vera de synagoga reparanda ab episcopo durius statueram, sed emendatum est. Monachi multa scelera faciunt. Tunc Tymasius magister equitum & peditum cœpit adversum monachos esse vehementior. Respondi ei: Ego cùm imperatore ago, ut oportet; quia novi quod habeat Domini timorem: tecum autem aliter agendum, qui tam dura loqueris.

28. Deinde cùm aliquamdiu starem, dico imperatori: Fac me securum pro te offerre, absolve animum meum. [b] Cùm assideret, annueretque, non tamen aperte polliceretur, atque ego starem, dixit se emendaturum rescriptum. Statim dicere cœpi, ut omnem cognitionem tolleret; [c] ne occasione cognitionis comes aliquâ christianos attereret injuriâ. Promisit futurum. Aio illi: Ago fide tua; & repetivi: Ago fide tua. [d] Age, inquit, fide mea. Et ita ad altare accessi, non aliter accessurus, nisi mihi plene promisisset. Et vere tanta oblationis fuit gratia, ut sentirem etiam ipse eam Deo nostro [e] commendatiorem fuisse gratiam, & divinam præsentiam non defuisse. Omnia itaque ex sententia gesta sunt.

EPISTOLA SYRICII PAPÆ ad Mediolanensem Ecclesiam.

* Scripta circiter an. 389 vel certe 390.

Mediolanenses docet diaboli factum invidia, ut novæ hæreses irreperent in Ecclesiam. Quam perniciosæ illæ sint, prodit; & in conventu ecclesiastico eorum auctores, quorum singillatim nomina recensentur, damnatos refert.

SYRICIUS [f] Mediolanensi Ecclesiæ.

1. *Optarem semper, fratres carissimi, dilectionis & pacis vestræ sinceritati gaudia nuntiare, ita ut vicissim discurrentibus litteris* [g] *sospitatis vestræ juvaremur judicio. At* [h] *vero quia* A *non patitur quiete nos vacare ab incursione sua hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit, pudicitiæ adversarius, luxuriæ magister, crudelitatibus pascitur,* [i] *abstinentia punitur, odit jejunia, ministris suis prædicantibus,* [k] *dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententiâ repercussus dicentis:* Manducemus & bibamus; cras enim moriemur. 1. Cor. 15. 32.

2. *O infelix audacia! ô desperatæ mentis astutia!* B *Tam incognitus sermo hæreticorum intra Ecclesiam canceri more serpebat, ut occupans pectus, totum hominem præcipitaret in mortem: & nisi Dominus Sabaoth laqueum, quem paraverant, dirupisset, scena tanti mali, & hypocrisis publicata multorum simplicium corda traxisset in ruinam; quia facile ad deteriorem partem mens humana traducitur,* [l] *malens per spatiosa volare, quam per arctæ viæ iter cum labore transire.*

3. *Qua de re necessarium satis fuit, dilectissimi,* C *quæ hic gesta sunt, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare; ne ignorantia sacerdotis cujuspiam pessimorum hominum Ecclesiam irrumpentium sub religioso nomine contagio violaret, sicut scriptum est, Domino dicente:* Multi veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Matth. 7. 15. & 16. [m] *Hi sunt videlicet, qui sub vestium vilitate christianos se se jactant; ut sub velamento pii nominis gradientes, domum orationis ingressi, sermonem serpentinæ disputationis effundant:* D ut sagittent in obscuro rectos corde, Psal. 10. 3. *atque* [n] *à veritate catholica avertendo, ad suæ doctrinæ rabiem diabolico more traducant, atque ovium simplicitatem defraudent.*

4. *Et quidem multarum hæresum malignitatem* [o] *ab apostolis nunc usque didicimus, & experti probavimus: sed numquam* [p] *tales canes Ecclesiæ mysterium latratibus fatigaverunt, quales isti nunc subito irrumpentes, doctrinâ perfidiæ pullulatâ, hostes fidei, qui cujus sint discipuli, verborum* E *fructibus prodiderunt. Namque cùm alii hæretici singula sibi genera quæstionum male intelligendo proposuerint convellere atque concerpere de divinis institutionibus: isti non habentes vestem nuptialem, sauciant catholicos, novi ac veteris Testamenti, ut dixi, continentiam pervertentes,* [q] *&*

a. Quidquid ab hoc numero ad sequentem usque comprehenditur, ex ms. reg. restituitur. Et certe præter argumenti seriem, similitudinemque dictionis, etiam quæ Paulinus de sancti Præsulis cum imperatore ac ejus purpuratis colloquio memorat, hæc Ambrosiana esse persuadent.

b. Regius cod. *Cùm assideret, non tamen aperte .... dixit se emendaturum. Stare cœpi.* Lege, *Instare cœpi.*

c. Rom. edit. *ne hujus occasione cognitionis comites aliqua christianos injuria afficerent. Promisit facturum.* Magis arridet lectio ms. quam & sequimur.

d. Reg. cod. *Age, inquit. Ita ad altare* &c.

e. Idem ms. *commendatiorem fuisse, & divinam* &c.

f. In codice Canonum & Constit. Eccl. Rom. Quesnellii opera primum evulgato hæc & sequens epistola editæ sunt cum variis etiam lectionibus, quæ hic à nobis exhibebuntur. Hæc ergo istius apud illum habetur inscriptio, *ad omnes episcopos Italiæ* (Thuan. ms. *ad diversos episcopos*) *super damnationem Joviniani, & reliquorum hæreticorum virginitati derogantium.* Sed ab edit. Operum Ambr. & Conciliorum Labb. in quibus idem lemma præfigitur, non recedimus.

g. Quesn. *sospitatis indicio juvaretur.*

h. Edit. Ambr. & Conc. *quia non patitur nos quietos ab incursione sua vacare.* His accedit edit. Rom. nisi quod pro *non* quia posuit, *numquam.* Lectio Quesn. concinnior est, quam amplectimur.

i. Ita Rom. edit. & Quesn. Vet. autem edit. & Conc. *abstinentia puniendus* quidam Rom. cod. *punitur.* Non male, verum antecedenti membro, si quid conjecturis indulgeremus, pro voce *crudelitatibus*, libentissime reponeremus, *cruditatibus*, cui mutationi suffragatur & sensus ratio & scripturæ affinitas; unde similes scriptorum lapsus in mss. haud infrequenter deprehendimus.

k. Rom. edit. sola, *eadem dicit esse superflua .... sententiâ percussus.* Per ministros autem diaboli hic indicantur Jovinianus, & ejus asseclæ, adversus quorum errores libros duos, ac tres Apologias conscripsit Hieronymus. In illorum librorum priore cap. 2. eosdem errores enumerat: quos Augustinus quoque strictim recenset lib. *de Hæresibus*, cap. 82. Idem præterea variis Operum suorum locis multa, quæ Joviniani hæresim spectent, tradit, ut puta lib. 2. *de Nupt. & Concup.* cap. 23. ac lib. similiter 2. nec non cap. 23. *Retract.* atque alibi.

l. Ita vet. edit. atque etiam Rom. nisi quod verbo *volare* substituit *ambulare.* Labb. & Quesn. *valens per spatiosa volitare*; prior in marg. *per spatiosam viam volitare.*

m. Vet. edit. *ii sunt qui quasi utilitate Christi nosse se jactant;* Rom. & Labb.... *qui sub Christianos se se jactant:* omnium optime Quesn. ut nos in textu.

n. Omnes edit. ac Labb. in textu, *veritatem catholicam vertendo*, Rom. *pervertendo*: nobiscum vero faciunt Labb. in margine, & Quesn. in corpore, nisi quod ille legit, *antevertendo.*

o. Rom. edit & Labb. in marg. *ab apostolis nostris usque temporibus.* At continuo post, ubi eadem edit. Rom. cum Labb. & Quesn. habet, *probavimus*, vet. edit. ferunt, *abrogavimus.*

p. Thuan. cod *tales Ecclesiæ myst. latratus fatigarunt.* Et non multo post, ubi nos cum Quesn. *pullulata*, vet. edit. & Labb. ponunt, *polluta*, Rom. *polluta*; melius sequidem...

q. *Et spiritu diabolico interpretantes* ex Labb. & Quesn. restituimus.

Matth. 12. 21. *spiritu diabolico interpretantes, illecebroso atque ficto sermone* [a] *aliquot christianos cœperunt jam vastare, atque suæ dementia sociare,* [b] *non intra se continentes nequitiæ suæ virus: verum electi eorum blasphemias suas conscriptione temeraria prodiderunt; & desperata mentis furore conciti, passim in favorem gentilium publicaverunt.*

5. [c] *Eorum autem insania à fidelibus christianis, viris genere optimis; religione præclaris, ad meam humilitatem subito per scripturam horrificam videtur esse perlata; ut sacerdotali judicio detecta, divinæ legi contraria spiritali sententia deleatur. Nos sane nuptiarum vota non adspernanter accipimus,* [d] *quibus velamine interfuimus: sed virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas majore honorificentia honoramus.*

6. *Facto igitur presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est, christianæ legi* [e] *esse contrariam eorum sententiam. Unde Apostoli sequuti præceptum; quia aliter quam quod accepimus,* [f] *annuntiabant excommunicavimus.* Galat. 1. 8. *Omnium ergo nostrum tam presbyterorum & diaconorum, quam totius etiam cleri unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Prontinus, Martianus, Januarius & Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divinâ sententiâ & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.*

7. *Quod custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi per fratres* [g] *& presbyteros meos Crescentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religiosum officium fidei spiritu possint adimplere ferventes.*

* EPISTOLA XLII.

*Script. circ. ann. 389.

Synodus Mediolanensis laudat Syricium, quod Ecclesiam à lupis defenderet. Hos adversus virginitatem, simulata conjugii defensione, sævire: cùm hanc illam præferri jubeat Paulus. Iidem hæretici è Virgine Christum negantes nasci potuisse, Scripturæ testimoniis refelluntur. Paucis additis de laude viduitatis & abstinentiæ, quibus isti infesti erant, ipsos ut pote Manichæos anathemate ab se confixos testantur Patres.

Domino dilectissimo fratri SYRICIO papæ, [h] AMBROSIUS; SABINUS, BASSIANUS, & ceteri.

1. RECognovimus litteris sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, [i] qui fideliter commissam tibi januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant & sequantur: & ideo [k] quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi providus pastor, ne isti moribus perfidiæ suæ feralique ululatu Dominicum ovile dispergant. Johan. 10. 7. & seq.

2. Laudamus hoc, Domine frater nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu. Nec miramur si luporum rabiem grex Domini perhorruerit, in quibus Christi vocem non recognovit. Agrestis enim ululatus est nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem servare, promiscuè omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quamdam cælestium remunerationum inducere: quasi Christo una sit palma, quam tribuit; ac non plurimi abundent tituli præmiorum.

3. Simulant [l] se isti donare conjugio. Sed quæ potest laus esse conjugii, si nulla virginitatis est gloria? Neque vero nos negamus sanctificatum à Christo esse conjugium, divina voce dicente: *Erunt ambo in carne una*, & in uno spiritu: sed prius est quod nati sumus, quam quod effecti; multoque præstantius [m] divini operis mysterium, quam humanæ fragilitatis remedium. Jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo: *Qui jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit; hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi.* Illa conjugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum conjugium, per quod est inventa posteritas successionis humanæ: sed melior virginitas, per quam regni cælestis hæreditas adquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus evenit. Denique speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque [n] in se repræsentavit, quod elegit in matre. Matth. 19. 5. 1. Cor. 7. 38.

4. Quanta dementia funestorum latratuum, ut iidem dicerent * Christum ex Virgine non potuisse generari, qui adserunt ex muliere, editis humanorum pignorum partubus, virgines permanere? Aliis ergo præstat Christus, quod sibi, ut dicunt, præstare non potuit? Ille vero

a. Quesn. solus, *aliquantos Romanos cœperunt* &c.

b. Vet. edit. omissa negatione non ante *intra se* post vocem *virus*, ita prosequuntur: *Verum illecti blasphemias suas, ... passim in favorem gentilium publice à fidelibus* &c. Rom. edit. omissa similiter negatione, locum ita emendat, *præferentes se tamquam electi, blasphemias tamen suas conscriptione temeraria publicarunt, ... passim in favorem gentilium se prodiderunt.* Labb. primam partem habet, ut vet. edit. Quesn. secundam in hæc verba *passim favorem gentilium publicaverunt*: nos vero priorem hujus partem, & illius posteriorem in texto exhibemus.

c. Ita Quesn. nisi quod ex aliis edit. retinuimus, *divinæ legi*: reliquæ edit. non agnoscunt, *Eorum autem insania*, sed leviculæ sunt aliæ illarum varietates, nec sensum reddunt satis congruum.

d. Rom. edit. sola, *quas velamine interfuimus*: at eadem simul ac vet. *sed virginum nuptias Deo devotas* &c. Melius vero Labb. & Quesn. ut nos in textu. Ceterum de velamine nuptiali, seu flammeo jam alibi diximus.

e. Edit. omnes Ambr. & Conc. *esse contraria. Unde* &c. Quid autem sit, *facto presbyterio* Nannius exponit: Quasi dicas, inquit, habito senatu; est enim πρεσβυτέριον seniorum congregatio, ut γερουσία senatorum apud Lacedæmonios. Erant enim presbyteri in Ecclesia, quod senatores in republica. Utrisque nomen inditum à graviori ætate.

f. Vet. edit. Ambr. & Conc. *annuntiabant omnium nostrum ..., una suscitata fuit sententia*: Rom. edit. *una lata fuit sententia*, Labb. in marg. *unam factam constat esse sententiam*: optime Quesn. ut in contextu.

g. Labb. ac Quesn. *& compresbyteros. ... adimplere ferventi.*

h. Ita Labb. & Quesn. Vet. autem edit. *Ambrosius Episcopus, Bassianus episcopus, & ceteri*: Rom. vero, *Ambrosius episcopus, Bassianus, & ceteri episcopi.*

i. Labb. & Quesn. *qui diligenter* &c.

k. Quesn. solus, *quia in ostio contra oviculas* &c. Thuan. *quia nos, qui inter te*, forte *qui in certa*, *oviculas Christi, & lupos* &c.

l. Sic edit. Rom. cum Labb. Quesn. vero, *se isti non damno conjugia.* Sed vet. edit. à voce *quasi* reliqua vitiosissime ac sine sensu exhibebant.

m. Quesn. & Oxon *divini operis ministerium.*

n. Omnes Ambr. edit. *in se præsentavit*: optime Labb. & Quesn. *in se repræsentavit.*

*. Eam hæresim, quæ Mariam post conceptum quidem virginem remansisse profitebantur, non autem post partum, reticet Syricius in epistola, forte quod illam in Urbe proseminare ausi non fuerant Jovinianistæ. Atqui ejus meminit Augustinus *de Hæres.* cap. 8. & lib. 1. *in Jul.* cap. 2. Hanc infra impugnat Ambrosius iisdem argumentis, quibus utitur non solum in lib. *de Instit. Virg.* cap. 8. & 9. atque *in Luc.* lib. 2. num. 75. sed etiam in lib. *de Mysteriis*, & in epist. *ad Vercell.* Ceterum generatio hic passim usurpatur pro ipso partu, quæ tamen propriè idem est atque conceptio; cum generare non magis feminarum quam marium sit.

a [a] etsi carnem suscepit, etsi homo factus est, ut hominem redimeret, atque à morte revocaret; insolito tamen, quasi Deus, itinere venit in terras, ut quemadmodum dixerat: [Esai.43.19.] *Ecce facio omnia nova*; partu etiam immaculatæ Virginis nasceretur, & sicut scriptum est, ut crederetur nobiscum Deus. b [Matth.1.23.] [b] Sed de via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare; cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur?

5. Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: [Luc.1.37.] *Quia non est impossibile Deo omne verbum*. Credatur * Symbolo apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: [Ibidem 34.] *Quomodo fiet istud?* non de fide generationis interrogans, respondit postea: [Ibidem 38.] *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundùm verbum tuum*. Hæc est virgo, quæ in utero concepit: virgo, quæ peperit filium. Sic enim scriptum est: [Esai.7.14.] *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium*; non enim concepturam tantummodo virginem, sed & parituram virginem dixit.

6. Quæ autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quæ manet clausa; *& nemo*, inquit, [c] *pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel*? [Ezech.44.2.] c Nonne hæc porta Maria est, per quam in hunc mundum redemtor intravit? Hæc porta justitiæ, sicut ipse dixit: [Matth.3.15.] *Sine nos implere omnem justitiam*. Hæc porta est beata Maria, de qua scriptum est quia *Dominus pertransibit per eam, & erit clausa* post partum; [Ezech.44.2.] quia virgo concepit & genuit.

7. Quid autem incredibile si contra usum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet; quando contra usum naturæ mare vidit & fugit, atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt? [Psal.113.3.] Non ergo excedit fidem quod virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas, [Exod.17.6.] & in muri speciem maris unda solidata est. [Exod.14.22.] Non ergo excedit fidem quod homo exivit de virgine, quando petra [d] fontem profluum scaturivit, [Num.20.11.] d ferrum super aquas natavit, ambulavit homo super aquas. [Matth.14.26.] Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem [e] virgo generare? e At quem hominem? De quo legimus: [4.Reg.6.6.] *Et mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos, & notus erit Dominus Ægyptiis*. [Esai.19.20.] In veteri itaque Testamento [f] virgo Hebræorum per mare duxit exercitum: [Exod.14.21.] f in novo Testamento virgo regis, aula cælestis electa est ad salutem.

8. Quid autem? etiam viduitatis adtexamus præconia, cùm in Evangelio post Virginis celeberrimum partum Anna vidua subrogetur, *quæ vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua, & hæc vidua annorum octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*. [Luc.2.36. & 37.]

9. Et merito ab illis viduitas despicitur, quæ solet observare * jejunia, quibus se dolent isti aliquo tempore esse maceratos, & propriam ulciscuntur injuriam, quotidianis quoque conviviis usque luxuriæ laborem abstinentiæ propulsare desiderant. * Qui nihil rectius faciunt, quam quod ipsi suo se ore condemnant.

10. [g] Sed & metuunt ne in istis illud jejunium reputetur. g Eligant quod volunt: si aliquando jejunaverint, gerant ergo boni facti sui pœnitentiam: si numquam, suam ergo ipsi intemperantiam & luxuriam confiteantur. [h] Et ideo dicunt Paulum luxuriæ magistrum fuisse. h At quis erit sobrietatis magister, si fuit ille luxuriæ, qui castigavit corpus suum, & servituti redegit, [1.Cor.9.27.] atque jejuniis multis se debitam Christo observantiam detulisse memoravit; non ut se suaque laudaret, sed ut nos quid sequeremur, edoceret? Ille ergo luxuriam docuit, qui ait: [2.Cor.6.5.] *Quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne adtaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia in corruptelam?* [Coloss.2.20. & seq.] Qui etiam ait: *Non in indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis, non in desideriis erroris: sed in Spiritu, quo renovamur, esse vivendum?*

11. Si parum est quod Apostolus dixit, audiant Prophetam dicentem: [Psal.68.11.] *Et cooperui in jejunio animam meam*. Ergo qui non jejunat, intectus est, & nudus, & patet vulneri. Denique si Adam se texisset in jejunio, non fuisset

a. Vet. edit. *qui carnem suam suscepit, etsi homo factus est*: Labb. *qui sic carnem suscepit, etsi* &c. Rom. *sic carnem suscepit, sic homo factus*. nobis vero Quesn. lectio potior est.

b. Ita omnes Amb. edit. Labb. & Thuan. codex: Quesn. vero prætulit, *Sed devii à via veritatis*.

*. Symbolum à græco συμβάλλειν dici non ambigitur. Sed hujus verbi duplex significatio est, altera quæ ad animum, altera quæ ad corpus refertur. Primo modo συμβάλλειν idem est, ac conjicere seu judicare atque ita symbolum nihil est aliud, quam indicium & quasi arrha quædam, qua se christiani dignoscebant, & distinguebant ab hæreticis, quemadmodum milites se ab hostibus tesserâ militari solent distinguere. Secunda ejusdem verbi significatio est, cùm sumitur pro eo ferre ac congerere; unde symbolum ex eo dictum volunt, quod singuli apostolorum post adscensionem Domini ad constituendam fidei formulam convenientes, quod sentiebant, in unum contulerint, atque ita symbolum composuerint. Utramque originem tradit Rufinus: sed in ultima acriter à recentioribus impugnatus. Horum præcipua argumenta sunt, 1. quod symboli mentio in *Actis apost.* nulla occurrat, 2. quod priorum trium Ecclesiæ sæculorum Patres de eodem alte sileant, 3. denique quod prima symbola in verbis nonnihil dissideant. Unde colligunt non apostolos ipsos, sed priscos episcopos symbolum è præcipuis fidei capitibus conflavisse. Hanc litem secare non est nostri officii: sed non possumus quin hic dicamus & vocem symboli & significationem antiquissimas esse in Ecclesia; siquidem non modo apud Augustinum Serm. 59. ... 11. & 214. Hieronymum *epist. ad Pammach.* & Ambrosium non uno loco, ejus mentio fit; verum etiam apud Tertullianum *lib. de Veland. virg.* circiter initium, *lib. de Præscript. cap. 13.* & lib. *Advers. Praxeam*. Non potest dissimulandum ab Hieronymo scribi de hoc symbolo *quod ab apostolis traditum non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*; unde non leve ducitur argumentum adversus eos, qui ab ipsis apostolis compositum & litteris mandatum esse contendunt. Ceterum quod ait Ambros. apostolicum symbolum ab Ecclesia Romana intemeratum custodiri, hoc ipsum eodem plane modo Rufinus adseverat. Quando vero sacra illa tessera olim traderetur competentibus, atque ab eisdem redderetur, explicatur in *epist. ad Marcell.* n. 4.

c. Quesn. solus, *pertransivit eam, sed solus Deus Israel pertransivit eam*. Et infra, *pertransivit eam, & erit clausa; quia virgo* &c.

d. Ita edit. Rom. & Quesn. à quibus Labb. non recedit, nisi quod legit, *pro fonte flumen* &c. Vet. autem edit. corrupte & absurde locum exhibent.

e. Omnes edit. & Quesn. *virgo generare, atque hominem, de quo* &c. multo concinnius Labb. quem hic sequimur.

f. Rom. edit. & Quesn. *virga Hebræorum*, melius vet. edit. ac Labb. *virgo Hebræorum*, nimirum soror Moysis. Rursus vero ubi vet. edit. *virgo generis*, & Rom. *virga regis*; Labb. & Quesn. rectius legunt, *virgo regis*; ut Ambrosius in *Exhort. Virgin.* & lib. *de Instit. Virg.* non semel.

*. Quod Ambrosius Jovinianum ejusque socios jejuniis carnem suam macerasse testificatur, eo respicit, quod aliquandiu in monasterio Mediolani sanctis illis exercitiis operam dederant, quorum eos jam pœniteret. Hinc est quod Epicureorum nomine subinde appellantur ab Hieronymo & Augustino.

g. Quesn. *Sed Deum metuunt, ne in istis illud jejunium reputet*.

h. Idem Quesn. *& iidem dicant Paulum*.

Gen. 3. 7. Jonæ 3. 5. Matth. 17. 20. ᵃ nudus effectus. Ninive se à morte jejunio liberavit. Et ipse Dominus ait: *Non ejicietur hoc genus dæmoniorum, nisi per orationem & jejunium.*

12. Sed quid plura apud magistrum atque doctorem? cùm jam ᵇ dignum præmium retulerint illi perfidiæ suæ, qui ideo usque huc venerunt, ne superesset locus, in quo non damnarentur; qui vere se * Manichæos probaverunt, non credentes quia ᶜ ex Virgine utique venisset. Quænam hæc est suppar novorum Judæorum amentia? Si venisse non creditur, nec carnem creditur suscepisse: ergo in phantasmate visus est, in phantasmate crucifixus est. Sed nobis in veritate crucifixus est, in veritate redemtor noster est.

13. Manichæus est, qui abnegat veritatem, qui carnem Christi negat; & ideo non est illis remissio peccatorum: sed est impietas Manichæorum, quam & * clementissimus exsecratus est imperator, & omnes qui illos viderunt quasi quædam contagia refugerunt; sicut testes sunt fratres & compresbyteri nostri Crescens, ᵈ Leopardus, & Alexander, sancto ferventes Spiritu, qui eos omnium exsecratione damnatos, Mediolanensi ex urbe ᵉ quasi profugos repulerunt.

14. Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Januarium, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos. Incolumem te & florentissimum Deus noster tueatur omnipotens, domine dilectissime frater.

ᶠ Item subscriptio.

Eventius episcopus saluto sanctitatem tuam in Domino, & huic epistolæ subscripsi.

Maximus episcopus.

Fœlix episcopus.

Bassianus episcopus.

Theodorus episcopus.

Constantius episcopus.

Ex jussu domini episcopi Geminiani, ipso præsente, Aper presbyter subscripsi.

Eustasius episcopus, & omnes Ordines subscripserunt.

*EPISTOLA XLIII.

* Scripta circ. ann. 389.

HORONTIANO *roganti cur homo rebus aliis, quibus longe præcellit, conditus fuerit posterior, nec rei hujus vel Ambrosius ipse vel Moyses rationem depromserit; ubi respondit Moysen conjecturas suas miscere noluisse libris divinis, addit se congruas causas propositurum. Utitur ergo exemplo convivii, quod hominis causa sit paratum: deinde certaminis, cujus homo athleta futurus varias pugnas inire debeat: demum id in more esse prædicat, ut præstantissima in principio & fine collocentur; unde cùm cælum primo loco creatum sit, hominem ultimo creari docueris. Hujus cum cælo comparatio, post quam dotes eidem concessa aperiuntur, nec non ipsius in elementa & bestias imperium: ex quibus alias creaturas congrue præmissas elicitur.*

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. MOveri te insinuasti mihi, lecto Hexaemero, quod ipse scripsi, quia cùm tantum divinæ scripturæ serie, vel stylo sermonis mei collatum adverteres homini, quantum nulli in hac terra animantium, prius omnia vel volatilia, vel terrestria, vel quæ ᵍ in aquis sunt, produxerit terra vel aqua, quàm homo, propter quem illa creata sunt, generaretur; ejusque rei rationem de me requirere, quam & Moyses siluerit, & ego non auserim adtingere. (Gen. 1. 26. & seq.)

2. Et forte ille oraculi interpres divini, consilio conticuerit; ne cælestis dispositionis arbitrum se & consiliarium præstare videretur; aliud est enim loqui quod infundebatur à Dei spiritu, aliud voluntatem Dei interpretari: nos autem non quasi interpretes Dei, sed quasi ex usu humano rationis seminaria colligentes, æstimamus posse nos ex eo quod humano usui in ceteris rebus ipse Dominus infuderit, opinari quoniam decuit hominem postremum creari.

3. Etenim qui convivium adornat, ut ille Evangelicus dives (oportet enim divina divinis conferamus, quo melius colligere possimus) utique omnia prius præparat, tauros & saginata occidit, & tunc amicos ad cœnam invitat. Prius ergo quæ leviora sunt, parantur, & tunc rogatur honoratior. Unde & Dominus homini (Luc. 14. 16. & seq.)

a. Quesn. solus, *nudus ejectus.* At continuo post, vet. edit. ponunt: *Ninivem amor jejunii liberavit*; ubi idem Quesn. cum Rom. & Labb. legit, ut in contextu.

b. Quesn *dignum pretium . . . ideo huc quoque venerunt.*

*. Baronius ad annum 389. hoc sancti Ambrosii loco fretus, Jovinianum his temporibus aliqua ex parte sensisse cum Manichæis affirmat. Verumtamen cùm Jovinianus catholicis, ex eo quod Deiparam etiam post partum virginitatem suam conservasse profiterentur, calumniam hæresis Manichæorum conflaret, uti apud Augustinum lib. 2. *in Julian.* cap. 2. legere est; multo credibilius videtur non aliud Joviniano hic objici à sancto Doctore, quàm consequutionem ex ejus erroribus, ut in disceptationibus fieri solet. Atque ita crimen quod ille orthodoxis perperam intentabat, in semet jure merito retortum sensit.

c. Quesn. *ex virgine venerit Christus.*

*. Quodnam imperatoris edictum hic indicetur, ambiguum est. Occurrunt quidem tres leges in Cod. Theod. tit. *de Hæreticis*, quarum primâ Manichæis, ne conventus ullos faciant, prohibetur: secundâ vero & tertiâ iidem hæretici pelli jubentur. Ad primam illam, cùm à Valentiniano seniore jam ab anno 372. data fuerit, hunc Ambrosii locum non pertinere in confesso est: sed eum ad secundam, quæ 15. Kal. Jul. an. 389. fuit constituta, referendum autumat Baronius; cùm Godofredus è contrario eumdem locum de tertia lege, cui annus 391. adsignatur, intelligendum esse contendat. Verum tamen hujus firmamentum debilius est, quam ut eo niti possimus; opinionemque Baronii certiorem esse ducimus, ut in Admonitione observatum est. Quod vero idem Cardinalis leg. 1. *de Monachis* anni 390. contra Jovinianistas latam arbitratur, cùm illa solos orientis monachos respiceret, nec multo post fuerit revocata, eam horum hæreticorum causa datam non esse manifestum est. Quod ad leg. 53. *de Hæret.* anno 412. factam, qua Jovinianum *plumbo contusum* in insulam Boam deportari jubetur, non solum ea videtur Hieronymi, à quo Jovinianus anno 409. quo scribebat in Vigilantium, vita functus significatur, testimonio contraria; verum etiam cum Godofredi, à quo tamen pro legitima habetur, *Chronol. in cod. Theod.* aperte pugnat.

d. Ita omnes edit. Ambr. atque Labb. at prætermittitur *Leopardus* à Quesn.

e. Quesn solus, *quasi profugos reliquerunt.* Sed paulo post idem Quesn. cùm Labb. legit. *Plotinum*, ubi Ambrosii edit. exhibebant *Protinum.*

f. Rom. edit *Subscriptio. Ego Ambrosius Mediol. epist. subscripsi. Event. epist. Conetensis saluto . . . . Maximus epist. Emonensis, Felix epist. Jadrensis, Bassianus epist. Laudunensis, Theodorus epist. Octodurensis, Constantius epist. Arausicanus, Sabinus epist. Placentinus. Ex jussu . . . . Eustathius epist. & omnes ordines subscripserunt.* Sed cùm nomina sedis singulorum episcoporum in Antiq. edit. in Labb. & Quesn. desiderentur, non leve argumentum est ea repetita esse ex concilio Aquil. maxime cùm duo episcopi, quibus hic sedes non tribuitur, in eodem Concilio non reperiantur. Omnes aliæ edit. satis inter se congruunt, nisi quod *Eustasius* geminatur in vet. edit. & Labb. ac pro *omnes Ordines* in eodem Labb. & Quesn. ponitur *omnes ordine.*

g. Nonnulli mss. *in aquis sunt, quæ produxerat terra vel aqua, ad quam causam propter quem illa creata sunt, ultimus generaretur.* Elegantius vero ceteri, & omnes edit. ut in contextu. Ceterum obiter lectorem admonebimus non pauca esse in hac epistola, quæ ex Philonis lib. *de Mundi Opificio* hauserit Ambrosius. Sed eadem illa in formam pietati & christianæ religioni magis accommodatam convertit sanctus Doctor.

ante animalium cæterorum præparavit epulas, A tunc ipsum quasi amicum ad suum vocavit convivium; & vere amicum, quasi caritatis divinæ participem, & heredem gloriæ. Denique ipsi
Matth. 22. 12. dicit: *Amice, quomodo huc venisti ad nuptias?* Præcedentia ergo, ministeria sunt; amicus, qui postremus rogatur.

4. Accipe aliud. Quid est mundus, nisi quidam agon plenus certaminum? Unde & in
Apoc. 2. 10. Apocalypsi Dominus ait: *Vincenti dabo coronam vitæ;*
1. Tim. 4. 7. & Paulus ait: *Certamen bonum certavi;* B
2. Tim. 2. 5. & alibi: *Nemo nisi qui legitime certaverit, coronatur.* Hujus agonis instaurator utique omnipotens Deus est. Qui igitur agonem suscipit in hoc sæculo, nonne omnia præparat, quæ agoni sunt necessaria: & tunc athletas vocat, paratis præmiorum infulis, certaturos ad coronam; ne moram patiatur qui vicerit, sed præmio donatus recedat? Præmia ergo hominis terrarum fructus sunt, & cæli lumina: illa ad vitæ præsentis usum, hæc ad spem vitæ C æternæ.

5. Quasi athleta igitur postremus ingreditur in agonem: erigit ad cælum oculos, videt quia
Rom. 8. 20. & cælestis creatura vanitati subjecta est non sponte, sed propter eum qui subjecit eam in spe. Videt quia omnis creatura congemiscit, exspectans redemtionem. Videt quia omnis manet labor. Erigit oculos, * videt coronas luminum, lunæ & stellarum globos considerat:
Dan. 12. 3. *Quoniam justi, qui vicerint, erunt sicut stellæ in* D *cælo.* Et castigat corpus suum, ne sibi adversetur in certamine: ungit oleo misericordiæ, exercet diurnâ virtutis palæstrâ, [a] pulvere se oblinit, stadii metam currit non quasi in incertum, ictus dirigit, lacertos excutit, sed non in vacuum: percutit adversarium, quem non videt; quia illum solum adtendit, cui cedunt omnes, etiam qui non videntur, in cujus nomine potestates aeriæ divertebantur. Ille ergo ictum librat, & Christus percutit: ille calcem levat, E & Christus in vulnus dirigit. Denique etsi non videbat Paulus quos cæderet, non quasi aera
1. Cor. 9. 26. tamen cædebat; quia in Christi prædicatione omnes spiritales nequitias, quæ sibi adversabantur, convulnerabat. Non immerito ergo postremus homo ingressus est stadium, cui parabatur corona; ut cum præcederet cælum; quasi sui præmium.

Eph. 6. 12. 6. Sed non solum adversus nequitiæ spiritalia, quæ sunt in cælestibus, sed etiam adversus F carnem & sanguinem lucta nobis. Lucta adversus satietatem, lucta cum ipsis frugibus terræ,
Gen. 9. 21. lucta cum vino, quo etiam vir justus inebriatus est,
Exod. 32. 6. quo etiam integer Judæorum exercitus supplantatus est: lucta cum feris bestiis, lucta cum volatilibus cæli, quibus caro saginata non
2. Cor. 11. 29. redigitur in servitutem: lucta cum periculis itinerum, periculis fluminum, ut ait Paulus: lucta cum virgultis arborum, quibus cædebantur apostoli. Vides quanta certamina. Terra ergo Act. 16. 22.
* exercitium est hominis, cælum corona. Aut quasi amicum igitur præcedere debuerunt ministeria, aut [b] quasi athletam præmia.

7. Specta aliud. In omnibus rebus præstantiora sunt principia & finis. Si domum consideres, potiora omnibus sunt fundamenta & culmina: si agrum, satio & messis, plantatio & vindemia. Quàm jucunda insitiva arborum, quàm fructus votivi! Ita ergo & cælum primò est conditum, novissimus homo, quasi quædam cælestis in terris creatura. Nam etsi corpore cum bestiis confertur, animo tamen cælestibus annumeratur; sicut enim portavimus imaginem 1. Cor. 15. 49.
terreni, ita portamus & imaginem cælestis. Quomodo non cælestis, qui ad imaginem & similitudinem factus est Dei? Gen. 1. 26.

8. Recte ergo in constitutione mundi primum cælum, & novissimum cælum, in quo quod ultra cælum est, Deus cæli est. Denique de eo magis accipitur: *Cælum mihi thronus;* Esa. 66. 1.
non enim Deus supra elementum sedet, sed in corde hominis. Unde & Dominus ait: *Veniemus* Johan. 14. 23.
ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Principium ergo operis mundani cælum, finis homo.

9. Cælum de mundo, homo supra mundum: illud enim mundi portio, iste paradisi incola, Christi possessio. Cælum incorruptibile putatur, & præterit; homo corruptibilis habetur, & incorruptionem induit; illius [c] figura perit, iste quasi immortalis resurgit; utrumque tamen manus Domini fecerunt secundum Scripturæ auctoritatem. Sicut enim de cælis legimus: *Et opera manuum tuarum sunt cæli;* ita & Psal. 101. 26.
homo dicit: *Manus tuæ fecerunt me,* [d] *& plasmaverunt me;* Psal. 118. 73.
similiter quoque: *Cæli enarrant Dei gloriam;* Psal. 18. 1.
& ut cælum stellarum fulget splendoribus, ita & homines meritorum luminibus micant, quorum opera coram Patre suo lucent, Matth. 5. 16.
qui est in cælis. Firmamentum cæli supernum illud, hoc quoque non dissimile firmamentum, de quo dictum est: *Super hanc petram ædificabo* Matth. 16. 18.
Ecclesiam meam: illud firmamentum elementorum, hoc virtutum. Jam illud præstantius: suxerunt oleum de firma petra; petra enim caro Deut. 32. 13.
Christi, quæ cælum & totum mundum redemit.

10. Quid illa adtexam, & quasi toto stadio te urgeam, quod hominem Deus divinæ fecit con- 1. Cor. 10. 4.
sortem naturæ, sicut in epistola Petri legimus? 2. Petr. 1. 4.
Unde non immerito quidam ait: *Cujus & genus* Act. 17. 28.
sumus; dedit enim nobis [e] de cognatione sua, & rationabilis scilicet naturæ, ut quæramus illud divinum, quod non longe est ab unoquoque nostrum, in quo & vivimus & sumus & Ibidem.
movemur.

11. Cùm itaque contulisset homini quod est gratiarum maximum, quasi carissimo & domestico animanti concessit ea, quæ in hoc Gen. 1. 28.
mundo sunt omnia, ut nullius indigeret, quod esset necessarium vel ad vitam, vel ad bonam

*. Vel allusum ad coronam Ariadnes, vel in genere sidera hic illic quasi flores sparsa coronas appellat; nimirum unde coronæ stellantes fieri possent. Ita Nannius.

a. Omnes edit. ac mss. aliquot, *pulvere se oblinit stadii, currit* &c. mss. Belv. & Albin. *pulvere se oblinit, stadio currit:* Lætien.... *stadium currit:* Prat. denique ac Gem. ut in textu. Quid porro sit *pulvere se oblinere* diximus ad lib. *de Elia & Jejunio* cap. 21. n. 79.

*. *Exercitium* idem quod palæstra, inquit Nannius; locus nempe ubi pugiles se se exercent. Aut allusit ad illud Gen. 3. *Emisit illum Dominus, ut exerceret terram.* Hæc ille.

b. Ita omnes mss. at edit. è contrario, *quasi athletam corona & præmia.*

c. Rom. edit. *illius figura præterit.*

d. Eadem Rom. edit. *& paraverunt me.*

e. Eadem edit. *de cognitione sua.* Non recte, ut superiora illa indicant: *cujus & genus sumus.*

vitam. Quorum alia ministraret [a] abundantia A copiarum terrestrium ad voluptatis perfunctionem: alia cognitio secretorum cælestium, quæ mentem inflammaret hominis amore & desiderio disciplinarum, per quas ad sublime illud divinorum penetralium possimus pervenire. Utrumque igitur præstantissimum, ut & subjectas haberet omnes mundi opes, omnia volatilia, terrestria, etiam pisces, & usum maris, tamquam rex elementorum, ac sine labore, sine indigentia ad imitationem & similitudinem B venerandi auctoris abundaret omnibus, atque in summa degeret copia, & vias sibi aperiret, gradusque admoveret, per quos ad cæli adscendat regiam.

12. Cujus difficilis itineris [b] viatorem facile reperies illum virum, qui ita sit animi inductione formatus ac voluntate, ut minima sibi cum suo corpore sit familiaritas, neque in ullum ingrediatur vitiorum contubernium, nullis adsentantium * pumicetur sermonibus: neque in C rotis secundorum temporum positus, humiles fastidiat, mœsta fugiat, sanctorum laudes exculiat atque elevet, neque gloriæ ardore aut pecuniæ præsumtæ, spei omnem exurat cupiditatem. Cujus animum non inflectat mœstitia, non frangat injuria, nulla sollicitet suspicio, [c] libido non excitet, non expugnent passiones corporis, non inquietet vanitatum appetentia, voluptatum gratia. Jam si adjungas virtutes, castimoniam, sobrietatem, ac temperantiam, facile D refrænare potens sit immoderatos impetus levium passionum, mensuramque imponat delectationibus suis & cupiditatibus, æquitate ambigua distinguat, tranquillitate mentis dubia componat, & velut compositis omnibus corporis & mentis jurgiis, quasi bonus arbiter inoffensam teneat exterioris hominis atque interioris concordiam, placidans eos in semet ipso, ac si causa exigat, nullus eum malus consiliarius revocet metu à passionis corona; is plane non E solum quasi amicus, sed etiam quasi filius adsumetur à patre, ut divitias gloriæ & hereditatis ejus adipiscatur.

13. Merito ergo postremus, quasi finis naturæ formatus ad justitiam, inter cetera animantia justi arbiter. Et si licet exemplum arcessere, sicut inter homines finis legis est Christus ad justitiam omni credenti, & nos tamquam jumenta contemplatione Domini; sic enim Propheta ait: Κτηνώδης ἐγενήθην παρὰ σοί, id est, F *jumentum æstimatus sum apud te.* [d] Et quæ tamen comparatio, cùm ille pereuntes redemerit, nos immolemus? ille servos ad libertatem vocaverit, nos liberis irrogemus captivitatem? Sed quis similis Deo?

Rom. 10. 4.
Psal. 72. 23.
Psal. 88. 9.

14. Processit tamen postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis; ut omni esset creaturæ miraculo. In quo ad similitudinem æterni Dei * νοῦς esset invisibilis, humana specie amictus. Hic est νοῦς animæ vigor, principatum animæ & corporis sibi quasi rector vindicans. Quem etiamsi non vident animalia cetera, tamen reformidant; sicut nos Deum, [e] quem non videmus, timemus; & eo plus metuimus, quia non videmus.

15. Namque ut ad imaginem ejus & similitudinem, sicut scriptum est, præsumamus dicere, cùm ille se fundat majestatis suæ plenitudine, & videat omnia, cælum, aerem, terram, mare, complectens universa, & penetrans per singula; ut eum nihil prætereat, & nihil sit quod non consistat in eo, atque ex ipso pendeat, & ipsius plenum sit, sicut ipse ait: *Cælum & terram ego compleo, dicit Dominus*: ita νοῦς hominis videt omnia, & non videtur, habens sui invisibilem substantiam: disciplinis & consiliis ac sensibus comprehendit latentia, penetrat occulta maris, atque omnium diffusa terrarum latibula, utriusque scrutator naturæ, ad similitudinem Dei summi, quem imitatur & sequitur, cujus imago pro exiguis portionibus in singulis figuratur: elevans quoque se in aerem, & ejus nubilosa prætergrediens, ad cæli alta se dirigit studio cognitionis, & ardore sapientiæ; ubi paulisper stupefactus admiratione stellarum cælestium, & luminum delectatus claritate, prospiciens desuper mundana ista, conferens quoque se ad hesperum atque arcturum, & ceteros illos ἀπλανεῖς [f] πλανήτας, & videns quod inoffensus ille sit error, quem sine errore, quo magis omnia obeant, intexere atque oberrare videantur; majore se cupiditate adtollit ad ipsum gremium Patris, in quo est unigenitus Dei Filius enarrans secreta Dei, & facie ad faciem postea revelanda. Nunc tamen quibus dignatur, ex parte demonstrat, atque in ænigmate, simulque de Spiritu & vultu suo splendorem luminis, more torrentis effundit; ut eo illuminatus dicat: *Et erat ignis flammigerans in ossibus meis, & dissolutus sum undique, & ferre non possum.* Et David ait: *De vultu tuo judicium meum prodeat.*

Gen. 1. 26.
Hier. 23. 24.
Johan. 1. 18.
Hier. 20. 9.
Psal. 16. 2.

16. Hoc igitur mentis vigore, ut revertar unde digressus sum, quo & externa subigit, & separata & distantia videt, & validiora viribus animalia subjicit, tantam ceteris venerationem sui infudit; ut certatim quasi regi obediant, voci ejus obsecundent. Et cùm sint irrationabilia, rationem agnoscant, [g] & disciplinam eam imprimant, quam natura non tribuit. Denique videntes feræ ejus mansuetudinem, ejus impe-

a. Nonnulli mss. *abundantiam... ad voluntatis perfunctionem: alia cognitionem* &c.

b. Omnes edit. *viatorem non facile reperies*: mss. fere omnes concinnius expungunt negationem.

*. Metaphora est à lapide pumice, quo artifices ad lævigandum ac poliendum uti solent; quod adulatores blandiendo atque palpando ferme imitantur.

c. Edit. Eras. ac seq. *non exagitet.* Amerb. & mss. *non excitet.*

d. Prat. cod. ac Gem. *& aqua tamen comparatione.*

* Miratur Nannius, cur S. Ambrosius græcam vocem retinuerit. An quia Latini varie hanc efferunt, cùm eam modo mentem, modo animum interpretantur. An quod etymon græcum illi magis placuerit, quod νοῦς λέγεται τῷ νοεῖν, hoc est, ab intelligendo sit dictus, cùm mens à meminisse, animus ἄνεμος appellatus sit: quorum verborum vim naturamque νοῦς probe explet. An quia Anaxagoras omnia dixerit materia & νῷ conservari? Verum non erat, cur tam anxie hæc disputaret vir eruditus: hic enim locus non alio referendus est, quàm ad Philonis imitationem, qui citato libro eodem plane modo philosophatur.

e. Omnes edit. ac pauci mss. *quem quia non videmus.* aliis plures, ac potiores melius excludunt *quia*, non enim ideirco Deum timemus, quia eum non videmus, sed quia justum atque omnipotentem scimus.

f. Prat. & Gem. ἀπλανεῖς *athlanides* Sed hæc ultima vox glossa est, quæ in textus ejecti locum irrepsit; namque explicat Ambrosius, cur planetæ, id est, stellæ erraticæ, erroris tamen sint immunes, nimirum quia eorum *inoffensus* (pessime Amerb. cum plerisque mss. *infensus*) *ille sit error* &c.

g. Mss. aliquot, *& disciplinâ eam imprimant*, supple rationem.

rio mansuescunt. Sæpe suspenderunt morsus A
suos, revocante sono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi: leones quoque ipsos, si vox hominis resultaverit, prædam dimittere: pardos atque ursos incitari[a] ac revocari vocibus: equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum: denique sæpe sine verbere præteruent verberatos, ita vehementius illos incitat linguæ flagellum.

17. Quid vero de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, ut placeat homini: atque in fluvio mersatur, ut nitorem augeat. Oves quoque meliora pabula legunt, ut suaviore succo lactis B
feta distendant ubera: subeunt partus dolores, ut homini sua munera ferant. * Tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli præter subeundi oneris obsequia, tondendos se exhibent, ut arietes; quo velut regi diversa animalia tributum suum conferant, pendantque vectigal annuum. Equus tanto se jactans equite, *glomerat gressus superbos, atque ad domini adscensum dorsa sinuatus, herili terga C
substernit sedili. Sed ne forte adhuc moveat quod novissimus homo factus sit, idem equus nos doceat non ad contemtionem referendum esse, sed honorem. Portat posteriorem suum, nec despicit, sed reformidat, & per diversa eum suo circumfert labore. Uno momento homo longinqua obit, circumerrat distantia, * tum equis singularibus, tum quadrigis triumphalibus.

18. Et quoniam triumphales memoravi qua- D
4. Reg. 2. 11. drigas, necesse est adtexam iis currus Eliæ, quibus per aera vectus est, elephantorum, quibus homo victor adsistens, cùm sit postremus, priores regit. Sic quoque gubernator navis in puppi sedet, & totam navem gubernat. Unde puto illud non otiosum esse in Evangelio, quod
Matth. 8. 24. dominus Jesus in puppi dormiebat: denique excitatus imperavit vento & mari, & sedavit tempestatem, ostendens ideo se novissimum venisse, quia gubernator venerit. Unde Apostolus ait: E
1. Cor. 15. 45 & 46. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod*
Ibidem 47. *animale, deinde quod spiritale*; & addidit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.*

19. Recte ergo novissimus quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta sunt omnia; quasi omnium habitator elementorum inter feras vivit, cum piscibus natat, F
super aves volat, conversatur cum Angelis, terram inhabitat, & cælo militat, sulcat mare, aere pascitur, cultor soli, viator profundi, piscator
Rom. 8. 17. in fluctibus, in aere auceps, in cælo heres, Christi coheres. Hæc secundum industriam.

20. Accipe etiam quod supra hominis sub-
Exod. 14. 29. stantiam. Moyses in imo ambulavit mari, in summo apostoli. Habacuc sine pennis volavit. Johan 21. 8. Dan. 14. 35.
Elias in terra vicit, & in cælo triumphavit. Va- 4. Reg. 2. 11.
le, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

*EPISTOLA XLIV.

* Scripta circa ann. 389.

Moysen, quæ inter Deum ac mundum distinctio sit, recte indicasse: cùm illum impassibilem atque invisibilem, hunc corruptibilem corporeumque significavit. Sex dies orbis creationi non eo adtribui, quod tempore Deus indigeat, sed ut dispositio exprimeretur. Declaratur septenarii dignitas, cui tamen octonarius antefertur, ut pote qui sit novi testamenti numerus, ut ille veteris. Exponitur in hanc rem Oseæ locus, & continuata ejusdem ogdoadis commendatione, in laudes fœderis novi desinit epistola.

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. DIvisionem egregie advertisti propheticam, vel potius divinam; non enim sua Moyses, sed infusa & revelata sibi scripsit, Gen. 1. 1. & seq.
ea præcipue quæ sunt de constitutione mundi: quæ divisio operatorem atque opera distinxit. Nam cùm aliud impassibile esset, aliud passionis receptabile; quod erat impassibile, ad Deum operatorem retulit: quod autem passibile sine anima, sine motu proprio, motum & animam & figuram à creatore accipiens suo, deputavit huic mundo. Quem factum non oportuit sine gubernatore, & quodam patre indefensum relinqui. Et ideo invisibilem Deum visibilis hujus mundi rectorem esse & quasi tutorem apertissime describit. Quod ergo invisibile, sempiternum: quod autem videtur, tem- 2. Cor. 4. 18
porale.

2. Sex itaque diebus factum mundum exprimit, non quod Deus tempore indiguerit ad constitutionem ejus, cui intra momentum suppetit facere, quæ velit (*dixit* enim, *& facta sunt*) Psal. 148. 5.
sed quia ea quæ fiunt, ordinem quærunt: ordo autem & tempus & numerum plerumque exigit. Illud quoque præcipue, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum servavit & tempora: nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturius agamus; ne præcipitemus consilia atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus. Cùm enim Deum legimus, ut Scriptura ostendit, cum sapientia Ps. 103. 24.
& quodam consilio & dispositione omnia fecisse & ordine; consentaneum est rationi, ut primò cælum faceret, quod est pulcherrimum: oportet ut eo primùm oculos erigamus, illo nobis contendendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus.

3. Sex itaque diebus mundum creavit; septimo die requievit ab operibus suis. Bonus septi- Gen. 2. 2.
mus numerus; * quem non Pythagorico & ceterorum philosophorum more tractamus; sed secundum formam, & divisiones gratiæ spiritalis; septem enim virtutes principales sancti Spiritus propheta Esaias complexus est: Hæc heb. Esai. 11. 2.

a. Nonnulli mss. *ac revocari: mitari vocibus equos, plausu hominum fremere silentio mollire, cursu denique* &c. haudquaquam male.

*. Virgilianum esse observat Nannius; ex hoc scilicet Georg.
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro ingemere.

*. Et hoc, inquit idem Nannius, virgilianum:
Insultare solo, & gressus glomerare superbos
Ubi Servius, id est, ut cum disciplina incedat.

*. Cùm scilicet uno equo ad cursum utuntur, quales Græci vocant celites: non binos trahunt, ut desultores: non jugis innectunt, ut in bigis, & quadrigis fit. Ita Nannius.

*. Certum est Pythagoræos, ut observavit Stobæus lib. 1. Ecl. Physic. cap. 1. omnium philosophorum addictissimos fuisse scientiæ numerorum. Platonici quoque magnam eorumdem rationem habuisse reperiuntur: unde factum est, ut antiqui Patres, qui fere sectam istam philosophiæ amplectebantur, in explicandis numeris non perfunctorie versari consueverint. Multus in his est Ambrosius, ut ex Indicibus utriusque tomi voce *numerus* cognoscas licet. Hoc autem unum libet adjicere ipsum & hac epistola, & aliis locis non pauca imitatum è Philonis libro *de Mundi Opific.* & lib. 1. *Legis Allegor.* circa initium.

domas, sicut ipsa Patris & Filii & Spiritus sancti A venerabilis Trinitas, sine tempore, sine ordine, auctor numeri, non sub numeri lege devincta. Itaque sicut ad æternæ Trinitatis gratiam cælum, terra, maria formata; sicut sol, luna & stellæ: ita etiam ad illum septenarium virtutum spiritalium circuitum atque orbem operationis divinæ vigore præstantem, septenarium quoddam ministerium planetarum creatum advertimus, quo hic mundus illuminatur. Quarum concurrere fertur militia ad earum nume- B rum, [a] quas inerrabiles ferunt stellas, & ut Græci dicunt, ἀπλανεῖς. Septemtrio quoque inde latine nomen accepit, quod septem in eo fulgor stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores, quasi ducem feruntur intendere.

4. Descendit hæc de cælo in terras prærogativa: nam ut transeam septiformem capitis nostri gratiam, in oculis duobus, auribus & naribus binis, ore quoque per quod magnam suavitatem percipimus; quantum istud miracu- C li, * quod septimo mense in plerisque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur? Octavo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora, ac si forte lethalis necessitas partus claustra laxaverit, periculum pariter generantis properetur & pignoris.

3. Sed tamen ille septimanus, etsi bene nascatur, ad labores nascitur: qui autem octavo die regenerationis sortitur mysteria, consecra- D tur per gratiam, & ad hereditatem regni cælestis vocatur. Magna in virtutibus Spiritus sancti hebdomadis gratia, eadem tamen hebdomadam sonat, ogdoaden consecrat. In illa sonus, in ista fructus est; ideoque octavo die soluta paradiso reddidit Spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa.

4. Novit ogdoaden istam, quam octavam latine dicimus, vetus Testamentum; siquidem [Eccles. 11. 2.] ait Ecclesiastes: *Da partem illis septem, & illis* E *quidem octo.* Hebdomas veteris Testamenti est, octava novi, quando Christus resurrexit, & dies omnibus novæ salutis illuxit. Ille dies, de quo [Psal. 117. 24.] ait propheta: *Hic dies, quem fecit Dominus, exsultemus & lætemur in eo*; quo die se fulgor plenæ atque perfectæ circumcisionis humanis pec- F toribus infudit. Propterea & vetus Testamentum dedit partem octavæ in circumcisionis solemnitate. Sed illa adhuc in umbra latebat: [Malac. 4. 2.] venit Sol justitiæ, & consummatione passionis propriæ revelavit sui luminis radios: [b] quos retexit omnibus, & vitæ claritatem aperuit æternæ.

5. Isti ergo sunt septem & octo, de quibus & Osee dicit quod eo numero conduxerit sibi, & adquisierit fidei plenitudinem; sic enim ha- [Osee 3. 2.] bes: *Et abii, & conduxi mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & semicoro hordei,* [c] *& nevel* A *vini.* Conducendam autem ei meretricem Dominus præceperat in superioribus: itaque manifestum est quod conduxit eam, qui etiam mercedis quantitatem expressit. Quindecim autem argentei ex septem & octo constant: hebdomadam itaque & octavam significant. Duorum igitur Testamentorum, id est, plenæ fidei pretio [d] Prophetia consummationem accepit fidei, Ecclesia plenitudinem; primo enim Testamento Israel adquisitus est populus, secundo B nationum & gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, vel ex gentibus copulam sui quærens, vel ex adultero Judæorum populo, qui dominum suum & auctorem virginalis fidei dereliquerat, conventus suos totius orbis spatio diffundens.

6. Quod autem dixit: *In coro & in semicoro hordei*; in coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Plenitudo in Evangelio, [e] semiperfectio in Lege; sicut legimus, [Matth. 5. 17.] C dicente Domino: *Non veni Legem solvere, sed implere.* Et alibi, habemus dicente Domino per [Mich. 5. 5.] Michæam prophetam, quia *tunc pax erit in terra Israel, cùm venerit Assyrius in terram ejus, & insurrexerunt in eum septem pastores, & octo morsus hominum.* Tunc enim plena pax est fideli populo ab omnibus tentationibus & vanitatibus absoluto, cùm mundi hujus vanitatem excluserint de cordibus nostris pax & gratia: pax veteris, gratia novi Testamenti.

D 7. Septem pastores præcepta Legis sunt, [Exod. 4. 20.] quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysi per desertum ductus & gubernatus est. Octo morsus hominum mandata Evangelii & [Rom. 10. 10.] Dominici oris alloquia: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Boni morsus, per quos vitæ æternæ munus gustavimus, peccatorum remissionem in Christi corpore devorantes. In veteri Testamento amarus [Esai. 25. 8.] morsus est mortis, propterea dictum est: *Devo-* E *ravit mors prævalens.* In novo Testamento suavis morsus est vitæ, quæ mortem absorbuit, [1 Cor. 15. 54. & 55.] propterea Apostolus ait: *Devorata est mors in victoria sua. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus?*

[Gen. 2. 2.] 8. Atque ut apostolicis utamur testimoniis, F ubi hominem fecit Deus, requievit ab omnibus operibus suis in die septima. Sed quia populus Judæorum per contumaciam contemsit mandata Dei sui, ait Dominus: *Si introibunt in re-* [Hebr. 4. 3.] *quiem meam.* Et ideo aliam Deus præfinivit diem, [Psal. 94. 8.] de qua dicit: *Hodie si vocem meam audieritis.* Duos enim dies comprehendit Scriptura generales, heri & hodie; de quibus dicit: [f] *Imita-* [Hebr. 13. 7. & 8.] *mini fidem Jesu Christi. Heri & hodie ipse est, & in sæcula.* In superiore die promissio est, in consequenti solutio. Sed quia hesterna die neque Moyses, neque Jesus Nave populum induxit in requiem; hodierna die Christus induxit, cui

a. Nonnulli mss. *quas inenarrabiles.* Non bene, ut subjecta dictio [illegible] clare demonstrat.

*. Agellius lib. 3. cap. 16. agens de temporis varietate in puerperiis, ex medicis ac philosophis scribit *gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, sæpe nono, sæpe numero decimo mense.* Ipsum consule, sicut & quæ diximus in Psal. 118. Serm. 15. num. 16.

b. Quidam mss. *quo retexit omnibus* &c. Non incongrue.

c. Ms. Prat. in glossa, *aphy*: Gem. in texto *neephy vel vini.* Neutrum commode. Hunc autem locum sic transfert Hieronymus: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei*; LXX vero: *Et conduxi eam mihi quindecim argenteis, & gomor hordei, & nevel vini.* Sic Ambrosiana interpretatio ab utroque nonnihil variat. Ubi in glossa est, gomor & corum ejusdem esse mensuræ, nimirum triginta modiorum; & nevel esse dimidium cori. Hæc P. Nannius.

d. Mss. aliquot, *propheta consummationem.* Et infra, *ex adulterino Judæorum populo.*

e. Rom. edit. sola, *semipletio in Lege.*

f. Ita plerique mss & vet. edit. Rom. vero & Thuan. codex: *Quorum imitamini fidem: Jesus Christus heri, & hodie, ipse est in sæcula.*

Psal. 2. 7. dixit Pater: *Ego hodie genui te;* per suam enim A resurrectionem Jesus populo requiem comparavit. Requies nostra dominus est Jesus, qui ait: Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Requies enim in cælo, non in terra est.

9. Quid igitur opus est ut explorem * ortus signorum atque obitus, quorum ad exortum duris ª inaratæ vomeribus findantur novales, vel ad occasum læta messis recumbat? Una mihi stella abundat pro omnibus, stella splendida Apoc. 22. 16. & matutina: cujus ad exortum seminata est B non frugum, sed martyrum seges; quando Rachel ploravit * filios suos, ut lacrymis ablutos Hierem. 31. 15. suis, pro Christo offerret infantulos. Cujus stellæ obitus ᵇ non cremiorum insensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis resuscitavit.

10. Celebretur itaque hebdomas, eo quod per septem ætatum cursus vita hominum usque ad senectutem transcurritur, sicut * Hippocrates medicinæ magister scriptis explicuit suis. C Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta virilis ætas, sexta ævi maturitas, septima senectus. Est ergo infans, puer, adolescens, juvenis, vir, veteranus, senex.

11. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos septenos; ita ut prima ætas infantiæ usque ad emissionem sit dentium, quibus conficiat cibum, sermonemque distinguat, ut possit ᶜ effabilis videri: pueritia quoque usque ad D annos pubertatis procedit, & genitalia tentamenta: adolescentia usque ad barbæ lanuginem: juventas usque ad perfectæ virtutis processum: quinta ætas virilis est, apta copulis conjugalibus per totam hebdomadam: sexta quoque hebdomas virili deputatur ætati, & ad prudentiæ processum habili, & ad agendum strenuæ: septima quoque hebdomas, & octava ævi maturum, & ᵈ sensu vigentem, & sermonem item non insuavis alloquii gratia præditum pro- E dunt: nona hebdomas reliquias adhuc habet aliquas virium, linguâ ac sapientiâ mollior: decima vero hebdomas mensuram implet, ad quam is qui pervenire potuerit, non immaturo temporum cursu pulsabit ᵉ mortis fera vestibula.

12. Ergo Hippocrates & Solon vel septem ætates, vel hebdomadas ætatum norunt. In illis se hebdomas præferat: octava autem unam & perpetuam ætatem invehit, qua excrescimus in virum perfectum, in agnitione Dei, fidei plenitudine, in qua legitimæ ætatis mensura impletur. Ephes. 4. 13.

13. Est etiam in visceribus nostris hebdomadis explorata gratia; ferunt enim septem quoque esse in nobis interiora viscera, stomachum, cor, pulmonem, lien, hepar, renes duos. Septem quoque exteriora, caput, posteriora, ventrem, binas manus, & binos pedes.

14. Præstantissima hæc, sed obnoxia dolori. Quis autem dubitet majus esse octavæ munus, quæ totum renovavit hominem, ut jam nihil possit dolere? Itaque septima mundi ætas conclusa est, octava illuxit gratia, quæ fecit hominem jam non hujus mundi esse, sed supra mundum. Jam enim non vitam nostram, sed Christum vivimus: *Nobis enim vivere Christus,* Philip. 1. 21. *& ᶠ mori lucrum. Itaque jam non in carne, sed in fide vivimus Christi.* Apostolus dicit: *Unde colligimus quia conclusus est mundi dies.* Galat. 2. 2. Denique novissimâ horâ venit dominus Jesus, & pro nobis mortuus est, & omnes in illo mortui sumus, 1. Johan. 2. 18. ut vivamus Deo. Non ergo nos qui eramus, 2 Cor. 5. 15 vivimus: sed vivit Christus in nobis.

15. Abiit ergo hebdomas, venit octava. Abiit heri, venit hodie: illud hodie quod promissum est, quo admoniti sumus vocem Dei audiendam & sequendam. Abiit ergo ille dies Testamenti veteris, venit dies novus, quo Testamentum consummatum est novum, de quo dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, ᵍ & consummabo domui Israel & domui Juda Testamentum novum: non secundùm Testamentum, quod feci patribus illorum in die, qua apprehendi manum ipsorum educere illos de terra Ægypti.* Hebr. 8. 8. Et qua ratione ʰ mutatum sit Testamentum adjicit: *Quoniam ipsi non manserunt,* inquit, *in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Ibidem 9.

16. ⁱ Abierunt sacerdotes Legis, Legis tribunalia: accedamus ad sacerdotem novum, ad sedem gratiæ, visitatorem animarum nostrarum, Hebr. 4. 14 sacerdotem non secundum Legem mandati carnalis creatum, sed secundum ᵏ virtutem infatigabilis electum. Hebr. 7. 16 Non enim ipse sibi honorem præripuit, sed electus à Patre est, sicut ipse Pater ait: Hebr. 5. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Psal. 109. 4. Hebr. 7. 17. Novus ergo sacerdos videmus quid obtulerit. Alii sacerdotes pro se offe-

*. Ex Virgilianis verbis, inquit Nannius, hoc deformatum est;
Daphni quid antiquos signorum suspicis ortus?
Nec frustra signorum obitus, speculamur & ortus.

a. Edit. *inarata . . . novalia*, mss. contra, *inaratæ . . . novales*; ex illo videlicet libri 1. Georg
Alternis idem tonsas cessare novales.

*. Ambrosium libenter sanctorum Innocentium mentionem facere hinc intelligas, quod non solum lib. 2. *in Luc.* num. 49. eorum cum laude meminit; sed & lib. 1. Offic. cap. 41. num. 213. ubi nonnulla subnotavimus, quæ consulenda.

b. Rom. edit. *non cremiorum sensibilium*: ceteræ, & omnes mss. *non cremiorum*, (mss. aliquot, *gremiorum*) *insensibilium*. Quid autem per cremium significetur, Nannius exponit in hæc verba: Cremium à cremando dictum: volunt nonnulli grammatici cremium id esse, quod dum in sartagine cibus frigitur, circa margines combustum adhæret, allegantque illum locum psal. 101. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Ubi LXX. habent, ὡς φρύγιον συνεφρύγησαν. Hesychius autem φρύγειν ξύλα ξηρά, hoc est, torrem interpretatur. Hic autem sine omni dubitatione cremia busta significant, hoc est, ossa quæ ex ustrina sepulcrali residua supersunt, quæ aliquando reliquias appellamus.

*. Quæ de variis hominis ætatibus ex Hippocrate ac Solone hic disseruntur, ea quidem Ambrosius mutuatus est è lib. Philonis *de Mundi Opif.* sed ita tamen ut ad christianum sensum adaptaret.

c Nonnulli mss. *affabilis videri*. Ex infra paulo plures, *genitalia testamenta*. Non prorsus male, siquidem testamenta sumi possunt eodem sensu ac signa atque indicia; recepta tamen lectio potior est.

d. Vet. edit. ac pauci mss. *sensum vigentem, & sermonem non insuavis* &c. Rom edit cum aliis quibusdam mss *sensu vigentem, sermone, & non insuavis* &c. Nobiscum vero faciunt reliqui mss. nisi quod pro *sermonem item*, nonnulli præferant, *sermone autem*, & ante vocem *insuavis* tollunt negationem; haud bono sensu.

e. Tres mss. *mortifera vestibula*, unus, *mortis severa vestibula*.

f. Ita vet. edit. ac mss. non pauci: Rom. autem edit. *mori lucrum. Et alibi itaque* &c. mss. vero alii bene multi, *mori lucrum, à peccato est fuga. Itaque* &c.

g. Rom. edit *& consummabo . . . ut educerem illos* &c.

h. Amerb. cum mss. non paucis, *mutatum sit tamen, adjicit.*

i. Cod. Prat. & Gem. *Adierunt sacerdotes Legis*, Gem. *regis, tribunalia*

k. Rom edit. sola, *virtutem insolubilem*: vet. edit. cum mss. aliquot, *virtutem infatigabilem*. reliqui cod ut in contextu, nisi quod Prat. & Gem. exhibent, *virtutem infatigabilis vitæ*: sed in aliis melius subintelligitur *testamenti*, quæ vox in antecedenti membro exprimitur, *mandati*.

rebant, & pro populo suo: hic quia non habuit peccatum, ut pro se offerret, pro universo mundo se obtulit, & per sanguinem suum intravit in sancta. A

17. Hic est ergo sacerdos novus, & nova hostia non ex Lege, sed supra Legem; advocatus mundi, lux sæculi, qui dixit: Ecce venio, & venit. Ad quem accedamus in abundantia fidei adorantes & obsecrantes & sperantes in eum, quem non videmus oculis, sed affectu tenemus: cui est omnis honor semper & gloria. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus. B

Apoc.22.7.

*EPISTOLA XLV.

* Scripta circ. ann. 389.

SABINO *sciscitanti an de paradiso scripsisset Ambrosius, quave ipsius de illo esset sententia, respondet; leviterque perstricta secundum historiam loci descriptione, ad mysticam transit expositionem. Itaque ubi docuit in principali animæ portione paradisum esse, quid per ea quæ illic exstiterunt, significetur: quidve in serpente homines imitentur edocet: & quanta sit humana infirmitas, quantave in eum Dei caritas semper fuerit, declarato, nos ad fugiendam sensuum delectationem hortatur.* C

AMBROSIUS SABINO.

1. LEcto Hexaemero, utrùm paradisum subtexuerim, requirendum putasti, & quam de eo haberem sententiam, significandum, idque velle te studiose cognoscere. Ego autem jam dudum de eo scripsi, nondum veteranus sacerdos. D

2. Sententias autem de eo diversas esse plurimorum comperi. Nam Josephus, ut pote historiographus locum dicit refertum arboribus virgultisque plurimis, irrigari etiam flumine, quod dividatur in quatuor fluvios. Collecta etenim in unum congregatione aquarum, non se penitus exinanivit terra, & fraudavit irriguis suis: sed hodieque in fontes prorumpit, & deducit meatus fluminum, quibus pignora sua quasi pia mater, plenis lactat uberibus. E

Joseph. lib. 1. antiq. cap. 2.

3. Alii alias, omnes tamen congruunt in paradiso, & lignum vitæ radicatum, & lignum scientiæ, quæ discernat bonum & malum, cetera quoque ligna plena vigoris, plena vivificationis, * spirantia, & rationabilia. Ex quibus colligitur [a] paradisum ipsum non terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, quod animatur & vivificatur animæ virtutibus, & infusione Spiritus Dei.

Gen. 2. 9.

4. Denique Salomon in spiritu paradisum in homine esse evidenter declaravit. Et quia mysteria exprimit vel animæ & Verbi, vel Christi & Ecclesiæ, ideo ait de virgine anima, vel Ecclesia quam volebat virginem castam adsignare Christo: *Paradisus clausus, soror mea sponsa, paradisus clausus, fons signatus.* F

2. Cor. 11. 2. Cant. 4. 12.

5. Paradisus græce, latine hortus dicitur. Denique Susanna in paradiso erat, & sic legitur latine. Et Adam in paradiso erat, & sic legimus. Ergo non te moveat quod alii codices latini hortum habent, alii paradisum.

Dan. 13. 7. Gen. 2. 8.

6. Ibi ergo est casta uxor, ubi virgo. Licet virgo excepta habeat claustra & signacula sua, sed utraque in paradiso; ut adversum æstus corporis & carnis flagrantiam refrigeretur virtutum umbraculis.

7. Ergo paradisus in principali nostro est, silvescens plurimarum opinionum plantariis: in quo principaliter lignum vitæ constituit Deus, id est, pietatis radicem; ea est enim vitæ nostræ substantia, si domino & Deo nostro debitos cultus deferamus.

8. Constituit etiam scientiæ boni & mali seminarium; homo enim solus in ceteris animantibus terrenis habet scientiam boni & mali. Alia quoque illic plantaria diversa, quorum fructus virtutes sunt.

9. Sed quia scientiæ capax hominis affectus cognitus est Deo, quod citius ad astutiam inclinaretur, quam ad summum prudentiæ (neque enim judicem, qui fines certos in anima nostra constituit, operis sui qualitas latere poterat) eliminare voluit astutiam de paradiso, quasi providus auctor nostræ salutis, & vitæ studium, & disciplinam pietatis infundere; ideoque præcepit homini ab omni ligno, quod est in paradiso, esse gustandum, de ligno autem scientiæ boni & mali non esse gustandum. Gen. 2. 16. & 3.

10. Sed quia creatura omnis passioni obnoxia, ideo delectatio, sicut serpentino illapsu, humanis irrepsit affectibus. Itaque non immerito sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudine; prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus incedens, aut ullis elevata cruribus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica. Ei terra cibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit cælestem; corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, & * tortuosis angulatur amfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus unusquisque se eviscerat luxuriosus, helluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina, dissolvit ebrietas, distendit cruditas?

11. Nunc intelligo qua causa dominus Deus insufflavit in faciem hominis: ibi enim sensus omnis, ibi sedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore; ut sensus nostros adversus delectationem fortiores faceret. Hæc ergo nobis, sicut serpens astutiam infudit; non enim delectatio, sed labor & diuturna meditatio cum Dei gratia dat perfectam prudentiam. Gen. 2. 7.

12. Tamen quia serpentis fraudibus involuta est humani generis hereditas, * in eo astutiam serpentis sequamur; ut caput nostrum non projiciamus in pericula, sed præ ceteris integrum custodiamus: *Caput autem nostrum Christus est.* Hoc maneat incolume, ut serpentis venena 1. Cor. 11. 3.

*. Philo Judæus lib. *de Mundi Opific.* pag. 11. [Greek illegible] &c.

a. Rom. edit. sola, *paradisum in nostro principali, quod animatur . . . & infusione Spiritus, posse videri. Denique* &c. Non est autem dubium quin invecta fuerit isthæc mutatio, ne paradisi terrestris veritatem Ambrosius negare videretur. Verum eâ nihil opus fuerat; historiæ siquidem veritatem ubique aut agnoscit, aut supponit beatus Doctor: quemadmodum lib. 1. *de Paradiso* cap. 1. num. 1. & Serm. 40. in Psal. 118. num. 2. observatum est. Nam alloqui quo pacto hic affirmaret omnes congruere ligna fuisse *spirantia & rationabilia*, si hoc intelligeret excluso naturali sensu, quo à pluribus illud intelligi non ignorabat? Et certe multa sunt sub finem hujus epistolæ, quæ à sancto Doctore secundum historiam dici obscurum non est.

*. Allusum hoc verbo *angulatur* ad etymon anguis, quod se circumagat, & voluminibus impleat, quæ à Prudentio Circumflexa Meandri appellantur. Ita Nannius.

*. Germana huic loco reperies in *Ps.* 37. n. 8. & in *Ps.* 118. Ser. 6. n. 15.

Eccl. 7. 12. nobis non possint nocere: *Bona est* enim *sapientia cum hereditate*, id est, cum fide; quoniam est hereditas credentibus in Domino. A

13. Quod si primus ille homo, qui cum Deo
Gen 2. 15. loquebatur in paradiso positus, labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata & creata recenti fuerat exorta, nondum ea parricidali [a] cædiumque concreta sanguine, flagitiis & dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiæ hereditatis; quanto facilius postea lubrica ad peccandum via majus advexit humano generi præcipitium, cùm deterior tolerabiliori per vices generationis successerit? B

14. Etenim [b] si magnetis lapis tantam naturæ vim habet, ut ferrum ad se trahat, & transfundat se in illius speciem, ita ut plerisque experiri volentibus cùm plures annulos ferreos ad eum lapidem admoverint, omnes pari teneat modo: deinde si ei annulo cui adhæserit lapis, alium admoveas annulum, & rursus per ordinem singulis substituas; licet in omnes penetret per ordinem, ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehementiore constringit, posteriores remissiore: quanto magis humani generis conditio atque natura ex puriore statu in deteriorem lapsa est, [c] quando nequiorem adtigit? C

15. Nam si per eas species minuitur natura, quæ non sunt culpæ capaces; quanto magis per animos atque artus labe pollutos scelerum virtus ejus hebetatur? Unde quia excreverat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui
Psal. 13. 1. faceret bonitatem, non erat usque ad unum: venit Dominus, qui reformaret naturæ gratiam, immo augeret; ut ubi superabundavit pecca-
Rom. 5. 20. tum, superabundaret gratia. Ergo liquet & quia auctor hominis Deus, & quod Deus unus, non multi dii: sed unus qui mundum operatus est, & unum non multos mundos, ut dicunt philosophi. D

1. Cor. 8. 6. 16. Primùm igitur mundum creavit, deinde habitatorem mundi, cui totus mundus patria foret. Nam si hodie quocumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem judicat; quanto magis ille primus homo totius erat mundi incola, & ut Græci dicunt, * κοσμοπολίτης, opus Dei recens, confabulator assiduus, civis sanctorum, complantatus virtutibus, præpositus omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus, totum mundum suam possessionem putabat: quem Dominus tuebatur, ut opus suum, neque ut bonus parens atque auctor deserebat? Denique eo usque creatum fovit, E ut abdicatum redimeret, eliminatum reciperet, mortuum passione Filii sui unigeniti resuscitaret. Est ergo hominis auctor Deus, & diligit opus suum operator bonus, nec derelinquit bonus Pater, quem etiam sicut dives paterfamilias censu propriæ hæreditatis redemit.

17. Caveamus ergo ne hominem istum, id est, νοῦν, mulier illa, id est, passio sensuum nostrorum delectatione & ipsa decepta atque illusa effeminet, & circumscriptum in leges suas & sententiam trahat. Fugiamus delectationem sicut serpentem: multas artes habet, & maxime in homine. Nam alia animantia cibi aviditate capiuntur, homo quanto plures sensus oculorum auriumque habet, tanto majora pericula. Vale, & nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

*EPISTOLA XLVI.

* Scripta circ. ann. 389.

AMBROSIUS SABINO *scribit maledicum Apollinaristam publice fuisse confutatum: se se cum eo etsi servilem in Christum formam non admitteret, humaniter egisse: at illa verba, Deum scilicet* Patrem Filii esse & Dominum creaturæ, *quæ illi comprimis displicebant, cum verbis Davidicis convenire. Post quæ eumdem Filium sine injuria divinitatis factum non modo servum, verum etiam maledictum, opprobrium atque peccatum multiplici Scripturæ testimonio demonstrat.*

[d] AMBROSIUS SABINO.

1. Quem scripsisti maledici sermonis seminatorem, [e] levissimus est, qui jam veneni sui mercedem recepit. Siquidem responsum est ei publice; & quod privatim severat, palam messuit. Ego autem vanum ante & invisorem tantùm habebam: at ubi iste sermo ad aures pervenit meas, statim respondi quod cum virus infecerit Apollinaris, qui non potest audire quod dominus noster Jesus pro nobis servitutem susceperit in istius corporis susceptione; cùm Apostolus clamet quod formam servi accepe- Phil. 2. 7.
rit. Hoc munimentum, hæc sepes est fidei nostræ; qui hanc destruit, destruetur ipse, sicut scriptum est: *Quia destruentem sepem mor-* Eccl. 10. 8.
debit serpens.

2. Equidem primò leniter mandavi ei: Qua ratione bonam rem malo animo facis? Ego enim beneficio annumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moveri. Primum quia & in iis quæ scio, falli possum. [f] Multa autem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant: pulcrum est, si fieri potest, cavere omnia. Deinde quia non debeo moleste ferre, cùm de apostolicis & ipsis Evangelicis Dominicisque verbis plerique multas quæstiones se-

a. Ita omnes edit. contra vero mss. prope ad unum, *cæterorumque concreta*: duo, *cæterarumque*.

b Rom. edit *si magnes lapis*: vet. autem, & cuncti mss. *si magnetis*, quidam *magnetes, lapis* Hoc porro exemplo, quod sicut & non pauca alia ex Philonis lib. *de Opific. mundi* huc translatum est, originalis peccati contagium per concupiscentiæ propagationem transfundi haud ambigue declarat: qua etiam ratione Augustinus funestam illam hæreditatem contra Julianum ubique explicat, ad pactum illud, quod excogitarunt theologi recentiores, numquam confugiens. Quid etiam quod Philo ipse lib. cit. eamdem concupiscentiam omnium humani generis malorum fontem atque originem esse agnoscit? Ipsum consule pag. 35.

c. Mss aliquot, *quanto nequiorem*. commodius vero alii, & omnes edit. *quando nequiorem*.

*. Κοσμοπολίτης, id est, mundi civis, inquit Nannius. Ita nonnulli philosophi de sua patria responderunt, interrogati cujates essent; unde & illud poetæ natum est:

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Porro superioris responsi non alium auctorem indicat Nannius, nisi Socratem, de quo Eras. Chil. 2. Cent. 2 Adag. 91.

d. Vet edit. *Ambrosius Irenæo*: Rom cum mss. *Ambrosius Sabino episcopo*, nisi quod ex his multo plures omittunt *episcopo*. Neque tamen minus certum est Sabinum illum ea dignitate ornatum fuisse, cùm non alius à Sabino exstiterit Placentino antistite, qui Synodo Aquileiensi interfuisse reperitur, & cujus cum Ambrosio familiaritatem hujus ad eum plures testantur epistolæ. Hanc quasi ad Sabinum scriptam citarunt Leo Magnus epist. 134. alias 97. & Leontius Byzantinus.

e. Mss. aliquot, *verissimus est*: unus *scelestissimus*, forte *sceleratissimus*.

f. Amerb. & pauci mss. *multa jure prætereunt*: Eras. & Gill. cum aliis, *multa autem* (Rom. edit. *multa autem*) *prætereunt*.

rant; etiam in meis scriptis reperiant, de quo A disputandum putent; plerique enim studio indulgent suo, ut iste qui propterea orbem circuivit, ut quæreret quem reprehenderet, non quem sibi imitandum arbitraretur.

3. Hic igitur ut arroderet aliquid de meis scriptis, eam sibi amplam viam reperit, quoniam eo loci ubi dixit dominus Jesus: *Confiteor tibi Pater, domine cæli & terræ*; [Matth. 11. 25.] diximus ideo dictum, ut nos intelligamus * patrem filii esse, & dominum creaturæ. Quamquam in psalmo B evidenter dominum dixerit Patrem Filius: [Psal. 108. 25. & 26.] *Viderunt me, & moverunt capita sua: adjuva me, domine Deus meus.* Etenim secundum formam servi loquutus, dominum vocavit, quem Patrem noverat, æqualis in Dei forma, servum secundum carnis substantiam se prædicans; servitus enim carnis, dominatus autem divinitatis est.

4. Advertis igitur primùm pro tua admirabili prudentia ea quæ in Evangelio dicuntur, C ad Evangelii tempus referri, quo dominus Jesus inter homines humana specie conversabatur; nunc enim secundùm hominem jam non novimus Christum. [2 Cor. 5. 16.] Sit ita visus & cognitus veteribus, jam *transierunt vetera, & omnia nova facta sunt.* [Ibidem 17.] Omnia tamen ex Deo, qui nos sibi per Christum reconciliavit; eramus enim mortui, & ideo unus pro omnibus servus factus est. Quid dicam, [a] servus? Peccatum, opprobrium, maledictum factus est. Dixit enim Apostolus: D *Quia pro nobis peccatum factus est*, quia *maledictum factus est* dominus Jesus. [Philip. 2. 7. 2 Cor. 5. 21. Psal. 21. 7. Galat. 3. 13.] Dixit quia cùm sibi subjecerit omnia, tunc & ipse subjectus erit. [1. Cor. 15. 28.] Dixit & Petrus: *In nomine Jesu Nazareni surge, & ambula*, in Actibus apostolorum. [Actor. 3. 6.] Dixit ibi quia *glorificavit puerum suum Jesum*, & nemo calumniatur de tempore. [Ibidem 13.] In Apocalypsi autem & agnus dictus est à Johanne, [Apoc. 5. 12.] dictus est in psalmo *vermis, & non homo.* [Psal. 21. 7.] Hæc omnia factus est, ut nostræ obtunderet mortis aculeum, [1. Cor. 15. 55.] nostram E servitutem tolleret, maledicta, peccata, opprobria deleret.

5. Hæc & alia, quæ consulenti cuidam, & multo plura à te scripsisti relata, cùm scriptura divina habeat, quemadmodum quisquam dubitabit dicere [b] quæ pie scripta sunt; quoniam ad gloriam Christi spectant, non ad imminutionem? Nam cùm de dono ejus, hoc est manna, [Exod. 16. 18.] dictum sit quia & *qui minus collegit, non diminuit: & qui plurimum, non ampliavit*; num potuit ipse vel minui vel augeri? Quid enim in eo F imminutum est, quod nostram servitutem, nostras infirmitates susceperat? [Esai. 53. 4. Philip. 2. 6.] Erat humiliatus, erat in servi forma, sed idem in gloria Dei Patris. [Psal. 21. 7. Luc. 23. 34.] Erat vermis in cruce, sed idem dimittebat peccata etiam persecutorum suorum. [Psal. 21. 7.] Erat opprobrium, sed idem majestas Domini, sicut scriptum est: *Et videbitur majestas Domini, & videbit omnis caro salutare Dei.* [Esai. 40. 5.] Quid amisit, cui nihil minus est? Non habebat quidem speciem neque decorem, [Esai. 53. 2.] sed habebat plenitudinem divinitatis. Infirmus æstimabatur, sed non destiterat esse Dei virtus. Videbatur, ut homo, sed fulgebat in terris majestas divina & Patris gloria.

6. Unde pulcre Apostolus ejusdem verbi repetitione usus est, dicens de domino Jesu: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens.* [Philip. 2. 6. & 7.] Quid est in Dei forma, nisi in plenitudine divinitatis, in illa perfectionis divinæ expressione? Ergo cùm esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in utraque forma. Unde & David dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum.* [Psal. 44. 3.]

7. Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat, habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixerat: Formam servi accepit, [c] non servus lectus est. Iterum ergo interrogo, quid est in forma Dei? Respondet: In natura Dei. Sunt enim, ait Apostolus, *qui non sunt natura dii.* [Philip. 2. 7. Galat. 4. 8.] Quæro quid sit, *formam servi accipiens?* Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis, ut dixi, humanæ, ut esset in hominum similitudine. Et pulcre non carnis, sed hominum dixit similitudinem; quia in carne eadem. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Unde & propheta ait: *Et homo est, & quis cognoscet eum?* [Hier. 17. 9.] Homo secundum carnem, sed ultra hominem secundum divinam operationem. Denique cùm leprosum tangeret, homo videbatur: sed ultra hominem, cùm emundaret. [Matth. 8. 3.] Et cùm Lazarum fleret mortuum, quasi homo flebat: sed supra hominem erat, cùm mortuum juberet vinctis pedibus exire. [Johan. 11. 35. & 44.] Homo videbatur, cùm penderet in cruce: sed supra hominem, cùm reseratis tumulis, mortuos resuscitaret. [Matth. 27. 52.]

8. Nec sibi blandiatur virus Apollinaris, * quia ita legitur: *Et specie inventus ut homo*; [Philip. 2. 7.] non enim negatus est homo Jesus, cùm alibi ipse Paulus de eo dicat: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, [1. Tim. 2. 5.] sed confirmatus est. Id enim est usus & moris Scripturæ sic significare, sicut & in Evangelio legimus: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* [Johan. 1. 14.] Sicut ergo quasi unigenitus dicitur, & non abnuitur unigenitus Dei Filius; ita ut homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur.

*. Conferatur hic locus cum alio lib. 5. *de Fide*, cap. 8. num. 102. & non difficulter intelligetur eumdem indicari ab Ambrosio.

a. Ita mss. ad unum: edit. autem voci *servus* addunt *factus est*; & infra post verbum *ambula* jugulant has voces *in Actibus apostolorum*.

b. Rom. edit. sola, *quia pie scripta sunt*: at infra cum aliis, *unde potuit*; ubi nos cum mss. *non potuit*. Sed edit. Rom. particulam *non* transtulit post *imminutum est*.

c. Leonis epistola, *non servus loquutus est*: sed melius edit. ac mss. Ambrosiani... *lectus est*. Hoc autem præcipuum fuisse constat erroris Apollinaristarum firmamentum, quod hic validissime ab Ambrosio nostro evertitur. Nec tamen existimandum est Ambrosio contraria docuisse Adrianum P. 1. in sua ad concilium Francoford. epistola, cùm Dominum servi nomine appellandum negat, vel idem concilium, ubi ait ex Augustino: *Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit.* Etenim sic illa intelligenda sunt, ut opponantur hæresi Elipandi atque aliorum Christum adoptione tantum Dei Filium, ac proinde non aliena & libere suscepta servitute, sed propria & naturali servum esse blasphemantium. Quod toto cælo ab Ambrosiana mente abhorret.

*. Hanc ipsam objectionem cùm eodem plane responso reperire est *Serm. 18. in Psalm. 118.* verum adversarii, quod ibidem impugnat, nomini parcit.

Phil. 2. 6. 9. Cùm esset igitur in forma servi, humiliatus usque ad mortem; erat tamen in Dei gloria. Quid ei igitur obsuit servitus? Servus autem factus legitur, Galat. 4. 4. quia legitur factus ex Virgine, & creatus in carne; omnis enim creatura servit, dicente Propheta: Psal. 118. 91. *Quia universa serviunt tibi.* Unde & Deus Pater ait: Psal. 88. 27. & 21. *Inveni David servum meum, in oleo sancto unxi eum. Ipse vocabit me: Pater meus es tu, Deus salutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum;* & in alio psalmo: Psal. 85. 2. *Custodi animam meam; quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum;* & infra in eodem psalmo: Ibidem 16. *Da potestatem puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.* Congessi enim Patris & Filii voces; ut ei non argumenta humana, sed divina responderent oracula.

Psal. 30. 6. 10. Alibi inquit: *In manus tuas commendo spiritum meum;* &: Ibidem 9. *Statuisti in loco spatioso pedes meos;* &: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Ibidem 17. Et in eodem psalmo: *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Per Esaiam quoque dicit ipse Filius Dei: Esai. 49. 2. & 1. *Ex utero matris meæ vocavit Dominus nomen meum, & posuit os meum ut gladium acutum, & sub tegumento manus suæ protexit me. Posuit me sicut sagittam electam, & pharetrâ suâ texit me; & dixit mihi: Servus meus es tu Israel.* Dicitur enim Dei filius & Israel, sicut alibi: Esai. 42. 1. *Jacob puer meus, Israel dilectus meus.* Joan. 1. 18. Solus enim vere Deum Patrem non solùm vidit, sed etiam enarravit.

Esai. 49. 4. & 5. 11. Et sequitur: *In te glorificabor. Et ego dixi: In vacuum laboravi, & in nihilum dedi vires meas; ideo judicium meum ante Dominum, & dolor meus ante Deum meum.* Et nunc sic dicit Dominus, *qui finxit me servum ex utero sibi ad congregandum Jacob & Israel.* Quis congregavit Dei populum, nisi Christus? Quis glorificatus est ante Dominum? Quis est Dei virtus? Cui dixit Pater: *Magnum tibi est vocari te puerum meum?* Ibidem 6. Et cui dicit: *Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium; ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* De quo etiam per os Ezechiel loquutus est, dicens: Ezech. 34. 23. & 24. *Suscitabo super eos pastorem unum, & reget eos servus meus David, & erit eorum pastor: & ego Dominus ero illis in Deum, & David in medio eorum princeps.* David utique rex jam defunctus erat, & ideo verus David, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis Dei Filius, hoc annunciatur nomine; qui etiam in Zachariæ prophetæ libro significatur, dicente Deo Patre: Zach. 3. 8. *Ecce ego mittam servum meum, Oriens nomen est ei.* Numquid quia habebat vestimenta sordida, ideo fulgorem divinitatis suæ sol justitiæ non habebat?

12. Et quid plura? An infirmius putamus servitium esse quam peccatum, quam maledictum, quam opprobrium, quam infirmitates, quas pro nobis suscepit, ut à nobis averterentur? Factus est enim hæc omnia; ut universa vacuaret. Sed hæc ideo non recipiunt, quod servus, opprobrium, peccatum, maledictum factus sit; * quia Verbum & carnem unius adserunt esse substantiæ, & dicunt: Ergo quia nos redemit, servus dictus est, & peccatum debuit dici. Nec advertunt quod hæc Christi gloria sit, quia servitutem suscepit in corpore suo, ut libertatem omnibus redderet: peccata nostra portavit, ut mundi peccatum tolleret.

13. Servus, peccatum, maledictum factus est, ut tu peccati servus esse desisteres, & te divinæ sententiæ maledicto absolveret. Ille ergò maledictum suscepit tuum: *Maledictus* enim *omnis, qui pendet in ligno.* Galat. 3. 13. Ille maledictum in cruce factus est, ut tu benedictus esses in Dei regno. Ille dehonestatus & depretiatus est, nec aliquid æstimatus. Ille dicebat: *In vacuum laboravi;* Esai. 49. 4. per quem meruit Paulus dicere: *Non in vacuum laboravi;* Phil. 2. 16. ut boni operis fructum, & Evangelicæ prædicationis gloriam suis conferret servulis, per quam universi sarcina laboris absolverentur.

14. His igitur auditis, derelictus est in dimidio dierum suorum perdix, qui clamavit ut congregaret quæ non peperit, Hier. 17. 11. & oppressus est voce domini Jesu. Denique * adornat fugam. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

*EPISTOLA XLVII.

* Scripta circ. ann. 390.

SABINO *cur librum apertius perscriptum ipsi miserit, causam reddens, quamobrem scribere quam dictare malit, explicat. Hinc illum ad mutuum epistolarum usum invitat, quanta inde redeat utilitas, patefaciens.*

AMBROSIUS SABINO.

1. TRansmisi petitum codicem scriptum apertius atque enodatius, quam ea scriptura est, quam dudum direxi; ut legendi facilitate nullum judicio tuo afferatur impedimentum. Nam exemplaris liber non ad speciem, sed ad necessitatem scriptus est; * non enim dictamus omnia, & maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti: tum quia ea quæ dictantur, impetu quodam proruunt, & profluo cursu feruntur.

2. Nobis autem quibus curæ est senilem sermonem [a] familiari usu ad unguem distinguere, & lento quodam figere gradu, aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo; ut non tam * deflare aliquid videamur, quam abscondere: neque alterum scribentem erubescamus, sed ipsi nobis conscii sine ullo arbitro, non solum auribus, sed etiam oculis ea ponderemus, quæ scribimus. Velocior est enim lingua quam

*. Refellitur hic error ab Athanasio *epist. ad Epict.* ab Epiphanio *Hæres. 77.* ab ipso etiam Ambrosio lib. *de Incarn. Domin. Sacr.* cap. 6. nec non ab a iis, quorum ibidem, atque in Admonit. ad eumdem librum abunde fecimus mentionem.

*. Hunc hæreticum postquam Mediolano Placentiam venisset, à Sabino cujusdam ipsum consulentis rogatu confutatum fuisse, atque eam rem ad Ambrosium ab eodem episcopo delatam censet Hermannus. Atqui series epistolæ indicare potius videtur Apollinaristam Placentia venisse Mediolanum; & Ambrosium eorum quæ istic evenerant, à Sabino literis præmonitum, eidem vicissim, quæ in eadem causa Mediolani facta fuerant, rescripsisse. Quam quidem opinionem hæc ultima verba plane confirmant.

*. Hæc satis conveniunt cum illis Paulini verbis: *Nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cùm aliqua infirmitate adtenuaretur.* Quod autem præter curam excolendi styli, aliam causam cur ipse scriberet, subjungit, nimirum ut alienæ fatigationi parceret; id quidem eximiam Viri sancti humanitatem pulcre declarat. Hieronymus autem noctu se dictare solitum non uno loco testificatur. Neque ignota res est, dictante Origene, plures simul antiquarios, quibus sumtum suppeditabat alius Ambrosius, excipere consuevisse.

a. Belv. codex, *familiarius ad unguem* &c. Minus commode.

*. *Deflare* hoc loco idem est, ac subito impetu quidquid in buccam venerit, effundere.

Psal. 44. 2. manus, dicente Scriptura: *Lingua mea calamus* A *scribæ velociter scribentis.*

3. Sed forte dicas, quia velocitatem ad scribentem retulit. Non te fallit tamen id significari, quod scribæ velociter scribentis celeritas sola possit linguæ propheticæ excipere sermones. Apostolus quoque Paulus sua scribebat
Galat. 5. 11. manu, sicut ipse ait: *Mea manu scripsi vobis*; ille propter honorificentiam, nos propter verecundiam.

4. Tamen dum adhuc habes de libris judi- B cium, interludamus epistolis, quarum ejusmodi usus est, ut disjuncti locorum intervallis, affectu adhæreamus: in quibus inter absentes imago refulget præsentiæ, & collocutio scripta separatos copulat: in quibus etiam cum amico miscemus animum, & mentem ei nostram infundimus.

5. Jam, si ut hortaris, aliquid & de veteribus scripturis redoleat in epistolis, non solum animi conglutinari videntur per veræ doctrinæ C profectum; sed etiam plenioris colloquii species & forma exprimi, ut inter quærendi & respondendi mutuas vices adsumta concertatio in unum conducere, & coram videatur amicos locare, qui tali se lacessunt & complectuntur munere.

6. Quid autem majorum nostrorum exempla proferam, qui epistolis suis fidem infuderunt populorum mentibus, atque ad integros & confertos scripserunt populos, & præsentes se D esse, cùm absentes scriberent, significarunt,
1. Cor. 5. 3. dicente sancto Apostolo, quia absens erat corpore, sed præsens spiritu; non solum cùm scriberet, sed etiam cùm judicaret? Denique absens per epistolam condemnabat, & idem absolvebat per epistolam; epistola enim Pauli quædam effigies erat ejus præsentiæ, & forma operis.

2. Cor. 10. 10. 7. Non enim ut aliorum epistolæ, *graves*, inquit, *& fortes, præsentia autem corporis infirma,* E *& sermo contemtibilis*; talis & Apostoli: sed talis hujus epistola, ut talis esset forma præcepti, qualis esset operationis substantia: *quia qua-* Ibidem 11.
les sumus, inquit, *verbo per epistolam absentes, tales & præsentes sumus in opere.* Imaginem præsentiæ suæ in epistolis expressit, [a] fructum & testimonium in opere significavit. Vale, & nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.



* EPISTOLA XLVIII.

* Scripta circ. ann. 390.

Sabinum, *ut libros suos severo expendat examine, obsecrat, & quæ commoda hinc oriantur, exponit; subjungens tamen duritiem verborum tolerandam esse, dum fidei professio integra sit, suas variis hæresibus fidei professiones opponit: ac demum se in posterum scribendis epistolis maxime operam daturum spondet.*

Ambrosius Sabino.

1. Remisisti mihi libellos, quos tuo judicio probatiores habebo. Ideo misi alios non judicii favore delectatus, sed promissa à te, & petita à me veritate illectus: malo enim tuo corrigatur judicio, si quid movet, priusquam foras prodeat, unde jam revocandi nulla facultas sit; quam laudari à te, quod ab aliis reprehendatur. Itaque arbitrum te eorum quæ postulas, rogavi; neque enim legi à te mea, quæ nonnumquam tribuo in vulgus, sed in tuæ calculum venire sententiæ desideravi. * Non erit longi C subsellii ista judicatio & mora, ut dictum est antiquitus. Facile est tibi de nostris judicare?

2. Ego certe huc invitatu tuo prodeundum putavi: tuum est liquido decernere, & scrutanter discutere, quæ corrigas; ne tibi vitio vertant ea, quæ nobis potuerunt obrepere. Nescio quo enim modo præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, * unumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt; atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam D scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautius plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum: tum quia alieno examinanda judicio, non pro nostra debemus magis, quam pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos malevolentiæ.

3. Adsume igitur benevolenti animo aurem versutiæ, & pertracta omnia, [b] sermones vellica; si in iis non forenses blanditiæ, & suaso- E ria verba, sed fidei sinceritas est, & confessionis sobrietas. * Notam appone ad verbum dubii ponderis, & fallacis stateræ; ne quid pro se esse adversarius interpretetur. Esto ut revincatur, si congredi cœperit: Male se habet liber, [c] qui sine adsertore non defenditur. Ipse igitur pro se loquatur, qui procedit * sine interprete: noster hic tamen non egredietur à nobis, nisi à te acceperit auctoritatem. Itaque cùm eum fide tua prodire jusseris, committe- F tur sibi.

4. Tamen quoniam *non in sermone est regnum Dei*, sed in virtute; verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato. Professio autem fidei sententia est, quam adversum Sabellianos & Arrianos ita * à majoribus traditam tenemus, 1. Cor. 4. 20.

a. Ita plerique mss. nonnulli tamen, & omnes edit. *fructum testimonii* &c.

*. Hæc verba hoc translata sunt ex epist. 9. lib 3. epist. Cicer. ubi sic habetur: *Longi subsellii, ut noster Pompeius appellat, judicatio & mora.*

*. Non sine laude à plerisque memorata sunt verba hæc Ambrosiana, sed in primis à Baronio *in Martyr. Rom.* ubi de sancto Sabino agitur.

b. Vet. edit. *sermones ventila*: Rom. cum scriptis cod. *sermones vellica*. Est autem vellicare manu tentare utrum aliquid alicui valde cohæreat, aut facile possit avelli. Unde clarus fit metaphoricus sensus, quo hic ponitur.

*. Fuit antiquis ea consuetudo, ut qui libros aliorum examinandos acciperent, quid tolli, quidve mutari oporteret, appositis quibusdam notis indicarent. Horatius *de Arte poet. Incomtis allinet atrum transverso calamo signum* &c.

c. Thuan. codex, *qui suo adsertore*; Non satis commode.

*. Interpres hic est, quem vulgo mediatorem dicimus, hoc est, conciliatorem. Cicero in Verrem: *Aut qui sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii esse solent.* Idem in epistolis: *Quo ego interprete novissime ad Lepidum usus sum* Ita Nannius.

*. Quanti faceret Ambrosius veteres Ecclesiæ traditiones à nobis jam aliquoties observatum est, sed hunc etiam locum indicare non gravabimur. Quod autem spectat ad Sabellianos, Arrianos, ac Photinianos, de commentis atque erroribus eorum ad lib. *de Fide ac de Incarn.* satis diximus.

ut

ut Patrem Deum, & Filium ejus unigenitum, & Spiritum sanctum veneremur: hanc Trinitatem unius esse substantiæ, majestatis, divinitatis: in hoc nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizare nos, quemadmodum scriptum est: [Matth. 28. 19.] Filium itaque coæternum Patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto & Virgine Maria, æqualem Patri secundum divinitatem in Dei forma, id est, in omni plenitudine divinitatis, quæ in illo habitat, ut dixit Apostolus, corporaliter; [Coloss. 2. 9.] qui in persona hominis formam servi accepit, & se humiliavit usque ad mortem. [Philip. 2. 8.]

5. Ergo & adversus Photinum hæc nobis sententia est: adversus Apollinarem autem legitima circumspectio; ut confiteamur sicut in Dei forma nihil ei defuit divinæ naturæ & plenitudinis, * sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo judicaretur: qui ideo venit, ut totum hominem salvum faceret. Neque enim decebat, ut qui perfectum opus in aliis consummaverat, hoc imperfectum in se esse pateretur; si enim aliquid ei defuit, non totum redemit: si non totum redemit, fefellit igitur, qui dixit ideo se venisse, ut totum hominem salvum faceret. Sed quia *impossibile est* [a] *mentiri Deo*, [Hebr. 6. 18.] non fefellit: ergo quia ita venit, ut totum redimeret, & salvum faceret, totum utique suscepit, quod erat humanæ perfectionis.

6. Nostra sententia hujusmodi est, ut meministi. Si verba alicubi movent, non præjudicant fidei; etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, & defendit à lapsu.

7. Hæc tecum prolusimus, quæ in libros nostrarum epistolarum referam, si placet, atque in numerum reponam; ut tuo commendentur nomine, & tuis ad nos, & nostris ad vos litteris augeatur mutuus amor per Dominum: ut ita legas, quod judices; & quod moverit, scribas ad me: AMOR ENIM verus constantiâ probatur. Placet jam quod senibus usu facilius est, quotidiano & familiari sermone epistolas texere; & si quid de scripturis divinis obvium inciderit, adtexere. Vale, frater, & dilige amantem tui; quia plurimum te diligo.

*EPISTOLA XLIX.

[* Scripta circ. ann. 390.]

Numquam minus se solum esse, quam cùm solus sit amico scribens. solitudinis bona exemplis docet; maximè quod tunc liceat præsentem in Scripturis habere Deum. & ei mentem nostram patefacere.

AMBROSIUS SABINO.

1. QUoniam tibi quoque complacuit nostrarum usus epistolarum, [b] in quibus quidam inter absentes præsentium sermo est, pergam frequentius te in meis scriptis & cùm solus sim, alloqui. * Numquam enim minus solum sum, quam cùm solus esse videor: nec minus otiosus, quam cùm otiosus. Certe pro arbitrio accerso, quos volo; atque adjungo mihi, quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror: nemo interpellat, nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo, & de Scripturis confero, & prolixiorem simul sermonem cædimus.

2. Sola erat Maria, & loquebatur cum Angelo. [Luc. 1. 28.] Sola erat quando supervenit in eam Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbravit eam. Sola erat, & operata est mundi salutem, [c] & concepit redemtionem universorum. Solus erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognovit mysteria. [Act. 10. 10. & seq.] Solus erat Adam, & non est prævaricatus; [Gen. 2. 9. De Parad. Dist. 2. cap. Quando Adam.] quia mens ejus adhærebat Deo. Postquam vero ei mulier adjuncta est, non potuit inhærere mandatis cælestibus; & ideo se abscondebat, quando Deus deambulabat in paradiso.

3. Et nunc deambulat in paradiso Deus, [Gen. 3. 8.] quando divinas scripturas lego. Paradisus est Genesis liber, in quo virtutes pullulant patriarcharum: paradisus Deuteronomium, in quo germinant Legis præcepta: paradisus Evangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ spei mandata diffundit per universos populos.

4. Audiens itaque: *Diligite inimicos*; [Matth. 5. 44.] audiens: *Dimitte omnia tua, & sequere me*; [Matth. 19. 21.] audiens: *Qui te percutit in maxilla, præbe ei & alteram*; [Luc. 6. 29.] & hæc non faciens, & vix diligens eum, qui me diligat, non dimittens quæ habeo, injuriam acceptam ulcisci volens, & sublatum mihi extorquere; cùm Scriptura dicat etiam aliud, id est, plus quam petitum aut ereptum est, concedendum, video me contra mandata Dei facere. Et aperiens oculos conscientiæ, deambulare mihi Deum præsentem recognosco: cupio me abdere, cupio velare; sed nudus sum Deo, apud quem nuda & intecta sunt omnia. [Hebr. 4. 13.] Erubescens itaque tegere pudenda facinorum desidero, quasi membra mei corporis: sed quia Deus omnia videt, quia foliis obumbratus, latebris tectus appareo, puto me absconditi; quia corpore amictus sum. Ipsa est tunica pellicea, cum qua Adam de paradiso ejectus est, [Gen. 3. 23.] nec à frigore tutus, nec tectus ab opprobrio, sed & injuriæ & culpæ patens.

5. Liquet igitur ex his, quia soli cùm sumus, tunc nos offerimus Deo, tunc mentem ei nostram aperimus, tunc amictum fraudis exuimus. Solus erat Adam, quando in paradiso constitutus est, [Gen. 2. 8.] solus erat & quando ad imaginem Dei factus est: [Gen. 1. 27.] sed non erat solus, quando de paradiso ejectus est. Solus erat dominus Jesus, quando mundum redemit; non enim legatus neque nuntius, sed ipse Dominus solus [Johan. 16. 32.]

*. Apollinaristarum præcipuum hunc errorem fuisse, quod à Christo humanam animam vel susceptam negarent, vel sine mente ac ratione susceptam contenderent, observavimus ad lib. *de Incarn. Sacr.* cap. 2. num. 11. Quo etiam lib. cap. 7. Ambrosius illud ipsum, quo hic utitur, adhibet argumentum.

a. Rom. edit. *mentiri Deum* græce similiter ψεύσασθαι θεόν Attamen propter mss. ac vet. edit. consensum existimamus hyperbaton ab Ambrosio hic factum esse ita restituendum, Deo impossibile est mentiri.

b. Rom. edit. *in quibus quidem*. Minus apposite.

*. Actum est de hoc paradoxo lib. 3. Offic. cap. 1. num. 1. ubi & nos unde petitum fuit, indicavimus. Non omittemus autem hoc loco Franc. Petrarcham lib. 2. *de Vita Solit.* sect. 5. cap. 2. quam cordi Ambrosio solitudo fuerit, commemorare; ejusque suburbanum secessum describere; ubi hoc ipsum epistolæ hujus testimonium citat.

c. Ita vet. edit. cum mss. pluribus potioribusque: Rom. vero cum aliis cod. nonnullis, *& concepit Redemtorem*. Sed eodem modo redemtionem concepisse Maria dici utique potest, quo dicitur salutem operata, in quantum scilicet mediatorem ac reparatorem mundo peperit. Qui quidem loquendi modus minime infrequens est apud Ambrosium.

salvum fecit populum suum: etsi numquam solus est ille, in quo Pater est semper. Unde & nos soli simus, ut Dominus nobiscum sit. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

*EPISTOLA L.

* Scripta circ. ann. 390.

Quod mentiri Deus non possit, non esse infirmitatis: Dei tamen esse aliquod infirmum, sed quod fortius sit hominibus, crucem nimirum. Quod Deus prophetiam Balaam infuderit mirum non esse; cùm illud nec sacerdoti negaverit Christum persequenti: ut nempe sibi ex inimicis exprimeret testimonium. Quanta infidelitate atque avaritia prophetias suas corruperit Balaam: sed potissimum quæ fuerit illius in persuadendo scelere perfidia? Unde efficitur Deum mutabilem non fuisse erga eum, ut pote cujus nequitiam perspexerat.

AMBROSIUS CHROMATIO.

a Tit 1. 2. Hebr. 6. 18.

1. NUmquidnam [a] mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile quoque istud numquidnam infirmitatis est? Non utique; nam quomodo C omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? [b] Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ ejus contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & majestatis; quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem. Ideoque fit *Deus verax, omnis autem homo mendax.* (Rom. 3. 4.)

2. [c] Veritas itaque semper in eo est, fidelis D manet, mutare se, & negare non potest. Si enim verum se negat, mentitur: mentiri autem non virtutis, sed infirmitatis est. Nec mutare se potest, quia natura ejus non recipit infirmitatem. Hoc igitur impossibile ejus plenitudinis est, quæ minuere se & augere non potest: non infirmitatis, quæ in eo quod se auget, imbecilla est. Ex quo colligitur impossibile Dei potentissimum esse. Quid enim potentius, quam nescire quidquid infirmitatis est?

3. Est tamen & aliud infirmum Dei, quod E fortius est hominibus; & stultum Dei, quod sapientius est hominibus: sed hoc crucis, illud divinitatis. Si ergo quod infirmum est ejus, potentia est: quod potentiæ, quomodo infirmum est? Sit igitur nobis positum, quia non mentitur Deus. (1 Cor. 1. 25.)

4. Sed nec augurator augurii in Israel, secundum legem Dei. Quomodo ergo Balaam prohibitum se oraculo Dei dicit, ut vadat ad F maledicendum populo Israel, & ivit, & occurrit ei Angelus Domini, qui eum prohibuerat pergere, ita ut obsisteret asinæ ejus, quæ vehebat eum; & nihilominus & ipse dixit ei ut (Deut. 18. 10. Num. 22. 32. & seq.)

A iret, sed hoc diceret, quod sibi infunderetur? [d] Si augurator non est in Israel, unde isti oraculum Dei, quod futura manifestavit, qui augur erat? Si oraculum Dei loquebatur, unde meritum divinæ adspirationis adsumserat?

5. Sed non mireris infusum auguri à Domino, quod loqueretur; quando infusum legis in Evangelio etiam [e] principi Synagogæ uni ex persequentibus Christum, quia oportet unum hoB minem mori pro populo. In quo non prophetiæ meritum, sed adsertio veritatis est; ut adversariorum testimonio manifestaretur, quo perfidia non credentium vocibus suorum augurum redargueretur. [f] Ideo Abraham ille Chaldæus adsciscitur ad fidem, ut Chaldæorum superstitio conticesceret. Non igitur confitentis meritum, sed vocantis oraculum est, [g] revelantis Dei gratia. (Joan. 11. 50.)

6. Quid igitur Balaam contraxit offensionis, nisi quia aliud loquebatur, aliud machinabatur? Deus enim vas mundum requirit, non immunditia inquinatum & sordibus. Tentabatur igitur Balaam, non probabatur; erat enim plenus fallaciæ ac doli. Denique cùm primo consuluisset utrum ad illum vanitatis populum deberet pergere, & prohibitus esset, excusavit: postea missis legatis honoratioribus, promissis uberioribus, muneribus cumulatioribus illectus, qui renuntiare debuerat, iterum consulendum putavit: quasi Deus aut pretio aut muneribus inflecteretur. (Num. 22. 12. Ibid. 19.)

7. Responsum est quasi avaro, non quasi ei, qui verum quæreret; ut illuderetur potius, quam informaretur. Cœpit ire, occurrit ei Angelus in angusto, demonstravit se asinæ, non demonstravit auguri. Illi se revelavit, istum obtrivit; tamen ut aliquando & ipse cognosceret, aperuit oculos ejus: vidit, & adhuc tamen non credidit evidenti oraculo; & qui vel oculis credere debuisset, involuta & ambigua respondit. (Ibid. 24.)

8. Tunc indignatus Dominus per Angelum dixit: *Vade; sed quæcumque tibi inspiravero, hæc dices*, id est, non quæ vis, sed quæ cogêris loqui. Quasi organum inane sonum meis præbebis sermonibus. Ego sum, qui loquar, non tu qui ea quæ audieris, resultabis, & quæ non intelliges. Nihil proficies eundo; [h] quia sine mercede remeabis pecuniæ, & sine profectu gratiæ. Denique ea prima vox ejus est: *Quid maledicam, cui non maledicit Dominus?* ut ostenderet non in sua voluntate esse benedictionem Hebræi populi, sed in Dei gratia. (Ibidem 35. Ibid. 23. 8.)

a Rom. edit. quæ tomo 1. hanc epistolam, adscripto ei titulo Annotationis super cap. 23. Num. exhibet, eidem hæc etiam verba præmittit: *Dictum est, Non ut homo Deus, ut mentiatur: neque ut filius hominis, ut moveatur.* Fatendum tamen est abruptum id videri, quo sanctus noster utitur, exordium: sed cùm sub finem epistolæ ad tractanda hujusmodi argumenta testetur se Chromatii rogatu animum appulisse, credibile est aliquid fuisse in hujus litteris, quod tali initio responsi Ambrosiani ansam dederit.

b. Eadem edit. Rom. *Illud utique quod natura ejus contrarium est, non quod virtuti arduum.* Sed quorsum hujusmodi trajectio & mutatio spectet, non videmus. Adverte autem obiter quanto sagacius sapientiusque Ambrosius hoc loco argumentetur, quam Plinius lib. 2. *Hist. natur.* cap. 7. ubi Deum non omnia posse ex eo colligit, quod sibi mortem non possit consciscere.

c. Mss. non pauci, *Verax itaque*, nonnulli *utique*: ceteri, ac edit. ut in texto.

d. Rom. edit. sola, *Si divinatio non est* &c.

e. Eadem edit. Rom. cum uno alterove ms. *principi sacerdotum.* Quæ autem de prophetia hic tradit Ambrosius, eo vertuntur, quod illa sit è genere donorum, quæ gratis data vocantur à theologis: quæque non ad sanctificationem eorum, quibus insunt, conceduntur; sed ad proximi utilitatem. Unde scite de illis Facundus lib 8. cap. 7. *Quoties per nescientes scienter operatur ipse, qui potest omnia facere!*

f. Omnes edit. *Balaam ille Chaldæus*; ubi Nannius, allusio, inquit, ad id quod à gentis vitio mathematici & genethliaci Chaldæi appellantur. Attamen cùm propemodum omnes mss. præferant, *Abraham ille Chaldæus*, verisimilius est donum fidei Abrahæ ex ipsa Chaldæa oriundo collatum ad probandum quod hic dicitur de prophetia Balaamo concessa, in medium proferri.

g. Ita mss. præter unum aut alterum: hi vero, & omnes edit. *revelante Dei gratia. Quid igitur contraxit* &c.

h. Mss. aliquot, *qui sine mercede remanebis.* Non satis recte.

Num. 23. 9. 9. *A ſummis*, inquit, *montibus conſpiciam eum*; A quoniam non oculis comprehendere poſſum hunc populum, qui habitabit ſolus, fines ſuos non locorum poſſeſſione diſterminans, ſed virtutis incolatu, & morum ſingularium proprietate in æterna diffundens ſæcula. Quis enim annumerabitur ei de nationibus aliis, qui finitimorum populorum excedit conſortia juſtitiæ ſublimitate? Quis conſtitutionem generationis ejus colliget? Corpora quidem eorum humanis ſeminibus concreta & figurata advertimus, ſed B de ſuperioribus, & mirabilibus ſeminariis animæ eorum pullularunt.

Ibidem 10. 10. *Moriatur anima mea in animis eorum*, moriatur hanc corporalem vitam, ut in animis juſtorum illius æternæ vitæ adipiſcatur gratiam. In quo jam tunc ſacramenti hujus cæleſtis, & ſacri baptiſmatis revelata eſt magnificentia, per cujus operationem moriuntur homines culpæ veteri, & iniquorum operibus; ut novitate vitæ in conſortia juſtorum transfigurati, in eo- C rum mores reſurgant. Et quid mirum de hominibus, cùm moriantur peccato, ut Deo vivant?

a 11. Hæc audiens Balac, indignatus eſt [a] dicens: Ad maledicendum te adduxi, & tu benedicis. Reſpondit ille: Calumniam patior de eo, quod neſcio; ego enim nihil meum loquor, ſed quaſi cymbalum tinniens ſonum reddo. Iterum alio atque alio transductus, cùm vellet b Ibidem 21. maledicere, benedicebat: [b] *Non eſt labor in Jacob,* D *neque dolor.* Dominus illum protegit. Et infra jubet parari aras ſeptem & ſacrificia. Utique debuit diſcedere, ſed per infirmitatem mentis, & mutabilitatem ſententiæ putabat quod avertere poſſet Dei voluntatem: ipſe autem per exceſſum mentis aliud cupiebat, & aliud loquebatur.

Num. 24. 5. & 6. c 12. *Quam ſpecioſa*, inquit, [c] *habitacula tua*, ô Hebræorum militia! *Tabernacula tua ſicut nemora obumbrantia, ſicut paradiſus ſuper fluvium,* E *& ſicut cedrus ſecus aquas.* Exiet homo ex Jacob, & obtinebit multas gentes, & adtolletur regnum ejus in altum: in terris quoque extendet Ibidem 9. principatum ſuum in Ægyptum. *Qui benedicent eum, benedicentur: & qui maledixerint ei, maledicti erunt.* Quem igitur niſi Chriſti populum d [d] ſignificat? Eum benedicit Deus, in cujus me- Hebr. 4. 12. dullas Verbum Dei deſcendit uſque ad diviſionem animæ, artuum quoque & medullarum: in quo habuiſſet Balaam gratiam Domini, ſi id F ex ſententia & affectus ſui propoſito feciſſet. Sed quia revincitur mala mens conſiliis ſuis, & occulta animi produntur exitu; ideo ſequentibus inſidiis animus ejus aperitur.

13. Unde & dignam mercedem ſuæ invenit malevolentiæ. Nam cùm adverteret quod non poſſet in exceſſu mentis poſitus maledicere, dat conſilium regi, dicens: [e] Illa ſint oracula horum quæ Deus præcepit, accipe conſilium adverſus oracula Dei. Populus iſte juſtus eſt, habet protectionem Dei; quia non divinationibus & auguriis ſe ſe dedit, ſed ſoli æterno Deo; ideo ceteris fide præſtat. Interdum tamen & fideles mentes corporis labuntur illecebrâ, & formæ lenocinio. Sunt tibi mulieres plurimæ, & pleræque non indecores pulcritudine: virilis autem ſexus nullo magis lubricus, quam muliebri decore cito capitur; & maxime ſi ardor mentium alloquiis inflammetur frequentibus, & quaſi facibus inardeſcat; ſi ſpem potiundi hauriat, affectum differat. Jaciant igitur mulieres tuæ vocibus ſuis hamos, nec difficiles primos congreſſus ſuos præbeant, ſed & * viſu faciles, & dictu affabiles circumerrent, & toto ſe circumfundant exercitui; atque hos arte tractent viros, ut concubitu non indulgeant, niſi amoris mutui fidem conſortio ſacrilegii comprobaverint. Sic enim poterunt cæleſti protectione deſtitui, ſi ipſi à domino Deo ſuo ſacrilegiis deviaverint.

14. Non igitur juſtus Balaam, ut pote conſiliarius fornicationis & ſacrilegii, ſicut evidenter etiam in Apocalypſi ſcriptum eſt Johannis evangeliſtæ, dicente domino Jeſu ad Angelum Eccleſiæ Pergami: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum* Apoc. 2. 14. & 15. *coram filiis Iſrael, manducare immolata, & fornicari; ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Quo apparet inde Manichæorum ſacrilegia manaſſe, qui miſcent atque adjungunt * ſacrilegium turpitudini.

15. Ergo nec Deus injuſtus, nec mutabilis ejus ſententia: deprehendit enim mentem ejus, & occulta cordis; & ideo tentavit eum quaſi divinum, non elegit quaſi prophetam. Et utique vel tantorum oraculorum gratiâ & revelationum ſublimitate converti debuit: ſed animus nequitiæ plenus verba promſit, non fidem detulit, conſiliis infirmare cupiens, quod annuntiabat futurum. Et quia oracula fraudare non poterat, conſilia fraudulenta ſubminiſtrabat; quibus [f] levis populus Judæorum tentati quidem f ſunt, ſed non expugnati; unius enim viri ſa- Num. 25. 11. cerdotis juſtitiâ ſolutum eſt omne facinoroſi hominis conſilium, multoque mirabilius per unum hominem potuiſſe liberari exercitum patrum, quam potuiſſe decipi.

16. Hoc munuſculum ſanctæ menti tuæ tranſmiſi; quia vis me aliquid de veterum ſcriptorum interpretationibus paginare. Ego autem adſumſi epiſtolas familiari ſermone adtexere, redolentes aliquid de patrum moribus; quarum guſtum ſi probaveris, poſt hæc hujuſmodi mittere non verecumdabor. Malo enim ſenilibus verbis de ſupernis rebus hallucinari tecum;

a. Rom. edit. ſola, *dicens: Quid feciſti mihi? Ad maledictionem inimicorum meorum vocavi te, & ecce benedixiſti benedictione.*

b. Eadem edit. *Non erit labor in Jacob, neque dolor in Iſrael. Dominus Deus ejus cum eo.*

c. Rom. edit. *habitacula tua Jacob, tabernacula tua Iſrael.*

d. Vet. edit. ac plures mſſ. *ſignificat, & benedicit* (quidam *benedixit*) *Deus*; in mſſ. nonnullis *Deus* omittitur: edit. Rom. *quem benedixit Deus*: reliqui mſſ. ut contextu.

e. Omnes edit. ac pleriquе mſſ. *Illa ſint oraculorum*: aptius Prat. & alii aliquot, *Illa ſint oracula horum.*

* Verſus Maronis, inquit Nannius, cum parvula immutatione:

Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.

*. Quænam ſint turpitudines, quibus adjunctum à Manichæis ſacrilegium adſerit Ambroſius, explicatur ab Auguſtino lib. *de Hæreſ.* cap. 46.

f. Edit. cum mſſ. aliquot, *quibus leves populi Judæorum tentati.* Alii mſſ. plures ac probatiores; *quibus levis populus Judæorum tentati*, minime male.

a quod græce dicunt ἀδολεσχῆσαι: [a] Ἐξῆλθεν ὁ Ἰσαὰκ A
b εἰς τὸ πεδίον ἀδολεσχῆσαι, [b] veniente Rebecca futuræ Ecclesiæ animo videns mysteria: malo, inquam, hallucinari tecum verbis senilibus, ne
c videar [c] artem deseruisse, quàm concitatioribus deflare aliquid jam nec studiis nostris aptum nec viribus. Vale, & nos dilige; quia ego te diligo.

* Scripta circ. ann. 390.

*EPISTOLA LI.

B *Adventum ejus non ingrato affectu se declinare, sed ne tacere cogeretur, aut offensionis causam praberet. Iracundum esse Theodosium, sed ex se placabilem: ne igitur eum commoveret, valetudinem excusasse. Ingemuisse episcopos eadem Thessalonicensem, proinde in eluenda illa sanctorum imitandam pœnitentiam, sine qua peccatum non tollitur. Diabolum qui ei inviderit, vincendum. Non audere se, illo præsente, offerre sacrificium, à quo etiam divinitus fuerit deterritus: at ipsam pœnitentiam sacrificium esse. Quod factum ejus non prævenerit, dolere se, quippe qui eum vere diligat.*

C Augustissimo imperatori THEODOSIO AMBROSIUS episcopus.

1. ET veteris amicitiæ dulcis mihi recordatio est, & beneficiorum, quæ crebris meis intercessionibus summâ gratiâ in alios contulisti, gratiæ memini. Unde colligi potest quod non ingrato aliquo affectu adventum tuum semper mihi antehac exoptatissimum declinare potuerim. Sed qua causâ hoc fecerim, breviter expediam.

D 2. Soli mihi in tuo * comitatu jus naturæ ereptum videbam audiendi, ut & loquendi privarer munere; motus enim frequenter es quod ad me pervenissent aliqua, quæ in consistorio tuo statuta forent. Ego ergo expers communis usus sum, cùm dicat dominus Jesus *nibil esse occultum, quod non manifestetur.* Verecundiâ igitur, qua potui, satisfeci imperiali arbitrio; & prospexi ne aut ipse causam commotionis habeas, cùm id egerim, ne quid ad me de imperialibus deferatur statutis: aut ego cùm fuero præsens, aut non audiam per metum omnium, & quasi conniventis famam subibo: aut ita audiam, ut mihi aures pateant, vox intercludatur; ut audita non possim eloqui, ne eos qui in suspicionem proditionis venerint, lædam in periculo.

Luc. 8. 17.

E 3. Quid igitur facerem? Non audirem? Sed aures non possem cerâ veterum fabularum claudere. Proderem? Sed quod in tuis jussis timerem, in meis verbis deberem cavere; ne quid cruentum committeretur. Tacerem? Sed quod miserrimum [d] foret omnium, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et ubi illud? Sed si sacerdos non dixerit erranti, is qui erraverit, in sua culpa morietur, & sacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit errantem?

d Ezech. 3. 19.

4. Accipe illud, imperator auguste. Quod habeas fidei studium, non possum negare; quod Dei timorem, non diffiteor: sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, cito vertes ad misericordiam; si quis stimulet, in majus exsuscitas, ut eum revocare vix possis. Utinam si nemo mitigat, nullus accendat! Libenter eum committo tibi: ipse te revocas, & pietatis studio vincis impetum naturæ.

5. Hunc ego impetum malui cogitationibus tuis secretò committere, quam meis factis publice fortassis movere. Itaque malui officio meo aliquid deesse, quam humilitati: & requiri in me ab aliis sacerdotis auctoritatem, quam à te desiderari in me * amantissime honorificentiam; ut represso impetu, integra esset consilii eligendi facultas. Prætendi ægritudinem corporis re vera gravem, & nisi à viris mitioribus vix levandam: vel emori tamen maluissem, quam adventum tuum biduo, aut triduo non exspectarem. Sed quid facerem, non erat.

6. Factum est in urbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, * quod revocare non potui, ne fieret; immo quod ante atrocissimum fore dixi, cùm toties rogarem: & quod ipse sero revocando grave factum putasti, hoc factum extenuare non poteram. Quando primùm auditum est, [e] propter adventum Gallorum episcoporum Synodus convenerat; nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit: non erat facti tui absolutio in Ambrosii communione. In me etiam amplius commissi exaggeraretur invidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam.

7. An pudet te, Imperator, hoc facere quod rex propheta, auctor Christi secundum carnem prosapiæ, fecit David? Illi dictum est, quia dives qui haberet plurimos greges, unam pauperis ovem propter adventum hospitis eripuit & occidit; & cognito quod in hoc ipse argueretur, quia ipse fecisset, ait: *Peccavi Domino.* Noli ergo impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi: Tu fecisti istud, quod David regi dictum est à propheta. Si enim hoc sedulo audieris, & dixeris: *Peccavi Domino*; si dixeris regale istud propheticum: *Venite adoremus, &*

2. Reg. 12. 13.

Psal. 94. 6.

a. Cùm imperite & parum distincte græca verba scribantur in cod. manu exaratis, eam lectionem ex illis expressit Amerbachius, quæ non modo barbara, sed etiam omni sensu destituta esset. Quapropter ut manifesto ulceri medicinam Erasmus exhiberet, hanc sententiam quasi germanam substituit, *græce dicunt*, ἀδολεσχεῖν γεωργικοῖς [illegible] ἀδολεσχῆσαι. Verùm non satisfecit Romanis editoribus; ii siquidem, non paucis vocibus trucidatis, has tantum nobis exhibuerunt, *Græci dicunt* ἀδολεσχῆσαι. Ceterum curiosius characteres, queis hic locus in mss. Reg. exaratur, examinantibus vera lectio detegitur, quam restituimus. Porro de voce ἀδολεσχῆσαι & ejus significatione tractavit Ambrosius lib. *de Isaac & Anima* cap. 1. num. 1. & in Psalm. 18. num. 13. & 14. atque alibi.

b. Vet. edit. ut *eniteme Rebecca*. Rom. & nonnulli mss. *ut veniente Rebecca*: Sed in aliis mss. concinnius *ut* omittitur.

c. Omnes edit. & pauci mss. *artem desisse*: aliqui alii: *artem dedisse*: melius ceteri, *artem deseruisse*, interpretandi nempe Scripturam, ut aliquid proprio marte lucubraret.

*. Comitatus, ut Nannius observat, est familia imperatoris, cum officiariis & stipatoribus, quæ olim cohors dicebatur.

d. Vet. edit. *forte omnium*: Rom. *foret omnium*; multo melius. Quapropter cùm in emendanda hac epistola destituamur auxilio mss. nihil potius nobis videtur, quam ut ejus editionis lectionem retineamus, quam præstare aliis arbitrabimur.

*. Ita omnes edit. sed locus nobis nonnihil suspectus est corruptionis; forte tamen non difficulter sanandus, si pro *amantissime*, substituatur *amantissimo*.

* Promiserat Ambrosio Theodosius injuriam suam Thessalonicensibus se donaturum, sed purpuratorum suorum instinctu rursus ad ultionem animum reflexerat, ut docet Paulinus in Ambrosii Vita.

e. Rom. edit. sola, *cum propter* &c. Sed sine adverbio *cùm* nihilo pejus sensus constare potest. De qua porro Synodo intelligenda sint subjecta verba, controvertitur. Eam esse autumat Baronius, in qua Jovinianus ejusque sectatores condemnati sunt. Hermannus autem licet in Elucidationibus profiteatur se nihil quo illa opinio vel adstruatur vel destruatur, advertere; lib. tamen 7. cap. 1. Vitæ Ambr. censet episcoporum illum conventum propter Ithacianos, & Sabinum diœcesi Treverensi ab eis impositum coivisse: sed nec ullum sententiæ suæ firmamentum ipsemet profert. De hac vero ultima Synodo iterum à nobis dicendum erit.

procidamus ante eum; & ploremus ante Dominum noſtrum, qui fecit nos; dicetur & tibi: Quoniam 2 Reg. 12. 13. pœnitet te, dimittit tibi Dominus peccatum tuum, & non morieris.

8. Iterum cùm plebem numerari juſſiſſet David, percuſſus eſt corde, & dixit ad Dominum: 2 Reg. 24. 10. *Peccavi vehementer, quod fecerim hoc verbum, & nunc, Domine, aufer iniquitatem ſervi tui, quod deliqui vehementer.* Et miſſus eſt iterum ad eum Nathan propheta, qui ei trium optionem conditionum offerret, ut quam vellet, eligeret: famem tribus annis in terra, aut tribus menſibus fugere à facie inimicorum ſuorum, aut triduo mortem in terra. Et reſpondit David: Ibidem 14. *Anguſtiæ ſunt tria hæc vehementer; verumtamen incidam in manu Domini; quoniam multæ miſericordiæ ejus nimis: & in manus hominis non incidam.* Culpa autem erat, quoniam voluit ſcire numerum totius plebis, quæ ſecum erat: quod ſcire Deo ſoli debuit reſervare.

9. Et cùm, inquit, mors fieret in plebe, ipſo primo die ad horam prandii cùm vidiſſet David percutientem Angelum in plebem, ait David: Ibidem 17. *Ego peccavi, & ego paſtor malignum feci, & hic grex quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei.* Itaque pœnituit Dominum, & juſſit Angelo ut parceret plebi, ſacrificium autem offerret David; erant enim tunc ſacrificia pro delictis, hæc nunc ſunt ſacrificia pœnitentiæ. Itaque ea humilitate acceptior Deo factus eſt: NON ENIM MIRANDUM peccare hominem: ſed illud reprehenſibile, ſi non ſe cognoſcat erraſſe, non humiliet Deo.

10. Job ſanctus & ipſe potens in ſæculo, ait: Job 31. 33. *Peccatum meum non abſcondi, ſed coram plebe omni annuntiavi.* Ipſi immani regi Saul dixit Jonathas filius ſuus: 1 Reg. 19. 4. *Noli peccare in ſervum tuum David;* & : Ibidem 5. *Ut quid peccas in ſanguinem innocentem occidere David ſine cauſa?* Quia etſi rex erat, peccabat tamen, ſi occideret innocentem. Denique etiam David cùm jam regno potiretur, & audiſſet Abner innocentem occiſum à Joab duce militiæ ſuæ, ait: 2 Reg. 3. 28. *Innocens ſum ego & regnum meum amodo & uſque in æternum à ſanguine Abner filii Ner;* & jejunavit in dolore.

11. Hæc ideo ſcripſi, non ut te confundam, ſed ut regum exempla provocent, ut tollas hoc peccatum de regno tuo: tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio, vince eam. PECCATUM non tollitur niſi lacrymis & pœnitentia. Nec Angelus poteſt, nec Archangelus; Dominus ipſe, qui ſolus poteſt dicere: Matth. 28. 20. *Ego vobiſcum ſum;* ſi peccaverimus, niſi pœnitentiam deferentibus non relaxat.

12. Suadeo, rogo, hortor, admoneo; quia dolori eſt mihi, ut tu qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui ſingulos nocentes non patiebaris periclitari, tot periiſſe non doleas innocentes. Etſi in præliis feliciſſime egeris, etſi in aliis quoque laudabilis; tamen apex tuorum operum pietas ſemper fuit. Id tibi invidit diabolus, quod habebas præſtantiſſimum. Vince eum, dum habes adhuc, unde poſſis vincere. Noli peccato tuo aliud peccatum addere, ut uſurpes, quod uſurpaſſe multis officit.

13. Ego certe in omnibus aliis licet debitor pietati tuæ, cui ingratus eſſe non poſſum, quam pietatem multis imperatoribus præferebam, uni adæquabam: ego, inquam, cauſam in te contumaciæ nullam habeo, ſed habeo timoris: * offerre non audeo ſacrificium, ſi volueris adſiſtere. An quod in unius innocentis ſanguine non licet, in multorum licet? Non puto.

14. Poſtremo ſcribo manu mea, quod ſolus legas. Ita me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet; quia non ab homine, neque per hominem, ſed aperte mihi interdictum adverti. Cùm enim eſſem ſollicitus, * ipſa nocte qua proficiſci parabam, veniſſe quidem viſus es ad Eccleſiam; ſed mihi ſacrificium offerre non licuit. Alia prætereo, ut potui cavere: ſed pertuli amore tuo, ut arbitror. Dominus faciat ut omnia cum tranquillitate cedant. Multifarie Deus noſter admonet, ſignis cæleſtibus, prophetarum præceptis: viſionibus etiam peccatorum vult nos intelligere; quo rogemus eum, ut perturbationes auferat, pacem vobis imperantibus ſervet, fides Eccleſiæ & tranquillitas perſeveret, cui prodeſt chriſtianos & pios eſſe imperatores.

15. Certe vis probari Deo. Omnis rei tempus, ut ſcriptum eſt: *Tempus, inquit, faciendi, Domine;* & : *Tempus beneplaciti Deus.* Eccleſ. 3. 1. Pſal. 118. 126. Pſal. 68. 14. Tunc offeres, cùm ſacrificandi acceperis facultatem; quando hoſtia tua accepta ſit Deo. Nonne me delectaret habere gratiam imperatoris, ut ſecundum voluntatem tuam agerem, ſi cauſa pateretur? ET SIMPLEX oratio ſacrificium eſt: hæc veniam refert, illa offenſionem; quia hæc habet humilitatem, illa contemtum: Dei enim vox eſt, quod malit ut fiat mandatum ejus, quam deferatur ſacrificium. Clamat iſtud Deus, ad populum Moyſes annuntiat, ad populos Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tempore plus facere. Matth. 9. 13. *Miſericordiam,* inquit, *malo, quàm ſacrificium.* Quare non illi magis ſint Chriſtiani, qui peccatum condemnant ſuum, quam qui defendere putant? Prov. 18. 17. *Juſtus* enim *in exordio ſermonis accuſator eſt ſui.* QUI SE ACCUSAT cùm peccaverit, juſtus eſt, non ille qui ſe laudaverit.

16. Utinam, Imperator, etiam ante mihi potius crediddiſſem, quam conſuetudini tuæ. Cùm puto quod cito ignoſcis, cito revocas, ut ſæpe feciſti; & tu præventus es, & ego non declinavi, quod cavere non debueram. Sed gratias Domino, qui vult ſervulos ſuos caſtigare, ne

*. Hic epiſcopalem auctoritatem officioſâ indulgentiâ temperat beatus Ambroſius. Alibi vero illum ſeverius egiſſe animadvertimus cum Valentiniano juniore, dum eum aditu Eccleſiæ prohibendum ab epiſcopis, ejuſque dona rejicienda minitatus eſt. Immo vero & Theodoſium ipſum acerbius increpavit, cùm eumdem in Eccleſiam per vim ingredi velle ſuſpicatus eſſet, ut narrat Paulinus in ipſius Vita. Sed ſanctis epiſcopis id moris erat, ut & adverſus humiles ac reſipiſcentes indulgentiam præ ſe ferrent, & ſeveritatem diſtringerent in contumaces. Unde Cyprianus epiſt. 55. antiq. edit. *Si qui autem ſunt, inquit, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe . . . pro certo habeant contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini.*

*. Non omnia ſomnia ſive nocturnas viſiones rejiciebant antiqui Patres, quin immo non modo Ambroſium de multis apparitionibus tamquam divinitus immiſſis ſobrie loqui animadvertimus, ſed etiam Cyprianum pluribus locis, Auguſtinum in libris *de Civit. Dei*, atque alibi, Gregorium in lib. 4. *Dialog.* & in Homiliis, aliòſque benemultos quos prætermittimus.

perdat. Istud mihi commune est cum prophe- A tis, & tibi erit commune cum sanctis.

17. An ego * Gratiani patrem non oculis meis præferam? Debent veniam sancta alia pignora tua. Dulce mihi nomen anteculi, quibus amorem communiter detuli. Amo, diligo, orationibus prosequor. Si credis, sequere; si, inquam, credis, agnosce quod dico: si non credis, ignosce quod facio, in quo Deum præfero. Beatissimus & florentissimus cum sanctis pignoribus fruaris tranquillitate perpetua, Im- B perator auguste.

* Scripta circ. ann. 390.

* EPISTOLA LII.

TATIANO *causam cur in judicio cum nepte subeundo timeat, sublatam gratulatus, ei ut facilem se ad componendum prebeat, suadet.*

ᵃ AMBROSIUS TITIANO.

1. VEnit tibi innocens victoria, ut sine voti amaritudine potiaris victoriæ se- C curitate; Rufinus enim ex magistro officiorum factus est in consulatu præfectus prætorio: ac per hoc ᵇ plus posse cœpit, sed tibi jam nihil obesse; est enim aliarum præfectus partium. Quam gaudeo vel illi, ut amico; quia honore auctus, invidia levatus est: vel tibi, ut filio; quia liberatus es ab eo, quem tibi graviorem judicem arbitrabare; ut si de negotio definiveris cum tua nepte, pietatis tuæ sit, non formidinis.

2. Ideoque promtior esto decisioni, cujus & D spes potior, & fructus est. Spes, quia pater ᶜ neptis tuæ, qui de illius sententia sibi plurimum blandiebatur, jam quod de eo speret, non habet; ille enim alia curat, præterita negligit, vel cum illo, quod tunc gerebat, deposuit officio: iste negotii sui meritum, non sententiæ patronum considerat. Et fructus jucundior est, ut tibi referatur decisionis gratia, qui potueris jam spernere, & non spreveris, pietatem spec- E tans necessitudinis, non stimulum offensionis. Vale, & nos dilige, ut filius; quia nos te, ut parentes, diligimus.

* Scripta ann. 390.

* EPISTOLA LIII.

Causam silentii sui aperiens, VALENTINIANI *obitum maxime propter summam ejus in Deum pietatem, atque in se benevolentiam luget. Deinde nuntiato ad ejusdem sepulturam sibi præsto esse marmor, ut ea ferorum illius causâ maturetur, suadet.*

AMBROSIUS THEODOSIO imperatori.

1. SIlentium meum rupit sermo clementiæ tuæ; nihil enim in tam tristibus rebus melius facere in animum induxeram, quam si fieri posset, me ipsum abdere. Sed quia in secessu aliquo delitescere, & sacerdotio exire non poteram, vel silentio intra me latebam.

2. Doleo enim, fateor, dolore acerbo, non solum quod immatura ætate Valentinianus augustus decesserit; sed etiam * quod informatus fide, ac tuis institutis tantam devotionem erga Deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante persequebatur, nunc diligeret: quem ante ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret. Quod ego non pro recordatione injuriæ veteris expromsi, sed pro testimonio conversionis. Illud enim alienum, hoc suum, quod à te infusum sibi ita tenuit, ut matris persuasionem excluderet. Ille se à me nutritum præferebat, ille ut sedulum patrem desiderabat, ille simulato à quibusdam adventus mei nuntio, impatienter præstolabatur. Quin etiam illis ipsis publici doloris diebus, * cùm sanctos & summos sacerdotes Domini intra Gallias haberet; ut à me tamen sacramentis baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est: quod etsi non rationabiliter, amabiliter tamen erga me suum studium testificatus est.

3. Hunc ergo non intimo anhelem spiritu, secretisque mentis atque animi visceribus amplectar? Hunc mihi mortuum putem? Immo mihi ᵈ magis mortuum. Quas ego Domino deferebam gratias, quod ita in me conversus esset, quod ita emendatus, quasi senioris cujusdam ætatis mores induisset: quas clementiæ tuæ, quod eum non solum regno reddidisses; sed etiam, quod est amplius, instituisses fidei & pietatis tuæ disciplinis? Hunc ergo non doleam, ævi integrum, antequam sacramentorum quæ

*. Ambigi potest cujusnam Gratiani hic fiat mentio. Et certe vir quidem eruditissimus scripsit non pridem ex hoc Ambrosii loco nec non ex verbis Gregorii Nyss. præter Honorium & Arcadium Theodosii filios par alterum, de quibus auctores ferme silent, se reperisse, Gratianum scilicet & Pulcheriam. De Pulcheria quidem, quam Baronius aliique multi agnoscunt, nulla controversia est: verum de Gratiano haud ita expeditum fuerit pronuntiare. Etenim locus Gregorii, qui sub finem Orationis in funere Flaccillæ habetur, & quo ille auctor quatuor liberos, tres masculos scilicet ac filiam unam, Theodosio diserte adtribui sibi persuadet; ita explicari commode potest, ut è tribus liberis, duos qui virilis sexus essent, marito Flaccilla reliquerit, tamquam ad imperii defensionem idoneos: ipsa vero solam filiam sibi retinuerit. Quod autem Ambrosius hoc loco dicit de Gratiano, non de vero & per sanguinis propagationem sato filio intelligatur, necesse est: cùm imperatores ætate provectiores juniorum quamquam alieno semine progenitorum parentes, & juniores eorumdem seniorum principum filios dici consuevisse passim indicetur ab Ambrosio. Sic epist. 17. n.12 Theodosium Valentiniani secundi patrem appellat, sic epist. 24 n. 7. Maximum tyrannum conquestum refert, quod ad se Valentinianus non venerit *quasi filius ad patrem*, sed multo clarius epist. 53. num. 5. eumdem Valentinianum etsi jam vita functum vocat filium Theodosii. Et hinc collige quomodo Gratiani pater hic dici possit Theodosius.

a. Rom. edit. sola, *episcopus Titiano.* Titianus autem ille, seu Tatianus (ita enim vocatum in Cod. Theod. atque alibi reperimus) magni meriti ac auctoritatis fuit, qui dignitatem præfecti prætorii gessit sub Theodosio imperatore, sub quo etiam filius ejus Proclus sive Proculus præfecti Constantinopolis munere ornatus est. Verum cùm uterque in odium Rufini incidisset, hic patrem in exsilium pelli, filium vero capitali supplicio affici curavit, ut narrat Zozimus lib. 4.

b. Ultimæ edit. Paris. *plus esse cœpit.* Quod porro Rufinus ex magistro officiorum præfectus prætorio in consulatu factus dicitur, hinc intellige illum maximis imperii dignitatibus cumulatum fuisse. Bullengerus lib. 2. *de Imperat. Rom.* cap. 18. agit de Consulibus, lib. 3. *de Imperio Rom.* cap. 13. de Magistro Offic. & lib. 3. cap. 2. de Præfecto prætorio. Ceterum tot ac tam multiplices ejus honores, quominus facinorum suorum pœnas lueret, non prohibuerunt. Qua de re adi Philostorgii lib. 11. & alios.

c. Ameth. & mss. prope ad unum, *neptis tua. Quid de illis sentias Sibi plurimum* &c. Sed veram lectionem exhibent aliæ edit.

*. His mirum in modum conveniunt, quæ ab eodem Ambrosio dicuntur in funebri laudatione hujus ipsius Valentiniani, maxime sub finem orationis. Neque etiam ab his discrepant ea, quæ scribit Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 15. Nec non Suidas in *Excerp. Vit. Cæsar.* ubi de juniore Valentiniano.

*. In Galliis ea tempestate florebant episcopi vitæ sanctimonia eminentissimi, ut puta Martinus Turonensis, Delphinus Burdegalensis, Victricius Rotomagensis, & alii.

d Omnes edit. *magis vivum*: omnes mss. *magis mortuum*: Haud malo sensu; idem enim est, ac si diceret: Illa omnia efficiunt, ut eum mihi ereptum magis sentiam.

desideravit, adipisceretur gratiam, repentina obisse morte? Refrigerasti animum, quod etiam ipse dignatus es ferre testimonium meo dolori. Te, Imperator, arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem.

4. Sed flendi tempora aliàs non deerunt: nunc de sepultura ejus, quoniam scripsit clementia tua ita hîc [a] procurandam. Si exsors recessit baptismatis, quid cognoverim, nunc repressi. Est hîc porphyreticum labrum pulcherrimum, & in usus hujusmodi aptissimum; nam & Maximianus Diocletiani socius ita humatus est. Sunt tabulæ porphyreticæ pretiosissimæ, [b] quibus vestiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur.

5. Hoc fuerat præparatum, sed exspectabatur rescriptum clementiæ tuæ: cujus perceptione recreatæ sunt sanctæ filiæ tuæ, filii tui * Valentiniani sorores, quæ se gravibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur, quod diu nihil scriberetur sibi. Unde iis non parum accessit solatii, sed dum inhumatæ sunt reliquiæ, nequaquam sibi parcunt; videntur enim sibi germani sui quotidianum funus tenere. Et re vera cum sine fletu magno, ac sine dolore gravi numquam sint; tamen quotiescumque eo accedunt, exangues revertuntur. Et ipsis igitur consuletur, & carissimis exuviis, si acceleretur sepultura, ne æstivo penitus solvantur calore; vix enim superiorem æstatem transegimus.

6. Mandatum tuum servo, & commendo Domino. Diligat te Dominus, quia tu Domini servos diligis.

* Scripta circ. ann. 391.

* EPISTOLA LIV.

Remissam appariteri offensam, nec non Faustini tussim recrudescentem Eusebio nuntiat.

AMBROSIUS * EUSEBIO.

1. APparitor * præfecturæ, qui propter operas Portuenses offensam contraxerat, jam in portu navigat. Opportune autem advenit; nam simul [c] ut accepi litteras tuas, vidi præfectum, rogavi pro eo: ignovit illico, jussit retrahi epistolam, quam de facultatibus ejus publicandis dictaverat. Quod si tardius venisset, nemo magis probasset inexplicabile illud opus esse portus reformandi, quam iste, qui

A illic naufragium fecerat, nisi te habuisset gubernatorem; ut aliter non posset inde nisi nudus exire.

2. Faustinus parvulus tussi laborat, * ad sanctam sororem curatum venit, & venit sponte; expertus enim est melius sibi ventrem curari. [d] Denique & me medicum putat, exspectat prandium. Itaque hîc bis ad diem curatur, & cœperat pulere valere: sed dum eum nimio amore abstinere gestiunt, tussire de ventre plus

B cœpit; & laborabit adhuc, nisi ad medicamenta sua revertatur. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

* Scripta circ. ann. 391.

* EPISTOLA LV.

EUSEBII sobolem partim apud se remansisse, partim ad illum profectam esse commemorans, duos Faustinos accommodatis familiæ Noachi benedictionibus exornat; & salutanti Valentinianæ Chanaan & Nembrot personas aptat.

C AMBROSIUS * EUSEBIO.

1. FAustinus uterque tibi redditus est, nobis utrumque Ambrosium pignus resedit. Ipse habes quod primum in patre, & quod jucundissimum est in filio minore; quia & virtutis apicem tenes, & humilitatis exhibes gratiam: nos quod medium inter patrem & juniorem filium. Tecum summa totius domus, [e] & perpetuati vocabuli jugis successio: apud nos

D parca mediocritas, quæ & de summo pendeat, & in posteriore subsistat. Tecum igitur requies utriusque nostrum, quæ cùm invicem nobis refunditur, omnem animi abstergit sollicitudinem. Tecum is qui & moribus & operibus suis & sobole tali invenit gratiam apud Dominum nostrum. Tecum is qui inter mundi hujus procellas * spiritalem nutrivit columbam, quæ ei fructus afferat pacis, uncta olivo integritatis. Tecum is qui ædificavit aram Deo, (* Gen. 8. 11. & seq.)

E quem benedixit Deus & filios ejus, dicens: *Crescite, & multiplicamini*; cum quo testamentum pacis statuit suæ; ut sit ei & filiis ejus in progeniem æternam. (Gen. 9. 1. Ibidem 9.)

2. Habes igitur heredem divinæ benedictionis, consortem gratiæ, [f] participem justitiæ. Sed vide, quæso, ne iste noster Noe agricola, bonus plantator feracis vineæ, cùm fuerit amo-

a. Edit. *procurandum. Sed exsors* . . . , *non repressi*: mss. contra ut in textu; nisi quod haud pauci habent cum edit. *non repressi*.

b. Ita plerique mss. edit. vero & alii quidam mss. *quibus vestiebatur operculum*, labri videlicet.

*. Justa & Grata Valentiniani hujus sorores in virginitate perseverarunt.

*. Eusebii Bononiensis episcopi memoria in *Martyr. Rom.* ponitur VI. Kal. octobr. Idem in Aquil. conc. memoratur pag. 801. ubi nos alium non videri ab eo, quem Ambrosius initio lib. *de Instit. Virg.* laudat, submonuimus. Sed illum, ad quem hæc & subsequens epistola destinantur, ab eo existimamus esse diversum, ut dictum est in Admon. ad lib. *de Inst. Virg.* Quod ergo in mss. aliquot, & edit. in lemmate scribitur *Eusebio episcopo*, id errori eorum adscribimus, qui ex utroque Eusebio unum fecerunt. Certe in sequente epistola episcopus non salutatur, nec in ambarum fine vocatur frater, quo nomine episcopos alloqui solet Ambrosius.

*. Apparitor, apparere, & apparitum quid sint, quamque varii hujus nominis officiales, & quibus olim paruerint magistratibus, diligenter explicat Bulengerus lib. 6. *de Imp. Rom.* cap. 17. Idemque de apparitoribus præfecti prætorio, è quibus erat is, de quo hîc agitur, nonnulla refert. Adverte porro quam lepide ludat Ambrosius noster in proverbiis à portu derivatis, nimirum accommodando reparandorum portuum redemtori has parœmias, *in portu navigare*, & *in portu impingere* vel *naufragium facere*, de quibus Erasm. Chil. 1. Cent. 1. Adag. 46. & Chil. 1. Cent. 5. Adag. 76.

c. Quædam edit. exhibent, *ut accepit* . . . . *jussi retrahi*. Neutrum apposite.

*. *Ad sanctam sororem*, id est, sanctimonialem virginem; qua de re dicetur seq. epist.

d. Omnes mss. *& medicum putat*. sed in omnibus edit. *me* reperitur.

*. Non est dubium quin hic Eusebius idem plane sit, ad quem inscribitur superior epistola, pater Faustini alterius, ejus vero qui tussi laborare nuntiatus est, avus. Utrumque autem hîc designari nemo dubitet: verum haud mediocriter erravit P. Nannius, dum *Ambrosium pignus* ita exponit, quasi ipsemet Ambrosius noster cum alio Ambrosio, patre suo nimirum, significetur. Atqui certum est non nisi de Ambrosio puero & Ambrosia virgine, cujus gratiâ liber *de Instit. Virg.* editus fuit, hoc dictum esse. Idem etiam non aliter hallucinatur, dum sequentem sententiam perinde accipit, ac si Vir sanctus per voces *in patre* patrem suum Ambrosium, & per *in filio minore* Parthenium fratrem suum minorem intelligeret. Sed quis somniet Ambrosii nostri avum fuisse hunc Eusebium. Hæc apinæ sunt, ac meræ nugæ.

e. Codex Vind. *& perpetua vocabuli*: edit. Rom. *& perpetuitati vocabuli*: melius reliqui mss. ac edit. ut in textu.

*. Ambrosiam intellige, de qua in *Admon. lib. de Instit. Virg.* à nobis dictum.

f. Ita edit. ver. ac plures mss. at Rom. edit. cum aliis quibusdam mss. *principem justitiæ*.

ris & gratiæ tuæ inebriatus poculo, tamquam crapulatus à vino, diutius quieti indulgeat: ac si forte indormierit, excitet eum Sem nostri desiderium. A

Gen. 9. 23. 3. Est & ibi Japhet junior ex fratribus, qui pietatis reverentiâ patrem induat, quem pater & dormiens videat, nec umquam de pectore dimittat suo, quin semper oculis & complexu teneat, atque evigilans intelligat, quæ ei fecerit filius suus junior. Qui latitudo latine dicitur, eo quod in labiis ejus diffusa gratia sit, & in moribus; propter quod benedixit eum Dominus, B
a Gen. 9. 26. quia ipse [a] tamquam Bononiam retrorsum rediens patrem texit pio caritatis velamine, & detulit pietati honorem, de quo & pater ait: *Latificet Deus Japhet in domibus Sem.* Unde & in enumeratione generationum præfertur seniori fratri, in benedictione substituitur: præfertur propter honorem nominis, substituitur propter prærogativam senioris ætatis, & honorificentiam naturæ debitam. Ibidem 27. Gen 10. 1. & seq.

C

4. Sem autem dicitur latine nomen. Et bene hîc noster Ambrosius bonum nomen, in cujus domibus [b] dilatetur Japhet, *quia potius est nomen bonum super multas divitiarum copias.* Sit ergo & iste benedictus, & gratia ejus super aurum & argentum, sit in portione ejus semen Abrahæ, [c] sit benedictio omnis in posteritate, & omni familia justi viri. Sed maledictus nemo, benedicti omnes; benedictus enim Sarræ fructus. b Prov. 22. 1. c

5. Salutant te Ambrosii, salutat Parthenius dulcissimus, salutat Valentinianus paratus ad humilitatem; quod hebraice Chanaan dicitur, quasi puer fratris sui, [d] cui & nomine suo cessit. Et ideo tamquam Nembroth gemini gigas nominis, venator egregius super terram, de quo dictum est: *Tamquam Nembroth gigas venator ante Dominum.* Namque ingenio subrusticus, viribus validus, quos ingenio æquare non potest, viribus superat; ut Comacinas rupes gestare secum, [e] & faciem, tauro propior, vultu videatur exprimere, posthabitum se indignatus, & paterno exutum vocabulo, metropolitanum virum Bononiensi subditum; quia infantiæ nescit blanditias, & de nutricis gremio se [f] illæsus excussit. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus. D d Gen 10. 9. E e f

*EPISTOLA LVI.

* Scripta ann. 391.

Dolet AMBROSIUS *contentionibus Evagrii ac Flaviani Capuanum concilium finem afferre non potuisse. Flavianum, quod imperatori preces obtulerit, incusat: sed ita tamen ut hoc ipsius juri nolit officere. Postremo Theophilum quomodo judicium hoc à Capuana synodo illi commissum exerceat, monet; ut ea de re imprimis ad Romanum pontificem referat suadens.*

AMBROSIUS THEOPHILO.

1. NOn habet * quod urgeat Evagrius, & habet quod metuat Flavianus, ideoque refugit examen. Dent fratres veniam dolori justo; quia propter ipsos universus orbis concutitur, & illi tamen nostro non compatiuntur dolori. [g] Perstringi saltem se æquanimiter ferant ab iis, quos vident sua per tantorum curricula temporum vexari intentione. Inter hos etenim duos nihil, quod ad Christi pacem pertineat, eligentes gravis toto orbe stabat discordia. * g

2. Cui bonæ pacis naufragio sancta synodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis; ut omnibus per totum orientem daretur communio catholicam confitentibus fidem, & duobus istis tuæ sanctitatis examen impertiretur, fratribus & consacerdotibus nostris Ægyptiis pariter confidentibus; quia hoc verum judicium futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione, aliquo favore penderet.

3. Cùm ex his igitur [h] æquissimis synodi constitutis speraremus jam remedium datum, finemque allatum discordiæ, scribit sanctitas tua iterum fratrem nostrum Flavianum ad precum auxilia, & imperialium rescriptorum suffragia remeavisse. Frustra ergo tantorum sacerdotum fusus labor, iterum ad hujus sæculi judicia revertendum, iterum ad rescripta, iterum vexabuntur sacerdotes senes, transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta altaria deserentur, ut in longinqua proficiscamur, iterum pauperum turbæ episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, [i] externæ opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certe victum inopum itineris usurpare. h i

a. Vet. edit. *tamquam bonus:* Rom. adjecit, *nepa*, forte quia subjicitur in textu, *retrorsum rediens*, quod nepæ seu cancro convenit. Vera tamen lectio est mss. *tamquam Bononiam*, quidam *Bononia*, non satis recte, cùm hic agatur de Faustino puero, qui una cum patre rediit Bononiam. Et continuo pro *latificet*, eadem Rom. edit posuit *latificet*: quod non displiceret, si vel unus ms. suffragaretur.

b Ita Rom. edit. cum mss. multo pluribus: Vet. autem cum uno vel altero, *latetur Japhet*.

c. Edit. vet. ac pauci mss. *sint benedictione*. Rom. edit. *sit benedictus omnis*: mss. magno numero, ut in textu.

d. Nonnulli mss *cui & nomine successit.*

e. Edit. quædam Paris. *& faciem tauri proprio vultu.* Sensus quidem apertus, sed mss. & aliæ edit. contrarius. Et sane vera lectio est, quam amplectimur; alluditur enim ad illud Virg. lib. 3. Georg.

Et faciem tauro propior; quæque ardua tota,

Faciem autem potuit Ambrosius pro externa regionis specie, atque asperitatis imagine. Porro *Comacinas rupes* Nannius eam alpium partem esse conjicit, quæ Como imminent, quo coloniam Pompeius Strabo deduxit, pater Pompei Magni: sed hæc, inquit, divinatio est.

f Ita omnes edit ac plures mss. aliorum autem nonnulli, *in ulcere*, nonnulli, *insultus*, magis apposite.

*. De dissidio Ecclesiæ Antiochenæ ob Meletii atque Paulini ordinationes motu, deque pacto nuvum antistitem in alterius demortui locum non sufficiendi per Flaviani consecrationem violato Ambrosius aliquid jam delibavit epist. 13. num 4. & epist. 14. num. 5. ubi nos etiam nonnihil adnotavimus. Earumdem autem turbarum continuatione factum est, ut Paulinus antequam moreretur, Evagrium sibi successorem adoptaret, & nullo alio adjutus episcopo inauguraret; qua utraque re cùm in sacros canones peccatum sit, non mirum est utrumque sibi diffidisse, in æmuli autem vitiosa ordinatione spem collocasse. Consulendi porro de hoc schismate Socrates lib. 5. cap. 5 & 15. Sozomenus lib. 7. cap. 11. atque alibi; sed hic ultimus apertus Flaviani fautorem se profitetur.

g. Mss aliquot, *Præstringi saltem.* Justa vero *intentione* idem significari ac contentione & pervicacia commode Nannius observavit.

h Omnes edit. ac mss. nonnulli, *æquissima synodi . . . . finemque oblatum discordia:* alii cod. magno numero, ut in textu, nisi quod pro *allatum*, in mss. quibusdam habetur, *ablatum*; non recte.

i. Ultimæ edit. Paris. *æterna opis egentes.* De sequenti porro sententia Nannius ita scribit: Rectum ne sit valde meritum ambigo, ut hic sensus, collatione pauperum viaticum conquirunt; nihil enim hic victus itineris, nisi viaticum. Quid si legas pro *inopum* inopem; ut aut cogantur inopiam gemere, aut si non gemant, ferre? Eo descenderem; nisi *usurpare* proprie diceretur, cùm quæ nostra non sunt, occupamus: quod tum fit, cum sacerdotes pauperibus victum in sui usum detrahunt. Bene autem emendavit Costerius pro *gerere gemere*. Hæc ille.

4. Interea

4. Interea solus exlex Flavianus, ut illi videtur, non venit, quando omnes convenimus. Fœnerator & debitor invicem sibi occurrunt, isti sibi non possunt occurrere: solus exsors Flavianus, ut ipse vult, sacerdotalis consortii, qui nec imperialibus decretis, nec sacerdotum conventui præsentiam faciat sui.

5. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Evagrio donamus speciem bonæ causæ, qui eo defensabilior sibi videtur, quod eum refugit Flavianus, aut quod habere se alterum arbitratur æqualem, uterque alienæ magis ordinationis vitiis,[a] quam suis fretus. Quos tamen nos in meliorem vocamus viam; ut malimus eos suis potius bonis, quam alieno vitio defendi.

6. Qua de re quoniam propriis texuisti litteris posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia; cùm sancta Synodus cognitionis jus unanimitati tuæ, ceterisque ex Ægypto consacerdotibus nostris commiserit: iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convenias; ut si in eo perseveraverit, quo veniendum non putet, salvis concilii Nicæni, sed etiam synodi Capuensis statutis, illibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod ædificatum est: *Si enim quod ædificavi, destruo, prævaricatorem me ipse constituo; ac si quæ destruxi, iterum ædificem.* Servetur ergo impertitæ pacis gratia inter universos, & nihilominus declinatio partis alterius frustrandi effectum habere non possit.

Gal. 2. 18.

7. Sane referendum arbitramur * ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ; quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas; si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non adferat; ut nos quoque, accepta vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis[b] adipiscamur.

EPISTOLA DE CAUSA BONOSI ex Capuanæ synodi decreto judicanda.

Sciscitantibus quid in BONOSI causa esset statuendum respondet auctor suum jam non esse de illa judicium, sed eorum ipsorum, ut pote quibus illud à Capuano consessu demandatum sit. Addit tamen Bonosum merito reprehensum de Mariæ filiis, eique unicum fuisse paucis adstruit.

1. *De[c] Bonoso direxistis episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur; & præcipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi, de ejus factis[d] vel scriptis cognoscerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, recte de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare; vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.*

2. *Denique cùm Bonosus episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi; responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia[e] modeste, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid; ut quod videretur vobis justitia convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii*

a. Ita omnes edit. & quidam mss. alii autem plures, *quam sui fretus.* At nobis utrumque haud parum suspectum est. Quis enim *suis* aut *sui* vitiis fretus dici possit. Sed hic etsi nullum subsidium afferant mss. omissam tamen à scriptoribus vocem *bonis*, quæ proxime sequitur, sententia satis declarat.

*. Adverte quam antiquum sit majores causas ad pontificis Romani judicium remittere, & consule super hoc Innocentii primi, ac Leonis item primi epistolas, sicut & Marcæ Concordiam, atque alios.

b. Paris. quædam edit. *adipiscantur:* Cardinalis de Cusa, *comprobamus*. reliquæ edit. ac mss. *adipiscamur.*

c. Huic epistolæ in cunctis edit. præfigebatur, *Ambrosius Theophilo & Anysio*, in Rom. additur, *episcopis*: at horum loco ponitur in mss. omnibus, *De Bonoso episcopo.* Excipe tamen Carolil. ac Thuan. in quibus subjungitur, *Ambrosius Theophilo.* Quærendum igitur an hæc eadem epistola vere Ambrosii sit, & ad quos data. Et primo quidem præter omnium edit. duorumque mss. ut diximus consensum, doctrinæ & argumentorum, quæ hic proponuntur, perfecta cum indubitatis quibusdam Ambrosii scriptis affinitas eam sancto Antistiti videtur adstruere. Verumtamen cùm multo plurium mss. consensus opponatur edit. auctoritati, cumque in his litteris Doctoris nostri mentio fiat in hæc verba, *cùm Bonosus .... misisset ad fratrem nostrum Ambrosium*, veri multo similius est ab alio quopiam scriptas fuisse. Quapropter non temere fecerunt ii, qui illas Ambrosio abjudicarunt. Atqui non mediocriter iidem inter se dissentiunt in ipsarum auctore definiendo. Holstenius in *Collatione Romana* illas adscribit Syricio: sed utrum mss. aliquorum auctoritatem, an vero Baronii conjecturam secutus, ei propriam quoque adjectam voluerit, incertum manet. Easdem quasi à Damaso profectas citat Jac. Almainus in lib. *de Auctor. Ecclesiæ*, nec in hoc ab eo Cajetanus in *Apologia libri de comparat. auctor. Papæ & Conc.* dissentit. Atqui utrumque chronologiæ ratio falsi convincit; non secus ac Nic. de Cusa lib. 2. *de Concordia Cath.* cap. 18. ubi multis ex eadem epistola propositis, subjungit: *Fuit, credo, ille papa* (cujus nomen in ms. suo non reperiri supra testatur) *S. Damasus, qui hanc rescripsit, quoniam ut ex immediate sequenti epist. 73. habetur, tunc Damasus illis temporibus fuit.* At illa verba, quæ ibidem hic auctor laudat, cùm petita sint ex epist. 17. n. 10. quam datam constat an. circ. 384. ejus conjecturæ haudquaquam favent. Non ergo etiam audiendus Rob. Cocus, qui lib. 3. cap. 14. illam eidem pontifici addicit, & ita affirmatum in conc. Basil. ex Æneæ Silvii lib. 1. memorat. Quid vero si quis memoratam epistolam alterius cujusdam ex Italiæ metropolitanis esse voluerit? Quid si ipsiusmet Ambrosii, sed scribentis nomine alicujus synodi post Capuanam habitæ, cui præfuerit? Nos sane in tam densis tenebris nihil definimus. Quod porro ad eos quibus destinata est eadem epistola, quamvis Theophilus in omnibus edit. jungatur Anysio, & in duobus mss. solus ponatur; cùm tamen in ceteris, nec non à Cusano & Almaino reticeatur, manifestum est illius nomen non alia re præmissum esse à librariis, quam quia superior inscripta est ad Theophilum. Et certe ejus diœcesis erat remotior, quam ut commode Bonosi causam ipse decideret. Sed neque ad Anysium solum datam arbitramur illam epistolam; alioqui quomodo in ad eum de ipso scriberetur, *qui cum episcopo Thessalonicensi* &c.? Non male igitur inscriptionem eidem fecit exstans Holstenius: *Dilectissimis fratribus Anysio & ceteris episcopis per Illyricum constitutis*: Cusanus vero & Almainus adserunt responsionem esse ad eorum scripta, quibus Bonosi judicium à Capuano concilio fuerat demandatum. Postremo hæc epistola in edit. omnibus ita incipit: *Accepi litteras vestras de Bonoso episcopo*: contra vero in cunctis mss. hoc illius initium est: *De Bonoso direxistis*, nimirum epistolas; plures tamen legunt, *direxit*, sed isti male.

d. Omnes edit. ac mss. *vel cognoscerent*: alii vero nonnulli expungunt τὸ *vel*: at Long. vocem *scriptis* solus retinet. Quod autem ad hunc Bonosum spectat, de illo fuse à nobis dictum est ad lib. *de Instit. Virg.* cap. 5. num. 35. & cap. 10. num. 65. cujus rei monuisse lectorem hic sufficiat.

e. Non pauci mss. *modeste, patienti ordine*: alii, atque edit. ut in textu. Hic autem forte mirabitur aliquis judicium Bonosi eisdem judicibus, à quibus jam damnatus fuerat, à Capuana synodo remissum esse. Verum credibile est priorem sententiam non fuisse, ut vocant, definitivam. Et potuit etiam fieri ut primis judicibus alios synodus adjungeret. Sed cùm ejusdem synodi acta exciderint, nihil nisi hæsitanter proponi potest. Attamen multa Launoius tomo 1. epistola ad Samboruvium de illo concilio disputat, minime indigna quæ consulantur.

judicent quibus judicandi facultas est data; vos A *enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.*

3. *Sane non possumus negare de Maria filiis jure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset dominus Jesus nasci per virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam* B *aulam regis æterni, concubitus humani seminis coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Judæorum adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex Virgine. Jam si hanc accipiant à Sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent.*

4. *Et ubi est illud, quod scriptum est, dicente* Johan. 19. 26. & 27. *Domino ad matrem de Johanne Evangelista:* Mulier, ecce filius tuus; *& rursus ad Johannem de* C *Maria:* Ecce mater tua? *Quid sibi istud vult, quod cùm in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia, & obmutescat; ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris adsertor, quod desponsata* Matth. 1. 18. *fuerit viro tantummodo Joseph; nulla tamen conjugalis coitus consuetudine thori jura cognoverit:* D *neque enim eam suscepturam ex Joseph filios à viri consortio separare voluisset.*

5. *Sed si hoc parum est, addidit testimonium* Johan. 19. 27. *Evangelista, dicens quod* suscepit eam Discipulus [a] in sua. *Numquid ergo divortium fecit? Numquid à viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat & fluctuat?*

Ibidem 30. 6. *Hoc ergo testamentum filii est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hereditas, hic totius finis consummationis. Denique* E *hoc dixit, &* emisit spiritum, *consummans omne mysterium bono fine pietatis.*

7. *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo quod fratri nostro & coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de ceteris, unde vestræ normam exspectamus sententiæ.*



*EPISTOLA LVII.

* Scripta sub finem ann. 392. vel initium 393.

EUGENIO *cur eum Mediolani non exspectaverit, explicat: deinde iis quæ sub Valentiniano & Theodosio relationis Symmachi occasione facta fuerant, recensitis, eumdem tyrannum quod sumtus idolorum templis concedendo, nec Dei timorem, nec aliorum de se existimationem ante oculos habuerit, libere arguit: oppositoque ipsius prævaricationi Hebræorum exemplo, hanc ait fuisse causam cur ad eum non rescripserit; se tamen in posterum libertate, quam apud alios principes adhibuerit, cum eodem usurum.*

Clementissimo imperatori EUGENIO AMBROSIUS episcopus.

1. SEcessionis mihi causa timor Domini fuit, [*] ad quem omnes actus meos, quantum queo, dirigere, neque umquam ab eo mentem deflectere, nec pluris facere cujusvis hominis, quàm Christi gratiam consuevi. Nemini enim facio injuriam, si omnibus Deum præfero; & confidens in ipso, non vereor vobis imperatoribus dicere, quæ pro meo captu sentio. Itaque quod apud alios imperatores non tacui, nec apud te, clementissime Imperator, tacebo. Atque ut ordinem rerum custodiam, strictim recensebo, quæ ad hoc spectant negotium.

2. Retulerat vir amplissimus * Symmachus, cùm esset præfectus Urbis, ad Valentinianum augustæ memoriæ imperatorem juniorem, ut templis, quæ sublata fuerant, reddi juberet. Functus est ille partibus suis pro studio & cultu suo. Utique etiam ego episcopus partes meas debui recognoscere. Dedi libellos [b] imperatoribus duos, quibus significarem sumtus sacrificiorum christianum virum non posse reddere: & non fuisse quidem me auctorem, cùm tollerentur; auctorem tamen fieri, [c] quominus decernerentur: deinde quia dare eos ipse simulacris videretur, non reddere. Quod enim ipse non abstulerat, non quasi ipse reddebat: sed arbitratu proprio largiebatur ad superstitionis impensas. Postremo si fecisset, aut non veniret ad Ecclesiam, aut si veniret, futurum ut aut sacerdotem non inveniret, aut inveniret sibi in Ecclesia resistentem. Nec ad excusationem obtendi posse, quod esset catechumenus; cùm non liceat etiam catechumenis sumtus idolis subministrare.

3. Lecti sunt libelli mei in consistorio, aderat amplissimus honore magisterii militaris * Bauto comes, & Rumoridus, & ipse ejusdem dignitatis gentilium nationum cultui inserviens à primis pueritiæ suæ annis. Valentinianus tunc temporis audivit suggestionem meam, nec fecit aliud, nisi quod fidei nostræ ratio poscebat. Adquieverunt etiam comiti suo.

a. Omnes edit. ac pauci mss *in suam*, subintellige matrem: at alii plures potioresque *in sua*; ex græco scilicet *εἰς τὰ ἴδια*; quomodo non semel ab Ambrosio citari jam ante vidimus. Non ingratum autem fuerit argumenta quibus hic perpetua Mariæ integritas vindicatur, cum iis quibus eamdem citatis locis libri *de Instit. Virg.* propugnat Ambrosius, sedulo componere; sic enim facile advertetur non tantopere allucinatos illos, qui utramque scriptionem eidem auctori adjudicarunt.

*. Ambrosium, audito Eugenii adventu, Bononiam se recepisse, indeque causas secessus sui eidem significasse auctor est Paulinus in ejus vita, & nos in *Admonit. ad Exhort. Virgin.* observavimus.

* Hujus Relationem col. 828. & sequentibus editam habes.

b. Rom. edit. *imperatori duos*. Reg. codex, in quo uno invenimus hanc epistolam, *imperatoribus duos*. Forte an quod eorumdem libellorum exempla Theodosio quoque deferri curaverit, aut certe quod ea quæ uni imperatori offerebantur, ejus collegis etiam censebantur oblata, quemadmodum à nobis alibi observatum est. Hi porro duo libelli nihil aliud sunt quam epistolæ 17. & 18. supra exhibitæ.

c. Eadem edit. *quominus decernerentur debere, quia dare pretia sacrificiorum*: cod. Reg. ut in textu. Rationes autem quibus apud Valentinianum epist. 17. usus repetitus, hic quasi in fasciculum revocat.

*. Bautonem idolorum cultui addictum fuisse hic non liquido indicat S. Ambrosius; annotavimus tamen ad epist. 24. num. 4. laudes quibus eum Zozimus prosequitur, ferme suspicionem injicere alienum eum fuisse à christianis sacris. Quod si verum non sit, ejus virtutem singularem exstitisse dicendum erit, quæ à tanto christianorum obtrectatore fuerit approbata.

4. Poſtea etiam * clementiſſimo imperatori Theodoſio coram intimavi, atque in os dicere non dubitavi, cui intimata ſenatus legatione hujuſmodi, licet non totus ſenatus popoſcerit, inſinuationi meæ tandem adſenſionem detulit, & ſic aliquibus ad ipſum non acceſſi diebus, nec moleſte tulit; quia non pro meis commodis faciebam, ſed quod & ipſi, & animæ meæ proderat, in conſpectu regis loqui non confundebar. (Pſal. 118. 46.)

5. Iterum Valentiniano * auguſtæ memoriæ principi, legatio à ſenatu miſſa intra Gallias, nihil extorquere potuit: & certe aberam, nec aliquid tunc ad eum ſcripſeram.

6. Sed ubi clementia tua imperii ſuſcepit gubernacula, compertum eſt poſtea donata illa eſſe * præcellentibus in republica, ſed gentilis obſervantiæ viris; & fortaſſe dicatur, Imperator auguſte, quia ipſe non templis reddideris, ſed bene meritis de te donaveris. Verùm noſti pro Dei timore agendum eſſe conſtanter, C quod etiam pro libertate frequenter fit non ſolum à ſacerdotibus; ſed etiam ab his qui vobis militant, aut in numero habentur provincialium. Te imperante, petierunt legati, ut templis redderes, non feciſti: iterum alteri poſtulavèrunt, reniſus es; & poſtea ipſis, qui petierunt, donandum putaſti.

7. Etſi imperatoria poteſtas magna ſit, tamen conſidera, Imperator, quantus ſit Deus: corda omnium videt, conſcientiam interiorem D interrogat, novit omnia, antequam fiant, novit interna pectoris tui. (Act. 1. 24. Dan. 13. 42.) Ipſi falli vos non patimini, & Deum [a] vultis celare quidquam? Hoc non cecidit in animum tuum? Quamvis enim illi agebant tam perſeveranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei ſummi & veri & vivi veneratione perſeverantius obſiſtere, & negare, quod erat in injuria ſacræ legis?

8. Quis invidet, quoniam quæ voluiſti, aliis donaviſti? Non ſumus ſcrutatores veſtræ libe- E ralitatis, nec aliorum commodorum invidi; ſed ſumus interpretes fidei. Quomodo offeres dona tua Chriſto? Pauci æſtimabunt quid feceris; omnes, quid volueris: quidquid illi fecerint, tuum erit: quidquid non fecerint, ſuum. Etſi es imperator, Deo ſubditus magis eſſe debes. Quomodo ſacerdotes Chriſti tua munera diſpenſabunt?

9. Fuit hujuſmodi quæſtio temporibus ſuperioribus; & tamen fidei patrum ipſa ceſſit perſecutio, & gentilitas detulit. F Nam cùm ageretur * agon quinquennalis in civitate Tyro, & ad ſpectandum veniſſet Antiochiæ rex ſceleratiſſimus, Jaſon [b] ordinavit ſacrorum procuratores, ut ab Hieroſolymis Antiochenſes ferrent (2. Mach. 4. 18. & ſeq.) A didrachmas argenti trecentas, & illas darent ad ſacrificium Herculis: verum patres non gentilibus dederunt pecunias, ſed viris fidelibus miſſis, [c] proteſtarunt non erogari ad deorum ſacrificium, quia non congruebat, ſed in alios ſumtus dari. Et pronunciatum eſt, quia ille ad ſacrificium Herculis miſſum dixerat argentum, ſuſcipi quidem debere in id, quod erat miſſum: ſed quia illi, qui detulerant, reſiſtebant pro ſtudio & cultu ſuo; ut non ſacrificio proficerent, B ſed aliis neceſſitatibus, traditæ ſunt pecuniæ ad conſtructionem navium: etſi coacti miſerunt, [d] non tamen ad ſacrificium, ſed ad alios ſumtus reipublicæ.

10. Denique [e] qui adtulerant, utique potuiſſent tacere: ſed lædebant fidem, quia ſciebant quo deferrentur; & ideo miſerunt viros timentes Deum, qui agerent, ut non templo, ſed ad impenſas navium, quæ miſſa fuerant, deputarentur. Ipſis enim crediderunt pecunias, qui cauſas agerent ſanctæ legis: judex rerum effectus fuit, qui abſolvit conſcientiam. Si poſiti in aliena poteſtate, ſic præcavebant, quid te oportuerit facere, ô Imperator, dubitari non poteſt. Tu utique quem nemo cogebat, nemo habebat in poteſtate, debuiſti ab ſacerdote conſulere.

11. Ego certe quando tunc reſtiti, etſi ſolus reſtiti, tamen non ſolus volui, nec ſolus id ſuaſi. Quoniam igitur meis vocibus & apud Deum & apud omnes homines teneor; aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, niſi ut conſulerem mihi; quia non potui tibi credere modeſte. Certe diu preſſi, diu texi dolorem, nulli quidquam intimandum putavi; diſſimulare mihi nunc non licet, tacere liberum non fuit. Ideo etiam in primordiis imperii tui ſcribenti non reſcripſi, quia iſtud prævidebam futurum. Denique repoſcenti litteras, cùm ipſe non reſcriberem, dixi: Hæc cauſa eſt, quod extorquendum ei arbitror.

12. Tamen ubi cauſa emerſit officii mei, pro his qui ſollicitudinem ſui gerebant, & ſcripſi & rogavi; ut oſtenderem in cauſis Dei timorem mihi juſtum ineſſe, nec pluris me facere adulationem, quàm animam meam: in his vero, in quibus vos rogari decet, etiam me exhibere ſedulitatem poteſtati debitam, ſicut & ſcriptum eſt: *Cui honorem, honorem: cui tributum, tributum.* (Rom. 13. 7.) Nam cùm privato detulerim corde intimo, quomodo non deferrem imperatori? Sed qui vobis deferri vultis, patimini ut deferamus ei, quem imperii veſtri vultis auctorem probari.



*. Id Baronius conjicit eveniſſe anno 388. cùm poſt Maximum devictum rediit Mediolanum Theodoſius, ad ethnicorum poſtulata benigne audienda poſt tantam victoriam, ut ipſi ſibi perſuadebant, magis paratus.

*. Theodoſio in orientem regreſſo, novos libellos circ. an. 392. Valentiniano, cujus adoleſcentiam tandem expugnaturos ſe ſe credebant, obtulerunt; ſed caſſo conatu, ut hic, & in ejuſdem imperatoris funebri laudatione teſtatur Ambroſius. Et hinc agnoſcimus diverſiſſimos hoſce libellos à Paulino in Ambroſii vita male confundi.

*. Flaviani atque Arbogaſtis comitum precibus atque auctoritati ab Eugenio conceſſa eſſe privilegia illa ſcribit Paulinus.

a. Reg. cod. *vultis celare? Non cecidit in animum tuum quidquam. Si illi agebant* &c. Sed hoc etiam modo idem hic locus à Paulino refertur, à quo alia ſimiliter nonnulla ad verbum ex hac epiſtola deſcripta ſunt.

*. Olympicos ludos intellige olim in Græcia celeberrimos, qui propterea quinquennales appellabantur, quod celebrarentur quinto quoque anno. Hos autem non ſolum in Elide, ſed alibi etiam inſtitutos ex Euſebio, Xiphilino atque aliis diſcere eſt.

b. Reg. cod. *ordinavit ſpectatores Antiochenos, qui ab Hieroſolymis ferrent drachmas. Et ille quidem miſit ad ſacrificium* &c.

c. Idem cod. *expoſtularunt non erogari ad ſacrificium.... licet ille ad ſacrificium Herculis miſſum dixerit ... debere quod erat miſſum.*

d. *Non tamen ad ſacrificium*, deeſt in cod. Reg.

e. Ita edit. Rom. mſ. autem Reg. *Denique & obtinuerunt, atque potuerant tacere* &c.

* Scripta circ. ann. 393.

* EPISTOLA LVIII.

PAULINI & THERASIÆ *post distributas egenis suas facultates secessum narrat, nec non futuras ob eam causam paganorum criminationes, quorum superstitionem ac cæcitatem luget. Tum nihil pro religione turpe ducendum exemplis probans, saltationem Davidis, Eliæque nuditatem mystice explicat, & defendit.*

AMBROSIUS SABINO episcopo.

1. PAulinum splendore generis in partibus * Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis, quam etiam conjugalibus, in hos se se induisse cultus ad fidem comperi; ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam: & ipse pauper ex divite factus, tamquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius Deo serviat. Elegisse autem secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans ævum exigat.

2. Matrona quoque virtuti & studio ejus proxime accedit, neque à proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum jura suis prædiis, virum sequitur, & exiguo illic conjugis contenta cespite [a] solabitur se religionis & caritatis divitiis. * Soboles eis nulla, & ideo meritorum posteritas desiderata.

3. Hæc ubi audierint * proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse à senatu, interceptam familiæ nobilis successionem: ferri hoc non posse. Et cùm ipsi * capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra; si forte christianus vir adtentior sacrosanctæ religioni, vestem mutaverit, indignum facinus appellant.

4. Equidem doleo tantam esse * in mendacio observantiam, in veritate negligentiam; ut confundantur plerique adtentiores ad sacrosanctam religionem videri, non considerantes vocem

Marc. 8. 38. dicentis: *Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.* Sed non confusus est Moyses, qui cùm esset adscitus in domum regiam, thesauris Ægypti opprobrium Christi præferendum putavit.

2. Reg. 6. 20. Non confusus est David, qui ante Arcam testimonii coram omni populo saltavit. Non con-

Esai 20. 2. fusus est Esaias, qui nudus & discalceatus ibat per populos, oracula clamans cælestia.

5. Quid utique tam deforme visibili specta-

A culo, quam histrionicos sinuare gestus, & femineo usu mollire membra? Deliciarum comes & luxuriæ ludibrium est lasciva saltatio. Quid illud quod ipse cecinit dicens: *Omnes gentes plaudite manibus?* Psal. 46. 2. Nempe si corporalia consideremus, tamquam muliebribus intermixtum choreis putamus eum concrepare manibus, & turpi sono plaudere. Nam & de Ezechiel dictum est: *Plaude manu, & percute pede.* Ezech. 6. 11.

6. Sed hæc quæ corporeo adspectu fiunt

B turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione [b] reverenda sunt; ut qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos reprehensionis animas suas inducant. Denique reprehendit Michol saltantem David, & ait ad eum: *Quid honorificatus est hodie rex Israel; quia denudatus est hodie ante oculos puellarum suarum?* 2. Reg. 6. 20 & seq. Et respondit ei David: *Coram Domino ludam, qui elegit me pro patre tuo, & pro universa domo ejus; ut constitueret me regem super populum suum Israel. Et ludam coram Domino,*

C *& denudabor adhuc sic, & ero nugax ante oculos tuos, & cum puellis, quibus dixisti me denudatum, honorificabor.*

7. Non erubuit igitur David femineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio verecundatus est. Ludebat enim Domino puer suus; & ideo amplius placuit, quia ita se humiliavit Deo, ut regale postheberet fastigium, & ultimum exhiberet Deo quasi servulus ministerium. Denique illa quæ

D saltationem hujusmodi reprehendit, sterilitatis damnata, non dedit sobolem regiam, ne superbos crearet: & quod verum est, nullam est adepta posteritatis suæ meritorumque successionem.

8. Quod si quis adhuc dubitat, accipiat Evangelicum testimonium; dixit enim Dei Filius: *Cantavimus vobis, & non saltastis.* Matth. 11. 17. Derelicti sunt itaque Judæi, qui non saltaverunt, qui nescierunt manibus suis plaudere: adscitæ sunt gen-

E tes, quæ spiritalem Deo plausum dederunt. *Stultus enim complexus est manus suas, & devoravit viscera sua,* Eccles. 4. 5. id est, corporalibus se implicavit negotiis, & devoravit viscera sua, sicut mors prævalens; & ideo non inveniet vitam æternam: sapiens autem adtollens opera sua, ut lucerent coram Patre suo, qui in cælis est; Matth. 5. 16. non absumsit, sed elevavit viscera sua usque ad resurrectionis gratiam. Hæc gloriosa sapientis saltatio, quam saltavit David; & ideo usque ad

*. Paulinum Burdigalæ in Aquitania natum pauci ambigunt, nec Baronius ipse refragatur. Unde nihil erat, cur hujus loci verba magnus Cardinalis à scriptoribus transposita fuisse suspicaretur, atque adeo sic ordinanda: *Paulinum splendore generis nulli secundum, in partibus Aquitaniæ venditis facultatibus.* Sed sincerum esse locum non modo consensus mss. atque edit. evincit, verum etiam ipsamet verborum sententia. Non enim istic negatur eumdem Paulinum tam paterno quam materno genere ex majoribus Romanis ortum duxisse, cùm senatorii ordinis utrimque esset; sed ei propriam patriam assignat Ambrosius. Si tamen ex mente Baronii exponendus esset hic idem locus, hyperbaton in eo admitteremus, figuram scilicet Auctori nostro minime insolentem.

a. Rom. edit. cum paucis mss. *solatur se religionis & simplicitatis divitiis* vet. edit. cum reliquis cod. ut in contextu, nisi quod pro *caritatis* Long. habet, *castitatis*. Per cespitem autem indicat sanctus Doctor exiguum aliquod prædium Paulino & conjugi ejus alendis vix idoneum.

*. Paulinus natum sibi in Hispania filium, sed eumdem die octavo è vivis raptum, Compluti in Martyrum basilica sepultum esse in Poem. 32. testificatur.

*. Non levis augur hoc loco fuit Ambrosius. Paulini secessum invidiosissime traduxerunt prophani homines, quemadmodum vel ex Ausonii epistolis ad Paulinum hac de rescriptis, nec non ex hujus ad illum responsis intelligimus. Verùm è contrario generosum illud hujusce tanti viri propositum summis laudibus extulerunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus atque alii.

*. Isidis, quæ aliis Io, aliis Ceres dicitur, cultus olim in Ægypto, maxime autem Alexandriæ celebrabatur. Ejus sacra cùm Romam inde translata essent, Urbe tandem ob cultus ac ceremoniarum turpitudinem expulsa fuerunt Pisone atque Gabinio Coss. sed postmodum iterum revocata, ut discimus ex *Apolog.* Tertulliani cap. 6. Non solum autem capitis ac superciliorum, sed etiam totius corporis crines abradebant, ut Deæ Osiridis conjugis mortem lugenti dolorem testarentur suum: quæ res in causa fuit, cur christiani imperatores, ne mulieres decalvarentur, multis legibus prohibuerint. Plura de Iside habentur apud Diodorum Sic. lib. 1. Apuleium *Milesiar.* cap. ultimo, Plutarchum lib. *de Iside & Osiride* & alios.

*. Mendacium hic vocat idolum aut cultum idoli, phrasi ecclesiastica: quod alio nomine vanitatem appellant. Reg. 16. *Provocantes Deum in vanitatibus suis.* Psal. 4. *Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium* Hier. 8. *Quare ad iracundiam me provocaverunt in sculptilibus suis & vanitatibus.* Ita Nannius.

b. Nonnulli mss. *revelanda sunt*

sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis A adscendit, ut videret atque audiret dicentem
Psal. 109. 1. Dominum Domino suo: *Sede à dextris meis.*

9. Ergo si non absurde [a] cecidisse nobis hanc de saltatione interpretationem judicas, non supersedeas adhuc lectionis labore; ut etiam de
Esai. 20. 1. Esaia mecum recenseas, quod bene tibi cognitum est illum non ludibriose, sed gloriosissime denudatum esse in conspectu populorum occursantium, ut pote qui oracula Domini ore proprio resultabat. B

10. Sed forte aliquis dicat: Non igitur erat turpe, ut vir [b] nudus per omnia iret per populos; cùm ei & virilis sexus & muliebris occurreret? Non ipsa species offendebat oculos omnium, & maxime mulierum? Nonne ipsi nos inspicere nudos plerumque reveremur? Denique idcirco indumentis operiuntur genitalia hominum, ne deformi visu obtutum, aciemque perstringant oculorum intuentium.

11. Adquiesco & ego: sed considera quæ fi- C gura sit facti hujus, quidve prætendat species hujusmodi; eo quod ita nudi ambulabunt pueri Judæorum & virgines in captivitatem de-
Ibidem 3. ducti: *Sicut puer*, inquit, *meus Esaias, vadit nudus & excalciatus.* Potuit quidem hoc & sermone exprimere, sed exemplo acerbare maluit; * ut species ipsa plus incuteret horroris, & quod in prophetæ corpore aversabantur, in se pertimescerent. In quo igitur horror gravior turpitudinis, in corpore prophetæ, an in per- D fidorum peccato, quod tantam meritis suis ærumnam incidit captivitatis?

12. Quid si in prophetico corpore nihil opprobrii? Ille enim corporalibus non intendebat, sed spiritalibus. Namque in excessu men-
Psal. 84. 9. tis non dicit: *Audiam* quid loquar; sed, *quid loquatur in me Deus.* Neque adtendit utrum
Gen. 2. 25. nudus, an vestitus sit. Denique Adam ante peccatum nudus erat, sed nudum se nesciebat; quia erat indutus virtutibus: posteaquam vero E peccatum commisit, nudum se esse vidit, &
Gen. 3. 7. texit. Noe nudatus erat, sed non erubescebat; quia erat plenus jucunditatis, & spiritalis læti-
Gen. 9. 22. tiæ. Denique qui eum risit ut nudum, ipse mansit perpetuæ obnoxius opprobrio turpitudinis. At vero Joseph ne turpiter nudaretur, vestem reliquit, & nudus aufugit. Quis igitur turpis, illa quæ vestem alienam tenuit, an is qui suam exuit?

13. Sed ut plenius liqueat quia non se, neque ea quæ juxta pedes sunt, prophetæ adspiciunt, F
Act. 7. 55. sed cælestia; lapidabatur Stephanus, & videbat cælos apertos, & Jesum ad dexteram Dei stantem: & ideo lapidum ictus non sentiebat, corporis non considerabat vulnera; sed oculis erat
Esai. 10. 2. Christo affixus, illi adhærebat. Ergo & Esaias nudum se non conspicabatur, sed divinæ vocis organum se præbebat; ut promeret quod in eo loquebatur Deus.

14. Sed esto ut se videret, poterat non facere quod jubebatur? Poterat turpe arbitrari, quod imperabat Deus? Sara quia risit, incre- Gen. 18. 12.
dulitatis coarguta est: Abraham laudatus; quia in verbo Dei non hæsitavit: & donatus remuneratione maxima; quia jubente Deo pie posse fieri credidit etiam * parricidium. Gen. 15. 6. Ibid. 22. 3. & seq.

15. Hic igitur quid verecundiæ esset prophetæ, ubi aliud gerebatur, & aliud figurabatur? Judæi propter flagitia sua destituti à domino Deo, cœperant vinci ab adversariis suis, conferre se volebant ad Ægyptios, ut sibi essent præsidio adversum Assyrios, qui redire magis ad fidem, si boni consulerent, debuissent. Iratus Dominus significat vanam illos spem gerere, qui offensam Domini putarunt majore peccato levandam; cùm illi ipsi vincendi forent, in quorum auxiliis populus Judæorum confideret: hoc secundum historiam.

16. Figura autem illa, quia in Ægyptiis confidit qui luxuriis deditus est, mancipatus lasciviæ. Nemo autem se luxui committit, nisi qui recedit à præceptis Dei veri. Ubi autem cœperit quis luxuriari, incipit deviare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini, pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitaverit atque [c] immerserit hujusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit: *Sedit* enim *populus manducare & bibere*, Exod. 32. 6.
& fieri sibi Deos poposcit. Unde docet Dominus quoniam qui duobus istis flagitiorum generibus dederit animam suam, exuitur indumento, non vestis laneæ, sed vividæ virtutis; cujus amictus non temporalis, sed æternus est. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

* EPISTOLA LIX.

* Scripta circ. ann. 391.

Nuntiato Jacobi presbyteri secessu ex Perside in Campaniam, hujus plagæ tranquillitatem laudat, tumultus queis Mediolanum agitabatur, illi opponens.

AMBROSIUS * SEVERO episcopo.

1. EX ultimo * Persidis profectus sinu Jacobus frater & compresbyter noster, Campaniæ sibi ad requiescendum littora, & vestras elegit amœnitates. Advertis quibus in locis [d] quasi ab hujus mundi vacuam tempestatibus suppetere sibi posse præsumserit securitatem, ubi post diuturnos labores reliquum vitæ exigat.

2. Remota enim vestri ora littoris non solum à periculis, sed etiam ab omni strepitu tranquillitatem infundit sensibus, & traducit animos à terribilibus, & sævis curarum æstibus ad honestam quietem; ut illud commune omnium specialiter vobis videatur congruere & convenire, quod ait David de sancta Ecclesia: *Ipse*

a. Mss. aliquot, *cecinisse nobis*, minus concinne.

b. Omnes edit. & pauci mss. *nudus omnino iret.*

*. Species, inquit Nannius, ipsius rei conspectus visioque est, ab antiquo verbo specere, quod videre significat.

*. Id est, ut Nannius observat, filii mactationem: omnis enim cædes in cognatos parricidium dicitur, & in eos qui titulum patris patriæ emeruerunt.

c. Mss. aliquot, *immerserit volutabris*: unus etiam, *immerserit voluptatibus.*

*. Severi Neapolitani episcopi nomen sanctorum albo inscribitur pridie Kal. Maii, cujus etiam perhonorifica mentio fit apud Symmachum quamvis ethnicum lib. 6. epist. 51. Hanc autem ipsum esse ad quem Ambrosiana hæc epistola destinatur, post Baronium tradidit Ughellus tom. 6. *Italiæ sacræ*. ac Bollandistæ ad memoratam diem; ubi ejusdem sancti episcopi vitam ediderunt.

*. Utrum hæc verba de quadam ipsiusmet sinus Persici ora, an de remotiore Persidis regione intelligenda sint, non liquet.

d. Plerique mss. *quasi ad hujus mundi vacuum.*

Psal. 23. 2. *super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam.* Etenim liber animus à barbarorum incursibus, & præliorum acerbitatibus, vacat orationibus, inservit Deo, curat ea quæ sunt Domini, fovet illa quæ pacis sunt & tranquillitatis.

* 3. Nos autem objecti * barbaricis motibus, & bellorum procellis, in medio versamur omnium molestiarum freto, & pro his laboribus & periculis graviora colligimus futuræ vitæ pericula. Unde de nobis propheticum illud congruere videtur: Habac. 3. 7. *Pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum.*

4. Etenim in istius mundi tenebris, quibus obumbratur veritas futuræ perfectionis; [a] cùm annum tertium & quinquagesimum jam perduxerim in hoc corpore situs, in quo tam graves jamdudum sustinemus gemitus, quomodo non in tabernaculis Æthiopum tendimus, & habitamus [b] cum habitantibus Madian? Psal. 119. 5. Qui propter tenebrosi operis conscientiam dijudicari etiam ab homine mortali reformidant: 1 Cor. 2. 15. *Spiritalis enim dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur.* Vale, frater, & nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

*EPISTOLA LX.

* Scripta circ. ann. 391.

PATERNUM *filio neptem ex filia uxorem tradere cogitantem à proposito ipsa nominum consideratione deterret. Id legi divina congruum negat, itemque pietati, ac Cæsareis constitutionibus: tum solutis quibusdam objectiunculis, easdem nuptias non expedire confirmat.*

AMBROSIUS PATERNO.

1. PAterni quidem unanimi mei salutationem legi, [c] sed consultationem haudquaquam paternam; ut velis filio neptem copulare ex filia: sed nec avo te, nec patre dignam. Itaque quid consulueris, considera; omne enim quod agere volumus, prius nomen facti ejus interrogemus, & tunc utrum laude an vituperatione dignum sit, æstimabimus. Verbi gratiâ, misceri mulieri quibusdam voluptas est, [d] medicorum etiam pueri corporibus utile ferunt: sed considerandum utrum conjugi, an extraneæ; deinde nuptæ, an innuptæ. Si quis desponsata sibi & tradita utatur, [e] conjugium vocat: qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit, cujus vel solo nomine reprimitur plerumque tentandi audacia. (17. 5. 2. c. Quis desponsata.) Hostem ferire victoria est, reum æquitas, innocentem homicidium: quod si quis [f] perspiciat animo, revocat manum. Ergo etiam tu quid consulas, quæso tecum retractes.

2. Conjugium vis inter filios nostros componere. Quæro utrum pares copulandi, an impares sint? Sed, nisi fallor, compares appellari solent. Boves qui jungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit, & ut ætas conveniat & forma, nec natura [g] discrepet, nec decoloret diversitas. Tu copulare paras filium tuum, & neptem ex filia, hoc est, ut accipiat sororis suæ filiam, diversâ licet matre quam socrus editus. Interroga nominum religionem: nempe avunculus iste illius, illa hujus * neptis vocatur. Nec ipse te revocat sonus nominum; cùm hic avum resonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat? Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum? Idem avus & socer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diverso nomine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diversa vocabula, ut illa socrus fratris sit, iste gener sororis. Nubat avunculo suo neptis, & immaculatorum pignorum caritas illecebroso amore mutetur.

3. Super hoc igitur meam à sancto viro episcopo vestro [h] exspectari sententiam dicis. Non opinor, neque arbitror. Nam si ita esset, & ipse scribendum putasset: non scribendo autem significavit quod nequaquam hinc dubitandum arbitraretur. Quid enim est, quod dubitari queat; cùm lex divina etiam * patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam civili jure à consortio conjugii exceptus videtur.

4. Sed prius sacræ legis scita interrogemus; prætendis enim in tuis litteris, quod permissum hoc divino jure connubium hujusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. Ego autem & prohibitum adsero; quia cùm leviora interdicta sint de patruelibus fratribus,

*. Baronius, quem in hoc Ughellus aliique recentiores, nec non etiam Bollandi continuatores secuti sunt, hunc locum ad Maximi tyranni bellum pertinere contendit, contra vero auctor vitæ Ambrosii vernacula lingua editæ, eadem verba ad Eugenii adventum in Italiam referenda defendit. Qua de re satis diximus in *Admonitione.*

a. Nonnulli mss. *cùm ad annum . . . jam produxerim.*

b. Rom. edit. *cum tabernaculis cedar.*

c. Non pauci mss. *consolationem*, haud satis recte. Hujus autem epistolæ propositum Nannius exponit in hunc modum. Olim licebat patruum filiam ex fratre in uxorem ducere, ut patet ex fragmentis Ulpiani, cujus verba hæc sunt: *Inter cognatos autem ex transverso gradu olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant, nunc autem ex tertio gradu licet uxorem ducere; si tamen fratris filia, non etiam sororis filia, aut amita, aut matertera, quamvis eodem gradu sit. Hoc genere connubii primus inter Romanos usus est Cl. Cæsar Agrippina fratris filia in uxorem ducta.* Nunc autem Paternus in pari gradu idem jus putavit, quæsivitque quod licitum erat patruo, num idem liceret avunculo: si incestæ nuptiæ non erant cum fratris filia, non videri etiam incestas cum sororis filia. Quod S. Ambrosius hac epistola refellit. Hæc ille. Sed nihil est in tota epistola, unde colligere liceat istam Paterno fuisse dubitationis causam: contra vero omnis series clamat Doctorem nostrum haud minus illicitas habuisse nuptias patrui cum fratris filia, quam avunculi cum sororis.

d. Edit. aliquot Paris. *medicorum etiam periti*, non bene; medicorum enim pueri à græcis ipsi medici appellantur; ut jam alicubi observavimus.

e. Rom edit. sola, *conjugio vacat*: verùm nulla causa est, cur ab aliis ac mss. omnibus recedatur.

f. Edit. ac mss. nonnulli, *percipiat animo*: Belv. *præcipiat animo*: Colb. *præcipiat amicum*: reliqui, ut in texto.

g. Mss. aliquot, *discrepabit, nec discoloret.* Non absurde autem monet Nannius Ambrosium allusisse ad illud Ovidii:

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

*. Observabat Casaubonus *in Spartianum* pag. 6. num. 12. vocem *neptis* ab Ambrosio in hac epistola positam & pro filii filia veteri significatu, & pro filia fratris recentiori usurpatione, quæ tandem sola invaluit apud Italos & Gallos. Addimus vero Præsulem nostrum, dum nominum consideratione propositum conjugium dissuadet, imitatum videri Sophoclis ac Senecæ tragœdias, in quibus Oedipi cum Jocasta matre conjugium, propositis affinitatum quæ hic confundebantur, vocabulis, exsecratione dignum ostenditur. Priorem consule Oedipi Tyranni ultimo Actu, posteriorem autem Thebaidis primo.

h. Omnes edit. *exspectari sententiam non opinor*: omnes mss. è contrario, ut nos in textu.

*. Qui ex duobus fratribus nascuntur, fratres patrueles, sororesque patrueles appellantur. Cicero 2. Philip. Sed enim si alter sit masculus altera sit femina, qui ex duobus fratribus, sive altero fratre, sive altera sorore nascuntur, æque fratres patrueles vocantur, à digniore transsumta significatione; & sic etiam maritos vocamus, cùm & uxorem, virumque ejus intelligimus. Ita Nannius. Ceterum quæ lex divina hic indicetur ab Ambrosio, nobis non succurrit.

A multo magis hoc quod arctioris eſt plenum neceſſitudinis, interdictum arbitror. QUI ENIM leviora adſtringit, graviora non ſolvit, ſed alligat.

5. Quod ſi ideo permiſſum putas, quia ſpecialiter non eſt prohibitum; nec illud prohibitum ſermone Legis reperies, ne pater filiam ſuam accipiat uxorem. Numquid ideo licet, quia non eſt prohibitum? Minime; interdictum eſt enim naturæ jure, interdictum eſt lege, quæ eſt in cordibus ſingulorum: interdictum B eſt inviolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis. Quanta hujuſmodi invenies non eſſe interdicta lege per Moyſen edita, & tamen interdicta ſunt quadam voce naturæ?

1 Cor. 6.12. 6. Multaque ſunt, quæ licet facere, ſed non expedit; omnia enim licent, ſed non expediunt: omnia licent, ſed non ædificant. Si ergo etiam ab iis nos revocat Apoſtolus, quæ non ædificant; quomodo faciendum putamus, quod & non licet Legis oraculo, & non ædificat, C diſcrepante pietatis ordine? Et tamen illa ipſa vetera, quæ fuerant duriora, temperata ſunt 2 Cor. 5.17. per Evangelium domini Jeſu: *Tranſierunt vetera, ecce facta ſunt nova.*

7. Quid tam ſolemne quam * oſculum inter avunculum & neptem, quod iſte quaſi filiæ debet, hæc quaſi parenti? Hoc igitur inoffenſæ pietatis oſculum ſuſpectum facies de talibus cogitando nuptiis, & religioſiſſimum ſacramentum caris pignoribus eripies.

D 8. Sed ſi divina te prætereunt, ſaltem imperatorum præcepta, à quibus * ampliſſimum accepiſti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodoſius imperator etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora; & tamen illi invicem ſibi æquales ſunt: tantummodo quia propinquitatis neceſſitudine, & fraternæ ſocietatis ligantur vin- E culo, pietati eos voluit debere, quod nati ſunt.

9. Sed dicis * alicui relaxatum. Verùm hoc legi non præjudicat; quod enim a in commune ſtatuitur, ei tantum proficit, cui relaxatum videtur, longe diverſa invidia. Illud tamen licet in veteri Teſtamento legimus, ut aliquis uxorem ſuam ſororem diceret; iſtud inauditum, ut quiſquam neptem ſuam in uxorem accipiat, & conjugem dicat.

10. Jam illud pulcherrimum, quod negaſti neptem tuam avunculo ſuo tuo filio b propinquo ſemini convenire; quia non agnationis copuletur neceſſitudine. Quaſi vero & uterini fratres, id eſt, diverſo patre, ſed eadem matre geniti, poſſint diverſo ſexu inter ſe in conjugium convenire; cùm & ipſi agnationis jus habere non queant, ſed cognationis tantum ſibi titulo connexi ſint.

11. Unde oportet ab ea diſcedas intentione, quæ etiam ſi liceret, tamen tuam familiam non propagaret; debet enim c tibi filius noſter nepotes, debet etiam neptis cariſſima pronepotes. Vale cum tuis omnibus.

*EPISTOLA LXI. * Scripta circ. ann. 394.

Cur Mediolano ſeceſſerit, ac mature eodem redierit, declarato, gratiiſque Deo propter opem THEODOSIO *præſtitam actis, voluntati ejuſdem principis obſequuturum ſe pollicetur. Cujus pietatem ſumme commendans, ut clementia utatur, petit.*

d AMBROSIUS THEODOSIO imperatori.

1. ARbitratus es, beatiſſime Imperator, quantum ex auguſtis litteris tuis comperi, me longe abeſſe ab urbe Mediolanenſium; e quia res tuas crederem à Deo deſtitui. Sed non ego ita imprudens, aut virtutis & meritorum tuorum immemor abfui, ut non præſumerem cæleſte auxilium pietati tuæ adfore, quo D Romanum imperium à barbari latronis immanitate, & ab uſurpatoris indigni ſolio vindicares.

2. f Feſtinavi igitur illico reverti, poſteaquam illum, quem jure declinandum putaveram, jam abeſſe cognovi; non enim ego Eccleſiam Mediolanenſem dereliqueram Domini judicio mihi commiſſam: * ſed ejus vitabam præſentiam, qui ſe ſacrilegio miſcuiſſet. Redii itaque circiter Kalendas auguſtas, ex illo die hìc reſedi. E Hìc me, Auguſte, clementiæ tuæ apices repererunt.

3. Gratias domino Deo noſtro, qui fidei tuæ pietatique reſpondit; & formam g veteris reſtituit ſanctitatis; ut videremus noſtro tempore, quod in Scripturarum lectione miramur, tantam in præliis divini auxilii fuiſſe præſentiam, ut nulli vertices montium adventus tui curſum retardarent, non hoſtilia arma impedimentum aliquod adferrent.

*. Romanis olim moris fuiſſe, ut cognati cognatas ſuas, niſi ſi quæ famoſæ erant, oſculo ſalutarent, ex Cicerone obſervat Adrianus Turnebus lib. 29. *Adverſar.* cap. 27.

*. Paternum hunc magnis dignitatibus ornatum fuiſſe iſthæc Ambroſii verba declarant. Quapropter non abſurde conjectant ii, qui eumdem hunc eſſe putant, ad quem cum titulo comitis Sacr. Largit. deſtinata eſt lex 14. Theodoſii *de Metallis*, necnon epiſtolæ quinque Symmachi in ejus libro 5. inſcribuntur. Excidit porro, quæ hic indicatur, Theodoſii conſtitutio: ſed ejus mentio fit in duabus filiorum ejus legibus, quarum altera quæ eſt 3. *de inceſtis nuptiis*, ab Arcadio lata eſt, altera, *Si nuptiæ ex reſcripto petantur*, ab Honorio. Sed & alii quoque ejuſdem prohibitionis meminerunt: nimirum Libanius *Orat. de Angariis* edita à Godefredo: Auguſtinus lib. 15. *de Civit. Dei* cap. 16. Paulus Diac. lib. 14. & alii.

*. Hoc ſcilicet objiciebatur è citata lege Honorii, cujus verba ſunt, *exceptis his, qui . . . ſupplicare non vetuit.* Hujus certe relaxationis exemplum habes apud Symmachum lib. 10. epiſt. 51. ſeu 24. Jureti Auctuarii. Vide ſimiliter Caſſiod. lib. 7. *Variar. Form.* 46.

a Pariſ. quædam edit. *in communione*: aliæ, & cuncti mſſ. *in commune*. Verum neutra vox ſatis probatur, niſi verbo *ſtatuitur* præfigatur negatio. Iterum autem ubi omnes edit. *diverſa injuria*; ex omnibus mſſ. reſtituimus, *diverſa invidia*.

b. Omnes edit. *propinquo ſemine*: mſſ. vero partim, *propinqui ſemini*, partim, *propinqui ſemine*, alii demum complures, *propinquo ſemini*. At continuo poſt cùm legeretur in edit. Eraſ. & ſeq. *agnationis et legitimo jure, ſed cognationis copuletur* &c. Amerb. cum omnibus mſſ. efferunt, ut in texto.

c. Mſſ. aliquot, *tibi filia & filius noſter* &c.

d. Ita codex Reg. edit. autem Rom. *Auguſtiſſimo imperatori Theodoſio Ambroſius epiſcopus.*

e. *Quia res tuas . . . deſtitui*, hoc deſideratur in cod. Reg. ſed cùm videatur ſententiæ integritati neceſſarium, & ſatis frequenter in omittendo peccent librarii, loco movendum neutiquam duximus. At vero ſequenti verſu pro *ita impudens*, aptius è mſſ. reſtituitur, *ita imprudens*.

f. Reg. codex, *Feſtinavi reverti . . . . declinandum putaveram, Mediolano abiiſſe cognoveram.*

* Eugenium ſignificat poſt conceſſam inſtaurandi ſacrilegas paganorum ceremonias licentiam adventantem Mediolanum, de quo adventu vide epiſt. 57. ad eumdem Eugenium, quæque nos iſtic è Paulino in Ambroſii vita obſervavimus.

g. Rom. edit. *veteri reſtituit ſanctitati.* Hoc autem loco deſignat Ambroſius miracula prorſus inſolita, quibus Theodoſii victoriam de Eugenio tyranno Deus illuſtravit: de quibus agetur apertius ſequenti epiſtola.

4. Pro his gratias me censes agere oportere domino Deo nostro: faciam libenter conscius meriti tui. Certum est placitam Deo esse hostiam, quæ vestro offertur nomine, & hoc quantæ[a] devotionis & fidei est? Alii imperatores in exordio victoriæ arcus triumphales parari jubent, aut alia insignia triumphorum: clementia tua hostiam Deo parat, oblationem & gratiarum actionem per sacerdotes celebrari Domino desiderat.

5. Etsi ego indignus atque impar tanto muneri, & tantorum votorum celebritati; tamen quid fecerim scribo. Epistolam pietatis tuæ mecum ad altare detuli, ipsam altari imposui, ipsam gestavi manu, cùm offerrem sacrificium; ut fides tua in mea voce loqueretur, & apices Augusti sacerdotalis oblationis munere fungerentur.

6. Vere Dominus propitius est imperio Romano; quandoquidem talem principem, & parentem principum elegit, cujus virtus & potestas in tanto imperii constituta culmine triumphali, tanta sit humilitate subnixa, ut virtute imperatores, humilitate vicerit sacerdotes. Quid exoptem? quidve desiderem?[b] Omnia habes: ex tuis itaque summam votorum capessam, pius es, Imperator, clementiam habes maximam.

7. Opto tamen tibi etiam atque etiam incrementa pietatis, qua nihil Dominus præstantius dedit; ut per tuam clementiam Ecclesia Dei sicut innocentium pace & tranquillitate gratulatur, ita etiam[c] reorum absolutione lætetur. Ignosce maxime his, qui non ante peccarunt. Dominus clementiam tuam conservet, Amen.

*EPISTOLA LXII.

* Scripta sub fin. ann. 394.

Quod pridem ad Theodosium *non scripserit, excusat; seque ad eum mittere diaconum significans, ut ipsius preces pro quibusdam in Ecclesia asylum receptis admittat, petit.*

[d] Ambrosius Theodosio imperatori.

1. Quamvis proxime scripserim augustæ clementiæ tuæ etiam secundò, mihi tamen non satis fuit velut pari vice sermonis officium reddidisse; cùm beneficiis clementiæ tuæ tam frequentibus oppigneratus sim, ut nullis officiis possim compensare quæ debeo, beatissime atque augustissime Imperator.

2. Itaque ut prima occasio non prætermittenda fuit, qua per cubicularium tuum clementiæ tuæ gratias agerem, & alloquii mei officium repræsentarem; maximæ ne desidiæ putaretur fuisse potius quam necessitatis, quod tempore superiore non scripserim. Itaque requirenda mihi causa fuit, qua pietati tuæ deferrem debitum salutationis obsequium.

3. Merito autem ad præferendam epistolam meam filium meum *Felicem diaconum misi, simul ut mei vicem officii[e] repræsentaret, memoratum quoque pro his qui ad matrem pietatis tuæ Ecclesiam, petentes misericordiam, confugerunt; quorum lacrymas sustinere non potui,[f] quin adventum clementiæ tuæ meis obsecrationibus prævenirem.

4. Grande est quod petimus, sed ab eo cui Dominus inaudita & admiranda concessit, ab eo cujus clementiam novimus, & obsidem pietatem tenemus. Unde plus exspectare nos confitemur; quoniam ut te virtute vicisti, ita etiam tua te vincere debes pietate. Victoria enim tua antiquo more, vetustisque miraculis, qualis sancto Moysi, & sancto Jesu nave, & Samueli, atque David, non humana æstimatione, sed cælestis gratiæ[g] effusione tibi collata censetur: hîc pietatem æqualem poscimus, cujus merito tanta victoria ipsa quæsita est.

*EPISTOLA LXIII.

* Scripta ann. 396.

Vercellensem Ecclesiam episcopo propter intestinas contentiones diutius orbatam dolens, concordiam qua Eusebius olim fuerat electus, laudat; atque Christum in medio sui stantem habere eadem Ecclesia studeat, suadet. Hinc invehitur in Sarmationem & Barbatianum, qui è monasterio profugi, abstinentiam ac virginitatem quas abjecerant, aliis invidebant? Addit reparatum esse mundum abstinentiâ: & hæreticos illos Epicuro ipso deteriores: horumque doctrinâ hominem converti in pecudem, immo infra nonnulla animalia dejici. Laudantur memoratæ virtutes, & observanda proponuntur. Quæ dotes in eligendo episcopo consideranda: Quantumve periculum si vel eligatur indignus, vel digno non obediatur? Divinam esse debere electionem, electum vero alienum ab iracundia, & continentia præcellentem. Quam eximius requiratur in Vercellensi Ecclesia, ubi cum vita clericali monastica conjuncta fuerit ab Eusebio. Hujus ac Dionysii laus, & clericalis monasticæque vitæ comparatio. Post quæ Vercellensibus pulcherrima virtutum præcepta dantur.

* Ambrosius servus Christi vocatus episcopus Vercellensi Ecclesiæ, & iis qui invocant nomen domini nostri Jesu Christi. Gratia vobis à Deo Patre & unigenito Filio ejus adimpleatur in Spiritu sancto.

1. Conficior dolore quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, * sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ

a. Ita codex Reg. at edit. Rom. *devotionis & fidei indicium est .... in commemorationem victoriæ*; minùs eleganter.

b. Rom. edit. *Omnia habes, & ut summam* &c.

c. Ultimæ edit. Paris. *in eorum absolutione*. Non recto sensu. Infra vero ubi edit. Rom. perquam apposite, *qui non ante peccarunt*, id est, qui antea cum Maximo non rebellarunt; Reg. cod. habet nihilo deterius, *qui etiam in te peccarunt*. Et his quidem verbis desinit epistola in eo codice; non displicet tamen exitus, quo finitur in edit. si modo voculam *amen* inde amoveas.

d. Ita codex Reg. edit. autem Rom. *Clementissimo principi, ac beatissimo imperatori Theodosio augusto Ambrosius episcopus*.

* Felicem hunc eumdem esse, qui postea ad regendum Bononiensis Ecclesiæ clavum adscitus fuit, communis nec parum probabilis opinio est.

e. Rom. edit. *repræsentaret & memoriam*.

f. Reg. cod. *qui adventum clementia tua nostris obsecrationibus prævenirent*. Sed edit. lectio potior est.

g. Idem cod. *effusione censetur*. Victoriam porro illam de Eugenio tyranno relatam à Theodosio imperatore his Ambrosii literis causam dedisse narrat Paulinus, ut in *Admon.* observatum est. Ceterum cùm de prodigiis, quæ Theodosianis partibus subsidio fuerunt, nonnihil ad Expos. Psal. 36. num. 25. notaverimus, hoc loco nihil addimus.

*. Hæc inscriptio abhorrere videtur ab Ambrosii consuetudine, quem alia simili nusquam alibi usum reperias. Et hanc quidem facile tribueremus audaciæ librariorum, nisi in omnibus omnino cod. inveniretur. Quamobrem verius existimamus eam idcirco à sancto Præsule adhibitam, quod Ecclesiæ sibi subditæ pastorali modo scribendum putaverit.

*. Non Eusebii jam diu defuncti, sed Limenii, quem una cum Ambrosio Aquileiensi concilio subscripsisse vidimus, obitu tunc temporis vocabat sedes Vercellensis.

atque

atque Æmiliæ, * Venetiarumque vel ceteris finitimis Italiæ partibus hujusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi Ecclesiæ petere solebant, & quod verecundius est, mihi adscribitur * vestra intentio, quæ affert impedimentum. Nam cùm sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam adquiescere; ut inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter convenientes vix sustinetur?

2. Hæc illa est confessoris institutio, hæc justorum soboles patrum, qui sanctum * Eusebium quem numquam ante cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt & probaverunt: tantumque interfuit, ut probaretur; quantum, ut videretur? Merito vir tantus evasit, quem omnis elegit Ecclesia: merito creditum quod divino esset * electus judicio, quem omnes postulavissent. Convenit igitur ut sequamini exemplum parentum, præsertim cùm à sancto confessore institutos tanto meliores patribus esse oporteat, quanto vos [a] melior doctor instituit atque erudivit; modestiæque vestræ & concordiæ insigne edere, ut congruatis adsensu ad postulandum sacerdotem.

3. Etenim si juxta Dominicam sententiam, quod duobus convenerit super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet, inquit, illis à Patre meo, qui in cælis est; *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*: (Matth. 18. 20.) quanto magis ubi plena est in nomine Domini congregatio, ubi universorum postulatio congruit, dubitare nos nequaquam oportet, ibi dominum Jesum & voluntatis auctorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præsulem, vel largitorem gratiæ?

4. Facite ergo vos dignos videri, quorum in medio Christus sit. Ubi enim pax, ibi Christus; (Ephes. 2. 14.) quia pax Christus: ubi justitia, ibi Christus; (1. Cor. 1. 30.) quia Christus justitia. Sit in medio vestrum, ut videatis eum; ne dicatur & vobis: (Johan. 1. 26.) *Medius autem vestrum stat, quem vos non videtis.* Non illum viderunt Judæi, in quem non crediderunt: nos illum devotione conspicimus, fide cernimus.

5. Stet igitur in medio vestrum, ut aperiantur vobis cæli, qui enarrant gloriam Dei, (Psal. 18. 1.) ut voluntatem ejus faciatis, & operemini opus ejus. Qui videt Jesum, cæli ei aperiuntur, sicut aperti sunt Stephano dicenti: (Act. 7. 55.) *Ecce video cælos apertos, & Jesum stantem ad dexteram Dei.* Stabat Jesus quasi advocatus: stabat quasi sollicitus, ut Stephanum athletam suum certantem juvaret: stabat quasi paratus, ut coronaret suum martyrem.

6. Stet igitur & vobis, ut eum non timeatis sedentem; sedens enim judicat, sicut Daniel dicit: *Throni positi sunt, & libri aperti sunt, & antiquus dierum sedit.* (Dan. 7. 9.) In octogesimo autem & primo psalmo scriptum est: *Deus stetit in congregatione deorum: in medio autem deos dijudicat.* (Psal. 81. 1.) Sedens igitur judicat, stans dijudicat; & judicat de imperfectis, inter deos autem dijudicat. Stet vobis ut defensor, ut bonus pastor; ne vos lupi incursent graves.

7. Quo non otiose nostra admonitio deflectit; audio enim venisse ad vos * Sarmationem & Barbatianum vaniloquos homines, qui dicant nullum esse abstinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio, delirare eos qui jejuniis castigent carnem suam, ut menti subditam faciant. Quod numquam fecisset, numquam scripsisset ad instituendum alios Paulus apostolus, si deliramentum putasset. Gloriatur itaque dicens: *Sed castigo corpus meum, & servituti redigo; ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* (1. Cor. 9.) Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur.

8. An quidquam tam reprobum, quam quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciviam provocat; quam incitamentum libidinis, illecebra voluptatis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ istos Epicureos nova schola misit? Non philosophorum, ut ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nulli usui esse ducant. Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis; (1. Johan. 2. 19.) neque enim pudet dicere, quod dicit evangelista Johannes. Sed hic positi primò jejunabant, intra monasterium continebantur: nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationi licentia.

9. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt foras: deinde volentes redire, non sunt recepti; [b] pleraque enim audieram, quæ deberem cavere: monueram, nihil profeceram. Effervescentes itaque disseminare talia cœperunt, quibus incentores essent vitiorum omnium miserabiles. Perdiderunt utique quod jejunaverunt: perdiderunt quod se aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico studio invident aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt.

10. Quæ virgo audiat nullum præmium esse

*. Qui ex his verbis epistolam hanc Ambrosio abjudicandam censent, nihil sane vident; non enim illa de Venetiis urbe, quæ nondum constructa erat, intelligenda: sed de Venetiis regione, quam non solum scriptoribus multo antiquioribus cognitam constat, verum etiam commemorat ipsemet Ambrosius epist. 18. num. 21.

*. *Intentio*, ut Nannius observat, hic nihil aliud est quam contentio, id est, animorum in sua cujusque opinione pertinacia. Hæc autem Ambrosio imputabatur, quod pro sua metropolitani auctoritate illam sopire & componere teneretur.

*. Vercellensium episcoporum, qui quidem pervenerint ad nostram memoriam, primum esse hunc Eusebium Ughellus lib. 4. *Ital. sac.* litteris prodit. Cujas fuerit non dicitur ab Ambrosio, sed Hieronymus Sardum fuisse testificatur in hæc verba: *Eusebius natione Sardus, & ex lectore urbis Romanæ Vercellensis Ecclesiæ episcopus, ob confessionem fidei à Constantio principe Scythopolim & inde in Cappadociam relegatus, sub Juliano imperatore ad Ecclesiam reversus ... mortuus est Valentiniano & Valente regnantibus.* Hunc ipsum obitum idem in Chronico ponit anno 6. eorumdem imperatorum, quem incidere in annum reparat. sal. 371. docet Baronius.

*. Hic electionem & postulationem apte distinguit sanctus noster; ut nimirum illam cleri, hanc populi fuisse significet; quemadmodum epist. 15. num. 12. utramque liquido separavit, de sancto Acholio ita loquens: *à Macedonibus obsecratus populis, electus à sacerdotibus.*

a. Codex Gem. *melior auctor instituit*

*. Duos hosce apostatas monachos jam perstrinxit sanctus Ambrosius Enarr. *in psal.* 36. num. 49 ubi tacito eorum nomine, quam simillima iis, quæ hic dicuntur, in illos scribit. Horum autem hæresis ex tetro Joviniani fonte ortum ducebat, de cujus erroribus agitur epist. 42. ad Syricium.

b. Ita vet. edit. & mss. nisi quod horum nonnulli habent *plerumque* pro & *pleraque*: illæ vero pro *deberem* ponunt *deberent*; sicut etiam Rom. edit. quæ præterea effert, *.. auri Monueram, nihil profeci.* Intelligitur autem ex istis verbis Ambrosium per se hujus monasterii, in quo vixerant Sarmation ac Barbatianus, curam gerere, tametsi ei sacerdotem quoque præfecisset, ut testatur Augustinus lib. *de Moribus Eccl. Cath.* cap 33. quorum quæ idem lib 8. *Confess.* c. 6. de eodem monasterio memorat, conferenda sunt.

integritatis, & non ingemiscat; absit enim ut A facile credat, certe ut non studia deponat, & intentionem suæ mentis inflectat? Quæ vidua [a] cùm compererit nullum esse fructum viduitatis, mallet servare fidem conjugii, & in tristibus degere, quam se credere lætioribus? Quæ conjugii districta vinculo, si audiat quod nullus honos castitatis sit, non possit incuriosâ tentari corporis aut mentis facilitate? Et ideo Ecclesia quotidie in lectionibus sacris, in sacerdotum tractatibus laudem pudicitiæ, gloriam B integritatis personat.

1.Cor.5.9. 11. Frustra ergo dicit Apostolus: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis.* Et ne forte [b] dicant: Non de omnibus mundi nos dicimus fornicariis, sed dicimus quod qui fuerit in Christo baptizatus, haberi jam non debeat fornicarius; sed qualiscumque vita ejus accepta sit Deo; & ideo addidit Apostolus: *Non utique fornicariis hujus mundi*; (Ibidem 11.) & infra: [c] *Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis ser-* C *viens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum quidem sumere. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et ad Ephesios: (Ephes. 5.3.) *Fornicatio autem, & omnis immunditia, & avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Et statim subinfert: (Ibidem 5.) *Hoc enim scitote quod omnis impudicus, aut immundus, [d] aut avarus, quod est idololatria, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* De baptizatis utique dictum li- D quet; (Rom. 6. 3.) ipsi enim accipiunt hereditatem, qui baptizantur in morte Christi, & consepeliuntur cum ipso, ut cum ipso resurgant. Ideo heredes Dei, coheredes Christi sunt: heredes Dei; [e] quia transcribitur in eos Dei gratia: coheredes Christi; (Rom. 8.17.) quia renovantur in vitam ipsius: heredes quoque Christi; quia datur illis per mortem ipsius tamquam testatoris hereditas.

12. Isti igitur magis sibi debent adtendere, qui habent quod possint amittere, quam qui E non habent. [f] Isti majore agere custodia, isti cavere vitiorum illecebras, erroris incitamenta debent, quæ maxime ex cibo, potuque oriuntur. (Exod. 32. 6.) Denique *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

13. Ipse quoque Epicurus, quem isti sibi magis sequendum quam apostolos putant, adsertor voluptatis, etsi neget [g] invectricem mali esse voluptatem, non negat tamen ex ea fieri quædam, ex quibus generentur, mala: denique F nec luxuriosorum vitam reprehensibilem videri, quæ repleatur delectationibus; nisi vel doloris, vel mortis quatiatur metu. Atque hic quam A alienus à vero sit, etiam hinc deprehenditur, quod voluptatem in homine Deo auctore creatam adserit principaliter, sicut [h] Philomarus ejus sectator in epitomis suis disputat, & hujus [i] allegat stoicos esse auctores sententiæ.

14. Sed hoc divina scriptura redarguit, quæ (Gen. 3. 1. & seq.) serpentis insidiis atque illecebris [k] infusam Adæ atque Evæ voluptatem docet. Siquidem ipse serpens voluptas sit, & ideo variæ ac lubricæ, B & velut veneno quodam corruptelarum infectæ passiones voluptatis sint. Appetentia igitur voluptatis constat deceptum Adam excidisse à mandato Dei, & fructu gratiæ. Quomodo igitur voluptas ad paradisum revocare nos potest, quæ sola nos paradiso exuit?

15. Unde & dominus Jesus volens nos adver- (Matth. 4. 2.) sus diaboli tentamenta fortiores [l] reddere, certaturus jejunavit; ut sciremus quia aliter illecebras mali non possumus vincere. Denique ipse C diabolus primum tentamentorum suorum spiculum de voluptate intorsit, dicens: *Si Filius* (Ibidem 3.) *Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Unde ait Dominus: *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei;* & noluit facere, cùm posset, ut magis lectionis studio quam voluptati intendere nos salutari præcepto doceret. Et quia isti jejunandum negant, qua causa Christus jejunaverit, adstruant; nisi ut nobis exemplo es- D set ejus jejunium. Denique in posterioribus docuit non facile malum posse, nisi nostro vinci jejunio, dicens: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio.* (Matth. 17. 20.)

16. Quid etiam sibi vult Scriptura, quæ do- (Act. 10. 10.) cet jejunasse Petrum, & jejunanti atque oranti de baptizandis gentibus revelatum mysterium; nisi ut ostenderet etiam ipsos sanctos, cùm jejunant, tunc fieri præstantiores? Denique Moyses cùm jejunaret, Legem accepit. Et (Exod. 34. 28.) E ideo Petrus cùm jejunaret, edoctus est novi Testamenti gratiam. Daniel quoque jejunii me- (Dan. 14. 32.) rito ora clausit leonum, futurorumque temporum vidit negotia. Aut quæ nobis salus esse (Dan. 9. 3. & seq.) potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra; cùm Scriptura dicat: Jejunium, & eleemosyna (Tobit. 12. 9.) [m] à peccato liberat?

17. Qui sunt ergo hi præceptores novi, qui meritum excludant jejunii? Nonne gentilium vox ista est dicentium: *Manducemus & bibamus.* (1. Cor. 15. 32.) F Quos bene irridet Apostolus dicens: *Si secundùm hominem pugnavi Ephesi ad bestias, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus*

a Edit. omnes, ac pauci mss. *cùm conceperit*: alii mss. elegantius, *cùm compererit.*

b. Rom. edit. *dicant non de omnibus mundi nos dicere fornicariis, sed quod qui fuerit .... non debeat fornicarius, qualiscumque* &c. omnes vero aliæ, ac mss. ut in contextu. Hic autem error, quo qui baptizatus semel fuisset, negabatur peccare posse, etiam à Joviniano defendebatur, quemadmodum cognoscimus ex August. lib. *de Hæres.* cap. 82.

c. Rom. edit. *si qui frater nominatur, est fornicator.*

d. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *quod est idololatra*: reliqui magno numero, *quod est idololatria.*

e. Rom. edit. *quia transmittitur*: aliæ cum mss. prope ad unum, *quia transscribitur.*

f. Ita vet. edit. cum mss. pluribus potioribusque: at Rom. cum aliis nonnullis, *egere custodia.*

g. Nonnulli mss. *inventricem mali.* Ceterum de eo quod Epicurus ab aliis philosophis, maxime vero à sanctis patribus corporeæ voluptatis patronus habeatur, licet acriter defendatur à multis auctoribus, dictum à nobis est ad lib. 1. Offic. cap. 13. num. 50. Hic autem illud unum adjicietur Ambrosium quidquid hoc loco de Epicuri opinionibus memorat, id ex ejus epistola ad Menœceum à Diogene Laert. lib. 10 proposita, vel, ut Gassendus existimat, è Demarchi libro esse mutuatum.

h. Mira est in hoc nomine scribendo varietas: Edit. vet. præferunt *Philumenoris*, Rom. *Philomarus*; mss. vero *Filomenus*, nonnulli *Filuminus.* Cùm porro inter Epicureos nullum sic appellatum reperire sit, haud inviti crederemus eumdem esse, quem Diogenes Laert. initio Philodemum nominat, & cujus etiam meminit Cicero lib. 2. *De Finib.* at similiter non sine aliqua diversitate; cùm ipsius edit. ac mss. quidam habeant *Polydemum*: alii vero *Philodemum*: quem Gadareum illum esse arbitratur Gassendus, cujus apud Strabonem lib. 16. mentio exstat.

i. Edit. vet. *allegat historicos*: Rom. & omnes mss. *allegat stoicos.*

k. Mss. aliquot partim, *infusam illatamque Evæ voluptatem*, partim, *infusam illam tamquam Evæ voluptatem*, ceteri, & omnes edit. ut in contextu. Infra vero ubi edit. & quidam mss. *voluptatis sint. Appetentia igitur voluptatis*; complures mss. exhibent, *voluptatis sint appetentiâ. Igitur voluptate* &c.

l. Nonnulli mss. *reddere certaturos, jejunavit.*

m. Gem. codex, *à pœna liberat.*

& bibamus; cras enim moriemur, hoc est: Quid A mihi profuit usque ad mortem contentio, nisi ut hominem [a] redimerem meum? Quia frustra redimitur, si nulla est spes resurrectionis. Ac per hoc, spe omni resurrectionis amissa, manducemus & bibamus: non amittamus fructum præsentium, qui futurorum nullum tenemus. Illorum ergo est cibis & potibus indulgere, qui nihil post mortem suam sperant.

17. Denique Epicurei dicunt adsertores voluptatis, * quia mors nihil ad nos; quod enim B dissolvitur, insensibile est: quod autem insensibile, nihil ad nos. Quo demonstrant corpore se tantum, non mente vivere: nec animæ fungi, sed carnis solius munere, qui secessione animæ corporisque dissolvi munus suæ vitæ omne existiment, perire merita virtutum, atque animæ omnem vigorem, totos se deficere cum corporis sensu, nihil reliquiarum superesse animæ, cùm ipsum corpus non statim resolvatur. Prius ergo dissolvitur anima quam corpus; cùm se- C cundum suam opinionem vel carnem & ossa considerare debeant, quæ post mortem supersunt: secundum veram autem adsertionem negare non debeant resurrectionis gratiam?

18. Merito ergo hos redarguens Apostolus, monet nos ne talibus labamur opinionibus, dicens: *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.* [b] *Sobrii estote juste, & nolite peccare;* ignorantiam enim Dei quidam habent. Bonum ergo sobrietas; quia peccatum ebrietas est. D

1. Cor. 15. 33.

19. Quid quod ille ipse Epicurus defensor voluptatis, cujus ideo frequentem facimus mentionem, ut hos aut gentilium discipulos, & epicuream probemus sectam sequi: aut illum ipsum, quem ipsi philosophi à suo excludunt consortio tamquam patronum luxuriæ, tolerabiliorem his esse doceamus? Clamat ergo ille, ut * Demarchus adserit, quia non potationes, neque comessationes, nec filiorum soboles, nec feminarum copulæ, nec piscium copia aliorum- E que hujusmodi, quæ splendido usui parantur convivii, suavem vitam faciant, sed sobria disputatio. Denique addidit quod ii copiis convivii moderate utantur, qui non immoderate eas quærunt. Succo solo & pane vel aqua qui libenter utitur, despuit deliciarum epulas; quia multæ ex his generantur molestiæ. Etiam alibi dicunt: Non immoderatæ epulæ, non potationes voluptatis suavitatem generant, sed continens vita.

20. Cùm igitur illos abdicaverit philosophia, hos non excludit Ecclesia? Si quidem & illi, [c] quod malæ causæ habent, se adsertionibus suis impugnant frequenter. Nam etsi principalis eorum sententia sit quod nullam suavitatem voluptatis putent, nisi quæ cibo potuque percipiatur; tamen intelligentes in tam reprehensibili definitione versari se sine summo dedecore non posse, ac deseri ab omnibus, fuco quodam probabilium disputationum eam colorare voluerunt; adeo ut diceret quidam ex iis: Dum studemus delectationi per epulas & cantus, amisimus eam quæ per verbi, quo solo salvi esse possumus, infunditur perceptionem.

21. Nonne isti dispares, discolores in hac multiformi disputatione nobis videntur? Quos adeo Scriptura condemnat, [d] ut non præterierit eos, quos Apostolus redarguebat, dicente Luca in Actibus apostolorum, qui eum librum historico stylo scripsit: Quidam autem epicurei & stoici philosophi disputabant cum eo; & quidam dicebant: *Quid sibi vult hic seminiverbius? Alii autem: Novorum dæmoniorum videtur pronuntiator esse.* Act. 17. 18.

22. Ex hoc tamen numero non immunis gratiæ abiit Apostolus. Siquidem etiam Dionysius areopagites [e] cum Damari uxore sua, aliisque multis credidit. Itaque illi doctissimorum & eloquentium cœtus simplici disputatione victos se esse credentium exemplo manifestarunt. Quid igitur sibi isti volunt, qui tentant eos pervertere, quos adquisivit Apostolus, quos redemit Christus sanguine suo? [f] Quod adserunt baptizatos intendere non debere virtutum disciplinis, nihil illis obesse comessationes, nihil voluptatum affluentiam, insipientes esse eos qui iis careant: virgines oportere nubere, filios facere: similiter & viduas iterare, quod semel male virili admixtione expertæ sint; etiamsi se continere possint, errare eas quæ nolint iterare copulam.

23. Quid ergo? Placet ut hominem exuentes, induamus pecudem: & exspoliantes Christum, vestiamur aut supervestiamur amictu diaboli? Sed cùm ipsi doctores gentium ne honestatem quidem cum voluptate copulandam putaverint, eo quod pecudem viderentur cum homine includere: [g] nos ut belluinos usus humano infundamus pectori, & rationabili menti inscribamus irrationabiles ritus ferarum?

24. Quamquam multa genera sint animan-

a. Ita omnes edit. ac pars mss. reliqui autem mss. *redimerem eum, qui frustra.* Iterum vero, ubi nos cum mss. aliquot. & Rom. edit. *resurrectionis amissa*; vet. edit. cum mss. aliis præferunt, *redemtionis amissa.*

*. Habetur ista sententia in Epicuri epist. *ad Menæceum*, & adhuc liquidius in ejus *Ratis sententiis*: unde hanc ipsam refert Laertius. Ceterum de opinione hujus philosophi circa mortalitatem animæ, idem plane quod Ambrosius, testantur etiam Hieronymus lib. 2. *Contra Jovin.* & Augustinus lib 6. *Confess.* cap. 16. atque alii bene multi.

b. Septem mss. *sobrii estote & justi*: ceteri & omnes edit. *Sobrii estote juste.* Melius, quandoquidem habetur in texte Apostoli, ostendam Arovius.

*. Quod è Demarcho hic refert Ambrosius, legitur quoque in epist. *ad Menæceum* jam non semel citata. Id à Gassendo lib. 3 *de Vita Epic.* observatum est, ubi ejusdem Demarchi mentio negatur alibi, quam apud Doctorem nostrum, usquam fieri. Sed oppido quàm probabile est non alium hunc esse ab Hermacho Epicuri discipulo, qui eidem in secta & disciplina successit, & plures libros edidit in Platonem & Platonicos, ut ex Diog. Laertio cognoscere est. Et certe non ita inter se discrepant *Hermachus* atque *Demarchus*, ut non unum pro alio facile à scriptoribus accipi possit.

c. Eras. & seq. edit. *quod malam causam habeat*: Amerb. & omnes mss. *quod malæ causæ habent.* Non incommode; idem enim signat, ac quod in malis causis fit, solet &c.

d. Mss. aliquot, *præterierit quod eos Apostolus.* Infra vero ubi omnes edit. & mss longe plurimi, *historico stilo*; nonnulli habent, *stoico stilo.* Perperam, alibi enim ab Ambrosio stylum beati Lucæ historicum esse observatum est.

e. Ita omnes edit. ac plures mss. excepta Rom. edit. ubi habetur *muliere sua*: mss. alii etiam non pauci pro *Damari* legunt partim *Damalı*, partim *Damale.* Adeo librariis proclive erat in propriis nominibus peccare. Non hîc autem solum, sed alibi quoque Damarim Dionysii areopagitæ conjugem facit Ambrosius.

f. Omnes edit. *Quid est quod adserunt*: cum mss. omittunt, *quid est*, at nonnulli pro *quod adserunt*, habent, *qui adserunt.* Infra vero ubi omnes edit. & plures mss. *virili admixtione*, in quibusdam cod. legitur, *virili amissione.* Non malo sensu.

g. Rom. edit. sola, *nos & belluinos usus humano infundemus pectori, & rationabili menti inscribemus.* Non male quidem, sed haud minus elegans est nostra lectio; quippe quæ exclamatio cum quadam stomachatione exprimitur.

tium, * quæ amisso pari, concubitu indulgere nesciant, & tamquam solitariæ vitæ ævum exigant: plurima quoque herbis vescantur simplicibus,[a] nec aliàs nisi fonte puro sitim restinguere noverint: canes quoque videas frequenter interdicto cibo temperare solitos; ut jejuna fame ora suspendant, si imperetur abstinentia. Ab hoc igitur revocantur homines, quod didicerunt per hominem etiam mutæ non prævaricari bestiæ?

26. Quid autem pulcrius abstinentia, quæ facit etiam juventutis annos senescere; ut fiat morum senectus? Namque ut redundantiâ ciborum ac temulentiâ etiam maturior ætas calescit; ita mitigatur juventutis ferocitas epularum parcimoniâ,[b] irriguoque fontis. Exterior ignis aquæ infusione extinguitur, non mirum si etiam interior æstus corporis fluviali potu [c] refrigeratur; cibo enim flamma alitur ac deficit. Siquidem fœnum, stipula, lignum, oleum, atque hujusmodi alimenta ignis sunt, quibus pascitur: ea si detrahas, vel non suggeras, etiam ignis sopitur. Similiter ergo vapor corporis cibo alitur aut minuitur: cibo excitatur, cibo solvitur. Luxuria igitur mater libidinis est.

27. Quid quod naturæ conveniens temperantia est, atque illi divinæ legi, quæ in ipso rerum ortu omnium fontes potui, fructus arborum esui dedit? [Gen 9. 20.] Vinum post diluvium justus ad tentationem sui reperit. Utamur ergo temperantiæ naturali cibo, utinamque possimus! Sed quia non omnes fortes, ideo Apostolus ait: [1. Tim 5. 23.] *Vino modico utere propter frequentes tuas infirmitates.* Non ergo propter voluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, non pro deliciis redundantius.

28. Denique Elias, quem Dominus ad virtutis erudiebat perfectionem, [3. Reg 19. 6.] ad caput suum * collyridam & vas aquæ reperit; & ideo in virtute escæ illius quadraginta diebus jejunavit. [Exod. 17. 6.] Patres nostri, cùm mare transirent pedibus, aquam non vinum bibebant. [Dan. 1. 8.] Daniel & Hebræi pueri patrio cibo, & aquæ potu, [Dan. 14. 40] [Dan. 3. 40.] ille furorem leonum repressit, illi ardentem ignem innoxio vidêre tactu circa membra sua pasci.

29. Et quid de viris loquar? [Judith. 13. 16.] Judith luxurioso [d] Holophernis haudquaquam inflexa convivio, solo titulo sobrietatis desperatum lacertis virilibus reportavit triumphum, patriam obsidione exuit, ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum evidens, quod & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria sua emollivit, & hanc feminam temperantia cibi fortiorem viris fecit. Non hîc in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo vicit. [Esther. 4. 16.] Esther regem superbum suis inclinavit jejuniis. Anna [e] octoginta quatuor annos in viduitate sua jejuniis & [Luc. 2. 37.] obsecrationibus in templo die ac nocte serviens, Christum agnovit, [Matth. 3. 4.] quem Johannes abstinentiæ magister & quidam novus terrarum Angelus annuntiavit.

30. O stultum Elisæum, [f] [4. Reg. 4. 39.] qui silvestribus grumis & amaris pascebat prophetas! immemorem [B] Scripturarum Esdram, [2. Esdr. 8. 2.] qui memoria Scripturas reddidit: insipientem Paulum, [2. Cor. 11. 27.] qui gloriatur in jejuniis; si nihil prosunt jejunia!

31. Sed quomodo non prosunt, quibus vitia purgantur? Quæ si deferas cum humilitate, cum misericordia, ut Esaias Spiritu divino loquutus est, [Esai. 58. 11.] ossa tua pinguescent, & eris sicut hortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, virtutesque ejus spiritali adipe jejunii, & fructus tui multiplicantur ubertate mentis tuæ; ut sit [C] in te sobrietatis ebrietas, sicut illud est poculum, de quo ait Propheta: [Psal. 22. 5.] *Et poculum tuum inebrians quam præclarum est!*

32. Sed non illa solum laudabilis, quæ parca est ciborum temperantia; sed etiam illa quæ concupiscentiæ. Denique scriptum est: [Eccl. 18 30.] *Post concupiscentias tuas ne eas,* [g] *& à voluptate tua vetare. Si dederis animæ tuæ concupiscentiam, gaudio eris inimicis tuis;* & infra: [Eccl. 19. 2.] *Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes.* Unde & Paulus [1. Cor. 7. 2. & seq.] [D] etiam in ipsis conjugiis temperantiam docet; EST ENIM velut quidam adulter incontinens in matrimonio, qui legem Apostolicam prævaricatur.

33. Quid autem loquar quanta sit [h] virginitatis gratia, quæ meruit à Christo eligi; ut esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, ut legimus, [Coloss. 2. 9.] habitavit plenitudo divinitatis? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit? [E] Virgo portavit, quem mundus iste capere ac sustinere non potest. Qui cùm ex Mariæ nasceretur utero, [i] genitalis tamen septum pudoris, & intemerata virginitatis conservavit signacula. Itaque in Virgine Christus reperit, quod suum esse vellet, quod sibi omnium dominus adsumeret. Per virum autem & mulierem caro ejecta de paradiso, per virginem juncta est Deo.

[F] 34. Quid de altera Moysi sorore Maria loquar, [Exod 15. 20.] quæ feminei dux agminis, pedes transmisit pelagi freta? Quo munere autem venerabilis Thecla etiam leonibus fuit; ut ad pedes

*. Turturem indicat sanctus Præsul, quam toto cap. 19 libri 1. *Hexaem.* ob tam insignem continentiam pulcre commendat, strictius vero *Serm.* 19. *in Psal.* 118. num. 13. & alibi.

a. Edit. Amerb. *nec alios nisi fonte*; Eras. & seq. *nec alio* &c. mss. vero prope ad unum, ut in textu. Infra etiam ubi omnes edit. & quidam mss *canesque videamus*; mss. multo plures nobiscum faciunt.

b. Omnes edit. *irriguoque fontis: & exterior* (Rom. *Et si exterior*) *ignis aquæ infusione*: mss. nonnulli, *irriguoque fonte exterior ignis aquæ infusione*: alii nobis patrocinantur.

c. Lat. codex, *refrigeratur, ac deficit: cibo enim flamma alitur. Siquidem* &c.

* Græcis [illegible] & [illegible], panis est subcinericius, de quo vide Vossii Etym. in voce *Collyrium.*

d. Vet. edit. & mss. aliquot, *Holopherni haudquaquam inflexit*, (mss. *inflexi*) *convivio*: cæterorum aliqui, *Holophernis haudquaquam infelici delectata convivio*, alii ac Rom. edit. ut in textu. Sed & pro *lacertis virilibus*, in quibusdam legitur, *lacerti viribus*. Non ita male.

e. Codex Remig. & Reg. *octoginta tres.*

f. Vet. edit. ac mss. nonnulli, *qui silvestribus ramis*, Rom. edit. .... *glumis*: optime cæteri mss. *qui silvestribus grumis*. Nam quidquid minutum est grumus dicitur, unde ipsemet Ambrosius lib. *de Elia & jejun.* cap. 6 num. 18. in eamdem sententiam ait: *Viris agrestis grumulis mensas onerabat*

g. Cod. Lat. Gem. & Bip. *à voluptate tua avertere.*

h. Omnes edit. *virginitatis gloria*: omnes mss. *virginitatis gratia.*

i. Ita mss. prope universi; nonnulli tamen & edit. *genitale tamen* &c. obiter autem animadverte quam aperte pronuntiet de Mariæ post partum integritate etiam corporea, & consule quæ nos ad lib. 2. *in Luc.* num. 57. nec non ad epist. 42. n. 4. observavimus.

prædæ suæ stratæ impastæ bestiæ [a] sacrum deferrent jejunium; nec procaci oculo virginem, nec ungue violarent aspero; quoniam & ipso adspectu virginitatis violatur sanctitas.

35. Denique qua reverentia virginitatis locutus est sanctus Apostolus: (1. Cor. 7. 25.) *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus à Domino.* Præceptum non habet, consilium habet; non enim præcipitur, quod supra legem est: sed magis dato suadetur consilio. Nec auctoritas præsu- B mitur, sed demonstratur gratia: nec à quocumque demonstratur, sed ab eo qui misericordiam Domini meruit. Horum ergo meliora quam apostolorum consilia? Apostolus [b] dicit: *Consilium do;* isti dissuadendum putant, ne qua studeat virginitati.

36. Cujus quantam laudem brevi versiculo propheta expresserit, vel potius Christus in propheta, debemus cognoscere. (Cant. 4. 12.) *Hortus*, inquit, *clausus soror mea Sponsa, hortus clausus, fons signatus.* C Christus hoc dicit ad Ecclesiam, quam vult esse virginem, (Ephes. 4. 27.) sine macula, sine ruga. Bonus hortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. *Hortus clausus*; quia undique vallata est muro castitatis. *Fons signatus*; eo quod virginitas sit fons & origo pudicitiæ, quæ inviolata custodiat integritatis signacula: in quo fonte imago Dei luceat; quia cum munditia corporis congruit etiam puritas simplicitatis.

37. Nec potest dubitare quisquam quod Ec- D clesia virgo sit, quam etiam in Corinthiis despondit apostolus Paulus, (2. Cor. 11. 2.) virginem castam adsignare Christo. In superiore igitur epistola dat consilium, & existimat bonum esse munus virginitatis; ut nullis instantis sæculi turbetur necessitatibus, nulla illuvie coinquinetur, nullis exagitetur procellis. In posteriore sponsor est (2. Cor. 11. 2.) Christo, quod virginitatem Ecclesiæ in illius plebis consignare possit integritate.

38. (1. Cor. 7. 26.) Responde mihi nunc, Paule, qua ratio- E ne propter instantem necessitatem des consilium? Quoniam (Ibid. v. 32. & seq.) *qui sine uxore est, sollicitus*, inquit, *est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Et addidit: *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini; ut sit sancta corpore & spiritu.* Habet igitur murum suum adversus mundi hujus turbines, & ideo septo divinæ [c] munita protectionis nullis sæculi flabris inquietatur. Bonum ergo consilium; quia in consilio utilitas est, in præcepto laqueus. CONSILIUM invitat voluntarios, F præceptum adstringit invitos. Si qua ergo sequuta fuerit consilium, & eam non pœnituerit, adquisivit utilitatem: si quam vero pœnituerit, non habet quod accuset Apostolum; ipsa enim de infirmitate sua judicare debuit: & ideo sibi voluntatis suæ rea est, cujus graviore quam ferre posset, laqueo se ac nodo ligavit.

39. Itaque tamquam bonus medicus, qui & fortibus stabilitatem virtutis conservare cupiat, & infirmis salubritatem dare, aliis dat consilium, aliis demonstrat remedium: (Rom. 14. 2.) *Qui infirmus est, olera manducet*, A accipiat uxorem: qui validior est, fortiorem virtutis cibum expetat. Meritoque adjunxit: *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis; & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. Mulier vincta est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium; puto enim, & ego Spiritum Dei habeo.* (1. Cor. 7. 37. & seq.) Hoc est consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt, suadere; quæ tutiora, demonstrare.

40. Providus ductor multas ostendit vias, ut qua vult unusquisque, quam sibi accommodam arbitratur, incedat; dummodo occurrat, quo possit in castris prætendere. Bona virginitatis via, sed sublimis & ardua validiores requirit. Bona etiam viduitatis, non tam difficilis, ut superior: sed confragosa & aspera cautiores exigit. Bona etiam matrimonii, plana & directa longiore circuitu ad castra sanctorum pervenit, ea plurimos recipit. Sunt ergo virginitatis præmia, sunt merita viduitatis, est etiam conjugali pudicitiæ locus. Gradus singularum sunt & incrementa virtutum.

41. State igitur in corde vestro, ne quis vos subruat, ne quis possit subvertere. Docuit nos Apostolus quid sit stare, hoc est, quod Moysi dictum est: *Locus* enim *in quo tu stas, terra sancta est;* (Exod. 3. 5.) nemo enim stat, nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat sui cordis sententiâ. Alibi quoque legimus: *Tu autem hic sta mecum.* Utrumque ad Moysen à Domino dictum est, &: *Ubi tu stas, terra sancta est;* (Deut. 5. 31.) &: *Hic sta mecum*, hoc est, mecum stas, si stes in Ecclesia. Ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fecunda sanctitatis, & opima virtutum messibus.

42. Sta ergo in Ecclesia, sta ubi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Ubi est Ecclesia, ibi firmissima statio tuæ mentis est: ibi fundamentum animi tui, ubi tibi de rubo apparui. Tu rubus, ego ignis: ignis in rubo, ego in carne. Propterea ignis, ut tibi luceam, ut tuas spinas, ut tua peccata consumam, & meam tibi demonstrem gratiam.

43. Stantes ergo in corde vestro lupos fugate ab Ecclesia quærentes prædam tollere. Non sit in vobis desidia, non sit pravum os, lingua amarior. Nolite in concilio vanitatis sedere; scriptum est enim: *Non sedi in concilio vanitatis.* (Psal. 25. 4.) Nolite audire detrahentes de proximis; ne dum auditis alios, provocemini; ut & ipsi derogetis proximis, & dicatur unicuique vestrum: *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas.* (Psal. 49. 20.)

44. Sedentes detrahunt, stantes autem Dominum benedicunt, quibus dicitur: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini.* (Psal. 133. 1.) Qui sedet, ut de corporeo usu loquar, [d] quasi otioso resolvitur corpore, atque

a. Rom. edit. *sacro deferrent jejunio*. reliquæ ac mss. *sacrum deferrent jejunium*, quidam *differrent*, minime male, cùm idem hic esset, ac producerent. Theclæ porro exemplum, sicut & subjecta ratiocinia quam sint Ambrosio in causa simili familiaria, supervacaneum putamus admonere.

b. Mss. non pauci, *dicit: Consilio, isti dissuadendum.*

c. Paris. quædam edit. *munita perfectionis.*

d. Edit. vet. cum paucis mss. *quasi otio resolvitur corpore*: Rom. .... *corporis*: alii mss. partim, *quasi otio resolvitur corpora*; partim ut nos in textu.

intentionem mentis relaxat. Stat autem speculator providus, explorator impiger, pervigil custos, qui prætendit in castris. Bellator quoque strenuus [a] ante exspectatum stat in agmine, qui vult adversarii consilia prævenire.

(1 Cor. 10. 12.) 45. Qui stat, *videat ne cadat.* Qui stat, obtrectare nescit; otiosorum etenim fabulæ sunt, quibus obtrectatio seritur, malignitas proditur. (Psal. 25. 5.) Unde ait Propheta: *Odio habui congregationem malignorum, & cum impiis non sedebo.* Et in trigesimo sexto psalmo, [b] quem præceptis refersit (Psal. 36. 1.) moralibus, in principio statim posuit: *Noli malignari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem.* Malignitas plus nocet quàm malitia; quia malignitas nec puram simplicitatem habet, nec apertam malitiam: sed absconditam malevolentiam. DIFFICILIUS autem caventur occulta, quam quæ sunt cognita. Unde & Salvator noster [c] à spiritibus malignis cavendum admonet, quod nos blandarum specie voluptatum capiant, ceterarumque rerum simulatione; cùm ad ambitionem, honorem, avaritiam, divitias, ad superbiam potentiæ lenocinia prætendunt.

46. Itaque cùm in omni actu, tum maxime in episcopi petitione abesse debet malignitas, in quo vita formatur omnium; ut placido & pacifico judicio præferatur vir omnibus, qui eligatur ex omnibus, & qui medeatur omni- (Prov. 14. 30.) bus: Etenim *mansuetus homo, cordis medicus est.* Cujus se medicum etiam Dominus in Evange- (Matth. 9. 12.) lio loquutus est, dicens: *Non opus est sanis medicus, sed iis qui male habent.*

47. Bonus medicus, qui infirmitates nostras suscepit, sanavit ægritudines; & tamen iste, sicut est scriptum, non se honorificavit fieri summum sacerdotem: sed qui loquutus est ad (Hebr. 5. 5. & seq.) eum, Pater dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sicut & alibi dicit: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Qui quoniam typus futurus erat sacerdotum omnium, ideo carnem suscepit; *ut in diebus carnis suæ preces & supplicationes Deo Patri cum magna voce & lacrymis offerret: & ex iis quæ passus est, quamvis esset Filius Dei, discere videretur obedientiam, quam nos doceret, ut nobis fieret auctor salutis.* Denique consummatis passionibus, tamquam consummatus ipse, sanitatem dedit omnibus, peccatum tulit omnium.

(Num. 17. 8.) 48. Ideo & Aaron sacerdotem ipse elegit, ut non humana cupiditas in eligendo sacerdote præponderaret, sed gratia Dei, non voluntaria oblatio: nec propria adsumtio, sed cælestis vocatio; ut is offerat munera pro peccatis, qui possit affici pro peccantibus: quia & ipse, (Hebr. 5. 1. & 4.) inquit, gestat infirmitatem. Non sibi quis honorem debet sumere, sed vocari à Deo, sicut & Aaron; & ita Christus non exegit, sed accepit sacerdotium.

49. Denique cùm ab Aaron per genus ducta successio, generis magis teneret heredes, quam justitiæ consortes; propterea ad typum illius Melchisedech, quem in veteri testamento legimus, verus Melchisedech, verus rex pacis, verus rex justitiæ venit; hoc enim habet nominis interpretatio, *sine patre, sine matre,* [d] *sine generationis enumeratione, neque initium dierum, neque finem vitæ habens:* (Hebr. 7. 2. & 3.) quod & ad Filium Dei refertur, qui matrem in illa divina generatione nescivit, patrem in hoc virginis Mariæ partu ignoravit; ex Patre solo natus ante sæcula, ex Virgine sola ortus in hoc sæculo, initium dierum habere utique non potuit, qui erat in principio. Quomodo autem vitæ finem haberet, qui vitæ auctor omnibus est? *Ipse principium & finis omnium.* (Apoc. 1. 8.) Sed refertur & ad exemplum, ut tamquam sine patre & sine matre sacerdos esse debeat; in quo non generis nobilitas, sed morum [e] eligatur gratia, & virtutum prærogativa.

50. Sit in eo fides, & morum maturitas: non alterum sine altero, sed utrumque in uno cum bonis operibus conveniat & factis. Unde nos apostolus Paulus eorum vult esse imitatores, qui per fidem, inquit, & patientiam possident (Hebr. 11. 9. & seq.) repromissiones Abrahæ, qui per patientiam promissæ sibi benedictionis meruit accipere & possidere gratiam. Imitatores nos sancti Aaron David propheta debere esse admonet, qui eum inter sanctos Domini ad imitandum nobis constituit, dicens: *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel inter invocantes nomen ejus.* (Psal. 98. 6.)

51. Dignus plane vir qui sequendus proponatur omnibus; (Num. 16. 48.) nam cùm dira mors propter contumaces in plebem serperet, medium se inter viventes morientesque objecit; [f] ut mortem statueret, ne plures perirent. Vere vir mentis & animi sacerdotalis, qui se pro Domini grege quasi pastor bonus pio objiceret affectu. Itaque infregit aculeum mortis, impetum tenuit, transitum negavit. [g] Pietas meritum adjuvit; quia pro ipsis se obtulit, qui resistebant.

52. Discant igitur diffidentes [h] timere Domini commotionem, sacerdotes placare. Quid? Dathan & Abiron & Core nonne propter dissensionem hiatus terræ absorbuit? (Ibidem 31.) Nam cùm instigassent Core & Dathan & Abiron ducentos [i] quinquaginta viros adversus Moysen & Aaron, ut separarent se ab iis, insurrexerunt illi dicentes: *Satis sit vobis quod tota Synagoga, omnes sancti, & in ipsis Dominus.* (Ibidem 3.)

53. Unde iratus Dominus loquutus est ad omnem Synagogam. Consideravit & novit Dominus qui sunt ejus, & sanctos adduxit ad se: (2. Tim. 2. 19.) & quos non elegit, non adduxit ad se. Et jussit Dominus, ut eligerent sibi arulas, & incensum ponerent Core & omnes, qui cum eo insurrexerant adversùm Moysen & Aaron sacerdotes Domini; ut qui electus esset à Domino, ipse

a. Rom. edit. *ante exspectatum prælium* Minus commode: ibi enim intelligitur tempus, estque manifesta imitatio versus Virg. è lib. 4. Georg.

Ante exspectatum positis stat in ordine castris.

quem jam retulimus ad locutionem isti similem lib. *de Fuga sæculi* cap. 8. num. 47.

b. Ita omnes edit. ac mss. aliquot: alii vero, *quem præceptis,* nonnulli, *in præceptis refert moralibus.*

c. Mss. Big. & Gem. *à spiritalibus malignis.*

d. Non pauci mss. *sine generatione* (Reg. *sine genealogia*) *sine numeratione:* alii cod. scripti ac editi, ut in textu.

e. Mss. aliquot, *eligatur, gratia virtutum. Prærogativa sit in eo fides* &c.

f. Edit. Eras. & seq. *ut sisteret:* Amerb. & mss. maximo numero, *ut statueret:* qua locutione Ambrosium etiam alibi non semel usum vidimus.

g. Non pauci mss. *pietatis meritum.*

h. Mss. etiam complures, *time e Dominum, commotionem sacerdotis p ac. re.*

i. Nonnulli mss. *quadraginta viros . . . , omnes sancti & ipse Dominus.*

sanctus confirmaretur inter levitas Domini.

Num. 16. 9. & 10. 54. Et dixit Moyses ad Core: *Audite me, filii Levi, numquid hoc pusillum est vobis, quod separavit vos Deus à synagoga Israel, & adduxit vos ad se; ut ministraretis ministeria Tabernaculi Domini?* Et infra: Quæritis sacerdotio fungi, sic tu & omnis synagoga tua congregata ad Deum? Et Aaron quid est, quia murmuratis de eo?

55. Consideratis igitur, quæ offensionis causæ exstiterint, quod sacerdotio fungi indigni vellent, & propterea dissiderent, quod immurmu- B rarent improbantes in sacerdotis sui electione judicium Dei: propterea totum populum metus ingens corripuit, pœnæ terror [a] involvit universos. Obsecrantibus tamen omnibus, ne paucorum insolentiâ omnes perirent, designantur sceleris rei, & à totius populi corpore ducenti quinquaginta cum auctoribus suis separantur viri, immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus ablegan- C tur elementis; ut nec aerem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.

56. Cessavit pœna, non cessavit malitia: ex hoc ipso immurmuratio exorta populi, quod per sacerdotes perisset populus. Qua indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi Moysi & Aaron primò precibus inflexus, post etiam objectu sacerdotis sui Aaron maluisset ingratos majore veniæ pudore donare iis, quorum ab- D nuebant gratiam.

Num. 12. 10. 57. Ipsa prophetissa Maria, quæ cum fratribus pede transmeaverat freta maris, quia Æthiopissæ mysterium adhuc nesciens, immurmuraverat adversus fratrem Moysen, lepræ maculis inhorruit; ut vix tanto esset absoluta contagio, nisi Moyses rogasset. Quamvis ad typum Synagogæ illa refertur admurmuratio, quæ Æthiopissæ istius, id est, Ecclesiæ ex gentibus sacramentum ignorans; quotidiano im- E murmurat convicio, & invidet ei plebi, cujus fide etiam ipsa exuetur à perfidiæ suæ lepra,

Rom. 11. 25. secundùm quod legimus, quia *cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.*

58. Et ut advertamus quia in sacerdotibus divina magis quàm humana operatur gratia, una ex multis quas Moyses per Tribus acceperat & recondiderat virga Aaron floruit: atque ita divini judicii munus spectandum in sacerdo- F te populus advertit, ac destitit parem sibi humano judicio vindicare gratiam, qui ante parem sibi prærogativam competere arbitrabatur. Virga autem illa quid aliud ostendit, nisi quod numquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere commissæ sibi florem potestatis, vel quia id quoque ad mysterium refertur? Nec otiose prope exitum vitæ Aaron sacerdotis hoc factum putamus. Declarari videtur populus senior, sacerdotalis longævæ infidelitatis vetustate cariosus, quod ultimis temporibus imitatione Ecclesiæ A reformatus in studia fidei & devotionis, emortuum jam tot sæculis redivivâ gratiâ florem remittat.

59. Quid autem illud significat, quod post defunctum Aaron non universo populo, sed soli Moysi qui est in sacerdotibus Domini, imperavit Deus ut exuviis Aaron sacerdotis filium ejus indueret Eleazarum; nisi ut cognosceremus [*] quod sacerdos sacerdotem consecrare debeat, & ipse eum induere vestimentis, hoc est, virtutibus sacerdotalibus: ac tunc si nihil ei deesse indumentorum adverterit sacerdotalium, & apte quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus? Supplicaturus enim pro populo, eligi à Domino, & probari debet à sacerdotibus; ne quid sit, quod in ipso graviter offendat, cujus officium est pro aliorum offensa intervenire. Neque enim mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem; ut sit promtus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum revocet, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat: sit quidam lituus plebis excitandæ ad devotionem, mitificandæ ad tranquillitatem. Num. 20. 26. Hebr. 5. 1. & seq.

60. Vetus dictum est: Adsuesce unus esse; ut vita tua quamdam picturam exprimat, eamdem servans semper imaginem, quam acceperit. Quomodo potest unus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione gravi exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur, per momenta varius & discolor? Sed esto, sit naturæ irasci, aut plerumque causæ; hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino [b] raptari furore, ut non norit mansuescere, clamores non ferere, nec acerbare familiare jurgium; scriptum est enim: *Vir iracundus effodit peccatum.* Non est unus duplici corde, non est unus qui se cohibere nescit in iracundia, de quo pulcre David ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Non iram imperat, sed indulget naturæ: quam homo prævenire non potest, mitigare potest. Ergo etsi irascimur, affectus noster motum recipiat secundum naturam, non peccatum præter naturam. Quis enim ferat, si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? Prov. 15. 18. Psal. 4. 5.

61. Ideoque Apostolus formam dedit, quia & episcopum esse oportet irreprehensibilem; & alibi ait: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.* Nam quomodo conveniunt sibi dispensantis misericordia, & cupientis avaritia? 1 Tim. 3. 2. Tit. 1. 7. & seq.

62. Hæc posui, quæ cavenda acceperim: virtutum autem magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui *unius uxoris virum* præcipiat esse, non quo exsortem excludat conjugii (nam hoc supra legem præcepti est) sed ut conjugali castimonia servet [c] ablutionis suæ gratiam: neque iterum Ibidem.

a. Codex Gem. *invasit universos.*

*. Episcopalem consecrationem non nisi à sacerdotibus, hoc est, ab episcopis fieri oportere expressis verbis ostendit sanctus Doctor, nec ambigue etiam quam parum juris populo in episcopali electione semper fuerit, dum nullas illius partes hic commemorat, satis innuit.

b. Ita omnes mss. at contra omnes edit. *raptari furore, non norit adsuescere clamore, non ferere* &c.

c. Codex Vall. *absolutionis gratiam.*

ut filios in sacerdotio creare Apostolica invitetur auctoritate; habentem enim dixit filios, non facientem, neque conjugium iterare.

63. Quod ideo non prætermisi, quia plerique ita argumentantur, [a] unius uxoris virum dici post baptismum habitæ; eo quod baptismo vitium sit ablutum, quo adserebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia; ut si quis contaminaverit suum corpus cum plurimis, quas nulla conjugii lege sociaverit, remittantur ei omnia: sed conjugia non B resolvuntur, si quis iteraverit; culpa enim lavacro, non lex solvitur: nulla enim culpa conjugii, sed lex est. Quod legis est igitur non remittitur, quasi culpa: sed tenetur, quasi lex. Ideo & Apostolus legem posuit, dicens: Si quis sine crimine est, unius uxoris vir. Ergo qui sine crimine est, unius uxoris vir, tenetur ad legem sacerdotii suscipiendi: qui autem iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis. C

Ibidem. Dist. 26. cap. Qui sine.

64. Diximus quid legis sit, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus non solum hoc Apostolum de episcopo & presbytero statuisse, sed etiam Patres [b] in concilio Nicæni tractatus addidisse, neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem, servandam marito fidem, quam ipse priori conjugio non reservaverit? Aut quid inter- D esset inter populum & sacerdotem, si iisdem adstringerentur legibus? Debet præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia; nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire.

65. Quam resistebam ne ordinarer! postremo cùm cogerer, saltem ordinatio protelaretur! Sed non valuit [*] præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam occidentales episcopi judicio, orientales etiam exemplo probarunt. Et tamen neophytus prohi- A betur ordinari, ne extollatur superbiâ. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est: si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.

Dist. 61. cap. Neophytus.

Tit. 3. 6.

66. Quod si in aliis Ecclesiis tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab episcopo, monasterii continentia, & disciplina Ecclesiæ? [*] Hæc enim primus in occidentis partibus diversa inter se B Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit; ut & in civitate positus instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & ad normam integritatis juventutem adstringat, & versantes intra urbem [c] abdicet usu urbis & conversatione.

67. Hinc illi processerunt viri, Elias, Elisæus, [d] Johannes Elizabeth, qui pelliceis tunicis & C caprinis exuviis induti, inopes atque egentes, angustiis & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant, inter alta & condensa montium, invia rupium, [e] speluncarum horrida, fovearum vadosa, quorum conversatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Misael, qui in aula regia pascebantur, jejunio alebantur tamquam in desertis, cibo aspero, potuque obvio. Meritoque regii servuli [f] regnis prævaluerunt, & captivitatem de- D cusso jugo contemserunt, potestates subegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, hebetarunt flammas, obtuderunt aciem gladii, strinxerunt leonum ora; & ubi infirmiores fieri æstimabantur, ibi fortiores reperiebantur: non refugiebant ludibria humana, quia cælestia sperabant præmia: non horrebant tenebras carceris, quibus æterni luminis gratia refulgebat.

Hebr. 11. 36. & seq.

Dan. 1. 14. & seq.

68. Hos sequutus Eusebius sanctus exivit de terra sua, & de cognatione sua, & domestico otio peregrinationem prætulit. Pro fide quo-

a. Big. cod. *unius uxoris dici potest baptismum habita*: rectius alii, ut nos in textu. Operæ autem pretium fuerit, quæ hic de monogamia & continentia sacerdotali traduntur, cum iis quæ disputantur lib. 1. *Offic.* cap 50. num. 257. & 258. componere, nec non observationem à nobis illic subjectam consulere.

b. Rom. edit. & pauci mss. *in concilii Nicæni tractatu*: alii mss. aliquot, *in concilio Nicæno tractatus*: reliqui, & vet. edit. *in concilio Nicæni tractatus*; sicut etiam legitur in ant. edit. Gratiani, & aliorum. At vero quoquo modo legamus hunc locum, difficultate sua non carebit. Etenim cùm canones concilii Nicæni tantum 20. habeantur, in quorum nullo de bigamis ad clericatum non admittendis quidquam dicitur, quid his verbis indicet Ambrosius, incertum est. Baronius & qui eum sequuntur, nodum sibi videntur hunc nodo invenisse, dum præter hos 20. canones dicunt alios quosdam ab eadem Synodo conditos esse, qui ad ætatem nostram non pervenerint. Veruntamen, pace tantorum virorum, inquisitio Afrorum antistitum qui temporibus Bonifacii ac Zozimi, missis Alexandriam atque Antiochiam ad quærendos eosdem canones legatis, tantum 20. receperunt: vetera ejusdem Synodi exemplaria, in quibus totidem inveniuntur, nam quod 22. habet Rufinus, nihil est, cùm ille 4. è duobus divisis effecerit: postremo testimonia Theodoreti lib. 1. cap. 8. & Hincmari Rhemensis epist. ad Laudunensem non plures Nicænos canones fuisse quam 20. palam faciunt. Quare nonnulli quidem de numero eorum non dissentiunt, sed ii negant agi de canonibus à Doctore nostro, quem tractatus tantum, hac de re in Nicæno concilio habitos, non autem canones conditos testari dicunt. At vero cùm præmiserit Ambrosius, quid Apostolus de episcopo & presbytero statuerit, manifestum est eum quid in memorata synodo de diacono & subdiacono decretum fuerit, subjecisse: neque hunc locum alio sensu posse intelligi. Nobis igitur nihil occurrit verisimilius, quàm si dicamus canonem illum ex alio Concilio Nicænis canonibus in eo codice, quo utebatur sanctus Antistes, additum esse, quo ille in fraudem inductus fuerit, sicut in simili re alii non pauci. Sed neque ullum movere debet, quod habetur, *neque clericum quemquam* &c. vocem enim *clericum*, ad diaconos & subdiaconos restringi constat, quemadmodum verba quoque Leonis Magni ex epist. 92. *ad Anastas.* cap 4. ubi scribitur: *Nam cùm extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati . . . . nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur.* Quibus verbis subdiaconos ac superiores ordines intra clericorum classem includere voluit sanctus Papa, non autem inferiores; cùm his uxorum copula permitteretur.

*. *Præscriptio* idem hic sonat ac ecclesiastica seu canonica constitutio: *impressio* autem vis est atque impetus popularis. Frequenter porro de electione sua conqueri solet Ambrosius, exempli causa lib. 1. *de Offic.* cap. 1. num. 4. lib. 2. *de Pœnit.* cap. 8. num. 72. & alibi. Quod autem adjungit ordinationem suam ab orientalibus episcopis exemplo fuisse comprobatam, Baronius & alii post eum intelligendum censent de Nectario Constantinopolitano, de quo satis abunde à nobis dictum ad epist. 23. num. 3.

*. Hanc institutionem Baronius ad an. 328. ab Eusebio tum factam censet, cùm ab Ægypto, quo legatus à Romano Pontifice missus fuerat, ad suos rediit. Sed cùm Ambrosius non monachorum Ægyptiorum, ut Baronius adserit, sed Eliæ, Elisæi ac Baptistæ exemplis Eusebium ductum memoret, ut monasticam vitam conjungeret cum clericali, nihil prohibet quominus conjunctionem hanc ea legatione priorem arbitremur.

c. Nonnulli mss. *abducat usu nobis.*

d. Mss. aliquot, & edit. Rom. omittunt *Elisabeth*: at omissionis causam putamus esse, quod eam vocem in gignendi casu positam non adverterant; phrasi enim græca dicitur, *Johannes Elisabeth*, supple filius.

e. Mss. nonnulli, *speluncarum horrea.*

f. Edit. Amerb. atque Eras. *regis prævaluerunt*, Gill. ac Rom. *regi prævaluerunt*: mss. vero ut in textu.

que

quæ exsilii dura præoptavit atque elegit, con- A junᴄto sibi sanctæ memoriæ * Dionysio, qui posthabuit imperatoris amicitiam exsilio voluntario. Itaque memorabiles viri circumdati armis, vallati exercitu, cùm raperentur de Ecclesia majore, triumphabant de imperio; quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam, quibus [a] militaris manus, armorum strepitus extorquere non potuit fidem, subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere sanctis nequivit. Ira enim regis, B
Prov. 19. 12. ira leonis, ut in Proverbiis habes.

69. Confessus est victum se esse, qui rogabat ut mutarent sententiam: sed illi validiorem calamum suum ferreis gladiis arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia, ut occideret, non est vulnerata sanctorum fides: non desiderarunt patrium sepulcrum, quibus reservabatur cæleste domicilium. Erraverunt toto orbe, ut
2. Cor. 6. 10. nihil habentes, & possidentes omnia. Quocumque missi essent, locus deliciarum putabatur; neque enim illis quidquam deerat, quibus fi- C des locuples abundabat. Denique locupletabant alios, ipsi inopes ad sumtum, opimi ad gratiam. Tentabantur, sed non mortificabantur, in jejuniis, in laboribus, in custodiis, in
Ib. v. 11. 12. vigiliis. Evaserunt de infirmitate fortes. Non exspectabant deliciarum illecebras, quos saginabat fames: non adurebat eos torrida æstas, [b] quibus refrigerabat æternæ spes gratiæ: non frangebant glacialis plagæ frigida, quibus fervente spiritu vernabat devotio: non verebantur D vincula hominum, quos Jesus solverat: non desiderabant redimi à morte, qui præsumebant à Christo resuscitari.

70. Denique sanctus Dionysius exegit votis, ut in exsilio vitam poneret; ne regressus confusa institutis seu usu infidelium studia plebis aut cleri inveniret: meruitque hanc gratiam; ut pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Itaque ut Eusebius sanctus prior levavit vexillum confessionis; ita beatus Dionysius in E exsilii locis [c] priori martyribus titulo vitam exhalavit.

71. Hæc igitur patientia in sancto Eusebio monasterii coaluit usu, & durioris observationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in adtentiore christianorum devotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, & monachorum instituta? [d] Ista ad commoditatem & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam adsuefacta atque pa- F tientiam: hæc velut in quodam theatro, illa in secreto: spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus athleta ait: *Spectaculum facti sumus huic mundo & Angelis.* 1. Cor. 4. 9. Dignus sane qui spectaretur ab Angelis, cùm luctaretur, ut ad Christi bravium perveniret; cùm certaret, ut in terris vitam Angelorum institueret, in cælo nequitiam Angelorum refelleret: colluctabatur enim nequitiis spiritalibus. Merito mundus eum spectabat, ut mundus imitaretur.

72. Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca: hæc adversus confusionem sæculi, illa adversus carnis appetentiam: hæc subjiciens, illa refugiens corporis voluptates: hæc gratior, illa tutior: hæc se ipsam regens, illa semet ipsam coercens: utraque tamen se abnegans, ut fiat Christi; quia perfectis dictum est: *Qui vult post* Matth. 16. *me venire, abneget se ipsum sibi, & tollat crucem* 24. *suam, & sequatur me.* Sequitur ergo Christum, qui potest dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit* Gal. 2. 20. *vero in me Christus.*

73. Negabat se Paulus, cùm sciens quia vincula & tribulationes eum manerent in Hierusalem, voluntarius se offerret periculis, dicens: *Nec facio animam meam cariorem mihi, dum-* Act. 20. 24. & seq. *modo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à domino Jesu.* Denique circumstantibus plurimis, plorantibus & obsecrantibus, non reflexit animum: ita fides promta dura sui censor est.

74. Hæc ergo dimicat, illa se removet: hæc illecebras vincit, illa refugit: huic mundus triumphatur, illi exsulat: huic mundus crucifigitur, Gal. 6. 14. vel ipsa mundo, illi ignoratur: huic plura tentamenta, & ideo major victoria; illi infrequentior lapsus, facilior custodia.

75. Denique ipse Elias, [e] ut confirmaretur 3. Reg. 17. 3. verbum oris ejus, missus est à Domino, ut se ad torrentem absconderet Chorath. Minabatur Achab, minabatur Jezabel, timuit Elias & ex- 3. Reg. 19. 8. surrexit, & iterum in virtute escæ intelligibilis quadraginta diebus ambulavit, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Choreb, & introivit in speluncam, & requievit ibi; & sic postea missus est, ut ungeret reges. Duratus igitur ad patientiam est solitudinum incolatu, & tamquam pastus ad virtutis adipalem agresti alimento processit fortior.

76. Johannes quoque in deserto adolevit, Luc. 3. 2. & 22. [f] & Dominum baptizavit; & constantiam illic prius exercuit, ut postea regem increparet.

77. Et quia de sancti Eliæ habitatione deserti nomina locorum non otiosa quasi feriati preterivimus, quid significent repetendum videtur. Missus est Elias ad torrentem Chorath, ibi eum corvi alebant, mane panem affere-

*. Quemadmodum Eusebius Vercellensis ac Dionysius Mediolanensis propterea in exsilium à Valente imperatore pulsi fuerint, quod in Mediolanensi concilio recusaverint Athanasii subscribere condemnationi, explicat Athanasius ipse in *epist. ad Solitarios*, Hilarius extremâ *epist. ad Constant.* Socrates, Sozomenus, Sulp. Severus, & alii.

a. Ita mss. prope ad unum: edit. vero dictionem *manus* non agnoscebant.

b. Rom. edit. & mss. aliquot, *quos .... gloria .... plaga frigora*: vet. edit. *quos ... gratia .... plaga frigiditas*. mss. autem magno numero, ut in contextu.

c. Omnes edit. & mss. nonnulli, *propiori martyribus* (quidam *martyrii*) *titulo*: alii multo plures, *priori* &c. quod magis videtur huic loco congruere, ut cruento sed brevi martyrio diuturni exsilii labores ac molestiæ, in quibus vitam finivit Dionysius, præferantur. Ejus porro obitum in civitate Retroiensi provinciæ Cappadociæ anno 371. vel 374. 8. Kal. Jun. contigisse memorant Baronius ad annum 375. Ughellus tomo 4. & Bollandi continuatores. Quod autem ad Eusebium, is in sermonibus duobus Ambrosii nomine hactenus evulgatis, quos Ughellus ex ms. allegat ante annos 1000. ut putat, scripto, dicitur inter cruciatus ab Arrianis ipsi adhibitos expirasse. Attamen veri simile, ut Baronius ad ann. 371. observat, minime videtur Ambrosium hoc loco id vel prætermissurum, vel secundum vet. edit. lectionem Dionysio priores in Eusebium delaturum fuisse, si hujus exsilium cruentus exitus coronasset. Sed alibi de iisdem illis sermonibus ac de utroque sancto confessore dicturi sumus.

d. Omnes edit. ac pauci mss. *ad comitatem*: alii vero mss. majori numero, *ad commoditatem*, nimirum ut proximorum necessitatibus inserviat, & se accommodet: sic etiam moralitas Ambrosio idem est ac morum facilitas.

e. Mss. aliquot, *ut infirmaretur verbum* &c.

f. Ita vet. edit. pluresque mss. Rom. autem edit. cum aliis cod. nonnullis omittunt, *& Dominum baptizavit.*

bant, ad vesperam carnes. Non immerito ma- A ne panis adferebatur; quia confirmat cor hominis. (Ps. 103. 15.) Quo enim cibo nisi mystico aleretur propheta? Ad vesperam caro ministrabatur. Intellige quæ legis, quia * Chorath intellectus est; Choreb omne cor, vel quasi cor dicitur, Bersabee quoque puteus septimi, aut juramenti latina interpretatio est.

78. Primum Elias in Bersabee concessit ad sanctæ legis mysteria, divinique juris sacramenta: postea ad torrentem mittitur, ad illum flu- B minis impetum, qui lætificat civitatem Dei. (Psal. 45. 5.) Utrumque advertis unius auctoris Testamentum: vetus Scriptura quasi puteus profunda atque obscurior, unde cum labore haurias: non plena; quia adhuc qui impleret eam, non venerat. Denique postea ait: *Non veni Legem solvere, sed implere.* (Matth. 5. 17.) Ideo ad fluvium transire sanctus à Domino jubetur; (3. Reg. 17. 3.) quoniam qui de novo Testamento biberit, non solum flumen est; sed etiam flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, (Joban 7. 38) C flumina intellectus, [a] flumina cogitationis, flumina spiritalia: quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore, ne sacrilegi biberent, potarent perfidi.

79. Ibi prophetam Domini agnoscebant corvi, quem non agnoscebant Judæi. Pascebant corvi, quem genus regale illud & nobile persequebatur. (3. Reg. 17. 6.) Quæ est Jezabel, quæ persequebatur, nisi Synagoga, vane fluens, vane abundans Scripturis, quas neque custodit, neque D intelligit? Qui corvi pascebant, nisi quorum pulli eum invocant, quorum jumentis dat escam, ut legimus, *pullis corvorum invocantibus eum?* (Psal. 146. 9.) Sciebant illi corvi, quem pascerent: qui juxta intellectum erant, & ad illum cognitionis sacræ fluvium escam vehebant.

80. Pascit prophetam, qui intelligit, qui custodit quæ scripta sunt. Dat ei succum fides nostra, dat ei alimentum noster profectus: [b] mentes ille nostras sensusque pascitur, in nostro E sermo ejus intellectu epulatur. Damus ei mane panem, qui in lumine Evangelii positi, confe-rimus ei nostri firmamenta cordis. His alitur, his viget, his jejunantium replet ora, quibus Judæorum perfidia nullum fidei cibum subministrabat. Jejunus est illic omnis sermo propheticus, cujus adipem interiorem non vident, exesus & tenuis, qui impinguare eorum fauces non potest.

81. Fortasse ideo deferebant ad vesperam car- F nes, (3. Reg 17. 6.) quasi fortiores cibos, quos infirmi ingenio Corinthii non poterant sumere; (1. Cor. 3. 2.) & ideo lacte potabantur Apostolico. Esca ergo fortior ad vesperam mundi hujus deferebatur, mane panis. Et ideo quia Dominus hanc ministrari mandavit alimoniam, bene illud propheticum dici ei hoc loco convenit: [c] *Exitu matutino & vespere delectabis*; (Psal. 64. 9.) & infra: *Parasti cibum illorum; quia ita est præparatio ejus.*

82. Sed satis de magistro dictum puto, nunc discipulorum vitam persequamur, qui in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personant. Hæc nempe Angelorum militia est semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare [d] Dominum: student lectioni, vel operibus continuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum, sibi ipsi invicem tutam præbent custodiam. Qualis hæc vita, in qua nihil sit quod timeas, & quod imiteris plurimum adest? Jejunii labor compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, aut fallitur negotio: non oneratur mundi sollicitudine, non occupatur alienis molestiis, non urgetur urbanis discursibus.

83. Huic vel servando, vel edocendo muneri advertitis qualis adhibendus magister sit, quem reperire possumus, si vestra unanimitas adspiret, si vos donetis invicem vobis, si quis (Ephes. 4. 32.) ab altero [e] se læsum putat. Non enim hæc sola est forma justitiæ, ut non lædas eum, qui te non læserit; sed etiam illa, ut etiam ei remittas, qui te læserit. Lædimur plerumque fraude alterius, dolo proximi: numquid hoc virtutis putamus, ut dolum dolo ulciscamur, fraudem referamus fraudibus? Etenim si justitia virtus est, crimine debet [f] vacare, nec improbitatem improbitate refellere. Quæ enim virtus hoc à te fieri, quod in altero ipse punias? Contagio ista improbitatis non ultio est: nihil autem interest cui malefacias, utrum justo, an injusto, cùm te malefacere non oporteat. Neque distat quomodo malignus sis, utrum [g] vindicandi studio, an voto nocendi; cùm malignitas in utroque genere non careat reprehensione. Nam malignum esse ab injusto nihil distat; ideoque tibi dictum est: *Noli malignus esse inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem*; (Psal. 36. 1.) & supra idem ait: *Odio habui congregationem malignantium.* (Psal. 25. 5.) Omnes utique complexus est, nullum excepit: malignitatem tenuit, non causam interrogavit.

84. Quæ autem melior forma quàm justitiæ divinæ? Dicit enim Dei Filius: *Diligite inimicos vestros.* (Matth. 5. 44.) Et iterum dicit: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Eousque perfectis studium adimit ultionis, ut lædentium [h] caritatem imperet. Et quoniam in veteri Scriptura dixerat: *Mihi vindictam, & ego retribuam*, (Deut. 32. 35) in Evangelio ait orandum pro iis qui læserint; ne in eos vindicet, qui vindicandum promisit: vult enim ex tua dimittere voluntate, in quo

*. In lib. *de Fuga Sæculi* cap. 6. num. 34. *Chorad* exponitur *cognitio*. sed Oreb vel ut scribitur in mss *Choreb*, in eodem libro dicitur *exsiccatio*, & valgo etiam explicatur *siccitas*, *desertum*, *destructio & gladius*, à quibus interpretationibus hoc loco non parum Ambrosius recedit, sed haud dubie alius cujuspiam scriptoris auctoritatem sequutus. Quod vero ad vocem *Bersabee* seu *Bersabée* illam ejus explicationem omnes proponunt.

a. Ita mss. prope ad unum: omnes vero edit. *flumina cognitionis.*

b Rom. edit. sola, *illo sensu nostro pascitur.* At eadem cum aliis non post multa, *his jejuna dat*: mss. autem utrobique ut nos in textu.

c. Sic omnes edit. ac mss. nonnulli: alii vero plures, *exitus matutinos & vesperis*, quidam etiam, *exitus matutini & vespere delectabis.*

d. Omnes edit. & quidam mss. *Dominum student, oratione vel operibus* &c. mss. autem plures ac probatiores nobiscum faciunt.

e. Erasm. & seq edit. *se læsum non putat*: sed abest negatio ab Amerb. & cunctis mss. nec eam quoque sensus admittit. Nam qui se læsum non putat, quod alteri remittat, nihil habet.

f. Mss. aliquot, *vacare, probitate improbitatem refellere*: in quibusdam etiam omittitur vox *probitate.*

g. Rom. edit. sola, *justo vindicandi studio.* Ceterum videtur Ambrosius varias causas, quibus dissidium in Ecclesia Vercellensi nutriebatur, ac episcopi retardabatur electio, hic perstringere.

h. Mss. aliquam multi, *caritatem impleret.* Non satis recte.

ex sua convenitur promissione. Quod si vindictam requiris, habes quia injustus amplius suis punitur opinionibus, quam judiciariis severitatibus.

5. Et quoniam nemo potest esse sine aliquibus adversis, id agamus, ne nobis[a] nostro vitio adversa accidant. NEMO ENIM gravius alieno condemnatur judicio, quam insipiens suo, qui sibi auctor est malorum. Unde molesta & plena contentionis declinemus negotia, quæ neque fructum habent, & impedimentum adferunt. Quamquam id agere debemus, ne nos arbitrii nostri pœniteat, aut facti: PRUDENTIS est enim prospicere, ne frequenter eum pœniteat sui; numquam enim pœnitere solius est Dei. Quis vero justitiæ fructus, nisi mentis tranquillitas? Aut quid est juste vivere, nisi cum tranquillitate vivere? Qualis forma fuerit domini, talis totius domus est status. Quod si domui quæruntur ista, quanto magis in Ecclesia,
Coloss. 3. 11. *ubi & dives & pauper, servus & liber, Græcus & Scytha, honoratus & plebeius, omnes in Christo unum sumus?*

86. Nemo præsumat, quia dives est, plus sibi deferendum. Ille est dives in Ecclesia,[b] qui
Prov. 17. 5. fide dives est; fideli enim totus mundus divitiarum est. Quid mirum si mundum fidelis possidet, qui possidet Christi hereditatem, quæ
1 Petr. 1. 19. pretiosior est mundo? *Sanguine pretioso redemti estis*, omnibus utique non solis pecuniosis dictum est. Sed si vultis divites esse, sequimini di-
Ibidem 15. centem: *Sancti in omni conversatione estote*. Non solis divitibus dicit, sed omnibus; quia sine discrimine personarum judicat, ut bonus testis ejus Apostolus dicit: Et ideo non in remissione, non in fastidio, non in exaltatione cordis: sed
Ibidem 17. *in timore*, inquit, *hoc incolatus vestri tempore conversamini*. Tempus accepistis hac in terra, non perpetuitatem: ipsi tempore utamini, qui sciatis vos migraturos.

87. Nolite in divitiis confidere; quia omnia illa hîc relinquuntur, sola vos comitabitur fides. Erit sane etiam justitia comes, si fides præ-
Ibidem 18. & 19. via sit. Quid vos palpant divitiæ? *Non auro vel argento*, non possessionibus, non sericis vestibus, *de vana vestra conversatione redemti estis: sed pretioso sanguine Christi Jesu*. Ille ergo dives est, qui fuerit heres Dei, Christi coheres. Noli pauperem contemnere, ille te divitem fecit.
Psal. 33. 6. Noli egentem fastidire: *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Noli inopem refutare:[c] & Christus pauper factus est, cùm dives esset: sed propter te pauper factus est, ut te inopiâ suâ divitem faceret. Noli quasi dives te adtollere: sine pecunia misit apostolos suos.

Act. 3. 6. 88. Denique primus eorum dixit: *Argentum & aurum non habeo*. Gloriatur in paupertate, quasi refugiat contaminationem. *Argentum*, inquit, *& aurum*[d] *non habeo*: non, aurum & argentum.
Philip. 2. 9. Nescit ordinem, qui nescit usum. *Argentum & aurum non habeo*, sed fidem habeo. Satis dives sum in nomine Jesu, quod super omne nomen est. Philip. 2. 9. Argentum non habeo, sed nec requiro; aurum non habeo, sed nec desidero: sed habeo quod vos divites non habetis, habeo quod pluris esse etiam vos arbitremini, & dono pauperibus; ut in nomine Jesu dicam: *Convalescite, manus remissæ, & genua dissoluta*. Esai 35 3.

89. Sed si vultis divites esse, estote pauperes. Tunc eritis per omnia divites, si fueritis pauperes spiritu: NON CENSUS divitem, sed animus facit. Matth. 5. 3.

90. Sunt qui se humiliant in multis divitiis, & recte, ac prudenter; satis enim dives omnibus naturæ lex est, cui cito invenias, quod abundet: cupiditatibus autem omnis divitiarum abundantia inopia est. Denique nemo pauper nascitur, sed fit. NON ERGO naturæ paupertas, sed opinionis est; ideoque cito invenitur dives naturæ, difficile cupiditati. Etenim quo plus unusquisque adquisierit, plus sitit, & quasi quadam inardescit ebrietate cupiditatum suarum.

91. Quid quasi necessarium quæritis cumulum divitiarum? NIHIL TAM necessarium, quam cognoscere quid non sit necessarium. Quid in carnem retorquetis excusationem?[e] Non corporis venter insatiabilem, sed mentis avaritia facit. Numquid caro spem futuri abstulit? Numquid caro spiritalis gratiæ suavitatem ademit? Numquid caro fidem impedivit? Numquid caro aliquid tamquam furiosis dominis, vanis opinionibus adjudicavit? Plus amat caro moderatam frugalitatem, qua exuitur onere, induitur salubritate; quia sollicitudinem deponit, adsumit tranquillitatem.

92. Sed nec ipsæ divitiæ vituperabiles. Denique *redemtio animæ viri, divitiæ ejus*; quoniam qui pauperi donat, redimit animam suam. Prov. 13. 8. Est ergo & his materialibus divitiis virtuti locus. Quasi gubernatores estis in magno mari. Si quis bene gubernat suum navigium, cito transit fretum, ut perveniat ad portum: qui autem nescit regere suum censum, onere suo mergitur. Ideo scriptum est: *Possessio divitum civitas firmissima*. Prov. 10. 15.

93. Quæ est ista, nisi Hierusalem, quæ in cælo est, in qua regnum est Dei? Bona hæc possessio, quæ fructus perpetuos facit. Bona possessio, quæ non hîc relinquitur, sed illic possidetur. In hac possessione qui fuerit, dicit: *Portio mea Dominus*. Non dicit: Portio mea ab Psal. 118. 94. illis usque ad illos porrecta & diffusa terminos. Non dicit: Portio mea inter illos vicinos, nisi forte inter apostolos, inter prophetas, inter sanctos Domini; hæc est enim justo portio. Non dicit: Portio mea in pratis, non in silvis, non in campis; nisi forte in campis silvæ, in quibus invenitur Ecclesia, de qua scriptum est: *Invenimus eam in campis silvæ*. Non dicit: Por- Psal. 131. 6. tio mea greges equorum: *Mendax* enim *equus ad salutem*. Non dicit: Portio mea armenta boum, Psal. 32. 17.

a. Omnes edit. *nostro judicio* .... *condemnari potest*: optime vero propemodum omnes mss. *nostro vitio* .... *condemnatur*.

b. Ita mss. edit. vero, *qui pauperi non sibi dives est. In Ecclesia fidelis dives est; fidelis enim* &c.

c. Edit. Amerb. atque Eras. *& Christus pauper factus est, ut te inopia* &c. Rom. *& Christus propter te pauper factus est: cùm esset dives: ut te inopia* &c. Gill. autem & mss. optime locum restituunt, ut in corpore.

d. Sic mss. magno numero: edit. autem Gill. ac Rom. *non habeo. Aurum & argentum nescit ordine, qui nescit usu*: at in Amerb. ac Eras. nec non in mss. quibusdam lacuna est.

e. Codex Colb. unus. *Non corporis cura*.

a fini, oves; nisi forte inter illa se numerat ar- A menta, quæ agnoscunt possessorem suum: & in *Esai. 1. 3.* illa asina vult consortium habere, quæ non refugit præsepe Christi: & illa ovis sibi portio est, quæ ad immolandum ducta est, & ille *Ibid. 53. 7.* *Agnus coram tondente sine voce, qui non aperuit os suum;* cujus in humilitate judicium exaltatum est. Bene ait: *Coram tondente*, quia superflua, non propria in illa deposuit cruce: qui corpus exuit, non divinitatem amisit.

* 94. Non quicumque * ergo dicit: *Portio mea Dominus.* B Non avarus dicit; quia venit avaritia, & dicit: Mea portio es, ego te subditum habui, mihi servisti, mihi te in illo auro vendidisti, mihi te in illa possessione adjudicasti. Non dicit luxuriosus: Portio mea Christus; quia venit luxuria, & dicit: Mea portio es, ego te in illo mihi mancipavi convivio, illis te cepi epularum retibus, ego te addictum teneo gulæ tuæ chirographo. An ignoras quia carius fuit mensæ tuæ quam vitæ pretium? Tuo te judicio C vinco: nega, si potes, sed negare non potes. Denique nihil ad vitam reservasti, totum ad mensam expendisti. Non potest dicere adulter: *Portio mea Dominus;* quia venit libido, & dicit: Ego sum tibi portio, mihi te in illius adolescentulæ addixisti amore, in illius nocte meretricis in meas leges, in mea jura migrasti. Non dicit proditor: Portio mea Christus; quia sta- a tim a irruit in eum nequitia mali, & dicit: Fallit te, domine Jesu, meus est iste. D

Johan. 13. 2. 95. Habemus exemplum, quia cùm Judas panem à Christo accepisset, immisit se in cor ejus diabolus, quasi possessionem suam vindicans, quasi portionis suæ jus retinens, quasi dicens: Non est tuus iste, sed meus: meus certe minister, tuus proditor; meus plane iste est. Denique tecum recumbit, & mihi servit: tecum epulatur, & mecum pascitur: à te panem accepit, à me pecuniam: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendidit. Quam vera diceret, E probavit. Denique Christus recessit ab eo, ipse quoque Judas reliquit Jesum, sequutus diabolum.

96. Quam multos dominos habet, qui unum refugerit? Sed nos non refugiamus. Quis refugiat eum quem sequuntur alligati vinculis, sed vinculis voluntariis, quæ solvunt, non alligant, *Philem. 1. 1.* quibus vincti vinculis gloriantur dicentes. *Paulus vinctus Jesu Christi, & Timotheus:* Gloriosius ab hoc stringimur, quam aliis absolvimur & F relaxamur. Quis igitur fugiat pacem? quis fugiat salutem? quis fugiat misericordiam? quis fugiat redemtionem?

97. Videtis, filii, quales evaserint, qui hæc sequuti sunt, quomodo operentur defuncti? Quarum virtutum laudem miramur, earum studeamus adipisci industriam: & quas prædicamus in aliis, eas in nobis taciti recognoscamus. Nihil molliculum, nihil infractum ad laudem pervenit: *Regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud.* *Matth. 11. 12.* Festinantes patres agnum manducabant. Festina est fides, alacris devotio, spes impigra: contradictiones animi non amat, sed traductionem ab infructuoso otio ad fructum laborum. Quid in crastinum differs? Potes & hodiernum diem lucrari; cavendum est enim ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ unius: & una hora totius vitæ portio est.

98. Sunt juvenes, qui cito volunt ad senectutem pervenire; ne subjaceant diutius seniorum arbitrio: sunt etiam senes, qui velint, si possint, ad juventutem redire. Quorum studium neutrum probo; quia juvenes fastidiosi præsentium, quasi ingrati mutationem vivendi requirunt, senes dilationem; cùm possit & juventus senescere moribus, & senectus virere operibus. Neque enim emendationem morum magis ætas affert, quam disciplina. Quanto ergo magis nos oportet spem adtollere ad regnum Dei, ubi vitæ novitas, ubi gratiæ erit non ætatis commutatio?

99. Non otio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus otii: immo magis dispendium. Otiosus Esau *Gen. 27. 11.* amisit b primatus benedictionis; quia maluit b cibum accipere, quam quærere. Laboriosus Jacob apud utrumque parentem invenit gratiam.

100. Et tamen cùm superior esset Jacob virtute & gratia, cessit fratris indignationi, qui sibi prælatum fratrem juniorem dolebat. Ideo scriptum est: *Date locum iræ;* *Rom. 12. 19.* ne alterius indignatio te quoque in peccatum trahat, dum vis resistere, dum vis vindicari. Potes & ab illo & à te c removere culpam, si cedendum putes. c Imitare patriarcham, qui de consilio matris *Gen. 27. 43.* longinqua petiit. Et cujus matris? Rebeccæ utique, hoc est, patientiæ. Cujus enim nisi patientiæ hoc consilium esse poterat? d Amabat d mater filium; maluit enim sibi eum exsulare quam Deo. Et ideo quia bona mater, utrique detulit, juniori tamen filio benedictionem, quam conservare poterat, dedit; non enim filium filio, sed impigrum otioso prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit amandando minorem filium, ne parricidium faceret.

101. Itaque quoniam ob pietatem non propter improbitatem exsulabat à parentibus, loquebatur cum Deo, augebatur censu, liberis, gratia. Neque istis elatus est, cùm fratri occurreret: sed humiliatus adoravit, non utique illum immitem, illum furibundum, illum degenerem; sed eum quem in fratre considerabat,

*. Quidquid hoc & seq. num. dicitur, tantam affinitatem habet cum expositione hujus ipsius versiculi *Serm. 12. in Psal. 118.* num 38 & 39. ut negari nequeat idem hic factum ab Ambrosio, quod ei subinde usu venire sæpe advertimus; nimirum ipsum quæ alicubi commode à se tractata arbitraretur, alio etiam pro re nata & argumento transferre consuevisse.

a. Colb. cod. *irruit in eum malus dolus.*

b. Omnes edit. *primatus benedictionem:* omnes mss. *primatus benedictionis.*

c. Mss. non pauci, *removere culpam secedendo. Potes imitari* &c. Monebimus autem obiter Ambrosio nostro insolitum non esse, ut cùm agitur de pacanda iracundia, Rebeccæ ac Jacob exemplum in medium afferat. Vide lib. 2. *de Jacob* &c. cap. 4. num. 14; & lib. 1. Offic. cap. 21 num. 91.

d. Ita mss prope ad unum: omnes contra edit. *Amabat mater contra affectum pii amoris dimitti filium.* Et rursus ubi nos cum omnibus edit. ac mss nonnullis, *Et ideo quia* &c. alii multo plures cod. expungunt voculas *ideo. . . tamen*, & verbum *dedit.* Non malo sensu, modo verborum trajectionem ita restituas; *Et quia bona mater* (supplendum *erat*) *utrique filio detulit benedictionem, quam juniori poterat reservare.*

Ideoque adoravit septies, * numero scilicet remissionis; quia non hominem adorabat, sed eum, quem in carne hominis esse venturum prævidebat spiritu, ut tolleret peccata mundi. [*Joan.* 1. 29.] Quod tibi ex Petri responsione aperitur mysterium, dicente eo: *Si peccaverit in me frater meus, quoties remittam ei? Usque septies?* [*Matth.* 18. 21.] Vides quoniam peccatorum remissio, typus est illius magni sabbati, illius quietis perpetuæ gratiæ; & ideo contemplatione donatur.

102. Sed quid sibi vult quod & uxores, & filios, & omnes disposuit suos, & præcepit ut & ipsi adorarent super terram? [*Gen.* 33. 6.] Non utique ut elementum, quod plerumque repletur sanguine, in quo officina est scelerum, aut vastis plerumque horret cautibus, aut præruptis rupibus, aut sterili & jejuno solo: sed ut carnem præsidio nobis futuram. Et fortasse hoc illud est mysterium, quod te docuit Dominus dicens: *Non solum septies, sed etiam septuagies septies.* [*Matth.* 18. 22.]

103. Et vos igitur donate injurias vestras, ut sitis filii Jacob. [*Coloss.* 3. 13.] Nolite exasperari sicut Esau. Imitamini sanctum David, qui tamquam bonus magister reliquit nobis quod imitaremur, dicens: *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi: ego autem orabam*; [*Psal.* 108. 4.] & cùm malediceretur, orabat. Bonum scutum oratio, qua contumelia excluditur, maledictum repellitur, & in ipsos qui maledixerint, frequenter retorquetur; ut suo telo vulnerentur: *Maledicent*, inquit, *& tu benedices.* [*Ibidem* 28.] Ambienda hominum maledictio, quæ adquirit Dominicam benedictionem.

104. Quod superest, carissimi, considerate quia Jesus extra portam passus est, & vos egredimini de hac terrena civitate; [*Hebr.* 13. 12.] quia civitas vestra superior est Hierusalem. Ibi conversamini, ut dicatis: *Nostra autem conversatio in cælis est.* [*Philip.* 3. 20.] Ideo Jesus exivit de civitate, [a] ut vos exeuntes de hoc mundo, supra mundum sitis. Moyses solus qui Deum videbat, extra castra habebat tabernaculum, quando loquebatur cum Deo: [*Exod.* 33. 7. *& seq.*] & hostiarum, quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus inferebatur, corpora autem extra castra comburebantur; [*Exod.* 29. 12. *& 13.*] quia nemo intra mundi hujus vitia positus peccatum deponit, nec sanguis ejus acceptus est Deo, nisi de corporis hujus exeat inquinamento.

105. Hospitalitatem diligite, per quam sanctus Abraham [b] invenit gratiam, Christum hospitio suscepit, filium Sarra meruit effœta jam senectute: [*Gen.* 18. 3. *& seq.*] Lot quoque Sodomitani excidii evasit ignem. [*Gen.* 19. 2. *& seq.*] Et tu potes suscipere Angelos, si advenientibus hospitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam, quæ hoc munere invenit salutem? [*Josue* 2. 1. *& seq.*]

106. Compatimini iis qui alligati tenentur vinculis, tamquam simul alligati. Consolamini in luctu positos: *Melius est enim ire in domum luctus, quàm in domum gaudii.* [*Eccl.* 7. 3.] Illic officii meritum boni, hîc vitium lapsus refertur. Postremo illinc mercedem sperans, hic recepisti. Sentite de laborantibus tamquam simul laborantes.

107. Mulier viro deferat, non serviat: regendam se præbeat, non coercendam. Indigna est conjugio, quæ digna est jurgio. Vir quoque uxorem tamquam gubernator dirigat, tamquam consortem vitæ honoret, participet ut coheredem gratiæ.

108. Matres, ablactate filios, diligite eos: sed orate pro iis ut longævi super terram sint, non in terra, sed super terram; nihil enim longævum in hac terra; & quod est diu, breve est & magis lubricum. Monete eos ut magis crucem Domini tollant, quàm hanc vitam diligant.

109. * Maria mater Domini ante crucem filii stabat: [*Joan.* 19. 25.] nullus me hoc docuit, nisi sanctus Johannes evangelista. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt, [*Matth.* 27. 45.] cælum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem, [*Luc.* 23. 43.] sed post piam confessionem receptum. Johannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellaverit, pluris putans quod victor suppliciorum pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnum cæleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia; multo uberioris pietatis est, quod à filio mater tanto affectu honoratur: *Ecce*, inquit, *filius tuus .... Ecce mater tua.* [*Johan.* 19. 27.] Testabatur de cruce Christus, & inter matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solùm publicum, sed etiam domesticum testamentum, & hoc ejus testamentum signabat Johannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniæ, sed vitæ æternæ: quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi, qui ait: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* [*Psal.* 44. 2.]

110. Sed nec Maria minor, quàm matrem Christi decebat. Fugientibus apostolis, ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filii vulnera; quia exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per filii mortem mundi redemtionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Jesus non egebat adjutore ad redemtionem omnium, qui omnes sine adjutore servavit. Unde & dicit: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* [*Psal.* 87. 5.] Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsivit alterius auxilium.

111. Hanc imitamini, matres sanctæ, quæ in unico filio dilectissimo tantum maternæ virtutis exemplum edidit; neque enim vos dulciores liberos habetis, [c] neque illud Virgo quærebat solatium, quod alium posset generare filium.

112. Domini servis imperate non quasi conditione subditis, sed ita ut naturæ ejusdem cujus vos estis, [d] consortes eos esse memineritis. [*1 Petr.* 2. 18.] Servi quoque dominis servite cum voluntate, etenim unusquisque quod natus est, patienter

*. Septenarium remissionis numerum propter sabbati diem ac Jubilæi annum vocat S. Doctor: & mysticam hanc ejusdem numeri explicationem tot locis tractat, ut apud eum vix quidquam aliud occurrat frequentius.

a. Mss. aliquot, *ut nos .... supra mundum simus.*

b. Vet. edit. *invenit gratiam. Hospitio suscipere filium Sarra meruit*: mss. aliquot, *invenit Christum, hospitio suscepit, filium Sarra meruit*: ceteri vero mss. ac Rom. edit. ut in contextu.

*. Quidquid hoc toto numero, & prima sequentis parte continetur, ex lib. 10. *in Luc.* num. 129. ac tribus sequentibus totidem pœne verbis desumtum fuit.

c. Non pauci mss. *neque ullum Virgo* &c.

d. Rom. edit. *consortes esse vos* Fortasse hic sit operarum lapsus, sed in omnes seq. edit. propagatus est.

debet suscipere : nec solum bonis, sed etiam A asperis obedite dominis. Nam quæ est vestræ servitutis gratia, si bonis serviatis sedulo? Sed si etiam asperos promereamini; nam liberi quoque nullam habent mercedem, si peccantes puniantur à judicibus : sed illa merces est, si etiam non peccantes. Et vos ergo contemplatione domini Jesu etiamsi difficilibus serviatis dominis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem ipse Dominus justus ab injustis passus est, & patientia mirabili peccata nostra suæ affixit cruci : ut qui illum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat.

113. Ad summam, convertimini omnes ad dominum Jesum. Sit in vobis vitæ hujus delectatio in bona conscientia, patientia mortis cum spe immortalitatis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia, veritas cum simplicitate, fides cum confidentia, abstinentia cum sanctitate, industria cum sobrietate, conversatio cum modestia, eruditio sine vanitate, [a] sobrietas doctrinæ, fidelitas sine hæresis temulentia. Gratia domini Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen. a

a. Vet. edit. cum mss. non paucis, *sobrietas doctrinæ fidelis sine hæresis temulentia* : quibus verbis terminant epistolam : at Rom. edit. cum reliquis cod. nobiscum faciant, nisi quod in quibusdam & *Christi* non habetur.

II. CLASSIS.

EPISTOLA LXIV.

Irenæo roganti cur manna quod olim pluit Israelitis, Christianis non pluat : respondet manna Dominici corporis typum fuisse, ac proinde ubi hoc præsens datum est, illud evanuisse. Addit insuper in eadem exstitisse futuram sapientiæ, quæ verus animarum cibus est, & cujus subtilitas ex variis Scripturæ locis commendatur.

Ambrosius Irenæo salutem.

1. Quæris à me cur dominus Deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, & quotidie pluit de cælo manna servientibus sibi. Et corporeum quidem illud manna hodie plerisque in locis invenitur : sed nunc non est tanti res miraculi; quia venit quod perfectum est. Perfectum autem panis de cælo, corpus ex Virgine, de quo satis Evangelium te docet. Quanto præstantiora hæc superioribus? * Illud enim manna, hoc est, panem illum qui manducaverunt, mortui sunt : hunc autem panem qui manducaverit, vivet in æternum.

De Consec. Dist. 2. cap. corporeum. — * — Johan. 6. 59.

2. Sed est spiritale manna, hoc est, pluvia spiritalis sapientiæ, quæ ingeniosis & quærentibus de cælo infunditur, & irrorat mentes piorum, & obdulcat fauces eorum. Qui igitur intellexerit infusionem divinæ sapientiæ, delectatur, nec alium cibum requirit, nec in solo pane vivit, sed in omni verbo Dei. [a] Qui curiosior fuerit, quærit quid sit istud quod melle dulcius sit. Respondet illi minister Dei : *Hic est* D *panis, quem* [b] *dedit tibi Deus manducare.* Quid sit iste panis, audi : *Sermo*, inquit, *quem ordinavit Deus.* Hæc ergo ordinatio Dei, hæc alimonia alit animam sapientis, & illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis corusco, & mulcens tamquam favo quodam, ita diversarum virtutum suavitate & sermone sapientiæ : *Favi enim mellis sermones sunt boni*, sicut scriptum est in Proverbiis.

a Matth. 4. 4. — Exod. 16. 15. & 16. — b — Prov. 16. 24.

3. [c] Cur autem minutum sit, causam accipe; c A quia & granum sinapis minutum est, quod comparatur regno cælorum : & fides quæ sicut granum est sinapis, potest montes tollere, & jactare in mare. Et *fermento simile est regnum cælorum, quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus, donec fermentetur totum.* Et Moyses caput vituli aurei comminuit sicut pulverem, & misit in aquam, & dedit populo bibere; incrassatum enim erat cor eorum perfidiæ immanitate, * ut emolliretur, & fidei sumeret B subtilitatem. Denique illa mulier, quæ bene emoluerit, adsumetur : ea autem quæ male emoluerit, derelinquetur.

Luc. 13. 19. — Luc. 17. 6. — Luc. 13. 21. — Exod. 32. 20. — * — Matth. 24. 41.

4. Emole ergo & tu fidem tuam, ut sis sicut illa anima quæ Christi in se caritatem excitat, quam mirantur adscendentem virtutes cælorum; quod sine offensione adscendat, & ex hoc mundo adscendat cum lætitia & jucunditate : sicut vitis propago, & sicut fumus se ad superna subrigat, flagrans odorem resurrectionis piæ, C & suavitatem fidei, sicut habes scriptum : *Quæ est hæc, quæ adscendit à deserto, sicut vitis propago* [d] *fumo incensa, odorificata mirrhâ & thure ab omnibus pulveribus unguenti?*

Cant. 3. 6. — d

5. Pulcre subtilitatem ejus expressit pulveris comparatione & unguenti commemoratione; [e] quia in Exodo subtile legimus, & ex multis compositum thymiama illud esse incensum propheticum, quod est sanctorum oratio; ut dirigatur in conspectu Domini, sicut & David dicit : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Denique græcus Κατευθυνθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σου dixit. Et in Apocalypsi Johannis legimus quia *stetit Angelus ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt ei thymiamata multa de orationibus sanctorum omnium. Et adscendit*, inquit, *fumus thymiamatum orationum sanctorum de manu Angeli in conspectu Dei.*

e — Exod. 30. 8. — Psal. 140. 2. — Apoc. 8. 3. & 4.

6. Et umbilicus animæ ac venter subtilis est illius, quæ adscendit ad Christum; ideoque laudatur voce sponsi dicentis : *Umbilicus tuus*

*. Quidquid à primis hujus epistolæ verbis usque ad vocem *superioribus* comprehenditur, ad probandam substantialem Christi in eucharistia præsentiam citatur à Lanfranco lib. *de Corp. & Sang. Dom.* cap. 18.

a. Multæ edit. Paris. *Qui gloriosior fuerit.*

b. Rom. edit. *dedit vobis Dominus*, . *Verbum, inquit, quod* &c.

c. His verbis præmittit Rom. edit. *Ecce super superficiem deserti minutum ut coriandrum* ; quod in aliis, & mss. desideratur.

*. Mallemus scriptum, ut emoleretur; nam subtilitas comminuendo potius, quam emolliendo efficitur, & subjectam mulieris, quæ bene moluerit, exemplum favet : attamen reclamant mss & edit.

d. Mss. aliquot, *fumo incensi odorificata.*

e. Rom. edit. sola, *quia in Exodo legimus compositum subtile thymiama. illud vero est incensum propheticum.*

crater tornatilis, non deficiens mixto, venter tuus acervus [a] *tritici minuti inter lilia.* Est enim in omni doctrina tornatus, & potus spiritalis non deficiens plenitudine, & cælestium secretorum cognitione. Venter quoque animæ mysticus, sicut umbilicus, quo ventre non solùm fortem cibum sumit, quo corda firmantur; sed etiam suavem ac florulentum, quo delectantur. Et fortasse hoc docuit Moyses multis orationibus, & piis illud mitigandum sacrilegium.

3. Reg. 19. 12. 7. In libro quoque Regnorum cùm se Dominus sancto revelaret Eliæ, vox auræ tenuis præcessit, & statim se ei Dominus revelavit; ut cognoscamus ea, quæ corporea sunt, crassa esse & pinguia: ea quæ spiritalia, mollia & subtilia, ut non possint comprehendi oculis. Denique & spiritus sapientiæ subtilis & mobilis
Sap. 7. 22. legitur in libro Sapientiæ, quia est in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, & mobilis: qui sermones suos molat prius, ne quid offendat vel in sensu, vel in alloquio. Denique Babyloni illi, cùm destruetur, [b]
Apoc. 18. 22. dicetur: *Et vox molæ non audietur in te amplius.*

8. Hoc igitur manna subtile erat, & ad diem colligebatur, in diem alterum non servabatur; eo quod inventa sapientiæ in tempore sint gratiora, nec tam miranda quæ spatio temporis reperiuntur, quam illa quæ præsentis funduntur ingenii vivacitate: sive quia futura revelantur mysteria, eo quod servatum manna usque ad solis exortum, esui jam esse non posset, id est, usque ad Christi adventum habere gratiam: oriente autem justitiæ Sole, & splendidioribus Christi corporis & sanguinis sacramentis refulgentibus, cessarent inferiora, perfecta illa sumenda populo forent. Vale, & nos dilige; quia nos quoque te diligimus.

EPISTOLA LXV.

SIMPLICIANUM *cur hostiarum sanguis partim super altare, partim in crateras infunderetur, scire cupientem Ambrosius honorifice alloquutus, per cruoris partem, qua perfundebatur altare, mysteriorum cognitionem: per eam vero, quæ in crateras immittebatur, morum scientiam significari docet. Subdit insuper adventum Christi, qui utraque disciplina nos erudivit, quique proprio sanguine omnes redemit, in eodem sacrificio figuratum.*

AMBROSIUS SIMPLICIANO salutem.

1. MOtum te, cùm legeres, significasti mihi, quid sibi velit, quod Moyses

A post oblatum sacrificium, & immolatas Domino salutares hostias, dimidiam partem sangui- Exod. 24. 6.
nis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare effuderit. * Sed quid est, quod ipse dubites, & à nobis requiras; cùm fidei & adquirendæ cognitionis divinæ gratia totum orbem peragraveris, & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ hujus tempus deputaveris, acri præsertim ingenio etiam intelligibilia complectens; ut pote qui etiam philoso-
B phiæ libros, quam à vero sint devii demonstrare soleas, & plerosque tam inanes esse, ut prius scribentium in suis scriptis sermo, quam vita eorum defecerit.

2. Tamen quia collatio sermonis, ut pecuniæ, magno est usui, atque eâ maximus in commune emolumentum negotiationis profectus paratur, quam mirabilis sit ista sanguinis divisio, reticere non queo. Pars enim ejus moralem sapientiæ disciplinam videtur significare,
C pars mysticam. Illa quæ in crateras mittitur, moralis est: hæc quæ ad altare effunditur, mystica; eo quod divino munere & adspiratione quadam humanis infundatur mentibus, ut convenientia & fidei plena de Deo sentiant.

3. Denique qui loquuti sunt de ejus majestate, & de cælestibus, vel apostoli, vel sancti prophetæ, nonnisi ex revelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Unde Paulus & raptum se 2. Cor. 12. 4.
in paradisum, & audisse se verba, quæ non li-
D cet homini loqui, in epistola sua testificatus est: Stephanus quoque vidit cælos apertos, & Je- Act. 7. 55.
sum ad dexteram Dei stantem: [c] & David pro- Psal. 109. 1. c
pheta vidit sedentem. Nam de Moyse quid loquar, de quo dicit Scriptura, quod non surre- Deut. 34. 10. & 11.
xit amplius propheta in Israel, sicut Moyses, qui scivit Dominum facie ad faciem, in omnibus signis & prodigiis, quæ fecit in terra Ægypti.

4. [d] Mystica ergo Deo libatur, qui splendore [d]
E divinæ sapientiæ, cujus pater & genitor est, inflammat animæ vigorem ac mentem illuminat. Sapientia autem Dei Christus, in cujus Johan. 13. 25.
pectore recumbebat Johannes, ut de principali illo secretoque sapientiæ hausisse divina proderet mysteria. Denique ipse conscius muneris hoc scripsit, qui sibi, quod acceperat, vindicare, & suo adsignare ingenio reformidabat. Sed & ipse Dominus dicebat apostolis, os suum aperiens: *Accipite Spiritum sanctum*; quo decla- Johan. 20. 22.

a. Eadem Rom. edit. *tritici muniti*; cui lectioni suffragantur sacræ paginæ: at ex adverso non solum mss. ac edit. Ambrosii refragantur, verum & ipsius quoque sensus ratio. Etenim Sponsæ venter non probaretur subtilis esse, quod acervo tritici muniti similis diceretur, sed quod acervo tritici minuti ac tenuis.

b. Ita vet. edit. ac plerique mss. Rom. autem edit. sola, *qua destruetur*: at cum ant. edit. ac mss. nonnullis, *dicetur*.

*. His potissimum verbis niti videtur Baronius in Ambrosii Vita, ut doceat Simplicianum à Damaso Rom. Pont. Mediolanum statim atque Ambrosii ordinationem rescivit, missum fuisse, qui novo episcopo & à provinciæ administratione ad episcopale munus adsciro patris ac præceptoris vices præberet: eum autem cum esset dignitate inferior discipulo, hanc ad illum erudiendum viam inivisse, ut non doctorem ageret, sed quasi discipuli sui discipulum se exhiberet, propositis de sacra scriptura quibusdam quæstionibus ipsum ad probandas ingenii vires excitans, & quasi aquila pullum suum ad volandum provocans. Hæc ipsa idem Cardinalis in *Annalibus* ad annum 375. & 385 eodem prope modo repetit: in quo eum sequuti sunt Ughellus, Ripamontius & alii. Verum tamen licet Simplicianum Romæ sub Constantio degisse, atque ad Victorini rhetoris conversionem operam contulisse discamus ex Augustini Confess. lib. 8. cap. 2. non tamen inde colligi potest eum aut Romæ natum, aut Romanæ Ecclesiæ presbyterum fuisse, multo etiam minus ipsum à Damaso destinatum ad Ambrosium instituendum. Deinde ut daremus Simpliciani epistolam ad sanctum nostrum initio episcopatus sui scriptam fuisse, at nequaquam hinc sequeretur eumdem Simplicianum docendi consilio eam scripsisse; cum similiter Augustino recens ad eamdem dignitatem electo quæstiones proposuerit, nec propterea doctoris partes erga eum suscepte constituerit. Hæc ergo de sancto illo sene tantum certa sunt, eum à primis annis Deo servisse, ac doctissimum fuisse in litteris divinis, quarum cognitionem ut compararet, regiones diversas peragrasse, postremo eumdem Ambrosio in accipienda gratia parentem extitisse, seu quod ipsum Romæ primis fidei elementis imbuerit, sive quod Mediolani, cùm adhuc catechumenus in episcopum esset consecrandus, ipsum ad consecrationem rite pieque suscipiendam præparaverit. Quomodo autem in episcopatu eidem successerit, narrat Paulinus in *Ambrosii Vita*.

c. Ita mss. prope ad unum: edit. autem è contrario, *& Esaias propheta*. Sed verisimilius est editores ideo posuisse *& Esaias*, quod apud eum prophetam 6. 1. clare habeatur, *Vidi Dominum sedentem &c.* quam à scriptoribus pro Esaia substitutum *David*, ad quem scilicet obscurius refertur Ambrosii locus.

d. Omnes edit. *Mystica ergo Deo libantur*: codex Lat. *Mystica pars erg. &c.* sed eleganitus reliquis mente suppleatur, *disciplina*; in paucis autem mss. pro *libatur* legimus *libat*.

Exod. 4. 12. ravit se esse, qui Moysi dixerat: *Ego aperiam os* A *tuum, & instruam te quid debeas loqui.* Ergo hæc sapientia divina, inenarrabilis, impermixta atque incorrupta sanctorum animis sui infundit gratiam, & cognitionem revelat, ut speculentur ejus gloriam.

5. Illa autem moralis sapientiæ disciplina est, quæ mittitur in crateras, & ex illis percipitur atque hauritur. Crateres igitur sensuum receptacula. Crateres oculi sunt duo, aures sunt, nares sunt, os quoque, & aliæ partes conve- B nientes muneri; oculi enim visum recipiunt & ministrant, auditum aures, odorem nares, ora gustatum, & cetera. In istos crateres Verbum illud, in quo est principatus sacerdotii vel prophetiæ, effundit sanguinis sui partes; ut vivificet atque animet irrationabiles portiones, & faciat rationabiles.

Exod. 25. 31. & seq. 6. Denique ubi Legis præcepta enumeravit atque annuntiavit populo, theoriam postea intelligibilis illius arcæ testimonii, vel candela- C bri, [a] vel thymiamaterii loquuturus, immolavit hostias & libavit, sanguinis partem affundens altaribus sacris, partem autem infundens crateribus.

7. Fit ergo divisio mysticæ illius, hoc est, divinæ moralisque sapientiæ. Λόγος enim divisor est animarum atque virtutum: λόγος autem *Hebr. 4. 12.* verbum Dei validum & acutum, quod pertransit ac penetrat usque ad divisionem animæ, D virtutes quoque distinguit & dividit; cujus minister Moyses divisione sanguinis virtutum genera distinxit.

8. Et quia nihil præ ceteris in Lege, nisi Christi adventus annuntiatur, atque ejus præfiguratur passio; vide ne ista sit hostia salutaris, quam Verbum Deus in semet ipso obtulit, atque in suo immolavit corpore: quod primò moralem in Evangelio, sed etiam in Lege docuit disciplinam, & in sua patientia atque in E ipso actu & opere monstravit, tamquam in crateras, ita in mores nostros sensusque transfundens velut substantiam quamdam & vitalia ipsa sapientiæ, quibus mentes hominum vivificavit ad virtutis seminarium, & instituta pietatis: deinde accedens ad altare, effudit hostiæ suæ sanguinem.

9. Itaque sive ita hæc accipias, pius, ut arbitror, sensus est: sive secundùm Salomonem velis, concurrit æque, ut quia sanguinem misit F in crateras Moyses propheta, cognoscas ipsum *Prov. 9. 2.* esse sanguinem, de quo scriptum est quia sapientia miscuit in cratere vinum suum, dicens ut relinquerent insipientiam, & quærerent sapientiam. Hauritur ergo de cratere sapientia, hauritur disciplina, hauritur intellectus, hauritur correctio, hauritur vitæ emendatio, hauritur morum & consiliorum temperatio, pietatis gratia, virtutis incrementum, fons ubertatis.

10. Quod vero ad altare effundit sanguinem, [b] ut intelligas licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabilis naturæ, sed divinæ potentiæ, de quo dictum est: *Ecce* *Johan. 1. 29.* *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Non solum enim mundavit sanguine delicta universorum, sed etiam divina potestate donavit. An non tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cujus latere supra ipsum passionis altare aqua *Ibid. 19. 34.* cucurrit & sanguis? Vale, & nos parentis affectu dilige, ut facis.

EPISTOLA LXVI.

Præmissa laude epistolarum, maxime quæ de re utili instituuntur, docet per id quod Aaron mulierum inaures in vituli caput conflaverit, significari ereptum serpentinis flatibus fidei signaculum, ac præmonstratam Judæorum idololatriam: per id vero quod fractis tabulis, Moyses vitulum comminuit, indicari delendam superbiam ac perfidiam: per illud tandem quod in proximum jussit sævire, nos admoneri, ut consanguineos posthabeamus religioni, & quidquid Deo in nobis resistit, præcidamus.

AMBROSIUS ROMULO.

1. EPistolarum genus propterea repertum, ut quidam nobis cum absentibus sermo sit, in dubium non venit: sed fit hoc usu exemploque pulcrius, si inter parentem ac filios crebra & jucunda [c] alloquia cædantur; ut vere inter disjunctos corpore quædam imago referatur præsentiæ: his enim adolescit officiis amor; [d] sicut tuis ad me, aut meis ad te augetur litteris. Sed hoc multo locupletius proximis tuæ dilectionis experiri cœpi affatibus, quibus me consulendum putasti, quid sibi vellet quod Aaron aurum detraxerit populo poscenti sibi *Exod. 32. 2. & seq.* fieri deos, & quod eo auro figuratum sit vituli caput, vel quod Moyses tam dure indignatus sit, ut juberet proximum quemque insurgere gladiis in necem proximi sui. MAGNUM EST enim nullum pati absentibus damnum irrepere, non solùm suavitatis, sed etiam collationis & liberalis scientiæ. Quid igitur de eo sentiam, quoniam exposcis, conferendi magis quam exponendi studio loquar.

2. Cùm Moyses in monte Sina Legem acci- *Exod. 24. 14.* peret, populus erat cum Aaron sacerdote; & quamvis frequenter ad culpam lubricus, tamen quamdiu Lex dabatur, sacrilegio errasse non proditur. Verùm ubi divinum conticuit oraculum, peccatum irrepsit, ut peterent sibi fieri deos. [e] Coactus Aaron petiit annulos eorum, & inaures mulierum: quæ tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput.

3. Neque excusare tantum sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Non imprudens tamen, qui annulos Judæis & inaures abstulit; etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec ornamenta aurium. Denique & patriarcha Jacob *Gen. 35. 4.*

a Nonnulli mss. & vet. edit. *vel thymiamatis*: alii, & Rom. edit. *vel thymiamaterii*

b Ita mss. edit. vero, *intelligere licet*.

c. Nonnulli mss. & quædam Parif. edit. *alloquia cudantur*: Rom. sola, *alloquia conferantur*: alii mss. frequentissimi, ac vet. edit. *alloquia cadantur*. Qua quidem locutione jam usum videas Ambrosium epist. 57. num. 1. estque imitatio, ut Nannius advertit, Terentiana: *Verum*, inquit Comicus, *interea dum sermones cadimus*: ubi etiam aliqui legunt, *cudimus*. Hæc ille.

d. Mss. non pauci, *si aut tuis .... augetur litteris*, unus, *augeatur litteris*: quod non displicet.

e. Rom. edit. sola: *Sic enim dicunt, Surge & fac nobis Deos, qui præcedant nos Coactus ergo.*

abscondit

abſcondit inaures cum ſimulacris gentium, (A) quando in Sichimis abſcondit; ut nullus audiret ſuperſtitiones gentilium. Pulcre autem di- [Exod. 32. 2.] xit: *Deponite annulos & inaures aureas*, [a] *quæ ſunt inaures mulierum veſtrarum*; non quo virorum inaures relinqueret, ſed quod viros non habere manifeſtaret. Congrue quoque inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eva vocem ſerpentis audiret.

4. Et ideo quia ſacrilegium audierant, conflatis earum inauribus, conflata eſt imago ſa- (B) crilegii; qui enim male audit, conflare ſacrile- [3 Reg. 12. 10.] gium ſolet. Cur autem caput vituli exierit, ſequentia docent; quia ſignificabatur futurum quod Hieroboam poſteriore tempore hoc genus ſacrilegii induceret; ut populus Hebræorum adoraret [b] vitulas aureas: ſive quod omnis perfidia ſimilis immanitatis atque inſipientiæ beſtialis ſit.

5. Cujus rei indignitate percitus fregit tabulas Moyſes, & comminuit vituli caput, at- (C) que in pulverem redegit; ut omnia impietatis aboleret veſtigia. [c] Fractæ ſunt enim primæ tabulæ; ut repararentur ſecundæ, quibus per Evangelii prædicationem perfidia comminuta evanuit. Sic Moyſes * typhum illum diſſipavit Ægyptium, & altitudinem extollentem ſe compreſſit æternæ legis auctoritate. Unde & David [Pſal. 28. 5. & 6.] ait: *Et confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tamquam vitulum Libani.*

6. Itaque abſorbuit populus omnem perfi- (D) diam ac ſuperbiam, ne eum abſorberet impietas & arrogantia. Melius eſt enim, ut unuſquiſque prævaleat carni & vitiis ejus; ne dica- [Eſai. 25. 8.] tur de eo quia devoravit eum mors prævalens, [1. Cor. 15. 54. & 55.] ſed dicatur magis: *Devorata eſt mors in victoria. Ubi eſt, mors, victoria tua? Ubi eſt, mors, aculeus* [Pſal. 109. 7.] *tuus?* Et de Domino dictum: *De torrente in via* [Johan. 19. 30.] *bibet*; quia acetum accepit, ut abſorberet univerſorum tentationes.

7. Quod autem occidi fecit à proximis pro- (E) ximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum evidens, quia præferenda eſt religio neceſſitudini, pietas propinquitati: EA EST ENIM vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. Unde & ipſe Moyſes [d] ad filios Levi dixit: [Num. 32. 6.] *Qui paratus eſt à Domino, veniat ad me. Et dixit illis; Hæc dixit dominus Deus Iſrael: Imponite unuſquiſque gladium ſuum in femore ſuo, & pertranſite*; ut contemplatione atque amore reverentiæ divinæ perimeretur omnis affectus neceſſitudinis. Et occiſa quidem ſcribuntur tria millia hominum, nec numeri invidia movemur; quia melius eſt paucorum ſupplicio univerſos exui, quam in omnes vindicari. Neque vero aliquid durum videtur pro vindicta injuriæ cæleſtis.

8. Denique ſanctiora ceteris ad hoc munus eliguntur miniſteria levitarum, quorum portio Deus: NESCIUNT ENIM ſuis parcere, qui nihil ſuum norunt; quoniam ſanctis omnia Deus eſt. Eſt etiam ille levita verus ultor & vindex, qui carnem interimit, ut ſervet ſpiritum, qualis erat ille qui ait: *Caſtigo corpus meum, & ſervituti redigo.* [1. Cor. 9. 27.] Quid autem tam proximum, quam caro animæ? Quid tam proximum, quam ſunt paſſiones corporis? Eas in ſe levita bonus interimit ſpiritali gladio, qui eſt verbum Dei bis acutum & validum. [Hebr. 4. 12.]

9. Eſt & gladius ſpiritus, qui pertranſit animam, ſicut ad Mariam dictum eſt: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes.* [Luc. 2. 35.] Nonne caro animæ fraterno quodam copulatur conſortio? Nonne etiam menti noſtræ affinis & propinquus ſermo eſt? Cùm igitur comprimimus ſermonem, ne multiloquio peccatum incidamus, jus germanitatis abrumpimus, & fraternæ vinculum propinquitatis diſſolvimus; irrationabile quoque ſuum anima tamquam cognatum rationabili vigore diſſociat.

10. Sic ergo Moyſes docuit populum inſurgere in proximos ſuos, per quos [e] fides revocaretur, & virtus impediretur; ut deſecaretur in nobis quidquid à virtute devium foret, confuſum erroribus, vitiis innexum. Hac inſtitutione populi meruit, ut non ſolum deliniret indignationem divinam, atque offenſam averteret; verum etiam conciliaret gratiam.

11. Pro captu itaque noſtro quid ſentiremus, quoniam conſuluiſti, expreſſimus. Ipſe ſi quid melius habes, [f] nobiſcum participato; ut ex te, & ex nobis diſcamus quid potius eligendum & ſequendum ſit. Vale, & ut filius nos dilige; quoniam & nos te diligimus.



a. Ita vet. edit. ac plures mſſ. nonnulli vero tantum exhibent, *quæ ſunt mulierum*: at Rom. edit. maluit, *quæ ſunt in auribus mulierum*. Ad hunc autem locum loquitur Nannius in hæc verba: Sæpius me male habuit, cur inaures ab idololatriæ cultu diverſiſſimas ſepelierit Jacob unà cum idolis. Sed hunc ſcrupulum mihi eripuit Hebræus noſter Andræas Balenſis, qui reſpondit inaures ibi vocari, quo ſacerdotes in cultu numinis aures tegunt, quales fuere apud Romanos infulæ. Attamen mallemus intelligere de inauribus alicui numini dicatis, ejuſque aut ſiderali figura inſignitis, de quibus conſule Grotium ad eumdem locum.

b. Omnes edit. ac mſſ. aliquot, *vitulos aureos*: alii vero plures & potiores *vitulas aureas*. Hanc porro inſaniam adorandi boves retulerant Iſraelitæ ex longo Ægyptiorum uſu Apim ſive Serapidem ſub bovina figura venerantium.

c. Rom. edit. ſola, *Dicit enim: Iratus ira Moyſes projecit de manibus ſuis duas tabulas & confregit ſub monte, & accipiens vitulum quem fecerant, combuſſit illum igne, & contrivit &c. Fractæ ſunt ergo.*

*. Typhus apud auctores eccleſiaſticos pro ſuperbia & faſtu ſumitur. Nam vox τῦφος, unde oritur, proprie fumum ſignificat.

d. Ita vet. edit. cunctique mſſ. niſi quod pro *à Domino*, in quibuſdam legitur *ad Dominum*: at Rom. edit. totum locum refinxit in hanc formam: *Moyſes dixit: Si quis à Domino, veniat ad me. Et congregati ſunt ad eum omnes filii Levi; & dixit . . . & pertranſite. & redite à porta in portam per caſtra: & occidite unuſquiſque fratrem ſuum, & unuſquiſque proximum ſuum &c.*

e. Duo mſſ. *fidei revocaretur virtus*, alii totidem, *fide revocaretur & virtus*: at cùm hi quatuor, tum alii prope ad unum omittunt, *ut deſecaretur*; quæ tamen verba & in cunctis edit. inveniuntur, & ad ſententiæ concinnitatem aliquid addunt.

f. Omnes edit. *nobis comparticipato*; omnes mſſ. *nobiſcum participato*. At infra ubi omnes mſſ. & prope omnes edit. *potius eligendum*, Pariſ. quædam efferunt, *potius diligendum*. Dum vero ita cum Romulo ſe gerit Ambroſius, ut eum filium appellet, & tamen in Scripturis peritum ſignificet, haud ægre nobis in mentem inducimus eum vel Diaconum vel potius ſacerdotem quempiam fuiſſe, cui Eccleſia aliqua rati adminiſtranda commiſſa eſſet. Certe in ſecunda ad ipſum epiſtola rari habitare aperte dicitur.

EPISTOLA LXVII.

Ubi ostensum est, quod Aaron filios excusanti Moyses adquieverit, innui sententiam cujusque circa proprium munus antecellere, idem locus consideratur. Inde colligitur raram esse veram pœnitentiam; ei enim officere naturam ac verecundiam, nec non affectuum velocitatem: ad hæc eam agi non posse, nisi extinctæ sint cupiditates, & vigeat amor justitiæ: propterea cassam fuisse Judæ resipiscentiam: nullam enim Deo acceptam, nisi sinceram: quæ res sub figura trium hircorum designabatur.

AMBROSIUS SIMPLICIANO salutem.

1. QUantus sit unusquisque in suo munere, exemplo debet esse lectio, quæ jure
Num. 12. 8. te movit, quod Moyses ille, quo nemo præsentius Deum vidit, neque surrexit amplius in
Deut. 34. 10. Israel propheta, qui Deum facie ad faciem,
a ª sicut Moyses videret: ille qui quadraginta die-
Exod 34. 28. bus & noctibus jugiter cum Domino fuit, cùm Legem acciperet in monte: ille, inquam, cui Deus dabat, quos loqueretur, sermones, inve-
Exod. 4. 12. nitur magis Aaron fratris consilium quam suum probasse. Fuit ergo quisquam hominum Moy-
b se prudentior ᵇ & instructior? Atqui ipsum Aaron postea cum Maria circa Æthiopissæ personam legimus errasse.

2. Sed hoc ipsum diligenter discute, ubi
Num. 12. 1. Moyses scientiâ præponderet, ubi Aaron consilio. Moyses magnus propheta, qui de Christo
Deut. 18. 15. dixit: *Sicut me, ipsum audietis.* Et de quo ipse
Luc. 16. 31. Dominus ait: *Si Moysen & prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credent.* Ergo in causa prophetiæ præfertur Moyses sicut propheta: ubi autem causa, & munus, & officium sacerdotii est, præfertur Aaron sicut sacerdos. Tractemus ergo ipsum locum.

3. Immolatus erat hircus pro peccato, & oblatus in holocaustum. Quæsivit eum postea
Levit. 10. 16. & seq. Moyses, & combustus fuerat: *Et iratus est Moyses ad filios Aaron Eleazar & Ithamar, qui superfuerant, dicens: Quare non manducastis, quod pro peccato immolatum est in loco sancto? Quoniam*
c *quidem ᶜ sancta sanctorum sunt, hoc vobis dedi manducare; ut auferatis peccatum Synagogæ: & intus manducandum esse, sicut mihi præceptum est,* ait. Cùm ergo iratum eum vidisset Aaron placide respondit ei: *Si hodie obtulerint pro peccato suo holocausta sua contra Dominum, & acciderint mihi talia, manducabo quod pro peccato obtulerunt hodie? Numquid placebit Domino? Et audivit Moyses, & placuit illi.* Quid ista significent, consideremus.

* 4. * Nihil peccare solius est Dei: emendare sapientis est, & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominum. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui se ipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi ejus adsertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia: natura, quia om-

A nes sub peccato; & qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis & illecebra sæculi innocentiæ integritatique. Repugnat etiam verecundia; quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri, dum præsentia magis, quam futura cogitat.

5. Studebat autem Moyses peccati vacuam reperire animam, ut exuvias erroris deponeret, & nuda culpæ sine ullo sui pudore discederet: sed non invenit, quia cito impetus irrationa-
B bilis prævenit, & flamma quædam celerrimi motus animam depascitur, atque exurit ejus innocentiam; præponderant enim futuris præsentia, & violenta moderatis, & plura potioribus, & jucunda seriis, & asperis mollia; & tristibus læta, & illecebrosa rigidioribus, & præpropera tardioribus. Velox enim est iniquitas, quæ ad nocendum occasiones suggerit; quia *veloces pedes ejus ad effundendum sanguinem:* Psal. 13. 3.
lenta autem virtus omnis & diuturna cuncta-
C trix, ante judicat, & adorienda inspicit. Ita mens boni, speculatrix consiliorum suorum est, priusque examinat quid decorum atque honestum: iniquitas verò ᵈ opere cogitationi antevertit. Pigra igitur & verecunda est pœnitentia; d
quia premitur, & revocatur præsentium pudore; solis enim intendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus, & ideo petitio ipsa tardior.

6. Inter hæc spei & virtutis molimina præ-
D currit impudentia, & specie præsentium pœnitentia excluditur; & tamquam exuritur affectus ejus, & hujusmodi ᵉ abolетur intuitus. Quærit e
eam Lex, & non invenit; ambusta est enim fervore & fumo iniquitatis, & indignatio quædam Legis movetur. Dicit Moyses devorandam fuisse pœnitentiam in sanctis sanctorum, sacerdotes quasi segniores increpat. Respondit Aaron providum debere esse judicium sacerdotale, nec facile malesanæ conscientiæ committendum id muneris; ne fiat error priore deterior. Vase
E enim fœtido vel oleum vel vinum facile corrumpitur ac deterioratur.

7. Quomodo autem poterat, ubi ignis alienus erat, peccatum exuri, & hoc sub conspectu Domini, cui & occulta sunt cognita? Numquid potest placere Domino, si quis cùm adhuc versetur in iniquitatibus, & injustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam? Simile est ac si quis æger se sanum simulet, magis ægrotabit: quia nihil ei prodesse potest
F simulatio sanitatis, cùm verbo adumbretur, non ullo fulciatur virtutis subsidio.

8. Ignis itaque alienus est libido, ignis alienus est omne injustæ incendium cupiditatis, ignis alienus est omnis ardor avaritiæ. Hoc igni nemo mundatur, sed exuritur. Nam ubi iste ignis alienus est, si quis in conspectu se offerat Domini, ignis eum cælestis absumit, sicut Abiud & Nadab, quos exussit ignis cælestis pariter cum iis, quæ pro peccato sacris fuerant oblata altaribus. Qui ergo vult mundare pec-

a. Rom. edit. sola, *sicut Moyses Deum nosset.*
b. Omnes edit. & mss. nonnulli, *& instructior? Atque ipsum:* alii magno numero, ut in textu: solus autem Belv. *& instructior aliquis? ipsum* &c.
c. Rom. edit. *sancta sanctorum est, hæc vobis . . . . manducandum est in loco sancto.* Et infra, *holocausta sua coram Domino.*
*. Philo Judæus lib. *de Profugis,* [illegible] Alia non pauca ex eodem libro in hanc epistolam translata reperies.
d. Omnes edit. *opere cogitationem:* mss. vero partim *opera,* partim *opere cogitationi antevertit.*
e. Edit. vet. & plures mss. *abolетur in vitiis:* Rom. & alii mss. aliquot, *aboletur invitus;* melius vero Boyer. & Colb. unus, *aboletur intuitus.*

catum ſuum, ignem à ſe removeat alienum. Illi A
a ſoli igni ſe offerat, a qui culpam, non hominem
exurit.

Matth. 3. 11. 9. Qui ſit iſte ignis, audi dicentem quia *Jeſus*
Matth. 3. *baptizat in Spiritu ſancto & igni.* Hic eſt ignis,
10. qui ſiccavit hæmorrhoiſſæ per duodecim annos
ſanguinem profluentem. Hic eſt, qui peccatum
Luc. 19. 8. Zachæi abſtulit dicentis quod dimidium bonorum
ſuorum daret pauperibus, & ſi cui quidquam
abſtulit, redderet quadruplum. Hic eſt
ignis, qui abſterſit culpam latronis; ignis enim B
Luc. 23. 43. conſumens eſt, qui dixit ei: *Hodie mecum eris
in paradiſo.* Illos itaque ſanavit, in quibus ſimplicem
& puram reperit confeſſionem, nihil
malignum, nihil fraudulentum.

Matth. 27. 4. 10. Denique Judas ad remedium pervenire
non potuit, cùm diceret: *Peccavi quod tradiderim
ſanguinem juſtum;* quia alienum ignem volvebat
in pectore ſuo, qui eum inflammavit ad laqueum.
Indignus enim remedio fuit, quia non in
intimo mentis converſus ingemuit, nec ſedulo C
geſſit pœnitentiam; tantæ enim pietatis eſt dominus
Jeſus, ut & ipſi donaret veniam, ſi Chriſti
exſpectaſſet miſericordiam.

* *. Hanc ergo culpam ſacerdotes non auferunt,
neque peccatum ejus, qui in dolo ſe
offert, & adhuc in ſtudio delinquendi eſt. Non
enim poſſunt epulari in eo, quod plenum fraudis,
& ſerpentis interius cicatricis eſt; cibus
enim ſacerdotis eſt in peccatorum remiſſione.
Joan. 4. 34. Unde ait princeps ſacerdotum Chriſtus: *Meus* D
b *cibus eſt, ut faciam*[b] *voluntatem Patris mei, qui in*
Iſai 30. 15. *cælis eſt.* Quæ eſt voluntas Dei, niſi ea: *Cùm
converſus ingemueris, tunc ſalvus eris?* In illo
ergo ſubdolo cibus nullus eſt. Denique nec
ipſe epulandi ſuavitatem capere poteſt, in quo
non ſincera & pura conſcientia eſt; amaritudo
enim fraudis epulandi ſuavitatem obducit: nec
permittit mala conſcientia, ut reficiat & paſcat
obnoxium animum pœnitentia.

11. Ideo ergo talis affectus, talis petitio, talis E
pœnitentia nun eſt uſui aut voluptati ſacerdotibus.
Levit. 16. 27. Meritoque hircus ille, qui pro peccato
oblatus eſt in holocauſtum, quia non fuit ſincera
hoſtia, exuſtus eſt; quia in ejus ſacrificio
ignis alienus repertus eſt. Non eſt itaque complacitum
& acceptum ſacrificium Deo; non
eſt enim acceptum, niſi quod fuerit in divitiis
ſinceritatis & veritatis probatum.

Levit 16. 8. & ſeq. 13. Ideo & alibi legis duos hircos, unum in
quo ſors Domini, alterum tranſmiſſionis; illum F
in quo ſors Domini, offerri atque immolari pro
peccato: illum vero in quo ſors tranſmiſſionis,
dimitti in deſertum; ut accipiat populi iniquitates,
Matth 24. 40. vel alicujus peccatoris. Sicut enim duo
ſunt in agro, & unus eorum aſſumetur, &
alius derelinquetur; ita ſunt duo hirci, unus qui
ad ſacrificium eſt utilis, alius qui in deſertum
dimittitur. Hic nulli uſui, neque edendus, neque
epulandus eſt ſacerdotum filiis. Sicut enim
ex iis, quæ alimentorum ſunt, quod bonum
eſt, editur: quod inutile aut malum, projicitur;
ita & bona opera epulatoria dicimus, c quia c
ſunt eſui.

14. Non placebit ergo Domino, ſi manducet
ſacerdos ſacrificium, in quod d fraus ſit oblationis, d
non ſedulæ confeſſionis ſinceritas. Et
ideo hircus iſte in deſertum dimittendus eſt,
ubi erraverunt patres noſtri, erraverunt in eo;
& non potuerunt e ad reſurrectionis terram e
pervenire, ſed interiit à terra memoria eorum.
Denique quæ ſint epulatoria opera, audi: *Et* Levit. 25. 6.
erunt ſabbata terræ vobis eſca. Epulatoria enim
& refectoria requies in Deo, quæ facit animi
tranquillitatem. Unde & nos etiam in ſermone
requieſcamus. Vale, & nos, ut diligis, dilige;
quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXVIII.

Quidnam Deus Judæis interminatus fuerit, dicens: Ponam cælum æreum, & terram ferream.

AMBROSIUS ROMULO.

1. CUm ſis in agro, miror qua ratione de 1
me quærendum putaveris, cur dixerit
Deus: f *Ponam cælum æreum, & terram ferream.* Deut. 28. 23. f
Nam ſpecies ipſa agri, & præſens fertilitas docere
nos poteſt quanta clementia ſit aeris, &
cæli indulgentia, quando dignatur Deus ubertatem
dare: quando autem ſterilitas, quemadmodum
clauſa omnia, ſpiſſus aer, ut in rigorem
æris ſolidatus putetur. Unde alibi habes
quia in diebus Heliæ clauſum eſt cælum annis 3 Reg. 17. 1.
tribus & menſibus ſex.

2. Significatur igitur clauſum cælum æreum Luc. 4. 25.
eſſe, uſum ſui terris negare. Terra quoque ferrea
eſt, cùm proventus abnuit, & jacta ſibi ſemina
tamquam hoſtili duritia genitali g excludit g
arvo, quæ gremio ſolet blandæ matris fovere.
Quando enim ferrum fructificat? quando
æs imbres relaxat?

3. His igitur miſerandam famem minatur
impiis, ut qui pietatem filiorum communi omnium
domino & patri exhibere neſciunt, careant
nutrimento paternæ indulgentiæ, ſit illis
cælum æreum, concreto aere, & ſolidato in
metalli rigorem, ſit illis terra ferrea, partus
ſuos neſciens, h ut quod plerumque inopia habeat, h
diſcordias ferens. Rapto enim utuntur,
qui victu indigent; ut alienis diſpendiis famem
ſuam ablevent.

4. Jam ſi & offenſa inhabitantium hujuſmodi
ſit, ut divina commotione iis inferantur
prælia, vere terra eſt ferrea, * telorum ſegetibus *
inhorrens, & ſuis nuda fructibus, fœcunda
ad pœnam, ſterilis ad alimoniam. Ubi autem
abundantia? *Ecce ego pluo vobis panes, dicit Dominus.* Exod. 16. 4.
Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

a. Nonnulli mſſ. *qui culpam in homine exurit.*
*. Adverte hic Ambroſium & ſinceram animi converſionem in peccatoribus ad conſequendam veniam exigere, & veram auctoritatem in ſacerdotibus ad remittendam bene diſpoſitis peccatum agnoſcere.
b. Rom. edit. ſola, *voluntatem ejus, qui miſit me.*
c. Ita vet. edit. ac plures mſſ. at Rom. edit. & alii cod. etiam non pauci, *quæ ſunt uſui.*
d. Boyer. cod. *fraus ſit adulationis.*
e. Nonnulli mſſ. *ad repromiſſionis terram.*
f. Rom. edit. *Ponam vobis cælum ſicut æneum, & terram veſtram ſicut ferream*
g. Omnes edit. *excludit alvo:* omnes mſſ. *excludit arvo.*
h. Etaſ & ſeq. edit. *& quod plerumque inopia habet.* Amerb. & pleriſque mſſ. *ut quod plerumque impia habebat,* mſſ. *habeat:* cod. vero Belv. & alii nonnulli, ut in contextu. Sed ut locus hic planius à lectore intelligatur, ita videtur eſſe conſtruendus: diſcordias ferat, tamquam id quod plerumque inopia habeat.
*. Alluſionibus Virgilii, ait Nannius, hæc verba conſtant: *Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æraque fulgent.*

EPISTOLA LXIX.

Roganti quare Lex viros veste muliebri, ac mulieres virili uti prohibeat; respondet à natura id abhorrere, ut ex brutis ipsis intelligitur; feminas tamen virorum, quam viros feminarum cultum sumere tolerabilius: at legem potius esse de moribus, quam de vestibus. Post quæ in eos, qui capillos crisparent, invehitur.

AMBROSIUS IRENÆO salutem.

1. PErtulisti ad me quasi filius quæsivisse aliquos de te, quid sibi velit quod tam B severe Lex immundos eos dixerit, qui alieni sexus uterentur vestibus, vel viros scilicet vel mulieres; sic enim scriptum est: [a] *Non erit res viri super mulierem, neque induetur vir stolam muliebrem; quia immundus est Domino omnis, qui fecerit hac.* Deut. 22. 5.

2. Et si vere discutias, incongruum est, quod ipsa etiam abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse, quod natus es? cur alienam tibi adsumis speciem? cur mentiris feminam: C vel tu, femina, virum? Suis unumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diversus usus, diversus color, motus, incessus, [b] diversæ vires, diversa vox est in viro & femina.

3. Sed etiam in reliqui generis animantibus alia species leonis, alia leænæ, [c] alia vis, alius sonus: alia tauri, alia vitulæ. In cervis quoque quantum distat sexus, tantum discrepat species; ut eos etiam eminus possis discernere. In avibus vero etiam propius ad vestitum est inter D eos & homines comparatio; in illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Pavi mares speciosi, feminæ non item pennarum vario pinguntur decore. Fasianis quoque diversus color, qui distinguat sexus discretionem. Quid in pullis? Quam canora vox galli, [d] nocturnis vicibus solemne munus ad excitandum & canendum ministrans? Numquid illa mutant speciem suam? Cur nos mutare desideramus?

4. Et quidem græco more influxit ut feminæ E virilibus quasi succinctioribus tunicis utantur. * Esto tamen ut illæ imitari videantur melioris sexus naturam, quid viri inferioris sexus mentiri speciem volunt? Mendacium & in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic adsumere viros muliebrem [e] vestem, gestumque femineum, sacrum putatur. Unde Lex dicit quia immundus est Domino omnis vir, qui stolam muliebrem induerit.

5. Arbitror autem quod non tam de veste, F quàm de moribus dixerit, vel de usibus nostris atque actibus, quo alius virum, alius feminam deceat actus. Unde & Apostolus ait, quasi interpres Legis: *Mulieres vestræ in Ecclesia taceant.* 1. Cor. 14. 35. & 36. A *Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut Lex dicit.* Gen. 3. 16. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Et ad Timotheum: *Mulier in silentio discat* [f] *cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum.* 1 Tim. 2. 11. & 12.

6. Quam deforme autem virum facere opera muliebria? Ergo & pariant, ergo parturiant, qui crispant comam sicut feminæ. Et tamen illæ velantur, isti belligerantur. Verum habeant excusationem, qui patrios usus sequuntur, sed tamen barbaros, ut Persæ, ut Gothi, ut Armenii: MAJOR QUIDEM est natura, quam patria.

7. Quid de aliis dicemus, qui hoc ad luxuriam derivandum putant; ut calamistratos & torquatos habeant in ministerio, ipsi promissa barba, illos remissa coma? MERITO ILLIC non servatur castimonia, ubi non tenetur sexus distinctio; in quo evidentia naturæ magisteria sunt, dicente Apostolo: *Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos quod vir quidem* [g] *si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si capillos habeat, gloria est illi; quoniam quidem capilli pro velamine ei dati sunt.* 1. Cor. 11. 13. Ibidem 14. & 15. Hæc sunt quæ referas requirentibus. Vale, & nos ut filius dilige; quia nos te ut parentes diligimus.

EPISTOLA LXX.

Quemadmodum fortis animæ est in bono stare, ita debilis labi, ac resurgere. Quocirca cùm in Canticis processus animæ robustioris describantur, in Michæa vero prophetia lapsæ conversio; eam considerandam proponit. Præmissa igitur nominis Michææ interpretatione, miseriam peccatricis animæ exponit, internas correptiones narrat, addit exhortationes ac paratum Domini auxilium, felicem ejusdem immutationem aperit, & quam ei Christus largitur, fœcunditatem ac tranquillitatem. Deinde ubi repetivit non pauca ex superioribus, subjungit ejusdem animæ pro sua liberatione gratiarum actiones. Post quæ Horontianum ad perseverantiam exhortatur.

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. PRophetæ quidem congregationem gentium, atque Ecclesiæ annuntiarunt ædificationem futuram; sed tamen quia in Ecclesia non solum fortium animarum jugis profectus, verumetiam infirmarum lapsus, & rursus conversio est: ideo possumus ex propheticis libris colligere quemadmodum aut præclara illa & fortis anima sine ulla gradiatur offensione, aut infirmior labatur, aut lapsa reparet, ac reformet gradum.

2. Itaque sicut in * Canticis canticorum beatæ illius animæ continuos processus legimus, ita in Michæa, de quo nobis propheta sermo

a Rom. edit. *Non erit vestitus viri super mulierem, neque induetur vir stola muliebri; quoniam immundus est domino Deo tuo &c.*

b. *Diversæ vires*, ab hisce verbis hiat ingens lacuna in mss. fere omnibus & edit. Amerb. quam nisi supplevisset Erasmus, nobis ad eam restituendam solus Lat. codex auxilium suppeditasset.

c. Ita Eras. & seq. edit. at Lat. codex, *vel alia vis, alius sensus.*

d. Eras & seq. edit. *nocturnisque vicibus ..... & canendum?* *Numquid* &c. Lat. codex, ut in textu.

*. Multa Concilia virilium vestium usu feminis interdicunt, ut Gangrense can. 13. & alia. Quod vero similis mutatio viris non item prohibita reperitur, illud inde est, quod rari qui sexus sui dignitatem hac infamia dehonestarent, futuri crediti sunt.

e. Lat. codex, *vestem gestiunt, quæ femineum sacrum putatur:* melius vero edit. At interjectis tribus vocibus sola Rom. edit. habet: *Quoniam immundus est domino Deo tuo omnis, qui fecerit hæc, hoc est, vir &c.*

f. *Cum omni subjectione*, in mss. lacuna desiuit ad hæc verba, quibus Amerbachius ista præmittit: *Apostolus inquit: Mulier in silentio discat.*

g. Edit. & plures mss. *si comam habeat.* Et infra, *pro velamine ei sunt;* alii nonnulli utrobique melius, ut in textu.

*. Progressus animæ in Canticis cant. obscure adumbratos in lib. *de Isaac & anima* exponit atque illustrat Ambrosius. Quod autem hic ait sibi cum Horontiano sermonem de Michæa exortum esse, satis indicat causam huic epistolæ non aliunde quam ex eodem colloquio fuisse profectam.

exortus est, consideremus lapsæ conversionem. A Mich. 5. 1. Non enim otiose te movit: *Et tu Bethleem domus Ephrata*, quod dictum est ab hoc propheta. Quomodo enim potest domus furoris esse, ubi Christus natus est? Hoc enim exprimunt locorum vocabula, sed illustrant operationum mysteria.

3. Ac primùm consideremus quid interpretationis in latino habeat Michæas. Significat autem, quis à Deo: vel, ut alibi invenimus, a quis iste, [a] Morathi filius, id est, heredis. Quis B Marc. 1. Matth. 11. 27. autem heres, nisi Filius Dei, qui ait: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & cùm ipse esset heres, nos esse voluit coheredes? Merito quis iste, non è populo unus, sed electus ad gratiam Dei, in quo loquitur Spiritus sanctus, qui prophe- Mich. 1. 1. tare cœpit *in diebus Joathan, & Achaz, & Ezechiæ regum Juda*. Quo ordine significatur visionis profectus; à malis enim regibus ad boni regis pervenit tempora.

* 4. Et ideo quoniam * anima afflicta sub ma- C lis ante laborabat regibus, quem processum conversionis suæ habeat, considerandum videtur. Destructa erat quasi infirmior, & omnis munitio ejus facta erat via transeuntium, & incursus passionum, luxuriâ resoluta, ac deliciis, Mich. 4. 8. contrita erat, ac relegata à facie Domini: *Tur-* Isai. 1. 8. *ris ejus squallida erat*, quæ posita est, ut in Esaiæ cantico legimus, in medio florentis vineæ. Squal- b let etenim turris, quando vitis arescit, [b] & ovis sua errat: regrediente autem vitis viriditate, D vel ove, resplendet; nihil enim squallidius iniquitate, nihil splendidius justitia.

5. Ad hanc turrim revocatur ovis, quando anima revocatur à lapsu, & in illa ove Christi Apoc. 1. 8. regnum redit, quod est initium; quia ipse est initium & finis, vel initium salutis: sed tamen corripitur priùs, eo quod tam graviter erravelit, & dicitur ei: Mich. 4. 9. *Ut quid cognovistis mala? numquid rex non erat tibi?* Hoc est, habebas regem, qui te regeret, & tueretur, deviare à E justitiæ tramite non debuisti, nec relinquere vias Domini, qui tibi rationabiles sensus im- c pertivit. [c] Ubi erant cogitationes tuæ, ubi consilia, quibus prævidere injustitiam, propulsare Ibidem. iniquitates insito tibi vigore potuisti? *Cur comprehenderunt te dolores ut parturientis?* ut parturires iniquitates, & pareres injustitias? Nullus enim major est dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina, & F pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram; ne se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera. Denique Luc. 13. 11. illa in Evangelio mulier, quæ curvata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi.

Mich. 4. 10. 6. Huic ergo animæ dicitur: *Viriliter age*, [d] *& appropinqua, filia Sion; ut parturias.* Dolores d enim parturientis tribulationem operantur, *tri-* Rom. 5. 3. & 4. *bulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit in æternum.* Simul egeritur atque excluditur omne quod adversum est bonis moribus; ne residentia ejus frutescant semina, atque in novos iterum germinent partus.

7. [e] Nec otiose dantur ei cornua & ungulæ; e nt conterat omnes manipulos areæ, sicut vi- Mich. 4. 13. tulum Libani. Nisi enim manipuli contriti fuerint, paleæ ventilatæ, fructus apparere interiores & absolvi nequeunt. Comminuat igitur atque excutiat prius anima proficiens passionum superflua; ut fructus suos demonstrare possit in ipsa segete. Quanta adversa sunt, quæ partus impediant bonos! Hæc prius exstirpanda sunt; ne his fructifera internecentur animæ sata.

8. Tunc etiam illud prospicit providus animæ consultor, ut concludat eam in voluptatibus suis, atque intercludat ejus cupiditates, ne in iis delectetur. Utiles enim sunt correptiones Prov. 13. 24. parentis, qui non parcit virgæ; ut obedientem præceptis salutaribus præstet animam filii sui. Virgâ enim visitat, sicut legimus: *Visitabo in* Psal. 88. 33. *virga iniquitates eorum.* Itaque qui virga maxillam percutit Israeliticæ animæ, erudit eam ad disciplinam patientiæ Dominica correptione. Nemo enim desperare debet, quicumque corripitur atque arguitur; qui enim diligit filium, Eccli. 30. 1. corripit. Nemo de remedio diffidat.

9. Ecce tibi ubi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est: ubi crudelitas, ibi pietas: ubi pœna innocentium, ibi universorum redemtio, sicut scriptum est: *Et tu Bethleem,* Mich. 5. 2. *domus Ephrata, non es minima inter principes Juda; ex te enim exibit Princeps in Israel.* Bethleem domus panis est: Ephrata domus furorem videntis. Hoc habet interpretatio istorum nominum. In Bethleem natus est de Maria Chris- Luc. 2. 6. tus: eadem autem Bethleem, quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus: & ideo jam non domus furoris, sed domus panis; quia panem recepit eum, qui descendit de cælo. Joan. 6. 50. Domus autem furorem videntis est Ephrata; quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi statuit infantulos; unde *Vox in Rama au-* Matth. 2. 18. *dita est Rachel plorantis filios suos.*

10. Sed jam nemo timeat; quia requies illa quam quærebat David, audita est in Ephrata, Psal. 131. 6. inventa est in campis silvæ. Tunc adhuc silva erat nationum congregatio: sed posteaquam in Christum credidit, fructuosa facta est; quia Luc. 1. 42. benedicti ventris fructum recepit. Mortua est Gen. 35. 19. ergo Rachel parturiens; quia jam tunc quasi patriarchæ uxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simul quia in Ephrata peperit Benjamin specie superiorem,

a. Ita vet. ediz. ac mss. Rom. autem edit. *Morasthi filius, heres.* Alludit porro Ambrosius ad prima hujus prophetæ verba: *Verbum Domini. . . . ad Michæam Morasthitem*; quibus quidem non ipsius pater, sed patria terra significatur: atque adeo *Morasthi*, seu *Morathi filius*, utroque enim modo recte scribitur, idem est ac Morasthi natus. De vocis autem significatione Ambrosius cum Hieronymo in Prologo ad ejusdem Michææ prophetiam plane convenit.

*. Innuuntur aliæ nominis Michææ significatus. Nam præter quàm quod exponi potest, *quis à Deo*, vel *quis iste* quæ quidem interpretationes, modo tamen primam scripseris *quis adeo* non *quis à Deo*, haud ita recedunt ab eo quod Hieronymus loco supra citato dicit: Michæas [illegible] . . . . *apud nos sonat, quis quasi, vel, quis velut*, præter has igitur expositiones etiam explicatur Michææ humiliatus, percussus &c.

b. Mss. aliquot, *& uva sua terret*; & infra, *viriditate uva resplendet.* Atque ita in sequentibus semper uva substituitur, sed minus recte.

c. Rom. edit. *Aut consilium tuum periit? quasi dicat: Ubi sunt* &c.

d. Eadem edit. *& dole, filia Sion, ut parturiens.*

e. Rom. edit. *Cornua tua ponam ferrea, & ungulas tuas ponam æneas. Non otiose* &c.

mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur, non minimos dolores matri præstitit, cujus filios persequebatur. Et illic mortua & sepulta est; ut nos commortui & consepulti cum Christo, in Ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione, vel fœcundata, vel repleta fructibus, Ephrata significatur.

11. Hic tamen, id est, in libro prophetico invenimus, ὀλιγοστὸς εἶ, id est, in paucioribus es. In Matthæo autem: *Et tu Bethleem domus* Mich. 5. 2. *Iuda, non es in paucioribus.* Ibi domus Juda, hic domus Ephrata: in quo verborum discrepantia, non sensuum est. Nam & Judæa interior vidit furorem, & exterior pertulit. Et in paucioribus est; quia pauci sunt, qui intrant in domum panis per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est, de proficientibus, quæ Christum non agnovit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, & divinæ gratiæ receptaculum: & in eo minima, cui is qui aliquid confert Christo, videtur deferre. Et qui appetit Ecclesiam, Christum appetit; in quovis minimo enim Christus aut læditur, aut honoratur, secundùm quod ipse ait: Matth. 25. 40. *Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.*

12. Ipsam autem Bethleem esse quæ est Ephrata, docet lectio Genesis, ubi ait: Gen. 35. 19. *Mortua est autem Rachel, & sepulta est in via Ephrata, ipsa est Bethleem.* In via [a] sepultura est sanctæ Rachel, quæ typus fuit Ecclesiæ, ut transeuntes dicant: Psal. 128. 8. *Benedictio Domini super vos*; &: Psal. 125. 6. *Venientes venient in exsultatione.*

13. Omnis itaque anima, quæ recipit panem illum descendentem de cælo, domus panis est, hoc est, panis Christi, quæ habitantis in se panis cælestis firmamento alitur, & corde confirmatur. Unde & Paulus ait: 1 Cor. 10. 17. *Omnes enim unus panis sumus.* Omnis anima fidelis Bethleem est, sicut Hierusalem dicitur, quæ pacem & tranquillitatem habet superioris Hierusalem, quæ in cælo est. Verus panis est, qui fractus & comminutus [b] satiavit universos.

14. Quinta autem traditio habet, Domus panis. *Beth* enim domus est, *leem* panis dicitur. De aliorum traditionibus propter perfidiam Judaicam, ne ipsi se redarguerent, vel ab ipsis præteritum putamus, vel sublatum ab aliis.

15. De Juda quoque tribu esse Bethleem docet lectio in Judicum libro; Judic. 19. 2. quia vir ille levita accepit sibi concubinam de Bethleem Juda, & irata est ei concubina ejus, & rediit in domum patris sui in Bethleem Juda.

16. [c] Egressus itaque Christus à diebus sæculi; Mich. 5. 2. tunc enim nobis incipit sæculum, quando dies salutis, & egressus ad currendam viam dedit Israel. *Usque ad tempus parientis.* Psal. 18. 7. Mich. 5. 3. Cui advenit Christus, advenit fœcunditas, advenit partus; sicut advenit Ecclesiæ, quæ peperit plures, quàm quæ filios habebat: & peperit septem, id est, legitimos, tranquillos, pacificos. Incipit ergo concipere anima, & formari in ea Christus, quæ receperit adventum ejus, & pascitur in divitiis ejus; Psal. 36. 4. ut nihil ei desit, ut videntes etiam eam aliæ animæ revertantur ad viam salutis.

17. *Et erit ei pax*, Mich. 5. 5. sed non potest probari nisi tentationibus. Tunc enim pax ejus æstimabitur & tranquillitas; cùm excluserit vanas cogitationes, vel compresserit, cùm motus omnes edomuerit passionum insurgentium, cùm increbruerint angustiæ, persecutio, fames, periculum, gladius. Tunc *erit*, inquit, *pax*; quia in his omnibus superamus propter eum, qui nos dilexit, Rom. 8. 35. quoniam confidimus in eo quia neque mors, [d] neque vis tentationum nos ab ejus divellat caritate & separet. Tunc ergo dabit tentationes, ut justi probentur. Et Dominus quidem dat tentationes ea voluntate, ut neminem decipi velit: sed quia plerique vincuntur infirmi tentationibus, qui fortes sunt, probantur.

18. Tunc illis *erit ros à Domino*, Mich. 5. 7. tunc requies: tunc erit anima justi, sicut *catulus leonis* [e] *in ovilibus pecorum.* Ibid. 8. Quod Evangelico exemplo ad Christum referre non dubitaverim; quia ipse dixit: Matth. 13. 43. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.* Comprimentur enim quadrigæ ejus, Mich. 5. 10. irrationabiles scilicet impetus & motus istius corporis; sedabitur illud: 2. Cor. 7. 5. *Foris pugnæ, intus timores*; sed ubique, id est, intus & foris, tranquillitas erit: & non erit qui respondeat & resistat bonæ voluntati; quia obedientia carnis, sublato pariete maceriæ, cùm fuerint utraque unum, Ephes. 2. 14. omnes abolebit discordias.

19. Si qua autem anima infirma, sicut ille secundum carnem Israel, titubaverit, & ab illa Christi caritate persecutionibus turbata se aliquantulum separarit, [f] corripitur atque arguitur quasi infida, quasi ingrata, quasi incredula, quæ liberata à vanitatibus sæculi, in eas respiciendo reciderit: à qua non munera, non taurorum sacrificia; sed tantummodo ut bonum cognosceret, justitiam faceret, postulatum est. Mich. 6. 8. *Renuntiatum est* (inquit) *tibi, homo, quid sit bonum, aut quid Dominus exquirat à te, nisi ut facias judicium & justitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum Domino tuo.* Sed quia non servavit hæc illa infirmior anima, ideo Dominus ait: Mich. 7. 1. *Heu me, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemum in vindemia?* Audiens ergo hæc propheta, in quo loquebatur Deus, ait ad illam animam: *Heu me*

*. Absoluta præcipua difficultate, nimirum qua ratione domus fatoris vocari possit illud oppidum, in quo Christus nasci voluit, Ambrosius ad variam lectionem qua propositus textus apud Michæam atque Matthæum sibi contrarius videtur, transit. Verum utriusque verborum sensum pulcre sibi congruere, nedum sibi repugnare ubi declaravit, de apicibus, in quibus solis repugnantiam esse contendit, conciliandis minime laborat: Hieronymus vero in eumdem Michææ locum, ejus prout in LXX. atque in Hebræo legitur, cum ipsius citatione, apud Matthæum contrarietatem animadvertit; ac tantæ diversitatis causas inquirit. Ipsum consule non solùm in eumdem prophetam, sed etiam *epist. ad Pammach. de optimo genere interpretandi*, aliosque interpretes.

a. Ita mss. plures potioresque: alii nonnulli, & omnes edit. *sepulta est sancta Rachel.*

b. Rom. edit. sola, *satiat universos. Quinta autem editio .... de aliorum editionibus* Alibi quoque in eadem edit. vox *traditio* similiter mutata reperitur. Advertendum autem est illis locis agi ab Ambrosio de *Hexaplis* atque *Octaplis* Origenis, de quibus dum Hieronymus in cap. 4. Michææ loquitur, etiam quintæ editionis vocem usurpat. Sed & eodem sensu dictio *ἐκδόσεις* posita est ab Epiphanio lib. *de Pond. & Mensur.* num. 9. & alibi. Verum tamen quin Ambrosio vox *traditio* magis arridere potuerit, nihil prohibet. Porro de Hexaplis Octaplisque Origenianis consulere licet Eusebium lib 6. cap. 17. & Valium ad eumdem locum, item Huetium lib. 3. *Origen.* 5. 4 atque alios.

c. Rom. edit. *Et egressus ejus ab initio, à diebus sæculi.*

d. Omnes edit. & mss. aliquot, *neque quidvis tentationum*: alii mss. majoris auctoritatis, *neque vis tentationum.*

e. Rom. edit. sola, *in gregibus pecorum.*

f. Mss. nonnulli, *corripitur atque corrumpitur.*

anima! [a] quod non est plenus timoris à terra. Vel si ipse Dominus dicit, miseratus futuras pro peccatis ultiones, atque pro nostris erroribus ingemiscens.

20. Audiens hæc anima, quia seminum suorum fructus non colliget, nullum, messe amissâ, firmamentum inveniet sui, premet olivam, & unctionem lætitiæ non habebit, neque bibet vinum jucunditatis. Cognoscens etiam in operibus carnis omnia plena sanguinis, plena circumscriptionis, fraudum, fallaciæ, ficta officia pietatis, compositas simulationes, & inimicos sibi omnes qui in domo sunt; ideoque proximi sibi corporis motus cavendos, qui sunt graves animæ nostræ adversarii; convertitur, & de Deo sperare incipit, & intelligens vere inimicam sibi carnem existere, ait ad eam: *Noli supergaudere mihi, inimica mea, quia cecidi: sed resurgam; quia si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me.* [Mich. 7. 8.]

21. Considerans etiam insultare sibi aliquam potestatem, quæ resistebat sibi; ne meliorem sequeretur viam: [b] & inequitare, quod tradita esset in interitum carnis; ut diversis atterereretur malis, quæ vel à Domino propter peccatorum solutionem decernerentur, vel ab iniquo propter invidiam conversionis; ut ad se revocaret afflictam, dicit adhuc: *Iram Domini sustinebo;* qui vel lapsam castigat, vel tibi potestatem affligendi dedit: *quia peccavi*, sustinebo tamen, *donec justificet ipse causam meam.* Nisi enim confessa fuero, & exsolvero pretia iniquitatum mearum, non potero justificari. Cùm autem fuero justificata, solvens duplicia peccata: [c] *Educet judicium meum*, deponens indignationem; quia satisfactum sententiæ est. *Educet me ad lumen, ut videam justitiam ejus*, & adspiciam delectationem ejus. *Videbit* hoc lumen reconciliationis meæ *inimica mea*, id est, diaboli nequitia; *& operietur confusione, quæ nunc dicit: Ubi est dominus Deus tuus?* Videbit in me misericordiam ejus, videbit pietatem ejus. [1 Cor. 5. 5.] [Mich. 7. 9.] [Ibidem 10.] [Ibidem 11.]

22. Et ideo non audiamus eum, quando sumus in adversis aliquibus sæculi; cùm aut dolor corporis est, aut filiorum amissio, vel ceterarum necessitudinum: non audiamus, inquam, dicentem: *Ubi est dominus Deus tuus?* Tunc ejus tentationes cavendæ sunt, cùm gravis urget dolor, tunc animam ægram avertere studet.

23. Ergo anima, quæ illum non audierit insidiantem sibi, videns postea mirabilia Dei, videns se in cælo, diabolum autem sicut colubrum reptantem in terrestribus, gratulabitur dicens: *Quis Deus sicut tu, auferens peccata, & transferens impietates?* Qui non fuisti memor indignationis tuæ: sed sicut in mari mersisti omnes iniquitates nostras, [d] sicut Ægyptium plumbum, & redisti ad misericordiam voluntarius, quam gemino contulisti munere, dimittens peccata, atque abscondens, secundùm quod scriptum est: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata!* Alia enim sanguine Filii tui abluis, alia donas nobis; * ut bonis operibus & confessionibus nostros errores tegamus. Quod ergo ait: *Auferens peccata*, ad remissionem pertinet; quia penitus ea tollit, ita ut non sint quorum memor non erit. Quod vero ait: *Transferens* [e] *iniquitates;* eo quod confitentibus nobis lapsus nostros, & obumbrantibus eos bonæ operationis fructu referantur in auctorem culpæ, & peccati incentorem. Quid enim aliud agit, qui culpam fatetur, nisi ut adversantis nequitiæ spiritalis dolo se & malitia traductum probet? [Ibidem.] [Psal. 31. 1.]

24. In eo itaque gratias agit anima ista; quia & aufert Dominus peccata, & transfert iniquitates, & demergit in profundo maris. Quod potest & ad baptismum referri, quo Ægyptius mergitur, Hebræus resurgit: & quo altitudine sapientiæ, & bonorum operum abundantia teguntur peccata superiora, per divitias misericordiæ Dei nostri, qui memor promissionis suæ, quam dederat Abrahæ, heredem ejus animam non est passus perire.

25. Et illa quidem anima hoc revocatur modo. Tu autem, * fili, qui à primo flore pueritiæ es hæres Ecclesiæ, quæ te suscepit & tenet, persevera to in proposito, memor gratiæ Dei & muneris, quod per impositionem suscepisti manuum mearum, ut & in hoc gradu sicut in ministerio sacro fidem tuam demonstres atque industriam, & exspectes remunerationem Domini Jesu. Vale, & nos ut filius dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXI.

Post varios gradus, queis anima lapsa se se reparat, supra descriptos, hic animæ fidelis à Christo susceptio, eruditio & consummatio considerantur; ostenditurque in Christi itineribus diversos ejusdem animæ progressus designari.

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. Superiore epistola de ea [f] anima sermonem contulimus, quæ itineris sui devios aliquos habuerit amfractus, ut vetus Israel secundum carnem fluctuans; quia & ipse liberabitur per domini nostri Jesu Christi gratiam, *cùm intraverit plenitudo gentium:* licet ista le- [Rom. 11. 25.]

a. Rom. edit. *Væ mihi anima; quia periit timor à terra:* ceteræ ac mss. omnes, ut in texto. Quod autem græce habetur, [illegible], non male vertitur ab Ambrosio, *periit plenus timoris*, supple divini.

b. Quidam mss. *& inquietare*: sed *inequitare* magis videtur Ambrosianum.

c. Rom. edit. *Faciet judicium meum.*

d. Cod. Carol. *sicut Ægyptium populum.* Et continuo post Prat. & Gem. *& reddidisti misericordiam.*

*. Observa non dicere sanctum Doctorem tegi peccata per extrinsecam, ut Calvinistæ volunt, justitiæ Christi imputationem, sed per bona opera è gratuita ipsius gratia promanantia. Quam perpetuam Ambrosii doctrinam esse facile agnosces, si hunce locum & ea quæ lib. *de Noe & Arca* cap. 32. num. 117. nec non *Apol. David* cap. 13. num. 62. atque alibi in eamdem sensum disserantur, inter se conferas.

e. Rom. edit. *impietates ad misericordiam; eo quod* &c.

*. Nonnulla in hujus epistolæ calcem Ambrosius noster conjecit, quæ spectant Horontiani cognitionem. Primo enim illum ab ipsis pueritia significat educatum atque institutum fuisse inter clericos, quemadmodum olim pueros ad ecclesiasticam militiam destinare consuevisse ad lib. 3. *de Pœnit.* cap 8. num. 72. observavimus. Deinde cùm eum impositione manuum suarum sacratum dicit, Mediolanensem clericum fuisse satis declarat. Postremo eumdem fidem suam demonstrasse in diaconatu, indeque ad altiorem pervenisse gradum testificatur; quandoquidem ut quam fidem prius in *ministerio sacro*, id est, diaconatu, præ se tulerat, eam quoque in *hoc gradu* quo tunc eminebat, haud dubie sacerdotio exhibeat, ab eo exigitur. Et hinc conjecturam non levem ducas, ipsum Ecclesiæ cujuspiam extra Mediolanum positæ regimini ab Ambrosio nostro fuisse præfectum.

f. Rom. edit. sola, *sermonem confecimus.* Infra vero, ubi eadem *leviore ab errore*, & nos cum ant. edit ac plerisque mss. *leviore errore*; mss. nonnulli habent, *leviore errore* &c.

viore errore conversione se se reformaverit. A Hac vero epistola de Ecclesiæ filia nobis sermo sit, quam dominus Jesus quemadmodum primò susceperit, erudierit, consummaverit in suo Evangelio, consideremus.

Gen. 3. 23. 2. Suscepit itaque eam primò tuendam in confusione positam; exsul enim paradisi ubi nisi in confusione degeret anima uniuscujusque Matth. 2. 1. hominis? deduxitque eam in Bethleem. Jam profectus susceptæ animæ significatur, quod adscendit ad domum panis, in qua famem fi- B dei & sterilitatem nesciat. De nostrarum animarum genere & ordine loquor, quibus nos vivimus & movemur, non de aliqua specialiter; non enim de proprietate & specie alicujus, sed de genere, ut dixi, animarum disputandum putamus.

Ibidem 14. 3. Descendit in Ægyptum Christus, patrocinium & ductum nostræ animæ ferens, inde Matth. 4. 1. rediit in Judæam. Fuit in deserto, fuit in Capharnaum, fuit juxta fines Zabulon, circa ma- C ritima, transivit per sata, fuit in Bethphage, fuit in Ephrem, in Bethania; inde transivit in paradisum, ubi se capiendum dedit, passus est in Golgotha.

4. Omnes isti processus animæ nostræ sunt, per quos exercitata gratiam piæ institutionis invenit. Nam posteaquam exclusa de paradiso conditio humana in Adam & Eva, in castellum [a] relegata est, vagari cœpit huc atque illuc, D errabunda circumferens vestigia sine ullo delectu: sed tempore complacito sibi exinanivit se dominus Jesus, ut exsulem in se susciperet, & veteri reformaret gratiæ. Itaque [b] inventam recurso amfractu erroris revocavit ad paradisum, ut Evangelii docet lectio.

5. Per sata eam duxit, ut jejunam pasceret, primum in deserto, deinde in Capharnaum, agri non urbis incolatu: deinde juxta fines Zabulon, circa nocturna profluvia, id est, prophe- E tarum obscuriora ænigmata; ut disceret prætendere ad fines gentium, quo omnes convenirent, nec timeret fluctus vitæ hujus & pro- 3. Reg. 10. 22. cellas; quia habet Christus naves Tharsis, intelligibiles scilicet, quæ percurrant mare, & ad templi constructionem pias merces advehant. Matth. 8. 26. In hujusmodi navibus navigat Christus, & in puppi tamquam bonus gubernator tranquillo quiescit mari: commoto excitatur, & increpat ventos, ut suis tranquillitatem refundat. Tran- F siens quoque ad gentes, hanc animam liberat, quæ Legis vinculis tenebatur; ne transiret ad nationum consortia.

Johan. 11. 17. & 19. 6. Venit in Bethaniam, in locum obeditionis, ideo ibi mortuus suscitatur; cùm enim caro subdita fuerit animæ, tunc jam non quasi mortua jacet in sepulcro suo conditio humana, sed resuscitatur per gratiam Christi: ibi etiam se pro Dei nomine passioni discit offerre. De loco obeditionis, ut Johannes docet, in Ephræm Johan. 11. 54. ducitur, id est, ad bonorum fructuum fœcunditatem: inde in Bethaniam reducitur, id est, obedientiam; semel enim quæ piæ subjectionis fructum gustaverit, servare eam, & in ea probari sæpius nequaquam recusat.

7. Unde jam probata Hierosolymam venit, digna quæ sit in templum Dei, [c] in qua Christus habitaret. Denique sedens super pullum asinæ dominus Jesus cum gratulatione & gaudio Ibidem 14. innocentis suscipitur ætatis.

8. Postea in paradiso verba vitæ æternæ docentur; unde etiam Dominus se permisit capi, sicut Johannes scribit Evangelista, significans Johan. 18. 1. animam nostram, vel potius conditionem humanam, solutis erroris vinculis, eo unde ejecta erat in Adam, per Christum regressam. Unde & larroni illi confitenti dicitur: *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ille dixerat: Luc. 23. 42. & 43. *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; Christus non de regno respondit, sed ad causam: *Hodie mecum eris in paradiso*, id est, reformandum est ante quod amissum est, postea conferendum id quod augendum est; ut per [*] paradisum ad regnum perveniatur, non per regnum ad paradisum.

9. Servatur discipulis, quod plus conferatur pro laboribus; ideoque incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is qui sub ictu mortis convertitur, & confitetur dominum Jesum, meretur incolatum paradisi: qui vero multo ante se exercuit, & Christo militavit, adquisivit populorum animas, pro Christo se obtulit; habeat paratum stipendiis suis Dei regnum, cujus se remuneratione donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Ex Matth. 16. 19. latrocinio conversus requiem habet, in apostolatu probatus accepit potestatem.

10. Hæc est anima Evangelica, hæc est de gentibus, hæc filia Ecclesiæ, longe melior è cursu, quam illa ex Judæa projecta, ad dominum Jesum, & ad superiora se bonis consiliis & operibus adtollens, quam suscepit in Golgotha Christus. [*] Ibi Adæ sepulcrum; ut illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Ubi ergo in Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

a. MSS. non pauci, *religata est.* Rursus autem pro, *sine ullo delectu*, quæ lectio est cunctarum edit. ac plurium mss. in quibusdam horum legitur, *sine ullo dilatu*, in paucis *delicto*, sed male.

b. MSS. aliquot, *inventam recursu, amfractu* &c. Interjectis vero tribus vocibus Rom. edit. sola posuit, *ut Evangelica lectionis docet adsertio.*

c. Beiv. codex, *in qua Spiritus habitaret.*

*. Admonuimus ad lib. *de lapsu Virg.* cap. 8. num. 36. nonnullos esse, qui cum ex verbis quibusdam illic exaratis, tum ex hoc ipso epistolæ illius loco eam Ambrosio affingerent opinionem, qua inter cælestem beatitudinem infernoque supplicia medius quidam status ab aliquibus admittebatur. Sed præterquam quod ex citato libro, cujus auctor non plane compertus est, de Ambrosii hac in re sententia nihil certi colligi potest, qui adtentius proposita ejusdem libri ac epistolæ hujus verba discusserit, ex eis non difficulter sensum eruet commodiorem. Etenim advertendum est illic sermonem fieri de illa puella, quæ amissis continentiæ aliquamdiu servatæ nec non aliorum bonorum operum meritis, gravissimorum criminum veniam per continuæ pœnitentiæ labores dicitur esse impetratura: hic vero eum qui tantùm *sub ictu mortis convertitur*, cum illo comparari, qui virtutum ac piorum operum meritis cumulatus, è vivis excesserit. Unde nullo negotio intelligetur illam *pœnæ vacationem*, illam *requiem*, illum *paradisum*, quò perventuros hujusmodi pœnitentes Ambrosius promittit, nihil aliud esse, nisi ultimam in domo Patris mansionem, hoc est infimum beatitudinis gradum: regnum vero quod sanctis & apostolici meriti viris adserit destinatum, de summo gloriæ cælestis apice intelligendum. Optime igitur ait: *per paradisum ad regnum pervenitur*; quia prius est ut quis admissorum veniam obtineat, quam ut thronum mereatur sublimiorem. Idem quoque leges lib. *de Fide Resurr.* de quo nos ibi.

*. Hic materiæ suæ Ambrosius Hebræorum quorumdam & aliorum veterum opinionem accommodat, de qua lib. 10. *in Lucam* num. 114. idem loquitur: ad quem locum à nobis etiam aliquid observatum est.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXII.

Rogabant aliqui cur Deus cùm in Teſtamento veteri circumciſionem inſtituerit, eam abrogaverit in novo? cur etiam de illa omnino legem tulerit, cùm ipſa puerum in diſcrimen adduceret? cur tandem in ea corporis parte fieri voluerit? Primum igitur ut illis ſatisfaciat, qui erant à fide alieni; reponit circumciſionem à ſapientibus viris, plurimiſque populis uſurpatam eſſe, nec deeſſe rationem, cur octavo die celebraretur. Deinde chriſtianos docet in illa ſignum fuiſſe redemtionis, ac proinde ubi pretium hujus ſolutum eſt, illam omitti jam debuiſſe. Tum hæreticos legem de fundendo ſanguine calumniantes oſtendit paſſionem Domini ſimul damnare. Hinc eos refellit, qui fidei circumciſionem obfuiſſe criminabantur, ſicut & illos, qui partem corporis, quæ naturalis eſſet, arguebantur non eſſe recidendam. Poſtremo pluribus de occulta chriſtianorum circumciſione diſputatis, eos ad externam probat non obligari.

AMBROSIUS CONSTANTIO.

1. NOn mediocris pleroſque movet quæſtio, qua cauſa circumciſio & veteris C Teſtamenti auctoritate quaſi utilis imperetur, & novi teſtamenti magiſterio quaſi inutilis repudietur; cùm præſertim Abraham primus oraculum circumciſionis celebrandæ acceperit, qui diem domini Jeſu vidit, & gaviſus eſt. Quod utique in evidenti eſt, quia non corporalibus, ſed ſpiritalibus legis divinæ intenderit; & ideo veram Dominici corporis paſſionem [a] in agni conſpexerit immolatione.

Act. 15. 10. — Gen. 17. 10. — Joan. 8. 56.

2. Quid ergo dicemus ſequutum patrem D Abraham, ut id primus inſtitueret, quod ejus non ſequeretur hereditas? aut qua ratione circumciduntur infantulorum corpora, [b] & in ipſo ortu ſubjiciuntur periculis, & hoc imperari oraculo; ut diſcrimen ſalutis fiat de myſterio religionis. Quid hoc ſignificat? Latet enim cauſa veri, & oportuit aut aperto aliquid myſterio ſignificari, aut non periculoſo myſteriorum indicio mandari.

3. Cùr vero ſignum Teſtamenti divini in ea E datur parte membrorum, quæ viſu inhoneſtior æſtimatur? aut qua gratia ipſe operator corporis noſtri in ipſo noſtræ generationis exordio circumcidi voluit opus ſuum, & vulnerari, & cruentari, & abſcidi partem, quam velut neceſſariam, qui omnia diſpoſuit ordinate, cum ceteris membris faciendam putavit? Aut enim præter naturam eſt hæc portio corporis noſtri, & non oportuit habere omnes homines, quod eſſet præter naturam: aut ſecundum naturam F eſt, & non decuit amputari, quod ſecundùm naturæ perfectionem creatum foret; cùm præſertim alieni à portione domini Dei noſtri, id præcipue irridere ſoliti ſint. Deinde cùm propoſitum ſit Deo, ut frequenter ipſe teſtificatus eſt, plures ad ſacræ obſervantiam provocare religionis; quanto magis invitarentur, ſi non A aliqui circumciſionis ipſius aut periculo, aut opprobrio revocarentur.

4. Ergo ut ad prima redeamus, & propoſitum perſequamur ordinem, de ipſa circumciſionis qualitate dicendum videtur. Cujus gemina debet eſſe defenſio, quia duplex eſt accuſatio: una quæ irrogatur à gentilibus, altera quæ ab iis, qui de populo Dei ſunt, æſtimatur. Vehementior autem gentilium, qui viros circumciſione ſignatos etiam * opprobrio & B illuſione dignos arbitrantur. Sed etiam ipſorum ſapientiſſimi quique ita circumciſionem approbant, ut electos ſuos erga cognoſcenda & celebranda myſteria circumcidendos putent.

5. Denique Ægyptii, qui & geometriæ, & colligendis ſiderum curſibus [c] operam intendunt ſuam, impium judicant ſacerdotem, qui nequaquam habeat circumciſionis inſigne. Nam neque magici carminis ſapientiam, nec geometriam, nec aſtronomiam judicant [d] vim ſuam C obtinere ſine circumciſionis ſignaculo. Et ideo ut imperrandi vim operationi adhibeant ſuæ, purgationem quamdam vatum ſuorum circumciſionis arcano celebrandam exiſtimant.

6. Reperimus autem in hiſtoria veterum non ſolum * Ægyptios, ſed etiam Æthiopum, & Arabum, & Phœnicum aliquos circumciſione erga ſuos uſos. Et hanc putant ſe adhuc probandæ viam ſervare rationis; eo quod ſui corporis primitiis & ſanguinis initiati, inſidias dæ- D monum, quas illi generi noſtro moliuntur, exiguæ partis arbitrentur conſecrationibus deſtruendas; ut qui totius hominis ſaluti nituntur nocere, infirmari operationem ſuam putent circumciſionis ſacræ vel lege, vel ſpecie. Arbitror enim quòd in prætentum ipſe dæmonum princeps ceſſare ſuas artes erga noxiæ operationis effectum æſtimaverit, ſi ei nocere conaretur, quem ſignaculo circumciſionis ſacræ initiatum adverteret, aut ei qui videretur in hoc E ſaltem munere legi divinæ obtemperare.

7. Jam qui ſingulorum membrorum officia diligenter expendit, non otioſam cauſam in hac membri hujus portiuncula æſtimare poterit, qua ratione non ſolum circumcidatur puer, verum etiam octavo circumcidatur die; quando incipit mater pignoris nati in ſanguine eſſe puro, quæ ante octavum diem fertur in ſanguine immundo ſedere. Hæc adverſum eos dicta ſint, qui nulla nobis unitate fidei ſociantur; & ideo F tanquam adverſum diffidentes difficilior diſputandi locus.

Gen. 17. 12.

8. Reſponſum autem ſibi hujuſmodi habeant, qui credunt in dominum Jeſum, quod nudare noluimus, cùm adverſum opiniones gentilium diſputaremus. Nam ſi redemti ſumus non corruptibilibus argento & auro, ſed pretioſo ſanguine domini noſtri Jeſu Chriſti; quo utique

1 Petr. 1. 18. & 19.

a. Rom. edit. *in oriente*: aliæ & cuncti mſſ. *in agni*. Sed per agnum aries ſignificatus, ut in Exod. cap. 32. & ſuperiori epiſt. per vitulum bos ſive taurus.

b. Mſſ. nonnulli, *& in ipſo actu*.

*. Judæos propter abſciſſum præputium à prophanis per ludibrium curtos, verpos, ac recutitos appellatos ſolitos deprehendimus.

c. Ita vet. edit. ac mſſ. prope ad unum: edit. autem Rom. *operam impendunt ſuam*. Ceterum de peritia Ægyptiorum in mathematicis diſciplinis non ſemel alibi loquitur Ambroſius.

d. Vet. edit. & mſſ. nonnulli, *viam ſuam*: Rom. edit. ac plures mſſ. *vim ſuam*.

* Apud Ægyptios non ſolum mares, ſed feminas etiam circumcidi ſolitas ex teſtimonio quorumdam refert ſanctus Doctor lib. 2. *de Abrah.* cap. 11. num. 78. De illa vero ceteriſque rationibus, a quibus uſurpatam circumciſionem idem hic narrat, conſuli poſſunt Joſephus *Antiq.* lib. 1. cap. 13. & lib. 8. cap. 4. Epiphanius *Hæreſ.* 30. num. 30. & Polydorus cap. 3. ubi inter alios auctores Cyprianum citat, ſed ſermone eodem Patri in antiquis ejus editionibus perperam adtributo deceptus.

vendente, nisi eo [a] qui nostrum jam peccatricis A successionis ære quæsitum servitium possidebat: sine dubio ipse flagitabat pretium, ut servitio exueret, quos tenebat obstrictos. Pretium autem nostræ liberationis erat sanguis domini Jesu, quod necessariò solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus.

9. Donec igitur hoc pretium pro omnibus solveretur hominibus, quod Dominici sanguinis effusione pro omnium fuit solvendum absolutione, opus fuit singulorum sanguine, qui Le- B ge & consuetudinis ritu, sacræ præcepta sequerentur religionis. Sed quia pretium pro omnibus solutum est, posteaquam passus est Christus dominus, jam non opus est, ut viritim sanguis singulorum circumcisione fundatur; cùm in sanguine Christi circumcisio universorum celebrata sit, & in illius cruce omnes simul crucifixi simus cum eo, & consepulti in ejus sepulcro, complantati similitudini mortis ejus, ut

Rom. 6. 7. ultra non serviamus peccato: *Qui enim mortuus* C *est, justificatus est à peccato.*

10. Quod si quis, * ut Marcion & Manichæus, reprehendendum Dei putat esse judicium, quia vel oraculum de circumcisione celebranda edendum putavit esse, vel legem qua sanguinis effusio mandatur; necesse est ut is etiam dominum Jesum reprehendendum arbitretur, qui non exiguum, sed multum sanguinem pro hujus mundi effudit redemtione, & hodieque nos fundere jubet sanguinem nostrum pro tanto reli- D

Matth. 16. 24. gionis certamine, dicens: *Qui vult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me.* Si autem nequaquam justa est accusatio, cùm aliquis totum se pro pietate offerat, & multi sanguinis se mundet effusione; quomodo legem possumus reprehendere, exigui stillam exigentem sanguinis, cùm prædicemus dominum Jesum multi effusionem sanguinis, & totius corporis mortem imperantem?

11. Nec ipsum circumcisionis signaculum & E species feriabatur, quo populus Dei velut quodam sigillo signatus corporis, discernebatur à ceteris nationibus. Nunc autem Christi donatus nomine signum corporis nequaquam requirit, qui prærogativam divinæ meruit nuncupationis. Quid autem absurdum si propter pietatem aliquid doloris vel laboris inferri videbatur, quo plus devotio per hæc certamina probaretur? Pulcrum etiam ut ab ipsis vitæ incunabulis insigne religionis adolesceret, & pude- F ret unumquemque ætatis provectioris vel labori, vel dolori cedere, quorum utrumque tenera infantia vicisset.

12. Sed jam levi circumcisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem Domini circumferens, * per momenta singula fronti propriæ mortis contemtum inscribit, utpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. Quis enim acu utatur ad præliandum, cùm telis instructus sit validioribus?

13. Jam illud quivis facile refellendum advertit, quia propositum est plerosque potuisse ad sacræ religionis provocari obsequium, nisi essent doloris timore, vel laboris contuitu revocati. Et potuit hoc terrere majorem, quod infantuli plerique sustinebant sine periculo? Esto tamen aliquos infantulos Judæorum, cùm dolorem circumcisi corporis plagæque ferventis sustinere non potuerint, defunctos fuisse: sed hoc nec ceteros deterrebat provectiori ætate robustos, & laudabiliorem faciebat eum, qui præceptis obedisset cælestibus.

14. Quod si hoc in exiguo dolore arbitrantur confessionis fuisse obstaculum, quid de martyrio dicunt? Nam si reprehendunt circumcisionis dolorem, reprehendant & martyrum mortem, per quos cumulata non minuta religio est. In tantum autem abest nocuisse fidei circumcisionis dolorem, ut probabiliorem fidem faciat dolor; major enim fidei gratia, si quis pro religione contemnat dolorem: & hic magis habet præmium quam ille, qui ideo dolorem voluit circumcisionis subire, ut gloriaretur in Lege, & laudem ex hominibus magis quam ex Deo quæreret.

15. Oportuit igitur circumcisionem ex parte fieri ante ejus adventum, qui totum circumcideret hominem; ex parte enim debuit adsuescere humana conditio, quemadmodum in id, quod perfectum est, crederetur. Si autem oportuit circumcidi, in qua magis parte membrorum oportuit circumcisionem fieri quàm in ea, quæ quibusdam videtur inhonestior? *Ut iis* 1. Cor. 12. 23. *quæ putarentur ignobiliora esse membra corporis nostri, honestatem abundantiorem circumdarent: & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorem haberent.* Ubi enim magis vir sanguinis sui admoneri debuit, quam in ea parte, quæ ministerium errori exhibet.

16. Nunc tempus est ut & illis respondeamus, qui dicunt, si ea pars corporis nostri secundum naturam est, nequaquam eam amputari oportuisse: si non est secundum naturam, non debuisse simul nasci. Qui quoniam tam arguti sunt, & ipsi mihi respondeant, utrum secundum naturam successio humana sit, quæ generationibus adolescit, an contra naturam. Si enim secundum naturam, numquam igitur intermittenda est: & quomodo integritas virorum, virginitas puellarum, abstinentia viduarum, continentia conjugum prædicatur? Nullum ergo studium quærendæ successionis feriari debuit. Sed ipse auctor naturæ non utique generationi obsequutus est, qui de se, cùm esset in corpore constitutus, præbuit magiste-

a. Ameib & Rom edit. cum paucis mss. *qui nostro jam.* Eras. ac Gill. cum reliquis cod. *qui nostrum jam.* Observabis autem obiter his paucis verbis clare primigenii peccati successionem insinuari.

*. Cùm isti hæretici, ut jam à nobis observatum est, totum antiqui fœderis instrumentum rejicerent; immo etiam Deum Legis auctorem, ut Augustinus lib. *de Hæres.* cap. 4. de Manichæis testificatur, non Deum bonum, sed unum è principibus tenebrarum esse crederent, consequens erat ut circumcisionem proscriberent, utpote in Lege veteri constitutam. Sed cùm hæreticorum sit excessus omnes sanæ doctrinæ oppositos semper tueri, non defuere, qui retinendam etiam sub Evangelio carnalem hanc amputationem profiterentur. Hujusmodi fuisse Ebionitas ac Symmachianos litteris mandarunt Epiphanius *Hæresi* 30. Augustinus lib. *de Hæres.* cap. 9. & 10. lib. 1. *Contra Crescon.* cap 31. & lib 19. *contra Faust.* cap 18. Philastrius atque alii.

*. Eodem sensu lib. *de Fide Resurr. Morte ejus signamur*, inquit, *mortem ejus orantes annuntiamus* &c. Tertullianus etiam *de Corona Milit.* cap. 3. hanc frontis muniendæ expressa crucis imagine religionem, quam ex apostolica traditione manasse docet, ad singulos quosque actus ætate sua iterari consuevisse auctor est. Qua de re adi similiter Hieron epist. 22. *ad Eustoch.* Cyrill. Hierosol. Catech. 13. & alios.

rium, & hortatus est discipulos ad integritatem, dicens: *Sunt spadones, qui se castraverunt propter regnum cælorum; qui potest capere, capiat.* (Matth. 19. 12.)

17. Cùm sit autem homo compositus ex corpore & anima (satis est enim interim hoc dicere, * & silere de spiritu) non est in utroque idem secundum naturam: sed quod est secundum corporis naturam, id contra naturam est animæ; & quod secundum naturam est animæ, id contra naturam est corporis; ut si dicam quod secundum naturam est visibili, id contra naturam est ei, quod non videtur; & quod secundum naturam est ei, quod non videtur, id contra naturam est visibili. Nihil ergo incongruum [a] in hominibus Dei, si fiant aliqua contra naturam corporis, quæ sint secundum animæ naturam.

18. Qui autem dicunt quoniam plures credidissent, si circumcisio non fuisset, ii sibi responsum hoc habeant, quoniam plures crederent, si martyria non fuissent: sed præstantior est fortitudo paucorum, quam remissio plurimorum. Sicut autem plurima baptismatum genera præmissa sunt, quia secuturum erat verum illud unum in spiritu & aqua sacramentum baptismatis, quo totus redimitur homo: ita plurimorum [b] circumcisio præmittenda fuit; quia secutura erat circumcisio Dominicæ passionis, quam pertulit Jesus quasi Agnus Dei, ut tolleret peccata mundi. (Joan. 1. 36.)

19. Hæc ideo scripsimus, ut ostenderemus quia & debuit præmitti circumcisio, quæ foris est, ut & ea jam post adventum Domini jure videatur exclusa. Nunc autem circumcisio est necessaria, quæ in occulto est, sicut Judæus præstantior, qui in occulto, in spiritu, non littera; quoniam cùm sint in uno homine duo homines, de quibus dictum est: *Et si is qui foris est, homo noster corrumpitur secundum desideria erroris, sed qui intus est, renovatur de die in diem*; (2 Cor. 4. 16.) & alibi: *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem*; (Rom. 7. 22.) interior est homo noster, qui est ad imaginem & similitudinem Dei factus, exterior qui figuratus è limo. Sic denique & in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundò creatum hominem significans. (Gen. 1. 27. Gen. 2. 7.)

20. Sicut ergo duo homines, ita & gemina conversatio est: una interioris hominis, altera exterioris. Et quidem plerique actus interioris hominis perveniunt ad exteriorem hominem, quemadmodum castimonia interioris hominis transit etiam ad castitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignorat, idem utique nescit corporis adulterium: non tamen etiam illud est consequens, ut qui non adulteravit corpore, non adulteraverit etiam corde, secundùm illud: *Quoniam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo.* (Matth. 5. 28.) Nam etsi adhuc non sit adulter corporis, tamen jam affectu adulter est. Ergo est interioris hominis circumcisio: nam qui circumciditur, totius carnis illecebras tamquam præputium exuit; ut sit in spiritu, non in carne, & spiritu mortificet corporis sui actus.

21. Et hæc est, quæ in occulto est circumcisio, sicut Abraham ante in præputio erat, postea factus est in circumcisione. (Rom. 4. 11.) Sic interior homo noster, quando est in carne, tamquam in præputio est: quando autem jam non est in carne, sed in spiritu, incipit esse in circumcisione, non in præputio. Sicut autem qui circumciditur, non totam carnem exuit, sed solum præputium, ubi corruptela frequentior; ita qui in occulto circumciditur, carnem illam exuit, de qua scriptum est: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, ut flos fœni. Aruit fœnum, & flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in æternum.* (Esai. 40. 6. & 7.) Et remanet caro, quæ videbit salutare Dei, sicut scriptum est: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* (Luc. 3. 6.) Quæ sit ista caro, munda aures, ut intelligas.

22. Talis ergo debet esse in occulto circumcisio, ut nullam habeat comparationem cum ea, quæ foris est, circumcisione. Et ideo qui in occulto Judæus est, ipse præstat; qui est à Juda, cujus manus supra cervicem inimicorum ejus, qui recubans requievit ut leo, & ut catulus leonis, quem laudant fratres ejus. (Gen. 49. 8.) Ab hoc Juda non deficit princeps; quia sermo ejus principes facit, qui non subjiciantur illecebris sæcularibus, & captiventur voluptatibus istius mundi. Et quia ipse Judas in hanc generationem venit, [c] ideo plurimi, qui postea generati sunt, præferuntur; ut virtutum principatu gaudeant. Habeamus itaque circumcisionem in occulto, & in occulto Judæum, qui est spiritalis: spiritalis autem, utpote princeps, dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur. (1 Cor. 2. 15.)

23. Debuit ergo [d] Legis mandata præscripto circumcisio, quæ ex parte erat, cessare; posteaquam venit qui circumcisionem faceret totius hominis, & impleret circumcisionem Legis. Quis autem est iste, nisi qui dixit: *Non veni Legem solvere, sed implere?* (Matth. 5. 17.)

24. Quamquam si diligenter intendas, & illa sit ratio, qua jam cessare debuerit præputii circumcisio; quia plenitudo gentium venit. Non enim gentibus circumcisio mandata est, sed semini Abraham; sic enim habes in primo oraculo: *Et dixit Deus ad Abraham: Tu autem Testamentum meum observabis, tu & semen tuum post te in progenies eorum. Et hoc est Testamentum meum, quod observabis inter me & vos, & semen tuum post te in progenies eorum. Circumcidetur vestrum omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, & erit in signo Testamenti inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur vobis, omne masculinum in progenies vestras. Vernaculus domus tuæ & pecunia emtus ab omni filio alterius, qui non est ex semine tuo, circumcisione circumcidetur:* [e] *& erit Testamentum meum in carne vestra, in Testamentum æternum. Et incircumcisus masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui octa-* (Gen. 17. 9. & seq.)

*. *Ex anima & corpore constamus & spiritu* inquit sanctus Doctor lib. 2. *de Cain & Abel* cap. 2. num. 6. Quam quidem hominis definitionem passim apud eum advertere est.

a. Ultimæ edit. Paris. *in operibus Dei.* Sunt etiam aliqua toto hoc numero mutata in Rom. edit. sed quæ alium sensum minime inducant.

b. Eædem edit. Paris. *circumcisio prætermittenda fuit.* Et infra, *debuit prætermitti circumcisio.* Neutrum commode.

c. Ita Rom. edit. & mss. aliquot: vet. autem & mss. nonnulli, *ideo plurimi .... proficiunt, ut virtutum* ceteri cod. *ideo plurimi .... præferuntur, ut* &c. Minus commode.

d. Omnes edit. ac pauci mss. *Legis mandato præscripta*: reliqui mss. ut in contextu.

e. Rom. edit. sola, *& erit pactum meum.*

va die, exterminabitur anima illa de generatione A *illa; quia Testamentum meum transgressus est.* Hebræus quidem negatur habere de octavo die, * sicut * Aquila significat. Sed non in Aquila omnis auctoritas, qui quasi Judæus in littera præteriit, nec posuit octavum diem.

25. Interim & octavum diem, & in signo datam circumcisionem audisti: signum autem rei majoris indicium est, indicium veritatis futuræ; & datum Testamentum Abrahæ & semini ejus, Gen. 21. 12. cui dictum est: *In Isaac erit semen tuum.* Ergo B circumcidi licuit Judæum, vel domi ejus natum vel pecunia ejus emtum. Non possumus derivare hoc ad alienigenam, aut proselytum, nisi fuerint in domo Abrahæ nati, aut pecunia ejus emti, vel seminis ejus. Denique nihil dixit de proselytis, de quibus quando voluit dicere, nominavit eos, Gen. 17. 12. sicut habes: *Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios ejus, & ad omnes filios Israel, & dices ad eos: Homo homo à filiis Israel, & à proselytis,* C *qui sunt appositi vobis, quicumque fecerit holocaustum.* Ubi ergo comprehendit eos, ibi Lex eos tenet: ubi oraculo non significantur, quomodo astringi videntur? Sic habes denique: Levit. 17. 2. & seq. *Dic filiis Aaron*, quando de sacerdotibus dicit. Habes, quando & de levitis dicit.

26. Ergo omnifariam claret etiam secundum litteram Legis, quamquam Lex spiritalis sit, & secundum ipsam tamen litteram ad circumcisionem teneri non potuisse nationum populos: D sed ipsam circumcisionem in signo fuisse, donec plenitudo gentium intraret; & sic omnis Israel salvus fieret, circumcisus corde, non exigua membri unius parte. Ergo satis & excusata à nobis, & exclusa est Judæorum manens hodieque circumcisio.

27. Quod autem reprehensioni eam dicunt fuisse, vel esse gentilibus, primùm non habent * reprehendere ipsi, vel irridere, * quod alii consortes faciunt sui. Esto tamen, fuerit quod irri- E derent; quid hoc nos movere debet, cùm ipsa 1 Cor. 1. 23. & 24. crux Domini Judæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autem virtus Dei sit, atque sapientia? Luc. 9. 26. Et ipse Dominus dixerit: [a] *Qui me confusus* a *fuerit coram hominibus, confundar & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis;* docens nos iis, quæ ridentur ab hominibus, non commovendos, si qua pro religionis obsequio deferuntur.

EPISTOLA LXXIII.

Interroganti cur lata sit Lex, cùm eam obesse Paulus indicet: respondetur inutilem eam futuram, si naturalis, quæ inscribitur cordibus nostris, & in infantibus deprehenditur, servata esset: hac soluta, illam fuisse necessariam, ut excusationem tolleret peccatum manifestando, quod postmodum Christi gratia sublatum est.

AMBROSIUS IRENÆO.

1. DEcursa lectione Apostoli, non perfunctorie motus es; quia audisti hodie lec- Rom. 4. 15. tum: *Lex enim iram operatur: ubi autem non est Lex, nec prævaricatio.* Unde & consulendum ar- b bitratus es [b] cur lata sit Lex, si nihil proderat; A immo oberat, quæ operaretur iracundiam, & prævaricationem introduceret.

2. Et quidem secundum interrogationem tuam certum est non fuisse Legem necessariam, quæ per Moysen data est. Nam si naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, homines servare potuissent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis scripta lapideis, implicavit atque innodavit magis humani generis infirmitatem, quàm elaqueavit atque B absolvit. Esse autem legem naturalem in cordibus nostris etiam Apostolus docet, qui scripsit quia plerumque *& gentes naturaliter ea, quæ* Rom. 2. 14. *Legis sunt, faciunt; & cùm Legem non legerint, opus tamen Legis scriptum habent in cordibus suis.*

3. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur: nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus vel futuri judicii metu servare, cujus testis conscien- C tia nostra tacitis cogitationibus apud Deum Ibidem. ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cùm semper pateat Domino, tum maxime in die ju- Ibidem 15. dicii manifestabitur; quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio, occultorum scilicet, nequaquam noceret, si lex naturalis inesset pectoribus humanis; est enim sancta, sine versutia, sine fraude, consors justitiæ, expers iniquitatis.

4. D Denique interrogemus infantiam, videamus si quod in ea crimen reperitur, si avaritia, ambitio, dolus, sævitia, insolentia. Nihil suum novit, nullos honores sibi arrogat, præferre se alteri ignorat, fraudem nescit, vindicare se se nec vult, nec potest. Insolentia quid sit puro ac simplici nequit animo comprehendere.

5. Solvit hanc legem Adam, qui voluit sibi Gen. 3. 6. arrogare quod non acceperat, ut esset sicut creator & conditor suus, sic ut divinum honorem E affectaret. Itaque per inobedientiam offensam traxit, & culpam incidit ex insolentia. Qui si non rupisset imperium, & obediens fuisset mandatis cælestibus, prærogativam naturæ atque ingenitæ sibi innocentiæ heredibus propriis reservasset. Ergo quia per inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta atque interlita est, ideo scriptum legis existimatum est necessarium, ut vel partem haberet, qui universum amiserat: & cui perierat quod nascendo adsum- F serat, discendo saltem cognosceret & custodiret. Simul quia causa dejectionis ejus superbia fuit, superbia autem orta est ex prærogativa innocentiæ; debuit ea Lex ferri quæ subditum Rom. 7. 8. Deo & subjectum redderet. Nam sine Lege peccatum nesciebatur, & minor erat culpa, ubi erat culpæ ignorantia. Unde & Dominus ait: *Si non venissem, & loquutus non fuissem iis, pec-* Joan. 15. 22. *catum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato.*

6. Lata est ergo Lex, primum ut excusationem tolleret, ne quis diceret: Peccatum nescivi; quia præscriptum non erat quid caverem.

* Quam familiare sit Ambrosio varias Aquilæ lectiones in medium proferre, tum aliunde tum ex Psalmi 118. expositione quivis agnoscat.

*. Gentiles illos intelligit, apud quos circumcisionem in usu fuisse supra num. 5 & 6. memoratum est.

a. Quatuor mss. *Qui me confessus .... confitebor & ego.* Haud apposite.

b. Codices Prat. ac Gem. *cur ita sit, Lex si nihil* &c.

Rom. 5. 19. Deinde ut omnes subditos faceret Deo agnitione peccati. Omnes autem subditos fecit, quia non solum Judæis data est, sed etiam gentes vocavit; proselyti enim ex gentibus sociabantur. Neque vero exceptus videri potest, qui vocatus defuit; Lex enim quos vocavit & alligavit. Universorum itaque culpa operata est subjectionem, subjectio humilitatem, humilitas obedientiam. Itaque quia superbia culpam contraxerat, è contrario culpa obedientiam generavit. Unde lex scripta, quæ videbatur super- B flua, facta est necessaria; ut peccatum peccato solveret.

7. Sed ne rursus aliquis deterreatur, & dicat incrementum peccati factum esse per Legem, & Legem non solum non profuisse, sed etiam obfuisse arbitretur; habet quo solari suam possit sollicitudinem, quia *etsi per Legem superabundavit peccatum, superabundavit & gratia.* Rom. 5. 20. Quid sit hoc, intelligamus.

Rom. 7. 8. 8. Superabundavit peccatum per Legem; C quia per Legem agnitio peccati, & cœpit mihi obesse scire id, quod per infirmitatem vitare non possem; ad cavendum enim prodest præscisse: sed si cavere non queam, obfuit nosse. Versa ergo Lex in contrarium, tamen ipso peccati incremento facta est mihi utilis; quia humiliatus sum. Unde & dixit David: *Bonum est mihi, quod humiliatus sum.* Psal. 118. 71. Humiliando autem me, solvi vinculum erroris superioris, [a] quo Adam & Eva nexuerant omnem propriæ se- D riem successionis. Unde & Dominus quasi obediens venit; ut inobedientiæ & prævaricationis humanæ laqueus solveretur. Itaque sicut per inobedientiam peccatum intravit, ita per obedientiam peccatum solutum est. Unde & Apostolus ait: *Quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plurimi; ita & per obedientiam unius hominis justi constituentur multi.* Rom. 5. 19.

9. Habes igitur unum, quia Lex & superflua fuit, & facta est non superflua: superflua in eo, E quia non fuisset necessaria, si illam legem naturalem servare potuissemus: sed quia non servavimus, ista lex per Moysen necessaria facta est; ut doceret me obedientiam, & laqueum illum solveret prævaricationis Adæ, qui laqueus totam adstrinxit hereditatem. Crevit quidem culpa per Legem, sed & culpæ auctor superbia soluta est, idque mihi profuit; superbia enim culpam invenit, culpa autem gratiam fecit.

Rom. 5. 20. 10. Accipe aliud. Non fuit necessaria lex per F Moysen, denique subintravit: quod utique non ordinarium, [b] sed velut furtivum significare videtur introitum; eo quod in locum naturalis legis intraverit. Itaque si illa suum servasset locum, hæc lex scripta nequaquam esset ingressa: A sed quia illam legem excluserat prævaricatio, ac propemodum [c] aboleverat pectoribus humanis, regnabat superbia, inobedientiaque se se diffuderat; ideo successit ista, ut nos scripto Rom. 3. 19. conveniret, & omne os obstrueret, ut totum mundum faceret Deo subditum. Subditus autem mundus eo per Legem factus est, quia ex præscripto Legis [d] omnes conveniuntur, & ex operibus Legis nemo justificatur; id est, quia per Legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur, videbatur Lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores.

11. Sed veniens dominus Jesus, peccatum Coloss. 2. 14. omnibus, quod nemo poterat evadere, donavit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit. Hoc est quod ait: Superabundavit peccatum per Legem: superabundavit au- Rom. 5. 20. tem gratia per Jesum; quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit, sicut testificatus est Johannes, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Johan. 1. 29. Et ideo nemo glorietur in operibus; quia nemo factis suis justificatur: sed qui justus est, donatum habet, quia per lavacrum justificatus est. Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi; Rom. 4. 8. quia beatus ille cui peccatum remittitur, & venia donatur. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXIV.

Quod multi Legem, utpote quam Deus condidisset, negabant abrogandam: aut ex ejus abrogatione utrumque Testamentum ab eodem Deo non esse colligebant, id solvi ex illo Apostoli: Lex pædagogus noster fuit *&c. non enim nisi pueris pædagogum necessarium; Judæis igitur tamquam infirmis positam Legem, cujus præcepta imperfecta fuerunt, sed perfectiorum prænuntia. Postremo ubi obiter in avaritiam disputatum est, subjicitur ad utrumque Testamentum, quod per bovem & asinum ab Esaia designatur, suscipiendum exhortatio.*

[e] AMBROSIUS IRENÆO.

1. AUdisti, [f] fili, hodie lectum in Apostolo quia *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Gal. 3. 24. Quo uno absolutas arbitror quæstiones, quæ plerosque movere consuerunt. Sunt enim qui dicant: Cùm Legem Deus Moysi dederit, quid causæ est ut pleraque in Lege sint, quæ per Evangelium jam vacuata videntur? Et quomodo unus utriusque conditor Testamenti, cùm id quod licebat in Lege, per Evangelium cœperit non licere; ut est circumcisio corporalis, quæ licet etiam [g] tunc signo data sit, ut circumcisionis spiritalis veritas teneretur; tamen qua ratione vel in ipso signo fuit? Cur ista diversitas æstimatur, ut tunc circumcidi pietas crederetur, nunc

a. Vet. edit. ac mss. aliquot, *quo Adam & Eva exuerant*. Rom. & alii mss. melius.... *nexuerant.* Ceterum peccati originalis ab Adamo in omnem ejus propaginem derivatio tam clare tamque distincte explicatur in hac epistola, ut eam ab Augustino lectam non fuisse intelligamus, quando ejusdem testimonium in Pelagianos nusquam adhibet.

b. Ita Rom. edit. ac plures mss. vet autem edit. & quidam mss. *sed velut fortuitum.*

c. Omnes edit. & mss nonnulli, *aboleverat, pectoribus* (Rom. edit. *in pectoribus*) *humanis regnabat superbia*: reliqui mss. qui etiam melioris notæ, ut in texta. Continuo vero post ubi eædem edit. ac plures mss. *inobedientiaque*; duo mss. legunt, *inobedientia qua*, totidem, *per inobedientiam qua.*

d. Rom. edit. sola, *omnes convincuntur.*

e. Ita vet. edit. & cuncti mss. quorum nonnulli etiam addunt; *Sermo sancti Ambrosii ad plebem*; quæ inscriptio in libris sermonatiis Corb. BIg. Germ. & Fal. in quibus eamdem invenimus epistolam, sola reperitur. At edit Rom. eidem huic epistolæ præfixit: *Ambrosius episcopus Clementiano.* Dubium autem non est quin Clementianum idcirco substituerit, pro Irenæo; quia hanc & sequentem epistolam ad eumdem scriptas fuisse ex sequentis initio manifestum fit. Verumtamen cum in utriusque inscriptione vitium resideat, non tam expedite statui possit, à mss. & ant. edit. duximus non esse recedendum.

f. Cod. Laud. Corb. Germ. & Fal. *Audisti, frater, hodie lectum* &c.

g. Iidem cod. *tunc in signo data sit, ut circumcisio spiritalis in ipso signo fuit. Cur ista diversitas æstimatur? Deinde* &c.

[Num. 15. 15.] impietas judicetur? Deinde sabbati diem feriatum esse debere observabatur ex Lege; ita ut si quis onus aliquod lignorum portasset, mortis fieret reus: nunc autem diem ipsum & oneribus subeundis, & negotiis obeundis sine pœna advertimus deputari. Et pleraque præcepta sunt Legis, quæ præsenti tempore cessare videntur. [A]

2. Quid ergo causæ sit consideremus; non enim otiose dixit Apostolus quia *Lex pædagogus noster fuit in Christo.* [Galat. 3. 24.] Pædagogus [a] cujus est, [B] maturioris, an adolescentis? Utique aut adolescentis, aut pueri, hoc est, ætatis infirmæ. Pædagogus enim, sicut etiam interpretatio latina habet, [b] doctor est pueri: qui utique imperfectæ ætati non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere non queat. Denique per prophetam Deus Legis ait: *Dabo vobis præcepta non bona,* [Ezech. 20. 25.] hoc est, non perfecta; quod enim bonum, utique perfectum. Idem autem Deus Evangelio perfectiora servavit; siquidem ait: *Non veni* [C] *Legem solvere, sed implere.* [Matth. 5. 17.]

3. Quæ igitur istius causa distantiæ, nisi humana varietas? [Exod. 34. 9.] Sciebat duræ cervicis populum Judæorum, [Isai. 6. 9.] [c] lapsu mobilem, humilem, perfidiæ promtiorem, qui aure audiret & non audiret, oculis videret & non videret, lubrico quodam infantiæ levem & immemorem præceptorum; & ideo Legem tamquam pædagogum mobili plebis ingenio & menti adhibuit infirmæ, ipsaque Legis præcepta moderatus, aliud legi voluit, aliud intelligi; [D] ut insipiens saltem quod legeret, custodiret, & à præscripto litteræ non recederet: sapiens intelligeret divinæ mentis sententiam, quam littera non resonaret: imprudens servaret Legis imperium, prudens mysterium. Ideo Lex severitatem gladii habet tamquam pædagogus baculum; ut imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ saltem denuntiatione deterreat: Evangelium autem indulgentiam habet, quo peccata donantur. [E]

4. Jure ergo ait Paulus, quia *littera occidit, spiritus autem vivificat.* [2. Cor. 3. 6.] [d] Littera igitur circumcidit exiguam corporis portionem: spiritus intelligens circumcisionem totius animæ corporisque custodit; ut superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quam avaritiæ vitia, libidinisque peccata, quæ natura non habuit, culpa quæsivit) castimonia teneatur, frugalitas diligatur. Signum igitur circumcisio corporalis: veritas autem circumcisio spiritalis est: illa [F] membrum amputat, ista peccatum. Nihil imperfectum in homine natura generavit, nec tamquam superfluum jubebatur auferri: sed ut adverterent, qui partem sui corporis amputabant, multo magis amputanda peccata, recidendos eos, qui delicta suadeant, etiamsi quadam unitate corporis connecterentur, sicut habes scriptum: [Matth. 5. 30.] *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Ergo sicut pueris, ita Judæis mandata sunt non plena præcepta, sed ex parte, & velut unam membri sui partem mundam servare præcepti sunt, qui totum corpus suum mundum servare non poterant.

5. Sabbati quoque ferias uno die in hebdomada celebrare jussi sunt, [Exod. 31. 13.] ut nulli oneri subderentur, qui mundanis operibus absoluti utinam sic abiissent; ut in illud perpetuum futurorum sabbatum sæculorum nulla secum gravium veherent onera delictorum. Sed quia lubricum populum Deus noverat, partem infirmioribus diei unius observatione præscripsit, plenitudinem fortioribus reservavit: Synagoga diem observat, Ecclesia immortalitatem. In Lege igitur portio, in Evangelio perfectio est.

6. Populus Judæorum ligna portare prohibetur, [Num. 15. 33.] hoc est, illa quæ consumuntur incendio. Umbram tenet, qui solem refugit. Tibi sol justitiæ umbram impedimento esse non passus, apertum gratiæ suæ lumen infundens ait: *Vade, & amodo vide ne pecces.* [Johan. 8. 11.] Tibi æterni illius solis imitator ait: *Si quis autem superædificaverit super fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini manifestabit, quoniam in igne revelabitur. Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* [1. Cor. 3. 12. & seq.] Et ideo illud superædificemus supra Christum (Christus enim noster est fundamentum) quod non exuratur, sed melioretur. Aurum melioratur igne, melioratur argentum.

7. Audisti aurum & argentum, putas hoc materiale, congregare desideras: sed ludis operam. Hoc aurum & argentum onus habet, fructum non habet. Onus quærentis est sumtus heredis. Hoc aurum sicut lignum exuritur, non perpetuatur: hoc argentum in die illo detrimentum vitæ tuæ, non lucrum afferet. Aliud aurum, aliud argentum à te quæritur, hoc est, sensus bonus, [e] verbum optimum, de quibus dicit Deus quia dat vasa aurea & argentea. [Prov. 17.] Hæc sunt munera Dei: *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplo.* [Psal. 11. 7.] Gratia sensus tui, nitor casti sermonis exigitur: splendor fidei, non tinnitus argenti. Hoc manet, illud perit: hoc mercedem habet, & migrat nobiscum; illud detrimentum habet, quod hîc relinquitur.

8. Si quis divitum putat quod illud argentum repositum & reconditum ei suffragari possit ad vitam, onus inane portat, quod judicii ignis absumat. Hîc relinquite ligna vestra, divites, ut onus vestrum futuro incendio incrementa non addat. Si erogaveris, minuetur onus: & quod remanserit, onus non erit. Noli, avare, recondere; ne fias nudo quidem nomine Christianus, opere Judæus: cùm adverteris onera tua tibi esse supplicio. Dictum est enim tibi non per umbram, sed in sole: *Si cujus opus manserit,* [1. Cor. 3. 14.]

a. Mss. aliquot, *cujus est? Maturioris, an adolescentis, aut pueri.*
b. Nonnulli mss. *doctor est pueri, cui utique* &c.
c. Edit. vet. *lapsum humilem, perfidia promtiorem*: Rom. *lascivum, mobilem, perfidiæ promtiorem*: mss. quoque nonnulli omittunt *humilem*, quidam etiam *mobilem*: reliqui vero ut in contextu, nisi quod pro *perfidiæ* in aliquibus legitur *perfidiâ*, non malo sensu.
d. Omnes edit. ac pauci mss. *Littera igitur occidit*, reliqui in quibus & probatissimi.... *circumcidit*.
e. Rom. edit sola, *verbum optimum. Hæc sunt munera Dei, de quibus dicit David: Eloquia Domini* &c.

mercedem accipiet: ſi cujus arſerit, detrimentum A *patietur.*

9. Et ideo tamquam perfectus eruditus in Lege, confirmatus in Evangelio, utriuſque fidem ſuſcipe Teſtamenti: *Beatus* enim *qui ſeminat ſuper omnem aquam, ubi bos & aſinus calcat*, (Iſai. 32. 20.) ſicut hodie lectum eſt, hoc eſt, qui ſeminat ſuper populos, qui ſequuntur Teſtamenti utriuſque doctrinam; [a] bos eſt ille aratorius, Legis jugum portans, de quo Lex dicit: *Bovi trituranti os non alligabis*; (Deut. 25. 4.) qui habet ſcripturarum cor- B nua divinatum. Pullum autem aſinæ Dominus (Luc. 19. 35.) in Evangelio in figura populi gentilis adſcendit.

10. Puto autem quoniam dives eſt verbum Dei, quod etiam illud intelligere debeamus, quia bos habet cornua plena terroris, taurus ferociam habet, aſinus manſuetudinem: quod bene ad præſentia derivatur, quia beatus qui & ſeveritatem & manſuetudinem tenet; ut altero diſciplina ſervetur, altero innocentia non opprimatur: NIMIA ENIM ſeveritas extorquet C plerumque terrore mendacium. Deus diligi maluit, quam timeri: Dominus autem caritatem exigit, ſervus timorem; cùm perpetuus in homine terror eſſe non poſſit; quia ſcriptum eſt, ſicut hodie lectum eſt: *Ecce in timore veſtro ipſi timebunt, quos timebatis.* [b] Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXV.

Propoſita eruendi Paulini ſenſus difficultate, ſubjungit textum ejuſdem Apoſtoli heredem nullum fieri, niſi per fidem affirmantis. Deinde Judæos hereditatem propter vetus Teſtamentum ſibi debitam contendentes refellit, cujuſmodi heredes habendi ſint, patefaciens. D

AMBROSIUS [c] CLEMENTIANO.

1. ET ſi ſciam quod * nihil difficilius ſit, quam de Apoſtoli lectione diſſerere; cùm ipſe Origenes longe minor ſit in novo, quam in veteri Teſtamento: tamen quoniam ſuperiori epiſtola viſus tibi ſum, cur pædagogus Lex diceretur, non abſurde explicaviſſe; E hodierno quoque ſermone vim ipſam Apoſtolicæ diſputationis meditabor aperire.

2. Superiora enim lectionis ejus hoc habent, eo quod ex operibus Legis nemo juſtificetur, ſed ex fide; *Quoniam qui ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt..... Chriſtus* autem *redemit nos de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* (Galat. 3. 10. Ibidem 13.) Non ex Lege igitur hereditas data eſt, ſed ex repromiſſione. *Etenim Abrahæ dictæ ſunt repromiſſiones, & ſemini ejus .... quod eſt Chriſtus.* (Ibidem 16.) Lex itaque *prævaricationum gratia poſita eſt, donec veniret ſemen, cui repromiſſum eſt*; (Ibidem 19.) & ideo con- F *cluſa ſunt omnia ſub peccato, ut repromiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus .... Poſtquam autem venit fides, jam non ſub Lege*, hoc eſt, [d] ſub pædagogo *ſumus*; (Ibidem 25.) & quia ſumus filii Dei, & omnes ſumus in Chriſto Jeſu. Si autem omnes ſumus in Chriſto Jeſu, ergo Abrahæ ſemen ſumus, ſecundum promiſſionem heredes. Hæc eſt Apoſtolicæ concluſio ſententiæ.

3. Sed occurrit adhuc ei, qui poterat etiam Judæus dicere: Et ego heres ſum, quoniam ſub Lege ſum: Lex autem vetus dicitur Teſtamentum: ubi autem teſtamentum, ibi hereditas. Et licet ad Hebræos ipſe dixerit, quia teſtamentum non valet, niſi mors intercedat teſtatoris, (Hebr. 9. 17.) id eſt, quoniam teſtamentum non valet quamdiu vivit teſtator, ſed ejus morte firmatur; tamen quia in Hieremia Dominus loquutus eſt de Judæis, & ait: *Facta eſt hereditas mihi ſicut leo*; (Hier. 12. 8.) heredes eos negare noluit. Sed ſunt heredes ſine re, ſunt & cum re: & dicuntur heredes reſtatore vivente, qui ſcripti ſunt, ſed ſine re.

4. Sunt etiam heredes parvuli, qui nihil differunt á ſervulo, quoniam ſub curatoribus ſunt [e] & actoribus: *Ita*, inquit, *& nos eramus Judæi ſub elementis mundi hujus ſervientes. Poſtquam verò venit plenitudo temporis, & Chriſtus advenit*; (Galat. 4. 3.) jam non ſumus ſervi, ſed liberi, ſi credamus in Chriſtum. Ergo [f] dedit illis ſpeciem hereditatis, poſſeſſionem negavit. Habent nomen heredis, uſum non habent; quia ſicut parvuli heredes nomen nudum hereditatis, non auctoritatem uſurpant, jubendi jus & utendi non habent; quia plenitudinem ſuæ ætatis exſpectant, ut á curatoribus liberentur.

5. Sicut ergo parvuli, ita & Judæi ſub pædagogo ſunt. Lex pædagogus eſt: pædagogus ad magiſtrum ducit; magiſter noſter ſolus eſt Chriſtus: *Nolite dicere vobis dominum & magiſtrum; quia dominus & magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* (Matth. 23. 10.) Pædagogus timetur, magiſter viam ſalutis oſtendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad caritatem: caritas adquirit adoptionem, adoptio hereditatem. Ergo ubi fides, ibi libertas; ſervus enim ſub metu, liber ex fide. Ille ſub littera, iſte ſub gratia: ille in ſervitute, iſte in ſpiritu. Ubi autem *ſpiritus Domini, ibi libertas.* (2. Cor. 3. 17.) Si igitur ubi fides, ibi libertas; ubi libertas, ibi gratia; ubi gratia, ibi hereditas: Judæus autem littera non ſpiritu in ſervitute eſt; qui non habet fidem, non habet ſpiritus libertatem. Ubi autem nulla libertas, nulla gratia; ubi nulla gratia, nulla adoptio; ubi nulla adoptio, nulla ſucceſſio.

6. Tamquam clauſis ergo tabulis, * cernit

a. Ultimæ edit. Pariſ. *bos eſt illis aratoribus.*

b *Vale fili*, &c. in cod. Corb. Germ. & Fel. prætermiſſa ſunt.

c. Cod. Long. ac Lat. *Ambroſius Irenæo.* Et certe ſi ad Irenæum data eſt ſuperior epiſtola, hanc quoque ad Irenæum datam fuiſſe manifeſtum eſt. Sed in tam perplexa difficultate nihil potius videtur, quam omnium edit. ac plurium mſſ. lectionem loco non movere.

*. Veriſimile eſt Ambroſium, ut in Apoſtolico textu diſſerendo tantum ineſſe difficultatis profiteatur, duabus illis cauſis, quas epiſtola 37. num. 1. in medium profert, adductum eſſe; unarum quod in explicandis conſiliis divinis tam profundus ſit, ut eum vix adſequi poſſit humanus intellectus: contra vero ita ſe ipſe exponat quibuſdam locis, ut interpreti præter grammaticam enarrationem, quod adjiciatur, nihil relinquat. Quod autem ad Origenem, hanc Ambroſii de illo ſententiam veriſſimam eſſe agnoſcit Huetius lib. 3. Origen. cap 2. §. 1. num. 7. Sed alias duas hujus rei cauſas ſubjicit, videlicet quod jam pluribus commentariis, traditionibus, diſſertationibus illuſtrata fuerat vetus ſcriptura, quæ ei potuerant eſſe auxilio; deinde quod iiſdem abrogatis priſcis ceremoniis, ipſi in allegoriis liberius ſtylo indulgere liceret.

d. Rom. edit. *ſub pæda, ego, hoc eſt, ſub Lege ſumus.*

e. Mſſ. nonnulli, *& auctoribus*, quidam etiam, *& factoribus.* Minus appoſite.

f. Rom edit *dedit illis ſpem hereditatis.*

*. Nannius in hæc verba ſic annotabat: Cernere hereditatem eſt adire hereditatem; ſic enim vulgo præceptum: ſed ex fragmentis Ulpiani & ex Cod. Theod. quarto tit. 1. cretio id temporis eſt, quod datur heredi liberum ad cernendum, hoc eſt, conſultandum, velitne adire hereditatem. Sed hîc cernere hereditatem idem eſt quod adſpicere; quam quam non ſtatim, qui adſpicit, cernit: ille enim cernit qui rem agnoſcit, nec minus animo quam viſu perluſtrat, ut ex illo prophetico: *Ut audientes non audiant, & videntes non cernant.*

hereditatem, non possidet, auctoritatem non A habet lectionis. Nam quomodo dicit: *Pater* Matth. 6. 9. *noster*, qui verum Dei Filium negat, per quem adoptivus adquiritur? Quomodo testamentum nuncupat, qui mortem testatoris negat? Quomodo libertatem usurpat, qui negat sanguinem, quo redemtus est? Hic enim est nostræ pretium 1. Pet. 1. 19. libertatis, sicut Petrus dicit: *Sanguine pretioso redemti estis*, non agni utique, sed ejus qui mansuetudine & humilitate, tamquam agnus advenit, & totum mundum unâ sui corporis hostiâ B Esai 53. 7. liberavit, sicut ipse ait: *Sicut agnus ductus sum ad* Johan. 1. 29. *immolandum*. Unde & Johannes ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Galat. 4. 2. 7. Ergo Judæus heres in littera, non spiritu, tamquam parvulus est sub curatoribus & actoribus: christianus autem, qui plenitudinem temporis agnovit, qua Christus advenit factus ex muliere, factus sub Lege; ut omnes qui sub Lege erant, redimeret: christianus, inquam, per Ephes. 4. 13. unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei in vi- C rum perfectum, in mensuram ætatis exsurgit plenitudinis Christi. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXVI.

Rogatus ab IRENÆO AMBROSIUS *epistolæ ad Ephesios summam exhibet. Scribit igitur illic nobis proponi cælestem hereditatem, & solii cælestis consortium cum Christo, per quem in libertatem sumus adserti: finem vero fidei caritatem, qua Christo connectimur, ostendi: nullam aliam epistolam* [illegible] *tibus refertam esse* D *benedictionibus, quas singulatim breviterque prosequitur.*

AMBROSIUS IRENÆO salutem.

1. POposcisti ut summam epistolæ quæ ad Ephesios scripta est, inculcaremus tibi, quæ obscurior videtur, nisi ejus distinctione colligas, quibus persuadendum putavit Apos- Ephes. 1. 3. & seq. tolus de Dei regno nobis non desperandum.

2. Proposuit itaque primum, quod bonis E maximum solet esse [a] ad studia virtutis incitamentum, præmiorum spem, & promissorum cælestium hereditatem, quæ in passione Christi & resurrectione appropinquaverint.

3. Deinde subjecit non solùm in paradisum reditum nobis reformatum esse per Christum: sed etiam cælestis solii honorem per consortium Christi corporis carni huic esse impertitum; ut de ascendendi possibilitate jam non dubites, qui consortia tua in carne Christi regno cælesti F adhærere cognoscas, per sanguinem ejus reconciliationem factam omnium, quæ vel in terra, b vel in cælo sunt [b] (qui ideo descendit, ut impleret omnia) per ejus apostolos, prophetas, sacerdotes, confirmationem universorum, & con- Ibid. 4. 15. & seq. gregationem gentium: finem autem spei nostræ caritatem ipsius, ut augeamur in ipso per omnia; quia ipse est caput universorum, ad quem omnes secundum mensuram operationis in unum corpus ædificatione caritatis adsurgimus.

4. Non ergo desperandum quod capiti suo membra adhæreant; præsertim cùm in adoptionem filiorum Dei ab initio simus prædestinati per Jesum Christum in ipso: quam prædestinationem probavit, adserens illud quod ab initio prænuntiatum est, quia *relinquet homo* Gen. 2. 24. *patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt* Ephes. 5. 31. *ambo in carne una*; sacramentum esse Christi & Ecclesiæ. Si ergo Adæ & Evæ copula sacramentum magnum est in Christo & in Ecclesia, certum est quod sicut Eva os de ossibus viri fuit, & caro de carne ejus; & nos membra simus corporis Christi, os de ossibus, & caro de carne ejus.

5. Nulla autem epistola tantum benedictio- Ephes. 1. 3. & seq. nis increpuit in plebe Dei, quantum ista, in qua non solum benedictos nos à Deo, sed in omni benedictione benedictos & spiritali & in cælestibus significavit [c] divinæ locuples gratiæ c testis, & prædestinatos nos in adoptionem filiorum, in Filio quoque Dei nos cumulatos gratia, abundasse ea ad cognoscendum mysterium æternæ voluntatis: tum præterea in plenitudine temporum cùm pacificarentur omnia in Christo, & quæ in terra sunt, & quæ in cælo, sorte nos in ipso constitutos; ut quæ Legis sunt implerentur in nobis, & quæ gratiæ: cùm etiam secundum Legem electi videremur in juventutis ætate, quæ est vita immaculata, nihil habentes lasciviæ puerilis, & senilis infirmitatis: docti quoque prælium non solùm adversus carnem & sanguinem, sed etiam [d] adversus omnem mi- d Ephes. 6. 12. litiam spiritalis nequitiæ, quæ est in cælestibus, vividis gerere virtutibus.

6. Itaque sicut illis sortito obtigit captarum ex hoste terrarum possessio; ita nobis cecidit sors gratiæ, ut simus possessio Dei, qui renes Psal. 138. 13. possidet nostros, id est, seminarium castitatis & temperantiæ. Quæris hanc sortem agnoscere? Recordare illam quæ cecidit super Mat- Act. 1. 26. thiam, ut in duodecimum apostolorum numerum subrogaretur. Sed etiam propheta David ait: *Si dormiatis inter medias sortes*; eo quod is Psal. 67. 14. qui medius inter veteris sortem & novi Testamenti est, recumbens in utroque, ad regni cælestis tranquillitatem adsciscitur. Hanc sortem filiæ Salphæ petebant hereditatis paternæ, & Num. 27. 1. & seq. earum petitio divino judicio probata est. Sed illæ petebant in umbra; Salpha enim umbra oris significatur: in umbra ergo sermonis petebant, loquebantur quod non revelabatur. Paternæ itaque hereditatis petitio Salphæ filiabus in umbra sermonis erat, nobis autem est in Evangelii splendore, & revelatione gratiæ.

7. Simus itaque nos possessio Dei & ille nobis portio, in quo sunt divitiæ gloriæ & hereditatis ejus. Quis enim dives, nisi solus Deus, qui omnia creavit? Sed multo magis dives miseri- Ephes. 2. 4. cordiâ, qui omnes redemit, & nos secundum

a. Long. codex, *ad justitiam virtutis* &c.

b. Erasm. & seq. edit. *qui ideo descendit, ut captivitatem nostram averteret; ideo adscendit, ut impleret omnia per apostolos .... gentium consummaret. Finem autem* Rom. *omnia, & per apostolos .... gentium consummaret. Finem autem*: nobiscum vero faciunt mss. & Amerb. Adverte porro loci hujus difficultatem in hyperbato & ellipsi esse positam, quæ commode sic explanabis: per sanguinem ejus (qui ideo descendit, ut impleret omnia) reconciliationem factam omnium, quæ vel in cælo vel in terra sunt: per ejus apostolos .... congregationem gentium factam cognoscas: finem autem cognoscas &c.

c. Mss. aliquot, *divina locupletatos gratia*, &c. alii plures, *divinæ locupletes gratiæ testes*. ceteri demum, omnesque edit. ut in textu, ubi per voces *divinæ locuples* &c. Paulus designatur.

d. Non pauci mss. *adversus omnem malitiam.*

carnis

carnis naturam iræ filios, & [a] commotioni obnoxios mutavit quasi auctor naturæ, ut simus filii pacis & caritatis. Quis enim naturam mutare potest, nisi qui creavit naturam? Itaque suscitavit mortuos, & vivificatos in Christo sedere fecit in cælestibus in ipso domino Jesu. *Ibidem 1.*

8. Non quo quisquam hominum prærogativam sedendi meruerit in illa sede Dei, de qua Pater soli Filio dixit: *Sede à dextris meis*; sed quia in illa carne Christi per consortium ejusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est. Nam sicut ille in nostra carne subditus legitur per unitatem carnis & obedientiam corporis, in quo fuit obediens usque ad mortem; sic & nos in illius carne consedimus in cælestibus. Non ergo sedimus, sed in Christo consedimus, qui solus sedet ad dexteram Dei Filius hominis, sicut ipse dixit: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram Dei.* In eo enim abundavit gratia ejus & bonitas super nos in Christo Jesu, ut operibus mortuos, per fidem redemtos, salvatos gratia tantæ donaret libertatis munere, in quo velut resuscitata etiam ipsa natura novæ sensit creaturæ gratiam; ut in bonis operibus ambulemus creati in Christo, qui ante [b] obnoxiæ hereditatis vitio degeneravimus. *Psal. 109. 1. Luc. 2. 52. Philip. 2. 8. Matth. 26. 64.*

9. Etenim sublatis inimicitiis, quæ erant ante in carne, pax facta est universitatis in cælo; ut essent homines sicut Angeli in terra, ut essent gentes unum atque Israelitæ, ut in homine uno & novus homo & vetus sublato pariete maceriæ, qui utrumque dissidioso obice dividebat, inter se convenirent. Nam cùm hujus natura carnis iram & discordias ac dissensiones excitavisset, Lex nos damnatorum nexuisset vinculis, Christus Jesus insolentiam atque intemperantiam carnis mortificatione compressit, legem mandatorum in decretis evacuavit, in quibus ostendit non secundum litteram interpretanda legis spiritalis dogmata; cùm & sabbati ignava otia, & corporalis superflua destrueret circumcisionis, atque omnibus accessum ad Patrem in uno referaret spiritu. Quomodo enim potest discordia esse, ubi una vocatio, unum corpus, & unus spiritus est? *Ephes. 2. 14.*

10. Quid enim aliud descendens operatus est dominus Jesus, nisi ut de captivitate nos in libertatem vindicaret, & illam captivitatem vinctam perfidiæ vinculis sibi captivam faceret, alligatam sapientiæ compedibus, mittente unoquoque prudente pedes suos in compedes ejus, sicut scriptum est: & cùm descendisset, & adscenderet, *ut impleret omnia*, & nos omnes de plenitudine ejus acciperemus? *Ephes. 4. 8. Ibidem. Joan. 1. 16.*

11. Ideoque primum repletos Spiritu sancto posuit in Ecclesia apostolos, prophetas alios, alios evangelistas, alios autem pastores & doctores, ut eorum adhortationibus consummaretur profectus credentium, & ministerii fidelis [c] opus cresceret. Ædificatur unusquisque ædificatione virtutum in mensuram ætatis interioris, quæ mensura perfectior vitæ immaculatæ, id est, perfecti viri, accipiens de plenitudine Christi recepit gratiæ plenitudinem. *Ephes. 4. 11. Ibidem 13.*

12. Quis autem vir perfectus est, nisi ille qui absolutus infantia puerilis ingenii, atque adolescentiæ incerto ac lubrico, & immoderato juventutis calore, in viri perfecti firmitatem successerit, atque ad illam morum maturitatem adoleverit, ut non facile devii disputatoris alloquio flectatur, & quasi quadam doctrinæ irrationabilis turbidiore in scopulos jactetur procella, ad erroris remedia se conferens: & qui veritatem non solum in sermone, sed etiam in operibus sequatur suis, & ædificationem caritatis in se suscipiat; ut in unitate fidei & agnitionis occurrat, & quasi membrum non desit capiti suo, id est, Christo, qui est caput omnium, ex quo totum corpus fidelium & sapientium per harmoniam rationabilem Verbi, hoc est enim [d] συναρμολογούμενον, ἁρμονίᾳ τοῦ λόγου ἀπτόμενον, id est, harmonia Verbi compaginatum & compactum atque connexum, per omnem juncturam ministrationis, in mensuram uniuscujusque partis augmentum corporis facit, in ædificationem sui, in caritate; ut adsurgat unum templum Dei in omnibus, & unum domicilii cælestis habitaculum in spiritu universorum? *Ibidem 16.*

13. In quo non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum rationabilium Virtutum ac Potestatum, connexionem fidei, spiritusque accipiendam arbitror; ut per harmoniam quamdam virtutum ac ministeriorum corpus unum ex omnibus rationabilis naturæ spiritibus adhæreat capiti suo Christo, ita ædificationis compage connexa, ut ne tactu quidem junctura singulorum adhærentium discrepare videatur. Hoc est enim [e] quod ἀφὴν dixit Græcus, τῆς χορηγίας κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ: quod non difficile erit tanto architecto secundum mensuram uniuscujusque meritorum ac fidei convenientem sibi connectere; cùm ædificatio caritatis [f] rimam offensionis excludat, atque obstruat. Non est ergo dubitandum cælestium potestatum adhæsura ad hoc templum ædificandum consortia; incongruum quippe intelligi quod ita adsurgat humanæ caritatis ædificatio in templum Dei, ut fiat in nobis habitatio Dei in spiritu, non sit autem in cælestibus Potestatibus.

14. Cujus rei gratia, ut maturius in nobis ædificatio hujusmodi procederet, hortatur nos Apostolus aperire oculos cordis, elevare ad superiora, agnitionem Dei impense quærere, veritatem discutere, abscondere in corde mandata Dei, deponere erroris desideria, dedecoris

a. Eras. ac seq. edit. *& morti obnoxios:* Amerb. omnesque mss. *& commotioni obnoxios.*

b Mss. aliquot, *obnoxii hereditatis vitio eramus:* melius ceteri, & omnes edit. *obnoxiæ* &c. ubi & primigenii peccati apertissime exprimitur propagatio.

c. Ita mss. magno numero: nonnulli autem, & Amerb. pro *ædificatur* legunt *ædificatus:* Eras. vero & seq. edit. *opus cresceret, ædificaretur* &c.

d. Rom. edit. jugulaverat, ἁρμονία τοῦ λόγου ἀπτόμενον, quod etiam abest à mss non paucis. Verum cùm librariis satis familiare sit græcum omittere, locum ex aliis codicibus, & edit. duximus esse restituendum.

e. Sic Amerb. & mss aliquot, à quibus Eras. hoc solo differt, quod verba transposuit in hunc modum, *quod dixit græcus ἀφὴν τῆς* &c. Edit autem Rom. repoluit *quod dixit græcus* [illegible] *αὐτῆς τῆς* &c. In pluribus vero mss. græca sententia desideratur.

f. Edit. vet. ac mss. nonnulli, *ruinam offensionis:* Rom. & alii scripti cod. *rimam offensionis*, quidam *confessionis.* Absurde.

occulta, renovari per gratiam sacramentorum, A temperare iracundiam, commotionem ante occasum solis relaxare, cavere ne superiora tua occupet adversarius, spiritus ille habens potestatem, qui se immersit in cor Judæ, & comminuit animæ ejus januas; ne posset resistere, furem excludere, mendacem avertere, exsurgere à mortuis, sobrietatem adsumere: uxorem viro, ut Ecclesiam Christo, debere esse subditam, virum pro uxore animam suam offerre, sicut se pro Ecclesia tradidit Christus: postremo quasi bonum bellatorem sumere arma Dei, ac prætendere semper, non solum adversus carnem & sanguinem, sed etiam adversum spiritales nequitias; ne à suis emolliri, ab extraneis capi possit. Hæc breviter comprehensa, ut potui, perstrinxi. Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

Johan. 13. 12. Ephes. 5. 25. Ibid. 6. 11.

EPISTOLA LXXVII.

Roganti quæ hereditas illa sit, pro qua mortem oppetere plerique non dubitant; respondet hanc ipsam esse quam ex repromissione quasi liberi adipiscimur; nos enim cùm Deo ex caritate serviamus, vera potiri libertate. Hoc in Esau benedictione signatum docet; unde colligit ex Lege per quam servitus fuit, etiam libertatem esse, ut quæ ad fidem nos adduxerit: addit non Christum, sed Moysen accusaturum; atque adeo Judæos desipere, à quibus accusator præ bono judice eligitur. C

AMBROSIUS HORONTIANO.

1. NOn otiose quærendum putasti quæ D sit rei divinæ hereditas; & cur [a] tanto æstimetur nomine, ut propter eam plerique etiam mortem suam offerant. Verùm si consideres quia & in usu humano hereditatis pecuniariæ gratia facit, ut venerabiliora fiant jura pietatis; quia hoc quoque plus defertur parentibus, ne læsa pietas patris ulciscatur se [*] exheredatione, vel abdicatione contumacis pignoris: mirari profecto desines quæ sit tanta divinæ hereditatis appetentia. E

2. Est autem hereditas proposita christianis omnibus; sic enim dicit Esaias: *Est hereditas credentibus in Domino*: quæ speratur ex repromissione, non ex Lege. Quod veteris Testamenti exemplo probatur, dicente Sarra: *Expelle ancillam, & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Filius Sarræ Isaac, filius ancillæ Ismael; hi ante Legem sunt: ergo antiquior repromissio quàm Lex. Nos secundùm Isaac filii per repromissionem, Judæi secundum carnem filii ancillæ. Nobis mater libera, quæ non parturiebat, & postea ex repromissione effudit, peperitque masculum: illis mater Agar, generans in servitutem. Liber est, cui gratia promittitur; servus, cui jugum Legis imponitur: prius ergo nobis repromissio quam illis Lex; & secundum naturam antiquior libertas, quam servitus. Libertas igitur ex repromissione, ex Lege servitus. Sed licet repromissio ipsa ante Legem sit, ut diximus, ex repromissione autem libertas, in libertate caritas; secundum Legem tamen est caritas, [b] quæ major libertate est.

Esai. 54. 17. Gen. 21. 10. Galat. 4. 28.

3. Non ergo servi? Et quomodo scriptum est: *Laudate servi Dominum?* Quomodo ipse Apostolus ait: *Sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate?* Verum est & servitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus ait: *Qui liber vocatus est, servus est Christi.* Hæc est servitus ex animo, non ex necessitate. Itaque nos servi quidem sumus creatoris nostri: sed libertatem habemus, quam B per gratiam Christi accepimus, generati ex repromissione secundum fidem. Unde quasi ex libera geniti, libertatis sacrificium deferamus, signati in fronte, sicut liberos decet; ut non confundamur, sed gloriemur, signati spiritu, non carne. Quibus rectè dicitur: *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri.* Non dixit: nolite servire, sed *nolite jugo servitutis contineri*; est enim gravius jugum servitutis, quàm servitus.

Psal. 134. 1. Ephes. 6. 6. 1. Cor. 7. 22. Galat. 5. 1.

4. Denique Isaac filio suo Esau petenti benedictionem ait: *Ecce ab ubertate terræ erit tibi habitatio, & à rore cœli summo: & super gladium tuum vives, & servies fratri tuo. Erit autem cùm deposueris & solveris jugum illius à collo tuo.* Quomodo istud convenit, ut serviat, cùm solverit jugum fratris à collo suo, nisi distantiam esse intelligamus servitutis? Quæ igitur sit differentia, ipsa nobis exponat lectio. Bonus Isaac, & bonus nobis, qui secundùm ipsum in libertatem nascimur: & bonus pater utrique filio. Denique quod utrumque diligeret, circa alterum affectu probavit, circa alterum benedictione; seniori enim filio dixerat, ut cibum deferret sibi, & acciperet benedictionem: sed dum ille moram facit, & cibum agrestem & forensem requirit, frater junior domesticum detulit ex ovium grege.

Gen. 27. 39. & 40.

5. Bonus cibus omnium Christus est, bonus cibus est fides, suavis cibus misericordia, jucundus cibus gratia. Hos cibos epulatur populus Ecclesiæ sanctæ. Bonus cibus spiritus Dei, bonus cibus peccatorum remissio. At vero ille prædurus cibus rigor Legis, terrorque pœnarum: agrestis cibus observantia litteræ potius, quam gratia indulgentiæ. Denique ille populus sub maledicto, nos in benedictione. Velox cibus fides: *Prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo*: tardior cibus Legis. Denique dum Lex F exspectatur, populus erravit.

Galat. 3. 10. Deut. 30. 14. Exod. 32. 1. & seq.

6. Contulit igitur benedictionem pater impigro & fideli filio: sed quia bonus pater erat, servavit & seniori filio benedictionem; ut eum servum faceret fratris sui: non quo familiam suam [c] degeneri vellet servituti addicere, sed quia is qui regere se non potest & gubernare, servire debet, & subditus esse prudentiori; ut ejus regatur consilio, ne suâ stultitiâ præcipitetur, & labatur temeritate. Pro benedictione igitur hujusmodi confertur servitus. Denique inter bona annumeratur, inter collatam terræ

a. Rom. edit. *cur æstimetur tanti*; vet. *cur tanto æstimetur*: omnes vero mss. addunt, *nomine*: non male, cùm hic idem sonet ac pretio.

*. Latini exheredant, Græci abdicant: hoc discriminis inter utrumque, quod abdicamus in vita, exheredamus in morte. Abdicato statim gratia parentum, jusque liberorum denegatur: exheredato successio bonorum. Per pignora autem hic intelligimus liberos. Ita Nannius.

b. Mss. aliquot, *quæ major libertas est.* Et alii nonnulli pro *Non ergo servi*, legunt *Nunc ergo servis?*

c. Non pauci mss. *degenerati vellet, ac servituti addicere.*

ubertatem, & rorem cæli à summo. Sed quia A dixerat: *Super gladium tuum vives*; ne ei fortitudinis aut potestatis noceret præsumtio, addidit: *Servies fratri tuo*; ut & carnis fructus uberes, & divinæ rorem adipiscaris gratiæ, & eum sequaris, qui te suo gubernaculo regat.

7. Sed tunc erit istud, cùm deposueris jugum ejus à collo tuo; ut voluntariæ servitutis mercedem habeas, non injuriam subeas necessitatis. INHONORATA enim hujusmodi servitus, quæ necessitate cogitur: honorata autem, quæ B
1.Cor.9.17. pietate defertur. Unde Apostolus: *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si invitus, dispensatio mihi credita est.* Melius utique mercedis præmium, quàm dispensationis obsequium est. Nos igitur non contineamur servitutis jugo, sed caritate
Galat.5.13. spiritus serviamus; quia dicit Apostolus: *Per caritatem spiritus servite invicem.* Timor Legis
Eccles.1.16. est caritas Evangelii. Denique: *Initium sapientiæ timor Domini, plenitudo autem Legis caritas.*
Rom.13.8. Tamen & ipsa Lex dicit: *Et in hoc verbo omne* C
Galat.5.14. *mandatum instauratur, & in isto uno*, inquit, *sermone impletur: Diliges proximum tuum.*

8. Hoc est igitur quod proposuimus, quia etsi ex Lege servitus, tamen secundum Legem libertas; caritas enim libertatis, timor servitutis est. Est igitur & caritas Legis, & servitus caritatis: sed Lex caritatis prænuntia est, caritas Evangelii piæ servitutis arbitra est.

Galat.3.24. 9. Non superflua itaque Lex, quæ tamquam pædagogus prosequitur infirmiores. Infirmitatem D dico morum, non corporum; infantes enim sunt, qui fari verbum Dei nesciunt, qui ejus
Sap.4.9. opera non recipiunt. Nam si ætas senectutis vita immaculata, utique ætas adolescentiæ est vita maculosa. [a] Lex ergo pædagogus fuit, id
Galat.3.23. est νήπιος, donec fides veniret. *Et quasi infirmi*, inquit, *custodiebamur à Lege, conclusi in eam fidem, quæ revelanda foret.* Postquam autem fides advenit, non dicit Evangelium, sed fidem; ea est
Rom.1.17. enim sola fides, quæ est in Evangelio. Nam E licet justitia Dei in eo revelatur, quæ est ex fide in fidem; tamen sic illa Legis est fides, si ei accedat fidei plenitudo. Merito ergo fides ista quasi sola dicitur; quia illa sine hac fides non est, in hac confirmatur. Denique ubi hæc fides venit, plenitudo advenit, advenit filiorum adoptio, cessavit infirmitas, abiit infantia, in virum perfectum adsurgimus, Christum induimus. Quomodo igitur infirmus & parvulus esse potest, in quo Christus est Dei virtus? Ergo F ad perfectionem venimus, perfectionis præcepta accepimus.

10. Audisti hodie * lectum: *Non possum ego*
Joan.5.30. *à me facere quidquam: sicut audio, judico.* Audisti lectum: Ego non accuso vos, ego non judico.
Ibidem 45. Ego non accuso, *Moyses vos accusat, in quem*
Ibidem 31. *speratis.* Audisti lectum: *Si ego testimonium perhibuero de me ipso, testimonium meum non est verum.* Didici qualis judex, qualis testis esse debeam. Non enim quasi infirmus dicit: *Non possum ego à me facere quidquam*: sed infirmus ille, qui sic intelligit. Nihil quidem sine Patre facit Filius; quia communis operatio, & unitas potestatis est: sed hoc loco quasi judex loquitur, ut cognoscamus homines in judicando, quod non ex voluntate nostra & potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam.

11. Constitue aliquem reum coargutum & convictum criminis, non adstruentem defensionis genera, sed deprecantem & advolventem se ad genua judicis; respondet ei judex: Non possum à me facere quidquam; justitia in judicando, non potentia est in judicando. Ego non judico, sed facta tua de te judicant: ipsa te accusant, & ipsa condemnant. Leges te adjudicant, quas judex non converto, sed custodio. Nihil ex me ego profero, sed ex te forma judicii in te procedit. Secundùm quod audio, judico, non secundùm quod volo; & ideo judicium meum verum est, quia non voluntati indulgeo, sed æquitati.

12. Consideremus itaque quæ sit judicandi religio. Dominus cæli atque terrarum judex omnium dicit: *Non possum à me facere quidquam: sicut audio, & judico;* & homo dicit Domino suo: *Nescis quoniam potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te?* Quare Joan.19.10.
Dominus non potest? *Quia judicium*, inquit, [b] *meum verum est. Non* enim *quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*, id est: Joan.5.31. b
Non voluntatem hominis, quem videtis: non arbitrium hominis, quem vos hominem tantummodo judicatis: non voluntatem carnis, quia spiritus promtus, caro autem infirma: sed voluntatem divinam, quæ auctor legis, arbitraque judicii est. Similiter & testis verus est, qui non sibi, sed alii fert testimonium; scriptum est enim: *Laudet te proximus tuus, & non os tuum.* Matth.26.41. Prov.27.2.

13. Pulcre autem dicitur Judæis mystice: Ego vos non judico, id est, ego universorum redemtio, ego peccatorum remissio vos non judico; quia me non recepistis. Non judico, qui libenter indulgeo. Ego non judico, qui sanguine meo redimo peccatores. Ego non judico, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Esai.43.25.
Ego non judico, qui malo vitam quàm mortem peccatoris. Ego non judico, qui non damno, sed justifico confitentes. Moyses vos accusat, ille vos arguit, in quem speratis: ille accusat vos; quia judicandi non habet potestatem, quæ ejus debetur auctori. Ille ergo in quem speratis accusat: iste in quem sperare noluistis, absolvit. Ezech.18.23.

14. Magna Judæorum [d] imprudentia! Merito accusantur in criminibus suis; quia accusatorem elegerunt, & bonum judicem refutaverunt: ideoque deest illis absolutio, pœna non deest. d

15. Recte ergo, fili, * à Lege cœpisti, in Evangelio confirmatus es, à fide in fidem, firmo conversum existimat: neque nos ab eo hac in re diffidemus. *

a. Rom. edit. Νήπιος ergo, id est, Lex pædagogus fuit.
*. Lectionem hanc in Ecclesiæ synaxi factam esse dubium non est. An vero Mediolani, minime liquet
b. Rom. edit. sola, *meum justum est.*
c. Mss. aliquot, *Judæorum prudentia* Male.
*. Hermannus his verbis ductus, Horontianum hunc è Judaismo conversum existimat: neque nos ab eo hac in re diffidemus. Addimus vero non eumdem illum videri, ad quem destinatæ sont superiores ad Horontianum epistolæ. Hunc enim à teneris Ecclesiæ oblatum à parentibus constat, nec videtur ea quæstio à Diacono & à viro ecclesiasticis disciplinis instituto proposita, ad quam exsolvendam has litteras direxit Ambrosius.

Rom. 1. 17. cut scriptum est: *Justus enim ex fide vivit.* Vale A & nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXVIII.

Abrahæ instar nos ex fide justificari, qua sumus filii liberæ: circumcisionem tantum per Christum vim habuisse, quam ipse in semet passus antiquavit: justitiam ergo non exspectandam nisi ex fide, quæ si perfecta sit, numquam caritate destituitur.

a AMBROSIUS HORONTIANO.

Gen. 15. 6. 1. S*I Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, quod autem reputatur ad B justitiam, ex incredulitate ad fidem est: utique ex fide justificamur, non ex operibus Legis. Gal. 4. 22. & seq. Abrahæ autem ipsi duo filii Ismael & Isaac, unus de ancilla, alter de libera. Et responsum hujusmodi, ut expelleret ancillam, & filium ancillæ; non enim heredem fore ancillæ filium: & ideo non ancillæ nos filios esse, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberavit. Unde colligitur quod ii magis Abrahæ filii, qui ex fide; C præstant enim fidei quam generationis heredes. Galat. 5. 24. Lex pædagogus est, fides libera: abjiciamus ergo opera servitutis, teneamus gratiam libertatis: b deseramus umbram, solem sequuti; ritus Judaicos deseramus.

2. Circumcisio membri unius nihil prodest. Galat. 5. 2. Denique ait Apostolus: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* Non quia non possit, sed quia indignos beneficiis suis judicet, qui vias ejus deserant. D

Exod. 4. 25. 3. Et quidem ante Sephora circumcidit filium suum, & periculum depulit, quod imminebat: sed tunc profuit Christus, cùm adhuc perfecta differret. Cùm parvulus esset populus credentium, venit non parvulus, sed perfectus in omnibus dominus Jesus. 1. Cor. 13. 10 Circumcisus est primo secundum Legem, ne Legem solveret: postea per crucem, ut Legem impleret. Cessavit ergo quod ex parte est, quia venit quod perfectum est; E crux enim in Christo non unum membrum, sed totius circumcidit superfluas corporis voluptates.

4. Fortasse adhuc quæritur qua ratione circumcidi ex parte voluerit, qui venerat perfectam circumcisionem demonstraturus. De quo 2. Cor. 5. 21. non puto esse diutius deliberandum. Nam si peccatum factus est, ut nostra peccata mundaret: si maledictum pro nobis factus est, ut Le- Galat. 3. 13. gis maledicta vacuaret; ea ratione & circumcisus pro nobis est, ut circumcisionem Legis auferret, daturus salutem crucis. F

Galat. 5. 5. 5. Spiritu igitur ex fide spem justitiæ exspectandam nobis adserit Apostolus, & in libertatem vocatos, libertatem nostram in occasionem carnis non debere conferre. Siquidem *ne-* Ibidem 6. *que circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per caritatem operatur.* Et ideo scrip- Deut. 6. 4. tum est: *Diliges dominum Deum tuum.* Qui autem diligit, utique credit, & credendo unusquisque diligere incipit. Denique Abraham credidit, & sic diligere cœpit: & credidit non ex parte, sed per omnia. Aliter enim plenam non poterat habere caritatem; quia scriptum est: *Caritas credit omnia.* 1. Cor. 13. 7. Si non credit omnia, non videtur caritas esse perfecta. Ergo perfecta caritas omnem fidem habet.

6. Non tamen facile dixerim, quod continuo omnis fides perfectam caritatem habeat; quia Apostolus dixit: *Si habuero omnem fidem,* Ibidem 2. *ita ut montes transferam: caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Etenim cùm tria sint maxime in viro christiano, spes, fides, caritas: Ibidem 13. major his est caritas.

7. Sed arbitror c propositi gratia hoc dixisse Apostolum; neque enim videtur mihi qui habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, caritatem non habere; quomodo & illud, si habeat aliquis omnia mysteria, & omnem scientiam; quomodo non habeat caritatem, præsertim cùm dicat Johannes: *Quia omnis qui credit* 1. Johan. 4. 7. *quia Jesus Christus est, de Deo natus est;* & supra ipse dixerit: *Quoniam qui de Deo natus est, non* 1. Johan. 3. 9. *peccat?* Unde colligitur, si is qui credit quia Jesus Christus est, de Deo natus est; & qui de Deo natus est, non peccat: utique is qui credit quia Jesus Christus est, non peccat. Si quis autem peccat, non credit: qui autem d non credit, nec diligit: qui autem non diligit, peccato obnoxius est. Ergo non diligit, qui peccat; caritas enim multitudinem operit peccatorum. 1. Pet. 4. 8. Quod si caritas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem excludit foras; plena est utique perfectæ fidei caritas.

8. Denique apostoli, qui futuri erant amici, dixerunt: *Adauge nobis fidem,* petentes à bono Luc. 17. 5. medico, ut infirmantem in se fidem sanaret. Infirmabatur adhuc fides in iis, cùm audiret etiam Petrus: *Minimæ fidei quare dubitasti?* Ergo Matth. 14. 31. fides velut prævia caritatis occupat animam, & præparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis fides est, ubi perfectio caritatis.

9. Ideo puto dici quia caritas credit omnia, 1. Cor. 13. 7. hoc est, facit fidem omnia credere, e & habere hujusmodi animam omnem fidem. Ac per hoc ubi perfecta caritas, ibi omnis fides: sicut ubi perfecta caritas, ibi spes omnis. Denique sicut omnia credit, ita scriptum est quia sperat om- Ibidem. nia. Ideo major, quia spem, fidemque complectitur.

10. Hanc caritatem habens, nihil timet; quia caritas timorem excludit foras; & ideo f ablegato & exuto timore, omnia suffert, omnia sustinet. g Qui ergo per caritatem omnia sustinet, non potest timere martyrium. Et ideo quasi victor alibi in fine ait: *Mihi enim mundus cru-* Galat. 6. 14. *cifixus est, & ego mundo.* Vale, fili, & nos dilige; quia nos te diligimus.

a. Rom. edit. *Ambrosius episcopus Horontiano*; vox *episcopus* in vet. edit. cunctisque mss. desideratur, nec non in horum aliquot inscriptio omnino prætermissa est.

b. Mss. quatuor, *deseramus umbram solis, sicuti ritus Judaicos: deseramus circumcisionem membri unius, quæ nihil prodest.*

c. Nonnulli mss. *proposita gratia*: melius alii, & omnes edit. *propositi gratia*, id est, argumenti sui gratia, sive ut argumento serviat suo: vult enim sanctus Doctor Apostolum hypothesim impossibilem proposuisse, ut caritatis necessitatem explicaret.

d. Mss. aliquot, *non credit, peccato obnoxius est.*

e. *Et habere hujusmodi animam omnem fidem*, illhæc in mss. quatuor jugulata sunt: nec non sequenti versu illa similiter, *ubi omnis fides, sicut ubi perfecta caritas, ibi.*

f. Mss. aliquot, *obligato & excluso timore.*

g. Hæc verba, *Qui ergo per caritatem omnia sustinet*, sicut & illa: *Vale, fili*, &c. in mss. Corb. Laud. Ful. & Colb. desiderantur.

EPISTOLA LXXIX.

BELLICIO, *qui cùm credidiſſet in Chriſtum è morbo convaluerat, adſerit & morbum & ſanitatem ejuſdem Chriſti tribuenda viſitationi, atque ut ipſum retineat, & ad alia ſacramenta properet, illum hortatur.*

AMBROSIUS BELLICIO ſalutem.

1. JActatum [a] te gravi ægritudine ſignificaſti mihi credidiſſe in dominum Jeſum, & jam cœpiſſe revaleſcere. Ad ſalutem igitur ea infirmitas fuit, [b] plus aculei quam periculi ferens; quia diu promiſſum remorabaris. Hoc eſt
Deut 32. 39. quod ait: *Percutiam, & ſanabo.* Percuſſit infirmitate, ſanavit fide. Vidit enim interiorem affectum tuum non vacuum piæ cupiditatis, ſed excuti dilationibus; & ideo admonere maluit, ita ut ſalutem non læderet, devotionem excitaret.

2. Quomodo enim ſaluti noceret, qui ſolet
Matth. 8. 7. dicere, ut legimus in Evangelio: *Ego veniam, & curabo eum?* [c] Ergo & cùm à tuis invitaretur, ut inviſeret domum tuam, ſine dubio dixit: *Ego veniam, & curabo eum.* Et ſi non audiſti eum, ille tamen quaſi Deus inſenſibiliter loquutus eſt: & ſi non vidiſti eum, ille tamen quod te incorporaliter inviſerit, dubitari non poteſt.

3. Sed vidiſti eum, qui credidiſti ei; vidiſti eum, qui recepiſti eum hoſpitio tuæ mentis: vidiſti eum ſpiritu, vidiſti eum oculis interioribus. Tene ergo hoſpitem novum, diu exſpec-
Act. 17. 28. tatum, ſed ſero ſuſceptum: in quo & *vivimus, & ſumus & movemur.* [d] Guſtaſti igitur fidei prima exordia, non fiat verbum occultum in corde tuo. Hæc omnis gratia eſt, hoc eſt omne mu-
Deut. 15. 7. nus. Nemo enim penetralia domus de ingreſſu æſtimat, ſiquidem [e] omnis fructus in interioribus eſt; neque enim ſapientis eſt à feneſtra reſpicere in domum, & ſtultitia hominis audire per oſtium.

4. Alia ſunt ſacramentorum perfectiorum
1. Cor. 2. 9. myſteria; quia *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus eum*, ut dixit Scriptura. Alia ſunt illa, quæ de gloria futura annuntiarunt prophetæ, quibus revelatum
1. Cor. 2. 9. eſt, & evangelizarunt ſancti, *Spiritu Dei miſſo de cœlo, in quem concupiſcunt & Angeli videre*,
1. Pet. 1. 12. ut ait apoſtolus Petrus. Alia ſunt illa, in quibus eſt * mundi redemtio, peccatorum remiſſio, gratiarum diviſio, ſacramentorum participatio: quæ cùm acceperis, tunc mirabere tantum do-
Exod. 17. 15. & ſeq. natum eſſe homini, ut illud manna, quod miramur fluxiſſe de cœlo Judæis, [f] nec tantæ gratiæ nec tantæ operationis judices ad ſalutem fuiſſe. Illud enim quicumque acceperunt in deſerto,
Num. 12. 31. mortui ſunt, præter Jeſum Nave, & Caleb: hoc ſacramentum quicumque guſtaverit, non morietur in æternum. Sanet te dominus Jeſus. Vale.

EPISTOLA LXXX.

Ubi curationem cæci à nativitate oſtendit divinæ fuiſſe poteſtatis, diſcipulorum interrogationem reprehendit; atque nonnullas ejuſdem hiſtoriæ partes memorat & paucis edisſerit.

[g] AMBROSIUS BELLICIO.

1. AUdiſti, frater, lectionem Evangelii, in qua decurſum eſt quod præteriens dominus Jeſus vidit à generatione cæcum. Ergo ſi Johan. 9. 1.
Dominus vidit, non eum præterivit: quare nec nos quidem præterire debemus, quem prætereundum Dominus non putavit; præſertim cùm à generatione cæcus fuerit, quod non otioſe eſt poſitum.

2. Eſt enim cæcitas, quæ plerumque vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eademque temporis ſpatio mitigatur: eſt cæcitas, quæ humorum infuſione generatur; ea quoque vitio plerumque ſublato, medicinæ arte depellitur; ut cognoſcas quia quod iſte ſanatur, qui à generatione ſua cæcus eſt, non artis eſt, ſed poteſtatis. Donavit enim Dominus ſanitatem, non medicinam exercuit; eos enim ſanavit dominus Jeſus, quos nemo curaret.

3. [h] Quam ſtolidi autem Judæi, qui interrogant: *Hic peccavit, an parentes ejus?* debilitates Ibidem 2.
corporum referentes ad merita delictorum. Et ideo Dominus ait: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtarentur opera Dei in* Ibidem 3.
illo. Quod enim naturæ defuit, creatori competit reformare, qui auctor naturæ eſt. Unde addidit: *Cùm in hoc mundo ſum, lux ſum hujus* Ibidem.
mundi; hoc eſt, omnes [i] poſſunt videre, qui cæci ſunt, ſi me lumen requirant. Accedite & Pſal. 33. 6.
vos, & illuminamini, [k] ut videre poſſitis.

4. Deinde quid ſibi vult quod is, qui vitam refundebat imperio, ſalutem præcepto dabat, dicens mortuo: *Exi foras*, & egreſſus eſt Laza- Johan. 11. 44.
rus de ſepulcro; dicens paralytico: *Surge, tolle* Marc. 2. 11.
grabatum tuum; & ſurrexit paralyticus, & cœpit grabatum ipſe portare, in quo [l] ſolutus membris omnibus, portabatur: quid, inquam, ſibi vult, quod expuit & fecit lutum, & ſuperunxit oculos cæci, & dixit ei: *Vade & lava in* Johan. 9. 7.
Siloam, quod interpretatur miſſus; & abiit, & lavit, & videre cœpit? Quæ iſta ratio eſt? Magna, ni fallor; plus enim videt, quem Jeſus tangit.

5. Simul & divinitatem & ſanctificationem ejus adverte. Quaſi lux tetigit, & lumen infudit: quaſi ſacerdos per figuram baptiſmatis myſteria gratiæ ſpiritalis implevit. Expuit, ut

a. Codex Boyer. *Mactatum te &c.*

b. Idem cod. *plus auxilii*: magis ſcite alii & omnes edit. *plus aculei*, ut morbo ſcilicet ad fidem exſtimularetur. At ſequenti verſu cùm legeretur in cunctis edit. ac prope omnibus mſſ. *promiſſum remordebas*; è ſolo cod. Albin. reſtituimus, *promiſſum remorabaris.*

c. Boyer. cod. *A tuis ergo exſpectavit, ut invitaretur.*

d. Mſſ. Long. *Guſta igitur fidei &c.*

e. Cod Boyer *omnis faſtus.* Minime male.

*. Videtur indicare ſacramenta baptiſmi, confirmationis atque euchariſtiæ: ſed in hoc ultimo paulo diutius immoratur, eaque de illo obſcurius proponit, quæ diſtinctius atque accuratius lib. *de Myſteriis* cap 8. diſputantur.

f. *Nec tantæ gratiæ* additum eſt è ſolo cod. Boyer. quod in aliis & cunctis edit. non ſine concinnitatis detrimento prætermittitur.

g. Ita mſſ. nonnulli, ac vet. edit. Rom. autem inſcruit, *& epiſcopus*, mſſ 1 æt. Long & Gem. per correctionem *Ambroſius Ireneo*: idem Gem. 1. manu, *Horontiano*. alii quinque ſalutationem omnino repudiant, cujus loco in tribus aliis ſubſtituitur: *Prædicatio de cæco nato* Sed hanc epiſtolam ad Bellicium eſſe inſcribendam ex ſuperiori manifeſtum eſt.

h. Rom. edit *Quam ſtolide autem diſcipuli interrogant*: alii vero, & mſſ ut in textu, niſi quod in paucis *ſtulti* ponitur pro *ſtolidi*. Eodem etiam ſenſu hanc ipſam diſcipulorum interrogationem Chryſoſtomus abſurdam vocat.

i. Vet. edit. *poſſunt videre, quia cæci ſunt.*

k. Codices Laud. Corb. Germ. Colb ac Fal. *ut videri poſſit Deus.*

l. Mſſ. aliquot, *ſolutus*, nonnulli, *ſolutis membris jacebat.*

advertetes quia interiora Christi lumen sunt. A Et vere videt, [a] qui Christi mundatur internis. Lavat saliva ejus, lavat sermo ejus, sicut habes: (Johan. 15. 3.) *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis.*

(Johan. 9. 6.) 6. Quod autem lutum fecit, & superunxit oculos cæci, quid aliud significat, nisi ut intelligeres quia ipse hominem, luto illito, reddidit sanitati, (Gen. 2. 7.) qui de luto hominem figuravit: & quod hæc caro luti nostri per baptismatis sacramenta æternæ vitæ lumen accipiat? Accede & tu ad Siloam, hoc est, ad eum qui missus est à Pa- B tre, sicut habes: (Johan. 7. 16.) *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* Diluat te Christus, ut videas. Veni ad baptismum, tempus ipsum adest: veni festinus, ut tu dicas: (Johan. 9. 11.) *Abii, & lavi, & videre cœpi*; ut & tu dicas: [b] *Cæcus eram, & videre cœpi*; ut tu dicas, sicut iste refuso lumine ait: (Rom. 13. 12.) *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.*

7. Nox erat cæcitas. Nox erat, cùm Judas accepit buccellam à Jesu, & introivit in eum satanas. Judæ nox erat, in quo diabolus erat: C (Johan. 13. 27.) Johanni dies erat, qui in Christi pectore recumbebat. Petro quoque dies erat, cùm lumen (Matth. 17. 1. & seq.) Christi videret in monte. [c] Nox erat aliis, sed Petro dies erat. At vero ipsi Petro nox erat, (Matth. 26. 70. & seq.) quando Christum negabat. Denique gallus cantavit, & flere cœpit, ut emendaret errorem; jam enim dies appropinquabat.

(Johan. 9. 10.) 8. Interrogabant Judæi cæcum: *Quomodo vidisti?* Grandis amentia: interrogabant quod videbant: interrogabant causam, cùm factum D viderent.

9. *Et maledixerunt ei, dicentes: Tu sis discipulus ejus.* [d] Maledictio eorum benedictio est; (Johan. 9. 28.) quia benedictio eorum maledictio est. *Tu sis*, inquiunt, *discipulus ejus*. Tunc prosunt, quando[e] nocere se credunt. Vale, fili, & nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXXI.

Quosdam clericos propter laborem ac difficultatem animo despondentes, verbis erigit, eisque non modo futuram mercedem ponit ob oculos, sed etiam paratum Christi præsidium. Eam ob rem explicatis aliquot Scripturæ locis, admonet ne se divelli ab illo patiantur. E

AMBROSIUS CLERICIS.

1. PLerumque humanis obrepit mentibus, ut aliqua levi præstricti offensione, si non illis cedant pro studio voluntaria, officio desistant: quod in alio genere hominum tolerabile, in iis vero qui rei divinæ intendunt, F plenum doloris.

2. Sunt enim aliqui in clericorum munere, quibus inimicus obrepere studet, si alias eos non potuerit circumvenire, ut læsis hujusmodi inserat cogitationes. Quid mihi prodest in clero manere, subire injurias, labores perpeti, quasi non possit * ager meus me pascere, aut si ager desit, quasi aliter exercere sumtum non queam? Itaque hujusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur: quasi vero hoc solum sit in clerico, ut sumtum expediat suum, & non ut divinum sibi post mortem potiùs subsidium locet; quamquam ille post mortem abundet, qui tutus hìc potuerit decernere adversum tot inimicorum insidias.

3. Unde Ecclesiastes ait: *Optimi duo super unum, quibus est merces bona in labore ipsorum; quoniam* [f] *si ceciderit, unus erigit socium suum.* (Eccles. 4. 9. & 10.) Ubi sunt *duo optimi super unum*, nisi ubi Christus est, & is quem Christus tuetur? Quia si ceciderit, qui cum domino est Jesu, erigit eum Jesus.

4. Sed qua ratione dixit: *In labore ipsorum?* (Psal. 68. 4.) Ergo & Christus laborat? Utique laborat, qui ait: *Laboravi clamans.* Laborat, [g] sed in nobis: denique ad puteum fatigatus sedebat. (Johan. 4. 6.) Sed quomodo laboret, docuit nos Apostolus minore exemplo, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* (2. Cor. 11, 29.) Docuit & ipse Dominus sua voce: *Æger eram, & non visitastis me: nudus eram, & non operuistis me.* (Matth. 25. 43.) Laborat, ut me jacentem erigat.

5. Unde & in Elisæo figura Domini præcessit, qui projecit se, ut mortuum erigeret: (4. Reg. 4. 34.) in quo symbolum est, quod nobis Christus commortuus sit, ut nobis resurgeret. Projecit itaque se usque ad nostram Christus fragilitatem, ut nos erigeret. Projecit se, non cecidit, sed erexit consortem. Ipse enim consortes nos sibi fecit, ut scriptum est, quia *unctus est* [h] *oleo justitiæ præ consortibus suis.* (Psal. 44. 8.)

6. Unde pulcre ait Ecclesiastes: *Quoniam qui ceciderit, erigit socium suum,* (Eccl. 4. 10.) non ipse erigitur; Christus enim non alterius auxilio, atque ope erectus est, sed ipse se resuscitavit. Denique *solvite*, inquit, *hoc templum, & in triduo illud resuscitabo. Hoc autem dixit de templo corporis sui.* (Johan. 2. 19.) Nec immerito erectus non est ab alio, qui non cecidit; nam & ille qui à secundo erigitur, cecidit: & qui cecidit, indiget auxilio, ut erigatur. Quod & subjecta docent, dicente Scriptura: *Væ illi uni, cùm ceciderit, & non est secundus qui eum erigat! quia & si dormierint duo, est calor illis.* (Eccl. 4. 10. & 11.) Commortui enim sumus Christo, & ideo convivimus. (Rom. 6. 8.) Christus nobis commortuus est, ut nos calefaceret, qui ait: (Luc. 12. 49.) *Ignem veni mittere in terram.*

7. Mortuus eram, sed quia in baptismate commortuus Christo sum, accepi lumen vitæ à Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus vitæ & resurrectionis vapo-

a. Corb. codex, *qui à Christo mundatur in terris.* Observatu porro dignum est in hac cæci nati curatione Patres egregiam baptismi figuram deprehendisse. Adisis inter alios Augustinum in hunc Johannis locum, & discipulum præceptoris vestigia legere animadvertes. Hic etiam annotandum est hoc ipsum Evangelium olim in Ecclesia sub extremam quadragesimam legi solitum, ut hæc verba testificantur: *Veni ad baptismum, tempus ipsum adest.* Ex quibus verbis etiam constat è catechumenis necdum excessisse hunc Belicium.

b. Mss. Corb. Laud. Colb. Germ. ac Fuls. *In tenebris eram.*

c. Iidem mss. *Nox erat, sed lumen videbat. Nox erat aliis* &c.

d. *Maledictio eorum .... discipulus ejus*, in mss. non paucis, & apud Amerb. desideratur.

e. Hæc epistola cum ea, quam 26. loco collocavimus, una serie in mss. aliquot ita compingitur: *nocere se credunt. Semper quidem decantata quæstio* &c.

*. Indicatur hoc loco in clericorum ordine alios fuisse, qui facultates aliquas possiderent, alios qui nullas; qua de re diximus ad lib. 1. Offic. cap. 36. num. 184.

f. Vet. edit. hic, & nos cum Rom. ac mss. lib. *de Instit. Virg.* cap. 11. *si ceciderit unus, alter eriget.* de qua lectione videsis Nobilium. Vet. autem edit. citato lib. *de Instit. Virg.* & Rom. hic, *si ceciderit unus, eriget.* Nos vero cum mss. virgulam præmittimus voci *unus*, at sine illis pro *ceciderit* non audemus restituere *si ceciderint*: quod tamen Ambrosium scripsisse conjicimus è græcis verbis [illegible] &c.

g. Mss. aliquot, *sed non in nobis.* At pravo sensu.

h. Rom. edit. sola, *oleo lætitiæ.*

rem accipit. Frigidus erat puer, calefecit eum
4. Reg. 4. 14. Elisæus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Con-
dormivit ei, ut eum calor quietis ejus, qui in
symbolo consepultus ei fuerat, excitaret. Fri-
gidus itaque est, qui non moritur in Christo:
calefieri non potest, cui ignis ardens non ap-
propinquat: [a] incalescere non potest alteri, qui
secum non habet Christum.

8. Et ut cognoscas secundùm mysterium
dictum, non secundùm numerum; quia *optimi
duo quam unus*, subjecit mysticum: *Et spartum
triplex*; [b] *non corrumpetur*. Tria enim, quæ non
sunt composita, non corrumpuntur: Trinitas
itaque incompositæ naturæ corrumpi non po-
test; quia Deus unum & simplex, & incompo-
situm est, quidquid est: quod autem est, per-
manet, non subjicitur.

10. Bonum est itaque adhærere alteri, & in-
serere collum in torques ejus, & subjicere hu-
merum, & portare illum, nec tædiare ad vin-
cula; quia de domo alligatorum exivit, qui
regnet, puer ille qui super regem seniorem &
stultum est. Ideoque qui eum sequuntur, alli-
Ephes. 3. 1. gati vinculis sunt. Denique Paulus vinctus Jesu
Ephes. 4. 8. Christi. Unde & ipse Jesus captivam duxit cap-
tivitatem. Non satis visum est ei solvere capti-
vitatem, quam diabolus imposuerat; ne iterum
[c] liberos vagantesque invaderet: sed perfecta
absolutio æstimata est sub Christo degere, &
injicere pedes in compedes sapientiæ, ipsius
captivum esse, ut sis liber ab adversario.

Isai. 9. 6. 11. Recte puer, quoniam *puer natus est nobis*;
& vere optimus puer, cui dictum est à Patre
Ibid. 49. 5. Deo: *Magnum tibi est vocari puerum meum*. Sa-
Luc. 2. 52. piens quoque, ut Evangelium docet; quia *pro-
ficiebat ætate & sapientia*. Convenienter etiam
2. Cor. 8. 9. pauper: *quia cùm dives esset, pauper factus est;
ut nos suâ inopiâ ditaret*. Et ideo non fastidit in
regno suo pauperem, sed exaudit eum, & libe-
rat ex omnibus angustiis & molestiis.

12. Sub hoc ergo vivamus, ut rex ille senior
& stultus, [d] nullam habeat potestatem supra
nos. Qui dum vult regnare quasi voluntatis
suæ dominus, nec sub vinculis esse domini Jesu,
inveteratus in peccatis, stultitiæ incidit defor-
Psal. 71. mitatem. Quid enim stultius quam, relictis cæ-
lestibus, ad terrena intendisse, & posthabitis
perpetuis, elegisse ea quæ caduca sunt & fra-
gilia?

3. Reg. 12. 16. 13. Nemo ergo dicat: Non est nobis [e] portio
in Jacob, neque hereditas in Israel. Nemo di-
Deut. 31. 8. cat: Non sum in clero; quia scriptum est: *Date
Levi cleros ejus*. Et iterum David ait: Quia is
Psal. 67. 14. qui inter cleros duos medius requiescit, ipse ad
superna alis evolat spiritalibus. Non dicas de
Isa. 1. 11. Deo tuo: *Gravis mihi est*; nec de loco tuo: *Inu-
Eccles. 10. 4. tilis est mihi*; quia scriptum est: *Locum tuum noli
relinquere*. Vult enim auferre eum adversarius,
vult te abducere; quia invidet spei tuæ, invi-
det muneri.

14. Sed tu quicumque in clero es Domini,
portio ejus & possessio, noli recedere de Domi-
ni possessione, ut dicas Domino: *Possedisti renes* Psal. 138.
meos: suscepisti me ex utero matris meæ; & ille 13.
tibi quasi bono servo dicat: *Transi, recumbe*. Luc. 17. 7.
Valete, filii, & servite Domino; quia bonus
Dominus.

EPISTOLA LXXXII.

Quomodo in MARCELLI, *Læti & amborum sororis causa constitutus sit judex, & quare illam cognitionem ita susceperit, ut maluerit arbitrum agere, commemorat, litis exponit statum, ac Marcello damnum non ægre ferendum ostendit. Hinc eum laudat, quod arbitrum se ipse præstiterit longe æquissimum. Cur tamen in ejus arbitrio nonnihil mutaverit, docet: ac demum qua ratione singuli sine Ecclesiæ damno vicerint, declarat.*

AMBROSIUS MARCELLO.

1. APud me decursus est tui textus negotii,
quod non intulisti, sed recepisti; quia
erat & pietatis necessitas, & probandæ in pau-
peres liberalitatis voluntas. Cognovi autem * se-
cundum sacræ formam præceptionis, in quam
me induit & beatissimi Apostoli auctoritas, &
tuæ doctrinæ ac vitæ forma & disciplina. Nam
cùm ipse arguerem quod adhuc inter vos ma-
neret veternosum jurgium, cognoscendi mihi
necessitatem partes imposuerunt.

2. Erubui recusare, fateor, cùm præsertim
* togati utriusque partis invicem se lacesserent,
dicentes ut meo sub examine liqueret, cui par-
ti majora juris vel justitiæ suffragia forent. Quid
plura? Cùm jam conclusi essent dies, & pauca-
rum horarum superesset spatium, quibus tamen
alia audiret præfectus negotia; petierunt cau-
sæ patroni prorogari paucorum dierum tem-
pora, ut ego residerem cognitor. Tantus ardor
erat christianis viris, ne præfectus de episcopi
judicaret negotio. Aiebant præterea nescio quæ
gesta indecore, & pro suo quisque studio jacta-
bat, quæ episcopo potius judice, quam præ-
fecto examinari oporteret.

3. His confusus, simul admonitus Apostoli-
cæ præceptionis, quæ arguit, dicens: *Nonne* 1. Cor. 5. 12.
de iis qui intus sunt, vos judicatis? Et iterum:
Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemtibiles Ibid. 6. 4.
*qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judican-
dum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est
inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare in-
ter fratrem suum: sed frater cum fratre judicio
contendit, & hoc apud infideles*; recepi cognitio-
nem, ita tamen ut compositionis essem arbi-
ter. Videbam enim quod si pro tuis judicarem
partibus, posset ille non adquiescere: si pro il-
lo ferretur sententia, obediret tua & sanctæ so-
roris defensio. Erat ergo iniqua decernendi con-
ditio. Posset etiam illis videri suspecta necessi-
tudinis sacerdotalis gratia. Quando enim victus
quemvis alium quam se æquiorem putat? Et
quod verum est, erant vetusti jurgii intolerabi-
lia utrique parti dispendia; si finis ejus aut

a. Ita Rom. edit. cum parte mss. vet. autem edit. cum reliquis mss. *incalescere non potest*.
b. Rom. edit. sola, *non cito rumpitur*.
c. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *libero vacantesque*: alii plures, & nostræ versions, *liberos, vagantesque*. Et hoc aptius opponitur sequentibus his, *injicere pedes in compedes sapientiæ*.
d. Edit. Rom. hic inserunt, *qui non novit præcavere ultra*.

e. Eadem edit. sola, *portio in David, neque hereditas in filio Jesse*.
*. Formam sacræ præceptionis vocat Ambrosius leges imperiales, ut Thomass. *Discipl. Eccl.* p. 2. l. 3. c. 42. tradit. Nec forte alia constitutio hic indicatur, nisi celebris illa, quam à Constantino magno promulgatæ meminit Sozomenus lib. 1. *Hist.* cap. 9.
*. Togati, ait Nannius, ex habitu cultuque, quo causas agebant, patroni litium & causidici appellari cœpti sunt.

a fructu careret, aut liberalitatis solatio.

4. Cùm igitur anceps judicium, jus controversum, multiplices ab utraque parte actiones cernerem, invidiæ * plenas supplicationes, rescriptorum quoque obreptiones obtexerent: adverterem etiam gravi conditione illum, si vicisset, acturum * de duplis fructibus, & de sumtibus annosæ litis: tuo autem officio non convenire, ut expensas jurgii posceres: nec competere, ut quidquam de fructibus possessor ageres, quos percepisses; malui jurgium b compositione cædere, quàm pronuntiatione acerbare. Alia enim habebant excitari jurgia: tum, quod est gravissimum, etsi jurgia sublata forent, erant tamen odia mansura, quæ apud bonos mores dispendii sunt.

5. Inter hos æstus positus, cùm me persona sacerdotis, feminæ sexus, viduæ gravitas, amici quoque contemplatio, trino quodam non perfunctorio conveniret nomine, illud sequendum putavi; ut neminem vinci vellem, & omnes vincere. Nec fefellit sententia; vicistis enim omnes germanitati, vicistis naturæ, vicistis Scripturæ dicenti: *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Ibidem 7.

6. Sed putas te gravatum jactura juris, damno pecuniæ. MELIORA UTIQUE sacerdotibus damna, quam lucra sæculi sunt: *Beatius est enim dare, quam accipere.* Act. 20 35. Sed forte dicas: Fraudem non debui pati, injuriam non debui perpeti, damnum subire. Quid ergo? Inferre velles? Sed etsi tu non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid dicat Apostolus: *Quare non magis fraudem patimini?* 1. Cor. 6. 7. ut prope videatur, qui non patitur, fecisse; tolerare enim debet, qui fortior est.

7. Verùm quid ego ita tecum ago, quasi hoc meum, & non tuum sit? Tu enim obtulisti, quasi arbiter litis, ut soror * in diem vitæ suæ possideret partem prædii, post obitum ejus fratri cederet omnis possessio. Neque quisquam eum vel tuo, vel Ecclesiæ conveniret nomine: sed sibi haberet, si ita mallet, ut nihil dispensaret Ecclesiæ. Hoc cùm ego prædicarem, & præferrem tantam animo tuo infusam liberalitatis gratiam; respondit germanus tuus placere sibi oblationem, si metus deteriorandæ possessionis decederet. Quemadmodum enim femina, & quod est amplius, vidua * possessionem regeret tributariam? Quid sibi profuturum, quod sibi c jura possessionis cederes; si majora ex incultu agri subeunda sibi damna arbitraretur?

8. Movebat hoc utriusque partis togatos. A Itaque omnium conspirante adsensu, placuit ut Lætus V. C. agrum susciperet, & certum numerum frumenti, vini, olei, sorori quotannis pensitaret. Ergo sanctæ germanæ tuæ non jus, sed sollicitudo decessit: non fructus, sed culturæ labor: non reditus, sed incerti eventus quædam, ut dicitur vulgo, alea. Si tempestates ventorum graves proventum impedierint, sorori tamen tuæ sua ubertas manebit. Si nimia siccitate aruerint locorum gignentia, d sorori tamen B tuæ fata non minuetur fœcunditas. Sibi adscribet Lætus conditionem oblationis suæ: si necessitates temporum & extraordinariæ incubuerint exactiones, germana tua beneficio tuo, ut dispendio Læti, immunis erit: Lætus autem se proprietate locorum solabitur.

9. Vicistis ergo omnes: Lætus, quia jus loci adeptus est, quod non tenebat: soror, quia annuis potietur fructibus jam sine lite, sine jurgio; nemo tamen plenius, nemo gloriosius quam C tu vicisti, qui dum erga sororem confirmari vis liberalitatem tuam, in utrumque eam fraternæ consortem necessitudinis contulisti. Nam & fratri concessisti proprietatem, & sorori e usus fructum: NIHIL AUTEM adimitur Ecclesiæ, quod pietati adquiritur; caritas enim non damnum, sed lucrum Christi est; denique caritas fructus Spiritus sancti est. Galat. 5. 22. Apostolico igitur charactere cognitio decursa est. Dolebamus ante quod litem haberes: profuit jurgium, ut D formam indueres apostolicæ vitæ & præceptionis. Illud sacerdotio non congruebat, hæc transactio & apostolicam decet normam.

10. Nec vereare ne immunis fit atque exsors Ecclesia liberalitatis tuæ. Habet & illa fructus tuos & quidem uberiores, habet fructus doctrinæ tuæ, habet tuæ vitæ stipendium, habet fœcunditatem, quam tuis institutis rigasti. His dives reditibus, non quærit temporalia; quia æterna possidet. Addidisti autem ei non solum E apostolicos, sed etiam evangelicos fructus; Dominus enim dixit: *Facite vobis amicos de iniquo mammona.* Luc. 16. 9. Fecisti & tu amicos, & quod mirabile est, ex diffidentibus. Fecisti in jus germanitatis redire fratres, fecisti eos hac caritate, hac gratia securos esse, quod suscipiantur in æterna tabernacula.

11. Christo igitur auctore & duobus arbitris sacerdotibus, te qui formam prior dedisti, me qui sententiam promsi, facta pax non claudi- F cabit; quando tanta fidei convenerunt suffragia, ut perfidia non possit esse sine pœna.

12. Arabit Lætus sorori, cui antea alienos invidebat labores: messem Lætus sorori colliget,

a. Sic omnes edit. ac mss. aliquot: alii autem plures, *furti careret*, vel *careret*: quidam etiam, *fructificaret*; unde non absurde quis conjiciat Ambrosium scripsisse *fructi careret* nam *fructi* in genitivo usi sunt Terentius atque alii. Quod autem supra non semel, & infra quoque loco litis vocem *jurgii* adhibet sanctus Præsul, hoc inde esse Nannius docet, quia jurgium dicitur, quod jure agatur.

*. Id est, libelli principibus ab uno litigantium oblati.

*. Lege 1. *de fruct. & lit. imp.* à Valentiniano seniore an. 369. lata edicitur, ut qui rem injuste possederit, non modo ejiciatur illius possessione, sed etiam duplos fructus justo domino restituat, additis & litis sumtibus. Hoc tamen ultimum postea Honorii lege temperatum est an. 423. promulgata, qua quidem ne de impensis litis nova instituatur actio, prohibetur.

b. Eras. & seq. edit. cum paucis mss. *compositione sedare*: Amerb. cum aliis multo pluribus, *comp. cædere*. Ita porro dicere licet litem cædere, quemadmodum litem secare atque dirimere.

*. Hunc locum Casaubonus in *Spartianum num.* 26. allegat, ut ea formulâ demonstret apud latinos in diem mortis significari.

*. Possessionem tributariam dici putat Nannius, quod tributa dependat, quæ si suo die non repræsententur, magnâ multâ involvunt proprietarium. Sed hinc etiam videtur hujusmodi possessionis administratio viduæ difficilior, quod illæ soleant in tributorum aliorumque onerum distributione atque exactione magis vexari; quippe quæ ab injustitia defendere se minus valeant.

c. Mss. Long. *jura possessionis cederes*: Gem. *jure possessionis decederes*.

d. Eras. & seq. edit *sorori tamen tua fata*: Amerb. & mss. .... *fata*, Long. *sancta*. Quod autem subditur: *sibi adscribet Lætus* &c. Nannius explicat in hunc sensum: Id est, suo periculo, inquit, pensitationem sustinebit, eamque ab oneribus extraordinariis expediet, & inde munitam persolvet.

e. Nonnulli mss. *ejus fructuum*. Adverte autem ex sequentibus quantùm à moribus Ambrosianis id abfuerit, ut Ecclesiam è familiarum ruina vel perturbatione vellet ditescere.

in

in qua ante ferre non poterat alienas donatio. A nes ᵃ: deferet fructus ad sororis horrea; & hoc * lætus faciet, recepta etiam jam nominis sui proprietate.

13. Tu interea conformatus in apostolum Christi, adsumens propheticam auctoritatem dices ad Dominum: *Possedisti renes meos.* Psal. 138. 13. Hæc melius possessio Christum decet, ut virtutes sacerdotis possideat sui, hos fructus capiat, qui sunt integritatis & continentiæ, & quod est amplius, caritatis & tranquillitatis. Vale, & nos B dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXXIII.

SISINNIUM *propter veniam filio, qui se inconsulto uxorem duxerat, datam commendat; & commodis quibusdam quæ ille ex eo relaturus erat, memoratis, eumdem hac ignoscendi facilitate sanctorum vestigiis insistisse ostendit.*

AMBROSIUS SISINNIO.

1. Quod filio nostro remisisti meo rogatu, quia te inconsulto, uxorem acceperat, pietati magis tribuo, quam nostro amori; plus est enim pietatem ipsam de te impetravisse, ᵃquàm cujusque petitionem. Certe sacerdos tunc magis impetrat, cùm virtus prævalet; sacerdotis enim petitio doctrina pietatis est. Impetravit igitur natura, impetravit filius eo plenius, quia postulati contemplatio temporalis solet esse: virtutis autem diuturnus habitus, & jugis * animorum inductio.

2. Pulcre itaque gestum, ut te patrem recognosceres: simul quia justa indignatio fuit; malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia: sed & ipsa paterna offensio fuit, * quoniam venturam in locum filiæ tuo debuisti eligere judicio, cui fieres pater. Namque aut natura filios suscipimus, aut ᵇelectione; in natura casus est, in electione judicium: magisque in adoptatis offendimus, quam in genitalibus filiis; quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: adscitos vel adoptione vel copula dedecores esse nostro errori adscribitur. Fuit ergo quod succenseres filio, sed fuit etiam quod remitteres; quia sibi uxorem elegit. A Adquisisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi adquisivit gratiam: si erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores.

3. Maturiore quidem consilio puella filio à patre traditur: sed majore obsequii proposito à filio ad patrem ducitur, & à viro lecta ingreditur soceri domum; dum metuit & filius displicere judicium suum, & nurus ministerium. B Illam paternæ electionis prærogativa adtollit atque erigit; istam offensionis humiliat metus, inclinat verecundia. Non habebit filius, quod in uxorem referat, quasi exsors culpæ, si quid fortasse offensum sit, quod habet usus; immo amplius elaborabit, ut in utroque suum possit probari, & in uxore judicium, & in se obsequium.

4. Fecisti igitur quod boni parentes, ut cito ignosceres, sed obsecratus; nam antequam ro- C gareris, non erat ignoscere, sed factum probare. Deinde diutius differre veniam, & tibi acerbum, & illis inutile; neque enim paterna viscera diutius tolerare possent.

5. Summæ devotionis proposito Abraham filium suum secundùm oraculum Dei offerebat Gen. 22. 6. & seq. in holocaustum; & quasi exsors naturæ exerebat gladium, ne mora sacrificium decoloraret; tamen ubi abstinere à filio jussus est, gladium libenter recondit: & qui immolare unigenitum D fidei intentione properabat, majore pietatis studio festinavit ovem subrogare sacrificio.

7. Joseph quoque, ut fratrem juniorem teneret, simulabat iracundiam fratribus, & ᶜ com- Gen. 44. 15. & seq. positam furti fraudem; indignatus tamen, cùm advolveretur ad genua ejus unus ex fratribus Judas, flerent alii, fraterno victus & compassus affectu, diutius tenere non potuit simulationem severitatis: remotisque arbitris, aperuit fratribus quod germani sui essent, & ipse esset E Joseph, quem vendidissent: nec se memorem suæ esse injuriæ, & fraternæ venditionis acerbitatem fraterne excusare, atque id ᵈ quod posset arguere, ad altiores causas referre; eo quod ita oportuisset fieri, procurante Deo, ut

*. Hoc est, inquit Nannius, hilaris id faciet, proprietatique & etymologiæ sui nominis, quod lætitiam sonat, respondebit. Ita ille. Ceterum Ambrosio hujusmodi allusiones non displicuisse ex epistolis ad Paternum, Irenæum & Priscum intelligimus. Sed hoc ipsum illi commune est cum aliis multis auctoribus, quorum nonnullos Casaubonus in Lampridium num. 23. memorat, ubi hæc ipsa Doctoris nostri verba dariuscula, ipse forsitan hoc loci paulo delicatior, existimat.

a. Eras. & seq. edit. *quam cujusquam:* Amerb. cum mss. *quam cujusce.* Sed hic exceptorum error est ortus è soni similitudine, qua eodem modo veteres pronuntiabant cujusce & cujusque, coce & quoque; unde notus Ciceronis jocus in filium coci candidatum: Ego tibi, coce, faveo. Hic enim in ambigua pronuntiatione acumen erat.

*. *φιλοστοργίαν* significat, inquit Nannius, nimirum eam propensionem, qua parentes adversus liberos suos vergunt: alludit nonnihil, quod ex sequentibus magis patebit, ad illud Terentii: Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

*. Utrumnam matrimonium à liberis initum insciis, nec adsentientibus parentibus, ratum ac firmum habendum sit, disceptatur à theologis. Qui negantem partem defendunt, auctoritatem Ambrosii proferunt lib. 1. *de Abraham* cap. 9. num. 91. hujusmodi matrimonia non in filiis familias tantum, sed etiam in junioribus viduis condemnantis. Quod autem ad locos è lib. 1. *de Virgin.* cap. 10. num. 9. nec non è lib. *de Virginit.* cap. 5. num. 25. qui primo testimonio videntur contrarii, hi illis hoc sensu explicant, ut puellæ ad nubendum invitæ cogi non possint, si procos à parentibus propositos illis displicere forte contingat. Contra vero qui consensum parentum ad validitatem conjugii contendunt non esse necessarium, ii Doctorem nostrum in libris *de Virginibus* id aperte definire affirmant, in libro autem *de Abraham* parentum voluntatem sequi jubere, non quod sit absolutæ necessitatis, sed tantum honestatis atque decori. Advertendum est autem Gratianum, P. Lombardum ac D. Thomam, qui hujus opinionis doces fuere, ex ævi sui disciplina mentem Ambrosii esse interpretatos. Constat siquidem eorum temporibus clandestina matrimonia ab Ecclesia pro legitimis habita esse, ut à Tridentinis quoque Patribus definitum est. Verum non ita obtinebat ætate Ambrosii. Etenim ambigere non licet, quin Ecclesia disciplinam suam principum, quorum est conditiones ad legitimum contractum necessarias constituere, legibus tunc temporis accommodaverit. Cùm igitur multæ leges imperiales, quas & in Codice & apud Cl. Spencerum in Tractatu de hac materia edito reperire est, hujusmodi furtiva connubia proscripserint, hinc colligimus eadem illa ætate nec ab Ecclesia nec ab Ambrosio admissa esse. Certe quidem multis retro annis filias sine parentum consensu *rite & jure* nubere negaverat Tertullianus lib. 2. *Ad Uxorem* c. 9. Quapropter locos lib. *de Virgin.* ita exponimus, ac si legatur: Quamobrem filias vestras à servanda virginitate prohibere tentatis, quæ illas ad nubendum non potestis cogere, nisi eisdem non invisos, sed quos amare velint, procos offeratis.

b. Ms. Thuan. & Catol. *in natura causa est.* Non recte. Porro eodem plane sensu de generationis atque adoptionis discrimine loquitur Plinius junior in Panegyrico, ubi de Trajano à Nerva imperatore in filium allecto sermonem habet.

c. Rom. edit. *composita à se furti fraude indignatus est:* vet. *compositam à se* &c. mss. omittunt *à se.*

d. Mss. non pauci, *quod oportuisset*, aliqui, *quod potuisset, arguere.*

transiret in Ægyptum, qui gentem suam frugis A externæ egentem pasceret, ut sterilitatis tempore alendis patri & filiis subsidio foret.

2.Reg.14.21. 8. Quid autem de sancto David loquar, qui degenerem filium, [a] & fraterno oblitum sanguine, ad unius mulieris petitionem paternis visceribus mentem emollitus domo recepit?

Luc.15.21. 9. Ipse ille evangelicus pater adolescentiorem filium, qui prodegerat omnem substantiam à patre acceptam vivendo luxuriose, regredientem tamen unius sermonis inflexus hu- B militate, quod in patrem peccasse se fatebatur, occursu pio fovit, supra collum ejus cecidit, primam illi stolam, annulum & calceamenta deferri jussit; atque honoratum osculo, donatum munere, admirabili suscepit convivio.

10. Horum te imitatorem præbuisti pietate patria, qua proxime ad Deum accedimus; & ideo ego promte filiam nostram adhortatus sum, ut etiam hyemali tempore viæ laborem exciperet, commodius hybernatura non solum C in hospitio, sed etiam in affectu paterno, cùm jam successerit indignationi gratia: quandoquidem ut plene te ad similitudinem atque imitationem sanctorum referres, eos accusavisti, qui compositis mendaciis animum tuum adversùm filios excitandum arbitrati sunt. Vale, & nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXXIV.

Cynegium de consultatione sua commendat.

AMBROSIUS [b] CYNEGIO.

1. Quam ingenuo commendasti pudore, quia de eo consuleres, quod non probares, sed morem gereres parenti; ut pietatem non læderes, securus quod non aliud à me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines.

2. Ego vero libenter tua in me onera suscepi, & avo neptem, ut opinor, refudi. Quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, ut avum socero mutaret. Plura non opus est, ne hoc quoque accedat ad verecundiam. Vale, fili, & nos dilige; quia nos quoque te diligimus.

EPISTOLA LXXXV.

Syricio gratiis actis, quod litteras ad se miserit per Syrum presbyterum, celerem hujus reditum laudat, & de sequendo Christo quædam subjungit.

AMBROSIUS SYRICIO.

1. Gratum est mihi cùm litteras accipio tuas. At cùm de conservitio nostro A aliquos dirigis, ut fratrem nostrum & compresbyterum Syrum tuis es prosequutus litteris, geminatur lætitia. Sed utinam fructus fuisset iste diuturnior! Nam statim ut venit, recurrendum putavit: quod quidem desiderium meum plurimùm minuit, ad sui gratiam multum addidit.

2. Nam ego diligo eos * vel presbyteros vel diaconos, qui cùm aliquò processerint, nequaquam se patiuntur à suo diutius abesse mu- B nere. Dicit enim propheta: *Non laboravi sequens post te.* Quis autem potest laborare sequens Jesum; cùm ipse dicat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam?* Sequamur ergo Jesum semper, nec desinamus. Quod si semper sequamur, numquam deficimus; dat enim vires sequentibus se. Itaque quo propior virtuti fueris, eo fortior eris. Hier.17.16. Matth.11.28.

3. Plerumque cùm sequimur, dicitur nobis ab adversariis: *Ubi est verbum Domini? Veniat.* Hier.17.15.
C Sed nos non fatigemur sequendo, non avertamur subdolæ interrogationis impedimento. Dicebatur hoc prophetæ, cùm mitteretur in carcerem, cùm demergeretur in voraginem luti: *Ubi est verbum Domini? Veniat.* Sed ille multo magis sequutus est, & ideo ad bravium pervenit, ideo accepit coronam; quia non laboravit, qui sequebatur Jesum: *Non est enim labor Jacob, nec dolor videbitur in Israel.* Vale, & nos dilige; quia & nos amantem nostri, [c] & paren- D tem, diligimus. Ibid.37.15. Num.23.21.

EPISTOLA LXXXVI.

De litteris à Prisco utrinque perlatis.

AMBROSIUS SYRICIO.

1. Prisco amico [d] & æquævo meo dedisti advenienti litteras, ego quoque reverten- ti reddidi, quas & pro officio, & pro amore debui. Utrumque igitur nostrum suo officio remuneratus est, qui & mihi tuas, & meas ti- E bi restituit; ideo ejus officii pretium incremento debet adipisci gratiæ. Vale, & nos, frater, dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXXVII.

Laudat Polybium, cujus rogatu se binas ad Segatium & Delphinum epistolas scripsisse significat.

AMBROSIUS [e] SEGATIO & DELPHINO episcopis.

1. Polybius filius noster cùm de Africanis F regressus partibus, in quibus proconsularem jurisdictionem egregie repræsentavit, aliquantulos nobiscum exegisset dies, summâ gratiâ se meis visceribus infudit.

a. Complures mss. *fraternum oblitum sanguinem*: melius tamen alii, & omnes edit. *fraterno* &c.

b. Vet. edit. ac mss. nonnulli, *Quinegio* seu *Quinigio*: Rom. edit. & mss ceteri *Cynegio*. Hunc autem Paterni filium illum fuisse, quem is cum nepte jungere matrimonio cogitabat, hujus epistolæ cum ea quæ ad eumdem Paternum inscribitur, comparatio videtur ostendere. Adde præterea quod hæc illi subjungitur in ant. edit. ac pœne omnibus mss. ad quem ordinem si quis eam in hac etiam edit. redactam oportuisse contenderit, non admodum repugnabimus.

*. Ex his verbis, nec non ex iis quibus epistola 21. num. 7. Ambrosius tam suo quam aliorum Italiæ antistitum nomine imperatoribus ut legatos à se ad Comitatum destinatos maturius dimittant, supplicat, atque ex aliis similibus locis intelligitur, quam ab ecclesiastico officio sancti præsules alienum judicaverint sacros ministros à suis sedibus ac stationibus diu abesse.

c. Edit. *ut parentem*. mss. *& parentem*. Quem autem hic isto dignatur vocabulo, ab eo quem sequenti epistola fratrem appellat, diversum non putamus, sed nec forsitan à Syricio Romano pontifice.

d. Mss. aliquot, *& æquali meo*.

e. Vet. edit. ac duo mss. *Fægadio*: Rom. *Fygadio*: ceteri mss. *Segatio*: excipe tamen Albin. ubi scribitur, *Sagariano*. Non dubitatur autem quin is ipse sit, de quo Hieronymus lib. 1. *de Script. Eccles.* cap. 119. *Sabadius*, inquit, *Agenni Galliarum episcopus edidit contra Arrianos librum. Dicuntur & ejus esse alia opuscula, quæ necdum legi*. Ejus quoque meminit. Sev. Sulpitius lib. 2. sub nomine *Sequadii*, sicut & concilium Cæsaraugustanum, *Fitadii*. Quod autem ad Delphinum, is procul dubio non alius erat à Burdigalensi episcopo, qui baptismate regeneravit sanctum Paulinum, & ad quem hujus exstant aliquot epistolæ; & in aliis crebra mentio. Sanctorum albo inscriptum est ejusdem nomen 11. Kal. Januarias.

2. Deinde cùm abire hinc & dimeare vellet, popoſcit ut utrique veſtrum ſcriberem. Promiſi futurum. Itaque dictavi epiſtolam, & utriuſque conſcriptam nomine dedi. Poſtulavit alteram. Dixi ad utrumque veſtrum datam * more, uſque noſtro; eo quod ſancta mens veſtra non epiſtolarum numero, ſed conjunctione nominum delectaretur: nec perpeti poſſet, ut fieret vocabulorum ſeparatio, quorum affectus conveniret; idque præſcriptum noſtro muneri, ut uteremur caritatis compendio. B

3. Quid plura? Exegit alteram, dedi; ut neque illi negarem, quod poſceret: nec mihi immutarem, quod in uſum venerat. Ita & ille habet quod utrique reddat; quia id ſolum prætendit, ne cùm alteri reddidiſſet, alteri vacuus foret. Et ego vobis indiviſæ gratiæ munus ſine ullo dependam offenſionis periculo, & diviſionis ſcrupulo; cùm præſertim etiam hæc forma ſcriptionis apoſtolicæ ſit, ut & unus ad plures, ut Paulus ad Galatas: & duo ad unum poſſint C ſcribere, ſicut ſcriptum eſt: *Paulus vinctus Jeſu Chriſti*, [a] *& Timotheus frater, Philemoni*. Salutem vobis dico: diligite nos, & orate pro nobis; quia ego vos diligo.

Philem. 1.

EPISTOLA LXXXVIII.

Priſcum litterarum utriuſque bajulum laudat.

AMBROSIUS ATTICO.

1. PRiſco meo dediſti litteras. Priſcus meus D mihi reddidit, & ego Priſco. Tu Priſcum, ut ſoles, dilige; & plus etiam quam ſoles: quod eo ſuadeo, quia & ipſe Priſcum meum facio plurimi. Eſt enim erga eum priſcus hic noſter amor, qui à pueritia jam inde nobiſcum ætate accrevit ſimul: ſed cum multo poſt vidi tempore, ut vere mihi non ſolum nomine, ſed etiam tanti intervallo temporis priſcus advenerit. Vale, & nos amantes tui dilige; quia nos te diligimus. E

EPISTOLA LXXXIX.

De ALYPII *ad ſe, deque ſuis ad eum litteris agit.*

AMBROSIUS ALYPIO.

1. ANtiochus vir [b] conſularis reddidit mihi eximietatis tuæ litteras, nec ſuperſedi reſpondendi munere; nam per meos homines dedi litteras, & nî fallor, alia oborta copia, geminavi epiſtolam. Sed quia non tam remetienda amicitiæ munia, [c] quam cumulanda arbitror: oportuit ipſo præſertim regrediente, qui me tanto litterarum tuarum [d] affecit nomine, referri aliquod officium ſermonis mei; ut ego utrique veſtrum, & ille tibi abſolveretur, qui debebat referre quod acceperat. Vale, [e] & diligentes te dilige.

EPISTOLA XC.

ANTONII *amorem in ſe ſuumque viciſſim in illum commemorat.*

AMBROSIUS ANTONIO.

1. NUmquam es tacitus mihi, nec umquam tuo me tranſmiſſum ſilentio querar, qui ſciam quod tuo non deſim pectori. Nam cùm id pendas, quod pluris eſt; quî potes etiam id negare, quod ſæpe etiam in multos defluit, non tam amoris uſu, quam officii viciſſitudine?

2. Ego vero etiam ex meo animo tuam vicem æſtimo, ut numquam me tibi, & te mihi abſentem putem; quoniam ſemper animis adhæremus: numquam tuas litteras mihi deeſſe opiner, aut meas tibi; cùm te quotidie coram alloquar, in te oculos, ſtudia, atque omnia officia mea dirigam.

3. His tecum delectat congredi; nam litteræ tuæ, ut aperte cum individuo pectoris mei loquar, verecundari me faciunt. Unde peto ut ſuperſedeas gratiarum relatu; mihi enim mei in vos officii ſumma merces eſt, ſi me debito erga vos muneri [f] non defuiſſe arbitrarer. Vale, & nos dilige, quia ego quoque te diligo.

EPISTOLA XCI.

CANDIDIANUM *laudat, ac ſe deprimit.*

AMBROSIUS CANDIDIANO fratri.

1. SUmmus quidem ſplendor in ſermone eſt tuo, ſed magis in affectu elucet mihi; nam in epiſtolis mentis tuæ adſpicio fulgorem, dilectiſſime frater ac beatiſſime. Dominus te benedicat, & det tibi ſuam gratiam; nam & ipſe in epiſtolis tuis vota magis, quam mea merita recognoſco. Qua enim merita mea tantis tuis æquentur ſermonibus? Dilige nos, frater; [g] quia nos te diligimus.

*. Epiſtolas, quarum hîc mentio fit ab Ambroſio, in librum epiſtolarum ſuarum, ſi ullus ex illis ab eo umquam compactus eſt, relatas eſſe dubitari non poteſt. Unde cùm jam nullibi exſtent, interiiſſe neceſſe eſt eumdem librum. Sed ex ſequentibus etiam epiſtolis alias pariter ad nos non perveniſſe intelligimus.

a. Pleríque mſſ. *& Timotheus fratri Philemoni.*

b. Rom. edit. cum mſſ. aliquot, *vir clariſſimus*; vet. edit. cum ceteris mſſ. *vir conſularis*. Fatendum tamen eſt inter illius ſæculi conſules hujus nominis nullum occurrere. Sed cum honoris titulum præfectis provinciarum & aliis quibuſdam attribui ſolitum intelligimus ex Paulino in *Ambroſii Vita*, Rufino *Hiſt.* lib. 2. cap. 11. ubi de Ambroſio ipſo loquitur, ex Cod. Theod. &c.

c. Ita mſſ. magno numero, & cum his Rom. edit. vet. autem edit. cum mſſ. nonnullis, *quam contumeliam non cumulandam.*

d. Rom. edit. ſola, *affecit munere*

e. Codex Gem. *Vale frater, & nos dilige; quia nos quoque te diligimus*: Prat. *Vale frater. Explicit* &c.

f. Mſſ. aliquot, *non defuiſſe arbitreris.*

g. Non pauci mſſ. *quia & ego te diligo.*



IN LIBROS DUOS
DE EXCESSU FRATRIS SATYRI
ADMONITIO.

AMBROSIO frater Marcellinam sororem, quam perpetuæ virginitatis votum professam, Romæ ut plurimum habitasse, libri de Virginibus, *& Ambrosianæ ad eam epistolæ palam faciunt, fuit etiam germanus frater, cujus obitus hisce opellis causam præbuit. Huic nomen Satyro inditum constat, quo eum sancti Doctoris auctoritate Romanum Martyrologium ad XV. Kal. Octobr. sanctorum numero inseruit. Sed ipsum insuper Uranium cognominatum esse ex ejus epitaphio, quod tamquam ab ipsomet Ambrosio scriptum refert*[a] *Dungalus, intelligitur; nisi malueris τῷ uranio non cognominis rationem adtribuere, sed tantum epitheti quo Satyri, jam in cælum recepti, beatitudo significetur. Nos quidem in medio rem relinquemus, epitaphium vero subjiciemus his præmonitis.*

Satyrus itaque primum in[b] *foro causas oravit, deinde provinciarum*[c] *administrationi præfectus fuit, quod utrumque commune habuit cum Ambrosio. Sed multo plura in illis emicuerunt quam simillima, & usque adeo alter alterum vultu*[d], *corporis habitu,*[e] *valetudine, ingenio, moribus referebat; ut aliud fratrum par tam perfecte sibi consentiens vix umquam exstiterit. Hinc nata illa, quæ artius quam natura ipsa eos colligabat, intima*[f] *& mutua caritas; ex qua factum est, ut cùm invitus ac reluctans Ambrosius onus subiisset episcopale, Satyrus omnem rerum domesticarum atque temporalium*[g] *curam in se reciperet, hac saltem laboris ac sollicitudinis parte fratrem levaturus. Contigit autem ut Prosper*[h] *quidam in aliqua provinciarum Africæ degens, debitam fratribus pecuniam solvere detrectaret. Eo proficisci, licet fratre admodum refragante ac frequentibus litteris*[i] *etiam revocante, constituit Satyrus. Verum soluta in ipso cursu nave qua ferebatur, non sine ultimo periculo*[k] *appulit ad oram destinatam. Rem ex animi sententia transegit cum Prospero. At in Italiam atque adeo Mediolanum reversus, vix fraternis amplexibus redditus fuerat,*[l] *cùm in gravissimum incidit morbum, cujus vi & atrocitate extinctus est.*

Quantum doloris ex ejus morte ceperit Ambrosius, facile quivis ex utriusque amore ac suavissima vitæ societate intelligat. Verum tamen hoc casu frangi se nequaquam passus, non modo exanimi corporis oculos[m] *manu sua claudere, atque feretro*[n] *humeros subjicere sibi imperavit: sed etiam conscenso ambone basilicæ, audiente innumera populi frequentia, & patente præsentis*[o] *cadaveris facie, eum laudavit priore harum orationum, cujus summam hic exhibemus. Principio gratias agit*[p] *quod Ecclesiæ periculum in familiam suam conversum videatur: & non tam sibi dolendum quod fratrem amiserit, quam gratulandum quod eum quandoque habuerit, profitetur; maxime autem id sibi esse solatio, quod lacrymas suas prosequantur omnium*[q] *lacrymæ, quodque jam ne à fratre umquam divellatur,*[r] *minime timeat. Hinc ubi multiplicem, quæ sibi cum fratre intercedebat, conjunctionem tenerrimo*[s] *amoris sensu commemoravit, dolorem suum ita excusat, ut eum temperandum potius, quam delendum adserat. Colligit tamen quasdam consolationis causas, & potissimum*[t] *quod fratri ex Africa reduci ultima pietatis officia reddere sibi licuerit. Tum repetitis ejusdem fratris in se meritis,*[u] *timorem suum ob ejus absentiam, fallacemque ex ipsius reditu lætitiam describit. Sub hæc, instituta inter fratris*[x] *atque Tabithæ luctum comparatione, cur illi resuscitari non conduxisset, exponit. Ubi sua & fratris conditione*[y] *inter se comparatis, denuo ad ea quæ sibi ejusdem exasperent*[z] *desiderium, redit. Deinde ad cardinales virtutes*[aa] *sermonem convertens, quantam*[bb] *in Eucharistia fiduciam reposuerit, quantave prudentia caverit, ne à schismatico*[cc] *baptismum acciperet, prædicat. Illic ejus*[dd] *eloquentia,*[ee] *fortitudine,*[ff] *simplicitate,*[gg] *castitate,*[hh] *temperantia, & liberalitate erga pauperes commendatis, qualem se in fratres præbuerit, ex eo quod nec*[ii] *patrimonium dividere, nec uxorem ducere, nec testamentum condere sustinuerit, demonstrat. His licet augeatur conceptus dolor, cur tamen*[kk] *moderandus sit, rationes proponit; seque promittit illius memoriam numquam positurum. Ultimo nonnullis*[ll] *ad Marcellinæ consolationem interjectis, postremum vale fratri*[mm] *amantissime dicit, atque orationem*[oo] *fusis pro ejus pace ac quiete precibus claudit.*

Cùm dies septem[pp] *elapsi essent, rediit ad Satyri monumentum populus, ceremonias precesque consuetas celebraturus. Hic alteram harum orationum Ambrosius, quamvis ad meditandam eam temporis angustiis coartatus, admodum fusam pronuntiavit hoc ferme sensu. Postquam præmisit priori libro*[qq] *nonnihil dolori indultum esse, in hoc magis omnium hominum conditionem consideraturum se pollicetur. Inde proponit tria tractanda,*[rr] *mortem scilicet communem esse, nos ejus ope à sæculi ærumnis tutos effici, ac demum per eam ad resurrectionem aditum dari. Ut persuadeat communem*[ss] *hanc legem ferendam esse, varia exempla in medium adfert, puta eorum*[tt] *qui nativitatem planctu, obitum autem plausu prosequebantur: nec non Lyciorum*[uu] *apud quos viri in luctu vestem induere muliebrem legibus cogebantur. Dehinc adjectis*[xx] *rationibus nonnullis, feminarum*[yy] *in maritorum funeribus impotentiam graviter castigat: & patientiam in amicorum morte, quàm*[zz] *in diutina eorum absentia difficiliorem non esse docet. Mox ad secundam partem accedens*[aaa], *multiplices exponit humanæ vitæ calamitates, ex quibus nos nisi per mortem non liberari sanctorum*[bbb] *virorum exemplis probat. Ubi vero quantum iidem passi fuerint, amplificavit; metuendam inde colligit*[ccc] *mortem non esse, quod requies, lucrum, remedium, ac decus in ea ipsa reperiantur. Transit denique ad postremum*[ddd] *membrum, ad quod adstruendum triplici genere argumenti utitur, nimirum* ratione,[eee] universitatis exemplo, testimonio rei gestæ. *Rationem exigere ut corpus & anima simul aut pœnis aut præmiis afficiantur, paucis perstringit. At vero in secunda parte diu moratus,*[fff] *pulcre de natura*

a. De cultu imag. lib. 4. Bibl. PP. part. 2.
b. Lib. 1. num. 40.
c. Num. 58.
d. Num. 38. & 39.
e. Num. 79.
f. Num. 21. & 22.
g. Num. 20. & seq.
h. Num. 24.
i. Num. 25.
k. Num. 27. & 27.
l. Num. 17.
m. Num. 19.
n. Num. 1.
o. Num. 78.
p. Num. 1. & seq.
q. Num. 5.
r. Num. 6.
s. Num. 7. & seq.
t. Num. 17. & seq.
u. Num. 20. & seq.
x. Num. 28. & seq.
y. Num. 31. & seq.
z. num. 34. & seq.
aa. num. 41. & seq.
bb. num. 43.
cc. num. 47.
dd. num. 49.
ee. num. 44. & 50.
ff. num. 51.
gg. num. 52. & seq.
hh. num. 55.
ii. num. 58. & seq.
kk. num. 63. & seq.
ll. num. 76.
mm. Num. 78. & 79.
oo. num. 80.
pp. Lib. 2. num. 1.
qq. num. 1. & 2.
rr. num. 3.
ss. num. 4. & seq.
tt. num. 5.
uu. num. 7.
xx. num. 8. & seq.
yy. num. 12. & seq.
zz. num. 15. & seq.
aaa. N. 18. & seq.
bbb. N. 23. & seq.
ccc. N. 44. & seq.
ddd. N. 50.
eee. N. 52.
fff. N. 55. & seq.

generationibus ac mutationibus philosophatur: post quæ dubiis[a] quibusdam prudenter exsolutis, resurrectionem[b] Phœnicis atque humanæ[c] generationis exemplo firmat: expositoque[d] ejusdem resurrectionis ordine ac ratione, indignum esse ait, ut ea non credatur, cùm philosophicis de animarum[e] in varia corpora transmigratione deliriis, ac poeticis de serpentinorum dentium in homines[f] conversione ineptiis fides habeatur. Unde colligit prophetarum[g] testimoniis, quorum locos proponit, atque edisserit, magis credendum. Postremo venitur ad rei gestæ[h] testimonia, ubi expositâ trium mortuorum à Christo ad vitam revocatorum historiâ, nec ii qui ab Elia, Petro & in passione Dominica resuscitati sunt, prætermittuntur. Contra philosophos sanctus Præsul rursus[i] insurgens, resurrectionem rationi consonam esse luculenter monstrat. Adjicit[k] Deo & Christo, qui causa est resurrectionis, fidem præbendam; & quomodo rapiendus sit in aëra[l] Paulus, explanans, patriarchas vivere docet,[m] de quorum virtutibus pie disputat. His quâ ratione Christus[n] inter mortuos liber dicatur, ubi subjunxit, quæ de tubis[o] Moses præcepit, spiritali enarrat sensu; quibus expositionem quorumdam è Canticis[p] & Apocalypsi locorum addit. Contracta demum tamquam in manipulum[q] tota oratione, votisque ut fratrem brevi sequatur, palam[r] conceptis sermonem absolvit.

a. Num. 58. b. Num. 59. c. Num. 60. d. Num. 61. & seq. e. Num. 65. f. Num. 70. g. Num. 66. & seq. h. Num. 77. & seq. i. Num. 86. & seq. k. Num. 90. & 91. l. Num. 92. m. Num. 95. & seq. n. num. 103. o. num. 105. & seq. p. num. 118. & seq. q. num. 130. & seq. r. num. 135.

Extra dubium est hos duos libros constare totidem orationibus, quas in unum opus, indito librorum titulo, & forte etiam nonnullis adjectis aut immutatis, conjungi voluit ipsemet Ambrosius; unde statim initio secundi libri hæc verba ponit: Superiore libro aliquid indulsimus &c. Eadem operi præfigitur in manuscriptis hæc inscriptio: Incipiunt libri sancti Ambrosii episcopi de excessu Satyri fratris sui, & de Resurrectione mortuorum. In quibusdam tamen codicibus aliqua varietas est, exempli causa in nonnullis hoc modo inscribitur: Flebilis querimonia beati Ambrosii antistitis de Excessu carissimi sui fratris: sed in similibus librarios maxima licentia usos reperimus. Majoris auctoritatis est, quod Augustinus[s] librum secundum his verbis allegat: In opere quod scripsit de Resurrectione; utrumque autem Ambrosius[t] isto lemmate: In libris Consolationis & Resurrectionis. De priore hujus inscriptionis parte dicemus in Admonitione ad Orationem de Obitu Valentiniani, nunc vero tantum monebimus communi titulo sermonis argumentum liquidius efferri. Quod ad titulum secundi libri, fere is concipitur in illam formam: de Fide Resurrectionis, vel de Resurrectione mortuorum; & eum aptum esse atque congruum præmissa analysis ejusdem libri plane convincit.

s. Lib. 2. de Pecc. Orig. cap. 41. t. Enarr. Psal. 1. n. 51.

Illud operis eo ipso anno compositum fuisse, quo Satyrus migravit ad superos, inficias iverit nemo: sed quoto anno hæc eadem mors inciderit, obscurius est. Baronius[u] eamdem illi, quem cædi Gratiani, tribuendum putat, id est, 383. suamque opinionem inde communit, quod belli atque barbarorum timorem, de quo hic agitur, alio referri posse non existimat, nisi ad irruptionem, quam extincto memorato principe, Maximus Italiæ minitabatur. Verum tamen præter quam quod neque Maximus, neque Eugenius barbaros quales priore libro describit sanctus Præsul, secum adduxisse usquam leguntur; quomodo idem Ambrosius aut mentionem tam recentis doloris prætermisisset, aut tam fidenter in domum suam, quidquid timebatur omnibus, fraterna morte conversum esse atque expiatum pronuntiasset? Accedit quod cùm Satyri navigationem Ambrosiani pontificatus initio susceptam esse illud suadeat, quod in occasionem non solvendi debiti eamdem Ambrosii dignitatem trahebat Prosper, cúmque Satyrum in ipso[x] ætatis flore Ambrosius sublatum narret; ex his clarum fit bellicos illos motus ac barbarorum minas cum exitio Valentis Imperatoris anno 378. iv. Kal. sept. in tugurio combusti magis quadrare; hac enim tempestate ingens à barbaris metus Italiam ac vicinas provincias invasit. Quapropter utrumque hunc librum anno insequenti, hoc est, 379. scriptum esse nulli dubitamus; idque sub æstatis initium contigisse argumento est, quod Ambrosius fratrem & per hyberna frigora navigasse, & paucis à reditu mensibus expirasse testatum facit.

u. Ad ann. 383. x. Lib. 1. num. 32.

Antiqui moris fuit apud Athenienses, ut qui pro patria fortiter dimicando occubuissent, publica laudatione honorarentur, quemadmodum Plato auctor est in Menexeno: Romani vero illustres viros atque feminas eodem honore prosequebantur, quam consuetudinem à P. Val. Publicola consule, qui Junium collegam publice laudavit, exortam esse observant historici. Sed antiquiora adhuc ejusdem ritus vestigia exstant in libris sacris. Nam vel Davidis planctus super Saule ac Jonatha, qui libro 2. Regum capite 1. describitur: vel Hieremiæ lamenta super Josia rege, de quibus libro 2. Paralipomenon, quid aliud sunt, nisi funebres laudationes? Non igitur mirum videri debet, si tot orationes in laudem eorum sive qui pro Christi fide ac nomine sanguinem profudissent, sive qui virtutum singularium splendore christianum nomen illustravissent, habitæ reperiantur apud Patres Ecclesiæ græcæ ac latinæ: sed illud forte videbitur insolentius, quod fratris laudes frater ipse celebrare aggressus fuerit. Verum clarissima exempla habet Ambrosius, quibus se defendat. Namque ut omittamus illud prophanis usu venisse, ut magni viri mortuorum sibi arctissimo conjunctionis nexu copulatorum encomiastæ se præbuerint, quod factum legitur à Julio Cæsare, qui Juliam amitam & Corneliam uxorem laudavit è more pro rostris, ut ait Suetonius in ejus vita; unus Gregorius Nazianzenus, cujus orationes in patris, fratris, ac sororis funeribus dictæ supersunt, Ambrosio sufficere posset ad patrocinium: postea vero & Gregorium & Ambrosium Bernardus in laudando Girardo fratre imitatus est.

Admonebimus, antequam de tabula manus tollatur, Dungalum à librariis quibusdam, qui ob nonnullam argumenti affinitatem librum de Paradiso his duobus libris una descripserunt, deceptum, eumdem librum tamquam tertium de Morte Satyri allegavisse, in quo ipsum graviter allucinasse nemo non videat. Quod autem ad epitaphium ab eo memoratum, hæc ejus verba sunt Ambrosio nostro non plane indigna:[y]

Uranio Satyro supremum frater honorem
* Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor,
Finitimas penetrans adluat exuvias.

y. Loc. sup. cit.
* S. Victoris videlicet.

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE EXCESSU FRATRIS SUI SATYRI

*LIBRI DUO.

* Scripti anno 379.

LIBER PRIMUS.

1. Deduximus, fratres dilectissimi, hostiam meam, hostiam incontaminatam, hostiam Deo placentem, [a] dominum & fratrem meum Satyrum. Memineram esse mortalem, nec fefellit opinio, [b] sed superabundavit gratia. Itaque nihil habeo quod querar, & habeo in quo Deo gratias agam; quia semper optavi, ut si quæ perturbationes vel Ecclesiam vel me manerent, in me potius ac meam deciderent domum. Deo igitur gratias, quia in hoc omnium metu, cùm omnia motibus sint suspecta barbaricis, communem mœrorem privato dolore transegi, & in me conversum est, [c] quidquid timebam omnibus. Atque utinam hîc consummatum sit, ut dolor meus publici doloris redemtio sit!

2. Nihil quidem habui, fratres carissimi, in rebus humanis tanto fratre pretiosius, nihil amabilius, nihil carius: sed præstant privatis publica. Ipsius quoque sententiam si quis sciscitaretur, [d] mallet occidi pro aliis, quam sibi vivere; propterea enim pro omnibus secundum carnem Christus est mortuus, ut nos non solis nobis vivere disceremus. (2. Cor. 5. 15.)

3. Accedit illud quod ingratus divinitati esse non possum: lætandum est enim magis quod talem fratrem habuerim, quam dolendum quod fratrem amiserim; illud enim munus, hoc debitum est. Itaque [e] perfunctus sum, quamdiu licuit, commisso mihi fœnore: qui deposuit pignus, recepit. Nihil interest utrum abjures depositum, an doleas restitutum. In utroque fidei ambiguum, * vitæ periculum est. An si pecuniam neges, culpa est: si hostiam neges, [f] pietas est? cùm pecuniæ fœnerator illudi possit, naturæ auctor, & necessitudinis creditor fraudari non queat. Itaque quanto uberior fœnoris summa, tanto gratior sortis usura.

4. Unde ingrati de [g] fratre esse non possumus; quia quod naturæ communis fuit, reddidit: quod gratiæ singularis est, meruit. Quis enim communem conditionem recuset? Quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cùm ad solatium nostri Filium suum unicum pro nobis Pater tradiderit ad mortem? (Rom. 8. 32.) Quis exceptum se putet esse debere à conditione moriendi, qui non sit exceptus à conditione nascendi? Magnum pietatis mysterium, ut mors corporis nec in Christo esset excepta; ac licet naturæ Dominus, carnis tamen quam susceperat, legem non recusaret. Et mihi necesse est mori, illi necesse non fuit. An qui de servo [h] dicit: *Si eum volo sic manere, donec venio, quid ad te?* (Johan. 21. 22.) non potuit ipse sic manere, si vellet? Sed perpetuitate vitæ hujus sibi pretium, mihi sacrificium perdidisset. Quod igitur majus est solatium nostri, quam quod secundum carnem & Christus mortuus est? Aut cur ego vehementius fleam fratrem, cùm sciam illam mori non potuisse pietatem?

a. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *dominum & fratrem*: alii mss. plures & potiores, *domnum & fratrem*. Observat autem Menardus noster in cap. 70. *Regulæ S. Bened.* vocem *Dominum* regiam & imperatoriam esse, nec ea salutari voluisse Augustum Cæsarem: postea autem à Scriptoribus, ut humiliori vocabulo uterentur, ex τῷ *dominus* factam esse vocem *domnus* per syncopen. Quod ubi exemplis è sev. Sulpitio, & aliunde petitis probavit, addit apud Græcos idem contigisse in dictione κύριος ex qua κῦρις facta est à recentioribus. Vide Hephten in eamdem Regul. Cangium in Glossar. &c.

b. Codex Vallic. *Sed ubi abundavit peccatum, superabundavit* &c.

c. Ita mss. non pauci, à quibus non dissidet Rom. edit. nisi quod habet, *omnibus timebam*; ceteri autem mss. ac vet. edit. *quidquid timebamus omnes*.

d. Mss. aliquot melioris notæ, *mallet* (quidam *malit*) *occidere*.

e. Non pauci mss. *perfruitus sum*: reliqui & omnes edit. *perfunctus sum*. At infra ubi mss. prope ad unum, & vet. edit. *commisso mihi funere*, reposuit edit. Rom. *concesso* &c.

*. Nannius variis significationibus quibus *vita* modo pro anima, modo pro victu, modo pro vivendi spatio, modo pro moribus usurpatur, in medium allatis, hoc ultimo sensu eam vocem hic ab Ambrosio positam dicit. Nihilominus licet hoc non omnino à nobis respuatur, simplicius tamen pro salute æternaque vita sumi putamus.

f. Ita cuncti mss. tribus exceptis, ubi legitur, *impietas est*: pro quo posuerunt omnes edit. *impietas non est*.

g. Omnes edit. cum paucis mss. *de fratris morte*: ceteri majori numero, & meliori sensu, *de fratre*.

h. Mss. aliquot, *dicit*: *Sic eum volo manere*.

5. Cur solus præ ceteris fleam, quem fletis omnes? Privatum dolorem communi dolore digessi, præsertim cùm meæ lacrymæ nihil prosint, vestræ autem lacrymæ fidem adstruant, consolationem adferant. Fletis divites, & flendo probatis nihil opitulari repositas divitias ad salutem; cùm pecuniæ pretio mors differri non queat, & pari usu divitem, inopemque dies supremus eripiat. Fletis senes, quod in hoc [a] liberorum sortem pavetis; & ideo quia vitam corporis producere non potestis, instituite liberos non ad usum corporis, sed ad virtutis officium. Fletis & juvenes, quod naturæ finis non sit maturitas senectutis. Fleverunt & pauperes, & quod multo est pretiosius, multoque uberius, lacrymis suis ejus delicta laverunt. Illæ sunt lacrymæ redemtrices, illi gemitus qui dolorem mortis abscondunt, ille dolor qui perpetuæ ubertate lætitiæ veteris sensum doloris [b] obducat. Itaque licet privatum funus, fletus tamen est publicus; & ideo non potest fletus esse diuturnus, qui universorum est affectibus consecratus.

6. Nam quid te, mi frater amantissime, fleam, qui mihi sic ereptus es, ut esses omnium? Non enim perdidi usum tui, sed commutavi: ante corpore inseparabilis, nunc individuus affectu; manes enim mecum, at semper manebis. Et quidem cùm viveres nobiscum, numquam te patria eripuit mihi, nec ipse mihi umquam patriam prætulisti: & nunc alteram præstitisti; cœpi enim jam hîc non esse peregrinus, ubi melior mei portio est. Numquam enim totus in me fui, sed in altero nostri pars major amborum: uterque autem eramus in Christo, in quo & summa universitatis, & portio singulorum est. Hic mihi tumulus genitali solo gratior, in quo non naturæ, sed gratiæ meæ fructus est; in isto enim corpore, quod nunc exanimum jacet, præstantior vitæ meæ functio; quia in hoc quoque quod gero corpore, uberior tui portio.

7. Atque utinam ut memoriæ, ut gratiæ; ita etiam vitæ tuæ hoc quidquid est, [c] quod spiramus, spirare possemus, dimidiumque meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret usum! Par enim erat, ut quibus indivisum semper fuit patrimonium facultatum, non esset vitæ tempus divisum: vel certe qui indistincta semper habuimus vivendi consortia, non haberemus [d] distincta moriendi.

8. Nunc vero, frater, quo progrediar, quove convertar? Bos bovem requirit, seque non totum putat, & frequenti mugitu pium testatur amorem, si forte defecerit cum quo ducere collo aratra consuevit: & ego te, frater, non requiram? Aut possum umquam oblivisci tui, cum quo vitæ hujus semper aratra sustinui? Labore inferior, sed amore conjunctior: non tam mea virtute habilis, quâm tua patientia tolerabilis; qui pio semper sollicitus affectu latus meum tuo latere sepiebas: caritate, ut frater: cura, ut pater: sollicitudine, ut senior: reverentia, ut junior. Ita in unius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia impendebas; ut in te non unum, sed plures amissos requiram, in quo uno ignorata adulatio, expressa est pietas. Neque enim habebas quod simulatione adderes, qui totum pietate comprehenderes, ut nec incrementa receperis, nec vicem exspectaris.

9. Sed quo immemor officii, memor gratiæ, immodico dolore progredior? Revocat Apostolus, & tamquam frænos mœrori inducit, dicens sicut nuper audistis: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus; ut non tristes sitis, sicut & ceteri qui spem non habent.* Date veniam, fratres carissimi. Neque enim omnes possumus dicere: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; sed ad imitandum si auctores quæritis, habetis quem possitis imitari. Non omnes ad docendum idonei, utinam omnes ad discendum habiles!
1. Thess. 4. 12.
1. Cor. 4. 16.

10. At non gravem lacrymis contraximus culpam: non omnis infidelitatis aut infirmitatis est fletus. Alius est naturæ dolor, alia est tristitia diffidentiæ: & plurimum refert desiderare, quod habueris; & lugere, quod amiseris. Non solus dolor lacrymas habet, habet & lætitia lacrymas suas. Et pietas fletum excitat, & oratio stratum rigat, & [e] precatio, juxta propheticum dictum, lectulum lavat. Fecerunt & fletum magnum sui cùm patriarchæ sepelirentur. Lacrymæ ergo pietatis indices, non illices sunt doloris. Lacrymavi ergo, fateor, etiam ego, sed lacrymavit & Dominus. Ille alienum, ego fratrem: ille in uno lacrymavit omnes, ego in omnibus lacrymabo te, frater.
Psal. 6. 7.
Johan. 11. 35.

11. Ille nostro non suo lacrymavit affectu; neque enim divinitas lacrymas habet: [f] sed lacrymavit eo, quo tristis fuit: lacrymavit eo, quo crucifixus est, quo mortuus, quo sepultus est: lacrymavit in eo, de quo hodie nobis insinuavit propheta, dicens: *Mater Sion dicet: Homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Eo lacrymavit, quo matrem Sion dixit, genitus in Judæa, susceptus ex Virgine. Matrem autem secundum divinitatem habere non potuit, quia auctor est matris. Ille factus est non divina generatione, sed humana; quia homo factus est, [g] Deus natus est.
Matth. 26. 38.
Psal. 86. 5.

12. Sic & alibi habes: *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.* In puero enim nomen ætatis, in Filio plenitudo divinitatis est. Factus ex matre, natus ex Patre; idem tamen & natus est & datus: non diversum, sed unum putes. Unus enim Dei Filius, & natus ex Patre, & ortus ex Virgine, distanti ordine, [h] sed in unum concurrente nomine, sicut & præsens lectio docet, quia *& homo factus est in ea, & ipse fundavit*
Esai. 9. 6.
Psal. 86. 5.

a. Non pauci mss. *liberam sortem.* Non male, cùm ea sors vere sit libera, quæ pro libito quoscumque sive senes, sive juvenes carpit. Potuit tamen error esse scriptorum, à quibus *liberam* pro *liberûm* exaratum sit.

b. Quidam mss. *sensum doloris obdulcat.*

c. Mss. nonnulli, *quod speramus* (quidam *spe paramus*) *sperare possemus.*

d. Codex Turon. *Distincta moriendi contubernia.*

e. Rom. edit. *& lacryma, juxta propheticum* &c.

f. Ita mss. plures, ac probatiores, à quibus vet. edit. non recedunt, nisi quod pro *lacrymavit*, ubique præferunt *lacrymatus est*: nonnulli autem mss. & Rom. edit. *sed lacrymavit in eo, qui tristis fuit: lacrymavit in eo, qui crucifixus est, qui mortuus est, qui sepultus est . . . In eo lacrymavit, quod matrem Sion dixit.*

g. Codex Remig. & Benign. *Deus homo natus est*: melius alii, & edit. *Deus natus*; hic enim temporali generationi æterna opponitur. Infra etiam pro, *& natus & datus*, iidem habent, *& factus & datus.*

h. Plerique mss. *sed in uno concurrit nomine.* Et infra pro *in utroque perfectus*, iidem exhibent, *utrinque perfectus.*

eam altissimus, homo utique corpore, altissimus A potestate. Et si Deus & homo diversitate naturæ; idem tamen non alter in utroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud commune nobiscum: sed in utroque unus, & utroque perfectus.

13. Non igitur mirandum est, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus. Fecit ergo Jesum, eum utique qui ex corpore nomen accepit; fecit eum de quo etiam patriarcha scribit David: *Mater Sion dicet; Homo, & homo*[a] *factus est in ea*. B Homo autem factus dissimilis utique est non divinitate, sed corpore: nec discretus à Patre, sed exceptus in munere: manens in consortio potestatis, segregatus in mysterio passionis.

14. Plura loci hujus[*] tractatus exposcit, quibus possimus ostendere auctoritatem Patris, proprietatem Filii, Trinitatis totius unitatem: [b] sed consolandi hodie, non tractandi partes recepi; quamquam abducere à mœrore animum inten- C tione tractandi consolationis sit usus. [c] Sed temperandus mihi magis mœror, quam alienandus affectus; ut mulceantur magis desideria, quam sopiantur. Non libet enim abire à fratre longius, & occupatione subduci; cùm velut comitandi ejus gratia hic sermo susceptus sit, ut diutius sensu prosequar proficiscentem: & quem oculis teneo, mente complectar. In illo enim totam oculorum aciem figere libet, cum illo totis animorum officiis immorari, illum toto D blanditiarum ambire obsequio; dum stupet animus, nec amissum credo, quem adhuc cerno præsentem: nec mortuum puto, cujus adhuc officia non requiro, quibus ego vitæ meæ usum & spirandi omne munus addixeram.

15. Quid enim referam tantæ gratiæ, tanto labori? Ego te, frater, heredem feceram, tu me heredem reliquisti: ego te superstitem optabam, tu me superstitem dimisisti. Ego pro muneribus tuis, ut compensarem beneficia, vota E referebam: nunc & vota perdidi, sed tamen tua beneficia non amisi. Quid agam, mei successor heredis? quid agam, meæ vitæ superstes? quid agam exsors hujus, quod capio luminis? quas grates, quæ munera referam tibi? Nihil à me præter lacrymas habes. Aut fortasse securus meriti tui, quas solas superstites habeo lacrymas, non requiris. Nam etiam cùm adhuc viveres, flere prohibebas: mœroremque magis nostrum, quàm tuam mortem tibi esse testabaris dolori. Prohibent ulterius prodire lacrymæ, fletusque revocant. Prohibet etiam tui gratia; ne dum nostra deflemus, de tuis meritis desperare videamur.

16. At certe nobis [d] tu etiam mœroris istius minuis acerbitatem: non habeo quod timeam, qui timebam tibi; non habeo quod mihi jam mundus eripiat. Etsi sancta superest soror, integritate venerabilis, æqualis moribus, non impar officiis; tibi tamen ambo plus timebamus, in te vitæ hujus jucunditatem repositam putabamus. Propter te vivere delectabat, propter te mori non pigebat; te enim ambo superstitem precabamur, tibi nos supervivere non juvabat. Quando [e] non cohorruit animus, cùm metus hujusmodi titillaret? Quomodo consternata mens erat ægritudinis tuæ nuntio?

17. Væ miseræ opinioni! Putabamus redditum, quem videmus dilatum; [*] tuis enim votis apud sanctum martyrem Laurentium impetratum esse nunc cognoscimus commeatum. Atque utinam non solùm commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum [f] impetrare veniendi. Et quidem tibi, omnipotens æterne Deus, gratias ago, quod vel hæc nobis suprema solatia non negasti, quod amantissimi fratris ex Siculis Africanisve regionibus exoptatum nobis reditum contulisti; ita enim mature, postquam venit, ereptus est; quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret.

18. Habeo plane pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio jam possit avellere: habeo quas complectar, reliquias: habeo tumulum, quem corpore tegam, habeo sepulcrum, super quod jaceam; & commendabiliorem Deo futurum esse me credam, quod supra sancti corporis ossa requiescam. Utinam sic potuissem adversus mortem quoque tuam meum corpus objicere! Si gladiis petitus esses, me pro te potius suffigendum dedissem: si exeuntem potuissem revocare animam, meam potius obtulissem.

19. Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, [g] nihil flatus in os inspirasse morienti; putabam enim quod aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te ipse transfunderem. O infelicia illa, sed tamen dulcia suprema osculorum pignora! O amplexus miseri, inter quos exanimum corpus obriguit, halitus supremus evanuit! Stringebam quidem brachia, sed jam perdideram, quem tenebam; & extremum spiritum [h] ore relegebam, ut consortium mortis

a. MSS. aliquot, *factus est in ea. Dissimilis utique* &c.

*. Tractatus quandoque idem est ac simplex expositio: hic vero idem sonat, ac disceptatio seu polemica disputatio. Nec absurdum videri debet quod hoc loco controversiam fidei perstringere neutiquam alienum putavit Ambrosius. Hoc namque adtribuendum est Arrianorum improbitati, qui cùm adhuc frequentes essent Mediolani, crebro catholicos versutiis suis exagitabant.

b. Nonnulli mss. *sed consolandi hodie* &c.

c. Pauci mss. *Sed temperandus est mihi mœror*.

d. Ita mss. prope ad unum: edit. vero, *ut nobis etiam mœroris istius minuas*. Rom. *minuisti*.

e. Mss haud pauci, *non coartavit animus*: alii aliquot, *non corruit animus*: elegantius ceteri, ac edit. ut in textu.

*. Quam antiquus ac frequens in Ecclesia votorum usus exstat, & quam efficax tam depellendis periculis, quam beneficiis à Deo impetrandis sanctorum patrocinium, locupletissimus testis est Ambrosius. Confer cum hoc loco alium quam simillimum in *Exhort. Virgin.* cap. 3. num. 15. Quibus addenda etiam quæ de invocatione eorumdem sanctorum lib. *de Viduis* cap. 9. traduntur à beato Doctore.

f. Nonnulli mss. *commeatum impetrare vivendi*. Minus commode.

g. Vet. edit. ac plures mss. *flatus meos inspirasse*: melius Rom. edit. cum aliis mss. *flatus in os inspirasse*. In hunc porro locum observat Nannius Ambrosium hic certare cum Virgilii luctu, & in prosa ipsa superare carminis gratiam. Quod autem addit eumdem sanctum non sequutum hic esse errores gentilium, qui ex Pythagorica metempsychosi morientis animam exceptabant hianti ore, quasi ejus spiritu posthac victuri; nihil sane verius illa Nannii opinione, cùm alias causas Ambrosius confestim subdat. Virgiliana vero carmina, quæ ille refert, sequentia sunt è lib. 4. *Æneid.*

—— *& extremus si quis super halitus errat,*
ore legam.

Subjungit & alios Statii versus è lib. 2. *Sylvar.* sed eamdem sententiam plane efferentes. Si quis autem alios veterum ritus circa morientes avet cognoscere, adeat Jos. Laurentii *Polymathiam* lib. 1. *Synopsi* 9. sicut & auctores ab eodem illic citatos.

h. MSS. aliquot, *ore religabam*: ceteri atque edit. *ore relegebam*, Rom. ex Virg. supra citato, *legebam*. Infra vero ubi omnes edit. ac pauci mss. *morte redolebat*, reliqui mss. magno numero præferunt, *morte redolebam*.

haurirem

haurirem. Sed nescio quomodo vitalis ille mihi halitus factus est, & majorem gratiam in ipsa morte redolebat. Atque utinam si tuam nequivi meo spiritu vitam producere, vel ultimi anhelitus tui vigor transfundi potuisset in meam mentem, & illam tui animi puritatem atque innocentiam noster spirasset affectus! Hanc mihi hereditatem, frater carissime, reliquisses, quæ non lacrymabili dolore [a] perculeret affectum, sed memorabili gratia commendaret heredem.

20. Quid igitur nunc agam, cùm omnes vitæ istius suavitates, cuncta solatia, cuncta denique ornamenta amiserim? Tu enim mihi unus eras domi solatio, foris decori: tu, inquam, in consiliis arbiter, curæ particeps, deprecator sollicitudinis, depulsor mœroris: tu meorum adsertor actuum, cogitationumque defensor: tu postremo unus, in quo domestica sollicitudo resideret, publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuam, me in [b] fabricis Ecclesiæ id sæpe veritum esse, ne displicerem tibi. Denique ubi rediisti, objurgasti moram: ita domi forisque eruditor quidam & arbiter sacerdotis, ut domestica cogitare non sineres, publica curare censeres. At non verear, ne videar arrogantер dicere; hæc enim laudis tuæ portio est, quia sine offensione ulla & gubernasti fratris domum, & commendasti sacerdotium.

21. Sentio equidem quod repetendis officiis tuis, recensendisque virtutibus afficiatur animus: sed tamen in ipsa mei affectione requiesco, atque hæ mihi recordationes etsi dolorem renovant, tamen adferunt voluptatem. An ego possum aut non cogitare de te, aut umquam sine lacrymis cogitare? Et potero umquam aut tanti non meminisse fratris, aut sine lacrymabili quadam meminisse gratia? Quid enim mihi umquam jucundum, quod non esset ex te profectum? Quid, inquam, mihi sine te, aut tibi umquam sine me voluptati fuit? Quis non usus nobis, & prope visus ipse, somnusque communis? Quæ discreta umquam voluntas? Quod non commune vestigium? [c] fere ut cùm gradum tollerem, vel tu meum, vel ego tuum corpus videremur adtollere.

22. Quod si quando sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares, [d] affectum vultum cerneres, mœstum animum judicares: non adsueta gratia, non vigor solitus prænitebat: suspecta omnibus solitudo metum alicujus ægritudinis adferebat. Ita novum videbatur omnibus nos dividi! Ego certe fraternæ [e] impatiens & non oblitus absentiæ, quasi præsentem reflexa sæpius cervice quærebam, & coram alloqui atque adspicere videbar mihi: sed tamquam suspenso collo jugum, ubi speratis excideram,

A trahere me putabam, difficilis progredi, verecundus videri, & redire properans, quod sine te procedere non liberet.

23. At vero ubi ambobus prodeundum fuit, non plura in itinere vestigia, quam verba; nec incessus, quam sermo crebrior: nec ambulandi cura, sed colloquendi gratia; uterque enim nostrûm ex alterius ore pendebat. Non intento adspectu legere iter, sed mutuo [f] sollicitos experiri sermones, haurire oculorum gratiam, spirare fra-

B ternæ imaginis voluptates. Quam virtutes tuas tacitus mecum ipse mirabar! quam plaudebam mihi, quod tali me Dominus fratre donaverat, tam pudico, tam [*] efficaci, tam innocenti, tam simplici; ut cùm tuam innocentiam cogitarem, efficaciam desperarem: cum efficaciam cernerem, innocentiam non putarem! Sed utrumque mira quadam virtute jungebas.

24. Denique ea quæ ambo nequiveramus concludere, solus implesti. Plaudebat sibi, ut

C audio, Prosper, quod sacerdotii mei occasione redditurum se, quæ abstulerat, non putabat: sed vehementiorem tuam unius efficaciam expertus est, quàm duorum. Itaque solvit omnia, nec moderationi ingratus tuæ, nec illudens pudori: sed & modestiæ gratus, nec insolens efficaciæ. Sed cui, frater, illa quæsisti? Nos enim idem volebamus laborum tuorum esse præmium, quod documentum erat. Peregisti omnia, & ubi perfunctus omnibus revertisti, tu solus no-

D bis, qui omnibus es præferendus, eriperis; quasi ideo mortem distuleris, ut consummares pietatis officium, palmam efficaciæ reportares.

25. Quam nec ipsi nos, frater carissime, sæculi hujus delectabant honores, quod nos à nobis invicem dividebant! Quos ideo adepti sumus, non quia fuit [g] eorum expetenda perceptio, sed ne vilis dissimulatio videretur. Aut fortasse ideo sunt tributi, ut quia immaturo tui obitu nostræ futurus eras voluptatis occasus,

E sine nobis jam vivere disceremus.

26. Et quidem præsagæ mentis agnosco formidinem, dum repeto sæpe, quæ scripserim. Revocabam te, frater, ne ipse Africam peteres, ac potius aliquem destinares. Timebam te committere viæ, fluctibus credere, & solito metus major incesserat animum: sed & peregrinationem explicuisti, & rem ordinasti, & veteri [*] & sentinoso, ut audio, navigio iterum te

F fluctibus credidisti. Namque cùm celeritatem aucuparis, cautelam prætermisisti, avidus nostræ gratiæ, dissimulans periculi tui.

27. O fallax lætitia! ô incerta humanarum rerum curricula! Ex Africa redditum, ex mari restitutum, ex naufragio servatum, putabamus jam nobis non posse eripi: sed graviora naufra-

a. Nonnulli mss. *perculeret adspectum* Haud malo sensu.

b. Omnes edit. *in publicis Ecclesiæ*, Paris. quædam, *Ecclesiis*: optime vero mss. prope ad unum, *in fabricis Ecclesiæ*. Infra etiam pro, *Ut verear* quod erat in omnibus edit. ac mss. quibusdam, alii mss. frequentissimi legunt, *ut non verear*. Quod autem præmittitur de fabricis Ecclesiæ, de constructione intelligendum est illius basilicæ, quam Vir sanctus Mediolani construxit, & eamdem esse ad epistolam XXII. adnotavimus, cujus ab eo ibidem fit mentio. Ejus etiam meminit Gregorius Turonensis lib. 1. *de Gloria Martyr.* cap. 47. sicut & Ughellus Tomo 4. *Ital. sacra.* pag. 34. Neque officit, quod hac in Oratione Ambrosius testatur curam rerum temporalium à fratre Satyro susceptam esse; quidquid enim ad Ecclesiæ decus pertinet, ab episcopali officio non esse alienum ipsemet profitetur lib. 1. *Officior.* cap. 21.

c. Non pauci mss. *Vere, ut cùm gradum* &c.

d. Codex Tur. solus, *affectum mulatum*. Sequenti autem versu multi cod. simul, *non ad sanctam gratiam vigor solitus pænitebat*: melius tamen alii, ac omnes edit. ut in textu.

e. Mss. aliquot omittunt *fraterna oblitus absentia*. Non pravo sensu.

f. Non pauci mss. *solitos excipere sermones*.

*. Ideo efficaces, id est, ad agendum acres atque habiles, innocentibus ac simplicibus hic opponuntur, quia cùm illis plus insit sanguinis & caloris facilius affectibus cupiditatis aut odii abripiuntur, quam alii.

g. Mss. aliquot, *eorum expectanda perceptio*. Et infra partim, *maturo tui obitu*, partim *immaturiori obitu*. alii vero, & edit. ut in textu.

*. *Sentinoso*, id est, in cujus sentinam aqua multa per fatiscentes rimas influebat.

gia in terris positi sustinemus; nam quem non A potuerunt naufragia maris ad mortem deducere, strenuis natatibus evitata, ejus mors cœpit nobis esse naufragio. Quid enim superest suavitatis, quibus tam prædulce decus, tam clarum in his mundi tenebris lumen extinctum est: in quo non nostræ solum familiæ, sed totius patriæ decus occidit?

28. Habeo sane vobis, fratres dilectissimi, plebs sancta, maximam gratiam, quod non alium dolorem meum, quam vestrum putaris, B quod vobis accidisse hanc nostri [a] creditis solitudinem, quod fletum totius civitatis, ætatum omnium, ordinum omnium vota, novâ quadam pietate defertis. Non enim misericordiæ privatæ dolor, sed quoddam publicæ officium & munus est gratiæ: aut si qua vos mei tangit misericordia, quod talem fratrem amiserim, habeo fructum uberem, habeo vestri pignus affectus. Mallem fratrem viventem; sed tamen publicum officium in secundis rebus jucundius C est, in adversis gratius.

29. Neque vero mihi mediocre meritum tanti videtur officii. Neque enim otiose vel in Actibus apostolorum, Thabitâ mortuâ, flentes viduæ describuntur, vel in Evangelio mota lacrymis viduæ prosequens turba funus adolescentis inducitur, cui resurrectio debebatur; illam tamen Thabitam viduæ, hunc tota civitas flevit. Non ergo dubium est * vestris lacrymis apostolorum patrocinium comparari, non, D inquam, dubium est Christum misericordia motum, cùm vos flentes videret. Etsi nunc non tetigit loculum, [b] suscepit tamen commendatum spiritum: & si non appellavit corporis voce defunctum; divinæ tamen potestatis auctoritate à cruciatibus mortis, & à nequitiæ spiritalis incursionibus ejus animam liberavit: & si non resedit in loculo, qui erat mortuus; tamen requievit in Christo: & si non loquutus est nobis; tamen ea quæ supra nos sunt, cernit: & quæ E potiora sunt nobis, jam se videre lætatur. Per ea enim quæ in Evangelio legimus, quæ futura sunt intelligimus: & præsentium species indicium est futurorum.

Act 9.39. *Luc 7.12.* *Ibidem.*

30. Non opus fuit ei resurrectio temporalis, cui æterna debetur. Quid enim in hanc miseram & ærumnosissimam recideret labem, atque in hanc flebilem vitam rediret, quem raptum magis esse ex tam imminentibus malis, urgentibusque periculis gaudere debemus? Nam si pacato sæculo, bellisque cessantibus, raptum Enoch nemo deflevit, sed magis propheta laudavit, sicut de illo Scriptura dixit: *Raptus est, ne malitia* [c] *mutaret cor ejus*; quanto magis nunc jure dicendum est, cùm ad sæculi lubricum vitæ accedat ambiguum. Raptus est, ne in manus incideret Barbarorum: raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem, propinquorum funera, civium mortes, ne postremo sanctarum virginum atque viduarum, quod omni morte acerbius est, colluvionem videret.

Gen. 5.24. *Sap. 4.11.*

31. Ego vero te, frater, cum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, sed periculis: non vitam amisisti, sed ingruentium acerbitatum formidine caruisti. [d] Nam qua eras sanctæ mentis misericordiâ in tuos, si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantum ingemisceres, quam dolcres in Alpium vallo summam nostræ salutis consistere, [e] lignorumque concædibus construi murum pudoris! Qua afflictione mæreres tam tenui discrimine tuos ab hoste distineri, ab hoste impuro atque crudeli, qui nec pudicitiæ parceret, nec saluti!

32. Quonam, inquam, hæc modo ferres, quæ nos perpeti, & fortasse (quod gravius est) spectare cogemur, rapi virgines, & avulsos à complexu parentum parvulos liberos supra tela jactari, incestari sacrata Deo corpora, & senilem viduæ maturioris uterum in usus desuetos onerum redire, non pignorum? Quonam, inquam, modo ista tolerares, qui etiam ultimo spiritu tui jam fortassis oblitus, & adhuc nostri non immemor, de cavenda incursione barbarorum nos sæpius admonebas, commemorans non frustra te dixisse fugiendum. Fortasse ideo quod nos destitui tua morte cernebas: quod non infirmitate animi, sed pietate faciebas; & si infirmus pro nobis, tamen firmus tibi. Qui cùm à viro nobili revocareris * Symmacho tuo parente, quod ardere bello Italia diceretur, quod in periculum tenderes, quod in hostem incurreres; respondisti hanc ipsam tibi causam esse veniendi, ne nostro deesses periculo, ut consortem te fraterni discriminis exhiberes.

33. * Felix igitur tam opportuno obitu, quia non est in hunc servatus dolorem. Certe feli-

a. Edit. Quædam Paris. *creditis sollicitudinem*: reliquæ, ac mss. melius, *creditis solitudinem*; solitudo enim & orbitas de morte dicuntur proximorum. Tertio autem versu deest in mss. pluribus vox *vota*, qua quidem exemtâ, sensus adhuc integer constat, sed tamen aliquid adimitur concinnitati.

*. Eodem sensu fletus pauperum supra vocabat *lacrymas redemtrices*. Sed & passim in hac Oratione quam efficacia vivorum pro defunctis suffragia, nec non sanctorum pro utrisque subsidia jam à primis Ecclesiæ seculis crederentur, manifestum sit.

b. Nonnulli mss. *suscepit tamen datum: & si non appellavit .... non resedit in lectulo.*

c. Mss. nonnulli, *mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam ejus.*

d. Plures mss. & Amerb. *Nam qui eras .... misericordiâ in tuos*, quidam meliusculè, *pronus in tuos*: elegantius tamen alii, atque edit. ut in contextu.

e. Nannius ubi adnotavit in aliis cod. pro *concædibus* haberi *congeribus* (in quibusdam scribitur *congeriebus*) in aliis vero *aggeribus*, id est, stragibus dejectarum arborum, ut itinera hostibus intercluderentur: subjungit, quid sit melius, aliis divinandum se relinquere; cùm voce *concædibus* intelligi possint multa ligna quasi communi cæde ac simul strata. Et certe non aberravit à scopo hæc conjectura; eadem enim voce hoc ipso sensu Tacitum lib. 1. usum reperias. Consequenter autem, ubi nos cum Gill. Rom. edit. ac mss. aliquot, *tam tenui discrimine* &c. edit. Amerb. & Eras. cum mss. nonnullis præferunt, *in tanto teneri discrimine tuos ab hoste impuro*. alii vero mss. non parvo numero, *tam tenui ab hoste discrimine tuos esse, ab hoste impuro* &c. Minimè male.

f. Cod. Remig. & Benign. *perpeti: atque (quod gravius est) ferre cogemur.* Minus commode. Adverte autem hic *perpeti* idem sonare ac non impedire, quod sane levius est quam si spectare turpitudinem quis cogeretur.

*. Ambrosius eodem modo Symmachum Satyri parentem hoc loco vocat, quo ab eodem epist. 17. num. 12. epist. 52. num. 17. & epist. 53. num. 5. Theodosius Valentiniani minoris & Gratiani parens dicitur, & quo etiam in bene multis Codicis Theod. legibus superiores imperatores licet sanguine prorsus alieni eodem titulo à successoribus ornantur suis, nimirum honoris ac venerationis gratia, & forte hic etiam animi acceptorum beneficiorum non immemoris testimonio. Hinc autem conjicimus Satyrum in reditu ex Africa Româ transiisse.

*. Hic aperta, ut advertit Nannius, imitatio est hujusce loci Virgiliani:

tuque, ô sanctissima conjux,
Felix morte tua, nec in hunc servata dolorem.

cior quam sancta soror, quæ tuo solatio desti- A tuta, de suo pudore sollicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus ærumnosa, neque alterum sequi potest, neque alterum derelinquere: cui tumulus hospitium tuus, & corporis tui sepulcrum est domus. Atque utinam vel hoc tutum diversorium! Cibus in fletibus potus in lacrymis; cibum etenim dedisti nobis panem lacrymarum, & potum dedisti nobis in lacrymis in mensura, aut fortasse ultra mensuram. (Psal. 79. 6.) B

34. Nam quid de me loquar, cui neque mori licet, ne sororem relinquam: neque vivere libet, ne à te avellar? Quid enim mihi sine te potest esse jucundum, in quo omnis semper fuit nostra jucunditas? aut quid diutius in hac vita degere juvat, atque in terris morari, in quibus tamdiu jucunde viximus, quamdiu simul viximus. Etsi esset quod hîc delectare nos posset, sine te delectare non posset: & siquando voluissemus impense vitam producere, jam tamen C sine te esse nollemus.

35. Hæc intolerabilia. Quid enim tolerabile sine te tanto vitæ comite, tanto laborum meorum, officiorumque consorte? Cujus ego casum quo esset tolerabilior, nec præmeditari potui; ita pavebat animus de illo tale aliquid cogitare: non quo conditionem ignorarem, sed quidam votorum usus sensum communis fragilitatis obduxerat; ut de illo nisi secunda omnia cogitare nescirem.

36. Denique proxime cùm gravi quodam, D atque utinam supremo urgerer occasu; hoc solum dolebam, quod non ipse adsideres lectulo, ac votivum mihi cum sancta sorore partitus officium, * morientis oculos digitis tuis clauderes. Quid optaveram? Quid rependo? Quæ vota deficiunt? Quæ ministeria succedunt? Aliud præparabam, aliud exhibere compellor, non jam ipse ministerium funeris, sed minister. O dura oculorum lumina, quæ potuistis fratrem videre morientem! O immites & asperæ E manus, quæ clausistis oculos, in quibus plus videbam! * O durior cervix, quæ tam lugubre onus, consolabili licet obsequio, gestare potuisti!

37. Hæc tu, frater, mihi justius exhiberes. Hæc ego à te exspectabam, hæc ego officia desiderabam. Nunc vero ipse meæ vitæ superstes, quod sine te solatium capiam, qui solus mœrentem solari solebas, excitare lætitiam, mœstitudinem propulsare? Qualem te nunc ego, frater, adspicio, jam nulla mihi verba referentem, jam nulla offerentem oscula? Quamquam ita mutuus semper utrique nostrûm insederit amor, ut interiore potius foveretur affectu, quàm forensi blanditia divulgaretur; neque enim aliorum quærebamus testimonium, qui tantam nostri gratiam tenebamus. Ita virilis se utrique nostrum germanitatis succus infuderat, ut non blanditiis probare amorem, sed conscia mente pietatis interno amore contenti, fucum blanditiarum non requirere videremur, quos & ipsa in amorem mutuum imago formaret; nescio [a] enim qua expressione mentis, qua corporis similitudine alter in altero videbamur.

38. Quis te adspexit, qui non me visum putaret? Quoties aliquos salutavi, qui quoniam te prius consalutaverant, se à me jam dicerent salutatos? Quanti tibi dixerunt aliquid, qui se mihi dixisse memorarent? Quæ mihi hinc gaudia, quanta frequenter oborta lætitia, quod eos errare in nobis cernerem? * Quam gratus error, quam jucunda prolapsio, quam religiosa fallacia, quam suavis calumnia! Neque enim de tuis erat aliquid aut factis aut sermonibus, quod timerem, qui mihi tua lætabar adscribi.

39. Tamen si vehementius contenderent, quod se mihi aliquid intimasse memorarent, respondebam ridens & gaudens: Videte ne fratri dixeritis. Nam cùm omnia nobis essent nostra communia, individuus spiritus, individuus affectus; solum tamen commune non erat secretum amicorum: non quo conferendi periculum vereremur, sed tenendi servaremus fidem. Sane si consilio pendenda res esset, erat semper commune consilium, nec semper commune secretum. Nam etsi amici ita alteri nostrum dicerent, ut dicta sua [b] ad alterum pervenirent; tamen scio plerumque ita fidem secreti esse servatam; ut nec fratri committeretur. Erat enim fidele indicium, & extraneo non esse proditum, quod non esset cum fratre collatum.

40. His igitur tantis ac talibus bonis in excessum quemdam, fateor, mentis elatus, superstitem me [c] timere desieram, quod illum vita crederem digniorem: & ideo excepi plagam, quam ferre non possum; tolerabiliora enim tanti doloris præmeditata, quam inexplorata vulnera. Quis jam mœstum solabitur? Quis afflictum levabit? Cum quo participabo curas? Quis me ab istius mundi vindicabit [d] usura? Tu enim auctor negotiorum, censor servulorum, arbiter fratrum, non litis, sed pietatis arbiter.

41. Nam si quando aliquid cum sancta soro-

*. Ab antiquis petita fuit ea consuetudo, qua morientium oculi conjunctissimorum manibus claudebantur. Ejus meminit ac rationem reddit Plinius lib. 11. cap. 37. & alii multi mentionem faciunt.

*. Hoc etiam in usu positum apud Romanos, ut cadavera parentum à filiis, cognatorum à consanguineis, imperatorum à principibus senatus efferrentur ad rogum vel ad tumulum. Sic posterioribus quoque sæculis divum Ludovicum Philippi filii ac successoris cervice portatum ad majorum sepulcra cognoscimus. Sed hæc obvia.

a. Mss. aliquot, *expressiore mentis quam corporis similitudine.* Non satis recte. Ex hoc autem loco intelligamus licet episcoporum vestes ab aliorum cultu potius simplicitate ac modestia, quam forma vel colore fuisse diversas. Hoc palàm confirmatur epistolâ Cælestini I. ad episcopos Viennensis provinciæ ita scribentis: *Discernendi à plebe vel ceteris sumus doctrinâ, non veste: conversatione, non habitu: mentis puritate, non cultu* &c. Vide similiter quæ de vestimentis, quibus Augustinus indui solebat, tradit. Possidius.

*. Et hoc quoque, inquit Nannius, aliqua ex parte à Virgilio mutuo sumtum est:

Daucia Laryde, Tymberque simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.

b. Omnes edit. *ad alterutram pervenirent*: omnes mss. *ad alterum pervenirent.* Meliori sensu. Quod autem adverbio *plerumque* in quibusdam mss. additur *complacitum*, id prorsus videtur supervacaneum. Adverte porro quanta fuerit Ambrosii nostri in amicorum secretis fides, & quam sancta cautaque religio.

c. Vet. edit. *timere desideraram*: Rom. & mss. frequentissimi, *timere desieram.* Infra vero ubi omnes edit. *quam inexplorata vulnera*, mss. prope ad unum, *quam explorata vulnera.* Absurdo sensu.

d. Ita Rom. edit. & plures mss. vet. autem edit. cum mss. nonnullis, *vindicabit usu.* Non diversâ sententiâ; idem enim sonat, ac liberabit rerum temporalium cura & commercio. Rursus continuo post, ubi Gill. edit. & Rom. cum paucis mss. *actor negotiorum*, Amerb. Erasm. ac mss. longe plurimi, *auctor negotiorum*,

re mihi conferendum fuit, utra melior videre-
a tur sententia, te judicem sumebamus, [a] qui nullus læderes os, atque utrique satisfacere gestiens, & amandi affectum tenebas, & censendi modum; ut & utrumque gratum dimitteres, & utriusque tibi gratiam vindicares. Aut si ipse aliquid disceptandum deferres, quàm grata contentio tua? quàm sine felle ipsa indignatio? quàm servulis ipsis coercitio non amara; cùm te fratribus magis deferre, quam ex affectu disceres vindicare? Nobis enim professio repressit studia coercendi; immo tu, frater, ab omni nos abducebas coercitionis affectu, vindicare pollicens, & lenire desiderans.

42. Non mediocris igitur prudentiæ testimo-
* nium, quæ ita à sapientibus definitur. * Bonorum primum esse Deum scire, & verum illud atque divinum pia mente venerari, illam amabilem & concupiscendam æternæ pulcritudinem veritatis tota mentis caritate diligere. Secundum autem, in proximos à divino illo fonte atque cælesti naturæ derivare pietatem: quod etiam mundi sapientes nostris hausere de legibus. Neque enim derivare ista in hominum
b [b] disciplinas, nisi de cælesti illo divinæ legis fonte potuissent.

43. Quid igitur observantiam ejus erga Dei cultum prædicem? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cùm ea qua veheretur, navis scopuloso illisa vado, & urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret è vita; quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium
c sacramentum poposcit: [c] non ut curiosos ocu-
los inferret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit * in orario,
* & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit.

44. Simul fortitudinem ejus spectare licet, qui fatiscente remigio, non quasi naufragus tabulam sumserit, sed quasi fortis ex se ipso adminiculum suæ virtutis adsumserit: nec dese-

A ruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex undis, & in portum terrenæ stationis evectus, præsulem suum, cui se crediderat, recognovit: statimque ubi etiam ceteros servulos suos vel ipse liberavit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amissa desiderans, Dei Ecclesiam requisivit; ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuntians nullum referenda gratia majus esse officium. * Quod si homini non referre, simile *
B homicidio judicatum est; quantum crimen est non referre Deo?

45. Est ergo prudentis agnoscere se ipsum, & quemadmodum à sapientibus definitum est, secundum naturam vivere. Quid enim est tam secundum naturam, quàm referre auctori gratiam? Adspice cælum hoc, nonne auctori refert gratiam, cùm videtur? *Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Mare ipsum cùm sedatum Psal. 18. 2.
C atque tranquillum est, divinæ serenitatis testatur indicium: cùm movetur, indignatio superna terrori est. Nonne omnes Dei gratiam jure miramur, cùm advertimus quod insensibilis natura quadam sensibili ratione suos fluctus coerceat, & fines suos unda cognoscat? Nam de terris quid loquar, quæ divino obedientes præcepto omnibus sponte animantibus pabulum Gen. 1. 11.
subministrant, atque id quod acceperint agri, velut crescentibus usuris multiplicatum, cumu-
D latumque restituunt?

46. Ergo ille qui natura duce divini rationem operis igneo mentis vigore perceperat, scivit primò omnium servatori suo gratiam esse referendam: sed quia referre non poterat, habere poterat. * Est enim hujuscemodi gratiæ *
vis, ut & cùm refertur, habeatur; & habendo referatur. Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum mysterii cælestis involuti in orario præsidium fuisset exper-
E tus, quantum arbitrabatur si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano? quam majus putabat fusum in viscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset?

47. Sed non ita avidus fuit, ut esset incautus; scimus enim plerosque aviditate studii prætermittere cautionem. Advocavit ad se episco- 24. q. 1. cap. Advocavit.

a. Mss. complures, *qui nullum læderes, atque* &c. melius alii, atque edit. ut in texto. Est enim Terentiana locutio ex *Adelph.* Act. v. sc. 1 v. *Nulli lædere os, arridere omnibus* &c.

*. Platonem videtur innuere, qui cum alibi, tom lib. 4. *de Legib.* de divino cultu disputat, & administratione reipublicæ. Quod autem subditur de cognitione sui & vita recte instituenda ex *Alcibiade* 1. petitum est.

b. Remig. & Benign. cod. *in disciplina potuissent, nisi . . . . fonte potuissent.*

c. Mss. aliquot, *non ut curiosus oculos arcanis inferret.* Multa sunt in hoc unico loco, quæ veterem Ecclesiæ disciplinam patefaciant: primo enim hic vides, sicut & alibi frequenter, eucharistiam *divinum fidelium sacramentum vocari*: deinde eamdem diligenter oculis subtractam fuisse non initiatorum: tertio non tantum ad præsentem usum consecrari solitam, verum etiam ad futurum servari: postremo ejusdem à christianis in periculis suis secum deferendæ consuetudinem advertere est. De primis duobus jam non semel à nobis dictum, quod sufficiat: ad posteriora vero capita confirmanda lectores tantum modo remittendi sunt ad Tertullianum lib. 2. *Ad Uxor.* cap 5. Cyprianum *De Lapsis*, ubi mirabilem ignis ex arca, in qua idem sacramentum includebatur, eruptionem narrat, Eusebium lib 6. *Hist. Eccles.* cap. 44 Gregorium magnum lib. 3. *Dialog.* cap. 33. & Johannem Diaconum eadem lib. 1. *Vita Gregorii* referentem. Quibus atque aliis addere licet etiam recentiores Spenceum lib. 2. *de Adorat. Euchar.* Card. Bonam lib. 2. *Rerum Liturg.* cap. 17. Mabillonium lib 1. *De Liturg. Gall.* cap. 9. Thyersium *De Frequenti exposit. Sacram* & alios.

*. *Orarium* quid sit, Nannius exponit in hunc modum: Orarium hic idem genus vestis cum eo, quod nunc in sacrificali cultu stola dicitur, apud veteres infula nominatur: cujus extremitates vittæ dicuntur, & etiam nunc in baptismo pueris initiandis imponitur. Insigne illud & hostiarum, & sacerdotum est, credo ideo christianis solemne fuisse, quod sanctus Petrus genus christianorum & regium & sacerdotale appellat. Ita ille. Sed præterquam quod multa confundit, quæ sunt inter se distinctissima, extra dubium est ab eo alienam heic loco orarii significationem afferri. Namque orarium hic idem plane est, atque supra epist. 22. num 9. nempe sudarium, strophium, seu linteum abstergendæ faciei destinatum, quo sensu apud ejusdem ætatis scriptores crebro invenitur.

*. Non abhorret, inquit Nannius, hoc ipsum à lege Persica, cujus meminit Xenophon, secundum quam summa pœna plectebantur, qui ingratitudinis convicti essent. Addere præterea poterat illam veterum legem, qua libertos qui adversus patronos ingrati exstitissent, licebat revocare in servitutem, quo alluditur à Terentio *Andria* actu 1. sc. 1. hoc Simonis ad Sosiam libertum dicto, *haud muto factum.* Consule similiter quæ de remetiendis beneficiis disputat Ambrosius lib. 1. *Offic.* & locos officiorum Ciceron. ibidem indicatos.

*. Eadem antipallage usus est Ambrosius lib 6. *in Lucam* num 15. Hanc autem figuram eum è Ciceronis *Orat. pro Cn. Plancio* mutuatum esse monet Nannius; Tullianaque verba examinari à Juliano rhetore apud Gellium lib. 1. cap. 4.

pum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei A gratiam, percontatusque ex eo est utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret? Et forte [a] ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat; Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diviserat, & quamquam pro fide exsulasset, & fidei suæ reliquisset heredes; non putavit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patiebantur velut B quosdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit; non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus evacuatur ejus passio, corpusque distrahitur. *Ephes. 5. 25.*

48. Itaque quamvis gratiæ fœnus teneret, & metueret tanti nominis debitor navigare; tamen eo transire maluit, ubi tuto posset exsolvere: judicabat enim divinæ solutionem gratiæ in affectu ac fide esse; quam quidem statim ubi C primum copia liberior Ecclesiæ fuit, implere non distulit. * Deique gratiam & accepit desideratam, & servavit acceptam. Nihil igitur ea prudentia sapientius, quæ divina & humana secernit.

49. Nam quid spectatam in stipendiis forensibus ejus facundiam loquar? Quam incredibili admiratione in auditorio * præfecturæ sublimis emicuit? Sed malo illa laudare, quæ perceptis mysteriis Dei duxit humanis esse po- D tiora.

50. Fortitudinem quoque ejus si quis plenius spectare volet, consideret quoties post naufragium invicto quodam contemtu vitæ hujus, maria transfretaverit: diffusasque regiones obeundo peragrarit: postremo quod hoc ipso tempore periculum non refugerit, sed ad periculum venerit, patiens injuriæ, negligens frigoris, atque utinam sollicitus cautionis! Sed hoc ipso beatus, quod dum licuit vigore uti cor- E poris, inoffenso ad exsequenda quæ vellet, functus juventutis officio, vitam vixit, debilitatem ignoravit.

51. Qua vero prosequutione simplicitatem ejus edissetam? Ea est enim quædam morum temperantia, mentisque sobrietas. Date quæso veniam, & permittite dolori meo; ut de eo mihi paulo uberius liceat loqui, cum quo jam non conceditur colloqui. Certe & vobis proficit, ut advertatis non fragilitate quadam vos hoc officium, sed judicio detulisse: nec misericordia mortis impulsos, sed virtutum honorificentia provocatos; anima enim benedicta omnis simplex. Tanta autem simplicitas erat, ut conversus in puerum, simplicitate illius ætatis innoxiæ, perfectæ virtutis effigie, [b] & quodam innocentium morum speculo eluceret. Intravit igitur in regnum cælorum; quoniam credidit Dei verbo, quoniam sicut puer artem repulit adulandi, injuriæ dolorem clementer absorbuit, quàm inclementius vindicavit: querelæ quam dolo promtior, satisfactioni facilis, difficilis ambitioni, sanctus pudori; ut frequenter in eo superfluam magis verecundiam prædicares, [c] quàm necessariam quæreres. *Prov. 11.*

52. Sed numquam superflua fundamenta virtutis; pudor enim non revocat, sed commendat officium. Itaque velut quadam virginali verecundia suffusus ora, cùm vultu affectum proderet, si forte aliquam subito veniens * offendisset parentem, velut depressus & quasi demersus in terram, licet, in ipso nequaquam dissimilis cœtu virorum, rarus adtollere os, elevare oculos, referre sermonem: quod pudico quodam mentis pudore faciebat, cum quo castimoniaquoque corporis congruebat. Etenim intemerata sacri baptismatis dona servavit, mundus corpore, purior corde: non minus adulterini sermonis opprobrium, quam corporis perhorrescens: non minorem ratus pudicitiæ reverentiam deferendam integritate verborum, quàm corporis castitate.

53. Denique in tantum castimoniam dilexit, ut

a. MSS. aliquot, *ad id lucrum*. Sed non dubius scriptorum lapsus. Quod autem Luciferum spectat, isthæc de illo tradiderunt Patres atque Ecclesiasticarum rerum historici. Erat hic Calaritanus in Sardinia episcopus, qui cùm in synodo Mediolanensi morem Constantio imperatori gerere detrectasset, unà cum Dionysio, Eusebio, Paulino & Rhodanio sanctis atque catholicis episcopis ejectus fuit in exsilium, in quo mutatis subinde locis, usque ad Juliani Cæsaris tempora perseveravit. Exsul Athanasium defendit, editis adversus Constantium præclaris libris, propter quos eum tamquam sincero martyrii desiderio incensum maximi quique ejusdem ætatis viri prædicarunt. Verum idem cùm in occidentem rediens, Antiochiam, qua iter illi erat, divisam inter Eustathianos ac Meletianos offendisset, Paulinumque in priorum gratiam ordinasset, longo dissidio, de quo supra ad epist. 56. à nobis dictum est, causam præbuit. Improbavit Paulini ordinationem sanctus Eusebius: quam injuriam Lucifer suam interpretatus, ipse concilium Alexandrinum, cui tamen per legatum suum subscripserat, non recipere constituit, seque ab iis omnibus separavit, qui quempiam eorum à quibus olli Arrianorum formulæ subscriptum esset, in communionem suam admisissent. Et hanc originem Luciferianorum schismati adtribuunt. Non desunt etiam qui illud Luciferi adversus Eusebium invidentiæ, Hieronymo dissentiente, acceptum ferant: sed nec aliis, à quibus illud cum hæresi circa infusionem animæ junctoro dicatur. At neutrum satis credibile est. De Lucifero præter Ambrosium hoc ipso loco, Hieronymum *Dialogo adversus Luciferianos*, Rufinum lib. 1 cap. 19 & seq. & Augustinum *de Hæres*. cap. 81. egerunt etiam Socrates lib. 3. cap. 5. & seq Sozomenus lib. 5 cap. 12. & 13. Theodoretus lib. 3. cap. 5 atque alii.

*. Jam non semel significatum est ab Ambrosio Satyrum, cùm navigationi se se committeret, needum baptismate fuisse regeneratum. Nihil quidem illis temporibus usitatius erat, quam hoc sacramentum usque ad provectiorem ætatem protrahere, quod cùm à multis ea mente fieret, ut liberius cupiditatibus suis fræna laxarent, à Patribus graviter ac vehementer reprehendebatur, quemadmodum in Ambrosio nostro sæpius licuis observare. Verum Satyri vita tam pie sancteque instituta hic describitur, ut hujusmodi suspicione prorsus liberetur. Potuit nihilominus ipse hoc de se caute vereri, quod timebat de Augustino Monica mater, nimirum ne baptismalem gratiam, qua eum numquam excidisse Ambrosius testatur, aliquo juvenili æstu abreptus amitteret, si ad eam immaturiori adhuc ætate accessisset. Admonitus porro naufragii discrimine, quod evaserat, ad baptismum ea, quam vidimus, cautione properavit. Neque vero ad solitos catechumenorum gradus observandos adactus fuit; nam quoties urgeret periculum, illos omitti consuevisse intelligimus ex eorum baptismo, qui somnico morbo exagitati eodem sacramento initiabantur. Quod ad locum ubi tinctus fuit Satyrus attinet, cùm Ambrosius silentio eum prætererit, confidentiam justo majorem præferunt *Decreti* correctores, quippe qui ab Ambrosio narrati scribunt Satyrum, *cùm in Sardiniam appulisset, ad se episcopum Sardum advocasse* &c. Verumtamen etsi Rufinus dum lib. 1. cap. 30. scribit de Luciferiano schismate, *quod licet per paucos adhuc volvitur*, quodammodo videatur illis favere; nihil tamen vetat, quominus illud non tantum usque in Siciliam, sed etiam usque ad viciniores Africæ oras serpere potuerit.

*. Sublimis ideirco præfectura dicitur, quia tribunal erat præfecti prætorio, cujus dignitas aliarum omnium apex habebatur. Ad hunc provocatio erat à præsidibus provinciarum: & in ejus foro advocati centum, saltem in Oriente, causas agebant, qui clarissimi & spectabiles dicti, varia donabantur immunitate, ut docet Jul. Cæsar Buleng. lib. 3 *de Imperio Rom.* cap. 4.

b. Nonnulli mss. *& quadam innocentium morum specula*.

c. Pauci mss. *quam necessariam crederes*.

*. Ideo *parentis*, id est, matris familias, non autem virginis occursus memoratur, quod his raro ex ædibus parentum in publicum prodire, nec umquam nisi velata facie, concederetur. Quanto minus sermones in compitis nectere cum adolescentibus!

nec uxorem expeteret, licet in eo non solum castitatis appetentia fuerit, sed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & conjugium dissimulabat, & jactantiam declinabat: tantaque erat dissimulatio, ut nobis quoque urgentibus, differre magis consortium, quam refugere videretur. Hoc unum itaque fuit, quod nec fratribus crederet: non aliqua cunctationis hæsitantiâ, sed virtutis verecundiâ.

54. Quis igitur non miretur virum inter fratres duos alteram virginem, alterum sacerdotem, ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præstitisse; ut alterius muneris castitatem, alterius sanctitatem referret, non professionis vinculo, sed virtutis officio? Ergo si libido atque iracundia reliquorum vitiorum educatrices sunt, jure castitatem atque clementiam dixerim quasdam virtutum parentes; quamquam pietas quoque ut omnium principatus bonorum, ita etiam seminarium virtutum est ceterarum.

55. Nam de parcimonia quid loquar, & quadam habendi castitate? IS ENIM NON quærit aliena, qui sua servat: nec inflatur immodico, qui contentus est proprio. Nihil ergo aliud nisi proprium recuperare voluit; magis ne fraudaretur, quam ut ditaretur. Nam eos qui aliena quærerent, recte accipitres pecuniæ nominabat. Quod si radix malorum omnium avaritia est, utique vitia exuit, qui pecuniam non requirit. 1. Tim. 6. 10.

56. Non umquam accuratioribus epulis aut congestis ferculis delectatus est, nisi cùm amicos rogaret: quantum naturæ satis esset, non quantum voluptati superesset, requirens. Et certe erat non pauper opibus, sed tamen [a] pauper spiritu. De istius beatitudine nequaquam utique dubitare debemus, qui neque ut opulens, exsultavit in divitiis: neque ut pauper, exiguum quod habuit, judicavit. Matth. 5. 3.

57. Superest ut ad conclusionem cardinalium virtutum, etiam justitiæ partes in eo debeamus advertere. Nam etsi cognatæ sint inter se, concretæque virtutes; tamen singularum quædam [b] forma expressior desideratur, maximeque justitiæ. Ea enim sibi parcior foris tota est, & quidquid habet quadam inclementiâ sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.

58. Sed hujus multiplex est species. Alia erga propinquos, alia erga universos, alia erga Dei cultum, vel adjumentum inopum. Itaque qualis in universos fuerit, provincialium, quibus præfuit, * studia docent: qui parentem magis fuisse proprium, quam judicem loquebantur: gratum piæ necessitudinis arbitrum, constantem æqui juris disceptatorem.

59. Inter fratres autem qualis fuerit, licet omne hominum genus benevolentiâ complecteretur, indivisum patrimonium docet: [c] nec distributa aut delibata, sed reservata hereditas. Etenim pietatem sibi causam esse negavit testandi. Nam hoc quoque ultimo sermone signavit, cùm quos dilexerat, commendaret; sibi nec uxoris arbitrium fuisse ducendæ, ne à fratribus divelleretur: nec testamenti faciendi voluntatem, ne nostrum in aliquo arbitrium læderetur. Denique & oratus & obsecratus à nobis, nihil tamen condendum putavit: non oblitus tamen pauperum, sed tantum obsecrans esse tribuendum, quantum nobis justum videretur.

60. Quo uno satis & divini timoris expressit indicium, & humanæ edidit religionis exemplum. Nam quod pauperibus contulit, Deo detulit; quoniam *qui largitur pauperi, Deo fœnerat:* & postulando quod justum est, non exiguum, sed totum reliquit. Hæc enim est summa justitiæ, vendere quæ habeas, & conferre pauperibus. Qui enim *dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* Ergo dispensatores nos, non heredes reliquit; nam hereditas successori quæritur, dispensatio pauperibus obligatur. Prov. 19. 17. Psal. 111. 9.

61. Unde non immerito quantus fuerit, hodie quoque per vocem * lectoris parvuli, Spiritus sanctus expressit: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec fecit proximo suo dolum: hac est generatio requirentium Deum.* Hic ergo & in montem Domini adscendet, & in tabernaculo habitabit Dei; quia *ingressus sine macula, operatus est justitiam, loquutus est veritatem, non decepit proximum:* nec pecuniam fœneratus est suam, qui semper voluit recuperare hereditariam. Agnosco oraculum; quod enim nulla ordinavit dispositio, Spiritus revelavit. Psal. 23. 4. & 6. Psal. 14. 2. & 3.

62. Quid vero illud recenseam, quod supra ipsam justitiam pietate progressus; cùm quædam * incubatori communium fructuum mei contemplatione muneris putasset esse tribuenda, largitatis me jactabat auctorem, portionis suæ lucrum ad commune consortium conferebat.

63. Hæc & alia, quæ mihi tunc [d] erant voluptati, maxime nunc recordationem doloris exasperant. Manent tamen, eruntque semper, nec umquam velut umbra prætereunt, neque enim virtutis gratia cum corpore occidit, nec idem naturæ meritorumque finis; licet ipsius naturæ usus non in æternum occidat, sed temporali quadam vacatione requiescat.

64. Talibus igitur perfunctum virtutibus, ereptum periculis desiderio magis quam amissione flebo. Suadet enim ipsa opportunitas mortis, ut prosequendum magis gratia, quam do-

a. *Pauper spiritu*, his verbis additur in ant. edit. ac mss. non paucis, *quoniam ipsorum est regnum cælorum:* sed illa in Rom. edit. resecata sunt, & in multis etiam mss. desiderantur. Et sane adsuramentum scriptoris cujusdam nobis videtur, quod non apte cum antecedentibus & consequentibus cohæret.

b. Ita vet. edit. ac plures mss. Rom autem edit. cum mss. nonnullis, *forma & expressio desideratur.*

*. *Studia*, id est, favor ac benevolentia. Nam alioqui satis usitatum erat, ut defunctis provinciæ administratione præfectis detraherent provinciales; immo sæpe etiam eos accusarent repetundarum.

c. Mss. non pauci, *nec distributa aut deliberata:* legendum forte .... *aut delibrata*, hoc est, imminuta & decorticata.

*. Veteris ejus consuetudinis, qua pueri ad officium lectoris adsumebantur, jam admonuimus non uno loco.

*. Incubatorem hic eum dici, qui prædia Satyri atque Ambrosii occupabat, observat Nannius; addens insuper Dionysium Siculæ incubatorem aulæ à Macrobio vocitatum.

d. Omnes edit. *erant voluptati maxime, tum recordatione doloris exasperavi*, Gill. *exasperavit*, Rom. *exasperant:* mss. vero ut nos in textu, nisi quod pro *exasperant*, non pauci legunt, *asserunt*, & nonnulli etiam, *recordatione dolorem exasperant.*

lendum putemus; scriptum est enim in communi dolore proprium vacare debere. [4 Esdr. 10. 11. & seq.] Neque enim prophetico sermone uni illi mulieri, quæ figuratur, sed singulis dicitur, cùm Ecclesiæ dictum videtur.

65. Dicitur ergo & ad me, & dicit scriptura cælestis: Hoccine doces, [a] sic instituis Dei plebem? An nescis quia exemplum tuum periculum ceterorum est? Nisi forte exauditum non esse te quereris. Primum istud arrogantis est impudentiæ, mereri solum velle, quod multis etiam sanctis negatum noveris; cùm scias, [Act. 10. 34.] *quia non est personarum acceptor Deus.* Nam etsi misericors Deus, tamen si semper exaudiret omnes, non jam ex voluntate libera, sed ex quadam velut necessitate facere videretur. Deinde cùm omnes rogent, si exaudiret omnes, nemo moreretur. Pro quantis ergo quotidie rogas? Numquid constitutio Dei contemplatione solvenda est tui? Cur ergo non impetratum aliquando doles, quod non semper impetrabile esse cognoscis?

66. [b] Stulte, inquit, [4 Esdr. 10. 6. & seq.] *super omnes mulieres, nonne vides luctum nostrum, & quæ nobis contigerunt, quoniam Sion mater nostra omnium tristitia contristatur, & humilitate humiliata est. Lugete validissime & nunc, quoniam omnes lugemus; & tristes sitis, quoniam omnes contristati sumus: tu enim contristaris* in fratre. *Interroga terram & dicet tibi, quoniam hæc est quæ debeat lugere, tantorum superstes germinum: & ex ipsa*, inquit, *ab initio omnes nati, & alii venient, & ecce pene omnes in perditionem ambulant, & in exterminium fit multitudo eorum. Et quis ergo debet lugere magis, nisi quæ tam magnam multitudinem perdidit, quàm tu qui pro uno doles?*

67. Absorbeat igitur nostrum dolorem communis dolor, & acerbitatem proprii mœroris excludat. Non enim dolere debemus eos, quos cernimus liberatos; neque enim otiose tam sanctas hoc tempore animas corporeis vinculis reminiscimur absolutas. Namque velut divino judicio tam * graves viduas ita uno tempore defunctas videmus, ut profectionis quidam videatur excessus, non mortis occasus; ne veterana emeritis stipendiis pudicitia in dubium diu servati pudoris incideret. Quos gemitus mihi, quos dolores tam acerba excitat recordatio? Et si mœroribus non vacabam; tamen in ipso dolore privato, in ipso tantorum amisso flore meritorum, communis quædam naturæ me conditio solabatur: defixusque in uno dolor acerbitatem publici funeris, domesticæ specie pietatis obduxerat.

68. Repeto ergo, sacra scriptura, solatia tua; juvat enim tuis præceptis, tuis sententiis immorari. [Luc. 16. 17.] Quam facilius est cælum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere? Sed jam audiamus quæ scripta sunt: [4 Esdr. 10. 15. & 16.] *Nune*, inquit, *retine apud temet ipsam dolorem tuum, & fortiter fer, qui tibi contigerunt, casus. Si enim justificaveris terminum Dei, & filium tuum recipies in tempore, & in mulieribus collaudaberis.* Si hoc ad mulierem, quanto magis ad sacerdotem? Si de filio, non utique absurdum etiam de fratrum amissione talia posse memorari; quamquam si mihi fuisset filius, numquam eum amplius dilexissem. Nam sicut in obitu liberorum effusi labores, suscepti frustra dolores mœrorem videntur augere; ita etiam in fratribus consuetudinis usus atque collegii acerbitatem doloris accendunt.

69. Sed ecce dicentem Scripturam audio: [Ibidem 20. & seq.] *Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuaderi. Qui enim casus Sion? Consolare propter dolorem Hierusalem. Vides enim quia sancta nostra contaminata sunt, [c] & nomen quod nominatum est super nos, pene profanatum est, & illi nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & levitæ nostri in captivitate fuerunt, & mulieres nostræ contaminatæ sunt, & virgines nostræ vim passæ, & justi nostri rapti, & parvuli nostri proditi sunt, & juvenes nostri servierunt, & fortes nostri invalidi facti sunt. Et quod omnium majus, signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua, nunc & tradita est in manibus eorum, qui nos oderunt. Tu ergo excute tuam multam tristitiam, & depone abs te multitudinem dolorum; ut tibi repropitietur fortis, & requiem faciat tibi Altissimus requietione dolorum.*

70. Cessabunt igitur lacrymæ; parendum est enim remediis salutaribus, quia debet aliquid inter fidos & perfidos interesse. Fleant ergo qui spem resurrectionis habere non possunt, quam non sententia Dei eripit, sed fidei inclementia. Interest inter Christi servulos, idolorumque cultores; ut illi fleant suos, quos in perpetuum existimant interiisse: illi nullas habeant lacrymarum ferias, nullam tristitiæ requiem consequantur, qui nullam putant requiem mortuorum. Nobis vero quibus mors non naturæ, sed vitæ istius finis est; quoniam in melius ipsa natura reparatur, fletus omnes casus mortis abstergat.

71. Certe si illi sibi aliqua solatia repererunt, qui finem sensus, defectumque naturæ mortem arbitrati sunt; quanto magis nos, quibus meliora post mortem præmia bonorum factorum conscientia pollicetur? Habent gentiles solatia sua, quia requiem malorum omnium mortem existimant: & ut vitæ fructu carent, ita etiam caruisse se putant omni sensu & dolore pœnarum, quas in hac vita graves & assiduas sustinemus. Nos vero ut erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus; non enim amitti, sed præmitti videntur, quos non adsumtura mors, sed æternitas receptura est.

72. Cessabunt ergo lacrymæ: aut si cessare non poterunt, in communibus lamentis flebo te, frater, & sub dolore publico domesticos ge-

a. Mss. duo, *sic & instruis Dei plebem*. alii totidem, *sicine Dei Ecclesiam instituis?*

b Rom. edit. *Stulta, inquit . . . omni tristitia contristatur, . . . & luget validissime. Et nunc quoniam omnes lugemus: & tristes sumus, quoniam omnes contristati sumus: tu vero contristaris in filio. Interroga terram . . . , lugere tantorum casum super eam germinantium;* Vet. autem edit. ac mss. ut in textu, nisi quod Eras. & Gill. legunt etiam *stulta*; sed potius esse ut retineamus vocem *stulte*, ex eo quod habetur infra, *contristaris in fratre*, intelligimus.

*. Ambrosius viduarum vitæ ac morum gravitate præcellentium mortem sibi dolorem singularem afferre consuevisse non uno loco testificatur.

c. Ita mss. & edit. nisi quod Rom edit. sola præfert, *& nomen quod invocatum est*: sequenti autem versu eadem edit. cum vet. edit. ac mss. nonnullis, *& juvenes nostri*, ubi mss. longe plurimi habent, *& illi nostri*, forte legendum, & filii nostri.

mitus tegam. Nam cessare quî poterunt, cùm A ad omnem sonum nominis tui lacrymæ subrepant, vel cùm usus ipse recordationem excitat, vel cùm affectus imaginem repræsentat, vel cùm recordatio dolorem renovat? Quando enim dees, qui tantis officiis repræsentaris? Ades, inquam, & semper offunderis, & toto te animo ac mente complector, adspicio, alloquor, osculor, comprehendo vel in ipsa quiete nocturna, vel in luce clara; cùm revisere & consolari dignaris mœrentem. Denique ipsæ jam noctes, B quæ quasi molestiores, vivente te, videbantur; quod mutui conspectus copiam denegarent: ipse jam somnus colloquiorum nostrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis esse jam cœpit; quia te mihi reddidit. Non igitur miseri, sed beati; quorum nec præsentia deficit, nec cura minuitur, & augetur gratia. Etenim * somni similis imago mortis.

73. Quod si in quiete nocturna vinculis adhuc corporeis inhærentes, & quasi inter carcera- C ria religatæ claustra membrorum; possunt tamen animæ altiora & discreta perspicere: quanto magis spectant hæc, cùm jam puro æthereoque sensu nulla corporeæ labis impedimenta patiuntur? Meritoque mihi conquerenti, [a] vergente quodam jam in occasum die, quod non te viseres quiescentem, totus omni tempore individuus adsuisti; ita ut illo persusus sopore membrorum, cùm ego vigilarem tibi, tu viveres mihi, dicerem: Quid est mors, frater? Nam D certe nullis à me separabare momentis; ita enim ubique præsto eras, ut quam in istius vitæ usu habere nostri copiam nequibamus, nunc nobis semper & ubique præsto sit. Nam tunc utique omnia præsto esse non poterant; nec enim complexiones nostræ, conspectusque & osculorum corporalium suavitates locis omnibus & omnibus temporibus suppetebant. Animorum imagines semper nobiscum erant, etiam quando non eramus unà: quæ ne nunc quidem E occiderunt, assiduoque advolant, quo majore desiderio, eo majore copia.

74. Teneo igitur te, frater, nec mihi te aut mors aut tempus avellet. Ipsæ dulces lacrymæ sunt, ipsi fletus jucundi, quibus restinguitur ardor animi, & quasi relaxatus evaporat affectus. Neque enim sine te esse possum, aut tui non meminisse umquam, aut meminisse sine lacrymis. O amari dies, qui interruptam copulam proditis! O flebiles noctes, quæ tam F bonum consortem quietis, & individuum mihi comitem perdidistis! Quas ederetis cruces, nisi se offunderet imago præsentis, nisi visiones animi repræsentarent, quem species corporis denegaret?

75. Jam jam, frater animo meo carissime, quamquam tu immaturo decesseris obitu; beatus tamen, qui ista non sustines, nec amissum fratrem mœrere compelleris, quem absentem diu ferre non poteras, sed recursu celeri revisebas. Quod si tunc solitudinis meæ tædia repellere, mœstitiam fraternæ mentis ablevare properabas; quanto nunc crebrius afflictum animum debes revisere, & ex te conceptum, per te lenire mœrorem?

76. At mihi tamen dat aliquas officii usus inducias, & obsequii sacerdotalis intentio abducit animum: sanctæ vero sorori quid fiet, quæ licet divino metu pietatem temperet; rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit, strata humi, & totum gremio sui complexa tumulum, laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctesque mœrorem integrat? Nam licet fletum plerumque sermone suspendat, in oratione renovat: & quamvis Scripturarum memoriâ consolationes ferentibus præcurrat; flendi tamen desiderium precandi assiduitate compensat, lacrymarum ubertatem tunc præcipue, quando nemo interrumpere possit, instaurans. Ita quod miserearis, habes: quod reprehendas, non habes; flere enim in oratione virtutis est. Et quamquam illud familiare virginibus, quibus mollior sexus, tenerior affectus, contuitu communis fragilitatis in lacrymas etiam sine domestici sensu doloris exuberat; tamen cùm major causa mœrendi est, finis mœroribus excluditur.

77. Deest igitur consolandi via, quia suppetit excusandi gratia. Neque enim possis prohibere, quod doceas; præsertim cùm religionis adstruat lacrymas, non doloris; & communis seriem deplorationis metu pudoris obtexat. Consolare ergo qui potes adire animum, penetrare mentem. Cernat te esse præsentem, sentiat non esse defunctum; ut cujus secura de merito, ejus functa solatio, discat pro eo non graviter dolere, qui se admonuerit non esse dolendum.

78. Sed quid ego te morer, frater? quid exspectem, ut nostra tecum commoriatur, & quasi consepeliatur oratio? Licet * ipsa species & exanimis corporis forma soletur, oculosque manens gratia & permanens figura demulceat; nihil, inquam, moror, procedamus ad tumulum. Sed prius ultimum coram populo * vale dico, pacem prædico, osculum solvo. Præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed jam mihi præ ceteris desiderabilem domum. Para hospiti consortium; & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoque jus dividuum nesciamus.

79. Ne, quæso, cupientem tui diu differas, properantem exspecta, festinantem adjuva, & si diutius morari tibi videbor, accerse. Neque enim umquam prolixius abfuimus à nobis, tu tamen solebas revisere. Nunc quoniam tu redire jam non potes, nos ad te ibimus: æquum est ut officium rependamus, subeamus vicem. Numquam nobis fuit vitæ conditio discretior: semper aut sanitas aut ægritudo communis; ut cùm alter ægresceret, alter in morbum incurreret

*. Videtur Ambrosius respicere ad Platonis locum in *Apologia Socratis* non longe à fine, ubi mortem lucrum esse disputans, eam placidissimo somno adsimilat. Hinc eamdem comparationem verisimile est cum alios mutuatos esse, tum Ciceronem lib. *de Senectute*, sicut & prima *Quæst. Tuscul.*

a. Ita cuncti mss. ac vet. edit. nisi quod pro *vergente*, in quibusdam mss legitur, *urgente*; at Rom. edit. proprio marte sic immutavit, *urgente jam in diem quodam nobis occasu*: sed audacior est ea correctio, quàm ut à nobis admitti queat.

* Hinc intelligas apertam fuisse Satyri cadaveris faciem.

*. Cognati demortuo ter *vale* ideo conclamabant, ut non modo testarentur affectum suum, sed præterea ut si forte spiritus, qui putabatur exclusus, adhuc in eo delitesceret, illis vocibus excitaretur.

rerct

reret: & cùm alter revalesceret, uterque consurgeret. Quomodo jus nostrum amisimus? Et nunc consortium ægritudinis fuit, quomodo mortis consortium non fuit?

80. Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam * commendo animam, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fraternum munus, A sacrificium sacerdotis. Hæc mei jam libamina præmitto, in hoc ad te pignore venio, non pecuniæ, sed vitæ pignore; ne me diutius residere facias tanti fœnoris debitorem. Non mediocris est fraterni amoris usura, nec vilis naturæ sors, quam cumulant incrementa virtutis. Possum ferre, si cito cogar exsolvere.

*. Et hic quoque testimonium redditur catholicorum precibus pro mortuorum subsidio & liberatione offerri solitis.

LIBER SECUNDUS.
DE FIDE RESURRECTIONIS.

1. Superiore libro aliquid indulsimus desiderio, ne tamquam ferventi plagæ austeriora adhibita medicamenta exasperarent magis, quam lenirent dolorem: simul quia fratrem sæpius alloquuti sumus, & oculis tenebamus, absurdum non fuit relaxare paulisper affectum naturæ, qui lacrymis magis pascitur, fletibus delinitur, stupore defigitur. Mollis enim & tenera species est forma pietatis, nihil insolens amat, nihil immite, nihil durum: ferendo autem probatur patientia, quàm re- B sistendo.

2. Ergo quia dudum dies mortis inter lacrymabiles adspectus debuit animum declinare fraternum, quia totum tenebat; nunc quoniam * die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, à fratre paululum ad communem humani generis cohortationem juvat derivare mentem, intentionemque transfundere; ita ut neque toti sensibus defigamur in fratre, ne obrepat affectus: neque tantæ ex- C sules pietatis & gratiæ eum, quem diligimus, deseramus; & vere ipsi nobis tanti doloris augeamus injuriam, si hodie nobis & [a] in sermone moriatur.

3. Unde proposuimus, fratres carissimi, solari nos communi usu, nec durum putare, quidquid universos maneret; & ideo mortem non esse lugendam: primùm, quia communis sit, & cunctis debita: deinde, quia nos sæculi hujus absolvat ærumnis: postremo, quia somni specie D ubi [b] ab istius mundi labore requietum sit, vigor nobis vivacior refundatur. Quem dolorem non soletur resurrectionis gratia? quem non excludat mœrorem, si credas nihil perire morte; immo ipsius mortis celeritate fieri, ut plus perire non possit? Erit ergo, fratres carissimi, ut in adhortatione communi, etiam fratri nostrum pendamus affectum: nec ab eo longius deviasse videamur, si per resurrectionis spem, & futuræ gloriæ suavitatem etiam in sermone nobis hodie revivescat.

4. Ordiamur igitur ab eo, ut lugendum nobis nostrorum obitum non esse doceamus. Quid enim absurdius, quam ut id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere communem, naturæ consortium recusare, mentem carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram. Quid absurdius, quam nescire qui sis, affectare quod non sis? Aut quid imprudentius, quam quod futurum scias, id cùm acciderit, ferre non posse? Natura ipsa nos revocat, & ab hujuscemodi mœroribus quadam sui consolatione subducit. Quis est enim tam gravis luctus, aut tam acerbus dolor, in quo non interdum relaxetur animus? Habet hoc natura, ut quamvis homines in tristibus rebus sint, tamen si modo homines sunt, à mœrore mentem paulisper abducant.

5. Fuisse etiam quidam feruntur populi, * qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent. Nec imprudenter; eos enim qui [c] in hoc vitæ salum venissent, mœrendos putabant: eos vero qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non injusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoque ipsi * natales dies defunctorum obliviscimur, & eum quo obierunt diem, celebri solemnitate renovamus.

6. Non est ergo gravis subeundus mœror secundum naturam, ne aut excellentiorem aliquam naturæ exceptionem nobis arrogare videamur, aut communem recusare. Etenim mors æqualis est omnibus, indiscreta pauperibus, inexcepta divitibus. Et ideo licet per unius peccatum, in omnes tamen pertransivit; ut quem Rom. 5. 12. generis non refugimus auctorem, non refugiamus & mortis: & sit nobis sicut per unum mors, ita per unum etiam resurrectio; nec recusemus ærumnam, ut perveniamus ad gratiam: *Venit*

*. His verbis non solum indicatur hanc orationem habitam esse die septimo à sepultura ejusdem Satyri, verùm etiam eumdem diem in funeribus peculiari quadam ratione coli solitum. Quod etiamnum tam circa illum, quam circa tertium, nonum ac trigesimum aliquatenus retinetur. Sed de hoc in Orat. *de Obit. Theod.*

a. Plerique mss. *& in sermone moriamur.*

b. Non pauci mss. *ab istius mundi labore.*

* Herodotus, quem Cicero in *Consolatione* de filiæ obitu laudat, populos apud quos obtinebat ea consuetudo, memorat lib. 5. cui licet adjicias Val. Maximum lib. 2. cap. 6. Solinum, Pomp. Melam, & alios. Vide similiter Tullium sub finem primæ *Tusc. Quæst.* ubi eamdem illius rei causam, quæ ab Ambrosio hic subjicitur, ex Euripidis versibus promit.

c. Mss. aliquot, *in hoc vita cursu*; unus, *in hunc vitæ cursum*; alii nonnulli, *in hoc vita solum.* Sed rectius alii, & omnes edit. *in hoc vitæ salum*, id est, in hoc mare; *salum* enim dicitur vel à ζαλάω, seu ζάλη, quod est aqua fluctuans: vel à σάλος, quo & mare & jactatio significatur.

*. *Natales dies defunctorum*, intellige non tantum martyrum, de quibus Cyprianus *epist. paran.* & alii plurimi meminerunt; sed etiam aliorum christianorum, quorum obitus quotannis precibus atque sacrificiis celebrari consueverat, ut discere est ex Tertulliano lib. *de Monog.* cap. 10. Denique natales dies ac natalitia præterquam quod martyribus accommodabantur, quo sensu in Paulini carminibus de sancto Felice non semel posita sunt, aptabantur etiam aliis rebus. Sic Ambrosius lib. 8. *in Luc.* num. 73. & epist. 4. *ad Felicem Com.* num. 2. sacerdotii sui natalem dicit: quo ultimo loco etiam nonnihil à nobis observatum est.

Luc. 19. 10. Rom. 14. 9. S. Aug. de pecc. orig. cap. 41.

enim, ut legimus, *Christus salvum facere, quod perierat*: & *ut non solum vivorum, sed etiam mortuorum dominetur*. Lapsus sum in Adam, de paradiso ejectus in Adam, mortuus in Adam; quomodo revocet, nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Christo justificatum? Si ergo debitum est mortis, solutio debet esse tolerabilis. Sed hic locus posterioribus partibus reservandus.

7. Nunc propositum est adserere mortem graviori non debere esse mœrori, quod eum natura ipsa respuat. Denique * Lyciorum feruntur esse præcepta, quæ viros jubeant mulierum vestem induere, si mœrori indulgeant; eo quod mollem & effeminatum judicaverint in viro luctum. Deforme est enim eos qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate judicii, atque intentione virtutis obvium morti debent pectus offerre, mœrere in alio gravius, quod in se, si causa exegerit, sit expetendum. Nam quemadmodum potes in te non refugere, quod impatientius alii doleas accidisse? Depone mœrorem, si potes: include, si non potes.

8. Aut absorbendus omnis, aut premendus est dolor? Cur enim * mœstitiam tuam non ratio potius, quam dies leniat? Non quod obliteratura est temporis series, melius prudentia mitigabit. Quin etiam hoc ipsum irreligiosum puto erga ipsorum memoriam, quos dolemus amissos; ut oblivisci eorum malimus, quam consolatione mulceri: aut cum horrore reminisci, quam meminisse cum gratia: recordationem timere, quorum imago debeat esse voluptati: diffidere potius, quam sperare de meritis defunctorum: & pœnæ addictos, quàm immortalitati debitos, quos dilexeris, æstimare.

9. Sed dicis: Quos diligebamus, amisimus. Nonne hæc nobis cum ipso mundo elementisque communia sunt; quia ad tempus credita in perpetuum tenere non possumus? Gemit terra sub aratris, imbribus cæditur, tempestate concutitur, stringitur frigore, sole torretur; ut fructus annuos fœta parturiat: & cùm se vario flore vestierit, proprio exuitur & spoliatur ornatu. Quantos hæc raptores habet? Nec fructum suum queritur amissum, quem ideo generavit, ut amitteret: nec imposterum negat, quem sibi meminit auferendum.

10. Cælum ipsum non semper stellarum micantium globis fulget, quibus quasi quibusdam insignitur coronis. Non semper ortu lucis albescit, radiis solis irrutilat: sed assiduis vicibus ille quidam mundi vultus gratissimus, humenti noctium caligat horrore. Quid gratius luce? quid sole jucundius? quæ quotidie occidunt; decessisse tamen hæc nobis non moleste ferimus, quia eum redire præsumimus. Doceris in his quam in tuis debeas exhibere patientiam. Si superiora tibi occidunt, nec dolori sunt; cur si occiderint humana, doleantur?

11. Sit tamen patiens dolor, sit in tristibus modus, qui exigitur in secundis. An si immoderate gaudere non convenit, lugere convenit? Non enim mediocre malum est immoderatio doloris, aut metus mortis. Quantos ad laqueum impulit, armavit ad gladium; ut in eo ipso amentiam suam proderent, * mortem non ferentes, & mortem appetentes: & quod pro malo fugerent, pro remedio adsciscerent? Qui quoniam consentaneum naturæ suæ ferre ac perpeti nequiverunt, contrarium voto incidunt; ut ab his in perpetuum separentur, quos sequi desideraverint. Sed hæc rara; quoniam natura ipsa revocat, etsi præcipitet amentia.

12. Illud vero frequens in mulieribus, * ut clamores publicos serant, quasi metuant ne earum ignoretur ærumna: ut illuviem vestis affectent, quasi in ea sit sensus dolendi: ut impexum sordibus immadident caput: ut postremo, quod plerisque in locis vulgo fieri solet, disciso amictu, diloricata veste, secreti pudoris nuda prostituant, quasi ipsum lenocinentur pudorem, quia pudoris sui præmia perdiderunt. Sic procaces oculi provocantur, ut concupiscant, ut amare incipiant membra nudata: quæ si non adspicerent, non amarent. Atque utinam sordidata illa tegumenta corporis non speciem, sed mentem obnuberent. LATET PLERUMQUE sub tristi amictu mentis lascivia: & deformis horror vestis obtexitur; ut secreta petulantium tegantur animorum.

13. Satis pie virum luget, quæ servat pudorem, non deserit fidem. Hæc bene defunctis officia impenduntur, ut vivant in mentibus, in affectibus perseverent. Non amisit virum, quæ exhibet castitatem: non est viduata conjugio, quæ non mutavit nomen mariti. Nec tu perdidisti heredem, quæ adjuvas coheredem; sed pro successore corruptibilium, a mutasti consortem immortalium. Habes qui tibi repræsentet heredem: solve pauperi, quod debetur heredi; ut non solum maternæ aut paternæ senectutis, sed etiam vitæ propriæ sit superstes. PLUS SUCCESSORI tuo relinquis, si portio ejus non ad luxum præsentium proficiat, sed ad pretium futurorum.

14. Sed desideramus amissos. Duo sunt enim quæ maxime angunt, aut desiderium eorum, quos amiserimus, sicut meo exemplo metior: * aut quod eos vitæ suavitate privatos, ereptos laboris sui fructibus arbitremur. Tenera

*. Hujusce legis, quæ in Lycia minoris Asiæ provincia circa lugendi modum observabatur, mentio reperitur apud Val. Maximum lib. 2. cap. 6. atque Plutarchum lib. *de Consolat. ad Apollon.*

*. Hanc sententiam Nannius autumat deformatam esse ex illis Terentianis in *Heauton. Aut ego profecto ingenio egregie ad miseriam natus sum; aut illud falsum est, quod vulgo audio dici, diem adimere ægritudinem hominibus.* Item ex illis Ciceronianis lib. 12. *ad Atticum* epist. 5. *Consolationum autem multæ viæ, sed illa rectissima, impetret ratio, quod dies impetratura est.*

*. Non inepte cum hoc loco concinit, quod Martialis voluntariam Fannii mortem vituperans, epigrammati hunc finem posuit.

Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori.

*. Cicero lib. 3. *Tuscul. Quæst.* illam mulierum in luctibus intemperantiam vocat *varia, & detestabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes, genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones*, & his similia describens & condemnans. At vix quisquam in turpitudinem illam gravius aut vehementius invectus est, quam Chrysostomus *Hom.* 62. in cap. 11. *Johannis*, *Hom.* 4. in cap. 2. *ad Hebræos*, & *Hom.* 3. in cap. 1. *ad Philippenses*. Atqui nihildum tale viderant aut audierant, quale in regionum haud pridem detectarum Relationibus memoratur, nimirum barbaras Narsingani regni feminas cum mariti cadavere tumulari aut vivas humari, aut cremari pro dignitate conjugis.

a. Plerique mss. *mutasti consortium immortalium.*

*. Tullius lib. 1. *Tusc. Quæst. Quis est, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitæ commodis arbitratur? Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris*, &c.

enim amoris est titillatio, quæ improvisum af- A fectum excitat, ut sedandi magis, quam excludendi doloris facultas relinquatur: simul quia pium videtur desiderare quod amiseris, & specie virtutis adolescit infirmitas.

15. Sed cur tu putes patientiorem illam esse debere, quæ dilectum ad peregrina dimiserit, & militiæ gratia, vel susceptæ administrationis officio, vel negotiandi usu transfretasse compererit; quam te qui non fortuito arbitrio dereliqueris, aut studio pecuniæ, sed lege naturæ? At recuperandi tibi interclusa spes: quasi cui- B quam certa sit redeundi. Et plerumque dubia plus fatigant, ubi periculi metus integer, graviusque est timere, ne acciderit, [a] quam tolerare quod jam noveris accidisse. Aliud enim summam formidinis coacervat, aliud finem exspectat doloris.

16. An dominis jus est, [b] quo decreverint, transferre mancipia, Deo non est? Sed non suppetit exspectare remeantem; suppetit tamen præcedentem sequi. Et certe brevis vitæ usus C nec illi multum videtur eripuisse, qui ante præcessit: nec te differre diutius, qui remanseris.

17. Quod si desiderium tuum mitigare non possis; nonne tamen videtur indignum pro desiderii tui studio rerum ordinem velle converti? Amantium ardentiora utique desideria sunt, & tamen necessitatis contuitu temperantur: [c] & si dolent deseri, lugere tamen non solent: destituti amare impatientius erubescunt. Ita patientia desiderii plus probatur. D

18. Quid autem de his loquar, qui defunctos putant vitæ suavitate privari? Nulla potest esse jucunditas inter has vitæ nostræ amaritudines aut dolores, quæ vel ex corporis ipsius infirmitate, vel extrinsecus accidentium incommoditate generantur. Anxii enim semper, & ad ipsa lætiorum vota suspensi, quodam fluctuamus incerto, sperantes dubia pro certis, incommoda pro secundis, caduca pro solidis: nihil habentes potestatis in arbitrio, nihil firmitatis E in voto. At si aliquid contra voluntatem acciderit, perditos nos putamus; plusque adversorum dolore frangimur, quam secundorum fructu potimur. Quibus igitur carent bonis, qui magis eripiuntur incommodis?

19. Valetudo, credo, bona plus adjuvat, quàm affligit mala: aut opulentia plus delectat, quàm egestas afficit: aut filiorum magis amabilis gratia, quàm lugubris amissio: aut adolescentia jucundior, quàm senectus tristior. Quam F plerumque suorum tædet votorum, & optati pœnitet; ut doleat impetratum, quod non impetrare metuebat. Exsilia vero, & ceterarum pœnarum acerbitates, quæ potest compensare patria? quæ voluptates? Quæ etiam cùm adsunt; debilitantur tamen, aut non utendi affectu, aut amittendi metu.

20. Esto tamen maneat inoffensus, immunis à doloribus, perpes in voluptatibus vitæ cursus humanæ; quid tamen commodi consequi potest anima in istiusmodi corporis inclusa contagibus, & quibusdam membrorum angustiis coartata? Si caro nostra carcerem fugit, si detestatur omne quidquid evagandi facultatem negat; quæ utique parvis ultra se audiendi videndique excurrere videtur sensibus: quanto magis anima nostra corporeum istud evadere gestit * ergastulum, quæ motu aereo libera, nescimus quo vadat, aut unde veniat? *Joan. 3. 8.*

21. Scimus tamen quod corpori supervivat, & ea, jam depositis proprii sensus repagulis expedita, libero cernat obtutu, quæ ante sita in corpore non videbat. [d] Quod exemplo dormientium possumus æstimare (quorum animi velut sepulto quieti corpore, ad altiora se subrigunt, & renuntiant corpori) rerum absentium, vel etiam cælestium visiones. Ergo si mors carnis ex sæculi nos absolvit ærumnis, utique malum non est, quæ libertatem restituit, excludit dolorem.

22. Hinc igitur nobis adoriendus disputandi locus mortem malum non esse; quia ærumnarum omnium, malorumque perfugium est, & fida statio securitatis, ac portus quietis. Nam quid in hac vita non experimur adversi? Quas non procellas, tempestatesque perpetimur? quibus non exagitamur incommodis? cujus parcitur meritis?

23. Sanctus patriarcha Israel profugus patria, fratre, parentibus, domum mutavit exsilio, stuprum filiæ, generi necem flevit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit; transferri enim ossa sua, ne vel mortuus requiesceret, obsecravit. *Gen. 28. 5. Gen. 34. 2. Gen. 49. 5.*

24. Sanctus Joseph odia fratrum, insidias invidorum, servulorum obsequia, mercatorum imperia, [e] dominæ petulantiam, mariti inscitiam, carceris quoque est expertus ærumnam. *Gen. 37. 4. & seq. Gen. 39. 12. & seq.*

25. Sanctus David filios amisit duos: unum incestum, alterum parricidam. Hos habuisse pudoris est, doloris est perdidisse. Amisit & tertium, quem amabat, parvulum. Hunc viventem adhuc flevit, mortuum non desideravit. Sic enim legimus quod ægrotante puero, deprecabatur David Dominum pro eo, & jejunavit, & in cilicio jacuit, & adstantibus majoribus natu, ut excitarent eum de terra, nec surgendum sibi, nec cœnandum putavit. Ubi vero defunctum puerum comperit, surrexit de terra, lavit illico, unctus est, vestimenta mutavit, adoravit Dominum, cibum sumsit. Cùm hæc miranda pueris suis viderentur, respondit eis recte se, infante vivente, jejunasse & plorasse; quia jure arbitrabatur Dominum posse misereri, nec dubitandum quod vitam posset servare viventis, qui posset vivificare defunctos: jam vero, obita morte, quid jejunaret, qui jam non posset reducere mortuum, exanimemque revocare. *Ego*, inquit, *ibo ad eum: ipse autem non revertetur ad me.* *2. Reg. 13. 29. 2. Reg. 18. 14. 2. Reg. 12. 18. Ibidem 20. Ibidem 23.*

a. Mss. prope ad unum, *quam dolere quod jam* &c.

b. Ita omnes edit. mss. autem magno numero, *qua non creaverint*.

c. Complures mss. *etsi doleant discedere*.

*. Ergastulum est, inquit Nannius, ubi servi vincti tenentur ἐπὶ τὸ ἔργον, id est, ad opera facienda.

d. Rom. edit. sola: *Quod exemplum*. Infra vero ubi eadem edit. cum vet. ac mss. aliquot, *velut sepulto quiete corpore*, Amerb. & mss. *quieti corpore*; ibi major numerus mss. tantum exhibet, *velut sepulti ad altiora*.

e. Mss. non pauci, *reginæ petulantiam, regis inscitiam*.

26. O maximum solatium desiderantis! O verum sapientis judicium! O miram sapientiam servientis! ut nemo sibi adversi aliquid accidisse indigne ferat, & contra meritum suum se queratur afflictum. Quis enim tu es, qui de tuo merito ante pronunties? Cur prævenire desideras cognitorem? Cur eripis sententiam judicaturo? Nec sanctis istud permissum est, nec à sanctis impune umquam est usurpatum. David se propterea flagellatum suo carmine confitetur: *Psal. 72. 12. & seq.* *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias. Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die,* [a] *& index meus in matutinum.*

27. Petrus quoque quamvis plenus fide devotionis; tamen quia nondum conscius nostræ infirmitatis præsumtive dixerat Domino: *Johan. 13. 37.* *Animam meam pro te ponam;* tentationem præsumtionis antequam tertiò gallus cantaret incurrit. *Johan. 18. 27.* Licet illa tentatio documentum fuerit ad salutem; ut discamus non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnendo tentemur. Si Petrus tentatus est, quis præsumat, quis adstruat se non posse tentari? Atque haud dubie pro nobis tentatus est Petrus, ut in fortiore non esset tentamenti periculum: sed in illo disceremus quemadmodum in persecutionibus resistentes, etsi vitæ studio tentaremur; tentationis tamen aculeum patientiæ lacrymis vinceremus.

28. Idem tamen David, ne quem fortassis Scripturarum tenacem moveat factorum diversitas: idem, inquam, David parricidam mortuum flevit, qui non fleverat innocentem. Denique cùm ploraret & lugeret, dixit: *2. Reg. 18. 33. 2. Reg. 13. 36.* *Filius meus Abessalon, filius meus Abessalon; quis dabit mihi mortem pro te?* Non solus ergo fletur Abessalon, fletur parricida, fletur Ammon. non solum fletur incestus, sed etiam vindicatur: alter contemtu regni, alter fratris exsilio. Fletur sceleratus, non fletur dilectus. Quæ causa? quæ ratio? Non mediocris igitur in prudentibus deliberatio, sapientibus confirmatio; magna enim prudentiæ in tanta factorum diversitate constantia, una fides. *2. Reg. 12. 22.* Et illos mortuos flevit, & flendum infantem mortuum non putavit; illos enim sibi periisse credebat, hunc resurrecturum sperabat.

29. Sed de resurrectione posterius, nunc ad proposita revertamur. Præmisimus enim etiam sanctos viros gravia in hoc mundo & multa perpessos sine suffragatione meritorum, cum ærumna laborum. Unde regressus ad se David, in posterioribus dicit: *Psal. 102. 15. Psal. 143. 4.* Memento, Domine, *quia pulvis sumus, homo tamquam fœnum, dies ejus;* & alibi: *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.* Quid enim nobis miserius, * qui tamquam spoliati & nudi projicimur in hanc vitam, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxii ad sollicitudines, desidiosi ad labores, proni ad voluptates?

30. Non nasci igitur longe optimum, secundum sancti Salomonis sententiam. Ipsum enim etiam ii qui sibi visi sunt in Philosophia excellere, sequuti sunt. Nam ipse illis anterior, [b] nostris posterior, ita in Ecclesiaste loquutus est: *Eccles. 4. 2. & seq.* *Et laudavi ego omnes defunctos, qui jam mortui sunt, magis quam viventes, quicumque vivunt usque adhuc. Et optimus super hos duos, qui nondum natus est, & qui non vidit hoc opus malum, quod factum est sub sole. Et vidi ego universum laborem, & omnem virtutem operis hujus; quia æmulatio viro ab altero ejus. Et quidem hoc vanitas, & præsumtio spiritus.*

31. Et quis hoc dixit, nisi ille qui sapientiam poposcit & impetravit; *Sap. 7. 7.* ut sciret compositionem orbis terrarum, & virtutem elementorum, anni cursus, & stellarum dispositiones, non ignoraret naturas animalium, & iras colligeret bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum deprehenderet? Quem igitur non latuerunt cælestia, quemadmodum laterent mortalia? *3. Reg. 3. 27. Sap. 7. 20.* Qui cogitationem mulieris investigavit sibi infantem vindicantis alienum, qui naturas animalium, quas non acceperat, divina tamen gratia adspirante cognovit: hic de suæ conditione naturæ, quam in se expertus est, errare aut mentiri potuit?

32. Sed non solus hoc sensit, etsi solus expressit. Legerat sanctum dixisse Job: *Job. 3. 3.* *Pereat dies ille, in quo natus sum;* & cognoverat nasci malorum omnium esse principium: & ideo diem quo natus est, perire optavit; ut tolleretur origo incommodorum: & optavit perire diem generationis suæ, ut diem resurrectionis acciperet. Audierat etiam Salomon dixisse patrem suum: *Psal. 38. 5.* *Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum; ut sciam quid desit mihi.* Noverat enim David non posse id quod perfectum est, hîc comprehendi, & ideo ad ea quæ sunt futura, properabat. *1. Cor. 13. 12.* Nunc enim ex parte scimus, & ex parte cognoscimus: tunc autem id quod perfectum est, poterit comprehendi; cùm revelata facie nobis speculandæ majestatis æternitatisque divinæ cœperit relucere non umbra, sed veritas.

33. Nemo tamen festinaret ad finem, nisi vitæ illius fugeret incommoditatem. Et ideo etiam David quare ad finem festinet, exposuit dicens: *Psal. 38. 6.* *Ecce veteres posuisti dies meos,* [c] *& habitudo mea tamquam nihil ante te: verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Quid igitur mora-

a. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *& vindex meus*: alii mss. aliquot, quibus accedit Psalt. Rom. Quinc. *& judex meus*: Remig. cum Vulg. *& castigatio mea*, in quo non discrepat ab Hebr. ubi legitur, *& increpatio mea*: ceteri denique mss. cum Rom. psalt. comm. *& index meus*; ὁ ἔλεγχός μου. Quod autem Rom. edit. cum paucis mss. pro *in matutinum*, posuit *in matutinis*, illic à mss. longe pluribus, ab ant. edit. nec non etiam ab Aug. lectione aberravit.

*. Augustinus lib. 4. *contra Jul.* cap. 12. eadem propemodum citat è lib. 3. Ciceronis *de Republ.* unde Ambrosius etiam hunc locum videtur imitatus.

b. Ita edit. ac mss. exceptis quibusdam Paris. edit. in quibus, *nobis posterior*; & mss. nonnullis, qui legunt, *nostri posterior*: Remig. *non posterior fuit*. Haud incommode. Potest nihilominus communis lectionis hic sensus esse, ut Salomon qui dicitur prophanis sapientibus antiquior, idem tamen multis nostrorum posterior sit, ut puta Job, Moyse & aliis. Quod autem ad auctorem cui ab ethnicis memorata sententia tribuitur, Aristoteles Plutarcho teste, eam in *Eudemo*, sive lib. *de Anima* Sileno adjudicat. Idem quoque tradit Cicero lib. 1. *Tusc. Quæst.* & in lib. *de Consolatione*. Vide quoque Theognidis in hanc rem epigramma, Sophoclem in *Œdip. Colon.* Lactantium lib. 3. cap. 18. & Ausonium Ecloga *de Vita humana*.

c. Rom. edit. cum paucis mss. *& substantia mea* vet. edit. ac mss. multo plures, *& habitudo mea*. Græce ἡ ὑπόστασίς μου, id est, natura, constitutio &c.

mur fugere vanitatem? aut quid nos delectat A in hoc sæculo vane conturbari, thesaurum pecuniarum condere, & ignorare cui congregamus heredi? Petamus amoveri à nobis plagas, eripi nos ex insipienti sæculo, carere peregrinatione diuturna, ad illam redire patriam & naturalem domum. In hac enim terra advenæ sumus atque peregrini: [a] remigrandum eo, unde descendimus: ambiendum & obsecrandum non perfunctorie, sed obnixe; ut à dolis & ab iniquitate loquacium liberemur. Et ille qui re- B medium noverat, prolongatum tamen suum ingemit incolatum, & cum peccatoribus & iniquis se habitare deplorat. Quid ego faciam, qui & peccatum habeo, & ignoro remedium?

Philip. 3. 19. a

Psal. 119. 5.

34. Hieremias quoque quod generatus sit, & ipse deplorat his verbis, dicens: *Heu me, mater! ut quid me peperisti virum causam dicentem judicii in omni terra? Non profui,* [b] *neque profuit mihi quisquam: virtus mea defecit.* Si igitur sancti viri vitam fugiunt, quorum vita etsi nobis uti- C lis, sibi tamen inutilis æstimatur; quid nos facere oportet, qui nec aliis prodesse possumus, & nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam usurario quodam cumulo gravescentem onerari in dies peccatorum ære sentimus?

Hier. 15. 10. b

35. *Quotidie morior,* Apostolus dicit. Melius utique, quam illi, * qui meditationem mortis Philosophiam esse dixerunt: illi enim studium prædicarunt, hic usum ipsum mortis exercuit. Et illi quidem propter se: Paulus autem ipse per- D fectus moriebatur non propter suam, sed propter nostram infirmitatem. Quid autem est mortis meditatio, nisi quædam corporis & animæ segregatio; quia mors ipsa non aliud quam [c] corporis atque animæ secessio definitur? Sed hoc secundum communem opinionem.

1 Cor. 15. 31. *

c

36. Secundum Scripturas autem * triplicem esse mortem accipimus. Una est cùm morimur peccato, Deo vivimus. Beata igitur mors, quæ culpæ refuga, Domino dedita, à mortali nos E separat, immortali nos consecrat. Alia mors est vitæ hujus excessus, qua mortuus est patriarcha Abraham, patriarcha David, & sepulti sunt cum patribus suis; cùm anima nexu corporis liberatur. Tertia mors est, de qua dictum est: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Ea morte non solum caro, sed etiam anima moritur: *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur.* Moritur enim Domino, non naturæ infirmitate, sed culpæ. Sed hæc mors non perfunctio hujus F est vitæ, sed lapsus erroris.

*

Rom. 6. 10.

Matth. 8. 22.

Ezech. 18. 4.

37. Una ergo est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. Sed non quæ naturalis, eadem pœnalis; non enim pro pœna Dominus, sed pro remedio dedit mortem. Denique Adæ peccanti præscriptum est aliud pro pœna, aliud pro remedio; pro pœna, cùm dicitur: *Quoniam audisti vocem uxoris tuæ, & manducasti de ligno, de quo præceperam tibi ab eo solo ne manducares, maledicta terra in operibus tuis: in tristitia manducabis fructum ejus omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & edes pabulum agri. Cùm sudore vultus tui manducabis panem tuum, donec revertaris in terram, de qua adsumtus es.* Gen. 3. 17. & seq.

38. Habes pœnarum ferias, quia adversus spinas sæculi hujus & sollicitudines mundi, voluptatesque divitiarum, quæ Verbum excludunt, Luc. 8. 14. pœnam includunt; mors pro remedio data est, quasi finis malorum. Non enim dixit: Quoniam audisti vocem mulieris, reverteris in terram; hæc enim esset pœnalis sententia, quemadmodum est illa: *Maledicta terra spinas & tribulos germinabit tibi;* sed dixit: *Manducabis panem tuum in sudore, donec revertaris in terram.* Vides mortem magis metam esse nostrarum pœnarum, qua cursus hujus vitæ inciditur?

39. Ergo mors non solùm malum non est, sed etiam bonum est. Denique pro bono quæritur, sicut scriptum est: *Quærent homines mortem, & non invenient eam.* Quærent enim illi Apoc. 9. 6. qui dicturi sunt montibus: *Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Quærit etiam anima illa, Luc. 23. 30. quæ peccat. Quærit dives ille positus in inferno, qui vult digito Lazari refrigerari linguam Luc. 16. 24. suam.

40. Videmus itaque quod & mors hæc lucrum est, & vita pœna est. Unde & Paulus ait: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Quid Phil. 1. 21. est Christus, nisi mors corporis, spiritus vitæ? Et ideo commoriamur cum eo, ut vivamus cum eo. Sit quidam quotidianus usus in nobis, affectusque moriendi; ut per illam, quam diximus, segregationem à corporeis cupiditatibus anima nostra se discat extrahere, & tamquam in sublimi locata, quo terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat. Repugnat enim lex carnis [d] legi mentis, & eam d legi erroris addicit, sicut Apostolus revelavit, dicens: *Video enim legem carnis meæ repugnantem* Rom. 7. 23. *legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Omnes impugnamur, omnes sentimus: sed non omnes liberamur. Et ideo infelix ego homo, nisi remedium quæram.

41. Sed quod remedium? *Quis me liberabit* Ibidem 24. *de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum* & 25. *Christum dominum nostrum.* Habemus medicum, sequamur remedium. Remedium nostrum Christi gratia est, & corpus mortis corpus est nostrum. Ergo peregrinemur à corpore, ne peregrinemur à Christo: etsi in corpore sumus, tamen quæ sunt corporis non sequamur, [e] nec e

a. Nonnulli mss. *remigandum*: melius alii, atque edit. *remigrandum.*

b. Mss. complures, *neque profuit mihi quidquam*: alii, & omnes edit. propius ad prophetæ verba ... *mihi quisquam.* Totum vero locum nonnihil diverse citat Philo Judæus lib. *de Confus. Ling.* in hunc modum Ὦ μῆτερ, ἡλίκον με ἔτεκες ἄνδρα μάχης, καὶ ἀδικίας πάσης τῆς γῆς· οὐκ ὠφέλησα, οὐδ' ὠφέλησέ με.

*. Cicero *Tusc. Quæst.* sententiam hanc Platoni acceptam refert, & revera in hujus *Phædone* illa reperias, quæ in Tusculana citantur ab Oratore. Attamen non primum auctorem istius effati Platonem esse, sed Pythagoram discimus ex Hieronymi *Apologia adv. Rufin.* lib. 3.

c. Mss. aliquot, *corporis atque animæ successio*, quidam *secessio*, meliuscule: at aliorum, & omnium edit. vera lectio est, quam retinemus. Mortis autem definitio, quam indicat sanctus Antistes, ita proponitur in Platonis *Gorgia*: Ὁ θάνατος τυγχάνει ὤν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδὲν ἄλλο ἢ δυοῖν πραγμάτοιν διάλυσις, τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος. Cui definitioni haud absimiles in Phædonis pluribus locis inveniuntur.

*. Triplex mortis esse genus definierat Ambrosius noster lib. *de Bono Mortis* cap. 9. nec non in *Luc.* lib. 7. num. 35. quibus cum locis & hunc componere lectori non erit injucundum.

d. Nonnulli mss. *legi Dei.*

e. Mss aliquot, *non desideremus jura naturæ.*

deferamus jura naturæ, sed dona gratiæ præoptemus: *Dissolvi enim, & cum Christo esse multo melius: permanere autem in carne magis necessarium propter vos.* (Phil. 1. 23. & 24.)

42. Sed non omnibus necessarium, domine Jesu: non mihi, qui nulli utilis sum; nam mihi lucrum est mori, ne plura peccem. Lucrum mihi est mori, qui ipso libro quo alios consolor, quasi vehementiore monitore ad desiderium amissi fratris impellor; quoniam me ejus non sinit oblivisci. Nunc magis amo, & vehementius desidero. Desidero cùm loquor, desidero cùm relego; & ideo hoc potius scribendum arbitror, ne quando ab ejus recordatione divellar. Quod non contra Scripturas facio, sed cum Scripturis sentio; ut patientius doleam, impatientius desiderem.

43. Præstitisti mihi, frater, ne mortem timerem, atque utinam moriatur anima mea in anima tua; hoc enim sibi Balaam pro maximo bono optat, donatus Spiritu prophetandi: *Moriatur*, inquit, *anima mea in animis justorum, & fiat semen meum* [a] *sicut semen istorum.* (Num. 23. 10.) Et vere hoc secundum prophetiam optat; qui enim viderat ortum Christi, vidit ejus triumphale, vidit mortem, vidit in eo perennem hominum resurrectionem; & ideo mori non timet resurrecturus. Non moriatur ergo anima mea in peccato, neque peccatum in se recipiat: sed moriatur in anima justi; ut ejus recipiat æquitatem. Denique qui moritur in Christo, fit ejus gratiæ particeps in lavacro.

44. Non ergo formidabilis mors, nec amara egentibus, [b] nec gravior divitibus, nec injusta senioribus, nec ignava fortibus, nec perpetua fidelibus, nec improvisa sapientibus. * Quam multi enim vitam solo mortis titulo consecrarunt, quantos vivere puduit, mori profuit? Morte unius plerumque accepimus maximos populos liberatos: morte imperatoris fugatos exercitus hostium, quos vivus vincere nequivisset.

45. Morte martyrum religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est: vicerunt mortui, victi persecutores sunt. Itaque quorum vitam nescimus, horum mortem celebramus. Unde & David prophetice gloriatus in suæ mentis excessu: *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* (Psal. 115. 15.) Mortem maluit præferre, quàm vitam. Ipsa mors martyrum præmium vitæ est. Morte etiam inimicorum odia solvuntur.

46. Quid plura? Unius morte mundus redemtus est. Potuit enim Christus non mori, si voluisset: sed neque refugiendam mortem quasi ignavam putavit, neque melius nos quam A moriendo servasset. Itaque mors ejus vita est omnium. * Morte ejus signamur, mortem ejus orantes annuntiamus, mortem ejus offerentes prædicamus: mors ejus victoria est, mors ejus sacramentum est, mors ejus annua solemnitas mundi est. Quid præterea de ejus morte dicamus, cùm divino probemus exemplo, quia immortalitatem mors sola quæsivit, atque ipsa se mors redemit? Non igitur mœrenda mors, quæ causa salutis est publicæ: non fugienda B mors, quam Dei Filius non dedignatus est, non refugit. Non solvendus ordo naturæ; quod enim commune est omnibus, exceptum in singulis esse non potest.

47. Et mors quidem in natura non fuit, sed conversa est in naturam; non enim à principio Deus mortem instituit, sed pro remedio dedit. Et consideremus ne videatur esse contrarium. Nam si bonum est mors, cur scriptum est, quia *Deus mortem non fecit: sed malitia hominum mors* C *introivit in orbem terrarum?* (Sap. 1. 13. Ibid. 2. 24.) Revera enim mors divino operi necessaria non fuit, cùm in paradiso positis bonorum omnium jugis successus afflueret; sed prævaricatione damnata in labore diuturno, gemituque intolerando vita hominum cœpit esse miserabilis: debuitque dari finis malorum, ut mors restitueret, quod vita amiserat. * IMMORTALITAS enim oneri potius quam usui est, nisi adspiret gratia.

48. Et si bene discutias, non naturæ mors D ista est, sed malitiæ; manet enim natura, malitia moritur. Resurgit quod fuit: atque utinam ut jam peccandi liberum, ita vacuum culpæ prioris; Sed hoc ipsum indicio est mortem non esse naturæ, quia iidem erimus, qui fuimus. Itaque aut peccatorum nostrorum supplicia pendemus, aut bene gestorum gratiam consequemur. Resurget enim natura eadem, jam stipendiis mortis honoratior. Denique *mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde & nos qui* E *vivimus*, inquit, *simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera; & ita semper cum Domino erimus.* (1. Thess. 4. 15. & 16.) Illi primi, viventes autem secundi. Illi cum Jesu, viventes per Jesum. Illis dulcior vita post requiem: viventibus etsi grata compendia, tamen ignota remedia.

49. Nihil est igitur quod in morte timeamus, nihil quod debeamus dolere; si aut naturæ repetenti vita, quæ accepta est, rependatur: aut petenti impendatur officio, in quo religionis F cultus, aut virtutis usus est. Neque enim quisquam sibi, ut sic maneret, optavit. * Johanni promissum æstimatum est, sed non est creditum. Verba tenemus, sententiam derivamus. Ipse in libro negat sibi, quod non moreretur, esse promissum; ne quem vana spes exemplo incesseret,

a. Vet. edit. ac plures mss. *sicut semen justorum*; rectius tamen edit. Rom. & alii mss. ut in contextu. Etenim ubi Hebr. & Vulg. *& fiant novissima mea eorum similia*; LXX Interpr. efferunt, καὶ γένοιτο τὸ σπέρμα μου ὡς σπέρμα τούτων.

b Omnes edit. ac mss. non pauci, *nec gratiosa divitibus*, quod quidem licet per se verum sit, ab hoc tamen loco prorsus alienum. Optime igitur Benig. Remig. & alii codices quamquam non multi, *nec gravior divitibus*.

*. Nannius in eorum numerum, qui vitæ suæ turpitudinem honesta morte velaverunt, Catonis filium & Othonem imperatorem refert: de quorum etiam posteriore Ausonii versus, ac Suetonii testimonium promit. Sed alios addere potuisset haud paucos, qui sibi, ut Ambrosius indicat, famam facili sanguine redemerant, quosque passim in litterarum monimentis offendas. Quod autem subjicitur de populis unius morte liberatis, adire licet, *Exposit. in Luc.* lib. 6. num. 108. & nostram ad eum locum notationem.

*. Hoc loco & usum frontis ac pectoris cruce consignandorum indicatum voluit, & à precibus sacrificium non ambigue distinxit. Sed utrumque frequens esse apud Ambrosium sæpius ante observavimus.

*. Alludere videtur ad fabulam Tithoni, quem cùm ei Tethyos beneficio concessum esset immortalitatis donum, vitæ tantum fastidium cepit, ut mallet in vile animalculum transformari, quam diutius humanis molestiis, atque ærumnis esse obnoxium.

*. In Psal. 118 Serm. 20. num 12. quoddam de Johannis morte dubitasse ita memorat, ut se de illa certum fuisse liquido prodat.

Ibid. 11. 33. Quod si id velle spes insolens; quanto insolentius, quod non præter modum acciderit, ultra modum dolere?

50. Gentiles plerumque se consolantur viri, * vel de communitate ærumnæ, vel de jure naturæ, vel de immortalitare animæ. Quibus utinam sermo constaret, ac non miseram animam in varia portentorum ludibria formasque transfunderent! Quid igitur nos facere oportet, quorum stipendium resurrectio est? cujus gratiam quoniam negare plerique non possunt, B fidem abnuunt. Et ideo eam non uno argumento aliquo, sed pluribus modis, ut possumus, adstruamus.

51. Et quidem omnia aut usu, aut ratione, aut exemplo, aut eo quia decorum sit ea esse, ideo esse creduntur; & ad fidem singula suffragantur. Usus, quia movemur: ratio, quia quod movet, virtutis alterius convenit æstimari: exemplum, quia generavit ager fruges, & ideo generaturum esse præsumimus: decorum, quia C & ubi fructum non putamus, decere tamen credimus, ut virtutis opera minime deseramus.

52. Singula igitur singulis adstruuntur. Tribus tamen evidentius colligitur resurrectionis fides, quibus omnia comprehenduntur: ratione, universitatis exemplo, testimonio rei gestæ; quia plurimi surrexerunt. Ratio evidens est; quia cùm omnis vitæ nostræ usus in corporis animæque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam impro- D bi; necesse sit corpus resurgere, cujus actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cùm de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit?

53. Resurrectio omnibus adtributa est: sed ideo difficile creditur, ᵃ quia non nostrum meritum, sed Dei munus est. Prima igitur resurrectionis fides usus est mundi, rerumque status omnium, generationum series, successionum vices, obitus ortusque signorum, dici & noctis E occasus, eorumque quotidie tamquam rediviva successio. Temperamenti quoque genitalis hujus terræ aliter ratio subesse non posset, nisi humoris ipsius quo omnia terrena generantur, quantum diurni solis æstus excoqueret, tantum rore nocturno dispositio divina repararet. Nam quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cùm decidunt: resurgere, cùm reviresc unt? Quod satum est, resurgit: quod mortuum est, resurgit; & in eadem genera, F in easdem species reformatur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primum natura nostra speciem resurrectionis imitata est.

54. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit: pomum decidit, pomum resurgit; sed flore gra-
1. Cor. 15. 53. num induitur, folliculoque vestitur: *Et hoc mortale oportet induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionem.* Flos resurrectionis immortalitas est, flos resurrectionis incorruptio est. Quid enim uberius quiete perpetua? quid locupletius securitate diuturna? Hic est multiplex fructus, cujus proventu pullulat fœcundior hominum natura post mortem.

55. Sed miraris quemadmodum putrefacta solidenrur, dispersa coeant, absumta reparentur; non miraris quemadmodum semina vapore & compressu terræ soluta viridescant. Nam utique etiam ipsa terreno coalitu putrefacta solvuntur, & cùm ᵇ occæcata & mortua soli genitalis succus animaverit, quodam calore vitali spiritum quemdam herbæ viridantis exhalant. Deinde paulatim teneram spicæ adolescentis ætatem culmo erigit, & vaginis quibusdam natura tamquam sedula mater includit; ne pubescentem glacies adurat aspera, atque á nimio solis defendat ardore: frugem quoque ipsam adhuc quasi primis erumpentem cunabulis, mox adultam ne pluvia decutiat, ne aura dispergat, ne avium minorum morsus interimat, vallo aristarum sepire consuevit.

56. Quid igitur miraris si homines, quos acceperit, terra restituat; cùm seminum corpora quæcumque susceperit, vivificet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat? Desine ergo dubitare quod depositum generis humani terræ fides reddat, quæ commendata sibi semina usurario quodam fœnore multiplicata restituat. Nam quid de generibus arborum loquar, * quæ posito surgunt de semine, fructusque resolutos rediviva fœcunditate resuscitant, & formæ veteri atque imagini suæ reddunt, multasque ætates quædam arborum corpora reparata transmittunt; ut ipsa durando vincant sæcula? Putrescere videmus acinum, vitem resurgere: surculus inseritur, arbor renascitur. An de reparandis arboribus divina est providentia, de hominibus nulla cura? Et qui ea quæ ad usus hominum dedit, perire non passus est; hominem perire patietur, quem ad imaginem sui fecit?

57. Sed incredibile tibi videtur, ut mortui reviviscant: *Insipiens tu ipse quod seminas, nonne prius moritur, ut vivificetur?* Sere quemlibet Ibidem 36. fructum arentem, resuscitatur. Sed habet succum. Et nostrum corpus habet sanguinem suum, habet humorem suum. Hic nostri succus est corporis. Unde illud quoque ᶜ explosum arbitror, quod arentem surculum quidam reviviscere negant, idque ad præjudicium carnis derivare nituntur. Non enim caro arida, cùm caro omnis è limo sit, limus in humore, humor è terris. Denique multa gignentia quamvis jugi serenitate ᵈ humo arida arenosaque nascuntur; quoniam ipsa sibi terra humorem suf-

*. Hic paucis contrahitur, quidquid prophani auctores de mortis æquanimiter ferendæ causis tradidere. Qua de re consuli possunt Cicero lib. 1. *Tusc. Quæst.* & in *Consolatione* super obitu filiæ, Plutarchus *de Consolat. ad Apoll.* aliique

a. MSS. aliquot, *quia supra nostrum meritum Dei munus est*

b. Vet. edit. *occæcata soli*, Rom. *occæcata & mortua soli*, omnes mss. è contrario, *occæcata* &c. Minime male; fit enim frumenti occæcatione, ut ipsum quasi tenebris occæcatum atque oppressum, sub gleba moriatur. Infra vero pro *herba viridantis*, quod est in cunctis edit. ac mss. quibusdam, alii mss. multo plures efferunt, *herba viridantes*, quidam, *virides*. Ceterum hujus loci cum iis, quæ lib. 3. Hexaem. cap 8. num. 34. traduntur de germinatione herbarum, studiosis non erit ingrata comparatio.

*. Allusio fit ad Virgilii versum è lib. 2. Georg.

Pars autem posito surgunt de semine &c.

c. MSS. aliquot, *exemplo sumendum arbitror.*

d. Ita vet. edit. ac plures mss. Rom. autem edit. ac mss. nonnulli, *humo arida, arenosaque*, quomodo etiam legendum contendit Nannius, adducta Prisciani auctoritate. At contra Latinius reponendum censebat, *humi arida arenosaque*, cui lectioni mss. nullus suffragatur, licet habeatur in quibusdam, *humi arida, arenosaque.*

ficit. [a] Num igitur in hominibus terra degenerat, quæ omnia regenerare consuevit? Unde claret non esse dubitandum quod secundum naturam magis, quam contra naturam est; ex natura enim est resurgere nascentia omnia: contra naturam est interire.

58. Sequitur illud quod gentiles plerumque perturbat, quomodo fieri possit ut quos mare absorbuerit, [b] feræ dilaceraverint, bestiæ devoraverint, terra restituat. Quo ita demum veniatur necesse est, ut non de fide resurrectionis, sed de parte dubitetur. Esto enim ut laceratorum corpora [c] non resurgant, resurgunt ceteri: nec resurrectio destruitur, si conditio excipitur. Miror tamen cur vel de his dubitandum putent, quasi non omnia quæ ex terris sunt, in terram redeant, & in terram resolvantur. (Eccles. 3. 20.) Mare quoque ipsum quæcumque corpora humana demerserit, vicinis exspuit unda plerumque littoribus. Quod ni ita esset, difficile, credo, Deo foret dispersa connectere, dissipata sociare; cui mundus obtemperat, muta obsequuntur elementa, servit natura: quasi non majoris miraculi sit limum animare quam jungere?

59. Avis in regione Arabiæ, cui nomen est Phœnix, redivivo suæ carnis humore reparabilis, cùm mortua fuerit, reviviscit; solos non credimus homines resuscitari? Atqui hoc relatione crebra, [d] & scripturarum auctoritate cognovimus memoratam avem quingentorum annorum spatia vitalis usus habere præscripta; eamque cùm sibi finem vitæ adesse præsaga quadam naturæ suæ æstimatione cognoverit, thecam sibi de thure & myrrha, & ceteris odoribus adornare, completoque opere pariter ac tempore, intrare illò, atque emori: ex cujus humore oriri vermem, paulatimque eum in avis ejusdem figuram concrescere, usumque formari, subnixam quoque remigio pennarum, renovatæ vitæ officia munere pietatis ordiri. Nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum resurgentis, in qua deficiens occidit, & occidens resurgit, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit: atque ita resurrectione avis hujus, locorum incolæ completum quingentorum annorum tempus intelligunt. Ergo isti avi quingentesimus resurrectionis annus est, * nobis millesimus: illi in hoc sæculo, nobis in consummatione mundi. Plerique etiam opinantur quod avis hæc rogum sibi ipsa succendat, & rursus de favillis suis & cineribus reviviscat.

60. Sed fortasse natura discretior, fidei quoque discretionem videatur adferre: in originem principiumque hominis procreandi mens nostra redeat. Viri estis, feminæ estis, quæ humana sunt, non ignoratis: & si qui ignoratis, ex nihilo putatis esse, quod nascimur. [e] Quam ex parvo quanti exsurgimus! Et si non exprimimus, intelligitis tamen quid velimus, vel potius quid nolimus dicere. Unde hoc caput, & vultus iste mirabilis, cujus artificem non videmus, opus videmus, in varia officia usque formatur? Unde forma erectior, status excelsior, faciendi vis, sentiendi vivacitas, gradiendi facultas? Ignota certe nobis sunt naturæ organa, [f] sed nota ministeria. Et tu semen fuisti, & tuum corpus semen est resurrecturi. Audi Paulum, & disce quia semen es: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*: (1 Cor. 15. 42. & seq.) Et tu ergo seminaris ut cetera, quid miraris si resurges ut cetera? Sed illa credis, quia vides: ista non credis, quia non vides: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* (Joan. 20. 29.)

61. Tamen antequam tempus veniat, nec illa creduntur; non enim omne tempus accommodum ad resuscitanda semina. Alio triticum seminatur, alio nascitur: alio vitis inseritur, alio gemmantia sarmenta pubescunt, luxuriat pampinus, uva formatur: alio plantatur olea, alio velut alvo gravis & onusta prole baccarum, fructus sui ubertate curvescit. Ante vero quam suum cuique tempus adveniat, fœtura restrictior est: nec generationis ætatem habet in potestate generandi ipsa, quæ generat. Nunc informem situ, nunc fœtu nudam, nunc virentem floribus, nunc arentem ipsam omnium cernas parentem. Quæ utique vellet omnibus se vestire temporibus, nec umquam aurea segetum aut viridantia pratorum indumenta deponere: ipsa sui egens, & proventuum suorum, quæ in alios transfuderit, indotata compendiis.

62. Ergo & nostram resurrectionem etsi non credis fide, non credis exemplo, usu es crediturus. Et aliis quidem fructibus, ut viti, oleæ, pomisque diversis anni ætas extrema habilis maturandis: nobis quoque mundi consummatio tamquam extremus anni finis accommodam resurgendi præscripsit ætatem. Et bene in con-

a Mss. non pauci, *Non igitur id hominibus terra denegat*, quidam, *denegaret*.

b. Codex Remig. *aves dilaceraverint*. Et non multo post idem ms. cum aliis aliquot, *quod ita demum invenitur*

c Haud pauci mss. *non resurgant, ceterum nec resurrectio destruitur*, commodo sensu.

d. Rom. edit. *& scriptorum auctoritate*: ceteræ, ac mss. omnes, *& scripturarum auctoritate*. Non tamen existimandum est Ambrosium *qua apud auctores vel ethnicos vel certe ecclesiasticos de Phœnice legerat, ea Scripturis sacris imputare*, quemadmodum cavillatur Dallæus lib 2 *de usu Patrum* cap. 3. Nam cùm lib. 5 *Hexaem.* cap. 23. num 79. Phœnicem declarans figuram esse resurrectionis, de Scriptura nihil plane dicat: quod tamen apud christianos, quibus scribebat, maximum habuisset momentum: hic ubi agit adversus ethnicos, cur scripturæ divinæ mentionem faceret apud eos nullam auctoritatem habituræ? *Scripturarum* igitur vocem adhibet ut auctorum sive prophanorum, sive ecclesiasticorum designet scripta, eaque cum *relatione crebra*, id est, vocali sermocinatione componat. Neque vero mirum videri debet, si Phœnicis exemplo ad probandam corporum resurrectionem usi fuerint veteres Patres, Tertullianus lib. *de Resurr.* cap 13. Cyrillus Hier. Catech. 18. Clemens Rom *Epist.* 1. *ad Corinth.* Basilius *Hom.* 8. *in Hexaem.* Epiphanius *in Ancorat.* num 85. & in Physiolog. cap. 11. pluresque alii; nam cùm de eadem ave, ut poetas omittamus, historici catervatim scripserint, ut puta Herodotus *in Euterpe*, Corn. Tacitus *Annal.* lib. 6. Plinius lib. 2. *Nat. Hist.* cap. 1. & alii, quorum nonnulli visam etiam signato tempore & loco esse testati sunt; prudentes sane pii illi viri ad explicandam adserendamque resurrectionem, rem captu in primis difficilem, communi persuasione uti voluerunt. Ceterum jam in fabulosorum numerum Phœnix reponitur, ut videre est apud recentiores scriptores Ornithologiæ. Sed illud apud eos à debita sanctis Patribus veneratione plane alienum, quod eos qui credant Phœnicem existere, contra Scripturæ auctoritatem sentire pronuntiant.

*. Eodem sensu hic loqui videtur Ambrosius noster, quo scripsit Augustinus lib. 20. *de Civit. Dei* cap. 7 *aut certe mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.* Favet quidem huic expositioni, quod infra num. 63. subjicitur: *Mundi tempora annus unus est* &c. Si quis tamen malit in opinione Chiliastarum hæc dicta esse, adeat quæ nos priore tomo in Exposit. Psalm. 1. num. 54. annotavimus.

e Rom. edit. & mss. aliquot, *cùm ex parvo tanti exsurgamus.*

f. Non pauci mss. *sed nota mysteria.*

summatione

summatione mundi resurrectio mortuorum est; A ne post resurrectionem in hoc malum nobis esset sæculum recidendum. Ideo enim Christus est passus, ut nos ex hoc malo sæculo liberaret; ne iterum nos hujus sæculi tentamenta subruerent & obesset renasci, si renasceremur ad culpam.

63. Et rationem igitur resurrectionis, & tempus tenemus: rationem, quia in omnibus sibi fœtibus æque natura respondet, nec in sola hominum successione degenerat: tempus, quia omnia in anni fine generantur. Mundi tempo- B ra annus unus est. Et quid mirum si annus unus est, quando dies una est? Una enim die Dominus operarios conduxit ad vineam, dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* (Matth. 20. 6.)

64. Causæ originum semina sunt. Semen esse corpus humanum gentium Doctor adseruit. (1 Cor. 15. 44.) Est ergo substantia resurgendi, quando est series seminandi. Quod si substantia aut causa non esset, arduum quisquam putaret Deo unde vellet, vel quomodo vellet, homines regenerare, C qui mundum ex nulla materia, nulla substantia esse jussit, & factus est? Cælum adspice, terram intuere. Unde stellarum ignes? unde orbis solis & radii? unde lunæ globus? unde montium vertices, dura saxorum, nemorosa silvarum? unde vel diffusus aer, vel infusæ vel superfusæ aquæ? Sed si hæc omnia Deus fecit ex nihilo (*Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt*) (Psal. 148. 5.) cur miremur renasci posse, quod fuerit; cùm videamus natum esse, D quod non fuit?

65. Illud mirum, quod cùm * resurrectionem non credant, tamen ne genus pereat hominum, clementi quadam benignitate prospiciunt; & ideo transire ac demigrare in corpora dicunt animas, ne mundus intereat. Sed quid sit difficilius, ipsi adserant, transire animas, an redire: sua repetere, an nova quærere.

66. Sed illi dubitent, qui non didicerunt: nos vero qui legimus Legem, prophetas, apos- E tolos, Evangelium, dubitare fas non est. Quis enim dubitet, cùm legit: *Et in tempore illo salvabitur omnis plebs tua, quæ scripta est in libro: & multi dormientium* [a] *in terra fossi, una apertione exsurgent, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & in confusionem perpetuam: & intelligentes splendebunt ut splendor firmamenti, & ex justis multi sicut stellæ in sæcula?* (Dan. 12. 1. & seq.) Bene itaque dormientium dixit quietem, ut intelligas mortem non esse perpetuam, quæ somni vice initur ad F tempus, & ad tempus excluditur: melioremque profectum vitæ ejus ostendit, quæ futura post mortem est, quàm ejus quæ ante mortem

mœrore ac dolore transfigitur. Siquidem illa stellis comparatur, hæc ærumnæ addicitur.

67. Nam quid illa contexam, quæ alio loco scripta sunt: *Suscitabis me, & confitebor tibi?* Quid etiam illud, quod Job sanctus vitæ illius expertus injurias, & adversa nimia [b] patientiâ virtutis exsuperans, compensationem sibi malorum præsentium de resurrectione promisit dicens: *Suscitabis corpus meum hoc, quod multa mala passum est?* (Job. 19. 26.) Esaias quoque resurrectionem populis annuncians, Dominici se nuntium dixit esse responsi; sic enim habes: *Os enim Domini loquutum est, & dicent die illa.* (Esai. 25. 8.) Quid igitur os Domini loquutum sit populos esse dicturos, in posterioribus declaratur, ubi scriptum est; *Propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus & parturivimus spiritum salutis tuæ, quem effudisti super terram. Cadent qui inhabitant terram, resurgent qui in monumentis sunt;* (Esai. 26. 18.) ros enim qui abs te, sanitas est illis, terra vero impiorum peribit. Ambula, populus meus, & intra in recessus tuos. Abscondere aliquantulum, donec transeat ira Dei.

68. Quam bene recessus esse signavit tumulos mortuorum, quibus pauxillulum abscondimur; ut in judicium Dei, quod pro nostris sceleribus jus debitæ indignationis adsumet, tolerabilius transire possimus: Vivit igitur qui absconditur & quiescit, quasi è medio se subtrahens & recedens; ne eum arctioribus laqueis mundi hujus involvat ærumna, quibus repositam resurrectionis esse lætitiam, sanitatemque corporum solutorum divino rore reparabilem, cælestia oracula propheticis vocibus pollicentur. Et bene ros significatur, quo genitalia omnia terrarum semina suscitantur. Quid igitur mirum si fatiscentis quoque corporis nostri cineres ac favillæ pinguedine cælestis roris exuberant, & accepto humore vitali, in compaginem suam membrorum nostrorum habitus reformantur?

69. Docet etiam sanctus Ezechiel propheta, & plena expositione describit, quemadmodum arentibus vigor ossibus refundatur, sensus redeat, motus accedat, nervisque redeuntibus, corporis compago rigescat humani: quemadmodum nimis arida renatis ossa * visceribus vestiantur, venarumque hiatus, & sanguinis rivulos extentæ cutis velamen obducat. In ipsis, dum legimus, propheticis sermonibus humanorum videtur seges corporum rediviva consurgere, atque ipsa spatia diffusa camporum novis videas pullulare seminibus.

70. Quod si veteres sapientes * satis hydri

* . Duo sunt quam diversissima immortalitatem animarum credere, & corporum resurrectionem. Primam partem multi philosophi tenuerunt, quorum omnium ducem exstitisse Pherecidem, à quo eam sententiam Pythagoras, Plato, aliique hauserint, literis prodidere Tullius lib. 1. *Tusc. Quæst.* non longe ab initio, Lactantius lib. 7. *de Vita Beata* num. 8. Augustinus epist. 137. *ad Volus.* num. 11 & multi alii. Quod autem ad secundam veritatem, cùm illam ii soli haberent cognitam, qui verum Deum non ignorabant, ethnici philosophi de animæ à corporeis vinculis absolutæ statu gravissime inter se dissidebant. Celeberrima eorum fuit opinio, qui è corporibus in alia corpora demigrare animas existimabant. Hanc edoctum ab Ægyptiis Pythagoram fuisse auctor est Herodotus *in Euterpe*. Platonem vero eidem quoque amentiæ nomen dedisse Ambrosius hoc libro, & Augustinus lib. 10. *de Civit. Dei*, cap. 30. testificantur. Multi tamen nobiliorem animæ post solutionem corporis conditionem attribuerunt, qua de re consule Ciceronem lib. *de Somnio Scip.* atque alibi, Plutarchum lib. 5. *de Placitis Philosoph.* cap. 7. immo Platonem ipsum in *Phædone*, & alibi.

a. Ita Gill. Rom. edit. & pars una mss. pars autem alia habent, *in terris defossi*, cujus loco Amerb. atque Erasm. legunt, *in terra fossum*, quod nove dictum non monuisset Nannius, si mss. consulere non neglexisset.

b. Rom. edit sola, *patientiæ virtute exsuperans.*

* . *Visceribus* carnem significari alibi jam diximus, quo sensu eadem vox hic & infra semel atque iterum usurpatur.

* . Non obscura allusio est ad hæc Virg. carmina ex lib. 2. Georg.

Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus hydri,
Nec galeis, densisque virûm seges horruit hastis.

Innuit porro Ambrosius ea quæ à poetis memorantur de Cadmo Thebarum conditore, de quo adisis Ovid. lib. 3. *Metamorph.* Fab. 1. & Nat. Comitem lib. 8. *Mythol.* cap. 23. & lib. 9. cap. 14. Paria quoque de Jasone canit Ovidius lib. 7. Fab. 1. & alii, à quibus actum est de Argonautis, quibus additur Nat. Comes lib. 6. cap. 8.

dentibus in regione Thebana inhorruisse armatorum segetem crediderunt: cùm utique alterius naturæ semina certum sit in naturam verti alteram nequivisse, nec partum suis discordem fudisse seminibus; ut ex serpente homines nascerentur, ut caro ex dentibus gigneretur: quanto magis utique credendum est, quæcumque sunt seminata, in suam naturam resurgere, nec à satione sua segetes discrepare, nec duris mollia, nec mollibus dura vivescere, nec in sanguinem venena converti; sed carnem de carne, os de ossibus, sanguinem de sanguine, humorem de humore reparari. Potestis ergo, gentiles, reformationem negare naturæ, qui mutationem potestis adserere? Potestis non credere oraculis, non Evangelio, non prophetiis, qui fabulis inanibus creditis?

71. Sed jam ipsum audiamus prophetam; sic enim ait: [Ezech. 37. 1. & seq.] *Et facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Dominus, & posuit me in medio campo, & hic erat plenus ossibus humanis: & circumduxit me per gyrum eorum, & ecce ossa multa valde in facie campi, arida nimis. Et ait ad me: Fili hominis, si vivent ossa ista? Et dixi: Domine tu scis. Et ait ad me: Prophetiza super ossa ista, & dices illis: Ossa arida hæc, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus ossibus istis: Ecce ego induco in vos spiritum vitæ, & dabo in vos nervos, & adducam super vos viscera, & extendam super vos cutem, & dabo Spiritum meum in vos; & vivetis, & scietis quod ego sum Dominus. Et prophetavi sicut mandavit mihi. Et factum est cùm prophetarem hæc omnia, ecce factus est terræ motus magnus.*

72. Vide nunc quemadmodum & auditum in ossibus, & motum prius ostendat esse, quam vitæ spiritus refundatur. Nam & supra ossa arida jubentur audire, quasi sensum habeant audiendi: & hîc accessisse eorum unumquodque ad suam compaginem prophetico sermone signatur; sic enim habes: [Ibidem 7. & seq.] *Et accedebant ossa, unumquodque ad suam compaginem. Et vidi, & ecce super illa nervi & viscera nascebantur, & adscendebat super ea cutis desuper, & spiritus in his non erat.*

73. Magna Domini gratia, quod futuræ resurrectionis propheta testis adhibetur, ut nos quoque eam illius oculis videremus. Neque enim omnes testes adhiberi poterant, sed in uno omnes testes sumus; quia nec in virum sanctum cadit mendacium, nec in tantum error prophetam.

74. Nec minus verisimile debet videri, quia jubente Deo, ossa in suam compaginem reformantur; cùm utique innumera habeamus exempla, quibus natura rerum cælestibus est obsequuta præceptis; [Gen. 1. 11. Num. 20. 11. Exod. 4. 3.] ut terra pabulum gignere juberetur, & gigneret: ut ad virgæ tactum sitientibus populis petra vomeret aquam, atque æstu torridis miseratione divina undarent fluenta dura saxorum. Virga in serpentem versa quid aliud indicavit, nisi volente Deo ex insensibilibus sensibilia posse generari? An vero incredibilius putas quod ossa, cùm jubentur, accedunt; [Ezech. 37. 7.] quam quod retrorsum fluenta vertuntur, maria fugiunt? Sic enim Propheta testatur: [Psal. 113. 3.] *Mare vidit & fugit, Jordanis conversus est retrorsum.* Nec super hoc ambigi potest, quod duorum populorum [a] alterius salute, alterius obitu comprobatum est, aquarum cursus stetisse frænatos eosdemque aliis circumfusos, [Exod. 14. 22. & seq.] alios ad mortem refusos, [b] ut alios mergerent, alios reservarent. Quid in ipso Evangelio? Nonne ibi probavit Dominus, quod verbo unda mitescat, [Matth. 8. 26.] fugentur cæli nubila, cedant flabra ventorum, placidisque littoribus muta Deo famulentur elementa?

75. Sed persequamur cetera, ut quemadmodum spiritu vitæ animentur defuncti, surgant jacentes, sepulcra reserentur, possimus advertere. [Ezech. 37. 9. & seq.] *Et ait ad me: Prophetiza, fili hominis, & dic spiritui: Hæc dicit Dominus; A quatuor ventis cæli veni spiritus, & insuffla in mortuos istos, & vivant. Et prophetavi sicut mandavit mihi, & intravit in eos spiritus vitæ, & vixerunt, & steterunt in pedibus suis congregatio nimis multa. Et loquutus est Dominus ad me, dicens: Fili hominis ossa hæc omnis domus Israel. Ipsi enim dicunt: Arida facta sunt ossa nostra, periit spes nostra, interibimus. Propterea prophetiza & dic: Hæc dicit Dominus; Ecce ego aperio vobis monumenta vestra, & educam vos de monumentis vestris in terram Israel, & scietis quod ego sum Dominus, cùm aperiam sepulcra vestra, & educam de sepulcris populum meum, & dabo Spiritum meum in vobis, & vivetis, & ponam vos super terram vestram, & scietis* [c] *quia ego sum Dominus: loquutus sum, & faciam, dicit Dominus.*

76. Advertimus quemadmodum vitalis spiritus commercia resumantur, cognovimus quemadmodum dehiscentibus tumulis, mortui suscitentur. An vero mirandum est jussu Domini mortuorum sepulcra reserari, cùm tota suis terminis uno tonitruo terra quatiatur, mare suis exundet finibus, idemque suarum cursus refrænet undarum? Denique ille [d] qui credidit [1 Cor. 15. 52. 1 Thess. 4. 16.] quia in momento, in ictu oculi, in novissima tuba (canet enim tuba) mortui resurgent; cum primis rapietur in nubibus obviam Christo in aera: qui non credidit, relinquetur, & perfidiâ suâ subdet se ipse sententiæ.

77. Ostendit tibi Dominus etiam in Evangelio, ut jam ad exempla veniamus, quemadmodum resurgas. Non enim unum Lazarum, sed fidem omnium suscitavit: quod tu si credas, cùm legis, mens quoque tua, quæ mortua fuerat, in illo Lazaro reviviscit. Quid enim sibi vult quod Dominus ad monumentum accessit, magna voce clamavit: [Johan. 11. 44.] *Lazare exi foras?* nisi ut

a Plerique mss. *alterius salus, alterius obitus comprobatur.* Non bene, nisi ante duas voces pro *quod* legere volueris *quo*, ubi facilis error librariorum esse potuit.

b. Mss. non pauci, *ut alios allideret*, nonnulli *læderent* . . . . *Nonne tibi probavit* &c.

c. Ita mss. longe plurimi cum LXX. Interpr. alii vero cod. & & cunctæ edit. cum Vulg. *quod ego Dominus loquutus sum, & feci.* Sequenti autem sensu pro *in artus resumatur*, quod exstabat in ant. edit. duo mss. legunt, *commercia reparentur*, ceteri, ac Rom. edit. ut in contextu

d. Omnes edit. *qui crediderit quia . . . . in novissima tuba mortui resurgent, cum primis rapietur*: mss. vero nobiscum faciunt, nisi quod in quibusdam omittitur, *canet enim tuba*, & habetur, *mortui resurgent primi, rapientur.* Non satis recte. At infra ubi Rom. edit. *& perfidia subdet*, vet. ac mss. aliquot, *& perfidia sua subdet*; melius reliqui mss. *& perfidiâ suâ* &c.

futuræ resurrectionis [a] specimen præstaret, A exemplum ederet? Cur voce clamavit, quasi spiritu non soleat operari, quasi tacitus non non soleat imperare? Sed ut illud ostenderet, quod scriptum est: *Quoniam in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, & mortui* [b] *resurgent incorrupti*; tubarum enim crepitus vocis metitur elatio. (1 Cor. 15. 52.) Et clamavit: *Lazare exi foras.* Cur etiam nomen additur, nisi forte ne alius resuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio, quam imperata? B

78. Audivit ergo defunctus, & exivit foras de monumento, ligatus pedes & manus * institis, & facies ejus orario colligata erat. (Joan. 11. 44.) Comprehende, si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat, inseparabili gressu, [c] separabilique progressu. Manebant vincula, nec tenebant: tegebantur oculi, sed videbant. Videbat denique qui resurgebat, qui ambulabat, qui deserebat sepulcrum. Virtute enim divinæ præceptionis C operante, natura suum non requirebat officium; & tamquam in excessu posita, non jam suo ordini, sed divino nutui serviebat. Rumpebantur prius mortis quam sepulturæ vincula: agebatur prius quam parabatur incessus.

79. Si miraris hæc, disce quis imperaverit, ut mirari desinas. Jesus Christus Dei virtus, [d] vita, lux, resurrectio mortuorum: virtus erexit jacentem, vita gressum extulit, lux fugavit tenebras, reparavit obtutum, resurrectio vivendi gratiam reformavit.

80. Fortasse moveat quod Judæi lapidem tollunt, Judæi institas solvunt; (Ibidem 41.) ne forte & tu sollicitus sis, quis lapidem de monumento tuo tollat. Quasi vero qui spiritum refundere poterat, lapidem removere non poterat: aut vincula rumpere, qui vinctum fecerat ambulare: aut deoperire faciem, qui opertis oculis lumen infuderat: aut findere petram, qui poterat reformare naturam? Sed ut vel oculis suis crederent, qui credere mente nolebant, removent lapidem, vident cadaver, fœtorem sentiunt, institas rumpunt. Non possunt negare defunctum, quem adspiciunt resurgentem; vident signa mortis, & vitæ munera. Quid si dum conantur, labore ipso emendantur? quid si dum audiunt, vel auribus suis credunt? quid si dum intuentur, vel oculis suis corriguntur? quid si dum rumpunt vincula, mentes suas solvunt? quid si dum Lazarus exuitur, populus liberatur? dum Lazarum abire permittunt, ipsi ad Dominum revertuntur? (Ibidem 45.) Denique multi qui venerant ad Mariam, videntes quæ facta sunt, crediderunt.

81. Nec hoc solum exemplum edidit dominus noster Jesus Christus; sed alios quoque resuscitavit, ut nos vel exemplis uberioribus crederemus. Resuscitavit adolescentem fletu viduæ matris inflexus, quando accessit & tetigit loculum, dicens: *Adolescens, tibi dico surge: & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Statim ut audivit, statim resedit, statim loquutus est. Alia ergo virtutis gratia, alius ordo naturæ.

82. Nam quid de archisynagogi filia loquar, (Luc. 7. 14.) in cujus obitu flebant turbæ, tibicines personabant? Etenim ad fidem mortis pompa funeris exhibetur. Quam cito ad vocem Domini convertitur spiritus, redivivum corpus erigitur, cibus sumitur; ut vitæ testimonium crederetur.

83. Et quid miremur ad vocem Dei refundi animam, redire ossibus viscera; cùm meminerimus prophetici tactu corporis mortuum suscitatum? (4 Reg. 13. 21.) Elias oravit, & defunctum suscitavit infantem: (3 Reg. 17. 22.) Petrus in nomine Christi Tabitham surgere atque ambulare præcepit, (Act. 9. 40.) & redditam sibi pauperes gratulati crediderunt pro alimentis; & nos adhuc pro salute [e] non credimus? Illi resurrectionem alienam suis lacrymis redemerunt, nos nostram nec Christi credimus passione? Qui cùm emitteret spiritum, ut ostenderet pro nostra resurrectione se mortuum, seriem ipsam resurrectionis exercuit; simul enim ut *clamans iterum voce magna emisit spiritum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt, & exeuntes de monumento post* D *resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & multis apparuerunt.* (Matth. 27. 51. & 52.)

84. Si hæc facta sunt, cùm emitteret spiritum, cur incredibilia putamus, cùm redire cœperit ad judicium? præsertim cùm hæc resurrectio documentum illius resurrectionis, & futuræ sit veritatis exemplum: minus autem exemplum est, quam veritas. Quis igitur in Domini passione monumenta aperuit, manum resurgentibus dedit, viam qua civitatem sanctam peterent, E demonstravit? Si nemo fuit, fuit utique vis divina, quæ operaretur in corporibus mortuorum. Hominis tu quæris auxilium, ubi opus Dei cernis?

85. Non egent [f] humanis divina ministeriis. Cælum Deus fieri jussit, & factum est: terram creari statuit, & creata est. (Gen. 1. 6. & seq.) Quis humeris saxa convexit? quis congessit impensas? quis laboranti Deo suam operam ministravit? In momento hæc facta sunt. Vis scire quam brevi? *Dixit, & facta sunt.* (Psal. 148. 5.) Si dicto elementa consurgunt, cur dicto mortui non resurgant? Qui licet mortui sint, tamen aliquando vixerunt, habuerunt spiritum sentiendi, habuerunt vires agendi; plurimumque refert capax animi non

a. Amerb. & mss. aliquot, *speciem præstaret*: Remig. & Benign. *spem præstaret.*

b. Mss. nonnulli, *resurgent in incorruptione; tubarum enim strepitus.*

*. Institæ hoc loco fasciæ sepulcrales sunt, quæ dicuntur à Johanne κειρίαι, aut melius κηρίαι à nomine κὴρ, mors sive fatum. Ad eas à Davide allusum Nannius putat, ubi legimus: *Prævenerunt me laquei mortis; funes inferi circumdederunt me*: his enim cadavera unguentis delibuta, ne corruptione solverentur, Judæi obligabant. Attamen per institas etiam communes fasciæ intelliguntur; immo & genus quoque vestis muliebris hujusmodi fascia seu limbo prætextum, sicuti observat idem Nannius, nec non Vossius ad eamdem vocem.

c. Pauci mss. *separet gressum.* Verùm in recepta lectione non vitii quidquam, inquit Nannius, sed obscuritas magna. Est autem sensus: Quomodo vinctis pedibus iter dirigat, cruribus inter se revinctis, tamen quasi divaricatis, alterno motu pedum incedens. Ita ille.

d. Ita omnes edit. & mss. aliquot: alii vero plures, *via*, *lux* .. ... *via gressum extulit.*

e. Hunc locum pleraque mss. contractum efferunt in hanc formam, *non credimus? ipse etiam dominus noster Jesus Christus seriem ipsam resurrectionis exercuit.* Melius tamen alii, & cunctæ edit. ut in textu.

f. Omnes edit. ac pauci mss. *humanis divina mysteria*: reliqui mss. *humanis divina ministeriis*, quod cum sequentibus aptius cohærere manifestum est.

fuisse, & exanimum remansisse. Diabolus dixit: A *Dic lapidi huic, ut fiat panis.* (Luc. 4. 3.) Confitetur, jubente Deo, converti posse naturam; tu non credis, jubente Deo, reformari posse naturam?

86. De solis cursu cælique ratione philosophi disputant, & sunt qui putant his esse credendum; cùm quid loquantur, ignorent. Neque enim cælum adscenderunt, axem dimensi, mundum oculis perscrutati sunt; quia nullus eorum cum Deo in principio fuit, nullus eorum de Deo dixit: (Prov. 8. 27. & 30.) *Cùm pararet cælum, cum ipso* B *eram, & eram cum eo componens, ego eram* [a] *cui adgaudebat.* Si ergo illis creditur, non creditur Deo, qui ait: (Esai. 66. 22. & seq.) *Quemadmodum cælum novum, & terra nova, quæ ego facio manere coram me, dicit Dominus; sic stabit nomen vestrum, & semen vestrum: & erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato; & veniet omnis caro in conspectu meo, ut adorent in Hierusalem, dicit dominus Deus: & exibunt, & videbunt membra hominum, qui prævaricati sunt in me. Nam vermis eorum non mo-* C *rietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in adspectum universæ carni.*

87. Si terra renovatur & cælum, cur dubitemus hominem posse renovari, propter quem terra facta & cælum est? Si prævaricator servatur ad pœnam, cur justus non perpetuatur ad gloriam? Si vermis non moritur peccatorum, quemadmodum interibit caro justorum? Hæc est enim resurrectio, sicut verbi ipsius sonus exprimit; ut quod cecidit, hoc resurgat: D quod mortuum fuerit, reviviscat.

88. Et hæc est series & causa justitiæ, ut quoniam corporis animique communis est actus (quia quæ animus cogitavit, corpus effecit) utrumque in judicium veniat, utrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reservetur. Nam propemodum absurdum videtur, ut cùm animi legem lex carnis impugnet, & mens plerumque quod odit, hoc faciat, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur; animus * subdatur injuriæ alienæ reus culpæ, caro E quiete potiatur auctor ærumnæ: & solus adteratur, qui non solus erravit: aut solus gloriam referat, qui non solus [b] gratiæ militavit.

89. Plena, ni fallor, & justa ratio: sed ego rationem à Christo non exigo. Si ratione convincor, fidem abnuo. Credidit Abraham Deo, (Gen. 15. 6.) & nos credamus; ut qui sumus generis, etiam fidei simus heredes. Credidit & David, propter quod & loquutus est: (Psal. 115. 10.) & nos credamus, ut possimus loqui, scientes quoniam, (2. Cor. 4. 14. Tit. 2. 2.) *qui suscitavit dominum Jesum Christum, & nos cum Jesu suscitabit.* Hoc enim promisit, qui numquam mentitur, Deus: hoc promisit veritas in Evangelio suo, dicens: (Johan. 6. 39.) *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed resuscitem illud in novissimo die.* Nec satis putavit semel dixisse, sed etiam [c] repetita expressione signavit; sic enim sequitur: *Hæc est enim voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* (Ibidem 40.)

90. Quis hoc dicit? Utique is qui mortuus plurima defunctorum corpora suscitavit. Si Deo non credimus, nec exemplo credimus? Non credimus quod promisit; quando etiam quod non promisit, effecit? Ipse autem quam causam moriendi habuisset, nisi habuisset & causam resurgendi? Etenim [d] quoniam Deus mori non poterat, mori non poterat sapientia: resurgere autem non poterat, quod mortuum non erat; adsumitur caro, quæ mori posset; ut dum moritur, quod solet, quod mortuum fuerat, hoc resurgeret. Neque enim poterat esse nisi per hominem resurrectio; quoniam *sicut per hominem mors, ita & per hominem resurrectio mortuorum.* (1. Cor. 15. 21.)

91. Ergo resurrexit homo, quoniam homo mortuus est: resuscitatus homo, sed resuscitans Deus. Tunc secundum carnem homo, nunc per omnia Deus: nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum, sed carnis gratiam tenemus; ut ipsum primitias quiescentium, ipsum primogenitum ex mortuis noverimus. (Ibid. 21. 2. Cor. 5. 16.) Primitiæ utique ejusdem sunt generis atque naturæ, cujus & reliqui fructus, quorum pro lætiore proventu primitiva Deo munera deferuntur, sacrum munus pro omnibus, & quasi reparatæ quædam libamina naturæ. Primitiæ ergo quiescentium Christus. Sed utrum suorum quiescentium, qui quasi mortis exsortes dulci quodam sopore teneantur, an omnium mortuorum? Sed *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* (1. Cor. 15. 22.) Itaque sicut primitiæ mortis in Adam, ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo.

92. Omnes resurgunt, sed nemo desperet, neque justus doleat commune consortium resurgendi; cùm præcipuum fructum virtutis exspectet. *Omnes quidem resurgent, sed unusquisque,* (Ibid. 23.) ut ait Apostolus, *in suo ordine.* Communis est divinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritorum. Dies omnibus lucet, sol omnes populos fovet, pluvia possessiones omnium uberiore imbre fœcundat.

93. Omnes nascimur, omnes resurgemus: sed in utroque vel vivendi, vel reviviscendi gratia dispar, diversa conditio. *In momento* (Ibid. 52.) enim, *in ictu oculi, in novissima tuba mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quin F etiam in ipsa morte * quiescunt alii, vivunt alii. Bona quies, sed vita melior. Denique Paulus ad vitam excitat quiescentem, dicens: *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit tibi Christus.* (Ephes. 5. 14.) Ergo hic excitatur, ut vivat, ut similis Pauli sit, ut possit dicere: *Quia nos qui vivimus, non præveniemus eos qui dormierunt.* (1. Thess. 4. 14.) Non enim communem hunc vivendi loquitur usum, spirandique commercium, sed meritum resurgendi. Nam cùm dixisset. *Et mortui qui in* (Ibidem 15.)

a. Mss. complures, *cui adplaudebat*: nonnulli, & edit. *adgaudebat.*

* *Subdatur injuriæ*, hoc est, pœnis ac suppliciis.

b. Nonnulli mss. *gloriæ militavit.*

c. Omnes edit. *repetita expressione firmavit*; omnes mss. .... *signavit.*

d. Vet. edit. ac mss. aliquot, *quoniam Dei mori non poterat sapientia.* Rom. edit. cum reliquis mss. ut in corpore.

*. *Quies & vita, pœnarum immunitas & thronus in regno* ubique apud Ambrosium eodem sensu intelligenda sunt, quo accipi debere in epist. 71. *ad Horont.* admonuimus. Et certe frustra fore, qui ex hujusmodi locutionibus opinionem de medio inter gloriam ac pœnas statu adstruunt sancto Antistiti; namque infinitis locis immortalitatem supplicii aperte opponit, ut in hac ipsa oratione num. 8. *pœnæ adusitis immortalitatem debetur.* Quod quidem si Joh. Dallæus adtentius considerasset, easdem loquendi formulas innoxie minime traduxisset lib. 2. *de Usu Patrum* cap. 4.

Christo sunt, resurgent primi; subjecit deinde: *Et nos qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera.* A

94. Utique mortuus est Paulus, & passione venerabili vitam corporis cum immortali gloria commutavit: num fefellit ergo qui se viventem scripsit in nubibus obviam Christo esse rapiendum? Hoc enim de Enoch legimus, aut Elia: sed & tu rapieris in spiritu. Ecce currus Eliæ, ecce ignes, etsi non videntur, parantur; ut justus adscendat, innocens transferatur, & B tua vita mori nesciat. Denique apostoli mori nescierunt; unde & dictum est: *Amen, amen dico vobis, multi ex his adstantibus non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Vivit enim qui non habet, quod moriatur in eo, qui non habet ex Ægypto calceamentum aliquod aut vinculum: sed exuit illud priusquam corporis hujus deponat officium. Non solus itaque Enoch vivit, quia non solus est raptus: rapitur & Paulus obviam Christo. C

Gen. 5. 24. · 4 Reg. 2. 11. · Matth. 16. 28.

95. Vivunt etiam patriarchæ; neque enim aliter Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, nisi mortui viverent, diceretur; Deus enim mortuorum non est, sed viventium. Vivemus & nos, si gesta moresque majorum voluerimus imitari. Miramur patriarcharum præmia, imitemur obsequia: prædicamus gratiam, sequamur obedientiam, non escis inducti, sæculi laqueos incidamus. Arripiamus opportunitatem temporis, præscriptum Legis, clemen- D tiam vocationis, desiderium passionis. Exierunt de terra sua patriarchæ, & nos exeamus proposito de corporis potestate; nos exeamus proposito, illi exsilio: sed exsilium non putarunt, quod devotio obiret, non necessitas imperaret. Illi terram solo mutarunt, nos terram cælo mutemus: illi habitatione, nos spiritu. Illis illuminatum stellis cælum [a] ostenderit sapientia, nostri cordis oculos illuminet. Sic typus veritati, & veritas concurrit typo. E

Luc. 20. 38. · a

96. Abraham paratus excipiendis hospitibus, fidelis Deo, impiger ministerio, promtus officio, Trinitatem in typo vidit, hospitalitatem religione cumulavit, tres suspiciens, unum adorans; & personarum distinctione servata, unum tamen Dominum nominabat, tribus honorificentiam muneris deferens, & unam significans potestatem. Loquebatur enim in eo non doctrina, sed gratia: & melius credebat ille, quod non didicerat, quam nos qui didicimus. Nemo F enim typum falsaverat veritatis, & ideo tres videt, sed unitatem veneratur. Tres mensuras similaginis promit, unum immolat vitulum; satis credens unum esse sacrificium, [b] trium munus: unam hostiam, trium gratiam. Nam in quatuor regibus quis non intelligat quod materialis elementa naturæ, præfiguratæ Dominicæ passionis indicio, & omnia sibi mundana subjecerit? Fidelis in bello, abstemius in triumpho, qui donis non hominum ditescere, sed Dei mallet.

Gen. 18. 2. · Ibidem 6. & seq. · b · Gen. 14. 1. & seq.

97. Generare se posse filium senex credidit, immolare posse se filium pater judicavit: nec patrius trepidavit affectus, cùm senis dexteram pietas adjuvaret; sciebat enim acceptiorem Deo filium immolatum esse, quam sanum. Ergo adducit ad sacrificium filium dilectissimum; & quem sero susceperat, cito obtulit: nec paterni nominis appellatione revocatur, cùm ille patrem vocaret, hic filium. Cara quidem nominum pignora, [c] sed amabiliora Dei præcepta. Itaque licet compaterentur corda, vota durabant. Distrinxit super filium gladium paterna manu, & patrio percussit affectu, ne periret pœnâ: trepidavit, ne ictus erraret, dextera deficeret. Sensit pietatis affectum, sed non omisit devotionis negotium: & properabat obsequium, etiam cùm audiret oraculum. Unde nos quoque Deum omnibus, quos diligimus, præferamus, patri, fratribus, matri; [d] ut possit nobis servare dilectos, sicut in Abraham uberiorem remuneratorem, quam ministrum videmus.

Gen. 22. 12. · c · d

98. Obtulit quidem filium pater, sed Deus non sanguine, sed pietate placatur. Ovem pro homine demonstravit in ligno; ut & filium patri redderet, nec periret hostia sacerdoti. Itaque nec Abraham parricidio cruentatus est, nec Deus sacrificio defraudatus. Vidit propheta, nec affectavit jactantiam, nec tenuit pertinaciam: ovem pro homine mutavit. Quo magis ostenditur, quam religiose obtulerit, quem tam libenter recepit. Et tu si Deo munus tuum offeras, non amittis. Sed avari sumus. Deus unicum Filium morti pro nobis obtulit, nos nostros negamus. Vidit hoc Abraham, & agnovit mysterium, salutem nobis in ligno futuram: nec latuit in uno eodemque sacrificio aliud esse quod videretur offerri, aliud quod posset occidi.

Ibidem 13. · Rom. 8. 32.

99. Imitemur ergo Abrahæ devotionem, imitemur Isaac bonitatem, imitemur castimoniam. Bonus plane & pudicus vir, devotus Deo, castus uxori: qui injuriam non reddidit, excludentibus cessit, pœnitentes eosdem recepit, nec protervus contumaciæ, nec durus gratiæ. Litium fugitans, cùm recederet: facilis veniæ, cùm reciperet: profusior bonitate, cùm ignosceret. Petebatur societatis consortium, adjunxit convivium voluptatis.

100. Imitemur etiam in Jacob typum Christi, sit ejus in nobis aliqua similitudo factorum. Erimus consortes, si fuerimus imitatores. Matri obedivit, fratri cessit, socero servivit, mercedem de lucris, non de gregis divisione quæsivit. Non avara divisio, ubi lucrativa portio. Nec illa otiosa significatio, scala de cælo, quod per crucem Christi Angelorum atque hominum futura consortia viderentur. Cui obstupefactum est femur, ut in femore suo agnosceret generationis heredem, & obstupefactio femoris passionem prophetaret heredis.

Gen. 28. 12. · Gen. 32. 25.

a. Nonnulli mss. *ostendit sapientia, nostri cordis oculos illuminet ejusdem sapientiæ vera cognitio.*

b. Ita omnes edit. ac plures mss. alii vero exhibent, *trinum munus: unam hostiam trium gratiarum.* At post paucos versus, ubi nos cum Rom. edit. cunctisque mss. *abstemius in triumpho*, unum tamen, *ac strenuus in triumpho*; in ant. edit. habebatur, *abstinens in triumpho.*

c. Rom. edit. *sed ampliora præcepta*: reliquæ, ac mss. *sed amabiliora præcepta*, Benig. *Dei præcepta.*

d. Eadem Rom. edit. *ut possit nobis servari dilectus*: vet. autem, ac mss. invicem consentiunt, nisi quod illæ præferunt, *nos servari*, ubi nos cum mss. *nobis servari.*

101. Videmus igitur cælum patere virtuti, A nec hoc esse paucorum: Matth. 8. 11. *Multi enim venient ab oriente, & ab occidente, & aquilone & austro, & recumbent in regno Dei*, delectationem perpetuæ quietis sepultis animorum motibus exprimentes. Luc 16. 23. Sequamur Abraham moribus, ut nos recipiat in gremium suum, & tamquam Lazarum suæ humilitatis heredem propriis circumfusum virtutibus pio foveat amplexu. * Non enim nos in gremio corporali, sed in quodam bonorum factorum amictu sancti patriarchæ B probata Deo successio fovet. Galat. 6. 7. *Nolite*, inquit, *seduci, Deus non deridetur.*

102. Advertimus quam grave sit sacrilegium 1 Cor. 15. 13. resurrectionem non credere; si enim non resurgimus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non surrexit. Si enim nobis non resurrexit, utique non resurrexit, qui sibi cur resurgeret, non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cælum, resurrexit in eo Apoc. 21. 1. terra; erit enim cælum novum, & terra nova. C Sibi autem ubi erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant? Nam etsi secundùm hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis.

Psal. 87. 5. 103. Vis scire quam liber? *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.* Et bene liber, qui se poterat suscitare, juxta quod scriptum est: Johan. 2. 19. *Solvite hoc templum, & in triduo resuscitabo illud.* Et bene liber, qui alios descenderat redempturus. Factus est autem sicut homo, non D specie utique, sed veritate formatus; quia & homo est, & quis cognoscet eum? Etenim Phil. 2. 7. & 8. *in similitudinem hominum factus, & specie inventus ut homo, humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem*; ut per illam scilicet obedientiam Johan. 1. 14. ejus gloriam videremus, *gloriam quasi unigeniti à Patre* [a] secundùm Johannem sanctum. Ita enim Scripturæ figura servatur, ut & unigeniti gloria, & perfecti hominis natura servetur in Christo.

104. Itaque adjutore non eguit: neque E enim eguit, cùm faceret mundum; ut egeret, cùm redimeret. Non legatus, non nuntius, sed Psal. 32. 9. ipse Dominus salvum fecit eum: *Ipse dixit, & facta sunt.* Ipse Dominus salvum fecit eum: ubi- Coloss. 1. 17. que ipse, quia per ipsum omnia. Quis autem adjuvaret eum, in quo creata sunt omnia, & 1. Cor. 15. 52. omnia in ipso constant? Quis adjuvaret eum, qui omnia in momento facit, & in novissima tuba mortuos suscitat? Non quia aut prima, aut secunda non possit, aut tertia: sed ordo ser- F vatur, non quo difficultas fero vincenda, sed legitimus [b] numerus explicandus sit.

105. Tempus autem, arbitror, de tubarum specie dicere, quoniam sermo propinquat ad finem; ut nostri quoque consummandi eloquii tuba sit signum. Septem tubas legimus in Apocalypsi Johannis, quas septem sumsere Angeli. Apoc. 8. 2. Ubi habes quoniam septimus Angelus tuba cecinit, & facta est vox magna de cælo dicens: Apoc. 11. 15. *Factum est regnum hujus mundi Dei nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum.* Tuba quidem & pro voce accipitur, quia habes: Apoc. 4. 1. *Quoniam ecce ostium apertum in cælo, & vox prima, quam audivi, sicut tubam loquentem mecum & dicentem: Adscende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri.* Legimus etiam: Psal. 80. 4. *Canite initio mensis tuba*; sed etiam alibi: Psal. 150. 3. *Laudate eum in sono tubæ.*

106. Ergo quid sibi velit * tubarum significatio, omni virtute debemus advertere; ne quasi fabulam aniliter accipientes periclitemur, si indigna dogmate spiritali, nec convenientia Scripturarum eminentiæ sentiamus. Nam cùm Ephes. 6. 12. legerimus bellum nobis esse non adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus; non carnalia 2. Cor. 10. 4. utique arma, sed fortia Deo æstimare debemus. Non enim satis est tubam te videre, nec sonum ejus audire, nisi proprietatem sonitus intelligas. Etenim si incertam vocem det tuba, quomodo quis parabit se ad bellum? Unde oportet vocis tubæ nos scire virtutem, * ne videamur barbari, cùm tubas hujusmodi aut audimus, aut loquimur. Et ideo cùm loquimur, oremus ut eas nobis Spiritus sanctus interpretetur.

107. Requiramus igitur in Scripturis veteribus quid de tubarum genere legerimus, [c] consentientes eas solemnitates, quæ Judæis Lege præscriptæ sunt, superiorum esse umbram celebritatum, cælestiumque festorum. Hic enim umbra, illic veritas. Per umbram ad veritatem pervenire nitamur. Cujus figura etiam alibi expressa est hoc modo; habes enim quia loquutus est Dominus ad Moysen: Levit. 23. 24. *Loquere filiis Israel, dicens: Mense septimo, una mensis, erit vobis requies* [d] *in memoriale tubarum, vocata sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis, & accendetis holocaustum Domino.* In Numeris autem: Num. 10. 1. & seq. *Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas ductiles, argenteas facies eas, & erunt tibi ad evocandam synagogam, & promovenda castra: & tuba canes in illis, & colligetur omnis turba ad ostium tabernaculi testimonii. Si autem in una tuba cecineris, ad te venient omnes principes & duces Israel, & tuba canetis significationem primam, & promovebunt castra, & constituentur ad Orientem. Et tuba canetis significationem secundam, & promovebunt castra, & constituentur* [e] *ad libanum.*

*. Haud absimili modo quid per Abrahæ sinum intelligere nos oporteat, *Exposit. in Psal.* 18. num. 11. explicatum reperies, si locum adire non te pigeat.

a. Rom. edit. relecaverat *secundùm Johannem sanctum*, quas voces ex aliis edit. ac mss. restituimus.

b. Ita vet. edit. ac mss. prope ad unum: at Rom. edit. cum uno vel altero mss. *numerus vindicandus sit.*

*. Origenes *Tract.* 10. *in Matth.* de Scripturæ tubis disserit, sed contractius; tametsi locum è Numeris ab Ambrosio infra subjectum integrum referat. Potuit ergo Doctor noster, quæ hic disputat, ex eo fonte derivata more suo amplificasse.

*. Tubâ Romani utebantur in militia, quemadmodum tympanis ac tibiis barbari: qua de re Consule Just. Lipsium *de Mil. Rom.* lib. 2. Dial. 10.

c. Omnes edit. *scientes eas*; mss. vero, alii *conjicientes eas*, alii *concientes eas*, alii demum *consentientes eas*; quæ lectio videtur præferenda.

d. Rom. edit. *in memoriale tubarum, vocata sancta Domino*: vet. autem edit. non discrepant à mss. ac à sacris cod. nisi quod virgulam transponunt post vocem *vocata*, sed incongrue.

e. Eras. & Gill. edit. *ad liba*; Rom. *ad austrum.* Et utrique suffragantur sacri codices, quorum alii legunt [illegible], alii [illegible]. Non dubium tamen est quin lectio Amerb. & mss. bona sit, nempe *ad libanum*; infra enim num. 115. eadem lectio habetur, & num 119. Sponsus à libano sponsam invitat. Rursus vero ubi nos cum vet. edit. & cunctis mss. *ad boream*; reposuerat, edit. *ad mare.* In hoc autem non tantum LXX. ei patrocinantur, sed ipsemet Ambrosius infra num. 125. ubi tertiam tubæ significationem mari accommodat. Verum tamen ab omnibus mss. & ant. edit. piget discedere. Adverte porro nec in hebræo, nec in ullis versionibus præter LXX. haberi quidquam de tertio & quarto tubarum signo, & pro eo quod est ubique in sacris litteris, *castra quæ constituta sunt*; Ambrosium legisse, *castra quæ constituentur.*

Et tuba canetis significationem tertiam, & promovebunt castra, quæ constituuntur ad boream. Et tuba canetis significationem quartam, & promovebunt castra, quæ constituuntur ad Aquilonem. Significationem tubæ canent in promotu eorum. Et cùm congregabitis synagogam, tuba canite, & non significationem. Et filii Aaron sacerdotes tubis canent, & erit vobis legitimum æternum in progenies vestras. Si autem exieritis in bellum in terram vestram ad adversarios, qui resistunt vobis, significabitis tubis, & reminiscemini coram Domino, & [a] *liberationem habebitis à mortuis vestris. Et in diebus lætitiæ vestræ, & in diebus festis vestris, & in neomeniis vestris concinite tubis, & in holocaustis & sacrificiis salutaribus vestris, & erit vobis in commemoratione vestra coram Domino, ait Dominus.*

108. Quid igitur, dies festos in potu & in epulis æstimabimus? Sed nemo nos in manducando dijudicet; novimus enim quia Lex spiritalis est: *Nemo ergo nos judicet in escis aliquibus, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniis, aut sabbato. quæ sunt umbra* [b] *futurorum, corpus autem Christi.* Corpus itaque Christi requiramus, quod vobis quasi novissima tuba vox de cælo paterna monstravit, tunc cùm dicebant Judæi, quia tonitruum factum est illi: corpus Christi, quod iterum tuba nobis novissima revelabit; quoniam *ipse Dominus in jussu Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent; ubi* enim *corpus, illic & aquilæ:* ubi Christi corpus, ibi veritas.

Rom. 7. 14. Coloss. 2. 16. Johan. 12. 28. 1 Thess. 4. 15. Luc. 17. 37.

108. Septima igitur tuba hebdomadis requiem videtur significare, quæ non solum in in diebus & annis & periodis æstimatur (unde & jubilæus sacratus est numerus) sed etiam annum septuagesimum comprehendit, quando in Hierusalem regressus est populus, qui septuaginta annis in captivitate duravit. In centesimis quoque & in millesimis sacri observatio numeri minime præteritur; neque enim otiose Deus dixit: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Ergo umbra futuræ quietis in diebus, mensibus, annis, mundi ipsius tempore figuratur; & ideo per Moysen mandatur filiis Israel, ut septimo mense, una mensis, singulis fiat requies in memoriale tubarum: nec servile aliquod opus, sed Deo sacrificium offeratur; eo quod in ipso fine hebdomadis, quasi mundi sabbato, spiritalia à nobis non carnalia opera flagitantur. Quod enim carnale, servile; quia animo caro servit: [c] liberum vero innocentia facit, culpa vernaculum.

3 Reg. 19. 18.

109. Oportuit igitur per speculum & in ænigmate fieri spiritalia: *Nunc enim per speculum videmus, tunc autem facie ad faciem.* Nunc secundum carnem militamus, tunc spiritu videbimus divina mysteria. Et ideo veræ legis character in nostris moribus exprimatur, qui in Dei ambulamus imagine; quoniam jam Legis umbra transivit: umbra Judæis [d] carnalibus, imago nobis, veritas resurrecturis. Tria enim hæc secundum Legem esse cognovimus, umbram, imaginem, veritatem: umbram in Lege, imaginem in Evangelio, veritatem in judicio. Sed Christi omnia, & in Christo omnia, quem nunc secundum veritatem videre non possumus: sed videmus quasi in quadam imagine futurorum, quorum umbram in Lege perspeximus. Ergo Christus non umbra, sed imago Dei: non vacua imago, sed veritas. Et ideo per Moysen Lex; quia umbra per hominem, figura per Legem, per Jesum veritas. Neque enim veritas aliunde, nisi ex veritate procederet.

1 Cor. 13. 12. Johan. 1. 17.

110. Si quis ergo hanc imaginem Dei videre desiderat, debet diligere Deum, ut diligatur à Deo: & sit jam non servus, sed amicus, qui mandata Dei fecerit; ut possit introire in nubem, ubi est Deus. Ipse faciat sibi rationabiles tubas duas ductiles argento probato, hoc est, pretioso verbo compositas & ornatas; quibus non raucum increpans, terribili sonitu murmur interstrepat, sed sublimes gratiæ Deo continua jubilatione fundantur. Talium enim tubarum sonitu mortui suscitantur, non crepitu utique æris, sed verbo veritatis animati. Et fortasse duæ istæ tubæ sunt, per quas divino spiritu Paulus increpuit dicens: *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente;* alterum enim sine altero nequaquam videtur evocationem habere perfectam.

Exod. 24. 15. Num. 10. 2. 1 Cor. 14. 15.

111. Nec tamen omnium est utraque canere tuba, nec est omnium universam colligere synagogam: sed solis sacerdotibus, & ministris Dei canentibus ista prærogativa defertur; ut quicumque audierit, [e] & sequutus eò fuerit, ubi est Dei gloria, & ad tabernaculum testimonii præmatura intentione convenerit: & opera possit spectare divina, & legitimum illud æternumque domicilium in suæ posteritatis seriem promereri. Tunc enim bellum conficitur, hostis fugatur; quando Spiritus gratia concinit, & mentis industria.

Num. 10. 2 & seq.

112. Sunt & illæ salutares tubæ, si corde credas, & ore confitearis: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Hac igitur gemina tuba ad illam sanctam terram, resurrectionis scilicet gratiam, pervenitur; & ideo semper tibi concinant, ut semper audias Dei vocem: semper te Angelorum prophetarumque oracula excitent atque commoveant, [f] ut ad superiora festines.

Rom. 10. 10.

113. Hanc intentionem David versabat in pectore, cùm dicebat: *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei; in voce exsultationis & confessionis, sonus epulantis.* Non enim soli hostes harum tubarum

Psal. 41. 5.

a. Rom. edit sola, *& liberationem habebitis ab inimicis vestris:* quod quidem ex Scripturis putavit emendandum, sed jam sæpius observavimus exemplar, quo utebatur sanctus Doctor, ab iis quæ circumferuntur, in multis discrepasse.

b. Mss. aliquot, *futurorum, corpus autem Christi requiramus.* Infra vero ubi vet. edit. ac plures mss. *factum est illi: corpus Christi,* quidam mss. *factum est illis,* omis illud, *corpus Christi:* Rom. edit. è mss. quibusdam ita reposuit, *factum est illis, quia tonitruum factum est illis corpus Christi.*

c. Nonnulli mss. *liberum innocentia faciat, culpa vernaculum;* unus, *venalem.* Est autem vernaculus servus domi natus.

d. Mss. non pauci, *carnalibus & imago, nobis veritas resurrecturis:* melius tamen alii, & omnes edit. ut in textu; quibus etiam verbis eamdem sententiam expressam reperies Enarr. in Psal. 38. num. 25 & lib. 1. Offic. cap. 48. num. 248.

e. Mss. aliquot, *& sequutus eos fuerit,* non satis recte.

f. Vet. edit. ac plures mss. *ut ad superiora festinet in locum tabernaculi admirabilis;* Gill. unde lacuna suppleretur, in variis lectionibus indicavit; indeque locum Rom. edit. restituit, quam restitutionem è mss. nostris multi confirmant.

sonitu vincuntur: sed & delectationes, & dies festi, & neomeniæ sine his esse non possunt. Nemo enim potest nisi divini hauriat promissa sermonis, & resultantibus credat oraculis, exsultare lætitia, dies festos aut neomenias agere, quibus se corporali gratia, & sæculari occupatione vacuatum, Christi repleri luce desideret. Sacrificia quoque ipsa Deo probata esse non possunt, nisi confessio vocis adspiret, quæ sacerdotali oblatione ad obsecrandam Dei gratiam populos excitare consuevit.

114. Itaque simus prædicatores Domini, & Psal. 150. 3. laudemus eum in voce tubæ, non exigua de virtute ejus & vilia sentientes, sed ea quæ possint aurem mentis implere, & intimæ conscientiæ penetrare secretum; ut ea quæ corpori conveniunt, divinitati non putemus aptanda: nec divinæ magnitudinem potestatis humanis viribus metiamur; ut quæramus quomodo quis resurgat, aut quali corpore veniat, aut quemadmodum soluta coeant, lapsa reparentur; hæc enim arbitrio Dei simul ut statuuntur, implentur. Nec sensibilis tubarum exspectatur auditus, sed invisibilis potentia magnificentiæ cælestis operatur; DEO ENIM velle pro facto est: nec resurrectionis requirendus nisus, sed fructus nobis est expetendus. Quæ proclivius celebrabitur, si exinaniti vitiis plenitudinem spiritalis mysterii consequamur, gratiamque renovata caro sumat à spiritu, & fulgorem lucis æternæ [a] anima mutuetur à Christo.

115. Sed non solum singulorum, verum etiam universitatis sunt ista mysteria. Adverte enim juxta typum Legis, ordinem gratiæ. Cùm tuba prima cecinerit, orientales congregat, quasi præcipuos & electos: cùm secunda, suppares meritis, qui [b] secundùm libanum siti, dereliquerint ludibria nationum: cùm tertia, eos qui tamquam in mari exagitati istius freto mundi, sæculi hujus fluctibus vacillaverint: cùm quarta, illos qui duritiam mentium nequaquam satis potuerint eloquii spiritalis mollire præcepto; & ideo secundùm boream vocati sunt, boreas Prov. 27. 16. enim secundùm Salomonem durus est ventus.

116. Itaque licet in momento resuscitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine suscitantur. Et ideo primi resurgunt, qui maturo devotionis occursu, & quodam antelucano fidei exortu prodeuntes, solis æterni radios receperunt. Quod vel de patriarchis juxta veterem seriem Testamenti, vel de apostolis juxta Evangelium jure memoraverim. Secundi autem, qui ritum gentium relinquentes, ab errore sacrilego transierunt in Ecclesiæ disciplinam. Et ideo illi primi ex patribus, isti secundi ex gentibus; ab illis enim lux fidei cœpit, in istis usque ad mundi occasum suscepta duravit. [c] Tertii suscitantur, & quarti, qui ab austro, & qui ab aquilone sunt. His quatuor terra distinguitur, his quatuor annus includitur, his quatuor mundus impletur, his quatuor Ecclesia congregatur. Omnes enim qui sacrosanctæ Ecclesiæ copulati, divini nominis appellatione censentur, prærogativam resurrectionis & delectationis æternæ gratiam consequentur; quoniam *venient ab oriente & occidente, ab aquilone & austro, & recumbent in regno Dei.* Luc. 13. 29.

117. Non enim exigua mundum suum Christus luce complectitur; quandoquidem *à summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat à calore ejus.* Psal. 18. 7. Omnes enim benignus illustrat, nec refutare levem, sed emendare vult: nec excludere durum Ecclesia, sed mollire desiderat. [d] Et ideo in Canticis canticorum eos Ecclesia, in Evangelio Christus invitat dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. 28. & 29.

118. Ecclesiæ quoque vocem invitantis agnosce; dicit enim: *Exsurge aquilo, & veni auster; perfla hortum meum, & defluant unguenta mea.* Cant. 4. 16. *Descendat frater meus in hortum suum, [e] & edat fructum pomiferarum suarum.* Ibid. 5. 1. Sciens enim jam tunc etiam horum tibi fore opera fructuosa, Christo tuo fructum de talibus pollicebare: & quæ primo te in cubiculum dixisti Regis inductam, diligens ubera super vinum, cùm diligentem amares, lactantem quæreres, pericula pro religione contemneres.

119. Deinde à Libano, sponsa, rogaris ut venias, judicio Domini adhuc tota formosa, adhuc tota irreprehensibilis. Sic enim scriptum est: *Tota es formosa, proxima mea, & reprehensio non est in te. Ades huc à Libano, sponsa, ades huc à Libano.* Ibid. 4. 7. & 8.

120. Postea ipsa jam nullos aquæ lapsus, jam nullos impetus descendentes à Libano pertimescens, aquilonem & austrum advocas, perflari cupiens hortum tuum; ut in aliis unguenta tua defluant, in aliis multiplices fœcunditatis tuæ fructus offeras Christo.

121. Et ideo *beatus qui custodit verba prophetiæ hujus*, Apoc. 1. 3. quæ nobis resurrectionem evidentioribus testimoniis revelavit dicens: *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes ante sedem, & libros aperuerunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & judicati sunt [f] mortui de scriptis in libris, secundum facta sua. Et dedit mare mortuos, qui in ipso erant: & inferi dederunt mortuos, qui penes se erant.* Ibid. 20. 12. Ne ergo dubites quemadmodum resurgant, quos inferi revomunt, mare reddidit.

122. Accipe etiam quando promittatur gratia futura justorum: *Et audivi*, inquit, *vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis; & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum illis erit illorum Deus. Et delebit omnem lacrymam de oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor ultra erit.* Ibid. 21. 3. & 4.

a. Ita Rom. edit. & plerique mss. vet. autem edit. cum aliis mss. *anima mereatur à Christo.*

b. Rom. edit. sola, *secundùm austrum siti.* At infra eadem edit. cum vet. ac mss aliquot, *istius statu mundi*; ubi mss. plures potioresque *istius freto mundi.*

c. Omnes edit. ac plerique mss. *Tertii suscitantur, qui ab austro*: magis concinne Remig. cod. Corb. & Benign. ut in contextu.

d. Rom. edit. *Et ideo eos in Evangelio Christus invitat.* Et infra, *vocem invitantis in Canticis canticorum agnosce.* Vet. autem edit. & cuncti mss. nobiscum faciunt, nisi quod pro *agnosce*, in quibusdam legitur, *audi.*

e. Mss. aliquot, *& ad fructum*; minus commode.

f. Plerique mss *mortui descripti in libris*: alii nonnulli, ac vet. edit. *mortui de scriptis in libris*: græce, ἐκ τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις, quod eleganter edit. Rom. ex Vers. Vulg. reddidit, *ex his quæ scripta erant in libris.*

123. Compara

123. Compara nunc, si placet, atque con- A tende vitam hanc cum illa vita; & elige, si potes, perpetuam corporis vitam in labore ærumnaque miserabili tantarum commutationum, votorumque tædio, fastidio voluptatum. Nonne si Deus ista perpetuare velit, illa deligeres? Nam si per se ipsa vita fugienda est, ut sit molestiarum fuga, requies ærumnarum; quanto magis ea requies est expetenda, cui futuræ resurrectionis voluptas perpetua succedet: ubi nulla criminum series, nulla illecebra delic- B torum?

124. Quis in dolore tam patiens, qui non mortem oret? quis in infirmitate tam constans, ut non optet mori se potius, quam debilem vivere? quis in mœrore tam fortis, ut non desideret eo se vel moriendo defungi? Quod si ipsi nobis dum vivimus, displicemus, cùm vivendi finem præstitum esse noverimus; quanto amplius vitæ nos tæderet istius, si sine fine futuros nobis labores hujus corporis cerneremus? C Quis est igitur qui se velit mortis exsortem? Aut quid gravius immortalitate miserabili? *Si in hac vita*, inquit, *in Christo tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*: non quod in Christo sperare sit miserum, sed quia Christus sperantibus in se vitam alteram præparaverit. Hæc enim peccato obnoxia est, illa præmio reservata.

1 Cor. 15. 19.

124. Ipsos cursus breves nostrarum ætatum quantum videmus nobis adferre fastidium? D Puer adolescentiam desiderat, adolescens annos sibi majoris metitur ætatis, juvenis beneficio ævi florentis ingratus, senilem honorificentiam concupiscit. Ita omnibus ex natura venit [a] velle mutari; quia ejus nos quod sumus, pœnitet. Denique etiam ipsa post usum vota fastidio sunt: & quæ mereri optavimus, cùm meruerimus, abdicamus.

125 Unde non immerito etiam sancti viri prolongatum incolatum suum sæpe doluerunt: do- E luit David, doluit Hieremias, doluit Elias.[b] Si sapientibus creditur, & hi in quibus divinus Spiritus loquebatur, ad meliora properabant: si reliquorum judicia sciscitamur, ut cognoscamus omnes in unam convenire sententiam; quanti mortem mœrori, quanti mortem formidini prætulerunt? judicantes videlicet graviorem metum mortis esse, quàm mortem. ADEO SUIS MALIS mors non timetur, sed vitæ miseriis antefertur: cùm expetitur morien- F tis exitus, & evitatur formido viventis.

Psal. 119. 5. Hier. 20. 17. 3 Reg. 19. 4.

126. Sed esto, huic vitæ resurrectio præferatur. Quid, philosophi ipsi genus post mortem aliquod repererunt, quo nos uti magis, quam resurgere delectabit? Et illi quidem qui dicunt animas immortales esse, non satis mulcere me possunt, cùm pro parte me redimunt. Nam quæ potest esse gratia, ubi non totus evasi? quæ vita, si in me opus Dei occidat? quæ justitia, * si naturæ finis mors sit, erranti justove communis? quæ veritas, ut * quia ipsa se moveat, & semper moveatur anima, immortalis esse credatur? Quod nobis in corpore commune cum bestiis, ante corpus quid geratur incertum; nec ex contrariis colligatur veritas, sed destruatur.

127. An vero illorum sententia placet, qui nostras animas, ubi ex hoc corpore emigraverint, * in corpora ferarum, variorumque animantium transire commemorant? At certe hæc circeis medicamentorum illecebris composita esse ludibria poetarum ipsi philosophi differere solent: nec tam illos qui perpessi ista simulentur, quam sensus eorum qui ista confinxerint, [c] velut circeo poculo ferunt in varia bestiarum monstra conversos. Quid enim tam simile prodigii, quam homines credere in habitum ferarum potuisse mutari? Quanto majoris est prodigii gubernatricem hominis animam, adversam humano generi bestiarum suscipere naturam, capacemque rationis ad irrationabile animal posse transire, quàm corporis effigies esse mutatas? Vos ipsi hæc destruitis, qui docetis. Nam magicis incantata carminibus portentosæ hujus conversionis genera tradidistis.

128. Ludunt hæc poetæ, reprehendunt philosophi: & quæ putant ficta de viventibus, hæc arbitrantur vera de mortuis. Illi autem qui ista finxerunt, non suam probare fabulam, sed philosophorum errores irridere voluerunt: qui putant quod illa anima quæ miti humilique proposito iracundiam vincere, patientiam adsumere, cruore abstinere consueverat; eadem frementi motu leonis incensa, iræ impatiens, effræna rabie, sitire sanguinem, cædemque possit expetere: & illa quæ populorum fremitus varios regali quodam consilio temperabat, & rationabili voce mulcebat; eadem se inter devia atque deserta ritu luporum patiatur ululare: aut quæ injusto sub onere gemens, duros aratri labores questu miserabili mugiebat; eadem postea in figuram hominis commutata, * levi cornua quærat in fronte: vel illa quam præpetes prius pennæ usque ad alta cæli per sublime aeris alarum remigiis evehebant; ea-

a. Irrepserat in mss. nonnullos, & inde in omnes edit. sequens lacinia: *Contra sectas philosophorum, qui vel animam solam durare dicant post corporis mortem, vel μετεμψύχωσιν credunt.* Sed præterquam quod in mss. multo pluribus ac potioribus non invenitur, ipsa series orationis hoc adsutamentum aperte respuit. Consequenter autem pro, *quia ejus nos quod sumus*, codex Thuan præfert, *quia ejus quod sumus*. Non satis recte.

b. Mss. aliquot: *Si sapientes creduntur & hi . . . si reliquorum judicia sciscitamur; unus sit tenentur*

*. Per naturæ finem intellige compositi naturalis dissolutionem, non autem ambarum quibus constat, partium interitum: quandoquidem in eos philosophos disputat, à quibus animæ immortalitas admittebatur, hoc est, in platonicos. Sed maxime ad Ciceronem videtur respicere, qui *Tusc. quæst.* 1. explosis poetarum de suppliciis inferorum commentis, mortem timendam esse nemini hoc dilemmate colligit: *Quomodo igitur, aut cur mortem malum tibi videri dicis, quæ aut beatos nos efficiet animis manentibus, aut non miseros sensu carentes?*

*. Argumentum illud tamquam probandæ animarum immortalitati efficacissimum Plato vendiat in *Phædro*, unde hoc ipsum Cicero in 6. suum lib. *de Republ.* translatum à se commemorat Tuscul. 1. Sanctus quoque Athanasius idem illud in *Orat. cont. Idola* proponit atque explicat.

*. Irenæus lib. 2. *Adv. Hæres.* cap. 59. primum auctorem hujus erroris Platonem facit. Et quidem negari nequit hunc philosophum in *Phædone*, in *Timæo*, & lib. 10. *de Republ.* sequutum esse hanc opinionem, sed ab ipso eam ortum duxisse quæ supra ad num. 55. observabamus, prorsus refellunt.

c. Vet. edit. *velut Circæo populos*: melius Rom. & mss. *velut circeo poculo*. Celebris porro fabula est de Circes filiæ Solis veneficiis, de qua Homerus Odyss. M. Ovidius lib. 14. *Metamorph.* Fab. 1. Augustinus lib. 18. *de Civit. Dei* cap. 17. & alii.

*. *Levi*, ait Nannius, cui contrarium est asperum. Virg. de Proeti filiabus:

Et sæpe in levi quæsisset cornua fronte.

dem postea volatus jam non suos requirat, & A se humani doleat corporis gravitate pigrescere.

129. Hinc fortasse & illum Icarum perdidistis, quod persuasionibus vestris inductus adolescens, prius avem se fuisse fortasse crediderat. Hinc etiam senes plerique decepti sunt, a [a] ut gravi immorerentur dolori, cygneis male creduli fabulis, dum putant modulis se mulcendo flebilibus albentem molli pluma mutare caniciem. B

130. Hæc quam incredibilia! quam deformia! Quanto illud est convenientius, ut credas secundum naturam, credas secundùm usum fructuum ceterorum, credas secundum gestorum exempla, oracula prophetarum, Christi cæleste promissum. Quid vero præstantius, quam ut opus Dei judices non perire, & secundum imaginem & similitudinem Dei factos transferri non posse in effigies bestiarum; cùm utique ad b similitudinem Dei non corporis sit imago, [b] sed C spiritus? Nam quemadmodum homo, cui subjecta sunt animantium genera ceterorum, in subjectum sibi animal meliore sui parte demigret? Non patitur hoc natura, & si pateretur natura, non pateretur gratia.

c 131. [c] Sed videro quid vos de vobis, gentes, opinionis habeatis; neque enim mirum debet videri, quod creditis vos in bestias posse mutari, qui bestias adoratis. Ego tamen malim de vestro merito melius judicetis; ut non inter D d cœtus ferarum, sed inter Angelorum consortia vos [d] credatis futuros.

132. Habet animus ex hoc jam vitæ amfractu, & terreni corporis colluvione discedere, & ad illa concilia superna contendere, etsi sanctorum sit pervenire, laudem dicere Deo (quam Apoc. 14. 2.
citharizantes illos dicere prophetica lectione comperimus: *Quia magna mirabilia opera tua, domine Deus omnipotens: justæ & veræ viæ tuæ,* Apoc. 15. 3. & 4. [c] *Rex gentium! Quis non timebit, & magnificabit nomen tuum; quia solus sanctus es, quia omnes gentes venient & adorabunt ante te)* videre quoque tuas, Jesu, nuptias, in quibus de terrenis ad cælestia, concinentibus omnium gaudiis, sponsa deducitur; *ad te enim omnis caro veniet,* Psal. 64. 3. jam non sæculo obnoxia, sed spiritui copulata: videre thalamos ornatos byssino, rosis, liliis, & coronis. [f] Cujus enim alterius sic ornantur nuptiæ? Ornantur enim confessorum livore, martyrum sanguine, liliis virginum, coronis etiam sacerdotum?

133. Hoc sibi præ ceteris David sanctus optavit, ut hæc spectaret & cerneret. Denique ait: *Unam petivi à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam voluptatem Domini.* Psal. 26. 4.

134. Juvat hoc credere, sperare delectat: certe non credidisse pœna est, sperasse gratia. Quod si in hoc erro, quia Angelis me post mortem sociari malo, quam bestiis; libenter in hoc erro, neque umquam hac me opinione, dum vivo, fraudari patiar.

135. Quid enim mihi superest solatii, quam quod me citius ad te, frater, spero venturum, nec digressus tui inter nos longa divortia fore; tuisque intercessionibus mihi hoc posse conferri, ut citius desiderantem tui advoces. Quis enim est, qui non sibi debeat illud optare præ ceteris; *ut corruptibile hoc induat incorruptelam, & mortale hoc induat immortalitatem?* 1. Cor. 15. 53. ut qui nunc morti corporis fragilitate succumbimus, [g] supra naturam sit, mortem jam timere nequeamus.

a Omnes edit. ac mss. nonnulli; *ut gravi immorerentur dolori;* duo.... *morerentur dolore;* reliqui concinnius, ut nos in textu. Porro per cygneas fabulas indicat Cygni propter Phaëthontis consanguinei sui casum dolore confecti conversionem in avem sui nominis, de qua vide Ovidii lib. 2. *Metamorph.* Fab. 4. non secus ac de Icari casu lib. 8. ejusdem operis, Fab. 3.

b Ita vet. edit. ac mss. frequentissimi: at Rom. edit. & quidam alii mss. *sed ratio.*

c. Rom. edit. & pauci mss. *Sed video:* vet. edit. cum mss. longe plurimis & probatissimis. *Sed videro.*

d. Vet. edit. *credatis futuros, & animos ex hoc jam vitæ amfractu.... contendere. Et sic sanctorum sit pervenire.* Rom. edit. ultimam hanc partem singularis: mss. vero nostram lectionem summo consensu stabiliunt, nisi quod legunt nonnulli, *ad superna contendere.*

e. Rom. edit. ex Vulg. versione, *Rex sæculorum:* omnes autem mss. ac vet. edit. *Rex gentium;* græce, ὁ βασιλεὺς τῶν ἁγίων, *Rex sanctorum.* Infra vero, ubi omnes edit. ac plures mss. *videre quoque* .... *videre thalamos;* mss. non pauci habent utrobique, *videre.* Non satis recte; infinitiva enim illa pendent è superiori oratione, *Habet animus ex hoc* &c.

f Omnes edit. ac plerique mss. *Sic enim cujus alterius ornantur nuptiæ confessorum livore,* Rom. edit. *labore:* aptius vero cod. Turon. Germ. & Vict. ut in contextu. Livorem porro hic ponit Ambrosius pro colore violaceo, quem confessorum proprium esse ad lib. 7. *Exposit. in Lucam* num. 128. admonuimus.

g. Mss. non pauci, *supra naturam sit, ut mortem* &c.



IN CONSOLATIONEM DE OBITU VALENTINIANI

ADMONITIO.

IN procinctu erat Valentinianus junior, ut è Galliis in Italiam, quo eum barbarorum irruptionem minisantium metus vocabat, reverteretur, cùm è vivis Arbogastis Comitis fraude sublatus fuit idibus maiis anni 392. in vigilia sacri pentecostes. Illius corpus non ita multo post relatum est Mediolanum, ibique tantisper, quoad Theodosii mandata de sepultura ejus acciperentur, in palatio suo servatum. Allatis demum ab imperatore de hoc litteris, Valentiniani parentalia celebrata sunt, in quibus Ambrosius principem illum anno ætatis 20. ex imperio & vita raptum sequenti oratione prosequutus est.

In ea, quibus causis ad dicendum adduceretur, strictim [a] exposito, Valentinianum venisse [b] ait, sed omnium [c] qui tamquam parentem publicum eum lugebant, lacrymis circumfusum. Deinde [d] ab Hieremia threnos mutuatus, ut principem defleat, qui consiliorum maturitate cum adolescentiæ flore in se conjuncta, etiam barbaros in sui venerationem pertraxerat, adserit totius quidem Italiæ luctum esse communem; ad Ecclesiam tamen potissimum [e] spectare, quippe quæ Gratiani ac Valentiniani obitu in utramque maxillam percussa esset. Post illa, ubi patefactum est quam rari in adolescentia vel prorsus à vitiis se contineant, vel maturius redeant ad bonam frugem, [f] ostendit eumdem Valentinianum jugo Domini collum subdidisse adhuc juvenem; & si fuisset in ejus moribus, quod obtrectandi locum præberet, [g] hoc tam celeri emendatione deletum esse, ut ora maledicis opprimerentur. Tum ad virtutes hujus principis verba convertens, ejus [h] pietatem, cujus virtutis pulcherrima exempla in medium profert, egregie laudat. Huic annectit amorem [i] ejus erga populos, quos nec onerare novis tributis induci poterat, & à barbaris defendere cum evidenti vitæ periculo paratus erat. Illic vir sanctus animum Valentiniani in se memorans, [k] quantoque ardore abs se baptizari, & apud Arbogastem se vade uti exoptaverit, eleganter explicans, tenerrimos amoris ac doloris sui motus erumpere patitur; ut quæ in gratiam ejus principis, à quo parentis loco diligebatur, vota & consilia sua fuerant, palam faceret. De hinc quanta benevolentia [l] amicos, quanta caritate germanas suas [m] imperator complexus fuerit, scite amplificat. Et oratione ad has conversâ quis tenendus sit in lugenda fratris morte [n] ab eis modus, docere aggreditur; illudque lenit diligentius, [o] quod in eo magis deflebant, ipsum videlicet antequam baptismo initiaretur, vita defunctum. Ab ea consolatione ad preces venit, atque obnixe divinam clementiam, [p] ne Valentinianum à Gratiano sejungi vellet, orans & obsecrans, auditores suos ut votis communibus utrique Deum placarent, exhortatur. Post quæ amborum dotes majori splendore illustraturus, illis applicat Canticorum locos aliquot, [q] sed tantam cautionem religionemque isthic adhibet, ut omnem offensionis aut calumniæ ansam præcidat. Ad extremum ubi persancte contestatus est nullam sibi umquam nec in precibus nec in sacrificiis, obrepere posse oblivionem horum principum, rursus dolori [s] fræna permittit: sed hîc quoque ad Deum confugiens, ab eo efflagitat, [t] ne se ab illis in futuro ævo sinat distrahi, at immaturam illorum mortem maturioris suscitationis dono compenset.

a. Num. 1.
b. Num. 2.
c. Num. 3.
d. Num. 3. & seq.
e. Num. 5. & 6.
f. Num. 9. & seq.
g. Num. 14. & seq.
h. Num. 18. & seq.
i. Num. 21. & seq.
k. Num. 23. & seq.
l. Num. 35.
m. Num. 36. & seq.
n. Num. 41. & seq.
o. Num. 51. & seq.
p. Num. 54. & seq.
q. Num. 58. & seq.
r. num. 77.
s. Num. 78. & seq.
t. Num. 81.

Ex hac oratione haud ægre cognoscimus eam tum temporis habitam esse, cùm Valentiniano justa solverentur. Quod autem ad annum, & diem, quibus humatus est, eorum definitio ex anni ac dies, quo idem princeps necatus fuit, cognitione omnino pendet. At vero in iis statuendis non semel peccat Marcellinus Comes; sic enim scribit in Chronico: Tatiano & Symmacho Coss. Theodosius imp. Italiâ decedens, Constantinopolim remeavit. Valentinianus imp. apud Viennam dolo Arbogastis strangulatus interiit idibus martiis. Sed primus ejus in hoc error est, quod Tatiano & Symmacho Coss. hanc necem ponit. Constat siquidem anno 391. quo eam dignitatem illi gesserunt, Theodosium idibus aprilis adhuc fuisse Mediolani, Aquileiâ vero, quo ipsum comitatus erat Valentinianus, mense julio nondum abiisse. Iterum autem Marcellinus in eo errat, quod Arbogastis scelus contigisse ait idibus martiis; hoc enim tempus cum iis, quæ Ambrosius epist. 53. [u] de caloribus æstivis habet, congruere neutiquam possit. Inde est quod ab eruditis Epiphanii præfertur auctoritas, eamdem necem idibus maii Arcadio secundum & Rufino primum Coss. pridie pentecostes patratam esse [x] adseverantis, hoc est, ut ante jam diximus, anno 392. die autem maii 15. Quapropter si duos menses, quibus Justam & Gratam fraternum flevisse interitum [y] narrat Ambrosius, Epiphanii numero adjeceris; hinc intelliges funus ejusdem imperatoris interea dum Theodosii mandatum exspectaretur, usque ad idus julii mensis prolatum esse.

u. Num. 5.
x. De Mensur. & Pond. num. 20.
y. Num. 49. & 50.


Verum tamen & in hac opinione dubium aliquod hinc nasci potest, quod Ambrosius dum epist. ante citatâ sepulturam Valentiniani maturandam scribit, hanc ejus rei adferat causam; ne reliquiæ mortui principis [z] æstivo calore penitus solvantur, vix enim superiorem æstatem transegimus. Fatendum quidem est his verbis non tam julii mensis medium, quam autumni initium significari, si ea secundùm communem usum interpreteris: certius tamen est idibus maiis Valentinianum elisis faucibus inventum esse, ac non nisi per duos menses inhumatum mansisse, quam ut in autumnum rejici possint illius exequiæ. Dicendum igitur has duas voces, superiorem æstatem, nihil aliud nisi peractam æstivorum calorum partem illic sonare.

z. num. 5.

In antiquis editionibus hujus opellæ inscriptio erat: Oratio funebris de obitu Valentiniani imperatoris: in Romana editione, In Obitu Valentiniani junioris augusti Concio funebris. Variant quoque in hoc titulo scripti codices; non enim desunt, qui illam exhibeant in eam formam: Incipit tractatus de Obitu imperatoris Valentiniani junioris: sed in multo pluribus ita exprimitur: Incipit de Consolatione (in quibusdam epistola de Consolatione) Valentiniani, alicubi additur τὸ junioris. Hinc autem liquet in lemmatis Operum multa pro libitu adjici solere à librariis, sed inter istas leviculas diversitates facile dignoscitur germana inscriptio. Et in hac sane magnos auctores habuit Ambrosius, quos sequeretur. Commentationi, quam de morte filiæ scripsit Cicero, titulus præfigitur Consolatio. Plutarchus etiam librum edidit de Consolatione ad Apollonium. Sed nullius auctoris plures scriptiones eo titulo insignita sunt, quam Senecæ philosophi, à quo eamdem epigraphen tribus libellis inditam reperias.

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE OBITU VALENTINIANI CONSOLATIO*

* Scripta ann. 392.

1. TSI incrementum doloris sit, A id quod doleas, a scribere; quoniam tamen plerumque in ejus, quem amissum dolemus, commemoratione requiescimus; eo quod in scribendo dum in eum mentem dirigimus, intentionemque defigimus, videtur nobis in sermone reviviscere: signare aliquid de Valentiniani junioris ultimis cordi fuit; ne aut obliterasse silentio bene meriti de nobis * pignoris memoriam B videremur, atque inhonoratam reliquisse, aut refugisse incentivum dolendi, cùm doluisse plerumque solatium sit dolentis: simul cùm de ipso aut ad ipsum loquor, tamquam de præsente vel ad præsentem mihi sermo sit.

2. Quid igitur primum defleam? Quid primum amara conquestione deplorem? Conversi sunt dies nobis votorum nostrorum in lacrymas; siquidem Valentinianus nobis, sed non talis qualis sperabatur, advenit. Et iste tamen C vel morte sua voluit implere promissum: sed nobis acerbissima est facta ejus, quæ exoptabatur, præsentia. Utinam adhuc nobis abesset, ut sibi viveret! Sed ille non passus, cùm audiret Alpes Italiæ hoste infestari barbaro, maluit periclitari se, si Gallias derelinqueret, quam nostro deesse periculo. b Magnum crimen agnoscimus imperatoris, quod Romano voluit subvenire imperio: Hæc causa mortis, quæ plena laudis. Solvamus bono principi stipendiarias lacrymas; quia ille nobis solvit etiam mortis suæ stipendium.

3. Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent & ignoti, flent & timentes, flent & inviti, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. * Quantos iste de Galliis usque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? Omnes enim non tamquam imperatorem sibi, sed tamquam parentem publicum obisse domestico fletu doloris illacrymant, suaque omnes funera dolent. Amisimus enim imperatorem, in quo duo pariter acerbant dolorem, * annorum immaturitas, & consiliorum senectus. In his ego fleo, sicut dixit propheta: *Oculi mei caligaverunt à fletu; quia elongavit à* Thren. 1. 16.

a. Rom. edit. *referre . . . . eo quod dum in eum*. Sed verbum *scribere* videtur Ambrosius ipse reposuisse, cùm orationem suam in librum transformavit.

*. De Valentiniano in hac opella passim Ambrosius tamquam de carissimo filio loquitur. Sed eum pariter ab eodem principe parentis nomine & loco habitum cum ex subjecta perotatione intelligimus, tum ex epistola 53. *ad Theod.* quemadmodum ibidem observatum est.

b. Omnes edit. & pauci mss. *Magnum discrimen*: sed verisimile est scriptores librarios vocem *discrimen* præcedenti voce *periculo* ductos posuisse; cùm tamen sensus maximæ partis mss. qui *crimen* legunt, concinnior sit. Quinam porro essent barbari, à quibus imperio periculum impenderet, non facile dicetur; nam & alios exstitisse qui amico erga imperatorem & imperium ejus animo essent, infra memoratur.

*. Hic Virgiliana est imitatio è lib. 6. *Æneid*. ubi sic habes:

Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus!

Ex iis autem quæ narrat Ambrosius, intelligitur Valentinianum è Galliis nondum excessisse, cùm extinctus est: immo in ipsa civitate Vienna, ubi eum moratum in hac oratione testatur sanctus noster, hanc mortem contigisse communiter affirmant historici. Quod vero ad mortis genus iidem inter se dissentiunt. Rufinus lib. 2. *Histor.* cap. 31. & Sozomenus lib. 7. cap. 22. edit. Vales. litteris produnt alios esse, qui hunc principem dolo Arbogastis necatum scribant, alios qui ipsum propria manu sibi laqueum nexuisse adserant. Sed & Augustinus etiam libro 5. *de Civit. Dei* cap. 26. utramque opinionem incertus refert: quarum ultimam solam proponit Prosper in Chronico, & alii. Veramtamen ab iis, qui sic sentiunt, hanc Orationem numquam fuisse lectam manifestum est. Nam præter alia, ubi dissidium inter Valentinianum atque Arbogastem exortum narrat, ita rem exponit, ut aperte intelligamus imperatoris mortem comitis sceleri adtribuendam esse. Ut cetera vero deessent argumenta, quod ubique Ambrosius noster de salute Valentiniani tamquam de re omnino certa loqui non dubitat, satis ostendit eum principem non à se ipso vim passum esse. Inde est quod non solum Hieronymus, Aurel. Victor in Epitoma, & multi catholici hujus principis exitum Arbogasti perfidiæ acceptum ferunt, sed etiam Ariani, ut Philostorgius, lib. 11. cap. 1. & idololatræ, ut Zozimus lib. 4. Cùm vero iidem significent nefarium illum comitem, quo invidiam hujusce facinoris abs se amoliretur, operam dedisse, ut cadaver nexu ad guttur linteo reperiretur, atque ita in Valentiniano desperationis præberet suspicionem; credibile est eumdem etiam haud alio consilio, ut extincti corpus referretur in Italiam, veniam dedisse. Quod autem ad inimicitiæ causas pertinet, in animum facile nobis inducimus Arbogastem, cùm duram admodum in principem suum exerceret tyrannidem, futurum prævidisse, ut si in Italiam imperator trajiceret, eum amicorum ope, & maxime Theodosii acceptarum injuriarum pœnas repetiturum, quod antevertendum ipse putavit.

*. In ipso flore adolescentiæ necatum fuisse Valentinianum passim testatur Ambrosius, & idem quoque de Gratiano significat non uno loco. Et certe priorem illum anno ætatis 20. extinctum esse auctores conveniunt, hujus autem etsi Fulg. Victor interitum referat ad annum ætatis 38. ibi tamen legendum 28. contendit Baronius; immo etiam non desunt, qui eumdem cum occuberit, anno 24. majorem fuisse negent. Vide Socratem lib. 5. cap. 11. Sozomenum lib. 7. cap. 13. & alios.

me, qui consolabatur me. Oculi mei non solum corporis, sed etiam mentis hebetati sunt, & quadam cæcitate omnis sensus obductus est; quoniam ereptus est mihi, qui convertit animam meam, & ad spem maximam de summa rerum desperatione revocavit.

Ibid. 18. 4. *Audite omnes populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ & juvenes mei abierunt in captivitatem:* sed cognito quod de Valentiniani essent partibus, liberi reverterunt. Militavit hostis barbarus imperatori adolescenti, & suæ oblitus victoriæ, memor fuit imperialis reverentiæ. Laxavit sponte quos ceperat, excusans quod ignorasset Italos. Nos adhuc murum Alpibus addere parabamus: Valentiniani gratia non exspectavit Alpium vallum, fluenta amnium, aggeres nivium, sed Alpes & fluvios supergressa, muro nos sui imperii protexit. Unde prophetici Threni mihi utendum videtur exordio: Quomodo mœret Italia, quæ abundabat gaudiis? Ibidem 2. *Plorans ploravit in nocte, & lacryma illius in maxillis ejus. Non est qui eam consoletur ab omnibus qui diligunt eam. Omnes qui amant illam, despexerunt eam. Omnis populus ejus ingemiscentes.*

5. Et quia de Hierusalem dictum est: *Plorans ploravit in nocte;* & nostra Hierusalem, id est, Ecclesia, ploravit in nocte; quoniam qui eam splendidiorem fide sua & devotione faciebat, occubuit. Merito ergo plorans ploravit, & adhuc lacrymæ ejus in maxillis ejus. Ubertatem quidem fletuum solet vultus humescentis declarare infusio, cùm lacrymis genæ rorant; Cant. 5. 13. sed quia scriptum est: *Genæ ejus sicut phialæ aromatis gignentes unguentaria, labia ejus lilia distillantia myrrham plenam;* [a] mystica Ecclesiæ gratia deflentis accipitur, quæ in obitu Valentiniani bonum doloris sui effudit unguentum, & vitam ejus prædicando concelebrat. Cui mors obesse non potuit, eo quod odor prædicationis universorum ore celebrabilis fœtorem omnem mortis abolevit.

6. Flet igitur Ecclesia pignus suum, *& lacryma ejus in maxillis ejus.* Quæ sit maxilla audi: Luc. 6. 29. *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram;* eo quod in dolore sit patiens, ut pœniteat verberantem. Percussa eras, Ecclesia, in maxilla tua; cùm amitteres Gratianum: præbuisti & alteram, quando tibi Valentinianus ereptus est. Merito tibi non in una maxilla, sed in utraque sunt lacrymæ; quia pie germanum utrumque deploras. Ploras igitur, Ecclesia, & fletu genæ tuæ velut fluentibus quibusdam stillicidiis pietatis exundant. Quæ sunt istæ genæ Ecclesiæ? Cant. 6. 6. De quibus alibi ait Scriptura: *Ut corium malorum granatorum genæ tuæ.* Istæ sunt genæ in quibus solet nitere verecundia, pulcritudo fulgere: in quibus aut flos juventæ, * aut perfectæ ætatis insigne est. In obitu igitur fidelium imperatorum quidam fidei pudor, quædam Ecclesiæ verecundia est: & in tam immatura morte piorum principum omnis Ecclesiæ mœstior pulcritudo est.

7. Plorat Ecclesia in sapientibus suis, qui velut caput Ecclesiæ sunt: Eccl. 2. 14. *Oculi* enim *sapientis in capite ejus.* Plorat in oculis, hoc est, in suis fidelibus; quia scriptum est: Cant. 4. 1. *Oculi tui sicut columba, extra taciturnitatem tuam;* eo quod videant spiritaliter, & noverint ea, quæ viderint, tacere mysteria. Plorat in sacerdotibus suis, qui sunt sicut genæ Ecclesiæ, in quibus est barba Aaron, Psal. 132. 2. hoc est, barba sacerdotalis, in quam de capite descendit unguentum. Isti sunt in quibus est pulcritudo Ecclesiæ, in quibus flos ejus gratior, in quibus ætas perfectior: qui velut cortices malorum punicorum decorem foris præferant abstinentia corporali, intus autem commissam sibi plebem diversæ ætatis & sexus foveant sapientia spiritali; objecti quidem sæculo ad injurias, [b] sed interna mysteria dividentes. Plorat in virginibus suis, quæ sunt sicut lilia, & lilia myrrhâ plena, candorem integritatis, & mortificatæ corporalis illecebræ gloriam præferentes.

8. In his ergo flet, sicut scriptum est: Thren. 1. 4. *Viæ Sion lugent, sacerdotes ejus ingemiscunt, virgines ejus abductæ, & ipsa indignatur intra se.* Et intra se quidem indignatur, ad Valentinianum autem dicit: Cant. 8. 2. *Adsumam te, & inducam in domum matris meæ, & in secretum ejus quæ concepit me. Potum tibi dabo à vino operosi unguenti,* hoc est, multi operis, [c] multi odoris unguento à fluxu malorum granatorum meorum; ut bibat vinum Psal. 103. 15. quod lætificat cor hominis, & defluat in eum malorum granatorum fluxus, in quibus multus & diversus est fructus. Sermo enim multorum sensuum, & de diversis Scripturis abundans, sermo Angelorum, sermo apostolorum ac prophetarum, quos uno velut corio Ecclesia sancta complectitur, malorum fluxus est granatorum.

9. Videns hæc Valentinianus integræ plena gratiæ, respondet: Thren. 3. 22. *Misericordia Domini quod non defecimus; quia non sunt consummatæ miserationes ejus. Renovabis illas sicut lux matutina.* Multi sunt gemitus mei, & cor meum defecit. Ibid. 24. & seq. *Sors mea Dominus, dixi: ideo sustinebo eum. Bonus est Dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum. Bonum est sperare in salutare Domini. Bonum est viro cùm portaverit jugum grave in juventute sua: sedebit singulariter, & silebit; quia sulit jugum grave.* Et ille quidem se suarum virtutum remuneratione solatur; eo quod in juventute sua labores absorbuit, pericula multa toleravit; jugum maluit grave emendatioris propositi, quam molle illud ac plenum [d] deliciarum, vivida mentis cervice portare.

10. Beatus plane qui vel in senectute correxit errorem, beatus qui vel sub ictu mortis animum avertit à vitiis. Psal. 31. 1. *Beati* enim *quorum tecta sunt peccata;* quia scriptum est: Psal. 33. 15. *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.* Quicum-

a. Ita mss. plures ac potiores: edit. autem vet. & mss. nonnulli, *mystice Ecclesia gratia;* Rom. edit. *myrrha mystica* &c.

*. Barbam ipsam intelligit, ait Nannius, quæ est perfectæ ætatis insigne; unde postea barbæ Aaronis mentionem facit.

b. Rom. edit. sola, *sed intus mysteria dividentes.* Observat autem P. Nannius allusionem fieri ad corticem seu cicum malorum granatorum, quo grana intus dividuntur.

c. Sic omnes mss. à quibus vet. edit. eo tantum recedunt, quod pro *unguento,* legunt *unguenti:* at Rom. edit. utramque vocem censuit excludendam.

d. Vet. edit ac mss. nonnulli, *deliciarum invidia mentis:* Rom. edit. *deliciarum invitamentis:* mss. autem magno numero, ut in contextu, paucis exceptis, ubi legitur, *divitiarum mundi mentis cervice* &c.

que ergo desierit à peccatis, & fuerit ad meliora in quacumque conversus ætate, habebit superiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel pœnitendi confessus affectu, vel corrigendi aversarus ingenio. Sed huic cum plurimis veniæ societas emerenda; * PLURIMI ENIM sunt qui se à peccatis & lubrico juventutis in senectute revocare potuerunt: rarus autem qui in juventute grave jugum seria sobrietate portaverit. Hoc est illud jugum, de quo Dominus in Evangelio ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego vos reficiam: tollite jugum meum super vos.* (Matth. 11. 28. & 29.) Si quis ergo antequam gravi oneretur peccatorum sarcina, tulerit jugum in juventute, singulariter sedebit: non cum plurimis conferendus, sed cum illo qui potest dicere: *Quoniam tu singulariter in spe constituisti me.* (Psal. 4. 10.)

11. Sed forte dicas: Quomodo jugum grave dicit Hieremias, cùm in Evangelio Dominus dixerit: *Jugum meum suave, & onus meum leve est?* (Matth. 11. 29.) Ac primò disce, quia * Græcus *jugum* tantummodo posuit, non addidit *grave*. Tamen & illud adverte, quia etsi ita esset in Threnis (Thren. 3. 27.), in Evangelio tamen *jugum suave* dixit, & *onus leve*, non jugum leve. Potest enim grave jugum Verbi esse, sed suave: grave adolescenti, grave juveni, cujus ætas est florulentior; ut nolit jugo Verbi subjiciendam animi præbere cervicem. Potest & grave Verbi jugum [a] videri propter onera disciplinæ, austeritatem correctionis, pondus abstinentiæ, restrictionemque lasciviæ; suave tamen esse fructu gratiæ, spe remunerationis æternæ, purioris conscientiæ suavitate. Tamen jugum Verbi suave dixit, onus obedientiæ leve; quoniam ei qui jugum Verbi patienti cervice susceperit, disciplinæ onus grave esse non poterit.

12. Qui ergo tulerit à juventute jugum, singulariter sedebit, & silebit, revelata sibi gaudens divinæ remunerationis æterna mysteria. Aut certe silebit, non opus habens excusatione peccati, quod matura confessione prævenit, & propera correctione deposuit. Non enim dicitur huic: *Quæ in juventute non congregasti, quomodo invenies in senectute?* (Eccl. 25. 5.) Potest autem & sic intelligi, quoniam qui cito portaverit jugum Verbi, hoc est, à juventute, non se miscebit cum juvenibus, sed sedebit seorsum & silebit; donec plena se perfectione virtutis erudiat, & magnam induat animo patientiam: dabitque percutienti maxillam suam, etiam cædis [b] contemnens injuriam; ut mandatis obsequatur cælestibus.

13. Magnum est enim vel abstinere à vitiis juventutis, vel eam in ipso juventutis vestibulo derelinquere, atque [c] ad seriora converti; lubricæ enim & perplexæ sunt viæ juventutis. Denique Salomon ait: *Tria mihi impossibilia sunt intelligere, & quartum quod non cognosco. Vestigia aquilæ volantis, & vias serpentis in petra, & semitas navis navigantis, & vias viri in juventute.* (Prov. 30. 18. & 19.) David autem ait: *Delicta juventutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris.* (Psal. 24. 7.) Juvenis enim non solum fragilitate lubricæ ætatis prolabitur, verum etiam ignorantiâ cælestium mandatorum plerumque delinquit: cito autem meretur veniam, qui prætendit ignorantiam. Propheta itaque dicit: *Delicta juventutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris.* Non dicit: Delicta senectutis meæ, & scientiæ meæ ne memineris: sed quasi propheta, qui cito correxerit & emendaverit vitia juventutis, ætatem ignorantiamque prætendit.

14. Valentinianus quoque etiam in delicto Prophetæ similis ait: *Delicta adolescentiæ & ignorantiæ meæ ne memineris.* Nec solùm dixit, sed etiam ante correxit errorem, quam disceret esse lapsum alicujus erroris. Itaque dicit: Correctionem juventutis meæ ne memineris. ERROR IN PLURIBUS EST, in paucis correctio.

15. Et quid jam de aliis dicam, qui etiam ludo juventutis putaverit abstinendum, resecandam [d] ætatis licentiam, severitatis publicæ duritiem molliendam, lenitatem senectutis in alienis annis deferendam ei, qui in periculum convicti criminis vocaretur? Ferebatur primò ludis circensibus delectari: sic istud abstersit, ut ne solemnibus quidem principum natalibus, vel imperialis honoris gratiâ * circenses putaret esse celebrandos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci: omnes feras uno momento jussit interfici.

16. Audire in consistorio [e] negotia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, vel personæ alicujus contuitu ducerentur, congruam vero adolescentem videres senilemque ferre sententiam. Jactabant invidi, quod præmature prandium peteret: cœpit ita frequentare * jejunium, ut plerumque ipse impransus

*. Cicero in *Orat. pro M. Cælio: Ac multi . . . summi homines, & clarissimi cives fuerunt, quorum cùm adolescentiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutes, firmata jam ætate, exstiterunt.* Ad quæ verba spectasse Ambrosium non temere dixeris.

*. Non ex hoc solo loco, sed ex aliis pluribus cognoscere est Ambrosium varias Scripturæ versiones consulere solitum. Certe quidem habetur tantum, apud LXX. Ἀγαθὸν ἀνδρὶ ὅταν ἄρῃ ζυγὸν &c. sed vocem *grave* admittunt vulgo Patres Latini, ut puta Hilarius Enarr. in psal. 118. litt. *Beth*, & Cassiodorus in eumdem psal. vers. 147. quod videtur imitatus ab Ambrosio, Serm 9. in hunc ipsum psal. ubi eadem habet. Nobilius distinctionem inter propheticum illud jugum atque Evangelicum ab Ambrosio hic propositam referens: *Quomodo jugum grave . . . dixerit Dominus: Jugum meum suave &c?* subjungit: *Interpres Theodoret. quia tollit super se ipsum jugum grave.*

a. Omnes edit. *videri pro pondere* (in edit. Rom. *pro* eliditur) *disciplinæ, austeritate &c.* omnes mss. è contrario, ut in corpore.

b. Omnes edit. *contemtus injuriâ*; mss. nonnulli, *contemtâ injuriâ*, plures ac probatiores, *contemnens injuriam*.

c. Ita mss. uno & altero excepto, ubi habetur *ad superiora*: contra vero edit. omnes eiterum *ad saniora*. Quæ quidem lectio etsi usitatior videatur, licet tamen dicere *ad seriora* sin minus pro *ad magis seria*, saltem pro *ad magis sera*, intellige *studia senectutis*.

d. Mss. aliquot, *ætatis lætitiam*. Et hic etiam non pauca sunt, quæ alludere ad citatam Ciceronis orationem existimamus.

*. Ex hoc loco deprehenditur Philostorgii adversus hunc principem iniquus animus; is enim de illo agens lib. 11. ita loquitur: *Cùm ursis ac leonibus uteretur, annum agens vicesimum, vita simul atque imperio, & ferarum venationibus privatus est.* Sed quod evidentius signum emendationis edere potuit Valentinianus, quam quod solemnioribus etiam diebus hujusmodi abstinuerit spectaculis, & feras ipsas, quas ex Africa remotioribusque regionibus adduci consuevisse in lib. 2. *Officiorum* cap. 21. num. 109. observatum est, interfici jusserit?

e. Rom. edit. *negotia etiam in quibus . . . ducerentur, ut Danielis spiritu adolescentem videres senilem ferre sententiam*: vet. autem edit. ac mss. nobiscum conveniunt, nisi quod in paucis tantum mss. invenitur particula *que* post & *senilem*.

*. Jejunium hoc erat quidem ecclesiasticum, & non mere voluntarium, cùm subjiciatur infra: *Quo & religioni sacra satisfaceret*; non tamen liberum erat imperatori ejusdem jejunii diebus convivia ducibus suis solemni more exhiberi solita non præbere; maxime cùm inter eosdem duces plurimi adhuc ethnicam sequerentur religionem.

convivium solemne suis Comitibus exhiberet: A quo & religioni sacræ satisfaceret, [a] & principis humanitati.

17. Scenicæ cujusdam forma ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nuntiabatur: jussit eam ad comitatum venire. Missus pretio depravatus, sine mandati effectu rediit: alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus; deductam tamen numquam * aut spectavit, aut vidit. Postea redi- B re præcepit; ut & omnes agnoscerent irritum ejus non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cùm adhuc non haberet uxorem, & tamen exhiberet sui tamquam vinctus conjugio castitatem. Quis tam dominus servi, quam ille sui corporis fuit? Quis tam aliorum arbiter, quam ille suæ censor ætatis?

18. Quid de pietate ejus loquar? qui cùm C homines nobili ortos genere, [b] & locupleti prosapia, quæ cito movere invidiam solet, regiæ cupiditatis accusator urgeret, præfectus insisteret; respondit ut nihil cruentum sanctis præsertim diebus statueretur. Et cùm post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniam [c] pronuntiavit, accusatum libere, donec præfectus cognosceret, observare jussit. Neque ante aut postea quisquam tanti criminis sub adolescente imperatore formidavit invidiam. Risit D adolescens, quod robusti metuunt imperatores.

19. Miserat propter recuperanda templorum jura, [d] sacerdotiorum profana privilegia, cultus sacrorum suorum, Roma legatos; &, quod est gravius, senatus nomine nitebantur. Et cùm universi, qui in consistorio aderant, christiani pariter atque gentiles dicerent esse
Dan. 13. 45. reddenda; solus velut Daniel, excitato in se Dei Spiritu, arguebat perfidiæ christianos, gentilibus obviabat dicens: Quod pius frater eripuit, quomodo à me putatis esse reddendum? cùm in eo & religio lædatur & frater, à quo se nollet pietate superari.

20. Et cùm paterno conveniretur exemplo, quod sub patre suo ea nullus abstulerat, respondit: Patrem meum laudatis, quia non abstulit; nec ego abstuli. Numquid pater meus reddidit, ut me debere reddere postuletis? Postremo etiamsi pater reddidisset, frater abstulerat, imitatorem in ea parte fratris esse me mallem. Aut numquid meus pater augustus fuit, & frater non fuit? Par utrique debetur reverentia, & par utriusque est circa rempublicam gratia. B Utrumque imitabor: ut & non reddam quod pater reddere non potuit; quia nullus abstulerat: & servem quod à fratre est constitutum. Postulet parens Roma alia quæcumque desiderat: debeo affectum parenti, sed magis obsequium debeo salutis auctori.

21. Quid de amore provincialium loquar, vel quo eos ipse complectebatur, vel qui ab iis consultori suo rependebatur, quibus nihil umquam indici passus est? Præterita, inquit, C non queunt solvere, nova poterunt sustinere? * Ex hoc laudant provinciæ Julianum: & ille quidem in robusta ætate, iste in processu adolescentiæ: ille plurima reperit, & exhausit omnia; iste nihil invenit, & omnibus abundavit.

22. Audivit in Transalpinis partibus positus, ad Italiæ fines barbaros propinquasse, sollicitus ne alieno hoste suum regnum adtentaretur, venire properabat, cupiens dimittere Gallicana otia, & pericula nostra suscipere.

D 23. Hæc mihi cum aliis communia. Illa privata, quod sæpe me appellabat absentem, [e] & à me initiandum se sacris mysteriis præferebat. Quin etiam cùm rumor quidam ad Viennensem pertulisset urbem, quod invitandi ejus ad Italiam gratia eo pergerem; quam gaudebat, quam gratulabatur me sibi optato adfore! Mora ei adventus mei prolixior videbatur. Atque utinam adventum ipsius nullus prævenisset nuntius!

E 24. Jam promiseram me profecturum, respondens * vel honoratis petentibus, vel præfecto, ut tranquillitati Italiæ consuleretur, me sicut superfluo ingerere non possem propter

a. MSS. non pauci, *& princeps (varii, & ne princeps) humanitatis, scenicæ alicujus forma, & decore deperiret. Romæ adolescens nobilis nuntiabatur, jussit* &c. Minus commode. Exstat porro in *Cod. Theod. lex v. de Scenicis* anni 389. qua prohibet idem hic Valentinianus *Thymelicam*, id est, scenicam mulierem, quæ modos & saltationes facit in thymele quæ orchestræ pars erat, *ex Urbe abduci*. Hanc legem hortatu Ambrosii datam autumat Gothofredus, nec male ad hanc referri historiam.

*. *Aut spectavit*, nempe in scena: *aut vidit*, privatim videlicet.

b. MSS. aliquot, *locupletes prosapia*. Sed hoc loco gravius discrimen in distinctione membrorum, quam in vocibus. Etenim omnes edit. sic interpungunt consequentia, *quæ cito movere invidiam solet regiæ cupiditatis, accusator urgeret* &c. MSS. vero ita distinguunt, *quæ cito movere invidiam solet, regiæ cupiditatis accusator urgeret* &c. Evidens sane est hunc ultimum sensum multo præstare: in priori enim crimen sive accusationis caput non exprimitur, secus vero in posteriori, nimirum accusatio *regiæ cupiditatis*, hoc est, affectati throni ac regii nominis. Quod porro negabat imperator passurum se esse, ut quidquam cruentum *diebus sanctis statueretur*, extra controversiam est paschales ferias hic designari quæ hoc nomine propter festi præcellentiam appellabantur. Ambrosius de illis ita loquitur epist. 20. num. 6. *Itaque sanctis diebus hebdomadis ultimæ, quibus solebant debitorum laxari vincula* &c. Veneratio autem horum dierum hic in Valentiniano erat eo laudabilior, quod non modo lege 3. *de indulg. crim.* à Valentiniano seniore lata, quæ in hoc festo variorum scelerum sontes solvi jubebat, rei majestatis excipiebantur; verum etiam tribus aliis legibus, quas hic ipse Valentinianus noster annis 381. 384. & 385. promulgavit.

c. Rom. edit. cum superior. edit. *calumniam pronuntiaturus*: at sequenti versu eadem sola, *observari jussit*: MSS. autem utrobique, ut nos in textu.

d. MSS. nonnulli, *sacerdotum jura*. Duobus porro diversis temporibus gentiles religionum suarum restitutionem à Valentiniano juniore postulaverunt, anno scilicet 384. quo præfectus Romæ Symmachus erat, cujus Relationi Ambrosius epistola 17. & 18. respondit. Cùm autem tum temporis nihil impetrassent, occasionem, ut aestumabant, commodiorem nacti, reduce nimirum in Constantinopolim Theodosio, & Valentiniano in Galliis ab Arbogaste in servitutem propemodum redacto, priorem suum conatum, sed effectu irrito, iteraverunt. De hac ultima petitione loquitur hoc loco sanctus Præsul, quam paulo ante obitum hujus principis ei oblatam infra significat. Utramque autem egregie distinguit epist. 57. *ad Eugenium*, unde Paulini error detegitur ad legationem Cæsari in Gallias missam duos Ambrosianos libellos referentis, ut ad camdem epistolam observavimus. Quod vero priorem relationem hic silentio Ambrosius præterit, & modestiæ causa facit, ne se ipse laudare videretur, & honoris in Valentinianum, ad quem secundæ repulsionis gloria redibat universa.

*. Julianum apostatam intellige, à quo nonnulla provincialibus remissa discimus ex lege 11. *de Immunit. conc.* lege 1. *de indulg. debit.* & lege item 3. *de Auro Coron.* Ejusdem principis liberalitatem ethnici scriptores mirum quantum efferant. Adisis Libanium & Mamertinum in ejus *Orat. panegyr.* & Ammianum lib 25. Hist. cap. 4. quem locum cùm iis quæ lib. 16. cap. 5. idem dixerat, ægre conciliari fatetur Valesius.

e. Vet. edit. cum parte MSS. *& à me initiatum*: Rom. cum alia parte, *& à me initiandum*; quod potius habendum sequentia plane persuadent: quibus etiam addere licet, quæ ad Theodosium epist. 53. num. 2 scribit vir sanctus.

*. Quinam dicantur honorati, explicatum est ad lib. 1. Offic. cap. 29. num. 150. Quod autem subdit se ab adeundo imperatore verecundia revocari, plane congruit cum epist. 2. *ad Gratian.* num. 1.

verecundiam, ita necessitatibus non defuturum. Confirmatum hoc erat: ᵃ ecce postridie litteræ de instruendis mansionibus, invectio ornamentorum regalium, aliaque ejusmodi quæ ingressurum iter imperatorem significarent. Quibus rebus ab ipsis à quibus fuerant postulata, intermissa legatio est.

25. Reus mihi videbar speratæ meæ præsentiæ nec impletæ: sed utinam viventi tibi hunc deberem reatum! Excusarem quod nulla tua audissem pericula, nullas tuas accepissem litteras, quod non potuissem propriis animalibus occurrere, etiamsi iter ingressus essem. Itaque securus veniæ, dum dies subduco, adventus tui iter lego; ecce * rescriptum accipio, ut sine mora pergendum putarem, eo quod vadem fidei tuæ habere me apud comitem tuum velles. Num restiti? num moratus sum? Additur eo ut properarem ocyus, nec arbitrarer causam itineris mei synodum Gallorum esse episcoporum, * propter quorum frequentes dissensiones crebro me excusaveram: sed ut ipse baptizaretur.

26. In ipso egressu gestarum jam rerum indicia potui cognoscere, sed properandi studio nihil advertere poteram. Jam superabam Alpium juga, & ecce nuntius amarus mihi & omnibus de tanti morte imperatoris. Reflexi iter, & fletibus meis lavi. Quibus ego votis omnium proficiscebar? quo gemitu omnium revertebar? non enim imperatorem sibi, sed salutem ereptam putabant. Quanto ipse angebar dolore? primum quod tantus princeps, quod dulce pignus meum, quod ita mei cupidissimus occidisset. Quos ego æstus ejus illo biduo fuisse comperi, quo litteris quas ad me miserat, supervixit? Vesperi profectus est * silentiarius, tertio die mane quærebat jamne remeasset, jamne venirem: ita sibi salutem quamdam venturam arbitrabatur!

27. O juvenis optime, utinam te viventem invenire potuissem, utinam te dilatio aliqua meo reservasset adventui! Nihil de aliqua mei virtute polliceor, nihil de ingenio atque prudentia: sed quanta ego cura inter te & Comitem tuum, quanta sedulitate concordiam & gratiam refudissem? Quàm me ipsum pro tua obtulissem fide, quàm in me ipsum eos recepissem, ᵇ quibus ille se timere dicebat? Certe si Comes non esset inflexus, tecum remansissem. Præsumebam de te, quod ipse me audires, si pro te non esse auditum videres.

28. Multa habueram, quæ tenerem: nunc nihil habeo præter lacrymas & fletus. Quotidie mihi major ᶜ ad dolorem es, crescis ad gemitum. Omnes quanti me feceris protestantur: omnes absentiam meam causam tuæ mortis appellant. Sed non sum Elias, non sum propheta, ut potuerim futura cognoscere: sed sum vox clamantis in gemitu, quo possim deflere præterita. Quid enim habeo quod melius faciam, quam ut tibi lacrymas pro tanto tuo in me affectu rependam? Ego te suscepi parvulum, * cùm legatus ad hostem tuum pergerem: ego Justinæ maternis traditum manibus amplexus sum: ego tuus iterum legatus repetivi Gallias, & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde pro pace atque pietate, qua fraternas reliquias postulabas: nondum pro te securus, & jam pro fraternæ sepulturæ honore sollicitus.

29. Sed revertamur ad Threnos, & ipsa doloris ingrediamur viscera: *Quid testabor*, inquit, *tibi, aut quid adsimilabo tibi, filia Hierusalem? Quis salvam te faciet, & quis consolabitur te, virgo filia Sion? quia magna facta est super te contritio tua. Quis sanabit te?* Quis autem me consolabitur, à quo alii petunt consolationis officium? *Implevit me amaritudine, inebriavit me felle. Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*, ut prophetico utar eloquio; quoniam quem in Evangelio eram generaturus, amisi.

Thren.1.13. Thren.[illegible] Hier.4.19.

30. Sed ille non * amisit gratiam, quam poposcit, qui mihi in sermone, quo utebar ad

a. Mss. non pauci: *Ecce post triduum*. Continuo vero post *instruendis mansionibus*, quarum hic fit mentio, nihil aliud significatur, quam publica quædam diversoria, quæ principibus iter facturis, rectoribus, atque adeo militibus ipsis præparabantur, cùm proficiscerentur in expeditionem. Vide Cassiodorum lib. 12. *Variar.* epist. 18. & epist. 19.

*. Ad id quod hic legimus, *rescriptum accipio*, referenda sunt illa ex epist. 53. n. 2. *ut à me baptismate initiaretur, scribendum arbitratus est*; unde haud mediocriter probabile est non de rescripto proprie dicto intelligendum, sed de litteris ipsa Valentiniani manu exaratis, cujusmodi epistolam à Gratiano se accepisse Ambrosius testatur epist. 1. num. 3. In epistola porro 53. nulla causa cur sancti viri adventum imperator expeteret, adfertur, præterquam illius baptizandi: at in hoc epicedio præmittitur altera, nimirum ut vadem ageret Ambrosius pro imperatore apud Arbogastem. Certe occultæ illius offensiones in professas inimicitias eruperant, ut Gregorius Turon. ex Sev. Alexandro scriptore synchrono tradit lib. 2. *Histor.* cap 10. Zozimus lib. 4. & Philostorgius lib. 11. cap 1. Nullum autem ad reconciliandos Cæsaris & Comitis animos Præsule nostro magis idoneum esse potuisse ex iis patet, quibus quanto in pretio apud eumdem Comitem Ambrosius esset, in hujus Vita narrat Paulinus.

* Constat quidem dissensiones illas materiam fidei neutiquam spectasse; numquam enim Ambrosius tanto illius defendendæ ardore semper flagrans, per curiam suam synodis hujusmodi subtraxisset: sed illæ vel contentiores fuerunt inter Arelatensem ac Viennensem antistites exortæ, ut censet Quesnellus *Dissert. pro S. Hilar. Arelat.* vel motus quidam eorum occasione, qui cum Ithacianis communicaverant, excitati: qua de re diximus in annotatis ad epist. 24. & epist. 26.

*. Multæ leges quæ ad silentiarios pertineant, in Cod. Theod. exstant tit. *de Decurion. & Silent.* Horum officium erat, dum imperator in consistorio esset, aut cum suis exterius consilium haberet, ad fores excubare. Sed ex eorum schola nonnumquam deligebantur, qui principis ferrent imperata, ut cum ex hoc loco, tum ex Philostorgii lib. 7. cap. 7. cognoscere est. De iisdem agit Bulengerus lib. 3. *de Imperat. Rom.* cap. 10.

b. Ita vet. edit. & omnes mss. at Rom. edit præmisit præpositionem à voci *quibus*, unde sensus efficitur omnino contrarius. Veteri enim lectione significatur Arbogastem timorem prætendisse, ne quibusdam suarum partium periculum crearetur ab imperatore: Romana vero lectione exprimitur eumdem Comitem sibi ipsi ab aliquibus imperialibus ministris vim aut insidias pertimuisse.

c. Mss. non pauci, *ad dolorem crescis ac gemitum. Omnes quanta mihi feceris, protestantur.*

*. Duas legationes ab Ambrosio ad Maximum constat esse susceptas, de quibus agit pluribus epistolarum suarum locis sanctus Antistes. Videsis epistolam 20. num. 23. epistolam 21. num. 20. & epistolam 24. cum nostris ad eam observatiunculis.

*. Non alius forsitan è catholicis Patribus absolutam accipiendi baptismatis necessitatem magis adstruit quàm Ambrosius variis locis, sed potissimum lib. 2. *de Abraham* cap. 11. num. 84. Serm. 3. in *Psal.* 118. num 14. & lib. *de Mysteriis* cap. 4. num. 20. Verum omnia illa testimonia sic accipi debere, ut baptismum, quem dicunt in voto, cùm baptismus in aqua haberi nequit, ad salutem sufficere minime negetur, planum faciunt quæ hic & infra de eodem baptismi voto tradidit. Innocentius tertius pont. max. epistolâ Cremonensi episcopo scriptâ sinceram ejusdem sacramenti desiderium, cùm ipsum in se accipere non licet, salutem adferre Doctoris nostri testimonio confirmat: quam opinionem tum ejusdem Ambrosii tum Augustini auctoritate amplecti se dicit Bernardus *Tractatu ad Hugonem Victor. num.* Denique hunc ipsum Orationis hujusce locum in mentem orationis sententiæ confirmationem commonitet citant Hugo Victor. *de Sacram. Baptism.* cap. 5. Beatus Thomas 3. p. q. 68. a. 2. Magister Sent. in 4. dist. 4. § *Sunt & alii*, & post eos vulgus scholasticorum.

plebem

plebem, hodie resurrexit. Nam cùm * in tractatum incidissem propositæ lectionis, quod populus pauper benediceret Deum; quærere cœpi quis esset hic populus, & distinguere quod esset populus, alter dives, alter pauper: dives Judæorum, pauper Ecclesiæ: dives ille eloquiis sibi creditis, iste pauper aliena eloquia mutuatus. Merito pauper; quia congregatus à paupere est, illo videlicet, qui pauper factus est, cùm dives esset, ut nos ejus inopia ditaremur: exinanivit enim se, ut omnes repleret. *1. Cor. 8. 9.*

31. Sed quomodo pauper qui habebat æternitatis divitias, & plenitudinem divinitatis? Denique in carne erat, & dicebat: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis.* Et alibi ad Petrum dicit: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Hic ergo pauper, qui regnum cæleste donabat? Sed audi quomodo pauper: *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos; quia mitis sum, & humilis corde.* Ideo & populus ejus pauper est, non indigentiâ, quem divite illo populo video ditiorem; non solum enim oracula prophetarum, sed etiam apostolorum meruit divino fusa Spiritu habere præcepta. *Matth. 26. 64.* *Ibid. 16. 19.* *Ibid. 11. 29.*

32. Non ergo inopiâ pauper, sed pauper spiritu, cui dictum est: *Beati pauperes spiritu; ipsorum est enim regnum cælorum.* Vere beati pauperes, qui acceperunt quod divites non habebant. Ex hoc numero est ille propheticus pauper, de quo scriptum est: *Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Ex hoc populo ille, qui ait: *Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc do tibi: In nomine Jesu Nazareni surge, & ambula.* Ille ergo pauper auctor populi pauperis dicit: *Deus, laudem meam ne tacueris; quoniam os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Loquuti sunt super me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Bonum scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur. Orabat ergo dominus Jesus, & ejus imitator Valentinianus orabat. *Ibid. 5. 3.* *Psal. 33. 6.* *Act. 3. 6.* *Psal. 108. 2. & seq.* *Ephes. 6. 16.*

33. Sed forte dicatur: Quid ei profuit sua oratio? Ecce in primo vitæ occidit cursu. De celeritate mortis, non de genere loquor; non enim accusationis voce utor, sed doloris. Sed etiam Dominus orabat, & crucifixus est; hoc enim orabat, ut peccatum mundi tolleret. Audiamus ergo quid oret Christi discipulus: utique quod magister docuit. Docuit autem ut vigilemus & oremus, ne ingrediamur in tentationem, hoc est, ne incidamus in peccatum. Hæc est enim tentatio christiani, si in suæ animæ periculum prolabatur: mortem autem timere non est perfectionis.

34. Rogare autem quis debet & pro inimicis suis, orare etiam pro persequentibus, sicut Dominus orabat, dicens: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Vide clementiam *Luc. 23. 34.*

A magnam. Illi suum persequebantur auctorem, ipse adversariis etiam gravia peccata donabat; quin etiam ignorantiæ velamine excusabat admissum, dicens: *Quia nesciunt quid faciunt*; nam si scirent, Dominum non persequerentur suum, in cujus potestate ac jure salutem esse suam arbitrarentur. Et quia non sola Christi persecutores ejus erant morte contenti, addebant maledicta atque convicia, ut ait ipse: *Maledicent ipsi, & tu benedices.* Docuit nos quod timere B maledicta persequentium minime debeamus, cùm habeamus benedictionis auctorem: nec movere nos convicia debeant, ubi præsul est, qui possit auferre maledicta. *Psal. 108. 28.*

35. Quid illud quod mori non timuit? Immo pro omnibus se obtulit, * dicens quod frustra innoxii in invidiam vocarentur, quod frustra propter se alii periclitarentur: sibique potius mortem optabat, ne ipse aliis causa mortis esset. Hoc est illud Evangelicum Domini C in ipsa sui captione dicentis: *Si me quæritis, sinite hos abire.* Occidit itaque pro omnibus quos diligebat, pro quo amici sui parum putabant, si omnes perirent. *Joan. 18. 8.*

36. Advertimus quem circa amicos suos habuerit animum, quem * erga germanas suas habuerit affectum consideremus. In ipsis requiescebat, in ipsis se consolabatur, in ipsis relaxabat animum, & fessa curis corda mulcebat. Rogabat eas, ut si quo pueritiæ suæ lapsu, si D sermone aliquo offensæ à fratre viderentur, ignoscerent, veniam sibi à domino Deo deprecarentur. Manus, capita sororibus osculabatur, immemor imperii, memor germanitatis: & quanto magis aliis potestatis jure præstaret, hoc se magis humilem sororibus exhibebat. Rogabat ut non meminissent injuriæ, meminissent gratiæ.

37. Acciderat ut quoddam de earum possessione audiret negotium; tantus enim erat, ut E etiam in causa sororum æquus fore arbiter à provincialibus æstimaretur: quod etsi circa sanctas necessitudines suas caritate propenderet, tamen pietatem suam justitiâ temperaret. Audivit negotium non de jure, sed de possessione prædii. Hinc pietas pro sororibus, inde misericordia pro orphani causa certabat; ut pro eo apud ipsas interveniret sorores. Remisit ad judicem publicum negotium, ne aut jus, aut pietatem læderet. Privatim tamen, quan- F tum ex proposito nobilium puellarum advertimus, pium sanctis sororibus impressit affectum; ut concedendi prædii voluntatem haberent, indicium darent. Vere dignæ tanto fratre germanæ, [a] quæ id quod mater sibi reliquerat, mallent de suo potius jure laxare, quam fratrem in sua causa verecundiam sustinere.

38. Hæc est vobis, sanctæ animæ, hereditas pretiosior fraternæ laudis & gloriæ, his vos pius frater nobiliores & ditiores reddidit, qui

*. Adverte lector quanto studio verbi divini prædicationi incumbere solebat sanctus Antistes; quandoquidem quo die funebrem imperatoris orationem habiturus erat, Evangelium prius populo interpretari non omiserit. Sed à nobis jam alibi observatum est, eum quandoque eodem die semel & iterum è suggestu verba fecisse.

*. Hinc intelligas Arbogastem quosdam ex amicis Valentiniani ad necem poposcisse tamquam sibi infensos, & forte illud est quod movit editores Romanos, ut supra num. 27 reponerent, *à quibus ille se timere dicebat*, sicut ibidem observatum est.

*. Valentiniano sorores tres fuisse reperiuntur, *Justa*, *Grata*, & *Galla*. Cùm autem hæc ultima, quæ nupserat Theodosio, jam defuncta esset, relinquuntur priores tantum duæ huic orationi interfuisse, quas perpetuæ virginitatis servasse propositum ad epist. 53. adnotavimus.

a. Omnes edit. *quæ ei quod mater*, mss. vero melius, *quæ id quod mater*.

caput vestrum non gemmis onerabat, sed osculis: manus vestras non tam regalibus ambiebat insignibus, quam imperatorio ore lambebat. In vestræ fructu præsentiæ omne ponebat solatium, ut nec ipsam nimie desideraret uxorem. Ideo nuptias differebat, [a] quia plus eum vestræ gratiæ pascebat affectus. Hæc vobis desiderio amplius, quam dolori sint; ut fraterna gloria plus reficiat mentem, quàm dolor torqueat. PASCUNT FREQUENTER & lacrymæ, & mentem allevant: fletus refrigerant pectus, & mœstum solantur affectum.

39. Durum quidem funus videtis; sed stabat & sancta Maria juxta crucem Filii, & spectabat Virgo sui unigeniti passionem. Stantem illam lego, flentem non lego. Unde dixit ei Filius: *Mulier, ecce filius tuus. Et discipulo dixit: Ecce mater tua*; hereditatem illis caritatis suæ & gratiæ derelinquens. In quo vobis, pia pignora, quoniam fratrem vestrum servare propter mea peccata non merui, affectum paternum exhibere desidero. Illum intueor in vobis, illum teneo, illum puto esse mihi præsentem; immo * utrumque germanum, quos velut oculos mihi effossos arbitror. FELICIUS EPISCOPOS persequuntur imperatores, quam diligunt. Quanto mihi beatius Maximus minabatur? In illius odio laus erat, in horum amore * supplicii feralis hereditas. Utinam, filii, pro vobis licuisset hunc spiritum fundere! Compendium doloris invenēram, & gloriosius mihi fuerat pro tantis obire pignoribus.

Johan. 19. 26. & 27.

40. Sed ad vestram, sanctæ filiæ, consolationem revertar, quamvis rerum gestarum acerbitas vim omnem consolationis absorbeat. Quæ si brevis sit, nihil affert quo mœstum affectum demulceat: sin prolixior, longiorem affert admonitionem doloris. Quo enim prolixior fueris, hoc magis in consolando afficies eum, quem consolari velis, & diutius mœrorem ejus tenebis.

41. Non igitur velut * penicillo quodam sermonis mei vestras abstergam lacrymas; neque enim id facere vellem, etiamsi possem: EST ENIM piis affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerumque gravis lacrymis evaporat dolor. Sed id postulo, ne vel infixum pectori vestro fratrem [b] duris gemitibus revellatis, vel avertatis planctibus, vel requiescentem excitetis. Ille vobis maneat in corde, ille vivat in pectore, ille amplexibus piis hæreat, ut solebat; ille fraterna oscula premat, ille semper in oculis sit, semper in osculis, semper in alloquiis, semper in mentibus: ille jam talis, ut ei nihil timeatis sicut ante. Obliviscamini ejus ærumnam, teneatis gratiam. Ille vobis auxiliaturus speretur, ille noctibus præsul adsistat, illum à vobis jam nec somnus excludat. Propter ipsum delectet quies, ut vobis gratior revertatur. In vobis est, filiæ, ut fratrem vobis jam nemo possit auferre.

42. Sed corpus ejus tenere desideratis, tumulum circumfusæ tenetis. Ille tumulus fratris vobis habitatio sit, ille sit aula palatii, in quo cara vobis membra requiescent.

43. Quod si me ad illum revocatis dolorem, quod cito excessit è vita: nec ego abnuo immatura obisse ætate, quem nostræ vitæ temporibus fulcire cuperemus; ut * de nostris annis viveret, qui fungi non potuit suis.

44. Sed quæro utrum * aliquis sit post mortem sensus, an nullus? Si est, vivit; immo quia est, vita jam fruitur æterna. Quomodo enim non habet sensum, cujus anima vivit, & viget, & remeabit ad corpus; & faciet illud, cùm refusa fuerit, reviviscere? Clamat Apostolus: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus; ut non tristes sitis, sicut & ceteri qui spem non habent. Nam si credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus illos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Manet ergo eos vita, quos manet resurrectio.

1. Thess. 4. 12. & 13.

45. Quod si gentes, quæ spem resurrectionis non habent, hoc uno se consolantur, quod dicant * quod nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris: quanto magis nos consolationem recipere debemus; quia mors metuenda non sit, eo quod finis sit peccatorum: vita autem desperanda non sit, quæ resurrectione reparatur? Job quoque docet nec mortem timendam, & potius optandam piis, dicens: *Utinam in inferno me custodires, & absconderes me, donec mitigetur ira tua, & constituas mihi tempus, in quo memor sis mei. Si enim mortuus fuerit homo, [c] vivet. Consummans dies vitæ meæ sustinebo, donec iterum fiam. Tunc vocabis, & ego tibi obediam: opera autem manuum tuarum ne despicias.*

Job. 14. 13. & 14.

46. Esto tamen, dolendum sit quod primæva obierit ætate; gratulandum tamen quod virtutum stipendiis veteranus decesserit. Tanta enim fuit emendatio vitæ ejus in illo omnibus lubrico adolescentiæ tempore, tanta laus morum ejus, ut omnem memoriam doloris obducat. Quod enim obiit, fragilitatis est: quod talis fuit, admirationis. * Quam beata fuisset respublica, si eum diutius servare potuisset! Sed quia vita sanctorum non hîc in terris est, sed in cælo (justis *enim vivere Christus, & mori lucrum, quia dissolvi & cùm Christo esse multo melius*) dolendum est quod nobis cito raptus sit, consolandum quod ad meliora transierit.

Philipp. 1. 21. & 23.

a. Omnes edit. & mss. aliquot, *quia pius eum*. reliqui mss. *quia plus eum*.

*. Gratianum & Valentinianum, in quos amorem suum, qualibet occasione rata, significare non prætermittit. Quod autem ad minas Maximi, quarum continuo post mentio habetur, adeunda est epist. 24 ad Valentinianum hunc destinata.

*. *Supplicii feralis*, id est, funebris, inquit Nannius. Feralis hic non à fera dicitur, sed à feriis, id est, inferiis mortuorum. Est autem hic feralis hereditas, idem quod exequialis; quæcumque enim ad mortuos pertinent, feralia dicuntur. Ita ille

*. Penicillus etsi proprie ex peniculis, hoc est, caudis animalium constet, quibus pictores inducendis coloribus utuntur; non tamen insiquens est eos pro spongiis usurpari, quomodo in *Eunucho* Terent. Acto. 4. sc. 7 Sic P. Nannius.

b. Ita omnes mss. omnes vero edit. *duris gemitibus relevetis*; absurdo sensu. Quid enim est, duris gemitibus relevari?

*. Alluditur ad solemnem acclamationis formulam, de qua Tertullianus in *Apologet. De nostris annis tibi Jupiter augeat annos*

*. Hic locus paulo uberius tractatur lib. 1. *de Excessu Satyri* num. 71. quem consule.

c. Rom. edit. *vivet, consummans dies vitæ ipsius Sustinebo* &c. Quæ lectio congruit cum Vers. LXX. vet. autem edit. & mss. inter se consentiunt, nisi quod mss. pro *consummans* fere legunt *consummas*: at hic lapsus est librariorum. Ceterum hæc lectio ad Hebræum textum, & Vulg. nostram magis accedit.

*. Quam paucissimis verbis absolutam Valentiniani laudem complexus est sanctus Ambrosius, neque tamen eam in ullam adulationis suspicionem fas est adducere, cùm de virtutibus ejusdem principis eadem testentur & alii multi. Vide sis Sozomenum lib. 7. cap. 22. Nicephorum lib. 12. cap. 38. & alios.

47. Denique David moriturum filium flebat, A mortuum non dolebat. Flebat, ne sibi eriperetur: sed flere desivit ereptum, quem sciebat esse cum Christo. Et ut scias verum esse quod adsero, incestum Ammon filium flevit occisum, parricidam Abessalon doluit interemtum, dicens: *Filius meus Abessalon, filius meus Abessalon*; innocentem filium non putavit esse lugendum; quia illos sibi periisse pro scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum.

2. Reg. 12. 20. — 2. Reg. 13. 36. — 2. Reg. 18. 33.

48. Nihil ergo habetis quod gravissime doleatis in fratre: * homo natus est, humanæ fuit obnoxius fragilitati. Nemo se redimit à morte, non dives, non ipsi reges; immo ipsi gravioribus subjacent. Job dixit: *Numerati anni dati sunt potenti, timor autem ejus in auribus ejus: quando videtur habere pacem, tunc veniet ejus eversio.* Vobis quoque ipsis tam acerba incidisse patienter ferre debetis, quæ videtis vobis communia esse cum sanctis. Etiam David amissis filiis destitutus est: optasset illos tales obire, C qualis vobis frater ereptus est: ille crimina doluit, non exitum filiorum.

Job. 15. 20.

49. Sed esto fuerit ingemiscendum. Quousque luctus tempora protrahuntur? Duorum mensium curricula in fraterni funeris quotidiano clausistis amplexu. Sola in Scripturis Jephte filia fletus sui tempora postulavit, cognito quod pater ejus profecturus ad prælium voverat quia id rerum potitus offerret Domino, quod sibi primum occurreret. Post victoriam revertenti D occurrit filia, a gnara pietatis, ignara promissi. Vidit eam, & ingemuit pater, dicens: *Heu me, filia, impedisti me, in stimulum doloris facta es mihi. Ego enim aperui os meum de te ad Dominum, & non potero avertere.* Illa dixit ad eum: *Pater, si in me aperuisti os tuum, fac mihi ut exiit de ore tuo.* Et iterum dixit: *Sine me mensibus duobus, & vadens flebo in montibus super virginitatem meam ego & compares amicæ meæ.* Itaque duobus exactis regressa mensibus, sacrificii mu- E nus implevit: quæ decreto populi Israel quaternis in anno diebus ab ejusdem plebis feminis deplorabatur.

Judic. 11. 35. — Ibidem 37.

50. Ad deflendum igitur suæ virginitatis florem duos sat esse menses Jephte filia judicavit, & adhuc non venerat resurrectio; & hoc spatio temporis satis putavit à paucis se esse defletam: vobiscum omnes populi defleverunt, omnes ingemuerunt provinciæ; & adhuc parva F putatis vestra hæc esse supplicia? Si fratrem vestro redimere posseris exitio, nollet tamen ille vestra afflictione resuscitari; quia se melius vivere credidit in vobis, qui optavit potius se ipsum mori, quàm vestram videre injuriam, qui pro vobis se libenter fuit paratus offerre, qui ipso b nostri doloris die dicitur hanc solam emisisse vocem: Væ miseris sororibus meis: Itaque magis vestram destitutionem, quàm suam mortem dolebat.

51. Sed audio vos dolere, quòd non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? B Atqui etiam dudum hoc voti habuit, ut & antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proxime baptizari se à me velle significavit; & ideo præ ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit: non habet, quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit. Et unde illud est: *Justus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in requie erit.* Sap. 4. 7.

52. Solve igitur, Pater sancte, munus servo C tuo, quod Moyses quia in spiritu vidit, accepit: quod David, quia ex revelatione cognovit, emeruit. Solve, inquam, servo tuo Valentiniano munus, quod concupivit: munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus ægritudine distulisset; tamen non penitus à tua misericordia esset alienus, qui celeritate temporis esset, non voluntate fraudatus. * Solve ergo servo tuo munus gratiæ tuæ, quam ille numquam negavit, qui ante diem D mortis templorum privilegia denegavit, c his urgentibus, quos revereri posset. Adstabat virorum caterva gentilium, supplicabat senatus: non metuebat hominibus displicere, ut tibi soli placeret in Christo. Qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam?

53. Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet: ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur; non enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo E * abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.

54. Ne quæso eum, Domine, à fratre sejungas, nec jugum hoc piæ germanitatis patiaris abrumpi. Hic tuus jam, & tuo judicio vindicatus, periclitatur amplius Gratianus, si separetur à fratre, si non mereatur esse cum eo, per quem meruit vindicari. Quas ille nunc manus ad te, Pater, erigit? quas pro fratre pre- F ces fundit? quo ei inhæret amplexu? quemadmodum sibi eum non patitur avelli?

55. Adest etiam pater, * qui militiam sub Juliano, & tribunatus honores fidei amore con-

*. Sic lib 2. *de Excessu Satyri* num.3. flendam fraternam mortem ex eo negat, quod *mors sit communis omnibus*. Uterque vero locus ad id respicit, quod apud Ciceronem lib.3. *Tuscul. Quæst.* Telamo dicit:

Ego cùm genui, moriturum scivi.

a. Omnes edit. ac mss. aliquot, *ignara pietatis*: mss. vero melioris notæ, *gnara pietatis*; optimo sensu. Etenim cùm patri revertenti obviam processerit omnium prima, quomodo pietatem parentibus à filiis debitam ignorasse dicenda erit?

b. Ita cuncti cod. scripti, uno excepto, quicum efferunt omnes edit. *vestri doloris die*.

*. Nannius verborum sequentium sententiam hanc esse ait: Solve Valentiniano gratiam baptismi, & christianitatis, cùm ille tibi semper gratificatus sit. Per id autem quod subjungitur de negata religionum prophanarum instauratione, ab Ambrosio probari putat Valentinianum Christo numquam non esse gratificatum. In hoc vero certum est errasse Nannium, quod templorum privilegia ante diem mortis ab imperatore negata ad rejectam Symmachi Relationem refert. Sed de hoc alibi jam satis dictum.

c. Vet. edit. ac mss. aliquot; *insurgentibus*: Rom. edit. & reliqui mss. *his urgentibus*.

*. Idem sensus fuit totius christianæ antiquitatis circa martyres solo suo sanguine baptizatos. Et certe ne Ambrosius videatur hic loqui ad gratiam, vide quæ tradit *Serm.*3. in *Psal.*118. num 14. Sed ei præiverat Tertullianus lib. *de baptism.* cap 16. Cyprianus epist 73. *ad Jubaian.* & alii, sicut eumdem Augustinus posterioresque in hoc secuti sunt.

*. Legimus apud Socratem lib.1 *Histor.* cap. 1. Valentinianum nostri parentem, cùm sub Juliano desertore tribunus esset, jussum idolis sacrificare, cingulum militare abjecisse, ne religionem Christi abjuraret. Scribit vero Sozomenus lib 6 cap. 6 eumdem Valentinianum, cùm imperatorem in fanum quoddam ingredientem comitatus, à sacerdote aqua lustrali adspersus esset, vidente Cæsare, tinctam illam chlamydis partem statim abscidisse, & conviciis invectum esse in sacerdotem, cui etiam ab eodem pugnum impactum narrat Theodoretus lib.3. cap 16. Quod autem ab ipso sublata non esse templorum jura significatur, de hoc abunde diximus ad Relationem Symmachi, & epist.17. ac 18.

temsit. Dona patri filium, fratri germanum A
suum, quorum utrumque imitatus est: alterum
fide, alterum devotione pariter atque pietate
in templorum privilegiis denegandis. Quod pa-
tri defuerat, adjunxit: quod frater constituit,
custodivit. Et huic adhuc intercessionem ad-
scisco, cui remunerationem præsumo:

56. Date * manibus sancta mysteria, pio re-
quiem ejus poscamus affectu. Date sacramen-
ta cælestia, [a] animam nepotis nostris oblationi-
Psal. 133. 2. bus prosequamur. Extollite populi mecum ma- B
nus in sancta, ut eo saltem munere vicem ejus
meritis rependamus. Non ego floribus tumu-
lum ejus adspergam, sed spiritum ejus Christi
odore perfundam. Spargant alii plenis lilia ca-
lathis, nobis lilium est Christus. Hoc reliquias
ejus sacrabo, hoc ejus commendabo gratiam.
Numquam ego piorum fratrum separabo no-
mina, merita discernam. Scio quod Domi-
num commemoratio ista conciliet, & copula
ista delectet. C

57. Nec putet aliquis quidquam meritis eo-
Gen. 5. 24. rum obitus celeritate detractum. Raptus est
Sap. 4. 11. Enoch, ne malitia mutaret cor ejus: & Josias
4. Reg. 23. 21. decimo octavo anno regni sui ita Domini pas-
cha celebravit, ut omnes retro principes de-
votione superaret, nec diutius fidei suæ meritis
supervixit; immo quia plebi Judææ grave im-
minebat exitium, rex justus ante sublatus est.
Metuo ergo ne & tu nobis aliqua nostri offen-
sione sis raptus, [b] ut octavo decimo regni tui D
anno imminentis mali acerbitatem, quasi jus-
tus evaderes.

58. Sed jam cara mihi complectar viscera,
& debito condam sepulcro; prius tamen sin-
gula membra perspiciam. Valentinianus meus,
Cant. 5. 10. *juvenis meus, & candidus & rubeus*, habens in
se imaginem Christi; talibus enim prosequitur
Ecclesia in Canticis Christum. Nec injuriam
putes: * caractere Domini inscribuntur & ser-
vuli, & nomine imperatoris signantur milites. E
Ps. 104. 15. Denique & ipse Dominus dixit: *Nolite tangere*
Matth. 5. 14. *Christos meos*; &: *Vos estis lux mundi.* Et Jacob
Gen. 49. 8. dixit: *Juda*, [c] *te laudabunt fratres tui.* Ad filium
loquebatur, & Dominum revelabat. Et de Jo-
Ibidem 22. seph dictum: *Filius meus ampliatus, filius meus*
ampliatus Joseph, & Christum significabat.

59. Licet ergo & mihi caractere Domini sig-
nare servulum: *Juvenis meus candidus & rubeus*, Cant. 5. 10.
electus è decem millibus. Electus est filius meus,
cùm post mortem patris * parvulus adsciscere-
tur imperio. *Caput ejus aurum cephas, oculi ejus* Ibidem 11.
sicut columbæ super abundantiam aquarum. Ibi Psal. 136. 1.
enim *sedimus, & flevimus*, dixerunt qui inde
venerunt.

60. *Venter ejus pyxis eburnea*, qui reciperet Cant. 5. 14.
oracula Scripturarum, ut posset dicere: *Ven-* Hier. 4. 19.
trem meum doleo, sicut dixit propheta; dicit
enim hæc, qui imitator est Christi.

61. *Genæ ejus sicut phialæ aromatis*, quibus Cant. 5. 13. & 14.
Christi influebat unguentum.

62. *Labia ejus sicut lilia* [d] *distillantia, myrrhâ*
plena. Manus ejus tornata, aurea, plena Tharsis;
eo quod in verbis ejus justitia refulgeret, in
factis & operibus reniteret gratia: in quo &
plenum virtutis & authoritatis regalis esset al-
loquium, nec inflexa aliquo mortis terrore
constantia, [e] & factorum pretiosa & emendata
correctio; omnis enim bonus operarius ma-
nus Christi est.

63. *Fauces ejus dulcedines, & totus desiderium.* Ibidem 15.
Quam dulcia enim omnia judicia ejus univer-
sorum faucibus adhæserunt! Quanta gratia ser-
mones ipsius singuli recensentur! Quemadmo-
dum, fili, desideraris à populis? Mihi [f] certe im-
pressisti, quæ pectore teneo verba illa postre-
ma, quibus me vadem tuum fieri postulabas.
Reliquisti ipse de me testimonium judicii glo-
riosi. Ego tibi fidem meam exhibere non po-
tui, quam parabam; dixi tamen absens, & di-
centem me fidem pro te Christus audivit. Te-
netur in cælo sponsio mea, etsi non tenetur
in terris: obligatus sum Deo, etsi non potui
hominibus obligari.

64. Loquutus sum de corpore tuo, nunc al-
loquar animam tuam dignam propheticis or-
namentis. Iisdem igitur utar exordiis: *Quænam* Ibidem 5.
est hæc prospiciens sicut diluculum, speciosa ut luna,
electa ut sol? Videor mihi te videre fulgentem,
videor audire dicentem: Diluculum mihi est,
pater. *Nox* terrena *præcessit, dies* cælestis *appro-* Rom. 13. 12.
pinquavit. Prospicis nos igitur, sancta anima,

*. Animas ubi de corporibus egressæ essent, si bonæ crederentur, lares: si malæ, lemures; sin vero ambiguum foret utri ordini jungendæ essent, manes vocatas esse observat Nannius. Verum hanc differentiam deletam brevi fuisse idem adjicit, cunctisque animabus, immo etiam infernis diis hoc nomen attributum. Sed plura de manibus reperies apud Vossium in *Etymol.* ad eamdem vocem. Præterea tamen Nannius monet hic forte imitationem esse horum verborum è Virgilio: *manibus date lilia plenis*; hoc est, non à voce *manes*, sed à voce *manus* dictionem *manibus* hic ductam esse. De quo nos infra.

a. Edit. Amerb. & Eras. *animam piam matris oblationibus*: Gill. & Rom. *animam piam nostris oblationibus*: mss. vero, *animam nepotis* &c. Neque dubites legitimam esse hanc lectionem; quod etiam de floribus subjungitur, plane demonstrat Ambrosium ad Virgilii versus alludere, qui lib. 6. Æneid. citatum supra hemistichium continuo sequuntur in hæc verba:

Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis &c.

Mos quippe erat carissimorum tumulis flores adspergere, ut præter alios multos Hieronymus epist. 26. *ad Pammach.* indicat.

b. Ita edit. Amerb & Eras. cum cunctis mss. Gill. autem ac Rom. edit. *ut octavo regni tui anno.* Non recte, ut à Baronio ad ann. 392. observatum est; cùm enim x. Kal. decembres an. 375. declaratus sit imperator, necatusque idibus maii an. 392. hinc inducitur anno regni 18. sed primo & ultimo non completis, exstinctum esse, quod instituta cum Josia rege comparatio etiam confirmat.

*. Re vera tam servi, quam milites olim notis quibusdam inurebantur: primi, ne alienus eos pro suis vindicaret; secundi, ne militiam deserere ipsis liceret. Hinc Pauli verba ex Epist. ad Galatas cap. 6. *Ego enim stigmata domini Jesu in corpore meo porto*, ad priorem interpretationem Erasmus refert, eadem vero ad posteriorum notas alludere censet Grotius. De militum inustione adi Lipsium lib. 1. dial. 9. de servorum consule Jos. Laurentium lib. 1. *Polymath.* dissert. 9. Porro non possumus nobis hic temperare, quin Dallæi adversus Ambrosium insimulemus malignitatem. Qua enim sinceritate lib. 2. *de Usu Patrum* asserit Scripturam ad lusus adhiberi ab Ambrosio, eumque his quæ de Christo & Ecclesia dicuntur in sacris Canticis, Gratiano & Valentiniano eâ licentiâ accommodare, qua poetæ utuntur! Sed quis non videat, eum qui prætermisso quanta cautione ac veneratione vir sanctus hanc adaptationem præmollierit, ita loquatur, non tam ad veri investigationem, quam Patrum suggillationem scribere! Ceterum qui seriem orationis adtentius paulo expenderit, facile agnoscet à Doctore nostro hos textus Valentiniano tamquam Christi imitatori solum aptari.

c. Mss. nonnulli, *te collaudent*: duo, *te collaudant.* Sed non modo contra sacrorum codicum consensum, verum & contra quàm ab Ambrosio ipso citatur libro *de Benedict. Patriarch* cap. 4. n. 16.

*. Scriptores inter se consentiunt id contigisse x. Kal. decembres an. 375. quo tantum ille quadrimus erat.

d. Rom. edit. & pauci mss. *distillantia myrrham plenam*: quo etiam modo habetur in sacris paginis, & ab ipsomet Ambrosio citatur in psal. 118. verum tamen vet. edit. cum mss. pluribus potioribusque nobiscum faciunt. Omnes vero edit. ac mss. in sequentibus satis consentiunt, nisi quod legunt nonnulli mss. *tornata auro.*

e. Ultimæ Paris. edit. *sanctorum pretiosa* &c.

f. Rom. edit. sola, *certe te impressisti, qui corpore.*

de loco superiore, tamquam inferiora respiciens. Exiisti de tenebris istius sæculi, & ut luna resplendes, ut sol refulges. Et bene ut luna; quia & ante in umbra licet istius corporis refulgebas, & terrarum tenebras illuminabas: & nunc lumen à sole justitiæ mutuata clarum diem ducis. Videre igitur videor te tamquam de corpore recedentem, & repulsa noctis caligine surgentem diluculo sicut solem appropinquantem Deo, & rapido volatu sicut aquilam, quæ terrena sunt, relinquentem.

Cant. 6. 11. 65. *Convertere, Solamitis, convertere; & videbimus te.* Convertere ad nos pacifica; ut gloriam tuam sororibus tuis monstres, & incipiant se tuæ quietis & gratiæ securitate solari. Semel tantùm ad nos convertere, ut te videamus, & rursus convertere, atque ad Hierusalem illam civitatem sanctorum tota intensione festina. Aut certe quia ad animam piam Christus hoc dicit, jubet illam paulisper converti; ut nobis gloria ejus appareat, & requies futura cum sanctis: & postea præcipit eam ad illud supernum sanctorum festinare consortium.

Cant. 7. 1. 66. *Quid videbitis*, inquit, *in Solamitide, quæ venit sicut chori castrorum?* hoc est, in ea quæ multum & adversus plurimos in corpore præliata est. Etenim pugnavit adversus extraneos hostes, pugnavit adversus lubricas sæculi mutationes, pugnavit adversus corporis fragilitates, adversus multiplices passiones. Audivit à Domino: *Convertere Solamitis.* [a] Conversa est ad pacem semel in sæculo, conversa est iteratâ communione ad gratiam Christi; & ideo pulcra conversio ejus in sæculo, pulcherrimus incessus ejus & volatus in cælum.

Ibid. 6. 12.

Ibid. 7. 1. 67. Unde meretur audire: *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab*, hoc est, filia principis; [b] speciosos enim processus habuisti in corpore, tamquam calceamento eo usa, non ut involucro; ut quasi superior & eminentior, quo velles tuum circumferres sine ulla offensione vestigium: vel certe sicut calceamentum [c] illud exsolveres, sicut Moyses fecit, cui dictum est: *Solve calceamentum pedum tuorum.*

Exod. 3. 5.

Psal. 44. 11. Cant. 7. 1. 68. Dicit igitur tibi nunc pater Aminadab, ille populi princeps: *Audi, filia, & vide quoniam concupivit rex speciem tuam. Speciosi* ergo *facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab. Moduli femorum suorum similes torquibus*, hoc est, consonans sibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio, magnorum æquavit insignia triumphorum. Denique moderatione tua & tranquillitate pacifica nec Gallia hostem sensit, & Italia hostem repulit, qui ejus finibus imminebat. * Torques autem insignia esse victoriæ dubitari non potest, cùm ii qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorentur.

69. *Umbilicus tuus crater tornatilis*, [d] *non deficiens mixto. Venter tuus acervus tritici, munitis inter lilia. Cervix tua sicut turris eburnea. Oculi tui sicut stagna in Esebon.* Bonus umbilicus animæ, virtutum omnium capax, sicut crater ab ipso fidei auctore tornatus; Sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens: *Venite, edite panes meos, & bibite vinum, quod miscui vobis.* [e] Umbilicus ergo iste tornatus omni decore virtutum non deficit mixto. Venter quoque ejus non solum justitiæ velut frumentario cibo replebatur, sed etiam [f] gratiâ suavitateque florebat sicut lilium. Cervix quoque ejus candida & pura, jugo Christi sponte subjecta, cogitationes rationabiles, fidei odor, circumcisionis adtentio, ornatus capitis gloriosus; quod non regalia diademata, sed Dominici sanguinis insignia coronarent.

Ibidem 2. & seq.

Prov. 9. 5.

70. Merito tamquam rex peccati victor, & cælesti corona redimitus adscendit, cujus animæ dicit Deus Verbum: *Quam pulcra & suavis facta es, caritas, in deliciis tuis!* Pulcra per virtutis decorem, suavis per gratiam. Procera sicut palma, quæ vincentis est præmium. Cant. 7. 6.

71. Huic adscendenti animæ Gratianus frater occurrit, & complexus eam dicit: *Ego fratri meo, & super me conversio ejus*; vel quod sibi cum cupiat inhærere, vel quod pietate fraterna quasi advocatus adsistat, dicens conversionem ejus etiam suæ gratiæ præferendam. Ibidem 10.

72. *Veni*, inquit, *frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas*, hoc est, venisti eo ubi diversarum virtutum fructus pro singulorum meritis deferuntur, ubi abundant meritorum præmia. Exeamus ergo in agrum, in quo non vacuus labor, sed fœcundus proventus est gratiarum. Quod in terris seminasti, hîc mete: quod ibi sparsisti, hîc collige. Aut certe veni in illum agrum, qui est odor Jacob, hoc est, veni in gremium Jacob, ut sicut Lazarus pauper in Abrahæ sinu, ita etiam tu in Jacob patriarchæ tranquillitate quiescas; sinus enim patriarcharum recessus quidam est quietis æternæ. Merito ergo Jacob ager est fructuosus, sicut Isaac patriarcha testatus est dicens: *Ecce odor filii mei, tamquam odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Ibidem 11. & 12. Luc. 16. 22. Gen. 27.

73. *Requiescamus*, inquit, *in castellis*, ostendens illic esse requiem tutiorem, quæ septo cælestis refugii munita atque vallata, non exagitetur sæcularium incursibus bestiarum. Cant. 7. 11.

74. *In foribus*, inquit; *nostris omnes fœtus arborum: nova & vetera, frater meus, servavi tibi.* [g] *Quis dabit te, frater, fratrem mihi, lactentem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te;* Ibidem 13. Cant. 8. 1. & seq.

a. Ita vet. edit. ac mss. nisi quod pro *communione* legitur in quibusdam *commutatione*: at Rom. edit. locum sic effert: *Convertere ad pacem. Semel in sæculo conversa est, conversa est iterata communione.*

b. Omnes edit. *speciosa est enim processu, habitasti in corpore* &c. omnes mss. è contrario, ut nos in textu.

c. Vet. edit. cum mss. aliquot, *illud exsolvere*: Rom. edit. cum aliis nonnullis mss. *illud exsolve*. melius ceteri cod. *illud exsolveres*

*. Inter præmia, quibus victores milites donabantur, fuisse etiam torques proditum reperies apud J. Lipsium lib. 5. *de Milit. Rom.* Dial. 17.

d. Mss. aliquot, hic & infra, *non deficiens musto*: melius reliqui, & cunctæ edit. *non deficiens mixto*: LXX. μὴ ὑστερούμενος κρᾶμα. Continuo etiam post, nonnulli mss. pro *muniti* legant *minuti*, sed jam dictum est de hac lectione

e. Codex Remig. *Ergo umbilicus si fiet ornatus* &c.

f. Ita mss. ad unum, nisi quod *sicut* prætermittitur in bene multis: edit. autem, *gratia suavitate, qua florebat*, vet. etiam edit. omittunt, *sicut*. Quod vero habetur paulo infra in omnibus edit. ac mss. aliquot, *cogitationes rationabiles* &c. non pauci mss. ita exhibent, *cogitationes rationabiles fidei, odor circumcisionis, adtentio ornatus, caput gloriosum*. Minus concinne.

g. Rom. edit. sola hic & infra: *Quis dabit te fratrem*. Biblia sancta *fratrem* omittunt.

& quidem non spernent me : adsumam te , & inducam te in domum matris meæ , & in secretum ejus quæ concepit me. Potum dabo tibi à vino operosi unguenti , à fluxu malorum granatorum meorum. Læva ejus sub caput meum , & dextera ejus complectetur me. Promittit fratri augustæ memoriæ Gratianus præsto sibi fructus diversarum esse virtutum ; * fuit enim & ipse fidelis in Domino, pius atque mansuetus, puro corde. Fuit etiam castus corpore , qui præter conjugium nescierit feminæ alterius consuetudinem.

75. Ideo in foribus sedis suæ habet fructus paratos, nec longe petendos. Offert quæ servaverit fratri nova & vetera , hoc est , & Testamenti veteris , & Evangelii sacramenta , & dicit : *Quis dabit te , frater , fratrem mihi lactentem ubera matris meæ* , hoc est , non quicumque te, sed Christus illuminavit gratia spiritali. Ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas. Quæ sunt ubera Ecclesiæ, nisi sacramenta baptismatis ? Et bene ait , *lactentem* , quasi eum qui baptisatus lactis nivei succum requirat. *Inveniens* , inquit , *te foris* , *osculabor te* , hoc est, extra corpus te reperiens, osculo mysticæ pacis amplectar. Nemo te spernet , nullus excludet , in penetralia te & arcana Ecclesiæ matris inducam, & in omnia secreta mysterii ; ut bibas poculum gratiæ spiritalis.

76. Amplexatus igitur fratrem , deducere eum cœpit ad propriam mansionem : a & quia pio officio ad ulteriora processerat, cum fratre cœpit adscendere, petens ut sibi & fratri major illic caritas augeatur ; eo quod vitia humana defecerant, invidia atque jactantia, quæ in plerisque solent fraternæ pietatis jura vacuare.

77. Videntes eos vel Angeli , vel aliæ animæ , quærunt ab iis, quæ veluti comitatu suo fratres hos & officio deducebant , dicentes : A *Quæ est hæc quæ adscendit candida , innitens super fratrem suum ?* Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, sed jam credamus vel testimoniis Angelorum , quod detersa labe peccati , ablutus adscendit, quem sua fides lavit , & petitio consecravit. Credamus & sicut alii habent , quia *adscendit à deserto* , hoc est , ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes , ubi cum fratre conjunctus æternæ vitæ fruitur voluptate. Cant. 8. 5.

B 78. * Beati ambo , si quid meæ orationes valebunt ; nulla dies vos silentio præteribit , nulla inhonoratos vos mea transibit oratio , b nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret : omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare ? Quis vetabit commendationis prosecutione complecti ? *Si oblitus fuero te , sancta Hierusalem ;* hoc est , sancta anima , pia & pacifica germanitas , *oblivifcatur me dextera mea : adhæreat lingua mea faucibus meis , si non meminero tui,* C *si non meminero Hierusalem in principio meæ lætitiæ.* Ipse me citius , quam vos obliviscar : & si umquam sermo tacebit , loquetur affectus : & si vox deficiet, non deficiet gratia , quæ meis est infixa præcordiis. Psal. 136. 5. & 6.

79. Quomodo ceciderunt potentes ? Quomodo uterque super illa Babylonis ceciderunt flumina ? Quomodo rapidiora c utriusque vitæ fuere curricula, quam ipsius Rhodani sunt fluenta ? D O mihi Gratiane & Valentiniane speciosi & carissimi , quàm angusto vitam fine clausistis ! quàm proxima vobis mortis fuere confinia ! quàm sepulcra vicina ! Gratiane , inquam , & Valentiniane , in vestris nominibus adhærere juvat , atque delectat in vestri commemoratione requiescere. O omnibus Gratiane & Valentiniane speciosi & carissimi ! Inseparabiles in vita , & in morte non estis separati. Non vos discrevit tumulus , quos non discernebat affectus. 2. Reg. 1. 19. 2. Reg. 1. 23.

*. Non unus Ambrosius virtutes Gratiani celebrat ; neque enim de ipsis minora quam ille prodiderunt Rufinus lib. 2. *Hist.* cap. 13. Paulinus Aquilejensis lib. 12. *Hist.* & Ausonius in *Panegyr.*

a. Mss. plerique , *& quia pro officio.* Minime male.

*. Hic allusio manifesta est ad illos duos Virgilii versus è lib. 9 *Æneid.*

Fortunati ambo ! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet ævo.

b. Nonnulli mss. *nulla vox* : melius alii, & edit. *nulla nox* ; hic enim spondet sanctus Præsul non solum interdiu , verum etiam noctu pro Valentiniani quiete oraturum. Cùm porro tot sint loci & in libris *de Excessu Satyri* , & in hac sequentique Oratione , quibus precum ac sacrificiorum pro vitâ functis institutorum usus adseratur , ut tamen alii abessent , hic unus sufficeret adstruendæ eidem veritati. Sed non solus Ambrosius illam testatur : alii quoque Patres eò concurrunt tanta frequentia , ut heterodoxi antiquitatem ejusdem usus agnoscere coacti , tantum modo effectum ac finem ipsius obscurare variisque strophis implicare conati sint. Respondebant hi quidem olim communi ac sui temporis opinioni Patres cessisse ; verùm cùm à fide videretur omnino alienum , ut illi viri tam claris christianæ religionis luminibus illustrati , tantoque illius ab omni labe ac macula vindicandæ desiderio inflammati , hunc errorem, si quidem error hic esset, non deprehendissent , aut deprehensum ignava & turpi prævaricatione non tam dissimulassent , quam confirmassent ; à recentioribus deserta fuit ea responsio. Itaque Angli editores Operum Cypriani , ut hujus sancti auctoritatem hac in re eluderent , multum sed in vanum laboraverunt. Locus est ex epist. 1. illorum edit. ubi vir sanctus hoc modo scribit : *Quod episcopi antecessores nostri censuerunt , ne quis frater ad tutelam vel curam clericum nominaret : ac si quis hoc fecisset , non offerretur pro eo , nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Ex his autem verbis elatum est à Cypriano, ejusque decessoribus locum aliquem , in quo animæ vivorum precibus juvarentur , admissum esse. Quid ad hoc editores ! Concedunt quidem orationes oblationesque in fidei , spei & caritatis tesseram mortuorum ergo fieri solitas , negant vero easdem in illorum subsidium, aut ab ardoribus purgatorii ignis refrigerium fuisse institutas. Verum ut eorum responsionem mente sanctorum patrum plane abhorrere demonstraremus , quamvis abunde esset si lectores vacuo animo , & ab omnibus præjudiciis expedito indicatos Ambrosii locos expendere tantum juberemus , nihilominus tamen duos è Patribus græcæ latinæque Ecclesiæ adducere juvat , quorum sententiam opinioni Anglorum opponamus. Primus erit Epiphanius , qui *Hær.* 75 num 3. Aerii errores enumerans , hujus hæretici verba sic refert : *Pergit deinde ; & quæ ratio est , inquit , post obitum mortuorum appellare nomina ? Nam ut vivus oret , aut in pauperes bona sua dispenset , quid ex hoc tandem ad mortuum redit ?* &c. En opinionem protestantium inter hæreses relatam ab Epiphanio. Sed parum esset , nisi catholicam sententiam constitueret ; unde ut precum pro mortuis fructus declaret , illa subjungit : *Nam & justorum pariter & peccatorum mentionem facimus : peccatorum quidem , ut iis à Domino misericordiam imploremus : justorum autem... ut D. J. Christum singulari quodam honore prosequentes , ab ceterorum hominum ordine segregemus* &c. Habetis doctrinam orthodoxam clare atque distincte expositam. Attamen adhuc apertius illam Augustinus explicat cap 110. *Enchir* num. 29. ubi postquam adseruit negandum non esse *defunctorum animas pietate suorum viventium relevari , cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur , vel eleemosyna in Ecclesia fiunt* quinam illi sint quibus ea profutura credantur , docet. Mortuis igitur in tres classes distinctis , quarum prima est valde bonorum , ultima valde malorum , quibus utrisque preces & orationes prodesse negat , addit medium quemdam ordinem esse nec valde bonorum, neque rursus valde malorum, quibus vivorum pietas prodest : oblationes igitur & eleemosinas *pro valde bonis esse gratiarum actiones , pro non valde malis propitiationes , pro valde malis qualescumque vivorum consolationes.* Neque dixeris Ambrosium nostrum de Valentiniano tamquam jam beato hic passim loqui ; non enim aut de hujus , aut de Satyri , Theodosii ve beatitate aliter venit intelligendus, nisi quasi qui pia quadam credulitate ductus loquatur ; cui *remunerationum præsumo* , inquit num. 47. Quæ quidem pia persuasio quominus etiam nunc pro bene multis demortuorum preces offeramus, nihil prohibet.

c. Nonnulli mss. *utrisque vitæ fuere curricula !*

Non causa mortis separavit, quos pietas una A jungebat. Non virtutum distantia dispares fecit, quos religio una fovebat. Super columbas simpliciores, super aquilas leviores, super agnos clementiores, super vitulos innocentiores. Gratiani sagitta non est reversa retro, & Valentiniani justitia non fuit vacua, nec inanis auctoritas. Quomodo sine pugna ceciderunt potentes?

79. Doleo in te, fili Gratiane, suavis mihi valde. Plurima dedisti tuæ pietatis insignia. B Tu me inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem. Doleo etiam in te, fili Valentiniane, speciosus mihi valde. Deciderat amor tuus in me, sicut amor pignoris. Tu per me putabas eripi te periculis: tu me non solùm ut parentem diligebas; sed ut redemtorem tui, & liberatorem sperabas. Tu dicebas: Putasne, videbo patrem meum? Speciosa de me voluntas tua, sed non efficax præsumtio. Hei mihi vana spes in homine! sed tu in sacerdote Dominum requirebas. Hei mihi quod voluntatem tuam non ante cognovi! Hei mihi quod non clanculo ante misisti! Hei mihi qualia amisi pignora! *Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiscenda?* 2. Reg. 1. 27.

80. [a] Domine quia nemo habet, quod alii plus deferat, quam quod sibi optat; non me ab illis post mortem separes, quos in hac vita carissimos sensi. *Domine, peto ut ubi ego fuero, sint & illi mecum*; ut vel illic eorum perpetua copula fruar, quia hîc uti eorum diuturniore conjunctione non potui. Te quæso, summe Deus, ut carissimos juvenes matura resurrectione [b] suscites & resuscites; ut immaturum hunc vitæ istius cursum maturiore suscitatione compenses. Amen. Joan. 17. 24.

a. Omnes edit. ac pauci mss. *Et quia nemo*: plures vero & probatiores, *Domine* &c.

b. Ita mss. prope ad unum; edit. autem, *& immaturum .... matura resurrectione compenses.*

IN ORATIONEM DE OBITU THEODOSII IMP.

ADMONITIO.

Postquam Theodosius Magnus diem obiit Mediolani, Honorius ejus filius, quem ultimo affectus morbo ex oriente ad se acciverat, corpus illius Constantinopolim referri constituit, ut in sepulcro superiorum imperatorum ibidem conderetur. Quamobrem ut memoriæ paternæ, priusquam inde corpus amoveretur, justa persolveret, quadragesimo die à Cæsaris obitu ejus parentalia more solemni curavit celebranda. Dum igitur illi principi supremi honores exhiberentur, Ambrosius, præsente eodem Honorio, quem Occidentis imperatorem pater instituerat, hac oratione demortui virtutes commendavit.

Ducto exordio [a] *à prodigiis quæ videbantur Theodosii mortem prænuntiasse, illum non regno excidisse, sed terreni loco cæleste accepisse adfirmat.* [b] *Subdit filiorum ipsius lugendam non esse orbitatem, cùm virtutum suarum hereditatem, gratiam Christi, & militum fidem illis reliquerit. Mox pompa illa funebri, qua patrem die quadragesimo prosequebatur Honorius,* [c] *cum honoribus à Josepho cadaveri paterno exhibitis comparata, feliciorem Jacobo ostendit fuisse Theodosium, quippe qui tyrannos atque idololatriam prostravisset. Inde ad principis* [d] *veniens testamentum, quo ille & subditis tributorum relaxationem, & illis qui pro Eugenio arma tulerant, veniam concedebat; ex hoc colligit ab illis omnibus imperatoris sui beneficia in filiis ejus remetienda. Sub quæ conversus ad milites, ut quemadmodum eos fides Theodosii defenderat, ita & ipsi fide sua filiorum ejus adolescentiam defendant,* [e] *exhortatur, eosdem cum victoria ex Eugenio divinitus relata, tum* [f] *variarum tanti principis virtutum memoriâ instigans. Adjungit autem Arcadium atque Honorium non minoris ætatis esse,* [g] *quàm Josias & Asa, quando regimen populorum capessiverunt; futurum vero ut illis tanto uberius præsidium impetret à Deo Theodosius, quanto præ horum parentibus majori pietate excelluerat. Tum instituta* [h] *psalmi 114. expositione, illum ad illustrandas ejusdem imperatoris virtutes adhibet, nimirum pietatem ejus, clementiam,* [i] *justitiam, & summam in subeundo publicæ pænitentiæ jugo* [k] *humilitatem: quibus & alias quasdam quæ suam in ipsum benevolentiam caritatemque* [l] *pellexerant, ubi subjunxit, communem pro illo precationem* [m] *è memorati psalmi versibus concinnatam pronuntiat, etiamsi passim testetur eumdem virtutum suarum præmiis in cælo frui. Beatum illic eum esse affirmat,* [n] *quod Gratiani, aliorumque liberorum & uxoris* [o] *Flaccillæ consortio jam potiatur, sicut etiam* [p] *Constantini christianorum imperatorum primi, quo sub principe à sancta Helena* [q] *ejus parente Dominicæ crucis lignum detectum est. Hujusce ligni præsidio fractam esse tyrannorum insolentiam, confirmatamque christianorum Cæsarum fidem ac pietatem dicit; in primis* [r] *vero Gratiani & Theodosii, quorum gloriam ei quâ vivi floruerant, longe præstare adseverat. Denique ubi demonstravit Theodosium gravi* [s] *jugo pressum fuisse, primò cùm pater ejus crudeli morte affectus fuit, iterum cùm imperii pondus in se suscepit, postremò cùm Maximum ac Eugenium bello adortus est; Honorium postea* [t] *consolatur, quod ipsi per publicam non liceat utilitatem paternum corpus prosequi Constantinopolim, quo illud nobilissimâ pompâ referendum esse, ac eam urbem felicem tam augusto* [u] *pignore futuram prædicat.*

a. Num. 1.
b. Num. 2.
c. Num. 3. & seq.
d. Num. 5. & 6.
e. Num. 7. & seq.
f. Num. 12. & seq.
g. Num. 15. & 16.
h. Num. 17. & seq.
i. Num. 25. & seq.
k. Num. 27. & seq.
l. Num. 31. & seq.
m. Num. 36. & seq.
n. Num. 39. & seq.
o. Num. 40.
p. Ibidem.
q. Num. 41. & seq.
r. num. 52.
s. Num. 53.
t. Num. 54.
u. Num. 55.

Huic orationi præfigitur in codicibus quibusdam hæc epigraphe, Psalmus CXIV. in Obitu Theodosii imp. *haud dubie propter expositionem ejusdem psalmi illic insertam, sed aliorum codicum tam scriptorum quam editorum potior inscriptio est. Porro cùm eamdem orationem die à morte Theodosii quadragesimo habitam constet, huncque principem* XVI. *Kal. januarias anni salutis 395 exspirasse æque certum sit, eamdem* VI. *Kal. febr. dictam fuisse intelligimus. Neque tamen dissimulandum Magdeburgenses,* [x] *aliosque nonnullos an hoc epicedium Ambrosio tribuendum sit, in dubium revocasse. Verum nec minimam dubii sui rationem reddunt, & contra ipsos instexta historicorum eventuum series, stylus operis, & scripturæ interpretandæ & argumento accommodandæ ratio invicte pugnant.*

x. Centur. 4. cap. 4. & 13.

SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE OBITU THEODOSII ORATIO. *

* Scripta ann. 395.

1. HOc nobis * motus terrarum graves, hoc juges pluviæ minabantur, & ultra solitum caligo tenebrosior denuntiabat, quod clementissimus imperator Theodosius excessurus esset è terris. Ipsa igitur excessum ejus elementa mœrebant. Cælum tenebris obductum, aer perpeti horrens caligine, terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluvionibus. Quidni mundus ipse defleret eum principem continuo esse rapiendum, per quem dura mundi istius temperari solerent; cùm criminum pœnas indulgentiâ præveniret.

2. Et ille quidem [a] abiit accipere sibi regnum, quod non deposuit, sed mutavit, in tabernacula Christi jure pietatis adscitus, in illam Hierusalem supernam, ubi nunc positus dicit: *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, quam Deus fundavit in æternum.* (Psal. 47. 9.) Sed plurimos tanquam paterno destitutos præsidio dereliquit, ac potissimum filios. Sed non sunt destituti, quos pietatis suæ reliquit heredes: non sunt destituti, quibus Christi adquisivit gratiam, * & exercitus fidem: cui documento fuit Deum favere pietati, ultoremque esse perfidiæ.

3. Ejus ergo principis & proxime conclamavimus obitum, & nunc quadragesimam celebramus, adsistente sacris altaribus Honorio principe; quia sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri justa persolvit. Et quia [b] alii tertium diem & trigesimum, alii septimum & quadragesimum observare consueverunt, quid doceat lectio, consideremus. Defuncto itaque Jacob, *præcepit*, inquit, *Joseph pueris sepultoribus, ut sepelirent eum. Et sepelierunt sepultores Israel, & repleti sunt ei quadraginta dies; sic enim dinumerantur dies sepulturæ. Et luxit eum [c] Ægyptus septuaginta diebus.* (Gen. 50. 2.) Hæc ergo sequenda solemnitas, quam præscribit lectio. Sed etiam in Deuteronomio scriptum est: *Quia planxerunt filii Israel Moysen diebus triginta, & consummati sunt dies luctus.* (Deut. 34. 8.) Utraque ergo observatio habet auctoritatem; quia necessarium pietatis impletur officium.

4. Bonus itaque Joseph, qui formam pio muneri dedit, quem amabat pater, cuique dixit: *Adjuvet te Deus meus, & benedicat te benedictione terræ habentis omnia, propter benedictionem mamillarum & vulvæ, benedictiones matris tuæ, & propter benedictiones patris tui:* (Gen. 49. 25.) pii patris soboles bona. Celebrat ergo & iste quadragesimam patris Jacob, supplantatoris illius; & (Ibid. 27. 36.) nos celebramus Theodosii quadragesimam, qui

*. Marcellinus in Chronico auctor est, profligato Eugenio, terram continuis motibus à mense septembri ad novembrem usque in quibusdam Europæ regionibus quassatam fuisse Arcadio 3. & Honorio 2. coss. hoc est, anno 394. qui Theodosii mortem antecessit.

a. Vet. edit. *abiit sibi in regnum, quod:* Rom. edit. ac mss aliquot, *abiit sibi, regnumque:* alii cod. ut nos in textu, si Belvac. excipiat, ubi habes: *Et ille quidem regnum non deposuit,* &c.

*. Theodosius cùm iis ignovisset, qui Eugenii partes amplexi erant, illos in perpetuum & sibi & filiis suis devinxit. Hoc fateri coactus fuit Zozimus lib. 4. *Hist.* & Claudianus, quem ethnicum etiam Orosius facit, eamdem rem in *Panegyr. de vi. consul. Honor.* testificatur in ea verba, quibus nihil potest esse congruentius cum Ambrosio; sic enim ille:

Hinc amor, hinc validum, devoto milite, robur:
Hinc natis mansura fides &c.

b. Rom. edit. sola, *alii tertium diem, alii trigesimum, alii septimum, & alii quadragesimum.* Sed nihil est mutandum in communi lectione, si modo in priori membro, *tertium diem, & trigesimum;* & in posteriori, *septimum & quadragesimum*, disjunctim accipias. Tertii diei, & quadragesimi mentionem facit Auctor *Constit. Apost.* lib. 8. cap. 42. sed ab eo quod habet de die nono, discrepare videtur Augustinus *Quæst.* 172. *in Gen.* ubi negat mortuorum luctum à Christianis per dies novem propter paganorum novendial esse celebrandum: diem vero septimum è scripturis divinis constituit. At Menardus in *Concor. Regul.* novem dierum, non autem noni diei observationem ab Augustino improbatam esse observat. Palladius in *Lausiaca* cap. 26. diei quadragesimi, & secundum codices aliquos etiam tertii commeminit. De tertio quoque, simul & de septimo, atque trigesimo Gregorius Magnus agit *in Sacram.* ubi de missa pro defunctis: nec non de trigesimo in lib. 4. *Dialog.* cap. 55. Ceterum de hisce ritibus diligenter pertractant citatus Menardus in *Conc. Reg.* Cotelerius in *Const. 1. Apost.* loco citato, & plures alii.

c. Gratianus legit, *Israel septem diebus.* Quam quidem lectionem licet non modo cunctis cod. Ambrosianis, verum & LXX. Interpr. atque Vulg. contrariam esse decreti correctores agnoscant, defendi tamen posse contendunt, tum quod in omnibus Gratiani cod. etiam reperiatur, tum quod eodem cap. Gen. Joseph & ceteri filii Israel implevisse septem dies commemorantur. Verum prima ratio id unum probat, Gratianum Ambrosiano exemplari minus integro usum fuisse: quod porro ad secundam, extra dubium est locum, ubi constanter in Bibliis legitur *septuaginta diebus* hic allegati ab Ambrosio, non autem eum, qui à correctoribus indicatur.

imitatus

imitatus Jacob, supplantavit * perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulacra gentium; omnes enim cultus idolorum fides ejus abscondit, omnes eorum ceremonias obliteravit: qui etiam iis qui in se peccaverant, doluit quam dederat periisse indulgentiam, * & veniam denegatam. Sed non negabunt filii, quod donavit pater: non negabunt, etiamsi quidam interturbare conatus sit; neque enim poterunt negare, quod in commune donavit, qui solvunt, quod singulis dedit.

5. Nihil gloriosius exitus tanti principis habuit, * qui omnia jam filiis tradidisset, regnum, potestatem, nomen augusti: nihil, inquam, speciosius ei in morte servatum est, a quam quod in aliquantis promissa annonarum exigendarum relaxatio, dum moratur, facta est successio ejus indulgentiarum hereditas; ut ille qui voluit impedire, sibi odium fecerit, Theodosio tamen tantæ cumulus gratiæ non sit ademtus. Nec immerito, si enim privatorum ultimæ b voluntates, & deficientium testamenta habent perpetem firmitatem; quomodo potest tanti principis esse irritum testamentum? Gloriosius quoque in eo Theodosius, qui non communi jure testatus est; de filiis enim nihil habebat novum quod conderet, quibus totum dederat, nisi ut eos * præsenti commendaret parenti: & de subditis sibi & commissis testari debuit, ut legata dimitteret, fidei commissa signaret. Præcepit dari legem indulgentiæ, quam scriptam reliquit. Quid dignius, quam ut testamentum imperatoris lex sit?

6. Ergo tantus imperator recessit à nobis, sed non totus recessit; reliquit enim nobis liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum & cernimus & tenemus. Nec moveat ætas: fides militum imperatoris perfecta

A est ætas; est enim perfecta ætas, ubi perfecta est virtus. Reciproca hæc; quia & fides imperatoris militum virtus est.

7. Recognoscitis nempe quos vobis * Theodosii fides triumphos adquisiverit. Cùm locorum angustiis & impedimentis calonum agmen exercitus paulo serius in aciem descenderet, & inequitare hostis mora belli videretur, desilivit equo princeps, & ante aciem solus progrediens, ait: Ubi est Theodosii Deus? Jam hoc Christo

B proximus loquebatur. Quis enim posset hoc dicere, nisi qui Christo se adhærere cognosceret? Quo dicto excitavit omnes, & exemplo omnes armavit. Et jam certe senior ætate, sed validus fide.

8. c Theodosii ergo fides fuit vestra victoria: vestra fides filiorum ejus fortitudo sit. Fides ergo auget ætatem. Denique nec Abraham, ut in senectute generaret filium, consideravit ætatem: nec Sara, ut pareret. Nec mirum si

C auget ætatem fides, cùm repræsentet futura. Quid enim est fides; nisi rerum earum, quæ sperantur, substantia? Sic nos Scripturæ docent. Ergo si substantia eorum, quæ sperantur, fides est; quanto magis eorum, quæ videntur? Bona fides, de qua scriptum est: *Justus autem ex fide vivit.* Quod si substraxerit se, non placebit animæ meæ. Hebr. 11. 1. Ibid. 10. 30.

9. Nos autem non subtrahamus nos ad dispendium animæ, sed inhæreamus fidei ad ani-

D mæ nostræ adquisitionem; quoniam in hac fidei militia testimonium consequuti sunt seniores nostri Abraham, Isaac & Jacob. Et ideo hereditatem nobis fidei reliquerunt. Fidelis Abraham, qui non ex operibus, sed ex fide justificatus est; quoniam Deo credidit: Isaac, qui per fidem nec gladium ferituri parentis expavit: Jacob, qui paternæ fidei vestigiis inten- Gen. 15. 6. Ibid. 22. 9.

*. Extra controversiam est Maximum atque Eugenium tyrannos hoc loco designari: quod vero dicitur Theodosius abscondisse *simulacra gentium*, id referendum esse ad leg. 11 *de Paganis*, qua omnia sacrificia deorumque cultus prohibentur, Godofredus autumat. Verum cùm ea lex VI. idus novembres ann. 392. data fuerit, hoc est, Eugenio post necatum idibus maiis Valentinianum solium occupante, Ambrosii verba non ad illam tantum, sed etiam ad omnia quæ mortem ejusdem tyranni insequuta sunt, referri oportere non dubitamus. Etenim simulacra omnia, & universa victimarum genera post victoriam à Theodosio sublata esse non solum testantur Augustinus lib. 5. *de Civit. Dei*, cap. 26. Theodoretus *Hist.* lib. 5. cap. 21; atque alii christiani auctores, verum etiam Zosimus lib. 4. *Histor.* hanc eamdem rem fuse describit.

*. Vidimus jam supra ex ipsius Zosimi testimonio iis pepercisse Theodosium, qui steterant ab Eugenio. Hoc ipsum Claudianus quoque in *Panegyr. IV. consul. Honor.* celebrat istis versibus:

Post acies, odiis idem qui terminus armis.
Profuit hoc vincente capi, &c.

Sed Orosius distinctius exponit lib. 7. cap. 35 præter Eugenium, qui captus fuit atque interfectus, & Arbogastem, qui proprium gladium in se convertit, neminem è victis occisum esse. Augustinus quoque lib. 5. *de Civit. Dei*, cap 26. laudatâ Theodosii erga eorum qui in acie ceciderant, filios clementiâ, subjungit eum non permisisse, ut post victoriam privatæ cujusquam valerent inimicitiæ. Verum tamen ex hoc Ambrosii loco intelligimus datam ab imperatore indulgentiam, ne ad aliquos perveniret, quorumdam interpellatione prohibitam. Et certe non omnibus statim veniam concessam fuisse testis est ipsemet sanctus Antistes epistola 61. & 62. quibus clementiam imperatoris in nonnullorum gratiam orat atque obsecrat: testis etiam Paulinus in ejus vita, ubi plurimos Ambrosii precibus ab imperatore veniâ donatos tradit. Sed hoc pii præsulis modestia silentio voluit prætermissum.

*. Theodosius Arcadium XIV. Kal Feb. anni 393. augustum creavit, ut auctores sunt Socrates, Sozomenus, & Marcellinus: Honorium vero post profligatum Eugenium IV. idus januar ejusdem anni declaraverat imperatorem, ut ex Idatio, Prospero & aliis intelligimus.

a. Omnes edit. ac plures mss. *quam quod immane quantis*: Gill. in variis lect. *quàm quod immani quantitate*: Reg. cod. unus, *quam quod in annis*, qui cum uno aut alio cod. pro *dum moratur*, legit *dum moritur*, non malo sensu. In priore autem parte ex uno cod. Vat. restituimus, *quam quod in aliquantis*, nimirum in frumento, vino, oleo vel similibus; annona enim in speciebus exigebatur, ut constat è plurimis legibus cod. tit. *de Annona & Tribut.* Fusius quoque de Annona disputat Bulengerus lib 6. *de Imper. Rom.* cap. 1. & seq. Ceterum quod quæ hoc loco dicuntur, ad vectigal Tatiani referenda nonnulli putant, id quidem videtur satis obscurum: illud vero credibilius, Honorium paternæ voluntati satisfecisse, nec de alia re intelligendos hosce Claudiani versus in IV. *Consul. Honorii.*

Impia continui ne aut augmenta tributi;
Non infelices tabulæ, non hasta refixas
Vendit opes avidis, emtor non voce citatur,
Nec tua privatis crescunt æraria damnis.

b. Reg. cod. unus, *voluntates ad faciendum testamentum.*

* Non defuit qui voces, *præsenti commendaret parenti* de Ambrosio ipso dictas crederet, propter illa scilicet Paulini verba: *Nec diu clem. mem. Theodosius imp. susceptus filiis in Ecclesia, & traditis Sacerdoti, in hac luce fuit.* Atqui verisimilius est Stiliconem illic designari, quippe quem Theodosius Honorii non modo tutorem instituerit, ut testificatur Zosimus lib. 4. *Hist.* verum etiam ejusdem principis socerum destinaverit, Mariâ Stiliconis filiâ huic ipsi Honorio desponsatâ, quemadmodum in utriusque epithalamio canit Claudianus. Quamvis autem Rufinum Arcadii tutorem à Theodosio declaratum affirment historici; nihil tamen vetat, quin Theodosius utramque filium Stiliconis fidei commendaret, ut Ambrosius hoc loco dicit, in quo etiam illi suffragatur poeta citatus lib. 2. *in Rufinum* hisce versibus:

Jamque tuis, Stilico, Romana potentia curis,
Et rerum commissus apex: tibi credita fratrum
Utraque majestas, &c.

*. Qua pietate se ad hoc bellum Theodosius paraverit, qua fide in ipso certamine ad opem divinam confugerit, quanta denique à Deo impetraverit prodigia, Rufinus luculentissime, & maxime ad Ambrosii sensum explicat lib 2. *Hist.* cap. 32. Eumdem eventum diligenter quoque describunt Socrates lib 5 cap. 25. Sozomenus lib. 7. cap. 24. P. Orosius lib. 7. cap. 35 Quibus adjunge quæ nos ad *Enarr.* Psal 36. num. 25. annotavimus.

c. *Theodosii ergo fides . . . . fortitudo sit*, in mss. nostris desiderantur: verùm è contrario in omnibus exstat edit.

Gen.32.1. tus, dum iter agit, Angelorum vidit exercitum, [a] & vocavit concilium Dei.

10. Alibi quoque, id est, in libris Regnorum, Elisæus erat intra Samariam, & subito eum circumfusus Syrorum obsedit exercitus. Vidit eos 4 Reg.6.15. & seq. Giezi, & ait ad Dominum suum: *O domine, quid faciemus?* Et dixit Elizæus propheta: *Noli timere; quoniam nobiscum plures sunt, quàm cum illis. Et rogavit ut aperiret Dominus oculos Giezi. Et aperti sunt oculi ejus, & vidit plenum montem equis & curribus in circuitu Elisæi. Et rogavit Elisæus ut percuteret eos Deus cæcitate, & percussi sunt, & introierunt in civitatem, quo ingrederentur, nequaquam videntes.* Audistis certe, milites, qui circumfusi estis, quia ubi perfidia, ibi cæcitas est. Merito ergo cæcus erat exercitus infidelium. Ubi autem fides, ibi exercitus Angelorum est. Bona itaque fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Denique adversarius, & legiones suæ quotidiana martyrum virtute torquentur. Unde arbitror quod * fila chordarum citharæ ideo fides dicantur, quoniam & mortua sonum reddant.

11. Quo magis ac magis enitendum est, ne in hoc vivendi munere siti, simus ingrati: sed pii pignoribus principis sedulum ac patrium impendamus affectum. Solvite filiis ejus, quod debetis patri. Plus debetis defuncto, quam debuistis viventi. Etenim si in liberis privatorum non sine gravi scelere minorum jura temerantur; quanto magis in filiis imperatoris?

12. Addatur eo cujus imperatoris? Imperatoris pii, imperatoris misericordis, imperatoris fidelis, de quo non mediocre loquuta est Scriptura dicens: *Magnum & honorabile est homo misericors: invenire autem virum fidelem difficile est.* Prov.20.6. Si magnum est misericordem aut fidelem quemcumque hominem invenire; quanto magis imperatorem, quem potestas ad ulciscendum impellit, sed revocat tamen ab ultione miseratio? Quid præstantius fide imperatoris, quem non extollat potentia, superbia non erigat, sed pietas inclinet? De quo præclare Salomon ait: [b] *Iniqui regis minitatio similis rugitui leonis: sicut autem ros in herba, sic & hilaritas ejus.* Prov.19.12. Quantum igitur est deponere terrorem potentiæ, præferre suavitatem gratiæ?

13. Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cùm rogaretur ignoscere; & tunc propior erat veniæ, cùm fuisset [c] commotio major iracundiæ. Prærogativa ignoscendi erat indignatum fuisse: & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut irasceretur. Hoc erat remedium reorum; quoniam cùm haberet supra omnes potestatem, quasi parens expostulare malebat, quam quasi judex punire. Sæpe trementes vidimus, quos objurgabat, & convictos sceleris, cùm desperassent, solutos crimine. Vincere enim volebat, non plectere æquitatis judex, non pœnæ arbiter, qui numquam veniam confitenti negaret: aut si quid esset, quod occulta conscientia involveret, Deo servabat. Hanc vocem ejus homines magis, quàm pœnam timebant; quod tantâ imperator ageret verecundiâ, ut mallet sibi homines religione quam timore adstringere.

14. * Maximum philosophorum impunitatem ferunt dedisse iis facinoribus, quæ per iram commissa forent; sed Scriptura divina melius ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Psal.4.5. Maluit peccatum recidere, quam excusare. Satius est in indignatione laudem clementiæ reperire, quàm irâ in ultionem excitari.

15. Quis ergo dubitabit filiis ejus apud Dominum maximum præsidium fore? Domino favente, Arcadius imperator [d] jam validus juventâ est: Honorius continuo pulsat adolescentiæ fores, provectior ætate quam Josias. 4.Reg.22. & seq. Ille enim destitutus patre, orsus imperium usque ad tricesimum & primum annum regni sui perduxit ætatem, & placuit Domino, quoniam præ ceteris regibus Israel Domini pascha celebravit, & ceremoniarum abolevit errores. Asa quoque adhuc invalidus corporis robore, cùm regnandi curricula recepisset, [e] quadraginta annis regnavit in Hierusalem: qui 3.Reg.15.8. cùm Æthiopum infinita urgeretur atque innumerabili multitudine, speravit [f] à Domino & in paucis se posse salvari. Utinam tam fidelis processu, quam devotus exordio! Nam servatus in paucis & victor, postea à Syris auxilia, relicto Domino, postulavit, & medicos adhibuit ad pedum dolorem; accepto enim tanto indicio divini favoris, auxiliatorem suum derelinquere non debuit, sed tenere. Ideo ei nec medici profuerunt, & quasi incredulus mortem implevit.

16. Sed illorum patres Abias & Amos ambo infideles: Theodosius vero plenus timoris Dei, plenus misericordiæ, speramus quod liberis suis apud Christum præsul adsistat, si Dominus propitius sit rebus humanis. Bonum est misericors homo, qui dum aliis subvenit, sibi consulit, &

a Rom. edit. sola, *& vocavit castra Dei*

*. Hanc etymologiam argutam magis quàm veram esse dicit Vossius in verbo *fides*, ubi rejecto etiam illo etymo, quo fides citharæ ideo dictas, *quod tantum inter se chordæ ejus, quantum inter homines fides, concordent*, Festus autumat, verum profertur.

b. Vet. edit. *Iniqui regis imitatio*: mss. partim, *minatio*; partim, *minitatio*: at Rom. edit. recepit quidem vocem *minitatio*, sed expunxit vocem *iniqui*. Attamen quamvis in sacris codicibus, quos nunc versamus, desideretur, Ambrosium in exemplari suo eam legisse propter consensum mss. hujus libelli credibile est.

c. Reg. codex unus, *commotior. Major iracundia prærogativa ignoscendi erat. Indignatum fuisse exoptabatur in eo, quod in aliis timebatur* &c. non satis recte. Cùm hoc porro loco de proclivitate Theodosii ad iracundiam, deque ipsius placabilitate operæ pretium fuerit, quæ hac ipsa de re epist. 51. num 4. dicuntur, componere; nec non etiam illa consulere, quæ de iisdem principis hujus affectibus prodidit Aur. Victor. in *Epitome*.

*. In margine Rom. edit. adscriptum erat *Arist. lib. 7. Ethic. cap. 6.* Sed præterquam quod ea loci, quæ hic dicuntur ab Ambrosio, non satis clare inveniuntur, id temporis plane insolitatum Patribus erat tam honorifice appellare Aristotelem. Et certe Ambrosiana verba non minus apte ad lib. 9. Platonis *de legibus* referri possent, si Ambrosius locum abs se lectum significaret.

d. Ver. edit. *jam validus inventus est*; quædam Paris. *jam validus juvenis*; Rom. & mss. nobiscum faciunt. Arcadium porro, cum patre orbatus est, annis 20. natum fuisse Baronius affirmat, licet ei tantum septemdecim alii tribuant: Honorium vero decennem exstitisse inde cognoscas, quod Socrates, Idatius & Marcellinus eum *Richomere & Clearcho Coss.* id est, ann. 384. natum memorant.

e. Rom. edit. sola, *quadraginta & uno anno regnavit*. Quod etiam præferunt sacra biblia: sed plenum numerum Ambrosius voluit exhibere.

f. Sic omnes edit. mss. vero prope ad unum à verbo *speravit* usque ad *postulavit*, *& medicos* lacunam habent; quam tamen Prat. Gem. & Alb. hoc modo sarcire conati sunt, *speravit in Domino, postulavit, & unus. Et medicos adhibuit*. Haud ita male.

in alieno remedio vulnera sua curat. Agnoscit enim se esse hominem, qui novit ignoscere: & vias Christi sequitur, qui carne suscepta, maluit in hunc mundum redemtor venire, quam judex.

Psal.114.1. 17. Unde pulcre Psalmista dixit: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* In quo psalmo dum legitur, velut ipsum Theodosium loquentem audivimus. *Dilexi*, inquit: agnosco vocem piam, cujus testimonia vocis agnosco. Et vere dilexit, qui officia diligentius implevit, qui servavit hostes, qui dilexit inimicos, qui iis à quibus est appetitus, ignovit, qui regni affectatores perire non est passus. Non mediocris, sed perfecti in Lege vox ista est dicere: *Dilexi. Plenitudo enim Legis, dilectio est.* Rom.13.10. Sed quid dilexerit, audiamus.[a] Cùm tacetur genus dilectionis, utique divinæ caritatis gratia significatur, qua diligimus illud, quod est super omnia desiderabilia desiderabile, de quo scriptum est: *Diliges dominum Deum tuum.* Deut.6.5.

18. Ergo discedens è terris pia anima, & Sancto repleta Spiritu, quasi interrogantibus iis, qui sibi occurrerunt, cùm se se ad sublimia & superna subrigeret, dicebat: *Dilexi.* Nihil hoc plenius, nihil expressius. Interrogabant Angeli vel Archangeli: Quid egisti in terris? occultorum enim solus cognitor Deus. Dicebat, *Dilexi*; hoc est dicere: Legem implevi, Evangelium non præterivi; hoc est dicere: Morti me obtuli, & *tota die æstimatus sum sicut ovis occisionis.* Ps.43.22. Et ideo confido, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu domino nostro.* Rom.8.38. & 39.

19. Hoc mandatum Legis etiam in Evangelio dominus Jesus docet esse servandum, cùm dicit ad Petrum: *Simon Johannis, diligis me?* Johan.21.15. & seq. & ille respondit: *Tu scis, Domine, quia diligo te.* Et iterum dixit: *Simon Johannis, diligis me?* & iterum respondit: *Etiam, Domine, tu scis quia diligo te.* Et tertio interrogatus ait: *Domine, omnia tu scis, tu nosti quia amo te.* Confirmavit itaque caritatem trina responsio, vel abolevit trinæ negationis errorem. Et hîc trinam responsionem si quærimus, invenimus: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Ps.114.1. & seq. Dilexi, quoniam inclinavit aurem suam mihi, ut in diebus meis invocarem eum. Dilexi, quia tribulationem & dolorem inveni, & pro nomine Dei mei pericula inferni non refugi, sed expectavi, ut comprehendere & invenire me possent.

20. Et pulcre ait: *Dilexi*, quia jam cursum vitæ hujus impleverat. Unde & Apostolus in passione jam positus ait: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi; quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ.* 2.Tim.4.7. & 8. Magnus Dominus, qui nobis dedit certamina, quibus mereatur, qui vicerit, coronari. *Dilexi*, inquit confidens, *quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.*

21. Dilexi, & ideo inclinavit aurem suam mihi; ut jacentem erigeret, mortuum resuscitaret. Non enim Deus inclinat aurem suam, ut audiat corporaliter: sed ut condescendat nobis, quo nos audire dignetur, & infirmitatis nostræ relevare substantiam. Inclinat se nobis, ut nostra ad eum adscendat oratio. Voce non indiget, qui misericordiam defert; neque enim voce indiguit, qui Mosen tacentem audivit: Exod.14.15. & non loquentem, sed interpellantem gemitibus ineffabilibus ad se clamare dicebat. Novit Deus & sanguinem audire, cui nulla vox subest, Gen.4.10. lingua non suppetit: sed accepit vocem sacræ titulo passionis. Clamavit in martyrio, clamavit in parricidio, quod pertulit pro sacrificio.

22. *Dilexi*, inquit, & ideo diligens feci voluntatem Domini, & invocavi eum non in paucis, sed in omnibus diebus vitæ meæ. Psal.114.2. Nam certis diebus invocare, non omnibus, fastidientis est, non sperantis: & pro usu affluentium commodorum, mercedem gratiarum referre, non pro devotionis affectu. Et ideo Paulus: *In omnibus*, inquit, *gratias agite.* 1. Thess.5.17. Quando enim non habes quod Deo debeas?[b] aut quando sine Dei munere es, cui quotidie vivendi usus à Domino est? *Quid enim habes, quod non accepisti?* 1.Cor.4.7. Ergo quia semper accipis, semper invoca: & quia quod habes, à Domino est, debitorem te semper esse cognosce. Malo tamen ut quasi diligens, quam coactus debitum tuum solvas.

23. Audis dicentem: *Circumdederunt me dolores mortis?* Psal.114.3. Ego tamen & in mortis dolore Dominum dilexi. *Pericula inferni invenerunt me*, non timentem utique, sed amantem, sed sperantem, quod nullæ me angustiæ, nulla persecutio, nulla pericula, nullus gladius separet à Christo. Denique volens invenit tribulationem & dolorem, sciens quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem. Rom.5.3. Etenim quasi bonus athleta quæsivit certamina, ut coronam inveniret; quam tamen non suis viribus, sed Domini auxilio novit sibi esse donatam. Non enim potuisset vincere, nisi eum qui certantes adjuvat, invocasset.

24. Miser homo congreditur, ut vincat; & ipse in periculum ruit, nisi Domini nomen adfuerit, nisi cùm veretur, oraverit dicens: *O Domine, libera animam meam.* Psal.114.4. Hinc illud Apostolicum: *Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati, quod est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum.* Rom.7.23. & seq.

25. Ille vincit, qui gratiam Dei sperat, non qui de sua virtute præsumit. Jacob.2.5. Cur enim non præsumas gratiam, cùm habeas præsulem certaminis[c] misericordem: *Misericors enim & justus Dominus, & Deus noster miseretur.* Psal.114.5. Bis misericordiam posuit, semel justitiam: in medio justitia

a. Vet. edit. *Cùm tacet, urget nos dilectio. Utique divina caritatis gratia*: Rom edit. *Cùm tacet, urget nos. Dilectionis utique divina gratia*: mss. magno numero: *Cùm tacet, urget nos dilectionis, utique divina* (nonnulli *utique in qua divina*) *caritatis* &c. Sed omnium optime cod. Reg. unus, ut in contextu.

b. *Aut quando sine Dei munere es*, in mss. longe plurimis desideratur: sed contra exstant in omnibus edit.

c. Ita vet. edit. ac mss. nisi quod pro *misericordiam*, quæ vox habetur in edit. omnibus & paucis mss. reposuimus ex multo pluribus *misericordem*. At locum Rom. edit. interpolavit his interjectis; *Scriptum est enim: Nunc misericordia superexaltat judicium. Et alibi: Misericors.* Sed editores hîc in fraudem induxit, quod non viderunt continuam psalmi 114. ab Ambrosio fieri expositionem, & eam Theodosio accommodari.

est, gemino septo inclusa misericordiæ; superabundant enim peccata, superabundet ergo misericordia. Apud Dominum omnium virtu- Psal.23.10. tum abundantia est; quia Dominus virtutum est. Neque tamen justitia sine misericordia est, neque sine miseratione justitia; quia scriptum Eccl.7.17. est: *Noli esse nimium justus.* [a] Quod supra men- * suram est, etsi bonum est, tamen tu non sustines. Mensuram serva, ut secundum mensuram recipias.

26. Non impedivit tamen justitiam misericor- Psal.111.9. dia; quia misericordia ipsa justitia est: *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum*; novit enim justus debere se infirmis atque inopibus subvenire. Unde Dominus veniens ad baptismum, ut nobis infirmantibus peccata do- Matth.3.15. naret, ait ad Johannem: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Liquet igitur justitiam esse misericordiam, & misericordiam esse justitiam. Etenim si Dei nos misericordia non sustentaret, quomodo in ipso exordio par- * vuli viveremus; * cùm effusi utero de calidis in frigida, de humidis in arida, piscium more, jactemur, quos naufragos in hanc vitam quidam velut naturæ fluctus expuerit? Ratio deest, Psal.114.6. sed gratia divina non deficit. Ipse ergo custodit parvulos, aut certe eos qui se parvulos humili confitentur affectu.

27. Bona igitur humilitas, quæ liberat periclitantes, jacentes erigit. Novit eam ille qui 2 Reg.24.17. dixit: *Ecce sum, ego peccavi, & ego pastor male feci; & isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me.* Bene hoc dicit, qui regnum suum Deo subjecit, & pœnitentiam gessit, & peccatum suum confessus, veniam postulavit: ipse per humilitatem pervenit ad salutem. Humiliavit se Christus, ut omnes elevaret: ipse ad Christi pervenit requiem, qui humilitatem Christi fuerit sequutus.

28. Et ideo quia humilem se præbuit Theodosius imperator, & ubi peccatum obrepsit, veniam postulavit, conversa est anima ejus in requiem suam, sicut habet Scriptura quæ dicit: Psal.114.7. *Convertere, anima mea, in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi.* Pulcre dicit animæ: *Con-* b *vertere*, [b] quasi diuturno cujusque operis sudore exercitæ, ut à labore convertatur ad requiem. Convertitur equus ad stabulum, ubi cursum * impleverit: navis ad portum, ubi ad stationem fidam à fluctuum mole subducitur. Sed quid est, quod ait: *In requiem tuam*, nisi secundùm Matth.25.34. illud intelligas, quod ait dominus Jesus: *Venite, benedicti Patris mei, hereditate possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi?* Tamquam c enim [c] possessionem hereditariam recipimus ea, quæ promissa sunt nobis; fidelis enim Deus, qui semel servis suis præparata non subtrahit. d Si fides nostra maneat, [d] manet & sponsio.

29. Vide, ô homo, circa te gratiam Christi: adhuc in terris quæreris, & in cælo possides. Ibi

A ergo sit cor tuum, ubi est possessio tua. Hæc est requies quæ justis debetur, negatur indignis. Unde ait Dominus: *Sicut juravi in ira mea,* Psal.94.11. *si introibunt in requiem meam;* qui enim non cognoverunt vias Domini, non ingrediuntur in requiem Domini. 2.Tim.4.7. Qui autem bonum certamen certavit, & cursum consumavit, ipsi dicitur: *Convertere in requiem tuam.* Psal.114.7. Bona requies prætere quæ mundi sunt, & illis quæ supra mundum sunt, cælestibus consortiis requiescere B secretorum. Hæc est requies, ad quam propheta properavit, dicens: Psal.54.7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Hanc sanctus requiem suam novit, ad hanc requiem convertendum animæ suæ dicit. Erat ergo anima in requie sua, ad quam dicit esse redeundum. Hæc est requies * sabbati magni, ut unusquisque * sanctorum supra mundi sensibilia sit, in illo intelligibili secreto totus intentus, atque adhærens Deo. Hæc est requies illa sabbati, quo requievit Gen.2.2. C Deus ab omnibus operibus mundi istius.

30. Feriatus his sæculi curis Theodosius se ereptum gaudet, & elevat animam suam, atque ad illam perpetuam dirigit requiem, pulcre sibi consultum adserens, quod eripuerit animam Psal.114.8. ejus Deus de morte, quam mortem frequenter in hoc sæculi istius lubrico sustinebat, inquietus fluctibus peccatorum: eripuerit etiam oculos ejus à lacrymis; fugiet enim dolor & tristi- Isa.35.10. tia & gemitus. Et alibi habemus: Apoc.21.4. D *Delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor.* Si ergo mors non erit, lapsum sentire non poterit in illa requie constitutus: sed placebit Deo in regione vivorum. Non enim ut hîc homo involutus est mortis corpore obnoxio lapsibus atque delictis; ita & illic. Ideoque regio illa vivorum est, ubi anima est, quæ ad imaginem Gen 1.27. & similitudinem Dei facta est, non caro figurata de limo. Ideo caro in terram revertitur, E anima ad requiem festinat supernam, cui dicitur: *Convertere, anima mea, in requiem tuam.* Psal.114.7.

31. In quam festinavit intrare Theodosius, atque ingredi civitatem Hierusalem, de qua dictum est: *Et reges terræ ferent gloriam suam in illam.* Apoc.21.24. Illa est vera gloria, quæ ibi sumitur; illud regnum beatissimum, quod ibi possidetur, ad quod festinabat Apostolus, dicens: 2.Cor.5.6. Audemus ergo, & consentimus magis peregrinari de corpore, & adesse ad Dominum; Ibidem 9. & ideo connitimur F sive absentes, sive præsentes placere illi.

32. Absolutus igitur dubio certamine, fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquilitate diuturna, & pro iis quæ in hoc gessit corpore remunerationis divinæ fructibus gratulatur. Ergo quia dilexit augustæ memoriæ Theodosius dominum Deum suum, meruit sanctorum consortia.

33. Et ego, [e] ut quadam sermonem meum e peroratione concludam, dilexi virum miseri-

a. Regius cod. unus: *Quod supra mensuram est*, nocet &c. Reliqui vero mss. & edit. inter se congruunt, exceptis quibusdam Paris. edit. quæ pro *sustines* male posuerunt, *festines*.

*. Philo de Mundi Opif. Πασὶ γῷ ἐπαγγέλλεται τὸ βρέφος &c.

b. Cod. Prat. & Gem *diuturno usu exercitæ. . . . Convertitur equus ad salutem*

c. Iidem cod. & alii nonnulli, *possessio est, de qua recipimus quæ promissa sunt nobis*, &c.

d. Reg. codex unus, *manet possessio.* Sed omnino legendum, *sponsio.*

*. Sabbatum magnum quid vocaretur, à nobis alibi explicatum est.

e Vet. edit. & plerique mss. *ut quidem . . . per orationem*: edit. Rom. & alii nonnulli mss. *ut quidem*, reg. cod. *quadam*) . . . *peroratione.* Optima lectio; idem enim est atque si diceret, ut hunc sermonis mei locum concludam virtutum Theodosii recapitulatione, quemadmodum in peroratione fieri solet.

cordem, humilem in imperio, corde puro, & A pectore mansueto præditum, qualem Dominus amare consuevit, dicens: *Supra quem requiescam, nisi supra humilem, & mansuetum?* Esai. 66.

34. Dilexi virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret. * Stravit omne, quo utebatur insigne regium, deflevit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu & lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator, publice agere pœnitentiam: neque B ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid, quod præclaram adeptus victoriam; tamen quia hostes in acie prostrati sunt, * abstinuit à consortio sacramentorum, donec Domini circa se ª gratiam filiorum experiretur adventu.

35. Dilexi virum, qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat. Dilexi virum, qui cùm jam corpore solveretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur. Di- C lexi ergo, fateor, & ideo dolorem meum intimo viscere dolui, & prolixiore sermonis prosecutione solandum putavi. Dilexi, & præsumo de Domino quod suscipiat vocem orationis meæ, qua prosequor animam piam.

Psal. 114. 3. 36. *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me*; multorum enim pericula sunt, sed remedia paucorum. In omnibus sacerdos periclitatur, in omnibus reis angitur; quod enim alii patiuntur, ipse sustinet: & ite- D rum liberatur, cùm alii qui tenentur, periculis liberantur. Conteror corde; quia ereptus est vir, quem vix possumus invenire: sed tamen tu solus, Domine, invocandus es, tu rogandus, Ibidem 5. & 6. ut eum in filiis repræsentes. Tu, Domine, custodiens etiam parvulos in hac humilitate, ᵇ salvos facito sperantes in te. Da requiem perfectam servo tuo Theodosio, requiem illam, quam præparasti sanctis tuis. Illò convertatur anima ejus, unde descendit; ubi mortis acu- E leum sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc non naturæ finem esse, sed culpæ. Quod Rom. 6. 10. enim mortuus est, peccato mortuus est; ut jam peccato locus esse non possit: resurget autem, ut perfectior renovato munere vita reparetur.

37. Dilexi, & ideo prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum: ubi perennis vita, ubi corruptela nulla, nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nullum consortium mortuorum; vera regio viventium, ubi mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. Magna requies, quæ votum impleat diligentis, pulcherrima promissio. Ideo centesimus quartus decimus ᶜ psalmus alleluia inscribitur: denique supra in quarto decimo psalmo perfectionem hominis accepimus. Sed illic formatus, perfectus licet vir, sed adhuc peccato obnoxius; quia vivit in sæculo: hîc vera perfectio est, ubi jam culpa cessavit, gratia perpetuæ quietis affulsit. Psal. 114. 9. 1. Cor. 15. 54.

38. Ideo centesimus quartus decimus psalmus, quia remuneratio caritatis est: unde Domini pascha quartadecimâ lunâ formam celebritatis accepit; quoniam qui pascha celebrat, debet esse perfectus, debet amare dominum Jesum, qui diligens populum suum perfecta caritate, sese obtulit passioni. Et nos sic diligamus, ut si necesse fuerit, pro Domini nomine mortem non fugiamus, nullum æstimemus dolorem, nihil metuamus: *Perfecta enim caritas timorem expellit foras.* Grande numeri mysterium, quando Pater Filium unicum pro nobis omnibus tradidit, cùm pleno luminis sui orbe luna fulgeret. Ita est enim Ecclesia, quæ pie pascha celebrat domini nostri Jesu Christi, sicut luna perfecta in æternum manet. Quisquis bene hîc Domini pascha celebraverit, in lumine perpetuo erit. Quis splendidius celebravit, quam qui sacrilegos removit errores, clausit templa, simulacra destruxit? In hoc Josias rex superioribus antelatus est. 1. Joan. 4. 18. Psal. 88. 38. 4 Reg. 23. 25.

39. Manet ergo in lumine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur. Illic nunc complectitur Gratianum jam sua vulnera non mœrentem, quia invenit ultorem: qui licet ᵈ in-

*. Scriptores omnes, qui splendidam illam Theodosii in subeunda publica pœnitentia humilitatem non sine meritissimis laudibus posteritati transmisere, cum eis quæ hîc dicuntur ab Ambrosio, plane congruunt. Vide, si vacat, Paulinum in sancti Antistitis Vita, Rufinum lib. 2. *Hist.* cap. 18. Augustinum lib. 5. *de Civit. Dei* cap. 26. Sozomenum lib. 7. *Hist.* cap. 25. Theodoretum lib. 5. cap. 18. & alios, quibuscum etiam Ambrosii nostri epistolam 51. jungere licet, ut qua ratione imperatorem ad pœnitendum sanctus Præsul præparaverit, intelligas.

* Hæc Theodosii post Eugenium devictum à sacrorum communione abstinentia ad solam ipsius erga divina mysteria venerationem, aut forte ad Ambrosii quoque exhortationem referri potest. Etenim quoniam *occidere in bello adversarios est justum & laude dignum*, ut *epist. ad Amoun. Monach.* tradit Athanasius; nec *cædes in bellis factas Patres pro cædibus reputavere*, ut docet Basilius *epist. ad Amphil.* can. 13. relinquitur ut hîc etiam locum habeat, quod Ambrosius epist. 25. de causarum capitalium judicibus scribit: *Maluerunt Patres nostri, ut in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit legis.* Nam quod citata Basilii epistola, *ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant*, suadet; hunc quidem usum in Ecclesia receptum non fuisse Balsamon auctor est.

a. Ita mss. edit. Gill. in variis lect. & Rom. in contextu. Amerb. autem, Eras. & Gill. in corpore, *gratia filiorum exprimeretur adventu.* Verùm quod de Theodosii filiorum adventu hîc ait sanctus Præsul, non mediocrem patitur difficultatem. Etenim qui volunt Arcadium, cùm pater spiritum redderet, interfuisse, præter Ambrosiana verba, & Paulini testimonium, quo commendatos à Theodosio filios Ambrosius in Ecclesia excepisse narratur, niti etiam possunt auctoritate Theodoreti lib. 5. cap. 25. & chronici Alexandrini, quo Arcadii ab Honorio discessus aperte traditur. Contra vero qui solum Honorium Constantinopoli à patre accitum esse contendunt, pro se Rufinum lib. 2. cap. 34. Philostorgium lib. 11. num. 2. Socratem lib. 5. cap. 26. & Claudianum de 3. *Consul. Honorii* tantummodo hujus principis adventum in occidentem commemorantes; citare possunt: quibus accedit, quod Arcadium huic orationi præsentem non fuisse manifestum est. Attamen qui primam opinionem defendunt, respondere in promtu habent Rufinum, & Philostorgium, solius Honorii mentionem propterea fecisse, quod ei occidentis imperium pater attribuerat, Claudianum vero cùm loco cit. panegyricum Honorii scriberet, Arcadii adventum celebrandum non putavisse: ceterum verba Paulini commendatos Ambrosio filios affirmantis aperta esse; immo vero ipsius Claudiani carmina, quæ supra ex lib. *de Laudibus Stiliconis* exhibuimus, idem ostendere, sed & lib. etiam *de* 111. *Consul. Honorii*, sic eum Theodosii verbis alloqui Stiliconem:

Tu curis succede meis, tu pignora solus
Nostra fove, geminos dextra tu protege fratres, &c.

Verum negantis opinionis propugnatores reponent ista nullo negotio dissolvi posse; commendatos enim Stiliconi à Theodosio filios, licet eorum alter abesset: ad Ambrosii vero auctoritatem ea forsitan indicari unà cum Honorio etiam venisse sororem Placidiam: quod ad Socratem & chronicon Alexandrinum, ab eis hoc loco erratum esse. Sed difficultatem hîc indicasse nobis sufficiat.

b. Vind. codex, & quidam alii *salvos facies.* Infra vero pro *sanctis tuis*, unus Colb. legit, *servis tuis.*

c. Ita cod. Reg. unus, in ceteris vero, & cunctis edit. *alleluia* prætermittitur, sed incommode. Iterum autem pro *in quarto decimo psalmo*, habet Vind. cod. *in centesimo undecimo psalmo.*

d. Amerb. *indigna morte præventus ac præceptus*, Gill. & Eras. ... *ac præreptus*: Rom. edit. *indigna morte peremtus*: mss. vero frequentissimi, ut nos in textu.

digna morte præreptus sit, requiem animæ A suæ possidet. Illic bonus uterque & pietatis interpres largus misericordiæ suæ consortio delectantur. De quibus bene dicitur: *Dies diei eructat verbum.* (Psal. 18. 3.) Contra autem Maximus & Eugenius in inferno, quasi *nox nocti indicat scientiam;* docentes exemplo miserabili quam durum sit arma suis principibus irrogare. De quibus pulcre dicitur: *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat.* (Psal. 36. 35.) Transivit enim pius de caligine B sæculari ad lumen æternum, & non erat impius, qui esse desivit iniquus.

40. Nunc se augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando in regno domini Jesu Christi est, & considerat templum ejus. Nunc sibi rex est, quando recipit etiam [a] filium Gratianum, & Pulcheriam, dulcissima sibi pignora, quæ hîc amiserat, quando ei sua Flaccilla adhæret, fidelis anima Deo; quando patrem sibi redditum gratulatur, quando Constantino C adhæret. * Cui licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit. Cujus temporibus completum est illud propheticum: *In illo die erit, quod super frenum equi, sanctum Domino omnipotenti.* (Zach. 14. 20.) Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater ejus infuso sibi Dei Spiritu revelavit.

41. Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio divini muneris * quæsivit auxilium, quo inter prælia quoque tutus adsisteret, & periculum non timeret. Magna femina, quæ multo amplius invenit quod imperatori conferret, quam quod ab imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis.

42. * Stabulariam hanc primò fuisse adserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati. (Luc. 10. 34.) Bona stabularia, [b] quæ maluit æstimari stercora, ut Christum lucrifaceret. (Philip. 3. 8.) Ideo illam Christus de stercore levavit ad regnum, secundùm quod scriptum est: *Quia suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* (Psal. 112. 7.)

43. Venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgotha, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in pulvere? [c] ego in aureis, & in ruinis Christi triumphus? ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemtam arbitror, si redemtio ipsa non cernitur?

44. Video quid egeris, diabole, ut gladius quo peremtus es, obstrueretur. [d] Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. (Gen. 26. 18.) Tollatur igitur ruina, ut vita appareat: promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum: (1. Reg. 17. 51.) aperiatur humus, ut salus fulgeat. (Esai. 45. 8.) Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum; nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis, edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret. Vinceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestavit, ego crucem ejus investigabo: illa generatum docuit, ego resuscitatum: illa fecit ut Deus inter homines videretur, ego ad nostrorum remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum.

D 45. Aperit itaque humum, decutit pulverem; tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto hæret: hæret, ut mulier; sed certam indaginem sanctus Spiritus inspirat eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum. Sed poterat fieri ut patibula inter se ruina confunderet, [e] casus inverteret. Redit ad E Evangelii lectionem, invenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* (Joan. 19. 19.) Hinc collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Judæis Pilatus respondit: *Quod scripsi,* (Ibidem [?])

a. Vet. edit. *filium Gratianum, & pulcra jam dulcissima:* Rom. edit. *filium Gratianum, & pulcherrima ac dulcissima:* sic etiam scripti cod. excepto Vat. uno, Thuan. & Belv. in quibus, *filium Gratianum, & Pulcheriam dulcissima* &c. Quomodo autem Gratianus Theodosii filius dici potuerit, à nobis ad epist. 51. explicatum est. Si tamen aliquis post Baronium existimet Gratianum hunc vere ac proprie Theodosii filium appellari, ipsi saltem contra eumdem Cardinalem dicendum erit filium Gratianum non è Flaccilla, cui tres liberos Gregorius Nyss. in ejus funebri oratione tantum adsignat, genitum esse, verùm è Galla secunda ejusdem principis uxore, quam in ipso partu paucis diebus antequam ille ad inferendum Eugenio bellum in Italiam veniret, exspirasse tradunt historici. Hujus porro Gallæ hîc mentionem non fecit Ambrosius, fortè quod cùm educata fuisset apud matrem Arrianam, aliquid contagii ex ea contraxerat, unde fides ipsius minus integra haberetur. Neque enim Philostorgio credendum remur, qui eam omnino Arrianis partibus addictam scribit. Quod vero ad Flaccillam, summa virtute ac religione præditam eam fuisse cognoscimus: de qua consule Theodoretum lib. 5. *Histor.* cap. 19.

*. Non potuit Ambrosius clarioribus verbis suam de Constantini baptismo sententiam promere. Sed nihilo obscurius eumdem principem in extremis tantùm eo sacramento initiatum esse alii scriptores contestantur, ut puta Eusebius lib. 4. *de vita Constant.* cap. 61. & 62. Hieronymus *in Chronico,* Socrates lib. 1. *Hist.* c. 39. Sozomenus lib. 2. cap. 34. Theodoretus lib. 1. cap. 32. & alii; ut mirum videatur adhuc exstare, qui Constantinum à Sylvestro papa baptizatum ex Actis apocryphis, & quæ ipsi in multis depravata coguntur agnoscere, obstinatius defendant.

*. Habemus hoc etiam loco venerationis, qua prisci christiani sacras reliquias prosequebantur, & piæ fiduciæ quam in earum præsidio reponebant, insigne testimonium. Sed quorsum, inquies, in Theodosii laudatione hujusmodi excursio in crucis inventionem? Respondemus satis Ambrosio familiare esse à proposita materia digredi, cùm pia quæpiam invitat occasio, qualis fuit mentio Constantini, qui primus Cæsarum in bellis crucis vexillum præferri voluit: qua in se ipsum Theodosius in bello adversus Eugenium imitatus est, quemadmodum ex Theodoreti lib. 5. cap. 24. & Orosii lib. 7. cap. 36. cognoscas licet.

*. Stabulariam Ambrosius Helenam dicit, quod ex patre qui publico diversorio hospites excipiebat, nata crederetur. Neque tamen sumus nescii Baronium ad an. 306. scribere matrem Constantini filiam unius è regulis Britanniæ nomine Coel exstitisse, idque ab antiquis gentis historicis esse proditum. Atqui cùm omnes Romanarum rerum scriptores Helenam Constantii concubinam dicant, & Constantinum ex imparibus nuptiis natum adserant, hanc à Baronio commemoratam opinionem pro fabula habendam credibile est. Vide, si lubet, chronica Eusebii & Cassiodori, Historias Orosii lib. 7. cap. 16. Eutropii lib. 10. Zosimi lib. 2. Nicephori lib. 7. cap. 18. & inter recentiores Morini lib. 2. *de Liberat. Eccles.* cap. 6.

b. Reg. codex, *quæ omnia æstimavit, ut stercora.*

c. Omnes edit. *ego in aulis;* omnes mss. *ego in aureis.* Sed subaudiendum est *palatiis* vel *ornamentis.*

d. Colb. cod. *Sed hos obstructos .... nec latere aquam passa est.*

e. Omnes edit. *casus mutaret & inverteret:* Omnes mss. *casus inverteret.*

scripsi, id est, non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati; propemodum dicens: Habeat Helena quod legat, * unde crucem Domini recognoscat.

46. Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique; quia hîc gentilis est error, & vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo: illum inquam, qui sicut scarabæus clamavit, ut persecutoribus suis a Pater peccata donaret. (Luc. 23. 34.) Avida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Læto corde, & trepidanti vestigio, quid faceret, nesciebat. Pertendit tamen ad cubile veritatis, lignum refulsit, & gratia micuit. Et quia jam feminam visitaverat Christus in Maria, Spiritus in Helena visitavit: docuit eam quod mulier ignorabat, & deduxit in viam, quam mortalis scire non poterat.

47. Quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, b alterum ad devotionem vertit. Visitata est Maria, ut Evam liberaret: visitata est Helena, ut imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemtionis divinæ gemma connecteret. Misit & frænum. Utroque usus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium imperatorum * sanctum est quod super frænum: (Zach. 14. 20.) ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet.

48. Sapienter Helena, quæ crucem in capite regum locavit; ut crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est; cùm defertur sacræ redemtioni. Bonus itaque clavus Romani imperii, qui totum regit orbem, ac vestit principum frontem; ut sint prædicatores, qui persecutores esse consueverunt. Rectè in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi sit præsidium. In vertice corona, c in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoque de cruce, ut potestas regat: sitque justa moderatio, d non injusta præceptio. Habeant hoc etiam principes Christi sibi liberalitate concessum, ut ad imitationem Domini dicatur de imperatore Romano: *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* (Psal. 20. 4.)

49. Ex illo gratulatur Ecclesia, erubescit Judæus: nec solum erubescit, sed etiam torquetur; quod ipse sibi auctor confusionis est. Dum insultat Christo, confessus est eum regem: dum regem Judæorum appellavit, sacrilegium suum, qui non credidit, confitetur. Ecce, inquiunt, crucifiximus Jesum; ut christiani, & post mortem resurgant, & mortui regnent. Nos crucifiximus quem reges adorant: quem non adoramus, ipsi adorant. Ecce & clavus in honore est; & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque invisibili quadam potestate dæmones torquet. Putabamus nos vicisse, sed victos fatemur. Iterum Christus resurrexit, & resurrexisse eum principes agnoverunt. Iterum vivit, qui non videtur. Nunc major nobis contentio, nunc pugna vehementior adversus eum. Cui regna famulantur, cui servit potestas, illum contemsimus, e quomodo regibus resistemus? Ferro pedum ejus reges inclinantur. Reges adorant, * & photiniani divinitatem ejus negant? Clavum crucis ejus diademati suo præferunt imperatores, & arriani potestatem ejus imminuunt?

50. Sed quæro: Quare sanctum super frænum, (Zach. 14. 20.) nisi ut imperatorum insolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent; (Hier. 5. 8.) quod liceret illis adulteria impune committere? Quæ * Neronum, quæ Caligularum, ceterorumque probra comperimus, quibus non fuit sanctum super frænum?

51. Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut fræna dirigeret; nisi ut omnibus imperatoribus sancto dicere Spiritu videretur: *Nolite fieri sicut equus & mulus*; (Psal. 31. 9.) sed in fræno & chamo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, ut regerent sibi subditos? Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga se se libidine polluebant. Ignorabant Deum, restrinxit eos crux Domini, & revocavit à lapsu impietatis. Levavit oculos

*. Quod à sancto Præsule hîc memoratur Dominicam crucem à latronum patibulis titulo suo discretam esse, id quidem videtur discrepare ab aliorum scriptorum sententiis; alii quippe mortuum ad vitam revocatum, alii nobilem feminam à morbo liberatam, alii denique utrumque miraculum indicio fuisse tradunt, quo è tribus crucibus quæ Dominica esset, dignosceretur. Attamen illud historicis nequaquam est insolens, ut eamdem rem memoria prodentes, alii alia ejus adjuncta commemorent, aut prætermittant. Ceterum tot scriptorum testimoniis inventio salutiferæ crucis adseritur, ut vix quidquam habeat historiæ magis compertum. Vide Cyrillum Hier. *epist. ad Constantium*, & catechesi 14. Paulinum *epist. ad Sever.* novæ edit. 31. Sev. Sulpitium lib. 2. *Histor.* cap. 48. Rufinum lib. 1. cap. 7. & 8. Socratem lib 1. cap. 17. & alios. Neque vero objiciendum Eusebii Pamphili silentium; nam præterquam quod quæ ille lib. 3. *de Vita Constant.* variis locis tradit de sepulcri Dominici inventione, supponere videntur crucis inventionem, unius omissio tot aliorum adsertioni cedat necesse est.

a. *Pater* aberat à cunctis edit. ac multo pluribus mss. quam vocem ex Reg. cod. restituimus. Adverte autem hoc loco veram Ecclesiæ catholicæ doctrinam de sanctæ crucis aut imaginum cultu exhiberi, qui videlicet non terminatur in ipso signo, sed ad significatum mente refertur. Et hinc videas quam bona fide scriptum fuerit à Magdeburgensibus multa commemorari ab auctore hujus Orationis *superstitiosa, vehementer contumeliosa in meritum Christi, & cum fide pugnantia.* Sed istis hominibus ea omnia cum fide pugnant, quæ illorum perfidiam impugnant.

b. Reg. codex unus, *alterum ad tuitionem vertit*. Ceterum quæ hîc narrantur de sacris clavis, eadem etiam referuntur à Rufino lib. 2. cap 8. Socrate lib. 1. cap. 17. Sozomeno lib. 2. cap. 1. Theodoreto lib. 1. cap 18. & Paulino Aquil. lib. 11. *Histor.*

b. Hieronymus in hunc locum Zachariæ istam interpretationem ita rejicit: *Audivi à quodam rem sensu quidem pio dictam, sed ridiculam, clavos Dominicæ crucis è quibus Constantinus augustus frænos equo suo fecerit, sanctum Domini appellari.* Quibus verbis Ambrosium ab eo tacite vellicari non ambigimus. Verum hac censura nihil obstante, multi deinceps Ambrosianam explicationem amplexati sunt, ut Cyrillus Alex. in eadem Zachariæ verba, Sozomenus, Theodoretus, Paulinus Aquil. citatis locis, & Gregorius Turon. *de Gloria Martyrum* cap. 6. Sed exegesim quoque moralem, quam sequi maluit Hieronymus, ab Ambrosio etiam hîc propositam videmus hisce verbis: *Sed quæro quare sanctum super frænum* &c.

c. Mss. longe plurimi. *in manibus fides. Habent coronam de cruce.... habent quoque de cruce:* sed melius alii, & omnes edit. ut in contextu.

d. Mss. aliquot, *non injusta precatio.* Et infra, *Posuisti in capite meo.*

e. Colb. codex, *qui modo regnanti restitimus.*

*. De photinianis sicut & de arrianis abunde ad varios librorum *de Fide*, ac *de Spiritu sancto* locos egimus.

*. Quidnam Neroni sanctum aut intactum esse potuisset, qui, ut Suetonius ac Tacitus produnt, illustribus feminis complebat lupanaria; quique, eodem Suetonio teste, super ingenuorum pædagogia, & nuptarum concubinatus, vestalibus etiam vim inferebat. Quod vero ad Caligulam, non mirum videbitur à nobilium matronarum adulteriis, cùm non sibi temperasse, cum sorores suas omnes nefario incestu vitiaverit, ut auctor est citatus Suetonius.

eorum, ut Christum in cælum quærerent. Exue- A runt se chamo perfidiæ, susceperunt fræna devotionis & fidei, sequuti dicentem: Matth. 11. 30. *Tollite jugum meum super vos ... Jugum* enim *meum suave est, & onus meum leve.* Inde reliqui principes christiani, præter unum Julianum, qui salutis suæ auctorem reliquit, dum philosophiæ se dedit errori. Inde Gratianus & Theodosius.

52. Non ergo mentita est prophetia, dicens: Esai 60. 3. *Ambulabunt reges in lumine tuo.* Ambulabunt plane ac maxime Gratianus & Theodosius præ B ceteris principes, non jam armis militum, sed meritis suis tecti: non purpureum habitum, sed amictum induti gloriæ. Qui cùm hic delectarentur absolutione multorum, quanto magis illic pepercisse se pluribus recensendo, pietatis suæ recordatione mulcentur? Qui nunc luce fruuntur candida, longe meliora illic, quam hîc possidebant, habitacula consequuti, dicentes: Baruc. 3. 24. *O Israel, quam magna est domus Domini, & quam ingens locus possessionis ejus: magnum, &* C *non habens finem!* Et perfuncti maximis laboribus inter se conferunt: Thren. 3. 27. *Bonum est viro cùm portaverit jugum grave à juventute, sedebit singulariter, & silebit; quia portavit jugum grave.* Qui enim jugum grave portaverit à juventute, requiescit postea: remotus à turba, præcipuum locum quietis suæ possidet, dicens: Psal. 4. 10. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Luc. 16. 24.

53. Portavit jugum grave à juventute sua Lazarus pauper, ideo singulariter in sinu Abra- D hæ requiescit, divinæ testimonio lectionis. Portavit jugum grave Theodosius à juventute, quando insidiabantur ejus saluti, * qui patrem ejus triumphatorem occiderant. Portavit jugum grave, quando subiit pietatis exsilium, quando infusis Romano imperio barbaris, suscepit imperium. Portavit jugum grave, ut tyrannos Romano dimoveret imperio: sed quia hîc in labore, ibi in requie.

54. Sed jam veniamus ad augusti corporis transmissionem. Fles, Honori, germen augustum, & lacrymis pium testificaris affectum; quod inhonorum adhuc honore tumuli patris corpus per spatia multa transmittis. Sed & pa- Gen. 45. 5. & seq. triarcha Jacob propter populum liberandum, Ibid. 49. 11. quem tetra fames gravi urgebat periculo, relicta domo, senex ad peregrina contendit: atque ibi defunctus, ad sepulcrum patrium per aliquot dies, filio prosequente, deductus est. Ibid. 7. 50. Nec derogatum est aliquid meritis ejus, sed magis accessit ad laudem, quod pro suis [a] careris debitæ domus sorte, quodam supremi funeris peregrinabatur exsilio.

55. Fles etiam, [b] Imperator auguste, quod non usque Constantinopolim reverendas reliquias ipse prosequeris. Eadem tibi causa nobiscum est, omnes justo dolore prosequimur, omnes, si fieri posset, deductores tecum esse cuperemus. Sed Joseph ad finitimam accessit provinciam: hîc multa interjacent regionum divortia, hîc maria transfretanda sunt. Nec hoc quidem tibi laboriosum, nisi te teneret Respublica, quam boni imperatores & parentibus & filiis prætulerunt. Denique ideo te imperatorem pater fecit, Dominus confirmavit; ut non soli militares patri; sed omnibus imperares.

56. Nec vereare ne inhonoræ videantur, quocumque accesserint, reliquiæ triumphales. Non hoc sentit Italia, quæ claros spectavit triumphos, quæ à tyrannis iterum liberata, concelebrat suæ libertatis auctorem: non hoc Constantinopolis, quæ secundò ad victoriam principem misit: quem cùm vellet tenere, non potuit. Exspectabat quidem in reditu ejus triumphales solemnitates, & titulos victoriarum: [c] exspectabat totius orbis imperatorem, stipatum exercitu Gallicano, & totius orbis subnixum viribus. Sed nunc illic Theodosius potentior, nunc gloriosior redit: quem Angelorum caterva deducit, quem sanctorum turba prosequitur. Beata plane, quæ paradisi incolam suscipis, & habitatorem supernæ illius civitatis [d] augusto sepulti corporis tenebis hospitio.

*. Comitem Theodosium Theodosii imperatoris patrem, cùm Firmum acie victum ad mortem compulisset, resque maximas gessisset in Africa, Valentinianus senior calumniæ aures accommodans, gladio feriri jussit, ut accurate describit P. Orosius lib. 7. cap. 33. Non est autem dubium ullum, quin Theodosius filius adhuc, ut Ammianus lib. 29. cap. 6. refert, admodum juvenis, ab inimicis patris exagitatus etiam fuerit. Credibile ergo est eum in Hispaniam recessisse, ut illorum odiis locum daret, quemadmodum Theodoretus lib. 5. cap. item 5. memorat. Quam vero periculosis temporibus ad imperii societatem allectus sit, ex Orat. 16. Themistii, ex lib. 4. Zosimi & aliis cognoscere est.

a. Omnes edit. *careris debita domus sorte, quodam ... peregrinatus est exsilio*: mss. aliquot, *careris debita domus sorte quadam ..., peregrinabatur*: alii mss. melius, ut nos in textu.

b. Reg. cod. unus, *Arcadi imperator auguste*: sed nomen *Arcadi* manifeste additum fuit ab aliquo sciolo; qui cùm Honorium supra compellatum cerneret, hæc ad Arcadium referenda existimavit. At vero quidnam Arcadio fuisset in mora, quominus Constantinopolim, quæ imperii sui regia erat, paternum funus prosequeretur?

c. Mss. Prat. ac Gem. *exspectabat totus orbis.*

d. Edit. Amerb. & duo mss. *augusto sepulti corporis*, mss. *sepulcri corporis*: Vat. cod. *augusto sepulcro marmoris*: ceteri mss. & omnes edit. nobiscum faciunt, nisi quod in illorum quibusdam pro *sepulti* etiam legitur *sepulcri*.



APPENDIX

IN HYMNOS SANCTI AMBROSII
ADMONITIO.

Ambrosium hymnos elucubrasse nemini obscurum est. Hoc namque ipse significat sermone contra Auxentium in hæc verba: [a] Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen illud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius, quam confessio Trinitatis &c. *Paulinus quoque illud testatur in Vita ejusdem Antistitis, ubi Justinæ contra ipsum insanientis persecutionem narrans, ita loquitur:* Hoc in tempore primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solùm in eadem Ecclesia, verum per omnes occidentis Ecclesias manet. *Instituti hujus initium eodem plane modo sanctus Augustinus, testis oculatus describit lib. 9.* Confess. *cap. 7. qui & alibi* [b] *non raro eorumdem hymnorum versibus in rei quam tractat, confirmationem lubens utitur.*

a. Serm. de Basilicis num. 14.
b. Loc. infra cit.

Constat igitur auctoritate tantorum testium & canendorum hymnorum consuetudinem in omnes occidentales Ecclesias è Mediolanensi esse propagatam, & eorumdem argumentum ac materiem in explicando divinæ Trinitatis mysterio versari consuevisse. Sed nec minus exploratum est alios etiam hymnos, ubi Ariana illa tempestas sævire desiit, à sancto Doctore compositos fuisse; quandoquidem hoc ipsum cognoscere liceat ex Augustino, Cassiodoro, [c] *Isidoro, Concilio Toletano IV.* [d] *Beda & aliis.*

c. Lib. de Offic. Eccl. cap. 6.
d. Can. 13.

Itaque difficultatis cardo in hoc vertitur, ut hymni vere Ambrosiani separentur ab alienis, ab illis videlicet quos Hilarius Pictaviensis, Sedulius, Prudentius, Fortunatus, Elpis Boetii conjux, Gregorius, Theodulphus Aurelianensis, Alcuinus ac Paulus Diaconus composuerunt. Gillotius qui primus omnium hymnos Ambrosii nomine seorsim evulgatos in editionis suæ appendice collectos exhibuit, sexdecim tamquam Ambrosianos admisit. Horum numerum additis octodecim aliis Romani editores adauxere: quem nova accessione amplificarunt sequentes Parisinæ editiones. Verum cùm in his omnibus editionibus inserti sint hymni Vexilla Regis prodeunt, Veni creator Spiritus, *& alii quos Ambrosii non esse nemo non agnoscit; manifestum est in eorum censura delectum nullum esse adhibitum: sed quicumque hymni ejusdem Ambrosii nomine insigniti venerint in manus editorum, promiscue admissos. Re quidem ipsa neque Gillotius, neque Romani vadem ullum nobis producunt, cujus fidei credendum putaverint: qui vero curam susceperunt Parisinarum editionum, ab iis istiusmodi testes proferuntur, quibus, si Bedam unum excipias, nulla fides haberi possit. Quis enim hymnum quemlibet propterea inter Ambrosianos censeat referendum, quod vel in chorali quodam manuscripto iisdem editoribus occurrerit, vel ipsum Radulphus Tungrensis,* [e] *qui ineunte sæculo quintodecimo scripsit,* Romæ in hymnariis antiquis, *aut etiam* in Officio Ambrosiano *reperiri affirmet? Neque enim satis probatur nullum hymnorum, qui continentur in istis libris, Ambrosio perperam esse inscriptum.*

e. De observ. canon. Propos. 13.

Dionysius Carthusianus hymnorum, quos Ambrosianos existimavit, [f] *catalogum texuit: sed cur eosdem Doctori nostro adjudicaverit, præterquam de hymno,* Deus creator omnium, *rationem nullam in medium profert, nisi quod Ambrosii phrasin & characterem in quibusdam ab se agnosci testificatur. Quod argumentum quoties solum est, quam in hoc genere parum tutum sit, facile intelligas.*

f. Hymnor. Enarr.

Non majori cura fuit Clicthoveo, [g] *ut quos hymnos sub Ambrosii titulo enumerat, illos eidem vindicet allatis argumentis; excepto enim hymno,* Æterne rerum conditor, *quem ob ejus cum Hexaemero cognationem, indidem petitum existimat; ad probandos alios non aliam rationem citat, quàm communem opinionem.*

g. In Elucidatorio.

Idem pariter statuendum est de Gavanti auctoritate, [h] *quippe qui explorandis hymnis Ambrosianis non lydium lapidem adhibeat, sed tantummodo jam citatorum Radulphi Tungrensis, Dionysii Carthusiani, Clicthovei, aut etiam aliorum adhuc ævi posterioris judicium sequendum sibi proponat.*

h. Comment. in Rubr. § 5. cap. 6.

Habemus antiquius de hymnis Doctoris nostri testimonium in Regula beati Benedicti; hic enim sanctus dum in ea divini Officii rationem suis præscribit, [i] Ambrosianum, *scilicet carmen, quod etiam alibi* hymnum *vocitat, ad singulas horas cantari jubet. Verum tamen qui commentaria scripserunt in eamdem Regulam, vocem* Ambrosianum *post dictum Radulphum ita interpretantur, ut eos hymnos vel* quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos *designet. Alioquin etiam non satis constat, an iidem hymni, quibus in Ecclesia hodieque utimur, jam inde à tempore sancti Benedicti cani consueverint.*

i. Cap. 9. 12. 16. & 17.

In hac tanta difficultate hymnorum Ambrosii nostri ab alienis distinguendorum optimum esse nobis visum est, ut pro Ambrosiano nullum admittamus, qui locupletis alicujus testis auctoritate non adseratur; satius videlicet existimantes paucioribus at certioribus hoc in volumine locum tribuere, quam ut eorum numerus multiplicetur, indiscriminatim veros cum falsis in unum confundere.

Primum eorum, quos hic edimus, jure dicimus Ambrosii esse. Testem habemus sanctum Augustinum, cujus sequentia verba leguntur: [k] In hoc libro dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. *Et sane eumdem hymnum ex Hexaemero* [l] *desumtum esse à multis auctoribus post Bedam* [m] *venerabilem observatum est.*

k. Lib. 1. Retract. c. 21.
l. Lib. 5. cap. 24.
m. De Arte metr.

Secundus hymnus ab eodem Augustino etiam indicatur, ubi suum de materno excessu luctum ita memorat: [a] Eram, *inquit*, in lecto meo solus, recordatus veridicos versus Ambrosii tui; tu es enim Deus creator omnium. *Quem hymnum etiam lib. 6.* De Musica, *cap. 9. designari non ambigimus.*

a. Lib. 9. cap. 12.

Tertii quoque hymni citatus Doctor ita meminit: [b] Quem Spiritum memoratus episcopus etiam precibus impetrandum admonet ... ubi in hymno suo dicit: Votisque præstet sedulis sanctum mereri Spiritum. *Hic hymnus similiter refertur inter Ambrosianos à venerabili Beda,* [c] *& habetur cum in Breviariis Cisterciensibus, tum in ultimis editionibus Parisinis Operum Ambrosianorum, unde illum huc transtulimus.*

b. Lib. de Nat. & Grat. 63.
c. Loco cit.

De quarto hymno dubitare non magis licet, quam de tribus superioribus. Primam ejus strophen in Synodo Romana ex Baluziana Collectione anno 430. celebrata Ambrosio adscriptam reperimus, nec non ab Ildephonso De Perpet. Virgin. Beatæ Mariæ *non semel propositam: quartam vero non modo apud Cassiodorum,* [d] *sed etiam apud Faustum Regiensem legas, qui episcopus de eadem his verbis agit:* [e] Accipe etiam in hymno sancti antistitis & confessoris Ambrosii, quem in natali Dominico per omnes Italiæ & Galliæ regiones persultat Ecclesia: Procede de thalamo tuo *&c.*

d. In Psalm. CXIII. in Canal. & in Psal. LXXI. ℣. 6.
e. Epist. ad G. Diac.

Quintus indicatur à Cassiodoro, dum sic loquitur: [f] Ut latices fontium ruborem vini, mutata qualitate, susciperent, quem natura non habuit. Unde beatus Ambrosius in hymno sanctæ Epiphaniæ mirabiliter declamavit splendidissima luce verborum. *Ex hymnis autem duobus quibus mysterium Epiphaniæ celebratum etiam nunc habetur, alter quem in ejus diei Officio canit Ecclesia, Sedulii est: alter vero in Breviariis Ordinis Cisterciensis, nec non in postremis Ambrosianorum Operum editionibus exstat. In quem cùm aptissime quadrent citata verba Cassiodori, non dubitavimus eumdem inter legitimos tanti Doctoris fœtus admittere.*

f. In Psal. LXXIV. ℣. 8.

Sextum hymnum aut potius hymni fragmentum auctoritate ejusdem Cassiodori repræsentamus, ejus quippe de illo testimonium legimus in hæc verba: [g] Hinc etiam sancti Ambrosii secundum Apostolum horæ sextæ roseus hymnus ille redolut; ait enim: Orabo mente Dominum *&c. Neque vero his Senatoris laudibus hic hymnus indignus est, si tantummodo spectetur sensus; verumtamen in dubium non immerito revocari potest, num vere ab Ambrosio fuerit compositus, cùm in eodem leges carminis prorsus negligantur. Etenim ex iis omnibus, de quibus jam ante à nobis dictum est, clare ostenditur peritiorem exstitisse in hoc genere sanctum Antistitem, quam ut tam crebro impingeret. Sed Cassiodori non putavimus negandum auctoritati, ut inter Ambrosii nostri carmina suavissimum illud poematium recipiatur.*

g. In Psal. C. 1. ℣. 1.

Septimi hymni primus versiculus ita memoratur apud Bedam: [h] Sed & Ambrosiani eo maxime currunt: Splendor paternæ gloriæ. *Cui versiculo ubi subjecit primos tres alios trium hymnorum, de quibus jam egimus, hoc modo prosequitur:* Et ceteri perplures, in quibus pulcherrimo est decore compositus hymnus beatorum martyrum: Æterna Christi munera *&c. Non videtur autem commodiori sensu accipi posse hoc testimonium, quam si eumdem hymnum Ambrosio per illud adtribui interpretemur: quo quidem nomine ipsum admisimus octavo loco.*

h. De Arte metr.

Nonum, decimum, atque undecimum nobis indicavit Hincmarus Remorum episcopus, [i] *cujus auctoritatem hac in re sequendam eo usque ducimus, quatenus vel hymni tanto nomine digni videntur, vel nulla ratio ut ab ejus recedamus sententia, animum impellit. Nam exempli gratia hymnum:* Nunc sancte nobis Spiritus, *qui canitur ad horam tertiam, ab Ambrosio profectum esse nobis non persuades; cùm videlicet alium habeamus, quem à sancto Præsule, ut ad eamdem horam concineretur, constat fuisse compositum. Ceteri vero quorum versiculos, aut etiam strophas tamquam Ambrosianas subinde refert, tam crebris mendis inquinati sunt, ut ab ejus viri elegantia longe abhorreant: nonnulli etiam illius concinnitatis nihil præferunt, quæ singulis versibus singulos sensus ab Ambrosio includi consuevisse Beda testatur.*

i. De non trina Trin.

Duodecimi cognitionem debemus beato Ildephonso, qui semel ac iterum in sermone de Parturit. & Purificat. B. Mariæ Virg. *primam ejusdem hymni stropham tamquam ab Ambrosio compositam citat; unde in posteriores Operum sancti Doctoris editiones fuit translata: secundam vero ac sextam stropham ex Georgii Cassandri libro* de Hymnis ecclesiasticis, *ubi sine auctoris nomine idem hymnus legitur, exscripsimus. Quamvis autem subinde peccatum in eo fuerit adversus prosodiam, non tamen Ambrosio propterea indignum judicamus; cùm in hymnis ejus indubitatis hujusmodi errata reperire sit, sed non frequentia.*

Hymnus, Te decet laus *Ambrosianus vocatur lib. 1.* Miraculorum sancti Richarii, *sed quonam sensu ita dictus sit, haud satis liquet; cùm enim ille non constet metris, neque ab Ambrosio, neque ad formam Ambrosianam factum oportet. De cantico eucharistico,* Te Deum laudamus, *pigeret hic anxie dicere; nemo quippe est hac nostra ætate non plane rudis, qui fabulam esse inficiatur, quod eumdem hymnum post baptizatum ab Ambrosio magnum Augustinum ab utroque alternis vicibus decantatum olim jactabant. Non negamus autem hymnorum qui vulgati sunt in superioribus editionibus, maxime vero eorum qui ad horas diurnas & feriarum vesperas decurruntur, aliquos pertinere ad Ambrosium: sed quia eos ab alienis dignoscere hoc opus, hic labor est, eo minori cum dubitatione illos omisimus, quod fere in omnibus Breviariis, aliisque libris maxime obviis circumferuntur.*

SANCTI AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
HYMNI.

HYMNUS I.

Æterne rerum conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.
Preco diei jam sonat,
Noctis profundæ pervigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.
Hoc excitatus Lucifer,
Solvit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus,
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergo strenue,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente, spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.
Jesu labantes respice,
Et nos videndo corrige;
Si respicis, lapsus cadunt,
Fletuque culpa solvitur.
Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.

HYMNUS II.

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratiâ.
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet,
Luctusque solvat anxios.
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces,
Votis, reos ut adjuves,
Hymnum canentes solvimus.
Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
A Te diligat castus amor,
Te mens adoret sobria.
Ut cùm profunda clauserit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras nesciat,
Et nox fide reluceat.
Dormire mentem ne sinas,
Dormire culpa noverit;
Custos fides refrigerans,
Somni vaporem temperet.
B Exuta sensu lubrico,
Te cordis alta somnient;
Nec hostis invidi dolo
Pavor quietos suscitet.
Christum rogemus & Patrem,
Christi Patrisque Spiritum,
Unum potens per omnia
Fove precantes Trinitas.

C HYMNUS III.

Jam surgit hora tertia,
Qua Christus adscendit crucem;
Nil insolens mens cogitet,
Intendat affectum precis.
Qui corde Christum suscipit,
Innoxium sensum gerit:
Votisque præstat sedulis,
Sanctum mereri Spiritum.
D Hæc hora qua finem dedit
Diri veterno criminis,
Mortisque regnum diluit,
Culpamque ab ævo sustulit.
Hinc jam beata tempora
Cœpere Christi gratia:
Fide replevit veritas
Totum per orbem Ecclesias.
Celso triumphi vertice,
Matri loquebatur suæ:
E En filius, mater, tuus;
Apostole, en mater tua.
Prætenta nuptæ fœdera
Alto docens mysterio;
Ne Virginis partus sacer
Matris pudorem læderet.
Cui fidem celestibus
Jesus dedit miraculis:
Nec credidit plebs impia;
Qui credidit, salvus erit.
Nos credimus natum Deum,
Partumque Virginis sacræ,

Peccata qui mundi tulit,
Ad dexteram sedens Patris.

HYMNUS IV.

[a] VEni redemtor gentium
Ostende partum Virginis,
Miretur omne sæculum:
Talis decet partus Deum.
Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine,
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.
Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudoris permanet,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.
[b] Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminæ Gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.
Egressus ejus à Patre,
Regressus ejus ad Patrem;
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.
Æqualis æterno Patri
Carnis trophæo accingere
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Præsepe jam fulget tuum,
Lumenque nox spirat novum;
Quod nulla nox interpolet,
Fideque jugi luceat.

HYMNUS V.

ILluminans altissimus
Micantium astrorum globos,
Pax, vita, lumen, veritas,
Jesu fave precantibus.
Seu mystico baptismate
Fluenta Jordanis retro
Conversa quondam tertio
Præsente sacraris die.
Seu stella partum Virginis
Cælo micans signaveris;
Et hac adoratum die
Præsepe Magos duxeris.
Vel hydriis plenis aquæ
Vini saporem infuderis:
Hausit minister conscius,
Quod ipse non impleverat.
Aquas colorari videns,
Inebriare flumina;
Mutata elementa stupent
Transire in usus alteros.
Sic quinque millibus viris
Dum quinque panes dividis,
Edentium sub dentibus
In ore crescebat cibus.
Multiplicabatur magis
Dispendio panis suo:

A Quis hæc videns mirabitur
Juges meatus fontium?
Inter manus frangentium
Panis rigatur profluus:
Intacta quæ non fregerant,
Fragmenta subrepunt viris.

HYMNUS VI.

B ORabo mente Dominum,
Orabo simul spiritu;
Ne vox sola Deo canat,
Sensusque noster alibi
Ductus, aberret fluctuans,
Vanis præventus casibus.

HYMNUS VII.

SPlendor paternæ gloriæ,
C De luce lucem proferens,
Primordiis lucis novæ
Diem dies illuminans.
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti,
Jubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus & Patrem,
Patrem perennis gloriæ,
Patrem potentis gratiæ,
Culpam releget lubricam.
D Informet actus strenuos,
Dentes retundat invidi,
Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet & regat,
Casto fideli corpore,
Fides calore ferveat,
Fraudis venena nesciat.
Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides,
E Læti bibamus sobriam
Ebrietatem Spiritus.
Lætus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.
Aurora cursus provehit,
Aurora totus prodeat
In Patre totus Filius
Et totus in Verbo Pater.

F

HYMNUS VIII.

ÆTerna Christi munera,
Et martyrum victorias,
Laudes ferentes debitas,
Lætis canamus mentibus.
Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Cælestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.
Terrore victo sæculi,

a. Breviarium Cisterciense huic hymno primam strophen, quæ nusquam alibi reperitur, sic exhibet:
Intende qui Regis Israel,
Super Cherubim qui sedes;
Et pare Ephrem coram, excita
Potentiam tuam & veni.
Sed unde id sumtum sit, quis divinare potest?
b. Faustus Regiensis: *Procede de thalamo suo.*

Spretiſque pœnis corporis,
Mortis ſacræ compendio,
Vitam beatam poſſident.
Traduntur igni martyres,
Et beſtiarum dentibus,
Armata ſævit ungulis
Tortoris inſani manus,
Nudata pendent viſcera,
Sanguis ſacratus funditur,
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.
Devota ſanctorum fides,
Invictâ ſpes credentium;
Perfecta Chriſti caritas,
Mundi triumphat principem.
In his Paterna gloria,
In his voluntas Filii,
Exſultat in his Spiritus,
Cælum repletur gaudiis.
Te nunc, Redemtor, quæſumus,
Ut ipſorum conſortio
Jungas precantes ſervulos,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

HYMNUS IX.

SOmno refectis artubus,
Spreto cubili ſurgimus,
Nobis, Pater, canentibus
Adeſſe te depoſcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat;
Ut actuum ſequentium
Tu, ſancte, ſis exordium.
Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno ſideri;
Ut culpa quam nox intulit,
Lucis labaſcat munere.
Precamur iidem ſupplices,
Noxas ut omnes amputes;
Ut ore te canentium
Lauderis in perpetuum.
Præſta, Pater piiſſime,
Patrique Compar unice,

A Cum Spiritu paraclito
Regnans per omne ſæculum.

HYMNUS X.

COnſors paterni luminis,
Lux ipſe lucis, & dies,
Noctem canendo rumpimus,
Adſiſte poſtulantibus.
Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas dæmonum:
B Expelle ſomnolentiam,
Ne pigritantes obruat.
Sic, Chriſte, nobis omnibus
Indulgeas credentibus;
Ut proſit exorantibus,
Quod præcinentes pſallimus.

HYMNUS XI.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis unitas,
C Jam ſol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecamur veſpere,
Te noſtra ſupplex gloria,
Per cuncta laudet ſæcula.

HYMNUS XII.

FIt porta Chriſti pervia,
Referta plenâ gratiâ,
D Tranſitque Rex, & permanet,
Clauſa, ut fuit, per ſæcula.
Genus ſuperni luminis,
Proceſſit aulâ virginis,
Sponſus, redemtor, conditor,
Suæ gigas Eccleſiæ.
Honor matris & gaudium,
Immenſa ſpes credentium,
Per atra mortis pocula,
Reſolvit noſtra crimina.

FINIS.

ELENCHUS

MANUSCRIPTORUM ATQUE EDITORUM CODICUM ad quos exacta & emendata sunt sancti Ambrosii Opera, quæ in hoc secundo volumine continentur.

Castigata sunt Opera hujusce voluminis prope omnia ad variantes lectiones è codicibus Vaticanæ bibliotheca collectas, ut dictum est de singulis commentationibus prioris tomi. Emaculata quoque fuerunt ad easdem editiones, quarum subsidio primum volumen emendatum est, de quibus cùm in ejusdem elencho jam egerimus, nihil hoc loco superaddemus.

LIBRI TRES DE OFFICIIS

Recensiti sunt ad mss.

Thuaneum omnium nunc Colbert. annorum 1000.
Vaticanos tres optimæ notæ.
Benignianum unum annorum 800.
Laudunenses duos, alterum ann. 700. alterum 500.
Creſpienſem unum annorum 700.
Bigotinum unum annorum 700.
Tellerianum unum annorum 600.
Fuliensium unum annorum 600.
Compendiensem unum annorum circ. 600.
Sorbonicos duos alterum ann. 600. alterum circiter 400.
Regios duos alterum ann. 600. alterum 400.
Victorinos tres annorum 600. 500. & 400.
Colbertinos quatuor annorum 600. 500. 400. & 300.
Carnutensem unum annorum circ 500.
Dionysianum unum ejusdem propemodum ætatis.
Theodoricensem unum annorum 500.
Sagiensem unum annorum 500.
Vallis lucentis unum annorum 500.
Germanensem unum ejusdem ætatis.
Pratellensem unum ejusdem etiam ætatis
Corbeiensem unum annorum 400.
Lyrensem unum annorum 300.
Laudinum unum annorum 300.
Gemeticensem unum non multo recentiorem.

LIBRI TRES DE VIRGINIBUS

castigati sunt ad mss.

Remensem unum ab Hincmaro Ecclesiæ suæ datum; annorum 800.
Gemeticenses duos, alterum annorum 800. alterum mutilum, annorum 700.
Pratellensem unum annorum 700.
Fiscanensem unum, sed mutilum annorum 700.
Sagiensem, & hunc mutilum ann. 600.
Albinianum unum annorum 600.
Tellerianum unum annorum 600.
Colbertinos duos, alterum annorum 600. alterum annorum 400.
Regium unum annorum 500.
Carnutensem unum, ex Abbatia sancti Petri in Valle, sed mutilum, annorum 500.
Floriacensem unum annorum 500.
Theodoricensem unum annorum 500.
Vallis-claræ unum annorum 500.
Vallis-lucentis unum ejusdem ætatis.
Sorbonicum unum annorum 400.

LIBER DE VIDUIS

emendatus est ad mss.

Gemeticensem unum annorum 700.
Fiscanensem unum annorum 700.
Pratellensem unum ejusdem ætatis.
Tellerianum unum annorum 600.
Colbertinos duos, alterum annorum 600. alterum 400.
Albinianum unum annorum 600.
Regium unum annorum 500.
Vallis-claræ unum annorum 500.
Sorbonicum unum annorum 400.

LIBER DE VIRGINITATE

Collatus fuit cum omnibus fere codicibus iis, ad quos castigati sunt libri tres de Virginibus.

LIBER DE INSTITUTIONE VIRGINIS

recensitus est ad mss.

Gemeticenses duos annorum circiter 700.
Pratellensem unum ejusdem ætatis, sed mutilum.
Albinianum unum annorum 600.
Vallis lucentis unum annorum 500.
Carnutensem unum annorum 500.

EXHORTATIO VIRGINITATIS

emendata est ad mss.

Gemeticenses duos annorum circiter 700.
Fiscanensem unum annorum etiam 700.
Pratellensem unum ejusdem propemodum ætatis.
Sagiensem unum annorum 600.
Albinianum unum annorum 600.
Colbertinos duos, alterum annorum 600. alterum 400.
Regium unum annorum 500.
Carnutensem unum, annorum 500.
Vallis-lucentis unum ejusdem ætatis.
Sorbonicum unum annorum 400.

LIBER DE LAPSU VIRGINIS CONSECRATÆ

correctus fuit ad mss.

Gemeticensem unum annorum 700.
Floriacensem unum annorum 600.
Michaelinum unum annorum 600.
Albinianum unum ejusdem quoque antiquitatis.
Colbertinos tres annorum 600. 500. & 400.
Regium unum annorum 500.
Victorinum unum annorum 500.
Regiomontanum unum annorum circiter 500.
Sorbonicum unum annorum 400.

LIBER DE MYSTERIIS

collatus fuit cum mss.

Benigniano uno annorum 800.
Claromontano uno annorum 800
Remensibus duobus, altero Hincmari annorum 800. altero ann. 500.
Gemeticensi uno annorum circiter 700.
Pratellensi uno annorum etiam 700.
Vincentino uno, id est, sancti Vincentii Cenomanensis, annorum 600
Albiniano uno annorum 600.
Michaelino uno annorum 600.
Illidiano uno, id est, sancti Illidii Claromontani, annorum 600.

Tellerianis duobus annorum circiter 600.
Fragmento unius codicis Germanensis ann. 600.
Regiis duobus, altero ann. 500. altero 400.
Lætiensi uno annorum 500.
Alnetino uno ejusdem ætatis.
Colbertinis tribus, duobus ann. 500. tertio 400.
Victorino uno annorum 400.
Sorbonico uno ejusdem circiter antiquitatis.

SEX LIBRI DE SACRAMENTIS recogniti sunt ad eosdem mss. ad quos liber de Mysteriis exactus fuit, & præterea ad Germanensem unum annorum 500. & Vallis-lucentis unum ejusdem ætatis.

LIBRI DUO DE POENITENTIA recensiti sunt ex mss.

Benigniano uno annorum 800.
Claromontano uno annorum 800.
Laudunensi uno annorum 700.
Germanensibus duobus, altero ann. 800. altero 500.
Colbertinis duobus, altero annorum 600. altero 400.
Floriacensi uno annorum circiter 600,
Michaelino uno annorum 600.
Albiniano uno annorum etiam 600.
Fuliensium uno annorum 600.
Remensi uno annorum 500.
Cisterciensi uno annorum 500.
Sorbonico uno annorum circiter 400.

LIBRI DE FIDE AD GRATIANUM emendati sunt ad mss.

Remensem unum ab Hincmaro Ecclesiæ suæ datum, annorum 800.
Colbertinos septem, annorum 800. 600. 500. & 400.
Albinianum unum annorum 600.
Bigotinum unum annorum circiter 600.
Tellerianum unum annorum 500
Audoenensem unum annorum 500
Ebrulphensem unum annorum 500
Theodoricensem unum annorum 500.
Lætiensem unum ejusdem ætatis.
Sorbonicum unum annorum circiter 400.
Observandum autem est in manuscriptis aliquot è libris quinque de Fide non nisi priores duos contineri.

LIBRI TRES DE SPIRITU SANCTO recogniti sunt ad mss.

Remensem unum annorum 800.
Remigianum unum annorum circiter 600.
Colbertinos quatuor annorum 800. 500. & 400.
Albinianos duos, annorum 600. & 500.
Audoenensem unum annorum 500.
Thodoricensem unum annorum 500.
Lætiensem unum annorum 500.
Sorbonicum unum annorum circiter 400.
Fragmentum antiqui cujusdam codicis Floriacensis.

LIBER DE INCARNATIONE DOMINICA collatus fuit cum mss.

Remigiano uno annorum 800.
Corbeiensi uno incompleto annorum 800.
Fragmento uno Thuanei codicis etiam ann. 800.
Albinianis duobus annorum 600. & 500.
Victorino uno annorum 600.
Floriacensi uno annorum circiter 600.
Colbertinis tribus annorum 600. 400. & 300.
Audoenensi uno annorum 500.
Theodoricensi uno annorum 500.
Sorbonico uno annorum circiter 400.

LIBER EPISTOLARUM expurgatus est ad mss.

Belvacensem unum annorum circiter 800,
Pratellensem unum annorum etiam 800.
Thuaneum unum annorum 800.
Vindocinensem unum annorum 700.
Regium unum annorum 600.
Albinianum unum annorum circiter 600.
Tellerianum unum ætatis circiter ejusdem.
Gemeticensem unum annorum amplius 500.
Longipontinum unum annorum 500.
Caroli-loci unum annorum 500.
Pontiniacenses duos non diversæ antiquitatis.
Lætiensem unum etiam ann. 500
Michaelinum unum ejusdem ætatis.
Et horum manuscriptorum singuli omnes aut prope omnes Ambrosianas epistolas comprehendunt: ad eos vero qui sequuntur non omnes, sed tantum aliquot recensita sunt, nimirum
XIII. ad Boyerianum, id est, è bibliotheca D. Boyerii Præsidis in senatu Divionensi, unum ann. circiter 800.
VII. ad Corbeiensem annorum etiam 800.
ad Laudunensem annorum 700.
ad Thuaneum annorum circiter 500.
ad Germanensem unum ejusdem etiam ætatis;
& ad Colbertinos duos alterum ann. circiter 600. alterum 400.
IX. ad Regium secundum annorum circiter 400.
Concilium Aquileiense ad Tellerianum secundum annorum circiter 600. & ad editiones Chiffletii in suo Vigilio, nec non Labbei in Conciliis.
Postremo alia quædam partim ad Regium tertium, partim ad Tellerianum etiam tertium, partim ad unum Fuliensium, unum B. Mariæ Remensis, atque unum Remigianum.

LIBER DE EXCESSU SATYRI recognitus est ad mss.

Corbeiensem unum annorum 800.
Benignianum unum annorum 800.
Laudunensem unum annorum 700.
Remigianum unum annorum circiter 600.
Albinianum unum ejusdem ætatis.
Regium unum annorum 500.
Germanensem unum annorum 500.
Sancti Gatiani Turonensis unum ann. 500.
Longipontinum unum annorum 500.
Vallis-claræ unum annorum 500.
Vallis-lucentis unum ejusdem ætatis.
Colbertinum unum annorum 400.
Victorinum unum annorum etiam 400.

LIBER DE FIDE RESURRECTIONIS ad omnes codices in superiori serie memoratos, exceptis Regio & sancti Gatiani, emaculatus est: sed præter illos examinatus est etiam ad Thuaneum unum ann. 500. & Fragmentum codicis Collegii Claromontani ann. 800.

ORATIO DE OBITU VALENTINIANI recensita est ad mss.

Thuaneos duos annorum 800. & 500.
Corbeiensem unum annorum 700.
Tellerianum unum annorum 600.
Bigotinum unum annorum 600.
Remigianum unum annorum 500.
Theodoricensem unum annorum 500.
Regios duos annorum 500. & 400.
Longipontinum unum annorum 500.
Vallis lucentis unum annorum 500.
Colbertinum unum annorum 400.

ORATIO DE OBITU THEODOSII castigata est ad mss.

Thuaneos duos annorum 800. & 500,
Pratellensem unum annorum 700.
Bellovacensem unum ejusdem circiter ætatis.
Vindocinensem unum annorum 700.
Albinianum unum annorum 600.
Gemeticensem unum ejusdem ætatis.
Colbertinos duos, alterum ann. 700. alterum 400.
Regios duos annorum 500. & 400.
Longipontinum unum annorum 500.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

IN HOC VOLUMINE EXPOSITORUM

Index locorum sacræ Scripturæ in hoc Volumine &c.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTIS.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ESAIÆ.

M A R C I.

L U C Æ.

J O H A N N I S.

A C T U U M.

A D R O M A N O S.

Index locorum ſacræ Scripturæ in hoc Volumine &c.

I. Ad Corinthios.

II. Ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

I. Ad Thessalonicenses.

II. Ad Thessalonicenses.

I. Ad Timotheum.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

I. Petri.

I. Johannis.

Apocalypsis.





INDEX

INDEX
RERUM ET SENTENTIARUM.

A

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

ARRIANORUM

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

sed

Index rerum & sententiarum.

commune

Index rerum & ſententiarum.

O

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & sententiarum.

SACRAMENTORUM

Index rerum & sententiarum.

Index rerum & ſententiarum.

X

Z

INDEX VERBORUM, SENTENTIARUM, DOGMATUM difficiliorum, rituum veterum &c. quæ in notis explicantur.

A

Index verborum, ſententiarum, dogmatum &c.

T

V

 Vou

VARIÆ QUÆDAM LECTIONES
inter omissas non contemnendæ.

EX LIBRIS OFFICIORUM.

COlumna 2. A. Vat. Cod. unus, *& effecta beatitudinis.*
Ibidem mss. aliquot *qua ille Spiritus.*
Ibid. B. nonnulli mss. & Gill. in marg. *Vigilantiam apostolorum.*
Col. 3. A. non pauci mss. *quod homines doceret.*
Ibid. F. Eras. & seq. edit. cum paucis mss. *Castum eo servare.*
Col. 4. A. Eædem edit. sine mss. *Hoc est tacito* &c.
Ibid. D. Gill. ac Rom. edit. *Est enim magnum & negotiosum.*
Col. 5. B. mss. aliquot, & Gill. in marg. *Ne disrumpant vindemiam.*
Ibid. F mss. non pauci, *verba sua, si custodiendum hoc.*
Col. 6. A. tres mss. *Symmachus à verbo irritationis dixit.*
Col. 7. B. Rom. edit. sola, *adhibet hominem nequam spiritus.*
Ibid. D. mss. non pauci, *Semei filius, tacebat David*, alii aliquot, *Semei filius Gera, tacebat David.* Rom. edit. *Semei filius Gera, filii Gemini* &c.
Ibid. E. Cod. Theod. *cui abundabat honor, & operum conscientia.*
Ibid. F. Plerique mss. post, *quasi senserit*, omittunt *torquetur*: cujus loco legit cod. Laud. *est quasi senserit.*
Col. 8. D. Vet. edit. cum paucis mss. *caritati pondus.*
Col. 9. A. plures mss. *dici existimaverunt*, non recte.
Ibid. B. mss. non pauci, *deinde indicere*, quidam *incedere.*
Col 10. D. mss. aliquot, *Nec ipsa natura*: edit. vet. *Nec non ipsa natura.*
Ibidem mss. nonnulli, *somni excitatio.*
Col. 11. E. cod. Tell. *homo mentiens non potest redarguere.*
Ibid. F. quidam mss. *injustos successionibus prosperis.*
Col. 13. G. pauci mss. *animæ sua ille victum accipit.*
Ibidem vet. edit. & quidam mss. *epulatus fuerit, referens: bonorum nihil* &c.
Col. 16. C. mss. aliquot, *varias terras effundit in fructus.*
Col. 17. E. nonnulli mss. *Unguentati spectatores solent* Et continuo post quidam alii, *non solent astus* &c.
Col. 19. D. nonnulli mss. *virtus est misericordia & suavis gratia.*
Col. 20. D. mss. haud pauci, *Celeremus pudoris obducat.*
Col. 21. A mss. aliquot, *vel justa necessitatis.*
Col. 24. C. Plerique mss. *sed ne intemperantium.*
Col. 25. D. Vet. edit. ac mss. aliquot, *mala enim lex peccati.*
Ibid. quidam mss. *affectione propositi in naturam vertat.*
Ibid. E. nonnulli mss. & edit. Gill. in marg. ac Rom. in corp. *atque evinci non queat.*
Col. 26 D. vet. edit. ac mss. nonnullis, *in te referatur.*
Col. 27. D. mss. aliquot, *& quasi emeliri.*
Col. 29 B Vet. edit. & quidam mss. *plenum tamen suavitatis.*
Ibid. F. Nonnulli mss. ac edit. *multiplicata*, quidam, *multiplici necessitudinis pet strictius affectu.*
Col 30. B. Rom. edit. cum uno vel altero mss. *Captum nepotem . . . bello repetit.*
Col 31. mss. non pauci, *Quomodo sapiens, ut Arrianus . . . ut Marcum.*
Col. 34. F. nonnulli mss. *equos vel arietes gregibus.*
Col. 39. E. mss. aliquot, & vet. edit. *fame laborare*
Col. 42. D. edit. ac pauci mss. *usum pensandum beneficii, ut tanto subvenias, quanto* &c.
Col. 43. B. Rom. edit. sola, *mensuram bonam confertam.*
Col. 47. D. plures mss. *circa latera sua rudentes.*
Col. 48. C. mss. aliquot, *fortitudo flectatur*, quidam *flectitur, animus.*
Ibidem D. in mss. dictio *melius* varias peperit ineptias; in quibusdam enim legitur, *honestum cernitur*: in aliis, *præpons cernitur*: in nonnullis, *præponderare*: in aliquibus, *præpotens cernitur.*
Ibid. E. mss. aliquot, *frangi homines solent.*
Ibidem, nonnulli mss. *nisi qui legitime certaverit.*
Col. 49. A. quidam mss. *ad correptionem ipsorum.* Et infra: *Fili, inquit, Timothee, contentum devitiarum . . . suadere* &c.
Col. 51. C. Tres mss. *perturbatur cogitationibus.*
Ibidem D. cod. Fisc. *nudus egressus sum de utero matris meæ.*
Col. 52. E. mss. aliquot, *præliatorum fortitudinem.*
Ibidem. Vet. edit. ac mss. non pauci, *surgeret prælium*
Col. 54. B. Eras. ac seq. edit. cum mss. duobus, *gloriosiorem triumphus mortem.*
Col. 57. E pauci mss. & vet. edit. *Non solum noverit* &c.
Col. 59. A. edit. & quidam mss. *Quod grate datur.*
Col. 60. A. nonnulli mss. & vet. edit. *Habes hunc decorem generalem.*
Ibidem. E. mss. aliquot, *vi quadam serpente.*
Col. 61. F. cod. Big. *Sciens me non egisse quæ objiciat, non sum tantus . . . etiamsi mei objectis alienum noverim.*
Col. 62. B. duo mss. *& benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus.*
Ibidem. C. mss. unus, *quia maledictio illa.*
Ibidem E. duo mss. *Dominus benedictionem pro maledicto hoc.*
Col. 63. C. mss. Thuan. *Hic ergo in imagine videamus.*
Col. 64. B. mss. aliquot, *quo aggerare*, quidam *augere, possit.*
Ibidem edit. ac pauci mss. *merces congerat.*
Ibidem C. mss. nonnulli, *naufragium patiens mare, unus mortem incidat.*
Ibidem D. quidam mss. & edit. *dilapidat heres luxuriosus.*
Ibidem nonnulli mss. *partita adquirit hereditatis.*
Ibidem E. cod. Big. *& adsistere in imaginem Christi.*
Col. 66. A. mss. aliquot, *sed etiam infidelium: id est, eorum qui foris sunt.*
Col. 67. C. Eras. in marg. & Gill. in corp. cum mss. nonnullis, *vasa ejus, altare, & super:* Rom. edit. *vasa ejus, & super.*
Ibidem E. mss. non pauci, *ut excubias populo deferas.*
Col. 68. E. ultimæ edit. Paris. *quidquid periturum esset.*
Col. 69. A. superiores edit. *beneflati arbitrabamur . . . . positam esse minime dubitabamus.*
Col. 70. B. edit. & quidam mss. *tuba canendo*: alii nonnulli, *tuba canentes.*
Col. 71. A. edit. *æstimanda relinqueretur*: mss. *æstimandum relinqueretur*, supple negotium.
Col. 72. C. edit. ac mss. aliquot, *facile repellit.*
Col. 73. B. edit. *post me, abneget semet ipsum, tollat*: mss. *post me, tollat.*
Col. 74. C. mss. aliquot, *Beati pauperes spiritu*: sequenti autem versu edit. solæ, *& sitiunt justitiam.*
Col. 75. A. nonnulli mss. *angi dolere, deplorare.*
Col. 76. D. edit. *de quibus dicitur . . . . dum descendo in corruptionem, id est, quis* &c.
Col. 77. F. Edit. *ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore.*
Col. 78. A quidam mss. *Consilii usus ministerio.*
Ibidem B. nonnulli mss. *absolvebat contumelias.*
Ibidem uls. edit. Paris. *quam nimis in sermone.*
Col. 79. D. mss. nonnulli, *faciat exemplis*, quidam *exemplum.*
Col 83. D. mss. aliquot, *Vera se esse annuntiatum.*
Col. 84. F. edit. ac pauci mss. *libido devinciat.*
Col. 85. B. Eras. & seq. edit. cum mss. quibusdam, *invenitur pariter.*
Ibid. D. eædem edit. ac mss. aliquot, *habeat justitiam, induat constantiam.*
Col. 87. D. Eras. & seq. edit. *qua operum collatione.*
Col. 88. E. quædam edit. Paris. *imprudentia latens sit.*
Col. 89. E. nonnulli mss. *portionem collativam statuit.*
Ibid. F. mss. non pauci, *ac jejuno corpore.*
Col. 90. A. mss. aliquot, *de terra surgebant fines.*
Col. 91. F. & 92. A. vetustissimi cod. *Efficis mihi, inquit . . . . quia efficiebant illi.*
Col 93. E. superiores edit. *itaque bonis jungi plurimum proficit.*
Ibid. F. edit. cum mss. nonnullis, *refulgeret præsentia, & videretur majestas* &c.
Col. 93. B. quidam mss. *janua. Quanta gratia & merces est, qui hospites & peregrinos suscipit. Valde id* &c.
Ibid. E. plures edit. & quidam mss. *Qui scis ne & tu cum susceptis hospitem . . . cum in hospite sit Christus.*
Col. 96. B. cod. Big. post vocem *genera* subjungit, *De duobus generibus largitatis.* Sed ex margine.
Ibid. D. Gemt. *Pulcra etiam liberalitas est in ejus pauperis dato mensuram tenere.*
Col. 97. F. Rom. edit. *intereffe voluit, ne vel inferre arma.*
Col. 101. C. Eras. & seq. edit. *solem sisteret.*
Col. 103. C. edit. ac pauci mss. *in commercium, nec redemit? Cur tot ab hoste* &c.
Ibid. D. Eras. & seq. edit. cum mss. nonnullis, *agnosco, cum in utroque videro* &c.
Ibidem E. quidam mss. *species vasculorum.*
Col. 104. B. nonnulli mss. *Laurentius, & vidit quos eos* &c.
Col. 105. C. quatuor mss. *quadam autem orphani Tobia.*
Col. 106. A. quædam edit. *delectique ex amicis.* Consequentes autem omnes edit. ac pauci mss. *ut vitam posteret ei.* Denique Rom. edit. sola, *agebat spiritum.*
Col 108. B. cod. Cam. *qui invidiam generat.*
Col. 109. B. mss. aliquot, *difficultate & generandi inopia, sterilem conceptionem*, quidam *conceptione fœcundat.*
Col. 112. A. edit. & pauci mss. *membrum tremiscere docere, non ei nobis* &c.
Col. 113. A. Rom. edit. *ut alter alteri detrahat.*
Ibidem E. nonnulli mss. *quam exsilium, debilitas, dolor.*
Col. 115 A quidam mss. *Sed ne jam in hoc libro ponamus fastidium.*
Ibid. C. edit. Amerb. & Eras. *fabulatorum illum equum*: Gill. & Rom. *fabulatorem* &c.
Col. 116. C. Rom. edit. *Et ait David: Vivit Dominus.*
Col. 117. A. mss. aliquot, *nec personam suam in dutus abscondat. Romanis Apostolus ait.*
Col. 118. B. edit. ac mss. nonnulli, *natura industriam & indulgentiam.*
Ibid. F. Eras. & seq. edit. *frumentarii pretii captatorem.*
Col. 121. A. edit. & pauci mss. *cultores agrorum reservari.*
Ibid. D. mss. aliquot, *plebes reclamabant discuti.*
Col. 123. E. Eras. & seq. edit. *cum honestate, quam utilitatem*
Col 124. B. nonnulli mss. *mensura æqualitatis.*
Col. 125. E. mss. aliquot, *tantorumque unum convivarum.*
Col. 126. D. cod. Laud. *sicut iste idem Doeci maligne ebrius vino.*
Ibid. E. Eras. & seq. edit *Achimelech.*
Col. 128. D. mss. aliquot, *fugavit populos cum filio suo.*
Col. 129. F Rom. edit. *non licet tibi habere uxorem fratris tui.*
Col. 130. C. mss. aliquot, *turpem renuntiabat.*
Ibid. D. Vet. edit. ac mss. nonnulli, *orsica sudentes*, forte calentes quidam, *fœtentes.*
Col. 132. F. edit. & pauci mss. *hymnum Deo*

Variæ quædam lectiones inter omissas non &c.

usque quo consumtam est &c.
Col. 133. F. Rom. edit. dispertitas apparuisse linguas.
Col. 134. B. eadem edit. libertatis revelatur.
Ibidem D. omnes edit. homo noster exterior crucifixus est.
Col. 135. C. pauci mss. quam . . . . concubinam appellabat.
Ibidem E. omnes edit. & appropinquandum foret.
Col. 136. A. nonnulli mss. ante hospitium hospitalitas. & seq. edit. ante ostium hospitii.
Ibid. B. cod. Thuan. ex numero pater.
Ibid. D Gill. in marg. & Rom. edit. in corp. castitatis non offerebantur.
Ibid. F. mss. aliquot, filium suum negat, & abscondit eum.
Col. 137. B. Rom. edit. Filius hic homicida misit.
Col. 138. B. edit. omnes, nec parcere neci ejus.
Ibid. F. Rom. edit. præponderare caritati vitium.
Col. 139 C. edit. ac pauci mss. quos eadem complexa est caritas.
Col. 140. B. Erasm. & seq. edit. cum mss. nonnullis, propter amicitiam differatur.
Ibidem D. edit. ac mss. aliquot, non pecunia quæritur.
Ibidem E. Gill. ac Rom. edit. nemo adsentator est.
Col. 141. B. codex Benign. de quo loco, ut supra diximus, bene ait sanctus David: Tu vero &c.

Ex Libris de Virginibus.

Col. 146. C. edit. nam forte de terra, quædam, num forte &c.
Col. 147. D. mss. aliquot, mirentur innupta, & imitentur.
Col. 148. C. nonnulli mss. flere omnes propinqui poterant.
Col. 149. F. pauci mss. & corporis nulla . . . . labe sanciuit.
Col. 150. C. quidam mss. non morum prudentia.
Ibidem E. nonnulli mss. petulantis non sit indecorum. Et post pauca, pretio additur, pretio remuneratur.
Col. 151. B. mss non pauci, momentum sui pudoris, unus monimentum &c.
Col 152. A. mss. aliquot renatus ob sæcula.
Ibidem, B Rom. edit. sola, quanta fecit virgo Israel.
Col. 153. A. nonnulli mss. fæcundosa mulier nobilis partu.
Ibidem D. quidam mss. maritale judicium, perdidere suum.
Ibid. F. edit. ac pauci mss. etiam odorem variis &c.
Col. 154. B. nonnulli mss. arbiter potestor Deus . . . diligit avarus.
Ibid. B. mss. aliquot, nescit funera heredis.
Col. 155. quidam mss. emerere studet generum.
Ibidem B pauci mss. per successorum seriem.
Col. 156. D. mss. aliquot, favus itaque mellis tua opera componas . . . . nos quoque virgineus, Rom. edit. virgini.
Col. 157. F. edit. in lignis nemorosis.
Col. 158. E. mss. aliquot, mille Salomon, nonnulli, mille, inquit, Salomon.
Ibidem F. omnes edit. strictis armatos telis.
Col. 160. A. edit. rejecta decoris cura plus placet.
Ibidem E. mss. aliquot, de Placentinoso grandes virgines veniant. Non recte.
Ibidem, quidam mss. ut alibi persuadeam.
Col. 162. C. omnes edit. virgo raccurreret, quam ubi &c.
Col. 164. E. Rom. edit. cum uno aut altero mss. nullis retinaculis corporalibus.
Col. 165. A. mss. aliquot, aut lata repetit.
Ibidem B. nonnulli mss. qua virtutis magistros habet, quia quidquid gerit.
Col. 166. C. quidam mss. non solis sibi debent posse. Et infra D. mundus te non cognovit.
Ibidem E. omnes edit. at pauci mss. cineribus excitatis.
Col. 167. B. nonnulli mss. non usus decepit adsuetus.
Col. 169. A. non pauci mss. Clauditur intus columbam . . . qui columbam primus invadat.
Ibidem B. plures mss. & ecce vir miles, specie terribilis.
Ibidem C. edit. cum virgo, ut vidit, tremuit.
Col. 170. F. quidam mss. Cave contradicere audiaris.
Col. 172. E. mss. aliquot, vos si qua est gratia, nostro inhabilis ingenio.
Col. 173. A. nonnulli mss. Buccula plausus cujusdam sanctam dissit amore, cervicis ne recusat jugum.
Col. 174. A. quidam mss. unguentorum tuorum curremus.
Ibidem B. mss. aliquot, At illa impatiens diuti laboris.
Col. 176. B. mss. aliquot, sublimi nitens, virgineo prapes &c.
Col. 178. B. pauci mss. & inviolata plantetur. Et paulo post omnes edit. exinanita moriatur.
Ibidem D. nonnulli mss. ut florem deponat radicis.
Col. 179. E. mss. non pauci, stratus rigetur fletibus.
Col. 181. E. quidam mss. Quo dicto, rex contristatus est.
Col. 182. C. mss. aliquot, videte quid docere.
Col. 183. B. quidam mss. quæ vis voluntaria illa magis est? Mori volo nec possum.
Ibidem C. pauci mss. nullum peccatum carnis relinquam.
Col. 184. E. plerique mss. carnifici dedit fortis & patiens, ut eum &c.
Ibidem iidem mss. non gemitu victa lacrymam dedit.

Ex Libro de Viduis.

Col. 185. B. nonnulli mss. quatuor libris superioribus.
Col. 186. A. quidam mss. secundum meum consilium dico.
Ibidem B. mss. non pauci, proprio signaculis gratia reservetur.
Col. 187. C. mss. aliquot, pignore superbiret.
Col. 188. A. quidam mss. parentibus deferas honorem.
Ibidem C. vet. edit. ipso Doctoris sermone, Rom. ipso Doctoris gentium sermone.
Col. 189. D pauci mss. causa delicti in viduam, mitigatura &c.
Ibidem quidam mss. sanctæ viduæ, quamquam lubricus usus studio deferendus, quod &c.
Col. 190. F. cod. Tell. universa terrarum: alii nonnulli, & edit: universam terram.
Col. 191. C. quidam mss. cives quadam invidia nave.
Col. 192. D. omnes edit. qui devotionem; omnes mss. qua devotionem, nempe virginitas.
Col. 193. C. nonnulli mss. sibi reliquae fecit, quidam sibi retinuit.
Col. 195 D. Cod. Vall. bonam commendationem materiæ suæ.
Col. 196. B. cod. Vall. quam patria libertatem.
Ibidem F. mss. non pauci ebrios excitatos unius &c.
Col. 197. E. mss. aliquot, cognoscito alias.
Col. 199. B. deest in multis mss. Arma Ecclesiæ fides.
Ibidem C. edit. vestram adstruere possitis.
Col. 200. F. quædam edit. etiam cum vivorent.
Col. 202. A. cod. Vall. Et facto visitare viduas dignatur.
Ibidem C. edit. & pauci mss. humilitatis consilius sua.
Ibidem E. mss. aliquot, Et tu igitur qui indecore . . . . obsecra Deum. Si fidem defere &c.
Col. 204. C. Rom. edit. servitati addidimus frater,
Ibidem edit. Et licet Christi grex constet ex omnibus, grex tamen &c.
Col. 205. B. mss. non pauci, ibi lex est, ubi consilium gratiam provocat. Et ideo &c.
Ibidem E. pauci mss. sed omnes edit. Cujus deferatur arbitrio.
Col. 206. D. omnes edit. non virtus est castitatis. Et sunt spadones.
Col. 209. F. pauci mss. quamquam consilii non sit.

Ex Libro de Virginitate.

Col. 215. B. nonnulli mss. domus sua occurrisset alium, immolaret Deo.
Col. 217. A plerique mss. Patres orphanorum, & judices viduarum.
Ibidem F. mss. aliquot, quia dubitabat.
Col. 219. E. mss. nonnulli, defensatum veni, quidam defensatum invenio.
Ibidem F. quatuor mss. utinam non vincerer.
Col. 220. C. mss. aliquot, non nubebant, neque nubentur.
Col. 221 C. quidam mss. alienus ab uxoris &c.
Col. 222. D. cod. Reg. & Fisc. Dacesc quantas Alexandrina.
Col. 223. C. mss. Fisc. dicimus: sed virtutem animæ.
Col. 231. A. mss. aliquot, consurgas in terram, orationibus prapares mentem
Ibidem E. quidam mss. Exi, extrorsus explora.
Col. 232. F. pauci mss. nihil terrenum habeat.
Col. 235. C. nonnulli mss. divino jure sedet.
Col. 237. C. tres mss. ut vindemiet myrrham, fidem caritas odoris, pabulum celeste reperias.
Col. 242. A. quidam mss. cupiditatibus mundi revehentibus . . . . resoluto calorum pernicie.

Ex Libro de Initit. Virginis.

Col. 249. C. nonnulli mss. Ecclesia gloriam.
Col. 250. D. quidam mss. & inducam te.
Col. 252. B. Duo mss. Castigabat corpus suum, & in servitutem &c.
Ibidem E. cod. Vall. Vetus ille peccator . . . . sollicitudine adterimus.
Col. 253. E. quidam mss. ex anima constet &c.
Col. 255. B. nonnulli mss. Quid miraris feminam, si infirmior lapsus est sexus.
Col. 256. D. edit. & quidam mss. jejunium solvit.
Col. 263. A. edit. sed non omnis clausa semper.
Col 268. D. mss duo, eo quod speciosa Ecclesiæ.
Col. 272. D. edit. Pater gloria . . . . ineffabiles gratias agimus.
Ibidem mss. duo, ad invitanda virginum studia.
Col. 273. D. iidem mss. sacra virginis crimen.
Ibidem F. iidem mss. Pater claritatis & gloriæ.
Ibidem edit. Rom. quem colebat sanctus Isaac.
Col 274. C. omnes edit. excluderet caritatem, nec persecutio, nec gladius.
Ibidem F. eædem edit ad omne opus bonum paratum.

Ex Libro Exhortat. Virginitatis.

Col. 278. C. mss. non pauci, Vides, inquit, vim Apostoli. Plus putatur depressisse &c.
Col. 281. E. plures mss. quod diligendum præterites.
Ibidem F. mss. bene multi, pauper est, & divites humilis & excelsos facit.
Col. 283. C. plerique mss. quando infirmior.
Col. 285. D. edit. & quidam mss. ut vos ejus inopia ditaremini.
Ibidem E. mss. quidam super virginem: edit. per virginem.
Col. 286. A. nonnulli mss. cum ipsi dissipabatis dimiserint.
Col. 287. D. plerique mss. & sollicitudinem mentium.
Col. 288. F. Rom. edit. Quis audivit talem, si parturiens &c.
Col. 291. C. edit. solemnis coitus: mss. solemnis coetus. Sed eodem sensu, cum sit utrumque à verbo coire.
Col. 292. F. mss. plerique, dum tractasse cogitas.
Col. 293. B. edit. quare in cubili tuo.
Col. 294. D. eædem edit. quid nitidius inreacto vestimento.
Col. 297. F. mss. aliquot, & de spinis eum coronabant.
Col. 298. D. edit. & concubitus cupiditas.
Col. 300. A. Rom. edit. Sexties de necessitatibus.
Col. 301. C. edit. adhuc decerto: mss. adhuc decerno.

Ex Libro de Lapsu Virginis.

Col. 305. edit. & pauci mss. & an ex justo dolore procedant.
Col. 306. C. edit. Et quoties dico.
Ibidem D. eædem edit. in pallore auri.
Col. 307. B. edit. ac mss. aliquot, virginitatis decorem.
Col. 308. B. eædem edit. ac pauci mss. voluisti violari.
Ibidem C. mss. nonnulli, Istud autem pudor prohibuit.
Col. 309. D. mss. aliquot, & Domini sponsalia.
Col. 310. edit. ac pauci mss. cum hac exempla . . . . Quid putas fore, si inter &c.
Ibidem eædem edit. ac mss. habitus virginitatis.
Col. 311. A. mss. aliquot, glorificate Dominum in corpore vestro Et infra, in regno Dei.
Ibidem B. nonnulli mss. ipsa scriptura ingerebat.
Ibidem C. quidam mss. Dolet famam subsequi factum, tua autem ad malum fama pervenit . . . . & subsannatio de te fuisset.
Col. 312. D. pauci mss. spinam in messe? Et quidem si te solam &c.
Col. 313. D. mss. nonnulli, tentandum est auxilium illud.
Col. 315. A. edit. & quidam mss. & misericors sum.

Ibidem D. mss. magno numero, *ab ipso quare in die judicii remedium.*

Ex Libro de Mysteriis.

Col. 317. F. mss. nonnulli, *quando descendente diluvio.*
Col. 329. B. edit. *à lepra esset mundatus.*
Col. 331. C. edit. *Creatura autem* &c.
Col. 332. E. mss. non pauci, *in regnum Dei, & consacerdotium.*
Ibidem F. mss. aliquot, *gravari humilitate se servus credit.*
Col. 333. B. quidam mss. *consistere mysterium.*
Col. 334. D. Rom. edit. *apta comparatione.*
Col. 335. Gem. cod. *Adhuc es à libano, sponsa, adhuc es* &c.
Col. 337. D. mss. nonnulli, *cùm ipse vultus justus sit*: alii aliquot, *cùm ipse rex pacis vix justus sit.*
Col. 340. D. quidam mss. *Fructum pomorum suorum.*

Ex Libris de Sacramentis.

Col. 351. A. cod. Clar. *Accipe, Baptista erat Johannes natus ex vero.*
Ibidem quædam edit. *ut sacerdotii gloriam.*
Ibidem E. mss. aliquot, *quæ operantur, sed quæ videntur.*
Col. 352. D. edit. *Vade, descende in Jordanem.*
Col. 354. B. mss. nonnulli, *apertum & planum.*
Col. 355. B. non pauci mss. *peccator moritur.* Et infra, *sola justitia manet.*
Col. 356. A. mss. aliquot, *gratia sanitatem.*
Col. 358. A. edit. *Audite quia quasi* &c.
Col. 359. B. nonnulli mss. *Ergo aqua est terra.*
Col. 360. A. Rom. edit. *quia ter negaverat.*
Col. 361. B. mss. non pauci, *sed ubi gratia cœperit esse perfecta, hæc regeneratio dicitur.*
Col. 363. A. ms. Clar. *mysterium est sanctificationis.*
Col. 364. D. edit. *oculis cordis tui.*
Col. 367. A. cod. Clarom. *præstitit ut manna illis plueret.*
Ibidem B. nonnulli mss. *decem & novem collegit, & ivit, & persequutus est.*
Col. 375. C. mss. aliquot, *ubi boni odoris mella.*
Col. 382. E. quidam mss. *in cubiculum pectoris tui.*
Col. 385. B. nonnulli mss. *ut in omnibus sit regnum Christi.*

Ex Libris de Poenitentia.

Col. 393. C. mss. nonnulli, *majoribus advolvantur fletibus* .... *nec vos discipuli imitatores.*
Col. 395. D. quidam mss. *remunerationem laboris.*
Col. 396. C. mss. non pauci, *Spectat gemitus nostros* .... *spectat lacrymas nostras* ... *spectat* &c.
Col. 397. B. quidam mss. *capta urbis populum.*
Ibidem alii nonnulli, *non minore scilicet honore, studio propensiore.*
Ibidem C. quædam edit ac mss. aliquot, *qui repugnare potuit.*
Col. 399. C. nonnulli mss. *dispersione dispergunt.*
Col. 400. B. quidam mss. *unum in utroque ministerium est.*
Col. 402. B. mss. nonnulli, *cui tùm propheticum esset dictum.*
Ibidem E. quidam mss. *alium propitiatorem.*
Col. 403. C. mss. aliquot, *cujus peccatoris effectum*, quidam *affectum.*
Ibidem E. nonnulli mss. *prohiberis orare.*
Col. 404. C. quidam mss. *sæculari gratia.*
Ibidem F. edit. Rom. *incredulus est Filio.* ms. Clar. *non credit in Filium.*
Col. 405. C. ms. Clar. *misericordiam volo.*
Ibidem D. edit. *qui peccare desiit, delictis renuntiavit.*
Ibidem F. cod. Clar. *Christi judicatum accipe* ... *qui autem non servit, pantis.*
Col. 406. C. idem cod. *in mensura, ut ne ipsa mœstitia absorbeatur.*
Col. 407. B. cod. Clar. *ex infirmo sanctiorem.*
Ibidem C. idem cod. *diris percussum ulceribus.*
Ibidem F. cod. Ben. *sed reservat Christum.*
Col. 409. D. mss. non pauci, *excussa veste*, quidam *excusso vestimento.*
Col. 412. D. quidam mss. *in aliquo patientiam agente.*
Col. 414. B. edit. *ut simus in nova conspersione.*
Ibidem mss. aliquot, *redemtione ejus adquirimus nostri gratiam*, quidam *redemtionis ejus adquirimus gratiam.*
Col. 418. A. cod. Clar. *præsentium, spes est futurorum.*
Col. 416. A. quidam mss. *Christi invocatione suffragatur.*
Ibidem C. mss. aliquot, *agrum suum stercorat, spinas colit* &c.
Col. 417. A. mss. nonnulli, *in se eradicaret effectum.*
Col. 418. E. mss. aliquot, *dimittunt, & principia Verbi requirunt*: nonnulli, *dimittant, & principalia verba requirant.*
Ibidem mss. aliqui, & edit. *unum baptisma esse in Ecclesia. Hortatur* &c.
Col. 419. E. pauci mss. *spes est nostra patrocinium.*
Col. 420. D. quidam mss. *reformandam gratiam* .... *redisse certum est.*
Ibidem F. mss. nonnulli, *destruitur, & resolvitur*, quidam *& absorbetur.*
Col. 422. C. mss. aliquot, *qui crucifixit Dominum suum* .... *ut sceleris tanti crimina deponat.*
Col. 424. B. edit. *præjudicio sententiæ suæ*, quidam mss. *conscientiæ suæ.*
Ibidem D. nonnulli mss. *emendationibus facta operire.*
Col. 426. C. ms. Clar. *saltationis publica.*
Col. 427. A. cod. Clar. *ab omnibus qui derelinquunt eam.*
Ibidem E. idem ms. *in timore ac concussione viscerum.*
Ibidem F. idem cod. *in domo epulatorum.*
Col. 429. A. mss. aliquot, *exactus pondere.*
Ibidem B. nonnulli mss. *Si conversus fueris.*
Col. 432. B. cod. Ben. *custodi domum, quam tenuisti.*
Col. 433. A. nonnulli mss. *eo quod commodius egerit.*
Col. 434. B. edit. & quidam mss. *ut usuram non facias.*
Ibidem F. mss. aliquot, *sacerdotes induunt, quibus* &c.
Col. 435. A. ultimæ edit. *candida veste incedere.*
Col. 439. A. mss. nonnulli, *cùm exercere non quæras.*
Col. 440. A. quidam mss. *reverentia & discretione, unus & deceptione.*

Ex Libris de Fide.

Col. 444. C. mss. aliquot, *verecunda excusatione suscepisti.*
Col. 446. D. pauci mss. *Pater enim semper Filium vult rogari.*
Col. 447. B. mss. nonnulli, *sequuntur ea, quæ scriptura* &c.
Col. 448. D. non pauci mss. *dixit Propheta, nec Filium denegavit dicens.*
Col. 449. E. plerique mss. *Unum Dominum* .... *unum Dominum fides significat.*
Col. 450. B. quidam mss. *laudatio majestatis.*
Col. 452. D. non pauci mss. *scimus quia perversus est.* Et infra omn. *proprio vitio damnatus.*
Col. 454. D. mss. aliquot, *ecce te convinci intellige.*
Col. 455. A. edit. *ut erubescat Eudoxius & Eunomius.*
Col. 456. E. mss. non pauci, *quæ exuberat omnem sensum. Si pax Christi superat* &c.
Col. 457. A. mss. aliquot, *Audis verum, agnosce* .... *corporalibus æstimanda.*
Col. 461. F. non pauci mss. *& Deum esse distantiam.*
Col. 462. F. mss. aliquot, *Et quid est in quo creatum.*
Col. 463. B. edit. *& Deum eum* ... *& Deum eum fecit.*
Ibidem C. non pauci mss. *claritas Patrem novit.* Minime male.
Ibid. D. mss. aliquot, *ventura perfecta sunt, fecit* &c.
Col. 465. E. mss. non pauci, *quærimus naturalem, genitus est.*
Col. 469. D. edit. *se simulant, coæquabunt.*
Col. 473. A. mss. aliquot, *& argento operabili.*
Ibidem B. edit. *præcedente concinentiâ*, quædam *conscientiâ.*
Col. 480. A. quidam mss. *& statim leprosus sanus effectus est.*
Col. 481. A. mss. complores, *à Deo deseri.*
Col. 483. E. edit. *quam in natura sui.*
Col. 484. A. nonnulli mss. *& multiplicando multiplicaberis.*
Col. 488. F. plerique mss. *Maledictus homo qui* &c.
Col. 490. A. mss. aliquot, *Dominum non honoras.*
Col. 495. D. non pauci mss. *dabo Gog, hoc est, Gothos.*
Col. 523. B. edit. *divinitatis adscribat.*
Col. 524. C. nonnulli mss. *Dubitare ergo noli.*
Ibidem E. mss. aliquot, *in regno Filii.*
Col. 525. E. vet. edit. *nisi quod honorant & servi Domini dignitatem suam.*
Col. 527. B. quidam mss. *unam Dei divinitatem.*
Ibidem E. iidem cod. *percepta & inhabitante in nobis virtute.*
Col. 537. F. mss. nonnulli, *examinanda sibi arrogent potestatem.*
Col. 544. F. mss. aliquot, *ad divinæ proprietatem.*
Col. 545. E. nonnulli mss. *sed per claritatem Dei.*
Col. 549. D. mss. non pauci, *& sicut in agricola & vite.*
Col. 552. B. mss. aliquot, *humani faceremus affectus.*
Col. 553. F. quidam mss. *Et quoniam mihi præ ceteris.*
Col. 554. B. non pauci mss. *aut tantummodo nuncupatione, ut sancti; aut falsive, ut dæmones.*
Col. 555. C. edit. & pauci mss. *in Christo autem, sicut legimus.*
Col. 557. F. mss. non pauci, *in carnem venisse.*
Col. 558. A. quidam mss. *nos salvos fieri.*
Col. 559. E. mss. aliquot, *licet etiam ex prophetico.*
Col. 561. F. Rom. edit. *nominis affectum.*
Col. 562. mss. aliquot, *& si tibi avara*, quidam, *& si ibi avara.*
Col. 563. B. pauci mss. *sacrilegium putatis credere.*
Col. 572. E. mss. nonnulli, *in principio Filium.*
Ibidem F. duo mss. *esse constitutionem*, unus *esse confessionem.*
Col. 577. C. mss. aliquot, *Dum in vita sum.*
Col. 585. E. mss. nonnulli, *subjectus, nec conditus.*
Col. 586. A. quædam edit. *nisi quæ didicerit.*
Col. 587. A. pauci mss. *collegiationes Vergiliarum.*
Col. 591. A. quædam edit. *contrario promissæ lusus videatur affectu.*

Ex Libris de Spiritu Sancto.

Col. 604. A. nonnulli mss. *Neque enim humanum opus est.*
Col. 607. A. mss. aliquot, *quod dedisti mihi.*
Col. 608. A. mss. non pauci, *ita etiam operatio, ubi operatio aliqua* &c.
Col. 609. D. quidam mss. *baptizabimini à Spiritu sancto.*
Col. 612. E. nonnulli mss. *Spiritum sanctum. Quia est Spiritus Dei.*
Col. 614. A. quidam mss. *qui sacrificandi aliis mutas.*
Col. 615. F. mss. aliquot, *non impertias spiritualium gratiam.*
Col. 619. D. pauci mss. *votum prædicationis detulit.*
Ibidem E. vet. edit. ac pauci mss. *Israel dilectus meus.*
Col. 620. F. mss. nonnulli, *habundantia quadam exuberans vim gratiarum* ... *itaque fiat creatura.*
Col. 621. F. quidam mss. *præ participibus tuis.*
Col. 622. A. mss. nonnulli, *olei liquidior natura sit, ceteris residentibus, altius aliis elevata secernitur.*
Col. 623. C. mss. aliquot, *Dum mortem suspectando.*
Ibidem D. edit. *corporis natura peccavit.*
Col. 625. A. mss. nonnulli, *invisibilis naturæ* ...., *qui super omnem est creationis totius opifex creaturam.*
Ibidem B. quidam mss. *intra aliquod corpus implemus.*
Col. 627. E. edit. *unitatem separare audeat.*
Col. 629. F. mss. aliquot, *nec consumturas ærumnas, sed mitigaturas*: *quæ* &c.
Col. 630. E. nonnulli mss. *duobus versibus quam multa designari diximus? Quia lux* &c.
Col. 632. A. quidam mss. *ac per hoc & Dei Verbum vita est, & sicut* &c. Et non multo post, *Filium fontem vitæ memorari oporteat significatum.*
Ibidem E. mss. aliquot, *tamquam pusillitatem.*
Col. 632. A. nonnulli mss. *& non defuit.*

Variæ quædam lectiones inter omissas non &c.

Col. 633. C. mss. aliquot, *si quem reperit voluntatem.*
Col. 636. E. nonnulli mss. *invicto crine tenditur.*
Col. 637. B. quidam mss. *& totum remigium Ecclesia, omnes à Deo numerati sunt.*
Ibidem C. mss. aliquot, *si Deus omnipotens meos novit capillos.*
Col. 638. B. quidam mss. *etiam inde cognoscendum, quia supra &c.*
Col. 639. B. pauci mss. *Unde interdum miror.*
Col. 640. B. mss. aliquot, *nec umquam nisi cum Spiritu.*
Col. 642. C. quidam mss. *Simul tibi creatori admonet serviendum, damnandos eos ostendit, qui . . . Et quoniam creator est Spiritus, nos addecet, &c.*
Col. 643. D. mss. aliquot, *ut proposuistis, inhærentes, &c.*
Ibidem F. iidem mss. *suscipiendi loquuta corporis &c.*
Col. 644. nonnulli mss. *At qui taliter putant.*
Col. 646. F. edit. *licet credamus exemplis.*
Col. 651. F. quidam mss. *vitam capiamus æternam.*
Col. 653. E. mss. aliquot, *aut forte nigra per culpam.*
Col. 655. A. plerique mss. *nisi spiritus qui in ipso est, & sic ubique.*
Ibidem F. nonnulli mss. *ibi Dei virtus, qua potest esse distinctio.*
Col. 659. F. quidam mss. *Non potest aliquid facere.*
Col. 661. A. nonnulli mss. *unam voluntatem operationis docens.*
Col. 663. E. quidam mss. *regere Ecclesiam Domini.*
Col. 664. B. tres mss. *apostolica fides, & devotionis hereditas.*
Col. 668. F. nonnulli mss. *ait tibi Apostolus.*
Col. 669. mss. nonnulli, *quia Spiritus Dei dicitur, videns &c.*
Col. 672. C. mss. aliquot, *parvi duceret ejus exitum.*
Col. 673. A. tres mss. *Domino credidisse pœnituit.*
Col. 680. E. quidam edit. *spiritui Deo servimus.*
Col. 683. D. mss. aliquot, *ut cognoscamus Dominum.*
Col. 685. A. nonnulli mss. *Apostolos direxit.*
Col. 686. F. mss. non pauci, *& ideo Dominator unus.*
Col. 691. D. quidam mss. *non rapinam arbitratus est.* Et ita semper.
Col. 694. F. ult. edit. *Spiritui Deo servimus.*
Col. 696. C. mss. aliquot, *congregationes multa.*
Col. 698. A. quidam mss. *terra gloriâ majestatis ejus.*
Col. 700. C. nonnulli mss. *qui scrutator est Dei.*

EX LIBRO DE INCARNATIONE.

Col. 704. A. mss. aliquot, *divina gratia mysteriis refulgeret.*
Col. 705. mss. non pauci, *parricidalibus editionibus &c.*
Col. 706. D. quidam mss. *sed ambrosias dari auditas.*
Col. 718. B. nonnulli mss. *Huic affabulatus est.*
Col. 719. D. mss. aliquot, *mihi caro. Ergo lapsum, duo Deus lapsum . . . , timere potuit.*
Ibidem E. pauci mss. *apud Deum & apud homines. Profectus ætatis, & profectus sapientiæ, sed humana est. Quomodo proficiebat sapientia Dei, doceat te ordo verborum, ideo ætatem &c.*
Col. 721. A. quidam mss. *in ipsa. Ergo carnem dicunt ejusdem, cujus anima nostra careque, substantiæ fuisse.*
Col. 723. B. mss. aliquot, *Filium. Quo auctore contra apostolica scripta contendunt?*
Col. 724. B. nonnulli mss. *Et si ideo putamus Patrem &c.*
Col. 726. B. quidam mss. & edit. *dicamus humanæ, nostrique &c.*
Col. 727. C. nonnulli mss. *albentis coloris species est.*
Col. 728. mss. aliquot, *& in Zacharia propheta.*

EX EPISTOLIS.

Col. 751. A. quidam mss. *cupio valde quem recorder absentem, ut cum . . . corpore sim præsens.*
Ibidem B. pauci mss. *pectore revelatio divinitatis insideat.*
Ibidem C. cod. Alb. *non enim in Deo ego video*

hoc habere invidiam.
Ibidem, mss. nonnulli, *ut de ipso tractatu.*
Col. 755. E. edit. ac mss. aliquot, *& ipse rigat, ut nobis.*
Col. 756. A. mss. nonnulli, *alligata sint sensui.*
Ibidem D. mss. plerique, *sed dicat: Et ipsa terra &c.*
Ibidem nonnulli mss. *mala & opprobria.*
Ibidem E. edit. *Sibi ipsum unusquisque.*
Col. 761. E. mss. aliquot, *sed levioribus verbis.*
Col. 762. D. edit. & quidem mss. *non tamen ita properans.*
Col. 763. D. edit. *in animum induxeris.*
Col. 765. D. mss. aliquot, *discerero opera subtexerent.*
Col. 764. A. quidam mss. *qui defecerant, unus qui desererentur.*
Col. 769. D. mss. aliquot, *offensos fuisse maxime.*
Col. 772. B. nonnulli mss. *animi major, quam meritis.*
Col. 773. B. cod. Belv. *infirma conditio allevatur.*
Col. 774. F. mss. non pauci, *inferiore pugna evincit.*
Col. 775. D. edit. *affectum pertulit.*
Ibidem F. cod. Reg. *virgines trecentæ . . . quadringentis juvenibus.*
Col. 786. C. mss. aliquot, *ut benedicamus.*
Ibidem D. edit. Rom. & Labb. *Arsenio, Sabino;* Tell *Savino* Chiff. & Tell. *Anemia, Sabino,* *Basiliano . . .*
Ibidem E. Tell. & Labb. *Felice, Marcello, Eustachio.*
Ibidem edit. Rom. *nostris in dies moribus ingeruntur . . . tam immaniter eos blasphemare potuisse.*
Col. 787. D. Rom. edit. *abstinendum ideo venerabiles viros ab itineris fatigatione censuimus, ne quis . . . infestas commigret terras.*
Col. 788. A edit. *quoniam, adstruere. Sed damnandum putas? Damna.*
Ibidem D. edit. Rom. *sub specie pia, sed falsa voluntatis.*
Col. 789. C. eadem edit. *Episcopos occidentales jussit convenire.*
Col. 792. A. eadem edit. *verum Filium Dei dico.*
Ibidem E. Rom. edit. *præter Filium alius non est.*
Col. 793. A. eadem edit. *Deum verum non dixeris.*
Col. 794. C. Rom. edit. *Filium Dei non confiteris.*
Ibidem D. eadem edit. *Filius Dei Deus potens est, an non?* Et infra: *Deus ergo bonus est Filius?*
Col. 797. F. edit. Rom. *ad ea quæ sequuntur.*
Ibidem edit. Rom. & Lab. *impietatis judicium.*
Col. 798. C. Rom. edit. *Filium creaturam non negasti.* Consequenter vero Lab. & Chiff. *potentiam negasti.*
Col. 799. B. cod. Tell. *Ego non negavi, bonum Filium dixi.*
Ibidem C. edit. Rom. *Christum verum Deum negare.* Paris. *quædam pejerare.*
Ibidem B. Rom. edit. *si exceptores non habuerimus.*
Col. 801. C. edit. Rom & Lab. *Deum verum, Deum bonum, Deum sapientem, Deum sempiternum.*
Ibidem D. Rom. edit. *cujus . . . , Palladius adsertor declaratus est.*
Col. 804. C. Rom. edit. *Quid mihi præfers?*
Col. 805. C. eadem edit. *unigenitum verum dico, & Deum verum.*
Col. 806. A. cod. Tell. *Epistola conc. Aquil. ad episcopos Italiæ.* Sed sibi ipse librarius contradicit, dum ita subdit: *Consiluimus . . . episcopis provinciæ Viennensium & Narbonensium &c.*
Ibidem E. Rom. edit. *sola, gratias agimus pro vobis . . quia & fidei nostra &c.*
Col. 807. D. Rom. edit. *ad disceptandum triduum ante nos, loco & tempore constituto provocassent, non exspectata conditione, prodierunt subito, & dixerunt si quis christianos essent facile probaturos. Quod nos ubi libenter accepimus (optabamus enim ut probarent) refugere congressum illico &c.*
Col. 809. A. Rom. edit. *civium dicere causas.*
Ibidem E. Rom. edit. *interdicta hac ejus cautione . . . ut & vos, Deo præstante, triumphetis.*
Col. 811. A. Cod. Reg. *toties damnatos incessit . . . Qui quod plerique &c.*
Col. 817. B. Reg. cod. *non debeant scribere tractatum.*
Col. 818. C. idem cod. *referendum semper apostolica quæstionis arripiet.*
Col. 819. E. nonnulli mss. *de apostolo Petro legimus.*

Col. 823. B. quidam mss. *elevatus est sacerdotium.*
Col. 825. A. edit. *si quod statuitur.*
Col. 829. B. pauci mss. *saltem ieiunii honor.*
Col. 830. C. mss. aliquot, *in aperto sit, unus in operato sit.*
Col. 832. A. pauci mss. *fruges negavit*
Col. 833. B. nonnulli mss. *& christianissimo imperatori.*
Col. 834. E. omnes edit. ac pauci mss. *canities est laudanda.*
Col. 842. D. Rom. edit. *Vigilio fratri.* Et infra, *insinuandum videtur*
Col. 845. A. edit. & mss. nonnulli, *à pueritia vini abstinens.*
Col. 846. D. mss. aliquot, *donum parentibus paella.*
Col. 848. A. edit. & quidam mss. *justum & equum.* Infra vero mss. nonnulli, *patratorem tanti flagitii.*
Col. 849. A. Rom. edit. *virtute egregia, asini maxilla consummaverit.*
Col. 850. C. Rom. edit. *quasi derisam sequerentur.*
Col. 854. A. quædam Paris. edit. *Apparitores adversorum comitum.*
Col. 855. E. Rom. edit. *liberam sub hodie legi.*
Col. 858. A. nonnulli mss. *gladii commoventur imperatoris.*
Infra vero ubi omnes mss. legunt, *mutatus à imperatoris,* habetur in omnibus edit. *ratus imperatoris.*
Col. 859. B. edit. Rom. *quod iudicium de condemnatione fueras.*
Col. 863. A. mss. non pauci, *vel episcopi, vel populus remisissent.*
Col. 864. E. Rom. edit. *armorum strepitus.*
Col. 865. D. mss. aliquot, *nec conveniat vos divina &c.*
Col. 866. E. Rom. edit. *vobis dedit exemplum.*
Col. 872. E. mss. aliquot, *ferre non possim.*
Col. 877. B. omnes edit. *quibus innumeros adesse &c.*
Col. 881. mss. duo, *pro resurrectione Domini offeratur.*
Col. 882. B iidem mss. *& tertio consumor die.*
Col. 883. A. nonnulli mss. *quo per legem loquuta est.*
Col. 886. B. unus cod. Vat. *tota multitudine Synagoga.*
Ibidem C. tres mss. *& non erit vobis in plagam.*
Col. 887. A. edit. *& vos & filii Israel.*
Ibidem B. cod. Vat. unus, *quod dies passionis fuerat, etiam egredimur &c.*
Ibidem D idem cod. *fide passionis Dominica celebrantes.*
Ibidem F. alius cod. *sacramentum imaginis sinceritatis.*
Col. 888. B. Duo mss. *me voluntatem Maximi non &c.*
Ibidem E. iidem mss. *inter consistorii non stetî.*
Col. 892. C. non pauci mss. *quid studeat misericordia?*
Col. 894. B. edit. & quidam mss. *commenta est tergiversatio.*
Ibidem D. vet. edit. ac mss. aliquot, *sed pene dispar invidia.*
Col. 897. D. edit. *non quia innocens approbatur.*
Col. 899. C. Rom edit. *Unde David sanctus invitus.*
Ibidem F. mss. non pauci, *quasi vero nos cognoveris.*
Col. 902. E. Rom. edit. *& fimo iniquitatis oblitus.*
Col. 904. D. edit. Rom. *nam à lucubratione:* mss. nonnulli, *qui à lucubratione*
Col. 906. C. quidam mss. *qui loquebatur, adsum, id est, qui loquebatur &c.*
Ibidem E. mss. aliquot, *sicut ille, quidam in illo, concupiscibili suo.*
Col. 908. C. cod. Reg. *Et ideo terrena fugito.*
Col. 909. C. edit *& ut prædicatur in Evangelio.*
Col. 910. B. nonnulli mss. *quem manens vetus bellator.*
Col. 913. F quidam mss. *augetur domus superiore gloria.*
Col. 914. D. Rom. edit. *aut provectioris ætatis.*
Ibidem E. mss. aliquot, *pacisci tam ac super virum:* edit. *præsinitam facto super virum.*
Col. 930. edit. Gill. *internus sermo crederetur.*
Col. 932. A vet. edit. *sed displacet judicio.*
Col. 933. D. vet. edit. *in strenuitate accrescit pietas.*
Col. 936. A. eadem edit. *quod voluntas & prædicat, & operatur.*
Col. 937. B. pauci mss. *quanto sapientia adjumenta.*
Ibidem C. iidem mss. *semper tentant speculis.*
Col. 944. B. nonnulli mss. ac vet. edit. *usu abdicatus.*

Variæ quædam lectiones inter omissas non &c.

Col. 945. E. omnes edit. & quidam mss. *quod sentias, non dicere.*
Ibid. F. duo mss. *si dixeris justo.*
Col. 948. E. vet. edit. *populus conclauserit.*
Col. 941. C. quidam mss. *Judæorum gentis perfida.*
Col. 951. D. nonnulli mss. *capi Judæi insipientibus.*
Col. 955. A. pauci mss. *conventarum nationibus.*
Col. 956. D. Rom. edit. *significare quod directa esse debeat prophetica* &c.
Col. 959. E. Rom. edit. *qua Nazarenum quærebat.*
Col. 970. D. edit. ac duo mss. *existimamus posse.*
Col. 971. E. quidam mss. & omnes edit. *revocet metas à passionis corona.*
Col. 974. D. mss. aliquot, *quæ magis omnia obeunt.*
Col. 976. E. vet. edit. ac plures mss. *& ordine, ut primò cælum faceret.*
Col. 1001. C. edit. Rom. *Congaudeo vel illi* &c.
Col 1009. A mss. nonnulli, *ejusdo vice discernens.*
Col. 1021. D. mss. aliquot, *indignum facinus clamant.*
Col 1025. C. quidam mss. *sed exemplo acervare.*
Col. 1024. D. unus ms. *nullius vis esse ducant*; alius *nullius juris esse ducunt.*
Ibidem E. nonnulli mss. *disseminare alia.*
Col. 1025. A. Reg. cod. *fidem conjugi .... aut mentis fragilitate.*
Col. 1030. C. edit. *in te sobria ebrietas.*
Col. 1032. A. mss. aliquot, *virtutis cibum exspectat.*
Col. 1034. F. nonnulli mss. *& ipse Dominus.*
Col. 1036. A. quidam mss. *in studio fida devotionis.*
Ibidem B. pauci mss. *Supplicator enim pro populo.*
Col. 1037. E plerique mss. *quod pro peccato est in loco* &c.
Col. 1065. A. edit. & quidam mss. *domus Juda*, nonnulli *domus Judas.*
Col. 1069. A. mss aliquot, *erroris conversione.* Rom. edit. *ab errore conversione.*
Col. 1075. A. Rom. edit. *non est utrique idem secundum naturam: sed quod est corpori ... id contra naturam est corpori.*
Ibidem F. edit. *non fit adulter corpore.*
Col. 1084. D. nonnulli mss. *magister instruit, magister viam salutis ostendit.*
Col. 1090. A. mss. aliquot. *Nunc ergo servies? Et quomodo* &c.

Col. 1096. vet. edit. ac mss. quidam *à generatione exeunt. Ergo ne nos quidem præterire debemus.* Et infra, *ut cognoscas quia quod est sanatur, quia generatione sua vacuus est, non nisus est* &c.

EX LIBRIS DE EXCESSU SATYRI &c.

Col. 1115. F. nonnulli mss. *non esset vita & tempus divisum.*
Col. 1116 B. mss. aliquot, *reciperes, nec vicem expectares. Immemor* &c.
Col. 1119. A. mss. non pauci, *in ipsa morte videbam.*
Ibidem C. quidam mss. *conferres, ut non verear* &c.
Col. 1121. E mss. aliquot, *resurrectio corporalis.*
Col. 1124 B. nonnulli mss. *Nescio quam expressiorem mentis quam corporis similitudinem habere videbamur.*
Col. 1125. E quidam mss. *tabulam superscederit ... cui crediderat.*
Col. 1126. A. mss. aliquot, *nullam ad referendam gratiam* &c.
Ibidem D. mss. nonnulli, *hujusmodi gratia ejus.*
Col. 1128. A. quidam mss. *non fragilitate quadam nos* &c.
Col. 1130. D. mss. aliquot, *nulla ordinavit dispensatio.*
Col. 1131. F. mss. non pauci, *Quia facilius est ... retine apud temet ipsum*
Col. 1133. A. quidam mss. *Ades enim, & semper offerris.*
Col. 1134. B. mss. aliquot, *in oratione revocat .... precando assiduitatem lacrymarum ubertate* &c.
Ibidem D. nonnulli mss. *qui se admoveris non dolenti.*
Ibidem F. iidem mss. *desiderabilem domum, hospitii consortium .... expectem tui deferas.*
Col. 1135. B. mss. aliquot, *animum inclinare fraternum.*
Col. 1136. A. quidam mss. *consortium refutare.*
Ibidem C. nonnulli mss. *aut prætermittendus est dolor.* Et infra E. *sole exuritur, ut* &c.
Col. 1142. A. pauci mss. *sapientis indicium.*
Col. 1143. F. nonnulli mss. *non perfunctoria hujus est vita.*
Col. 1145. C. mss. aliquot, *neque peccati in se recipiat iniquitatem.*
Col 1149. B. quidam mss. *difficile Deo non foret.*
Col. 1150. D. nonnulli mss. *vetustate corruerit.*
Ibidem iidem mss. *Nunc informem situ, nunc facundam, nunc virentem floribus, unus caventium* &c.
Col. 1154. D. quidam mss. *vitales spiritus commercia timentur.*
Col. 1155. A pauci mss. *non soleat imperari.*
Col. 1158. C. mss. aliquot, *quorum prolixiore proventu.*
Col 1160. B. nonnulli mss. *& patrio percussa affectu, pene trepidavit* &c.
Col. 1163. A. mss. nonnulli, *tuba caventis pro motu eorum. ... Aaron sacerdotis tuba canens.*

DE OBITU VALENTINIANI.

Col. 1175. C. mss. aliquot, *dictum est: Ploravit: Et nostra* &c.
Col. 1176. F. unus mss. *commendationis propositi*; alius, *eminentioris propositi.*
Ibidem cod. Reg. *surrexit ab errore.*
Col. 1177. A. quidam mss. *& in lubrico juventutis & in senectute.*
Ibidem C. nonnulli mss. *& unus meum lene.*
Col. 1183. D. nonnulli mss. *alter populi pauperis.*
Col. 1189. D. vet. edit. *candidus & ruber*, edit. Rom. *candidus & fulvus.*
Col. 1190. C. quidam mss. *dulcedinis & totus desiderabilis.*

EX ORATIONE DE OBITU THEODOSII.

Col. 1198. C. nonnulli mss. *quadragesimum, qui cum Jacob supplantavit.*
Col. 1199. C. mss. aliquot, *gloriosus quoque* &c.
Col 1201. C quidam mss. *vivendi munere satis simus ingrati.*
Col. 1204. A. mss. non pauci, *& infirmitates: quidam & infirmitatem, nostra levare subflantes.*
Ibidem F. nonnulli mss. *qui de gratia Dei sperat.*
Col. 1205. B. Reg. cod. *Bene nos implere* &c.
Col. 1206. B. mss. aliquot, *convertendam animam suam dicit.*
Ibidem C. non pauci mss. *& elevans animam suam ad illam* &c.
Ibidem F. cod. Reg *dubio certamine.*
Col. 1207. D. Rom. edit. *qualem vix possumus invenire.*
Ibidem cod. Colb. *quam præparasti servis tuis.*
Col. 1211. D. mss. nonnulli & edit. *Sapienter egit Helena ... regnum levavit.*
Col. 1212. C. mss. aliquot, *diademate suo præferunt.*

ERRATA IN HOC TOMO SECUNDO.

IN fine Admonitionis in Lib. de Offic. XII. Kal. Febr. dat, *lege* XV Kal. Mart.
Col. 128. A. pæstolabatur, *l.* præstolabatur.
Col. 140. petitur, *l.* paritur.
Col. 175. juventas, *l.* juventus.
Col. 213. not. 1. mss. omnes edit. *l.* mss. omnes: ibi tum conventus, Carn. conventu, ambiguo. Melius tamen omnes edit.
Col. 217. not. 1. post *reperies*, adde lib. 1. *de Virginib.* cap. 4. num. 15.
Col. 218. not. ult. post, *sed neque in*, adde, *latinus nullis reperire est*, quæ eadem verba postea delenda sunt.
Col. 243. not. 2. cum, *l.* cùm.
Col. 247. ipsemet, *l.* Siricius.
Col. 255. not. 2. levior, *l.* levius.
Col. 263. not 2. *l.* Neque Bonosus in ea epist.
Col. 314. in Admonit. 5. penult. opellæ 377. *l.* opellæ 387.
Col. 328. E consecrata, *l.* consecrata.
Col. 335. F. Qui est prior, *l.* Quid est prior?
Col. 363. not. 2. post voces, *in omnibus edit.* adde, & ms. Clarom.
Col. 408. not. aliquos, *l.* aliquot.
Col. 492. E. Potes ergo, *l.* Potest ergo.
Col. 573. ceptum, *l.* cæptum.
Col. 672. F. sicut dicit, *l.* sic dicit.
Col. 674. F. etant corde, *l.* errant corde.
In ordine novo epist. col. 3. L I X. *l.* LXIX. Ibidem col. 2. 84. *l.* 85. Ibidem col. 8. XXVII. *l.* XXXVII.
In Admonit. ad epist. 52. dele vocem, *ineunte*,
Col. 776. lin. ult. munitis, *l.* muneris.
Col. 779. not. 6. *l.* & profiteretur.
Col. 805. E. Et addit. *l.* Et addidit.
Col. 860. not. ult. non alter *l.* non aliter.
Col. 865. not. ult. domicis, *l.* dominica.
Col. 873. una, *l.* urna.
Col. 888. in margine 386. *l.* 387.
Col. 903. not. 3. rumpebant, *l.* rumpent.
Col. 956. A. Epistola XLII. *l.* Epistola XLI.
Ibidem not. 9. sic corrige: Ita Reg. cod. at in Rom. edit legitur: *Relatum esset imperatori synagogam Judæorum in partibus Orientis incensam ... & Valentinianorum lucum, ... qui incendissent locum.*
Col. 985. lin. 1. etiam, *l.* si etiam.
Col. 992. A. solum sum, *l.* solus sum.
Col. 998. not. ult. Sabinum, *l.* Felicem.
Col. 1001. & 1002. in margine, ann. 390. *l.* an. 392.
Col. 1063. not. 2. aliæ, *l.* alii.
Col. 1128. D. dele virgulam post τὸ licet.
Col. 1211. not. 1. exhiberi, *l.* exhibendo.
Col. 1159. not. 3. post voces *unum tamen* adde excipimus, in quo &c.

ERRATA IN TOMO PRIMO.

COL 29. Not. 1. confusa in mss. cod. verba græca sic *lege* [illegible] quod latine redditur, ad differentiam seu distinctionem, nimirum cæli. Atque ita hæc eadem verba in textu Ambrosii restituenda sunt.
Col. 735. In Admonit. in XII. Psal. Enarrat. § 4. anni 393. *l.* anni 394. atque ita corrige in Elencho Operum.
Col. 1300. not. 1. in Aquileiensi, *l.* in Mediolanensi.
Col. 1354. D. cæpi. *l.* cœpi.
Col. 1355. Arrianis .... cum Sabellio, *l.* Sabellianis .... cum Arrio, quem etiam impia sua doctrina superasse in tom. 2. ostendemus.

APPENDIX

APPENDIX
AD OPERA
SANCTI AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

IN QUA POST TRIPLICEM EJUSDEM S. DOCTORIS VITAM,

CONTINENTUR

VARII TRACTATUS SUPPOSITITII

AD MANUSCRIPTOS CODICES, VETERESQUE editiones recensiti, quorum elenchus sequenti pagina comprehenditur.

ELENCHUS OPERUM IN SUPERIORIBUS editionibus inter Ambrosiana falso receptorum, quæ in hac Appendice repræsentantur.

Nonnulli alii tractatus vel in superioribus editionibus Ambrosianis prælo commissi, vel in quibusdam codicibus Ambrosii nomine perperam insigniti, à nobis ideo prætermittuntur, quod aut alibi jam editi sunt, aut ut edantur, minime digni: de quibus in Præfatione huic tomo præfixa disseruimus.

VITA SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

A Paulino ejus notario ad beatum Augustinum conscripta.

1\. HORTARIS, venerabilis pater Augustine, ut sicut beati viri Athanasius episcopus & Hieronymus presbyter stylo prosequuti sunt vitas sanctorum Pauli & Antonii in eremo positorum, sicut etiam Martini venerabilis episcopi Turonensis Ecclesiæ Severus servus Dei luculento sermone contexuit; sic etiam ego beatissimi Ambrosii episcopi Mediolanensis Ecclesiæ meo prosequar stylo. Sed ego ut meritis tantorum virorum, qui muri Ecclesiarum sunt, & eloquentiæ fontes; ita etiam sermone me imparem novi. Tamen quia absurdum esse opinor, quod præcipis, declinare, ea quæ à probatissimis viris, qui illi ante me adstiterunt, & maxime ab sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quæ ipse vidi, cùm illi adstarem, vel quæ ab iis cognovi, qui illum in diversis provinciis post obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quæ ad illum scripta sunt, cùm adhuc obiisse nesciretur: adjutus orationibus tuis, & meritis tanti viri, licet inculto sermone, breviter strictimque describam; ut lectoris animum etsi sermo offenderit, brevitas tamen ad legendum provocet: nec verborum fucis veritatem obducam, ne dum scriptor elegantiæ pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam, quem non magis phaleras, pompasque verborum, quàm virtutem rerum, gratiamque Spiritus sancti spectare conveniat. Siquidem noverimus viatores gratiorem habere aquam brevi vena stillantem, forte cùm sitiunt, quàm profluentis fontis rivos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt. Et hordeaceus panis dulcis solet esse etiam his, qui centenis vicibus ferculorum quotidiani convivii copias ructare consuerunt. Sed & hortorum amœna mirantibus herbæ agrestes placere consueverunt.

2\. Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, ut credatis vera esse, quæ scripsimus: nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat, posuisse; quandoquidem melius sit penitus nihil dicere, quam aliquid falsi proferre, cùm sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem etsi non ab omnibus omnia, tamen à diversis diversa sciri, & ea cognita nonnullis esse, quæ etiam minus ipse aut audire aut videre potui. Unde à die nativitatis ejus narrandi initium sumam, ut gratia viri ab incunabulis quæ fuerit, agnoscatur.

Matth. 12. 36.

3\. Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarum [a] patre ejus Ambrosio, natus est Ambrosius. Qui infans in area prætorii in cuna positus, cùm dormiret aperto ore, subito examen apum adveniens, faciem ejus atque ora complevit; ita ut ingrediendi in os, egrediendique vices frequentarent. Quæ pater, qui propter cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibens (sollicita enim erat ne infanti nocerent) [b] exspectabat patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. Ac illæ post aliquamdiu evolantes, in tantam aeris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: *Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.* Operabatur enim jam tunc Dominus in servuli sui infantia, ut impleretur quod dictum est: *Favi mellis sermones boni*; illud enim examen apum scriptorum ipsius nobis generabat favos, qui cælestia dona annuntiarent, & mentes hominum de terrenis ad cælum erigerent.

Prov. 16. 24.

4\. Postea vero cùm adolevisset, & esset in urbe Roma constitutus cum matre vidua & sorore, quæ virginitatem jam fuerat professa, comite alia virgine, cujus virginis soror Candida, & ipsa ejusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit jam anus; cùm videret [c] sacerdotibus à domestica, sorore, vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens & sibi id ab ea fieri oportere, siquidem episcopum se futurum esse memorabat; loquebatur enim in illo Spiritus Domini, qui illum ad sacerdotium nutriebat: illa vero ut adolescentem & nescientem quid diceret, respuebat.

5\. Sed postquam edoctus liberalibus disciplinis, ex urbe egressus est, professusque in auditorio præfecturæ prætorii, ita splendide causas peroravit; ut eligeretur à viro illustri Probo, tunc præfecto prætorii, ad consilium tribuendum. Post hæc consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam, Æmiliamque provincias, venitque Mediolanum.

6\. Per idem tempus, mortuo Auxentio arrianæ perfidiæ episcopo (qui Dionysio beatæ memoriæ confessore ad exilium destinato, [d] incubabat Ecclesiam) cùm populus ad seditionem surgeret in petendo episcopo, essetque illi cura sedandæ seditionis, ne populus civitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad Ecclesiam: ibique cùm alloqueretur plebem, subito vox fertur [e] infantis in populo sonuisse Ambrosium episcopum. Ad cujus vocis sonum totius populi ora conversa sunt, acclamantis Ambrosium episcopum; ita qui antea turbulentissime dissidebant, quia & arriani sibi & catholici sibi episcopum cupiebant, superatis alterutris, ordinari, repente in

a. Codex Mich. *patre beati Ambrosii, nomine Ambrosio, natus ipse beatus Ambrosius est.*

b Idem codex, *finem rei præstolabatur, quo scilicet ordine illud miraculum clauderetur.*

c. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *sacerdotes à domestica sorore vel matre manus osculari..... ab eis fieri oportere*: alii mss. plures ac potiores, ut nos in textu.

d. Nonnulli mss. *incursabat Ecclesiam*: ceteri, *incubabat Ecclesiam*, edit. *Ecclesia.*

e. Cod. Fisc. atque Becc. *infantis ter in populo sonuisse.* At post paulo solus Fisc. *per ter acclamantis*; in Becc. autem & paucis aliis hæc voces aliquot prætermittuntur.

hunc unum mirabili & incredibili concordia consenserunt.[a]

7. Quo ille cognito, egressus Ecclesiam, tribunal sibi parari fecit; quippe mox futurus episcopus, altiora conscendit: tunc contra consuetudinem suam tormenta jussit personis adhiberi. Quod cùm faceret, populus nihilominus acclamabat: Peccatum tuum super nos. Sed non similiter is populus tunc clamavit, sicut populus Judæorum; illi enim vocibus suis sanguinem Dominicum effuderunt, dicentes: *Sanguis hujus super nos*: isti vero catechumenum scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus revertens domum, philosophiam profiteri voluit, futurus sed verus philosophus Christi, qui contemtis sæcularibus pompis, piscatorum secuturus esset vestigia, qui Christo populos congregarunt non fucis verborum, sed simplici sermone, & veræ fidei ratione, missi sine pera, sine virga, etiam ipsos philosophos converterunt. Quod ubi ne faceret, revocatus est; publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ad hoc tantum, ut visis his, populi intentio revocaretur. At vero populus magis magisque clamabat: Peccatum tuum super nos.

Matth. 27. 25.

8. At ille cùm videret nihil intentionem suam posse proficere, fugam paravit: egressusque noctis medio civitatem, cùm Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur; Deus enim qui Ecclesiæ suæ catholicæ murum parabat adversus inimicos suos, & turrem erigebat David [b] contra faciem Damasci, hoc est, contra perfidiam hæreticorum, fugam illius impedivit. Qui inventus, cùm custodiretur à populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum, qui summo gaudio accepit quod judex à se directus ad sacerdotium peteretur. Lætabatur etiam Probus præfectus, quod verbum ejus impleretur in Ambrosio; dixerat enim proficiscenti, cùm mandata ab eodem darentur, ut moris est: Vade, age non ut judex, sed ut episcopus.

9. Pendente itaque relatione, iterum fugam paravit, atque in possessione cujusdam Leontii clarissimi viri aliquamdiu delituit. Sed ubi relationi responsum est, ab eodem Leontio proditur; præceptum enim erat vicario ut insisteret rebus perficiendis: qui injuncta sibi cùm vellet implere, proposito edicto, convenit omnes, ut si vellent sibi consulere, rebusque suis, proderent virum. Proditus itaque & adductus Mediolanum, cùm intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulavit non se nisi à catholico episcopo baptizari; [c] sollicite enim cavebat perfidiam arrianorum. Baptizatus itaque fertur omnia ecclesiastica officia implesse, atque octava die episcopus ordinatus est summa cum gratia & lætitia cunctorum. Igitur post annos aliquot ordinationis suæ ad urbem Romam, hoc est, ad proprium solum perrexit, ibique sanctam puellam, de qua supra memoravimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana, sicut reliquerat, invenit, jam matre defuncta. Atque cùm illa dexteram illius oscularetur, subridens ait illi: Ecce ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis.

10. Per idem tempus cùm trans Tiberim apud quamdam clarissimam invitatus, sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix quæ paralytica in lecto jacebat, cùm cognovisset ibidem esse Domini Sacerdotem, in sellula se ad eamdem domum, ad quam ille invitatus venerat, portari fecit, atque orantis & imponentis manus vestimenta adtigit. Quæ cùm exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cœpit; ut impleretur illud Dominicum dictum ad apostolos: Etiam majora his facietis, credentes in nomine meo. Quod tamen signum sanitatis ut mirabile fuit, ita etiam nec occultum; nam ego hoc [d] in eadem regione post annos plurimos, sanctis viris referentibus, positus in Urbe cognovi.

Johan. 14. 12.

11. Sirmium vero cùm ad ordinandum episcopum Anemium perrexisset, ibique Justinæ tunc temporis reginæ potentia & multitudine coadunata de Ecclesia pelleretur; ut non ab ipso, sed ab hæreticis arrianus episcopus in eadem Ecclesia ordinaretur: essetque constitutus in tribunali, nihil curans eorum, quæ à muliere excitabantur; una de virginibus arrianorum impudentior ceteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento Sacerdotis, cùm illum adtrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis cæsus de Ecclesia pelleretur; ait ei, ut ipse solitus erat referre: Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non convenit vel professionem tuam in qualemcumque sacerdotem manus injicere; unde deberes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid mali eveniret. Quod dictum exitus confirmavit; nam alio die mortuam ad sepulcrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non levem adversariis incussit metum, pacemque magnam Ecclesiæ catholicæ in ordinando episcopo tribuit.

12. Ordinato itaque catholico sacerdote, Mediolanum revertitur, ibique supradictæ Justinæ mulieris innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis, populum excitabat. Sed infirmorum animi talibus promissis decipiebantur; promittebat enim tribunatus, & diversas alias dignitates iis, qui illum de Ecclesia raptum, ad exsilium perduxissent. Quod cùm multi conarentur, sed Deo præsule, perficere non valerent, unus infelicior ceteris, nomine Euthymius, in tantum furorem excitatus est; ut juxta Ecclesiam sibi domum pararet, atque in eadem carrum constitueret, quo facilius raptum, [e] superpositum carpento ad exsilium perduceret. *Sed iniquitas ejus in verticem ipsius descendit*; post annum etenim eodem die quo illum rapere se arbitrabatur, in eodem carpento impositus, de eadem domo ipse ad exsilium destinatus est, reputans sibi justo judicio Dei, id in se esse conversum; ut in eo carpento dirigeretur ad exsilium, quod ipse paraverat Sacerdoti. Cui non minimum solatii Sacerdos præbuit, dando sumtus, vel alia quæ erant necessaria.

Psal. 7. 17.

13. Sed hæc confessio hominis nec mulieris furorem, nec væsanorum arrianorum dementiam repressit; majore etenim accensi amentia, basilicam Portianam invadere nitebantur: exercitus etiam armatus ad custodiendas fores Ecclesiæ est directus, ut nemo auderet catholicam Ecclesiam ingredi. Sed Dominus qui de adversariis suis Ecclesiæ suæ triumphos donare consuevit, ad Ecclesiæ suæ munimentum militum corda convertit; [f] ut aversis scutis Ecclesiæ fores servarent, nec egredi dimitterent, sed ingredi Ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi etiam pro catholica fide cum plebe pariter acclamarent. Hoc in tempore primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio usque in hodiernum diem non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene occidentis provincias manet.

14. Per idem tempus sancti martyres Protasius & Gervasius se Sacerdoti revelaverunt. Erant enim in basilica positi, in qua sunt hodie corpora Naboris & Felicis martyrum: sed sancti martyres Nabor & Felix celeberrime frequentabantur, Protasii vero & Gervasii martyrum ut nomina, ita etiam sepulcra incognita erant, intantum ut supra ipsorum sepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris & Felicis martyrum ab injuria sepulcra defendebantur. Sed ubi sanctorum martyrum corpora sunt levata, & in lecticis posita, multorum ibi satanæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam Severus nomine, qui nunc usque in eadem basilica quæ dicitur Ambrosiana, in quam Martyrum corpora sunt translata, religiose servit; ubi vestem martyrum adtigit, statim lumen recepit. Obsessa

a. Fisc. cod. immani hiatu istic fatiscit; etenim post *consenserunt*, statim subjungit: *Igitur Ambrosius postquam in ista electione agnito adverso, cùm videret contra votum suum rem ad professionem venire, fugam paravit.*

b. Rursus in eo cod. Fisc. lacuna hic est ad eum modum, *contra faciem Damasci. Hoc igitur ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum relatum est, qui summo gaudio accepit quod judices à se directi ad sacerdotium peterentur.*

c. Mss. aliquot, *sollicitam enim habebat perfidiam arrianorum.*

d. Aberat ab edit. & mss. quibusdam, *in eadem regione*: sed in aliis mss. probatioribus reperitur.

e. Restituitur etiam è mss. prope omnibus *superpositum carpento*.

f. Nonnulli mss. *ut adversis scutis.... nec ingrediendi licentiam dimitterent, sed egrediendi.*

etiam corpora à *ſpiritibus immundis* curata, ſumma cum
gratia domum repetebant. Sed iis beneficiis martyrum
in quantum creſcebat fides Eccleſiæ catholicæ, in tantum
arrianorum perfidia minuebatur.
15. Denique ex hoc tempore ſedari cœpit perſecutio,
quæ Juſtinæ furore accendebatur; ut Sacerdos de Eccle-
ſia pelleretur. Tamen intra palatium multitudo arriano-
rum cum Juſtina conſtituta deridebat tantam Dei gra-
tiam, quam Eccleſiæ catholicæ dominus Jeſus meritis
martyrum ſuorum conferre dignatus eſt: venerabilem-
que virum Ambroſium narrabat pecuniâ comparaſſe ho-
mines, qui ſe vexari ab immundis ſpiritibus mentiren-
tur; atque ita ab illo, ſicut & à martyribus ſe torqueri
dicerent. Sed hoc Judaico ore loquebantur Arriani, ſup-
pares ſcilicet eorum; illi enim de Domino dicebant, quo-
niam *in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*: iſti
de martyribus, vel de Domini Sacerdote loquebantur, (Luc. 11.15.)
quod non Dei gratiâ, quæ per ipſos operabatur, immun-
di ſpiritus pellerentur; ſed acceptâ pecunia ſe torqueri
mentirentur. Clamabant enim dæmones: Scimus vos
martyres; & Arriani dicebant: Neſcimus eſſe martyres.
Jam hoc & in Evangelio legimus, ubi dixerunt dæmo-
nes ad dominum Jeſum: Scimus te, quia ſis Dei Filius; & (Marc. 1.24.)
Judæi dicebant: *Hic autem unde ſit, neſcimus*. Sed non hìc (Johan. 9. 29.)
teſtimonium accipitur dæmonum, ſed confeſſio; unde
miſeriores Arriani vel Judæi, ut quod confitentur dæmo-
nes, illi negent.

16. Deus tamen qui gratiam Eccleſiæ ſuæ auge-
re conſuevit, non paſſus eſt diu inſultari à perfidis
ſanctis ſuis. Unus itaque ex ipſa multitudine ſubito ar-
reptus à ſpiritu immundo, clamare cœpit [a] ita torqueri
eos, ut ipſe torquebatur, qui negarent martyres, vel
qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet
Ambroſius. At illi hac voce confuſi, qui converti de-
buerant, & dignam tali confeſſione agere pœnitentiam,
in piſcinam demerſum hominem necaverunt, perfidiæ
homicidium adjungentes; deduxit enim illos ad hunc fi-
nem digna neceſſitas. Sanctus vero Ambroſius epiſcopus
majoris humilitatis vir factus, donatam ſibi à Domino
gratiam reſervabat, creſcebatque quotidie fide & amore
coram Deo & hominibus.

17. Per idem tempus erat quidam vir de hæreſi Arria-
norum, acerrimus nimium diſputator, & durus atque
inconvertibilis ad fidem catholicam. Is conſtitutus in
Eccleſia, tractante Epiſcopo, vidit (ut ipſe poſtmodum
loquebatur) Angelum ad aures Epiſcopi tractantis lo-
quentem; ut verba Angeli populo Epiſcopus renuntiare
videretur. Quo viſo converſus, fidem quam expugnabat,
cœpit ipſe defendere.

18. Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gra-
tiani imperatoris de hæreſi arrianorum, [b] qui tractanti
Epiſcopo quæſtionem proponerent, ad quam audiendam
altero die ad baſilicam Portianam ſe adfuturos promiſe-
rant; erat enim quæſtio de incarnatione Domini. Sed alio
die miſerandi homines ſuperbiæ tumore completi, nec
memores promiſſorum, contemnentes Deum in Sacer-
dote ipſius, nec plebis exſpectantis conſiderantes inju-
riam, immemores etiam dictorum Dominicorum, quo-
niam *qui ſcandalizaverit unum ex minimis iſtis, oportet ut* (Matth. 18. 6.)
mola aſinaria collo ejus alligetur, & demergatur in profundum
maris, adſcendentes in rhedam, quaſi gratia geſtandi,
civitatem egreſſi ſunt, exſpectante Sacerdote & plebe in
Eccleſia conſtituta. Sed hujus contumaciæ quis finis
fuerit, horreſco referens; ſubito enim præcipitati de
rheda, animas emiſerunt, atque corpora illorum ſepul-
turæ ſunt tradita. Sanctus vero Ambroſius cùm ignora-
ret quid factum eſſet, nec diutius poſſet plebem tenere,
adſcendens pro tribunali, de eadem quæſtione quæ fue-
rat propoſita, ſermonem adorſus eſt, dicens: *Debitum,*
fratres, cupio ſolvendum, ſed heſternos meos non invenio cre-
ditores, & reliqua quæ ſcripta ſunt in libro, qui *de Incar-* (Tom. 2. pag. 703.)
natione Domini intitulatur.

19. Occiſo itaque Gratiano imperatore, recipiendi
corporis ejus cauſâ ſecundam ad Maximum ſuſcepit le-
gationem. Apud quem quam conſtanter egerit, qui vo-
A luerit cognoſcere, ipſius legationis epiſtolam ad Valen- (Epiſt. 24.)
tinianum juniorem datam cùm legerit, approbabit; no-
bis enim alienum à promiſſione viſum eſt illam inſerere,
ne adjunctæ epiſtolæ prolixitas faſtidium legenti afferret.
Ipſum vero Maximum à communionis conſortio ſegre-
gavit, admonens ut effuſi ſanguinis domini ſui, & quod
eſt gravius, innocentis, ageret pœnitentiam, ſi ſibi
apud Deum vellet eſſe conſultum. Sed ille cùm pœni-
tentiam declinat ſuperbo ſpiritu, non ſolum futuram,
ſed etiam præſentem ſalutem amiſit, regnumque quod
male arripuerat, femineo quodam modo, timore depo-
ſuit, ut procuratorem [c] ſe reipublicæ non imperatorem
B fuiſſe confiteretur.

20. Mortuâ vero Juſtinâ, quidam haruſpex Innocen-
tius nomine, [d] non tamen opere, cùm in cauſa male-
ficiorum à judice torqueretur, aliud quam interrogaba-
tur, fateri cœpit: clamabat enim ab Angelo majora tor-
menta ſibi adhiberi eo, qui cuſtodiret Ambroſium; quo-
niam temporibus Juſtinæ ad excitanda odia populorum
in Epiſcopum cacumen tecti Eccleſiæ conſcendens, me-
dio noctis ſacrificaverit. Sed quanto inſtantius & ſolli-
citius opera maligna exercebat, tanto magis amor po-
puli circa fidem catholicam & Domini Sacerdotem con-
C valeſcebat. Miſiſſe ſe etiam & dæmones, qui illum inter-
necarent, fatebatur: ſed dæmones renuntiaſſe ſe non ſo-
lùm ad ipſum appropinquare minime poſſe, verum etiam
nec ad fores domus, in qua manebat Epiſcopus; quia
ignis inſuperabilis omne illud ædificium communiret,
ut etiam longe poſiti urerentur: atque ita ceſſaſſe artes
ſuas, quibus adverſus Domini Sacerdotem ſe aliquid
poſſe arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubi-
culum uſque pervenit, ut interficeret Sacerdotem: ſed
cùm elevaſſet manum, diſtricto gladio, dexterâ exertâ
in aera obrigente remanſit. Tunc ſe miſſum à Juſtina
D poſtquam confeſſus eſt, brachium quod inique cùm ex-
tenderetur, obriguerat, ſanatum eſt confeſſione.

21. Per idem tempus cùm vir illuſtris Probus puerum
ſuum notarium, qui ſpiritu immundo graviter vexaba-
tur, direxiſſet ad Epiſcopum, egreſſum ex Urbe dimiſit
diabolus, timens ad virum ſanctum perduci. Atque ita
puer quamdiu Mediolani apud Epiſcopum fuit, nulla in
illo diaboli dominatio apparuit: ſed ubi egreſſus Medio-
lano eſt, & prope Urbem pervenit, idem ſpiritus qui
illum antea habuerat, vexare eum cœpit. Qui cùm in-
terrogaretur ab exorciſtis, cur quamdiu Mediolani fuiſ-
ſet, non in illo apparuiſſet; confeſſus eſt diabolus ti-
muiſſe ſe Ambroſium, & ideo receſſiſſe ad tempus, atque
E exſpectaſſe in illo loco, ubi ab illo receſſerat, donec rever-
teretur: quo revertente, vas quod deſeruerat, repetiiſſet.

22. Extincto Maximo, poſito Theodoſio imperatore
Mediolani, Ambroſio verò epiſcopo conſtituto Aquileiæ,
in partibus orientis in quodam caſtello à chriſtianis viris
ſynagoga Judæorum & lucus Valentinianorum incen-
dio concremata ſunt, propterea quod Judæi vel Valen-
tiniani inſultarent monachis chriſtianis; Valentiniano-
rum enim hæreſis triginta deos colit. Sed de hujuſmodi
facto comes orientis ad imperatorem relationem direxit:
qua accepta, imperator præceperat ut ſynagoga ab epiſ-
copo loci reædificaretur, in monachos vero vindicare-
F tur. Sed hujus præcepti tenor cùm ad aures perveniſſet
venerabilis viri Ambroſii epiſcopi, direxit ad imperato-
rem epiſtolam, quia ipſe in tempore excurrere non po- (Epiſt. 40.)
terat, qua illum convenit, ut id quod ab eodem ſtatutum
fuerat, revocaretur, ſervarique ſibi debere ab eo audien-
tiam; quia ſi dignus non eſſet, qui ab illo audiretur,
dignus etiam non eſſet, qui pro illo à Domino audire-
tur, vel cui ſuas preces, aut cui ſua vota committeret:
paratum etiam ſe eſſe pro tali negotio mortem ſubire, ne
diſſimulatione ſui prævaricatorem faceret imperatorem,
qui tam injuſta contra Eccleſiam præcepiſſet.

23. Poſtea vero quam Mediolanum reverſus eſt, poſito
imperatore in Eccleſia, de eadem cauſa tractavit in po-
pulo. In quo tractatu introduxit Domini perſonam lo-
quentis imperatori: Ego te ex ultimo imperatorem feci,
ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego tibi copias

a. Omnes edit. cum codice uno vel altero, *ita optare ſe torqueri eos*: ceteri mſſ. ſummo conſenſu repudiant, *optare ſe*.
b. Ita mſſ. edit. è contrario, *qui tractandam epiſcopo* &c.

c. Omnes edit. *ſe reipublicæ nomine præfuiſſe*: omnes mſſ. ut in contextu.
d. MSS. nonnulli, *ſed opere crudeliſſimus*.

quas ille adversùm te exercitui suo præparaverat, dedi, ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi, ego de semine tuo supra solium regni constitui, ego te triumphare sine labore feci: & tu de me inimicis meis donas triumphos? Cui descendenti de exhedra imperator ait: Contra nos proposuisti hodie, Episcope. At ille respondit non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse loquutum. Tunc imperator: Re vera, inquit, dure præceperam contra episcopum de synagoga reparanda: in monachos vero [a] vindicandum esse. Ita & à comitibus qui in tempore aderant, dicebatur. Quibus Episcopus: Ego quidem cum imperatore nunc ago, vobiscum verò mihi aliter agendum est. Atque ita obtinuit ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur: nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua imperator illum agere debere testaretur. Cui Episcopus: *Ergo ago fide tua.* Respondit imperator: *Age fide mea.* Qua sponsione iterata, jam securus peregit Sacerdos divina mysteria. Hæc autem scripta sunt in epistola, quam ad germanam suam fecit: in qua tractatum inseruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui à propheta Hieremia visus esse describitur. Epist. 41.

24. Per idem tempus causâ Thessalonicensis civitatis non minima successit tribulatio Sacerdoti, cùm civitatem pene deletam comperisset; promiserat enim illi imperator se veniam daturum civibus supradictæ civitatis: sed agentibus comitibus occulte cùm imperatore, ignorante Sacerdote, usque [b] in horam tertiam gladio civitas est donata, atque plurimi interempti innocentes. Quod factum ubi cognovit Sacerdos, copiam imperatori ingrediendi Ecclesiam denegavit: nec prius dignum judicavit cœtu Ecclesiæ, vel sacramentorum communione, quàm publicam ageret pœnitentiam. Cui imperator contra asserebat David adulterium simul & homicidium perpetrasse. Sed responsum illico est: *Qui secutus es errantem, sequere corrigentem.* Quod ubi audivit clementissimus imperator, ita suscepit animo, ut publicam pœnitentiam non abhorreret: cujus correctionis profectus secundam illi paravit victoriam.

25. Per idem tempus duo potentissimi & sapientissimi viri Persarum ad famam Sacerdotis venere Mediolanum, deferentes secum plurimas quæstiones, ut ex his probarent sapientiam viri: cum quo ab hora diei prima usque in horam tertiam noctis per interpretem disputaverunt, admirantesque discesserunt ab eo. Et ut se probarent non ob aliam causam venisse, nisi ut certo certius nossent virum, quem fama compererant; alia die valefacientes imperatori, profecti sunt ad urbem Romam, illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi, qua cognita, ad propria remearunt.

26. Sed egresso Theodosio de Italia & Constantinopoli constituto, Valentiniano augusto intra Gallias posito, [c] directa legatio est sub nomine senatus à Symmacho tunc præfecto Urbis de repetenda ara Victoriæ & sumtibus cæremoniarum. Sed ubi comperit Sacerdos, misso libello ad imperatorem, postulavit ut ad se relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Epist. 17. & 18. Qua relatione accepta, præclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil umquam auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere: sed postquam augustæ memoriæ Valentinianus in Viennensi civitate (quæ est Galliarum civitas) vitam finivit; Eugenius suscepit imperium, qui ubi imperare cœpit, non multo post, petentibus Flaviano tunc præfecto & Arbogaste comite, aram Victoriæ & sumtus cæremoniarum, quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in junioribus annis constitutus, petentibus denegaverat, oblitus fidei suæ concessit.

27. Hoc ubi cognovit Sacerdos, derelicta civitate Mediolanensi, ad quam ille festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit, atque inde Faventiam usque perrexit. Ubi cùm aliquantis degeret diebus, invitatus à Florentinis, ad Tusciam usque descendit, declinans magis sacrilegi viri adspectum, non formidans imperantis injuriam; nam & epistolam ad eumdem dedit, Epist. 57. in qua convenit conscientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi. *Etsi imperatoria potestas magna sit, tamen considera, Imperator, quantus sit Deus. Corda hominum videt, conscientiam interiorem interrogat, novit omnia antequam fiant, novit interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, & Deum vultis celare? Non cecidit in animum tuum quidquam? Si illi agebant tam perseveranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei summi & veri & vivi veneratione perseverantius obsistere, & negare quod erat in injuriam sacræ legis?* Num. 7. Et iterum: *Quoniam igitur meis vocibus & apud Deum & apud omnes homines teneor: aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi ut consulerem mihi, quia non potui tibi.*

28. In supradicta itaque civitate Florentinorum, cùm in domo clarissimi quondam viri Decentis, & quod est amplius, christiani, maneret, filius ipsius, Pansophius nomine, admodum parvulus, cùm spiritu immundo laboraret, frequenti oratione & impositione manus Sacerdotis ipsius est sanatus: sed post aliquantos dies subita infirmitate correptus infantulus exhalavit spiritum. Cujus mater valde religiosa, & plena fide ac timore Dei, ablato illo de superiore parte domus, ad inferiora descendit, ac in lecto Sacerdotis, ipso absente, composuit. Quem cùm revertens Sacerdos in lectulo invenisset, erat enim illo in tempore extra domum positus, miseratus matrem, & fidem ipsius contemplatus, Elisæo similis supra corpus infantis se ipse composuit, atque orando meruit ut vivum redderet matri, quem mortuum invenerat: ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, ut quod per ætatis infantiam scire non poterat, legendo cognosceret. Verumtamen factum scriptis suis non commemoravit: sed quo affectu declinaverit commemorare, non est nostrum judicare.

29. In eadem etiam civitate basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis & Agricolæ, Exhort. Virg. pag. 277. quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat; posita enim erant corpora Martyrum inter corpora Judæorum: nec erat cognitum populo christiano, nisi se sancti martyres [d] sacerdoti ipsius Ecclesiæ revelassent. Quæ cùm deponerentur sub altari, quod est in eadem basilica constitutum, magna illic totius plebis sanctæ lætitia atque exsultatio fuit, pœna dæmonum confitentium martyrum merita.

30. Per idem tempus Arbogastes comes adversum gentem suam, hoc est, Francorum, bellum paravit, atque pugnando non parvam multitudinem manu fudit, cum residuis vero pacem firmavit. Sed cùm in convivio à regibus gentis suæ interrogaretur, utrum sciret Ambrosium; & respondisset nosse se virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum, audivit: Ideo vincis, Comes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit soli: Sta, & stat. Quod ego ideo posui, ut cujus famæ fuerit vir sanctus etiam apud barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam & nos, referente juvene quodam Arbogastis admodum religioso, cognovimus, qui tunc interfuit; erat enim in tempore, [e] quo hæc loquebantur, vini minister.

31. Profectus itaque Sacerdos de Tusciæ partibus, Mediolanum revertitur, jam inde egresso Eugenio contra Theodosium; ibi christiani imperatoris præstolabatur adventum, securus de Dei potentia quod non traderet credentem in se hominibus injustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem justorum, ne extenderent justi ad iniquitates manus suas. Psal. 124. 3. Promiserat enim Arbogastes tunc comes, & Flavianus præfectus Mediolano egredientes, cùm victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica Ecclesiæ Mediolanensis atque clericos sub armis probaturos: sed miserandi homines cùm dæmonibus suis male creduli sunt, & aperiunt os suum in blasphemiam [f] apud Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera imperatoris qui se sacrilegio miscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus qui Ecclesiam suam tueri consuevit,

a. Ita mss. edit. vero, *vindicandum esse à comitibus.* Minus concinne.
b. Mss. aliquot, *in horam tertiam est civitas* &c.
c. Omnes edit. *directa relatio est*: omnes mss. *directa legatio est*; quæ relationem scilicet offerret Cæsari.
d. Eædem edit. cum cod. uno Germ. *sacerdoti ipsi revelassent*, ceteri mss. ut in contextu.
e. Ita mss. uno excepto: edit. autem cum eodem, *quo hæc loquebatur.*
f. Omnes edit. *contra Deum*: omnes mss. *apud Deum.*

de cælo *jaculatus est judicium*, atque omnem victoriam A
ad religiosum *imperatorem transtulit* Theodosium. Ex-
tincto itaque *Eugenio satellitibusque ejus*, cùm scripta
acceperet imperatoris, *non illi alia cura major fuit*, quam
ut pro iis interveniret, *quos reatus invenerat*. Obsecra-
tus est primo scriptis *imperatorem misso* diacono: post
ea vero quam directus est *Johannes tunc* tribunus & Epist. 61.
notarius, qui nunc præfectus est, ad tuitionem eorum
qui ad Ecclesiam confugerant, *etiam* ipse Aquileiam
perrexit, precaturus pro eis, quibus *facile* venia impe-
trata est; quia ipse christianus imperator provolutus pe-
dibus Sacerdotis testabatur meritis & orationibus ejus
se esse servatum.

32. Revertens itaque de urbe Aquileiensi, uno die B
præcessit imperatorem: nec diu clementissimæ memoriæ
Theodosius imperator susceptis filiis in Ecclesia & tra-
ditis Sacerdoti, in hac luce fuit: post cujus obitum fere
triennium supervixit. Quo in tempore sancti Nazarii
martyris corpus, quod erat in horto positum extra ci-
vitatem, levatum ad basilicam Apostolorum a quæ est a
in Romana, transtulit. Vidimus autem in sepulcro, quo
jacebat corpus martyris (qui quando sit passus, usque in
hodiernum scire non possumus) sanguinem martyris ita
recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam
ipsius, quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum C
atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, ut
nobis videretur eodem tempore quo levabatur, lotum
atque compositum in sepulcro. Et quid mirum, quan-
doquidem Dominus in Evangelio ante promisit, quod
capillus de capite eorum non peribit? Etiam odore tan- Luc. 21. 18.
to repleti sumus, ut omnium aromatum vinceret sua-
vitatem.

33. Quo levato corpore martyris, & in lectica compo-
sito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eo-
dem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad ora-
tionem perreximus. Numquam tamen illum antea orasse
in eodem loco compertum habemus: sed hoc erat signum D
revelati corporis martyris, si sanctus Sacerdos ad locum,
ad quem numquam antea fuerat, oratum isset. Cogno-
vimus tamen à custodibus loci ipsius, quod à parentibus
suis illis traditum sit, non discedere de loco illo per
omnem generationem & progeniem suorum; eo quod
thesauri magni in eodem loco positi essent. Et vere
magni thesauri, quos non ærugo, neque tinea extermi-
nat, neque fures effodiunt & furantur; quia custos eo- Matth. 6. 19.
rum Christus est, & locus eorum aula cælestis, quibus
Vivere Christus fuit, & mori lucrum. Translato itaque cor- Philip. 1. 21.
pore Martyris ad basilicam apostolorum b ubi pridem b
sanctorum apostolorum reliquiæ summa omnium devo- E
tione depositæ fuerant, cùm tractaret Episcopus, qui-
dam de populo repletus spiritu immundo, clamare cœ-
pit se torqueri ab Ambrosio. At ille conversus ad eum
ait: Obmutesce, diabole; quia non te torquet Ambro-
sius, sed fides sanctorum & invidia tua; quoniam illuc
vides adscendere homines, unde tu dejectus es; nam
Ambrosius nescit inflari. Quo dicto, ille qui clamabat,
prostratusque in terram est, nec amplius vo-
obmutuit, cem qua obstrepere posset, emisit.

34. Per idem tempus cùm consulatus sui tempore impe-
rator Honorius in urbe Mediolanensium, Lybicarum fera- F
rum exhiberet munus, populo illuc concurrente, c data
copia est missis militibus tunc ab Stilicone comite hor-
tatu Eusebii præfecti, ut Cresconius quidam de Eccle-
sia raperetur; quem confugientem ad altare Domini
sanctus Episcopus cum clericis, qui in tempore ade-
rant, defendendum circumdedit. Sed multitudo mili-
tum, d quæ duces suos habebat de perfidia arrianorum,
prævaluit adversum paucos; atque, ablato Cresconio,
exsultantes ad amphitheatrum reverterunt, Ecclesiæ
luctum non modicum relinquentes; nam Sacerdos pro-
stratus ante altare Domini factum diu flevit. Sed in tem-
pore cùm revertissent, & renuntiassent iis, à quibus
fuerant destinati milites, dimissi leopardi saltu celeri ad
eumdem locum, in quo sederant qui de Ecclesia trium-
phabant, adscendentes graviter laniatos reliquerunt.
Quod ubi vidit tunc Stilico comes, pœnitentia motus
est, ita ut per multos dies satisfaceret Sacerdoti, &
illæsum quidem illum qui ablatus fuerat, dimisit: sed
quia gravissimorum criminum erat reus, & aliter emen-
dari non poterat, ad exsilium destinavit, non multo
post indulgentiâ prosequente.

35. Per idem tempus cùm ad palatium pergeret, eum-
que pro loco officii nostri sequeremur, e Theodulo tunc e
notario, qui postea summa cum gratia Mutinensem rexit
Ecclesiam, cùm casu quidam pede esset lapsus, atque
prostratus jaceret in terra, ridenti factum conversus
Sacerdos ait: Et tu qui stas, vide ne cadas. Quo dicto, 1. Cor. 10. 12.
statim is qui alienum lapsum riserat, suum doluit.

36. Per idem tempus Frigitil quædam regina Marco-
mannorum, cùm à quodam Christiano viro, qui ad il-
lam forte de Italiæ partibus advenerat, referente sibi au-
diret famam viri, Christo credidit, cujus illum servu-
lum recognoverat, missisque Mediolanum muneribus
ad Ecclesiam per legatos postulavit, ut scriptis ipsius
qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille
epistolam fecit præclaram in modum catechismi, in qua
etiam admonuit ut suaderet viro Romanis pacem ser-
vare: qua accepta epistola, *mulier suasit viro*, ut cum
populo suo se Romanis *traderet*. Quæ cùm venisset
Mediolanum, plurimum *doluit quod sanctum* Sacerdo-
tem, ad quem festinarat, *minime reperisset; jam enim*
de hac luce migraverat.

37. Temporibus vero Gratiani, *ut retro redeam*, cùm
ad prætorium Macedonii tunc *magistri officiorum pro*
quodam intercedendum perrexisset, atque ex *præcepto*
supradicti viri fores invenisset clausas, *nec copiam in-
grediendi* adeptus esset, ait: Et tu quidem venies f ad f
Ecclesiam nec clausis januis invenies, qua ingrediaris.
Quod factum est; mortuo enim Gratiano, confugiens
Macedonius ad Ecclesiam, patentibus januis, aditum *re-
perire* non poterat.

38. Vir autem ipse venerabilis Episcopus multæ absti-
nentiæ, & vigiliarum multarum & laborum, quotidia-
no jejunio macerans corpus, cui prandendi numquam
consuetudo fuit, nisi die sabbati, & Dominico, vel cùm
natalitia celeberrimorum martyrum essent. Orandi etiam
assiduitas magna die ac nocte: nec operam declinabat
scribendi propria manu libros, nisi cùm aliqua infir-
mitate g corpus ejus adtineretur. Erat etiam in illo sol- g
licitudo omnium Ecclesiarum, interveniendi etiam mag-
na assiduitas & constantia. In rebus etiam divinis im-
plendis fortissimus, in tantum ut quod solitus erat cir-
ca baptizandos solus implere, quinque postea episcopi
tempore quo decessit, vix implerent. Sollicitus etiam
nimium pro pauperibus & captivis; nam in tempore
quo episcopus ordinatus est, aurum omne atque argen-
tum quod habere poterat, Ecclesiæ vel pauperibus con-
tulit. Prædia etiam quæ habebat, reservato usufructua-
rio germanæ suæ, donavit Ecclesiæ, nihil sibi quod hic
suum diceret, derelinquens; ut nudus atque expeditus
miles Christum dominum sequeretur: *qui cùm dives esset,* 2. Cor. 8. 9.
propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur.

39. Erat etiam gaudens cum gaudentibus, & flens cum Rom. 12. 15.
flentibus: siquidem quotiescumque illi aliquis ob perci-
piendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita fle-
bat, ut & illum flere compelleret; videbatur enim sibi
cum jacente jacere. Causas autem criminum quæ illi con-
fitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat,
loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris sa-
cerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint,
quam accusatores apud homines. Nam & secundum
Apostolum circa hujusmodi hominem confirmanda ca- 2. Cor. 2. 8.

a. Omnes edit. *quæ est Romana* mss è contrario, *quæ est in Ro-
mana*, regione scilicet; id est, prope portam Romanam urbis Me-
diolani.

b. Mss. aliquot, *ubi pridie sanctorum apostolorum*.

c. Ita edit. Gill. ac plures mss. alii nonnulli, *data copia est injustis
militibus*: Rom. edit. *data copia est militibus*.

d. Mss. aliquot, *quæ duos duces habebat*.

e. Quidam mss. *Theodoro tunc notario*: unus, *Theodorus tunc no-
tarius*, non bene.

f. Omnes edit. cum uno cod. Colb. *quam nec tu ingredieris,
januis licet non clausis* cod. unus Germ. *apertisque januis, non inve-
nies qua ingrediaris*: ceteri mss. ut in contextu.

g. Ita mss. septem: Germ. vero unus, ac edit. *corpus ejus adte-
nuaretur*.

ritas est; quia ipse sui accusator est, nec exspectat accusatorem, sed prævenit; ut confitendo suum [a] allevet ipse delictum; ne habeat quod adversarius criminetur. [Prov. 18. 17.] Ideoque Scriptura dicit: *Justus in principio sermonis accusator est sui.* Vocem enim eripit adversario, & quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem Deo, cui nuda sunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris quam mortem. [Hebr. 4. 13. Ezech. 18. 32.] Nam & ipsi pœnitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur emendatio facti; ut pœnitens non faciat pœnitenda, humiliet etiam animam suam, sicut David sanctus, qui postquam audivit à propheta: *Dimissum est peccatum tuum*; humilior factus est in emendatione peccati, ita ut cinerem sicut panem manducaret, & potum suum cum fletu misceret. [2. Reg. 12. 14. Psal. 101. 10.]

40. Flebat etiam amarissime quotiescumque forte nuntiatum illi fuerat de cujuscumque sancti obitu sacerdotis, in tantum ut nos illum [b] consolari niteremur, ignorantes pium affectum viri, nec qua ratione ita fleret intelligentes. Quibus ille hujusmodi responsum reddebat: Non se flere, quia recesserat, qui fuerat mortuus nuntiatus: sed quia præcesserat, vel quia difficile esset invenire virum, qui summo sacerdotio dignus haberetur. Ipse autem de sua morte ante prædixit quod usque ad pascha nobiscum futurus esset: quod quidem meruit Dominum obsecrando, quo maturius hinc liberaretur.

41. Ingemiscebat enim vehementer cùm videret radicem omnium malorum avaritiam pullulare, quæ neque copiâ neque inopiâ minui potest, magis magisque increscere in hominibus, & maxime in iis qui in potestatibus erant constituti; ita ut interveniendi illi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebantur. Quæ res primò omne malum invexit Italiæ, & exinde omnia vergunt in pejus. Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætendere: *Ad excusandas excusationes in peccatis*; [Psal. 140. 4.] quandoquidem plerosque ceperit etiam cœlibes sacerdotes vel levitas, quibus portio Deus est, ut etiam ipsi illam appetant? [Deut. 18. 2.] Et væ nobis miseris! quia nec fine mundi provocamur, ut jam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod demergit ad profundum inferni; ut faciamus nobis *amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* [Luc. 16. 9.] Attamen beatus ille qui quandoque conversus, diruptis vinculis, atque projecto jugo hujusmodi dominationis, *tenebit, & allidet parvulos ejus ad petram*, [Psal. 136. 9.] hoc est, omnes intentiones ejus allidet ad Christum, qui secundùm Apostolum petra est, quæ omnes ad se allisos interimit, ipsa inviolabilis manens, nec reum faciens eum, qui ad se alliserit nequissimi uteri deteriores partus, sed innocentem; ita ut securus possit dicere: *Portio mea Dominus.* [Psal. 118. 57.] Quia cui nihil in sæculo est, illi vere portio est Christus: Et qui contemserit parva, multa percipiet, insuper & vitam æternam possidebit. [Matth. 19. 29.]

42 Ante paucos vero dies quam lectulo detineretur, cùm quadragesimum tertium psalmum dictaret, me & excipiente & vidente, subito in modum scuti brevis ignis caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius tamquam in domum habitator ingressus est: post quod facta est facies ejus velut nix, & postea reversus est vultus ejus ad speciem suam. Quod cùm fieret, stupore perculsus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi posteaquam visio ipsa transivit; dicebat enim in eo tempore testimonium scripturæ divinæ, quod ego optime retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit; siquidem ipsum psalmum explere non potuit. Ego vero id quod visum à me fuerat, honorabili viro Casto diacono, sub cujus cura degebam, statim retuli: at ille repletus gratia Dei, Spiritus sancti adventum me in illo vidisse edocuit lectione Actuum apostolorum.

43. Superioribus autem diebus cùm Stiliconis tunc comitis servus, qui dæmonio laboraverat, in Ambrosiana basilica jam sanus maneret, commendatus à domino suo; ferebatur enim quod libenter ab eodem haberetur: faceretque [c] falsas epistolas tribunatus, in tantum ut tenerentur homines, qui ad ministrandum pergebant; sed ubi ad personam servi sui pervenit comes Stilico, noluit in eum vindicare. Homines etiam qui decepti fuerant, interventu Sacerdotis dimisit, de ipso vero servo Sacerdoti questus est. Quem vir sanctus cùm de basilica Ambrosiana egrederetur, requiri fecit, atque ad se perduci. Quem cùm interrogasset, & deprehendisset auctorem tanti flagitii, ait: Oportet illum tradi satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in posterum audeat admittere. [1. Cor. 5. 5.] Quem eodem momento cùm adhuc sermo esset in ore Sacerdotis, spiritus immundus arreptum discerpere cœpit: quo viso, non minimo timore repleti sumus & admiratione. Multos etiam diebus illis, imponente illo manus, & imperante ab spiritibus immundis vidimus esse purgatos.

44. Per idem tempus [d] Nicentius quidam ex tribuno & notario, qui ita pedum dolore tenebatur, ut rarò in publico videretur; cùm ad altare accessisset, ut sacramenta perciperet, calcatusque casu à Sacerdote exclamasset, audivit: Vade, & amodo salvus eris. Nec se amplius doluisse pedes, tempore quo sanctus Sacerdos de hac luce migravit, lacrymis testabatur.

45. Sed post dies hos, ordinato sacerdote Ecclesiæ Ticinensi, incidit in infirmitatem, qua cùm plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur quod, tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Unde convocatis ad se nobilibus viris illius civitatis, quos diligi à sancto Sacerdote cognoverat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum Sacerdotem, suaderentque illi, ut sibi vivendi peteret à Domino commeatum. Quod ille ubi ab illis audivit, respondit: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere: nec timeo mori; quia Dominum bonum habemus.

46. Per idem tempus cùm in extrema parte porticus in qua jacebat, in uno positi Castus, Polemius, Venerius & Felix tunc diaconi secum tractarent voce ita pressa, ut vix se invicem audirent, quis post obitum illius episcopus ordinandus esset, atque cùm de nomine sancti loquerentur Simpliciani, tamquam interesset tractatui, cùm longe positus ab ipsis jaceret, approbans exclamavit tertiò: Senex, sed bonus. Erat enim Simplicianus ævi maturus. Qua voce audita, expavescentes fugerunt; defuncto tamen eo, non alius illi successit in sacerdotium, nisi is quem ille bonum senem trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius, quem supra memoravimus, successor fuit: Felix vero nunc usque Bononiensem regit Ecclesiam: Castus autem & Polemius nutriti ab Ambrosio bonæ arboris boni fructus, in Ecclesia Mediolanensi diaconii funguntur officio.

47. In eodem tamen loco in quo jacebat (sicut referente sancto Bassiano episcopo Laudensis Ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cùm oraret una cum supradicto sacerdote, viderat dominum Jesum advenisse ad se, & arridentem sibi: nec multos post dies nobis ablatus est. Sed eodem tempore quo migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, in qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit: nos vero labia illius moveri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus etiam sacerdos Ecclesiæ Vercellis cùm in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertiò vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini corpus: [e] quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens; ut in virtute escæ anima refectior, Angelorum nunc consortio, quorum vitâ vixit in terris, & Eliæ societate lætetur; quia ut Elias numquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est.

a. Mss. quatuor, *ut absolvat*. unus, *ut abluat*: alius, *ut alliget*. duo reliqui, & edit. *ut allevet*.

b. Omnes edit. *consolari niteremur*: omnes mss. *consolari videremur*.

c. Ita mss. edit. vero, *facere epistolas tribunatus compertum est*.

d. Eras. & Gill. cum parte mss. ita hoc nomen scribunt: edit. autem Rom. cum aliis mss *Nicetius quidam.* Continuo vero post pro *ex tribuno & notario* habet cod. Becc. *ex tribunus & notarius*: unus Germ. *ex tribuno notarius*.

e. Omnes edit. *Quod ubi accepit, emisit spiritum*: omnes mss. ut nos in textu.

48. Atque

48. Atque inde ad Ecclesiam majorem a antelucana A
hora qua defunctus est, corpus ipsius portatum est;
ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in pascha:
quem plurimi infantes baptizati cùm à fonte venirent,
viderunt, ita ut aliqui sedentem in cathedra in tribunali
dicerent, b alii vero ambulantem suis parentibus digito
ostenderent: sed illi videntes videre non poterant, quia
mundatos oculos non habebant: plurimi autem stellam
supra corpus ejus se vidisse narrabant. Sed lucescente
die Dominico, cùm corpus ipsius, peractis sacramentis
divinis, de Ecclesia levaretur, portandum ad basilicam
Ambrosianam, in qua positus est, ita ibi dæmonum B
turba clamabat se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum
ferri non possent. Quæ gratia Sacerdotis non solum in
illo loco, verum etiam in plurimis provinciis usque in
hodiernum manet: jactabant etiam turbæ virorum ac
mulierum oraria, vel semicinctia sua, ut corpus Sancti
aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exequia-
rum turba innumerabilis totius dignitatis, totiusque
sexus, omniumque pene ætatum non solum christiano-
rum, sed etiam Judæorum & paganorum; majore ta-
men gratiâ ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati.

49. Eadem vero qua obiit die (sicut textus epistolæ
loquitur, quæ à successore ejus venerabili viro Simpli-
ciano suscepta est de partibus Orientis ad ipsum tam- C
quam adhuc nobiscum viventem directa, quæ nunc
usque Mediolani habetur c in monasterio) quibusdam
sanctis viris apparuit, orans cum illis, & imponens illis
manus; habet enim diem epistola quæ directa est, quâ
lectâ, invenimus illum diem esse, quo ille defunctus est.

50. Intra Tusciam etiam in civitate Florentina, ubi
nunc vir sanctus Zenobius episcopus est, d quia promi-
serat petentibus illis eos se sæpius visitaturum, frequen-
ter ad altare quod est in basilica Ambrosiana, quæ ibi-
dem ab ipso constituta est, visum orare, ipso sancto
viro sacerdote Zenobio referente, didicimus. In eadem D
etiam domo, in qua declinans Eugenium mansit, tem-
pore quo Radagaisus supradictam civitatem obsidebat,
cùm jam de se penitus desperassent viri civitatis ipsius,
per visum cuidam apparuit, & promisit alio die salutem
illis adfuturam. Quo referente, civium animi sunt erecti;
nam altero die, adveniente Stilicone tunc comite cum
exercitu, facta est de hostibus victoria. Hæc Pansophia
religiosa femina, matre pueri Pansophii referente, cog-
novimus.

51. Mascezeli etiam desperanti de salute sua, vel exer-
citus quem ductabat contra Gildonem, baculum tenens E
manu in visu noctis apparuit, atque cùm provolveretur senex
ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens terram
baculo quo regebatur, tertio (hac enim illi specie appa-
ruerat) ait: Hic, hic, hic, signans locum; deditque in-
tellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitra-
tus, ut agnosceret se in ipso loco in quo sanctum Domi-
ni viderat Sacerdotem, die tertia victoriam adepturum:
atque ita securus bellum inchoavit & consummavit. Nos
tamen e ea Mediolani positi, ipso Mascezele referente,
cognovimus; nam & in hac provincia, in qua nunc po-
siti hæc scribimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdo-
tibus, quibus etiam referentibus, securius hæc nobis
cognita huic libro adjungere arbitrati sumus.

52. Sisinnii etiam & Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosii in Ananiæ partibus, f persequentibus gentilibus viris martyrii coronam adepti sunt, cùm reliquias Mediolani summa cum devotione susciperemus, adveniente quodam cæco & referente cognovimus, qui eodem die tacto loculo, in quo sanctorum reliquiæ portabantur, lumen recepit, quod per visum noctis vidisset navem appropinquantem littori, in qua erat multitudo albatorum virorum; quibus descendentibus ad terram, cùm unum de turba precaretur, ut sciret qui essent ii viri, audierit, Ambrosium ejusque consortes. Quo audito nomine, cùm deprecaretur ut lumen reciperet, audivit ab eo: Perge B Mediolanum, & occurre fratribus meis, qui illò venturi sunt, designans diem, & recipies lumen. Erat enim vir, ut ipse adserebat, de littore Dalmatino, nec se ante venisse in civitatem adserebat, priusquam recto itinere reliquiis sanctorum occurrisset, nondum videns: sed tacto loculo, videre cœpisse.

53. His itaque decursis, non arbitror grave videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, ut Domini dictum quod per os sanctorum prophetarum loquutus est, completum esse doceamus: *Sidentem adversus fratrem suum & detrahentem occulte, persequebar*; & alibi: *Noli diligere detrahere, ne eradiceris*; ut quicumque forte hu- C jusmodi captus est consuetudine, cùm legerit qualiter in iis qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur. Ps.100.5. Prov.20.13.

54. Igitur Donatus quidam natione Afer, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cùm in convivio positus, in quo erant g nonnulli *militares viri religiosi*, detraheret memoriæ Sacerdotis, adspernantibus illis & deferentibus linguam nequam, subito *vulnere percussus gravi*, de eodem loco in quo jacebat, h *alienis manibus sublatus*, in lectulum positus est, atque *inde ad sepulcrum* usque perductus. In urbe etiam Carthaginensi, cùm D apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelii episcopi, ad convivium convenissem una cum i *Vincentio Colositano* episcopo, Murano etiam episcopo Boliano, sed & aliis episcopis & diaconibus; tunc Murano episcopo detrahenti Sancto viro retuli exitum presbyteri superius memorati: quod ille de alio dictum, de se oraculum maturo sui exitu comprobavit. Nam de eodem loco in quo jacebat, cùm subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum usque portatus est, atque inde ad domum in qua hospitabatur deductus, diem clausit extremum. Is finis virorum illi detrahentium fuit, quem videntes qui tunc aderant, admirati sunt.

55. Unde hortor & obsecro omnem hominem, qui hunc librum legerit, ut imitetur vitam sancti viri, laudet Dei gratiam, & declinet detrahentium linguas; si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitæ, quàm cum detrahentibus illis subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat.

56. Tuam etiam precor beatitudinem, pater Augustine, ut pro me humillimo peccatore * Paulino cum omnibus sanctis qui tecum invocant nomen domini nostri Jesu Christi in veritate, orare digneris; ut quia in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere F consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi præmium fugisse supplicium.

a. Plures mss. *ante lucana hora corpus ipsius* ... Omnes edit. *ante lucanam horam*: omnes vero restituunt, *qua defunctus est*.

b. Mss. aliquot, *alii vero adjicendi erant* .... *ostenderent: sed nulli præter noviter baptizati videre poterant: quia tam mundos oculos*, &c.

c. Ita edit. ac mss. non pauci: ceteri verò, *in monasterio cujus dam est orare*, sicut ip*s*o &c. omnes mss. ut in contextu.

d. Omnes edit. *quia promiserat illos se sæpius visitaturum* ... *visus sancti viri apparuit*.

e. Cod. Germ. unus, *ea die Mediolani*.

f. Edit. *persequentibus gentilibus*, *martyrii*, quondam Paris. cum uno ms. *viri martyrii*: ceteri mss. nobis suffragantur.

g. Eadem edit. *nonnulli religiosi viri*: mss. vero, *nonnulli militares*, &c.

h. Ita mss. plures, potioresque: at edit. *cum aliis nonnullis*, *manibus sublevatur*.

i. Mss. aliquot, *Vincentio Culusitano*: unus, *Colitano*.

*. Non defuerunt qui decepti Paulini vocabulo, hunc à Paulino Nolano episcopo minime distinguerent, nec dubitarent hanc vitam Ambrosii in mss. nonnullis ita prænotare: *Incipit Prologus Paulini episcopi*; quo etiam titulo in limine Erasmianæ edit. inscripta fuit. Verum præterquam quod in mss. multo pluribus nomen scriptoris aut Vitæ fronti non præfigitur, aut eidem non episcopi, sed notarii tantum Ambrosiani titulus adjungitur; extra controversiam est auctorum hunc Paulinum prorsus à Nolano diversum esse. Ex iis enim quæ supra num. 42. de se ipse dicit, cum paucis dubius ante felicem Ambrosii mortem adhuc inferioris ordinis clericum fuisse intelligimus, cùm ante mortem Ambrosianam Paulinus Nolanus factum se episcopum testetur in epist. ad Alypium. Hunc tamen Paulinum postea pervenisse ad gradum presbyterii ex Isidoro *de Viris illustr*. cap. 4 vulgo colligunt. Hæc si mature Erasmus perpendisset, & qui eum sequuti sunt, quidam heterodoxi, censuram tulissent de hoc auctore minus iniquam; sed illi displicuit miraculorum aliquot obvia narratio, hos vero loci nonnulli erroribus suis plane contrarii quia offenderent, non poterant.

ΒΙΟΣ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑ ΤΟΥ ΟΣΙΟΥ πατρὸς ἡμῶν Ἀμβροσίου ἐπισκόπου Μεδιολανων.

1. ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΣ μετὰ τελευτὴν Ἰοβιανοῦ τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας διαδεξάμενος, τὸν ἴδιον ἀδελφὸν Οὐάλεντα ἐκ Παιονίας ἀγαγὼν κοινωνὸν ποιεῖται τῆς βασιλείας· καὶ τῆς Ἀσίας αὐτῷ παραδοὺς τὰ σκῆπτρα καὶ μέντοι καὶ τῆς Αἰγύπτου, ἑαυτῷ τὴν Εὐρώπην ἀπένειμε. καὶ τὴν Ῥώμην καταλαβὼν, τοὺς ἑσπερίους πάντας ἐπὶ τὴν ἀληθῆ θεογνωσίαν εἰσῆγε, ἀπὸ τῶν τῆς εὐσεβείας κηρυγμάτων πρῶτον ἀρξάμενος.

2. Αὐξέντιος γὰρ ὃς τὴν Ἀρείου μὲν εἰσεδέξατο λώβην, Μεδιολάνων δὲ τὴν ἐκκλησίαν πεπιστευμένος ἐν πλείσταις ἀπεκηρύχθη συνόδοις, τὸν βίον ὑπεξελθόντος, μεταπεμψάμενος τοὺς τῶν ἐπισκόπους Οὐαλεντινιανὸς, τοιοῖσδε λόγοις πρὸς αὐτοὺς ἐχρήσατο. ἴστε σαφῶς ἅτε δὴ τοῖς θείοις λόγοις ἐντεθραμμένοι, ὁποῖον εἶναι προσήκει τὸν ἀρχιερωσύνης ἠξιωμένον. καὶ ὡς οὐχὶ λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ βίῳ τοὺς ἀρχομένους ῥυθμίζειν, καὶ πάσης ἀρετῆς ἀρχέτυπον ἑαυτὸν προτιθέναι, καὶ μαρτυρίαν ἔχειν τῆς διδασκαλίας, τὴν πολιτείαν. τοιοῦτον οὖν καὶ νῦν τοῖς ἀρχιερατικοῖς ἐγκαθιδρύσατε θρόνοις, ὅπως ἂν καὶ ἡμεῖς οἱ τὴν βασιλείαν ἰθύνοντες εἰλικρινῶς αὐτῷ τὰς ἡμετέρας ὑποκλίνωμεν τὰς κεφαλὰς, καὶ παρ' ἐκείνου γενομένους ἐλέγχους, ὡς ἰατρικὴν ἀσπαζόμεθα θεραπείαν. ἀνθρώπους γὰρ ἡμᾶς ὄντας καὶ προσπταίειν πάντως ἀνάγκη.

3. Ταῦτα τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως Οὐαλεντινιανοῦ εἰρηκότος, ἡ σύνοδος αὐτὸν ἠξίου ψηφίσασθαι, σοφόν τε ὄντα καὶ εὐσεβείᾳ κοσμούμενον· ὁ δὲ, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς, ἔφησεν, τὸ ἐγχείρημα· ὑμεῖς γὰρ τῆς θείας ἠξιωμένοι χάριτος, καὶ τὴν αἴγλην ἐκείνην εἰσδεδεγμένοι· ἄμεινον ψηφιεῖσθε. οὗτοι μὲν οὖν ἐξελθόντες καθ' ἑαυτοὺς ἐβουλεύοντο. οἱ δὲ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκοῦντες κατεστασίαζον. οἱ μὲν τοῦτον, οἱ δὲ ἐκεῖνον προβληθῆναι φιλονεικοῦντες. οἱ μὲν γὰρ τὰ Αὐξεντίου νοσοῦντες τοὺς ὁμόφρονας ἐψηφίζοντο· οἱ δὲ ὑγιαινούσης μοίρας, ὁμογνώμονα πάλιν ἐζήτουν ἔχειν ἀρχιερέα.

Ὁ θεῖος τοίνυν Ἀμβρόσιος ἐν τῇ ῥωμαίων διαπρέπων συγκλήτῳ, μετὰ πολλὰς καὶ ἄλλας ἀξιωμάτων ἀρχὰς, τὴν Ἰταλῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἡγεμονίαν, παρὰ Κωνσταντίνου καὶ Κώνσταντος τῶν εὐσεβῶν βασιλέων πεπίστευτο, ἀνὴρ καθαρὸς μὲν τὸν βίον, καὶ ἀρετῆς ἐραστὴς, εὐδόκιμος δὲ καὶ λόγοις καὶ ἔργοις· σοφίας δὲ τῆς τῶν θείων γραφῶν θρέψιμος, εἰ καὶ ἀμύητος ἦν ἔτι, ἀλλὰ καὶ παιδείᾳ τῇ ἑλληνικῇ καὶ μούσῃ γεγυμνασμένος. δίκαιος τὸ κρίνων καὶ ὑγιῶς, καὶ πράξεως πονηρᾶς ἁπάσης ἀκριβὴς ἔλεγχος.

4. Οὗτος ταύτην μαθὼν τὴν στάσιν, καὶ δείσας μή τι νεώτερον γένηται, σὺν τάχει πολλῷ τὴν ἐκκλησίαν καταλαβὼν, ἀμφοτέροις τὰς ταραχὰς κοιμίζει τοῖς μέρεσιν· οἱ δὲ, τῆς φιλονεικίας ἐκείνης παυσάμενοι, κοινὴν ἀφῆκαν φωνὴν, αὐτὸν τὸν μακάριον Ἀμβρόσιον προχειρισθῆναι ποιμένα ἑαυτοῖς ἐξαιτοῦντες. ὃ ὁ βασιλεὺς ἀκούσας, προσέταξεν αὐτίκα καὶ χειροτονηθῆναι τοῦτον τὸν ἀξιέπαινον ἄνδρα· ᾔδει γὰρ αὐτοῦ πάσης μὲν στάθμης, εὐθυτέραν τὴν γνώμην· παντὸς δὲ κανόνος ἀκριβεστέρας τὰς ψήφους. ὑπέλαβε δὲ καὶ θείαν εἶναι τὴν ψῆφον, ἐκ τῆς τῶν ταναντία φρονούντων τοῦτο τεκμαιρόμενος συμφωνίας.

5. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῆς τοῦ παναγίου βαπτίσματος ὁ Ἀμβρόσιος ἀπέλαυσε δωρεᾶς, καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν ἐδέξατο

A VITA ET INSTITUTUM Sancti Patris nostri Ambrosii Mediolanensium Episcopi.

1. CUM Valentinianus post Joviani mortem sceptrum imperii suscepisset, fratrem suum Valentem ex Pannonia accersens, summæ potestatis consortem fecit: & sceptro Asiæ atque etiam Ægypti in eum transcripto, Europam sibi B retinuit, & Romam petens, universos Occidentis populos ad veram adduxit Dei cognitionem, à pietatis prædicatione ante omnia regnum auspicatus.

2. Etenim Auxentio, qui Arii schisma fuerat amplexus, & Ecclesiam Mediolanensem commissam habens, in multis synodis abdicatus est, vita defuncto, imperator Valentinianus cùm episcopos ad se vocasset, apud eos usus est his sermonibus: Aperte nostis, quemadmodum homines decet innutritos divinis verbis, qualem esse hunc conveniat, qui ad honorem episcopatus pro- C moveatur; & qua ratione subditos non verbo tantum, verum & vitâ regere debeat, & exemplar omnis virtutis seipsum proponere, ac demum doctrinæ suæ testem habere vitæ institutionem. Talem igitur & nunc in episcopali throno collocate, ut nos à quibus imperium gubernatur, sincere inclinemus ei capita nostra, & factas ab eo reprehensiones tamquam medicam curationem excipiamus; cùm enim simus homines, etiam offendamus omnino necesse est.

3. Religiosum imperatorem Valentinianum ita lo- D quutum rogabat conventus, ut ipse suffragium ferret, quippe qui sapientia & pietate ornatus esset. Ille vero: Vires meas, inquit, longe superat talis conatus: at vos qui divina gratia decorati, & hoc eodem splendore donati estis, magis congrue feretis suffragium. Isti igitur hinc exeuntes apud se deliberaverunt. Cives porro illius urbis seditionem inter se commovebant, hi quidem illum, illi autem hunc præponi contendentes. Qui enim Auxentii lue erant infecti, secum sentientibus suffragabantur: illi ex adverso, qui saniori à parte stabant, expetebant fidei consortem habere antistitem.

Itaque divinus Ambrosius in Romanorum clarus se- E natu, post alia multa honorum fastigia, per id temporis præfecturam Italiæ à piis imperatoribus Constantino & Constante obtinuerat. Is erat sane vir vita purus, & virtutis amator, probatus autem & verbis & opere; sapientia vero quæ hauritur è sacris litteris, enutritus, tametsi nec dum initiatus esset. Quin etiam eloquentia græcanica & poetica facultate exercitatus erat, æquus pariter & sanus rerum arbiter, nec non omnis actionis pravæ quæsitor accuratus.

4. Idem certior factus harum turbarum, & ne quid F novi accideret veritus, multa cum celeritate Ecclesiam petiit, ambarumque partium motus sopivit. Illi vero, deposita contentione, communem emiserunt vocem, ipsummet beatum Ambrosium ordinari sibi pastorem simul poscentes. Quæ imperator cùm cognovisset, statim edixit laudabilem eumdem virum & initiari, & consecrari; noverat enim illius mentem magis rectam esse qualibet libra, ejusque suffragium omni regula accuratius. Suspicatus autem est non etiam sine Dei calculo id contigisse, rem conjiciens ex eorum consensione, qui sententiis ante dissidebant.

5. Postquam vero sacratissimi baptismi donum Ambrosius adeptus fuit, & gratiam accepit episcopalem,

Salvatori atque Domino hujusmodi hymnum optimus imperator, his enim rebus aderat præsens, dicitur obtulisse: Gratia tibi, Domine omnipotens & salvator noster, quod huic eidem viro ego quidem corpora commisi, tu vero animas; & judicium meum ostendisti justum fuisse.

6. Elapsis porro paucis diebus, cùm majori usus libertate idem hic divus Ambrosius imperatorem alloqueretur, eum arguebat, ut puta ob negotia quædam à præfectis ejus haud recte facta; imperator, equidem, ait, hanc tuam libertatem pridem noveram, & sciens prudensque non modo non tum refragatus, sed etiam calculum meum unà contuli tuæ ordinationi. Medicare igitur, sicuti divina lex præcipit, vulnera animarum nostrarum.

7. Hæc itaque cùm Valentinianus magnus & pius imperator Mediolani dixisset atque fecisset: & pulcre quidem constituisset imperium, rectæ vero fidei professione refulsisset; sexto decimo imperii anno vitâ decedit: successores autem relinquit filios suos Gratianum junioremque Valentinianum, Valente fratre in Orientis regionibus rerum potiente, eo scilicet qui cum arianis in perfidia se se conjunxit. Hic quidem cum Gotthis pugna congressus atque devictus, in palleariam casam confugiens, igne ibidem interiit: in Gratianum autem Valentiniani quidem filium, Valentis verò ex fratre nepotem recidit universa romanæ ditionis potentia; primùm enim à patre non modo sceptrum Europæ, verum etiam totius Occidentis relictum cepit: deinde vero, cùm sine liberis Valens è medio sublatus esset, Asiam quoque, & quidquid in Africa reliqui erat, is obtinuit. Quoniam autem patris exemplo colebat pietatem, episcopos omnes, quos Valens in gratiam arianæ hæresis patria ejectos extorres fecerat, ab exilio ipse revocavit. Idem etiam cum à barbaris, dum Valens imperaret, bello victoribus devastatam esse Thraciam comperisset, relictâ Italiâ, in Pannoniam venit.

8. Sub idem tempus Theodosius quoque, cum ob majorum nobilitatem, tum ob propriam generositatem celeberrimus erat: & æqualium suorum invidentia pulsus; in Hispaniis agebat; ubi & natus fuerat & educatus. Ignorans igitur imperator Gratianus quid facto opus esset; inflati enim ex victoria barbari propemodum invicti erant & habebantur: militarem Theodosii peritiam malorum fore depulsionem arbitratus est. Et confestim ex Iberia, quæ Hispania etiam nominatur, hominem accersens, ac bello præficiens, cum exercitu collecto misit. Hic autem invictis armis, orthodoxa nimirum fide circummunitus, magna cum fiducia adversus hostilem aciem procedit. Et Thraciam ingressus, is quidem per vim prælio vicit: barbari vero ne vel primum sustinentes impetum, statim omnes simul terga dederunt; & multa eorum non solum à Romanis cædes facta est, verum etiam jam à se ipsis: quanto enim majores erant horum copiæ, tanto magis sibi potius quam hostibus damnum inferebant.

9. His itaque prope omnibus ita deletis, pauci admodum, qui potuerunt se occultare, Danubium trajiciunt. Lætus igitur Gratianus quod belli summam credidisset Theodosio, imperatorem eum statim declarat, & ei ditionis, qua Valens ante potiebatur, sceptrum committit. Et ipse quidem ad Italiæ administrationem transivit, illum autem ad concessum dimittit imperium. Regalem igitur Theodosius capescens dignitatem, concordiæ Ecclesiarum, quam maxime poterat, curam gerebat, & episcopos propriæ ditionis, ut convenirent Constantinopolim, exhortatus est; hæc enim sola referta fuerat ariana peste, cûm illæ partes quæ ad occasum erant positæ, ab isto morbo liberæ

χάριν· οὗτοι ὁ πάντα ἄριστος βασιλεὺς προσοικειωκέναι λέγεται τῷ σωτῆρι καὶ δεσπότῃ τὸν ὕμνον· καὶ γὰρ τοῖς γενομένοις παρῆν· χάρις σοι δέσποτα παντοκράτορ καὶ σωτὴρ ἡμέτερε, ὅτι τῷ δὲ τῷ ἀνδρὶ ἐγὼ μὲν ἐνεχείρησα σώματα· σὺ δὲ ψυχάς· καὶ τὰς ἐμὰς ψήφους δικαίας ἀπέφηνας·

6. Ἐπειδὴ δὲ ὀλίγων διελθουσῶν ἡμερῶν ὁ θεῖος οὗτος Ἀμβρόσιος σὺν παρρησίᾳ μείζονι τῷ βασιλεῖ διαλεγόμενος, ἐμέμψατο τοῦτον, ὡς μὴ καλῶς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων πραγμάτων τινῶν γεγενημένων· ὁ βασιλεύς· ἔγωγε, ἔφη, ταύτην σου καὶ πάλαι ᾔδειν τὴν παρρησίαν· καὶ σαφῶς ἐπιστάμενος, οὐ μόνον οὐκ ἀντεῖπον ἀλλὰ καὶ σύμψηφος τῇ χειροτονίᾳ γέγονα· ἴασαι τοίνυν, ὡς ὁ θεῖος ὑπαγορεύει νόμος, τὰ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν πλημμελήματα.

7. Ταῦτα μὲν οὖν ἐν Μεδιολάνῳ Οὐαλεντινιανὸς ὁ μέγας καὶ εὐσεβὴς βασιλεὺς καὶ εἰπὼν καὶ δράσας καλῶς τε διαθέμενος τὴν βασιλείαν, καὶ ὀρθοδοξίᾳ διαλάμψας, ἐπὶ ἕκτῳ καὶ δεκάτῳ ἐνιαυτῷ τῆς ἀρχῆς, καταλύει τὸν βίον. διαδόχους δὲ τοὺς παῖδας, Γρατιανὸν καὶ Οὐαλεντινιανὸν καταλείπει τὸν νέον. Οὐάλεντος ἤδη τῆς ἀνατολῆς τοῦ ἀδελφοῦ βασιλεύοντος· ὃς δὴ καὶ τῆς αἱρέσεως Ἀρειανοῖς ἐκοινώνει· συμβαλὼν δὲ μετὰ τῶν Γότθων πόλεμον, καὶ ἡττηθεὶς, ὁ μὲν, εἰς ἀχυρῶνα καταφυγὼν, ὑπὸ πυρὸς ἐν αὐτῷ ἀνηλώθη· εἰς Γρατιανὸν δὲ Οὐαλεντινιανοῦ μὲν υἱὸν Οὐάλεντος δὲ ἀνεψιὸν πᾶσα ἡ Ῥωμαίων ἡγεμονία μετέπεσε· πρῶτα μὲν γὰρ τὰ τῆς Εὐρώπης, ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ τῆς δύσεως ἁπάσης σκῆπτρα ὑπὸ τοῦ πατρὸς παρειλήφει· ἔπειτα καὶ τὴν Ἀσίαν καὶ τὰ λειπόμενα τῆς Λιβύης, ἄπαιδος τοῦ Οὐάλεντος ἀναιρεθέντος· εὐσεβὴς δὲ ὢν κατὰ τὸν πατέρα, τοὺς ἐπισκόπους ἐκ τῆς φυγῆς ἀνεκαλέσατο πάντας ὅσους Οὐάλης διὰ τὴν Ἀρειανῶν αἵρεσιν ὑπερορίους ἐποιήσατο, καὶ τῆς πατρίδος ἀπεληλάκει· Γρατιανὸς δὲ τὴν Θρᾴκην λῃζομένην ὑπὸ τῶν Οὐάλεντα καταγωνισαμένων βαρβάρων μαθὼν, τὴν Ἰταλίαν ἀπολιπὼν, εἰς τὴν Παιονίαν ἀφίκετο.

8. Ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον καὶ Θεοδόσιος ἀπό τε τῆς τῶν προγόνων περιφανείας, ἀπό τε τῆς αὐτοῦ γενναιότητος, ὀνομαστότατος ἦν, καὶ ὑπὸ τοῦ φθόνου τῶν ὁμοτίμων βαλλόμενος, ἐν ταῖς Σπανίαις διέτριβεν· ἐν ἐκείναις γὰρ ἔφυ τε καὶ ἐτράφη, ἀπορῶν δὲ σὺν ὁ βασιλεὺς Γρατιανὸς ὅ, τι χρὴ δρᾶσαι· φυσηθέντες γὰρ ἐκ τῆς νίκης οἱ βάρβαροι δύσμαχοί τε ἦσαν καὶ ἐνομίζοντο, τὴν Θεοδοσίου στρατηγίαν λύσιν ὑπέλαβε τῶν κακῶν· καὶ παραυτίκα ἐκ τῆς Ἰβηρίας, ἣ καὶ Σπανία καλεῖται, τὸν ἄνδρα μεταπεμψάμενος στρατηγόν τε χειροτονήσας· μετὰ στρατιᾶς τῆς συνειλεγμένης ἐκπέμπει· ὁ δὲ ἀμάχοις ὅπλοις τῇ ὀρθοδοξίᾳ πεφραγμένος, τεθαρρηκότως ἐπὶ τοὺς ἀντιπάλους ἐχώρει· καὶ τῆς Θρᾴκης ἐπιβὰς, καὶ πόλεμον ὁ μὲν, ἀνακράτως ἐνίκα· οἱ βάρβαροι δὲ, οὐδὲ τὴν πρώτην ὠθοῦσιν ἐνεγκόντες, ἔφυγόν τε ὁμοῦ πάντες· καὶ πολὺς αὐτῶν ἐγένετο φόνος οὐχ ὑπὸ ῥωμαίων μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ ὑπὸ σφῶν αὐτῶν· ὅσῳ γὰρ πλείους ἦσαν, τοσούτῳ βλάπτοντες ἑαυτοὺς μᾶλλον ἢ τοὺς πολεμίους ἐσφάζοντο·

9. Οὕτω τοίνυν ἁπάντων τῶν σχεδὸν ἀνῃρημένων ὀλίγοι λαθεῖν δυνηθέντες διαβαίνουσι τὸν Ἴστρον· ἡσθεὶς δὲ ὁ βασιλεὺς Γρατιανὸς ὡς ἄριστα Θεοδόσιον στρατηγὸν ψηφισάμενος, βασιλέα τε αὐτὸν εὐθὺς ἀποδείκνυσι, καὶ τὰ σκῆπτρα τῆς Οὐάλεντος ἀρχῆς ἐγχειρίζει καὶ αὐτὸς μὲν ἐπὶ τὴν Ἰταλῶν διαβαίνει, ἐκεῖνον δὲ εἰς τὴν δοθεῖσαν ἡγεμονίαν ἐκπέμπει. τὴν βασιλείαν τοίνυν παραλαβὼν Θεοδόσιος, τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ὡς ἔνι μάλιστα ἐπεμέλετο συμφωνίας· καὶ τοὺς τῆς οἰκείας ἡγεμονίας ἐπισκόπους, εἰς τὴν Κωνσταντίνου συνδραμεῖν παρηγγύησεν. αὕτη γὰρ μόνη τῆς ἀρειανικῆς ἐμπέπληστο λύμης. τὰ

γὰρ πρὸς ἑσπέραν τῆς νόσου ἐλεύθερα ἦν. Κωνσταντίνου A γὰρ καὶ Κώνσταντος τῶν Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου υἱῶν τὴν πατρῴαν πίστιν ἀκέραιον διασωσαμένων, καὶ Οὐαλεντινιανοῦ πάλιν τὴν οἰκείαν μὴ προδόντος εὐσέβειαν, τὸ ἑῷον τμῆμα πολλαχόθεν τὴν λώβην ταύτην ἐδέξατο ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πρότερον ἀρξαμένην, καὶ ἐπὶ τὰ πρόσω χωρήσασαν·

essent. Nam Constantino atque Constante Constantini Magni filiis paternam fidem intemeratam conservantibus, & rursus Valentiniano pietatem domesticam neutiquam prodente, Orientalis portio variis locis hanc luem admisit, quæ cùm Alexandriæ prius cœpisset, in ulteriores plagas progrediebantur.

10. Ταῦτα μὲν ἔτι Γρατιανοῦ περιόντος ἐγένετο. ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνος ἔν τε πολέμοις ἀριστεύων, καὶ τὰς πόλεις σωφρόνως τε καὶ δικαίως ἰθύνων, ἐξ ἐπιβουλῆς ἐτελεύτησε, παῖδας μὲν οὐ καταλιπὼν κληρονόμους τῆς βασιλείας, ἀδελφὸν δὲ κομιδῇ νέον ὁμώνυμον τοῦ πατρὸς διάδοχον τῆς ἀρχῆς ἀποφήνας· Μάξιμός τις τῆς Οὐαλεντινιανοῦ καταφρονήσας ἡλικίας, αὐτὴν ἁρπάζει τὴν τῆς ἑσπέρας ἡγεμονίαν.

10. Hæc quidem Gratiano adhuc superstite agebantur. Postea vero cùm ipse indolem suam in rebus bellicis jam ostenderet, ac civitates cum modestia atque justitia regeret, per insidias vita excessit, filios quidem B qui regno succederent, nullos relinquens, fratrem vero admodum juvenem, & patri cognominem, successorem imperii faciens. Tum vero quidam Maximus, spreta Valentiniani pueritia, Occidentalis imperii thronum usurpavit.

11. Κατ᾽ ἐκεῖνον δὲ τὸν χρόνον Ἰουστῖνα, Οὐαλεντινιανοῦ μὲν σύζυγος τοῦ μεγάλου, τοῦ δὲ νέου μήτηρ, ἃ πάλαι τῆς ἀρειανικῆς διδασκαλίας ἐδέξατο σπέρματα, δῆλα τῷ παιδὶ πεποίηκε. τοῦ μὲν γὰρ ὁμοζύγου τὸ θερμὸν περὶ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν ἐπισταμένη, λαθεῖν ἅπαντα τὸν χρόνον ἐσπούδασε· τοῦ δὲ παιδὸς τὸ τῶν φρενῶν ἁπαλὸν εἰδυῖα καὶ εὐπερίαγωγον, προσενεγκεῖν τὴν ἐξαπάτην ἐθάρρησε. ὁ δὲ τῆς μητρὸς τὰς ὑποθήκας ὀνησιφόρους ὑπολαβών, καὶ πρὸς τὸ τῆς φύσεως ἀπιδὼν δέλεαρ, ἀθρόον ἐμπίπτει τῇ πάγῃ. ὁ μέγας τοίνυν Ἀμβρόσιος πᾶσαν μὲν καὶ πρώην ἀρειανικὴν πλάνην ἐκ μέσης Ἰταλίας ποιήσας, ἐπειδὴ καὶ τὸν νέον Οὐαλεντινιανὸν περιπεσεῖν αὐτῇ μάθοι, ἔσπευδεν, ὡς οἷόν τε, τὴν τοῦ νέου ψυχὴν αὐτῆς ἀπαλλάξαι. καὶ ὃς τὸν ἄνδρα ὅσα καὶ ἀντίπαλον ὑπεβλέπετο, καὶ ὥσπερ ἂν εἰ πρὸς ὁμολογούμενον πολέμιον παρεσκεύαστο.

11. Per id etiam temporis Justina, magni quidem Valentiniani conjux, mater autem junioris, quæ doctrinæ arianæ semen dudum exceperat, illud filio manifestavit. Zelum enim mariti sui erga fidem orthodoxam perspectum habens, quoad ille in vivis fuit, latere conata est: cùm vero mentem filii teneram esse atque mobilem non ignoraret, fraudem suam in medium pro- C ferre non dubitavit. Hic vero suggestiones matris utiles putans; & propter ætatem escam illecebrosam naturæ intuitus, derepente incidit in laqueum. Quapropter magnus Ambrosius, qui omnem quidem arianam fallaciam ex Italia jam pridem expulerat, cùm acciperet puerum quoque Valentinianum in ipsam incidere, juvenis animam ab ea liberare, quantum in ipso erat, satagebat. Hic autem virum illum suspectum habebat quasi adversarium, & adversus eum perinde ac professum hostem paratus erat.

12. Ὁ δὲ, τῆς τοῦ πατρὸς αὐτὸν ἀνεμίμνησκεν εὐσεβείας, D καὶ ὃν παρειλήφει κλῆρον, ἄσυλον φυλάττειν ἠξίου. ἐδίδασκε δὲ καὶ τὴν τῶν δογμάτων διαφορὰν, καὶ ὅπως πάντα μὲν τῇ τοῦ κυρίου διδασκαλίᾳ καὶ τοῖς τῶν ἀποστόλων συμβαίνει κηρύγμασι. τὰ δὲ ἄντικρυς ἐπὶ τῇ πνευματικῇ νομοθεσίᾳ μαχόμενα. ὁ δὲ νέος οἷα δὴ νέος, καὶ παρὰ μητρὸς ἠπατημένης θελγόμενος, οὐ μόνον οὐ προσίετο τὰ λεγόμενα παρὰ τοῦ ἀρχιερέως, ἀλλὰ καὶ θυμοῦ πλήρης ἐγένετο, καὶ λόγοις ὡπλίζετο, καὶ ὁπλίταις τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς περιβόλους ἐκύκλου·

12. Hic porro in memoriam ei revocabat paternam pietatem, & ut quam acceperat hereditatem, integram conservaret, obtestabatur: docebat autem quodnam dogmatum discrimen esset, & quemadmodum hæc quidem omnia Christi doctrinæ, apostolorumque prædicationi apte congruerent, illa è contrario spiritualem oppugnarent legislationem. At vero puer, utpote qui puer esset, & à matre decepta blanditiis illectus; & verbis armabatur, & militibus armatis Ecclesiæ ambitus circumcingebat.

13. Ἐπειδὴ δὲ τὸν μέγιστον ἐκεῖνον ἀριστέα τὸν θεῖον E Ἀμβρόσιον οὐδὲν ἐφόβησε τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γινομένων. μορμολύκια γὰρ αὐτὰ ἡγεῖτο παίδων. χαλεπήνας ἀνέδην ἐκεῖνος τῶν ἱερῶν ἔξω προβῆναι θυρῶν τὸν ἄνδρα ἐκέλευσεν. ὁ δὲ ἑκὼν μὲν, ἔφη, οὐ τοῦτο δρᾶσαι καὶ προδοῦναι τοῖς λύκοις τὴν τῶν προβάτων σηκὸν μέχρις αἵματος οὐκ ἀνέξομαι. ἀλλ᾽ εἴ σοι δοκεῖ ἀναιρεῖν ἔνδον· ἐπίφερε κἀμοί, φησὶ, τὸ ξίφος ἢ τὴν αἰχμὴν, ὡς ἥδιστα τὴν τοιαύτην σφαγὴν ἐγὼ δέξομαι. καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος.

13. Postea vero quam maximum illum præliatorem, divinum Ambrosium eorum quæ ab illo fiebant, nihil deterruit (is enim ista tamquam puerorum terriculamenta existimabat) ille impendio moleste ferens, ipsum extra templorum limina exire jussit. Hic autem, Sponte mea, inquit, illud facere, atque ovium caulas lupis prodere, etiamsi sanguis profundendus sit, minime feram. Verùm si tuæ voluntatis est intus me interfici, gladium, inquit, vel securim mihi admove; hujusmodi necem ego amplectar quam libentissime. Et ista quidem divus Ambrosius.

14. Χρόνου δὲ συχνοῦ τριβομένου, ἐμεμαθήκει μὲν ὁ Μάξιμος τὰ κατὰ τοῦ μεγαλοφώνου κήρυκος τῆς ἀληθείας F τολμώμενα. ἐπιστέλλει δὲ Οὐαλεντινιανῷ, τὸν κατὰ τῆς εὐσεβείας πόλεμον καταλῦσαι παρεγγυῶν, καὶ παραινῶν μὴ προΐεσθαι τὴν πατρῴαν εὐσέβειαν. εἰ δὲ μὴ πείθοιτο, βαρύτατον αὐτῷ πόλεμον ἠπείλει. καὶ μέντοι καὶ τὴν στρατιὰν ἐγείρας, ἐπὶ τὴν Μεδιολάνου ἐχώρει. τῇδε γὰρ Οὐαλεντινιανὸς ἐλέγετο διατρίβειν. ὁ δὲ, τὴν ἐκείνου μαθὼν ἔξοδον, εἰς Ἰλλυριοὺς ᾤχετο φεύγων, αὐτῇ πείρᾳ μαθὼν ὁποῖον ἄρα τῆς μητρικῆς ἀπώνατο συμβουλίας·

14. Exacto autem spatio temporis non exiguo, cer- F tior factus est Maximus eorum conatuum, quos contra clarissimum veritatis præconem adtentarant. Mittit igitur Valentiniano, qui eum à bello adversus pietatem ipsam suscepto discedere moneret, hortareturque paternam ne abjiceret religionem. Nisi autem morem gereret, gravissimum eidem bellum minitabatur. Et re quidem ipsa collecto exercitu, Mediolanum versus promovit; hanc enim sedem Valentinianus elegerat ad habitandum. Hic vero irruptionem ejus cùm accepisset, in Illyriam fugâ se contulit, hac ipsa experientia compertum habens, quantum materna consilia ipsi prodessent.

15. Ὁ βασιλεὺς δὲ Θεοδόσιος τά τε κατὰ τὸν νέον πυθόμενος Οὐαλεντινιανὸν, καὶ ὅσα πάλιν ὁ Μάξιμος πρὸς αὐτὸν ἐπέστειλε, γράφει τῷ πεφευγότι νέῳ, μὴ χρῆναι θαυμάζειν, εἰ τῷ μὲν βασιλεῖ τὸ δέος· τῷ δὲ τυράννῳ τὸ κράτος συνέζευκται. τῇ γὰρ εὐσεβείᾳ, φησὶ, πεπολέμηκε μὲν ὁ βασιλεύς· ὁ δὲ τύραννος ἐπικεκούρηκε. καὶ ὁ μὲν

15. At imperator Theodosius ubi rescivit & quæ Maximus adversus juniorem Valentinianum moliebatur, & rursus quænam ad eum idem scripsisset, litteris significat juveni fugienti non esse quod quis admiraretur, si regi timor, tyranno robur conjunctus esset: Nam pietati, inquit, rex bellum intulit, tyrannus vero auxiliatus est; & ille quidem ipsam deserens, nudus aufu-

git: hic è contrario illâ armatus, victoriam refert ex devundato; pietati enim ipsius Legislator adjutor fuit.

16. Hæc igitur per epistolam, cùm longo tractu esset dissitus, nuntiavit: postquam vero in auxilium venit, & illum, proprio quidem relicto imperio, in suo præsentem vidit; primum quidem medicinam adhibuit ejus animæ, & impietatis, qua laborabat, morbum expellens, in pietatem patriam ipsum reduxit. Deinde illum confidere jubens, & contra tyrannum inferens signa, illi quidem sine sanguine reddit imperium, tyrannum autem supplicio afficit. Enim vero violare se credidit inita pacta cum Gratiano, nisi ab illis, qui hunc principem trucidaverant, pœnas repeteret. Atque idem imperator fidelissimus, etiam adversus gentilium errores omnem contulit diligentiam, legesque promulgavit, quibus idolorum templa destrui præcipiebat.

17. Etenim Constantinus Magnus, omni laude ac prædicatione quam dignissimus, pietate ornavit imperium: ac totum orbem etiam tunc insanientem videns, dæmonibus quidem sacrificare omnino prohibuit, eorum autem fana stare permisit, ab eis arceri quemlibet jubens. Er quidem hujus filii paternis insistere vestigiis: Julianus vero renovavit impietatem, nec non erroris jam exsoleti vehementiorem flammam accendit. At Jovianus adeptus imperium, rursus idolorum cultum proscripsit. Et magnus quoque Valentinianus iisdem plane legibus usus, Europam rexit. Quod vero ad Valentem, cunctis quidem aliis adorare permisit, quomodo vellent, & quæ adorabant, palam colere: in hos autem solos, à quibus dogmata apostolica propugnabantur, bellum gerere non intermisit. Omni ergo tempore quo is regnavit, ignis altari superpositus accendebatur, & libationes atque hostias idolis offerebant, & in plateis convivia publica celebrabant, & qui peragebant Bacchi orgia, cum caprinis pellibus currebant, canes secum trahentes, & insanientes, & debacchantes, & committentes alia hujusmodi, quæ nequitiam magistri sui palam facerent.

r8. Fidelissimus autem imperator Theodosius isthæc omnia è medio ita sustulit, ac si ab initio non exstitissent: in quorum vicem christianis instituit alia plura. Sed enim ejus qui à primis retro temporibus hostis hominum est, omnia retia non nisi ægre effugiuntur; sæpius enim aliquis cùm luxuriæ morbum evaserit, avaritiæ laqueo fortan capitur: si autem illâ fuerit major, aliunde rursus livoris vorago subnascitur: & licet hanc denuo transilierit, plagas iracundiæ offendet præparatas: & sexcentas alias hominibus tendiculas instruit malignus ille, qui in hominum venatur pernitiem. Sane quidem corporeos motus machinis adversus animam ab eo fabricatis habet cooperantes: mens autem illa quæ vigilans fuerit, sola superat, propensione in res divinas machinationum illius malitiam reprimens. Quapropter cùm humanæ naturæ particeps esset imperator ille admirabilis, perturbationum illius expers non semper fuit. Verum excessus nesçio quis iræ legitimæ conjunctus, crudele quiddam parturiit, atque injustum; de quo videlicet statim dicetur. Neque enim tantum reprehensionem habet admirabilis imperatoris, sed etiam prædicationem memoria admodum dignam: maxime vero generosi illius Ambrosii libertatem huc succedentem, ac multum illum, quo utebatur in rebus ad pietatem pertinentibus, animi fervorem. Quidquid illud sit, tamen declarabit oratio.

19. Thessalonica civitas magna est, ac populis frequens, adtributa quidem Macedonibus, Thessaliæ autem, atque Achaiæ caput, quemadmodum & aliarum multarum, quotquot subjiciuntur Illyriæ præfecto. Seditione igitur illic exorta, quidam magistratuum lapidati sunt, & per vias tracti, vitamque turpissimo exitu finierunt. Rex igitur eorum quæ acciderant, nuntiis

A κείνην περιέμενος ἀποδιδράσκει γυμνός· ὁ δὲ ταύτῃ καθωπλισμένος τοῦ νενικημένου κρατεῖ. τῇ γὰρ εὐσεβείᾳ καὶ ὁ ταύτης νομοθέτης συνέστηκε.

16. Ταῦτα μὲν οὖν ὡς πορρωτάτω διάγων ἐπέστειλεν. ἐπειδὴ δὲ εἰς ἐπικουρίαν ἀφίκοιτο, καὶ τὴν μὲν οἰκείαν καταλελοιπότα βασιλείαν, εἰς δὲ τὴν αὐτοῦ παραγενόμενον ἴδοι, πρῶτα μὲν τῇ ψυχῇ τὴν θεραπείαν προσήνεγκε, καὶ τὴν ἐπιγενομένην τῆς ἀσεβείας ἐξείλετο νόσον, καὶ εἰς τὴν πατρῴαν εὐσέβειαν ἐπανήγαγεν. εἶτα θαρρεῖν παρεγγυήσας, καὶ τῷ μὲν τυράννῳ ἐπιστρατεύσας, τῷ μὲν ἀναι-
B μωτὶ παραδίδωσι τὴν βασιλείαν, τὸν δὲ τύραννον ἀναιρεῖ. ἀδικεῖν γὰρ ὑπέλαβε τὰς πρὸς Γρατιανὸν γενομένας συνθήκας, εἰ μὴ ποινήν τινα τῆς σφαγῆς τοὺς αὐθέντας εἰσπράξοιτο. οὗτος δὴ οὖν ὁ πιστότατος βασιλεὺς καὶ κατὰ τῆς ἑλληνικῆς ἀπάτης σπουδὴν εἰσενήνεγκτο πᾶσαν, καὶ νόμους ἐξέθετο, τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη καταλυθῆναι κελεύων.

17. Κωνσταντῖνος μὲν γὰρ ὁ μέγας ὁ πάσης ἀξιώτατος εὐφημίας, πρῶτος εὐσεβείᾳ τὴν βασιλείαν κοσμήσας, καὶ τὴν οἰκουμένην ἔτι μεμηνυῖαν ὁρῶν, τὸ μὲν τοῖς
C δαίμοσι θύειν παντάπασιν ἀπηγόρευσε· τοὺς δὲ τούτων ἀφῆκε ναοὺς, ἀβάτους εἶναι τῷ παντὶ προστάξας. καὶ μέντοι καὶ οἱ τούτου παῖδες τοῖς πατρῴοις ἠκολούθησαν ἴχνεσιν. Ἰουλιανὸς δὲ ἀνενεώσατο τὴν ἀσέβειαν, καὶ τῆς παλαιᾶς ἀπάτης σφοδροτέραν ἀνῆψε τὴν φλόγα. τὴν βασιλείαν δὲ παραλαβὼν Ἰοβιανὸς πάλιν τὴν τῶν εἰδώλων διεκώλυσε θεραπείαν. καὶ Οὐαλεντινιανὸς δὲ ὁ μέγας τοῖς αὐτοῖς κεχρημένος νόμοις, ἴθυνε τὴν Εὐρώπην. ὁ δὲ Οὐάλης πᾶσι μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπέτρεψε θρησκεύειν ᾗ βούλοιντο, καὶ τὰ θρησκευόμενα θεραπεύειν· μόνοις δὲ πολεμῶν διετέλει τοῖς
D τῶν ἀποστολικῶν ὑπερμαχοῦσι δογμάτων. πάντα γοῦν τὸν τῆς ἐκείνου βασιλείας χρόνον, καὶ τὸ ἐπιβώμιον ἥπτετο πῦρ. καὶ σπονδαὶ καὶ θυσίαι τοῖς εἰδώλοις προσεφέροντο. καὶ τὰς δημοθοινίας κατὰ τὰς ἀγορὰς ἐπετέλουν. καὶ οἱ τὰ Διονύσου ὄργια τελούμενοι, μετὰ τῶν αἰγίδων ἔτρεχον τοὺς κύνας διασπῶντες, καὶ μεμηνότες, καὶ βακχεύοντες, καὶ τἆλλα δρῶντες, ἃ τὴν τοῦ διδασκάλου πονηρίαν ἐδήλου.

18. Θεοδόσιος δὲ ὁ πιστότατος βασιλεὺς ταῦτα περιεῖλε πάντα ὥσπερ ἂν εἰ μηδὲ τὴν ἀρχὴν γεγονότα, καὶ πλεῖστα χριστιανοῖς ἀντεισηνέγκατο ἕτερα. ἀλλὰ γὰρ τοῦ
E κοινοῦ τῶν ἀνθρώπων ἄνωθεν πολεμίου τὰς ἄρκυς διαφυγεῖν ἁπάσας οὐ ῥᾴδιον. πολλάκις γάρ τις διαδράσας τῆς ἀσελγείας τὸ πάθος, τῇ τῆς πλεονεξίας ἴσως ἁλίσκεται παγίδι. εἰ δὲ καὶ ταύτης κρείττων φανείη, ἑτέρωθεν ἀναφύεται πάλιν τοῦ φθόνου τὸ βάραθρον. κἂν τοῦτο δὲ πάλιν ὑπερπηδήσῃ, τὸ τοῦ θυμοῦ δίκτυον εὑρήσει προκείμενον. καὶ ἄλλας δὲ μυρίας τοῖς ἀνθρώποις τίθησι παγίδας ὁ πονηρὸς, ἀγρεύων εἰς ὄλεθρον, καὶ τὰ μὲν πάθη τοῦ σώματος συνυπουργοῦντα ἔχει ταῖς κατὰ τῆς ψυχῆς τεκταινομέναις ὑπ' αὐτοῦ μηχαναῖς. μόνος δὲ ἐγρηγορὼς ὁ νοῦς
F περιγίνεται τῇ περὶ τὰ θεῖα ῥοπῇ τῶν μηχανημάτων διελέγχων τὴν κακουργίαν. τῆς ἀνθρωπείας δὴ οὖν φύσεως καὶ ὁ θαυμάσιος βασιλεὺς μεταλαχὼν οὗτος, οὐδὲ τῶν ἐκείνης παθῶν ἄγευστος ἔμεινεν· ἀλλά τις ἀμετρία τῷ δικαίῳ θυμῷ προσγενομένη, ἀπηνές τι ὤδινε καὶ παράνομον, ὥσπερ δὴ οὖν αὐτίκα ῥηθήσεται· οὐ γὰρ κατηγορίαν ἔχει μόνον τοῦ θαυμασίου βασιλέως, ἀλλὰ καὶ εὐφημίαν μνήμης ἀξιωτάτην, καὶ μάλιστα τὴν τοῦ γενναίου τούτου Ἀμβροσίου διαδεχθεῖσαν ἐνταῦθα παρρησίαν, καὶ τὸν πολὺν ἐκεῖνον ὃν περὶ τὴν εὐσέβειαν ἐκέκτητο ζῆλον. δηλώσει δ' οὖν ὅμως ὁ λόγος.

19. Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος, τελοῦσα μὲν εἰς Μακεδόνας· ἡγουμένη δὲ καὶ Θετταλίας καὶ Ἀχαΐας καὶ ἄλλων πολλῶν ἐθνῶν, ὅσα ὑπὸ τῷ τῶν Ἰλλυριῶν ὑπάρχῳ κεῖται. στάσεως τοίνυν ἐν αὐτῇ γενομένης, κατελεύσθησάν τε καὶ κατεσύρησαν τῶν ἀρχόντων τινὲς, καὶ τὸν βίον αἴσχιστα, οὕτω κατέστρεψαν. ὁ οὖν βασιλεὺς

ταῖς τῶν συμβάντων ἀγγελίαις ἀναφλεγεὶς, οὐκ ἤνεγκε τὰς ὀργάς· ἀλλὰ παντὶ θυμὸν κατὰ πάντων ἀφεὶς, καὶ ἄδικα ξίφη γυμνώσας, τοὺς ἀθῴους μετὰ τῶν ὑπευθύνων ἀνεῖλεν ἑπτὰ χιλιάδας, ὡς λέγεται, μὴ δὲ μιᾶς αὐτῷ κρίσεως ἡγησαμένης.

20. Ταύτην μαθὼν τὴν δακρύων γέμουσαν συμφορὰν ὁ μέγας Ἀμβρόσιος, ἀφικόμενον εἰς τὴν Μεδιόλανον τὸν βασιλέα, καὶ συνήθως εἴσω τοῦ θείου παρελθεῖν βουληθέντα ναοῦ, πόῤῥωθεν προϋπαντήσας, οὐδὲ τῶν ἱερῶν εἴσω πυλῶν ἐπιβῆναι, οὐκ οἶσθα λέγων ὡς ἔοικεν ὦ βασιλεῦ τῆς εἰργασμένης μιαιφονίας τὸ μέγεθος· οὐδὲ μετὰ τὴν τοῦ θυμοῦ λῆξιν, ὁ λογισμὸς ἐπέγνω τὸ τολμηθέν. οὐκ ἐᾷ γὰρ ἴσως τῆς βασιλείας ἡ δυναστεία ἐπιγνῶναι τὴν ἁμαρτίαν, ἀλλ' ἐπιπροσθεῖ ἡ ἐξουσία τῷ λογισμῷ. χρὴ μέντοι τὴν φύσιν εἰδέναι, καὶ τὸ ταύτης θνητόν τε καὶ διαῤῥέον, καὶ τὸν πρόγονον χοῦν ἐξ οὗ γεγόναμεν, καὶ εἰς ὃν ἀποῤῥέομεν, καὶ μὴ τῷ ἄνθει τῆς ἁλουργίδος ἀποσκολυμμένην, ἀγνοεῖν τοῦ καλυπτομένου σώματος τὴν ἀσθένειαν. ὁμοφυῶν ἄρχεις ὦ βασιλεῦ, καὶ μὲν δὴ καὶ ὁμοδούλων· εἷς γὰρ πάντων δεσπότης καὶ βασιλεὺς ὁ τῶν ὅλων δημιουργός. ποίοις τοίνυν ὀφθαλμοῖς ὄψει τὸν τοῦ κοινοῦ δεσπότου νεών; ποίοις δὲ ποσὶ τὸ ἔδαφος ἐκεῖνο πατήσεις τὸ ἅγιον; πῶς δὲ τὰς χεῖρας ἐκτενεῖς θερμοῦ ἔτι σταζούσας αἵματος; ἢ πῶς τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότου τὸ πανάγιον σῶμα; πῶς δὲ καὶ τῷ στόματι προσοίσεις τὸ αἷμα τὸ τίμιον, τοσοῦτον διὰ τὸν θυμὸν παρανόμως αἷμα ἐκχέας; ἄπιθι τοίνυν, καὶ μὴ πειρῶ τοῖς δευτέροις τὴν προτέραν αὔξειν παρανομίαν, καὶ δέχου τὸν δεσμὸν ᾧ θεὸς ὁ τῶν ὅλων δεσπότης ἄνωθεν γίνεται σύμψηφος· ἰατρικὸς δὲ οὗτος καὶ ὑγείας σοι πρόξενος, εἰ μή τι ἀθεράπευτα πάσχειν προῃρήσω.

21. Τούτοις εἴξας ὁ βασιλεὺς τοῖς λόγοις· τοῖς γὰρ θείοις νόμοις ἐντεθραμμένος ἂν ᾔδει σαφῶς τίνα μὲν τῶν ἱερέων, τίνα δὲ τῶν βασιλέων ἴδια· στένων ὁμοῦ καὶ δακρύων ἐπανῆλθεν εἰς τὰ βασίλεια. Ὀγδόου δὲ παρελθόντος ἐξ ἐκείνου μηνὸς, ἧκεν μὲν ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενέθλιος ἑορτή· καθῆστο δὲ πρὸς τοῖς βασιλείοις βαρύτατα πενθῶν Θεοδόσιος. τοῦτο Ῥουφῖνός τις μάγιστρος τηνικαῦτα ἰδὼν, προσελθὼν οἷα δὴ χρηστὸς αὐτῷ καὶ συνήθης, ἐπυνθάνετο τὴν αἰτίαν. ὁ δὲ πικρὸν ἀνοιμώξας, καὶ θερμότερον προχέας τὸ δάκρυον, σὺ μὲν ὦ Ῥουφῖνε, παίζεις, ἔφη· τῶν γὰρ ἐμῶν οὐκ ἐπαισθάνῃ κακῶν· ἐγὼ δὲ στένω καὶ ὀλοφύρομαι, τὴν ἐμαυτοῦ συμφορὰν ἀναλογιζόμενος, ὅπως τοῖς μὲν οἰκέταις καὶ τοῖς προσαίταις ἀνέῳκται ὁ θεῖος νεὼς, καὶ εἰσίασιν ἀδεῶς, καὶ τὸν οἰκεῖον ἀντιβολοῦσι δεσπότην· ἐμοὶ δὲ, καὶ αὐτὸς ἄβατος, καὶ πρὸς τούτῳ ὁ οὐρανὸς ἀποκέκλεισται. μέμνημαι γὰρ τῆς δεσποτικῆς φωνῆς, ὃ ἂν δήσητε λεγούσης ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

22. Ὁ δὲ Ῥουφῖνος ὑπουργῆσαι τῷ βασιλεῖ τὰ πρὸς θεραπείαν βουλόμενος, καὶ χάριν εὔκαιρον προσχεῖν· δραμοῦμαι εἰ σοὶ δοκεῖ, ἔφη, καὶ τὸν ἀρχιερέα πείσω πολλὰ, φησὶν, δεήσεις λῦσαί σε τῶν δεσμῶν. ἀλλ' οὐ πεισθήσεται, ἔφη ὁ βασιλεὺς, οἶδα γὰρ ἐγὼ τῆς Ἀμβροσίου ψήφου τὸ δίκαιον· οὐ γὰρ αἰδεσθεὶς τῆς βασιλείας τὴν ἐξουσίαν τὸν θεῖον παραβήσεταί ποτε νόμον. ἐπειδὴ δὲ καὶ ἄλλοις πλείοσι χρησάμενος ὁ Ῥουφῖνος λόγοις πείσειν ὑπέσχετο τὸν μέγαν Ἀμβρόσιον· ἀπελθεῖν αὐτὸν ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἐκέλευσε, καὶ αὐτὸς δὲ ὑπὸ τῆς ἐλπίδος δελεασθεὶς, ἠκολούθησε μετὰ βραχὺ ταῖς ὑποσχέσεσι τοῦ Ῥουφίνου πιστεύσας· αὐτίκα γοῦν τὸν Ῥουφῖνον ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, τὴν τῶν κυνῶν, ἔφη, ἀναίδειαν ὦ Ῥουφῖνε ζηλοῖς· καὶ οὔτε ἐρυθριᾷς οὔτε δέδιας τοσοῦτον κατὰ τῆς θείας λυττήσας εἰκόνος. ἐπειδὴ δὲ ὁ Ῥουφῖνος ἐνέκειτο, καὶ τὸν βασιλέα μετὰ μικρὸν ἥξειν ἔλεγεν. ὑπὸ τοῦ θείου ζήλου πυρποληθεὶς ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος· ἐγὼ, ἔφη, ὦ Ῥουφῖνε, φημὶ, ὅτι κωλύσω τῶν ἱερῶν αὐτὸν ἐπιβῆναι

A excandescens, ea non moderate tulit: sed omnem stomachum contra omnes effundens, & injustos exerens gladios, insontes cum nocentibus interfecit, nimirum septem millia, ut memoratur; cùm nullum prorsus ab eo judicium præmissum esset.

20. Calamitatem hanc adeo lugendam ubi rescivit magnus Ambrosius, venienti Mediolanum imperatori, & in templum Dei ex more ingredi cupienti, eminus obviam progrediens, ne portas quidem templi intrare permisit: *Nescis*, inquiens, *imperator, uti videtur, nefariæ cædis, quæ perpetrata est, magnitudinem: neque post ipsum iracundiæ tuæ finem, ratione cognovisti quale facinus ausus fueris? Enim vero te fortasse non sinit imperialis potentia crimen cognoscere, sed rationi objecta auctoritas lumen adimit. Verum tamen natura necesse est habeat ipsa se perspectam, & simul tum quod inest illi mortalis ac fluxi, tum progenitricem illam glebam, unde facti sumus, & in quam dissolvimur: non vero purpuræ flore fascinata, operti corporis ignorare debet infirmitatem. Subditis qui eadem tecum naturâ constant, imperas, ô Rex, immo etiam conservis tuis; unus enim Dominus & rex omnium est, omnium videlicet creator. Quibus ergo oculis communis domini templum adspicies, quibusve pedibus sanctum hoc pavimentum premes? quomodo autem manus extendes, calenti adhuc sanguine stillantes, aut quomodo talibus manibus excipies sacrosanctum Domini corpus, & ori etiam pretiosum sanguinem admovebis; cùm per iræ impotentiam tantum sanguinis contra jus omne ac fas effuderis? Abscede igitur, & ne aggrediaris priorem culpam secunda cumulare; & excipe illud vinculum quod cælitus judicio suo Deus universorum dominus confirmat. Erit autem illud tibi medicinale, ac sanitatis conciliator; nisi fortè insanabile vulnus perpeti elegeris.*

21. Imperator parens his sermonibus (nam cùm à puero in legibus divinis esset educatus, quæ ad sacerdotes pertinerent, quæve ad reges, perspicue noverat) gemitus ac lacrymas simul profundens, in palatium se se recepit. Octavo autem mense ab hinc elapso, venit quidem Salvatoris nostri natale festum, Theodosius vero in regia sedens amarissime flebat. Id Rufinus quidam tunc temporis magister palatii cùm pervidisset, ad eum accedens, homo videlicet domino utilis ac familiaris, caussam rogabat. Tum vero ille acerbe gemens, & calidioribus manans fletibus: *Tu quidem*, inquit, *ludis, Rufine; mea enim mala non sentis. Ego autem gemo atque deploro meam ipsius calamitatem, dum mecum reputo divinum templum famulis etiam atque mendicis apertum esse, ingressumque illuc tutum ac liberum patere illis, ut proprium dominum ipsi conveniant: mihi autem hoc interdicitur, & præterea cælum etiam interclusum est. Memini quippe Dominicæ vocis, quæ promulgatur: Quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis.*

22. Rufinus verò medicinam regi ministrare volens, ac tempestivum beneficium illi præbere: *Curram*, inquit, *si tibi placet, & Episcopo id persuadebo multis precibus, ut te à vinculis istis absolvat. Sed non ille persuadebitur*, ait imperator; *quam enim justum Ambrosii judicium sit, compertum habeo. Nec porro ille unquam committet, ut imperialis potentiæ respectu divinam legem transgrediatur.* At postea quam adhibitis pluribus aliis rationibus, Rufinus promittebat à magno Ambrosio rem se haud dubie impetraturum, jussit imperator quàm citissime illum abire. Ipse autem spe inescatus, post non multum temporis sequutus est, ut qui Rufini promissionibus fidem haberet. Confestim vero alloquutus Rufinum Divus Ambrosius: *Canum*, inquit, *impudentiam, Rufine, imitares; & neque erubescis, neque pertimescis, cùm tanta rabie adversus imaginem Dei sævieris?* Ubi vero reposuit Rufinus, & imperatorem brevi spatio interjecto venturum dixit, incensus divino zelo divinus Ambrosius: *Ego*, inquit, *ô Rufine, prædico me prohibiturum, ne vel ipsum templi vestibulum calcet: sin autem is regiam potestatem in tirannidem vertat, me necem excepturum cum voluptate.*

23. His auditis, Rufinus & Ambrosii mentem imperatori per quendam illico nuntiavit, & ut maneret in palatio, exhortatus est. Imperator vero, qui ad medium forum jam pervenerat, cùm hæc audivit: Ego pergam, inquit, & injuriæ meæ pœnas exsolvam. Postquam vero in sacrum septum jam ventum fuit, in Dei quidem ædes non erat ingressus, verum in salutatoria domo consederat, suis se vinculis solvi flagitans.

24. Ille vero tyrannicum vocabat ejus adventum, ac B Theodosium contra Deum furere, nec non ipsius leges calcare pronuntiabat. Imperator autem in contritione cordis ac spiritu humilitatis: Non audacia efferor, inquit, adversus leges, nec sacrum limen contra jus & fas terere aggredior: sed obsecro te, ut me vinculorum nexu liberes, & clementiâ communis Domini ob oculos tibi positâ, mihi non præcludas illam januam, quam Dominus ipse cunctis aperuit pœnitentibus. Qualem ergo, Episcopus ait, *pœnitentiam ostendisti post tantum scelus? quibusve medicamentis vulnera ista ad sanandum difficillima curare fecisti?* Ad hæc imperator in contrito spiritu rursus retulit: Tuum est omnino & præcipere, C & commiscere medicamina. Tum vero divus Ambrosius: *Quandoquidem*, inquit, *ira propria permittis judicium; & non ratio, sed animi æstus sententiam fert: legem hujusmodi velim sancias, quæ decretum quodvis iræ impetu, otiosum reddat ac superfluum: capitis vero sententiæ vel exsilii triginta dies scripta maneant, rationis judicium opperientes. Exactis autem triginta diebus, qui exararunt decreta illa, eadem exhibeant: & iracundiâ tamdiu requietâ, sicuti ipsa ratio judicans, priorem expendat cognitionem, examinetque justane illa sit, an secus habeat. Siquidem porro iniquam inveniat, discerpat scripta, & sententiam irritam reddat: sin autem æqua fuerit, ita maneat; nec triginta* D *dierum numerus labefactabit recte judicata.*

Admonitionem hanc imperator ultro admittens, & secum optime agi sibi persuadens, continuo jussit legem perscribi, quam & litteris propriæ manus ratam ac firmam esse voluit. His ita factis, divus Ambrosius imperatoris vinculum solvit: imperator autem sumtâ in E templum intrandi fiduciâ, non stans, neque in genua procumbens, Dominum precabatur: sed in solum nudum dejectus ac prostratus, Davidicam illam emisit
Ps. 118. 25. vocem: *Adhæsit*, inquiens, *pavimento anima mea: Vivifica me secundum verbum tuum.* Et crines manibus vellens, & faciem contundens, & profusis lacrymis irrigans pavimentum, veniam consequi properabat. Postquam autem ad offerenda sacræ mensæ munera vocavit tempus, cum fletibus non minus copiosis surgens, gradus altaris scandit: oblatione vero porrecta, intra cancellos, ut illi moris erat, mansit. Sed nullo modo, ut hæc dissimularet, abs se impetravit sacer Ambrosius: F ac locorum discrimen illum edocuit. Et primum quidem, num quid postularet, interrogabat. Imperatore autem respondente, participationem divinorum mysteriorum se se præstolari, ministrum adhibens archidiaconum clare professus est: Interiora, ô Imperator, nisi unis sacerdotibus non sunt adeunda. Egredere igitur, & eamdem cum aliis laicis stationem serva; purpura enim reges, nequaquam vero sacerdotes facit.

26. Hanc autem compellationem similiter boni consulens fidelissimus Theodosius, contra exposuit non temeritate intra cancellos se remansisse, verum quia Constantinopoli hoc didicerat. Tantæ virtutis & imperator & episcopus luce fulgebant! Equidem enim utrumque suspicio, hunc videlicet generosam ob libertatem, illum vero propter facilem obedientiam: & hujus qui-

A προθύροις· εἰ δέ γε εἰς τυραννίδα τὴν βασιλείαν μεθίστησι, δέξομαι κἀγὼ μεθ' ἡδονῆς τὴν σφαγήν.

23. Τούτων ὁ Ῥουφῖνος ἀκούσας, μηνύει τε αὐτίκα διά τινος τῷ βασιλεῖ τὴν τοῦ ἀρχιερέως γνώμην, καὶ μένειν εἴσω τῶν βασιλείων παρῄνεσεν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἤδη κατὰ μέσην τὴν ἀγορὰν ταῦτα μαθών, ἄπειμι, ἔφη, καὶ τὰς δικαίας δέξομαι παροινίας. ἐπειδὴ δὲ τοὺς ἱεροὺς περιβόλους κατέλαβεν, εἰς μὲν τὸν θεῖον οὐκ εἰσεληλύθει νεών, ἐν δὲ τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ καθῆστο, ἐκλιπαρῶν τῶν δεσμῶν ἀπολυθῆναι.

24. Ὁ δὲ τυραννικὴν ἐκάλει τὴν παρουσίαν, καὶ κατὰ θεοῦ μεμηνέναι τὸν Θεοδόσιον ἔλεγε, καὶ τοὺς ἐκείνου νόμους πατεῖν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἐν συντριβῇ καρδίας καὶ πνεύματι ταπεινώσεως, οὐ θρασύνομαι, ἔφη, κατὰ τῶν κειμένων νόμων, οὐδὲ παρανόμως ἐπιβῆναι τῶν ἱερῶν προθύρων ἐφίεμαι· ἀλλά σε μοι λῦσαι τὸν δεσμὸν ἀξιῶ, καὶ τὴν τοῦ κοινοῦ δεσπότου φιλανθρωπίαν λογίσασθαι, καὶ μὴ κλεῖσαί μοι θύραν, ἣν πᾶσι τοῖς μεταμελείᾳ χρωμένοις ὁ δεσπότης ἀνέῳξε. καὶ ὁ ἀρχιερεύς, ποίαν οὖν, ἔφη, μεταμέλειαν ἔδειξας μετὰ τοιαύτην παρανομίαν; ποίοις δὲ φαρμάκοις τὰ δυσίατα ἐθεράπευσας τραύματα; καὶ ὁ βασιλεὺς ἐν συντετριμμένῳ πνεύματι αὖθις, σὸν ἔργον, ἔφησε, πάντως, καὶ δεῖξαι, καὶ κεράσαι τὰ φάρμακα. τότε ὁ θεῖος Ἀμβρόσιος, ἐπειδὴ τῷ θυμῷ δικάζειν ἐπιτρέπεις, ἔφη· καὶ οὐχ ὁ λογισμὸς τὴν γνῶσιν, ἀλλὰ ὁ θυμὸς ἐκφέρει· γράψον νόμον τοῦ θυμοῦ τὰς ψήφους ἀργὰς ποιοῦντα καὶ περιττάς, καὶ τριάκοντα ἡμέρας αἱ φονικαὶ καὶ δημευτικαὶ μενέτωσαν γνώσεις ἐν γράμμασι, τὴν τοῦ λογισμοῦ προσδεχόμεναι κρίσιν· διελθουσῶν δὲ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν, οἱ τὰ ἐγνωσμένα γεγραφότες, δεικνύτωσαν αὐτά, καὶ τηνικαῦτα τοῦ θυμοῦ πεπαυμένου, καθ' ἑαυτὸν δικάζων ὁ λογισμὸς ἐξεταζέτω τὰ ἐγνωσμένα, καὶ σκεπτέσθω πότερα δίκαια, ἢ μὴ οὕτως ἔχοντα εἴη. εἰ μὲν οὖν ἄδικα εὕροι, διαφθειρέτω τὰ γεγραμμένα, καὶ τὴν ψῆφον ἄκυρον ποιείτω· εἰ δὲ δίκαια, μενέτω ταῦτα, καὶ ὁ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν ἀριθμὸς οὐ λυμανεῖται τοῖς ὀρθῶς ἐγνωσμένοις.

25. Ταύτην ὁ βασιλεὺς δεξάμενος τὴν εἰσήγησιν, καὶ ἄριστα ἔχειν ὑπολαβών, εὐθὺς γραφῆναί τε τὸν νόμον ἐκέλευσε, καὶ τοῖς οἰκείας χειρὸς ἐβεβαίωσε γράμμασι. τούτου δὲ γενομένου, διέλυσε τὸν δεσμὸν ὁ θεῖος E Ἀμβρόσιος, καὶ ὁ βασιλεὺς εἴσω θαρρήσας γενέσθαι τοῦ θείου ναοῦ, οὐχ ἑστὼς τὸν δεσπότην ἱκέτευσεν, οὐδὲ τὰ γόνατα κλίνας, ἀλλὰ πρηνὴς ἐπὶ γυμνοῦ πεσὼν τοῦ ἐδάφους, τὴν Δαυιτικὴν ἀφῆκε φωνήν, ἐκολλήθη λέγων τῷ ἐδάφει ἡ ψυχή μου· ζῆσόν με κατὰ τὸν λόγον σου. καὶ ταῖς χερσὶ τίλλων τὰς τρίχας, καὶ τὸ μέτωπον τύπτων, καὶ τοῖς τῶν δακρύων σταγόσι τὸ ἔδαφος καταβρέχων, συγγνώμης ἀντιβολεῖ τυχεῖν· ἐπειδὴ δὲ καὶ ὁ καιρὸς ἐκάλει, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκεῖν, ἀναστὰς μετὰ τῶν ἴσων δακρύων, τῶν ἀνακτόρων ἐπέβη, προσενεγκὼν δέ, ὥσπερ εἰώθει, παρὰ τὰς κιγκλίδας F μεμένηκεν. ἀλλ' οὐδὲ ταῦτα ὁ ἱερὸς Ἀμβρόσιος σιγῆσαι ἠνέσχετο, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν τόπων διδάσκει διάφορον, καὶ πρῶτα μὲν ἤρετο εἴ τινος δέοιτο; τοῦ δὲ βασιλέως εἰρηκότος, ὡς περιμένοι τὴν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν, ἐδήλωσεν, ὑπουργῷ τῷ τῶν διακόνων ἡγουμένῳ χρησάμενος, ὅτι τὰ εἴσω, ὦ βασιλεῦ, μόνοις ἐστὶν ἱερεῦσι βάσιμα· τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν ἄβατα καὶ ἄψαυστα· ἔξιθι τοίνυν, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως· ἁλουργὶς γὰρ βασιλέας, οὐχ ἱερέας ποιεῖ.

26. Καὶ ταύτην δὲ ὁ πιστότατος Θεοδόσιος ἀσμένως δεξάμενος τὴν εἰσήγησιν, ἀντεδήλωσεν ὡς οὐ θρασύτητι χρώμενος ἔνδον τῶν κιγκλίδων μεμένηκεν· ἀλλ' ἐν Κωνσταντινουπόλει τοῦτο μαθών· τοσαύτῃ καὶ τηλικαύτῃ καὶ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς διέλαμπον ἀρετῇ· ἀμφοτέρους γὰρ ἔγωγε ἄγαμαι· τοῦ μὲν τὴν παρρησίαν, τοῦ δὲ

τὴν εὐπείθειαν· καὶ τοῦ μὲν, τὴν τοῦ ζήλου θερμότητα· τοῦ δὲ, τὴν τῆς πίστεως καθαρότητα. ἃ μέντοι γε ὑπὸ τοῦ θαυμαστοῦ Ἀμβροσίου ἐν τῷ Μεδιολάνῳ ὁ βασιλεὺς παιδευθεὶς, ταῦτα καὶ εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἐπανελθὼν ἐτήρει, καὶ οὐδενὸς τούτων μεθίετο.

27. Ἑορτῆς γὰρ αὐτὸν πάλιν θείας ἐς τὸν θεῖον ἀγαγούσης νεὼν, τῇ ἱερατικῇ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκὼν, εὐθὺς ἐξεληλύθει. τοῦ δὲ τῆς ἐκκλησίας προέδρου· Νεκτάριος δὲ τηνικαῦτα ἦν· τί δήποτε μὴ μεμένηκας ἔνδον, δηλώσαντος, δυσχεράνας ὁ βασιλεύς· μόλις, ἔφη, βασιλέως καὶ ἱερέως ἐδιδάχθην τὸ μέσον. ἐπεὶ καὶ μόλις εὗρον ἀληθείας διδάσκαλον, Ἀμβρόσιον μόνον ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον. τοσοῦτον ὤνησεν ἔλεγχος παρὰ ἀνδρὸς ἀρετῇ διαλάμποντος.

28. Εἶχε καὶ ἀφορμὴν ἄλλην ὠφελείας ὁ βασιλεὺς οὗτος. ἡ γὰρ σύζυγος τούτου τῶν θείων αὐτὸν συνεχῶς ἀνεμίμνησκε νόμων. φιλοπόνως ἑαυτὴν τούτοις καὶ πρὸς ἀκρίβειαν ἐκπαιδεύσασα. οὐ γὰρ ἐπῆρεν αὐτὴν τῆς βασιλείας ἡ δυναστεία, ἀλλὰ τὸ θεῖον πλέον ἐξῆψεν ἔρωτα. τῆς γὰρ εὐεργεσίας τὸ μέγεθος μεῖζον τὸ περὶ τὸν εὐεργέτην εἰργάζετο φίλτρον. αὐτίκα γοῦν καὶ τῶν τὸ σῶμα πεπηρωμένων, καὶ ἅπαντα τὰ μέλη λελωβημένων παντοδαπὴν ἐποιεῖτο φροντίδα, οὐκ οἰκέταις, οὐδὲ δορυφόροις ὑπουργοῖς κεχρημένη, ἀλλ' αὐτουργὸς γινομένη, καὶ εἰς τὰς τούτων καταγωγὰς ἀφικνουμένη, καὶ ἑκάστῳ τὴν χρείαν πορίζουσα. αὕτη καὶ τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς ξενῶνας περινοστοῦσα, ὑπηρέτει τότε τοῖς νοσοῦσι καὶ ἐπεμελεῖτο καὶ ἐθεράπευε, καὶ χύτρας ἁπτομένη, καὶ ζωμοῦ γευομένη, καὶ τρύβλιον προσφέρουσα, καὶ ἄρτον ὀρέγουσα, καὶ κύλικα διασμήχουσα, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐργαζομένη, ὅσα οἰκετῶν καὶ θεραπαινίδων ἔργα νενόμισται. εἰώθει δὲ συνεχῶς καὶ πρὸς τὸν ὁμόζυγον λέγειν. ἀεί σε, ὦ ἄνερ, προσήκει λογίζεσθαι τί μὲν ἦσθα πάλαι, τί δὲ γέγονας νῦν· ταῦτα γὰρ διηνεκῶς ἐνθυμούμενος οὐκ ἔσῃ περὶ τὸν εὐεργέτην ἀχάριστος. ἀλλ' ἣν ἐδέξω βασιλείαν κυβερνήσεις ἐννόμως, καὶ ταύτῃ θεραπεύσεις τὸν δεδωκότα·

29. Τοιούτοις ἀεὶ κεχρημένη λόγοις οἷά τινα καλὴν ἀρδείαν καὶ προσφορὰν τοῖς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς ἔφερε σπέρμασι. προτέρα μέντοι τοῦ συζύγου ἐτελεύτησε, καὶ συνέβη μετὰ χρόνον τινὰ τῆς τελευτῆς, τοιόνδε τι γενέσθαι, ὅπερ τὴν πολλὴν ἐκείνου τοῦ βασιλέως περὶ αὐτὴν διάθεσιν καὶ φιλοστοργίαν ἀπέδειξεν. ὑπὸ γὰρ τῶν συχνῶν πολέμων ἀναγκαζόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ χρημάτων σπανίζων, φόρους ταῖς πόλεσιν ἐπεγράψατο. ἡ Ἀντιόχου τοίνυν φορολογουμένας τὰς ἑτέρας πόλεις ὁρῶσα, καὶ σὺν βίᾳ τὰ χρήματα καὶ ἀπαραιτήτως εἰσπραττομένας· τὸ καινὸν τοῦτο τέλος οὐκ ἐνεγκοῦσα, ἀλλὰ τὴν ὁποίαν φιλεῖ ὄχλος πρόφασιν εἰς ἀταξίαν λαμβάνειν ἔδρασε, καὶ τὴν χαλκῆν εἰκόνα τῆς πανευφήμου Πλακίλλης· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῇ βασιλίδι· κατήνεγκε, καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς πόλεως καὶ κατασυρόμενος.

30. Ταῦτα πυθόμενος ὁ βασιλεὺς, καὶ χαλεπήνας ὥσπερ εἰκὸς ἦν, τά τε τῆς πόλεως ἀφείλετο δίκαια, καὶ τῇ γείτονι πόλει Λαοδικείᾳ τῇ παρὰ θάλασσαν δέδωκε τὴν ἡγεμονίαν, ταύτῃ μάλιστα νομίζων αὐτοὺς ἀνιάσειν· ἐζηλοτύπει γὰρ ἡ Λαοδίκεια τὴν Ἀντιόχειαν ἄνωθεν. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ ἐμπρῆσαι ἠπείλει καὶ καταλύειν, καὶ εἰς κώμην τὸ ἄστυ μεταβαλεῖν. οἱ δὲ ἄρχοντες καὶ ἀνεῖλόν τινας παραυτὸ συλλαβόντες τὸ τόλμημα, πρὶν γνῶναι τὸν βασιλέα τὴν τραγῳδίαν. Ταῦτα δὲ πάντα ὁ βασιλεὺς ἠπείλει μὲν, οὐ μὴν παραχρῆμα ἐποίει, τοῦτο τοῦ νόμου κωλύοντος, ὃν Ἀμβρόσιος ὁ μέγας τεθῆναι παρῄνεσεν. ἐπειδὴ δὲ παρὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἧκον οἱ τὰς ἀπειλὰς ἐκείνας κομίζοντες· Ἑλλέβιχός τε, στρατηγὸς τηνικαῦτα ὢν, καὶ Καισάριος τῆς βασιλείου ἡγούμενος· μάγιστρον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὸν ταύτην ἔχοντα τὴν ἀρχήν,

A dem Zelum ferventem, illius vero fidem sinceram. Quin hæc etiam, quæ imperator sub admirando illo Ambrosio edidicerat Mediolani, reversus Constantinopolim ipsa observavit, neque illorum omisit quidquam.

27. Etenim quodam die festo eum denuo vocante in Dei templum, ubi sacræ mensæ dona obtulit, statim regressus est. Ecclesiæ autem Præside, is vero erat tunc Nectarius, interrogante: Quare tu intus non remansisti? Imperator moleste ferens: Quid inter imperatorem, inquit, & episcopum sit discriminis, vix tan-B dem didici; quoniam veritatis magistrum difficulter inveni, Ambrosium scilicet, qui solus digne vocatur episcopus. Usque adeo correptio prodest, quæ ab homine virtute claro proficiscitur.

28. Alia quoque imperatori fuit utilitatis causa. Enim vero ipsius conjux adsidue illum admonebat divinæ legis, in qua se ipsam diligenter & accurate exercuerat. Nec enim illam imperii potestas extollebat, sed in ea magis accendebat Dei amorem; magnitudo enim beneficii erga ejusdem auctorem majus amoris in-centivum excitabat. Quare statim ab initio eorum qui C corporea excitate aut membrorum omnium debilitate afflicti erant, omnimodam gerebat curam, non domesticorum aut satellitum operâ utens, at ipsa operi manus adhibens; & in ipsorum tuguria ingredi non dedignata, unicuique necessaria suppeditabat. Ipsa etiam Ecclesiarum circumeundo invisens hospitia, ministrabat ægrotis, eisque obsequium & curam adhibebat, ollas nimirum fervefaciens, jusculum prægustans, patinam afferens, porrigens panem, pocula proluens, & alia exercens omnia, quæ famulorum, atque ancillarum opera judicantur. Solebat autem assidue conjugem his compellare: Te semper, ô marite, animo reputare con-D venit, & quid olim fueris, & quem in gradum nunc perveneris; ista enim tecum indesinenter si recogites, in benefactorem tuum ingratus numquam evades: sed imperium, quod accepisti, administrabis æquis legibus; qua etiam ratione debitum largitori ejus exsolves obsequium.

29. Cùm semper illa ejusmodi uteretur verbis, quæ virtutis seminibus pulcram in conjuge irrigationem & incrementum præbere possent, prius ipsa quam vir fato functa est. Contigit autem post aliquod tempus ab E ejus morte tale quid fieri, unde palam innotesceret, quonam imperator erga eam animo, quantave caritate esset affectus. Cogente siquidem bellorum frequentia, imperator rei pecuniariæ inopiam tolerans, tributa indixit civitatibus. Urbs igitur Antiochia cùm alias urbes tributis illis subditas conspiceret: pecunias vero per vim exigi, ac nulla admissa excusatione; commune hoc vectigal nequaquam ferens, sed turbarum occasionem hinc arripiens, qualia vulgus facere solet, patravit: & nobilissimæ Placillæ, hoc enim erat imperatrici nomen, æream statuam solo adflixit, ipsam etiam per F plures civitatis vicos pertrahens.

30. Imperator, hac re ad se delata, tantum molestiæ, quantum decebat, hinc percipiens, eam civitatem propriis legibus ablatis multat, vicinamque urbem Laodiceam, quæ propter litus maris sita est, illi præficit, hac potissimum via ipsi ægre se facere persuasum habens; namque Antiochiam à longo tempore æmulabatur Laodicea. Insuper autem illam se incensurum ac deleturum minitabatur, nec non in pagum eamdem se conversurum: proceres verò nonnullis in ipso facinoris actu correptis, antequam tragœdiam resciret Princeps, mortem irrogarunt. Et hæc quidem cuncta comminabatur Theodosius, non tamen illico exsequebatur, prohibente hoc nimirum lege, quam hortatu suo magnus Ambrosius ferendam curaverat. Sed posteaquam qui minas illas ferre jussi sunt, venerunt in urbem Antiochiam (dux autem erat tunc Hellenichus, & Cæsarius præfectus prætorianis, magister vero à Romanis dicitur, qui adeptus est hanc dignitatem) universi quidem in metu

metu versabantur minarum exitum reformidantes. Virtutis autem illi athletæ, qui ad radices montium habitabant, quorum ingens erat tunc multitudo, iis quos percellebat comminatio, compatiebantur, & circumquaque cursantes, de iis viris qui supplicio fuerant affecti, quantum licebat, alios solabantur.

31. Unus autem ex illis erat vir sanctus, exornatus omni virtute, & qui die nocteque puras orationes omnium salvatori offerebat. Hic nec imperatoris iram metuens, nec eorum qui missi erant, potestatem animo reputans, cùm in mediam urbem venisset, & amiculo alterum legatorum apprehendisset, jussit utrumque ex equis descendere. Hi vero parvum seniculum, eumque vili panno vestitum conspicati, primo quidem indignabantur. At cùm postea quidam ex iis qui sequebantur, virtutem viri manifestassent, contrario desilierunt ex equis, & illius genua complexi, veniam petierunt. Vir autem sanctus, ac divina plenus sapientia, tali apud eos usus est oratione: Dicite, ô cara capita, imperatori, non imperator solum, verum etiam homo existis: ne igitur solum imperium, sed ipsam quoque naturam consideres; cùm enim homo sis, ejuidem naturæ consortibus imperas. Humana porro natura ad imaginem ac similitudinem divinam omnino efficta est; quocirca noli tam crudeliter atque immaniter imaginem Dei jugulandam præcipere; sic enim ad iram concitas artificem, dum in ejus effigiem animadvertis. Perpende igitur quemadmodum tu ipse propter figuram æream graviter commotus ista designas. Quanto autem imago spirans, & viva & rationalis potior est, quàm inanima, perspicuum est omnibus, qui quidem mente, ac sensu sint prædici. Præterea & hoc secum reputet, nobis utique expeditum esse pro statua ista plures æreas alias conflare: illi è contrario prorsus impossibile, eorum, qui necati sunt, vel unum crinem procudere.

32. His auditis, admirabiles illi viri quæ dicta fuerant, significant imperatori, & iracundiæ flammam exstinguunt; ita ut minarum istarum loco quàm primùm sui scriberet excusationem, & iræ suæ causam exponeret: Non decebat enim, inquiebat, me delinquente, uxorem meam prædicatione omni longe dignissimam tantum contumeliæ post mortem sustinere: sed eos qui animo suo obtemperarunt, contra me oportebat iracundiam armare suam. His præterea subjunxit illud, angi se animi atque dolere quod cognovisset à præfectis morte affectos quosdam fuisse. Hoc itaque modo imperator Christi amicus, talibusque præceptis ab admirabili Ambrosio fuerat institutus, tantamque gratiam ac spiritualem utilitatem ab eo perceperat.

33. Divinus autem hic Ambrosius in Ecclesia, quemadmodum dictum est, orthodoxis dogmatis fulgens, æmulatorque veritatis factus & propugnator, cùm super fundamentum apostolorum ac prophetarum ædificasset, nec non rectæ doctrinæ ac disciplinæ verba exposuisset, fugata qualibet hæresi ab Ario atque Apollinario recens invecta, & Ecclesia sua in omnibus optime constituta, in profundam progressus senectutem, ac dierum plenus, in pace requievit. Tumulatus est in Ecclesia Mediolanensi, veram memoriam sui relinquens, propriam utique vitam & recte facta: quorum ut nos quoque, evadamus imitatores, eademque cum illo præmia atque coronas obtineamus, ipse dignetur, gratia & benignitate domini nostri Jesu Christi, cui honor est atque potestas in sæcula sæculorum, amen.

ἐν δέει μὲν ἦσαν ἅπαντες ταῖς ἀπειλαῖς περιπεφρικότες. οἱ δὲ τὴν ὑπώρειαν οἰκοῦντες τῆς ἀρετῆς ἀθληταί· πολλοὶ δὲ ἦσαν κατ' ἐκεῖνο χωρίου· συνήχθοντο τοῖς τῇ ἀπειλῇ ὑποβεβλημένοις, καὶ περιϊόντες πανταχοῦ, ὑπὲρ τῶν κολαζομένων, ὡς δυνατὸν, παρεκάλουν.

31. Εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν ἀνὴρ ἅγιος, ἀρετῇ πάσῃ κεκοσμημένος, καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τῷ σωτῆρι τῶν ὅλων καθαρὰς προσφέρων εὐχὰς, οὗτος οὔτε τὸ βασιλέως καταπλαγεὶς τὴν ὀργὴν, οὔτε τῶν ἀποσταλέντων τὴν ἐξουσίαν εἰς νοῦν λαβὼν, κατὰ μέσον τὸ ἄστυ γενόμενος, καὶ τῆς χλανίδος θατέρου τῶν ἀποσταλέντων ἀρχόντων λαβόμενος, ἀμφοτέρους ἐκ τῶν ἵππων καταβῆναι κελεύει. οἱ δὲ μικρόν τι γερόντιον εὐτελὲς ῥάκια περιβεβλημένον ἰδόντες, τὸ πρῶτον μὲν, καὶ χαλεπῶς ἔφερον· ἐπειδὴ δέ τινες τῶν συνεπομένων τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐδήλωσαν ἀρετὴν, κατεπήδησάν τε τῶν ἵππων εὐθὺς, καὶ τῶν ἐκείνου γονάτων λαβόμενοι συγγνώμην ᾔτουν· ὁ δὲ ὅσιος ἀνὴρ τῆς θείας σοφίας ἐμφορηθεὶς, τοιούτοις πρὸς αὐτοὺς ἐχρήσατο λόγοις· εἴπατε δὴ, ὦ φίλοι ἄνδρες, τῷ βασιλεῖ· οὐ βασιλεὺς εἶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος· μὴ τοίνυν πρὸς μόνην ὅρα τὴν βασιλείαν· ἀλλὰ καὶ τὴν φύσιν αὐτὴν λογίζου· ἄνθρωπος γὰρ ὢν, ὁμοφυῶν βασιλεύεις, κατ' εἰκόνα δὲ θείαν καὶ ὁμοίωσιν πάντως ἡ τῶν ἀνθρώπων δεδημιούργηται φύσις. μὴ τοίνυν ὠμῶς οὕτως καὶ ἀπηνῶς τὴν τοῦ θεοῦ εἰκόνα κέλευε κατασφάττεσθαι· παροξύνεις γὰρ οὕτω τὸν δημιουργὸν, τὴν ἐκείνου κολάζων εἰκόνα· σκόπησον γοῦν, ὡς καὶ σὺ χαλκῆς εἵνεκα δυσχεράνας εἰκόνος, ταῦτα ποιεῖς. ὅσον δὲ τῆς ἀψύχου διαφέρει ἡ ἔμψυχος καὶ ζῶσα καὶ λογικὴ, δῆλον ἅπασι τοῖς τε νοῦν ἔχουσιν ὁμοίως καὶ αἴσθησιν. πρὸς δὲ τούτοις λογιζέσθω κἀκεῖνο· ὡς ἡμῖν μὲν ῥᾴδιον ἀντὶ τῆς εἰκόνος ταύτης πολλὰς δημιουργῆσαι χαλκᾶς· αὐτῷ δὲ προφανῶς ἀδύνατον μίαν γοῦν τῶν ἀναιρεθέντων δημιουργῆσαι τρίχα.

32. Τούτων ἀκούσαντες οἱ θαυμαστοὶ ἄνδρες ἐκεῖνοι, μηνύουσί τε τῷ βασιλεῖ τὰ εἰρημένα, καὶ τὴν τοῦ θυμοῦ κατέσβεσαν φλόγα· ὡς ἀντὶ τῶν ἀπειλῶν ἐκεῖνον, ἀπολογίαν τε αὐτίκα γράψαι, καὶ τῆς ὀργῆς τὴν αἰτίαν δηλῶσαι· οὐκ ἔδει γὰρ ἔφη, ἐμοῦ πλημμελήσαντος, γυναῖκα πάσης εὐφημίας ἀξιωτάτην, τοσαύτην μετὰ τελευτὴν δέξασθαι παροινίαν· κατ' ἐμοῦ δὲ ἐχρῆν τὸν θυμὸν τοὺς ἀγανακτοῦντας ὁπλίσαι· προστίθησι δὲ καὶ τοῦτο, ὡς ἀλγεῖ καὶ ἀνιᾶται τινὰς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἀνῃρῆσθαι μαθών. Οὕτω μὲν οὖν ὁ φιλόχριστος βασιλεὺς, καὶ τοιαῦτα ὑπὸ τοῦ θαυμαστοῦ Ἀμβροσίου πεπαίδευτο, καὶ τοσαύτης παρ' αὐτοῦ τῆς χάριτος, καὶ τῆς πνευματικῆς ὠφελείας ἀπέλαυσεν.

33. Ὁ δὲ θεῖος οὗτος Ἀμβρόσιος· ὃν εἰρήκαμεν τρόπον, ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ἐν ὀρθοδόξοις δόγμασι διαλάμψας· ζηλωτής τε καὶ ὑπέρμαχος τῆς ἀληθείας γενόμενος, καὶ ἐποικοδομήσας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν· λόγους τε ὀρθοδοξίας καὶ διδασκαλίας ἐκθέμενος, καὶ πᾶσαν ὑπὸ Ἀρείου καὶ Ἀπολιναρίου καινισθεῖσαν αἵρεσιν ἀπελάσας· πάντα τε τὰ τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας καλῶς διαθέμενος, καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἐλάσας, πλήρης τε ἡμερῶν γενόμενος, ἀνεπαύσατο ἐν εἰρήνῃ, τεθεὶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Μεδιολάνων, μνήμην ἀληθῆ τὸν αὐτοῦ βίον καταλιπὼν καὶ τὰ κατορθώματα· ὧν ζηλωτὰς καὶ ἡμᾶς γενέσθαι καταξιώσειε, καὶ τῶν αὐτῶν ἀμοιβῶν ἐκείνῳ καὶ τῶν στεφάνων ἐπιτυχεῖν· χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν.

Hæc Ambrosii Vita exstat in pluribus Colbertinæ bibliothecæ membranaceis codicibus eleganter exarata, ex quibus eam hic exhibemus. Non est accurata illa quidem, cùm ea tantum Ambrosii facta commemoret, quæ referuntur à Theodoreto, ex quo eadem auctor anonymus, nec alius forsan à Metaphraste, totidem fere verbis compilavit. Verum tamen cùm eadem vita nondum, quod sciamus, in lucem prodierit, publici juris non piguit illam facere; ut post latinam Ambrosianæ vitæ historiam à Paulino scriptam, quænam fuerit de Antistite nostro Græcorum veterum opinio, velut uno intuitu lector cognoscat.

VITA SANCTI AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
EX EJUS POTISSIMUM SCRIPTIS COLLECTA, & secundùm chronologiæ ordinem digesta.

ANTA rerum gestarum magnitudine, doctrinæ ac librorum editorum celebritate, sanctitatis denique & virtutum episcopalium laude claruit sanctus Ambrosius; ut instar cujusdam esset miraculi, si defuissent eruditi homines, à quibus ejus historia litterarum monumentis committeretur. Exstiterunt itaque non pauci tum Græci tum Latini, qui hanc ipsam spartam ornandam susceperunt, in quibus ordinem ducit Paulinus sancti Antistitis notarius atque diaconus, cujus fidem ac diligentiam in dubium revocare nequaquam licet. Verum tamen illud in eo desideratur, quod vix ullam in rebus enarrandis chronologiæ habuit rationem, & nullum scriptorum Doctoris nostri catalogum curavit contexere, quod non omisit in Augustini vita Possidius. Vitium illud reparare eruditissimus cardinalis Baronius constituerat, cùm eam Ambrosii vitam elucubravit, quæ in Romana Ambrosianorum Operum editione illis præmissa, postmodum cum iisdem toties recusa fuit. At vero hic tanti viri labor usque adeo non tulit omnium approbationem, ut proprio auctori non satisfecerit; quippe qui post annos aliquot, cùm in ingenti suo Annalium Ecclesiasticorum Opere desudaret, [a] pronuntiaverit de eadem vita: *Quam ad scripta de eodem* (Ambrosio scilicet) *in Annalibus, cum diversum in ea invenies (quod posteriores cogitationes meliores esse soleant) conformandam intelliges.* Quocirca præterquam quod eadem vita longiuscula est; illam prælo subjicere sine correctionibus mutationibusque neutiquam possemus, quod noluimus in opere alieno nobis licere.

a *Ad ann. 397.*

2. Hermannus sorbonicus doctor post Baronium novam Ambrosii Vitam evulgavit, quam quidem tanta dignatione omnes exceperunt, quantam merebatur auctoris diligentia & eruditio. Verum etiamsi vernaculo idiomate, quo edita est, scripta non fuisset; cùm res Ambrosiano ævo & in imperio, & in Ecclesia gestas complectatur, amplior sane est illius moles, quàm ut ipsam istorum voluminum modus caperet.

3. Itaque optimum nobis illud visum est, ut vitis duabus, quarum alteram edidit Paulinus, alteram Græcus auctor consarcinavit, præmissis, tertiam insuper adjungeremus, quæ ad chronologicam rationem accuratior, defectum suppleret illarum utriusque. Ipsam, quoad ejus fieri poterit, ex Ambrosii libris haurire conabimur, cujus partes singulas ad eam concinnitatem ac proportionem pro nostra virili cogere satagemus; ut illius beneficio lector non modo factorum scriptorumve Ambrosianorum ordinem capere nullo negotio valeat, verum etiam ad studium eorumdem Operum lectioni cum fructu impendendum evadat paratior.

ANNUS 340.

4. Extra controversiam est natum in Galliis esse nostrum Ambrosium; ejus parentem, Ambrosium etiam nomine, in iisdem provinciis præfecti dignitatem obtinuisse; ipsumque antequam ederetur sanctus Ambrosius, duobus jam liberis, Marcellina scilicet ac Satyro, fuisse auctum, [b] atque adeo sanctum hunc nostrum ordine nascendi tertium exstitisse. At non tanta est de tempore & loco in quo primùm lucem adspexit, scriptorum consensio. Nam quod ad tempus, qui Ambrosio LXIV. vitæ annos tribuunt, annum 333. ei natalem esse affirmant: qui autem autumant ipsum non ultra annum LVII. vitam produxisse, ortum ejusdem non contigisse nisi anno 340. plane contendunt. Utrique harum opinionum illud commune est, quod anno 397. vel 398. volunt è vivis excessisse sanctum Antistitem: totius autem difficultatis cardo circa numerum annorum quos ille vixit, in hoc vertitur, quod cùm Vir sanctus epistola LIX. quæ ad Severum destinata est, annum agere se LIII. testificetur, illic etiam hæc verba scribat: [c] *Nos autem*, inquit, *objecti barbaricis motibus; & bellorum procellis, in medio versamur omnium molestiarum.* Enim vero qui locum illum cum Baronio de bello adversus Maximum tyrannum gesto interpretantur, Ambrosium inde colligunt pervenisse ad annum vitæ LIV. eo quod anno 387. idem hoc bellum trepidatione ac terrore compleverit omnem Italiam, sanctus vero Præsul non ante annum 397. fato functus sit. Qui autem citata verba de bello Eugeniano, quod anno 393. vel 394. patratum est, intelligenda esse defendunt, iidem Ambrosium annos natum LVII. mortem obiisse nullo modo ambigunt. Fatemur quidem in hac secunda opinione majorem quamdam veritatis speciem elucere: sed in hac quæstione magnum inesse operæ pretium non arbitramur. Etenim hos septem annos, de quibus hic controvertitur, ad vitam ab Ambrosio ante baptismum & in sæcularium rerum commercio exactam pertinere in confesso est: de annis vero quos vixit episcopus, & ad quos præcipua quæque ipsius facta referuntur, auctores ferme inter se consentiunt.

b *De Excessu Satyri, lib. 1. n. 54.*

c *Epist. 59. num. 3.*

5. Quod porro ad locum, qui eumdem nascentem exceperit, satis cognoscitur ex verbis Paulini eam urbem fuisse, [d] in qua sedem habere consueverat Galliarum præfectus. Verum illa ipsa urbs quænam censenda sit, haud parva lis est; alii enim Arelati, alii Treviris aut etiam Lugduno hunc honorem deferunt, singuli videlicet harum urbium nobilitati ac prærogativis antiquis nixi: sed revera nullum argumentum quo ceteris in hoc anteponenda liquido demonstretur, in medium promentes. Non desunt præterea qui Romam ipsam vocitent Ambrosii patriam: sed patria nihil aliud apud eos his locis sonat, quam familiæ atque originis solum natale, nec non solitum parentum sancti viri, & ipsius etiam non modico tempore domicilium.

d *Basil. epist. ad Ambr. Paulin. in v. Ambr. cap.*

6. In illa igitur harum urbium, ubi præfecti galliarum prætorium erat, in lucem editus est noster Ambrosius: ubi & Paulinus [e] prodigium illud memorat contigisse; quo apiculæ in os infantuli alternatim intrantes atque exeuntes, summam illius in dicendo, & in hominibus ad Christi obsequium alliciendis suavitatem visæ sunt portendere.

e *In vita Ambr. n. 3.*

ANNUS 355.

7. Patre mortuo, Ambrosius cum matre Romam reversus est, qua in urbe Marcellinam *quæ virginitatem* ut Paulinus testatur, [f] *jam fuerat professa*, cum alia item sacra virgine habitantem reperit. Cùm autem ex ipsomet Ambrosio cognoscere sit eamdem [g] Marcellinam Liberii pontificis manibus natali die Christi domini flammeo virginali fuisse consecratam: aliunde vero non dubitetur quin ille pontifex XI. Kal. junias anni tantum 352. suffectus fuerit in decessoris sui Julii sedem, hinc fit compertum Marcellinæ consecrationem non nisi VIII. Kal. januarias anni, ut minimum, 353. aut potius 354. fieri potuisse. Porro cùm ad tempus Ambrosiano in Urbem reditu posterius referatur à Paulino sæpius hîc citando, quod idem Ambrosius manus suas tamquam futuri episcopi exosculandas puellæ porrigeret memoratæ, ex lusu illo sane puerili satis colligitur pauliniana verba, *cùm adolevisset*, potiori jure de sancti nostri anno XII. vel XIII. intelligi, quam de XIX. aut XX. Unde illud non leviter

f *Ibidem num. 4.*

g *Lib. 3 de Virg. cap. 1 num. 1.*

poteſt confirmari, quod Ambroſii ortum anno 340. adſignavimus.

8. Educatus in contubernio harum virginum noſter Ambroſius, inde tanto erga virginitatem atque cœlibatum amore affectus eſt; ut illud vitæ genus non modo ipſe ſemper coluerit quam ſtudioſiſſime, verum etiam totis viribus longe lateque propagaverit, quemadmodum edita ab eo ſcripta, virgines ejus manibus ſolemni ritu Chriſto conſecratæ, monaſteria denium variis in locis ab ipſo inſtituta palam faciunt. Inter virgines autem quæ à ſancto Præſule ad profeſſionis ſuæ perfectionem informatæ ſunt, nullam inſignioribus virtutum omnium fulſiſſe documentis, quàm Marcellinam, [a] ipſius effigies à pio fratre ſtylo expreſſa clare demonſtrat. Romæ quidem commorabatur eadem virgo, ſed fratri ſemper intimo quodam animorum nexu conjuncta fuit; ita ut ejus, ſi quando ipſum in Urbem traheret neceſſitas, conſpectu frui minime contenta, ſubinde Mediolanum itaret ad eum inviſendum: quoties autem ab invicem locorum diſtantia ſeparabantur, crebris epiſtolis iiſque de virtute ac religione potiſſimum ſcriptis, mutuum ſui deſiderium conſolaremur. Ac præterea ſi quid anxium ſollicitumve reddebat Ambroſium, amantiſſima ſoror fraternam ſollicitudinem cùm eo partiri numquam deſtitit, quoad ille vixit; ipſam enim ſuperſtitem ei fuiſſe dubium non eſt.

a Lib. 3. de de Virg. cap. 4. num. 15. & ſeq.

9. [b] Ambroſius dum egit Romæ, *liberalibus diſciplinis* operam dedit, magnoſque, ut ex ejus lucubrationibus licet cognoſcere, & in lectione bonorum auctorum, & in græcarum litterarum cognitione progreſſus habuit. Inde cùm orandis in foro cauſis animum adjeciſſet, tantum præ ſe tulit ingenii, eloquentiæ, & gravitatis; ut eum Probus prætorio præfectus *ad conſilium tribuendum* eligeret. Satyrus quoque, peracto ſtudiorum ſuorum curriculo, forum ſequutus, [c] *incredibili admiratione*, ut Ambroſii verba uſurpemus, *in auditorio præfecturæ ſublimis emicuit*. Et re vera ambo illi fratres virtutum ſuarum ſuffragio clariſſimas quaſque dignitates adſequuti ſunt, quas quo animo iidem adierint, clare ſignificavit Ambroſius, ubi hæc dixit: [d] *Sæculi hujus honores*, inquit, *. . . . . quos ideo adepti ſumus, non quia fuit expetenda eorum perceptio, ſed ne vilis diſſimulatio videretur.* Quemadmodum autem Satyrus provinciam adminiſtraverit ſuæ curæ creditam, non aliunde melius quam ex hoc fraterno teſtimonio diſcere licet: [e] *Qualis in univerſos fuerit*, ait ille, *provincialium quibus præfuit, ſtudia docent, qui parentem magis proprium, quam judicem loquebantur, gratum pia neceſſitudinis arbitrum, conſtantem æqui juris diſceptatorem.*

b Paulin in V. Ambr. num 5.

c De Exceſſ. Satyri n. 49.

d Ibidem num. 25.

e Ibidem num. 58.

10. QUam regionem Satyrus regendam acceperit, minime conſtat: quod vero ad Ambroſium, Probus jam ante memoratus eum præfecit Liguriæ atque Æmiliæ, quibus provinciis archiepiſcopatum Mediolanenſem, Liguriarum, Taurinenſem, Genuenſem, atque Bononienſem comprehendi vulgo exiſtimant. Cùm porro Ambroſium illuc abs ſe Probus dimitteret, eum hiſce verbis fertur alloquutus: [f] *Vade*, inquit, *age non ut judex, ſed ut epiſcopus*; nimirum ut potius clementiam epiſcopalem, quàm judicis ſeveritatem exhiberet provincialibus, pulcherrime admonens.

Annus 374.

f Paulin. in V. Ambr. num. 8.

11. Hujus præcepti haud immemor exſtitit Ambroſius; populorum enim animos tantopere ſibi devinxit comitate ſua & manſuetudine, ut extincto Auxentio, perfido illo Arriano (qui ſedem occuparat Mediolanenſem, unde ejectus & in exſilium amandatus erat ſanctus Dionyſius) in ejus locum ipſemet ſuffectus fuerit ad eum modum, qui à Paulino eleganter deſcribitur. [g] Ambroſius hac in electione vim ſibi illatam fuiſſe frequenter conqueritur; namque in primo libro de [h] Officiis modo *ſibi refugienti impoſitam ſacerdotii neceſſitudinem dolet*, modo *ſe raptum à tribunalibus atque adminiſtrationis infulis ad ſacerdotium*. Et alio in libro: [i] *Dicetur*, inquit, *Ecce ille non in Eccleſia nutritus ſum, non edomitus à puero: ſed raptus à tribunalibus, abductus de vanitatibus ſæculi hujus, à præconis voce ad pſalmiſtæ adſueſcitus canticum.* Et poſt pauca: *Cuſtodi donum quod contuliſti etiam refugienti. Ego enim ſciebam quod non ſum dignus vocari epiſcopus, quoniam de*A*deram me ſæculo huic: ſed gratia tua ſum, quod ſum. Et ſum quidem minimus omnium epiſcoporum, & infimus merito.* In epiſtola quoque ad Vercellenſes ita loquitur: [l] *Quam reſiſtebam ut ordinarer . . . . Sed non valuit præſcriptio, prævaluit impreſſio.* Certe quidem ex iis quæ Paulinus hac de re narrat, [m] planiſſimum eſt ſanctum hunc noſtrum, ut huic oneri ſubduceret humeros, nihil non tentaſſe. Verum tamen ubi Valentiniani Cæſaris allatæ ſunt litteræ, divinæ voluntati quam poſt tot indicia in dubium revocare jam non poterat, morem gerere coactus fuit. Eam ob rem ſequutis temporibus, cùm atrociſſime impeteretur ab Arrianis, Valentinianum ſecundum his verbis B compellebat: [n] *Omitto*, inquiens, *quia jam ipſe populus judicavit: omitto quia eum quem habet, de patre Clementia tua poſtulavit: taceo quia pater pietatis tuæ quietem futuram ſpopondit, ſi electus ſuſciperet ſacerdotium. Hanc fidem ſequutus ſum promiſſorum.*

g Ibidem n. 6. & ſeq.

h Num. 1. & 4.

i Lib. 1. de Pœnit. c. 8. num. 67.

l Epiſt. 63. num. 65.

m In V. Ambr. n. 7. & ſeq.

n Epiſt. 21. num. 7.

12. Poſtquam igitur divinis paruit imperatis, regenerationis lavacro epiſcopi catholici manibus voluit expiari: [o] *Baptizatus* autem *fertur omnia eccleſiaſtica officia impleſſe, atque octava die epiſcopus ordinatus eſt.* Nihilominus tamen ut Eccleſiæ leges, quæ neophytum vetant conſecrari, aliquatenus obſervarentur; anniſus eſt viribus omnibus, [p] *ut ſaltem ordinatio protelaretur.* Verum cùm C non alia de cauſa hujuſmodi prohibeatur inauguratio, quam *ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli*, eique periculo obnoxia non videretur Ambroſiana humilitas, urgente Eccleſiæ utilitate, non diutius differri oportere judicatum eſt. Et ſane illam *ordinationem occidentales epiſcopi judicio, orientales etiam exemplo probarunt*, quemadmodum teſtatur ipſemet Ambroſius [q], qui & ſubjungit: *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis eſt: ſi non deeſt humilitas competens ſacerdotio, ubi cauſa non hæret, vitium non imputatur.*

o Paulin. in V. Ambr. num. 9.

p Epiſt. 63. num. 6.

1. Tim. 3. 7.

q Ibidem.

12. Veriſimile eſt conſecrationem illam VII. idus menſis Decembris factam fuiſſe; quandoquidem hoc D ipſo die mentio ejus fit tam apud Græcos quam apud Latinos: quin & hoc idem indicare videtur Ambroſius, cùm agens de Felicis Comenſis epiſcopi ordinatione, quæ *in exordio ipſo Kalendarum novembrum* redibat, ſic eum alloquitur: [r] *Natalem tuum proſequemur noſtris orationibus, & tu noſtri in tuis votis non obliviſcaris.* Etenim ſi dictio *noſtri* afficiat vocem *natalis*, admodum probabile fuerit virum ſanctum non aliunde ad hæc ſcribenda inductum eſſe, niſi quia initi abs ſe epiſcopatus anniverſarium cogitabat tunc imminere. Atqui conſenſus chronologiſtarum de anno conſecrationis ejuſdem ſancti multo major eſt, eorum enim peritiſſimi anno 374. eam E collocant; quamquam non deſint, qui eamdem in annum inſequentem differre voluerint, non ſatis nimirum adtendentes Valentiniani, quem ſuperſtitem fuiſſe conſtat quo tempore ad epiſcopatum Ambroſius cooptatus eſt, obitum eveniſſe anno 375. menſe Novembri. Quamprimum vero ſanctus Antiſtes electionem ſuam epiſcopis cum orientalis Eccleſiæ tum occidentalis, ut moris erat, ſignificavit; exſtatque etiamnum epiſtola magni Baſilii perquàm egregia, [ſ] qua litteris Ambroſianis ille reſpondet, & cui epiſtolæ Dionyſii quem in epiſcopatu excepit Ambroſius, reliquias adjunctas fuiſſe quidam exiſtimant. Mortuus autem eſt in exilio ſanctus Dionyſius VIII. Kal. apriles ejuſdem anni 374.

r Epiſt. 4. num. 2.

ſ Baſil. epiſt. 55.

F

13. Ceterum Ambroſius noſter ſtatim atque ad tantam dignitatem adſumtus fuit, omnem aliam curam præterquam implendi muneris ſui à ſe removit. Is enim bona temporalia, quibus ipſius familia locuples erat, cùm Satyrum fratrem opibus pauperem fuiſſe, Vir ſanctus neget, [t] univerſa abdicavit, auroque & argento in egenos collato, prædia ſua, reſervato ſorori ſolo uſufructu, Eccleſiæ [u] tribuit. Inde eſt quod tempore Arrianæ perſecutionis reſponderit tanta cum fiducia: [x] *Si à me peteret (imperator) quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, quidvis hujuſmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mei ſunt, eſſent pauperum.* Patrimonium cum fratribus partiri noluit, ſed ejus curam, non ſecus ac aliarum rerum ſæcularium, ſicut etiam ſervorum ac familiæ directionem in Satyrum rejecit. Frater ille dilectiſſimus ad eum venerat Mediolanum, adeo enim alter ab altero divulſus vivere non poterat, ut ea

t De Exceſſu Satyri n. 56.

u Paul. in V. Ambr. num. 38.

x Epiſt. 20. num. 8.

de re Ambrosius ita loquatur : [a] *Nec ipsi*, ait, *nos sæculi hujus delectabant honores, quod nos à nobis invicem dividebant.* Tanta vero prudentia & mansuetudine hanc administrationem obivit Satyrus, ut ipsi jam mortuo testimonium hoc reddat sanctus frater : [b] *Sine offensione ulla & gubernasti fratris domum, & commendasti sacerdotium.*

[a] De Excessu Satyri. num. 25.
[b] Ibidem num. 20.

14. Quapropter expeditus ac liber à rebus terrenis novus Episcopus, cælestium adquisitioni totus incubuit : & quamvis ante susceptum sacrum baptisma tam honeste tamque christiane vitam instituisset, ut vix aliud quod adderetur, culminis episcopalis perfectio videretur exigere ; nihilominus tamen tanta animi contentione operam dedit virtutibus omnibus, quanta si nullam sibi inesse persuasum habuisset. Qua ratione talis effectus, qualem unumquemque subditorum suorum esse peroptabat, eisdem ad bona opera facem numquam non præferebat. In primis autem ita se manciparat cultui sacrorum altarium, ut nullis negotiis quo minus quotidie [c] divinum offerret sacrificium, avocaretur. Sed cum Paulinus satis accurate Ambrosianas singulorum dierum exercitationes [d] enarraverit, ut ex minutatim hoc loco exponantur, nihil est necesse. Ceterum sanctus Præsul adtente considerans gubernacula ejus Ecclesiæ sibi credita, quam Auxentius, qui eam totos 20. annos occupaverat, arrianorum dogmatum veneno inficere omni ope conatus fuerat ; è contrario ipse arbitratus est sibi nervis omnibus esse connitendum, ut non modo ejusdem Arrianæ dementiæ, sed & omnium aliarum hæreseon prava germina stirpitus ex populorum mentibus evelleret. Pastoralis hujus sollicitudinis effectum declaravit sanctus Hieronymus in illa verba : [e] *Post Auxentii*, inquit, *seram mortem, Mediolani Ambrosio constituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur.* Tantus autem ille successus eo dignior est admiratione, quo ad illum adipiscendum breviori spatio vir sanctus indiguit; ipse siquidem per Arrianæ tempestatis tempora, id est, anno 385. aut 386. sic jam scribebat : [f] *Prodire de Arrianis nullus audebat ; quia nec quisquam de civibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi.* Hoc similiter tempore Augustinum à Manichæorum cassibus liberavit sanctus Antistes : neque etiam dubitaverimus plures alios non eam pervicaces quam Augustinum, Ambrosio jam ante debuisse primi sui erroris depulsionem.

[c] Epist. 20. num. 15.
[d] Vita Ambros. num. 38 & seq.
[e] Hieron. in Chron.
[f] Epist. 20. num. 12.

15. Verum tamen uberes illi fructus magno studio multisque laboribus constituere novo Præsuli ; nam licet à nobis observatum sit liberalibus illum litteris ac disciplinis ab adolescentia instructum fuisse, ecclesiasticam tamen doctrinam, cùm ad episcopatum provectus fuit, ei defuisse negabit nemo. Ut igitur hanc scientiam sibi compararet, quidquid temporis sibi à negotiis muneris sui, aut necessaria corporis cura vacuum erat, incredibili assiduitate scripturæ sacræ meditationi totum impendebat. Testem habemus hujusce rei magnum Augustinum, cujus hæc verba sunt : [g] *Secludentibus me*, inquit, *ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat, cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum.* Sed nec fidelissimus ille discipulus negligendum tacendumve existimavit, quam rationem in legendo teneret præceptor suus; eodem enim loco ista subjungit : [h] *Sed cùm legebat*, ait, *oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem & lingua quiescebat.* Neque vero diurnæ lucis curriculum ejus sufficiebat aviditati ; sed nocte diei hoc in opere propemodum continuata, redux à sacris vigiliis, lectionem quamprimùm resumebat, sicut ipse carissimo suo Irenæo ingenue fatetur hoc modo scribens : [i] *Inter legendum*, inquit, *cum paululum requievissem animo, quia lucubratione distuleram, versiculum illum cœpi mecum revolvere, quo vespere in vigiliis usi fueramus.* Quin etiam, postquam ætate jam erat provectior, de tam improbo studio nihil remisit, quemadmodum ex una ejus epistolarum Sabino amico suo & familiari scripta cognoscere est ; in ea quippe [l] hæc verba legimus: *Non enim dictamus omnia, & maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti.* Atque ita qui labori suo numquam parcebat, parcebat alieno. Quapropter cùm acerrimo ingenio præditus esset & humanioribus litteris apprime institutus, maxime vero græcis, in quibus inter latinos Patres uni Hieronymo primas concedebat ; mirum non videbitur, si Patrum tam Græcorum, quam Latinorum Operibus indefessa manu volvendis, & sacris utriusque linguæ codicibus inter se conferendis, tantos progressus tam brevi habuerit. Nam quod contendit magnus [m] Cardinalis Damasum pont. max. ubi comperit Ambrosii adhuc catechumeni electionem, Simplicianum, qui eum primis episcopatus sui annis in ecclesiastica scientia erudiret, Mediolanum misisse, haud satis idoneo nititur fundamento ; quod enim Ambrosius suam ad eumdem Simplicianum epistolam his verbis concluserit : [n] *Nos parentis affectu dilige* ; & Augustinus ipsum vocitarit [o] *patrem in accipienda gratia tunc episcopi Ambrosii, & quem vere ut patrem diligebat* ; id aliunde non esse factum jam ostendimus, quam quia illum idem presbyter adhuc juvenem primis fortasse religionis elementis Romæ imbuerat, vel quia eum post electionem ad sacramenta regenerationis ordinationisque suscipienda parare studuerat.

[g] Confess. l. 6. cap. 3. num. 3.
[h] Ibidem.
[i] Epist. 29. num. 1.
[l] Epist. 47. num. 1.
[m] In V. Ambr. & in Ann. ad an. 375 & 381.
[n] Epist. 65.
[o] August. l. 8. Conf. cap. 2.
[o] Ad epist. 65.

ANNUS 375.

16. AMbrosius comparandæ rerum ecclesiasticarum, & Scripturarum potissimum cognitioni non alio consilio desudabat, nisi ut implere posset doctoris munus, quemadmodum aperte significant [p] hæc ejus verba : *Sed tantummodo intentionem & diligentiam circa scripturas divinas opto adsequi .... & hanc ipsam ut docentis studio possim discere.* Hanc ob rem statim à primis sacerdotii annis festinavit illud aggredi ; non enim obscure id ipsum declarat, dum tanta cum modestia & sui demissione profitetur factum fuisse, [q] *ut prius*, inquit, *docere inciperem, quam discere. Discendum igitur mihi simul & docendum, quoniam non vacavit ante discere.* Clerici porro quos hic alloquitur, non soli exstiterunt, ad quos primæ illius curæ pertinuerint ; in catechumenis etiam ad genitalia sacramenta parandis erudiendisque plurimum laborabat. Et tot ejus libri ex sermonibus ad eosdem habitis compositi, abunde probant vix aliud ipsi fuisse antiquius, quam ut idoneas redderet hasce teneras plantas, quæ pietatis radicibus altius actis, fructus uberes aliquando ferrent. Indefessus erat in hoc munere, & omnino [r] *in rebus divinis implendis*, ut Paulinus loquitur, *fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos implere, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent.*

[p] Lib. 1. de Offic. cap. 1. num 3.
[q] Ibidem. num. 4.
[r] In Vita Ambr. num. 38.

17. Superiora duo conditionum genera sancto episcopo populi oblivionem haud induxerunt : is enim sedulam operam dabat non modo illius moribus virtutum omnium ornamento excolendis ac decorandis, verum etiam ipsius animis contra technas ac perfidiam hæreticorum præmuniendis. Hoc ejus noscitur fuisse propositum, quando librum suum *De Paradiso*, quem hoc ipso anno editum putamus, ea de re in lucem emisit ; ne Apellis discipuli, aut Manichæi potius [s] *simplices mentes*, inquit, *malitiosa interpretatione traducant.* Huic libro alios duos adjecit, qui *de Cain & Abel* inscripti sunt, in quibus faciliori adhuc negotio deprehenduntur ii sermones, qui christiani oratoris non ita maturi ingenium referant, licet hi ipsi præceptis ad bonos mores appositissimis passim adspergantur.

[s] Lib de Parad cap. 3. num 38.

18. Ambrosium singulis diebus Dominicis ad populum verba facere consuevisse testis est Augustinus, cùm profitetur : [t] *Eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam.* Sed verba illa non nisi de sermonibus per anni cursum ex communi more haberi solitis accipienda sunt ; in festis celebrioribus, nec non in diebus extraordinariis quotidie, immo vero interdum etiam semel & iterum eodem die suggestum conscendebat, [u] sicut a nobis suis locis observatum est.

[t] Lib 6. Conf. cap. 3.
[u] Admon. in lib. de Myst. & in lib. Hexaem.

19. Primis quoque Ambrosiani episcopatus annis generosam illam libertatem, quam Sacerdos Christi adversus principes magnatesque sæculi adhibere constituerat, expertus est Valentinianus Magnus. Etenim ut illam enarrationem Theodoreti, cui eam debemus, verbis ipsis repræsentemus : [x] *Paucis post diebus*, nimirum ab ordinatione, *Cùm divinus Ambrosius multa cum libertate imperatorem alloquens, nonnulla reprehendisset, quæ à magistratibus haud recte facta esse videbantur, respondit imperator : Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam;*

[x] Lib. 4. Hist. Eccl. cap. 7.

sed licet eam probe nossem, non solum non contradixi, immo adsensum præbui ordinationi tuæ. Proinde delitiis animarum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum divina lex præcipit.

20. Hic imperator xv. Kal. Decembres diem obiit, relictis duobus filiis, Gratiano scilicet ac Valentiniano: quorum ille prior jam impleverat annum ætatis xvii. & die ix. Kal. Septembres anni 367. Augustus fuerat salutatus: Valentinianus vero adhuc quadrimus sexto die post obitum paternum imperator declaratus est. Utrumque horum principum semper Ambrosius tenero quodam & vere patrio amore complexus est, quem & illi vicissim parentis proprii loco numquam non coluerunt; quod enim sub junioris imperio vexationem atrocissimam sustinuit sanctus Episcopus, id in furorem hæreticæ feminæ, quæ puerili filii ætate abutebatur [a], rejiciendum est.

a Orat. ... de obit. Valentin.

Annus 376.

21. QUantumcumque porro qualibet vitæ ratio beato Præsuli curæ fuerit, nullum institutum sollicitudinis suæ laboribus ei umquam dignius visum est, quam virgineum. Jam inde ab initio episcopatus lucubrationes suas domini sui sponsis devorandas putavit; cùm non tardius hoc anno ineunte ad eas habiti videantur elegantissimi illi sermones, ex quibus libri *de Virginibus* concinnati sunt. Quantus autem horum cùm pronuntiati sunt, fructus eruperit, ex eo satis colligi datur, quod vir alioqui modestissimus illum premere non potuerit: [b] *De Placentino*, inquit, *sacranda virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.* Quæ quidem verba tempus etiam quo illi sermones habiti fuere, satis innuunt; cùm enim Ambrosius [c] *triennalis sacerdos* eosdem redegerit in librorum formam, hinc intelligas unius, ut minimum, anni spatio fuisse opus, ut illarum concionum fama in loca tam dissita, & maxime in Mauritaniam usque pervadens, velandas virgines Mediolanum inde pertraxerit. Quocirca si festum beatæ Agnetis xii. Kal. februarias celebrabatur, ut nunc moris est, haud sine causa crediderimus eorumdem sermonum primum hoc ipso anno in natali illius martyris, alios vero aliis diebus ex intervallo dictos fuisse. Hoc autem Ambrosius tanta cum facundia & ornatu, simul vero tanta cum vehementia, & efficacia persuadendi præstitit; ut & nimiam orationis luxuriem ipsemet excusaret, & matres ne filiæ suæ tanti doctoris eloquentia persuasæ, virginitatem Christo consecrarent, eas in conclavi sedulo inclusas ad eum audiendum in Ecclesiam venire non paterentur.

b Lib. 1. de Virg. c. 10. num. 57.

c Ibid. lib. 2. cap. 6. num. 39.

22. Arriani, cùm novum Antistitem hæresi suæ bellum indixisse, ac nullam à primo die acceptæ ordinationis occasionem eorum oppugnandi prætermittere conspicerent; cœperunt serio inter se consulere, quibus machinis adversario partibus suis perniciem proximam minitanti se se opponerent. Eo animo, ut quidam prudenter existimant, Valentem elegerunt furoris sui ministrum idoneum, qui Petavione, cujus thronum episcopalem, ejecto Marco, per vim occuparat, turpiter expulsus, in Italiam ad perturbandas illius Ecclesias se contulerat. Sed repressa est ejus amentia Gratiani auctoritate; legem enim adversus illum ab eodem principe fuisse latam ex primis verbis l. iv. *de Hæret.* discamus licet.

Annus 377.

23. JAm supra narravimus quam late Ambrosianorum de virginitate sermonum fama se diffudisset. Inde factum est ut virgines sacræ, quæ propter locorum distantiam illas adhortationes auribus haurire non poterant, eas saltem chartis traditas legere percuperent. Nec profecto credibile est Marcellinam Ambrosii sororem, & ante multos annos id vitæ genus publice professam, ferre potuisse, ut ab alia in hoc experendo præverteretur: sanctus autem Præsul lubentissime obsequutus est eorum votis; quod ipse manifesto de se testatur, his verbis loquens: [d] *Rogantibus virginibus ne hoc quidem putavi negandum.* Illa de causa eosdem sermones in tres libros de Virginibus is transformavit *nondum triennalis sacerdos*, ut jam dictum est. Marcellinæ sorori hoc idem Opus inscriptum voluit, in quo & [e] orationem illam retulit, quam dum illi sanctimoniali velum imponeret, habuit Liberius.

d Lib. 2. de Virg. cap. 1.

e Admon. in lib. de Virg.

24. Non ita multo post librum *de Viduis*, [f] qui similiter constat è sermonibus, in vulgus edidit. Viduarum christianarum commoda & merita illic prædicat, nec non earum conditionem proxime accedere ad virginalem apposite probat. Dederat autem eidem Opellæ occasionem quædam vidua, quæ cùm haberet ex filiabus alias nuptas, alias vero nuptiis maturas, eum consuluerat an ad secundum conjugium transire sibi expediret?

f Admon. in lib. de Viduis.

25. Huic ipsi tempori librum *de Tobia* etsi non argumentis necessariis, probabilibus tamen conjecturis [g] attribuimus. Ex historia Tobiæ ab eoque mutuò datæ Gabelo pecuniæ ansam arripiens, in usuram insurgit ea tempestate immuniter grassantem, quam ejusmodi rationum momentis impugnat & profligat, ad quæ memoriæ nostræ homines vitam componere optandum esset.

g Admon. in lib. de Tobia.

Annus 378.

26. QUi libellum *de Virginitate* paulo attentius examinaverit, nihil aliud esse comperiet quam continuationem *libri de Viduis*, [h] eumque similiter compositum esse ex sermonibus, quos ut commoram memoratæ viduæ mentem placaret, composuit. Verum priusquam camdem viduam alloqueretur, fuse disputat de instituto virginitatis, illudque [i] *nec improbum esse, nec novum, nec inutile* argumentis evincit. Et hac ratione tam de virginibus, quam de viduis illic agitur, maxime vero de his ultimis. Cùm autem liber *de Viduis* absolvi nisi vertente anno superiore non potuerit, hinc evidens est eum librum quo de agimus, conscribi ante hunc annum non potuisse.

h Admon. in lib. de Virg.

i De Virg. cap. 6. n. 27. & seq.

27. Interea dum Ambrosius tam feliciter hæresi debellandæ, vitiis exstirpandis, ac inserendis virtutibus operam navabat, Valens imperator, qui catholicos affligebat tam atrociter, maximas à Gothis clades pertulit. Contra vero Gratianus ejus ex fratre nepos, rectæ fidei beneficio ubique triumphabat. Is igitur comperto patrui periculo, in Orientem eidem laturus auxilium, transire constituit. Itaque ut adversus adeunda pericula potentiori præsidio communiret se, aut superiore anno exeunte, aut ineunte præsenti rogavit Ambrosium [l] ut sibi commentationem, qua Filii Dei divinitas adstrueretur, lucubraret; quo scilicet regiones arrianorum contagione infectas aditurus, alexipharmaco non privaretur. Ambrosius tametsi magis optasset [m] *cohortandi ad fidem subire officium, quam de fide disceptandi*, principis votis tamen obtemperans, priores duos libros *de Fide* ad illum misit. Quo facto, suam omnem sollicitudinem eò convertit, ut fusis ad Dominum continuis fervidisque precibus eidem principi felicem impetraret expeditionem; quemadmodum in epistola super ejus reditu ad illum data ipse testatur, his verbis scribens: [n] *Tuum quotidianum iter legebam noctu ac die in tuis castris cura & sensu locatus, orationum excubias prætendebam; etsi invalidus merito, sed affectu sedulus.*

l Admon. in lib. de Fide.

m Lib. 1. de Fide cap. 6. num. 4.

n Epist. 1. num. 1.

28. Valens autem cùm didicisset secundùm Danubii ripas Gratianum ad se properare; ne juvenem illum principem cujus virtuti maxime invidebat, socium victoriæ haberet, festinavit funestissimum illud committere prælium, in quo una cum omnibus orientalis imperii viribus profligatus est, ipse verò in agresti tuguriolo die v. Kal. Augusti vivus combustus.

29. Barbari in quibus erant Taifales, quæ natio præ ceteris aliis impudicitiæ turpitudini mancipabatur, usi victoria in plurimas imperii provincias maximeque in Thraciam & Illyriam facta irruptione, usque ad radices Alpium Julianarum omnia pervastarunt. Explicari non potest quanta crimina perpetraverint, quemadmodum cuncta miscuerint cædibus atque incendiis, quantum denique captivorum numerum abduxerint, quos pecudum more passim venales exponebant. [o] *Nota sunt hæc nimis*, inquit Ambrosius, *Illyrici vastitate & Thraciæ: quanti ubique venales erant toto captivi orbe.* Ex his complures redemtos esse ab Ecclesiis idem significat: sed ipse omnium caritatem superavit in hoc officio, quippe qui non pecunias tantum in redemtionem illam jubens impenderit, sed ipsa quoque Ecclesiæ vasa comminuerit,

o Lib. 2. Offic. cap. 15. num. 70.

flaveritque. Qua quidem in re cùm primò servatis legibus prudentiæ, vasa non initiata confregisset, postmodum tamen si illa non potuissent sufficere, etiam initiatis non parcendum esse arbitrabatur. Pulcherrimum illud exemplum postea sanctus Augustinus aliique præstantissimi Antistites cum laude tum imitatione approbavere: sed Arriani è contrario gravissimam hinc invidiam Viro sancto creare conati sunt: [a] *Nos aliquando*, inquit, *in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus: quod Arrianis displicere potuerat; nec tam factum displiceret, quam ut esset quod in nobis reprehenderetur.* Quapropter ad eorum criminationem abs se depellendam, conscenso Ecclesiæ suggestu, [b] *ita in populo*, inquit, *prosecuti sumus, ut confiteremur, multoque commodius adstrueremus, ut animas Domino quam aurum servaremus.*

a Ibidem num. 136.
b Ibidem num. 137.

30 Sub exitum hujusce anni [c] Satyrus, qui omnem Ambrosianæ familiæ administrationem à beato fratre sibi traditam susceperat, hyemali tempestate [d] *negligens frigoris* navigavit in Africam; ut ad solvendum compelleret Prosperum quemdam, de quo Ambrosius: [e] *Plaudebat sibi*, ait, *quod sacerdotii mei occasione redditurum se quæ abstulerat, non putabat.* Nihil omissum est ab Ambrosio; ut ab illa navigatione fratrem revocaret, [f] & alii demandaretur ea provincia: Satyrus tamen non destitit à proposito, sed quò celerius interjectum mare transmitteret, [g] veteri & sentinoso navigio uti non timuit.

c Admon. in lib. de Excessu Satyri.
d De Excessu Satyri num. 10.
e Ibidem num. 24.
f Ibidem num. 26.
g Ibidem

31. Interea in morbum incidit sanctus Episcopus: [h] *Denique proxime*, inquit, *cùm gravi quodam, atque utinam supremo, urgerer occasu, hoc solum dolebam, quod non ipse adsisteres lectulo, ac votorum cum sancta sorore particeps officium, morientis oculos digitis tuis clauderes.* Ex quibus verbis etiam intelligas per hanc Satyri peregrinationem Marcellinam carissimum suum germanum invisuram venisse Mediolanum, & ipsi in periculosa illa valetudine sedulo ministrasse.

h Ibidem num. 36.

32. Satyrus tam vitiosa navi conscensa, non multo post naufragium fecit; cùm enim in brevia illisisset idem navigium, ejus compago statim soluta est. In tanto tamque præsenti periculo ab iis qui genitali aqua tincti fuerant, nondum enim exceperat eam gratiam: [i] *Divinum fidelium sacramentum poposcit .... & ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare .... his se tutum atque munitum satis credens, alia auxilia, non requisivit.* Et eum spes sua minime fefellit, quandoquidem *primus*, ut Ambrosius testificatur, *servatus est ex undis.* Ubi primùm terram adigit, servosque proprios eripuit e periculo, jam curam omnem ad agendas Deo gratias, & suscipiendum sacrum baptisma festinus vertit. Cùm vero audivisset loci quo appulerat, episcopum Luciferiano schismati adhærere, catholicum à quo ablueretur, quæsivit: ac tam uberem in eo sacramento gratiam est adeptus, ut eam, Ambrosio teste, [l] postea numquam amiserit.

i Ibidem num. 43.
l Ibidem num. 52.

33. Præter hoc naufragium, morbo idem quoque Satyrus eo in itinere conflictatus est, cujus nuntium ad Ambrosium ac Marcellinam cùm pervenisset, ingenti dolore illos affecit. Incertum porro nobis videtur, utrum in memorato naufragio, an in hoc ipso morbo vota sancto Laurentio nuncupaverit, de quibus in hunc modum loquitur Ambrosius: [m] *Tuis votis apud sanctum Laurentium martyrem impetratum esse nunc cognoscimus vitæ commeatum; atque utinam non solum commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi.*

m Ibidem num. 17.

34. Confecto prudenter juxta ac efficaciter negotio, cujus causa Satyrus in Africam navigaverat, in reditu Romam iter habuit. Tametsi autem [n] *à Symmacho ejus parente*, ut eum honoris ac forte etiam patrocinii gratiâ Ambrosius vocitat, retineretur, ne incideret in manus barbarorum, *quod ardere bello Italia diceretur*; nihilominus tamen nullum periculum revisendi carissimi fratris cupiditatem valuit retardare. Verum Mediolani vix redux erat, cùm sontico oppressus morbo, paucis diebus vitâ excessit. [o] *Ita enim*, ait sanctus frater, *mature ereptus est, postquam venit, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret.* Ambrosius ac Marcellina tristissimo illo potiti fuerunt solatiolo, quod fratri tam tenere dilecto omnia ministerii ac sedulitatis obsequia & ægrotanti & demortuo exhibuerunt. Satyri corpus cùm ingenti pompa in Ecclesiam elatum, & è regione umbonis positum fuit revelata facie: sanctus vero Præsul, vi adhibita dolori suo, coram ingenti hominum cœtu, fratrem ea laudavit *Oratione*, qua nihil tenerius possit cogitari, quemadmodum ex lectione ejus hodieque cognoscere est.

n Ibidem num. 32.
o Ibidem num. 17.

35. Testamentum nullum condidit Satyrus, etiamsi Ambrosius ac Marcellina instantius ab eo id contendissent: sed facultates suas utriusque permisit arbitrio. Erat hoc quidem illas pauperibus nobiliori quadam ratione & vanitati minime obnoxia relinquere atque legare; sanctus enim Episcopus non secus ac ipsorum soror ita ejus voluntatem interpretati sunt, ut *dispensatores non heredes* se institutos arbitrarentur, sicque ad Satyrum illius rei rediit omnis merces.

36. Septimo die reditum est ad Satyri tumulum, ut ipsius animæ solitis precibus ac ceremoniis divinum numen propitiaretur. Tunc sanctus noster aliam orationem instituens, admittendum ostendit esse solatium, nec mortem propinquorum aut familiarium nostrorum immodice lugendam; quando hominibus omnibus illa communis est, & sine illa erui ex vitæ hujus calamitatibus, atque ad felicem resurrectionem bonique infiniti possessionem pervenire nemini licet. Idem Antistes, si qua debetur fides Dungalo, composuit germani sui epitaphium, & ejus tumulo insculpendum curavit. Ceterum inter duos alios fratres numquam reperta est non solum animorum tanta consensio, verum etiam corporeæ constitutionis, ac frontis quoque similitudo: [p] contingebat enim sæpe sæpiùs, ut altero ægrotante alter ægrotaret, rursusque convalescente convalesceret; & plerique etiam alteri se loqui existimarent, cùm tamen alterum alloquerentur.

p Ibidem num. 36.

37. Ex hyberna Satyri profectione conjecturam valde probabilem ducere licet ipsum non nisi hoc anno abiisse ad superos, nec non funebres ejus Orationes habitas esse. Eumdem autem sanctorum albo inscripsit Ecclesia, cujus natalem renuntiat XV. Kal. mensis octobris.

Anno 379.

38. Hoc ipso anno Gratianus Cæsar, de cladibus queis ob funestam Valentis necem Romanæ provinciæ lacerabantur, resarciendis admodum sollicitus, Theodosium imperii consortem fecit. Hac adoptione qua salubrius imperii saluti nihil fieri potuit, Orientis provinciæ, quibus insuper accesserunt Macedonia atque Græcia, Theodosio adtributæ sunt. Gratiani judicium Augustinus [q] aliique scriptores impense laudant: sed nullus omnium eo magis delectatus est, quam Ambrosius; quippe qui & Gratianum summe diligeret, & Theodosium propter eximias ejus virtutes maximo haberet in numero.

q Lib. 5 de Civ. Dei, cap. 25.

39. Postquam Theodosius Orientis imperator declaratus est, quod peractum Sirmii XIV. Kal. Februarias hujusce anni; Gratianus in Gallias, ut eas à Germanorum populationibus defenderet, venit. In ipso itinere Antistiti nostro officiosissimam scripsit epistolam, qua ipsum ut se inviseret, iterumque primos duos libros [s] *de Fide* sibi traderet, obtestabatur, ac simul iisdem adjiceret *de Spiritu sancto fidelem disputationem*, quæ divinitatem ejus demonstraret. Ad hæc rescripsit Ambrosius noster, seque quod tam cito eum convenire non posset, ita excusavit; ut prima data oportunitate, satisfacturum se voluntati ejus [t] polliceatur. Interim petitos ab eo libros *de Fide* ad ipsum misit, quod vero ad commentationem *de Spiritu sancto*, ad hoc sibi dari moram petiit.

s Epist. ad Ambr. Tom. 2. pag. 735.
t Epist. 1.

40. Non ignorabat sanctus hic Doctor ab hæreticis quibusdam, Palladio fortasse ac Secundiano, nonnulla contra libros suos *de Fide* fuisse objecta, & eam ab his criminationem sibi intendi, quod brevitatem deditâ operâ affectavisset, ne ipsorum argumentis respondere necessum haberet. Propterea priusquam scriberet *de Spiritu sancto*, memoratis duobus libris *de Fide* tres alios addere sibi proposuit tam apte compositos, ut omnes simul in unum opus coalescerent. Tam prospere cessit ei hoc consilium, [t] ut qui non omnino in perfidia indu-

t Admon. in lib. de Fide.

ruissent, revocarentur, animi pacarentur catholicorum, & Gratianus eis Ecclesiam unam reddi juberet, quam sequestrari Arrianorum preces improbæ ab illo extorserant.

41. Sub initium quadragesimæ anni præsentis Ambrosius ad Constantium episcopali consecratione non pridem inauguratum dedit epistolam, qua de officiis episcoporum, deque ipsorum doctrina fusè disputat. Ibi autem hæc illi scribit inter alia: [a] *Commendo Ecclesiam quæ est ad forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longe non possum excurrere. Habes illic Illyrios de improba doctrina Arrianorum, cave eorum zizania ... Advertant quid* B *propter suam perfidiam acciderit sibi* (intellige Valentis exitium) *quiescant, & veram fidem sequantur.*

a Epist. 2.

42. De iisdem illis calamitatibus quæ ad Ecclesiam atque imperium ex interitu infelicis illius imperatoris rediere, queritur sanctus Præsul etiam in libro *de Noe & Arca.* [b] Et ex hoc superioribusque scriptis cognoscimus eumdem librum huic ipsi anno tribuendum esse, ac sedulum Doctorem indefessis laboribus tum adhibendæ orthodoxorum miseriis consolationi, tum depellendis heterodoxorum erroribus incubuisse; immo vero Judæis ipsis ad Ecclesiam compellendis, sed in his operam suam propter eorum contumaciam incassum recidisse dolens testatur. C

b Lib. de Noe & Arca c. 1. n. 3. Admon. in hunc lib.

ANNUS 380.

43. FElix Comensium primus episcopus ab Ambrosio nostro susceperat manuum impositionem; atque adeo mirum non fuerit, quod inter illos tantum familiaritatis intercesserit. Epistolam [c] qua sanctus noster accepta ab illo *tubera miræ magnitudinis* lepide atque urbane laudat, hoc ipso anno, si quid fidei Ughello [d] habendum est, scriptam dicemus. Eadem autem in epistola cùm peramicas quod ad se Felix nondum venisset, querelas Ambrosius inseruisset, ille datis litteris apud eum sese excusavit. Ambrosius, cùm sibi reddita est D hæc responsio, infirmitate detinebatur, & cum Bassiano Laudensi episcopo qui tunc temporis se inviserat, de Felice colloquebatur. Itaque secundâ suâ [e] ad eum epistolâ, & hæc illi significavit, & præterea etiam addidit se spopondisse illum adfuturum Basilicæ quæ à Bassiano constructa fuerat, dedicationi; proindeque ablatum ipsi jam locum esse procrastinandi.

c Epist. 3.
d Ital. sacr. tom. 2.
e Epist. 4.

44. Circa idem tempus incidit Ambrosio gravius quoddam cum Syagrio Veronensi præsule negotium, in quo exemplum moris antiquitus in judiciis criminum ab Ecclesia servari soliti etiamnum restat, quo vix alibi E occurrat præstantius. Indicia virgo consecrata apud Syagrium violatæ virginitatis extinctique fœtus insimulata fuerat. Eam detulerat Marcellus quidam, qui sororem ejus habebat in matrimonio; & nulla affinitatis ratione habita, malis artibus ac sutelis suis tantum effecerat, ut obstetricum inspectioni addiceretur. Provocavit Indicia ad tribunal Ambrosii, ad quem etiam scribendum putavit Syagrius, ut judicium hoc suum defenderet. Ambrosius hanc causam una cum aliis aliquot episcopis examinavit, & agnitâ Indiciæ innocentiâ Veronensis episcopi sententiam irritam fecit, ac præterea virginis calumniatores affecit eis pœnis, quas exigebat criminis F atrocitas. Quod in hac causa statutum abs se fuerat, Syagrio significavit per epistolam, [f] qua defectus atque vitia sententiæ ab eo latæ exponebantur. Veritus tamen ne illum episcopum abalienasset, paucis post diebus aliam epistolam [g] ad eum misit, qua illi cum singularis benevolentiæ testificatione ponit ob oculos, quantam injuriam universo virginum sacrarum ordini voluisset inflictam, cùm Indiciam tam propudiosæ inspectionis pœna damnasset.

f Epist. 5.
g Epist. 6.

45. Alia quoque controversia nequaquam levior superiore Ambrosium inter atque Justinam propter Anemium agitata est. Vacabat eo tempore urbis Sirmii, quæ totius est Illyriæ caput, episcopalis sedes, quam diutius Photinus & Germinius Arriani episcopi occupaverant. Imperatrix tunc, ut videtur, illic insidens, omnem lapidem movebat, ut futurus episcopus ex Arrianis cooptaretur. Advolavit eo sanctus Ambrosius, & quamvis Justina hæreticæ conspirationis septa præsidiis contra A obluctaretur, ut tamen adsumeretur Præsul catholicus, constantiâ pervicit. Hujus electionis modum, sicut & patratum in ea miraculum narrat Paulinus, [h] qui novo episcopo Anemio nomen fuisse testificatur. Porro cùm idem hic Anemius sequenti anno concilio Aquileiensi præsens fuerit, ejus electio probabilius adsignari non potest, quam præsenti anno.

h In V. Ambr n. 11.

46. Concilio Aquileiensi cum Anemio etiam interfuit Justus Lugdunensis, cui antistiti cum Ambrosio intercedebat amicitiæ summa conjunctio. Postquam solutus est Patrum conventus, in Ægypti solitudines Justus recessit. Inde cognoscitur Ambrosium nostrum, priusquam ille Lugduno iter capesceret ad hanc Synodum, eidem scripsisse illam epistolam, [i] qua Exodi locum de quo ab eo consultus fuerat, exponit. Non ita multo post aliâ epistolâ ad illum datâ, [l] iterum respondit huic ejus quæstioni, num ex artis Rhetoricæ legibus scribere curassent auctores sacri.

i Epist. 7.
l Epist. 8.

ANNUS 381.

47. DIximus Ambrosium Gratiano pollicitum fuisse divinitatem sancti Spiritus edito tractatu se probaturum. Fidem suam hac in re liberavit [m] ineunte hoc anno, tresque suos libros *de Spiritu sancto*, quos Athanarico Gothorum rege Constantinopoli VIII. Kal. febr. vitâ defuncto, publici juris fecit, Cæsari misit. In his autem elucubrandis feliciter usus est scriptis Dydimi ac Basilii, non quidem ut Æsopiæ corniculæ instar alienis plumis se ostentaret, sed apis industriæ ex floribus diversis favos condiret.

m Admon. in lib. de Spiritu sancto.

48. Quamvis appareat Gratianum Sirmii adhuc commorantem Palladio & Secundiano Arrianæ factionis episcopis ipsi molestissime obtundentibus invitum concessisse, ut Aquileiæ Synodus cogeretur; non tamen eam ante mensem septembrem istius anni celebratam esse concedi potest. Volebant illi œcumenicum esse hoc concilium, universosque episcopos desertis suis gregibus eò convenire: sed cùm superfluum fore tantum laborem Ambrosius persuasisset imperatori, ex ejus consilio idem Gratianus seniores episcopos aut debiliores ab hac subeunda fatigatione immunes fecit. Et illuc re vera exiguo numero præsules convenere, sed vitæ merito & doctrinæ præstantia celebres. Abunde à nobis loco suo actum est [n] de hoc conventu; illud ergo tantum hîc adjicimus ibidem Ambrosium Patrum aliorum prope omnium cum in disputando contra dictos hæreticos, tum in eorum damnatione per synodicas epistolas absentibus episcopis aut principibus denuntianda vices obivisse.

n Admon. in epistolas.

ANNUS 382.

49. OPinantur nonnulli ad idem Aquileiense concilium pertinere illam epistolam [o], quæ sic inscribitur: *Ambrosius & ceteri episcopi Italiæ*; sed contendunt alii eam adtribuendam esse alteri concilio, quod in quapiam urbium Italiæ sub initium hujusce anni celebratum est. Synodi Patres ad Theodosium detulere querelas suas, quod mortuo Meletio, successor in ejus locum suffectus esset, cùm ex inita conventione sedes Antiochæna deberetur uni Paulino. Conquesti sunt etiam de Nectarii electione ad Constantinopolitanum episcopatum; cùm enim Maximus Petri Alexandrini litteras ad eos adtulisset, ipsum vere & ex canonibus electum esse arbitrabantur. Humanissime Concilio rescripsit imperator, eique Maximi Cynici fraudes aperuit. Quocirca eidem principi aliam epistolam [p] Synodus misit, illique primum rationem reddidit, cur cum Maximo & Nectario ita se gessisset: tum præterea gratias egit, quod ipsius beneficio Ecclesiæ orientales occidentalesque pace fruerentur: postremo fautorem quemdam Apollinaristarum justa damnatione à se coërcitum esse nuntiavit.

o Epist. 13.
p Epist. 14.

50. Huic anno etiam tribuitur, quod à Paulino memoratur accedenti ad palatium sancto Præsuli, ut cuidam à Gratiano veniam postularet, negatum fuisse aditum à Macedonio magistro Officiorum, eique Ambrosium divinam ultionem ita prædixisse: [q] *Et tu quidem venies ad Ecclesiam, nec clausis januis, invenies qua ingrediaris.* Quod re ipsa Gratiano extincto, ille expertus est. Si propterea hæc Ambrosii comminatio hoc anno ponitur, quod cùm facta est, Gratianus versaretur Mediolani; cùm duobus annis superioribus ibidem etiam com-

q Paulin. in V. Ambr. num. 37.

moratus sit, eodem jure in alterum ex illis potest revocari. Proindeque in illius tempore certi nihil est. Videtur autem vero propius illum reum eumdem esse, qui Sozomeno teste, cum esset paganus, [a] *Gratianum conviciis laceraverat, & patre indignum appellaverat.* Cujus deprecator apud principem cùm nemo esse vellet; Ambrosius, ut ille refert, per secretam januam ad Gratianum penetrans, misero pagano delicti gratiam impetravit.

a Sozom. lib. 7. c. 25.

b Paul. in V. Ambr. num. 18. & in Adm. in lib. de Dom. Incarn. sacr.

52. Hoc etiam anno contigit [b] ut duo cubicularii imperatoris, qui sectabantur partes Arrianorum, sanctum Doctorem ad publicam de mysterio incarnationis disceptationem provocarent. Receperat ille in Portiana basilica hoc se facturum, cui promisso, ut condictum fuerat, minime defuit. Verum cùm isti ex equis corruentes fractis cervicibus animam exhalassent, Ambrosius terribilis illius casus nondum certior, eum sermonem ad populum habuit, unde libellus *De Incarnationis Dominicæ sacramento* concinnatus est. Attamen eidem argumento accesserunt duarum difficultatum, quas Arriani per Gratianum ipsum Viro sancto proposuerant, solutiones. Quarum quidem difficultatum prior in vocibus *genitus* atque *ingenitus* posita erat, posterior circa Christi omnipotentiam versabatur. In hoc porro Ambrosii mirum in modum elucet modestia, quod cùm non potuerit memoratum eventum non cognoscere, antequam eidem sermoni suo libri formam accommodaret; mortis tamen infelicium horum juvenum nullam omnino fecerit mentionem.

c Paul. in V. Ambr. n. 9. & 10.

53. Vertente hoc anno Ambrosius Romam se contulit, ut magno Concilio quod illic habitum est, interesset. Dum ibidem ageret, morbo correptus est, in quo eum sanctus Acholius, quem in Urbem evocaverat eadem causa, invisere neutiquam omisit: cujus congressum maximi beneficii loco ponebat Antistes noster. Quorumdam autem opinio est eumdem Ambrosium Romam tum primùm ex quo tempore in episcopum electus fuerat, profectum esse. Quod si verum est, huic itineri tribuenda erunt, [c] quæ *post annos aliquot ordinationis suæ*, ut Paulinus memorat, ipsi contigerunt. Matrem in vivis ipse non reperit, sed ibi vidit illam puellam, cui manum olim porrigere consueverat exosculandam, ac tandem mulieri paralyticæ restituit membrorum usum. His addit Baronius sanctum episcopum stabulariæ cuidam ob prosperos successus insolescenti diram imminere vindictam prænuntiasse: sed huic traditioni nulla scriptoris veteris auctoritas adstipulatur. Quanta vero cum voluptate carissimi fratris conspectu & colloquio Marcellina potita fuerit, quamque sollicite ministraverit huic ægrotanti, cùm explicatu inutile Paulinus duxerit, nos quoque lectorum relinquimus cogitationi.

d Epist. 17. num. 10.

54 Præterea hujus anni est pium illud Gratiani edictum, quo Victoriæ aram ex senatu, unde illam Constantius jam removerat, reposuerat autem Julianus apostata, tolli jubebat. Auferebat insuper vestalium privilegia, sacrificulorum commoda, & pecunias sacrificiorum sumtibus destinatas. Idololatræ ut hoc imperatum revocaretur, nihil omiserunt; eaque de causa per Symmachum nobilissimum virum & oratorem facundissimum imperatori libellum obtulere. At sanctus noster cujus consilio imperatorem hæc decrevisse probabile est, ubi à Damaso Romano pontifice [d] christianorum senatorum libellum accepit, tam efficaciter egit apud Cæsarem, ut ejusdem rescripto vis sua integra servaretur, & libellus Symmachianus ne quidem legeretur à Gratiano, ut non temere conjici potest.

ANNUS 383.

e Epist. 15.

f Epist. 16.

55. HOc anno vitam temporalem æterna mutavit sanctus Acholius. Ejus obitum episcopi Macedoniæ & clerus urbis Thessalonicæ per litteras beato Ambrosio, qui mirabiliori quadam ratione illum jam noverat, significarunt. Responsum ad eos misit sanctus Præsul, [e] in quo postquam intimum suum de morte tanti antistitis dolorem patefecit, & egregias ejus virtutes justis laudibus prosequutus est, lætatum se esse testificatur, quod in ejus locum Anysius ejusdem sancti dignus discipulus, esset locatus. [f] Aliam quoque epistolam Anysio scripsit, in qua post consuetum gratulationis officium eum hortatur, ut præceptoris sui ac decessoris imitetur virtutes.

g Relat. ad Valent. jun. 831. n. 14.

h Epist. 18. num. 17. & seq.

56. Hic etiam annus famem passus est, [g] quam subsequenti anno memoratus Symmachus imputavit christianæ religioni, quod videlicet puellis Vestæ atque idolorum sacerdotibus privilegia sua essent ablata. Sed Ambrosius argumenta ejus futilia esse pulcre demonstravit; [h] illamque tritici penuriam universalem non exstitisse, *plerasque enim provincias redundasse frumento*, & proxime sequenti anno *messem fœneratam & liberalioris vindemiæ beneficia* successisse.

i De Obitu Valent. num. 79.

l Ibidem num. 79.

m Ibidem num. 6.

57. Maximi rebellione clades multo gravior imperio illata est quàm inopiâ frumentariâ. Tyrannus ille in Anglia malis artibus imperator declaratus est, simulabat tamen purpuram à se non usurpatam, sed recusanti atque invito obtrusam esse. Cùm magno exercitu transmisit in Gallias; ac Gratianus ubi proditum se ac destitum à suis vidit, versus alpes fugam tentavit. Verum ubi Lugdunum cursu delatus est, immani scelere necatus fuit die VIII Kal. Septembres, anno vitæ XXIV. imperii autem VII. & mense IX. Infelix princeps in hostium suorum potestate detentus, nihil frequentius cogitatione atque ore versabat, quam Ambrosii parentis nomen. [i] *Tu me*, ait sanctus Antistes, *inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem.* Certe quidem sancti hujus mœror quantus fuerit, cuivis judicare expeditum est; ipse tamen variis locis eam expromit, puta in psalmi LXI expositione, in qua virtutes interfecti principis amanter laudat, interfectoris vero perfidiam acriter vituperat. Sed extincto postea etiam Valentiniano, doloris modum jam vix habuit. Namque in questibus utrumque germanum simul conjungens, in iis oculos velut sibi effossos esse deflebat, ac Davidis more ita querebatur: [l] *Utinam, filii, pro vobis licuisset hunc spiritum fundere! Compendium doloris inveneram, & gloriosius mihi fuerat pro tantis obire pignoribus.* Verum tamen non tantopere suâ causâ dolebat, quàm Ecclesiæ, quæ immani vulnere sauciabatur crudeli cæde hujus principis, [m] quem ex indole ipsius atque virtute maximum sibi defensorem fore speraverat.

n De Obitu Valent. 28.

o Epist. 24. num. 7.

p Ibidem num. 3.

58. Ceterum non solis verbis præ se tulit sanctus episcopus quantum sibi doloris peperisset mors Gratiani, verum & factis quàm cara sibi esset illius memoria, declarare voluit. Etenim Valentiniano germano ejus puerilem ætatem nondum egresso, paternum animum ac patrocinium omnino exhibuit, ut ipse testatur in illa verba: [n] *Ego te suscepi parvulum, cùm legatus ad hostem tuum pergerem; ego Justinæ maternis traditum manibus amplexus sum.* Justina videlicet cùm improvisa Gratiani morte omnia confusa & perturbata, seque ac filium in summo periculo esse conspiceret, confugere ad Ambrosium quamtumvis ipsi infensa esset, coacta fuit. Illis igitur temporibus difficillimis Ambrosius periculosam ad Maximum legationem non detractavit, [o] & apud illum Victoris comitis ad Valentinianum ab eodem tyranno missi reditum operiens, per totam hyemem commoratus est. Quamquam autem omnia tunc erant plena discriminis, non tamen dignitatem suam putavit dejiciendam; sed simul magnanimitate ac prudentia usus, ita cum tyranno egit, ut obtineret ab eo postulata. Sane hanc ejus legationem nemo fuit qui non probaret, præter Maximum. Is enim sequenti anno deceptum se ab eo esse quiritatus est. Antistes vero licet has querelas sibi [p] gloriosas arbitraretur, injuria tamen eas haberi planissime ostendit.

q Paul. in V. Ambr. num. 19.

59. Et hæc quidem ex Ambrosio ipso discimus: at præterea, ut Paulinus auctor est, [q] *Maximum à communionis consortio segregandum putavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui, & quod est gravius, innocentis ageret pœnitentiam.* Verum cùm sanctus Præsul semel ac iterum legatus ad Maximum profectus fuerit, & hasce duas legationes non distinguat hic idem auctor; ex serie narrationis probabilius est citatum locum posteriori magis quadrare. Attamen non videtur Ambrosius, siquidem in prima legatione communicasset cum Maximo, eum in secunda separare à communionis usu meritò potuisse; atque adeo verisimilius est sanctum Præsulem nec eidem tyranno in sacris umquam consortem fieri, nec aliquo adversus eum temperamento uti voluisse.

60. Ambrosius Mediolani redux, episcopalia munia repetiit: egregiosque illos sermones ex quibus libri *de Interpellatione*

terpellatione Job & David compositi sunt, ab eo pronun- A tiatos existimamus. Conveniebat iisdem temporibus hoc argumentum; [a] ibi quippe agitur de querimoniis, quibus uterque horum sanctorum vitæ humanæ calamitates tam corporeas quam spiritales lamentabantur. Ibidem etiam discutiuntur illæ querelæ, quas & improborum prosperitas, & adversitas bonorum solent elicere. Tractandæ porro exornandæque huic materiæ pulcherrimos quosque locos libri Job eleganter exponit, nec minus argute psalmos xli. xlii. & lxxii enarrat & illustrat.

[a] *Admon. in eosd. lib.*

ANNUS 384.

61. Videtur similiter sanctus Episcopus dolorem suum de Gratiani cæde in illis sermonibus, ex quibus B constat [b] *Apologia propheta David*, patefecisse, licet eumdem Gratianum nusquam illic nominaverit. Ut autem de hoc argumento verba faceret, ea re impulsus est, quod geminum Davidis crimen, adulterium nempe atque homicidium, quosdam offendebat longe gravissime. Probat igitur mirum non esse, quod homo fragilis inciderit in hæc delicta, sed admirationem illud mereri, quod tantus princeps tam promtam tamque humilem admissi criminis confessionem edere valuerit, & idem ipsum cum longiori asperiorique diluere pœnitentia, tum continuo C bonorum operum exercitio tegere. Hunc porro librum si antiquissimorum aliquot manuscriptorum inscriptioni fidem habeamus, Theodosio postea misit Antistes noster, ut nempe illum ad expiandam Davidis instar cædem Thessalonicæ urbis ab eo jussam extimularet.

[b] *Admon. in eosd. lib.*

62. Symmachus hoc anno præfecturam Urbis administrabat: is confusionem rerum ac Valentiniani pueri matrisque Justinæ trepidationem commodam ratus, iterum profanarum religionum, altaris Victoriæ, ac privilegiorum restitutionem petere constituit. Quamobrem imperatori libellum [c] obtulit omnibus calamistris eloquentiæ D comtum & excultum. Et quidem claneulum rem tentaverat orator ille; sed efficere neutiquam potuit, ne veniret in Ambrosii cognitionem. Hic ergo istius consilii factus certior, libellum [d] & ipse vel epistolam episcopalis vigoris plenam Valentiniano confestim dedit, qua libelli Symmachiani sibi copiam fieri postulabat, ut ei responderet accuratius. Itaque mox ut à Cæsare hoc scriptum obtinuit, tam perspicue tamque valide singula ipsius capita diluit ac confutavit, [e] ut Symmacho necessarium super ea causa silentium imponeret. Hunc secundum libellum post vindemiales ferias scriptum imperatori Ambrosius noster tradi curavit, quem quidem libellum sicut priorem, lectum in frequenti consistorio, quæ petebantur, adse- E quutum esse ex epistola sancti Præsulis ad Eugenium discamus licet.

[c] *Tom. 2. pag. 822.*
[d] *Epist. 17.*
[e] *Epist. 18.*

63. Idem Symmachus per suam præfecturam de christiana religione melius est meritus quam cogitaverat; quandoquidem Mediolanum, cujus cives Magistrum Rhetoricæ ab eo petierant, Augustinum eâ gratiâ pergere voluit. Quam amice autem Augustinus eo veniens ab Ambrosio exceptus fuerit, eleganter ipse describit, cujus proinde nos non pigebit verba mutuari: [f] *Et veni*, ait, *Mediolanum ad Ambrosium episcopum in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens; ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne* F *ille homo Dei, & peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tamquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tamquam hominem benignum in me. Et studiose audiebam disputantem in populo non intentione qua debui, sed quasi explorans facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major minorve proflueret, quàm prædicabatur; & verbis ejus suspendebar intentus, rerum autem incuriosus & contemtor adstabam; & delectabar suavitate sermonis, quamquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis, quam Fausti erat, quod adtinet ad modum: ceterum rerum ipsarum nulla comparatio; nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iste autem salubérrime docebat salutem.* Hactenus Augustinus, qui hac narratione nobis aperit non solum quam alto consilio quasi manu ductus sit ad Ambrosium, ut revocaretur ab erroribus, verum etiam quanta esset apud homines Præsulis

[f] *Lib. 5. Confess. cap. 13.*

A nostri existimatio, quamve rationem & in excipiendis exteris, & in populis instituendis ille sequeretur. Deinde explicat idem Augustinus quibus gradibus Ambrosiana verba primùm in mentem suam veritatis lumen intulerint, ac demum immutaverint voluntatem. Sic autem de hoc loquitur; *Et dum cor aperirem*, inquit, [g] *ad excipiendum quam diserte diceret, pariter & intrabat quam vere diceret, gradatim quidem.*

[g] *Ibidem cap. 24.* [?]

64. Hujus quoque anni esse putamus duos libros [h] *de Pœnitentia*, quos Ambrosius scripsit contra Novatianos. In eis horum hæreticorum deliras simul atque crudeles opiniones funditus evertit, nec non auctoritatem dimit- B tendi peccata Ecclesiæ à Christo datam invicte probat. Quod autem istic leguntur ea verba: [i] *Ego aliquem laborem pro sancta Ecclesia suscepi*; illis utique si labor innuatur contra Symmachum atque ethnicos ab Ambrosio susceptus, eosdem libros ab hoc ipso anno multum removendos censebit nemo.

[h] *Admon. in eosd. lib.*
[i] *Lib. 2. c. 8. num. 73.*

ANNUS 385.

65. Monica filium [l] *terrâ marique, & in periculis omnibus* sequuta, non multo post ad eum venit Mediolanum. Eam dignatus est sanctus Ambrosius eadem C comitate ac benevolentia, quam jam Augustino exhibuerat. Augustinum vero à Manichæorum commentis ac probris abalienatum offendit mater, nondum tamen erga veritatem doctrinæ catholicæ satis propensum. Summâ lætitiâ eamdem affecit filii agitatio; certam enim spem inde capiebat conversionem ejus vicinam esse. Quapropter ut eam à divina clementia consequeretur, geminatis precibus, cœpit [m] *& studiosius ad Ecclesiam currere, & in Ambrosii ora suspendi ad fontem salientis aquæ in vitam æternam. Diligebat autem illum virum sicut Angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluc-* D *tuationem jam esse perductum.*

[l] *Lib. 6. Confess. c. 1.*
[m] *Ibidem.*

66. Qua porro veneratione sanctum Antistitem prosequeretur pia illa vidua, vel hinc intelligas, quod *cum ad memorias sanctorum*, inquit Augustinus, [n] *sicut in Africa solebat, pultes & panem & merum adtulisset*; ubi audivit à janitore propter abusus quosdam hunc morem ab Episcopo fuisse interdictum, [o] *tam pie atque obedienter*, pergit idem ille, *amplexa est, ut ipse mirarer quam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit.*

[n] *Ibidem cap. 2.*
[o] *Ibidem.*

67. Interim Augustinus in veritatis itinere semper ulterius progrediebatur, de Ambrosio autem ita sentiebat: *Ambrosium*, inquit, [p] *felicem quemdam hominem secundum* E *sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent, cælibatus tantum ejus mihi laboriosus videbatur.* Optabat non mediocriter longius cùm eo inire colloquium, ut ei mentis suæ motus atque agitationes aperiret. Subinde ad ipsum pergebat illam ob causam, cúmque ædes episcopales nemini non paterent, facili negotio ad ipsum accedebat. Verum quia sanctus Antistes aut diversorum hominum serviebat infirmitatibus, aut Scripturarum meditatione occupatus erat, Augustino nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebat. Eum tamen alloquebatur interdum Ambrosius, eique propter maternam pietatem gratulabatur.

[p] *Ibidem cap. 3.*

68. Sed Augustinus congressu tam perfunctorio minime contentus, ut qua licebat, desiderio satisfaceret suo, illum [q] *in populo verbum veritatis recte tractantem omni die do-* F *minico audiebat.* His concionibus nubes quibus interior ejus obtutus obcæcabatur, dissipatæ sunt; ipseque catholicæ fidei veritatem agnoscere, ac Manichæorum errores maxime circa prisci fœderis testamentum despicere cœpit. *Sæpe in popularibus sermonibus suis*, inquit, [r] *docentem Ambrosium sæpius audiebam: Littera occidit, spiritus autem vivificat, cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento, spiritaliter aperiret.* Non est ergo cur aliquis miretur, quod Ambrosius tantopere mysticum urgeret intellectum in sermonibus hoc & sequenti anno de suggestu habitis, quorum plerique in libros redacti sunt. Hos certe libros fastidiosi quidam majori haberent in pretio, si temporum illorum necessitatem, & expressam ipsorum efficacia magni Augustini conversionem tantisper adtenderent.

[q] *Ibidem.*
[r] *Ibidem cap. 4.*

69. Ambrosius qui ultra Mediolanensis Ecclesiæ limites

sollicitudinem suam extendebat, rogatus à Vigilio ad Tridentinam sedem nuper evecto, præcipua episcopalis dignitatis munera a per epistolam ipsi exposuit. Præ ceteris autem illum admonebat, ut ne connubia inter cultu dispares coire permitteret, hoc est, inter christianos & infideles. Cujus admonitionis necessitas oriebatur ex Idololatrarum multitudine, quæ in Tridentinis finibus tunc tanta erat, ut idem Vigilius cùm eos niteretur adducere ad Christi cognitionem, ab ipsis martyrio affectus memoretur.

70. Ubi primum Justina pacem à Maximo sibi concessam vidit, ea oportunitate constituit abuti, ut Ambrosio bellum indiceret; rata enim auctoritatem filii jam satis esse confirmatam, omnia in se atque in imperium sancti Viri merita oblivione delevit. Occasionem ipsi exhibuit, quod in proximo erat, resurrectionis Dominicæ festum; ut ad Ambrosium b mitteret, qui Portianam basilicam, hoc est, extramuranam peterent Arianis. Id cùm ingenti animo negasset sanctus Præsul, imperatrix ex eo efferata, filii nomine ac terrore objecto, rem extorquere conata est. Quapropter feria sexta ante Dominicam quæ dicitur Palmarum, c veniunt ipsius jussu comites quidam consistoriani, qui basilicam novam, hoc est, intramuranam, quæ superiori erat amplior, poscerent ab eodem Ambrosio. Hic autem rursus modeste simul, ac genero- [C] se reposuit, d *templum Dei à sacerdote tradi non posse.* Postridie præfectus ipse convenit sanctum virum, ut vel Portiana basilica concederetur. Maxima cum pietate ac constantia populus reclamavit, quod cùm cerneret idem præfectus, ad palatium rediit, imperatori quæ gesta fuerant, nuntiaturus. Sanctus Antistes hujusmodi turbis non deterritus, Dominica Palmarum sacris consuetis rite operatus est. Verum tamen dum competentibus traderet symbolum, à quibusdam audivit, e *quod ad Portianam basilicam de palatio decumanos misissent; & vela suspenderent*; ut videlicet à Valentiniano, hanc Ecclesiam occupari vindicarique significarent. Ambrosius ab offerendo [D] sacrificio non absistebat, cùm nuntiatum est presbyterum quemdam Arrianorum, Castulum nomine, à populo fuisse captum. f Id Episcopus graviter tulit, atque extemplo presbyteros ac diaconos huc destinavit, à quibus sacrificulus liberaretur. Justina tamen seditionis loco illud accipiens, multos civium conjecit in vincula, palatio justicium indixit, magnasque minas intentavit optimatibus. Attamen denuo missi sunt ad Ambrosium tribuni & comites, g qui eum de cedenda una ex basilicis compellarent. Interim vero jussi sunt milites ad eam occupandam sese conferre. Sed cùm eos beatus Antistes esset al- [E] loquutus, confestim ad stationem suam redierunt. Ambrosius vero feriam tertiam in Ecclesia integram exegit: imminente autem noctis tempore, rediit in ædes episcopales; h ut si eum in exsilium pellere vellent, paratum invenirent. Postridie ejus diei antelucana hora domo egressus, cinctam militibus reperit Ecclesiam, in qua nihilominus lectiones consuetæ recitabantur. Imperavit Episcopus milites sacræ communionis jure interdici, quo illi deterriti, ad catholicorum partes accesserunt. Tunc ille ambonem basilicæ conscendens, i ex libro Job quem tunc legi contigit, ad populum concionatus est. Dum sermonem suum rebus præsentibus scite adaptaret, eum inter- [F] pellant, vela removeri ex basilica significantes, quod imperatorem cœpto desistere indicio erat. Prosequebatur concionem suam Antistes noster, cùm ecce tibi Notarius ab imperatore ad eum venit, l qui & tyrannum ipsum appellavit, & verbis tractavit injuriosissimis. Modeste quidem ille respondit, sed nihil remisit de constantia. Non permissus est eo die domum regredi, sed *cum fratribus in basilica munere* canendis psalmis omnes pernoctarunt. Sequenti die, id est, feria quinta majoris hebdomadæ, m Jonæ prophetia more solito recitata est, quam dicendo exponere incœpit Ambrosius. Haud multum processerat in instituto sermone, cùm à quibusdam ei refertur præcepisse Valentinianum ut recederent milites, ac cives qui in vinculis erant, dimitterentur. Incredibilem apud catholicos voluptatem peperit hoc nuntium. n At etiamsi persecutio illa hic finierit; nuntiabantur tamen imperatoris verba nonnulla, quæ secutos esse non patiebantur

a Epist. 19.
b Epist. 20.
c Ibidem.
d Ibidem num. 2.
e Ibidem num. 4.
f Ibidem num. 5. & seq.
g Ibidem n. 8. & seq.
h Ibidem num. 10.
i Ibidem num. 14. & seq.
l Ibidem num. 22.
m Ibidem num. 25.
n Ibidem n. 27. & 28.

[A] eosdem catholicos: & Caligonus Valentiniani præfectus cubiculo, ad Ambrosium misit, qui suis verbis ei diceret: o *Me vivo, tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo.* Cui generosum hoc & plane Episcopale responsum dedit: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris; ego enim patiar quod episcopi, tu facies quod spadones.* Ejusdem Eunuchi, sed suppresso illius nomine, Ambrosius meminit in Commentatione *de Joseph Patriarcha*; ubi hæ voces etiam leguntur moderationis sancti Episcopi vere indices: p *Ne ipsius quidem sermones mei meminisse delectat, quem tunc temporis vel effuderit, vel extorserit Ecclesia contumelia.* Subjungit tamen illum non multo post pœnas de- [B] disse, sed condemnatum alterius criminis, quod Augustinus nobis explicat in eum modum: q *Calligonum,* inquit, *Valentiniani junioris eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum.*

71. Dici non potest quam consternata fuerit Marcellina, ubi primos hujus tumultus rumores accepit. Statim igitur crebris litteris fratrem rogavit, ut se omnium faceret certiorem. Ambrosius vero sollicitam de se sororem carissimam animi pendere nequaquam passus, ei per ordinem omnia scripsit; r è cujus epistola quæ de hac eadem persecutione à nobis narrata sunt, mutuo sumsimus. Nonnulli porro hanc persecutionem sequenti anno excitatam autumant; sed non differendam ultra hunc ipsum demonstravimus s proprio loco.

72. Etsi Justinæ vexationes sopitæ viderentur, optime tamen Ambrosius fore præviderat, ut non quiesceret hæc Arriana. Et certe non diu odium illa continuit: sed ut efficacius cogitata perficeret, jam inde à mense januario hujusce anni persuasit filio scribendam legem, quæ Arrianis in Ecclesiam conveniendi potestatem faceret, pœnamque capitis eis irrogaret, qui contra non modo palam intercedere, t sed vel *clanculo supplicare* adtentavissent. Jussit imperatrix Benevolum *Memoriæ scrinii præfectum* u hanc legem exarare atque obsignare. Hic vero conscientiam favori anteponens, hoc detrectavit, ac propterea lubentissimo animo subivit exsilium. Hujus operam supplevit Auxentius, qui se, ut Ambrosius testificatur, episcopum Arrianorum esse jactabat. Sed sanctus Præsul de illo sic loquitur imperatori: x *Nam ego,* inquit, *nec episcopum novi, nec unde sit, scio.* Nihilominus tamen ex Antistite nostro discimus illum ex Scythia oriundum esse, & inde cùm venisset Mediolanum, posito Mercurini nomine, sub quo criminibus infamis evaserat, dictum Auxentium. y Quippe *ita erubuit*, ait Ambrosius, *ut mutaret vocabulum.* Sic autem voluit se appellari, quod propter memoriam veteris Auxentii acceptiorem se paucis illis, & potissimam partem exteris Arrianis qui sequebantur imperatricem, fore credebat. Et hujusmodi erat præcipuus ille Justinæ minister, à quo scriptum fuit dirum hoc edictum, quod fletus quidem expressit catholicis, Ambrosii vero mentem infringere minime valuit.

73. Post hujus legis promulgationem, relicta urbe Mediolano, imperator unà cum matre Ticinum venit, & ibidem legem edidit z xv. Kal. mart. Verisimile autem est tunc contigisse, ut eadem princeps cunctis orthodoxis semper infesta, viduæ depositum Ticinensis episcopi fidei creditum extorquere conniteretur. Verum episcopus, re cum Ambrosio communicata, a istiusmodi viam inivit, qua sanctitas depositorum sarta tectaque custodiretur.

74. Inde Justina proculdubio magis inflammata in Ambrosium, acerbiora gravioraque adversus eum machinata est. Ubi enim rediit Mediolanum, Dalmatius tribunus ac notarius imperatoris nomine sanctum virum convenit; b ut judices, quemadmodum fecerat Auxentius, & ipse deligeret; quibus in palatio considentibus, de fidei suæ dogmatis disputaret: sin autem secus solum verteret, ac sedem suam cederet Auxentio. Ambrosius convocatis, qui Mediolani tunc versabantur, episcopis ac presbyteris, de mandato imperiali ad eos retulit. Cùm visum esset illis omnibus libellum Cæsari offerri oportere, idem Ambrosius ejus scribendi suscepit provinciam. In eo c exposuit imperatori, quibus de causis in palatio

o Ibidem num. 18.
p Lib. de Joseph c. 6. num. 33. & seq.
q Lib. 6. in Julianum [illegible]
r Epist. 20.
s Ambros. Epist. 22. & 21.
Anno 386.
t Lib. 16. de Fid.
u Ibidem.
x Epist. 21. num. 9.
y Serm. cont. Auxent. num. 22.
z L. de leg. [illegible]
a Lib. 2. Offic. c. 29.
b Epist. 21. num. 1.
c Ibidem n. 2. & seq.

coram profanis judicibus de fide disputare sibi non liceret: sed eadem illa controversia in Concilio tractanda esset. Adjecit etiam ad se audiendum, cùm de fide dissèrebat in Ecclesia, liberum aditum cunctis patere: [a] se in palatium venturum fuisse, ut hæc coram diceret; sed per episcopos & cathnlicum populum sibi non licere: eosdem similiter obnixe prohibere, quominns excedat Mediolano; persuasis videlicet unum idemque esse hoc rerum statu Ecclesiam deserere, ac eam prodere hæreticis. Postea se ipse recepit in Ecclesiam, ubi per aliquantum temporis die ac nocte populus eum sepsit frequentissimus, ne sibi per vim eriperetur. Et sane missi ab imperatore militum manipuli Ecclesiam cinxerunt: at ipse nedum ullum præferret timoris indicium, votis omnibus expetebat martyrii gratiam: atque adeo populum, ne sibi ad illud impedimento esset, obtestabatur, ob oculos eidem ponens quam vanæ essent eorum excubiæ, cùm portam apertam cæcus reperisset, quam illi putaverant diligenter occlusam, nec patentem deprehendere milites potuerant. Dum custodiretur in Ecclesia, populum suum cum Scripturarum lectione tum ipsarum expositione consolabatur. [b] Superest adhuc una è præcipuis concionibus per id temporis ab eodem habita, quæ non minimam eorum conatuum partem memorat, quibus pastorem gregemque catholicum hoc etiam anno per sacros dies resurrectionis Arriana rabies divexavit. Ambrosius vero in communi hac mœstitia præter memorata solatia & aliud adjunxit, nimirum hymnorum quos in honorem divinissimæ Trinitatis ipse composuerat, sacrum concentum. Canebat eos hymnos totus populus cum tanto pietatis interiorisque affectus motu; ut lacrymarum vim plurimi effunderent. Certe Augustinus horum omnium testis oculatus, postquam de parente his verbis loquutus est: [c] *Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis & vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat*; de se quoque ita subjungit. *Quantum flevi*, inquit, *in hymnis & canticis suave sonantis Ecclesiæ tuæ commotus acriter?* Rationem autem in his cantibus observatam esse occidentali Ecclesiæ nondum usitatam, post modum vero in ea propagatam, hæc Augustini verba testantur. [d] *Tunc*, ait ille, *hymni & psalmi, ut canerentur secundum morem orientalium partium institutum est, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam & pæne omnibus gregibus tuis & per cetera orbis imitantibus.* Eadem etiam de hoc instituto tradit [e] Paulinus. Verumtamen quod psalmodiæ atque hymnodiæ genus hic sit intelligendum, non satis constat inter auctores: neque etiam hujus loci est operosiùs id explorare.

75. Clarius quiddam atque illustrius, ut duo memorati scriptores narrant, [f] divinitus accidit, *ad coercendam*, inquit Augustinus, *rabiem femineam, sed regiam.* Enim vero hac tempestate corpora Protasii ac Gervasii fratrum martyrum divino monitu Ambrosio nostro revelata sunt, quorum solemnem exhumationem, translationemque dum refert Ambrosius, [g] nec sermones in ea celebritate abs se habitos, nec miracula magno numero à Martyribus tunc perpetrata silentio præterit; immo nec calumnias hæreticorum, qui diabolo ipso magis perfidi, quos Christi martyres hic fatebatur, obstinate juxta ac impudenter negare audebant. [h] Augustinus qui præsens erat, horum etiam non semel meminit. Paulinus autem à quo illa quoque non omittuntur, adjuncta quædam hujus persecutionis memoriæ prodidit, quæ Ambrosius atque Augustinus reticuere. Hujusmodi est quod narrat [i] de Euthymio, qui cùm mandato imperatricis vehiculum parasset, quo sanctum Antistitem exportaret in exsilium, sequenti anno solum vertere ipsemet jussus, eodem curru patria excedere coactus fuit. Sed uteri persecutioni hoc tribuendum, non explicuit. Circiter hoc etiam tempus evenisse idem [l] adserit, ut in Ecclesiæ gremium reverteretur quidam ex Arrianis, qui Angelum sancto viro adstantem se vidisse aiebat, & quæ populo exponeret, ipsi suggerentem.

76. Re vera minime obscurum est *hac ipsa tempestate* pronuntiatos esse illos sermones, ex quibus præstantissima sancti Doctoris Opera *composita sunt*. [m] Expositio *in Psalmum* CXVIII. quæ inter pulcherrima ejusdem monumenta jure memoratur, multos sermones hujusce anni in se continet: sed multos etiam anni sequentis, [n] ut suo loco demonstratum est. Hujus Operis huc spectat propositum, ut christiani & officiorum suorum informentur cognitione, & ad eadem morum honestate ac pietatis cultu implenda stimularentur. Id autem beatus Pater melius effici omnino non posse arbitratus est, quam psalmorum nobilissimi, ac moralium præceptionum refertissimi enarratione; cui præterea annexam voluit explicationem locorum è Canticis bene multorum, quos argumento suo magis congruere existimavit.

[a] Ibidem num. 17.
[b] Sermo de Basil. tom. 2. pag. 863.
[c] Lib. 9. Confess. c. 6. & 7.
[d] Ibidem.
[e] Paulin. in V. Ambr. num. 13.
[f] Locis citatis.
[g] Epist. 22.
[h] Lib. 9. Conf. cap. 7. & lib. 22. de Civ. Dei.
[i] In V. Ambr. num. 14. & seq.
[l] Ibidem num. 17.
[m] Admon. in hanc Expos.

77. Quamvis Baronii sententia fuerit [o] Ambrosiana in Evangelium beati Lucæ Commentaria inde ab anno 376. scripta fuisse; attamen extra dubium est in sermonibus, ex quibus compactum est hoc ipsum Opus, Arrianorum infestationis, tamquam rei admodum recentis, fieri mentionem. Aliunde vero cùm appareat eosdem sermones non nisi per biennium fuisse absolutos, erunt forte qui conjiciant Doctorem nostrum alternis Dominicis nunc in Psalmum CXVIII, nunc in Lucæ Evangelium verba fecisse. [p] Qui autem utrumque argumentum continuis dominicis ad finem usque tractatum volent, quominus conciones in Lucam rejiciant in sequentem annum, nihil prohibebit.

78. Episcopi Æmiliæ provinciæ quæ nunc archiepiscopatu Bononiensi comprehenditur, Ambrosium hoc anno per litteras consuluerunt qua die anno proximo festum Paschatis esset celebrandum; etenim cùm fore viderent, ut in VII. Kal. maias illud incideret, utrum hic dies ad primum æquinoxii mensem pertineret, illi ambigebant. Eorum interrogationi satisfecit [q] sanctus Antistes, & solutis omnibus difficultatibus, eo die memoratum festum celebrari debere planum facit.

79. Per tempestatem vindemiarum Augustinus, cujus conversioni supremam manum Deus imposuerat, [r] venit in *Cassiacum Verecundi villam*; & è vestigio hinc ad Ambrosium, quem in hoc opere primarium divinæ gratiæ ministrum ducebat, litteras dedit: [s] *Et intimavi*, inquit, *per litteras Antistiti tuo viro sancto Ambrosio pristinos errores meos, & præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorve fierem. At ille jussit Isaiam prophetam; credo quod præ ceteris Evangelii vocationisque gentium sit prænuntiator apertior.* Verum tamen cùm prophetæ hujus satis adsequi sensum non posset, ejus lectionem in aliud tempus ratus est differendam.

ANNUS 387.

80. Statim atque tempus adfuit, quo catechumeni se ad baptismum inscribi curant, sub extremam scilicet quadragesimam, Augustinus, Alipio suo, & filio Adeodato comitantibus, Mediolanum rediit, ut simul in ordinem competentium admitterentur: *Ubi*, ait ille, *tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeavimus.* Contigit autem, ut tunc temporis [t] *de moralibus quotidianum sermonem* haberet Ambrosius. Alibi vero declaratum est [u] moralem istam, quam hoc loco innuit idem Episcopus, disputationem aptius intelligi neutiquam posse, quam de sermonibus, ex quibus libri de Patriarchis compositi sunt. Primi eorumdem collocantur libri *de Abraham*, quo in Opere sancti hujus viri *impigram fidei devotionem* Ambrosius [x] demonstrat, ab ipso quoque factis impletum, quod vix jejuna quadam idea philosophi intellexere.

81. Liber *de Isaac & anima* duos illos sequitur. Hic autem eo pertinet, ut in eodem sancto patriarcha [y] *sinceræ mentis puritatem* oculis subjiciens, ipsum Christi Domini, Rebeccam vero ejus uxorem Ecclesiæ typum exstitisse patefaciat: nec non utrumque illum conjugem animæ fidelis cum cælesti sponso nuptiis accommodet.

82. Quod in libello superiori Ambrosius de anima disputaverat, cum induxit, ut editâ Opellâ *de Bono Mortis*, nihil terribile inesse morti planum faceret; simulque adstrueret omnino oportere, [z] ut *abdicatis corporis delectationibus, cupiditatibus omnibus, mundique illecebris*, in perpetuum sæculo moriamur.

83. His sermonibus ad præparandos catechumenos appositissimis imbuti Augustinus atque alii, aqua vivifica in pervigilio paschatis, quod VII. Kal. maias anni præsentis

[n] Admonit. in Expos. Psal. 118.
[o] Ad ann. 376.
[p] Admon. in ead. Opera.
[q] Epist. 23.
[r] Lib. 9. Conf. cap. 5.
[s] Ibidem cap. 6.
[t] De Myst. cap. 1. n. 1.
[u] Admon. in lib. de Abrah.
[x] Lib. de Joseph. cap. 1. num. 7.
[y] Ibidem.
[z] Lib. de bono Mort. cap. 3. n. 9.

celebratum diximus, tincti fuere. Initiatos sacro baptis-A mo confestim sacramentorum quæ receperant, sicut & eorum quæ occultari prius solebant, expositione sanctus Episcopus rite instituit: qua quidem ex catechesi librum *de Mysteriis* [a] factum putamus.

a Admon. in lib. de Myst.

84 Rediit ad moralia præcepta sanctus Ambrosius, & ut candidam illam neophytorum turbam à redeundo in sæculum, cui per baptisma nuntium remiserant, fortius deterreret; id eo sermones pronuntiavit, qui nunc redacti in librariam formam, sub titulo libri *de Fuga sæculi* [b] ad nos pervenere.

b Admon. in eumd. lib.

85. Commentationem hanc excipiunt duo libri *de Jacob & Vita beata*, in quibus Ambrosius *singularem animi* B *laborumque patientiam* [c] in eodem sancto imitandam proponens, beatitudinem in calamitatibus, afflictationibus, ac doloribus esse positam evidenter docet.

c Lib. 2. de Joseph patr. cap. 1. n. 1.

86. Non prætermisit Josephi historiam Antistes noster, sed in eam non semel verba fecit, præ ceteris ejusdem patriarchæ dotibus, castitatem [d] ejus egregie prædicans. In idem argumentum jam superiore anno concionatum se esse illic testatur, verum aut exciderunt sermones illi, aut forte chartis numquam mandati sunt.

d Ibid. c. 6. num. 30. & 58.

87. Horum tractatuum ordinem cogit liber [e] *de Benedictionibus Patriarcharum*. Hunc brevi intervallo lucubrationem de qua proxime nos dicebamus, sequutum C esse, atque ante alteram Ambrosii ad Maximum legationem publice pronuntiatum probabile est.

e Admon. in eumd. lib.

88. Jam veniamus ad secundam illam legationem. Omnes hujusce tyranni motus satis promebant Italiæ provinciis cum imminere, spoliandique Valentiniani consilium cepisse. Justina hoc tanto periculo vehementer perculsa, nullius opem præsentiorem arbitrata est, quam sancti Ambrosii. Quapropter cùm hic memoriam injuriarum nullam retineret, rogatu ejusdem imperatricis rursus legati ad tyrannum illum onus subivit. [f] *Ego enim*, inquit, *iterum legatus repetivi Gallias, & mihi dulce pro sa-* D *lute tua primo, deinde pro pace, atque pietate qua fraternas reliquias postulabas, nondum pro te securus, & jam pro fraterno honore sollicitus.* His verbis causa legationis aperitur: ipse vero sanctus Antistes, quem ex ea successum retulerit, [g] scriptâ Valentiniano epistolâ significavit, omnemque rerum cum tyranno abs se gestarum pertexuit ordinem. Hanc epistolam dum rediret, ex ipso itinere Cæsari misit; ne forte quis antevertens, mentem ipsius maligne occuparet; & simul ut princeps rerum omnium factus certior, adversus hostem tam formidabilem, qui eum opprimere apud se statuerat, paratus esset. Duplicis generis episcopos, à quorum communione penitus abstinuit, apud Maximum reperit Ambrosius. Prio- E res erant, qui eidem Maximo [h] communicabant; unde Paulinus [i] ipsum à beato Præsule communionis consortio privatum adseverat, ut jam dictum est: posteriores vero, [l] *qui aliquos, devios licet à fide, ad necem petebant*, nempe Ithaciani, à quibus apud Maximum accusatus est Priscillianus, & iisdem agentibus, cum ipse tum ejus sectatores gladio truncati sunt. Hanc sancti Ambrosii constantiam & animi magnitudinem non tulit tyrannus: sed graviter commotus jussit eum [m] *sine mora regredi.*

f De Obitu Valent. num. 28.
g Epist. 24.
h Ibidem num. 12.
i In V. Amb. num. 19.
l Epist. 24. num. 12.
m Ibidem.

89. Maximus redeuntem propere sequutus, nemine obsistente, Italiam invasit: Valentinianus vero metuens F ne incideret in ejus manus, & eadem inhumanitate ab eo tractaretur, quam Gratianus expertus erat; conscenso navigio, venit Thessalonicam, seque fidei ac præsidio Theodosii totum commisit. Profugum Theodosius excepit perquam humaniter: eumdem vero pie admonuit has tantas clades ob propugnatam hæresim arrianam, ac divexatam Ecclesiam catholicam divinitus immissas ne dubitaret.

90. Tametsi autem Ambrosio Maximus intentavisset acerbissimas minas, non illi tamen, ut quidem videtur, damnum intulit. Usque adeo etiam apud malos venerationem invenit virtus! Præter Opera jam recensita hujus quoque temporis esse credimus plures epistolas, quibus sanctus vir multorum dubiis sibi per litteras certatim propositis responsa dedit. In harum numero epistolæ ad Sudium duæ [n] reponi possunt. In sæculari foro hic judex erat, is cùm videret Priscilliano urgentibus Ithacianis capitis condemnato, recedere plurimos ab eorum omnium communione qui capitalem sententiam in quempiam tulissent, sciscitatus erat ex Ambrosio, num sibi à sacris esset abstinendum, quoties aliquem extremo supplicio ipse addixisset. Ejus interrogato Ambrosius ita respondit. Plerique sponte se abstinent, & laudantur quidem, nec ipsi eos laudare non possumus, qui auctoritatem Apostoli eatenus observamus, ut iis communionem non audeamus negare. Deinde vero quasi episcopus ad exhibendam potius reis clementiam quàm severitatem illum hortatur.

n Epist. 25. & 26.

91. Hoc etiam tempore sæpius ad Irenæum carissimum filium & Ecclesiæ Mediolanensis presbyterum aut diaconum scripsit Ambrosius. Prima epistola [o] Deuteronomii versum enucleat, & societatem perditorum hominum suadet evitandam. Secunda [p] non multo post sequuta, ipsius vitam, ut pote hominis diviniori charactere nobilitati, probat perfectiorem esse debere, ac sæcularium conversatione multo sanctiorem. Eodem die domum reversus à Vigiliis sanctus Episcopus, studiis suis de more repetitis, versum Scripturæ, quem modo in synaxi cantari audierat, revolvere animo cœpit. Admovit statim manum calamo, & exarata epistola tertia [q] Irenæum interpretatione ejusdem versiculi exhortatus est, ut per mundi contemtum atque repudium supremo bono unice adhæreret. Vix ferendam dederat hanc epistolam, cùm locus ex Aggæo ei succurrit, huic ipsi argumento plane conveniens, qui materiam elucubrandæ [r] quartæ epistolæ suppeditavit.

o Epist. 27.
p Epist. 28.
q Epist. 29.
r Epist. 30.

92. Irenæus tantis benevolentiæ ac facilitatis Ambrosianæ testimoniis pellectus, non dubitavit sanctum Episcopum super variis quæstionibus consulere. Quæstionum ejus hæc prima fuit, utrum major censenda esset eorum caritas, qui ab unguiculis Dei obsequio se mancipassent, an vero eorum qui provectiori tantum ætate? Hujus dubii haud injucundi explicationem epistola una [s] complexus primo fuerat Ambrosius, at mox aliam de eadem re [t] superaddidit. Acceptis autem prioribus litteris Irenæus ob locum quemdam Deuteronomii in his citatum difficultatis aliquid passus, illud iterum ipsi proposuit, à quo & optatam ejusdem quæstionis continuo accepit [u] solutionem.

s Epist. 31.
t Epist. 32.
u Epist. 33.

93. Horontianus sancti Doctoris & ipse discipulus, qui clericorum in contubernio educatus ab infantia, manibus Ambrosii diaconus aut presbyter consecratus fuerat, præceptorem suum interrogavit, numquid humana anima cælestis esset substantiæ? [x] Duabus epistolis, quarum priorem brevissimo spatio sequuta posterior est, sanctus Præsul illum docuit animæ nostræ naturam esse spiritualem, eumque ut librum quartum Esdræ pervolveret, multùm impulit. Idem Horontianus de quibusdam Apostoli verbis quorum ab Ambrosio citata fuerant antecedentia, quid ille sentiret, scire optavit. [y] Satisfecit ipsius voluntati Antistes noster, sed eorum verborum occasione imperare sibi non potuit, quin martyrii oportunitates sibi ereptas apud eum defleret gravissimis verbis: [z] *Quales occasiones*, inquit, *habui, & de ipso prope fine revocatus sum!*

x Epist. 34. & 35.
y Epist. 36.
z Ibid. n. 4.

94. Simplicianus Ambrosio significavit, quanta voluptate affectus esset iis legendis, quæ in Paulinas epistolas ad populum disseruerat: quamque gratum sibi esset futurum, si quid insuper ejusdem generis ad se mitteret. Major erat Ambrosii erga hunc virum observantia, quam ut ejus optatis non annueret. Epistolam igitur ad illum dedit, qua complexus ea fuerat, quæ in alium Apostoli textum pronuntiaverat coram populo: ubi præterea id probaverat [a] *libertatem nostram in Christi esse sapientia.* Sed hoc ultimum rursus repetens, veras divitias in eadem quoque sapientia esse positas [b] aliis litteris clare demonstrat.

a Epist. 37.
b Epist. 38.

95. Denique circa id temporis Faustinum quemdam amissam sororem virtutis singularis ac meriti feminam lacrymis lugentem sane immodicis Ambrosius per epistolam [c] consolatus est.

c Epist. 39.

96. Justinam Arrianam illam imperatricem vulgo existimant non revertisse in Italiam, sed in fuga

Anno 388.

ipsa fato concessisse; ita ut non sine divino judicio quæ A toties Ambrosium ejicere in exsilium conata fuerat, exsul atque extorris ipsa moreretur. Si qua etiam conjectura in Paulini verbis [a] statui possit, circiter hunc annum contigisse dicemus, ut magus quidam, Innocentius nomine, cùm torqueretur ob varia scelera, confessus fuerit, Justina gubernante, conductum semet ab Arrianis ut in Episcopum populi odia excitaret, exsecranda sacrificia celebrasse, sed irrito conatu. Subdit [b] Paulinus manum percussoris ad Ambrosium missi exaruisse, atque à sancto viro eidem fuisse mox restitutam. [c] Narrat postea Probum curasse, ut puer notarius deduceretur ad Ambrosium, cujus beneficio à dæmone liberaretur.

a In V. Ambr. n. 20.

b Ibidem.

c Ibid. n. 21.

97. Cum Valentiniano transiit Theodosius in Italiam, B ac duabus victoriis de Maximo tyranno citius reportatis, Aquileiam, quo tyrannus ille se receperat, obsidione cinxit: qua expugnata in illum gladio animadvertit. Summam in his victoriis Theodosii moderationem certatim historici laudibus cumularunt: quibus si quidquam adjicere induceremus in animum, instituti nostri terminos excederemus. Non tamen possumus quin ea quæ Ambrosii precibus concessit imperator, Ambrosianis verbis hic efferamus: [d] *Debeo*, inquit, *beneficiis tuis, quibus, petente me, liberasti plurimos de exsiliis, de carceribus, de ultima necis suppliciis.* C

d Epist. 40. num. 25.

98. Maximi partibus profligatis, venit Theodosius Mediolanum, unde Ambrosius Aquileiam profectus erat. Ambrosiani itineris quæ causa fuerit, ignoratur. Opinatus est Cardinalis Baronius [e] susceptum illud fuisse, ut Valeriano, qui eam gubernaverat Ecclesiam, sufficeretur novus episcopus. Verum tamen adstruendæ huic opinioni testimonium nullum reperire est. Utcumque autem se res habeat, Ambrosius ibidem tunc versabatur, cùm perlata est ad eum fama de Theodosiano quodam edicto, quod contra episcopum *Castri Callinici*, ubi à nonnullis christianorum Judaica synagoga incensa fuerat, & contra monachos qui Valentinianorum templum D combusserant, idem sanxerat. Scripsit extemplo imperatori sanctus Antistes in gratiam episcopi ac monachorum: sed cùm Theodosius aurem purpuratorum consiliis plus æquo præbens, edictum suum non revocasset, prima data occasione coram eodem principe concionandi, tanta cum libertate indignitatem dati rescripti demonstravit, ut ejus revocationem non concedere non potuerit bonus imperator. Quamvis autem episcopalis generositatis haud facile isto exemplo reperiatur aliud nobilius; quia tamen cum apud Paulinum, [f] tum in duabus epistolis [g] Ambrosianis exacte describitur, hic de eo- E dem plura dicere supersedemus.

e Ad ann. 388.

f In V. Ambr. n. 22.

g Epist. 40. & 41.

99. Hoc anno pagani denuo periculum facere minime dubitarunt, num à Theodosio profanarum religionum jam sæpius petitam instaurationem possent extundere. Symmachum in hac etiam petitione antesignanum sese præbuisse non ægre credimus; at vero cùm Ambrosium etiam hac vice christianæ religionis patronum offendisset, repulsam à Cæsare passus est turpissimam. Id narrat ipse Ambrosius ad eum modum: [h] *Postea etiam clementissimo imperatori Theodosio coram intimavi, atque in os dicere non dubitavi, cui intimavi senatus legatione hujusmodi, licet non totus senatus poposcerit, insinuationi mea tandem ad-* F *sensum detulit, & sic aliquibus ad ipsum diebus non accessi: nec moleste tulit, quia non pro meis commodis faciebam, sed quod & ipsi, & animæ meæ proderat, in conspectu regis loqui non confundebar.*

h Epist. 57. num. 4.

ANNI 389.

100. Sermones quos complectuntur libri Hexaemeron, extrema hujusce anni quadragesima, ut docuimus, [i] habitos esse probabile est. Eorum non raro binos eodem die pronuntiabat. Sed in tantis laboribus id ipsi erat non parvo solatio, quod fidelium gregem ethnicorum atque hæreticorum conversione [l] in dies augeri conspiciebat.

i Ad Præm. in hunc Libr.

l Lib. 3. Hexaem. c. 1. num. 5.

101. Statim atque Opus Hexaemeron absolutum fuit, & in amicorum discipulorumque sancti Episcopi manus pervenit, diligenter ab eis evolutum est. Horontianus ex eorum numero ubi adtentiori mente illud perlegisset, admiratus est neque Moysen neque Ambrosium exponere conatos esse cur homo ultimus creaturarum esset conditus. Itaque pro illo jure familiaritatis, quod ei concessum fuerat ab ipso Ambrosio, illum ea de re interrogavit. Huic respondit [m] sanctus Antistes, & cùm præmisisset Legislatorem nihil scripsisse, quod non divinitus ipse recepisset, varias rationes eidem promit solvendo huic problemati valde appositas.

m Epist. 43.

102. Idem etiam Horontianus sciscitatus est, cur sex diebus rerum universitas creata esset? Cujus quæstionem alterâ epistolâ [n] solvit Ambrosius.

n Epist. 44.

103. Sabinus quoque, à quo similiter lectum fuerat Hexaemeron, à sancto viro petiit per litteras, an alicubi de paradisi terrestris loco disseruisset, aut quæ esset ejus de illo sententia? Rescripsit [o] Ambrosius de illa quæstione, de qua jam ante disputaverat, in hisce libris neutiquam egisse: postea tamen in sua responsione tam secundùm sensum spiritualem, quam ethicum hanc examinat difficultatem.

o Epist. 45.

104. Scripsit iterum Sabinus Ambrosio, nuntiavitque sectatorem quemdam Apollinatii venisse Placentiam, & in ea urbe errores suos disseminasse: cùm vero ibi fuisset confutatus, iter cepisse Mediolanum. Huic episcopo responsum mittens [p] Ambrosius noster, errorem illum Mediolani clanculum placitis suis inficere animos conatum esse, & in locos aliquos librorum suorum, *de Fide* procul dubio, multum clamitasse: hac re comperta, se se misisse qui verbis suis illi diceret non ex caritate ipsum agere; se enimvero, ut qui homo esset, errori similiter esse obnoxium, atque adeo non recusare, quin lapsus suos lubens agnosceret, si sibi privatim ostenderentur: sed ad extremum cùm pertinacem hunc hæreticum latius propagare suos errores intellexisset, tandem huic ipsi publice refutato se præter fugam nihil reliquisse.

p Epist. 46.

105. Ambrosius una cum epistola sua eam etiam commentationem, quam reprehenderat Apollinarista, Sabino miserat; ut quam censuram de illa ferret, libere sibi significaret. Verum cùm eosdem libros minus distincte exaratos Sabinus legere non potuisset, eos remisit ad Ambrosium: quos quidem elegantius scriptos rursus hic noster ad illum episcopum curavit perferendos, addita etiam alia epistola, in [q] qua de Scripturis, prout Sabinus ipse optaverat, caput aliquod excutiebatur.

q Epist. 47.

106. Hoc ipsum Opus perlectum à Sabino & simul approbatum Ambrosius recepit: sed continuo ad eumdem aliud misit, quod ut severe examinaret, obtestatus est. *Unumquemque*, [r] inquit, *fallunt sua scripta. & aurem prætereunt; atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecori sermones palpant.* Pulcre id quidem atque prudenter, sed cum insuper alia quædam causa movebat in eo enim libro una ex præcipuis fidei quæstionibus agitabatur. Et hinc colligi posse nobis videtur non alium librum hic designari, quam *de Incarnationis Dominicæ sacramento*; qua in Opella non solum Arrianorum & Sabellianorum, sed potissimum Apollinaristarum errores confutantur.

r Epist. 48.

107. His Ambrosii ad eumdem Sabinum epistolis accedit alia, [s] in qua se numquam minus esse solum, quam cùm solus esset, scite disputat. Sed alias ejus ad illum epistolas inde cognoscimus intercidisse, quod frequentius ei se scripturum in hac promittit.

s Epist. 49.

108. Ambrosius litteris Chromatii Aquileiensis certior factus jucundissimum ei futurum, si per epistolas de prisco fœdere quidpiam tractaret; continuò ad ipsum scribens, [t] historiam Balaam pseudoprophetæ interpretatus est. Etiamsi autem hac in epistola eidem Chromatio alias additurum se polliceatur, nullam tamen ad eum reperimus nisi hanc solam.

t Epist. 50.

109. Cùm Romæ Joviniani errores publice erupissent, Syricius pont. max. presbyteris suis aliisque clericis in conciliumunà convocatis, hæresiarcham illum atque ejus commenta condemnavit. Quoniam vero nonnullos è monachis ejus asseclis, quod Mediolani prope muros conditum erat, iidem errores infecerant; in eam urbem misit legatos, à quibus synodica epistola [u] ad illam Ecclesiam tuto perferretur. Acceptis his litteris,

u Tom. 2. pag. 963.

Ambrosius quem præcipue dicti monasterii cura spectabat, clericos Ecclesiæ suæ actutum congregavit, ac præsentibus legatis pontificiis, eamdem hæresim in suo, ut sic loquamur, natali solo simul confodere. Sanctus vir porro litteris totius conventus nomine scriptis, non modo concilii sententiam significavit summo pontifici: verum etiam argumenta validissima ibidem proposuit, quibus amentia hujus hæresis profligabatur.

110. Post annum 385. sed ante 390. scripsit[a] Ambrosius suam in psalmum I. Enarrationem, cui & præmisit pulcherrimam præfationem in omnes psalmos, utramque autem ex sermonibus publice habitis coagmentatam; quandoquidem in auditoribus suis catechumenos, & eos, uti videtur, ex ordine competentium numeratos esse ipsemet indicat, quo pars extrema quadragesimæ certò designatur.[b] Enarrationes in psalmos XLV. XLVII. XLVIII. & LXI. quas etiam è sermonibus factas autumamus, eodem circiter tempore editæ sunt.

a Admon. in eamd. Enarr.
b Ibidem.

ANNUS 390.

111. Librum *de Elia & Jejunio* demonstravimus[c] constare ex tribus sermonibus; quorum qui primus est, ad capescenda quadragesimæ opera stimulat christianos, secundus ac tertius percipiendæ sub ejusdem quadragesimæ finem baptismali gratiæ competentes præparat. Ex illis vero simul conjunctis Ambrosius noster Basilii exemplo librum compegit.

c Admon. in illum lib.

112. Cùm civitas Thessalonica in seditionem versa præfectos nonnullos interemisset, pœnas tanti criminis ab ea repetendas existimavit Theodosius. Verum Ambrosius qui clementiam hujus principis in miseræ illius urbis gratiam implorare cumprimis festinavit, tam calide tamque constanter Theodosio institit, ut hic injuriam illam condonaturum se[d] promitteret. Hoc imperatoris promisso, sicut & innata eidem bonitate plus nimio confisus Ambrosius, Mediolani concilium ad quod episcopi Galliarum convenerant, securus celebrabat. Habebatur illa synodus propter Ithacianos ordinationemque Felicis Trevirensis ab eis factam, qua universæ Galliæ turbabantur. Quid autem super ea causa, quæ à quibusdam male ponitur anno superiori, hac in synodo statutum fuerit, concilium Taurinense can. VI. innuit in hæc verba[e]: *Si qui ab ejus*, Felicis videlicet, *communione se voluerint sequestrare, in nostræ pacis consortium suscipiuntur juxta litteras venerabilis memoriæ Ambrosii episcopi vel Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum latas*. Verum istæ litteræ de quibus hic agitur, ad memoriam nostram non pervenerunt. Ceterum dum cœptum concilium prosequerentur illi episcopi, Theodosius victus persuasione comitum aulicorum, à quibus rem periculosissimi ac perniciosissimi exempli fore ingerebatur, si rebellio istiusmodi maneret impunita, cives Thessalonicenses atrocissime puniri jussit: quo ex decreto innumeræ cædes qua sontium qua insontium perpetratæ sunt.

d Paulin in V. Ambr. num. 24.
e Conc. Taur. can 6.

113. Concilii Patres tantæ immanitatis certiores facti, quàm gravissime illam tulerunt. Eorum[f] *nemo*, ut Ambrosius testatur, *non ingemuit, nullus mediocriter accepit: non erat salus tua absolutio in Ambrosii communione; in me etiam amplius commissi exaggeraretur invidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam.* Ita loquebatur sanctus Antistes; cùm enim Theodosium audiret regredi Mediolanum, recens illius vulnus levi adhuc manu tractandum ratus, neque tamen vel latum unguem recedendum à disciplina, ex eadem urbe exire constituit, cujus rationem hanc ipsi reddit: *Offerre*, inquit,[g] *non audeo sacrificium, si volueris adsistere.* Quibus quidem verbis quamvis declarabat à jure communionis illum alienum; nullam tamen illi, unde offenderetur, causam relinquebat; quippe qui secretis litteris ista committeret:[h] *Scribo manu mea*, inquit, *quod solus legas.* Immo & hoc quoque significavit, sibi divinitus *ipsa nocte qua proficisci parabat*, prohibitum esse, ne illo præsente, sacris altaribus operaretur. Postremo ex hac epistola discere possunt omnes episcopi, quanta cum prudentia & cautione erga principes in gravia quæpiam crimina lapsos se gerere debeant: & quemadmodum eos oporteat minus adhibere acerbitatis quam mansuetudinis. Quid enim plenius prudentis hujus moderationis, quam illa verba:[i] *Prætendi*, ait, *ægritudinem corporis re vera gravem, & nisi à viris mitioribus vix levandam; vel emori tamen maluissem, quam adventum tuum biduo aut triduo non exspectarem.*

f Epist. 51. num. 6.
g Ibidem num. 13.
h Ibidem num. 14.
i Ibidem num. 15.

114. Theodoretus auctor est,[l] imperatorem postquam à synaxi ecclesiastica totos VIII. menses abstinuisset, natalis Dominici festo in Ecclesiam venire voluisse: at graviter increpitum ab Ambrosio, non prius ingredi permissum esse, quam & publicæ pœnitentiæ caput subjecisset, & laturum se legem ejuscemodi esset pollicitus, quæ reum ullum extremo supplicio nisi post diem à condemnatione trigesimum affici prohiberet. Implevit imperator utrumque promissum; quodque ad publicam pœnitentiam, tanta cum sui demissione illam amplexus est, ut nobis temperare non valeamus, quin locum de illa Ambrosianum subjiciamus:[m] *Stravit omne*, inquit, *quo nitebatur, insigne regium: deflevit in Ecclesia peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu & lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator publice agere pœnitentiam; neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Addit[n] citatus Theodoretus, & cum eo etiam[o] Sozomenus non ita multo post Theodosium, cùm interesset sacrificio, & ad altare oblationem suam obtulisset, remansisse intra cancellos presbyterii: Ambrosium vero misisse ad illum, qui eum moneret solis clericis in isto loco fas esse consistere; & his monitis illico paruisse imperatorem. Memoratus Theodoretus[p] & hoc adjungit, eumdem principem non longo post tempore cùm in basilica Constantinopolitana invitaretur à Nectario, ut altaris septa ingrederetur, hanc vocem emisisse Antistiti nostro tam gloriosam: *Episcopum, excepto Ambrosio, novi neminem.*

l Lib. 5. Hist. Eccl. cap. 18.
m De obit. Theod. num. 34.
n Lib. 5. cap. 18.
o Lib. 7. cap. 25.
p Ibidem.

115. Circiter etiam hoc ipsum tempus *duo potentissimi & sapientissimi Persarum* Ambrosii, ut Paulinus[q] narrat, fama exciti, Mediolanum venerunt eo solo consilio, ut per se ipsi cognoscerent, an viri præsentia famæ responderet: qui, eodem Paulino teste, *admirantes discesserunt ab eo.*

q In V. Ambr. n. 25.

ANNUS 391.

116. Per id temporis maxima pace[r] fruebatur Ambrosius amborum beneficio imperatorum, à quibus impense diligebatur colebaturque. Hanc igitur tranquillitatem ne perire sineret, per hoc otium clericis suis, ut sane videtur, libros suos *de Officiis Ministrorum* elucubravit. Quibus quidem libris sermones aliquos variis temporibus, & ipso quoque sacerdotii sui initio pronuntiatos idem inseruit; noverat enim vitâ clericorum, quos necesse est ceteris christianis exemplo prælucere, nihil debere esse sanctius: ac propterea maximam semper in iisdem vel informandis curam adhibebat, vel eligendis cautionem. Neque forte lectori fuerit injucundum, si geminum ejus rei specimen ipsius verbis hic proponamus; sic ergo ille:[s] *Meministis, filii, quemdam amicum cùm sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret: alterum quoque cùm in clero reperissem, jussisse me ne unquam præiret mihi; quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos.... nec fefellit sententia, uterque enim ab Ecclesia recessit; ut qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter arrianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio ne judicium subiret sacerdotale, se nostrum negavit.* Ex his abunde quivis intelligat hoc illud Opus, quo de agitur, maxime omnium clericis destinari: at vero cùm horum officium sit moribus suis ac sermonibus vitam aliorum quasi condire, idcirco tot præceptiones illic intextæ sunt cuilibet hominum conditioni perutiles, ut fructum non modicum inde haurire omnibus liceat.

s Lib. 1. Offic. c. 18. num. 72.

117. Ceterum Ambrosiana sollicitudo, quæ omnes omnino complectebatur, monasticam non negligebat professionem; cœnobii quippe in Mediolanensi suburbio positi meminit Augustinus:[t] *Et erat*, inquiens, *monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus extra mœnia, sub Ambrosio nutritore, & non noveramus.* Neque hic tantum, sed alibi[u] quoque illorum monachorum non sine honore mentionem facit. Verum inter bonos illos

t Lib. 8. Conf. n. 15.
u Lib. 1. de Mor. Eccl. cath. cap.

apoſtolicæ vitæ imitatores duo inventi ſunt, qui proditoris perfidiam æmularentur. Erant iis nomina Sarmationi & Barbatiano, quos Ambroſius [a] Enarratione in pſalmum XXXVI. obſcurius perſtringit, in epiſtola vero ad Vercellenſes [b] propriis depingit coloribus: quos locos adire poterunt ii, qui plura de illorum vitiis atque erroribus deſiderabunt.

[a] Serm. 49.
[b] Epiſt. 63. num. 7. & ſeq.

ANNUS 392.

118. VErtente anno ſuperiore, Theodoſius orientem repetierat, & Valentinianum in imperio quo à Maximo fuerat ſpoliatus, quietum reliquerat. Verum cùm juvenis hic princeps veniſſet in Gallias, ut illas à barbarorum impreſſionibus tutaretur, ea pace non diu potitus eſt, quam imperio parere ſtatuerat. Etenim increbreſcente fama imminentis barbaricæ irruptionis in Italiam, rogatus fuit à præfecto & magiſtratibus ſanctus Ambroſius, ut ad imperatorem proficiſceretur, eumque ad opem eidem regioni reditu ſuo adferendam induceret. Non tamen hoc iter ille ſuſcepit, quia interim Alpes tranſire nuntiatus eſt Valentinianus. Sub hæc allatæ ſunt ad ſanctum Antiſtitem Valentiniani ipſius litteræ, [c] quibus propere accerſebatur, tum quod baptizari ab eo vellet, tum quod eum prædem fidei ſuæ Arbogaſti comiti dare cuperet. Hiſce nuntiis turbatus Ambroſius, illico viam ingreſſus eſt, jamque [d] *ſuperabat Alpium juga*, cùm infelicis illius imperatoris accepit necem. Cæſus autem eſt à dicto comite idibus maii pridie pentecoſtes, annos tantum XX. natus. Iter ſuum Ambroſius ſtatim relegit, multis lacrymis illud irrigans. Nihil enim ejus dolore tenerius poterat cogitari, cùm ſecum ipſe reputabat, quantum ille à ſe, quamquam tot ac tantis ſeptus epiſcopis, baptizari optaſſet, quantumque in adventu ſuo ſpei poſuiſſet, ſed potiſſimum jacturam ab Eccleſia factam lamentabatur: [e] *Percuſſa*, inquibat, *eras Eccleſia, in maxilla, cùm amitteres Gratianum; præbuiſti & alteram, quando tibi Valentinianus ereptus eſt.*

[c] De Obitu Valent. num. 25.
[d] Ibidem.
[e] Ibidem num. 6.

119. Corpus illius non multo poſt relatum fuit Mediolanum; dumque Ambroſius ad ejus ſepulturam Theodoſii mandata opperiebatur, eum hujus principis prævertit epiſtola, qua compatiebatur ejus mœſtitiæ. Ad quam epiſtolam Ambroſius reſpondens, ſilentii ſui rationem reddit, tum imperatori teſtificatur ſibi nulla alia re Valentiniani ſui deſiderium majus excitari, [f] quam quod *tuis inſtitutis*, aiebat ſanctus Præſul, *tantam devotionem erga Deum noſtrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu; ut quem ante perſequebatur, nunc diligeret: quem ante ut adverſarium repellebat, nunc ut parentem putaret.* De ſepultura vero illius principis poſtquam hæc præmiſit: *Sunt tabulæ porphyreticæ*, inquit, *pretioſiſſimæ, quibus veſtiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur*; continuo admonet eaſdem exuvias, ne caloris æſtu ſolverentur, mature tumulandas, & ſimul etiam ut Juſtæ & Gratæ extincti principis ſororum minio luctui conſuleretur.

[f] Epiſt. 53.

120. Mandatis Theodoſii Mediolanum allatis, Valentiniano circiter medium Julium juſta ſoluta ſunt. [g] Jam venerat in Eccleſiam ſanctus Antiſtes, & in Evangelium publice recitatum verba fecerat; unde colligimus die Dominico, vel ſolemniori aliquo natali celebrata eſſe hæc parentalia. Imperatoris demum corpore in baſilica pro dignitate tanti principis magnificentiſſime collocato, funebrem in illum orationem habuit Ambroſius. Nihil illâ plenius pietatis & caritatis: nihil ad eliciendas auditorum lacrymas efficacius.

[g] De Obitu Valent. num. 30.

121. Quod vero præcipuum eſt, promittit fore, ut nocturnis diurniſque precibus utrumque fratrem Deo commendet, [h] & *omnibus oblationibus* eos frequentet, non ſecus ac Theodoſium ſororeſque Valentiniani quæ erant actioni præſentes. Denique Deum comprecatus, ut in cælo jungeret fratrum animas, [i] quorum corpora jam in ſepulcro jungenda eſſent, è ſuggeſtu exiit.

[h] Ibidem num. 78.
[i] Ibid. n. 79.

122. His temporibus ad Titianum cui cùm nepte ſua lites intercedebant, ſcripſit Ambroſius, [l] & cum ut ex pietate cum ipſa tranſigat, exhortatus eſt. Volunt autem quidam hunc ipſum Titianum præfectura prætorii defunctum eſſe, quod in dubium revocari poſſe alii putant.

[l] Epiſt. 50.

123. Erat tunc Bononiæ Euſebius quidam nobilis & copioſæ familiæ caput, qui cum Ambroſio epiſtolare commercium agitabat. [m] Hic filios ac nepotes ſuos miſſitabat Mediolanum, ut ſub oculis tanti Doctoris inſtituerentur. Miſit autem inter alios Ambroſiam puellam ſacro virginitatis velamine illius manibus conſecrandam. Sancto Præſuli nihil gratius poterat accidere. Ad hanc igitur conſecrationem condicto, ut nobis videtur, paſchali feſto, publicum ſermonem pronuntiavit, in quo & contra Bonoſi ſectatores, à quibus perpetua Mariæ virginitas impetebatur, multa diſputavit. [n] Præfixis autem huic concioni duobus capitibus, inde compoſuit libellum unum, cui titulum fecit *de Inſtitutione Virginis*, & eidem Euſebio illum inſcripſit.

[m] Epiſt. 54. & 55.
[n] Admon. in eumd. libr.

124. Exſtant præterea duæ epiſtolæ ad Euſebium Ambroſianæ, quarum altera [o] remiſſam offenſam apparitori, & Fauſtini pueri tuſſi laborantis ad ſororem adventum illi nuntiat: [p] altera ſignificat eumdem Fauſtinum cum Fauſtino patre Bononiam regredi, manentibus interim Mediolani duobus Ambroſiis.

[o] Epiſt. 54.
[p] Epiſt. 55.

125. In Capuana ſynodo capita duo fuerant agitata: primum ad Flaviani cum Evagrio de Antiochena ſede controverſiam pertinebat: ſecundum ad Bonoſi cauſam propter negatam Deiparæ perpetuam virginitatem in judicium vocati. Prioris capitis cognitio Theophilo Alexandrino Ægyptiiſque epiſcopis à laudato concilio adtributa fuerat. Sed cùm decreto concilii Flavianus parere detrectaſſet, adierat imperatorem, à quo numeroſiorem ſynodum poſtulaverat. Ambroſium illius rei certiorem, ſcriptis litteris, fecerat Theophilus. Huic Ambroſius reſponſum dedit, ut litem illam, ſi fieri poſſet [q] *ſalvis concilii Nicæni, ſed & ſynodi Capuenſis decretis*, componeret, idque nuntiaret Romano epiſcopo; optime enim hoc modo pacem conciliari poſſe, illis vero quæ à Romana Eccleſia probata fuiſſent, admodum libenter ſe ſubſcripturum. Quod porro ad Bonoſum, examen ejus ad Anyſium Theſſalonicenſem alioſque epiſcopos Macedoniæ remittendum cenſuit. At iidem præſules alii epiſcopo, cujus nomen incognitum eſt, de hoc ſcripſerunt. Hic autem reſpondit eorum epiſtolæ [r] ipſis competere hoc judicium; id enim illis à Synodo Capuenſi adjudicatum. Interim tamen in ſua epiſtola eumdem Bonoſum de Mariæ filiis jure reprehenſum adſeveravit.

[q] Epiſt. 56.
[r] Tom. 2. pag. 1068.

ANNUS 393.

126. ARbogaſtes poſt interfectum Valentinianum, ut jam diximus, cùm ſumere purpuram ipſe non auderet; eadem Eugenium quondam grammaticum atque rhetorem indui juſſit. Hic ſtatim atque imperator ſalutatus eſt, epiſtolam dedit ad Ambroſium. Sed nec reſponſo ſanctus Epiſcopus illum dignatus eſt; quia ſcilicet fore prævidebat, ut hic tyrannus ethnicorum non rejiceret petitiones. [ſ] *In primordiis*, inquit, *imperii tui ſcribenti non reſcripſi, quia iſtud prævidebam futurum.* Continuoque ſubdit: *Tamen ubi cauſa emerſit officii mei pro his, qui ſollicitudinem ſui gerebant, & ſcripſi, & rogavi; ut oſtenderem in cauſis Dei timorem mihi juſtum ineſſe.* Has epiſtolas, quas anno proxime elapſo datas fuiſſe manifeſtum eſt, invidia antiquitatis noluit ad poſteriorem ætatem pervenire.

[ſ] Epiſt. 57.

127. Eugenius ſub initium præſentis anni Alpes tranſivit, quem ut audivit ſanctus Ambroſius venturum quoque Mediolanum, è veſtigio inde receſſit; quia nimirum ferre non poterat præſentiam tyranni, [t] *qui petentibus*, ut Paulinus memorat, *Flaviano tunc præfecto, & Arbogaſte comite, aram Victoriæ & ſumtus ceremoniarum... oblitus fidei ſuæ, conceſſit.* Sed Eugenium cùm gentilium preces bis rejeciſſet, tertio tandem eadem de re interpellatum manus dediſſe intelligimus ex ea epiſtola, [u] qua ſanctus Epiſcopus receſſus ſui eidem Eugenio rationem reddidit. Ambroſius porro, ut Paulinus docet, [x] *Mediolano ad Bononienſem civitatem, atque inde Faventiam uſque perrexit.* Addit ille ſcriptor Ambroſium noſtrum dum Florentiæ eſſet, Panſophio puero vitam reſtituiſſe: *Ad quem infantulum*, inquit, *libellum conſcripſit*; [y] *ut quod per ætatis infantiam ſcire non poterat, legendo cognoſceret.*

[t] Paul. in V. Ambr. n. 26.
[u] Epiſt. 57. num. 6.
[x] In V. Ambr. n. 27.
[y] Ibidem num. 28.

128. Non rediit sanctus Antistes Mediolanum, nisi Kal. mensis augusti anni sequentis, [a] egresso inde memorato tyranno. Qua vero in urbe per hoc spacium potissimum commoratus sit, nobis ignotum est: compertum autem illud habemus cùm esset Bononiæ, ab eo corpora Vitalis atque Agricolæ martyrum Christi de tumulo suo levata esse; quæ quidem prius in mediis ipsis Judæorum sepulcris jacebant incognita. [b] *nisi se*, ait Paulinus, *sancti Martyres sacerdoti ipsi revelassent*. aut quemadmodum plures codices legunt, *sacerdoti ipsius Ecclesiæ revelassent*, Bononiensi nimirum episcopo.

a Epist. 61.
b Paul. in V. Ambr. n. 29.

129. Sub idem tempus rogatus à Florentinis sanctus Ambrosius, ut dedicatum novam basilicam Florentiam accederet, [c] non potuit instantissimis illorum postulatis non annuere, etiamsi aliò se conferre ipse decreverat. Per jejunia igitur quadragesimæ in eamdem veniens civitatem, de reliquiis sanctorum Martyrum qui Bononiæ exhumati fuerant, fragmenta, vel ut ipse vocat [d] *apophoreta* secum detulit, quæ in basilica dicanda reconderet. Inter sacras hujus consecrationis ceremonias sermonem habuit, in quo Julianam viduam, quæ idem illud templum ædificarat sumtibus suis, summe prædicat; & relata ejusdem exhortatione ad liberos, qui omnes simul ea permoti Deo se devoverant, eosdem suis ipse verbis tandem alloquitur, atque ad virtutes eorum instituto congruas impellit & incitat. Hanc ipsam concionem habemus etiam nunc in libello qui inscribitur *Exhortatio Virginitatis*.

c Admon. in lib. Exhort. Virg.
d Exhort. Virg.

130. Difficillimis Eugenianæ dominationis temporibus, id est, hoc anno vel proxime sequenti, Ambrosius epistolam Severo Neapolitanæ sedis episcopo scripsit, qua Jacobum quemdam ordine [e] presbyterum *ex ultimo Persidis fine* in Campaniæ solitudines se recipientem illi commendat. Non tamen desunt qui hanc epistolam ad Maximiani belli tempora censeant referendam. [f] Quod loco suo satis expenditur.

e Epist. 59.
f Admon. in eamd. epist.

131. Scripsit Vir sanctus [g] etiam Paterno amplissimum honorem consequuto, qui cùm *filio neptem ex filia* connubiali vinculo jungere statuisset, episcopi sui hac in re sententiam fuerat sciscitatus, & ab eo remissus ad Ambrosium. Paternus igitur destinatis ad hunc litteris, rationes omnes quibus ad copulandum nepti avunculum impelleretur, ipsi aperuit. Huic epistolæ ita respondit sanctus Ambrosius, ut simul episcopo Paterni honorem deferret legitimum, & rationes quibus illud matrimonium licitum esse in mentem induxerat idem Paternus, nullas demonstraret.

g Epist. 60.

132. Successu non caruit Ambrosiana illa epistola; namque aliam ejus habemus ad Cynegium, [h] in qua legimus: *Avo neptem, ut opinor, refudi; quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, ut avum socero mutaret.* Hunc enim Cynegium non dubitamus eum Paterni Filium esse, de quo Paternus Ambrosium nostrum consuluerat, & quem etiam super eadem re scripsisse ad sanctum Antistitem ex hac epistola cognoscere est.

h Epist. 84.

ANNUS 394.

133. HUjus quoque anni partem aliquam Florentiæ exegit Ambrosius; quandoquidem communis fert opinio, dum in ea urbe commoraretur, illac transiisse sanctum Paulinum, ut comitante Therasia conjuge Nolam ad Felicis martyris templum se reciperet. Audierat jam sanctus episcopus quanto caducarum rerum contemtu ipse ac Therasia pretium possessionum suarum, quæ quidem fuerant amplissimæ, in pauperes erogaverant: quam utriusque generositatem contra sæcularium hominum oblatrationes, scripta Sabino epistola, [i] ipse defenderat. Inde conjectura licet adsequi quanta cum lætitia & voluptate illum exceperit. Certe non repentinam neque nuperam fuisse Ambrosii cum eodem Paulino necessitudinem aperte Paulinus ipse profitetur, [l] loquens in hæc verba: *Ambrosii semper dilectione ad fidem innutritus sum, & nunc in sacerdotii ordine confoveor. Denique suo me clero vindicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear.* Neque hoc tantum loco Ambrosii meminit; sed cum alibi, tum ubi magnis illis ac sanctis viris qui sacro cinerum suorum deposito varias provincias illustrarunt, ipsum adnumerans, sic de illo [m] canit:

i Epist. 58.
l Paul. in Epist. 4. ad Alyp.

Nec minor occiduis effulsit gratia terris,
Ambrosius Latio, Vincentius exstat Iberis,
Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumsit.

m S. Paul. poem 27. de Nat. S. Fel. 11.

134. Ambrosius Mediolano, ut supra dictum est, ideo secesserat, ne Eugenii scelerati hominis conspectum ferret, & veri admodum nobis simile est clericis suis eum districte prohibuisse, ne se communione ejusdem tyranni contaminarent. [n] *Munera enim imperatoris qui se sacrilegio commiscuerat*, inquit Paulinus, *ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur.* Arbogastes vero & Flavianus, qui ob concessam suis precibus profani cultus restitutionem hac ignominia Eugenium affici non ignorabant, eo furoris exarsere, ut minarentur [o] *egredientes Mediolano, cùm victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica Ecclesiæ Mediolanensis, atque clericos sub armis probaturos.* Hanc autem amentium hominum impietatem haud impunitam illis fuisse subdit Paulinus, & Ambrosius quoque idem [p] testatur, sed nominibus comitis utriusque silentio transmissis.

n Paul. in V. Ambr. num. 31.
o Ibidem.
p Enarr. in Psal. 36. num. 25.

135. Ubi primum Mediolano excessit Eugenius, ut copias in Theodosium duceret, in eam civitatem circiter Kal. augustas rediit Ambrosius, [q] quippe qui non revocaret in dubium quin huic eidem Theodosio justitiæ ac pietatis partes defendenti adfuturum esset cæleste præsidium. Et re vera magnus ille princeps tam admirabilem retulit victoriam, ut miracula quibus eadem illustrata est, non modo Præsul noster, [r] verumetiam Augustinus, [s] Orosius, [t] Claudianus, [u] innumerique alii celebrarint.

q Epist. 61.
r Enarr. in Psal. 36. num. 12.
s Lib. 5. de Civ. Dei cap. 26.
t Lib. 7 cap. 35.
u Paneg. de III. cons. Honor.

136. Post magnam illam victoriam, atque tyrannum VIII. idus Septembres de medio sublatum, Theodosius per litteras mandavit Ambrosio, ut pro successu tam auspicato publicas gratias Deo redderet. Satisfecit Cæsaris imperatis incredibili alacritate sanctus Episcopus: idque Theodosio significavit datis litteris, in quibus sic loquitur: [x] *Epistolam pietatis tuæ altari imposui, ipsam gestavi manu, cum offerrem sacrificium; ut fides tua in mea voce loqueretur, ut apices Augusti sacerdotalis oblationis munere fungerentur.* Deinde ipsum enixe obtestatur, ut iis qui Eugenianas partes sequuti erant, ignosceret; maxime vero si non alterius criminis admisso tenerentur. Huic epistolæ adjecta est secunda, [y] & mox tertia: sed illam iniquitas temporum intercepit, hæc vero qua venia illis postulatur, qui ad Ecclesiarum azylum confugerant, ad nostram ætatem conservata est. Quin etiam pius Antistes his non contentus, Aquileiam, ut adserit Paulinus, [z] ipsemet adivit imperatorem, à quo quidquid petiit, consequutus est. Hujus principis clementiam in hostes victos certatim laudant Paulinus, Augustinus, Orosius, Claudianus, atque alii: sed adjunctum quoddam memorat Ambrosius, neutiquam indignum quod referatur: [a] *Quid quod præclaram*, inquit, *adeptus victoriam, tamen quia hostes prostrati sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu.* Nobis porro non difficulter quis persuaserit eumdem Ambrosium qui Theodosio tam fervens hortator fuerat ad clementiam, auctorem insuper ob effusum sanguinem ei fuisse ad hanc cælestis sacramenti abstinentiam.

x Epist. 61.
y Epist. 62.
z In V. Ambr. n. 31.
a De Obitu Theod. n. 34.

137. Redux Mediolani sanctus episcopus, [b] Enarrationes suas in psalmos XXXV. XXXVI. XXXVII XXXVIII. XXXIX. & XL. de suggestu pronuntiavit. In illis enim cùm Theodosianæ ex Eugenio victoriæ fiat mentio, ipsas aut sub finem præsentis anni, aut sub initium subsequuturi habitas esse non ambigimus.

b Admon in Enarr. in Psal.

ANNUS 395.

138. HOc anno ineunte Ambrosius noster acerbissimo dolore confectus est, cùm Theodosius, quem non modo tamquam Ecclesiæ imperiique columen semper adspexerat, sed etiam quem sui amantissimum numquam non senserat, vita decessit. De illius obitu sic Paulinus loquitur: [c] *Nec diu*, inquit, *susceptis filiis in Ecclesia, & traditis Sacerdoti, in hac luce fuit.* Ambrosius vero illum principem ad mortem usque amoris in se testimonia exhibuisse aperte significat his paucis verbis: [d] *Dilexi virum*, inquit,

c In V. Ambr. n. 32.
d De Obitu Theod. n. 35.

inquit, *qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat.* Obiit autem, ut vulgo volunt, XVIII. Kalendas februarias. Elapsis autem ab illa morte diebus quadraginta, Honorius Cæsar, qui ex oriente ad patrem extremo suo morbo laborantem venerat, prius quam ejus corpus Constantinopolim ad sepulcra decessorum imperatorum transferret, illud funebri pompa in Ecclesia Mediolanensi curavit honorari. [a] Præsens fuit idem ille princeps his ceremoniis; & ipso audiente, cùm regium corpus ante altare esset collocatum, nobili simul & christiana oratione Theodosii virtutes laudavit Ambrosius. Quo in epicedio cùm victorias ab eo principe salutiferæ crucis beneficio partas celebraret, in ejusdem inventionem late [b] digressus est. Ad postremum vero mentem Honorii mœrore non levi propterea dejectam, quod sibi funus patrium Constantinopolim usque prosequi per imperii necessitates minime liceret, [c] solatio demulcere in ipsa peroratione conatus est.

a *De obitu Theod. num.* 3.
b *Ibidem n.* 43. *& seq.*
c *Ibidem num.* 15. *&* 16.

139. Theodosii mortem apud Paulinum continuo excipit sacrorum lipsanorum [d] Nazarii ac Celsi Martyrum revelatio beato Antistiti divinitus afflata, & eorumdem in basilicam Apostolorum ab ipso celebrata translatio. Idem scriptor memorat energumenum ab eodem sancto inter concionandum à dæmone liberatum fuisse; & mox subjungit quonam indicio sanctas reliquias pio Præsuli revelatas esse intelligeretur, his verbis loquens: [e] *Sed hoc erat signum & revelati martyris, si sanctus Sacerdos ad locum ad quem nunquam antea fuerat, oratum isset.* Sanctorum autem istorum corporum partem non modicam Ambrosium dono misisse ad sanctum Paulinum Nolæ tunc presbyterum ex hujus ipsius carmine cognoscimus, ubi [f] dicitur:

Hic & Nazarius martyr, quem munere fido
Nobilis Ambrosii substrata mente recepi &c.

Sed & his reliquiis alias quoque SS. Protasii ac Gervasii additas fuisse idem Paulinus indicat [g] ad Severum scribens, cujus locus consuli potest.

d *Paulin in V. Ambr. num.* 32. *& seq.*
e *Ibidem num.* 33.
f *S. Paul. Poem.* 24 *de Nat. S. Fel.* 9.
g *Epist.* 32.

140. Huic etiam tempori, aut saltem non remoto adtribui debent sermones ii, quos redactos in libri formam sub titulo libri [h] *de Nabuthe Israëlita* hodieque volvere licet. Illos sermones deditâ operâ habendos sibi proposuit, tum ut crudelem divitum sui temporis castigaret avaritiam, tum ut pauperes in tolerandis suis miseriis sublevaret ac solaretur. Quantum inopum afficeretur incommodis & calamitatibus, abunde [i] ex Paulino cognoscitur: neque ullus profecto dubitandi locus est, quin locupletum hominum inhumanitas, quæ post decessum Theodosii crevit in immensum, eas querelas ex ipsius ore coegerit erumpere, quas intra pectus jam continere non potis erat.

h *Admon. in hunc lib.*
i *In V. Ambr. num.* 40.

ANNUS 396.

141. HOc anno sub consulatu novorum imperatorum Arcadii atque Honorii exemplum Paulinus narrat [l] editum esse, quo Deus ipse manifestavit, quam inviolatum Ecclesiarum asylum esse oporteat. Nam Cresconio quodam à militibus ex Ecclesia per vim erepto, cùm injuriam locorum sacrorum prostratus ad altare lugeret Ambrosius, reversos in Circum illos milites leopardi laniaverunt. Eo ipso loco idem Paulinus, post amicam illam correptionem, [m] qua Theodulum Mutinensis Ecclesiæ postea episcopum proximi lapsus commonefecit sanctus hic noster; subnectit reginæ Marcomannorum ad Ambrosium legationem. Illa regina, sicut perhibet citatus auctor, vocabatur Fritigil, quæ famam Ambrosii cùm audivisset, [n] *missis Mediolanum muneribus ad Ecclesiam, per legatos postulavit, ut scriptis ipsius qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi.* Dolemus interiisse hanc epistolam; quippe qua lecta, tanto desiderio videndi Ambrosii Frigitil exarserit, ut eam ob causam & ipsamet venerit Mediolanum: sed cùm non nisi post obitum sancti Præsulis illuc pervenisset, tantum laboris incassum cessit.

l *In V. Ambr. num.* 34.
m *Ibidem num.* 35.
n *Ibidem num.* 36.

142. Limenius Vercellensium episcopus, & successor sancti Eusebii, circiter hoc tempus mortem oppetiit. In sufficiendo illi successore clerus ac populus illius urbis abiere in varias partes atque studia, & diutissime convenire inter se non valuerunt. Ambrosius ubi hoc rescivit, moleste tulit: cùmque ad ipsum, utpote Metropolitanum, hujus dissidii correctio pertineret, eidem Ecclesiæ amplam juxta ac elegantem scripsit [o] epistolam. In ea Vercellenses ad pacem ac mentium unitatem graviter hortatur, tum ad explicandas eas dotes atque virtutes, quæ in candidato ejusdem episcopatus debebant inesse, stylum convertens, ita loquitur: [p] *Duo pariter*, inquit, *exigi videntur, monasterii continentia, & disciplina Ecclesiæ*: eo quod nempe hoc utrumque institutum à beato Eusebio in illa Ecclesia simul junctum erat. Postremo in Sarmationem & Barbatianum [q] invehitur, monachos apostatas, de quibus jam dictum est: qui Vercellas venerant non tantum hæresis disseminandæ causa, verum etiam fovendæ dissensionis.

o *Epist* 63.
p *Ibidem num.* 66.
q *Ibid. n.* 7.

143 Quid effecerit illa epistola, compertum non habemus: verùm si fides tribuenda sit Actis Gaudentii Novariensis ipsimet Ambrosio proficiscendum fuit in illam urbem, ut dissidentes animos ad concordiam revocaret.

ANNUS 397.

144. HIc annus felicem vitæ Ambrosianæ coronidem imposuit; quandoquidem intra illius cursum sanctus Episcopus tam egregiarum virtutum quibus in Ecclesia numquam non præluxerat, totque laborum, periculorumque gravissimorum, quæ pro Ecclesia sustinuerat, à Deo, optimo, maximo uberem mercedem assequutus est. Paulinus qui ultimorum actuum ejusdem sancti spectator fuit, satis singulatim illos recenset. In eisdem vero illud ostensum singulare est, quod Ambrosius cùm Paulino ipsi psalmi XLIII. Enarrationem dictaret, ab eo visus est igneum orbem qui prius Antistitis vertici superpositus apparuerat, sensim intra pectus per os hausisse: quod eum vehementiori divinæ caritatis ardere incendio significabat. Et sane in extremo illo vitæ spatio eruperunt majora quædam virtutum ejus testimonia; insignis nimirum modestiæ argumentum est, quod sacris litteris interpretandis imparem se esse profitebatur: nec minus divini zeli indicium, quod contra hæreticos & Arrianos inprimis ad ultimum spiritum pugnare numquam intermisit: denique in hoc effulsit ipsius caritas in gregem suum, quod præparando ad ejusdem usum spiritali pabulo immortuus est.

145. Ambrosii vita meditatio mortis continua fuerat, & ipsum ante corporum Gervasii ac Protasii martyrum translationem de tumulo suo jam cogitasse illique locum designavisse [r] exploratum est. Atque adeo nullus mirabitur quod suprema instante ipsius hora candide suis ista dixerit: [s] *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere: nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus* Quod quidem dictum magnorum virorum admirationem semper excitavit, & Augustini præ ceteris; de hoc enim Possidius sic testatus est: [t] *Et in his*, inquit, *noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba.* Causæ autem hujus admirationis apud eumdem Possidium videri possunt. Nec tamen alia quæ à Paulino quoque referuntur de hoc postremo Ambrosii agone, minus admiranda sunt, quæ brevitatis ergo prætermittimus. Quare ut veniamus ad beatam mortem sancti Præsulis, in ipso articulo sanctus Honoratus episcopus Vercellensium, Limenii successor, divina voce ter admonitus, divinam eucharistiam ei ministravit: quam simul atque pie suscepit, ipsius anima in cælestem patriam vinculis corporeis libera evolavit.

r *Epist* 22. *num* 13.
s *Paul. in V. Ambr. num.* 45.
t *Poss in V. Augus. cap.* 27.

146. Prosequitur autem idem Paulinus in eum modum: [u] *Inde ad Ecclesiam majorem antelucana hora qua defunctus est, corpus ipsius portatum est: ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in pascha* Quibus verbis aperte ostenditur illum obitum sub extremam feriæ sextæ noctem evenisse, ac sanctum corpus toto sabbato & usque ad matutinas horas paschatis mansisse in eadem majore basilica; unde colligitur, cùm illo anno memoratum festum in nonas aprilis mensis inciderit, pridie nonas

u *Paul. in V. Ambr. num.* 48.

diem obiisse sanctum episcopum, quod martyrologiorum omnium consensu etiam confirmatur.

147. Non ignoramus Ambrosianam mortem nonnisi subsequenti anno in Marcellini chronico renuntiari. Sed non ita exactum est illud chronicon, ut non multa eidem anno sæpe adscribat, quæ sunt diversorum: & è contrario multa diversis, quæ sunt ejusdem. Qui vero hanc sequuntur chronologiam, cùm eumdem obitum in x v. Kal. maias referendum cogantur defendere, neque idoneis rationibus ad hoc nitantur; martyrologiorum, & Ecclesiarum Mediolanensis atque Romanæ magis deferendum auctoritati existimamus.

148. Pretiosum igitur sancti Viri decessum die & anno, quos jam eidem adsignavimus, constanter ponimus; B & hoc aptissime convenit cum Paulini testimonio, diserte adserentis, beatum Antistitem Theodosio [a] *fere triennium* superstitem fuisse, id est, non totum triennium. Si enim anno tantum 398 x v. Kal. maias vitâ functus est, ultra dictum spatium Theodosio supervixisse dicendus erit; cùm idem imperator, ut ostendimus, mense januario anni 395. abierit ad plures. Accedit eo [b] concilium Carthaginense hoc ipso anno mense Septembri habitum, à quo successor Ambrosii Simplicianus, quasi A ejus throno jam impositus, per epistolam consultus fuit; qui enim putant Simplicianum tamquam virum in argumento quod agebatur, pereruditum, vivente Ambrosio, consultum esse, nec satis honorifice de Ambrosio illi sentiunt, & disciplinam eorum temporum sibi esse probant minus cognitam.

149. Hic omittemus illa miracula, quæ sancti obitum consequuta sunt; quippe quæ legere liceat [c] apud Paulinum. Tametsi autem præcipue nobis consilium fuerit Ambrosii commentationum ordinem ac seriem breviter contexere, ut inde lectores ad earum studium adjuvarentur; ita tamen ipsius scriptis facta quoque ac virtutes ejusdem connexæ sunt, ut illa junctim ubique proponere necessum habuerimus. Passim namque tibi occurrunt aut celsitudo illa animi terroribus ac periculis pro Christi & Ecclesiæ causa cedere nescii, aut rursus modestia hominis nihil sibi usquam attribuentis: modo indefessa pascendi gregis sollicitudo, modo vigiles contra dolos hæreticorum excubiæ ac labores: alibi summa benignitas erga pauperes atque captivos, ubique demum adversus Deum resque divinas singularis plane pietas; quas quidem virtutes christianis omnibus, maxime vero sacerdotibus imitationi esse convenit, & nos optamus.

a *Paul. in V. Ambr. num. 42.*

b *Conc. Carth. an. 397.*

c *In V. Ambr. num. 48. & seq.*





IN

IN LIBRUM SUBSEQUENTEM
ADMONITIO.

Hunce tractatum sancti Ambrosii nomine præsignatum, verisque illius operibus insertum, Romani editores primi vulgarunt. Qua vero id fecerint auctoritate, an uno pluribusve codicibus nixi, & rursus an prisca recentive manu exaratis, admonere supersederunt. Nos quidem adhibitâ, qua vix major potuit, diligentiâ, ne vel unicum manuscriptum usquam deteximus: nihilominus tamen eadem hæc opella, prout in ipsa editione Romana exstat, argumenta suggerit plane indubia, quibus ejusdem suppositio deprehendatur. Etenim ut omittamus discrimen styli ac tractandi argumenti discrepantiam, in ea Josephum, adscriptis ipsius verbis, subinde citatum reperire est, quod abhorrere ab Ambrosii consuetudine negabit nemo. Sed illud omnem dubitandi tollit rationem, quod hujus tractatus Auctor non solum Origenis & Hieronymi commentationes, eamdem materiam utcumque est imitatus, verum etiam non raro ipsamet Hieronymi verba usurpavit, & locos Origenis è Rufini translatione id temporis vixdum edita petitos exscripsit: quæ omnia nos ad margines indicabimus. Ceterum de Auctore hujus operis certiora forsitan traderemus, nisi hoc loco cogeremur uni Romanæ editioni credere, cujus fides quam sublesta sit, vel solus tractatus de Trinit. & Resurrect. Mort. *ordine suo subjiciendus, docere poterit. Verum tamen hoc ipsum opus, quale habetur, ea suppeditat rationum momenta unde non injuria illud sermonibus ad populum habitis constare, & forte etiam Auctorem ejus monachum exstitisse subodoremur. Neque vero inviti adduceremur in hanc sententiam, ut eum sin minus Bedæ ac Rhabani vixisse temporibus, saltem illorum rationem in eo tenuisse existimemus, quod illi in eamdem materiam scribere aggressi, Hieronymum, aut eum potius cujus sermones initio Appendicis ad quintum Operum Augustinianorum tomum leguntur, quemque non pauca ex Origene mutuatum constat, sæpius ad verbum transcripsere.*

DE XLII. MANSIONIBUS FILIORUM ISRAEL
TRACTATUS.

NUMERORUM liber, de quo nunc nobis est sermo, unus est ex quinque Moysi libris. Eo verò nomine legimus appellari, quoniam Israeliticæ plebis ex Ægypto egressæ virorum perfectorum numerum & computationem Dei præcepto continet. Sic enim Moysi loquutus est Deus: *Accipe summam universæ congregationis filiorum Israel à viginti annis & supra, per domos familiarum ipsorum, omnis egrediens ad præliandum in Israel.* Itaque Dominus cùm homines à viginti annis & supra, & ad præliandum idoneos numerari præceperit, manifestum quod viros perfectos intellexerit. (*Origen. hom. 1. in Num. ex vers. Ruf.*) A qua summa mulieres femineæ infirmitatis obstaculo, servi, utpote, vita moribusque degeneres, Ægyptii, ut alienigenæ & barbari excluduntur. Soli numerantur Israelitæ, nec ii omnes; sed robore tantum & virtute præstantes. Sic enim scriptum est: (*Num. 1. 45.*) *Numeratio filiorum Israel cum exercitu eorum à viginti annis & supra, omnis egrediens ad præliandum in Israel*, &c. Nec id mysterio vacat: nam dum puerilis & lubricus sensus, vel feminea & resoluta segnities nobis inest, vel dum Ægyptios, barbarosque gerimus mores, sancto Dei calculo numerati non meremur. In eodem deinde libro filiorum Israel itinera, profectiones, mansionesque à finibus Ægypti usque ad tempus & locum, quo Moyses defunctus est, mandato Dei recensentur. Inquit enim: (*Ibidem 44.*) *Et scripsit Moyses profectiones eorum & mansiones eorum, per verbum Domini.* Nec vero sine causa Moysi hoc scribere à Domino præceptum est; quia propter instructionem nostram: inquit enim Apostolus: (*1. Cor. 10. 11.*) *Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem hæc ad correctionem nostram*; (*Origen. hom. 27. in Num. ex vers. Ruf.*) ut legentes & probantes quanta nobis in hac ad terram viventium profectione immineant discrimina, quantæ hostium insidiæ, bellorum conflictationes spiritalium, marium & fluminum, mundi & voluptatum pericula; iter nostrum non segniter, neque remisse carpamus, quo labente die, in medio deficiamus itinere, noctis tenebris obruti. Nocte enim Ægypti primogenita ab exterminatore percutiuntur: (*Exod. 12. 29. Luc. 12. 20.*) nocte avari anima divitis à dæmonibus reposcitur. Sed prudenter itineri nos accingentes, fortiterque ad bella præparati, de virtute ad virtutem transeamus, & dominus Deus noster præcedat nos ante faciem nostram, debellans inimicos nostros, portansque nos, ut mater filium suum, ac ducens nos in die per nubem, & nocte per ignem: ut tandem superatis qui- A busque itineris difficultatibus, adversariarumque incursibus potestatum, profectionem nostram gloriose perficiamus. Mansiones vero filiorum Israel quadraginta & duæ numero computantur, quæ denarii, quaternarii, & binarii ratione numeri quem continent, multa nos mysteria docent. Volentes autem id vobis, fratres, explicare, intuemini, obsecro, & figite memoriæ; ne verbi contemtores inveniamini, nec fiat anima vestra via, ubi grana jactata non germinent: & veniant, inquit, volatilia cæli, & rapiant ea. Percipite ergo hæc, & recondite in cordibus vestris. Denarius numerus mysticus est & non mediocriter à Moyse commendatus: ad eum namque primitias, oblationesque & vota refert. Inquit enim: *Omnis decima terræ, & à fructu ligneo, Domino est: & omnis decima boum &* B *ovium, & omne quod venerit in numero, sub virga, decima erit sancta Domino.* (*Levit. 27. 30. & seq.*) Denique Jacob, Deo sibi duum ad Laban avunculum suum in Mesopotamiam proficisceretur, in itinere apparenti pollicitus est, dicens: *Omnium quæ mihi dederis, decimam decimabo tibi.* (*Gen. 28. 22.*) Hanc ob causam Noe ille qui primus in veteri Scriptura justus pronunciatus est, decimus à protoplasto inducitur, non ad ostendendam viventium tunc ætatem, vel ad præscribendum numerum hominum: sed ut aperte doceretur quod sicut denarius, numerorum qui unitatem sequuntur, perfectissimus est, ita tranquillitas in anima, finis est re vera actionum vitæ. Ternio enim per se ipsum multiplicatus novenarium complet, & lites, dissidia, bellaque divinis indicat oraculis, ut patet in quatuor & quinque regibus dissidentibus, seseque mutuo C impugnantibus. Unitas verò novenario superveniens, denarium perficit, & pacem, amicitiamque designat. (*Gen. 14. 1. & seq.*) Novem enim certantibus regibus sapiens Abraham quasi decimus superveniens pro tempestate tranquillitatem, pro bello pacem, pro morte victoriam, Deo favente, adtulit. Unde & Melchisedech summi Dei sacerdoti decimas exsolvit. Denarius ergo numerus perfectus est, & unitatem designat. Quaternarius quoque & ipse mysticus est, & in Scriptura commendatur: nam speciosam illam lucem, quæ se ipsam & cætera manifestat, luminisque genitores solem & lunam, ac præfulgidum stellarum chorum, quæ noctem, diemque, menses, annosque oriendo & occidendo terminant, die quarto creata esse sermo propheticus declarat. Mundi radices quatuor numerantur, terra, aqua, ignis &

ter. Et annuæ temporum vices sunt totidem, hyems, æstas, ver & autumnus. Denique de terræ fructibus Deo oblationes annum ante quartum fieri prohibetur: Sic enim scriptum est: *Fructus terræ tres annos erit vobis immundus, non comedetis ex eo: at anno quarto erit omnis fructus ejus sanctus & laudabilis Domino.* Nec immerito: quaternioni enim insunt omnia, punctum, linea, superficies, & soliditas, mensuræ universorum. Insunt etiam potissimæ symphoniæ musicæ. Deinde quadranguli latera oportet esse æqualia. Æqualitas vero mater est justitiæ, quæ ceterarum virtutum dux est & magistra. Justitiam ergo quaternarius insinuat. Binarius demum nec ipse expers est mysterii. [Luc. 21. 2.] Legimus enim viduam illam insigni laude à Domino commendari, quæ æra duo in gazophylacium misit. [Luc. 10. 35.] Samaritanus pro curatione sauciati binos erogavit nummos. Apud [Johan. 4. 43.] Samaritanos biduum transegit Salvator Christus: Bipartitam namque significat caritatem; Dei nempe, & proximi: [Matth. 22. 40.] *In his duobus*, dicit Dominus, *universa Lex pendet & Prophetæ.* Mansiones igitur filiorum Israel ab Ægypti finibus, usque ad repromissionis terram quadraginta duæ à Moyse recensentur. Sic & sanctus Matthæus Christi generationem describens, quadraginta duas enumerat. Inquit [Matth. 1. 17.] enim; *ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: à David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim:* ut ostenderet quod verus Israelita qui de sæculi hujus Ægypto ad cælum, veram viventium terram, per tot rerum discrimina & inimicorum tentamenta, pervenire festinat, pace per denarium, justitia per quaternarium, caritate per binarium, armari oportet. Pace; quia scriptum est: [1. Cor. 7.] *In pace vocavit nos Deus.* Justitia; quia dicit idem Apostolus: [Ephes. 6. 14.] *State induti loricam justitiæ.* Caritate; [1. Pet. 4. 8.] *quia caritas operit multitudinem peccatorum.* Christus ergo ad Virginem, Israel ad Jordanem, Christianus ad cælum pari mansionum numero deveniunt: Sed jam ipsas Israelis profectiones sigillatim consideremus.

[I. Mansio Ramesses.] [Orig. hom. 27 in vers. Ruf.]

Profectionum ordo, mansionumque distinctio Filiorum Israel ex Ægypto exeuntium ad terram usque patribus repromissam, iis qui post Deum ambulare contendunt, ad virtutumque profectus adspirant, propter mysteria quæ includuntur in illis, scitu valde necessaria sunt. Ea enim quæ in populo patrum corporaliter gesta sunt, nedum historiam, earumque gestarum seriem nobis ostendunt; sed instructioni nostræ spiritaliter intellecta maxime proficiunt. Huc spectabat Apostolus, dum in epistola ad Romanos dicebat: [Rom. 15. 4.] *Quæcumque scripta sunt; ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et ad Timotheum: [2. Tim. 3. 16.] *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum: in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Legimus ergo quod filii Israel, postquam Ægyptus universa tantis plagis percussa est, tempore cælesti oraculo designato, ut ad immolandum Domino Deo in solitudinem proficiscerentur, terram Gessen, quam ad incolendum acceperant, deserentes, in Ramessen urbem primo convenerunt; ibi substiterunt, ibique primam fixerunt mansionem. Ramesses Ægypti civitas est, ab Hebræis munita, quando sæviente in eos Pharaone, luto, latere & paleis opprimebantur: Sic enim scriptum est; [Exod. 1. 11.] *Et ædificaverunt civitates munitas Pharaonis, Phiton Ramessen & On.* [Exod. 12. 37.] Est denique in extremis illius regni finibus sita, ut habetur in libro Exodi. In hac mansione populus patrum, mactato agno, ejusque sanguine domorum liminibus, ac utrisque postibus illitis, exterminatoris evaserunt plagam: in hac Ægyptus primogenita sua vidit extincta: in hac farinam non fermentatam, vasaque argentea & aurea ab Ægyptiis mutuo accepta, verbo Dei, sibi populus congregavit. Horum quæ dicta sunt, fratres, singula mysteriis referta sunt, & nostræ proficiunt disciplinæ. In primis quia Ramesses secundum aliquos interpretatur commotio turbulenta, quæ significat pænitentiam: Per ipsam enim turbulenta fit in peccatore commotio, ut aboleatur vetustas peccati, & inducatur novitas gratiæ: ut homo vetus affigatur cruci, & novus homo resurgat: ut vetere tandem deposita conversatione carnis, novitas inducatur spiritus. Pænitentia ergo magnam commotionem turbationemque gignit. [Hier. 31.] Ideo Propheta: *Postquam cognovi, ego ingemui.* Qui ergo ad repromissam æternæ hereditatis patriam proficisci desiderat, ac Domino Deo se ipsum ut hostiam viventem, sanc- A tam, Patri placentem immolaturus accedit, debet primo adire Ramessen, hoc est commotionem, quæ fit per pænitentiam, ibique suam figere mansionem. Ibi suam mansionem fixit Achab, quando scissa veste sua, induto cilicio, [3. Reg. 21. 27.] jejunavit, dormivit in sacco, & demisso ambulavit capite. Ibi Ninive Rex fixit mansionem, quando surgens de throno suo, abstulit stolam propriam, & sacco indutus sedit in cinere. [Jon. 3. 6.] Ibi Corinthii mansionem fixerunt, quando contristati sunt secundùm Deum: quæ tristitia, ut scribit Apostolus, *Pænitentiam in salutem stabilem operatur.* [2. Cor. 7. 10.] Deinde agni mactatio quid aliud est quàm passio Christi; qui, ut Propheta dicit, *tamquam agnus innocens adductus est ut sacrificetur?* [Hier. 11. 19.] Cujus sanguine super domorum postes effuso, liberamur ab Exterminatore: B quia Christi passione per sacramenta nobis participata, liberamur ab eo qui habebat mortis imperium, id est, diabolo, ut ad Hebræos scribit Apostolus. [Hebr. 2. 14.] Ideo in alio loco dicit: *Christus ut per suum sanguinem sanctificaret populum, extra portam passus est.* [Hebr. 13. 12.] In hac etiam mansione Ægypti primogenita extinguuntur; hoc est, pravi carnis affectus, & desideria mala quæ militant adversus animam. Exstinguuntur vero Ægyptii, dum non agis opera tenebrarum: exstinguuntur Ægyptii dum non carnaliter; sed spiritaliter vivis: exstinguuntur Ægyptii, dum impuras sordidasque cogitationes vel depellis è corde, vel omnino non recipis. Ideo quærenti: *Quis me liberabit de corpore* C *mortis hujus?* respondit Apostolus: [Rom. 7. 24. & 25.] *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* In hac mansione farina, argentum & aurum cumulantur. Farina, ex qua panis conficitur, doctrina Christi est; quia panis Christus est, dicente Johanne: *Ego sum panis vivus.* [Johan. 6. 41.] Argentum, divinum designat eloquium: *Eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* [Psal. 11. 7.] Aurum, mens bona est: quæ non immeritò comparatur auro: Nam sicut aurum ceteris præstat metallis, ita mens bona in homine ceteris potior est humanæ substantiæ portionibus. Tria ergo in Ramesse coacervantur, farina, argentum & aurum: doctrina, eloquium, & mens bona: D in quibus census sapientis consistit: Sed interim pretiosam commutationem consideremus. Filii Israel dederunt paleas quæ inexstinguibili comburuntur igne, & receperunt farinam, in qua sapiens illa mulier fermentum abscondit. Dederunt lutum, quod deletur, quia scriptum est: *Ut lutum platearum delebo eos:* [Psal. 17. 43.] & receperunt argentum, quod est sermo justi. Scriptum est enim: *Argentum igne examinatum lingua justi.* [Prov. 10. 20.] Dederunt lateres, qui cadunt; quia scriptum est: *Lateres ceciderunt, & receperunt aurum*, quod est [Esai. 9. 10.] mens bona qua servimus legi Dei. Bona ergo commutatio: unde dicit Apostolus: *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* [1. Cor. 4. 8.] Has nos divitias comparemus nobis, quibus intelli- E gibiles animæ nostræ thesauros repleamus: sed ipse Dominus dat nobis gratiam, ut ab Ægyptiis illas eripere possimus: Ideo bene dicit Apostolus ad Hebræos: *Optimum est gratia stabilire cor.* [Hebr. 13. 9.] Bona igitur mansio Ramesse.

[II. Mansio Socoth.]

Secunda filiorum Israel profectio fuit in Socoth: ibique tentoria, Ægypto relicta, figentes, secundam mansionem habuerunt. Ideo dicit: [Num. 33. 5.] *Profecti autem filii Israel ex Ramesse, castrametati sunt in Socoth.* Intentio sancti Prophetæ Moysi, qui Dei mandato populi processum ex Ægypto usque ad Jordanem descripsit, non fuit singula notare loca ad quæ ei in universo itinere divertere contigerit; sed illa tantum in quibus aliqua mysteria facta sunt. Socoth urbs F est in montanis, extra terram Ægypti; ei tamen finitima, [Josue 13. 27.] ut legitur in libro Jesu Nave. Denique Socoth interpretatur tabernacula. Unde Jacob quando ab Esaü qui ei à Mesopotamia reverterti occurrit, se divisit. *Reversus est*, inquit Scriptura, *in tabernacula.* [Gen. 33. 17.] Ubi alia translatio habet: *Reversus est Socoth.* Et subjungit ibi: *Et fecit Jacob sibi domos, & pecoribus suis fecit tabernacula: propter hoc vocavit nomen loci illius, Tabernacula.* Et ibi alia translatio dicit: *Appellavit nomen loci illius Socoth*, id est, tabernacula. In hac quoque mansione coxerunt farinam: Dicitur enim in libro Exodi: *Et fecerunt ex farina subcinericios azymos;* [Exod. 12. 39.] Non enim fermentata fuit: ejecerunt namque eos Ægyptii. In hac fit insuper annorum computatio quibus Israel fuit in Ægypto. Inquit enim: *At habitatio filiorum Israel, quam habitaverunt ipsi & Patres eorum in terra Ægypti*, &c. [Ibidem 40.] In hac tandem præcipitur ut hujus ex Ægypto liberationis perpetuum exstet apud eos memoriale: Inquit enim: [Exod. 13. 3.] *Dixit Moyses ad populum: Recordamini diei hujus, in qua egressi*

ctis ex Ægypto, ex domo servitutis: in manu enim forti eduxit vos hinc Dominus. In hac demum solemnitas azymorum, ritusque azyma comedendi præscribitur: Nam inquit: *Sex dies comedetis azyma; at die septima festum Domino: non apparebit ibi fermentatum.* Hæc quoad litteram. Quoad mysteria vero, dicimus quod profectus filiorum Israel in Socoth, quod interpretatur Tabernacula, designat quod qui mansionem habuit in Ramesse, hoc est in commotione pœnitentiæ, debet proficisci in Socoth, hoc est, in tabernacula quasi per considerationem ambulare. Quod sicut ille qui alio tendit, nec firmam habet domum, moratur in tabernaculis. Unde quid aliud est in tabernaculis habitare, quam peregrinari? sicut Apostolus ad Hebræos de patribus loquens testatur. Inquit enim: *Confitentes quod peregrini & hospites essent super terram:* & videns se peregrinum in terra, dicat cum Propheta: *Advena ego sum in terra.* Consideret item Apostoli dictum: *Non habemus hic manentem civitatem.* Cognoscat denique quod quamdiu est in corpore, peregrinatur à Domino: unde rejiciat ea quæ in mundo sunt; quia concupiscentia carnis est; quia concupiscentia oculorum; & quia superbia vitæ. Sequatur Apostoli consilium: *Ne tetigeritis, ne gustaveritis, neque attaminaveritis, quæ sunt omnia in interitum, ipso usu: Sed ingemiscat habitationem quæ de cælo est, semper contendens placere Deo.* Subcinericiorum coctio azymorum docet, quod expurgato is veteri Philosophorum nequitiæ & Judæorum malitiæ fermento, epuletur in azymis sinceritatis & veritatis. Memoria jugiter unusquisque nostrum teneat illud Domini præceptum dicentis: *Intuemini & cavete à fermento Pharisæorum*, & Apostoli ne obliviscatur cautionem: *Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem fallaciam.* Deinde in Socoth indicitur computatio annorum quibus populus fuit in Ægypto: quia pœnitenti dicitur quod debeat sicut hirundo clamare, & sicut columba meditari annos ejus in amaritudine animæ suæ: nec de propitiatione peccati esse sine timore, sed dolere, & cum Propheta dicere: *Et peccatum meum contra me est semper.* Quod non retro adspiciat, pristinas appetendo vanitates, ut uxor Lot, & ut canis revertens ad vomitum. Quin potius sicut semetipsum immunditiæ & iniquitati prostituit, ita exhibeat membra sua servire justitiæ in sanctificationem, ut quantum se glorificaverit & in deliciis fuerit, tantum errata sua corrigens & in se vindicans, sentiat tormentum & luctum. Demum festum & perpetua azymorum solemnitas præscribitur, hoc est, meditationis & operum perseverantia indicitur: *quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde Apostolus: *In disciplina perseverate, filii*, Profecto igitur ex Ramesse ad Socoth est ad meliora.

III. Mansio, ETHAN.

Tertia mansio est Ethan. Nam à Socoth recedentes Filii Israel, pervenerunt in Ethan: ibique tentoria figentes, tertiam stationem peregerunt. Inquit enim: *Et profecti è Socoth, castrametati sunt in Ethan.* Ethan regio est inter Ægyptum & solitudinem in qua est Petra oppidum, in cujus spelunca habitavit Samson cùm ab Allophylis infestaretur: *Et sedit*, inquit, *in spelunca Petra Ethan*, qui locus erat valde munitus, ut testatur Josephus. Erat autem hæc regio in principio solitudinis. Ideo dicit: *Et est pars deserti.* Regionis hujus meminit David Propheta dicens: *Tu siccasti fluvios Ethan.* In hac mansione primum apparuit Dominus nocte in columna ignis, & die in columna nubis, ostendens iter populo, ad terram usque successionis eorum: *Et non defecit*, inquit, *columna nubis in die, & columna ignis in nocte, coram omni populo.* Verùm quia Ethan nobis sonat fortitudo (unde adversus Jeroboam parans se Roboam defendere: *Ædificavit*, inquit, *civitates munitas, Ethan & Thecue*, hoc est civitates fortitudinis) docemur quod ubi in Socoth hujus peregrinationis, in meditatione & exercitio bonorum operum usque in finem perseverare quis statuerit, adscendit ad Ethan, hoc est, ad fortitudinem: quia ipse Dominus dat virtutem & fortitudinem plebi suæ. Hinc dicebat Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat Christus J sus*, immo per nubem & ignem aperit ei viam, & fit dux itineris ejus, donec videat bona Domini in terra viventium. Adscendamus igitur & nos in Ethan, ut diabolo resistamus fortes in fide.

IV. Mansio, OS EROTH.

Quarta mansio dicitur Os Eroth. Unde sequitur: *Et profecti ex Ethan, castrametati sunt ad Os Eroth, quæ est contra Beelsiphon, & contra Magdalon.* Os Eroth alia translatione dicitur Phiairoth; vicus est & suburbium Magdali, versus mare Rubrum, ut habetur in libro Exodi. In hac mansione indignatus Pharao quod Israel Ægyptum desereret, comparato exercitu grandi, eos insequitur, dicens: *Quid fecimus, ut dimitteremus filios Israel, ne non servirent nobis?* Et subjungit: *Junxit ergo Pharao currus suos.* &c. [Exod. 14. & seq.] Quo verò ad morale: Per Os Eroth, quod os nobilium interpretatur, ostenditur quod adsumta fortitudine in Ethan, ascendimus in Os Eroth quia nobilitamur in Domino. Quod vero Os Eroth sit vicus, non caret mysterio: ut primò parva quæque capiantur: est enim ordo ut à parvis ad magna veniatur: Periculosa namque semper fuit in initiis immoderata prosperitas æquè ac adversitas. Sicut ergo per suburbium ad urbem progredimur, ita per ima ad summa ascendimus. Denique Beelsephon, quod est interpretatum, Dominus Aquilonis, diabolum designat: quia dixit, ut testatur Esaias Propheta: *Sedebo in monte sublimi, super montes excelsos, ad Aquilonem.* [Esa. 14. 13.] Est igitur os Eroth contra Beelsephon, id est, contra diabolum, qui stat semper ut adversetur euntibus in Hierusalem, quæ in cælo est. Ideo dicebat Apostolus: *Induite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli.* [Ephes. 6. 11.] Idem quoque designatur per Pharaonem populum insequentem.

V. Mansio, MARAH.

Marah quinta est mansio: Sic enim dicit: *Et profecti contra Os Eroth, transierunt per medium maris in desertum, & ambulaverunt viam trium dierum per desertum ipsi, & castrametati sunt in Marah.* Marah locus est in deserto Sur, tali vocatus nomine ob aquarum amaritudinem: Sic enim scribitur in libro Exodi: *Venerunt autem in Marah, & non poterant bibere aquas de Marah.* [Exod. 15. 23.] Amara enim erant, propter hoc vocatum est nomen loci illius, Amaritudo. Circa hanc mansionem tria sunt consideranda, profectio, mansio, & operatio. Profectio, quia in hujus itinere filii Israel Rubrum mare sicco vestigio transierunt: Nam dicit Scriptura: *At Filii Israel perrexerunt per siccum in medio maris: & aqua erat eis murus à dextris, & murus à sinistris, Pharao vero cum suo exercitu submersus est in aquis vehementibus:* Sic enim de eo scribitur: *Et reversa aqua cooperuit currus & adscensores, & omnem exercitum Pharaonis, qui ingressi fuerant post eos in mare, & non relictus est ex eis ullus.* Mansio; quia invenerunt aquas amaras, quarum amaritudinem sentientes, bibere nequiverunt, licet magna vexarentur siti. Operatio; quia mandato Domini Moyses ligno tetigit aquas: & quæ priùs erant amaræ, in dulcedinem versæ potabiles effectæ sunt, unde sitim extinguere potuerunt. Per quæ primo significatur nobis quod ad gratiam properantibus occurrit Pharao cum exercitu suo, hoc est, diabolus cum potestate tam forti, ut, sicut scriptum est, non sit quidquam in terra simile factum illi: Sed tandem ut Pharao cum exercitu submergitur in aquis vehementibus, ita & diabolus mittitur in stagnum ignis & sulphuris. Unde nec ideo terreamur, ut desertionem faciamus. Deinde in mansione aquæ gustantur amaræ, quoniam adhuc existentes in gratiâ multiplices manent tribulationum amaritudines. Unde Johannes Apostolus dicebat: *Ego Johannes frater vester & particeps in tribulatione.* Immo apostolus Paulus dicebat: *Si extra disciplinam estis, adulterini & non filii estis.* [Hebr. 12. 8.] Denique in operatione, sicut verbo suo adest Dominus, ut dulcescant aquæ, ita præstat in tribulationibus suam nobis præsentiam, dicente Propheta: *Cum ipso sum in tribulatione*, ut afflictiones nitescant. Hinc Esaias proclamat Propheta: *Si tra sieris per aquam, tecum sum, & flumina non cooperient te: & si transieris per ignem, non combureris.* Ideo Stephano in dulcedinem fuerunt torrentis lapides: & Laurentio in refrigerium prunæ. Merito igitur dicit Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus.*

VI. Mansio, ELIM.

Mansio sexta vocatur Elim: A Marah enim recedentes filii Israel, venerunt in Elim: ibi substiterunt, & ibi tabernacula erexerunt. Unde dicit: *Et profecti ex Marah, venerunt in Elim. In Elim vero erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta arbores palmarum: & castrametati sunt illic apud aquas.* Idem legitur in libro Exodi: Sed pulcher ordo, felixque virtutis progressus, qui semper tendit ad optima: ex tenebris ad lucem, ex ærumnis ad felicitatem. Ecce filii Israel, post Pharaonis & Ægyptiorum sævitias, post maris desertique discrimina, post triduanæ sitis ardorem, & Marah, amaritudines, venerunt tandem ad palmas, venerunt ad fontes. Per quod instruimur quod qui asperitatibus prægravantur, eos tandem læta & amœna

loca suscipiunt : quoniam ad requiem non nisi per laborem, & ad gaudia, non nisi per tristia pervenitur. Venit populus ad palmas : sed prius Ægyptiorum plurimas sustinuit angustias. Venit ad fontes ; sed prius trium dierum sitim, & aquarum amaritudines passus est. Nec tamen in his adhuc finis est itineris, nec ultima laborum requies ; quia & [Orig. hom. 17. in Num. ex vers. Ruf.] graviora manent : Sed cunctorum dispensator Deus, qui omnia suaviter disponit, interserit in ipso etiam itinere refrigeria quædam, ut iis refota, vique reparata anima promtior ad reliquos redeat labores. Denique observandum est quod Elim interpretatur Arietes. Arietes vero duces sunt ovium. Ideo duodecim fontes, & septuaginta palmæ designant Christiani gregis ductores : nempe duodecim Apostolos, de quibus ita scribit Lucas [Luc. 6. 13.] : *Elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit*, & septuaginta Discipulos quos sanctus Lucas alibi meminit, dicens [Luc. 10. 1.] : *Designavit Dominus & alios septuaginta, & misit illos binos ante faciem suam.* Quorum distinctionem ponit Apostolus, agens de Domini post ejus resurrectionem apparitionibus. Inquit enim ad Corinthios [1. Cor. 15. 5.] : *Visus est Cephæ, & post hoc undecim, & deinde visus est Apostolis omnibus.* Qui tamen omnes duces & magistri sunt gregis Dominici. Quare de iis scriptum est [Luc. 10. 16.] : *Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit.* Hauriamus igitur nos de uberrimis hujusmodi fontibus [Hieronym. ep. 127.], & bibamus : carpamus quoque de solidis harum victoriæ palmarum fructibus, & manducemus alacriter, ut talibus cibo potuque refecti, validiores ad reliquas mansiones peragendas inveniamur.

VII. Mansio, MARE RUBRUM. Hier. ep. 127.

Septima mansio est juxta mare rubrum : Nam transito mari rubro, & Marah & Elim mansionibus peragratis, occurrit iterum filiis Israel sinus quidam ipsius maris. Et quia ibi applicuerunt, tentoriaque erexerunt, ideo nunc ad mare castrametati dicuntur. Dicit enim : *Et profecti ex Elim, castrametati sunt super mare rubrum.* [Num. 33. 10. Orig. hom. 17. in Num. ex vers. Ruf.] Sed observa quod vident mare, non tamen illud intrant, nam sufficit semel tantum intrasse & pertransisse, quoniam illud mare baptismi nostri figura fuit, ut Apostolus ad Corinthios scribit dicens [1. Cor. 10. 1.] : *Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari* : Sed baptismus eorum in figura fuit, nostrum autem in veritate. Et quia baptismus iterandus non est, cum scriptum sit [Ephes. 4. 5.] : *Unus Deus, una fides, unum baptisma*, sicut semel baptizari oportet, ita & semel mare intrasse satis fuit. Nunc igitur pergenti ad promissam hereditatem populo iterum mare occurrit, ut illud videns, illiusque undas aspiciens, cautius incedat, ne deterius aliquid ei contingat.

VIII. Mansio, desertum SIN. Num. 33. 11. Hier. ep. 127.

Octava mansio est desertum Sin. Ideo dicit : *Et profecti à mari rubro, castrametati sunt in desertum Sin* : Sed observandum quod tota hæc solitudo à mari rubro, usque ad montem Sinai appellatur Sin. In qua filii Israel quinque habuerunt mansiones : nempe mare rubrum, ut supra, hanc de qua agimus, & tres sequentes. Hæc autem specialis est ; licet communi nomine appelletur desertum Sin, ex nomine totius deserti : sicut & Moab nomen est civitatis & provinciæ. Verum quia Sin interpretatur rubus, significat nobis quod sicut octava mansione venimus ad Sin, hoc est ad rubum, in quo actum est de liberatione filiorum Israel à servitute Ægypti : ita in resurrectione, quæ per octavam intelligitur, veniemus ad rubum, in quo agetur de liberatione nostra à servitute corruptionis : quam exspectamus, ut Apostolus dicit [Rom. 8. 23.] : *Et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exspectantes, redemtionem corporis nostri.* Et alibi [Philip. 3. 20.] : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritudinis suæ.* Et tunc videbimus rubum ardere & non comburi : quia corpus humanitatis nostræ moritur ; sed non consumetur ; immo resurget ad majorem claritatem. Dicit Apostolus [1. Cor. 15. 42.] : *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Oremus igitur Deum ut ad octavam mansionem venire valeamus, vel potius ipsa ad nos cito veniat.

IX. Mansio, DEPHCHA.

Nona mansio dicitur Dephcha : quæ in mansionibus deserti Sin tertia computatur : recedentes enim filii Israel à mansione quæ à communi nomine, desertum appellatur, venerunt ad hanc. Quare subjungit [Num. 33. 12.] : *Et profecti de deserto Sin, castrametati sunt in Dephcha.* Hæc mansio in Exodo non habetur : sed à deserto ad Raphidim tantum profectio scribitur. Sub silentio igitur præteritur hæc & sequens mansio ; quia non ille erat locus in quo per verbum Dei profectiones seriatim Moyses recenseret. Denique Dephcha sanitas interpretatur. [Orig. hom. ... in Num. ... vers. ...] Perfecta autem animæ sanitas est qua non potest peccare, sicut perfecta corporis sanitas est qua non contingit ægrotare : quod non nisi in resurrectione succedit : tunc enim, sicut dicit Esaias Propheta [Esai. ...] : *In capite eorum laus & lætitia apprehendet eos : fugiet dolor mœror & gemitus.* Vides igitur ordinem profectuum. Filii Israel de octava mansione assequuntur Dephcha : & nos à resurrectione perfectam animæ & corporis adipiscimur sanitatem, ut Johannes Apostolus in Apocalypsi testatur, dicens [Apoc. ...] : *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Sed quia animæ languor peccatum est unde dixit Propheta [Psal. ...] : *Sana animam meam, quia peccavi tibi* languor animæ nostræ superbia est, ita est, avaritia est : ideo unusquisque nostrum cordis & corporis genua flectens oret Dominum nostrum Jesum Christum, qui sanat omnes infirmitates nostras : & cum Propheta dicat [Psal. ... Hier. ... Psal. ...] : *Sana me, Domine, & sanabor ; salva me, & salvabor.* Dicat & cum David : *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.*

X. Mansio, HALUS. Num. ...

Decima mansio Halus est : ad quam à Dephcha profecti sunt filii Israel. Ideo dicit : *Et profecti de Dephcha, castrametati sunt in Halus* : In Exodo nec ista mansio distincte nominatur ; sed comprehenditur sub mansionibus à deserto Sin usque ad Raphidim. Dum enim dicit [Exod. ...] : *Et profecta est omnis congregatio filiorum Israel ex deserto Sin per castra sua, secundum verbum Domini* : innuit quod plures fuerint castrametationes & hospitia. Tria in hac mansione geruntur. Primo populus Dei gloriam intuetur : nam scriptum est in Exodo [Exod. ...] : *Et gloria Domini apparuit in nube.* Deinde pascitur carnibus [Ibidem] : *Factum est vespere*, ut ibi legitur, *& adscendit coturnix, & cooperuit castra* Tertio cibatur manna de cælo : Sic enim Moyses populum alloquitur [Ibidem] : *Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad manducandum* : hoc est verbum quod constituit Dominus. Per quæ monemur quod qui in decima quiescit mansione, id est in observatione legis, per denarium enim numerum lex significatur, quæ in decem verbis consistit, ut scriptum est [Exod. ...] : *Et scripsit Moyses verba hæc decem in tabulis fœderis* ; Dei gloriam conspicit. Quare sciscitanti Prophetæ, quis habitaturus in Dei tabernaculo, & quis in monte sancto ejus requieturus esset, respondetur quod sedulus observator legis, dum dicitur [Psal. ...] : *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam : qui loquitur veritatem in corde suo*, &c. Et idem carne & manna cælesti pascitur, hoc est, pretioso domini nostri Jesu Christi corpore. Cujus corpus est vera caro, dicente Johanne Apostolo [Johan. ...] : *Caro mea vere est cibus*, & verum est manna, non in typo, sed in veritate : *Ego sum*, inquit, *panis vivus qui de cælo descendi.* [Ibidem] Est vera caro propter veram humanitatem : est panis vivus propter divinitatem. Cùm igitur Christi corpus manducamus, divinitatem & humanitatem participamus, ut Apostolus ad Corinthios scribit [1. Cor. ...]. Merito autem beneficia hæc potiora in hoc loco præstantur : Nam Halus interpretatur labor Laboranti autem congruum est ut Domini appareat gloria, quo præmii visione alacrius labores sustineat. Congruum est etiam ut subministretur cibus, quo refectus inchoatum fortius prosequatur iter.

XI. Mansio, RAPHIDIM. Num. ...

Undecima mansio peragitur in Raphidim : Ibi enim populus duro fatigatus itinere, refrigerium sumsit. Ideo sequitur : *Et profecti ex Halus, castrametati sunt in Raphidim : & non erat illic aqua ad bibendum.* Eadem mansio scribitur etiam in Exodo [Exod. ...] : *Et castrametati sunt*, inquit, *in Raphidim, non erat autem aqua populo ad bibendum.* Hæc mansio trium admirabilium operum prærogativa maxime decoratur. Primo, mirabili eductione aquæ è petra : Nam populus montium asperitate & longitudine viæ fessus, magno sitis ardore flagrabat. Veniens autem Raphidim, visoque loco arido, aquisque carente, adversus Moysen iratus tumultuari cœpit. Unde locus jurgii in Scriptura nuncupatus est [Ibidem]. At ille accepta virga, petram Domini mandato percussit : illa vero percussa tam largam aquarum effudit copiam, ut populus ac jumenta omnem sitim exstinguere possent. Quod admirans David Propheta, in hæc prorupit verba [Psal. ...] : *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt.* Secundo, memoranda contra Amalechitas victoria : Nam populo suam hic stationem agente, Amalechitarum gentes ei obsistere, eum vexare, eumque valido comparato exercitu oppugnare cœperunt. At Moyses, consideratis populi viribus longi itineris defati-

gatione jam fractis, & ad repellendam hostium audaciam non satis aptis, ad divinum confugere decrevit auxilium. Unde & resistendi hosti, & belli gerendi toto negotio penes Josue relicto, ipse Deum oraturus in collem secessit. Sed ô mira orationis potentia! dum Moyses palmas tendebat ad cælum, prævalebat Israel: dum vero remittebat, succumbebat. Aaron autem & Hur manus ejus usque ad solis occasum sustentantibus, adeptus est Josue victoriam, ut Scriptura dicit: *Fugavit Amalech & omnem populum ejus in occisione gladii.* [Exod. 17. 13.] Tertio, prudenti consilio in moderandis rebus publicis Jethro: Nam cernens Jethro Moysen ejus generum in audiendis vulgi causis diutius quam par esset occupari, & à diluculo usque ad vesperum in his tempus omne consumi: consuluit ut judices, tribunos, & alios belli pacisque præfectos institueret, qui populum judicarent, causas audirent, lites dirimerent & breviter levia cuncta absolverent, rebus tantum gravibus ejus judicio reservatis. Cui Moyses adsensit. Ideo scriptum est: *Audivit autem Moyses vocem soceri sui, & fecit quæcumque dixit ei.* [Exod. 18. 24.] Et quia Raphidim laus judicii interpretatur, merito in ejus mansione petra exhibet aquam: quia petra Christus custodienti judicium suæ aquam gratiæ exhibet: Nam scriptum est: *Beati qui custodiunt judicium!* [Psal. 105. 3.] vincitur Amalech; quia judicio damnatur diabolus: docetur recta populi administratio; quia scriptum est: *Judex sapiens docet populum suum:* [Eccl. 10. 1.] hic est qui judicat omnia, & ipse a nemine judicatur. [1. Cor. 2. 15.]

[XII. Mansio, desertum Sina. Num. 33. 15.] Duodecima mansio habita est in deserto Sinai. Ideo subjungit: *Et profecti ex Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.* Celeberrima est mansio hæc ubi Deus descendit in igne, in montem, & Moyses purificato populo, Dei mandato in verticem montis adscendit, & cum eo loquutus est, & accepit præcepta decalogi. Ibi ostenditur exemplar fabricæ Tabernaculi, ibi præcipitur victimarum multiplicitas, vasorum distinctio, indumenta Pontificis, Sacerdotum & Levitarum cæremoniæ. Ibi numerus populorum Levitarumque, & per singulas tribus populi distributio: oblationes quoque Principum in hac mansione descriptæ sunt. Duæ quoque argenteæ tubæ ad promovenda castra ibidem fieri jubentur, ibique præcipitur immundis super anima hominis, qui prima mense Paschæ interesse non potuissent, ut mense secundo convenirent: & qui longius habitabant, vel immundi fuerant, in secundo mense Pascha jussi sunt facere. Quod nimirum in typum intelligitur populi gentium, quæ cùm dæmoniis fornicatæ fuerint, immundæ videbantur in anima salubri vero fidei confessione in secunda nativitate, quasi in secundo mense purificari præcipiuntur. Jubetur quoque in hac mansione Nazaræis, [Numer. 6. 2. & seq.] ut vinum & siceram non bibant, nec acetum quidem è vino vel sicera: nec uvam recentem comedant, nec uvas quidem passas; quod & in Proverbiis præcipitur: *Principes qui iracundi sunt, vinum non bibant; ne cùm biberint, obliviscantur sapientia.* [Prov. 31. 4. & 5.] Quid ergo Nazaræorum nomine, nisi abstinentium continentiumque vita significatur; quibus in vino luxuria prohibetur, in sicera omnis voluptas terrena? Sicera enim ex diverso conficitur genere, sicut voluptas ex diversa vitiorum oritur colluvie. Unde illi vinum bibere dicuntur, qui ad decipiendos homines umbras quasdam & imagines se simulant habere virtutum. Uva passa illi vescuntur, qui propter humanos oculos abstinentiæ pallore inficiuntur, ut gloriam capiant ab hominibus. Acetum autem hi bibunt, qui post vitæ sanctitatem in præteritis relabuntur vitiis, & corruptione veteris nequitiæ delectantur. Præcepit itaque Deus, ut qui sanctitatis induerint titulum, cunctis careant vitiis, nullamque hujusmodi perturbationem quæ statum mentis evertat, appetant. In hac mansione separantur de castris leprosi, seminiflui, & immundi: leprosi doctrina, seminiflui cogitatione, immundi opere, id est, hæretici, schismatici & luxuriosi: hi tamquam contagiosi & morbidi à castris ejiciuntur, ne contagione perfidiæ vel morum suorum, vitam polluant innocentum. Denique ab anno vigesimo & supra annumerantur populi qui ad prælium apti inveniuntur: Sed cur ab anno vigesimo, nisi quia hac ætate contra unumquemque vitiorum bella nascuntur. Ideoque ad pugnam eliguntur, ut habeant contra libidinem conflictum, ne luxuria superentur. Hic etiam ab anno vigesimo & quinto Levitis in Tabernaculo servire mandatur, & à quinquagenario custodes vasorum constituuntur: Quid enim per annum quintum ac vigesimum, in quo flos juventutis oritur, nisi ipsa contra unumquemque vitiorum bella significantur: Et quid per quinquagenarium, in quo Jubilæi ratione, etiam terra quiescit, nisi æterna requies edomita bello mentis exprimitur? Quid per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Levitæ ergo ab anno vigesimo & quinto tabernaculo serviunt, & à quinquagenario custodes vasorum fiunt, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis admittunt, aliorum curam suscipere non præsumant. Cum autem tentantium bella subegerint, cùm apud se jam de intima tranquillitate securi probabiliter æstimantur, tunc animarum custodiæ deputari poterunt: [Rom. 7.] Sed quis hæc prælia sibi perfecte superare potest, cum Paulus dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ?* [Rom. 7. 23.] Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari. In illis exercitatur virtus, ne quis extolli debeat, in his omnino extinguitur, ne subsistat. Præcepit dehinc lex Levitas omnes pilos carnis radere: quia hi qui obsequiis [Num. 8. 7.] divinis adsumuntur, debent ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundi apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat; & pulcram animæ speciem quasi pilis excrescentibus deformem reddant. Post hæc jubentur etiam fieri duæ tubæ, quarum clangore populi moverentur ad prælium. Sic enim scriptum est de his ad Moysen: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles:* [Num. 10. 2.] & paulo post: *Et cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra.* [Ibidem 7.] Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo Testamenta, sive per duo præcepta caritatis ad prælium fidei populus vocatur, quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut Prædicatorum verba eloquii nitore refulgeant, & auditorum mentes nulla sui obscuratione confundant; idcirco autem ductiles, quia necesse est ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsione crescant. Bene autem dicitur: *Cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra*; quia nimirum cum subtilior ac minutior prædicationis sermo tractatur, auditorum mentes contra tentationum certamina ardentius excitantur. Jam ab hinc promoventur Filii Israel de monte Sina, & transeunt in Sepulcra concupiscentiæ.

[XIII. Mansio, Sepulcra concupiscentiæ.] Decima tertia mansio habetur in Sepulcris concupiscentiæ. Ideo inquit: *Et profecti de deserto Sinai, castrametati sunt in Sepulcris concupiscentiæ.* [Num. 33. 16.] Hæc mansio ab eventu nomen accepit: Nam populus manna pertæsus, carnes, pisces, pepones, & alia quæ apud Ægyptios erant gulæ incitamenta concupivit, & adversus Moysen tumultum excitavit. Quare iratus Dominus, misit coturnicum prope terram volantium innumerabilem copiam, quibus eorum gulam possent explere: Sed dicit Scriptura: *Carnes adhuc erant in dentibus eorum:* [Num. 11. 33.] hoc est, antequam digererentur, percussit Dominus populum plaga magna valde: *Et hinc*, inquit, *vocatum est nomen loci illius, sepulcra concupiscentiæ: quia ibi sepelierunt populum desideratorem.* [Ibidem 34.] [Hier. ep. 127.] Ex quibus docemur, ut qui conversationem reliquimus sæculi, & Ægyptias ollas id est carnalium desideriorum fervores contemsimus, non debere murmurare contra cælestem panem, nec virulenta Ægyptiorum appetere, quæ sunt magnarum carnium; sed simplicem mannæ cibum, id est, puram & cælestem vitam quærere. Alioquin si post præcepta, Angelicam escam, mannaque cælestis vitæ, sive doctrinæ rursus carnes Ægyptias, quæ sunt carnales hujus sæculi voluptates, & vetustorum concupiscentias vitiorum appetere voluerimus, statim ira Domini percussi torquebimur, desideria nostra vertentur in tumulos, ut simus sepulcra dealbata, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt omni spurcitia. In hac mansione Moyses mandato Dei septuaginta viros seniores ex populo delegit, qui ad regendam plebem ei adjutores forent: *Et sustinebunt*, inquit, *tecum impetum populi, & non feres illos tu solus.* [Ibid. 11. 17.] Super quos postea Spiritus descendit, & prophetaverunt. Quod in typo factum est: quoniam Spiritus sanctus in die Pentecostes Apostolis se infudit, ut & ad fundandam Ecclesiam sapientes essent, & ad regendam fortes: *Attendite*, inquit, ut in actibus Apostolorum legitur, *vobis & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* [Act. 20.] Donum itaque virtutis cælestis quod olim in Moyse & in Prophetis extitit, super Apostolos visibiliter apparuit.

[XIV. Mansio, Asseroth.] Decima quarta mansio in Aseroth consummatur: Nam

subjungit: *Et profecti ex Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Aseroth.* De eadem mansione alibi sic quoque legitur: *A Sepulcris concupiscentiæ profectus est populus in Aseroth.* Hîc Aaron & Maria soror, eo quod Moyses Æthiopissam alienigenam duxerat uxorem, satis ei procaciter obtrectarunt. Unde illa contagione lepræ illico perfusa ab aliorum consortio, ad sanitatis usque tempus ejecta fuit. Quod novi figuram mysterii prætulit evidentem: nempe quod sacerdotalis illa plebs patrum, zelo Christi Salvatoris nostri adversus Ecclesiam ex gentibus congregatam insurrectura foret. Quo perfidiæ impura livore in Dei tabernacula non admittenda veniret, donec præfinitum claruerit tempus, quo plenitudo gentium consummaretur, ut ad Romanos scripsit Apostolus. Nam tunc tantum pristinam poterit recuperare sanitatem, cum septiformis ei Spiritus gratia ad veniam fuerit suffragata. Verum quia Aseroth beatitudo interpretatur, merito à sepulcris concupiscentiæ in hanc stationem venitur: quoniam nisi carnis concupiscentias quis sepelierit, ad æternam beatitudinem pervenire non poterit. Idcirco inquit Apostolus, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.*

XV. Mansio, Rethma.

Decima quinta mansio dicitur Rethma. Ideo sequitur: *Et profecti ex Aseroth, castrametati sunt in Rethma.* Verum quia alibi legitur: *Et post hæc profectus est populus de Aseroth, & castrametatus est in deserto Pharan:* ne Scripturæ loca contrariari videantur, attendendum est quod hinc usque ad Asiongaber, mansiones omnes, quæ decem & octo enumerantur, omnes, inquam, sequentes ad trigesimam usque secundam, sub deserti Pharan nomine continentur. Appellatur ergo mansio hæc alibi, Pharan, communi nomine solitudinis cum ceteris multis; sed Rethma voce propria. Scriptura in alio loco Pharan commendat, dicens: *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte umbroso Pharan.* Sub hoc deserto viros duodecim ad terram explorandam mandato Dei Moyses destinavit, qui botrum uvæ, mala punica, & ficus terræ retulerunt. Sub hoc deserto Dathan, Abiron & Core filii cum eorum familiis hiatu terræ, ob seditionem sorbentur. Sub hoc deserto Aaron sacerdos inter viventes mortuosque medius constitutus, incensi oblatione Deum indignantem placavit, plagam cohibuit. Sub hoc deserto Aaron virga in tabernaculo arens posita, miraculo & germinavit & floruit: & alia plurima, prout in libro Numerorum legitur, gesta sunt, non tamen per singulas distributa mansiones. Per quæ mystice docemur quod viri ad explorandam uberem terram missi, & qui populum à promissa Domini hereditate desperarunt, scribarum & Pharisæorum prætulerunt imaginem: sicut enim illi à Moyse missi sunt ut fœcunditatem soli consideratione sollicita tractantes, populum ad ejus adeptionem animarent: ita & isti per Legem & Prophetas, ut Scripturarum investigatione Dominicum specularentur adventum, in quo vitam æternam consequi possent, constituti sunt: sed sicut illi à spe possidendæ hereditatis retraxerunt, vel ipse populus eorum revelatione à Dei promissione se alienavit: ita & isti ne in Christum Dominum crederent, plebi fallaciis dissuaserunt. Ideo in eos dicitur: *Væ vobis qui tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Botrum vero quem retulerunt, Christus est. Ideo in Canticis Canticorum dicit Ecclesia de Christo: *Botrus Cypri fraternus meus mihi in vineis Engaddi.* Malum punicum ob ejus ruborem sanguis Christi est. Unde Esaias: *Unde fulvor vestium de Bosra?* Ficus ob ejus suavitatem lex evangelica: ideo *jugum meum suave est.* Per Dathan & Abiron, quid aliud quam qui hæreses & schismata in ecclesiam introducunt, significantur? Ii sacerdotis auctoritate contempta, ab eo & Dei Ecclesia se segregantes, alias ecclesias, aliud altare, alios mores, ut Apollinaris, Novatianus, & similes somniant: & Dei ordinatione rejecta, proprias conantur statuere vanitates: hæreticis tandem Schismaticisque terræ deglutitis voragine, Aaron sacerdos, id est, Christus Dominus sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech constituitur medius ad placandum Deum: quia *ipse sempiternum habet sacerdotium, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Arida virga Aaron quæ postea miraculo germinavit, Christi caro est, quæ virga dicitur à Propheta: *Egredietur virga de radice Jesse.* Hæc arida floruit, quia mortua resurrexit.

XVI. Mansio, Remon-phares.

Decima sexta mansio Remon-phares appellatur. Sequitur enim: *Et profecti ex Rethma, castrametati sunt in Remon-phares.* Hæc est mansio secunda in deserto Pharan, quæ in nostra lingua divisio sublimis interpretatur: quia ubi quis in Rethma, quod est os videntis, commoratus est, hoc est, perfectam rerum adeptus est intelligentiam, venit ad Remon-phares, hoc est, ad sublimem divisionem, qua à terrenis cælestia, & ab infimis sublimia separare potest. Nec immerito: nam vigorato intellectu, crescenteque rerum notitia, infunditur judicium, quo à temporalibus æterna, & à caducis perpetua discernuntur. Ideo per Prophetam dicitur: *Si eduxeris pretiosum à vili, quasi os meum eris.*

XVII. Mansio, Lebna.

Mansio decima septima in Lebna agitur, quare subjungit: *Et profecti ex Remon-phares, castrametati sunt in Lebna.* Hac mansione mystice docemur, quod in itinere hujus vitæ abluti corpore & mundi corde esse debemus, ut Apostolus ad Hebræos scribit dicens: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, adspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Idipsum namque Lebna vocis interpretatio indicat: sonat enim latine Lebna idem quod dealbatio. Non est autem dealbatio, qua culpabiliter dicitur & paries dealbatus, & sepulcra dealbata; sed quam Propheta precatur, dicens: *Lavabis me, & super nivem dealbabor,* quam Dominus per Prophetam pollicetur dicens: *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, quasi nivem dealbabo: & si fuerint sicut coccinum, velut lanam candida efficiam.* Hæc dealbatio ex candore judicii de Remon-phares, & claritate visionum de Rethma, ubi verus Israelita suas peragit mansiones, potenter exsurgit.

XVIII. Mansio, Ressa.

Mansio decima octava in Ressa peragitur. Unde subjungit: *Et profecti ex Lebna, castrametati sunt in Ressa.* Mystice hac mansione docemur quod quamvis profecisse quis plurimum videatur, grandesque profectus fuerit consequutus, eum tamen tentationes non deserunt: tantum enim jam profecerat Paulus apostolus, ut & usque ad tertium cælum raptus fuerit, audieritque arcana ineffabilia, nihilominus prodigiosis adhuc tentationibus urgeri se sentiebat. Unde querebatur: *Datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ, ut me colaphizet.* Tentationes tamen hujusmodi laudabiles esse Jacobus Apostolus testatur, dicens: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* hæ namque velut custodia quædam homini adhibentur. Sicut enim caro quamvis præcipua sit, nisi sale adspergatur, corrumpitur: ita & anima, quantumvis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus, relaxatur. Hoc autem, quia Ressa, laudabilis tentatio interpretatur.

XIX. Mansio, Calatha.

Decima nona mansio Calatha dicitur: ad quam filii Israel Ressa abeuntes pervenerunt. Unde sequitur: *Et profecti de Ressa, castrametati sunt in Calatha.* Calatha sonat latine virgam, & dominium significat. Juxta illud: *Virga æquitatis: virga regni tui.* Merito autem post Ressa sequitur Calatha: quoniam ubi anima in Ressa tentationes superavit, ita fortis evadit ut adscendat Calatha, hoc est, ut dominium adquirat nedum inferiorum suarum virtutum, sed & totius mundi. Huc adscenderat Apostolus, quando dixit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Castrametemur igitur & nos in hanc mansionem, ut carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigentes, & facta ejus mortificantes, dicamus cum Apostolo: *Quod autem vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.*

XX. Mansio, Arsaphar.

Mansio vigesima est in Arsaphar. Ideo dicit: *Et profecti de Calatha, castrametati sunt in Arsaphar.* Animosa statio ista est; ad ardua quippe nos invitat, nempe ad bella, & bella asperrima, & contra fortissimos & sævissimos hostes. De quibus dicebat Apostolus: *Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates hujus mundi, adversus tenebrarum harum rectores,* &c. A quibus urgeri, vimque sibi inferri idem Apostolus sentiebat; unde dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc autem, quia Arsaphar tubæ clangor, sive tubicinatio est, quod est belli signum. Nec immerito: quoniam anima superioribus mansionibus, tot tantisque virtutibus se cernens armatam, contineri non potest, quin procedat in medium, & se ad certamina nedum offerat, sed paratam se præferat: quin & tubarum clangor reliquos etiam cum Propheta provocet, dicens: *Adsumite arma, scuta adducite in prælium, sternite equos, adscendite equites, polite lanceas.* Immo cum alio Propheta dicat: *Prædicate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate pugnatores, accedite viri bellatores.* Hoc bellum tractarunt

& vicerunt patres, ut refert Apostolus ad Hebræos: *Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello.* Plena igitur roboris ac spiritus hæc mansio est.

Vigesima prima mansio Arada est; ideo dicit: *Et profecti ex Arsaphar, castrametati sunt in Arada.* Hæc quoque mansio longis est præconiis recolenda. Arada namque idoneum effectum indicat. Adest pulcher ordo; sed observandi sunt proficientium gradus, & series profectuum inspicienda est. Nam ubi anima tentationes superavit, vires inferiores premere audet: & ubi super eis imperium habere se conspicit, adversariis potestatibus insultat, earumque potentias nedum non timet, sed ad certamen provocat. Nunc autem de victoria secura adscendit in Arada, id est, gloriatur in Domino se idoneam effectam, & dicit cum Apostolo: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Oremus igitur Deum, ut & nos ad Arada pervenire, & ibi stationem habere valeamus.

Mansio vigesima secunda dicitur Maceloth; idcirco subjungit: *Et profecti de Arada, castrametati sunt in Maceloth.* Maceloth interpretatur ab initio, per quod innuitur quod qui tendit ad perfectionem, vel eam aliquo modo adsequutum se sentit, ad rerum initium, à quo universa dependent, respicere, ad ipsumque cuncta referre debet, C nec ab eo umquam recedere. Deus est principium & finis, ut in Apocalypsi scribitur: *Ego sum principium & finis, dicit dominus Deus qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Ideo ad Deum reducenda sunt omnia. Hunc ut principium recognoscebat propheta, dum dixit: *Nonne tu à principio, domine Deus meus sancte.* Hunc recognoscebat Apostolus dicens: *Flecto genua mea ad Patrem domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis familia in cælis & in terra nominatur.*

Mansio vigesima tertia est Thaath; ideo sequitur: *Et profecti de Maceloth, castrametati sunt in Thaath.* Verum quia Thaath longanimitatem seu tolerantiam latine signifi- D cat, per ipsam indicatur nobis, quod qui in via Dei proficere, aliisque prodesse contendit, multa pati, multa æquanimiter perferre necesse est. Idcirco apostolis dicitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Ad tolerantiam nos invitat Apostolus, præcedentium patrum, Christique exemplum proponens. Inquit enim: *Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circumstans peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum Christum.* Dominus enim noster Jesus Christus multa erga homines mansuetudinis, tolerantiæ malorum, prout dilucide recensentur in Evangeliis, exem- E pla, quo ejus sequeremur vestigia, ut Petrus apostolus dicit, nobis exhibuit.

Mansio vigesima quarta dicitur Thare; sequitur namque: *Et profecti de Thaath, castrametati sunt in Thare.* Thare latine interpretatur stupor, græce [illegible], quæ est vehementis cujusdam admirationis species, ex arduarum & insolitarum rerum visione proveniens. Nam cùm aliqua insolita, naturæ vero impossibilia humano se offerunt obtutu; quia in investigatione hujusmodi causæ sensus deficiunt, & ratio succumbit, mens stupet. Quod Daniel clarius expressit, dicens: *Stupebam visionem, & non erat intelligens.* Unde cùm paralyticum qui portabatur à F quatuor, ad solam Domini vocem surrexisse, lectum in quo jacebat, tulisse, & in domum suam abiisse intuitus esset populus; quia hoc supra facultatem erat hominis, obstupuit. Ideo dicit sanctus Lucas: *Et stupor apprehendit omnes.* De hoc agens Hieremias propheta, ait: *Stupor & horribilia facta sunt in terra.* Et quia in iis mansionibus multa præclara & admirabilia edita sunt opera, quorum causas non potest humana mens ratione comprehendere, ideo tandem venitur in Thare, hoc est, in stupore; sic enim interpretatur. Unde scriptum est: *Stupebant autem omnes super magnalia Dei.*

Mansio vigesima quinta agitur in Metcha: ideo dicit: *Et profecti de Thare, castrametati sunt in Metcha.* Metcha latine dicitur nova mors. Ut autem intelligatur quæ sic nova mors, est observandum quod triplicem mortem legimus in Scripturis. Una est mors corporis, qua terrestris domus nostra hujus habitationis, ut Apostoli utar verbis, dissolvitur, & à corporis tabernaculo anima recedit. De A hac scribit Apostolus: *Statutum est hominibus semel mori.* Hac Abraham & prophetæ mortui sunt, hac morte omnes moriemur, & sicut aqua effusa super terram, non congregabimur. Alia mors est animæ, qua peccati contagio anima confecta moritur, non quidem in sui substantia, quæ mori nescit, sed in Dei vivificatrice gratia. Nam demerito peccati, Deo recedente, spiritalem anima vitam amittit. Unde dicit Apostolus: *Quæ vivens mortua est.* Mori autem tunc per peccatum dicitur; quia *anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Morietur autem Domino non naturæ infirmitate, sed demerito culpæ, quæ non est ab hac vita recessus, sed lapsus erroris. Tertia est culpæ, qua carnis B concupiscentia moritur, ut mens Deo vivat; de qua Apostolus: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Nec id immerito; nam sicut mortuus vitâ non est amplius obnoxius culpæ, sic renatus per gratiam non debet ulterius servire peccato. De qua morte loquitur Apostolus, dicens: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hujusmodi mortuos redarguens idem Apostolus, dicit: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viventes in mundo decernimini?* Una igitur mors est naturalis, alia pœnalis, tertia spiritalis. Hanc postremam designat Metcha, quæ nova mors dicitur; quia veterem innovat hominem, & novam facit creaturam, dicente Apostolo: *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Itaque & nos hîc mansionem faciamus, ut peccatis mortui, justitiæ perpetuo vivamus.

Mansio vigesima sexta Esmona nuncupatur; nam dicit: *Et profecti ex Metcha, castrametati sunt in Esmona.* Esmona latine dicitur acceleratio, quod congrue huic mansioni aptatur. Nam ubi anima morte peccati per superiorem stationem in novam evasit creaturam, sistere animo non potest, non otio torpere: sed ulterius progredi, & accelerare iter contendit. Viatoribus autem celeritas aptissima est; ea propter populo patrum manducare pascha præcipitur, & festinanter. Hinc apostolis mandatum est: *Neminem per viam salutaveritis.* Sic Elisæum in Regnorum libro Giezi injunxisse legitur: *Accinge*, inquit, *lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: & si inveneris aliquem, non benedicas ei, & si benedixerit tibi quispiam, non respondeas ei:* nam opus Dei præproperam etiam festinationem exigit. *Maledictus*, inquit propheta, *qui facit opus Dei negligenter.* Ideo discipulus ille, qui citius Petro ad monumentum præcucurrit, immodice commendatur. In via Dei vel festinam oportet progressionem esse, ut diabolo, qui stat semper à dextris, quo sanctis adversetur, coeptum iter impediendi spatium non relinquatur. Nos igitur qui peccatis mortui, justitiæ per Metcha vivimus, non sequamur modo ad palmam supernæ vocationis; sed in Esmona curramus, festinantes ad propositum nobis certamen. Festinantes namque pastores venerunt, & invenerunt puerum Jesum.

Mansio vigesima septima appellatur Moseroth; dicit enim: *Et profecti ex Esmona, castrametati sunt in Moseroth.* Congrue nunc Moseroth succedit; significat enim disciplinas, ut qui festinationem in Esmona sibi adscivit, eam modo ad comparandas disciplinas sapienter accersat: *Et fit*, quod Jacobus apostolus docet, *omnis homo velox quidem ad audiendum.* Deus disciplinæ hujus auctor est: dicitur enim per prophetam: *Quis adscendit in cælum, & accepit eam, & eduxit eam è nubibus? Quis transivit trans mare, & invenit eam, & afferet eam auro electo? Non est qui cognoscere viam ejus, neque qui consideret semitas ejus: sed sciens omnia cognoscit eam, & adinvenit eam prudentiâ suâ.* Ideo ab ipso expetenda est, dicente Jacobo apostolo: *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus, affluenter.* Hæc Deum, ejusque opera revelat. Doctrix, inquit Salomon, est Dei disciplina, & electrix operum illius, ejus custodia virga correctionis est. Scriptum est enim: *Plaga & correptiones dant sapientiam.* Legitur in Numeris hominem quemdam in die sabbati ligna colligentem comprehensum fuisse, coram Moyse & senioribus sisti mandatum, & tandem jussu Dei morte punitum, lapidibus obrutum: *Morte*, inquit, *moriatur homo, lapidabitis eum lapidibus omnis congregatio extra castra.* Quod in hac mansione aliqui factum putant. Hinc Apostolus quoque dicebat: *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Habeamus igitur stationem in Mo-

seroth, id est, correptionum mortificatione in disciplina Dei contineamur.

XXVIII. Mansio, Baneiacham. Num. 33. 31.

Vigesima octava mansio in Baneiacham peragitur; inquit enim: *Et profecti de Moseroth, castrametati sunt in Banejacham.* Qui in Dei disciplina stationem habet, studium omne, omnemque operam, ut ne minimum quidem ex ipsa Dei lege violatum intercidat, sedulo impendere debet; & ut Salvator ait, *ne iota unum, aut unus apex* à Lege prætereat. (Matth. 5. 18.) Debet enim illud evangelii mente perpetuo retinere, quo dicitur: *Dico tibi, non exiet inde, donec etiam minimum quadrantem reddas:* (Ibidem 5. 26.) Nam sicut non prius fœnoris debitum evacuatur, quam totius sortis ad minimum usque nummulum quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic nec peccati pœna, nisi caritatis reliquarumque compensatione virtutum, vel stricta satisfactione dissolvitur. Non eluitur peccatum, fratres, nisi pœnis tamdiu noxius exerceatur, ut commissi supplicia erroris expendat. Dicebat Jacobus apostolus: *Qui totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* (Jacob. 2. 10.) Ponderanda est quoque illa Dei sententia, quæ in Lege scripta est: *Ego sum dominus Deus tuus, Deus zelotes.* (Exod. 20. 5.) Lex igitur Dei exactissima quaque censura est examinanda, & omni qua potest majori sedulitate servanda, ne ab ea forte excidamus. Hoc nos præsens mansio docet: Baneiacham enim excolationem designat. Qui autem legem Dei percolat, ne minima quidem vel syllaba vel apex negligenter labatur, diligenter observat.

XXIX. Mansio, Gadgad. Num. 33. 32.

Vigesima nona mansio habetur in monte Gadgad; dicit namque: *Et profecti de Baneiacham, castrametati sunt in monte Gadgad.* Tentatio animæ fideli custodia, fortitudo & virtutis augmentum est; nam anima justi, nisi tentationibus interdum se urgeri sentiret, nedum in custodia non maneret, quin potius tamquam gratiarum copia diffluens relaxaretur. A Moyse sancto documentum hoc clare habetur. Dum populus lampades & montem fumigantem cerneret, vocesque audiret, & territus à Domino fugeret, dixit Moyses: *Confidite, causâ enim tentandi vos venit Deus ad vos; ut sit timor ejus in vobis, & non peccetis.* (Exod. 20. 20.) Dicitur quoque fortitudo; nam anima à multiplicibus se tentamentis septam agnoscens, cautius incedit, & majorem à Domino virtutem postulat, dicens cum Propheta: *Miserere mei, Deus, quoniam multi bellantes adversùm me.* (Psal. 55.) Virtutis vero augmentum, quatenus anima tentationibus exercita purior egreditur. Ideo Salomon in Proverbiis dicit: *Sicut probatur in camino argentum & aurum, sic electa corda apud Dominum.* (Prov. 17. 3.) Tentationibus animam proficere sanctus quoque Jacobus apostolus testatur dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* (Jacob. 1. 12.) Sunt igitur non fugiendæ, sed expetendæ tentationes; unde David propheta dicit: *Proba me, Domine, & tenta me.* (Psal. 25. 2.) Progredientibus ergo in via Domini tentamenta frequentius ingeruntur, ut cautius, fructuosiusque incedant. Hoc nobis mansio hæc insinuat; nam Gadgad tentamentum interpretatur. Ne igitur tantarum copia virtutum superiorum mansionum viator difflueret vel laberetur, superiori ista mansio succedit.

XXX. Mansio Jethebatha. Num. 33. 33.

Mansio trigesima celebratur in Jethebatha; unde sequitur: *Et profecti de monte Gadgad, castrametati sunt in Jethebatha.* Tentationum experimento virtus justi, ut in superiori mansione dictum est, magis conspicua, clariorque elucescit. Hinc etiam Petrus apostolus: *Exultabitis nunc,* inquit, *si oportet contristari variis tentationibus; ut probatio vestra fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.* (1. Pet. 1. 6.) Majorem etiam per illud adquirit gratiam, ideo in libro Sapientiæ scriptum est: *Probata autem virtus corripit insipientes.* (Sap. 1. 3.) Per illud in medio etiam nationis pravæ latens exerit se virtus & lucet; ideo apostolus Paulus ad Corinthios inquit: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* (1. Cor. 11. 19.) Sincerior bonitas è tentationibus prodit, sicut purius argentum è camino ignis: inquit enim Scriptura: *Quoniam in igne probatur argentum, & homines receptibiles in camino humilitatis.* (Eccli. 2. 5.) Cùm igitur purior è tentamento bonitas veluti è camino exeat, merito nunc Jethebatha, quæ bonitas interpretatur, succedit.

XXXI. Mansio, Ebrona. Num. 33. 34.

Mansio trigesima prima agitur in Ebrona; ideo dicit: *Et profecti de Jethebatha, castrametati sunt in Ebrona.* Justus quamvis in hac vita ad bonitatem etiam perfectam devenerit, haud tamen animo sistit, nec præsenti contentatur statu; quin potius cuncta pertransiens, flagranti etiam desiderio ad meliora contendit. Hinc David propheta dixit: *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* (Psal. 41. 5.) Ibi vero quiescet, ibi implebitur omne ejus desiderium. Ideo alio in loco idem Propheta dixit: *Satiabor, Domine, cùm apparuerit mihi gloria tua.* (Psal. 16. 15.) In hac vita non quies, sed perennis est transitus. Quare sponsus in Canticis canticorum ob cursus pernicitatem capreæ hinnuloque cervorum adsimilatur; unde & salit super montes, & transilit super colles. (Cant. 2. 9.) Hoc nos docet mansio ista, quoniam Ebrona transitus est; ut quamvis ad bonitatem per superiorem mansionem perveneris, omnia tamen sunt prætereunda: (Orig. loco cit.) oportet te ad meliora transire, quousque venias ad illud bonum, quod est summum, & quod omne satiat desiderium, & in quo perpetuò permanere debeas.

XXXII. Mansio, Asiongaber. Num. 33. 35.

Mansio trigesima secunda dicitur Asiongaber, quo filii Israel applicuerunt; unde sequitur: *Et profecti de Ebrona castrametati sunt in Asiongaber.* Postrema filiorum Israel in deserto Pharan statio hæc est; nam ut in superioribus diximus, plurimas ambiens mansiones illa solitudo hucusque protenditur: interpretatur vero consilia viri. Et recte intentioni quadrat: quoniam qui tantas peregit mansiones, tot virtutum penetravit sinus, tot charismatum spiramina sensit, tot se studiis perfectionum exercuit; jam desiit esse puer sensibus, jam ad mensuram ætatis plenitudinis Christi pervenit, jam crevit in virum perfectum. Et ideo viri consilia adeptus est, ut cum Apostolo dicat: *Cùm autem factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui.* (1. Cor. 13. 11.) Quin potius altum adeptus est consilium, quia Salomon in Proverbiis dicit: *Aqua profunda consilium in corde viri.* (Prov. 20. 5.) De consilio isto sapiens dicebat: *Sine consilio nihil facias, & in faciendo ne te pœniteas.* (Eccli. 32. 24.) Quod non est illud, de quo queritur Dominus, per prophetam dicens: *Væ filii apostatæ! hæc dicit Dominus: Fecistis consilium non per me, & pactum non per Spiritum meum.* (Isai. 30. 1.) Sed illud de quo sapiens: *Cognitio sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons permanet vitæ, quod custodit à malo*; (Eccli. 21. 16.) quia consilium bonum custodiet te, cogitatio autem sancta servabit te. Huc ergo incunctanter pergamus, & nostra hîc alacres tentoria erigamus; ut Deo in toto corde nostro, sicut David in concilio justorum, & congregatione, confiteri valeamus. (Psal. 110. 1.)

XXXIII. Mansio Sin. Num. 33. 36.

Mansio trigesima tertia est in deserto Sin; quare subjungit: *Et profecti de Asiongaber, castrametati sunt in deserto Sin.* Octava mansio supra eodem quoque nomine nuncupatur; inquit enim: *Et profecti à mari Rubro, castrametati sunt in deserto Sin.* Sed attendendum quod hic locus alius ab illo est; ideo infra subjungitur: *De deserto Sin, hæc est Cades.* (Ibid. 33. 36.) Et alibi, dum populus in hac moraretur mansione, mittens nuntios Moyses ad regem Edom: *Et nunc sumus,* inquit, *in Cades civitate, ex parte finium tuorum.* (Ibidem 14.) Hanc meminit David propheta, dicens: *Et commovebit Dominus desertum Cades.* (Psal. 28. 8.) Hic Maria Moysi soror diem suum obivit, mortua & sepulta est, ut supra legitur. Quod Josephus quoque describit dicens: *Tunc itaque sororem ejus Mariam finis vitæ accepit, cùm quadragesimum complesset annum, ex quo Ægyptum dereliquit: sepelieruntque eam publice nimis splendide.* (Joseph. lib. 4. Antiq. cap. 4.) Hic denique penuria aquæ laborat populus; quare iratus tumultuatur in Moysen: à quo petra jussu Dei mirabili virgâ percussa, aqua manavit copiosa; unde bibentibus cunctis, cupiditas sitis ablata est.

XXXIV. Mansio, Hor. Num. 33. 37.

Mansio trigesima quarta est in monte Hor; dicit enim: *Et profecti de deserto Sin, hæc est Cades, castrametati sunt in Hor monte prope terram Edom.* Stationem apud Cades in deserto Sin filiis Israel agentibus, Moyses ad Idumæorum regem, ut per illius fines viam sibi una cum suo populo concederet, legatos misit; certiorem tamen eum facturos, ut nec aquam sine pretio sibi exhiberi posceret. Ille vero petitioni non consentiens, nec transitum cedens, respondit: *Non transibis per me, alioquin bello in occursum tibi exibo.* (Ibid. 20. 18.) Quare populus mandato Dei, ut in Deuteronomio habetur, ab eo declinavit: & de Cades egressus ad Hor montem pervenit, & hanc quam legimus, habuit mansionem. (Ibid. 17. & 18.) Ubi juxta Domini præceptum Aaron cum Moyse fratre & Eleazar filio in Hor montem adscendit: ubi Moyses verbo Dei pontificalibus Aaron indumentis nudato Eleazar filium, cui propter ætatem pontificatus obveniebat, universo vel mirante populo, qui ex adverso stabat, protinus vestiuit. Ibique Aaron vita functo, ad

suumque

suumque populum apposito, Eleazar filius sacerdos pro Aaron patre suo declaratus est. Memorabilis est igitur ista mansio.

XXXV. Mansio Salmona. Num. 33. 41.

Mansio trigesimaquinta habetur in Salmona: nam sequitur: *Et profecti ex Hor monte, castrametati sunt in Salmona.* Egressus ex Hor monte populus, non rectam quam cœperat, prosequutus est viam: sed Edom terram circumiens, mare Rubrum versùs iter arripuit; ut juxta verbum Domini, fratres suos bello non incesseret, nec prorsus læderet: Inquit enim: *Ne moveatis contra ipsos bellum.* (Deuter. 2. 5.) Tot igitur viarum fatigatus amfractibus, manna pertæsus, loquutus est, inquit, contra Deum & Moysen. Quare iratus Dominus virulentos lethiferosque serpentes, qui morsu internecabant, in populum immisit; unde periit populus multus nimis. De quibus meminit etiam Apostolus, dicens: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* (1. Cor. 10. 9.) Tunc oranti Moysi pro serpentum extinctione, respondit Deus: *Fac tibi serpentem æneum, & pone illum pro signo: & omnis morsus videns illum, vivet.* (Num. 21. 8.) Fecit Moyses juxta mandatum Domini, & populus à plaga liberatus est. Verum quia Salmona interpretatur umbra, factum istud mansioni recte aptatur. Serpens namque ligno suspensus, typus & umbra Christi fuit pro salute nostra in cruce pendentis, sicut ipse exponit in Evangelio, dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat; sed habeat vitam æternam.* (Joan. 3. 14.) Frequentemus igitur nos stationem istam, ut adspiciamus Christum pro mundi salute in cruce pendentem; quoniam salutatus est.

XXXVI. Mansio Phinon. Num. 33. 42.

Mansio trigesima sexta Phinon nuncupatur; dicit namque: *Et profecti de Salmona, castrametati sunt in Phinon.* Linguæ moderationem inter ea quæ homini non minus necessaria quam difficilia sunt, sanctus Jacobus apostolus fuso enumerat sermone, dicens: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens freno circumducere etiam totum corpus.* (Jacob. 3. 2.) Ecce equis fræna in ora mittimus, ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naves, cùm tam magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, quocumque impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum membrum est, & magna jactat. *Ecce parvus ignis quam magnam silvam incendit. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis;* (Ibid. 5. & seq.) & cetera quæ ibi sanctus apostolus disserit ad propositum facientia. Si tot mala homini è lingua immineant, quis illam moderatione non indigere, dicere audebit? Ideo Sapiens id præcipit, dum dicit: *Circumvalla possessionem tuam spinis, & ori tuo fac januas & seras: argentum tuum & aurum tuum consla, & sermonis tui fac stateram, & ori tuo fac portam & seram.* (Eccl. 28. 28.) Verum cùm statera, porta & sera pro lingua non facile ei occurreret, dicebat idem Sapiens: *Quis dabit mihi super os meum custodiam, & super labia mea signaculum?* (Eccl. 22. 33.) David vero propheta à Domino hæc dona præstari agnoscens, Dominum his precabatur verbis: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ circum labia mea.* (Psal. 140. 3.) Linguæ moderatio in hac mansione suam habet sedem. Nam Phinon oris parcimonia interpretatur. Curemus igitur & nos nostram hic stationem habere; ut quæ, quando, quomodo & quibus loqui deceat, scire valeamus: & os nostrum meditetur sapientiam, & lingua nostra judicium loquatur. (Psal. 36. 30.)

XXXVII. Mansio Oboth. Num. 33. 43. Num. 21. 10.

Mansio trigesima septima dicitur Oboth, quo demum filii Israel applicuerunt; sequitur ergo: *Et profecti de Phinon, castrametati sunt in Oboth.* De hac mansione alibi legitur: *Et profecti filii Israel, castrametati sunt in Oboth.* Verum attendendum quod majora perniciosioraque tentamenta, quibus anima in hac vita impugnatur, dæmonum illusiones, magorumque ac pythonum præstigia omnium consensu æstimantur. Ii namque maleficiis magicisque artibus, ut divinitatis culturam ab hominum cordibus eliminent, ea efficere protestantur, quæ divinæ tantum naturæ sunt possibilia. Unde ejus potestati perpetuo resistere audent. Sed tandem vanitatibus eorum detectis, artibusque profligatis, virtus semper divina supereminet. Magi coram Pharaone Moysi resistere audebant, suasque virgas fieri dracones contendebant. Sed tandem Moysi virga Dei providentia & virtute in colubrum versa, in magorum dracones insiliens, eos illico devoravit. (Exod. 7. 10. & seq.) Nam à Moyse non errore, non præstigiis, sed veritate ista fiebant; ideo mirabili potentia subsistebant. Legitur etiam in Actibus apostolorum, quod dum prædicaret Paulus apostolus coram Sergio proconsule, qui verbum Dei audire cupiebat, *resistebat*, inquit, *Elymas magus, quærens avertere proconsulem à fide.* (Act. 13. 8. & seq.) Denique dum ab Apostolo argueretur, cæcus effectus est, ita ut circumiens, inquit, quæreret qui ei daret manus. Ideo in Lege eorum commercium caveri præcipue jubetur; inquit enim: *Anima quæ sequuta fuerit ventriloquos, vel incantatores, ut fornicetur post eos; obfirmabo faciem meam contra animam illam, & perdam illam de populo suo.* (Levit. 20. 6.) Hæc statio ad magos perdendos colitur: nam Oboth in magos interpretatur. Adeamus igitur & nos ad Oboth, erigamus ibi tabernacula nostra; ut in protectione Dei cæli commorantes, non timeamus *à timore nocturno, non à sagitta volante in die, non à negotio perambulante in tenebris, nec ab incursu & dæmonio meridiano.* (Psal. 90. 5. & 6.)

XXXVIII. Mansio Jeabarim. Num. 33. 44. Num. 21. 11.

Mansio trigesima octava vocatur Jeabarim; sic enim habetur: *Et profecti ex Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in eo quod ultra, in finibus Moab.* De hac mansione in alio loco clarius legitur: *Et descendentes*, inquit, *ex Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in deserto quod est in conspectu Moab, ad orientem solis.* Propter quod meminisse oportet quod Idumæi, ut in superioribus diximus, per eorum terras transitum filiis Israel præstare hostiliter recusarunt. Unde divertentes ab eis, Moabitarum fines circumire coacti fuerunt. Hinc dicitur quod in finibus Moab ad orientem venerunt. Jeabarim vero acervum lapidum transeuntium sonat, quod est Ecclesia justorum. Lapides enim transeuntes justi sunt. Ii namque propter eorum firmitatem lapides appellantur, de quibus Petrus apostolus scribit dicens: *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritalis.* (1. Petr. 2. 5.) Justis vero firmitas recte adscribitur, eo quod ipsi nec fluctuent, nec circumferantur omni vento doctrinæ; unde in Evangelio domui supra firmam petram fundatæ, in quam *descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & non cecidit*, comparantur. (Matth. 7. 25.) Transeuntes etiam dicuntur; quia secundùm Apostolum, confitentur quod *hospites & advenæ sunt super terram.* (Hebr. 11. 13.) Denique merito Ecclesia dicitur acervus lapidum; quia *ipsa est columna & firmamentum veritatis.* (1. Tim. 3. 15.) Habeamus igitur & nos stationem in Jeabarim, ut secundùm apostolum Paulum, *teneamus propositam spem, sicut anchoram animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis;* (Hebr. 6. 19.) ut juxta apostolum quoque Petrum, *præscientes caveamus, ne errore nefariorum abducti, excidamus à propria firmitate.* (2. Petr. 3. 17.)

XXXIX. Mansio Dibongad. Num. 33. 45. Num. 21. 11.

Mansio trigesima nona habetur in Dibongad; sic enim legitur: *Et profecti ex Jeabarim, castrametati sunt in Dibongad.* Verum de hac mansione longe diversum in alio loco legi videtur; nam scriptum est: *Et descendentes ex Oboth, castrametati sunt in Jeabarim, in deserto quod est in conspectu Moab, ad orientem solis. Inde discesserunt, & castrametati sunt in valle Zared*, hæc ibi. Si ergo in valle Zared castrametati sunt, dices: Quomodo in Dibongad? Verum ibi locus communis, hic vero proprius exprimitur. Est enim Dibongad circa vallem Zared, quæ est inter fines Amorrhæorum & Moabitarum. (Origen. loco cit.) Mystice vero Dibongad apiarium tentationum significat. Quo docemur quod quamvis justus perfectionis vel summæ proximus existat, haud tamen ei tentationes desunt. Quod est divinæ cautela providentiæ, ne à recto deflectendi bonis successibus ansam arripiamus. Hinc Job dicebat: *Beatus homo quem corripuit Dominus: increpationem omnipotentis ne renuas.* (Job 5. 17.) Quod & si dum in carne sumus, tentationes nobis amaræ videntur, mirifice nihilominus ad futuram nobis vitam proficiunt, dicente Apostolo: *Omnis quidem disciplina in præsenti videtur non esse gaudii sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* (Hebr. 12. 11.) Accedamus ergo nos, & in hanc mansionem ingredi festinemus: scientes quod à Domino interdum corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. (1. Cor. 11. 32.) Certam quoque spem habeamus, quod *non patitur nos Deus supra id quod possumus, tentari: sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* (1. Cor. 10. 13.)

XL. Mansio Elmon deblathaim. Num. 33. 46.

Mansio quadragesima in Elmon deblathaim à filiis Israel peragitur; sic enim scribitur: *Et profecti ex Dibongad, castrametati sunt in Elmon deblathaim.* Vox hæc Elmon deblathaim sicut est duplex, ita & duo indicat, nempe contemtum ficuum, hoc est, contemtum terrenæ dulcedinis; ficus namque dulcedinem ostendunt. Unde Hieremias propheta vidit ficus bonas, bonas valde. (Hier. 24. 3.) Et Salvator noster

eſuriens, ſcribarum phariſæorumque amaritudines deſe- A ſens, acceſſit ad arborem fici; ut ſaltem in plebe aliquam inveniret dulcedinem: & cùm non inveniſſet niſi folia tantum, maledixit ei, dicens: *Numquam ex te fructus naſcatur.* [Matth. 21. 19.] Contemtus ergo terrenarum delectationum ad cælum properanti apprime neceſſarius eſt. Nam niſi voluptatum illecebras, & ea quæ in terris delectare videntur, neglexerimus, ad cæleſtia nos ipſos erigere non poſſumus. Ideo Apoſtolus admonet, dicens: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* [2. Coloſſ. 3. 2.] Immo ſapere terrena, confuſio eſt. Ita ſcribit Apoſtolus: *Gloria in pudendis ipſorum, qui terrena ſapiunt.* [Philip. 3. 19.] Verum quia *noſtra converſatio in cælis eſt, qui cum Chriſto ſurreximus*, [Ibidem 20.] omni cordis alacritate calcatis mundi B illecebris, in ejus manſionis tabernacula ingrediamur, *quæ ſurſum ſunt quærentes, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens:* [Coloſſ. 3. 2.] contendamuſque ſive abſentes ſive præſentes placere domino Deo noſtro.

[XLI. Manſio. Abarim. Num. 33. 47.] Manſio quadrageſima prima fit à filiis Iſrael in montibus Abarim; nam ſequitur: *Et profecti ex Elmon deblathaim, caſtrametati ſunt ſuper montes Abarim contra Nebo.* Verum longe alienum videtur huic, quod alio in loco de hac manſione legitur. Nam inquit: *Caſtrametati ſunt in valle Zared; inde deſcendentes, caſtrametati ſunt trans Arnon in deſerto, quod eminet à finibus Amorrhæorum.* [Num. 21. 12. & 13.] Ex quibus verbis videtur quod filii Iſrael non in montibus C Abarim, ſed in deſerto trans Arnon manſionem poſt Elmon habuerint. Sed nulla eſt diverſitas, quoniam Abarim in deſerto eſt trans Arnon. Quod ergo alibi ſub communi, hìc ſub proprio nomine Scriptura expreſſit. Unde ſubjungit: Eſt enim Arnon ad fines Moab inter Amorrhæos; & ibi habetur mons Abarim, ad cujus radices juxta Amorrhæos Arnon labitur amnis. Dicitur vero mons Abarim trans Arnon, non ad tranſitum Hebræorum, ſed ad ſitum terræ ſanctæ, ſicut mos eſt Moyſi in hac deſcriptione; nam in libro Deuteronomii legitur: *Hæc verba quæ loquutus eſt Moyſes omni Iſrael trans Jordanem in deſerto ad occidentem.* [Deut. 1. 1.] Moyſes tamen Jordanem nullatenus tranſivit: erat D ergo citra ad Hebræorum viam, trans vero ad terræ ſanctæ ſitum. Sub hac manſione ad Seon Amorrhæorum regem legatos Moyſes deſtinavit, ut ei cum populo per ſuas terras commeatum præberet, abſque omni ſuorum prorſus læſione: *Tranſibimus*, inquiunt, *per terram tuam, non declinabimus neque ad agrum, neque ad vineam, neque bibemus aquam de puteo; via regia tranſibimus.* [Num. 21. 22.] Seon vero id omnino recuſans dura reſpondit: immo valido exercitu armato, ad fluvium Arnon, qua Iſrael tranſiturus erat, ut viam impediret, oppugnantique reſiſteret, protinus deſcendit. Sed divina factum eſt virtute, ut rege in prælio extincto, E Hebræi Amorrhæorum populum in occiſione gladii percuſſerint, eorumque terras vaſtantes depopularint. Interim Og rex Baſan, ut auxilium Amorrhæo præberet amico, ingentes copias armat, quibus Iſrael hoſtiliter impugnaturus aggreditur. Sed Iſrael ſuperna dimicans ope, & ipſum in bello regem peremit, exercitum omnem extinxit, univerſam denique terram eorum ſubegit; unde cum inſigni victoria grandes divitiarum copias reportavit. Quæ omnia Joſephus fuſo ſermone perſcripſit. [Ioſeph. lib. 4. Antiq. cap. 4.]

[XLII. Manſio, apud Jordanem. Num. 33. 48.] Manſio quadrageſima ſecunda habetur in campeſtribus Moab apud Jordanem: ideo dicit: *Et profecti de finibus Abarim, venerunt ad occidentem Moab, ſupra Jordanem juxta Hiericho; ibique caſtrametati ſunt apud Jordanem inter* F *Bethſimon, uſque Belſatbin, in occidente Moab.* Alio in loco manſionem eamdem meminit Scriptura, dicens: *Et diſcedentes filii Iſrael, caſtrametati ſunt ad occidentem Moab, apud Jordanem, juxta Hiericho.* [Num. 22. 1.] Denique poſtrema hujus laborioſi diuturnique filiorum Iſrael itineris à Moyſe per verbum Dei deſcripta manſio hæc eſt. In qua licet plurima dicta geſtaque ſint memoratu digna, pauca tamen hæc enarrabimus. Primum Balac Moabitarum rex cernens filios Iſrael tanto proficere incremento, tamque ſecundis eorum res proſperari ſucceſſibus, magnam rerum ſuarum formidinem concepit, ut in iis quæ ad populum Madian præloquutus eſt, apparet. Inquit enim: *Nunc linget congregatio hæc omnes, qui in circuitu noſtro ſunt, ſicut lingit vitulus virentia ex campo.* [Ibidem 4.] Quare armis haud eos palam invadere auſus, deliberavit, ne ſaltem potentiores efficerentur, ad occultas artes confugere. Unde Balaam magum ad ſe accerſitum rogavit, ut imprecationibus, maleficiiſque ejus artibus populum malediceret, perderetque. Quod ab illo nec A ſuaſionibus, nec muneribus, divina obſiſtente providentia, obtinere umquam potuit; quin immo ipſe magus, Domino os ejus aperiente, bona precatus eſt populo, feliceſque prædixit ſucceſſus: *Quam pulcra*, inquit, *tua domus, Jacob, tabernacula tua, Iſrael, tamquam valles obumbrantes, tamquam horti ſuper fluvium, & velut tabernacula quæ fixit Dominus*; [Num. 24. 5.] & infra: *Benedicentes te benedicti ſint, & maledicentes te maledicti ſint*; item: *Orietur ſtella ex Jacob, & exurget homo ex Iſrael.* [Ibidem 17.] Deinde quia Madianitarum amore mulierum populus, deſerto vero Deo, ad idola diverterat, Phinees Eleazar filius, Aaronque nepos zelo zelatus pro Domino exercituum, antequam per licentiam B fortius graſſaretur iniquitas, Hebræum & Madianitidem feminam in fornicatione comprehenſos, & coram Moyſe adductos publice evaginato pugione peremit: cujus exemplo provocati plerique arreptis in fornicarios armis inſurrexerunt, & ad internecionem cæſa ſunt die illa viginti quatuor hominum millia. Quare peremtis fornicariis, reconciliatus eſt cum populo Deus: *Et ceſſavit*, inquit, *plaga à filiis Iſrael.* [Num. 25. 8.] Inſuper quia Chananæorum terra, ad quam filii Iſrael poſſidendam per verbum Dei tendebant, è vicino jam prominebat, ipſique terræ ſanctæ per quadraginta & plures annos fugientis fere jam oras prendebant; & quia non niſi armata manu, viribuſque infractis, illam capere C ipſis præſtabatur: idcirco Eleazar ſacerdos novam populi ad bellum apti computationem facere Dei mandato decrevit, in qua præter tribum Levi, ad ſpecialem Dei cultum deſtinatam, & mulieres, ſexcenta millia & mille ſeptingenti triginta viri, à viginti annis & ſupra, ad bella parati, ut Scriptura inquit, numerati ſunt. [Num. 26. 51.] Alia vero quamplurima ad religionem Deique cultum, nec non ad rem publicam bello paceque moderandam ſpectantia, Moyſes Eleazarque ſacerdos in hac manſione in ordinem redegerunt: quæ ne in nimis longum noſtram protraherent lectionem, vel quia ſæpius aliis in locis ea digeſſimus, nunc omittenda cenſemus. Silentio tamen prætereundum non duximus, D quod Moyſes extremum ſibi tandem per verbum Dei inſtare diem agnoſcens, declarato ſibi ſucceſſore, populique duce, mandato Dei, Jeſu Nave, præſcriptiſque benedictionibus ac maledictionibus, [Deut 34. 1. & ſeq.] quibus obſervatores prævaricatoreſve divinæ legis incurrerent, nec non prænuntiatis ſingulis tribubus quæ in illos ſingillatim ſuperventura forent, ſuper montem Nebo conſcendit, indeque amplam, optimamque Chananæorum regionem, terram utique lacte & melle manantem, Patribus repetitis etiam oraculis repromiſſam, monti Nebo ex adverſo poſitam, & oculis perluſtravit, & animo conſideravit, & ut Apoſtoli verbis utar, è longe ſalutavit. [Hebr. 11. 13.] Quo denique peracto, dixit illi E Dominus: *Oſtendi terram hanc oculis tuis, ſed illuc non ingredieris.* [Deut 34. 4.] Et confeſtim per verbum Dei mortuus eſt, & ſepultus in valle: & ſepulcrum ejus nemo novit uſque in hodiernum diem. Hic finis Moyſi, manſionumque populi juſſu Dei in ordinem recenſitarum. Ceterum nonnulla myſtica nunc explicanda forent, niſi horum pleraque per tractatum præſentem ſparſiſſemus, alia vero in aliis locis explicaſſemus. Illud denique obſervandum operæ pretium judicavimus, quod univerſis hic tranſitus ideo commemoratur, proptereaque omnis hic curſus conſummandus proponitur; ut ad Jordanem Dei fluvium demum pervenientes, divinæ undis ſapientiæ irrigemur; ut per omnia puri- F ficati, promiſſionis terram, Deo tandem miſerante, intrare, & cum Apoſtolo dicere valeamus: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. & juſtitia corona quam Dominus juſtus judex reddet in illa die iis, qui diligunt adventum ejus*, [2. Tim. 4. 7. & 8.] reponatur nobis per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto omnis eſt honor, gloria, & perpetuitas in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN SUBSEQUENTIA COMMENTARIA ADMONITIO.

Quantum olim multis sæculis conspiratum est, ut sequens Opus sancto Ambrosio tribueretur; tanta consensione quotquot nunc viri eruditi audiunt, illud eidem volunt abjudicatum. Etenim jam inde à nono sæculo Hincmarus,[a] Ecclesia Lugdunensis,[b] concilium Aquisgranense tertium,[c] Amalarius, Prudentius, Haymo & plures alii ejusdem temporis auctores multa ex his ipsis Commentariis sub Ambrosii nomine protulerunt. Rabbanus Hincmari synchronus in Expositione Paulinarum epistolarum ex Patribus collecta plurimos locos in quinque priores epistolas adducit tamquam vere Ambrosianos, qui re vera exstant in his nostris Commentariis. Inde quoque nonnulla in priorum ejusdem Pauli epistolarum explicationem transtulit Sedulius, Ambrosii nomine semel adscripto. Lanfrancus etiam in sua Compilatione sancto Doctori adtribuit ea fragmenta, quæ ex hoc Opere mutuatus est. Denique hoc Opus pro Ambrosiano admissum fuit à Gratiano, P. Lombardo, Ivone Carnutensi, aliisque innumeris. Verumtamen cùm tam universalis opinio Erasmo, Turriano, aliisque non usque adeo certa visa esset, illam deinceps, re penitius examinata, uno calculo omnes proscripsere.

a. Tract. de Divortio Lothar. &c. b Tom. 4. Bibl. PP. part. 2. c. can. 25. cap. 4.

Quamobrem actum agere nobis videremur, si longius in probanda re sane quàm exploratissima immoraremur. Non silebimus tamen stylum Operis tantopere abhorrere ab Ambrosiano, ut plane mirum sit tam tarde deprehensam esse illam diversitatem. Sed nec levius inter utriusque auctoris doctrinam dissidium est; quippe in Ambrosiastro non solum occurrunt quædam placita extraordinaria, & à veri Ambrosii opinionibus immane quantum discrepantia; verum etiam in adserendis dogmatibus maxime catholicis inter utrumque non satis convenit, & iis refellendis quæ Arriani objicere solebant, ab illo adhibentur ea responsa, quibus neglectis, omnino diversa proponit sanctus Doctor. Ad hæc inutile fuerit id, quod nemini non est obvium, observare, nimirum in græca lingua prorsus peregrinum exstitisse illum scriptorem. Quid vero si subjungamus non tantæ perspicuitatis esse, num omnino Commentaria in Paulum fecerit Ambrosius? Verum ut maxime hujusmodi expositionem vir Sanctus ediderit, saltem admodum credibile est eam Cassiodori temporibus jam periisse; hoc enim conjici potest è sequentibus ejusdem verbis:[d] Dicitur etiam, *inquit*, beatum Ambrosium subnotatum codicem epistolarum omnium sancti Pauli reliquisse, suavissima expositione completum; quem tamen adhuc invenire non potui *&c.*

d. Lib. de Inst. divin. litter. cap. 8.

In eo ergo tota difficultas est, ut verus parens hujus Operis investigetur. Placuit nonnullis compilatorem fuisse illum, qui scissis ex Chrysostomo & Hieronymo laciniis centonem inde confecerit. Volunt alii prologos singulis expositionibus præfixos inepti consarcinatoris esse, potissimum ex Hieronymo frustula multa suffurati. Attamen in Operum eorumdem Patrum collatione hoc nequaquam deprehendimus. Contra vero satis frequenter animadvertimus ab illorum opinionibus hunc dissidere, alias explicationes adferre, interdum non eodem modo, quo illi solent, Apostolicum textum citare, ac tandem sicubi cum ipsis conveniat, id inde factum, quod eos qui commentaria lucubrant in eumdem librum, absque discrepare impossibile sit. Neque tamen ibimus inficias auctorem nostrum ab Hieronymo mutuatum quædam videri, sed eum propterea compilatorem, quo quidem sensu illi intelligunt, habendum esse non arbitramur. Ex aliis autem qui horum Commentariorum auctorem eruere conati sunt, qui eadem Remigio adtribuerunt, frustra fuere. Etenim cum in Bibliotheca Patrum, tum in manuscriptis non paucis Remigiana exstant ab his nostris plane diversa. Non defuerunt etiam qui hanc commentationem vel Juliani vel alterius cujuspiam Pelagiani esse contenderent. Sed inventi sunt similiter scriptores, quibus illius auctor videretur liberandus ab ista nota, & si quid forte quod illis hæreticis favere posset, illic occurras, hoc eo referendum, quod cùm ante exortam eorumdem hæresim ille scriberet, minus caute considerateque esset loquutus. Ultima tandem, quæ & communior, eorum opinio est, qui Hilarium Romanæ Ecclesiæ diaconum, qui cùm Luciferiano schismati adhæsisset, ab Hieronymo tam aspero stylo[e] *exceptus fuit, verum hujusce Operis Auctorem dicunt. At cùm sint quoque à quibus huic sententiæ contradicatur, illud accuratius perpendendum est.*

e Dial. adv. Lucifer. post med.

Observabimus in primis vix ullum veri Ambrosii Opus esse, cujus plura exemplaria omnium ætatum ab octingentis annis reperiantur, quam hujus Ambrosiastri: sed eorum nonnulla ab aliis dissidere haud mediocriter. Enimvero in bibliotheca Corbeiensi unum habetur tomis duobus comprehensum, quo nullum aliud sive antiquitatem, sive characterum elegantiam spectes, præstantius videre nobis licuit. At cùm in eo Commentaria in omnes Pauli epistolas, illa excepta quæ ad Hebræos inscribitur, sub nomine Ambrosii contineantur, cum aliis codicibus scriptis atque editis tantum modo in priores tres epistolas consentit, discrepat vero in ceteras. Rabbanus Maurus in Commentario suo ex Patribus collecto ulterius progressus, ea omnia nomine Ambrosii donat, quæ ex Ambrosiastro in epistolas quinque priores petita citat: sed in reliquas quidquid inserit sub titulo sancti Doctoris, ea in solo Corbeiensi codice reperire est. Citantur[f] *quoque ab Ivone Carnutensi ex prologo expositionis epistolæ ad Philemonem verba nonnulla, quæ non nisi apud Rabbanum & in Corbeiensi codice reperias.*

f. Decret. part. 16 cap. 24.

Istæc omnia quisquis adtente consideraverit, jam mirari desinet multa in Auctore nostro desiderari, quæ à Lanfranco tamquam ex Ambrosianis Commentariis in Apostolum proferantur: facileque animadvertet variis Paulinarum epistolarum enarrationibus Ambrosii nomen ab antiquariis inditum esse. Illud insuper adjiciendum est eosdem librarios magna licentia saltem in tres priores epistolas abusos esse: quandoquidem ab eis non raro longa fragmenta ibidem inserta fuisse probabile est, quæ in vetustioribus manuscriptis non inveniuntur, at in variis lectionibus adnotabitur. Indeque duci potest vehemens conjectura contra hujus Operis integritatem ac sinceritatem; nec expediti judicii rem esse cognoscitur, utrum unius an plurium auctorum lucubratio sit, affirmare.

Ceterum si negabimus plurium esse, simul etiam fatendum videbitur antiqui esse commentatoris. Quod enim ait de Ecclesia,[g] cujus hodie rector est Damasus, *aut interpolatori tribui debet (& sane illorum temporum usum non sapit, neque sensui necessarium est) aut planum fiet eumdem Auctorem ante annum 384. quo idem Papa vivere desiit, Commentaria sua scripsisse. Hinc etiam potest id confirmari, quod marcionistas adhuc superesse illic testatur;*[h] quamvis, *inquit*, pœne defecerint. *Certum quidem est ex Epiphanio*[i] *ac Theodoreto*[k] *tarde admodum exstinctos esse hos hæreticos: sed constat etiam pluribus locis haud ægre illos in manichæorum, qui frequentius hic memorantur, partes transisse. Obiter quoque observandum videtur in hoc Opere*[l] *mentionem fieri legis cujusdam adversus eos à Domitiano promulgatæ, quam in sola* Collectione legum Mosaicarum & Romanarum *invenias. Illud adhuc Auctoris antiquitatem magis designat, quod*[m] *patricianos, quorum Philastrius*[n] *Augustinusque superstitum meminere, non prætermittit, cùm ultra sæculum quintum neutiquam pervenerint. Præterea ceterorum hæreticorum, quos aggreditur longe plurimos, nullus refertur Paulo recentior. Cúmque in donatistis, novatianis, arria-*

g. In epist. 1. ad Timoth. cap. 3. h. Ibidem cap. 4. i. Hæres. 42. k. Lib. 1. Hæret. fabul. cap. 24. l. In epist. 1. ad Timoth. cap. 3. m. In epist. 1. ad Tim. cap. 4. n. In libris de Hæresibus.

nis & photinianis refellendis crebrius atque operosius quam in aliis incumbat, id haud dubie indicio est posteriores hæreticos, puta nestorianos & reliquos sequentium temporum necdum emersisse, sed eorum, quos modo nominabamus, hæreses tunc viguisse. Huc adde ab eo scriptore textum Apostoli subinde citari ex alia versione, quam qua nunc utimur: & veteris Testamenti testimonia ex versione LXX. Senum petita esse. Illud etiam eodem spectat, quod ex Auctoribus ecclesiasticis non nisi Tertulliani, Cypriani, ac Victorini locos adhibet, quorum ultimus Damasum æquavit antiquitate. Ad postremum inde similiter adstrui potest eadem ætas, quod in ægrotantium baptismate, aliisque capitibus non paucis ecclesiasticam illorum temporum disciplinam pulcre repræsentet.

a. Lib. 4. contr. duas epist. Pelag. cap. 4.

Omnia à nobis hic memorata videntur suffragari eorum sententiæ, qui hæc Commentaria ab Hilario edita volunt: in quam opinionem adducti fuere Augustini testimonio, contra Pelagianos ita scribentis: [a] Nam & sic sanctus Hilarius intellexit quod scriptum est: In quo omnes peccaverunt, ait enim: In quo, id est, in Adam, & cetera quæ ad apices in hoc Opere legere licet. Atqui isthæc, inquiunt, quadrare nequeunt nisi in Hilarium Diaconum, qui se Damaso fuisse coævum ipse significat. Illis quidem objectum fuit rebaptizantes acriter urgeri ab hoc Auctore, cùm eodem crimine Hilarius infectus esset: ac præterea numquam Augustinum adtributurum fuisse huic Hilario titulum sancti, quem facto schismate, ab Ecclesia recessisse non ignorabat. Sed respondetur eum non omnes hæreticos rebaptizandos arbitratum esse, at solos arrianos, eaque distinctione ipsum indicasse in eam opinionem non alia re se se adductum, quam quia iidem hæretici de Trinitate non recte sentientes, forma etiam non legitima in baptismate uterentur; atque adeo nihil vetuisse, quominus hæreticos, qui catholicos rebaptizabant, is impeteret. Secundæ objectioni satisfacere sibi videntur, si memoratum honoris titulum argumento esse negaverint sanctum Augustinum de Hilario luciferiano accipiendum: sed potius inde idem conjiciendum esse aut diaconum illum secessionem numquam fecisse ab universa Ecclesia, servata nimirum cum ejusdem capite beato Damaso pace & communione: aut ipsum tandem priusquam è vivis excederet, in gratiam rediisse cum catholicis.

b. Dialog. adv. Lucifer. post med.

Verum hujusmodi responso plane contrarius est Hieronymus; quippe qui [b] de Hilario non tamquam ab episcopis aliquot, aut tantùm ad tempus, sed ab omni catholica societate ac per universum vitæ curriculum separato loquatur. Contra hanc opinionem id etiam facit, quod Hilarius, utpote Romanæ Ecclesiæ diaconus, de eadem non quasi peregrinus aut alienus loquutus esset. Quo enim pacto de sua Ecclesia potuisset scribere: [c] Nunc septem diaconos esse oportet, & aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias? Etenim cùm, imperante Diocletiano, [d] jam basilicæ quadraginta essent in Urbe, non aliquantos presbyteros, sed ut minimum octuaginta illic ordinari necesse erat.

c. In epist. 1. ad Timoth. cap. 3.
d. Optat. lib. 2.

Nec dubium est quin hæ ipsæ causæ Petavio in mentem induxerint, ut eadem Commentaria Hilario quidem abrogaret, sed alii à Luciferiano, quisquis demum ille fuerit. Et sane [e] ut Hilarium sub Damaso non haberemus Papiensem episcopum, sanctitate, & zelo in Arrianos clarum, cui forte illa possunt adscribi, supersunt adhuc multæ scriptiones, quorum auctores tantum cognoscuntur nomine tenus, quosque penitus ignoraremus, nisi eosdem ab alio semel nominari casu contigisset. Verum licet universim negari ista nequeant; possunt tamen illis opponi Augustinum contra pelagianos acerrime originalis culpæ doctrinam impugnantes non usurum fuisse testimonio ejus auctoris, qui sicubi eam videtur agnoscere, aliquando tamen contrariam præ se fert: quique aperte pelagianis favere à gravissimis & probatissimis theologis existimatur, & uno saltem loco manifeste semipelagianus pronuntiatur à [f] Justiniano è Societate Jesu viro doctissimo. Quid si huc adjecerimus & alios errores, qui passim iisdem in Commentariis deprehenduntur? Certe defendi non potest eorum Auctor, quin cum Origine senserit [g] in voluntate dæmonum esse ab errore resilire. Exploratum quoque ulcus est, quod marito fas usque esse contendit, [h] uxore propter adulterium repudiata, aliam ducere: uxori autem ab adultero conjuge separatæ cum alio inire conjugium licere negat. Sed nec illa etiam satis sana sunt, quod factam [i] ad imaginem Dei mulierem esse: episcopos [k] superiorem presbyteris gradum obtinere, aut diversa instituti ordinatione inficiatur; & quædam alia communi catholicorum sensui minus congrua subinde tradit.

e. Ughellus Ital. sacr. to. 1. part. 2. pag. 6.
f. Commentar. in epist. 1. ad Cor. cap. 14.
g. Ex ejusd. Comment. in epist. ad Eph. cap. 3.
h. In epist. 1. ad Cor. cap. 7.
i. In epist. 1. ad Cor. cap. 11. & 14. & in epist. ad Coloss. cap. 3.
k. In epist. ad Eph. cap. 4.

Præterea etiamsi multa sint, quæ ad vindicandam huic Operi eamdem cum Damaso antiquitatem favere videantur, in eo quoque occurrunt alia, ex quibus in ætatem multo posteriorem rejici possit. Ut enim hic omittamus nullum Latinorum in Pauli epistolas præterquam Victorini Commentarium agnosci ab Hieronymo in Auctoribus Ecclesiasticis; minime abhorret à verisimili plurima in hosce libros ex Augustino, Chrysostomo, & Hieronymo translata esse; immo etiam, quod observatu sane dignum est, ex illo ipso commentatore, cujus lucubratio ad calcem operum Hieronymi edita, Pelagii esse à multis perhibetur. Etenim cùm sint loci non pauci qui totidem verbis legantur in utroque commentario, atque adeo alterum ab altero mutuò sumsisse non sit dubium, minus probabile existimamus Hieronymiastrum, qui tam brevis ac concisus est, ex Ambrosiastro quædam petivisse, quam è converso. Adhæc insuper licebit adjungere ab hoc Auctore non minore studio probari Christum dominum adoptione non esse Dei Filium, [l] quam si post errores Felicis atque Elipandi scripsisset.

l. In epist. ad Philipp. cap. 2.

Illis temporum differentiis si addideris nonnullam in diversarum epistolarum expositionibus dictionis ac sententiæ super eadem materia discrepantiam, nec non differendi modo fusissime, modo contractissime inæqualitatem, erit forsitan qui ejusdem manus omnia hæc Commentaria esse diffenciat, aut saltem ad quempiam hujusmodi compilatorem referenda autumet, qui in metendis variis Operibus, quorum multa interciderint, aliquas temporis singulorum notas ita retinuerit, ut sui pariter ævi nonnullas adjecerit. Verum quantavis difficultas sit in adsignanda sive Auctoris, sive Operis antiquitate, manu exarata eorumdem Commentariorum volumina, sicut & scriptores à quibus citata expilatave reperiuntur, planum faciunt eisdem tempus sæculo octavo posterius adjudicari neutiquam posse.

Non deerunt fortasse, qui sententiam nostram scire aveant de Auctore Quæstionum novi & veteris Testamenti, quem cum Ambrosiastro eumdem esse multi post Theologos Lovanienses, à quibus iidem libri in appendicem [m] Operum sancti Augustini rejecti fuere, arbitrati sunt. Verum quæ hactenus disputavimus, satis ostendunt de hac re statuere non esse proclivis negotii. Proferuntur quidem longe plurima, quæ in utroque Opere iisdem verbis, iisdemque citatis Scripturæ locis in oculos incurrant: sed nihil inde colligi potest, nisi hæc ipsa ex alio in aliud transcripta esse. Attamen magis probabile est auctorem Quæstionum, si tamen earum auctor unus est, cùm sit in tractando multo fusior, & Ambrosiastri erroribus plures adjecerit sibi proprios, hujus esse compilatorem.

m. Tom. 3. part. 2.

Ceterum cùm negari nequeat huic Operi utilitatem inesse suam, cùmque ad hanc usque editionem locum inter Ambrosii commentationes obtinuerit, nec non citata ejus nomine passim occurrat; in hanc Appendicem eo lubentius illud admisimus, quo plures mss. erant ad manum, quorum subsidio exiret multo correctior. Inter alias autem emendationes amplissimum fragmentum in fine Commentarii epistolæ primæ ad Corinthios, & in sequentis initio restituimus, cujus jacturam è lacinia Commentarii pseudohier. resarserat scriptor quispiam.

Admonendum modo superest Commentarium in epistolam ad Hebræos à nobis esse prætermissum. Illud antiquiores mss. non agnoverunt neque Amerbachius neque Erasmus. Cùm vero ab iis qui postea curam Ambrosian. edit. suscepere, admissum esset, adeo non fefellit viros judicii eruditioris, ut nequidem ejusdem auctoris, cui tribuuntur superiora, esse crederetur, multo igitur minus Doctoris nostri. Et re vera nihil aliud est, quam parum digesta Patrum aliquot compilatio, quæ cùm amplior inter Opera Rhabani Mauri vulgata fuerit, ibique singulorum fragmentorum auctores è regione legere liceat, nihil esse causæ nobis visum est, cur ea in editionem nostram reciperetur.

COMMENTARIA
IN XIII. EPISTOLAS BEATI PAULI.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

PROLOGUS.

UT rerum notitia habeatur plenior, principia earum requirenda sunt prius; tunc enim[a] potest facilius causæ ratio declarari, si ejus origo discatur: cùm enim epistolæ datæ modum & rationem ostenderimus, potest verum videri, quod dicimus. Constat itaque temporibus apostolorum Judæos, propterea quod sub regno Romano agerent, Romæ habitasse: ex quibus hi qui crediderant, tradiderunt Romanis ut Christum profitentes, Legem servarent: Romani autem audita fama virtutum Christi, faciles ad credendum[b] fuerunt, ut pote prudentes: nec immerito prudentes, qui male inducti statim correcti sunt, & permanserunt in eo.

B

[c] Hi ergo ex Judæis, ut datur intelligi, credentes Christo, non accipiebant Deum esse de Deo, putantes uni Deo adversum; quamobrem negat illos spiritualem Dei gratiam consequutos, ac per hoc confirmationem eis deesse. Hi sunt qui & Galatas subverterant, ut à traditione apostolorum recederent: quibus ideo irascitur Apostolus, quia docti bene, facile transducti fuerant. Romanis autem irasci non debuit, sed & laudare fidem illorum; quia nulla insignia virtutum[d] videntes, nec aliquem apostolorum, susceperant fidem Christi ritu licet Judaico, in verbis potius quam in sensu; non enim expositum illis fuerat mysterium crucis

C

Christi. Propterea quibusdam[e] advenientibus, qui recte crediderant, de edenda carne & non edenda quæstiones fiebant; & utrumnam spes quæ in Christo est, sufficeret, aut & Lex servanda esset.

Quatuor igitur modis scribit[f] Romanis, arguens ab initio genus hominum physica ratione; hi enim caput sunt omnium gentium, ut in his discant ceteri universique gentiles. Primus modus est, quo se ostendit quid sit, & quid fuerit, & cujus sit, quo & hæreses percutit. Secundus modus est, quo arguit quod naturæ ratione non se subjecerint uni Deo, & quæ inhonesta & turpia egerint invicem, despecti ob hoc à Deo; ut gratulentur credentes. Tertius

D

modus est, quod Legem spreverunt datam; unde anteponit græcis Judæos. Quartus modus est, quo docet Judæos exorbitasse[g] à Lege & promissione Dei in causa Christi, factosque similes gentilibus; ut utrique indigeant misericordiâ Dei, non per Legem salutem sperando, sed per fidem Christi Jesu.

Hinc est unde omni industria id agit, ut à Lege eos Luc. 16. 16. tollat; quia Lex & prophetæ usque ad Johannem: & in sola illos fide Christi constituat, & quasi contra Legem[h] Evangelium vindicat, non destruens Legem, sed præferens christianismum.[i] Adserit enim sic Christum promissum, ut prædicato eo cessaret Lex: non tota, quia adbreviatio facta Legis est, quæ compendio daret salutem; multa enim

A

veteribus tradita sunt propter duritiam cordis illorum, ut oneri esset, quæ misericordia Dei abbreviavit per Christum datâ præteritorum remissione. Ingratus est ergo misericordiæ Dei, qui vult esse sub Lege; nam dixerat Moyses: Sic timentes[k] facietis filios Israel; ut quacumque se verterent, Legem haberent, ut sine sollicitudine omnino non essent. Levit. 15. 31. Igitur ut in Christo sine Lege spem vitæ salotisque ponendam tradat, & Dominum ipsum esse omnium doceat, sic incipit:

CAP. I. ℣. 1.

PAULUS SERVUS CHRISTI JESU. Apud veteres nostros[l] ratione nomina componebantur, ut Isaac propter risum, & Jacob propter calcaneum; ita & iste propter inquietudinem Saulus est nuncupatus: postquam autem credidit,[m] ex Saulo Paulum se dicit, hoc est, immutatum. Et quia Saulus secundùm supradictum sensum, inquietudo seu tentatio interpretatur, hic cùm ad fidem Christi accessit, Paulum se dicit, id est, quasi ex tentatore factum quietum, humilemque, vel parvulum; quia pax est fides nostra. Cùm prius enim tentationes[n] ex inquietudine Judaismi Dei servis inferret, post ipse tentationes passus est propter spem, quam ante amore Judaismi negarat.

℣. 2.

Servum autem Christi Jesu se profitens, à Lege se exutum ostendit. Et ideo utrumque posuit, id est, Jesu Christi: ut & Dei & hominis personam signaret; quia in utroque est Dominus, sicut & Petrus apostolus testatur dicens: *Hic est*, inquit, *omnium Dominus.* Quia ergo & Dominus, & Deus est, dicente David: *Quia Dominus ipse est Deus*; quod Psal. 99. 3. hæreses negant. Marcioni enim videtur odio Legis Christum & corpus ejus negare, Jesum profiteri: Judæis autem & Photino propter zelum Legis, Jesum negare quod Deus sit.[o] Nam quotiescumque aut Jesum dicit aut Christum; aliquando Deum, aliquando hominem significat, sicut hoc loco inter cetera: *Et unus*, inquit, *dominus Jesus*, 1. Cor. 8. 6. *per quem omnia*, quod utique ad Dei Filium pertinet, juxta quod Deus est. Et alio loco: *Jesus autem*, inquit, *proficiebat ætate & sapientia*, quod utique homini competit. Luc. 2. 52.

Vocatus apostolus. Propter quod Deum cognovit & fatetur, factus idoneus[p] servus, promotum se ostendit dicens: *Vocatus apostolus*, hoc est, à Domino missus ad res ejus agendas. Per quod ostendit[q] hunc meritum habere apud Deum, qui servit non Legi, sed Christo; Dominus est Matth. 12. 8. enim Filius hominis etiam sabbati.

Segregatus in Evangelium Dei. Evangelium Dei est bonum nuntium Dei, quo peccatores ad indulgentiam convocantur, Apostolus autem, quoniam in Judaismo locum doctoris habebat, ut pote pharisæus, ideo à Judaismi prædicatione segregatum se dicit in Evangelium Dei; ut à Lege dissimulans, Christum prædicaret, qui quod Lex non potuit,

a. Rom. edit. *facilius poterunt dicenda intelligi, cùm eorum origines discuntur*: alii vero, & mss. [illegible] *consecutione*, nisi quod [illegible]. Vind. & Corb. [illegible] verborum ordine, & sæpe etiam in sententiis à ceteris cod. discrepant, quos tamen ob scripturæ antiquitatem in hoc prologo potissimum sequuti sumus.

b. Edit. Gill. in marg. & Rom. in corp. *fuerunt: sed mox male [illegible] correxerunt, & manserunt in eo, ut pote prudentes.* At Rom. edit. duo postrema [illegible] incisa etiam interserit.

c. Edit. ac mss. non pauci, *Isti igitur ex Judæis credentes, & imperiti* [illegible] *de Christo, Legem servandam docebant, quasi non esset in Christo salus plena. Ideo negat illos spiritualem gratiam consequutos. Hi sunt qui & Galatas subverterant, ut à traditione Apostoli recedentes judaizarent.*

d. Iidem mss. & edit. *videntes insignia, susceperant fidem Christi*, quamvis corrupto sensu; *non enim audierant*, Rom. edit. plane *audierant mysterium* &c.

e. Citati mss. & edit. *de Judæa in urbem Romam advenientibus, sicut & Priscilla & Aquila, qui recte senserant*; edit. cum Flor. Vind. & Corb. uno omittunt, *qui recte senserant.* Iidem vero tres mss. una cum Corb. soli exhibent sequentia, *& utrumnam spes . . . & Lex servanda esset.*

f. Edit. Rom. *hi enim caput sunt omnium gentium, ut in his discant ceteri,* *arguens ab initio genus hominum partim physica ratione, partim per Legem*: mss. vero nobiscum faciunt, nisi quod alii retinent, *partim per Legem*, alii prætermittunt.

g. Ita Corb. & alii quatuor mss. reliqui vero & edit. *à Lege & prophetis in causa Christi.*

h. Cod. Pratell. & Germ. *Evangelium vincat.*

i. Omnes edit. *Ostendit . . . ut illo adveniente*: mss. vero plures, ut in textu.

k. Corb. codex, *facietis filii Israel.*

l. Rom. edit. *occasione nomina imponebantur.*


m. Eadem edit. *ex Saulo Paulum nuncupatum, hoc est, immutatum*: alii cod. ut mss. nobiscum faciunt, nisi quod pro *immutatum* cod. Mich. legit, *commutatum.* Non incommode.

n. Edit. Gill. in marg. & Rom. in textu, cum mss. quibusdam, *ex emulatione Legis, hoc est, inquietudine* &c.

o. Ita edit. Amerb. & Eras. cum mss. Gill. autem & Rom. edit. *Nam quotiescumque Scriptura.* Sed in aliis recte subintelligitur *Paulus*, vel *Apostolus.*

p. Mss. nonnulli, *servus primo, tum se ostendit.*

q. Corb. codex, *hoc meritum se habere.*



credentes in se [a] justificaret. Sed non contra Legem, sed pro A Lege est; ipsa enim hoc dicit futurum, dicente Esaia propheta: *Veniet ex Sion, qui eripiat & avertat captivitatem ab Jacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.*

Igitur si lex Dei data est per Moysen, & prædicatio novæ Legis Dei est; quid est quod differt, ut à Lege quam Deus dedit, translatum se dicat in Evangelium Dei? Sic est hoc, quomodo qui à secundo gradu accedit ad primum, ut à bono ad melius. Lex enim à Deo data est ad correctionem disciplinæ, Evangelium autem Dei est, per quod mysterium Dei manifestatur, quod latuit à sæculis in Deo: quod est Christus. Ad quod omnes invitati apophoreta duplicia consequuntur; remissam enim peccatorum accipiunt, B & filii Dei fiunt: ut jam mori non possint secunda morte.
Johan. 17. 3. Hinc est quod Dominus in Evangelio: *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

℣. 2. *Quod ante promiserat.* Ut probet ratam [b] & integram fidei spem esse in Christo, jam prius Evangelium ejus dicit à Deo promissum: & ut ex eo idoneum illum sponsorem vitæ doceret, priusquam veniret, testimonium ei datum ostendit, paria adtestante Petro apostolo: *Nec enim aliud datum*
Act. 4. 12. *est*, inquit, *nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Per prophetas suos. Ut manifestius salutarem esse adventum Christi significaret, etiam personas, per quas promis- C sionem signaverit, demonstravit; ut quam vera & magnifica sit promissio, ex his videretur. Nemo enim rem vilem magnis præcursoribus nuntiat.

In Scripturis sanctis. Hoc ad cumulum veræ protestationis adjecit, ut majorem fiduciam credentibus faceret, & Legem commendaret; sanctæ enim sunt scripturæ, quæ & vitia damnant: & sacramentum illic unius Dei, & incarnationis continetur Filii Dei pro salute humana, testibus signorum prodigiis.

℣. 3. *De Filio suo.* Dignum fuit, ut quia Deus Filium suum proprium mundo promittebat, per claros viros illum promitteret; ut ex iis quam potentissimus esset, qui prædicabatur, posset sciri, ut scripturis sanctis adventum ejus futurum D insereret, & ut falsum non posset videri, quod à sanctis prædicatum est scripturis.

Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Eum qui erat Dei Filius secundùm Spiritum sanctum, id est, secundùm Deum (quia Deus spiritus est, & sine dubio sanctus est) factum dicit juxta carnem [c] Dei Filium ex semine
Johan. 1. 14. David, juxta illud: *Et Verbum caro factum est*; ut jam unus sit Dei & hominis Filius Christus Jesus, [d] ut sicut verus Deus est, verus esset & homo: verus autem non erit, nisi sit ex carne & anima; ut sit perfectus. Qui enim ex æterno Dei Filius erat, ignorabatur à creatura: dum vult autem E manifestari pro humana salute, visibilis debuit & corporeus fieri; quia & cognosci se voluit per virtutem, & hominem à peccatis abluere in carne, morte devicta. Et ideo ex semine David fit, ut sicut de Deo [e] rex ante sæcula natus est; ita & secundum carnem ex rege ortum regium caperet, factus opere Spiritus sancti de Virgine, hoc est, natus: ut reverentiâ ei reservatâ, ex hoc ultra hominem cognosceretur; quia ab humanæ legis nativitate distaret, sicut prædictum
Esai. 7. 14. fuerat ab Esaia propheta: *Ecce virgo in utero concipiet*, ut cùm novum factum videretur, ac laude dignum, providentia quædam Dei circa visitationem humani generis futura dignosceretur.

℣. 4. F *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi domini nostri.* Filium Dei dicens, Patrem significavit Deum: addito autem spiritu sanctificationis, ostendit mysterium Trinitatis. Hic ergo [f] qui incarnatus, quid esset, latebat; tunc prædestinatus est secundùm spiritum sanctificationis in virtute manifestari Filius Dei, cùm resurgit à mortuis, sicut
Psal. 84. 12. scriptum est in psalmo octogesimo quarto: *Veritas de terra orta est.* Omnis enim ambiguitas & diffidentia resurrectio-
Matth. 27. 54. ne ejus calcata est, & compressa; siquidem adhuc in cruce positum, centurio videns magnalia, Dei Filium confitetur.

Nam & discipuli in morte ejus dubitaverunt, dicente Cleopha in Emmaus: *Nos putabamus quia ipse erat, qui incipiebat liberare Israel.* Luc. 24. 21. Et ipse Dominus ait: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ipse ego sum*; Johan. 8. 28. & iterum: *Cùm exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me*, Johan. 12. 32. id est, tunc cognoscat omnium esse Dominus. Ideo autem non dixit ex resurrectione Jesu Christi, sed ex resurrectione mortuorum; quia resurrectio Christi generalem tribuit resurrectionem. Hæc enim major videtur virtus in Christo & victoria, ut ea potestate operaretur mortuus, qua operatus fuerat & vivus. Quo facto apparuit illusisse mortem, ut redimeret nos; unde Dominum nostrum hunc vocat.

Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus. ℣. 5. Post resurrectionem manifestatus Filius Dei in virtute, gratiam dedit, justificans peccatores, [g] & apostolos nominavit, quorum se hic socium dicit; ut apostolatus cum gratia esset doni Dei, non sicut Judæorum sunt apostoli. A Deo ergo Patre per Christum dominum hanc acceperunt potestatem, ut vice Domini signis doctrinam Dominicam acceptabilem facerent; ut virtutem, quam in Salvatore zelarentur perfidi Judæi, hanc in servis ejus à turbis admirari videntes, vehementius torquerentur. Testis enim doctrinæ virtus est, ut quia quod prædicatur, incredibile mundo est, gestis fieret credibile. [h] Missos igitur apostolos vocat, ut prædicarent fidem omnibus gentibus, ut obedirent, & salvarentur; ut donum Dei non jam solis Judæis, verum etiam omnibus gentibus concessum videretur: & hanc esse Dei voluntatem, ut in Christo, & per Christum omnibus misereatur, vicariis ejus prædicantibus, hoc est: *Pro nomine ejus*; sicut alibi dicit: *Pro quo legatione fungimur.* 2. Cor. 5. 20.

In quibus estis & vos vocati Jesu Christi. ℣. 6. Hoc est, legatione nobis fungentibus in omnibus gentibus pro nomine Jesu Christi, inter quos estis & vos vocati; quia donum Dei omnibus missum est, ut cùm audiunt se inter ceteros vocatos, scirent se sub Lege agere non debere, quia sine lege Moysi susceperunt ceteræ gentes legem Christi.

Omnibus qui sunt [i] Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. ℣. 7. Quamvis Romanis scribat, illis tamen scribere se significat, qui in caritate Dei sunt. Qui sunt hi, nisi qui de Dei Filio recte sentiunt? Isti sancti sunt, & vocati dicuntur; sub Lege enim agentes, male intelligunt Christum: & injuriam Deo Patri faciunt, cùm an in Christo perfecta spes salutis sit, dubitant. Ideo sancti non sunt, neque vocati dicuntur.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Jesu Christo. Luc. 10. 5. Gratiam & pacem cum iis dicit esse, qui recte credunt. Gratia est, quia à peccatis absoluti sunt: pax vero, quia ex inimicis reconciliati sunt creatori, sicut dicit Dominus: *In quamcumque domum introieritis, & receperint vos, dicite: Pax huic domui.* Luc. 10. 5. Et ut sine Christo nullam esse pacem & spem doceret, adjecit gratiam & pacem non solum à Deo Patre esse, sed & à Christo Jesu. Deum Patrem nostrum dicit propter originem, quia ab ipso sunt omnia: Christum autem Dominum, quia ejus sanguine redemti, facti sumus filii Dei.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis; quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. ℣. 8. Finita præfatione ante omnia gaudium suum esse testatur, ut pote gentium Apostolus, quod cùm Romani regnarent in mundo, subjecerint se fidei christianæ, quæ prudentibus [k] sæculi humilis & stulta videtur. Cùm ergo multa essent ex quibus gauderet in Romanis ([l] erant enim doctrina memorabiles & boni operis cupidi, studiosique magis agendi bene, quàm sermonis, quod non longe est à religione divina) in hoc tamen primum gaudere se dicit, quia fides illorum in omni loco currebat; [m] quamvis non secundum regulam ab auctoribus traditæ veritatis, tamen quia quod ab uno Deo erat, interposito Christi nomine, cœperant venerari, gratulatur, sciens illos posse proficere. Per quod etiam caritatem suam circa illos ostendit, quando congaudet bono cœpto illorum, & hortatur ad profectum.

a. Rom. edit. cum mss. nonnullis quidquid à verbo *justificaret* usque ad *Igitur si lex Dei* interjicitur, jugulaverat, quod nos è pluribus mss. & ant. edit. restituimus. Rursus vero eadem edit. Rom. totum illud quod ab iisdem vocibus *Igitur si lex Dei* incipiens, aliis istis terminatur, *& quem misisti Jesum Christum*, ex variis lectionibus Gill. in textum restituit, quod nos earumdem lectionum, ac cod. Corb. auctoritate restituimus.
b. Eadem Rom. edit. sola, *& integram fidem esse.*
c. Mss. aliquot, *Dei Filium ex Maria.*
d. *Ut sicut verus ... ex carne & anima*, ex variis lect. Gill. à Rom. edit. in textum admissa sunt, sed omissa illa, *ut sit perfectus*, quæ nos ex eisdem Gill. lectionibus & cod. Corb. & Remig. restituimus.
e. Ita mss. magno consensu: edit. autem, *Deus ante sæcula natus est.*
f. Mss. aliquot, *qui incarnatus quidem est, & latebat.*
g. Nonnulli mss. *& apostolos confirmavit.*
h. Rom. edit. *Misit igitur apostolos, ut prædicarent.*
i. Codex Mich. *Romæ in veritate Dei.*
k. Rom. edit. sola, *sæculi hujus stulta videtur.*
l. Eadem edit. *disciplina morali*: vet. edit. & plures mss. *doctrina, quidam disciplina, memorabiles.* At omnino legendum cum Corb. ms. *doctrina memorabiles*, nisi quis malit cum Vat. cod. *doctrina memorabiles.*
m. Codex Remig. hic inserit: *Mira enim res videbatur, ut Domini gentium inhiberentur promissiones Judæorum.*

Gratias ergo agere se dicit Deo suo dumtaxat, quia adhuc illorum non erat plene; quia ex ipso est omnis paternitas. Sed quia omnis dispositio salutis nostræ à Deo quidem, sed per Christum est, non per Legem, neque per aliquem prophetam, gratias quidem agere se dicit Deo, sed per Christum, quia fama fidei illorum erat profectus multorum; ut hoc ipsum ad Dei providentiam referat per Christum. Aut enim gaudebant roborati, qui crediderant: ceteri, quia videbant [a] principes suos factos: aut certe qui non crediderant, poterant credere horum exemplo. Facile enim facit inferior, quod fieri viderit à priore.

Eph. 3. 15.

℣. 9. *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Ut suadeat caritatem, Deum testem dat, cui servit, ad quem & preces pro his facit, non in Lege serviendo, sed in Evangelio Filii ejus, hoc est, non in eo quod Moyses servus tradidit, sed in eo quod Filius dilectissimus docuit; quantum enim distat servus à domino, tantum distat evangelium à Lege: non quod mala sit Lex, sed quia melius est Evangelium. Deo itaque servit in Evangelio Filii ejus, ut ostendat Dei esse voluntatem, ut credatur in Christum.

Cui & servio. Quomodo? *In spiritu meo*, inquit, non in circumcisione manufacta, neque in neomeniis, & sabbato, & discretione escarum; sed in spiritu, id est, in mente. Quia Deus spiritus est, spiritu vel animo potius debet illi serviri; cui enim animo servitur, ex fide illi servitur. Hæc & Dominus fatus est ad Samaritidem, putantem quod in monte adorari se Deus velit dicens: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Etenim Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus.* Adorantes ergo, in spiritu & veritate oportet adorare; & non locus orationem commendet, sed devotus animus. Hoc est, in veritate adorare in spiritu Deum spiritum & Christum, unum ex quo omnia, & unum per quem omnia. Hos quærit adoratores Pater. Memorem ergo se illorum in orationibus suis flagitat, ut seminet in illis caritatem; facit enim illis desiderium sui. Quis enim non amet eum, quem audit memorem sui esse? Si enim ab iis qui missi non erant, libenter acceperant doctrinam sub nomine Christi, adulteratis verbis; quanto magis ab eo, quem scirent esse apostolum, & cujus verba comitaretur virtus, desiderarent audire?

Joan. 4. 23. & 24.

1 Cor. 8. 6.

℣. 10. *Obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei, veniendi ad vos.* Orationis suæ pro illis sensum ostendit; Deum enim se dicit petere, [b] ut veniret ad Urbem ad profectum illorum cum Dei voluntate, cujus prædicat donum. Tunc enim profectus adest, si quod agendum est, cum Dei voluntate agatur. Orat ergo ut quacumque ex causa jam daretur occasio, qua veniret ad Urbem; quia occupatus erat aliis prædicando: sic prosperum iter reputans, si Deo volente veniret; quia provida est Dei voluntas. Prosperum ergo iter est non incassum laborem itineris subire. Hæc rogat ut Deus impleat, vocando illos ad suam gratiam. Aviditate animi loquitur; desiderat enim illos, sciens & illis & sibi prodesse, sicut alibi dicit: *Quod est gaudium nostrum & corona? Nonne vos in adventum Domini?* Fructus enim Apostoli est uberior, si lucretur multos. Præterea quia majus gaudium est, si potentes mundi convertantur ad Deum; quia quanto inimici graves sunt, tanto magis reconciliari necessarii. Voluntati itaque ejus sic occasio data est, ut coactus appellaret Cæsarem, & dirigeretur ex alia causa ad urbem Romam, Deo volente; ut impleret propositum voluntatis suæ. Denique in naufragio posito adstitit Dominus dicens: *Noli timere, Paule, sicut enim testificatus es de me Hierosolymis, ita & Romæ.*

1 Thess. 2. 19.

Act. 27. 24.

Act. 23. 11.

℣. 11. *Desidero enim videre vos, ut gratiam spiritualem vobis administrem ad confirmandos vos.* Confirmatio hæc tres personas requirit, annuentis Dei, administrantis Apostoli, accipientis populi. Nunc ergo desiderii sui voluntatem ostendit, quoniam esset voto circa illos; cùm enim dicit: *Ut gratiam spiritualem vobis administrem*, carnalem illos sensum adsequutos significat; quia sub nomine Christi non illa quæ Christus docuerat, fuerant adsequuti, sed ea quæ fuerant à Judæis tradita. Se autem cupere citius venire, ut A ab hac illos traditione abstraheret, & spirituale illis traderet donum, ut adquirat illos Deo, participes illos faciens gratiæ spiritalis, ut in professione & fide sua essent perfecti.

Hinc datur intelligi superius non fidem illorum laudasse, sed facilitatem & votum circa Christum; christianos enim se profitentes, sub Lege agebant simpliciter, sicut illis fuerat traditum. Nam misericordia Dei ad hoc data est, [c] ut Lex cessaret, quod sæpe jam dixi; quia Deus consulens infirmitati humanæ, sola fide addita legi naturali, hominum genus salvare decrevit.

Quid est tamen ut cùm scriptis illos corrigat, & à carB nali sensu abstrahat, præsentiam suam necessariam dicat, ut gratiam illis spiritalem ministraret; cùm ea quæ scribit, spiritalia sint: nisi propter hoc quia aliter dicta ad aliud solent rapi, sicut ab hæreticis fit? Ideo desiderat ut præsens doctrinam evangelicam sensu quo scribit, his tradat; ne sub auctoritate litterarum ejus non auferretur error, sed firmaretur: quippe cùm præsens quæ verbis suadere non poterat, suaderet virtute, ut magis illis proficiat aditis.

Id est, simul consolari in vobis per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam. ℣. 12. Consolari se dicit cum illis, si apprehendant spiritalia; quia quamvis congaudeat fidei illorum, doleat tamen quia non rectam accipiebant fidem. C Hoc affectu fuit Apostolus, ut aliena vitia quasi sua doleret. Ac per hoc consolemur, inquit, per unam atque eamdem fidem, ut tunc consolatio una sit, si unius fidei efficerentur in Christo; ut administratio gratiæ spiritalis, evangelizante Apostolo, hunc præstaret effectum.

Non autem arbitror ignorare vos, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc. ℣. 13. Propositum & votum suum ostendit, quod quidem scire illos non ambigit per eos fratres, qui ab Hierusalem vel confinibus civitatibus causa suæ religionis ad Urbem veniebant, sicut Aquilla & Priscilla, votum ejus insinuantes Romanis. Cùm enim sæpe vellet venire, & prohiberetur, sic factum D est ut scriberet epistolam; ne diu in mala exercitatione detenti, non facile corrigerentur. Et fratres eos vocat, non solum quia renati erant; sed & quia erant inter eos, licet pauci, qui recte sentirent. Unde dixit: *Vocatis sanctis.* Rom. 1. 7. Quid tamen est, *Vocatis sanctis?* Si enim jam sancti sunt, quomodo vocantur, ut sanctificentur? Sed hoc ad Dei pertinet præscientiam, quia quos scit Deus futuros sanctos, jam apud illum sancti sunt, & vocati permanent.

Prohibitum tamen se dicit usque ad tempus datæ epistolæ, à Deo utique, qui sciens adhuc imparatos illos, ad alias urbes duxit Apostolum, quæ jam ad recipiendam veritatem essent capaces; quamvis sub nomine agerent Salvatoris, sed vitiis prohibebantur carnalibus, ne digni jam essent addiscere spiritalia. Denique volentes aliquando in Bithyniam ire, prohibiti sunt à sancto Spiritu Paulus & Silas: cur, nisi sciret adhuc affectum deesse? Apud Corinthios autem commonetur Apostolus, dicente Domino: *Loquere, ne tacueris; quia populus mihi multus est in hac civitate.* Non ergo otiose prohibitum se dicit, sed & causas morarum discrevit, & hos ut se præpararent adhortatus est; ut audientes sibi gratiam spiritalem ministrandam fore, dignos se efficerent, à vitiis carnalibus abstinentes, ad excipiendam eam.

Act. 16. 7.

Act. 18. 9. & 10.

Ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris F *gentibus.* Pro utilitate communi cupidum se veniendi ad hos declarat, ut & hi salutem spiritalis gratiæ consequantur, ratam habentes fidei suæ professionem; ut hic fructum habeat apud Deum ministerii sui, per quod lacessit illos ad fidem rectam, exemplo ceterarum gentium: promtior enim fit quis ad rem sibi traditam, si illi multos videat adsentiri.

℣. 14. *Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Debitorem se dicit horum, quos memorat, quia ad hoc missus est, ut omnibus prædicaret: per quos etiam omnes significat debitores; confiteri enim creatorem Deum, ex quo omnia, & per quem omnia, & debitus honor est, & salus confitentis. Græcos ergo gentiles posuit, sed eos qui Romani dicantur sive natione, sive adoptione: Barbaros vero eos qui Romani non sunt, quorum genus adversum est, [d] & sunt gentiles. Sapientes autem illos dixit,

a. Ita vet. edit. ac mss. complures: edit. vero Gill. in marg. & Rom. in corp. cum aliis mss. *principes suos, ratres sibi factos in fide .... videres à potiore.*
b. Edit. Gill. ac Rom. *ut Romam veniret ad profectum* &c.

c. Mss. aliquot, *ut cessaret onere legis, quia* &c.
d. Edit. Amerb. atque Eras. ac plures mss. *& non sunt gentiles*: melius edit. Gill. & Rom. cum cod. Mich. & Vall. negationem excludunt.

qui mundanis rationibus eruditi, sapientes vocantur in sæculo; dum aut siderum speculatores sunt, aut mensuris, aut numeris, aut arti grammaticæ student, rhetoricæ, aut musicæ. His omnibus ostendit nihil hæc prodesse, nec vere sapientes esse, nisi credant in Christum: stultos vero hos dixit, qui simplicitatem sequentes, harum rerum imperiti sunt. His omnibus missum se prædicare testatur. De Judæis autem tacuit, quia magister gentium est. Ac per hoc debitorem se profitetur; quia ad hoc accepit doctrinam, ut tradat: & cùm tradit, adquirat.

℣. 15. *Itaque quod in me est, promtus sum, & vobis qui Romæ estis, evangelizare.* Quamvis se missum prædicare omnibus dicat gentibus, promtum tamen se Romanis adserit tradere Evangelium gratiæ Dei, apud quos [a] regni Romani caput & sedes est. Ad membrorum enim utilitatem vel requiem pertinet, si caput inquietum non fuerit. Ideo Romanorum pacem optat, ut non multum se jactet satanas, & uberiores fructus habeat operis sui.

℣. 16. *Non enim erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Hoc dicto illos tangit, à quibus acceperant non rectam fidem, apostolorum tamen doctrinam virtus commendabat; ut quia incredibile videbatur, quod prædicabatur, signa & prodigia ab apostolis facta testimonio essent, non diffidendum de iis quæ ab illis dicebantur, in quibus tanta virtus inesset (nulli enim dubium verba virtuti cedere, ac per hoc quoniam illorum [b] nulla visa erant portenta, prædicatio illorum sine virtute Dei erat) ideoque non se dicit erubescere Evangelium Dei, illos autem erubescere; quia [c] quod illi tradiderant, in reprehensionem veniebat, nec quoquam testimonio firmabatur, & discordabat à doctrina apostolica. Virtus igitur Dei est, quæ invitat ad fidem, & dat salutem omni credenti, dum peccata donat, & justificat, ut à secunda morte detineri non possit signatus mysterio crucis. Prædicatio enim crucis Christi [d] indictum est mortis evictæ, dicente apostolo Johanne: *Ad hoc enim venit Filius Dei, ut solveret opera diaboli*, ut omnis credens non teneatur à morte; quia signum habet quod victa mors est. 1. Johan. 3. 8.

Judæo primum, & Græco. Id est, huic qui ex genere est Abrahæ, & huic qui ex gentibus; in Græco enim gentilem significat: in Judæo vero eum, qui ex genere fuerit Abrahæ. Nam Judæi ex tempore Judæ Machabæi dici cœperunt, qui in causa clodis restitit sacrilegiis gentium, & fiducià Dei collegit populum, & defcndit genus suum. Fuit autem ex filiis Aaron. Quamvis ergo præponat Judæum causâ Patrum, tamen similiter etiam ipsum indigere dicit dono Evangelii Christi. Si ergo & Judæus non justificatur, nisi per fidem Christi Jesu; quid opus est esse sub Lege?

℣. 17. *Justitia enim Dei revelatur in eo ex fide in fidem.* Hoc dicit, quia in illu qui credit, sive Judæus sit, sive Græcus, justitia Dei revelatur. Justitiam Dei dicit, quia gratis justificat impium per fidem, sine operibus Legis, sicut alibi dicit: *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex fide est.* Quæ ex Deo est justitia in fide, ipsam justitiam dicit revelari in Evangelio; dum donat homini fidem, per quam justificetur. Ostenditur enim in eo veritas & justitia Dei, dum credit & profitetur: justitia est Dei, quia quod promisit, dedit. Ideo credens [e] hoc esse se consequutum, quod promiserat Deus per prophetas suos, justum Deum probat, & testis est justitiæ ejus. Abac. 2. 4. Phil. 3. 9.

Ex fide in fidem. Quid aliud est, *ex fide in fidem*: nisi quia fides Dei est in eo, quod de se repromisit: & fides hominis, qui credit promittenti; ut ex fide Dei promittentis in fidem hominis credentis Dei justitia reveletur? In credente enim justus Deus apparet: in eo autem qui non credit, injustus videtur; negat enim veracem Deum, qui non credit Deum dedisse, quod promisit. Hoc contra Judæos loquitur, qui negant hunc esse Christum, quem promisit Deus.

Abac. 2. 4. *Sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.* Propterea ad exemplum prophetæ Abacuc se convertit, ut declararet olim ostensum justum ex fide, non ex Lege vivere, hoc est, non justificari hominem apud Deum per Legem: sed per fidem: vita enim ex fide non hæc præsens est, sed futura; quia justus ex fide vivit, sed apud Deum.

℣. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo in omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Sicut enim in illo qui credit, justitia Dei revelatur, sicut supra memoravi; ita & in eo qui non credit impietas & injustitia revelatur. Ex ipsa enim cæli fabrica iratus illis Deus videtur; idcirco enim tam pulcra astra condidit, ut ex iis quantus & quam admirabilis creator eorum est, possit agnosci, & solus adorari. Unde scriptum est in psalmo: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Psal. 18. 2. Per naturalem ergo legem reum facit genus humanum; potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi testificante, auctorem Deum solum diligendum, quod Moyses litteris tradidit: Deut. 6. 5. sed impii facti sunt non colendo creatorem, & injustitia in eis apparet, dum videntes dissimulant à veritate, [f] non fatentes unum Deum.

℣. 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.* Notitia Dei manifesta est ex mundi fabrica; ut enim Deus, qui natura invisibilis est, etiam visibilibus possit sciri, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sui manifestaret, ut per certum incertum posset sciri: ac per hoc quod ceteris impossibile est, ille esse Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit.

Deus enim illis manifestavit, [g] hoc est, opus fecit, per quod possit agnosci per fidem.

℣. 20. *Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Idem sensus est, quem repetit; ut absolutius doceat quia cùm per se potentia & majestas Dei creaturæ oculis adspici non possint, [h] opere mundi intellecta conspiciuntur. Hoc igitur genere reos facit eos, qui sine lege vixerunt & naturæ & Moysi; consuetudine enim peccandi obturerunt legem naturæ, [i] oblitique memoriam ejus: legem autem quæ ad reformationem data fuerat, percipere noluerunt, ut duplici modo obnoxii fierent damnationi.

Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Ut omnino excusari impietas non possit, adjecit etiam virtutem Dei, & divinitatem sempiternam cognitam esse ab hominibus, & stupore quodam hebetasse ad honorandum Deum, quem & esse, & operari ad utilitatem suam non ignorarent; ea enim quæ humanis usibus evoluto anno gignuntur, ipsum decrevisse nulli in dubium venit. Æterna ergo virtus ejus Christus est, per quem instituit, quæ non erant, & manent in eo. Cujus si dudum persona agnita non est, opera tamen manifesta sunt: Divinitas vero, quia in opere sibi decreto perdurant elementa rerum.

Ut sint inexcusabiles. Multis enim modis qui reus convincitur excusari non potest.

℣. 21. *Quoniam cùm cognovissent Deum; non sicut Deum magnificaverunt, aut gratias egerunt.* Usque adeo non ignoraverunt, ut faterentur unum esse principium, à quo omnia initium sortita sint, cælestia & terrestria & inferna: & hunc unum esse qui omnibus decreverit proprietates & officia naturaliter; & hæc scientes non egerunt gratias. De anterioribus loquitur, ut præsentes & futuros corrigat.

Sed evanuerunt in cogitationibus suis. [k] Evanuerunt; videntes enim mundum miro ornatu aptatum ab eo, quem ejus opificem cognoverant, dissimulaverunt.

Et obscuratum est insipiens cor eorum. Nebula erroris texit cor illorum, quia cùm creatorem ex iis, quæ fecit pulcra, amplius honorificare debuerint, obtusi sunt, relicto illo, hæc sola dicentes sibi sufficere ad culturam, quæ videntur.

℣. 22. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Sapientes enim se arbitrantur; quia rationes physicas investigasse se putant, scrutantes cursus siderum, & qualitates elementorum, dominum autem horum spernentes; ideo

a. Ita vet. edit. ac mss. nisi quod pro *Romani* in nonnullis *Romæ* ponitur: at neutra vox in Rom. edit. admissa est.
b. Mss. Flor. & Vind. *nulla visa erat potentia*: Corb. *nulla vis erat potentia*.
c. Vet. edit. & plures mss. *quod illis tradiderat*: Rom. edit. cum cod. Prat. & Germ. apertius, ut in contextu.
d. Codex Mich. & quædam edit. Paris. *judicium est*.
e. Mss. Germ. ac Prat. *hoc esse consecutum*. Infra vero, ubi vet. edit. cum mss. *quod de se repromisit*, edit. Rom. fola, *quod promisit*.
f. Edit. Amerb. & Eras. cum mss. haud paucis, *non fatentes unum Deum*. edit. Gill. ac Rom. cum ceteris mss. *non fatentes* &c.

g. Ita vet. edit. ac mss. nisi quod in aliis habetur, *agnosci fide*: in his, *agnosci per fidem*, at Rom. edit. sic locum præfert: *Manifestavit se Deus illis, dum opus fecit, per quod possit agnosci. Invisibilia enim* &c.
h. Gill. ac Rom. edit. cum mss. quibusdam *opere*, mss. *opera*, *mundana fabrica*: Amerb. & Gill. cum antiquis cod. *opera*, plerique mss. *opera*, *mundi*.
i. Sic edit. Amerb. & Eras. cum multis mss. Gill. vero & Rom. edit. cum aliis, *obliterando memoriam ejus*.
k. Mss. nonnulli & Gill. in variis lect. *Vere vanitatis est hoc, ut cognoscentes veritatem*, [illegible]

stulti

stulti sunt; cùm si hæc laudanda sint, quanto magis creator illorum? Solent tamen pudorem passi, neglecti Dei misera uti excusatione, dicentes per istos posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad regem. Age, numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam regis vindicet comiti; cùm de hac re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino, conservos adorant; quasi sit aliquid plus, quod reservetur Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos aut comites itur; quia homo utique est rex, & nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota. Ubicumque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit illi.

℣. 23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Sic obcæcatum est cor illorum, ut majestatem invisibilis Dei, quem ex his factis agnoverant, [a] non hominibus, sed quod pejus est, & inexcusabile crimen, in similitudinem hominum mutarent; ut forma corruptibilis hominis Deus ab his vocetur, hoc est, simulacrum hominis: ut quos vivos hoc nomine donare non audent, mortuorum imagines in gloriam Dei recipiant. [b] Quanta hebetudo, quanta stultitia, hos se sapientes appellare ad suam damnationem, apud quos plus potest imago, quam veritas; & mortui potiores sunt vivis? A vivo enim Deo recedentes, mortuis favent, in quorum numero sunt, sicut scriptum est in Sapientia Salomonis: (Sap. 15. 17.) *Mortalis fingit mortuum manibus iniquis.*

Et volucrum, & quadrupedum, & serpentium. [c] His subjectis cumulavit ad pœnam hebetudinis, ut ultra stultitiam & vanitatem sint hujusmodi. Sic enim Dei majestatem & gloriam minuerunt, ut horum [d] quæ minima & parva sunt, similitudini Dei honorificentiam darent; primi enim Babylonii Deum vocaverunt figmentum Beli cujusdam quondam hominis mortui, qui principatum in eos dicitur egisse. Coluerunt & serpentem draconem, quem occidit Daniel homo Dei, (Dan. 14. 26.) cujus similitudinem habent. Ægyptii autem colebant quadrupedem, quam dicebant Apin, in similitudinem vaccæ; quod malum [e] imitatus est Hieroboam, (3. Reg. 12. 28.) vaccas instruens in Samaria, quibus sacrificarent Judæi; & volucres, quia Coracina sacra habebant pagani. Harum tamen omnium rerum quas memoravi, simulacra coluerunt Ægyptii, & alia quæ nunc dicere non est necesse. Hæc ab his facta sunt, qui se sapientes æstimaverunt in mundo; quia enim invisibilem Deum agnoscentes, non honoraverunt ista faciendo, nec in iis quæ visibilia sunt, sapere potuerunt. Difficile enim [f] in majoribus prudens, in minoribus non sapit.

℣. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis illorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis.* Quoniam, inquit, ad injuriam creatoris Dei figmenta & similitudines rerum deificaverunt, traditi sunt illudendi; & traditi non ut illa agerent, quæ nolebant; sed ut illa perficerent, quæ desiderabant. Et hic bonitas Dei est; cùm enim dignum fuisset subjici illos, ut facerent quæ nolebant, & cruciarentur; quia licet bonum, si contra voluntatem fiat, amarum & malum est. Isti autem avertentes se à Deo, traditi sunt diabolo. Tradere autem est permittere, non incitare aut immittere; ut ea quæ in desideriis conceperant, adjuti à diabolo explerent in opere: nec enim possent hujusmodi bonum cogitatum habere.

Traditi ergo sunt *in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis.* Cùm præterita recolat, etiam A præsentis temporis mala significat; quia traduntur nunc usque, ut contumeliis afficiant corpora sua. Originis enim illius nunc usque sunt homines, qui dicuntur corpora sua dehonestare invicem. Cùm cogitatio animæ sit in crimine, corpora dicuntur dehonestari: quare, nisi quia macula corporis indicium est peccati animæ? Cùm enim corpus contaminatur, nemo ambigit animæ esse peccatum.

Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. ℣. 25. Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, hoc est, nomen Dei, qui verus est, dederunt iis, qui non sunt dii. Lapidibus enim, & lignis, vel ceteris metallis auferentes quod sunt, [g] dant illis quod B non sunt: & hoc est immutare verum in falsum. Non enim vocantur jam lapis aut lignum, sed Deus: hoc est servire potius creaturæ quam creatori. Non enim negant Deum, sed serviunt creaturæ: quo non excusantur, sed accusantur magis; quia cognoscentes, non honorant Deum.

Qui est benedictus in sæcula. Amen; hoc est, verum. Deus verò ait; *benedictus in sæcula*; quia permanet Deus: diis autem gentium ad tempus impietas dat honorem; ideo non est *verum*. In Deo autem manet veritas. Hanc benedictionem alio loco Filio Dei adsignat, inter cetera dicens: *Et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* (Rom. 9. 5.) Aut uterque ad C Christum pertinens, aut eadem dixit de Filio, quæ & de Patre.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. ℣. 26. Hæc irato Deo propter idololatriam humano generi provenisse testatur, ut mulier mulierem turpi desiderio ad usum appeteret. Quod quidam aliter interpretantur, non perspicientes vim dicti. Quid est enim immutare naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam, [h] nisi sublato concesso usu aliter uti, ut una atque eadem pars corporis uniuscujusque inter se invicem sexus aliter se ad usum præbeat, quam concessum est? [i] Nam si D illa est pars corporis, quam putant, quomodo immutaverunt usum naturæ, cùm non habeant hujusmodi usum datum à natura? Superius jam dixerat traditos in immunditiam, non tamen qualitatem operis immunditiæ ipsius ostenderat, pro quo nunc declarat:

Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. ℣. 27. Nunc manifestavit quomodo, quod superius de mulieribus dixit, intelligi debeat. Quando autem subjecit: *Similiter & masculi*, dicens, [k] *exarserunt in desiderium sui*; ostendit aperte peccatum mulierum. Denique non dixit de viris quod immutaverunt naturalem usum in E invicem; quia hujusmodi usus huic parti concessus non est: sed de feminis. Et quid mirum, cùm hodieque tales mulieres reperiantur; ut sicut illud à viris, itaque & hoc à mulieribus sit inventum? Denique mulieres inter se accusant, & viri similiter; manifestum est ergo ut qui jam veritatem Dei immutaverunt in mendacium, immutarent & naturalem usum in eum usum, per quem dehonestarentur, rei facti mortis secundæ. Quoniam vero aliam legem dare non potest Satanas, nihil enim habet, concessa & licita in alium ordinem versat, ut dum aliter fiunt, quam concessa sunt, sint peccatum.

[l] *Et compensationem mercedis quam oportuit, erroris sui in* F *semet ipsis recipientes.* Hanc dicit compensationem esse contempti Dei, id est, turpitudinem & contaminationem; hæc est enim prima causa hujus peccati. Quid enim pejus, quid deterius [m] hoc peccato? Quantum enim idololatria perim-

a. Rom. edit. ac pauci mss. non in hominis. Cæteræ vero ubi eadem cum aliis edit. ac mss. aliquot, ut *forma corruptibilis hominis*, sed. nonnulli omittunt *hominis*, alii efferunt, ut *forma corrupta filii hominis*.

b. Vet. edit. ac perplurimi omnes mss. *Quanta ægritudo .... apud quos plus mortui possunt, quam vivi, & mortuos potiores sunt vivis.* Optime Rom. edit. cum mss. aliquot, ut nunc in textu.

c. Ita vet. edit. ac mss. nisi quod in quibusdam omittitur *ad*: Rom. autem edit. sic immutavit: *His cumulat eorum hebetudinem, ut* &c.

d. Rom. edit. *quæ inanita & prava sunt*: vet. vero edit. ut in contextu, nisi quod Lud. & Gill. in marg. & ms. Corb. in corp. subdunt, *& prava sunt*.

e. Corb. cod. *imitatus Hieroboam vaccas instituit & in Dan, & Bethel* [illegible] ac vet. edit. [illegible] lectione, nisi quod in mss. non paucis legitur *instruens* aut *instituens* pro *instituens*. Infra vero pro *Coracina* aut *coronica sacra*, quidam cod. habent latina voce *corvina sacra*.

f. Ita vet. edit. ac mss. longe plurimi: at alii nonnulli efferunt, *in majoribus prudens, in minoribus sapit*: Rom. edit. sola, *in minoribus prudens, in majoribus non sapit*, inepto sensu.

g. Quæ subsequuntur, cod. Corb. Remig. Colb. & Gill. in variis lect. ita exhibent: *Dant illis quod non sunt, ut Dei veritas sit mendacium, quando lapis dicitur Deus; quando falsum possit Deum, qui verus est; ut quia communi nomine arbitrantur falsi & veri, simili modo verus Deus habeatur, ut falsus. Hoc est immutare verum in falsum. Sic serviunt creaturæ potius quam creatori; non enim negant, quidam invocant Deum, sed serviunt creaturæ: aeternum videntur digne hæc colere. Dei honorem his imposuerunt, ut injuria Dei bonum esset colere. Ideo ad pœnam eorum proficit, quia cognoscentes* &c.

h. Ita vet. edit. ac plures mss. à quibus Rom. edit. hoc tantum recedit, quod prima verba sic immutavit, *nisi naturali concessoque usu aliter uti*: totum vero locum mss. nonnulli hoc modo contrahunt, *nisi sublato concesso usu aliter se ad usum præbeat*.

i. Mss. nonnulli, *Nam si alia est pars corporis, quam immutavit.* Infra vero ubi omnes edit. *cum habeat hujusmodi*, repulsavimus è candidis mss. *cum non habeant* &c.

k. Pauci mss. *relicto naturali usu feminæ, accensi sunt in desiderium suum in invicem.*

l. Ms. Corb. *Et reciprocam mercedem .... Hanc dicit reciprocam mercedem* &c. alii nonnulli, & edit. *Et mercedem*: sed alio omnium optime, ut in contextu.

m. Idem codex, *hoc peccato, quod diabolo decipiente, hominem mortificet obscurum? Et sunt* &c.

pium & gravissimum delictum est; tantum & compensatio ejus horrenda, & persordida passio est.

ỷ. 28. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Propter errores simulacrorum traditi sunt ad turpia facienda invicem, sicut jam dictum est. Et quia impunitatem horum æstimaverunt, incuriosum Deum judicantes, ac per hoc negligendum. Hinc additum est, ut magis ac magis hebetati, ad omnia mala admittenda fierent promtiores; ut facta quæ hominibus non ambigerent displicere, Deum crederent non vindicare. Nunc enumerat omnia mala, quæ illis superaddita sunt; ut vel sic conversi ad naturalem intellectum, intelligerent, irato Deo, hæc sibi provenisse.

ỷ. 29. *Repletos*, ait, *omni iniquitate.* Hic summatim loquutus est, & subjicit membra iniquitatis: [a] *Malitiâ, impudicitiâ*, inquit, *avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidiis,*
ỷ. 30. *contentione, dolo, malignitate, susurratores, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum.* Caput iniquitatis malitiam dixit, cujus opus fornicationem posuit atque avaritiam. Hæc fornicatio habet in se & adulterium; si enim dixisset adulterium, videbatur excusasse fornicationem, sicut leges Romanæ: ideo quod minus est posuit, ut quod majus est, inultum [b] non possit credi.

Deinde adjecit, *nequitia*, cujus affectus invidiam parit & homicidia, contentionem ac dolum. Post hæc subjecit, *malignitate*, quæ gignit susurrationes atque detractiones; & quoniam hæc Deo non displicere non possunt, ait: *Deo odibiles*; & quia nec hominibus placent, *contumeliosos*, inquit, *superbos, elatos, inventores*, id est, auctores, *malorum*, non ergo semper malum. Isti autem imitatores facti patris sui diaboli, idololatriæ malum invenerunt, per quod omnia vitia in mundo sunt nata, & perdito maxima. Nam diabo- 1. Johan. 3. 8.
lus, quem ab initio Scriptura peccare testatur, quamquam tyrannicæ præsumtioni studeat, non tamen id ausus est pro- Luc. 4. 6.
fiteri, ut dicat: *Ego sum Deus.* Denique inter cetera dicit ad Dominum: *Hæc omnia mihi tradita sunt*, non dicit: A me sunt; vel, mea sunt. Et in libro Job potestatem sibi Job 1. 12.
dari [c] exposcit. Quamobrem pejores isti sunt, qui non tantum elementis sed & figmentis tribuunt deitatem.

ỷ. 31. *Parentibus non obedientes.* Quanta autem insolentia arrepti sunt, [d] ut nec parentes suos, quos auctores in nativitate habent, agnoscerent, quique se natos gauderent; illos tamen per quos esse cœperant, contemnebant? Hoc est esse *sine intellectu, sine caritate*, sed Dei; nam erat in illos caritas carnis. Hi Dei justitiam cognoscentes per legem naturæ (sciverunt enim hæc Deo displicere, sed in animo ponere noluerunt, [e] *Quoniam qui hæc agunt, digni sunt morte*) usque adeo justitiam Dei cognoverunt, ut non negent hæc omnia, quæ faciant, pœnâ digna & morte. *Et non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Adsensus enim participatio est.

ỷ. 32. *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui hæc agunt, digni sunt morte: & non solum faciunt ea, sed etiam consentiunt facientibus.* Hæc omnia mala corpus est peccatorum, cui mancipati facti sunt potestatis ejusdem, ut faciant punienda. Hæc enim malorum causâ à Sodomitis cœpta est offensione Dei, sicut supra dictum est, & in omnem prope partem mundi ramos suos extendit, iram Dei idololatriæ causam nuntians, quæ prima pars est erroris & impietatis, quam primum condemnat; ut cùm hæc emendata fuerint, facile corrigantur & morum vitia. Sublato enim malitiæ semine, nequitiæ fructus arescent; non enim dat arbor fructus, cujus excisæ sunt [f] radices. Nam ideo & Moises Sodomæ & Gomorrhæ gesta memo- Gen. 18. & 19.
tavit, exitumque non tacuit, ut timorem poneret hujus rei vitandæ. Non ergo hoc vitium & contaminatio dehonestatæ vitæ ab eo admittitur, qui in animo cogitat Deum.

Sunt quidam qui se reos non putant, si non operentur quæ mala sunt, adsentiant autem facientibus. Adsentire autem est, si cùm possit reprehendere, taceat; aut audiens has fabulas, aduletur. Sciens enim impurus & malignus non ignorari quæ agit, & minime se vitari, sed etiam honori esse, [g] gloriatur forte se talem: nec confundi potest in his, quando videt faveri sibi, & obsecundari ab iis, qui non sunt tales; & ita est, ut qui fomitem præbeant delictis illorum: ideoque dignum est ut pari crimine rei habeantur. Sunt iterum alii, qui non solum faciunt mala, sed etiam consentiunt facientibus; ut non solum faciant, sed & talibus consentiant. Duplex ergo horum est nequitia: non enim tam mali sunt, qui faciunt, & facientibus contradicunt; [h] scientes enim nefaria, non illa vindicant: illi vero tam nequissimi sunt, qui & faciunt, & consentiunt facientibus, ut nec Deum timeant; sed increscere cupientes mala, ideo hæc minime vindicant, ut suadeant non illa esse vitanda.

CAP. II. ỷ. 1. **Q**uapropter inexcusabilis es, ô homo omnis, qui judicas. *In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas.* Quoniam facientem maligna, & consentientem facientibus, morte dignos ostendit; ne forte hic qui facit, & non consentit facientibus, excusare se posse putaret, docet hujusmodi inexcusabilem fore. Non enim justum est, ut huic impune concedatur; quia per hypocrisin ostendit se non talem, cùm pejor esse deprehendatur. Fallit enim, ut dum puniendus sit, honore dignus appareat.

ỷ. 2. *Scimus autem quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Hoc est, non ignoramus Deum judicaturum de his in veritate, quando nos ipsi de his judicamus. Si enim nobis displicet, quanto magis Deo, qui magis justus est, & opus suum zelatur? In veritate ergo cùm dicit judicaturum Deum de his, terrorem incutit; ut quem hi perfidi incuriosum dicunt, iste malos secundum veritatem dicat judicaturum, hoc est, verissime reddere secundum mensuram uniuscujusque, & non parcere.

ỷ. 3. *Existimas autem hoc, ô homo, qui judicas de iis, qui talia agunt, & facis ea; quia tu effugies judicium Dei?* [i] Hoc est, numquid quia tibi examen datum est potestatis judicandi de malis & stupris, cùm eadem agas, & non est qui te ad præsens judicet, effugies judicium Dei? Non utique; quia si judicium Dei in mundo evasisti, quia omnis hæc potestas & judicium ab eo est, in futurum non evades. Per se enim judicaturus est Deus, apud quem cessat adulatio & personarum acceptio. Aut certe si justum alicui videtur, ut hujusmodi immunis à pœna sit, dicat. Quod si justum est ut non evadat, credat Deum judicaturum; ut & quod justum esse judicat, verum sit, & impleatur, & Deum conditorem mundi providenter & curiose operis sui merita requirere fateatur. Si enim fecit & negligit, malus opifex dicitur; quia per id quod negligit, non bona se fecisse, quæ fecit, ostendit: sed quia bona fecisse negari non potest (indignum est enim & improbabile bonum mala fecisse) curam eorum necesse est ut dicatur agere; quia contumelia ejus erit & accusatio, si bonorum à se factorum negligens inducatur: quippe cùm ejus nutu ac providentia vita ipsa sustentetur ministerio elementorum, sicut ipse Dominus dicit: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, &* Matth. 5. 45.

a. Ita Rom. edit. cum mss. quibusdam ac variis lect. edit. Gill. quibusdam tamen additis & mutatis: vet. autem edit. ac mss. nostri constanter exhibent, *Malitiâ, fornicatione. Hæc fornicatio* &c.

b. Vet. edit. ac plures mss. *non possit credi. Et cetera quæ manifesta videntur: avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidiis contentione, dolo, malignitate susurratores, detractores, Deo odibiles, contumeliosos superbos, elatos inventores malorum, parentibus non obedientes. Quanta autem insolentia.* Corb. cod. post *non obedientes* subjungit, *insipientes, incompositos sine affectu, sine misericordia, qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui illa faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Caput iniquitatis*, & cetera, ut supra. Nos variae Gill. lectiones in textum Rom. edit. jam receptas retinuimus.

c. Ms. Corb. *exposcit. Et in propheta Zacharia contradicere se putat sacerdoti, non sibi vindicans potestatem. Quam ob rem* &c.

d. Gill. varietates cum ms. Corb. & Remig. ad finem capitis fermè conveniunt. Prolixe tamen est & contextior hujus textus, quam exhibemus; *Sed nec parentes suos cognoscerent honorandos; ideo insipientes incompositos esse dixit, nec Dei nec hominum habentes affectum. Hinc est unde & immisericordes essent. Qui enim in suos crudelis est, quanto magis in alienos? In his ergo omnibus contrarietas effecti, cognitam habentes Dei justitiam in animo ponere noluerunt, quoniam qui hæc agunt, digni sunt morte: & nec hos immunes esse à morte, qui cùm hæc non faciunt, consentiunt facientibus. Isti enim non horrentibus, nec arguentibus, illi in pejus proficiunt. Quando enim videt honorari se ab his, qui non sunt tales, crescit in malitia, & gloriatur forte se talem; ideirco dignum est una hos pœna mulctandos. Omnes tamen consitentes noverunt Dei justitiam conditam mundo; occulte enim quæ punienda sunt, operantur. Quomodo ergo credunt ipse impune fore, quæ non audent publice gerere?* Cod. Thuan. & Colb. illis consentiunt usque ad verba, *ponere noluerunt*: cetera vero exhibent ut in textu.

e. Ita mss. ac vet. edit. nisi quod prætermittunt: *Insipientes, incompositos, sine affectione, sine misericordia*; quæ verba cum cod. Flor. Corb. Vind. & Rom. edit. recudimus. Retinuimus vero, *Usque adeo .... digna sunt & morte*, quæ verba ex iisdem tribus cod. desiderantur, quæque in Rom. edit. resecatis aliis usque ad *Qui cum justitiam Dei*, post eumdem Scripturæ textum rejiciuntur.

f. Voci *radices* mss. aliquot adjungunt: *De his qui faciunt, & contradicunt; unus, vae his* &c. Similiter etiam infra post verba, *adsentiant autem facientibus*, annectunt. *De his (unus Væ his) qui adsentiunt facientibus.* Utcumque hi tituli sunt, è marginibus in textum à librariis incautius trajecti.

g. Vet. edit. *gloriatur fore se talem*: Rom. & mss. prope ad unum, *gloriatur forte* &c.

h. Rom. edit. *facientes enim nefaria, illa vindicant.*

i. Ms. Corb. *Non vult hujus rei impunitatem ab his sperare, quia injustum est quibus examen potestatis datum est de malis vel stupris hujusmodi judicare, cùm sint tales, effugere. Quia si deest, inquit, ad præsens qui de te judicet, effugere tamen judicium Dei non poteris in futuro.*

pluit ſuper juſtos & injuſtos. Qui ergo præſtat curam, non A agit conſervare quod fecit, ut amantes ſe remuneret, ſpernenteſque condemnet.

℣. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te provocat?* Hæc dicit, ut non jam ſe putet evaſiſſe, ſi illum bonitas Dei patitur diu peccantem: nec patientiam ejus putet contemnendam, quaſi non curantem res humanas: intelligat autem ideo à ſe diſſimulari, quia non in hac vita judicium Dei promiſſum eſt futurum, ut in ventura vita pœniteat illum judicem Deum non crediſiſſe: in pœna enim poſitus ſine fructu pœnitentiæ, pœnitebit; quia non credidit judicium Dei, quod videt verum. Neceſſe eſt enim ut acrius emendetur, immo pœnis perennibus tor- B queatur, quem patientiæ longanimitas non emendavit. Severiſſime loquitur, ſciens malignam mentem non poſſe niſi timore à vitiis facile revocari.

℣. 5. *Secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei,*

℣. 6. *qui reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Impunitatem ſperans peccatorum, non ſolum durat inconvertibilis & intractabilis manens; ſed adhuc acerbius peccat, ſecurus quod non ſit ultio futura, cor habens impœnitens, ignorans quia iram ſibi congregat in die iræ. Neceſſe eſt enim ſæviori pœna ut plectatur, immo flammis perennibus torqueatur, qui longa Dei patientia non ſolum ſe emendare C noluit; ſed adhuc addens ad contemtum exaggeravit peccata. Dies iræ eſt peccatoribus, quo punientur: [b] ideo ipſis eſt ira, quia ſentiunt pœnam in die revelationis juſti judicii Dei. Revelabitur enim, id eſt, agnoſcetur, quod modo futurum negatur; ideoque cùm oſtenditur, quod non eſſe creditur, revelatur. His enim oſtenditur, qui negant, quod credentibus manifeſtum eſt; ut confiteantur etiam inviti juſtum judicium Dei, cùm unicuique reddet ſecundum opera ſua. Numquid [c] non hæc fatebuntur juſte fieri, cùm viderint mala invicem facta ulciſci?

℣. 7. *Iis qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem, quærentibus vitam æternam.* Quoniam judicium Dei [d] juſtum prædicatum eſt, quale autem D bonis futurum eſt, declaravit: hos dicit, qui patientiam Dei ſcientes, partim ad correptionem, partim ad majorem ultionem non ſe corrigentium protelari, priorum operum pœnitentes bene verſantur, ſecti fiducia fidei; ne diu hîc poſiti damnum incurrant promiſſæ vitæ. Dabit ergo eis *gloriam & honorem.* Et ne non hoc valde magnum ad comparationem præſentis vitæ videretur, quia & hîc glorioſi videntur & honorati, adjecit: *Et incorruptionem*; ut ex eo alia gloria & alter honor intelligeretur, quando incorruptio ſimul comitabitur. In præſenti enim honor vel gloria frequenter amittitur; quia corruptibilis eſt, qui dat, & quod dat, & qui accipit, in die enim judicii Dei incorruptibilis jam dabitur honor & gloria, ut ſint [e] tota æterna: E ipſa enim glorificabitur ſubſtantia, quadam immutatione meritorum. Hi ergo quærunt vitam æternam, qui non ſolum bonæ profeſſionis ſunt, ſed & vitæ.

℣. 8. *Iis vero qui ex contentione, & qui diffidunt veritati, obediunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia*, hoc eſt, iterata anguſtia. Diffidentes de futuro Dei judicio per Chriſtum, ac per hoc & patientiam ejus contemnentes, contendunt evacuare illud, cùm ſit verum & ſtabile. *Credunt autem iniquitati*; iniquitas eſt enim negare quod Deus futurum prædixit. Tria ergo alia poſuit incredulitati condigna, dicens: *Ira & indignatio, & anguſtia.* Ira eſt enim non ei, qui judicat; ſed illi, qui judicatur, dum ſit reus. Iraſci enim dicitur Deus, ut vin- F dicaturus credatur; nam Dei natura ab his paſſionibus immunis eſt. Et ut non ſolum iraſci, ſed & vindicare credatur, adjecit: *Et indignatio*; indignatio eſt, quam ad-

A dendo ſuper iram, injuriam ſuam Deum vindicaturum ſignificat. *Anguſtia* vero ſunt, quibus ſententia conſtrictus, tribulabitur in pœna.

Super omnem animam hominis operantis malum. In hoc opere non ſolum facta ſignificat, ſed & perfidiæ profeſſionem. De incredulo enim dicit; & ideo ſuper animam dixit, ut ſpiritualem pœnam intelligas, non corporalem; quia anima inviſibilibus pœnis arctabitur. ℣. 9.

Judæi primum, & Græci. Semper Judæum anteponit prærogativâ Patrum, ut aut coronetur primus, aut damnetur; quia credens honorificentior eſt propter Abraham, diffidens autem pejus tractandus eſt; quia donum promiſſum Patribus refutavit.

B *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. Judæo primum, & Græco.* Quomodo incredulis tria pœnalia poſuit, ſic & fidelibus tria magnifica, ut honorem [f] habeant geminum, quaſi filii Dei; gloria ſit pro immutatione, pax vero, eo quod bene viventes quieti erunt in futuro, nulla perturbatione commoti; quippe quia omnis homo [g] à contrariis ſe abſtinens, apud judicem habet pacem. ℣. 10.

Non enim perſonarum acceptio eſt apud Deum. Quoniam oſtendit Judæum ſive Græcum non deſpici à Deo, ſi tamen credat in Chriſtum, ſed accepto ferri ambobus juſtitiam fidei; ſic iterum non credentes pariter reos eſſe, quia magis oberit circumciſio ſine fide, & proderit præputium per C fidem: ac per hoc docet perſonarum acceptorem Deum non eſſe. Nec enim prærogativam generis ſequitur, ut diffidentem ſuſcipiat cauſa patrum, aut credentem abjiciat à ſe propter indignitatem parentum: ſed unumquemque proprio merito aut remunerat, aut condemnat. ℣. 11.

Quicumque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege & peribunt. Quomodo poteſt ſine lege peccari, cùm omnes ſimul ſubditi ſimus legi naturali? Sed de Moyſis lege dicit, cui Judæi obnoxii ſunt, dum non credunt: nec non & gentiles, ſed jam dudum; quia adjungere ſe illi noluerunt. Non credentes ergo gentiles duplici genere ſiunt rei; quia neque legi datæ per Moyſen adſenſerunt, neque Chriſti gratiam receperunt; ideo dignum eſt ut pereant. Igitur D ſicut qui ſine lege peccat, peribit; ita & qui ſine lege legem ſervaverit, juſtificabitur. Juſtitiam enim naturaliter ſervans, cuſtos legis eſt. *Si enim juſto non eſt lex poſita,* ſed injuſtis; qui non peccat, amicus legis eſt. Huic ſola fides deeſt, per quam fiat perfectus; quia nihil illi proderit apud Deum abſtinere à contrariis, niſi fidem in Deum acceperit, ut ſit juſtus per utraque; quia illa temporis juſtitia eſt, hæc æternitatis. ℣. 12. 1. Tim. 1. 9.

Et quicumque in Lege peccaverunt, per Legem [h] judicabuntur. Quoniam Judæi legem habent, in qua ſalus illis promiſſa eſt; non credentes, vel non recipientes promiſſum, per legem judicabuntur, ſub qua vixerunt. Ipſa enim accuſante, pœnas exſolvent: nam prope gravior Judæorum E cauſa eſt apud eos ipſos, quam gentium. Sicut enim credentes præferuntur; ita & cùm diffidunt, pejores inveniuntur: plus enim diſplicet, qui quod habuit, amiſit; quam qui quod non ſperavit, conſequi non potuit. Iſte enim [i] non intravit in regiam, ille foras miſſus eſt.

Non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur. Hoc dicit, quia non hi juſti ſunt qui audiunt Legem, ſed qui credunt in Chriſtum, quem eadem Lex promiſit: & hoc eſt facere Legem. Omnis autem non facit Legem, qui non credit Legi; dum non recipit, cui Lex teſtimonium perhibet. Qui autem in Lege non videtur eſſe; quia incircumciſus eſt carne, credit autem in Chriſtum, hic feciſſe Legem dicitur. Et ille qui ſe dicit F in Lege eſſe, id eſt, Judæus, [k] auditor Legis fit, non factor; quia non credit in Chriſtum ſcriptum in Lege, ſicut dixit Philippus ad Nathanael: *Quem in lege ſcripſit Moyſes & prophetæ, invenimus Jeſum.* ℣. 13. Johan. 1. 45.

a. MSS. Remig. Corb. Thuan. & Colb. *non crediſiſſe, qui ut terrorem futuri judicii ſui oſtenderet, & patientiam non contemnendam, ait: Tacui, numquid ſemper tacebo? Hujuſmodi ergo in judicio poſitus ſine fructu pœnitebit, videns judicium Dei, quod negavit futurum: ut nec pudorem habeat deprecandi, quia longanimitatem bonitatis Dei deridendam putavit. Neceſſe* &c.

b. Rom. edit. *ideo ipſis eſt ira, qui* &c. Sequentia autem verba mſſ. Remig. & Corb. hæc efferunt: *Manifeſtabitur enim quod modo futurum negatur, ut confiteantur etiam inviti juſtum judicium Dei, videntes reddi unicuique ſecundum opera ſua. Iis quidem qui ſecundum patientiam* &c.

c. Nonnulli mſſ. *non effabuntur juſte fieri.*

d. Rom. edit. *juſtum prædicavit, nunc quale bonis futurum eſt, declarat, iis videlicet.*

e. Omnes edit. ac mſſ. quidem, *tota vita æterna*: melius vero in aliis *vita* omittitur. Non autem habent quod pro *glorificabitur*, nonnulli cod. habent, *glorabit.*

f. MSS. haud pauci, *habeant geminum, aut honorificentiam . . . geminum.* Continuo vero poſt, ubi vet. edit. ac mſſ. *gloria ſit pro immutatione, pax vero eo quod,* nonnulli *pax vero & ſecure quod.* Rom. edit. repoſuerat, *gloriam in immutatione, pacem vero eo quod* &c.

g. Rom. edit. *ab adverſariis ſe abſtinens . . . . acceptor eſt Deus.*

h. MSS. aliquot, *judicabuntur. Sicut gentiles et ſi legem naturæ cuſtodiant, . . . tamen niſi acceperint fidem Chriſti; major enim cauſa eſt ſolum Deum credere, quod Deus unus ſit, quam à cæteris abſtinere peccatis? hæc enim Dei cauſa eſt, illa noſtra. Ita & Judæi ſub lege agentes, à lege accuſati judicabuntur, quia non recipiunt Chriſtum in lege promiſſum. Et, ſi quæras, major dolor eſt gentibus; pejus eſt enim promiſſum non accepiſſe, quam quod deſperaverat, non accepiſſe.*

i. MSS. complures, *non intravit in regnum.*

k. Codex Corb. & alii nonnulli, *quia quæ dicantur, non transfundit ad mentem, non factor legis fit, ſed auditor. Non enim credit* &c.

℣. 14. *Cùm enim gentes quæ Legem non habent, naturaliter quæ Legis sunt, faciunt.* Gentes christianos dicit alio loco: *Vobis enim dico gentibus*: quia incircumcisi neque neomenias, neque sabbatum, neque escarum legem servant, & duce natura credunt in Deum & Christum, id est, in Patrem & Filium; hoc est enim Legem servare, Deum Legis agnoscere. Prima enim sapientiæ pars hæc est, timere Deum Patrem, ex quo sunt omnia: & dominum Jesum filium ejus, per quem sunt omnia. Ipsa ergo natura proprio judicio creatorem suum agnoscit, non per legem, sed per rationem naturæ; opus enim opificem cernit in se.

℣. 15. *Hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Idem sensus est; quia dum natura duce credunt, opus legis ostendunt non per litteram, sed per conscientiam. Opus autem legis est fides, quam cùm dictis exhibet Deo, naturali judicio ostendit semet ipsum legem sibi esse; quia quod mandat lex, ultro facit, ut credat in Christum.

Testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum. Teste interiore conscientia sua credunt, quia conscii sibi sunt convenire sibi, quod credunt; congruum est enim creaturæ credere & venerari suum conditorem: nec absurdum est, ut dominum servus agnoscat.

℣. 16. *Et inter se cogitationibus invicem accusantibus, aut etiam defendentibus in die, qua judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum dominum nostrum.* Quoniam Judæos diffidentes per Legem dixit judicandos fore (Lex enim illos accusabit, quæ Christum illis promisit, quem venientem recipere noluerunt) gentes autem, quæ Legem utique non habent, per conscientiam judicabuntur, si credere noluerint. Primum quidem accusatores erunt gentiles credentes non credentium gentilium; sicut Judæis non credentibus dicit Dominus de discipulis suis: *Ipsi judices vestri erunt*; quia perfidia Judæorum judicabitur fide apostolorum, qui cùm ex ipsis essent, illis diffidentibus, crediderunt. Deinde cogitationibus suis accusabuntur gentiles, si compuncti creatoris fidem & virtutem noluerint credere: aut si [a] stupore quodam non considerant, ut credant verbis & gestis Dominicis, defendentes se conscientiâ in die judicii, quia non cogitavit se debere credere; & judicetur non quasi malevolus, sed quasi ignorans: non tamen sine pœna futuros; quia id non licet ignorare. Gentes enim duplici genere significat, tam credentes quam infidos; superius enim de gentibus credentibus dicit: post autem subjecit etiam de eis gentibus, quæ non credunt; ut sicut per conscientiam suam laudantur credentes, ita & per conscientiam suam accusentur diffidentes. Quamvis enim sibi videatur minime reus, qui non credidit; quia apud se tractare illud non potuit, ratione tamen convincitur, quia non sibi suasit verum hoc esse, quod & virtutum testimoniis videat confirmari, & multos sequi.

Puto etiam sic posse intelligi, si tota quæstio [b] de gentibus credentibus dixisse credatur, quia ait: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et, *Qui non crediderit*, inquit, *jam judicatus est.* Et, *Quia non resurgunt impii in judicio.* Sine lege enim peccantes, sine lege & peribunt; ac per hoc ante tribunal Christi stare non poterunt, & reddere causas; quia resurgentes ducentur ad gehennam. Illi enim quos dicit invicem cogitationibus suis accusari aut defendi in die judicii Dei, christiani sunt ii, qui discordant à catholica veritate, diversa sentientes de Christo, aut de sensu legis in traditione Ecclesiæ, sive cataphrygæ, sive novatiani, sive donatiani, aut ceteri hæretici. Horum cogitationes invicem se accusabunt in die judicii; si intellexit quis veram esse catholicam doctrinam, & ne videretur emendatus, sequi noluit, erubescens ab eo quod diu tenuit recedere, in die judicii cogitatione sua accusabitur. Duæ enim cogitationes in homine invicem se accusabunt, bona & mala. Bona accusat malam, quia contradixit veritati: mala iterum accusat bonam, quia non sequuta est, ut sensit: & per hoc constituitur reus, qui cogitavit, sentiens bonam & veram esse ecclesiam catholicam, & permansit in hæresi vel schismate. Ejus autem cogitationes se invicem defendent, qui semper hoc cogitavit, putans utile quod sequutus est. Dicturus est enim: Semper in cogitationibus meis hoc putavi utile, quod sequutus sum: hæc fuit fides mea. Hic leviorem habebit causam, quamvis emendandum sit; quia à conscientia sua non accusabitur in die judicii. Hoc modo judicabuntur occulta hominum in die judicii Dei *per Jesum Christum dominum nostrum.*

℣. 17. *Si autem tu Judæus cognominaris.* Cognomen Judæi est, quia ex prærogativa parentum est, ut dicantur Israelitæ. Et tamen si totum velimus quod ad causam pertinet, comprehendere, cognomen Judæis [c] tripartito genere significatum debemus advertere. Primum quia filii sunt Abrahæ, qui per fidei suæ meritum pater positus est cunctarum gentium. Deinde propter Jacob, qui augmentandæ fidei gratia Israel appellatus est, cœpta enim patris dignitas nobilitatur in filiis. Tertio non magis propter Judam, sed propter Christum; quia ex Juda ortus est secundum carnem, Judæi cognominantur: quia in Juda hoc significatum est, quod futurum erat in Christo. Dictum est enim: *Judas erit dux vester*; &, *Juda, te collaudant fratres tui.* Quæ laus data Judæ non probatur, sed Christo, quem omnes quotidie collaudant ii, quos fratres suos dignatus est appellare. Ipse enim dixit mulieribus: *Ite, & dicite fratribus meis, quia præcedo vos in Galilæam.* Quis enim non laudet eum, cujus beneficio vivit? Apostolus ergo sub hac significatione, quæ posterior numero, sed perfectior merito est, totum voluit comprehendi: quod Judæi non intelligentes, nomen sibi carnalis Judæ defendunt.

℣. 18. *Et requiescis in Lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem ejus, & probas utiliora, instructus per Legem.* Non magnum valde videri vult, si Judæus credat; quippe cùm sit instructus per Legem: periculosum autem valde si non credat; ducem enim habet Legem. Sed ut præponatur credens, meritum facit Patrum; quia quamvis aliquis per se floreat, erubescit tamen in suis.

℣. 19. *Confidisque te ipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt,*
℣. 20. *eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in Lege.* Vera sunt hæc; quia Legis documentum hoc est, erudire imperitos, & Deo subjicere prophanos: vel ab idololatriæ cultura impios promissione, quæ facta est per Legem, ad melioris spei fiduciam provocare. Rectè ergo gloriatur in his legis doctor, quia formam tradit veritatis. Si autem non recipit eum quem Lex promisit, frustra gloriatur de Lege, cui injuriam facit, dum Christum spernit promissum in Lege; & nec jam eruditor erit insipientium, nec magister infantium, nec lumen eorum, qui in tenebris sunt: sed dux omnium horum ad perditionem.

℣. 21. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces.* Hoc est, tu qui gentiles arguis quod sine Lege & Deo sint, te ipsum non arguis: diffidens enim de Christo in Lege promisso, in eisdem quæ arguis, inveniris.

℣. 22. *Qui prædicas non furandum, furaris*; [d] facis enim quod prædicas fieri non debere. Dum enim fidem Christi per malam interpretationem subripis, negas Christum nostrum in Lege promissum.

Qui dicis non mœchandum, mœcharis. Adulteras autem Legem, quando veritatem Christi tollis, & mendacium ponis. Unde alio loco dicit: *Adulteratores verbi Dei.*

Qui exsecraris idola, sacrilegium facis: Sacrilegus es, quando Christum, quem Lex & propheticus sermo Deum significant, negas; dicit enim Esaias: *Quia in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu es enim Deus, & nesciebamus: Deus Israel salvator.* Numquid Judæi de Deo Patre dicebant: *Tu enim es Deus, & nesciebamus*; cùm tota Lex Dei Patris auctoritatem prædicet, ex quo sunt omnia? Sed quia Filius Dei semper quidem apparuit, latebat autem quis esset; cùm post resurrectionem cognoscitur, dicitur ei in confessione: *Tu enim es Deus, & nesciebamus.* Et qui putabatur in Lege tantum Angelus, & dux exercitus Domini: at cùm intelligitur Filius esse Dei, dicitur ei cum gratiarum actione: *Tu enim es Deus, & nesciebamus.* Per hoc ergo significat quia ipse esset; qui apparuerat quidem [e] patriarchis in Deum, & post incarnatus est, sed non fuerat intellectus ab omnibus.

℣. 23. *Qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum in-*

a. Rom. edit. stupore quodam alienati à via Dei, non crediderint &c.
b. Carnes edit. de gentibus non credentibus: mss. contra prope universi & e... argumentum.
c. Ita mss. plerique: alii autem nonnulli, ac vet. edit. tripartito genere significandum: Rom. edit. .... derivatum.
d. Rom. edit. hoc est, cùm negas Christum in lege promissum, fidem ejus per malam interpretationem subripis; facis enim quod prædicas fieri non debere.
e. Post vocem patriarchis expunxerat Rom. edit. in Deum. Ubi vero solum, ac vet. edit. cum mss. aliquot, intellectus ab hominibus: mss. complures melius legunt, intellectus ab omnibus.

honoras. Prævaricator Legis es, quando sensum Legis, qui A de incarnatione & divinitate Christi est, præteris: & Deum inhonoras, dum testimonium ejus, quod dedit de Filio suo, Matth. 3. 17. non recipis. Ipse enim dixit: *Hic est filius meus dilectus.*

℣. 24. Esa. 52. 5. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.* Hoc dixit Esaias propheta, quia Dei nomen blasphematur inter gentes, quando Judæos pro noxis suis traditos sibi non advertebant: sed idolis suis dabant glorias, quasi Judæorum Deum vicissent in Judæis. Ita & tempore apostolorum Dei nomen blasphemabatur in Christo; quia Judæi Christum Deum negando, blasphemabant Luc. 9. 48. & Patrem, sicut dicit Dominus: *Qui me recipit, non me recipit, sed eum, qui me misit.* Et ideo inter gentes blas- B phemabatur, quia credentibus gentibus Judæi suadere nitebantur Christum Deum non credentium; ut blasphemium gentium à Judæis vel Photini auctoribus sit profectum.

℣. 25. *Circumcisio quidem prodest, si Legem observes.* Potest dici è contra: Si prodest circumcisio, cur prætermittitur? Sed tunc prodest si Legem observes. Tenenda ergo circumcisio est; & ut possit prodesse, servanda est Lex. Quid ergo prohibuit quod prodesse, si Lex servetur, ostendit? Videtur ergo male prohibitum, quod non per se displicet, sed per alterius negligentiam frustrari dicitur.

Si autem prævaricator Legis sis, circumcisio tua præputium C *facta est.* Hoc est quod dicit, quia si Lex servata non fuerit, Judæus gentilis efficitur. Sed circumcisionem pro genere posuit Abrahæ; quia ex Abraham circumcisio: nec enim poterat ædificare, quæ destruxerat. Hoc enim ait, ut doceat carne prodesse ex genere Abrahæ esse, si Lex servetur, id est, si in Christum credatur, qui promissus est Abrahæ; quia & suum meritum habent justificati per fidem, & honore Patrum sublimantur. Omnis enim salus in Lege de Christo est. Hic ergo servat Legem, qui credit in Christo: si autem non credit, transgressor est Legis; quia non recipit Christum, quem Lex ad justificationem venturum cecinit, quam ipsa dare non potuit: & nihil illi D prodesset dici filium Abrahæ; quia hic secundùm meritum filius est Abrahæ, qui fidem sequitur, per quam dignus Deo exstitit Abraham. Unde ait: *Circumcisio tua præputium facta est,* id est, gentili similis factus es, non credens a in eum, qui in signo [a] circumcisionis filius promissus est Abrahæ.

℣. 26. *Si igitur præputium justitias Legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* Justitia Legis fides Rom. 10. 4. est christiana, sicut alio loco dicit: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Ideo manifestum est quia si gentilis credat in Christum, fit filius Abrahæ, qui pater est fidei. E

℣. 27. *Et judicabit quod ex natura est præputium, Legem perficiens, te, qui per litteram & circumcisionem prævaricator es Legis.* Credens gentilis, duce natura, in Christum, condemnat Judæum, cui Lex promiserat Christum, & advenienti ei credere noluit. Quantâ ergo gentilis dignus est gloriâ, qui per solam naturam intellexit auctorem, sicut Act. 3. 15. dicit Petrus apostolus: *Auctorem vero vitæ interfecistis;* tanto magis Judæus puniendus est, qui neque per naturam, neque per Legem Christum agnovit auctorem.

℣. 28. ℣. 29. *Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ palam in carne, est circumcisio: sed qui in occulto, Judæus est; & circumcisio cordis in spiritu non littera: cujus laus non ex homi-* F *nibus, sed ex Deo est.* b [b] Non est obscurum quia circumcisionem carnis negat laudem habere apud Deum (nec enim Abraham ideo justificatus est, quia circumcisus: sed quia credidit, justificatus est, postea autem circumcisus est) cordis autem circumcisionem laudabilem apud Deum esse. Circumcidere enim cor, amputato errore, agnoscere est Creatorem. Et quia circumcisio cordis futura erat, primus Deut. 10. 16. Moyses dixit: *Circumcidetis duritiam cordis vestri.* Et Hieremias similiter: *Circumcidite præputium cordis vestri.* Hoc Hier. 4. 4. dixit Judæis idola sequentibus; velamen est enim circa cor, quod conversus ad Deum circumcidit: quia fides aufert nebulam erroris, & tribuit perfectam Dei cognitionem in mysterio Trinitatis, quod incognitum erat à sæculis. Hujus ergo circumcisionis laus ex Deo est, occulta hominibus; cordis enim meritum est, quod adspicit Deus, non carnis. Nam Judæorum laus ex hominibus est; gloriantur enim in carnis circumcisione, quod ex Patribus sit. [c] Unde inter cetera ait: *Et gloria in pudendis eorum, qui* Philipp. 3. 19. c *terrena sapiunt;* hoc est, qui circumcisionem carnis gloriam putant. Terrena enim sapit, qui in carne gloriatur: B qui verò in spiritu gloriatur, hujus laus ex Deo est; spiritu enim non carne creditur.

Quid enim amplius est Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? Multùm per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. CAP. III. ℣. 1. & 2. Quamquam multa sint, quæ ad honorificentiam & meritum pertineant seminis Abrahæ; hoc tamen solum aperte memorat, quia maximæ laudis eorum est, ut Legem per quam addiscerent rectum à perverso distinguere, digni judicarentur accipere; ut post hoc primum cetera qualia sint, possint intelligi. Quoniam autem Judæis carnalibus, id est, incredulis, nihil pro- C ficere testimonium generis ostendit; ne omnes, [d] id est, & d credentes male tractasse videretur, docet multum utile esse Judæis credentibus, quia filii sunt Abrahæ. His enim eloquia Dei sunt credita, dum Legem, quæ peccatis hominum obsoleverat, quasi impune peccaretur apud Deum, merito Patrum reformatam accipiunt, & populus Dei vocantur. Ægyptus quoque propter injurias illorum diversis plagis percutitur: cælesti pane cibantur, omnibus gentibus terrori sunt, testante hoc Rhaab meretrice: quibus etiam Josue 2. 9. & seq. Christus Salvator ad sanctificationem promissus est. Ideo ait multùm utile Judæis per omnem modum, quia filii sint Abrahæ: anteponuntur enim gentibus, sed qui credunt.

D ℣. 3. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit.* [e] Non, e inquit, quia aliqui Judæorum credere noluerunt, quæ Deus promisit filiis Abrahæ, ideirco præjudicabitur ceteris Judæis; ne digni dicantur accipere quod Deus promisit fidelibus: quippe cùm sic facta sit promissio, ut credentibus proficeret. Igitur non indignatus Deus propter illorum perfidiam, id est, Judæorum, dabit reliquis credentibus vitam æternam, quam promisit futuram per fidem Christi; quia qui non crediderunt, ipsi se indignos fecerunt sine præjudicio ceterorum. His dictis commendat credentes Judæos; quia nihil obest eis, quia multi ex illis credere noluerunt. E

℣. 4. *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax,* [f] *sicut* f *scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm* Psal. 50. 6. *judicaris.* Ut firmaret quod supra dixit, quod Deus in promissione sua fidelis est, & omnis homo mendax; exemplum propheticum subdidit ex psalmo quinquagesimo, quo & Deum verbis suis justificat, & hominem mendacem incredulitatis causâ signavit. Utcumque enim legitur in libro Psal. 115. 11. Psalmorum, quia Deus justus & verax est, & omnis homo mendax. Mendacem hominem dicit, dum non credit, quod promisit Deus; negans enim daturum quod promisit, mendax est: & dum ipse mendax est, multis ex causis F Deum mendacem pronuntiat, quando promissis ejus non credit. Igitur omnem hominem mendacem dicit, qui diffidens est de promissis Dei. Maxime tamen hoc ad Judæos pertinet, quorum causam tractat hoc loco Apostolus, qui videntes Christum, negaverunt hunc esse, quem promisit Deus; ac per hoc mendaces pronuntiantur: Deus autem verax est, qui misit Christum, sicut promisit; & sic vincit cùm judicatur, quia dabit, quod daturus negatur: cùm enim non ei creditur, mendax judicatur. Ille autem cùm

a. Rom. edit. ac pauci mss. *circumcisionis promissus est Abrahæ.*
b. Rom. edit. *Non est obscurum circumcisionem carnis laudem non habere.*
c. Eadem edit. cum uno aut altero ms. *Unde in alia epistola inter cetera.*
d. Rom. edit. *id est, & credentes, & non credentes:* bene alias, ac mss. ut in textu, est enim, & credentes, idem atque, etiam ipsos credentes.
e. Rom. edit. *Absit, quasi dicat: Quia aliqui* ... *promisit fidelibus.* Non inquit: quippe cum &c. Gill. in nostris lect. *Hoc dicit, quia non præjudicabit e Judæis credentibus, ne digni ducantur accipere, quod promisit Deus* [illegible] *quia sic facta promissio est, ut donum gratiæ ejus credentibus proficeret.*
f. Corb. cod. aliique nonnulli, & Dion apud Gill. *sicut scriptum est. Igitur quoniam Deus verax est, dat quod promisit: homine autem est fallax, quem tempora & ætatæ imbecillitas faciunt mutabilem, per id quod præsumptionem non habet. Deus autem apud quem nihil factum est, immutabilis profitetur,* *sicut dicit: Ego sum, & non mutabor. Omnem ergo hominem dicit mendacem,* & [illegible] *non absurde dicitur mendax. Itaque aliquando studio, aliquando errore mendax est. Non ergo hoc de Deo sperandum est, quia & verus est, & benevolus, ut impleat quod promisit. Quod etiam propheticis oraculis firmat dicens, sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, dum judicaris.* Hæc autem verba fabricata cod. Dion. & Remig. *Deum justum promissis & verbis suis propheticis firmo testatur, nec aliquorum perfidia fidem ejus minuit, sed dando vincere. Quod pro*[illegible] *non credentes negant eum daturum. Debet ergo quod judicatur, ut vincat* [illegible] *quod negatur fecit eis. Tunc vincitur* [illegible] *qui dum non credit, negat vera esse, quæ promisit Deus.* [illegible] *Hoc est quia Deus verax est, omnis autem homo mendax, qui negat quod futurum est. Nam & Christus &c.*

dat, quod judicatur non datur, vincit, ostendens se veracem, illum autem mendacem, qui non credit verbis ejus. Videbit enim Dei Filium in majestate, quem negat: videbit & carnis resurrectionem. [a] & sciet victam esse perfidiam pollicitatione & veritate Dei. Nam & Christus cùm judicatus est, vicit: inique enim occisus est, & reum fecit diabolum, quem jam non peccando superaverat; ut secundo victus amitteret, quos tenebat. [b]

℣. 5. ℣. 6. *Si autem injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Numquid iniquus Deus, qui infert iram (secundùm hominem dico) absit.* Hoc juxta sensum prophetæ David dicit Apostolus: David autem quando peccaverat in causa Uriæ Hethæi, sciens quia promissio peccatoribus dari non B potest, exorat ut justificatio verborum Dei vincat judicium [c] quo judicantur ii, qui peccant; & pœnitentem reformet sanctificans, ut det ei quod justis se daturum promisit. Ac per hoc subjecit: *Si autem injustitia nostra Dei justitiam commendat, &c.* id est, si quia nos peccatores sumus, Deus justificatur; iniquus erit, si vindicet. Nam si injustitia nostra ei proficeret, sine dubio iniquus erat si damnaret peccantes; [d] quia injustitia nostra Deum facit justum, si peccantibus nobis det, quod promisit sanctis. Quia quamvis peccatores simus, reformamur tamen per pœnitentiam; ut non jam peccatores, sed abluti promissionem mereamur accipere. Non ergo is sensus est in verbis pro- C phetæ David, cùm dicit: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris*, qui malevolorum hominum prava interpretatione adseritur; ut peccata hominum & mali actus Dei justificationi proficiant, & per mala nostra bonus appareat, & injustitia nostra illum justum ostendat. Quoniam itaque iniquus non est Deus, cùm irrogat iram, jam non peccatis nostris justificatur, quia si peccatis nostris justificaretur, iniquus esset, si vindicaret: sed quia non est iniquus, cùm vindicat, manifestum est quia injustitia nostra Dei justitiam non commendat. Si autem commendaret, non vindicaret; quia justus est.

Ac per hoc subjecit: *Secundùm hominem*, inquit, *dico. Absit*, hoc est, absit, ne Deus iniquus dicatur: quia hoc homini competit, quem constat & errare, & falli & fallere. Nam Deus immutabilis perseverat, nec potest non amare, quæ fecit.

Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Verum est, quia non erat justum, ut judicaret Deus mundum, si peccata ejus ipsi proficerent; ut nutu ejus peccantes dum veniam consequuntur, Deus bonus videretur: [e] & si non peccarent, non videretur justus; si enim non peccent, non habendo cui remittat, non erit bonus.

℣. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tamquam peccator judicor?* Manifestum est, quia si ad gloriam Dei proficit mendacium hominum, ut ille solus verus appareat, peccatores non sunt dicendi, qui peccant; quia non voluntate, sed impulsu ejus videbuntur peccare: quod absit

℣. 8. *Et non, sicut blasphemamur, & sicut aiunt nos quidam dicere, faciamus mala, ut veniant bona?* [f] Nunc aperit quorum causâ hæc sollicite, & cum reverentia disputat. A perversis enim hoc opponebatur, quasi hic esset sensus prædicantium remissionem peccatorum, ut facerent mala, & venirent bona, hoc est, peccarent, ut remittendo illis Deus videretur bonus, secundum quæ supra dicta sunt: quod F blasphemium appellat, & abjicit à sensu divinæ doctrinæ. Nec enim peccare debere fides tradit, quippe cùm judicaturum Deum prædicet; sed delinquentibus consulit, ut recuperata salute, sub lege Dei viventes jam non peccent.

Ideoque subjecit: *Quorum damnatio justa est*, id est, horum hominum qui æmulatione invidiæ istud de nobis interpretantur, quod supra dictum est, damnatio justa est. Hæc enim jactabant Judæi, ut doctrinam apostolicam criminarentur, dicentes quod cùm remissionem peccatorum prædicant, peccandi fomitem præbeant; ut quasi se- A curi homines [g] de remissione, promte peccarent: cùm constet post acceptam fidem periculosum esse peccare, & hoc prædici credentibus.

℣. 9. *Quid* [h] *ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos & Græcos omnes sub peccato esse.* Hoc est, quid adhuc immoramur latius loquentes? Ostendimus enim redditis causis, tam Judæos quam Græcos, omnes reos esse, ideoque frustra legem servari. Primum enim Græcos ostendit reos juxta legem naturæ, & quod neque Legem Moysis reciperent; quamobrem pessima eorum & pergravissima causa. Deinde etiam Judæos ostendit reos, qui sub lege Dei vivere videntur, ac sibi merito Patrum defenderent dignitatem, ex eo præcipue, quod promissionem Patrum spreverint, Dei gratiam in irritum deducentes. Ad quam rem firmandam exemplum propheticum subdidit ex psalmo tertio decimo dicens:

Sicut scriptum est, quia non est justus quisquam. Ab injustitia cœpit mala opera eorum enumerare, & partim pejora subjicere; ut manifestaret in his nullam spem videri, nisi implorent misericordiam Christi, qui peccata dimittit. ℣. 10. Psal. 13. 1. & seq.

Deinde adjecit: *Non est intelligens.* Verum est, quia si daret operam intelligere, injustus non esset. ℣. 11.

Non est requirens Deum. Nec istud occultum est, quia si intelligeret quid prodesset, Deum quæreret: & non sicut Asa rex Judæ, qui post multa Dei beneficia sic depravatus est; ut infirmitatem pedum passus, propheta præsente, non quæreret Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Nemini dubium, quia omnes non quærentes Deum, inclinantur, ut auxilium requirant à vanitate: vanitas autem est idolum; ideo inutiles fiunt. 3. Reg. 15. 23.

Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quia neglecto Deo, inutiles facti sunt, bonum utique facere non possunt; jam enim depravati proficiunt in pejus.

Sepulcrum patens est guttur eorum. Jam malis mancipati D bonos, si posset fieri, devorare volebant; ut sicut sepulcrum patet ad recipienda cadavera, ita & adversus bonos guttur eorum. ℣. 13.

Linguis suis dolose agebant. Qui tam malis operibus adsueverant, quæ loquebantur, in fallacia erant.

Venenum aspidum sub labiis eorum. Hoc dicit, quia verba hujusmodi hominum muscipula sunt. Ad hoc enim loquuntur, ut decipiant; ut sicut per labia serpentis venenum infunditur, ita & per labia eorum dolus & circumventiones.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Manifestum est quia contra bonos mali semper maledicta & E amara proponunt, in convicium illorum prorumpentes & detractionem. ℣. 14.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Hoc de nece prophetarum dixit, quos occiderunt impigre, ad bonum segnes, ad parricidium veloces. ℣. 15.

Contritio & infelicitas in viis eorum. Quoniam citati erant ad malefaciendum, iter ipsorum vel gressum tribulatum & infelicem pronuntiat. ℣. 16.

Et viam pacis [i] *non cognoverunt.* Via pacis lenis est & inturbata; omnis enim bona vita tranquilla est, & actus modesti ipsi sunt pacifici, & per istos itur ad Deum. Illi ergo nolentes hæc scire, elegerunt viam tribulationum, per quam itur in gehennam.

Non est timor Dei ante oculos eorum. Quoniam hujusmodi sine sensu sunt, Dei timorem non habent: *Initium enim sapientiæ timor Domini*, dicit Salomon. Et non dixit timorem Dei hos non habere, sed: *Non est*, inquit, *timor Dei ante oculos eorum.* Videntes enim tam maligna opera sua, & non horrentes, timorem Dei dicuntur ante oculos non habere. Istos omnes & propheta Hieremias significat, dicens inter cetera: *Tunc omnes insurrexerunt in prophetam Domini, volentes occidere eum.* Et sequitur, *Omnis autem populus non permisit.* Illos ergo omnes dicit, ℣. 17. Prov. 1. Hier. 26. 8. Ibidem 24.

a. MSS. aliquot, ut sciat victam esse pollicitationem et veritatem Dei.
b. Duo MSS. addunt, ut infertur, hoc est, quia omnis homo mendax, Deus autem solus verax.
c. Nonnulli MSS. quo judicatur non dari his, qui peccant.
d. Quidam MSS. [illegible], si tamen ei proficiat nostra iniquitas. Sed quia per [illegible] est hoc dicere, non est iniquus Deus, si judicat; quia cum illi injustitia nostra proficit, ut nobis peccatoribus ille justificetur, id est, ut gaudeat peccatis nostris, per quæ ille solus justus appareat. Sed absit, ait, secundùm hominem dico, hoc est, sensus hic homini convenit, non Deo, quia non cadit in Deum, ut iniquus sit, sed in hominem. Nec enim injustitia nostra Deum facit justum, si peccantibus nobis det, quod promisit sanctis.
e. MSS. aliquot, ut si non peccarent, non habendo quod remitteret, non esset bonus.
f. Nonnulli MSS. Hoc est unde sibi quæstionem fecit Apostolus. A perversis &c.
g. Quidam MSS. de promissione. Infra vero [illegible], & hoc prædicts, Rom. edit. repositum, & hoc prædicare.
h. MSS. aliqui, Quid ergo tenemus amplius? Causati &c.
i. Corb. codex & Vatic. apud Gill. non cognoverunt, [illegible] viam elegerunt, per quam itur ad mortem secundam, iter quo pergitur ad æternam vitam: quæ [illegible] pax dicitur, quia nullam perturbationem habebit. Deum habentes propterea spreverunt, nolentes scire quoniam bona voluntate homines hanc requiem habent apud Deum.

sed malos; & hos omnes, sed bonos. Neque enim quia dicit: *Omnes declinaverunt*, totam penitus plebem significat, sed hanc partem plebis, sicut & memoratus propheta refert: *In qua omnes mali se condiderunt.* Semper enim duo populi sunt in una plebe. Hic est ergo populus quem in- Matth. 23. 37. crepat Dominus sub nomine Hierusalem, dicens: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas.* Et alio loco: Ibid. 12. 39. *Generatio*, ait, *mala & adultera*, &: *Natio viperarum.* De Esai. 1. 4. hujusmodi queritur etiam propheta Esaias, dicens: *Væ genti peccatrici, semen pessimum?* Per malam enim voluntatem, dum fructus malos faciunt, semen pessimum sunt. Et quia si voluerint, possunt converti, vox probat Apostoli Ephes. 2. 3. in alia epistola dicentis: *Eramus & nos aliquando natura filii iræ, sicut & cæteri.*

℣. 18. *Scimus autem quoniam quæcumque Lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur.* Manifestum est quia hos increpat Lex, qui & primùm non crediderunt duci suo Moysi, neque prophetis parentibus suis, quos & persequentes occiderunt, neque apostolis cognatis suis secundum carnem, quorum sanguinem effuderunt, semper impii, & in Deum rebelles; ut per legem damnentur, cujus auctoritatem contemnendam putarunt. Sicut enim omnium malorum [a] una est causa in malo, ita & cunctorum bonorum. In istis ergo omnium similium arguitur malum. Hæc ad Judæorum confusionem pertinent, qui sibi & parentibus suis testimonium ex lege ferebant.

℣. 19. *Ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.* Hoc dicit, quia Judæis in peccatis constrictis, omnis mundus subditus fit Deo. Nulli enim dubium est, quia pagani obruti sunt delictis & impietatibus, ac per hoc totus mundus Deo prostratus est, ut possit [b] ad indulgentiam pervenire; quia omnis mundus Judæi erant & gentiles, à quibus segregati sunt fideles. Quando ergo Judæos qui legem acceperunt à Deo, & quibus facta promissio est, peccatis probat obnoxios, dubium non est omnes Græcos reos esse mortis. Quamobrem: *Omne os obstruatur*, ait, *& subditus fiat omnis mundus Deo*; dum omnes rei probati indigent misericordiæ Dei, tam Judæi, quam etiam Græci.

℣. 20. *Quoniam quidem non justificabitur ex operibus Legis omnis caro coram Deo.* Non ideo minime justificatos homines adseruit apud Deum; quia legem justitiæ non servaverunt in præceptis: sed quia sacramentum mysterii Dei, quod in Christo est, credere noluerunt. Per hoc enim decrevit Deus justificare hominem, non per legem; quia lex ad tempus justificat, non apud Deum. Ideo legem servantes in tempore, justi sunt non apud Deum; quia fides per quam justificantur homines apud Deum, non est in eis. Major enim fides est, quàm lex; quia lex ad nos pertinet, fides ad Deum. Idcirco lex temporalem habet justitiam, fides æternam. Nam omnem carnem dicens omnem hominem significavit, sicut & propheta Esaias ait: Esai. 40. 5. *Et videbit omnis caro salutare Dei*, id est, videbit omnis homo Christum Dei, in quo salus omnium continetur. Et idcirco carne significantur, quia peccatis obnoxii sunt. Sicut enim justitia spiritales facit, ita & delicta carnales; ut ex actu nomen accipiat homo.

Per legem enim cognitio peccati: per fidem autem abolitio; ideo sequenda fides est. Quæ est hæc lex, per quam dicit cognitum esse peccatum, & cognitum quomodo? Videmus enim veteres non ignorasse peccatum; quia & Jo- Gen. 39. 20. seph in carcerem missus est, licet per calumniam; & pin- Gen. 40. 3. cerna & pistor Pharaonis, causâ peccati. Quomodo ergo latebant peccata? Triplex quidem lex est; ita ut prima pars de sacramento divinitatis sit Dei: secunda autem quæ congruit legi naturali, quæ interdicit peccatum: tertia vero factorum, id est, sabbati, neomeniæ, circumcisionis, &c. Hæc est ergo lex naturalis, quæ per Moysen partim reformata, partim auctoritas ejus firmata in vitiis cohibendis, cognitum fecit peccatum; non quod lateret, sicut dixi: [c] sed ostendit peccata quæ fiunt, non impune futura apud Deum; ne forte quis ad tempus evadens, legem illusisse putaretur. Hoc est quod lex ostendit.

℣. 21. *Nunc vero sine lege justitia Dei manifestata est, testimonium habens à lege & prophetis.* Apertum est quia justitia Dei sine Lege apparuit, sed sine lege sabbati & circumcisionis & neomeniæ & vindictæ; non tamen sine sacramento divinitatis Dei: quippe cùm justitia Dei de sacramento Dei sit. Nam quando quos lex reos tenebat, justitia Dei ignovit illis, sine lege utique hoc fecit; quia in quos lex vindicatura erat, hæc donavit illis peccatum. Et ne hoc forte contra legem factum putaretur, adjecit justitiam Dei testimonium habere ex Lege & prophetis, hoc est, quia ipsa Lex ex alia parte olim istud futurum dixerat; Esai. 19. 20. quia venturus erat, qui homines salvaret: quod legi concessum non erat, ut peccata donaret. Ideo autem justitia Dei dicta est, quæ videtur esse misericordia; quia de promissione originem habet: & cùm promissum Dei redditur, justitia Dei dicitur. Justitia enim est, quia redditum est, quod promissum est: & cùm suscipit confugientes ad se, justitia dicitur; quia non suscipere confugientem iniquitas est.

Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi. Quid est aliud *per fidem Jesu Christi*, nisi quia ipsa Dei justitia manifestatio Christi est? Per fidem enim prædicationis Jesu Christi agnoscitur donum dudum promissum à Deo, vel sumitur. ℣. 22.

In omnes vel super omnes, qui credunt, hoc est, super omnes Judæos & Græcos credentes veri Dei justitiam.

Non enim est distinctio; omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Quia dixerat super omnes Judæos & Græ- ℣. 23. cos Dei [d] esse justitiam, ut hoc probaret, adjecit: *Omnes enim*, ait, *peccaverunt.* Hoc generaliter accipiendum, ut intelligantur tam Judæi quam Græci; unde ait: *Non est distinctio*: omnes enim hic comprehendit, etiam & sacerdotes, ut ostenderet nihil profuisse legem sine fide. Sic enim lex data est, ut fides esset in lege, quæ futuram speraret salutem. Quamobrem mors Christi omnibus profecit; quia & hîc in sæculo quid credendum & observandum est, docuit: & de inferno omnes eripuit.

Justificati gratis per gratiam ipsius. Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei. ℣. 24.

Per redemtionem quæ est in Christo Jesu. Gratiam Dei in Christo esse testatur; quia voluntate Dei à Christo redemti sumus; ut manu missi justificaremur, sicut & ad Galatas dicit: [e] *Christus nos redemit*, offerens se pro nobis. Galat. 3. 13. Permisit enim se diabolo sævienti sed impræscio. Putans autem se Christum posse retinere, veluti accepit eum: sed quia virtutem ejus ferre non potuit, omnes quos tenebat, simul cum illo amisit.

Quem proposuit Deus propitiatorem fidei. Hoc dicit quia in Christo proposuit Deus, id est, disposuit propitium se futurum humano generi, si credant. ℣. 25.

In sanguine ipsius. Ideo in sanguine ipsius, quia morte ejus liberati sumus; ut & manifestaret illum mortuum, & mortem passione ejus damnaret.

Ad ostensionem justitiæ suæ, hoc est, ut promissum suum palam faceret, quo nos à peccatis liberaret, sicut ante promiserat; quod cùm implevit, justum se ostendit. ℣. 26.

Propter propositum præcedentium delictorum, in patientia Dei. Sciens Deus propositum benignitatis suæ, quo censuit peccatoribus subvenire, tam iis qui sunt apud superos, quam iis qui in inferno tenebantur; utrosque diutissime exspectavit, evacuans sententiam, qua justum videtur omnes damnari; ut ostenderet nobis, quod olim decreverat liberare genus humanum per Christum, sicut promisit per Hieremiam prophetam, dicens: *Propitius ero iniquitatibus eorum, & delictorum illorum non memorabor.* Hier. 31. 34. Et ne forte hoc donum solis Judæis promisisse videretur, per Esaiam dicit: *Domus mea domus orationis vocabitur in omnibus gentibus.* Esai. 56. 7. Quamvis enim Judaismo facta promissio sit, sed præscius Deus eo quod donum ejus reprobaturi essent impii Judæi, gentes se ad percipiendam gratiam suam promisit admittere, quarum æmulatione in iram missi cruciarentur impii Judæi.

In hoc tempore, id est, tempore nostro, quo dedit Deus, quod olim promiserat dandum tempore, quo dedit. *Ut sit*

a. Mss. Corb. Remig. & Thuan. *unum est nomen in malo.*
b. Idem Corb. codex, *ad indulgentiam pertinere. omnis enim mundus Judæi erant & gentiles, ad quos facta promissio est, peccatis probat obnoxios.*
c. Iidem codices, *sed ostendit futurum Dei judicium, ut nullus peccator immunis à pœna sit; ne forte, &c... Hoc est quod lex ostendit, quia peccatum imputaretur apud Deum.*
d. Iidem mss. *justitiam, id est, gratiam. Et ut probaret, adjecit: Omnes enim, ait, peccaverunt, tam Judæi quam Græci: ut ostenderet nihil profuisse Legem.*
e. Corb. cod. *Christus nos redemit de maledicto Legis, offerens se pro nobis, factus pro nobis maledictum. ... Putavit enim se Christum posse retinere, velut accipiter avem.*

justus justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. Rectè ait, A quia ut sit justus, dedit quod promisit: hoc autem promisit, justificare se credentes in Christo. Dicit autem in Abacuc: *Justus autem ex fide vivit*; ut dum Dei fidem habet & Christi, sit justus. Habac. 2. 4.

℣. 27. *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei.* Reddita ratione, ad eos loquitur, qui agunt sub lege, quod sine causa glorientur, blandientes sibi de lege, & propter quod genus sint Abrahæ, videntes non justificari hominem apud Deum, nisi per fidem.

℣. 28. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Gentilem dicit hominem pro certo haberi, quod justificetur credens, nulla faciens opera legis, id est, sine circumcisione, aut neomeniis, aut veneratione sabbati.

℣. 29. *An Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? Immo & gentium.* Sine dubio omnium Deus unus est. Nec enim soli Judæi possunt sibi vindicare, quod Deus illorum non etiam gentium sit; cùm relegant ab uno Adam omnium esse originem, & nullum advenam volentem ad legem accedere, prohiberi. Denique aliquanti exierunt cum illis [a] in eremum de Ægyptiis, quos suscipere jubentur, tantùm ut circumciderentur, & pariter cum illis ederent azyma vel pascha: nec non & Cornelium donum Dei accepisse gentilem non judaizantem, & quod justificatus sit, divino C testimonio comprobatum. Exod. 12. 28. & seq. Act. 10. 31.

℣. 30. *Quoniam quidem unus Deus, qui justificavit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* In circumcisione Judæos significat, eo quod ex fide promissionis justificati sunt, credentes hunc esse Christum, quem in lege promiserat Deus. In præputio vero gentiles significat per Christi fidem justificatos apud Deum. Tam enim gentiles, quam Judæos non aliter quam credentes justificavit; quia enim omnium unus est Deus, una ratione omnes justificavit. Quid ergo prodest carnis circumcisio, aut quid obest præputium; quando dignitatem & meritum non facit nisi fides? D

℣. 31. *Legem ergo evacuamus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Non utique lex exinanitur per fidem, sed adimpletur; firmatur enim status ejus, quando quod futurum dixit, fides istud advenisse testatur. Hoc propter Judæos, qui putant fidem Christi legi esse inimicam, ignorantes sensum legis. Non ergo evacuat legem, cùm illam cessare debere jam docet; quia tempore suo rectè illam datam adserit, sed jam agere non debere. In ipsa enim lege dictum est, tempore exsolutæ promissionis legem cessare debere; Angelus enim Gabriel Danieli prophetæ desiderium hujus rei sciendæ habenti ostendit, inter cetera dicens, adveniente Christo, chrisma, id est, unctionem regalem cessare, quæ potestas intelligitur. Et judicium, ait, non erit E amplius, quod est lex. & tolletur sacrificium meum. Ideo, inquit, meum, ut sciretur oblationem veterem cessaturam. Quem sensum adaperiens Salvator: *Lex*, ait, *& prophetæ usque ad Johannem.* Et quia lege Moysis cessante, meliora præcepta daturus erat Deus, Hieremias propheta cecinit, dicens: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo domui Israel, & domui Juda Testamentum novum non secundum quod dedi patribus eorum.* His utique qui venientem Christum ex promissione receperunt. Ideo Salvator: *Non veni*, ait, *solvere legem aut prophetas, sed adimplere.* Et quia domus Dei non tantum in sola Hierosolyma, sed & in ceteris locis futura erat; ait Zacharias propheta: *Ponam Hierusalem in omnibus gentibus*: quæ est Ecclesia. F Dan. 9. 23. Luc. 16. 16. Hier. 31. 31. Matth. 5. 17. Zach. 12. 2.

CAP. IV. ℣. 1. *QUid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* Postquam ostendit non posse per opera legis quemquam justificari apud Deum, adjecit, nec Abraham potuisse aliquid mereri secundum carnem. Carnem dicens circumcisionem significavit, quia nihil quæsivit Abraham per circumcisionem. Ante enim justificatus est, quam circumcideretur.

℣. 2. *Si enim Abraham ex operibus Legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Hoc proponentis est. [b] Nam Abraham ex fide justificatus est, quod nulli dubium est; ideo habet gloriam apud Deum. Sed quia qui legem servant sive A Moysi, sive naturalem, justificantur ad præsens; ne rei sint in præsenti judicio; ideo ait: Ex operibus legis si Abraham justificatus est, non habet apud Deum gloriam; quia qui fecerit, inquit, legem, vivet in ea, id est, non morietur ut reus: nec tamen meritum ex hoc habebit apud Deum, sed fidei causa.

℣. 3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Manifestavit non ideo Abraham gloriam apud Deum habere, quia circumcisus est, aut quia abstinuit se ab iniquitate; sed quia Deo credidit, hinc & justificatus est, laudis suæ præmium in futuro consequuturus. Gen. 15. 6.

℣. 4. B *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Absolutum est ei qui legi factorum, id est, Moysi, subjectus est, aut naturali; non imputari meritum ad mercedem, ut gloriam habeat apud Deum. Debitor est enim facere legem, quia necessitas imposita est per legem; ut velit nolit, faciat legem, ne damnetur, sicut alio loco dicit: *Qui autem contemnunt, ipsi sibi damnationem adquirunt; quia ad præsens rei sunt.* Credere autem aut non credere, [c] voluntatis est. Neque enim quis cogi potest ad id, quod manifestum non est, sed invitatur; quia non extorquetur, sed suadetur. Quamobrem adsentiens præmiis afficiendus est, sicut & Abraham, qui C quod non vidit, credidit. Rom. 13. 2.

℣. 5. *Ei vero qui non operatur*, id est, ei qui obnoxius est peccatis; quia non operatur, quod mandat lex. *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Hoc dicit, quia sine operibus legis credenti impio, id est gentili, in Christum, reputatur fides ejus ad justitiam, sicut & Abrahæ. Quomodo ergo Judæi per opera legis justificati se putant justificatione Abrahæ; cùm videant Abraham non per opera legis, sed sola fide justificatum? Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem justificatur apud Deum.

D *Secundum propositum gratiæ Dei.* Sic decretum dicit à Deo, ut cessante lege, [d] solam fidem gratia Dei posceret ad salutem.

℣. 6. *Sicut & David dicit.* Hoc ipsum munit exemplo prophetæ; *Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus.* Beatos dicit de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore [e] & aliqua observatione, sola fide justificentur apud Deum. Temporis ergo beatitudinem prædicat, quo natus est Christus, sicut ipse Dominus ait: *Multi justi & prophetæ cupierunt videre, quæ videtis; & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Matth. 13.

℣. 7. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* E Manifeste beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nullâ ab his requisitâ pœnitentiæ operâ, nisi tantum ut credant. Beatus etiam hic vir est, *cui non imputavit Dominus peccatum.* Remittere, & tegere, & non imputare, una ratio, & unus est sensus; omnia enim uno modo obtinentur & donantur. Psal. 31. 1.

Videtur autem quibusdam tripartita ratio in his dictis; quia diversis propheta usus est verbis, & quia à plurali numero ad singularem descendit. [f] Cùm enim verba Dei in ubertatem gratiæ, quia peccati diversa sunt nomina, per delictorum vocabula enumerare vult, latius loquutus est: unius tamen formæ & significationis sunt verba; quia & F cùm tegit, remittit: & cùm remittit, non imputat. Ad laudem enim gratiæ Dei prolixius loquitur [g], ut amplificet gratiam. Tres enim gradus fecit propter delictorum varietatem: quorum primus gradus est iniquitas vel impietas, dum non agnoscitur Creator: secundus, in gravium peccatorum operibus; tertius vero levium; hos tamen omnes in baptismate obliterari. Tribus his gradibus totius peccati corpus significavit.

Quemadmodum autem ad pœnitentium personam potest pertinere, cùm dicit: *Beati quorum tecta sunt peccata*; cùm constet pœnitentes labore & gemitu remissionem peccatorum adquirere? Aut quomodo martyrio congruit, quod dicit: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*;

a. Rom. edit. *in eremum Ægypti, qui suscipi jubentur.*
b. Corb. codex, & Remig. *Nam Abraham habet quidem gloriam apud Deum, sed ex fide, per quam justificatus est; quia ex operibus Legis nemo justificatur, ut habeat gloriam apud Deum. Et quia servantes Legem justificantur ad præsens, ait: Si Abraham ex operibus Legis justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, sed apud mundum; ne præsenti lege obnoxius videatur. Apud Deum autem fidelis habet gratiam. Quid enim dicit* &c.

c. Cod. Corb. Thuan. & Remig. *voluntatis est; quia non extorquetur, sed suadetur. Ideo ad meritum proficit; credit enim quod non novit, sed sperat. Ei vero qui non operatur* &c.
d. Rom. edit. *sola fides gratia Dei posceret ad salutem.*
e. Corb. codex, *& absque observatione.*
f. Rom. edit. *Cum enim ubertatem gratiæ Dei, quia* &c.
g. Eadem edit. Rom. cum mss. quibusdam *ut amplius donum Dei.*

cùm sciamus gloriam martyrii passionibus & pressuris adquiri?

Propheta autem tempus felix prævidens in Salvatoris adventu, beatos nuncupat, quibus sine labore vel aliquo opere per lavacrum remittuntur, & teguntur, & non imputantur peccata. Apostolus tamen propter plenitudinem temporum, & quia plus gratiæ in apostolis est, quam fuit in prophetis, majora protestatur, quæ ex dono baptismatis consequimur; quia non solum remissionem peccatorum accipere nos, sed justificari, & filios Dei fieri profitetur; ut beatitudo hæc perfectam habeat & securitatem & gloriam.

℣. 9. *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an & in præputio?* Id est, numquid beatitudo ista Abrahæ tantum filiis concessa est, an & iis qui incircumcisi sunt? Si enim illo tempore non prohibitæ sunt gentes accedere ad legem & promissionem Abrahæ, qui fieri poterat, ut tempore Christi prohiberentur [a] venientes ad gratiam; quando Deus gratiâ plene incitavit?

Dicimus enim, hoc est, si sensu legis loquimur, *quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.* Ab origine incipit, ut omnem tergiversationem cavillationis excludat; quia qui à capite excluditur, non habet unde incipiat facere quæstionem.

℣. 10. *Quomodo ergo reputata est? cùm in circumcisione esset, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.*

℣. 11. Gen. 17. 10. & 11. *Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio; ut sit pater omnium credentium per præputium; ut reputetur & illis ad justitiam.* Abraham cùm esset in præputio, credidit Deo. Quid credidit? Semen se habiturum, id est, filium, in quo omnes gentes justificarentur per fidem in præputio, sicut & Abraham justificatus est. Nam circumcisionem signum accepit justitiæ fidei: credens enim se filium habiturum, hujus rei quam credidit, signum accepit; ut quia credens justificatus sit, cerneretur. Non ergo circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantùm. Quod signum ideo accipiebant filii Abrahæ, ut scirentur ejus filii esse, qui credens Deo hoc signum acceperat; ut æmuli essent paternæ fidei, & crederent in Jesum, qui promissus est Abrahæ, cujus in figura natus est Isaac. Nec enim in Isaac omnes gentes benedicuntur, sed in Christo: *Quia non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat salvos fieri*, dicit Petrus apostolus. Act. 4. 12.

℣. 12. *Et sit pater circumcisionis non solum eorum, qui ex circumcisione sunt, sed & eorum qui sequuntur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Hoc dicit, quia credens Abraham, primus factus est pater circumcisionis, sed cordis, non tantum eorum qui sunt ex ejus origine, sed & eorum qui similiter credunt ex gentibus. Secundum carnem enim Judæorum pater est, secundum fidem vero omnium credentium.

℣. 13. *Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Manifestum est, quia neque adhuc Lex data erat, neque jam erat circumcisio; quando promissio jam facta est Abrahæ credenti, & semini ejus, quod est Christus [b] qui hominum peccata ablueret. Unde dicit Johannes Baptista: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Johan. 1. 29. Non ergo merito servatæ legis heres factus est mundi, sed fidei: heres autem mundi heres est terræ, quam in filiis consequutus est: Christus autem heres est gentium, ut David canit: *Et dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; Psal. 2. 8. ipsi enim moriemur & vivemus cum eo.

℣. 14. *Si enim qui ex lege, hi sunt heredes*, id est, si ii qui ex lege vel sub lege sunt, heredes ex lege sunt, *Evacuata est fides, abolita est promissio.* Manifestum est, quoniam si ex lege hereditas, promissio quæ ex fide facta est ad Abraham, in irritum venit. Sed non est per Legem facta promissio, sed per justitiam fidei hereditas; ostendit enim Apostolus quid mali sit hereditatem sperare ex lege.

℣. 15. *Lex enim iram operatur.* Ut penitus ostendat non posse justificari hominem per legem apud Deum, neque promissionem per legem fieri potuisse: *Lex*, ait, *iram operatur*; ad hoc enim data est, ut reos faceret delinquentes. Fides autem donum est misericordiæ Dei, ut per legem rei facti, veniam consequantur: ideirco fides gaudium operatur. Nec contra legem legem loquitur, sed anteponit illi fidem; quia qui per legem salvi esse non poterant, gratia Dei salvantur per fidem. Non ergo lex ira est, sed iram operatur peccanti, id est, pœnam; dum non ignoscit, sed vindicat. Pœna enim per iram generatur, ira autem nascitur ex peccato; ac per hoc relinqui vult legem, ut ad fidem confugiatur, quæ delicta ignoscit, ut salvet.

Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Hoc dicit, quia sublatis reis de potestate legis, datâ veniâ, prævaricatio nulla est; justificati enim sunt, qui per prævaricationem legis fuerant peccatores. Cessat enim factorum lex, id est, observatio sabbatorum, neomeniarum, circumcisionis, escarum discretio, animalis mortui, [c] aut sanguinis mustelæ observatio.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. ℣. 16. Firma esse non potest promissio omni semini, hoc est, omni homini ex omni gente, nisi fuerit ex fide; quia origo promissionis ex fide est, non ex lege; quia qui sub lege sunt, rei sunt: promissio autem reis dari non potest; ac per hoc purificandi sunt prius per fidem; ut digni fiant dici filii Dei, & sit firma promissio. Si enim filios Dei se dicant, cùm sint rei, hoc est, sub lege, non est firmum; quia filii Dei liberi sunt à peccato. [d] Si ergo qui sub lege sunt, eruendi de sub lege sunt, ut promissionem mereantur accipere; quanto magis qui sub lege non sunt? Non ergo expedit, ut se mittat sub lege; ut possit compendio medelam vulneris invenire.

Non ei qui ex lege est tantum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ. Hoc est quod supra dixit: *Omni semini*, tam Judæorum, qui utique ex lege veniebant, quam gentilium, qui fidem sequuntur Abrahæ, quam gentilis habuit, ut esset justus. Sine lege enim credidit Abraham, ideoque magis gentilibus jungitur; ut firma sit eis promissio, credentibus ei, cui credidit ipse.

Qui est pater omnium nostrum. sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te. ℣. 17. Gen. 17. 4. Confirmavit exemplo Legis Abraham omnium patrem esse, sed eorum qui credunt: & sic firmam esse promissionem, si fidei causâ recedatur à lege; quia promissio regni cælorum justis deputata est, non peccatoribus. Et qui sub lege sunt, sub peccato sunt, quia omnes peccaverunt, nec posse aliquem & sub lege esse, & gratiam consequi, sicut & ad Galatas ait: *Evacuati estis à Christo, qui in Lege justificamini, à gratia excidistis.* Galat. 5. 4.

Ante eum cui credidisti Deo. Ut unum Deum omnium doceat, alloquitur gentiles, Abraham ipsi Deo credidisse, & justificatum [e] esse ante eum, in quem & gentes credunt; ut justificentur, ut non sit distantia Judæi & Græci in fide; quia sublata circumcisione & præputio, unum fiunt in Christo; quia & Abraham in præputio credidit, & justificatus est.

Qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. Hoc dicto ad fidem Abrahæ gentes invitat; quia cùm esset in præputio, credens Deo, cujus nunc fides prædicatur in Christo, [f] vivificatus est cum sua conjuge. Cùm essent enim obsoleta ætate, seniores revixerunt; ita ut non diffideret habiturum se ex Sara filium, quam sterilem sciebat, & in qua jam fluxus muliebris naturæ defecerat; ut per hæc non curent neque de præputio, neque de circumcisione, & prompti sint circa fidem: securi quia credunt ei, qui vivificat mortuos, nec alium esse qui hanc habeat potestatem: & cùm voluerit esse, quod non sunt, statim ejus voluntate subsistant. Ideo Abraham cùm pater adhuc non esset, vocatus est pater multarum gentium, & credidit, securus de Dei potentia. Ut autem pater Christi idem esse Deus crederetur, cui credidit Abraham, tale signum datum est in Zacharia & Elizabeth, cùm promissio redditur in mundo, imminente Christo, quale datum fuerat in Abraham & Sara, quando signata promissio est; Luc. 1. 13. ut simili genere emortua corpora senectute generarent sanctum Johannem, sicut natus fuerat & Isaac.

Qui contra spem in spem credidit. ℣. 18. Gen. 15. 5. Manifestum est, quia dum spem non haberet generandi Abraham, credidit Deo

a. Nonnulli mss. venientes ad gloriam. Continuo vero post, Rom. edit. sola, quando Dei gratia plenius invitavit.
b. Rom. edit. ac pauci mss. qui omnium peccata ablueret.
c. Corb. cod. aut sanguis mortis lege aspiciendus est. Remig. ac Thuan. mustella aspiciendus.

d. Mss. aliquot, Si ergo qui sub lege sunt, eruendi sunt: nonnulli, Si ergo quasi sub lege sunt eruendi, ut sub lege sint.
e. Codex Corb. esse apud eum, ut & gentes credant.
f. Ita edit. Gill. in marg. & Rom. in corp. cum mss. nonnullis: aliæ autem edit. ac mss. justificatus est, tum judicatus est, cum sua conjuge, duo in sua conjuge.

fidem habens contra spem generare se, sed sciens omnia
posse Deum.
Ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum
Gen. 15. *est: Sic erit semen tuum.* Hoc in Genesi; ostendens enim il-
li stellas cæli dixit: *Sic erit semen tuum*, quod credens jus-
tificatus est. Credidit enim quod mundo impossibile videtur,
dum in rerum naturam non cadit, ut possint senes genera-
re, & tanta copia multiplicari semen eorum, ut numerari
non possit. Ideoque preciosa est fides, quia contra id quod
scit aut videt, credit futurum: hac spe consolatur se, quia
Deus est qui promittit; de quo plus sentiri par est, quam
humana imbecillitas capit.
℣. 19. *Et non infirmatus est fide: nec consideravit corpus suum*
jam emortuum, cùm jam fere centum esset annorum, & emor-
℣. 20. *tuam vulvam Saræ. In repromissione autem Dei non hæsita-*
vit diffidentiâ, sed confirmatus est in fide, dando gloriam
℣. 21. *Deo: certum habens quia quæ promisit, potens est & facere;*
℣. 22. *ideoque æstimatum est illi ad justitiam.* Hoc laude dignum
prædicat Abraham; quia cùm se sciret non posse, infirmi-
tatem suam fide firmavit; ut crederet se posse per Deum,
quod sciret fieri per mundi decreta non posse. Magni ergo
meriti est apud Deum, qui contra scientiam suam Deo cre-
didit, non dubitans posse illum, ut pote Deum, quod scit
secundum mundi rationem fieri non posse. Pro certo enim
habet Deum ultra rationem mundi esse; nemo enim intra
id esse dicendus est, quod creavit. Ideo hujusmodi remu-
nerandus est à Deo, quia auctori suo plus tribuit, quam
ipse sapit. Quod quidem nullius pretii esset, si omnes
æqua sentirent: sed multorum diffidentiâ commendatur
a fides credentium apud Deum. Hortatur ergo gentes [a] ad
hanc fidei firmitatem, ut Dei promissionem & gratiam sine
aliqua ambiguitate suscipiant, securi exemplo Abrahæ
quia inde credenti laus crescit, si quod incredibile est, &
b mundo stultum videtur, credatur; quia [b] quanto impossi-
bile putatur quod creditur, tanto magis honorabilior erit
credens: & vere tamen stultum esset hoc credere, si sine
Deo fieri diceretur. Et ideo tanto laudabilior est Abrahæ
fides ceterorum fide; quia nullis signorum prodigiis adtracta
est. Quoniam autem mundus certa lege & potestate gu-
c bernatur, & regitur modo definito à Deo: [c] homines au-
tem carnis amore circa rationem studiosi, Deum hujus
opificem neglexerunt; Deus, ut errorem auferret, & do-
minum se omnium demonstraret, hoc se posse & fecisse
prædicari voluit, quod mundo impossibile est: ut qui
hoc crederent, damnatis iis qui ratione mundi inflati
Deum neglexerunt, discreti salvarentur, Dei dominio
mancipati.
℣. 23. *Non autem scriptum est tantùm propter ipsum solum, quia*
℣. 24. *reputatum est illi ad justitiam: sed & propter nos, quibus*
Ose. 13. 4. *reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Chris-*
tum dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter pec-
℣. 25. *cata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*
in Abraham formam datam dicit Judæis & gentibus, ut
exemplo ejus credamus in Deum, & in Christum, & in
Spiritum sanctum, & reputetur nobis justitia. Quamvis
d differat [d] quod nunc creditur, unum tamen donum habet
fides. Hoc ergo consequimur, quod credimus: credentes
enim Christum Dei esse Filium, à Deo adoptamur in filios;
nihil enim ultra potuit donare credentibus, quam ut filii
Dei dicantur, perfidis abdicatis. Nos enim filii Dei vo-
camur, illi autem nec servi digni sunt nuncupari. Pro in-
finita enim magnificentia sua Deus hoc donavit diligenti-
bus se, quod sua dignum est majestate, non quod homines
merentur; quia in dono plus magis dantis quam accipien-
tis consideratur sublimitas, & ex eo plus accipit laudis,
cùm parvulis magna dona largitur per Christum, qui nostri
causa occidi se passus est; ut nos, datâ veniâ, à secunda
e morte erueret, id est, à pœna inferni: & surrexit, [e] ut per
lætitiam triumphi mortis evictæ gratiam nobis justificatio-
nis donaret, ut digni essemus dici filii Dei. Ante passio-
nem enim qui baptizati sunt, solam remissionem accepe-
runt peccatorum, quorum zelo satanas occidit Salvatorem:
post resurrectionem vero, tam ii qui prius, quam isti qui
postea baptizati sunt, omnes justificati sunt per datam for-

A mam fidei Trinitatis, acceptoque Spiritu sancto, qui sig-
num est credentium, quod sint filii Dei. Et ut ad cumulum
nobis justificationis proficeret, resurgens præceptis suis
auctoritatem tribuit; ut eorum [f] æmuli meritis augeamus f
nos, per quæ gloriam adepti, elati appareamus in regno
Dei, hac fiducia qua justificati à morte teneri non possi-
mus. Passione enim Salvatoris victa mors, quæ prius
causâ peccati dominabatur, justificatos ab eo tenere non
audet.

JUstificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Cap. V.
dominum nostrum Jesum Christum. Pacem cum Deo ℣. 1.
B habere fides facit, non lex: hæc enim nos Deo reconciliat,
sublatis peccatis, quæ nos Deo fecerant inimicos. Et quia
dominus Jesus hujus gratiæ minister est, per ipsum paci-
ficati sumus Deo: major enim fides, quam lex est; lex
enim nostrâ causâ est, fides Dei: & lex ad præsentem dis-
ciplinam pertinet, fides vero ad salutem perpetuam. Sed
qui de Christo non ita sentit, ut debet, ad fidei præmia
non poterit pervenire; quia fidei non tenet veritatem. ℣. 2.
Per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam,
in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.
Manifestum est per Christum nos aditum habere ad gra-
tiam Dei; ipse enim est arbiter Dei & hominum, qui nos
C doctrinâ suâ erigens, sperare fecit donum gratiæ Dei,
stantes in fide ejus. Ideo stantes, quia prius jacuimus:
credentes autem erecti sumus, gloriantes in spe claritatis,
quam promisit Deus nobis.
Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus ℣. 3.
nostris. Quoniam per tribulationes oportet nos intrare in Act. 14. 21.
regnum Dei, ideo & in his gloriandum docet. Spei autem
addita tribulatio augmentum facit præmii; index enim fixæ
spei tribulatio est, quæ testimonium perhibet ad coronam.
Unde Dominus ait: *Beati eritis, cùm vos persequentur, &* Matth. 5. 11.
dicent omne malum adversum vos propter justitiam Dei.
Gaudete & exsultate: ecce enim copiosa est merces vestra in
D *cælo.* Contemnere enim præsentia, & quæ oblectamento
sunt, & in pressura non cedere spe futurorum magni me-
riti est apud Deum. Ideoque in tribulationibus glorian-
dum est; quia tanto plus accepturum se credit, quanto in
tribulatione se viderit fortiorem.
Scientes quod tribulatio patientiam operatur. Hoc est
tribulationem patientiam operari, si tribulatio ipsa motum
non patiatur infirmitatis aut dubitationis.
Patientia autem probationem. Manifestum, est quia pa- ℣. 4.
tientia, si talis fuerit qualem diximus, firma videbitur pro-
batio.
Probatio autem spem. Spes in eo qui probatus videtur,
E non immerito dicitur; dignus enim factus, accepturus re-
munerationem in regno Dei.
Spes autem non confundit; quia caritas Dei diffusa est in ℣. 5.
cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.
Spes non confundit, dum stulti & hebetes à perfidis judi-
camur, credentes quæ mundana carent ratione; pignus
enim caritatis Dei habemus in nobis Spiritum sanctum
datum nobis. Fidele enim esse promissum Dei probat Spi-
ritus sanctus datus apostolis, & nobis, qui præstitit; ut di-
versis linguis imperiti loquerentur cum interpretationibus
ad confirmandam spem, ut & caritatem Dei commendaret Ibid.
in nobis; ut quia caros falli impossibile est, securos nos
F faceret de promissione: quia & Deus est, qui promisit; &
iis quos caros habere vult, promisit. Quia enim fidei nostræ
rationem humana verba adserere non valent nisi, virtutum
testimonio, quæ cùm taceant, clamant, rationabilis appro-
batur ad confusionem prudentium mundi: qui audacia ver-
borum terrenis armis contra cælestia dimicant, & carnali-
bus adversus spiritalia; & prudentes se dicere non erubes-
cunt. Nam sicut peregrini hominis improbabilis origo in
terra aliena est; ita & fidei nostræ veritas peregrinatur in
terris: & quia natura ejus verbis explicari non potest, vir-
tutis, quæ major res est, testimonio commendatur.
Ut quid enim Christus, cùm adhuc peccatores essemus, se- ℣. 6.
cundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo
quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori? Si pro

a. Codex Corb. *ad hanc fidei dignitatem.*
b. Nonnulli mss. *quanto stultum putatur.*
c. Rom. edit. *Homines autem circa rationem carnis studiosi.*
d. Vat. edit. plerique mss. *quod non creditur*, quidam, *quod nos credimus* aut edit. Rom. *quod creditur*, ut cod. Mich. *quod nunc creditur.*
e. Ita mss. plures ac potiores: alii tamen nonnulli, & omnes edit. *ut per lætitia triumphi*: unus, *pro lætitia triumphi.*
f. Omnes edit. ac quidam mss. *æmulos nos hac fiducia faceret, per quam justificemur, meritis nos augeremus, per quam* (Rom. edit. *meritisque augeamur*, & cand. m.) *gloriam adepti, elati appareamus in regno Dei, quia justificati* &c. Sed multo concinnius alii cod. ut in contextu.

incredulis ac Deo inimicis Christus ad tempus morti se dedit, ad tempus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit; quanto magis cùm in illum credimus, auxiliis suis muniet nos? Ad hoc enim pro nobis mortuus est, ut & vitam & gloriam nobis adquireret. Itaque si pro inimicis mortuus est, quantum præstet amicis, debet intelligi. [a] Apud homines ergo, id est, secundùm tempus mori visus est; ille enim apud inferos pro salute animarum irreverentes & nequam spiritus judicabat. Tempora in mundo sunt, ubi oritur & occidit sol, & luna incrementum [b] & detrimentum facit, & dies & nox in statu suo non perseverant; res enim quæ tempori & ætati subjecta est, mutabilis semper est. Huic ergo tempori Christus mortuus est, dum excessit è corpore. Ubi autem tempus non est & ætas, ibi non solum vivus, sed & victor repertus est. Hinc voluit affectum Salvatoris erga nos commendare, cùm dicit: *Vix pro justo quis moritur:* Christus autem pro impiis mortuus est. Si enim pro justo vix aliquis moritur, pro impiis quomodo potest fieri ut quis moriatur? Et si pro bono uno forte audeat quis mori, aut forte non audeat, quia utrumque difficile esse significat; quemadmodum videri potest, ut audeat aliquis pro multorum impietatibus mori. Etenim si quis pro justo aut bono audeat forte mori miseratione quadam illectus, aut affectu bonorum operum ejus: pro impiis vero non solùm, quod suadeat mori, deest; sed & quod in lacrymas provocet. Christus autem mortuus est pro impietatibus populi, & adhuc [c] non sui; ut omnia quæ mundus diffidit, faceret credibilia. Duos ergo gradus fecit, justi, & boni: quamvis enim & justus bonus dicendus sit; tamen genera ipsa posuit, justum exercitio significans, bonum vero natura, qui simplicitate innocens dicatur. Unde quamvis melioris meriti sit, quantum ad locum istum pertinet, justus quam bonus; tamen *pro bono*, inquit, *forte aliquis audeat mori*: ut quia miserabilior causa innocentiæ est, ad hoc cogi forte aliquem posse significat. Denique optant parentes pro bonis filiis mori, non dicam uxores pro bonis maritis. Nam si velimus de bono & justo proponere, aliquando meliorem justum deprehendimus, aliquando præponendum bonum. Si enim juxta Dei legem qui justus est, melior bono est: sed illo qui necdum secum laboravit, ut amplificaret se bonis; exercitio enim bonum naturæ suæ justus meliorabit. Si autem juxta mundum fuerit justus, præponitur illi bonus propter innocentiam; quia hujusmodi non est [d] sine severitate justitia. Itaque omnis natura bona est, justitia autem legis Dei fructus est competens naturæ; ideoque justitia bonitas est, unde justi semper appellantur & boni. Non tamen semper boni justi; quia non propter opera vocantur boni, sed propter innocentiam: justitia enim perfecta est bonitas, dum explet opere naturæ suæ bona.

℣. 8. *Commendat autem suam caritatem Deus in nobis.* Sic commendat suam caritatem, dum adhuc inimicis suis benevolus est, & mittit qui salvet eos; cùm utique non mereantur.

℣. 9. *Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.* Hoc dicit, quia si pro peccatoribus Filium suum Deus occidi permisit, quid faciet pro justificatis, nisi servet eos ab ira, id est, tutos illos præstet ab illusione diaboli; ut securi sint in die judicii, cùm cœperit perfidos ultio devastare? Quoniam enim bonitas Dei nullum perire vult, mortem dignissimam dedit; ut intelligentibus Dei gratiam circa se, adderet dignitatem & gloriam, [e] ingratis cumularet pœnam. Ingrati ii sunt qui, Deo vocante, dissentiunt, Dei gratiam abnuentes, ut in proposito erroris & malignitatis permaneant.

℣. 10. *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Manifestum est, quia si, ut reconciliaret nos sibi, Deus filium suum morti tradidit, quanto magis reconciliatos salvos faciet in vita ipsius? [f] Non enim poterit minime diligere amicos, qui prodest inimicis. Si enim mors Salvatoris profuit nobis adhuc impiis, quanto magis justificatis vita ipsius, cùm resurgit à mortuis? Quia sicut mors ejus à diabolo nos eruit, ita & vita ejus de die judicii Dei nos liberabit.

Non solùm autem hoc, sed & gloriamur in Deo per dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. ℣. 11. Non tantum pro accepta salute & securitate Deo gratias agendas docet, sed & gloriandum per Christum Jesum in Deo, [g] qui dignatus est ex impiis & inimicis dici nos suos amicos; ut omnia beneficia per Christum consequutos nos gaudeamus: ut quia per ipsum cognovimus Deum, gloriantes in eo, reddamus ei honorificentiam parem Deo Patri, ipso sibi idoneo teste prædicante; *Ut honorificent*, inquit, *Filium, sicut honorificant Patrem.* Joban. 5. 23. Post Dei ergo Patris providentiam, & donum quod dedit per Christum, ut personam Filii nobis gratam faceret, quia per unum Christum redemti sumus ab uno Deo Patre, adjecit:

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. ℣. 12. Quoniam superius Dei gratiam per Christum datam ostendit secundùm ordinem veritatis; [h] nunc ipsum ordinem unius Dei Patris, per unum Christum Filium ejus declarat; ut quia Adam unus, id est, Eva, & ipsa enim Adam est, peccavit in omnibus; ita unus Christus Filius Dei peccatum vicit in omnibus. Et quia propositum gratiæ Dei erga genus humanum ostendit, ut ipsa primordia peccati ostenderet, ab Adam cœpit, qui primùm peccavit; ut providentiam unius Dei per unum reformasse doceret, quod per unum fuerat lapsum & tractum in mortem. Hic ergo unus est per quem salvati, hanc illi reverentiam, quam Deo Patri debemus, ipso volente. Dicit enim idem alio loco: *Qui in his servit Christo, placet Deo*; Rom. 14. 18. cùm scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Deut. 6. 13. Si ergo soli Deo serviendum dicit, & Christo servire præcepit, in unitate Dei est Christus, nec dispar aut alter Deus; quando cùm soli Deo serviendum [l] lex dicat, communiter utique Christo serviens Deo placere prædicatur. Igitur *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*; ita & per unum Christum damnatio & mors peccati, præstans vitam æternam, quod inferiùs declarat.

In quo, id est, in Adam, *omnes peccaverunt.* Ideo dixit, *in quo*, cùm de muliere loquatur, quia non ad speciem retulit, sed ad genus. Manifestum itaque est in Adam omnes peccasse quasi in massa; ipsâ enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex eo ipso sumus omnes; hic enim beneficium Dei perdidit, dum prævaricavit, indignus factus edere de arbore vitæ, ut moreretur. Mors autem dissolutio corporis est, cùm anima à corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis adquiritur: à qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, [k] sed superiori, quasi in libera, qui ad cælos adscendere non poterant; sententiâ enim tenebantur datâ in Adam, quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Coloss. 2. 14. Sententia autem decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram: anima vero vinculis inferni detenta exitia pateretur.

Usque ad legem enim peccatum erat in hoc mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. ℣. 13. In Adam omnes dicit peccasse, sicut supra memoravi, & usque ad legem datam non imputatum esse peccatum; putabant enim se homines apud Deum impune peccare, sed non apud homines. Nec enim lex naturalis penitus obtorpuerat; quia non ignorabant quia quod pati nolebant, aliis facere non debebant. Nam usque adeo non ignotum fuit peccatum inter homines, ut Jacob cùm idola sua apud illum quæreret socer ejus Laban, in quo inventum fuisset furtum, Gen. 31. 30. & seq.

a. Rom. edit. *Nam dum apud homines mori videbatur, ille apud inferos* &c. ver. edit. ac mss. inter se non discrepant, nisi quod pro *irreverentes* legitur in nonnullis *reverentes*.
b. Rom. edit. *& decrementum*. Infra vero pro *mutabilis*, nonnulli mss. habent *mortalis*.
c. *Non sui*, hæc mss. Corb. & Remig. addit, *sicut pro callidis debitoribus aut tardis tarde quis fidem suam obligare patiatur*.
d. Omnes edit. ac plures mss. *sine impietate justitia*: magis concinne alii plures, *sine severitate justitia*, à quibus aliqui adjiciunt, *nec severitas immunis à malitia*.
e. *Ingratis cumularet pœnam*, abest à cunctis mss. at in nulla edit. non exhibetur.
f. Rom. edit. è variis lect. Cass. hæc restituit: *Non enim . . . . qui prodest inimicis*, quæ verba etiam in cod. Vind. Thuan. & Remig. reperiuntur.
g. Mss. aliquot, *qui dignatus est filio suo arbitro ex impiis* &c.
h. Ita ver. edit. & cuncti mss. At contra Rom. edit. *nunc ipsum unius Dei Patris* &c.
l. Omnes edit. *Lex communiter Christo serviens Deo placere dicatur*: mss. vero frequentissimi, ut nos in textu.
k. Nonnulli mss. *sed superiore, quasi libera potestate*: alii aliquot, *sed superiora, quasi libera*. Vall. addit, *tenebantur*, non incommode. Attamen melius reliqui mss. & omnes edit. *sed superiori, quasi in libera*, ubi subintellige *custodia*.

Gen. 39. 20. morte dignum judicaret: & Joseph quamvis per calumniam, tamen quasi reus clausus in carcere est: & pistor, Ibid. 40. 3. & pincerna Pharaonis ob delictum similiter passi sunt: & Exod. 2. 12. Moyses, occiso Ægyptio, [a] adterritus lege est. Quomodo ergo non imputabatur peccatum, cùm lex non esset? aut quomodo vindicabatur, nisi lex sciretur?

Lex naturalis semper est, nec ignorabatur aliquando; sed putabatur ad tempus tantum auctoritatem habere, non & apud Deum reos facere. Ignorabatur enim quia judicaturus esset Deus genus humanum, ac per hoc non imputabatur peccatum, [b] quasi peccatum non cognitum esset apud Deum, incuriosum Deum adserentes. At ubi autem lex data est per Moysen, manifestatum est curare Deum B res humanas, & non impune iis futurum qui malefacientes, quacumque ex causa in præsenti evadunt. Nam utique si inter se, magistra justitia vel natura, peccata non inulta censebant; quanto magis Deum, quem mundi sciebant opificem, hæc requisiturum non debuerant Gen. 19. 24. ignorare? Quippe cùm Sodoma & Gomorrha per ignem adjudicatæ sint deperire, quod oblivio quidem texerat; Moyses autem ut firmaret Deum judicem fore, scribendo manifestavit. Sed cùm prætermisso Deo, figmenta cœperunt in honorem Dei recipere, [c] depravati mente, partem legis naturalis, quæ prima est, calcaverunt. Quia lex naturalis tres habet partes, cujus prima hæc est, ut agnitus C honoretur Creator, nec ejus claritas & majestas [d] alicui de creaturis deputetur: secunda autem pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur, modestia gubernante; congruit enim homini habenti notitiam Creatoris vitam suam lege refrænare, ne frustretur agnitio: tertia vero pars est docibilis, ut notitia creatoris Dei, & exemplum morum ceteris tradatur; ut discant [e] quemadmodum apud Creatorem meritum collocatur. Hæc est vera & Christiana prudentia.

ŷ. 14. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Quoniam non imputabatur peccatum, antequam lex daretur per Moysen, sicut dixi; ipsa usurpationis impunitate regnabat D mors, sciens sibi illos devotos. Regnabat ergo mors securitate dominationis suæ tam in hos, qui ad tempus evadebant, quam in illos qui etiam hîc pœnas dabant pro ma- Johan. 8. 34. lis suis operibus. Omnes enim suos esse videbat; quia *qui facit peccatum, servus est peccati*: impune enim cedere putantes, magis delinquebant: circa hæc tamen peccata promtiores, quæ mundus quasi licita nutriebat. Quo facto gaudebat Satanas, securus quod causa Adæ relictum à Deo hominem in possessionem habebat.

Regnabat ergo mors in eos, *qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, qui est forma futuri: quod in subjectis monstrabimus. Itaque non in omnes mortem E regnasse manifestum est, quia non peccaverunt omnes in similitudinem prævaricationis Adæ, id est, non omnes, contemto Deo, peccaverunt. Qui autem sunt qui, contemto Deo, peccaverunt; nisi qui neglecto Creatore, servierunt creaturæ, deos sibi constituentes quos colerent, [f] ad injuriam Dei? Idcirco lætabatur in istis diabolus, quia videbat illos imitatores suos effectos. Nam & Thare pater Abrahæ, & Nachor, & Laban proprios Deos sibi vindicabant. Et peccatum Adæ non longe est ab idololatria; prævaricavit enim, putans se hominem futurum Deum. Æstimavit enim hoc magis profuturum, quod diabolus suasit, quam quod Deus jussit, in loco Dei diabolum statuens; unde & F subjectus est diabolo. Similiter & hi, transgresso Deo, dum creaturæ serviunt, peccant simili modo, non eodem; quia similitudo solet habere aliquid dissimile. Nec enim potest dici quia & hi qui præceptum acceperunt non eden- Gen. 3. 16. di de arbore sicut Adam fuerunt, qui peccaverunt, non prævaricato Deo, sed in lege naturali. Qui enim intellexit, sive ex traduce, sive indicio naturali, & veneratus est Deum, nulli honorificentiam nominis ac majestatis ejus impertiens; si peccavit, quia impossibile est non peccare, sub Deo peccavit, non in Deum, quem judicem sensit: ideoque in hujusmodi mors non regnavit. In hos autem, A sicut dixi, regnavit, qui sub specie idolorum servierun diabolo. Propterea quod lex in auctoritate non erat pro mulgata, judicem Deum præsentire nequiverunt. Maxim enim pars mundi Deum fore judicem ignorabat: perpauc autem in quos non regnavit mors; in quos autem regna vit, post istam mortem, quæ prima dicitur, à secunda ex cepti sunt ad pœnam & perditionem futuram. In quo autem non regnavit, quia non peccaverunt in similitud nem prævaricationis Adæ, sub spe reservati sunt [g] advent Salvatoris in libera: sicut legitur de Abraham, qui quamvis apud inferos fuerit; discretus tamen longo inter vallo est; ita ut chaos esset ingens inter justos & peccato B res. Si inter justos & peccatores chaos ingens erat, [h] quant magis inter impios, ut justis esset refrigerium, & peccato ribus æstus, impiis vero ardor: ut ante judicium quid unu quisque dignus esset, non lateret? Ac per hoc regnabat i eos mors, quia videbat opera subtilitatis suæ profecisse e ad pœnam quasi inimicis. Non enim latuit illum ad h factum hominem in mundo, ut imperium unius Dei præd caret, quod prævaricatus est Satanas.

Ac si in græco non ita cautum dicatur; sic enim dic tur scriptum, etiam in eos mortem regnasse, qui non pe caverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Totu enim hîc complexus videtur, ut quia mors, id est, dissolu C tio per invidiam facta est diaboli, etiam in eos qui n peccaverunt, regnasse mortem dicat; moriuntur enim, qu voti est Satanæ. Quod si verum esset, non oportuit dic *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*: si ab initio u que ad finem regnat in omnes. Aut forte gradus fecit, ab Adam usque ad Moysen regnaverit, & à Moyse usq ad Christum, à Christo vero usque ad finem; ut ad qua utilitatem hæc locutio proficeret, cùm nec sic loquut probetur. Dixit enim: *Ab Adam regnavit mors usque Moysen*, propter quod Lex non erat manifestata, ut da Lege, sub auctoritate ejus viverent, scientes quid caverer ne regnaret in eos mors. Igitur qui ante Legem hoc se D vavit, natura duce, quod postea Lex mandavit, nu quid potest dici quia mors regnavit in eum? Nam vi quid de eo scriptum sit: *Peccatum*, inquit, *non imputab tur, cùm Lex non esset*; & adjecit: *Sed regnavit mors Adam usque ad Moysen*; eo utique tempore, quo Lex n erat: & convenit ut quia antequam Lex daretur, m regnavit, in eos regnasse dicatur, qui peccaverunt in sim litudinem prævaricationis Adæ, sicut supra memoravim Sicut enim post Legem datam qui idolis aut fornicatio servierunt, contemnentes legislatorem, regnavit in e mors; ita & ante Legem qui sensum Legis præsenserun honorificantes auctorem ejus, non utique regnavit in e E mors: propterea enim regnasse dicitur; quia cognit unius Dei evanuerat in terris. Denique sic cœpit da Lex: *Ego sum*, inquit, *dominus Deus tuus, qui eduxi te Ægypto, de domo servitutis: non erunt tibi dii alii præ me; & non facies tibi idolum, neque ullam similitudine* Data igitur Lex est, ne mors regnaret; ut abolitis pecc tis prioribus, uni Deo obsecundaret genus humanu Unde alio loco dicit idem Apostolus: *Non regnet pecc tum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei.* Quo dic ostendit etiam nunc regnare mortem, si Lex contemnatu Quod enim regnum mortis est, nisi cùm sit voluntas ej dum imperat, ad perniciem obedientis, cujus imperii volu F tas caput est idololatriæ?

Et tamen sic præscribitur nobis de græcis codicibu quasi non ipsi ab invicem discrepent; quod facit studiu contentionis. Quia enim propria quis auctoritate uti n potest ad victoriam, verba legis adulterat; ut sensum su quasi verba legis adserat, ut non ratio, sed auctori præscribere videatur. [i] Constat autem porro olim qu dam Latinos de veteribus græcis translatos codicibus, qu incorruptos simplicitas temporum servavit & proba postquam autem à concordia animis discedentibus, & h reticis perturbantibus torqueri quæstionibus cœperun multa immutata sunt ad sensum humanum; ut hoc con

a. Mss. aliquot, *territus fugit.*

b. Omnes edit. & quidam mss. *quasi peccatum non esset*: alii plures nobiscum, *quasi peccatum cognitum non esset*: Corb. solus, *quasi peccatum non esset cognitum apud Deum, incuriosum Deum adsererent.*

c. Corb. codex, *depravati legem mentis naturalis, quæ prima* &c.

d. Mss. aliquot, *alicui præter Filio deputetur.*

e. Corb. ms. *quemadmodum creator merito colatur.*

f. *Idcirco lætabatur . . . . effectos*, deerat in omnibus edit. quod nos prope ex omnibus mss. restituimus.

g. Cod. nonnulli, *adventus Salvatoris in liberationem*: alii vero, & edit. hoc inter se dissidente, quod mss. non pauci, ac vet. edit. efferunt, *adventu*: relic melius, *adventui*: Rom. edit. sola, *adventus.*

h. Ita Gill. ac Rom. edit. cum mss. nonnullis: vet. autem edit. & relic mss. *quanto magis fiet, & justis esset refrigerium.*

i. Rom. edit. *Constat autem hoc per quosdam Latinos de veteribus græ translatos olim codices, quos incorruptos simplicitas temporum servavit & p vat: postquam autem concordia animis dissidentibus . . . torqueri quæstioni cœpit*: Vet. autem edit. ac mss. nobiscum faciunt, nisi quod eadem edit. pauci mss. pro *discedentibus* habent *dissidentibus*, minus concinne.

neretur in litteris, quod homini videretur: unde etiam ipsi Græci diversos codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando & ratio & historia & auctoritas observatur: nam hodieque in latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur à veteribus posita, Tertulliano, Victorino, & Cypriano.

Primùm igitur in Judæa cœpit destrui regnum mortis;
Psal. 75. 1. quia *notus in Judæa Deus*, nunc autem in omnibus gentibus quotidie destruitur; dum magna ex parte ex filiis diaboli fiunt filii Dei. Itaque non in omnes regnavit mors, sed in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, sicut supra memoravi. Adam autem ideo forma futuri est, quia jam tum in mysterio decrevit Deus per unum Christum emendare, quod per unum Adam [a] peccatum erat, sicut dicitur in Apocalypsi Johannis apostoli:
Apoc. 13. 8. *Agnus*, inquit, *qui occisus est à constitutione mundi.* Denique subjecit:

℣. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum.* Propter quod enim formam esse dixit unius Christi unum Adam; ne & causam Adæ talem significasse putaretur, qualis & Christi est; ideo ait: *Sed non sicut delictum, ita & donum*; quia in eo tantum forma Adam Christi est, quia quod unus peccavit, unus emendavit.

Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit: hoc est, si unius delicto multi mortui sunt, imitantes prævaricationem ejus; magis gratia Dei & donum in plures abundavit confugientes ad se. Plures enim gratiam consequuntur, quam mortui sunt delicto Adæ. Unde manifestum est non de hac morte, quæ omnibus communis est, significasse; quia omnes omnino moriuntur, & non tamen omnes gratiam consequuntur: neque mortem in omnes regnasse, sed in eos qui delicto Adæ mortui sunt, significatur, [b] quos in similitudinem prævaricationis Adæ dicit peccasse. Ii sunt quos dicit in unius delicto multos mortuos, gratiam autem Dei in plures abundare; quia & in iis qui delicto Adæ mortui dicuntur, similiter peccantes, & in iis qui non peccaverunt in hac Adæ prævaricationis similitudine, Dei gratia abundavit: paterno autem peccato ex Dei sententia erant apud inferos, gratia Dei abundavit in descensu Salvatoris, omnibus dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in cælum.

℣. 16. *Et non sicut per unum peccatum, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem, donum autem ex multis delictis in justificationem.* Manifeste diversum est, quia uno Adæ peccato condemnati sunt, qui in similitudinem prævaricationis ejus peccaverunt: gratia vero Dei per Christum non ex uno delicto, sed ex multis justificavit homines, dando illis remissionem peccatorum. Hoc ad magnificentiam pietatis Dei & Christi loquitur; ut cùm delicto Adæ multi tenentur à morte secunda in inferno inferiori; donum tamen gratiæ Dei, cùm justum esset plecti illos, non solum ignoscit illis, sed justificat.

℣. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Contuendum est unum esse sensum, & in nullo differre: mortem enim dicit regnasse, non regnare; quia qui intellexerunt per Legem judicium Dei, sublati sunt de ejus imperio. Regnavit autem, quia sine manifestatione legis timor Dei in terris non erat. Superior ergo sensus est, ut quia mors regnavit ab Adam usque ad Moysen in eos, qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ; multo magis gratia regnet abundantiâ doni Dei in vitam per unum Jesum Christum. Si enim mors regnavit, quare non magis gratia regnet, quæ multo plures justificat, quam hi sunt in quos regnavit mors: quanto magis gratia regnare credenda est, quæ confert vitam per Christum?

℣. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*: hoc est, sicut per unius delictum omnes condemnationem meruerunt similiter peccantes, ita & in justitia unius omnes justificabuntur credentes. Si qui autem condemnationem hanc generalem esse putant, simili modo & justificationem generalem accipient. Sed non est verum, quia non omnes credunt.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plures: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. Quos supra omnes dixit, hic plures & multos significat; plures enim delictum Adæ sequuti sunt prævaricando, non omnes: & multi justi constituentur per fidem Christi, non omnes. Non ergo in eos regnavit mors, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. ℣. 19.

Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Potest dici è contra: Non ergo oportuit dari Legem, ne peccata increscerent; si enim ante Legem minus peccatum est, non opus fuit lege. Plane necessaria fuit Lex, ut ostenderet imputari apud Deum peccata, quæ impune fieri credebantur; ut de cetero scirent quid evitare deberent. Unde Esaias propheta: *Lex*, inquit, *in adjutorium data est*: ut quia ipsi naturæ quodammodo inserta sunt justitiæ semina, addita Lex est, cujus auctoritate & magisterio ingenium naturale proficeret ad fructum justitiæ faciendum. Sicut enim [c] nativitas interit, nisi nutrimenta habeat, quibus fota adolescat; ita & naturale justitiæ ingenium, nisi habeat quod respiciat & veneretur, non facile proficit, sed ægrotat, & supervenientibus cedit peccatis. Consuetudine enim delinquendi premitur, ne crescat in fructum, & per hoc extinguitur. Providenter ergo data est Lex in adjutorium, sicut testatur propheta: sed populus veterem consuetudinem sequens multiplicavit peccata. Ipso enim usu plus cœpit peccare, quam antea peccaverat: & sic factum est, ut data Lege non minuerentur, sed abundarent peccata: Apostolus enim ostendit quid provenerit data Lege, non quid Lex fecerit. Quomodo autem Legis vitio crescebant peccata, quæ comminabatur, ne peccetur: sed subintrasse dicitur, ut abundaret peccatum? Verum est, quia quasi profutura intravit, & cum humilitate: postea autem cœpit dominari eis, quibus præceperat ne peccarent, & peccabant. Ostendere enim cœpit lex abundantiam peccatorum; cùm quæ interdixerat, plus fiebant quam facta erant. [d] Igitur hoc modo ut abundaret delictum, data est lex; commendans enim Apostolus fidem, per quam utique peccata delentur, legem dixit fecisse, ut abundaret peccatum, sicut supra dixi; quia non data est, ut abolerentur peccata, sed ut abundarent: dum & ante legem peccatores ostendit, & post legem reos omnes tenuit. ℣. 20. Esai. 8. 20.

Ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia. Manifestum est, quia cùm abundaret peccatum, superabundavit gratia: dum donum Dei venit ex promissione, & omnium [e] peccata contexit; ut diaboli invidia nihil se profecisse doleat. Quia enim cùm data esset lex ad utilitatem humanam, id egit diabolus, ut suadendo illicita, inverteret; ut quod profuturum datum erat, in contrarium proficeret, dum mandata contemta sunt, [f] ut non utilitas ex Lege, sed judicium ad vindictam procederet: tunc justus atque misericors Deus, ut gloriam diaboli quam de triumphato homine quæsierat, exinaniret, Filium suum venturum decrevit, qui omnia peccata donaret; ut major fieret lætitia ex dono gratiæ, quàm fuerat luctus ex peccato. Gaudium enim doni Dei etiam his proficit, de quibus triumphare non potuit Satanas; idcirco superabundavit gratia super peccatum, quod suasit Satanas.

Ut quemadmodum regnavit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum dominum nostrum. Peccatum regnavit videndo opus suum peccantibus in mortem proficere, in qua gloriabatur, [g] simili modo ut & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum dominum nostrum; ut sicut per Adam cœptum peccatum regnavit, ita & per Christum gratia. Sic autem regnat gratia per justitiam, si accepta remissione peccatorum, justitiam sequimur; ut videns gratia fructum se habere in bonis, quos redemit, regnet in vitam æternam, sciens nos futuros æternos. Superabundat ergo gratia, quia peccatum ad tempus regnavit, gratia autem in æternum. Dei enim regnum est, gratia ℣. 21.

a. Ita pleríque mss. ac alii nonnulli, & omnes edit. *prævaricatum erat*: cod. vero Corb. *per prævaricationem peccatum intraverat.*
b. Corb. cod. *quos in prævaricatione similitudinis Adæ peccasse adserit.*
c. Idem codex Corb. *nativitas intepescit.*
d. Paris. quædam edit. *Igitur hoc modo* &c.
e. Corb. cod. *peccata contraxit.* Continuo vero post Amerb. & mss. non pauci legunt *profecisse doleat*, ubi Eras. ac seq. edit. cum aliis mss. magis congrue, *profecisse doleat.*
f. Vet. edit. *ut non utilitas ex lege, commendatio gratiæ Dei; sed judicium ad vindictam procederet*: mss. vero & Rom. edit. in nostram lectionem conveniunt, nisi quod pro *ad vindictam*, illorum nonnulli habent, *& vindicta.*
g. Mss. quidam, *Simili modo & gratia regnet, & inobedientes sibi factos, dum iis quibus misericordiam dedit, recte* [illegible] *esse*[illegible], *hæredes fiunt per Christum, sicut fuerant perditionis obnoxii per Adam. Quid ergo dicemus?* &c.

regnante, ficut diaboli regnum erat, peccato regnante. A Totum tamen ad Christum refert, ut omnis gratia Dei [a] à Christo discatur. Ad superiorem igitur sensum respondet dicens:

CAP. VI. ŷ. 1. *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit.* Hoc est, numquid semper peccandum est, ut donum Dei abundet, tegens nostra peccata; ut semper remissionem peccatorum sperantes, quia Deus pius est, Christi gratiam præferamus? Non utique. Ideo enim nostri misertus est Deus per Christum, ut de cetero non peccantes, & meritum nobis & Dei gratiam in nos regnare faciamus. Aufert enim regnum gratiæ Dei, & tradit peccato, qui rursus redit ad veterem hominem, id est, B ad ritum præteritæ vitæ. Duabus enim ex causis misericordiam accepimus; ut & diaboli regnum excluderetur, & Dei imperium ignorantibus prædicaretur, per hoc ipsum dignitate nobis quæsita.

ŷ. 2. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Hoc dicit, quoniam viventes peccato, mortui eramus apud Deum; qui peccat enim, vivit peccato, sicut qui non peccat, vivit Deo. Superveniente enim gratia Dei per Christum, & nos per fidem lavacro spiritali regenerante, cœpimus vivere Deo, mortui autem esse peccato, qui est diabolus; hoc est tamen mori peccato, liberari à peccato, fieri autem servum Dei. Itaque mortui jam peccato, non redeamus ad mala pristina; ne iterum vivamus C peccato, & morientes Deo, amissa dignitate, pœnam quam evasimus, incurramus.

ŷ. 3. *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ejus baptizati sumus?* Hoc dicit, ut sciamus baptizatos nos jam non debere peccare; quia cùm baptizamur, commorimur Christo. Hoc est in morte ejus baptizari; illic enim omnia peccata nostra moriuntur, ut innovati deposita morte, resurgere videamur ad vitam renati: ut quomodo Christus mortuus peccato resurrexit, ita & nos per baptismum spem resurrectionis habeamus. Baptisma itaque mors peccati est, ut alia sequatur nativitas, quæ corporis manente compagine, hominem mente innovat, sepulta omnium malorum actuum vetustate. D

ŷ. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per virtutem Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hæc dicens, etiam istud significat, quod primum est; quia Christus corpus suum à mortuis excitavit, ipse enim virtus est Dei Patris, sicut dicit: *Solvite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud. Hoc autem*, inquit, *dicebat de templo corporis sui*; & quia resurrexit in novam vitam, quæ jam mori nesciat. Nova autem dicitur; quia à Christo data est, quæ est disciplina Christiana. Nos autem baptizati consepulti sumus Christo; ut de cetero hanc vitam sequamur, in qua Christus resurrexit. Baptisma itaque resurrectionis pignus est, & imago; ut jam in præceptis Christi manentes, ad E præterita denuo non revolvamur. Qui enim moritur, jam non peccat; mors enim finis peccati est. Nam ideo per aquam celebratur, ut sicut aqua sordes corporis abluit; ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos & innovatos credamus; ut quod incorporale est, invisibiliter abluatur.

Johan. 2. 19. & 21.

Coloss. 2. 12.

ŷ. 5. *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Tunc nos feliciter dicit posse resurgere, si similitudini mortis ejus fuerimus complantati, id est, si in baptismo omnia vitia deponentes, in novam vitam translati, de cetero non peccemus: per quod simul & resurrectionis illius similes erimus; similitudo enim F mortis similem præstabit resurrectionem. Quod in epistola sua Johannes apostolus memorat dicens: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus*, hoc est, immortalem & gloriosum resurgere. Nec enim hæc erit similitudo, ut nihil distet; quia similis erit in corporis gloria, non in divinitatis natura.

1. Johan. 3. 2.

ŷ. 6. *Scientes hoc quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Multa innectit & iterat, ut baptizatos doceat jam non debere peccare: maxime ne ad idololatriam revertantur; gravissimum enim crimen, & caput totius erroris est; ne perdant gratiam acceptam à Deo per Christum. Hominem ergo veterem actus præteritos dicit; quia sicut [b] novus homo per fidem & puram vitam dicitur, ita & vetus homo per diffidentiam & malos actus. Hos actus crucifixos dicit, id est, mortuos; ut corpus destruatur peccati, quod est cuncta crimina. Omnia enim peccata simul corpus appellat, quod destrui dicit per bonam vitam, & fidem catholicam.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod etiam simul vivemus cum illo. Manifestum est hos qui carnem crucifixerunt, id est, mundum cum vitiis & concupiscentiis ejus, mori mundo, & commori Christo, æternæ quoque vitæ ac salutari coimaginari; ut gloriæ Christi similes effici mereantur. Caro vero, id est, corpus sic crucifigitur, si desideria ejus calcentur, [c] quæ manente in ea peccato, creantur ex prævaricatione primi hominis cœpta: in carne enim diabolus crucifigitur; ipse enim est, qui fallit per carnem. Caro ergo aliquando mundus, id est, elementa, aliquando vero corpus hominis intelligitur, vel ipsa anima sequens corporea vitia. ŷ. Galat. 5.

Scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Securitatem æternitatis in resurrectione Salvatoris ostendit: ad quam venire contingit, si melioris vitæ fuerit æmulatio. Qui enim bene agendo vivit Deo, hic vere vivit; quia æternam habet vitam. ŷ. ŷ.

Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu domino nostro. Sic loquitur, ut doceat non aliter mori posse peccato, & Deo vivere, quam ut in Christo sit omnis spes: quem Dominum nostrum appellat, ut nihil Legis ad salutem proficiat capessendam in futuro sæculo, quando non aliter Deo vivitur, quam per Christum. ŷ.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Mortale corpus est ex causa prævaricationis Adæ, ex fide autem Christi fore creditur immortale. Ut autem ad promissionem hanc veniatur, non obediendum dicit peccato; ne regnet in nostro mortali corpore: regnat autem dum imperat. Si autem non regnat, non videbitur corpus hoc esse mortale, quia in spe æternitatis est. Non propter dissolutionem dixit mortale corpus, sed propter pœnam gehennæ; ut ille mortalis dicatur, qui in gehennam mittendus est; quia qui peccato obediunt, [d] mortem secundam inferni non evadunt, à qua Salvator in se credentes liberavit. Mortale ergo dicens corpus, totum hominem significavit; quia qui obediunt peccato, mortales dicuntur: *Anima enim*, inquit, *quæ peccat, ipsa morietur*, id est, totus homo; nemo enim [e] sine corpore judicabitur. ŷ. Ezech. 18. 4.

Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Ostendit diabolum nostris nos jaculis impugnare; occasio enim datur illi per nostra peccata; ut deserente nos Deo, accepta potestate illudat & mortificet nos. Ideo membra nostra ab omni opere iniquitatis continere debemus, ut inimicus noster inermis inventus subjiciatur. Et non dixit: Exhibete corpora vestra, sed *membra vestra*; [f] membris enim ministris erratur, non toto corpore. ŷ. 13.

Sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes. Mortem ignorantiam & infidelitatem cum mala vita significat; quia vita est cognoscere Deum per Christum. Quia enim nemo sine parente ortum sumit vitæ, omnia autem à Deo orta sunt ad vitam per Christum; idcirco qui non cognoscit parentem omnium esse Deum per Christum, vitam habere non dicitur, hoc est, sic habetur ac si non sit: ipse enim semet ipsum esse negat, dum sine parente Deo esse se putat. Itaque ignorantia & turpis vita mors est; vitia enim ista mortem adquirunt, non mortem hanc, quæ communis est omnibus, sed mortem gehennæ, sicut supra memoravi; ut cognitio parentis Dei, & sancta conversatio vita sit, non hæc quæ occasui subjacet, sed illa futuri sæculi, quæ vocatur æterna. Quamobrem, *exhibete vos Deo*, inquit, quem cognoscentes profecistis in salutem; ut inhonestæ vitæ renuntiantes, effetis ex mortuis viventes.

a. Rom. edit. sola, *à Christo dicatur.*
b. Quidam mss. *novus homo per Christum, id est, qui ejus fidem habet, puramque vitam exercet, novus dicitur*, &c.
c. Mss. aliquot, *quæ manent in ea, peccato enim creantur* &c.
d. Vet. edit. cum mss. non paucis, *mortem inferni*: Gill. in marg. & Rom. edit. in corp. cum mss. quibusdam, *mortem secundam* mss. vero Gem. Pet. Mich. Vall. Thuan. & Remig. *mortem secundam inferni.*
e. Nonnulli mss. *sine causa corporis judicabitur.*
f. Mss. non pauci, *membris enim, prout peccata dictaverint, ministris erratur, aut ministris armatur.*

Et membra vestra arma justitiæ Deo. Tantâ nos modestiâ conversari omni nostram vult gubernare, ut actus nostri justitiæ Dei proficientes, non mundanæ justitiæ (quia mundi justitia sine fide est Christi, sine qua non vita, sed mors est) arma præbemus illi ad defendendos nos: cui cùm arma per opera bona præbemus, dignos nos facimus adjuvari ab ea; quia justitia Dei indignos despicit. Ubi enim justitia Dei fuerit, ibi habitat Spiritus sanctus ad adjuvandam imbecillitatem nostram; sicut enim peccato arma præbemus, cùm male agimus: ita & justitiæ, cùm rectè versamur, membra nostra custodientes ab omni turpitudine.

℣. 14. *Peccatum autem vestri jam non dominabitur; non enim sub Lege estis, sed sub gratia.* Si secundum præcepta quæ dat, ambulemus, peccatum nobis dicit non posse dominari: [a] iis enim dominatur, qui peccant. Non enim ita ambulantes, ut præcipit, sub Lege sumus: si vero non peccemus, non sumus sub Lege, sed sub gratia. Si autem peccemus, [b] vertimur sub Lege, & incipiet nostri dominari peccatum; quia qui *facit peccatum, servus est peccati:* & necesse est ut sit sub Lege, quamdiu remissa non accipit; peccatum enim auctoritate Legis reum facit peccatorem: ac per hoc cui data remissio est, & custodit se, ne de cetero peccet, neque peccatum ei dominabitur, neque sub lege est. Cessat enim circa eum auctoritas Legis, qui liberatus est à peccato; quos enim reos tenet lex, traditi sunt illi à peccato. Qui ergo peccatis exutus est, non potest esse sub Lege. (Joh. 8. 34.)

℣. 15. *Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub Lege, sed sub gratia? Absit.* Quoniam Lex à Deo est, ac per hoc ne forte opponeretur, [c] ipse sibi proposuit: Si ex Deo est Lex, inquit, cur non debemus esse sub Lege. Hoc purgat, ac docet cum Dei voluntate, qui legis auctor est, à Christo nos liberatos de sub lege. Quamvis enim rectè data sit Lex (data est enim, ut & reos ostenderet apud Deum, qui peccaverunt ante Legem; & timori esset, ut de cetero non peccaretur) sed quia infirmitatis suæ imbecillitate genus humanum à peccatis se inhibere non potuit, factum obnoxium mortis inferni; motus Deus pietate clementiæ suæ, qua semper humano generi subvenit, providit per Christum, qua ratione desperatis jam daretur medela; ut remissione peccatorum accepta, eruti à Lege, quæ illos habebat obnoxios, & relevati & reparati, Deo adjuvante [d] per fidem, vitiis à quibus prius subacti fuerant, repugnaremus; ideoque non peccavimus quasi Legem spernentes Dei, sed ipsius Dei quasi providentiam sequuti sumus per Christum.

℣. 16. *Nescitis quia cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati in mortem, sive obeditionis ad justitiam.* Nunc ne aliud profitentes, aliud faciamus, & cùm Dei servi dicimur, gestis servi diaboli inveniamur; præmonet & denuntiat ejus nos servos esse, cujus & voluntatem explemus operibus; & non parum obesse Deum confiteri Dominum, & actibus diabolo famulari: nam hoc olim Deus denotat, & accusat dicens: *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Et Dominus ait in Evangelio: *Nemo potest duobus Dominis servire.* [e] Et in lege dictum est: *Deus non deridetur.* (Esai. 29. 13. Matth. 6. 24. Galat. 6. 7.)

℣. 17. *Gratias autem Deo, quod cùm fuissetis servi peccati, obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis.*

℣. 18. *Credentes autem in Christum, servi facti sumus justitiæ.* Ejus enim dicimur servi, cui obedimus. Et quia justum est obedire Christo (& ipse enim justitia est, & quæ præcipit, justa sunt) idcirco dicit servos nos factos justitiæ ex corde, non ex lege; ex voluntate, non ex timore: ut professio nostra animi judicio promatur. Per naturam enim inducti sumus ad fidem, non per legem, in qua forma doctrinæ Dei imperio facti sumus, qui finxit naturam. In natura enim habemus, ut cognoscamus à quo, & per quem, & in quo sumus creati. Forma ergo doctrinæ est, in quam tradidit nos creatos naturaliter, hoc est, quod supra dixit: *Ipsi sibi sunt Lex*; dum vident naturæ suæ esse, quod credunt; ut quod Judæis lex & prophetæ prædicarunt de Christo, hoc gentiles [f] ex corde confidant. Hinc gratias refert Domino, quia cùm essemus servi peccati, obedivimus ex corde credentes in Christum, ut serviremus Deo, non per legem Moysi, sed per legem naturæ. (Rom. 2. 14.)

℣. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Dum infirmitatem carnis memorat, minus se significat exigere ab homine, quàm dignum est circa Dei culturam. Denique subinfertur:

Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ, in sanctificationem. Ut occasionem nobis auferret timoris accedendi ad fidem, quia quasi importabilis nobis & aspera videretur, eâ mensurâ nos Deo servire præcepit, quâ prius famulabamur diabolo: cùm utique propensius deberet serviri Deo quam diabolo, quippe cùm hic salus, illic damnatio operetur; medicus tamen spiritalis non plus à nobis exigit, ne dum præcepta quasi gravia fugeremus, perpendentes infirmitatem nostram, maneremus in morte. Unde Dominus: *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos ..... quia suave est, & onus meum leve.* (Matth. 11. 29.)

℣. 20. *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.*

℣. 21. *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Manifestum est, quia qui liber est à Deo, est servus peccati; dum peccat enim, recedit à Deo, & fit sub peccato. Quales ergo sunt fructus peccati, [g] in quibus conversati addiscentes bonam vitam, confundimur, eo quod dudum turpiter vixerimus: & non solùm hoc, quia & sententia paganorum turpis & fœda est, maxime quæ in Phrygia inventa est, in qua [h] nisi spurcus intersit, sacramentum mutum est, & torpescit religio? Ecce maculis plena libertas, & squalloribus obligata, cujus opus turpem mercedem habet: *Cujus finis mors est*: finem dixit exitum vitæ & actuum, cui aut mors, aut vita succedit. Sed hoc loco mors duplex; à morte enim ad mortem transitur.

℣. 22. *Nunc vero liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Hoc est, si accepta remissione peccatorum, bonorum actuum æmuli fuerimus, adquiremus sanctitatem, finem vero habebimus, id est, exitum, vitam perpetuam; à morte enim hac, quam finem dixit, transibimus ad vitam, quæ sine fine est.

℣. 23. *Nam merces peccati mors est.* Quæstum peccati mortem dicit, [i] quia per peccatum mors: ac per hoc qui de cetero abstinent se à peccatis, stipendium accipiunt vitam æternam; quia qui non peccant, alieni sunt à morte secunda.

Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu domino nostro. Sicut enim sequentes peccatum, adquirunt mortem; ita & sequentes gratiam Dei, id est, fidem Christi, quæ donat peccata, habebunt vitam æternam; ut gaudeant se ad tempus dissolvi, scientes se hanc vitam consequuturos, quæ & omni tædio careat, & successionem non habeat. Quam sanctus Symeon exoptans, petiit se hinc dissolvi: ut iret in pace, id est vita, quæ nullam patitur inquietudinem. Et hoc donum à Deo per Christum nobis datum dominum nostrum testatur; ut Deo Patri gratias per nullum alterum nisi per Filium ejus agamus. (Luc. 2. 29.)

CAP. VII. ℣. 1. *AN ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor.* Ut animos eorum firmet in doctrina divina, exemplo humanæ legis utitur; ut iterum per terrena suadeat cælestia, sicut & à mundi creatura Deus cognoscitur; quia enim unius est totum, licet diversæ sint res, ex aliqua tamen parte sibi invicem similes sunt. Sciunt ergo legem Romani; quia non sunt barbari: sed comprehenderunt naturalem justitiam [k] partim ex se, partim ex Græcis: nam leges Ro-

a. Corb. cod. *Iis enim dominatur, qui peccant; quia omnis peccator servus est peccati, & necesse est esse sub Lege.*
b. Rom. edit. sola, *versamur sub Lege.*
c. Ead. edit. sola, *ipse sibi opposuit.* Infra vero ubi hæc ipsa cum mss. nonnullis, & Gill. in marg. *Hoc purgat*; vet. edit. cum aliis mss. exhibent, *Hoc cognoscite.*
d. Ita edit. omnes: at contra mss. ad unum voces *per fidem* non admittunt.
e. Rom. edit. sola, *& alibi dictum est.*
f. Ita omnes mss. contra vero omnes edit. *ex corde confiteantur*, Amerb. *consitentur.*
g. Omnes edit. *in quibus addiscentes*: melius omnes mss. *in quibus conversati, addiscentes*; unus *abdicantes*, sed pravo sensu.
h. Vet. edit. & mss. nonnulli, *Nisi spurcitiis intersit.* Rom. edit. ac pauculi etiam mss. *nisi spurcities intersit*: sed alii mss. multo plures, ut in textu. Rursus vero pro *sacramentum mutum est*, ut in edit. & mss. quibusdam habetur, in aliis cod. legitur, *sacramentum motum est*, in aliis *notum est.*
i. Omnes edit. ac pauci mss. *quia peccatum mors*: melius ceteri, *quia per peccatum mors.*
k. Sic omnes edit. & mss. aliquot: alii vero non pauci hæc præ se ferunt: *partim ex Græcis, partim ex Hebræis; quamvis ante Moysen non latuerit Lex: sed ordo non erat, neque auctoritas; nam Legis ordo Romanis ex Athenis perlatus est*: alii nonnulli, *partim ex Græcis, sicut & Græci ex Hebræis: quamvis enim ante Moysen .... nam Leges Romanis ex Athenis perlatæ sunt.*

manis ex Athenis perlatæ sunt : sicut & Græcis ex Hebræis. Ante Moysen enim non latebat Lex, sed ordo non erat, neque auctoritas. Non ignorantibus ergo legem dicit :

Quia Lex dominatur homini, quanto tempore vivit. Non est occultum omnem vitam hominis esse sub lege naturæ, quæ data est mundo : hæc Lex generalis est. Nunc vero aliam proponit specialem (quamvis & ipsa generalis est, sed dum non recipitur ab omnibus, fit specialis) per quam vult probare adsertionem suam ; gradatim enim vult tradere veritatem. Dicit ergo:

℣. 2. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi viri.* Hæc lex de Evangelio est, non ex Moyse, neque ex justitia terrena. Aliquid ergo, duce natura, aliquid ex lege Moysi addiscentes, perfecti facti sunt per Evangelium Christi. Sequenti ergo exemplo apertius suadet Christianismum exutum esse à lege factorum, non ab omni lege ; nec ultra jam expedire esse sub lege, ne gratiam Dei evacuet reversus sub legem ; quia Dei gratia liberavit à lege hominem, ut spiritu, id est mente, serviat Deo. Sicut enim mulier, mortuo viro, liberata est à lege viri, non à lege naturæ : ita & hi qui gratia Dei [a] liberati a lege sunt, à qua tenebantur rei ; ut mortua illis sit, ut Christianismo juncti non sint adulteri. Si enim lex apud illos vivit, adulteri sunt, & nihil illis proderit dici Christianos, quia obnoxii erunt ultioni. Nec enim legis erit adulter, sed Evangelii, qui mortua lege junctus Evangelio, post redit ad legem ; [b] mortua enim lex dicitur, quando quem tenebat reum, ignotum est ei, auctoritate legis cessante.

℣. 3. *Quod si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri ; ut non sit adultera, si juncta fuerit alteri viro.* Sublati à Lege, accepta remissione peccatorum, & juncti Evangelio, non sunt adulteri Legis ; quia mortua apud illos est. Si autem servantes Legem, accedere se putant ad Evangelium, rei erunt & adulteri ; quia viva lege junxerunt se fidei, & erunt in utraque adulteri.

℣. 4. *Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis Legi per corpus Christi.* Quoniam Salvator noster corpus suum diabolo crucifigere permisit, sciens pro nobis esse & contra illum ; idcirco per corpus Christi salvos nos dicit factos. Mori enim Legi Deo vivere est ; quia Lex dominatur peccatoribus. Cui ergo dimittuntur peccata, moritur Legi, hoc est, liberari à Lege. Itaque per corpus Christi hoc consequimur beneficium ; tradens enim corpus suum Salvator, mortem vicit, & peccatum damnavit. In ipso enim peccavit diabolus, cùm illum innocentem occidit, qui peccatum omnino nesciret ; cùm enim hominem sibi peccati causâ defenderet, inventus est in eo reus, in quo accusabat. Hinc factum est ut omnes credentes in Christum, eruantur à lege, sublato peccato ; [c] quia victum peccatum, quod est diabolus, per corpus Christi, non habet auctoritatem in eos, qui ad illum pertinent, à quo victus est. Dum enim non peccat & occiditur quasi reus ; vicit peccatum de peccato, hoc est, diabolum proprio peccato, quod in eo admisit, damnavit : & chirographum quod peccato Adæ decretum erat, delevit ; quando ab inferis resurrexit, datâ hujusmodi formâ credentibus sibi, ut à morte secunda teneri non possent. Ac per hoc mortui sumus Legi per corpus Christi ; qui enim Legi mortuus non fuerit, reus est : & qui reus est, secundam mortem evadere non potest.
Coloss. 2. 14.

Ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Hoc dicit, quia ideo mortui sumus Legi, ut de cetero Christi simus servi solius : & hoc erit fructificare Deo. Adquiritur enim Deo, qui in gratia ejus manet, dignus resurrectione promissâ.

℣. 5. *Cum enim essemus in carne.* Cùm in carne sit, est enim in corpore, negat se esse in carne ; quia hic dicitur esse in carne, qui aliquid sequitur, quod lege prohibetur. Igitur in carne esse multifarie intelligitur : nam omnis incredulus in carne est, id est, carnalis ; & Christianus sub lege vivens in carne est ; & qui de hominibus aliquid sperat, in carne est ; & qui male intelligit Christum, in carne est ; & si quis Christianus luxuriosam habet vitam, in carne est. Hoc tamen loco in carne esse sic intelligemus, quia ante fidem in carne eramus ; sub peccato enim vivebamus, hoc est, carnales sensus sequentes, vitiis & peccatis subjacebamus. Sensus autem carnis est, non credere spiritalia, id est, sine commixtione viri virginem peperisse, & ex aqua & Spiritu sancto hominem denuo nasci, & solutam animam à copula carnis rursus in carne resurgere. De his diffidens, in carne est, hinc :

Vitia, ait, *peccatorum, quæ per Legem ostenduntur, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* Manifestum est quia qui non credit sub peccato agit, & captivus trahitur ad vitia admittenda ; ut fructum faciat morti secundæ : lucrum enim tunc facit mors, [d] cùm peccatur. In membris tamen dicit vitia operari, non in corpore, ne occasio esset male tractantibus corpus ; quia in maliloquio lingua arguitur, & in furto manus corripitur, & in dissimulante aures increpantur, & ita in ceteris, quæ quamvis de corde exeant, [e] Domino in Evangelio adtestante ; membrorum tamen ministerio explentur operibus. Disputatio hæc tangit Judæos, & eos qui Christiani dicuntur, & sub Lege volunt vivere ; ut discentes carnales se esse, recedant a Lege. Vitia tamen peccatorum quæ dominati in carne agentibus dicit, per Legem ostendi, non per Legem fieri demonstrat ; index enim peccati Lex est, non genitrix, reos faciens peccatores.

Nunc autem soluti sumus à Lege mortis, in qua detinebamur. Soluti sumus à Lege, dum remissionem peccatorum accepimus ; non enim jam habet in nos potestatem, infidis enim & peccatoribus dominatur. Lex autem mortis ideo dicta est, quia punit reos ; mortificat autem peccatores : non ergo mala est, sed justa. Quamvis enim malum sit patientibus, quod infertur à Lege ; sed illa non est mala, quia juste infert iram. Itaque non mala est peccatoribus, sed justa ; bonis vero spiritalis est. Quis enim dubitet spiritale esse prohibere peccare? Sed quia hoc non potuit, ut salvaret hominem remittendo peccata, lex fidei data est, quæ credentes liberaret à dominio Legis ; ut possent reparare se ad vitam, quos Lex tenebat reos ad mortem. Ipsis enim Lex mortis est, quibus iram operatur causa peccati.

Ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ. Hîc Legem tangere putatur, quam quidem ad comparationem legis fidei inferiorem facit ; non tamen inimicam judicat. Nam ideo dicit nos erutos à lege mortis, ut serviamus legi fidei, quæ nobis præsidium contulit salutare, quod vetus lex non potuit ; ne gratiæ beneficium inanire videamur, legi veteri servientes. Lex vetus non criminis utique nomen est, sed temporis vel ætatis ; senuit enim, quia cessavit. Lex autem spiritus ipsa est lex fidei ; quia fides in animo est, nec operibus addiscitur, sed corde creditur : & mens ipsa intelligit naturæ suæ esse quod credit, nec oculis cernitur, aut manibus palpatur : & quæ sperantur dona, non visibilia sunt, nec terrena, sed spiritalia. Vetus ergo lex in tabulis lapideis formata est ; lex autem spiritus in tabulis cordis spiritaliter scribitur, ut sit æterna : [f] littera autem legis veteris ætate consumitur. Est & alia interpretatio legis spiritus ; ut quia prior lex ab opere malo inhibuit, hæc autem, cùm nec in corde peccare debere dicit, lex spiritus vocatur ; ut totum hominem faciat spiritalem.

Quid ergo dicimus ? Lex peccatum est ? Absit. Quoniam legem mortis hanc dicit, & erutos nos ab ea gratulatur, & in illa Deo servire negat ; ne iniquam hanc adserere putaretur, hoc purgat, cùm dicit : *Absit.*

Sed peccatum non cognovi, nisi per Legem. Non ergo peccatum est Lex, sed index peccati ; ostendit enim & quæ latebant peccata, & quia impune futura non essent apud Deum. Quo comperto, homo factus est reus ; & ideo non videtur gratias agere Legi. Quis enim libenter habeat eum, qui sibi pœnam imminere annuntiat ? Legi autem fidei gratias agit ; quia qui per legem Moysi reus factus est, per legem fidei reconciliatus est Deo : quamvis & illa justa & bona sit ; ostendere etenim imminens periculum bonum est. Sed huic magis gratias agit, per quem ereptus de periculo vivit.

a. MSS. aliquot, *liberati à Lege non erunt sub illa, à qua tenebantur rei, nec ultra expedire esse sub Lege ; ut mortem* &c.
b. Iidem cod. *Mortua enim Lex dicitur, cùm cessat ejus auctoritas. Si autem mortuus* &c.
c. MSS. Carn. *quia victum peccatum . . . . à quo victus est.*
d. Corb. cod. *cùm peccatur in membris. Sane vitia dicit operari* &c.
e. *Domino in Evangelio adtestante*, aberat ab edit. omnibus, & mss. non nullis : sed ex aliis pluribus restitutum est.
f. MSS. aliquot, *Littera autem . . . . consummatur, . . . ab errore mala inhibuit.*
g. Rom. edit. expunxit *in Exodo* ; quod tamen in omnibus aliis, & mss. reperitur.

Nam

Exod. 20. 17. *Nam & concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret in* A *Exodo: Non concupisces.* Non discrevit concupiscentiam hanc à peccato, sed miscuit, hoc significans, quia cùm nec suspicio quidem esset istud non licere apud Deum; cognovi, inquit, esse peccatum. Sub sua persona quasi generalem agit causam. Lex itaque concupiscentiam prohibet, quæ propterea quod oblectamento est, non putabatur esse peccatum. Simplex enim videbatur causa, concupiscere aliquid proximi, hoc autem Lex prodidit esse peccatum: sæcularibus namque hominibus [a] nihil tam inultum videtur & placidum, quam voluptas.

℣. 8. *Occasione ergo accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Omnem dicens concupiscentiam, cuncta peccata significat. Supra enim concupiscentiam juxta Legem memorat, cui nunc cetera addens vitia, omnem dixit concupiscentiam operatam in homine impulsu diaboli, quem in peccato significat; ut in contrarium fieret homini Lex, quæ data erat, ut prodesset: Videns enim diabolus auxilium per Legem provisum homini, quem in [b] conditione se tam propter peccatum Adæ, quam propter ipsius habere gratulabatur, intellexit factum adversùm se. Quem enim vidit factum sub Lege, pro certo habuit de suo sublatum dominio; agnoverat enim homo quomodo pœnam inferni evaderet. Hinc exarsit iracundiâ adversus hominem, ut illi Legem inverteret; ut prohibitas admittendo, Deum rursus offenderet, & denuo in potestatem diaboli caderet. Cœpit non imperare, sed subtiliter fallere: quoniam in Lege data amisit dominium diabolus, sciens hominem ad Dei judicium de cetero pertinere.

Sine Lege enim peccatum mortuum erat. Hoc duplici genere intelligendum est, ut & diabolum in peccato scias significatum, [c] & hoc ipsum peccatum, quod vocatur peccatum. Mortuus enim dicitur fuisse diabolus, quia cessabat ab illusione hominis ante Legem, sed erat quasi quietus; securus enim erat de possessione ejus. Peccatum autem mortuum esse dixit; quia putabatur quod non imputaretur apud Deum: ideo apud hominem mortuum erat, quasi impune peccaretur. Nam non latebat peccatum, sicut supra dixi: sed ignorabatur hoc, quia Deus judicaturus est. Quod cum data Lege manifestum est revixisse peccatum. Quare revixit, nisi quia ante vixerat, & postea desidia hominum mortuum æstimatum est, cùm viveret? Putabatur enim non imputari peccatum, cùm imputaretur. Vivens ergo pro mortuo habebatur.

℣. 9. *Ego autem vivebam sine Lege aliquando.* Quid est sine Lege, cùm Lex semper fuerit, sicut supra memoravi; nisi quia sine timore Dei homo vivebat, securus quod non esset Deus judicaturus actus humanos.

Sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit. Ideo dixit revixisse peccatum, ut significaret quia ante vixerat: postea autem desidia hominum mortuum æstimatum est, cùm viveret, sicut assolet falsa fama fieri [d] peregrinis. Hoc ergo significat quod in initiis non latuerit peccatum imputari apud Deum, hoc est vixisse: sed cùm consuetudo peccandi hoc obliterasset, mortuum æstimatum est; ut crimen cum persona deficere putaretur. Cùm autem data esset Lex vel reformata, revixit apud eos, apud quos mortuum æstimatum erat; cœperunt enim scire imputari peccatum.

℣. 10. *Ego autem mortuus sum.* Mortuus est homo; quia videt se reum esse apud Deum, qui ante se putabat non futurum obnoxium ex his quæ peccabat.

Et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam datum, hoc esse ad mortem. Verum est, quia Lex ad vitam data est: sed cùm hominem non solum de præterito, sed & de futuro peccantem reum fecit, [e] facta est Lex data ad vitam, esse ad mortem: sed, ut dixi, peccanti; quia obedientibus proficit ad vitam.

℣. 11. *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.* Peccatum hoc loco diabolum intellige, qui auctor peccati est. Hic occasionem per legem invenit, quomodo crudelitatem suam de nece hominis satiaret; ut quia [f] Lex comminata est peccatoribus, homo instinctu ejus prohibita semper admittens, offenso Deo, ultionem Legis incurreret; ut ab ea quæ illi profutura data erat, damnaretur. Quia enim invito illo data est Lex, exarsit invidiâ adversus hominem, ut eum amplius vitiosis voluptatibus macularet, ne manus ejus evaderet.

Itaque Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Ut nihil adversæ suspicionis remaneret in Lege, sic illam commendat, ut non solum justam hanc, sed & sanctam & bonam pronunciet. Nam mandatum Legem intelligi evangelicus sermo testatur. Ait enim: *Si vis ad vitam venire, serva mandata.* ℣. 12. Matth. 19. 17.

Quod ergo bonum est, mihi mors est? Absit. Vere absit; unde enim fieri potest, ut quod bonum esse probatur, mors intelligatur? ℣. 13.

B *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Diabolum dicit per bonum occasionem accepisse, ut malum operaretur homini, dum illum seducit ad mortem; quia ut ea quæ ante Legem male gesta sunt, per illecebram cupidinis probarentur esse peccata, & de cetero vitarentur, [g] data est Lex, manifestata in litteris. Tunc incensus est satanas, per bonum utique; vidit enim provideri homini, & illicita illi sua fit; ut pro vita ex Lege ei mors proveniret. Quod quidem negligentiæ humanæ ad-

C scribendum est, quæ sic vigorem naturæ suæ infirmavit cupiditate peccandi, ut suggestiones adversarii reprimere non posset. Inimicus tamen, quem in peccato significat, ut appareat esse inimicus, per Legem accepit occasionem operari homini mortem. Dum enim ad illicita illum suasit, apparet esse inimicus. Quamquam & ante legem mortem homini procuraverit, excepta prima causa Adæ, post Legem tamen majores ei pœnas apud inferos, ubi mors secunda est, adinvenit. Minus enim criminis est ante Legem manifestatam peccasse, quam post Legem.

Ut fiat supra modum ipsum peccatum peccans per mandatum. Quid est, *supra modum*; quasi datus sit modus de- Gen. 15. 16.

D linquentibus, cùm peccare non liceat? Sed Dei verba sunt dicentis: *Non sunt completa peccata Amorrhaeorum.* Per quod ostendit mensuram quamdam esse delictorum, quam cùm impleverint peccatores, vita digni minime judicentur; sicut & Pharao, [h] quia istum modum impleverat, Dei virtutes & signa in illum ostensa sunt, per quæ ceteri territi ad emolumenta vitæ se exercerent, ut in mortuo vita disceretur. Sed alius est modus, quem tractat Apostolus: ut ostendat enim plus peccatum esse sub Lege, quam fuerat ante Legem, supra hunc modum peccatorum ampliorem modum significat crevisse post Legem invidia & astutia satanæ; ut providentia Dei contraria fieret homini, Gen. 15. 16.

E cùm timore Legis minime peccare debuerit. Ideo Deus ut invidiam diaboli vinceret, & providentiam suam homini ratam faceret, mutavit ordinem, mittens Salvatorem Christum, [i] qui & diabolum vinceret, & statuta Dei erga hominem firmaret.

Scimus enim quod Lex spiritalis est. Quoniam scientibus Legem loquitur, ideo ait: *Scimus quia Lex spiritalis est*; nec enim se sub Lege darent, nisi agnoscerent istam esse spiritalem. Legem Moysis spiritalem vocat, quæ est data in tabulis: quæ quia peccare prohibet, spiritalis est; quippe cùm visibilia & carnalia coli prohibeat. Hæc ad commendationem Legis pertinent, ne culpâ forte digna ℣. 14.

F putaretur ab aliquo; quia severitatem exercuit in peccatores.

Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Hominem autem carnalem appellat, dum peccat. *Venditus sub peccato.* Hoc est venditum esse sub peccato ex Adam qui prior peccavit, originem trahere, & proprio delicto subjectum fieri peccato, sicut dicit Esaias propheta: *Venditi estis*, inquit, *peccatis vestris*: Adam enim vendidit se prior, ac per hoc omne semen ejus subjectum est peccato. Quamobrem infirmum esse hominem ad præcepta legis servanda, nisi divinis auxilis muniatur, hinc est, unde ait: *Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato*, hoc est, Lex firma est & justa, & caret culpa; homo autem fragilis est, [k] & paterno, vel proprio Esai. 50. 1.

a. Edit. quædam Paris. *nihil tamen jucundum.* Non satis apte.

b. Ita vet. edit. à quibus hoc solo recessit Rom. quod voces alio ordine collocavit: mss. autem majori numero, *quem in conditione se* (nonnulli *sua*) *propter peccatum Adæ habere gratulabantur*: alii vero licet corrupti magis ad edit. accedunt lectionem, quam retinemus.

c. Rom. edit. *& hoc ipsum quod vocatur peccatum. Mortuus enim dicebatur diabolus.*

d. Voci *peregrinis* subnectunt non pauci mss. *non vera*: sed parum scite.

e. Rom. edit. sola, *inventa est Lex data &c.*

f. Vet. edit. cum mss. non paucis: *Lex dominata est*: Rom. edit. cum aliis mss. *Lex comminata est.*

g. Rom. edit. *data est Lex litteris formata in lapidibus.*

h. Mss. aliquot, *quia justum istum modum.* Non satis recte.

i. Nonnulli mss. *qui & diabolum premeret, & hominem liberaret.*

k. Ita mss. aliquot, ac Gall. edit. ceteri autem mss. ac edit. *& paterno subjugatus delicto.*

subjugatus delicto; ut potestate sui uti non possit circa obedientiam Legis. Ideo est ad Dei misericordiam confugiendum, ut severitatem Legis effugiat, & exoneratus delictis, de cetero Deo favente, inimico resistat. Quid est enim subjectum esse peccato, nisi corpus habere vitio animæ corruptum, cui se inserat peccatum, & impellat hominem quasi captivum delictis, ut faciat voluntatem ejus? Hinc
Luc. 8. 12. Dominus inter cetera ait: *Venit diabolus, & tollit quod seminatum est in cor illorum, ne salvi fiant.* Unde idem Apos-
Ephes. 6. 12. tolus in alia epistola ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus*, quos satellites constat esse satanæ. Nam ante prævaricationem hominis priusquam se manciparet morti, non erat his potestas ad interiora hominis accedere, & cogitationes adversas inserere.
Gen. 3. 1. [a] Unde & astutia ejus factum est, ut confabulatione per serpentem hominem circumveniret. Postquam autem circumvenit eum & subjugavit, potestatem in eum accepit, ut interiorem hominem pulsaret, copulans se menti ejus; ita ut non possit agnoscere quid suum sit in cogitatione, quid illius, nisi respiciat legem.

℣. 15. *Quod enim operor, non intelligo.* Non intelligit quod operatur, quia videt aliud se per Legem scire, & aliud agere. *Non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio.* Subjectus peccato facit utique, quod non vult.

℣. 16. *Si autem quod odi, illud facio, consentio Legi.* Probat Legem recte prohibere, quando invitum se hoc facere, quod lex vetat, profitetur: & naturæ suæ dicit esse, quod mandat Lex; quia quod extra facit, odiosum sibi dicit.

℣. 17. *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* Quoniam lege videt prohiberi quod agit, & consentit non debere fieri, ac per hoc aliud esse, cujus impulsu hæc agi declarat, id est, peccatum. Peccatum autem ideo semper nominat, [b] cùm sciatur diabolus esse cum angelis suis; quia nisi peccasset primus homo, hæc non provenirent: ac per hoc peccatum est, quod ea omnia facit.

℣. 18. *Scio enim quod non inhabitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.* Non dicit, sicut quibusdam videtur, carnem malam: sed quod habitat in carne, non esse bonum, sed peccatum. Quomodo inhabitat in carne peccatum, cùm non sit substantia, [c] sed prævaricatio boni? Quoniam primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ut possit dissolvi: ipsa peccati corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divinæ sententiæ datæ in Adam, quod est [d] signum diaboli, cujus instinctu peccavit. Per id ergo quod facti causa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne, ad quam diabolus accedit, quasi ad suam legem, & manet quasi in peccato peccatum; quia caro jam peccati est, ut decipiat hominem suggestionibus malis; ne homo faciat, quod præcipit lex.

Nam velle adjacet mihi. Tam bona adserit, quæ jubet Lex, ut naturaliter sibi placere dicat, & velit facere. *Perficere autem bonum non invenio.* Et placet ergo quod à Lege jubetur, & voluntas est faciendi: sed ut impleatur, potestas & virtus deest; quia sic pressus est potestate peccati, ut non possit ire quo vult, neque valeat contradicere; quia potestatis ejus alter est dominus. Homo enim jam consuetudine peccandi gravatur, & facilius succumbit peccato quam legi, quam scit bona docere; ac si velit bona facere, premit illum consuetudo, adjutore inimico.

℣. 19. *Non enim quod volo, facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago.* Sæpe repetit, ut dilucidet. Hoc ergo est, quod supra dictum est, quia ut captivus per supradictas causas illud [e] cogitur facere, quod vult peccatum.

℣. 20. *Si autem quod nolo, hoc facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* [f] Hoc est quod jam supra memoravit, quia pressus & subjugatus peccato, non suam, sed illius perficit voluntatem. Numquid quia invitum hominem dicit peccare, immunis debet videri à crimine; quia hoc agit, quod non vult, pressus vi potestatis? Non utique; ipsius enim vitio & desidia hæc cœpta sunt. Quia enim mancipavit se per adsensum peccato, jure illius dominatur; primum enim suadet, [g] ut victo jam dominetur. Apostolus autem ut gratiam Dei præferat, hæc exponit de quantis malis hominem liberaverit, aut quæ exitia ex Adam trahit, quæ vero beneficia per Christum consequutus est; ut cui nec Lex quidem subvenire potuit, demonstraret.

℣. 21. *Invenio igitur Legem volenti mihi facere bonum, quia inest mihi malum.* Legem Moysi adserit voluntati suæ date consensum contra peccatum, quod in carne habitat, quod aliud cogit facere, quam quod vult homo & Lex.

℣. 22. *Condelector enim Legi Dei secundum interiorem hominem.* Animum his oblectari dicit, quæ à Lege traduntur: hic est interior homo; quia non in animo habitat peccatum, sed in carne, quæ est ex origine carnis peccati, & per traducem fit omnis caro peccati. Si enim anima de traduce esset, [h] & ipsa, & in ipsa habitaret peccatum; quia anima Adæ magis peccavit, quam corpus: sed peccatum animæ corrupit corpus. In carne ergo habitat peccatum quasi ad januas animæ; ut non illam permittat ire quo vult. In anima autem [i] si habitaret, numquam se cognosceret homo: nunc autem cognoscit se, & condelectatur legi Dei.

℣. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis.* Duas leges memorat, ex quibus unam in membris suis videre se flagitat, id est, in exteriore homine, qui est caro vel corpus. Hæc est lex adversa, hæc repugnans animo, trahens illum captivum in conditionem peccati; ne ultra ingrediens inveniat adsertorem. Alia est lex mentis, quæ est lex Moysi, vel naturalis, quæ est in animo. Hæc pressa est violentia peccati, negligentia quidem sua; quia dum diligit vitia, subjicit se peccato, ut ipsa consuetudine teneretur captiva; dominatur enim homini consuetudo. Quatuor quidem leges nominat: primam legem spiritalem, quæ est etiam naturalis, quæ reformata est per Moysen, & posita in auctoritate, ipsa est Dei Lex: deinde legem mentis consentientem legi Dei: tertiam legem peccati, quam ex prævaricatione primi hominis in membris dicit habitare: quartam vero quæ in membris videtur, dum mala suggerit, & recedit. Sed hæ leges iteratæ quatuor videntur, cùm sint duæ, id est, bona & mali. Lex enim mentis ipsa est lex spiritalis, sive Moysi, quæ vocatur lex Dei: peccati vero lex eadem est quæ & illa, quam in membris dicit videri, quæ contradicit legi mentis nostræ.

℣. 24. ℣. 25. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum.* Infelicem hominem dicit, quia nascitur sub peccato. Numquid non vere infelix est homo, qui in hanc hereditatem prævaricationis successit, [k] hostem secum habens peccatum, per quod ad illum aditum habet satanas? Gradus enim fabricavit Adam, per quos ad filios ejus exspoliator adscendit, nisi clementissimus Dominus motus misericordia gratiam suam per Christum dedisset; [l] ut & relevatum genus humanum remissione peccatorum accepta, de cetero possit resipiscere, represso & damnato peccato. Potest enim exoneratus malis & purgatus resistere adversario, potestate recepta contra illum, dum adjuvatur à Deo. Hic quasi legem fidei tertiam inducit potiorem, quam & gratiam vocat: quæ ex lege tamen spiritali originem habet; quia per hanc liberatus est homo, ut quia Moyses dedit legem, deditque & Dominus, duæ dicantur: una tamen intelligatur, quantùm ad sensum & providentiam pertinet. Illa enim initiatrix est salutis, hæc vero consummatrix. Sed non hanc partem legis dico, quæ in neomeniis est & in circumcisione & in escis; sed quæ ad sacramentum Dei pertinet & disciplinam. Gratia ergo Dei per Christum liberatus est homo de corpore mortis hujus. Hanc dicit mortem, quam supra ostendit in necem hominis per peccatum inventam apud inferos, quæ appellatur secunda: corpus autem mortis est cuncta peccata; multa enim unum corpus sunt, singula quasi

a. Rom. edit. *Primum autem astutia ejus factum est ... homo circumveniretur.*
b. Rom. edit. sola, *ut sciatur diabolus* &c.
c. Eadem edit. Rom. *sed privatio boni.*
d. Omnes edit. *signum legis diaboli .... peccavit Adam*: Omnes mss. ut in contextu.
e. Rom. edit. cum mss. quibusdam, *cogitur facere peccatum, quod non vult.* Minime male: sed tamen aliarum edit. & mss. lectio non est deserenda, peccatum enim hic est in recto casu, idemque sonat ac diabolus.
f. Corb. cod. *Hoc est diabolus, quem supra memoravit.* Rursus autem post versus aliquot pro *vitio & desidia*, idem cod. exhibet, *vitio & desiderio.*
g. Codex Corb. *ut invicto vitium jam dominetur*: alii nonnulli, *ut vitium jam dominetur.*
h. Nonnulli mss. *& ipsum in ipsa habitaret. In animo autem non permittitur habitare, propter arbitrium liberum voluntatis. Igitur in carne* &c.
i. Idem cod. *si habitaret, perturbaret eam, ne se omnino cognosceret.*
k. Omnes edit. *hospitem secum habens*: omnes mss. *hostem secum habens.*
l. Ita mss. plures potioresque: alii vero & edit. *ut revelatum* &c. Non satis recte.

membra uno auctore inventa, ex quibus homo ereptus gratia Dei per baptismum, supradictam mortem evasit. Neque enim in carneo corpore positus, de eo ipso ereptum se diceret: sed hoc corpus dixit, quod superiùs per baptismum & observantiam Legis destrui significat. Nam & cùm dicit: *De corpore mortis*, ostendit aliud corpus esse non mortis.

Igitur ego ipse mente servio legi Dei. Legem Dei cùm dicit, & Moysi significat legem, [a] & Christi. *Carne autem legi peccati. Ego ipse*, id est, qui liberatus sum de corpore mortis. In corpore est; quomodo liberatus est de corpore mortis, nisi quia liberatus est à cunctis malis? Remissio enim peccatorum omnia tollit peccata. Liberatus ergo de corpore mortis gratia Dei per Christum, *mente* B vel animo *servio legi Dei, carne autem legi peccati*, id est, diaboli, qui per subjectam sibi carnem suggestiones malas ingerit animæ. Quia ergo duplex est homo, [b] carne conversus & animo, legi Dei mente servire se dixit; quia animus devotus est Deo, & recuperata sui potestate, repugnare potest peccato, quod per carnem operatur. Quia enim caro corrupta est, & morti subjecta, quæ sic facta erat, ut societate & conjunctione animæ non moreretur; recepit desideria, [c] quorum quasi onus quoddam transfert ad animum, ut & ipse gravetur. Sed quid respuit illam? Mors gratiæ Dei.

Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati, sicut C dictum est. Jam enim liber animus, & in consuetudinem bonam revocatus, Spiritu sancto adjuvante, malas suggestiones potest spernere; reddita est enim illi auctoritas, qua audeat resistere inimico. Qui enim jam non est obnoxius, minime poterit [d] indagari invitus. Caro autem quia judicium non habet, neque capax est discernendi (est enim bruta natura) non potest inimico aditum claudere; ne veniens introeat, atque animo contraria suadeat, ac per hoc: *Carne*, ait, *servio legi peccati.* Cùm enim unus homo carne constet & anima, ex illa parte qua sapit, Deo servit; ex altera autem qua stolidus est, legi peccati. Si autem homo in eo quod factus est, perdurasset, non esset potestas inimico ad carnem ejus accedere, & animæ contraria su- D surrare. Ut autem totus homo minime separatus fuisset Christi gratia ad statum pristinum, sententia obstitit data in Adam; iniquum enim erat solvere sententiam jure depromtam. (Gen. 3. 17.) Idcirco manente sententia, providentiâ Dei remedium inventum est, ut redhiberetur homini salus, quam proprio vitio amiserat: [e] ut hic sanatus crederet quia adversarius ejus devictus potentia Christi, non auderet, transpunctâ sententiâ primæ mortis, hominem sibi defendere, adunato genere Adæ, ne ad primæ originis redderetur facturam, jam totus permanens immortalis.

CAPUT VIII. ℣. 1.

NIhil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Verum est, E quia nulla damnatio est horum, qui sunt in Christo Jesu, legi [f] Dei sollicite servientes. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Securitatem flagitat homini per gratiam Dei, ut de suggestionibus diaboli non sit sollicitus, dummodo spernat illas; nihil enim oberunt homini apud mortem secundam; quia lex fidei, id est spiritus, liberavit hominem à morte secunda, damnato peccato: nec obest jam homini, quia carni inest peccatum, si modo repugnet illi, memor auxilii Dei: sed & coronandus est, qui peccati in carne manentis premit consilia; magna enim solertia est domestici hostis insidias evitare. Lex ergo spiritus vitæ ipsa est lex fidei: nam & Moysis lex spiritalis est, quia prohibet peccare; non ta- F men vitæ, quia reis mortis peccata remittere non potest, [g] ut vivificet morituros. Hæc vero quia & peccare non vult, & à morte revocat, lex spiritus vitæ appellatur, non per litteram constans, sed spiritum; quia corde creditur, & spiritus est, quod creditur. Hæc itaque Lex in

A Christo Jesu, hoc est, per fidem Christi, liberat credentem à lege peccati & mortis. Lex peccati est, quam in membris dicit habitare, quæ suadere nititur adversa: lex vero mortis Moysi lex est, quia mortificat peccatores. Nam & in alia epistola inter cetera dicit de auctoritate legis: *Si ministratio mortis formata in lapidibus fuit in gloria.* (2. Cor. 3. 7.)

Non ergo mirandum si lex spiritalis dicatur, & lex mortis, cùm & Evangelium eodem modo sit. Dicit enim alio loco inter cetera: *Aliis odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem.* (Ibidem 2. 16.) Quos enim opinio virtutum, aut rerum gestarum visus aut auditus adtrahebat ad fidem, his odor vitæ erat Evangelium: illis autem quorum sensum inflammabat facta virtus ad contradicendum, mortis erat odor [h] prædicatio fidei. Una ergo cùm sit fides, diversitatem præstat hominibus; sicut & sol cùm sit unus, ceram solvit, lutum vero stringit. Qua ergo quis mente odoratus fuerit fidem, sic & proficiet illi. Sed dicitur forte: Si eadem præstat fides quæ & Lex, cur non etiam ipsa ex parte lex mortis dicatur; mortificat enim non credentes? Sed non ita est. Fides enim data est, quæ justificat confugientes ad se; ut remittat eis, quos Lex tenet reos; ut agentes sub fide, liberi sint à peccato: nam sub lege agentes obnoxii sunt. Qui ergo non obediunt fidei, non occiduntur à fide, sed à Lege; quia non accedentes ad fidem, rei tenentur à Lege: ideoque omnes qui malo animo odorantur verba fidei, remanent in morte.

Videamus nunc quid intersit cùm dicitur lex spiritalis, & lex spiritus. Hoc interest, quia idcirco dicitur lex spiritalis; quia præcepta dat, per quæ non peccetur; quia qui non peccat, spiritalis vocatur, [i] æmulus superiorum, id est, cælestium. Lex autem spiritus propterea vocatur, quia Deus, cujus fides est, spiritus est. Illic ergo verba sunt, hic res: illic quæ Dei sunt, hic Deus ipse.

Quoniam quod impossibile erat Legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne. (℣. 3.) Hæc dicit, ut baptizatos securos reddat, quia liberati sunt à peccato. *Quoniam quod impossibile erat*, inquit, *Legis.* Cui impossibile est? Nobis scilicet impossibile erat mandatum Legis implere; quia subjecti eramus peccato. Ob hoc Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Hæc est similitudo carnis; quia quamvis eadem caro sit, quæ & nostra; non tamen ita facta in utero est & nata, sicut & caro nostra. Est enim sanctificata in utero, & nata sine peccato, & neque ipse in illa peccavit. Ideo enim virginalis uterus electus est ad partum Dominicum, ut in sanctitate differret caro Domini à carne nostra; in causa enim similis est, non in qualitate peccati substantiæ. Propterea ergo similem dixit, quia de eadem substantia carnis, [k] non eamdem habuit nativitatem; quia peccato subjectum non fuit corpus Domini. Expiata est enim à Spiritu sancto caro Domini, ut in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum; [l] solâ tamen sententiâ datâ in Adam.

Misso ergo Deus Christo, *De peccato damnavit peccatum*, hoc est, peccatum peccato proprio damnavit. Christus enim cùm à peccato crucifigitur, qui est satanas, peccavit peccatum in carne corporis Salvatoris: quo facto damnavit Deus peccatum in carne, ibi utique ubi peccavit, sicut & in alia epistola ait: *Detriumphans illos in ipso*, id est, in Christo. (Coloss. 2. 15.) Nam solet dici de quocumque damnato: In qua causa damnatus est? Respondetur, ut puta, in homicidio. Ita & peccatum in carne damnatum est, hoc est, in peccato, quod admisit in carne. Hoc itaque peccato reus factus satanas, amisit dominium retentarum animarum, ut jam signatos signo crucis, in qua victus est, in secunda morte tenere non audeat. Quamobrem ad securitatem nostram hæc tractat Apostolus.

Ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. (℣. 4.) Ideo damnatum dicit peccatum, ut impleretur in nobis justificatio legis

a. Rom. edit. sola, *& Christi. Igitur ego ipse.* Quæ autem continuo sequuntur, multo contractius colligunt, cod. Corb. Thuan. & Remig. in hunc modum: *Qui liberatus sum de carne mortis juxta memoratum sensum, mente vel animo servio legi Dei. Jam enim liber animus* &c.

b. Rom. edit. *carne conversus & animo.*

c. Vet. edit. ac mss. quidam, *quorum quasi honerem quemdam* (mss. nonnulli *quondam*) *transfert ad animum, ut etiam ipse gravetur*: ceteri vero, & edit. Rom. ut in contextu, nisi quod Rom. edit. præfert, *ut etiam mereretur.* At continuo post Rom. edit. reposuit: *Sed quis repulit illam mortem gratia Dei, ait*: pro eo quod vet. edit. habent, *Sed quid respuit illam mortem? Gratia Dei.* mss. vero, ut in contextu, nisi quod legunt *qui*, ubi nos ex ant. edit. retinuimus *quid.* Est autem mors gratia Dei mors ipsa Christi.

d. Omnes edit. *indagari in vitiis*: omnes mss. *indagari invitus.*

e. Nonnulli mss. *ut hic renatus crederet.* Infra vero ubi omnes mss. & vet. edit. *ne primæ originis*, Rom. edit. reposuerat, *ut primæ* &c.

f. Cod. Corb. & quidam alii, *nulla erit damnatio rerum, qui christiani sunt.* At versu sequenti Rom. edit. cum mss. nonnullis, *devotione animi servientes.*

g. Omnes edit. *ut vivificet mortuos*: omnes prope scripti cod. ... *morituros.*

h. Mss. haud pauci, *in vivicatio fidei.*

i. Vet. edit. ac mss. aliquot, *æmulus superiorum cælestium*: Rom. edit. *æmulus spirituum cælestium*: ceteri mss. ut nos in textu.

k. Cod. aliquot, *non eamdem habuit nativitatem! expiata est enim* &c.

l. Ita vet. edit. ac plures mss. Rom. autem edit. *solva tamen sententia lata in Adam*: quæ verba in mss. non paucis omittuntur.

datæ à Moyse; sublati enim de conditione Legis, facti sumus amici ejusdem, justificati enim amici Legis sunt. Quomodo autem impletur in nobis justificatio, nisi cùm datur remissio omnium peccatorum; ut sublatis peccatis, justificatus appareat, mente serviens legi Dei? Hoc est non secundum carnem ambulare, sed secundùm spiritum; ut devotio animi, qui est spiritus, non consentiat desiderio peccati; quia per carnem seminat [a] concupiscentias animæ, quod inest peccatum. Si enim damnatum est peccatum à Salvatore, quomodo inest? Damnatum est à Salvatore, & triplici genere damnatum. Primo enim in loco damnavit peccatum, dum non peccavit, dissentiens à peccato. Deinde in cruce peccatum, quia peccavit, damnatum dicitur. Unde sublata est illi auctoritas quasi peccati, qua detinebat homines in inferno propter delictum Adæ; ut de cetero in quibus signum crucis est, detinere non audeat. Tertio damnavit peccatum, dum irrita fecit delicta, remissione peccatorum concessa. Cùm enim peccator causâ admissi peccati damnandus esset, ignoscens autem ei damnavit in eo peccatum. Itaque si & nos Salvatoris exemplo non peccemus, damnamus peccatum.

ỳ. 5. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt.* Hoc dicit, quia qui suggestioni, quæ efficitur per carnem, obtemperat; quæ carnis sunt, sapit. Hoc enim [b] illi suave videtur, quod sequitur, contra fas appetens usum & sententiam erroris carnis; in carne enim mundanus error significatur quacumque ex parte.

Qui vero secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus, [c] sentiunt. Manifestum est, quia qui se à carnis desideriis continet, juxta legem mentis vivit; hoc enim illi utile videtur sapere, quod conveniat Legi.

ỳ. 6. *Nam prudentia carnis mors est.* [d] Prudentia carnis peccatum est, quod generat mortem. Prudentia enim ideo dicitur, cùm res stulta sit; quia sæcularibus hominibus errores ex visibilibus concepti sive in sensu sive in actu contra legem Dei, prudentia videntur: maxime quia omnis industria & astutia illorum in eo est, ut peccent. Sapere enim sibi videntur, si istud diligentiùs curent; cùm nihil stultius sit, quam peccare. Est & alia prudentia carnis, quæ mundanis rationibus inflata, negat aliquid fieri, ut mundi careat ratione. Unde deridet Virginis partum, carnis resurrectionem.

Prudentia autem spiritus vita & pax. Vere hæc est sapientia, quæ vitam adquirit & pacem; sequens enim spiritalia, contemtis illecebris vitæ præsentis, æternam habebit vitam cum pace, id est, sine inquietudine; [e] ubi perturbatio & pœna non est.

ỳ. 7. *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Non carnem dixit inimicam, sed sapientiam carnis; id est, non substantiam, sed aut malos actus, aut cogitationem, sive adseverationem, quæ nascitur de errore. Sapientia ergo carnis est primo in loco astrorum ab hominibus [f] inventa disputatio, deinde visibilium oblectatio. Hæc inimica Deo sunt; quia elementorum Dominum, & opificem mundi his coæquant, quæ fecit, adstruentes nihil posse fieri, præter quam mundi continet ratio. Quamobrem negant Deum fecisse, ut Virgo pareret, aut mortuorum corpora resurgerent; quia stultum est, inquiunt, ut Deus fecerit ultra, quam sapit [g] homo. O prudentes mundi, qui putant Deum non debere aliter facere, quam facit ab eo condita creatura; ut ipse similis creaturis putetur! Sic cæcati sunt, ne videant qualem contumeliam Deo faciunt. Opus enim quod in laudem suam prædicandam facere dignatus est, isti vituperantes, incredulum & stultum adserunt: [h] ac per hoc Dei legi subjecta esse non potest ista carnis prudentia; ad hoc enim studium suum exacuunt, ut Dei gestis repugnent.

ỳ. 8. *Qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt.* Sapientes mundi in carne sunt, [i] quia mundi sapientiæ student, per quam Dei legi repugnent. Quidquid enim contra legem Dei est, carnale est; quia ex mundo est; totus enim mundus caro est: omne enim visibile carni deputatur; cognata enim sunt carnis, immo elementa carnis. Ideoque qui mundanis rebus obtemperat, in carne est.

Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. In carne positi, dicuntur non esse in carne, si adsentientes Johanni apostolo, mundana non diligant; sententia enim hominis suam quasi fingit naturam; ut hoc appelletur, quod sentit.

Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Hoc ideo ambigue dicit, quia in Legem inducti, non adhuc perfectæ erant fidei: sed spem in eis videbat perfectionis. Unde aliquando quasi perfectis loquitur, aliquando quasi perfectutis, hoc est, aliquando laudat, aliquando commonet; ut si secundum supra memorata [k] versentur juxta legem naturæ in spiritu esse dicantur; quia Spiritus Dei in eo habitare non potest, qui carnalia sequitur.

Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. [l] Quem superius Spiritum Dei dixit, nunc Spiritum dicit Christi, propterea quia omnia Patris, Filii sunt. Hoc ergo dicit, quia qui supradictis erroribus subjectus est, ad Christum non pertinet; Spiritum enim ejus non habet, quem ut filius Dei esset, acceperat. Duabus enim ex causis deserit hominem Spiritus sanctus; cùm aut sensum carnis habet, aut gesta. Itaque [m] per hæc quæ monet, ad bonam conversationem hortatur; quamvis enim bonitate Dei erigantur homines, onerantur tamen filii Dei vocati, nisi sic vixerint, ne indigni concesso nomine videantur.

ỳ. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, [n] spiritus vero vita propter justificationem.* Peccati causâ corpus mortuum adserit eorum, quos deserit Spiritus sanctus, nec ad istum, [o] id est, Spiritum, necis eorum passionem pervenire. Spiritus enim Dei nescit peccare; ad justificationem enim datur, ut adjutorio suo justificet. Ergo quia peccare nescit, vita est: mori enim non potest, quia per peccatum mors: ac per hoc sibi peccator oberit, non Spiritui, quem acceperit. Nec enim Spiritus erit in causa, qui vult justificare. Signum enim justificationis hoc est in homine, ut per id quod inhabitat in eo, justificatus appareat esse filius Dei; non enim in ficto homine, neque in corpore subdito peccatis potest habitare Spiritus sanctus, sicut dicit Salomon: Sap. 1. si quis autem denuo carnaliter vivat, desertus ab Spiritu sancto, in injustitia sua morietur. *Corpus* autem dicens, totum hominem significat mortuum peccati causâ, sicut & à propheta sub vocabulo animæ totus homo significatur, quasi à parte totum; ait enim: *Anima quæ peccat, ipsa morietur.* Ezech. Numquid sine corpore? Hîc corpus pro toto homine posuit, ille animam. Et alius propheta carnem dicendo totum hominem significavit; ait enim: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Esai. Et quoniam baptizato datur Spiritus sanctus, etiam ipsius esse spiritus dicitur. Idcirco cetera hominis ad comparationem ejus corpus [p] appellavit, propterea quod anima, dum peccat, caro dicatur; hoc enim vocatur, quod sequitur, sicut sæpe jam dixi. Simili modo & Dominus cùm in passione sua divinitatem suam minime formidare vellet intelligi, sed hominis esse mœstitiam, ait: *Spiritus quidem promtus est, caro vero infirma;* Matth. ut in spiritu Deum, in carne vero hominem significaret.

a. Vet. edit. cum mss. aliquot, *concupiscentias animæ, quod inest peccatum. Si damnatum est peccatum, quomodo inest? Damnatum est & à Salvatore, & triplici* &c. edit. Rom. cont. *animæ, dum inest. Si damnatum est... Damnatum est & à Salvatore triplici* &c. plures vero & potiores mss. nobiscum faciunt, è quibus Corb. pro *Damnatum est & à Salvatore* &c. legendum præbet, *præsertim quod triplici* &c.

b. Ita vet. edit. ac plures mss. Rom. autem edit. cum Gill. in marg. & mss. aliquot, *illis sapere videtur*; quidam etiam mss. *illi vane, videtur.*

c. Mss. Flor. & Corb.: *sentiunt. Hi sunt qui concupiscentias carnis, errore devicto, calcarunt: qui mundum præpositum* (Corb. *postpositum*, forte mundo postposito) *& in carne ambulantes, non secundum carnem militant; & quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo est. In his ergo operibus spiritalibus permanentes, quæ Spiritus Dei sunt, in ejus præceptis ambulant, sapiunt. Manifestum est quia* &c. Sed Corb. omisso etiam sequenti textu, verbo *sapiunt* statim connectit. *Nam prudentia carnis* &c.

d. Gill. in variis lect. & cod. aliquot. *Prudentia enim carnis mors idcirco est, quia grave peccatum est; per peccatum enim hujusmodi mors. Prudentia enim* &c.

e. Ita scripti cod. magno numero, nonnulli tamen, & omnes edit. *ubi enim perturbatio est, & pœna est.*

f. Rom. edit. ex marg. Gill. cum paucis mss. *præsumta disputatio.*

g. Voci *homo* subjungit ms. Corb. *ac per hoc non fecit.*

h. Vet. edit. ac plures mss. *ac per hoc legi Dei hoc studium subjectum esse non potest in eo quod exercitatur*, mss. aliquot, *in eo exercitatum*: Rom. autem edit. cum variis lect. Gill. & mss. quibusdam, ut in contextu, nisi quod in fine Rom. edit. & Gill. habent, *ut Deo gentes repugnent.*

i. Ita Rom cum variis lect. Gill. cod. Corb. & aliis nonnullis: vet. autem edit. ac ceteri mss. *quia respicientes mundum, spiritali sapientiæ resistunt; quia totus mundus caro est.*

k. Rom. edit. sola, *versentur juxta Legem, non in spiritu* &c.

l. Omnes edit. ac pauci mss. *Spiritum Dei nunc Spiritum dicit Christi, quia* &c. Nos locum à pluribus potioribusque mss. restituimus.

m. Ita mss. plerique: alii vero, & edit. omittunt, *quæ monet*, & nonnulli, ac vet. edit. pro *hortatur*, legunt *compellit*. Continuo vero post, ubi edit. ac mss. aliquot, *homines, non erunt tamen filii Dei vocati, nisi sic vixerint, ut satis indigni concesso nomine videantur*, Rom. edit.... *ut indigni concesso nomine minime videantur*, mss. frequentes nobiscum faciunt, nisi quod pro *onerantur*, non pauci efferunt *honorantur*. Absurdo sensu.

n. Mss. non pauci, *spiritus vero vivit.*

o. Omnes edit. *id est, Spiritum, ut quis eorum passione potest pervenire, Etal.* & seq. expunxerunt ac, mss. vero prope ad unum nobiscum faciunt.

p. Vet. edit. & mss. aliquot, *appellavit. Præterea quod anima*; Rom. edit. obliteravit *&* quod. Haud incommode; melius tamen alii mss. ut in contextu.

ỳ. 11. *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ipsum sensum eadem tractat ratione; *corpora* enim dixit, per quæ homines significat. Et quia supra dixit propter peccatum corpus mori morte secunda, hîc iterum propter bonam vitam mortalia corpora vivificari promisit, id est, totum hominem.

ỳ. 12. *Igitur, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Rectum & manifestum est, non nos adinventioni Adæ, qui carnaliter egit, obsecundare debere, qui prior peccans mortem nobis hereditatis titulo dereliquit: sed legi Christi servire nos debere, qui nos spiritali ratione à morte supradicta redemit; huic enim debitores sumus, qui nos carnalibus vitiis sordidatos per lavacrum Spiritus ablutos justificavit, & filios Dei fecit. Prius enim in carne positi, exemplo Adæ vivebamus subjecti peccatis: nunc vero liberati, reddere debemus obsequium Redemtori. Quod quidem obsequium non illi [a] utique proficit, qui nullius eget: sed nobis vitam adquirit æternam; sic enim diligit nos, ut sibi imputet, quod proficit nobis.

ỳ. 13. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Nihil verius, quia si secundùm Adam vixerimus, moriemur; Adam enim prævaricans vendidit se peccato carni deputatus. Omne enim peccatum, caro est; propter quod enim deforis vitia & delicta nascuntur ex sensibus, id est, de auditu, visu, tactu, odoratu, vel gustu, carni deputantur. Omnis enim cogitatio foras respiciens, incurrit delictum; nam & primi hominis deforis peccatum natum est. Secundum carnem ergo vivere, mors est; omnis enim actus carnis extra Legem est.

Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Corpus vult lege animæ gubernari; unde ostendit quia si duce sancto Spiritu, actus & consilia carnis, quæ hujus mundi instigantibus potestatibus concinnantur, fuerint repressa, ne agendi accipiant potestatem, vitam præstari. Mortificari enim dicuntur, si cessent: non sunt enim, si cessant; quia peccatum non est, si non fiat.

ỳ. 14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Hos dicit Spiritu Dei agi, in quorum actibus consilia principum & potestatum hujus mundi non videntur: in quorum enim videntur, non sunt filii Dei, sed diaboli; quia qui de Deo natus est, non peccat, dicit Johannes apostolus. (1 Johan. 3. 9.) Hoc est enim quod probat Dei filios & diaboli. Unde Dominus ad Judæos quod male agerent, & parricidium cogitarent, ait: *Vos de patre diabolo estis.* (Johan. 8. 44.)

ỳ. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Hoc dicit, quia accepto Spiritu sancto, à timore malorum actuum exuti sumus; ut de cetero nihil tale agamus, unde iterum timeamus. [b] Ante enim sub timore eramus, quia Lege data, omnes rei sunt constituti. Spiritum ergo timoris Legem dixit; quia homines peccati causâ in timore constituit. Lex autem fidei, quæ in spiritu adoptionis significatur, lex securitatis est; quia à timore nos eruit dum donat peccata, ac per hoc securos nos fecit: ac dicitur spiritus non timoris [c] secundùm hunc modum.

Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Gratia Dei à timore liberati, accepimus spiritum adoptionis filiorum; ut considerantes quid eramus, & quid dono Dei sumus adepti, magna cum diligentia vitam nostram ordinemus; ne nomen Dei Patris in nobis injuriam patiatur, & ea omnia quæ evasimus, veluti ingrati incurramus. Talem enim gratiam consequuti sumus, ut audeamus dicere Deo: *Abba*, id est, pater! ideoque commonet, ne accepta fiducia in temeritatem vertatur; si enim huic voci, qua dicimus: *Abba, pater*, dissimilem vitam exhibeamus, injuriam Deo facimus, vocantes eum patrem. Ideireo enim bonitate sua hoc nobis indulsit, quod super naturam nostram est; ut quod substantia indigni sumus, operibus mereamur.

ỳ. 16. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Bene agentibus nobis, & per hoc ipsum manente in nobis Spiritu sancto, huic voci & animo nostro, quò clamamus in oratione: *Abba*, id est, pater, Spiritus Dei testimonium dat, dum manet in nobis, quoniam non temere dicimus, *Abba, pater*. Dignam enim vitam huic voci exhibeamus; & hoc est testimonium filiorum; si in eos per Spiritum videatur signum paternum.

Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Cùm Deus pater nullo modo mortuus possit dici, Christus autem ejus filius mortuus dicatur causa incarnationis, quid est ut is qui mortuus est, semper viventis heres esse dicatur; cùm heredes utique non nisi mortuorum sint? Sed hæc causa humanitatis, non divinitatis est. Nam apud Deum quæ apud nos hereditas dicitur, donum est patris in filios obedientes transfusum; ut vivus viventis heres sit merito proprio, non necessitate defuncti. Unde & Dominus in Evangelio non magis humana quam divina ratione vivam viventibus substantiam suam partitum esse, licet in parabola, significavit; nec enim parabola absurda ratione componitur. Ut ergo promtos nos ad obediendum Deo Patri faceret, hac spe exhortatur dicens Dei nos futuros heredes, coheredes autem Christi; ut quia spes magna præmii est, tanto magis in Dei rebus propensiores essemus, postponentes curam mundanorum. Quid sit autem coheredem esse Filii Dei, ab apostolo Johanne docemur; inter cetera enim ait: *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.* ỳ. 17. Luc. 15. 12. 1 Johan. 3. 2.

Si tamen compatiamur, ut & simul glorificemur. Quomodo coheredes Christi fieri possimus declarat, dicens: *Si tamen compatiamur, ut & simul glorificemur.* Videamus ergo quid sit compati. Compati est persecutiones tolerare propter spem futurorum, carnemque crucifigere cum vitiis & concupiscentiis, hoc est, voluptates & pompas sæculi spernere. Cùm enim hæc omnia mortua fuerint apud hominem, crucifigit mundum, futuri sæculi vitam credens, in qua se sperat coheredem Christi futurum.

Existimo ergo quod non sint condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Exhortatio hæc ad superiora pertinet, per quam ostendit parva esse, quæ hîc possunt à perfidis irrogari, ad comparationem decreti muneris in futuro sæculo. Propterea [d] nos jubet ad omnia exitia paratos esse debere, quia magna pro his repromissa sunt præmia; ut in tribulatione consoletur se animus, & spe crescat. Nam & quosdam, immo multos scimus pro præsentibus lucris, ad modicum utique profuturis, quam asperos & duros subire labores, & ad quæ tendunt aliquando, quia ipsa vita fragilis est & incerta, pervenire non possunt. Nautæ pro quibus commodis tantis se procellis & tempestatibus credunt; cùm sciant in his magis mortem ante oculos esse, quàm vitam? Et milites spe præsentis præmii, cùm incerta victoria sit, in gladios insurgere non dubitant. Quanto ergo magis pro Christo patiendum est, cujus etiam protelata sunt nobis beneficia: qui pro parvis magnifica, [e] pro terrenis cælestia, & pro temporalibus perpetua præmia cum gloria pollicetur? Pro Christo dicimur pati, cùm nobis non illi proficiat, quod patimur: sed quia ille occasionem quærit remunerandi nos, hoc præcipit; ut bonus enim vel profusus largitor causam quærit, quomodo donet aut indignis, aut verecundis. Deinque ut ipsa exitia tolerari possint, ipse suggerit vires. ỳ. 18.

Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Quoniam præsentis temporis passiones indignas dixit ad superventuram gloriam, subjecit quod creatura hoc exspectat, ut compleatur numerus filiorum Dei, destinatus ad vitam; ut tunc demum etiam ipsa creatura possit [f] liberari à servitute corruptionis, & cessare à vitio. ỳ. 19.

Vanitati enim creatura subjecta est non voluntaria. In domini & creatoris potestate posita creatura, non utique sponte subjecta est vanitati; non enim prodest sibi quod subjecta est, sed nobis. Quid est ergo in quo vanitati subjecta est, nisi quia quæ generat, caduca sunt? Operatur enim, ut fructus faciat corruptibiles: corruptio ergo ipsa vanitas est; omnia enim quæ nascuntur in mundo, infirma, caduca & corruptibilia, ac per hoc vana sunt. Vana sunt enim, quia statum suum tenere non possunt: nam cuncta deformata per fluxum semper in se redeunt confusa in naturam. ỳ. 20.

a. Ita Rom. edit. cum mss. aliquot, & Gill. in variis lect. Vet. autem edit. cum ceteris mss. *quod prousque nobis*.
b. *Ante enim sub timore eramus* non reperitur in mss. at contra in omnibus edit. habetur.
c. Vet. edit. ac mss. non ponit, *secundùm hunc modum*.
d. *Nos jubet* deerat in cunctis edit. & nonnullis mss. sed ex aliis pluribus restituitur.
e. *Pro terrenis cælestia* nunc primum è cod. Flor. & Vind. admittuntur in textum.
f. Ita omnes edit. ac mss. aliquot: nonnulli vero alii, *liberari à servitute corruptionis, & cessare à servitio*, quod [illegible] *cessaret in vitio*: cod. tandem Corb. *liberari ab officio servitutis*, [illegible]

Eccles. 1. 2. Hoc dicit de his & Salomon, quia omnia hæc vanitas. Nec A discordat ab his David, dicens: *Verumtamen vanitas omnis* (Psal. 38. 6.) *homo vivens.* Manducare enim & bibere, & res mundi curare, nonne vanitas est? Et prodest tamen ipsa vanitas; proficit enim hominibus natis in mundo, ut per hæc in corporibus exercitati, discant mysterium Creatoris. Ad comparationem enim æternorum vana sunt; nam in suo bona sunt, quippe cùm sint necessaria.

℣.21. *Sed propter eum qui subjecit illam in spe.* Quæ spes sit, statim subjecit, dicens: *Quoniam & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptelæ in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quoniam contradicere non potest creatura conditori suo, ejus causa subjecta est non sine spe. Habet enim in labore B posita hoc solarium, quoniam habebit requiem, cùm crediderint omnes, quos scit Deus credituros; quorum etiam causa subjecit:

℣.22. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc.* Parturire dolere est. Ipse sensus est, quia omnis creatura per quotidianum laborem ingemiscit & dolet usque modo. Usque modo tamdiu significat, quamdiu legitur. Ipsa enim elementa cum sollicitudine operas suas exhibent; quia & sol & luna non sine labore statuta sibi implent spatia, & spiritus animalium magno gemitu artatur ad exhibenda servitia; nam videmus illa gementia cogi invita ad laborem. Hæc ergo omnia exspectant re- C quiem, ut à servili opere liberentur. Si autem hæc esset servitus, quæ ad Deum proficeret promerendum, gauderet, non doleret creatura: sed quia nostri causâ subjecta est servituti corruptionis, dolet. Videt enim quotidie opera sua interire; quotidie enim [a] oritur & occidit opus ejus. Rectè ergo dolet, cujus operatio non ad æternitatem pertinet, sed ad corruptionem. Quantum ergo datur intelligi, satis de nostra salute sollicita sunt, scientes ad liberationem suam proficere maturius, si modo nos citius agnoscamus auctorem. Hæc itaque scientes, omni cura diligentiaque dignos nos præbeamus, aliis quoque ut exemplo simus, non nostra solum miseratione commoti, sed D & ejus causa quæ diebus ac noctibus injurias patiens ingemiscit; solemus enim in alienis causis propensius vigilare.

℣.23. *Non solum autem illa, sed & nos qui receptaculum Spiritus habemus, nos ipsi intra nosmet ipsos ingemiscimus, exspectantes redemtionem corporis nostri.* Post creaturam mundanam adjecit etiam nos hoc exspectare, & ingemiscere ad Deum, ut hinc liberemur cuncti destinati ad vitam; quia Christianis mundus hic pelagus est. Sicut enim mare adversis excitatur procellis, insilit, & tempestatem navigantibus facit; ita & sæculum perfidorum conspiratione commotum, perturbat fidelium mentes: & tanta diversitate E hoc agit inimicus, ut quid prius evitandum sit, [b] ignoretur. Si enim potestas desinit esse adversum nos, privatorum mentes exagitat: si & hi compescantur, per domesticos conflat incendium; & si hoc [c] positum fuerit, arte sua inter ipsos germanos facit discordiam: ut quatuor angulis pulsata domus, ex aliqua parte faciat ruinam. Propter quod uno consilio fugiendum est hinc christianis; exemplum enim debent sequi sancti Symeonis, qui sciens (Luc. 2. 29.) bellum hìc geri contra perfidiam, in pace dimitti se postulavit. Hoc est quod singuli orantes pro omnibus oramus, (Matth. 6. 10.) ut veniat regnum Dei; tunc enim erit liberatio corporis nostri, id est, omnium christianorum: in corpore enim om- F nes significavit, quia sumus alter alterius membra. Apostolus quidem quasi vir divinus bene sentit de nobis, dicens quia ingemiscimus, ut hinc liberemur, sicut & ingemiscebat Symeon: sed video oblectatione mundi nos teneri. Igitur per hæc quæ supra dicta sunt, ostendit quam vim creatura patiatur nostri causâ; cùm quando nos quibus obsequium ejus proficit, quique Dei Spiritum adjutorem habemus, ingemiscimus, ut hinc liberemur, ut promissa consequamur præmia. Quanto magis ergo creatura ingemiscit, quæ neque adjutorem habet Spiritum sanctum, neque in sua causa laborat: addito hoc, quod ea quæ labore suo generat, ut alimentis servorum Dei proficiant, contra fas videt idolis immolari? Unde plus dolet, & optat citius liberari, sciens hoc ad injuriam proficere Creatoris.

Spe enim salvati sumus. Hoc dicit, quia sperando quod promisit Deus in Christo, nobis meritum fecimus, ut liberemur. Ergo in spe liberati sumus; quia non aliud futurum est, quam credimus. ℣.1

Spes autem quæ videtur, non est spes. Manifestum est non esse spem quæ videtur, sed quod non videtur: ac per hoc credentes præmiis afficiendi sunt; quia quæ non vident, sperant.

Nam quod videt quis, quid sperat? Sed si quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. Dubium non est ea sperari, quæ non videntur; exspectantur enim futura. Hæc exspectatio patientia est, quæ multum meretur à Deo; ut de die in diem exspectans cupiat venire regnum Dei, & non dubitet, quia tardat. ℣.2

Similiter autem & spiritus adjuvat infirmitatem nostræ orationis. Quoniam superius ingemiscere nos, & precari liberationem memoravit, & in dolore positi, aut quæ longe futura dicta sunt, mox fieri volumus, aut cito tolli, per quæ ad meritum perveniamus; & videmur imbecilla oratione precari, dum illi denegatur effectus. Infirma est enim, quia contra rationem postulat: ac per hoc infirmitatem hanc à sancto Spiritu dato nobis adjuvari ostendit. Adjuvat autem, quia quæ aut ante petuntur, quam peti debeant, aut sunt contraria, non sinit fieri. ℣.1

Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Infirmitatem orationis nostræ ignorantiam significare declaravit; fallimur enim putantes prodesse quæ poscimus, cùm non prosint. Denique eidem Apostolo tertiò deprecanti, ut tentationes ab eo cessarent, quia crebræ erant, dictum à Domino est: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* (2. Cor.) id est, sic meritum quis collocat, dum in tribulationibus patiens invenitur. Didicit ergo contra se esse quod petebat. Est & aliquando superba & stulta petitio, sicut fuit duorum apostolorum Jacobi & Johannis, quibus incongrua & immensa petentibus dictum est: *Nescitis quid petatis.* (Matth.)

Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non humanis eloquiis postulare pro nobis dicitur Spiritus Domini, sed more naturæ suæ. Cùm enim quod de Deo est, Deo loquitur; eo more loquatur necesse est, quo ille loquitur, de quo est. Nemo enim cum cive suo [d] aliâ linguâ loquitur. Superfundit enim se precibus nostris Spiritus datus nobis; ut imperitiam, & improvidentiam nostram motu suo operiat; & illa nobis à Deo petat, quæ prosint nobis.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis. Manifestum est quia Deo, cui nihil tacitum est & occultum, nota est precatio omnium spirituum; quanto magis Spiritus sancti, qui ejusdem utique substantiæ est, & loquitur non impulsu aeris, neque ut Angeli, aut sicut cetera ex creaturis, sed sicut competit ejus divinitati? Deo ergo loquitur, cùm nobis tacere videtur; quia & videt, cùm non videatur, & hæc petit, quæ scit Deo placere, & nobis prodesse. Tunc sane pro nobis interponit se idem Spiritus, cùm scit nos per ignorantiam, non per jactantiam contraria postulare. ℣.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Hoc dicit, quia diligentes Deum etsi imperite precati fuerint, non illis oberit; quia propositum cordis illorum sciens Deus [e] & ignaviam, non illis imputat, quæ adversa postulant; sed ea annuit, quæ danda sunt Deum amantibus. Unde & Dominus, ait: Scit autem, inquit, Pater vester (Matth.) quid vobis opus sit, antequam petatis ab eo. Hi ergo secundùm propositum vocantur, quos credentes præscivit Deus futuros sibi idoneos; ut antequam crederent, scirentur. ℣.2

Nam quos præscivit. Istos quos præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda; ut hi qui credere videntur, & non permanent in fide cœpta, à Deo electi negentur; quia quos Deus elegit, apud se permanent. Est enim qui ad tempus eligitur, sicut Saul & Judas; non de præscientia, sed de præsenti justitia. ℣.2

Conformes fieri imaginis Filii sui. Hoc dicit, quia ideo

a. MSS. aliquot, *moritur & occidit.* Infra vero ubi nos, edit. Amerb. cumque mss. *scientes ad liberationem suam.* Verùm huic auctori non hoc tantum loco contigit incongrue loqui.

b. Tres mss. verbo *ignoretur*, addunt, *non enim deficit, unde nascatur tribulatio.* Quod autem pro *potestas* Rom. edit. substituit, *tempestas*, hoc non tantum contra ceterarum omniumque mss. auctoritatem pugnat, sed & contra legitimum sensum; *potestas* enim hic opponitur hominibus privatis, ut locus clamat.

c. Ita edit. Amerb. Eras. & mss. pleraque: alii vero mss. partim *subdatum fuerit*, partim *sopitum fuerit*, quod Gall. & Rom. edit. prætulerunt.

d. Rom. edit. *aliena lingua loquitur . . . . adventu suo operiat.*

e. Ita omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero, *& imbecillitatem.*

A prædeſtinantur in futurum ſæculum, ut ſimiles fiant Filio Dei, quod jam ſupra memoravi.

Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Recte *primogenitus*, qui ante omnem creaturam non factus, ſed natus eſt: ad cujus exemplum Deus homines in filios ſibi adoptare dignatus eſt. Eſt & primogenitus in regeneratio-
a ne Chriſtus. Eſt & primogenitus [a] ex mortuis cujus natura ignoratur. Et primogenitus poſt victoriam adſcendens in cælos. Primogenitus igitur in omnibus frater noſter dicitur; quia homo dignatus eſt naſci: dominus vero eſt; quia Deus noſter eſt, ſicut dicit propheta Hieremias: *Hic*
b Hierem. c. 14. *eſt Deus noſter*, [b] *nec reputatur alius abſque eo.*

B ℣. 30. *Quos autem prædeſtinavit, illos & vocavit.* Vocare eſt cogitantem de fide adjuvare, aut compungere eum, quem ſciat audire. *Et quos vocavit, ipſos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & magnificavit.* Hoc dicit quod ſupra, quia quos præſcivit Deus aptos ſibi, hi credentes permanent; quia aliter fieri non poteſt, niſi quos præſcivit Deus, ipſos & juſtificavit: ac per hoc & magnificavit illos, ut ſimiles fiant Filio Dei. De ceteris quos non præſcivit Deus, non eſt illi cura in hac gratia, quia non præſcivit
c [c] illos futuros idoneos. At ſi credant, aut eligantur ad tempus; quia videntur boni, ne juſtitia contemta videatur,
Joan. c. 71. non permanent ut magnificentur, ſicut & Judas Iſcariotes, aut illi ſeptuaginta duo, qui electi, poſt ſcandalum paſſi receſſerunt a Salvatore.

C ℣. 31. *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Manifeſtum eſt, quia Deo nobis teſtimonium perhibente, quis eſt qui audeat accuſare nos, quando ipſe qui judex eſt, ante præſcivit nos, & idoneos judicavit?

℣. 32. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Sic ſecuros nos debere eſſe fidei cauſâ hor-
d tatur; [d] ut Deum, quaſi præſcium, antequam ex impiis fideles eſſemus, Filium ſuum pro nobis morti tradidiſſe oſtendat.

Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Deum olim decreviſſe dicit remunerandos credentes in Chriſtum.
D Si enim quod majus & præcipuum eſt, præſtitit nobis, ut Filium ſuum verum & cariſſimum traderet propter nos adhuc impios; quare non quod minus eſt facturus credatur pro nobis credentibus ſibi? Jam enim parata ſunt credentibus præmia; minus eſt enim nobis omnia cum illo donare, quam illum noſtri cauſa morti tradere.

℣. 33. *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Neminem audere nec poſſe judicium & præſcientiam Dei in nobis retractare apertum eſt. Quis eſt enim qui poſſit hæc, quæ Deus probat, improbare; cùm nemo æqualis ſit Deo?

Iſai. 50. 8. *Deus qui juſtificat.* Hoc in Eſaia propheta eſt, quod hic quaſi ſuum ponit; quia nemo eſt alius qui, quod probat
E Deus, arguat. Aut ne forte ipſe nos Deus accuſet: ſed non poteſt quod juſtificat, accuſare.

℣. 34. *Et quis erit, qui condemnet? Chriſtus qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, & eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Deum, quia nos juſtificat, accuſare nos negat: Chriſtum autem damnare nos non poſſe; quia eo affectu diligit nos, ut moreretur pro nobis, & reſurgens, ſemper cauſas noſtras agat apud Patrem. Cujus poſtulatio contemni non poteſt; quia in dextera Dei eſt, hoc eſt, in honore quod Deus eſt; ut de Deo Patre ſecuri, & Chriſto Filio ejus qui judicaturus eſt, in fide ejus lætemur. Hinc
F Luc. 22. 31. & 32. eſt illud, quod dicit Petro apoſtolo: *Ecce expoſtulavit ſatanas, ut vos ventilet ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Hoc ergo modo interpellat pro nobis
e Salvator; [e] ſciens enim impudentiam & altitudinem adverſarii noſtri, cùm ſe commovet adverſum nos, ſi non ei adſentiamus, Salvator interpellat pro nobis; ne aliquid violenter præſumat circa nos, ut arceatur inſolentia ejus. Hac cauſa tamen dicitur Filius interpellare, cùm ipſe agat totum, & æqualis ſit Deo Patri; & quia unus dicitur Deus, ne Pater & Filius ſingularis, vel unio putaretur, ad perſonarum diſtinctionem ſic loquitur Scriptura; ut & Filium non diſparem tradat: & Patrem, quia Pater eſt, & quia ab ipſo ſunt omnia, præferat.

Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? Hoc eſt, quis nos avertere poterit à dilectione Chriſti, qui nobis tam magna & innumera præſtitit beneficia? *Tribulatio?* Sed non facit, quia dilectionem firmi chriſtiani nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus incitatur caritas, ſi eum cujus ſenſit beneficia, prohibeatur amare; dum enim putant ſe [f] in merita ejus ſeminare, ſuſcitant memorata beneficia. ℣. 35. f

An anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius (ſicut ſcriptum eſt, quia propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus velut oves occiſionis) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. ℣. 36. ℣. 37. Pſal. 43. 22.
Hoc ſcriptum eſt in pſalmo quadrageſimo tertio. Manifeſtum eſt ergo hæc omnia, quæ enumerat, exitia, tribulationes, preſſuras, & mortem non poſſe conferri vel comparari caritati Chriſti, quam ſeminavit in nobis. Multo enim majora ejus beneficia habemus, quam hæc ſunt omnia, quæ videntur adverſa. Si enim morimur pro illo, quod gravius videtur in his, & ille mortuus eſt pro nobis: ſed ille ut prodeſſet nobis, noſtra autem mors non illi proficit, ſed nobis. Temporalem enim vitam perdimus, ut nobis rependatur æterna. Et quid mirum ſi ſervi moriantur pro bono Domino; quando Dominus mortuus eſt pro ſervis, & malis? Vincunt ergo beneficia, & exhortantur animum ad perſeverandum propter eum, qui dilexit nos.

Confido enim quia neque mors. Confidentia hæc de ſponſione Chriſti eſt, qua promiſit in tribulatione adjuvare ſibi dicatam fidem. *Neque vita, neque Angelus, neque Virtus, neque altitudo, neque profundum, neque præſentia, neque futura, neque alia creatura poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu domino noſtro.* Hæc ſunt omnia, quæ ad abductionem noſtram à diabolo inferuntur, quæ idcirco memorat, ut muniat nos; ut ſi advenerint, confidentes de ſpe, & auxiliis Chriſti, armati fide adverſus hæc repugnemus. Quid enim ſi mors illata fuerit, nonne lucrum eſt maximum occaſionem invenire, qua citius eatur in regnum promiſſum? Neque ſi præſens vita promiſſa nobis fuerit dignitate munita, debet nos avertere ab ſpe beneficii Chriſti, quem ſcimus, quia non ſolum in futuro, ſed & in præſenti proderit nobis. Nec quidem ſi ſe Angelus nobis oſtendat ad ſeducendos nos, [g] ſubornatus fallaciis patris ſui diaboli, prævalere debebit adverſum nos; cùm ſciamus Chriſto, ut magni conſilii Angelo, nihil præponendum. Neque ſi virtus ab aliquo facta fuerit, ſicut dicitur facta à Simone mago, qui dicitur in aere ſurſum, ut populum Chriſti ſcandalizaret, volaſſe, fidem noſtram debebit minuere, ſcientium Salvatorem nube famulante ſuſceptum adſcendiſſe ſupra omnes cælos. Neque ſi in altitudinem ſe nobis oſtendat, de qua dicit Johannes apoſtolus: *An ignoratis altitudinem ſatanæ?* à devotione nos domini Jeſu debebit auferre, quem ſcimus deſcendiſſe de cælo, [h] ut terrena ſpiritalibus ſociaret. Neque ſi per phantaſiam, qua ſeducere meditatur, profundum nobis oſtendat horrore mirandum, qua territi forte ſuccumbamus illi: nec ſic dignum eſt, ut Chriſto fidem frangamus, quem ſcimus noſtri cauſa in profundum terræ deſcendiſſe & morte preſſa genus humanum liberaſſe. Neque ſi futura nobis ſpondeat, quæ promiſit Evæ, adſenſum dabimus illi, diſcreti à Chriſto, quem virtute & natura Deum credimus & ſcimus. Nec ſi arte [i] & ſubtilitate aſtutiæ ſuæ aliam creaturam fingat ad horam, ſicut finxerunt Jamnes & Mambres coram Pharaone; inconveniens eſt, ut per hæc à Deo creatore vero nos revocet, quem non ignoramus per Chriſtum Filium ſuum creaturam condidiſſe in æternum exiſtentem. Quibuſdam videtur aliam creaturam dixiſſe de idolis: ſed non eſt verum; quia hanc debuit ſignificare, quam ſub admiratione ſeductionis videtur fingere ſatanas. Nam quis ſeducatur fidelium ad hæc, à quibus receſſit manifeſtato errore?

(Right margin: ℣. 38. ℣. 39. g Eſai. 9. 6. Act. 1. 9. Apoc. 2. 24. h Gen. 3. 4. i 2. Tim. 3. 8.)

a. Rom. edit. cum mſſ. nonnullis, *ex mortuis, quando devicta morte adſcendit in cælos.*

b. *Nec reputatur*, ſive ut mſſ. aliqui *non æſtimabitur, alius abſque eo*, in textum ex mſſ. non paucis reſtituimus. Infra vero in mſſ. quibuſdam legitur partim, *vocare eſt cogitantem hominem quod ſit Dei, vocare*; partim, *quid ſit hominem vocare. Vocare eſt cogitantem de fide* &c. In quibuſdam autem omittitur; nos vero lectionem omnium edit. potiorumque mſſ. retinuimus.

c. *Illos futuros idoneos* mſſ. plerique, iidemque optimi reſtituere.

d. Amerb. & Eraſ. cum mſſ. aliquot, *ut Deum, quo præſcio* &c.

e. Mſſ. aliquot, *ſciens enim potentiam*: unus, *imprudentiam*.

f. Omnes edit. ac mſſ. nonnulli, *immerita ejus ſeminare, memorat beneficia*; ceteri mſſ. qui & potiores, ut nos in textu; niſi quod omittitur in quibuſdam vox *memorata*, & pro *in merita* in omnibus fere ſcribitur *immerita* inepto ſenſu. At in merita Chriſti ſeminamus, quia ipſe prior dilexit nos, ac dedit nobis

g. Nonnulli mſſ. *ſubornatu fallacis patris ſui.*

h. Rom. edit. ſola, *ut terrena cæleſtibus ſociaret.* Infra vero ubi vet. edit. ac plures mſſ. *errore mirandum*, eadem Rom. edit. ex Gill. in marg. & mſſ. nonnullis reſtituit, *horrore mirandum.*

i. Omnes edit. & mſſ. ac pauca mſſ. *& ſubtilitate*: ceteri, in quibus antiquiores, *& ſubtilitate.* Rurſus paucis interjectis, Eraſ. ac ſeq. edit. cum uno vel altero mſſ. repoſuerunt, *conveniens eſt*, ubi nos cum Amerb. & pleriſque mſſ. reſtituimus, *inconveniens eſt.*

Sed hæc meditatur & fingit, per quæ etiam electos possit A seducere. Nulla ergo sunt, quæ nos possint à caritate Dei separare, quæ est in Christo Jesu: Deus enim caritatem suam in Christo nobis ostendit, dum tradit illum pro nobis.

Cap. IX. ℣. 1. ℣. 2. ℣. 3. *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quia tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo; optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Quoniam superius contra Judæos loqui videtur, qui ex Lege justificari se putant: nunc ut votum suum & affectum circa eos osten- B dat; teste conscientia sua, in Christo Jesu & in Spiritu sancto dicit se loqui, ut non velut inimico illorum fides haberi non possit. Ideo Christum & Spiritum sanctum, quos nihil latet, testes dat: & quorum testimonium reprobari non potest, qui sic perhibent testimonium Apostolo, dum commendant eum virtute signorum, quæ faciebant per illum. Quia enim tam magnum præsidium est Christi, & præcipuam caritatem erga genus humanum ostendit, & dignatione ejus gloriosa & immortalia præmia repromissa: ac per hoc dolet genus suum, quod est secundum carnem; quia incredulitate sua hoc perenni & salutari beneficio se privarunt. Ergo, *optabam*, ait, non opto; C quia scit fieri non posse, ut tam honestum membrum, nullo præcedente vitio, abscinderetur [a] à corpore christiano; affectum tamen & dilectionem circa genus suum ostendit.

℣. 4. *Quorum adoptio est filiorum.* Juste se dolere probat, quando prædicat laudem generis eorum: quia olim filii adoptati, affectum & gratiam Dei Patris in irritum habuerunt. Adjecit adhuc, ut & alios dolere pro his faciat, dicens:

℣. 5. *Et gloria, & testamenta, & Legislatio, & obsequium, & promissa, quorum Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* D *Amen.* Tanta præconia nobilitatis & dignitatis generis Judæorum & promissionum enumerat, ut omnibus pro his dolorem incutiat; quia non recipiendo Salvatorem prærogativam Patrum, & promissionis meritum perdiderunt, pejores gentilibus facti, quos prius, quia sine Deo erant, abominabantur: propensius enim malum est dignitatem perdidisse, quàm non habuisse. Interea de Salvatore dicit:

Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. Quando enim nulla paterni nominis fit mentio, & de Christo sermo est: non potest differri, ne Deus dicatur. Frequenter enim Scriptura propter unius Dei professionem, si de Deo Patre loquitur, & Deo adjungit Filium, Deum Patrem vocat, & Filium Dominum. Si quis autem non E putat de Christo dictum: *Qui est Deus*, det personam, de qua dictum est: de Patre enim Deo hoc loco mentio facta non est. Sed quid mirum, si in hoc loco Christum Deum super omnia aperta voce loqueretur, de quo alia in epistola hunc sensum tali sermone firmavit, dicens: *Ut in nomi-* Philip. 2. 10. *ne Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum?* Hæc sunt omnia, super quæ Deus Christus est. Neque enim, exceptis his, sunt aliqua, ut non super omnia Deus Christus sit: nec potest genu flectere omnis creatura, nisi Deo. Denique Johannes apostolus cùm inscius Angelum ut Deum vellet adorare, audit ab eo: *Ne* Apoc. 19. 10. *feceris, quoniam conservus tuus sum. Deum*, inquit, *adora.* F Nec Dominus utique adorari se pateretur, nisi quia Deus est: si quominus, usurpasse dicendus est, & peccasse, quod absit; cùm ipse diabolum increpans, dominum Deum adorandum, Matth. 4. 10. & ipsi soli serviendum ostendat. Nihil ergo præjudicatur Deo Patri, cùm adoratur Christus ut Deus; quia cùm soli Deo serviendum dicatur, servitur & Christo. Dicit enim alio loco: *Qui in his servit Christo, placet Deo.* Johan. 12. 4. Quid ergo superest, nisi ut Pater Deus, & Filius Deus; & nihilominus unus Deus credatur uterque? Sive enim Patrem quis adoret, sive Filium, unum Deum dicitur adorare; [b] & servire Patri, aut Filio, uni Deo servitium exhibetur. Nulla igitur discretio est; quia qui adorat Filium, adorat & Patrem: & qui servit Patri, servit & Filio. Et ut sine adulatione deitatis hujus confessionem esse doceret, in conclusione posuit, *Amen*, hoc est, verùm; ut Christum Deum super omnia in veritate ostenderet benedictum in sæcula.

Non autem excidit verbum Dei. Non excidit verbum Dei dicentis: *In Isaac vocabitur tibi semen*, id est, hoc evenit, quod dixit Deus futurum; ut non hi dicerentur semen esse Abrahæ, qui filii ejus essent secundum carnem: sed illi qui fidem acceperint, per quam natus est Isaac, reformatam tempore Christi, non jam specialem, sed generalem; ut quod Abraham credidit de Isaac, isti crederent de Deo & Christo; quia natus est Dei Filius ad salutem [c] humani generis redimendam.

Neque omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen. [d] Hoc est quod vult intelligi, non jam ideo dignos esse omnes, quia filii sunt Abrahæ: sed eos esse dignos, qui filii promissionis sunt, id est, quos præscit Deus promissionem suam suscepturos, sive ex Judæis, sive ex gentibus; hi enim digni sunt dici Israelitæ, id est, videntes Deum, qui credunt. Nam de Isaac utique omnes hi filii sunt Abrahæ; quia omnis propago generis Judæorum ex Abraham per Isaac est. [e] Sed quia, sicut dixi, hi sunt vere filii Abrahæ, qui promissionem sequuntur, quæ in Isaac facta est; ac per hoc reliqui filii non sunt dicendi Abrahæ. Abraham enim credens, Isaac accepit propter fidem, quia credidit Deo. In quo mysterium futuræ fidei designatum est; ut illi essent fratres Isaac, qui eamdem fidem haberent, in qua Isaac natus est; quia Isaac in typo Salvatoris natus est ex promissione; ut qui crediderit Christum Jesum promissum esse Abrahæ, hic sit filius Abrahæ, frater vero Isaac. Dictum est ergo Abrahæ, quia *in semine tuo benedicentur omnes gentes*: quod utique in Isaac factum non est, sed in eo, qui in Isaac promissus est Abrahæ, qui est Christus, in quo omnes gentes benedicuntur credentes. Ceteri ergo Judæi filii sunt carnis, dum promissione privantur: nec deputari possunt merito Abrahæ, qui fidem non sequuntur, per quam dignus exstitit Abraham.

Id est, non qui filii carnis, hi sunt filii Dei: sed qui filii promissionis sunt, æstimantur [f] *in semine.* Apertum est quia non possunt dici filii carnis filii Dei: hi enim ex concupiscentia carnis nati sunt, isti vero ex fide spiritualiter, secundùm quod promissum est Abrahæ; ut hi æstimarentur semen esse, qui crederent.

Promissionis enim verbum hoc est: Ad hoc tempus veniam, & habebit Sara filium. Hoc in Genesi habetur, quod præfiguratum in Christo est, ut futurus Christus promitteretur filius Abrahæ, in quo promissionis verbum impleretur, ut in Christo benedicerentur omnes gentes terræ. Quando enim promissio facta est Abrahæ, & audivit: *Quia in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*; Christus utique illi promissus est ex traduce Isaac, in quo hoc impletum videmus.

Non solum autem hæc, [g] *id est, Sarra, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.* Non tantum ergo Sarram in typo dicit generasse Isaac, sed & Rebeccam uxorem Isaac. Sed alia causa est in Isaac, alia in Jacob & Esau; quia Isaac in figura Salvatoris natus est, Jacob vero & Esau duorum populorum habent typum, id est, credentium, & non credentium; ut cùm ex uno sint, diversi sint tamen. In singulis enim & genus significatur, ut hi unius generis dicantur, qui in causa fidei unum sunt, vel perfidiæ. Unus enim significatur in multis, non per traducem carnis, sed per communem causam; quia & ex Esau Jacob filii dicendi sunt, & ex Jacob Esau imputandi sunt filii. Nec enim quia Jacob laudatur, omnes ex eo nati, filii ejus merito dicendi sunt: aut quia Esau displicet, omnes ex ejus origine reprobi sunt; cùm videamus & de Jacob traduce natos factos perfidos, & de Esau fideles & Deo caros. Nam quod de Jacob multi sint perfidi, dubium non est; omnes enim Judæi non

a. Rom. edit. cum paucis mss. *à corpore Christi.*

b. Mss. aliquot, *& servire Patri, aut Filio, aut Spiritui sancto, uni Deo . . . . . adorat & Patrem & Spiritum sanctum. . . . . servit Filio & Spiritui sancto* &c. reliqui vero, & edit. nobis consentiunt, nisi quod Rom. pro *& servire Patri*, posuit, *& si servitur Patri*: nec non post, *nulla igitur subjungit, in his*: ac demum insra pro *confessionem* cum mss. Thuan. substituit, *professionem*.

c. Gall. ac Rom. edit. cum Thuan. cod. *humani generis redimendam.*

d. Ita mss. & vet. edit. nisi quod Gall. omittit, *Hoc est*. Rom. autem edit. adjecto, ut solet, sequenti Scripturæ versu, & septima parte sequentis, ista subjungit: *Volo intelligere non omnes, qui filii sunt Abrahæ, esse dignos, sed filii promissionis sunt, id est, quos præscit* &c.

e. *Sed quia . . . quæ in Isaac facta est*, in multo pluribus mss. desiderantur.

f. Amerb. & Erasm. & quidam mss. *in semine. Apertum est quia non possunt dici filii Dei: hi enim* &c. Gill. & Rom. edit. cum paucis mss. *in semine.* Rom. *in semine. Dicit filios carnis, & filios Dei. Hi enim* &c. locum vero è plurimis optimisque mss. restituimus.

g. Rom. edit. & cod. Thuan. hinc rejiciunt, *id est, Sarra*. Sic etiam infra Rom. edit. sola excuderat, *Hoc in Malachia habetur*: quæ tamen reperiuntur in cunctis mss. & edit.

credentes

credentes, aut credentes ex eo habent originem: & quia de Esau sunt boni & fideles, probat Job, qui est ex filiis Esau, quintus, ab Abraham, hoc est, nepos Esau.

℣.11. *Nam cùm nondum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum vel malum; ut secundum electionem propositum Dei maneret,*
℣.12. *non ex operibus, sed ex vocante dictum est quia major serviet*
℣.13. *minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio ha-*
Gen.25.23. *bui.* Hoc in Malachia habetur. Præscientiam Dei flagitat
Malach.1.3. in his causis, quia non aliud potest evenire, quam novit Deus futurum. Sciendo enim quid unusquisque illorum futurus esset, dixit: Hic erit dignus, qui erit minor; & qui major, erit indignus. Unum elegit præscientiâ, & alterum sprevit: & in illo quem elegit, propositum Dei manet; quia aliud non potest evenire, quam quod scivit, & proposuit in illo, ut salute dignus sit: & in illo, quem sprevit, simili modo manet propositum, quod proposuit de illo; quia indignus erit. Hoc quasi præscius, non personarum acceptor; nam neminem damnat, antequam peccet: & nullum coronat, antequam vincat. Hoc pertinet ad causam Judæorum, qui sibi prærogativam defendunt, quod filii sint Abrahæ: Apostolus autem consolatur se; ut quia dixerat dolorem habere se cordis continuum, causa incredulitatis eorum, quorum adoptio erat filiorum, & legis constitutio, & ex quibus Christus Salvator, sicut & ipse ait:
Johan.4.22. *Quia salus ex Judæis est*; tractata Lege, invenit quia non omnes qui ex Israel sunt, credituri sunt: neque quia dicuntur filii Abrahæ, omnes Abrahæ filios dicendos, sicut supra memoravi. Minuit ergo dolorem suum, inveniens olim
a prædictum, quod non omnes essent credituri; [a] ut his solis doleat, qui per invidiam in incredulitate laborant. Possunt tamen credere, quod ex subjectis aperit. Incredulis tamen prædictis non valde dolendum est; quia non sunt prædestinati ad vitam; præscientia enim Dei olim hos non salvandos decrevit. Quis enim plangat eum, qui olim mortuus habetur? Sed subintrantibus gentibus, quæ sine Deo prius erant, & salutem quam illi perdiderant, accipientibus, exsuscitatur dolor: sed iterum quia ipsi sibi perditionis causa sunt, sopitur. Præscius itaque Deus malæ illos voluntatis futuros, non illos habuit in numero bonorum; quamvis dicat Salvator illis septuaginta duobus discipulis, quos elegerat secunda classe, qui ab illo postea recesserunt: *Nomi-*
Luc.10.20. *na vestra scripta sunt in cælo.* Sed hoc propter justitiam, quia hoc est justum; ut unicuique pro merito respondeatur. Quia enim boni erant, electi sunt ad ministerium; & erant scripta nomina illorum in cælo propter justitiam, sicut dixi: secundum præscientiam vero in numero erant malorum. De justitia enim Deus judicat, non de præscientia.
Exod.32.34. Unde & Moysi dixit: *Si quis peccaverit ante me, deleam eum de libro meo*; ut secundum justitiam judicis tunc videatur deleri, cùm peccat: juxta præscientiam vero numquam in libro vitæ fuisse. Hinc & apostolus Johannes de hujus-
1.Johan.2.19. modi ait: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Non est personarum acceptio in præscientia Dei; præscientia enim est, qua definitum habet, qualis uniuscujusque futura voluntas erit, in qua mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur. Denique quos scit in bono mansuros, frequenter ante sunt mali: & quos malos scit permansuros, aliquoties prius sunt boni. Unde cessat querela; quia Deus
Act.10.34. acceptor personarum non est. Nam & Saul, & Judas Iscariotes ante fuerunt boni, dicente Scriptura de Saul: *Erat*
1.Reg.9.2. *vir bonus, & non erat illo melior in filiis Israel*; & de Ju-
Act.1.17. da Iscariote dicit Petrus apostolus: *Qui sortitus est sortem*
b *ministerii hujus*, id est, apostolatus, [b] in signis & prodigiis faciendis. Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim Dei judicium fuit dignum illum fuisse tempore, quo electus est, sicut illi septuaginta
Matth.27.5. duo, quos supra memoravi. Hinc est unde & Judas post mali totius admissum scelus pœnitentia motus, laqueo vitam finivit. Non potest enim in aliquo omne bonum penitus obliterari: quippe cùm natura non possit immutari, sed voluntas: non in omnibus tamen causis; quia remanet in natura, quod testimonio sit Creatori.

℣.14. *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Ab-*
Exod.33.19. *sit.* Quia enim unum diligit, & alterum odit, subinfert:

A *Numquid iniquitas apud Deum?* Non plane, sed justus est Deus; scit enim quid faciat, nec retractandum est ejus judicium. Hoc in Malachia propheta habetur: *Jacob dilexi,* Malac.1.3.
Esau vero odio habui. Hoc jam de judicio dicit; nam prius de præscientia ait, *quia major serviet minori*, sicut & de præscientia Pharaonem damnavit, sciens se non correcturum: apostolum vero Paulum persequentem elegit, præscius Gen.25.23. Act.9.15.
utique quod futurus esset bonus. Hunc ergo prævenit ante tempus, quia necessarius erat; & Pharaonem ante futurum judicium damnavit, ut crederetur judicaturus.

Moysi enim dicit: Miserebor cui misertus ero: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Ergo mise- ℣.15.
B ricordia, *miserebor*, inquit, *ejus cui misertus ero*, hoc est, ejus miserebor, cui præscius eram quod misericordiam daturus essem, sciens conversurum illum, & permansurum apud me: *Et misericordiam præstabo illi, cui misericordiam præstitero*, id est, ei misericordiam dabo, quem præscivi post errorem recto corde reversurum ad me. Hoc est dare illi, cui dandum est: & non dare illi, cui dandum non est; ut eum vocet, quem sciat obaudire: illum autem non vocet, quem sciat minime obaudire. [c] Vocare autem est non c
pugnare, sed compungere ad recipiendam fidem.

Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. ℣.16.
Recte, quia non in voluntate petentis, sed in dantis arbitrio debet esse, quod poscitur. An enim dandum sit, dan-
C tis debet judicio pensari; nam Saul peccans cùm petisset 1.Reg.15.24.
veniam, non accepit: at contra David peccans & ignosci sibi postulans, veniam consequutus est. Ex hoc utique dan- 2.Reg.12.13.
tis Dei & non dantis judicium sequendum est; quia non injuste judicat, qui omnes salvos vult, manente justitia; inspector enim cordis scit petentem, an hac mente poscat, ut mereatur accipere. Et quamvis periculosum sit judicium Dei discernere; tamen propter diffidentes, ut mens eorum medelam consequi possit, ne putent judicium Dei injustum, dicentes: Unum vocat, & alterum negligit; sic arbitrantes excusari posse damnandos, rebus istud potius probemus, quam verbis; ubi enim rerum gestarum exempla sunt,
D nemo audet queri, nec aliquam excusationem obtendere. Duo fuerunt David & Saul, requiramus historias, qualis unusquisque eorum reperiatur post judicium Dei; ut si Saul bene se egisse, postquam misericordiam non accepit, probetur, injustum, quod absit, Dei judicium arbitremur: aut si David, accepta misericordia, Deum contemsisse inveniatur, an in eo manserit, in quo misericordiam consequutus est, & ut utar compendio; uterque necessitatem passus est regni. Et quanta fuit necessitas David, ut filius ejus vellet eum regno privare? In qua necessitate flens, nu- 2.Reg.15.16.
do pede, iter faciebat; ut fugeret rex & dux populi Dei, in tantum humiliatus, ut & in faciem sibi servo suo maledicen-
E ti non responderet; ut per patientiam Deum sibi propitium faceret, per quem regnum sibi credidit reservari. Saul autem nec in tali necessitate inventus; quia majus malum est intestinum bellum, quam externum: insuper ferens quia semel & iterum non sit auditus, cùm esset indignus, nec in prece perstitit; ut meritum sibi faceret, per quod esset dignus: sed impatiens, & de Dei judicio indignatus, ab idolis quæ prius velut nullius momenti damnaverat, auxilium requisivit. Ecce justum esse judicium præscientiæ Dei etiam nolentibus manifestum est.

Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum te ser- ℣.17.
vavi, ut ostendam in te virtutem meam, & ut nuntietur no- Exod.9.16.
F *men meum in universa terra.* Alii codices sic habent: *Ad hoc te suscitavi, ut ostendam in te virtutem meam.* Sive *servavi*, sive *suscitavi*, unus est sensus; hoc enim dicit, quia cùm Pharao, quod nomen regum erat apud Ægyptios, sicut & apud Romanos reges Augusti appellantur: [d] hic ergo Pha- d
rao cùm tantis malis esset reus, ut vita indignus esset; ita in malis suis perduravit, nec se emendare voluit, æstimans aut merito vivere, aut Deum, quem sæpe fallendum censebat, ad vindictam dandam impotentem, audit à Deo: *Ad hoc te servavi, ut ostendam in te virtutem meam, & ut nuntietur nomen meum in universa terra*; ut in hoc ceteræ gentes addiscerent non esse alium Deum præter hunc, qui Judæorum erat, & factus est Christianorum; quamvis & illi Christiani fuerint, & nos nunc simus Judæi propter Judam, ex quo

a. Edit. Amerb. & Eras. cum mss. non paucis, *ut hi soli doleant*: rectius tamen aliæ edit. & mss. ut in textu.
b. Ita edit. Amerb. & Eras. ac mss. complures: at in reliquis edit. & mss. non reperimus, *in signis & prodigiis faciendis*.

c. Omnes edit. ac mss. aliquot, *vocare autem est compungere*: alii mss. multi bonique nobiscum faciunt.
d. Ita mss. prope ad unum: edit. vero ver. & quidam mss. *hic ergo Pharao tum tantis malis esset reus, ut vivere non deberet, nunquam futurus bonus ne se aut merito . . . impotentem putaret*; unde Rom. edit abscidit tres primas voces.

Christus est secundum carnem ; quia Judæi veteres sperando futurum Christum redemtorem, christiani erant: nam Rhaab meretrix dicit exploratoribus missis à Jesu Nave, qui prius Auxes dicebatur :
Josue 2. 9. *Audita sunt hic virtutes & plagæ, quæ factæ sunt in Ægypto à Deo vestro, & conterriti sunt nimis ; timent enim à facie vestra.* [a] Ad hoc ergo servatus est Pharao, ut multa signa & plagæ ostenderentur in illum quasi jam mortuum. Suscitatus autem dictus est ; quia cùm apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit, ut vivere videretur ; ut esset in cujus pœna & vario tormentorum genere usque ad mortem, omnes qui sine Deo erant, metu territi, hunc solum Deum esse cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ fiunt. Hoc etiam genere antiqui medici in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam consequutis, requirebant quomodo prodessent vivis, quæ in homine latebant, apertis ; ut his cognoscerent causas ægritudinis, & pœna morientis proficeret ad salutem viventis.

ỳ. 18. *Igitur cui vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi.* Ex persona contradicentis loquitur, qui quasi putet Deum, neglectâ justitiâ, alicui gratiosum ; ut unum è duobus paribus accipiat, alterum respuat, hoc est, unum compungat, ut credat : alterum induret, ne credat. Cui quidem ex auctoritate respondit, servatâ tamen justitiâ, ex supra memorata præscientia dicens :

ỳ. 19. *Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?* Primum dicit, quia resisti ei non potest ; est enim potentissimus ultra omnes. Deinde quia Deus omnium est & parens, & ideo nulli male vult ; quæ fecit enim, incolumia vult manere. Nec enim competit ei, ut injustus sit, cujus benevolentia tanta apparet, ut non solum faceret esse, quæ non erant ; verum ea ipsa vitâ æternâ donaret & gloriâ, ut opus ejus aliquid majestatis ejus simile haberet. Qui ergo tam providus & bonus est, ambigi non debet quia justus est.

ỳ. 20. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo!* Magna est, inquit, indignitas & præsumtio, hominem respondere Deo in adversis, iniquum justo, malum bono, imperitum perfecto, infirmum fortissimo, corruptibilem incorrupto, mortalem immortali, servum nequam domino, creaturam conditori. *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid me fecisti sic?*
Esai. 45. 9. Hoc de Esaia propheta est, quod hic quasi proprium ponit, quo ostendit contra auctorem opus ejus queri non posse ; in potestate enim auctoris est qualem velit condere creaturam.

ỳ. 21. *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero ad contumeliam?* Manifestum est vasa aliqua fieri ad honorem, quæ ad usus honestos sint necessaria : alia vero ad contumeliam, quæ instrumento sint culinarum ; unius tamen esse substantiæ, sed differre voluntate opificis in honore. Ita & Deus, cùm omnes ex una atque eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alii miseretur, & alterum despicit non sine justitia. In figulo enim sola voluntas est : in Deo autem voluntas cum justitia ; scit enim cujus debeat misereri, sicut supra memoravi.

ỳ. 22. *Quod si volens Deus ostendere iram, & manifestare potentiam suam, sustinuit in multa patientia in vasis iræ præparatis in interitum.* Ipse sensus est, quia voluntate & longanimitate Dei, quæ est patientia, præparantur infideles ad pœnam ; diu enim exspectati converti noluerunt. Ideo ergo exspectati sunt, ut inexcusabiles deperirent. Scivit enim Deus hos non credituros.

ỳ. 23. *Et ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* Patientia & longanimitas Dei ipsa est, quæ sicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam ; boni enim sunt in quibus spes fidei est. Omnes enim sustinet, sciens exitum singulorum ; ac per hoc patientia est, quæ illos qui ex malo corriguntur, aut in bono perseverantes sunt, præparat ad gloriam. Divitiæ autem gloriæ sunt dignitas multiplex præparata credentibus. Eos autem qui ex bonis fiunt mali, & in cœpto malo perdurant, præparat ad interitum. Hoc est autem manifestare potentiam suam in multa patientia ; quia computatur non vindicaturus, quia diu dissimulat : cùm cœperit vindicare, apparebit ejus potentia ; quia cùm possit statim vindicare, diu sustinuit, ut perfidi queri non possint, cùm damnantur. Præparare autem unumquemque est præscire quid futurum est.

Quos & vocavit nos, non solum ex Judæis, sed etiam ex ỳ.
gentibus. Hos quos vocavit, præparavit ad gloriam, sive eos qui prope erant, sive illos qui longe, sciens permansuros in fide.

Sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem ỳ.
meam : & non dilectam, dilectam. Et erit in loco, ubi vocabuntur non plebs mea, ibi vocabuntur filii Dei vivi. Apertum est istud de gentibus esse prædictum, quæ prius non erat plebs Dei : postea autem ad opprobrium Judæorum misericordiam accipientes vocatæ sunt plebs Dei : & qui dilecti ante non erant, abdicatis Judæis, adoptati in filios, & dilecti sunt ; ut in loco ubi non vocabantur plebs Dei, ibi vocarentur filii Dei vivi. Prius enim nusquam vocabantur filii Dei, nisi in Judæa, hoc est, Hierosolymis, ubi domus Dei erat, sicut dicit in Psalmo septuagesimo quinto : *Notus in Judæa Deus.* Postea autem in prophetia Zachariæ : *Ponam*, inquit, *Hierusalem in omnibus gentibus*, quia ubique futuri erant filii Dei, & domus Dei in omnibus locis, quæ est Ecclesia. Hinc Dominus ait Judæis : *Quia tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

Esaias autem clamat pro Israel. Hoc dicit, quia Esaias clamat pro iis, qui credunt in Christum. Hi enim vere sunt Israelitæ, sicut dicit Dominus ad Nathanael : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Recedentibus Judæis à merito & promissione patrum, dum illam non recipiunt, hi reliquiæ sunt, qui credendo in fide promissionis patribus factæ persistunt, fideles effecti ; à Lege enim recedunt, qui in eum quem Lex solum ad salutem sufficere promisit, non credunt. Igitur apostatæ habeantur necesse est, qui dum Christum non recipiunt, rei sunt violatæ Legis. De maxima itaque multitudine solos credentes dicit salvari, quos præscit Deus.

Verbum enim consummans & brevians in æquitate ; quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Salvari hos promittit, quos reliquos dicit per verbum, quod juste definiens, breviavit Dominus super terram ; convenit enim ut in solo nomine domini conditoris consequatur salutem creatura, hoc est, per fidem ; quia sublatis omnibus neomeniis, & sabbato, circumcisione, & lege escarum, & oblationibus pecorum, sola fides posita est ad salutem. Quæ abbreviata ex Lege est ; quia quod in fide est, in Lege habetur quasi principale Legis, dicente Salvatore : *De me enim scripsit Moyses.* Abbreviata ergo Lege, reliquiæ Judæorum salvantur : ceteri vero salvari non possunt, quia per definitionem Dei spernuntur, per quam genus humanum salvare decrevit.

Et sicut prædixit Esaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. Hoc semen, quod de omnibus solum relictum & reservatum est ad reformationem generis humani, Christus est, & doctrina ejus, sicut & ipse dicit : *Semen est verbum Dei.* Hoc ergo nobis olim promissum, sublatis quæ oneri erant Legis, reliquit ad redemtionem ; ut data remissione peccatorum, [b] non puniremur à Lege, sicut periit Sodoma. Salvatorem ergo relictum nobis dicit ad suffragium vitæ, quam Lex providere non potuit, quem ab initio Deus nasci decrevit : qui propterea quod solus sine peccato inveniretur, devicto humani generis hoste, omnium peccata deleret. Hoc & in Apocalypsi Johannis habetur : Quia nemo, ait, dignus inventus est, sive in cælo, sive in terra, qui aperiret librum, & signacula ejus ; nisi Salvator, qui vicit mortem. Hoc ergo est semen, quod olim promissum reservavit Deus, ut tunc fructificaret, quando omnium tam Judæorum quam gentilium peccata repleta erant. Fructus autem ejus est indulgentia peccatorum : nisi enim Christus fuisset reservatus (quem idcirco semen dicit, quia per ipsum reparatum est genus humanum) interisset progenies Abrahæ ; eo quod peccatis obruti erant, & Lex eis prodesse non potuit. Idcirco hunc sequendum docet, qui præsidium contulit vitæ.

Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, comprehenderunt justitiam : justitiam autem quæ ex

a. Rom. edit. sola, *Ad hoc ergo quasi jam mortuus servatus est Pharao, ut .... ostenderetur in illo. Suscitatus* &c.

b. Omnes edit. *non periremus à Lege* : omnes mss. *non puniremur* &c.

fide est. Quoniam justitia est in Lege, quæ credita mundo est, quæ prohibet peccari; idcirco gentes non hanc justitiam dicit comprehendisse, quæ naturâ magistrâ dignoscitur, sed eam justitiam quæ ex fide est Christi; Deo enim hæc vera justitia est, & permanens, si agnoscatur. Quid enim est tam justum, quam cognoscere Deum Patrem, ex
1. Cor. 8. 6. quo sunt omnia: & Christum Filium ejus, per quem sunt omnia? Prima ergo hæc justitia est agnoscere Creatorem, deinde custodire quæ præcepit. Gentes ergo quæ prius non requirebant justitiam, id est, Legem, quæ Creatori testimonium perhibebat, veniente Christo, invenerunt justitiam superabundantem plus quam scribarum & pharisæorum. Qui enim tunc quod minus est, non sectabantur, comprehenderunt postea quod majus est: Judæi autem in Lege positi, qui proficere magis debuerant, deteriorarunt.

℣. 31. *Nam Israel sectando Legem justitia, in Legem justitiæ non pervenit.* Perfectio Legis fides est, quam gentes apprehendentes, totam Legem implere videntur. Judæi autem dum per invidiam Salvatori non credunt, justitiam quæ in Lege mandata est, vindicantes, id est, sabbatum, circumcisionem, &c. in Legem non pervenerunt, hoc est, Legem non perfecerunt: & qui non perficiunt Legem, rei sunt juxta Legem. Hic enim implet Legem, qui à lege Moysi pervenit ad fidem Christi.

℣. 32. *Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus:* Spernentes enim fidem quæ, sicut dixi, perfectio Legis est, ex operibus Legis justificari se dicebant, id est, per sabbatum, neomenias, circumcisionem, &c. immemores Scripturæ di-
Abac. 2. 4. centis, quia *Justus ex fide vivit.* Justitia autem Legis idcirco dicitur, quia justo judicio Dei hæc Judæis data sunt
Levit. 11. 29. propter duritiam cordis illorum; ut si mustelam forte quis mortuam calcasset, aut tetigisset aliqua morticinia, aut si sorex in vas ruisset, immundum diceretur: quod magna cum sollicitudine observantes, ex quacumque causa incurrebant, ut immundi essent. Si autem sanguis mustelæ pavimentum maculasset, non levi cura expiandum erat, & ut à cibis melioribus abstineretur. Sabbatum vero & circumcisio propriam habuerunt justitiam tempore suo; quia in figura data sunt. Hoc Dominus per Ezechielem prophe-
Ezech. 20. 25. tam ostendit, inter cetera dicens: *Propterea dedi illis præcepta non bona*; quia erant irreverentes & infidi. In adventu autem Christi, quia salutare donum erat daturus, per
Hier. 31. 32. Hieremiam prædicat, dicens: *Dabo illis Testamentum novum, non quale dedi patribus illorum.* Hoc testamentum Legem vocat, in quam non pervenerunt, sicut supra memoravi. Nam cùm gentibus quæ crediderant, hanc sarcinam observationis Judæi credentes vellent imponere, tunc apostolus
Act. 15. 10. Petrus ait: *Quid imponitis jugum super cervicem fratrum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt?* A tempore enim Christi indulgentia data est promissa in Lege;
Esai. 59. 20. ait enim Esaias propheta: *Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem ab Jacob. Et hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum*, hoc est, novum testamentum à Deo promissum in Christo.

℣. 33. *Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali; & qui
Esai. 8. 14. & 28. 16. crediderit in illum, non confundetur.* Hoc in Esaia habetur. Multorum relatione compertum est in petra vel lapide
Dan. 2. 34. Christum esse significatum; Daniel enim propheta lapidem hunc dicit, qui abscissus à monte sine manibus percussit & comminuit omnia regna, & replevit omnem terram, quod evidenter de Christo dictum est. Et in Lege petra de qua fluxerunt aquæ, Christus [a] est appellatus: *Petra autem,*
1. Cor. 10. 4. inquit, *erat Christus.* Et Petrus apostolus inter cetera ad
Act. 4. 11. Judæos ait: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus.* Offensio ergo posita in Sion Christus est. Sion vero altitudo est, sive civitas ipsa Hierusalem, quæ propter notitiam Dei non immerito excelsa dicta est, in qua Salvator à Deo Patre suo positus prædicator, offensio factus est Judæis, dum se Filium Dei prædicat, natus de Spiritu sancto ex muliere. Per corpus autem ejus scandalum
Johan. 6. 42. passi sunt, & dicebant: *Nonne mater & fratres ejus apud nos sunt? Quomodo ergo hic dicit: Quia de cælo descendi.* Nolebant enim verba gestis comparare, ut perinde agnoscerent non absurdum esse, quod dicebat de cælo se descendisse; quasi corpus operaretur, & non Deus latens, operibus tamen se prodens in corpore. Petra ergo hæc scandalum est Judæis & offensio: quæ petra sine dubio corpus intelligitur Salvatoris. Hæc excisa sine manibus, propterea quia sine viro de Spiritu sancto facta de virgine est.

Cap. X.

℣. 1. FRatres, *voluntas quidem cordis mei, & obsecratio fit ad Deum pro illis in salutem; testimonium enim perhibeo*
℣. 2. *illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum agnitionem.* Quoniam à Lege [b] vult eos auferre, credentes quia velamen est Judæis; ne hoc odio Judaismi facere videretur, ostendit affectum suum circa illos, & Legi dat multum: sed docet tempus jam servandæ Legis non esse; ac per hoc providere se illis velle testatur, si modo audiant illum, ac probent suum non esse inimicum; quando & testimonium perhibet illis nobilitatis & traditionis paternæ.

℣. 3. *Ignorantes enim Dei justitiam, & suam quærentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Per ignorantiam dicit illos non credidisse in Christum, æmulationem quidem Dei habentes, sed voluntatem & consilium ejus nescientes, contra Deum agebant, quem se defendere testabantur. De his dicit, qui non malevolentia & invidia, sed errore Christum non receperunt. Quibus & Petrus apostolus dicit:
Scio, fratres, quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut & principes vestri; ignorantes enim hunc esse Christum, quem promiserat Deus, alterum exspectandum dicebant. Huic justitias suas, quas ex Lege habebant, anteponentes, qui est Dei justitia in fide. Justitia enim ipse est, quia quod promiserat Deus, in ipso implevit. Act. 3. 17.

℣. 4. *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti.* Hoc dicit, quia perfectionem Legis habet, qui credit in Christum. Cùm enim nullus justificaretur ex Lege, quia nemo implebat Legem, nisi qui speraret [c] in promisso Christo: fides posita est, quæ cederet perfectioni Legis; ut omnibus prætermissis, fides satisfaceret pro tota Lege & prophetis.

℣. 5. *Moyses enim scribit justitiam quæ ex Lege est, quia qui fecerit ea homo, vivet in eis.* Hoc dicit, quia justitia legis Moysis reos illos non faciebat ad tempus, si servaretur, id est, vivebant faciendo Legem; debitores enim erant. [d] Hoc dictum est in Numeris & in Levitico. Lev. 18. 5. Ezech. 20. 11.

℣. 6. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis adscendit in cælum?* Hoc in Deuteronomio dictum est, quod hîc interpretatur Apostolus de Christo, Deut. 30. 12.
℣. 7. dicens; *Hoc est Christum deducere. Aut quis descendit in abyssum? Hoc est, Christum ex mortuis reducere.* Hoc proprium Apostoli est. Itaque justitiam hanc dicit esse fidei, si non dubitetur de spe Dei, quæ in Christo est; ne diffidens dicat: Quis potuit adscendere in cælum? quia ideo passus est, ut expoliatis inferis virtute Patris, devicta morte resurgens, cùm animabus ereptis in cælum adscenderet. Omnis enim quicumque viso Salvatore apud inferos, speravit de illo salutem, liberatus est, Petro apostolo hoc testante; dicit enim quia & mortuis prædicatus est. Qui de his ergo in corde suo non dubitat, justificatus est ex fide. Ex lege autem justificari timor facit; timet enim Legem, quia videt illam pœnam inferre peccantibus. Ideo non magna justitia legis est, nec meritum collocat apud Deum, sed ad præsens: fides autem quia incredulis stultitia, mercedem habet apud Deum, de quo quod non videtur, speratur. 1. Petr. 4. 6.

℣. 8. *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia non est longe ab animo nostro vel ore, quod nobis dicitur, ut credamus; quamvis enim oculis non videatur, à natura tamen animarum, & loquendi ratione non discordat, quod credimus. In ipsa enim natura inserta sunt velut semina, quæ auditu & voluntate [e] exculta fructificant testimonium Creatoris. Deut. 30. 14.

Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Nullum opus dicit Legis, sed solam fidem dandam in causa Christi. *Quia* ℣. 9.
si confitearis in ore tuo dominum Jesum, & credideris in corde tuo quod Deus illum excitavit, salvus eris. Corde enim ℣. 10.

a. Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *est appellatus, ipso Apostolo testificante: Bibebant de spiritali consequente petra, petra autem erat Christus.*

b. Nonnulli mss. *vult auferre inanes quia velamen est eis, ne quod odium Judaismi* &c.

c. Rom. edit. *in promissum Christum .... quæ traderet perfectionem Legi*; vet. autem edit. ac mss. inter se conveniunt, nisi quod in illis, ac nonnullis mss. legitur, *crederet perfectionem*, legendum forte, *in perfectionem*, aut saltem eodem sensu cum iis quos sequimur, *perfectioni*. Duabus vero intermediis vocibus mss. aliquot habent, *fide satisfaceret per totam legem & prophetas.*

d. Rom. edit. sola, *Hoc dictum est in Numeris, & in Ezechiele propheta. Quæ autem* &c.

e. Ms. Corb. *exculta significarent testimonium*, non satis recte.

creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. A Quæcumque superiùs loquutus est, hîc illa manifestavit, hanc esse regulam fidei, credere Dominum esse Jesum, & non erubescere profiteri quia Deus illum ex mortuis reducens, deduxit illum in cælum cum corpore, unde venerat incarnandus; ne incurrat sententiam Evangelicam dicentem: *Multi*, inquit, *ex principibus crediderunt in Jesum, sed palam non profitebantur propter Judæos. Maluerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* (Johan. 12. 42.)

℣. 11. *Dicit enim Scriptura per Esaiam: Omnis qui credit in illum, non confundetur.* (Esai. 28. 16.) Dum enim examen cœperit fieri omnium rerum in die judicii, & omnia falsa commenta vel dogmata in confusionem deduci; tunc in Christum cre- B dentes tripudiabunt, videntes omnibus manifestari quia quod crediderunt, verum est: & prudens, quod stultum putabatur. Adspicient enim inter ceteros se solos gloriosos & prudentes, qui æstimati fuerant contemtibiles & stulti. Illic est enim vera approbatio, ubi remuneratio & condemnatio.

℣. 12. *Non enim est distinctio Judæi, & Græci.* Generaliter omnes aut confundi propter diffidentiam dicit, aut sublimari causa credulitatis; quia sine Christo apud Deum nulla salus est, immo pœna est, aut mors. Nec enim Judæos commendare poterit prærogativa Patrum; aut enim legislatio, qui meritum & promissionem Patrum, non receperunt. C Gentes autem nullum habent testimonium, quo vel secundum carnem commendentur, nisi credant in Christum.

Nam idem Dominus omnium, dives in omnibus, qui invocant illum. Manifestum est ad omnes hoc pertinere, sive Judæos sive Græcos; quia sine invocatione domini Christi nemo vivit apud Deum. Cùm ergo omnium Dominus sit, consentiente Petro apostolo, & dicente: *Hic est*, inquit, *omnium Dominus*; (1. Petr. 5.) dives tamen non est, nisi in iis qui invocant illum, quia ipsi accipient remunerationem. Perfidis vero non est dives; quia participes non sunt bonorum ejus; neque enim accipent, quod daturum illum non crediderunt. Et tamen non dixit Deum divitem credentibus, sed D invocantibus illum; ut postquam credidit, non desinat animus id postulare, quod à Deo semper doctus est postulandum, [a] sicut in Evangelio secundum Lucæ tenetur scriptum (Luc. 18. 1. & seq.) propter adversarium, quia subtilis & versutus est, semper orandum esse: credentibus autem sola datur remissio peccatorum. Sequitur autem ut precibus deditus liberetur à malo, & possit consequi quod promisit Deus toto corde vigilantibus.

℣. 13. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* [b] In Michæa dictum est. Ipse enim Deus, qui visus est Moysi, dicit: *Nomen mihi Dominus est.* (Exod. 6. 3.) Hic est Filius Dei, qui ideo & Angelus & Deus esse dictus est; ut non ipse esse, E à quo sunt omnia, putaretur: sed hic esse per quem sunt omnia, ut ad id pertineat, quia Deus dictus est, quod unum sunt Pater & Filius: Angelus autem ad hoc, quia nuntius promissæ salutis est missus à Patre. Et missus ideo dicitur, ut non ipse Pater esse credatur, sed ab eo genitus. Ideoque *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hoc sensu & Moyses loquutus est: *Quicumque*, ait, *non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.* (Deut. 18. 18. & 19.) Si ipse est omnium Dominus, ipse invocatur à servis. Et quia verum est, adjecit:

℣. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* [c] Certe Christo non credunt Judæi ipsi, quem dixit Dominum. F Hoc sequitur, quod supra dixi, quia priùs credendum est, ut sit fiducia postulandi. *Aut quomodo credent ei, quem non audierunt?* Apertum est non posse credi illi, cui obedientia denegatur. *Quomodo autem audient sine prædicante?* Nec hoc obscurum est; quia qui prædicanti resistit, auctorem ejus non recipit.

℣. 15. *Aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Neque istud recipit quæstionem; quia non erunt veri apostoli, nisi à Christo mittantur, nec poterunt prædicare sine auctore; nulla enim his signa virtutum perhibent testimonium.

Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? (Nah. 1. 15.) Hoc propheta dicit Nahum. *Pedes* dicendo adventum significat apostolorum circumeuntium mundum, [d] & regnum Dei adventare prædicantium; adventus enim ipsorum illuminabat homines, viam ostendens qua itur in pace ad Deum, quam primum Johannes Baptista venerat præparare. Hæc pax est, ad quam festinant credentes in Christum. Denique sanctus Simeon, quia in mundo discordia est, lætus in ortu Salvatoris: *Nunc*, ait, *Domine, dimitte servum tuum in pace*; (Luc. 2. 29.) quia regnum Dei pax est. Omni enim amputata discordia, omnes uni Deo genu flectent. Denique Hierusalem superior civitas visio pacis interpretatur, quæ est mater nostra.

℣. 16. *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Verum est, quia quamvis illustretur mundus splendore disciplinæ Dominicæ; sunt tamen qui repugnent, qui lumen tenebras vocent. Horum enim sic errore acies obtusa est mentis, ut nec veri luminis recipiant splendorem. Quos accusat Evangelium, dicens: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* (Johan. 1. 5.)

Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? (Esai. 53. 1.) Hoc est, quis credidit quæ audivimus abs te, & loquimur? Firmavit exemplo prophetico Judæos esse contradictores Evangelicæ veritatis. Lex enim Judæos increpat; quia sicut fuit apud veteres, ita & nunc est. Hunc enim numerum non tangit, qui fidem non recipit.

℣. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Manifestum est, quia nisi dicatur aliquid, nec audiri potest, nec credi.

℣. 18. *Sed dico, Numquid non audierunt?* Hoc est, audierunt, & credere noluerunt. Quamvis enim fides ex auditu sit; sunt tamen qui audientes non credunt. Audiunt enim, & non intelligunt; quia malevolentia obcæcatum est cor illorum.

Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & usque ad fines orbis terræ verba illorum. Usque adeo prædicationem Dei à Judæis auditam esse testatur, ut etiam impletum orbem divina annuntiatione pronuntiet; ipsa enim fabrica mundi prædicat Creatorem. Quod enim Psalmographus de creatura dixit, (Psal. 18. 5.) hoc Apostolus de evangelistis, quia ubique audita est, & pervenit in omnem locum prædicatio nominis Christi. Ubi enim præsentia hominis prædicantis defuit; sonus tamen & fama pervenit, sicut pervenerat opinio factarum virtutum in Ægypto ad omnes gentes, teste Rhaab meretrice. Si enim in omnem locum pervenit, non potuerunt non audire Judæi apostolicam prædicationem; ut nemo ex his excusatus sit à crimine diffidentiæ.

℣. 19. *Sed dico: Numquid Israel non cognovit?* Hoc est, cognovitne? quia per supradicta testimonia genus Israel incredulitatis causâ arguit, cum dolore de omnibus Israelitis queri videretur: non negat Israel cognovisse & adsequutum esse, quod illi promissum fuerat in Lege: sed eum qui spiritu magis Israel est quam carne, quem & Deus præscierat crediturum. Omnes enim audierunt, & non omnes crediderunt; ideo:

Primus Moyses dicit; in cantico Deuteronomii: (Deut. 32. 21.) *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam.* Indignantis verba sunt, propter quod semper diffidentes [e] inventi sunt Judæi: & omnibus malis unam adsignat generationem & causam; dum præsentes increpat, ibidem tangit magis futuros, ad quos hoc pertinet. Omnium enim horum una damnatio est, si permanent in diffidentia. Æmulatio ergo illis nata est invidentiæ, dum vident gentem, quæ prius quia sine Deo fuit, sensu bruta erat, Deum suum appellare, qui fuerat Judæorum; & donum illis promissum esse adsequutam, per quam zelum passi iracundia distenderentur, ut malitiæ & incredulitatis suæ mercedes exsolverent. Nulla enim res sic consumit hominem, ut zelus, quem ideo Deus ultorem posuit incredulitatis, quia grave peccatum est. Nam semper in iram missi excruciantur, quando audiunt Legem & prophetas ad nos pertinere, qui Christum credimus.

℣. 20. *Esaias audet, & dicit: Palam factus sum non quærentibus me, & inventus sum inter eos, qui me non interrogabant.* (Esai. 65. 1.) Quoniam supra verbis Moysi usus est de exclusione Judæorum, ad hoc quoque Esaiæ prophetæ exemplum subdidit; ut de ejus prosecutione apertius doceret Deum, expulsis Judæis, ultro gentibus gratiam obtulisse ad opprobrium & necem Judæorum. Hæc enim Esaias propheta ex persona Christi testatur.

℣. 21. *Ad Israel autem quia dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* (Ibidem.) Hic Israel carnalis est, hoc est, Abrahæ filii, sed non secundum fidem;

a. Ita mss. plures ac probatiores: alii vero & omnes edit. *quia in Evangelio Luca dicit propter adversarium* &c.

b. Rom. edit. *Hoc in Joel dictum est.* Sed quamvis in eo propheta 2. 32. citatus locus inveniatur, tamen Auctoris verba ea in suis mendis præstat exhibere, quam sine exemplariorum auctoritate correcta.

c. Corb. codex, *certe Christum non credunt.*

d. Mss. Corb. *Et regnum Dei adventum esse prædicantium.*

e. Corb. codex, *inventi sunt Judæi, & omnibus malis* &c.

nam Israel vetus & spiritualis est, qui credendo videt Deum. A *Tota die*, semper significat; semper enim correpti sunt. Propterea increpantur non credituri; ut sciant quia ipsi sibi causa sunt perditionis. Potest hoc & de Salvatore accipi, qui in cruce extensis manibus, interficientium se peccatum arguit. Causa enim illa clamat sceleratum facinus Judæorum superius, quod ausus sit dicere Esaias de iis, qui Dei fuerant inimici, ostendit hos amicos futuros: & eos qui Israelitæ dicebantur, propter quod inobedientes erant, ut inimicos abjiciendos.

CAP. XI. ỳ. 1. **D**Ico igitur: *Numquid repulit Deus hereditatem suam? Absit.* Quia populum Israel incredulum ostendit, tunc ne omnem Israel dixisse diffidentem putaretur, ostendit non B repulisse Deum hereditatem suam, [a] quam præscivit, id est, filios Abrahæ, quos fideles sibi futuros scivit. Nec enim promitteret eis regnum, si sciret nullum ex iis crediturum. Hereditas ergo Domini juxta Legem Filii sunt Abrahæ, sed credentes.

Nam & ego Israelita sum, ex semine Abraha, de tribu Benjamin. Exemplo suo docet partem Israel salvatam, quam præscivit Deus salvandam, aut adhuc posse salvari: & partem Israel propter jugem diffidentiam perditioni deputatam.

ỳ. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Hoc est,
Joh. 17. 12. quod dicit Salvator: *Pater, quos dedisti mihi, custodivi: & C nemo ex his periit, nisi filius perditionis.* Ita & hi quos præscivit Deus credituros, nemo ex his à promissione repulsus est; quia sic factum est, sicut præscivit Deus futurum.

ỳ. 3. *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quomodo postu-*
3. Reg. 19. 10. *lat Deum contra Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua effoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt*
ỳ. 4. *animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Re-*
Ibidem 18. *liqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Aperta sunt hæc; ostendit enim non solum Eliam remansisse, qui devotus Deo, non adoraverit idola: sed & multos, qui in fide Dei permanserunt, sicut & ex
3. Reg. 18. 4. Judæis non pauci crediderunt. Huic rei & historia congruit; quia multi per speluncas occultati sunt propter D Achab regem Samariæ, & Jesabel uxorem ejus, qui pseudoprophetis credentes, Dei prophetas persequebantur, & populum ad idololatriam hortabantur.

ỳ. 5. *Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Hoc est, ita, inquit, & nunc hi remanserunt in Legis promissione, recedentibus multis, quos ante præscivit Deus. Qui enim susceperunt Christum quasi in Lege promissum, ii in Lege steterunt; qui autem non illum receperunt, à Lege recesserunt. Ideo credentes reliquiæ dicuntur, hoc est, remanentes in Lege.

ỳ. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Manifestum est quia gratia donum Dei est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, misericordia interveniente, concessa. E

Alioquin gratia jam non est gratia. Verum est, quia si merces est, non est gratia: sed quia merces non est, sine dubio gratia est; quia veniam dare peccantibus [b] non est aliud quam gratia: & iis qui non requirunt, sed offertur illis, ut credant. Duplex ergo gratia est, quia hoc competit Deo, qui abundat misericordiâ; ut & requirat, quos gratis curet.

ỳ. 7. *Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est adsequutus: electio autem consequuta est?* Israelitæ ii carnales sunt, qui ex operibus Legis justificari se putantes, non sunt adepti, ut justi essent per fidem apud Deum. Propterea enim om-
Deut. 27. 26. nes rei sint per Legem; quia *maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut* [c] *fa-* F *ciat eam.* Qui autem per fidem justificari se crediderunt, consequuti sunt electionem, ut justificati filii Dei fierent,
Abac. 2. memores Scripturæ dicentis: *Quia justus ex fide vivit*, id est, non ex Lege.

ỳ. 8. *Ceteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est*; hoc subjec-
Isai. 6. 9. Psal. 68. 23. tum in Esaia legitur: [d] *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant usque in*
ỳ. 9. *hodiernum diem.* Et David dicit: *Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ut non videant, & dorsum il-* ỳ. 10.
lorum semper incurva. Ideo mensam maledicit malorum, quia illic decipi solent innocentes; dolo enim vocantur ad convivium, ut perimantur. Quia sic & Ammon filius Da- 2. Reg. 13. 17.
vid deceptus est à fratre suo Absalon, & malignus Holofernes per epulum sanctam Judith putavit se posse decipere, & in mensa scelerati Herodis sævierunt maligni [e] in Judi. 12. 6.
caput Johannis prophetæ. Unus sensus est duorum prophetarum de hujusmodi hominibus, qui ab initio fidei & repugnantes inventi sunt hostes bonorum. Sed aliqui illorum emendati sunt & correcti, licet tarde: quidam vero in pertinacia manentes, severitatem sententiæ non evaserunt in perpetuum curvati, hoc est, excæcati; ne de cetero possint veritatis viam adspicere (quam malevolentiâ adspernati fuerant, declinantes ab ea) & ad salutis [f] gratiam pervenire. Qui enim eùm intellexisset, credere noluit, id debet consequi quod vult; ne de cetero possit fidem recipere, & salvari. Exempla igitur prophetarum supradicta duplicem continent sensum; duobus enim modis decreta sunt, & scripta. Duo etenim genera hominum hic continentur. Unum est quod malevolentiæ suæ causâ excœcatur in sempiternum, ne salvetur; sunt etenim pessimæ voluntatis, usque adeo ut intelligentes dicant se nescire quod audiunt. Denique dicebant de Salvatore: *Quid est quod dicit? Nescimus* Joh. 16. 10. 20.
quid loquitur. Quid eum auditis? Dæmonium habet, & insanit. Alia autem pars quæ vere Israel est, contradicebat illis: *Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Dum invidebant ergo Salvatori, nolebant videri intelligere quæ audiebant; ut dum à legisperitis & pharisæis non intelligi videtur, res absurdas, & quæ extra legem essent, loqui putaretur: quæ res etiam alios à fide posset avertere. Unde audiunt à Salvatore: *Vos habetis clavem scientiæ, & neque vos intratis,* Luc. 11. 52.
neque alios sinitis introire. Quis enim non levium, sed paulo graviorum, legisperitorum & pharisæorum consilium & sententiam non sequeretur, & qui viderentur Legis defensores? Denique iis qui vere Israelitæ sunt, dixerunt: Numquid aliquis [g] ex principibus credidit in illum? ut inde juste viderentur non credidisse, si multos conspirationis suæ socios fecissent; quia quod à paucis defenditur, solet non probatum videri. Ideo excæcati sunt, ne de cetero possint credere, & salvari. In voluntate ergo sua adjuti sunt; ut quoniam scientes verum, dicebant esse falsum, de cetero [h] non intelligerent quod est verum; ut verum haberent falsum, quod volebant. Alterum genus est, quod cùm justitias Legis sectatur, justitiam Christi non recipit: ex quo jam non per invidiam malæ voluntatis hoc agit, sed errore æmulando traditionem Patrum, cæcantur ad tempus; quia deberent magnalibus Christi addiscere hunc non posse falli, cujus tam magnifica virtus in rebus gestis apparet, & prædicationem ejus testamento novo promisso per prophetas comparare, & exinde profiteri hunc esse, qui promissus est; negligentes contra Deum, & hominibus adsentientes inventi sunt. Propterea ergo cæcantur, ut admiscentibus se ad promissionem eorum ipsa æmulatione, dum invident gentibus, revertantur ad fidem Dei.

Dico ergo: Numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit. Hoc dicit, quod supra memoravi, quia non sic diffiduerunt, ut ỳ. 11.
numquam jam crederent, id est, non ita propter improbitatem suam cæcati sunt, ut curari non possent, sicut & diabolum legimus cecidisse, dicente Esaia propheta: *Quomodo cecidit de cælo Lucifer?* casum & apostasiam significans. Esai. 14. 12.
Non ergo hos sic offendisse dicit, ut caderent, sed offensionis suæ causa ad tempus obtusos.

Sed illorum delicto salus gentibus, ut illos æmulentur. Hoc est quod dixit, quia propter peccatum illorum gentibus salus data est. Quia enim donum Dei recusaverunt Judæi, translatum est hoc ad gentes; ut æmulatione zeli accensi Judæi converterentur [i] ad Christum, zelantes promissionem Patrum.

Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio ỳ. 12.
eorum divitiæ gentium; quanto magis plenitudo illorum?

a. Corb. ms. *quam promisit Abrahæ.* Nec enim &c.
b. Rom. edit. *non aliud quam gratia est his, qui non requirunt... Duplex ergo gratia est, & hoc competit Deo, ut quos abundet misericordia, & ut requirat* &c. vet. autem edit. ac mss. ut nos in textu.
c. Corb. codex, *ut faciat ea. Quamvis & si manerent in omnibus Scripturis, quod vix possibile est, non justificarentur apud Deum; quia justus ex fide vivit. Ille enim ad præsens justus est apud Deum.*
d. *Hoc subjectum in Esaia legitur*, ab edit. Rom. jugulatum est; quamvis in reliquis edit. & mss. multo pluribus inveniatur.

e. Rom. edit. sola, *in caput Johannis Baptistæ.*
f. Rom. edit. sola, *gratiam dedignantes pervenire.* Infra vero eadem edit. cum Gill. post, *& salvari*, subjunxit, *quam sitire prudensque abnuit.*
g. Voci *ex principibus* adjecit Rom. edit. *aut ex pharisæis.*
h. Sic Amerb. cum mss. à quibus non dissident Eras. & Gill. nisi quod verbo *haberent*, subdunt, *sed falsum*: at Rom. edit. hoc modo locum immutavit, *non intelligerent verum, quod haberent, sed falsum, quod volebant.*
i. Corb. codex, *ad Christum promissum Abrahæ.* Quod si &c.

Manifestum est quia si delictum illorum profuit mundo, A dum horum dispendio plures habet bonos; quia multo plures sunt gentes, quam Judæi: & diminutio eorum, quod est damnum promissionis divitiæ gentium, per id quod lucrati sunt vitam æternam; quanto magis plenitudo eorum? Apertum est quia magis dives erit mundus hominibus bonis, si & ii qui excæcati sunt, convertantur; ex magna enim parte salvabitur mundus. Mundo homines significat, sicut
Johan. 12. 19. dictum est de Salvatore: *Ecce mundus totus abit post illum.*

ŷ. 13. *Vobis enim dico gentibus, quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo: si quo modo*
ŷ. 14. *æmuler carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis.* Ostendit gentibus quo affectu diligat Judæos: nam ministerium suum, quo apostolus gentium est, honorificat: si B propter affectum generis sui datâ operâ etiam Judæos adquirat ad fidem. Honorificentior enim fiet, si & illos, ad quos non missus est, lucretur ad vitam: Patribus enim in laude maxima erit, si fratres invenerit, qui perierant.

ŷ. 15. *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi: quæ est adsumtio, nisi vita ex mortuis?* Hoc dicit, quia si non credentibus Judæis gentes reconciliatæ sunt Deo, ad incrementum mundi circa fidem Christi; quæ erit in hac parte, & quanta plenitudo salutis, si adsumantur Judæi ad fidem Christi, nisi ut ex mortuis vivificetur mundus in hominibus? Quia ergo profectus est, dandam dicit operam, ut credant; quoniam cæcitatis obtusio tempore compensati delicti aufertur, C ut voluntatis suæ recipiant liberum arbitrium.

ŷ. 16. *Quod si delibatio sancta est, & massa.* Manifestum est, quia quod unius substantiæ est, unum est: ac per hoc non potest delibatio sancta esse, & massa immunda; [a] delibatio enim de massa est. Ideoque ostendit non posse indignos dici ad fidem hos, quorum jam patres adepti sunt fidem; quia si pars Judæorum credidit, cur non & alia pars posse credere dicatur?

ŷ. 17. *Et si radix sancta, & rami.* Immutatis verbis, eadem repetit, ut sensum commendet duobus exemplis. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt:* id est, si aliqui non crediderunt ex eis, exesi à promissione. *Tu autem cùm esses oleaster, D insertus es in illos, & socius factus es radicis & pinguedinis olivæ.* Hoc significat, quia non credentibus multis Judæis, gentes insitæ sunt per fidem in spem promissionis; ut dolori esset Judæis: sed non juxta legem agriculturæ, quia bonum surculum inserunt in non bonam arborem; hi enim cùm essent in radice mala, inserti sunt in bonam arborem. Ideo oleastrum dicit insertum, ut fructum surculus radicis afferat, socius ejus effectus.

ŷ. 18. *Noli gloriari adversus ramos,* hoc est, noli gaudere in incredulitate illorum; displicet enim Deo, si quis exsultet
Prov. 24. in malis alterius, sicut dicit Salomon. Nec enim causâ gentium abjecti sunt, ut gaudeant: sed quia non crediderunt, E occasionem dederunt, ut prædicaretur gentibus.

Quod si tu gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Id est, si te extuleris super illos, in quorum insertus es radicem; insultes generi, quod te, ut ex malo bonus esses, suscepit: nec stabis, si illud per quod stas, destruis.

ŷ. 19. *Dicis itaque: Fracti sunt rami, ut ego insirer.* Ex persona gentilis credentis loquitur; quia exsultandum putat in casu Judæorum diffidentium, dicens: Illorum reprobatio locum fecit gentilibus. Sed non sunt reprobati à Deo, ut gentes intrarent: sed se ipsos reprobos fecerunt, spernentes donum Dei; unde & occasionem dederunt gentibus ad salutem. Quam extollentiam reprimi vult, ut magis saluti [b] congaudeatur, non ægritudini insultetur; facile enim decipitur, qui gaudet alienis malis. F

ŷ. 20. *Bene,* id est, rectè dicis, quia fractis ramis insertus es: *sed in incredulitate fracti sunt,* hoc est, non propter te, sed suo vitio; quia illis diffidentibus, ad æmulationem illorum tu vocatus es ad salutem. Ideo gratias debes agere dono Dei per Christum, non illis insultare: sed & petere, si malum illorum tibi contulit ad salutem; ut & ipsi redeant ad originem. Tunc placebis Deo, qui tui misertus est; ideo enim te advocavit, ut per tuam æmulationem reduceret & illos ad gratiam.

Tu autem fide stas. Quia Judæi per diffidentiam lapsi sunt, hos fide dicit stare; quia cùm prius perfidiæ causa jacerent, credendo stare cœperunt. *Noli altum sapere, sed time.* Id est, noli superbus esse, sed cave, ne & tu offendas.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Verum est, quia si illos, qui prærogativâ ŷ. 21.
Patrum [c] digni erant, quibus etiam facta repromissio est Deo in filios adoptari, incredulitatis causâ excæcavit; quid his si dubitaverint, aut si se extulerint, faciet, qui nulla commendatione sublimati sunt: quippe cùm nullius dignitatis essent, honorati sunt?

Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem, bonitatem; si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Bonum Deum ŷ. 22.
gentibus esse testatur; quia cùm idola sequerentur, digni utique mortis, patientiâ suâ exspectavit illos, & nec adhuc requirentes se, ultro vocavit illos, & peccata eis remisit. Judæis autem severus est; excæcavit enim eos, quia donum Dei spreverunt. Hos tamen nunc significat Judæos, qui propter malevolentiam suam in perpetuum cæcati sunt; unde & cecidisse eos dicit: illos autem quos supra memoravit, offendisse, non tamen cecidisse: quia ad tempus cæcatos illos ostendit: ac per hoc severum Deum in eos fuisse, ut in perpetuum cæcati essent apostatæ.

Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur; potens est enim Deus iterum inserere illos. Ostendit justitiam Dei non in severitate manere circa illos, quos excæca- ŷ. 23.
vit [d] ad tempus; quia non sic illos excidit, ut non possit illos iterum inserere, si convertantur, qui per prophetam
dixit: *Revertentes ad me replantabo*; ut hoc scientes christiani gentiles non insultent Judæis, certi reservari illis quasi lapsis misericordiam Dei. Hiere. 24. 6.

Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam: quanto magis hi, qui secundum naturam, inserentur suæ olivæ. [e] Olivam fidem per ŷ. 24.
quam Abraham justificatus est, accipiamus: oleastrum vero, quia agrestis & infructuosa naturâ est, perfidiam significatam: ac per hoc si ii, qui semper inimici Dei fuerunt, conversi in fidem Abrahæ inserti sunt, ex cujus origine non sunt; quanto magis Judæi, si post diffidentiam credant, paternæ reddendi sunt naturæ, inserti iterum in suam promissionem?

Nolo enim ignorare vos, fratres, mysterium hoc, ut non sitis ipsi vobis sapientes; quia obtusio quadam ex parte Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel salvus fieret. Non est obscurum, quia ad tempus cæcitatis ŷ. 25. ŷ. 26.
[f] obtusio data est Judæis iis, qui dum æmuli Legis sunt, non viderunt donum venisse promissum à Deo, quod prædicabatur à Christo. Zelo enim excæcati sunt, putantes legem factorum numquam debere cessare; unde sabbatum zelabantur. Qua offensione ex parte obtusi sunt, ut pro incredulitate sua cruciarentur, videntes gentes profiteri cum gaudio consequutos se repromissionem Abrahæ: copiâ tamen admissâ gentium, abstergeretur caligo ab oculis mentis eorum, ut possint credere; ut spiritum compunctionis prohibens à cordibus eorum, qui eis præstat cæcitatem, reddat eis arbitrium liberum voluntatis; quia non de malevolentia erat incredulitas, sed de errore, emendarentur, ut postea salvarentur.

Sicut scriptum est. Ut probaret donum illis reservatum à Deo, exemplum Esaiæ prophetæ in subjectis ponit: ut hac gratia qua liberati sunt Judæi credentes, & nos liberari posse doceret; quia non erat exinanita, sed semper abundat. Dicit ergo:

Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem ab Jacob: & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum. ŷ. 27. Esai. 59.
Exempli hujus ratio semper manet, quamdiu sunt, qui credant. Hic enim dominus Jesus, qui de cælis venturus promissus est ad liberationem humani generis, ipse quotidie remittit peccata conversis ad se: nec statim non credentes condemnat, sed exspectat, sciens posse proficere ad agnitionem Dei.

Secundum Evangelium quidem inimici propter vos. Causa in- ŷ. 28.

a. *Delibatio enim de massa est*, in mss. plerisque omissum fuit. Sequenti autem versu pro *quorum jam patres*, mss. non pauci legunt, *quorum jam pars*.

b. Corb. codex, *decipitur qui insultat peccanti*.

c. Ita mss. longe plurimi: edit. vero, *digniores erant*, ad quas etiam accedunt nonnulli mss. ubi legitur, *digni censi erant*. Rursus autem, ubi legebatur in edit. omnibus, & mss. quibusdam, *Deo in filios acceptari*, aut ut in nonnullis paulo melius, *adoptantur*; optime reliqui cod. *adoptari*.

d. Nonnulli cod. *ad tempus, non quidem illos excidit, qui autem credit: ipse* dant; *quia non sic excidit Judæos* &c.

e. Eras. & seq. edit. *olivam*. Rom. *olivam, fidem....accipimus: oleaster vero....perfidiam significat*: Amerb. autem & mss. lectionem nostram constituunt, nisi quod nonnulli habent, *& infructuosus natura est*, nonnulli *& infructuosa natura est*, & continuo post Amerb. cum paucis mss. *perfidiam significat*.

f. Sic Amerb. Eras. ac plures mss. Gill. vero & edit. Rom. cum mss. quibusdam, *obtusio facta est Judæis*.

credulitatis inimici ſunt Evangelii, ut error & delictum illorum gentibus aperiret viam ante tempus intrandi ad fidem, ſicut ſupra memoravi; prius enim ubique omnibus Judæis prædicandum erat, tunc demum & gentibus oportebat credi verbum Dei. Sed quia non crediderunt, ablatum ab eis regnum datum eſt gentibus. Itaque non inſultandum his præmonet, quorum delictum profuit gentibus; illi enim inſultandum eſt, cujus peccatum obfuit aliquibus. Non enim in perfidia illorum gratulandum eſt, ſed dolendum, ſi tardant converti; ut quomodo peccato illorum gaviſæ ſunt gentes, quia ſalvatæ ſunt: ſic converſione eorum lætentur; ipſorum enim occaſione Dei gratiam citius perceperunt.

Secundum electionem autem dilecti propter Patres. Quamvis graviter peccaverint Judæi reprobando donum Dei, & digni ſint morte; tamen quia filii ſunt bonorum, quorum prærogativa & merito plurima à Deo beneficia perceperunt, regreſſi ad fidem ſuſcipientur cum lætitia; quia dilectio in his Dei exſuſcitatur memoriâ Patrum.

℣.29. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.* Verum eſt, quia gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquot; niſi ſolum ex corde profeſſionem. Neque enim quia graviter deliquerant non recipiendo promiſſum Dei, & quia quæ graviter peccantur, non niſi fletu & gemitu ad veniam pertinent; ne ideo illos non poſſe jam accipere miſericordiam putarent, quia dolere illos non videbant: oſtendit hoc inter primordia fidei non requiri; donum enim Dei gratis donat peccata in baptiſmo.

℣.30. *Sicut enim & vos aliquando non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis propter illorum diffidentiam:*
℣.31. *ita & iſti nunc non crediderunt in veſtra miſeratione, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.* Incredulitatem gentium memorat, [a] ut ipſo rubore non ſe jactarent inſultantes Judæis, qui non crediderant: ſed oblectarent illos agnoſcere promiſſum Dei. Quia enim vos, inquit, gentes, eùm his eloquia Dei credita ſint, repugnantes fuiſtis: nunc autem miſericordiam accepiſtis, non veſtro merito, ſed ad horum opprobrium; quare non magis iſti converſi accipiant miſericordiam, qui prius in lege Dei converſati ſunt, & quibus facta promiſſio eſt?

℣.32. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur.* Gentes porro ab antiquis temporibus in impietate & ignorantia verſabantur, ut pote ſine Deo: propter quod manifeſtata Lex in litteris eſt, qua poſſent infrænari præcipites. Et quoniam verſutia adverſarii cumulari peccata cœperunt, [b] ut per interdictum magis reus homo conſtitueretur; Deus clementia bonitatis ſuæ ſemper homini procurans, ut & quod ſine lege peccatum erat, & in Lege poſſet deleri; hoc decrevit ut ſolam fidem poneret, per quam omnium peccata abolerentur; ut quia nulla ſpes per Legem omnibus hominibus erat, Dei miſericordia ſalvarentur. Hoc eſt omnia concluſiſſe in incredulitate, ut tunc decretum donum à Deo veniret, quando omnes diffidentia laborarent; ut gratia muneris eſſet gratiſſima. Itaque nemo ſe jactet; miſerum eſt enim ſuperbum eſſe eum, cui ignotum eſt.

℣.33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ipſius!* Excelſum & immenſum Deum in divitiis ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ cum omni laude gratiarum actionis teſtatur; eſt enim conſilium & judicium ejus incomprehenſibile. Nam ſciens ab initio converſationes & opera hominum; quia neque ſola ſeveritate juſtitiæ ſalvari poſſit hominum genus, neque ſola miſericordia [c] ad profectum meritorum pervenire, unoquoque tempore decrevit quid eſſet prædicandum: ante tamen permittens unumquemque ſuo judicio; quia natura ipſa duce, cognoſcitur juſtitia. Et quia auctoritas naturalis juſtitiæ obtorpuerat conſuetudine delinquendi, data eſt Lex; ut humanum genus terrore manifeſtatæ Legis frenaretur. Sed quia non ſe cohibentes, rei tenebantur à Lege; prædicata miſericordia eſt, quæ ad ſe confugientes ſalvaret, refutantes autem cæcaret ad tempus, ad promiſſionem eorum gentes invitans, quæ prius juſtitiam Dei per Moyſen datam ſequi noluerunt; ut horum ſaluti dum invident, ipſo zelo ad radicis Salvatoris originem ſe reformarent promiſſæ in Lege. Hæc eſt *altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, qui tam Judæos quam gentes multifariâ providentiâ adquiſivit ad vitam.

Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ℣.34.
illi fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Hoc in ℣.35.
Eſaia ſcriptum habetur. Manifeſtum eſt ſolum Deum eſſe Eſai.40.13.
qui noverit omnia conſilia, & hunc unum eſſe qui nullius egeat; quia ab ipſo ſunt omnia: ac per hoc conſilium ejus à nullo nec comprehenditur, nec metitur; [d] quia in inferiora ſuperioris ſenſum ſcire non poſſunt. Denique Judæis credentibus impoſſibile videbatur conſilium eſſe & voluntatem Dei ad redemtionem gentium: ſimili modo & gentibus arduum & incredulum videbatur Judæos, qui non crediderunt, poſſe converti; aut credentes ſuſcipi, ut ſalvarentur. Inter cetera hoc eſt conſilium Dei, quod latuit, nec potuit comprehendi.

Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ℣.36.
ipſi gloria. Qua ratione ſenſus & conſilium Dei inveſtigari non poteſt, declaravit: *Ex ipſo enim*, inquit, *& per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria.* Hoc dicto aperuit ſenſum, qui occultus erat mundo; quia enim omnium creator eſt Deus (fecit enim ea quæ non erant, ut eſſent) ideo ex ipſo ſunt omnia. Et quoniam ab ipſo ſunt, per Filium ejus, qui ejuſdem utique ſubſtantiæ eſt, eſſe cœperunt, cujus opus Patris eſt opus. Quia ergo ipſe operatur per Filium, per ipſum ſunt omnia. Et quoniam quæ ſunt ex Deo, per Deum ſunt: poſt renata in Spiritu ſancto ſunt, in ipſo ſunt omnia, quia & Spiritus ſanctus de Deo eſt Patre; unde & ſcit quæ in Deo ſunt. Ergo & in Spiritu ſancto Pater eſt; quia quod de Patre eſt Deo, non poteſt aliud eſſe, quam eſt Deus Pater.

Ac per hoc *ipſi gloria, quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* [e] Itaque quæ ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ut eſſent, eſſe cœperunt, ſenſum & conſilium ejus ſcire non poſſunt. Ipſe autem ſcit omnia; quia in ipſo ſunt cuncta. Patefecit myſterium Dei, quod ſuperiùs dixit non ab eis ignorari debere.

CAP. XII.

℣.1. *Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo*
℣.2. *placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo: ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & placitum, & perfectum eſt.* Per miſericordiam Dei [f] illos adhortatur per quam ſalvatur humanum genus. Poſt tractatum enim Legis & fidei populi naturam Judaici & gentilis ad bonam vitam agendam hortatur; per hanc enim ſpes fidei obtinetur. Commonitio eſt ergo hæc, ut memores ſint quia miſericordiam acceperunt: & vigilent circa obſequium ejus, à quo illis data eſt, per quem ex impiis gratis juſtificati ſunt, ſcientes hanc eſſe hoſtiam vivam, ſanctam, & Deo acceptabilem, ſi corpora noſtra incontaminata ſervemus, diſſimiles à ſæcularibus, qui voluptatibus ſtudent. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Nam corpora ſub- 1. Theſſ.4.3.
jecta peccatis non viva habentur, ſed mortua; ſub deſperatione enim promiſſæ vitæ ſunt. Ad hoc enim peccatis dono Dei abluimur; ut de cetero mundam vitam agentes, Dei amorem in nos provocemus, non irritum facientes opus gratiæ ejus. Nam apud veteres ideo oblata occidebatur hoſtia, ut homines peccati causâ morti ſubjectos ſignificaret. Nunc autem quia per donum Dei purificati ſunt homines, & à morte ſecunda liberati, vivam hoſtiam debent offerre, ut ſignum ſit vitæ æternæ. Non enim, ſicut tunc, corpora [g] pro corporibus immolantur: nunc vero non corpora, ſed vitia corporis perimenda ſunt. Ut autem obſequii noſtri effectum habere poſſimus, ſervatâ juſtitiâ, pudorem cuſtodiamus; nihil enim proficit pudor, nec rationabilis poteſt videri, neglectâ juſtitiâ. Hoc erit conformem fieri ſpiritualium, renovatum in ſpiritu ac fide hoc ſcire quod placeat Deo, nec aliud bonum & perfectum eſſe.

Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quam oportet ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut diviſit Deus menſuram

a. Rom. edit. *ut perfuſi rubore* . . . . *ſed oblectarent illos, ut agnoſcerent promiſſum Dei.* Sequentem vero locum cod. Corb. ita contrahit: *Quia enim vos, inquit, gentes fuiſtis; nunc autem miſericordiam* &c.

b. Mſ. Corb. *ut per indictum.* Non multis autem interjectis ſic legitur in Rom. edit. *homini ſalutem procurans, decrevit ut quod ſine lege peccatum erat, & ſine lege poſſet deleri, & ſolam fidem poſuit* &c.

c. Corb. ac Thuan. codex, *ad perfectum meritum.*

d. Edit. omnes, ac pauci mſſ. *quia inferiora ſuperioris*: nonnulli, *quia inferiores ſuperioris*: alii multo plures, ut in contextu.

e. Rom. edit. *Itaque quia ex ipſo* . . . *omnia ut eſſent*, &c.

f. Thuan. cod. Gill. & edit. Rom. *erat illos*: ultima vero ſola, *poſt tractatum autem Legis & fidei credentes ad bonam* &c. Edit. ceterm vet. & mſſ. hoc ſolo diſtant quod pro *naturam*, Amerb. Eraſ. & quidam mſſ. legunt, *naturæ.*

g. Rom. edit. *pro corporibus immolanda, ſed vitia* &c.

fidei. Aperte ostendit hoc debere nos sapere, quod justitiæ terminos non egrediatur; ut non nobis solis utile sit, sed & nulli obsit. Hæc est enim prudentia, prodesse magis aliquibus, quam obesse; & contentum esse debere sorte, qua mensus est Deus [a], & merito fidei uniuscujusque: nec sibi defendere, quod non sibi concessum videt; hoc est, non plus sapere, quia uni totum concedi non potest. Nec enim si quis bonæ vitæ est, ex eo sibi etiam doctrinæ prudentiam debet defendere: aut quia peritiam habet Legis, levitarum sibi obsequia vindicare debebit. Hortatur ergo, & docet per gratiam sibi datam. Hæc gratia peritia intelligitur Dominicæ disciplinæ, per quam humilitati & justitiæ studendum tradit.

℣. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia*
℣. 5. *autem membra non eadem habent officia; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Exemplo corporis docet non posse nos singulos omnia; quia sumus invicem membra, [b] ut alter alterius non egeat: ac per hoc curam nostri invicem nos agere debere, nec alterum alii obsistere; quia invicem officiis nostris opus habemus. Hoc erit diligere Christum, si invicem se membra exhortentur, ut impleant modum, quo corpus in Christo perfectum sit.

℣. 6. *Habentes autem donationes Dei diversas secundum gratiam, quæ data est* [c] *nobis.* Nunc autem ipsa officia deputata membris merito fidei enumerat; ut cùm viderit membrum quod sibi deputatum officium est, non perstrepat alteri, cui viderit aliud traditum, [d] sed congaudeat, ut corpus Ecclesiæ sit perfectum.

Sive prophetiam secundum rationem fidei. A prophetia incipit, quæ prima probatio est rationabilem esse fidem nostram. Denique credentes, accepto Spiritu prophetabant. Hæc ergo datur pro modo accipientis, hoc est, quantum causa exigit, propter quam datur.

℣. 7. *Sive ministerium in ministrando.* [e] Ad obsequium fraternitatis præbendum in tantum minister firmatur, quantum credit debere se obsequi; ne ultra fidem laborans in obsequio, fatigetur incassum; quia hoc sequitur unumquemque, quod conatur ex corde.

Sive qui docet in doctrina. Similiter dicit adjuvari doctorem in doctrina; ut in quantum fides ejus est ad docendum, in tantum inspiretur ad tradendam disciplinam cælestem.

℣. 8. *Sive qui exhortatur in exhortando.* Et hunc eodem modo in eo ipso, [f] in quo tendit, auxilio Spiritus præparari; ut habeat gratiam, dum provocat. Lacessit enim fratres ad bonum, aut incredulos ad fidem.

Qui largitur in simplicitate. Huic dicit, qui bono animo tribuit auxilia semper suppeditare, procurante Spiritu, ut non desit tribuenti simpliciter, dicente Salomone: *Qui tribuit pauperibus, non indigebit.* (Prov. 28. 27.) Hic ergo tribuit simpliciter, qui non in simulatione hoc agit, ut laus ei ab hominibus detur; sed ut à Deo pro hoc ipso meritum consequatur.

Qui præest in sollicitudine. Eum qui curam ut præsit fratribus, suscipit, juxta fidem suam accipere vigilantiam & auctoritatem; ut proficiat in quo sollicitus est, habens in illis fructum, quibus præest.

Qui miseretur in hilaritate. Hunc quoque secundùm sensum suum, qui læto animo misericordiam facit, non quasi nolenti extorqueatur, fundari & roborari à Deo; ut in hac re nullam infirmitatem patiatur, sciens dictum à Salomone: *Dum habes occasionem, benefac.* (Prov. 3. 27.) Sed hoc multifarie intelligendum est; [g] multiplex est enim misericordia sub uno vocabulo. Nam si supra dixit: *Qui largitur in simplicitate;* quid erat opus iterare, nisi quia sub uno misericordiæ nomine multa bona opera significavit? Peccantibus etenim ignoscere misericordia est: & in necessitate aliqua posito vel oppresso opem ferre misericordia est; & nudum vestire, & esurienti panem frangere, & parvulum expositum colligere, & cadaver operire, [h] & alia operari misericordia est. Ideo si hæc impigre, & sine tædio fuerit operatus, habebit hujus operis & in præsenti & in futuro mercedem. Omnis ergo misericordia & simpliciter, & cum gaudio fieri debet; ut simplicitas excludat hypocrisim, gaudium vero fretum futuræ spei testatur examen.

℣. 9. *Dilectio sine simulatione.* [i] Huic menti, quæ hoc meditatur, ut ideo diligat fratrem, quia scit hoc placere auctori Deo; ut non in adulatione præsentis vitæ hoc agat, subvenit Spiritus; ut quia hoc devota mente quærit, obsequiis possit implere. Audiunt enim dictum à Domino: *Præceptum novum do vobis, ut diligatis invicem.* (Iohan. 13. 34.)

℣. 10. *Odientes malum, adhærentes bono, fraternitatis amore invicem benigni, honore mutuo prævenientes.* Non magnum dicit evitare malum, nisi adhæreatur bono; illud enim de timore fit, istud de amore: [k] nec benignum esse, nec fraternitatis amorem tenere dicitur, si non mutuis se obsequiis prævenerint.

Sollicitudine non pigri. Hoc est quod dicit propheta Hieremias, quia maledictus qui facit opera Domini negligenter. (Hier. 48. 10.) Piger enim in conversatione divina sine spe est; ideo subjecit:

Spiritu ferventes. Hoc est, ut in exercitio divini operis, aut Legis non sit tepidus, sicut dicitur in Apocalypsi Johannis: *Quoniam tepidus es, inquit, evomam te ex ore meo;* (Apoc. 3. 16.) quotidiana enim meditatio tollit soporem, & facit vigilantem. Opera vero Domini sunt, quæ mandat fieri pro utilitate Ecclesiæ, id est, fratrum.

Tempori servientes. In græco dicitur habere sic: *Deo servientes;* quod nec loco ipsi competit. Quid enim opus erat summam hanc ponere totius devotionis, cùm quando singula membra, quæ ad obsequia & servitia Dei pertinent, memoret? In omnibus enim iis, quæ enumerat, plenum Domino servitium exhibetur. Nam servire tempori quid sit, alibi solvit, cùm dicit: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; ut sciatis quemadmodum unicuique respondeatis.* (Ephes. 5. 16.) Quoniam autem dixerat: *Spiritu ferventes;* ne hoc sic acciperent, ut passim & importune verba religionis ingererent tempore inimico, per quod fortè scandalum excitarent, statim subjecit: *Tempori servientes,* ut modeste & cum honestate aptis & locis & personis, & apto tempore religionis fidem loquerentur. Sunt enim quidam etiam in hoc tempore quo pax est, qui sic perhorrent verba Dei, ut audientes cum magna ira blasphement viam Christi. Nam & ipse servivit tempori, quando quod noluit fecit; invitus enim circumcidit Timotheum, & raso capite purificatus secundum Legem adscendit templum, ut Judæorum sopiret insaniam.

℣. 12. *Spe gaudentes.* Postquam dixit: *Tempori servientes,* adjecit: *Spe gaudentes;* ut si forte propter iniquitatem temporis non liceat de fide publice loqui, sed esse in metu, spe gaudeat; quia hæc tristitia parit lætitiam.

In tribulatione patientes. Hoc est spe gaudere, in tribulatione patientem esse; de gaudio enim spei tolerat tribulationem, sciens multo majora esse, quæ pro his promissa sunt.

Orationi instantes. Necessaria est valde oratio; quia ut tribulatio possit tolerari, precibus insistendum est.

℣. 13. *Memoriis sanctorum communicantes.* Manifestum est quia qui preces suas exaudiri vult, æmulus debet esse vitæ sanctorum; cùm imitatur enim, communicat; ut hoc sit memorem esse & communicatorem, imitari actus illorum: & si sumtibus indigent, communicandum est eis, sicut dicit alio loco: *De collectis autem quæ fiunt in sanctos;* & ad Galatas: *Ut pauperum memores essemus.* (1. Cor. 16. 1. Galat. 2. 10.)

℣. 14. *Hospitalitatem sectantes.* Imitator & amator sanctorum hospitalitatem sectatur exemplis sancti Abrahæ, & Lot viri justi.

Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Ut Christianos per omnia novos faciat, etiam ab hac illos consuetudine auferre vult, quæ omnibus communis est, ne irato animo incitati prius facile maledicere velint: sed ut magis, victâ iracundiâ, benedicant, [l] & laudi sit disciplina Dominica.

a. Vet. edit. & mss. magno numero, *merito & fidei;* melius Rom. edit. *merito fidei:* vel mss. nonnulli, ut in textu.
b. Rom. edit. sola, *ne alter alterius* &c.
c. Mss. aliquot voci *nobis* addunt, *differentes:* alii, *differentia.*
d. Vet. edit. ac pauci mss. *sed congerat.* In sequenti textu Amerb. & Erasm. cum cod. nonnullis, *secundum operationem fidei.* Neutrum commode.
e. Mss. aliquot, *ad obsequium Ecclesiæ.*
f. Nonnulli mss. *in quo ostendit:* alii non pauci, *in quo se tendit:* ceteri, & omnes edit. *in quo tendit.*
g. Nonnulli mss. *sub uno enim vocabulo multiplex est intelligentia.* Minime male.
h. Rom. edit. *& talia operari.* Haud incommode.
i. Vet. edit. & mss. nonnulli, *Huic merito, qui meditatur:* Rom. edit. hinc abstulit vocem *merito:* nos vero locum ex pluribus probatioribusque cod. restituimus.
k. Ita locum emendant cod. Fess. Gem. Mich. & Vall. cùm prius haberetur in edit. ac mss. *nec benignum esse fraternitatis honorem, si non:* Gill. in marg. & Rom. edit. in corp. cum uno aut altero ms. *fraternitatis amorem.*
l. Mss. aliquot, *& laudabilis sit disciplina Dominica.*

Gaudere

℣. 15. I. Cor. 12. 26. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Hoc est, quod alio loco dicit: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: & si lætatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Cùm enim quis fideli solatio est in necessitate, erigit animum ejus, & apud Deum sibi collocat meritum; quia membrum diligit corporis Christi: & si cum infideli condoleat, provocat magis [a] illum ad profectum disciplinæ Dominicæ.

℣. 16. Galat. 6. 1. & 2. *Idipsum invicem sentientes.* Hoc est, quod dictum est, compati debere in fratris tribulatione, sicut & in alia dicit epistola: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera sustinete.*

Non alta sapientes. Alta sapere superbia est; nam & diabolus cùm alta sapuit, apostatavit. Ne elatio sit in animo, & præsumens forte de incolumitate actus sui, non condoleat fratri suo, sed exprobret quasi peccatori, hæc superbia est, quæ cùm se præponit, offendit. Quod & Dominus denotat, dicens; *Ejice trabem prius de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* (Luc. 6. 42.) Ipsa enim elatio peccatum est, ac si non sit peccator, quod impossibile est; fit peccator, dum superbit. Denique dicit Salomon: *Superbis Deus resistit.* (Prov. 3. 34.)

Sed humilibus consentientes. Hoc est, ut depositâ superbiâ, alienam causam suam faciat, & suam quasi alienam; ut habeat gratiam apud Deum, quia *qui se exaltaverit, humiliabitur.* (Luc. 14. 11.)

Esai. 5. 21. *Nolite esse prudentes apud vosmet ipsos.* Hoc in Esaia propheta scriptum est, quod hic quasi proprium ponit; ut justitia communis habeatur, non ut sibi quis justus sit, ceteris autem injustus.

℣. 17. Matth. 5. 20. *Nemini malum pro malo reddentes.* Hoc est, quod Dominus dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum Dei.* Mandatum enim in Lege erat: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* (Levit. 19. 18.) Hæc, quantum videtur, justitia est: sed ut abundet justitia christianorum, docentur non reddere malum pro malo; ut perfecti sint, & pro hoc merces illis reddatur in judicio Dei. Supergredi enim videtur ipsam justitiam; cùm quod licet, ut melior sit, non facit cælestis justitiæ imitator. Mundi ergo justitia à Deo [b] illi concessa innocentem facit: cælestis autem perfectum; ut meritum habeat apud Deum.

Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Providere est bona futura ante oculos habere; ut ea gerantur, quæ possint, postquam facta fuerint, in reprehensionem non venire, sed magis laudi esse, sive apud Deum, sive apud homines. Ne quis æstimet quia Deo licita non displicent, idcirco non curandum, si fratri scandalum sint; hoc præmonet quia illud fieri debet, quod & Deo non displiceat, & fratri scandalum non sit. Etsi liceat enim, & fratrem scandalizet, Deo non placet; quia Deus saluti studendum monet. Sic ergo providentur bona coram Deo & hominibus, si ea quæ licent sic agantur, ne scandalum faciant.

℣. 18. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Omnes vult pacificos esse, [c] qui divinam servant justitiam. Viderit si quis hanc pacem sprevetit, ut sit tali viro inimicus, cùm aut reprehendi forte ab illo non vult, aut invidet bonis ejus; quod ad illum tamen pertinet, non discordat à bene agentibus. Hic est enim impacificus, qui prætermissâ voluntate Legis, suum jus sequitur; quamquam dicat David: *Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus.* (Psal. 119. 7.) Sed hoc necessitatis erat propter potentiam personarum, ut vel obsequiis humilitatis vincatur, quem sic extollit superbia, ut mandata Legis spernat. Potest fieri ut & de timore Dei pacificum se quis præbeat illi, qui odit pacem. Quando enim vicem malis reddere non vult, pacificus est, hoc est, de bono vincere malum, ut vel obsequiis vincatur, quem mandata Legis non vincunt. Ergo, *si fieri potest*, inquit, *quod ex vobis* est; ut bene agentes pacem habere videamur. Jam si non fuerit amator pacis, tu tamen vis esse pacificus, quantum ad te pertinet. Si autem irreverens & blasphemus quis sit, & pacem cum illo habere non possis, non utique tibi adscribendum erit; quia Johannes apostolus illos, qui negant in carne Christum venisse, nec salutari permitit. (2. Johan. 7.) Nos ergo parati sumus, si fieri potest, ut cum omnibus pacem habeamus: aliis autem repugnantibus fiet impossibile, non ex nobis; [d] si de nobis tamen querela deponatur. Qui enim nullum lædit, apparet esse pacificus.

℣. 19. *Non vosmet ipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ.* Ut pacis fœdera servari possint, ab ira dissimulandum monet, maxime quoniam solet per iram peccari, cùm quando quis furore commotus, plus exigit, quam postulet causa delicti: aut sibi ipsi incommodum præstat, si graviora peccata incompetenti vindicta vult exsequi; debilem enim efficit, quem potuit emendatum habere & sanum. Unde & Salomon: *Noli*, ait, *justus esse multum*; *est enim*, inquit, *qui perit in sua justitia.* (Eccl. 7. 17.) Volens enim singulis peccatis respondere, circa vindictam mortem potest invenire tam sibi, quam ei quem plagis affligit; solent enim in pœnas delinquere. Non solum autem de subjectis vindictam prohibet competentem, sed & de paribus & magnis, hoc est, de fratre forte in nos peccante non quæramus vindicari, sed remittamus, Dei judicio reservantes; nedum ab ira detinemur, inveniat locum inimicus, in quo suggerat & suadeat, quod contra nos est.

Scriptum est enim. Ut fortius suadeat, exemplo Legis hoc confirmat, dicens: *Scriptum est enim*, [e] in Proverbiis, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* (Deut. 32. 35.) Ut si minime à nobis fiat, quod docet, Deum à nobis contemtum ostendat. Duplici ergo genere proficitur, si Deo remittatur vindicta; quia & cùm iracundiam vincit, perfectus sit, & Dei judicio vindicabitur.

℣. 20. Prov. 25. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Non nudam vindictam Deo reservari debere ostendit, sed & beneficia dari inimicis; ut vere ostendamus non meritis nostris habere nos inimicos, [f] quos ut ab inimicitiis desinant, obsequiis vincere nitimur. Qui si in inimicitiis perduraverint impietate mentis suæ, nostra obsequia proficient illis ad pœnam: aut certe obsequiorum nostrorum sedulitate compuncti, veluti carbones mortui reviviscent. Ut ergo nos in tantum perfectos faciat, ut non solum nos ipsos, sed & alios adquiramus ad vitam, inimicis non solum vicem reddere prohibet Dominus per Salomonem; verum etiam humanitate ad amicitiam provocare hortatur.

℣. 21. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Hæc interpretatio Apostoli est cohortantis, ne vicem reddamus inimicis, sicut dictum est. Multum enim proderit nobis, si malitiæ cedamus; vincit enim malum, qui ad tempus vinci videtur ab illo. Etenim Salvator sic vicit malum, dum non restitit; contra se enim agit malitia, & dum vincitur, vincere se putat. Id enim agit inimicus, ut & nos de proposito nostro abstrahat, occasionem quærens quomodo peccemus. Ideo si provocati ab illo, vicem illi non reddamus, vincimus illum in bono; ideo enim non resistimus, [g] ut bonum servemus, neglectâ justitiâ; quia cogit justitia ad retribuendum.

CAPUT XIII.

℣. 1. *Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote; non est enim potestas, nisi à Deo.* Quoniam cælestis justitiæ legem sequendam mandavit, ne ab hac præsenti dissimulare videretur, hanc commendat: quippe cùm nisi hæc fuerit observata, illa custodiri non possit; hæc enim quasi pædagogus est, quæ parvulos imbuit, ut possint potioris justitiæ viam sequi. Nemini enim potest imputari misericordia, nisi habuerit justitiam. [h] Ut ergo jus & timorem legis naturalis confirmet, Deum auctorem ejus restatur; & ministrantes eam Dei ordinationem habere. Ideo adjecit:

Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: ut nemo putet quasi humana commenta contemnenda; vident enim jus divinum humanis auctoritatibus deputatum. Hic ergo subjectus est potestati, [i] qui se terrore Dei ab iis abstinet, quæ prohibet.

℣. 2. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Hoc

a. Rom. edit. cum paucis mss. *illum ad affectum*, quidam mss. *ad effectum* &c.
b. Rom edit. & quidam mss. *illi concessa ad tempus innocentem facit.*
c. Ita edit. omnes cum mss. quibusdam: alii vero mss. non parvo numero, *qui divinam servare justitiam videntur. Si quis* &c. sequenti autem versu pro *inimicus*, Rom. edit. reposuit, *impacificus.*
d. Omnes edit. ac mss. aliquot, *si de nobis tantum querela non deponatur*; ceteri mss. nobiscum faciunt. At sequenti textu pro *defendentes*, Rom. edit. licet sine ullo sensu commode maluit, *vindicantes.*
e. Rom. edit. consoderat, *in Proverbiis*. Quod videlicet in Deuteronomio hæc verba exstant.
f. Cod. Corb. & quidam alii, *quos ut ab iniquitate desinant.*
g. Idem ms. Corb. *ut bonum servemus ad retribuendum, neglectâ justitiâ.*
h. Mss. aliquot, *Ut ergo justa timoris; quidam ... .jus ex timore.*
i. Nonnulli mss. & Gill. in marg. *qui se terrore legis.*

contra illos est, qui per potentiam fortes sunt, aut qui ab A aliquo deprehendi se posse non credunt, & per hoc illudere se legem putant; ostendit his Dei esse legem, & non evasuros judicium Dei, qui ad tempus aliquo pacto evadunt. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt.* Manifestum est, quia unusquisque operibus suis aut justificabitur, aut condemnabitur. Qui enim audientes Legem, peccant, inexcusabiles sunt.

℣. 3. *Nam qui principantur, [a] non sunt timori bonis operibus, sed malis.* Principes hos reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno sint ceteri. *Vis autem non timere potestatem? Bonum facito, & habebis laudem ex illa.* B Laus ex potestate tunc surgit, cùm quis innocens invenitur.

℣. 4. *Dei enim minister est tibi in bonum.* Manifestum est ideo rectores datos, ne malum fiat. *Si autem malefeceris, time; non enim sine causa gladium portat.* Hoc est, ideo comminatur, ut si fuerit contemtus, vindicet. *Dei enim minister est, vindex in iram, in eum qui male agit.* Quoniam futurum judicium Deus statuit, & nullum perire vult, hoc in sæculo rectores ordinavit; ut terrore interposito, omnibus velut pædagogi sint, erudientes illos quid servent, ne in pœnam incidant futuri judicii.

℣. 5. [b] *Ideoque subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Recte dicit subjectos esse debere non C solum propter iram, id est, ultionem præsentem; parit enim ira vindictam: sed & propter futurum judicium; quia si hîc evaserint, illic eos pœna exspectat, ubi accusante conscientia ipsa punientur.

℣. 6. *Nam idcirco tributa penditis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Ideo dicit tributa præstari, vel quæ dicuntur fiscalia, ut subjectionem præstent, per quam sciant non se esse liberos, sed sub potestate agere, quæ ex Deo est; principi enim suo, qui vicem Dei agit, sicut Deo subjiciuntur, sicut dicit Daniel propheta; *Dei est enim*, inquit, *regnum, & cui vult, dabit illud.* Unde & Dominus: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Huic ergo subjiciendi sunt D sicut Deo, cujus subjectionis probatio hæc est, cùm illi pendunt tributa.

Dan. 4. 14.
Matth. 22. 21.

℣. 7. *Reddite ergo omnibus debita.* Reddi vult ab omnibus debita; quia & potentes sunt debitores minoribus, ut respondeant meritis illorum. *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Primum ea quæ sunt potestati regiæ debita extolli jubet; quia major in his causa aut necessitas est. *Cui timorem, timorem.* Timorem potestati exhibendum; quia timor prohibet peccatum: deinde aut parenti, aut domino terreno; ut gratias agat in filio aut servo christiano. *Cui honorem, honorem.* Potest hic honor etiam circa eos esse, qui sublimes videntur in mundo; ut videntes humilitatem servo- E rum Christi, laudent magis quàm vituperent evangelicam disciplinam.

℣. 8. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Pacem vult nos habere, si fieri potest, cum omnibus, dilectionem vero [c] cum fratribus, & hanc tamen, honore servato. Idcirco autem debitores dicit; quia homini, qui dignus honore est, sive præsenti, sive futuro, dignum est & debitum inclinari. Illi enim quis inclinatur, à quo honorem accepit; ideo debitor dicitur. Si enim non hoc feceris principi tuo, superbus es; aut enim merito quis, aut ætate honorandus est.

Qui enim diligit proximum, Legem implevit. Legem da- F tam à Moyse implet, qui diligit proximum; nam novæ legis mandatum est etiam inimicos diligere. *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupisces.* Hoc Moyses scriptum accepit à Deo ad reformationem legis naturalis. *Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo consummatur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; hoc scriptum est in Levitico. Manentibus itaque supradictis mandatis, in dilectione impleri Legem significat, sicut dixit: ac si sint alia mandata, quæ nunc tacuit; tamen pro omnibus mandatis dilectio satisfacit. Nam si se humanum genus ab initio dilexisset, iniquitas in terris non esset; exordium enim injustitiæ discordia est. Ideoque [d] iniquitatis dilectio iniquitas est; quia quod malo malum est, bono bonum est.

Matth. 5. 44.
Levit. 19. .

Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo enim Legis est dilectio. Malum non operatur, quia bona est dilectio, [e] nec peccare potest illa, quæ Legis est perfectio. Per Legis verba ad sensum evangelicum vult pervenire. Ideo enim quod summum est Legis, memorat; ut huic Evangelium societ, ostendens unius esse sensum auctoris. Sed quia tempore Christi addere aliquid opportuit, non solum proximos, sed inimicos diligi præcepit. Unde subditur: *Plenitudo Legis est dilectio*: ut justitia sit diligere proximum, abundans vero & perfecta justitia etiam inimicos diligere. Inimicum autem diligere quid aliud est, quam optare desinere illum ab odio, & nihil asperum petere adversus illum? Hoc est amare illum, ea illi exoptare per quæ Deum habeat propitium: hæc cælestis justitia, hæc Deo Patri similes facit, qui non colentibus se annua dona largitur. Nam & Dominus in cruce positus postulat pro inimicis; ut plenitudinem justitiæ quam docuerat, demonstraret. ℣. 10.

Matth. 5. 44.
Luc. 23. 34.

℣. 11. *Et hoc scientes tempus, quoniam hora est jam nos de somno surgere.* Tempus esse dicit, quo ad meritum proficere debeamus. Hoc est, *de somno surgere*, operari bonum, quasi in die, hoc est, palam: illicita enim nocte, id est, in abscondito fiunt. Jam enim in manifestatione positi, [f] quod est in notitia Dei, agnoscentes quid sequi debeamus, dare operam debemus, ut pure viventes ad promissum præmium, veniamus, excusso somno, id est, ignorantia sive negligentia.

Propior enim est nunc nostra salus, quàm cùm credidimus. Manifestum est, quia post lavacrum bene viventes, & caritati studentes, non longe sunt à merito resurrectionis promissæ. Bona enim vita christiani signum est [g] salutis futuræ.

℣. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Noctem veterem hominem significavit, qui per baptismum innovatus est. Hunc præcessisse dicit quasi noctem, diem autem [h] appropinquasse, cujus lumine veritas nobis apparuit; ut sciremus quid agere debeamus. Prius enim ignorantes Christum, in tenebris eramus: at ubi didicimus, lux in nobis orta est; transivimus enim à falso ad verum.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Tenebrarum opera sunt [i] vita carnalis, quæ illecebris agitur sæcularibus: hæc digna est tenebris, sicut dicit Dominus: *Tollite illum; & ligatis manibus & pedibus, mittite in tenebras exteriores.* Indutæ verò arma lucis gesta sunt bona; quia sicut mali actus tenebris deputantur, quia occulte fiunt ab iis, qui male agunt: ita & qui bene agunt, palam agunt; quia non verentur, sed gaudent. Boni ergo actus arma lucis sunt, impugnantes tenebras, quæ sunt vitia carnis.

Matth. 22. 13.

℣. 13. *Sicut in die honeste ambulemus.* Verum est; ut quia publice non peccatur, sic agamus quomodo agitur publice; nihil enim tam publicum, quam veritas.

Non in comessationibus & ebrietatibus. Comessationes sunt luxuriosa convivia, quæ aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus solent à contubernalibus exhiberi; ut neminem [k] illic pudeat aliquid inhoneste dicere aut facere; quia unusquisque præsumit, quod suum convivium sit. Solent enim in aliena mensa pudore coerceri, sed hîc ad hoc conveniunt, ut fœda illic gerantur copiâ vini, & incitetur libidinis diversa voluptas. Idcirco evitanda præcipit hujusmodi convivia.

Non in cubilibus & impudicitiis. Post luxuriosum convivium & ebrietatem hoc subjecit, quod sequitur, id est, concubitus impudicus; [l] hic enim hujus lascivitatis est fructus.

Non in contentione & æmulatione. Recte ab his coerceri monet; quia omnis contentio & zelus inimicitiam parit, quas tenebras vocat; quia ad lucis præmium pervenire non possunt.

a. Mss. non pauci, *non sunt timori boni operis, sed mali.*
b. Mss. aliquot: *Ideoque necessitate subditi estote.*
c. Nonnulli mss. *cum fratribus: & hoc erit nulli quidquam debere, unicuique in loco suo officium exhibere. Qui enim diligit* &c.
d. Sic omnes edit. & quidam mss. alii autem multo plures, *iniquitatis dilectio inimica est; quia quod bonum est, bonum est: & quod malum est, malum est, nonnulli etiam, iniquitatis dilectio iniquitas est, sed quia malo malum est, bono bonum est.*
e. Gall. & Rom. edit. cum uno vel altero ms. *nec peccari potest per illam ... evangelium pervenit*: Amerb. & Eras. cum paucis mss. *nec peccare* (Eras. *peccare*) *potest illa .... evangelicum pervenit*: alii mss. sequimur ut in textu.
f. Mss. aliquot, *quod est innotentia Dei.*
g. Hæc pauci mss. vocibus, *salutis futuræ* subtexunt: *Cùm baptizatur ergo unusquisque ad veniam pertinet, non ad coronam; ut postea in novitate vitæ ambulans, victoria sit vita æterna.* Quidam etiam addunt, *nam significavit.*
h. Nonnulli mss. *appropinquasse, id est, Solem justitiæ, cujus* &c.
i. Ita vet. edit. & mss. nonnulli, à quibus non recedit Rom. edit. nisi quod effert, *vitia carnis*: alii autem mss. satis frequentes, *vitia carnalia, quæ illecebris aguntur sæcularibus, hæc tenebris digna sunt.*
k. Rom. edit. *illis congeratur copia vini.*
l. Amerb. Eras. & mss. non pauci, *hoc genus hujus lascivitatis*: Gall. & Rom. edit. cum aliis mss. *hic enim hujus lascivitatis*, Rom. *lascivia.*

Sed induite dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Curam carnis prohibet, id est voluptatem; ut omne quod prohibetur per Legem, non desideretur, aut certe desideratum vincatur. Ipsa sunt enim opera carnis; ut his exuti induant dominum Jesum Christum, id est, innovari per Christum, ab his malis se retineant. Hic enim induit Christum, qui se ab omni errore & turpitudine separaverit; [a] ne in convivio nuptiarum sine

Matth. 22. 11. veste nova inveniatur, turpiterque abjectus tenebris mancipetur: si quominus, non sunt induti Jesum Christum dominum, super cujus novam vestem veteres pannos indaunt; exutis enim veterem hominem [b] in novitate vitæ manendum est.

CAPUT XIV.

℣. 1. INfirmum autem in fide adsumite, non in disceptatione cogitationum. Quoniam ex Judæis erant, qui Romanos [c] ad nomen Christi adsumserant, admixta Lege, sicut in primordio epistolæ memoravi; ideo quibusdam videbatur prohibitam carnem edere non debere: aliquibus autem qui sine Lege Christum sequebantur, videbatur contra Legem licere edere. Et per hoc ipsum disceptationes erant inter eos, quas Apostolus concordiæ & saluti studens, divina disputatione aufert, ostendens neque edenti prodesse apud Deum, neque non edenti obesse. Infirmum esse dicit, qui propterea quod Judæi prohibiti sunt, timet edere. Hunc ergo vult remitti judicio suo, ne scandalum passus, à caritate, quæ quasi mater est animarum, recedat cum mentis perturbatione; cùm christiani pacifici debeant esse & quieti.

℣. 2. *Alius enim credit edere omnia.* Hic fiduciâ lectionis non dubitat omnia edenda, quæ data sunt humanis usibus.

Gen. 1. 31. Legit enim in Genesi omnia bona valde esse, quæ creavit Deus; ideo nihil rejiciendum, quia neque Enoch, qui primus Deo placuit: neque Noe, qui in diluvio solus justus inventus est: neque Abraham ille amicus Dei, aut Isaac, aut Jacob justi & Dei amici, inter quos & Lot fuit, aut ceteri justi ab his abstinuisse leguntur.

Is vero qui infirmus est, olera manducet. Igitur quia hoc putat, ut ille olera edat: ideo suadendum non est, ut carnem edat, ne cum scrupulo edat, & videatur peccare; quia propositum suum non custodit.

℣. 3. *Itaque qui edit, non edentem non spernat: & qui non edit, edentem non judicet.* Quia voluntatis est edere, aut non edere; ac per hoc quæstio hinc fieri non debet. Ad hoc enim facta sunt omnia, ut voluntati subjaceant; quia dominio humano subjecta sunt.

Deus enim illum adsumsit. Adsumtus est à Deo, dum ad gratiam vocatus est.

℣. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino aut stat, aut cadit.* Manifestum est servum non debere conservi voluntatem judicare, cui lex in hac parte tradita non est; nam qua conscientiâ edat, aut non edat, Deus judex est, cujus servus est.

Stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Stabit, inquit, domino suo, propterea quia neque si edat, reus erit; neque si non edat, culpabilis; si tamen devotione hoc agat, non evitans hanc velut contrariam.

℣. 5. *Nam alius quidem judicat diem inter diem:* hoc est, alicui placet interpositis diebus edere. Nam sunt quidam, [d] qui quartâ feriâ carnem non edendam statuerunt, sunt qui sabbatis, sunt iterum qui à pascha usque ad pentecosten edant.

Alius autem judicat omnem diem. Hic omnem diem judicat, qui numquam edit. *Unusquisque in suo sensu abundet:* hoc est, unusquisque suo consilio remittatur.

℣. 6. *Qui sapit diem, Domino sapit.* Verum est, quia qui semper abstinens est, Deo placere se putat. *Et qui edit, Domino edit.* Domino edit; quia gratias agit Creatori. *Et qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.* Gratias agit, dum fatetur Dei esse creaturam, [e] & bonam creatam; sed se dissimulare ab ea, non condemnare.

℣. 7. *Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur.* Sibi viveret aliquis, si non ageret sub Lege: at qui fræno Legis gubernatur, non sibi utique vivit, sed Deo qui Legem dedit, ut secundum voluntatem ejus vivat. Et qui moritur, simili modo Deo moritur, quo judice aut coronabitur aut condemnabitur.

[f] *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur.* Idem est sensus. *Sive ergo vivimus, sive morimur Domini sumus.* Verum est omnes nos Domini esse quasi servos in conditione & Redemtoris dominio, & unumquemque pro merito suo tractari. ℣. 8.

In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur. Per Christum dominum facta est creatura, quæ per peccatum alienata est ab auctore, facta captiva: quam Deus Pater, ne opus ejus periret, misso Filio suo de cælis ad terras, docuit quid faciendo manus piratarum effugeret. Propter quod & occidi se passus est ab inimicis; ut descendens ad inferos, quia innocens erat occisus, reum faceret peccatum; ut quos tenebat apud inferos, amitteret. Quoniam ergo vivis ostendit viam salutis, ac se obtulit pro eis, mortuos vero liberavit de inferno, tam vivorum quam mortuorum dominatur; ex perditis enim iterum reformavit sibi illos in servos. ℣. 9.

Tu autem quid judicas fratrem tuum [g] in non edendo? aut tu quare spernis fratrem tuum in edendo? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Docet non oportere judicare in hac re; tum quia non continetur in Lege, præterea cùm Deum judicem exspectemus. ℣. 10.

Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo. Hoc in Esaia scriptum est; quia omnis lingua confitebitur Deo in fide Christi. [h] Nam quia occisus resurrexit futurus judex, recte ait: *Vivo ego, dicit Dominus;* & non solum vivo, sed & judicaturus sum, [i] & inimici stupebunt in me, & genu flectent, cognoscentes me Deum de Deo. ℣. 11. Esa. 45. 24.

Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Quoniam, inquit, nos pro nobis invicem reddituri sumus rationem, non nos in hac parte, quæ supra scripta est, alterutrum condemnemus. ℣. 12.

Non ergo amplius invicem judicemus, id est, scientes hoc, cessemus à discordia. *Sed in hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* In eo judicandum monet, [k] quod prosit, quod potest & auctoritate legis defendi: nulli autem fratrum carnem edenti aut non edenti fiat scandalum. ℣. 13.

Scio & confido in Domino quia nihil commune per ipsum. Manifestum est quia Salvatoris beneficio omnia munda sunt, qui de sub jugo Legis eruens homines & justificans, reddidit statum pristinæ libertatis; ut digni sint uti tota creatura, sicut & veteres sancti. Qui autem adhuc sub Lege sunt, non licet illis uti aut edere, quæ prohibet Lex; quia indulgentiam datam spernunt. Non enim secundum naturam suam, sed cùm contra edictum eduntur, immunda sunt. Denique in Lege ait: *Erunt immunda vobis,* &c. ℣. 14. Levit. 11. 4.

Et plane qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Sive qui ex Judæo christianus est, sive gentilis fidelis putat esse aliquid tale vitandum, ipse est [l] quem supra infirmum dicit; dubitando enim est infirmus. Apud istum immundum est, quod putat non edendum: & quia non hoc superstitione facit, sed timore, suo judicio remittendum.

Nam si propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. In alia epistola dicit: *Esca ventri, & venter escis; & hunc & has Deus destruet.* Quia non de esca aut placet quis Deo aut displicet; ideo caritatem sectandam monet, qua nos Deus liberare dignatus est; sic enim ait: Deus autem propter [m] caritatem nimiam misertus est nostri. Qui ergo hujus beneficii memor est, hanc excolit, nec illi aliquid anteponit: sed prætermittit maxima, quæ scit promissionem non parare apud Deum. ℣. 15. 1. Cor. 6. 13. Ephes. 2. 4.

Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est. Quantum valeat salus fratris, ex morte Christi cognosci-

a. Ita mss. plures ac potiores: alii autem, & edit. *ut in convivio nuptiarum.* Rom. edit. *cælestium nuptiarum, sine veste ejus inventus, turpiter abjectus* &c.

b. Rom. edit. *in novitate vitæ ambulandum est.*

c. Eadem Rom. edit. *ad fidem Christi.*

d. Ms. Carn. & alii aliquot *qui tertiâ feriâ.* Et paucis interjectis, pro *usque ad pentecosten non edant,* ms. Corb. legit, *usque ad quinquagesimam non manducant.*

e. Omnes edit. ac plures mss. *& bona creata:* melius tamen alii nonnulli, *& bonam creatam.* Et continuo post, ubi vet. edit. & multi mss. *sed se dissimulat ab ea non intemerate,* Rom. edit. .... *ab ea condemnari:* commodius alii, ut in contextu.

f. Hic textus in col. bene multis desideratur. Infra quoque ubi vet. edit. ac mss. aliquot *Christus & vixit, & mortuus est;* Rom. edit. cum pluribus mss. expungit, *& vixit.*

g. Voces *in non edendo,* & infra, *in edendo* in edit. Rom. jugulatæ sunt.

h. Corb. cod. *Nam qui occisus est, resurrexit.*

i. Omnes edit. & mss. aliquot, *& inimici fatebuntur me,* nonnulli in mss cetera qui & probatiores nobis adstipulantur.

k. Mss. nonnulli, *quod prodest.*

l. Edit. ac pauci mss. *quem Scriptura infirmum dicit.*

m. Mss. aliquot, *propter caritatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri.*

tur. Itaque qui scit quantum constet, confirmare illum debet, non scandalizare; ut ex re frivola faciat illi scrupulum: & incipiat hæsitare an manducanda caro sit, necne, qui forte simpliciter edebat, securus de conscientia sua. At vero cùm adeunt controversiæ, incipiet perturbatione in Dei creaturam peccare, & erit in injuriam Creatoris, quæ proficiet ad perditionem dubitantis.

ỳ. 16. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Hoc est, doctrina Dominica, cùm sit bona & salutaris, non debet per rem frivolam blasphemari: blasphematur autem, cùm dubitatur de Dei creatura. Potest & sic intelligi bonum nostrum blasphemari, quia qui bona opera habet, si in alia reprehendatur re minima, bonum illud suum obfuscat, & incipiet bonum ejus blasphemari per malum ejus, sicut scriptum est in Ezechiele: *Justitia justi non proficiet, si erraverit.* (Ezech. 33. 12.) Tale est, [a] si quis aliquid vitii forte decorus habeat in fronte, aut nasum collisum; unde deformetur species ejus. Ideoque illa monet sectanda, quæ bonis reliquis non tollant favorem.

ỳ. 17. *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Manifestum est quia nemo per escam placet Deo aut displicet. *Sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Hos in regnum Dei dicit intrare, qui justitiam sequuntur, sed christianam habentes pacem, quam Dominus dedit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*; (Iohan. 14. 27.) ex qua oritur gaudium in Spiritu sancto. Disceptatio autem non habet gaudium, sed iram; ideo non illic respicit Spiritus sanctus, quia gaudet in solis pacificis. Sicut enim ex nobis contristatur, sic & gaudet in nobis.

ỳ. 18. *Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.* Quoniam Christus nos redemit, ideo ait: *Qui in hoc* [b] *servit Christo*, quasi redemtori, *placet Deo.* Quare? Quia ipse misit Christum, ut redimeret genus humanum, sicut ipse Dominus ait: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* (Iohan. 5. 23.) Qui ergo placet Deo, probatus est hominibus. Quomodo? Accepit enim donum, per quod appareat dignus Deo.

ỳ. 19. *Itaque quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt invicem custodiamus.* Quoniam disceptatio discordiam parit, ideoque ut pacifici [c] esse possimus, ab intentione edendi aut non edendi dissimulare nos docet. Ædificationis autem viam sequi hortatur; ut cum pace ea conferamus, per quæ invicem nos ædificemus, ab iis quæ infructuosa sunt & magis contraria declinantes. Collatio enim potest prodesse, est enim excitans mentem; si tamen vincendi studium contemnatur: hoc est enim quod parit litem.

ỳ. 20. *Noli propter escam solvere opus Dei.* Homo opus Dei est per creationem, & iterum opus Dei est, dum reformatur per regenerationem. Et esca opus Dei est, sed non homo propter escam, sed esca propter hominem: multum ergo distat; ideo noli, inquit, hoc opus Dei quod præclarum est, dissolvere propter id, quod humillimum est. Hoc est saluti fratris studere, non curam escæ agere; ut fratrem contristes. Beneficium enim Dei irritum facit, qui fratrem liberatum à peccato per disceptationem rursus provocat ad peccandum, solvens in ipso opera Christi quæ gessit, ut hominem à peccato liberaret.

Omnia quidem munda sunt. Verum & manifestum est omnia munda esse: quippe cùm in Genesi legatur, omnia quæ Deus fecit, esse bona valde. (Gen. 1. 31.) *Sed malum est homini, qui per offensionem edit.* Cùm ergo per naturam omnia bona & munda sint, dubitantibus tamen fiunt immunda: & erit illi offendiculum, qui cùm dubitet, edit tamen immundâ conscientiâ; quia quod sibi inutile putat, facit: ideo nulli contradicendum est quid in hac re sequatur.

ỳ. 21. *Bonum est non edere carnem, & non bibere vinum.* Cùm de sola carne ageretur, adjecit & potum; ut confoveat eos, qui ab his abstinent, per id quod licitum est & carnem edere, & vinum bibere. Ne contristatentur ab illis, qui his utuntur, dedit eis respirandi solatium; ut & in voluntate sua quiescerent, & disceptatio per quam discordia fit, cessaret. Cùm enim non latet bonum esse carnem edere, & vinum bibere: & è contra carnem non edere, & non bibere vinum, bonum esse addiscunt, nemo litigat. Creatura enim data est ad usum volentibus; non tamen necessitas est imposita aut volenti, aut nolenti.

Neque enim in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur. Eadem dicit non debere fratri, qui infirmum animum sibi constituit ad edendum, fieri quæstionem; ne perturbatus offendat, nesciens quid teneat.

ỳ. 22. *Tu fidem habes penes temet ipsum: habe coram Deo.* Hoc est, [d] tu qui sedes securus, quia creatura Dei bona est; non opus est ut de altero judices; quia plus est, ut pacem habeas cum fratre; hoc enim utile est apud Deum. In esca enim utilitas carnis est, in pace vero & carnis & animæ: ac per hoc ab hujusmodi disceptatione cessandum est; ut unusquisque in proposito cordis sui maneat.

Beatus qui non judicat semet ipsum, in quo probat. Unumquemque proprio judicio censet condemnandum, qui quod dicit non debere se facere, facit: & hunc beatum, qui non aliud facit, quam sibi utile probat.

ỳ. 23. *Qui autem discernit, si ederit, damnatus est.* Verum est, quia qui judicat non edendum, & edit, damnatus est, ipse enim se damnat, [e] quando id quod sibi inutile asserit, facit. *Quia non ex fide.* Non utique ex fide edit, qui edendum negat, & edit.

Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Recte peccatum appellat, quod aliter fit, [f] quam probatum est. Quoniam Romani in lege inducti erant, sicut in primordio epistolæ memoravi: advenientibus autem qui rectius crederent, quæstiones moverentur de edenda carne & non edenda; & horum pars, quæ edendam & non improbandam diceret, melior videretur; quia omnia munda valde sunt: infirmos dicit qui edendum negarent sive ex Judæis, sive ex gentibus, & remitti illos in proposito cordis sui. Nec enim obest non edere, aut prodest erga Deum edere; ne quavis ratione adstricti, per quod tamen cum scrupulo ederent, delinquerent.

CAP. XV.

ỳ. 1. *Debemus autem nos firmiores infirmitates invalidiorum portare.* Recte ait, *debemus*; quia oportet doctores infirmos firmare, & imperitos erudire cum mansuetudine; [g] ne provocati dum contendere volunt, ne humiles videantur, in pejus proficiant.

Et non nobismet ipsis placere. hoc est, non quod nobis prosit & placeat vindicare: sed & quod fratri; quia invicem curam nostri agere debemus.

ỳ. 2. *Unusquisque proximo suo placeat in bono ad ædificationem.* Nunc personam suam decrevit; hos enim commonet, ut caritati studentes proximis placeant ad id, quod est utile. Hæc est ædificatio, sicut alibi ait: *Ego, inquit, per omnia omnibus placeo.* (1. Cor. 10. 33.)

ỳ. 3. *Nam & Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Detractiones exprobrantium te ceciderunt super me.* (Psal. 68. 10.) Salvatorem non sibimet ipsi dicit placuisse, sed Deo Patri; quia dicit: *Non enim descendi de cælo, ut faciam voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* (Iohan. 6. 38.) Et quia cùm hæc diceret, contradicentibus Judæis quasi peccator occiditur, Psalmographus ex persona ejus verba facit ad Deum Patrem, dicens: *Detractiones exprobrantium te ceciderunt super me*; (Psal. 68. 10.) hoc est: Ego cùm voluntatem tuam facerem, dixerunt me peccare in te, qui non me recipiendo, quem misisti, exprobraverunt te; [h] quia Judæi cùm peccarent in Deum, non recipientes quem misit Christum, insuper & occiderunt eum quasi peccantem in Deum. Sic peccata peccantium in Deum ceciderunt super Christum; innocens enim à peccatoribus occiditur quasi blasphemus, sicut scriptum est in Evangelio. (Matth. 27.)

ỳ. 4. *Quæcumque enim scripta sunt, [i] ad nostram confirmationem scripta sunt; ut per patientiam & exhortationem Scripturarum, spem habeamus.* Manifestum est quia, *quæcumque scripta sunt, ad nostram disciplinam scripta sunt*; ut ex ipsa exhortatione proficiamus ad spem, non diffidentes de promissis, si adhuc tardent.

Deus autem patientiæ & consolationis det vobis unum invi-

a. Ita mss. longe plurimi: alii vero nonnulli, atque edit. *Si quis decorus vivum forte habeat* &c.

b. Mss. haud pauci, *placet Christo, id est, ut nulli scandalum faciat, congrue obsequitur redemtori.*

c. Rom. edit. sola, *esse possimus, à contentione edendi.*

d. Eras. ac seq. edit. cum mss. uno vel altero, *tu qui edis securus .... bona est, non opus* &c. Amerb. cum ceteris mss. ut in contextu.

e. Ms. Corb. *quia contra id quod sibi utile putat, facit.*

f. Quidam mss. *quam probatum est. Omne ergo quod ad conscientiam pertinet, si aliter fiat, quam fieri debere scit, dicit esse peccatum. Debemus autem* &c. Omnes vero alii mss. & edit. nobis concinunt, nisi quod pro *inducti erant*, cod. Carn. legit *docti erant.*

g. Sic plures mss. à quibus hoc solo discrepant alii nonnulli, & Amerb. quod habent, *& nedum humiles*: Eras. autem. ac seq. edit. cum paucis mss. *ne provocati contendere velint, & ne dum humiles videantur*, &c.

h. Rom. edit. sola, *quia Judæi peccaverunt in Deum.*

i. Ita vet. edit. & mss. non pauci; reliqui vero, *ad nostram doctrinam*: Rom. edit. *ad nostram disciplinam.*

cem sapere secundum Jesum Christum; ut unanimes uno
ore honorificetis Deum & Patrem domini nostri Jesu Christi.
Quasi ad salutem missus Apostolus bono voto plebem pro-
sequitur, optans ut Deus det eis unum sensum sapientiæ se-
cundùm Jesum Christum; ut juxta doctrinam Christi sa-
piant. Tunc enim poterunt dilectionem servare exemplo
Johan. 15. 13. Domini dicentis: [a] *Majus hac dilectione nemo habet, quàm*
ut animam suam ponat pro amicis & fratribus suis; & ita
uno ore, una confessione laudate Deum Patrem in Christo,
si invicem se juxta sensum Christi fuerint exhortati; ut sine
cessatione [b] laudent Deum omnia, quæ fecit per Christum,
& post errorem lapsa per eumdem iterum erigere & refor-
mare dignatus est, duplex dans beneficium, [c] misericordiam
& cognitionem.
℣. 7. *Propter quod adsumite alterutrum, sicut & Christus adsum-*
Esa. 53. 4. *sit vos in honorem Dei.* Sic adsumti sumus à Christo, dum
infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras porta-
vit; ut hoc exemplo nos invicem nostras infirmitates per
patientiam confirmemus, ut nomen honoris Dei adsumtum
in nos non evacuetur; filii enim dicimur Dei per gratiam
Christi.
℣. 8. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*
pro veritate Dei, in hoc ut confirmaret promissiones Patrum.
Originem commendat Judæorum; in circumcisione enim
filios significat Abrahæ, quibus missus Christus ministravit
Patribus gratiam repromissam. Unde Salvator: *Ego enim*
Luc. 22. 27. *sum*, inquit, *in medio vestrùm*, non ut ministrer, sed ut mi-
nistrem; ut veritas in promissione facta Patribus probaretur.
Circumcisio enim carnis data est Abrahæ in figuram cir-
cumcisionis cordis, quam postea propheta futuram signifi-
Hier. 4. 4. cavit, dicens: *Circumcidite duritiam cordis vestri.* [d] Hujus
verbis circumcisionis promissæ minister Christus est, hoc
est, prædicator. Dehinc apostolis, ut circumcisis carne
Joan. 6. 58. ministrarent cordis circumcisionem, sic ait: *Sicut me misisti*
in hunc mundum, ita & ego misi eos in hunc mundum. Cir-
cumcisio autem [e] cordis est, sublatâ erroris nebulâ, agnos-
cere creatorem Deum Patrem, & filium ejus Christum,
per quem creavit omnia, ut veritas Dei impleretur. Pro-
miserat enim daturum se misericordiam, & promiserat pa-
Gen. 22. 18. tribus Judæorum; nam dixerat Abrahæ: *In semine tuo be-*
Psal. 131. 11. *nedicentur omnes gentes.* Et ad David dixit: *De fructu*
Num. 24. 17. *ventris tui ponam super sedem tuam*, &: *Orietur stella ex*
Jacob.
℣. 9. *Gentes autem super misericordiam honorare Deum.* Quia
enim his nulla promissio erat, quasi indigni per solam mise-
ricordiam adsumti sunt ad salutem; ut per confessionem ho-
norent Deum; quia increduli inhonorant.
Sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus,
& nomini tuo cantabo. Exemplo prophetico probat; scrip-
Psal. 17. 50. tum est enim in psalmo decimo septimo gentes admitten-
das ad gratiam Dei ad percipiendam salutem. Vox enim
Christi est, qua futurum dixit quod in gentibus prædicatio
ejus fructum habitura esset [f] confessionis sacramenti Dei;
ideo gratias ex hoc agit Filius Patri in obedientiam gen-
Matth. 11. 25. tium. Unde in Evangelio ait: *Confitebor tibi, Pater domine*
cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & pruden-
tibus, & revelasti ea parvulis; quoniam bonum placitum
fuit ante te. Confessio ergo ista unius Dei est in Trinitate,
ex qua surgit lætitia; ut post veri confessionem lætus de-
cantet misericordiam & donum Dei.
Deut. 32. 43. ℣. 10. *Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe ejus*, hoc in
Psal. 116. 1. cantico Deuteronomii. [g] *Et iterum: Laudate omnes gentes*
℣. 11. *Dominum, & magnificate eum omnes populi.* Hoc in psalmo
centesimo decimo sexto olim decrevisse Deum ostendit,
interveniente misericordia sua, concordes facere Judæos &
gentes; ut gratiam adepti gentiles socii Judæorum fierent,
[h] qui & ipsi olim dono Dei plebs ejus erant nominati. Sed
jam nobiles Judæi, hi vero ignobiles, per misericordiam
nobilitati sunt; ut simul omnes læti sint agnitione verita-
tis, & laudantibus gentibus, Deum magnificent omnes po-
puli, duodecim tribus unum Deum, qui auxit numerum

A plebi suæ, adjunctis gentibus. Denique cùm disceptarent
Judæi contra apostolum Petrum causâ Cornelii, reddita
sibi ratione, acquieverunt magnificantes Dominum, di-
centes: *Forsitan Deus & gentibus pœnitentiam tribuit ad con-* Act. 11. 18.
sequendam vitam.
Et rursus Esaias dicit: Erit radix Jesse, & qui surgit regere ℣. 12.
gentes, in eum gentes sperabunt. Ut majorem fiduciam gen- Esa. 11. 10.
tibus faciat, & spem non dubiam, multis testimoniis fir-
mat decretum Dei hoc fuisse, ut omnes gentes benedice-
rentur in Christo; ne insolentia infidentium Judæorum con-
tristaret, & dubias redderet credentium animas gentium,
quasi frustra sibi spem promittant, quod à Deo Abrahæ
accepto feratur fides Judæorum, ut ipsa lætitia & securi-
B tate crescerent. Quare tamen Christus ex radice Jesse, &
non ex radice Booz viri justi, aut ex radice Obed? Sed quia
David filius dicatur propter regnum; ut sicut ex Deo natus
in regem est, ita & ex David rege ortum haberet juxta
carnem; ideo radix Jesse arbor David, quæ fructum fecit
per ramum, qui est Maria virgo, quæ genuit Christum.
Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in cre- ℣. 13.
dendo; ut abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. Certus ℣. 14.
sum autem, fratres, & ego ipse de vobis, quia & ipsi pleni
estis dilectione, repleti omni scientia; ita ut possitis alteru-
trum monere. Hæc exhortationis sunt; per laudem enim
provocat eos ad meliorem & intellectum & vitam. Qui
C enim videt se laudari, datâ operâ elaborat, ut vera sint
quæ dicuntur. [i] Ideo non dixit; ut invicem se doceant, sed
admoneant; hoc enim solet moneri, quod cùm sciatur, ali-
quando subterfugit animo. Cetera non sunt obscura, ut
indigeant explanatione.
Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam ℣. 15.
in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi
à Deo; ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans ℣. 16.
Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctifi-
cata in Spiritu sancto. Non enim temere se scripsisse sig-
nificat, auctoritatem enim sibi datam per Dei gratiam di-
cens, ut omnibus gentibus audeat scribere, admonens &
D confirmans propositum eorum in Christo; ut sollicitudinem
suam ostendat in ministerio Evangelii, quasi magister gen-
tium, & sacrificium eorum possit acceptum fieri sanctifi-
cationis causâ in Spiritu sancto. Quidquid enim fide inte-
gra, & mente sobria offertur, à Spiritu sancto purificatur.
Habeo igitur gloriam in Christo ad Deum: non enim audeo ℣. 17.
aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in ℣. 18.
obedientiam gentium verbo & factis, per potestatem signorum ℣. 19.
& prodigiorum in virtute Spiritus sancti. Gloriam habere
se dicit [k] apud Deum per Christum Jesum; credens enim,
& serviens Christo Jesu in conscientia pura, meritum sibi
fecit apud Deum Patrem, in tantum ut nihil deesse dicat,
E quod non per illum operatus sit Christus ad exhortatio-
nem gentium, dando signa & prodigia per manus ejus, ut
prædicationem ejus virtus commendaret. Hinc est unde
gloriam se ostendit habere in Christo ad Deum; serviens
enim Christo gloriam habet ad Deum, intantum ut indi-
gere non habeat aliquid divinæ virtutis, quod sibi præsti-
tum non sit à Deo: sed omnia se, quia idoneus inventus
est dispensator, consequutum, quæ ad conversionem gen-
tium per signorum virtutem proficerent, profitetur. [l] Quod
eo proficit, ut se non minus potuisse probet, quam ceteri
apostoli, qui fuerant cum Domino: nec aliquid minus in-
ter gentes virtutum operatum esse Deum; ut per hoc ipsum
F crescant, videntes hanc se gratiam adsequutos, quam ad-
sequuti erant Judæi, qui sibi prærogativam vindicant Pa-
trum.
Ita ut ab Hierusalem in circuitu usque Illyricum reple- ℣. 20.
verim Evangelium Dei, & Filii ejus Christi. [m] *Sic autem præ-*
dicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus; ne su-
pra alienum fundamentum ædificarem. Non sine causa illic
se prædicare niti dicit, ubi non nominatus est Christus;
sciens enim pseudoapostolos aliter quam oportebat, Chris-
tum tradere (ad hoc enim circumibant, ut sub nomine

a. Vet. edit. ac mss. nonnulli, *majorem hac dilectione*, Rom. edit. *dilectio-*
nem: tell qui mss. ut in textu.
b. Nonnulli mss. *laudent Deum, omnia qui fecit per Christum, & post erro-*
rem lapsos &c.
c. Mss. aliquot, *misericordiam & operationem.*
d. Ita vet. edit. ac plures mss. à quibus non recedit edit. Rom. nisi quod *His*
substituit, pro *hujus*: alii autem mss. præferunt, *Hujus ergo circumcisionis.*
e. Quidam mss. *cordis est, si amputetur, velut putredo, error accedens cordi,*
ut revelata veritate, possit agnoscere creatorem Deum Patrem esse Jesu Christi,
per quem creavit omnia.
f. Nonnulli mss. *confessione sacramenti.* At infra ubi omnes edit. & quidam
mss. *agit Filius obedientia gentium*; alii mss. multo plures, *agit Filius Patri* &c.
g. *Hoc in cantico Deuteronomii* à Romanis terullum fuit.
h. Rom. edit. *quia & ipsi ... erat vocata*: vet. edit. ac mss. *qui & ipsi*
... erat nominata, mss. non pauci, *erant nominati.*
i. Rom. edit. cum paucis mss. *Ideo non dixit* · sola, *sed admonet.* At post
voces, *subterfugit animo*, Gill. ac Rom. edit. subnectunt, *aut negligenter habea-*
tur, quod nusquam alibi nisi in Thuan. cod. nobis occurrit.
k. Edit. Rom. sola, *apud Deum in Christo Jesu.*
l. Sic omnes edit. & mss. aliquot: reliqui vero, *quod ideo dicit, ut nihil*
se minus potuisse &c.
m. Rom. edit. sola, *Illic autem prædicare nisus sum.*

Christi aliis dogmatibus populum manciparent, quod postea corrigere maximi erat laboris) idcirco prævenire voluit, ut inviolatæ prædicationis verba traderet audientibus, [a] & ut integrâ lineâ superficies ordinata incolumis fundamenti robur haberet. Et quia magister datus est gentibus, oportebat eum sollicite hoc curare, ut illic doceret, ubi Christus non fuerat nuntiatus; & ut auctoritatem suam firmaret, & laborum suorum plenum fructum haberet ex iis, quæ plantaverat. Hinc est unde omnia loca [b] Ecclesia occupavit; hæreses enim postea subtilitate malignantes, sub nomine Christi Legis & fidei sensum corrumpere nitebantur. Quod testimonio Legis monuit dicens:

℣. 21. *Sed sicut scriptum est: Quia quibus non est annuntiatum*
Isai. 52. 15. *de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent*: in Esaia
habetur. Ut ergo hic intellectus verus atque inviolabilis esset de vero Dei Filio, se festinasse semper dicit imbuere gentes evangelica veritate.

℣. 22. *Propter quod impediebar plurimùm venire ad vos. Nunc*
℣. 23. *vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem*
autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus
℣. 24. *annis; cùm in Hispaniam proficisci cœpero, videbo vos, [c] &*
à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.
Rom. 1. 13. Quod in capite epistolæ memorat dicens: *Quia sæpe*, inquit, *proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.* Nunc absolvit, ostendens qua causa impeditus sit; ut volens venire aliud ageret, quod imminebat, ut excluderet pseudoapostolorum prava commenta: & denique postquam omnibus in circuitu prædicavit, jam vacare sibi dicit venire Romam, quod olim optaverat. Romanos igitur, quia in Legem inducti fuerant, interim per epistolam corrigit. Illos autem qui non audierant adhuc prædicationem, utilius esse præsentiâ sui doceri; ut fundati recta fide difficile [d] aliud aliquid reciperent. Venturum tamen se promisit tempore, quo ad Hispanias erat iturus; quia illic Christus non erat prædicatus, ut occuparet mentes illorum: & quia pseudoapostolis difficile fuit iter ad illos; ideo tardius si iret, non erat molestum.

℣. 25. *Nunc vero proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis:*
℣. 26. *probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam*
facere in pauperes sanctorum, qui sunt Hierusalem. Prius tamen iturum se dicit ministrare sanctis Hierusalem: per quam rem Romanos scire vult quia hujusmodi operibus studendum est; qui enim per misericordiam vivunt, & justificati sunt apud Deum, [e] huic inservire debent.

℣. 27. *Debitores enim sunt eorum; quoniam si spiritualium eorum participes facta sunt gentes, debent & in carnalibus ministrare eis.* Quippe cùm debitores eos dicat Judæorum credentium; ut sicut in spiritualibus participes eorum facti sunt, ita & hi communicent corporalibus necessitatibus illorum; ut gaudentes ex Judæis credentes collaudent providentiam Dei in salutem ipsorum, per ministerium eorum. Hi enim totos se divinis dedentes obsequiis, nihil mundanum curantes, exemplum bonæ conversationis præbebant credentibus. In tantum denique nos humanos ad misericordiam vult esse Apostolus, ut & debitores nos dicat circa eleemosynam largiendam, & bonis operibus exercendam cum alacritate cordis: quia qui misericordiam à Deo sperat, debet esse misericors; ut probet se recte hanc sperare: quia si homo miseretur, quanto magis Deus? Retributio enim hæc est vel merces, ut qui accipiunt misericordiam, mi-
Matth. 5. 7. sericordiam faciant. Unde Dominus: *Beati*, inquit, *misericordes*; ipsorum enim miserebitur Deus.

℣. 28. *Hæc igitur cùm consummavero, & adsignavero eis fructum*
hunc, proficiscar per vos in Hispaniam. Scio enim quoniam
℣. 29. *veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.*
Certus igitur de dispositione & gratia Dei, premisit se in abundantia benedictionis venturum, quam prædicat Christi. Benedictio autem hæc signorum virtus est, per quam confirmati sunt.

℣. 30. *Obsecro ergo vos, fratres, per dominum nostrum Jesum*
Christum, & per caritatem Spiritus sancti; ut sollicitudinem
℣. 31. *impartiamini mihi in orationibus pro me ad Dominum, ut*
liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa. Dehinc orat ut adjuvetur in orationibus, ut evaderet manus Judæorum infidelium: non quia ipse minus mereatur, sed ordinem sequitur, ut ab Ecclesia fiat oratio pro rectore suo. Multi enim minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni: & multorum preces [f] impossibile est ut non impetrent. Si ergo & ipsi cupidi sint videndi Apostolum, impensius orent; ut inde liberatum possint suscipere illum in gaudio caritatis.

Ut & munerum meorum ministratio accepta fiat in Hierosolima sanctis; ut veniam ad vos cum gaudio per voluntatem ℣. 32.
Jesu Christi, & refrigerer vobiscum. Etiam hoc orandum dicit, ut ministratio munerum ejus accepta fiat sanctis in Hierusalem, & omnia cum voluntate Dei facere se ostendat; ut quia devotus est animus ejus ad ferenda munera, etiam illorum animum Dei judicio respondere sibi vult; ut intellecta caritate illius erga se, cum illo unanimes Deo gratias agant. Magnus enim profectus est ei, cujus ministerio læti effecti, Deum laudibus prosequuntur.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Deus ℣. 33.
pacis Christus est, qui ait: *Pacem meam do vobis, pacem re-* Johan. 14. 27.
linquo vobis, quem optat esse cum his, sciens dixisse domi-
num: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con-* Matth. 28. 20.
summationem sæculi. Tales ergo istos cupit esse, ut sit cum illis dominus Christus Jesus, qui amputata omni discordia erroris humani, dedit ac ostendit quid sit verum; ut in ipsa veritate maneant pacifici.

COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est CAPUT
ministra Ecclesiæ apud Cenchres; ut eam suscipiatis in XVI. ℣. 1.
Domino digne sanctis: & adsistatis illi, in quibuscumque de- ℣. 2.
sideraverit vestri; etenim ipsa quoque adstitit multis, & mihi.
Phœben venientem commendat sororem communem, [g] id est, de Lege: quam ut meritò commendet, ait hanc ministram esse Ecclesiæ Cenchris; & quia multis adjutorio fuit, digne ipsam dicit adjuvandam peregrinationis causâ. Ut autem sine intermissione excipiendam illam & adsistendum illi in necessitate, si pervenisset, suaderet, etiam sibi illam adfuisse testatur; ut quanto sublimior persona ejus ceteris sit, tanto magis reddi huic debitum obsequium per caritatem ostenderet.

Salutate Aquillam & Priscillam adjutores meos in Christo ℣. 3.
Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus
non solum ego gratias ago, sed & cuncta Ecclesia gen- ℣. 4.
tium, & domesticam eorum Ecclesiam. Hi ex Judæis fue- ℣. 5.
runt, qui credentes facti sunt socii laboris Apostoli; qui ita recte crediderant, ut etiam ipsi exhortarentur ceteros ad fidem rectam. Denique Apollo quamvis fuerit exercitatus in Scripturis, ab his tamen viam Domini diligentius instructus est: ideo socios laboris sui dicit eos, sed in Christo Jesu; cooperarii enim ejus fuerunt in Evangelio Dei. [h] Aquila vir Pricillæ est, quos non otiose Romam venisse manifestum est; propensiores enim erant in Dei devotione: nam ad confirmationem Romanorum ii omnes, quos salutat, ex his fuisse intelliguntur. Unde dicit non solum se, sed & omnes gentium Ecclesias gratias his referre, tangens & Romanos, ut his obediant, quos ad profectum gentium audiunt laborare ad exhortandam fidem in Christo. Quos in tantum laudat, ut pericula pati pro eo non abnuerent; inimicitias enim & Judæorum & falsorum fratrum subire non adspernati sunt, dummodo Apostolum obsequiis & caritate juvarent. Falsi fratres ii erant, qui credentes in Christum; Legem tamen servandam dicebant, non sufficere ad plenum salutis effectum Christum putantes: quod Apostolus destruebat, quare & persecutiones ab his perpetiebatur. Horum etiam domesticos & vernaculos salutat, quos Ecclesiam appellat; quia sanctorum virorum erant discipuli circa fidem.

Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo. Hujus Epæneti etiam præsentem dignitatem non tacet; ut ostendat [i] & dignitatis viros credere, & inviter primos Romanorum ad fidem, aut certe ut humiles crescerent.

Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Com-

a. Rom. edit. cum uno vel alter mss. [illegible] Corb. cod. [illegible] *integrum atque incolume ab aliena superficie fundamentum persisteret*: ceteri, & edit. ut in textu.
b. Omnes edit. ac mss. aliquot, *Ecclesia occupavit.* Ceteri commodius, *Ecclesia occuparet.* Iterum pro *subtilitate malignantes*, quidam mss. præferunt, *subtilitate malignitatis.*
c. Vet. edit. ac plures mss. *& à vobis præmitti*, Rom. edit. .... *præmitter*: cod. Flor. ac Vind. .... *deducar.*
d. Corb. codex, *aliud aliquid reciperent.*
e. Cod. Thuan. Flor. & Vind. *pios se debent exhibere fratribus.*
f. Ms. Corb. *impossibile est contemni.*
g. Nonnulli mss. *id est, diligi.*
h. Mss. Flor. ac Vind. *Aquila viri & Priscilla sunt.* Male.
i. Edit. omnes, *& dignitosos credere*: mss. vero alii, *& dignos hos*, aut *dignitates hos credere*: alii, *& dignatos hos credere*: nonnulli demum, *& dignitatis viros credere*, ubi etiam addit Corb. ac Thuan. *& inclinare ad fidem.*

monet hos nomine Mariæ, quam intelligimus ad exhortationem illorum impenſius laboraſſe, ut gratias illi agant.

ℽ. 7. *Salutate Andronicum & Juliam cognatos & concaptivos meos, qui ſunt inſignes in apoſtolis, qui ante me fuerunt in Chriſto Ieſu.* Hos cognatos & juxta carnem & ſecundùm
Luc. 1. 36. ſpiritum, quomodo & Angelus dixit ad Mariam: *Ecce Elizabeth cognata tua*, &c. quos etiam apoſtolis prioribus obſequutos cum teſtimonio ſui declarat, & ſecum parem captivitatem paſſos fidei cauſa; ideoque iſtos plenius honorandos.

ℽ. 8. a *Salutate* [a] *Ampliatum dilectum meum in Chriſto.* Hunc quaſi amicum ſalutat, ſed in Domino amicum; non tamen qui interfuerit labori ejus aut captivitati.

ℽ. 9. b *Salutate* [b] *Urbanum adjutorem meum in Chriſto.* Non ſolum iſtum ſuum adjutorem dicit, ſed & ceterorum fuiſſe ſocium in exhortatione credulitatis. *Stachyn quoque dilectum meum.* Hunc Stachyn quamvis dilectum vocet, tamen ſubjicit illum Urbano participi operis evangelici.

ℽ. 10. *Salutate Appellem probatum in Chriſto.* Hunc Appellem non quaſi amicum ſuum, aut participem operis ſalutat: ſed propter quod tentationibus probatus eſt, & in Chriſto fidelis inventus.

ℽ. 11. *Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtobuli domo.* Ariſtobulus iſte congregator fuiſſe intelligitur fratrum in Chriſto: cujus factum ſic probat, ut eos quos congregabat, dignos ſalutatione ſua deſignet.

Salutate Herodionem cognatum noſtrum. Hunc quem cognatum tantum vocat, oſtendit devotum in caritate renaſcibilitatis; non tamen vigilantiam illius deſignavit.

Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. Narciſſus hic illo tempore presbyter dicitur fuiſſe, ſicut legitur in aliis codicibus. Et quia præſens non erat, [c] videtis qua cauſa eos in Domino ſalutet ut ſanctos, qui ex ejus erant domo. Hic autem Narciſſus presbyter officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes; & quoniam non ſciebat Apoſtolus merita illorum, qui cum illo fuerant, ſic dixit: *Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo in Domino*; hoc eſt, quos ſcitis eſſe dignos ex his ſalutatione mea, qui in Domino poſuerunt ſpem ſuam, illos ſalutate nomine meo.

ℽ. 12. *Salutate Tryphænam & Tryphoſam, quæ laborant in Domino.* Has uno honore dignas declarat in Chriſto.

Salutate Perſidem cariſſimam, quæ multum laboravit in Domino. Iſta antepoſita videtur ſupradictis; quia *multum laboravit in Domino.* Labor hic in exhortatione eſt, & in miniſterio ſanctorum, & in preſſura, & in egeſtate propter Chriſtum; quia domos ſuas relinquebant fugati, & opprobrio erant infidis.

ℽ. 13. *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus & meam.* Ideo iſtum Rufum præpoſuit matri propter electionem adminiſtrationis gratiæ Dei, in qua mulier locum non habet; electus enim erat, id eſt, promotus à Domino ad res ejus agendas. Matrem tamen tam ſanctam habuit, ut Apoſtolus ſuam quoque matrem hanc vocaret.

ℽ. 14. d *Salutate* [d] *Aſyncletum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis ſunt, fratres.* Hos ſimul ſalutat; quia ſciebat eos eſſe concordes in Chriſto, hoc eſt, junctos in amicitiam Chriſtianam. Salutat ſimul & fratres, qui erant cum eis, quorum nomina prætermiſit.

ℽ. 15. e *Salutate Philologum, & Juliam, & Nereum,* [e] *& ſororem ejus Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos.* Hi omnes unanimes intelliguntur fuiſſe, quos hac cauſa ſimul ſalutat, quorum meritum ex iis, qui ſimul cum eis erant, dignoſcitur; ſanctos enim nuncupat eos, ut merito illos ſalutare videatur.

ℽ. 16. *Salutate invicem in oſculo ſancto.* Omnes quibus ſcribit, & quos nominat, jubet ſalutare ſe invicem in oſculo ſancto, id eſt, in pace Chriſti, non in deſiderio carnis, ſed in Spiritu ſancto; ut religioſa ſint oſcula, non carnalia.

Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Per hoc intelligitur dici Eccleſiam, quæ non ſit Chriſti. Unde & David con-
Pſal. 25. 5. ſpirationem iniquorum Eccleſiam malignantium vocat. Omnium ergo locorum illorum Eccleſias dicit eos ſalutare, ut creſcant in fide. Hoc ergo ad ſuperiorem ſenſum retulit; ut oſtendit Chriſtum eſſe, in quo ſalus eſt, & hunc eſſe cujus populus fidelis eſt, & cujus nutu vivit cuncta crea-

A tura. Auctor enim vitæ hic eſt, ſicut dicit Petrus apoſto- Act. 3. 15.
lus, non Lex in qua quidam illorum putabant ſperare debere.

ℽ. 17. *Oro autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter diſciplinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.*
ℽ. 18. *Hi enim tales Chriſto domino Jeſu non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per illecebras ac blandimenta ſermonum depravant corda innocentium.*
ℽ. 19. *Veſtra enim obedientia in omni loco divulgata eſt.* Hoc loco de perſonis prorupit pſeudoapoſtolorum, quos in tota epiſtola cavendos monuit, ſicut & nunc: ſed ſine manifeſtatione traditionem illorum compreſſit. Hi enim cogebant credentes
B Judaizare, ut Dei beneficium circa ſe inanirent, ſicut ſupra memoravi; compoſitis enim genealogiæ verbis, tractatus ſibi coaptabant ad commendationem traditionis ſuæ, per quos ſimplicium corda deciperent.

Veſtra enim obedientia, inquit, *in omnem locum divulgata eſt.* Hoc eſt quod in primordio epiſtolæ dicit, quia fides Rom. 1. 8.
veſtra prædicatur in univerſo mundo, hoc ſignificat, quod ſecurus ſit de obedientia eorum. Erat enim incredulum [f] quod ſe ſubjicerent poſt cognitam veritatem rei ſtultæ f
quaſi prudentes.

Gaudeo igitur in vobis. Et hic ſenſus de ſuperiore parte epiſtolæ eſt; gaudet enim quia Romani, qui regnum habe-
C re videntur, ſubjecerunt ſe fidei chriſtianæ.

Volo vos proficere, ut eruditi ſitis in bonum, rudes vero in malum. Eruditus in bono hic eſt, qui bona operatur: rudes autem in malo ii ſunt, qui ignorant opera mala, id eſt, uſum malitiæ neſciunt.

ℽ. 20. *Deus autem pacis conteret ſatanam ſub pedibus veſtris velociter*; id eſt brevi. Hoc de adventu ſuo dicit, quia adventus ejus opprimeret diabolum ob hoc, quod iſti ſpiritalem gratiam accepturi erant; cui rei invidet ſatanas, quia vult homines permanere in errore; cetera ut diſcrepent, cùm ſint unius profeſſionis.

Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Gratiam quam
D promiſit illis in adventu ſuo, jam optat eſſe cum illis; ſi enim merentur accipere, jam cum illis eſt in ſpe.

ℽ. 21. *Salutat vos Timotheus conſors laborum meorum, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei.* Timotheus conſors laborum ejus eſt quaſi coepiſcopus, qui cum magna ſollicitudine Eccleſiam gubernabat, poſitus in invidiam Judæorum uſque adeo, ut inter initia circumcideretur propter ſcandalum Judæorum; ut quia matre Judæa erat, doctor eſſe non poſſet incircumciſus. Illos vero cognatos dicit, partim geneſis, partim fidei cauſa.

ℽ. 22. *Saluto vos ego Tertius, qui hanc epiſtolam ſcripſi in Domino.* Tertius nomine, non numero: hic eſt ſcriba epiſtolæ,
E cui conceſſit ſuo nomine ſalutare plebem Romanam, ad quam ſcribit; ut ceteros ſalutent, quos nominat. Adhuc enim rectores Eccleſiis paucis erant in locis.

ℽ. 23. *Salutat vos Caius hoſpes meus, & univerſa Eccleſia.* Hic eſt Caius, ut arbitror, ad quem ſcribit Johannes apoſto- 3. Johan.
lus, exſultans in caritate ejus, quam exhibebat fraternitati, præbens ſumtus illis neceſſarios. Et cùm ſuperius dicat: *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti*; nunc iterat dicens: *Salutant vos univerſa Eccleſia*, quod non puto otioſe iteratum; nihil enim tantus vir & tam tractabilis ſuperfluum
F ponebat. Sed quia *ſalutant vos*, inquit, *omnes Eccleſiæ Chriſti*, id eſt, omnes ſancti, ſicut alio loco dicit: *Qui* Gal. 5. 24.
autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt; nunc ſubjecit etiam hos ſalutare, qui ſequentes ſunt; [g] ut benedictum g
populum ſignificet Eccleſiæ, quia in omni Eccleſia duo ſunt populi. Poteſt & duarum provinciarum nominaſſe Eccleſias, ut primum unius, deinde alterius loci dixiſſet omnes Eccleſias, aut certe Judæorum & gentilium.

ℽ. 24. *Salutat vos Eraſtus diſpenſator civitatis, & Quartus frater.* Diſpenſator civitatis eſt quaſi curator, qui dictante juſtitia, gubernabat civitatem, maxime in pretiis moderandis. Hos omnes ideo nominatim enumerat in ſalutatione Romanorum, ut ſcirent quales & quanti congauderent bono cœpto illorum.

ℽ. 25. *Ei autem qui poteſt vos ſtabilire ſecundùm Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, ſecundum revelationem*
h [h] *myſterii, quod temporibus æternis in ſilentio fuit, manifeſ-*

a. Amerb. cum uno vel altero mſ. *Ampliadum*: Gill. & Eraſ. cum aliis cod. nonnullis, *Ampliandum*: Rom. edit. ſola, *Ampliam*: ceteri mſſ. magno numero, *Ampliatum*, nonnulli addunt, *cariſſimum*.
b. Mſſ. aliquot, *Urbanum participem operis noſtri.*
c. Vet. edit. cum paucis mſſ. *videtis qua cauſa.* Paucis vero interjectis Rom. edit. ſola, *Narciſſus presbyteri officio peregre fungebatur.*

d. Ita vet. edit. ac plures mſſ. alii autem nonnulli, *Aſyndetum*: Rom. edit. *Aſyncretum*.
e. Gill. ac Rom. edit. cum mſſ. quibuſdam, *& ſororem ejus & Olympiam.*
f. Sic omnes edit. at contra mſſ. prope ad unum, *quod non ſe ſubjicerent.*
g. Codex Thuan. *ut his dictam*: Flor. *ut ex his dictis totum populum ſignificat.*
h. Mſſ. aliquot, *miniſterii*. Non ſatis recte.

℣. 26. *tum est autem nunc per scripturas propheticas secundum imperium æterni Dei ad obedientiam fidei in omnes gentes, cogni-*
℣. 27. *tum soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Deo Patri ex quo sunt omnia, dat gloriam; ut cœptum Romanorum, quia potens est, dignetur implere, confirmando in fide animos eorum ad profectum Evangelii, & revelationem mysterii absconditi à sæ-
Ephes. 3. 9. culis, manifestati autem per Christum, vel in Christo. Sacramentum enim quod latuit semper in Deo, temporibus Christi declaratum est; quia non singularis est Deus, quia
a est apud illum ex æternis [a] & Paraclitus, in qua veritate omnem creaturam decrevit salvam fieri per agnitionem. Cujus quidem sacramenti veritas per prophetas fuerat desi. gnata figuris quibusdam, soli Deo cognitum sapienti: cujus gratiæ participes voluit esse gentes, quod latuit genus hominum. Solus ergo est sapiens; quia ab ipso est om-

A nis sapientia, sicut dicit Salomon: *Omnis sapientia à domino Deo est, & cum ipso fuit semper.* Eccli. 1. 1.
Sapientia ista Christus est, quia de ipso est, & cum illo erat semper, per quem ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen. Ideo nihil sine Christo plenum; quia per ipsum omnia: qui cùm agnoscitur, datur Deo Patri laus per ipsum; quia intelligitur per Christum, quasi per sapientiam suam, in qua salvos fecit credentes. Gloria ergo Patri per Filium, hoc est, ambobus gloria in Spiritu sancto; quia uterque in una gloria est.

[b] *Gratia domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.* In ℣. 28. b
conclusione Christum ponit, per quem facti, & iterum reformati sumus gratia ejus, ut mentibus nostris hæreat; quia
B si beneficiorum ejus memores simus, semper nos tuebitur, sicut dixit: *Et ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus* Matth. 28. 20.
usque ad consummationem sæculi. Amen. [c] c

a. Rom. edit. sola, *& Verbum, & Paraclitus.*
b. Nonnulli mss. *Gloria domini nostri* &c.

c. Mss. Remig. Mich. ac Colbert. hic longam laciniam adsuunt, quæ pertinet ad ultimum caput commentarii in primam epistolam ad Corinthios; qua de re suo loco dicendum erit.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD CORINTHIOS PRIMAM.

[a] PROLOGUS.

a PRÆCEPTO Domini admonitus Apostolus resedit apud Corinthios annum unum & menses sex, docens inter eos verbum Dei. Hinc est unde magna cum fiducia & caritatis affectu agit cum eis, aliquando commonens, aliquando arguens, ali-
Act. 18. 11. quando blandiens, ut filios. Nam multæ causæ sunt, propter quas scribit ad eos. Quarum prima hæc est, quod more hæreticorum dissentientes ab invicem, hominibus devoti, Paulini, & Petriani, & Apolloniaci dici volebant, non christiani: quod valde exprobrat Apostolus. Erant tamen inter eos, qui ab his dissentirent, Christo soli dicati. B Secunda hæc est, quia eloquentia delectari cœperant & terrena philosophia; ut sub nomine Christi, iis imbuerentur, quæ contraria sunt fidei. Tertia, eo quod inflati essent, quod non iret ad illos Apostolus. Quarta, propter fornicatorem, quem inter se esse patiebantur. Quinta, ut commoneret de præterita epistola, quam ante hanc quæ prima dicitur, scripserat. Sexta, quia invicem sibi injurias & fraudes facere cœperant, & infidelium potius examina requirebant. Septima causa est, in qua designat licere sibi sumtus accipere, sed contemnere; ne forma esset rapacibus pseudoapostolis. Octava vero est, ut respondeat epistolæ illorum; perturbari enim cœperant ab hæreticis de matri- C monis. Nona est, in qua declarat sic debere unumquemque manere, ut credidit. Decima autem de virginibus, eo quod nihil sit sibi præceptum. Et reliquæ sunt causæ, quæ in corpore videbuntur.

CAP. I. ℣. 1. PAulus vocatus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei. Ad Romanos aliter cœpit; quia altera causa est: his vero apostolum se esse Christi Jesu Dei voluntate scribit;
Act. 22. 21. quia omnia quæ egit, Filii Dei egit voluntate, qui dixit ad eum: *Vade, ego longe ad gentes mittam te.* Hinc vocatus est apostolus, hoc est, Dei voluntate missus ad gentes. Per quod etiam tangit illos, quos neque Christus mi- D serat, neque verum erat, quod dicebant. Deum enim & Christum ideo frequenter nominat, ut Christum Deum non ipsum Patrem ostendat, sed esse Christum Filium, esse &
b Deum Patrem, [b] non unionem; cùm ostenditur Filium di-
c ci. Multæ enim sectæ emerserant, quæ Evangelium Christi [c] pro sensus sui arbitrio adserebant, ex quibus rami aridi exstant nunc usque, quarum adsertores Ecclesias evertebant. Hinc Apostolus omnia, quæ hæresibus contraria sunt, ponit: ac se verum prædicatorem per id quod a Christo Dei voluntate missus est, adseverat.
℣. 2. *Et Sosthenes frater.* Etiam istum sua commendat societa-

A te. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu.* Propterea Ecclesiæ scribit, quia adhuc singulis Ecclesiis rectores non erant constituti. Et cùm in multis arguat eos, ait: *Sanctificatis in Christo Jesu.* Sed ideo quia regenerati in Christo sanctificati sunt: post autem cœperant male conversari; ut ostenderet omnem Ecclesiam sanctificatam fuisse in Christo, sed quosdam illorum prava doctrina pseudoapostolorum aversos à traditione veritatis.

Vocatis sanctis. Hoc est, vocati estis, ut sancti sitis: quod est, ut non recedatis à regula sanctificationis. *Cum omnibus qui invocant nomen domini Jesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro.* Id est, cum Judæis veris jungit & gentes,
B quia *salus ex Judæis est*; ut in omni loco ubi gentes, quæ invocant nomen domini nostri Jesu Christi: & ubi Judæi supra memorati sunt, similiter sunt omnes unum. Pseudoapostoli enim, qui nomen Christi per prudentiam mundi prædicabant, id est, admixta philosophia, veterem legem & prophetas reprobabant; negabant enim Christum vere cruci- d
fixum, sed tantum visum crucifigi, [d] sicut Marcion & Manichæus. Unde Apostolus: *Nos autem*, inquit, *prædicamus* 1. Cor. 1. 23.
Christum crucifixum. Neque carnis resurrectionem fatebantur, quod propheta Esaias clamat, dicens: *Qui in monu-* Esai. 26. 19.
mentis sunt, resurgent.

Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Jesu ℣. 3.
C *Christo.* Ne, quia dixerat: *Qui invocant nomen domini nostri Jesu Christi*; Patris aut nomen aut donum tacuisse videretur, & suspicionem forte aut occasionem daret unionis; docet quidem Christum rite invocandum, sed omnem gratiam esse Patris; ut & duos, [e] qui unum sunt per divini- e
tatem, ostenderet, & Patris auctoritatem præferret.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis. Quamquam omni- ℣. 4.
bus in Ecclesia scribat, sed ita significat, cùm aliquando corripit, aliquando laudat, ut unusquisque cùm epistola legitur, intelligat quid pro se, quid adversùm se dicatur. In una enim plebe duobus populis scribit, ut cùm arguit, qui male versantur, sciant sibi hæc scripta: similiter & cùm
D laudat, sciat qui [f] in regula manet, ad se hæc dici. Ideo- f
que inquit:

Gratias ago Deo meo semper pro vobis super gratia Dei, qua data est vobis in Christo Jesu. Datam dicit gratiam a Deo in Christo Jesu, quæ gratia sic data est in Christo Jesu; quia hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere: sola fide gratis accipit remissionem peccatorum.

Quia in omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo, & in ℣. 5.
omni scientia. Hoc significat, quia in accepta gratia, & in verbo veritatis doctrinæ scientiam spiritalem adsequuti permanserunt; ideoque gratias agit in his Deo.

a. Vet. edit. *Præfatio*, Rom. *Proœmium*, nonnulli mss. *Argumentum*, alii multo plures, *Prologus.*
b. Ita vet. edit. ac mss. aliquot, à quibus Rom. edit. tantùm recedit, quod præfert, *non unionem*: ceteri autem mss. partim, *non in unionem, quia cùm ostenditur, Filius dicitur*; nonnulli . . . *filium dici.*

c. Mss. Corb. *propensu sui arbitrii.*
d. Rom. edit. cum uno vel altero mss. *sicut nunc Marcion.* Infra vero ms. Corb. solus, *quos propheta Esaias damnat.*
e. Quinque mss. *qui in unum sunt.*
f. Codex Corb. *in regula fidei manet.*

Sicut

ỳ. 6. *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Testimonium Christi confirmatum est in his; quia roborati in fide, nihil de hominibus sperabant: sed omnis spes illorum in Christo erat, nullis voluptatis illecebris capti.

ỳ. 7. *Ita ut vobis in nullo desit aliqua gratia, exspectantibus revelationem domini nostri Jesu Christi.* Manifestum est hunc exspectare diem judicii, qui circumspectus sollicitus est. Futurum judicium Dei dicit, in quo dominus noster revelabitur, [a] tam fidis, quam infidis; ut cognoscant increduli ac sciant verum esse, quod credere noluerunt, & pereant: fidi vero gaudeant plus boni invenientes, quam putaverant.

ỳ. 8. *Qui & confirmabit vos usque ad finem sine crimine in adventu domini nostri Jesu Christi.* Alacri animo confisus de spe illorum securus est; quia inviolati usque ad futurum judicium erunt. Qui enim inter tot discrimina sensuum, & perturbationes diversitatum immutari minime potuerunt; procuidubio in eodem mansuros se ostendunt. Cùm hos laudat, illos qui in errore pseudoapostolorum [b] depravati fuerant, invitat: dum enim horum fidem prædicat, illos ad pœnitentiam vocat.

ỳ. 9. *Fidelis est Deus, per quem vocati estis* [c] *in societatem filii ejus Jesu Christi domini nostri.* Quis ambigat de promissis & fide Dei, quia non erit aliter quam dixit, filios nos adoptatos sibi credentes in Christum? Hoc enim nobis donat, quod credimus; ut quia credimus Christum Filium esse Dei, hoc nos esse incipiamus, mansuri in eadem dignitate, sicut manet Christus, quem credimus Filium Dei. Societas enim fraternitas est, ut quomodo fidem Dei incolumem in hac causa nobis futuram ostendit: ita nos non diffidentes & perfidi inveniamur, sed perseverantes in adoptione.

ỳ. 10. *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes.* Omnes nunc orat, ut unum sentiant, hoc utique in quo renati Dei filii appellati sunt. Ad omnem Ecclesiam modo loquitur; ut si qui dissentire cœperant, reverterentur ad cœptam fidem, quam videbant in his laudari, qui in illa perseverabant.

Et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Perfectos vult eos esse in eodem sensu, quem illis tradiderat, ut non discreparent. Ad illorum enim exemplum, quos supra laudat, hos provocat; ut hoc sentiant ac defendant.

ỳ. 11. *Perlatum est enim mihi de vobis, fratres, ab iis qui sunt Chloes, quod contentiones inter vos sint.* Quamvis eversi fuerant, tamen fratres illos appellat; sicut & in Esaia propheta dicit Deus ad illos, qui secum erant; ut eis qui pseudoprophetis credebant, diceret: [d] *Fratres nostri estis vos*; ut per id non dissentirent ab his, quasi fratres. Quod autem dicit: *Ab iis qui sunt Chloes*; aliquibus videntur homines esse manentes & fructificantes in fide Dei: aliquibus videtur locus esse, ut puta si dicatur: Ab iis qui sunt Antiochiæ: aliquibus autem videtur feminam fuisse Deo devotam, cum qua multi essent colentes Deum, quibus fides non negaretur; ut quod deferrent de Corinthiis, [e] verum esset, quod contentiones essent inter eos. Contentiones inter eos esse dixit, ut ostenderet diversitatem mentis illorum de disciplina Dominica. Et quæ esset, subjecit, dicens:

ỳ. 12. *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi.* Errorem ostendit, sed auctorum nomina non prodidit; nec enim in loco stabant, sed circumibant ad eversionem simplicium. Nam hos quos nominat, sine dubio boni erant doctores; sed sub eorum specie falsos apostolos tangit. Si enim in his gloriandum negat, quanto magis in malis doctoribus, quorum doctrinam pravam in subjectis significat? Inter eos tamen hos perseverantes designat, qui dicebant se Christi esse, non hominis, quos superius laudat.

ỳ. 13. *Divisus est Christus?* Divisum dicit Christum; quia gloriam ejus homines sibi partiti sunt. Sicut hæretici, qui se aut photinianos, aut arrianos, aut cataphrygas, aut novatianos, aut donatianos, aut manichæos vocari non horrent; ita & Corinthii diversorum hæreticorum nominibus subjici cœperant, ut viderentur loco Christi homines venerari: qui dum diversa de Christo accipiunt, dividunt Christum. Unus enim hominem tantùm accipit Christum, alter Deum [f] purum sine homine vel corpore fatetur, alius dicit per prophetas prædictum Christum, alter negat prophetas de Christo loquutos. Cùm ergo Christus unus sit Deus & homo, isti sibi alius aliud ejus vindicantes, dividunt Christum; & quia sub nomine suo Ecclesias faciunt multas adjecit:

Numquid Paulus crucifixus est pro vobis. Ideo à se cœpit, ne forte putaretur aliorum ideo refutare personas, ut suam commendaret. Si enim Christus pro nobis, inquit, mortuus est, quomodo gratiam ejus & beneficium hominibus imputamus ad ejus injuriam?

Aut in nomine Pauli baptizati estis? Si credentes autem, inquit, in Christum baptizamur, ut in nomine ejus justificemur; quid est ut fidei hujus homines nobis auctores faciamus, immemores cœptæ credulitatis?

ỳ. 14. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Caium; ne quis dicat quod in nomine meo* [g] *baptizavi.*
ỳ. 15.
ỳ. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum: ceterorum nescio si quem alium baptizaverim.* Gratias agit Deo, quia non multos ex illis baptizavit; ne quia error sub hac re cœperat, ex nomine ejus error esset in plurimis, [h] per hoc arguendos & baptizantes & baptizatos, qui ad injuriam Salvatoris baptismatis ejus gratiam hominibus deputabant, illis dissimulantibus gloriæ causa. Sic enim erant, sicut nunc novatiani & donatiani, qui baptismum sibi vindicant, à nostris baptizatos reprobantes: & baptizati ab his gloriantur in personis eorum. Denique Christi nomine abdicato novatianos & donatianos vocari se gloriantur. Crispus ergo & Caius Corinthii sunt, quos ad testimonium nominat; quia sic baptizati sunt ab Apostolo, ut nullam illi gloriam ex hac causa [i] dandam assererent. Stephanæ autem domus primitiæ sunt Achaiæ, sicut in postrema parte epistolæ significat, quibus testimonium dat, quo in ministerium sanctis se constituerant.

ỳ. 17. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Quoniam majus est evangelizare, quam baptizare; ideo non se missum baptizare dicit, sed evangelizare: quia in episcopo omnium ordinationum dignitas est; caput est enim ceterorum membrorum. Per quod etiam illos humiliat, quibus illi multum dabant, propterea quod ab illis fuerant baptizati; ut ex eo scirent non magnum esse baptizare, quia non omnis qui baptizat, idoneus est & evangelizare. Verba enim solemnia sunt, quæ dicuntur in baptismate. Denique apostolus Petrus credentem Cornelium cum suis jussit baptizari, nec dignatus est, ministris adstantibus, hoc opus facere; si enim defuissent, ipse hoc egisset, necessitate compulsus. Quanto ergo melior his sit, quos illi venerabantur, ostendit: & non tamen hoc nomini suo decerni permisit, sciens periculosum esse gloriam Dei nomini hominis vindicare; est enim quasi idololatria. *Act. 10. 48.*

Non in sapientia Verbi, ut non evacuetur crux Christi. Quia prædicatio christiana non indiget pompa & cultu sermonis, ideoque piscatores homines imperiti electi sunt, qui evangelizarent; [k] ut doctrinæ veritas ipsa se commendaret, teste virtute; ne hominum versutia & calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate, sicut disciplinæ ab hominibus inventæ, in quibus non ratio, non virtus, sed verborum quæritur compositio: ac per hoc gloriam suam quærit, qui fidem Christi verbis exornare vult. Obscurat enim illam splendore verborum, ut non illa, sed ipse laudetur; sicut & pseudoapostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia hominum Christum prædicabant duplici genere; ut eloquentiæ studerent, & ea quæ mundus in nobis stulta judicat, evitarent: ut neque incarnatum Dei Filium, & de Virgine natum docerent, neque carnis futuram resurrectionem; quia mundi istud sapientia & ratio stultum judicat: ac per hoc Apostolus non se in sapientia hominum dicit Christum prædicare; *ne evacuetur*, inquit, *crux Christi*; quia qui in sapientia hominis Chris-

a. Corb. cod. *non fidis, sed infidis.*
b. Mss. Corb. *depradati fuerant.* Sequenti autem versu cod. Laud. *ad patientiam vocat.*
c. Rom. edit. *in communionem filii ejus.* Et iterum, *communio enim fraternitatis est.* Utrobique mss. ac vet. edit. ut in textu, nisi quod Eras. ac Gill. habent etiam, *fraternitatis.*
d. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *fratres nostri estis vos.* Et infra, *in fide Christi.* Mss. vero plures ac potiores nobiscum faciunt.
e. Ita mss. longe plurimi, ac probatissimi: alii vero, & omnes edit. *verum esset*, Corb. *non esset. Quod contentione, inter vos sint.*
f. Ita edit. omnes, & cod. Corb. alii vero *summo consensu, purum sine corpore fatetur.*
g. Omnes edit. ac mss. nonnulli, *baptizati estis.* At infra pro *ceterorum nescio* aliqui legunt *ceterum nescio* &c.
h. Eras. & seq. edit. *per hoc arguens*: Arreb. & consil. mss. *per hoc nugatores.*
i. Omnes edit. *dandam assererent*: omnes mss. *dandam addiscerent.*
k. Mss. non pauci, *ut doctrina veritatis ipsa* &c.

tum annuntiat, negat veritatem prædicationis, ficut fupra A memoravi.

℣. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ftultitia eft.* Manifeftum eft, quia quibus crux Chrifti ftultitia eft, in perditione funt: [a] inferni enim morte non funt erepti.

℣. 19. *His autem qui falvi funt, virtus Dei eft.* Non eft obfcurum quia iis, qui credunt, Dei virtus eft; credunt enim non infirmitatem effe crucem Chrifti, fed virtutem, intelligentes mortem victam effe in cruce: cujus fignum qui habent, falvi funt; quia ab illa teneri non poffunt.

Efai. 29. 14. *Scriptum eft enim*, in Efaia: *Perdam fapientiam fapientium, & intellectum prudentium reprobabo.* Perdit fapientiam fapientium, dum quæ illa negat poffe fieri, facit: & B reprobat intellectum prudentium, quando Deum, quem incuriofum dicunt, aggreffum probat ea quæ ftulta putant, ut Dei Filius incarnatus de Virgine crucifigeretur pro humana falute; quod factum vere teftatur virtute, non verbis.

℣. 20. *Ubi fapiens? ubi fcriba? ubi conquifitor hujus fæculi?* His dictis tam in Judæos quam in gentiles invehitur; quia & Judæorum fcribæ & Legis doctores Deum Filium habere ftultum putant credi. Simili modo & gentes iftud rifui deputant. Sed Judæi, quia hoc non tam aperte in Lege fignificatum eft, diffidunt: gentiles vero, quia mundi ratio non iftud recipit; nihil enim dicit poffe fieri fine commixtione, & ftultum judicant. Conquifitor tamen fæculi hic eft, qui conftellationibus agi mundum, & duodecim fignis ortus & C occafus fieri decernit calculis, nihil omnino fine horum motu putans poffe fieri.

Nonne ftultam fecit Deus fapientiam hujus mundi? Stulta eft facta fapientia hujus mundi; putans enim fe fapere, inventa eft imprudens. Quod enim impoffibile judicabat, poffibile declaratum eft, Deum incuriofum exiftimans. Eft aliquid hac adfeveratione ftultius, ut feciffe dicatur mundum, & curam ejus non agere? Ut quid fecit, fi non ad illum pertinet quod fecit? Sed quia vident quofdam feliciter mundo frui, quofdam deprimi, & bene agentes defpici, malevolos gloriari; idcirco incuriofum Deum effe crediderunt. Qui incuriofum Deum dicit, non negat malevolum D aut injuftum; aut enim judicaturus eft mundum, & injuftus eft, diffimulans de bonis, & patiens fieri mala. Si igitur animadvertant fepofito odio divinæ legis, poffunt videre caufam iftam à nobis terminari, qui Dei judicium expectamus, in quo vi depreffi exaltabuntur, & violenti humiliabuntur; quia *non eft perfonarum acceptio apud Deum.* Rom. 2. 11.

℣. 21. *Nam quoniam in fapientia Dei non cognovit mundus per fapientiam Deum, placuit Deo per ftultitiam prædicationis falvos facere credentes.* Non cognovit mundus, id eft, homines, Deum in fapientia ejus; quia unicam majeftatem ejus figmentis dederunt vel elementis, diffimulantes de eo, per fapientiam carnis putantes hæc debere coli, quæ viden- E tur. Propterea placuit Deo prædicationem ordinare, quæ illis ftultitia videretur; ut credentes quæ illi diffidunt, falvi fierent, illis damnatis. Viciffitudo ergo hæc eft, per quam Dei confilio falfum à vero damnatur.

℣. 22. *Quoniam Judæi figna petunt, & Græci fapientiam quærunt,* Judæi figna petunt; quia non diffidunt potuiffe fieri, fed an factum fit, quærunt: fcientes virgam Aaron aridam germinaffe, & fructum tuliffe: & Jonam à ceto glutitum, in ventre ejus tribus diebus & tribus noctibus fuiffe, & vivum ejectum effe. Illud tamen præcipue quærunt, ut aliquid tale videant, quale eft illud, quod vidit Moyfes, Deum in igne; unde dicunt: *Nos fcimus quod Moyfi locutus eft Deus;* F cùm majus fit, mortuum Lazarum fœtidum quarto die vivum de monumento exiffe. Græci vero fapientiam quærunt; quia nolunt audire, præterquam quæ mundi ratione poffibilia funt.

Num. 17. 8. — Jona 2. 1. — Johan. 9. 29. — Johan. 11. 44.

℣. 23. *Nos autem prædicamus Chriftum crucifixum. Judæis quidem fcandalum, gentibus autem ftultitiam.* Scandalum eft Judæis, dum audiunt Chriftum Filium Dei fe profitentem, & fabbatum evacuantem: *Gentibus autem ftultitia;* quia ea audiunt prædicari, quæ dum rationi mundanæ non congruunt, infenfata videntur, ut partus Virginis, & refurrectio mortuorum.

℣. 24. *Ipfis vero vocatis Judæis atque Græcis Chriftum Dei virtutem, & Dei fapientiam.* Suadente virtute, quæ potior verbis eft, credentes in Chriftum intelligunt, Judæi primùm qui fignum quærebant, Chriftum Dei effe virtutem; & Græci fimiliter vident Chriftum Dei effe fapientiam: illam autem mundanam, quam prius putabant prudentiam, maximam effe ftultitiam. Virtus ergo Dei eft; quia per ipfum omnia fecit Pater Deus: fapientia autem idcirco, quia per ipfum cognitus eft Deus. Nec enim poffet cognofci Deus, nifi per eum qui effet de eo; quia [b] *Nemo novit neque vidit Patrem, nifi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Matth. 11. 27.

℣. 25. *Quia quod ftultum eft Dei, fapientius eft hominibus.* Stultum Dei, inquit, non quia vere ftultum eft, fed quia ab hominibus, dum rationi mundanæ non convenit, ftultum putatur, cùm fit ratio fpiritalis: ac per hoc fapientius dignofcitur effe hominibus; quia fpiritalia plus fapiunt quam carnalia. Non enim fpiritalia per carnalia funt, fed carnalia conftant per fpiritalia; ideoque fubjecta funt carnalia fpiritalibus.

Et quod infirmum eft Dei, fortius eft hominibus. Sine dubio cæleftia vincunt terrena. Quamobrem infirmum Dei non eft infirmum; quia infirmitas Chrifti magna victoria eft. Vicit enim, [c] cùm victus videretur, ficut ait in pfalmo quinquagefimo: *Et vincas cùm judicaris.* Victor enim exiftit, qui injufte occiditur, reum conftituens à quo occiditur. Pfal. 50. 6.

℣. 26. *Intuemini enim, fratres, vocationem veftram; quia non multi fapientes fecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Manifeftum eft quia pauci fint, qui mundi rationibus inflati magis quam eruditi funt, hoc eft, qui ftellarum motus infpiciunt & difcernunt. Ipfos autem dicit & fortes fecundum carnem, quos & prudentes. Et ideo fortes, quia paffionem crucis Chrifti infirmam adferunt; iniquitas enim fortis, & vincere fibi videtur ad tempus. Ipfi etiam nobiles, per quos fuperftitionis fuæ originem antiquitatis adfignant, [d] nos novellos dicentes. Non ergo hanc adfeverationem elegit Deus, quæ in paucis eft.

℣. 27. *Sed ftulta mundi elegit Deus, [e] ut confundat fapientes.* Stulta mundi funt Virginem peperiffe, & Dei Filium crucifixum; credi enim ftultum hoc putat: ideo Deus ut hunc confundat, hos elegit, qui hoc credunt, quod hic ftultum judicat. Confunduntur enim fapientes, dum quæ pauci negant, multos vident fateri; non eft enim ambiguum multorum fententias paucorum anteponi fententiis.

Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Idem fenfus eft; quia quod [f] pauci infirmum putant, hi qui fe prudentes exiftimant in fæculo, diffidentes de fpe, à multis virtus adferitur; quia plures credunt, quam non credunt, ad illorum ruborem. Vident etenim infirma Chrifti nominata, dæmoniis imperare, prodigia facere: infirma autem funt mundo injuriæ, & paffio Salvatoris nefcienti hæc ad virtutem proficere; quia ideo ifta pati fe permifit, ut vinceret mortem. Injufte enim pati, & poffe refiftere & nolle, gloria eft patientis, & damnatio occidentis.

℣. 28. *Et ignobilia hujus mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non funt, ut ea quæ funt deftrueret.* Ignobilia ergo & contemtibilia elegit: non quia vere ignobilia & contemtibilia funt, fed fic judicantur à mundo; quia fpernunt rationes mundanas, credendo in Chriftum, ut ea quæ funt vere ignobilia & contemtibilia deftrueret; quia ipfi magis judicandi & condemnandi funt, qui judicant. Adfeverationem enim illorum error invenit, nec fuit ab initio: noftra autem difciplina ab initio eft. Deftruitur ergo, dum fine teftimonio nudis verbis adferitur: noftra vero non verbis folis, fed & tefte virtute probatur.

℣. 29. *Ut non glorietur omnis caro in confpectu ejus.* Id eft, [g] ut fapientia carnis erubefcat in errore fuo, judice Deo; fenfus enim carnis eft diffidere Dei potentiâ virginem peperiffe, &c. quia hoc mundi ratio, qui carnis cognatus eft, non recipit.

℣. 30. *Ex ipfo enim vos eftis in Chrifto Jefu. Ex ipfo*, id eft, ex Deo, qui eft omnipotens, effe nos in fide Chrifti; Dei enim propofitum eft, ut veritatem ejus & mifericordiam

a. Plures mff. *inferna enim morti* &c.

b. *Neque vidit* aberat à cunctis edit. fed è mff. prope omnibus reftitutum eft.

c. Rom. edit. fola, *cùm vinceretur*, & cum Gill. *ficut ait: Et vincas* &c. aliæ autem edit. ac mff. inter fe confentiunt, nifi quod pro *videretur*, edit. & quidam mff. exhibent, *videtur*.

d. Mff. complures, *non novellos dicentes.*

e. Corb. codex, *ut confundat fapientes. Confunduntur enim fapientes, dum* &c.

f. Idem mf. Corb. *infirmum putant, à multis virtus adferitur ad illorum ruborem. Vident enim infirma mundi nominata. Et ignobilia hujus mundi* &c.

g. Rom. edit. ac mff. nonnulli, *& contemnenda funt.*

c. Ita omnes edit. & quidam mff. ceteri autem magno numero, *ut fententia carnis.* Poft pauca vero Rom. edit. fola, *quæ carnis cognata eft.* At mf. Corb. à vocibus, *judice Deo*, locum contrahit in hunc modum. *Ex ipfo*, id *eft, ex Deo effe nos in fide Chrifti; Dei enim propofitum eft, ut veritatem ejus per Chriftum difcerem̄us. Quo folus eft fapientia* &c.

per Christum disceremus. Veritas est mysterium Trinitatis: misericordia vero; quia cùm essemus captivi, redemit nos.

℣. 31. *Qui factus est sapientia nobis à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio.* Ad confirmationem credentium Christum Dei voluntate dicit egisse, quæ gessit; ut sciamus vere nos sapientiam didicisse, & sanctificatos esse, & justificatos, & redemtos à Deo per Christum; nemo enim redimit, nisi quod suum fuerat. Sive ergo quod redemti sumus, sive quod sanctificati, id est, ab opere carnis & idolorum immunditia purgati, sive quod justificati (justum est enim Creatorem colere, ceteris spretis) sive quod sapientes per

a id quod [a] mundanos didicimus imperitos, totum hoc Dei beneficium est per Christum. Redemtio tamen nostra hæc est; obtulit enim se Christus diabolo cupienti, ut peccati in se contradictionem auferret, & sic captivos ejus erueret.

Ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc scriptum est in Hieremia propheta. Dig-

Hier. 9. 24. num est quod ait propheta, ut in Deo gloriemur; quia non poterit confundi, qui gloriatur in Domino; opera enim ejus, & magnificentia in rebus gestis apparent. Ideoque confundantur, inquit, in idolis suis, qui non pluunt, nec fecerunt cælum & terram: simili modo & qui in hominibus gloriantur, quos sciunt utique nullius esse virtutis; quare

Hier. 17. 5. & ait Scriptura: *Vana spes est in homine.*

CAP. II. ℣. 1. *ET ego cùm venissem ad vos, fratres, veni non cum eminentia sermonis aut sapientia* [b] *prædicans vobis mysterium Dei.*

℣. 2. *Neque enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.* Quoniam superius gradatim formam disciplinæ nostræ ostendit, nunc se non aliter illis tradidisse probat, quam quæ ostendit; quia & in humilitate sermonis, & in stultitia prædicationis, sicut mundo videtur, loquutus est illis de Christo mysterium. Quod ideo mysterium vocat, quia quod incarnatum est, occultum

c erat à sæculis, apud Deum, [c] Deus Verbum. Hæreticos autem esse in quibus gloriabantur, quia & per eloquentiam pravam doctrinam commendabant, & prudentiam mundi sectantes, crucem Christi evacuabant, erubescentes stulti appellari à mundo; ut neque natum Christum ex Virgine prædicarent, neque vere crucifixum docerent; quia stultum videtur Dei Filium natum hominem fateri & crucifixum. Hos & apostolus Johannes designat dicens: *Qui*

1. Johan. 2. 23. 24. *negat Christum in carne venisse, antichristus est: & qui negat Filium, nec Patrem habet*; quia ipsum Patrem sibi Filium

d appellatum [d] dicebant; ex quibus Marcion traxit errorem. Quæ arguit, clausa videntur; quia non illa manifestat, sed intelligi vult ex eo, quod prudentia mundi invenitur, quæ est religioni inimica. Quæ autem sunt, quæ corripit, ex ejus judicio vult disci; ut quæque nostra deridet velut stulta, ea se omnia in Corinthiis reprehendere ostendat. Corpus enim ipsum memorat, ut ex eo membrorum ejus ratio dignoscatur: Corinthiis tamen manifesta erant; quia causas in quibus arguebantur, non ignorabant.

℣. 3. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Christum enim in stultitia humanæ sapientiæ prædicans, odium sibi & persecutiones provocabat, quasi rem va-

e nam annuntians, [e] & inimicam Judæis atque gentibus.

℣. 4. *Et sermo meus, & prædicatio mea non in persuasione humanæ sapientiæ.* Ostendit non se ut hominum favorem adquireret, humanæ sapientiæ placuisse, neque verborum arti studuisse, sed fidem auctori exhibuisse, qui doctrinam suam non ornatu traditionis humanæ acceptabilem voluit esse verborum strepitu, sed ipsis rebus; quia res ante verba sunt.

f [f] *Sed in ostensione spiritus & virtutis Dei.* Quia ut verbis quæ infirma juxta virtutem sunt, res fatuæ comtæ prudentes videntur; Deus prædicationem suam non testimonio verborum voluit commendari, sed virtutis; ut verbi stultitia indicata, factis se sapientiam demonstraret spiritali ratione fundata.

℣. 5. *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei; sapientiam autem loquimur inter perfectos*; hoc est, inter eos qui crucem Christi virtutis testimonio sapientiam fatentur. Hi enim sapientes & perfecti sunt, qui fidem non magis verbis habent, quam rebus. ℣. 6.

Sapientiam autem non hujus sæculi. Recte ait, *sapientiam non hujus sæculi*, sed futuri, in quo veritas Dei negantibus apparebit; hoc enim sæculum rationem hanc non capit infirmitate cogitationis terrenæ.

Neque principum hujus sæculi, qui destruuntur. Manifestum est non esse sapientiam hanc principum hujus mundi, quia destruuntur ab illa. Christianitas enim errores, quos hi inseruerunt, excidit, id est, idololatriam, avaritiam, & cetera vitia, sicut dicit Johannes apostolus: Propter hoc 1. Johan. 3. 8. venit Filius Dei, ut solveret opera diaboli.

Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Occultum sensum manifestare se missum testatur, quem ℣. 7. neque principes, neque potestates scirent, neque mundus audierat; ac per hoc stultum putari, quia incognitum est: esse autem rationale & salutare teste virtute, cui omnis intentio cedit ratiocinationis humanæ. Absconditá est ergo Dei sapientia, dum non in verbis, sed in virtute est; non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis.

Quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Usque adeo vera sapientia, & cum Deo semper fuisse declaratur; ut ante sæcula prædestinata in gloriam nostram dicatur, qui credimus. Præsciens enim Deus errores futuros

g [g] in mundo, quem erat facturus, hoc decrevit ad confusionem illorum, qui sibi stultitiam sapientiam facturi erant: ad nostram autem gloriam, qui credituri eramus, & credimus.

Quam nemo principum hujus sæculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent. Principes hujus sæculi non solum homines accipiendos Judæorum ac Romanorum: sed & hos principes ac potestates, quos supra dixit, ad quos vere pertinet dictum hoc, adversus quos nobis colluctatio est spiritalis nequitiæ in cælesti- ℣. 8. bus; quia consilio ac voluntate illorum crucifixus est Christus. Denique [h] post tentationes *diabolus recessit*, ait, *usque* Ephes. 6. 12. *ad tempus.* Et ipse Dominus: *Princeps*, inquit, *hujus mundi* h Luc. 4. 13. Johan. 14. 30. *venit, & in me invenit nihil.* Principes ergo hujus sæculi per ignorantiam Dominum majestatis crucifixerunt; nam Judæorum principes, quomodo principes hujus sæculi possunt intelligi, qui erant subjecti regno Romano? Et neque Romanorum principes crucifixerunt Christum; quippe cùm dixerit Pilatus: *Nullam causam mortis invenio in eo.* Unde Johan. 19. 4. & manus lavit, dicens Judæis: *Innocens ego sum à sanguine* Matth. 27. 24. *justi hujus, vos videritis.* Hi ergo principes crucifixerunt Christum dominum, quos triumphavit libere in semet ip- Coloss. 2. 15. so; quamvis dicat Marcus evangelista de dæmonibus: *Scie-* Marc. 1. 34. *bant enim Christum ipsum esse Jesum.* Scierunt quidem ipsum esse, sed qui in Lege promissus erat: mysterium tamen ejus, quo Filius Dei est, nesciebant. Hoc etiam & Petrus Act. 3. 17. apostolus ad populum Judaicum dixit; *Scio, fratres, quia per ignorantiam egistis hoc malum, & sicut principes vestri*; non tamen sæculi. Si ergo per ignorantiam servi occiderunt Dominum, peccatum eis adscribi non debet. Sed non licet hoc ignorare. Et quamvis Dominum esse nescierunt; nescii tamen non erant quia rem impiam faciebant. Dominus tamen majestatis crucifixus dicitur, cùm mori nesciat: sed quia Verbum caro factum est, id est, Dei Filius incarnatus homo factus est, ipsi adscripta est mors; quia Judæi non utique carnem persequuti sunt, sed eum qui operabatur per carnem: ac per hoc quamvis Dominus majestatis mortem ignoret, quantum tamen ad Judæorum votum pertinet, & ad principum hujus sæculi, Dominum occiderunt in carne.

Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum. Hoc est scriptum est [i] in Apocalypsi He- ℣. 9. liæ in apocryphis. Per hoc exemplum inopinatam rem factam dicit, & quæ non solum in humanum sensum non caderet, sed & celestes potentias lateret, Dei scilicet Filium i

a. Rom. edit. *mundanos dicimus imperitos.* Et infra, *ut peccatorum in se contradictionem sufferret.*

b. MSS. non pauci, *annuntians vobis testimonium Christi.*

c. Corb. codex, *Dei Verbum ... quæ & præter eloquentiam.*

d. Omnes edit. ac nonnulli MSS. distrahunt. *Ex quibus Marcion traxit errorem, qui arguit: quæ clausa videntur.* MSS. vero frequentissimi tribus, ut nos in textu, voces enim *quæ arguit* referentur ad Apostolum. Infra vero, ubi edit. & pars MSS. *quod prudentia* &c. alia pars exhibet, *quod prudentiam mundi sonciebatur.*

e. Ita edit. omnes, ac MSS. aliquot: alii verò majori numero, *& inimicam gentibus ... ostendit quia ne hominum favorem adquireret, idcirco humanæ sapientiæ placere noluisse.*

f. MSS. Complures, *Sed ad ostensionem spiritus, & virtutis Dei.* Consequentes autem Rom. edit. sic habet. *Hoc est, quia quæ verbis infirma juxta virtutem fortia, res fatuæ ... ut verbis stultitia ... ratione fundatam.*

g. Corb. codex, *in mundo, de hoc, quæ erat facturus.*

h. Idem codex, *post tentationes quas Domino diabolus inferre ausus est, ait evangelista: Recessit diabolus usque ad tempus.*

i. Sic omnes MSS. exceptis Thuan. & Laud. ubi sicut in consuetis edit. legas; *in Esaia propheta aliis verbis.*

incarnatum; ut quod supra dixerat, firmaret, quia si principes hujus sæculi Deum hominem factum non intellexerunt, quanto magis homines? Sed si verba offendiculum vel scandalum faciebant; virtutibus tamen & signis fides non debuerat denegari. Infirmitati enim & ignorantiæ humanæ virtus debuerat præponi, & credi quod humanæ rationi impossibile videbatur; ideoque diligentibus Deum, id est, credentibus præparavit donum hoc.

℣. 10. *Nobis vero revelavit Deus per Spiritum suum.* Et quia principes sæculi hoc ignorabant, Deus hoc per Spiritum suum revelavit credentibus; quia res Dei non potest sine Spiritu Dei addisci. Nam non solùm hominibus sacramentum istud missum se dicit declarare, sed & principibus & potestatibus in cælestibus, qui Dominum crucifixerunt; ut B hoc prædicante in terris, discant qui sunt in carnalibus cælis, qui degunt sub elementis firmamenti. Hic ergo singularis apostolus est, qui hanc gratiam consequutus est; quia Trinitatis mysterium à nullo sic potuit explanari: unde &

Act. 9. 15. vas electionis divino judicio vocitatus est.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quia enim de Deo est hic Spiritus, omnia novit. *Dei profunda* autem ideo ait, quia omnem virtutem & præscientiam ejus novit: quod omnino creaturæ impossibile est.

℣. 11. a *Quis enim scit hominum ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Manifestum est cogitationes nostras à nullo sciri, nisi ab animo nostro, quem spiritum C

Luc. 8. 55. dixit. Denique in Evangelio inter cetera sic ait: *Et spiritus ejus reversus est ad illam.*

Sic & quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei. Hic Spiritus Dei docuit nos, b quod scit naturaliter, non doctus; & docuit nos de mysterio Christi; quia non solum Spiritus Dei est, sed & Christi.

℣. 12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus; sed Spiritum qui ex Deo est.* Hinc scimus quia Spiritum, qui de Deo est, accepimus, quia mundi spiritus non potest scire, quæ ab hoc nobis insinuata sunt. Spiritus tamen mundi hic est, per quem arripiuntur phanatici, qui sine Deo sunt; est enim inter mundanos spiritus potior; unde solet conjecturis, quæ mundi sunt divinare, quem pythonem appellant. D Hic est qui per verisimilia fallitur & fallit: hic est qui per Sibyllam loquutus est, sensum nostrum sequutus, locum volens inter cælestes habere.

Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quia enim Dei Spiritus datus est nobis, scimus quæ à Deo donata sunt nobis. Non enim hæc possemus scire, si mundi spiritum haberemus; quia c non potest mundi scire spiritus. Sensum enim Dei nemo novit, nisi qui de Deo est, Spiritus Dei; inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura conditoris sui dignoscere voluntatem.

℣. 13. *Quæ & loquimur.* Ut hinc manifestum sit scire nos quæ à Deo nobis donata sunt; quia hæc & loquimur, ut & alii discant per doctrinam spiritalem. Prædicatoribus enim, id E est, apostolis insinuata divinitus sunt, quæ traderent populis, & addiscerent principes hujus sæculi quid admisissent mali.

d *Non in doctrina verborum humanæ sapientiæ, sed in doctrina spiritus*; verba enim humanæ sapientiæ hunc sensum non vident, neque litteraturæ studiis apprehenditur: sed per fidem spiritali ratione concipitur, dicente Esaia pro-

Esai. 7. 9. pheta: *Nisi credideritis, neque intelligetis.* Naturali enim magis lege, quàm cursu syderum, & calculis signorum, quæ in firmamento denotantur, addiscitur. Denique credentes non humanis verbis, sed naturæ suæ vident congruere, quod credunt; opus enim agnoscit opificem: ideoque F Evangelium animis nostris loquitur spiritalia, excitans illos ad cognitionem sui Creatoris.

Spiritalibus spiritalia comparantes. Hoc est, iis qui mundanam prudentiam refutant, spiritalem efficaciam tradere, quæ mysterio fidei continetur, ad illuminandum sensus benevolorum hominum; credentes enim quæ mundi sapientia stulta judicat, spiritales sunt.

e *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei nescit; stultitia enim est illi.* Pecoribus enim similis A sensum suum in terram deprimit; ideoque non adsequitur nisi quæ videt: nec putat aliquid posse fieri, quam quomodo fit. Ideo quidquid aliter audit, quam novit, stultum judicat; nihil enim existimat posse fieri sine commixtione. Unde ridet audiens Deum Filium genuisse, quem scit simplicem & incorporeum: & Virginem peperisse, & resoluta corpora rursum revocari ad vitam; cùm hæc magis ad laudem Dei proficiant, ut credatur fecisse, cujus operis ratio investigari non possit; Deus est enim, qui fecit. Imbecillitas enim humana stultum putat, quod scientiâ suâ non concludit; cùm hoc magis stultum deberet habere, & illud prudens, quod quia Dei factum dicitur, non potest comprehendi.

Et non potest scire; quoniam spiritaliter judicatur. Humanam traditionem sequentes, dum unius Dei fidem abnegant, spiritualiter factum est, quod ratione carnis inflati putant fieri non posse: & sic reprobi adnotati, spiritaliter condemnati sunt.

Spiritalis vero dijudicat omnia, & ipse à nemine judicatur. Quoniam vera ratio spiritualium est, id est, creden- ℣. 15.
tium; hoc enim quis nuncupatur, quod credit: ideo ipsi omnia judicant. Ipsorum enim exemplo infidelitas dijudicabitur: ipsi autem à nemine judicabuntur. Quis enim condemnet vera dicentem. Cùm enim constet omnes inimicos fidei falsa tenere pro veris, accusatio illorum in irritum jam deducta est, veri judicio condemnata; quia qui non I. Joan. 3. 18.
crediderit, inquit Dominus, jam judicatus est.

Quis enim cognovit sensum Domini? quis instruxit eum? ℣. 16.
Sensus Dei est, quod hæc spiritaliter jussit fieri, per quæ Esai. 40. 13.
mundi sapientia stulta probaretur, negans posse fieri quod factum est. Quem sensum nullus est, qui cognoverit, & displiceat illi, ut emendet consilium Dei; quia qui cognovit, laudat potentiam Dei, quem qui omnia negat posse, nec mundum credit fecisse. Quid enim magnum est, ut de se credatur generasse, qui non ambigitur cuncta ex nihilo fecisse? quippe cùm dicat Salvator: *Apud Deum autem om-* Matth. 19. 26.
nia possibilia sunt.

Nos autem sensum Domini habemus. Hoc dicit, f quia credentes participes sumus ejusdem divinæ sententiæ.

CAP. III. ℣. 1.

ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Nunc his loquitur, qui propterea quod sæculi adhuc voluptatibus serviebant, carnales erant. Quamvis jam baptizati essent, & Spiritum sanctum accepissent; tamen quia post baptismum statim ad veterem hominem fuerant reversi, cui abrenunciaverant, dicuntur carnales. Spiritus enim sanctus tunc permanet in eo, cui se infuderat, si permaneat in proposito regenerationis: si quominus, abscedit; ita tamen ut si se reformaverit homo, redeat ad illum. Semper enim paratus ad bonum est, diligens pœnitentiam.

Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Quamvis renati essent in Christo, tamen non fuit dignum tradi spiritualia; accepta enim fide, quæ est velut semen spiritale, nullum fructum Deo dignum fecerunt, ut perfectionis verba mererentur addiscere: sed quasi parvuli imperfectionis sensibus studebant. Apostolus autem vir divinus, & medicus spiritalis, unicuique secundum vires suas tradebat; ne per imperfectionem & imperitiam quis de rebus spiritalibus scandalum pateretur.

Nondum enim poteratis. Ostendit aperte non illos debuisse audire, quæ confirmatis dicenda sunt. ℣. 2.

Sed neque nunc potestis; adhuc enim carnales estis. Hic valde arguit temeritatem illorum, qui querebantur dudum se non audisse spiritalia; cùm adhuc indigni essent audire. Pseudoapostoli enim promiscue omnibus uno atque eodem genere tradebant, nullius personam discernentes; ut acceptabiles fierent per hypocrisin commendati: cùm constet Dominum & auctorem nostrum Christum aliter populis, aliter discipulis interfatum, & inter ipsos apostolos fuisse distantiam; tribus etenim discipulis gloriam suam in monte ostendit, dicens illis ut tacerent visum, quamdiu à mortuis resurgeret. Matth. 17. 1.

a. Rom. edit. ac mss. nonnulli, *Quis enim hominum scit hominis abscondita*: vet. autem edit. & mss. frequentissimi, ut in contextu.

b. Rom. edit. cum paucis mss. *quos scit naturaliter non doctos*: reliquæ edit. ac mss. magno numero, *quod scit naturaliter non doctus*, id est, non per doctrinam aliunde acceptam.

c. Ita vet. edit. ac mss. longe plurimi: at Rom. edit. cum aliis nonnullis mss. *non potest ea quæ sunt Dei scire mundi spiritus.*

d. Rom. edit. cum mss. uno vel altero: *Non in persuasione humanæ sapientiæ, sed in ostensione spiritus . . . neque litterarum studiis apprehenditur.* Aliæ edit. & mss. inter se concordant, nisi quod pro *litteraturæ studiis*, mss. aliquot, ac vet. edit. legunt, *litteratura studiis*, forte litteris ac studiis.

e. Rom. edit. & mss. nonnulli: *Animalis autem homo quæ sunt Spiritus Dei non sapit, & stultitia est illi*, &c. reliqui mss. nobiscum faciunt.

f. Ita mss. plures, potioresque, à quibus hoc solo differunt vet. edit. quod habent, *id est, divinæ sententiæ*: Rom. autem edit. & quidam mss. *quia qui credentes sumus, ejusdem, id est, divinæ sententiæ sensum habemus.*

℣. 3. *Cùm enim in vobis æmulationes & contentiones sint, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Indignitatis causam ostendit; quia qui de homine sperat auxilium, carnalis est. Qui autem spreta humanitate, de Deo sperat, spiritalis est; quia Deus spiritus est.

℣. 4. *Cùm enim quis dicat: Ego sum Pauli; alius autem: Ego Apollo; nonne homines estis?* Sicut enim gloriantes in Deo, & de ipso omnem [a] gratiam sperantes, dii dicuntur, à Deo adoptati; ita & in homine gloriantes, & homines & carnales dicuntur, sententia Dei conclusi, qui ait: *Ego dixi: dii estis: vos autem sicut homines moriemini.* (Psal. 81. 6.) A sua ergo persona incipit; ne forte putaretur per invidiam magis personas illorum destruere, ostendens magnum errorem & ad Dei contumeliam pertinere, quando Deo prædicato, B gloria datur hominibus. Quid ergo minus est à gentilitate, dum adhuc aliquid de hominibus speratur?

℣. 5. *Quid igitur est Appollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis.* Ut quia ministri sunt, spes in his non sit, sed in Deo, cujus ministri sunt. Illi enim gratiarum actio deferenda est, cujus donum est; hi vero servi, quos etiam invitos oportet dispensare. Numquid non Moyses coactus est ire ad Pharaonem; & Jonas invitus missus est prædicare Ninivitis, & Ananias contradicens missus est Saulo manum imponere?

Et unicuique sicut Dominus dedit: id est, sicut voluit, & scivit, divisit singulis officia ministerii.

℣. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.* Plantare est evangelizare, & ad fidem adtrahere: rigare vero baptizare solemnibus verbis: peccata autem dimittere, & Spiritum dare, Dei solius. Si ergo effectum salutis Deus dat, nulla gloria in hac re hominis est. (Act. 2. 4.) Scimus enim & Spiritum sanctum sine manus impositione datum à Deo, (Act. 12. 4.) & non baptizatum consequutum remissionem peccatorum. Numquid non hic invisibiliter baptizatus est; quando donum baptismatis consequutus est?

℣. 7. *Itaque neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Et plantata enim solent emori, & rigata ad effectum fœcunditatis minime pervenire, nisi det Deus vegetam vitam. Quantum ergo ad honorificentiam Dei pertinet, nihil est homo: quantùm au- D tem ad ministerium pertinet, necessarius est; ut honorificetur quasi servus, non ut aliquid de illo speretur ad injuriam Dei.

℣. 8. *Qui enim plantat, & qui rigat, unum sunt.* Unum sunt, [b] quia ambo mercenarii sunt; quamvis diversa sint illorum officia. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Quamvis enim unum sint, sed quia major est, qui evangelizat, quam qui baptizat; ideo discrevit mercedes illorum; & non solùm ad hoc, sed ad doctrinæ sinceritatem pertinet; ut majori mercede sit dignus, qui inviolatam tradit doctrinam.

℣. 9. *Dei enim sumus [c] operis participes: Dei cultura, Dei ædificatio estis.* Hoc ad apostolorum personam pertinet, quos E constat Dei esse adjutores; quia vicarii sunt Christi.

℣. 10. *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui.* Gratiam sibi datam dicit, ut dignus esset prædicare Evangelium; ut & hoc Dei esse ostenderet, non hominis. Secundum hanc itaque gratiam, ut sapientem architectum fundamentum se dicit posuisse. Sapiens architectus est, qui juxta disciplinam auctoris collocat fundamentum, id est, qui secundùm traditionem Salvatoris evangelizat.

Alius autem superædificat. Superædificia sunt, quæ post prædicationem apostolorum à supervenientibus traduntur aut malis aut bonis doctoribus.

Unusquisque autem videat, [d] quemadmodum superædificet, id est, ut superædificia congruant fundamento; ne si obliqua fuerint & frivola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento; quia si male docuerit, Christi nomen permanet, quod est fundamentum: doctrina autem mala peribit, sicut dicit Dominus: (Matth. 15. 13.) *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.*

℣. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod* A *positum est, quod est Christus Jesus.* Ideo nemo potest ponere aliud fundamentum, quia quamvis hæretici sint aliqui, non tamen docent, nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito Salvatoris nomine prædicent; ut res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles.

Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos. ℣. 12. Lapides pretiosi sunt, quos non corrumpit ignis. Tria genera posuit præclara in mundo, in quibus bonam doctrinam significavit. *Ligna, fœnum, stipulam:* tria alia genera posuit, sed frivola. In his corrupta & vana doctrina designata [e] dignoscitur.

Qui facit hoc opus, manifestus erit; dies enim declarabit, quia ℣. 13. B *in igne revelabitur.* Hoc est, mala doctrina in igne omnibus apparebit; nunc enim quosdam fallit. *Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Quia enim per ignem examinatio fiet, si in aliquo non invenerit, quod exurat, manifestat illum bonum fuisse doctorem; mala enim & adultera doctrina idcirco in ligno, fœno, & stipula significata est, ut ostenderetur ignis esse esca.

Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem ℣. 14. *accipiet.* Cùm enim nihil in illo sordis inventum fuerit pravæ doctrinæ, ut in bono auro; ita erit ut tres fratres in (Dan. 3. 23.) camino ignis, mercedem vitam æternam cum gloria accepturus; quia sicut aurum & argentum, & lapides, quos ignis non consumit; ita & bonus magister incorruptibilis C permanebit.

Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. ℣. 15. Opus quod ardere dicitur, mala doctrina est, quæ interibit. Cuncta enim mala peribunt, sicut iter impiorum; quia non sunt substantiæ, sed adlevetationes perversæ. Damnum autem pati est, pœnas perpeti. Quis enim in pœna positus, jacturam non facit?

Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Salvum illum futurum dixit; quia non interibit substantia, qua constat, sicut & doctrina mala peribit; quia accidens causa est. Ideo autem dixit: *Sic tamen quasi per ignem;* ut salus hæc non sine pœna sit, quia non dixit: Salvus erit per ignem; ut merito suo [f] ab igni non combustus, D salvus fiat examinatus per ignem; sed cùm dicit: *Sic tamen quasi per ignem,* ostendit salvum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum; ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur: ut ex aliqua parte operæpretium sit credidisse in Christum. Semper enim erubescat necesse est, qui se videt falsum defendisse pro vero: & simili modo semper fiduciam habebit Dei, qui abjecto falso, sequutus est verum; & spreta impietate, succubuit pietati. [g] Extra catholicam enim quidquid est, contrarium est.

Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? ℣. 16. Templum Dei nos esse dicit, ut Deum in nobis habitare sciamus; in templo enim suo habitet necesse E est. Et quia Spiritum Dei dicit habitare in nobis, Deum significat intelligendum Spiritum sanctum.

Si quis templum Dei violaverit, disperdet eum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. ℣. 17. Hæc idcirco præmisit, ut illos compungat, qui turpiter viventes, corpora sua violando corruperant; maxime illum qui uxorem patris habebat; ut ante esset reus, quam causa illius in medium prorumperet. Denique simili, immo eodem modo, cùm causam illius judicat, loquitur dicens: *An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* (1. Cor. 6. 19.) [h] Superiùs templum Dei dixit; hoc autem loco templum Spiritus sancti. Quis hìc du- F bitet, quia Spiritum sanctum Deum significavit?

Nemo se seducat: ℣. 18. id est, nemo proprio, vel humano consilio putet se sibi prodesse. Ad superiorem sensum redit: *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Hoc dicit, quia si quis intelligit salutem promissam, & mysterium incarnationis domini nostri Jesu Christi, stultus fiat, id est, sapientiam mundi fugiat, ut stultus ab ea judicetur, & tunc erit prudens; quia stultus sæculo prudens est Deo, dum credit Deum

a. Mss. aliquot, *gloriam sperantes.* Et rursus pro *sententia Dei conclusi* non pauci mss. habent, *sententia Dei concludit,* unus, *quod uno verbo Dei sententia concludit.*

b. Nonnulli mss. *quia ambo necessarii sunt.*

c. Ita vet. edit. ac mss. longe plurimi: at Rom. edit. & mss. nonnulli, *operis adjutores.*

d. Corb. cod. *quomodo superædificet. Quamvis diversa sint illorum officia, necesse ut superædificia* &c.

e. Rom. edit. & pauci mss. *dignoscitur. Cujuscumque opus manifestum erit.*

f. Codex Vall. *ab igne combustus.*

g. Rom. edit. *Extra catholicum:* aliæ, ac mss. *Extra catholicam,* ubi supplendum est, Ecclesiam, quam vocem exprimit solus ms. Corb. hoc modo: *Extra catholicam enim Ecclesiam quidquid est, impium est & funestum.*

h. Ita vet. edit. ac mss. at Rom. edit. sic immutavit: *Hic templum Dei dicit, infra vero templum* &c.

fecisse, quæ ratio mundi non capit, sicut supra memoravi. Pseudoapostoli autem prudentes volentes videri in mundo, neque Deum Filium habere, neque incarnationem veram esse, neque carnem posse resurgere prædicabant.

Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Sic stultitia est sapientia hujus mundi apud Deum, dum facit Deus, quod mundus fieri posse negat; sapientiam illius stultitiam probat, & cùm multos deos dicant, fides autem unum probet, teste virtute, in prudentia sua confundentur.

℣. 20. *Scriptum est enim:* [a] *Reprehendens sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.* (Job. 5. 13. Psal. 93. 11.) Istud in psalmo habetur nonagesimo tertio. Denique idem sensus est; sciens enim vanas cogitationes illorum, ut stultos illos probaret, sapientiam illorum reprehendit, ostendens verum esse, quod falsum dicebant, & falsum, quod verum putabant.

Itaque nemo glorietur in homine. Quoniam enim humanæ cogitationes & consilia improvida & infirma sunt, non esse gloriandum in homine docet, sed in Deo, cujus consilium retractari non potest: quidquid enim homines sine Deo sapiunt, stultum est.

℣. 22. *Omnia namque vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo,* [b] *sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Alio loco dicit de eodem sensu: *Nos autem servos vestros propter Jesum.* (2. Cor. 4. 5.) Servos pro ministris posuit; ut non [c] singulos sibi defenderent, cùm omnibus uterentur, sicut & Dominus dicit: *Ego sum in medio vestrum non ut ministrer, sed ut ministrem.* (Luc. 22. 27.) Nam mundus utique noster est, sed ut de illo secundum Dei voluntatem sentiamus, & decretos cursus ejus in Dei voluntate ponamus. Et vita præsens concessa nobis est, sed ut modeste illam & cum Dei gloria transigamus. *Sive mors*, ut pro Christo mori libenter habeamus spe promissionis futuræ. *Sive præsentia*, ut sic præsentibus utamur, ne offendamus. *Sive futura*, ut futura credentes, ipsis nos magis, quia meliora sunt, commendemus.

℣. 23. *Vos autem Christi:* ut quomodo hæc judicio nostro concessa sunt & subjecta, ita & nos Christo subjiciamur; quippe cùm per ipsum esse cœperimus, & in prima origine, & regeneratione. *Christus autem Dei.* Christus Dei est Patris sui proprius Filius, faciens voluntatem ejus; ut & nos ipsius faciamus. Si ergo Christi sumus famuli, quid est ut ad ejus injuriam de hominibus aliquid speremus?

CAP. IV. ℣. 1. ITa nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hoc significavit, quia minus de illo sentiebant aliqui Corinthiorum: sed ut homo hoc de illo sentiret, quod & Deus, qui illum elegerat; ideo ministros Christi ait, & dispensatores mysteriorum Dei. Quando enim non verborum strepitu, neque humanâ sapientiâ nitebatur intelligi; debuit sacramentum Christi dispensare, in quo non verba, sed virtus fulgebat: non per quod homo, sed Deus gloriosus videretur; collega enim piscatorum, non aliter quam illi, Christum prædicabat. Cùm ergo ministrum se Christi & sacramentorum Dei probat, pseudoapostolos notat, & abnegat Christi esse quod tradunt, per id quod discordarent à traditione apostolica.

℣. 2. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Hoc quod dicit, non solum ad pseudoapostolorum personam pertinet; sed & ad reliquorum, qui accepta dispensatione, aut verecundia, aut timore, aut certe commendationis suæ causa constanter arguere trepidabant aut malos sensus aut mores. Hic enim tam constans erat, ut nec vitæ suæ parceret; dummodo fideliter [d] omnia celebraret.

℣. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis dijudicer, aut ab humano die.* Quos in tantis vitiis reprehendit, miserum dicit ab his se judicari; quippe cùm nec à justis judicandum se sciret. *Aut ab humano die*, hoc est, quia nec à legibus mundo creditis judicandus erat. Supergressus enim humanam justitiam, cælesti justitiæ studebat, sicut dicit Dominus: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum Dei.* (Matth. 5. 20.) Humanum ergo diem cùm dicit, significat & divinum; in quo judicaturus est Christus; quia sicut jurisconsulti seu pontifices, quos vocant sacerdotes, certos dies quibus judicatur, decreverunt; ita & dies Domini definitus est, quo judicaturus est mundum.

℣. 4. *Sed neque me ipsum judico; nihil quidem mihi conscius sum.* Apertum est quia conscientiam puram habens sollicitus de se non erat. *Sed non in hoc justificatus sum.* Nunc humiliat se, & loquitur ut homo, qui possit culpam incurrere nescius. *Qui autem judicat me, Dominus est.* Recte ait; quamvis enim humiliaverit se, tamen domino Christo plurimum dedit; quia potest, quod hominem latet, dum occulta judicat, manifestare, non ut reum faciat, sed prudentem. [e] Quamvis enim sanctus, tamen homo est, quem non potest fieri, ut non aliquid lateat. Interdum enim aliquid utile putamus, quod inutile est; nec enim omnia membra aut latera conversationis humanæ descripta habemus: ab iis autem quæ gravia sunt, aperte prohibiti sumus. Nam quædam causæ nos fallere solent ex causis aliquibus ortæ; ut quod non est utile, putemus utile: quod leve quidem est; quia propositum liberum est.

℣. 5. *Itaque nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus.* Monet illos ne judicent, cùm judicandi sint, & habeant duplex peccatum, sicut ait Dominus: *Nolite judicare, ut non judicemini;* (Matth. 7. 1.) sed exspectate diem judicii Dei, ac si fideles & boni sint. Injuria enim judicis est, si ante cognitionem ejus à servo procedat judicium aut sententia.

Qui & illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo. Hoc dicit, quia in die judicii nihil occultum erit eorum, quæ gesta aut cogitata sunt: & simplicitas & hypocrisis illic apparebit; ut & qui despectus habebatur, forte appareat dignus: & qui aliquid esse putabatur, inveniatur reprobus. [f] Omnia enim nuda erunt in die judicii, & tunc laus erit bene agenti vel cogitanti. Hic enim qui laudatur, improbabile est an dignus sit, sicut & in alio loco dicit: *Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est: sed quem Deus commendat*, (2. Cor. 10. 18.) quem utique nihil latet.

℣. 6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, & Apollo propter vos; ut in nobis discatis, ne supra quod scriptum est, unus pro uno infletur adversus alterum.* Transfiguravit hæc in se & Apollo, dum pseudoapostolorum glorias & traditiones perversas sub sua persona & Apollo evacuat, summatim illos designans, non singulatim; ne forte major discordia in populo nasceretur. Nemo enim audiens nomen suum taxari, aut ejus cui favet, contentus est tacere: tacito autem nomine si quis audiens, etiamsi de se intelligat dictum, dissimulat. Sub hac ergo propositione evacuavit personas illorum, cùm dicit: *Ego plantavi, Apollo rigavit*, (1. Cor. 3. 6.) &c. ut in his discerent nihil dandum hominibus.

℣. 7. *Nam quis te discernit?* Id est, sunt aliqui, qui amplius accipientes in baptismate aut in doctrina, ceteros dicant minus consequutos. Hoc iis loquitur, qui baptizatos ab aliis, plus aliquid esse putabant: quorum eloquentia seducebantur, ut fuco quodam perversa recta putarent. Tanta enim discordia erat in populo, ut multa essent studia diversarum partium: & sic omnia dicta sua aptavit Apostolus sine manifestatione nominum omnibus partibus; ut cùm legeretur epistola, unaquæque pars ad se dicta susciperet, audiens quod causæ suæ intendi cognosceret.

Quid enim habes, quod non accepisti? Nihil illum boni ultra dicit consequutum ab aliis, quam ab eo acceperat, ideo frustra queri; quod enim habebant, ab Apostolo acceperant. Ad unum autem videtur loqui, quia ad partem plebis loquitur.

Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Hoc quasi insultatores Apostoli agebant per imperitiam; ut eadem audientes, quæ ab Apostolo jam didicerant, illum evacuantes, de horum magisterio gloriarentur; eloquentia enim commendati, prædicationis gloriam in se convertebant. Apostolus vero contemtibilem se volebat videri, dummodo Dei gloriam faceret acceptabilem.

℣. 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis.* Ironia est, ut dicunt; irascentis enim verba

a. Rom. edit. *Apprehendam sapientes... sapientiam illorum apprehendit.*
b. Mss. aliquot, *sive Cephas, qui est Petrus.*
c. Rom. edit. *singulos sibi deferrent.* Et infra, *quia meliora sunt, accommodemus.*
d. Eadem edit. Rom. *omnia consummaret.* Ac post pauca, *reprehendit, miserum dicit.*
e. Ver. edit. & mss. non pauci, *Quamvis enim homo est, quem non potest, nisi aliquid lateat:* Rom. edit. cum Gill. in marg. & mss. nonnullis locum satis commode sic emendatat, *Quis enim homo est, quem non aliquid lateat:* Sed veram lectionem suppeditavit cod. Vall. ut nos in textu.
f. Mss. aliquot, *omnia enim nota erunt.*

sunt, non confirmantis. In quibus enim tanta vitia arguit, regnare illos dicit; sic enim putabant, gloriantes de iis quæ à pseudoapostolis tradebantur.

Et utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Ut pius pater etiam ingratis filiis bene optat. Quî enim poterat fieri, ut sine apostolis regnarent? Quidquid enim non ab apostolis traditum est, sceleribus plenum est. Sic tamen ordo fuerat dicere: Ut nobiscum regnetis; sed quia præmiserat: *Et utinam regnetis*, aliter dicere non potuit, nisi: *Ut & nos vobiscum regnemus.* Regnare autem est de spe & promissis Christi securum esse, & gaudere in iis, quæ adversa propter nomen Christi accidunt; lucrum enim afferunt, non detrimentum. Unde alio loco dicit: *Cum infirmor, tunc potens sum.* (2. Cor. 12. 10.)

℣. 9. *Puto enim quod Deus nos apostolos novissimos ostendit, quasi morti destinatos.* Hoc ideo personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones & pressuras ultra ceteros passus, sicut passuri sunt Enoch & Elias, [a] qui ultimo tempore futuri sunt apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias, ad resistendum antichristo, quos & persecutiones pari & occidi lectio Apocalypsis testatur. (Apoc. 11. 8. & seq.) Horum ergo tempus suo tempori comparavit Apostolus dicens: *Quasi morti destinatos*; ad hoc enim venturi sunt, ut occidantur.

Quia spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus. Quia erunt spectaculum & Enoch & Elias usque adeo, ut corpora eorum in platea projiciantur in conspectu totius populi infidelis: ita & apostoli spectaculum facti sunt; quia publice videbantur, positi ad injuriam & mortem, quam passi sunt. Mundum autem, angelos & homines dixit; quia & angeli mali sunt, dicente David in psalmo septuagesimo septimo: Vexabat illos per Angelos malos: & homines mali & increduli; his apostolorum injuriæ oblectamento sunt. (Psal. 77. 49.) Mundus autem idcirco infidelitas dicitur, quia visibilia sequitur.

℣. 10. *Nos stulti propter Christum.* Verum est, quia amantes Christum, stulti sunt mundo. *Vos autem prudentes in Christo.* Qui prudens in Christo judicatur à perfidis, non recte adserit Christum. Denique Marcion, quia negat Filium Dei, & incarnari Deum potuisse, prudens est mundo: & Photinus, quia non fatetur Christum per id quod natus est, Deum, sapiens videtur mundanis.

Nos infirmi. Infirmi ideo, quia sine adulatione & cum stultitia, sicut videtur mundanis, prædicantes Christum, injuriis subjiciebantur. *Vos autem fortes.* Ideo fortes, quia sic profitebantur Christum, ne offenderent homines, ut essent securi.

Vos nobiles. Qui enim Christum non fatetur, quia Abrahæ promissus est, & ab initio prædicatus, hic nobilis contra Christum est; quia antiquitatem promissi Christi aliis deputat. *Nos vero ignobiles.* Ignobilis mundo est, qui Christum, quod mundus denegat, ab initio profitetur. Hæc igitur omnia supradicta, quæ negare videtur, confirmat: & quæ quasi confirmare videtur, negat. Irascentis enim verba sunt, qui negando confitetur, & confitendo negat.

℣. 11. *Usque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi*
℣. 12. *sumus, & colaphizamur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* Libere enim & juxta veram fidem sine aliqua adulatione Christum prædicantes, & gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam apud homines non habebant, & colaphizabantur, id est, injuriis agebantur, & instabiles erant; quia fugabantur, ne in loco diu manentes, plures docerent. Ideo & manibus operabantur, quia non solum gratiam apud homines non habebant; verumetiam ab his accipere indignum erat, qui errori studebant, sicut dicit in psalmo centesimo quadragesimo: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* (Psal. 140. 5.) Quia & libertatem arguendi amittit, & peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corripiatur.

Maledicimur, & benedicimus: male tractantes enim se hortabantur ad bonum. *Persecutionem patimur, & sustinemus*: quia persequentibus se non resistebant. *Blasphemamur, & obsecramus*; blasphemantes enim rogabant, ut permitterent sibi reddi rationem. (℣. 13.)

Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, [b] *omnium peripsema usque modo.* Non resistendo ulli, neque vicem in malis reddendo, sed semper se subjiciendo; ut per patientiam revocaret ad bonum, contemtibilis & despectus fiebat. *Usque modo*, id est, usque nunc etiam apud Corinthios, pro quibus hæc, quæ supra memorat, mala passus est. Et quoniam humilitatem suam nihil in his proficere videbat, queritur dolore commotus tantam subjectionem & injurias nullum fructum habere potuisse; sed & quod deterius est, in pejus profecisse.

Non ut confundam vos, hæc scribo: hoc est, non ut ruborem vobis faciam, hæc scribo, sed ut corrigatis. *Sed quasi filios meos carissimos moneo.* Adhuc se supplicem facit; ne correpti, & ad iram provocati, admonitiones ejus spernerent. Id agit ut medicus salutaris, qui putamina abscindens, dolorem illatum spe & blanditiis mitigat, ut æger se curari permittat. ℣. 14.

Si enim decem millia pædagogorum habueritis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. His dictis ostendit nullum posse eo affectu diligere illos, quo ipse eos diligebat. Quis enim alienos filios suis præponat in amore? Ac per hoc monita ejus, qui & pro his tanta mala passus est, non debere eos spernere. ℣. 15.

Obsecro ergo vos, imitatores mei estote. O benevolentiam sancti Apostoli, qui obsecrat filios; ut imitentur patrem, hoc est, sponte rogat ægros, ut recipiant medicinam! In his tamen sui illos imitatores vult esse; ut sicut hic multa exitia pro salute eorum ab incredulis passus est, & non cessit, dummodo per dies & noctes evangelizaret illis donum gratiæ Dei; ita & illi manentes in fide ejus & doctrina, non reciperent falsorum apostolorum prava commenta: [c] sed resisterent contemnentes opprobria, aut detractiones; ut patri suo spiritali inviolatum reservarent affectum. ℣. 16.

Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus & fidelis in Domino. Hortatur illos in hoc eodem Timotheo, quem ideo carissimum & fidelem filium obtestatur in Domino, ut in hoc discerent, quid peccarent; cùm enim huic testimonium perhibet, illos arguit. ℣. 17.

Qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Per istum quem fidelem filium in Domino confirmat, reverti illos vult ad regulam à se traditæ veritatis; ut commoniti verbis & exemplis operum ejus resipiscerent, cognoscentes non perperam se fuisse ab Apostolo doctos, quando eadem tenere omnes Ecclesias discerent.

Tamquam non venturus essem ad vos, sic inflati sunt quidam. Indignabantur quidam Corinthiorum, quia non ibat ad illos, non desiderio, sed superbia, quod quasi indignos illos haberet; cùm magis Apostolo hoc studium fuerit, ut de indignis faceret dignos. Habebat ergo votum eundi, sed majora erant, quæ agebat. ℣. 18.

Veniam autem cito ad vos, si Dominus permiserit. [d] Post commonitionem promittit se ire ad illos, sed si Dominus permitteret; ut quia plus scit Deus quam homo, ideo si sciret operæpretium esse, permitteret: & si non iret, Dominum non sivisse ostenderet, causa utique indignitatis illorum. ℣. 19.

Et recognoscam non sermonem illorum, qui inflati sunt, sed virtutem. Confundit illos; quia cùm oblique corrigerentur, indignabantur, quasi digni essent ab Apostolo visitari.

Nec enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Ut sicut regnum Dei non splendore verborum commendatur, sed virtute signorum; ita & hi non verbis nudis, sed virtute operum spiritualium dignos se ostenderent ab Apostolo visitari. ℣. 20.

Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate & spiritu mansuetudinis? Terroris verba infert, ut pudorem passi, qui inflati erant, humiliarentur; ut si vere Apostoli præsentiam desiderarent, præpararent se ad excipiendum eum, id est, abluerent se [e] ab omni macula criminis; ut veniens ad illos, lætitiam haberet quasi cum filiis carissimis. ℣. 21.

CAP. V.

℣. 1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Ut quam grave sit istud

a. Corb. ms. qui in ultimum præfuturi sunt apostoli. Mitti enim habent ante antichristum.
b. Rom. edit. tanquam lustramenta usque modo.

c. Omnes edit. sed persisterent, omnes mss. sed resisterent.
d. Ms. Corb. Post commonitionem promittit &c.
e. Nonnulli mss. ab omni plaga criminis.

peccatum ostenderet, nec ab iis hoc dixit admitti, qui Deum A nesciunt; ut proinde qua pœna hic multandus esset, ostenderet, [a] qui sub æterna & divina justitia constitutus, tanti sceleris crimen admiserat.

Ita ut quis uxorem patris habeat. Præmissi criminis prodidit genus; ut non solùm illum aperte reum mortis faceret, sed & adhærentes illi non immunes à crimine demonstraret; In quo enim difficile peccatur, plus facit reum.

℣. 2. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis.* Superbiam illorum in tantum humiliat, ut non querulos jam, sed magis supplices faciat. Erant enim & ipsi participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorreptum convenire; ut omnes uno consilio abjicerent eum, B si negaret emendare se. Si autem quis potestatem non habet, quem scit reum, abjicere, aut probare non valet, immunis est: & judicis non est sine accusatore damnare; quia & Dominus Judam, cùm fur esset, quia non est accusatus, minime abjecit.

Ut tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Cognito opere isto, pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis; omnes enim crimen ejus sciebant, & non arguebant; publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. C

℣. 3. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu*: id est, absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nus-
℣. 4. quam abest. *Jam judicavi ut præsens, eum qui hoc admisit, in nomine domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini nostri Jesu, tradere hunc satanæ in interitum carnis.* Quoniam [b] omnis carnis voluptas
℣. 5. à diabolo est, ac per hoc cùm huic voluptati remittitur, traditur satanæ; caro enim hoc habet in natura, ut intereat: anima ergo cùm se jungit desiderio ejus, infirmans spiritualem suum vigorem, simul interitum patitur. Itaque si hic correptus stupri admissi, erubesceret ejectum se, non interiret, pœnitentia subsequente. [c] Non tantum omnium D consensu & præsentia; sed virtute domini Jesu, id est, sententia, cujus legatione fungebatur Apostolus, abjiciendum illum de Ecclesia censuit. Cùm ejicitur, traditur satanæ in interitum carnis; & anima enim & corpus intereunt, quando quæ contra legem sunt, fiunt: sed in hac aliter causa interitus carnis homini deputatur. Quamquam enim omnia peccata carnalem hominem præstent, hoc tamen specialiter desiderium carnis est, [d] quo cum corpore tradit gehennæ; quia victa anima, sordibus maculata anima, libidine carnis fit caro; sicut & corpus recte gubernatum spiritale appellatur. Animus tamen est, qui aut victus illecebris, totum hominem carneum facit: aut in vigore naturæ E suæ manens, carni præstat, ut spiritualis dicatur.

Ut spiritus salvus sit in die domini Jesu Christi. Tradit contaminatum supradictum satanæ, ut spiritus salvus sit in hominibus Ecclesiæ in die judicii; nisi enim ejectus esset, non fieret salvus spiritus Ecclesiæ in die judicii. Deserebat enim omnes contaminationis causâ, ut in die Domini nudi ab Spiritu sancto inventi, audirent à judice Domino: Re-
Matth. 7. 23. cedite à me, non novi vos; sicut dicit ad Romanos: *Si*
Rom. 8. 9. *quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus*: & in
Ephes. 4. 30. alia epistola: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Si enim contristatur, deserit, & non erit salvus: non utique sibi, qui impassibilis est: sed nobis, quibus datus est; ut F per illum Dei filii esse probemur. Res enim quæ amittitur, salva non est, non utique sibi, quæ ubicumque sit, necesse est ut sit: sed ei, à quo amittitur.

℣. 6. [e] *Bona est gloriatio vestra?* Hoc est, non bona est; læti enim erant, cùm magis contristati debuerint in fratre tam acerbe peccante, sicut tristis fuit Samuel in Saul peccante. A quo crimine mali doctores aut dissimulabant, aut negli-
1. Reg. 2. 23. gentius arguebant (sicut & Heli sacerdos filios suos peccantes in Deum) [f] ne amari essent hominibus.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Ita & peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat; immo omnes qui norunt, & non devitant: aut cùm possint arguere, dissimulant. Non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur aut vitatur.

Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. Hoc ℣. 7.
duplici genere accipiendum est, quia est & fermentum hu-
mana doctrina, dicente Salvatore: *Cavete à fermento pha-* Matth. 16. 6.
risæorum, id est, à doctrina. Et ad malam ergo doctrinam cavendam, & ad hanc causam dictum est, quia ejecto fornicatore, vetus fermentum ejicitur. Ideo autem vetus, quia antiqui erroris peccatum est. Nova autem compositio, Christi doctrina est.

Sicut estis azymi. Azyma ex causa non fermentatæ farinæ dictum est, cùm filii Israel ejecti sunt de Ægypto; ut fermentum vetustas haberetur, azyma autem novitas. Abjectis enim veteribus erroribus Ægyptiorum in novam legem inducti sunt; ita & Corinthii post paganorum errores in Evangelium Christi inducti sunt. Hortatur ergo, ut secundum professionem suam, quam ab Apostolo sub nomine Christi acceperant, & viverent, jam vitæ novæ cultores: & hoc est azymos esse.

Pascha nostrum immolatus est Christus. Secundum Legem docet novitatem paschæ ratione consistere, & ideo Christum esse occisum, ut ex eo nova prædicatio novam faceret conversationem; ut quia paschæ rationem colimus, veterem vitam non sequamur. Pascha itaque immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur; prius enim pascha, & sic transitus, quia ante exemplum est Salvatoris, & sic signum salutis. Nec enim ante signum, quam crux;
nam occiso vespere agno, in Ægypto filii Israel pascha ege- Exod. 12.
runt, ex cujus sanguine postes signarunt; ut noctu Angelus transiens, ea loca non contingeret, quæ sanguine agni fuerant oblita.

Itaque festa celebremus, non in fermento veteri. Hoc est, ℣. 8.
lætitiam habentes renovationis, facta vetera fugiamus, immunditiam omnem abjicientes à nobis, quæ est corruptio; quia sicut fermentum totam massam corrumpit, ita & mala vita totum hominem. Ergo ut non solum à turpitudine vitæ nos observemus, sed & ab iniquitatis studio, adjecit:

Nec in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Hoc est, ut sinceritas mundam vitam faciat, veritas autem omnem fraudem excludat.

Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis. ℣. 9.
Scripsisse se significat prius, ubi commonet illos, ne jungerent se malæ vitæ hominibus. Et quia non intellexisse forte ea, quæ scripserat, videbantur; nunc in hac epistola
quid scripserit, interpretatur dicens: *Non utique fornicariis* ℣. 10.
hujus mundi; sed à fratribus talibus scripsi recedendum.

Aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Igitur intellectum eorum arguit, qui putabant forte quia ab incredulis, fornicariis, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus prohibuisset, non à fratribus; & ideo illum qui uxorem patris habebat, inter se esse non ægre ferebant. Si igitur his commisceamini, inquit, melius erat mori vos; compendium est enim [g] male agentibus, si citius moriantur, quam si diutius in peccatis versentur.

Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini. Si is qui fra- ℣. 11.
ter nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi ne cibum quidem sumere: Cum fratre prohibet cibum sumere, cum infideli autem non prohibuit, quip-
pe cùm dicat: Si quis vos vocat ex fidelibus ad cœnam, Luc. 10. 8.
& vultis ire, omne quod appositum fuerit, manducate. Ideo ait:

Quo enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Verum est, ℣. 12.
quia perfidos episcopus non potest judicare: cum fratre autem in quo vitia hæc reperiuntur, non solum sacramenta non edenda, sed nec communem escam docet; ut erubescat, cùm vitatur, & se corrigat.

Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Judicat quis, dum discernit cui fratri adhæreat, quem arguat, quem de-
vitet. *Nam eos qui foris sunt, Deus dijudicabit.* Superius: ℣. 13.
Nolite, ait, *ante tempus judicare*; hic non prohibet. Sed 1. Cor. 4. 5.
superius incognita per suspicionem maxime de rectore prohibuit judicare; quia Dei solius est occulta judicare; hoc au-
tem loco, ut frater fratrem examinet, etiam jubet, sicut alio 2. Cor. 13. 5.

a. Mss. aliquot, *qui sub terrena & divina justitia*.
b. Ità mss. & edit. vet. at Rom. edit. vocem *omnis* hinc resecarat.
c. Nonnulli cod. *Nam omnium consensu, & præsentia Spiritus, cujus legatione .... de Ecclesia præcepit*: alii mss. & edit. inter se consentiunt, nisi quod vet. edit. præferunt etiam *nam* pro *non*, nec non perinde ac Rom. edit. omittunt *tantum*, quod nos è mss. aliquot restituimus.
d. Mss. nonnulli, & Rom. edit. *quo sordibus maculata anima, à libidine carnis fit caro* &c. Thean. *quod sordibus maculatam animam cum corpore tradit gehennæ*.
e. Ita mss. prope ad unum: omnes vero edit. *Non est bona gloriatio vestra, hoc est, mala est*.
f. Mss. Remig. ac Laud. *ne amarus esset, eos non arguebat*.
g. Corb. cod. *malis non emendantibus, si citius* &c.

loco

2. Cor. 13. 5. loco dicit: *Vos ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* A Qui autem foris sunt, in die judicii damnabuntur; quia
Johan. 3. 18. dixit dominus: Qui *non crediderit, jam judicatus est.* In quo enim spes non est, pro mortuo habendus est.

Auferte malum ex vobis ipsis. Adhuc commonet, ut discernantur à malis & operibus & hominibus.

CAP. VI. ℣. 1. AUdet aliquis vestrum adversus alterum habens negotium, *judicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Iniquos duplici genere significat, & qui non credunt, & qui leges à Deo mundo creditas frequenter cum adulatione interpretantur, auctoritatem harum idolis deputantes, ideoque iniqui sunt; & quia in Ecclesia magis lex est, ubi Domi- B nus legis timetur, melius dicit apud Dei ministros agere causam; facilius enim de Dei timore sententiam legis veram promunt.

℣. 2. *Aut ignoratis quoniam sancti hunc mundum judicabunt?* Nihil otiose dicit Apostolus; ideo enim hunc mundum dixit, ut ostendat & alterum; quia & Johannes apostolus:
1. Johan. 2. 15. *Nolite, ait, diligere hunc mundum.* Et Dominus in Evangelio:
Johan. 3. 16. *Sic, inquit, dilexit Deus mundum, &c.* Hic ergo mundus in errore est, non ille superior, ad cujus similitudinem hic factus est. Unde homo hîc positus est, ad imaginem Dei factus; ut sicut in superiore mundo ab uno Deo sunt om- C nia, ita & in hoc ab uno homine omnes haberent originem.
Deut. 32. 8. Hinc est unde Moyses in Deuteronomio: *Cùm divideret, inquit, Altissimus gentem, quemadmodum dispersit filios Adæ: statuit fines gentium secundum numerum Angelorum Dei.* Quid tam apertum, hunc mundum superioris esse imaginem certa ex causa; est enim & Hierusalem inferior, &
Galat. 4. 26. illa superior, quam matrem nostram vocat idem Apostolus:
Gen. 2. 8. est & inferior paradisus, in quo homo positus, mandatum & ut operaretur ibi, & ut custodiret, accepit: est & ille
2. Cor. 12. 2. cælestis, in quo raptus Apostolus, audivit verba arcana. Judicabunt ergo sancti hunc mundum; quia exemplo fidei illorum perfidia mundi damnabitur.

Et si in nobis judicabitur mundus. Tunc judicabitur hic D mundus in nobis, si opus perfidorum hominum non inveniatur in nobis. *Indigni ergo sunt hujusmodi, qui etiam de minimis judicent?* Hoc est, non sunt utique indigni ii, qui ipsum mundum judicaturi sunt, ea judicare, quæ mundi sunt.

℣. 3. *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* Addidit plus, dicendo: *angelos judicabimus*, id est, potentias spiritales, quas alio loco tradit in cælestibus degere, eodem genere judicandos angelos à nobis, quo & mundus judicabitur.

℣. 4. *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemtibiles qui sunt in Ecclesia, illos ad judicandum constituite.* Sæcularia E judicia sunt, ad corpus pertinentia vel corporea. Et quia
℣. 5. non sic fieri debet, adjecit: [a] *Ad reverentiam vestram dico.* Ne quia supra negotium nominavit, sed quale non significavit; sunt enim & divina negotia, dicente eodem: *Ad-*
Rom. 16. 2. *jutor negotii mei:* & sæcularia forte judicia, quia prohibuerat apud perfidos agenda, quamvis in Ecclesia, sicut audierant, à qualibuscumque tamen putarent audienda aut terminanda; ad ruborem eorum ait: *Contemtibiles qui sunt in Ecclesia, illos ad judicandum constituite.* Sunt enim in Ecclesia & lignea vasa; tam enim intractabiles & inconsideratos eos significavit, ut imperitos forte ex fratribus judices eligerent. Hoc de experto Apostolus; sciebat enim F quam tepidi & improvidi in reliquis causis fuerant deprehensi.

Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit judicare inter fratrem suum? Quia ergo sunt, inquit, sapientes fratres, aliqui horum eligantur ad judicandum, quorum judicium [b] miretur mundus. Magnus enim pudor est, si inter eos qui dicuntur Deum cognovisse, non inveniatur, qui examinare possit negotium juxta jus evangelicum. Ideo autem fratrem judicem eligendum dicit; quia adhuc rector Ecclesiæ illorum non erat ordinatus.

℣. 6. *Sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles.* Manifestum est quia infideles aut arbitros, ut adsolet fieri, postulatos significat, aut judicem publicum, cui dici solet: Hodie dies sacrorum est, jus dici non potest.

℣. 7. *Jam quidem omnino delictum in vobis est, quod judicia habetis inter vos.* Peccatum esse significat, quia frater cum fratre litigat, cùm danda opera sit, ut concordes sint, quasi germani; maxime cùm fides nostra paci studeat. Quamquam enim christianus litigare non debeat, tamen si grave quid fuerit, & quod contemni non possit, causam ad Ecclesiam deferat; ne & damnum ad præsens, & offensionem forte incurrat.

℣. 8. *Quare non magis* [c] *injuriam accipitis? quare non magis fraudem? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.* Nunc hos corripit, quorum injustitiâ jurgium generatur; quia non solum per fraudem admissam rei sunt, sed & partem habent delicti illorum, qui coacti injuria aut fraude eorum, infideles rogant ad judicandum: & cùm fraudem aut injurias illatas persequi non deberent, non solum vindicant, sed & ipsi fraudem & injurias faciunt; ut punienda exempla fratribus tribuant. Et quid aliis facere credatur, qui non parcit suis?

℣. 9. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Hoc dicto ostendit illos non nescios peccare, ac per hoc gravius vindicandum. [d] Si enim immisericordes rei sunt apud Deum, quanto magis iniqui? *Nolite errare; nam*
℣. 10. *neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Non hæc idcirco memoravit, quasi nescirent, apud quos annum & sex menses sedit, docens Evangelium Dei: sed commonuit, ut restauraret in illis re- Act. 18. 11. verentiam Legis, & meritum ad regna cælorum.

℣. 11. *Et hoc quidem fuistis.* Ne omnibus hoc adscribere videretur, aut certe omnes ab his criminibus immunes faceret, si taceret (prohibuisse enim videbatur, non revelasse crimina illorum) idcirco sic ait: *Et hoc quidem fuistis.* Et ne ad iram illos provocaret, adjecit: *Sed abluti estis*; ut agnoscentes crimina rei facti, statim respirarent audientes: *Sed abluti estis.* Solent enim aliqui pudorem pati, & corrigere, cùm de se audiunt bona.

Sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine domini nostri Jesu Christi, & Spiritu Dei nostri. Hæc omnia beneficia puritatis in baptismate consequuti noscuntur, quod est fundamentum evangelicæ veritatis. Illic enim omnibus peccatis depositis, abluitur credens, & justificatur in Domini nomine, & per Spiritum Dei nostri Deo filius adoptatur. Per hoc admonet illos quanta & qualis sit gratia, quam per veram traditionem adsequuti sunt: postea vero contra hanc regulam fidei impulsu malorum doctorum sentientes, his beneficiis se exuerunt. Unde id agit, ut revocet illos ad veram & primam sententiam; ut recuperarent, quod fuerant consequuti.

℣. 12. [e] *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quibusdam videtur propter libertatem concessi arbitrii dixisse Apostolum: *Omnia mihi licent, &c*; ut liceat fornicari, non tamen expediat. Sed quomodo licet, quod prohibetur? Aut certe si omnia licent, nihil potest dici illicitum. Sed licet, non tamen expedit. Hæc susurrant potius, quam adserunt, aut immemores aut negligentes. Dicit enim Johannes Baptista ad Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Sed forte Johannes expers fuerit humani Marc. 6. 18. eloquii, inspiratus in utero; quia si hoc est, dicere debuit: Licet tibi, sed non expedit. Sed & Dominus similiter mulieri Chananææ ait: *Non licet accipere panem filiorum, &* Matth. 15. 26. *mittere canibus.* Et iterum dicit Dominus Judæis: *Non le-* Marc. 2. 25. *gistis quid fecit David, cùm esuriret; quomodo intravit in domum Domini, & panes propositionis accepit, quos non licebat ei edere, &c.* Omne ergo quod prohibetur, non licet; [f] & omne quod non licet, prohibetur: sed aliquando, inter veniente causa aliqua, licet, sed non expedit.

Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Omnia sibi licere dicit, ea scilicet, quæ & coapostolis ejus licuerunt, quæ & lex continet naturalis, non Moysis; quia Matth. 19. 8. multa prohibuit Moyses propter duritiam cordis populi increduli & cervicosi. Tamen si ad causam respicias, aliud fuit in sensu Apostoli, ut hæc loqueretur; hæc enim præmisit postea acturus hanc causam, sicut fecit & de illo

a. Edit. & mss. nonnulli, *Ad verecundiam*: alii mss. plures ac potiores, *ad reverentiam.* At seq. versu pro *divina negotia*, solus Corb. legit, *divina judicia.*

b. Ita mss. aliqui, & vet. edit. Rom. vero, *imitetur mundus*: at plures mss. *miretur mundus*, Corb. *judicio examinabitur mundus.* Infra autem, ubi vet. edit. ac mss. non pauci, *juxta jus evangelicum*, habetur in aliis cod. *juxta ejus Evangelium.*

c. Rom. edit. & quidam mss. *injuriam patimini? quare non magis fraudamini.*

d. Edit. quædam Vatic. *Si enim misericordes.*

e. Expositio hujus versiculi in mss. non paucis hoc loco omittitur: sed reponitur in sequenti pagina; unde alias rursus transponuntur.

f. Et omne . . . prohibetur, in textum ex ms. Vall. & aliis nonnullis restituimus.

qui incestum admiserat; proponit enim designans quid acturus esset postea. Denique statim ad superiorem sensum, breviter interim re commendata, redit; hoc enim ideo dixit, quia licebat illi ab his sumtus accipere. Sed quoniam sciebat pseudoapostolos occasionem quærere accipiendi, noluit ab his accipere; ne causâ ventris vigor evangelicæ veritatis torpesceret. Si enim ab iis acciperet, quos in tantis vitiis arguebat, auctoritatem magisterii concessam sibi à Domino inclinabat; non enim potest constanter argui, à quo accipitur: maxime cùm ideo promtus ad dandum sit, ut sibi humiliet præpositum. Unde & dicit: *Sed ego sub nullius redigar potestate.*

℣. 13. *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet.* Destructio ventris erit, cùm edendi cessat officium: escæ vero destructio tunc erit, quando steterit nativitas. Pseudoapostoli autem, qui non utique religionis causa, sed quæstus circumibant, peccantibus amari esse nolebant.

Corpus autem non fornicationi, sed Domino. Nunc redit ad superiorem sensum: *Et Dominus corpori.* Quid Dominus corpori? Subauditur immortalitatem resuscitato præstabit; corpus enim Deo dicatum, dono spiritali remunerabitur merito ducis, id est, animi.

℣. 14. *Deus vero & Dominum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam.* Idem sensus est, quem exemplo voluit Dominicæ resurrectionis firmare; virtus enim Dei Christus est, qua nos suscitabit, & ipsum Dominum. Hoc dixit, quia ipse Dominus corpus suum suscitavit, sicut & ipse Dominus ait: *Solvite templum hoc, & ego tribus diebus suscitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui.* Johan. 2. 19.

℣. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Corpora nostra membra Christi sunt, sed in novum hominem, qui secundùm Deum creatus est; quia ipse est caput Ecclesiæ. *Tollam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit.* Ait, *absit*; quia meretrici adhærentia membra desinunt esse membra Christi. Ephes. 4. 24.

℣. 16. *An nescitis, quia qui adhæret meretrici, unum corpus fit?* Hoc dicit, quia qui contaminationi se admiscet, unum fit cum eo, cui se admiscet. Fornicatio enim ambos unum facit; ut quomodo in natura, sic & in macula unum sint. *Erunt*, inquit, *duo in carne una.* Manifestum est, ut quia mulier de viro est, ambo in carne una sint. Gen. 2. 24.

℣. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Quoniam in bene agentibus Spiritus Dei est communis cum Deo & hominibus.

℣. 18. *Fugite fornicationem.* [a] Recte fugiendam monet fornicationem, per quam filii Dei fiunt filii diaboli. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est.* Quia cetera peccata etsi per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & obnoxiam, quemadmodum commisceri facit animam cum ipso corpore usus libidinis, agens in opere carnalis fornicationis; quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat aut intendere; quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio & absorbitio libidinis & concupiscentiæ carnalis. Unde subditur:

Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Ostendit gravissimum esse peccatum; quia ex hoc omne deperit corpus: in ceteris autem peccatis portio perit, non totum. Totum enim corpus vir est & mulier; quia portio viri est mulier. Quicumque enim aliud peccatum admiserit, extra se peccat: fornicatius vero in carnem suam peccat. Age, si laqueo vitam finiat, aut ferro se trucidet, non in corpus suum videtur peccare, sed in animam, cui vim facit. Fornicari autem corporale delictum est, quod & corpus contingit & animam: non enim sine desiderio carnis, quia habet & caro proprium motum, anima concupiscit, ut peccet in carnem; quamvis sine anima nihil possit. Per id ergo quod in carnem, quæ ex se est, peccat (ad originem enim retulit) in corpus suum dicitur peccare; ut desinat à fornicatione, quasi sibi parcens. Novatiano tamen hic, qui fornicatur, non in corpus suum videtur peccare, sed in Christi; aliter enim hoc pronuntiat, ut etiam illum, qui fornicatur, in Spiritum sanctum dicat peccare: propter causam, qua abscissus est ab Ecclesia. Hoc nulla ratione adstrui potest; corpus enim Christi non est unus aut duo christiani, sed omnes, singuli autem membra sunt. Quomodo ergo qui fornicatur, in corpus Christi peccat; cùm non omnes contaminet? Quod si ita esset, ut Novatiano videtur, cetera omnia peccata extra Deum essent, & sola fornicatio peccatum esset in Deum. Etiam qui vadit ad idola, non peccat in Deum, nec qui negat in persecutione; quia omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est Christi, sicut illi videtur. Si autem & hoc aliter voluerit pronuntiare, ut neget aliquod extra corpus Christi esse peccatum, cogetur dicere quia omnis quodcumque peccatum fecerit, in Deum peccat, & in Spiritum sanctum; ut & fur, & perjurus, & mendax in Spiritum sanctum peccare dicatur. Et quomodo est illud, quod ait Dominus: *Quia omnia peccata & blasphemia remittentur hominibus: qui autem peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro?* Apparet utique, exceptis ceteris peccatis, aliud esse peccatum, quod peccatum dicitur in Spiritum sanctum. Quibusdam iterum videtur quia qui fornicatur, ideo in corpus suum dicitur peccare, quia Ecclesiæ membrum est: & se contaminans, in Ecclesiam peccat, cujus membrum est. Qui ergo Ecclesiæ membrum est, dicendum est illi, cùm fornicatur, quia non sibi, sed in Ecclesiam peccat. Porro autem dicit Apostolus, quia qui fornicatur, per id quod in portionem suam delinquit, in corpus suum peccat. Matth. 12.

An nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Superiùs templum Dei dixit, hic templum Spiritus sancti; quia in substantia hoc est Spiritus, quod Deus est. Hoc idcirco dixit, ut corpora nostra incontaminata servemus; ut possit illic Spiritus sanctus habitare. ℣. 19. 1 Cor. 3. 16.

Et non estis vestri; emti enim estis pretio magno. Manifestum est quia qui emtus est, non est sui arbitrii, sed ejus à quo emtus est; ut non suam, sed illius faciat voluntatem. Et quia caro pretio emti sumus, propensius Domino nostro servire debemus; ne offensus, à qua nos redemit, morti nos reddat. Quam enim carissimo pretio nos emit, ut sanguinem suum daret pro nobis? ℣. 20.

Clarificate & portate Deum in corpore vestro. Hoc est clarificate & portate Deum in corpore, ut secundum legem ejus ambulemus; per legem enim suam ipse videtur in nobis. Portate tamen Deum hoc est, imaginem Dei in rebus bene gestis ostendere.

De iis autem quæ scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere. Pravis sensibus pseudoapostolorum exagitati, qui nuptias per hypocrisin, ut puriores ceteris viderentur, spernendas docebant, hæc per epistolam ab Apostolo requirebant; quia enim non oblectabantur hac sententia, prætermissis ceteris, hoc solum requirunt. Quibus tamen respondit bonum esse quidem mulierem non contingere, quamquam non illi illud simpliciter adserant. CAP. VII. ℣. 1.

Tamen propter fornicationem, hoc est, ne quid contra legem admittatur, cùm quando quod lex non prohibet, vitatur; *unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Solent enim qui compendium quærunt, errare. Quî enim fieri posset, ut hi ab uxoribus suis se abstinerent, quos in tantis vitiis reperit? Ideo ergo non permittit, ne ab licitis se abstinentes, inconcessa præsumerent, sicut faciunt manichæi. ℣. 2.

Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Invicem sibi subjici illos in hac causa; ut quia unum corpus sunt, una eorum sit & voluntas in lege naturæ. *Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier.* Hoc dicit, quod neque viro neque mulieri liceat corpus suum alii tradere; invicem enim sibi debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio. ℣. 3. ℣. 4.

Nolite fraudare invicem. Hoc dicit, [b] ut conveniat illis in re uxoria, ne dissensio generet fornicationem. *Nisi ex consensu ad tempus*; id est, ut ex condicto abstineant se, propter gratiarum actiones. *Ut vacetis orationi.* Quamquam enim sine intermissione orandum sit, meditatio enim hæc omni die facienda est; tamen ut orationi insistant, huic rei vacandum præcipit, interpositis temporibus ad Dominum promerendum; ut enim misereatur, mundus exorandus est. Quamvis munda sint conjugia, tamen etiam à licitis abstinendum est, ut facilius ad effectum deducatur oratio. Nam & in Lege sanctificari volentes, inter cetera etiam ab uvis passis jussu Domini temperabant; ut fierent sanctiores. Cùm enim quis etiam concessa non contingit, ostendit se velle, quod precatur, accipere. ℣. 5. Num. 6.

a. Hic articulus abest à mss. nostris, at contra in excusis exstat edit.

b. Rom. edit. ut conveniant illi.

Et iterum revertimini ad id ipsum. Quoniam[a] consilium conjugibus dat post dies orationis ad usum naturalem reverti debere: *Ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram*; interpositis diebus abstinendum monet; ne occasio detur diabolo, sicut dicit Petrus apostolus: *Ecce diabolus ut leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* (1.Petr. 5. 8.) Si enim causâ filiorum creandorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum; quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant.

℣. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium.* Manifestum est ideo hoc illum dare consilium, ut fornicationem excludat, non ut ad meliorem vitam tendentibus iter claudat.

℣. 7. *Volebam autem omnes homines esse sicut me ipsum.* Quantùm ergo ad benevolum & sollicitum magistrum pertinet, omnes tales, si fieri posset, volebat esse sicut se ipsum. Qualis autem ipse erat, mox in subjectis ostendit: *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic*; hoc est, unusquisque juxta votum suum donum Dei habet, ut si velit, ipsius nutu Dei, possibilitatem consequatur. Ideo non debet quis constringi; ne à licito prohibitus, illicita admittat: sed ipse sibi eligat, quid sequatur.

℣. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* Non diceret, bonum est innuptis, ut sint, sicut & ego; nisi esset integer corpore. Nec diceret: *Omnes homines volebam esse, sicut me ipsum*; si enim habuerit uxorem, & hoc dixit, virgines esse noluit. Sed absit; sic enim à pueritia[b] servivit, ut hujus rei studium non haberet; quippe cùm juvenculus anticipatus sit à gratia Dei. Postquam dixit unumquamque proprium donum habere à Deo, ostendit in qua re melius est esse propensiorem; quia in eo adjuvatur quis, quod videtur aviditate mentis appetere.

℣. 9. *Quod si se non continent, nubant.* [c] In ista te illos vult contendere, ut contineant. Quod si impulsu carnis perseverare se viderint non posse, quia nec sunt promtiores in eo ipso, ut adjuventur à Deo; illum enim Deus juvat, quem videt tota virtute contendere: nubant utique, si uti timent. Forte enim poterunt hoc postea adipisci; digesto enim impedimento reparat se voluntas robustiore virtute.

Melius est enim nubere, quam uri. Non ideo dixit: *Melius est enim nubere, quam uri*: quasi bonum sit uri, ideo nubere melius: sed consuetudinem sequutus est. Solemus enim dicere: Melius est lucrum facere, quam damnum. Uri vero est, desideriis agi vel vinci; cùm enim voluntas calori carnis consentit, uritur: nam desideria pati, & non vinci, illustris viri est & perfecti.

℣. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, denuntio non ego, sed Dominus.* Postquam innuptis & viduis loquutus est, hos alloquitur, qui matrimonio juncti sunt, ore Dominico:

℣. 11. *Uxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam.* Hoc Apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conversationem viri, jam innupta maneat. *Aut viro suo reconciliari.* Quod si continere se, inquit, non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur; non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causâ fornicationis dimiserit, aut apostasiæ, [d] aut si illicita impellente lascivia, usum quærat uxoris; quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior. Si tamen apostataverit vir, aut usum quærat uxoris invertere; nec alii potest nubere mulier, [e] nec reverti ad illum. *Et virum uxorem non dimittere.* Subauditur autem, exceptâ fornicationis causâ. Et ideo non subjecit dicens, sicut de muliere: quod si discesserit, manere sic; quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem: quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier; caput enim mulieris vir est.

℣. 12. *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Hoc dixit, ut ostendat quid proprio ore Dominus jussit; & quid hujus auctoritati concessit; quia & per illum Dominus loquitur. Ait enim: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (2.Cor. 13. 3.)

℣. 13. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non relinquat virum.* Hoc dixit, quia inter illa primordia, cùm ambo utique essent gentiles, fiebat ut unus ex his crederet: & quia horrebant perfidi culturam Dei, similiter & credentes contaminationem præteriti erroris; ideo præcipit, ut si contenti essent habitare cum immutatis, contenti essent & fideles esse cum illis.

℣. 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per uxorem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis ex viro fideli.* [f] Habere illos beneficium bonæ voluntatis ostendit; quia horrorem nominis Christi non habent: & ad tuitionem hospitii pertinet, in quo signum fit crucis, quo mors victa est; sanctificatio enim est.

Alioquin filii vestri immundi essent. Immundi essent filii eorum, [g] si dimitterent volentes habitare secum, & aliis se copularent: essent enim adulteri, ac per hoc & filii eorum spurii; ideo immundi. *Nunc autem sancti sunt.* Sancti sunt; quia de conjugiis licitis nati sunt: & quia sub creatoris veneratione nati sunt propensiore ex parte. Quia sicut[h] quidquid per dedicationem idolorum fit, immundum est; ita quidquid sub Dei creatoris professione fit, sanctum est.

℣. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat.* Propositum religionis custodit, præcipiendo ne christiani relinquant conjugia: sed si infidelis odio Dei discedit, fidelis non erit reus dissoluti matrimonii: major enim causa Dei est, quam matrimonii.

Non est enim frater aut soror servituti subjectus in hujusmodi. (1.Cor. 7. 11. Si infidelis.) Hoc est, non debetur reverentia conjugii ei, qui horret auctorem conjugii; non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est: ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit. Contumelia enim creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens, & in Deum & in matrimonium peccare dignoscitur; quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugii, quia ideo recessit, [i] ne audiret auctorem esse christianorum Deum conjugii. Nam si Esdras dimitti fecit uxores aut viros infideles; ut propitius fieret Deus, nec iratus esset, si alias ex genere suo acciperent; non enim ita præceptum his est, ut remissis istis, alias minime ducerent: quanto magis si infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere legis suæ viro? (1.Esdr. 9. & seq. 2.Esdr. 13.) Illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra decretum Dei factum est: sed cùm post cognoscit & dolet se deliquisse, se emendat, ut veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmant conjugium.

In pace autem vocavit nos Deus. Verum est, quia non oportet litigare cum eo, qui discedit; quia odio Dei discedit, ac per hoc nec dignus habendus est.

℣. 16. *Quid enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si uxorem salvam facies?* Hoc dicit, quia forte possunt credere, [k] qui non horrent nomen Christi.

℣. 17. *Nisi unicuique sicut divisit Deus.* Divisit unicuique Dominus, quando salvetur, hoc est, scit quando potest credere, & sustinet illum. Et hic docet exspectandos eos, nec scandalum de his pati debere, quia custodienda est spes illorum; si enim ipsi discesserint, dissimulandum ab his.

Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet. Hoc est, ut si matrimonio junctus est, qui credit, non deserat, neque vir, neque mulier: sed sic maneat, sive Judæus, sive Græcus.

Sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Ut suadeat, non se aliter his tradere, quam ceteris; ut cùm ceteros hujus fidei hoc doceri audiunt, promtius adsequantur. Facile enim quis inclinatur, si viderit socium consensisse.

℣. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat præputium.* Hoc est, quod dixit, ut ita ambulet, sicut vocatus est; ut

a. Cod. Laud. conjugiis consilium detur, ad ipsum Dominum revertantur, abstinentes se ab uxoribus solis, ut possint dignius accipere corpus Domini.
b. Rom. edit. ac mss. nonnulli, sponte servivit.
c. Ver. edit. ac mss. frequentissimi, imitari illos vult, Rom. edit. . . . se vult. Haud incommode, veram tamen putamus lectionem esse, quam è cod. Vall. reposuimus.
d. Rom. edit. aut si impellente lascivia, usum quærat uxoris invertere: ver. edit. ac mss. ut in contextu, nisi quod alibi habetur, illicita, alibi illicito.
e. Codex Corb. nec reverti causa fornicationis ad illum. Quod autem habetur infra: Et ideo non subjecit &c. usque ad ℣. 12. abest à cod. Remig. uno: & adjectum contendit P. Lombardus l. 4. dist. 35.

f. Ita ver. edit. ac mss. plerique, à quibus non dissidet Rom. edit. nisi quod præfert, non habere ad tuitionem: mss. autem Corb. legit. In fratre habere illos beneficium &c.
g. Ms. Corb. si dimitterent uxorem suam, volentes eam habere secum. Et infra, quia & de conjugibus licitis.
h. Nonnulli mss. quidquid prædicatione idolorum fit.
i. Ita edit. omnes, & mss. aliquot: alii autem majori numero, ne audiret creatorem &c. Quidquid vero hunc sensum sequitur usque ad In pace autem, in mss. Corb. desideratur.
k. Rom. edit. qui nunc horrent: aliæ omnes, ac mss. qui non horrent, quibus addit codex Corb: credere.

Judæus factus christianus non putet se forte indignum, A quia præputium non habet, dans gloriam præputio. *In præputio quis vocatus est? Non circumcidatur.* Ut gentilis vocatus non æstimet se debere circumcidi, per id quod filios Abrahæ audit præponi. Nec enim quia circumcisi sunt, præponuntur, sed merito Abrahæ, cujus filii sunt in utroque, si credant: si quominus, pejores erunt gentilibus; deterius est enim fuisse & non esse, quam numquam fuisse.

℣.19. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est.* Manifestum est, quia nec obest, nec prodest. *Sed observatio mandatorum Dei*, id est, fides propitium facit Deum, si bonis operibus approbetur.

℣.20. *Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, in ipsa permaneat.* Hoc firmat, quod supra dixit. *Servus vocatus* B *es? Non sit tibi cura: sed & si potes liber fieri, magis utere.* Hortatur ut bene serviens de Dei timore carnali domino,
℣.21. dignum se faciat libertate, ne audiens forte: *Servus vocatus es? Non tibi sit cura*; negligentior esset circa bonos actus carnalis domini, & doctrina Christi blasphemaretur, & nec ille Deum promereretur. qui in his terrenis bene serviens, meritum sibi collocat apud Deum; quia dixit Dominus:
Luc. 16. 10. *Qui in minimo fidelis est, & in magno.*

℣.22. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini.* Ereptus enim à peccatis, quæ vere servos probant, libertus fit; hic enim omnino servus est, qui imprudenter agit, sicut & veteribus placuit, qui omnes sapientes libe- C ros appellarunt, imprudentes autem omnes servos. Unde
Prov. 7. 2. & Salomon: *Servo*, inquit, *sapienti liberi servient.* Hic ergo qui credit, etsi servus sit ad tempus; quia rem facit prudentem, ut credat in Christum, libertus fit Domini. Si ergo peccata servos faciunt, sicut Cham filius Noe peccati & imprudentiæ causa factus est servus; cùm quis accipit remissionem peccatorum, libertus efficitur.

Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Profectus est ex libero servum fieri Christi; liber enim erat à Deo, quod maximum crimen est: & ideo amissa amara & contraria libertate, conditionem sortitus est, quæ prodesset, si-
Matth. 11. 29. cut dicit Dominus: *Tollite jugum meum super vos, quia suave est: & onus meum, quia leve est.* Superbiam itaque abscidit, & unitatem fecit; ut neque servus pudore conditionis despectum se putet, neque liber elatione mentis inflatus, servo se superponat.

℣.23. *Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum.* Verum est, quia tam caro emti sumus, ut à nullo redimi potuissemus, nisi à Christo, qui omnium dives est. Qui ergo pretio emitur, magis servire debet; ut aliquatenus vicem reddat emtori. A Deo ergo emti, id est, à Christo, servi hominum esse non debent. Servi autem hominum hi sunt, qui humanis se subjiciunt superstitionibus. Apostolus tamen illud memorat, quod in capite epistolæ reprehendit, eo
1. Cor. 1. 12. quod dicerent: Ego sum Pauli; alius autem: Ego Apollo. Dedit tamen articulum Christum fatendum Deum, quando servos Christi non hominis servos appellandos ostendit.

℣.24. *Unusquisque frater, in quo vocatus est, in eo maneat apud Deum.* Hoc est, quod supra dixit, quod ut plene commendet, reiterat.

℣.25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Hoc ad
Cap. 7. ℣. 1. scripta illorum respondit, sicut supra dixit: *De quibus autem scripsistis mihi*, &c. *Consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus à Domino; ut sim fidelis.* Præceptum de virginibus negat se accepisse; quia non poterat auctor conjugii rem adversam nuptiis imperare, ne factum suum pristinum accusaret. *Consilium autem*, ait, *do*: non quod displiceat, neque quod adulatione fucatum sit; quia ad hoc gratiam consequutus est, ut idoneus sit in dandis consiliis salutaribus.

℣.26. *Existimo ergo hoc bonum esse propter præsentem necessitatem; quia optimum est homini sic esse.* Bonum dicit esse virginem permanere. Et ut hoc absolutius ostenderet, *propter præsentem necessitatem* ait; quia optimum est, ut inter bonum & optimum nihil tam præclarum atque utile esse cognosceretur, quam est virginitas; quia non solùm apud Deum virginitatem commendatiorem docet, sed & apud vitam præsentem, dum necessitates temporis nescit, quas patitur conjugatio; & mœrores partus, simulque orbitates filiorum ignorat. Ut ergo ad hanc affectandam hortaretur, præsentis necessitatis exitia locrari docet has, quæ illam dilexerint; ut cùm non solùm hanc apud Deum locum meliorem habere discunt, verum etiam in præsenti, omni industria hanc appeterent. Unum enim est, quod laborat; ut affectum carnis vincat, in ceteris omnibus libera. Quia enim caro in origine sua est & natura, usus ejus suavis videtur & dulcis affectus; ideo hæc superare non brevis gloria est.

Vinctus est uxori? Ne quæsieris solutionem. Hæc remedio- ℣.27.
rum consilia sunt; dicit enim non debere quemquam absolvi ab uxore, nisi causâ fornicationis. Frequenter enim suas dimittentes, sub tegmine continentiæ alias decipiunt, refrigescente proposito. Sed si melius vult vivere cum uxo- B re sua positus, exhortetur illam, ut sine scandalo purius vivant.

Solutus est ab uxore? ne quæsieris uxorem. Ut sciens hoc magis Deo acceptum, & à necessitate liberum, non quærat uxorem; ita tamen ut à ceteris temperet. Si quominus, quid prodest desiderium carnis premere, hoc est, rem licitam spernere, & illicitis subjacere?

Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Non utique pec- ℣.28.
cat, quia quod concessum est, facit. Si vero contemserit, meritum sibi collocat & coronam. Magnæ enim patientiæ est, hoc non contingere, quod prohibitum non est. *Et si nupserit virgo, non peccavit.* Non peccat, quia apud Deum C ex hac causa libera est.

Tribulationes tamen carnis habebunt hujusmodi. Hoc est, etsi à peccato liberi sint; in hac tamen vita tribulationes habebunt, gemitus ventris, nutrimenta filiorum, victus, tegumenta, dotes, ægritudo, apparatus domus, uxoris necessitas, mariti dominatio.

Ego autem vobis parco. Parcit quando ad hæc magis provocat, quæ tribulationes carnis, & sollicitudines memoratas excludunt. Potest sic videri parcere, cùm permittit, & non contradicit volentibus, quod onerosum ostendit.

Hoc itaque dico, fratres, tempus breviatum est, & reliquum ℣.29.
est. Breviatum tempus & reliquum dicens, finem mundo D imminere significavit; [a] quamvis sciret adhuc tempora su- a
peresse. Sed aliter scribere non debuit propter hos, qui lecturi hæc tunc sunt, cùm perbreve supererit tempus; ne semper dum longe esse putaretur dies judicii, aut non timeretur, aut falsum esse æstimaretur. Illud autem quod dicitur, cùm adhuc longe sit, imminere multum proficit; terrorem enim incutit ad meliorem vitam agendam hominibus. Denique hîc in præsenti quam solliciti sunt ii, qui apud judices habent quæ agant, cùm actorum dies dicitur imminere? Hoc sonat hîc, quod alio in loco dicit, *seductores,* 2. Cor. 6. 8.
sed veraces.

Ut & qui habent uxores, ita sint, ac si non habentes. Quia E enim mundi finis in proximo est, non debere ad generandum esse sollicitos, neque ad usum ipsum deditos; ut propensiores & vigilantes in divinis operibus, exercitati circa curam Legis, imminente prælio, repugnent. Pressuræ enim erunt, quales numquam fuerunt, & multi casuri sunt in laqueum diaboli: denique nullus nostrum vult tempore suo hæc provenire, timens [b] prædictas à Salvatore b
pressuras. Ideo sicut nobis optamus, consulamus & aliis; Matth. 24. 19. & seq.
ut à generatione nos filiorum multorum abstineamus, plus orationi & Dei servituti subjecti, prævidentes diem judicii; ne & nos simus imparati per impedimenta necessitatis præsentis, & illi incurrant, quod nos timemus. Etiam à F licitis ergo vult temperare fideles; ut non solum innocentes, sed & gloriosi videantur: concessa enim præterire virtutis est maximæ; & prohibita non desiderare [c] non c
longe est.

Et qui flent, tamquam non flentes; scientes enim in proxi- ℣.30.
mo finem mundi mox consolationem eorum futuram, qui pro Dei justitia forte premuntur, hac spe inter eos consolentur se. *Et qui gaudent, tamquam non gaudentes*: in præsenti enim qui gaudent, sciant mox luctum venturum, eis videlicet qui mundo gaudent, ambigentes de Dei judicio. *Et qui emunt, tamquam non possidentes*; credentes enim, qui emunt, parvum tempus superesse mundo, sic agant, ut non omnem curam in rem cito perituram impendant: magis autem curam animæ suæ gerant, quam sciunt æternam.

a. Quidquid ab his verbis, *quamvis sciret*, ad inferiora illa, *& qui habent uxores*, continetur, in ms. Corb. omissum fuit.
b. Nonnulli mss. *prædicatas à Salvatore*. Et seq. versu, pro *consulamus & aliis*, ms. Corb. exhibet, *consolamur & alios*.
c. Post voces *non longe est*, additur in cod. Vall. *à virtute*. In cod. autem Corb. ab his eisdem verbis usque ad illa, *Etiam à licitis*, nihil reperias.

ỳ. 31. *Et qui utuntur hoc sæculo, tamquam non utantur:* id est, ut non præsumant de usu hoc; quia cito peribit, currente mundo. *Præterit enim figura hujus mundi.* Quia finiri mundum dixit, ostendit figuram [a] ejus præterire; & hunc esse finem, id est, non substantiam ejus præterire, sed formam. Itaque si forma mundi peribit, dubium utique non est omnia, quæ in mundo sunt, interire. Ideo præterit, quia quotidie senescit mundus.

ỳ. 32. *Volo vos sine sollicitudine esse.* Diminuta enim sollicitudine sæculi, in Dei rebus propensius vigilatur. Quomodo autem sine sollicitudine esse possumus, ostendit dicens: *Qui sine uxore est, cogitat quæ Domini sunt.* Amputata enim sollicitudine rei uxoriæ, quæ sola in mundo ceteris gravior B est, ad Deum promerendum animus eruditur: si tamen hac spe animus his molestiis se exuat, ut Deo magis serviat.

ỳ. 33. *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori.* Cura enim uxoris & filiorum cogitatio mundi est: nam inter cetera solent aliquando res puniendas admittere; ne illas offendant, sicut refert
Esd. 4. 13. Zorobabel unus de tribus cubiculariis Artaxerxis: magna enim amaritudo est in domo uxor tristis. Divisus ideo dicitur, quia non potest & divinis insistere rebus, & uxoris facere voluntatem.

Divisa est mulier, & virgo. Divisa non utique naturâ,
Num. 31. 5. sed actu; quia legimus in Numeris mulieres virgines ap- C pellatas. Alia ergo sollicitudo mulieris, alia virginis est; tamen cùm dicitur mulier, incertum est quid significet, nisi significatio subsequatur: cùm autem dicitur virgo, manifesta locutio est. Hic Apostolus virginem post mulierem posuit, ut mulierem non virginem significaret; per hoc enim voluit ostendere virginem liberam à tædiis & laboribus, quos patitur mulier viro copulata.

ỳ. 34. *Nam quæ non est nupta, sollicita est de iis, quæ Domini sunt: ut sit sancta & corpore & spiritu:* id est, animo; dum enim spe cælestium, mariti & filiorum sollicitudinem non suscipit, de Domino cogitat, quomodo propositum Deo devotum custodiat; [b] si tamen in corpore mundo animus D terrena abjiciens, cælestibus studeat. Animus est enim, qui aut sanctificat, aut polluit corpus. Quid enim prodest corpus mundum habere, & animam pollutam; cùm merito animæ aut honoratur corpus, aut damnatur? *Quæ vero nupta est, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat viro.* Lege enim maritali constricta, sollicita est quomodo impleat jus maritalis officii, subdita mundanis necessitatibus.

ỳ. 35. *Hoc autem ad vestram ipsorum utilitatem dico; non ut laqueum vobis injiciam: sed ad id quod honestum est.* Quoniam quibusdam asperum & grave videtur, quod utilius aut melius est propter consuetudinem temporalis usus; ideo E post rationem redditam, hortatur affectu caritatis simpliciter hoc utilius, hoc honestius esse quod dicit. Honestum est, quia sanctum & mundum; utile vero, quia dignius est apud Deum, & leve in sæculo. Quid ergo dicemus? Si virgines de Deo cogitant, & junctæ viris de mundo, quæ spes relinquitur nubentibus apud Deum? Si enim ita est, dubium est de salute eorum: nam videmus virgines de sæculo cogitare, & matrimonio junctas Dominicis studere operibus. His virginibus non imputabitur sanctimonium à Deo, & his matrimoniis erit merces apud Deum; quia cùm obligati essent terrenis & carnis nexibus, operam dederunt, ut in futurum aliquid immortalis F præmii mererentur. Illis autem non solum non imputabitur virginitas, sed & pœnæ subjicientur, qui sub tegmine melioris spei vitam & conversationem suam mundiali[illegible] & sollicitudine occupantes, pigros se ad Dei opera [illegible]da fecerunt; sicut dicit Hieremias propheta: *Maledictus*
Hier. 48. 10. *qui opera Dei facit negligenter.* Hi sunt, de quibus in alia
2. Tim. 3. 5. epistola dicit: *Habentes quidem [c] speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Apostolus autem his loquitur, qui mira devotione obsequi desiderant celestibus præceptis, ostendens & docens quo compendio citius itur ad Deum; quia qui propter Deum promerendum virgo manere vult, sciens quale præmium possit accipere, qui à licito tem- A petat, ut melior fiat; simul omnia impedimenta carnis spernit, non nescius hæc esse, quæ gressum currentis velut oneribus compedum detinent.

Si quis autem turpem [d] se viderit supra virginem suam, si sit ultra pubertatem, & sic oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, si nubat. Quoniam superius ita virginitatem tenendam & continentiam, reddita ratione, hortatus est; ut pene ad comparationem earum conjugia inutilia & abjicienda videantur: nunc ne nuptias negare putaretur, non peccare virginem, si nubat, ostendit; sed rem maximi laboris aggredi, & quæ apud Deum præmium non habeat, sicut non habet pœnam: christianos enim B vult per omnia esse meliores. Si ergo aliqua in desiderio nuptiarum est, jam matura ad usum, melius esse, ut secundum concessam legem publice nubat, quam occulte turpiter agat illud, & erubescatur in illa. ỳ. 36.

Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habet de sua voluntate, & hoc decrevit in suo corde, servare virginem suam, bene facit. Hoc dicit, ut qui virginem habet, cui animus ad nuptias non est, servet illam: nec illi ingerat fomitem nuptiarum, quam videt nubendi voluntatem non habere. Beneficia si præstanda sunt, quanto magis minime auferenda? ỳ. 37.

Ita & qui nuptum dat virginem suam, bene facit. Be- ỳ. 38.
C ne facit, quia licet, quod facit. *Et qui non dat nuptum, melius facit.* Melius facit, quia & apud Deum meritum illi collocat, & à sæculi sollicitudine illam liberat.

Mulier vincta est lege, quamdiu vivit vir ejus. Hæc idcirco prosequitur, ut doceat quia mulier, etiamsi à viro fuerit ejecta, nubendi licentiam non habet. [e] *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est.* Etiam hæc ad supradictas pertinent causas; ut ostendat quam beata sit virgo, cùm nulli nisi soli Deo subjecta sit. Vincere enim videtur naturalem subjectionem, quando quod per naturam humiliatum est, erigit. *Cui vult nubat, tantum in Domino:* id est, quem sibi aptum putaverit, illi nubat; quia invitæ D nuptiæ solent malos proventus habere. *Tantum in Domino,* hoc est, ut sine suspicione turpitudinis nubat, & religionis suæ viro nubat: hoc est in Domino nubere. ỳ. 39.

Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Cùm dicit superius, *nubat*, lege loquitur naturali; quamquam à Deo primæ nuptiæ sint, secundæ vero permissæ sunt. Denique primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter: secundæ autem etiam in præsenti carent gloria; concessæ sunt autem propter incontinentiam: & quia [f] solent viduarum juniores incurrere; ac per hoc concedit secundas. Sed quia melius est ut se contineat; ut dignior sit in futuro, consilium dat E spiritali ratione [g] præcipuum, ut se contineat. *Puto enim & ego Spiritum Dei habeo;* ut ratum & providum consilium suum ostendat, humilitate verbi hoc commendat alto sensu. ỳ. 40.

De his autem quæ idolis immolantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Nunc de scientia loquuturus est: quæ sit scientia, non statim dicit, sed in subjectis ostendit dicens, quia nihil est idolum. CAPUT VIII. ỳ. 1.

Scientia inflat. Manifestum est habentem scientiam in eo ipso gloriari, si non foris, quia prudens est, vel apud se. Genus enim scientiæ hoc est, ut glorietur in se se, F ideo inflat. *Caritas vero ædificat.* Itaque tunc scientia magna est, & sibi utilis, si caritate humilietur, ut amplius crescat. Temperatur enim à dilectione, ut non satis mera sit, & inebriet scientem, ut se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ mentem alienat; ita & scientia superbum facit, nisi fuerit temperata. Omnia enim sola insuavia sunt & nociva; quia nec panis solus bene editur, nec reliqui cibi sine admixtione grati sunt, [h] sed nocivi; ideo caritas ædificat. Ipsa caritas uno licet vocabulo appelletur, multis tamen consistit; sine patientia enim non potest, neque sine humilitate, neque sine cordis simplicitate. Hi ergo inflati erant per scientiam, [i] quia nihil est idolum, qui contra salutem fratrum imperito-

a. Pro *ejus præterire*, & infra, *ideo præterit*; mss. aliquot præ se ferunt, *ejus perire .... ideo peribit.* Sed hoc etiam loco in Corb. cod. lacuna est.
b. Ms. Corb. *Si autem in corpore mundo animus terrena cogitet, polluit & corpus. Quæ vero nupta est*, &c.
c. Ita edit. omnes, ac plures mss. alii vero nonnulli, *speciem veritatis.*
d. Rom. edit. cum paucis mss. *se videri existimet.*
e. Ita vet. edit. ac plerique mss. Rom. autem edit. cum aliis aliquot mss. *Quod si dormierit.*

f. Nonnulli mss. *solent in diversum juniores incurrere.* Hic quoque quidquid intercedit à verbis: *Denique primæ nuptiæ*, usque ad, *concedit secundas*, in Corb. ms. prætermittitur.
g. Rom. edit. omissis verbis, *ut se contineat*, ita prosequitur. *Puto enim & ego me Spiritum Dei habere.*
h. Mss. aliquot, *sed non nocivi*; haud satis recte.
i. Corb. cod. *qui idolo contra salutem fratrum imperitorum carnes sacrificatas edebant.*

rum carnes sacrificatorum edebant, scientes licere carnem edere; & quia nihil est idolum, ideo non contaminari edentem. Hi scandalo erant fratribus, caritatem præ oculis non habentes; quia plus erat carnem contemnere, quam fratribus scandalum facere. Scientia enim illorum destruebat animos imperitorum fratrum, putantium esse illic apud idolum aliquam gratiam; quando peritiores fratres interesse illic, & non horrere videbant. Ideo ait: *Caritas ædificat*; ut saluti fratrum studentes, scientiæ illic legibus non uterentur, ne illis scandalum facerent.

℣. 2. *Quod si quis existimat se aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Eos ipsos qui in scientia gloriantur, ostendit non ita cognovisse, sicut cognoscendum est. Dum enim caritatem, quæ mater omnium bonorum est, non sectantur, non sciunt sicut oportet. Ut ergo scientia fructum habere possit, caritati se debet subjicere.

℣. 3. *Si vero quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Hic diligit Deum, qui caritatis causâ scientiam mitigat; ut prosit fratri, pro quo Christus mortuus est.

℣. 4. [a] *De cibis igitur simulacris immolatorum.* Nunc causam ipsam pertractat, ut ostendat per rationem scientiam non solum non proficere, caritate contemta, sed & obesse. *Scimus quia nihil est simulacrum, & quia nemo Deus, nisi unus.* Verum est; apud christianos enim unus est Deus.

℣. 5. *Licet sint qui dicantur dii & domini, sive in cælo, sive in terra.* A paganis enim & sol & luna & cetera sydera dii cælestes dicuntur: in terra Apollinem, Æsculapium, Herculem, Minervam deos dicunt & dominos.

℣. 6. *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo.* Omnia enim ex illo quæque sunt, ubicumque sunt. Cùm autem dicit: *Et nos in illo*, discrevit nos à ceteris, qui cùm ex illo sint; non tamen sunt in illo, dum adhuc non credunt. *Et unus dominus Jesus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Omnia enim ex Patre quidem, sed per Filium creata sunt. Sed cùm dicit: *Et nos per ipsum*, reformatos nos per ipsum, per quem creati fueramus, significat in Dei cognitione; quia facti per ipsum cum ceteris, post stuporem mentis & ignorantiæ nos per ipsum agnovimus mysterium unius Dei. Unum ergo Deum Patrem dixit, & unum dominum Jesum Filium ejus; ut quia Deus non potest non esse Dominus, similiter & Dominus intelligatur esse & Deus, unum esse Deum & Dominum demonstraret, modum unius principii conservando.

℣. 7. *Sed non in omnibus est scientia.* Id est, non omnes norunt credentes mysterium Dei unius; ideo quidam putant ex iis qui credunt aliquid numinis in simulacris.

Nam aliqui adhuc conscientia idoli quasi simulacro immolatum manducant. De plebe enim aliqui adhuc cum veneratione simulacri manducabant de sacrificatis, quasi aliqua esset illic divinitas. *Et conscientia aliorum cum sit infirma, coinquinatur.* Maculatur conscientia, si infirma est circa Deum.

℣. 8. *Esca autem nos non commendat Deo.* Verum est, quia non ideo Deo placebimus, si omnia ederimus: aut offendemus, si aliqua contemserimus. *Neque enim si ederimus, abundabimus; neque si non ederimus, deerit nobis.* Contemtâ enim sacrificiorum escâ, non utique deerit quod edatur: si autem sumta fuerit, non abundabit, ita ut nihil requiratur: ac per hoc abjicienda; quia neque sine illa non vivitur, & scandalum fratribus est.

℣. 9. *Videte tamen ne forte licentia vestra offensio fiat infirmis.* Hoc est, ne quia licere vobis edere carnem de sacrificio dicitis, per id quod nihil esse idolum scitis, offensionem generetis fratribus, qui nesciunt adhuc quia nihil est idolum.

℣. 10. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum de simulacris?* Hoc ideo dixit, quia videns quis fratrem peritum in idolio invitatum, recumbentem edere carnes sacrificiorum, putat illic esse aliquid gratiæ, & incipit etiam ipse edere carnes sacrificiorum, non illâ conscientiâ, qua ille peritiæ causâ sciens nihil esse idolum, sed qua esse putat illic numen; quando fratrem peritum videt illic edere, nec horrere.

℣. 11. *Et peribit, qui infirmus est* [b] *in tua scientia frater, pro quo Christus est mortuus?* Peribit infirmus, si edat contra unius Dei fidem de sacrificatis: quod quidem quasi irascentis verba sunt, & ostendentis quid mali possit parere scientia, si non fuerit temperata à caritate. *In tua scientia:* id est, [c] tua peritia illum occidit; quando à te fieri videt, quod ille aliter intelligit. Et tu eris occasio mortis fratri, quem Christus ut redimeret, crucifigi se permisit. Ac per hoc aliquando ab scientia dissimulandum docet caritatis causâ; quia sine dubio plus est salus fratris, quam cibus: quia licet quidem, sed non expedit. Hoc erit cognovisse, sicut oportet scire.

℣. 12. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam illorum infirmam, in Christo peccatis.* Quando enim caritatis non æmuli sunt, qua Christus nos liberavit, peccant in Christo, non in Christum; quia in Christum peccare negare est Christum: in Christo autem, in hæc quæ sunt Christi. Sicut & hic, qui sub Lege est, in Lege dicitur peccare; ita & ii qui sub Christo sunt, in Christo peccare dicuntur.

℣. 13. *Propter quod si esca scandalizat fratrem meum, non edam carnem in æternum, ne fratrem scandalizem.* In tantum caritati studendum docet, ut licita pro illicitis habeantur, ne obsint fratri. Quantum enim mali est per illicita non delinquere, & per ea quæ concessa sunt, offendere; ut Lex servetur in illicitis, & in licitis non custodiatur, dum inconsiderate eduntur? Lex enim sic permisit, quæ concessit, ut modus tamen sit, quem custodiant. Uxorem certe licet habere, sed si fornicata fuerit, abjicienda est: ita & carnem licet edere, sed si idolis oblata fuerit, respuenda est.

CAP. IX. ℣. 1. **N**On sum apostolus? non sum liber? nonne Jesum dominum nostrum vidi? Cùm negare videtur, confirmat; iratus enim loquitur. Apostolum enim se probat, quia missus est ad gentes, dicente Domino ad eum: *Ego ad gentes mittam te.* (Act. 22. 21.) Liberum autem se ostendit, quia nullius aliquid concupivit, neque in adulatione docuit. Jesum autem dominum nostrum vidit, dum oraret in templo Hierosolymis. (Act. 22. 18.) *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Ideo opus sunt, quia ipse illos plantavit in Domino, annum & sex menses evangelizans eis verbum Dei.

℣. 2. *Etsi aliis non sum apostolus, verumtamen vobis sum*; quia à Judæis credentibus, & nihilominus Legem servantibus, apostolus esse negabatur. Jam enim circumcidi non debere docebat, neque sabbatum custodiri: ceteris autem apostolis propter scandalum ab hac re dissimulantibus, hîc alter videbatur docere: ideo apostolus [d] ab his negabatur; his enim erat apostolus, qui viderant in eo virtutis insignia. *Nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino*; hoc enim prædicante, conversi sunt ab idolis ad fidem Dei unius.

℣. 3. *Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est.* Nunc incipit agere causam, quam superius præmisit dicens: *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis.* (1. Cor. 6. 12.) Sic ergo incipit causam hanc, ut dicat: *Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est.* Et quæ sit, subjicit, dicens:

℣. 4. *Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?* Hoc est quod dixerat: *Omnia mihi licent.* ℣. 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem circumducendi, sicut & ceteri apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ideo addidit: *& Cephas*; quia cùm primus esset inter apostolos, non refutabat sumtus oblatos. Cephas ipse est Simon Petrus. Mulieres enim desiderio doctrinæ dominicæ, & cupidæ virtutum sequebantur apostolos, ministrantes eis & sumtus & servitia, sicut & Salvatorem sunt sequutæ ministrantes ei de facultatibus suis.

℣. 6. *Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hæc operandi?* Hoc est, habemus potestatem operandi, sed noluimus. Pro accipiendi tamen *operandi* ait, ut honestius loqueretur. Et ut hoc firmet, exempla subjicit, dicens:

℣. 7. *Quis militat stipendiis suis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem ovium, & de lacte earum non percipit?* ℣. 8. *Numquid secundum hominem hæc*

a. Edit. ac mss. nonnulli, *De cibis igitur, qui simulacris* (edit. Rom. *qui idolis*) *immolantur. Immolatorum* Rom. edit. *Immolatitiorum* &c. Nos alios mss. plures potioresque sequuti sumus.

b. Sic vet. edit. ac plurimi probatissimique mss. semel & iterum: at utroque loco Rom. edit. cum mss. quibusdam, *in tua conscientia.*

c. Rom. edit. & mss. nonnulli, *tuo actu illum occidit ... conscientia aliquando dissimulandum*: reliquæ edit. ac mss. invicem congruunt, nisi quod alicubi legitur *occidit*, alibi vero, *occidis.*

d. Ms. Corb. *ab omnibus negabatur ... qui viderunt in te virtutis signa.*

loquor? Id est, numquid humanam sententiam sequor? *Numquid & Lex eadem non dicit?* Concordare docuit supradicta testimonia documentis divinis; ut ostendat non sine causa utique nolle se ab illis sumtus accipere, quando tot exemplis ostendit & dandum & accipiendum esse.

ŷ. 9. Deut. 25. 4. *In Lege enim scriptum est: Non alligabis os bovis triturantis. Numquid de bobus cura est Deo?* Interim paucis hoc
Jonæ 4. 11. absolvamus; in Jona enim propheta scriptum est: *Non parcam civitati, in qua habitant plusquam centum viginti*
Psal. 35. 7. *millia hominum, & pecora multa.* Et Psalmographus: *Homines & jumenta*, inquit, *salvabis.* Quomodo ergo Deus non curat de bobus & pecoribus? Sed non curat de bobus & pecoribus propter hæc ipsa, sed propter nos, quorum causa sunt facta; ideo de nobis curat, non de illis.

ŷ. 10. *Aut potius*, inquit, *propter nos dicit: propter nos enim scriptum est.* Per figuram enim omnia dicta ad nos transeunt. *Quoniam qui in spe arat & triturat, debet spei suæ fructum percipere.* Verum est, quia hac spe laboratur, ut fructus capiatur.

ŷ. 11. *Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si nos vestra carnalia metamus?* [a] Non dicit magnum, neque par esse, si evangelizantes regnum Dei, & cælesti cibo Ecclesiam saginantes, alimenta corporis sumerent; ut tradentes æterna, consequerentur temporalia.

ŷ. 12. *Si alii potestate vestra utuntur, nonne magis nos?* Si enim ii qui per Evangelium patres vestri non sunt, nec eumdem affectum habent erga vos, facultatem habent accipiendi; quanto magis nos? Et subauditur, vestri apostoli; quia & Barnabas apostolus erat.

Sed non sumus usi hac potestate: omnia vero toleramus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi. Diu occultatum prodidit sensum; ostendit enim sumtus ideo se nolle, cùm liceret, accipere; ne vigor evangelicæ auctoritatis torpesceret. Pseudoapostoli enim peccantibus blandiebantur, volentes accipere; ita ut non sibi viderentur peccare
b [b] illis subjecti: sed quoniam hæc res contra evangelicam erat disciplinam, hic non vult accipere; ut libere arguat, ne in illorum numero inveniatur. Ut enim regulæ christianæ jus maneret, licita illicita fecit; quia illi per licentiam offendebant.

ŷ. 13. *Nescitis quoniam qui in sacrariis operantur, de sacrario vivunt: & qui altario deserviunt, de altario participantur?* In sacrariis legem gentilium significat, in altario verò Ju-
Deut. 18. 3. dæorum. Sic enim decrevit Dominus per Moysen, ut de iis quæ oblata erant, partem sumerent sacerdotes.

ŷ. 14. *Ita & dominus Jesus ordinavit eos, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Non ergo Deus per Moysen gentilium formam sequutus est: sed ipsa naturalis ratio hoc habet, ut quis inde vivat, ubi laborat. Hanc er-
c go rationem [c] ipsi naturæ & conversationi humanæ decrevit. Hæc tamen ad cumulum adhuc addens, gravat causam; ut non leve faciat neque odiosum, quod tantis testimoniis commendat: & tamen non sibi proficere vult, ne libertatem arguendi humiliet.

ŷ. 15. *Ego autem nullo horum usus sum.* Postquam multis modis ostendit licere accipere, sibi tamen non opus esse; obest enim accipere à peccantibus, sicut supra memoravi. *Non autem scripsi hæc, ut ita fiat in me; bonum est enim mihi*
d [d] *magis mori. Nemo gloriam meam evacuabit.* Gloriam suam dicit in eo, si Evangelii severitas maneat: & mori magis elegit, quam Evangelii jura violare, sciens hoc sibi magis proficere ad futuram salutem. Debitum enim obsequium abnuit ab his sibi impendi; ne per hoc accipiant fiduciam delinquendi.

ŷ. 16. *Nam si evangelizem,* [e] *non est mihi gloriatio; necessitas*
Luc. 17. 10. *enim mihi incumbit.* Sicut dicit Dominus: *Cum feceritis quæ dico vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Væ enim erit*, inquit, *mihi, si non prædicavero Evangelium.* Missus enim servus à domino facit etiam invitus, quod sibi præceptum est: si quominus, adstrin-
Exod. 4. 14. gatur plagis necesse est. Denique Moyses invitus missus
Jonæ 1. 3. est ad Pharaonem; & Jonas coactus est prædicare Ninivitis.

Nam si volens hoc ago, mercedem habeo. Manifestum est ŷ. 17.
quia nemo accipit remunerationem ejus rei, quam invitus agit. Si enim voluntarius, dignus mercede est; quia consentit domino: & quod voluntate fit, melius fit. *Si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* Nec hoc obscurum est, quia qui indevotus aliquid facit, non voluntate facit, sed necessitate. Quia enim [f] potestatis suæ non est, f
facit invitus, quod sibi præceptum est.

Quæ ergo erit mea merces? Ut Evangelium annuntians, ŷ. 18.
sine sumtu efficiam Evangelium; ut non abutar potestate mea in Evangelio. Repressâ verborum jactantiâ gloriatur, & vult intelligi quanta dignus mercede sit, quia potestate sua non utitur in Evangelio, dum respuit oblatos sumtus, ne vim prædicationis humiliet. Hoc est licere, sed non expedire propter salutem fratrum, ut corrigantur. Forma ergo vult esse ceteris, ut ubi vident non expedire, etiam licitis non utantur: si quominus, [g] de licito fient rei: quod g
sic sumunt, ut ad detrimentum proficiat.

Nam cùm liber sim ex omnibus, omnium me servum feci, ŷ. 19.
ut plures lucrifaciam. Liber ex omnibus est, cùm nulli in adulatione tradidit Evangelium, [h] nec cujusquam præter h
salutem aliquid concupivit, neque ad delicias habendas ab aliquo sumtus largiores mercede hypocrisis accepit. Servum autem sic se omnium factum dicit, dum se per humilitatem similem omnium mente imbecillium exhibuit; ut eos per patientiam firmaret ad salutem futuram, confovens animos illorum, qui aut peccabant, aut res divinas tardius sequebantur; ut non aspere ferrent reprehendi se.

Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifa- ŷ. 20.
cerem. [i] Videtur quasi simulasse, ut omnibus fieret omnia, i
quod solent adulatores facere, sed non ita est; vir enim divinus & medicus spiritalis sciens omnium causas & vulnera, magnâ industriâ confovet illos & compatitur; cum omnibus enim hominibus quædam habemus communia. Factus est ergo Judæis tamquam Judæus; quia propter scandalum illorum circumcidit Timotheum, & purificatus Act. 16. 3.
adscendit in templum, ne occasionem per eum acciperent Act. 21. 26.
blasphemandi. Rem ergo fecit, quæ jam cessare deberet, sed secundum Legem fecit. Nam & consensit illis Legem esse à Deo & prophetas, & de illis ostendit Christum hunc esse, qui promissus est; ut adsensus ejus haberet effectum.

Iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege essem (cùm ipse non ŷ. 21.
sim sub Lege) ut eos qui sub Lege sunt, lucrifacerem. Ii qui sub Lege sunt Samaritani noscuntur; Legem enim solam accipiunt, id est, quinque libros Moysi. Sunt autem ex origine Persarum & Assyriorum, quos rex Assyriorum, subla- 4. Reg. 17. 6.
tis filiis Israel in captivitatem, posuit ad incolenda loca Samariæ; ideo & ignem colunt more Persarum. His ergo Apostolus, dum non negabat Legem esse à Deo, fiebat quasi sub Lege: sed ex ea [k] illis miti verbo Christum in- k
telligendum tradebat, sicut & Samaritana illa, quæ dixit ad Dominum: *Scio quia Messias venit;* docta per Legem. Johan. 4. 25.

Iis qui sine Lege sunt, quasi sine Lege essem (cùm sine lege non essem Dei, sed in lege essem Christi) ut eos qui sine Lege sunt, lucrifacerem. Hoc dicit, quia cùm in lege Christi est, in lege Dei est; quia quod Christi est, Dei est: & quod Dei est, Christi est, sicut dicit: *Omnia mea tua sunt,* Johan. 17. 10.
& tua mea. Ut eos qui sine Lege sunt, lucrifacerem. Dum enim adsentit illis, id est, gentilibus, juxta physicam rationem mundum factum à Deo, & quæ in eo sunt, & animam esse immortalem, & ab ipso nos originem habere (ita enim Actibus apostolorum ait: *Et sicut quidam ex vo-* Act. 17. 28.
bis dixerunt: Ipsius enim & genus sumus) sic fiebat quasi sine lege, per quod subintroducebat illis Christum ipsum esse, quem Deus ad judicandum mundum prælegit, & ipsum esse, per quem omnia fecit.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. ŷ. 22.
Infirmus factus est, dum propter fratres infirmos à licitis abstinet; ne illis scandalum generet. *Omnibus factus sum omnia, ut omnes salvos facerem.* [l] Hoc fuit viri prudentis l
& spiritalis, ut omnibus omnia factus, propositum tamen

a. Rom. edit. sola: *Quasi dicat non magnum*, &c.
b. MSS. nonnulli, *illis subjectis .... licita fecit, quæ licentiam.*
c. Cod. Corb. *ipsa natura & conversatio humana decrevit.* Et post pauca idem ms. cum aliis nonnullis, *neque otiosum, quod tantis* &c.
d. Ita mss. plures, ac melioris notæ: alii vero, & edit. *magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.*
e. Vet. edit. cum paucis mss. *non est mihi gratia.*
f. Omnes edit. *voluntatis suæ non est*: contra vero mss. prope ad unum *potestatis suæ* &c. Iterum autem ubi cum vet. edit. ac mss. multo pluribus restituimus, *efficiam Evangelium*, Rom. edit. cum uno aut altero ms. mutarat, *ponam Evangelium.*
g. Nonnulli mss. *delicto fiunt rei.*
h. MSS. aliquot, *neque cujusquam propter salutem.*
i. Vet. edit. ac mss. haud pauci: *Non quasi videtur simulasse*; melius tamen Rom. edit. aliique cod. expungunt negationem.
k. Sic edit. Amerb. Erasm. ac Rom. cum parte mss. Gill. vero, & alii mss. *illis miti verbo*, quidam cod. *Verbum.*
l. MSS. nonnulli, *Hoc fuit vere prudens.*

religionis non excederet; quia ubi cessit, ad hoc cessit, ut proficeretet: nec aliud fecit, quam Lex mandavit.

℣. 23. *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus fiam.* Hoc est, omnia supradicta facio, ut voluntatis evangelicæ particeps efficiar, quam habet circa salutem humanam.

℣. 24. *Nescitis quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus autem accipit palmam?* Nunc aliud vult exponere: itaque hoc exemplo ostendit quanta sit utilitas legis nostræ, in qua non uni, sed omnibus promissa est palma. *Sic currite, ut comprehendatis.* Sollicite vult curri ad promissionem, quia magna est.

℣. 25. *Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet:* B ab his omnibus quæ vitanda eadem tradit disciplina, cùm sciant unum coronandum; quanto magis nobis observandum est, quia omnibus promissa est salus? *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Et in hoc multum dispat donum est, ac per hoc diligentiores nos esse debere, quibus non terrenis & marcescentibus floribus, sed æternis conserta gemmis in modum regalis diadematis spiritalis corona servatur.

℣. 26. *Sic curro, non quasi in incertum.* Magna spe currere se profitetur, certum habens quid sit promissum. *Sic pugna, non quasi aerem cædens.* Hoc est, non verbis magis, sed de rebus contendo.

Sed castigo corpus meum, & servituti subjicio. Castigare C corpus est jejuniis [a] illud angere: & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. Servituti vero subjicitur; dum non suam perficit, sed spiritus voluntatem. *Ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* Ideo se restænare corpus suum ostendit, ut remuneratione, quam aliis prædicat, etiam ipse dignus habeatur; ne aliis curatis, ipse remaneret in vulnere. Raram ergo spem prædicationis suæ affirmat, quando gestis id se prosequi, quod docet, ostendit; quia qui aliter agit quam prædicat, suspectos facit audientes, ut de promissis dubitent. Suo itaque exemplo non magis verbis, quam operibus exercendum hortatur.

CAP. X. ℣. 1. Exod. 13. 21. Num. 9. 21. Exod. 14. 22. ℣. 2.

NOlo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Judæorum exemplo, qui negligentia sua offenderunt, sollicitos nos vult esse; ideoque sub nube dicit illos fuisse, quia omnia quæ gesta sunt, [b] in figura nostri facta sunt; ut veritatis nostræ illi habuerint imaginem. Contecti enim nube, & ab adversariis suis tuti præstiti, dum à morte liberati sunt, baptizati dicuntur. Illis enim, id est, Ægyptiis in mari mortuis, dum hi duce Moyse, feliciter transeunt, erepti sunt à morte: quod præstat baptismum. Non enim illis præterita mala imputata sunt, sed per mare & per nubem purificati, præparati sunt ad accipiendam Legem, & formam futuri sacramenti nostri.

℣. 3. ℣. 4. Exod. 16. 15. Exod. 17. 6. *Et omnes eamdem escam spiritalem ederunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt; bibebant enim de sequente eos spiritali petra: petra autem erat Christus.* Manna & aquam quæ fluxit de petra, dicit spiritalia; quia non mundi lege parata sunt, sed Dei virtute sine elementorum commixtione ad tempus creata, habentia in se figuram futuri mysterii, quod nunc nos sumimus in commemorationem Christi domini. Ideo & panis Angelorum dictus est, quia virtute qua Angeli subsistunt, creatus est: hoc significans, quia de cælis venturus erat, qui spiritaliter pasceret. Unde & manna primùm Dominico die venit de cælo ad saturitatem populi; sequens tamen petra dicta est, quæ intelligitur Christus. Ubi enim deficiebat humanum eis suffragium, aderat Christus; ideo sequebatur, ut ubi defecisset, ille subveniret. Nec enim petra aquam dedit, sed Christus.

℣. 5. Num. 14. 65. *Sed non in pluribus eorum bene sensit Deus.* Ideo hoc dixit, quia acceptum beneficium non intellexerunt. *Prostrati enim sunt in deserto.* Dignum est, ut qui magna consequutus, in parvis diffidens est; non solum [c] hæc non adipiscatur, verum etiam amittat & illa. Quoniam ergo superiùs hortatus est ad meliora, se etiam dicit id elaborare, ut ad promissionem dignus occurrat; nunc ut istud exempli terrore constringat ac suadeat, Judæos tunc simili modo dicit donum Dei & gratiam sortitos, sicut & nos: & quia

A indiligentes & dubitantes [d] de Dei promissione fuerunt, prostratos esse in deserto; ut ideo semet ipsum affligere se ostenderet, ne in illorum numero inveniretur: proinde elaborandum, ut sui imitatores existerent.

Hæc autem in figura nostri facta sunt, ut non simus desiderantes mala, sicut & illi desideraverunt. Is sensus & ratio est, quam supra memoravi. *Neque simulacris servientes, sicut quidam illorum* Nunc hos tangit, qui in idolio recumbentes putabant non esse peccatum. *Sicut scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere:* ante idolum utique; ut non se crederent immunes à crimine, qui in idolio epulabantur. Nam Moyse in monte posito apud Deum, simulacro vituli facto, post oblationem dedicationis causâ: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Hæc luxuria est, quia semper oblectati, in Dei rebus infideles inventi sunt. [e] Ideoque instruit, ne in hanc diffidentiam per adsensum luxuriæ in idolio incidamus. ℣. 6. ℣. 7. Exod. 32. 6.

Neque fornicemur, sicut quidam illorum fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia hominum. Hoc illis retributum est, quando cum Madianitis mulieribus se commacularunt; ita enim Dei exstitit contra illos, quæ æmulatione Phinees sacerdotis habentis zelum Dei, sopita est, ne plures morerentur. ℣. 8. Num. 25. 1.

Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt. Detrahentes de Deo Christum tentasse dicuntur; quia Christus erat, qui ad Moysen loquebatur. Denique ne nos in eadem causa inveniamur, commonet ne diabolo tradamur, cujus serpentes habent figuram. ℣. 9.

Neque murmuraveritis, sicut quidam ex ipsis murmuraverunt. Murmurare est falso ad invicem de præpositis & rectoribus queri, quantum ad mentem loci pertinet; quia solet murmur fieri & justa ex causa. *Et perierunt ab exterminatore.* Hoc est, in locum Judæ concesserunt, anticipantes illum; quia tradens Christum, exterminatus est de numero apostolorum à judice Deo. Per hæc exempla ad D correctiorem nos vitam provocat; ut monitis ejus aut præmium, si obedientes fuerimus, aut propensiorem pœnam mereamur inobedientes. Non est enim ambiguum illos peccantes plus subjiciendos tormentis, quibus peccantium pœnæ ad hoc relatæ sunt, ne peccarent. ℣. 10. Num. 14. 4.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt vero ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Fines sæculorum nos sumus; quia tunc hæc ideo facta noscuntur circa retributionem illorum, ut nobis essent exemplo, qui postremo sæculo futuri eramus in fide Christi. Pro utilitate enim nostra gesta sunt, ut si terrore horum in Dei timore manserimus, gloriam illis promissam E accipiamus: si quominus, geminabitur nobis pœna illorum; quia major notitia legis plus facit reum. ℣. 11.

Propterea & qui se putat stare, videat ne cadat. Hoc ad eos loquitur, qui præsumentes de scientia, qua licitum est omnia edere, infirmis fratribus scandalo erant; & putantes aliquid se proficere doctrina pseudoapostolorum, deterioraverant; & judicabant Apostolum, cùm ipsi essent rei. Superbiam ergo amputat, ne per hanc tententur, sicut Judæi tentati sunt, & perierunt. ℣. 12.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Ac per hoc detrahentes Apostolo, Dominum tentare videntur; quia & tunc cùm Moysi detraherent, & dubitarent de eo, Deum F tentasse dicuntur. Omne enim quod probatum non habetur, tentatur; ideo ut hæc tentatio convellatur, admonet eum terrore. Ut autem humana tentatio illos apprehendat, hortatur: humana enim tentatio est propter spem Dei diffidere de homine, quia vana spes in homine; ut in necessitate aut pressura non desperet de Deo, humanum auxilium requirendo, sicut & Judæi qui dubitantes de Deo, idolorum adminicula exorabant. Hoc est humanum auxilium; quia dii paganorum terra sunt, & culturam illorum humanus error invenit. Propter Christum ergo pati humana tentatio est, per quam proficitur apud Deum. ℣. 13.

Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari supra quam potestis: sed faciet cum tentatione etiam proventum; ut possitis tolerare. Ideo fidelem dicit Deum, *qui non patietur vos tentari supra quam potestis*; quia daturum se promisit

a. Vet. edit. ac plures mss. *jejuniis illud agere*: melius tamen Rom. edit. cum aliis mss. ... *angere*.
b. Ms. Corb. *cura nostri facta sunt*.
c. Idem cod. Corb. *non despiciat, verum etiam studeat laborare, ut ad promissionem dignus occurrat*, ubi non pauca prætermittuntur.
d. Nonnulli mss. *de Dei provisione fuerunt*.
e. Cod. Corb. solus, *ideoque destruit*: at idem cod. cum aliis quibusdam, *luxuria idoli incidamus*.

Deus

Deus diligentibus se regna cælestia : & ut det necesse est ; A quia fidelis est. Propterea ergo tribulatis pro se aderit, nec patietur tantum irrogari, quod tolerari non possint : sed faciet, ut aut cito cesset tentatio ; aut si prolixa fuerit ; det tolerandi virtutem : alioquin non dabit, quod promisit ; quia vincetur, qui patitur. Homo est enim infirmitati subjectus,
[a] & non erit [a] qui accipiat : sed quia fidelis est Deus, qui promisit, subvenit, ut impleat, quod promisit. Denique breMatth. 24. 22. viatos vult esse dies Dominus, ut salventur electi, & possint consequi regnum Dei. Quomodo tamen à Deo adjuvatur,
[b] si tantum [b] permittatur tentari, quantum potest ? Adjuvatur plane, dum non plus permittitur ei imponi, quam scitur ferre posse ; ut quarto die pati non permittatur, qui scitur B ultra non posse quam triduo tolerare.

℣. 14. *Quapropter, carissimi, fugite ab idolorum cultura.* Hortatur etiam nunc, ut abstineant se ab omni societate idololatriæ, ut non solum spes, sed & animus inde tollatur, ne per hoc nascatur in Deum tentatio. Nemo enim assiduus
[c] in idolio nihil sperat de eo ; hinc enim sperare dubitare
1. Reg. 28. 12. & seqq. de Deo est, sicut & Saul relicto Deo, qui ei fuerat delicti causa iratus, ad idololatriam se convertit, aliquid sperans de ea. Cui quidem & in præsenti obfuit, & in futurum gehennam ultricem providit.

℣. 15. *Quasi prudentes vos judicate quod dico.* Exempla subjicit, ut facilius suadeat ; quia cui verba satis non faciunt, C solent exempla suadere.

℣. 16. *Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? Panis quem frangimus, nonne com-*
℣. 17. *municatio corporis Domini est? Quia unus panis, unum corpus multi sumus ; omnes enim de uno pane & de uno calice participamus.* Quoniam unum sumus, alter alterius membra, unum nos sentire debere dicit ; ut fides una unum habeat sensum & opus.

℣. 18. *Videte Israel secundum carnem* : hoc est, discite homines videntes Deum, quemadmodum se habent carnalia, id est, idololatria. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt al- D taris?* Sicut enim nos de uno pane & de uno calice percipientes, participes & consortes sumus corporis Domini : ita & qui edunt hostias, participes sunt altaris erroris.

℣. 19. *Quid ergo dico, quia simulacro immolatum aliquid est?*
℣. 20. *Non quia simulacrum est aliquid ; sed quæ sacrificant, dæmoniis immolant.* Simulacrum vere nihil est ; quia imago videtur rei mortuæ : sed sub tegmine simulacrorum diabolus colitur.

Nolo vos participes fieri dæmoniorum. Ostendit illis
[d] hoc esse tantum, [d] quod videtur in idolio : sed esse occultum iniquitatis mysterium, quod ut unius Dei fidem corrumperet, satanas adinvenit. Unde & Johannes apostolus
1. Johan. 3. 9. in epistola sua dicit : Ad hoc venit Filius Dei, ut solveret opera diaboli.

℣. 21. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum : non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ dæ-*
Matth. 6. 24. *moniorum.* Sicut & Dominus ait : *Non potestis Deo servire, & mammonæ* ; quia qui calicem dæmoniorum bibit, calici Domini insultat : & cùm mensæ dæmoniorum communicat, mensæ Domini, id est, altari obstrepit, & Domini corpus crucifigit. Idcirco enim Christus [e] crucifixus est,
[e] ut dissolveret opera diaboli. Qui ergo facit opera diaboli, Christo repugnat.

℣. 22. *Aut æmulamur dominum Jesum? Numquid fortiores illo sumus?* Vix fit ut humilis zeletur potentem ; scit enim non sibi competere, in quo illi potest invideri : sed aut æquali invidetur, aut prope æquali. Ideo Apostolus non posse dixit homines æmulari dominum Jesum, propterea quia illum sciunt Dominum : si quominus, non videbitur eis dignus esse vocari Dominus, quem zelantur, ne Dominus sit. Zelo enim satanas idololatriam invenit, ut homines negando Deum dominum, idolis serviant quasi diis & dominis. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Omnia dicit licere secundum legem naturæ ; omnia enim munda sunt. De escis enim agebatur, & carne idolis immolata. Nam quæ prohibita & interdicta sunt, quomodo dici possunt licere, cùm hic etiam ipsa, quæ concessa sunt, significet A aliquando non expedire? [f] sicut dicit apostolus Petrus : *Si*
[f] Matth. 19. 10. *hæc est causa viri cum uxore, non expedit nubere.*

℣. 23. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Idem sensus est, quia licet omnia edere : sed quod idolis immolatur, non ædificat ; quia scandalum facit fratri, sicut supra dictum est : ideoque à licitis aliquando temperandum est, ut prosit. Hinc est unde sumtus ab iis, cùm ei liceret, noluit accipere, sciens non expedire.

℣. 24. [g] [g] *Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius.* Verum est quod dum unusquisque in idolio recumbit, voluntati suæ satisfacit, & fratri conscientiâ infirmo scandalum ponit. Quapropter festinandum est pro caritate Domini nosB tri Jesu Christi ; ut & magis quæ sunt saluti proximi necessaria prohibeamus, quam nostræ voluntati, sicut idem Apostolus, vas electionis, & medicus spiritalis ait ; *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis.*

℣. 25. *Omne quod in macello venit, edite,* [h] *nihil interrogantes*
℣. 26. *propter conscientiam ; Domini est enim terra & plenitudo ejus.* Ut omnia munda ostenderet, exemplo psalmi vigesimi ter-
Psal. 23. 1. tii hoc roboravit ; quia non potest immundum esse, quod Domini est. Et quoniam superiùs de escis ait : *Omnia licent*, statim subsequutus est : *Omne quod in macello venit, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Hoc autem ideo subjecit, ut libera sit conscientia ; licet enim aliquid C pollutum sit per accidentiam, id est, oblationem idoli ; cùm hoc tamen nescit, qui emit, nullum patitur scrupulum, & apud Deum immunis est.

℣. 27. *Si quis vocat vos ex infidelibus ad cœnam, & itis ; omne quod appositum vobis fuerit, edite, nihil disquirentes.* Hoc est, simpliciter manducate quod apponitur, non interrogantes unde sit.

℣. 28. *Si vero aliquis dixerit : Hoc immolatitium est, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam.*
℣. 29. *Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Hoc perfectis loquitur, qui possunt contemnentes idololatriam, D quia nihil est manducare de sacrificio, certi quia quod sub Dei creatoris nomine edunt, non potest polluere : sed quia alius, qui idolis servit, gloriabitur, te edente de sacrificatis, quasi venereris idola ; ideo non debet edi. Apud conscientiam enim ille lætabitur suam, quia videt te libenter appetere, quod idolis immolatum est.

Ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia? Hoc dicit, quia cùm ab idoli devotione conscientia sit libera, quid opus est, ut putetur quia venerationis causâ edat idolis immolata? Judicatur enim non distare ab eo, qui colit idola ; quando non horret quod oblatum est simulacro.

℣. 30. *Si ergo gratia particeps sum, quid blasphemor pro quo ego* E *gratias ago?* Id est, si ego gratiæ Dei communico ; quia in ipsius nomine edo : quid opus est arbitrari hoc aliquem, quia ego idolo devotus sim, dum non horreo, quæ oblata sunt idolo, hoc est, *blasphemor*? Et me ergo blasphemat, & ille in idolio suo gaudet ; dum me putat participem, habet occasionem permanendi in errore, & fratribus malum datur exemplum. Nam si præceptum est in Lege, ut luci & aræ & tituli & ipsa idola confringantur ; vide si non peccatum est [i] non solum hæc non facere, sed & interesse epulis hujusmodi ; propterea de sacrificatis non expedit edere.

℣. 31. *Sive igitur editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in* F *gloriam Dei.* Per hæc subjecta declaravit in idolio edere, quavis licet conscientia, inimicum esse Deo ; ad opprobrium enim Dei unius hæc diabolo dedicantur. Nam in gloriam Dei edere & bibere & aliquid facere, hoc est, ut sub invocatione Creatoris cum modestia convivium celebretur ; in gloriam enim Dei aliquid fit, cùm in actibus & conversatione christiani Deus laudatur, vel cùm filiorum procreatio à Deo speratur.

℣. 32. *Sine offensione estote Judæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei.* Sic temperandam conversationem nostram docet, ut nullus in ea scandalum patiatur. Offensio ergo Judæis fit, cùm idola, quæ illi abominantur, christianum, qui se dicit Legem & prophetas accipere, vident non horrere. Græcis vero, id

a. Rom. edit. sola, *qui vicior.*
b. Mss. aliquot, *permittitur tentari, quantum scitur ferre posse?* At locus integer à vocibus, *Quomodo tamen* usque ad *Quapropter carissimi*, omittitur in ms. Corb.
c. Edit. Rom. *in idolio aliquid speret de eo* : vet. autem ac mss. eo tantum discrepant, quod illæ habent etiam, *speret* ; & illorum nonnulli pro *de eo* legunt *de Deo.*
d. Rom. edit. sola, *quod videtur in idolo.*
e. Nonnulli mss. *crucifixus est, quia dissolvit opera diaboli.*
f. Rom. edit. *Sicut dicunt apostoli.*
g. Hic textus apostoli atque illius expositio, è cod. Corb. restituitur, cùm absit in aliis, sicut & in cunctis edit.
h. Ms. Corb. *nihil discernentes.*
i. Idem cod. Corb. *non solum hæc facere, sed & de sacrificatis non expedit edere.*

est, gentilibus, hæc est offensio, si in eo in quo sunt, non solum non arguantur; sed & promtiores fiant, dum non vitantur vota idolorum illorum. Ecclesiæ autem Dei fit offendiculum, quando quosdam ex numero suo videt iis, quæ inimica sunt Deo, adhærere.

℣. 33. *Sicut ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Omnibus per omnia placere est sine scandalo cujusquam agere ad profectum utilitatis illorum, ut & illis & huic sit utile.

CAP. XI. ℣. 1. IMitatores mei estote, *sicut & ego Christi.* Humanum est est quod dicit, ut imitatores ejus simus, qui à Deo nobis magister indultus est. Si enim hic Dei imitator est, quare non nos hominis? Quia sicut Deus Pater misit Christum magistrum & auctorem vitæ; ita & Christus misit apostolos nobis magistros, ut eorum imitatores essemus; quia ejus esse non possumus. Ita enim ait Dominus ad Patrem: *Sicut me misisti in hunc mundum, ita & ego misi eos in hunc mundum.* Et quia digni imitatores ejus erant, subjecit: *Et pro eis sanctifico me ipsum.* (Johan. 17. 18. — Ibidem 19.)

℣. 2. *Laudo autem vos, fratres, quod omnia mea memoria retinetis; & quemodo ubique trado, traditiones meas tenetis.* Postquam mores & conversationem illorum arguit, nunc traditiones vult corrigere. Ideo non hoc confirmat, sed succenset eis; quia cùm esset apostolus eorum, immemores erant traditionum ejus: neque quod adhuc non didicerant, [a] ex aliarum Ecclesiarum traditione sequebantur; ac per hoc quasi noviter tradit illis, dicens:

℣. 3. *Volo vos scire quia omnis viri caput Christus est.* Ad auctoritatem retulit; quia homo à Deo quidem, sed per Christum. *Caput autem mulieris vir.* Quia quamvis & mulier per Christum, de viro tamen facta est, ac per hoc subjicitur viro. *Caput autem Christi Deus.* Dignum est ut filii caput Pater dicatur, quasi genitor ejus. Aliter tamen caput viri Christus est, & aliter vir mulieris, & aliter Deus caput Christi est. Deus autem ideo caput Christi est, quia de eo vel ab ipso genitus est. Mulieris vero caput idcirco vir est, quia ex ejus costa Dei virtute formata est. (Gen. 2. 22.) Christus autem ideo caput viri est, quia per ipsum cùm non esset, creatus est. Una ergo dictio diversam habet intelligentiam; quia & personæ discrepant & substantiæ.

℣. 4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum.* Orare dicit deprecari: prophetare autem adventum fore Domini voce symboli post orationem effari.

℣. 5. *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, confundit caput suum; unum est enim atque idipsum. ut de-*
℣. 6. *calvetur. Si autem non velatur mulier, tondeatur: si autem*
℣. 7. *turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput. Vir enim non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei.* Quamvis una substantia sit & vir & mulier, tamen quia vir caput est mulieris, anteponendus traditur; ut per causam & rationem major sit, non per substantiam. Inferior ergo mulier viro est, portio enim ejus est; quia origo mulieris vir est: ex eo enim est, ac per hoc obnoxia videtur mulier viro, ut imperio ejus subjecta sit. Honorificentiam & dignitatem viri obstare dicit, ne velet caput; imago enim Dei incongruum est ut celetur: abscondi enim non debet, Dei enim gloria videtur in viro.

Mulier autem gloria viri est. Multum distat inter gloriam Dei, & gloriam viri; vir enim ad imaginem Dei factus est, non mulier. Hæc autem imago Dei in viro, quia unus Deus unum fecit hominem; ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita essent & ab uno homine omnes homines; ut unius Dei invisibilis, unus homo visibilis imaginem haberet in terris, ut unus Deus in uno homine videretur auctoritatem unius principii conservare, ad confusionem diaboli, qui sibi, neglecto uno Deo, dominium & divinitatem voluit usurpare. Quod propheta Ezechiel significat, & Apostolus idem, ait enim: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se quasi sit Deus.* (Ezech. 28. 16. — 2. Thess. 2. 4.)

℣. 8. *Non est enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: etenim*
℣. 9. *non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.*
℣. 10. *Propterea debet mulier potestatem habere supra caput etiam propter Angelos.* Potestatem velamen significavit, Angelos episcopos dicit, sicut docetur in Apocalypsi Johannis. (Apoc. 2. & seq.) Et quia utique homines sunt, quod non corriperent plebem, arguuntur: & quod rectum est in illis, laudatur. Mulier ergo idcirco debet velare caput; quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta. Et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signum debet habere; ut in Ecclesia propter reverentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi; quia episcopus personam habet Christi. (33. quæst. 5. cap. Hæc.) Quasi ergo ante judicem, sic ante episcopum, quia vicarius Domini est, [b] propter reatus originem subjecta debet videri.

℣. 11. *Verumtamen neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino.* Ideo *in Domino*, quia Deus ex uno fecit ambos & unum; una enim caro & unum corpus sunt in Domino, hoc est, secundùm Dominum, qui creavit. Denique qui non credunt mulierem de viro sumtam, hi sine Domino, vel non secundùm Dominum credunt hominum originem.

℣. 12. *Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem.* Hoc firmavit, quod dixit; quia ambo unum sunt in natura, atque origo mulieris vir est, sicut legitur in Genesi factum à domino creatore. (Gen. 2. 22.) *Omnia autem ex Deo.* Postquam gradatim exposuit singula, ut omnia Deo subjiceret, unum servans principium, ait: *Omnia autem ex Deo*; ut neque mulier subjectionis suæ causâ contristaretur, neque vir quasi exaltatus superbiret.

℣. 13. *Vos ipsi judicate: decetne mulierem non velatam orare Deum?* Hinc est unde superius illis per ironiam succenset, dicens: *Laudo quia omnia mea memoriâ retinetis: & quemodo ubique trado, traditiones meas tenetis.* (Supra ℣. 2.) Cùm enim hæc esset traditionis ratio, ut velatæ essent mulieres in Ecclesia, illi contra revelatas eas in Ecclesia patiebantur. Ideoque jam non auctoritate traditionis, quam neglexerant, sed per ipsam naturam suadere illis nititur veritatem, dicens:

℣. 14. *Nec ipsa natura docet vos quia vir quidem, si comam habuerit, ignominia est illi?* Hoc secundum Legem loquutus est; prohibet enim virum esse comatum.
℣. 15. *Mulier autem si comam habuerit, gloria est illi; quoniam coma pro velamine data est ei.* Naturaliter hoc honestum & propemodum decretum vult esse, ut velata mulier satisfaciat, & gratias agat Deo. Coma ergo indicium velaminis est, ut naturæ & voluntas addatur. Denique nulla mulier etiam revelata adit potestatem.

℣. 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Post rationem redditam, ut contentiosos vincat, auctoritatem interponit; quia neque Judaismus hoc habuit, unde dicit: *Neque nos, neque Ecclesia Dei*, ut neque Moyses, neque Salvator sic tradiderit.

℣. 17. *Hoc autem præcipio, non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis.* Quomodo particulatim conversationem illorum per correptionem emendat; ita & traditiones illorum, non laudans utique, sed vituperans eos.

℣. 18. *Primum enim.* [c] *Primum* dicendo, genus peccati ostendit, unde orti sunt errores, quos reprehendit; ubi enim dissensio est, nihil rectum est. *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio dissensiones esse, & partim credo.*
℣. 19. *Oportet enim & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* Sciendo nonnullos mente corruptos versutia diaboli, dicit: *Oportet hæreses esse.* Non utique voluit, nec optavit: [d] sed quia scivit futurum, dixit, sicut & Dominus: *Oportet*, inquit, *venire scandala.* (Matth. 18.) Et: *Oportet Filium hominis pati*, præscius, quia Judas proditor erat futurus. (Luc. 24.) *Ut probati* autem cùm dicit, *manifesti fiant inter vos*, illos significat, qui in traditione accepta durantes, exemplum probationis erant evangelicæ disciplinæ ad condemnationem ceterorum. Ii sunt quos in capite epistolæ significat, eo quod dicerent: *Nos vero Christi*; cùm alii dicerent: *Ego Pauli, ego Apollo.* (1. Cor. 1.)

Convenientibus igitur vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim vestrum propriam cœnam præsumit in manducando: & alius quidem esurit, & alius ebrius est. Numquid domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis non habentes? Hos notat, qui sic in Ecclesiam conveniebant, ut munera sua offerentes, advenientibus presbyteris (quia adhuc rectores Ecclesiis non omnibus locis fuerant constituti) totum sibi qui obtulerant, vindicarent, schismatis

a. Corb. cod. *sed aliarum Ecclesiarum traditionem sequebantur.*
b. Gratianus in decreto, *propter peccatum originale.*
c. MS. Corb. *Ubi enim dissensio est, primum dicemus. Id genus peccati ostendit, unde rectum nihil est.*
d. Omnes edit. & quidam mss. *sed quia sivit, futurum dicit*: alii mss. *sed quia scivit, nonnulli scit futurum, dixit.*

causa. Dissensiones enim inter eos pseudoapostoli seminaverant, ita ut oblationes suas zelarentur: cùm una atque eadem prece omnium oblationes benedicerentur, ut ii qui, ut adsolet fieri, non obtulerant, aut unde offerrent, non habebant, pudore correpti confunderentur, non sumentes partem: & tam cito illud agebant, ut supervenientes non invenirent, quod ederent. Ideoque si sic, inquit, convenitis, ut unusquisque suum sumat, domi hæc agenda, non in Ecclesia; ubi unitatis [a] & mysterii causâ convenitur, non dissensionis & ventris. Munus enim oblatum totius populi fit; quia in uno pane omnes significantur. Per id enim quod unum sumus, de uno pane omnes nos sumere oportet.

Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Apertum est deprehenso & correpto errore, ut de cetero corrigant, & sciant hoc verum, quod dudum in primordiis ipsi didicerant; formam illius quæ à Salvatore in re hujusmodi data est, iterat dicens:

ỳ. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quo-*
niam dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,
ỳ. 24. *& gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manduca-*
ỳ. 25. *te. Hoc est corpus meum, quod* [b] *pro vobis frangitur: hoc*
facite in mei commemorationem. Simili modo & calicem, post-
quam cœnatum est, dicens: Hoc poculum novum Testamentum
est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque bibetis, in mei
commemorationem. Ostendit illis mysterium eucharistiæ inter cœnandum celebratum, non cœnam esse; medicina enim spiritalis est, quæ cum reverentia degustata, purificat sibi devotum. Memoria enim redemtionis nostræ est; ut Redemtoris memores, majora ab eo consequi mereamur.

ỳ. 26. *Quotiescumque enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei memores, in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt,[c] significamus novum Testamentum in his consequuti, quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cæ-
Exod. 24. 8. lestibus regnis. Nam & Moyses accepto sanguine vituli in patera, adspersit filios Israel, dicens: *Hoc est Testamentum, quod disposuit Deus ad vos.* Hoc figura fuit Testamenti, quod Dominus novum appellavit per prophetas; ut illud vetus sit, quod Moyses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est; quia beneficii divini sanguis testis est. In cujus typum[d] nos calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus; quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem salvum fecit. Caro enim Salvatoris pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra effusus est, sicut priùs præfiguratum
Levit. 17. 11. fuerat à Moyse; sic enim ait: *Caro pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima*; ideoque non manducandum sanguinem. Si igitur apud veteres imago fuit veritatis, quæ nunc apparuit, & manifestata est in Salvatoris adventu; quomodo hæreticis contrarium videtur vetus novo, cùm ipsa sibi invicem testimonio sint?

ỳ. 27. *Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne Domino, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab auctore. Ideoque præmonet ut secundùm ordinem traditum devota mens sit accedentis ad eucharistiam Domini; quoniam futurum est judicium, ut quemadmodum accedit unusquisque, reddat causas in die domini Jesu Christi; quia sine disciplina traditionis & conversationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini?[e] Occisus est enim pro his, qui beneficium ejus in irritum ducunt.

ỳ. 28. *Probet autem se homo, & sic de pane illo edat, & de po-*
ỳ. 29. *culo bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium*
sibi ipsi manducat & bibit, non discernens corpus Domini. Devoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet; [f] ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet judicare; quia Dominus est, cujus in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii Dei. Quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & sanguine Domini; [g] gratias enim videbimur reddere Redemtori.

Ideo multi in vobis invalidi & ægroti, & dormiunt multi. ỳ. 30.
Ut verum probaret quia examen futurum est accipientium corpus Domini, jam hîc imaginem judicii ostendit in eos, qui inconsiderate corpus Domini acceperant, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur: ut in his ceteri discerent, & paucorum exemplo territi emendarentur, non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere; & eum quem hîc pœna distulerit, gravius tractandum fore; quia contemsit exemplum.

Quod si nosmet ipsos discerneremus, non utique judicare- ỳ. 31.
mur. Dum judicamur autem, à Domino corripimur; ut non ỳ. 32.
cum hoc mundo damnemur. Hoc dicit, quia si nosmet ipsi errores nostros corrigeremus, non à Domino judicaremur. Et quia corripimur, tamen pro nobis est: ut timore ipso emendemur. In paucis enim omnium est emendatio. *Ne cum hoc mundo*, id est, cum infidelibus *damnemur*. Nihil enim differt ab infideli, qui inconsiderate ad mensam Domini accedit.

Itaque, fratres, cùm convenitis ad manducandum, invi- ỳ. 33.
cem exspectate. Si quis esurit, domi manducet. Ad invicem ỳ. 34.
exspectandum dicit, ut multorum oblatio simul celebretur, ut & omnibus ministretur: & si quis impatiens est, domi terreno pane pascatur. *Ut non in judicium conveniatis*: hoc est, ne mysterium reprehensibiliter & cum offensione agatis.

Cetera autem cùm venero, disponam. Caput priùs salutis ordine agendum ostendit, & quomodo in Ecclesiam ab utroque sexu conveniatur, præmisit: in quibus rebus si error fuerit, non leve peccatum est. Cetera autem quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinent, præsentiâ suâ ordinare se promisit.

De spiritalibus autem nolo vos ignorare, fratres. Sci- CAP. XII. ỳ. 1.
tis quia gentes eratis, simulacrorum forma euntes, prout ỳ. 2.
ducebamini. Spiritalia illis traditurus, exemplum prioris conversationis memorat; ut sicut simulacrorum fuerunt forma, colentes idola, & ducebantur duce voluntate dæmoniorum: ita & colentes Deum, sint forma legis Dominicæ, ambulantes sicut placet Domino. Forma enim uniuscujusque legis in professione & conversatione cultoris debet videri; ille enim forma & imago legis Dei est, in cujus fide & conversatione Evangelii veritas lucet.

Propter quod notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei ỳ. 3.
loquens, dicit anathema Jesu: & nemo potest dicere dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Quoniam rationem spiritalium ignorantes, per singula charismata hominibus potius, quàm Deo dabant gloriam, non adsequuti per Spiritum sanctum [h] hoc donum ministrari: & quia qui dominum Jesum vocat, non sine Spiritu sancto hoc dicit; habet enim gratiam in eo ipso fidei suæ propter gloriam nominis Christi; non enim sine dono Dei est dominum dicere Jesum: ac per hoc ostendit illis in omnibus Dei esse laudem & gratiam; quia sicut idolorum imago in ministris ejus est, ordinem suum habens per singulos gradus, totum tamen hominis est: ita & in lege Dominica gradus charismatum sunt officiis Ecclesiæ, non utique meritis humanis indulti; sed ut membra ad ædificationem Ecclesiæ pertinentia, quæ per se & in se habent gloriam, sicut est etiam in humanis officiis. Scholæ enim sunt, quæ positis in se dant dignitatem: ut loci honor hominem faciat gloriosum, non propria laus. Ait ergo: *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu.* Vox enim quæ dicit anathema Jesu, humano est [i] errore prolata; quidquid enim falsum est, ab homine est. *Et nemo potest dicere dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Dictum enim ipsum, quo significatur dominus Jesus, non ab adulatione hominum, sicut & idola dii vocantur, sed Spiritus sancti veritate profusum est; quidquid enim verum à quocumque dicitur, à sancto dicitur Spiritu. Ne ergo hominum favorem existimarent in regula christiana, & propter hoc se argui minime paterentur, sicut est & in simulacris [k] (homo enim adinvenit, ut Deus dicatur, qui non est; ac per hoc subjecti sunt antistites illis) ostendit enim eis nullum beneficium esse humanum in eo, cùm dicitur dominus Jesus: sed magis donum Dei, qui dignatus est mysterium

a. Codex Laud. *& mysterii causa convertitur.*
b. Rom. edit. *pro vobis traditur.*
c. Ms Corb. *significans, & quod sumus novum testamentum in his consequuti, quod &c.*
d. Nonnulli mss. *calicem mysticum ad tuitionem*; unus, *ad tinctionem.*
e. Rom. edit. *occisus est enim ab iis.*
f. Ivo Carn. *ut sciant omnes. . . accedant.*
g. Mss. aliquot, *gratus enim videbitur.*
h. Cod. Vall. *hoc donum ministrari Dei.*
i. Ms. Corb. *errore probata.*
k. Gill. edit. *homo enim ad id venit;*

suum hominibus declarare. Etenim [a] ipsa professio remis- A
sionem adquirit peccatorum, sicut exaggerat dicatio idolo-
rum. Docet ergo eos quia non præstant religioni benefi-
cium, dicentes: *Dominum Jesum*, sed accipiunt; ne more
idolorum hominum putarent gratiam esse in lege Domini,
dum vocatur Deus, qui non est. Denique non intelligentes
Dei donum esse in fide, singuli singulos sibi homines dele-
gerant, quos sequerentur, dicentes: *Ego sum Pauli, ego ve-*
1. Cor. 1. 12. *ro Apollo.* Superbiam ergo illorum humiliat; ut patiantur
se, sicut dixi, argui.
℣. 4. *Divisiones vero gratiarum sunt.* Non hoc humanis me-
ritis vult adscribi, sed gratiæ Dei ad honorificentiam no-
minis ejus; sicut enim qui dicit dominum Jesum, in Spiri-
tu sancto dicit, qualisvis sit: ita & in loco ordinis officii B
ecclesiastici positus, gratiam habet, qualisvis sit: non uti-
que propriam, sed ordinis per efficaciam Spiritus sancti.
1. Cor. 3. 7. Unde & inter initia dicit: *Neque qui plantat, est aliquid,*
neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.
℣. 5. *Idem autem Spiritus. Et divisiones ministeriorum sunt.* Per
℣. 6. eumdem Spiritum diversa dona dicit præstari. *Idem vero*
Dominus. Et divisiones operationum sunt. Jungit nunc Chris-
tum Spiritui sancto. *Idem autem Deus, qui operatur omnia*
in omnibus. In tantum non hoc hominibus dandum, quasi
proprium sit, sed soli Deo adserit; ut etiam donum Spiri-
tus sancti, & gratiam domini Jesu unius Dei dicat opera-
tionem; ne gratia & donum divisum sit propter personas C
Patris & Filii & Spiritus sancti: sed indiscretæ [b] unitatis
& naturæ trium unum opus intelligatur, ut ad unum om-
nem gloriam redigat & divinitatem. *Divisiones autem gra-*
tiarum sunt officiis Ecclesiæ, non humanis meritis deputa-
tæ. Si enim Spiritus sanctus idem Dominus est, & Domi-
nus idem Deus est, & tres unus Deus est; cùm enim Spi-
ritus sancti gloria, & potestas, & natura Dei est, & do-
minus Jesus idem est in natura quod Deus est, unus utique
Spiritus sanctus, & dominus Jesus, & Pater Deus est. Et
singuli enim Deus unus, & tres Deus unus. Denique ope-
rante uno, tres operari dicuntur; ut Trinitatis mysterium
in unius Dei natura & potestate claudatur, cùm sit im-
mensum. D
℣. 7. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.*
Hoc est, donum accipit, ut divinis retinaculis vitam suam
gubernans, & sibi & aliis utilis sit, dum exemplum bonæ
conversationis ostendit.
℣. 8. *Cuidam enim datur per Spiritum sermo sapientiæ.* Id est,
datur illi prudentia non ex litteris, sed corulco Spiritus
sancti igne; ut cor habeat illuminatum, & sit prudens, ut
discernat quæ vitanda sunt, quæve sequenda. *Alii vero ser-*
mo scientiæ secundùm eumdem spiritum: hoc est, ut habeat
scientiam rerum divinarum. *Alii gratia curationum in uno*
Spiritu: id est, ut medelam tribuat infirmis, vel ægris.
℣. 9. *Alii fides in eodem Spiritu.* Hoc dicit, ut fidei profitendæ
℣. 10. ac vindicandæ, pressâ verecundiâ, accipiat facultatem. *Alii* E
operatio virtutum. Potestatem dari significat in ejiciendis dæ-
moniis, aut signis faciendis. *Alii prophetia*: id est, ut Spi-
ritu sancto repletus dicat futura. *Alii discretio spirituum.*
Hoc dicit, ut intelligat & judicet, quod dicitur, an Spiritus
c sancti sit, an mundani. *Alii genera* [c] *linguarum, alii inter-*
pretatio sermonum. Interpretari est, ut dicta illorum, qui lin-
guis loquuntur vel litteris, per donum Dei fideliter inter-
pretetur.
℣. 11. *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, divi-*
dens unicuique prout vult. Quod superius trium persona-
rum dicit, nunc per unum Spiritum sanctum agi profitetur;
ut quia unius naturæ sunt & virtutis, quod unus operatur,
operentur tres: unus tamen est Deus, cujus gratia dividitur F
singulis, prout vult, non ad merita hominum, sed magis
ad ædificationem Ecclesiæ suæ; ut omnia, quæ mundus
imitari vult, sed non implet, quia carnalis est; hæc in Ec-
clesia, quæ domus Dei est, singulorum officiis & dono &
magisterio Spiritus sancti indulta ad probationem veritatis
in iis, qui contemtibiles mundo sunt, videantur.
℣. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: om-*
nia autem membra ex uno corpore, cùm sint multa, unum
℣. 13. *sunt corpus; ita & Christus. Etenim in uno Spiritu nos om-*
nes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci,
A *sive servi, sive liberi: & omnes unum Spiritum potavimus.*
Per hæc docet nullius personam quasi despectam con-
temnendam, neque alicujus quasi perfecta sit, præferendam:
nec gloriam, quæ soli Deo debetur, hominibus tribuendam;
quando in omnibus unus atque idem Deus sit gloriosus:
quippe cùm omnes & unum baptisma habeamus, & unum
atque eumdem Spiritum sanctum. Hoc propter supradic-
tam causam; quia in aliquibus gloriabantur, aliquos vero
velut contemtibiles spernebant.
Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Hoc ℣. 14.
dicens, [d] ostendit unitatem habere varietates officiorum, d
& diversitatem hanc non discrepare in unitate potestatis;
quando unitas corporis non in singularitate consistit, sed
B in multis membris; ut invicem sibi præstent, quod de-
bent.
Si dixerit pes: Quia non sum manus, non sum de corpo- ℣. 15.
re; num propterea non est de corpore? Hoc est, non posse
eum, qui infirmus videtur inter fratres, negari esse de
corpore; quia non est potens.
Si dixerit auricula: Quia non sum oculus, non sum de ℣. 16.
corpore; num propterea non est de corpore? Non debere dicit
illum, qui paulo inferior est, non necessarium putari cor-
pori, propterea quod de primis non sit.
Si totum corpus oculus, ubi est auditus? Si totum auditus ℣. 17.
ubi est odoratus? Id est, si omnes unius essent officii &
C operis, quomodo impleretur reliqua necessitas corporis;
cùm constet multis officiis opus esse ad gubernacula cor-
poris?
Nunc autem Deus posuit membra, unumquodque in corpo- ℣. 18.
re, sicut voluit. Voluntatem Dei, quia provida & rationa-
bilis est, membra dicit corpori aptasse; ut nihil [e] desit cor- e
pori, sed sit multis membris perfectum.
Si autem fuissent omnia unum membrum, ubi corpus? Ma- ℣. 19.
nifestum est quia si omnes fuissent unius dignitatis, non
dicerentur membra, neque corpus: ideoque variis mem-
brorum officiis congubernantur; omnia enim unum mem-
brum esse non poterant. Ideo autem multa sunt, quia ab
invicem differunt dignitate.
Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. ℣. 20.
Hoc dicit, quia multa membra, cùm invicem sui egeant,
non discrepant in unitate naturæ, quamvis diversa sint;
quia diversitas hæc in unum concurrit, ut corporis utilitas
expleatur, sicut & ea quibus mundus ipse constat, cùm
sint diversa non solum officiis, sed & naturis; ad unius
tamen mundi proficiunt perfectionem, & ex omnibus his
nascitur temperies quædam in fructibus, qui humanæ pro-
ficiunt utilitati.
Non potest autem dicere oculus manui: Opera tua non ℣. 21.
indigeo. Hoc est, non potest dicere potior inferiori: Non
mihi opus es; quia oculus quidem videt, sed manus sunt,
quæ operantur. *Aut iterum caput pedibus: Non estis mihi*
E *necessarii*: id est, major gradu & dignitate non potest sine
illo esse, qui humilis est; quia est quod humilis potest,
quod non potest sublimis, quia ferrum potest, quod non
potest aurum: ac per hoc honorem capiti faciunt pedes.
Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora ℣. 22.
esse, necessariora sunt. Manifestum est, quia quamvis ali-
quis dignitate sublimis sit; si subjectus tamen defuerit, qui
obsequiis suis illum faciat gloriosum, ipsa dignitas con-
temtibilis erit: officium enim est, per quod dignitas con-
stat. Tale est si imperatori desit exercitus. Quamvis ergo
magnus sit imperator, necessarium tamen habet exercitum;
[f] membrum est enim corporis ejus, ante se habens tribunos, f
comites, & magistros. His omnibus inferiores sunt mili-
F tes, & magis necessarii sunt, sicut membra corporis, quæ
cùm inferiora videntur, plus utilia sunt; sine oculis enim
manus operatur, & pes ambulans victum quæritat.
Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his ℣. 23.
abundantiorem honorem circumdamus. Similis est sensus,
quia qui putantur sine dignitate esse, invenimus in eis quod
laudemus, sicut & in membris vilioribus, quod plus nobis
placeat, quam quod in ceteris invenimus. Quo enim ho-
nore dignæ sunt manus, quando quod volumus, tenemus?
vel pedes, cùm quibus quo volumus, imus? Propterea &
nos addimus eis honorificentiam, ut puta pedibus; quos

a. Mss. aliquot, *ipsa confessio*: Corb. *ipsa promissio*.
b. Corb. cod. *unitatis natura, & trium unum opus*.
c. Cod. Gem. & Vall. *linguarum, eorum scilicet qui per Spiritus sancti ma-jestatem accipiunt gratiam, ut possint intelligere diversarum linguarum elo-quium*.

d. Omnes edit. ac mss. aliquot, *ostendit unitatem varietatis*: melius ceteri, ut in contextu.
e. Edit. omnes, cum mss. quibusdam *desit multis membris perfectum*: mss. non pauci omittunt *perfectum*: optime vero Corb. ut quo locum restituimus.
f. Rom. edit., *Caput est enim corporis* &c.

quia humiles sunt & sine dignitate, calceamentis ornamus. A
Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honorem habent. Manifestum est quia pudenda nostra, quæ turpia videntur, dum adspectus publicos vitant, honestate se contegunt, ne per irreverentiam horreant. Simili modo & quidam fratrum, cùm sint egestate & habitu inhonesti; non tamen sunt sine gratia, per quam membra sint corporis nostri: nam solent succincti vesticula terrica, nudo pede, incedere. Cùm ergo videantur contemtibiles, magis honori sunt; quia solent vitam habere mundiorem. Quod enim hominibus videtur despectum, solet à Deo pulcrum judicari.

℣. 24. *Quæ autem honesta sunt nostra, nullius egent.* Apertum B est quia caput non eget, neque facies, neque manus, ut his addatur per quod decorentur: ita & fratribus, in quibus studium peritiæ, & conversationis viget honestas, nihil est quod à nobis addatur; debitus enim illis redditur honor. Despectis vero vel humilibus exhortatio necessaria est, per quam addatur illis aliquis honor, ut fiant utiles: si quominus, ipso contemtu negligentiores circa se erunt, in quibus magis proficiendum est.

℣. 25. *Sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem; [a] ut non sit schisma in corpore, sed pro invicem sollicita sint membra.* Sic dicit à Deo moderatum humanum corpus, ut omnia membra ejus necessaria C sint; ac per hoc pro se invicem sollicita, quia aliud sine altero esse non potest: & quod inferius putatur, magis necessarium est; sicut & de fratribus expositum est, vel disputatum, quia nullus debet velut inutilis despici.

℣. 26. *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Hoc de membris corporis carnis ambiguum non est; quia si oculus, aut pes, vel manus capiatur ægritudine aliqua infirmitatis, totum corpus condolet: [b] ita & nos docet condolere fratribus, si aliquid hujusmodi, aut necessitatis emerserit. *Sive glorificatur unum membrum, congaudeant omnia membra.* Manifestum est quia lætum est caput sive cetera membra, si pedes fuerint accurati vel D sani. Sic debemus & nos alacres fieri, si fratrem aliquem viderimus cultorem Dei, & auctum honestate morum, hoc est, sanum esse consilio.

℣. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ostendit aperte nostram se causam per membrorum carnalium rationem tractasse; quia non omnes possumus eadem, sed singuli pro qualitate fidei & gratiam habemus concessam.

℣. 28. *Et quosdam posuit Deus in Ecclesia primum quidem apostolos.* Capit itaque in Ecclesia apostolos posuit, qui legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus: *Pro quo legatione* (2. Cor. 5. 20.) *fungimur.* Isti sunt episcopi, firmante istud Petro aposto- E lo, & dicente inter cetera de Juda: *Et episcopatum ejus* (Act. 1. 20.) *accipiat alter.*

Secundo prophetas. Prophetas duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & Scripturas revelantes; quamvis sint & apostoli prophetæ, quia primus gradus omnia subjecta habet. Denique pessimus Caiphas propter quod princeps sacerdotum erat, prophetavit, ordinis utique (Johan. 11. 51.) causâ, non proprii meriti. Tamen specialiter erant prophetæ & Scripturarum interpretes, & futura dicentes, sicut erat Agabus, qui exitia & vincula huic Apostolo pro- (Act. 21. 11.) phetavit futura Hierosolymis, & famem cecinit, quæ facta (Act. 11. 28.) est sub Claudio. Ideo quamquam sit melior apostolus; ali- F quando tamen eget prophetis. Et quia ab uno Deo Patre sunt omnia, singulos episcopos singulis Ecclesiis præesse decrevit.

Tertio doctores. Illos dicit doctores qui in Ecclesia litteris [c] & lectionibus retinendis pueros imbuebant more Synagogæ; quia traditio illorum ad nos transitum fecit. Quarto loco ait:

Deinde virtutes, deinde gratiam curationum; potest enim aliquis non esse episcopus, & habere in se donum virtutis sanitatum. *Opitulationes, gubernationes*; ut in rebus divinis vigilet intellectu: ita tamen, ut in aliquibus, quæ implere non conceditur, ab alio sumat quod non habet: quia totum uni concedi non potest. Sunt & gubernatores, qui spiritalibus retinaculis hominibus documento sunt. *Genera linguarum*; ut donum sit Dei multas linguas scire. [d] *Interpretationes sermonum*; ut hoc alicui gratia Dei impertiat, ut linguarum interpretandarum habeat peritiam.

℣. 29. *Numquid omnes apostoli?* Verum est, quia in Ecclesia [e] unus est episcopus. *Numquid omnes prophetæ?* Non est ambiguum non omnibus concedi prophetiam. *Numquid omnes doctores?* Ille doctor est, cui alios erudire conceditur.

℣. 30. *Numquid omnes virtutes?* Hic potest habere virtutem, cui dat Deus dæmonia ejicere. *Num omnes gratiam habent curationum?* Quomodo potest fieri, ut omnes habeant dona curationum? *Numquid omnes linguis loquuntur?* Non utique, nisi qui accipit donum in hac re. *Numquid omnes* [f] *interpretantur?* Ille potest sermones interpretari, cui dat Deus. In supradictum sensum hæc inserenda. Explanavit enim, reddita ratione, omnes habere diversas gratias, nec totum alicui concedi, exemplo membrorum. Exemplo enim corporis carnis spiritale corpus insinuat; ac per hoc in omnibus Deum benedicendum, & in ipsius nomine gloriandum, cujus gratia est. Hanc rationem etiam in rebus physicis invenimus: aurum enim cùm melius argento sit, plus tamen in usu argentum est; & cùm æs necessarium sit, plus tamen ferro opus est; nihil enim pene sine ferro fit, cùm sit inferius. Et post hæc:

℣. 31. *Æmulamini charismata meliora.* Hoc mox in subjectis absolvit. *Et adhuc magis excellentiorem viam vobis demonstro.* Gradatim illos ad utiliora provehit, ostendens illis gratiam supradicti omnis doni, quod in hominibus videntur, sive loquendi, aut curandi, aut prophetandi, non ad meritum hominis pertinere, sed ad honorificentiam Dei. Ideoque nunc viam se dicit illis ostendere planiorem, qua itur ad cælum, quæ meritum collocat apud Deum. Nam quia supra dicta non semper ad meritum pertinent, dicit Salvator: *Multi mihi dicent in illa die*, id est, judicii, (Matth. 7. 22.) *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus?* Et quia non hoc ad meritum pertinet, sed officia sunt Ecclesiæ, ad confusionem gentilium, & Dei honorificentiam protestandam, dicit eis Dominus: *Recedite à me, non novi vos, operarii iniquitatis.* (Ibidem 23.) Securi enim quia Dei in illis operatio cernebatur, negligentes erga se fuerunt; nam & septuaginta duobus discipulis gaudentibus quia dæmonia illis subdita fuerant, dicit Salvator: *Nolite in hoc gaudere,* (Luc. 10. 20.) *quod dæmonia vobis subjecta sunt; sed in hoc gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælo.* Quare, nisi quia nomini Dei subjecta sunt, non hominis merito? Et quare nunc non ita fit, ut habeant homines gratiam Dei? Inter initia fieri oportuit, ut fundamenta fidei acciperent firmitatem: nunc autem non opus est; quia populus populum adducit ad fidem, cùm videntur eorum bona opera, & prædicatio simplex.

CAPUT XIII.

℣. 1. *SI linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, unum sum velut æramentum resonans, aut cymbalum tinniens.* Magna utique videtur gratia diversis loqui linguis: plus autem aliquid est, etiamsi Angelorum possit quis linguam scire, id est, si spiritaliter cognitum possit habere angelicum motum. Verum hoc ad meritum non adscribi, sed ad Dei gloriam, subjectis ostendit, dicens sic esse ut *æramentum resonans, aut cymbalum tinniens.* Quia sicut æramentum impulsu alterius resonat, & cymbalum tinnit; ita & hic qui linguis loquitur, Spiritus sancti effectum habet [g] & motum, ut loqui possit, sicut & alio loco dicit Salvator: *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (Matth. 10. 20.) Nam & asina loquuta est humanâ linguâ ad Balaam filium Beor, (Num. 22. 28.) ut addisceret Dei majestatem: & pueri infantes in laudem (Matth. 21. 16.) Dei proruperunt ad confusionem Judæorum. Salvator autem non solum istos, sed & lapides ad condemnationem (Luc. 19. 40.) perfidorum, & gloriam Dei clamare posse ostendit. Et inter ipsa primordia ad commendationem fidei, qui baptizabantur, linguis loquebantur. (Act. 10. 46.)

℣. 2. *Et si habuero prophetiam, & noverim omnia mysteria, & omnem scientiam; caritatem autem non habeam, nihil mihi*

a. Ms. Corb. *ut non sit separatio.*
b. Cod. Vall. *ita & nos decet*, haud male.
c. Rom. edit. *& traditionibus retinendis.*
d. *Interpretatio sermonum* in mss. nonnullis desideratur, & re vera etiam in græcis ac syriacis Bibliorum exemplaribus non habentur. Sequenti autem versu Rom. edit. reposuit, *ut sermonum interpretandorum*, ubi aliæ & mss. *ut linguarum interpretandarum &c.*
e. Mss. aliquot, *unus est Christus. Num omnes &c.*
f. Cod. Corb. *interpretantur. Nec hoc ambiguum, quia nisi cui Dominus gratiam suam dederit, interpretari nequaquam poterit. Æmulamini autem charismata &c.*
g. Corb. cod. *& motum, sine quo utiliter loqui non posse ostendit.*

prodest. Vere nihil prodest ; ad Dei enim gloriam prophe- A
Psal. 113. 1. tatur, sicut dicit David propheta : *Non nobis, Domine,*
Num. 23. 8. & seq. *non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Nam & Balaam pro-
Johan. 11. 51. phetavit, cùm propheta non esset, sed ariolus : & Caiphas
prophetavit, non merito, sed dignitate ordinis sacerdota-
1. Reg. 19. 23. lis : & Saul prophetavit, cùm jam inobedientiæ causa
spiritu malo fuisset repletus ; sed propter Dei causam, ne
posset comprehendere David, quem & occidere volebat.

Et si scitro omnia mysteria ; Judæ enim nihil profuit fuisse
a cum apostolis, & didicisse mysteria ; [a] cùm caritatis hostis
Ezech. 28. 13. & seq. tradidit Salvatorem. Et propheta Ezechiel diabolum mys-
teria cælestia scire ostendit, quando increpita voce in pa-
radiso illum Dei fuisse, & pretiosos lapides habuisse testa- B
1. Cor. 3. 12. tur, quos lapides idem Apostolus doctrinæ divinæ myste-
ria significavit : & illi nihil profuit ; quia caritatis imme-
mor, in superbiam prosilivit.

Et si habuero omnem scientiam. Nihil mihi prodest scien-
tia, si caritas non sit. Denique scribis & pharisæis nihil
Luc. 11. 52. profuit, dicente Salvatore : *Vos habetis clavem scientiæ,*
& neque vos intratis, neque alios sinitis introire ; per invi-
diam enim caritatem corrumpentes, scientiam ejus ad nihi-
lum deduxerunt. Nam & Tertullianus & Novatianus non
parvæ scientiæ fuerunt : sed quia per zelum caritatis fœ-
dera perdiderunt, in schisma versi, ad perditionem sui hæ-
reses creaverunt. C

Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.
Virtutes facere, aut dæmonia per fidem ejicere Dei virtus &
gloria est : nec hoc ad meritum proficit, nisi quis bonæ
conversationis fuerit æmulus, sicut supra memoravi.

℣. 3. *Et si erogavero omnem substantiam meam.* Apertum est quia
si omnis substantia impendatur, nihil proficit, caritate ne-
glecta ; quia caput religionis caritas est : & qui caput non
habet, vitam non habet. *Et si tradidero corpus meum, ut ar-*
deam, nihil mihi prodest. Sine caritate nihil prodest ; quia
fundamentum religionis caritas est. Quidquid ergo sine
caritate fit, caducum est.

℣. 4. *Caritas magnanima est, jucunda est. Caritas non æmulatur,* D
℣. 5. *non inflatur, non perperam agit, non ambitiosa est, non quæ-*
℣. 6. *rit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gau-*
℣. 7. *det in iniquitate, congaudet autem veritati : omnia tolerat,*
℣. 8. *omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas numquam*
cadit. Tanta præconia caritatis edocuit, ut non immerito
hanc ceteris anteponere videretur, & incassum laborare
eos, qui aliis mandatis operam dant, huic non obtempe-
1. Johan. 4. 8. rantes. Hinc ait Johannes apostolus : *Caritas Deus est* ; ut
qui caritatem non habet, sciat se Deum non habere ; unde
Ephes. 2. 4. & in alia epistola idem Paulus apostolus ait : *Deus autem*
b *qui dives est in misericordia,* [b] *propter multam caritatem suam*
misertus est nostri. Qui ergo caritatem non habet, ingratus E
est misericordiæ Dei ; quia non diligit, per quod salvatus
c est. [c] Ut proinde discerent quia graviter delinquebant,
qui escam fraternæ caritati præponebant. Nam hæc est
quæ & in præsenti prodest, & in æternum cum Deo per-
manet.

℣. 9. *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive*
℣. 10. *scientia evacuabitur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte*
prophetamus : cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabun-
tur illa, quæ ex parte sunt. Omnia charismatum dona evacuari
dixit ; quia non tantum possunt comprehendere, quantum
ipsa veritas habet. Neque nos aut capere aut enarrare
possumus plenitudinem veritatis. Quî enim fieri potest ut F
lingua humana omne complectatur, quod Dei est ? Ideo
destruetur imperfectio nostra, non id quod verum est eva-
d cuabitur : sed dum [d] additur imperfecto, quod deest, de-
struetur. Destructio enim imperfectionis est, quando id
quod imperfectum est, impletur in verum.

℣. 11. *Cùm essem parvulus, quasi parvulus loquebar, quasi parvu-*
lus sapiebam, quasi parvulus cogitabam : at ubi factus sum
vir, ea quæ parvuli erant, destruxi. Hoc dicit, quia exeun-
tes sancti de hoc mundo, plus necesse est inveniant, quam
nunc putant, sicut Johannes apostolus de Salvatore dixit :
1. Johan. 3. 2. *Tunc videbimus illum, sicuti est.* In hac ergo vita parvuli
sumus ad comparationem futuræ vitæ ; quia sicut vita hæc
imperfecta est, ita & scientia.

℣. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc vero facie ad*
faciem. Apertum est nunc imagines videri per fidem, tunc res
ipsas. *Modo scio ex parte : tunc vero cognoscam, sicut & co-*
gnitus sum : id est, videbo quæ promissa sunt, sicut videor ;
hoc est, præsentem esse ad Dominum, ubi Christus est.

Manent autem nunc fides, spes, caritas, tria hæc : major au- ℣. 13.
tem horum est caritas. Digne major est caritas ; quia ut fides
prædicaretur, & spes esset futuræ vitæ, caritas præstitit,
sicut supra memoravi. Unde & Johannes apostolus : *Ex* 1. Johan. 3. 16.
hoc cognoscimus, inquit, *caritatem ejus ; quia ipse pro nobis*
animam suam posuit. Juste igitur major caritas, per quam
reformatum est genus humanum.

SEctamini caritatem, æmulamini spiritalia : magis autem CAPUT
ut prophetetis. Post caritatem [e] prophetandi studium ma- XIV. ℣. 1.
gis habendum hortatur ; quia quamvis magni sint spirita- e
les gradus, quos enumerat : hic tamen melior, qui ad uti-
litatem Ecclesiæ proficit, ut discant omnes divinæ legis ra-
tionem. In quo enim quis animum dederit, in eo ipso acci-
pit donum, dicente Salomone : *Scire Legem, sensus est opti-* Prov. 9. 10.
mi ; scientia enim caritate subnixa non inflatur, sed est man-
sueta, proficiens omnibus ad utilitatem.

Nam qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo ; ℣. 2.
nemo enim audit, spiritu autem loquitur mysteria. Hoc est
quod dicit, quia qui loquitur incognitâ linguâ, Deo lo-
quitur ; quia ipse omnia novit : homines vero nesciunt ;
ideoque nullus est ex hac re profectus. *Spiritu autem lo-*
quitur mysteria, non sensu ; quia ignorat, quod dicit.

Qui enim prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, ℣. 3.
& exhortationem, & consolationem ; ædificatur enim, quan-
do quæstionum solutionem addiscit. Exhortatio autem illi
fit, ut desiderium patiatur prophetandi : consolatur vero,
[f] quia contemtum disciplinæ in spe videt. Scientia enim f
legis firmat animos, & provocat ad spei melioris pro-
fectum.

Qui loquitur linguâ, se ipsum ædificat : qui vero prophetat, ℣. 4.
Ecclesiam ædificat. Per id enim, quod fortè solus scit,
quod loquitur, se solum ædificat : nam qui prophetat, om-
nem plebem ædificat, dum intelligitur ab omnibus quid lo-
quatur. Prophetas interpretes dicit Scripturarum ; sicut
enim propheta futura prædicit, quæ nesciuntur : ita & hic
dum Scripturarum sensum, qui multis occultus est, mani-
festat, dicitur prophetare.

Volo autem vos omnes loqui linguis : magis autem ut pro- ℣. 5.
phetetis. Non poterat prohibere loqui linguis, qui superiùs
donum istud dicit esse Spiritus sancti : sed ideo prophetan-
di magis studium habendum, quia utilius est. *Major est*
enim qui prophetat, quam qui loquitur linguâ, nisi interpre-
tetur. Quia si interpretari poterit, non erit minor ; quia
Ecclesiam ædificat : hoc enim majus est, quod omnibus
prodest. Hic enim per donum Dei linguis loquitur, qui
etiam interpretatur, sicut & illi duodecim in Actibus Act. 2. 4.
apostolorum.

Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, ℣. 6.
quid vobis prodero, nisi loquar vobis aut in revelatione, aut
in notitia, aut in prophetia, aut in doctrina? Hæc omnia
unum significant ; docere enim nemo poterit, nisi intelli-
gatur.

Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive ℣. 7.
cithara, si distinctionem sonitus non dederint, quomodo cognosce-
tur quod per tibiam canitur, aut quod citharizatur ? Etenim si ℣. 8.
incertam vocem tuba dederit, quis se parabit ad prælium ?
Quoniam exempla facilius suadent quam verba, exemplis
commendat per quæ facile adsequantur non debere illos in
Ecclesia loqui linguis, qui interpretari non possunt. Ut
quid enim loquatur, quem nemo intelligit ?

Ita & vos per linguam nisi significantem sermonem dede- ℣. 9.
ritis, quomodo scietur quid loquimini ? Eritis enim in aëra
loquentes ; hoc est, nihil proficientes. *Nam multa, ut puta,*
genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce.
Multa quidem *genera sunt linguarum*, inquit, sed ha-
bent proprias vocum significationes, ut intelligantur.

Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barba- ℣. 10.
rus : & is qui loquitur, mihi barbarus. Non utique id stu-
dendum monet, ut invicem per incognitam linguam bar-
bari sibi videantur : sed quia concordiæ res est, his niten-
dum est ; ut per unanimitatem intellectus, communi læti-
tia glorientur.

a. Corb. cod. *cùm caritatis hostem tradidit* &c.
b. Nonnulli mss. *propter misericordiam suam.*
c. Corb. codex, *Ut proinde discernerent.*
d. Vet. edit. ac mss. aliquot, *additur imperfectio, quod deest, destruetur* ; melius Rom. edit. *additur quod deest, imperfectio destruetur* : attamen antepo-
nendi sunt mss. plurimi, quos hic sequimur.
e. Codex Laud. *prophetandi, prædicandi, docendi studium.*
f. Mss. nonnulli, *quia contemtu disciplinæ* &c.

℣. 12. *Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum,* [a] *ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut prophetetis.* Quia prodest Scripturas explanare (nam incitatur & gaudet animus, quando aliquid de Scripturis percipit: & quantum propensior in hac parte fit, tantum deserit vitia) propterea ad hanc partem studium monet applicandum.

℣. 13. *Ideo qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur.* Eum qui linguis loqui desiderat, monet orare debere, ut accipiat donum interpretandi; ut proficiat ceteris studium ejus.

℣. 14. *Nam si oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* Manifestum est ignorare animum nostrum, si linguâ loquatur, quam nescit, sicut adsolent Latini homines græce cantare, oblectati sono verborum; nescientes tamen quid dicant. Spiritus autem qui datur in baptismo, scit quid oret animus, dum loquitur, aut perorat linguâ sibi ignotâ: mens autem qui est animus, sine fructu est. Quem enim potest habere fructum, qui ignorat quæ loquatur?

℣. 15. *Quid est ergo? Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmum dicam & mente.* Hoc dicit, quia cùm quis hac lingua loquitur, quam novit, tam spiritu, quàm mente orat; quia non solum spiritus ejus, quem dixi datum in baptismo, scit quid oratur: [b] sed etiam animus simili modo & de psalmo non ignorat.

℣. 16. *Ceterum si benedixeris spiritu*; hoc est, si laudem Dei C lingua loquaris ignota audientibus: *Quis supplet locum idiotæ? Quomodo dicit amen,* [c] *super tuam benedictionem; quia nescit quid dicas.* Imperitus enim audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet, amen, id est, verum; ut confirmetur benedictio. Per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent, amen; ut omnia dicta veri testimonio in audientium mentibus confirmentur.

℣. 17. *Nam tu quidem bene gratias agis.* De eo dicit, qui cognita sibi loquitur, quia scit quid dicat. *Sed alius non ædificatur.* Si utique ad ædificandam Ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest D ut quis linguâ loquatur, quam solus scit; ut qui audit, nihil proficiat? Ideo tacere debet in Ecclesia, ut ii loquantur, qui prosint audientibus.

℣. 18. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Quoniam superiùs linguis loqui donum esse dixit Spiritus sancti, ideo ad Deum refert, quod omnium linguâ loquetetur. Et ne forte quasi æmulus per invidiam hoc dicere videretur, ostendit se omnium quidem horum loqui linguis, & quia non valde prodest.

℣. 19. *Sed in Ecclesia*, inquit, *volo quinque verba* [d] *loqui per Legem, ut & alios ædificem, quam decem millia verborum in lingua.* Utilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui, E quod omnes intelligant, quàm prolixam orationem habere in obscuro. Hi ex Hebræis erant, qui aliquando syra lingua, plerumque hebræa in tractatibus aut oblationibus utebantur ad commendationem. Gloriabantur enim se dici Hebræos propter meritum Abrahæ, quod idem Apostolus pro nihilo habuit dicens: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi.* [e] Hos quidam imitantes, ignota sibi lingua loqui malebant in Ecclesia ad populum, quam sua. Galat. 6. 14.

℣. 20. *Fratres, nolite pueri effici sensibus: sed malitia parvuli estote; ut sensibus perfecti sitis.* Perfectos illos vult esse, [f] ut sciant quid ad instructionem Ecclesiæ sit necessarium; ut recedentes à malitia & erroribus, iis studerent, quæ proficerent ad utilitatem fratrum. Hic est enim sensu perfectus, qui id agit, ut prosit alicui, maxime fratri. F

℣. 21. *In Lege enim scriptum est: Quia in aliis linguis, & in labiis aliis loquar populo huic. & nec sic me audient, dicit Dominus.* Hoc Dominus de his dixit, quos præscìit nec Salvatori credituros. In aliis enim linguis & in aliis labiis loqui, novum Testamentum est prædicare, sicut dicit Hieremias propheta: *Ecce veniet dies, dicit Dominus, & consummabo domui Israel & domui Juda Testamentum novum, non secundùm quod disposui patribus illorum*: hoc est immutata ratione aliter loqui, quam se legis veteris verba habeant; dum audiunt sabbatum solvi, neomenias evacuari, circumcisionem cessare, sacrificia immutari, escas dudum A prohibitas licere edere, Christum Deum de Deo prædicari: hoc est aliis linguis, & aliis labiis loqui; & nec sic perfidi Deum obaudire voluerunt. Potest & sic intelligi, ut quia multi Judæorum malevoli erant, & propterea dignum non erat his in revelatione loqui Evangelium, in parabolis loqueretur ad eos: & intelligentes ideo sibi non revelari, quia mali erant, nec sic se corrigerent; ut merentes se facerent per explanationem audire verba Dei. Unde dicunt discipuli ad Dominum: *Domine, quare in parabolis loqueris illis?* Et Dominus: *Quia vobis datum est*, inquit, *nosse mysterium regni Dei, illis autem non; ut videntes non videant, & audientes non intelligant*; ne indigni salutem B perciperent, quod animadvertentes pro meritis suis factum, nec sic conversi Deo satisfacere voluerunt. Esai. 28. 11. Hier. 31. 31. Matth. 13. 10. Ibidem 11.

℣. 22. *Itaque linguæ in signum sunt.* Hoc est, velamine incognitæ linguæ obscurati sunt sermones Dei, ne videantur à perfidis, ut cùm audiuntur incognitæ linguæ, signum sit quia propter perfidiam factum est, ne audiens intelligat. *Non utique his qui credunt, sed non credentibus*: hoc est quod dixit, quia ad occultandos sensus incredulis proficiunt linguæ. *Prophetia autem non incredulis, sed iis qui credunt.* Hoc est, non competit fidelibus audire linguas, quas non intelligant; sed infidelibus, qui non sunt digni intelligere, sicut dicit Esaias propheta: *Vade & dic populo huic: Aure audietis, & non intelligetis, &c.* Esai. c. 9.

℣. 23. *Si convenerit universa Ecclesia in unum, & loquantur omnes linguis, introeant autem infideles & idiotæ; nonne dicent quia insanitis?* Manifestum est quia si omnes diversis linguis loquantur, tumultus fit quidam [g] inconditus populi, quasi phrenesin patientis.

℣. 24. *Si autem omnes prophetent, intret autem aliquis infidelis, vel idiota; increpatur ab omnibus, redarguitur ab omnibus,* ℣. 25. *occulta cordis ejus manifesta fiunt: & tunc cadens in faciem, adorabit Deum, pronuntians quod vere in vobis Deus sit.* Cùm enim intelligit & intelligitur, audiens laudari Deum, & adorari Christum, pervidet veram esse & venerandam religionem, in qua nihil fucatum, nihil in tenebris videt geri, sicut apud paganos, quibus velantur oculi; ne quæ sacra vocant perspicientes, variis se vanitatibus cernant illudi. Omnis enim impostura tenebras petit, & falsa pro veris ostendit; ideo apud nos nihil astute, nihil sub velamine: sed simpliciter unus laudatur Deus, *ex quo sunt omnia, & unus dominus Jesus, per quem omnia.* Si enim [h] nullus sit, qui intelligat, aut à quo ipse discutiatur, potest dicere seductionem esse quamdam & vanitatem, quæ ideo linguis canitur, quia pudoris est, si reveletur. 1. Cor. 8. 6.

℣. 26. *Quid est igitur fratres? Cùm convenitis, unusquisque vestrum* [i] *canticum habet*: id est, laudem Dei per canticum eloquitur. *Doctrinam habet*: hoc est, sensuum [k] per spiritalem prudentiam habet expositionem. *Revelationem habet*: id est, subest ei prophetia occultorum, quæ ad omnium mentem perveniat, favente Spiritu sancto. *Linguam habet*; ut eos qui lingua loqui poterant, non contristaret, permisit eos loqui linguis: ita tamen, ut interpretatio sequeretur. Ideo ait: *Interpretationem habet*; ut si interpres adesset, daretur locus loquendi linguis.

Omnia ad ædificationem fiant. Conclusio hæc est, ut nihil incassum in Ecclesia geratur, hocque elaborandum magis, ut & imperiti proficiant; ne quid sit corporis per imperitiam tenebrosum. Idcirco omnes paratos vult convenire diversis donis spiritalibus; ut ipsa aviditate animi vigilantes, invicem se exhortantes, meliora dona æmularentur, ad illuminationem fratrum.

℣. 27. *Si lingua quis loquitur, per duos, aut ut multum, tres; & particulatim ut unus interpretetur.* Hoc est, duo aut tres non plus linguis loquantur: sed singuli, non simul omnes; ne insanire videantur. Ideo ergo, *ut multum, tres*, ne occuparent diem linguis loquentes, & interpretes illorum; & non haberent prophetæ tempus [l] Scripturas disserendi, qui sunt totius Ecclesiæ illuminatores.

℣. 28. *Quod si non fuerit interpres, taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur, & Deo*; hoc est, intra se tacite oret, aut loquatur Deo, qui audit muta omnia; in Ecclesia enim ille debet loqui, qui omnibus prosit.

a. Codex Vall. *æmulationem Ecclesiæ quærite in prophetis.*
b. Idem cod. Vall. *mens autem quæ est animus &c.*
c. Ms. Corb. *super tuam eucharistiam.*
d. Rom. edit. *loqui per sensum meum, ut &c.*
e. *Hos quidam imitantes . . . . quam sua*, è cod. Corb. restitutum est.
f. Ms. Corb. *ut faciant quod &c.* Infra vero in plerisque legitur mss. *Hic est enim sensus perfectus*, pro eo quod est in aliis, & cunctis edit. . . . *sensu perfectus.*
g. Codex Corb. *in certu populi.*
h. Mss. nonnulli, *nullus sit, quem intelliget.*
i. Codex Germ. *psalmum habet.*
k. Ms. Corb. *per naturalem prudentiam.*
l. Mss. aliquot, *Scripturas discernendi.*

℣. 29. *Propheta autem duo vel tres loquantur, & alii examinent, vel interrogent.* Ipsum modum tenuit dicendo: *Duo vel tres loquantur*; singuli autem, sicut supra. Ceteros autem interrogare permisit de iis, quæ forte in ambiguum veniunt, aut quæ adsequi aliquis non potest; quia diversa sunt ingenia, ut disputatione planiore dilucidentur.

℣. 30. *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat*: id est, permittat potior inferiori, ut si potest dicat: nec ægre ferat; quia potest & illi dari donum, ut dicat, cùm videtur inferior, quod potiori concessum non est. Sicut enim totum uni concedi non potest, licet potiori; ita & non potest alicui, quamvis inferiori, nihil impertiri; ut nemo sit vacuus à gratia Dei.

℣. 31. *Potestis enim per singulos prophetare; ut omnes discant, & omnes exhortentur.* Hæc traditio Synagogæ est, quam nos vult sectari; quia christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Judæis; ut sedentes disputent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas. Quibus si revelatum fuerit, dandum locum dicendi præcipit, nec despiciendos; quia membra corporis sunt.

℣. 32. *Et Spiritus prophetarum prophetis subjectus est.* Quia enim unus atque idem Spiritus est, qui tam prophetis futura dicentibus, quam iis qui revelant Scripturas, infundit se pro ratione & qualitate causarum; idcirco dixit: *Subjectus est prophetis*; ut ingenia accenderet hac spe, quod Spiritus conatus bonos adjuvet. Desiderio enim optimo ad Dei [a] res enarrandas subvenit; ut impleat boni propositi voluntatem. Nam & de Salvatore idem dictum est: *Bibebant autem de spiritali sequente petra, petra autem erat Christus*: hoc est, & subjectum esse, quod & sequi; sequebatur enim, ut humanis suffragiis deficientibus, adesset ad auxilium tribuendum. Ita & Spiritus subjectus dicitur, ut conatus bonos adjuvet, cùm suggerit; subjectus enim videtur, qui cœpta alterius perficit. 1.Cor.10.4.

℣. 33. Joan.14.27. *Non est enim dissensionis auctor, sed pacis.* Quia ergo pacis auctor est, dicente Salvatore: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*; nemo alterum non sinat dicere, neque debebit dicenti, studio contradicendi, resistere; ne discordia fiat in corpore. Qui enim in pace vocantur, patientiæ debent studere; ne pacis jura solvantur. *Sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.* Hoc dicto hortatur illos; ut quæ præcepit faciant; quando similiter se Ecclesiis sanctorum prædicare testatur.

℣. 34. [*] *Mulieres vestræ in Ecclesia taceant.* Nunc tradit quod prætermiserat; superius enim velati mulieres in Ecclesia præcepit, modo ut quietæ sint & verecundæ ostendit: ut operæ pretium sit, quia velantur. Si enim imago Dei vir est, non femina, & viro subjecta est lege naturæ; quanto magis in Ecclesia debent esse subjectæ propter reverentiam ejus, qui illius legatus est, qui etiam viri caput est? *Non enim permittitur illis loqui*, [b] *sed esse in silentio, sicut & Lex dicit.* Quid dicit Lex? *Ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur.* Hæc lex specialis est; hinc Sara dominum vocabat Abraham virum suum: ac per hoc in silentio jubentur esse; ne supradictæ legis sententia infirmetur, cujus memor Sara, viro suo erat subjecta, sicut dictum est. Quamvis una caro sit, sed duabus ex causis jubetur esse subjecta; quia & ex viro est, & per ipsam intravit peccatum. 1.Cor.11.5. Gen.3.16. Gen.2.24.

℣. 35. *Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieribus in Ecclesia loqui.* Turpe est, quia contra disciplinam est, ut in domo Dei, qui eas subjectas viris suis esse præcepit, de Lege loqui præsumant; cùm sciant illic viros habere primatum, & sibi magis competere, ut in domo Dei precibus vacent, linguam retinentes: & aures aperiant; ut audiant quomodo misericordia Dei mortem vicit per Christum, quæ per eas regnavit. Nam si audeant in Ecclesia loqui, dedecus est; quia idcirco velantur, ut humiliatæ appareant: illæ autem se inverecundas ostendunt, quod & viris opprobrium est; in mulierum enim insolentia etiam mariti notantur.

℣. 36. *An à vobis verbum Dei profectum est, aut in vos solos devenit?* Arguentis verba sunt: sic enim inflati erant; quasi ipsis promissa fuisset hæc salus; & exemplo eorum ceteræ gentes vocarentur ad fidem, aut non essent aliqui, qui possent suscipere gratiam Dei, apostolis prædicantibus. Sic enim se jactabant quasi beneficium darent magis quam acciperent, accedentes ad fidem; unde dicit: *Aut in vos solos devenit verbum Dei.* Omnis enim qui vult aliquid emere, quod scit ab aliquibus non requiri, cum quodam fastidio accedit ad emtionem, quasi beneficium præstiturus vendenti. Ideo hoc Apostolus arguit in Corinthiis, qui tales se præbebant elatione vanitatis; quasi si ipsi non obedirent verbis fidei, nemo esset qui crederet, sicut dicit Judæis: *Vobis primum oportebat loqui verba vitæ hujus: sed quia repulistis ea, indignos vos facientes æternæ vitæ, ecce convertimur nos ad gentes.* Act.13.46.

℣. 37. *Si quis existimatur propheta esse, aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Hoc dicens tangit supra memoratos falsos apostolos, à quibus fuerant depravati, qui pro desideriis hominum non divina, sed terrena docebant. Ideo hic nihil suum tradere se dicit, sed Domini; [c] ut quibus suadet, Deo adquisiti non hominibus videantur: qua fiducia & constanter prædicat, liberam habens conscientiam; quia non hominibus placere vult, sed Deo. Unde peccatoribus non blanditur, ut crescant: sed admonet, ut desinant.

℣. 38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Rectè, quia qui nescit Domini esse, quæ loquitur Apostolus, & ipse à Domino ignorabitur in die judicii, dicente Domino: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth.25.12.

℣. 39. *Propter quod, fratres, æmulationem habete prophetandi.* Quamvis arguat hos, & in multis reprehendat & corripiat, eo quod recesserant à traditione ejus; tamen fratres eos vocat, quia dicit Esaias ad plebem Domini: *Dicite iis qui non rectè ambulant in viis meis: Fratres nostri estis vos.* Ut ergo consolaretur istos post correptiones, fratres illos vocat: & ad æmulationem prophetiæ hortatur, ut assidua disputatione & explanatione legis divinæ fierent instructiores; ut possent discere perversas esse pseudoapostolorum prædicationes. Esai.66.5.

Et loqui linguis nolite prohibere. Et hoc propter caritatem, ut qui possunt loqui linguis, si interpres fuerit præsens, non vetentur, ne fiat dissensio.

℣. 40. *Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant*; hoc est, secundùm ordinem supradictum. Honestè autem illud fit, [d] quod cum pace & disciplina fit.

*N*OTUM *autem vobis facio, fratres, quia Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis,* CAP. XV. ℣. 1.
per quod & salvi efficiemini, quod & sermone annuntiavi ℣. 2.
vobis, debetis tenere; nisi forte sine causa credidistis. Ostendit illis quia si in hac causa quæ subjecta est, à traditione ejus seducti sunt, perdiderunt quod crediderunt; omnis enim spes credentium in hoc sensu est; quia mortui resurgent. Quod autem dicit: *In quo & statis*, his dicit, qui firmi erant in fide traditionis hujus; promiscuis enim loquitur, ut & ii qui in fide fixi sunt, gaudeant: & qui nutant, corripi se doleant, & corrigantur.

℣. 3. *Tradidi enim vobis in primis, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.* Scripturas Testamenti veteris memorat, quæ futuram passionem Domini cecinerunt. Dicit enim Esaias propheta: *Ut ovis ad immolandum ductus est.* Et inter cetera; *Quoniam tolletur à terra vita ejus, ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*: hæc in Christo reperta noscuntur. Sed quia præteriti temporis significatio videtur, non est adversum; quia apud Deum, qui omnium præscius est, nihil futurum est; ideo sic dicit quod futurum est nobis, quasi factum sit. Nam in Apocalypsi Johannis apostoli dicitur: *Agnus qui occisus est à constitutione mundi.* Quia enim aliter non fiet, quam scit Deus, factum dicitur; nobis enim fit non Deo, quia apud Deum nihil est, quod futurum dicatur. Et in psalmo ait: *Dominus regnavit à ligno.* Et Moyses de cruce ejus ita significavit, dicens: *Tunc videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros, & non credetis.* Idcirco enim in eadem causa & futuri temporis aliquando significantia ponitur; ne à perversis non de Christo dictum defenderetur, si totum quasi præteritum significaret. Esai.53.7. Ibidem 8. Apoc.13.8. Psal.95.10. Deut.28.66.

℣. 4. *Et quia sepultus est.* Nulli dubium mortuum sepultum esse, sicut dicit Esaias propheta: *Et dabo malos pro sepultura ejus.* Esai.53.9.

a. Codex Corb. *ad Dei res gerendas.*
*. Hic & subsequens articulus in mss. non paucis ad finem capitis rejiciuntur.
b. Rom. edit. *sed subditas esse.*

c. Corb. cod. *ut quibus suadendo adquisiti, non hominibus dent gloriam, sed Deo.*
d. Idem codex Corb. *quod cum prece.*

Et quia

Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas. Omnia in fide clausa sunt; ideo sub persona populi resurrectio Domini tertia die futura descripta est. Dicit enim Osee propheta: [a] *Post biduum sanos faciet nos, & in tertio die resurgemus, & vivemus in conspectu ejus.* In Christo enim omnes resurrexisse, sicut in Adam omnes mortuos esse, nemo fidelium denegat. Simili modo in psalmo sub persona hominis etiam de Christo significat, dicens: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus: gloria & honore coronasti eum.*

Os. 6. 3. — Psal. 8. 8.

℣. 5. *Et quia visus est Cephæ*: id est, Petro. Hoc etiam [b] Cleophæ & socio suo dixerunt discipuli, ut in Evangelio κατὰ Λουκᾶν, quod apparuit soli Petro. *Postea illis undecim.* Et hoc in Evangelio continetur.

Luc. 24. 34.

℣. 6. *Deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul.* Hoc sua fide loquitur. *Ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* De his quibus post resurrectionem apparuit Dominus, tunc multos dicit fuisse in corpore.

℣. 7. *Deinde apparuit Jacobo.* Singulariter Jacobo apparuit, sicut & Petro: quod ideo puto factum, ut multifaria apparentia fidem resurrectionis firmaret. *Postea apostolis omnibus.* Iterum omnibus apostolis visus est in monte, ubi constituerat illis Jesus, sicut refert Matthæus evangelista. Ante in Hierusalem post dies octo resurrectionis suæ, id est, Dominica die, januis clausis, intravit ad discipulos; ut Thomæ animus firmaretur, sicut dicit Johannes apostolus. In monte enim intelligitur mandata illis dedisse.

Matth. 28. 16. — Johan. 20. 26.

℣. 8. *Novissime autem omnium quasi abortivo visus est & mihi.* Apparuit illi primum in cælo, post oranti in templo. Abortivum se dixit; quia extra tempus natus in Christo, apostolatum accepit jam Christo in cælos recepto cum carne.

Act. 9. 4. Ibid. 22. 17.

℣. 9. *Ego enim sum minimus omnium [c] apostolorum.* Humiliat se, & temporis causam sibi adscribit; tempore enim minor est, non dignitate. Sed quia & persecutor fuit, inclinat se, dicens:

℣. 10. *Qui non sum dignus vocari apostolus; quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Deo dat gloriam, qui eum elegit; & dignitatem suam non sibi defendit, sed indignum se dicit. Unde vere plus meretur, sciens dixisse Dominum: [d] *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Luc. 14. 10.

Et gratia ejus pauper in me non fuit. Hoc dicit, quia non propter quod persequutus est, minorem gratiam in apostolatu accepit. *Sed plus illis omnibus laboravi.* Addit ad causam, quia non solum minoratus non est; sed & amplius [e] propter constantiam, qua vigebat in Christo, afflictus est: quod non ægre ferens, dignior factus est. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ne se extulisse jactanter putaretur, statim se humiliat, cùm hoc ipsum non magis sibi, sed Dei gratiæ adscribit; ut semper omnem gloriam reportet ad Deum, unde jure exaltandus est.

℣. 11. *Sive igitur ego, sive illi, sic prædicamus, & ita credidistis.* Hoc est, quod supra significavit, quia non inferiorem gratiam in prædicatione accepit, quàm ceteri apostoli, sed unam atque eamdem. Unde magis arguit perfidiam Corinthiorum; quia cùm manifestata esset credulitas hæc apud omnes Ecclesias, hi ab hac fide & spe desciverant, quam subjecit, dicens:

℣. 12. *Si autem Christus prædicatur, quod ex mortuis resurrexit; quomodo dicunt quidam inter vos, quoniam resurrectio mortuorum non est?*
℣. 13. *Si ergo resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.*
℣. 14. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, vacua est & fides vestra.* Hæc à falsis apostolis erant tradita, qui Christum neque natum, neque in carne passum, neque resurrexisse adseverabant: quos & Johannes apostolus denotat, quod Christum in carne venisse negabant. Unde dicit: *Qui negat Christum in carne venisse, hic est Antichristus: & qui negat Filium, nec Patrem habet.* Isti ambulabant, & quorumdam fidem, ne imprudentes à mundi sapientibus judicarentur, subvertebant; quia prudentes sæculi stultum judicant, cùm audiunt resurrectionem mortuorum. Quod si, inquit, verum est quia Christus non resurrexit, falsi sumus prædicatores, & fides vestra inanis est. Hoc enim crediderunt, Apostolo prædicante, quia mortui resurgent, & hac spe adtracti sunt ad

1. Johan. 4. 3.

A fidem. Quod utique ad detrimentum illorum proficere adserit, si crediderunt quod futurum non est: & pudoris est, ut aliquis profiteatur hoc se credidisse, quod falsum est. Et verecundiam ergo illis incutit, & labores illorum dicit infructuosos; si quod à falsis apostolis audierunt, verum est, quia mortui non resurgent: quod nemo utique de se patitur audire: ut videntes hoc contra se esse, reverterentur ad primam fidem.

Invenimur autem & falsi testes Dei: quia testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit. Qui adserit quod Christum Deus à mortuis suscitavit, falsus est testis, si non est factum; virtutem tamen Dei prædicat, non utique ut inimicus, qui tam admirabile factum virtuti ejus adscribit. Quod si verum est, quia excitavit Christum à mortuis; [f] quid huic dicendum est, qui & testis contra Deum falsus est, & opus ejus stultitiam adserit? ℣. 15.

B

Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. ℣. 16.
Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Terret illos, ut quia nemo sibi male vult, doleat illis hoc cœpisse credere, quod contra ipsos est. Quis enim peccata sibi remissa nolit audire? ℣. 17.

Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Addit ad terrorem, quia carorum suorum excessum [g] nolunt æstimare perditionem. Qui enim sub hac spe de sæculo exierunt, sive occidi non timuerunt; quia resurgere exemplo Christi crediderunt, & non est verum, perierunt. Hoc illis dicit, quod amore suorum defunctorum nolunt audire; ut illis imputet, quod priùs per errorem volebant audire. ℣. 18.

C

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Manifestum est quia & in hac præsenti vita & in futura speramus in Christo; nec enim hic deserit servos suos Christus, [h] sed dat illis gratiam, & in futuro erunt in gloria æterna. Si autem futuræ vitæ spes non esset, omnibus hominibus, quod dixit, miserabiliores essemus. Ut quid enim jejunia, vigiliæ, exitus, munda vita, justitia, misericordia, mors; si pro his nulla merces erit in futuro? Increduli autem vel hac vita fruuntur. ℣. 19.

D

Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, initium dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Hæc dicens, tangit pseudoprophetas, qui Christum natum negabant, ac per hoc non resurrexisse carnem; quia qui natus non est, nec moritur. Sic autem probat Christum à mortuis resurrexisse, quia homo fuit, ut dubium non sit hominem à Deo à mortuis excitatum; ut quia peccato hominis mors inventa est, Christi justitia resurrectionem meruerit mortuorum. ℣. 20. ℣. 21.

E

Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem invenit, [i] & omnes ex ejus origine tenuit, ut dissolvantur: ita & Christus non peccans, & per hoc vincens mortem (quia qui non peccat, vincit mortem, quia mors ex peccato) omnibus qui sunt ex ejus corpore, adquisivit vitam, id est, resurrectionem. Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adam omnes sive justi sive injusti moriuntur; ita & in Christo omnes tam credentes, quam diffidentes resurgant, licet ad pœnam increduli; tamen vivificari videntur; quia corpora sua recipient, jam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine: quod credere noluerunt. ℣. 22.

F

Unusquisque autem in suo ordine. Nunc ordinem resurrectionis vult exponere, ne ideo putarent fabulosum esse; quia factum non est adhuc in ceteris: ordines illis exponit & tempora, quando factum sit, & quando futurum est, ut resurgant mortui. *Initium Christus.* Sicut in Actibus apostolorum testatur scriptum esse in Moyse. *Si passibilis Christus, si prior surgens ex mortuis, &c.* Prior ergo resurrexit, [k] ut forma fieret credentibus sibi. *Deinde qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt.* Hoc duplici modo intelligendum est; quia & in adventu ejus secundo sancti resurgent, juxta fidem Apocalypsis Johannis, sicut & in ℣. 23.

Act. 26. 23. — Apoc. 20. 12.

a. Vet. edit. ac mss. aliquot, *Post biduum & in tertio die resurgemus.*
b. Ita mss. non pauci, & omnes edd. nisi quod pro *soli Petro* in Rom. edit. legitur *Simoni*: alii vero mss. exhibent, *Cleophas & Emaus testantur in Evangelio.*
c. Corb. cod. *apostolorum. Minimum itaque se dicit apostolorum in vocatione, non in gratia: Deo autem dat gloriam & honorem, qui eum elegit.*
d. Mss. aliquot, *Qui se exaltat, humiliabitur.*
e. Codex Corb. *propter constantiam.*

f. Mss. Corb. *quod hic dicendus est.*
g. Idem cod. Corb. *nolunt æstimare perditionis.* Mox vero ubi omnes edit. ac mss. longe plurimi, *Qui enim non timuerint, sub hac spe &c.* ms. Vall. apud nos legit, ut nos in textu.
h. Codex Vall. *sed dat illis gloriam.*
i. Rom. edit. *& tenuit, ut omnes ex ejus origine dissolvantur.*
k. Corb. cod. *ut firma foret credentibus fides resurrectio.*

Matth. 27. 52. primo adventu cùm resurrexit, multa corpora sanctorum A resurrexerunt, ad protestationem victæ mortis ac spoliatæ. Sub una ergo significatione duplicem adventum Domini comprehendit.

ŷ. 24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm destituerit omnem principatum & omnem potestatem, & omnem virtutem & omnem dominationem.* ŷ. 25. *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus;* ŷ. 26. *omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors.* (Psal. 109. 1. Psal. 8. 8.) Hoc dicit, quia tradito regno finis erit mundi, impleta resurrectione. Quod quidam territi asperitate sermonis, dum quasi pie volunt sentire, à proprietate sensus declinant. Horrent enim sonum verbi audientes: *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri* [a] putantes traditione hac regni, si juxta sonum verbi intelligatur, vacuum remanere; ut si tradit, jam ipse non habeat: B quasi Pater tradens omnia Filio, evacuaverit se. Nam & ipse Dominus ait: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & postea: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* (Matth. 11. 27. Johan. 17. 3.) Ecce regnante Filio, regnat & Pater. Quomodo autem tradens regnum Filius evacuare se crederetur, cùm dicat Angelus ad Mariam: *Et dabit illi dominus Deus sedem David patris sui, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis?* (Luc. 1. 32.) Et Daniel de eodem regno dicit inter cetera: *Deus cæli excitabit aliud regnum, quod numquam corrumpetur, & hoc regnum erit æternum.* (Dan. 2. 44.) Nemo ergo dubitet Filium semper regnaturum cum Patre. Traditio autem hæc regni est, ut cùm omnia Filio fuerint subjecta, & adoraverint illum ut Deum, destructa morte; tunc Filius ostendet illis non se esse, ex quo sunt omnia, sed per quem sunt omnia: & hoc erit tradere regnum Deo & Patri, ostendere ipsum esse, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur: (Ephes. 3. 15.) & tunc erit finis. Destructio tamen mortis est resurrectio mortuorum.

ŷ. 27. *Cùm autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, nimirum præter eum, qui subjecit ei omnia.* ŷ. 28. *Cùm autem subjecta illi fuerint omnia; tunc & ipse Filius subjicietur illi, qui subjecit omnia; ut sit Deus omnia in omnibus.* Idem sensus est, quem nunc aperit; ut manifestet quid sit Filium tradere regnum Deo & Patri: hoc autem addit ad sensum, quia tradens Pater D Filio regnum, non se subjecerit ei, sicut Filius Patri se subjecit; incongruum est enim ut Pater subjiciatur Filio. Omnia ergo subjecit Pater Filio, ut similiter honorificetur, sicut honorificatur & Pater. Cùm ergo omnia confessa fuerint Christum Deum, substrata pedibus ejus; tunc & ipse Christus dominus subjicietur Deo Patri: *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Hoc dicit, quia cùm omnium principum & potestatum & dominationum fuerit pressa superbia, & adoraverint Christum quasi Deum: tunc & Christus [c] propter unicam auctoritatem Patris, Deum quidem se ostendet, sed de Deo; ut unius principii sublimis & ineffabilis auctoritas maneat. Hoc est subjicere se Filium Patri, hoc est, Deum esse omnia in omnibus; quia cùm discit omnis creatura caput E suum esse Christum, Christi autem caput Deum Patrem; omnia in omnibus est Deus Pater, hoc est, ut omnis creatura unum sentiat, ut una voce omnis lingua cælestium & terrestrium & infernorum confiteatur unum esse Deum, ex quo sunt omnia. (Phil. 2. 10. & 11.) Si autem dixisset: *Ut sit Deus in omnibus*; intelligeretur in omnibus quidem esse, sed per affectum, aut communem sensum; non tamen ea ipsa ex ipso esse. Sed cùm dixit: *Omnia in omnibus*; hoc significavit, quia & ex ipso sunt, & in ipsis est: ex ipso; quia ab ipso creata sunt: in ipsis autem; quia in omnium confessione unus est Deus. Non tamen sic subjicitur Filius Patri, sicut Filio creatura.

ŷ. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* F In tantum ratam & stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione: ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset: [d] timentes ne aut male, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur. Unde subjecit: *Ut quid & baptizantur pro illis?* Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectionem ostendit.

Ut quid & nos periclitamur omni hora? ŷ. 30. *Quotidie morior pro gloria vestra, quam habeo in Domino.* ŷ. 31. Dicendo: *Ut quid & nos periclitamur?* discrevit personas, ostendens non catholicos esse, qui pro mortuis baptizabantur. Denique supra dixit: *Ut quid & baptizantur pro illis? Numquid & baptizamur pro illis?* Nam & Jephte, [e] quamvis in re, quæ accepta fieri non posset, fidelis inventus est, offerens filiam suam secundùm votum suum, quod stulte voverat. (Judic. 11. 39.) Non ergo factum probatur, sed perseverantia fidei in exemplum præfertur. Prædicantium pericula & labores memorat dicens: *Quid & nos periclitamur?* & subauditur; nisi quia speramus futuram resurrectionem, sicut supra memorat. Securi enim quia post istam mortem vera vita sequetur, pericula non timent illata ab infidelibus, propter zelum illorum, quos quia crediderunt se perdidisse, dolent. Sollicitudinem ergo suam ostendit, quam habebat erga salutem illorum, propter gloriam promissam à Domino, sicut & in Lege dictum est: *Exalta sicut tuba vocem tuam: si te audierint, lucraberis animas illorum.* (Ezech. 33. 5.) Ad hoc festinabat Apostolus semper sollicitus, ut gloria illi cresceret apud Deum adquisitæ salutis multorum.

Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? ŷ. 32. Hoc est, si secundùm humanum sensum (qui videns hoc in rerum naturam non cadere, ut caro jam soluta reformetur ad vitam, minime credit futuram resurrectionem mortuorum) bestiis [f] offerri, mori non timui, nihil profeci. Sed non hoc est, quia certus de promissa vita, non solum non timuit; sed & libenter bestiis offerri se passus est, sicut inter cetera ait in Actibus apostolorum: *Ego enim non solum ligari, sed & mori paratus sum in Hierosolyma pro nomine domini Jesu Christi.* (Act. 21. 13.)

Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur. Hoc ab Esaia propheta dictum est propter hos, qui quasi nihil futurum esset post mortem, ventri tantum studebant quomodo pecora, sicut & ii qui Corinthios depravabant. (Esai. 22. 13.)

Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. ŷ. 33. Significat confabulatione malorum hominum [g] everti posse bonum propositum; assiduitas enim pravi colloquii vitiat mentem, ac per hoc ab his cavendum. Quicumque enim acceptam fidem custodire vult, maxime inter ipsa initia obstrepentes debet vitare; ut impleat, quod utile judicavit.

Vigilate, justi estote, & nolite peccare. ŷ. 34. Vigilandum monet, ne circumventione pravi sensus capti, & à fide abducti depraventur, mortuorum resurrectionem non credendo. Justos esse præcepit, ut non solum terrenam justitiam excolant, sed & cælestem; quia terrena justitia meritum non facit, sicut & non facit reum. Quid enim magnum est aliena non tollere, [h] quippe cùm hoc timoris sit? Magnum est autem de proprio non habenti largiri, hæc est vera justitia. Et ut non peccent, subjecit; unde intelligi voluit non se justitiam temporalem servandam mandasse, sed divinam; quia qui cælestem justitiam servat, sine dubio [i] in hac præsenti perfectus est.

Ignorantiam enim Dei quidam habent, ad verecundiam vobis loquor. Propositum Dei ignorantes ii, [k] qui inter eos convertebantur, mortuos resurrecturos stultum esse dicebant credere. Ideo pudorem illis incutit quasi imprudentibus; credebant enim eis, qui ignorantiam Dei habentes, contra Dei statuta docebant.

Sed dicet aliquis: Quemadmodum resurgent mortui? Quove corpore venient? ŷ. 35. Hos dixit ignorantiam Dei habere, quorum depravatæ sententiæ verba protulit, dicens: *Quemadmodum resurgent mortui? quove corpore venient?* Cui congrue respondit, dicens:

Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur? ŷ. 36. Cum animali homine non utique Legis auctoritate agit; ut exemplis suadeat, quæ si reciperet, non erraret: sed physica ratione, de qua sibi blanditur; ut non credat resurgere soluta & mortua corpora. Ostendit enim mortua rursum reparari ad vitam, & multiplicata; ut confundatur error humanus.

Et quid seminas? Non corpus quod futurum est, seminas: sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum: Deus au- ŷ. 38.

a. Omnes edit. & mss. uno excepto, *putantes traditionem hanc regni . . . vacuum remanere*: optime vero Corb. ut in contextu.
b. Rom. edit. *Sed quia ipse Dominus ait . . . apparet quod, regnante Filio* &c.
c. Eadem edit. *propter universam auctoritatem* &c. secundo autem versu legit ms. Corb. *sublimitas & ineffabilis* &c.
d. Codex Corb. *timentes ne aut male sufferret, aut* &c.
e. Ms. Laud. *quamvis in re quæ accepta fieri non posset*: Corb. *quamvis in reliquis accepta fieri non posset.*
f. Nonnulli mss. *offerri non timui*: at Corb. totum hunc locum ita contrahit, *offerri non timuit, sed & libenter bestiis se passus est* &c.
g. Rom. edit. *everti posse bonorum propositum.*
h. Corb. codex, *quippe cùm non timetis sit.*
i. Ms. Laud. & Vall. *in hac præsenti vita.*
k. Rom. edit. *qui inter eos conversabantur.*

tem illi dat corpus, prout vult: & unicuique ſeminum proprium corpus. Si ergo [a] nudum granum ſeminatur, & Dei nutu quodammodo elementorum miniſterio veſtitum reſurgit, multa ſecum habens incrementa utilitatis humanæ; cur non credibile ſit Dei virtute mortuum poſſe reſurgere, melioratâ tantum ſubſtantiâ, non numero multiplicatum? Quid ergo requiritur ab infideli, quo corpore reſurgant mortui; [b] cùm exempla præcedant ad fidem hanc melioratæ reſurrectionis, non amiſſæ ſubſtantiæ? Quia proprium corpus recipiet, in quo creatus eſt Adam, juxta exempla ſupradicta.

ỳ. 39. *Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominis, alia vero pecoris: alia caro volatilium, alia caro piſcium.* Cùm ex eadem maſſa omnis caro ſit; unde & quomodo in his tanta diverſitas eſt, ut unâ impenſâ faceret genera diverſa? Dicant nunc ſophiſtæ mundi & ſcrutatores ſiderum, ſi valent comprehendere quæ extra ſe ſunt; cùm quid intra ſe ſit, neſciant. Denique omnes mundani philoſophi, qui mentem ſuam legi Dei humiliare, ut fidem ejus ſuſciperent, noluerunt, diverſa ſemper & contraria adſerentes, inaniſſimis diſputationibus invicem ſe confuderunt; [c] quia in nullo horum teſtificatæ veritatis ſignum agnitum eſt, quod antepoſitum verbis commendaret doctrinam, ſicut & Deus decrevit diſciplinæ noſtræ, quæ non verbis probatur, ſed virtute, cui non poſſunt verba reſiſtere. Quemadmodum ergo ex una impenſa diverſa animantium caro eſt; ita & unius carnis homines, diverſi erunt dignitate in reſurrectione; ut talis unuſquiſque appareat, qualis fuerit meriti: quippe cùm etiam hìc diverſitatem corporum videamus.

ỳ. 40. *Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria, ſed alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium.* Cæleſtia corpora ſunt reſurgentium, terreſtria autem antequam moriantur, aut reſurgant; ut quia Chriſtus cæleſtis eſt, ex eo corpora cæleſtia dicantur: ex Adam vero, quia terreſtris eſt, terreſtria corpora.

ỳ. 41. [d] *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſtella enim ab ſtella differt in claritate.* Unius naturæ comparatione utitur ad indiſcretæ ſubſtantiæ reddendam rationem; quia ſicut ſol & luna & ſtellæ cùm ſint unius quidem naturæ, diverſæ tamen claritatis ſunt: ita & homines cùm ſint unius generis, merito tamen diſſimiles erunt in gloria; ut claritati ſolis illorum dignitas exæquetur, qui centeſimum numerum habent, qui ut perfecti eſſent, primi gradus æmuli fuerunt, de quibus dictum eſt: *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui.* (Matth. 13. 43.) Lunari quidem claritati hi comparandi ſunt, qui ſexageſimum numerum bonis operibus mercati ſunt; ut ſecundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus eorum merita comparanda ſunt, qui trigeſimum numerum, tertii gradus dignitatem juſtis laboribus quæſierunt. Sequentibus vero ſtellis, quæ inter claras & obſcuriores mediæ ſunt, peccatores homines coaptandi ſunt, qui de tribus nullius gradus adipiſci honorem voluerunt. Tetricis autem ſtellis, & omnium noviſſimis, perfidorum reſurrectio ſimilis eſt; quia errorem ſequuti, ſtellis in errorem ducentibus comparandi ſunt, ſicut dicit in epiſtola ſua Judas apoſtolus. (Jud. 1. 13.) Infidelitas enim non poteſt claram reſurrectionem habere; quia ſicut carbo cinere ſuo coopertus obcæcatur, ita & hi [e] perfidia ſua erroris tenebris circumdati, luce carebunt.

ỳ. 42. *Ita erit & reſurrectio mortuorum.* Exempla dat, ut non ſit dubium reſurrectionem mortuorum futuram; ut accepta ratione, nemo ambigat. *Seminatur in corruptela, ſurget in incorruptela.* Seminare eſt ſepelire, ut corrumpatur: reſurgere autem in incorruptela, jam exſuſcitatum non poſſe corrumpi, ſed habere claritatem immortalitatis.

ỳ. 43. *Seminatur in ignominia, ſurget in gloria* In ignominia ſeminatur; quia dum in tetrico ponitur, ſit fœtidum, & ſcatet vermibus: ſurget autem in gloria; quia excitatum & lumen erit, & nullam ſqualloris injuriam patietur. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* In infirmitate ſeminatur; quia immobile eſt, & irregibile: ſurget autem in virtute, quia jam totum unum erit ac vegetum.

Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale. Animale corpus eſt, dum cibis ſuſtentatur, ut vivat: ſpiritale autem, cùm horum nihil indigebit, converſum in vitam. Omnia ſupradicta hoc ſenſu [f] clauduntur; non enim aliud continetur in ſuperioribus, niſi quod animale corpus moritur, & reſurget ſpiritale, quod neque jam manducet, nec bibat, nec infirmetur, nec ſit fœtidum, nec tetrum natura. ỳ. 44.

Factus eſt primus homo Adam in animam viventem. Hoc in Geneſi dictum eſt, quia accepto ſpiritu flatus Dei, factus eſt homo in animam viventem; officium enim ſpiritus animare eſt corpus, ita tamen ut continuam vitam non habeat, niſi cibis & potus auxilio utatur. *Noviſſimus autem Adam in ſpiritum vivificantem*: hoc eſt, ut jam qui ante fuerat factus in animam, factus eſt in ſpiritum per reſurrectionem; ut mori non poſſit, quia fiet totus vivens. ỳ. 45. (Gen. 2. 7.)

Sed non priùs quod ſpiritale eſt; quia animale ex Adam, ſpiritale vero per Chriſtum & reſurrectionem mortuorum. ỳ. 46.

Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis: qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Primus homo Adam eſt de terra temporalis, cui ſuccedit mors: ſecundus homo Chriſtus eſt de cælo, qui reſurgens mori neſcit. *Qualis eſt ille terreſtris, tales & terreſtres*: hoc eſt, quia terrenus mortalis eſt, mortales ſunt & terreni: peccans autem Adam mortem invenit, ut omnes ex eo mortales ſint. *Et qualis ille cæleſtis, tales & cæleſtes ſunt*: id eſt, quia Chriſtus non peccavit, vincens mortem, cæleſtis eſt; ita ſint & credentes illi: quamvis & non credentes ſpiritales futuri ſunt, ſed ſicut ſpiritalia nequitiæ, ut ſint tenebroſi. De ſanctis enim nunc loquitur, qui reſurgent ad gloriam; ſicut enim qui non credunt, jam judicati ſunt, & qui credunt, jam cæleſtes dicuntur. ỳ. 47. ỳ. 48. (Johan 3. 18.)

Igitur ſicut portavimus imaginem illius terreni, portemus & imaginem hujus cæleſtis: hoc eſt, ſicut formam habuimus mortalitatis per peccatum Adæ, ſervi peccati facti: ita & formam habeamus vitæ per juſtitiam ſalvatoris, facti ſervi juſtitiæ, non mundi, ſed Dei; dum ea agimus, quæ immortalitate digna ſunt. ỳ. 49.

Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Carnem perfidiam vult intelligi, ſanguinem turpem & luxurioſam vitam, quia cupiditas hæc a fervore ſanguinis generatur; ut oſtenderet non ſolùm incredulum dignam reſurrectionem non habere, verum etiam illum qui deſideriis & vitiis carnis obtemperat. Commonet ergo & inſtruit, qua ratione regnum cælorum conſequi mereamur. ỳ. 50.

Neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Hoc dicit, quia corruptela & laſcivia vitæ pœnam neceſſe eſt patiatur. Paſſionem enim corruptionem poſuit; nam conſtat utique omnes homines immortales reſurgere.

Ecce myſterium vobis dico, omnes quidem reſurgemus; id eſt, tam credentes quam non credentes. *Sed non omnes immutabimur.* Nunc uniuſcujuſque meritum in reſurrectione ſignificat, qualis in ſingulis futura ſit. ỳ. 51.

In momento, in ictu oculi; id eſt, cito, ſine aliqua mora. *In noviſſima tuba*; ideo *noviſſima*, quia poſtremum bellum geritur adverſum dæmones, ac principes, & poteſtates, & ipſum diabolum. Hoc enim fiet poſt annos mille, quibus hîc regnabit ſalvator, extincto Antichriſto, cùm ſatanas dimittetur de carcere ſuo ad ſeducendas gentes Gog & Magog, qui ſunt dæmones; ut pugnent adverſus caſtra ſanctorum; nec enim temporales homines poterunt adverſum æternos dimicare. Nam & Johannes apoſtolus ait: *Vidi Michael & Angelos ejus in cælo pugnantes adverſus draconem & angelos ejus, qui eſt diabolus & ſatanas.* (Apoc. 10. 7.) Ideoque hîc *noviſſima tuba* ait, quia non ſemel cum illo pugnatum eſt; quia & in Antichriſto pſeudoprophetæ, qui faciebant coram illo ſigna & prodigia, & ipſe victor, & hoc loco noviſſime adverſus illum pugnabitur; ut jam mitta- ỳ. 52.

a. Codex Corb. *proprium corpus ſeminatur*: ſtatim vero poſt Laud. *pro elementorum miniſterio*, exhibet *electorum miniſterio*.

b. Vet. edit. & mſſ. hîc ita diſſident, quod hi *precedant*, illæ *prædicant* præ ſe ferunt; at Rom. ſic habet, *cum exempla reſurrectionis prædicant fidem hanc melioratæ, non amiſſæ ſubſtantiæ*.

c. Cod. Laud. *quia in nulla horum teſtificatione veritatis ſignum* &c.

d. Codex Corb. *Alia gloria ſolis, alia gloria lunæ .... differt in gloria.*

e. Mſ. Corb. *perfidia ſua errore.* Et mira, Exempla dantur, ut non dubitent reſurrectionem futuram mortuorum quis ambigat.

f. Vet. edit. ac plures mſſ. *non enim corpus animale ſemper hic habere poteſt Spiritum ſanctum: tunc vero, id eſt, in reſurrectione, ſemper manebit in ſanctis. Surget corpus ſpiritale, quod neſſit ire obviam Chriſto.* Quæ quidem verba non ægre deprehendas conſarcinata eſſe ex Commentario Pſeudohieronymi in hunc locum. Sed quæ ab his ipſis verbis uſque ad illa *ſepultis* 2. Commentarii in ſequ. tem epiſtolam: *Manifeſtum quia pro quo patimur*, in pleriſque mſſ. & omnibus edit. Ambroſii leguntur, unde etiam nonnihil in ſuam Paulinarum epiſtolarum Expoſitionem Doctoris noſtri nomine tranſtulit Rhab. nos Maurus: eadem, ſolo prologo excepto, in adulterinis illis Hieronymi Commentariis ad apices reperiuntur. Hinc in promtu fuerit colligere tolii alicujus factam in veteri quopiam hujus noſtri Commentarii codice jacturam vel tranſpoſitionem librarios è Pſeudohieronymo ſarcire voluiſſe. Id inde confirmatur, quod alia omnia exhibeat exemplar Corbeienſe, ſed quæ multo conveniant aptius cum Ambroſiaſtri, ut vocant, ſtylo. Huc adde quod in tribus aliis mſſ. ad calcem Commentarii in epiſt. ad Romanos fragmentum Expoſitionis ultimorum hujus epiſtolæ verſuum Ambroſio adtributum extat iiſdem verbis, quibus legitur in cod. Corb. Illius itaque lectionem admittendam exiſtimavimus.

Joh. 12. 31. tur in gehennam. Et Salvator inter cetera ait: *Nunc princeps* A
hujus mundi mittetur deorsum. Et tunc ergo & frequentet
Isai. 14. 12. victus est, sicut Esaias propheta dicit: *Quomodo cecidit de*
cælo Lucifer, qui mane oriebatur.

Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos
immutabimur. Surgentibus enim peccatoribus & impiis,
sancti immutabuntur in claritate; ut caro fiat spiritalis
cum gloria, quasi plumbum, si fiat aurum. Sancti enim in
adventu Domini surgent, sicut superiùs ait: *Initium Chris-*
Sup. ℣. 23. *tus: deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus*, sicut in
Apocalypsi continetur; peccatores enim non sunt Christi,
Psal. 1. 5. qui audiunt à Domino: *Non novi vos.* Quia & in psalmo
Matth. 7. 23. primo scriptum est: *Ideo non resurgent impii in judicio, ne-*
que peccatores in concilio justorum. Ab impiis enim non est B
quod requiratur: sed ad hoc surgent, ut pereant, videntes
verum esse, quod credere noluerunt: perire autem est à Deo
Rom. 2. 12. esse alienum, sicut ait ad Romanos: *Quicumque enim ex-*
tra legem peccaverunt, sine lege peribunt; & qui in lege pec-
caverunt, per legem judicabuntur: ac per hoc peccatores ju-
dicabunt; indigni etenim sunt resurgere cum sanctis, sicut
ait: *Neque peccatores in concilio justorum.*

℣. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, &*
mortale hoc induere immortalitatem. Supra dixit, *& mortui*
resurgent incorrupti, id est, immortales erunt, non ta-
men impassibiles; hi enim, quos dicit, pœnas patien-
tur pro qualitatibus delictorum suorum, ita ut exeant inde C
soluto debito: impii autem æterna pœna torquentur; ait
Johan. 3. 18. enim: *Qui non credit, jam judicatus est.* Unde & Esaias
Isai. 66. 24. propheta ait: *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eo-*
rum non morietur. In adventu tamen Domini & sancti re-
surgent, & qui vivi fuerint inventi, obviam rapientur Do-
mino in aera, mortem quasi soporem passuri; in ipso enim
raptu & mortem & resurrectionem habebunt, sicut ad
1. Thess. 4. 16. & seq. Thessalonicenses idem Apostolus scribit. Tempore enim An-
tichristi aut apostatæ erunt, aut rei, aut in latibulis, aut in
pœna positi ceteri gentiles, quos dominus Jesus cum duce
2. Thess. 2. 8. ipsorum Antichristo in adventu suo interficiet *spiritu oris*
sui, id est, jussu ejus igni exurentur per Angelos virtutis
ejus.

℣. 54. *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet*
sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi
℣. 55. *est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Post re-
surrectionem enim impiorum & peccatorum absorbebitur
mors in victoria. Insultantis etenim verba sunt, dicentis:
Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus?
Victoria enim devictæ mortis resurrectio mortuorum est:
mors autem diabolus est, cui insultatur; & contentiosus
dicitur, quia per superbiam, cùm impar viribus esset, re-
sistebat. Cùm ergo superatus perimitur, & spolia illi de-
trahuntur; succensetur illi, qui contra se pugnavit.

℣. 56. *Aculeus autem mortis peccatum est.* Aculeum auctorita- E
tem significat, quia mors per peccatum auctoritatem acce-
pit, quasi peccatum non esset, diabolus obtorpuisset, & mors
non esset. *Virtus autem peccati lex.* Ideo virtus peccati lex
est, quia peccatum non imputaretur, si lex non esset.

℣. 57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum*
nostrum Jesum Christum. Triumphum Salvatoris in nobis
dicit profuisse; quæ enim gessit Salvator, non sibi utique
gessit, sed nobis. Quamobrem nostra victoria est; ideo
enim homo factus est, manens Deus; ut vincens diabo-
lum, dum peccatum non fecit, nobis victoriam adquire-
ret, qui peccati causâ detinebamur in morte; ut victus F
diabolus, occiso Christo, qui peccatum non fecerat, om-
nes quos peccati causâ detinebat, amitteret. Dum autem
insultat homini, reus factus est, & sic deletum chirogra-
phum, id est, deletâ sententiâ, quâ tenebatur genus huma-
num in mortem, fieret ereptus, & animabus in cælum in-
ductis; ut non per potentiam illi tollerentur, sed per justi-
tiam à Deo per dominum nostrum Jesum Christum.

℣. 58. *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles,*
abundantes in opere semper, scientes quod labor vester non
est inanis in Domino. Omnibus quæ ad doctrinam Eccle-
siasticam ordinandam necessaria sunt expositis, & aut quid
vitandum, quidve sequendum sit demonstratis, fixos jam
illos esse hortatur in bono, & in operibus quæ fructum fa-
ciunt apud Dominum, semper promtos & copiosos; quia
per hæc quæ exposita sunt, de cetero accepturos se boni
operis mercedem à Domino, ne pravis colloquiis possent
everti.

CAPUT XVI.

DE collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi
Ecclesiæ Galatiæ, ita & vos facite. Per unam sabbati ℣. 1.
unusquisque vestrum apud se ponat, thesaurizans quodcumque ℣. 2.
voluerit; ut non cùm venero, tunc collectæ fiant. Dominico
die collectam fieri præcipit, sicut & ceteris Ecclesiis dispo-
suerat; ut eo die, quo resurrexit Dominus, plebs ejus col-
ligatur ad laudem & gloriam Dei, devicta morte: tunc
sumtus congregandos ad ministerium sanctorum, qui prop-
ter nomen Domini pressuram patiebantur zelo gentilium
sive Judæorum, qui non sinebant eos prædicare gratiam
Dei sub nomine Christi; ut haberent refrigerium ab iis,
propter quos tribulantur. Omni ergo die dominico jubet
colligi plebem, & congregari illos, prout voluerint, in
dona Dei, & hoc apud se unumquemque reponere quasi in
thesauro; ut veniente Apostolo, inveniatur ad usus necessa-
rios præparatum; quia quod paulatim colligitur, nec grave
est, & invenitur multum.

Cùm autem venero, quos probaveritis per epistolas, hos ℣. 3.
mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Consolatio
hæc duplici genere profectum habebat, sicut & nunc ha-
bet; ita ut & sanctis proficeret supra memoratis, & pau-
peribus in Ecclesia constitutis, quæ & modo & usibus ma-
jorum natu proficit, & egenis. Per epistolam mittere se hos,
quos idoneos ad dispensationem elegerint, dicit: quæ episto-
læ testimonium præbent missis; ut cum gratia excipiantur.

Quod si dignum fuerit, ut ego quoque eam, mecum ibunt. ℣. 4.
Hoc dicit, si fuerit copiosa collectio, posse etiam se ire;
dignum enim est, & sic opus, ut si ipse eat, multum secum
perferat ad refrigerium sanctorum. Hoc est, quod signifi-
cat ad Romanos dicens: *Si enim spiritalium eorum commu-* Rom. 15. 27.
nicaverunt gentes, debent hi in carnalibus ministrare eis;
ex Judæis enim erant, de quibus dicit Dominus, quia salus
ex Judæis est, qui Jerosolymis in magna invidia erant apud
Judæos non credentes.

Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam transiero: apud ℣. 5.
vos autem forsitan remanebo, aut etiam hyemabo; ut me de- ℣. 6.
ducatis quocumque iero. Post omnem instructionem, ut læ-
tos illos faceret, adventum suum illis promisit, pro quo
& omnes admonitiones suas, quibus illos corrigit, magis
firmat. Qui audit venturum eum, à quo legem accepit,
sollicitior erit, ne adveniente illo erubescat.

Nolo enim vos modo in transitu videre. Sciens multa ℣. 7.
se habere, quæ ageret cum illis, non vult illos per tran-
situm videre, & ne contristarentur, multum tempus se
promittit commoraturum apud eos; quia quæ agit, cum
providentia agit. *Spero enim me aliquantulum temporis ma-*
nere apud vos, si Dominus permiserit. Si Dominus, tunc
enim Dominus permittit, ut commoretur apud eos: ait
permiserit; si dignos se præbeant, emendantes vitia, quæ in
eis arguit.

Permanebo autem Ephesi usque ad pentecosten; ostium enim ℣. 8.
mihi magnum apertum est & operosum, & adversarii multi. ℣. 9.
Qua causa remansisset Ephesi ostendit; invenerat enim illic
sitientia pectora Dei gratiam, quibus infunderet mysterium
Christi. Sed quia diabolus inquietus est semper, & his qui
Deum desiderant, invidus. Adjecit: *Et adversarii multi*;
quanto enim idonei inveniebantur ad fidem, tanto magis
non deerant, qui zelarentur; contradicentes & repugnantes
doctrinæ Domini.

Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud ℣. 10.
vos; opus enim Domini, sicut & ego, operatur. Ergo ne quis ℣. 11.
illum spernat. Quamvis enim ea prædicaret Timotheus,
quæ ab Apostolo acceperat, & esset idoneus evangelista;
tamen quia non erat authoritatis ejusdem, commendat illum;
ne ab his forte, qui dissentiebant in plebe, non, ut erat
dignus, reciperetur: & nihil proficeret adventus ejus saluti
illorum. Possent enim & gentiles excitari ad seditionem
& discordiam plebis, accepta occasione irruendi in Timo-
theum; ideo ne quis illum spernat, quia *opus Domini ope-*
ratur, inquit, *sicut & ego*; hoc est, ut mea authoritate
susciperetur, qua erat apostolus; erat enim ipse episcopus.
Deducite illum in pace, ut veniat ad me; exspecto enim illum
cum fratribus. Tantum meritum Timothei memorat; ut
non solum inter eos honorandum illum præcipiat, sed ut
apostolum Domini cum obsequio deducendum eum osten-
dit; ut etiam ipse illum exspectaret cum fratribus propter
Evangelium Christi.

De Apollo autem fratre significo vobis, quia multum illum
rogavi, ut veniret ad vos cum fratribus; & utique non fuit

voluntas ejus, ut nunc veniret. Veniet autem cùm opportunum fuerit. Hoc dicens, & voluntati illorum vel petitioni satisfecisse ostendit, cùm votum suum eis exhibuit, & Apollo excusavit: quando cur non iret ad illos, non declaraverit; ita tamen ut omnino non excusaverit, sed distulerit. Potest & sic intelligi, ut per Apollo tangat illos, significans ideo noluisse ire ad illos Apollo, quia dissidebant; ut audito hoc, paci studerent; & ideo de Timotheo dixerit: *Videte ut sine timore sit apud vos*; quia aliqui missi non bene fuerunt suscepti: ac per hoc venturum Apollo, cùm concordes fuerint.

ℽ. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, corroboramini: om-*
ℽ. 14. *nia vestra in caritate fiant. Vigilate*, ait, ne circumvenian-
tur in fide. *Viriliter agite*, hoc est monere, ut fortes sint circa ea, quæ sibi tradita erant: non ut pueri, qui quod sequantur, ignorant. *Confortamini*; ut tam voce quam opere robusti sint; quia professio & boni actus perfectos faciunt. Ut autem in caritate hæc ipsa fiant, monet; quia quæ cùm caritate fiunt, Dei habent timorem & zelum; quidquid enim cum offensione fratris fit, fructum non habet. Provocandi sunt enim aliqui ad bonum, non contristandi, ut puta si misericordiam non facias dehortatione alterius, aut inhumanus sis, aut alteros notes, aut aliquid comedas, insultans ei, qui ab hoc abstinet, ut facias illi scrupulum. Omnia ita agenda sunt, ut hortatio sit ad meliora, non insultatio, & tunc est pax. Unde dicit Do-
Johan. 13. 35. minus, ex hoc cognoscitur, si discipuli mei estis, si vos diligatis invicem: ubi autem contentio est & dissensio, amor non est.

ℽ. 15. *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ &*
Fortunati, quoniam sunt initium Achaiæ, & in ministerium
ℽ. 16. *sanctorum ordinaverunt se ipsos; ut & vos subditi sitis ejus-*
modi, & omni cooperanti & laboranti. Achaici Corinthii sunt; ideoque de his ad eos loquitur, per quos provocat illos ad hujusmodi opus; sunt enim ex his. Hoc enim in christianis magnum est, quia calcata avaritia, de laboribus suis non habentibus largiuntur, imitatores facti patris Dei, qui in misericordia dives est. Cùm autem dicit: *Ut subditi sitis talibus*, magis illos hortatur, ut æmuli facti operis hujus, alios habeant ipsi subditos.

ℽ. 17. *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, &*
Achaici; quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt.
ℽ. 18. *Refecerunt enim & meum spiritum & vestrum. Cognoscite*
ergo eos, qui ejusmodi sunt. Aliud enim esse collationem, quam dicit, fieri in sanctos, & aliud ministris Evangelii red-dere vicem, sicut dicit Dominus: *Dignus enim est operarius* Luc. 10. 7.
mercede sua. Domum enim Stephanæ in utroque significat devotam, & in ministerio sanctorum, & in his qui deserviebant Ecclesiis; ita ut Apostolo proficerent cum Fortunato & Achaico fratribus; ut & hi proficerent, qui erant ex his. Unde dicit: *Refecerunt enim & meum spiritum & vestrum.* Et cùm Apostolus negat se ab his accepturum, dicit enim: *Non infringetur in me gloriatio hæc in regionibus Achaiæ*; quomodo *refecerunt & meum spiritum & vestrum*? Sed credo, refectus est spiritus ejus in his, quibus profecerant; sibi enim dicit datum, quod proficit his, quibus voluit. *Cognoscite ergo eos, qui hujusmodi sunt*; hoc est, imitamini.

Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Horum salutatione commonet illos, ut efficiantur similes illorum, qui unius sunt provinciæ. *Salutant vos in Domino Aquila & Priscilla cum domestica sua Ecclesia.* Duas Ecclesias memorat, publicam & domesticam: publicam dicit, quo omnes conveniunt: domesticam, in qua per amicitiam colligitur. Ubicumque presbyteri solemnia celebrant, Ecclesia dicitur. ℽ. 19.

Salutant vos fratres omnes. Relevat animos illorum, quando omnes hos memores horum ipsorum ostendit. *Salutate invicem in osculo sancto.* Osculum sanctum signum pacis est, in quo, ut ad invicem sibi adhæreant sublatâ discordiâ, docet. ℽ. 10.

Salutatio mea manu Pauli. Se in epistola ista subscripsisse ostendit, & quæ verba sint subscriptionis, subjecit dicens: ℽ. 21.

Si quis non amat dominum Jesum Christum sit anathema maranatha, quod interpretatur: Si quis dominum Jesum, qui venit, non amat, abscidatur. *Maranatha* enim Dominus venit, significat. Hoc propter Judæos qui Jesum non venisse dicebant, hi ergo anathema sunt à Domino, qui venit. ℽ. 22.

Gratia domini nostri Jesu Christi vobiscum. Caritas mea ℽ. 23.
cum omnibus vobis, in Christo Jesu. Ideo talem subscriptio- ℽ. 24.
nem posuit propter hos, qui dum dissentioni studebant, dominum Jesum non diligebant; quippe cùm dicerent:
Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ. Qui enim Chris- 1. Cor. 1. 12.
tum diligit, non dat hominibus gloriam, quia nulla est spes in hominibus. *Gratia domini nostri Jesu Christi vobiscum*; & subauditur, qui diligitis dominum Jesum. Ex quoniam non se invicem diligebant, ideo hoc dicit: *Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu*; ut amare se discerent eâ gratiâ, qua diligebantur ab Apostolo, non carnis affectu, sed in Christo Jesu.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD CORINTHIOS SECUNDAM.

PROLOGUS.*



SECUNDAM epistolam Apostolus scribit Corinthiis, cujus hæc principalis est causa. Quoniam in prima pro quorumdam peccatis doctores eorum præcipue corripuerat, & multum fuerant contristati; nunc eos consolatur, suum eis proponens exemplum, & docens non debere ægre ferre, quod pro aliorum sunt salute correpti; cùm ipse pro aliena salute periculis quotidie & morti subjaceat.

CAP. I.
ℽ. 1. PAulus apostolus Jesu Christi. Jam securus de his confidenter se apostolum Domini prædicat. In prima enim epistola vocatum se apostolum, dicit, eis tamen non probatum, qui à traditione ejus abducti erant. *Per voluntatem Dei.* Ut ratum probet apostolatum suum, Domini voluntate Christi factum se apostolum dicit: ita enim Dominus ait
Johan. 8. 19. Judæis, quoniam *quæ placita sunt ei*, id est, Deo Patri, *facio semper. Et Timotheus frater.* Cùm hoc scribit, per quem epistolam misit primam ad eos, id est, cum Timotheo; ut ostendat eis ab hoc se audisse de bona voluntate eorum, qua corripiendos se subdiderunt. *Ecclesiæ quæ est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in Achaia.* Nunc sociat istos sanctis ceterarum Ecclesiarum, ut sciant se profecisse.

Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & domino Jesu Christo. Quoniam unum donum est Dei & Christi, idcirco participes illos optat esse gratiæ Dei, quæ est & Christi. ℽ. 2.

Benedictus Deus & Pater domini nostri Jesu Christi. Semper in omni epistola mysterii ordinem tradit de Deo Patre loquuturus, & de dono ejus. *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis.* Ab ipsa cœpit ratione, multum enim refrigerii dat eis, qui correptionis causa fuerant contristati: audientes enim Dominum non solùm totius originis patrem, sed & misericordiarum, relevati sunt spe, ac certi facti ad hoc se correptos, ut conversi Dei misericordiam invenirent. Quare autem misericordiarum patrem dixit, nisi ut agnosceretur per misericordiam rursum regenerare & reformare pœnitentes, ut non sola sit venia, sed status pristini restauratio? Et ideo misericordiarum ait propter diversa peccata; ut consolaretur contristatos causa delictorum: hoc est, spem non negare conversis. ℽ. 3.

Qui consolatur nos in omni pressura nostra. Hoc est, quod dixit: *Deus omnis consolationis, qui adest in omni pressura; ut possimus & nos consolari eos, qui sunt in omni pressura per exhortationem, qua exhortamur à Deo.* Duo genera consolationum induxit; unum quo consolantur, qui injuste pressuram patiuntur propter nomen Christi, ut liberentur: alterum eorum qui peccatorum causa contristati consola- ℽ. 4.

*. Non habetur ille prologus in Corb. cod. uti jam à nobis observatum est: verum cùm in aliis omnibus, & cunctis edit. reperiatur, nec extet in Pseudohieronymi Commentatio, eum duximus esse retinendum.

tionem accipiunt, dum illis promittitur spes emendantibus ab his, qui consolati à Domino, erepti sunt de pressura.

℣. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, sic per Christum abundat etiam consolatio nostra.* Manifestum est quia pro quo patimur, ipse nobis adest, [a] consolans nos, per liberationem, eripiens nos de pressura interventu majestatis suæ.

℣. 6. *Sive autem pressuram patimur* [b] *pro vestra exhortatione & salute: sive exhortationem consequimur pro vestra exhortatione, quæ operatur per patientiam earundem passionum, quas*
℣. 7. *& nos ipsi patimur; ut spes nostra certa sit* [c] *pro vobis; quia scimus quod sicut socii estis passionum, sic & consolationis eritis.* Generaliter loquitur; ut quia causâ credentium persecutiones patiebantur à perfidis, subjecti injuriis & cædibus; sic iterum auxilio Dei liberarentur ad consolationem credentium, ne scandalum passi à fide, exciderent; quia injuriæ apostolorum tentationes erant credentium, sicut scrip-
Zach. 13. 7. tum est in propheta Zacharia: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Quamvis futura credant fideles, tamen inter ipsa primordia pressuræ novelli faciunt scandalum; putant enim inanem esse promissionem, si vi oppressum viderint prædicantem. Sed si jam firmus est credens, compatitur cum suo magistro, fidens de spe futura: ut simul consoletur, cum quo [d] & compatitur.

℣. 8. *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de pressura, quæ nobis facta est in Asia; quia supra modum gravati fuimus supra vires, ita ut desperaremus nos etiam vivere.* Ideo passiones pressurarum indicat prope usque ad mortem illatas, ut ostendat [e] quæ mala salutis illorum causa patiebantur; ut non gravius ferrent, si corriperentur errores illorum ab iis, qui hæc tam aspera tolerabant pro illis. Quis enim medicorum non arguat susceptum suum negligentius se tractantem; ne cura medicinæ ejus sine effectu remaneat?

℣. 9. *Quin & ipsi in nobis responsum mortis accepimus; ut non essemus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.* Tantam insolentiam iniquitatis significat insurrexisse contra fidei prædicatores; ut mortem ante oculos haberent; denique erepti de ipsa pressura, resuscitatos se dicunt. Sic enim afflicti fuerant, ut desperarent de præsenti vita. Sed quia Deus præsidia sua non negat in necessitate positis, maxime suis, eripuit illos desperantes de semet ipsis, fidentes autem de Deo. Nimiâ enim pressurâ deficere se profitebantur, nisi adesset Deus.

℣. 10. *Qui de tantis mortibus liberavit nos, & liberat: in quem*
℣. 11. *speravimus, quia & liberabit, accedente pro nobis etiam vestra oratione; ut quod multorum facitbus donum in nos collatum est, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis.* Hoc dicit, quia gratia Dei multorum causâ [f] consolata est apostolos, id est, omnium credentium, quorum causa & pressuræ eis ingerebantur: ac per hoc, quia omnium causa est, cuncti Deo gratias referant, cùm cessat tentatio: aut cùm oritur, simul obsecrentur.

℣. 12. *Gloria enim nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Hoc dicit, quia de conscientia sua præsumebant, quæ pura erat ab omni [g] simulatione; quamobrem de Dei auxiliis non diffidebant. *Quia in simplicitate & sinceritate, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo: abundantius autem apud vos.* Hæc est gloria conscientiæ, quam dixit, simplicitas & sinceritas. Et quia hæc de Dei doctrina sunt, adjecit: *Non in sapientia carnali, sed in gratia Dei*; ut ostenderet non humanæ sapientiæ, sed evangelicæ prædicationi liberam se conscientiam exhibuisse. [h] Præterita refricat; hoc enim significat, quod in pri-
1. Cor. 2. 4. ma epistola arguit fucatam prædicationem juxta humanum sensum aptatam, cujus prædicatores duplici genere in sapientia carnali accusat; quia & juxta mundi sensum prædicabant, ne facile offenderent homines, & quæstus causa hoc agebant, propriis lucris carnalibus studentes. Unde Apostolus numquam à Corinthiis sumtus voluit accipere; ne his occasionem daret, eo quod similis eis esset in hac re. Hinc est quod dicit: *Abundantius apud vos simpliciter conversati*; quia cùm ab aliis acceperit, ab his noluit, [i] ne arguendi eos auctoritatem amitteret.

℣. *Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis & cognoscitis.* Ea se dicit scribere, quæ non solum litteris cernerent, sed & operibus ejus manifesta haberent; ut probatet ea, quæ loquitur, gestis se implere, quibus uniuscujusque mens & propositum discitur.

℣. *Spero autem quod usque ad finem cognoscetis, sicut & cognovistis nos ex parte, quia gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die domini nostri Jesu Christi.* Proficere illos sperat, ex eo quod jam cœperant meliores effici, cognito affectu circa se Apostoli, & gloriabantur in eo velut filii [k] in patre carissimo. Unde & Apostolus gloriam suam videri testatur in filios obaudientes; & tunc debere videri, quando prodest, id est, in die judicii Dei. Hoc dicens, perseverandum monet.

℣. *Et hac fiducia volueram prius venire ad vos,* [l] *ut secundam*
℣. *gratiam haberetis: & per vos transirem in Macedoniam, & iterum à Macedonia venirem ad vos, & à vobis deduci in Judæam.* [m] Hæc fiducia ex emendata est vita illorum; jam enim & desiderare illos se significat, quos ante indignum erat videre. Plenam ergo gratiam habuissent de adventu ejus; quia imago est epistola, præsentia autem veritas. Non est itaque otiosum quia voluerat ire, & non iit; intelligi enim vult esse aliquos inter eos, quorum causâ voluntatem suam non implevit, ut adhibita opera purificarentur.

℣. *Hoc ergo cogitans, numquid levitate usus sum? aut numquid quæ cogito, secundum carnem cogito; ut sit apud me, Est, est, non, non?* Quoniam dixit: *Volueram venire ad vos*, [n] & non iit; idcirco *numquid levitate usus sum*, inquit, quia videtur, qui dicit aliquid, & non facit, levitate uti? Ideo ne forte istud de Apostolo arbitrarentur, hoc purgat; quia non istud leviter, sed cum consilio fecit, ut non impleret, quod disposuerat. *Aut numquid quæ cogito*, inquit, *secundum carnem cogito?* Qui enim secundum carnem cogitat, tunc non implet quæ disponit, quando aut personis amplioribus defert; aut certe lucris aut apparatibus vincitur, quod Apostolus semper sprevit. Spiritalis autem tunc dispositum non implet, quando providentius aliquid pro salute animæ meditatur; sicut & Apostolus ideo non implevit quod voluerat, ut per hoc ipsum meliores efficerentur, scientes ideo distulisse eum, quia quidam adhuc inter eos non se purificaverant à peccatis. *Ut sit*, inquit, *apud me, Est, est, non, non.* Hoc significat, quia non aliud egit, quam scivit agendum; quia utilitas anteponenda est voluntati. Hic sensus spiritalis est: carnalis autem sensus sic mutatur, [o] ut anteponat voluntatem utilitati.

℣. *Fidelis autem Deus, quia sermo noster apud vos non est, Est &*
Galat. *non.* Hoc est quod dicit & ad Galatas: *Si quæ destruxi, hæc eadem ædifico, prævaricatorem me constituo.* Ideo ergo fidelem in se dicit Dei prædicationem: [p] nam illud faciunt adulatores. Frequenter enim, ne homines offendant, quæ vera sunt, prætermittunt.

℣. *Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis est, qui per nos prædicatus est, per me & Silvanum & Timotheum, non fuit, Est & non: sed Est in illo fuit.* Quantum ad idoneos prædicatores pertinet, hoc debet esse, ut sit apud illos, *Est, est, non, non*; ut non aliud faciant, quam sciunt utile. Quia enim frequenter aliud volumus, quam est utile; ne voluntas vincat utilitatem, ideo Apostolus voluntati suæ utilitatem præposuit, ne iret ad illos. *In Christo enim Jesu non fuit, Est & Non, sed Est in illo fuit*; quia numquam aliud voluit, quam est utile. Semper enim voluntas ejus cum utilitate est: nec immutatus est, ut faceret invitus, sicut homo, quod est utile: aut ut ambigeret de aliquibus, & mutaret voluntatem.

℣. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, sunt in illo: & per ipsum amen, Deo ad gloriam per nos.* Manifestum est quia semper in Deo veritas est, hoc est, amen, manifestata per Christum, post per apostolos prædicata ad gloriam Dei,

a. MSS. aliquot, consulens nobis per liberationem.
b. In hisce Pauli versiculis quoties in MSS. & antiq. edit. legitur exhortatione, & exhortationem, toties Rom. edit. reponit, consolatione & consolationem.
c. *Pro vobis*, subjungit Rom. edit. *sive consolationem consequimur pro vestri consolatione & salute, quia* &c.
d. Corb. codex. *& compatitur. Causâ fidei patiebantur, ut non gravius ferrent, si corriperentur errores illorum. Non enim volumus* &c.
e. Idem cod. *quoniam mala salutis illorum causa ab his, qui hæc tam aspera ingerebant, tolerabant pro illis.*
f. Codex Corb. *collata est apostolis*: Vall. *consolatus est Apostolus.*
g. MS. Corb. *simulatione, fiduciam integram exhibens Deo in prædicationibus; quamobrem de Dei auxiliis* &c.
h. Gill. in marg. & Rom. edit. in corp. cum MSS. quibusdam, *præterita replicat.*
i. Cod. Corb. *ne arguentis eos auctoritatem amitterent.*
k. Duo MSS. *in patre clarissimo.* Minime male.
l. Rom. edit. *ut plenam gratiam haberetis & per vos transire* &c.
m. Nonnulli MSS. *Hac fiducia emendata est*, &c.
n. Rom. edit. *& non venit*: vet. cum MSS. aliquot, *& non iit*: ceteri MSS. *& non ivit.*
o. Duo MSS. *ut anteponat voluptatem utilitati.*
p. Codex Vall. *ut hoc faciant adulatores.*

signorum virtutibus testimonium perhibentibus vera esse, A quæ promisit Deus per Christum dominum nostrum. Gloria enim Dei est, cùm ab illo omnia, & per illum, [a] & in illo esse dicuntur.

℣. 21. ℣. 22. *Qui autem confirmat nos vobiscum. Christus dominus est; & qui unxit nos, Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritum in cordibus nostris.* Christum dicit confirmare gentes in fidem promissam Judæis; quia ipse est, qui fecit utraque unum, id est, circumcisionem & præputium, in uno novo homine faciens pacem. (Ephes. 2. 14.) Dominus ergo confirmat, & Deus qui unxit nos, id est, qui dedit regiam honorificentiam, sicut dicit Petrus apostolus: Quia sumus, inquit, genus regale per unctionem spiritalem, (1. Petr. 2. 9.) cujus typus fuit in B regibus Judæorum. *Qui & signavit nos, dando Spiritum suum nobis pignus: ut non ambigamus de promissis ejus.* Si enim adhuc mortalibus Spiritum suum credidit, dubium non est quin jam immortalibus addat ad gloriam. Unum tamen opus dicit Patris & Filii; quia & Christum dicit confirmare, & Deum. Quem enim confirmat Filius, confirmat & Pater: & cùm dat Spiritum Pater, dat & Filius; quia utriusque est Spiritus sanctus, sicut dicit ad Romanos: (Rom. 8. 9.) *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Quoniam ergo de perfectione hominis loquutus est, Trinitatis hoc loco fecit mentionem; omnis enim summa perfectionis in Trinitate consistit.

Ego vero testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, nondum veni Corinthum. Nunc manifestat qua causa, cùm voluisset ire ad illos, distulit; ut tunc iret, quando jam prope omnes emendatos inveniret. His enim nunc loquitur, qui videbantur se velle corrigere, sed operam non dabant, ut hoc implerent. Quia ergo corripere illos necesse erat, [b] iter suum in alios convertit; ne contristaret multos, & hoc fuit illis parcere. Quod ut mentibus eorum commendet, Deum testem dat; ne putarent se indignos esse, & contemni ab illo: quo competto, ut præsentiam ejus mererentur, emendarent se.

Non quod dominemur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri; [c] fide enim statis. Quoniam fides non necessitatis, sed voluntatis res est, ideo dicit: *Non quod dominemur fidei vestræ*; dominatus enim necessitatis causâ est. *Sed adjutores sumus*, inquit, *gaudii vestri*: hoc est, quia sicut in malo opere tristitia est, ita & in emendatione gaudium. Hujus gaudii adjutores sumus, inquit; quia volentibus eis emendare se, offerunt commonitiones; ut quod velle cœperant, possint implere.

CAP. II. ℣. 1. DEcrevi autem hoc apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Apertum est quia ideo noluit ire, ne forte corripiens paucos, multos contristaret, ipse etiam contristatus; compatiuntur enim omnia membra unius mœrori.

℣. 2. *Si enim ego contristo vos, & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* Hoc dicit, quia non vult eos contristare: sed quia peccatis studuerant, necesse erat illos contristari, invito Apostolo: ita tamen ut de cetero obaudientes facti, lætificarent eos, qui contristabantur cum eis; ut qui corripiendo contristaverat eos, lætificaretur ex his, dum corriguntur.

℣. 3. *Ideo & scripsi hoc ipsum, ne cùm venissem, tristitiam haberem, à quibus oportuerat me gaudere: certum habens, quia meum gaudium omnium vestrum est.* Idcirco dicit hæc se scripsisse, ut postea veniens, non esset unde contristaretur, sublatis vitiis: sed gauderet cum eis, quasi cum carissimis filiis; ut quia ab infidelibus tribulationibus afficiebatur, ab his utique gauderet, qui crediderant. Gaudium enim Apostoli purificatio est populi; ideo enim gaudet, quia vituperatio non est in eis, quos simul oportet gaudere.

℣. 4. *Nam ex multa pressura & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut cognoscatis quam caritatem habeam abundantius in vobis.* Manifestum est quia quando hoc affectu quis aliquem [d] corripit, ut plus illo doleat peccatis ejus; non utique ut illum contristet, corripit: sed ut ostendat illi, quo amore diligat eum. Qui enim non hoc affectu corripit, fratrem contristat; insultat enim, qui non condolet fratri.

Si quis autem contristavit me, non me contristavit, sed ex parte; ut non onerem vos omnes. ℣. 5. Omnes hos quos hic dicit *ex parte*, sancti sunt; duæ enim partes in populo sunt, sicut in prima epistola memoravi. Hi ergo ex parte sanctorum sunt, quos contristatos in errore fratris significat, sicut & semet ipsum. Hoc autem dicens, oneravit peccantem, vel eum qui peccaverat. Plus enim fit reus, in cujus delicto multi tribulantur: ac per hoc inquit:

Satis est ei, qui talis est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus. ℣. 6. Magnum dolorem utique patietur, qui delictum suum videt pluribus horrere. *Ita ut è contra magis donetis, & consolemini; ne quomodo abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* ℣. 7. [e] Afflicto homini peccati proprii causâ subvenire præcipit; quia pœnitentia, si de vero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructum. Denique in Regnorum libro habetur, quia Achab, cùm arguisset eum propheta, commotus animo statim meruit veniam. (3. Reg. 21. 29.) Et David in causa Uriæ Hethæi correptus, quia cognovit se pecasse, delictum ejus deletum est. (2. Reg. 12. 13.) Ita & Apostolus illum, qui incestum commiserat, habens uxorem patris, objurgatum & abjectum, dolentem revocari jubet; ne diu videns se contristatum sperni, desperans de se, daret animum ad mundum fruendum, quasi qui locum apud Deum jam non haberet. Hoc est enim majori tristitia absorberi, desperan- C rem de se converti ad admittenda peccata, quibus gravatus absorbeatur à secunda morte. Hæc enim vera pœnitentia est jam cessare à peccato; sic enim probat dolere se sibi, si de cetero desinat.

Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem: nam ad hoc scripsi, ut probarem an in omnibus obedientes sitis. ℣. 8. ℣. 9. Quantum datur intelligi, obedientes hos factos in ceteris probat: emendaverant enim quæ ad ordinem ecclesiasticum pertinent. Unde etiam in hoc vult illos esse obedientes, ut confirment fratrem in caritate, suscipientes eum in communionem.

Si cui autem quid donastis, & ego. ℣. 10. Manifestum est quia D quod jubet fieri, ipse facit: nec potest hoc abnuere, quod etiam obsecrans ut fiat, scribit: cùm haberet potestatem jubendi. Sed in prima epistola grave ejus detulit crimen, [f] ut horrerent illum omnes: (1. Cor. 5. 5.) nunc cùm recipi illum vult, orat ne adhuc exulcerato animo adversus illum, durum illis esset habere cum illo communionem Ecclesiæ. Neque enim tanta in eis erat, quanta in Apostolo providentia; ut statim intelligerent faciendum esse, quod dicebat Apostolus in causa hujus dumtaxat: ideo obsecrat, ut dimittant illi, significans Deum illi ignovisse; quia nihil sine Dei Spiritu agebat Apostolus. *Etenim ego quod donavi, si quid donavi, propter vos donavi in persona Christi.* Hoc dicto gravat il- E los; quia si magister petentibus discipulis donavit, cui voluerunt, peccatum; quanto magis obaudire debent discipuli magistro? Et ut ratum ei, cui donavit, ostenderet apud Deum, ait in persona Christi se donasse, quod donavit: hoc est, accepto tulisse Christum, cujus legatione fungebatur; ut factum Apostoli, factum sit Christi, sicut dixit: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* (Matth. 18. 18.) Si ergo huic pro quo petierunt, per Apostolum Christus ignovit; [g] quanto magis huic jam ignotum erat, cui ut donent, ipse etiam hortatur?

Ne possideamur à satana; non enim ignoramus astutias ejus. ℣. 11. Hoc dicit quod supra memoravi, quia consolatio debet sub- F sequi fratrem delictum flentem; ne diu contristatus, & contemtus à caritate Ecclesiæ, incipiat desperare de se, & videns qui semper in insidiis est subtilis diabolus, mentem ejus [h] vilem effectam, accedat, & suggerat ei; ut vel præsentibus fruatur, qui de spe futuri præmii dejectus est; & pereat frater possessus à diabolo, cui ad hoc pœnitentia data erat; ut conversus reformaret se, sicut dicit Ezechiel propheta: *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur, & vivat.* (Ezech. 18. 32.) Et iterum: *Convertatur*, inquit, *& replantabo illos.* (Ibidem.)

Cùm autem venissem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum: sed vale illis facto, profectus sum in Macedoniam. ℣. 12. ℣. 13. Troadem se percexisse significat ad prædicandum eis Evangelium

a. Nonnulli mss. atque Amerb. in corp. & Gill. in marg. esse discuntur.
b. Vet. edit. ac mss. aliquot, ad illos converterit: Rom. edit. ab illis divertit: mss. vero plurimi, ad alios convertit. At infra, ubi omnes edit. ac mss. magno numero, se indignos esse, codex Corb. legit, se dignos esse.
c. Ms. Corb. fide enim statis. Sed voluntate Deo resistit dicit, non quod dominemur &c. Est etiam hic lacuna in codice Carn.
d. Cod. Corb. corripit, ostendit illi quo amore diligat eum. Qui enim &c.
e. Mss. aliquot, afflicto enim proprii peccati causâ.
f. Cod. 2. Laud. ut horrerent illud.
g. Mss. Corb. quanto magis huic, pro quo petierat Apostolus, eos ut donent &c.
h. Idem ms. Corb. vili affectu accenderet, & suggereret &c.

Christi, & cùm cœpisset prædicare, fuisse qui caperent verbum fidei: sed quia solatium Titi defuit, intolerabilis erat labor perstrepentium causa. Quamvis enim quidam eorum aperuerant corda sua ad recipiendum sermonem Dei; [a] tamen impudentia infidelium non minima existebat, insurgens in Apostolum zelo credentium: & hæc duo ab uno impleri non poterant, nempe & fideles instruere, & incredulis repugnare. Ideoque, vale illis facto, qui susceperant eum, profectus est in Macedoniam.

ỳ. 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat per nos in Christo Jesu.* Hoc est Deum per apostolos triumphare in Christo, victores illos facere in fide Christi; ut calcatâ perfidiâ, trophæum habeat fides, dum ex perfidis fiunt fideles, & malevoli non proficiunt in prosequendo credentes.

ỳ. 15. *Et odorem notitiæ suæ manifestare per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salvi fiunt, & in his qui pereunt.* Odor notitiæ Dei in Christo, & per Christum est. Odorem autem idcirco dixit, quia sicut quædam res, quæ cùm non videantur, per odorem tamen cognoscuntur, & intelligis in loco aliquo esse, quod non vides: ita & Deus, quia invisibilis est, per Christum se voluit intelligi; ut prædicatio Christi (quæ utique invisibiliter, sicut ad nares odor, ita ad aures pervenit) Deum Patrem [b] insinuaret creatorem, & Filium ejus unigenitum. Cujus rei legatione fungentes apostoli (sicut dicit Dominus ad Deum, Filius ad Patrem: *Sicut me misisti in hunc mundum, ita & ego eos mitto in hunc mundum*) odorem notitiæ Dei & Christi per signa & prodigia manifestarent.

Johan. 17. 18.

Vera hæc esse de Deo & Christo prædicatio virtutis testimonio probatur: quæ ideo in odore significata est, quia cùm Deus non videatur, per hanc quæ invisibiliter operatur, in apostolis esse intelligitur, ut veritas doctrinæ manifestetur. Qui ergo rectè asserit Christum, bonus odor est Deo, laude dignus in eo qui credit, nec vituperabilis in illo qui non credit: qui vero non rectè asserit Christum, malus odor est Deo, tam in his qui fidi sunt, quam in illis qui diffidunt; pro utrisque enim reus erit. Qui enim diffidit, idcirco videtur non credere; quia perversum est, quod audit: & qui credit, male credit. Apostolus ergo rationem Legis loquutus est, ut sicut in Lege qui hostias bono voto offerebat, bonus odor erat Deo & acceptabilis: ita & nunc prædicationis virtus doctrinæ odorem præstat flagrantem Deo. Quam ob causam auxiliis suis [c] tutos præstabat Deus apostolos, ut verba cognitionis ejus infunderent patentibus auribus, sive Judæis, sive gentilibus, addito his sacramento nativitatis domini Jesu secundum voluntatem Dei & Patris ejus in unitate fidei salutaris ad salutem credentium, & perditionem diffidentium.

ỳ. 16. *Aliis quidem sumus odor mortis in mortem.* Hoc dicit, quia incredulis prædicatio crucis Christi odor mortis est; audientes enim verbum Dei, sic accipiunt quasi pestem, ex qua oritur mors: & necesse est ut juxta fidem illorum fiat eis. *Aliis autem odor vitæ ad vitam.* Verum est, quia [d] fidis sermo auditus Dei nuntius est salutis æternæ, & secundum fidem illorum continget eis. Sive ergo in his, qui pereunt, sive in his, qui salvi fiunt, Christi bonus odor Deo erant apostoli; quia sinceriter & sine adulatione prædicabant. Qui enim non credebant, ipsi sibi laqueum circumdabant, liis liberis, sicut dicit Dominus ad Ezechielem prophetam: *Tu prædica, si te audierint, lucraberis animas eorum: sin quominus, ipsi sibi viderint; tu tamen liber eris à perditione eorum.*

Ezech. 3. 19.

ỳ. 17. *Et ad hæc quis idoneus? Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Pseudoapostolos tangit hic versus, qui corrupta doctrina, verba Dei per malam interpretationem adulterabant, & tollentes divinum sensum, ponebant humanum. Ex quibus quidam zelum habentes traditionis Judaicæ, nec de Christo bene docebant, ideo minus idoneos hos dicit: apostolos autem sinceriter prædicasse, sicut ex Deo datum est, ante Deum, id est, quomodo Deus dedit, ipso teste, in Christo loquebantur, non suam quærentes gloriam, sed Dei. Hoc est in Christo loqui ejus honorem & potentiam prædicare.

CAP. III. ỳ. 1. *INcipimus iterum nosmet ipsos commendare.* Quoniam [e] pseudoapostolos notat, prava eorum commenta designans, se autem verum prædicatorem testatur; videtur iterum commendare se, sicut in prima epistola. Et ne hoc versutiâ aliquâ terrestris lucri gratiâ facere videretur, adjecit: *Numquid indigemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis.* Hoc dicens, suum sensum purgat, & adhuc pseudoapostolos notat, quos proprii honoris & quæstus causa circuire Ecclesias probat, ad auferendam, non ad tribuendam salutem. Ex his erant quibus dicit Dominus: *Comeditis domos viduarum & pupillorum, oratione longa orantes, propterea accipietis majus judicium.* Hi enim & res eorum, & animas invadebant: Apostolus autem nec res eorum tangebat, & veritate doctrinæ animas eorum salvabat. Non ergo carnaliter, sed spiritualiter se commendabat ad profectum salutis illorum, [f] ut de illo hoc crederent, quod erat; quia qui de bono male sentit, peccat: ac per hoc commendatio hæc istis magis proficit.

Matth.

ỳ. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.* Epistola Apostoli salutis indicium est. Rectè ergo ait quod salus Corinthiorum in corde erat Apostoli, & eorum qui cum illo erant; semper enim de salute eorum cogitabant. Cùm ergo in corde sint Apostoli, & eorum qui cum ipso erant, epistola sunt scripta in cordibus eorum; quia qui semper alicujus memor est, scriptus est in animo ejus.

ỳ. *Quæ cognoscitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quia estis epistola Christi, ministrata à nobis.* Apertum est quia cùm dicuntur christiani, epistola Christi sunt, indicantes salutem, quam dedit Deus in Christo omnibus hominibus, scribentibus apostolis; dum enim docent, scribunt. *Scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* Quoniam quæ promissa sunt, æterna sunt; idcirco Dei Spiritu scripta dicuntur, qui semper est: temporalia autem atramento, quod obsolescit & perdit memoriam. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Nunc legem veterem pulsat, quæ primum data in lapideis tabulis abolita est, fractis tabulis sub monte à Moyse. Nova autem lex in animo scribitur, hoc est in corde, non per calamum, sed per Spiritum; quia fides æterna res est, ab Spiritu scribitur, ut maneat: vetera autem præcepta, deficiente mundo, cessabunt. Quomodo ergo differt lex à lege; ita differunt dispensatores illius legis à dispensatoribus legis fidei.

Exod.

ỳ. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum.* Quanta dignitas sit in apostolis, manifestat, cùm dicit: *Fiduciam autem talem habemus ad Deum per Christum.* Ut ostendat veteres non hanc habuisse fiduciam ad Deum; quia minor fuit administratio.

ỳ. *Non quod sufficientes simus æstimare aliquid à nobis, tamquam à nobis sit: sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Quamvis præferat apostolicam dignitatem, in Dei tamen laudem prorumpit, non istud meritis humanis adscribens, sed ejus gratiæ, qui dignatus est pro vita humana salutarem prædicationem ordinare, quæ quos lex vetus reos tenebat, salvaret, data remissione peccatorum per Jesum Christum dominum nostrum. Litteræ enim ad hoc datæ sunt Moysi, ut contemnentes Legem occideret secundùm jus naturæ. *Spiritus autem*, id est, lex fidei, quæ non scribitur, sed animo continetur, *vivificat* reos mortis; convertentes tamen se, ut justificati, de cetero non peccent. Rectè ergo data fuerat Lex, ut timor esset peccandi: sed quia fragile est genus humanum, misericordia Dei data est in prædicatione apostolis; ut donatis peccatis, evaderent mortem credentes in Christo. Hæc est prædicatio novi Testamenti, quod promiserat Deus per prophetas.

Quod si administratio mortis litteris formata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non possent intueri filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis administratio Spiritus erit in gloria? Manifestum est [g] majorem esse gratiam legis fidei, quam legis Moysi; quamvis enim ad hoc data sit lex Moysi, ut prodesset: contemta tamen, facta est lex mortis. Ergo quia peccatoribus providere non potuit, venit lex fidei, quæ hos salvaret, non solum ignoscens, sed & justificans eos. Multum ergo inter-

a. MSS. nonnulli, *tamen imprudentia infidelium*.
b. Vet. edit. & cod. Corb. *insinuaret creaturæ*.
c. Codex Laud. *totus præstabat Deus apostolis, ut verbo* &c.
d. Edit. quædam Paris. cum uno aut altero mss. *quia fidelis sermo*: mss. nonnulli, *quia fides sermo*: reliqui mss. & edit. melius, *quia fidis* &c.

e. Corb. cod. *Prava eorum mandata, quibus pseudoapostolos notat, designans.*
f. *Ut de illo hoc crederent .... magis proficit*, desunt in cod. Corb.
g. MS. Corb. *majorem esse gloriam*.

Exod. 34. 30. est inter legem & legem; tunc enim maculati peccato in vultum Moysi, descendentis de monte cum lege accepta in tabulis, intueri non poterant; quia gloriosa facta erat facies ejus, ne à peccatoribus posset adspici, qui digni erant morte. Quæ nunc gloria evacuatur per legem Spiritus, cùm accepta
Matth. 17. 2. remissione peccatorum facti justi, digni sunt adspicere & possunt gloriam Dei, sicut viderunt in monte Petrus & Johannes, & Jacobus gloriam Christi.

℣. 9. *Si enim in administratione damnationis est gloria, multo magis abundabit administratio justitiæ in gloria.* Hoc dicit, quia amplius est donum justitiæ Dei per fidem Christi, quàm legis veteris; quia magis gloria in salute est, quàm in morte: quamvis juste damnet, tamen ad laudem proficit magis, si indulgeat; ut possit reus corrigere se.

℣. 10. *Nec enim glorificatum factum est id,* [a] *quod glorificatum est in hac parte, propter excellentem gloriam.* Manifestum est non esse
Exod. 34. 29. factum gloriosum, quod visum est in vultu Moysi gloriosum. Quando enim nulli profuit gloria vultus ejus, sed magis obfuit, non habuit fructum gloriæ, licet non suo vitio, sed peccantium; tamen in hac parte gloria non est. Illa autem est magis gloria, quæ abundat in gratia; ut purificati homines dono Dei, abstersa caligine, possint videre gloriam Christi.

℣. 11. *Si enim quod evacuatur, fuit in gloria; multo magis quod permanet, in gloria est.* Non negat gloriam fuisse in lege, vel in vultu Moysi, sed non permansit; quia futura erat in Moyse, non veritas. Ideo adveniente Salvatore, cessavit figura; quia apparuit veritas manens semper; ut quantum interest inter imaginem & veritatem, tantum intersit inter gloriam vultus Moysi, & gloriam Christi. Ideo supra dixit: *Propter excellentem gloriam.* Illa enim tanta erat gloria, quanta debuit credi servo: hæc vero tanta, quanta est genitoris ejus; quia *dominus Jesus Christus in gloria est Dei Pa-*
Philipp. 2. 11. *tris.* [b] Sicut enim vespere stellæ gloriosæ sunt, oriente autem sole evacuatur earum claritas; ita & Moysi gloria evacuatur, apparente gloria Christi.

℣. 12. *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utamur.* Spem habere nos dicit videndi gloriam, non talem qualis fuit in
Matth. 17. 2. vultu Moysi: sed eam quam viderunt tres apostoli in monte, revelante se Domino. Hinc igitur conjicere debemus, quantum nobis contulerit divina clementia, quantumque nos superioris gratiæ dono ditare dignata est, quàm dederat Judæis. Judæi enim, cùm minor esset gloria vultus Moysi, eam speculari non poterant: nos vero non Moysi gloriam, quæ inferior est, sed excellentem Salvatoris gloriam visuros nos credimus. Judæi ergo servi gloriam non meruerunt videre: nos autem Domini communis gloriam sumus visuri. Ideoque & nos vicem reddere, in quantum possumus, debemus benevolentiæ Dei; ut propensiores simus in ejus amore, qui nobis fiduciam dedit, abluens nos à peccatis, videndi gloriam Dei. Nunc itaque opus est, ut crescat in nobis fiducia bonis actibus parata; tantum enim videbimus, quantum credimus.

℣. 13. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ne intuerentur filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur.* Quoniam digni facti sumus per gratiam Dei videre gloriam
Exod. 34. 33. Christi; idcirco ait: *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ne intuerentur filii Israel.* Ideo ponebat velamen, quoniam splendorem vultus ejus ferre non poterant, causa peccati, quo sublato potestas datur videndi gloriam Dei usque ad finem ejus; quia tamdiu non revelatur, quamdiu relicta Lege, convertantur ad gratiam fidei, & sic evacuatur. Accedente enim dignitate per fidem, evacuatur indignitas.

℣. 14. *Sed obtusi sunt sensus eorum usque in hodiernum diem.* Tamdiu obtusos dicit, quamdiu non credunt. Quæ obtusio infidelitatis causâ obvenit; ideo conversis ad fidem acuitur acies mentis, ut videant divini luminis splendorem.

c [c] *Hoc ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet, dum non revelatur; quia in Christo evacuatur.* Obtusio, ait, hæc in lectione Exodi manet, quamdiu credunt. Non enim revelatur, nisi credant; in Christo enim evacuatur, hoc est, per fidem Christi aufertur velamen; amoto enim delicto, incipient videre, quod obstante peccato, videre non poterant.

℣. 15. *Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, vela-*
Exod. 34. 33. *men est positum supra cor eorum.* Manifestum est, quia cùm legitur hæc pars Legis, sententia illorum recitatur, qui sunt sub Lege.

℣. 16. *Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Converti ad Dominum, hoc est, credere in Christum; ut agnoscens Dominum, veniam mereatur accipere. Hoc est auferri velamen, sententiam evacuari, qua tenebatur reus sub Lege.

℣. 17. *Dominus autem spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Quoniam Deus Spiritus est, per Christum legem dedit Spiritus: non litteris utique scriptam, sed per fidem animis intimatam: non quæ visibilia doceat, sed invisibilia credi suadeat: quæ animus spiritaliter colligat, non quæ oculus cernat. Hæc lex dat libertatem, solam fidem poscens; ut quia quæ non videt, credit, de conditione erui mereatur.

℣. 18. *Nos itaque omnes, revelata facie gloriam Domini spe-*
d *culantes,* [d] *ad eamdem imaginem formamur à gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu.* Nos dicit omnes, qui libertatem sumus consequuti dono gratiæ Dei, gloriam Domini per fidem speculantes, ad eamdem imaginem transformari, quam speramus: id est, ut similes inveniamur, transacta hac vita, imagini gloriæ Christi, sicut dicit Johannes apostolus: *Sci-*
1. Johan. 3. 2. *mus, inquit, quia cùm apparuerit, similes ei erimus.*

e *A gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu;* id est, [e] sublati beneficio Dei à gloria Moysis, quam reatus causa cernere nequibamus, transformamur ad gloriam, quam credimus dari nobis à Domini Spiritu. Tantum enim dabitur gloriæ, quantum dignum est dare Deum per Spiritum suum; ideo enim dixit: *Sicut à Domini Spiritu*; ut ostenderet talem gloriam dari, quæ sublimitati congruat dantis. Moysis enim gloria nec tanta fuit, nec perennis; pro modo enim Legis & gloriam accepit; ita & pro modo legis fidei, in qua Spiritus Dei est, dabitur gloria credentibus. Tantum enim concessit Deus fidelibus, ut Spiritum suum det eis, [f] pignus il-
f lius gloriæ, quam promisit.

CAPUT IV.

℣. 1. *Quare habentes hanc administrationem, prout misericordiam consequuti sumus, non deficiamus.* Tantam spem dicit habere administrationis hujus, ut non deficiat in pressuris, confortatus fide promissionum. Unde superius dixit:
1. Cor. 3. 12. *Multa fiducia utamur*; fidentes enim in his, quæ promissa sunt, quidquid adversum acciderit, tolerant. Quod non humanis meritis deputat, sed misericordiæ Dei, quæ hominem primo abluit, deinde justificat, adoptans Filium Deo: ut donet eum gloria simili gloriæ Filii proprii Dei.

℣. 2. *Sed renuntiamus occultis dedecoris.* Ut illius gloriæ dignus sit homo, omnia turpia & polluta, quæ fieri & cogitari possunt, amovenda docet; ut non solum de opere, sed & de cogitatione pellantur. Invitantis verba sunt; sub sua enim & suorum persona ad meliorem vitam hortatur, propter
g supradicta vitia, [g] quæ in his sæpe reprehendit. Possunt & hæc occulta dedecoris esse, quæ pravo sensu ad prædicandum meditantur, ut fallant; unde subjecit: *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei.* Ad dedecus enim & deformationem ejus proficit, qui subdola mente confingit doctrinam ad decipiendum corda simplicium; turpis enim invenietur in die judicii Dei. Nam astutia malæ mentis, ut id quod sibi libitum est, expleat, verba Dei adulterat, ut sensum invertat. Adulterare est autem verum sensum per falsum velle excludere. *Sed in manifestatione veritatis commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* Hoc dicit, quia in prædicatione
h evangelica [h] nulli se fecit suspectum, addens amplius, cùm dicit, *Coram Deo*; ut hoc ipsum non solùm hominibus manifestum probet; sed etiam Deo, cui nihil occultum est.
i Testimonium ergo Dei implorat, [i] ut vel sibi credatur, quia ita prædicat, sicut datum est ab Auctore: & Deus hoc modo testis est, dum dat signa & prodigia fieri per manus ejus.

℣. 3. *Sed & si adhuc opertum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt.* Verum est, quia increduli non vident, perfidia obcæcante, splendorem virtutis Dei; velamen enim est supra cor eorum, & obtusio infidelitatis, in Judæis maxime.

℣. 4. *In quibus Deus sæculi hujus* [k] *obcæcavit sensus infidelium;*

a. Rom. edit. *quod claruit in hac parte.*
b. Cod. Corb. *Sicut enim per noctem .... apparente Christo in gloria.*
c. Rom. edit. sola, *Hæc ipsa obtusio in lectione, &c.*
d. Eadem Rom. edit. *ad eamdem imaginem transformamur.*
e. Nonnulli mss. *sublato beneficio Dei gloria Moysis.*
f. Mss. aliquot, *pignus illius gratiæ.*

g. Rom. edit. *quæ in his epistolis.*
h. Cod. Corb. *nullum effecit suspectum.*
i. Mss. aliquot, *ut vel ipsi credatur.*
k. Cod. Vall. solus, *obcæcavit erga fidem Christi sensus infidelium.* Et cum mss. quibusdam, *lumen gloriæ Christi.*

ut non pervideant lumen Evangelii majestatis Christi, qui est imago Dei. Deum dicit sæcularium hominum, quia malevoli sunt erga fidem Christi sensus obcæcare, ne videant veritatem Evangelii majestatis Christi. Hoc ergo illis præstat, quod volunt. Quia enim malevoli sunt homines, & intelligentes verum, dicunt esse falsum, in eo ipso adjuvantur; ne possint credere,[a] quod nolunt. Christum autem, cùm sit imago Dei, corporeum tantùm adserunt: & relinquentes gesta ejus, solius carnis faciunt mentionem, de quibus dixit Esaias: *Obcæcavit oculos eorum, ne videant; & aures, ne audiant usque in hodiernum diem.* (Esai. 6. 10.)

℣. 5. *Nec enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum dominum nostrum.* Hoc est, non nostram gloriam annuntiamus, ne quis nos dicat propter nos ipsos evangelizare; ut nobis proficiat forte ad tempus: sed Jesum dominum nostrum annuntiamus, subjicientes nos virtuti majestatique ejus. Quando ergo nullum gravamus, nullum concutimus, & Christum dominum nostrum fatemur; quid est ut clari judicemur quasi pro nostra propria utilitate prædicare, ut gloriosi appareamus? *Nos autem servos vestros propter Jesum.* In tantum se servum Christi esse probat, ut jubente ipso, ministrum se horum in prædicatione testetur; ut pro utilitate horum subjecti sint in ministerio Evangelii. Servos ergo dicens, ministros significat: sed ut humiliter loqueretur, sic dixit; ut vere ostenderet non ad suam gloriam se prædicare Evangelium; [b] sed ad claritatem Domini nostri, cui obedit, cui servit, sicut & ipse Dominus ait: *Ego sum in medio vestrum non ut ministrer, sed ut ministrem*; non merito horum quibus ministrat, sed propter imperium Domini. (Luc 22. 27.)

℣. 6. *Quia Deus qui dixit de tenebris lumen fulgere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Christi Jesu.* Hoc dicit, quia misericordia Dei factum est, ut nos, inquit, [c] qui fuimus incredibiles in ignorantia, hoc est, in tenebris, per nos daret Deus lumen ceteris gentibus. Quantum se adhuc humiliat, ut Dei solius & Christi gloriam præferat? Illuminatur enim, ut cognitionem habeant gloriæ Dei per Christum. Ideo gloriæ Dei ait cognitionem, id est, non Dei solius, sed & Christi, qui est gloria ejus; ut significaret non solùm Deum cognosci, sed & opera ejus & misericordiam & providentiam, qua condidit & salvavit genus humanum, visus in Christo per gloriam virtutis suæ.

℣. 7. [d] *Habentes autem thesaurum hunc in vasis fictilibus; ut excellentia sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Thesaurum sacramentum significavit Dei in Christo, quod credentibus manifestatur, incredulis verò quodam tectum est velamine; quia sicut thesaurus in occulto ponitur, ita & sacramentum Dei intra hominem, id est, in corde humano absconditur. Hunc ergo thesaurum in animo & corpore dicit esse à Deo datum, ut eminentia virtutis ejus appareat per homines prædicatores dumtaxat; ut reconcilietur omnis lingua Creatori suo, non ad honorificentiam hominum, sed Dei, qui se manifestat per homines: qui cùm humiles & imperiti essent, acceperunt potestatem à Deo & loquendi magnalia, & agendi. [e] Fictilia ergo vasa dicens, infirmitatem naturæ humanæ significat, quæ nihil potest, nisi à Deo acciperet virtutem, & ad laudem suam Deus per hæc se prædicet, quæ infima sunt; ut gloria illi detur, non homini, qui ex luto fictus est.

℣. 8. *In omnibus pressuram passi, sed non coangustati.* Nunc ostendit propter quod idonei erant prædicatores; quia semper illis in necessitate adfuit Deus. *Ideo pressuram*, ait, *passi, sed non coangustati*: hoc est, non permisit Deus tantum nos opprimi, ut crederemus. *Inopiam passi, sed non destituti*: id est, in inopia positis adfuit pastor Deus.

℣. 9. *Persecutionem passi, sed non derelicti.* Verum est, [f] quia consulebat eis Deus; ne satis sibi facerent de his inimici. *Dejecti, sed non perimus*: id est, verberibus prostrati, sed obstante Deo non mortificati; sive enim clausi, sive vinculati, adjutorio Dei manus hostium evadebant. Denique Paulus & Silas cùm essent clausi, jam cæsi, & pedes eorum jam essent in nervo conclusi; alacres hymnum canebant Deo, fortiores iis facti, qui non erant cæsi.

℣. 10. *Semper mortem domini Jesu in corpore nostro circumferentes; ut & vita Jesu in corpore nostro manifestetur.* Dubium non est, quia in martyribus Christus occiditur, & in iis qui pro fide [g] patiuntur aut exitus, aut vincula, aut verbera, Christi passiones sunt; ut & vita ejus in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt, quæ ostendunt meritum ad futuram vitam, quam promisit Christus. Unde alio loco dicit: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Et iterum: *Per tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (2. Cor. ... Act. ...)

℣. 11. [h] *Si ergo nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum; ut & vita Jesu palam fiat in hac mortali carne nostra.* Apertum est quod dicit, quia ideo in mortem tradi propter Jesum, inquit, non recusamus, cùm possimus vivere; ut vita qua resurrexit à mortuis Christus, huic mortali carni nostræ præstetur, hoc est, non timere mori propter resurrectionem promissam.

℣. *Itaque mors quidem in nobis operatur, vita vero in vobis.* Hoc dicit, quia pro salute eorum morti subjiciebantur; gentibus enim prædicantes, inimicitias sibi excitabant tam a Judæis, quam gentilibus, usque ad mortem.

℣. *Habentes autem eumdem spiritum fidei*: hoc est, communem [l] spiritum, per quem firmatur fides, habemus vobiscum. Ideo enim pro ipsis tanta patiebatur mala, ut invicem sibi copularentur in fide. *Secundùm quod scriptum est: Credidi, propter quod loquutus sum; & nos credimus, propter quod & loquimur.* (Psal.) Exemplum ideo dedit de psalmo centesimo decimo quinto, ut ostenderet ideo se promtum esse ad omnia toleranda, quia credit futuram resurrectionem. Securus ergo de futura vita, præsentis vitæ non habet curam; [k] quippe cùm hoc credatur, ut tunc illa beata vita speretur, si hæc contemnatur. Securus ergo quia quod credidit, verum est, audet hoc prædicare, ut ceteros spei suæ participes faciat. *Scientes quod qui suscitavit dominum Jesum, [l] & nos cum Jesu suscitabit & constituet vobiscum.* Hac spe dicit laborari propter fidem, quia exemplum præcedit resurrectionis domini Jesu, quid futuri erunt qui credunt; quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Adam enim forma mortis est, causâ peccati: Christus vero forma vitæ propter justitiam; quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Et quoniam participes hos communis fidei dixit, *resuscitatos*, inquit, *constituet vobiscum*; ut unius fidei in una sint domo pacis. Cùm enim intelligunt quia pro ipsis patiuntur exitia, & isti solliciti sunt de passionibus horum velut compatientes, simul & participes erunt in vita promissa; ut simul contristati, simul gaudeant. Propter illos sic loquitur, qui resurrectionem negabant, quos & in prima epistola exprobrat.

℣. *Omnia enim propter vos, [m] ut gratia abundans, per multorum gratiarum actionem abundet ad gloriam Dei.* A munere suo Deus nullum voluit esse alienum: & quia non omnes capiunt verbum fidei, Apostolus Dei voluntatem sciens, persecutiones & pericula pati non timuit, dummodo omnibus fideliter prædicaret, ut plures possent credere; ut abundans donum Dei non per paucorum gratiarum actionem minueretur ad contumeliam Dei, sed multis proficiens afflueret per multorum gratiarum actionem ad gloriam Dei. Quanto ergo hic dignus honore est, qui animam suam semper morti subjecit; ne donum Dei longe aliter proficeret, quàm datum est? Numquid non magna contumelia ejus est, qui cœnam faciens opulentam, ac multos invitans, paucos habet in summa?

℣. *Quapropter non deficimus.* Manifestum est hæc ad superiorem sensum pertinere; ut enim devotionem suam adhuc propensiorem in Dei rebus ostendat, hæc subjecit, quibus nullo genere deficere se probat quominus id quod Deo placitum est, impleatur; securus tamen de resurrectione promissa. [n] *Et licet si exterior homo noster corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem.* Pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate caro corrumpitur, sed anima spe futuri præmii renovatur; quia assiduis tribulationibus purgatur. Proficit enim in pressura, non interit, ita ut accedentibus tentationibus quotidie adquirat ad meritum; quia & corpori corru-

a. MSS. frequentissimi, *quod volunt*; rectius tamen alii, & edit. *quod nolunt.*
b. Corb. codex, *sic per caritatem Christi.*
c. Rom. edit. *qui fuimus incredule .... Humiliatur enim ut cognitionem habeant, &c.*
d. Eadem edit. Rom. *Habemus autem thesaurum .... ut eminentia sit ... Thesauro sacramentum, &c.*
e. Cod. Corb. *Fictilia ergo vasa infirmitatem naturæ humanæ significant, quia nihil potest aliquis, &c.*
f. Idem cod. Corb. *Consolabatur eos Deus.*
g. Rom. edit. *Patiuntur aut exsilia*; reliquæ ac MSS. *patiuntur aut exitus*, id est, *obitus, cædes, &c.*
h. Eadem Rom. edit. *Semper enim nos qui vivimus.* Et infra, hoc est, *non timemus mori.*
i. Cod. Laud. *Spiritum quem firma fide habemus vobiscum.*
k. Vet. edit. ac MSS. aliquot. *præsentem vitam non habet curam.*
l. Rom. edit. *& nos per Iesum suscitabit.*
m. Eadem Rom. edit. *ut donum abundans.*
n. Rom. edit. *Et licet qui foris est homo noster corrumpatur, interior tamen, &c.*

ptio hæc proficit ad immortalitatem merito animæ.

℣. 17. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve preſſuræ noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Præſentis temporis tribulationes, quæ cauſa fidei ingeruntur, momentaneas & leves dicit, quia ſunt temporales; ſupra modum tamen in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari patientibus. Parvis enim laboribus magna redditur merces, & pro levi tribulatione ſupra modum ſublimitas gloriæ penſabitur perpetuæ.

℣. 18. *Non contemplantibus quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ vero non cernuntur, æterna ſunt.* Deſiderium cæleſtium & ſpiritualium habentes, hæc præſentia & terrena ſpernere profitetur: quia ad comparationem ſpiritualium hæc nulla ſunt. Sic enim ſunt hæc ad ſuperna, quomodo figura ad veritatem: figura deperit, veritas manet; ac per hoc exire de iſto ſæculo non metuunt juſti, ſed gaudent.

CAP. V. ℣. 1. *Scimus autem quia ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quia ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Hac fiducia dicit non timendum diſſolvi de corpore violentia infidelium, aut ſorte vitæ; quia præparata eſt hujuſmodi hominibus habitatio in cælis æterna, ut de temporali & terrena expulſi, in perpetuam domum recipiantur. Unde & hoc optandum eſt, ſi fieri poteſt: ſed quia hoc optandum non eſt, ne in tua gloria alius pereat [a]; ſi tamen acciderit, libenter ferendum eſt. Terreſtrem enim domum carnem hanc dixit; quia mortalis eſt: ut ſi de hac diſſoluti fuerimus, ædificatam inveniemus in cælis domum æternam. Hæc domus corpus immortale ſignificat, in quo reſurgentes [b] ſemper erimus, cujus forma jam in cælis eſt in Domini corpore declarata.

℣. 2. ℣. 3. *Etenim in hoc ingemiſcimus habitaculo noſtro, quod de cælo eſt, ſuperindui cupientes; ſiquidem induti, non nudi inveniamur.* Propterea dicit in precibus ingemiſci, ut gloria promiſſa de cælis poſſit reſurgentes induere. Hoc ergo deſiderantes inſiſtunt precibus; ne reſurgentes, recepto utique corpore, nudi, id eſt, alieni à promiſſa gloria inveniantur. Hoc enim opus eſt, ut induta anima corpore, Dei judicio ſuperinduatur & gloria, quæ eſt immutatio in claritatem. [c] Mors enim de terra eſt, reſurrectio vero de cælis; ſi tamen immutetur in gloriam. Alii codices ſic habent: *Siquidem exſpoliati non nudi inveniamur:* id eſt, ſi exeuntes de corpore Chriſtum veſtiti fuerimus; [d] quia quicumque in Chriſto baptizantur, Chriſtum induunt. Galat. 3. 27. Itaque ſi in forma baptiſmi & traditionis manſerimus, exſpoliati corpore, non nudi invenimur; quia in interiore homine habitat Chriſtus, quem cùm induti, ſive Spiritu ſancto dato nobis videbimur, erimus digni ſuperindui promiſſa cæleſti gloria. In illum enim decidet promiſſa claritas, quem viderit ſignum adoptionis habere.

℣. 4. [e] *Nam cùm ſumus in hoc corpore,* id eſt, mortali, *ingemiſcimus gravati; eo quod nolumus exui, ſed ſuperindui; ut abſorbeatur mortale hoc à vita.* Idem ſenſus eſt, ideo enim dicit gravatos nos paſſionibus corporis, [f] & ipſius mundi tempeſtatibus, poſtulationes ad Deum dirigere, ne immutemur victi, & indigni efficiamur: ſed ut contigerit exitus, perſeverantes in fide, induti inveniamur ſancto Spiritu, qui in ſubſtantia Chriſtus eſt. Tunc enim ſuperindui promiſſa gloria poterimus, ſi exuti corpore, non deſpoliati à ſancto Spiritu fuerimus. Sic mortale abſorbetur à vita, id eſt, ut reſurgentes ſuperinduamur immortalitate cum gloria; ne ultra mori poſſit, aut paſſionibus implicari: & hoc eſt abſorberi à vita; non enim dicendus eſt abſorberi à vita, qui ad hoc ſurgit, ut pœnis agatur.

℣. 5. *Qui autem perficit nos in hoc ipſum, Deus eſt: qui etiam dedit nobis pignus Spiritum.* [g] Hoc quod ingemiſcentes poſcimus, id eſt, non ut exui, ſed ut ſuperindui mereamur, juxta ſupradictum ſenſum, in die judicii Deum perficere dicit; quia promiſit, & fidelis eſt, dans hujus rei implendæ pignus Spiritum; ipſe eſt enim ſignaculum adoptionis noſtræ.

℣. 6. *Fidentes igitur ſemper, & ſcientes quia inhabitantes in hoc corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem.* ℣. 7. Manifeſtum eſt quia per fidem cum Domino ſumus, non per præſentiam: ac per hoc peregrinamur non fide, ſed ſpecie. Et quare, cùm idem dicat in Actibus apoſtolorum: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus;* Act. 17. 28. hoc loco peregrinari nos à Domino dicit? Si ubique eſt, quomodo hìc poſiti, peregrinamur à Domino? Sine dubio ubique, immo omnia in Deo ſunt: ſed quia ſedes Dei in cælis eſt, & illic ſemper videtur; ideo hìc poſiti, ubi non videtur, peregrinati ab eo dicimur. Quando enim nón eum videmus, licet præſens ſit, abſentes ab eo ſumus.

℣. 8. *Audemus ergo & conſentimus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Deum.* Recte ait, *audemus*: habentes enim fiduciam promiſſionis Dei, [h] & ſcientes multum expedire illic eſſe, quam in ſæculo, conſentiunt & optant excedere de corpore: ut requieſcant uſque in diem reſurrectionis ſub altare Dei.

℣. 9. *Et ideo contendimus ſive præſentes, ſive peregrinantes placere illi.* Id agendum dicit, & bonis operibus inſiſtendum; ut ſive in hac adhuc vita poſiti, ſive ante tribunal Chriſti præſentes, placeamus ei. Unde ſi diſciplina ſervetur, & hìc & illic ei placebimus; quia qui hìc placet, illic non diſplicebit.

℣. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat* [i] *unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bona, ſive mala.* Igitur ſi judicante Chriſto; unuſquiſque noſtrum facta corporis recipiet: non utique ſine corpore adjudicabitur bono aut malo. Et non dixit; [k] facta carnis; quia carniſvitia punienda ſemper: ſed facta corporis; ſpiritaliter, aliquando carnaliter operatur.

℣. 11. *Scientes igitur timorem Domini hominibus ſuademus: Deo autem manifeſti ſumus.* Quoniam ergo judicium Dei futurum eſt per Chriſtum ad ſingulorum diſcriminanda opera, idcirco Apoſtolus ſuadere ſe dicit ad bonum ſenſum & vitam; ut auditores ejus ſecuri ſint de pœna futura, & ipſe glorietur, in his habens fructum laborum ſuorum; quia quorumdam praviloquio dies judicii Dei in dubium deducitur: *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala.* 1. Cor. 15. 33. *Hominibus ſuademus,* ait; ut credant, & provideant, ne incurrant, & tunc pœniteant, [l] quando pœnitentia fructum non habet. *Deo autem manifeſti ſumus;* hoc enim prædicabat, quod Deus juſſerat: & hoc ſcire dicitur Deus, quod bonum eſt. Denique male agentibus dicit: *Neſcio vos.* Matth. 25. 12. *Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.* Manifeſta erat puritas eorum Corinthiis; quia neque aliquando in adulatione fuerant deprehenſi, neque prædicatio illorum diſplicuerat ſanctis, nec ab aliquo illorum quidquam, ut adſolet, occulte elicere tentaverant; ut foris ſimplices apud turbas, intus vero impoſtores eſſent. Ideo conſcientiam illorum pulſat, ut ipſi ſibimet teſtes eſſent de veritate eorum.

℣. 12. *Non iterum nos commendamus vobis.* Quoniam ſuperius veram prædicationem ſuam obteſtans, laudare ſe viſus eſt; idcirco nunc eadem ſignificat, non ad laudem ſuam hoc dicere ſe, ſed ad eorum gloriam; ut gaudeant integram prædicationem ſe addidiciſſe, his annuntiantibus. *Sed occaſionem damus vobis gloriandi de nobis; ut aliquid habeatis adverſus eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.* Hoc dicit, quoniam multi per elationem gloriabantur in ſe de Apoſtolis, profitentes ſe ab iis doctos, qui ſemper cum Domino fuerunt: ideoque hic dicit dare ſe his rationem, per quam & ipſi gloriarentur adverſus eos; quia Apoſtolus erat, à quo & iſti didicerant. Unde in alio loco dicit: *Nihil minus feci ab his, qui valde ſunt apoſtoli.* 2. Cor. 12. 11. Quod quidem coactus dicit, ne ſilentium ejus iſtis obeſſet. Qui ergo in corde gloriatur, ſuperbiam reprimit, ſciens quia *humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit;* Jacob. 4. 6. ſuperborum enim mens fructum non facit Deo dignum.

℣. 13. [m] *Sive enim mente excedimus, Deo: ſive ſanum ſapimus, vobis.* Hoc dicit, quia ſi elate vel ſuperbe putatur loquutus; quia laudare ſe viſus eſt, verum dicens, Deo hoc remittendum: ſi autem non ſuperbe intelligitur, ſed ad gloriam audientium eſſe loquutus, Corinthiis proficere dicit; ut tunc ſanum

a. Rom. edit. *jam talis ſic eſt.*
b. Cod. Vall. *ſi tamen acciderit.*
c. *Mors enim*; ab hiſce verbis uſque ad, *Nam cùm ſumus*, &c. nihil reperitur in MSſ. Corb.
d. MSſ. aliquot, *quicumque baptizatur, Chriſtum induit.*
e Rom. edit. *Nam qui ſumus in hoc corpore, ingemiſcimus.*
f Cod. Corb. *Et ipſa morte poſtulationes ad Deum dirigere, ut ipſum corpus non alienetur nobis: ſed ut ſemper induamur immortalitate, ne ultra mori poſſit, aut paſſionibus implicari: & hoc eſt abſorberi à vita: Qui autem perficit* &c.

g. Idem cod. Corb. *Hoc quod poſcimus, id eſt, non ut corpore exuamur in perpetuum: ſed ut recepto in die judicii Dei ſuperinduamur immortalitate cum gloria. Deum perficere dicitur, quia promiſit*, &c.
h. Rom. edit. *Et ſcientes multo magis expedire illic eſſe, quam in corpore.*
i. Eadem edit. *Unuſquiſque facta corporis . . . . adjudicabitur bono aut malo.*
k. Nonnulli MSſ. *Quia carnis vitia.* Corb. *Quia carnalis vita.*
l Codex Laud. *quando pœnitentia fructum non habent.*
m Rom. edit. *Quia ſi elate, vel inſane putatur loquutus . . . remittendum. Omnis enim ſuperbia velut inſania habetur. Si autem non ſuperbe . . . Deo dimittendum. Caritas enim,* &c.

sit dictum audientibus, si ita intelligatur, ut dictum est: si autem jactanter putetur dictum, velut insanum Deo dimittendum; omnis enim superbia velut insania habetur.

℣. 14. *Caritas enim Christi urget nos, hoc judicantes, quod si unus pro omnibus mortuus est.* Quoniam Christus diligens genus humanum, ut eos redimeret, morti se dedit; ideo apostoli, ut vicem ei reddant, homines ex aliqua parte exhortantur ad ejus obsequium: & ut eos adtrahant, necesse est ut verum se prædicare testentur, aliis prava docentibus; nec suum meritum taceant, ut malorum doctorum pœnam designent. Non ergo elatione mentis hæc agebant, sed ut donum Christi intelligeretur ab omnibus, & fideliter devoti, ei gratiarum actiones referrent. [a] Propter Christi ergo caritatem, quæ & quanta dona ejus circa diligentes eum sint, non tacent: non jactantiæ causa, sed ut invitent audientes ad ejus devotionem; ne mors Christi infructuosa videretur, non ut laus apostolorum agnosceretur. Per meritum enim & gloriam apostolorum agnoscitur Christi gratia, & beneficium Dei.

℣. 15. *Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Quia omnes necesse est mori causâ Adæ, pro omnibus mortuus est Christus; ut eos à secunda morte liberaret; ideoque qui vivunt in corpore, scientes Christum mortuum esse pro se, sint ei subditi, profitentes hunc Dominum. Quia enim prodest eis mors ejus, testimonium perhibet resurrectio ejus. Igitur hic sibi non vivit, qui paratus est domini sui facere voluntatem.

℣. 16. *Itaque nos neminem ex hoc tempore novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, nunc jam non novimus.* Verum est, quia Christo resurgente à mortuis, jam cessat in eo carnalis nativitas, cessat infirmitas corporis, cessat & [b] passio mortis. Usque ad crucem enim suspicio fuit infirmitatis in Christo: postea autem apparuit esse, quod non credebatur, sicut & ipse ait: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quoniam ego sum.* (Johan. 8. 28.) Hoc ergo idcirco Apostolus memorat, ut ostendat qua devotione obsequendum est Christo. Pro salute enim hominum non solùm hominem se nasci non dedignatus est: sed & injuriis agi, & mori voluit; ut intelligentes quam pretiosa sit mors ejus, propensius illi serviant, non quasi homini vicem reddentes, sed Deo; quia unicuique pro persona ejus & meritis refundenda obsequia sunt.

℣. 17. *Quare si qua est in Christo nova creatura; vetera transierunt, & ecce omnia facta sunt nova.* Manifestum est quia per Christum renovata sunt omnia, si animadvertant dignitatem ejus. Novus enim fit his, quibus prius homo tantum videbatur, cùm intelligitur esse Deus: ut recedente infirmitate, agnoscatur divinitas, & cessante errore veteri, qui introducta multorum deorum opinione, ab unius veri Dei fide transduxerat genus humanum, revertantur omnia ad simplicitatis professionem, unum Deum adorantia in Trinitate.

℣. 18. *Omnia autem ex Deo.* Quamvis Christus nos redemerit, omnia tamen ex Deo; quia ab ipso est omnis paternitas: (Ephes. 3. 15.) ideoque necesse est præferri personam Patris.

℣. 19. [c] *Qui reconciliavit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum,*
℣. 20. *& ponens in nobis verbum reconciliationis pro Christo, pro quo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos:*
℣. 21. *orantes pro Christo reconciliari Deo. Eum enim qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos essemus justitia Dei in ipso.* Deus omnipotens genitor Christi (cùm omnia, quæ per Christum fecerat, errore caduca fuissent effecta, creatoris sui oblita) [d] Christum dominum nostrum de sacris sedibus ad terrena venire dignatus est, & factum carne in specie hominis; ut forma esset hominibus quemadmodum sibi Deum creatorem suum pacificum facerent. Deus ergo erat in Christo. Quomodo? Quasi in vicario aut legato, sicut fuit in prophetis, aut aliter? Non sicut fuit in prophetis sic intelligi potest fuisse & in Filio; Filius enim [e] naturaliter legatus est Patris Dei. Unde dicit: *Quia Pater in me est, & ego in Patre;* (Joh. 14. 10.) Pater enim per id intelligitur esse in Filio, quod una eorum sit substantia. [f] Ibi enim est unitas, ubi nulla est differentia: ac per hoc invicem sunt; quia & imago & similitudo eorum una est; ut videns Filium, vidisse dicatur Patrem, sicut & ipse Dominus ait: *Qui me videt, videt & Patrem.* (Ib.) Recte ergo dicitur: *Deus erat in Christo;* hoc est, Pater in Filio, *mundum reconcilians sibi;* non reputans illis delicta eorum; quoniam creatura peccavit in Deum, nec pœnituit, ut reverteretur ad eum: Deus opus suum nolens perire, misit Filium suum, per quem prædicata eis remissione peccatorum, reconciliaret eos sibi per ipsum, per quem nos creaverat. [g] Sive ergo per Filium, sive per servos Deus exhortatur populum; quia ad ipsum omnis summa referenda est, cujus voluntate & providentia Christus incarnatus est ad salutem hominum redimendam: qui cùm reverti vellet ad Patrem, dispensationem acceptam à Patre dedit discipulis.

Orantes pro Christo vos reconciliari Deo. Hoc est, quod dixi, qui pro Christo vicarios dedit apostolos; ut pro ipso prædicarent reconciliari Deo.

Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. ℣. Deum dicit Patrem peccatum fecisse Filium suum Christum, eum utique qui peccatum nesciebat, id est, qui non peccaverat; quia factus caro non immutatus, sed incarnatus factus est peccatum; sicut qui fit præfectus, non amittit, quod erat: sed adsumit utique, quod non erat. Homo ergo factus est Christus causâ peccati, quem non tangebat sors, neque dignitas nasci hominem. Propter quod autem omnis caro sub peccato est, ideo factus caro, factus est etiam peccatum. Et quoniam oblatus est pro peccatis, non immerito peccatum factus dicitur; quia & hostia in Lege, quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur. *Ut nos essemus* [h] *justitia Dei per ipsum*, qui peccatum nesciebat, dicente Esaia: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus,* (Esa. 53.) quasi peccator occisus est, ut peccatores justificarentur apud Deum in Christo. Zelum enim passus est satanas adversus Salvatorem, videns eum docere homines quomodo sibi propitium facerent Deum, abrenuntiantes diabolo: & propter hoc occidit eum, nesciens futurum adversus se; Christus enim post crucem descendens ad inferos, devicta morte; quia qui peccatum nesciebat, teneri à morte non poterat; quia mors [i] per peccatum inanivit infernum, ut mors justi peccatoribus proficeret; ut de cetero mors eos, qui signum crucis habent, tenere non possit.

Cap. V. ℣. 1. **A**Djuvantes autem & obsecramus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Duplici genere Apostolus humanæ salutis [k] curam subire contendit; ut & Dei providentiæ devotus existeret, & hominibus caritatis officium exhiberet.

℣. 2. *In tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te:* hoc scriptum est in Esaia propheta. (Esa. 49.) Prædestinatam docet gratiam Dei in tempore Christi; sic enim decrevit Deus affluere misericordiam suam, [l] ut in nomine Christi poscentibus auxilium largiretur.

℣. 3. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nemini dantes ullam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum.* Tempus adesse dicit, quo possint ad indulgentiam proficere peccatores: tempus adesse dicit, quo morbis mortalibus medicina possit infundi; & ideo se sollicitum esse

a. *Propter Christi ergo*, ab his verbis usque ad, *Ergo omnes mortui sunt*, hiatus exstat in cod. Corb. ceteri autem, atque edit. satis inter se consentiunt, si transpositionem excipias, quæ sic facta est in Rom. edit.... tacent, ut laus apostolorum nosceretur, non jactantiæ causa.... infructuosa videretur. Per meritum enim &c.

b. Corb. cod. *passio mortis. Hoc non utique propter Christum, quem fors non tangebat humanæ fragilitatis; sed propter nos, quibus exemplum datum est, ut si vestigia ejus secuti fuerimus, qui pro nobis mortuus est. Similiter & in nobis post exitum vitæ hujus resurgentibus promisso tempore cessabit omnis infirmitas & corruptio. Ideo ergo neminem novimus, inquit, ex hoc tempore secundum carnem; quia in Christo resurrectione generalis data est forma incorruptionis & claritatis, ut ita omnibus proveniret, qui Christo obediunt, noscuntur. Quare si qua &c.*

c. MSS. aliquot: *Qui reformavit nos sibi*: reliqui & edit. parum admodum discrepant ab invicem, excepto quod Rom. edit. ultimam hujus loci partem in inferiora rejecerat.

d. Ita vet. edit. ac mss. à quibus hoc tantum differt Rom. edit. quod hæc maluit, *Christum dominum.... mittere dignatus est, & carnem in specie hominis fieri*: at ms. Corb. sic locum exhibet. *Christus dominus noster de sacris sedibus venire dignatus est ad terrena, factus secundum carnem in specie hominis, ut forma &c.*

e. Vet. edit. cum uno aut altero mss. *naturaliter natus est Patris Dei*: Rom. *naturaliter est Patris Dei*: mss. vero prope ad unum nobis suffragantur.

f. MSS. nonnulli, *Ibi enim veritas.*

g. Corb. cod. *nos creaverat, ponens in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo vos reconciliari Deo. Deum dicit per Christum delegasse apostolis, ut illo regresso ad cælos cum triumpho, invicem ejus prædicarent gentibus donum gratiæ Dei; ut sicut per Christum, ita & per apostolos se prædicaret Deus.*

h. Vet. edit. ac mss. aliquot, *justitia Dei in ipso.*

i. MS. Corb. *per peccatum resolvit in infernum.*

k. Rom. edit. *curam se agere*: vet. cum mss. non paucis, *curam subjicere*; meli vero alii, *curam subire*. At seq. versu eadem Rom. edit. reposuit, *caritatem exhiberet*, ubi aliæ cum mss. omnibus efferunt, *caritatis officium exhiberet.*

l. Omnes edit. *ut nomen Christi poscentibus*: mss. vero partim, *ut nomine*, partim, *ut in nomine Christi poscentibus.*

circa ægrorum salutem, ne forte negligentiâ aliquâ medicinæ gratia [a] effectu careret bonæ voluntatis suæ. Fide ergo & vigilantiâ suâ omnem offensionem negligentibus amputat, ne horum forte segnitia offensionis occasionem pareret discipulis: ac per hoc liberos se significant; quia quod salutare est simpliciter omni instantia prædicant. Unde subjecit: *Ne vituperetur ministerium nostrum*: vituperaretur enim ministerium ipsorum, si ea quæ verbis docebant, operibus suis, ut fierent, exempla non darent.

℣. 4. *Sed in omnibus commendemus nosmet ipsos ut Dei ministros.* Dei ministri sine adulatione docent, ut ei cujus ministri sunt, placeant, non sicut pseudoapostoli, qui scientes non se à Deo missos, [b] præsenti utilitati studebant. *In multa patientia.* Patientia est, quæ salvat homines; nisi enim patientia abusus esset, quomodo salvasset Corinthios, quos post prædicationem suam tantis vitiis motum, & erroribus diversarum sectarum invenerat involutos, quos patientiâ suâ paulatim ad veram doctrinam revocat? *In pressuris.* Pressuras pertulit, sciens quid à Deo pro his sit promissum. *In necessitatibus.* Necessitas erat etiam in pressura positum docere; quia à Domino erat missus. *In angustiis.* Spe futuri angustiatus, perfidorum oppositionibus non cessit.

℣. 5. *In plagis.* A Judæis & gentibus cæsus frequenter, non tacuit gratiam Christi. *In carceribus.* Sæpe in carcerem missus contemta salute sua, etiam illic donum Dei prædicavit. *In perturbationibus.* In tantum Deo devotus erat; ut nec perturbatio fiduciam, quam in Deo habebat, minueret. *In laboribus.* Laborare non destitit manibus suis; ne cui gravis esset, certus hoc sibi proficere apud Deum. *In vigiliis.* Tam sollicitus erat circa officium sibi delegatum, ut nec nocte cessaret. *In jejuniis.* Aliquando voluntaria, aliquando necessitatis jejunia pertulit causâ penuriæ, & Deo gratias egit spiritaliter se pascenti; quia ideo contentus erat, ne ventris causâ inclinaretur.

℣. 6. *In castitate.* Castitatem sive corporis, sive Evangelii vindicans, non paucos fecit inimicos. *In scientia.* [c] Legis & Evangelii scientiam non in sapientia humana, neque in simulatione adserens Deo se fidelem dispensatorem Christi exhibuit. *In magnanimitate.* Grandis animi erat in bajulandis infirmitatibus fratrum, & in contemtu mundi hujus; unde alio loco dicit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* *In benignitate.* Benignus erat, quia sicut arguebat, ita & blandiebatur; ut post correptionem leni exhortatione consolaretur. *In Spiritu sancto. Spiritus sanctus effugit fictum.* Quoniam ergo sinceriter docebat, in Spiritu sancto Dei donum tradebat. *In caritate non simulatâ.* [d] Simulata caritas in his est, qui in necessitate deserunt fratres; unde hic semper necessitates fratrum suas faciens, simplex erat in caritate. Compatiebatur enim omnibus, sicut alio loco dicit: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Hæc enim vera caritas est, si sua utilitate contemta, ejus curam agat, quem diligere se profitetur: quod semper fecit Apostolus.

Galat. 6. 14.

Sap. 1. 5.

De pœn. dist. 2. c. Ficta caritas.

2. Cor. 11. 29.

℣. 7. *In verbo veritatis.* Verbum veritatis erat in ejus doctrina; quia non aliud tradebat, quam à Domino acceperat. *In virtute Dei.* Virtus in eo Dei erat, quæ per signa atque prodigia hunc idoneum ministrum probabat. *Per arma justitiæ a dextris & sinistris.* Liberum se significat fuisse à fidelibus & incredulis. Arma enim justitiæ perimunt iniquitatem.

℣. 8. *Per gloriam & ignobilitatem.* His qui Evangelium Dei gloriam æstimabant, manifeste integrum se & fidelem prædicatorem dicit. Simili modo & eis qui verba divinæ doctrinæ ignobilitatem & deformationem putabant, fidelem se Dei ministrum exhibuit; dum non terretur, neque pudorem patitur ea illis loqui, quæ horrent audire. *Per infamiam & bonam famam.* Etiam his integrum se Dei dispensatorem præbuit, qui fidei bonam opinionem faciebant, & qui malam; dum non metuit hanc invidiam, sed constans est.

Ut seductores, & veraces. Increduli seductores eos vocabant: fideles è contra veraces eos & simplices pronuntiabant. Nec hoc odio cedit, ut superducat fucum veritati. *Ut ignoti, & qui cognoscimur.* Malis ignoti erant, bonis noti; agnoscebant enim in his veritatem.

Ut morientes, & ecce vivimus. Odio illos habentes, quotidie putabant non evadere minas iniquitatis: isti autem, quia Deo propitio docebant, auxilio Christi tuti præstabantur à morte præsenti & futura. *Quasi tentati, sed morti non traditi.* Tentati videbantur, quando sic tractabantur, ut cedere putarentur: & quia non vincebantur, morti non addicebantur. Hic enim addicitur morti, qui in fide non permanet; & morti non huic, sed futuræ. Potest & de præsenti morte intelligi; tentari enim eos patiebatur Deus, ut pressuris crescerent merito: non tamen permittebat eos occidi. ℣. 9.

Ut tristes, semper autem gaudentes. Verum est, [e] quia tristitia hæc gaudium operatur, & qui eos injuriis contristabant, gaudium eorum exaggerabant. *Ut pauperes, multos autem ditantes.* Quantum ad præsentem vitam pertinet, pauperes videbantur: sed spiritales divitias credentibus largiebantur; egeni in terris, in cælis divites. *Ut nihil habentes, omnia autem possidentes.* Hoc fuit in apostolis gloriosum, ut sine sollicitudine & nomine possidendi non solum ea, quæ in possessionibus erant, sed & ipsos eorum dominos possiderent; omnia enim necesse erat ante eorum poni pedes causâ virtutum, sicut legimus in Actibus apostolorum. ℣. 10.

Act. 4. 35.

Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii. Hoc libertatis causâ loquitur, & puræ conscientiæ; male enim sibi conscia mens loqui trepidat, sensum perdit, in verbis errat. *Cor nostrum dilatatum est.* Eorum cor dilatatur, qui fiducia bonæ conversationis gaudent in se se, [f] aut certe futuri spe præmii in tribulatione non angustantur; quia sicut in hac vita nisi præcesserit labor, redditus non sequitur: ita & in rebus divinis si non exitia anteierint, præmium non sequetur. ℣. 11.

Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris, eamdem habentes mercedis retributionem. Hoc dicit, quia non oberat magistris, si discipuli male verterentur, contemnentes vigorem doctrinæ; quia unusquisque pro operibus suis mercedem accipiet; quia quod ad magistros pertinet, non tacuerunt, dicente Domino ad Ezechielem prophetam: *Exalta vocem tuam, & loquere ad plebem; si te audierint, lucraberis eos: si quominus, tu animam tuam salvabis.* ℣. 12. ℣. 13.

Ezech. 3. 19.

Sicut filiis dico, dilatamini & vos, & nolite jugum ducere cum infidelibus. Ad bonam conversationem & spem eos hortatur; ut fidentes & purgantes conscientias suas, possint in semet ipsis gaudere, habentes fiduciam puræ mentis, sicut & eorum magistri, separantes se ab infidelium societate in operibus malis. Et bene ergo agendo, & futura spectando, dilatari vult illos animo; [g] qui enim laborat, & futura non credit, sicut infidelis, angusti animi est desperatione futuri. ℣. 14.

[h] *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lumini cum tenebris? quæve consensio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? vel quæ conventio templo Dei cum idolis?* Manifestum est hæc quæ enumerat, esse contraria; ac per hoc fugiendum ad his docet, quia dicit Dominus: *Nemo potest duobus dominis servire.* Lex enim justitiam prædicat, ut fugiatur iniquitas: lumen ostendit, quod est veritas; ut ab ignorantia, quæ tenebræ sunt, recedatur: Christum in Dei mysterio annunciat; ut à diabolo, qui se Deum mentiri vult, abscedatur: credentibus vitam pollicetur æternam; ut perfidia exuti, ab omni infidelium errore sint alieni: idola prohibuit coli; quia templo Dei sunt inimica. *Vos enim templum estis Dei vivi.* Nihil tam inimicum homini, quam idola; quia ab unius Dei fide cogunt eum recedere. ℣. 15. ℣. 16.

Matth. 6. 24.

Sicut dixit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum nolite tangere; & ego suscipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Interim primæ causæ sensum explice- ℣. 17. ℣. 18.

Levit. 26. 12. Esai. 52. 11.

a. MSS. & edit. hic nihil discrepant, nisi quod in edit. & mss. quibusdam habetur, *effectu careret & bona* &c. plures vero scripti cod. non agnoscunt conjunctionem: at Corb. legit, *effectum caperet bona*, ubi clarum est negationem desiderari.

b. Corb. cod. *præsentium lites oderant*; absurde. Idem vero cum ceteris cod. & edit. *patientia abusus esset*, ubi Rom. *patientiam habuisset* sed verba uti & abuti apud auctores frequenter idem sonant.

c. Rom. edit. tradiderat, *Legis, & Evangelii*: quod tamen in aliis omnibus, atque mss. reperiuntur.

d. Gratianus loco cit. ad marg. *Ficta caritas est, quæ deserit in adversitate.*

e. Ms. Corb. *quia tristitia gaudium eorum exaggerabant.*

f. Nonnulli mss. *aut certi futuri spe* &c.

g. Omnes edit. & quidam mss. *qui enim operatur, laborat, & futura non credit*: aptius reliqui mss. omittunt *operatur*, è quibus Corb. tantum subjungit, *angustatur animus ejus desperatione.*

h. Rom. edit. *Quæ porro justitiæ* &c.

mus; ut cujus personæ verba sint, declaremus dicentis: *Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo. & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Hæc verba Christi sunt; hoc est enim, quod inter cetera Hieremias testatus est
Baruch.3.38. dicens: *Post hæc in terris visus est, & inter homines conversatus est*; hic enim habitavit in nobis, dicente Johanne apos-
Johan.1.14. tolo: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Et
Baruch.3.36. quia Deus noster est, dicit iterum Hieremias: *Hic est Deus noster.* Et quia populus ejus sumus, dubium non est: Ecclesia enim Christi est. Ideoque separari nos vult ab omni
Johan.13.33. contaminatione; ut suscipiat nos in filios, sicut dicit: *Filioli adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Et quia omnipotens est, puto ambigi non debere. Si enim, sicut [a] ipse dicit,
Ibid.5.19. quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter; hoc est Filium omnia posse, quæ potest & Pater. Si quid non potest Pater, non potest & Filius. Sed idoneus est Filius,
Matth.19.26. qui dicit de Patre: *Apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Hoc testimonio & nos ad puram vitam exhortatus est, & dominum nostrum Jesum jam olim dominum nostrum, & suscepturum nos in affectu caritatis suæ, prædestinatum ostendit.

CAP. VI. ℣. 1. *HÆc ergo habentes promissa, carissimi, mundemus nosmet ipsos ab omni inquinamento carnis, perficientes sanctitatem Spiritus in timore Dei.* Manifesta sunt, quæ dicit; inquinamentum tamen carnis multifarie intelligendum est. Ideo etenim non dixit, ab inquinamento carnis: sed *ab omni inquinamento*; ut tota vitia carnalia fugiamus; omne enim quod lex prohibet, carnale est. *Ut perficiamus sanctitatem spiritus in timore Dei.* Sanctitatem sic perficimus spiritus, si in timore Dei tecta sequamur; ut sub nomine Christi à peccatis nos abstinentes sancti simus. Qui enim sine professione Christi à vitiis se cohibere videntur, sanctificati sunt juxta mundum; non secundùm Dei spiritum; quia secundùm Deum hi mundi sunt, qui fideles sunt: ceteri vero qualescumque sint, immundi sunt. Quidquid enim sine Christo est,
Tit.1.15. immundum est, sicut dicit ad Titum: *Quia infidelibus nihil est mundum; inquinata est enim eorum mens & conscientia.*
℣. 2. *Capaces estote nostri. Nemini nocuimus.* [b] *neminem gravavimus, neminem circumvenimus.* Considerare vult illos, quæ dicit; ut receptis his in animum, conferant secum vera esse, quæ loquitur: & spernentes hos quos tangit, omnem animum transferant ad eos, quos vident vero affectu se diligere. Pseudo enim apostoli erant, qui & nocebant illis, corrumpentes sensus illorum, & gravabant sacculos eorum circumventione serpentinæ astutiæ.
℣. 3. *Non ad condemnationem vestri hoc dico.* Hoc est, non vos abjicio, sed ut corrigatis moneo: qui enim aliquem condemnat, non illi dimittit. *Prædixi enim jam vobis, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum & ad convivendum.* Ex prædictis vult illos cognoscere, quo animo loquatur ad eos. Quos enim participes vult habere & ad præsentes passiones pro Christo, & ad futuram vitam, non utique illos abjicit; sed ut participatione dignos se faciant exhortatur.
℣. 4. *Multa mihi fiducia apud vos, multa mihi gloriatio de vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni pressura nostra.* Fiducia hæc de primæ epistolæ correptione est; quam quia non aspere susceperunt, fiduciam dederunt admonendi se; visi sunt enim velle corrigere se, unde gloriatur. Pro his animum etiam suum consolatum ex hac parte pronuntiat, in tantum ut in omni pressura superabundare se gaudio obtestetur; videns enim esse spem in his, pro quibus angustias patitur, gaudet, cùm tribulatur; certus mercedem se à Deo accepturum adquisitæ salutis eorum.
℣. 5. *Etenim cùm venissimus in Macedoniam, nullam requiem habuit* [c] *caro nostra.* Pressuras & cædes memorat, quas patiebantur causa credentium; ut magis provocet eos ad caritatem. *Nullam*, inquit, *requiem habuit caro nostra*; ut compaterentur eis, certi quia pro salute fidelium animas suas traderent usque ad mortem. Antequam digereretur enim tribulatio & corporalis injuria, altera veniebat; ut requies patienti non esset. Nam quoniam sensu bruta est omnis caro, idcirco nullam requiem hanc habuisse vel habere in passione significat: animam autem, quamquam ipsa patiebatur in corpore; ex hac tamen parte requiem habere, qua sperat pro tribulationibus his, quæ pro fide irrogantur à perfidis, daturum Deum mercedem. Denique in ipsa pressura Deo hymnos canebant.

Sed in omnibus afflicti fuimus. Juxta historiam, Domino vocante, intraverunt in Macedoniam: & cùm non pauci credidissent, invenissentque solatium Lydiæ mulieris, quæ cum omnibus suis credidit; tunc factum est ut spiritum pythonem, id est, divinum fugaret de ancilla quorumdam, qui videntes perdidisse se non minimum quæstum, quem puella referebat divinando, concitaverunt seditionem Paulo & Silæ, & traxerunt eos in forum ad magistratus: qui multas eis plagas imponentes, miserunt eos in ima carceris, ita ut pedes eorum in nervo concluderent. Hæc est pressura, quam passi sunt in Macedonia. Et hinc est unde dicit: *Nullam requiem habuit caro nostra.* Act.16. & seq.

Foris pugna, intus timores. Pugnæ erant corpori, dum cædebatur: animo timores. Illic enim timor est, ubi intellectus est: sed timor hic propter eos erat, qui crediderant, ne passione ejus scandalizarentur. Nam sibi quid jam timeret, qui patiebatur? præterea cùm dicat in Actibus apostolorum, non solum ligari, sed & mori paratum Act.21.
se pro nomine Jesu Christi. Videtur ergo totum hominem afflictum in carne [d] significasse, ut ex parte spiritus, qui homini datur, ut maneat, quia impassibilis est, affligi potuisse minime intelligatur: sed ut homo totus ex parte corporis & animæ afflictus in carne dicatur; ex parte vero spiritus impassibilis. Potest & sic intelligi, ut foris pugnæ, id est, in publico à perfidis fierent contra fidos, dum furore pleni resistebant veritati: cujus rei nuntius intus timores generabat, ubi erat Apostolus. Quis enim homo non timeat angustias? Sed quia in Dei rebus propensior erat, timorem hunc spe superabat.

Sed qui consolatur humiles Deus, consolatus est nos in adventu Titi. Quoniam Deus suorum non est immemor, ℣. 6
sed semper dat eis in tribulatione solatium, acceleravit adventum Titi, ut refrigerio esset positis in fervore. Magna enim consolatio est patienti, si secum habeat condolentem.

Et non solum, ait, *in adventu ejus; sed etiam in consolatione, qua consolatus est ipse in vobis.* Plus addidit ad ℣. 7
consolationem; quia audisse se à Tito significat [e] conversionis eorum promtam voluntatem, in tantum ut Titus qui dolorem habebat inobauditionis eorum, consolationem acciperet de pœnitentia illorum. [f] Quantum affectum haberet circa eos, ostendit Apostolus; ut nec ima carceris, nec plagarum dolorem computaret scissi corporis, neque nervorum, quo pedes ejus conclusi erant: sed audita correctione eorum, lætaretur, & immemor factus passionum, Deo gratias ageret pro eorum salute, sic hoc æstimans quasi remunerationem tribulationum. *Annuntians nobis vestrum desiderium.* Nuntiavit Titus desiderium habere illos emendandi se; addiscentes enim quæ promissa sunt bene viventibus, incitati sunt ad desiderium horum. *Vestrum fletum.* Correpti flebant, dolentes quia peccaverunt, nec excusare nisi sunt; unde Apostolus gloriatur in his. *Vestram æmulationem pro me*; addiscentes enim caritatem Apostoli erga se, cœperunt illum defendere contra adversarios.

Ita ut magis gauderem; unde etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet. Manifestum est non debere pœniteri ex hac re, quam sequutus talis effectus est; quoniam ℣. 8
severius in prima epistola corripuit errores eorum. Non, inquit, me pœnitet asperius scripsisse; quia hoc causa poposcit.

[g] *Et si pœniteret, video quod epistola illa, etsi ad horam contristavit vos, nunc gaudeo.* Hoc dicit, quia si me pœniteret, inquit, propter caritatem; *quia vos contristavi*, consolatio succederet gaudii; quia profuit quod vos contristavi. *Non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam; contristati enim estis secundùm Deum.* Id- ℣. 9

a. Rom. edit. sola, *ipse dicit, quod quæcumque facit Pater, eadem & Filius facit similiter: hoc est, quod Filius omnia potest, quæ potest & Pater. Patrem vero omnia posse testis idoneus est Filius .... Hoc prophetæ testimonio .... & Jesum jam olim dominum nostrum &c.*

b. Rom. edit. *neminem corrupimus.*

c. MSS. Corb. *caro nostra. Numquid sensum habet caro, ut sine animo patiatur? Sed per carnem totum hominem significavit, sicut & Salvator: Spiritus, inquit, promtus est, caro vero infirma. Quia enim erat & Spiritus sanctus in eis, non potuit dicere: Nullam requiem habuit spiritus noster, quia est impassibilis. Sed ad comparationem ejus totum hominem carnem dicit, sicut ad solis claritatem stellæ tenebrosæ sunt, quia spiritus lætus erat, sciens illos per tribulationem proficere. Sed in omnibus afflicti &c.*

d. Cod. corb. *significasse. Potest & sic intelligi, ut foris pugnæ, id est, in publico à perfidis contra fidos esset dissensio, cum sceptitus ejus rei nuntius &c.*

e. Nonnulli mss. *conversiones eorum promta voluntate*, aliqui, *promtam voluntatem.*

f. Idem mss. *Quantum affectum se habere circa eos ostendit Apostolus!*

g. Rom. edit. *Etsi pœnituisset, videns quod .... Hoc dicit: Etsi pœnituisset, propter caritatem; quia vos contristavi, nunc gaudeo: quia consolatio succedit gaudii.*

circo gavisum se dicit; quia cùm pudore contristati sunt, A non cum ira. Qui enim reprehensus pudorem patitur, corrigere se promittit: qui vero irascitur, pejorem se futurum ostendit. *Ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Ut omnia, inquit, nostra effectum habeant in vobis, etiam quod contristavimus vos, pro vobis est.

℣. 10. *Quæ enim secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam ad salutem stabilem operatur.* Manifestum est quod qui tristis est, quia peccavit, secundùm Deum tristis est; dolet enim quia fecit quod odit Deus. Hoc ad stabilitatem salutis pertinet. *Tristitia autem hujus mundi mortem operatur.* Hoc dicit, quia sicut secundùm Deum tristitia vitam operatur; pœnitet enim, & sperat Dei misericordiam: ita secundùm B mundum tristitia mortem operatur. Detectus enim peccator tristis est quasi puniendus, non habens à quo speret misericordiam: etsi forte ad præsens defuerit, qui vindicet; Dei tamen judicium evadere non poterit.

Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari quantam
℣. 11. *in vobis perficit sollicitudinem.* Verum est quia qui pœnitet, sollicitus est, ne denuo peccet. *Sed excusationem.* Rectè, quia pœnitentia non habet excusationem, sed confessionem.
a *Sed timorem.* Ostendit timorem in peccatore, qui delicti causâ veniam postulat. *Sed desiderium.* Desiderat reformari se, qui se scit factum per peccatum deformem. *Sed æmulationem.* Zelum incipit pati bonorum operum perficiendo- C rum, qui intelligit pro se esse, quod corripitur. *Sed vindictam.* Necesse est ut quis vindicet eum, cujus erga se sentit affectum: & in se ipsum vindicat, qui se causâ delicti affligit. *In omnibus castos vos exhibuistis esse in eo negotio.* Quando omnia quæ ad profectum melioris spei pertinent, meditati videntur, zelum habentes Apostoli & præceptoris sui in omnibus officiis humanæ conversationis, [b] duce fide,
b probos se videri contendunt.

Igitur & si scripsi vobis, non propter eum qui inique ver-
℣. 12. *satus est.* Inique versatum dicit illum, qui incestum admi-
1. Cor. 5. 1. serat: nec non etiam hos tangit, quos injuria & fraudes fratribus in prima epistola fecisse significat. *Sed neque prop-* D
1. Cor. 6. 7. *ter, eum qui inique tractatus est.* Hi inique tractati sunt; quia fratribus contraria passi sunt. Hic sensus est, quem in capite epistolæ memorat, ubi dicit: *Si cui aliquid do-*
2. Cor. 2. 10. *nastis, & ego.* Ostendit enim non magis horum causâ, qui peccaverunt, scripsisse se remitti illis debere, sed magis propter Ecclesiam; quia in uno male agente multi sunt, qui confundantur: & in uno contumeliam aut fraudem patiente, multi sunt, qui indignentur; quia si patitur aliquid unum membrum, compatiuntur omnia membra. *Sed ut manifestaretur sollicitudo nostra, quam pro vobis habemus coram Deo.* Emendando injustos, & pollutos sanctificando, & Ecclesiæ reconciliando, totius populi sollicitudinem se E habere demonstrat, secundùm quod supra memoravi.

℣. 13. *Ideo & consolationem accepimus.* Accepisse se, ac per hoc & dare dicit consolationem. Accepit autem, [c] cùm
c didicit corrigere se velle, quos arguebat, ut per pœnitentiam se reformarent: dat autem, dum eos revocat ad Ecclesiam; ne diu contristati desperarent de se, & ad publicam & funestam vitam declinarent. *In consolatione autem nostra, magis magisque [d] gavisi sumus super gaudio Titi: quia requievit spiritus ejus in omnibus vobis.* Correptos per
d primam epistolam audiens se velle corrigere, consolationem accepit. A Tito autem addiscens quia dolorem paterentur erroris sui, auctus est in consolatione, gaudio re- F pletus; quia voluntas eorum in opere cœperat approbari, Tito hoc idoneo teste cum lætitia animi referente.

℣. 14. *Quoniam in quibuscumque de vobis gloriatus sum, non sum confusus.* Antequam pergeret Titus ad Corinthios, audivit ab eis, id est, ab Apostolo, & qui erant cum eo, bonam voluntatem esse Corinthiorum in emendandis vitiis; ac per hoc regresso, & eadem referente, non utique confusus est Apostolus, sed alacer factus est; quia non aliter invenerat Titus, quam audierat ab eis.

Sed quemadmodum omnia vobis in veritate loquuti sumus, ita & gloriatio nostra apud Titum veritas facta est. Exsultans in spiritu hæc scribit Apostolus, sic gaudens in his; ut efficaciam eorum tam veram probet, quàm est & prædicatio ejus[e] ad eos in correptione dumtaxat. Veritas enim e arguentis in eo ipso tunc videtur esse manifesta, si ii qui arguuntur, incipiant emendare se; dum enim correpti immutantur, testimonium perhibent arguenti.

Et viscera illius abundantius in vobis sunt. Animum & ℣. 15. affectum Titi dicit esse in eis; quia vidit profectum illorum; sancti enim animus in omni bono est. *Reminiscentis omnium vestri obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.* Scientes Corinthii ab Apostolo esse missum Titum ad se, qui in tantis vitiis ab ipso jam fuerant correpti, territi sunt in adventu ejus. Et quia vitam suam cœperant emendare, sollicitì erant obaudire præceptis ejus; ut regressus, animum Apostoli mitigaret eis: quamobrem Titum laudasse significat, nam in Tito Apostolum reveriti sunt.

Gaudeo quod in omnibus confido in vobis. Non solum in ℣. 16. bona voluntate eorum lætatus est, sed & in operibus bonis, quibus quæ peccaverant, emendabant. Ideo, *in omnibus*, inquit, *confido in vobis.*

Caput VIII.

Notam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quod in multa ℣. 1. *probatione pressuræ abundat gaudium ipsorum.* Quoniam Ma- ℣. 2. cedones devoto animo perceperunt verbum fidei, idcirco eis gratiam datam à Deo dicit; ut in tribulatione Pauli & Silæ, quam supra memoravi, scandalum non paterentur: sed in exsultatione mentis acciperent confidentes de Sup. cap. 7. ℣. 5. spe promissa, ut probatos se horum passionibus demonstrarent. *Et quod profunda paupertas illorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum.* Votum eorum prædicat, quia cùm [f] tenui essent substantia facultatum, animus ipsorum f dives inventus est in ministerio sanctorum; pura enim conscientia operati sunt, non ut hominibus, sed ut Deo placerent.

Quia testimonio illis sum, quod pro viribus, & supra ℣. 3. *vires voluntarii fuerunt.* Quantum dignum fuit, & Deo placitum, qui vires illorum scivit, in facultatibus dederant ad ministerium. Et quia ex toto corde Deo se dederant, amplius volebant offerre, quam eorum vires admittebant.

Cum multis precibus orantes suscipi in gratiam & communio- ℣. 4. *nem ministerii, quod fit in sanctos.* Tam simpliciter & devoto animo obtulisse illos ministerium, quod ultra vires eorum erat, prædicat; ut cum lacrymis deprecantes offerrent, ut vel sic cogerent accipi à se, quod accipiendum non videbatur: quia plus erat, quam poterat eorum substantia; ne forte eis postea egestas boni operis pœnitentiam suaderet. Sed quia tales se ostenderunt, ut puro animo jam præsentia postponentes, futuris se promissionibus confidentia fidei confirmarent, accipi ab eis visum est; ne boni cordis gratia fructum amitteret.

Et non ut speravimus; quin immo semet ipsos primum dederunt Deo, deinde nobis per voluntatem Dei. Idcirco, inquit, ℣. 5. [g] ab his accipi debuit; quia prius emendantes errores pristi- g nos & vitæ vitia ac morum, ultra quam sperabatur, Deo se devoverunt. Visum est enim simpliciter illos hoc agere, ut nec timeret, cui offerebatur, accipere; quia non utique hoc animo offerebant, ut redimentes præpositos suos, vitia eorum paterentur, nec arguerent; quia munera excæcant oculos, & vim auctoritatis inclinant. Dantes ergo se Deo, dum emendant vitia: deinde fratribus, dum offerunt sumtus; contristari debuerunt, qui ante prope quam inciperent, perfecti esse voluerunt. Horum igitur exemplo invitat Corinthios, ut ea quæ cœperant, hac exhortatione aucti, mente sedula consummarent.

Ita ut rogaremus Titum, quod quemadmodum cœpit, ita con- ℣. 6. *summet in vos etiam gratiam istam.* Quoniam Titi affectum sciebat sincerum circa istos, nec non hos obedientes ei; idcirco per ipsum etiam ad hoc opus exhortari illos facilius posse significat; ut quomodo in ceteris rebus exhortationis suæ habuit fructum in eis, haberet etiam in hac gratia; ut ad ministerium sanctorum promtos eos faceret: ut quia jam vitia emendabant, hujus largitatis fructum haberent. Qui enim ad hoc dant, ne arguantur, nullum fructum hujus rei habebunt.

a. Mss. Corb. *Sed indignationem. Non indignatur qui correptus confitetur. Sed timorem* &c.
b. Idem cod. Corb. *datem fidei, prout possent, videre contendunt.*
c. Omnes edit. & mss. nonnulli, *cum dicit corrigere velle.* Rom. *se velle, quos arguebat*: cod. Corb. *dicit cùm eos se correxisse quos arguerat*: reliqui melius, *cum didicit* &c.
d. Rom. edit. *gaudio repleti sumus super consolatione Titi.*
e. Cod. Corb. *ad eos qui in correptione dumtaxat proficiebant .... si qui arguuntur, incipiunt emendari.*
f. Mss. nonnulli, *detinuissent substantiam.* Lege de *tenui essent substantia* &c.
g. Ms. Corb. *ab his, actibus abjectis, qui prius emendantes* &c.

℣. 7. *Vos autem quemadmodum in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni sollicitudine,* [a] *& insuper illa qua ex nobis & vobis est, caritate, facite ut in hac quoque gratia abundetis magis.* Exhortatur illos, ut glorietur de his apud ceteras Ecclesias. Hæc est enim probatio emendationis eorum, si prompti sint ad ministerium sanctorum.

℣. 8. *Non secundum imperium dico, sed propter aliorum sollicitudinem, & vestræ caritatis bonum animum comprobans.* Manifestum est quia non imperat, sed exhortatur; ut penuriam patientibus mittant sumtus, & relevent sollicitudinem illorum, bonum animum suum Deo & hominibus ostendentes, pro qua re sine dubio mercedem accipient.

℣. 9. *Nostis enim gratiam domini nostri Jesu Christi; quia propter vos pauper factus est, cùm dives esset; ut illius inopia vos divites essitis.* Pauperem Christum dicit factum; quia Deus nasci dignatus est homo, virtutem potestatis suæ humilians, ut hominibus divinitatis divitias adquireret; ut sicut dicit
1. Petr. 1. 4. Petrus apostolus, divinæ essent consortes naturæ. Homo ergo factus est, ut hominem in Deum adsumeret, sicut scri-
Psal. 81. 6. ptum est: *Ego dixi, dii estis.* Hoc modo exhortatur, ut largiendo quasi pauperes fiant; ut prosit paupertas eorum, sicut Christi paupertas profuit nobis: & Christus quidem nostri, non sui causa pauper factus est, nos autem, ut nobis proficiat.

℣. 10. *Et consilium in hoc do; hoc enim vobis utile est, qui non tantum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc ergo*
℣. 11. *etiam facere consummate; ut quemadmodum promta est voluntas in vobis velle, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.* Hoc dicit, ut voluntas illorum in opere appareat, si vera est, secundum vires; ut tantum det, quantum potest & vult animus, ut munda fiat conscientia: non in simulatione, ut hominibus placeat, & mercedem apud Deum non habeat.

℣. 12. *Si enim voluntas promta est, secundum facultatem acceptabilis est non secundum quod non habet.* Quoniam Corinthii ad hoc opus ministerii provocantur, hoc eis indicitur, ut non plus tribuant, quam possunt; ne plus forte offerentes coacti, non voluntarii, gravati viderentur sine mercede futuri; quia qui coactus aliquid facit, mercedem non habet. Ecclesiæ enim Macedoniæ ultro obtulerunt cum precibus, ut probarent tota se voluntate hoc facere, ut plus offerrent, quam poterant; ideoque acceptabile fuit. Quanto enim am-
b plius obtulerunt, tanto plus [b] accepturi sunt. Nam si tantum quis det, quantum vult, aut potest, acceptum est; judicio enim videtur hoc facere: ac per hoc tantum det, quantum potest & vult animus; ut rei hujus possit habere mercedem.

℣. 13. *Non enim ut aliis* [c] *refrigerium sit, vobis autem angustia.* Verum est, quia sic dandum est, ut non egestatem præstet
℣. 14. dantibus. *Sed ex æqualitate in hoc tempore.* Dicit hoc, ut quantum habet, ad tempus dividat cum sanctis: non enim
Levit. 19. 18. plus exigitur, quam sibi debet retinere. Quia, *Diliges*, in-
Luc. 19. 8. quit, *proximum tuum sicut te ipsum.* Unde Zacchæus: *Ecce dimidium*, inquit, *bonorum meorum do pauperibus.*

Ut vestra abundantia ad illorum inopiam, & illorum abundantia fiat ad vestram inopiam. Hoc est quod dicit, ut quia juxta tempus sancti inopiam patiuntur, deserentes omnia mundi, & se in divinis solis operibus constituentes, ut doctrinæ atque orationi insisterent ad profectum multorum; ii qui crediderint, quique artibus aut negotiis insistunt, aut certe facultates paternas habent, ministrent sanctorum inopiis: & iterum sancti illic ubi divites sunt, & isti inopes, communicent eis, quasi vicem rependentes ministerio illo-
Matth. 25. 40. rum, sicut dicit Dominus: *Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis.*

Ut fiat æqualitas, sicut scriptum est. Hæc est æqualitas, ut quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddantur illis vices in futuro; debitores enim sibi faciunt sanctos.

℣. 15. *Qui multum habuit, non abundavit: & qui modicum, non*
Exod. 16. 18. *minoravit.* Hoc in Exodo legitur. Plus enim sancti habent in spe futuri sæculi, & magis quam ii, qui in hoc tempore videntur divites; & tamen æquabuntur illic utrique; ut sicut beneficio horum sanctorum inopia sustentatur, ita & beneficio sanctorum divites fiant hi in futuro sæculo, in quo videntur pauperes. Non enim totos se dederunt Deo, ut hîc pauperes, illic essent divites; sed ex hac parte qua hîc divites sunt, illic pauperes, sanctorum suffragio, qui hîc positi, jam illic mente sunt, ditabuntur. Non enim qualecunque meritum est de justis laboribus ministrare sanctis.

Gratias autem Deo, qui dedit hanc ipsam sollicitudinem pro vobis in corde Titi. quoniam [d] *consolationem quidem accepit.* Deus qui justus est, sciens Corinthios velle proficere, Titi affectum incendit circa eos; ut adimpleret exhortatione sua voluntatem illorum in opere bono: qui videns profectum illorum consolatus est, lætatusque in eis. *Cùm sit autem sollicitior, voluntarius profectus est ad vos.* Hoc est, videns proficere illos circa bonos actus, sollicitior factus est circa affectum illorum: ita ut voluntarius proficisceretur ad eos, qui prius etiam rogatus se excusarat ab eis propter vitia illorum.

Misimus autem cum illo fratrem nostrum, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: non solum autem, sed etiam ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis [e] *per Domini gloriam, & sollicitudinem nostram.* Istum commendat, quia ignorabatur ab his; ut scirent in quanta jam essent boni opinione, ad quos tales viri mittebantur; ut congauderent cum eis, augentes eos in fide operationis Dei, ad cujus gloriam sollicite hoc agebant vicarii Christi, ut conditor Deus cœli & terræ agnosceretur in his.

Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. Quoniam de ministerio agebatur, ideo hoc subjecit; ne negligens circa curam pauperum vel sanctorum judicaretur, si hoc segnius ageret. De hac enim re constituerant inter se apostoli, ut memores essent pauperum, quod ad Galatas significat. Cùm ergo inviturperabilis esset in omnibus Apostolus; ne in hac causa indiligens judicaretur; idcirco hoc se præmonere significat, ut hoc opere impleto, in omnibus sollicitudo ejus & providentia appareret.

Providemus enim bona non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus. Providet bona coram Deo, dum quod jubet Deus circa ministerium sanctorum vel pauperum, fieri docet: coram hominibus vero providet bona; quia tales mittit ad hoc opus exhortandum, qui probitate sua non faciant eis scandalum: sed provocent eos, ne bona doctrina Apostoli per improvidos ministros ejus in vituperationem caderet.

Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse, nunc vero multo sollicitiorem, multâ fiduciâ vestri, sive per Titum qui est socius meus, & adjutor in vobis, sive per fratres nostros apostolos Ecclesiarum gloria Christi. Titum ideo socium suum vocat, quia & ipse episcopus erat, cui ministrum dedit notum in omnibus Ecclesiis ipsius provinciæ: quibus addit & Tertium fratrem, probatum in multis operibus bonis atque sollicitum. [f] Per Titi autem relationem referentis bonam voluntatem Corinthiorum & ceterorum missorum, quos apostolos Ecclesiarum gloriæ Christi appellat, sollicitiorem se factum ostendit videndi illos, & exhortandi ad ministerium sanctorum. Fiduciam enim accepit, audiens meliores esse factos Corinthios. Unde satagebat ad eos, certus quia obaudirent bona opera facere.

Ostentationem ergo caritatis vestræ, & nostræ pro vobis exsultationis demonstrate in ipsis in facie Ecclesiarum. Commonet eos, ut in his quos mittit, dilectionem suam ostendant; ut bona quæ de ipsis audierant, vera probarent. Sic enim ostendebant profecisse se monitis Apostoli, si missos ab eo cum honore exciperent; ut ceteræ Ecclesiæ agnoscerent vera esse bona, quæ de eis dici cœperant. Provocat ergo animos eorum; quia de quo bene sentitur, [g] solet se meliorem præbere.

CAP. IX.

NAm de ministerio quod fit in sanctos, supervacuum est mihi scribere vobis; scio enim promtam voluntatem vestram, pro qua de vobis glorior apud Macedones. Et hæc oblectantis verba sunt. Superfluum enim esse dicit scribere se de ministerio, quod fit in sanctos, ut de his bene

a. Rom. edit. *& illa quæ ex vobis in nos est.* Quidam mss. *quæ ex vobis in nobis, ut in hac &c.*
b. Cod. Corb. *accepturi sunt. Si enim voluntas promta est, secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm quod non habet. Ipse sensus est, quia si tantum det, quantum vult & potest, acceptum est. Judicio enim videtur hoc facere, ac per hoc rei hujus habere mercedem.*
c. Rom. edit. *relaxatio sit.* Tertio autem versu vet. edit. cum mss. nonnulli. *Sed ex æquitate.*
d. Rom. edit. *exhortationem quidem accepit.*
e. Eadem edit. *Domini gloriam, & promtitudinem vestram.*
f. Nonnulli mss. *Per Titi autem revelationem.*
g. Corb. cod. *se se meliorem debet præbere.*

quem

sentire videatur: superfluum est enim si commoneas eum, A quem scias facturum. Sed ut diligentiam suam ostendat, necessarium est ut scribat, & ut hos promtiores faciat, & quid de eis ceteris prædicet, manifestet. Superflua enim solent majorem parere sollicitudinem; nam & Dominus non dubitans de amore erga se Petri apostoli tertiò dicit ei: *Simon Johannis, amas me?* Quæ trina repetitio quasi superflua videtur, sed prodest ad perfectionem monitionis; ut sciat magna se cum diligentia debere curare, quod frequenter mandatur. *Quoniam Achaia parata est ab anno priore.* Post Macedones Achaia, id est, Ecclesiæ provinciæ Achaiæ (non omnes, quia & Corinthii Achaici sunt) præparaverant se æmulatione ducti Macedonum, ut ministrarent sanctis. B Quo dicto plus exhortatur Corinthios, cùm dicit illos paratos ab anno priore, sed exspectare jam hoc; ut divideretur ministerium illorum pro uniuscujusque necessitate. *Et vestra æmulatio provocavit plures.* Post Macedones Achaiam paratam dicit, deinde ut & Corinthii fiant parati secundùm promissum suum, ceteræ vero Ecclesiæ æmulatione Corinthiorum, dum audierunt illos prius multis erroribus fuisse implicatos, post autem corrigentes se [a] bonæ voluntatis effectos, incitati sunt ad bonum opus; quia si ii qui post acceptam fidem male versati sunt, hanc cœperant habere voluntatem; quanto magis isti, in quibus hæc vitia non sunt reperta.

Johan. 21. 17.

℣. 3. *Misi autem fratres; ne gloria nostra, qua vos præferimus, inanis fiat in hac parte; ut quemadmodum dixi, parati sitis.* C Hos fratres memorat, quos supra, id est, Titum, & quos ei adjunxit adjutores, qui impensius exhortarentur eos ad promissionem implendam in ministerio sanctorum; ut non solum litteris, sed & facie ad faciem oblectarent eos crebris admonitionibus; ne exsultatio apostoli, qua in splendore animi eorum gloriabatur, evacuaretur. Sæpius ergo hoc memorans, sollicitudinem suam circa eos ostendit, nolens illos confundi.

℣. 4. *Ne cùm venerint mecum Macedones, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos, ut non dicam omnes vos, in hac parte.* Manifestum est quia si non hoc inventum fuerit, quod testificatus est de his, & ipse erubescat de ipsis, & ipsi amplius D confundantur; qui nec propterea quod testis eis exstitit Apostolus, id agere nisi sunt, quo verum illud facerent vel propter tanti viri personam.

℣. 5. *Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præcederent ad vos, & præpararent promissam [b] benedictionem hanc vestram paratam esse: sed sic quasi benedictionem, non quasi circumventionem.* Ut sollicitudinem suam adhuc manifestet, rogasse se dixit fratres, per quos admoniti adimplerent, quod promiserant, & non implebant. Cùm supra Titum dicat voluntarium profectum, hoc est, non illi fuisse extortum, sed mox ut audivit, libenter amplexus est; E ut videatur voluntarius ad illos profectus propter spem illorum: nunc non ideo se rogasse hos significat, quasi nolentes ire; sed suum affectum probat circa illos, quando volentes ire insuper rogat; ut sine aliqua mora fiat, quod & illi volunt, & hic precatur. Hoc ergo agit cum his, ut in promissione sua fideles sint, & se ideo commonere propter existimationem illorum, non circumvenire; sed ut tantum offerant, quantum non pœniteat.

℣. 6. *Hoc autem dico: quia qui parcè seminat, parcè & metet.* Parcum avarum significat, cui extorquetur, ut inferat: pœnitet enim quia promisit. Hoc de tarditate illorum colligit, qui olim promiserant, & diu deliberabant. Huic parco F parva messis est; quia cum dubitatione seminat; nescit enim prodesse quod facit. *Qui autem in benedictione seminat, de benedictione & metet.* Hic in benedictione seminat, qui bona voluntate sub spe futuræ retributionis hoc agit.

℣. 7. *Unusquisque secundum propositum cordis, non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Docet illos tunc prodesse hoc in futurum, si læto animo fiat. Ex his enim qui inferunt, hunc elegit Deus, cui retribuatur, qui devoto corde operatur, quasi thesaurizans apud Deum; quia qui invitus facit propter præsentem pudorem, ne aliis inferentibus turpis inveniatur, mercedem non habet.

℣. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Dei potentiam adesse illis exoptat, ut sicut in emendandis vitiis & doctrinæ veritate compungit corda illorum; ita & in hoc faveat cœptis illorum, ut abundent in omni opere bono per gratiam Dei. *Ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omni opere bono.* Hoc dicit & optat, ut in omni te semper sufficientes sibi sint Dei nutu, nec indigeant iis, quæ ad salutem necessaria sunt. Si ergo sufficientiam solam sibi eligant, poterunt in Dei opere abundare; illud enim sibi retinendo quod sufficit, cetera in usus sanctorum vel pauperum impendant necesse est: & hoc erit abundare in omni opere bono. Licet enim exigui hominis parvum sit, quod tribuit; abundat tamen, quia recto judicio fit, & non solùm quæritur quantum; sed & de quanto, & quo animo detur. Denique illa vidua in Evangelio de parvo laudata est, & qui multa mittebant, laudati non sunt. Illius enim parvum multum est; quia plus misit, quam poterat: divites autem minus miserunt, cùm plus possent; ac per hoc modicum illius, quæ ultra vires suas misit, plus inventum est, quam divitum multum; quia de eo quod abundabat eis, miserunt. Qui ergo tantum dat, quantum potest, rectè facit: viduam tamen illam ante se habet; quia hæc omne quod habuit, misit. Luc. 21. 3.

Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Hoc in psalmo scriptum est centesimo decimo primo, & per exemplum addit ad curam pauperum; ut in omni opere bono abundent. Si enim hujus qui pauperibus largitur, justitia manet in æternum; quanto magis ejus, qui ministrat sanctis? Pauperes enim possunt dici, qui [c] publice egeni sunt: sancti enim discernuntur ab his; quia hi servi Dei sunt, insistentes orationibus & jejuniis, putam vitam agentes, sicut & Anna prophetissa, quæ non discedebat de templo, jejuniis & orationibus serviens die ac nocte, omnem mundi curam postponens. Misericordia ergo hæc, justitia appellata est; quia sciens qui largitur, omnia Deum communiter omnibus dare, quia sol ejus omnibus oritur, & pluit omnibus, & terram omnibus dedit: idcirco dividit cum iis, qui copiam terræ non habent; ne beneficiis Dei privati videantur. [d] Justus ergo est, qui sibi soli non detinet, quod scit omnibus datum: & justus non solum hoc in tempore, sed & in æternum; quia in sæculo futuro hanc habebit secum in perpetuum. ℣. 9. Psal. 111. 9. Luc. 2. 37.

Qui autem subministrat semen seminanti: & panem ad edendum ministrabit: & multiplicabit semen vestrum, & amplificabit fructum justitiæ vestræ; ut in omnibus locupletemini in omni simplicitate. Omnia Dei sunt, & semina & nascentia Dei nutu crescunt, & multiplicantur ad usus hominum: Deus ergo qui hæc dat, ipse & jubet de his communicari eis, qui indigent; ac per hoc non poterit, qui tribuit juxta Dei voluntatem, Dei nutu non augeri incrementis hujusmodi ad amplificandum fructum justitiæ; danti enim [e] addit, ut eo amplius habeat, unde largiri possit. Hæc est justitia, ut quia Deus dat, retribuat ex eo & homo ei, cui deest. Hos enim vult ministros esse eorum, qui potiora eligentes, copias præsentis temporis spernunt, totos se Dei rebus obligantes. Unicuique enim secundum bonam voluntatem Deus præstat auxilium: sancti enim qui nihil volunt hîc possidere, nisi victum habere & vestitum, hos qui hæc habere volunt, tutores illorum Deus esse disposuit; ut qui bene & simpliciter eis ministraverit, amplificetur Dei nutu; ut habeat, unde largiatur semper, & ad præsens locupletatus, & in futurum. Semel enim seminans, bis metet; ita ut si [f] futuris consulit spebus, nolit eos subjectos habere, sed magis se eis inclinet; quia à Deo hujus rei accipiet mercedem. Si enim ad præsens humiliari eos sibi voluerit, spem futuri amittit; hîc enim accipit mercedem operis sui, hoc non simpliciter agens, sicut dicit Dominus: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* ℣. 10. ℣. 11. Matth. 6. 16.

[g] *Quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium officii hujus non solum supplet ea, quæ desunt sanctis; sed & abundabit per multorum gratiarum actiones in Deo, per probationem ministerii hujus, magnificantes Deum in subjectione confessionis vestræ in Evangelio Christi, & in simplicitate [h] communicationis in illos, & ipsorum orationes pro vobis desiderantium vos videre, propter superabundantem gratiam* ℣. 12. ℣. 13.

a. Quidam mss. *bonæ voluntatis affectibus.*
b. Rom. edit. *benedictionem hanc vestram. sed sic comparatam esse, quasi* &c.
c. Omnes edit. & quidam mss. *qui publicani egeni sunt*: rectius alii mss. *qui publice* &c.
d. Mss. nonnulli: *Iste ergo est, qui.... & istius justitia non solum in tempore manet.*
e. Codex Vall. *additur, ut egenis amplius* &c.
f. Non pauci mss. *si futuris spectibus*, Laud. *rebus, consulit.*
g. Vet. edit. & mss. nonnulli, *si quis operetur*: Rom. edit. cum ceteris mss. *quæ operatur.* At in sequenti versu mss. Corb. solus, *ministerium sacrificii.*
h. Rom. edit. *communionis vestræ in ipsos, & in omnes, & in ipsorum orationes* &c.

D·i in vobis. Gratia autem Deo super inenarrabili dono ejus. Hoc dicit, quia quicumque operatur per dispensatores doni Dei hoc opus, unde gratiæ agantur Deo, ab iis qui necessarios sumtus accipiunt sub nomine Christi, non mendicitati subjecti, sed Deo, de cujus bonis ali se norunt: non tantum ab eis gratiæ illis referuntur, sed à reliquis fratribus, qui pro his gratias agant Deo, commendantes factum ipsorum Domino; ut paucis tribuentes, multorum obsecrationibus Deo commendentur. Probantes enim mentem eorum in hoc opere, magnificant in eis Dominum, cujus spe firmati, obediunt Evangelio Christi in subjectione mentis; ne velint eos sibi humiliari, ut præbeant quæ necessaria sunt sanctis. Et hoc erit in simplicitate gratias agere communicationis illorum, commendantes se orationibus illorum, & desideriis eorum. Quis enim non cupiat oculis videre necessitatibus suis propter Dei nomen subjectos? Denique Dei dona vocantur; Deo enim dat, qui his ministrat; quia qui jubet fieri, ipsi imputatur, quod datur. [a] Gratias autem Deo in his agentes, & super ineffabili dono ejus. Donum enim Dei est, quod incitat homines ad bonum opus; spes enim promissa lacessit ad ministerium supradictum.

CAP. X. ℣ 1. I*Pse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi. qui ad faciem quidem humilis sum in vobis: absens vero confido in vobis.* Hoc est, quod nunc dicit, quia talis est absens, qualis & præsens. Nec enim humilis erat ad faciem adulatione aut subjectione alicujus rei, qui constantiam suam sic zelabatur, ut aliquando etiam à licitis temperaret, ne inclinaretur. Unde dicit in alia epistola: (1. Cor. 6. 13.) *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis: Deus autem hunc & has destruet.* Ideo ergo absens obsecratur, & modestiam Christi interponit; ne præsens durior inveniatur causâ virorum eorum, quàm est in epistola; ut componentes se, qui adhuc non emendaverant, mollirent sibi rigorem Apostoli; ut moderatos eos inveniens, pressa severitate lætaretur in eis. Confidentiam itaque fiduciam severitatis significavit, quam forte in epistola tantum habere putabatur, non tamen præsens facie; quia in prima epistola severus, & nimis rigidus videtur: & ideo commonet ne eadem severitate præsens utatur, sicut non sperabant.

℣. 2. *Rogo autem ut non præsens audeam per eam fiduciam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos secundum carnem ambulare.* Idem sensus est, quem ut dilucidet, repetit; orat enim ut tales illos inveniat, ne cogatur irasci, sed ut requiescat cum eis. [b] Hîc ergo aperuit, quod supra significavit, & adhuc in subjectis plenius manifestat, hanc esse confidentiam, quam hîc fiduciam dixit, datæ sibi potestatis à Christo, cujus vicarius est; ut vindicet in eos, qui sub nomine Christi agentes, non obaudiunt, ut corrigant in quibus reprehenduntur. Hos dicit qui non recipiendo spiritalia, quæ ab Apostolo dicebantur, sic eum existimabant, quasi carnalia loqueretur, quæ recipienda non essent. Ideo dicit: *Qui arbitrantur nos secundum carnem ambulare*; quia qui spernit spiritalia, [c] putat illa carnalia.

℣. 3. *Nam in carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Hoc est, in corpore positi spiritaliter vivimus; spiritaliter enim vivit, qui facit quod placet Deo. Hic ergo secundum carnem militat, qui desideriis carnis obtemperat; omnis enim error caro dicitur. Christo autem ipse militat, qui obaudit ei in fide & disciplina.

℣. 4. *Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed fortia Deo.* Ideo fortia, quia incorrupta; omnia enim carnalia corrupta sunt. Arma ergo ideo, quia repugnant vitiis, signum habentia imperatoris sui Christi, qui hostis est vitiorum; sicut enim imperator per milites suos vindicat suum regnum: ita & Salvator per nos servos suos defendit unius Dei professionem & disciplinam.

℣. 5. *Ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus cognitionem Dei.* Arma spiritalia fides est incorruptæ prædicationis. Per hæc Deus vincit principes & potestates, quos constat ut sibi usurpent imperium, extolli contra fidem Christi, cogitationibus se hominum inserentes, ut avocent eos à Dei dominio; quas cogitationes destruit veritas fidei. Munitiones ergo principes dicit & potestates, & spiritalia nequitiæ, qui se extollunt, & armant infidelium animos ad contradicendum Christo: contra quos pugnat Dei lex, dissipans consilia eorum. *Et in captivitatem redigentes omnem [d] intellectum, & perducentes ad obedientiam Christi.* Captivat intellectum, dum contradicentem ratione vincit: & ad fidem Christi, cui prius repugnaverat, humilem & mansuetum inducit.

Et parati in omnibus vindicare omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit [e] obauditio vestra. Manifestum est quia vindicat inobedientiam; cùm illam condemnat per obedientiam, tunc illam destruens, quando eos qui resistunt, perducit ad fidem; ut perfidia ab iis à quibus defendebatur, damnetur.

Quæ secundum faciem sunt, videte. Nunc vult eos quæ palam sunt, considerare, id est, ea quæ dicturus est; quia sunt aperta, dijudicare. Dicit ergo: *Si quis [f] confidit se esse servum Christi, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita & nos.* Iis loquitur, quorum tangit superbiam, qui de se præsumentes inflatione animi, minus quam dignum erat, de Apostolo sentiebant, quasi non egerent præceptis ejus. Quos commonet; ut si de se considerent, quia erant servi Christi, non utique deberent de Apostolo dubitare; sed & de eo, quamvis impar sit, vel similiter sentire; cùm utique magis præferre sibi deberent magistrum gentium. Sed hîc illos humilitatem in se docet, æquans se illis; cùm esset Vas electionis, & magister gentium in fide & veritate. Hoc vult ergo illos considerare, quod utique clara luce videtur; quia de Apostolo nemo credentium non plus æstimet, quam de se: quanto magis nemo minus quam de se debeat æstimare? Hoc ergo contestatur & docet; ne elatione mentis bonæ vitæ meritum perderent. Qui enim scit se aliquid esse, humiliet se, ut amplior fiat.

Nam etsi aliquid amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, non in destructionem vestri, non erubescam. Nunc significat, quia superius se humiliavit, ipsis se comparando; [g] cùm si se erigat, non erubescat; quia à Domino accepit potestatem prædicandi, ut salvet, non ut perdat obaudientes. Si ergo hic qui à Domino missus est, inclinat se, comparat se inferioribus; quanto magis ii, qui nullius erant testimonii, comparare se non deberent, non dicam præferre, majoribus?

Ut autem non existimemur quasi terrere vos per epistolas. Ille potest videri terrere per epistolas, qui neque auctoritatis alicujus est, neque præsens fiduciam habet arguendi: absens autem ideo audet, quia præsens timet.

Quia epistolæ quidem graves & fortes sunt, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemtibilis. Hoc æstimet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales sumus & præsentes in opere. Ideo non se alium esse absentem, quam præsens est, probat; quia non erat præsumtor. A Domino enim potestatem acceperat; cui enim non est data potestas, absens potest audere, præsens autem pudorem patitur. Ideo Apostolus non erubescit, dum corripit; quia fiduciâ potestatis hoc agit. Hæc propter hos loquitur, qui non missi prædicabant adulantes; quia se ipsos commendare volebant.

Non enim [h] audemus conjungere aut comparare nos ipsos quibusdam, qui se ipsos commendant. Hi sunt, qui se ipsos commendant, qui non accepta potestate, dominari volunt, nomini suo vindicantes auctoritatem. Qui enim mittitur, non sibi, sed ei à quo mittitur, vindicat potestatem: per quod etiam ostendit se à Domino dispensatorem electum. Sic ergo non conjungit se, aut comparat iis, qui non missi prædicant, dum nihil [i] ultra concessum præsumit.

Sed ipsi in nobis nosmet ipsos mensurantes, & comparantes nosmet ipsos nobis, non in immensum gloriabimur: sed secundum mensuram regulæ, quam partitus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos. Tanta se uti dicit potestate, quanta concessa est ab Auctore, nec mensuram egredi. Idcirco non superba erit, inquit, gloriatio nostra; quando non transgredimur terminum datæ potestatis. Gloriam pro auctoritate posuit, qua utebatur in correptioni-

a. Rom. edit. *Gratia autem Deo super ineffabili dono. Donum enim* &c.
b. Nonnulli mss. *hanc ipse confidentiam dixit datæ* &c.
c. Ms Corb. *putat illi carnalia spernere.*
d. Rom. edit. *intellectum ad obedientiam Christi. Captivat intellectum.* At continuo post habetur in cod. Vall. *dum contradicit, dum rationem vincit.*
e. Vet. edit. ac mss. non pauci, *obauditio nostra.* Quod vero sequitur, in cod. Corb. sic legitur: *Manifestum est, qui vindicat obedientiam, condemnat inobedientiam.*
f. Rom. edit. *confidit se esse Christi.*
g. Eadem Rom. edit. *cur si se erigat*, unus ms. *si se corrigat.*
h. Rom. edit. *audemus conferre, aut comparare.*
i. Mss. aliquot, *ultra consensum præsumit.*

bus peccatorum; ut ſalvos eos faceret. Nec tamen gloriari ſe dicit in extollentia poteſtatis, ſed ad ædificationem illorum. Oſtendit enim poteſtatem, de qua ſi gloriari vellet, [a] non illum puderet; quia data eſt illi à Domino. Sed hîc ſic illâ utitur, ut non glorietur, niſi in profectu credentium, corripiens conſtanter vitioſos; ut glorietur in ſalute illorum, ut poteſtas data ſaluti proficiat, non elationi. Duplici ergo genere non ſe in immenſum gloriari teſtatur; & quia ſecundum datam poteſtatem, ſicut dixit, & quia non ultra quod prædicatio ejus perſonet, vindicabat ſibi auctoritatem. De his enim confidebat, quos ipſe fundaverat in fide Chriſti. Partitum enim dicit unicuique, ad quos in prædicatione dirigeretur; ut ſinguli proprias aliquas civitates haberent, de quorum fide gloriarentur. Dei enim nutu Macedonibus prædicare advocatus eſt hic Apoſtolus: & ut Corinthiis evangelizaret, à Domino admonitus eſt. Iis ergo audenter loquitur, quos ipſe fundavit, & ad quos Dei nutu pervenit: ceteris non tali fiducia; quia in aliena regula erant, hoc eſt, in parte alterius Evangeliſtæ.

℣. 14. *Non enim quaſi non pertingentes uſque ad vos, ſuperextendimus nos:* hoc eſt, [b] non quaſi non pervenerimus uſque ad vos, ſuperextendimus nos in prædicatione, ſed deſtinati, Deo mittente nos, ad vos pervenimus. Superextendi autem eſt ultra extendi, quam conceditur, ſed non ultra; quia menſuram dedit Deus, quam ſervarent evangeliſtæ ejus, quam hîc ſe cuſtodire teſtatur. Ideo enim hoc oſtendit, ut ſciant quoniam à Deo ad hos directus eſt; ac per hoc obaudire illos debere monita ejus; ne contemnentes, Deo à quo miſſus eſt, reſiſtere viderentur.

℣. 15. *Nam uſque ad vos pervenimus in Evangelio Chriſti, non in immenſum gloriantes in alienis laboribus.* Hîc manifeſtius apparet, quod dicit, quia ipſe illos fundaverat. Ideo tantâ fiduciâ ad hos loquitur; nec enim labore alterius adquiſiti fuerant ad fidem, ſicut in alia epiſtola ait: *In Chriſto enim per Evangelium ego vos genui.* Non ergo extra menſuram gloriatur, qui in labore ſuo gloriatur. (1. Cor. 4. 15.)

Spem vero habentes creſcentis fidei veſtræ in vobis magnificari. Quia fructum laboris ſperat quæſitæ fidei eorum, idcirco non negligenter hoc agere ſe profitetur, ne tædiis & moleſtiis cederet; quia magnificari ſe credidit apud Deum, ſi augeantur in fide auditores ejus, ſicut dicit Dominus: *Pater ſicut miſiſti me in hunc mundum, & ego miſi eos in hunc mundum, & pro eis ſanctifico me ipſum.* Hoc dicit, quia teſtimonium magiſtri eſt in diſcipulis obaudientibus; unde ait: (Joan. 17. 18.)

℣. 16. *In vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in abundantia, & ut etiam in regionibus, quæ ultra vos ſunt, evangelizem.* Lætior de fide eorum, ultra eos prædicaturum ſe neceſſario profitetur ad augendam gloriam prædicationis; ubi adhuc non fuerat prædicatum. *Ut non in aliena regula præparatis glorier.* Manifeſtum eſt quia vir prudens non in his confidit, neque gloriam ſperat, [c] quæ in aliorum laboribus conſtant. Ideo & Apoſtolus non audet in hos, qui aliis prædicantibus crediderunt; ne in alienis laboribus gloriari videretur: ſed hoc innititur, ut eis prædicet, quibus non erat annuntiatum, ut gloriam [d] labore ſuo quærat.

℣. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* Hoc dicto ſignificavit ipſam confidentiam & gloriam Domino dandam, cujus gratia eſt; ut qui in poteſtate evangelica confidit, Deo auctore confidat; ut quæſtus omnis negotii divini Domino in lucrum veniat. Sed qui non accipit poteſtatem à Deo, non poteſt in Domino gloriari; quia gloriam ſuam quærit.

℣. 18. *Non enim qui ſe ipſum commendat, & probatus eſt: ſed quem Dominus commendat.* Verum eſt, quia illum Dominus commendat, & ille probatus eſt, quem dignum habet, ac mittit, ut prædicet donum ejus: quem autem non mittit, non illum commendat. Ipſe autem ſe commendat, qui non miſſus prædicat; ac per hoc idoneus non eſt, ſed præſumtor & reprobus.

CAP. XI. ℣. 1. UTinam ſuſtineretis puſillum imprudentiam meam! ſed & patimini me. Incipiens vera de ſe ipſo narrare, A inſipientem ſe dicit; quia ad laudem ejus videtur pertinere. Propter quod dictum eſt: *Non te laudent labia tua, ſed proximi tui.* Sed hîc dolore compellitur propter hos, qui cùm de eo bene præ ceteris ſentire deberent, indigne ſentiebant. (Prov. 27. 2.)

℣. 2. *Zelans enim vos Dei zelo; paravi enim vos uni viro virginem caſtam adſignare Chriſto.* Quæ loquuturus eſt, amore eorum dictuum ſe oſtendit; ut non magis ad laudem ejus proficiat, ſed ad profectum horum: ut diſcant quemadmodum parenti ſuo in Evangelio faveant; quia vituperatio patris detractio filiorum eſt, & laus filiorum gloria patris eſt. Virgines ergo vult eos eſſe in fide; unde & corruptores fidei zelatur ab his, ut in die judicii incontaminatos eos adſignet judici Chriſto. (Eccl. 3. 13.) B Hinc eſt, unde & in Apocalypſi Johannis legitur: *Hi ſunt*, inquit, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim permanſerunt. Hi ſequuntur Agnum, quocumque vadit.* In mulieribus errorem ſignificavit; quia error per mulierem cœpit, ſicut & Jezabel mulierem dicit propter uxorem Achab, quæ zelo Baal Dei prophetas occidit; cùm intelligatur idololatria, qua corrumpuntur mores, & fidei veritas. Nam ſi mulieres intelligas, ut ideo putes virgines dictas, quia corpora ſua incontaminata ſervaverunt, excludis ab hac gloria ſanctos; quia omnes apoſtoli, exceptis Johanne & Paulo, uxores habuerunt. Et vide an conveniat accuſare Petrum apoſtolum, qui primus inter apoſtolos eſt, quanto magis inter C ceteros? (Apoc. 14. 4.) (3. Reg. 18. 40.)

℣. 3. *Timeo autem, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ſic ſenſus veſtri [e] corrumpantur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Oſtendit qua cauſa cogitur vera de ſe proteſtari; ad hoc enim gloriam ſibi datam profitetur, non ut ſe laudet: ſed ut illos deformet, qui ſub nomine Chriſti contra Chriſtum prædicabant, à quibus Corinthii ſeducebantur; & veritas hæc his magis, quam ei proficeret. Hoc enim egit, ne audiantur ſeductores, quos diabolo comparavit propter aſtutiam malitiæ eorum; quia corrumpere fidelium corda à veritate Chriſti conantur. Hoc ergo timens, ſemper ſollicitus de eis eſt, ne violentur.

℣. 4. *Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non* D *prædicavimus: aut alium Spiritum accipitis, quem non accepiſtis: aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis;* [f] *recte pateremini.* Quare ait: *Recte pateremini*, ſi alius vobis Chriſtus prædicatus fuiſſet, aut ſi alius Spiritus, vel aliud Evangelium traditum vobis fuiſſet, cùm dicat Galatis: *Si quis vobis annuntiaverit, præterquam quod accepiſtis,* [g] *anathema ſit?* Si Galatis perverſum erat aliud accipere, quam ab apoſtolis fuerat traditum: quomodo Corinthiis rectum erat, ſi alius Chriſtus prædicatus illis fuiſſet? Sed ſciens Apoſtolus numquam alium Chriſtum quam hunc, qui crucifixus eſt, prædicari; idcirco ait: *Recte pateremini*, ſi vobis alius potior Chriſtus ab iis, qui veniunt, prædicatus fuiſſet. Galatis autem anathema dixit, ſi aliud audirent, E quod non utique majus eſſet, ſed contrarium. Porro autem, inquit, ſi ipſe Chriſtus prædicatur ab iis, qui a nobis annuntiatur, & hoc Evangelium; quid cauſæ eſt, ut nos inferiores habeamur, cùm nihil amplius ab illis addiſcatur? Superiùs de pſeudoapoſtolis loquutur fidei corruptoribus, hoc loco autem de veris prædicatoribus; quia plebs Corinthiorum variis erroribus fluctuabat, ut aliqui faverent pſeudoapoſtolis, quidam eis à quibus compoſitis verbis eadem audiebant, quæ ab Apoſtolo audierant: alii autem apoſtolis favebant, quia cùm Domino fuerant, apoſtolum ſuum Paulum deformantes, quia in carne non viderit Dominum. (Galat. 1. 9.)

℣. 5. F *Exiſtimo enim me in nullo inferiorem fuiſſe iis, qui valde ſunt apoſtoli.* Non vult gratiam Dei inferiorem in ſe videri; quia ſimiliter docuit, & eadem fecit, quæ faciebant apoſtoli, [h] qui propenſiores videbantur: quia priores cœperant docere, & fuerant cum Domino: unde majoris auctoritatis eſſe putabantur; cùm hujus apoſtoli [i] electio inſigni probata fuerit teſtimonio, & ipſe amplius ceteris laboraverit, & Dominum in templo orans viderit, & loquutus ſit ei.

℣. 6. *Sed etſi imperitus ſermone ſum, non tamen ſcientiâ.* Hoc

a. Nonnulli mſſ. *non ſolum puderet.*
b. Vet. edit. cum mſſ. quibuſdam, *non quaſi non miſſi pervenimus ad vos in prædicatione, ſed deſtinati à Deo mittente nos ad vos. Superextendi* &c.
c. Codex Corb. *quibus alterum labor conſtat.*
d. Omnes edit. & mſſ. aliquot. *labori ſuo quærat*: Corb. *labori ſuo adquirat*: reliqui demum, *labore ſuo quærat.*
e. Nonnulli mſſ. *corrumpantur à caſtitate Dei.*
f. Mſ. Corb. *recte pateremini. Non hoc dicit, quod rectum ſit alium Chriſtum, aut alium Spiritum recipere, aut aliam prædicationem; quippe dum ad Galatas dicat: Si quis vobis* &c.
g. Idem cod. Corb. *anathema ſit. Hoc eſt autem: Recte pateremini, ſi aliud audiſtis quod à nobis dictum non erit: aut ſi alius Chriſtus major ab eo, quem vos prædicamus, annuntiaretur vobis: aut potior Spiritus datus erat colore perfeſſionis, ut præponeretis nobis tales prædicatores. Porro autem* &c.
h. Rom. edit. *qui potiores videbantur.*
i. Vet. edit. & mſſ. aliquot *electio cum teſtimonio ſit, & amplius* &c.

Hoc non ad apostolos pertinet ; quia non erant eloquentes, ut pote sine litteris, pleni tamen Spiritu sancto : sed hos tangit, quos præferebant Corinthii, causâ accurati sermonis ; cùm in religione vis sermonis necessaria sit, [a] non sonus dulcis. Quomodo tamen se humiliat, ut imperitum se esse dicat in sermone ? Et ubi est illud, quod Festus ait : *Paule*, inquit, *Paule, multa litteræ* [b] *te faciunt excordem ?* Hoc ergo dicens, non se loqui nescire voluit intelligi : sed propter eos qui non per fidem, sed per eloquentiam commendari volebant. Et in eo tamen se dixit imperitum, quod non habet crimen : in eo autem [c] quod adquirit salutem, & cujus ignorantia non caret crimine, non se imperitum pronuntiavit ; quia qui imperitus est in sermone, reus non est apud Deum : qui autem scientiam Dei non habet, reus est ignorantiæ ; quia non licet ignorare, maxime quod pertinet ad salutem. Quamobrem Apostolus, spretâ eloquentiâ, id agebat, ut fides teste virtute acceptabilis esset ; ut non fidem eloquentia commendaret, sed virtus, cui cedit eloquentia. *In omnibus autem manifestus sum vobis.* Manifestum se dicit esse Corinthiis in omnibus, quia non ignorabant etiam loquendi habere illum peritiam, & hoc scientes alii favebant in eo, quo istum inferiorem nesciebant : ideoque commotus loquitur, quia hoc pejus erat ; ut cùm scirent illum in nullo deesse, humiliarent illum ceteris ; cùm vidissent per eum non solum impleri prædicationem ; sed & signa & prodigia fieri apostolica.

Act. 26. 24.

℣. 7. *Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini ; quoniam gratis Evangelium Dei prædicavi in vobis.* Quoniam inflati erant, eo quod sumtus ab eis accipere noluit, & propter hoc alios ei proponebant ; idcirco *numquid peccavi*, ait ; quia me humiliavi, ut me indignum ad accipiendum judicarem ; quia inde mihi irascimini, cùm hoc non peccati sit, sed gloriæ ? Itaque sic se humiliavit, cùm id quod sibi debebatur, non exegit. Debitum enim erat, ut sumtus ab iis acciperet, quibus prædicabat Evangelium Dei, sicut Dominus instituit, dicens : *Dignus est operarius mercede sua :* sed ut ad utilitatem eorum proficeret, refutavit. Duabus enim ex causis oblatos sumtus refutavit ; ne & pseudoapostolis similis inveniretur, qui non ad gloriam Dei, sed ad suam utilitatem prædicabant, ut non occasionem acciperent deprædandi ; alio enim non accipiente, non potest alter multum expetere : & ne vigor evangelicæ potestatis torpesceret ; qui enim à peccantibus accipit, arguendi auctoritatem amittit. Sic ergo exaltantur, cùm ideo ab eis non accipitur, ut correpti emendentur, à morte elevati ad vitam.

Luc. 10. 7.

℣. 8. *Alias Ecclesias exspoliavi, accepto stipendio ad ministerium vestrum. Et cùm apud vos essem, & egerem, nulli gravis fui.* Onerat eos ; ostendit enim non solùm noluisse se accipere ab eis, sed & ab aliis accepisse, & eis ministrasse. Et ut multum hoc ostendat fuisse, non parum, ait : *Alias exspoliavi Ecclesias ad ministerium vestrum.* Non parva ergo significat se in eos impendisse ; cùm enim dicit, *exspoliavi*, multa accepta & data significat, non extorta. Unde subjecit : *Accepto stipendio* ; stipendium est enim, quod militans accipit ad sumtus, vice mercedis. Ruborem ergo incussit eis ; quia non utique dolo refutavit, quando ipse eis ministravit, & ut per hoc ministerium, quod promiserant, facilius implerent, scientes se esse debitores ; ut non valde gloriosum jam sit ministerium eorum, sed debitum ; ne vel inde se jactarent.

℣. 9. *Et cùm apud vos essem, & egerem, nulli gravis fui.* In tantum eis proficere voluit, ut egestatem suam consolaretur propter eorum salutem. Passus enim egestatem contentus fuit ; ne illi aliquod scandalum paterentur. Qui enim dat, putat se exaltari, [d] & jam se non patitur argui. *Nam indigentiam meam suppleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia.* A Macedonibus semper accepit ; quia prius vitia sua correxerunt. Et sicut à Corinthiis accipiendum non erat, ne illis in scandalum proficeret ; sic iterum à Macedonibus accipiendum erat, ne bene seminantes fructum amitterent.

℣. 10. *Et in omnibus sine onere vestro me ipsum servavi, & servabo.* In eo semper se permansurum dicit, ut sic se corrigant, propter pseudoapostolos, qui occasionem quærebant deprædandi eos.

Est veritas Christi in me, quoniam gloria hæc non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Hortatur omnem Achaiam, ut ministrent sanctis : sibi autem non permittere, ne cœptam gloriam non impleret ; gloria est enim à licitis abstinere, maxime ad aliorum salutem. In Achaiæ ergo regionibus noluit uti, in ceteris usus est : & amplius promittit sub testimonio Christi, dicens in eo se mansurum ; ne aliquando ab Achaiæ regionibus acciperet.

Quare ? Quia non diligo vos ? Deus scit. Reddita ratione etiam Dei scientiam testem dat dilectionis suæ, quam habebat erga eos ; quia non ideo nolebat accipere, quia non illos diligebat ; sed ideo magis, quia amabat eos, ut hoc ipsum prodesset illis, sicut dixi. ℣. 11.

Quod autem facio, & facturus sum ; ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in eo quod gloriantur, inveniantur, sicut & nos. Gloria pseudoapostolorum in pecuniis erat accipiendis. Ideo Apostolus hoc refutavit, ne illis similis videretur ; quia nisi hoc ab Apostolo fuisset vitatum, major occasio illis data fuisset accipiendi, aut magis extorquendi ; quando in hac re formam ab Apostolo datam ostenderent. ℣. 12.

Hujusmodi enim pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Subdoli sunt, quia avaritiæ causa, non religiosa mente, neque missi prædicabant Christum, nomen sibi apostolicum usurpantes. ℣. 13.

Nec utique mirum ; ipse enim satanas transfiguratur velut Angelus luminis. Manifestum est quia frequenter multos fallit satanas, ostendens se illis quasi Angelum Dei ; ut decipiat eos. Unde Jesus Nave sollicitus, quæsivit quis esset, qui ei apparuit. Et apostoli in navi perterriti putabant phantasma esse. Unde Petrus apostolus dicenti Domino : *Nolite timere, ego sum* ; non facile credens, ait : *Si tu es, jube me venire ad te super aquas ;* ut si firmiter posuisset pedem super aquas, sciret verum esse quia non erat phantasma, quod apparebat. ℣. 14.

Josue 5. 13. Matth. 14. 27. Ibidem 28.

Non ergo magnum, si & ministri ejus transfigurantur, sicut ministri justitiæ. Ministri justitiæ apostoli sunt, quorum se hi socios mentiebantur, ut deciperent audientes. *Quorum finis erit secundum opera eorum.* Sine dubio, quia judicabuntur hujusmodi secundum animi sui nequitiam ; quia non propter Deum, sed propter suum ventrem simulant se ministros Dei. Finem tamen illorum secundum opera illorum dicit ; ut sicut opera & cura ventris interit, ita & hi interire intelligantur. ℣. 15.

Iterum dico ne quis existimet me insipientem, alioquin velut insipientem accipite me ; ut & ego modicum aliquid glorier. Supra jam dixit ; *Utinam sustineretis pusillum imprudentiam meam :* hoc nunc repetit ; semper enim proponit, quod postea multis interpositis prosequatur. Quod ergo supra proposuit, modo incipit enarrare : nam vera dicturus, velut insipientem se dicit ; quia videntur ad laudem ejus pertinere. *Ut & ego modicum*, inquit, *glorier*. Modicum hoc dixit, quia in verbis, non in sensu est. Non ergo vere ad gloriam suam hæc loquitur, sed vult illis ostendere, quia quos putant gloriosos, nihil plus ab hoc habent : ac per hoc si putantur hi gloriosi, & ego inquit. Ideo insipientis hoc esse dicit, ut ad laudem suam aliquid prosequatur, se autem coactum hoc loqui. Dolet enim ei, ut illos [e] putarent sublimes hoc contemto, qui nihil plus ab eo haberent. ℣. 16.

Cap. 11. 1.

Quod loquor, non loquor secundùm Deum. Secundùm Deum non loquitur ; quia ad carnis tumorem hæc pertinent, nec de inflatione apud Deum surgit gloria ; quia apud Deum humilitas gloriosa est. *Sed quasi in insipientia in hac substantia gloriationis.* Non plenam dixit insipientiam, sed ex parte ; veritas enim est. Sed quia elatio vitiosa res est ; ideo quamvis verum sit, quod dicitur ; quasi insipientia tamen est unumquemque laudare se. Plena autem insipientia est, [f] si se falsis quis laudet : ille enim superbus de vero est, hic stultus de falso ; substantia tamen gloriationis in hac causa carnalis est ; quia sicut flos fœni, ita decidit gloria ista. ℣. 17.

Quia multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Hoc dicit, quoniam aliqui ex Judæis credentes præsumebant sibi, quòd essent filii Abrahæ. Hoc est secundum carnem gloriari, nobilitatem sibi carnis vindicare. Inde enim sibi defendunt generis prærogativam ; quia filii ejus dicuntur, ℣. 18.

a. *Non sonus dulcis. In omnibus autem.* Ita mss. Corb. in quo quidquid inter hæc verba medium est, omittitur.
b. Vet. edit. cum mss. non paucis, *te faciunt exterrem.*
c. Ita edit. Rom. & mss. nonnulli : vet. autem edit. cum aliis mss. multo pluribus, *quod non caret crimine, & adquirit salutem* : sextus Laud. sublata negatione legit, *quod caret crimine* &c.
d. Codex Vall. *& inde se patitur argui.*
e. Mss. aliquot, *putarent sublimes hoc contempto, quia nihil* &c.
f. Rom. edit. *si se falso quis laudet.* Iterum non multo post nonnulli mss. legunt, *carnalitas est*, ubi alii, & omnes edit. *carnalis est.*

Ezech. 18. 20. qui Deo crediderint : *Cum anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Si ergo hæc gloria est, inquit, & ego gloriabor ; quia & ego filius sum Abrahæ. Sed nihil prodest filium esse Abrahæ apud Deum ; quia fides est, quæ salvat, non propago generis Abrahæ. Ideoque gloria hæc carnis est gloria, ut puta si dicatur, nobilis filius hominis.

℣. 19. *Libenter enim* [a] *sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.* Insipientes appellat, qui de carnis circumcisione gloriabantur : & quia à Corinthiis portabantur, ut gloriosi viderentur ; ideo Apostolus etiam se sustineri ab his vult ; ut & ipse hoc se esse ostenderet, quod erant hi, & non tamen gloriari ex hac parte secundùm Deum ; unde gloriam hanc insipientiam vocat. Gloriari enim se dicit secundum carnem ; sed hoc stultum esse profitetur, ut & gloriam hanc inaniret, & se coactum in laudem carnis erupisse docet. Igitur ironia est hæc. Nam quomodo prudentes sunt, qui sæpe reprehenduntur ? nonne plus sapit insipientia Apostoli, quàm horum prudentia ? Hic enim sapiens sustinet imprudentes, [b] qui patientiâ suâ suffert eos, ut possint proficere ; ne provocans eos, aut abjiciens, pejores illos faciat, aut certe si in illis proficere non potuerit, suam modestiam custodit. Horum in Corinthiis nihil est. Quomodo ergo libenter sufferunt imprudentes, cùm ipsi sint sapientes ; nisi quia non sic vult intelligi, sicut sonant verba ? Hoc in sensu & pronuntiatione est ; quia eadem quidem verba non eumdem [c] habent sensum, aliter pronuntiat ; ut aliquando confirmet, aliquando neget, quod dicit. Hi enim ut prudentes, insipientes sufferebant falsos apostolos.

℣. 20. *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit.* Hoc verum est ; quia redigebantur in servitutem, non per prudentiam ; sed per stultitiam ; ut famularentur pseudoapostolis. *Si quis devorat.* Nec hoc falsum est ; quia contenti erant devorari res suas à falsis doctoribus. *Si quis accipit.* Accipere est aliquem dolo capere ; ideoque significat hos capi à dolosis magistris, [d] & ferre quod non expedit. *Si quis extollitur.* Extollentia superbia est. Hos ergo tangit, qui superbi erant, male taxantes Apostolum, & his non displicebant. *Si quis in faciem vos cædit.* In faciem cæditur, in cujus os injuria irrogatur. Nunc hos significat, qui eo quod essent de genere Abrahæ, obtrectabant eis, quod essent incircumcisi, se præferentes, hos humiliantes.

℣. 21. *Secundum ignobilitatem dico.* Ignobilitatem dicit hoc,
2. Cor. 11. 18. quod supra ait : *Et ego gloriabor secundum carnem.* Non enim dicit ad laudem pertinere, quia infirmus non erat, in quo se jactabant, quos occulte tangit. Unde & adjecit : *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.* Manifestum est quia non erat in hac gloria infirmus, [e] in qua se præferebant credentes Judæi, quos hi patiebantur, quasi Apostolus eorum in hac re esset dissimilis ; quia & ipse erat de semine Abrahæ, [f] ac per hoc infirmus non erat in hac gloria carnis. Infirmi autem hi judicabantur, qui applicati fuerant generi Abrahæ. Isti enim quasi infirmi in eo quod ille se præferebant, eo quod essent Israëlitæ, in hoc ipso volunt se sufferri. Ut [g] ostenderet in hac gloria carnis non se esse dissimiles & infirmos, cùm de sua causa loquitur, subinducit & Barnabæ personam socii sui. Unde & in pri-
1. Cor. 9. 6. ma dicit epistola : *Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi ?* Non ergo minores erant in hac gloria, in qua se Judæi jactabant, sed non inde plaudebant. Denique dicit. *In quo quis audet ? In insipientiam dico, audeo & ego* : hoc est, non fuisse infirmum in gloria, qua se jactabant Israelitæ ; nec quidem in hac re prudentem indicari ; præferre enim se nolunt prudentes. In insipientiam ergo se dicit audere in eo quod audent ii, qui se jactant, eo quod sint filii Abrahæ ; ut gloriam eorum inaniat : imprudentem se pronuntiat ; ne illi prudentes viderentur in hac parte, aut nobiles.

℣. 22. *Hebræi sunt, & ego : Israëlitæ sunt & ego : semen Abrahæ sunt, & ego :* In his parem se eorum, de quibus supra significavit, ostendit ; ut detractiones eorum, quibus indignus ab his judicabatur, falsas ostenderet.

℣. 23. *Ministri Christi sunt, & ego velut insipiens dico, plus ego.* Vera de se dicens, insipientem se pronuntiat, ut intelligatur coactus in laudem suam prorupisse. Nam qui sponte ea refert, quæ ad laudem ejus proficiant, imprudentem se non dicit. Ostendit ergo quæ sint, quæ faciant illum ministrum Christi magis esse, quam sunt reliqui prædicatores. Occasione enim inventa, omnium tangit personas, etiam apostolorum, dolens quia Dei gratia minor in hoc judicabatur ; cùm eadem operaretur, quæ ceteri apostoli, & fidei causâ majora exitia toleraret. Unde & in alia epistola dicit : *Plus illis omnibus laboravi.* 1. Cor. 15. 10.

In laboribus plurimis. Ideo in pluribus ait laboribus, quia & illi laboraverunt, sed non tantum. Hic enim à mane usque ad quintam horam victum manibus quærebat, & ita exinde usque ad decimam horam dispnrabat publice tanto labore, ut contradicentibus suaderet. *In carceribus abundantius.* Apertum est frequentius istum missum fuisse in carcerem, quam illos. *In plagis supra modum.* Ideo supra modum, quia ultra quam oportuit. Nam & illi cæsi sunt, sed non tantum. *In mortibus sæpius.* Verum est, quia hic frequentius pericula sustinuit, quam ceteri.

A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Hoc dicit, quia quinquies flagellatus est à Judæis secundum legem Moysis, accipiens plagas triginta novem, sicut scriptum est in Deuteronomio. Quod per quinque ergo vices factum est, hic summatim refert. ℣. 24. Deut. 25. 3.

Ter virgis cæsus sum. Hoc à gentibus passus est. *Semel lapidatus sum.* A Judæis lapidatus est in civitate Lycaonia. ℣. 25. Act. 14. 18.
Ter naufragium feci. Qui omni tempore legitur navigasse, adversis procellis facile fuit ter naufragium facere. *Nocte & die in profundo maris fui.* Hoc factum est, quando missus est Romam, cùm appellasset Cæsarem. Tunc desperatione Act. 25. 11.
vitæ in alto, hoc est, in profundo maris fuit, mortem ante oculos habens. Sic enim scriptum est in ipso loco : *Ita ut desperaremus nos etiam vivere.* 2. Cor. 1. 8.

In itineribus sæpe. Nunc alia memorat pericula, ut terra marique pro Christo vexatum se secundum carnem ostendat. *Periculis*, ait, *fluminum.* Si itinerum pericula recitat, quid est ut dicat, *Periculis fluminum* ? Sed hyeme iter faciens ; quia utique imbres assidui sunt, egredientibus fluminibus incurrebat periculum. *Periculis latronum.* Cùm in civitate diabolus eum occidere non posset, latrones illi excitabat in via, cùm nihil ferret, quæ latrones cuperent. *Periculis ex genere.* Judæorum dicit persecutiones, qui fratres ejus erant secundum carnem ; dolebant enim, [h] quia deserta Lege ad Evangelium Christi se converterat. *Periculis ex gentibus.* A gentibus persecutiones passus est propter mysterium incarnationis domini nostri Jesu Christi, & unius Dei prædicationem. *Periculis in civitate.* Usque adeo periculum fuit in civitate, ut per fenestram effugeret manus insidiantes sibi. *Periculis in deserto.* Periculum hoc à Judæis fuit procuratum, quando eum, factis insidiis, in via violebant occidere. *Periculis in mari.* Jam superius dixit : *Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui* ; quod aliud fuit periculum in mari : Sed hoc est periculum, quando in mari, hoc est, in navi, milites cogitaverant omnes custodias occidere ; ne quis enatans effugeret. Quod periculum centurio prohibuit inferri ; ne Paulus occideretur, ut eum vivum Romam perduceret. *Periculis in falsis fratribus.* Falsi fratres ii sunt, de quibus dicit ad Galatas : *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintraverunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu.* Hi enim partim christiani erant, partim Judæi, in neutro perfecti, qui zelo Legis Apostolo invidiam excitabant, eo quod, prædicato Christo, Legem jam cessare dicebat. Denique his perurgentibus, Timotheum compulsus est circumcidere. Fictus ergo christianus est, qui æmulatione Legis persequitur christianum : & hic est falsus frater. Si enim tantum Judæi erant hi, & propter Judaismum fratres eos falsos appellat, quid opus erat iterare ? Jam enim superius dixit : *Periculis ex genere.* Sed secundum carnem non sunt falsi fratres, in Christo autem falsi sunt ; quia non tota mente christiani sunt. Fuerunt & alii falsi fratres, sicut Demas & Hermogenes. ℣. 26. 2. Cor. 11. 33. Act. 27. 42. Galat. 2. 4. 1. Tim. 1. & 4. 2. Tim. 4. 9.

In labore [i] *& molestia.* Verum est quia potest esse labor sine molestia : sed hîc ideo addidit : *Et molestia*, ut labo- ℣. 27.

a. Quidquid intercedit inter hæc verba, *sustinetis insipientes*, & alia illa, *ironia est hæc*, in cod. Corb. desiderantur.
b. Nonnulli mss. *qui sapientia sua.*
c. Mss. aliquot, *habent sensum aliter pronuntiata.*
d. Ita vet. edit. & mss. excepto Corb. in quo, *& fieri, quod non expedit* : Rom. edit. sola, *ac ferre, quæ non expedit.*
e. Corb. cod. *in qua se præferebant Judæi, quia & ipsi erant ex semine Abraha, sed non inde plaudebant. Denique dicit : In quo quis audet* &c.

f. Mss. nonnulli, *infirmi non erant in hac gloria terræ*, Laud. *gloria Christi.*
g. Quidam mss. *ut ostenderent . . . . dissimiles & infirmos* : nonnulli, *ut ostenderet . . . dissimilem, & infirmum* : reliqui & edit. ut in textu.
h. Sic Rom. edit cum mss. nonnullis : vet. edit. cum aliis mss. *quia spreta Lege* : Corb. *quia adversa Lege.*
i. Ms. Corb. & *molestia. Hic ideo addit, & molestiam : ut laborem assertum gravem ostenderet.*

rem ipsum exitiosum ostenderet. *In vigiliis multis.* Multæ A
fuerunt ejus vigiliæ: sed aliæ voluntariæ, alteræ ex neces-
sitate; in pressura enim positus, necesse erat, ut vigilaret
Dei quærens auxilium: & non solum diebus, sed & nocti-
Act. 20. 31. bus doceret, sicut dicit in Actibus apostolorum. *In fame*
& siti. Fugatus frequenter à Judæis persequentibus, necesse
erat, ut famem pateretur & sitim per inopiam. *In jejuniis*
sæpe. Sæpius jejunavit, ut Dei adminiculo protegi merere-
a tur: jejunat enim, [a] qui dum habet quod edat, abstinet.
In frigore & nuditate. In frigore fuit & nuditate, quando
Act. 28. 2. naufragium passus est. Denique ignem fecerunt, ait, & re-
fecerunt nos propter pluviam imminentem & frigus Bar-
bari in insula Melitæ.

℣. 28. *Præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea, quotidia-* B
na sollicitudo omnium Ecclesiarum. Sollicitudo hæc, quam
b dicit quotidianam, [b] de traditionis usu descendit; ut omni-
bus diebus commissum sibi populum instruat: illa autem
quæ supra memorat, superindicta sunt, necessitate cogente.
Dies enim ad opera datus est, nox ad requiem: sed quia
instabat necessitas, ut omnibus succurreret, etiam noctu
docebat. Se enim affligere non dubitabat; ne Dei gratia
esset in otio.

℣. 29. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Compati se dicit
omnibus, & condolere eo affectu, quo provideat vulneri
medicinam. Hoc autem ideo prosequitur, ut ostendat qua
cura commissam sibi Ecclesiam tueatur & regat: ac per C
hoc in nullo se minorem debere judicari ceteris apostolis;
c quippe qui [c] secundùm quod declaravit, plus illis omni-
bus laboraverit. Majore enim invidia laborabat apud
Judæos pro ceteris apostolis; quia cùm persequeretur Ec-
clesiam, subito immutatus, factus est defensor ejusdem,
Act. 9. 6. & seq. testificans atque confirmans quod Christum, quem prius
ut hominem mortuum æstimabat, de cælo secum loquutum
audierit. Cujus testimonium necessario multi sequerentur,
scientes eum de persecutore non utique sine ratione factum
defensorem. Hac causa excruciabantur Judæi, & quære-
bant eum semper interficere. *Quis scandalizatur, & ego*
non uror? Scandalizari est carnis pati desiderium, quan-
tùm ad locum hunc pertinet. Et quia etiam inviti solent D
scandalizari, illecti forma aut pulcritudine corporis, aut
propriæ carnis calore: Apostolus necessitatem humanæ na-
turæ considerans, uri se dicit; ut consulat talibus, compa-
tiens infirmitati eorum: nec hos condemnans, sed commo-
nens in humilitate sermonis, ut spe promissi præmii repug-
nent stimulis carnis; ne quis eorum, qui eum audiunt, de-
sideriis carnis victi, desperantes de se, putantes jam non
accepto ferre Deum, si corrigant, & in eisdem manentes,
depereant.

℣. 30. *Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt, gloria-*
bor. Hoc dicit, quia si gloriandum est christiano, in hu-
militate gloriandum est, qua crescitur apud Deum. Unde
2. Cor. 12. 10. alio loco dicit: *Cùm infirmor, tunc potens sum*, hoc est, E
d cùm humilior [d] pro fratrum salute, tunc exaltor. Hinc
gloriandum est, non de carnis progenie, quia est quis ex
semine Abrahæ.

℣. 31. *Deus & Pater domini nostri Jesu Christi, qui est benedic-*
tus in sæcula, scit quod non mentior. Deum testem dat,
ut quæ dicit, facile credantur; & propter eos dumtaxat
qui eum non ut verum apostolum honorificabant.

℣. 31. *Damasci princeps gentis Aretha regis custodiebat civita-*
℣. 33. *tem Damascenorum, ut me comprehenderet: & per fenestram*
in sporta demissus sum per murum, & effugi manus ejus.

CAP. XII. *SI gloriari oportet, [e] sed non opus est mihi.* Princeps Da- F
℣. 1. masci videns Judæos insidias tendentes Apostolo, im-
e plere voluit per potentiam, malam cogitationem eorum,
ut ipse si posset, eum comprehenderet, & ut Judæis pla-
ceret, & ut diligens in officio sibi credito videretur, si
f eum quem publice [f] perturbatorem audiret, causâ quietis
interficeret. Hoc inter ipsa primordia, tunc quando appa-
Act. 9. 2. & seq. ruit illi in via Dominus eunti Damascum, incensi sunt Ju-
dæi, videntes eum, qui vinctos credentes in Christum ve-
nerat perducere in Hierusalem, prædicare sectam, quam
venerat condemnare: & sic factum est ut à discipulis per
fenestram per murum in sporta demissus effugeret. Quod
quidam indigne factum dicunt; quia non Dei auxilio li-
beratus est. Sed quod ab hominibus fieri potuit, quid opus
erat, ut Dei suffragio liberaretur; cùm Dei suffragium
tunc sit necessarium, si humanum auxilium deficiat? Quo
facto non sibi dicit expedire gloriari, quia præsentis vitæ
gaudium fragile est; si enim non evasisset, martyrium fe-
cerat. Sed quia fugiendum in persecutione mandatum est, Matth.
datâ operâ effugit; nec enim debet aliquis exspectare, ut
in semet ipsum peccetur. Ergo gloriandum dicit, quia eva-
sit: sed non expedit, inquit, propter superbiam; quia de
humilitate crescitur, & auxilium Dei mitibus proficit, non
elatis. Præterea quia gloriatur mortem se evasisse, quæ
pro fide infertur, [g] inane videri significat pati pro Christo;
ideo non expedit gloriari.

Veniam autem ad visiones & revelationes Domini. Nunc ℣.
ostensurus est, quo sublatus est; ut proinde quanta & qua-
lia sint, quæ illi ostensa & dicta sunt, possint intelligi: ne,
sicut quibusdam videbatur, minor ceteris apostolis crede-
retur. *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos qua-*
tuordecim, sive in corpore, nescio, sive extra corpus nescio,
Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cælum. Utrum-
que confirmavit, quia utrumque posse fieri non negavit:
ut & sine corpore rapi potuisset, & in corpore. Et forte
quibusdam videatur non magnum esse, si homo Christi rap-
tus est usque ad tertium cælum; [h] cùm in tertio circulo di-
catur luna esse. Sed non ita est, quia ultra omnia mundi
sidera raptus intelligitur: & ideo magnificum & mirabile
est quod narrat; significat enim supra firmamentum, in
tertium numero cælum de spiritalibus cælis raptum semet
ipsum.

Et scio talem hominem, sive in corpore, sive extra corpus, ℣.
nescio, Deus scit, quia raptus est in paradisum, & audivit ℣.
arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi glo- ℣.
riabor. Bis se raptum dicit, id est, primò hinc usque ad
tertium cælum, deinde in paradisum cælestem, in quo la-
troni dixit Dominus, quòd futurus esset cùm eo [i] in para- Luc.
diso, inquit, Patris: illic ubi & civitas Dei dicitur esse
Hierusalem mater nostra. Quid ergo mirum, si post resur- Gal.
rectionem corpus jam expiatum atque tenuatum factum,
immortale futurum credatur in cælis; quando non dubitat
Apostolus adhuc mortale corpus potuisse levari in cælos,
& tolli in paradisum Dei Patris cælestem? Pro hujusmodi
homine, id est, qui tam dignus est Deo, ut hoc experi-
retur, gloriari se dicit: & non vult aperte dicere quia de
se loquitur, ne laudare se videatur. Et Johannes aposto-
lus, cùm de se sciatur loqui: *Hic est*, ait, *discipulus, quem* Johan.
diligebat Jesus, qui & recubuit in cœna supra pectus ejus;
ne gloriose de se effari videretur. *Pro me autem non glo-*
riabor, nisi in infirmitatibus meis. Sic de se non gloriatur,
dum non aperte de se profitetur. In infirmitatibus sane
inquit, meis gloriabor. Exponere enim pressuras passio-
num, & infirmitates angustiarum non videtur gloriosum,
[k] sed flebile. Idcirco se in his gloriari dicit, sciens tamen
quia ad profectum perducunt [l] remunerationum cælestium.
Quid enim tam gloriosum in futurum christiano, quam
exitia pro Christo illata sibi narrare?

Nam & si voluero gloriari, non ero stultus; nam veritatem ℣.
dicam. Hoc dicit, quia si meritum suum profiteatur, quod
habet apud Deum, non erit imprudens; vera enim loqui-
tur. Ergo si quis pro meritis suis, quæ sibi ostensa sunt,
loquitur, non est utique stultus: si autem taceat, est etiam
prudens. Sed qua causa hîc non palam glorietur, nunc sub-
jicit dicens: *Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod*
videt in me, aut audit aliquid ex me. Ostendit igitur qua causa
non aperte glorietur: Ne quis me existimet, inquit, ultra,
gloriam meam tendere, quàm limes meritorum admittit.
Hos significat, quos obtrectatores habebat causâ Legis,
sicut supra memoravi. Nam utique meritorum gloriam
bonum est non tacere; ut invitentur credentes.

a. Non pauci mss. *qui non habet quod edat, & abstinet.*
b. Ita plerique mss. alii vero, & vet. edit. *detractionis usu*: cod. Vat. *de*
tractationis usu. Rom. edit. *de dispensationis usu*.
c. Amerb. edit. cum mss. aliquot, *secundùm quod claruit*.
d. Cod. Laud. *pro salute mundi*: Vall. *pro salute fratris*. Idem vero cod.
Vall. post pauca legit, *quia est quisque ex semine Abrahæ*, ubi ceteri, & edit.
quia est quis &c.
e. Ita plures ac potiores mss. à quibus alii & vet. edit. non recedunt, nisi
quod præferunt, *non expedit mihi*, pro *non est opus mihi*. At Rom. edit. rejecto
eodem textu post inferiora illa, *si humanum auxilium deficiat*, ibidem ordi-
tur cap. 12.
f. Rom. edit. sola, *perturbatorem audiret quietis, interficeret.*
g. Eadem edit. Rom. *inane videtur significare.*
h. Codex Corb. *cùm in quarto circulo dicatur.*
i. Rom. edit. sola, *cum eo in paradiso: illic ubi* &c.
k. Codex Corb. *sed debile.*
l. Nonnulli mss. *remuneratione cælestium.*

℣. 7. *Et ne sublimitate revelationum extollar, datus est mihi* A
a *stimulus carnis, angelus satanæ,* [a] *ut me colaphiset, ne extol-*
lar. Deum bonis meritis providere testatur; dum permit-
tit tentationibus bonos deprimi, non solùm ne laborum
suorum fructibus abdicentur, verum etiam ut augeantur his
ad cumulum possessionis æternæ. Hoc ergo remedium da-
tum est Apostolo, ut injuriis pressus, animo non possit
extolli pro magnitudine revelationum; quia otiosum pectus
necesse habebat in iis, quæ viderat, extolli.
℣. 8. *Propter hoc ter Dominum rogavi, ut discederet à me; &*
℣. 9. *ait mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus* [b] *in infirmi-*
b *tate perficitur.* Stimuli diaboli, quos perfide mentibus in-
ferens ad nocendum Dei servis instigat, ut cessarent ab eo, B
ter Dominum deprecatum se fuisse, & non impetrasse testa-
tur: non quia despectum se dicit, sed quia inscius contra se
petebat, ut cessarent ab eo tentationes, per quas perfectior
Rom. 8. 27. se fiebat. Ideo ad Romanos dicit: *Nam quid oremus, sicut*
oportet, nescimus. Unde hoc dicit sibi responsum, ut suffi-
ceret sibi gratia Dei, qua aut vires tolerandi addeban-
tur, aut tempus pressuræ abbreviabatur; ut devotio dum
infirmitate pressuræ accidentis non frangitur, probata vi-
deatur. *Libentissime itaque magis gloriabor in infirmitatibus*
c *meis,* [c] *ut inhabitet in me virtus Christi.* Apertum est quia
tunc gloriandum docet, quando injuriis humiliatur. A Chris-
to autem virtus tolerandi præbetur; ut quia prius asperæ, C
ac per hoc fastidiendæ injuriæ videbantur, postea libenter
suscipiendæ; ut Christi auxilio leniantur. Libenter ergo
cædi se dicit, dummodo à Christo curetur, sciendo plus
addere medicinam Christi ad salutem, quàm infirmitas de-
trahit sanitati.
℣. 10. *Quapropter placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis;*
cùm enim infirmor, tunc potens sum. Verum est, quia tunc
vincit Christianus, cùm perdere putatur: & tunc perdit
perfidia, cùm se vicisse gratulatur. Plaudit ergo, cùm illi
insultatur; & surgit, cùm premitur.
℣. 11. *Factus sum insipiens: vos me coegistis.* Compulsum se di- D
cit, ut quid esset, ostenderet. Et non utique stultus est,
qui de se vera loquutus est: sed inclinat se, ut manifestet
quia non voluntate merita sua ostendit. *Ego enim debui à*
vobis commendari. Manifestum est, quia hi debuerant testi-
monium ei perhibere adversus obtrectatores ejus, apud quos
Ecclesiam constituit, & signorum prodigia apostolatus
ostendit; ut hoc tacente, illi eum defenderent, quem pa-
trem habebant in Evangelio Christi. *Nihil enim minus feci,*
quam illi valde apostoli. Valde, hoc est nimis, sicut quibus-
dam videbatur; nam hoc erant, quod & apostolus Paulus.
Hoc ergo dicit, quia minor non est neque in prædicatione,
neque in signis faciendis, apostolis præcessoribus suis, non
in dignitate, sed tempore. Nam si de tempore præscriben- E
dum putatur, ante cœpit Johannes prædicare, quam Chris-
tus; & non Christus Johannem, sed Johannes Christum
baptizavit. Num ergo sic judicat Deus? Denique prior se-
quutus est Andreas Salvatorem, quam Petrus: & tamen
primatum non accepit Andreas, sed Petrus. Quare ergo
apostolus quibusdam non videbatur; cùm eadem posset per
Dei gratiam, quæ & apostoli? Ideo dolet, & compulsus
d ostendit, [d] quid à dignatione Domini mereatur. Hinc est
unde non solùm minorem se non esse coactus est profiteri,
e sed & plus omnibus laborasse. [e] His ergo displicebat, &
non videbatur esse apostolus, qui æmulatione paternæ le- F
gis prædicationem ejus respuebant, quasi inimici traditionis
Moysis; quia eam jam cessare dicebat, apostolis magis fa-
ventes, & istum his humiliantes; quia illi non tam con-
stanter contra Legem aliquid adserebant.
℣. 12. *Et si nihil sum, signa tamen apostoli facta sunt in vobis*
in omni patientia, signis, & prodigiis, & virtutibus. Sic
se humiliat, ut erigat; patientiam tamen primam memo-
rat, quia diu illos portavit quasi impatientes ægros; ut
adhibitâ medicinâ signorum atque virtutum, curaret vulne-
ra erroris illorum.
℣. 13. *Quid est enim quod minus habuistis ceteris Ecclesiis, nisi*
quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.
f Adhuc per humilitatem [f] se commendat; ostendit enim non

A minus illos aliquid habuisse ceteris Ecclesiis, sed & am-
plius; Evangelium enim Dei gratis his prædicavit, quod
nullis concessum est Ecclesiis, dicente Domino: *Dignus est* Luc. 10. 7.
enim operarius mercede sua. Si ergo pro bono opere [g] injuria, g
inquit, dignus sum, ignoscite mihi: omnis enim stultus
boni accusator est. Ut hos ergo imperitos ostendat, veniam
ab his postulat ejus facti, de quo laude dignus est.
Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, & non vos gra- ℣. 14.
vabo. Ne forte hoc inter initia fecisse putaretur ad commen-
dationem suam, post autem mercedem evangelicæ prædica-
tionis velle accipere, ostendit in ea se voluntate durare; ne
factum suum postea emendare videretur, & esset quod ab
B obtrectatoribus reprehenderetur. *Non enim quæro quæ vestra*
sunt, sed vos. Ostendit ideo se nolle accipere ab eis, ut il-
los ipsos lucraretur; ut intelligentes quia pecuniæ præponit
eos, tandem cognoscerent affectum illius erga se. *Nec enim*
debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Pa-
trem se eorum significat, sicut in prima epistola dicit: *Per* 1 Cor. 4. 15.
evangelium ego vos genui. Carnales tamen parentes sunt,
qui filiis thesaurizant; nam spiritales à filiis dignum est ut
accipiant sumtus ad sustentandam vitam præsentem. Non
enim magnum est ut spiritalia tradentes, consequantur car-
nalia. Hîc autem in tantum probat se nolle accipere, ut
transferat causam carnalis patris ad spiritalem; ut non so-
C lùm non ab his accipiat, sed & si potest fieri, ipse illis tri-
buat, sicut jam supra dixi. *Alias Ecclesias exspoliavi,* 1. Cor. 11. 8.
accepto stipendio ad ministerium vestrum. Hoc dicto tangit
eos, ut intelligant quantus sit & quid ii mereantur, qui tan-
ti apostoli providentiam neglexerunt.
Ego vero libentissime impendam, & super impendam, & ipse ℣. 15.
impendar pro animabus vestris. Nunc aperte affectum & ca-
ritatem, quam circa eos habebat, ostendit; quando non so-
lum sua pro eis impendere, & propensius impendere para-
tum se dicit, sed & se ipsum pro salute animarum eorum
etiam mori, sicut & apostolus Johannes dicit: Quia exem- 1. Johan. 3. 16.
D plo Salvatoris pro fratribus etiam animas nostras debe-
mus ponere. *Plurimum vos diligens, minus diligor.* Provo-
cat eos ad amorem; quia ipsi plus illum deberent diligere,
maxime per quem didicerunt viam salutis, per quem & ad-
quisiti sunt Deo, ex perfidis facti fideles, & ex contaminatis
purificati.
Sed esto, ego vos non gravavi; sed ut astutus dolo vos ce- ℣. 16.
pi. Omnia quæ possent ex adverso proponi, non tacet, ut
se purget per omnia; quia nihil per circumventionem egit
apud eos, sed in simplicitate, sibi semel prospiciens, his du-
plici genere; ut & apud Deum provideret eis, & hîc cen-
sum illorum non quæreret: sibi autem hoc sufficere quod
à Deo promissum est in futurum. Forte enim suspicaren-
E tur ideo illum contemsisse, quia parva erant, quæ offere-
bantur, ut majora consequeretur; ut circumspiciens merita
sua, non pecuniam refutaret, sed [h] numerum indignum sibi h
æstimans contemneret.
Num per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos? ℣. 17.
Hoc est, quod dicit, quia quos misit, non illis hoc intima-
runt, ut si vellent, pacatum habere Apostolum, dignam
quantitatem personæ illius offerrent: quia ideo noluisset acci-
pere, quia minus quam dignum erat, offerebatur. Quod
compositum Apostoli astutia intelligerent; ut quod egit, non
per contemtum, sed per avaritiam egisse probaretur.
F *Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid avarus* ℣. 18.
in vos fuit Titus? Nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne
iisdem vestigiis? Apertum est quia quando ab iis quos mi-
sit, nihil tale dictum aut factum est; una eorum sententia
probatur in bono, exclusa suspicione avaritiæ.
Iterum putatis quod excusemus nos apud vos? Hoc est, ℣. 19.
quod dicit: Olim de nobis [i] dubitatis, arbitrantes quia non i
simpliciter agamus vobiscum. A pseudoapostolis enim exa-
gitabantur, quia volentes deprædari eos, tergiversatione hoc
agere Apostolum adserebant, quasi ut plus possit accipere.
Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, carissimi, pro
vestra ædificatione. Sic cupit illos verum & bene sentire de
se, ut & ratione & testificatione satis illis faciat; quia non
ut sibi prosit, talem se probet: sed ut ad ædificationem eo-

a. Post voces, *ut me colaphiset*, Rom. edit. jugulaverat, *ne extollar.*
b. Rom. edit. *in infirmitate consummatur. Stimulos quos diabolus perfide*: vet. edit. ac mss. nobis suffragantur, nisi quod illæ habent cum cod. etiam nonnullis, *stimulos*, & mss. aliquot, *perfidis*, aut *perfidiæ mentibus.*
c. Rom. edit. sola, *ut prætendat in me* &c.
d. Mss. aliquot, *ad agnitionem Domini* &c.
e. Cod. Corb. *His ergo displicebat, & non videbatur: & istum hi humiliantes erant, qui apostolicam prædicationem respuebant. Et si nihil sum* &c.

f. Idem cod. Corb. *se exaltat; ostendit enim non minus illos aliquid habere, & c. ut prodat perfidiam, cùm se vicisse gratulatur. Plaudit ergo cùm illi insultantur habuisse condigna ceteris Ecclesiis, dicente Domino: Dignus est enim operarius* &c.
g. Rom. edit. *injuria dignus sum, donate, inquit, hoc est, ignoscite mihi.*
h. Ita mss. & edit. excepto cod. Corb. ubi habetur, *non pecuniam refutaret*; & Rom. edit. ubi, *sed munus indignum* &c.
i. Codex Laud. *dubitatis quod excusem, arbitrantes* &c.

rum proficiat; ut vel sic amorem illorum circa se provocet, dum non gravat censum illorum & auctoritatem potestatis in arguendis vitiis non inclinat. Sine dubio enim prodest ei, qui corripitur, ut emendet: si præpositus ideo oblata refutet, ut libere arguat.

ỳ. 20. *Timeo enim, ne cùm venero, non quales volo, inveniam vos.* Quoniam non omnes adhuc quos in prima epistola corripuit, emendaverant se, in quibus fuerant vitiis reprehensi; ideo cum auctoritate vult videri iturus ad illos, ut territi corrigantur; ut tales illos inveniat, quales vult. *Et ego inveniar à vobis, non qualem vultis.* Hoc dicit, ut tales se præbeant, ut conveniat eis cum Apostolo, ut invicem congaudeant sibi. Ille enim invenit aliquem, qualem non vult, qui se talem facit, ut discordet ab illo. *Ne forte sint inter vos contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, tumores, seditiones.* Nunc errores memorat, quos in superiore epistola reprehendit; quando personis deferentes, & alterum alteri præponentes dissidebant ab invicem.

ỳ. 21. *Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.* Hoc præmonet, ut non illos tales inveniat, quales dudum invenerat cum vitiis diversis operum immundorum, vel magis nominum; [a] quia omne opus sine crimine est, sed inordinationis nomen facit crimen. Tunc enim est illicitum, cùm aliter fit, quàm concessum est. Illis ergo peccantibus, se humiliari dicit; quia incipit, ut pius pater peccata filiorum deflere. Quis enim pater non gaudeat, bene agentibus filiis? Sic iterum necesse est lugeat, [b] si prave versentur. Ideo admonet, ut si qui præteritarum fornicationum, aut alterius immunditiæ, vel impudicitiæ non egerunt pœnitentiam, sicut quidam [c] quos significat non egisse, nunc agerent; ut veniens sine tristitia esset cum eis. Cùm enim dicit: *Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam*, probat quosdam ex his egisse pœnitentiam, quosdam non egisse. Quod Novatiano adversum est, qui dicit fornicatores non posse peragere pœnitentiam, & recipi in communionem. Hic probat peregisse, ac per hoc receptos esse in pace Ecclesiæ. Tres ergo formas peccatorum probat, cùm fornicationem, & impudicitiam, & immunditiam nominat.

CAPUT XIII.

ỳ. 1. Deut. 19. 15. *Tertium hoc venio ad vos.* Superiùs præparatum se dixit, nunc jam venturum significat. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Hoc secundum Legem dixit, ut aliquis duobus aut tribus testibus, aut purgetur, aut condemnetur: ita & hi tertio adventu Apostoli, ut purgati inveniantur, commonet.

ỳ. 2. *Prædixi enim & prædico, ut præsens secundo adventu, & absens nunc scribo iis, qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quia si venero iterum, non parcam.* Pridem se dixisse significat præsentem, ut corrigerent se; ne cum pudore corriperentur: & nunc iterum absentem se eadem dicere contestatur; ut post secundam correptionem, si se non emendaverint, parci eis non debeat.

ỳ. 3. *Quomodo probationem quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Probationem quærunt Christi loquentis in Apostolo, dum præceptis non obediunt, volentes probare, si ausit vindicari; ut per id intelligatur [d] esse fidæ auctoritatis, ut de cetero timeatur. Qui enim magistrum contemnit, emendari se quærit. *Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.* Potens est in his Christus; quia viderunt in nomine ejus mortuos excitatos, dæmones fugatos, paralyticos convaluisse, surdos audisse, mutis redditum affatum, claudos cucurrisse, cæcos vidisse. Hæc omnia virtutis sunt, non infirmitatis: denique hac causa adtracti ad fidem sunt.

ỳ. 4. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei.* Verum est, quia propter peccata nostra crucifixus est Christus; ut mortem destruens, credentes sibi liberaret ab ea. Infirmari ergo se passus est propter nos, ut mortem vinceret nobis. Descendens enim ad inferos, qui omnino peccatum nesciebat, & quasi peccator occisus, chirographum Adæ delevit; ut de cetero defuncti sub ejus nomine, à morte non tenerentur, sed haberent fiduciam eundi ad cælos. Propter infirmitatem ergo nostram occisus revixit virtute Patris; ut discipulis probaret, quæ docuerat esse vera, exemplo in se ostenso. *Etenim nos infirmamur in illo.* Hoc ad apostolorum personam pertinet, qui eum, id est, Christum prædicantes, infirmabantur; dum injuriis agebantur, claudebantur, cædebantur. *Sed vivimus cum eo ex virtute Dei erga vos.* Manifestum est quia si à perfidis infirmabantur apud credentes, non erat hæc infirmitas, sed profectus; quia hinc potentiores fiunt fideles, dum infirmantur. [e] Illata ergo mors à perfidis, vita est erga credentes; virtute enim Dei resurgent, ut vivant cum Christo.

Vos ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. Invicem ut se fratres discutiant, præcipit; sollicitiores fiunt enim, si secum invicem conferant. Tentationem ergo hanc probationem voluit intelligi; quia omnis probatio tentatio est, non tamen omnis tentatio probatio. Si enim Deus tentare dicitur, probatio est: [f] si autem diabolus tentare dicatur, tentatio est; quia evertere nititur. Et homo aliquando tentat, ut probet; aliquando, ut capiat. *An non cognoscitis vos, quod Christus Jesus in vobis est, nisi reprobi estis?* Hoc dicit, quia si probare vos invicem nescitis, non cognoscitis quia Jesus Christus est in vobis, & hoc est reprobum esse, nescire religionis & professionis suæ fidem. Qui enim fidei suæ sensum in corde habet, hic scit Christum Jesum in se esse.

Spero autem cognituros vos quia non sumus reprobi. Provocat eos ad scientiam fidei, & rectæ vitæ. Cùm enim cœperint scire apostoli sui certam auctoritatem & meritum apud Deum, poterunt & circa se esse solliciti.

Oro autem Deum, ne quidquam mali faciatis: non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est, faciatis: nos autem, ut quasi reprobi simus. Eo affectu quo semper orat pro eis, ut à malis temperent. *Non ut nos*, inquit, *probati appareamus*, id est, non ut in auctoritate videamur, vobis peccantibus. *Sed ut vos quod bonum est, faciatis: nos autem, ut quasi reprobi simus.* Quid est hoc? Orat Apostolus, ut reprobus sit? Non sane: sed hoc orat, ut his bene agentibus, dum non audeant corripere, quasi humilientur, & humiliati vel reprobi appareant. Probati enim à Deo videntur, dum judicant peccatores, auctoritate concessâ. Si ergo quos judicent, non sint, cessante in his auctoritate, quasi reprobi videntur.

Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Hoc dicit, quia potestas non est data contra veritatem; ut arguant bene viventem: sed pro veritate, ut vindicent in eum, qui inimicus est legis. Ideoque cessabit potestas, si quod bonum est fecerint. Unde & ad Romanos ait: *Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Rom. Cùm ergo non timet bonum operando, evacuata est apud eum potestas: hoc est quasi reprobum esse; quia hoc in eo cessat, unde probatur potestas.

Gaudemus enim, cùm nos infirmamur, vos autem fortes estis. Hoc est infirmari, non exercere potestatem: hos autem optat fortes esse; ut bene agentes vitia vincant, & prohibeant à se vindictam aut correptionem. *Hoc & oramus & vestram consummationem.* Petit orans, ut in eo perficiantur, nec peccent consummati in virtute bonæ vitæ, & incorrupta fide.

Idcirco hæc absens scribo, ut non præsens durius agam. Apertum est quia ideo absens commonet, [g] ut correctiores illos inveniat, & non illic positus increpet cum pudore: ut erubescat, qui peccat, in cœtu fraterno. *Secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* Hæc potestas est, quam superius optat esse otiosam, his bene agentibus: si quo minus, exercere se in hac, ut ædificentur correpti, non mortificati peccatores. Non enim destruuntur, qui arguuntur, ut corrigantur: sed ædificantur ad vitam.

De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, consolationem percipite, idem sapite, in pace agite; & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Gaudium hoc de emendatione erit, unde & poterit provenire perfectio: sed ante erit consolatio, ut spe futurorum deserant præsentem oblectationem. *Idem sapite*: hoc ait, propter veterem discordiam; ut jam

a. Mss. Corb. *quia omne opus bonum sine crimine est.*
b. Idem codex Corb. *si pervertantur.*
c. Vet. edit. cum mss. non paucis, *quos significat egisse.*
d. Mss. aliquot, *esse fidei auctoritatis.* Sequenti autem versu Rom. edit. repositas *magistrum contendit*, & quædam Paris. *ad magistrum contendit*; ubi vet. edit. ac mss. melius, ut in textu. Interpretandum vero *emendari*, quasi esset corripi & castigari.
e. Corb. codex, *In tales ergo mors à perfidis* &c.
f. Ms. Corb. *si autem diabolus tentat, evertit. An non cognoscitis* &c.
g. Nonnulli mss. *ut correctio*, quidam *correptio* *rectiores illos inveniat.*

unum

unum ſentiant. *In pace agite.* Si concordes fuerint, habebunt pacem. *Et Deus pacis & dilectionis erit*, inquit, *vobiſcum.* Joan. 14. 27. Deus pacis eſt Chriſtus, qui dixit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Ipſe eſt & Deus dilectionis; quia Ibidem 13. 34. iterum ait: *Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem. Et in hoc*, inquit, *cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem, qua dilexi vos, habueritis invicem.* Alia tamen pax Dei, alia mundi eſt; quia & maligni [a] & ſpurici habent pacem, ſed ad damnationem; Chriſti enim pax libera eſt à peccatis. Perfidiam ergo fugit, dolum ſpernit, factis malis repugnat. Hæc Deo placita eſt & amica, diabolo autem inimica. Hanc qui habuerit, habebit & dilectionem ſimul & Deum eorum ad tuitionem perpetuam.

Salutate vos invicem in oſculo ſancto. Hæc ſalutatio ecA cleſiaſtica eſt; quia oſcula hæc non carnalia, ſed ſpiritalia ſunt, quæ complexu corporum animos copulant non deſiderio carnis, ſed ſpiritus. *Salutant vos ſancti omnes.* Provocat eos ad ſanctitatem, ut & ipſi audeant reddere vicem ſanctis in ſalutatione; ideo enim à ſanctis ſalutantur, ut illos imitentur.

Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti, & dilectio Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis. Amen. Trinitatis hic complexio eſt, & unitas poteſtatis, quia totius ſalutis perfectio eſt. Dilectio enim Dei miſit nobis Salvatorem Jeſum, cujus gratia ſalvati ſumus. Ut poſſideamus hanc gratiam ſalutis, communicatio facit ſancti Spiritus: hic enim dilectos à Deo, & ſalvatos gratiâ Chriſti tuetur; ut trium perfectio conſummatio ſit hominis in ſalutem.

a Omnes edit. ac mſſ. aliquot, *& ſpurii habent pacem*: aptius alii cod. nonnulli, *& ſpurci*, hoc eſt, impudici, molles &c.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD GALATAS.

PROLOGUS.

OMnis credens in Chriſtum, & obſervans Legem factorum, male intelligit Chriſtum: ſicut & ſymmachiani, qui ex phariſæis originem trahunt, qui ſervata omni Lege, chriſtianos ſe dicunt, more Photini Chriſtum non Deum & hominem, ſed hominem tantummodo definientes. Si enim Deum intelligerent Chriſtum, nihil de Lege factorum ſperarent, id eſt, de neomeniis, ſabbato, circumciſione, & diſcretione eſcarum; quia qui Deum & dominum Legis colit, ſupra Legem eſt: nec poteſt judicari à lege, qui cum legiſlatore concordat. Denique non illorum causâ Lex data eſt, qui Deum colebant: ſed eorum qui male & credebant & agebant ad contemtum creatoris. Unde dicit ad Timotheum: 1. Tim. 1. 9. *Nec enim juſto lex poſita eſt, ſed injuſtis, & male verſantibus.* Et Moyſes ſic inquit: Levit. 15. 31. *Timentes facietis filios Iſrael.* Unde & Galatæ, vel ii qui eos ſubvertebant, adhuc erroris nebula contectum cor habentes, non cernunt ſenſum Eſaiæ prophetæ inter cetera dicentis. Eſai. 10. 23. *Verbum enim conſummans & brevians in æquitate; quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram.* Si ergo hæc dicta intelligerent, à Lege recederent, ſcientes, à prædicatione Johannis Baptiſtæ Legem jam ceſſare; ut ſola fides ſufficiat ad ſalutem, abbreviata ex Lege. In Lege enim & de Deo Patre, & de Chriſto Filio ejus, & de Spiritu ſancto continetur prædeſtinatum in tempore, quod manifeſtatum eſt in prædicatione; nam ſi ſignaculi cauſa circumcidebantur filii Iſrael, ut exindè apparerent filii eſſe Abrahæ juxta carnem, rite ceſſare debet circumciſio; quia ſignum habent credentes mortis devictæ, quo dignoſcuntur filii eſſe Abrahæ, ſed ſecundum fidem; Abrahæ enim promiſſus eſt, qui veniens vinceret mortem. Denique hunc exſpectabat Abraham, quem in ſpiritu ſentiens natum, gaviſus eſt, ſciens ſe in brevi introduci in cælos. Unde dicit Dominus ad Judæos: Johan. 8. 56. *Abraham cupivit videre diem meum: & vidit, & gaviſus eſt*; tempore enim quo ſimul adhuc erant filii Iſrael in eremo, antequam vicini eſſent gentilium, non ſunt circumciſi. At ubi commiſceri habebant gentibus, tunc à Jeſu Nave [a] circumciſi ſunt de petra, quæ ſignificat Chriſtum: Joſue 5. 3. 1. Cor. 10. 4. Quia *petra*, inquit, *erat Chriſtus*; ut deſignaret per Chriſtum futuram circumciſionem cordis, ſicut dixerat Moyſes, & Hieremias propheta: Deut. 10. 16. Hier. 4. 4. *Circumcidite vos Deo, & circumcidite præputium cordis veſtri*; ut amputata caligine per remiſſionem acceptam peccatorum digni fierent videre gloriam Dei, quam ſub Lege poſiti videre nequiverant causâ peccati. Ut ergo & Chriſtum Deum ſignaret, & non ſe ab homine ea didiciſſe quæ docebat, adſereret, ita incipit:

CAP. I. ℣. 1. PAulus apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis. Apoſtolum ſe non ab hominibus electum, & miſſum ad prædicandum teſtatur, ſicut erant quiA dam, qui electi ab apoſtolis mittebantur ad Eccleſias roborandas; neque ſicut alii, qui à Judæis mittebantur ad diſturbandas Eccleſias, quos pſeudoapoſtolos vocat: ſed à Filio Dei miſſum ſe, quem in hac cauſa idcirco hominem negare videtur; quia præcepta quaſi Deus dedit, non quaſi homo, [b] & quem elegit, divino judicio elegit. Per quod idoneum & firmum ſe prædicatorem ſignificat; quia multo utique melior eſt, quem Deus elegit, quam quem homo. *Neque*, inquit, *per hominem*, ſicut arbitrabantur de Chriſto, qui hos cogebant circumcidi: ſed per dominum Jeſum Chriſtum, id eſt, per eum, qui Deus & homo eſt. Quod ſtatim aperit, cùm dicit: *Et Deum Patrem, qui ſuſcitavit* B *eum à mortuis.* Hoc dicto, duas hæreſes damnavit, & Manichæi, & Photini; quia Manichæus Chriſtum hominem negat, & non negat crucifixum: & Photinus Chriſtum Deum eſſe non concedit; & tamen ipſum ſe, hoc eſt, corpus ſuum excitaſſe à mortuis negare non audet: ut Manichæus cùm crucifixum non negat, ſtulte eum hominem non fateri videatur: & Photinus impietate quadam Deum negare, quem ſe ipſum à mortuis excitaſſe fatetur. Legit enim dixiſſe Dominum: *Solvite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Johan. 2. 19. Igitur ipſe excitans ſe à mortuis, corpus ſuum ſignificat ſe à mortuis excitaſſe; & nihilominus tamen à Patre ſuo dici- C tur excitatus, propterea quod omnis virtus Filii de Patre eſt; ut geſta Filii facta ſint Patris, ex quo ſunt omnia.

℣. 2. *Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ.* Poſtquam auctoritatem ſuam commendavit, adhuc auget ad cauſam; ut ceteros qui ſecum erant, omnes commotos adverſus eos oſtenderet. Quamvis ſufficeret auctoritas ejus, ne poſſet refutari; tamen ut gravet factum illorum, quo à prima fide deſtiterant, multos ſecum accenſos ad errorem illorum arguendum deſignat. Facile enim poterit quis intelligere errare ſe, ſi à multis ſe videat reprehendi.

℣. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & domino Jeſu Chriſto.* Utriuſque beneficio tam Patris, quam Filii ge- D nus hominum ſublevatum oſtendit. Nec minorem Filium ſignificat, cùm eum dominum noſtrum vocat: neque Patrem majorem, quia eum Deum noſtrum appellat; quia non erit verus Deus Pater, niſi & Dominus ſit: neque verus dominus Filius, niſi & Deus ſit. Si ergo una gratia Patris & Filii erga nos eſt, quid eſt, inquit, [c] ut de Filio minus ſentientes, Legem illi æquetis, ut partim Chriſto, partim Legi ſerviatis, cùm legeritis Dominum dicentem: Luc. 6. 5. *Quia dominus eſt filius hominis etiam ſabbati?* ut per hoc videant quanta contumelia ab eis Domino irrogetur, quando comparant Dominum famulæ.

℣. 4. *Qui dedit ſemet ipſum pro peccatis noſtris.* Aperte oſten- E dit nihil prodeſſe Legem, quando Chriſtum dicit obtuliſſe ſe, ut pro nobis pateretur, ut nos juſtificaret, quos Lex reos tenebat; ut eruti à Lege per fidem Chriſti, jam non peccatores eſſemus: ſed juſtificati ſecunda nativitate, filii Dei appellati. Cùm enim [d] in ditione diaboli genus homi-

a. Rom. edit. *circumciſi ſunt cultris de petra . . . , ut ſignificaretur per Chriſtum* &c.
b. Codex Vall. *& quoniam divino judicio elegit.*

c. Mſſ. aliquot, *ut de filio hominis ſentientes.*
d. Nonnulli mſſ. *in conditione diaboli velut*, quidam *vel*, *in ſervitute genus* &c.

num teneretur, Salvator obtulit se volenti diabolo; ut illudens eum potestate virtutis suæ (accipere enim voluit, quem detinere non potuit) auferret ei, quæ malo jure tenebat obnoxia. Exspoliatis itaque inferis, trophæum animarum pertulit ad Patrem, ex quo sunt omnia; quod Lex utique facere non potuit. Quamquam profutura data sit, nobis tamen peccantibus conversa est, ut fieret inimica; & cœpit occidere, non vivificare. Christus autem donans delicta, non solum vivificavit nos, sed & sibi sociavit: ut filii Dei vocemor facti per fidem. Quantus ergo error est post gratiam reverti sub Lege, hoc est, post acceptam libertatem velle servire; ut ereptus gladio immemor beneficii denuo se vendat lanistæ? Accusator est enim emtoris, B qui relicto eo, rursum ad priorem dominum redit. *Ut liberaret nos de præsenti sæculo maligno.* Hoc dicit, quia ideo morti concessit se Dominus, ut nos ab errore sæculi liberaret, id est, ut ab intelligentia hujus sæculi, quod curriculis senescente ætate devergit in finem, alieni facti, futuri sæculi quod occasum nescit, participes simus in sensu unius Dei. Præsentis enim sæculi hæc est malignitas, quia non reddit congruam reverentiam creatori Deo, & restauratori Christo; dum multos sibi deos confingit error humanus, aut dum Christo à credentibus debita honorificentia non reservatur.

℣. 5. *Secundum voluntatem Dei & Patris nostri, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Ut firmum sit & plenum auctoritate, quod dicit quia Christus nos liberavit; addit quia istud Patris fecerit cum voluntate.

℣. 6. *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vocavit vos per gratiam Christi in aliud evangelium.* Evangelium bonum nuntium est, ac per hoc & lex vetus Evangelium est [a] excepta Lege factorum: sed hoc potius in quo, quod promissum est, solutum est, per quod peccatores ad indulgentiam convocantur. Mirari ergo ideo se dicit, quia de optimo & maximo beneficio decidentes, manciparunt se Legi factorum; ut perderent quod fuerant consequuti, ut de D accepta libertate ruerent in servitutem, cito eversi: cùm mos sit ut paulatim aliquis de malo transeat ad bonum, hi autem de bono facile traducti sunt ad opera carnis, quæ sunt gravia. Raro enim contingit, ut quis de lætitia confugiat ad exitia: ac per hoc admiratur hebetudinem illorum, qui in securitate positi, labori se subjecerunt inani. Tale est, si nauta insanus stans in portu, de tempestate securus, laxet navim in altum; ut perturbetur diversis procellis: ita & hi per stultitiam subjecerunt se; ut dolores paterentur pudoris defecti, & jugum servitutis Legis susciperent, nulla hujus rei spe prædicata. In aliud ergo evangelium vocati fuerant, quam quod hi prædicabant, qui eos subverte- E rant; non tamen aliud ab eo, quod apostoli annuntiabant, quod hi pseudoapostoli aliud esse adserebant ad invidiam Apostoli, qui eos instruxerat. Et ot Galatas per hanc fallaciam circumvenirent, necesse erat ut Evangelium Apostoli aliud esse dicerent, quam quod ratio Salvatoris docebat: hoc autem esse verum, quod ab eis cum legis veteris concordia prædicabatur. Hi sunt qui quæstiones fecerunt Paulo & Barnabæ de hac re, sicut continetur in Actibus apostolorum; isti enim docebant ex gentibus credentes quia nisi circumciderentur more Moysis, & judaizarent, salvi esse non possent. Act. 15. 1.

℣. 7. *Quod non est aliud, nisi aliqui sunt, qui conturbant vos,* F [b] *& volunt convertere Evangelium Christi.* Apertum est quia hoc agebant, ut converterent Evangelium Christi immutantes traditiones; ut sub nomine Christi essent Judæi: & hoc est convertere Evangelium Christi in Legem.

℣. 8. *Sed & si vos, aut Angelus de cælo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit, sicut præ-*
℣. 9. *diximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Nemo miretur Apostolum, qui feritatem morum mansuetabat, sic esse commotum; pro Galatarum enim salute indignatur adversus inimicos disciplinæ christianæ. Indignatio enim hæc ostendit non leve peccatum esse post acceptam fidem converti ad Legem: nam tam firmum atque verum Evangelium, quod eis prædicaverat, adserit; ut etiam se ipsos, id est, apostolos, immutati forte aliter prædicarent, non audiri doceret, quorum utique fama quod essent apostoli Christi, peragraverat omnem locum. Aut si forte diabolus Angelum A Dei se fingens, ut facile possit audiri, de cælis appareret contra hæc prædicans, sciretur esse contrarium, & ut abominatio haberetur. Si ergo apostolos Christi, quorum tam præclara opinio in signis & prodigiis erat faciendis, & Angelum de cælo, quem possit spiritalis ratio commendare, aliter docentes, quam ab apostolo Paulo edocti erant, anathematizari præcepit; quanto magis qoos nullum testimonium ad seducendum potest commendare? Ideo autem iterat contestationem, ut confirmet eos in prima traditione; iterata enim lex sollicitiores reddit negligentes.

Modo enim hominibus satisfacio, aut Deo? hoc est, numquid hominibus satisfacio, suadendo vobis reverti ad gratiam Christi, an Deo? Non hominibus utique, sed Deo; ut per satisfactionem revertantur ad Deum, quem spreverant. Denique statim subjecit: *Aut quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem.* Significat igitur hos à quibus fuerant eversi, non Deo, sed hominibus placere in Galatarum subversione, sicut & semet ipsum jamdudum, quando Ecclesiam, ut Patrum traditionem vindicaret, persequebatur. Ut enim à Judæis laudari possent, secundum voluntatem illorum, Legem servandam dicebant; ne si verum Evangelium Christi prædicarent, inimicos eos facerent. Hic autem apostolus Paulus, qui omni C devotione Deo placere docebat, non timebat homines offendere, dummodo Dei gloriam commendaret; omnia enim præsentia postponens futuris, [c] se commendabat spebus, ut Christi idoneus servus: idonei autem servi esse non possunt, qui sob nomine domini propriis lucris student. Sed forte contra aliquis dicat: Ergo qui Legem prædicabant, quam Deus dicitur dedisse, hominibus serviebant. Quomodo ergo idonea Lex esse dicitur, cujus prædicatio secundum hominum voluntates narratur temperata? Ante adventum Domini Lex juxta Dei voluntatem prædicabatur; tempus enim ei debebatur, ut servaretur: at ubi venit Dominus promissus in Lege, cessare oportuit Legem, D juxta prædictam sententiam prophetarum. Unde dicit Dominus: *Lex & prophetæ usque ad Johannem*; nec enim dignum erat or præsente Domino Legis auctoritas servaretur. Ideoque si quis de cetero Legem servandam putat, jam non Domini voluntati obtemperat, sed repugnat; similibus enim suis satisfacit. ℣. 10. Luc. 16. 16.

Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædi- ℣. 11.
catum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ℣. 12.
ego ab homine accepi illud, aut didici: sed per revelationem Jesu Christi. Nunc principia epistolæ aperit; ipsum enim sensum vult manifestare, quia ea quæ docebat, non ab homine didicerat; ne forte dubitaretur de iis, quæ docebat. E Neque secundùm humanum judicium aptata erat ejus prædicatio; ut indigna divinâ auctoritate videretur: sed a Dei Filio dicit se didicisse per revelationem, cùm jam post resurrectionem esset in cælis, sicut præmemoravi; & ea quæ didicit, convenire voluntati majestatique ejus, à quo se didicisse testatur. Spiritalia enim sunt, quæ servata meritum collocant apud Deum: illa enim carnalia sunt, quæ tempore suo servata, nec meritum nec immeritum præstiterunt apud Deum: non servata obfuerunt; quia & qui non fecerant Legem, sub maledicto erant: & qui fecerant, non justificabantur apud Deum, quia justus ex fide vivit. Illa enim ut oneri essent, servanda mandata sunt, non dignitati.

F *Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo,* ℣. 13.
quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugna-
bam eam, & proficiebam in judaismo super multos coætaneos ℣. 14.
meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Propositum suum, quo prius juxta carnem vigebat, repugnans Ecclesiæ, breviter memorat: sed ut famulus Christi esset, hoc se reliquisse dicit. Magis enim se devotum, quam illos in vindicando Legem fuisse designat; non tamen propter hominum favorem, sed hoc putans utile apud Deum. Per ignorantiam enim, cùm humanitati placeret, Deo se servire putabat, liberam habens conscientiam; nesciebat enim [d] jam tempus adserendæ Legis non esse, doctrinam sequutus patrum, aut in errore, aut in malevolentia constitutorum; & omni industria & fervore mentis id agebat, ut ceteris coæqualibus sibi æmulatione Legis præstantior videretur, sic insaniens contra disciplinam Christi, ut nulli hominum parceret fidei fœdera adsequuto. Sed cùm Dei revelatione laborem hunc

a. Omnes edit. & nonnulli mss. *accepta lege factorum.* Non recte.
b. Rom. edit. *& volunt invertere,* Et infra, *ut converterent Evangelium.*

b. Mss. nonnulli, *se commendabat speciebus.*
a. Rom. edit. *jam tempus adserendæ Legis* &c.

inanem eſſe didiciſſet, & magis contrarium; deſtitiſſe ab A eo, & ſe fidei gratiæ ſubdidiſſe; ut profectus ei eſſet apud Deum, memorat. Si ergo hic qui Iſraelita eſt, & qui dignitate doctoris fultus erat apud Judæos, eruditus à Gamaliele, viro prudentiſſimo, locum habens cum optimis vita hominibus, reliquit Legem; quanto magis ii, qui extra Legem erant, Legi ſe ſubjicere non debuerant? Et ſi hic gaudet exiiſſe ſe de ſub jugo ſervitutis, quid eſt ut libertatem ſuam obligaverint vinculis Legis?

℣. 15. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit de utero matris*
℣. 16. *meæ, & vocavit per gratiam ſuam revelare Filium ſuum in me, ut evangelizarem eum in gentibus; continuo non adquievi carni & ſanguini.* Cùm in Lege haberet fiduciam, B inſcius jam tempus Legis ſervandæ non eſſe, & omni aviditate contenderet, putans Dei ſe voluntate hoc agere, ut reſiſteret Evangelio Chriſti; videns Deus æmulationem ejus bonam, ſed ſcientiam ei deeſſe, placuit ei vocare illum ad gratiam ſuam, ſciens jam idoneum hunc eſſe ad prædicandum Evangelium Filii ejus in gentibus; quia ſi in re minima tam velox & fidus erat audacia conſcientiæ, non adulatione cujuſquam; quanto magis in prædicando dono Dei futurus eſſet conſtantior ſpe promiſſi præmii? Præſcientia ergo Dei ſegregatus eſt de utero matris ſuæ, id eſt, antequam naſceretur, vel ſtatim natum ſcivit Deus futurum bonum, ſicut dicit ad Hieremiam prophetam: *Prius quam* C *te formarem in utero, novi te, &c.* ita & apoſtolum Paulum, ſciens quis eſſet futurus, prævenit eum; ut antequam converteretur, vocaret eum, quia erat neceſſarius. Denique ſtatim ſuſcepit diſpenſationem doni Dei, omni poſtpoſita cura carnali; nec enim conſilium cujuſquam petiit, aut ad aliquem retulit quid eſſet acturus: ſed protinus prædicavit Chriſtum, quia hic eſt Filius Dei. Nam ſicut futuri mali frequenter ante ſunt boni: ita & ſolent futuri boni prius eſſe mali.

Hier. 1. 5.

℣. 17. *Neque veni Hieroſolymam ad præceſſores meos apoſtolos, ſed abii in Arabiam, & iterum regreſſus ſum Damaſcum.* Non fuiſſe dicit neceſſitate electum ſe à Deo pergendi ad D præceſſores ſuos apoſtolos, ut aliquid forte diſceret ab eis; quia Deus ei revelavit per Filium ſuum quomodo doceret. Hoc ideo loquitur, ut oſtendat non aliud tenendum eſſe, quam quod docet: nec hominibus credi, ſed Deo, à quo ſe didiciſſe teſtatur; ac per hoc eos, qui illos in Legem induxerant, eſſe doctores falſos; quia non à Deo traditum erat, quod docebant. A Damaſco ergo in Arabiam profectus eſt, ad prædicandum, ubi nullus erat apoſtolorum; ut ipſe illic fundaret Eccleſias, [a] ne ſubrepentibus pſeudoapoſtolis, judaiſmus ſeminaretur. Et inde iterum regreſſus eſt Damaſcum, ut viſitaret quibus rudis prædicaverat Evangelium gratiæ Dei.

℣. 18. *Deinde poſt annos tres adſcendi Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum dies quindecim.* Dignum fuit ut cuperet videre Petrum; quia primus erat inter apoſtolos, cui delegaverat Salvator curam Eccleſiarum: non utique ut aliquid ab eo diſceret; quia jam ab auctore didicerat, à quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus: ſed propter affectum apoſtolatus, & ut ſciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat. Veniens ergo ad eum, hoſpitio receptus eſt, & apud eum manſit dies quindecim, quaſi unanimus coapoſtolus. Hæc ideo manifeſtat, ut oſtendat concordiam ſe cum apoſtolis habuiſſe, nec in aliquo diſſenſiſſe, ſicut ſuſurrabant de eo pſeudoapoſtoli; ut eum apud F Eccleſias gentium deformarent, & ſua mala ſimplicioribus insererent, dicentes ea convenire cum doctrina apoſtolorum majorum.

℣. 19. *Iterum reverſus ſum Damaſcum, alium autem ex apoſtolis vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.* Jacobum vidit Hieroſolymæ; quia illic erat conſtitutus ab apoſtolis epiſcopus, qui & ipſe prius fuerat incredulus, ſicut dicit Evangeliſta: *Quia nec fratres ejus*, inquit, *adhuc credebant in eum.* Hic Jacobus filius fuit Joſeph, qui ideo frater Domini appellatus eſt, quia & Joſeph pater ejus, etiam Domini pater nuncupatus eſt. Sic enim dicit Maria ad Jeſum in Lucæ Evangelio. *Quid feciſti nobis, fili? Ego & pater tuus mœſti & triſtes quærebamus te.* Et in Evangelio Johannis dicit Philippus ad Nathanael: *Quem ſcripſit Moyſes*

Johan. 7. 5.
Luc. 2. 48.
Johan. 1. 45.

A *in Lege, & prophetæ, invenimus Jeſum à Nazareth, filium Joſeph.* Hoc ergo modo dictus eſt Dominus frater Jacobi & ceterorum, quo & filius nuncupabatur Joſeph. Quidam enim ducti inſania hos veros Domini fratres de Maria natos, impia adſertione contendunt, cùm Joſeph non verum ejus patrem dicant appellatum. Si enim hi veri erant fratres ejus, & Joſeph erit verus pater; quia qui dixit patrem ejus Joſeph, idem dixit & fratres ejus Jacobum & ceteros.

Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. ℣. 20.
Quod ad commendationem ejus pertinet loquuturus, teſtem Deum dat, quia ita ſe habent, quæ dicturus eſt, ne forte videretur compoſitum; cùm perſonæ ejus non conveniat aliquid fingere. Sed cùm ſe commendat, hos vult proficere; commendatio enim hæc iſtis proficit, ut ſciant ea, quæ ab hoc dicuntur, eſſe veriſſima.

Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto: ſolummodo audiebant, quia qui perſequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me magnificabant Deum. Hoc dicit, quia cùm judaiſmum defenderet contra fidem, ſicut & hi à quibus Galatæ fuerant everſi; à Deo electus eſt, & doctus diſſimulare à Judaiſmo, & novam Legem prædicare: ita ut gauderent in eo ex Judæis credentes, quos pridem perſequebatur, Deo agentes gratias, qui de perſecutore fecit defenſorem; ut perinde ſcirent Galatæ circumventos ſe, ut ſub nomine Chriſti Judæos ſe profiterentur, circumcidentes carnem præputii ſui, cùm Chriſti lex aliud imperet, quam Judaiſmus; illic enim circumciſio carnis eſt, hîc cordis: illic ſub elementis ſervitur neomeniis & ſabbato, hîc ſoli Deo in ſpiritu; quia corde creditur: illic conditio eſt cauſa peccati, hîc libertas ex remiſſione peccatorum. Multa itaque diſtantia eſt.

℣. 21.
℣. 22.
℣. 23.
℣. 24.

DEinde poſt annos quatuordecim iterum adſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, adſumto & Tito. Adſcendi autem ſecundum revelationem: [b] & expoſui illis Evangelium, quod prædico in gentibus, ſecreto autem: his qui aliquid eſſe videbantur; ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Quoniam multo tempore [c] fama ejus crebreſcebat apud omnes Judæos, facie autem non videbatur, perambulabat enim fundare & roborare Eccleſiam ſolitâ conſtantiâ inter gentes: à Judæis autem causâ Legis mala illi fiebat opinio, quaſi diſcordaret à prædicatione ceterorum apoſtolorum; & hinc fiebat multis ſcrupulus, ita ut gentes poſſent perturbari, ne in aliud inducerentur ab eo, quam tradebant apoſtoli, qui cum Domino fuerant. Nam ipſa occaſione ſubverſi ſunt Galatæ à Judæis, dicentibus quia aliud tradebat Petrus, quam Paulus; hinc factum eſt, ut admonitus revelatione Domini adſcenderet Hieroſolymam cum teſtibus prædicationis ſuæ, id eſt, Barnaba & Tito, uno ex Judæo, & altero ex gentili; ut ſi qui de eo haberent ſcandalum, horum teſtimonio tolleretur, adaperiens illis ſenſum prædicationis ſuæ. Cum apoſtolis verò ſecreto contulit; ut ſcirent non illum diſcordare à regula evangelica, hoc eſt, ne putarent illum in vacuum currere aut cucurriſſe, ſicut æſtimabant aliquanti ex Judæis credentibus. Nec enim aliquid ab eis diſcere poterat; quia à Deo fuerat inſtructus: ſed propter concordiam & pacem Dei nutu factum eſt; ut tolleretur ſcrupulus aut ſuſpicio fratribus & coapoſtolis ejus, & ut gentibus proficeret, cognoſcentibus quia concordabat Evangelium ejus cum apoſtolis. Præterea [d] cùm legem dediſſent non moleſtari eos, qui ex gentibus credebant; ſed ut ab his tantum obſervarent, id eſt, à ſanguine & fornicatione & idololatria. Nunc dicant ſophiſtæ Græcorum, qui ſibi peritiam vindicant, ſubtilitate ingenii ſe naturaliter vigere, quæ tradita ſunt gentibus obſervanda? Quæ ignorabant, an quæ ſciebant? Sed quomodo fieri poteſt, ut aliquis ea diſcat, quæ novit? Ergo hæc illicita eſſe oſtenſa ſunt gentibus, quæ putabant licere: ac per hoc non utique ab homicidio prohibiti ſunt, cùm jubentur [e] à ſanguine obſervare. Sed hoc acceperunt, quod Noe à Deo didicerat, ut obſervarent ſe à ſanguine edendo cum carne. Nam quomodo fieri poterat ut Romanis legibus imbuti, quorum tanta auctoritas in ſervandis mandatis eſt, neſcirent homicidium non eſſe faciendum; quippe cùm adulteros & homi-

CAP. II.
℣. 1.
℣. 2.
Act. 15.
Gen. 9. 4.

a. Mſſ. nonnulli, *ne ſubripientibus pſeudoapoſtolis.*
b. Rom. edit. *& contuli cum illis Evangelium.*
c. Eadem edit. *fama Apoſtoli percrebeſcebat . . . facie autem non agnoſcebatur . . . . fundando & roborando Eccleſias.*

d. Vet. edit. & mſſ. aliquot, *cùm legem dediſſent*: Rom. edit. *cùm lege didiciſſent*: alii mſſ. melius, *cùm legem dediſſent*. Infra vero edit. Rom. ſola, *abſtinerent, id eſt, à ſanguine, & fornicatione, & idolothyto.*
e. Rom. edit. *à ſanguine abſtinere. Nam hoc acceperunt à Noe, quod à Deo &c.*

cidas, & falsos testes, & fures, & maleficos, & ceterorum A malorum admissores puniant leges Romanæ? Denique tria hæc mandata ab apostolis & senioribus data reperiuntur, quæ ignorant leges Romanæ, id est, ut abstineant se ab idololatria, & sanguine, sicut Noe, & fornicatione. Quæ sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen à sanguine abstinendum, adulteratunt Scripturam, quartum mandatum addentes, & à suffocato observandum: qood, puto, nunc Dei nutu intellecturi sunt; quia jam supra dictum erat, quod addiderunt.

℣. 3. *Sed neque Titus, qui mecum erat.* (hoc est, illo ipso tempore, quo fui inquit, Hierosolymis, *Titus, qui mecum erat*) compulsus non est circumcidi. Cùm utique inter apostolos, & eos qui ex Judæis crediderant, essemus, nemo eum de B his, id est, Titum, compulit circumcidi. Et subintelligitur, Quid est ut vos circumcidamini, cùm Titus ab apostolis, qui videbantur aliquid esse, non est compulsus circumcidi, sed susceptus est incircumcisus?

℣. 4. *Propter* [a] *subintroductos autem falsos fratres, qui subintraverunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent, ad ho-*
℣. 5. *ram cessimus subjectioni; ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Titum, quia Græcus erat sicut Galatæ, negat circumcisum. Quo dicto, hos arguit, qui paterentur se circumcidi, cùm essent Græci. Sed ne forte opponeretur ei, quia ipse circumciderat Timotheum: nunc C causas exponit cur fecerit, quod faciendum negabat, di-
Act. 16. 3. cens: *Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintraverunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent, ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii apud vos permaneat.* Græci è contra dicunt: Nec ad horam cessimus, & hoc aiunt convenire causæ; quia qui fieri prohibebat, non oportebat, inquiunt, dicere se fecisse; ne probaret esse faciendum. Sed apostolus vir divinus sciens posse hoc opponi ipse illud proponit, ut præveniat calumniosos: & reddit causas, quibus compulsus est facere, quod nolebat. *Propter subintroductos autem*, inquit, *falsos fratres.* Subintroductos D dicit, quia cum dolo intraverunt, ostendentes se fratres, cùm essent inimici. *Qui subintraverunt*, hoc est, qui cum humilitate intraverunt fingentes amicitiam. *Explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem subjicerent.* Explorare est sic intrare, ut aliud fingat, & aliud quærat. Quo possent accusare *libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu.* Libertas in Christo Jesu hæc est, non subjici Legi. *Ut nos in servitutem subjicerent:* hoc est, ad hoc intraverunt cum dolo & fallacia, ut nostram libertatem servituti subjicerent, cogentes nos subjici legi circumcisionis. *Ad horam cessimus subjectioni:* hoc est, ad horam nos subjecimus servituti, humiliantes E nos Legi; ut circumciso Timotheo, cessaret dolus & scandalum Judæorum. Parati enim erant, sicut datur intelligi, commovere illi tumultum & seditionem. Fuit enim causa, quomodo haberent aditum calumniæ faciendæ; Timotheus enim erat matre quidem Judæa, patre autem Græco: unde factum est, ut secundum Legem circumcisus infans non esset. Volens autem Apostolos eum adsumere, ut ordinaret
Act. 16. 2. illum episcopum, sicut fecit (quia testimonium ei, inquit, bonum perhibebant omnes loci illius) insidias passus est Judæorum. Explorabant enim si filium Judeæ incircumcisum susciperet, parantes seditionem; quia si de Græcis contradicebat non esse circumcidendos, sicut & epistola ab F
Act. 15. 23. & seq. apostolis de hac re fuerat data, vel filios Israel circumcidi non vetaret; quia nihil de his in epistola eadem significaverant apostoli: ex cujus auctoritate plus insæviebant credentes Judæi; quia non prohibebat Judæos filios suos cir-
Act. 16. 3. cumcidere ipsa epistola. Tunc, inquit, accipiens eum circumcidit propter Judæos, qui erant in locis illis. De gentilibus autem scandalum non habebant, unde Titus non est compulsus circumcidi. Ad horam ergo cessit; ut veritas Evangelii permaneat apud gentes, cùm non subjiciunt se circumcisioni. Apud Judæos autem non erat veritas Evangelii; quia credentes circumcidebant filios suos; in Christo
Galat. 6. 15. enim Jesu neque præputium, neque circumcisio aliquid valet: sed fides per dilectionem operans. Nam non solum historia, sed & litteræ hoc indicant, quia cessit. Nam supra dicit Titum, cùm esset Græcus, non esse compulsum circumcidi: & subjicit, dicens; *Propter subintroductos autem falsos fratres.* Quid jam sonat, nisi quia cessit ad horam propter subintroductos falsos fratres? Si quominus, quomodo verba aut sensus sequerentur? Titum certe negat compulsum circumcidi: propter subintroductos autem falsos fratres, quid sonat, nisi qoia cessit? Si autem propter subintroductos falsos fratres non cessit, non voluntate non cessit; nam cessurum se significavit, si hoc est: sed propter subintroductos falsos fratres non cessit. Si ergo cedendum non fuit, quare falsi fratres dicuntur, quorum beneficio non fecit, quod faciendum non erat? Itaque si hoc est, beneficium præstiterunt Apostolo; quia horum causâ non cessit, quod cedere habebat. Cur igitur exploratores dicti sunt, si hoc illum facere nolebant, quod facturus erat: sed propter istos non fecit? Si autem non erat facturus, sine dubio propter istos fecit: aliud enim non est. Litteræ enim hoc indicant, quia cessit, & historia factum exclamat. Quomodo enim ad horam negaret se cessisse, cùm probetur propter Judæos Timotheum circumcidisse, quod est ad horam cessisse, & secundum Legem purificatum in templum adscendisse? Ille enim posset dicere nec ad horam se cessisse, Act. 21. 26.
qui numquam inveniretur cessisse. Aot enim cessurus, propter falsos fratres non cessit: aut non cessurus, propter fratres falsos cessit. Unum ergo è duobus accipite. Falsi fratres autem dicuntur, qui credentes judaizabant.

Ab his vero qui existimantur aliquid esse, quales aliquando ℣. 6.
fuerunt, nihil mea interest, Deus personam hominis non accipit. Deut. 1. 17.
Hoc significat, quia apostoli prius simplices homines erant & imperiti nullius dignitatis in Lege, sed hoc non obesse. Quis enim accuset eum, quem Deus excusat? Quia non quæritur, quis quid fuerit: sed quid sit. Præterita enim [b] nec condemnant nec vindicant. Sed tamen vult intelligi quia & peritus erat in Lege, & clarus vita: ac per hoc & dispensatione Evangelii præcipuus minister. *Mihi enim, qui existimantur aliquid esse, nihil contulerunt.* Nihil dicit se ab apostolis consequutum, sed à Deo; quia qui imperitis sensum tribuit disciplinæ christianæ, ipse & mihi, inquit, cùm essem legisperitus, dignatus est impertiri sensum rationis hujusmodi. Quomodo ergo fieri poterat, ut hic ab his disceret, quem peritum inveniens, peritiorem fecit gratia Christi.

Sed è contra, cùm vidissent quod creditum est mihi Evan-
gelium præputii, sicut Petro circumcisionis; qui enim opera- ℣. 7.
tus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est & in ℣. 8.
me ad gentes. Petrum solum nominat, & sibi comparat; quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam: se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis: ita tamen, ut & Petrus gentibus prædicaret, si causa fuisset, & Paulus Judæis. Nam uterque invenitur utrumque fecisse: sed tamen plena auctoritas Petro in judaismi prædicatione data dignoscitur, & Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gentium invenitur. Unde & magistrum se gentium vocat in fide
& veritate; Unusquisque enim pro viribus suis dispen- 1 Tim. 2. 11.
sationem sortitus est. Difficilius enim fuit eos qui longe à Deo erant, ad fidem suam adtrahere & suadere, quam proximos.

Et scientes gratiam Dei, quæ data est mihi, Petrus & Ja- ℣. 9.
cobus & Johannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dede-
runt mihi & Barnabæ communionis; ut nos ad gentes, ipsi ve- ℣. 10.
ro in circumcisionem; tantum ut pauperum memores essemus, quod & sollicite curavi hoc ipsum facere. Ab apostolis qui clariores inter ceteros erant, quos & firmitatis causâ co-
lumnas appellat, quique cum Domino semper in secretis
fuerant, gloriam ejus digni in monte respicere: ab his itaque Matth. 17. 1.
probatum dicit donum, quod accepit à Deo; ut dignus esset habere primatum in prædicatione gentium, sicut & habebat Petrus in prædicatione circumcisionis. Et sicut dat Petro socios, viros egregios inter apostolos: ita & sibi jungit Barnabam, qui divino judicio ei adjunctus est; gratiam
tamen primatus sibi soli vindicat concessam à Deo, sicut & Act. 13. 2.
soli Petro concessa est inter apostolos: ita ot apostoli circumcisionis dextras porrigerent apostolis gentium ad concordiam societatis demonstrandam; ut utrique scientes perfectionis spiritum in dispensatione Evangelii se à Domino consequutos, in nullo se invicem legere ostenderent. Hoc solùm tamen inter se convenisse; ut quod non ex præcepto vel dono Domini fuerant instructi; quia facile erat

a. MSS. non pauci, constanter hic & infra scribunt, *subinductos.*

b. Codex Vall. *nec condemnant, nec judicant.*

hoc ex Lege cognoſcere, hos quibus prædicabant, pauperum memores eſſe juberent; ut miſericordiam, per quam à Deo redemti ſunt, colerent. Idcirco igitur hæc, quæ inter ſe & apoſtolos facta ſunt, manifeſtat; ut ſciant Galatæ quia quod ab eo acceperant, hoc verum eſt & probatum.

℣. 11. *Cùm autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem illi reſtiti; quia reprehenſus erat.* Poſt concordiam ſocietatis, & honorificentiam primatus, quam ſibi invicem per gratiam Dei detulerunt; nunc interveniente cauſa negligentiæ vel erroris, diſſidere inter ſe videntur apoſtoli, non in propria cauſa, ſed in ſollicitudine Eccleſiæ. *In faciem*, inquit, *illi reſtiti.* Quid eſt hoc, niſi in præſentia ei contradixi? Et qua cauſa ſubjunxit dicens: *Quia reprehenſus erat?* Reprehenſibilis utique ab evangelica veritate, cui hoc factum adverſabatur. Nam quis eorum auderet Petro primo apoſtolo, cui claves regni cælorum Dominus dedit, reſiſtere; niſi alius talis, qui fiduciâ electionis ſuæ ſciens ſe non imparem, conſtanter improbaret, quod ille ſine conſilio fecerat.

℣. 12. *Prius enim quam veniſſent quidam à Jacobo, cum gentibus*
edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe,
℣. 13. *timens eos qui erant ex circumciſione. Et ſimulaverunt cum*
illo & ceteri Judæi, ita ut & Barnabas conſentiret ſimulationi eorum. Hi omnes Judæi, qui conſenſerunt ſimulationi Petri & Barnabæ, bonæ fidei fuerunt: ſed propter ſcandalum illorum, qui veniebant ab Jacobo (erant enim æmulatores Legis, qui & Legem & Chriſtum æquo jure venerarentur: quod contra fidei diſciplinam eſt) præſentibus eis non commiſcebantur gentibus. Timebant enim impetum audaciæ eorum, qui æmulabantur Legem. Quod ſi ſolum fuiſſet, non erat reprehenſibile: ſed in quo erratum eſt, in ſubjectis oſtendit. Nam & ipſe utique ceſſit animoſitati & audaciæ Judæorum, timens ne per hoc quod facile eſt,
Act. 21. 26. ſubreperet ſcandalum, quod difficile ſedaretur; quia & ſe-
Act. 16. 3. cundum Legem purificavit ſe coactus, & Timotheum circumcidit invitus.

℣. 14. *Sed cùm vidiſſem quod non recta via incederent ad veritatem Evangelii, dixi Petro coram omnibus.* Ideo in ſolum Petrum invehitur, ut in eo qui primus eſt, diſcerent ceteri. *Si tu cùm ſis Judæus, gentiliter vivis, quomodo gentes cogis Judaizare?* Nunc aperit cauſam reprehenſionis; non enim aliquid fuiſſet erroris, ſi præſentibus Judæis, diſſimulaſſet à gentilibus, timens ſcandalum: ſed hic tota cauſa reprehenſionis eſt; quia advenientibus Judæis ab Jacobo, non ſolum ſegregabat ſe ab eis, cum quibus gentiliter vixerat, ſed & compellebat eos Judaizare, cauſâ timoris illorum, ut quid horum verum eſſet, ignorarent gentiles. Sciebant enim ipſum ſecum non quaſi Judæum vixiſſe: poſt autem audientes ab eo quia Judæorum inſtar ſequendum erat, hæſitabant utique quid eſſet verum. Si enim hoc verum erat ut Judaizarent, ipſum prævaricatorem tenebant; quia gentiliter vixerat: ſi autem illud melius erat & verum, ut ſimpliciter viverent, everſio erat gentilium per ejus ignaviam, quibus ademto bono, res laborioſa & inefficax tradebatur. Apoſtolus autem Paulus quando ad horam ceſſit, non hoc & ſuaſit; ſed rem ſe ſuperfluam & inanem facere clamitavit, propter furorem Judæorum. Cui quidem rei non ſuccubuiſſet, niſi cauſa interfuiſſet, qua audacia Judæorum plurimorum ſe jactaret. Erat
Act. 16. 1. autem Timotheus filius mulieris Judææ; patre autem Græco; unde factum eſt, ut infans ſecundum Legem minime circumcideretur. Inſidiabantur ergo, explorantes ſi eum, qui Judæus natus erat, incircumciſum adſumeret: quod illicitum putabant generi Judæorum, occaſionem quærentes, qua eum everſorem tenerent Legis; hac cauſa ad horam ceſſit furori eorum.

℣. 15. *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores. Scientes*
℣. 16. *autem quia non juſtificatur homo ex operibus Legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti; & nos in Chriſtum Jeſum credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis.* Manifeſta ratione circumventos eos oſtendit, ut ſervarent Legem; in qua nemo juſtificatur apud Deum; quippe cùm hi ipſi qui natura Judæi ſunt, volentes juſtificari, relicta Lege, confugiant ad fidem Chriſti. *Quoniam ex operibus Legis non juſtificatur omnis caro.* Nullum hominem juſtificatum dicit ex operibus Legis; quicumque enim juſti ſunt, ex fide juſtificati ſunt, ſicut Abraham & Iſaac & Jacob & ceteri ſancti.

Si autem quærentes juſtificari in Chriſto, invenimur & ipſi peccatores; num ergo Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Quomodo Chriſtus peccati miniſter poteſt eſſe, qui donat peccata? Ideo, *abſit*, inquit. Sed ſi juſtificari volentes per fidem Chriſti, Legi ſervimus, ſub peccato nos eſſe profitemur; quia fides extrahit hominem à Lege, ut juſtus ſit. Ergo ſi damus nos Legi, peccatores invenimur; quia qui ſub Lege ſunt, ſub maledicto ſunt. ℣. 17.

Si enim quæ deſtruxi, hæc iterum reædifico, prævaricatorem me conſtituo. Abſolutum eſt [a] quia accedens ad Chriſtum, relinquit Legem; de ſervo enim fit liber. Quod ſi iterum redeat ad Legem, ipſe ſui accuſator exiſtit; quia factum ſuum condemnat. ℣. 18.

Ego enim per Legem Legi mortuus ſum, ut Deo vivam. Hoc dicit, quia per legem fidei mortuus eſt legi Moyſis; moritur enim legi, qui liberatur ab ea: & vivit Deo, cujus fit ſervus emtus à Chriſto. *Chriſto confixus ſum cruci.* Hic cruci configitur Chriſto, qui æmulus veſtigiorum ejus, nullâ mundi concupiſcentiâ capitur; ut Deo vivens, mundo mortuus videatur. Qui enim non agit quæ mundi ſunt, vel erroris, mortuus eſt mundo. ℣. 19.

Vivo autem, jam non ego, ſed vivit, qui in me eſt, Chriſtus. ℣. 20.
Non eſt ambiguum, in eo, qui per fidem liberatur à morte, Chriſtum vivere; morte enim digno dum donat peccata, ipſe vivit in illo, ejus enim præſidio ereptus eſt morti. *Quod vero nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſe pro me. Non ſum ingratus gratiæ Dei.* Quoniam futura vita promiſſa eſt chriſtianis, ideo qui nunc in hac vita auxiliis Dei munitus vivit, in fide vitæ promiſſæ vivit. Hic enim imaginem ejus contemplatur, quaſi pignus habens vitæ futuræ, quæ per Dei nutum Chriſti amore nobis quæſita eſt. Hic ergo non eſt ingratus Chriſto, qui in fide ejus perdurat, ſciens nullius ſe habere beneficium, niſi hujus: & ad contumeliam ejus proficere, ſi alterum ei compararet, cujus auxilium habere non potuit.

Si enim per Legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. ℣. 21.
Nihil tam apertum; quia ſi per Legem potuiſſet homo juſtificari, Chriſtum non oportuerat mori. Sed quia Lex dare remiſſionem peccatorum non poterat, neque ſecundam mortem detriumphans exſpoliare captivos, quos tenebat cauſa peccati; idcirco Chriſtus mortuus eſt, ut ea præſtaret, quæ Lex non poterat: ac per hoc non gratis mortuus eſt; mors enim ejus juſtificatio peccatorum eſt.

O *Inſenſati Galatæ! quis vos faſcinavit?* Iraſcentis cum miraculo verba ſunt; quia ſic fuerant depravati, ut nec ſe agnoſcerent circumventos.[b] Prooemio uſus eſt; omnis enim qui faſcinatur, de bono tranſit in malum, ſicut & hi de libertate & ſecuritate ad ſervitium & ſollicitudinem tranſierunt. *Quorum ante oculos Chriſtus Jeſus proſcriptus eſt, & in vobis crucifixus.* Manifeſtum eſt quia ſtultorum oculis Chriſtus proſcriptus videtur, id eſt, exſpoliatus vel condemnatus: prudentium vero oculis & ſenſibus non ſolum non condemnatus, ſed ipſe mortem cruce ſua damnaſſe videtur; paſſio enim Domini vita noſtra eſt, & deſtructio mortis. Sed quia hi indigne cœperant ſentire tranſlati ad Legem, idcirco mentibus eorum Chriſtum condemnatum videri conqueritur; ideoque ſubjecit: *In vobis crucifixus.* Hoc eſt, ſenſu veſtro crucifixus eſt, quaſi homo; in quo enim ſpes plena non eſt, homo eſt. Ideo hi non putabant plenam ſalutem eſſe in Chriſto, quia Legem illi æquabant. In his vero qui congrue intelligunt Chriſtum, vivit in eis Chriſtus, in Photino crucifixus eſt. Hic enim vere mortuus eſt, in quo Chriſtus dicitur crucifixus; quia iſtud loco accuſationis objicitur. Cap. III. ℣. 1. [b]

Hoc ſolum volo diſcere à vobis: Ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſine intellectu eſtis? ℣. 2.
Adhuc cum ſtomacho loquitur; dolet enim valde ſuper errore eorum, quia fabricam ſuam, qua eos per Evangelium ædificaverat, videbat eſſe deſtructam. Non ſic de Corinthiis motus eſt, quia quamvis carnales eos appellet; non tamen uſque adeo fuerant mente capti, ut circumcidi ſe paterentur. Ideo & hi ſtulti & ſine intellectu eſſe dicuntur; quia nec dolori carnis ſuæ conſulere valuerunt. Uſque ad hoc enim ſolet quis induci, quod delectat, aut dolorem non 1. Cor. 3. 3.

a. Sic edit. Amerb. & mſſ. plures: Eraſ. autem & ſ. q. edit. cum mſſ nonnullis, *qui enim accedens .... de ſervo fit liber.*

b. Ultimæ edit. Pariſ. *Tatemia* uſus eſt. Non male, ſi qua mſſ. fide niteretur.

præstar. Interrogantis ergo verba sunt, & quod interrogat ex parte confirmantis, cùm dicit: *Hoc solum volo discere à vobis: Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Hoc ab eis quærit, in quo & gloriabantur, & negare non poterant quia Spiritum sanctum per fidem acceperant, non per Legem; ut resipiscentes agnoscerent quia donum Dei, in quo gloriabantur, non ex opere Legis acceperant, sed credentes in Christum; ut vel sic grati Christo, Legem quam sibi in nullo prodesse didicerant, relinquerent. Hoc proponit, quod illo in tempore negari non poterat, Spiritum Dei inesse credentibus; ad rudimenta enim fidei commendanda, donum Dei hoc manifestabatur hominibus; sicut inter ipsa initia factum est in apostolis & ceteris discipulis,
Act. 19. 4. nec non & in illis duodecim, quos (quia [a] in adulterino baptismate sub nomine baptismi Johannis fuerant non tincti, sed sordidati) Paulus apostolus in Trinitatis nomine baptizari præcepit, quibus impositis manibus, decidit in eos Spiritus sanctus, & diversarum linguarum ministrabat eloquia cum interpretatione earum; ut nullus auderet negare Spiritum sanctum inesse eis. Quamobrem sine intellectu Galatas esse appellat, qui hujus rei gnari & conscii, degradantes se, carnis curæ se subjecerunt.

℣. 3. *Incipientes spiritu, nunc carne consummamini?* Hoc dicit, quia cùm ab inferioribus ad summa fidei adscensus sit, hi contra de summis in ima delapsi sunt. Per fidem enim spiritales effecti conversi ad Legem, perdiderant gratiam Spiritus, quam fuerant consequuti; consummatio enim perditionem significat, id est, fidem.

℣. 4. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Multa eos passos pro fide significat ab infidelibus; tunc enim qui credebant, ceteris opprobrio erant, sive domesticis, sive extraneis: nam digito signabantur quasi rei majestatis. Unde similiter Galatæ multa passi sunt insaniores experti, cujus rei meritum perdiderant mittentes se sub Legem. Sed quia adjecit: *Si tamen sine causa*, ostendit sperare se posse
℣. 5. reformari illos. *Qui ergo præbet vobis Spiritum, & operatur virtute in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei?* Idem sensus est, cui adduntur virtutis insignia, quæ testimonium præbent fidei, quod sit spes fida & rationabilis. Legem autem nulla virtus comitatur, quæ adtrahat ad ejus spem; quia quæ videntur, non sperantur, sed sunt temporalia, sicut lex factorum, quam supra ostendimus.

℣. 6. *Sicut scriptum est: Credidit Abraham Deo, & æstimatum*
Gen. 15. 6. *est ei ad justitiam.* Ostendit exemplo Abrahæ, qui pater fidei est, justitiam non ex operibus Legis imputari, sed per fidem; credens enim justificatus est: ac per hoc stulte & improvide Legi eos se subjecisse, quæ non ad justificationem data est.

℣. 7. *Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ?* Verum est quia credentes filii sunt Abrahæ; quia si Abraham ex fide justificatus est primus, quotquot post hunc credunt, filii ejus sunt, sive ex Judæis, sive ex gentibus.

℣. 8. *Providens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes*
Gen. 12. 3. *Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes.* Hoc dicit, quia forma est Abraham omnium credentium, ut hi benedicti in eo sint, qui credunt; sequentes enim fidem ejus, participes fiunt benedictionis ejusdem.

℣. 9. *Ergo qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham;*
℣. 10. *quotquot enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt.* Manifestum est quia fideles cum fideli benedicuntur, quomodo infideles cum infidelibus puniuntur. Nam qui sub Lege agunt, sub maledicto sunt; quia transgressores Legis sunt.

Deuter. 27. 26. *Scriptum quippe est: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.* Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia si quid Legis præterisset aliquis, maledictus haberetur. Et tanta mandata sunt, ut impossibile sit servari ea. Unde & Petrus
Act. 15. 10. apostolus, in Actibus apostolorum ait: *Quid imponitis*
Deut. 27. 26. *jugum fratribus, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare?* Negligenti enim & superbo [b] populo hæc data erant, ut per omnem conversationem Legem haberent.

℣. 11. *Quod autem in Lege nemo justificatur apud Deum, mani-*
Abac. 2. 4. *festum est; quia justus ex fide vivit.* Ac per hoc recedendum à Lege docet, ne justitia per fidem quæsita depereat.
Ezech. 20. 11. *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in eis.* Non est ex fide Lex; quia nihil mandat credendum. Omnia enim ejus manifesta sunt, ut servans Legem, vivat: si quominus, necesse est plectatur; quia quod scivit vitandum, admisit. Potest opponi è diverso, & dici: Si in Lege nemo justificatur, quid est ut maledicatur, qui aliquid præterit Legis? Verum est quia nemo per Legem justificatur, sed apud Deum: justificatur autem apud mundum, ut securus sit in vita præsenti. Si autem apud Deum justificari vult, ut illi ad meritum proficiat in die judicii, Dei sequatur fidem; alioquin hic securus, reus erit in futurum. Prodest ergo Lex, sed quæ in tabulis scripta est; nam cetera, sicut dixit, ut oneri essent, data sunt.

Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro no- ℣. 13.
bis maledictum. Quoniam nemo poterat implere Legem, rei erant omnes maledicto Legis, ut vindicaret in eos: Christus autem homo natus, oblatus à Patre pro nobis, redemit nos à diabolo. Morti enim volentem offerens illum pro iis, qui maledicto Legis erant obnoxii, maledictum illum fecit hoc modo, sicut in Lege hostia pro peccatis oblata, peccatum nuncupabatur: propterea pro maledictis oblatus, factus est maledictum; nam & Judæis factus est maledictum, dum quasi peccator occiditur. Ideo non dixit: Factus pro nobis maledictus, sed maledictum, is enim qui propter peccatum proprium morti offerebatur, maledictus fiebat, in sua enim causa moriebatur. Et si propius adspicias, videbis Christum maledictum eorum factum, à quibus occisus est; crux enim Salvatoris peccatum & maledictum est Judæorum. *Quia scriptum est: Male-* Deut. 21. 23.
dictus omnis, qui pendet in ligno. Hoc Moyses dixit in Deuteronomio de reis mortis; ut sufficeret suspensis in ligno illic esse usque ad vesperam, & deponi in sepulturam. Quia, *maledictus omnis*, inquit, *qui pendet in ligno*; ut reo mortis sufficeret hoc, quia suspensus moriebatur in ligno; ne diutius si esset suspensus, majus haberet opprobrium mors ejus, quàm deberet: & fieret macula generi ejus, si amplius mors ejus publicaretur. Ac per hoc Salvator innocens suspensus in ligno, non est maledictus, sed maledictum illorum, à quibus suspensus est. Quantum tamen ad Judæos pertinet, quasi peccatorem illum occidendum Pilato offerentes, maledictum illum fecerunt, ut quasi reus occideretur, cùm esset innocens; quia dignus morte maledictus est juxta Legem. Videntes enim multos aggregari doctrinæ ejus, zelati sunt dicentes: *Ecce totus mundus abiit* Johan. 12. 19.
post illum; ac per hoc pro nobis occisus dicitur, & duplici genere pro nobis; cùm enim putant illum occidi debere, ne doceret, nihil profecerunt; quia & doctrina ejus crevit, & mortem evacuavit in passione sua. Descendens enim ad inferos, genus hominum liberavit; qua causa & occidi se permisit, sciens pro nobis esse, & contra diabolum.

Ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret per Christum ℣. 14.
Jesum: [c] & benedictionem Spiritus accipiamus per fidem. Hoc dicit, quia exprobratis & maledictis Judæis, cùm sibi de justitia Legis blandirentur, occiso Salvatore [d] quasi sabbati violatore promissionis benedictio Abrahæ transitum fecit ad gentes per fidem Christi Jesu. Unde dicit Dominus Judæis:
Tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fruc- Matth. 21. 43.
tus ejus.

Fratres, secundum hominem dico. Hoc dicit, quia exem- ℣. 15.
plo humanæ causæ commendare vult rationem divinæ promissionis. *Hominis testamentum, confirmatum tamen, nemo irritum facit, aut superordinat.* Verum est quia testamentum defuncti jure factum non potest scindi.

Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: ℣. 16.
Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et semini tuo, quod est Christus. Hoc est, quod scriptum est in Ge-
nesi ad Abraham: *Et in semine tuo benedicentur omnes gen-* Gen. 22. 18.
tes. Quod utique impletum est in Christo, in cujus nomine omnes gentes benedicentur per fidem. Ideo non in multis, sed in uno firmata est promissio, qui est Christus. Hac disputatione sua Apostolus quasi reos falsati testamenti designat, qui credentes in Christum, etiam de Lege aliquid sperant; ut non solum salus promissa in Christo, sed & in Lege sit. Ideo probat promissionem benedictionis in solo Christo factam.

Hoc autem dico, Testamentum confirmatum à Deo in ℣. 17.
Christo, [e] quæ post quadringentos & triginta annos facta est

a. Codex Laud. *in altero baptismate.*
b. Idem codex Laud. *populo hæc dicta erant.*
c. Rom. edit. *& promissionem Spiritus accipiamus.*
d. Vet. edit. cum mss. aliquot, *quasi sabbati violati reo.*
e. Rom. edit. *Lex quæ post . . . data est, non irritum facit, ut evacuet promissionem.*

Lex, non infirmata ad evacuandam promissionem. In solo Christo firmatam benedictionis promissionem docet, ut Legem post quadringentos & triginta annos datam ostendat; constituta enim promissione postea data est Lex, quæ non utique infirmaret promissionem, sed quod futura, & quando ventura esset, significaret.

℣. 18. *Si enim ex Lege hereditas, jam non ex promissione: Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.* [a] Duas causas sibi contrarias defendunt Judæi; nullo enim pacto, nulla ratione suaderi potest Judæis Abrahæ promissionem evacuatam per Legem, & recte: sed aliud adversum improvida præsumtione defendunt, putantes justificationem sine opere Legis provenire non posse; cùm sciant Abraham, qui forma ejus rei est, sine operibus Legis per solam fidem justificatum. [b] Sed æmulatione quadam cæcati, non intelligunt, neque considerant quia si per Legem justificatio, excluditur promissio; & si exclusa fuerit promissio, sine dubio frustrabitur fides Abrahæ: quod ne audire quidem se patiuntur Judæi, scientes quia promissio ex fide est Abrahæ. Quæ promissio per fidem justificat, non per Legem; sicut & Abraham justificatus ex fide est. Hi ergo heredes sunt promissionis Abrahæ, qui illi succedunt, suscipientes fidem, in qua benedictus & justificatus est Abraham. Testimonium ergo promissionis Abrahæ testamentum appellatur; ut post mortem ejus heredes essent in promissione, filii ejus facti per fidem. Quæ causa cucurrit usque ad Christum Abrahæ repromissum, ut post mortem Christi credentes, heredes essent fidei Abrahæ per testamentum sanguinis Christi. Donum ergo quod promissum est Abrahæ, filiis ejus in Christo solutum est; quamvis & ipse Abraham consequutus sit donum hoc illic, ubi inventus est.

℣. 19. [c] *Quid ergo Lex factorum posita est, donec veniret semen, cui promissum est?* Lex factorum, id est, Moysi, posita est in medio inter cœptam promissionem & semen, cui facta promissio est, hoc est, inter Abraham & Salvatorem. Ideo longe data post factam promissionem, ut ipsa distinctione aliud Lex, & aliud promissio videretur; ut populum Dei à gentibus segregatum erudiret sub Dei timore, ut dignus fieret ad excipiendam promissionem, quæ est Christus. Lex tamen factorum ideo dicitur, quia docet quæ, Deo jubente, corporaliter fiant de sacrificiis, de primogenitis, de decimis, & de ceteris talibus. *Disposita per Angelos in manu Mediatoris.* Angelos dicit Dei nuntios, id est, Moysen, & Jesum filium Nave, & ceteros prophetas usque
Malach. 3. 1. ad Johannem Baptistam, de quo Deus dicit: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Per hos ergo Lex ordinata, disposita est à Deo in manu, id est, potestate Salvatoris;
1. Tim. 2. 5. ipse est enim mediator vel reconciliator Dei & hominum, ut salvet quos vult ex iis qui Legem per supra memoratos Angelos acceperunt. Ipse enim ait: *Sicut Pater suscitat mortuos,*
Johan. 5. 21. *& vivificat: sic & Filius quos vult, vivificat.*

℣. 20. *Mediator autem unius non est.* Sine dubio mediator, hoc est, arbiter non est unius, sed duorum; cùm enim duo populi invicem adversus se dimicarent, semper dissidentes & inimici diversitate doctrinæ, Salvator horum arbiter venit, amputans utrisque populis per quod discordabant, ut possent esse pacifici. Abstulit ergo gentibus numerum deorum, & famulatum elementorum, quod scandalum erat Hebræis: abstulit & Judæis opera Legis, id est, neomenias, circumcisionem, & curam sabbati, & discretiones escarum, & cetera quæ abominabantur gentiles; & sic facti sunt pacifici, qui prius fuerant inimici. Si ergo hæc ita se habent, quid est ut Galatæ hebetudine mentis [d] arbitrium istud corrumpant, conversi ad judaismum? Judicium enim Salvatoris in irritum ducunt, quando post factam pacem, quasi pœnitentes de ea, subjiciunt se illis, quæ prius paci fuerant inimica. Juxta sensum ergo Galatarum Christus arbiter non est; quia inducti in Legem de duobus populis unum fecerunt, & unius utique populi arbiter nemo est. Hunc eumdem
Ephes. 2. 14. sensum ad Ephesios prosequitur dicens: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitiam in carne sua legem mandatorum in decretis evacuans; ut duos conderet in se uno novo homine, faciens pacem.* Si in uno novo homine facit pacem, ambobus utique abstulit, per quod dissidebant; & hoc eis statuit data sua lege, per quod essent pacifici. Hoc Galatæ irruperunt conversi ad judaismum *Deus vero unus est.* Hoc dicit, ne Christum prædicando Deum, [e] quem arbitrum dicit uni Deo, prædicasse putaretur contra Legem & prophetas. Arbitrum ergo hunc per adsumtionem carnis intelligi docet, sicut dicit ad Timotheum: *Arbiter Dei & hominum* 1. Tim. 2. 5.
homo Jesus Christus: juxta autem quod Deus est, à Patre hunc non separari, sed unum esse cum Patre. Sive enim Pater, sive Filius, Deus unus est; Deus enim naturæ nomen est & potestatis, quam in Patre & Filio individuam manere ipsa nominum ratio docet.

℣. 21. *Lex igitur adversus promissa Dei? Absit.* Absit utique, quia non est Lex inimica promissionis; quippe cùm confirmet eam. Nam primus Moyses dicit: *Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus vestris.* Hoc de Christo dictum Petrus Deut. 18. 15.
apostolus probat in Actis apostolorum. *Etenim si data esset* Act. 3. 22.
Lex, quæ posset vivificare, vere ex Lege esset justitia. Justitiam hanc dicit, quæ apud Deum imputatur justitia, id est, fidei, quia & Lex habuit justitiam, sed ad præsens, non quæ justificaret apud Deum. Remittere enim peccata non potuit, ut de peccatoribus faceret justos; sed ad hoc data est, ut terrori esset provocans homines ad bonam vitam, irreverentes puniens. Ideoque non est data Lex, quæ posset vivificare, sed condemnare.

℣. 22. *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Hunc sensum & ad Romanos posuit, dicens: *Conclusit Deus omnia sub peccato;* Rom. 11. 32.
ut omnium misereatur. Hoc dixit quod supra memoravi, quia Lex ad hoc data est, ut peccatores reos se scirent apud Deum. Manifestatis enim peccatis suis, conclusi sunt, ut se excusare non possent, sed quærerent misericordiam; ut veniens qui promissus erat Abrahæ, fidem solam ab eis posceret, quam habuit Abraham; ut & malorum suorum veniam, & justificationem mererentur. Hoc enim manifestaverat Deus per Esaiam prophetam, dicens: *Veniet ex* Esai. 59. 20.
Sion, qui eripiat & avertat impietatem ab Jacob; & hoc erit illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum.

℣. 23. *Prius enim quam veniret fides, sub Lege custodiebamur, conclusi in eamdem fidem, quæ incipiebat revelari.* Hoc est, quod dicit, quia antequam veniret Salvator, sub Legis custodia agebamus, ne peccaremus; ut veniente promissione digni essemus. Hac enim spe Lex tutos præstabat nos, ut venienti Christo offerret nos, id est, Judæos.

℣. 24. *Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christo Jesu, ut ex fide justificaremur.* Idem sensus est, quia sub cura Legis eramus, donec veniret Christus, qui nos credentes justificaret.

℣. 25. *Veniente autem fide, jam non sub pædagogo sumus;*
℣. 26. *omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Sub pædagogo qui agit, potestatis suæ non est; parvulus enim & lubricus ad peccandum sub pædagogi cura habetur. Veniente autem Christo, qui quasi de minoribus facit majores, liberati de potestate pædagogi, per ablutionem peccatorum facti sumus filii Dei, cùm essemus servi peccati.

℣. 27. *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Hoc dicit, quia credentes dum immutantur, Christum induunt; quando hoc appellantur, quod credunt.

℣. 28. *Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Nullam distantiam dicit credentium, ut nulli præjudicetur quid fuerit, antequam crederet; omnibus enim his unum decretum est donum. Apud Deum enim nulla discretio personarum est, nisi morum & vitæ; ut homines unius fidei meritis distinguantur, non personis.

℣. 29. *Si ergo* [f] *vos omnes unum estis in Christo Jesu, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem heredes.* Semen Abrahæ sunt omnes credentes, quia Abraham pater est omnium credentium; & si filii sunt, necessario & promissionis ejus heredes; ut consequantur per fidem, quod promissum est Abrahæ, ut participes simus justificationis ejus in regno cælorum.

CAP. IV.

℣. 1. *Dico autem quod quamdiu heres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium: sed sub curatori-*
℣. 2. *bus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.* Verum est, quia jus patres ordinaverunt, & usque ad quam ætatem subjectus debeat esse adultus, statuerunt; ita ut quamdiu parvulus est, libertate sua uti non possit, neque

a. Rom. edit. *Duo sibi contraria defendunt.*
b. Cod. 2 Vall. *Sed æmulatione quidem cæcati.*
c. Rom. edit. *Quid ergo Lex? Propter transgressiones posita est.... ordinata per Angelos in manu mediatoris. Quid ergo Lex &c.*
d. Omnes edit. & mss. aliquot, *arbitrium istum corrumpant*: alii [illegible], ut in textu.
e. Rom. edit. *quem arbitrum constituit, prædicasse putaretur.*
f. Rom. edit. *vos estis Christi, ergo Abrahæ semen estis & secundum.*

dominari quasi heres; sed similis prope servis in conditione est curatorum vel actorum. Hoc exemplo probat eos, qui sub Lege fuerunt, parvulos fuisse circa meritum, nec libertatem habuisse; quia in conditione Legis erant subjecti causâ peccati.

ỳ. 3. *Ita & nos cùm essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus subjecti.* In elementis neomenias significat & sabbatum; neomeniæ enim sunt dies lunares, quos observant Judæi: sabbatum vero dies requietionis. Antequam veniret ergo promissio, id est, antequam donum gratiæ Dei purificans justificaret credentes, quasi imperfecti & parvuli per legem Dei, subjecti eramus conservis, quasi pædagogis; libertas enim nostra obnoxia erat causâ peccati. B Nihil tamen de elementis sperabant Judæi, sicut & pagani: sed creatorem Deum venerabantur in creatura.

ỳ. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*
ỳ. 5. *factum ex muliere, factum sub Lege; ut eos qui sub Lege erant, redimeret; ut filiorum adoptionem reciperemus.* Plenitudo temporis est completum tempus, quod præfinitum fuerat à Deo Patre, quando mitteret Filium suum, ut ex Virgine factus, quasi homo nasceretur, subjiciens se Legi usque ad tempus baptismi; ut formam daret quomodo peccatores abluti, & à jugo Legis erepti dignatione Dei, filii ei adoptarentur, sicut promiserat tedentis sanguine Filii ejus. Salvatorem autem necesse erat fieri sub Lege, quasi C filium Abrahæ juxta carnem; ut circumcisus appareret is esse, qui promissus Abrahæ, veniret gentes justificare per fidem, signum habens ejus, cui promissus fuerat. Ideo ultra neminem oportuit circumcidi; quia tamdiu cucurrit signum, quoadusque veniret, qui promissus fuerat restaurare fidem, in qua justificatus est Abraham in præputio, ut credentibus non opus sit circumcisio. Abraham autem ideo circumcisus est, quia filium se credidit habiturum, in quo omnes gentes benedicerentur. Ideo tamdiu cucurrit signum, donec veniret, qui erat promissus. Si autem hoc crederent, quod credidit Abraham, non stetisset circumcisio; ne forte opponeretur, quia si Abraham credidit & circumcisus D est, quare non circumciduntur credentes?

ỳ. 6. *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater.* Ab his cœpit, quibus & scribit, dicens: *Quoniam autem estis filii Dei*; & subjungit Judæos, cùm ait: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra.* Quando autem dixit gentes filios Dei credentes in Christum, qui prius fuerant inimici, dubium non erat Judæos credentes dici filios Dei, quos constat jampridem hoc nomine nuncupatos. [a] Nomen enim Dei acceperant velut imagine, ut postea confirmaretur per Christum; quia sine spiritu non erat plenum. Hoc est,
Rom. 8. 16. quod dicit & ad Romanos: *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Ut enim probaremur E adoptati esse à Deo in filios, Spiritum suum dedit nobis, qui signum Patris ostendat in filios; ut quia hoc non auderemus dicere in infirmitate & indignitate nostra, suggerat ut audeamus dicere: Abba, quod est pater. Denique Judæis hoc jamdudum non est concessum dicere.

ỳ. 7. *Itaque tam non est servus, sed filius.* Non est servus, quia sublatus est à potestate Legis, socius factus benedictionis proprii Filii Dei. *Si autem filius, & heres per Deum.* Dubium non est quia ideo quis adoptat sibi filium, ut heredem illum relinquat. Sed hereditas ex morte alicujus provenit: quid est ergo, ut mortales heredes ejus dicantur, F qui semper vivit? Sed Scriptura more nostro loquitur, ut intelligere possumus; ut enim ostendat datutum patrem filiis de bonis suis, hæc quæ daturus est, hereditatem appellat.

ỳ. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui naturâ non sunt dii, serviebatis.* Quoniam prius per ignorantiam peccabant servientes idolis, facile illis ignotum significat, sicut
Gen. 20. 4. dicit in Genesi Abimelech ad Deum: *Domine,* inquit, *numquid gentem ignorantem perdes?*

ỳ. 9. *Nunc autem cognoscentes Deum, immo vero cogniti à Deo, quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis?* Grave illorum admissum adnotat; quia post cognitionem Dei, ea quæ paganorum sunt, sequi cœperant. Et plus addit: *Quia non ipsi cognoverunt Deum, sed magis cogniti à Deo sunt.* Cùm enim hi non A quærerent Deum, advocavit eos ad suam gratiam: & hi ingrati, ad ea converti cœperant, quæ tunc colebant, quando ignorabant Deum; ut venerarentur infirma & egena elementa, & non tota mente Christum, in quo omnis inhabitat divinitas. Infirma & egena dicit elementa, quia imperfecta sunt; ad regendum enim mundum invicem egent sui: in Christo autem perfecta salus est.

Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Quæ elementa dixerit, nunc declarat. Diem sol facit, menses cursus lunæ: tempora vero sunt ver, æstas, autumnus, hyems: quatuor hæc, completo numero proprio, faciunt annum. Dies ergo observant, qui dicunt, ut puta: Crastino proficiscendum non est; post crastinum enim non debet aliquid inchoari: & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursus lunæ perscrutantur dicentes, ut puta: Septimâ lunâ instrumenta confici non debent, nonâ iterum lunâ servum emrum, ut puta, domum duci non oportet; & per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora vero sic observant, cùm dicunt: Hodie veris initium est, festivitas est, post cras Vulcanalia sunt. Et talia iterum aiunt: Posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt, cùm dicunt: Kalendis januariis novus est annus, quasi non quotidie anni impleantur: sed ut Jani illius recolant memoriam bifrontis, hac superstitione utuntur, quæ longe debet esse à servis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligatur, ipso propitio, nulla debet esse formido, neque suspicio harum rerum; prospere enim potest cedere, quidquid simpliciter sub Dei devotione fit. ỳ. 10.

[b] *Timeo vos ne frustra laboraverim in vobis.* Duplici genere subversi fuerant Galatæ; ut post Dei gratiam non solum ad Legem converterentur, sed ad errores pristinos. Inducti enim vel eversi, in Legem facile declinarant ad observantiam dierum & mensium; sabbati enim observatio & neomeniarum adtraxerunt illos ad hæc. Ideo inquit: *Timeo ne sine causa laboraverim in vobis*; sic enim videbat eos in pejus proficere, ut possent etiam à Christo penitus recedere. ỳ. 11.

Estote sicut ego; quia & ego sicut vos. Hoc dicit, ut dent operam corrigendi ea; quia non est impossibile ut sint sicut ipse; quia & ipse hoc erat, id est, homo, quod & illi: & eùm fuisset in errore persequens Ecclesiam, correptus convertit se. *Fratres, obsecro vos, nihil mihi nocuistis.* Nunc mitius agit cum eis, [c] & bona eorum incipit memorare; ut post magnas correptiones bona opera sua audientes recreentur, & datâ operâ reformarent se; ne objurgationibus diutius pressi asperioribus, fierent exacerbati. Nihil tamen sibi nocuisse illos dicit; ipsis enim oberat delictum illorum: Apostolus enim impleverat officium dispensationis sibi creditæ; ut omni cum diligentia prædicaret eis, sicut dicit Dominus ad prophetam Ezechiel: *Tu,* inquit, *prædica, si te audierint, lucraberis eos; si quominus, tu salvabis animam tuam.* ỳ. 12. Ezech. 3. 17.

Scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem: & tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis. In memoriam revocat illis tempus, quando primùm prædicavit illis Evangelium Dei. Ipso enim tempore injuriis agebatur Apostolus, & cædibus infirmabatur; infirmus enim videtur, qui humiliatur, & non resistit propter Evangelium Dei. Et in hoc laudat constantiam eorum, quia non sunt abstracti à fide; injuriæ enim Apostoli tentatio erat Galatarum, in qua firmi inventi sunt, non dubitantes de fide. Possent enim [d] scandalum passi dicere: Quæ est virtus aut spes in hac fide, quando minister ejus sic humiliatur? Sed quia jam animum futuris spebus infecerant, præsentes exitus pro Christi nomine non pertimescebant, certi fidem nostram non in terris, sed in cælis habere dignitatem, & pro his tribulationibus magna rependi præmia. Ruborem illis incutit; quia post hæc laudabilia circumventi fuerant, ut vituperabiles viderentur. *Sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* Hoc magis laudat in eis, quia pressuris non deformatus est apud eos, sed commendatus, scientes pro iis qui credunt, pati illum exitia. Sicut ergo Angelum Dei exceperunt Apostolum, credentes donum Dei esse, quod prædicat: sic ei deferentes, quasi ipsi auctori domino Jesu Christo. ỳ. 13. ỳ. 14.

[e] *Quæ ergo erat beatitudo vestra?* Beatos hos fuisse dicit ỳ. 15.

a. Omnes edit. ac nonnulli mss. *Nomen enim olim acceperant velut in imaginem.*
b. Rom. edit. *Timeo ne sine causa laboraverim.*
c. Nonnulli mss. *& bona opera sua.* Non reĉte. Insra vero ubi omnes edit. ac pauci mss. *diutius pressi, asperiores fierent exacerbati*: alii mss. melius legunt, ut in contextu.
d. Mss. Laud. *scandalum proponere, & dicere: Quando Domini servus ejus sit* &c.
e. Rom. edit. *Ubi est ergo beatitudo vestra?*

apud

apud ceteras Ecclesias, per id quod apostoli injuriis non A
frangebantur, sed crescebant in fide. *Testis enim sum vobis quia, si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Votum eorum circa religionem tam plenum ostendit fuisse, ut non solum bene ab eis susceptus sit, sed & fortes in fide inventi sint: & quod ad laudem magis proficit, omnia pene sua illi obtulerunt profliganda. Hinc plus dolet, quia tanta caritas subversa fuerat pravâ doctrinâ.

℣.16. *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Hoc dicit, quia non potest fieri, ut inimicus, inquit, ego vobis sim, quorum tanta sensi obsequia. Sed quia nemo se argui vult errantem, idcirco inimicus vobis videor, juste vos B reprehendens.

℣.17. *Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, ut eos æmulemini.* Invidiâ Judæorum subversos eos significat; videntes enim sic illos proficere in Evangelio, & tantam habere caritatem in Apostolo, id egerunt, quatenus illos deciperent. Erant enim Legis causâ apostolis inimici, ut manente nomine Salvatoris, facerent eos Judæos, gaudentes in eversione eorum; non enim patiebantur, ut gratiam sibi promissam audirent incircumcisis gentibus datam. Ideo imitatores suos illos voluerunt fieri, ut more eorum circumciderentur.

℣.18. a *Æmulamini autem* [a] *meliora dona, bonum æmulamini semper, & non solum cùm præsens sum apud vos.* Meliora C dona spiritalia sunt, quæ imitari habebunt effectum apud Deum. Hæc spiritalia bona sunt, quæ vult ut semper imitentur, non ad tempus, sicut pridem, aut se præsente tantum, post autem ad aliud convertantur: sed vult illos de cetero perseverare in bono.

℣.19. b *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Primum per fidem illos genuerat in baptismo, sed quia [b] velut per abortum nati, deformati & infirmi inventi sunt; nunc cum dolore consilii reformat eos in Christum. Concipientes enim fidem, & sensum fidei minime advertentes, formatum Christum in animis suis negantur habere; si enim intellexissent gratiam Dei in Christo, post fidem in judaismum transducti non essent.

℣.20. c *Vellem autem præsens esse nunc apud vos, & mutare vocem meam; quia confundor in vobis.* [c] Præsens vult arguere illos, ut mutet vocem suam de laude in vituperationem eorum; ut duplici genere confundantur, & de errore suo, & rubore Apostoli, quem patiebatur apud eos, quibus illos prætulerat.

℣.21. *Dicite mihi, qui sub Lege vultis esse, Legem non legistis?*
℣.22. Gen. 16. 15. Gen. 21. 2. *Scriptum est enim quia Abraham duos filios habuerit: unum de ancilla, & unum de libera.* Hoc in Genesi habetur, quia cùm Sara generare non posset, erat enim sterilis, Agar ancillam suam obtulit viro suo Abrahæ in concubi- E nam; ut quod generasset, adoptaret sibi. Sic factum est, ut de Agar nasceretur Ismael. Post autem nutu Dei promissus est Abrahæ filius de Sara uxore ejus, quæ erat sterilis: hæc peperit Abrahæ Isaac. Tunc cœpit Abraham duos habere filios, unum de ancilla, & unum de libera.

℣.23. *Sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est:*
℣.24. *qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta.* Ismael, qui ex ancilla Agar natus est, secundum carnem natus; quia juxta consuetudinem natus
d est: Isaac vero [d] quia per repromissionem, non secundum consuetudinem, sed secundum providentiam Dei virtute natus est; quippe cùm Sara & anus esset & sterilis. In typum F enim Christi natus est Isaac; ideo hæc per allegoriam adserit dicta, ut aliud ex alio significent personæ Ismael & Isaac. Ismael enim Judæorum significat nativitatem, vel eorum qui servi peccati sunt: Isaac vero christianorum, quia in libertate nascuntur; liber enim fit, qui accipit remissionem peccatorum.

Exod. 24. 8. *Nam hæc sunt duo Testamenta.* Moyses accipiens sanguinem vituli in cratera, adspersit populum dicens: *Hic est sanguis Testamenti, quod disposuit Deus ad vos.* Hoc est quod dixit: *Unum quidem à monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar.* Lex enim in monte Sina data est, quam Moyses recitans populo, librum hunc Testamenti appellavit; & tunc adspersit populum sanguine, sicut dixi. Hæc Lex reos tenuit peccatores, & cœperunt servi esse peccati, facti filii Agar quasi ancillæ.

Sina autem mons est in Arabia, qui conjungitur huic, ℣.25.
quæ nunc est Hierusalem, serviens cum filiis suis. Causam Agar significare dicit Hierusalem terrenam, id est, Synagogam, quæ in servitutem generat; quos enim generat, sub peccato sunt.

Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est ℣.26.
mater nostra. Hæc, quam matrem nostram dicit, regula est mysterii Dominici, per quam renascimur in libertatem, sicut & ipsa libera est. Ideo & cælestis dicitur, quia cælum sedes ejus est: & quos generat, ibi erunt cum ea, sicut dicit Dominus, *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi* Iohan. 3. 3. & 4.
ego fuero, & hi sint mecum. Hæc est & vita; quia immor- Iohan. 17. 24.
talitate donantur, qui credentes renascuntur per eam. Sic etenim de Domino dictum est quia, *quod factum est in ipso,* Iohan. 5. 26.
vita est. Sicut enim Pater habet vitam, ita dedit & Filio vitam, & vita erat lux hominum. Hæc vita & lux mater fidelium est. In Esaia hoc habetur, quod subjectum est:

Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erum- ℣.27.
pe & clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, ma- Esai. 54. 1.
gis quàm ejus, quæ habet virum. Hanc terrenam Hierusalem virum habere dicit; quia secundum carnem generat: illam autem cælestem Hierusalem, quam dicit matrem nostram, sterilem appellat; quia non parit secundum carnem, nec dolores patitur, hoc est, non parturit. Generat autem sine passione spiritaliter exclamans in lætitia; quia deserta aliquando (à quo autem, nisi ab Adam, qui desertâ vitâ secutus est mortem) nunc plures filios habet, quàm hæc quæ habet virum, id est, quæ carnaliter generat. Multo enim plures sunt christiani Judæis, sicut dicitur in Apo- Apoc. 7. 9.
calypsi: *Et vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omni tribu & gente.*

Vos autem, fratres, secundùm Isaac promissionis filii estis. ℣.28.
Hoc est non carnis filios esse, sed Dei; quia Isaac in typum natus est Filii Dei: & vult eos subintelligere quia facti filii Dei, conversi sunt, ut essent filii carnis: si vero resipiscant, sunt filii Dei.

Sed quomodo tunc qui secundùm carnem natus fuerat, ℣.29.
D *persequebatur eum, qui secundùm spiritum; ita & nunc.* Non Gen. 21. 9.
solùm Ismael secundum carnem natus est, sed & Esau; quia & ipse in populi Judaici typum natus est. De quo in Malachia propheta scriptum est: *Jacob dilexi, Esau vero odivi.* Malac. 1. 3.
Hic persequebatur Jacob, qui in populi christiani figura natus, vocatus est Israel, hoc est, homo videns Deum. Gen. 17. 28.
Similiter & Judæos per invidiam persequi significavit christianos; unde datâ operâ Galatas everterant carnali astutia.

Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus; ℣.30.
non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Hæc Gen. 21. 10.
verba Saræ sunt, quæ typum habet Hierusalem cælestis, de promissione generans Isaac; ut ejecto filio ancillæ, id est, Judæo populo, incredulitatis causâ abjecto (servi enim peccati sunt, quibus data remissio peccatorum non est) heres sit filius liberæ illius Hierusalem supernæ, qui est populus novus regni cælorum.

Itaque non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate ℣.31.
Christus nos liberavit. Fuimus igitur ancillæ filii, dum peccatis eramus obnoxii: sed accepta remissione peccatorum à Christo, liberati sumus.

CAP. V.

State ergo, & nolite iterum servitutis jugo contineri. ℣.1.
Standum monet in accepta gratia, ut non redeuntes ad vetera, amittant donum libertatis, quod fuerant consequuti.

Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, ℣.2.
Christus vobis nihil proderit. Nunc apertæ veritatis & auctoritatis suæ vim non tacet, dicens: *Ecce ego Paulus dico vobis*, id est, ego magister gentium, cujus opus estis in Christo, palam vobis dico: *Quia nihil proderit vobis Christus, si circumcidamini*; ipse enim Dominus ait: *Lex &* Luc. 16. 16.
prophetæ usque ad Johannem; ex quo regnum cælorum prædicatur. Antequam ergo nova inciperet prædicatio, oportuit circumcidi: nunc autem lege fidei succedente, ea sequenda sunt, quæ rudis veritas jubet; quia vetus & novum admisceri non debent, auctoritate Domini prædicantis; ait enim: *Nemo additamentum panni rudis adsuit vestimento* Matth. 9. 16.
veteri; tollit enim fortitudinem ejus à vestimento, & major fit scissura. Ac per hoc non solùm nihil proderit fideli addita

a. Rom. edit. *meliora dona in bono semper.*
b. MSS. aliquot, *velut abortivi nati.*
c. Rom. edit. *Præsens vult agere cum illis.*
d. Abest à mss. quibusdam, *quia per repromissionem.*

circumcisio, sed & oberit: majus enim malum est ex libero servum fieri, quam nasci.

℣. 3. *Testificor autem omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ Legis faciendæ.* Possunt aliqui Legem aliquatenus servare, & non circumcidi: nam multi Romanorum in Judæa servabant Legem incircumcisi. Unde dicit Paulus apostolus ad Agrippam regem Judææ: *Scio, rex Agrippa; credis prophetis, scio quia credis.* (Act. 26. 27.) Et centurio, cujus servus erat moriturus, qui mittens ad Jesum, rogabat ut veniret, & sanaret servum ejus; cui testimonium perhibentes Judæi dicebant ad Jesum: *Dignus est ut hoc præstes ei; diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificavit nobis.* (Luc. 7. 4. & 5.) Nemo tamen circumcisus non totam Legem servat, debitor est enim quia circumcisis data est Lex. Hoc ideo dixit, quia tam hebetes se ostendebant, ut digni essent omnia onera Legis portare.

℣. 4. *Evacuati estis à Christo.* Quibus nihil prodest Christus, evacuati sunt à Christo; erant enim gratia ejus pleni, qua recedente, evacuati sunt. His enim loquitur, qui post acceptum donum gratiæ Dei, circumcidi se maluerunt. *Qui enim [a] in Lege gloriamini, à gratia excidistis.* Justitia Legis est, si serventur, quæ data sunt. Ideoque qui in his justificari se vult post fidem, amittit gratiam; quia ad hoc venit donum Dei, ut cessantibus oneribus Legis, justificaret credentes apud Deum.

℣. 5. *Nos autem spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus; nam in*
℣. 6. *Christo Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium: sed fides, quæ per caritatem operatur.* Apertum est quod dicit, quia spes justificationis in fide est per spiritum, non per opera Legis; in fide enim spiritaliter Deo servitur devotione mentis, & puritate cordis. Unde dicit Dominus ad Samaritanam: *Deus spiritus est, & adorantes eum, in spiritu & veritate adorare oportet.* (Joan. 4. 24.) Ac per hoc neque præputium valet quidquam, neque circumcisio: sed sola fides opus est in caritate ad justificationem; fides enim caritate fraterna debet muniri, ut perfectio sit credentis. Denique Salvator quod primum mandatum esset interroganti scribæ respondit: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & proximum tuum tamquam te ipsum. In his,* inquit, *duobus mandatis tota Lex pendet & prophetæ.* (Matth. 22. 37. & seq.) Imperfecta sunt itaque cetera, quando in his duobus mandatis perfectio continetur.

℣. 7. *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Exercitium illorum in opera fidei bonum fuisse testatur, sed nequitia malorum hominum detentos; ne cursum suum efficacia perseverante, consummarent. Unde ut resipiscant hortatur, de cetero nulli eorum credentes, qui ut opera Legis servanda suaderent, evangelicæ veritati non eos obedire sinebant.

℣. 8. *Suasio vestra non est à Deo, qui vocat vos.* Verum est, quia humano consilio hæc agebant Judæi, ut mitterent eos sub Legis jugum: non Dei judicio, qui vocabat eos per Apostolum suum ad gratiam.

℣. 9. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hoc dicit, quia licet quidpiam Legis admiscentes fidei, violant fidem, ne habeat fructum, aut sit acceptabilis. Hoc ideo adjecit, ne forte incolumem se putarent [b] habere gratiam fidei, si pauca Legis observarent.

℣. 10. *Ego confido in vobis in Domino, quia nihil aliud sentietis.* Hac spe se dicit fidere de iis; quia non sponte, sed circumventi erroris viam intraverant. Ideo ostenso vero itinere, facile eos posse reverti confidit. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille.* Quomodo qui errantem converti facit, remunerandus est, dicente Jacobo apostolo in epistola sua: *Qui converti fecerit peccatorem, salvabit animam ejus [c] à morte, & operiet multitudinem peccatorum* (Jacob. 5. 20.); ita & qui recta incedentem via, iter in devium cogit flectere, damnationem consequitur, quicumque fuerit. Hoc propter hos subjicit; ne qui sibi meritum defenderent, eo quod filii essent Abrahæ juxta carnem. Denique exaltantes se dicunt ad Jesum: *Nos filii Abrahæ sumus.* (Joan. 8. 33.)

℣. 11. *Ego autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Apertum est, quod dicit; ideo enim quasi inimicus Judæis habebatur, & non desinebant à persecutione ejus; quia circumcisionem jam non stare docebat. Denique Judæis compellentibus, & sæpenumero falsas accusationes contra eum deferentibus, obliquum judicem videns, coactus appellavit Cæsarem. (Act. 25. 11.) *Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Scandalum erat Judæis prædicatio crucis, quia sabbatum & circumcisionem evacuabat. Si autem admitteret circumcisionem, non esset scandalum, & pacifici essent nobis Judæi. Nam dicebant de Salvatore: *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* (Joan. 9. 16.)

Utinam & abscindantur hi, qui vos subvertunt. ℣. 12. Tale est hoc, quale & illud ad Corinthios in prima: *Qui non,* inquit, *amat Dominum Jesum, sit anathema.* (1. Cor. 16. 22.) Ex ipso grege morbido sunt & hi, quos socias sententiæ eorum; ut abscindantur [d] à misericordia Domini, qui Galatas Dei gratia exuerunt: & non solum spiritaliter, sed & carnaliter, hos maledicit; ut quia circumcidi Galatas cogebant, ipsi abscinderentur, ut multiplicaretur his dolor corporis.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres. ℣. 13. In libertatem vocati sunt; quia cùm peccatis essent obnoxii, [e] Dei gratia accipientes remissam delictorum, liberati sunt. *Tantum ne libertatem in occasionem carni detis.* Hoc dicit, ne acceptam libertatem occasio carnis adimat: ad hoc enim circumcidi eos volebant, ut in conditionem Legis intrarent. Ideo monet, ne dent occasionem consentiendo eis. *Sed per dilectionem spiritus servite vobis invicem.* Non per affectum carnis caritatem habendam, sed per dilectionem spiritus exhortatur, ut invicem sibi subjecti sint.

Universa enim Lex in vobis in uno verbo impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. ℣. 14. Hoc scriptum est in Levitico (Levit. 19. 18.), quod supra dictum est, quia perfectio salutis per dilectionem operatur; quia qui non diligit fratrem, non diligit Deum, dicit Johannes apostolus. (1. Johan. 4. 20.)

Quod si mordetis [f] invicem, & criminatis; videte ne ab invicem consummamini. ℣. 15. Manifestum est quia dissensio fratrum inimica est dilectionis; ideo monet ut pacifici sint, proficientes in bono. Contentiones enim generant jurgium, cujus fructus est vitæ consumtio.

Dico autem spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. ℣. 16. Postquam à lege factorum eos prohibuit, in qua sunt præcepta carnalia; nunc ut à vitiis carnis se contineant, præcipit. Hic enim spiritu ambulat, qui fugit peccata.

Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur, [g] ut non ea quæ vultis, faciatis. ℣. 17. Duas leges proponit, sicut facit & in epistola ad Romanos (Rom. 7. 23.), quæ invicem adversæ sunt: unam Dei, alteram peccati. Quæ ideo in carne significatur, quia visibilibus oblectatur, cupida peccatorum; ut his sibi adversantibus, medius homo non ea quæ vult, agat. Divina enim lex premit & fugat legem peccati, consulens homini, ut vigorem naturæ suæ custodiat, ne capiatur illecebris: illa è contra in insidiis agens, lacessit hominem blanditiis, ut spernat præceptum legis divinæ. Cùm ergo consenserit homo legi Dei, contradicit lex peccati, suadens homini, ne faciat quod imperat lex divina: è diverso autem lex Dei revocat hominem; ne faciat quod suggerit lex peccati. Quod quidem homo non videt esse absurdum; scit enim naturæ suæ congruere, si faciat quod imperat lex Dei. Denique gaudet, quando hæc agit: cùm autem ea operatur, quæ suggerit lex peccati, videt se turpem, & horret post factum. Ideoque legis spiritus præcepta servanda sunt, & carnalia fugienda; ipsa enim conscientia accusat, si ei consentiat, sciens horrori esse, quæ suggerit Lex peccati.

Quod [h] si Spiritu ducimini, non estis sub Lege. ℣. 18. Non est obscurum, quia qui ducem habet Spiritum sanctum, non errat; lex enim errantibus dominatur, sicut alio loco dicit: *Justo non est lex posita.* (1. Tim. 1. 9.)

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt adulterium, ℣. 19. *fornicatio, impuritas, obscœnitas, idololatria, veneficia, inimi-* ℣. 20. *citiæ, [i] contentiones, simulationes, iræ, simultates, dissensiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, &* ℣. 21. *quæ sunt his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quod hi qui talia agunt, regni Dei hereditatem non consequentur.* Hæc omnia & his similia legis peccati membra sunt,

a. Ita mss. plures, ac potiores: aliqui tamen, & omnes edit. *in lege justificamini.*
b. Mss. nonnulli, *habere gratiam Dei.*
c. Dictio, *à morte*, è cod. non paucis restituitur.
d. Mss. aliquot, *à mente Domini*: unus, *à mandatis Domini*: reliqui & edit. *à misericordia Dei.*
e. Omnes edit. ac pauci mss. *Dei gratiam accipientes, remissa delictorum* &c. Infra vero Rom. edit. sola, *& in ditionem Legis* &c.
f. Rom. edit. *mordetis invicem & comeditis.*
g. Eadem Rom. edit. *ut non quæcumque vultis, faciatis.*
h. Nonnulli mss. *si Spiritu Dei ducimini.*
i. Rom. edit. *contentiones, æmulationes, iræ.*

quæ Apoſtolus opera carnis appellat; quia errores iſti ex A mundo ſunt, ex quo & caro. Omnia namque peccata deforis oriuntur ex parte carnis, non ex parte ſpiritus; ideo non abſurde opera carnis dicuntur.

℣. 22. *Fructus vero ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, longa-*
℣. 23. *nimitas, benignitas, ſpes, lenitas, continentia, caſtitas, bo-*
℣. 24. *nitas: adverſus hujuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt*
Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcen-
tiis. Non dixit: Opera ſpiritus caritas eſt, ſed *fructus ſpi-*
ritus; lex enim ſpiritus hæc, quæ ſupra memoravit, fructi-
ficat; ut ex his hereditas regni cælorum quæratur; qui
enim Chriſto devoti ſunt, hos dicit chriſtos, id eſt, unctos,
Hi carnem, id eſt, mundum crucifigunt, quando hæc ex qui-
bus errores oriuntur, condemnant. Hunc ſenſum & Johan- B
1. Johan. 2. 15. nes apoſtolus ſequutus, ait: *Nolite diligere hunc mundum,*
neque ea quæ in hoc mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non
eſt caritas Patris in illo; quia omne quod in hoc mundo
eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum.
Qui ergo mundum, & quod in mundo eſt, non concupiſcit, hic carnem crucifigit. Neque enim corpori humano hæc vitia adſcribenda ſunt, id eſt, idololatria, veneficia, hæreſes, invidiæ, inimicitiæ, iræ, & talia: ſed ideo carnalia dicuntur, quia ex parte mundi ſunt, ſicut ſupra memoravi. Interea non amplius quam decem res poſuit, quas fructus ſpiritus ſignificat; ut in his omnia complexus videatur ſecundum tabulas Teſtamenti Dei, in quibus non C amplius quam decem verba mandatorum tradita ſunt.

℣. 25. *Si vivimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non ſimus*
℣. 26. *inanem gloriam ſectantes, invicem provocantes, invicem in-*
videntes. Hoc dicit, quia ſi bene & honeſte vivimus, bonos debemus habere & mores; hoc eſt enim ſpiritu vivere incontaminatam vitam habere: & ſic ſpiritu ambulamus, ſi paci ſtudeamus; hæc enim parit caritatem. Inanis autem gloria eſt velle vincere, ubi præmium non eſt; ut quis ſtudium habeat contentionis & æmulationis, ſciens quia hæc generant diſcordias & lites: *Servum autem*, in-
2. Tim. 2. 24. quit, *Domini non oportet litigare.* Bonæ enim vitæ fructus aridos facit, perdens ſpem promiſſam caſtæ converſationis; bona enim & caſta vita moribus ornanda eſt, & benevo- D lentiâ locupletanda.

CAPUT VI.

℣. 1. F*Ratres* [a] *etſi præoccupatus fuerit homo ab aliquo delicto,*
℣. 2. *vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu man-*
ſuetudinis, conſiderans temet ipſum, ne & tu tenteris, invi-
cem onera veſtra portate. Nunc hos alloquitur, qui firmiores erant; ne inflatione bonæ vitæ eum, qui forte à peccato circumventus fuiſſet, ſpernendum putarent & abjiciendum; ideoque conſulendum his. Cum manſuetudine enim provocandi ſunt ad reformandos ſe; quia ſi acrius ex auctoritate fuerint correpti, non ſe patientur argui: ſed & defendere ſe incipient, ne turpes videantur; & incipiunt pejores fieri. Tolle enim hominem à contentione & audacia, E & habebis eum ſubjectum; humilitas enim etiam ſuperbos ſolet inclinare. Et ut cum tota animi lenitate fieret, adjecit: *Ne & tu tenteris*; ut vel hac cauſa non ſperneret peccatorem, ſciens & ſe poſſe peccare. *Et ſic implebitis legem Chriſti*; lex enim Chriſti omnes ſalvos vult fieri: ac per hoc qui fratri peccanti conſulit, ut redeat ad propoſitum, implet voluntatem Chriſti.

℣. 3. *Si enim quis videtur ſibi eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſe*
℣. 4. *ipſum ſeducit. Opus autem ſuum probet unuſquiſque; & tunc*
in ſemet ipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. Verum eſt, nec latet quemquam, quia ſi actus noſtros & mentem conſideremus, nulli nos anteponimus, & nec facile F quemquam judicamus. Qui enim extollitur quaſi aliquid ſit, errat: neſcit enim quia de humilitate creſcitur. Verba enim Salvatoris & geſta ante oculos non habet, qui cùm
Philip. 2. 8. ſit omnium Dominus, humiliavit ſe; ut nobis formam daret quid ſequi deberemus, ſi creſcere velimus: & ſi nos erigeremus, inclinaremur, quod facit imperitia cordis inflati; ut apud homines commendatior videatur. Spernens enim & deſpiciens peccatores, juſtum ſe videri contendit,
Luc. 18. 10. ſicut & phariſæus ille, quem Dominus denotat. Numquid non vere hic imperitus eſt, qui præſentis gloriæ cupidus eſt? Numquid non vere de futuris deſperat, qui mercedem juſtitiæ in præſenti vult conſequi? Quare? Quia non eſt juſtus in opere, ſed per fallaciam fingit juſtitiam: qui enim vult juſtus eſſe, alterum ſibi præponit, ut vere juſtus ſit. Unuſquiſque enim plus mala ſua novit, quam alterius.

Unuſquiſque enim ſuam ſarcinam portabit. Ad poſtremum hoc ℣. 5.
voluit innoteſcere ſuperbis, quia non coinquinatur quis alieno peccato, dummodo diſſentiat, ut nemo vereatur ſe jungere peccatori, aut accedentem ad ſe ſuſcipere, ut eum lucretur.

Communicet autem is, qui catechizatur [b] *verbo* (id eſt, qui
verbum Dei audiens eſt) *ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis:* ℣. 6.
Hoc dicit, ut doctoribus audientes communicent in omnibus bonis. Si autem aliter agant, quam docent, in his illis non communicandum, ſed diſſentiendum; ut magis lex tibi dux ſit, quam homo. Sibi enim oberit, non tibi; quia quæ docuerit, obſervas.

Nolite errare, Deus non irridetur. Nemini dubium eſt
Deo impoſturam fieri non poſſe, ſed hoc ab eo unumquem- ℣. 7.
que conſequi, quod meretur.

Quod enim quis ſeminaverit, hoc & metet. Qui enim ſe-
minaverit in carne ſua, ex carne metet corruptionem. Hic ℣. 8.
carnalia vitia, quæ in carne admitti ſolent, ſignificat; ut qui carnem ſuam corruperit, ſciat ſe corruptelæ futurum obnoxium. Corrumpit autem corpus, qui inconceſſa præſumit. *Qui vero ſeminaverit in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Homo chriſtianus ſpiritu conſtat & carne; homo enim ad comparationem ſancti Spiritus, caro eſt. Cùm ergo ſpiritui dat adſenſum, cohibens ſe ab iis, quæ contraria ſunt, ſpiritaliter ſeminat; ut poſſit metere vitam æternam. [c] Teſtimonium enim Spiritus accipit, & immortalitatem loco mercedis. Sicut enim qui corrumpit dehoneſtans corpus ſuum, non ad æternitatem, ſed ad corruptionem pertinebit; ita & qui incontaminatum ſe cuſtodit, vitam æternam conſequetur. Hæc eſt enim æterna vita, vivere ſine pœna, & habere gloriam. Nam ſi hîc ad præſens qui in ſollicitudine eſt, negat ſe vivere; quanto magis ubi alienus à Deo, [d] ignem tortorem patietur.

Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim proprio ℣. 9.
metemus infatigabiles. Hoc dicit, quia qui fortis eſt ad ſeminandum, fortis erit & ad metendum, id eſt, ſic recipiet, quomodo facit. Ideo promtos nos ad benefaciendum eſſe hortatur, nec faſtidium pati debere, ſecuros quia pro parvis magna recipiemus, & pro terrenis æterna, tempore quo promiſit Deus.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Gen- ℣. 10.
tiles tempus habent operandi malum; homines enim ſine Deo, quomodo poſſunt operari bonum? Chriſtiani autem facti, tempus habent operandi bonum ad omnes homines; ut poſt acceptam fidem bonum opus proficiat mercedi promiſſæ. Tempus enim idcirco conceditur vitæ, ut jam juſte verſemur, exemplum dantes gentilibus. *Maxime autem ad domeſticos fidei.* Verum eſt quia faciliores & propenſiores in bono circa fratres eſſe debemus; quia invicem ſumus membra. Huic ergo rei inſerviendum, quæ prodeſt, non circumciſioni, rei nunc inani.

[e] *Scitote qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.* Auc- ℣. 11.
toritatem dat epiſtolæ ſuæ; cùm enim dicit: *Ego ſcripſi mea manu*, obediri vult litteris his. Ubi enim holographa manus eſt, falſum dici non poteſt; ne forte circumventi excuſarent de epiſtola, quaſi aut falſa eſſet, aut non eſſet Apoſtoli, nolentes ſe reprehendi.

Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circum- ℣. 12.
cidi, tantum ne crucis Chriſti perſecutionem patiantur. In carne placere, hominibus placere ſignificat. Ut enim Judæis propitiis, aut non infeſtis viverent, quos pſeudoapoſtolos dicit, ſic Chriſtum prædicabant, ut & Legem ſervandam docerent: quod Apoſtolus numquam meruit, ſed conſtanter quod verum eſt, non tacuit, & ſibi
& his providens, quos docebat. Denique: *Ego*, inquit, Act. 21. 13.
non ſolum ligari, ſed & mori paratus ſum in Hieroſolyma pro nomine domini noſtri Jeſu Chriſti.

Neque enim ipſi qui circumciſi ſunt, Legem cuſtodiunt: ℣. 13.
ſed volunt vos circumcidi, ut in veſtra carne glorientur. Tale eſt hoc, quale & illud dictum ad apoſtolum Petrum:
Si tu cùm ſis judæus, gentiliter vivis, quomodo compellis Galat. 2. 14.
gentes judaizare? Ita & hi cùm ipſi Legem non cuſtodirent, converſantes injuſte, circumciſionem zelabantur; ut proinde vindices & amatores Legis viderentur: cùm con-

a. Rom. edit. ſola, *etſi circumventus fuerit.* Eadem cum vet. edit. & mſſ. quibuſdam, *humiliate hujuſmodi*: at ceteri mſſ. magis commode, *inſtruite hujuſmodi.*
b. Hanc parentheſin Rom. edit. prætermiſerat.

c. Cod. nonnulli *Teſtimonio enim Spiritus accipiet immortalitatem.*
d. Nonnulli mſſ. *ignem torrentem patietur.*
e. Mſ. Vall. *Videte qualibus litteris* &c.

stet hunc Legem defendere & custodire, qui justitias ejus exsequitur; & mandatum, quod ad vitam pertinens datum
a est, non prætermittit. [a] Talis ergo Galatarum excusatio erat. Hæc dicit, ut vel sic intelligant, quia illudebantur velut stulti & hebetes, de quorum doloribus gloriarentur.

℣. 14. b [b] *Mihi vero absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quomodo pseudoapostoli tribulationes pro nomine Christi quasi nihil profuturas per hypocrisin redimebant, erubescentes in his; ita & Apostolus gloriabatur de his, sciens magnam pro istis fore mercedem: quemadmodum & coapostoli ejus, sicut scriptum est in Actibus apostolorum:
Act. 5. 4. *Tunc*, inquit, *cæsi exierunt apostoli de concilio, gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Cujus ergo omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce ejus, huic & mundus crucifixus est, certus amorem crucis Christi vitam esse; mundi vero amorem parere mortem. Invicem ergo sibi mortui sunt, & mundus Apostolo, & Apostolus mundo; dum nihil concupiscit Apostolus mundi, & dum nihil habet mundus suum, quod agnoscat in
Johan. 14. 30. Apostolo, sicut & Dominus ait: *Ecce*, inquit, *princeps hujus mundi venit, & in me inveniet nihil.*

℣. 15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam est, neque*
℣. 16. *præputium; sed nova creatura. Et quotquot hanc regulam sequuntur, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.* Nova creatura est regeneratio nostra, hæc est quæ dat profectum permanentibus: super istos enim est pax Dei. Qui enim cum Deo pacificus est, nullius inimicitiam metuit;

A tutus enim est protectione & misericordia Dei, quæ promissa est, & manet super Israel Dei, non super Israel hominis; Judæi enim non credentes Israelitæ sunt secundum carnem. Duas ergo partes significavit, super quas manet pax & misericordia Dei, Judæorum credentium, & gentilium fidelium.

De cetero nemo mihi molestus sit. Molestias sibi noluit de ℣. 17.
cetero fieri, ut iterum forte cogeretur scribere: sed jam correctiores illos vult fieri; ut amputatis erroribus, post tanta tædia pausam haberet. Si autem duriores se præstarent, & inflexibiles in convertendo, cessarent ab eo; ut illis operas suas & efficaciam impenderet; de quibus mercedem aut
B lucrum speraret. *Ego enim stigmata domini Jesu Christi in corpore meo porto.* Hoc dicit iratus, quia passiones quas credentium causâ patiebatur, inefficaces in illis videbat;
[c] quoniam constantia & fide doctrinæ suæ pro Christo plagas & vincula pati non timuit: sed passus est amore credentium cicatrices plagarum habere se in corpore; quo non minus fideliter eis prædicaret, sicut & pseudoapostoli, qui Galatas deceperant. Neminem itaque vult sibi molestum esse, qui huic rei devotus non est; ista enim stigmata, id est, cicatrices plagarum testimonia sunt credentium eorum, qui patiuntur, quod digni sunt futura promissione. c

Gratia domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. ℣. 18.
C Non Legis gratiam dicit, sed domini nostri Jesu Christi esse cum spiritu illorum, quos spiritales fratres appellat; neque enim penitus omnes fuerant eversi.

a. Codex Vall. *clades*, quidam alii *cladis*, *ergo Galatarum excusatio erat.*

b. Rom. edit. *Mihi vero non contingat gloriari.*
c. Rom. edit. *Magna enim constantia &c.*

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD EPHESIOS.

PROLOGUS.

EPHESIOS Apostolus non fundavit in fide, sed confirmavit, multa mala pro his passus à perfi-
1. Cor. 15. 32. dis, sicut dicit: *Si enim, secundum hominem, ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Et quoniam pugnam suam [a] non si-
a ne effectu perfectionis illorum prævidet, gaudens in eis, ad meliora scriptis hortatur de urbis Romæ custodia; quia
Act. 28. 16. veniens ab Hierosolymis in custodia sub fidejussore intelligitur degisse, manens extra castra in conductu suo.

CAP. I. ℣. 1. b *PAulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei sanctis omnibus, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu.* Solito more scribit, apostolum enim se esse Christi Jesu Dei voluntate testatur. Non solum fidelibus scribit, sed & sanctis; ut tunc vere fideles sint, si fuerint sancti in Christo Jesu. Bona enim vita tunc prodest ac creditur sancta, si sub nomine Christi habeatur: alioqui contaminatio erit; quia ad injuriam proficit creatoris.

℣. 2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Jesu Christo.* Gratiam Dei cum sanctis dicit esse & fidelibus, quem Patrem nostrum appellat; quia ab ipso sunt omnia & condita & restaurata: Christum autem dominum nostrum, quia redemit nos, offerens se pro nobis.

℣. 3. *Benedictus Deus & Pater domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali*, id est, non mundana, sed cælesti benedictione: neque corruptibili, sed æterna: quia gloria christianorum non in terra, sed in cælo est, & est in Christo. Omne enim donum gratiæ Dei in Christo est; ut si quis, spreto Christo, benedici se à Deo putet, errare se sciat. Aliter tamen benedicitur Deus, & aliter homines. Unum quidem benedictionis nomen est, sed pro merito personæ debet intelligi; nam & facere dicitur Deus, & homines faciunt: sed Deus nutu solo impassibiliter facit; homines autem manu, conatu, labore, sudore efficiunt. Deus ergo benedicitur, cùm laudibus dignis extollitur: homines autem sic benedicit Deus, ut do-

A num gratiæ suæ eis impertiat, non secundum merita eorum, sed secundum misericordiam suam. Et ideo dixit: *Qui nos benedixit in benedictione spiritali*; ut ostenderet perfectam benedictionem dari cælestium credentibus in Christo, ut pleni sint gloria cælesti, supra potestates subvecti cælorum. Quia *ubi ego*, inquit, *ero, illic & mi-* Johan. 12. 26.
nister meus erit.

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esse- ℣. 4.
mus sancti & immaculati coram eo in caritate. Præscius omnium Deus scit qui credituri essent in Christum, sicut dicit ad Romanos: *Quos præscit & vocavit nos*: non so- Rom. 8. 29.
lum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Quos ergo Deus
B vocare dicitur, perseverant in fide: hi sunt quos elegit ante mundum in Christo; ut sint incontaminati coram Deo in caritate, hoc est, ut amor Dei sanctam illis faciat conversationem. Nemo enim melius alicui obtemperat, quam qui ex caritate obsequitur.

Prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum ℣. 5.
in ipsum. Hoc dicit decrevisse Deum, ut credentes in Christum adoptarentur in filios à Deo; ut caput ipsorum sit Christus verus Dei Filius.

Secundùm placitum voluntatis suæ in laudem claritatis ℣. 6.
suæ. Tale placitum dicit Deum habuisse; ut ad laudem cla- c
ritatis ejus proficeret gratia data hominibus; ut salus nostra
C gloria Dei sit. *Qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Deus nobis gratiam dedit, propter quod credidimus in Filium ejus Christum; diligens enim unigenitum suum amatoribus ejus divina munera largitur.

In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remis- ℣. 7.
sionem peccatorum. Duplicem gratiam flagitat; quia & redemit nos sanguine suo, & peccata nobis non imputavit, id est, redemit & manumisit.

Secundum divitias gratiæ suæ, quæ superabundavit in nobis, ℣. 8.
in omni sapientia & prudentia. Addit ad gratiam; quia post supra memorata beneficia donum accedit sapientiæ & & prudentiæ rerum spiritualium.

Ut notum nobis faciat mysterium voluntatis suæ, juxta be- ℣. 9.
neplacitum suum, quod proposuit in eum, in dispensationem ℣. 10.

a. Vet. edit. *non sine effectu profectionis*: Rom.... *profectus*: mss.... *perfectionis*.
b. Rom. edit. præmissis duobus primis Apostoli versibus ita resumit. *Paulus Apostolus Jesu Christi. Solito more scribit .... voluntate testatur. Sanctis omnibus, qui sunt .... in Christo Jesu. Non solum fidelibus scribit.*
c. Rom. edit. *Secundùm beneplacitum .... claritatis gratiæ suæ*: vet. ac mss. inter se conveniunt, nisi quod horum nonnulli pro *claritatis* efferunt *caritatis*.

adimpletionis temporum; reſtaurans omnia in Chriſto, quæ in cælis ſunt, & quæ in terra. Hoc placuit Deo, cujus conſilium retractari non poteſt; ut oſtenderet in Chriſto myſterium voluntatis ſuæ tempore, quo revelari illud voluit in agnitionem creaturæ. Voluntas autem ejus hæc fuit, ut tunc propitius fieret omnibus, qui in errore erant, ſive in cælis, ſive in terris, quando Chriſtum manifeſtavit hoc donum eſſe credentium, ne illis imputarentur peccata ſuſcipientibus fidem Chriſti. Omnis ergo creatura in cælis & in terris, dum diſcit agnitionem Chriſti, reſtauratur ad id quod eſt condita. Cùm enim ad unius Dei fidem imbuitur, cognito myſterio Salvatoris, ab errore quem cœperat, reſtauratur, pro certo habens creatorem ſuum unum eſſe B
Deum & dominum. Hinc eſt unde & Johannes in Apo-
Apoc. 12. 7. calypſi dicit: *Vidi Michael & Angelos ejus in cælo pugnare*
cum dracone & cum exercitu ejus. Hæc repugnantia partim de
errore eſt, partim de uſurpatæ tyrannidis præſumtione.

ỽ. 11. *In quo* [a] *& nos ſortiti ſumus, prædeſtinati ſecundum pro-*
poſitum Dei, qui univerſa creavit ſecundùm conſilium volun-
ỽ. 12. *tatis ſuæ; ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſpe-*
ravimus in Chriſto. Hoc eſt, quod dicit, quia diſpenſatio prædicationis his decreta eſt à Deo; qui ex Judæis crediderunt in Chriſtum. Unde nullus ex gentibus ad apoſtolatum electus eſt; dignum enim erat ex his eligi prædicatores, qui ante ſperaverunt ſalutem, quæ illis promiſſa erat C
in Chriſto.

ỽ. 13. *In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis Evangelii*
ſalutis veſtræ, credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto,
ỽ. 14. *qui eſt pignus hereditatis noſtræ, in redemtionem adquiſitionis*
b *in laudem gloriæ ipſius.* Laus gloriæ Dei eſt, [b] cùm multi
adquiruntur ad fidem, ſicut gloria medici eſt, ſi multos curet. Ideoque ad gloriam Dei pertinet, quia gentes vocavit; ut ſalutis ſuæ medelam conſequerentur per fidem promiſſam Judæis, ſignum habentes redemtionis atque hereditatis futuræ, Spiritum ſanctum datum poſt baptiſmum. Redemti enim heredes deſignati ſunt, ſi in regeneratione perdurent; ut fides prima veniam, ſancta vero converſatio D
perdurans cum fide, coronam mereatur.

ỽ. 15. *Propterea & ego, audita fide veſtra in domino Jeſu, & di-*
ỽ. 16. *lectione in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agendo pro vobis,*
commemorationem veſtri faciens in orationibus meis. Quoniam juxta decretum Dei, quo ſtatuit gentes participes fieri promiſſionis Judæorum, audito Epheſii verbo Dei, ſuſceperunt fidem Chriſti, diligentes omnes ſanctos, ſicut mandavit Dominus; hac cauſa Deo gratias agit pro converſione & caritate eorum, qui dignatus eſt gentes concorporare Judæis.

ỽ. 17. *Ut Deus domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater claritatis, det*
ỽ. 18. *vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illu-*
ỽ. 19. *minatos habere oculos cordis veſtri: ad hoc ut ſciatis quæ ſit ſpes* E
vocationis ejus, & quæ divitiæ hereditatis gloriæ ejus in ſanctis.
Manifeſtum eſt quia ideo ſe orare dicit pro eis, ut fidei ſuæ ſpem cognoſcant in remuneratione cæleſti; quia cùm plene ſcierint qui fructus eſt credentium, propenſiores fient circa excolendam religionem. Jam enim in hujuſmodi profectus fore videtur, quia ſi antequam ſciant promiſſionis gloriam,
c tam devoti ſunt; propenſiores fient neceſſario, [c] cùm cognoverint. Claritatis tamen Patrem vocat Deum, & Chriſti Deum, cùm verus Pater Chriſti ſit Deus, & Deus creatu-
Johan. 20. 17. ræ. Sed & ipſe Dominus eadem dicit: *Vado ad Patrem*
meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. To-
tius ergo claritatis Pater eſt; quia ab ipſo eſt omnis clari- F
tas, & poteſtas, & dignitas. Eſt & Pater Chriſti, ſed aliter; quia hic verus Filius eſt, & Deus omnium, ſed non ita Chriſti Deus eſt. Sic enim Deus Chriſti eſt; quia Deus de Deo Chriſtus eſt: ceterorum autem Deus eſt cauſâ terroris,
Malac. 1. 6. ſicut ipſe dicit in Malachia propheta: *Si Deus ego ſum, ubi*
eſt timor meus.

ỽ. 20. *Et quæ eſt excelſa magnitudo virtutis ejus in vos, qui cre-*
ỽ. 21. *ditis, ſecundum operationem potentiæ fortitudinis ejus, quam*
operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & collocavit ad dexteram ſibi in cæleſtibus ſuper omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed & in futuro. Exemplum ſalutis credentium & gloriæ in reſurrectione Salvatoris conſiſtere profitetur, ut ex ea cognoſcant fideles,
A quid eis promiſſum eſt. Similì enim modo extollentur ſupra
cælos futuri cum Chriſto; ſicut ipſe dicit: *Pater, volo ut ubi* Johan. 17. 24.
fuero, & hi mecum ſint, & videant gloriam meam. Hoc propter incarnationem Filii Dei, ut etiam homo factus ſuper omnes cælos eſſe dicatur, & ſuper cunctam creaturam ſedens ad dexteram Dei, habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem; ut cognoſcant illum eſſe Filium Dei, qui illum crucifixerunt. Honor enim quem illi dedit Pater per generationem, tunc manifeſtatus eſt, cùm natus homo paſſus eſt, & victa morte reſurrexit, adſcendens unde deſcen-
derat, ſuper omnes cælos. Unde dictum eſt, quia *veritas* Pſal. 84. 12.
de terra orta eſt. Quia enim omne judicium Pater Filio de- Johan. 5. 22.
B dit, idcirco ad dexteram Dei ſedere dicitur, quaſi judex. De-
nique ipſe dicit ad diſcipulos: *Uſque modo nihil petiſtis in* Ibidem 16. 24.
nomine meo: petite, & ego faciam. Unde ait Judæis: *Amo-* Matth. 26. 64.
do videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. Ex eo enim quod innotuit, adiri cœpit, & poſtulari, quaſi judex.

Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ỽ. 22.
ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus & plenitudo ejus, qui ỽ. 23.
omnia in omnibus adimpletur. Patrem dicit Filio omnem crea-
turam ſubjeciſſe; ut quia omnia per ipſum fecit, ipſe om- Johan. 1. 3.
nium caput ſit & Dominus. Tunc illi omnia ſubjecit, quando illum ante omnia genuit; ut per ipſum faceret, quæ non
C erant. Omnem Eccleſiam dicens, ſummatim totum comprehendit, quod in cælo eſt & in terra; ut in novum hominem membra ejus efficiantur, dum confitentur hunc eſſe, per quem facti à Deo ſunt. Subjiciuntur enim illi quaſi capiti membra, ex quo trahunt originem; ut omnia in omnibus, adimpleantur. Cùm enim regreſſi fuerint ad confeſſionem unius Dei, flectentes genu Chriſto, adimpletur in omnibus ut ſit omnia; quia ab ipſo ſunt: ac per hoc ipſe in eis eſt, quia virtute ejus ſubſiſtunt; recedentes enim à Deo, eva-
cuare illum videntur. Unde alio loco dicit: *Ut creſcant* Coloſſ. 2. 19.
omnia in incrementum Dei.

D **E**T *vos cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in* CAP. II. ỽ. 1.
quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum hujus mun-
di. Mortuos dicit, quia errores ſæculi ſequuntur; quidquid ỽ. 2.
enim ab unius Dei profeſſione recedit, mortuum habetur; quia non manet in radice, ex qua trahit originem. *Secundum principem poteſtatis aeris hujus, ſpiritum qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Principem poteſtatis, id eſt, diabolum, ſignificat ſæculi intelligentiam corrupiſſe; ut ab uno Deo recederent, multorum deorum opinionem ſuſcipientes, ut ſocios illos ſuæ conſpirationis efficeret, dum in eadem impietate inveniuntur, negantes unum Deum. Principem ergo hunc erroris ideo aeris dicit ſpiritum, ut oſtendat quia hanc partem ſibi uſurpavit ad exercendam dominationem. Aliud
E eſt enim aer, & aliud princeps: ſed quia in mundo vel in aere dominatur, ſpiritus aeris appellatur.

In quibus & nos aliquando converſati ſumus in deſideriis ỽ. 3.
carnis noſtræ, facientes [d] *voluntatem carnis & conſiliorum* d
ejus: & eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri. Perfidiam ſignificat, dum deſideria carnis memorat. Voluntas enim carnis eſt viſibilibus oblectari, ut elementa quæ Deus gubernacula mundi inſtituit, deos appellet; cùm hoc nomen uni Deo debeatur, ex quo ſunt omnia; ut ſicut nullum participem habet ex his in virtute, ita nullum habeat conſortem in nomine. Chriſto autem idcirco hoc nomen non negatur, quia ſicut communis eis natura eſt, ita erit & no-
F men. Hoc tamen inter Patrem & Filium intereſt, quia Pater à nullo hoc accepit: Filius autem per generationem omnia Patris accepit; ut in virtute & ſubſtantia & nomine nihil diſtet Filius à Patre. Unde dicit: *Omnia quæ habet Pa-* Johan. 16. 15.
ter, mea ſunt, & mea Patris. Non ergo indignum neque contrarium eſt, ſi & Chriſtus Deus dicatur, ſed de Deo Patre; ut unius Dei auctoritas conſervetur. Nam ſi quis aliud putat ſignificare, cùm voluntatem carnis flagitat, ſciat & Apoſtolum mundam vitam habuiſſe; quia ſecundum juſtitiam Legis converſatus eſt ſine querela. Sed quia perſequutus eſt fidem Chriſti, idcirco *converſati*, inquit, *ſumus in deſideriis carnis noſtræ.* Omne enim peccatum caro dicitur, maxime perfidia, quæ eſt totius ſceleris mater. Nulli opera bona & caſtitas proderit, ſi ſit perfidus; perfidia enim hæc omnia maculat. Hinc eſt, quod ſubdidit: *Et eramus natura filii*

a. Rom. edit. *& nos forte conſtituti ſumus.*
b. MSſ. nonnulli, *cum multi concurrunt ad fidem.*
c. MSſ. aliquot, *tam cognoverint claritatem ejus. Tamen &c.*

d. Vet. edit. & MSſ. non pauci, *voluptatem carnis.* Sed antiquis ſcriptoribus ſolemne eſſe, ut voluntatem & voluptatem inter ſe confundant, jam non ſemel admonuimus.

stet hunc Legem defendere & custodire, qui justitias ejus exsequitur; & mandatum, quod ad vitam pertinens datum est, non prætermittit. [a] Talis ergo Galatarum excusatio erat. Hæc dicit, ut vel sic intelligant, quia illudebantur velut stulti & hebetes, de quorum doloribus gloriarentur.

ỳ. 14. [b] *Mihi vero absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quomodo pseudoapostoli tribulationes pro nomine Christi quasi nihil profuturas per hypocrisin redimebant, erubescentes in his; ita & Apostolus gloriabatur de his, sciens magnam pro istis fore mercedem: quemadmodum & coapostoli ejus, sicut scriptum est in Actibus apostolorum:
Act. 5. 4. *Tunc*, inquit, *cæsi exierunt apostoli de concilio, gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Cujus ergo omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce ejus, huic & mundus crucifixus est, certus amorem crucis Christi vitam esse; mundi vero amorem parere mortem. Invicem ergo sibi mortui sunt, & mundus Apostolo, & Apostolus mundo; dum nihil concupiscit Apostolus mundi, & dum nihil habet mundus suum, quod agnoscat in
Johan. 14. 30. Apostolo, sicut & Dominus ait: *Ecce*, inquit, *princeps hujus mundi venit, & in me inveniet nihil.*

ỳ. 15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam est, neque*
ỳ. 16. *præputium; sed nova creatura. Et quotquot hanc regulam sequuntur, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.* Nova creatura est regeneratio nostra, hæc est quæ dat profectum permanentibus; super istos enim est pax Dei. Qui enim cum Deo pacificus est, nullius inimicitiam metuit; tutus enim est protectione & misericordia Dei, quæ promissa est, & manet super Israel Dei, non super Israel hominis; Judæi enim non credentes Israelitæ sunt secundum carnem. Duas ergo partes significavit, super quas manet pax & misericordia Dei, Judæorum credentium, & gentilium fidelium.

De cetero nemo mihi molestus sit. Molestias sibi noluit de cetero fieri, ut iterum forte cogeretur scribere: sed jam correctiores illos vult fieri; ut amputatis erroribus, post tanta tædia pausam haberet. Si autem duriores se præstarent, & inflexibiles in convertendo, cessaret ab eo; ut illis operas suas & efficaciam impenderet; de quibus mercedem aut lucrum speraret. *Ego enim stigmata domini Jesu Christi in corpore meo porto.* Hoc dicit iratus, quia passiones quas credentium causâ patiebatur, inefficaces in illis videbat; [c] quoniam constantia & fide doctrinæ suæ pro Christo plagas & vincula pari non timuit: sed passus est amore credentium cicatrices plagarum habere se in corpore: quo non minus fideliter eis prædicaret, sicut & pseudoapostoli, qui Galatas deceperant. Neminem itaque vult sibi molestum esse, qui huic rei devotus non est; ista enim stigmata, id est, cicatrices plagarum testimonia sunt credentium eorum, qui patiuntur, quod digni sunt futura promissione. ỳ. 17.

Gratia domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Non Legis gratiam dicit, sed domini nostri Jesu Christi esse cum spiritu illorum, quos spiritales fratres appellat; neque enim penitus omnes fuerant eversi. ỳ. 18.

a. Codex Vall. *clades*, quidam alii *clades*, *ergo Galatarum consolatio eorum erat.*

b. Rom. edit. *Mihi vero non contingat gloriari.*
c. Rom. edit. *Magna enim constantia* &c.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD EPHESIOS.

PROLOGUS.

Ephesios Apostolus non fundavit in fide, sed confirmavit, multa mala pro his passus a perfidis, sicut dicit: *Si enim, secundum hominem, ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si*
1. Cor. 15. 32. *mortui non resurgunt?* Et quoniam pugnam suam [a] non sine effectu perfectionis illorum prævidet, gaudens in eis, ad meliora scriptis hortatur de urbis Romæ custodia; quia
Act. 18. 16. veniens ab Hierosolymis in custodia sub fidejussore intelligitur degisse, manens extra castra in conductu suo.

CAP. I. ỳ. 1. [b] *Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei sanctis omnibus, qui sunt Ephesi; & fidelibus in Christo Jesu.* Solito more scribit, apostolum enim se esse Christi Jesu Dei voluntate testatur. Non solum fidelibus scribit, sed & sanctis; ut tunc vere fideles sint, si fuerint sancti in Christo Jesu. Bona enim vita tunc prodest ac creditur sancta, si sub nomine Christi habeatur: alioqui contaminatio erit; quia ad injuriam proficit creatoris.

ỳ. 2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Jesu Christo.* Gratiam Dei cum sanctis dicit esse & fidelibus, quem Patrem nostrum appellat; quia ab ipso sunt omnia & condita & restaurata: Christum autem dominum nostrum, quia redemit nos, offerens se pro nobis.

ỳ. 3. *Benedictus Deus & Pater domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spiritali*, id est, non mundana, sed cælesti benedictione: neque corruptibili, sed æterna; quia gloria christianorum non in terra, sed in cælo est, & est in Christo. Omne enim donum gratiæ Dei in Christo est; ut si quis, spreto Christo, benedici se à Deo putet, errare se sciat. Aliter tamen benedicitur Deus, & aliter homines. Unum quidem benedictionis nomen est, sed pro merito personæ debet intelligi; nam & facere dicitur Deus, & homines faciunt: sed Deus nutu solo impassibiliter facit; homines autem manu, conatu, labore, sudore efficiunt. Deus ergo benedicitur, cùm laudibus dignis extollitur: homines autem sic benedicit Deus, ut donum gratiæ suæ eis impertiat, non secundum merita eorum, sed secundum misericordiam suam. Et ideo dixit: *Qui nos benedixit in benedictione spiritali*; ut ostenderet perfectam benedictionem dari cælestium credentibus in Christo, ut pleni sint gloria cælesti, supra potestates subvecti cælorum. Quia *ubi ego*, inquit, *ero, illic & minister meus erit.* Johan. 12. 26.

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati coram eo in caritate. Præsciens omnium Deus scit qui credituri essent in Christum, sicut dicit ad Romanos: *Quos præscivit & vocavit nos*: non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Quos ergo Deus vocare dicitur, perseverant in fide: hi sunt quos elegit ante mundum in Christo; ut sint incontaminati coram Deo in caritate, hoc est, ut amor Dei sanctam illis faciat conversationem. Nemo enim melius alicui obtemperat, quam qui ex caritate obsequitur. ỳ. 4. Rom. 8. 29.

Prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. Hoc dicit decrevisse Deum, ut credentes in Christum adoptarentur in filios à Deo; ut caput ipsorum sit Christus verus Dei Filius. ỳ. 5.

Secundum placitum voluntatis suæ in laudem claritatis suæ. Tale placitum dicit Deum habuisse; ut ad laudem claritatis ejus proficeret gratia data hominibus; ut salus nostra gloria Dei sit. *Qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Deus nobis gratiam dedit, propter quod credidimus in Filium ejus Christum; diligens enim unigenitum suum amatoribus ejus divina munera largitur. ỳ. 6. [c]

In quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Duplicem gratiam flagitat; quia & redemit nos sanguine suo, & peccata nobis non imputavit, id est, redemit & manumisit. ỳ. 7.

Secundum divitias gratiæ suæ, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia. Addit ad gratiam; quia post supra memorata beneficia donum accedit sapientiæ & & prudentiæ rerum spiritualium. ỳ. 8.

Ut notum nobis faciat mysterium voluntatis suæ, juxta beneplacitum suum, quod proposuit in eum. in dispensationem ỳ. 9. ỳ. 10.

a. Vet. edit. *non sine effectu professionis*: Rom.... *profectus*: mss.... *perfectionis.*
b. Rom. edit. præmissis duobus primis Apostoli versibus ita resumit. *Paulus Apostolus Jesu Christi. Solito more scribit.... voluntate testatur. Sanctis omnibus, qui sunt.... in Christo Jesu. Non solum fidelibus scribit.*
c. Rom. edit. *Secundùm beneplacitum.... claritatis gratiæ suæ*: vet. ac mss. inter se conveniunt, nisi quod horum nonnulli pro *claritatis* efferunt *caritatis.*

adimpletionis temporum: restaurans omnia in Christo, quæ in A
cælis sunt, & quæ in terra. Hoc placuit Deo, cujus consilium retractari non potest; ut ostenderet in Christo mysterium voluntatis suæ tempore, quo revelari illud voluit in agnitionem creaturæ. Voluntas autem ejus hæc fuit, ut tunc propitius fieret omnibus, qui in errore erant, sive in cælis, sive in terris, quando Christum manifestavit hoc donum esse credentium, ne illis imputarentur peccata suscipientibus fidem Christi. Omnis ergo creatura in cælis & in terris, dum discit agnitionem Christi, restauratur ad id quod est condita. Cùm enim ad unius Dei fidem imbuitur, cognito mysterio Salvatoris, ab errore quem cœperat, restauratur, pro certo habens creatorem suum unum esse B
Deum & dominum. Hinc est unde & Johannes in Apo-
Apoc. 12. 7. calypsi dicit: *Vidi Michael & Angelos ejus in cælo pugnare cum dracone & cum exercitu ejus.* Hæc repugnantia partim de errore est, partim de usurpatæ tyrannidis præsumtione.

℣. 11. *In quo* [a] *& nos sortiti sumus, prædestinati secundum pro-*
a *positum Dei, qui universa creavit secundum consilium volun-*
℣. 12. *tatis suæ; ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo.* Hoc est, quod dicit, quia dispensatio prædicationis his decreta est à Deo; qui ex Judæis crediderunt in Christum. Unde nullus ex gentibus ad apostolatum electus est; dignum enim erat ex his eligi prædicatores, qui ante speraverunt salutem, quæ illis promissa erat C
in Christo.

℣. 13. *In quo & vos, cùm audissetis verbum veritatis Evangelii salutis vestræ, credentes signati estis Spiritu promissionis sancto,*
℣. 14. *qui est pignus hereditatis nostræ, in redemtionem adquisitionis*
b *in laudem gloriæ ipsius.* Laus gloriæ Dei est, [b] cùm multi adquiruntur ad fidem, sicut gloria medici est, si multos curet. Ideoque ad gloriam Dei pertinet, quia gentes vocavit; ut salutis suæ medelam consequerentur per fidem promissam Judæis, signum habentes redemtionis atque hereditatis futuræ, Spiritum sanctum datum post baptismum. Redemti enim heredes designati sunt, si in regeneratione perdurent; ut fides prima veniam, sancta vero conversatio D
perdurans cum fide, coronam mereatur.

℣. 15. *Propterea & ego, audita fide vestra in domino Jesu, & di-*
℣. 16. *lectione in omnes sanctos, non cesso gratias agendo pro vobis, commemorationem vestri faciens in orationibus meis.* Quoniam juxta decretum Dei, quo statuit gentes participes fieri promissionis Judæorum, audito Ephesii verbo Dei, susceperunt fidem Christi, diligentes omnes sanctos, sicut mandavit Dominus; hac causa Deo gratias agit pro conversione & caritate eorum, qui dignatus est gentes concorporare Judæis.

℣. 17. *Ut Deus domini nostri Jesu Christi, Pater claritatis, det*
℣. 18. *vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illu-*
℣. 19. *minatos habere oculos cordis vestri: ad hoc ut sciatis quæ sit spes* E
vocationis ejus, & quæ divitiæ hereditatis gloriæ ejus in sanctis. Manifestum est quia ideo se orare dicit pro eis, ut fidei suæ spem cognoscant in remuneratione cælesti; quia cùm plene scierint qui fructus sit credentium, propensiores fient circa excolendam religionem. Jam enim in hujusmodi profectus fore videtur, quia si antequam sciant promissionis gloriam,
c tam devoti sunt; propensiores fient necessario, [c] cùm cognoverint. Claritatis tamen Patrem vocat Deum, & Christi Deum, cùm verus Pater Christi sit Deus, & Deus creatu-
Joan. 20. 17. ræ. Sed & ipse Dominus eadem dicit: *Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Totius ergo claritatis Pater est; quia ab ipso est omnis claritas, & potestas, & dignitas. Est & Pater Christi, sed aliter; quia hic verus Filius est, & Deus omnium, sed non ita Christi Deus est. Sic enim Deus Christi est; quia Deus de Deo Christus est: ceterorum autem Deus est causâ terroris,
Malac. 1. 6. sicut ipse dicit in Malachia propheta: *Si Deus ego sum, ubi est timor meus.*

℣. 20. *Et quæ est excelsa magnitudo virtutis ejus in vos, qui cre-*
℣. 21. *ditis, secundum operationem potentiæ fortitudinis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & collocavit ad dexteram sibi in cælestibus super omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro.* Exemplum salutis credentium & gloriæ in resurrectione Salvatoris consistere profitetur, ut ex ea cognoscant fideles, quid eis promissum est. Simili enim modo extollentur supra cælos futuri cum Christo; sicut ipse dicit: *Pater, volo ut ubi* Joan. 17. 24.
fuero, & hi mecum sint, & videant gloriam meam. Hoc propter incarnationem Filii Dei, ut etiam homo factus super omnes cælos esse dicatur, & super cunctam creaturam sedens ad dexteram Dei, habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem; ut cognoscant illum esse Filium Dei, qui illum crucifixerunt. Honor enim quem illi dedit Pater per generationem, tunc manifestatus est, cùm natus homo passus est, & victa morte resurrexit, adscendens unde descenderat, super omnes cælos. Unde dictum est, quia *veritas* Psal. 84. 12.
de terra orta est. Quia enim omne judicium Pater Filio de- Joan. 5. 22.
dit, idcirco ad dexteram Dei sedere dicitur, quasi judex. Denique ipse dicit ad discipulos: *Usque modo nihil petistis in* Ibidem 16. 24.
nomine meo: petite, & ego faciam. Unde ait Judæis: *Amo-* Matt. 26. 64.
do videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. Ex eo enim quod innotuit, adiri cœpit, & postulari, quasi judex.

Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput ℣. 22.
super omnem Ecclesiam, quæ est corpus & plenitudo ejus, qui ℣. 23.
omnia in omnibus adimpletur. Patrem dicit Filio omnem creaturam subjecisse; ut quia omnia per ipsum fecit, ipse om- Joan. 1. 3.
nium caput sit & Dominus. Tunc illi omnia subjecit, quando illum ante omnia genuit; ut per ipsum faceret, quæ non erant. Omnem Ecclesiam dicens, summatim totum comprehendit, quod in cælo est & in terra; ut in novum hominem membra ejus efficiantur, dum confitentur hunc esse, per quem facti à Deo sunt. Subjiciuntur enim illi quasi capiti membra, ex quo trahunt originem; ut omnia in omnibus adimpleantur. Cùm enim regressi fuerint ad confessionem unius Dei, flectentes genu Christo, adimpletur in omnibus ut sit omnia; quia ab ipso sunt: ac per hoc ipse in eis est, quia virtute ejus subsistunt; recedentes enim à Deo, evacuare illum videntur. Unde alio loco dicit: *Ut crescant* Coloss. 2. 19.
omnia in incrementum Dei.

Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in CAP. II.
quibus aliquando ambulastis secundum sæculum hujus mun- ℣. 1.
di. Mortuos dicit, quia errores sæculi sequuntur; quidquid ℣. 2.
enim ab unius Dei professione recedit, mortuum habetur; quia non manet in radice, ex qua trahit originem. *Secundùm principem potestatis aeris hujus, spiritum qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Principem potestatis, id est, diabolum, significat sæculi intelligentiam corrupisse; ut ab uno Deo recederent, multorum deorum opinionem suscipientes, ut socios illos suæ conspirationis efficeret, dum in eadem impietate inveniuntur, negantes unum Deum. Principem ergo hunc erroris ideo aeris dicit spiritum, ut ostendat quia hanc partem sibi usurpavit ad exercendam dominationem. Aliud est enim aer, & aliud princeps: sed quia in mundo vel in aere dominatur, spiritus aeris appellatur.

In quibus & nos aliquando conversati sumus in desideriis ℣. 3.
carnis nostræ, facientes [d] *voluntatem carnis & consiliorum* d
ejus: & eramus natura filii iræ, sicut & ceteri. Perfidiam significat, dum desideria carnis memorat. Voluntas enim carnis est visibilibus oblectari, ut elementa quæ Deus gubernacula mundi instituit, deos appellet; cùm hoc nomen uni Deo debeatur, ex quo sunt omnia; ut sicut nullum participem habet ex his in virtute, ita nullum habeat consortem in nomine. Christo autem idcirco hoc nomen non negatur, quia sicut communis eis natura est, ita erit & no- F
men. Hoc tamen inter Patrem & Filium interest, quia Pater à nullo hoc accepit: Filius autem per generationem omnia Patris accepit; ut in virtute & substantia & nomine nihil distet Filius à Patre. Unde dicit: *Omnia quæ habet Pa-* Joan. 16. 15.
ter, mea sunt, & mea Patris. Non ergo indignum neque contrarium est, si & Christus Deus dicatur, sed de Deo Patre; ut unius Dei auctoritas conservetur. Nam si quis aliud putat significare, cùm voluntatem carnis flagitat, sciat & Apostolum mundam vitam habuisse; quia secundum justitiam Legis conversatus est sine querela. Sed quia persecutus est fidem Christi, idcirco *conversati*, inquit; *sumus in desideriis carnis nostræ.* Omne enim peccatum caro dicitur, maxime perfidia, quæ est totius sceleris mater. Nulli opera bona & castitas proderit, si sit perfidus; perfidia enim hæc omnia maculat. Hinc est, quod subdidit: *Et eramus natura filii*

a. Rom. edit. *& nos forte constituti sumus.*
b. Mss. nonnulli, *cum multi concurrunt ad fidem.*
c. Mss. aliquot, *cùm cognoverint claritatem ejus. Tamen &c.*

d. Vet. edit. & mss. non pauci, *voluptatis carnis.* Sed antiquis scriptoribus solemne esse, ut voluntatem & voluptatem inter se confundant, jam non semel admonuimus.

ira, sicut & ceteri. Naturæ enim cùm mala voluntas supponitur, fit natura iræ, id est, quæ ultioni subjicienda sit, immutata non substantiâ, sed mala voluntate. Hoc enim Esai. 1. 4. deputatur naturæ, quod sequitur; unde ait in Esaia: *Semen pessimum.* Et quare sit semen pessimum, subjecit: *Reliquistis enim Dominum*, ait, *& ad iracundiam incitastis Sanctum Israel*; ut natura quæ deserit Deum, pessimum semen dicatur. Degenerare enim est ab auctore recedere: & cùm malum exemplum ceteris præbet, malum est semen; fructus enim pessimos facit. Si vero redeat ad Auctorem, bona erit natura, secundùm Apostolum, qui immutatus, dum agnoscit Creato- Act. 9. 15. rem suum, vas electionis appellatur.

℣. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia propter multam caritatem suam, qua misertus est nostri.* Hæ veræ divitiæ sunt misericordiarum, ut non quærentibus ultro misericordia Esai. 65. 1. præstaretur, sicut dicit Esaias: *Palam factus sum non quærentibus me*; hoc enim est abundantiæ misericordia, ut & non postulantibus tribuatur. Hæc tamen caritas Dei est erga nos, ut quia fecit nos, nolit perire nos; diligit enim opus suum. Ideo enim fecit, ut amaret, quod fecit: nemo enim laborem suum odio habet.

℣. 5. *Et cùm mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo.* A Deo alienati mortui eramus: gratiâ autem suâ revocavit nos, hoc est, vivificavit nos in Christo. Quia enim per ipsum nos fecit, iterum per ipsum nos reformavit in ipso, id est, ut ejus membra simus; ipse est autem caput nostrum; ipsum enim habemus, Deo præstante, auctorem vitæ nostræ, Act. 3. 15. sicut dicit Petrus apostolus: *Auctorem vero vitæ interfecistis.*

℣. 6. *Cujus gratia salvi facti estis.* Huic dono addit & gentes, significans [a] salvatos nos esse gratia Christi.

℣. 7. *Et simul suscitavit, & simul consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu.* Hoc dicit, quod supra memoravi, illic futuros sanctos etiam ex gentibus, ubi & Christus est caput eorum.

℣. 8. *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus superabundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* Hoc significat, quia in futuro sæculo immortale donum Dei ap- 1. Cor. 2. 9. parebit in remuneratione fidelium; quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum. Hæ sunt superabundantes divitiæ, ut tantum detur credentibus, quantum investigare non potest mens.

℣. 9. *Gratia enim salvi facti estis per fidem.* Gratia fidei data est,
℣. 10. ut credentes salventur. *Et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu in opera bona; quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Verum est, quia omnis gratiarum actio salutis nostræ ad Deum referenda est, qui misericordiam suam nobis præstat; ut revocaret [b] errantes ad vitam, & non quærentes verum iter. Ideoque non est gloriandum nobis in nobis ipsis; sed in Deo, qui nos regeneravit nativitate cælesti per fidem Christi, ad hoc ut bonis operibus exercitati, quæ Deus nobis jam renatis decrevit, promissa mereamur accipere.

℣. 11. *Memoria retinentes, vos qui aliquando eratis gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in*
℣. 12. *carne manufacta; quoniam eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, & promissionis eorum spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Commonet gentes, ut reminiscentes quid fuerint (erant enim carnales, & sine spe, nullam promissionis communionem habentes Judæorum in Christo (Judæis enim promissus erat Christus, non gentibus) ut propensius gratias agant Deo per Christum, qui misericordiâ suâ fecit illos participes spiritalium, cùm essent carnales. Ideo tamen circumcisio, ait, in carne manufacta, ut significaret aliam non manufactam spiritalem.

℣. 13. *Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando longe eratis, facti estis prope per sanguinem Christi.* Adhuc donum & gratiam Dei commendat, cui nos semper velut obnoxios gratias vult referre; idcirco enim in sanguine Christi proximos nos Deo factos memorat; ut quantum affectum circa nos habeat Deus, ostenderet, qui pro nobis Filium suum mori permisit; ut & nos in fide ejus durantes, omnibus exitiis pro illo nobis illatis non cedamus, scientes plus illum de nobis mereri, quam quæcumque ab inimicis possunt inferri: ille enim cùm sit Dominus, & nullius egeat, obtulit se pro nobis; ut non illi, sed nobis proficeret. Nos enim etiamsi nobis non proficeret, forte cogeremur mori pro ipso domino servi: quanto magis cùm non solùm illius, sed & nostra mors nobis præstet effectum?

Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & me- ℣. 14.
dium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua. Pacem fecit inter circumcisionem & præputium passio Salvatoris. Inimicitiam enim, quæ velut paries media erat, & dividebat circumcisionem à præputio, & præputium à circumcisione, hanc solvit Salvator, dans legem ut neque Judæus præsumens de circumcisione reprobaret gentilem, neque gentilis fidus de præputio, id est, de paganitate, abominaretur Judæum: sed ut ambo innovati, unius Dei fidem sequerentur in Christo. Omnia enim quæ docuit Salvator, tunc firmavit, cùm resurrexit à mortuis. Parietem tamen, qui medius erat, dividens inter legem factorum & gentilitatem, maceriam sive sepem significavit, id est, non parietem stabilem, neque robustum; quia neque gentilitas firma res erat, quasi ab homine inventa, neque circumcisio, & neomeniæ, escarum, & sacrificiorum vel sabbatorum stabilis & fixa observatio; sic enim data sunt, ut cessarent, adveniente Christo. Quamvis enim Deus hæc dederit, sed ad tempus: fidei autem firma & sine successore est prædicatio.

Legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos conderet ℣. 15.
in se ipso, in uno novo homine faciens pacem. Hoc est quod supra summatim memoravi; quia legem, quæ data erat Judæis in circumcisione, & in neomeniis, & in escis, & in sacrificiis, & in sabbato, evacuavit, hoc est, cessare jam jussit; quia oneri erant, & sic fecit pacem. Unde Petrus apostolus dicit in Actis apostolorum: *Quid imponitis jugum* Act. 15. 10.
supra cervicem fratrum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare?

Ut exhiberet & reconciliaret ambos in uno corpore Deo ℣. 16.
per crucem. Sublatâ inimicitiâ, morte sua Christus prius populos inter se reconciliavit, deinde Deo Patri pacificos fecit; ut homines naturæ unius, quia diversi facti fuerant per errorem, membra efficerentur unius corporis novi, cujus caput Christus est.

Interficiens inimicitias in semet ipso, & veniens evangelizavit ℣. 17.
pacem vobis, qui longe, & pacem iis, qui juxta; quia per ipsum ℣. 18.
habemus accessum utrique in uno Spiritu ad Patrem. Idem sensus est; interfecit enim inimicitiam in se, dum pro omnibus tam Judæis quam gentilibus mortuus est. Omnibus enim proficit mors Salvatoris; resurgens enim à mortuis, damnata morte, quæ tenebat omnes, ostendit quam spem haberent credentes in eum. Hinc mandavit prædicationem, qua omnes convocarentur ad Deum Patrem in unitate Spiritus, scissâ discordiâ, ut sive Judæi (qui prope ideo dicuntur, quia ipsorum patribus facta promissio est) sive gentiles (qui ideo longe dicuntur, quia Dei legem non receperunt datam per Moysen) sublato præterito ritu, susciperent fidem Christi, per quam efficerentur unum.

Ergo jam non estis [c] *hospites & incolæ, sed estis cives* ℣. 19.
sanctorum, & domestici Dei. Admonet illos, ut memores sint beneficiorum Dei; quia cùm longe essent à cognitione & timore Dei, misericordia ejus adjuncti sunt; ut fierent participes eorum, qui prope Deum erant, concives facti filiorum Dei. Sicut enim quæcumque gens Romanorum pacem sequi desideravit, oblatis donis suscepta est; ut essent cives Romani, quemadmodum Tharso Cilicienses, unde Apostolus civem Romanum se dicit: ita & qui- Act. 22. 26.
cumque fidei se christianæ sociaverit, fit civis sanctorum & domesticus Dei.

Superædificati supra fundamentum apostolorum & prophe- ℣. 20.
tarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Hoc est supra novum & vetus Testamentum collocati. Quod enim [d] apostoli prædicaverunt, prophetæ futurum dixerunt; quamvis dicat ad Corinthios: *Deus*, inquit, *primum posuit in* 1. Cor. 12. 28.
Ecclesia apostolos, secundo prophetas. Sed hi alii prophetæ sunt; illo enim loco de ordinatione Ecclesiæ disputat, hîc verò de fundamento Ecclesiæ: prophetæ enim disposuerunt; nam apostoli fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum: *Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*; Matth. 16. 18.
hoc est, in hac catholicæ fidei confessione statuam fideles ad vitam; nam & David disposuit domum Dei, & signavit locum ubi fieret: Salomon vero fundavit eam.

a. Rom. edit. sola, *salvatos vos omnes esse* &c.
b. Nonnulli mss. *errantes omnes ad fidem.*

c. Rom. edit. *non estis advenæ atque peregrini.*
d. Mss. nonnulli, *apostoli prædicarunt.*

ỳ. 21. *In quo omnis ſtructura compacta, creſcit in templum ſanc-* A
ỳ. 22. *tum in Domino. in quo & vos coædificamini in habitaculum*
Dei in ſpiritu. Hic ſenſus eſt, unde Dominus ait: *Super*
iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam. Duos enim popu-
los in ſe ſuſcepit Salvator, & fecit unum in Domino, ſi-
cut & lapis angularis duos parietes continet, in unitate
domus firmatos; fideles enim ſuperficies ſunt templi Dei,
in ſpiritu converſantes; ut poſſint heredes fieri cæleſtis ha-
bitationis.

CAP. III. ỳ. 1. HUjus rei gratiâ ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu pro
vobis fratribus. Quoniam diſpoſitionem divinæ cle-
mentiæ, quæ fuerit ante mundum erga ſalutem gentium B
oſtendit; nunc ſe legatione hujus doni fungi Dei proviſio-
ne, Chriſto mittente, declarat. Dominus enim poſt reſur-
Matth. 28. 19. rectionem ſuam apoſtolos ſuos vice ſua miſit prædicare,
hunc dirigens ad converſionem gentium; ſic enim dixit
Act. 22. 21. ad eum: *Vade, ego longe ad gentes mittam te.* Dominico
ergo uſus verbo eſt, cùm dicit: *Pacem vobis qui longe, &*
iis qui juxta.
ỳ. 2. *Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data*
eſt nobis in vos. Vult eos ſcire quia Dei judicio à Chriſto
miſſus eſt prædicare gentibus myſterium gratiæ Dei. *Se-*
ỳ. 3. *cundum revelationem notum mihi factum eſt myſterium, ſicut*
ỳ. 4. *antea ſcripſi in modico, prout poteſtis legentes intelligere pru-* C
dentiam meam in myſterio Chriſti. Oſtenſam ſibi ſignificat
revelationem myſterii Dei, de quo prius breviter ſe memo-
rat ſcripſiſſe, hoc eſt, temperatè, prout poterant capere
prudentiam Apoſtoli in ſacramento Chriſti.
ỳ. 5. *Quod in aliis ſæculis non fuit notum filiis hominum, ſicut*
ỳ. 6. *nunc revelatum eſt ſanctis ejus & prophetis in ſpiritu, gentes*
eſſe coheredes & concorporatas & participes promiſſionis ejus
a [a] *in Chriſto Jeſu.* Hoc adſerit oſtenſum à Deo tempore Chriſti,
quod latebat; quia gentes participes futuræ eſſent gratiæ
promiſſæ in Lege. Quod oſtenſum dicit prædicatoribus
ſanctis & prophetis, id eſt, apoſtolis & Legis explanatori-
bus, non prophetis veteribus. Quamvis enim admitteren- D
tur prius ad Legem gentiles, ſed circumcidi jubebantur;
& prophetæ ſcierunt gentes participes futuras doni Dei
(nam & hoc ſignificaverunt multis in locis) ſed hoc la-
tuit, quod ſine circumciſione, & ſabbatis, & neomeniis,
& ceteris talibus gratiæ Dei futuræ eſſent participes, &
abſque Lege ſuſciperent fidem Chriſti, & ſalvarentur. Hoc
eſt, quod dicit: *In ſpiritu eſſe gentes coheredes & concor-*
poratas, & participes promiſſionis ejus in Chriſto. Qui enim
ſpiritu Deum colit, opere Legis opus non habet.
ỳ. 7. *Per Evangelium ejus factus ſum miniſter ſecundùm donum*
gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus.
Per prædicationem miniſterii ſui cognitum adſerit donum, E
quod diſpoſuit Deus gentibus juxta virtutis ſuæ operatio-
nem. Operatio enim virtutis ejus eſt, quia Chriſtum ſuſci-
tavit à mortuis, devicta morte, in qua omnes ſalvavit. Diſ-
penſatio tamen Evangelii ejus hæc eſt, qua agnita eſt vo-
luntas Dei; quia gentes ſine opere Legis ſalvare decrevit.
ỳ. 8. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Hu-
miliat ſe, cùm ſe minimum dicit, ſciens humilitatem pro-
fectum habere. Nam tantam gratiam ſibi datam dicit; ut
donum hoc quod ante ignotum fuit præteritis ſæculis, ſibi
adſerat conceſſum, ut hoc manifeſtaret gentibus. Unde
enim minimus ſanctorum omnium videri poteſt, qui an-
Act. 9. 15. b tequam baptizaretur, vas electionis appellatus eſt? [b] *Ut in* F
nationibus evangelizem inæſtimabiles divitias Chriſti. Elec-
tum ſe probat ad prædicandum donum Dei in divitiis in-
comprehenſibilibus Chriſti, quas gentibus jam deſperatis
largiri dignatus eſt; ut ſine opere ſalvarentur per fidem.
Et manifeſtum eſt quia nemo egregium & maximum mu-
nus per indignam mittit perſonam. Oſtendens ergo quan-
tum à Deo mereatur, humiliat tamen ſe, ut meritum ejus
concreſcat.
ỳ. 9. *Et illuminem omnes, quæ diſpenſatio myſterii abſconditi à*
ſæculis in Deo, qui univerſa creavit. Miſſum ſe dicit dupli-
ci modo docere gentes myſterium, quod fuit in Deo, ex
quo ſunt omnia; ut per eum diſcant ac intelligant Chriſ-
tum ſemper in Deo, & apud Deum, & quia ſine circum-
ciſione & ceteris Legis mandatis diſpoſuit ſalvare gentes.

A Indigni enim inventi ſunt Judæi tantum ac talem habere
doctorem; ſic enim Judæi credebant in Chriſtum, ut Le-
gem tamen ſervarent; quod odibile eſt apud Deum. Deni-
que dicunt apoſtoli ad coapoſtolum ſuum Paulum: *Vides,* Act. 21. 20.
frater, quot millia ſunt in Judæis credentium, & omnes iſti
æmulatores ſunt Legis. Unde factum eſt, ut vas electionis
ad gentes docendas miſſus eſſet, ut vel ipſi fidei ſuæ ſpem
plenam haberent, nihil de Lege, ſed in ſolo Chriſto ſpe-
rantes. Manifeſtato enim ſacramento, Chriſti tale donum
datum eſt, [c] quod perfectæ ſalutis haberet effectum; ſicut
enim in magna vota maxima dantur apophoreta; ita &
magnifico manifeſtato myſterio, gaudii & lætitiæ causâ tam
B egregio munere donati ſunt homines, quod illis ſatis ſit ad
copiam ſalutarem.
Ut nota fiat Principibus & Poteſtatibus in cæleſtibus per ỳ. 10.
Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Tam bene de hoc ſen-
ſit Deus, ut non ſolùm gentibus hunc magiſtrum daret;
verumetiam ut per eum veritas Chriſti innoteſcat ſpiriti-
bus in cæleſtibus, qui ſunt Principes & Poteſtates. Poteſta-
tes ideo, quia potentiores ſunt inter ceteros ſpiritus: Prin-
cipes autem, eo quod principentur Poteſtatibus; ut ag-
noſcentes per Eccleſiam, quæ multifarie ad vitam adtracta
eſt, in Chriſto unius Dei manere myſterium, deſinant ab
errore. Id enim agitur, ut prædicatio eccleſiaſtica etiam
C his proficiat, & deſerant adſenſum tyrannidis diaboli, qua
ſe adverſus Dei unius fidem impia præſumtione armavit.
Qui ſenſus pſalmo vigeſimo tertio præſcriptus eſt, ubi Deus
univerſitatis Dominus demonſtratur, dicente Dei Spiritu
per David: *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terra-* Pſal. 23. 1.
rum, & univerſi qui habitant in eo. Et in ſubjectis: [d] *Tol-* Ibidem 7. & ſeq.
lite portas Principis veſtri, & elevamini portæ æternales, &
introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus vir-
tutum ipſe eſt Rex gloriæ. Dicitur ergo his Principibus,
qui in errore ſunt in cæleſtibus, ſive miniſtris ejus in ter-
ris, ut auferant portas principis ſui, id eſt, diaboli de men-
tibus ſuis, per quas multorum deorum adſerendorum error
D intravit. Sunt enim temporales; quia omnis fallacia tem-
pore clauditur: *Iter* enim *impiorum peribit.* Ut autem æter- Pſal. 1. 6.
nas portas elevent, hortante juſtitia, admonentur; quia
veritas in ſempiterna ſæcula perſeverat. Unde ait in pſal-
mo centeſimo decimo ſeptimo: *Hæc porta Domini, juſti* Pſal. 117. 20.
intrabunt per eam. Manifeſtum eſt enim quia juſti per fi-
dem intrant in cælos, in regnum Dei, quod numquam
corrumpitur, ſicut Daniel propheta teſtatur, dicens in-
ter cetera: *Exſurget regnum aliud incorruptibile*: impii Dan. 2. 44.
autem propter incredulitatem intrant infernum tartareum.
Hic ergo Rex gloriæ Chriſtus eſt, qui devicta morte reſur-
gens apparet dominus eſſe & Rex gloriæ. Virtute enim
E poteſtatis ſuæ, qua ſubegit inferos, manifeſtatur; quia ipſe
eſt Filius Dei, qui unius Dei regnum in cælis & in terris
eſſe ad condemnationem tyrannidis diaboli prædicavit.
Secundùm propoſitum ſæculorum in Chriſto Jeſu domino ỳ. 11.
noſtro, in quo habemus libertatem in confidentia per fidem ỳ. 12.
ipſius. Manifeſtatum dicit Chriſtum ſæculo, quo propoſuit
Deus oſtendere myſterium ſuum pro ſalute humana, ut
cognitio myſterii Dei mortalibus conferret ſalutem; ut qua-
ſi dedicatio regni Chriſti hanc gratiam credentibus pro
apophoretis largiretur. Licet enim jam olim factum ſit,
novum tamen videtur ignoranti creaturæ.
[e] *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro* e
F *vobis, quæ ſunt in gloria veſtra.* Manifeſtata ſpe, quæ eſt ỳ. 13.
in myſterio Chriſti, commonet ne ſcandalum patiantur
propter tribulationes, quæ ſanctis à perfidis irrogantur.
Ad gloriam enim pertinet illorum, ſi in tribulatione ma-
giſtri non fuerint ſcandalizati diſcipuli, hac ſpe firmati;
quia fidelium preſſuræ futuri ſæculi gloria erigentur;
hæc enim fidelium probatio eſt, ſi fidei ſuæ ſpem ad-
vertant.
Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem domini noſtri ỳ. 14.
Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra no- ỳ. 15.
minatur: ut det vobis ſecundum divitias majeſtatis ſuæ virtu- ỳ. 16.
tem confirmari [f] *in Spiritu ſuo.* Hoc flexis genibus precari f
ſe dicit, ut quia dignatus eſt advocare gentes ad cognoſ-
cendum myſterium voluntatis ejus, hoc etiam donet, quia
dives eſt, ut nutu ejus firmentur in Spiritu, hoc eſt, ut

a. Vocibus *in Chriſto Jeſu* ſubjungit Rom. edit. *per Evangelium.* Sed verſi-
culum ſeq. ſic exorditur: *Cujus factus ſum miniſter* &c.
b. Eadem edit. Rom. *Ut in gentibus evangelizem incomprehenſibiles* &c.
c. MSſ. nonnulli, *quod apertæ ſalutis.* At verſu proximo, ubi nos cum ant.
edit. ac pluribus mſſ. *in magna vota*; Rom. edit. præfert, *in magnis votis,*
& quidam mſſ. *in magna vita.*
d. MSſ. aliquot: *Tollite portas, Principes, veſtras* &c.
e. Rom. edit. *Propter quod moneo, ne deficiatis*
f. Eadem edit. *per Spiritum ſuum in interiore homine.* Unde verſum 17. ita
incipit: *Chriſtum habitare* &c.

non illos perturbent carnalia exitia illata à perfidis : sed A sint stabiles, exspectantes in futuro hujus rei mercedem.

℣. 17. *In interiore homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* In eo petit eos magis firmari, ut non ambigant, sed magis credant Christum habitare in so, quem non vident his oculis; ut Spiritus datus hoc eis per Dei donum infundat, ut certi sint de Christo quod vivit, & Filius Dei est, & habitat per fidem in cordibus nostris; ut cùm fidem ejus habemus in cordibus nostris, ipsum habere videamur. Quod eo proficit, ut securi simus de auxiliis ejus; quia non deserit nos, sed semper adest propter fidem suam, quam videt in nobis: quippe cùm ideo Spiritus ejus, qui & Dei Patris est, detur nobis; ut vice ejus tutos præstet B nos, si ei adsentiamus, ut & occulta revelet; per quem utique ipsum in nobis habitare ambigere non debemus. Est enim hic alius paraclitus, inter quos personarum di-
Iohan.15.26. stantia est, non naturæ; quia & de eo accipit, & à Deo procedit. In quibus enim naturæ unitas est, invicem sui
Iohan.16.15. sunt; unde dicit Dominus: *Omnia Patris mea sunt, & mea omnia Patris.*

℣. 18. *Ut in caritate radicati & fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum.* Hoc præstare dicit habitantem Christum vel Spiritum in nobis, ut fundati simus in caritate Dei, devincti beneficiis ejus, & possimus cum sanctis, qui sunt C apostoli & prophetæ, immensum & inæstimabilem cognoscere Deum, omnia excedentem majestate virtutis suæ. Cùm enim dicit: *Latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum*; hoc utique significat, ut sicut in sphæra tanta longitudo est, quanta latitudo, & tanta altitudo, quantum & profundum; ita & in Deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæra enim definito modo concluditur: Deus autem non solum implet omnia, sed & excedit; nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, ut solus ineffabilis & infinitus habeatur: & gratiæ huic insufficienter agantur, quia cùm tantus sit, dignatus est per Christum hominem visitare peccatis & morti subjectum. D

℣. 19. *Cognoscere quoque supereminentem scientiæ caritatem Christi.* Post Dei Patris infinitam & incomprehensibilem cognitionem & inenarrabilem clementiam, Christi quoque agnoscere nos vult caritatem; quia supereminentis est scientiæ, & subintelligitur humanæ; ut super scientiam hominum habeatur dilectio Christi. Quis enim potest colligere mysterii hujus caritatis rationem, ut & Deus hominis causâ homo nasceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro servis dominus, pro creatura creator, pro impiis pius? Propter quid ita dilexit nos? aut ut quid nostrum haberet, qui nullius indiget? numquid non caritas hæc super scientiam hominum est? aut quis hominum hanc poterit cari- E tatem alicui exhibere; quamquam impar sit, ac per hoc supereminet humana commenta? Hoc ergo vult nos scire, quia sensus noster adsequi non potest, nec perspicere profunditatem beneficiorum Christi erga nos; ut perinde semper ei simus supplices & devoti, & qui debitis nulla ratione satisfacere possumus, vel in fide ejus usque ad mortem perseveremus. Ille enim pro magnificentia majes-
* tatis suæ ea gessit pro nobis, [a] quæ sibi indigna sunt; ut & nos in quantum possumus, ei famulemur. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quia fides neque in solo Patre integra est, neque in solo Filio perfecta, ideo adjecit: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*; ut confessione & F gratiarum actione sicut Patri, ita & Filio honorificentia reservetur: & omnia quæ à Deo Patre sunt, per Filium facta & restaurata credantur; ut sit plena perfectio divinitatis in professione credentium. Nihil enim deerit christiano, quando Deum Patrem per omnia immensum esse cognoscit: caritatem quoque Christi ineffabilem, & supereminentem scientiæ humanæ profitetur.

℣. 20. *Ei vero qui potest omnia facere, & superabundantius,*
b *quam petimus aut intelligimus, [b] secundum virtutem, qua ope-*
℣. 21. *ratur in nobis: ipsi gloria in Christo Jesu, & in Ecclesia, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.* Ad Patris personam hæc refert; ut quia melius scit quæ utilia, & quæ non petenda sunt, & quando danda, & qualia, & quanta opus sint; ipse gubernet providentia & virtute sua sibi credentes. Cui ideo *gloria in Christo Jesu*, quia per ipsum omnia præstat nobis: & quia honor Patris in Filio est, & in Ecclesia, id est, in populo, quem sibi adoptare dignatus est. In claritate enim filiorum gloria patris est, dicente Do-
mino: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant* Matth.5.16.
opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum, qui in cælis est. In sæcula sæculorum. Amen, id est, in æternum veritas.

Obsecro itaque vos, fratres, ego vinctus in Domino, ut CAP. IV.
digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Hortatur ℣. 1.
eos, ut recte incedentes in præceptis Domini, ad promissam gloriam possint pervenire. Sicut enim peritus medicus obsecrat infirmos, ut bene se agentes possint salutatem recipere valetudinem; ita & magister gentium hortatur, ut fidei suæ digna opera facientes, possint percipere quæ promissa sunt sanctis, sciens gloriæ suæ esse hujus rei profectum.

[c] *Cum omni humilitate animi & modestia, cum magnani-* ℣. 2.
mitate, sufferentes invicem in caritate, sollicite servantes
unitatis spiritum in vinculo pacis. Nunc dissensionem prohi- ℣. 3.
bet, caritati autem studendum monet; ne spiritum unitatis & pacis amittant: ac per hoc ut invicem se sufferant cum patientia. Modestia enim profectum parit; quia cùm se invicem tolerant, cum lenitate animi monentes, corriguntur ad effectum, & pax in eis manebit, per quam filii Dei
non immerito vocabuntur; quia dixit Dominus: *Beati pa-* Matth.5.9.
cifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Perturbatio enim vel inquietudo contentionem facit, quæ solet etiam ea, quæ mala novit, velle defendere; ne cedere videatur. Hinc oritur discordia, quæ corrumpit pacis fœdera.

Unum corpus, & unus spiritus, ita ut vocati estis in una ℣. 4.
spe vocationis vestræ. Propter pacem & concordiam hæc subjecit; ut quia unum corpus est Ecclesia, unum sapiat populus; quia unum est, quod creditur.

Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & ℣. 5.
pater omnium, qui super omnes est, & per omnes, & in omni- ℣. 6.
bus nobis. Adhuc unitatem commendat, ut quia unitas est ad quam vocamur, in nullo dissentiamus. Si enim unus est Dominus, id est, Christus, sicut & ipse ait in Evange-
lio: *Quia magister vester unus est Christus*; una fides, unum Matth.23.10.
baptisma, unus Deus & pater omnium, qui super omnia est, & per omnes, & in omnibus credentibus, unus debet esse & animus, & cor populi; quia hæc quæ enumerat, unitatis sunt, concordant enim in omnibus. Patrem tamen Deum, quia nulli debet quod est, super omnia esse dixit, & per omnes. Ideo per omnes, quia ex eo omnes: & necesse est ut super hæc omnia sit, quæ ex eo sunt. *Et in omnibus nobis*, id est, fidelibus. In nobis est enim per confessionem; quia cum fatemur, & quia spiritum suum dedit nobis, per quem sine dubio in nobis est: in paganis non est; quia Pater Christi negatur esse ab illis.

Unicuique autem nostrûm data est gratia secundum mensu- ℣. 7.
ram donationis domini nostri Jesu Christi. Nunc ne, quia diversa in hominibus dona sunt, putarentur officere unitati, hoc purgat non esse contrarium; quia in donis officiorum diversitas est, non naturæ. Unicuique autem tantum dicit dari gratiæ, quantum donare dignatus fuerit Dominus; non tamen sine æquitatis mensura, quia unicuique pro viribus tribuit; ut tantum hauriat, quantum sitit.

Propter quod dicit: Adscendens in altum, captivam duxit ℣. 8.
captivitatem, dedit dona hominibus. Hoc est scriptum in Psal.67.19.
psalmo sexagesimo septimo. Dona tamen hæc post triumphos cœpit largiri; vincens enim mortem, exaltatus est
in cruce, sicut ipse dixerat. Ait enim: *Cùm exaltatus fue-* Iohan.12.32.
ro à terra, omnia traham ad me. Exspoliavit inferos, cùm captivos quos ex prævaricatione Adæ, aut propriis captos peccatis in conditione tenebant, abstulit consentientes si-
bi, & adscendens inde in cælos induxit. Ex quibus ali- Matth.27.52.
quanti resurgentes in corporibus, multis apparuerunt ad testimonium evictæ mortis; ut qui forte Christi resurrectionem credituri non essent, ex horum resurrectione, quos mortuos scirent, rei fierent; hos enim viderunt, quos agnoscerent dudum vixisse. Quamvis captivi, inviti & alieni ducantur; Salvator tamen & suos duxit, & voluntarios. Apparentiâ enim suâ dum lacessit desiderantes liberari, cepisse illos dicitur.

Quod autem adscendit, quid est, nisi quia etiam descendit ℣. 9.
prius in inferiora terræ? Verum est quia ideo descendit,

a. Nonnolli mss. *quæ sibi digna sunt*; non satis recte.
b. Mss. aliquot, *secundum veritatem, qua operatur.*

c. Rom. edit. *Cum omni lenitate.... cum patientia sufferentes.... servantes unitatem spiritus.*

ut adscenderet; & non sicut homines, qui ad hoc descenderunt, ut illic remanerent. Ex sententia enim tenebantur apud inferos, quæ sententia Salvatorem tenere non poterat; quia vicit peccatum. Triumphato ergo diabolo, descendit in cor terræ; ut ostensio ejus prædicatio esset mortuorum, & quotquot cupidi ejus essent, liberarentur. Nec poterat non adscendere, quia ad hoc descenderat; ut vi potestatis suæ, calcata morte, cum captivis quorum causâ pati se permisit, resurgeret.

℣. 10. *Qui descendit, ipse est qui & adscendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Hoc est, quod dicit Dominus: *Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo; filius hominis, qui est in cælo.* Joan. 3. 13. Quod quidem & in psalmo continetur; ait enim: *A summo cælo egressio ejus, & regressus ejus usque ad summum ejus.* Psal. 18. 7. Hic ergo descendens è cælis in terram, homo natus est: post mortuus descendit ad inferos, ex quibus tertio die resurgens, ante omnes mortales adscendit super cunctos cælos; ut illusam mortem ostenderet creaturæ.

℣. 11. ℣. 12. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, quosdam vero pastores & magistros ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* Apostoli episcopi sunt: prophetæ vero explanatores sunt Scripturarum; quamvis inter ipsa primordia fuerint prophetæ, sicut Agabus, & quatuor virgines prophetantes, sicut continetur in Actibus apostolorum propter rudimenta fidei commendanda: nunc autem interpretes prophetæ dicuntur. Evangelistæ diaconi sunt, sicut fuit Philippus; quamvis non sint sacerdotes, evangelizare tamen possunt sine cathedra, sicut & beatus Stephanus & Philippus memoratus. Pastores possunt esse lectores, qui lectione saginent populum audientem; quia *non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Magistri vero exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt & verberant inquietos: [a] sive ii qui litteris & lectionibus imbuendos infantes solebant imbuere, sicut mos Judæorum est, quorum traditio ad nos transitum fecit, quæ per negligentiam obsolevit. Inter istos post episcopum plus esse intelligitur, qui propter reseratum occultum Scripturarum sensum propheta dicitur; præsertim quia futuræ spei verba depromit, qui ordo nunc potest esse presbyterii. [b] Nam in episcopo omnes ordines sunt; quia primus sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, & propheta, & evangelista, & cetera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium. Tamen postquam in omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, aliter composita res est, quàm cœperat. Primùm enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscumque diebus vel temporibus fuisset occasio; nec enim Philippus tempus quæsivit, aut diem quo eunuchum baptizaret, neque jejunium interposuit: neque Paulus & Silas tempus distulerunt, quo Optionem carceris baptizarent cum omnibus ejus: [c] neque Petrus diaconos habuit, aut diem quæsivit, quando Cornelium cum omni domo ejus baptizavit: nec ipse, sed baptizare jussit fratribus, qui cum illo ierant ad Cornelium ab Joppe; adhuc enim præter septem diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo cresceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare: at ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores, & cetera officia in Ecclesiis sunt ordinata; ut nullus de clericis auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum. Et cœpit alio ordine & providentiâ gubernari Ecclesia; quia si omnes eadem possent, irrationabile esset & vulgaris res, & vilissima videretur. Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocumque die credentes tinguntur, nisi ægri. Ideo non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi, quæ nunc in Ecclesia est; quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum presbyterum à se creatum episcopum vocat; [d] quia primi presbyteri episcopi appellabantur; ut recedente eo, sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio; ut non ordo, sed meritum crearet episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, & esset multis scandalum. In Lege nascebantur sacerdotes ex genere Aaron Levitæ: nunc autem omnes ex genere sunt sacerdotali, dicente Petro apostolo: Quia estis genus regale & sacerdotale; ideoque ex populo potest fieri sacerdos. *In ædificationem corporis Christi.* Ecclesiæ ordinationem [e] ad compaginationem humani corporis in professionis unitate dicit compositam; ut diversi dignitate in Christo omnes sint unum, unum caput habentes Christum, hoc est, auctorem vitæ.

Act. 11. 28. Act. 21. 9. Act. 7. & seq. Act. 8. 5. Matth. 4. 4. Act. 8. 38. Act. 16. 33. Ibid. 10. 48. Exod. 28. 43. 1. Petr. 2. 9.

℣. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem Filii Dei.* Tamdiu dicit manere ordinationem, quamdiu cuncti destinati ad vitam unius sint fidei in cognitionem Christi. *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ita elaborandum hortatur, ut perfectio fidei apprehendatur: cujus hæc ratio est, ut Christum perfectum & plenum Deum teneat fides, nec mensurâ humanâ metiatur, sed in plenitudine divinitatis quasi perfectus Deus habeatur. Nec enim perfectum dicens, virum temporali ætate & mensura significat: sed per hoc dictum perfectos nos vult fieri in plenitudine intellectus divinitatis Filii Dei.

℣. 14. *Ut ultra non simus parvuli, neque fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad remedium erroris.* Fundatos & stabiles esse nos vult in disciplina fidei catholicæ, quam Petrus apostolus, revelante Deo, professus est, nec ventilari nos oberrantes per diversarum hæresum pestilentiosas adsseverationes nequitiâ humanâ inventas; ut per has fallentis inimici sub veri nomine error possit adferri. Hoc enim remedium est falsitatis, ut sub prætextu veritatis inducat errorem: & non solum sub veri nomine, sed & ne, sicut ante acceptam fidem sensu humiles vagabamur per diversos errores, fideles facti discurreremus fragiles, & dubii de spe promissa, commonet; quia jam christiani facti, fundati esse debent, quia ambiguitas in fide nostra non est; commendatur enim virtute prodigiorum. Matth. 16. 16.

℣. 15. *Veritatem autem facientes in caritate, augeamur in ipso per omnia, qui est caput Christus.* Hanc dicit esse veritatem, ut amorem Christi respicientes, quo dilexit nos, & tradidit se pro nobis, omnia subjiciamus ei, scientes quia omnium auctor est vitæ, ut quasi capiti membra subdantur; ut si alii errore vel malevolentia non fatentur omnia caput habere Christum, quia ab ipso facta sunt voluntate Patris; nos tamen qui catholicæ fidei adhæremus, hoc omni devotione & cura agere debemus; ut huic fidei non damnum, sed lucrum adferamus, perseverantes in hac adseveratione; ut comprimantur pravæ mentis colloquia adversus veritatem armata.

℣. 16. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque partis, incrementum corporis facit ad ædificationem sui in caritate.* Qua ratione Christum caput esse omnium dixerit, docet; ex ipso enim, inquit, totum corpus, id est, omnis chorus Archangelorum & Potentiarum, Principatuum & Potestatum subsistit. Quamvis enim singula hæc numeros proprios habeant, & sint legiones, ut ipse Dominus dixit; quia tamen ab uno & per unum sunt, simul omnia unum corpus appellat. Sicut enim membra cùm sint unius corporis, diversa tamen sunt actu & dignitate: & ita creatura condita est à Deo per Christum, ut à Cherubim & Seraphim potentiis, quæ sub sede Dei sunt, & Angelis quos ipse Dominus sanctos appellat, quasi quædam concatenatio sit, usque ad firmamentum ordinata descendens; ut totum & junctum sit, & meritis tamen discernatur: meritis dico non solum officiorum, sed & naturarum. Nec enim quia juncta dicit omnia, unius erunt naturæ: [f] sed quod in corpore membra faciunt discreta officiis, non naturâ; ita & in his omnibus non membra, sed naturæ ipsæ faciunt distinctiones. Hoc est ergo quod laboratur, ut ad unum sensum redigatur creatura, & in sensu unum sit corpus, dum omnium una professio est, ut concordet in caritate creatoris ad suum profectum;

Matth. 26. 53. Marc. 8. 38.

a. Ver. edit. ac plerique mss. & lectionibus imbuendi infantes: Rom. edit. resecavit vocem imbuendi: at nobis videtur satius cum Vat. cod. legere imbuendos.
b. Nonnulli mss. Nam in Christo omnes ordines.
c. Mss. aliquot, neque Petrus clericos habuit.
d. Edit. Rom. cum uno cod. Vat. quia primùm presbyteri: aliæ edit. ac mss. melius, quia primi &c.
e. Ver. edit. ac mss. non pauci, ad compaginationem humani generis: melius Rom. & alii mss. ut in contextu.
f. Rom. edit. sola: Sed quomodo in corpore membra faciant discreta officia,

reædificat enim se in templum Domini, destructa enim fuerat dementiâ & furore diaboli.

℣.17. *Hoc ergo dico & testor in Domino, ut non ambuletis, sicut*
℣.18. *& gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intellectu, alienati à fide Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis.* Manifestato creatore, & ratione ostensa, quam sequi debeat creatura, in fide Dei sui dumtaxat, contestatur illos in Deum, ut non aliter incedant vel sentiant, quam docentur; ne similes gentilibus inveniantur, qui nec fidem recipiunt, nec conversationem, quam mandat Lex, obscurum habentes sensum, ne contemplentur divini nominis veritatem. Vana enim sectantes, quæ sunt idololatria, infrænantur à diabolo; ne unius Dei iter incedant, ut socios illos suæ perditionis efficiat.

℣.19. *Et cæcitatem cordis illorum. qui desperantes, semet ipsos tradiderunt impudicitiis in operationem immunditiæ omnis, & avaritiæ.* Gentiles futuræ resurrectionis desperatione cæcitatem cordis habere significat. Quasi enim ultra non futuri vitam suam contaminant turpissima operatione, nolentes se subjicere legi fidei; quia prohibet voluptatem propter spem vitæ futuræ, quam hi idcirco ridendam censent, ut jure dehonestare se, & aliena appetere avidâ cupiditate videantur, quasi post hanc transpunctionem nulla sit vita.

℣.20. *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum au-*
℣.21. *distis, & in illo edocti estis, sicut est veritas in Jesu.* Manifestum est christianos non desperationem post mortem hanc didicisse, sed spem ad utrumque; fidelibus enim vita, perfidis vero promittitur mors, quæ est pœna æterna; ut sive mors, sive vita in Christo discatur; quia qui eum sequitur, per eum resurget ad vitam: qui vero discernit se ab eo, per eum mancipabitur gehennæ; ipso enim judicante, damnabitur. Et quoniam sunt quidam in Ecclesia, qui sub nomine Christi non sequuntur Christi veritatem; ideoque: *Sicut est*, inquit, *veritas in Jesu*; ut si ita docti sunt, ut est veritas in Jesu, tunc Christum didicisse, & illum audisse, & in illo edocti esse videantur: Christus enim de se docet quid sit, & quantus credendus sit, & quæ spes in eo sit, & quales debeant esse credentes. Qui enim didicit Christum, scit illum à mortuis resurrexisse; ut forma esset fidelibus, ideoque magna spes est pro ista morte amantibus Deum.

℣.22. *Ut deponatis secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Qui Christum audivit, hoc didicit; ut recederet à conversatione pristina, quam veterem hominem nuncupat propter præteritum ignorantiæ tempus. Homo itaque unus atque idem est, qui si pristina vitia sequitur, vetus dicitur: si autem in novitate vitæ ambulat, alienus à sæculari errore, qui est [a] sive in actu, sive in sensu, rudis dicitur; non utique substantia carnis aut animæ, sed intellectu & conversatione vitæ. Corruptus tamen vetus homo dicitur, propter adulterum sensum, & turpem vitam.

℣.23. *Renovamini autem* [b] *sensu mentis vestræ. & induimini no-*
℣.24. *vum hominem, qui secundum Deum creatus est in veritate & justitia.* Justum & verum est rectam viam sequi: hic autem rectam viam sequitur, qui devotus creatori suo, in voluntate ejus ambulat, quam gentilitas nescit. Innovatus enim spiritu mentis, novum hominem dicitur indutus, qui est Christus; Christum enim induitur, qui per fidem renatus in Christo, æmulus est vitæ, quam tradidit Christus; ut juxta Deum creatus videatur: in eo enim quis creatus est, in quo sapit; & ideo veritas & justitia Dei a gentilibus ignoratur. Cùm enim credentes Deum agnoscunt creatorem, servantes mandata ejus, in justitia & veritate creantur.

℣.25. *Propter quod deposito mendacio, loquimini veritatem unus-*
Zach. 8. 16 *quisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.* Quia in veritate & justitia creati sumus, renati in baptismate; idcirco ut in eo maneamus, mendacium deponere jubemur, adsumta veritate, nec dolo aliquid cum fratre agere; ut quia unius corporis membra sumus, causis nostris in veritate invicem faveamus.

℣.26. *Irascimini & nolite peccare.* Quoniam irasci quis non
Psal. 4. 5. potest prohiberi (quippe cùm ira motus sit naturalis, conceptus ex causis, qui solet ad profectum pertinere delinquentis) idcirco irascendum dicit, sed commonet ne per iram peccetur. Solemus enim modum egredi, dum irascimur, & invenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus irascimur, & amplius oneramus peccantem, quam meretur. Hoc ergo docet, ut ipsa ira cum moderatione sit, neque nimium quis justum se præbeat delinquenti; quia solent quidam sic peccare, ut tantis plagis afficiendi videantur, quantas non possunt ferre: & qui poterat forte corrigi, tollitur de vita non sine peccato irascentis. Hinc est unde Salomon: *Noli*, inquit, *justus esse multum; quia est qui perit in suo justo.* (Eccles. 7. 17.) Sed imitatores Dei esse debemus, qui temperatam habet justitiam; cùm enim justum esset plecti iniquos, patientiâ suâ suffert eos, ut aliqui ex eis corrigantur. Nos ipsos servos suos peccantes patitur, nec cito aliquem percutit.

℣.27. *Sol non occidat super iracundiam vestram:* [c] *nolite locum dare diabolo.* Iram transire vult, nec retineri in pectore, ut die orta, cum die decidat; quia si in animo manserit, dat occasionem diabolo gloriandi. Necesse est enim iratus animus mala cogitet, quod cupit diabolus; invenit enim mentem paratam ad malum, cui se inserens, affectu suo decipit hominem factum ad vitam; quia hominis cogitare est, diaboli implere.

℣.28. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus quod bonum est; ut habeat,* [d] *unde tribuat necessitatem patientibus.* Ut novi hominis conversatio maneat, hortatur ne rursum ad præterita vitia & peccata redeatur; nam nihil proderit novum dici, quando vetus esse homo malis operibus adprobatur. Non solum ergo christianus aliena non tollere jubetur, sed & de labore suo penuriam patientibus subministrare; ut bonis operibus deditus, rependat quæ prius abstulerat, & de cetero thesaurizet sibi in futurum; qui enim cessat à furto, veniam potest habere, non gloriam. Quid enim magnum, aut cujus meriti est ab alienis temperare? Ad meritum enim proficit, cùm quis de proprio tribuit egenis.

℣.29. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* In Dei servo omnia debent bona videri, nec ex aliqua parte puritas ejus debet maculari. Quid enim prodest mundam vitam habere, & os sordidum; cùm dicat Dominus quod unusquisque verbis suis aut justificabitur, aut condemnabitur? (Matth. 12. 37.) Nec credibile potest videri bene vivere eum, qui male loquatur; male enim loqui ad multa trahit vitia. Potest enim male loqui, qui turpiter fatur, & qui bonis detrahit, & qui cum dolo fabulatur, & qui mentitur. [e] Hæc horrorem præstant; bonæ enim & sobriæ fabulæ dant gratiam, & exemplum audientibus; ut honorificent Deum in verbis ejus, ædificati in fide Christi.

℣.30. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemtionis.* Cùm bene agimus, gaudet in nobis Spiritus sanctus, datus nobis, videns monita sua proficere utilitatibus nostris, sicut dictum est à Domino: *Ita gaudium erit in cælo in uno peccatore pœnitentiam agente.* (Luc. 15. 10.) Gaudet ergo Spiritus sanctus saluti nostræ, non sibi, qui non indiget lætitia; ita è contrario si obedientes ei non fuerimus, contristatur, quia non habet profectum in nobis; vult enim nos pertinere ad vitam. Non tamen sic contristatur, ut patiatur, quippe cùm impassibilis sit: sed cùm eum contristatum dicit, nostri causâ hoc significat; quia deserit nos, eo quod læserimus eum, contemnendo monita ejus. Contristatio itaque ejus indignitas nostra est, quæ filios nos Dei prohibet appellari; ipse enim est Spiritus sanctus, [f] qui sanctificat filios Dei, manens in nobis.

℣.31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia auferatur à vobis cum omni malitia.* Omnia hæc quæ perniciem possunt præstare animis, amovenda memorat; per iram enim fit indignatio, per indignationem clamor, quasi vox insanientis, quæ aliena est à Dei servo: per clamorem subrepit blasphemia, quæ non potest non mala esse. Hæc amaram præstat vitam, trahens ad mortem: ideoque ab his omnibus cavendum; timor enim Dei temperare debet & modum imponere accidentibus causis. Sed quia possunt aliqui pressâ in animo irâ & clamore, retinere malitiam ad retributionem nacta occasione; idcir-

a. Rom. edit. *sive in affectu, sive in sensu.*
b. Ead. m edit. *spiritu mentis vestræ.*
c. Omnes edit. cum ms. uno vel altero, *neque locum detis diabolo*: mss. vero prope ad unum, ut in textu.
d. Edit. Rom. *unde subministret necessitatem patienti.*

e. Ita mss. melioris notæ: alii autem atque edit. *Hæc errorem præstant.* Non satis recte.
f. Vet. edit. cum mss. nonnullis, *qui significat*: Rom. edit. cum mss. aliquot, *qui signat*: melius alii mss. *qui sanctificat* &c.

eo subjecit hæc auferri cum omni malitia; quia non solum A blasphemare malitia est, verum etiam fingere pacem in facie, & in animo meditari discordiam.

℣. 32. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes vobis invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Exemplo Dei Patris benignos & misericordes invicem fieri Luc. 6. 36. exhortatur, sicut & Dominus: *Estote*, inquit, *misericordes, ut similes sitis Patris vestri, qui in cælis est.* Si enim Dominus per Filium suum servorum misertus est; quanto magis servi ipsi invicem sui debent misereri, & donare, si alter in alterum peccet? Hæc præcepta ejus sunt, qui miseratus est: qui si in his contemtus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam dederat: & ita Matth. 18. 33. eveniet, sicut ait Dominus in Evangelio de eo, qui acci- B piens à Domino misericordiam, in conservum suum impius deprehensus est.

CAP. V. ℣. 1. ESTOTE *ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Hoc est quod supra dixit, quia Dei Patris imitatores esse jubemur hac exhortatione; ut si obaudiverimus, filii Dei carissimi habeamur. Hic enim carissimus patris est filius, qui bonorum ejus imitator est.

℣. 2. *Et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis hostiam, & oblationem Deo in odorem suavitatis.* Sicut Dei Patris imitatores nos esse vult in benignitate & misericordia, ita & Christi Filii ejus C in dilectione; ut sicut ille dilexit nos, tradens se pro nobis, ita & nos invicem pro nobis etiam animas ponere de- 1. Johan. 3. 16. beamus. Quod etiam Johannes apostolus dixit, exemplo Domini pro fratribus animas ponendas. Si itaque Christi mors in odorem suavitatis est Deo, mortem ejus libenter Deus accepit. Quod si verum est, non peccaverunt qui illum secundum Dei voluntatem crucifixerunt. Sed non ita est, quia Christus Deo se dicitur obtulisse, dum occidi se passus est, in Dei Patris sui voluntate perdurans; quia qui juste occiditur diabolo se offerens, voluntatem ejus facit, ut occidi mereatur. Ita & Christus dum Dei voluntati adhæret, diabolo displicuit: & ideo illum occidit, quia Deo se obtulit, justitiam exsequendo. In oblatione enim justitia D signatur & veritas; hanc enim respicit Deus, & hoc est ejus sacrificium acceptum. Itaque immeritus, qui occiditur, placet Deo; non quia occiditur, sed quia usque ad mortem justitiam conservavit. Suscepit enim hanc mortem Christus ad vitam; unde & odor suavitatis appellatur Deo: Rom. 8. 32. ad Romanos tamen dicit quia Deus illum tradidit pro nobis omnibus. Nunc quærendum est quomodo illum Deus tradidit, aut quomodo se ipse obtulit Deo; nam hoc quantum ad verba pertinet, videtur contrarium. Deus illum tradidisse dicitur, dum illum occidi permisit, sicut dicit Do- Johan. 19. 11. minus ad Pilatum: *Non haberes adversùm me potestatem, nisi data tibi esset desuper.* Data est enim ei, sed volenti, potestas, hoc est, permissum est illi facere, quod voluit, E & hoc est tradere; dum enim dissimulat, tradit; si enim noluisset permittere, non fuisset occisus. Permisit ergo occidi eum, sed ab eis qui eum volebant non coacte, sed sponte occidere. Non ergo immunes à pœna sunt, quia hoc eis permissum est, quod volebant; damnatio enim in eo competit, quia voluerunt. Quod ideo tamen permisit a Deus; quia scivit istum [a] adversùm diabolum futurum pro multis. Dignum enim fuit ut quod inimicus impræscius futurorum contra se, quasi pro se facere putabat, permitteretur ei; ut impræscientiam suam sibi imputans, facti sui pœnitentiâ torqueretur. Quod autem Christus ipse se obtulit, aut Deus illum tradidit, unum est; quia amborum F una voluntas est.

℣. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia aut avaritia nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos.* Manifesta sunt, quæ b dicit. Quam tamen gravis res sit [b] avaritia, à qua dissimulamus, quando fornicationi & immunditiæ comparatur: & sic à nobis videtur, quasi quædam culpa nullius momenti, cùm sit grave peccatum. Sancti ergo esse non possunt, in quibus aliquid horum quæ prohibet, fuerit repertum.

℣. 4. *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent; sed magis gratiarum actio.* Quoniam quidam solent aliquid turpe agere, aut stultiloquiis jocum movere, quasi non sit peccatum, hoc prohibet, A quia Dei servi semper sobrii & modesti debent videri; per stultiloquia enim peccatur. Unde Salomon: *Stultus*, Prov. 10. 23. inquit, *per risum agit mala.* Et Dominus in Evangelio dicit: quia *omne verbum otiosum quod loquuti fuerint homi-* Matth. 12. 36. *nes, reddent de eo rationem in die judicii.* Nec multa possunt discerni, quæ idcirco dicuntur, ut ad alicujus pertineant contumeliam; ideo ad rem salutarem non pertinent hæc. Quare hæc agenda & loquenda monet, quæ ad utilitatem proficiant nostram, & Dei laudem, in cujus lege meditandum est die ac nocte; sicut scriptum est in psalmo. Psal. 1. 2. Ex conversatione enim & moribus Dei servi etiam tacentes intelligendi sunt; ut quantum distat verum à falso, tantum distent Dei servi à servis diaboli.

B *Hoc enim scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idololatria, non habet hereditatem in in regno Dei & Christi.* Qua causâ amovenda sint hæc, ℣. 5. ostendit; quia qui talis fuerit, partem in regno cælorum non habebit, quod est Patris & Filii. Ut avaritiam tamen rem periculosam esse doceret, idololatriam hanc nuncupat, qua nullum peccatum majus est. Videamus ergo cur avaritia idololatria dicatur. Idololatria Dei honorificentiam usurpat, & vindicat creaturæ, cùm in nomine deitatis, quod soli conditori competit, participem illi adserit ejus facturam. Avaritia autem idcirco huic exæquata est, quia similiter ea quæ Dei sunt, sibi usurpat & recondit avarus; C ut quæ usibus omnium concessit communiter, avaritia deneget; quando idcirco hæc congregat apud se, ne alii utantur: quæ res facit, ut carò venumdentur, ne pauperes vivant; si enim minime reconderentur, abundantia omnium rerum faceret utilitatem: denique apud veteres quia avaritia non erat, nec caritas. Recte ergo idololatriæ comparata est, quia multos lædit. Creatori similiter inimica; vult enim Deus ac jubet de iis quæ creavit, subveniri pauperibus, avaritia contradicit. Vide an sine diabolo possit esse.

Nemo vos seducat inanibus verbis; propterea enim venit ira ℣. 6. *Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum.* ℣. 7. Inanes sermones vani sunt; vanitas autem idolorum cul- D tura est, quæ utique non ex Deo initium habet, sed de errore. Docet ergo ne horum verbis adsensus præbeatur; perstrepunt enim semper, & seductione quadam fallaciæ contra fidem consuetudinem antiquitatis obtendunt, rationem præsentium non spem futurorum adserendam judicantes. Ideo venit super hos vindicta de cælis, ut sciant verum esse, quod credere noluerunt. A qua vanitate Dei servos longe docet debere discretos esse, ne participes fiant pœnæ illorum.

Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domi- ℣. 8. *no.* Tenebræ ignorantia sunt; quia nemo videt in tenebris: ignorantia vero gentilitas est, sive perfidia, à qua Dei gratiâ ad fidem tracti sunt, facti lux, id est, veritas; E quia in luce manifestantur, quæ sunt. Denique pagani in tenebris mystica sua celebrantes in spelæo velatis oculis illuduntur. Ex his christiani facti cognita veritate filii lucis dicuntur; quia Deus lux est, cujus fidem in veritate suscipiunt.

Ut filii lucis ambulate; nam fructus lucis in omni boni- ℣. 9. *tate, & justitia, & veritate est.* Hoc dicit, ut sic conversentur, ut non immerito filii lucis dicantur. Opera enim lucis palam sine timore fiunt: tenebrarum autem opera in occulto, quia illicita sunt; omne enim peccatum palam fieri timet.

Probate quid sit, quod placet Deo. Ex magnificentia sanc- ℣. 10. F titatis & bonitatis perpendi potest, quibus Deus operibus delectetur; ipse enim dixit: *Sancti estote, sicut & ego sanc-* Levit. 19. 2. *tus sum dominus Deus vester.* Et Dominus: *Estote*, ait, *mi-* Luc. 6. 36. *sericordes, sicut & Pater vester.* Hæc placent Deo; in sanctitate enim purificatio, in misericordia vero plena & perfecta justitia est.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. ℣. 11. Monet ne malorum actibus per consensum polluamur; quia sunt infructuosi erga bonum, & quæstuosi ad malum.

Magis autem & objurgate; nam quæ in occulto ab eis fiunt, ℣. 12. *turpe est etiam dicere.* Non solum alienos vult eos esse à malis actibus, sed & arguere mala facta eorum, qui in occulto turpiter operantur. Tunc enim probantur peccata, si

a. Rom. edit. *adversùm diabolum profuturum multis.*
b Eadem Rom. edit. *avaritiæ, hinc animadvertendum est, quando fornicationi & immunditiæ comparatur, à qua nobis invicem dissimulamus, & sic à nobis, &c.*

arguantur; ut admirentur filios lucis, à quibus cùm juste A
arguuntur, contradicere non poterunt, sed magis eos re-
verebuntur. *Omnia autem cùm objurgantur, à lumine mani-
festantur.* Verum est, quia tunc videntur peccata, cùm ob-
jurgantur; quia qui peccat, quamdiu non corripitur, mini-
me sibi videtur peccare. *Omne enim quod manifestatur,
lux est.* In manifesto ambiguitas non est, neque excusari
potest, quod palam delictum est. Sicut enim apparente
sole, diem esse jam negari potest; ita & manifestato
peccato, objurgatio falsa videri.
℣.14. *Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exsurge à mor-
a tuis, [a] & continget Christum.* Dormitionem hanc stupo-
rem mentis significat, quæ alienatur à vera via. Alienatio B
vero hæc species mortis est, ex qua resurgere commonetur;
ut resipiscens agnoscat veritatem, quæ est Christus. Perfi-
di ergo & vitiosi demersi in cœnum sub desperatione vitæ,
ut resurgant sive emergant admonentur, & habeant par-
tem cum Christo; ut de tenebris transeant ad lucem, & à
morte ad vitam.
℣.15. *Videte ergo quomodo caute ambuletis, non ut insipientes,
℣.16. sed ut sapientes, redimentes tempus; quoniam dies mali sunt.*
Quoniam superius perfidiam & vitia vitæ à Dei servis ar-
guenda mandavit, nunc ut prudenter ea ipsa arguantur
propter scandalum, subjecit; ut inter perfidos cum pruden-
tia conversandum sit: maxime tempore quo perfidi reg- C
nant, præsumentes de rege prophano; ut si viderit christia-
nus inquietum & iracundum contradictorem, dissimulet ab
eo, & ne eum quidem incitet ad blasphemiam & tempesta-
tem movendam: illic autem verba faciat, ubi datur facul-
tas. Quomodo enim inter potentes perfidos interrogatus
quid sit, tacere non debet, nec negare quod est: ita & si
metus est inter eos disputare, dissimulandum est; quippe
cùm detrimentum sit seminare supra spinas. Hoc est enim
prudentis, scire quemadmodum unicuique respondeat; est
enim qui quamvis perfidus sit, non tamen penitus intrac-
tabilis est; ut nec audire se patiatur verba fidei. Est iterum
in quo sic fervet zelus perfidiæ, ut non tantum non cum D
illo, sed nec præsente illo, tractetur de fide; perstrepente
enim illo & blasphemante, multis fit scandalum. Unde
Act. 13. 46. Paulus & Barnabas cùm adversùm se blasphemantes audi-
rent, excutientes vestimenta sua, recesserunt ab eis.
℣.17. *Ideo nolite effici imprudentes, sed intelligentes quæ sit vo-
luntas Domini.* Dominus Jesus paci studendum esse monet.
Rom. 12. 18. Et vas electionis: *Si potest*, inquit, *fieri, quod ex vobis est,
2. Tim. 2. 24. cum omnibus pacem habentes.* Et ad Timotheum: *Servum*,
ait, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.*
Hæc est voluntas Domini, ut quæ agenda sunt a servis ejus,
cum modestia agantur; perturbatio enim & strepitus, sive
contentio cum animositate, inimicitiam generat. Hæc ergo
propter superiora subdidit, in quibus vult Dei servos cor- E
ripere delicta hominum peccatorum; ut quia per hoc so-
let oriri dissensio & rixa, cum temperantia & mansuetu-
dine arguant peccatores; ne ad iracundiam provocati, in-
siliant ad litem. Ideoque prudenter istud curandum monet,
ut sit profectus.
℣.18. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sobrii pos-
sunt habere fiduciam arguendi; bona enim conversatio ter-
rorem incutit delinquenti: nec poterit qui arguitur, aspere
ferre quia reprehenditur, quando scit optimam conversa-
tionem monentis se. Nam ubi ebrietas, ibi & luxuria est:
luxuria vero provocat turpitudinem. Quamobrem sobrios
eos esse convenit, ut bonæ conversationis jura serventur. F
℣.19. *Sed impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in
psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes &
psallentes in cordibus vestris Deo.* Rationabilem vitam dili-
git Spiritus sanctus; quia si bene vixerimus, implebimur
eo, ut memorat, ad confitendum & extollendum Dei do-
num diverso vocis canore; ut laus in Deum omni lingua
canatur. In quo enim est Spiritus, semper spiritualia me-
ditatur; ut non in labiis tantum sit, sed de corde prorum-
pat propter vetus dictum Domini per prophetam. Ait
Esai. 29. 13. enim: *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe
est à me.*
℣.20. *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini
℣.21. nostri Jesu Christi Deo & Patri, subjecti invicem in timore
Christi.* Deo gratias in omnibus donis ejus agere jubemur
qui etiam adoptare nos dignatus est per Christum Filium
proprium, per quem cognovimus eum, & didicimus in Spi-
ritu Deum (quia Deus Spiritus est) adorandum, alter al- Iohan. 4. 24.
teri se subjiciens propter timorem Christi, qui humilita-
tem exsequendam mandavit.
Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam ℣.22.
vir caput est mulieris, sicut & Christus caput est Ecclesiæ, ℣.23.
ipse salvator corporis ejus. Sed ut Ecclesia subjecta est Christo, ℣.24.
ita & mulieres viris suis subditæ sint in omnibus. Mulieres
subditæ esse viris naturali lege jubentur, quia mulieris
auctor vir est; unde sicut Domino, inquit, ita viris sub-
ditæ esse debent. Hinc Sara dominum vocabat Abraham; Gen. 18. 12.
sicut enim caput Ecclesiæ Christus est, ita & vir mulieris.
A Christo enim Ecclesia sumsit initium, unde subjecta est
illi; ita & viro mulier, ut sit subdita. In eo tamen distat,
[b] quia mulier consubstantialis viro est: Ecclesia autem in b
nomine potest, non in natura participari Christo.
Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ec- ℣.25.
clesiam, & semet ipsum tradidit pro ea; ut illam sanctifica- ℣.26.
ret, mundans eam lavacro aquæ in verbo: ut exhiberet ipse ℣.27.
sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam,
aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta & immaculata. Ita ℣.28.
& viri debent diligere uxores suas. Mulieres esse jubentur
subditæ, & reverentiam habere virorum: viri vero ita di-
ligere mulieres suas admonentur; ut etiam animas suas pro
illis ponant, causâ dilectionis zelum habentes circa affec-
tum earum & disciplinam, ut religiosæ & sanctæ sint.
[c] *Suum corpus diligit, qui uxorem suam diligit.* Naturali c
ratione mulier portio corporis viri est; ac per hoc vir in
muliere se ipsum diligit; quomodo si fornicetur, in se ipsum
peccat, quia duo in carne una sunt. Non ergo personæ
substantiam dividunt, ut per personas numerus fiat naturæ:
sed sunt in unitate naturæ.
Nemo enim unquam carnem suam odit, sed nutrit & fo- ℣.29.
vet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Exemplo Salvatoris
viros uxores suas diligere hortatur, sicut Christus [d] corpus d
suum nutrit & fovet; ita & vir mulierem, quia caro
ejus est.
Quoniam membra sumus corporis ejus, & de carne ipsius, ℣.30.
& de ossibus ejus. Hoc spiritaliter intelligendum est; ideo
enim dixit nos esse membra ejus, quia caput est ipse totius
Ecclesiæ; ut quia per ipsum esse cœpimus, caput nostrum
dicatur, quasi ex quo omne corpus subsistat; ut membra
ejus omnis spiritalis creatura sit: si tamen in nomine ejus
genu flectat.
Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhæ- ℣.31.
rebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Ad unitatem Gen. 2. 24.
commendandam unitatis dedit exemplum; ut sicut vir &
mulier unum sunt per naturam, ita & Christus & Ecclesia
unum intelligantur esse per fidem. *Mysterium hoc magnum* ℣.32.
est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Mysterii sacra-
mentum grande in unitate viri ac feminæ esse significat.
Nec hoc prodit, sed aliam causam, quæ non discordet à
memorato mysterio flagitat, quam scit ad profectum hu-
mani generis pertinere, hoc est, Ecclesiæ & Salvatoris; ut
sicut relictis parentibus, homo uxori suæ adhæret, ita &
relicto omni errore, Ecclesia adhæreat & subjiciatur capiti
suo, quod est Christus.
*Verumtamen & vos singuli, unusquisque suam uxorem ut
se diligat: mulier autem ut timeat virum.* Quoniam una
natura in viro & femina est, idcirco vir quasi se ipsum, ita
mulierem diligere commonetur: mulier autem quia perso-
na inferior est conditionis causâ, non naturæ, viro sub-
jecta, timere eum jubetur.

Filii, obaudite parentibus vestris in Domino; hoc enim CAP. VI. ℣.1.
justum est: Honora patrem tuum & matrem. Lex datur ℣.2.
filiis, ut quia parentibus auctoribus constant, obediant
eis; justum enim est ut reverentiam exhibeant eis, per
quos sunt.
Quod est mandatum primum promissionis, ut & bene sit ℣.3.
tibi, & sis longævus super terram. Promissio hæc in Exodo Exod. 20. 12.
continetur, ut honorifici sint parentes; ut bene essent, &
provectioris fierent ætatis. Quomodo tamen hoc primum

a. Rom. edit. & continget te Christus. Infra vero ubi Eras. & seq. edit. qua alienatur a vera, Amerb. & mss. aliquot, quæ alienatur à vera: optime autem alias mss. ... hæc species mortis est. Amerb. & aliis mss. præferunt, hac specie mortis est.

b. Vet. edit. ac mss. aliquot, quia mulier consubstantia: Rom. edit. ... consubstantiva: alii mss. ... consubstantialis.

c. Rom. edit. sola, Se ipsum diligit. Eadem vero cum ant. edit. ac plerisque mss. quomodo si fornicetur.

d. Nonnulli mss. ipsus suum nutrit &c.

mandatum dixit; cùm constet primum mandatum ita con- A
Exod. 20. 3. & seq. tineri: *Non sint tibi alii dii præter me.* Deinde: *Non fa-*
cies tibi similitudinem ullam eorum, quæ sunt in cælo sur-
sum, & in terra deorsum. Tertium: *Non sumes nomen domi-*
ni Dei tui in vanum. Quartum: *Observabis*, inquit, *sab-*
bata mea. Quintum autem: *Honora patrem & matrem. &c.*
Sed quia prima quatuor mandata ad Deum pertinent, hæc
in prima tabula contineri subintelliguntur, cetera ad ho-
minem, ut honoret parentes, non occidat, non fornicetur,
non furetur, non falsum testimonium dicat, neque quid-
quam proximi sui concupiscat. Hæc sex mandata in se-
cunda tabula videntur scripta, quorum primum est: *Hono-*
ra patrem & matrem. Hac causa ergo dixit: *Quod est man-* B
datum primum in promissione; ut discerneret inter mandata
quæ ad Deum, & inter ea quæ ad hominem pertinent.
℣. 4. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios ves-*
tros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.
Ut Lex possit servari, qua cautum est, ut filii honorifi-
cent parentes: parentibus quoque alia Lex ab Apostolo
datur, ut sic imbuant filios, ne mandata Legis contem-
nant; quia si in timore Domini fuerint enutriti, poterunt
observare quæ præcepta sunt. Nam si ad iram provocant
filios, nec ipsi modum Legis custodiunt; cogere enim eos
videntur, ut prævaricatores inveniantur. In ira enim nemo C
agnoscit quid sit utile; idcirco temperantiam parentum
exemplo debent addiscere, ut quæ utilia sunt, sectentur.
Meminisse enim debent patres, quia & ipsi fuerunt filii,
& noluerunt utique exacerbari à patribus. Filii quoque
cognoscere debent quod futuri sunt patres, & nollent in-
honorari ab eis. Idcirco utrique exhibeant invicem, quod
exquirunt ab invicem.
℣. 5. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in*
simplicitate cordis vestri sicut Christo. Quoniam omnium subli-
mior & sola potens est religio nostra, & quæ credentibus cæ-
lorum regna pollicetur: ne hac igitur causa superbia nasce-
retur hominibus, omnes debita conditionum vel officio- D
rum præsentium jubentur exsolvere; ut & magis incitent
perfidorum animos ad culturam Dei, quam vident & jus-
tam & humilem. Videntes enim domini meliorasse servos,
& in reddendis obsequiis fideliter profecisse, quod merentur
cum omni libertate exsolvunt. Servi quoque dum cer-
nunt mansuetudinem dominorum, omni aviditate concu-
piscunt fidem, cujus tam placidis retinaculis gubernantur
humana officia. Nam & qui in conditione est, si habue-
rit famulum, non vult contemni ab eo; ideoque nec ipse
debet contemnere dominum suum: & sicut vult agere se-
cum dominum suum, ita & ipse agere debet cum servo, &
sic poterit placere Deo.
℣. 6. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes: sed ut*
servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum be-
℣. 7. *nignitate servientes sicut Domino, & non ut hominibus: scien-*
℣. 8. *tes quod unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc conse-*
quetur à Domino, sive servus, sive liber. Propter timorem
Dei justa & fidelia vult hominibus exhiberi servitia; Deo
enim servit, cujus jura in obsequiis domini carnalis custo-
dit, quem sibi pro justis actibus in die judicii vicem red-
dere, & ceteris omnibus audit testari. Quæ res potest pro-
ficere etiam ad salutem dominorum; videntes enim, quod
difficile est, servos per Dei gratiam factos fideles ministros,
potuerunt Dei gloriam collaudare.
℣. 9. *Et vos, domini, eadem facite ad illos, remittentes minas:*
scientes quod & vester & illorum dominus est in cælis, &
personarum non est acceptio apud eum. Non ignorantes uti-
que carnales domini Deum omnium dominum esse com-
munem, talia exigant servitia, qualia à se exigi non fe-
Matth. 7. 2. rant ægre. In qua enim quis mensura mensuraverit, re-
metietur illi; Dominus enim justus judex causas discernit,
non personas.
℣. 10. a *De cetero, fratres, confortamini in Domino, & in poten-*
tia virtutis ejus. [a] Post omnia monita & hortamenta, &
disciplinæ ordinem traditum religiose, & dispositionem mys-
terii manifestam, robustos illos vult esse in fide fiducià po-
testatis Dei; ut scientes firmam esse spem promissionis,
prompti sint circa obsequia Dei, erigentes gubernacula con-
tra fluctus excitos imprudentià inimici. Tempestatem enim
Dei servis commovet, sed ipse naufragium facit.

Induimini vos arma Dei, ut possitis stare adversus natio- A ℣. 11.
nes. Arma Dei fides est stabilis, per quam solam semper
victus est satanas. *Quoniam non est vobis lucta adversus* ℣. 12.
carnem & sanguinem, sed adversus Principatus & Potestates b
hujus mundi, adversus tenebrarum harum rectores, adversus
spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus. Certus Apostolus
quia exitia, quæ à perfidis Dei famulis irrogantur, auctore
diabolo, ministrantur, cujus altitudo grandis & hominibus
impossibilis est; monet adversus hæc arma Dei sumenda,
cujus solius virtute superantur & destruuntur omnia ma-
chinamenta diaboli. Ipse est enim cujus satellites sunt,
quos tenebrarum harum dicit rectores, spiritus nequissimi,
qui degunt in cælestibus, in firmamento mundi. Hi sunt B
erroris duces, tenebrarum rectores, hoc est, ignorantiæ
& perfidiæ præpositi. Rectores enim tenebrarum in per-
versum intelligendi sunt gubernare, quasi incredulitatis
magistri.
Ideo accipite universitatem armorum, ut possitis resistere ℣. 13.
in die malo, & in omnibus perfecti stare, succincti lumbos ℣. 14.
vestros in caritate, & induti loricam justitiæ, & calceati ℣. 15.
pedes in præparatione Evangelii pacis. Super his omnibus ℣. 16.
adsumentes scutum fidei, in quo poteritis omnia tela maligni ℣. 17.
ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium
spiritus, quod est verbum Dei. Quoniam contra atrocissi- C
mos hostes & omni tergiversatione callidos bellum gerimus,
idcirco omni cautela & sollicitudine vigilare debemus; ut
quæcumque tentaverint, munitos nos & præparatos inve-
niant. Necesse est enim ut & Deus adjuvet, quos viderit
in precibus vigilare, & de armis ejus exspectare victoriam.
In hujusmodi autem bello sobria mente opus est, & pura
conscientia; quia non contra carnalia nequitiæ, sed adver-
sus spiritualia dimicatur. Contra terrigenos enim hostes
corpus saginà roboratur, & poculis mens incenditur, ut
repugnandi sumat audaciam: adversus autem spiritalia ne-
quitiæ spiritaliter repugnandum est, & sobrietatis & absti-
nentiæ arma sumenda sunt; ut infusi sancto Spiritu immun- D
dos & erraticos spiritus devincamus. [c] Sic itaque succin- c
gemus lumbos nostros in veritate, si parati sumus errori
resistere. Omnis enim qui operari vult, subcingit se; ut
ablato impedimento, diligentius operetur.
Per omnem orationem & precem orantes in omni tempore, ℣. 18.
in spiritu, & in ipsum vigilantes in omni perseverantia &
obsecratione pro omnibus sanctis. & pro me; ut detur mihi ℣. 19.
sermo in apertione [d] oris mei exerte notum facere mysterium d
Evangelii, pro quo legatione fungor in catena; ut in ipso ℣. 20.
exerta libertate utar, prout oportet me loqui. Si recte con-
versamur, Spiritus sanctus manet in nobis, & quod pos-
tulamus, possumus impetrare. Hoc est ergo in spiritu om- E
ni tempore orare, munda conscientia & fide integra precem
ad Deum dirigere. In carne enim orat, qui polluta mente
precatur, iterum peccaturus, non de eventu aut subreptio-
ne, sed de proposito. Sed potest non peccari ad mortem, si
perseveranter oretur; ut animus sedula mente intentus sit
semper in Dei Legem, ea meditans die noctuque quæ amat
Deus. Tunc & pro sanctis possunt orare; non est enim in-
dignum ut pro invicem sollicita sint membra: nec temera-
rium poterit videri, si pro magistro discipuli idonei inter-
pellent, adjuvantes eum, ut postpositis impedimentis li-
bertate utatur ad prædicandum, sicut traditum est ab
auctore; ne pressus vi tribulationum, ipsa formidine acu- F
men doctrinæ obtundat, amissa severitate. Duplici igitur
genere pro se orandum hortatur; ut & sensus ejus implea-
tur spiritu ad eloquendum plene mysterium, & facultas illi
detur audaciæ in adserendo: quam utique precem libenter
audit Deus; videt enim legationem suam in Apostolo suo
despici, unde utique indignatus in causa sua non negabit
effectum. Si enim consuetudo & lex est legatis hominum
non inferre exitia: qua præsumtione & audacia legatis Dei
non solum exitia, sed & mors irrogatur. Quare & dicit:
Pro quo legatione fungor in catena. Non enim permitteba-
tur libere loqui, sed in subjectione & necessitate verba Dei
referens, vinculis, plagis, subjiciebatur, & mortibus: &
lapidatus est enim & ad bestias pugnavit Ephesi. 1. Cor. 15. 32.
Ut autem sciatis & vos ea, quæ circa me sunt; quid agam ℣. 21.
plane notum faciet vobis Tychicus dilectus frater, & fidelis ℣. 22.
minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscat

a. Vet. edit. & quidam mss. *Post omnia merita*: Rom. edit. & alii mss. … monita: infra vero ex mss. non paucis reposuimus, *imprudentia inimici*, ubi omnes edit. & mss. aliquot habent, *impudentia inimici*.

b. Rom. edit. sola, *adversus versutias diaboli*.
c. Mss. aliquot, *Sic itaque succingamus … si parati simus &c.*
d. Rom. edit. sola, *oris mei cum libertate &c.*

quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra. Per Tychicum Ephesii discunt quid agat Apostolus, & idem cognoscit quid agerent Ephesii. De Apostolo, quia divina erant, quæ agebat, dubium non erat: sed hoc sciendum erat de eo, quid ageret inter perfidos, & insidias eorum. De Ephesiis vero hoc cognoscendum, si proficerent, necne. Ut ergo obedirent, & libenter audirent verba Tychici, hunc commendat, & fratrem istum dilectissimum vocans, & ministrum Dei idoneum.

Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo Patre nostro, & domino Jesu Christo. Pacem quæ est janua dilectionis, optat A esse cum fratribus, & caritatem cum fide: ut ingressi per pacem, possint manere in caritate, quæ est ex fide. Hæc est enim Dei Patris & Filii ejus domini nostri Jesu Christi.

Gratia cum omnibus, qui diligunt dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione, Amen. Præscius Apostolus multos futuros desperatæ fidei sensum habentes de domino nostro Jesu Christo, cum iis æternam gratiam dicit mansuram, qui diligunt Christum, recte de illo, & cum Dei Patris voluntate sentientes; qui enim degenerem hunc dicunt, data illis gratia auferetur.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD PHILIPPENSES.

PROLOGUS.

A

Act. 16. 9. PHILIPPENSIBUS verbum fidei Apostolus tradidit; somnio enim monitus est, sicut continetur in Actis apostolorum, ut accederet ad eos, & aperiret aures eorum ad recipiendum sermonem Domini. Multis ergo diebus commoratus apud eos, instruxit eosdem in doctrina Domini. Et quia post discessum ejus non sunt translati ad aliud, sicut Galatæ: sed permanserunt in fide, non recipientes pseudoapostolos: per epistolam collaudat eos, gaudens in proposito cordis eorum. In horum laude aliorum vituperatio continetur: Corinthii enim multo tempore audientes Apostolum, recedente eo, B à diversis pseudoapostolis fuerant eversi: unde isti jure laudantur.

CAP. I. ℣. 1. *PAulus & Timotheus servi Jesu Christi.* Apostolum se tacet, quia iis scribit, qui de illo recta sentirent; ideo dignitatem suam supprimit, erat enim his manifesta: conditionem vero fatetur; quia qui Christum confitetur dominum, hic magis liber est, & habet salutem. *Omnibus sanctis in Christo Jesu.* Sanctis scribit more suo, sed qui in Christo Jesu sancti sunt, id est, qui Deum & hominem Christum fatentur: Photinus enim Christum Deum negat, & Manichæus hominem: ideoque immundi sunt. Non ergo iis C scribit, qui mendaciis propriis supprimunt veritatem. *Qui sunt Philippis.* Quibus scribat, significat. *Cum episcopis & diaconibus*: hoc est, cum Paulo & Timotheo, qui utique episcopi erant; simul significavit & diaconos, qui ministrabant ei. Ad plebem enim scribit; nam si episcopis scriberet, & diaconibus, ad personas eorum scriberet, & loci ipsius episcopo scribendum erat, non duobus, vel tribus, sicut & ad Titum & Timotheum.

℣. 2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Jesu Christo.* Manifestum est Deum patrem esse, Christum vero Jesum dominum nostrum. Numquid non videtur plus dominus esse, quam pater? Sed inter homines in mundo: E apud Deum vero Patrem, & apud Christum dominum concordia est. Hic enim, hoc est, in mundo, ideo plus est dominus, quam pater; quia aut & ipsius patris dominus est, aut pater filium non suæ conditionis generat, sed alienæ: Deus autem sic genuit, ut in potestate ejus sint, quos genuit; ut nati ingenui, servi tamen ejus sint: cum hos tradit proprio Filio, facit illos etiam servos Filii sui; ut
Johan. 17. 9. sit dominus eorum, sicut dicit: Pater, quos dedisti mihi, tui erant, & mihi eos dedisti; ut in Patre & Filio servi sint Dei unius.

℣. 3. *Ego quidem gratias ago Domino super omni memoria vestri,*
℣. 4. *semper in omni oratione mea pro omnibus vobis cum gaudio* F
℣. 5. *orationem faciens, super communicatione vestra in Evangelio.* Primum quidem Domino gratias agit, cujus nutu prospera omnia cedunt fidelibus. In omni oratione sua memor eorum cum exsultatione, quod participes facti sint Evange-
2. Petr. 1. 4. lii, sicut Petrus apostolus, inter cetera dicens: *Ut sitis*, inquit, *consortes divinæ naturæ*.

a *A prima die usque nunc.* Prævidit enim Apostolus devotionem illorum, [a] & fidem ratam ex ipsis principiis, & gavisus est in eis, semper sciens eos multis exemplo esse futuros.

A *Confidens in hoc ipsum, quod qui inchoavit in vobis opus* ℣. 6.
bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. sicut est justum ℣. 7.
mihi hoc sentire pro omnibus vobis; eo quod habeam vos in corde & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Evangelii; quoniam omnes mihi participes gaudii estis. Securus de bonitate & justitia Dei, & de horum fide non ambigens, confidit quod Dei auxiliis adjuti, perseveraturi sint in fide usque ad diem Domini, in quo remunerandi sunt persistentes in fide. Nec aliud debuit de his sentire, quos semper inflexibiles in devotione Dei expertus est, tam directum & infatigabilem cursum eorum videns; ut cogitaret dignos hos sibi participes gaudii esse. Unius enim fidei B homines congaudere oportet de spe futuræ immortalitatis & gloriæ.

Testis enim mihi est Deus, quemadmodum desiderem omnes vos in visceribus Jesu Christi. Deum testatur, ut affec- ℣. 8.
tum commendet [b] justi; qui enim multum de aliquo sentit, b
ut credibile hoc faciat, testificatur: per quod & provocat desiderium illorum erga se, ut desiderati desiderent. Desiderat ergo omnes hos non humana cupiditate, sed in amore Christi: non carnis affectu, sed spiritus; ut participes hos habeat & in sensu mysterii divinitatis, & incarnationis domini nostri Jesu Christi.

Et hoc oro ut caritas vestra magis magisque abundet in ℣. 9.
C *agnitione & omni sensu, ut probetis quæ sunt utilia; ut sitis* ℣. 10.
sinceri & inoffensi in diem Christi, repleti fructu justitiæ per ℣. 11.
Jesum Christum in gloriam & laudem Dei. Deo adjutore, ordinem disciplinæ christianæ vult eos imbuere; ut quia firmati in fide sunt, non sint nescii sacramenti credulitatis suæ: & scientes discernere utilia à contrariis, justitiæ operibus ornent doctrinam Domini, fructum facientes immortalitatis ad abundantiam omnium bonorum, ut gloriosus in his appareat magister gentium.

Scire autem vos volo, fratres, [c] quod quæ ad me perti- ℣. 12.
nent, ad profectum Evangelii venerunt; ita ut vincula mea c
manifesta in Christo facta sint in omni prætorio, & in cete- ℣. 13.
E *ris omnibus: ut que plures ex fratribus in Domino confiden-* ℣. 14.
tes vinculis meis, ceperunt magis audere sine timore verbum Dei loqui. Alii quidem & propter invidiam & conten- ℣. 15.
tionem: quidam vero & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Alii quidem ex caritate, scientes quod ℣. 16.
in defensionem Evangelii positus sum: aliqui vero ex conten- ℣. 17.
tione Christum annuntiant, non simpliciter existimantes quod pressuram suscitent vinculis meis. Hæc explanatione non indigent, tamen propter sollicitudinem nostram, ne qua in dubium veniant, per ordinem ea apertius prosequamur. Quoniam superius participes hos gaudii sui pronuntiavit, ideo quid profecerit prædicatio ejus insinuat, quasi caris;
F ita ut omnibus innotuerint passiones ejus pro Christo. Per hanc humilitatem gloriosum se indicat, ut habeant occasionem gaudendi amatores ejus; quia cujus vincula in Christo manifestantur, dignitas ejus crebrescit. *In omni prætorio, & in ceteris omnibus*, id est, in omni judaismo, & per universas Ecclesias gentium; præest enim judaismus, quia ipsi facta promissio est, sicut dicitur: *Quia salus ex* Johan. 4. 22.
Judæis est. Ideoque plures ex fratribus exemplum suum secutos, ausos dicit fuisse loqui verbum Dei cum fiducia; constantia enim ejus multos animavit, [d] ut non præterirent d

a. Nonnulli mss. & fidem rectam. Minime male.
b. Distinctio justi. mss. ubi quae non agnoscant, cujus loco nonnulli posuerunt, [illegible]. Ista vero edit. Rom. [illegible], ut magis desiderent, ubi reliqua, ac mss. ut desiderati desiderent.
c. Rom. edit. quod quæ mihi acciderunt, magis ad profectum &c.
d. Omnes edit. at pauci mss. ut non timerent evangelizare.

evangelizare, comperto exemplo Apostoli, quod Deus adest, ut tueatur diligentes se: sed & alios falsus fratres, non fiducia, neque dilectione Dei, sed contentione zeli incitatos, Dei verbum dicit prædicare, quasi invidos. Plures ergo è fratribus sincera quidem, sed diversa voluntate Christum annuntiabant; alii enim bona voluntate hoc agebant ad gloriam Dei solius: alii vero caritate incitati Apostuli, certi de tuitione Dei. Sic iterum è contra alia duo genera ponit, quæ non sincero animo prædicabant; quidam enim invidentes Apostulu, contentione hoc agebant: alii vero astutia simulationis Christum annuntiabant; ut possent seditiones excitare Apostolo, quasi auctori hujus sectæ, qui multos aggregaverat suæ conspirationi. Major enim invidia crescebat Apostolo, quando ex latere ejus multi videbantur docere.

℣. 18. *Quid enim? Dum tamen quovis modo, sive occasione, sive*
veritate Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed etiam
℣. 19. *& gaudebo. Scio enim quod hoc mihi* [a] *procedet ad salutem*
per vestram precem, & subministrationem spiritus Jesu
℣. 20. *Christi secundum contemplationem & spem meam; quia in*
nullo confundar, sed in omni exerta fiducia, sicut semper,
℣. 21. *& nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem; mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.* Primum gaudium ejus est in fratribus, qui bona voluntate Christum annuntiant: deinde etiam in eo se dicit gaudere, quod fallacia hominum adversus eum compositum erat, ut ad invidiam & pressuram ejus Christus prædicaretur. Hoc enim dicit sibi ad vitam proficere, quod illi paraverant ad mortem; hanc enim vitam suam dicit esse, si Christus omnibus prædicetur, & se etiam mori paratum, ut hoc possit impleri, sciens magnam sibi pro hoc voto [b] & efficacia dari posse mercedem; imperita enim malitia adversùm se semper machinatur, dum nescit. Ad calcandam ergo horum malevolentiam, qui recta fallacia insidias vitæ ejus tendebant, Dei præsidiis se muniri testatur, iis quos utique socios gaudii sui dicit, adjuvantibus oratione propter communem alacritatem, & sancti Spiritus subministrationem, qui contra voluntatem illorum & vias aperiret prædicanti, dans gratiam & fiduciam verbis ejus, ut ortas seditiones compesceret. In nullo ergo se dicit confundi in doctrina Christi; quia & spes magna promissionis est, & quia nihil in ea turpe, inhonestum, aut fallax est, sicut apud paganos, sed aperta simplicitas. Hinc est enim unde cum omni constantia non cedit adversis, ut magnificetur Christus in corpore ejus, sive occidatur, sive cæsus evadat. Ex eo enim quæ & quanta spes in Christo est, consideratur; quando non solum cædi & affligi pro eo, sed & mori paratus est. Vitam enim suam sive in præsenti, sive in futuro Christum esse dicit, sicut & evangelista Johannes testatur, dicens: *Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* (Johan. 1. 3. & 4.) Pro hac vita mortale corpus tradit, ut id recipiat in æternum: ac per hoc lucrum computat mori pro Christo.

℣. 22. *Si ergo vivere in carne, hic mihi fructus est operis: &*
quid eligam ignoro. Coarctor autem in his duobus, desiderium
℣. 23. *habens dissolvi, & cum Christo esse, multo enim melius: re-*
manere autem in carne valde necessarium propter vos. Et
℣. 24. *hoc certum habens, scio quia manebo & permanebo omnibus*
℣. 25. *vobis in vestrum profectum & gaudium fidei; ut gloria vestra*
℣. 26. *abundet per Christum Jesum in me, per meum adventum iterum ad vos.* Manifestum est quod dicit, quia si in carne positus non otiosum est, quod vivit; habet enim fructum operis sui. *Quid eligam*, inquit, *ignoro.* Duabus enim ex causis urgetur; habet enim desiderium excedere, & cum Christo esse multo melius æstimans; ut jam præsens sit apud Deum, ut exoptatis & promissis fruatur: in carne vero ut sit adhuc, necessarium dicit propter instructionem credentium. Et cùm dissolvi & cum Christo esse multo melius ducat; certum tamen hoc scire se protestatur, quia manebit in carne ad profectum fidelium; ut gloria eorum abundet in Domino, proficiens ad laudem Apostoli, cùm iterum viderint eum. Crementum enim faciunt scientiæ, & plenius fundantur in fide. Quantum affectum habuit circa credentes, ut hoc quod multo melius sibi esse dicit, non eligat: sed hoc velit, quod expediat multis, certus etiam Domino hoc placere, quod pro multorum salute proficiat. Quis non tertii cæli cupidus sperneret omnem curam præsentem? quis non paradisi superioris desiderio omnia hæc postponeret? quis non verborum arcanorum memor humana eloquia devitaret? quis non post tanta eximia eligeret requiem? Sed quia caritatem omnibus anteposuit, hoc sequutus est, quod proficeret fratribus.

Tantum digne Evangelio Christi conversamini. Dignam ℣. 27.
conversationem vult eos exhibere disciplinæ Dominicæ; ut
non pœniteat eum voluisse remanere in carne. *Ut sive cùm*
venero & videro vos, sive absens audiam de vobis quod stetis
in uno spiritu, unanimes, pariter cum fide Evangelii certan-
tes, & non pavescentes in quoquam ab adversariis, [c] quæ est ℣. 28.
illis ostentatio interitus, vobis autem salutis. Unanimes vult eos esse in fide & devotione contra adversarios, ut eadem audiat de illis absens, quæ vidit & præsens; ut in nullo paventes minas aut terrores adversariorum, custodiant fidem, scientes quia eis qui pro Christo tribulantur, ad salutem proficit: illis vero qui tribulant, ad perditionem.

Et hoc à Deo donatum est vobis pro Christo, non solum ut ℣. 29.
in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini, idem certa- ℣. 30.
men habentes, quale & vidistis in me, & nunc auditis de me. Quamquam Dei gratiam extollat in omnibus, ad laudem tamen illorum proficit, quod dicit quia Deus illis concessit pati pro Christo; non enim concedit vel donat nisi amatoribus Christi. Ideo dicit: *Pro Christo donatum est vobis*; ut à Patre Deo donatum sit diligentibus Christum, ut ad augmentum meritorum suorum patiantur pro Christo, & sequentes exempla doctoris sui, omni confidentia certent ad triumphandos infideles.

SI qua ergo exhortatio in Christo, si quod solatium cari- CAP. II.
tatis, si qua participatio spiritus, si qua sunt viscera & ℣. 1.
miserationes, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eam- ℣. 2.
dem caritatem habentes, unanimes, unum sentientes, nihil fiat ℣. 3.
secundum irritationem, neque secundum inanem gloriam, sed
in humilitate mentis alius alium existimantes superiorem sibi: ℣. 4.
non quæ sua sunt unusquisque contemplantes, sed quæ aliorum sunt. Hoc dicit, quia si est vera exhortatio spei in Christo apud vos, qua nos invicem consolamur, si solatium caritatis communis, si participatio Spiritus sancti, per quam jungimur in uno corpore novo, si qua sunt viscera, id est, si in animo vestro sum, sicut & vos in meo, si miserationes, hoc est, si affectus pietatis in amore est, implete gaudium meum. Hæc quæ enumerat, tunc vera probanda significat, si ista quæ subter mandat, fuerint servata; ut unanimes sint, & spiritu humiles, non se invicem provocantes, sed in caritate gaudentes; ut gaudium Apostoli plenum fit in eis. Sic ergo eos constringit, ut si hæc non custodierint, nec in ceteris probati videantur; ut quia in aliis nolunt se improbatos videri, ista quoque servent, ut perfecti sint. Sine dubio enim erant inter eos dissentientes & inquieti, & qui inani gloriæ studerent, contendere & vincere volentes cum animi atrocitate, ubi præmium non est; sed parit lites, & rumpit caritatem. Quæ enim potest esse plebs, in qua vasa aurea & argentea tantum sint, non & lignea & fictilia? Sed possunt exercitio boni immutata fieri aurea & argentea; quia non naturæ vitium est, sed voluntatis.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui ℣. 5.
cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se parem ℣. 6.
Deo. Christus semper in forma Dei erat, quia imago est invisibilis Dei. Sed Apostolus de Dei Filio, cùm incarnatus homo factus est, tractat dicens: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*, id est, Deo & homine. *Qui cùm in forma Dei esset*, inter homines utique conversatus, verbis & operibus apparebat esse Deus. Forma enim Dei nihil differt à Deo; ideo enim forma & imago Dei appellatus est, ut intelligeretur non ipse Pater esse Deus: sed hoc esse, quod Deus est. Hic ergo *non rapinam arbitratus est esse se parem Deo*; sciens enim in forma Dei se esse, non furatus est, ut diceret: *Ego & Pater unum sumus.* (Johan. 10. 30.) Et alibi in Johannis Evangelio: *Propterea*, inquit, *persequebantur Judæi Jesum, quia non solùm solvebat sabbatum; sed & Patrem sibi proprium dicebat Deum* (Ibidem 5. 18.), æqualem se faciens Deo. Jure ergo exæquavit se Deo; ille enim arbitratur rapinam facere, qui se parem facit ei, quo inferior est.

Sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu repertus ut homo.

a. Rom. edit. *proficiet ad salutem.... secundum exspectationem & spem meam.*

b. Eadem edit. Rom. *ex efficacem dari posse mercedem.*

c. Eadem edit. *quæ est illis occasio interitus.*

Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Christus igitur sciens in forma Dei se esse, æqualem se ostendit Deo: sed ut humilitatis legem doceret, Judæis se comprehendentibus non solùm non repugnavit: *Sed semet ipsum exinanivit*; hoc est, potestatem suam ab opere retraxit; ut humiliatus [a] otiosa virtute infirmari videretur. *Formam servi accipiens*, dum tenetur & ligatur, & verberibus agitur, usque ad crucem factus obediens Patri, cui se æqualem sciebat, non sibi defendit æqualitatem, sed subjecit se. Hanc patientiam & humilitatem imitari nos docet, ut non solum coæqualibus non nos anteponamus; verumetiam inclinemus nos, auctoris nostri sequuti exemplum. Formam tamen Dei non accepisse dicitur, sed esse in forma Dei: servi autem formam accepisse, dum quasi peccator humiliatur. Servi autem ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noe, qui primus merito nomen servi accepit. (Gen. 9. 25.) Non enim mihi, sicut quibusdam videtur sic formam servi accepisse, dum homo natus est. Vide enim quid dicat: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*, id est, Deo & homine. Ante incarnationem enim aut Christus potest dici, aut Jesus; quia simul ambo nomina & hominis filium, & Dei Filium significant. Nam ante nativitatem quid dicit inter cetera? (1.Cor. 10. 4.) Petra autem erat Christus, & non tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt. Ubi ergo aut Deum, aut hominem vult significare Scriptura, unum è duobus ponit: aut Jesum, aut Christum. Dei enim Filius cùm homo natus sit, in forma Dei erat; quia cùm homo videretur, opera Dei faciebat; ut in gestis rebus appareret Deus esse, qui tantum homo esse putabatur. Opera enim formam significabant, ut quia opera ejus, non utique hominis opera sunt, hic qui in opere vel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid est, nisi exemplum quo Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat, & alia? Quomodo autem homini similis factus dicitur, si homo tantum erat: & qua ratione habitu repertus ut homo est, si non esset & Deus; nisi quia cùm antequam se inclinari permitteret, semper in Dei virtute visus sit, postea infirmatus in habitu hominis repertus est? (Matth. 17. 2.) Nam in monte utique, quasi Deus apparuit: & in mari pedibus ambulans, non solum homo, sed & Deus visus & intellectus est. (Matth. 14. 34.) Denique qui erant in navi, quid dicunt? Vere Filius Dei est hic. Ista ergo virtute cessante, velut homo visus est; ideo enim dicit quasi ut illud significet, quia & Deus est. Infirmitatis enim causâ Deum dicit similem factum hominibus. Quod in subjectis aperit, dicens: *Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hinc est unde habitu repertus ut homo est; retinens enim virtutem suam, ne appareret in eo, ut homo visus est & occisus, qui mori nescit.

℣.10. *Propter quod & Deus superexaltavit eum, & donavit ei*
℣.11. *nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne*
℣.12. *genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quid & quantum humilitas mereatur, ostendit; ut magis hanc appeteremus, calcatâ jactantiâ. Unde dicit Salomon: (Prov. 3. 34.) *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quare & Dominus: (Luc. 14. 11. Luc. 18. 13. & seq.) *Qui se*, inquit, *exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Hæc est ergo humilitas, si sibi quis nec quod deberi novit, defendat. Denique Pharisæus ille vera de se dicens: exaltasse se dictus est; ac per hoc humiliatus est: Christus autem plus fecit, qui cùm Deus sit, caro factus hominibus se inclinavit. Nunc videamus quomodo donatum est Christo nomen, quod est super omne nomen, quasi eguerit Filius Dei, aut imperfectus fuerit; qui enim eget, imperfectus est. Si enim in forma Dei erat, erat par & æqualis Deo; quomodo donatum est illi? Ei enim donatum dicit, qui se humiliavit, & quasi homo apparuit, exinaniens se, factus obediens usque ad mortem. Si ergo perfectus natus est, quomodo eguit? Perfectum Dei Filium natum de Deo Patre qui negat, arrianus est; nam ante passionem æqualem se Deo Patri ostendit, sicut & supra memoravi. Unde constat hunc natum esse perfectum; in nativitate enim sua omnia consequutus videtur. In plenitudine enim divinitatis est natus ad omnia agenda, quæ gessit; ut priùs donum accepisset, quam gereret, ad quæ agenda natus est. Videtur ergo donum Patris, hoc est, esse Filium, & nomen ejus super omne nomen sit, hoc est, esse Deum; nomen enim Dei, sed per naturam, non per solam appellationem, super omne nomen est. Hinc est, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*; sicut ad Romanos significat, inter cetera dicens: (Rom. 9. 5.) *Et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Quæ sint autem hæc omnia in epistola ista aperit dicens, cælestia & terrestria & inferna; alia enim nulla sunt. Quibusdam tamen videtur homini donatum esse nomen, quod est super omne nomen, quod nullo genere, nulla ratione convenit. Si enim Christus Dei Filius idem ipse & homo est, non poterat Deus homo factus, sed manens Deus, his egere quæ habebat: aut si secundùm quod homo erat, his egebat, quæ Dei sunt, ipse sibi Dei Filius Deus dedisset, quæ deerant ei juxta quod homo erat. Quod quidem ab insipientia dicitur. Et quare Pater dicitur dedisse, cùm ipse qui homo factus erat, nihil deberet? [b] aut non poterat Filii divinitas corpori suo & animæ præstare, quæ deerant? Sed forte quia à Deo Patre sunt omnia, ideo ipse dicitur dedisse. Si ergo à Patre omnia, quare non dicatur cuncta Filio suo per generationem dedisse? Et quamvis æqualem sibi genuerit Filium; ordo tamen exigit ut in nomine Patris agantur omnia. Hoc Pater concessit Filio post crucem, ut omnia in nomine Filii salventur. Denique dicit Dominus de discipulis ad Patrem: (Johan. 17. 12.) *Pater, quos dedisti mihi, custodivi; tui enim erant, & mihi eos dedisti.* Et ad discipulos ait: (Ibidem 16. 24.) *Usque modo nihil petistis in nomine meo; petite, & accipietis.* Hoc ergo natus accepit, ut post crucem manifestaretur, quid à Patre dum generaretur, acceperit. [c] Nomen enim tunc accepit à Patre, cùm à creatura cœpit sciri; cognoscitur enim quid propter hæc quæ gessit, antequam gereret, acceperit. Denique ante crucem dixit: (Matth. 11. 27.) *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quomodo ergo hoc ad corpus potest referri, ut Dei nomen corpori sit donatum; cùm constet Christum hominem esse & Deum; quia nec dignum est, ut Deus immutetur in carnem, neque caro hoc possit effici, quod est Deus? Sed forte ut adoptione Deus esset, & hic color est; incipiet enim ex parte Deus verus esse Christus, & ex parte adoptivus, aut duo dii. Sed aliud Scriptura significat; illi enim donatum significat, qui se exinanivit, qui formam servi accepit, qui in similitudinem hominis factus est homo, qui Patri obedivit. Si homo Deo Patri obedivit, quid magnum est, quod dixit Apostolus? Sed hoc magnum est, quia cùm æqualis esset, obedivit. Et quid laudis est, si in similitudinem hominis factus est homo; ut homini similis homo factus dicatur? Sed non potest fieri; nemo enim in similitudinem fit alicujus, nisi alius sit, antequam fiat in similitudinem cujus vult; per causam enim similis factus est, non per substantiam. Et quis est, qui se exinanivit? [d] Homo. Ergo habebat. Et quomodo accepit? Sed quid poterat se exinanire homo res infirma? Et in forma Dei numquid homo erat? Sed forte [e] homo in forma Dei Filius erat. Age, Filius Dei in cujus forma erat? Et si jam homo in forma Dei, hoc est, Filius Dei erat, jam ante passionem perfectus erat. Non ergo post passionem aliquid accepit. Sed videamus, quid de eo scriptum sit: *Propter quod superexaltavit eum Deus, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Consideremus nunc dicta, & sic advertamus vim locutionis. Certe nomen, quod super omne nomen est, Dei nomen est. Sed si per naturam non constat hoc nomen non est super omne nomen; appellativum enim nomen in solo vocabulo est, non in nobilitate naturæ: & adoptivo Deo non flectit creatura genu, sed vero, non concreaturæ. Et quomodo fieri potest, ut homo sit in gloria Dei Patris? Etiamsi adoptivus Deus sit homo, in gloria Dei Patris non potest esse; nam ei hoc competit, qui natus est de Deo. In gloria enim Dei Patris esse, nihil differre à Deo est; ut una gloria sit Patris & Filii per communem substantiam & virtutem; est enim hæc unitas naturæ. Quid, rogo, contrarium est, si Filius donum à Patre accepisse dicatur; cùm omnia

a. Nonnulli mss. *otiosa virtute infirmari.*
b. Ms. Laud. *aut non poterat filius divinitatis.*
c. Vet. edit. ac mss. aliquot, *Non enim tunc accepit.*
d. Laud. cod. *Homo. Ergo egebat.*
e. Nonnulli mss. *homo in forma filii Dei erat.*

Filii

Filii à Patre sint, à quo & cuncta esse creduntur? Substantiam autem Dei idcirco naturam dicimus; quia natus de illa Christus est.

℣. 12. *Itaque, dilectissimi mihi, sicut semper obedistis, non in*
præsentia mei tantummodo, sed multo magis nunc in absentia, cum timore & tremore vestram ipsorum operamini sa-
℣. 13. *lutem; Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle & ope-*
rari pro bona voluntate. Deum bonos conatus adjuvare testatus; omnem enim gratiam semper reportat ad Deum; ut nostrum sit velle, perficere vero Dei. Nam quis vinceret Principes ac Potestates, rectores tenebrarum harum, spiritalia nequitiæ in cælestibus, nisi solus Deus, quos causâ invidiæ inimicos habemus? Indignantur enim nos dici B
filios Dei. Non ergo novum est, quod hortatur: sed ut more solito subditi sint Evangelio, curam propriæ conversationis habentes; bona enim conversatio salutem operatur.

℣. 14. *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut*
℣. 15. *sitis irreprehensibiles & simplices, sicut filii Dei, immacu-*
℣. 16. *lati in medio nationis pravæ & perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam mihi in die Christi; quia non in vacuum cucurri,*
℣. 17. *nec in irritum laboravi. Sed etsi immolor super sacrificium & ministerium fidei vestræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis.*
℣. 18. *Ob id ipsum autem & vos gaudete & congratulamini mihi.* C
Ut fidei & operum suorum fructus possint habere, commonet ut omnia, quæ ad disciplinam pertinent christianam, sine hæsitationibus faciant & murmurationibus; quia si negligenter & indevote aliquid agitur, ad effectum non pervenit, quia in reprehensionem cadit: sed ut omni simplicitate operentur, quasi filii Dei immaculati, ut memores professionis suæ respondeant: ut inter diffidentes tam clari appareant vita, conversatione, moribus, quemadmodum sol & luna inter stellas splendore sublimes sunt. Sicut enim stellæ, apparente sole, obscurantur; ita injusti & infidi, præsentibus fidelibus & justis, turpes & deformati videntur; ut gloria sit Apostoli in adventu Filii Dei, cujus D
plantatio tales edidit fructus. Labor enim & efficacia ejus tunc probabitur non esse inanis. *Itaque etsi immolor*, ait, *super sacrificium & ministerium fidei vestræ, gaudeo.* Si enim oppressus fuerit à perfidis, cur eos aggregaverit suæ conspirationi, gratulandum sibi significat; scit enim effectum habere mortem suam. Magna enim mœstitia est, si patitur quis pro eis, in quibus nihil proficit. Quamobrem gaudere se in illis, & eos congratulari sibi debere testatur; ut invicem participes sint gaudii communis & plebs & magister idoneus.

℣. 19. *Spero autem in domino Jesu Timotheum in brevi me mit-*
tere ad vos; ut & ego bono animo sim, certior de vobis E
℣. 20. *factus. Neminem enim habeo tam unanimem, & qui sin-*
ceram circa vos sollicitudinem gerat; nam omnes quæ sua
℣. 21. *sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. Probationem autem ejus*
℣. 22. *nostis, quod ut filius cum patre mecum servivit in Evangelio.*
℣. 23. *Hunc ergo spero me missurum confestim, ut videro quæ circa*
℣. 24. *me sunt. Confido autem in Domino, quod & ipse cito ad vos*
veniam. Absoluta sunt hæc, nec interpretatione egent; post epistolam enim istam Timotheum se missurum significat, per quem ad fidem agnoscat, quæ circa hos agantur. Erat enim Apostolo unanimis; quare & circa eos sollicitior signatur, non sicut quidam, qui dum semet ipsos commendare volebant, negligentes erant de disciplina & F
conversatione fratrum. Non enim devoto animo prædicabant, sed propter propria lucra. Et quia Timotheus vir erat egregius, dicit quia probatum hunc habebat; quia erat cum eo ut filius carissimus, deserviens Evangelio Christi. Ideo hunc Filium dicit, quia ab ipso fuerat ordinatus: [a] hunc se præmittere, se quoque in brevi iturum ad eos.

℣. 25. *Necessarium vero arbitratus sum Epaphroditum fratrem &*
commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum
℣. 26. *operis mei, mittere ad vos; quandoquidem desiderabat vos*
omnes, & impatienter sollicitus erat, eo quod audieratis
℣. 27. *illum infirmatum fuisse. Etenim infirmatus est prope mortem:*
sed Deus misertus est illius, non solum autem ejus, sed & mei;
ne tristitiam super tristitiam haberem. Omnia hæc manifesta sunt; Epaphroditum enim significat se missurum cum ista epistola ad eos. Invicem enim desiderio sui mœsti erant infirmitatis ejus causâ, & populus & Epaphroditus; ut viso

A eo, recrearentur de recuperata salute ejus, & ille careret sollicitudine, quam videndi eos gerebat. Erat enim eorum apostolus ab Apostolo factus, dum illum ad exhortationem eorum mittebat ad eos: & quia vir erat bonus, desiderabatur à plebe. Quid ergo est ut præsente Apostolo, qui mortuos suscitabat, hic Epaphroditus infirmaretur usque ad mortem? Numquid non oravit pro illo Apostolus, & non impetravit, ut citius sanaretur? Sed signa infidelium causâ fiunt; nam huic non ad detrimentum contigit ægritudo, sed ad augmentum. Probationes enim diversæ sunt credentium; alius enim per ægritudinem, alius amissione carorum, alius per damnum pecuniæ, alius per tribulatio-
B nes probatur, si in necessitate stabilis inveniatur, auxilium à diversa parte non quærens, ut augmentum faciat meritorum. Non ergo contemta est postulatio Apostoli, sed meliùs provisum ei, pro quo petebat. Quid autem illud est, ut cùm de excessu fratrum in alia epistola non contristari debere admoneat: in hac autem contristandum se, si exisset Epaphroditus à corpore, significat? Tristitiam se, si exisset, habiturum dixerat super tristitiam, quam habebat de infirmitate ejus; erat enim necessarius Ecclesiis. Nam ad Thessalonicenses: *Videte*, ait, *ne contristemini de dormientibus,* 1. Thess. 4. 12.
sicut & ceteri qui non habent spem. Se autem sic tristem futurum dixerat de excessu Epaphroditi, quia solatium ejus
C & auxilium requirebat; non tamen ut quasi perditum lugeret.

Sollicitus itaque misi eum, ut cùm illum videritis, iterum ℣. 28.
gaudeatis, & ego meliore animo sim. Affectionem mutuam habuisse Epaphroditum & plebem Philippensium significat, quem videntes iterum in lætitiam se excitarent, & Apostoli animus lætaretur; quia meliori animo fit, qui ad caros suos mittit revisendos.

Excipite ergo illum in Domino cum omni gaudio, & hu- ℣. 29.
jusmodi in honore habete; quia propter opus Christi usque ℣. 30.
ad mortem accessit, in interitum tradens animam suam; ut suppleret id quod vobis deerat circa meum officium. Quamquam
D individua esset caritas Epaphroditi & plebis; tamen etiam ab Apostolo commendatur, ut amplius cariorem illum faciat: maxime propter hos, qui forte tam cari non essent circa ejus affectum; in omni enim plebe diversitas est. Hinc est unde & prælium ejus memorat, quod non dubitavit propter opus Evangelii emori: hoc est, non deterritus est minis & pressuris infidelium, sed perstitit in exhortatione fidelium; ut impleret quod deerat plebi in traditione juxta dispensationem Apostoli. Qui ergo à morte non retrahit animam suam in interitum, hanc tradit juxta vitam præsentem, sicut & Dominus dicit: *Qui enim voluerit animam* Matth. 16. 25.
suam salvam facere, perdet eam. Perditio hæc interitus est;
E quia secundùm mundum qui animam suam tradit pro Christo, amittit eam: in futurum tamen conservabit eam.

De reliquo, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem scri- Cap. III.
bere vobis mihi quidem non est pigrum, vobis autem ℣. 1.
necessarium. Ostendit sollicitudinem suam, quam gerit circa profectum illorum; quia impiger est ad scribendum eis, quæ necessaria sunt utilitati illorum.

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. ℣. 2.
Hos designat, qui invidentes gentibus pravitate colloquiorum suorum everterant Galatas, suadentes eis ut circumciderentur. Quos omni genere vitandos & spernendos do-
F cet, quasi canes qui primùm oblatrant, dehinc morsu sævo male operantur in carnem.

Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Deo servimus: & ℣. 3.
gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam habemus; ℣. 4.
quamquam ego habeam fiduciam & in carne. Manifestum est quia credentes ipsi circumcidunt cor suum: ut amputatâ erroris nebulâ, adspiciant & agnoscant dominum creaturæ. Hoc est spiritu Deo servire, & gloriari in domino Jesu Christo, qui legem spiritus dedit, ut carnis gloria exinaniretur; Apostolus tamen etiam hanc fiduciam habebat, ut si vellet, gloriaretur de carnis circumcisione: sed sciens vacuam esse hanc gloriam, repudiavit eam.

[b] *Si quis videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus* b
octava die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex ℣. 5.
Hebræis, secundum Legem pharisæus, secundum æmulationem ℣. 6.
persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam quæ ex Lege
est, conversatus sine querela. Sed quæ mihi lucra fuerant, ℣. 7.

a. Rom. edit. *Hunc sperat præmittere, & se quoque in brevi venturum ad eos.*

b. Rom. edit. *Si quis alius videtur . . . ego magis, circumcisione octavi diei.*

hæc arbitratus sum propter Christum damna. Quantum ad Legis culturam pertinet, & ad ejus justitiam servandam, & ad studium hæresis Pharisæorum, & juxta zelum traditionis paternæ in persequendo Ecclesiam, hic parem non habuit; in ceteris enim erant consortes ejus, qui similiter essent natura Judæi. Sed quæ lucra videbantur juxta humanum sensum, [a] comparatione Christi inventa sunt damna. Quare damna, nisi quia jam tempus non erat, ut Lex servaretur? inania enim erant hæc omnia, & impedimenta, ne accederetur ad gratiam; & quia hæc sunt carnalia, nostra vero spiritalia. Ideo autem de tribu se dicit Benjamin, ut genus suum [b] extolleret super hos, qui de patriarchis concubinarum Jacob filiis ducunt originem, aut propter illos, qui erant proselyti. Unde dicit: *Ego magis, circumcisione octavi diei, ex genere Israel*; ut ostenderet primùm se esse inter Judæos: sed hoc se contemnere propter spem promissam à Christo. Hebræi tamen propter Abraham dicti sunt; immutata est enim littera propter sonum, ut non vocarentur Abræi, sed Hebræi: ut apud veteres cùm diceretur medidie, & esset absurdum, immutata est littera, ut diceretur meridie. Si enim origo ex Abraham est, ex ipso trahi debet & nomen, non ex Heber, qui sexta generatione est super Abraham. (Gen. 11. 14.) Si enim in Abraham reformari cœpit genus hominum, & ipse est pater fidei, ex ipso & nomen & lingua Hebræa. Prima enim lingua, quæ erat sine nomine, cùm huic redditur, ex eo nomen accipit. Nam nulla causa est, ut ex Heber trahat nomen; Abraham enim Chaldæus fuit, [c] non tamen Hebræi Chaldæam linguam habent.

℣. 8. *Verum quidem omnia arbitror damna esse propter eminentiam scientiæ Christi Jesu domini mei, propter quem omnia damna duxi, & arbitror stercora; ut Christum lucrifaciam,*
℣. 9. *& ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex Lege est: sed eam quæ est per fidem Christi, quæ ex Deo est,*
℣. 10. *justitiam super fidem ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis ejus, & communicationem passionum, ejus conformans me morti ipsius;*
℣. 11. *si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Cùm superius de genere Abrahæ, & de Lege, & de justitiis ejus, & meritis observantium loqueretur, hæc omnia detrimentum deputans ad comparationem promissionum Salvatoris, nunc addit non solum hæc: *sed & omnia damnum esse propter eminentiam*, inquit, *scientiæ Christi Jesu domini mei.* Post Legem & justitias ejus, quæ erunt hæc omnia; nisi ut ipsi vitæ corporis animæque anteponatur agnitio Christi? Si enim, ut dicit ad Colossenses (Coloss. 2. 3.), *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*; cuncta quæcumque sunt, nullius momenti ducenda sunt, ut ad excellentiam sapientiæ & scientiæ hujus pervenire contingat. Sufficit ergo, immo exuberat justitia, quæ ex fide est, non ex Lege ad salutem, quæ ex cognitione Christi gratiâ Dei indulta est. Cognitio enim mysterii incarnationis, & passionis, & resurrectionis ejus perfectio vitæ est, & thesaurus sapientiæ; ubi enim sapientia, ibi est & vita; quia vita non est, ubi stultitia est. Denique Salomon (Proverb. 10. 23.): *Stultus*, ait, *per risum agit mala.* Qui enim intelligit sui causâ Christum hominem factum & passum, & victâ morte resurrexisse, contemtis & spretis omnibus, hunc sequitur, cujus præsidio videt se à morte liberatum, quærens causas ad promerendum eum; ut vel in aliquo illi vicem possit reddere, ut adhuc majora consequi mereatur promissa in resurrectione.

[d] *Non quod jam acceperim, aut jam justificatus sim, aut jam*
℣. 12. *perfectus sim: sequor autem, si comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.* Quoniam in tota epistola gaudere se testatur in eis, & laudat obedientiam eorum & fidem; ne forte quasi homines inflatione, eo quod jam digni essent, extollerentur: nunc per suam personam adhuc deesse sibi ad justificationem implendam aperta voce declarat, ut contendant addere in operibus bonis. Si enim hic qui tanta præditus dignitate est, adhuc deesse sibi perfectionem confitetur; quanto magis hi intelligerent elaborandum sibi esse, ut justificationum merita adipiscerentur? Ideo subjecit: *Sequor autem*, inquit, *ut comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo.* Dum enim errore & æstu mentis fluctuaret, de via Domini diffidens, misericordia Dei quasi fugientem gratiam Christi comprehendit eum in via, euntem ad conturbandam & affligendam Ecclesiam, ad hoc ut donum Dei [e] addisceret, & gratiam quam refutabat, & sciret pro hac etiam mori lucrum esse; ideoque non se posse obesse credentibus, sed sibi, si non crederet, qui rem salutarem per ignorantiam insequebatur. (Act. 9. 3.) Ad hoc ergo comprehensus est, [f] id est, à præscientia Dei requisitus inventus est, & didicit mysterium Christi; ut in omni vita sua augmentum faciens meritorum, comprehendat destinatum præmium, promeritus eum, quem didicit sui causâ occisum.

Fratres, ego me non arbitror adhuc comprehendisse. Unum ℣. 13.
autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea autem quæ
ante sunt, extendens me, secundum destinatum insequor ad ℣. 14.
palmam supernæ Dei vocationis. Hoc est quod supra dixit, quia ideo laborare se significat, ut quotidie in melius proficiat, semper extendens se ad potiora; ut illa quæ retroacta sunt obliviscens, meliora sectetur: non quia mala sunt, sed quia parva sunt ad meritum collocandum: in melius autem proficiendum, ut ad destinatum cæleste præmium occurratur; causâ enim tam admirabilis & invisibilis præmii non leviter utique certandum esse pronuntiat.

Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Superiùs per- ℣. 15.
fectum esse se negat, sed juxta promissum, ut adhuc addatur ad meritum: ad comparationem autem ceterorum, qui res divinas negligentius curant, perfecti dicendi sunt, qui adhibitâ solertiâ, perfectionis iter ambulant. Hoc ergo sentiendum est, ut in melius proficiant. *Et si quid aliter sentitis, id quoque vobis Deus revelabit.* Hoc dicit, ut si quid amplius ad culturam melioratæ conversationis excogitaverint, Dei existiment donum esse, ne per hoc inflarentur.

Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & ℣. 16.
in eo ambulemus. Ne qua hinc oriretur præsumtio, & putaretur quod à Deo non erat revelatum; ideo subjecit dicens: *Ad quod pervenimus, ut idem sapiamus*; hoc est, non extra regulam disciplinæ sapere in conversatione fidei: sed hoc sapere, quod commune sit & modestum in Evangelica veritate.

Imitatores mei estote, fratres, & considerate eos, qui sic am- ℣. 17.
bulant, sicut habetis formam nostram. Vult illos sollicitos esse, ne pravorum hominum subtilitate capiantur, & notare unumquemque qualiter & conversetur & doceat; ut his jungantur, in quibus sensum magistri sui agnoverint.
Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc vero & ℣. 18.
flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis est interitus, ℣. 19.
quorum Deus venter est, [g] & gloria in confusione illorum,
qui terrena sapiunt. Hi quos significat, è numero eorum sunt, qui Galatas everterant. Cum dolo enim ambulantes, Ecclesias Dei subvertebant, sub nomine Christi judaismum colendum prædicantes, quasi sibi Christus promissus sit. Quos cum dolore & lacrymis memorat; quia saluti credentium obsistebant, de cibis edendis, & non edendis quæstiones moventes, quasi salus in esca sit, aut venter Deus, quem juxta Legem mundis escis delectari putabant, gloriantes in pudendis circumcisis; hoc est, terrena sapere: qui autem spiritalia sapit, in fide, in spe, in caritate gloriatur. [h] Ad locum autem hunc non pertinet, ut quæstus causâ aut gulæ dixerit: *Quorum Deus venter est.*

Nostra autem conversatio in cælis est; unde & Salvatorem ℣. 20.
exspectamus dominum nostrum Jesum Christum, qui transfigu- ℣. 21.
rabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, secundum operationem suam, qua possit etiam subjicere sibi omnia. Spiritalia curantes in cælis agere dicuntur, cùm ipsi adhuc sint in terris; quomodo mali Principes & Potestates, cùm sint adhuc ipsi in firmamento, conversatione tamen in terris sunt. Christianorum ergo actus in cælis sunt, ubi & spes salutis eorum est, qui est Christus, quem omnis fidus exspectat ad transfigurationem corporis carnis; [i] ut quod ex humo est, indutum spiritali veste, conforme efficiat adventu majestatis suæ corpori gloriæ suæ, juxta operationem suam, id est, secundum virtutem suam, *qua possit subjicere sibi omnia*: hoc est, quia per resurrectionem mortuorum & immutationem in gloria apparebit virtus Domi-

a. Codex laud. *comparatione Christi in veritate sunt damna.*
b. Rom. edit. *extolleret, super propter hæc, qui &c.*
c. Mss. aliquot. *non tamen Chaldæi linguam habent hebream.*
d. Rom. edit. *Non quod apprehenderim, aut jam perfectus sim: sequor autem si quomodo comprehendam.*
e. Nonnulli mss. *addisceret, cujus gratiam refugiebat.*
f. Coll. in marg. & Rom. edit. in corp. cum mss. quibusdam, *id est, à præscientia Dei.*
g. Rom. edit. *& gloria in pudendis illorum.*
h. Eadem Rom. edit. *Ad locum autem hunc pertinet.*
i. Mss. nonnulli, *ut quod ex uno est.*

ni manifestata, comprimens omnes Principes & Potestates;
ut manifestetur ipse Deus & dominus esse omnium.

CAP. IV. ITaque, fratres mei carissimi & desideratissimi, gaudium
℣. 1. meum & corona, sic state in Domino, dilectissimi. Commonet
ut in eadem fide perseverent; gaudium enim ejus ad præsens
constantia illorum est, & in futurum corona. Discipulis
enim in agone victoribus, dignus erit corona magister.
℣. 2. Evodiam rogo, & Syntychen obsecro idem sapere in Domi-
℣. 3. no. Et te rogo etiam, germane compar, adjuva illas, quæ laboraverunt
mecum in Evangelio cum Clemente, & ceteris,
qui sunt mihi participes operum, quorum nomina sunt in libro
a vitæ. Evodiam & Syntychen [a] ad prudentiam amplificandam
hortatur, adjuvantibus quos memorat; ut sicut in operibus
Evangelii profecerant, proficerent & in scientia & sapientia
Dei, quos omnes merito fidei in libro vitæ haberi
pronuntiat.
℣. 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Lætus
Apostolus in operibus & fide eorum, ad cumulandam alacritatem
suam exoptat illos in hoc studio proficientes, in
Domino semper gaudere; hoc est enim quod iterat, ut se
vera affectione gaudere in illis ostendat.
℣. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus pro-
℣. 6. pe est. In nullo solliciti sitis: [b] sed per omnia oratione & pre-
b ce, cum gratiarum actione postulationes vestræ innotescant
c apud Deum. Et pax Dei, [c] quæ exsuperat omnem mentem,
℣. 7. custodiat corda vestra, & sensus vestros in Christo Jesu. Nunc
exemplo eorum alios vult lucrari; cùm enim modestia eorum
manifestata fuerit, id est, rationabilis conversatio,
lucebunt opera eorum, & non deerunt, qui imitentur bonum
d illorum; ut non solùm propriorum gestorum, [d] sed &
Psal. 125. 5. aliorum augmentum consequantur; ut sicut dictum est,
labores fructuum suorum edant. Quando enim fructus operum
suorum alios adquirit ad opus bonum, labores eorum
qui adquisiti sunt, proficient eis, quorum exemplo bona
opera imitari cœperunt. Dominus, ait, prope est. In nullo
solliciti sitis: hoc est, præparatos esse debere, & vigilare in
oratione & prece, Deo gratias agentes, seposita mundi
sollicitudine. illud spectare, & ante oculos habere, quod
Dominus repromisit, unde & gratias ei agendas docet;
Domino enim imminente, sollicitudo sæculi cessat. Ut quid
enim solliciti sint de re cito peritura? Ac per hoc, postulationes
vestræ notæ, inquit, fiant apud Deum. Quæ notitia
assiduitate fit, & vigilantia orationis. Tunc demum munitionibus
pacis suæ, quæ omnem exsuperat mentem, custodiat
corda vestra in Christo Jesu. Hoc ideo dixit, quia cum Deo
qui habet pacem, non timet omnem mentem adversam;
tutus enim est pace Dei omnis diligens Deum in Christo
Jesu. Quis enim non metuat eum, quem scit Dei esse amicum?
℣. 8. Quod reliquum est, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque
magnifica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque
amabilia, quæcumque laudabilia, si qua virtus, si
℣. 9. qua laus disciplinæ: hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis,
& audistis, & vidistis in me; hæc agite, & Deus
pacis erit vobiscum. In conclusione, quæ reliqua erant, ad
imitationem perfectionis exponit; ut ea quæ non solum in
vituperationem non cadunt, verum etiam laude digna
sunt, & cogitantes & agentes, sequuti formam Apostoli,
Deum pacis habeant secum. Deus noster vere Deus pacis
est, qui non rogatus quasi potens, non timidus quasi infirmus
ad pacem hortatur, in tantum ut & peccata in se
e commissa concedat; cùm possit utique [e] terrore manifestatæ
potentiæ, & ineffabilis magnitudinis suæ etiam invitos
non ad pacem cogere, sed ad subjectionem. Sed hujusmodi
pax mundi est, non Dei, cujus ipsa natura pax est.
℣. 10. Gavisus sum autem in Domino [f] magnifice, quod tandem
f
A aliquando refloruistis ad hoc, ut pro me sentiatis, in quo &
sentiebatis; occupati enim eratis. Nunc alacritatem suam
propensiorem factam ostendit; quia in quo negligentiores
facti fuerant, adhibitâ solertiâ, opus pristinum iterarunt,
memores facti Apostoli sui; ut fructus suos ad eum mitterent
condendos in horreo cælesti, ubi neque tinea, neque Matth. 6. 19.
rubigo exterminant.
Non quasi propter penuriam dico; ego enim cognovi in quibus ℣. 11.
sum sufficiens esse. Scio & abundare, scio & humiliari (ubique ℣. 12.
& in omnibus imbutus sum) & saturari, & esurire, & abun- ℣. 13.
dare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat.
Non se sui causâ in hoc eorum opere gaudere, sed in
B profectu eorum ipsorum se ante omnia contentum, Deo
adjuvante, testatur; ut neque de penuria contristaretur, neque
de abundantia exsultaret, sciens quia & abundantia
frequenter extollit, & tolerata penuria divitias cælestes adquirit.
Horum tamen opera in se benigna declarat; multorum
enim necessitatibus profuit.
Scitis autem & vos, Philippenses, quia in principio Evan- ℣. 15.
gelii, cùm profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia
communicaverit in ratione dandi & accipiendi, nisi vos soli:
quia in Thessalonica cùm essem, semel & iterum usibus meis ℣. 16.
misistis: non quia munus quæram, sed requiro fructum cres- ℣. 17.
centem in rationem vestram. Hæc idcirco commemorat, ut
C audientes in memoria & laude esse opera sua, non dubitent
illa accepto ferri apud Deum, sed magis studium fidei
adhibeant.
Percepi tamen omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab ℣. 18.
Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt in odorem bonæ suavitatis,
hostiam acceptabilem, placentem Deo. Non otiose commonet
debere fieri, nec aliunde hortatur, quod factum profitetur;
nisi quia aut negligentius, aut minus copiose, sicut
solitum erat ab eis fieri, factum videbatur; ut reminiscentes
priorum operum, scirent se minus fecisse, quam cœperant.
Licet enim non improbet factum, sed significet devotiores
illos ante in opere hoc fuisse; tamen gratum esse, [g] & g
D accepto ferre Deum, quasi sacrificium placitum. Denique
Dominus ait: Facite eleemosynam, & ecce omnia munda vo- Luc. 11. 41.
bis sunt. Quam gratum ergo opus est, ut omnem maculam
hominis & sordes emundet!
Deus vero meus impleat omne desiderium vestrum secundum ℣. 19.
divitias suas in gloria in Christo Jesu. Ideo discrevit, dicens:
Deus meus; ut secundum ea quæ præstabat meritis ejus, auxilia
adessent, & desideriis eorum, in copia magnitudinis
bonitatis suæ in gloria Christi Jesu. Gloria est Christi Jesu,
cùm Dei nutu christianorum implentur desideria secundum
evangelicam disciplinam.
Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum, ℣. 20.
E amen. Hic non discrevit, sed generaliter ait: Deo & Patri
nostro gloria. Deus est propter timorem, Pater autem honoris
causâ, & quia ab ipso est omnis origo; ipse enim dixit in
Malachia propheta: Si Deus ego sum, ubi est timor meus? Malach. 1.
& si Pater ego sum, ubi est honor meus?
Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. [h] Hunc salutate ℣. 21.
in Christo Jesu, qui se sanctificat: ut Christo dignus ha- h
beatur, qui dixit: Sancti estote; quoniam ego sanctus sum, Levit. 19. 2.
dominus Deus vester.
Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutatio fratrum so- ℣. 22.
latium invicem præstat, quasi imagines enim exhibet divulsorum.
Salutant vos omnes sancti, maxime qui de Cæsaris
F domo sunt. Hos significat propensiorem affectum habere circa
eos, qui de domo Cæsaris sunt, istos & potiores supra
memoratis ostendit fratribus; quia hos & sanctos appellat.
Gratia domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. amen. ℣. 23.
Quoniam de Salvatoris persona quæstiones oriuntur, hic
ut soliditatem in eo divinitatis approbet, tuitionem gratiæ
ejus spiritui nostro exoptat.

a. Erasm. & seq. edit. ad prudentiam amplexandam.
b. Rom. edit. sed per omnem orationem & precem .... notæ fiant &c.
c. Quidam mss. quæ exsuperat omnem sensum.
d. Codex Laud. sed & aliorum meritum.
e. Ms. Vall. terrorem manifestare potentiæ suæ .... & etiam invitos &c.

f. Rom. edit. magnopere, quod .... refloruistis, ut pro me sentiatis id, quod sentiebatis.
g. Rom. edit. & acceptum ferri apud Deum.
h. Rom. edit. Ille salutatur in Christo Jesu.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD COLOSSENSES.

PROLOGUS.

Colossenses pseudoapostoli evertere nitebantur, ut post prædicationem Epaphræ sive Archippi philosophicis disputationibus irretirent simplicitatem mentis eorum; ne spernerent rationes elementorum, quibus quasi gubernatur vita humana. Idcirco hos Apostolus hortatur per epistolam, & admonet ne alicui præter Christum aliquam esse spem putarent, & deciperentur.

CAP. I. *Paulus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, &*
℣. 1. *Timotheus frater, his qui sunt Colossis, sanctis & fide-*
℣. 2. *libus fratribus in Christo Jesu. Gratia vobis & pax à Deo*
℣. 3. *Patre nostro, & domino Jesu Christo.* Caput epistolæ solito
more scribit ad eos, in quo & sanctis & fidelibus fratribus
litteras se ordinare prosequitur, quibus exoptat Dei gratiam manere per Christum.

℣. 4. *Gratias agimus Deo & Patri domini nostri Jesu Christi,*
semper pro vobis orantes, audita fide vestra in Christo Jesu, &
℣. 5. *dilectione, quam habetis in omnes sanctos propter spem, quæ*
℣. 6. *reposita est vobis in cælis, quam ante audistis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut & in universum mundum.* Quoniam dignum habuit Deus credere istis Filium suum, gratias ei refert in orationibus suis. Deinde
a propter caritatem, quam habebant in sanctos, [a] fidi quia pro hac spes firma est apud Deum, qua remuneraturus creditur credentes & diligentes se invicem, auctore Christo, cujus nomen pervenit ad omnes gentes, ut multiplicentur in fide ejus.

℣. 7. *Et est fructificans & crescens, sicut & in vobis, ex qua die*
audistis & cognovistis gratiam Dei in veritate, prout didicistis
ab Epaphra dilecto conservo nostro, qui est fidelis pro vobis
℣. 8. *minister Christi, qui etiam notam fecit nobis vestram dilectio-*
b *nem in spiritu.* In exemplum ceterarum gentium [b] nos crescere & fructum vitalem facere alacri sermone prosequitur; ut ex eo quod Dei gratiam perceperunt, proficerent & numero & opere, adjungentes fidei suæ qui fierent fratres
c eorum in Christo. Exemplo enim [c] bonorum operum illorum adtracti sunt multi, teste illis Epaphra, qui eis ministravit gratiam Christi vice Apostoli, quam statim imbiberunt ut potum spiritalem in Domini caritate, quæ non in carne est, sed in spiritu.

℣. 9. *Idcirco & nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vo-*
bis orantes & postulantes; ut impleamini agnitione voluntatis
℣. 10. *ejus in omni sapientia & intellectu spiritali in hoc, ut ambuletis digne eo ad omne placitum in omni opere bono.* Audiens Apostolus devotam ac promtam voluntatem illorum circa fidem Christi, orat pro eis; ut propensius agnita voluntate Dei, rationabili opere explerent devotionem, quam
d audita fide Christi didicerant, ne tam fida [d] mentis dicatio, & robur fidei, dum inconsulte aliquid & imperite conficeret, laboris sui fructum amitteret. Hoc enim libenter accepto fertur, quod devoto fit animo, & prudenter.

℣. 11. *Fructificantes & crescentes in agnitionem Dei, in omni*
virtute robur capientes secundum potentiam gloriæ ejus in om-
℣. 12. *nem patientiam & longanimitatem, cum gaudio gratias agen-*
tes Deo & Patri, qui vocavit vos in partem sortis sanctorum
℣. 13. *in lumine, qui liberavit nos à potestate tenebrarum, &*
transtulit in regnum Filii caritatis suæ. Incrementum operum eorum cum scientia vult fieri, ut non ignorent fidei suæ spem; tunc enim firmi & stabiles sunt, si advertant quæ pro fide promissa sunt, & quanta sit potentia gloriæ majestatis Dei in patientia; ut longa exspectatione sustineat humanum genus, quod irreverentiâ suâ non solùm negligit Creatorem, verùm persequitur amantes eum: ut & ipsi similiter patientes sint, ut supportent probra & maledicta infidelium, vel si illata fuerit pressura, exspectantes judicium Dei, nec dubitantes de eo, magis autem gaudentes in promissâ vita cum gratiarum actionibus Deo, qui dignatus est advocare & inducere gentes in promissionem Judæorum, quæ est lumen æternum, id est, vita æterna, veritas perpetua. Liberati enim de conditione tenebrarum, hoc est, eruti de inferno, in quo tenebamur à diabolo tam ex proprio quam ex delicto Adæ, qui est pater omnium peccantium, translati sumus per fidem in regnum cæleste Filii Dei; ut ostenderet nobis Deus quo amore diligit nos, quando adtollens nos de imo tartari, induxit in cælos cum vero Filio suo. Jam enim omnes credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de sæculo, duce dexteræ Patris Angelo, inducuntur in cælos, quod ante devictam mortem concessum non erat.

In quo habemus redemtionem, & remissionem peccatorum. ℣. 14.
In hujus Filii sui regnum transtulit nos Deus, per quem nos redemit, & manumisit; remissio enim peccatorum liberos facit, ut liberati debitis, teneri obnoxii non possint. Nam sine fide Christi nullus egressus de inferno est; quia obligatus peccatis exire januas tartari non potest. *Qui est imago*
invisibilis Dei. [e] Invisibilis Dei imago visibilis esse non potest, alioquin nec imago est; quod enim invisibile est, pingi non potest, nec enim visibilis potest invisibilem videre; aut enim corpus est, quod videtur, aut figura, aut aliqua informata substantia, quam fert acies oculorum, totum tamen corpus est: Deus autem, qui ab iis omnibus alienus est, quomodo potest imaginem habere visibilem? Sed ideo sic dicitur, ut talis Filius intelligatur, qualis est Pater; ut quia de ipso est, & nihil distat ab eo in divinitate naturæ, imago ejus dicatur & forma; ne alius Deus à perfidis crederetur, quamvis nomine ipso hoc contineatur; ideo enim verus Dei Filius dicitur, ut de ipso esse credatur. Sed propter malam intelligentiam etiam hoc additum est, ut & imago ejus dicatur; ut cùm apparet, licet in figura hu-
mana, aut certe in igne, ut ad Moysen, non ipse Pater Exod. 3. 2.
intelligatur esse, sed Filius: & per id quod imago ejus dicitur, nihil ab eo distare credatur. Unde dicit ad Philip-
pum: *Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Quomodo* Iohan. 14. 9.
tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Hæc est unitas & substantialitas Patris & Filii, ut invicem sint; ut qui videt Filium, videat & Patrem. Nunc videamus quomodo visus est Filius; ut proinde intelligamus qua ratione Philippus videndo Filium, videat & Patrem. Intellectu certe operum divinorum viderunt Filium, non carnalibus oculis. Quæ operatus est Filius, dixit esse Patris; ut unitatem virtutis ostenderet.
Eodem genere visus est & à Jacob; unde nomen accepit Gen. 32. 28.
Israel, id est, homo videns Deum. Propter hoc ergo imago est dictus invisibilis Dei; ut ipse esse intelligeretur, qui per intellectum visus est Deus: Patrem autem numquam
ullo modo apparuisse, sicut dictum est in Evangelio: *Deum* Iohan. 1. 18.
nemo vidit umquam.

Primogenitus universæ creaturæ. Ante omnem creaturam, ℣. 16.
genitum Filium non creatum, testatur; ut secerneret nativitatem ejus à creaturæ factura: & ut hoc penitus clarescat, subjecit:

Quia in ipso condita sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso condita sunt. Non solùm in eo magnificum & gloriosum significat Christum; quia antequam fierent omnia, natus est: sed & in ipso dicit omnia condita, hoc est, ut omnium
potentia in eo esse credatur, [f] & ideo profecta, dum omnia fiunt per ipsum: hoc est autem caput esse totius creaturæ; quia ipso ut sint, esse cœperunt. Ideo autem quæ ab ipso facta sunt, per ipsum facta dicuntur; quia ad hoc

a. Rom. edit. sola, *credentes quia per hanc spes firma* &c.
b. MSS. aliquot, *hos crescere & fructum* &c.
c. Nonnulli mss. *bonorum operum alterum.*
d. Omnes edit. & quidam mss. *mentis ædificatio*: continuatio alii mss. *mentis dicatio.*
e. Nonnulli mss. *Imago Dei invisibilis esse non potest.*
f. Vet. edit. ac mss. aliquot, *& Deo eo profecta.* Rom. edit. *& à Deo profecta*: melius alii mss. ut in contextu.

natus eſt, ut faceret creaturam: [a] hoc eſt, feciſſe in eo, & per eum. Nec enim ſibi nativitas ſua proficit, ſed nobis; quia non eguit naſci, [b] qui in his erat. Quomodo ſit unicus Dei Patris Filius, quomodo ipſe novit quæ ingenita ſunt Dei Patris? Erat enim in Deo, qui proceſſit de Deo, ita ut unus eſſet Deus: ac ſic fit, ut neque diminutio ſit Patris, neque profectus Filii, dum naſcitur. Et ut apertius tradat quæ & quanta ſit potentia Filii, oſtendit quæ per ipſum ſint, nempe Throni, Dominationes & Principatus, ac Poteſtates; ut proinde omnino minus nihil in eo eſſe credatur, quam in Patre.

℣. 17. *Et ipſe eſt ante omnes.* Ante omnes hic eſt; quia hic ſolus de Deo Patre natus eſt, de ingenita utique ſubſtantia Dei. Hæc autem virtute ejus, quam per generationem habet à Patre, ſubſtiterunt; [c] non ut communio eis ſubſtantiæ ſit cum eo, ſed ex nihilo nutu Dei Patris Filio agente cœperunt. *Et cuncta in ipſo conſtant.* In ipſo conſtant, quia ſine eo nihil ſunt; niſi enim huic fuerint ſubdita, errore devia, quaſi perditioni fient obnoxia.

℣. 18. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis; ut fiat in omnibus ipſe primatum tenens.* Eccleſiæ caput eſt Chriſtus, ſi tamen omnes unum ſentiant cæleſtes & terreni; ut ſint Eccleſia, hoc eſt, unius fidei: ſi quominus truncati capite totius corporis, id eſt, à Creatore ſuo ſejuncti, amentia quadam & vanitate bacchantur. *Qui eſt principium, primogenitus ex mortuis; ut fiat in omnibus ipſe primatum tenens.* Quoniam omnia per ipſum ſunt, per ipſum denuo negligentiâ quadam facta caduca, reformanda fuerunt; ne ad injuriam ejus pertineret, ſi opus ejus per alterum reſtauratum fuiſſet; ut quomodo ante omnes natus eſt, ſic iterum ante omnes primus eſſet ex reſurrectione mortuorum, redditâ priſtinâ vitâ; ante omnia enim natus eſt de Deo, ut cuncta crearet, quæ non erant. Iterum autem accepta carne de virgine natus eſt, ut peccatum quod ex virgine Eva intraverat in mundum, aboleret. Natus ergo, & mortuus reſurrexit, ut quæ primùm fecerat, poſtea iterum recrearet; quia per errorem fuerant velut mortua, ut ſemper in omni vita ſit primus & princeps.

℣. 19. *Quia in ipſo complacuit Patri omnem plenitudinem inhabitare.* Plenitudo in ipſo eſt & manet; quia omnia poteſt ſemper, ut nihil exceptum ſit, quod non per eum poſſit præſtari; ut & faceret, & reformaret, & lapſa erigeret, & mortua vivificaret. Unde ait: *Sicut habet Pater vitam in ſemet ipſo; ita dedit & Filio vitam habere in ſemet ipſo;* Et, *Sicut pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & Filius quos vult, vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Quid tam juſtum, niſi ut horum quæ fecit per illum, ipſi daret judicium, [d] ut omnis plenitudo divinitatis habitaret in ipſo per id, quod diximus omnem illum poteſtatem in ſe habere: hoc eſt, Deum eſſe perfectum; qui enim hæc omnia non habet, non eſt Deus.

Johan. 5. 26. Idem 22. & 22.

℣. 20. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus,* [e] *ſive quæ in cælis ſunt, ſive quæ in terris.* Hoc eſt quod ſupra memoravit, quia ut ea omnia, quæ fecit, per illum reſtauraret, cùm errore quodam diſcrepare jam cœpiſſent ab invicem, nec non & ab auctore (eſt enim adhuc error in carnalibus cælis) humiliavit eum, incarnando illum, ut homo factus oſtenderet ac doceret quomodo poſſent ea, quæ in firmamento ſunt, & ſuper terram reconciliari Creatori. Quod ut ad perfectum perduceret, occidi ſe paſſus eſt propter homines; ut quos apud ſuperos docuerat, exeuntes hinc à morte ſecunda teneri non poſſint; ut doctrina ejus fructum haberet primæ inſtitutionis, & omnia facta per ipſum, viverent in ipſo quaſi in auctore, ſicut Petrus fatetur in Actibus apoſtolorum.

Job 15. 15. Act. 3. 15.

℣. 21. ℣. 22. *Et vos quondam alienatos & inimicos conſiliorum ejus in operibus iniquis, nunc autem reconciliatos in corpore carnis ejus per mortem, exhibere oportet vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſos in conſpectu ſuo.* Quale donum Dei ſit erga gentes memorat, ut oſtendat eos debitores, & quidem multum, in gratiarum actionibus Dei; qui cùm inimici eſſent conſiliorum ejus, quibus decrevit viſitare genus humanum per famulum ſuum Moyſen, cujus doctrinam & poteſtatem non receperunt, devoti idolis ſuis, immo operibus iniquis; adoraverunt enim opera ſua, quæ fecerunt: miſericordia autem & providentia Dei requiſivit eos; ut gratuito Dei gratiam conſequerentur, redeuntes ad eum in conſcientia munda; ut in die judicii dum nihil erroris veteris inveniretur in his, adcorporarentur Creatori ſuo, qui ut prodeſſet humano generi, incarnatus homo factus eſt, ut in carne ſua vinceret mortem.

℣. 23. *Si quidem perſeveratis in fide fundati, ſtabiles & immobiles à ſpe Evangelii, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in*
℣. 24. *univerſa creatura, quæ ſub cælo eſt. Cujus factus ſum ego*
Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, &
ſuppleo reliquias preſſurarum Chriſti in carne mea pro corpore
ejus, quod eſt Eccleſia. In tribulationibus, quas patiebatur, exſultare ſe fatetur; quia profectum ſuum videt in fide credentium. Non eſt enim inanis tribulatio, quando eum pro quo patitur, adquirit ad vitam. Quas paſſiones Chriſto dicit inferri, cujus utique doctrinam perſequuntur; ut & perfidos gravet impietatis ſuæ credulitate, & fidelibus Dei prædicet caritatem, cujus Filius nunc uſque injurias patitur pro nobis. Nunc igitur intelligi vult qua cauſa ſcribit ad eos, cùm dicit: *Si tamen perſeveratis in fide fundati;* ut ſcirent tunc prodeſſe ſibi paſſionem Chriſti, ſi in accepta fide manerent. Idcirco enim omnipotentia magnitudinis quanta ſit Chriſti, & quam infinita, ab initio declaravit, ut doceret in ipſo ſolo ſpem ponendam; quia ipſius ſunt omnia, & quia nihil ſine ipſo poteſt vivere, neque in cælis, neque in terris. Ante omnes enim eſt, & cuncta in ipſo conſtant, quia in omnibus ipſe primatum tenet; ut ſi quis alicui elementorum aut Angelorum, vel Poteſtatum devotum ſe debere eſſe putet, errare ſe ſciat. Hic enim unus eſt Filius Dei, caput omnis principatus & principii, cujus Evangelium prædicatum eſt in toto mundo, incipiens à Moyſe, qui dixit Judæis: *Quia Prophetam vobis ſuſcitabit dominus Deus veſter ex fratribus veſtris, tamquam me. Ipſum audietis; erit enim, quicumque non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Unde Dominus ait Judæis: *Quia Moyſes de me ſcripſit.* Itaque hic unus audiendus eſt & colendus, nec ad hunc æſtimandus eſt quiſquam; quia qui caput tenet, reliquam partem ſubjectam habet. Nam qui ſe ſubjectis humiliat, totus errat; quia non tenens caput truncus eſt, ex quo totum corpus continetur ad vitam.

Deut. 18. 15. & 19. Johan. 5. 46.

℣. 25. *Cujus factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem Dei,*
℣. 26. *quæ data eſt mihi in vos, ad implendum verbum Dei in myſterio, quod abſconditum fuit à ſæculis ſæculorum, & à generationibus.* Miniſtrum factum ſe eſſe Evangelii inter gentes à Deo per Chriſtum cum fiducia loquitur, ut myſterium cœptum à Domino per idoneum & efficacem ſervum poſſit impleri, quod ignotum fuit à ſæculis.

℣. 27. *Nunc vero declaratum eſt ſanctis ejus, quibus voluit Deus demonſtrare quæ ſint divitiæ majeſtatis myſterii Dei in natio-*
℣. 28. *nibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ, quem nos annuntiamus.* Myſterium quod latuit à ſæculis, modo revelatum adſerit, id eſt, tempore apoſtolorum oſtenſum; quia & gentes admittendæ eſſent ſine circumciſione carnis ad fidem Chriſti, qui promiſſus erat Judæis. Prius enim ante prædicationem fidei circumcidi mandatum eſt gentiles, ſi voluiſſent ad Legem accedere; nunc autem miſericordiâ Dei, ita ut ſunt, ſuſcipi juſſi ſunt ad fidem. Quod indignum putabatur Judæis, ut Chriſtus in quo ſpes erat Judæorum, etiam gentes participes faceret gloriæ ſuæ.

℣. 29. *Monentes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto: in quo laboro, certans ſecundum operationem ipſius, quæ operatur in me in virtute.* Hanc dicit veram eſſe ſapientiam, quæ eſt in diſciplina Dominica, cùm agnoſcitur Chriſtus. Quod ſe ipſum Apoſtolus magna cum cura agere teſtatur; ut erudiens omnem hominem in hac ſapientia, conſummatum eum exhibeat Deo in intellectum Chriſti, ut myſterium nativitatis ex Deo, & nativitatis ex Maria & totius operis ejus cæleſtium & terreſtrium adſequatur. Cujus rei certamen contra perfidos habere ſe loquitur, adjuvantibus ſignis virtutum; ut per hæc [f] victa infidelitas comprimatur. Qui enim verbis ſubtilitate quadam diabolicæ verſutiæ auſus eſt contradicere, pudore correctus, neceſſe eſt cedat virtuti.

a. Rom. edit. & hoc eſt Deum feciſſe in eo; aliæ ac mſſ. omittunt Deum, & pro in eo Arreb. & quidam mſſ. efferunt, in omo.
b. Eadem Rom. edit. ſola, qui erat.
c. Rom. edit. non quia ejuſdem communio ſubſtantiæ ſit. Iſta vero pro in ipſo conſtant, in quibuſdam mſſ. leguntur, ipſi conſtant.
d. Sed vet. edit. ac mſſ. edit. autem Rom. & ut ipſa plenitudo ... in ipſo & id eſt, quod diximus ... in ſe habere, quod eſt, &c.
e. Mſſ. nonnulli, ſive quæ in cælis ſunt.
f. Omnes edit. & quidam mſſ. vota infidelitatis; alii plures potius, ſique, victa infidelitas.

CAP. II. ℣. 1. *Volo enim vos scire, quantam sollicitudinem habeam pro* A
vobis, & pro his qui Laodiceæ sunt, & quotquot non
viderunt faciem meam in carne; ut consolationem accipiant
℣. 2. *corda ipsorum, cum fuerint instructi in caritate in omnes divi-*
a *tias plenitudinis intellectus, ad agnitionem* [a] *mysterii Dei in*
℣. 3. *Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abs-*
conditi. Non se minus sollicitum pro his, quos in carne
minime vidit, quam pro illis erat, quibus præsens prædi-
cabat, testatur; ut scirent non minore affectu diligi se ab
eo, quia eos non viderat, quam ceteros apud quos erat,
diligebat; ut foveret animos eorum in caritate, & prom-
ti fierent per epistolam, & agnitionem acciperent sacra-
menti Dei in Christo, advertentes has esse sapientiæ &
scientiæ divitias, si agnoscatur Christus in deitatis suæ ple- B
nitudine adorandus. Omne igitur mysterium sacramenti
Dei in Christo est. Hic est enim unus, in quo omnis crea-
tura nisi speraverit, peribit; ut omnium potentia in eo sit,
ut qui cognoscit istum, cunctorum quæcumque sunt, cog-
nitionem videatur habere, nec colendus alius præter hunc
requiratur: quia omnium potentiatum virtus in eo est; ex
b ipso enim [b] habent omnes. Unus enim cùm sit, omnia po-
test: quare & caput omnium dicitur, ut per ipsum omnes
subsistere videantur. Digne ergo omnes thesauri sapientiæ
& scientiæ in eo dicuntur absconditi. Omnis enim scientiæ
ratio totius creaturæ supernæ & terrenæ in eo sit oportet,
qui omnium eorum caput est, sive Angelorum, sive solis, C
sive lunæ, sive stellarum, aut ceterarum rerum, omnis
scientiæ peritia in auctore illorum est; ut qui hunc agnos-
cit, nihil ultra requirat, nec sapientiam, nec virtutem;
quia agnovit eum, in quo perfecta virtus, perfectaque sa-
pientia est. Quidquid enim alibi se putaverit invenire, ple-
ne in hoc & abunde inveniet. Nam quid sapientius Salo-
mone? quid prudentius Daniele? quibus idcirco Deus præ
ceteris sapientiam dedit, ut notum faceret infidelibus to-
tius se sapientiæ esse auctorem. Denique Nabuchodono-
Dan. 2. 47. sor dicit Danieli, admirans super sapientiam ejus: *Vere Deus*
c *vester* [c] *ipse est Deus vivus, & aperiens mysteria.* Quod qui-
dem omnem incredulum latet in Christo esse omnem sa-
pientiam & scientiam; quia non legunt in Evangeliis astro- D
logiam, non in Apostolo geometriam, non in prophetis
arithmeticam, nec musicam: quæ idcirco despecta sunt à
nostris, quia ad salutem non pertinent, sed magis mittunt
in errorem, & avocant à Deo; ut dum his student ratioci-
nationum disputationibus, animæ suæ curam non agant.
Quæ enim tam vera sapientia est, quàm cognovisse quod
prosit, & despexisse quod obsit? Obest enim; quia impe-
dit animam, ne curam sui agat. Non immerito ergo qui
Christum agnovit, invenit thesaurum sapientiæ & scien-
tiæ; agnovit enim quod ei sit utile.

℣. 4. *Hoc dico, ut nemo vos circumveniat in subtilitate sermo-*
℣. 5. *nis. Nam etsi corpore absens sum, spiritu tamen vobiscum*
d *sum, gaudens,* [d] *& videns ordinationem vestram, & supplens* E
id, quod deest utilitati fidei vestræ in Christum. Commonet
ne in malorum colloquiis & astutia iniquitatis sensus eo-
rum transduceretur; quia sapientes mundi arte quadam &
minutiis disputationum irretire gestiunt simplicium animos;
ut ratione mundanarum rerum abstrahant eos à spe, quæ
est in Christo. Unde Apostolus spiritu se illic adesse dicit,
ut reverentiam ejus ante oculos habentes, abstinerent se ab
4. Reg. 5. 26. hujusmodi hominibus. Si enim spiritus Elisæi prophetæ
vidit fraudem Giezi euntis ad Naaman Syrum, ut acci-
peret sub nomine ejus, quæ illi mandata non fuerant,
& descendentem promto animo Naaman ei plus dedisse,
quam fuerat postulatus; quanto magis Apostolus ea, quæ F
dixit, poterat in spiritu videre? Major enim gratia fuit in
apostolis, quàm in prophetis. Et ut promtiores illos fa-
ceret circa traditionem evangelicam, gaudere se dicit in
dispositione conversationis illorum; ut scientes unde Deo
placeatur, in eo fierent firmiores, per quod digni effecti ad
utilitatis profectum fidei suæ addiscerent sensum.

℣. 6. *Quemadmodum igitur accepistis Christum Jesum dominum,*
℣. 7. *in ipso ambulate, radicati & ædificati in ipso, & confirmati*
e *fide, sicut & docti estis,* [e] *ambulantes in illa cum gratiarum*
actione. Hoc monet & hortatur ne devotio eorum minue-
retur, & recederent à fide, quam fuerant adsequuti, &
pravis fabulis eversi, aliter Christum acciperent, quam di-
dicerant. Multi enim corruptores fidei circumibant ad sedu-
cendos simplices, dolose & cum simulatione annuntiantes
Christum, quos evitari monet magnâ cautelâ; ut stabiles &
firmi supra fundamentum Trinitatis, spe futurorum gratias
uberes agerent super misericordia Dei.

Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam, [f] *& ina-* ℣. 8.
nem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum f
elementa hujus mundi, & non secundum Christum: quia in ℣. 9.
ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Phi-
losophiam dicit terrenam, per quam solent seduci, qui cu-
piunt prudentes judicari in mundo. Hæc argumentis & sub-
tilitate minutiarum quarumdam componitur, quasi physi-
cas investigaverit rationes, quædam habens admixta, quæ
hortamenta sint bonæ vitæ vel documenta, aliquando de
mensuris, nec non & de numeris, aliquando de elemento-
rum qualitatibus & quantitatibus ordinata. In cujus dis-
putationibus qui inciderit, [g] vix & raro evadet; detinetur g
enim verisimilibus causis, & commentitiis rebus, nihil tam
verum æstimans, quam quod conspicitur & intelligitur in
elementis. Et quia quæ ad præsens sunt, & cernuntur ocu-
lis, suavia & oblectabilia videntur; aliquantos seducunt,
qui spiritalem rationem despiciendam & ridendam putant
desperatione futuri, omnem vim astris adsignantes carnali
rationi obnoxii; ne gravia credenda sint sustolli in cælum
posse, vel levia venire ad terras, aut aliquid corporeum
sine rerum admixtione generari, repugnantes potentiæ ac
providentiæ Dei. Sciunt enim legi in divinis veteribus He-
bræorum voluminibus multa gesta per Moysen, quæ hu-
mana ratio non capit: simili modo & in novis libris facta
à Domino, aut per apostolos, quæ tractatus carnalis pro-
hibet credi. Hanc ergo traditionem vel philosophiam falla-
cem & inanem appellat; quia non à potentia Dei ordinata
est, sed ab imbecillitate ratiocinationis humanæ, quæ po-
tentiam Dei intra scientiam suam coartat, ne aliter cre-
datur facere, quam carnalis se continet ratio: quia singulis
elementis divinitatis diversitatem deputant ad culturam,
ut obligent animos imperitorum; ne se ad Deum verum
extendant. Quamobrem cavendam monet traditionem istam;
quia mundi cultrix est, non Dei, qui unus est: nec ad
Christum, sed à Christo abstrahit, in quo perfectio divi-
nitatis est. Omnia enim quæ habet Pater, dedit Filio, cùm
illum in plenitudinis genuit divinitate corporaliter; ut quia
ipse caput est, creatura autem ejus corpus est, quidquid
putatur posse cælestis creatura, hoc totum plene in Christo
esse credatur; ut nullus arbitretur quemquam alium colen-
dum. Quidquid enim in aliquo magnum putaverit, plus
in illo inveniet; quia omnes ex ipso habent, sicut ex ca-
pite membra: ipse autem plenus est semper.

Et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus & ℣. 10.
Potestatis. Plus significat credentibus dari, quam potest
in elementis comprehendi; quia qui in Christo est, reple-
tus est divinitatis abundantia, quam elementa non habent.
Denique in credentibus Spiritus sanctus inhabitat, quod
elementis concedi non potuit; quia indignum erat & in-
congruum, ut invisibilis habitaret in substantia visibili, &
incorporeus in iis quæ sensibilia sunt. Audiant ergo & ve-
niant cultores eorum, & credant in Christum; ut fiant
majores eorum, quos nunc colunt.

In quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta, in ℣. 11.
exspoliationem corporis carnis, in circumcisione Christi, una
cum illo sepulti in baptismo: in quo & simul surrexistis per ℣. 12.
fidem operationis Dei, qui suscitavit illum ex mortuis. Hi cir-
cumciduntur in Christo, qui amputatâ totius traditionis
humanæ culturâ, Christo junguntur, corde non carne cir-
cumcisi, id est, in spiritu, non in carne servientes: ut à
terrenis ad cælestia, ab humanis ad divina, ab errore con-
vertantur ad veritatem, capiti & auctori suo copulati per
caritatem. Cum quo sepulti sunt in baptismate: resurrexe-
runt autem per fidem Dei, de quo credunt quod exemplo
Christi resuscitabit illos ex mortuis. Illic enim homo vetus
deponitur, & novus adsumitur: peccatis moritur, ut vivat
justitiæ: elementis abrenuntiat, ut Christo societur, resur-
rectionis futuræ tenens pignus exemplum Salvatoris, qui
resurrexit ex mortuis. Hæc igitur commonet, ut perse-
verent in abrenuntiatione pompæ & præstigiis satanæ.
Qui idcirco elementorum suadet culturam, ut à Deo avo-

a. Rom. edit. *mysterii Dei & Patris in Christo.* Et infra, *sacramenti Dei & Patris.*
b. Rom. edit. *habent omnes id, quod habent.*
c. Eadem Rom. edit. *ipse est Deus verus.*
d. Mss. aliquot. *& videns ordinem vestrum.*
e. Rom. edit. *abundantes in illo.*
f. Eadem edit. *& inanem seductionem.*
g. Rom. edit. *disputationes qui inciderit, vix aut numquam evadet.*

cet, participes apostasiæ suæ volens efficere homines. Quia enim sub nomine suo culturam suadere non potest, horretur enim ipso nomine; sub alterius nomine suam conatur implere voluntatem.

℣. 13. *Et vos cùm mortui essetis in delictis & præputio carnis*
vestræ, convivificavit simul cum illo, [a] *donans nobis omnia*
℣. 14. *delicta, deleto chirographo, quod adversum nos erat, decretum,*
quod contrarium erat nobis: & illud tulit de medio, & affixit
℣. 15. *cruci, & exuens principatus & potestates, ostentavit in*
auctoritate, triumphans illos in ipso. Mortuos dicit gentiles fuisse: primum quidem, quia Legem, quæ ad testimonium data est Creatoris, & ad vitia condemnanda, recipere noluerunt: deinde impietatis peccatorum suorum causâ indigni erant vitâ; ideoque discrevit hos à Judæis, quasi qui fuerint inimici Dei unius. Judæi vero in unius Dei confessione degentes, adveniente Christo, addiscunt mysterium Dei, quod exspectabant ad justificationem suam; ut in eo quod subreptum illis fuerat, quia impossibile est esse sine peccato, acciperent remissionem. Unde post causam gentilium inducit & Judæos, dicens: *Donans nobis omnia delicta*; ut post specialem subjiceret & generalem: quia cunctis donavit omnia delicta. Sed quia sicut dicit Dominus: Cui plus donatum fuerit, ampliùs debet diligere; idcirco commonet gentes, ut considerantes causas malorum suorum, & qualem gratiam acceperunt à Deo in Christo, tota devotione solliciti sint circa obsequium ejus, à quo à diversa mortis pœna sunt liberati. Quomodo ergo donavit nobis omnia delicta? *Deleto*, inquit, *chirographo, quod erat adversarium nobis.* Et quid est delere, subjecit dicens: *Et illud tulit de medio.* Sic ergo delevit, cùm tulit de medio. Sic autem tulit de medio, cùm *affixit*, ait, *cruci.* Affigere autem cruci, hoc dixit esse spoliare principatus & potestates publice, & detriumphare illos in Christo. Hæc, sicut videntur, obscura sunt, ac per hoc adhibitâ curâ dilucidanda sunt. Hoc est præsidium Dei, quod per significantiam diversarum causarum exponit Apostolus. Multa enim acta memorat, quò genus hominum ad indulgentiam perveniret; ut non solum propria remitteret nobis delicta, sed & illud tolleret peccatum, quod ex Adæ erat prævaricatione (quod appellavit chirographum in decretis) quod nos à mortuis resurgere non sinebat: quia si & hoc non tulisset de medio, exeuntes hinc, qui acceperant remissam, illic tenerentur apud inferos. Porro autem ideo omnia delicta concessa sunt, ut resurgerent à mortuis. Quia enim ex peccato mors, sublato peccato fit resurrectio mortuorum: quod quidem fieri minime potuisset, nisi peccatum affixisset cruci. Dum enim non peccando Salvator vincit peccatum, quod hominem tenebat obnoxium, insuper & occiditur ab eo innocens: sic crucifixit peccatum. Devictum enim peccatum, mortificatum dicitur; crux enim non Salvatoris mors est, sed peccati. Innocens enim sic qui occiditur, reos illos facit, à quibus occiditur. Peccatum autem principes & potestates intelligamus, quorum studio peccavit primus Adam. Ad auctores enim referendum est nomen hoc, quorum mortem in exspoliatione significavit; mors enim ipsorum hæc est, quia victi à Salvatore, dum exspoliantur animabus, quas tenebant in captivitate, mortificantur. Rei enim facti sunt; quia cùm hac auctoritate animas tenerent, quia peccaverant, ipsi inventi sunt amplius peccatores, dum illum qui illos non peccando vicerat, occiderunt. Et sic juste exspoliati sunt, sicut dixit, *publice*, id est, in cruce; quod est palam detriumphari à Deo in Christo. Ille enim detriumphatur, qui palam vincitur, & spolia ejus publicantur; ostenditur enim omnibus prostratus, qui ceteris insultabat. Decretum autem quod dicit, non est hoc quod pagani fatum appellant; quia illud non omnibus contrarium adserunt; quia quosdam dicunt ex hoc felices, alios infelices. Hoc enim decretum omnibus dicit fuisse contrarium; sententia enim erat cunctis adversa hominibus.

℣. 16. *Nemo igitur judicet vos in cibo, vel in potu, aut in parte*
℣. 17. *diei festi, aut in neomeniis, aut in sabbato: quæ sunt umbra*
futurorum, corpus autem Christi. Quoniam omnis spes vitæ in Christo est, ac fiducia, nulli superstitioni aut legi subjacere nos debere præcepit. Quamobrem præstrepentes, aut A aliquid quod ad fidem Christi non pertinet susurrantes, contemnendos: istum autem solum sequendum, per quem devicta mors est, & reddita resurrectio mortuorum. Quidam enim Judæorum solent judicare fideles, quod ea quæ interdicta per Moysen sunt, edant de cibis, cùm omnia Deus munda fecerit: indigni autem judicati Judæi de his edere, prohibiti sunt à melioribus. Solent iterum reprehendere nos, quia dies festos eorum spernimus, aut quia initia mensium non observamus, quæ neomenias vocant: maxime autem quod dies sabbatorum non custodimus, ut otio & epulis cum luxuria transigantur: quod magis ad offensam pertinet, quam ad gratiam. Hæc autem omnia sunt B corpus Christi, quia elementorum per effectus sunt vocabula. Hinc est unde in Evangelio dicit: *Dominus est enim Filius hominis etiam sabbati*; per ipsum enim omnia, quæ quidem sic data sunt per Moysen, ut umbra essent, vel figura futurorum, ut apparente veritate, figura cessaret. Sicut enim absente imperatore, imago ejus habet auctoritatem, præsente non habet; ita & hæc ante adventum Domini tempore suo observanda fuerunt, præsente autem, carent auctoritate. Numquid aliquis vicem domini agens, ipso præsente, dominatur? Si præfectorum vicarii, præsentibus eis privati sunt; quanto magis servi, præsente Domino, etiam ipsi in obsequio debent videri? Matth. 12. 8.

C *Nemo vos decipiat, volens in humilitate animi, & super-* ℣. 18.
stitione Angelorum [b] *ea quæ videt, extollens se frustra, infla-*
tus mente carnis suæ, & non tenens caput illud, ex quo om- ℣. 19.
ne corpus per compagines & conjunctione subministratum &
compaginatum crescit in augmentum Dei. Quod superiùs sub nomine philosophiæ cavendum monuit, nunc apertiùs docet observandum ab iis, qui terrenæ sapientiæ studentes, hæc colenda adserunt, quæ obtutibus adjacent, vel apparent; ut horum detentæ cultuis animæ sub firmamento obligatæ teneantur, ne se supra firmamentum tendant ad superiores cælos ad Deum omnium adorandum. Quod operâ efficitur inimici, ut semper animas super terras humi- D liatas detineat, ubi se scit de cælis dejectum semper futurum justo judicio Dei, religionem simulans, cùm sit maximum sacrilegium. Inflantur enim motum pervidentes stellarum, quas angelos vocat, non auctoritate divina: sed superstitione humana, quæ ad nihilum proficit, nisi ad damnum: nolentes tenere fidem Christi, qui omnium creator & dominus est. Ex ipso enim omnes originem habent; quare & corpus ejus dicuntur, si tamen agnoscunt eum. Ad ipsum enim conversi reædificantur, compaginati fidei ejus, subministrante Evangelio cunctis quasi membra corporis in caritate Christi, ut augmentum faciant Deo. Cùm enim [c] redeunt ad illum, qui per errorem deseruerant illum, minuentes copias divitiarum ejus, dum denegant E ejus se esse, crementum faciunt Deo, quia ex perditis adquiruntur. Hæc de paganis: rursum de Judæis dicit quia & ipsi sub elementis serviunt, non elementis.

Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, ℣. 20.
quid adhuc, velut viventes in hoc mundo decernitis? Omnis qui baptizatur in Christo, moritur mundo; cunctis enim superstitionum erroribus abrenuntiat, ut solam colat fidem Christi. Amotis enim quæ naturali justitiæ accedunt, relinquitur disciplina data à Deo, per quam vivimus Deo per spem, quæ est in Christo: moritur autem his quibus subjectus fuerat per errorem, dum negat illos, [d] quos deos præsumserat esse. Et ita fit ut per inimicitiam abrenuntia- F tionis invicem sibi mortui dicantur homo & elementorum cultura. Mundum enim dicens, errorem carnis significat; omne enim quod videtur, carni deputatur. Hinc est unde & Johannes apostolus: *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*; id est, neque elementa, quibus compactus est mundus, neque errores quos humana adinvenit traditio, deligamus: sed solum Christum, qui mortuus est pro nobis; ut corpori suo nos sociaret ex perditis. Qui ergo consepulti sunt Christo, mortui sunt elementis, ut nihil curent ex his; superna enim didicerunt tenenda, quæ possunt vitam donare perpetuam. Hæc enim nec præsentem dant, & impediunt, ne apprehendantur futura. Qui autem post baptismum ambigit de aliquibus, putans quædam de veteribus veneranda, vivere se ostendit 1. Joh. 2. 15.

a. Ita vet. edit. & mss. nisi quod illæ præferunt decreti . . . illos in id ipsum, ubi horum potiores legunt, decretum . . . illos in ipso. Rom. autem edit. sic reposuit, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat, chirographo in decretis . . . & exspolians principatus & potestates, ostentavit palam, triumphans de illis per se ipsum.

b. Rom. edit. in his quæ non videt . . . per compagines & colligationes subministratum & compactum.
c. Rom. cum redeunt ad Deum, qui cum per errorem deseruerant, minuentes &c.
d. Omitt. edit. quos præsumserat esse: ac tacitem Deos à quo non per eas colloquitur.

elementis, quæ decernit colenda, aut dubitat contemnenda: hic remanebit intra circulos mundi, alienus à Deo; quia veteri indutus homine, carnalia transire non poterit.

℣. 21. *Ne tetigeritis, ne adtaminaveritis*, [a] *ne gustaveritis, ne contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum, & corruptionem*
℣. 22. *per abusionem secundum præcepta & doctrinas hominum.* Prohibet omni genere ab spe mundanorum; quia inanis est, ne colant, ne adsentiant, ne cogitent quia quæ promittunt, corruptionis sunt. Usus enim & cultura ipsorum interitum generant; quia præcepta & doctrinæ non Dei, sed hominum sunt, in quibus vana spes est: quippe cùm adversus Creatorem invenerit hæc error humanus; ut prohibens ab unius Dei fide, multorum Deorum superstitionem inducat.

℣. 23. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ* [b] *simulatione religionis, & humilitate animi ad vexationem corporis, non in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis.* Hinc se sapientiæ rationem habere putant, quia traditioni humanæ nomen religionis applicant, ut religio appelletur, cùm sit sacrilegium; quia quod contra auctorem est, sacrilega mente inventum est. Nomen ergo fingit, ut falsa quæ sunt, posset vera adserere; & humanas mentes in terra humiliat, ne se erigant ad superna: aut terrena colentes excidant à supernis cælestibus, & obsint corpori, cujus caput Christus est secundum primævæ rationis facturam. Hinc enim aggravati non poterant sursum jungi capiti suo, ut restaurentur in illo honorati effecti: sed quasi prima parte corporis truncati, totos se dantes mundo ad sensum carnis explendum. Sagina enim carnalis sensus traditio humana est, quæ hoc dicit sufficere, quod carnis [c] tradidit providentia; rationem enim videtur habere sapientiæ, juxta carnem, quia ex elementis est omnis corporalis nativitas: ac per hoc non esse incongruum inquiunt his inclinari, quorum gubernaculis humanum regitur genus; ut his se subjiciat, quæ videt mundi clarissima: nec requiri debere spiritualia; quia his solis, inquiunt, ducibus uti concessum est, & per hanc rationem negligunt auctorem.

CAP. III. ℣. 1. *Si enim consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens.* Hos cum Christo resurrexisse adserit in baptismo, qui supercælestia cogitant, ubi sedes est Christi, ubi Deus Pater Filio suo tradidit dexteram, ut regnet & judicet; judicis enim in finistra sedere non est. Resurrectio tamen duas habet formas, ut primò anima de terris resurgat ad cælos, deinde recepto corpore, resurgat raptus obviam Christo.

℣. 2. *Quæ sunt sursum, sapite, non ea quæ super terram.* Supernorum cælorum, qui Æterni sunt habitacula, nos petere exhortatur: ab his autem omnibus, quæ in firmamento & sub firmamento sunt, dissimulandum. Quisquis enim his se superstitionibus occupaverit, impedimentum patietur; non enim poterit hæc transcendere, quibus se inclinavit, ut dominis.

℣. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Apud mundi sensum mortuus Christus videtur, & discipuli ejus, cùm constet vivere illum cum his omnibus. Idcirco carnalibus ac mundanis abscondita est vita Christi & suorum in Deo extra mundum, in regno ejus cælesti, in quo vivunt.

℣. 4. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* Vita nostra Christus est; quia legimus in Actis apostolorum hunc esse vitæ auctorem, qui
Act. 3. 15. à perfidis non creditur futurus judex. Cùm autem advenerit in virtute cælesti, & visus fuerit esse, quod minime credebatur; tunc apparebunt cum illo etiam qui crediderunt in illum, & manifestabitur omni perfidiæ, quia vivit cum suis in gloria. Hæc consolatio fiduciam spei parit; ut securi de futura vita, omnia postponentes, Christum sequamur.

℣. 5. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est idolorum servitus.* Quoniam
Rom. 6. 6. omnia simul peccata corpus esse in epistola ad Romanos significat, idcirco nunc singula delicta describens, membra ea appellat; ut post acceptam & servatam evangelicam de Salvatoris plenitudine rationem, bonæ vitæ opeA ram darent, abstinentes se ab omni turpitudine & desiderio malo, quo possint peritiæ divinæ fructum non amittere. Multum enim obest scire veri rationem, & minime factis illam prosequentibus affirmare. Hinc est unde & Dominus inter cetera ait: *Qui autem scit voluntatem domini sui, &* Luc. 12. 47.
non paruerit ei, vapulabit multis. Avaritiam tamen idololatriæ comparavit, ut nihil illâ scelestius demonstraret. Sub uno nomine duo pessima & impia genera designavit, quæ omni ratione monet fugienda; primum enim & pergrave crimen est idololatria. Quid enim tam perniciosum, tamque funestum, quàm ad injuriam creatoris Dei lignis & lapidibus vel aliis metallis honorificentiæ ejus nomen tribuere; cùm ipsi non patiantur, ut servus nomine domini nuncu-
B petur, quem non natura utique, sed quædam conditio subjicit servituti? Aliud è contra crimen est avaritiæ, non dispar malitiâ, sed diversum in nomine. Unde ad Timotheum 1. Tim. 6. 10.
ait: *Radix enim omnium malorum est avaritia*; omnium enim capax est delictorum, ut aviditatis suæ, quod impossibile est, impleat desiderium, semper bibens, & semper sitiens. Non immeritò ergo sub uno nomine utrumque malum ostendit; pœne enim uno explentur opere: quia sicut idololatria uni Deo auferre nititur gloriam, ne quod ejus peculiare est, solus habeat nomen divinitatis sibi soli condignum; ita & avaritia in Dei se res extendit, ut si potest fieri, unus & solus creaturam ejus sibi usurpet, quam Deus communem omnibus fecit. Unde dicit Deus per pro-
C phetam: *Meum est aurum, & meum est argentum.* Utraque Agg. 2. 9.
igitur Deo est inimica; ambæ enim Deo abnegant, quæ ejus sunt.

Propter quæ venit ira Dei. Malorum memoratorum causâ ℣. 6.
venturum dicit judicium Dei; ut vindicetur in hos, qui contemto Deo & Lege ejus, interdicta sequi maluerunt.

In quibus & vos ambulastis aliquando, cùm viveretis in ℣. 7.
illis. Quantum beneficium illis præstiterit gratia Dei per Jesum Christum, non tacet; ut gratulentur evasisse se iram, quæ ventura est repente super infideles totius terræ, & tales semet ipsos præbeant, ut patere possint præceptis ejus, à quo à morte secunda sunt liberati.

Nunc vero deponite & vos omnia, iram & indignationem ℣. 8.
D *animi, malitiam, blasphemiam, Turpiloquium de ore vestro non*
procedat. Nolite mentiri invicem. Exuite vos veterem homi- ℣. 9.
nem cum actibus ejus, & induite novum, qui renovatur [d] *in* ℣. 10.
agnitionem secundum imaginem ejus, qui condidit illum; *ubi*
non est Græcus & Judæus, circumcisio & præputium, Barba- ℣. 11.
rus & Scytha, servus & liber: sed omnia & in omnibus
Christus. Nunc ab his prohibet, quæ minora peccata videntur; ne forte, quia superius quæ graviora sunt, mortificanda mandavit, hæc admittenda, aut quasi non periculosa, non fugienda putarentur: simul etiam ut exuti veterem hominem, id est, tam verbo quam actu incontaminatos se videntes, & novi facti in Christo per agnitionem veritatis, quæ olim latuit, modo autem manifestata
E per novam legem credentibus; ut similes fiant imaginis ejus, qui creavit illos. Imago hæc in conversatione bonæ vitæ intelligenda est, sicut dicit ad Corinthios in epistola prima: *Quemadmodum portavimus imaginem ejus, qui de* 1 Cor. 15. 49.
terra est; ita portemus & imaginem ejus, qui de cælo est. Ipse est ergo creator hominis, cujus imaginem portare nos jubet in sanctitate & bonis operibus, quæ de Filii Dei agnitione descendunt. Nemo enim potest bonam & mundam habere vitam, nisi habeat cui hanc exhibeat, à quo si non præmium, certe vel laudem exspectet. Sed apud Deum & laus & præmium sperantur; quia non patitur Dei justitia eum, qui carnis vitia vicerit, minime coronari. In hac
F itaque agnitione nullus ut indignus excipitur, quasi non mereatur accedere ad fidem Christi; omnes enim accedentes unum fiunt, deleti quid fuerint, & scripti quid esse cœperunt; ut quia unius fidei sunt, in eo ipso unius sint & meriti, ut quos fides jungit, non possint discerni, propter quod diversi natura & gente sive conditione sunt. Omnia enim & in omnibus his Christus est; quia enim cuncti ejus membra sunt, omnia Christus est; ut dum una confessio eorum est de spe ejus in omnibus Christus: & sic omnia corpus ejus sunt, ut professio eorum & natura concordet. Alia est tamen imago hæc, quam de agnitione Salvatoris dicit creari, & alia imago, ad quam factus est

a. Rom. edit. *ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu.*
b. Eadem Rom. edit. *in observatione religionis, & humilitate cordis.*
c. Rom. edit. sola, *tradit prudentia*: sed infra eadem cum aliis edit. & mss. aliquot exhibet, *omnis corporalis nativitas*, ubi mss. nonnulli, *hominis corporalis nativitas.*

d. Post *in agnitionem* nonnulli mss. cum Bibliis vulgatis addunt *Dei*: sed redundans hanc vocem cum multorum exemplarium codicum auctoritate, tum hujus ipsius loci demonstratur.

primus

primus homo. Ista enim imago est & in femina, cùm agnoscit eum, qoi se creavit, & obtemperans voluntati ejus abstinet à vita turpi & actu perverso; illa autem imago in solo viro est, sicut idem dicit in epistola
1. Cor. 11. 7. ad Corinthios prima: *Vir quidem non debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei.* Si autem & mulier non velaret caput, esset & ipsa imago Dei. Sed incongruum erat, ut facta viro subjecta, diceretur esse imago Dei; nam & in
Genes. 1. 27. Genesi ita ait: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum*; ut sicut Deus unus est, unus ab eo fieret homo: ut quomodo ex Deo uno omnia, ita ex uno homine omne genus esset super faciem totius terræ. Unus igitur unum fecit, qui unitatis ejus haberet imaginem. Et ipsa in viro & muliere similitudo mysterii Patris & Filii; Barbarum tamen ab Scytha segregavit, sicut servum à libero non utique in Christo, in quo omnes unum sunt; sed in morum feritate, & in gentis immanitate. Pejores enim hos Barbaris intelligi voluit, antequam credant, cùm Græcorum libri justitiam eorum prædicent, quam, duce natura, sequebantur: [a] in tantum ut magnum apud eos peccatum furti habeatur, quod Græci magna, inquit, cum industria & doctrina justitiæ semitas investigarunt, hosce naturaliter comprehendisse collaudant. Sed quomodo degenerant omnia, postea plus vituperabiles esse cœperunt, quam fuerant antea laudabiles. Postquam enim mulieres eorum lege viri uti cœperunt, quas Amazonas primitus adserunt appellatas, totam Asiam contra naturam subjicientes; sic contigit ut & viri canum more rabidi efficerentur, immanes, silvestres, inculti, plus qoam barbari, in tantum immutati, ut carne humana vescenda imbuerentur. Quid mirum, cùm & ipsi Romani longe alii fuerint, quam nunc sunt? Nam & mulieribus eorum castitatis causâ vini usus incognitus fuit, sicut nunc aquæ; in tantum enim vigebat disciplinæ auctoritas, ut subjectum vas non faceret, quod volebat.

ỳ. 12. *Induimini ergo ut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, sensus mansuetudinem, longanimitatem, prabentes vobis invicem patientiam,*
ỳ. 13. *& donantes alius alii, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut & Christus donavit vobis, ita & vos facite.* Ut lucrum possint habere, ad hæc eos facienda hortatur, quæ meritum collocant apud Deum. A peccatis autem abstinere timor facit; metus enim ne mala faciens, pœnis subdatur. Hæc autem quæ nunc facienda monet, ad profectum pertinent meritorum; ex voluntate enim sunt, non ex necessitate. Qui ergo ab illicitis se abstinet, habet laudem: qui vero à licitis temperat, & laudem habet & præmium.

ỳ. 14. *Super hæc autem omnia caritatem habete, quod est vinculum unitatis: & pax Dei exsultet in cordibus vestris, in qua*
ỳ. 15. *& vocati estis in uno corpore: & grati estote.* Quia vero omnium major est caritas, huic magis studendum hortatur. Tunc enim omnia quæ supra mandavit servanda, ad effectum præmiorum poterunt deduci, si duce caritate, iter ambulent legis; tota enim mente operatur, qui ex amore aliquid facit. Hypocrisis & simulatio non est in caritate; quare & Johannes apostolus: *Timor*, inquit, *non est in di-*
1. Joan. 4. 18. *lectione.* Qui enim timet, perfectus non est: *Perfecta enim dilectio foras mittit timorem*; unde & Dominus amari se mavult, quam timeri. Hæc est enim dilectio quæ complectitur unitatem, hæc est quæ omnes unum corpus facit, hæc est quæ veram habet pacem, quam corde puro custodit. Potest enim pax dici, & non habere caritatem; caritas enim semper secum habet pacem.

ỳ. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abunde in omni sapientia, docentes & monentes vosmet ipsos in psalmis & hymnis, & canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino.* Hæc meditanda monet semper, quæ sonent Christum: hæc in corde habenda, quæ Deo Patri semper gratias referant; ut vox canora illi serviat, illum laudet psalmus, hymnus extollat. Et huic soli notum sit, qui occulta pervidet mentis, à quo speratur & præmium. In cordibus illi cantari mandavit; ne favore hominum fieret, & fructum amitteret.

ỳ. 17. *Et omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini Jesu facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Quoniam supra in corde Deum laudari, & illi gratias referri præcepit; nunc tam in verbo, quam in opere totius conversationis nostræ nomen domini Jesu laudari & exaltari hortatur; ut cùm verba nostra carent reprehensione, & opera nostra bona sunt, magnificetur dominus Jesus, cujus magisterio invituperabiles sunt discipuli. Tunc enim veras gratias agimus Deo per ipsum, si modum præceptorum ejus custodiamus.

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. ỳ. 18.
Ita præcepit mulieres subditas esse debere viris, sicut mandavit Deus, inter cetera dicens ad mulierem: *Et ad virum* Gen. 3. 16.
tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur; ut ipso ritu & disciplina timeat virum suum, quasi dominum, ex quo cœpit esse.

Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. ỳ. 19.
Rigorem virilis legis emollit, ne potestate qua prævalet, nimius quis sit in dominatu uxoris: sed debet respicere ad affectum, quia mulier caro ejus est; ne plus illam humilians exacerbet, & contraria cogitet.

Filii, obedite parentibus vestris per omnia; hoc enim pla- ỳ. 20.
cet Deo. Non potest aliud placere Deo, quam quod justum & pium est. Tunc enim possunt filii habere propitium Deum, si debitam honorificentiam rependant parentibus, circa obsequium illorum faciles, in contemtu difficiles, scientes filii numquam adversus parentes [b] providere debere.

Patres, nolite ad iram provocare filios vestros, ne pusillo ỳ. 21.
animo fiant. Modestos præcipit patres debere esse filiis, ne coartati ab eis, delinquant in illos, & Deum offendant, quod nolunt. Ira enim inconsiderata res est, in tantum ut aliquando nec sibi parcat, qui irascitur. Debent enim recordari patres quia fuerunt & ipsi filii: considerare autem filii, quia futuri sunt patres; ut æque librato consilio utriusque partis, & filii subjecti sint, & patres modesti.

Servi, obaudite per omnia dominis carnalibus, non ad ocu- ỳ. 22.
lum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum. Quoniam Deo aliter serviri non potest quam puro corde; occulta enim pervidet animorum: sic & hominibus præcipit serviri debere. Qui enim ad oculum servit, in occulto aliud facit: qui autem ex animo, talis est foris, qualis & intus. Si ergo in hoc obsequio fuerit fidelis, promerebitur Dominum; quia ipse dixit: *Qui* Luc 16. 10.
in minimo fidelis est, & in magno fidelis est. Si enim ei, [c] qui ad præsens vindicat, fidelis non fuerit, qui fieri poterit ut illi fidem exhibeat, quem post mortem audit judicaturum? Idcirco in domini carnalis causa justum vult esse servum & obsequentem: ut possit & in Dei rebus & fidelis esse & obsequens. Si enim in præsenti idoneus fuerit, ubi scit nulla esse nisi corruptibilia præmia; quanto magis propensior erit in Dei devotione, quem scit fidelibus immortalia daturum præmia?

Quidquid facitis, ex animo operamini, ut Domino & non ỳ. 23.
hominibus: certi quod à Domino recipietis retributionem hereditatis domini Christi, cui servitis. Qui enim inique gerit, ỳ. 24.
feret id, quod gessit inique: & non est personarum acceptio ỳ. 25.
apud Deum. Ut promtos illos in obsequio & fide faciat, mercedem illos bonorum operum accepturos promittit à Deo in regno Christi. Quod ut probatum sit & acceptum, sic illos vult obseqoi sicut Domino, à quo mercedem exspectant. At si servus inique egerit, non solùm hominem offendet, sed & Deum, quem in admissa fraude carnalis domini contemsit. Si autem bene egerit, non erit apud Deum servus hominis, quasi despectior: sed remunerabitur, quasi liber inter homines, servus autem Christi, quod dignitatis est nomen.

DOmini, quod justum est & æquum, servis præbete, scien- CAP. IV. ỳ. 1.
tes quod & vos Dominum habetis in cælis. Ne domini temporales superbia extollantur, præsumentes de dominatu, mitigat & cohibet animos illorum; ut adhibita consideratione humani generis, animadvertant auctorem Deum non servos & liberos, sed omnes ingenuos condidisse. Sed hoc mundi iniquitate factum est, ut dum alter alterius fines invadit, tunc captivos ducit ingenuos; unde & manu capti dicti sunt à veteribus inde mancipia. Hic casus & conditio etiam nunc apparet, alii redimuntur, alii remanent servi. Apud Deum autem hic servus habetur, qui peccave- Joan. 8. 34.
rit. Denique peccati causâ Cham servus audivit: *Maledictus puer Chanaam, servus servorum erit fratribus suis.* Genes. 9. 25.

a. Rom. olim, *Tam magnum apud eos peccatum furti habebatur, quod Græci, qui magna cum industria ... sed quia modo degenerant* &c.

b. Excl. & Gill. in margine, ac Rom. edit. in corpore, prævidere debere.
c. Nonnulli mss. *qui ad præsens judicat.*

Cui sententiæ veteres adsensere, ita ut definirent omnes prudentes esse liberos, stultos autem omnes esse servos; quia prudens abstinet à peccatis, ut hic ingenuus sit, qui recta sequitur; servus autem qui per stultitiæ imprudentiam subjicit se peccato. Unde & Cham propter stultitiam, quia risit nuditatem patris stulte, servus est appellatus. Ostendit ergo dominis, quia non vere sunt domini, sed quasi per imaginem; corporum enim, non animorum sunt domini. Solus enim dominus, & auctor rerum invisibilis Deus tam corporibus quam animis dominatur; ut hæc considerantes, justa ab eis exigant servitia: talia utique qualia & à se exigi volunt à Domino communi. Nam cùm ipsi non ut dignum est, Deo serviant, quem non negant omnium potestatem habere, cujusque quotidiana dona per ministeria creaturæ humanis usibus exhiberi, à paribus suis (ut non dicam fratribus) tam gravia exigunt servitia, ut ferri non possint; non ponentes in animo, quia & ipsi velint nolint, servi sunt; & viderint cujus meriti.

℣. 2. *Orationi instate, vigilantes in illa cum gratiarum actio-*
℣. 3. *ne: orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium*
℣. 4. *verbi ad eloquendum mysterium Christi (propter quod etiam*
vinctus sum) ut manifestem illud, prout oportet me loqui. Jam
prudentibus mysterium domini Christi.[a] & cautis in evitandis vitiis peccatorum orationi instandum ostendit; ut meritis crescant, deficientibus tentationibus adversarii. Quos in tantum dignos habet, ut judicet eos etiam se posse precibus adjuvare ad adferendum audacter Evangelium, ad quod manifestandum legationem acceperat.

℣. 5. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus re-*
℣. 6. *dimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus;*
ut sciatis quomodo oporteat vos singulis respondere. Quoniam necesse est ambulare nos inter infideles, & colloquia miscere causâ conversationis mundanæ: hoc est quod commonet, ut cùm sapientia sit ipsa conversatio propter scandalum gentilium; ne occasionem per nos accipiant blasphemandi, & incitentur ad persequendum. Quid enim opus est loqui cum eo, quem scias intractabilem, & obstinatæ mentis, paratum ad contumeliam faciendam? Ideo hæc monet, ut opportuno & loco & tempore, magistrâ modestiâ, religionis verba promantur: aut si persona talis in medio est, quæ perstrepat, reticendum. Aliter enim cum potentibus mundi, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agendum est. Aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iracundis, quibus cedi oportet, hoc est redimere tempus. Cùm enim insidianti Dominicis verbis & furenti temporis audaciæ cedis, injurias infesti temporis lucrifacis. Nam si caput, id est, rex adsentit corpori, tunc est libertas loquendi verba Dei cum mansuetudine, ut provocentur ad bonum. Perstrepentibus tamen & animosis ad convicia semper cedendum; vincis enim, dum cedis.

℣. 7. *Quæ circa me sunt, omnia nota faciet vobis Tychicus di-*
lectus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino:
℣. 8. *quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos*
sunt, & consoletur corda vestra, cum Onesimo carissimo &
℣. 9. *fideli fratre, qui est ex vobis, omnia quæ hic sunt, nota fa-*
ciet vobis. Ad hoc se dicit fratres misisse, ut invicem sibi nota fierent, quæ agerentur ab invicem. Quamvis superiùs dicat spiritu se præsentem apud eos, & videre quæ agerent, internuntiis tamen opus est. Sollicitior enim fiet quis, quando videt ad se venire ad considerandam conversationem suam; plus enim veretur, si speculetur se videri quæ agat. Nam cùm Deus omnia videat, & sciamus omnia illi nota esse: quia tamen non videmus nos videri ab eo, contraria facimus.

a. *Et cautis* ex mss. Remig. Laud. ac Vall. restituitur.

Salutat vos Aristarchus comes captivitatis meæ, & Mar- ℣. 10.
cus consobrinus Barnabæ (de quo accepistis mandatum, ut si
venerit ad vos, excipiatis illum) & Jesus, qui dicitur Justus: ℣. 11.
qui sunt ex circumcisione. Hi soli sunt adjutores mei in regno
Dei, qui mihi solatio fuerunt. Hic Aristarchus bonæ conversationis ac meriti videtur, qui devotione Dominica particeps & socius laborum Apostoli designatur. Marcum autem ut commendet, quid sit, non tacet; ut cùm laudabilis viri Barnabæ affinis addiscitur, honorabilis habeatur. Addit & Jesum, quem Justum nomine vocari appellat. Quibus solis testimonium perhibet, quia hi ex circumcisione adjutorio fuerunt ei, adsentientes & participes sententiæ ejus; ut jam circumcidi ulterius non debere prædicarent, ideo participes illos dicit suos in regno Dei. Circumcidendum autem esse, & sabbata & neomenias servandas prædicare non spiritale est, sed terrenum.

Salutat vos Epaphras, qui est ex vobis, servus Christi. ℣. 12.
Cariorem illis facit epistolam, quando ei qui ex ipsis est, testimonium reddit. *Semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, & abunde expleti in omni voluntate Dei.* Tam salutaria se illis exoptare testatur; ut illum qui civis illorum est, & affectu unanimitatis carissimus,[b] participem suæ devotionis in profectum eorum ostendat.

Testimonium enim adhibeo illi quia habet multum laborem ℣. 13.
pro vobis, & pro iis qui Laodiceæ sunt & Hierapoli. Ut sollicitos eos salutis suæ faciat, aliorum vigilantia quanta sit pro his, ostendit; sollicitior enim quis fit pudore, quando in causa sua alterum viderit laborare.

Salutat vos Lucas medicus carissimus, & Demas. Vere ℣. 14.
carissimus Apostolo fuit Lucas; quia omnia postponens, Apostolum semper sequutus est: qui & Evangelium, & Actus apostolorum scripsisse perhibetur.

Salutate eos qui sunt Laodiceæ fratres, & Nympham, & ℣. 15.
domesticam ejus Ecclesiam. Quoniam simili modo & pro iis qui Laodiceæ sunt, sollicitus erat, in eorum epistola hos salutandos commonet, Nympham cariorem existimans, cujus & domum salutat; tam enim devota videtur fuisse, ut omnis domus ejus signo titulata esset crucis.

Et cùm lecta fuerit apud vos hæc epistola, facite ut & in ℣. 16.
Laodicensium Ecclesia legatur, & vos ut eam quæ est Lao-
dicensium, legatis. Quia generales sunt instructiones Apostoli, & ad omnium profectum Ecclesiarum scriptæ epistolæ; idcirco etiam Laodicensibus epistolam hanc legi præcipit, ut per hanc quid agendum sibi esset, addiscerent: & Colossenses ut eorum legerent, juxta sensum supradictum.

Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod suscepisti in ℣. 17.
Domino, ut illud impleas. Præpositum illorum per eos ipsos commonet, ut sit sollicitus de salute ipsorum; & quia plebis solius causâ epistola scribitur, ideo non ad rectorem ipsorum destinata est, sed ad Ecclesiam. Post enim Epaphram, qui illos imbuit, hic accepit regendam eorum Ecclesiam.

Ipsa salutatio mea manu Pauli. Memores estote vinculorum ℣. 18.
meorum. Gratia domini nostri Jesu Christi vobiscum. Ut confirmet epistolam manu sua subscriptam dicit, memorans ut in mente habeant exitus ejus, quos patiebatur pro salute gentium: & tales se præberent, ut non ferret ægre pati pro his injurias.

b. Codex Laud. *participem suæ defensionis.*

IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD THESSALONICENSES PRIMAM.

PROLOGUS.

Ut horum, id est, Thessalonicensium exemplo alios exhortetur ad fidei incrementa, istos laudat, eo quod in accepta gratia permanentes, ad profectum præmii aucti sunt, meliora sectando: hortatur vero ut ad perfectum tenderent, ut eorum virtutibus quæsita dignitas ceteros provocaret. Tantæ enim fidei imbiberant spiritum, ut spe futurorum, etiam civium suorum Macedonum persecutiones illatas pro nomine Christi devoto animo paterentur. Ut horum ergo meritum, & suam ex eorum profectu lætitiam litteris signet, ita scribit ad eos:

Paulus, & Silvanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessaloni- Cap. I.
censium in Deo Patre nostro, & in domino Jesu Christo, ℣. 1.

℣. 1. *gratia vobis & pax.* [a] Trium quidem epiſcoporum nomina A
litteræ continent, ſed ſenſus & verba ſolius Apoſtoli ſunt. Quia enim communi gaudio exſultant in profectu illorum, ex conſenſu ad plebem epiſtola ſcribitur in exaltatione Dei Patris, & domini Jeſu Chriſti pacem & gratiam his exoptans.

℣. 3. *Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam*
veſtri facientes in orationibus noſtris, ſine intermiſſione, memores operis fidei veſtræ, & laborum caritatis, & exſpectationis domini noſtri Jeſu Chriſti, coram Deo & Patre noſtro. Quoniam omnia bona à Deo ſunt, idcirco ei primum gratias referunt in profectu illorum, qui dignatus eſt non ſolùm donum ſuum dare hominibus ſub peccato conſtitutis B ſed in filios hos adoptare, ſimul adjuvans eos ad omnia exitia toleranda, ut digniores fiant. Quamobrem meminiſſe horum dicunt ſe in orationibus ſuis, eo quod crebreſcerent in opere fidei ceteris Eccleſiis; ut nutu Dei perficerent opus cœptum, prompti in ſtudio caritatis, & patientiæ, [b] & ſpei adventus Domini ante Deum, qui dignatus eſt Filium ſuum incarnare pro ſalute humana. Placitum enim Dei eſt, ſi proficiatur in Chriſto.

℣. 4. *Scientes, fratres dilecti à Deo, electionem veſtram; quia*
℣. 5. *Evangelium noſtrum non fuit ad vos in verbo ſolum, ſed &*
in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis veſtri causâ. Humiles ſe C fuiſſe inter eos ſignificant, ut illis formam darent manſuetudinis, non quod defuerint, quæ ad fidem illos hortarentur, magnalia; quia doctrinæ evangelicæ robur virtus præſtabat ſignorum & prodigiorum, in Spiritu ſancto, id eſt, non in phantaſia, ſed in veritate plenitudinis; ut nulli neceſſitati deeſſet auxilium, ſed ſuperabundans gratia videretur & in doctrina, & in converſatione, & in ægris curandis; ut perfectum opus Spiritus ſancti appareret in Theſſalonicenſium Eccleſiis, ut in nullo ſe minores videntes Judæorum Eccleſiis, gauderent in dono Dei, qui participes illos facere dignatus eſt promiſſionis Abrahæ.

℣. 6. *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & ipſius Domini,* D
℣. 7. *ſuſcipientes verbum in preſſura multa cum gaudio Spiritus*
ſancti, ita ut fueritis vos exemplum omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. Cupidi credulitatis, probra & injurias à civibus ſuis paſſi tolerarunt fiduciâ futurorum. Unde æmuli dicuntur apoſtolorum, & ipſius Domini; quia & Dominus eadem paſſus eſt à Judæis, & apoſtoli ſequen-
Act. 5. 41. tes fidem Dei, perſecutiones paſſi ſunt, *gaudentes quia digni habiti ſunt pro nomine Domini contumelias pati*, ſcientes pro his magna fore præmia repromiſſa; idoneus enim ſervus probatur, quando pro amore domini ſui inimicos ejus offendit. Cujus rei memores, gaviſi ſunt ſpe promiſſionis in preſſura. Itaque magna exhortatio eſt ad profectum, E cùm ſimiles illos factos dicit & Chriſti & apoſtolorum ad formam præbendam ceteris credentibus illis in locis, quibus fama illorum ambulabat.

℣. 8. *A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini non ſolum in*
Macedonia & in Achaia, ſed & in omnem locum fides veſtra, quæ eſt ad Deum, proceſſit. Talc eſt hoc, quale & illud
Rom. 1. 8. ad Romanos, cùm dicit: *Quia fides veſtra prædicatur in univerſo mundo.* Sed in his amplius; quia non ſolum fides, ſed opus fidei illorum pervenit in omnem locum.

℣. 9. *Ita ut non neceſſe habeamus nos aliquid eloqui. Ipſi enim*
de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo converſi eſtis ad Deum ab idolis, ad ſerviendum F
℣. 10. *Deo vivo & vero, & ad exſpectandum Filium ejus de cælis,*
quem ſuſcitavit à mortuis Jeſum, qui eripuit nos ab ira venienie. Sic peragraſſe dicunt famam introitus ſui, & converſationis eorum cum prædicatione Evangelii, ut non eſſet neceſſe ea dicere; ſuperfluum eſt enim ea fari, quæ nota ſunt. Ad omnes enim in circuitu pervenerat; ita ut & annuntiarent ceteris qua devotione ſuſceperant apoſtolos. Et quia ad omnia, quæ audierant ab eis, fuerant promtiores, relinquentes deos mortuos: exſpectarent autem Chriſtum de cælis, quem humanæ ſalutis cauſa mortuum audierant, & reſurrexiſſe devicta morte, & cum carne adſumtum in cælos miniſtra nube, ad confuſionem prudentium mundi, qui conſideratione habita mundanorum, carnis naturam, quia gravis eſt, putant non poſſe fieri, ut ſuſtollatur in cælos. Hoc affectu fit Spiritus ſancti, ut erubeſcant terrigenæ prudentes.

A *IPſi enim ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia* Cap. II. ℣. 1.
non inanis fuit: ſed ante multa paſſi, & contumeliis affecti, ℣. 2.
ſicut ſcitis, in Philippis, exerta libertate uſi ſumus in Deo Act. 16. 16.
noſtro loquendo ad vos Evangelium Dei in magno certamine. & ſeq.
Hanc preſſuram, quam nunc memorat; paſſus eſt in Philippis cum Sila propter ſpiritum pythonem, quem à puella ejecerat, quod jam ſuo loco dictum eſt. Cui preſſuræ non ceſſit, ſed fortior inventus eſt, dum audet prædicare, nec loqui timet, ſpe utique promiſſi præmii; ut & hi ſecuri eſſent in perſecutionibus, gaudentes propter futuram mercedem. Signum ergo devoti & fidelis prædicatoris hoc dicit eſſe, ſi in preſſura loqui verbum Dei non timeat, inanem illum ſignificans, qui terrore præſenti formidinem patitur prædicandi. Qui enim ſecurus eſt de promiſſa ſpe, non cedit, ut coronetur.

Nam exhortatio noſtra non ex fallacia, neque ex immun- ℣. 3.
ditia, neque in idolo: ſed ſicut probati ſumus à Deo: ut cre- ℣. 4.
deretur nobis Evangelium, ita loquimur, non ut hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Hoc propter pſeudoapoſtolos dicit, qui in dolo & fallacia prædicabant non miſſi, ut circumvenirent gentes ad ſerviendum legi factorum. Iſte autem electum ſe & miſſum prædicare multis probat rebus; quia & in preſſuris fortior inventus eſt, & in converſatione irreprehenſibilis; ut nihil eſſet in hoc, quod minus Deo videretur dignum, proſequentibus ſignis. Quidam enim quæſtus cauſa Chriſtum prædicabant, favori hominum ſervientes; quia & in arguendo remiſſiores erant, quippe cùm nec auctoritas eſſet, & in tribulatione infirmi; quia non ex corde, ſed in fallacia erat ſermo eorum. Omnis enim qui aliquid ſine ſpe agit, orta tribulatione ſuccumbit.

Neque enim unquam in verbo adulationis converſati ſu- ℣. 5.
mus, ſicut ſcitis, neque in occaſionem avaritiæ. Deus teſtis eſt. Nunc aperit quod ſupra ſignificavit, cùm dicit: *Non in occaſione avaritiæ*. Deum dans teſtem, quia iſtud ex corde faciebat, non in hypocriſi, quaſi contemnens pauca, ut forte plura offerrentur. Unde & ipſos convenit, ſcientes ac probantes quia nulli fuerat adulatus; pſeudo enim apoſtoli formam avaritiæ dari ſibi optabant, ut ipſa occaſione, dum veros apoſtolos omnia illata vident accipere, poſſent ipſi ſine invidia ſimpliciores homines deprædari.

Nec quærentes ex hominibus gloriam, neque à vobis, ne- ℣. 6.
que ab aliis; cùm poſſemus apud vos [c] oneri eſſe, ut Chriſti ℣. 7.
apoſtoli. In tantum gravat pſeudoapoſtolorum cauſam, ut ſe abnuere dicat, cùm liceret illi obſequia requirere, ad comprimendos eos quibus nec facultas erat, nec pudor, & tamen honorem ſibi poſcebant; ſe enim potius quam Dei doctrinam commendare volebant. Apoſtolos autem qui gloriam non ad præſens, ſed in futuro requirebat, ſe humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur.

Sed fuimus parvuli in medio veſtrûm, tamquam ſi nutrix ℣. 8.
foveat filios ſuos; ita deſiderantes vos, cupimus impartiri vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras; quia cariſſimi nobis facti eſtis. Tantum affectum habere ſe circa illos oſtendit (quem, quia verus eſt, non verbis magis quam rebus probatum vult videri; poteſt enim in verbis latere fallacia) ut his exhortationibus provocati omnem ſenſum ſuum in dilectione haberent apoſtoli.

Meminiſtis enim, fratres, laborem noſtrum & fatigatio- ℣. 9.
nem, nocte ac die operantes ad hoc, ne quem veſtrûm grava-
remus. Hoc eſt, quod dicit in Actis apoſtolorum, *Omnia,* Act. 20. 34.
inquit, *quæ mihi, & iis qui ſunt mecum, fuerunt neceſſaria, laboraverunt manus iſtæ.* Unde & in alia epiſtola dicit: *Qui non laborat, nec manducet.* Et hoc contra pſeudoapoſtolos; ut qui otioſi manducarent, prædicatores ſe fingebant eſſe. Ut ergo exemplum daret, quemadmodum gubernanda ſit vita chriſtiana, & fictores proderet, labori inſiſtebat humano, offuſcans pſeudoapoſtolos: præterea quia qui labori inſiſtunt, à malis cogitationibus declinant, occupantes animum ſuum, & à periculis prohibentes.

Prædicavimus vobis Evangelium Dei, vos teſtes eſtis, & ℣. 10.
Deus, quam ſancte & juſte, & ſine querela vobiſcum qui cre-
didiſtis, converſati ſumus ſicut ſcitis: & quomodo erga unum- ℣. 11.
quemque veſtrûm, ut pater filios ſuos, obſecrantes vos, & ℣. 12.
conſolantes, & obteſtantes ad hoc ut ambuletis digne Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam. Manifeſta ſunt hæc; commonet enim illos quomodo crediderint ſe prædi-

a. Amerb. & mſſ. non pauci, *epiſcoporum nomine litteræ continentur.*
b. Nonnulli mſſ. *& fidei adventus* &c.

b. Vet. edit. *honori eſſe*: Rom. ex *honore eſſe*: melius mſſ. ac Oill. *in ma g. oneri eſſe.*

cante, & qualem enim fuerint experti, & quæ præcepta
dederit eis; ut digni fierent Deo, qui illos vocavit de ter-
ris ad cælos, ut exsuscitet lætitiam illorum.
℣. 13. *Ideoque & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quod
cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, suscepistis illud
non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei,
quod & operatur in vobis, qui credidistis.* Deo gratias refe-
runt, qui aperuit sensum illorum ad recipiendum Evan-
gelium suum. Gloria enim prædicantium est, quando au-
dientes facile credunt; tanta enim devotione receperunt ver-
bum, ut probarent se intellexisse Dei esse doctrinam.
℣. 14. *Vos enim, fratres, imitatores facti estis Ecclesiarum Dei,
quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu; quia eadem passi estis*
a *[a] & vos à contribulibus vestris, sicut & nos ipsi à Judæis, qui*
℣. 15. *& dominum interemerunt Jesum, & prophetas, & nos perse-
quuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus ad-*
℣. 16. *versantur, prohibentes nos gentibus loqui, ut salventur, ad
hoc ut suppleant peccata sua semper; sed pervenit ira Dei
super eos usque in finem.* De impietate atque credulitate
queritur diffidentium Judæorum, qui non solum suæ salu-
tis inimici sunt, verum etiam aliorum, prohibentes ne cre-
dant, & salvi fiant, ab initio parricidæ; vel Domino enim
communi parcere debuerant, qui conservis & præpositis
suis non pepercerunt: ut repleantur peccata eorum, in tan-
tum, ne aliquando misericordiam consequi mereantur. Ideo
Thessalonicenses à civibus suis eadem passos dicit, imitatos
patientiam sanctorum, & domini nostri Jesu Christi: cu-
jus sceleris auctores inducit Judæos, ut & quanta gloria
digni sint, qui pro nomine Domini patiuntur, & quæ ultio
infestis & infidis præparata sit, dignoscatur.
℣. 17. *Nos autem, fratres, desolati à vobis ad tempus horæ,
facie, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram*
℣. 18. *videre in multo desiderio. Quapropter voluimus venire ad
vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum, sed impedivit nos
satanas.* Non animo, sed corpore divulsos se dicunt ab eis;
caritas enim non dividitur, nec separatur; sed propter ma-
jorem instructionem etiam faciem eorum cupere se dicunt
videre. In rebus enim divinis deficiunt articuli comprehen-
dere, quæ possunt dici; nec enim sufficit dies stylo his, quæ
unâ horâ possunt depromi; ut non dicam quædam esse mys-
tica religionis nostræ, quæ propter carnales sensus, ne
scandalum patiantur, facile publicari non debeant: quia
non omnibus dicenda sunt omnia, sed pro uniuscujusque
captu moderanda sunt dicta, aliter rudibus, aliter fundatis.
Idcirco præsentia corporis requiritur; quia sic perficitur ve-
ritas caritatis. Quamvis enim caritas non dividatur, desi-
derium tamen facit absentia corporis: denique osculo &
amplexu animorum expletur voluntas. Cui rei impedimen-
to asserit fuisse satanam, qui etiam apostolis obvias manus
tendebat; ne veritatis ratio hominibus panderetur. Accen-
debat enim perfidorum mentes, ut eos verberibus, ac vin-
culis detinerent; ne loquerentur verbum Dei. Dixerunt
enim majores Judæorum apostolis: Nonne præcipientes
Act. 5. 40. denuntiavimus vobis, ne loqueremini in nomine Jesu ulli
hominum? Sed quia quod non est à Deo, stare non potest,
dissolvuntur impedimenta satanæ.
℣. 19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ?*
℣. 20. *Nonne vos coram domino nostro Jesu Christo in adventu ejus?
Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Manifestum est
quia perfectio discipulorum gaudium & corona magistri est.
Hi enim sunt, qui labores fructuum suorum edituri sunt;
fructus enim magistri, discipulus est obediens, cujus dum
bona conversatio proficit magistro, fructus sui edit laborem.
Labor enim discipuli in opere bono coronam dat magistro,
judice Christo.

Cap. III. *IDcirco jam non amplius tolerantes, optimum duximus ut*
℣. 1. *Athenis soli relinqueremur: & misimus Timotheum fra-*
℣. 2. *trem nostrum, & participem operis Dei in Evangelio Christi,
ad hoc ut & vos confirmet, & deprecetur pro fide vestra, ne*
℣. 3. *quis moveatur in his pressuris. Ipsi enim scitis, quia ad hoc*
℣. 4. *positi sumus; nam & cum apud vos eramus, prædicebamus vobis*
b *[b] passuros nos pressuram, sicut factum est, & scitis.* Desiderii
supra memorati causas expressit. Idcirco enim præsentes
esse apud eos volebant, ut animos eorum firmarent; ne
quis ex his scandalum pateretur de pressuris apostolorum,

A ut qui tanta signa facerent, aliquando infirmarentur; ita
humiliati, ut verberibus & vinculis subjicerentur. Ad quam
rem excusandam Timotheum missum testatur idoneum
doctorem, qui ostenderet hinc merita crescere christianis,
si pro nomine Domini passi gratias agant, à quo hujus rei
mercedem exspectant, simulque preces Deo funderent, ut
stabiles essent. Quam persecutionem idcirco se passuros
prædicaverant; ut per id quod præscientiam hujus rei ha-
bere se protestarentur, posse se effugere & declinare has
injurias approbarent: sed quia spes magna in his est, ideo
dicit illatas sufferre quidem libenter.
Ideo & ego non amplius tolerans, misi ad hoc ut cognos- ℣. 5.
B *cerem fidem vestram; ne quo modo adtentaverit vos ille tenta-
tor, & inanis fiat labor vester.* Illud propter quosdam dicit,
qui possent seduci astutiâ satanæ; quia in omni plebe est
pars firma & infirma, quorum causâ sollicitus erat, ne amit-
teret fructum credulitatis eorum. Et quia diutius passus
non est nescire se quid certius ageretur circa illos, misit
Timotheum episcopum à se creatum, à quo posset certum
scire.
Modo autem cum venisset Timotheus ad nos à vobis, & ℣. 6.
*annuntiasset nobis fidem & caritatem vestram: & quoniam
memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos vi-* ℣. 7.
dere, sicut & nos quoque vos; ideo consolationem sumus adepti,
C *fratres, in vobis super omni necessitate & pressura nostra per* ℣. 8.
*vestram fidem; quoniam nunc vivimus, si vos steteritis in
Christo.* Declaravit cur alacri sermone scribat ad eos; ideo
enim, nuntio veniente, & firmitatem devotionis illorum in
fide & dilectione Apostoli declarante, lætus factus de com-
muni concordia, scribit ad eos securum habens fructum fi-
dei & bonæ conversationis eorum.
Quam enim gratiarum actionem possumus referre Deo de ℣. 9.
vobis super omni gaudio, quo gaudemus propter vos coram Deo ℣. 10.
*nostro, nocte dieque abundantissime orantes; ut videamus fa-
ciem vestram, & suppleamus, quæ desunt fidei vestræ.* Nihil
D dicit tam dignum, quod sufficere possit ad compensationem
adquisitæ salutis gentium. Et quoniam provexerant se per-
severantia fidei, & actu vitæ melioris, magis ac magis cu-
pit eos videre; ut ea quæ ad perfectionem illorum perti-
nent, edíscant, sacramenta scilicet rerum spiritalium, quæ
facile publicari non debent; ut scirent quis & quam im-
mensus est ille, quem judicem sperabant. Aliud est enim
fidem accipere, & aliud expositionem fidei; altera enim
disputatio est de natura Patris, [c] & Filii, & alia de per- c
sonis. Pater ingenitus est, Filius vero genitus: quantum ad
personas pertinet, diversum videtur, cùm sit individua uni-
tas naturæ; unitas enim non in persona est, sed in substan-
tia: Spiritus autem sanctus non degener putetur; quia ter-
tius ponitur. Qui ergo de secunda persona non ambigit,
E admittit & tertiam.
Ipse vero Deus & Pater noster, & dominus noster Jesus ℣. 11.
Christus dirigat viam nostram ad vos. Integro ordine iter
suum disponi postulat, primum à Deo Patre; quia ab ipso
sunt omnia: deinde à domino Jesu Christo, per quem sunt
omnia; ut virtus atque providentia Patris & Filii adventum
ejus commendet, & ut acceptabilis fiat audientibus se, &
impedimenta diaboli solverentur ad dirigendum iter ejus.
Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat cari- ℣. 12.
tate in invicem [d] in vos, & in omnes, sicut & nos in vos ad d ℣. 13.
confirmanda corda vestra irreprehensa in sanctimonia coram
F *Deo & Patre nostro in adventu domini nostri Jesu Christi cum
omnibus sanctis suis.* Ut gaudium suum, quo de eis gaudet,
cumulet, omnibus bonis multiplicari illos exoptat; ut ve-
niens ad eos, plus inveniat in eis, quod laude dignum sit,
quam à Timotheo audierat; ut irreprehensibiles invenian-
tur cum sanctis in caritate Dei Patris, & in adventu do-
mini nostri Jesu Christi, cùm cœperit ante tribunal ejus
examinatio singulos approbare. Deum vocat propter terio-
rem majestatis ejus: Patrem vero propter benignitatem,
qua dignatur credentes sibi adoptare in filios, quod in ad-
ventu Domini manifestabitur.

QUod superest itaque, fratres, rogamus vos & obsecra- Cap. IV.
mus in domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis ℣. 1.
*qualiter oporteat vos ambulare, & placere Deo, sicut & am-
bulatis, ut abundetis magis.* Hoc est, quod supra dixi, quia

a. Rom. edit. *& vos à contribulibus vestris.*
b. Nonnulli mss. *passuros vos pressuram.*
c. Rom. edit. *& Filii & Spiritus sancti.*

d. Rom. edit. *in nos & in omnes*; & post paulo, *corda vestra irreprehensibilia*: vet. edit. ac mss. ut in textu, nisi quod in mss. quibusdam legitur, *corda nostra.*

ad cumulandum gaudium suum crescere illos vult in bonis A
operibus secundum mandata apostolica.
℣. 2. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per dominum nos-*
℣. 3. *trum Jesum. Nam hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra,*
abstinere vos à fornicatione, & scire unumquemque vestrum
℣. 4. *suum vas possidere in sanctimonia & honore: non in passione*
℣. 5. *desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum: & ut ne quis*
supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum;
℣. 6. *quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut & prædi-*
ximus vobis, & testificati sumus. Quamvis laudet eos in
tota epistola, tamen commonet ne aliqua subreptione ad
illicita deducantur, & incurrant vindictam, quam ultri-
cem malorum didicerunt: scientes hoc Deo placere, si B
corpora sua incontaminata custodiant, sed & cum fratribus
simpliciter agant; ne similes gentibus inventi, adoptionis
nomine abdicentur.
℣. 7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sancti-*
℣. 8. *moniam. Quapropter qui spernit hæc, non hominem spernit,*
sed Deum, qui dedit Spiritum sanctum in nobis. Ut fortius
a adstringat ad ea, quæ docet, [a] Dei interponit personam,
dicens: *Non hominem spernit, qui præterit præcepta, sed*
Deum. Quem ideo dicit Spiritum sanctum nobis dedisse, ut
Sap. 1. 4. sancte vivamus; quia in corpore subdito peccatis non ha-
bitat Spiritus sanctus. C
℣. 9. *De affectione autem fraternitatis non habemus necessitatem*
Joh. 6. 45. *scribendi vobis; ipsi enim à Deo edocti estis, ad hoc ut vos*
℣. 10. *invicem diligatis. Nam & hoc facitis in omnes fratres per*
universam Macedoniam. Etiam hoc eum facere illos laudat,
commonet tamen ut propensius id agant; quos enim ab
ipso Deo doctos dicit, promtiores esse debere in fraterna
dilectione significat. Propter multam enim caritatem Deus
misertus est nostri, cujus imitatores effecti, non immerito
adoptatos nos ostendimus à Deo in filios.
℣. 11. *Hortamur autem vos, fratres, abundare magis; & eniti*
quiescere, & vestrum negotium agere, & operari manibus
vestris, sicut vobis præcepimus; ut honeste ambuletis ad eos D
qui foris sunt, & nullius desiderium sit in vobis. Iterum ea-
dem hortatur, ut datâ operâ abundent bonis actibus; ut
b enim [b] significet vere hoc esse, quod placet Deo, frequen-
ter hoc monet. Justitiæ enim via tenenda est, ut ad mise-
ricordiam jure veniatur; ut qui sunt inferiores substantia,
manibus laborent; ne ipsa intentione tollantur à vulgari
inquietudine, & prava cogitatione, ut disciplina eorum
etiam ab infidelibus laudetur, & provocari ad fidem pos-
sint.
℣. 12. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de iis qui dormiunt;*
c [c] *ne contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Nam*
℣. 13. *si credimus quod Jesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus* E
illos, qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. Manifesta
est ratio, quia si resurrectio creditur mortuorum futura,
non sunt lugendi, qui cum signo crucis exeunt. Lugendi
autem vere sunt infideles, qui hinc transeunt in gehennam;
ut ediscant verum esse, quod credere noluerunt. Fideles
autem resurgent ad gloriam, ut qui in sæculo stulti habi-
ti sunt propter fidem, videantur prudentes; providerunt
enim sibi gloriam. Hi sunt qui per Jesum, id est, sub spe
fidei hujus exeuntes, adducentur cum eo in adventu ejus;
ut ab hominibus videantur. Cùm tamen ipse defuncti ex-
Philip. 2. 27. cessum lugendum prohibeat, ipse alibi dicit: *Ne tristitiam*
haberem. Sed jam suo loco solutum est. F
℣. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vi-*
vimus, qui subrelicti sumus in adventum Domini, non præ-
℣. 15. *veniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu,*
& voce Archangeli, & tuba Dei descendet de cælo, & hi
℣. 16. *qui in Christo mortui sunt, resurgent primi: deinde nos qui*
vivimus, qui relinquimur, una cum illis rapiemur in nubi-
bus obviam Domino in aëra, & sic semper cum Domino eri-
℣. 17. *mus. Quare consolamini vos invicem in his verbis.* Sensu
Domini loqui se profitetur, cùm dicit: *Hoc vobis dicimus*
d *in verbo Domini.* [d] Ut enim fidam spem & ratam gloriam
resurrectionis sanctis promissæ demonstret, ordinem ipsum,
quomodo futura sit, exponit, nutu judicis Christi, sancto
Spiritu intimante; ut ipsa spe qui caros suos præmiserunt,
non doleant, addiscentes quia in adventu Domini priores
Apoc. 12. 7. & seq. resurgent, qui in Christo moriuntur. Ipse enim Christus
e dominus voluntate Patris, [e] quasi primus Angelus de exer-
citu cælesti, sicut continetur in Apocalypsi Johannis apos- Apoc. 11. 3. & seq.
toli, descendet de cælo ad gerendum bellum nomine Dei
contra antichristum. Quo extincto, jussu ejus resurgent
mortui. Hoc est ergo in tuba Dei descendere, nomine Dei
bellum gerere; est enim, ut ipse dixit ad Jesum filium Josue. 5. 14.
Nave, dux & princeps exercitus Domini, propter quod
Archangelus dicitur. Cùm autem in tuba Dei descendet,
Deus est; quia utrumque continent Scripturæ, sicut in
Exodo, quem Angelum in flamma apparuisse Moysi legi-
mus, statim ipsum in subjectis esse Deum agnoscimus,
id est, Filium Dei, dicente eadem Scriptura: *Et accedens,* Exod. 3. 6.
inquit, *Moyses avertit se: quia non potuit considerare in*
B *faciem Dei.* Deus ergo est, quia Filius Dei verus est Deus:
dux autem & princeps ideo, quia caput omnium est; quia
per ipsum omnia. Resurgentibus ergo primis, qui in Chris-
to mortui sunt, deinde nos qui vivimus, rapiemur una
cum illis bajulis nubibus obviam Christo in aëra; ut cum
Domino omnes veniant ad prælium, & quos occiderat,
videat vivos; quia sicut Domino famulatæ sunt nubes,
ita & his quos fratres suos dignatus est appellare. *Et sic*
semper cum Domino erimus; in ipso enim raptu mors pro-
veniet & quasi per soporem, ut egressa anima in momen-
to reddatur. Cùm enim tollentur, morientur; ut perve-
C nientes ad Dominum, præsentiâ Domini recipiant animas;
quia cum Deo mortui esse non possunt. *Itaque consolamini*
vos invicem in his verbis. Hac spe consolari se invicem ju-
bet eos, qui adhuc more gentili carorum suorum excessum
putabant lugendum.

DE temporibus autem & momentis, fratres, non est ne- CAP. V. ℣. 1.
cesse vobis scribi; ipsi enim diligenter scitis, quia dies
Domini, ut fur noctu, ita veniet. Cum enim [f] *dixerint: Pax,* f ℣. 2.
& securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, quem- ℣. 3.
admodum dolor partus prægnanti, & non effugient. Hoc est
quod in Evangelio Dominus loquutus est, dicens; *Vigilate,* Matt. 25. 13.
D *quia nescitis horam, qua Dominus vester venturus est.* Et ite-
rum: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut ecce illic;* Matt. 24. 23.
nolite credere. Subito enim & ex insperato apparebit sicut
coruscatio apparet ab oriente in occidentem, habens secum
militiam exercitus Dei Patris ad perditionem antichristi
& satellitum ejus. Cùm enim securi fuerint perfidi de regno
diaboli, interfectis sanctis, id est, Enoch & Elia, læti de
victoria invicem sibi mittentes munera, sicut dicit Apoca- Apoc. 11. 7. & seq.
lypsis, tunc illis subito veniet repentinus interitus. In ad-
ventu enim suo Christus hos omnes disperdet; ut videntes
sancti, quod evaserint, glorientur.
Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies ille ℣. 4.
E *tamquam fur apprehendat: omnes enim vos filii luminis estis* ℣. 5.
& filii diei: non estis noctis neque tenebrarum. In tenebris
ignorantiam significat & mendacium, in die autem scien-
tiam & veritatem. Idcirco christianos non in tenebris esse
dicit, gentiles autem, vel incredulos Judæos filios tene-
brarum; quia cultores sunt mendacii. Quamobrem fideles
securos esse debere significat; quia non ignorant futurum
adventum Domini, sed exspectant solliciti, ut veniat. Qui
autem ignorant diffidentes de eo, repente illos apprehen-
det improvidos, & interficiet.
Igitur non dormiamus, sicut & ceteri: sed vigilemus, & ℣. 6.
sobrii simus. Hi enim qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ℣. 7.
F *inebriantur, nocte sunt ebrii. Nos autem qui diei sumus, so-* ℣. 8.
brii simus, induti thoracem fidei & caritatis, & galeam spei
salutis; quia non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitio- ℣. 9.
nem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mor- ℣. 10.
tuus est pro nobis; ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul
cum illo vivamus. Propter quod exhortamini invicem, & ædi- ℣. 11.
ficate alterutrum, sicut & facitis. Apertum est quod dicit;
commonet enim, ne securi de nomine Salvatoris, negligen-
ter agamus: ideoque tribus propugnaculis nos muniri de-
bere, id est, fidei, & spei, & caritatis. Dum enim fides
manet, spem excitat: spes autem necessario sollicita est de
promissione, nec dormit: caritas autem devotum offert
Deo; nihil enim adversum admittit caritas. Idcirco enim
mortuus est pro nobis dominus Jesus, & resurrexit; ut sive
vigilemus, hoc est, vivamus, sive dormiamus, id est, mo-
riamur, una cum illo æterna vita fruamur. Hoc est quod
supra dixit quia fideles in adventu Domini tam mortui,

a. Codex Laud. *Dei interponit doctrinam.*
b. Idem cod. Laud. *significat, & vere hoc est, quod placet Deo.*
c. Rom. edit. *ut non sitis tristes.*
d. MSS. aliquot, *Ut enim fidem, spem &c.*
e. Editi nonnulli, *Angelus Dei cum exercitu cælesti.*
f. Omnes edit. & quidam MSS. *dicent, pax & securitas.*

quam vivi obviam tollentur Domino, & semper vivent cum eo. In hoc meditandum docet, ut invicem se io isto ædificent sensu.

Rogamus autem vos, fratres, ut cognoscatis eos. [a] qui labo-
℣. 12. *rant in vobis, & præsunt vobis in Domino, & monent vos;*
℣. 13. *ut illis summum honorem habeatis in caritate propter opera*
1. Tim. 5. 17. *ipsorum: pacem habete inter vos.* Hoc est, quod dicit & in
alia epistola presbyteros duplici honore honorandos, qui laborant in verbo doctrinæ. Potest enim pigere eum, qui inopiam patitur, exercitium facere, quod prosit audientibus. Quid enim prodest honorem sine fructu habere: aut quid magnum est offerre ei carnalia, qui tribuit spiritalia? Sicut enim divitiæ negligentiam pariunt salutis, ita B egestas, dum saturari quærit, à justitia declinat. Hinc Sa-
Prov. 30. 8. lomon nec nimis divitem se petit fieri nec egestuosum. Hoc
ipsum tamen in caritate fieri debere; ut honorificentia sacerdotis non de timore magis sit, sed de amore; ut etiam illi proficiat, qui facit. Res enim quæ sponte non fit, ad effectum non pervenit; quamvis enim ad præsens proficiat sumenti, nihil tamen proderit in futuro danti. Et quia dissensio multa generat mala, pacificos eos esse hortatur.

℣. 14. *Rogamus vero vos, fratres, corripite inquietos, consolami-*
ni pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad om-
℣. 15. *nes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed sem-*
per quod bonum est sectamini & in invicem, & in omnes. Sem- C
℣. 16. *per gaudete in Domino. Sine intermissione orate, in omnibus*
℣. 17. *gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in*
omnibus vobis. Quoniam necesse est quosdam in plebe esse
immodestos, quosdam autem pusillanimes, hoc est, timidos, quosdam vero fide infirmos; ideoque hos [b] qui moderati sunt & magnanimes, & fide fundati, hortatur cum prece, ut his consulant, ut possint proficere, sufferentes eos; ne si retributio fit malorum, pejores se fiant. Idcirco nihil aliud quam bonum sectandum hortatur; non solùm in causa fratrum, sed & in omnium. Possunt enim bonis operibus adtrahi infideles ad credulitatem, ex qua semper gaudeatur in Domino, hoc est, in bonum. Orandum au- D tem sine intermissione; sedulæ enim preces provocant animum judicis ad dandam misericordiam. In omnibus vero actibus bonis Deo gratias agendas, qui hanc tribuit doctrinam in Christo Jesu domino nostro.

℣. 18. *Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere.*
℣. 19. *Omnia probate: quod bonum est, tenete: ab omni specie mala*
℣. 20. *abstinete vos.* Hoc dicit, ut non facile alicui per spiritum
℣. 21. loquenti interdicatur (extinguitur enim, si incipientis lo-
℣. 22. qui fervor [c] contradictione sopitur) ne forte non intelli-
gentes dici ab eo spiritalia, injuriam faciant Spiritui sancto, & peccent per ignorantiam: neque aliquem qui quasi E Scripturas revelet, non audiri patienter debere: sed omnia dicta examinari, & sic judicari; ne forte gratiam datam fratri dum respuunt, auctori repugnent. Omnia ergo quæ dicuntur, probanda monet; & quidquid sobrie & bene dictum fuerit, retinendum. Quæcumque enim apostolorum & ipsius Domini dictis congruunt, ea bene dicta habenda sunt & retinenda: ab his autem quæ inimica fidei videntur, abstinendum. Solet enim spiritus mundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, & inter A hæc subinducere prava, ut per hæc quæ bona sunt, accepto ferantur & mala; ut quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur ab invicem: sed per id quod licitum est, commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis. Solent enim sub apostolorum nomine & ipsius Domini infanda docere & adversa; ideoque omnia probanda monet, quia non possunt eloquia Domini esse diversa. Hinc est unde & Johannis apostoli epistola:
Nolite, inquit, *omni spiritui credere: sed probate spiritus,* 1. Johan. 4.
si ex Deo sunt; quia si multa bona dicat, in aliquo autem quod fidei adversum est, promat, sciatur non esse Spiritus sanctus. Nihil enim erroris in Spiritu sancto poterit reperiri. Sed per exercitium eloquii quædam spiritalia, quædam vero carnalia; quia omnis error carni deputatur, aut certe commento quodam astutiæ bona fingit; ut his inserat mala, sicut supra memoravi: quemadmodum in Montano, & Priscilla, & Maximilla prophetis cataphrygatum spiritus mundi imitatione quadam boni simulavit; ut per multa virisimilia, necnon & vera, mentiretur se esse Spiritum sanctum.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia perfectos; ℣. 23.
ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela
in adventu domini nostri Jesu Christi servetur. Deus pacis
Christus est; ait enim: *Pacem meam do vobis, pacem meam* Johan. 14. 27.
relinquo vobis. Quippe cùm omnia quæ habet Pater, Filii
sint, hunc sanctificare nos optat Apostolus; ut nos illus-
tret pietate clementiæ suæ, [d] & omnem actum nostrum di- d
rigat in perfectione, ut integer sit spiritus datus nobis. Tunc enim integer est, si bonæ vitæ studeamus, animam habentes mundam, & corpus sine querela; ut totus homo sit perfectus. Potest enim corpus mundum esse, & anima inquinari per malum cogitatum: ideoque spiritum in homine mundum dicit esse debere. Si autem mala vita vel cogitatio intercedat, non erit integer spiritus; quia deserit hominem peccatis obnoxium. Dum enim dissentit anima & corpus, quamvis sine sensu sit, alieni ab eo efficiuntur, & velut perdens eos, non erit integer spiritus; ad hoc enim datur homini, ut maneat in eo, & sit quasi caput ejus. Integer ergo non erit; quia perdit membra, dum recedit ab eo homo, ea agens quæ odit Spiritus sanctus.

Fidelis est enim Deus, qui vocavit vos, qui & faciet. Fra- ℣. 24.
tres, orate pro nobis. Fidelem Deum dicit in promissis suis, ℣. 25.
ut securi de præmio recte versentur. Et quia qui recte vivunt juxta Evangelium, facile poterunt impetrare quæ postulant; idcirco orare eos pro se hortatur: facile enim multi impetrant, quod desiderant.

Salutate fratres omnes in osculo sancto. Sancta oscula sunt ℣. 26.
in salutatione christiana, cetera carnalia sunt; quia quidquid sine Christo fit, carnale est, ac per hoc & mortale. Qui enim auctorem vitæ contemnit, in morte est.

Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus ℣. 27.
fratribus. Adstringit eos, ut solliciti sint ad legendam epistolam cunctis fratribus; ut cognoscant & laudes & admonitiones suas, per quas fiant perfecti.

Gratia domini nostri Jesu Christi vobiscum. Sic illos in bo- ℣. 28.
nis operibus vult proficere; ut gratia Domini nostri Jesu Christi permaneat in eis in æternum.

a. Rom. edit. *qui laborant inter vos*. Et infra, *pacem habete cum eis*.
b. Rom. ac mss. nonnulli, *qui modesti sunt*. Infra vero codex Laud. *pejores se faciant*.
c. Mss. aliquot, *contradictione sopitur*.
d. Omnes edit. *& omne votum*: omnes mss. *& omnem actum*.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD THESSALONICENSES SECUNDAM

PROLOGUS.

1. Thessal. 4. 13. & seq. Ibidem 5. 1. & seq. QUONIAM in prima epistola ad Thessalonicenses data inter cetera etiam de adventu Domini quædam scripsit, & de resurrectione sanctorum; nunc aliam scribit ad eos, in qua significat, licet obscure (neque enim aperte potuit scribere) de abolitione regni Romani, & de antichristi apparentia & damnatione, & de quorumdam fratrum inquietudine.

CAP. I. ℣. 1. *PAulus, & Silvanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessalo-*
nicensium in Deo Patre nostro, & in domino Jesu Chris-
A *to. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & domino Jesu* ℣. 2.
Christo. Solemnibus verbis scribit ad eos; solito enim more sermonum caput continetur epistolæ: & idem ipsi tres sunt, quorum nomine scribitur, sicut & prima epistola.

Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres, sicut 1. Thess. 1. 2.
dignum est; quoniam superexcrescit fides vestra, & multipli- ℣. 3.
catur caritas uniuscujusque vestrûm omnium in vos invicem.
Deo se debitores de horum profectu in gratiarum actione profitentur; & ut non qualecumque esse debitum ostenderet: *sicut dignum est*, ait; ut pro tam infinito dono magnas gratias referendas Deo testarentur. Post acceptam enim

primam epistolam meliores esse, quam fuerant, perstiterunt;
ita ut in eo copiosi & abundantes viderentur, quod post
Johan. 13. 34. Domini & Dei devotionem habemus mandatum, ut diliga-
mus nos invicem.
℣. 4. *Ita ut nos ipsi de vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro pa-*
tientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris &
℣. 5. *pressuris, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, in*
hoc ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Glo-
riam esse suam in horum conversatione & persecutione[a] to-
lerata testatur, in tantum ut apud ceteras Ecclesias exem-
pla eorum proferantur; ut imitatione eorum crescant in
devotione passionum pro Christo, & mereantur consequi
quæ promissa sunt sanctis, in die justi judicii Dei, cujus
amore mundum spernere non dubitarunt. Ipsæ enim pressu-
ræ exempla sunt futurorum meritorum in his, qui patiun-
tur, ad gloriam: in illis autem, qui persequuntur, ad per-
ditionem.
℣. 6. *Siquidem justum est apud Deum retribuere iis, qui vos de-*
℣. 7. *primunt, pressuram: & vobis qui afflictionem sustinetis, re-*
quiem nobiscum in revelatione domini Jesu de cælo cum Ange-
℣. 8. *lis virtutis ejus in igne flammæ dantis vindictam in eos, qui*
non noverunt Deum, & in eos qui non obaudiunt Evangelio
℣. 9. *domini nostri Jesu Christi, qui pœnas solvent in interitum*
æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus. Quoniam
exemplum justi judicii Dei apparere dixit sive in bonos,
sive in malos; idcirco subsequutus ait: *Siquidem justum est*
apud Deum; ut reddat unicuique secundum opera sua. Quid
tam justum, quam ut hi qui in sæculo deprimunt bonos,
& extorres eos faciunt persecutionibus, in futuro eadem
patiantur, quæ faciunt: illi autem ut sint in requie cum
ceteris sanctis, qui de magna tribulatione venientes, reg-
num accipient æternum in adventu Domini de cælo; cùm
cœperit venire cum cælesti exercitu suo, & ministro igne
ad dandam vindictam in paganos, qui ignorant Deum Pa-
trem esse Jesu Christi; & Judæos, qui dicentes se Deum
scire, non credunt Evangelio Christi, quod dedit illi Pater
Deus, ut traderet servis suis? Quot omnes præsentia Do-
mini, & gloria majestatis ejus ignis exuret; ut debitas red-
a dant pœnas interitus in æternum, [a] semper patientes, non
tamen penitus deficientes: ut ipsa pœna illos quodammodo
generet semper, quo consumantur.
℣. 10. *Cùm venerit clarificari in sanctis suis, & mirificari in*
omnibus, qui crediderunt: quia fidem habuit testimonium nos-
trum super vos in die illa adventus Domini. Duplicem con-
tinet sensum; adveniet enim punire malos, & glorificare
bonos. Ipse enim clarus & mirabilis videbitur in eos, qui
credunt exemplo & fidei apostolorum, cùm fuerint coro-
nati, testimonium reddente illis Evangelio in die Domini:
severus autem apparebit in incredulus, cùm æternis pœnis
coarctati cœperint. Corona enim discipulorum magistri
est gloria, & veritas ejus incredulorum est pœna; quia
quod prædicabatur, non credebatur.
℣. 11. *In quo & oramus semper pro vobis, ut vos dignos habeat*
vocatione sua Deus noster, & impleat omni placito bonitatis,
℣. 12. *& opere fidei in virtute; ita ut clarificetur nomen domini*
nostri Jesu Christi in vobis, & vos in ipso secundum gratiam
Dei nostri, & domini Jesu Christi. Gaudio addit & preces,
ut quia devoti sunt, dignetur Deus adjuvare eos, ut perfi-
ciant opus cœptum ad claritatem domini nostri Jesu Chris-
ti; ut perseverantia discipulorum testimonium sit magistro
ad gloriam. Auctoritas enim magistri in discipulorum est
fiducia, cùm se in accepta gratia faciunt digniores.

CAP. II.
℣. 1. R*Ogamus autem vos, fratres, per adventum domini nostri*
Jesu Christi, & nostræ congregationis in illum, ne facile
moveamini à sensu vestro, neque conturbemini, neque per spi-
℣. 2. *ritum, neque per verbum, neque per epistolam tanquam à*
nobis missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat
℣. 3. *ullo modo; quoniam nisi venerit defectio primum, & revela-*
b *tus fuerit* [b] *homo ille peccati, filius perditionis, qui adversa-*
tur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod co-
℣. 4. *litur; ita ut in templo Dei sedeat, ostentans se ipsum, quasi*
sit Deus. Obsecrat, eos ne leviter & facile de adventu quasi
imminentis Domini opinionem reciperent: & talia dat man-
data, ut etiamsi per spiritum aliquis velut propheta fuerit
loquutus, credi ei non debeat: neque si per tractatum aut
per epistolam nomine forte apostolorum scriptam, adien-

A sum tribuendum. Solent enim tergiversatores, ut fallant,
sub nomine clari alicujus viri epistolam fingere; ut aucto-
ritas nominis possit commendare, quod per se ipsum recipi
non posset. Hoc ideo, ne ipsa perturbatione dum incauti in-
venirentur, possent seduci ad adorandum diabolum, qui idcir-
co hæc jactabit, ut sub Salvatoris nomine apparens, ac fallens
sanctos, velit se adorari, ut decipiat credentes in Christum.
Sed ut locum aut occasionem fallendi, quam se putat ha-
bere, non habeat impudentissimus satanas, tempus & signa
adventus Domini designavit; quia non prius veniet Domi-
nus, quam regni Romani defectio fiat, & appareat anti-
christus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis liberta-
te, sub suo tamen nomine. Sciens enim venturum Domi-
B num ad se comprimendum, nomen ejus sibi usurpabit: &
ut regnum ejus verum esse videatur, adtrahet secum qui si-
mul cum eo pereant; ita ut in domo Domini in sede sedeat
Christi, & ipsum Deum se adserat, non filium Dei. Unde
in Evangelio ad Judæos Dominus ait: *Ego veni in nomine* Johan. 5. 43.
Patris mei, & non me recepistis; si alius venerit in nomine
suo, illum accipietis. Quamobrem ex circumcisione, aut
circumcisum illum venire sperandum est; ut sit Judæis cre-
dendi illi fiducia. Itaque cùm Thessalonicensibus scribit
Apostolus, docet omnes in re hujuscemodi cautos esse de-
bere.
An non meministis quod me adhuc apud vos agente, [c] hæc c
C *dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis: ad hoc ut reve-* ℣. 5.
letur ille in suo tempore. Hoc superesse dicit, ut reveletur ℣. 6.
ille, qui ante Dominum venturus est; ut jam speretur &
Dominus venturus, quod supra quasi sub velamine factus
est, dicens: *Nisi venerit defectio primum*; quam regni Ro-
mani abolitionem superius intelligendam memoravi; ut cùm
defecerit, & venerit antichristus, tunc adventus Domini
venire credatur.
Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantum ut qui ℣. 7.
nunc tenet, teneat, quoadusque de medio fiat. Mysterium ini-
quitatis à Nerone inceptum est, qui zelo idolorum aposto-
los interfecit, instigante patre suo diabolo, usque ad Dio-
cletianum, & novissime Julianum, qui arte quadam & sub-
D tilitate cœptam persecutionem implere non potuit; quia
desuper concessum non fuerat. His enim ministris utitur
satanas, ut interim sub turba deorum ad seducendos homi-
nes unius veri Dei manifestatione illudat, quamdiu stete-
rit regnum Romanum, hoc est, quod dicit: *Donec de me-*
dio fiat.
Et tunc revelabitur ille iniquus, quem dominus Jesus in- ℣. 8.
terficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione præsentiæ suæ: ℣. 9.
cujus est adventus secundum operationem satanæ, in omni
potestate, & signis & portentis mendacii. Post defectum reg-
ni Romani appariturum antichristum dicit, sicut memora-
tum est. Novissimo enim tempore sciens diabolus imminere
sibi interitum; deficiente autem regno Romano, & ille de
E cælis mittetur deorsum, projectus in terram (sicut dictum
est in Apocalypsi Johannis Apostoli) subornabit sibi in Apoc. 12. 13.
quo & per quem signa quædam virtutis permissu justi Dei
faciens, se commendet, ut adoretur, quasi sit Deus. Imita-
bitur enim Deum, ut sicut Filius Dei divinitatem suam ho-
mo natus vel factus signis ac virtutibus demonstravit: ita
& satanas in homine apparebit, ut virtutibus mendacii os-
tendat se Deum, sicut supra dictum est. Revelatio vero
mysterii iniquitatis hæc est: cùm enim apparuerit antichris-
tus, cognoscetur ipse esse quasi eorum Deus, quos prius
nutu ejus ut deos coluit vulgus, quorum sit ipse primus aut
summus, quod signorum virtutibus faciet credibile. Ideo
F vero potentia mendacii dixit, quia hoc se vult credi per
signa, quod non est; ut decipiat quos circumventurus est:
quod sanctis ideo prædictum est, ut sciant quid caveant.
Et in omni fallacia iniquitatis, iis qui pereunt: pro eo ℣. 10.
quod dilectionem veritatis non susceperunt, ad hoc ut salvi
fierent. Iis dicit fallaciam iniquitatis prodigiorum ejus pro-
ficere, qui perituri sunt; quia enim veritatis caritatem
spreverunt, per quam salvari poterant apostolis prædican-
tibus, traditi sunt diabolo; nolentes enim salvari, defe-
cuntur à Deo.
Et idcirco mittet illis Deus operationem erroris, in hoc ut ℣. 11.
credant mendacio; quatenus judicentur omnes, qui non credi-
derunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Operatio erro-
ris est falsis fidem committere, ut qui claritatem luminis

a. Ita mss. plures potioresque: edit. vero cum aliis mss. quibusdam, *semper fruientes.* Minus commode.

b. Rom. edit. *homo iniquitatis, filius interitus.*
c. Quidam mss. *hæc dicebam vobis? Et nunc scitis. Quid* &c.

diem esse consentire noluerunt, putant tenebras diem dici
debere; ut possint propensiori delicto rei facti, sine con-
tradictione damnari veritatis inimici, fautores autem ini-
quitatis.
℣. 12. *Nos vero debemus gratias agere Deo semper de vobis, fra-*
℣. 13. *tres dilecti à Domino, quia adsumsit vos Deus à principio ad*
salutem, in sanctificationem spiritus, & fidem veritatis, in
quam vocavit vos per Evangelium nostrum in adquisitionem
gloriæ domini nostri Jesu Christi. Hoc loco præscientia Dei
personat, quia scit omnium mentes ante nativitatem eo-
rum; nec enim latet illum, qui credituri sunt. Idcirco à
principio scit hos fideles fore, qui credentes augmentum
fidei faciunt, non detrimentum; sanctificati enim per fidem
veritatis Evangelii Filii Dei, adquiruntur ad augmentum
gloriæ corporis Christi, sicut & in alia epistola ait: ut
Coloss. 2. 19 crescant, inquit, omnia in incrementum Dei. Quicumque
enim, deserto diabolo, confugiunt ad fidem Christi, aug-
mentum faciunt Deo in corpore Christi, qui priùs fece-
rant detrimentum.
℣. 14. *Itaque, fratres, state, & tenete traditiones nostras, quas*
didicistis sive per verbum, sive per epistolam nostram. Ut
præscientia Dei maneat in salutem illorum, idcirco in tra-
ditione Evangelii standum ac perseverandum monet; ut sol-
liciti sint, ne desidia & otio torpentes in operibus Dei,
non impleant quod cœperunt. Sic enim præscit credere &
posse manere, si crebra admonitione pulsentur.
℣. 15. *Ipse autem dominus noster Jesus Christus, & Deus ac pater*
noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, &
℣. 16. *spem bonam in gratia; consoletur corda vestra, & stabiliat in*
omni opere & verbo bono. Quoniam Pater & Filius una
virtus, unaque divinitas & substantia est, ideo non dubi-
tavit primò dominum nostrum Jesum Christum nominare,
deinde Deum Patrem nostrum dignatione ejus, non veri-
Johan. 3. 16. tate naturæ: qui in tantum dilexit nos, ut Filium suum da-
ret pro nobis, Deum pro hominibus, pro servis Dominum,
pro adoptivis Filium verum; ut mors ejus vita nostra sit,
& resurrectio ejus justificatio nostra, secundus autem ad-
ventus ejus requies vitæ nostræ, & gloria in æternum; ut
ista spes consolatio sit præsentium pressurarum, per quam
fundati crescerent in bonis operibus & doctrina.

Cap. III. *Quod reliquum est, fratres, orate pro nobis, ut verbum*
℣. 1. *Domini currat & clarificetur, sicut & apud vos. & ut*
℣. 2. *liberemur ab importunis & nequam hominibus; non enim om-*
nium est fides. De cetero orandum hortatur, ut dignetur
Deus doctrinam suam infatigabili cursu dirigere, & trans-
fundere per os Apostoli sui in aures audientium, & ut
compesceret & sedaret malorum hominum seditiones, qui
diffidunt veritati, & loquendi fiducia cresceret Apostolo
ad ejus fructum, & conversionem multorum.
℣. 3. *Fidelis autem Deus, qui stabiliet vos, & custodiet à malo.*
Quoniam Deus fidelibus & bonæ vitæ hominibus auxilium
suum non defuturum in necessitate promisit ad confirma-
tionem illorum, ii autem tam in fide quam in opere æmu-
li erant bonorum; idcirco fidelem Deum dicit in promissis
ejus, quia providentia ejus esset circa eos.
℣. 4. *Confidimus autem in Domino de vobis, quoniam quæ præ-*
cepimus, & facitis, & facietis. Propter quod meteri illos,
ut Dei defensione tutos præstari confideret; idcirco ea quæ
illis præcipiebat in nomine Domini, fieri ab illis & futura
esse non dubitat.
℣. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra* [a] *in dilectione Dei, &*
a *patientia Christi.* Hoc illis exoptat à Deo, quod non am-
bigit posse præstari; ut in Dei caritate cor eorum profice-
b ret ad exspectandum adventum Domini, [b] ut condemnato
sæculo, desideretur adventus ejus, qui sæculum vicit.
℣. 6. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine domini*
nostri Jesu Christi, secerni vos ab omni fratre intemperanter
ambulante, & non secundum traditionem, quam accepistis à
nobis. Quoniam in omni plebe non omnes obedientes sunt
verbo doctrinæ, non legis, sed suum placitum & consilium
sequentes; propter hoc declinandum ab his præcipit, ut
cognoscant semet ipsos errare.
℣. 7. *Ipsi enim scitis quemadmodum debeatis imitari nos, quo-*
niam non intemperanter viximus inter vos, neque gratis
c [c] *panem edimus à quoquam: sed in labore & fatigatione,*
A *nocte, dieque operantes, ad hoc ne graves essemus cuiquam* ℣. 8.
vestrûm: non quia non habuerimus potestatem, sed ut nosmet ℣. 9.
ipsos formam daremus vobis ad imitandos nos. Illos dicit non
ignaros operis & laboris sui, [d] quem sedulo exitu opera- d
batur, ne pane indigeret alieno, ut exemplum daret eis ad
imitandum illum. Neque enim reprehensibilis esset, si pa-
nem ab his reciperet ad corporis curam, qui animis illo-
rum escam spiritalem præbebat, quæ etiam corpori immor-
talitatem cum gloria procuraret. Tunc etenim exerta po-
test esse libertas, si semet ipsum quis ventris causâ aut
pecuniæ nulli subjiciat, suo pane contentus; maxime quod
ad laudem magis proficit, si cùm liceat, & sit sumendi po-
testas, contineat: hic talis prodesse potest audientibus se;
B reverentiam enim habebunt rigoris hujus, & ea quæ ab hoc
mandantur, prætermitti non poterunt.
Nam cùm essemus apud vos, hoc præcipiebamus vobis, quod ℣. 10.
si quis non vult operari, nec manducet. Non solum verbis
docebat, sed hortabatur & factis; idonei enim magistri est,
si ea quæ verbis docet, operibus expleat. Tunc etenim ad-
discentes vera esse sciunt, quæ audiunt, si negligi illa non
viderint à doctore. Quamvis enim manifeste vera esse non
ignorentur, quæ docentur; tamen si negligi cœperint à ma-
gistro, difficile proficient audientibus: magis enim opera
suadent, quam verba. Quamobrem magnis præmiis remu-
nerandi sunt, qui negligentibus magistris, de solis verbis
proficiunt tam in opere quam in sensu. Forma ergo erat iis,
C qui mediocris vel tenuis erant substantiæ in plebe; ut dis-
cerent quatenus libertatem suam non amitterent. Unde
& Salomon: *Raro*, inquit, *inferes pedem ad amicum tuum,* Prov. 25. 17.
ne saturatus tui oderit te. Qui enim frequenter ad alienam
mensam convenit, otio deditus aduletur necesse est pascen-
ti se; cùm religio nostra ad libertatem homines advocet.
Ideoque si quis, inquit, manducare spernit, cesset ab opere:
sed quia nullus sine cibo potest vivere, det operam labo-
randi; ut arbitrio suo vivens Deum possit habere propi-
tium.
Audivimus enim quosdam ambulare inter vos intemperan- ℣. 11.
ter, nihil operantes, sed curiose agentes. Qui otiosi esse de-
siderant, id agunt quatenus occasio nascatur, qua introi-
D tum suum desiderabilem faciant domibus divitum, ambu-
lantes gesta & opiniones verborum subtiliter colligunt,
scientes quid de quo velint audire, ut libenter & requisiti
pascantur. Quod factum valde abhorret à disciplina Do-
minica; horum enim venter Deus est, qui fœdâ curâ ne-
cessaria provident.
His igitur qui hujuscemodi sunt, denuntiamus, & exhor- ℣. 12.
tamur in domino Jesu Christo, ut cum quiete operantes suum
panem manducent. Ut eis facilius suadeat, interposito no-
mine domini Jesu Christi, exhortatur eos, ut obaudiant,
quod eis sit utile.
Vos autem, fratres, [e] *nolite deficere in benefaciendo. Quod* ℣. 13.
si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & e ℣. 14.
E *nolite cum eo conversari, ut reverentiâ confundatur: & non*
velut inimicum existimetis, sed admonete consiliis, ut fratrem. ℣. 15.
Propter quod superius unumquemque suum panem man-
ducare debere præcepit; ne forte quidam illorum occasio-
nem parcitatis & inhumanitatis caperent; ideo statim sub-
jecit: *Vos autem, fratres, nolite defatigari benefacientes.* Ne-
que enim in reprehensionem venit, qui humanus & largus
est; sed hic qui cùm possit laborem ferre, in otio vult vi-
tam agere. Quem si epistolæ auctoritas non corrigit, no-
tandum hunc, & nec conversandum cum eo præcipit; ut
confusus, qui ab omnibus evitatur, subjiceret se præceptis
F Apostoli. Quod tamen sine iracundia & contumelia vult
fieri, ut patienter declinetur ab eo; ita tamen, ut si res tu-
lerit loqui cum eo, monendum illum, ut patiatur se corripi,
nec ultra præcepta Apostoli contemnenda: familiaritatem
quoque tamdiu cum eo non habere, [f] quamdiu obaudiens f
fiat. Nam si ad iracundiam contumeliis lacessatur, pejor
se fiet; incitabitur enim ad contentionem, & incipiet erra-
tum suum velle defendere, post autem erubescere emenda-
re se; ne quod priùs excusabat, postea fateri videatur.
Ipse autem Deus pacis det vobis pacem semper in omni loco. ℣. 16.
Dominus sit cum omnibus vobis. Semper quod suum est,
bono voto illos prosequitur, quasi carissimos filios, optans
semper cum illis pacem manere, quæ est dux ad vitam æter-

a. Rom. edit. in dilectionem Dei, & exspectationem Christi.
b. Edit. cum paucis mss. ut convertatur sæculo.
c. Rom. edit. panem accepimus à quoquam.

d. Eadem edit. Rom. quem sedulo exercitio operabatur.
e. Rom. edit. nolite defatigari benefacientes.
f. Nonnulli mss. quamdiu non obediens fiat.

nam. Cùm his enim Dominus se esse promisit, qui fuerint
pacifici.
℣. 17. *Ipsa salutatio meâ manu Pauli, quod est signum in omni
epistola: ita scribo.* Propter interpolas & adulteratores scrip-
turarum semper se manu sua in omni epistola sua salutatio-
A nem subscribere testatur; ut sub nomine ejus epistola ac-
cepto ferri non possit, quæ non fuerit manu ejus subscripta.
Gratia domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Hæc ℣. 18.
salutatio manu Apostoli conscripta est, qua gratiam domi-
ni nostri Jesu Christi optat esse cum eis. Amen.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD TIMOTHEUM PRIMAM.

PROLOGUS.

TIMOTHEUS filius fuit mulieris Judææ fidelis,
patre Græco, cujus causa parvulus circumcidi non
potuit. Qui studio matris suæ sacras literas di-
dicit, quibus operam dans, bonam sibi vitam
instituit. Hunc Apostolus cùm voluisset adsumere, sciens
Act. 16. 1. idoneum fore dispensatorem evangelicæ veritatis; causa
Judæorum compulsus est circumcidere eum, instantibus eis,
ut qui matre Judæa natus esset, incircumcisus adsumi non
deberet ad magisterium propter testimonium generis. Hunc
ergo jam creatum episcopum instruit per epistolam quomo-
do deberet Ecclesiam ordinare.

CAP. I. *PAulus apostolus Christi Jesu secundùm imperium Dei sal-*
℣. 1. *vatoris nostri, & Christi Jesu spei nostræ, Timotheo ger-*
℣. 2. *mano filio in fide. Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre*
nostro, & Christo Jesu domino nostro. Patris & Filii imperio
apostolum se factum ostendit, ut in Deo Patre salutem,
& Christo Filio ejus spem prædicaret; ut quia nemo negat
salutem esse in Deo, nec quisquam dubitaret spem esse in
Christo Jesu, quem à mortuis excitatum, exemplum hu-
jus spei dedisse cognosceret. Hoc modo scribit Timotheo,
ut securus esset de sua ordinatione; quia imperio Patris &
Filii electus est ad docendum. Quem verum filium appel-
1. Cor. 4. 15. lat, sed in fide, sicut dicit ad Corinthios: *In Christo Jesu,*
inquit, *per Evangelium ego vos genui.* Hæc vera & fir-
ma generatio est, quæ nescit occasum, nescit morbos &
pestilentiam, & quæ ignorat famem & sitim:[a] didicit au-
tem in regno Dei nullius egere: quia futura est dono
Dei immortalitas gloriosa in regno Dei & Christi, quo-
rum gratiam, misericordiam, & pacem exoptat cum isto
manere.
℣. 3. *Sicut rogavi te substinere Ephesi, cùm irem in Macedo-*
℣. 4. *niam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, neve intendant*
fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæstiones præstant magis,
quàm ædificationem Dei, quæ est in fide; ita facito. Filius à
D patre rogari non debuit, sed propter caritatis affectum, &
ut illi formam humilitatis ostenderet, obsecrat episcopus
coepiscopum suum, ne pateretur Judæos aliter populum,
quàm ab Apostolo tradebatur, docere; ne oblectarentur fa-
bulis, quas narrare consueti sunt Judæi de generatione sua-
rum originum, de Abraham, & Isaac, & ceteris patriar-
chis, & de circumcisione, & his quæ postea tradita sunt à
Moyse; ne circumvenirentur ad hæc colenda, quæ carna-
liter data fuerant. Quid enim opus est generationum,
quas constat esse infinitas per traducem, facere mentionem,
& quid & quatenus factum est sub unoquoque eorum; &
non potius compendio per fidem salutem quærere? Inde
E enim quæstiones oriuntur, cùm quid, & quando, & quo-
modo, & quare factum est, tractatur: quæ res impedit
salutem.
℣. 5. *Nam finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia*
℣. 6. *bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes, conver-*
℣. 7. *si sunt in vaniloquium, volentes esse Legis doctores, non in-*
telligentes neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant.
Quoniam omnium major est caritas, hanc finem esse dixit,
id est, perfectionis consummationem, omnium præcepto-
rum; si tamen ex corde puro sit & bona conscientia. Vera
enim caritas non potest malam vitam, nec simulatam fi-
Matth. 7. 12. dem habere, in quibus omnis Lex impletur & prophetæ.
Quidam autem Judæorum mysterium Legis ignorantes &
prophetarum, quia usque ad Christum servanda sunt tra-
dita; erraverunt putantes, prædicato Christo, etiam Legem
A factorum in neomeniis, & circumcisione & escis discernen-
dis servari debere. Idcirco in vaniloquium dicit eos con-
versos; quia volebant docere, quæ ignorabant.
Scimus autem quia bona est Lex; si quis ea legitime uta- ℣. 8.
tur, certum habens hoc, quod justo lex non est posita, sed in- ℣. 9.
justis & inobsequentibus, impiis & peccatoribus, scelestis &
profanis, parricidis & matricidis, fornicatoribus, homicidis, ℣. 10.
masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris:
& si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secun-
dùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. ℣. 11.
Bonam esse legem, quæ per Moysen data est, non negat;
ita tamen, ut sensus ejus sciatur, & quomodo data est,
B accipiatur. Hic enim scit Legem, & quâ causâ data sit,
qui, prædicato Christo, deserit illam ex parte, qua lex
factorum appellatur: circa dilectionem autem Dei utitur
ea, adsistens & affirmans quæ à Salvatore dicta sunt in
Lege & prophetis. Hic enim legitime utitur Lege, qui po-
test discernere ea, quæ ad tempus data sunt, ab iis quæ
perpetua sunt: & quæ ad Christi pertinent sacramentum,
servari jam in futurum non oportere, quasi venturus cre-
datur, qui jam venit. Si ergo omnia locis suis accipiantur,
bona sunt: si quominus, mala erunt perverse adserenti;
peccare est enim, unaquæque minime locis suis exponere.
Præterea quia justis lege non opus est, id est, iis qui ac-
C cepta remissione peccatorum justificati sunt; ne jam vivant
sub Lege, à qua liberati sunt dono Dei per fidem Christi;
ut de cetero servata lege naturæ, quæ Creatoris cognitio-
nem recipit, & non peccare hortatur; judicii diem ex-
spectent, in quo justi remunerandi sunt, custodientes le-
gem naturalem, quam si humanum genus ducem sibi ha-
buisset, lex in litteris per Moysen data non esset. Sed quia
contemtui ducta est, quasi nullius esset auctoritatis, Scrip-
turâ firmata est; ut sciretur quod servanda esset, & prop-
ter tempus præsens, & quia requisiturus est in futurum,
qui illam firmavit, à quibus neglecta, & à quibus servata
est. Itaque non solum propter malos actus & vitia corpo-
D ris, Legem datam dicit, sed & propter perfidiam, qua sper-
nebant Creatorem; ut bene vivere addiscerent, & gratias
agerent Conditori.
Et gratias ago ei, qui me confortavit in Christo Jesu do- ℣. 12.
mino nostro, quia fidelem me æstimavit, ponens me in ministe-
rium, quia prius eram blasphemus, & persecutor, & contu- ℣. 13.
meliosus: sed misericordiam consequutus sum; quia ignorans
feci nondum credens. Superabundavit autem gratia Domini ℣. 14.
nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu. Propter
quod omnis incredulus infirmitatem animi patitur, con-
strictus carnali ratione, ne credat spiritali; idcirco se Chris-
to gratias dicit agere, quia apparentiâ majestatis suæ im-
E becillitatem mentis ejus roboravit; quia impossibile puta-
bat esse, quod de Domini potestate, & gemina nativitate,
& resurrectione, & spe prædicabatur. Confirmatus autem
talis visus est, qui dignus esset ac posset esse dispensator
sacramenti Dominici; ut ea vera per Legem firmaret, quæ
prius amore Legis incredibilia judicabat, & in persecutio-
nibus gauderet, quas prius quasi juste credentibus infere-
bat, dolens quia fecerat, lætus quia patiebatur. Tantam
enim spem didicerat in eo, quem ante negabat; ut plus
gauderet in patiendo, quam prius exsultaverat in perse-
quendo. Non enim malitiâ hoc agebat, sed errore, cui fa-
cile potest, cùm resipiscit, ignosci. Qui autem scit vera
esse, quæ negat; hic non errore hoc agit, sed malevolen-
tia, hujus incurabile vulnus est; invidiâ enim compellitur
falsum appellare, quod scit verum.
Humanus sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus ℣. 15.

a. Rom. edit. *Qui enim fuit in regno Dei, nullius egens.*

Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum
✝.16. *primus sum ego. Sed ideo misericordiam consequutus sum. ut*
in me primo ostenderet Christus Jesus omnem magnanimitatem
& patientiam [a] *ad exemplum eorum, qui credituri sunt illi,*
in vitam æternam. Quid tam gratum, tamque jucundum, quam peccatoribus indulgentiam prædicare? Quis enim sine peccato est, ut hoc munus non cum omni gratiarum actione suscipiat, Deum auctorem hujus præferens, & collaudans in Christo: qui ut hominem peccatis ablueret, de cælestibus ad terrena descendens,[b] carnem peccati accepit: terrenis se admiscuit, ut eum cælestem efficeret: mori se passus est, ut illum morti erutum paradiso redderet immortalem? Quis hæc beneficia non in infinitum extollat, quæ Deus præstitit homini, Dominus servo, Conditor creaturæ; ut plus esset adhuc in beneficiis humanis, quam cùm fecit. quæ non erant, posteaquam fecit. Etenim derelictus ab his, & contemtus, & contumeliis appetitus, addidit ad beneficia non requisitus, ut gratior esset, & plus præferendus, dum reparat, quam cùm fecit; ut ostenderet unum se esse, qui hæc omnia possit. Igitur sic Christus præsidium tulit homini, ut puritatem suam non violaret, nec amitteret potestatem. Hominem enim se nasci voluit, pro certo habens carnis contactu se minime violari: conversationi humanæ se miscuit, sciens peccatis se corrumpi non posse: occidi se passus est, non nescius mortem sibi dominari non posse, sed eam sua opprimere potestate. Hæc ergo gessit, ut omnia se posse doceret. Humilitas enim ista non ad diminutionem ejus proficit, sed ad gloriam: & non solum ejus, verum etiam in ipsum credentium: dignitas est enim servum esse potentis. Cùm ante Apostolum multi utique credidissent Judæorum ex iis, qui ipsum Dominum occiderunt; Apostolus tamen ut se humiliet, adhuc dolens de sua incredulitate, primum se omnium peccantium vocat. Quoniam enim præ ceteris sacramento se imbuit Salvatoris, propius ad cognoscendam magnificentiam ejus accedens, accusat se magis, qui tantum boni tarde agnovit, nec ultro, sed misericordia ejus præventus; ut ipse testis esset divinitatis ejus, quem prius ut hominem mortuum æstimabat. Hæc accusatio ejus est, laus vero Salvatoris, qui ad exemplum ceterorum credentium persequentem se vocavit ad gratiam; ut per patientiam suam & magnanimitatem in eo ostenderet ceteris, qui inimico tam benevolus exstiterit, qualis esset futurus ad se decurrentibus.

✝.17. *Regi autem sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.* Hæc ad Dei Patris personam pertinent, quem immortalem ideo solum & invisibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipso est, ut ipsi soli magis competat in veritate; quia quisquis immortalis est, non à se hanc habet, sed ab illo. Simili modo & in Evangelio legitur, dicente Domino: *Quia nemo est bonus, nisi unus Deus.* Et iterum ipse dicit: *Bonus homo de bono thesauro profert bona.* Nemo tamen nisi unus Deus bonus est; quia ipse fons bonitatis est, ex quo ceteri potantur, ut boni sint. Ipse est & invisibilis solus Deus, quia nulli unquam visus est; omnia enim agit per Filium, quem idcirco visum dicimus; ut licet aliter [c] quam est, apparuisse tamen illum significemus. Honorificentiam ergo & gloriam Deo Patri in veritate pronuntiat, cujus pietate & providentia Christus liberavit peccatores ex morte.

Marc.10.18. Matth.12.35.

✝.18. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum*
præcedentes super te prophetias, ut milites in illis bonam mi-
✝.19. *litiam, habens fidem & puram conscientiam, quam quidam*
repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hyme-
✝.20. *næus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non*
blasphemare. Postquam Dei Patris & Christi Filii ejus quæ & quanta beneficia sint circa peccatores homines memoravit, qui cùm essent puniendi, non solum ignovit eis; sed & justificavit, & in filios sibi adoptavit: quo ordine populum disciplinâ ecclesiasticâ imbueret, in subjectis ostendit, commonens ut memor electionis suæ sanctus Timotheus, id ad quod prædestinatus est, impleat. Prædestinatus est enim, quando ad hoc ab Apostolo adsumtus est, ut ordinaretur, dignus judicatus futurus episcopus, ut impleret militiam evangelicam in fide & pura conscientia; qui enim fideliter docet, non potest malam habere conscientiam. Tunc enim fidem exhibet prædicationis suæ, si se abstineat à contrariis omnibus; quia exemplo bonorum operum multos lacessit ad credulitatem, fidentes de spe prædicationis; nam qui fidem spernit, procul dubio malæ est conscientiæ. Aut enim hypocrita prædicatur, aut apertus blasphemus, sicut erant Hymenæus & Alexander, qui deserentes fidem naufragi facti sunt, id est, nudi veritate, aut privati vita. Quid est enim veritas, nisi vita? Quos tradidisse se dicit satanæ, ut emendarentur causâ blasphemiæ. Traditio autem hæc est, quia commotus Apostolus blasphemiis eorum, sententiam protulit in eos: diabolus autem qui ad hoc paratus est, ut adversos à Deo accipiat in potestatem, auditâ sententiâ, corripit eos; ut intelligerent hac causa se pœnis adstringi, quia blasphemaverant. Hinc est, unde in Evangelio dictum est inter cetera: *Jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat*, ostendens causa peccati aliquando infirmitates inferri corporibus. Et quia ministro diabolo fiunt, declaravit Dominus, dicens inter multa: *Hanc autem cùm sit filia Abrahæ, quam alligaverat satanas decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo die sabbati?*

Iohan.5.14. Luc.13.16.

CAP. II.

✝.1. *Exhortare* [d] *ergo primum omnium fieri deprecationes, ora-*
tiones, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus ho-
✝.2. *minibus, pro regibus, & pro omnibus qui in sublimiori loco*
✝.3. *positi sunt: ut placidam & quietam vitam degamus in omni*
pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram
✝.4. *salutari nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, &*
in agnitionem veritatis venire. Hæc regula ecclesiastica est, tradita a magistro gentium, qua utuntur sacerdotes nostri, ut pro omnibus supplicent, deprecantes pro regibus hujus sæculi; ut subjectas habeant gentes, ut in pace positi, in tranquillitate mentis & quiete Deo nostro servire possimus. Orantes etiam pro iis, quibus sublimis potestas est credita: ut in justitia & veritate gubernent rempublicam, suppeditante rerum abundantia, ut amota perturbatione seditionis, succedat lætitia; panis enim confirmat cor, & vinum lætificat mentem. Postulantes vero pro iis, qui in necessitate varia sunt; ut eruti & liberati, Deum collaudent incolumitatis auctorem. Referentes quoque gratiarum actiones pro iis, quæ nobis quotidie Dei providentia præstantur ad vitam; ut in his omnibus Pater collaudetur Deus, ex quo sunt omnia: & Filius ejus, per quem sunt omnia; ut sopitis omnibus, quæ huic imperio infesta & inimica sunt, in affectu pietatis & castitatis Deo servire possimus; perturbatio enim & captivitas nec pietatem servat, nec castitatem. Unde enim pius, qui nudus est [e]? & unde castus, ubi potestatis suæ non est? Ut hæc ergo servari possint, quies necessaria est; ut placita Deo reddantur obsequia, qui omnes homines salvos vult fieri, & cognoscere veritatem. *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Si Deus utique, qui omnipotens dicitur, omnes homines salvos vult fieri, non impletur ejus voluntas? Sed in omni locutione sensus & conditio latet; unde dicit Petrus apostolus: Omnis Scriptura indiget interpretatione. Vult enim Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum; non enim sic vult, ut nolentes salventur: sed vult illos salvari, si & ipsi velint. Nam utique qui legem omnibus dedit, nullum excepit à salute. Numquid medicus non idcirco proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab ægris requiratur? Non est enim vera salus, si nolenti tribuatur: nec gaudere potest in percepta salute, qui invitus, si tamen potest fieri, accepit medicinam; ut non dicam quia medicinæ effectum habere non potest, nisi ad illam æger animum commodaverit; quia hæc medicina non est corporalis, sed spiritalis, [f] quæ neque dubiis proficit, neque invitis. Fides est enim, quæ dat salutem, quam nisi mens totâ susceperit voluntate, non solum nihil proderit, sed & oberit. Fidei etenim gratia hanc habet potestatem; ut devotis sibi divinam infundat medelam, indevotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat.

Psal.103.15. 1.Cor.8.6. Iohan.17.3. 2.Petr.1.20.

✝.5. *Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Dei & Christi unam significat esse voluntatem in salvandis hominibus; unde Deum Patrem, quia ab ipso est omnis auctoritas, unum esse fatetur, & unum mediatorem Dei & hominum Christum Jesum. Missus enim

a. Rom. edit. hic & infra, *ad informationem eorum.*
b. Eadem Rom. ed. & *similitudinem carnis peccati accepit.*
c. Edit. omnes ac mss. omittunt, quam est, *apparuisset*; *illum tamen significemus.* Non satis recte.

d. Rom. edit. *Exhortor ergo.* Et infra, *ut tranquillam & quietam vitam.*
e. Vet. edit. ac mss. aliquis, *& unde castitas, ubi* &c.
f. Eadem vet. edit. & mss. sustulit, *quæ neque dubiis proficit, neque invidis.*

à Patre factus arbiter reconciliavit Deum & homines, reformando eos ad agnitionem ejus; [a] quia enim unus est Pater & Filius, non personâ, sed indifferentiâ naturæ; ut arbiter esset Dei & hominum Filius Dei, adsumta carne, homo natus est; ut mediator Dei & hominum esset homo Christus Jesus, id est, non sine divinitate; quia in Deo homo erat, & Deus in homine: & ut ex utroque esset mediator, & ut utrumque reconciliaret, in se primùm hoc fecit. Non enim poterat unitatem Dei custodiens, mediator Dei & hominum vocari, quasi alius esset Deus, qui diffidentem hominem à Deo in gratiam revocaret: sed homo qui legem datam non præteriret, factus est arbiter inter eum qui peccavit, & inter illum qui peccare ignorabat; ut hic ignosceret, & homo de cetero in Dei fide maneret.

ỷ. 6. *Qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus, cujus*
ỷ. 7. *testimonium temporibus suis datum est, in quo positus sum ego prædicator & apostolus (veritatem dico, non mentior) magister gentium in fide & veritate.* Quoniam homo reconciliatus Deo, jam obnoxius erat morti infernæ; ut ad Deum cui reconciliatus erat, posset adscendere, Salvator ut arbitrium suum ad effectum perduceret, mori se passus est contra jus; ut descendens ad inferos, mortem de impietate quam in eo gesserat, damnaret, auferens eis quos tenebat; ut de cetero quisquis signum ejus haberet, ab ea teneri non posset. Cujus rei testimonium tempore quo resurrexit, ostendit; destructio enim mortis resurrectio mortuorum est. Quam spem missus est hic Apostolus gentium prædicare, ut ab eo discerent quæ spes esset in Christo; hinc enim dictus est magister, ut fidem doceret & veritatem.

ỷ. 8. *Volo itaque orare viros in omni loco, levantes sanctas manus sine ira & disceptatione.* Pacificum animum monet in oratione esse debere; ut ad effectum deducatur oratio; sanctæ enim manus sunt, quando cor mundum est. Sic tamen in omni loco orandum præcipit, ut competens locus intelligatur, non utique importuno aut sordido loco; quippe
Matth. 6. 5. & 6. cùm prohibeat Dominus vulgo orare: sed hoc monet, ne in sola Ecclesia putarent orandum.

ỷ. 9. *Similiter & mulieres in habitu ordinato, cum verecundia*
ỷ. 10. *& pudicitia, ornantes semet ipsas non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa: sed, quod decet mulieres profitentes pietatem, per opera bona.* Humili habitu mulieres orare debere monet, non in jactantia: qui enim vult audiri, inclinare se debet, amotâ à se pompâ; ut misericordiam Dei provocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se facit credi. Quis enim prudentium jactanter ornatam mulierem non horreat? quanto magis auctor Deus, qui corpus à se liberum factum, obligatum metallis videt? Nam humilis habitus bonæ professioni congruit, ut possit non aliud æstimari, quam cernitur: quæ autem in domo Dei cum pompa se mavult videri, non utique propter Deum, sed propter homines consequitur quod vult: ut gloriosa videatur, nihil consequutura à Deo, nisi maculam. Quanto enim hominibus splendida videtur, tanto magis despicitur à Deo.

ỷ. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Nam do-*
ỷ. 12. *cere mulieri non permittitur, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Non solùm habitum humilem habere debere mulierem, verum etiam auctoritatem ei denegandam, & subjiciendam præcipit viro; ut tam habitu, quam obsequiis sub potestate sit viri, ex quo trahit originem.

ỷ. 13. *Adam enim primus creatus est, deinde Eva: & Adam*
Gen. 2. 17. *non est seductus, mulier autem seducta facta est in præva-*
ỷ. 14. *ricatione. Salva autem erit per filiorum generationem, si*
Gen. 3. 6. *manserit in fide & dilectione, & sanctimonia cum pudicitia.*
ỷ. 15. Præfert virum mulieri, propter quod primus creatus est; ut inferior sit mulier, quia post virum & ex viro creata est. Adjicit & aliud, quia diabolus non virum seduxit, sed mulierem; vir autem per mulierem deceptus est: ac per hoc nulla illi concedenda audacia est, sed esse debet in humilitate; quia per illam mors intravit in mundum. *Salva erit*, inquit, *per filiorum generationem; si tamen in fide manserit, & caritate, & pura vita.* Hos enim filios dicit, qui regenerantur per fidem Christi; quia si in generatione sua hi perseveraverint, cum his liberabitur mulier resurgens ex mortuis, non quod ab illis liberabi-

A tur, sed per illorum generationem; nam eùm credunt, qui destinati sunt in vitam æternam, pervenitur ad resurrectionem ex mortuis, & fiet salva, credentibus illis, & vitam castam agentibus. Tamdiu enim resurrectio suspensa est, quamdiu omnes credant prædestinati ad salutem.

HUmanus sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum CAP. III.
opus desiderat. Quoniam episcopum bonæ vitæ esse ỷ. 1.
oportet, ideirco qui episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Hoc enim cupiens bonam vitam appetere videtur; si tamen non ab iis declinet, quæ in subjectis habentur, ne ambitione, aut desiderio pecuniæ hoc egisse videatur.

B *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse.* Qualis ỷ. 2.
episcopus debeat esse, describit; ut nemo episcopatum appetat, nisi fuerit fidus, & qui ab omnibus contrariis abstinere se possit; ut non indignus sit sua professione. *Unius uxoris virum.* Quamvis secundam numero uxorem non sit habere prohibitum; ut tamen quis dignus ad episcopatum sit, etiam licita debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis; quia ceteris melior debet esse, qui cupidus est sedis illius.

Sobrium, pudicum, [b] ornatum, hospitalem, docibilem, non ỷ. 3.
obnoxium vino, non verberatorem, sed modestum, non liti- ỷ. 4.
C *giosum, non asperum, sed domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni castitate.* Talem hominem qui hæc custodiat, quæ enumerat bona, creari dicit debere episcopum. Hæc enim signa sunt dignitatis episcopalis. Si autem quis potiora sectatus, & corpus & animam suum Deo dicaverit, ne se copulet matrimonio; tanto magis dignior fiet. Ideo enim inferiorem posuit, ut de potiore nemo dubitaret.

Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ ỷ. 5.
Dei diligentiam adhibebit? Manifestum est quia tunc potest idoneus rector futurus probari, si prius domum suam recte
gubernaverit: qui enim in minimis fidelis est, & in magnis Luc. 16. 10.
D fidelis est.

Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium inci- ỷ. 6.
dat diaboli. Verum est, quia rudes in fide solent extolli superbia, maxime si accipiant ordinem: novitate enim & potestate inflatur, arbitrans se præ ceteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis collatum in se honorem, putat non magis ad suum, sed ad aliorum profectum se vocatum, quasi beneficium religioni det magis, quam accipiat ab ea, per quam rem elatus, [c] incurrit laqueum diaboli. Inventa enim occasione superbiæ illius, satanas
præcipitat eum. Ideoque in Salomone legitur: *Superbis* Prov. 3. 34.
Deus resistit. Unde & in alia epistola idem Apostolus
ait: *Qui se putat esse aliquid, cùm nihil sit, se ipsum se-* Galat. 6. 3.
ducit. Et Dominus: *Qui se*, inquit, *exaltaverit, humi-* Luc. 14. 11.
E *liabitur.*

Oportet autem & illum testimonium habere bonum ab iis, ỷ. 7.
qui foris sunt. Sensum Dominicum sequutus, ait oportere futurum episcopum testimonium bonum habere ab extraneis; quia qui in minimis fidelis est, & in magnis, sicut
dicit Dominus. Et si in alieno [d] mammona fideles non Ibid. 16. 10.
fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Ut hic qui in mundanis rebus & conversatione humana fidelis minime invenitur, dubium non sit quia & in divinis idoneus non erit: si autem hominibus fidem exhibuerit, multo magis Deo. *Ne in opprobrium incidat, & laqueum diaboli.* Si timo-
F rem Dei ante oculos non habuerit episcopus, tempori magis se commodans, hunc quasi infidelem & pseudoprophetam deserit Deus, & deformis videbitur omnibus & maculosus; quia aliter facit, quam prædicat, verbis suis ipse se accusans, quia deputatus est gregi satanæ, tunc enim vera se probat prædicare, si ea conetur & gerere. Magna ergo cura eligendus est, qui domum Dei regendam accipit; si enim terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cælestium?

Diaconos pari modo pudicos, non bilingues, non vino mul- ỷ. 8.
to deditos, non turpibus lucris vacantes, habentes mysterium
fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, & ỷ. 9.
sic ministrent sine crimine. Qui tanta circa diaconos eligen- ỷ. 10.
dos præcipit, quos constat ministros esse sacerdotum; quales vult esse episcopos, nisi sicut ipse ait, irreprehensibiles, negotia publica, turpia & vilia lucra non habentes;

a. Rom. edit. *quia enim unus est*; cetera ac mss. .... *unus est*. Supple Deus.
b. Eadem Rom. edit. *compositum, hospitalem, aptum ad docendum .... non litigiosum, non cupidum.*
c. Eadem edit. Rom. *incurrat judicium diaboli.*
d. Istiso mammone in Rom. edit. expuncta fuerat, sed quam ob causam?

Scit enim ideo negotiari, ut capiant lucra, nec aliud profitentur, quam gerunt. Turpia autem lucra hæc dicit esse, si sub pia professione quæstibus studeatur; turpis enim deprehenditur, cùm se purum ostentet. Post episcopum tamen [a] diaconatus ordinationem subjecit. Quare, nisi quia episcopi & presbyteri una ordinatio est? Uterque enim sacerdos est, sed episcopus primus est; ut omnis episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter episcopus: hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. Denique Timotheum presbyterum ordinatum significat; sed quia ante se alterum non habebat, episcopus erat. Unde & quemadmodum episcopum ordinet, ostendit; neque enim fas erat aut licebat, ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit, quod non accepit.

ỳ. 11. *Mulieres similiter pudicas, non studentes discordiæ, sed sobrias, fideles in omnibus.* Quia sanctum præcipit creari episcopum, adæque & diaconum, non utique disparem vult
Levit. 19. 2. esse plebem; quippe cùm dicat Dominus: *Sancti estote; quia & ego sanctus sum.* Ideoque etiam mulieres, quæ inferiores videntur, sine crimine vult esse: ut munda sit Ecclesia Dei. Sed cataphrygæ erroris occasionem captantes, propter quod post diaconos mulieres alloquitur, etiam ipsas diaconas ordinari debere vana præsumtione defendunt; cùm sciant apostolos septem diaconos elegisse. Numquid nulla mulier tunc idonea inventa est, cùm inter undecim apostolos sanctas mulieres fuisse legamus? Sed ut hæretici animum suum verbis, non sensu legis adstruere videantur, Apostoli verbis contra sensum nituntur Apostoli; ut cùm ille mulierem in Ecclesia in silentio esse debere præcipiat, illi è contra etiam auctoritatem in Ecclesia vindicent ministerii.

ỳ. 12. *Diacones sint unius uxoris viri, filios bene regentes, &*
ỳ. 13. *domos proprias; qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi adquirunt, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.* Ea quæ minus dixerat de ordinatione diaconatus, nunc subjecit. Ostendit etiam ipsos unius uxoris viros esse debere; ut hi ad ministerium Dei eligantur, qui non sunt egressi constitutum Dei. Homini enim unam uxorem decrevit Deus, cum qua benedicatur; nemo enim cum secunda benedicitur. Qui si filios bene gubernaverint, & domos suas, id est, vernaculos aut domesticos, poterunt digni fieri sacerdotio, & fiduciam habere apud Deum; ut sciant se posse impetrare, quod postulant, jam de cetero se ab usu feminæ cohibentes. Veteribus enim idcirco concessum est levitis aut sacerdotibus uxores ad usum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio aut sacerdotio (multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia levitarum, & unusquisque certo tempore serviebat divinis
1. Par. 6. 31. 32. ceremoniis secundùm institutum David; hic enim viginti & quatuor classes constituit sacerdotum, ut vicibus deservirent: unde Abia octavam classem habuit, cujus vice Za-
2. Par. 13. 4. & seq. charias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in libro Paralipomenon) ita ut tempore quo non illos contingebat deservire altari, domorum suarum agerent curam: at ubi vero tempus imminebat ministerii, purificati aliquantis diebus, accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, & aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, & unus in civitate episcopus: ac per hoc omnes à conventu feminæ abstinere debere; quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, ut post conventum legitime purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada; etsi non desint, qui prope quotidie baptizentur ægri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant privati. Si enim plebeiis hominibus orationis causâ ad tempus abstinere se præcipit, ut vacent orationi; quanto magis levitis aut sacerdotibus, quos die nocteque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent ceteris; quia actores Dei sunt.

ỳ. 14. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, sperans cito me venire ad*
ỳ. 15. *te: si autem tardavero, ut scias [b] quemadmodum oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Quantum ad scientiam ejus pertinebat, hoc erat in eo quod citius illum visurus esset: sed quia solet aliud placere Deo, cujus providentia ipsi soli cognita est; idcirco ne forte, inquit, tardem, scribo tibi, ut scias quomodo Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei; ut cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus. Mundus enim in prævaricatione est, diverso turbatus errore; ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei, & veritas, ubi secundum voluntatem suam timetur. Hoc profitentibus de eo servis, quod ipse dignatus est docere, ne forte verba ejus negarentur esse, virtutibus hæc signavit, quæ à nullo alio fieri possunt; ut his infidelitas accusata inexcusabilis pereat. Firmamentum enim veritatis hujus signa sunt & prodigia.

Et quidem omnium confessione magnum est hujus pietatis ỳ. 16.
mysterium. Nullum fidelium admirari negat sacramentum veritatis in Ecclesia prædicatæ, quam pietatem appellat; [c] magnanimitatem enim & clementiam suam cognoscentibus æterna & divina tribuit dona, exceptâ remissione peccatorum, quam hic in præsenti largitur. *Quod declaratum est in carne, justificatum est in spiritu, visum est Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, adsumtum est in gloria.* Sacramentum mysterii Dei, quod est Christus in carne, dicit manifestatum, quod latebat in spiritu. Natus enim homo Filius Dei, qui in secreto erat apud Deum, opere & prædicatione declaravit se creaturæ, & hoc est justificatum esse in Spiritu, operibus & virtute claruisse eum, qui erat in carne, quis esset: deinde apparuisse Angelis, non jam in forma humilitatis, sed in potestate. Tamdiu enim adspectu humilis visus est per carnem, quamdiu devicta morte, resurgeret à mortuis, & videretur majestas ejus, qui natus ut homo, non erat totus homo; ut agnoscentes Angeli mysterium, quod priùs latuit, declaratum in carne, genu illi flectentes quasi Deo, gratias agant; quia didicerunt veritatem, quæ gentibus prædicata est, ut ab errore liberarentur; in quo mundus proficit, ut non damnetur. *Creditum est mundo.* Ideo enim creditum est mundo Dei sacramentum, ut perfidia ejus veniam erroris mereri non possit, sicut dicit Dominus de
Judæis: *Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habebunt de peccato suo.* Joan. 15. 22.

Adsumtum est in gloria. Quia quod velut infirmum & deforme contemserunt, adsumtum est in gloria; post crucem enim manifestata persona & virtute sua Salvator palam, famulantibus nubibus, adscendit gloriosus in cælos.

SPiritus autem manifesto dicit quia in novissimis tempori- Cap. IV. ỳ. 1.
bus recedent quidam à fide, adtendentes spiritus fallaces,
ac doctrinas dæmoniorum in simulatione falsiloquorum, caute- ỳ. 2.
riatam habentium conscientiam, prohibentium nubere & absti-
nere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratia- ỳ. 3.
rum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem; quia
omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum ỳ. 4.
gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum ỳ. 5.
Dei, & orationem. Quæ sibi Spiritus sanctus futura revelaverit ad instructionem Ecclesiarum & cautelam, non tacet; ut præmonitæ Ecclesiæ, sollicitæ sint, ne ab hujusmodi possint circumveniri hominibus. Quid enim tam clarum, tamque apertum ad evitandos aut magis condemnandos doctrinæ hujus pestiferæ viros potuit manifesta voce præfari, nisi ut adseverationem eorum fallacem, ac simulatam doctrinam dæmoniorum nuncuparet; ut cùm hujus adseverationis sermones audiuntur, à diabolo composita esse doctrina hæc sciretur, quam prædixerat Spiritus sanctus quæ de incarnatione Salvatoris adserit falsa, quæ nunc in marcionitis, quamvis pœne defecerint, [*] patricianis, aut maxime in manichæis denotatur? Hi enim & Christum natum negant, & nuptias prohibent, & abstinendum à cibis tradunt. Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est, simulatione corruptam; quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit: ita & fallacia conscientiam, quæ dolo malevolentiæ aliud scit, & aliud profitetur, denotat ad perditionem. Jam enim [d] hos immutari negat, ut salventur; quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari; nihil enim pejus simulatione. Tales enim ii sunt, quales & Judæi, illi qui intelligentes Christum Dei virtute operari, in Beelzebub hæc ab eo fieri dicebant. Ut enim fabricatorem

De Patricianis [illegible]

a. Rom. edit. *Diaconi ordinationem subjecit.*
b. Rom. edit. *quomodo Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei vivi.*
c. Nonnulli mss. *magnanimitati enim & clementiæ suæ cognoscentibus se donans æterna bona.*

* Valesius in Addendis Annot. in Socratem & Sozomenum male hic legendum ait, *Partis 3. fol. 12.*
d. Omnes edit. & quidam mss. *hos imitari negat*: alii concinnius, ut in textu.

hominis male tractent, cùm natos se non doleant, nuptias tamen prohibent, & Christo carnem subtrahunt: & ut ad ejus injuriam proficiant, ab iis quæ usibus nostris instituit, abstinendum docent; ut per id quod despiciuntur, mala esse, & à malo auctore inventa videantur. Hinc est unde Apostolus omnia à Deo bona facta ostendit, si tamen cum gratiarum actione sumantur; immunda enim erunt ei, qui non laudat in his Creatorem. Nec enim possunt bene illi proficere, qui sic illa sumit, ut male tractet auctorem eorum.

℣. 6. *Hæc igitur proponens fratribus, bonus eris minister Jesu Christi, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam adsequutus es.* Quid tam verum, quid tam clarum & providum, nisi ut disciplina christiana incorrupte tradatur, ut fructus ejus in area Dominica fertilis ac firmus collaudetur; hoc est, ut in die judicii non reprobus & igni comburendus censeatur. Hoc boni doctoris est atque idonei ministri domini nostri Jesu Christi: quippe cùm enutritum hunc dicat verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam ab infantia hunc adsequutum adserit. Qui enim integre omnibus Hebræorum libris imbutus erat, accepta fide, perfectum fecit doctorem.

℣. 7. *Prophanas autem & aniles fabulas abnue, exercens temet*
℣. 8. *ipsum ad pietatem. Corporalis enim exercitatio ad modicum, pietas vero ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ.* Prophana verba adversa intelliguntur: aniles autem fabulæ deliramenta quædam sunt. Hæc quorumdam perstrepentium vocibus solent in contentionem deduci; ut quasi tractatus habeatur rei inanis, cujus effectus nullus est, nisi vanitatis. Ab iis ergo quæ contraria sunt, declinandum monet, simili modo & ab illis quæ anilia sunt, vanitate quadam composita; sunt enim aliqui, qui calore animi mittunt se in disputationes hujusmodi. Pietati autem operam dandam commonet, quia grandem habet profectum. Qui enim misericordiæ student, senioribus vicem reddentes parentibus; & in præsenti vita auxilia Dei non deerunt illis, & in futuro immortalitatem habebunt cum gloria. Exercitium autem corporale ad modicum utile dicit; jejunare enim & abstinere à cibis, [a] manente auctoritate Creatoris, non multùm prodest, nisi addatur huic pietas, cujus operâ multorum precibus adjuvatur ad Dominum promerendum. Denique illos qui fratribus largi sunt, & variis titulis obsequentes, in vitam
Matth. 25. 41. æternam proficere evangelicus sermo testatur: dissentientes autem ab hoc opere, in æternum ignem. Corporis autem exercitium nihil aliud quàm carnis fræna sunt. Si quis ergo, quia misericordia magna res est, lubricum tamen carnis patiatur, hujusmodi quid fiet? Sine dubio vapula-
Luc. 12. 47. bit; quia illud oportuit fieri, & hoc minime prætermitti.
Matt. 25. 41. Si autem solum corporis habuit exercitium, perennes pœnas patietur, sicut in Evangelio Dominus repromisit; omnis enim summa disciplinæ nostræ in misericordia & pietate est. Aliud tamen exercitium corporis habent carnales, & aliud spiritales; carnales enim sagina & dapibus nutriunt corpora sua; ut celeri motu proficiant ad perditionem: spiritales autem jejuniis & abstinentia temperant corpora sua: ut pigra facta circa desideria, possint digna esse futura resurrectione. Hic enim propter spem futuram castigat corpus: ille vero propter futuri desperationem fovet, curam ejus agens ad tempus; ut moveatur citius ad peccandum.

℣. 9. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Ad hoc enim*
℣. 10. *laboramus, & persecutiones patimur; quia speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Dignum est plane & accepto ferendum pro spe, quæ est in Deum, pati persecutiones; quia in præsenti vita spes caduca est, in promissione autem Dei firma atque stabilis. Ipse est enim salus omnium; quia ex ipso & per ipsum vivunt, quantum ad præsentem vitam pertinet, omnes; quantum vero ad promissam salutem, fideles. Cognoscentibus enim se post hanc vitam, quæ morte finitur, aliam se daturum promisit, quæ immortalitate vigebit. Ideo ergo ait: *Maxime fidelium.*

℣. 11. *Præcipe hæc, & doce. Nemo juventutem tuam contemnat,*
℣. 12. *sed forma esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, & castitate.* Timotheus quantum ad ætatem pertinet, juvenis erat; quantum ad mores & conversationem, senior & gravis. Quem ideo sic monet, ut profectus ejus per omnia exemplum esset bonorum operum; ut in adolescente mirabilis videretur & gravis disciplina, ut actus ejus excusarent ætatem: & non quasi juvenis, sed quasi senior haberetur; & erubescerent majores natu, nisi se exhibuissent juxta formam hujus, conversatione & moribus graves: juvenes autem coævum suum haberent magistrum. Mirabilis adolescens sanctissimus Timotheus, cujus exemplo indisciplinata coercenda juventus est, & seniorum irreverentia punienda.

Dum venio, adtende lectionem, exhortationem, ac doctri- ℣. 13.
nam. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est ℣. 14.
tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Intentum vult hunc esse & deditum exercitio lectionis, ut omni cura diligentiaque hoc enitatur, ut exhortetur & doceat. Exhortatio est, cùm miti verbo aliquos provocamus ad opus bonum: docere vero, quando ea quæ latent, intimamus mentibus audientium. Si enim rector populi ab his dissimulat, negligit gratiam datam sibi; ad hoc enim creatur dux populo, ut hujus salutis sollicitudinem gerat, admonendo, docendo, ut fructum habeat ordinatio: quem ad hoc utique Deus constituit, ut proficiat saluti plebis suæ. Qui ergo in hac auctoritate positus indiligens fuerit, Dei contemtor habebitur, minimus in regno cælorum vo-
catus; neque enim poterit facere, qui nec docere dignatur. Matt. 5. 19.
Gratiam tamen dari ordinatoris significat per prophetiam, & manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus: manus vero impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientia sua; ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.

Hæc meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit ℣. 15.
omnibus. Adtende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim ℣. 16.
faciendo, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. Ut forma sit omnibus non solum in bonis operibus, verum etiam in doctrinæ exercitio, admonet. Apparere enim debere significat exercitii profectum, non in doctrina dumta-
xat, sed & in gestis; bona enim arbor bonos facit fruc- Ibidem. v. 17.
tus: similiter & bona doctrina mala opera habere non potest; ut cùm visa fuerint bona opera, divini magisterii fructus esse intelligantur, & auditores possint proficere. [b] Tum enim vera & metuenda esse intelligunt, quæ dicuntur, quando ab eo ipso qui docet, magna veneratione observari videntur. Quod rectori plebis duobus proficit modis: & suorum enim bonorum operum, & audientium mercedem accipiet; quomodo si negligens fuerit, tam pro se, quam pro eis redditurus est rationem.

Cap. V.

Seniorem ne increpaveris, sed exhortare ut patrem, ju- ℣. 1.
niores ut fratres, anus ut matres, adolescentulas ut soro- ℣. 2.
res in omni castitate. Propter honorificentiam ætatis majorem natu cum mansuetudine ad bonum opus [c] docet provocandum, ut facilius suscipiat admonitionem: potest enim vereri commonitus, ne postea corripiatur, quod turpe est seniori. Nam apud omnes utique gentes honorabilis est senectus; unde & Synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod qua negligentia obsoleverit, nescio; nisi forte doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri. Juniores quasi fratres censet admonendos cum dilectionis affectu; ut videntes amoris causâ se commoneri, facilius se corrigant, quippe cùm videant non discrepare opera ejus à prædicatione. Anus vero quasi matres; ut dum miti sermone doceri se vident, non aspere accipiant, quia honorifice proficiunt; asperum est enim senioribus, cùm corripiuntur à junioribus. Quod temperamento quodam leniri vult, ut profectus sit & dicenti & audienti. Adolescentulas ut sorores admonet edocendas; ut promte possint bonæ conversationis suscipere disciplinam. Quando enim non cum imperio insinuari sibi videt, quæ ad bonam pertinent vitam, consentit, humilem se præbens admonenti. Blanditiis enim solent obtineri, quæ auctoritate non possunt; nam animalia quando membra sua zelantur, blanditiis tamen cedunt.

Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Has viduas dicit ℣. 3.
honorandas, quæ datâ operâ viduæ sunt: quæ cùm possent nubere, ut meliores essent, & dignæ Deo, secundas

a. Mss. nonnulli, *manente auctoritate Creatoris.*
b. Codex Vall. *Tum vero metuenda esse intelligunt.*
c. *Docet* in omnibus edit. ac multis mss. desideratur, sed ex aliis nonnullis restituitur.

[a] Luc. 2. 36. nuptias respuerunt, scientes semel benedici conjugium, æmulæ sanctissimæ Annæ, quæ jejuniis & obsecrationibus Deo serviebat nocte dieque, unius viri experta concubitum.

℣. 4. *Si qua autem vidua filios vel nepotes habet, discat primum domum suam pie tractare, & mutuam vicem gratiarum reddere parentibus; hoc enim acceptum est coram Deo.* Viduam prius in hac vita & conversatione dicit probandam; ut tunc demum digna sit vidua Ecclesiæ nuncupari, quæ non quæstus causâ magis, quam defensionis, ecclesiasticæ succumbat disciplinæ. Præire enim debent merita, [a] ut accedenti debitus honor tribui videatur; quæ enim affectus suos pie tractavit, & domum bene gubernavit, Dei legem servavit, digna effecta remuneratione Ecclesiæ.

℣. 5. *Nam quæ vere vidua est & desolata, speret in Deo, & instat orationibus nocte dieque.* Viduam filios aut nepotes habentem non facile admittendam ad stipendia Ecclesiæ; quia si pie & sollicite domum suam gubernavit, necesse est reddi illi vicem à suis, sicut & illa reddidit propinquis; si autem, ut adsolet, impietas fuerit operata, ut anus despiciatur à suis, quos pie tractavit; dignum esse hanc suscipi ab Ecclesia; quia in Domini lege fideliter conversata est. Vidua igitur desolata, & à suis contempta, sperat in Deo; videns enim ex nulla parte se habere suffragium, toto animo devota est Deo, de quo solo auxilium vitæ salutisque exspectat.

℣. 6. [b] *Nam quæ in deliciis est vidua, vivens mortua est.* Viduam, propter quod vidua dicatur, talem esse debere significat, ut ad Dominum promerendum orationibus vacet, Deo serviens nocte dieque; ut ostendat se ideirco nuptias secundas contempsisse, ut instaret disciplinæ Dominicæ. Si enim sub nomine viduæ deliciis vacet aut luxuriæ, vivens mortua habenda est; [c] quia imposturæ genus est, aliud agere, & aliud profiteri: non obsequia & devotionem Dei, sed honorem viduæ volentes habere; cùm nominis ipsius professio hoc indicet; quia spreto viro, Deum elegit, cui serviat tota mente, propter vitam promissam.

℣. 7. *Et hæc præcipe, ut irreprehensibiles sint.* Tantam diligentiam actuum ac morum viduam vult habere, ut reprehendi non possit; amota enim à spe mundanæ conversationis, & corporis curandi officio, propter hoc se ad Deum contulit, ut probabilem agat vitam. Sublatis enim occasionibus, quæ aditus solent aperire peccatis, potest bona conversatio incolumis permanere.

℣. 8. [d] *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Hanc viduam quæ negligens fuit circa suos affectus, ut educaret eos in disciplina & correctione Domini, inhonorandam dicit; quia sicut perfidi, lege Domini non obedivit, ut pejor habeatur. Necesse est enim ut deterior sit, qui sub lege & timore Dei agens contemtor est, quam qui non subjectus est legi; hic enim nescit, ille autem sciens contemnit.

℣. 9. *Vidua eligatur annorum non minus sexaginta, quæ fuerit*
℣. 10. *unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios enutrivit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si pressuram patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est.* Si prærogativâ præteritorum operum vidua commendatur, eligendam hanc docet; domini enim judicio adscribitur nomen ejus ecclesiasticis monimentis, quam dignam vetus vita declarat. Imbuta enim divinis obsequiis, & in his vitam adterens, suscipienda est in sinu Ecclesiæ, cui olim se vovit legitimis servitiis.

℣. 11. *Adolescentulas vero viduas devita: cùm enim vitam in deliciis egerint, in Christo nubere volunt.* Prohibet adolescentulas viduas in hac suscipi professione, lubricæ enim ætati fides facile haberi non debet; quippe cùm quarumdam exempla præcedant, quæ post professionem vitæ deliciarum oblectatione nomen, non opera viduitatis habent, & conversæ nuptiis sollicitantur. Qui enim putat se in Christo vitam deliciis agere, minime innocens perseverat; luxuria enim trahit illum ad sua membra, ut subjiciatur peccato; deliciæ enim januæ sunt peccati. Non enim quo tendat, ignoratur, qui fluidam amat vitam.

℣. 12. *Habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt.* Quid maneat tales, ostendit; ne facile audeant, quod implere difficile est: aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat; [e] quia didicit temerarium esse profiteri, quod adhuc juvenili ætati credi non debet. Damnationi enim fit obnoxius, qui ab hoc declinat, quod recte fecerat. Quantum enim laudabile est, si impleat quod ultra vires ejus creditur; tanto magis puniendus erit, si hoc audeat sibi imponere præsumtione temeritatis, quod ferre non possit: nec ad veniam debet pertinere, qui est à primordio infidelis inventus.

Simul autem & otiosæ discunt circuire: non solum autem ℣. 13.
otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Quædam virgines vel viduæ, commendante professione (gloriosum est enim hujus rei vocabulum) acceptabiles sunt domibus divitum, quæ id agunt; ut pareant voluntatibus eorum, ambulantes & quærentes quæ perferant ad illos, quibus delectentur, ut otiosæ muneribus afficiantur: & malo more plus quærant fabulis, quam quæ operantur manibus; ut claræ procedant & compositæ, contra professionem suam agentes. Quæ res solet illis etiam in hac vita esse contraria; revelatur enim id, quod semper occultum putant. Quid est enim, ut ea loquantur, quæ non oportet? Nuptiarum enim sunt proximæ, multorum secretorum participes, adulatrices, servorum querulæ.

Volo itaque juniores nubere, filios procreare, [f] *matres fa-* ℣. 14.
milias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gra-
tiâ. Jam enim quædam deviaverunt post satanam. Quoniam ℣. 15.
quæ supra dixit de hujusmodi, contraria & illicita sunt, perducent eas ad mortem; idcirco consilium dat, & præcipit ea fieri, quæ licita sunt. Melius est enim domus curam suæ gerere, [g] quàm in aliena domo adulterari: & multum expedit nubere, quam sub bona & pia professione notabiliter in malo incedere: plus autem est cum pudore manibus victum quærere, quam inverecunde cum otio aliena utensilia exspectare. Sic enim invenit occasionem satanas, quomodo subvertat animas inconsultas, cùm pia profitentes injuste versantur; nihil enim tam periculosum est, quam si professioni gesta repugnent. Apertum enim malum non zelatur satanas; quia gaudet in illo: [h] istum vero quem videt fallere, id agit, ut manifestet illum suum filium esse, non Dei: quod factum non displicet Deo.

Si quis fidelis, vel si qua fidelis habet viduas, sufficienter ℣. 16.
subministret illis; ut eorum alimoniis non gravetur Ecclesia, ut veris viduis sufficiat. Quid mirum si Apostolica potestas futura potuit prævidere? Nam apparet quod dixit, quia fidelium viduæ nunc multum gravant Ecclesiam, & eorum qui locupletes videntur mundi; quia per senectutis causam desistentes eas ab opere lanificii, retrahunt eis & vestimentum & victum, non totum tamen, sed ex parte; ut illæ ipsa inopia ad Ecclesiam convertantur, ut vivant: quos oportebat non solum suis indigentibus largiri, verum etiam alias inopes pascere & contegere. Quod multum obest; cùm enim his datur, ceteris aut minus, aut non datur, quibus magis dandum est, quæ dignæ sunt Ecclesiæ sumtibus ministrari. Sic autem gravatur, cùm cogitur vestire multos, quæ deberet vestire paucos: & plebs quæ libenter & frequenter possit ministrare paucis, cogitur plures dimittere; ut aut murmuret, aut tardius eis occurrat. Nam cùm præcipiat unius viri uxorem eligi viduam, nunc inveniuntur inter eas non tantum duum aut trium maritorum uxores, sed & quæ turpius vixerint: quod aliquando per negligentiam fit, [i] aliquando potentatu insinuantis.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habeantur ℣. 17.
digni: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Boni dispensatores ac fideles non solum honore sublimi debent digni judicari, sed & terreno; ut non contristentur indigentia sumtuum, sed magis gaudeant fide sua & doctrina. Instantior enim fit, si non humilietur inopiâ: & crescit in illo auctoritas, [k] cùm videt se etiam in præsenti laboris sui fructum percipere; non ut abundet, sed ut non deficiat.

Dicit enim Scriptura: Non infrenabis bovem triturantem; ℣. 18.
& : Dignus est operarius mercede sua. Tanta merces debet esse evangelizanti regnum Dei, qua neque contristetur, neque extollatur. Deut. 25. 4. Luc. 10. 7.

a. Rem. edit. ut accedenti meritus honor.
b. Codex Vall. Quapropter vidua in Dei talem significat.
c. Idem codex, non obsequia & devotionem Dei, sed honore nomen viduæ volentes habere.
d. Rom. edit. Si qua autem. Et infra, quasi sicut perfida.
e. Rom. edit. & mss. aliquot, quia dicit temerarium.

f. Codex Vall. & alii nonnulli, matres familias esse, domum regere.
g. Ita mss. plerique: alii vero, & edit. quam in aliena domo adulterare . . . notabiliter incedere.
h. Omnes edit. & quidam mss. justum vero; melius alii mss. istum vero.
i. Nonnulli mss. aliquando potentatu æstimante.
k. Codex Vall. congaudet se etiam &c.

ŷ.19. *Adverſùm presbyterum accuſationem ne receperis.* Quoniam hujus ordinis ſublimis honor eſt (hujuſmodi enim vicarii Chriſti ſunt) idcirco non facile de hac perſona accuſatio debet admitti. Incredibile enim debet videri iſtum, qui Dei antiſtes eſt, criminoſe verſatum, ſicut credibile eſt ſcenicum eſſe turpiſſimum.

ŷ.20. *Delinquentes autem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.* [a] Quomodo non facile credi debet de presbytero crimen; ſi probetur tamen, aut ſit manifeſtum quia irreverenter verſatus eſt, publice præcipit arguendum, ut & ceteri terreantur: quod non ſolum ordinatis proficit, ſed & plebi; quando enim vident dignitoſum virum erroris cauſa corripi, neceſſe eſt ut ſibi caveant.

ŷ.21. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & electis Angelis; ut hæc cuſtodias, ſine præjudicio nihil faciens in partem aliam declinans. Manus cito nemini impoſueris,* [b] *neque communi-*
ŷ.22. *caveris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi.* Conteſtationem deponit apud Deum Patrem, & Chriſtum filium

Marc. 8. 38. ejus, & electos ejus Angelos, quos Dominus in Evangelio ſanctus appellat. Hi ergo electi ſunt, quia ſunt alii reprobi, qui ſunt non Dei Angeli, ſed diaboli, adſentientes apoſtaſiæ ejus. Sub teſtatione ergo ea, quæ ad ordinationem Eccleſiæ mandat cuſtodiri, præcipit nihil fieri ſine præjudicio; ne facile aliquis accipiat eccleſiaſticam dignitatem, niſi prius de vita ejus & moribus fuerit diſputatum; ut dignus approbatus, miniſter aut ſacerdos conſtituatur, ut non poſtea ſi reprehenſibilis videatur, pœniteat forte principem populi [c] non ad liquidum præjudicaſſe quid mereretur, quem improbabiliter ordinavit; nec illum cujus peccata ad ſuſpicionem veniunt, ordinandum, ne commaculetur ordinator vitiis & delictis ejus. Si ergo omnino latentia ſunt delicta, immunis erit rector; quia conſcientia ejus libera eſt. Suſpicio enim trepidum facit; peccat enim ſi non probat, & ſic ordinat. Melior enim ceteris debet probari, qui ordinandus eſt; non enim ſufficit, ſi ſine crimine ſit; quia merita ejus debent præire bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem. Hæc epiſcopus cuſtodiens, caſtum ſe exhibebit religioni: cujus rei in futuro præmium conſequetur.

ŷ.23. *Noli adhuc bibere aquam, ſed vino modico utere propter ſtomachum tuum, & crebras tuas infirmitates.* Nunc ſpeciale conſilium dat, ut ſe ipſum ſalubri regat doctrina; prudenter enim Deus ſibi ſervari vult, non ut nimietate ſua debiles fiant, & poſtea medicorum ſuffragia requirant. Temperandum enim eſt, ut ſi fieri poteſt, cœptum obſequium gradatim provehatur, quàm per inconſiderantiam minuatur. Intemperantia enim ipſam animam inquietam facit, ut cùm de infirmitate ſollicita eſt, non tantum dedita ſit divinis ſervitiis. Damnum enim affert improvidentia; anima in tranquillitate poſita, totum cor extollit ad Deum, integro conſilio obſecrans, [d] quæ petenda ſunt.

ŷ.24. *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium, quoſdam vero & ſubſequuntur. Pari modo*
ŷ.25. *& opera bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.* Nullam excuſationem vult intelligi fore eorum, qui his adhærent, quorum peccata [e] propalam ſunt; ut cùm evitandi ſint, magis honori ſint. Hoc ergo ſignificat, ut homo Dei ab his ſecernatur, maxime diſpenſator Chriſti, qui etiam corripiendi eos habet auctoritatem: qui ſi ſe emendare promittunt, retinendi ſunt. Alios vero ſubſequi mala opera illorum oſtendit; quia cùm viventes æſtimantur boni, mortui deteguntur; ut qui prius oſtendebant ſe idoneos, poſtmodum declarentur impoſtores. Superiori ratione ſicut mala, ita & facta bona manifeſta ſunt; bona enim vita & actus modeſti abſcondi non poſſunt, quæ adhibita pietate, faciunt perfectos: ſed ſicut quædam mala occulta ad præſens ſunt, ita & bona; nemo enim omnia in hominibus poteſt ſcire: ſed ex iis quæ videt & audit, probat & judicat. Perpendit enim an ea quæ dicantur, conveniant ei, de quo dicuntur, ſive bona, ſive mala: quæ autem occulta fuerint hominibus, in die judicii palam fient. Propter hoc ergo dicta ſunt, ut ſciant hujuſmodi graviorem ſe cauſam habere præ ceteris. Pejor eſt enim qui ſe, cùm ſit malus, bonum oſtendit, quam ille qui aperte eſt malus.

Cap. VI. ŷ.1. QUotquot ſub jugo ſunt ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur; ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Servorum obſequiis dominos Deo gratias vult referre; cùm enim per Dei diſciplinam fidelia illis exhibuerint ſervitia, forte huic etiam ipſi ſe ſubjicient diſciplinæ.

ŷ.2. *Qui vero fideles habent dominos, non contemnant; quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant; quia fideles ſunt & dilecti; qui beneficii participes.* Si profanis dominis ſerviendum tota ſollicitudine imperat, quanto magis fidelibus? Tunc enim probat ſe timori Dei ſubjectum, ſi fideli & temporali domino toto animo fuerit obſequutus. Ne contemnendum putet, quia frater dicitur cauſâ communis fidei; quia magis corripiendus erit, qui fidelem dominum contemnendum putaverit.

ŷ.3. *Hæc doce, & exhortare.* Doctrinam Dominicam manifeſtari vult, ut obtrectatores videant; quia non eſt, quod reprehendantur, in ea: conſiderantes pariter quæ in ſacris eorum ſint occulta turpia, & erubeſcant per quod inexcuſabiles erunt.

Si quis aliter docet, & non adquieſcit ſanis ſermonibus domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt,
ŷ.4. *doctrinæ: ſuperbit autem nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus fiunt invidia, conten-*
ŷ.5. *tiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum, qui corrupti ſunt mente, & qui veritate caruerunt, exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem, & Dei culturam; diſcede ab hujuſmodi.* Diſcrepantes à diſciplina catholica ſpernendos præcipit, maxime qui convicti & correcti adquieſcere nolunt perturbatione mentis pravæ, qui contentionibus delectantur & paſcuntur. Elatus enim vinci ſe non patitur, quippe cùm ad favorem quærendum in conflictum prorumpat, quod à manſuetis & bonis viris vitandum eſt. Contentio enim numquam eſt ſine lite, & parum eſſet ſi lis ſola oriretur, ſed blaſphemiæ & inimicitiæ, quod à Dei ſervis alienum eſt. Ab his autem qui corrupti mente, veritate privati ſunt, utile judicatur; Dei enim culturam & pietatem quæſtum exiſtimant, non de futuro aliquid ſperantes; ſed quomodo in præſenti ſe tranſigant providentes, ſicut & mundanæ ſectæ, quas conſtat propter præſentia lucra inventas; non neſcii quoſdam hoc libenter audire, quod in hac vita florendum ſit; ideoque deſiſtendum ab hujuſmodi.

ŷ.6. *Eſt autem quæſtus magnus* [f] *pietas cum ſufficientia.* Magnas divitias & adquiſitionem in eo dicit, ſi quis fidelis ſuo contentus ſit; pius enim & in ſemet ipſo & in ceteris eſt, [g] qui miſericordia Dei adquiſitus ad futuram vitam, ad præſens ſufficere ſibi putat, quod habet, non dubitans ex eo ipſo largiri. Omnis enim avarus impius eſt, & ſibi & ceteris nocens.

ŷ.7. *Nihil enim intulimus in mundum, verum quia nec auferre*
ŷ.8. *poſſumus quidquam; habentes autem alimentum, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Fruſtra mortales homines copiæ ſtudere, & locupletes fieri velle aperta voce declarat, cùm ſciant nihil ſe proprium habere in mundo. Cui rei proficit humana cupiditas, niſi quia ipſa ſibi inimica exſiſtit? Nihil enim intulit mundo, nihil auferre poterit. Quid ſibi incutit ſollicitudinem, & quærit congregare? Talis hinc exiet, qualis venit. Quod etiam ſcribit Job, & in ſua paſſio- Job. 1. 21.
ne fatetur, dicens: *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram.... ſit nomen Domini benedictum.* Quod ſi avari non retinerent in perniciem ſuam, pauci conderent quod pluribus poſſet proficere cum eorum ipſorum emolumento.

ŷ.9. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ demer-*
ŷ.10. *gunt homines in exitium & interitum. Radix enim omnium malorum eſt avaritia, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Nihil tam aſperum, tamque pernicioſum eſt, quam ſi eccleſiaſticus, maxime qui in ſublimi loco eſt, divitiis hujus ſæculi ſtudeat; quia non ſolum ſibi ipſi, ſed & ceteris obeſt. Contrariam enim formam dat hominibus; neceſſe eſt enim multos imitatores ejus exiſtere ad perditionem. Quanto enim honorificentior ordine eſt, tanto magis ſuadet imitandum ſe, maxime in hac re, quæ in iſta vita proclivis eſt; avaritia

a. Eliz. & quidam mſſ. *Quoniam enim* Rom. edit. *Quoniam vero*: melius alii mſſ. ut in contextu.
b. Rom. edit. *neque ac communicaveris peccatis alienis.*
c. Eadem Rom. edit. *non ad liquidum providiſſe.*
d. Mſ. Carn. *quæ poſtulanda ſunt.*
e. Idem codex, *prolata ſunt, magis omni ſint.*
f. Rom. edit. *pietas, cum quis ſuo contentus ſit.*
g. Eliz. & ſeq. edit. cum mſſ. aliquot, *qui miſericordiam Dei adquiſiturus.*

enim omnia mala potest admittere. Ideo radix omnium A malorum est, quia ut desideria sua expleat, quod impossibile est, & maleficia, & homicidia, & obscœnitatem, & quidquid sceleris est, perpetrat; nec ad præsens secura, quia semper cupida; & in futuro damnata.

℣. 11. *Tu autem, homo Dei, hæc fuge.* Abscindere se hominem Dei ab hac hortatur & præcipit, ut & hîc securus sit, & in futuro præmiis remuneretur divinis. Non enim immerito coronandus est, qui hanc spernit, quæ multis suadet.

℣. 12. *Sequere autem justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, tranquillitatem animi. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, ad quam & vocatus es, & confessus es bonam confessionem coram multis testibus.* Quoniam B avaritia res iniqua est, hominem Dei, ut ab hac dissentiat, justitiam sequi jubet atque pietatem, & alia quæ memorat; non enim poterit hanc evitare, nisi his adhæserit, quæ avaritiæ adversa sunt. Quomodo autem fieri potest ut avarus fidelis sit, qui operibus negat, quod verbis fateri videtur? Unde autem amator fraternitatis, cujus manus sunt aridæ? quomodo vero patiens, qui semper ad aliena se tendit? aut quatenus quietem animi possit habere, qui die noctеque aviditate cupiditatis incenditur? Sed quia ab homine Dei Timotheo iniquitas hæc aliena erat, bonum certamen fidei aggredi jubetur. Fidei enim victoria est, cùm omnia vitia & crimina subjugantur; ut ad æternæ vi- C tæ præmia veniatur: cujus confessio inter ipsa rudimenta fidei, teste interrogante & respondente monumentis ecclesiasticis continetur.

℣. 13. *Præcipio tibi in conspectu Dei, qui vivificat omnia, &*
Christo Jesu qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessio-
℣. 14. *nem; ut serves mandatum immaculatum, irreprehensibile us-*
que in adventum domini nostri Jesu Christi: quem suis tem-
℣. 15. *poribus ostendet beatus ille & solus potens, Rex regum, &*
Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, &
℣. 16. *lumen habitat inaccessibile, quem vidit nemo hominum, nec*
videre potest, cui honor & potestas æterna, amen. Magnâ vigilantiâ atque providentiâ præcepta dat rectori Ecclesiæ; D in hujus enim persona totius populi salus consistit. Non sollicitus de cura Timothei, tam circumspectus est, sed propter successores ejus, ut exemplo Timothei Ecclesiæ ordinationem custodirent; ipsi quoque futuris formam tradentes à seniores ipsis inciperent. Denique *ut serves*, inquit, *mandatum immaculatum usque ad adventum domini nostri Jesu Christi.* Quod sic adstringit, ut coram Deo & Christo hoc se mandare testetur; & ut terrorem incutiat, passionem Christi memorat, cujus passionis reus necesse est fiat, qui hoc spernit propter quod passus est Christus. Nec diem judicii tacuit, quod prædestinato tempore futurum est Dei E natu, quem solum beatum & potentem & Regem regum & Dominum pronuntiat: solus est enim ipse qui propriam & à nullo habet acceptam beatitudinem atque potentiam, dominatum & regnum, nec non immortalitatem. Hæc omnia habet Pater, similiter & Filius à Patre: lumen autem inaccessibile solius Patris est; quia nulli umquam apparuit. Denique subjecit: *Quem vidit nemo hominum, nec videre potest.* Non quia aliud lumen Filii sit; quippe cùm in psalmo scriptum sit: *Et in lumine tuo videbimus lumen*, Psal. 35. 10. hoc est, lumen Patris esse in Filio: sed quia nemo vidit Patrem, ac per hoc inaccessibile habitat lumen. Non est enim ordo alicui videndi Deum Patrem, nisi Christo: qui de Deo est: hic vidit Deum: Filius autem quia omnia ipse agit, & apparere dicitur & videri. Illud ergo peculiare Patris est, quod supra dictum est: *Cui honor & potestas æterna, amen*; hoc est, verum.

Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque ℣. 17.
sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat
nobis omnia [a] *abundanter ad fruendum in voluntate operum* ℣. 18.
bonorum; divites esse factis bonis, faciles ad impertiendum,
& libenter communicatores, thesaurizare sibi fundamentum ℣. 19.
bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Vera vita illa est, quam speramus futuram, quæ non occasu, neque temporibus terminatur; æterna est enim, & ideo merito vera appellatur: hæc enim præsens imago vitæ est, non veritas. Et quia imago non omnino inanitas est, in hac vitâ illa adquiritur: & ut ad illam festinaretur, ex imagine quam præcellat veritas, addiscitur, quæ neque superbia, neque spe divitiarum adtingitur; sed humilitate, & spe Dei, qui hanc promisit. In ipso enim sperandum est, quia ipse præstat quæ usibus sunt necessaria, non in ipsis copiis, sed in auctore earum. Quæ enim spes videtur in te caduca atque incerta? quippe cùm aliquanti ex his discedant: qui autem in his manere videntur, nullum lucrum ex his capiunt in futurum, sed damnum; nisi cum indigentibus partiantur: neque enim æternæ sunt, ut futuræ vitæ præponantur. Sic superbos faciunt, quasi immortalitatem polliceantur. Resurrectionis exemplum habemus in Christo; & à multis non sic diligitur Christus, sicut divitiæ, quarum nullum exemplum videtur, quod aliquem à morte liberaverit. Christus nos redemit, non divitiæ; ipse enim futuræ vitæ instar ostendit, ut his omnibus spretis, ipsum sequamur; ut ad immortales & cælestes divitias veniamus. Quare hoc eniti debemus, ut bonis factis divites simus, & his terrenis copiis spiritales divitias adquiramus; seminemus in terra, ut metamus in cælis, ubi thesaurus collocatur æternus.

O Timothee commendatum custodi, devitans profanas vo- ℣. 20.
cum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, ℣. 21.
quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Eadem admonet, ut ea quæ supra dicta sunt, serventur; contraria autem religioni evitanda, quæ nomen tantum scientiæ usurpant, fallaces in professione, ut decipiant simplices, fidem enim simulant, à qua exciderunt, ut perfidiam inferant. Et manu propria subscripsit, dicens: *Gratia tecum.*

a. Rom. edit. abunde ad fruendum.... ut divites facti bonis operibus, faciles sint ad impertiendum, & libenter communicantes, thesaurizent sibi &c.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI
AD TIMOTHEUM SECUNDAM.

PROLOGUS.

ALIAM epistolam [a] scribit ad Timotheum, ut jam eruditum ecclesiastica disciplina, & quæ spes sit promissionis, suo exemplo ad martyrium provocet: & quia futurum est, ut quidam à sana doctrina, eo quod dura illis videatur, ad fabulas convertantur, id est, ad humana commenta.

CAP. I. ℣. 1. ℣. 2. *PAulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu, Timotheo dilecto filio.* Hujus rei gratiâ apostolum se Christi Jesu, Dei voluntate appellatum significat; ut quæ & quanta promissio in futuro [b] in fide Christi sit, edoceret; ut prædicatione ejus incrementum faciat in salvandis disciplina Do- A minica. Idonei enim servi sunt, qui instantia sua & fide negotia dominorum suorum exaggerant. Quod ideo huic quasi carissimo filio scribit, ut hujus rei imitator exsistat, eadem ceteris tradens; ut per traducem successionum indeficiens sit idoneus doctor, per quem adserta veritas multos adquirat ad vitam promissam. *Gratia, misericordia, & pax a Deo Patre, & Christo Jesu domino nostro.* Gratiam huic Patris in miseratione exoptat, ut adsit ei: & Christi Jesu domini nostri, quia Deus gratiam suam per Christum largitur; ut una gratia sit utriusque.

Gratias ago Deo meo, cui servio à proavis in conscientia ℣. 3.
pura, quod indeficientem habeam tui memoriam in precibus
meis, nocte dieque multum desiderans te videre, memor la-
crymarum tuarum; ut ego gaudio replear, recordationem acci- ℣. 4.
piens ejus, quæ est in te sincera fidei, quæ habitavit primum ℣. 5.

a. Rom. edit. scribit nunc Apostolus ad Timotheum .... ostendit quæ spes sit promissionis, & ut suo exemplo .... commenta, prædicit.

b. Eadem Rom. edit. per fidem Christi sit, edoceret, quo prædicatione ejus &c.

in avia tua Loide, & matre tua Eunice: certum autem habeo quod & in te. Quoniam dignum est meminisse bonorum, idcirco Deo gratias agit, quia memor erat Timothei viri mirabilis, ut etiam hoc ipsum Dei donum sit; non enim sine merito est, qui cogitat de bonis viris. Et quia idem Deus christianorum est, qui erat Judæorum, et se Deo gratias referre testatur, cui à proavis famulatus est. Quando enim hoc sperabant progenitores ejus, quod hic cœperat prædicare, una eorum fides est. Et quia in parentum successit servitia, & quia in his erat adhuc, cùm illi Deo servirent, recte ait: *Cui à proavis servio.* Quomodo? *In conscientia pura*, inquit; sic enim aliquando persequutus est Ecclesiam, ut Dei amore hoc ageret, non malevolen-
Hebr. 7. 9. tia. Nam simili modo & in epistola ad Hebræos scriptum B est quia Levi, qui decimas accepit, decimas dedit Melchisedech; quia in Abrahæ, inquit, lumbis erat Levi, quando decimas obtulit Melchisedech: ita & hic à proavis Deo se dicit servisse, quia & Levi in proavo decimas dicitur obtulisse. Est enim Levi pater Jacob, avus Isaac, proavus Abraham. Multùm ergo se memorem Timothei profitetur, & avide illum desiderare propter lacrymarum ejus recordationem, quas amore fuderat Apostoli, sicut intelligitur, recedentis à se. Non immerito ergo amantem se desiderat, ut gaudio impleatur ex communi lætitia, causâ fidei sinceræ, quam & in avia ejus, & in matre fuisse significat, certissime & in eo. Omnis itaque hic affectus propter fi- C dem est, quæ erat in eis inviolata.

℣. 6. *Quæ de causa admoneo te, ut recrees donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit no-*
℣. 7. *bis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Propterea se parentum ejus sinceritatem fidei significat memorasse, ut fortiorem hunc faceret. Quis enim laudem illorum audiens, quorum in eo ipso particeps est, non crescat, addens animum hujusmodi viribus. Sic ergo recreat in se donum gratiæ Dei acceptum per ordinationem presbyterii, dum animum suum confovet mentis alacritate, gaudens in semet ipso, sicut in novitate ordinationis gaudetur. Denique subjecit: *Nec enim*, inquit, *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis.* Innovatus enim homo D exit de timore, accipiens spiritum lætitiæ propter justificationem; quia omnis injustus in timore est, non fortis, sed infirmus: non in dilectione, sed in odio: nec in mentis sobrietate, sed errore saucius. Si autem his caruerit, per fidem & fortis, & dilectus, & sobrius erit.

℣. 8. *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus.* Constantiam habendam docet, nec trepidari debere in professione. Non est enim unde erubescatur in ea; quia si homo visus est Christus, gestis tamen apparuit Deus: etsi crucifixus est, resurrexit tamen à mortuis, & multis videntibus, suscipiente eum nube, in cælum
Act. 1. 9. adscendit. Non est ergo infirmitatis causa, sed potestatis; quia ubi putatur imbecillitas, ibi apparet potentia. Itaque E stulte infirmatus dicitur, qui vicisse probatur. Hoc modo nec in Apostolo est, quod ad ruborem pertineat; quia si pressuris & cædibus humiliatus dicitur, ex illa parte confundit obtrectatores suos, quia in signis ac prodigiis nutu mirabilis pervidetur; ut intelligatur non infirmitate humiliari, sed voluntate ad quemdam meritorum profectum. Idcirco enim Deus servos suos ab iniquis humiliari permittit, ne illis injuste præmia dare videatur.

℣. 9. *Sed collabora in Evangelio secundum virtutem Dei*, [a] *qui nos salvos fecit.* Quoniam virtute Dei victa est mors, ut nos salvi esse possimus; juxta hoc convenit vicem nos ex aliqua parte reddere Redemtori. Quia enim ad omnia ejus beneficia respondere non possumus, vel legationem ejus fideliter & instanter agamus. *Et vocavit vocatione sua sancta.* Vocatio sancta est, cùm electi sunt ad gubernandum populum sanctum Dei: ad sanctum autem senior vocatur, qui dux eligitur sanctitatis. *Non secundum merita nostra.* Verum est; quia si ad liquidum quæras, nullus hominum dignus potest videri vicarius esse Christi; omnes enim quos elegit, prius fuerant peccatores. Quantum ergo ad comparationem ceterorum pertinet, hi digni inventi sunt: quantum vero ad rem ipsam, omnes indigni sunt. *Sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.* Quoniam dignatione sua Deus olim A decrevit peccatores salvos facere (præscius enim fuit Deus quid futurum esset in homine, antequam faceret eum, & peccaret) quomodo redintegraretur prædestinavit, quo tempore, & per quos, & qua ratione salvari possint; ut neque merito suo qui salvantur, neque horum per quos vocantur, sed Dei gratiâ istud donum præstari videatur per fidem Christi.

Nunc vero declarata per illuminationem adventus Salvatoris nostri Jesu Christi. Donum Dei quod ante tempora sæcularia latebat in mysterio, incarnatione & adventu Christi declaratum testatur, quando cœperunt homines remissam peccatorum accipere. ℣. 10.

Qui destruxit quidem mortem, [b] *illuminavit autem vitam æternitate per Evangelium, in quo positus sum ego prædicator, & apostolus, & magister gentium.* Qua ratione salvum fecit populum suum Christus, ostendit dicens quia mortem destruxit, quæ erat hominis inimica, ne ab inferis posset resurgere: tum demum vitam illuminavit æternitate; ut resurgens à mortuis, jam mori non possit. Obscura enim vita est, quæ tempore definitur, dum soporatur, dum ignorat, dum male versatur. Et quomodo illuminetur vita, ostendit: quia per Evangelium credentibus datur æternitas, magistro gentium prædicante. ℣. 11.

Quam ob causam & hæc patior. Prædicans Dei donum, diabolum patitur inimicum; ut pressuras ei exsuscitet, quia populum de faucibus ejus eruit. *Sed non confundor.* In hoc securus, quia pro tribulationibus magna promissa merces est, non confunditur, sed gloriatur in pressuris. *Scis enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum custodire* [c] *in illa die.* Hoc est quod dicit, qua spe & fiducia magnificentiæ Salvatoris securus est; quia quod commendat illi, in tuto est. Quid autem illi commendat, nisi salutem suam? Ut hic pro illo patiens, salutem inveniat penes illum, cùm cœperit judicare; ut puniens infideles, istum dignum æternâ vitâ pronuntiet. ℣. 12.

[d] *Formam habens sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu, bonum commenda-* ℣. 13.
tum custodire per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. ℣. 14.
Præcepta sua cum gestis formam appellat salutaris doctrinæ, quam istum sequi mandat; ut custodiat ea, Spiritu sancto favente.

Scis enim hoc, quod aversati sunt à me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phygelus & Hermogenes. Hi quos memorat, fallacia pleni erant; simulabant enim amicitias Apostoli, ut adhærentes ei addiscerent, unde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent. Qui posteaquam viderunt manifestatos se, recesserunt ab eo. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui; quia sæpe me refrigeravit, & super catenam meam non erubuit.* Dupliei genere refrigerium hoc intelligendum est; quia & in necessitate custodiæ solatio suo refrigeravit eum: & si qua illi, sive indigentibus opus erant, ministravit. Spe enim eorum, quæ promissa sunt, non puduit illum accedere, & requirere hominem positum in custodia; illi enim quos supra memorat, quia erubescebant de cruce Christi, in necessitate deseruerunt Apostolum. ℣. 15. ℣. 16.

[e] *Sed cùm essem Romæ, sollicite me quæsivit & invenit. Det* ℣. 17.
illi Dominus invenire misericordiam apud Dominum in illa ℣. 18.
die. Romam veniens Apostolus, cùm appellasset Cæsarem, à militibus custodiebatur; tunc enim eum Onesiphorus caritatis causâ & magisterii magnâ diligentiâ requisitum invenit. Cujus visitatio tam acceptabilis fuit Apostolo, ut eum sic Domino commendet, ut inveniat misericordiam F apud Dominum in die judicii; ut sicut Apostolum requirens invenit, ita & misericordiam quærens, inveniat apud judicem. Hoc enim orat, ut præstet ei Dominus Pater cæli & terræ invenire gratiam apud dominum humani generis,
Filium scilicet. Tale est hoc, quale & illud in Genesi: *Et* Gen. 19. 24.
pluit, inquit, *Dominus sulphur & ignem super Sodomam & Gomorrham à Deo de cælo.*

Quanta autem Ephesi ministraverit mihi, melius tu nosti. Quoniam solent quidam personis magis quam causis servire, volentes gratificari majoribus; ideo Apostolus [f] Onesiphori bonum generale ostendit, ne videretur forte personæ se commendasse, dum Apostolo ministravit; cùm constaret illum magnanimum omnibus fuisse.

a. Rom. edit. qui nos liberavit.
b. Eadem edit. Illuminavit autem vitam, & æternitatem. Ita etiam infra.
c. Rom. edit. in illum diem . . . . qui spe & fiducia.

d. Rom. edit. Formam habe sanorum verborum . . . Bonum commendatum custodi.
e. Eadem Rom. edit. Sed cùm venissem Romam.
f. Rom. edit. Onesiphori domum generalem.

Cap. II. TU ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo
℣. 1. Jesu, & in iis quæ audivisti à me per multos testes: hæc
℣. 2. commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Constantem hunc & robustum esse præcipit in docendo gratiam Dei, quæ data est in Christo Jesu: & non solum in gratia, sed etiam in mysteriis, quæ sunt de Christo. Arcana fidelibus & dignis tradi vult, qui alios possint docere, non passim vulgaribus ac negligentibus; magna enim cura eligendus est doctor.

℣. 3. *Labora ut bonus miles Christi Jesu; nemo enim militans*
℣. 4. *Deo, obligat se negotiis sæcularibus; ut placeat ei, cui se probavit.* Manifestum est quod dicit; quia *nemo potest duobus*
Matt. 6. 24. *dominis servire*; negotia enim sæcularia avaritiæ serviant necesse est: & nisi mentiti fuerint, transegisse non possunt. Est ergo, sed leve peccatum. Ecclesiasticus autem idcirco Deo se probat, ut huic devotus, officium impleat quod spopondit, in Dei rebus sollicitus, à sæculari negotio alienus; non enim convenit unam duplicem professionem habere.

℣. 5. [a] *Etsi certet quis, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Dei militem tam exercitatum vult esse in Dei operibus, vel officio deputato, ut possit ad gloriæ meritum pervenire: tota mente vigilantem divinis obsequiis, præsentia spernentem, cælestia diligentem; ad hoc enim se probavit, ut hic laborans remuneretur in cælis.

℣. 6. *Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus perci-*
℣. 7. *pere. Intellige quæ dico; dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Tantæ abstinentiæ sanctus fuit Timotheus, ut etiam à licitis se temperaret; hoc enim vult intelligi, quia à participatione gazophylacii se abstinebat, cùm hoc Do-
1. Cor. 9. minus decreverit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant. Ideo Apostolus prius hunc sumere præcipit, qui primus est, & sic ceteris distribuere.

℣. 8. *Memor esto Christum Jesum resurrexisse à mortuis ex semine David secundùm Evangelium meum. in quo laboro usque*
℣. 9. *ad vincula, quasi latro, sed verbum Dei non est alligatum.* Quoniam multi futuri erant filii diaboli, qui Filium Dei incarnatum negarent; idcirco hoc memorat, quoniam fallaciter sub nomine apostolorum hoc adseverare nituntur. Subjecit, *secundùm Evangelium meum*, ut excluderet malæ mentis falsa colloquia; non enim plus hæreticis credendum est de apostolis, quam his ipsis de prædicatione sua testantibus, quam prædicationem cum labore se agere queritur. Pressuris enim tribulabatur & carceribus, eo quod tam Judæos quam gentiles offenderet, sicut illis videbatur, incredibilia prædicando; iratos enim habebat Judæos propter Legem, quam cessare docebat: gentiles autem inimicos sibi faciebat; quia unum Deum prædicabat in Christo. Unde quasi latronem hunc tractabant, alligantes, claudentes si posset tacere, nescientes quia verbum Dei alligari non poterat. Denique sæpe clausus non dispendium fecit, sed lucrum; neque enim defuit, cui prædicaret in carcere, ut quos libere invitare ad fidem non posset, in vinculis positus pasceret Dei verbo.

℣. 10. *Ideo omnia suffero propter electos: ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu cum gloria cælesti.* Ut prædicatione sua salvaret homines prædestinatos ad vitam, exitiis erat subjectus, sciens profectum se habiturum quæsitæ salutis illorum.

℣. 11. *Fidelis sermo; si enim commortui sumus, & convivemus:*
℣. 12. *si sustinemus, & conregnabimus.* Sic posse ad immortalitatem & gloriam Christi perveniri significat, si in forma baptismatis manserimus, ubi omnia delicta moriuntur; ut innovati omnia vitia vetera & crimina fugiamus, ut auctoris sequuti vestigia, peccatis mortui videamur. Si vero additum fuerit ad causam, ut & tribulationes ac pressuras non ægre pro nomine Domini patiamur, sustinentes hæc, simul cum illo regnabimus; dignum est enim ut qui pro illo opprobria patitur & exitia, in regno ejus gloriosus appareat. *Si negamus, & ille negabit nos.* Verum est, quia si minime confessi illum fuerimus coram hominibus, tunc dicet &
Matth. 10. 33. ipse nobis in illa necessitate futuri judicii: *Nescio vos.* Hæc est punitionis significatio.

℣. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare semet ipsum non potest.* Nemo potest Domino auferre, quod habet. Quis enim illo fortior est, per quem omnia exstiterunt? Nec addi potest perfecto; quia non illi aliquid præstat, qui credit in illum: quomodo nihil aufert ei, qui non credit in illum. Quidquid ergo agitur, ad profectum nostrum pertinet, ne in ignorantia maneamus. Nec enim à nobis firmatur, cùm ipse ex se & apud se firmus sit.

Hæc admone, contestans coram Domino. Noli verbis pug- ℣. 14.
nare; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Contentiones vitandas monet, præcepta autem danda sub Dei timore & terrore; quia contentio potest adhuc minus stabilitis generare scrupulum. Solent enim in contentione talia opponi, elimato malevolentiæ ferro, ut moveant animos incipientium fratrum.

Sollicite cura temet ipsum, ut probabilem te exhibeas Deo, ℣. 15.
operarium non impudoratum, recte tractantem verbum veritatis. Quoniam sunt aliqui, qui dicant contentionem audientibus prodesse: Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat, ut unusquisque hoc curet, [b] ut spreta altercatione, semet ipsum probabilem faciat, impudoratos appellans eos, qui contentionibus nituntur. Necesse est enim ut contentio extorqueat aliquid, immo multa quæ dicuntur contra conscientiam; ut intus in animo perdat, foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licet sciat vera, quæ audit: recte autem tractat, & bonâ conscientiâ, qui volentibus loquitur & pacificis. Collatio ergo inter Dei servos esse debet, non altercatio.

Profanas autem vocum novitates devita; plurimum enim ℣. 16.
[c] *proficiunt ad inanitatem, & sermo eorum sicut cancer serpit.* ℣. 17.
Hoc idem adhuc prosequitur, ut contentiones vitentur; nec enim congruit unius fidei viros habere contentionem, sed in tractatu patiantur se invicem, & consentiant bonis dictis: si quid autem improbabile videtur, cum pace dissimuletur. Adversarii enim & dissidentes solent se invicem provocare, ex quibus unus catholicus est, & alter profanus. Hic ergo catholicus est, cui Apostolus mandat, ut spernat & declinet à fabulis inanibus: quietus debet esse; ut semper de conscientia verba emittat, nec patiatur se coram impia verba depromi. Dant enim quibusdam occasionem, ut in pejus proficiant; non enim desunt, qui audientes profana, concipiant cogitatum malum: ideoque obest contentio.

Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui deerraverunt à ℣. 18.
veritate, dicentes resurrectionem jam factam esse, & fidem quorumdam subverterunt. Nunc ipsorum quorum causâ vitandas contentiones monet, prodidit nomina, quos & profanos & impios designavit, errantes à veritate; hoc enim negabant, [d] quod palmare est christianorum, ut credant se in futurum à mortuis resurgere. Hi autem, sicut ex alia Scriptura docemur, in filiis fieri resurrectionem dicebant, quibus non deerat, qui adsensum præstaret perversum contra fidem, quam in primordio fuerat consequutus.

Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum ℣. 19.
hoc; cognovit enim Dominus, qui sunt ipsius: & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. Fundamentum Dei fides est, quæ continet quæ promisit Deus, quæ fides non poterit infringi perfidorum & hæreticorum commentis; quamvis enim hi negent futura, quæ credimus; Deus tamen dabit quæ credimus daturum illum, teste promissione ejus. Signaculum itaque promissionis Dei, fides nostra est, quæ firmat Dei verba. In die judicii cognoscet Deus, qui habent signum ejus, dissentientes à perfidorum & hæreticorum iniquitate, quæ Dei promissionem infirmare se putat; nihil enim tam iniquum, quam Dei fidei contraire. Et sic
Dathan, & Abiron, & Core dictum est à Moyse, cùm Num. 16. 5.
contra Dei præceptum offerre sacrificia præsumerent: *Cognovit*, inquit, *Dominus, qui sunt ejus.* Quo dicto ostendit quæ pernicies maneret eos, qui Dei verba inverterent.

In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & ar- ℣. 20.
gentea, verum & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam vero in contumeliam. Hoc dicto significavit in Ecclesia diversos esse homines: quosdam bonos & summos viros, quos in auro intelligi vult: quosdam bonos tantum, quos in argento designat: alios vero non bonos, quos vasa lignea & fictilia appellat. Quod nulli ambiguum puto; nam in Corinthiorum hoc Ecclesia probat frequens sermo objurgantis Apostoli. Nunc autem in Ecclesia nostra

a. Rom. edit. *Nam etsi certet quis in agone.*
b. Codex Laud. *ut spretali altercatione.*
c. Rom. edit. *proficiunt ad impietatem.*
d. Omnes edit. *quod palam est christianorum*: mss. vero partim, *quod palmare est*, partim, *quod palmarium est*; utrumque commode; unus etiam, *quod speciale est christianorum.*

palam eſt, & in templo Hieroſolymis, in quo typus erat Eccleſiæ, nanciſtis lectionibus approbatur. Erant enim ibi Sadducæi, ex quorum radice erant Hymenæus & Philetus: de quorum prava ſententia cùm Apoſtolus eſſet loquutus, ſtatim hoc ſubjecit, non eſſe mirabile in Eccleſia videri homines diſſentientes. Nam & in Corinthiorum Eccleſia, de qua dixi, quidam erant qui diſſentientes, reſurrectionem
negabant. Inſanus tamen [a] Novatianus ut errori ſuo blandiatur, aliter hoc intelligendum tradit; ut domus magna totus mundus ſignificari credatur, qui habet hominum diverſitatem; cùm conſtet Apoſtolum exemplo uſum domus divitis & opulenti, quæ quamvis copioſa ſit, habeat tamen vaſa lignea & fictilia: hoc modo & Eccleſia, quamquam ſancta dicatur; habet tamen & vitioſos & prava ſentientes, ſicut ſuperius memoravi. Quos contumelia dignos oſtendit, non tamen perituros, ſed purgandos per ignem; quia domui ex aliqua parte neceſſarii ſunt. Novatianus autem elatus ſuperbia, ut Eccleſiæ ſuæ veritatem & ſanctitatem generalem defenderet, hoc modo intelligendum eſſe decrevit, quaſi Eccleſia penes ipſum ſit, & cunctos habeat purificatos, propter illas cauſas quibus [b] nos innocentes accuſat. Sed quid opus erat hoc loco de mundo aliquid dicere, aut ut quid adfirmaret mundum domum magnam ſignificare?
Iohan. 15. 19. Nam dicit Dominus apoſtolis: *Non eſtis de mundo, ego autem elegi vos de mundo.* Quomodo igitur intra mundum concludendi ſunt, qui negantur de mundo eſſe? Et idem Apoſ-
1. Cor. 5. 12. tolus: *Quo*, inquit, *mihi de iis, qui foris ſunt, judicare.* Nam in una domo omnes ſub uno ſunt nomine; uno enim Domini ſui nomine cenſentur omnes: mundus autem diverſæ profeſſionis continet homines; ita ut diſpares profiteantur ſe habere & deos & dominos. Non ergo domum magnam mundum dicit, ſed Eccleſiam, in qua omnes ſub unius Domini ſunt nomine.

℣. 21. *Si quis ergo purgaverit ſe ipſum ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum præparatum.* Nunc alia hæreſis fraude ſua convincitur, quæ adſerit animas quaſdam natura eſſe malas, quæ ad bonum cogi non poſſint; cùm hic dicat poſſe malos immutari in bonum, & ſordidos purificari. Poterant enim Hymenæus & Philetus mundare ſenſum ſuum, ſi voluiſſent; ut fierent vas ſanctificatum, præparatum in honorem.

℣. 22. *Juvenilia autem deſideria fuge.* Juvenilia deſideria adverſa ſunt; ſunt enim voluptates mundanæ, quæ omnibus illecebris mancipatæ ſunt; ac per hoc à Dei ſervo fugiendæ ſunt. *Sectare vero juſtitiam, fidem, caritatem, pacem, cum iis qui invocant Dominum de puro corde.* Hæc ſectanda jubet, quæ juvenili ætati devia videntur & aſpera. Qui enim juſtitiam eligit, ei nihil facit contrarium; & qui fidem diligit, ſervat mandata: qui autem caritatem ſequitur, omnibus humilis eſt; pacis vero cuſtos nullum laceſſit ad jurgium.

℣. 23. *Stultas autem & ineruditas quæſtiones devita, ſciens quia generant lites.* Inſenſatæ quæſtiones partim infidelium, partim hæreticorum ſunt: ex parte infidelium, quæ modeſtos homines cogunt ad litem [c]; immutantur enim nimia contradictione impietatis eorum, & irati dicunt aliquid contra præpoſitum ſuum. Nam ſolent quidam hæreticorum patientiam fingere (quamvis a catholico non poſſint audire aliquid aſperum) ut commendent prava ſua colloquia; idcirco diſſimulandum ab his eſt.

℣. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe
℣. 25. ad omnes, docibilem, patientem, modeſtum, corripientem eos,
qui diverſa ſentiunt; ſi quando det illis Deus pœnitentiam ad
℣. 26. agnitionem veritatis, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo tenentur capti ab eo ad ipſius voluntatem.* Hæc nulla indigent interpretatione: ſunt enim manifeſta. Quantum tamen proſit modeſtia, declaravit; ſi enim hoc in quibuſdam hæreticis placitum eſt, quia humiles videantur: quanto magis laudabile & fructuoſum erit in catholico, ſi fuerit mitis, in quo & ſenſus utilis, & gravitas imitanda perſpicitur?

Cap. III. *HOc autem ſcito, quia in noviſſimis diebus inſtabunt tem-
℣. 1. pora periculoſa: erunt enim homines ſui tantum ama-
℣. 2. tores, avari, inſolentes, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non
℣. 3. obſequentes, ingrati, impii, ſine fide, ſine dilectione, crimi-
℣. 4. natores, incontinentes, immites, bonorum inimici, proditores,
℣. 5. protervi, tumidi, amatores voluptatum magis quam Dei, ha-
A bentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; & hos devita.* Prophetia eſt hæc ſancti Apoſtoli, in qua prævidit quanta mala futura eſſent hæreticorum & Judæorum; in his enim omnia iſta, quæ inimica fidei ſunt, denotantur. Ipſe enim Apoſtolus dixit: *Quo enim mihi de iis, qui foris 1. Cor. 5. 12.
ſunt, judicare?* Qui enim male de Deo ſentiunt, & non timent, quod ad injuriam ejus pertinet, profiteri; quomodo in converſatione humana poſſunt eſſe benevoli? Ideo enim dixit: *Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*: quia profitentur quidem ſemet ipſos chriſtianos, cùm ſint & nequiſſimi operis, & ſenſu perverſi. Non enim in profeſſione magis, quam in geſtis laus Dei & virtus eſt.

B *Ex his enim ſunt, qui irrepunt in domos, & captivas ℣. 6.
ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur à variis ℣. 7.
deſideriis, ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Quamvis omnibus hæreticis hoc conveniat, ut ſubintrantes domos, mulieres ſubdolis & verſutis verbis capiant, ut per eas viros decipiant more patris ſui diaboli, qui per Evam Adam circumvenit; manichæis tamen præ ceteris congruit. Nulli enim tam importuni, tam fallaces, tam captioſi ſunt, quam ipſi quos conſtat aliud colere, & aliud profiteri; aliud intus gerere, & foris aliud vendicare. Nam ſanctimonium defendunt, & lege ſua favente, turpiter vivunt: miſericordiam laudant, cùm inter ſe injuſti deprehendantur: mundum ſpernendum adſerunt,
C & ſemper accurati procedunt; jejuniis inſiſtere ſe jactanter prædicant, cùm omnes ſaginati videantur; tantum quod arte quadam pallidi cernuntur, ut fallant. Hæc ergo Apoſtolus maxime de his prophetavit, quos conſtat apoſtolorum tempore non fuiſſe, ſicut nec arianos; quippe cùm Diocletianus imperator conſtitutione ſua deſignet, dicens:
Sordidam hanc & impuram hæreſim, quæ nuper, inquit, Vide collat. leg. moſaic. & Roman.
egreſſa eſt de Perſide. Hi inveniunt mulieres præ vanitate novum aliquid deſiderantes audire, & per ea quæ placita ſunt, ſuadent illis fœda & illicita; cupidæ enim ſunt diſcendi, cùm judicium non habeant probandi: hoc eſt ſemper diſcere, & veritatis ſcientiam non habere.

*Quemadmodum autem Jannes & Mambres reſtiterunt ℣. 8.
D Moyſi; ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente,
reprobi circa fidem. Sed non proficient amplius; ignorantia ℣. 9.
enim eorum evidens erit omnibus, ſicut & illorum fuit.*
Exemplum hoc de apocryphis eſt; Jannes enim & Mambres Exod. 7. 11. & ſeq.
fratres erant magi vel venefici Ægyptiorum, qui arte magiæ ſuæ virtutibus Dei, quæ per Moyſen agebantur, æmulatione commenticia reſiſtere ſe putabant. Sed cùm Moyſi virtus in operibus creſceret, humiles facti, confeſſi ſunt cum dolore vulnerum Deum in Moyſe operatum. Unde ſimiliter & hos non amplius proficere in impietate adſertionis ſuæ dicit; quia imperitia eorum palam fiet & ſe-
E ductio: & licet inviti, confitebuntur tamen ſuam imperitiam in ultimo.

*Tu vero adſequutus es doctrinam meam, inſtitutionem, pro- ℣. 10.
poſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, per- ℣. 11.
ſecutiones, paſſiones.* Eorum vult eſſe æmulum, quæ enumerat; hæc enim in ultimo non ad pœnitentiam, ſed ad lætitiam proficient.

*Qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconio, & Lyſtris, ℣. 12.
quales perſecutiones ſuſtinui: & ex omnibus liberavit me Do- ℣. 13.
minus. Sed omnes qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. Nequam autem homines & deceptores proficient in pejus: ipſi errantes, atque alios erroribus involventes.* Ideo quæ & quanta paſſus ſit, memorat; ut auxilia
F Dei oſtendat, quibus defendit & tutos præſtat ſervos ſuos ab impudentia ſatanæ; ut ſecuros illos faciat, & erigat, ne timeant quæ irrogari poſſunt à perfidis: ſed in perſecutione alacres ſint, certi quia omnes qui in Chriſto recte converſantur, odio habentur etiam à corporis ſui membris. Mali autem in deterius proficiunt, dum vident multos ſibi dare adſenſum, ita ut ceteros in errorem mittant. Dum enim ſciuntur eſſe mali & deceptores, & nihilominus florere & proſperari in mundo, adtrahunt quoſdam, ut imitatores eorum efficiantur, non ſolum in propriis erroribus puniendi; verum etiam in horum, quos exemplo ſuo deperdunt.

*Tu vero perſevera in his, quæ didiciſti, & quæ tibi cre- ℣. 14.
dita ſunt, ſciens à quibus didiceris, & quia ab infantia ſa- ℣. 15.*

a. In Rom. edit. hic & infra non Novatianus ſcribitur, ſed Novatus.
b. Rom. edit. nos ut mentes averſat.

c. Codex Vall. *lacitantur enim nimia contradictione impietate eorum .... contra propoſitum ſuum.*

eras litteras nosti, quæ possunt te erudire ad salutem. Multum prodesse significat veteris Testamenti habere notitiam; ipsas enim sacras litteras dicit, quæ Christi personam insinuant, & incarnationem ejus ad salutem hominum redimendam declarant. Hortatur autem eum, ut in his proficiat: antiquitas enim hæc robur est novitatis, sciens quia a quo didicit, firma est auctoritas; signa enim & prodigia vidit facta per eum, quibus omnis sermo succumbit.

℣. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam,*
ad correptionem, ad redintegrationem, ad redargutionem, ad
℣. 17. *eruditionem, quæ est in ipsa justitia, ut paratus sit homo Dei,*
a *[a] ad omne opus bonum consummatus.* Manifestum est quia
omnis scriptura, cujus Deus auctor ostenditur, utilis est; ad hoc enim data est, ut proficiat imperitis, & instauret deformes, adtrahens iniquos ad justitiam, ut homo Dei in omni opere bono perfectus sit; in novo enim homine gradatim proficiens, constituit illum hominem Dei.

CAP. IV. *TEstor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est*
℣. 1. *vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus:*
℣. 2. *prædica verbum, insta opportune importune: argue, hortare,*
increpa in omni magnanimitate & doctrina. Tam sollicite mandat inviolate prædicandum Dei donum, ut cum testatione Dei Patris & Christi Filii ejus hoc moneat curandum, instandumque in eo; ut assidua prædicatione & crebra objurgatione cum opportunitate provocet ad meliorem profectum: & ut facilius arguenti adsentiant, sine amaritudine hoc agendum hortatur.

℣. 3. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt;*
sed ad sua desideria [b] magistros sibi aggerent, prurientes auri-
℣. 4. *bus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas vero*
convertentur. Et hæc simili modo prophetia est sancti Apostoli, qui præscius futurorum, instandum in doctrina sollicite præcipit; ut formati in fide & bonis operibus, eruditi in disciplina sana, robusti maneant, ut postremo tempore cùm quidam a veritate ad errorem converti cœperint, immobiles perseverent. Tales enim futuros dicit, qui pro desideriis suis doceri se velint; ut à magistris constantibus atque veracibus ad hos convertantur, qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant; quia veritas illis aspera videbitur, ut relicta sua doctrina, fabulis vacent. Nolunt enim argui maligna opera sua: quare tales volunt magistros, qui serviant moribus eorum; pruriunt enim aures eorum, ut audiant fabulas vanitatum compositas sub nomine doctrinæ, quibus delectentur. Quod nullis tam proprium est, quam manichæis, qui nescio quæ habent diversa commenta inflatis nominibus nuncupata; cùm sint res frivolæ, & quædam deliramenta.

℣. 5. *[c] Tu vero sobrius esto, in omnibus patiens, opus fac evan-*
gelistæ, ministerium tuum exple; ego enim jam delibor, &
℣. 6. *tempus solutionis meæ instat.* Admonet & hortatur ut vigilet in disciplina ecclesiastica, viriliter agat, Scripturas explanet, ut prudentes & eruditi inanes fabulas vitent. Apostolus enim sciens passionem suam imminere, exemplum piæ conversationis & sanæ doctrinæ in sancto Timotheo vult relinquere; ut per traducem numquam desint doctores idonei: passionem tamen suam delibationem appellat; Deo enim immolatur, qui pro ejus justitia patitur.

℣. 7. *Certamen bonum decertavi, cursum consummavi, fidem ser-*
℣. 8. *vavi. Quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ,*
quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus. Omnia quæ sibi & ceteris utilia essent & prospera, servasse se memorat; non solum enim in verbis, sed & in operibus formam se præbuit audientibus; ut & auctori suo veritate prædicationis fidelis dispensator existeret, & contra mundi principes & potestates omni sollicitudine & peritia colluctatus, exemplum quomodo vincerentur, relinqueret; ut inviolata doctrina, & agonis legitimum certamen dignos illos faceret coronari; quia Deus justus judex dabit amplissima præmia diligentibus se, & exspectantibus Filium ejus de cælis.

℣. 9. *Sollicitus esto venire ad me quamprimum; Demas enim*
℣. 10. *me dereliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam,*
℣. 11. *Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est me-*
℣. 12. *cum solus. Marcum adsume, & adduc tecum: est enim mihi*
utilis in ministerio: Tychicum vero misi Ephesum. Cùm con-
A stet [d] omnem instructionem viri ecclesiastici in epistola contineri, propter multam tamen caritatem præsentiam ejus desiderat: Marcu autem idcirco testimonium perhibet, quia memor est præteritorum ejus laborum.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer ℣. 13.
tecum, & libros, maxime autem membranas. Apostolus natura Judæus fuit, nec quidquam habuit alienum. Unde ergo illi penula? Sed quia erat à Tharso, quos constat in societatem Romanorum receptos, ut de cetero appellarentur cives Romani; idcirco necesse est eos & curiam habere, in quam more Romanorum penulati conveniant. Quicumque enim illo tempore cum muneribus obviam exissent
B Romanis, immunitate perpetua donati, cives Romani & fratres eorum nuncupabantur, teste eodem Apostolo. Potest ergo fieri, ut si non suam; quia totum se Legi dederat, patris sui haberet penulam.

Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi ℣. 14.
Dominus secundum opera sua. Quem & tu devita; valde ℣. 15.
enim restitit verbis nostris. Alexander iste & Demas supradictus collegæ fuerunt. Hi prius cum Apostolo erant, simulantes illi amicitiam; & quia fallaces tempore probantur, ambo ab eo recesserunt. Hic autem ærarius, qui audacior erat in malis; sic ab eo recessit, ut & contradictor verborum ejus existeret. Qui ergo Apostolo ausus erat
C contradicere, non immerito evitandum hunc admonet, Dei judicio istum dimittens.

In prima mea defensione nemo mihi adfuit; sed omnes me ℣. 16.
dereliquerunt, non illis imputetur. Pressuras & tribulationes sibi illatas defensionem suam nuncupat; passio enim christianis vita est, & persecutio defensio: pressura enim illata pro justitia defendit illum in die judicii, reos constituens perfidos. Inter ipsa ergo initia illatæ pressuræ derelictum se conqueritur: & quia scit hanc esse consuetudinem, non illis vult imputari; quia & Dominum à Judæis apprehensum discipuli reliquerunt; quippe cùm scriptum sit in propheta: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves* Zach. 13. 7.
gregis.

D *Dominus autem mihi adstitit, & confortavit me; ut per* ℣. 17.
me prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes. Propter quod Domini nostri auxiliis munitum se dicit, & auctum virtute, ut prædicationem impleret in omnibus gentibus: idcirco ignosci petit eis, à quibus derelictus est in necessitate; ut bene acceptus à Deo, vindictam non quærat. Hac enim causa amplius adjutum se credit à Deo; quia derelictus est ab hominibus.

Et liberatus sum de ore leonis. Liberabit me Dominus ab ℣. 18.
omni opere malo, & salvum faciet in regnum suum cæleste: cui gloria in æternum, amen. Similiter dicit & Petrus coapostolus ejus: *Quia adversarius noster diabolus circuit,* 1. Petr. 5. 8.
E *fremens sicut leo, quærens quem devoret.* Sed quia in Apostolo occasionem non inveniebat, qua illum deciperet, per filios suos pressuram illi excitabat & pœnas; ut si non quasi peccator, vel quasi justus de hac tamen tolleretur vita, ne multos hortaretur ad fidem. Quod cùm prope impleret, Dei providentia liberatus Apostolus, insultat illi, infirmum illum testificans, quia de ore ejus ereptus est; quia quod cupivit, implere non potuit. Igitur Dei auxiliis morti se ereptum gratulatur, & de providentia Dei tam securus est, ut de futuris tentationibus liberari se credat: & non solum liberari ad præsens, verumetiam salvum se futurum in die
F judicii, & regnaturum cum domino Christo in æterna sæcula.

Saluta Priscillam, & Aquilam, & Onesiphori domum. ℣. 19.
Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infir- ℣. 20.
mum Mileti. Sollicitus esto ante hyemem venire. Aquila & ℣. 21.
Priscilla hi sunt, apud quos hospitatus operabatur mani- Act. 18. 3.
bus Onesiphorus autem hic est, cui testis est in secunda 2. Tim. 1. 16.
epistola. Quid est tamen, ut præsente Apostolo, qui mortuos excitabat, Trophimus infirmaretur? Sed signa propter incredulos facta sunt: & quia ex diversis causis meritum collocatur apud Deum; ut sive in tribulatione, sive in ægritudine, qui Deo gratias agit, nec ab adversa parte suffragium quærit, ut proficiat meritis apud Deum. Propter imbres autem & frigora commonuit, ut autumno ad se veniret. *Salutat te Eubolus & Pudens, Linus & Claudia, & omnes fratres.* More consueto completa est epistola salutatione fratrum.

a. MSS. nonnulli, *ad omne bonum instructus.*
b. Rom. edit. *magistros sibi aggregabunt.*
c. Eadem Rom. edit. *Tu vero vigila, in omnibus viriliter age.*
d. MS. aliquot, *omnem instructionem fortè ecclesiasticam.*

Dominus Jeſus Chriſtus [a] *cum ſpiritu tuo.* Hæc ſubſcriptio Apoſtoli eſt, quod ſignum eſſe dicit in omni epiſtola. Et quia Filius Dei idem filius hominis eſt, & Jeſus dicitur A & Chriſtus: ut & homo ſignificetur & Deus, duobus nominibus nuncupatur. Utroque tamen nomine dignitas deſignatur, qua ratione ſunt poſita nomina.

a Rom. edit. cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. amen.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD TITUM.

PROLOGUS.

TItum Apoſtolus * creavit epiſcopum; & ideo commonet eum, ut ſit ſollicitus in eccleſiaſtica ordinatione: id eſt, ad quoſdam qui ſimulatione quadam dignos ſe oſtentant, ut ſublimem ordinem teneant; ſimulque & hæreticos ex circumciſione corripiendos.

CAP. I. PAulus ſervus Dei, apoſtolus autem Jeſu Chriſti ſecundum
ỳ. 1. fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis ejus, quæ
ſecundum pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit
ỳ. 2. Deus verax ante tempora ſæcularia: manifeſtavit autem tem-
ỳ. 3. poribus ſuis in prædicatione verbum ſuum, quod creditum eſt
mihi, ſecundum præceptum ſalvatoris noſtri Dei; Tito germa- B
ỳ. 4. no filio ſecundum communem fidem. Gratia & pax à Deo Patre,
& domino Jeſu Chriſto ſalvatore noſtro. Decretum donum à Deo, quod ante ſæcula promiſerat, tempore Salvatoris in prædicatione apoſtolorum manifeſtatum declarat: ſic enim promiſerat. Quod etiam ſibi creditum dicit, ut gentibus inſinuaret prædeſtinatam miſericordiam Dei; ut & Titus verus ejus filius, id eſt, ſecundùm Evangelium (hoc eſt enim verum, quod æternum eſt) hanc Dei voluntatem & ſollicite ſuſpiciens prædicaret gratiam Dei & pacem, ut accepto dono pacifici fiant cum Deo & Patre; quia omnia ex ipſo ſunt, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro, quia & ipſe C liberavit nos à morte.

ỳ. 5. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corri-*
gas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego tibi
ỳ. 6. *diſpoſui. Si quis eſt ſine crimine, unius mulieris vir, filios*
habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut inobſequen-
ỳ. 7. *tes. Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſ-*
penſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vino dedi-
tum, non percuſſorem, non turpia lucra appetentem: ſed hoſ-
ỳ. 8. *pitalem, benignum, prudentem, juſtum, ſanctum, continen-*
ỳ. 9. *tem, tenacem ejus ſermonis, qui ſecundum doctrinam fidelis*
eſt; ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicen- D
ỳ. 10. *tes revincere. Sunt enim multi non obedientes, vaniloqui &*
ſeductores, maxime ii qui ſunt ex circumciſione, quos opor-
ỳ. 11. *tet redargui: qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ*
non oportet turpis lucri gratiâ. Manifeſta ſunt, quæ lecta ſunt; epiſcopum enim & ſanctum in operibus, & verbis prudentem ordinari vult; ut & fratres exhortari poſſit, & contradicentes convincere, maxime eos qui erant ex Ju-
Galat. 2. 4. dæis, qui ſub nomine Chriſti judaizare docebant, quos alibi falſos fratres appellat. Renati enim in Chriſto, non puri erant chriſtiani; partim enim Legem, partim Chriſtum venerari volebant. Hos dicit, qui domos ſubvertebant E prava iſta doctrina. Duplici enim genere turpibus lucris ſtudebant; quia ideo hæc magis agebant, ut placerent Judæis, à quibus ſumtus ſperabant, ut pecuniam lucrifacerent & præputium. Hi erant quæſtus eorum, ſicut Domi-
Matt. 23. 15. nus dicit Judæis: *Ambulatis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum.* Hæc duo turpia lucra appellat; quia qui ſub nomine Dei docet, & non devotionis causâ, ſed quæſtus, turpis lucri captator eſt: ſimiliter & qui per circumci-
Philip. 3. 19. ſionem aliquem vult adquirere. Unde alibi ait: *Et gloria* F *in pudendis eorum.*

ỳ. 12. *Dixit quidam ex ipſis proprius eorum propheta: Cretenſes*
ỳ. 13. *ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc*
verum eſt. Quidam ex Cretenſibus melioratus per diſciplinam Dominicam, quid ſentiendum eſſet de Cretenſibus indoctis expreſſit, quod & mali eſſent, & otioſi vellent comedere; malitia enim paſci volebant, qui cùm nihil proſint, geſtiunt & nocere. Duplex ergo malum eſt. Tales erant Cretenſes; unde iſtum prophetam appellat, ſed in cauſa A Cretenſium. Tam vera enim hunc illis adſerit loquutum, ut prophetam; falli enim prophetam impoſſibile eſt.

Quam ob cauſam argue illos dure, ut ſani ſint in fide, ỳ. 14.
a non intendentes judaicis fabulis, & mandatis hominum aver-
ſantium ſe à veritate. Inſiſtendum præcipit in correptione illorum, ut converti poſſint, & illa ſectari quæ juſta ſunt, & lege Dei condigna, avertentes ſe à judaicis fabulis; quia in Lege nemo juſtificatur apud Deum, quanto magis in mandatis hominum? Quidquid enim adverſum veritatem opponitur, humana inventio eſt; neſcientes enim vim Scripturarum, & interiora verborum Legis, colorem ſequuntur, non ſaporem. Ideo fabulas dicuntur narrare, B non veritatem; putant enim numquam recedendum ab iis, quæ Moyſes tradidit, ut puta de eſcis, aut conjugiis, aut neomeniis, aut ſanguine muſtellæ, vel domo immunda diebus ſeptem; cùm ſciant primores ſuos Abraham, Iſaac &
Jacob ſine his juſtificatos, & Dei amicos appellatos: & Ezech. 20. 24. & 25.
Ezechiele propheta conteſtante, quia propter quod legem Dei & juſtificationes ejus profanaverint, præcepta acceperunt & mandata non bona, in quibus juſtificari non poſſent. Unde & Dominus ait Judæis: *Quia hæc ad duritiam* Marc. 10. 5.
cordis veſtri ſcripſit Moyſes. Hinc eſt unde & Petrus apoſ- Act. 15. 10.
tolus: *Quid imponitis,* inquit, *jugum ſupra cervices fratrum* C *quod neque patres noſtri, neque nos potuimus portare?* Nam ſi utilia fuiſſent, tunc data eſſent, quando & Lex in tabulis data eſt: ſed quia poſt tanta ſigna prodigiorum, & Legem editam irreverentes & diffidentes & cervicoſi inventi ſunt, talia ac tanta acceperunt mandata, in quibus reſpirare non poſſent. Hinc factum eſt, ut & boni laborarent cum malis, accepturi mercedem. Hæc ergo pro vindicta data ſunt, ita ut tempore quo promiſſum advenit donum Dei, miſericordia Dei relaxaret omnia, quæ prius interdixerat. Quod non intelligentes Judæi, ſub jugo permanent, & quorumdam libertatem his volunt vinculis obligare; ideoque hos objurgandos admonet, ut ab his avertantur. D

Omnia quidem munda mundis: his vero qui contaminati ỳ. 15.
ſunt & ſine fide, nihil mundum, ſed inquinata eſt eorum &
mens & conſcientia. Iſtos mundos eſſe ſignificat, qui & quâ causâ interdicta ſunt, norunt, & quâ causâ conceſſa ſunt
poſtea. Nam ſi in Geneſi legitur quia omnia quæ fecit Geneſ. 1. 31.
Deus, bona ſunt, dubium non eſt quia & munda ſunt: qui vero non intelligunt, immundi ſunt; accuſatores enim Scripturæ ſunt. Si enim bona facta leguntur, cur interdicuntur quaſi exſecrabilia? Si exſecrabilia non ſunt, quia bona ſunt; propter duritiam cordis interdicta noſcuntur, quia E indigni habiti ſunt tota uti Dei creatura. Nam qui à melioribus prohibiti videntur, horum mens & conſcientia inquinata eſt; quia creaturam Dei accuſant, ut excuſent ſemet ipſos.

Deum profitentur ſe noſſe, factis autem negant; quoniam ỳ. 16.
ſunt exſecrabiles, inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi. Quamvis ad omnes hæreticos pertineat dictum, hoc tamen de Judæis intelligitur loquutus, qui ſe Abrahæ Deum ſolos dicunt ſcire, operibus vero abnegant, ſicut dicit Do-
minus: *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis.* Quo- F Johan. 8. 39.
modo ergo poſſunt Deum Abrahæ ſcire, qui myſterium & fidem ejus ignorant, non Evangelii opera ſectantes, ſed legis factorum in neomeniis, & circumciſione, & ceteris, perturbatores, impii & irreverentes. Hæc ſunt opera, quæ Deum neſciunt.

TU *autem loquere quæ decent ſanam doctrinam.* Hæc CAP. II.
ſcit Deum, quæ appellatur ſana doctrina; Dei enim ỳ. 1.
doctrina ſalutaris eſt.

* Cùm hæc in epiſtolam ad Titum commentaria in mſſ. priora ſint commentariis in utramque ad Timotheum, ſemel admonendum videtur alias quoque non eodem, quo in Bibliis, ordine collocari. Nam poſt epiſtolam ad Philippenſes, ſequuntur duæ ad Theſſalonicenſes, deinde ea quæ eſt ad Coloſſenſes, ac demum quæ ad Titum. Quem ordinem etiam ſervarunt Primaſius & Sedulius.

a. Rom. edit. non attendentes . . . hominum averſantium &c.

℣. 2. *Seniores sobrios esse, graves, prudentes, sanos fide, dilec-* A
tione, patientia. Qui sint sanæ doctrinæ, ostendit; ut minus
sobrios, minus graves, infideles, sine caritate, impatientes,
insanæ doctrinæ discipulos significaret. His enim operibus
nescitur Deus, neque justitia ejus.
℣. 3. *Anus pari modo* [a] *in statu religione digno, non crimina-*
trices, non vino multo servientes, bona docentes; ut instituant
℣. 4. *adolescentulas viros suos diligere, amare filios, prudentes,*
℣. 5. *pudicas esse, castas, domus curam habentes, subditas propriis*
viris; ut verbum Dei blasphemetur. Tales præcipit esse se-
niores, ut exemplo sint bonæ conversationis junioribus;
ut si infideles viros habeant, congaudeant eis magis, quam
blasphement nomen Dei, dum vident quia propter Dei B
timorem propensius obsequuntur suis viris.
℣. 6. *Juniores similiter hortare continentes esse, per omnia teme-*
℣. 7. *ipsum præbens exemplum bonorum operum, in doctrina, in in-*
℣. 8. *tegritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile; ut*
is qui e diverso est, revereatur, nihil habens dicere de nobis
dignum reprehensione. Quoniam juventus solet modum egre-
di, immo promtior esse ad lapsum; idcirco salubribus reti-
naculis contineri jubetur, ut infrænata divinis legibus gu-
bernetur. Quod ut effici non sit arduum aut difficile, ma-
gistrum formam esse præcipit; ut ea quæ docet, quomodo
fiant, ostendat; ut ii qui profani sunt, & inimici fidei,
erubescant, videntes quia quæ verbis docet, vera esse pro- C
bat factis.
℣. 9. *Servos dominis suis subditos esse in omnibus, optimos,*
℣. 10. *non responsatores, non fraudantes, sed omnem fidem bonam*
ostendentes; ut doctrinam salvatoris nostri Dei ornent in om-
nibus. Bonis operibus & fide doctrinam dicit ornari Do-
b minicam; tunc enim [b] placita est doctrina, si hic qui eam
profitetur, non illam exosam faciat, abnegans factis, sed
amabilem & veram; non potest enim indecorum esse, quod
verum est. Cùm ergo dicta sequentibus factis implentur,
ostenduntur vera, ac per hoc decora. Tunc possunt domini
servos suos non tantum à fide non prohibere, verum etiam
gaudere; quia fidem eorum etiam sibi vident proficere. D
Nemo enim fidem Dei custodiens, infidelis potest esse ho-
minibus.
℣. 11. *Illuxit enim gratia Dei salvatoris nostri omnibus homi-*
℣. 12. *nibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & sæcularibus*
desideriis, temperanter, & juste, & pie vivamus in hoc sæ-
culo. Donum Dei illuxisse hominibus dicit per Christum,
id est, veritatem unius Dei manifestatam in Christo; ut
pia professione Creatorem prædicemus in Trinitatis unita-
te: quod prius latuit humanum genus, nunc autem mise-
ricordia Dei eluxit; ut erroris tenebras evitantes, id est,
ignorantiam & impietatem mundanorum fugientes, pii in-
veniamur in parentem omnium Deum, profitentes eum in E
veritate, quam tradit Evangelium Filii ejus: & ut hujus rei
mercedem habere possimus, bona opera faciamus. Quo-
modo enim illi qui solum Patrem prædicat, spes nulla est,
si non profiteatur in eadem veritate & Filium: ita & hu-
jus spes frustra est, qui solam professionem fidei habet si-
ne bonis operibus.
℣. 13. *Exspectantes beatam spem, & adventum* [c] *gloriæ beati*
c *Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semet ipsum*
℣. 14. *pro nobis; ut redimeret nos ab omni iniquitate, & munda-*
ret sibi populum abundantem, æmulatorem bonorum operum.
Hanc esse dicit beatam spem credentium; quia exspectant
adventum gloriæ magni Dei, quod revelari habet, judice F
Christo, in quo Dei Patris videbitur potestas & gloria;
ut fidei suæ præmium consequantur. Ad hoc enim redemit
nos Christus, ut puram vitam sectantes, repleti operibus
℣. 15. bonis, regni Dei heredes esse possimus. *Hæc loquere & ex-*
hortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Cap. III. ℣. 1. ADmone illos principatibus & potestatibus subditos esse,
dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Quæ
d [d] salus credentium sit, admonet; ut manifestet, cùm ar-
guuntur, ut sciant cui bono aptentur; ut non aspere acci-
piant, certi quia pro salute sua corripiuntur: & ut ad ma-
lum tardi sint, ad bonum vero parati, non nescii quid sin-
gulis persolvi oporteat.
℣. 2. *Neminem blasphemare, non litigiosos esse: sed modestos,*
ostendentes omnem mansuetudinem ad omnes homines. Chris-
tianos omnibus hominibus humiles vult videri; sic enim
possunt perfidi ad futuram spem vocari.
Nam eramus quondam & nos insensati, inobsequentes, ℣. 3.
errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in ma-
litia & invidia agentes, odibiles, odio nos invicem habentes.
[e] Hæc bona quæ incredulitas non habet, christianis data e
memorat; ut in omni justitia lucentes, manifesti fiant quod
Dei cultores sint. Cùm enim quondam inconsulti, nunc vi-
dentur per omnia sani esse consilii, laudatur in his Deus.
Cum vero benignitas & humanitas illuxit salutaris Dei nostri, ℣. 4.
non ex operibus justitiæ, quæ nos fecimus: sed secundum mi- ℣. 5.
sericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis
& renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde ℣. 6.
per Jesum Christum salvatorem nostrum; ut justificati gratia ℣. 7.
illius, heredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ. Hoc
bonum quod in christianis florere videtur, de radice pie-
tatis divinæ oritur; Deus enim misericordiâ suâ salvos nos
fecit per Christum, cujus gratia renati, Spiritum sanctum
accepimus abunde; ut bonis operibus instrui possimus, ipso
nos in omnibus adjuvante, ut per hæc hereditatem regni
cælorum adsequi possimus. Quamobrem omni devotione
huic obsequi debemus, & præceptis ejus parere; quia
quidquid in nobis pulcrum est, spiritualibus lineamentis
ipse depingit.
Fidelis sermo: & de his volo te confirmare; ut solliciti sint ℣. 8.
ad effectum bonorum operum ii, qui crediderunt Deo. Hæc
sunt bona & utilia hominibus. Nihil tam apertum, quia mi-
sericordia atque humanitas bona est ad præsens, & utilis
in futurum; & hîc enim habet laudem, & in judicii die co-
ronam. Omnis enim Deo credens, misericordiæ debet stu-
dere, per quam vivit. Ut in hæc ergo esset sollicitus rector
populi, admonetur.
Stultas autem quæstiones, & originum enumerationes, & ℣. 9.
contentiones, & pugnas Legis devita: sunt enim inutiles &
vanæ. Stultas has quæstiones appellat, quæ salutis effectum
non habent, neque aliquam tribuunt scientiæ peritiam ad
utilitatem. His verbis multorum hæreticorum denotat dog-
mata. Quamvis omnia, quæ vera non sunt, stulta dicenda
sint; alius tamen est, qui res fabulosas inducit, & alius
qui calliditate tergiversationis rem veneno plenam propo-
nit, ut est Arrius & Photinus. Fabulosa autem non Lex,
sed hæresis est, quantùm ad tempus pertinet illud Judæo-
rum, dum quidam eorum sibi vindicarent prærogativam ori-
ginum patriarcharum, quæ de matrimoniis ortæ sunt, cùm ex
hoc nullum meritum sit apud Deum. Quidam vero urceo- Levit. 11.
rum & cæterorum vasorum baptisma, & sanguinem mustel-
læ magna cura expiandum: & quia ideo Moysis sepultura Deut. 34. 6.
abscondita est, ne à magis excitaretur, quod si verum esset,
& ceterorum sanctorum abscondenda fuerat sepultura: &
quia Salomon adjutorio dæmoniorum templum ædificavit,
in quo opere ingens multitudo laboravit, quid tam fabu-
losum?
Hæreticum hominem post primam correptionem devita, ℣. 10.
sciens quod perversus est hujusmodi, & delinquit à semet ipso ℣. 11.
damnatus. Hæretici hi sunt, qui per verba Legis Legem
impugnant; proprium enim sensum verbis adstruunt Legis,
ut pravitatem mentis suæ Legis auctoritate commendent.
Sciens enim impietas auctoritatem Legis multum valere,
fallaciam sub nomine ejus componit; ut quia res mala per
semet ipsam acceptabilis esse non potest, bono nominis
commendetur. Idcirco hujusmodi homines ut inexcusabiles
sint, semel corripi oportere dicit: frequentius enim correp-
ti, exercitatiores fient in malo. Cogere autem illos vide-
tur, qui sæpe corripit; ut sollicitiores fiant ad perditionem
multorum: ideo dimittendos, ut negligentiores effecti, soli
forte depereant.
Cum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me ℣. 12.
venire Nicopolim; ibi enim statui hyemare. Post epistolam
datam etiam ipsum videre vult affectus causâ, & ut plenius
illum firmaret in ecclesiastica disciplina.
Zenam legisperitum & Apollo sollicite præmitte; ut nihil ℣. 13.
illis desit: discant autem & nostri bonis operibus præesse ad ℣. 14.
usus necessarios, ut non sint infructuosi. Uterque nobilis vir
est sapientia & operibus; & idcirco jubet sumtus illis ne-

a. Rom. edit. *in habitu religione digno.*
b. Eadem Rom. edit. *in omnibus obsequentes.*
c. Omnes edit. *placita est, & decora*: contra vero mss. prope ad unum omnes fuerunt. At infra pro, *indecorum esse* habetur in mss. quibusdam, *amabile esse.*
d. Rom. edit. *gloriæ magni Dei . . . sibi populum peculiarem.*
e. Omnes edit. cum mss. nonnullis, *Quæ spes credentium sit . . . cui bono præparentur*: ceteri mss. ut in contextu.
f. Ita vet. edit. ac mss. fere universi: Rom. autem edit. & quidam mss. *Hæc mala, quæ incredulitas habet, christianos caruisse memorat.*

ceſſarios dari ab iis, qui crediderant, ut refrigerarent: quia A dignum erat ut qui ſpiritalia tradebant, non illis deeſſent carnalia. Quamvis enim Zenam legiſperitum vocitet; Apollo tamen perfectus erat in Scripturis: ſed quia Zenas hujus profeſſionis fuerat in Synagoga, ſic illum appellat.

Salutant te omnes, qui mecum ſunt. Propter compen- ỳ. 15.
dium ſimul omnes conſalutare ſignificat. *Saluta eos, qui nos amant in fide.* Illos ſalutatione ſua dignos videri vult, qui fideliter illum diligunt affectu Chriſti domini noſtri. *Gratia Dei cum omnibus vobis.* Nunc generaliter omnes ſalutat fratres & domeſticos Titi.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD PHILEMONEM.

PROLOGUS.

PHILEMON nulla erat eccleſiaſticæ ordinationis præditus dignitate, ſed vir laudabilis, unus ex plebe. Cui causâ Oneſimi ſervi ejus familiaris, litteras facit; ut non ſolum ignoſcat ei, ſed & Deo gratias agat; quia talem illum recepit, ut non ſervum æſtimet, ſed dilectiſſimum fratrem.

CAP. I. *PAulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater Phile-*
ỳ. 1. *moni dilecto fratri, & laborum nobis particeps, & Appiæ*
ỳ. 2. *ſorori cariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & domeſti-*
ỳ. 3. *cæ ejus Eccleſiæ. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro,*
& domino Jeſu Chriſto. Ut dignitatem epiſtolæ à ſe miſſæ B
faceret, ab injuria ſua cœpit. Sicut enim peccati causâ vinciri opprobrium eſt, ita è contra pro Chriſto cuſtodiæ vincula ſuſtinere maxima gloria; eo enim tempore quo hanc epiſtolam miſit, in cuſtodia erat. Quamvis autem clericus non fuerit Philemon, tamen intererat eccleſiaſticis neceſſitatibus causâ devotionis, unde participem hunc dicit laborum. Sunt enim multi, qui cùm ſint digni, excuſant tamen, infimos ſemet ipſos judicantes tanti miniſterii: unde vere digni apparent.

ỳ. 4. *Gratias ago Deo meo, ſemper mentionem tui faciens in ora-*
ỳ. 5. *tionibus meis, audiens fidem tuam & caritatem, quam habes*
ỳ. 6. *in dominum Jeſum, & in omnes ſanctos; ut communicatio tua* C
accepta fiat in agnitione omnis boni, quæ in nobis eſt in Chriſto. Gaudere ſe dicit, & Deo gratias referre in precibus ſuis, quia firmus erat in fide, & bonis operibus inſiſtebat; qui enim diligit Chriſtum, [a] probare hoc debet in ſervos ejus, ſciens Dominum ſibi imputaturum quidquid conſtiterit erogatum in ſervis. Apoſtolus tamen hoc ſe dicit addere precibus, ut operatio ejus cum cognitione fiat bonitatis; hoc eſt, ut tali hoc mente operetur, ut in futurum hujus rei exſpectet mercedem.

ỳ. 7. *Gaudium enim magnum habui & conſolationem ſuper caritate*
tua; quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater. Manifeſtum eſt quia idcirco ſe ſignificat lætum eſſe; quia D ſanctorum neceſſitatibus utenſilia miniſtrabat: unde & plus gaudet, certus ex hoc quia obſequeretur & mandatis ejus, quem conſtat eſſe potiorem.

ỳ. 8. *Quapropter multam fiduciam habens in Chriſto imperandi tibi*
quod ad rem pertinet; propter caritatem tamen magis deprecor,
ỳ. 9. *cùm ſis talis, ut Paulus ſenex: nunc autem & vinctus Chriſti*
Jeſu. Quantum ratio exigebat, dignum erat imperare diſcipulo magiſtrum ex fiducia apoſtolicæ auctoritatis: ſed quia vir bonus erat Philemon, per affectum illum provocat obaudire, quaſi coævum ætatis, & vinctum Chriſti Jeſu, id eſt, obligatum negotiis Dominicis, vel propter nomen ejus ſubjectum vinculis, ſicut erant & ipſi apoſtoli. Tales enim fuerant Judas & Silas, qui cùm ex plebe eſſent pri- E
Act. 15. 22. & ſeq. mores inter fratres, obligaverant ſemet ipſos Dominicis actibus; ut una cum apoſtolis coagonizarent [b] propter fidem Dei. Unde Silas particeps laborum invenitur Apoſtoli.

ỳ. 10. *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo*
ỳ. 11. *quondam tibi inutili, nunc verò tibi mihique perutili, quem*
ỳ. 12. *remiſi ad te. Tu autem illum, ſicut mea viſcera ſuſcipe: quem*
ego volueram apud me ipſum retinere, ut pro te mihi miniſ-
ỳ. 13. *trares in vinculis Evangelii: ſed citra tuum conſilium nihil*
ỳ. 14. *volui facere; ut non velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet,*
ſed voluntarium. Non magnum eſt humilem inclinare ſe, laudabile verò ſublimem virum humiliare ſe; ideo Apoſtolus rogat eum, cui imperandi habet poteſtatem, ut in om-

A nibus forma ſit ad profectum meritorum. Oneſimum ergo
profugum recurrentem ad divinum auxilium, cùm eſſet in Act. 28. 16.
cuſtodia urbis Romæ baptizavit Apoſtolus, videns in illo utilitatis ſpem. Quem ſic commendat, ut ſuum animum in illo ſignificet idoneum ex inutili factum tam ſæcularibus, quam divinis obſequiis.

Forſitan enim idcirco receſſit ad horam, ut in æternum illum ỳ. 15.
reciperes: non jam velut ſervum, ſed pro ſervo dilectum fra- ỳ. 16.
trem, maxime mihi: quanto autem magis tibi & in carne & in Domino? Oneſimus, offenſo domino proprio, confugit longa peregrinatione ad Apoſtolum; ut oſtenderet ſe non ad hoc receſſiſſe, ut delicti eſſet obnoxius, ſed ut oblite-
B ratis peccatis, utilis reverteretur in tantum, ut non ſolum domino ſuo æqualis fieret meritis, ſed & ipſi magiſtro frater. Et ne Philemon aliquod, ut adſolet, quaſi dominus adverſùm ſervum, faſtidium inflationis pateretur, humiliat illum, cùm dicit illum fratrem & in carne & in Domino; ut ſublatâ humanæ conditionis causâ, quia omnes ex uno ſumus Adam, fratres nos cognoſcamus: maxime cùm fides accedit media, quæ omnem ſuperbiam amputat.

Si ergo [c] *habes me ſocium, adſume illum ſicut me.* Tantum ỳ. 17.
ſe affectum habere circa Oneſimum oſtendit, ut tunc Philemonem, quem ſuperius laudat, participem ſuum dicat, ſi illum ſic ſuſceperit, ſicut Apoſtolum. Hoc eſt enim
C quod dixit Salomon: *Servo ſapienti liberi ſervient.* Quod Eccleſ. 10. 28.
dictum terrori eſt Philemoni, ut ſaltem vel hac cauſa adſumeret eum, ſi caritate flecti non poſſet.

Si autem aliquid læſit te, aut debitor eſt, hoc mihi imputa. ỳ. 18.
Nunc excuſationem iracundiæ convellit; ne forte ſic læſum ſe eſſe ab eo quereretur, ut illi ignoſcendum minime videretur. Quod ſi eſſet, ſibi imputandum dicit, per quem regni cælorum heredes futuri ſunt, qui ante peccaverunt.

Ego Paulus ſcripſi manu mea, ego reddam; ut non dicam ỳ. 19.
tibi quod etiam te ipſum mihi debes. Si qua offenſa eſt Oneſimi, cautionem ſuam teſtatur eſſe idoneam; ut pro illo
D ſatisfaciat. Et ut verum loquatur, ſuberigit ſe, & dicit quia minus ab illo exigit, quam debere probatur. In ſervo enim cogitur ſatisfacere; quia ſe ipſum debito onerat.

Ita frater, ſic ego te fruar in Domino, refove viſcera mea ỳ. 20.
in Chriſto. Fiduciam habens obauditionis tuæ, ſcripſi tibi, ỳ. 21.
ſciens quia ſupra quam dico, facies. Modo blanditur, ut obauditio ejus voluntaria ſit; ut poſſit fructum habere. Sic enim provocat eum, ut amplius faciat, quam poſtulatur ab eo; ſolet enim fieri, ut qui videt bene de ſe ſentiri, meliorem ſe præbeat.

Simul autem & præpara mihi hoſpitium; ſpero enim quod ỳ. 22.
per orationes veſtras donabor vobis. Ut ſollicitiorem illum faciat, & magis obediat, venturum ſe eſſe illi ſignificat; ſolent enim abſentes contemni. Et ut quid Apoſtolus hîc
E adhuc eſſe non dedignatur, qui ſemper tædia paſſus eſt & exitia, cædes, perſecutiones, ac vincula, & cujus requies non erat, niſi in ſolo Chriſto? [d] Sed propter profectum credentium, ut & inimicos crucis Chriſti confunderet ad Dei gloriam augmentandam, carnem ſuam paſſionibus offerebat; ut animæ ſuæ & corpori coronas immortalitatis adquireret.

Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu: ỳ. 23.
Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adjutores mei. Hos ỳ. 24.
omnes participes gloriæ ſuæ teſtatur.

Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, ỳ. 25.
amen. Hæc ſubſcriptio Apoſtoli eſt confirmantis epiſtolam miſſam. [*]

a. Codex Vall. *probare hoc debet in filios ejus.*
b. Rom. edit. ſola, *propter Filium Dei.*
c. Eadem Rom. edit. *habes me participem.*
d. *Sed propter profectum,* & quæ ſequuntur ad finem uſque commentarii, deſiderantur in pluribus optimæque notæ codicibus: in aliis tamen nonnullis, nec non in omnibus editionibus eadem illis reperiuntur.

*. Commentaria in epiſtolam ad Hebræos cur in hanc editionem admittenda non viſa fuerint, cauſas adtulimus in Admonitione univerſis hiſce commentariis à nobis præmiſſa, quam conſule.

IN SEQUENTEM TRACTATUM
ADMONITIO.

Liber, quem subjicimus, à Romanæ editionis curatoribus inter genuina sancti Ambrosii Opera primùm vulgatus est sub hoc titulo : In Symbolum Apostolorum Tractatus. *At licet neque Bibliothecam unde prodierit, neque exemplarium ex quibus prælo commissus sit, qualitatem viri clarissimi nobis indicaverint, non proinde hæsimus in judicando, sed ex prima ejus lectione mirari subiit doctos viros, & acumine critico pollentes exstitisse, qui hanc opellam ingenio styloque Ambrosiano plane destitutam pro legitimo sancti Doctoris partu admisissent. Nobis tamen multo major nata est admiratio, cùm apographis duobus, quorum alterum è bibliotheca Regia, alterum è Vaticana transcriptum habemus, ad memoratam collatis editionem, quantum hæc ab illis dissideat, intelleximus. Tum vero non satis sciebamus, an magis detestanda esset impostoris impudentia, qui hunc tractatum tam fœde interpolatum ac detruncatum illustrissimo Romanæ editionis præsidi pro sano & integro supposuit, an dolendæ vices doctorum hominum, quibus postmodum imposuit eadem editio. Et sane vix aliunde clarius deprehendas, quam facile sit etiam eruditissimis viris fucum facere ; ut enim alios prætermittamus, constat in fraudem inductum esse Petavium ipsum,*[a] *cum alibi, tum ubi de voce* suppositi *agens ita disputat :*[b] Sequitur, *inquit,* suppositi nomen, quod minùs latinorum Patrum usu contritum est in ea significatione, quæ passim in scholis auditur, ut sit hypostasis aut persona. Apud Ambrosium tamen occurrit lib. in Symb. Apostol. cap. 12. Hanc, inquit, pro totius humani generis salute in unitate suppositi adsumsit. *Quo loci advertere est duplicem in errorem impegisse virum doctissimum, & quod Ambrosio hanc commentationem adjudicarit, & quod verba illa tamquam à vero ejusdem auctore profecta citaverit, quæ tamen non sunt nisi solius interpolatoris.*

a. lib. 4. de Trin. cap. 3. num. 6. & cap. 9. num. 5. b. ibid. cap. 9. num. 14.

Quapropter ne quis in posterum ad idem saxum hallucinetur, subjectis in margine adsutamentis, integrum operis textum repræsentabimus ex fide prædictorum exemplarium ; in quibus tamen aliquid præcessisse, quod perierit, ex conjunctione igitur, *quæ statim excipit primam vocem, intelligitur. Certum est præterea inscriptionem ipsam, quæ à nobis præfigitur ex manuscriptis, ut eâ quam proprio marte inditam huic libro voluerunt editores Romani, haud paulo melior videatur ; non tamen vitio prorsus immunem esse, cùm universi argumenti, quod pertractatur, speciem atque ideam non præ se ferat. Enim vero in tres partes distribuitur iste libellus :*[c] *quarum quidem prima est de Trinitate ; at secunda in discutiendo incarnationis Dominicæ mysterio versatur. Tertia de resurrectione mortuorum disputat, & quæ contra hanc veritatem objiciebantur ab hæreticis, diluit. Addit etiam sub finem Auctor Operis hoc ipsum à se ex Patrum scriptis esse collectum. Et re vera non paucos locos hic agnovimus aut pro ingenio Auctoris nonnihil immutatos, aut sæpe etiam iisdem verbis mutuo sumtos, qui ex Hilario, vel Ambrosio, vel Augustino petiti essent. Quibus accedunt magna fragmenta è libris Tertulliani, & Hieronymi in Isaiam Commentariis, quod ultimum opus, cùm non nisi post mortem Ambrosii lucubratum sit, vel solum detegere posset imposturam, ut nequaquam necesse sit ad styli, ac versionis testimoniorum è scripturis sacris allegatorum discrimen recurrere. Quo porro & res fiat planior, & brevitati eadem operâ consulatur, quæ huic libello aliunde inserta deprehendimus, ad margines è regione adnotanda curavimus.*

c. Cap. 16. in fine.

Ceterum si quis nos roget, cuinam auctori hancce opellam adjudicemus ; ingenue respondebimus in tanta exemplarium paucitate de hoc à nobis nihil explorati afferri posse. Id tamen certo dicere licet antiquum esse scriptorem illum, non solùm quod codex Regius, in quo continetur ista commentatio, annos ut minimum sexcentos præ se ferat, verum etiam quod in eadem nullius hæretici nisi veteris fiat mentio. Sed neque nimium conjectura nos pœnitebit, si hunc libellum & adversus[d] *priscillianistarum sectam editum, & concilio sin minus Toletano primo, saltem Braccarensi secundo, quod anno 563. vulgo ponitur, crediderimus supparem esse. Etenim eadem capita hic disputantur, quæ contra eosdem hæreticos in Synodi Toletanæ* Regula fidei, *in epistola 15. sancti Leonis ad Turribium, & in synodo Braccarensi secunda constituuntur. Admodum ergo probabile est hunc eumdem tractatum non ad exponendum Apostolorum symbolum, sed ad vindicandam Toletanam fidei regulam scriptum fuisse. Quod enim in ea memorantur quidam errores, quorum in illo mentio non fit, id inde ortum existimamus, vel quod Auctor præcipuos tantum delegerit, quos refelleret, vel quod illi ipsi hæretici pro innata sibi levitate ac inconstantia eosdem errores jam abdicassent. Veri etiam simillimum est non alia de causa eumdem librum Ambrosii nomine insignitum esse, nisi quia constaret sanctum Præsulem contra memoratos hæreticos conscripsisse opera bene multa, quorum lectione Paternus Braccarensis episcopus ad fidem ab eadem hæresi conversum se esse testificatur : & ex quibus operibus plura forte an hic noster Auctor est mutuatus.*

d. De quibus Aug. & Isid. de Hær. cap. 70.



DE

DE TRINITATE
ALIAS IN SYMBOLUM APOSTOLORUM
TRACTATUS.

CAP. I.

NUllus igitur qui sanum sapit omnipotentem Deum, qui Trinitas & spiritus est, corpus aliquod visibile aut palpabile arbitretur: sed simplicem rationabilem, invisibilemque naturam intelligat, [a] & quæ nulla omnino compage solidata, aut aliquid ei extrinsecus, aut aliunde videatur adjunctum: quem nulla substantia, nulla creatura, nulla umquam dominatio antecedit. Fons ergo & principium virtutum omnium, visibilium & invisibilium creaturarum, id est, cælestium & terrestrium conditrix, sancta & inseparabilis Trinitas est, quæ in se recipit nihil externum; ne circumscripta videatur, aut alicujus rei indiga esse inveniatur, cùm pura & unimoda ac mystica, & ut ita dicam, unione fœcunda semper est. Tanta est enim in tribus inseparabilis & inconfusa unitatis essentia, ut nihil extra se sancta Trinitas agere videatur: in qua sancta & inseparabili Trinitate vera est æternitas, [b] immutabilis veritas, & æterna ac perfecta est caritas. Et ideo verius cogitatur Deus, quam dicitur; quia incomprehensibilis semper est. Deus ergo omnipotens qui nec sexum habet, nec ætatem, nec definita corporis membra, sic se voluit excellentissime, evidentissime, [c] atque magnificentissime prædicari. Æternitas ergo in Patre, species in imagine, usus in munere est: & hæc tria unus est Deus; non tamen in unius singularitate personæ, sed unius Trinitatis essentiâ constant. Unus ergo diligens [d] eum, qui de illo est: & unus diligens eum, de quo est: & ipsa dilectio idem unus utrorumque, id est, Spiritus sanctus. Et tamen tria hæc, ut dictum est, unus bonus, verus, justus, lumen, vita, veritas, spiritus atque caritas est Deus. Deus ergo, quia æternus & auctor est omnium, compositus intelligi non potest; ne anteriora Deo sint, quibus putatur esse compositus. Cunctam ergo creaturam, quæ non est quod ipse, non fecit nisi ipse. Ergo æternus appellari non potest, nisi is qui initio & fine caret, id est, Deus Pater, qui coæternum sibi & coomnipotens Verbum & Spiritum habet. Quod intellectum perspicue probat substantiam Filii ac Spiritus sancti ante omnem creaturam existere, & extra omnia tempora, atque principium in Deo Patre semper permanere. Spiritus ergo sanctus non est genitus, sed genitoris genitique suavitas, sanctitas atque æternitas est. Nam cùm Pater sit Spiritus, & Filius Spiritus: & Pater sanctus, & Filius sanctus; proprie tamen de Spiritu dicitur Spiritus sanctus. Quia ergo coæternus est, & communis ambobus, id ipse vocatur, quod ambo sunt.

Augustin. l. 6. de Trin. c. 10. et Hilar. l. 2. de Trinit.

CAP. II.

[e] Quanta jam temeritate & infelicitate consentiunt Arriani, qui dicunt: Erat tempus, quando non erat Filius, lector intelligit. Numquid enim potuit esse tempus quando Pater sine vita, sine sapientia, sine virtute, sine Verbo, quod Christus est, fuerit? Absit; cùm manifeste ipse declaret Pater dicens: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Quod comprobans beatus Johannes dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quidquid ergo incorporale est & invisibile, diversitate locorum non potest separari. Si enim noster sermo aut virtus, aut sapientia, à nobis separari non potest, nisi cum è corpore abscedimus, quomodo hæc ab immortali & omnipotente Deo, qui omnia per Verbum suum ex nihilo fecit, poterunt separari? Nam cujus erit Pater secundum impios hæreticos, si ab eo Filii natura separatur? Et rursus Filius cujus erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem; ut sit ille qui genuit, & ille qui ex eo genitus est? Pater ergo qui origo est deitatis & bonitatis, recte & in Filio & in Spiritu sancto intelligitur & sentitur: in illo, id est, in Filio, velut Verbo, virtute & sapientia: in hoc autem, [f] velut Spiritu ab ipso procedente. Ita ergo rectum & catholicum est, ut & unum Deum secundùm [g] veritatem substantiæ fateamur, & Patrem & Filium, & Spiritum sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus. Absque [h] ulla est ergo fine credenda sanctæ Trinitatis divinitas, [i] & ad sentiendum etiam ipsi menti difficilis. Et hoc solum est, quod ex ea comprehendimus, quia comprehendi non potest. Una est ergo in tribus deitas, & tria sunt in quibus deitas. Nulla ergo in unitate confusio, [k] neque in divinitate discidium est. Et ideo pariter abjicienda est & stulti Sabellii commixtio, & impii Arrii separatio; contraria etenim sibi, sed æque impia protulerunt. [l] Sabellius enim dum omnia nominari putat, nihil esse unumquodque designat; quoniam quidem desinit esse quod est, cùm in alterutrum, id quod esse dicitur uniuscujusque, transfunditur: Arrius autem dum creaturam Patris Filium, Spiritum vero sanctum Filii impie adserit esse creaturam.

Psal. 44. 2. Johan. 1. 1. 2. & 3.

CAP. III.

1. Cor. 8. 6.

Sed abjectis istis impietatibus & spretis, nobis, sicut beatus Paulus apostolus ait: *Unus est Deus Pater, ex quo omnia; & unus dominus Jesus Christus, per quem omnia; & unus Spiritus sanctus, in quo omnia.* Hoc ipsum autem quod dicimus, *ex quo*, & *per quem*, & *in quo omnia*; non naturam secamus, sed unitatem & naturæ, & voluntatis, & operationis confitemur. Unus ergo Deus in his tribus, & hæc tria unus est Deus. Quod ita esse idem comprobat Apostolus dicens: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Cujus rei congruens David propheta dicit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ.* Pater ergo pater est sine initio; neque enim est aliud aliquid unde Pater sit: & Filius Filius est absque initio dumtaxat; de Patre enim est, & creator omnium temporum est: & ideo non sumit initium ex tempore, quia Verbum, quia virtus, quia sapientia est, quæ omne tempus & fecit & antecedit. Spiritus autem sanctus vere Spiritus est, procedens quidem ex Patre: [m] sed non est & ipse Filius; quia non generatur, [n] sed procedit à Patre. Omne enim quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Est ergo quod neque natum, neque factum est: est quod natum est, & factum non est: & est quod neque natum, neque factum est: & est quod factum est, & natum non est: & est quod factum est, & natum est, & renatum est: & est quod factum est,

Rom. 11. 36. Psal. 66. 8. Johan. 1. 2. 1. Cor. 1. 24.

a Rom. edit. Quem nullo omnino compago solidat, aut extrinsecus nihil adve[illegible] quemque nulla creatura, nulla substantia, nulla denique dominatio antecedit. [illegible] Deum [illegible] fontem, principium rerum omnium [illegible] universorumque creaturarum cælestium & terrestrium conditricem: quod est [illegible] inconfusa, & Trinitas inseparabilis, quæ in se æterna nihil recipit aliunde, non est tempore aut loco circumscripta, nec cujusquam indiga reperitur: sed [illegible] simplicitate ac unione fœcunda semper est: tantaque ac [illegible] essentia inseparabilis & inconfusa consistit in tribus, ut licet omnia cælestia & terrestria ac [illegible] quoque [illegible], nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se [illegible]. In hac Trinitate vera est æternitas, immutabilis veritas, summa ac perfecta caritas. Denique verius cogitatur Deus, quam dicitur, quia [illegible] incomprehensibilis est. Qui nec sexum ..... sed omnipotens, æternus, [illegible] voluit se magnificentissime prædicari .... virtus in munere.
b. Vat. cod. immutabilis veritas.
c. Reg. cod. magnificentissime deprecari.
d. Rom. edit. eum, qui ab ipso est, amor est dilectus ab eo à quo est: [illegible] est dilectio [illegible] Spiritus sanctus, idem tamen Deus. Et tamquam bonus, verus ... caritas & spiritus dicatur, unus tamen est Deus. [illegible] positus esse non potest, cùm aliqua ei anteriora [illegible] putari nefas sit, nihilque quod ab eo factum non sit, dicente Evangelista: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ipse solus est æternus, quia initio & fine caret, id est Deus Pater, .. genuit Verbum, cum quo Spiritum sanctum produxit. Unde credimus Filii & Spiritus sancti substantiam ante omnem existere creaturam, extra omnia tempora: quod Pater est genitor, Filius est genitus, Spiritus sanctus genitoris sanctitas [illegible]. Nam licet Pater sit Spiritus, .. [illegible] tertia persona proprie Spiritus sanctus nuncupatur. Quia ergo coæternus &c.
e. Eadem Rom. edit. Quanta igitur temeritate, ac dementia [illegible] Arriani dicunt. Reg. cod. [illegible] Arriani.
f. Eadem Rom. edit. velut spiritum à spiritu procedente.
g. Vat. cod. veritatem substantiæ.
h. Rom. edit. ulla ergo principio, & fine.
i. Eadem Rom. edit. licet humana sit menti ipso comprehensione difficilis. Unde non intelligitur docetur quod.
k. Eadem Rom. edit. neque in trinitate.
l. Eadem Rom. edit. Sabellius enim dicendo unam substantiam esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unamque trinam personam: sed dum omnes unam esse personam putat, nihil esse unamquamque designat.
m. Eadem Rom. edit. & Vat.
n. Eadem Rom. edit. neque Pater, quia procedit ab utroque non genitus, non ingenitus, nec factus. Nam omne quod est aut neque natum, neque factum est: aut natum, & factum non est, aut neque natum, neque factum est: aut factum, & natum non est, aut factum & natum & renatum est: aut factum & natum, & renatum non est.

& natum est, & renatum non est. Nunc autem propositorum memores, singulis jam rebus substantias designemus. Quod ergo neque natum, neque factum est, Pater est; non enim ab aliquo est. Quod autem natum est, & factum non est, Filius est, qui à Patre genitus est. Quod vero neque natum neque factum est, Spiritus sanctus est, qui à Patre [a] procedit. Quod etiam factum est, & natum non est, cælum, & terra, & cetera quæ sunt. Quod autem factum est, & natum est, & renatum est, homo est, qui primo nascitur carnalis, & in baptismo renascitur spiritualis. Quod vero factum est, & natum est, & renatum non est, animalia sunt.

CAP. IV.

1. Cor. 8. 6. Ibidem. 1. Tim. 2. 5. 1. Cor. 2. 11. Ibidem 10.

Ut ergo singula doceamus exemplis; de Patre enim ita scriptum est: *Unus enim Deus Pater, ex quo omnia*; de Filio autem: *Unus dominus Jesus Christus, per quem omnia*; & iterum: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*; de Spiritu verò sancto: *Nemo enim novit quæ sunt hominis, quæ in ipso sunt, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, hominum nemo novit, nisi Spiritus Dei*; & iterum: *Spiritus autem scrutatur etiam alta Dei.* Quod autem Pater & Filius & Spiritus sanctus initio careat, exinde demonstratur, quia quod Pater est, esse non cœpit; & si non cœpit, nec Filius cœpit: Spiritus autem sanctus, [b] qui à Patre procedit, nec ipse cœpit; quia processio ejus continua est, & ab eo est, qui non cœpit: non enim Pater cœpit esse, & quia non cœpit, nec Spiritus cœpit esse; ea ratione quia & in ipso est, & ejus est. De Filio iterum quod non cœpit, evangelista testatur dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Ergo quia *erat*, non cœpit; & quia *apud Deum erat*, non cœpit; & quia *Deus erat*, non cœpit: & quia *hoc erat in principio apud Deum*, non cœpit: quia ita Deus ex Deo natus est, ut cœpisse nesciat. Neque ergo fraudatus est Pater, eo quod ingenitus est, aut quia genuit Filium: neque Filius defraudatus, eo quod generatus est, aut quia ex ingenito generatur: neque Spiritus sanctus defraudatus est, quia utrorumque, id est, Patris & Filii est. Sic tamen eorum est, ut neque in Patre, neque in Filio refundatur; quia Deus est, neque initium, neque ullum finem habens, utpote qui Patri & Filio [c] & coæternus est; quia ubi vult, & quos vult, & quantos vult, & quantum vult, inspirat sua propria voluntate. Replet ergo gratiâ suâ quos vult, & quantos vult, & quantum vult; non ipse repletur: perfectionem præstat, non accipit: sanctificat, non autem ipse sanctificatur.

(Johan. 1. 1. & 2. — Johan. 3. 8.)

CAP. V.

Rom. 8. 15. 1. Cor. 12. 11. Isai. 11. 2. Matth. 7. 11. Zach. 3. 9.

Hic ergo sicut Pater ac Filius & vita est & vivificans, & lux est & illuminans, & bonus & bonitas, & sanctus & sanctitas: hic est Spiritus adoptionis, hic est qui dona sua dividit singulis, prout vult: hic est *Spiritus sapientiæ & intellectus, scientiæ & pietatis, consilii & virtutis ac timoris Dei*: hic est Spiritus sanctus, per quem Pater agnoscitur, & Filius glorificatur; & à quibus solis ipse cognoscitur, & qui solus omnia eorum per unitatem naturæ novit: hic est de quo Filius dixit: *Et Pater meus dabit bona petentibus se*, hoc est, aut ipsum, aut omnes gratias ejus. Sicut ergo dominus Christus & Verbum, & virtus, & sapientia, & justitia, & margarita, & lux, & via, & resurrectio, & cetera quæ de eo scripta sunt, appellatur; ita & Spiritus sanctus sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis ac timoris, ut jam dictum est, nuncupatur. Non tamen quod diversus sit juxta differentias nominum, sed quod unus atque idem cunctarum virtutum fons sit atque principium, qui in domino Christo, utpote suæ naturæ consorte, semper inhabitavit. Isti sunt septem oculi, qui in Zacharia propheta in uno lapide, id est, domino Christo dicuntur inesse. Proprietas [d] ergo, unicuique immobilis; sed unus cultus, una veneratio, una sanctificatio semper Patris & Filii & Spiritus sancti est. Neque enim dignum est aut Filium defuisse Patri, aut Spiritum sanctum defuisse Filio, sicut impii hæretici mentiuntur. Nos ergo hæc præcaventes, servemus bonum propositum, quod à sanctis patribus suscepimus. Adoremus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, in Filio Patrem, in Spiritu autem sancto Patrem & Filium intelligentes: dividentes antequam conjungamus, & jungentes antequam dividamus: unitatem in Trinitate venerantes, & Trinitatem in unitate confitentes. Tota ergo à nobis sancta Trinitas adoranda est; quia tota regalis est, quia unius potestatis est, & unius gloriæ est supra mundum, supra tempora, increata, invisibilis, incomprehensibilis, investigabilis: quæ quo ordine apud semet ipsam sit, ipsa sola cognoscit; à nobis autem æqualiter adoratur. In qua invisibili & ineffabili sancta Trinitate nihil tam proprium, tam fixum intelligere debemus, quàm pacem & quietem. Neque enim dissensio ulla in natura Dei est, quia nec dissolvi posse sentienda est, utpote quæ pax semper & caritas est. Si enim quatuor substantiæ, id est, [e] calor, sanguis, flegma & humor, hominem faciunt, & unus homo est; tu in unitate Trinitatem, aut in Trinitate unitatem quomodo non intelligis? Deus ergo Pater omnipotens, omnipotens Verbum & Spiritum habens, supra humanam intelligentiam est, & ultra quam cogitari potest, incomprehensibilis & æternus: quem tunc, quantum fas imbecillitatis nostræ permittit, possumus agnoscere; quando dominum Christum, qui ejus [f] forma, & unicus filius est, noverimus; quia sicut ipse ait: *Qui vidit Filium, vidit & Patrem, qui misit eum, & qui in eo est, & qui in eo manet*; & iterum: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.* Ergo omnipotens Pater nomen Patris per Filium sortitus est; quia nemo sine filio pater esse vel dici potest, neque filius sine patre. Unigenitum vero Dei Filium, Verbum, & sapientiam, ac Spiritum ejus sanctum substantialiter æquales per omnia Patri confiteri honorificum est. Nam quis revera aut colorem, aut habitum, aut magnitudinem Verbi & sapientiæ, juxta quod sapientia est, ac Spiritus sancti coaptavit; ut gradus illic requirat, & ordines faciat, ubi omnia invisibilia & unita ac pacifica semper permanent?

(Johan. 14. 9. Johan. 17. 3.)

CAP. VI.

Psal. 32. 6. Gen. 1. 2. Exod. 8. 19. 2. Petr. 1. 21. 1. Cor. 12. 13. Luc. 1. 35. Matth. 3. 16. Luc. 4. 14. Luc. 11. 13. Johan. 14. 16. Esai. 48. 16. Matth. 12. 28. Johan. 20. 22. & 23. Act. 2. 3. Johel 2. 28. Act. 13. 2. 1. Cor. 12. 6.

Primùm ergo omnium credendum est unum esse Deum, qui cuncta ex nihilo per Verbum suum fecit, & per Spiritum sanctum animavit: qui cùm universa capiat, ipse à nemine capitur. Quod ita esse uno versiculo David propheta comprehendit dicens: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Iste est Spiritus sanctus, qui in principio & fabricâ mundi ferebatur super aquas. Iste est in quo Moyses & Aaron coram Pharaone rege Ægypti signa fecerunt, & de quo Magi dixerunt: *Hic digitus Dei est.* Iste est qui in Moyse, & in omnibus sanctis patriarchis & prophetis atque apostolis loquutus est; de quo Apostolus dicit: *Et nos omnes uno Spiritu potati sumus.* Iste est, qui carnem Verbi Dei in sacrum Virginis uterum fabricavit: iste est, quem post baptismum Pater super Filium misit: iste est, cujus virtute Jesus plenus reversus est à Jordane, & regressus est in Galilæam: iste est, quem Pater petentibus se dat: iste est, qui à Filio advocatus noster apud Patrem, & alius paraclitus appellatur, quem Filius ad nos missurum se esse promisit. Si ergo unius naturæ non esset cum Patre & Filio, numquam alius à Filio paraclitus diceretur: idcirco ergo alius paraclitus dicitur, ut æqualitatem naturæ ac potestatis agnoscamus. Alius ergo à nobis ad Patrem adscendens, alius ad nos à Patre veniens, paternum erga nos semper ac piissimum affectum declarat. Qui numquam nos in tentationibus istius mundi & miseriis nec sine advocato nec sine consolatore esse patitur. Iste est, qui unà cum Patre Filium pro salute generis humani misit, sicut Esaias propheta ex persona Filii loquentis testatur dicens: *Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Iste est, in quo Jesus dæmonia ejiciebat: iste est, quem dominus Jesus Christus post tertiam diem resurgens à mortuis, dedit discipulis suis dicens: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt: quorum autem retinueritis, retenta sunt.* Iste est, qui die pentecostes super apostolos descendens, diversas eis impertitus est linguas & gratias, sancti Johel prophetæ vaticinium complens. Iste est, qui in sanctis martyribus loquens, diabolum & adversarios Christi vicit: iste est, qui Paulum implevit, & [g] in apostolatum segregavit. Iste est, qui diversa dona sua in singula membra domini Christi usque in finem mundi operatur. Iste est, qui non solum à nobis tristitias & mœrores & malas turpitudinum cogitationes expellit; verumetiam Dei in nobis memoriam tribuit,

a. Rom. edit. & Filio procedit.
b. Eadem Rom. edit. qui ab utroque.
c. Eadem Rom. edit. consubstantialis & coæternus est.
d. Eadem Rom. edit. unicuique est, ut sit immobilis; quia unus cultus &c.

e. Eadem Rom. edit. bilis atra & flava, sanguis & flegma hominem constituunt.
f. Eadem Rom. edit. character & figura.
g. Eadem Rom. edit. in apostolatus ministerium.

Psal. 76. 4. Ibidem 12. ut merito cum David propheta dicere possimus: *Memor fui Dei, & delectatus sum*; & iterum: *Memor ero mirabilium tuorum*. Iste est, qui nobis recte credentibus, & bene operantibus adveniens, tenebras & angustias ac pusillanimitatem cordis & sua nos luce illuminans, miscet sensui nostro sensum Christi; ut vitam nostram, quæ in Christo est abscondita, cogitemus; & in æternis & superventuris sæculis, qui noster status sit, consideremus, sequentes Jesum filium Dei, qui penetravit cælos, & in dextera Dei sedens, & in omni consistens loco, nihil suæ præsentiæ vacuum dereliquit. [a] Si tamen non eum unius loci spatio contineri pro dispensatione corporis pro nostra salute suscepti putemus, aut circumscriptum secundùm divinitatis & incorporalitatis suæ naturam. Diversitate locorum divinitas non potest separari; quod ita esse ipse Salvator comprobavit, dicens: Joan. 3. 13. *Nemo adscendit in calum, nisi qui de calo descendit, Filius hominis, qui est in calo*. Non ergo ad explenda opera sua loco indiget Spiritus, Verbum, virtus, sapientia, splendor, imago, vapor, & splendor Dei sine macula: quæ omnia sine dubio personam Filii demonstrant. Nullum ergo exstitit tempus, quando Pater sine Filio, aut Filius sine Patre, aut Spiritussanctus sine Patre ac Filio fuerit.

CAP. VII. Proprium ergo Dei est non cœpisse, sed semper idem esse, quod semper est. Quod ita esse de semet ipso comprobat Deus loquens ad Moysen: Exod. 3. 14. *Vade, & dic filiis Israel: Qui est, misit me ad vos*. [b] Iste est Spiritus sanctus, qui neque natus, neque factus est: sed est infectus, sicut Pater ac Filius. Iste est Spiritus sanctus, qui lapsos erigit, & jacentibus occasionem tribuit resurgendi, singulaque juxta varietatem meritorum, & voluntatem Patris ac Filii dispensat, quorum omnia non per investigationem, sed per unitatem naturæ novit. Ipse est, de quo propheta ait: [c] Sap. 7. 22. &c. Spiritus Domini multiplex, mundus, incoinquinatus, & sanctus est. Sicut ergo lumen tenebras non recipit, sic & Spiritus sanctus per naturam habet, ut omnium sordium incapax sit. Iste est, qui se transfert à cogitationibus, quæ sine Deo sunt. Iste est, qui se in animas sanctas infundit, & amicos Dei atque prophetas constituit. Nisi ergo quis Spiritum sanctum habuerit, nec Pater nec Filius, quorum est, & cum quibus unus est Deus, ad eum veniunt; ut apud eum mansionem faciant. Iste est spiritus sapientiæ, qui ideo multiplex appellatur, eo quod multa in se habeat, [d] & quæ habet, hoc & est, & per omnia unus est, nec in aliquid eorum, quæ operatur, ipse mutatur; sicut imago ex anulo, quæ in ceram transit, & anulum non relinquit. Quod ita esse Dominus comprobat, ad Moysen dicens: Num. 11. 17. *Auferam igitur de Spiritu, qui est in te*; [e] *& dabo illis septuaginta*, quasi scilicet ignis de igniculo transferatur, absque detrimento ejus, unde sumitur. Ob hanc ergo incommutabilitatem & diversam operationem dictum est à Domino de sancto Johanne Baptista, Luc. 1. 17. quod in spiritu ac virtute Eliæ venerit. Iste est, quem Deus misit in corda nostra clamantem: Galat. 4. 6. *Abba pater*; & in quo clamamus: *Abba pater*: utrumque enim dictum est, [f] & accepisse nos Spiritum clamantem: Rom. 8. 15. *Abba pater*; & accepisse nos Spiritum in quo clamamus: *Abba pater*. Exposuit ergo quod dixit, *clamantem*, hoc est, clamare nos facientem. Iste est Spiritus, Ibidem 26. qui gemitibus inenarrabilibus postulat pro nobis, quando quid orare oporteat, humana fragilitas ignorat. 2. Cor. 12. 7. & 8. Quod in se ipso sanctus Apostolus non tantum verbo nos edocuit, verum etiam suo nobis demonstravit exemplo, hinc quando contra utilitatem suam ac perfectionem nesciens orabat, ut discederet ab eo stimulus carnis, qui eum colaphizabat: quem postea ab ipso Spiritu sancto [g] eruditus, idcirco eum dixit datum sibi, ne magnitudine revelationum suarum extolleretur, & aliquod boni damnum pateretur. Sed quia eum Dominus diligebat, qui semper divinitatis suæ potentiam per infirma quæque consuevit ostendere, non fecit quod ignoranter petebat. Ipse est Spiritus sanctus, qui in Ecclesia catholica toto orbe terrarum diffusa omni se gratiarum fonte diffudit. Ibidem 5. Iste est [h] Spiritus domini Jesu, 2. Thess. 2. 8. qui in fine mundi antichristum potentiâ suâ interficiet. Iste est Spiritus sanctus, quem nullus hæreticorum habet; qui licet omnes habere se Christi baptisma putent, tamen nisi veniant ad Ecclesiam Christi, Spiritum non poterunt habere Christi. Quod ita esse comprobat beatus Paulus apostolus dicens: Rom. 8. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*; Et iterum: 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere, dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Quod confirmans beatus Johannes apostolus & evangelista, dicit: 1. Johan. 4. 2. & 3. *In hoc cognoscitur Spiritus Dei, omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est: & hic est antichristus, quem audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est*; & iterum: 1. Johan. 5. 5. & seq. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est filius Dei. Hic est qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur quoniam Jesus est veritas; quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & tres unum sunt*.

CAPUT VIII. Juste ergo eis qui eum sine Spiritu sancto Dominum confitentur, dictutus est in judicio: Luc. 6. 46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non fecistis quæ dixi; & mecum non colligentes sparsistis populos & membra mea, pro quibus ego sanguinem fudi meum? Et ideo oblatio hæreticorum, qui Spiritum sanctum non habent, non in Dei cultum, sed [i] in cultum dæmonum proficit. Quidquid enim in synagogis suis hæretici, id est, in conventiculis satanæ loquuntur, non est doctrina Domini, [k] sed ululatus & præstigia dæmonum sunt. Isti enim sunt, quibus Spiritus sanctus per Esaiam prophetam dicit populum Judæorum parasse mensam, dicens: [l] Esai. 65. 11. *Et parabatis mensam Fortunæ*; & ideo tam ipsos quam peccatores, qui semet ipsos non judicantes, audacter ad sacrosanctum corpus & sanguinem Christi accedunt, increpat Apostolus dicens: 1. Cor. 10. 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum*. [m] Hæc de oblatione hæreticorum dicta sufficiant; nunc autem ad ordinem revertamur.

CAP. IX. Quidquid ergo de Spiritu sancto diximus, hoc similiter & à Patre & à Filio fieri intacta & indiscussa dimisimus; licet pro certo noverimus quia sancta & inseparabilis Trinitas numquam aliquid extra se noverit operari. Et ut ita esse clareant quæ dixi, breviter insinuabo. Incarnationem Aug. lib. Cont. Serm. Arrian. c. 15. Verbi Trinitas fecit, & tamen non pertinet incarnatio nisi ad Verbum. Vocem de cælo super Filium post baptismum Trinitas fecit, & tamen non pertinet nisi ad Patrem. [n] Luc. 3. 22. Adventum Spiritus sancti supra Filium in specie columbæ Trinitas fecit, & tamen non pertinet nisi ad Spiritum sanctum. [o] Quam trinam operationem in unitate manentem comprobat beatos Apostolus dicens: Ibidem. 1. Cor. 12. 4. & seq. *Divisiones enim gratiarum sunt, unus autem Spiritus; & divisiones ministeriorum, sunt unus autem Dominus; & divisiones operationum sunt, unus autem Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Tria ergo hæc unam credentibus tribuunt gratiam; [p] quia non alia atque alia est substantia sanctæ & inseparabilis Trinitatis. Cùm ergo [q] singula & Pater & Filius & Spiritus sanctus dicantur operari, omnia tamen pariter operantur. Sapientiâ condidit, Spiritu animavit, & justo ordinavit judicio. Ipse ergo justitia sua mundum in varias formas distribuit, & gratia sua ordinante, tanta illius membra incomprehensibiliter dispensat, continet & gubernat: cujus providentiæ gubernatio tam justa, [r] tam arcana, tam occulta est; ne quæ putatur pœna, medicina sit parienti. Unus ergo Deus in sancta Trinitate consistens hæc operatur: quod ipse de se comprobans, per Esaiam prophetam dicit: Esai. 45. 6. & 7. *Ego Dominus, & non est* [f] *amplius extra me*, hoc est, præter Verbum & Spiritum meum, virtutem ac sapientiam

a. Rom. edit. *Licet eum unius loci spatio contineri natura corporis ..... non tamen circumscriptum divinitatis & incorporalitatis suæ naturam.*

b. Rom. edit. *Ipse eorsum est Spiritus sanctus, qui non est factus, sicut nec Pater, nec Filius. Ipse* &c.

c. Eadem Rom. edit. *Spiritus Domini intelligens, multiplex, mobilis, incoinquinatus, omnem hab[en]s virtutem, omnia prospiciens.*

d. In eadem Rom. edit. *desunt, & quæ habet, hoc & est.*

e. Eadem Rom. edit. *& ponam super illos, ut tecum sustineant impetum populi.*

f. Eadem Rom. edit. *& Deum misisse in corda nostra Spiritum clamantem, Abba pater, & in quo clamamus, Abba Pater.*

g. Eadem Rom. edit. *eruditus dixit ad virtutum incrementa datum sibi, dum audivit: Virtus in infirmitate consummatur.*

h. Eadem Rom. edit. *Spiritus oris Domini, qui* &c.

i. Eadem Rom. edit. *in dæmonum abominationes.*

k. Eadem Rom. edit. *sed blasphemiæ, & dæmonum præstigia sunt.*

l. Eadem Rom. edit. *& parantes dæmoni mensam, & implentes Fortunæ potionem.*

m. Desunt in Rom. edit. *Hæc de oblatione hæreticorum dicta sufficiant.*

n. Eadem Rom. edit. *Loquens enim: Tu es filius meus dilectus. Adventum* &c.

o. Eadem Rom. edit. *Et descendit, inquit, Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Quam* &c.

p. Eadem Rom. edit. *Quia nec ex alia atque alia substantia sunt sanctæ inseparabilis Trinitatis personæ, nec alius operationis.*

q. Eadem Rom. edit. *singillatim .... aliqua operari Spiritus animavit, & ipse Pater* &c.

r. Eadem Rom. edit. *Tam provida.*

f. Eadem Rom. edit. *amplius. Ego qui fabricavi lucem* [illegible] *quoniam non est Deus præter me.*

a Ibidem 5. meam, quæ in me est semper;[a] nullus est alter Deus atque A salvator, de quo idem propheta dicit: *Et mittet eis Dominus salvatorem, qui eos salvos faciat à peccatis eorum.* Et
Isai. 45. 24. Ibid. 45. 23. Ibid. 55. 11. iterum ex persona Patris supra scriptus propheta dicit: *In memet ipso juravi, quia egredietur ex ore meo verbum, & ad me vacuum non revertetur.* Non est revera Verbum Patris ad eum vacuum reversum, quia obsides salutis nostræ, id est, veram animam & verum corpus susceptum in dexteram collocavit Patris. Quod ita esse futurum in Spiritu prophe-
Isai. 45. 15. ta intuens dicit: *Vere tu es Deus absconditus*, id est, in car-
Isai. 53. 1. ne, *Deus Israel salvator*; & iterum: *Absconditus vultus ejus & despectus*; ut scilicet humano corpore divina poten-
Hier. 17. 9. tia celaretur; & iterum: *Et homo est, & quis cognoscit eum?* B
Baruc. 3. 36. & iterum: *Hic Deus noster, non æstimabitur ad eum alius, qui in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*;
Ibidem 38. & iterum: *Homo in dolore, & sciens ferre infirmitates*, verùm scilicet corpus hominis per hæc verba, & veram de-
Isai. 53. 4. Coloss. 1. 20. monstrans animam, *qui sciens ferre infirmitates divinitate superavit, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cælis sunt, sive quæ in terra.* Claruit enim per hæc verba, *in dominum Jesum Christum*, non ex parte veritatem, & ex parte mendacium: sed omnem in eo esse veritatem, id est, & Dei & hominis.

CAP. X. Sed hoc non intelligit humana sapientia, quam condem-
1. Cor. 2. 5. nat beatus Apostolus dicens: *Fides vestra non sit in sapientia hominum, quorum Dominus cogitationes novit, quoniam* C
Ibidem 13. b *vana sunt: sed in virtute Dei*; & iterum: *Non doctis*[b] *humana sapientiæ verbis, sed docti Spiritu sancto.* Ergo fides non sit in hominum sapientia, & hæresis non est. In Patre ergo semper Filius & Spiritus sanctus est; quod ita esse
Johan. 10. 30. ipse Filius confirmat dicens: *Ego & Pater unum sumus*: unum propter naturam divinitatis, *sumus* propter perso-
Johan. 16. 32. narum proprietates; & iterum: *Ecce venit hora . . . ut me solum relinquatis; & non sum solus, quia Pater mecum est*;
Johan. 14. 10. & iterum: *Opera quæ ego facio, Pater in me manens, ipse facit ea.* Ipse est ergo semper in Patre Filius, qui ad Moysen
Exod. 3. 14. dicit: *Qui est, misit me ad vos.* Ipse est, cui perfecto orbe D congaudebat Pater; quia tantam molem terræ fundasset super maria, & super flumina collocasset eam; ut elementum gravissimum super tenues aquas ejus penderet arbitrio. In stabilitate ergo orbis terrarum, quando illius fundamenta Pater firmabat, nullus erat cum eo præter eos, qui erant in eo, id est, Filius & Spiritus sanctus. Erubescant ergo impii hæretici, qui Filium Dei aut Spiritum sanctum creaturam dicunt, aut fuisse tempus, quando non fuerint; neque enim temporum conditor habet aliquando principium. Quidquid ergo Filius loquitur, verba sunt Patris, & verba sunt Spiritus sancti: quidquid Pater loquitur, verba sunt Filii, verba sunt Spiritus sancti: quidquid Spiritus sanctus loquitur, verba sunt Patris, verba sunt Filii Dei. Ergo unius, qui E complet omnia, & in quo sunt omnia, his verbis sub mysterio sanctæ Trinitatis notitia prædicatur; ait enim Filius:
c Johan. 15. 26. [c] *Spiritus sanctus à Patre procedit*; tamen propter societatem unitatemque naturæ à Filio mittitur: qui Filius ab Isaia propheta in regnantis habitu visus est, sed propter consortium majestatis unitatemque substantiæ Spiritus sanctus in propheta est loquutus: in Cherubim sane & Seraphim, ubi ipsa visio facta describitur, ex parte ostenditur Dominus, & ex parte celatur; duabus siquidem alis velabant
Esai. 6. 2. faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Velantur ergo ea, quæ ante mundum fuerunt, &
1. Cor. 2. 9. ea quæ post mundum erunt, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit*: ea vero quæ in sex diebus facta sunt, nobis in notitiam per sacram lectionem venerunt. Nos ergo in Patre & Filio & Spiritu sancto non solum unam opera-
d tionem, sed & æqualitatem confitemur; [d] quia ubi æqua- litas, ibi eadem natura, eademque substantia est. [e] Prop- e
tetea, inquit Evangelista, eum Judæi persequebantur, quia Johan. 5. 18.
non solùm solvebat sabbatum, sed etiam Filium Dei se dicendo, æqualem se faciebat Deo. Quod ipse Dominus comprobat dicens: *Ego & Pater unum sumus, & ego in* Johan. 10. 30.
Patre, & Pater in me est; & iterum: *Pater quod dedit mihi,* Johan. 14. 10. Johan. 10. 29.
majus omnibus est; & nemo potest rapere de manu mea; statimque infert: *Et nemo potest rapere de manu Patris.* Si Ibidem.
ergo de manu Filii quæ Pater dedit, nemo potest rapere, & hæc eadem in manu Patris sunt, quæ non rapiuntur ab eo; liquido comprobatur omnia Patris & Filii ac Spiritus sancti, qui & Patris & Filii est, esse communia: & Filii B manu teneri, quæ Patris sunt; & Patris manu teneri, quæ Filii sunt. Dominus ergo Christus Dei & hominis filius, qui semper erat cum Patre & in Patre, duobus loquutus est modis, id est, nunc secundum divinitatis suæ gloriam, nunc secundùm nostræ naturæ hominem susceptum. Pater ergo in Filio, & Filius in Patre est, in utroque Spiritus
sanctus est: [f] & ideo recta confessio mysterii sanctæ & f
inseparabilis Trinitatis ignoratio nostra est; cùm enim sanctus Apostolus judicia Dei inscrutabilia esse testetur, Rom. 11. 33.
jam ipse cujus inscrutabilia & occulta sunt, quam inscrutabilis & occultus sit, sapiens lector intelligit. Qui tamen sanctus Apostolus non dixit: Difficile inveniuntur judicia Dei, aut numquam; ne spem penitus inquirentium amputare C videretur: sed ait, *Inscrutabilia sunt judicia Dei.* Quamvis ergo proficiat quis in scientia, & sapientiæ deditus, arcana rimetur; tamen creata natura increati substantiam
[g] numquam potest comprehendere. Cùm enim aliqua inve- g
nerit, rursum alia se offerunt quæstioni; cùm illa repererit, h
[h] alia innumera quoque inveniet. Tanta itaque investiganti
semper materia suggeritur, ut reliquorum[i] ignoratio involvat i
priorum scientiam. Unde & sapientissimus Salomon[k] na- k
turas rerum difficultatesque cognoscens, & imponens mensuram sapientiæ suæ ait: *Dixi, sapiens efficiar, & ipsa lon-* Sap. 7. 17.
gius recessit à me quàm erat, & excelsa profunditas, quis Eccl. 7. 24. & 25.
inveniet eam? & iterum: *Plura enim opera Domini in abs-* D
conditis sunt; & iterum: *Quemadmodum nescis quæ sit via* Eccl. 11. 5.
spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium; &
iterum: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus* Eccl. 3. 22.
fueris; & iterum: *Quemadmodum qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimitur gloria.* Et revera nihil tam verum, nihil tam manifestum;
scriptum est enim: *Delicta quis intelligit?* Si ergo delicta Psal. 18. 13.
sua homines non intelligunt; quanto magis naturam Dei & consilia ejus minime poterunt invenire? Quod compro-
bans propheta dicit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Esai. 53. 8.

CAP. XI. In hunc ergo unum Deum Patrem omnipotentem credi- E mus, visibilium & invisibilium conditorem, cujus judicia
atque consilia occulta sunt, iniqua autem numquam. Qui 1. Cor. 1. 24.
tamen Pater sine ullo sibi patre Pater est: & idcirco Filius de hoc genitus, cujus generationem humanus sermo edicere non valet, inferior ab eo esse non potest; quia, ut dictum est, verbum, virtus & sapientia ejus est. Deum
ergo [l] Dominum fatemur, Deum Filium Dei Patris altissi- l
mi, unici unicum, & cum Patre ac Spiritu sancto unum
Deum esse confitemur; cujus licet[m] æqualitatem humanus m
sermo explicare nequeat, incarnationis tamen ejus sacrosancta ac veneranda mysteria à sancto Gabriele Archange-
lo sanctam virginem Mariam, [n] quæ verbo fœta solâ con- n
F fessâ aure maritata est, alloquente cognovimus. Ait enim:
Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obum- Luc. 1. 35.
brabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Non ergo hæc generatio, qua de virgine pro salute nostra natus est, posteriorem eum facit Patri

a. Rom. edit. Et iterum idem propheta. In te Deus est, & non est alius præter te. Et alibi. Mittet eis hominem, qui salvabit eos: judicans salvabit eos . . . Per memet ipsum juravi, nisi egredietur ex ore meo justitia, & sermones mei non avertentur. Et alibi: Verbum quodcumque exierit de ore meo, non revertetur ad me vacuum, donec compleantur quæcumque volui. Est igitur Filius revera Verbum Patris, cùm vacuum reversum non fuerit, quia obsides . . . ex eatus dicit: Tu enim es Deus & nesciebamus, Deus Israel salvator. Nesciebamus, quia carne velatus. Et iterum: Non est species ei, neque gloria: & facies ejus despecta est, & non est reputata: ut scilicet humano corpore divina potentia celaretur. Et alius propheta: Et homo est, & quis cognoscit eum? Et iterum hic Deus noster, non reputabitur alius adversus eum, &: Post hoc in terris visus est, & inter homines conversatus est. Et iterum scriptum est: Homo in plaga existens, & sciens ferre &c.

b. Eadem Rom. edit. Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.

c. Eadem Rom. edit. Spiritus veritatis, qui . . . inquit, à Patre procedit propter originem. Inquit, quem mittam propter societatem unitatemque naturæ, Dei Filius.

d. Eadem Rom. edit. Ubi enim eadem operatio, ibi æqualitas.

e. Eadem Rom. edit. Propterea Dominus inquit [illegible] cùm Judæi . . . faciebat Deo: non potest Filius à se facere, quam nisi quod viderit Patrem facientem. Quod alibi clarius ostendit dicens: Ego & Pater &c.

f. Eadem Rom. edit. Quare licet nobis mysterii sanctæ & inseparabilis Trinitatis confessa sit notitia, nostra tamen est confessio. Unde sanctus Apostolus judicia Dei licet incomprehensibilia esse testetur, non tamen ea prorsus inscrutabilia & occulta decernit. Ideo non dixit: Impossibilia inveniuntur judicia Dei, aut numquam se offerunt apprehensibilia, ne spem penitus inquirentium amputare videretur. Sed ait incomprehensibilia &c.

g. Eadem Rom. edit. ut tale est, numquam potest ad plenum comprehendere.

h. Vet. cod. alia innumerabilia: Rom. edit. alia etiam altiora quoque occurrunt.

i. Rom. edit. perscrutatio oblivione involvet.

k. Eadem Rom. edit. humanas cogitationes, stellarum dispositiones & abscondita quoque cognoscens.

l. Eadem Rom. edit. Patrem Deum fatemur.

m. Eadem Rom. edit. maiestatem.

n. Eadem Rom. edit. Verbo fœtam alloquente.

sive tempore, sive potestate; quia non est temporalis genitor, ut Filio præjudicetur ex tempore, quia æternus Pater Filium genuit coæternum: nec extrinsecus natum aut factum, ut hæretici mentiuntur, sed ex propria substantia Patris generatum vera fides habet. Ex Deo ergo vero, in quo æternitas & omnipotentia perfectæ & sanctæ Trinitatis consistit, verum Filium confiteri honorificum est: & ideo sicut in Patre nos convenit credere, ita & in Filio; [a] quia hoc omnino est ille qui genitus est, quod ille qui genuit. Credimus & in Spiritum sanctum, cujus majestatem, potentiam & æqualitatem, quam cum Patre & Filio possidet, ipso donante, jam superius ostendimus, procedentem ex Patre, & communem cum Patre & Filio deitatem, operationem, ac substantiam possidentem: & distinguentes personas in proprietatibus suis; deitatem tamen sanctæ Trinitatis inseparabilem confitemur; quia quod nominibus, & personis dirimimus, hoc potestate & deitate & unitate jungimus. Ergo vocabulum sanctæ Trinitatis grande mysterium & arcanum est; & ideo quando de spiritualibus nobis sermo est, nihil de carnalibus est omnino ante oculos cordis proponendum. Sanctæ ergo & inseparabili Trinitati [b] lux invisibilis, virtus inseparabilis, substantia incomprehensibilis, vita interminabilis est, cui pax sempiterna omnis adsistit, quam nulla unquam creatura penetrat, nulla conturbat. Si quis ergo extra Patris majestatem aut Filium vocat, aut Spiritum sanctum, videtur sibi spem de semet ipso petere, id est, de simili, non de superiori natura; omne enim quod creatum est, quantum ad hoc pertinet, ex eo quod non erat, factum est, & simile sibi est. Ergo domino Christo Deus Pater [c] propria generatio est; nobis autem adoptione voluntaria: illi pater est per naturam, nobis per gratiam: illi Deus est [d] unitate mysterii, nobis autem potestate. Qui ergo aliud quam hoc tenet, & non ita credit, [e] anathema sit.

[Cap. XII. Joann. 15. 26. Sap. 1. 7.] Spiritus autem sanctus ipse est, sicut jam dictum est, qui & Patris & Filii est: ipse est, qui sicut Pater ac Filius replet orbem terræ: ipse est, qui à Filio sanctus & bonus pronuntiatus est: ipse est, qui à David propheta, sicut [f] Dominus Christus, bonus & rectus pronunciatur; ait enim: *Rectum est Verbum Domini*, hoc de Filio; & : *Eructavit cor meum Verbum bonum.* De Spiritu autem sancto: *Spiritum rectum innova in visceribus meis*; & : *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* [Luc. 11. 13. Psal. 32. 4. Psal. 44. 1. Psal. 50. 12. Psal. 142. 10.] Ipse est, qui futura tamquam præsentia prævidet; ipse est, qui nobis Christi domini nativitatem, mirabilia, persecutionem, passionem, crucem, mortem, sepulturam, resurrectionem, in cælis adscensionem, & ad judicium [g] venturum ante plurimos prænunciavit annos. Sicut ergo Pater sine principio, [h] ita & Spiritum sanctum & Filium habet sine principio coæternum, genitum ex se, non post se. Et ideo sicut Pater omnem antiquitatem temporum antecedit, æternitate consumit, longævitate superat; ita & Filium genuit tam sibi in virtute, quàm in hac, quam diximus, æqualitate consortem: sed hæc virtus, hæc sapientia, hoc Verbum, quod Filius est, ut verbis utar Apostoli, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo: sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* [Philip. 2. 6. & seq.] Ob hoc ergo mysterium Filius Dei [i] Christus vocatur; quod tamen nativitatem ejus secundum carnem, passionem, mortemque significat: sed ista mirabilis & singularis nativitas, qua [k] Christus genitus est, de Spiritu & sancto & Maria virgine facta est, sicut fides [l] sancti symboli testatur. Hic ergo unicus in divinitate Filius Dei, etiam in nativitate carnali per quam hominem nostrum, ut salvaret, adsumsit, unicus invenitur; solus est enim natus ex Virgine, quæ nec prægnationem de viro, nec corruptionem sensit ex partu. De sancto ergo Spiritu & Maria virgine secundum carnem eum natum fatemur; sic etenim & beatæ Mariæ virgini futurum, ut jam dictum est, Gabriel Archangelus promiserat dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; & ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* [Luc. 1. 35.] Qui Filius [m] Dei pro nostra salute sub Pontio Pilato crucifixus est, ac sepultus. Vera ergo caro ex Virgine suscepta, vera crucifixa, vera sepulta, vera est post tertiam diem resuscitata. Ad viscera igitur sacræ Virginis [n] & suscipiendi inde carnem, & formandi illic hominem Spiritus sanctus opifex & sanctificator accessit; ut conjunctione Verbi & hominis à prima informatione perfecte Christus mediator Dei & hominum nasceretur, sine fraude humanitatis, sine corruptione deitatis exoriens: obiturus morte, quia creatus; superaturus autem mortis vincula, quasi creator. Non ergo inter Verbum & adsumtum ab eo hominem [o] aliqua separatio dicenda est, quia ex duabus naturis, id est, divina & humana mystica ratione compositis unum Christum Dei Filium confitemur.

[Caput XIII.] Credere ergo nobis hæc, non discutere licet: humiliter quærere, [p] non superbe inquirere. Verbum ergo & substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, inseri in corpore humano non poterat, nisi aliqua spirituali natura mediante, id est, anima. Anima ergo [q] in secreta rationabili arte Verbum Dei capiente, absque ulla contagione vitii, Deus natus ex Virgine est. [r] Sicut ergo participatione sui Filius Dei præbens omnibus exemplum, juxta id quod Dei Verbum est atque sapientia, non minuitur communione participii; [Matth. 26. 38. Psal. 44. 8.] ita sancta Jesu anima, quæ propter nostra peccata & tristis fuit, & conturbata est, nihil exinde contraxit. Hæc est, quam dilexit Deus præ participibus suis: [Ambr. in Luc. lib. 10. n. 17.] hæc vita nostra, de qua Apostolus ait: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: [Coloss. 3. 3. Psal. 44. 8.] hæc est, quæ dilexit justitiam, & odivit iniquitatem: hæc tristis non pro morte, sed usque ad mortem fuit: [Matth. 26. 38.] hæc in cruce non pro se, sed pro nobis turbata est: non virtus, non sapientia, non Verbum Dei, [s] qui eam pro nostrarum animarum salute adsumsit, & omni virtutum ac sanctitatis decore adornans, in consortium deitatis perduxit. De hac ergo, quæ per omnia nostrarum animarum similis est, Salvator ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*; & : *Nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à me ipso, & iterum sumo eam.* [Johan. 10. 18. Ibidem.] Hæc est beata anima, quæ in cruce ad divinitatem clamavit dicens: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* [Matth. 27. 46.] Clamavit ergo homo divinitatis separatione moriturus: nam cùm divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita divinitas est; numquam enim patitur vel mortem, vel corruptionem, quod immortale semper & incorruptum est. Deus ergo qui Verbum & Spiritus est, qui *ubi vult inspirat*, carnem seu animam susceptam non deseruit invitus: [Johan. 3. 8.] sed quia voluit, ubi voluit, quomodo voluit, & quando voluit, relinquens posuit eam, & iterum adsumsit eam. Non ergo cujusquam jure ac potestate exutus est carne, sed ipse se exuit; nam qui potest non mori, si nollet, proculdubio, quia voluit, mortuus est. Quod ita esse comprobans Apostolus, ait: *Spolians se carne, principatus & potestates exspoliavit, triumphans illos in semet ipso*, [Coloss. 2. 15.] per mortem scilicet hominis suscepti; ut, sicut idem dicit beatus Apostolus, *per mortem hominis suscepti destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, id est, diabolum, & liberaret eos, qui per totam vitam obnoxii erant servituti. [Hebr. 2. 14.] Quod ita futurum multo ante Esaias propheta prædixerat dicens: *Sicut ovis ad occisionem ducitur, & sicut agnus coram tondente se* [t] *obmutuit*; [Esai. 53. 7.] & iterum: *Oblatus est, quia ipse voluit, ad multorum exhaurienda peccata*; & iterum: *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus ipse rogavit.* [Ibidem 12.] Non

a. Rom. edit. *quia sicut hic omnino est, qui genitus est, ita ille qui omnino genuit.*
b. Eadem Rom. edit. *lux inaccessibilis, virtus inseparabilis.*
c. Eadem Rom. edit. *propria generatione pater est.*
d. Eadem Rom. edit. *unitate substantiæ, nobis autem munere & potestate.*
e. Rom. edit. *A[illegible] sancta catholica & apostolica Ecclesia pronuntiat.*
f. Eadem Rom. edit. *Spiritus ut principalis & rectus vocatur.*
g. Eadem Rom. edit. *vivorum & mortuorum adventurum.*
h. Eadem Rom. edit. *Filium habet sine principio, coæternum, genitum ex se, non post se; ita & Spiritum sanctum Patri & Filio coæqualem.*
i. Eadem Rom. edit. *Christus homo vocatur.*
k. Eadem Rom. edit. *Christus homo natus est.*
l. Eadem Rom. edit. *sancti hujus Symboli.*
m. Eadem Rom. edit. *Dei & virginis homo Christus Jesus.*
n. Eadem Rom. edit. *pro suscipienda inde carne, & formando homine.*
o. Eadem Rom. edit. *aliquam personarum separationem ponamus: sed ex duabus . . . naturis, unum Christum Deum & hominem Dei Filium in unitate personæ confitemur.*
p. Eadem Rom. edit. *non superbe sapere.*
q. Eadem Rom. edit. *rationabili mediante. Verbum Dei opifice Spiritu s[illegible] autem adsumptus est qui absque vitio &c.*
r. Eadem Rom. edit. *Sicuti ergo Deus præbens hominibus sui participationem . . . nihil amisit.*
s. Eadem Rom. edit. *Hanc pro totius humani generis salute in unitate suppositi adsumpsit.*
t. Eadem Rom. edit. *mutus, sic non aperuit os suum.*

ergo necessitate crucem Christus dominus, sed voluntate sustinuit, dicens ad Petrum, qui timoris fragilitate ad crucis mysterium scandalizabatur & humano pavore trepidabat: (Matth. 16. 23.) *Vade retro satanas, scandalum mihi es; quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* (Johan. 18. 11.) *Calicem enim quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Alioquin si non propria voluntate oblatus esset, & crucem sustinere voluisset, qui indicare & prædicere poterat proditorem, & apostolis dicebat: (Matth. 26. 31.) *Omnes vos in hac nocte scandalum mei sustinebitis?* Poterat eos qui ad eum comprehendendum missi erant, declinare: quibus intrepidus occurrit & dixit: (Johan. 18. 4.) *Quem quæritis?* Qui statim [a] ceciderunt retrorsum; quia vocem præsentis Dei ferre non poterant. Non ergo necessitatis fuit ut pateretur, sed voluntatis; non tam suæ, sed & Patris, cui dicit: (Psal. 39. 9.) *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* [b] (Johan. 6. 38.) Per veram ergo carnem immortalis mediatoris Dei & hominum nos mortales redemti, vivificati, salvati atque liberati sumus à laqueis & captivitate diaboli, super quem nobis potestatem dedit dicens: (Luc. 10. 19.) *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* [c] Omnis ergo humilitatis ac mysterii incarnatio ob hoc facta est, ut nos potestatem super diabolum acciperemus; [d] qui se facturam per superbiam cognoscens, in tantam dementiam decidit, ut æqualem se facere voluerit altissimo creatori, dicens: (Esai. 14. 14.) *Ponam thronum meum ad aquilonem, & similis ero Altissimo.* Quod ita esse comprobat Apostolus dicens: (Rom. 8. 3.) *Nam quod impossibile erat Legis, in quo infirmabatur, per carnem* [e] *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato,* id est, primi hominis, (Coloss. 2. 15.) *damnavit peccatum* [f] *in carne; ut sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo,* (1. Cor. 15. 22.) qui nobis per passionem crucis de latere suo lavacrum & potum martyrio dedicavit, *omnes vivificarentur.*

CAPUT XIV.

Ob hoc ergo nos convenit diligentius intueri, quis offerat, cui offerat, [g] quid offerat, & pro quibus offerat is, qui nobis via, veritas, & porta effectus est; de qua porta Spiritus sanctus per Prophetam ait: (Psal. 117. 20.) *Hæc porta Domini, justi introibunt per eam;* & iterum: (Psal. 126. 5.) *Non confundetur, dum loquetur inimicis suis in porta.* Sed ad istam portam non venient, nisi hi qui meruerint per Dei gratiam & adjutorium de portis mortis exaltari, hoc est, peccatis. Ejus ergo supplicia, cui credo, constanti professione commemoro, nec me pudet eorum, quæ Redemtor mundi & pro mea salute suscepit, & pro sua virtute superavit. Rideas licet, Judæe atque gentilis, quod in eo spem meam locem, quem crucifixum mortuumque profiteat; ego tamen in his vulneribus glorior, per quæ me placere Redemtori meo, quod tu ignoras, intelligo: (1. Cor. 1. 18. & 21.) *Verbum enim crucis,* ut ait Apostolus, *pereuntibus stultitia est, salvis autem futuris virtus Dei est.* Ecce Pilati judicis facio mentionem, à quo judicatus est, qui est mundi judex futurus. [h] Quid autem dignitatem fidei meæ mordeant pœnæ illius beati corporis, quas celer resurrectio consequuta destruxit? Neque enim hic finis fidei meæ confessionisque est: sed quid sequatur accipito. (Act. 10. 41.) Tertia die resurrexit à mortuis, adscendit in cælos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos & mortuos, id est, & justos & peccatores, (Matth. 16. 18.) & Gentiles & Judæos, seu animas & corpora. Videturne tibi jam stabilis esse, [i] atque felix nostra credulitas, quæ ei innititur, cui nec ipsa mors obviare ac resistere [k] poterit?

CAP. XV.

Denique numquam magis quantâ clementiâ & patientiâ Redemtor noster abundaret, apparuit; quam cùm mysterii hujus aggressus officium est, ut suscipiendo scilicet nostram substantiam, & patibuli & tumuli jura susciperet. Nostris ergo prosperis adversa ejus impensa sunt, & divina atque humana [l] in nostro Redemtore natura quoddam inter se sacrum iniere commercium; ut testimonium ab humanitate divinitas, præmium à divinitate ferret humanitas, hoc est, ut vulneribus corporis Deus noster magnitudinem erga nos sui amoris ostenderet, & consortio divinitatis [m] repensari sibi obedientiæ gratiam, & animus nosset & corpus agnosceret. Qua igitur fide, quave devotione huic Domino tantorum in nos donorum munifico adhærere ac servire debeamus, intuendum est; [n] qui ita nullum largiendi modum habuit, ut tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse possidebat in regno: etiam ut crederemus nos ejus fieri posse cohæredes, etiam naturæ nostræ consors esse delegit; non tamen ut substantiam à divinitatis arce detruderet, sed ut nos infimos, & in extrema mortis vilitate ac necessitate [o] degentes ad gloriam resurrectionis adtraheret. Quia ergo in se, quidquid nobis pollicebatur, ostendit; & non perire carnis istius substantiam resurgendo perdocuit: & ubi ei post resurrectionem futura esset habitatio, adscensione monstravit. Hoc est ergo magnum, & prorsus [p] magnum pietatis sacramentum, (1. Tim. 3. 16.) quod in carne manifestatum esse, ut rerum proventus, ita gentium Doctor adnuntiavit. Justificatum autem claret in Spiritu; quoniam (1. Tim. 2. 5.) *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* non solùm [q] sperandæ nobis felicitatis, sed etiam capessendæ præbuit [r] veritatis exemplum. Quod sane sacramentum pietatis, per quod nos conditor noster ac redemtor amplectitur, sicut testimonio virtutis resplenduit, ita etiam in adscensione adsumtum in gloria, celebratum est obsequiis Angelorum; & ideo non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in sanctæ Trinitatis substantiam atque consortium per dominum Christum ingredi meruit. Puto sane quod, Deo donante, de mysterio sanctæ Trinitatis, & incarnatione domini Salvatoris satis dictum sit: verum quoniam [s] in fine dogmatis nostri carnis nostræ ponitur resurrectio; eadem à nobis sunt firmius propter hæreticos ac sæpius repetenda.

CAPUT XVI.

Verbum enim Dei, quod dominus Christus est, qui est primogenitus omnis creaturæ, & qui est primogenitus ex mortuis, ad imaginem suam, quam prius ipse condiderat, venit; de qua imagine scriptum est: (Gen. 1. 27.) *Et plasmavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam;* & carnem propter carnem, mediante anima rationabili, ex sancta virgine Maria suscipiens, & similia, id est, animam & carnem per similia purificans, factus est per omnia homo absque peccato. Mediante ergo anima Deo & carni, hic, qui omnes, sicut ait Apostolus, divites faciens, pauper effectus est, (2. Cor. 8. 9.) ut illius inopia nos divinis atque cælestibus divitiis ditaremur; per signum illud salutis, quod Deus generi dedit humano, dicente Esaia propheta: (Esai. 7. 14. & seq.) *Ecce Dominus dabit vobis signum, ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus* [t] *Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus:* qui antequam sciret vocare patrem aut matrem suam, butyrum & mel manducavit, id est, Spiritu sancto repletus est, cujus doctrina nobis dulcior super mel & favum est: qui spolia Samariæ à Magis accipiens, homo, rex, & Deus comprobatus est. De hoc etiam mirabili signo sanctus Simeon ad Mariam virginem dicit: (Luc. 2. 34.) *Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* De quo signo & beatus apostolus Paulus ait: (1. Cor. 1. 22.) *Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.* Pro imagine ergo sua Christus, quam in primo condiderat homine, quam viderat in homine diaboli arte fucatam, venit in similitudinem [u] peccati; ut hominem [x] per passionem crucis & mortem ad pristinam revocaret imaginem: (Rom. 8. 3.) quæ imago per incuriam quidem obscurari potest, deleri autem per naturam non potest. De hac imagine ait Propheta: (Psal. 38. 7.) *Quamquam in imagine Dei perambulet homo, tamen vane conturbabitur.* Nullus ergo est, qui non aliquam imaginem habeat, id est, aut sanctitatis aut pec-

a. Rom. edit. *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*
b. Eadem Rom. edit. *Et alibi: Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.*
c. Eadem Rom. edit. *Tanta ergo humilitatis & ineffabilis hujus &c.*
d. Eadem Rom. edit. *qui superbiæ typho se facturam non cognoscens, creatori æqualem se facere voluerat, dicens: Adscendam super nubes.*
e. Eadem Rom. edit. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne; hoc est, satanam in carne Salvatoris, sicut & in alia epistola ait: Detriumphans.*
f. Eadem Rom. edit. *illos in semet ipso, ut sicut alibi dicit Apostolus: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificarentur.*
g. Eadem Rom. edit. *quod offerat, is qui offert, nobis via &c.*
h. Eadem Rom. edit. *nec est quod dignitatem fidei meæ minuant.*
i. Eadem Rom. edit. *atque firma.*
k. Eadem Rom. edit. *poterit? Et portæ, inquit, inferi non prævalebunt adversum eam.*
l. Eadem Rom. edit. *natura in redemtoris nostri persona.*
m. Vat. cod. *recompensari sibi obedientiæ gratia.*
n. Eadem Rom. edit. *qui nedum largiendi nullum modum habuit, sed immo adeo mensuram excessit.*
o. Eadem Rom. edit. *jacentes .... extolleret.*
p. Eadem Rom. edit. *omnium confessione magnum, pietatis mysterii sacramentum. Nam declaratum est in carne, ut rerum declaravit eventus, quod in mysterio latebat.*
q. Eadem Rom. edit. *sperandæ, sed etiam capessendæ præbuit in se nobis felicitatis exemplum. Sicut enim operibus & virtute testimonia veritatis in nativitate carnis qualis esset resplenduit.*
r. Vat. cod. *unitatis exemplum.*
s. Idem cod. *in fide dogmatis nostri.*
t. Rom. edit. *Emmanuel: qui antequam sciat vocare patrem aut matrem accipiet fortitudinem Damasci; & butyrum & mel manducabit.*
u. Eadem Rom. edit. *carnis peccati.*
x. Eadem Rom. edit. *per lignum prævaricationis morte damnatum, per passionem &c.*

cati. In imaginem Dei ambulamus, quando cogitationes A bonæ, quæ nobis à Deo insitæ sunt, in nobis permanent, & ad opera nos bona perducunt. [a] Memoria ergo Dei excludit à corde nostro cuncta flagitia atque peccata, quæ diabolus nititur in corde nostro seminare atque depingere. [Psal. 72. 20.] Unde dicitur à Propheta: *Domine in civitate tua imagines eorum ad nihilum rediges.* Nihil ergo prodest legisse vel audisse, nisi ea quæ aut legeris, aut audieris bona, in memoriæ thesauro reposueris. Sicut ergo tria sunt in homine, id est, corpus, anima, & spiritus; sic tria sunt eminentiora, quæ nos aut ad bona aut ad mala perducunt, hoc est, aut cogitatio, aut locutio, aut operatio. Quæ tria breviter Spiritus sanctus in primo psalmo comprehendit di- B cens: [Psal. 1. 1.] *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Isti sunt [b] terni stratores diaboli, qui misere insidiantur animæ; ut aut in dicto, aut in facto, aut in cogitatu eam incitent ad peccatum. Spiritu ergo, anima, & corpore aut bene agimus, aut male; aut casti sumus, aut fornicamur: & ideo sicut avari atque captores servi sunt mammonæ; & sicut gluttones & ebriosi servi sunt ventris atque libidinis; sic omne peccatum dominatur hominibus, probante hoc propheta ac dicente; [Esai 19. 18.] *Erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan*, hoc est, quinque sensus carnales, qui miseræ animæ tene- C bris Ægypti oppressæ loquuntur; Ægyptus enim persequens sive tribulans atque coartans interpretatur. Nisi ergo aquilonem frigidissimum ventum calore fidei, Christo nos juvante, qui bona & docet & [c] delectatur, vicerimus; statim nobis calorem concupiscentiæ atque libidinis suscitabit. Attenuetur ergo jejuniis caro, & [d] circumcidatur omni [Rom. 6. 12.] concupiscentiæ cultro, nec regnet peccatum in nostro mortali corpore; ut effugere consortia mundi & opprobria diaboli possimus. Jejunium ergo, contritio atque humiliatio animæ est: afflictio autem corporis.

CAPUT XVII.

Hæc de imagine Dei, ad quam factus est homo, dicta sufficiant. Nunc autem ad ordinem revertamur. Ex matre D ergo virgine natus est inter homines, sine homine patre; quia patrem Deum habebat in cælis, quem negare non venerat, ut ex alio nasceretur. [Gen. 3. 16.] Propter sententiam ergo Evæ virginis, quam post peccatum excepit, quæ cùm immortalis esset, post transgressionem effecta mortalis est, ipse per Virginem venit; & sicut per virginem mors dominata est; ita per Mariam virginem venit ille, qui mortem vinceret. Occasio mortis ingressa per lignum est, sed morte Domini per lignum exclusa est: [Gen. 2. 22.] mulier de latere viri dormientis producta est; similiter autem & Ecclesia de latere Christi in cruce per passionem & soporem mortis formata est. Ex latere viri formata est femina; & ideo in late- E re percutitur Dominus, ut pro muliere vir patiatur, ex cujus latere formata est, quæ eum [e] suasit. Sed videamus, quia locus expetit, jam quid hæreticis respondendum sit, qui animam Adæ aut portionem Dei esse volunt, aut ante eum factam, quàm ejus corpus de terra fingeretur: quod prorsus alienum à fide catholica, & extraneum est. Scriptum namque est quia [Gen. 2. 7. Sap. 15. 11.] *plasmavit Deus hominem [f] de limo terræ, & post plasmationem insufflavit in eo spiritum vitæ; & factus est homo in animam viventem.* Quod ita esse Evæ mulieris nos edocet exemplum, quæ cùm de costa Adæ in mulierem formata esset, postea animam à Deo accepit; quæ creationis forma usque ad finem mundi in nobis servatur, F [g] sicut Esaias propheta testatur dicens: *Qui format spiritum hominis in eo*; & David: [Psal. 32. 15.] *Qui finxit singillatim corda eorum.* Ergo secundùm [h] tam evidens exemplum, nec prior est anima corpore, nec antea condita, nec ex Dei substantia, nec in corporeis atque irrationabilibus creaturis, ut hæretici volunt, multo ante jam tempore nescio ubi fuisse conversata, quod unde probent, non habent.

CAPUT XVIII.

Quotidie ergo Deus majestatis in plasmatis jam corporibus animas facit, [i] & immittit, sicut Moyses legislator [Exod. 21. 22. & 23.] de mulieribus prægnantibus testatur: quæ formatum, aut nec dum formatum infantem habent. Quod ita esse comprobat Dominus dicens: [Joh. 5. 17.] *Pater meus usque modo operatur, & ego [k] operor.* Sicut ergo impium est animam hominis de substantia Dei, vel animam ex anima dici: ita impium est dicere quod ante plasmationem corporis facta sit; cùm ipse Adam proclamet, dicens: [Gen. 2. 23.] *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Aliud ergo est Deus, aliud anima hominis; quia ab eo, non de eo facta est. Deus enim [l] invisibilis est, incorruptibilis, impenetrabilis, incoinquinabilis, qui nulla ex parte corrumpi potest, & cui nulla ex parte noceri potest: anima autem hominis, quæ Deus non est, peccati capax est, & in ærumna versatur, & in falsitatem ducitur, tentatur, cæcatur, conturbatur, [m] corrumpitur, captivatur; & ideo virtute indiget liberatoris. Hæc ergo mutatio animæ, hæc varietas ostendit mihi manifeste, quod anima hominis nec Deus, nec de ejus substantia sit; nam si anima hominis substantia Dei est, secundum illos qui hoc dicunt, contristatur substantia Dei, decipitur substantia Dei, cæcatur substantia Dei, [n] corrumpitur substantia Dei, captivatur substantia Dei; & modo judicatur, & in die judicii carne suscepta cum diabolo in æterno igne [o] damnabitur: quod quam sit impium, qui sanum sapit, intelligit. Clamat ipse Dominus apostolos suos confortans, ac dicit: [Matth. 10. 28.] *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Numquid secundum istos vesanos, ut jam dictum est, portionem aut naturam suam Deus judicabit? Absit. Et ideo in ipsis corporibus, quibus nati sumus, [p] & ex quibus animæ nostræ egressæ mortui sumus, in ipsis post resurrectionem animæ nostræ, Deo jubente, introeunt; & resurgunt, si bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ad gloriam regni cælorum percipiendam: si autem mala egerunt, in resurrectionem judicii & opprobrium & confusionem sempiternam. Quod ita futurum comprobat beatus Apostolus dicens: [2. Cor. 5. 10.] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Tunc enim secundùm vaticinium Esaiæ prophetæ, [Esai. 24. 2.] nulla erit diversitas inter nobilem & ignobilem, [q] sacerdotem & laicum, servum & dominum, ancillam & dominam ejus, divitem & pauperem, [r] fœneratorem & eum qui ære premitur alieno, inter ementem & vendentem. [r: Ita Hieron. in comm. ad. Esai.] Omnes ergo ex æquo stabunt ante tribunal Christi, nec erit personarum acceptio apud Deum. Quod & sanctus Job iisdem propemodum verbis annuntiat dicens: [Job. 3. 19.] *Parvus & magnus ibi sunt, & servus est liber à Domino suo.* Et Salvator in Evangelio, cui omne judicium propter gloriosam passionem hominis suscepti traditum est, pleno sermone testatur dicens: [Matth. 25. 31.] *Cùm enim venerit Filius hominis cum Angelis sanctis in majestate Patris sui, tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Hæc omnia ergo futura sunt; quia quod futurum est, per prophetas Dominus est loquutus, qui dicit: [Osee 12. 10.] *Ego visiones multiplicavi, & in manu prophetarum adsimilatus sum.*

CAPUT XIX.

Ad quod incarnationis [s] secretum supra scriptus propheta miratur, ac dicit: [Esai. 21. 11. Esai. 24. 16.] *O custos quid de nocte, custos quid de nocte? Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* [t] *Væ mihi.* Cùm, inquit propheta, *hæc audissem*; quod videlicet Deus majestatis carnem esset induturus, & vaticinium in eum explendum esse prospicerem: loquutus sum mihi interno cordis affectu; quia non possum cuncta narrare, quæ cerno: hæret lingua faucibus meis, vox dolore ac pavore concluditur; quod tanta mysteria ante oculos versantur meos. Video enim præsentia, quæ futura sunt: intelligo quod custos Samaritanus [u] ille est ejus, qui de Hierusalem descendens in Hiericho, incidit in latrones. [Luc. 10. 33.] Iste est custos,

a. Rom. edit. *Imago namque Dei excludit* &c.
b. Eadem Rom. edit. *sternistratores*, emenda è vat. cod. *ternal stratores*. Est autem *strator*, is qui principis equum insternit, & conscendenti adstat. Diabolo autem incommodius Reg. cod. ternos *stratores* tribuit; siquidem *stratores* dicuntur, qui & lictores apparitoresque, à quibus scilicet quispiam sistitur apud judicem.
c. Eadem Rom. edit. *melioribus delectatur.*
d. Eadem Rom. edit. *spirituali circumcidatur omnis concupiscentiæ cultro.*
e. Eadem Rom. edit. *suasit ad transgressionem.*
f. Eadem Rom. edit. *pulverem accipiens de terra.*
g. Eadem Rom. edit. *sicut scriptura impium redarguit: Quoniam ignoravit qui finxit se, & qui inspiravit illi animam quæ operatur, qui insufflavit spiritum vitalem. Et David* &c.
h. Eadem Rom. edit. *juxta testimonia veritatis tam evidentia.*
i. Eadem Rom. edit. *Et infundit. Unde Moyses legislator damnat percutientes mulierem in ventre habentem, dicens: Si autem fuerit figuratum dabit animam pro anima, oculum pro oculo.*
k. Eadem Rom. edit. *operor. Non semel ergo inspiravit in faciem hominis spiraculum vitæ, sed quotidie inspirat.*
l. Eadem Rom. edit. *impeccabilis est & infallibilis, impassibilis & incoinquinabilis.*
m. Eadem Rom. edit. *decit, corrumpitur.*
n. Eadem Rom. edit. *patitur substantia Dei.*
o. Eadem Rom. edit. *poterit damnata.*
p. Eadem Rom. edit. *Et quibus animæ nostræ, Deo jubente, intrant, resurgent, si bona* &c.
q. Eadem Rom. edit. *sacerdotem & populum.*
r. Eadem Rom. edit. *fœneratorem & fœnus accipientem.*
s. Eadem Rom. edit. *sacramentum se cernens ibi propheta.*
t. Eadem Rom. edit. *quasi diceret: cùm propheta hæc audirem quod videlicet* &c.
u. Eadem Rom. edit. *ille est, qui hominis illius curam egit, qui* &c.

[Job 7. 20.] cui beatus Job dixit : *O custos hominum , quare posuisti me* [a] *contrarium tibi , & factus sum mihimet ipsi gravis ? Cur non tollis peccatum meum , & quare non aufers iniquitatem meam ?* Iste est custos qui dicit : [b] [Isa. 21. 8.] *Super custodiam meam ego sum jugiter, tot diebus & noctibus stans* ; & de quo Propheta dicit : [Psal. 120. 4.] *Ecce non dormitabit , neque obdormiet , qui custodit Israel.* Propter hæc ergo vocabula prophetæ , & quia commutantur sæpius personæ in eis plurimæ ac parabolæ obscuri sunt. Sed nunc jam ad ordinem revertamur.

CAP. XX.

Solent igitur nobis hæretici , qui carnis negant resurrectionem , illud beati Apostoli testimonium opponere , quo dicit : [1 Cor. 15. 50.] *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt* ; reticentes illud callide, quod sequitur. Cùm enim dixisset : B *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt* , sequitur ac dicit : [Ibidem.] *Nec corruptio incorruptelam possidebit.* Hæc ergo dicta sunt , non quo dispereat natura corporum sanctorum nostrorum , sed quo corruptivum hoc induat incorruptionem , sicut idem comprobat Apostolus dicens : [Ibidem 42. & seq.] *Sic & resurrectio mortuorum ; seminatur in corruptione , surget in incorruptione : seminatur in ignobilitate , surget in gloria : seminatur in infirmitate , surget in virtute : seminatur corpus animale , surget corpus spiritale.* Isti sunt enim quatuor ordines resurrectionis , qui in virga illa sacerdotali , quæ in tabernaculo Domini [Num. 17. 8.] floruit , præfigurabantur. Sic ergo accipiendum est : [Levit. 26. 19.] *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt* , quomodo illud , quod C comminatur Deus populo peccatori , dicens : *Ponam cælum , quod super vos est , æneum ; & terram , quam calcatis , ferream* : non quod elementorum natura mutetur , sed quod per æs & ferrum pœnarum magnitudo monstretur. Veram ergo resurrectionem futuram in semet ipso nobis dominus [Luc. 24. 40.] Christus manifestavit , qui post tertiæ diei resurrectionem typos clavorum & lanceæ vulnus discipulis dubitantibus demonstravit.

CAPUT XXI.

Non ergo contemnamus carnem nostram male & luxuriose vivendo , in qua dominus Christus & natus & passus est , & resurrexit : non despiciamus lutum carnis nostræ , quod in domini Christi deitatem , quæ ignis est , excoctum D in cestam purissimam regnat in cælis. Quærendum sane est , cur Apostolus dixerit : [Hebr. 12. 29.] *Etenim Deus noster ignis consumens est* : Deus enim noster , qui ignis vivus , divinus & æternus est , non istas materias corporales , sed conscientias peccatorum consumit , & in sui caritate corda nostra succendit. Et ideo Angeli , qui pleni sunt caritate , & ipsi ignis ap- [Psal. 103. 4.] pellantur. Sed & sancti quique , qui illo igne accensi sunt , de quo Dominus ait : [Luc. 12. 49.] *Ignem veni mittere in terram* , [c] *& quàm volo ut accendatur !* & iterum : [Ibidem 35.] *Sint lumbi vestri præcincti , & lucernæ ardentes in manibus vestris.* De quo & [Rom. 12. 11.] Apostolus ait : *Spiritu ferventes , Domino servientes.* Ergo divinus sermo ignitus est & fervens. Quod ipse Dominus comprobat dicens ad Hieremiam prophetam : [Hier. 5. 14.] E *Ecce dedi verba mea in ore tuo sicut ignem* : quem ignem intra se ipse propheta exæstuantem declarat dicens : [d] [Ibid. 20. 9.] *Factumque est in corde meo quasi ignis exæstuans.* Quod ergo dictum est : *Deus noster ignis consumens est* , ita dictum est , non quo Deus qui spiritus est , ignis sit ; sed quo justos illuminet , sustinentibus vero pœnam ignis esse videatur. Hæc de eo quod dictum est : *Deus noster ignis consumens est.* Nunc ad ordinem revertamur.

CAPUT XXII.

Quomodo ergo resurrectio carnis negatur , cùm multo ante per prophetam ex persona sua dominus Christus dixerit : [Psal. 15. 9.] *Caro mea requiescit in spe* ; & in alio loco : [Act. 2. 31.] *Caro ejus non videbit corruptionem* ; & iterum : [e] F *Sepultura ejus sublata est* ; & iterum : *Et videbit omnis caro salutare Dei* ; & iterum : [Esai. 66. 23.] *Veniet omnis caro , f qua adoratura est in conspectu Domini* , id est , aut in Hierusalem cælesti ; aut in omni [1 Tim. 2. 8.] loco , ubi corruerit , aut sepulta fuerit , secundùm illud Apostoli : *Volo viros orare in omni loco , levantes manus mundas* ; si enim sol , qui creatura est , cui præcipitur ut oriatur , in omni orbe terrarum videtur , ac radios suos extendit ; quanto magis creator & omnipotens Deus [g] in A omni credendus est consistere loco ? Cui Propheta dicit : [Psal. 138. 7. & 8.] *Quo ibo à facie tua ? Si descendero in infernum , ades* ; & cetera. Si ergo omnis caro adoratura est Dominum , & è contrario cadavera virorum , qui prævaricati sunt in Deum , æternis tradentur ardoribus ; in utramque partem vera carnis erit resurrectio. Et ideo nec ad dexteram , nec ad sinistram ab hac sancta & catholica fide declinandum nobis est , id est , ut nec judaicum , nec hæreticum errorem sequamur ; quorum alii qui carnales sunt , solas diligunt carnes : alii ingrati beneficiorum Dei habere detrectant , quod dominus Jesus Christus & natus habuit , & resurgens possidet in æternum. Hæc est enim vera resurrectio , quæ sic gloriam carni tribuit , ut non auferat veritatem , sicut jam dictum est , dicit Apostolus : [1 Cor. 15. 53.] *Corruptibile hoc induet incorruptionem , & mortale hoc induet immortalitatem* ; & iterum : [2 Cor. 5. 4.] *Nolumus igitur spoliari* , subaudi carne : *sed superindui cupientes gloriam* , [h] *quæ de cælo est* ; & iterum : [Ibidem 3.] *Ut vestiti & non nudi inveniamur , ut devoretur , quod mortale est , à vita.* Nemo ergo superinduitur , nisi qui ante vestitus est ; sicut & Dominus noster , qui in monte transfiguratus est in gloriam , tunc quando Moysen & Eliam ad testimonium exhibuit [Matth. 17. 3.] suum ; cujus non solum vestimenta , sed & facies fulgebat ut sol ; ubi autem facies nominatur , æstimo quod & cetera membra conspecta sint.

CAPUT XXIII.

C Ad hanc igitur clarificationem justi omnes in resurrectione transformabuntur , probante hoc Johanne Evangelista ac dicente : [1 Johan. 3. 2.] *Carissimi , filii Dei sumus , & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit , similes ei erimus.* Et justus dicit : [Psal. 16. 15.] *Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo ; satiabor , dum manifestabitur mihi gloria tua.* Resurgent ergo corpora nostra in æternum aut ad gloriam aut pœnam mansura. Cujus testes sunt Elias & Henoc , [Dan. 12. 2.] qui per tot series annorum ita usque ad secundum adventum domini Christi permanent. Quod ita esse comprobat beatus Job dicens : [i] [Job. 19. 25. & seq.] *Scio quia Redemtor meus vivit , & in novissimo die de terra surrecturus sum : & rursus circumdabor pelle mea , & in carne mea videbo Deum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* D Erubescant ergo hæretici , qui aerium aut phantasticum corpus aut Domini fuisse , aut nostrum futurum esse , aut metempsychosin mentiuntur.

CAPUT XXIV.

Satis re vera impium est & injustum , ut Job , qui ocu- [Job 7. 5.] lis suis vulnera conspexit sua , & putredines ac vermes corporis sui manibus palpavit suis , in aliam dicatur aut carnem aut animam resurgere. Quod ergo de beato Job diximus , hoc de Petro , hoc de Paulo , & de omnibus sanctis , qui diversis pro Deo tormentis animas posuerunt. Quæritur sane illusorie à nobis ab hæreticis , utrum in resurrectione diversitas sexus sit , id est , [k] & feminæ cum viris resurgant , [l] ignorantes cæci sententiam Domini di- [Luc. 11. 31.] E centis : *Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus , & condemnabit eos.* [m] Ubi ergo vera caro , ibi diversitas sexus est ; & ubi diversitas sexus , ibi Johannes Johannes est , & Maria Maria est. Vera ergo carnis resurrectio sine operibus carnis erit ; quia sicut veritas ait : [Matth. 22. 30.] *Neque nubent , neque uxores accipient , sed erunt sicut Angeli in cælo.* Similitudo ergo nobis angelica promittitur , non substantia carnis negatur ; quando enim dicitur : *Neque nubent , neque nubentur* ; de his dicitur , qui possunt nubere , & tamen non nubent. Si enim hic in ista [n] vita , quæ tentatio est super terram , multi propter regnum cælorum semet ipsos castrantes , non nubunt ; & non solum viri , sed etiam F feminæ , hoc , Christo juvante , faciunt : [o] quanto magis hoc in illa beata vita non dicamus fieri , sed nec cogitare licebit ? Catholicum ergo & rectum est utrumque sexum in carnis resurrectione sine sexus operibus confiteri : cùm , ut jam dictum est , adhuc in hac vita positi nitamur cum Dei adjutorio opera carnis , quæ contra spiritum concupiscit , non implere ; probante hoc Apostolo , ac dicente : [Rom. 8. 9.] *Vos in carne non estis , sed in spiritu* ; [p] negando enim eos in carne , quos in carne esse constabat , non carnis substantiam , sed

a. Rom. edit. *contrarium tuum ? Sum autem in te unus ? Et cur non fecisti iniquitatis meæ oblivionem , & purificationem peccati mei ?*
b. Eadem Rom. edit. *stans per totum diem , & super castra stetit tota nocte.*
c. Eadem Rom. edit. *& quod volo , nisi ut accendatur ?*
d. Eadem Rom. edit. *factum est , inquit , quasi ignis ardens , tumbuens in ossibus meis.*
e. Eadem Rom. edit. *Erit in pace sepultura ejus , ablata est de medio.*
f. Eadem Rom. edit. *ut adoret in conspectu meo in Hierusalem , hoc est , in cælo &c.*
g. Eadem Rom. edit. *omnem credendus est penetrare & implere locum.*
h. Eadem Rom. edit. *quæ de Deo est.*
i. Eadem Rom. edit. *Scio quod æternus est , qui solvere me debet , super terram suscitare pellem meam , quæ tolerat hæc. A Domino enim hæc mihi consecta sunt , quæ ego conscius sum , quæ oculus meus videt , & non alius , omnia autem mihi consummata sunt in sinu meo.*
k. Eadem Rom. edit. *an feminæ à viris distincta resurgant.*
l. Eadem Rom. edit. *ignorant perditi , non videntes cæci.*
m. Eadem Rom. edit. *Ergo ubi erit diversitas sexus. Nec mirum , quia ubi vera caro , ibi distinctio membrorum & personarum. Nos vero talis distinctio , ubi procul dubio Johannes.*
n. Eadem Rom. edit. *miserabili vita , quæ peratorium est.*
o. Eadem Rom. edit. *quanto minus talia hæc in illa beata vita videntur fieri , sed &c.*
p. Eadem Rom. edit. *Et iterum : Ergo , fratres debitores sumus non carni , ut secundum carnem vivamus ; negando enim &c.*

peccata, id est, opera carnis in eis damnavit; & iterum: *Ut absorbeatur quod mortale est, à vita*; (2. Cor. 5. 4.) quia licet exterior homo noster corrumpitur, [a] sed renovatur interior: quod tamen non solùm in regno cælorum & baptismate, sed etiam in pœnitentibus quotidie fieri novimus, in quibus carnis interitus ad profectum cedit spiritualem. Cui ergo nec opera carnis erunt, nec augmenta membrorum, nec capillus crescit aut unguis; quia omnes in virum perfectum, (Ephes. 4. 13.) qui Christus est, [b] resurgemus. Si enim Patribus in eremo quadraginta annis non capilli, non ungues creverunt, (Deut. 29. 5.) aut vestimenta aut calciamenta adtrita sunt; hoc in regno cælorum, ubi aufugiet dolor, & gemitus, & tristitia, [c] quæri quam impium sis, sapiens lector intelligis.

CAPUT XXV.

(Tertul. l. de Resurr. c. 52. 1 Cor. 15. 39.)

Sed contra hanc tam veram, tam firmam doctrinam, & tam clara documenta & omni virtute subnixa, solent nobis hæretici illud Apostoli opponere, quod ait: *Non omnis caro eadem caro, sed alia caro hominis, alia pecoris, alia volucrum*, & cetera; [d] non intelligentes miseri beatum Apostolum corporis hoc honore, non generis differentia dixisse. *Alia* est ergo *caro hominis*, id est, servi Dei, *alia pecoris*, id est, ethnici, & peccatoris, atque hæretici, qui *cùm in honore esset*, sanguine Christi redemtus atque honoratus, *non intellexit, sed comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. (Psal. 48. 13.) *Alia volucrum*, id est, martyrum, qui ad cælestia pennis Spiritus sancti subvecti conscendunt. C *Alia piscium*, id est, [e] qui post Salvatoris baptismi aquam adsumuntur. *Alia gloria solis*, id est, Christi: *alia gloria lunæ*, id est, Ecclesiæ: *& alia gloria stellarum*, id est, seminis Abrahæ, & eorum qui se per fidem, & opera [f] bona filios ejus ostendunt; *stella enim ab stella differt* [g] *in gloria*, (1. Cor. 15. 41.) id est, apostoli & prophetæ illi, qui cupierunt videre & audire Christum: isti autem qui viderunt & audierunt eum, [h] & corpora cælestia, & corpora terrestria, id est, christianorum & Judæorum. Postremo autem, ut omnium resurrectionem ostenderet, sic conclusit sententiam suam, dicens: *Sic & resurrectio mortuorum*. (Ibidem 42.) Quod [i] ut ita possit intelligi nostræ conditionis, quæ in hoc sæculo fit, ponamus D exempla. Infans enim cùm in puerum creverit, puer vero in juvenem, juvenis autem in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit, sed semper idem est, qui fuit. [k] Paulatim ergo hîc ætas, non autem natura perit. In illa autem Hierusalem cælesti, ubi sol iste ac luna septuplum lucebunt, diversitates non erunt ætatum; ibi enim nec infans, nec senex, nec parvus erit, qui non impleat dies suos, ut pote filius resurrectionis, & in mensuram perveniat ætatis plenitudinis Christi, ut nec desint alicui annorum spatia, nec supersint. In illo [l] ergo tempore, cùm ætas fuerit una cunctorum, & sanctus & peccator erunt simili resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore: sed E alius ad præmia æterna, & in centuplum bona recipienda, alius ad supplicia pertrahitur æterna. Cùm ergo in genere humano aliter & aliter nascantur homines, in carnis resurrectione una omnibus & similis erit [m] resurrectio; aliter enim Adam, aliter Eva, aliter Cain & Abel, & omnes homines nati sunt atque nascuntur: aliter autem homo Christus Jesus, qui est mediator Dei & hominum, natus est. (Gen. 2. 22. Gen. 4. 1. 1. Tim. 2. 5.) Licet ergo diversis exordiis homo nascatur, una tamen hominis natura non differt resurrectione carnis omniumque membrorum: [n] quæ omnia membra una Domini sententia declarantur, cùm de illo homine loqueretur, qui non habuit vestem nuptialem, nec [o] servavit illud mandatum: *Omni tempore munda sint vestimenta tua*; (Matth. 22. 11. Tertul. l. de Resur. Carn. cap. 35. Ibidem.) quem manibus pedibusque constringi jussit & auferri, F ne recumberet in convivio, ne sederet in solio, ne staret ad dexteram Dei: sed mitti in gehennam ignis, ubi est fletus oculorum, & stridor dentium.

CAPUT XXVI.

Porro de capillis nostris dubitare satis impium est, quos A Dominus dinumeratos esse signavit. (Matth. 10. 30.) Frustra ergo numerati sunt, si aliquando perituri sunt: sed non pereunt, quia in similitudinem domini Christi cum omnibus membris resurrecturi sumus. Si enim in istum ignem temporalem, qui omne quod accipit, absumit, omnipotens Deus potentiam suam in tribus pueris ostendit, qui in camino ignis ardentis capillos eorum intactos reservavit; (Dan. 3. 94.) in resurrectione capillos nostros non resuscitabit? Resuscitabit plane sine aliquo augmento vel detrimento. Nulla ergo in resurrectione mortuorum varietas [p] aut differentia erit, sicut nunc fragilis in nobis est carnis infirmitas, quæ sui oneris mole deprimitur, [q] quæ fucatur, fœdatur, cæcatur, injuriatur, vulneratur, B sanatur, moritur, corrumpitur, & in terram ac pulverem revocatur; [r] & tamen post hæc omnia in die judicii in simplicis gloria primi Adæ atque secundi reformabitur. Vera ergo in carne resurrectio mortuorum, atque diversitas sexus erit sine opere carnis & sanguinis: *Veniet*, ait Dominus, *hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent*. (Johan. 5. 28. & 29.) Audient ergo auribus, & procedent pedibus, sicut Lazarus, & omnes quos Salvator suscitavit. Ipsi ergo procedent de monumentis, qui in monumentis illati fuerant. (Johan. 11. 44.) Veniet ergo omnis caro non solum de terra, sed etiam de mari, & de fluminibus; ut videant salutare Dei. Mandabit enim [s] piscibus ac fluminibus maris, & bestiis terræ, & volatilibus cæli; (Tertul. l. de Resurr. Carn. cap. 32.) C & eructuabunt ossa & carnes omnium mortuorum; ut resurgant, alii in vitam æternam, alii in opprobrium & confusionem sempiternam. Tunc videbunt justi impiorum pœnas atque cruciatus; quoniam *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & erunt in adspectu omni carni*. (Esai. 66. 24.) Quia ergo verissime hanc habemus spem, sicut exhibuimus membra nostra famulari immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita exhibeamus ea famulari justitiæ in sanctificationem vitæ: ut resurgentes à mortuis, [t] in novitate vitæ ambulemus, (Rom. 6. 19.) ut vita nominis Jesu manifestetur in carne nostra mortali propter Spiritum ejus habitantem in nobis. (2. Cor. 3. 18.) Justum ergo est, & vere justum, ut D qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circumtulimus, vita quoque ejus in corpore nostro manifestetur. (2. Cor. 4. 10.) *Spoliantes* ergo *nos*, sicut dicit Apostolus, *veterem hominem cum actibus suis*, (Coloss. 3. 9.) erroris tunicam ac [u] peccati non requiramus; ut novam, qui Christus est, [x] induamus, imitantes sponsam ejus dicentem nocte: *Exui me tunicam meam, quomodo induar illam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* (Ephes. 4. 24. Cant. 5. 3.)

CAPUT XXVII.

[y] Hanc ergo majestatis ac potentiæ artem, id est, resurrectionem figulus ille facit, qui per Hieremiam prophetam ad populum loquitur peccatorem, dicens: *Numquid sicut figulus iste, non potero* [z] *vos reformare ac redintegrare, domus Israel?* (Hier. 18. 6.) E Qui etiam hanc mirabilem majestatis suæ [aa] operam in manu Moysi ostendit, quam in candore mutatam deinceps colori pristino restituit. (Exod. 4. 6. & 7.) Sed & ipsum resurrectionis vocabulum aperte significat, non aliud mori, & aliud resuscitari. Quod ergo in homine moritur, hoc & vivificatur. Ita ergo secundum resurrectionem mortuorum [bb] nec cùm erat, ignorat. Vulneratus denique [cc] ille itineris Hiericuntinus totus refertur ad stabulum, (Luc. 10. 34.) & delictorum plagæ per miserentis gratiam immortalitate sanantur. Prophetia ergo, quæ pendebat vere in domini Christi carne completa est, quam Spiritus sanctus nos cupiens edocere loquutus est; ait enim: *Quæ est ista, quæ adscendit dealbata, innitens supra fratruelem suum, & deliciis affluens?* (Cant. 8. 5. Cant. 5. 10.) Et iterum: F *Fratruelis meus candidus & rubicundus*. Rubicundus igitur ex incarnatione, candidus autem ex divinitate. Quod ita esse comprobat beatus Johannes Evangelista, cùm dicit quia equus super quem sedebat Dominus, rubeus erat, corpus scilicet sanctum, quod ex sancta Virgine adsumsit. (Apoc. 6. 4.) Cui in

a. Rom. edit. interior tamen de die in diem renovatur.
b. Eadem Rom. edit. & in mensuram plenitudinis ejus resurgemus.
c. Eadem Rom. edit. hujusmodi quærantur? Hoc quam impium sit, fidelis quisque intelligit.
d. Eadem Rom. edit. quæ ibi sequuntur, non intelligentes homines perditi beatum Apostolum de corporis humani dignitate in resurrectione, non de carnis differentia &c.
e. Eadem Rom. edit. qui per salutaris baptismi aquam ad cælestem vitam adsumuntur.
f. Eadem Rom. edit. in filios ejus conspiciuntur.
g. Eadem Rom. edit. in claritate, ut apostoli à prophetis. Isti quia cupierunt &c.
h. Eadem Rom. edit. sunt denique, inquit, & corpora cælestia, id est, christianorum, & terrestria Judæorum.
i. Eadem Rom. edit. ut facilius possit intelligi, nostræ transformationis, quæ &c.
k. Eadem Rom. edit. ætas enim in hic transformationibus variatur, non &c.
l. Eadem Rom. edit. ergo die .... nec inter se variabunt tempore, nec ætate.
m. Eadem Rom. edit. [illegible]

n. Eadem Rom. edit. nam omnis caro, omniaque membra eadem resurgent sine,
o. Eadem Rom. edit. nuptialem, quæ una stola, &c.
p. Eadem Rom. edit. aut deperditio erit.
q. Reg. cod. quæ fugatur, sedatur.
r. Rom. edit. sed in die judicii in simplici natura primi Adæ, atque in secunda gloria reformabitur.
s. Eadem Rom. edit. piscibus maris & fluminum.
t. Eadem Rom. edit. ut, & in novitate vitæ ambulemus, vita .... in nobis, & resurgentes à mortuis, in ejus imaginem à claritate in claritatem transformemur.
u. Eadem Rom. edit. peccati pallium.
x. Eadem Rom. edit. induamus hominem.
y. Eadem Rom. edit. Hoc ergo .... opificium.
z. Eadem Rom. edit. facere vos, domus Israel, dicit Dominus.
aa. Eadem Rom. edit. potentiam .... quandoquidem in lepra candorem ostendit illam mutavit, mox colore &c.
bb. Eadem Rom. edit. id quod erat, resurgit.
cc. Eadem Rom. edit. Hiericuntinus ille curatione fertur ad stabulum .... per Samaritani illius gratiam miserentis .... suspensa pendebat.

Esai. 63. 1. Ibidem 2. A

cælis adscendenti dicitur: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus* [a] *de Bosra?* & : *Quare rubrum est vestimentum tuum, & indumenta tua quasi calcantium in torculari?* & est sensus: Quis est iste, qui adscendit è terra, cujus vestimenta sanguine sunt adspersa? Illud autem quod in Zacharia propheta dicitur, quia sequebantur eum equi variorum colorum, id est, qui vel in martyrio rubri, vel sturnini in volatu, id est, varii in virtutibus, vel candidi in virginitate monstrantur. Quod autem equus iste rufus, albus denuo à sancto Johanne describitur, [b] divinitas, immortalitas & incorruptio ejus ostenditur. Et ideo omnes, qui eum sequuntur, candidis non solum utuntur vestibus, sed etiam equis sedent, incorruptis videlicet & immortalibus corporibus. Et ideo hunc omnes sancti, ipso juvante, imitantur; quia vestimenta sua non coinquinant, ac virgines, gratia ipsius donante, permanent. Et ideo in albis vestibus, ut dictum est, erunt sequentes agnum, qui tulit peccatum mundi.

Zach. 1. 8. *Apoc. 19. 11.* *Ibidem 14.* B

Caput XXVIII. *Johan. 6. 39.*

[c] Totum ergo hominem, sicut dictum est, Filius Dei suscepit ex Virgine, totum integrum resuscitabit, id est, animam & corpus, adimplens sententiam suam, qua ait: *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo quidquam; sed ego resuscitabo illud in novissimo die*: quod dictum tam de se quam de membris suis dominum Christum dixisse intelligimus, qui suo & membrorum suorum ore in omnibus sanctis C loquitur libris. Clamat ergo ad Deum & caput in corpore, & corpus in capite, hoc est, & Ecclesia in Christo, & Christus in Ecclesia; quia in nullo membra à capite, neque caput separatur à membris. Tunc ergo videbunt eum adversarii ejus, qui eum compunxerunt, & clamaverunt: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Tunc Angelorum vaticinium comprobabitur, qui stupentibus apostolis dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Et sane hoc quærendum est, utrum post resurrectionem comessuri sumus, ac bibituri in regno cælorum, sicut & Dominus post resurrectionem, ut verum corpus ostenderet, comedit ac bibit, ac D sicut Lazarus, & ceteri quos suscitavit. Comedit ergo Dominus, ut veritatem corporis ostenderet, & dubitantes apostolos confirmaret, qui eum spiritum ac phantasma putabant. Comedit favum, ut prophetiam impleret, quæ ex persona ejus loquitur dicens: *Comedi* [d] *favum cum melle meo. Comedite amici, & inebriamini vicini.* Ob hanc ergo prophetiam, & verum corpus manifestandum post resurrectionem comedit Dominus ac bibit, probante hoc beato Petro apostolo, ac dicente: [e] *Nobis autem manifestatus est, qui manducavimus, ac bibimus cum eo, postquam resurrexit à mortuis.* Nobis ergo post resurrectionem cibus Verbi, & visio Dei, & laudes ejus, & alleluia erunt, & illa *quæ nec* E *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Non ergo post resurrectionem manducandum nobis ac bibendum est, nec incorrupta & immortalia corpora alimoniis sustentanda terrenis sunt; alioquin ubi cibi, sequuntur & morbi, & cetera, quæ in hoc sæculo perpetimur.

Johan. 19. 15. Act. 1. 11. Tertul. de Resur. Carn. cap. 60. Luc. 24. 43. Johan. 21. 44. Cant. 5. 1. Ibidem. Act. 10. 40. & 41. 1. Cor. 2. 9.

Caput XXIX. *Johan. 20. 14. Luc. 24. 40.*

Sicut ergo veram carnem Dominus suscepit, & vere passus est, & vere resurrexit, & vere post resurrectionem manus & latus ostendit discipulis; ita & vere manducavit, vere pedibus ambulavit, & verâ linguâ cum omnibus apostolis, & cum [f] Cleopha loquutus est, & vero cubitu cum eis in cœna discubuit, & veris manibus accepit pa- F nem & benedixit ac fregit & porrexit illis. Quod autem ex oculis eorum repente evanuit, divinæ virtutis fuit, non umbræ aut phantasmatis: alioquin & ante passionem cùm tenuissent, & eduxissent eum de Nazareth, ut præcipitarent eum de supercilio montis, super quem civitas eorum posita erat; [g] transivit per medium eorum, id est, lapsus est de manibus eorum. Aut numquid carnem non habuit, qui flagellum de fune fecit, [h] & omnes inimicos ac persecutores suos de templo eliminavit; ubi omnis divinitatis ejus potentia claruit. Illud autem quod post resurrectionem A ad discipulos clausis ingressus est januis, ejusdem virtutis fuit, cujus & ex oculis evanescere. Dicunt enim homines sæculi istius quod Apollonius magus, cùm ante Domitianum imperatorem in consistorio staret, repente non comparuisset. Hæc tamen nos diximus, non quo magum dæmone repletum domino Christo comparemus, sed ut hæreticorum insaniam confutaremus. Quod ergo mago licet, si tamen verum est, Domino non licet? Linceus, ut fabulæ ferunt, videbat trans parietem: Dominus clausis ostiis, nisi phantasma fuerit, intrare non poterat? qui certe & ante resurrectionem pendulo super mare ambulavit incessu, & hoc ipsum apostolo præbuit Petro, qui cùm [i] fide super B aquas ambularet, infidelitate postea mergi cœpit, nisi eum citius dextera Domini continuisset. Aquilæ & vultures transmarina sentiunt cadavera: Salvator apostolos suos, nisi ostia aperuerit, non videbit? Ad postremum dicas, velim, mihi quid majus sit, tantam terræ magnitudinem [k] tribus appendere digitis, & super aquas incertas librari; an Deum per clausam creaturam transire? Creatori quod majus est tribuis, & quod minus [l] calumniaris. Petrus apostolus, ut jam dictum est, super aquas ambulavit, & gravi & solido corpori mollis unda, nisi paululum dubitasset, non cessaret: & tu Deum calumniaris, quare clausis ingressus sit ostiis? Paululum ergo fides Petri dubitavit, & statim natu- C ram suam corpus agnovit; ut nos sciremus super aquas [m] non corpus ambulasse, sed fidem.

Luc. 4. 29. Johan. 2. 15. Johan. 10. 36.

Philost. Lemn. lib. 1. cap. 2. Lactant. de Justit. l. 5. c. 3. Plin. l. 8. nat. hist. cap. 8. Matth. 14. 29. Hieron. in Isai sub fin. Item in cap. 24. Matth. Esai. 40. 12. Matth. 14. 26.

Caput XXX.

Noli ad judicium tuum potentiam Domini magorum præstigiis aut æquare aut inferiorem facere; ut videatur fuisse quod non fuit, ut putetur comedisse sine dentibus, fregisse panem sine manibus, ambulasse sine pedibus, loquutus fuisse sine lingua, aut capite, latus monstrasse sine corpore. Et quomodo, inquit, non cognoscebant eum in itinere, si ipsum habebat corpus, quod ante habuit? Erras enim & multum erras, qui non audis Evangelistam dicentem: *Quia oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*: & paulo post: *Aperti sunt*, inquit, *oculi eorum, & cognove-* D *runt eum.* Numquid in tantum desipies, ut eum alium fuisse dicas, quando cognoscebatur; & alium, quando non cognoscebatur? Et certe unus atque idem erat. Cognoscere ergo & non cognoscere videntium oculis fuit, non ejus qui videbatur, ut vaticinium sancti Hieremiæ compleretur, quo ait: [n] *Quare sicut colonus futurus es in terra, & sicut vir declinans ad manendum?* Denique ut scias errorem, qui versabatur in medio, non corporis Domini, sed oculorum fuisse clausorum; *Aperti sunt oculi eorum*, & mox *cognoverunt eum.* Nam & Maria Magdalene quamdiu vivum quærebat inter mortuos, non cognoscebat Jesum: at ubi eum [o] agnovit, mox Dominum confitetur. In navi etiam E una omnibus discipulis positis, Jesus stabat in littore; ceteris autem non cognoscentibus eum, Johannes prior agnovit, & dixit: *Dominus est.* Decebat te vera, & satis congruum erat, ut virginitas virginale prius agnosceret corpus. Idem ergo erat, & non idem ab omnibus videbatur.

Luc. 24. 16. Ibidem 31. Hier. 14. 8. Johan. 20. 16. Johan. 21. 7. Hieron. loco cit.

Caput XXXI. *Johan. 21. 12.*

Statimque subjungens Evangelista, dicit: [p] *Et nemo audebat eum amplius interrogare: Tu quis es?* Quia vescentes pariter ac bibentes cum eo, hominem verum ac Deum videbant; non tamen quod alter Deus, alter homo esset: sed unus atque idem esset Filius Dei & Filius hominis; cognoscebatur enim ut homo, adorabatur ut Deus, com- F plens illud, quod eis ipse Dominus imprecatus fuerat, dicens ad Patrem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum & verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Dignum ergo est, & satis dignum, ut caro hominis cælis inferretur, cujus habitator Deus esse dignatus est: nec potest videri hominem contra meritum factum esse incolam cæli, [q] cujus vaginam non est dedignatus Spiritus, qui Deus est. Justum ergo fuit ut corpus, in quo Deus habitando terram visitare dignatus est, per quod particeps nostri factus est, ad immortalitatem perduceret, & in cælestibus collocaret. Ubi ergo Dei habitatio esse debuit, nisi in reg-

Johan. 17. 3.

a. Rom. edit. *saloae vestium de Bosra? & : Quare tua rubra vestimenta, & indumenta tua quasi calcati torcularis?*
b. Eadem Rom. edit. *divinitatis immortalitas.*
c. Eadem Rom. edit. *quocumque loris.*
d. Eadem Rom. edit. *panem meum.*
e. Eadem Rom. edit. *Hunc suscitavit à mortuis &c.*
f. Eadem Rom. edit. *Cleopha & Amaon.*
g. Eadem Rom. edit. *dubium erit quod transiverit &c.*
h. Eadem Rom. edit. *& peccatores ejus inimicos ad unum .... ubi omnibus divinitatis &c.*
i. Eadem Rom. edit. *fidei firmitate super aquas ambulare cœpit, ita eadem* *mox labente mergi cœpit, & mergi potuisset, nisi &c.*
k. Eadem Rom. edit. *pugillo appendere, & cælum palmo, & aquas manu, & rupes statera metiri, an Deum &c.*
l. Eadem Rom. edit. *infitiaris.*
m. Eadem Rom. edit. *non pendere corpus.*
n. Desunt in Rom. edit. *Quare fallax es sicut advena in terra, & quasi indigena divertens ad diversorium?*
o. Eadem Rom. edit. *inter vivos agnovit, illico &c.*
p. Eadem Rom. edit. *Et nemo discumbentium audebat eum interrogare: Tu quis es? sciebant quod Dominus est, hoc est, quia &c.*
q. Eadem Rom. edit. *cujus regionem .... Deus est, habitare.*

no Dei? ubi autem regnum Dei, nisi in cælis? ubi & nos A omnes, ipso donante atque juvante, tunc futuri sumus, *quando corruptivum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*; ut omnis caro videat salutare Dei, & agnoscat quod redemtor atque salvator ille sit, qui luctatus est cum Jacob, qui virtus & auxiliator fuit ipsi Jacob, qui in passione voluntaria [a] superatus, quod illa lucta præfigurabat, crucifigentes se benediceret, atque pro eis oraret dicens: *Pater ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt*; confirmans & illud, quod per David ante prædixerat: [b] *Dum appropinquarent mihi, qui edebant carnes meas, ego autem orabam.* Caro ergo Verbi, non Verbum editur: caro, non Deus, qui spiritus est, comeditur. Vos B me, ait, persequentes flagellastis, vos faciem meam conspuistis, vos me crucifixistis: ego vos tamen ad pœnitentiam provoco; [c] *Nolo enim mortem peccatoris, sed tantum ut revertatur, & vivat.* Quod ita esse comprobat beatus Apostolus dicens: *Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu carnis vestræ in operibus malis, reconciliavit vos in corpore carnis suæ per mortem.* [d]

1. Cor. 15. 53. Isai. 40. 5. Gen. 32. 24. Luc. 23. 34. Psal. 108. 4. Ezech. 18. 32. Coloss. 1. 21. & 22.

CAPUT XXXII.

Illud autem quod objiciunt dixisse Apostolum: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*; hæc dicta sunt, non quo carnis natura damnetur, cujus conditor Deus est, & in qua plurimi sanctorum placuerunt Deo, & regnant cum Christo: sed quo sensus & opera carnis repudientur. C Cùm ergo lutum carnis nostræ, [e] ut jam dictum est, spiritualibus pennis cum subvectione Angelorum volaverit ad cælum, ibi verum & pacificum suæ salutis obsidem habet in æternum, ad quem *rapiemur* [f] *in nubibus obviam Christo in aera*, sicut Esaias propheta testatur dicens: *Super humeros tollentur, & portabuntur ad loca sua*; & iterum: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad* [g] *fenestras suas?* id est, ad mansiones meritorum suorum, de quibus Dominus dicit: *Multæ mansiones sunt apud Patrem meum*; & iterum: *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus in Hierusalem in equis, & mulis, & quadrigis, & carrucis, & lecticis, dicit dominus Deus.* Quod ne alicui forte D dubium videatur hominem in corpore isto positum in aera posse volitare, confirmat hoc idem Apostolus dicens: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem*: nam & Elias in corpore isto positus, [h] in quo nunc usque est, curru igneo, id est, Angelorum subvectione, qui sunt spiritus & flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, [i] quasi usque ad cælum raptus: & Abacuc propheta de Judæa in Chaldæam ab Angelo ductus & reductus est in momento temporis: & ipse apostolus Paulus raptus est usque ad tertium cælum, & in paradisum; [k] & inde reductus est in mundum. Ut autem manifestius clareat vehicula ista sanctorum spiritus esse, id est, Angelos Dei, [l] docet nos exemplum sancti Philippi E unius ex septem, quem spiritus Domini de Gaza rapiens, subito posuit [m] in Azotum. Enucleatius hæc, & membratim quodammodo articulatimque scrutata, quantum intentionem meam Dominus adjuvare dignatus est, dicta sufficiant. Tamen ne omisisse aliquid videamur, ipsius Domini ac salvatoris nostri probanda sunt verbis; ait enim, cùm de agro & tritico ac zizania loqueretur: *In consummatione enim sæculi* [n] *mittet Pater meus Angelos, qui separent zizania*, id est, peccatores, *à tritico*, hoc est, a justis. Isti sunt Angeli, qui Lazarum in agone paupertatis simul & infirmitatis probatum in sinum ac requiem sustulerunt Abrahæ. [o]

Rom. 8. 8. Tertul. l. de Resur. Carn. cap. 46. 1. Thess. 4. 16. Isai. 49. 22. Esai. 60. 8. Johan. 14. 2. Esai. 66. 20. Hebr. 11. 5. 4. Reg. 2. 11. Dan. 14. 35. 2. Cor. 12. 2. Act. 8. 39. & 40. Matth. 13. 41. Luc. 16. 22. Isai. 48. 10.

CAPUT XXXIII.

Vere, sicut scriptum est, *probavi te in camino paupertatis.* Diversis ergo modis probantur homines, id est, alius per inopiam & infirmitatem corporis, alius per divitias & sanitatem corporis. Quæ tamen omnia nec summa bona, nec summa mala sunt; summum enim malum mors æterna est, & summum bonum vita æterna est. Ista ergo omnia, quæ vita mortalium habet, media sunt; in utroque enim tentatio est: plerosque enim quos nec inopia nec infirmitas fregit, fregit sanitas, & exstinguunt divitiæ. Quæ comprobat sapientissimus Salomon, dicens ad Dominum: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi, tribue autem tantum victui meo necessaria*; scilicet, ne aut in illis extolleretur, aut in istis factis pejeraret, aut blasphemaret. Quod autem hæc, quæ media diximus, aliena sint à nobis comprobat Dominus dicens: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Alienæ ergo à nobis sunt divitiæ, quia extra nostram naturam sunt; neque enim nobiscum nascuntur, aut transeunt. Et ideo hæc scientes non serviamus alienis, qui nullum Deum habere debemus, nisi Christum. Hospites ergo sumus rerum nostrarum; B quidquid enim de sæculo est, in sæculo remanet: & quidquid heredum conquirimus nobis, perdimus; quia nobiscum non aliud, nisi aut bona aut mala opera portamus. Non ergo malæ sunt divitiæ, sed male utentibus malæ sunt; quia bona, quæ Deus fecit, bona sunt valde. Et ideo philosophi mundi istius non dicunt summum bonum, nisi pacem, honestatem atque virtutem: & summum malum non ponunt, nisi malitiam, inhonestatem, avaritiam atque turpitudinem. Omnium ergo bonorum repromissio ac retributio vita æterna est: & omnium malorum comminatio, ac retributio mors secunda est.

Prov. 30. 8. Ambr. l. 7. in Luc. sub fin. Ibid. l. 8. n. 85.

CAPUT XXXIV.

Hæc licet extrinsecus dicta videantur, tamen necessaria C nobis & utilia sunt: & ideo nunc nobis ad ordinem revertendum est. Cùm ergo lutum carnis nostræ, ut jam dictum est, in testam fuerit excoctum; ut quæ prius gravi pondere premebatur in terram, acceptis pennis gratiæ spiritualis cum subvectione Angelorum volet ad cælum, ibi verum & pacificum suæ salutis obsidem habet in æternum. Quid tam verius, tam manifestius, tam lucidius inveniri potest? Tamen ne aliquid omisisse videamur, accipe plenissimum atque firmissimum hujus spei nostræ specimen, alitem illum orientis, qui phœnix nominatus, peculiarem, de singularitate famosum, & de posteritate monstruosum: qui semet ipsum libenter funerans, naturali fine discindens atque succindens, iterum phœnix, iterum ipsa est, & non alia. Cui rei D documentum ad spei nostræ firmitatem, etiam Spiritus sanctus, qui Deus est, in scripturis posuit sanctis dicens: *Et florebunt velut phœnix*, hoc est, florebunt de morte, de funere suo, sicut phœnix resurget de pulvere suo. Si ergo caro avis de cineribus suis resurgit, caro hominis de cineribus suis non resurget? Et ubi est, quod dominus Christus multis passeribus meliores esse pronuntiavit? Ubi est & illud, quod nobis per Prophetam promisit, dicens: *Renovabitur sicut aquila juventus tua?* Cujus avis naturam hanc esse tradunt; cùm enim ad summam venerit senectutem, dicitur tamdiu in aera sublimari, ut usque ad nubes E & ignem perveniat: quo igne contacta, mox se in secretissimum fontem præcipitem dans, tertio mergit; & mox ad pristinæ juventutis vires atque speciem revocatur. Quod nobis ita futurum beatus Apostolus promisit dicens: *Uniuscujusque quale sit opus, ignis probabit.* Aves enim diversæ glutiunt uvam, olivam, & cetera poma; & post nimium calorem grana eorum per stercora digerentes, tursum vites, tursum arbores renascuntur. Si ergo hoc aves propter te, Deo jubente, faciunt; de te Deus propter fidem & retributionem suam non faciet? Crede mihi quia faciet propter promissum suum; cùm enim nihil essemus aliquando, domino omnium creaturarum Deo ipso jubente, facti F sumus. Qui ergo fecit ex nihilo, quod non erat, poterit iterum facere id, quod ante ex nihilo fecerat.

Tertul. de Resurr. Carnis. Auctor Const. Apost. l. 5. c. 8. Cyrill. Catech. 18. Lactan. Ambr. & alii. Vide Rabbi Kimhi & alios Interp. in hunc loc. item P. Damiani Opusc. 52. c. 23. Albert. Magn. l. 23. de Animal. Gesner. Aldrov. & alios.

CAPUT XXXV.

Nam si caro hominis, ut cæci hæretici mentiuntur, non resurget, quomodo Esaias Spiritu Dei plenus, qui non tam propheta, quam evangelista dicendus est, dicit: *Veniet omnis caro, quæ adoratura est in conspectu Domini, in Hierusalem; ut videat cadavera hominum mortuorum, qui prævaricati sunt in Deum* (id est, vel Judæos, vel impios, vel peccatores) *vermis eorum non morietur, & ignis eorum*

Hieron. in cap. ult. Isai.

a. Rom. edit. *superatus in illa lucta, præfigurabat quod crucifigentes se benediceret* &c.
b. Eadem Rom. edit. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: Ego autem orabam; quasi diceret: Vos me persequentes* &c.
c. Eadem Rom. edit. *quoniam scriptum est, quia non volo mortem morientis, sed ut convertatur* &c.
d. In eadem Rom. edit. subjungitur, *ut exhiberet vos sanctos.*
e. Eadem Rom. edit. *in testam fuerit excoctum, ubi prius gravi premebatur pondere in terram, acceptis pennis gratiæ spiritalis cum subvectione Angelorum volabit* &c.
f. Eadem Rom. edit. *inquit Apostolus .... in aera, & sic semper cum Domino erimus. Et ut Esaias .... Parvuli eorum in humeris portabuntur & super genua consolabuntur.*
g. Eadem Rom. edit. *Cum pullis. Et iterum: Et adducent .... gentibus in equis, & rhedis, in curribus mulorum cum umbraculis in sanctam civitatem Hierusalem.*
h. Deest in eadem Rom. edit. *in quo nunc usque est.*
i. Rom. edit. *in illo vectus usque ad cælum adsumtus est* &c.
k. Deest in eadem edit. *Et inde reductus est in mundum.*
l. Vat. cod. *docet nos exemplum sancti Philippi unum ex septem ponere.* Rom. edit. *docet exemplum* &c.
m. Rom. edit. in *Azotum. Denique hæc ipsa Domini ac salvatoris nostri firmantur verbis; ait enim* &c.
n. Rom. edit. *mittet, inquit, filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & separabunt zizania.*
o. Eadem Rom. edit. *quod est perennis beatorum gloria: ad quam nos Angeli sancti perducant, ubi Christus cum Patre & Spiritu sancto regnat in æternum, amen.* Quibus verbis tractatum claudit.

non extinguetur. Quem vermem aut ignem multi conscientiam peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos, intelligi volunt, quare vitio suo atque peccato, tanto caruerint bono, juxta illud quod scriptum est: Isa. 50. 11. *Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma quam succendistis vobis;* & iterum: Prov. 25. 20. *Sicut tinea vestimentum, & vermis comedit lignum, sic mæror excruciat cor viri.* Sicut enim animi lætitia interdum corporis dolores mitigat, sic dolor animi corpus deprimit & excruciat, dicente propheta: Prov. 17. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.* Si ergo eveniat, ut ad ægrotationem corporis accedat animi ægritudo, duplicatur infirmitas. Hæc tamen ita dicta sunt, ut non negetur prævaricatorum & Deum negantium æterna esse supplicia, dicente Scriptura: Judith 16. 20. & 21. *Dominus omnipotens vindicabit in eis in diem judicii: dare ignem & vermes in carnes ipsorum; & comburentur, ut sentiant in æternum.* Quod ita futurum Dominus noster atque salvator confirmat dicens: Johan. 5. 29. *Et resurgent omnes de terra pulvere: qui bona fecerunt, in resurrectionem judicii;* & iterum: Matth. 25. 41. *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus;* & iterum de illo qui vestem non habuit nuptialem, dicitur: Ibidem 22. 13. *Tollite eum, & ligatis manibus ac pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Cùm ergo & manus, & pedes, & fletus, & tenebras exteriores, quæ ad oculos pertinent, & stridorem dentium à Domino in carne futura resurrectione verissime pronuntiatur, miror quosdam hæreticos, qui aerium corpus, & paulatim in auras tenues dissolvendum post resurrectionem conantur introducere. Quomodo ergo sanctus vestimentum Dei est, & vestitur salutis atque lætitiæ tunica; sic è contrario peccator, qui portat imaginem veteris hominis atque terreni, meretur audire: *Ecce vos omnes quasi vestimentum vetus tinea devorabit.* Isai. 51. 8. Morum ergo diversitas variis in scripturis sanctis signatur nominibus. Sicut ergo diversitas arborum ac musicorum in scripturis divinis diversitatem significat gratiæ spiritualis; ita & diversitas ferarum atque serpentium diversitatem significant peccatorum. Quæ tamen diversa genera musicorum ideo Deus majestatis in libris divinis nominari & uti voluit, ut populum Judæorum de carnalibus sacrificiis auferens, ad spiritales & laudabiles hostias invitaret.

Sed nunc jam sufficiant ista, quæ dicta sunt; quamquam pro rei magnitudine numquam aliquid sufficienter de causis & rebus superius nominatis dici potest. Et ideo sancta, veneranda, perfecta, atque inseparabilis Trinitas, quæ tota nobis fide coleris atque adoraris, tuum est hoc opus, quod ego ex Patrum famulorum tuorum libris, te adjuvante atque illuminante, ad ædificationem meam excerpsi; tuaque perfectio ad gloriam & laudem nominis tui per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN SEQUENTEM TRACTATUM

ADMONITIO.

H*Oc opus quod contra manuscriptorum & veterum editionum fidem Romani inscripserunt* De Filii divinitate & consubstantialitate, *conditum fuit adversus eos hæreticos, qui cùm Filii substantiam cum paterna eamdem esse inficiarentur, ὁμοούσιον illum, id est, ejusdem substantiæ, dicere detrectabant, sed conabantur inducere vocem ὁμοιούσιον, id est, similis substantiæ; cùm interim amandandum à divinis substantiæ verbum, quasi sacris paginis ignotum, contenderent. His Epiphanius* [a] *nomen Semiarrianorum inditum scribit.* a. Hæres. 73. *Ubi contra eosdem proscriptione vocis ὁμοιούσιος arrianam hæresim in integrum restituendam patefecit auctor hic noster, Filiumque Deum esse perinde ac Patrem demonstravit; rationibus ob quas expungendum ὁμοούσιον disputabant adversarii, satisfacit. Eamdem hanc vocem in sacris codicibus contineri ostendit: & quamvis non liceat illam substantiæ unitatem liquido concipere atque explicare, haud tamen propterea respuendam probat; quandoquidem in creaturis, quod ei comparari valeat, nihil occurrit; & ex multiplicibus illis nominibus, quæ in Scripturis ipsis Filio tribuuntur, nullum est quod non potius indicet aliquam è mysticis illius qualitatibus, quàm infinitam naturæ divinæ majestatem aperiat. Docet postremò distinctione personarum deorum non invehi pluralitatem, nec de Filii, etiam cùm se conspiciendum subinde exhibuit, invisibilitate aut immutabilitate quidquam detractum.*

b. Orat. 49. *Exstat hic liber inter Gregorii* [b] *Nazian. & Ambrosii nostri, quorum utrique adscribitur, evulgata Opera: sed apud priorem præfatione, qua nescio cui obscuritatem & ambiguitatem in eodem libello criminanti respondet, nec non adjecto brevi epilogo locupletior, qualem nos ipsum repræsentamus.*

Qui Gregorio Nazian. adjudicant hoc Opusculum, in hanc opinionem Augustini potissimum auctoritate adductos constat. Sic namque ipsi interpretantur, quod ille tradit: [c] c. Epist. 148. nov. edit. num. 10. Gregorius etiam sanctus episcopus orientalis apertissime dicit Deum natura invisibilem, quando Patribus visus est, sicut Moysi cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conspicabilis materiæ dispositione adsumta, salva sua invisibilitate, videri potuisse. *Verum tamen opponitur à viris doctis librum eumdem latini scriptoris fœtum evinci, non modo quod versio vetus, quam Italicam vocitant, illic citetur; sed etiam quod* [d] d. Cap. 6. *ibidem isthæc legantur:* Ratio quædam quæ apud Græcos nuncupatur λόγος; *& item alia illa:* Et hoc est, quod Græci ὁμοούσιον appellant, id est, cum uno aliud ipsum. *His adde locum Augustini referri posse ad indubitatum aliquod Gregorii Nazian. Opus, ut puta ad Orationem 34. ubi eadem plane materia discutitur. Sed forte ad priorem objectionem quis respondeat Rufinum, quem hac opella interpretem refert apud Nazianzenum, maxima in vertendis græcis licentia uti solitum; proindeque nihil absurdi eum dicturum, qui ab ipso hos eosdem locos ea verborum forma redditos esse affirmaverit, quam ad Latini lectoris gustum existimabat magis accommodatam: secunda vero ratione vix movebitur, qui cum verbis Augustini supra citatis hunc locum Auctoris nostri composuerit, ubi post allatum Moysis cum Deo facie ad faciem loquentis exemplum subdit:* [e] e. Cap. 8. Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis.... materiæ dispositione adsumta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus. *Quis enim facile sibi non persuadeat hæc ipsa in mente Augustini præsentia fuisse, cùm scriberet superiora?*

Quod vero ad Ambrosium, clarum est quidem huic Scriptioni & in omnibus Operum sancti Doctoris editionibus, & in mss. etiam nonnullis, ejusdem nomen præfixum esse. Inde est quod libenti animo suspicaremur non alium esse huncce libellum, quam eum qui de Fide *à Niceæ sive Niceto episcopo breviter scriptus*, voluminibus sancti Ambrosii, *ut Cassiodorus* [f] f. Lib. de Inst. div. lit. c. 16. *testificatur*, sociatus est, quos ad Gratianum principem destinavit.

Sed cùm idem adserat non solum de Patre ac Filio illic disseri, verum etiam de Spiritu sancto, quod cum hoc libro minus convenit; malumus hunc diversum ab alio existimare. Cur autem alterius locum, & Ambrosii nomen usurpaverit, ratio in promtu est, materiæ scilicet cognatio. Sunt tamen præterea levia quædam ab Ambrosiano dicendi more non penitus abhorrentia, puta quod ais de hæreticis, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam sævo sensu perverterent. *Et illud:* Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli eorum. *Sed neque quod dicitur,* qui etiam nunc vi, ambitione, & potentia regum exagites ac turbes omnia, *nimium ab Ambrosio discreparet, si tractatus hic rigidos arrianos, qualis erat ille Auxentius à quo Justina ejusque filius Valentinianus Imp. in sanctum Antistitem concitati sunt, impugnaret. In ceteris dissidet idem opus ab Ambrosii stylo & ingenio, ut non modo illius auctor non videatur, sed ne interpres quidem, contra quam opinati reperiuntur nonnulli. Utrumque sane vel ex eo colligas, quod Augustinus cùm in præceptoris sui scriptis versatissimus, tum etiam ad eum prædicandum, omni data oportunitate, propensissimus, ejus tamen non meminerit, sed tantum Gregorii episcopi orientalis. Quibus adjunge versionem biblicam, ab ea quam ubique Ambrosius adhibet, longe esse diversam.*

P. F. Chiffletius, qui duobus illis Patribus ex æquo eumdem libellum abjudicat, ut illum transcribat Vigilio suo, conjecturas aliquot, quas ad eam rem validissimas putat, in medium profert. Verumtamen haud facile quemquam fore existimamus, qui sine manuscriptorum auctoritate, sine scriptoris ullius testimonio his persuaderi se patiatur; quippe quæ levissima sunt, aut prorsus nullæ. Certe quidem eis persuasi non sunt neque Hermannus in Ambrosii vita, [a] *nec Quenellius in Appendice ad Opera sancti Leonis;* [b] *uterque enim hanc Scriptionem Gregorio Eliberitanæ sedis in provincia Bætica episcopo adscriptam volunt. Quenellius opinionem suam adstruere nititur his rationibus: 1. quod eumdem librum ab auctore Latino profectum constet: 2. quod Hieronymus* [c] *de Gregorio Bæticensi testificetur* De Fide elegantem libellum *ab eo scriptum: 3. quod idem libellus jam inde ab Augustini ævo prætulerit auctorem Gregorium aliquem, unde & eidem Augustino errandi facta est occasio: 4. quod argumentum conveniat cum ætate Gregorii Eliberitani, contra quem etiam irritatos imperatorum animos non ignoramus: 5. demum quod iste auctor trium hypostaseon defensoribus infensum se præbeat, quod Luciferianis quibus idem se addixerat, in usu erat.*

His conjecturis pondus suum atque momentum esse non negabimus; quibus tamen qui nolueris adquiescere, saltem opella, quam expendimus, antiquitatem & elegantiam in dubium non revocabit, si consideraveris illam & allegatam ab Augustino, & tantis græca latinaque Ecclesiæ luminibus adscriptam. Accedit præterea quod avulsum ex illa fragmentum libro, qui inter Hilarii Pictaviensis [d] *Opera circumfertur; nec non sermoni,* [e] *quem diutissime Augustino adjudicarunt, insertum fuit.*

a. In Hist. dissertationibus.
b. Dissert. 14. pag. 319. & 320.
c. lib. de Script. Eccl.
d. Lib. de Patris & Filii unitate.
e. Serm. 190. vel, edit. nunc 113. Append. nov. edit.

DE FIDE ORTHODOXA
CONTRA ARRIANOS
ALIAS DE FILII DIVINITATE ET CONSUBSTANTIALITATE
TRACTATUS.

Confessio Fidei.

CREDIMUS in Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem, & unum dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum de Patre unicum, hoc est, de substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum: unius substantiæ cum Patre, quod græci dicunt ὁμοούσιον per quem omnia facta sunt, sive quæ in cælo, sive quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, adscendit ad cælos, inde venturus est judicare vivos & mortuos. Et Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat, & mutabilem, vel convertibilem esse Filium Dei; hos anathematizat catholica & apostolica Ecclesia, amen.

Prologus.

Amore catholicæ fidei ductus, jampridem adversus Arrianos libellum edideram, quem cùm amico legendum dedissem, quia placuit, credidit transcribendum. A quo hoc ego magnopere postulavi, ut interim dissimulato auctore, doctis viris & prudentibus legeret: ut si quem movisset, quod illic plus aut minus positum videretur, posset plurimorum consilio emendari. Nemo est enim qui sibi tam arroganter summam doctrinæ cælestis adsumat, ut putet se omnia mysteria liquido comprehensa retinere, cùm Paulus apostolus dicat: *Qui ergo putat se aliquid scire, nec dum scit quemadmodum oporteat scire; &, modo per speculum in ænigmate videmus; tunc facie ad faciem.* Sin vero cunctis omnia, quæ illic scripta erant, juxta fidem veram constare viderentur, tum & ipse petentibus non negaret. Quod eum ita fecisse manifestum est. Et quia res digna tam catholicæ confessioni, quam

1. Cor. 8. 2. Ibid. 13. 12.

A hæreticæ responsioni, universorum judicio æstimata est, multi eum vel legere vel describere voluerunt.

Sed non defuit qui vel pro studio doctrinæ, vel pro caritatis officio, ea quæ à nobis dicta sunt, scrupulosius retractaret; & quædam ille vel superflua, vel ambigua diceret, quæ aliter possint à quibusdam, quam à me dicta sunt, accipi. Proinde rursus ea ipsa planiori sermone in hoc libello digessi, ut & simplicitatem sensus mei ostenderem, & scrupulum legentibus amputarem.

Nam hoc est quod aiunt posse reprehendi, quod ubi Verbum Dei ex persona Filii posuimus, tale hoc Verbum intelligere putemus, quale grammatici tradunt spiritu oris
B aerem offensum, intelligibilem auditu. Sed nos sapientiam non hujus mundi, quæ destruitur, sed illam quæ ex Deo est, novimus, quæ Verbum Dei Deum insinuat, cùm dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Unde mirari me fateor hoc ita sentiri potuisse, quasi nos personam propriam Verbi, quod est Filius, negaremus. Nemo verbo tenus nominat, quem vere esse in persona sua sæpius profitetur: nam quomodo aut verum Filium, aut verum Patrem confessi sumus, si non vere proprietatem personarum tam Patris quam Filii servavimus.

Johan. 1. 1. & seq.

Sed quia unius Dei vocabulum diximus, personas ne-
C gasse putamur. Et hinc verisimile visum est, quod posuimus. Nos Patrem & Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis & nominibus adsignemus. Porro iterum Pater & Filius, etsi duo nomina appellantur; ratione tamen & substantia unum sunt: & cùm Patrem & Filium statuo, unitatem adsigno generis.

Hæc omnia intelligi posse æstimata sunt, quasi ista vocabula inter Patrem & Filium ita posita sint, ut est nomen & cognomen, unius tamen personæ; cùm ex superioribus aut inferioribus dictis potuerit hæc suspicio non admitti. Qui enim Filium Dei non aliunde natum dixeram, quam proprie de Patre, totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto, consummatamque virtutem; quomodo potui ipsum Patrem, ipsum sibi Filium ponere, & hoc modo unam personam duobus nominibus appellare; quippe cùm & hanc sectam, id est, sabellianam in eodem libello damnaverim, & personarum distinctionem secundùm vocabulum scripserim? Nam & nemo pro una persona potest, unum sunt, dicere, vel unitatem generis, nisi personis adsignare.

Quis autem catholicorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere Filium, & Spiritum sanctum vere esse Spiritum sanctum? sicut ipse Dominus ad apostolos suos dicit: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* (Matth. 28. 19.) Hæc est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiæ profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem divisionem in Deo facimus: sed secundum divinæ naturæ potentiam, quæ in materia non est, & nominum personas vere constare credimus, & unitatem divinitatis esse testamur.

Nec extensionem partis alicujus ex Patre (ut quidam putaverunt) Dei Filium dicimus, nec verbum sine re, ut velut sonum vocis accipimus: sed tria nomina, & tres personas unius esse essentiæ, unius majestatis atque potentiæ credimus. Et ideo unum Deum confitemur, quia unitas majestatis plurium vocabulo Deos prohibet appellari.

Denique Patrem & Filium catholice nominamus, duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus; non quod Filius Dei Deus non sit, immo verus Deus de Deo vero; sed quia non aliunde, quam de ipso uno Patre Dei Filium novimus, perinde unum Deum dicimus. Hoc enim prophetæ, hoc apostoli tradiderunt, hoc ipse Dominus docuit, cùm dicit: *Ego & Pater unum sumus.* (Johan. 10. 30.) *Unum* ad unitatem divinitatis, ut dixi, refert: *sumus* autem personis adsignat. Sed & Apostolus ait: *Unus est*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia: & nos in ipso: & unus dominus Jesus Christus, per quem omnia; & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia.* (1. Cor. 8. 6.)

Qua de re explanatis his verbis, quæ scrupulum, non mihi qui scio quod dixerim, sed aliis inferebant, puto occasionem malæ interpretationis fuisse sublatam. Nam & professio fidei manifesta est, & persona cum vocabulis constat, & una divinitas adsignata est.

Vel si adhuc aliquid quod legentibus ambiguum videatur in verbis, ad sensus debent verba conferri; quia non simplicitas verborum, sed mali intellectus obstinatio culpam olet. At cùm sensus noster cum veritate concordet, & verba debent cum ratione sincerissima. Unde à simplicitate christiana academicus disputator abscedat.

Cap. I.

Multas quidem & graves hæreses novimus à plurimis ebullire, & veneni vice, ad intimum pectus canceris sui virus infundere: sed vinci illi vel facile possunt, vel facile vitari, quorum prima propositione omne consilium pectoris proditur. At vero ii quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes, & soli Deo deditas, fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, qui cùm integre per omnia decurrant; uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem Dominicæ, & exinde apostolicæ traditionis inficiunt.

Unde vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet: quia nihil tam cogit in mortem, quàm sub obtentu fidei fidem violare. Ut enim gypsum aqua permixtum lac colore mentitur, ita hîc per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.

Denique si diligentius & accuratius adtendatis, cur voluerint de evangelica & apostolica fide, & de Patrum traditione substantiæ nomen auferri, proculdubio probatis hæresim arrianam subtili compendio breviatam, sublato hoc nomine intromissam. Nec hoc quidem [a] ego suspicione aut opinione collectum affirmo, nec uti ipsi putant, academicus disputator adsisto, ut simplices sensus verborum subtilitate contorqueam: sed ut contortos & pravos tenui argumento compositos in lucem cognitionis exponam; quo facilius possit cognita & comperta iniquitas ab hominibus evitari.

Quæ etenim causa, [b] quæve ratio exstitit, ut quod docendum, & quod credendum cunctis Ecclesiis fuerat traditum, quodque Patres nostri apostolici viri contra universas hæreses, & maxime arrianam, quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, [c] sancto Spiritu mundati, catholica ratione posuerunt, non sine magno nisu ab his qui [*] elogio arrianæ labis addicti sunt, laboretur auferri; nisi ut Filium Dei mutabilem & convertibilem, ut pote non de propria Patris substantia constitisse confingant: cui & initium ex tempore, & ortum ex nihilo, nomen ex altero, ut semper docuerunt, propter quod & sæpe damnati sunt, nunc jam libere, & secure, incunctanterque Ecclesiis tradere & insinuare possint?

Cap. II.

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, non evangelica fide, sed subdola malignitate ad seducendos simplices quosque posuisse. Non jam tam suspectum, quam manifestum omnibus esse debet ita eos Deum de Deo posuisse, ut Arrius tradere solebat, ut ex Deo factus sit, non ex Deo natus. Qui si natus est, unius substantiæ est: si factus est, verus Filius non est: & si verus Filius non est, nec verus Deus est: aut si verus Deus est, & de Patre non est, duo sunt habentes singuli & voluntates proprias, & imperia diversa: vel si concordia tantùm & societate unum sunt, non tamen & substantia verus, ut jam dixi, Deus non est.

Sic erit Deus, ut Moyses Pharaoni, potestate, non genere: (Exod. 7. 1.) Filius quoque ita credendus erit, ut per Esaiam populo dictum est: *Filios genui & exaltavi*; (Esai. 1. 2.) & alibi: *Dii estis, & filii Altissimi omnes.* (Psal. 81. 6.) Sed & primogenitus ita habebitur, quomodo & Israel à Deo primogenitus filius appellatus est. (Exod. 4. 22.) Nec non & primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur; ut ex eo seriem quamdam creandis mundi rebus adsignent.

Denique sublato ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ [d] vocabulo, ὁμοιούσιον, id est, similem factori suo, posuerunt; cùm aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est: (Gen. 1. 26.) nec quod Deus est, homo exstitisse credendus est. Ita & Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de ipsa una sancta & beata Patris substantia dicant. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est, ex nullis exstantibus, ut idem Arrius tradidit; sublato enim eo quod Pater est, undecumque fuerit Filius, necesse est ut & initium ex nihilo, & ortum ex tempore habeat: nihil enim sine initio, nisi solus Deus.

Unde & Filius, sicut ipse Dominus ait: *Ego & Pater unum sumus.* (Johan. 10. 30.) Quod ideo dixit, ut duarum personarum [e] vocabula in unius deitatis majestate monstraret, sicut & Propheta ex voce Dei: *Eructavit*, inquit, *cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea regi.* (Psal. 44. 1.) Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde quam de paterno pectore, &, ut ita dixerim, de utero cordis Dei credimus natum. Et proinde eum regem appellat, quia ipse est rex regum: Deum dominum, cui omnia divina opera succumbunt, qui dixit: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt.* (Johan. 16. 15.)

De hoc & Evangelista: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* (Johan. 1. 1. & seq.) Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est: sed nec aliunde esse, quam ex eo qui principium non habet, id est, de corde Patris; quia *eructavit*, inquit, *cor meum Verbum bonum.* (Psal. 44. 1.) Non enim dixit: In principio factum est Verbum: sed *in principio*, inquit, *erat Verbum.* Quodcumque principium Verbi adsignare volueris, præjudicatum habebis, quia *in principio*, inquit, *erat.*

a. MSS. Lat. & Tell. *ego suspicione, nec aut opinione* &c. melius omnes edit. ut in textu.
b. Tell. cod. & Amerb. *quæ vera ratio exstitit.*
c. Vigiliana edit. *Spiritu sancto mundati.*

*. Elogium aliquando item significat, ac formula quædam condemnationis.
d. Ita edit. Rom. & Chiffl. vet. autem ac mss. *vocabulo similem factori suo posuerunt.*
e. Lat. cod. *vocabula, unius deitatis majestatem monstraret.*

Non quod duo principia ex rerum diversitate dicamus, sed quia Sermo Filius semper cum Patre est, & de Patre natus est. Ac proinde cujus origo principium non habet, sempiternus cum Patre credendus est; quia nec Pater potest unquam sine Filio nominari, nec Filius sine Patre vocari: ac per hoc semper Filius, quia semper Pater.

Et *Deus*, inquit, *erat Verbum*. Quod Deus est, semper est; ne si semper non fuerit, verus Deus esse non possit, sicuti & in Sophiæ nomine, quia secundùm Apostolum (1. Cor. 1. 24.) ipse est Sapientia Patris. *Ego*, inquit, *ex ore Altissimi prodivi*. (Eccl. 24. 5.) Non ergo aliunde quam de Patre, quia semper cum Patre. Et ideo Sapientia Dei appellatur, ut numquam Pater sine Sapientia, hoc est, sine Filio suo fuisse credatur. Hæc est illa Sapientia ineffabilis, [a] quæ initium viarum Dei apud Salomonem (Prov. 8. 22.) vel condita, vel genita, vel creata describitur; quam tamen sic conditam dicit, ut semper eam cum Deo fuisse ostendat. Quod enim initium Deo dabis, ut initium possis Sapientiæ ipsius consignare? Non enim ita Deus Sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine Sapientia fuerit: sed cùm initium viarum suarum dicat, initium motus operis alicujus ostendit; ut hoc initium habeat Sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia, tam cælestia quam terrestria, non quo cœperit esse in Deo. Creata est ergo Sapientia, immo genita, non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab ea fieri oportebat; ut quia quanta & qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus ejus & potentia nosceretur: [b] ut quod de conditis æstimamus, tunc magis timeremus, cùm facta miramur.

Ceterum si tu ita creatam Sapientiam dicas, ut Filium Dei creaturam intelligas; occurrit tibi Apostolus, condemnans eos qui creaturam colunt, dicens: (Rom. 1. 24. & 25.) *Propter quod tradidit illos Deus in desiderium cordis eorum in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semet ipsis: qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus Deus in sæcula.*

(Eccl. 24. 5.) Hæc est, inquam, illa Sapientia Dei, quæ dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi*, universitatis conditrix & effectrix, id est, Filius Dei, per quem omnia, & in quo omnia; quia ut Apostolus dixit: (Coloss. 1. 16.) *In ipso constituta sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Virtutes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant.* Hinc & Salomon: (Sap. 7. 27.) *Cùm sit*, inquit, *una, omnia potest; & permanens in se, omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert.* Quod confirmans Apostolus, ait in interiore homine habitare Christum; (Ephes. 3. 16.) ut per quem à principio omnia facta sunt, per ipsum & in fine cuncta salventur.

CAP. III.

SEd dicis mihi ὁμοούσιον id est, unius substantiæ nomen ob hoc potius quam creatorem adorant, servantes eadem utique quæ Apostolus dixit: (Philip. 2. 10.) *Ut in nomine Jesu omnes genuflectant, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur.* Et Moyses (Deut. 32. 43.) *Adorent*, inquit, *eum omnes Angeli Dei.* Et David: (Psal. 71. 11.) *Omnes reges adorabunt eum.* Quod quidem in Scripturis non diceretur, sed quia ipse est Sermo Filius omnium opifex.

Sed dicis ὁμοούσιον nominari non oportere, quia in scripturis divinis non contineatur. Quæro & ego, homo, qui hoc prohibes; si ideo nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi non liceat?

Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? (Rom. 10. 10.) *Corde enim*, inquit Apostolus, *creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.*

Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum; obtineat arrianæ labis adsertio, quæ ideo Patrem & Filium unius substantiæ denegavit; quia Filium Dei modo ex nihilo, modo ex Patre, sed ab alia substantia, quando voluit & quomodo voluit, & unde voluit factum inducit; dummodo aliunde eum, & non de eo quod Pater est, exstitisse confingat. Quem etsi natum dicit, sed hoc dicto tenus; quia rursum omne quod natum est, factum intelligit, eo quod & nos à Deo geniti appellemur, quos constat esse facturam.

Vel si Arrianus non es, & verum Filium de vero Patre natum non factum agnoscis; cur non eum cum Patre unam substantiam dicis? Frustra times, homo, profiteri quod credis; & frustra credis, si ita non credis, & merito hæreticus denotaris. [c] Et quamquam immutaveris dictum, quo putaris prohibuisse Dei Filium nuncupari facturam; sed cùm subjungis: Sicuti aliquid horum, quod factum est; ex aperto ostendis non ob hoc [d] facturam dici noluisse, quasi non debeat factus intelligi; sed non ita factum vis, sicut aliquid horum, quod factum est, sed tamen factum. Aliter enim dicis factum, ut pote perfectam creaturam, per quem facta sunt omnia; dummodo & ipsum factum intelligas, licet non ita ut cetera.

Sed ut ad id revertar, quod dicis in scripturis divinis ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ vocabulum non inveniri, finge hoc interim sic sit, eo quod ubicumque substantia legitur, res Dei non Deus accipiatur; quamquam & aliud quod scriptum non est, pariter profiteatis, id est, Deum ex Deo, lumen ex lumine: quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si enim unius substantiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non est; timere identidem debes Deum ex Deo, & lumen ex lumine profiteri.

Sed ego probo Deum de Deo, lumen de lumine, & & unius substantiæ vocabulum [e] in divinis scripturis contineri. Cùm enim ipse Dei Filius, qui Deus est, in Evangelio suo dicat: *Ego de Patre exivi*; (Johan. 16. 27.) jure & meritò Deum de Deo profitemur, quia de Deo Patre Filium Dei Deum verum de Deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere, ut nos dii sumus appellati, (Psal. 81. 6. Exod. 7. 1.) vel ut Moyses Pharaonis deus est dictus: sed quia verus est Filius, [f] de vero Patre natus est; vere & confidenter Deus de Deo dicendus, & sic lumen ex lumine.

Quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino [g] non sentis. Et quia scriptum est de Patre: (1. Johan. 1. 5.) *Deus lux est*; & de Filio: (Johan. 1. 9.) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; &: *Lux lucet in tenebris*, id est, Christus in sæculo; *& tenebræ eam non sunt adsequutæ*; ii scilicet homines quorum cor ignorantiæ tenebris obcæcatum est, Christum verum Deum, & verum Dei Filium non agnoverunt. Sed ipse Dominus: (Johan. 8. 12.) *Ego sum*, inquit, *lux mundi: qui me sequutus fuerit, non ibit in tenebris; sed habebit lumen vitæ.* Ergo quia lumen Pater, & lux Filius, recte lumen de lumine.

Sed lumen ex lumine ita adseris, quasi à Patre qui verum lumen est, aliud lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit: sed sicuti aliud quodlibet lumen, quamquam à Deo sit factum, longe tamen aliud sit ab eo, qui fecerit; & ideo lumen ex lumine, non de lumine dicis. Cùm ergo hæc præloquutus sum, licet mecum non intelligas, tamen quomodocumque ipsa pronuntias, cùm scripta non sint. An non & unius substantiæ vocabulum, quod in Scripturis non putas contineri, mecum pariter profiteris: nisi quia illic habuisti quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in utroque contegeres; ut mecum hoc ipsum sono vocis exprimeres, sed tamen longe dicti intelligentiam separares?

Sicuti & illi hæretici qui resurrectionem carnis negant, ad decipiendas [h] animas simplicium, væ dicunt his qui in carne non resurgunt. Sed si discutias eos cur hoc dixerint, cùm scias illos carnis resurrectionem omnino negare, dicent tibi: Væ utique illi erit, qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius dum in corpore est, de morte delictorum suorum, ut de sepulcro criminum per baptismum, in eadem resurgat. Solius enim animæ per lavacri vitalis gratiam resurrectionem in carne defendunt; nam & ipsius carnis salutem excludunt. Et hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt. Et ut solet lethale poculum mellis dulcedine temperatum, suavitate fallente, perimere; sic & hoc malum per blandimentum au-

a. MSS. Toll. & Lat. nec non vet. & edit. quæ initio: & infra, sed edit initio: Rom. & Vigil. sed viam creatam.
b. Vigil. edit. ut dum conditorem de conditis.. timeamus.
c. Toll. cod. & Vigil. edit. quamquam non immutaveris dictum. Haud recto sensu.
d. Gill. & Rom. edit. facturam dici voluisse. Perperam.
e. Tellet. in scripturis divinis.
f. Vigil. edit. de vero Patre natus, non factus est.
g. Omnes exstant atque editi cod. Ambrosii nomen præferentes, non sentis et quia scriptum est de Patre. Deus lux est quæ illuminat omnem hominem ... id est, Christus in sæculo; & tenebræ ... ii scilicet homines .... non agnoverunt: sed ipse &c. Nos vero locum ex edit. Vigil. restituimus.
h. Hunc etiam locum nobis edit. Vigil. restituit, cùm haberetur in mss. & edit. Ambrosianis in hæc verba, animas simplicium, dicunt his qua in carne non resurgunt .... dicent tibi: Utique ille erit &c. inepto sensu.

rium, audientium sensus quadam labe contaminans, contagione vitii adhærentis inficit.

Cap. IV. DEnique & nunc possent ὁμοούσιον sicuti & cetera verbo tenus nominare, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam scævo sensu perverterent: sed cùm viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus fieri voluerunt; ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes professi viderentur: subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oportere, ne corporeus crederetur.

Deus etenim, inquiunt, efficit ut sit substantia, non tamen ut ipse Deus in substantia deputetur: quippe, aiunt, B cùm omnis substantia contraria recipiat. Deus vero qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet.

Ignoscerem tibi si hoc simpliciter diceres, si rationem rei velles scire, si rudis ad hanc quæstionem accederes, si non ipse esses, qui semper vel de alia substantia, vel de nullis exstantibus Dei Filium adserebas: at cùm idem ipse sis, qui hinc sæpe convictus, sæpe confessus, sæpe negasti, sæpius aliter immutando damnatus es: qui etiam [a] nunc vi, ambitione & potentia exagitans, turbas omnia; quomodo putas me ignoscere tibi posse frequentius eadem retractanti? Sed ne videatur hæc perversitas præjudicata magis C quàm examinata damnari, breviter tibi de hac oppositione respondeam.

Prohibes itaque in Deo substantiam nominari, quasi omne quod substantia dicitur, res ipsa unius generis habeatur. An ignoras aliter cælestia, aliter terrena constare; sed & in ipsis cælestibus rebus atque mundanis magnam differentiam interesse? Aliter enim Angeli, aliter singulæ Virtutes constitutionum suarum substantias acceperunt, sicuti Apostolus ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.* Sic & in hoc mundo, ut diversa genera rerum, ita & diversa corpora animantium, & omnibus sui cujusque generis substantia, sicut Apostolus dicit: *Non omnis caro eadem caro.*

1. Cor. 15. 41.

Ibidem 39.

D Si ergo ea quæ à Deo facta sunt, diversas qualitates substantiarum suarum habent; tu putas in Deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod factum est ut possit contraria recipere? Absit. Quæ est enim substantia Dei? Ipsum quod Deus est, simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum totum. An tu putas inane aliquid esse & vacuum, quod est Deus? Hoc enim dici blasphemia est, ut inane putetur, per quem cuncta constiterunt, qui omnia verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit, cujus nutu & imperio universa reguntur, cuncta deserviunt.

E Et bene de Deo legis scriptum: *Ego sum, qui sum*; &: *Qui est, misit me.* Et ipse salvator Dominus: *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Est ergo [b] in substantia essentiâ suâ Deus, cujus cognitio vita æterna est, qui & tantus est, quantus dici non potest. Qui tunc digne æstimatur, cùm inæstimabilis dicitur, utique velis ac nolis.

Exod. 3. 14. Ibidem. Johan. 17. 3.

F Ergo ipsum quod est, hoc est substantia ejus rei, quæ esse defenditur; quod tamen jam dictum est, quantum & quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest; dummodo constet esse, quod esse creditur; ut de eo ipso quod Deus est, inde sit Filius, ut verus sit Filius, & verus sit Pater in Filio, & Filius in Patre. Hoc erit ὁμοούσιος, id est, unius substantiæ cum Patre, sicut ipse Dominus ait: *Ego in Patre, & Pater in me*; &: *Ego & Pater unum sumus*; &: *Ego de Patre exivi*; &: *Qui me videt, videt & Patrem.*

Johan. 14. 10. Ibid. 10. 30. Ibid. 16. 28. Ibid. 14. 9.

Non immerito, quia Filius Dei de Deo Patre natus est; & ideo de unitate substantiæ, & de majestate deitatis unum sunt, sicuti & Hieremias prophetavit: *Quis stabit in substantia Domini, & videbit Verbum Domini?* Et iterum: *Si stetissent in substantia mea, & si audissent verba mea, avertissem eos ab studiis eorum pessimis.* Et apud Salomon: *Substantia mea, dulcedo mea est.*

Hier. 23. 18. Ibidem 22. Sap. 16. 21.

Cap. V. CUm ergo hanc unitatem substantiæ in Patre & Filio non solum prophetica, sed & Evangelica auctoritate A cognoscas; quomodo dicis in scripturis divinis ὁμοούσιον non inveniri, quasi aliud sit ὁμοούσιον quam quod dicit: *Ego de Deo Patre exivi*; &: *Ego & Pater unum sumus*: Vel quod prophetæ ex aperto substantiam Dei intimabant?

Johan. 16. 28. Ibid. 10. 30.

Hæc est autem nominis ratio, ut in Patre & Filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam, quæ est inenarrabilis, definire non possis; ut sive lumen de lumine dicas, sive verbum de verbo, sive spiritum de spiritu, sive dominum de domino; quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem & Filium credas: & de eo ipso quod Pater est, Filium intelligas. Nam si aliquam comparationem de rebus his quæ videntur, in eo facias; ipsa dissimilitudine B rerum non rationem ostendes, sed altercationem disputationum induces, [c] ut cujus voce descriptum est: *Cui me comparabitis?* Ac proinde Deus cui adsimilari nihil potest, sufficiat credi, quod ipse sentitur, quem ipse credi se voluit, non indicari.

Esai. 45. 5.

Denique si de hoc ipso quod mecum profiteris, ad aliquam similitudinem velis in Deo conferre, nescio an quod comparaveris, possis expressius definire: ut puta cùm dicis lumen ex lumine, si ad explanandum illud scrupulosa narratione cogaris, quæro quomodo lumen ex lumine credas? Utrum quasi lucernam ex lucerna, vel quasi solem ex sole; ut aut duas lucernas, aut duos soles, quasi duos deos sub C hoc exemplo inducas? Aut splendorem luminis ejusdem lucernæ, vel claritatem solis de eodem sole fulgentem, lumen de lumine consignes, ut in matricem luminis Patris figuram adsimiles, Filium vero in splendorem claritatis ostendas; quod de eo Propheta dixerit: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*; vel Salomon, cùm dicit: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*; vel Apostolus hic prædicaverit Salvatorem nostrum imaginem esse invisibilis Dei, eo quod imago [d] solis lux sua sit, quæ de eodem sole procedit.

Psal. 35. 10. Sap. 7. 26. Coloss. 1. 15.

Sed quanta ad hæc responderi possunt, quæ lites generant, quod Apostolus prohibet, longum est dicere: quippe D cùm constet lumen illud quod Deus est, æstimari, comprehendi & definiri non posse: nec vere aliquid ex his, quæ in hoc mundo sunt, majestati divinæ comparari; quia nihil de omnibus istis, quæ videntur aut dicuntur, secundùm id quod Deus est, condigna similitudine æstimari potest, quippe cùm ipsis intellectibus & sensibus major sit.

1. Tim. 2. 14.

Ideo præmonuit ut divinitatem substantiæ crederes, & verum Filium de vero Patre cognosceres: de qualitate autem rei requirere non deberes; quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim prophetæ, hoc apostoli prædicarunt.

Cap. VI. E DEnique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certe hic est, de quo & cùm dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari: cùm comparatur, non potest comparari: cùm definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cælum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Cujus nomini & virtuti famulatur hic orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse, cui possit Pater comparari & Filius; quia talis est Filius, qualis & Pater; non enim ipse se unum cum Patre diceret, F nisi talem se, qualis est Pater, sciret.

Ratio quædam est, quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem & Filium personas vel vocabula distinguit; quia & ipse Filius ratio dicitur. Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur: modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas, modo vita: Et ita cùm sit Deus omnia in omnibus, ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa majestas Filii Dei proprie definita monstretur.

Quid est enim Filius de eo quod Pater est? Alius idem. Nam [e] & ob hoc Verbum nuncupatur, quia ex proprio

a. Ambr. edit. cum cod. Tell. nunc in ambitione exagitans: Vigil. edit. cum Lat. cod. vi, ambitione, sed sola edit. Vig. addit, & potentia.
b. Ita omnes edit. & cod. Lat. at Vigil. edit. reservit, essentia sua, pro quibus Tell. cod. substituit, secretiùs suâ. Verum recepta lectio non est mutanda; idem ea significat, ac si scriberetur, in ordine substantiæ per essentiam suam.

c. Vigil. edit. sola. Et quia ex voce Dei scriptum est.
d. Vox solis in edit. desideratur, quam è cod. Tell. restituimus integritati sensus non inutilem.
e. Ante edit. Nam & hoc Verbum: melius Vigil. & codex Tell. Nam & ob hoc, id est, ob hanc rem &c.

divino

divino ore processit, & nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia vere de Deo & semper cum Deo est, & omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientiæ appellatur, quia de corde Patris adveniens, arcana cælestia credentibus reseravit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera divina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil illo pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur, ut in ipso omnes opes & divitiæ regnorum cælestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari sæculi diversa gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in Ecclesia congregatur, ubi bonorum malorumque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subjiciuntur, [a] ut necessario semini ipsa præparentur. Fons aquæ vivæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cælestis aquæ gratia irrigentur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis dicitur, quia utrosque parietes novi & veteris Testamenti unus & mediator in semet ipso continens copulavit. Agnus dicitur, ut innocentia Christi & passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post venerabilem resurrectionem, [b] ut rex alitum ad Patris pervolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est rex regum, qui mortem ac zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum adscensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita est, quia ipse universa vivificat.

Vides ergo per hæc vocabula significationes & dispositionum & operum divinorum præostensas; non tamen ipsum Deum proprie definitum? Est ergo Pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est & Filius ejus Deus & dominus noster, tantus, quantus est & Pater: sed non aliunde quam de Patre: *quia ego*, inquit, *de Patre exivi*, hoc est, lumen de lumine. *Johan. 16. 28.*

CAP. VII.

SEd ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cùm duo nomina, vel duas personas, id est, Patris & Filii statuo, quasi duos deos dicam, ut illi duos ex diversitate confingunt: nos autem Patrem & Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis & nominibus consignemus. Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli eorum, qui potestatum diversitate variantur: *Nobis* tamen *unus Deus est Pater*, ut Apostolus dixit, *ex quo omnia, & nos ex ipso: & unus dominus Jesus Christus*, Deus Dei Filius, *per quem omnia, & nos per ipsum*. *1. Cor. 8. 6.*

Nam per duo quid aliud intelligitur, quam duorum per partes divisa substantia, [c] & cùm nominibus ipsis dissociata natura agendi ac jubendi tam voluntas, quam imperia divisa? Porro Pater ac Filius etsi duæ personæ creduntur, ratione tamen & substantia unus sunt. Nam inæqualium societas melioris offensa est, & in injuriam ejus, qui verus Deus est, non verus alius comparatur. Cùm autem ego Patrem & Filium statuo, unitatem generis adsigno: & si illam in personis divido; discretiones tamen personarum rursus eadem nomina in unitatem sui naturali legis fœdere consignant.

Unde & tantus est Filius, quantus videbitur Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataque virtute, sicut Apostolus dicit: *In quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat*. Nam [d] & Hieremias receptissimus prophetarum, hanc unitatem divinitatis in Patre & Filio sciens ait: *Hic est Deus noster, & non deputabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Et Esaias hoc ipsum prædicat dicens: *Hæc dicit dominus Deus: Fatigata est Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabaim, viri excelsi ad te transient, tui erunt servi, & post te ambulabunt vinctis compedibus, & te deprecabuntur; quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te: tu es enim Deus.* *Coloss. 2. 9.* *Baruc. 3. 36. & seq.* *Esai. 45. 14.*

Quod ne putes me eo supercilio dixisse, quo Sabellius fertur, qui ipsum Patrem, ipsum Filium profitetur, non ita nos totum in unam sententiam cogimus, ut aliorum hæreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum auctoritas indiscreta cognoscitur, & Filius non genere, sed personaliter à Patre nominatur; proinde totum Patri adscribimus, quod est Filius: & totum Filio, quod Pater est. Nihil non videbitur Patris, quod judicabitur Filii: nec Filii, quod defenditur Patris; quia unitas majestatis non sinit deos plurali vocabulo appellari: quippe cùm constet Patrem & Filium unius esse substantiæ, unde uterque unus Deus est dictus.

Illud ante cuncta metuentes, [e] quia nisi Pater & Filius unum non sint, in invidiam recurrat auctoris interpolata nativitas; hoc enim placuit hæreticis, ut Deus ille omnipotens, invisibilis, immensus degeneraret in Filio, [f] non modo potestate, sed conditione mutata, quasi non potuerit Pater de semet ipso talem habere, qualis & ipse est. Proinde nos verum Filium de vero Patre, qui semper fuit, & est unius substantiæ cum Patre, defendimus. Et hoc est, quod Græci ὁμοούσιον appellant, id est, cum uno aliud ipsum; [g] ut personæ audientia nominatim fierent, & non ut substantiam vocabula separarent.

CAPUT VIII.

SEd ut omne mysterium hæresis Arrianæ traducam, cur nolint Filium de Patris substantia credi, breviter intimabo. Aiunt enim: Cùm sit Deus Pater omnipotens, invisibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, æternus: Filius vero visibilis, quia sæpe patribus visus est; & convertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque se se monstravit: qui si de Patris, inquiunt, esset substantia, numquam fieri posset, ut ante carnis adsumtionem aut visibilis aut mutabilis cerneretur; quin potius in æqualitate qua Pater est, permansisset, ex cujus substantia erat; quia quod de Patre est, nec videri, nec mutari, nec converti posse credendum est.

Accedit ad causam, quia cùm illapsus est in Mariam, cùm Virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quàm quod venerat, natum est. Unde jam, inquiunt, corrupta substantia [h] statum vertit, ordinem perdit, continuo immutatione ipsa formandus de Deo in hominem, de spiritu in carnem. Et utique translatio omnis interemtio est pristini. Ac per hoc aiunt: Si Filius de Patris substantia esset, jam & Patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione, vel fine: & proinde Filium ex alia substantia credere maluerunt, quod converti, & mutari, & videri possit; quia hoc de Patris substantia credi non liceat.

Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis arrianæ; dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent. [i] Quibus primo respondendum in loco Filium Dei non ita visum, ut Deus erat, sed ut homo capere poterat de Deo; deinde variis figuris non mutabilem & convertibilem ipsum esse, sed hoc esse potentiæ Dei, ut cùm se singulis, prout vult, revelare dignatur, habitum mutet, non substantiam vertat: nec proprietatem qualitatis amittat, sed juxta meritum videntis temperamentum majestatis adhibeat; ipse tamen idem, ut semper est, in substantiæ suæ proprietate permaneat, sicut scriptum est: *Mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* *Psal. 101. 28.*

Nam etsi multa sunt ex his, quæ in hoc mundo videntur, quæ ex alio convertantur in aliud, ut desinant esse quod erant, & hoc sint quod retro non fuerant; ut limus cùm in hominem figuratur, limus esse jam desinit: aut pisces, aut aves cùm de aqua procedunt, ex eo jam non aqua, quia aliud: ut lutum figuli cùm solidatur in testam: ut lapis, cùm dissolvitur decoctus in calcem: ut arena cùm mutatur in vitrum, & cetera, quæ longum est recensere. Sed multum interest, stulte hæretice, inter ea quæ facta sunt, & eum qui omnia, quemadmodum voluit, fecit. Quæ facta sunt, adscriptæ conditioni deserviunt: qui vero fecit,

a. Edit. Ambr. ut necessatura in ipsa e cod. Tell. ut necessaria in ipsa: optime Vigil. ut in textu.
b. Ita codex Tell. & edit. Vigil. Ambr. vero, ut rex alitum ad Patris &c.
c. Ambr. edit. cum cod. Tel. & Lat. & cum nominibus ipsis dissociata: Vigil. conciliatius, ut in textu.
d. Rom. edit. sola. Nam & Baruc. Sed & hunc Hieremiæ nomine etiam ab Ambrosio citari jam ante non semel advertere licuit.
e. Vet. edit. quod nisi Pater: Vigil. ut si Pater: mss. quia nisi Pater. At seq. membro ubi vet. edit. ac mss. invidiæ recurrat, multo melius Vigil. in invidiam recurrat.

f. Ita edit. Vigil. cum in aliis ac mss. habeatur: Non modo potest esse de auctoritate, nullo sensu.
g. Vet. edit. ut personæ audientis nominatim: Vigil. & mss. ut personæ audientia nominatim, mss. nominatim. Quod autem ad additionem ὁμοούσιον attinet explicat non uno aliud ipsum; hoc Ambrosius paulo fusius exhibet lib. 3. de Fide cap. 15. num. 126. quem locum à Basilio observatum vobis adnotavimus.
h. Ambr. edit. & cod. Lat. statum vertit ordinem, perdit continuo immutatione, ipso formando: Tell. .... mutationem ipsam formando, secunda manu, ipsa formandi, optime edit. Vigil. ut in contextu.
i. Tell. cod. & Vigil. edit. Quibus primo in loco respondendum est Filium &c.

suæ voluntatis & proprii juris est. Neque potest in aliud, quam quod est, aliquo cogente, mutari: sed prout vult, & cui vult, se demonstrat. Nam si Angeli in figura hominum sæpe sunt visi, & tamen aliud non sunt, quam quod se esse norunt, neque substantiam mutant, cùm formam humani corporis sumunt; quanto magis ipse Dominus noster qui omnia fecit, qui ipsis Angelis ut hoc possent, sua institutione concessit?

Huc accedit quod sic Filium Dei, ut jam dictum est, visum à Patribus approbamus, ut non totum in illo, quod Deus est, videretur: sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis Filium Dei videre potuit, antequam conspicabilem materiam, sicut ei placuit, adsumsit, vel ipsum hominem induere dignatus est?

Gen. 18. 1. Qui etsi Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est, quo scilicet postremis temporibus in homine venturus esse ostenderetur.

Ibid. 18. 13. Jacob etiam alibi in Angelo, alibi æque videtur in homine. Qui ideo se in Angelo demonstravit, ut nuntium se magni consilii indicaret: in homine verò, cùm quo & colluctatus fuisse describitur; ut imaginem futuræ colluctationis, quam cum Israel habiturus erat, cùm secundùm hominem advenisset, præcipue indicaret. Sed ut Dominum crederet, cùm quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur, Israel, id est, homo videns Deum, nomen accepit. (Ibid. 32. 24. Ibid. 32. 30.) *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea*. Et utique figuram hominis viderat, quam Deus Dei Filius induerat.

Exod. 3. 2. Moysi in rubo in flamma ignis apparuit, ut lumen credentibus, incredulis judicium demonstraret; quia Christus credentibus salus est, non credentibus pœna, ut Apostolus ait: (2. Cor. 2. 16.) *Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.*

Exod. 13. 21. Populum Israel in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis quasi dux itineris præcedebat; ut baptismi gratiam per nubem, & donum sancti Spiritus per ignem ostenderet; quia apostolus Paulus in nube Patres baptizatos scribit, & Spiritum sicut ignem esse apostolorum Acta declarant. (1. Cor. 10. 2. Act. 2. 3.)

Vides ergo per omnia, hæretice, characteres divinarum scripturarum in honorem Dei Patribus præostensos: non tamen ipsum Deum, ut est proprie revelatum. Denique cùm Moyses oraret ut faciem Dei pure videret, quid ad illum continuo Deus? (Exod. 33. 20.) *Non poteris*, inquit, *videre faciem meam, non enim videbit homo faciem meam, & vivet.* Hoc ipso quod negatur adspectus, claritas adsignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est, quæ invisibilis indicatur. Cùm ergo Moyses qui & situm cæli, & ordines mundi, & elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicarit, expresserit; cui ipse Dominus testimonium perhibuit dicens: (Num. 12. 7. & 8.) *Nemo erit ex prophetis ut servus meus Moyses, cui facie ad faciem, ore ad os loquutus sum*: Deum tamen pure videre non potuit. Merito quidem prophetia omni dignus, sed non usque adeo ut intueri Deum valeret, qua homo tantummodo esset.

Exod. 31. 18. Et utique hæc omnia Filii verba defendimus, quem in monte Sina cum Moyse loquutum esse scimus, qui agendis explicandisque rebus à Patre advenerat; quia omnia a principio per ipsum & ordinari, & explicari, & manere convenerat, ut habendi Filii hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materiæ dispositione adsumta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus, quàm à conspectu omnium majestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis adspectibus revelatus est, ut tota in illo deitas appareret: sed ad vicem speculi cùm conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem hominis includit; [a] ita majestatis ejus præeunte fulgore, intra id visum est, quod imaginem veritatis, non ipsum Deum proprie demonstraret.

Sic & cùm hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit; ut spiritum in carnem mutaret, sed ut suscepto homini immortalitatem atque æternitatem cælestis vitæ præstaret. Nam etsi Apostolus semet ipsum exinanisse dicit: formam servi suscipiendo, non utique sic exinanitum accipimus, ut aliud, quam quod fuerat, [b] idem Spiritus fieret: sed ut seposito interim majestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cùm nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur; & lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille quem dominus Jesus, salvatorque noster, id est, Deus Deique Filius induit; [c] Deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit.

Matth. 17. 6. Denique cùm in monte se paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis ejus pene obcæcati apostoli in terram quippe homines ceciderunt, periclitati vitam, nisi eis Dominus compresso rursum majestatis suæ honore ut misericors subvenisset, secundum illam sententiam: (Exod. 33. 20.) *Nemo vidit Deum, & vixit.* Ut ergo claritas solis, [d] cùm non usque ad nostros emicat visus, sibi salva est; quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas: [e] ita probat se non suo detrimento proprii latuisse fulgoris; sed carnis, ut dixi, beneficio, cujus causâ Filius Dei filius hominis esse sustinuit.

Nempe enim de Spiritu Dei Virgo concepit, & quod concepit, hoc peperit, id est, Deum homini suo, ut jam dixi, sociatum, sicut ipse dixit: (Johan. 3. 6.) *Quod nascitur de carne, caro est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est*; quia Deus spiritus est, & de Deo natus est. Sicut & Angelus ad Mariam Virginem dixit: (Luc. 1. 35.) *Spiritus Dei veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Vides ergo ipsum spiritum, id est, Filium Dei venisse ad Virginem; & inde Dei & hominis Filium processisse: nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum cum Patre; per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, sicut Evangelista ait: (Johan. 1. 10.) *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.*

Ceterum amentis est credere ab eo posse liberari, qui ut liberaret, amissus est; ut nasceretur, oppressus est: ut immortalitatem reciperet, transivit ad mortem. Sed absit, hæretice, ut sensus tuæ iniquitatis à catholicis admittatur; nos enim credimus immutabilem & inconvertibilem, Verbum & spiritum, id est, Filium Dei; qui cùm hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutavit: sed illuvias ejusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustravit; ut ad nos per tramitem corporis ejus lux sancti Spiritus, & æternæ vitæ gratia redundaret.

Quem etsi passum credimus & sepultum, sed homo ille passus est, quem Filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit. Sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid homo ille patiebatur; ideo mors & passio Domini judicatur; nam constat immortale esse, quod Dei est: hominis, quod caducum.

Tertia quoque die resurrexit non Deus in hominem, sed homo potius in Deum.

Adscendit in cælos, obtulit Patri suo hominem illum gratissimum munus, consedit ad dexteram Patris, secundùm quod scriptum est: (Psal. 109. 1.) *Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam.*

Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, & ipsa una substantia sua, protectorem, sanctificatorem, & deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei: (Johel 2. 29.) *Effundam de Spiritu meo super servos meos, & ancillas meas.* Et iterum: (Esa. 57. 16.) *Spiritus ex me prodibit.* Et ipse Dominus salvatorque noster: (Johan. 16. 15.) *De meo*, inquit, *accipiet*; ex eo utique quod est Filius, quia & Filius de eo quod Pater est.

Exinde præfinito tempore venturus, vivos mortuosque judicaturus; ut reddat credentibus præmia, non credentibus vero supplicia.

Cujus regnum æternum, immortale; nec initium habet, nec terminum: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum.

Hæc qui legis, per Deum obsecro, ne simplicitatem sensus in ambiguum torqueas, aut aliàs quam dicta sunt, trahas; quia nos Patrem verum Patrem confitemur, & Fi-

a. Vet. edit. & mss. Tell. *ita majestas ejus . . . intra id visum esset*: magis concinne Vigil. edit. cum Lat. mss. *ita majestatis ejus . . . intra id visum est*, hoc est, sub his conditionibus visio concedi[t]ur.

b. Gill. & Rom. edit. *idem Christus fieret*. aliæ ac mss. *idem Spiritus fieret*. Minime male, supra enim scriptum legimus, *ut spiritum in carnem mutaret*.

c. Vigil. edit. *divinitatem in illo* &c.

d. Ambr. edit. ac mss. *cum usque ad nostros*. Vigil. edit. negationem adjicit, quam quidem illic necessitas sensus exigit.

e. Vigil. edit. *ita & majestas illa divina, quæ, ut dixi, corpus induerat, probat se non suo* &c.

lium Dei verum Filium Dei, & Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum credimus: tres personas unius substantiæ, & unius divinitatis confitentes. Sabellii autem, & Photini, nec non Arrii sectam, & si qua alia sunt, quæ contra regulam veritatis veniunt, condemnamus. Nicænæ autem synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes, amplectimur; hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum.

IN LIBELLUM DE DIGNITATE SACERDOTALI ADMONITIO.

Non omnino perfunctorie hanc opellam dispicienti ambiguum non erit eam sancto Ambrosio suppositam fuisse; idque non solum quod habeat versionem Hieronymi, & senatores noscendos non lato clavo, sed chlamyde adserat, ut observat [a] *Blondellus: at multo magis quod nihil contineat ab Ambrosii & ingenio & sæculo non alienum. Verum tamen in omnibus Operum sancti Doctoris editionibus idem libellus locum obtinuit; & in scriptis etiam codicibus, si unum exceperis, præfixo Ambrosii nomine illustratur. Cùm vero tantus sit eorum consensus in auctore pseudepigrapho, mirum est quanta sit eorumdem in indicando Operis argumento varietas. Etenim cùm tam frequentes occurrant in bibliothecis, ut in sola Vaticana quatuordecim invenire sit; fere totidem ejus leguntur inscriptiones, quos manuscripti. Alibi quippe titulus illi præfigitur,* Liber Pastoralis, *sive* De Cura Pastorali; *alibi*, De Observantia Episcoporum: *modo*, de Vita & Ordinatione Episcoporum, & simoniaca hæresi; *modo*, Sermo de Episcopis & Sacerdotibus. De Apostolo in loco, ubi ait: Fidelis sermo &c. *nonnumquam*, Sermo de Pastoribus: *interdum*, Sermo de Mysteriis: *alicubi etiam*, De Ordinatione Episcopi per simoniam. *Sed ab aliis codex Ecclesiæ sancti Martialis apud Lemovices minus ab aliis recedit materia quam Auctoris significatione; sic enim præfert:* Sermo Gilberti Philosophi, Papæ urbis Romæ, qui cognominatus est Silvester, de Informatione Episcoporum. *Hunc libellum ex eodem codice exscriptum Mabillonius noster pro sermone nondum vulgato, 11. parte Analectorum edi curavit, haud dubie nova illa deceptus inscriptione. Verum tamen in hoc bene meritus est de eruditis, quod primus illum sub auctoris hujus nomine in lucem misit. Omnia profecto & persona & tempori satis congruunt.* [b] *Episcopus enim ordinis sui viros ibi alloquitur, idemque sæculum labe simoniaca maxime laborasse exploratum est. At nihilominus cùm manuscriptus ille ab aliis omnibus non in sensu quidem, sed tamen in elocutione perpetuo dissideat, revocari potest in dubium verusne ejus auctor haberi debeat idem Silvester, an aliquis interpolator: quod nos lectorum judicio definiendum permittimus. Porro ex variis illis codicum manu exaratorum titulis abunde cognoscitur duo tractari hoc in Opere,* [c] *scilicet episcopalem declarari amplificarique dignitatem,* [d] *& simoniæ crimen acriter impugnari. Cùm vero idem tractatus in memoratis codicibus partim sermonis partim libelli nomine inveniatur inscriptus, in controversiam forte venerit utrum vocabulum magis apte eidem conveniat. Fatendum quidem est in priori parte haud pauca esse, quæ sermonis speciem satis referant, sed cùm sub finem aperte nominetur libellus, ipsum inter libellos sive tractatus exhibere satius duximus.*

a. De Ferm Regn. Chn cap. 7.

b. Cap. 1. sub finem.

c. Cap. 2. 3. & 4.

d. Cap. 5. & seq.

DE DIGNITATE SACERDOTALI.

CAP. I. Si quis, [a] fratres, oraculum reminiscatur quo Dominus frugi famulum de servata sibi pecunia, quam ad prærogandum susceperat, increpavit dicens: [b] *Tu dedisses pecuniam meam, & ego veniens cum usuris exegissem eam*: non jam otiosus auditor collatam sibi divini muneris gratiam suis tantum usibus reservabit: sed cunctis eam communicabilem faciens copiosius prærogando, securus possidebit: ut sibi per hæc & plurimis ædificationis exhibeat fructum, & velut decora arbor pomis referta [c] non infructuose probetur occupare terram, dum vivit, cùm & per se ipsam suis pomis ornatur, & omnes qui ex ea fructum perceperint, saginantur, beato nos etiam Apostolo ad hæc eadem invitante: Nolite quærere quæ vestra sunt, sed quæ aliorum. Et alibi: *Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Idcirco nos quibus in verbis divinis credita est dispensatio, & qui gregem Christi alendum nutriendumque suscepimus, [d] non sine ingenti periculo noxam nos credimus evasuros, si non secundùm hunc modum vivamus, aut etiam si minime prædicemus. Et licet ad hæc prædicanda nos retardet vitæ hujus improbitas, invitat nos tamen præcepti necessitas. Et væ jam mihi est, si minime prædicavero, & si susceptum thesaurum in terra defossum, id est, in meo corde diu occultavero, & lucernam divini verbi compressam sub modio retentavero, & non super candelabrum propositam, cunctorum oculis manifestavero; & claustra humanæ imperitiæ per claves illas regni cælorum, quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minime reseravero: ut audire per hæc merear pro linguæ meæ modulo: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium domini tui.* [e] Unde verens iis increpationibus & suppliciis subdi, timore pœnæ perculsus, amore fraterno invitatus, non jam ad subditum loquor vulgus, quod jugiter monere consuevi, sed ad ipsos jam prædicatores vulgi mea verba converto: & meis conservis velut obediens servus, id est, episcopus sacerdotibus, antistes pontificibus, audacter prædicare [f] salutis commonitoria non retardabo. Nec prærogativam mihimet scientiæ, si hæc oneis consacerdotibus caritatis intultu prærogem, vindicabo, aut vitæ perfectæ me esse fateor, cùm de vita perfecta alios moneo: sed potius cùm hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor, audiam.

Luc. 19. 23.

Phil. 2. 4.

1. Cor. 10. 33.

Matth. 25. 21.

CAP. II. Aggrediar jam divina ope suffultus, facultate qua valeo, & eorum precibus adjutus, ad quos noster respicit sermo, desideratum carpam iter, & in gremio quasi

a. Vet. edit. & Mabill. *Si quis, fratres, oraculi reminiscatur Domini, quo frugi famulum de servata ... ad prærogandum*: Rom. edit. ... *quo famulum arguens ... ad erogandum*: mss. autem plurimi à vet. edit. hoc solùm distant quod omittunt vocem, *Domini*, & eorum aliquot non *fratres*, sed *frater* legunt: alii vero locum restituunt, ut in contextu.

b. Ita vet. edit. & mss. à quibus eo recedit Mabill. quod habet. *Tu si dedisses ... exegissem eam*: at edit. Rom. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam* &c.

c. Non pauci mss. *infructuosa probatur*: unus, *reprobatur*.

d. Vet. & mss. aliquot, *non sine ingentis periculi noxa*: cæteri, ut in contextu, quos etiam Rom. edit. secuta esset, nisi vi vocem eliminasset.

e. Ita edit. omnes, & mss. nonnulli: alii partim, *verens iis increpationibus & suppliciis sub diti timore pœnæ perculsus*; partim, *à suppliciis Dei timore pro lingua pœna perculsus*; quidam denique, *verens has increpationes & supplicia Dei, timore pœnæ perculsus*.

f. Omnes edit. *salutis commonia*: Mabill. *salutis monita*: optimi omnesque mss. *salutis commonitoria*. Cæterum nos male observat Latinos hunc nostrum auctorem hoc loco multum dissimilem esse ab eo, quem ipse se Ambrosius descripsit lib. 1. de Offic. cap. 1.

consacerdotum positus, ipsos alloquar sacerdotes. Audite me, beatissimi patres, [a] & si dignum ducitis, sanctissimi fratres. Audite me stirps levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi. Audite me rogantem vos pariter & timentem, [b] & commodis communibus sollicite consulentem, & honorem episcopatus demonstrare volentem; ut cùm honoris ejus prærogativam monstramus, merita etiam congrua requiramus; nec falli possimus in opere, qui cognoscimus veritatem in corde. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur à nobis, & sic deinde servetur à nobis; ut psalmographi sententia queat repelli à nobis: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Honor igitur, fratres & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. [c] Si regum fulgori compares & principum diademati, longe erit inferius, tamquam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cùm videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatâ eorum dextrâ, orationibus eorum credant se communiri. Quid jam de plebeia dixerim multitudine, cui non solum præferri à Domino meruit, sed ut eam quoque jure tueatur patrio, præceptis imperatum est evangelicis? Sic certe à Domino ad beatum Petrum dicitur: *Petre, amas me?* Et ille: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Et cùm hoc tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsequutus, repetitum est à Domino tertiò: *Pasce oves meas.* Quas oves, & quem gregem non solùm tunc beatus suscepit apostolus Petrus; sed & nobiscum eas accepit, & cum illo eas nos accepimus omnes. Unde quia regendæ sacerdotibus contraduntur, merito rectoribus suis subdi dicuntur; quia evangelico coruscante mandato videmus nihilominus esse præfixum: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum: sed sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; & servo, sicut dominus ejus.*

Psal. 48. 13. — Johann. 21. 15. & 16. — Luc. 6. 40.

CAP. III.

HÆc vero cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri; ut cùm dignitatem episcopatus episcoporum oculis demonstramus, & digne noscamus quid sumus, & quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, & crimen immane: ne sit honor sublimis, [d] & vita deformis: ne sit deifica professio, & illicita actio: ne sit religiosus amictus, [e] & irreligiosus provectus: ne sit gradus excelsus, & deformis excessus: ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior: ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam: ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam; ut digne nobis per prophetam respondeatur à Domino: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Ergo, fratres, sicut senatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, [f] sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores: sic episcopum non aliter nisi episcopalis operatio designat; ut ex bono opere magis, quam professione noscatur plus meritis esse episcopus, quam quod nomine vocitetur; quia sicut nihil esse diximus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur [g] & pontifex vitiorum maculis polluatur. Et ut levius est de plano corruere, [h] sic gravius fit, qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quæ de alto est, graviori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina gravior est. Magna sublimitas [i] magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptum est: *Quia semper optimis permixta sunt pessima*: Et alibi: *Potentes potentiora tormenta patientur*; &: *Scienti legem & non facienti eam, peccatum est grande*; &: *Servus sciens voluntatem domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum.* Aliud est enim quod ab episcopo requirit Deus, & aliud quod à presbytero, & aliud quod à diacono, [k] & aliud quod à clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibusque hominibus. [l] Et licet omnium hominum opera Deus in suo examinet judicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur; ampliores enim pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa.

Esai. 29. 13. — Luc. 12. 48. — Sap. 6. 7. — Jacob 4. 17. — Luc. 12. 47.

CAP. IV.

ET ut specialiter ipsius episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, [m] apostolica est nobis regula revolvenda, quæ de iis per singula episcopales actus depingit. Sic ad cunctos episcopos beatus ait Apostolus: *Fidelis sermo*; ac si diceret: De quo sum loquuturus, veraciter loquor; ne quis existimet me fuisse mentitum. Subjunxit: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, hoc est, si episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis: [n] sed si & opus bonum simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, episcopus esse non potes; quia sequitur: *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse.* Irreprehensibilem ait; nam si episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Et profecto culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit usque ad mortem. Ecce ad quid volvitur dignitas episcopalis. Et post paululum ait: *Unius uxoris virum.* Si ad superficiem tantum litteræ respiciamus, prohibet bigamum episcopum ordinari: si vero ad altiorem sensum conscendimus, inhibet episcopum duas usurpare Ecclesias: & si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inveniatur episcopus habere hæreticum: sed christianam tantum orthodoxam & catholicam sibi adsociet fidem; ut unius tantummodo uxoris & catholicæ Ecclesiæ vir episcopus vocitetur. Sequitur deinde, & ait: *Sobrium*, hoc est, non vino tantum, sed vitiis parcum; ut nec vino amplius indulgeat, quam oporteat, & mente semper sobrius inveniatur. Et adjunxit sequentia, dicens: *Prudentem.* Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur quod stultitia sit apud Deum: sed prudentiam spiritalem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & verbo perita; ut sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba. [o] Et denuo infert: *Ornatum.* Quod si juxta sensum litteræ tantùm respiciamus, [p] non aliud, sacerdotes, quam amictum quæremus clariorem; verbi gratiâ, castorinas quæremus & sericas vestes: & ille se inter episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne episcopum, sed mente docet esse ornatum; ut ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. [q] Et post hæc addidit: *Hospitalem*; ut humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes

1. Tim. 3. 1. — Ibidem. — Ibidem 2. — Ibidem. — Ibid. 2. — 1. Cor. 3. 19. — Matth. 10. 16. — 1. Tim. 3. 2. — Ibidem.

a. Mss. aliquot, *& dignum ducite.*

b. Omnes edit. ac pauci mss. *& commodis & communitionibus solite*, Rom. edit. *sollicite, consulendum*: mss. pleraque omnes, ut nos in textu, nisi quod pro *sollicite* non pauci legant *solite*, sed calami error est.

c. Mss. aliquot: *Si regum compares infulas, & principum diademata.*

d. Duo mss. *& vita circumvallata periculis.* Inde *& vita periculosa*: unus *& vita pretiosa*: alius & Mabill. *& vita penalis.*

e. Nonnulli mss. *& irreligiosam professus.*

f. *Sicut barbarum arma*, in Rom. edit. jugulatum est.

g. Aberat à cunctis edit. multisque mss. *& pontifex .... polluatur*, quod nos è cod. melioris notæ restituimus.

h. Edit. Mabill. *sic qui è sublimi ceciderit, grave incurrit exitium.* Et infra, *Honor quidem coram hominibus episcopalis magnus; sed post lapsum, si quis absit, dolor magnus in Ecclesia.*

i. Eadem edit. *magnam cautelam desiderat, honor grandior grandiori sollicitudine indiget. Cui plus creditur, plus ab illo exigitur, & potentes potenter tormenta patientur, & servus, qui novit voluntatem domini, & non facit digna, plagis vapulabit multis. Aliud enim ab episcopo* &c.

k. Nonnulli mss. *& aliud, quod à subdiacono, & aliud, quod à clerico.*

l. Edit. Mabill. *Et licet cunctorum per singula requirat opus, plus tamen ab eo exigitur, cui major est cura commissa: ampliores pœnas luet, cui numerosior regendorum populorum, Evangel. illa credita est dispensatio. Et ut ipsius episcopatus* &c.

m. Cod. Baluz. *apostolica nobis est per omnia regula revolvenda, quæ per singula episcopatus lineamenta distinguit; ne aliquis sacerdotum querulo garritu commentis se nostris in hoc opere increpatos, magis quam apostolicis sententiis redarguatur. Sic ad cunctos* &c. Huic ms. etiam accedit edit. Mabill. leviculis quibusdam exceptis.

n. Deest in Baluz. cod. *sed etsi opus bonum .... esse cupis*: totus vero locus ita exhibetur apud Mabill. *hoc est, episcopus esse cupis? Magnum est, quod ambis: sed opus bonum simul si amplecteris. Ceterum episcopus esse non poteris, si episcopales actus adspernari volueris. Et denuo infert & ait: Oportet episcopum .... nempe si reprehenderis, culpæ deformitate subderis. Et profecto culpa ad reatum trahet, reatus pœnæ subditur pœna servituti obnoxius erit, servituti obnoxius, libertatem amittet. Ecce quo evenit libertas episcopalis per hos gradus, quos diximus criminales. Sed ut reprehendi non possis, irreprehensibiles per omnia actus custodi. Post hæc addit: Unius uxoris virum. Si ad litteram respicias, bigamiam condemnat, ne secundos noverit concubitus, qui episcopatus gradum consequi desiderat. Si vero allegoricis scruteris sensibus, inhibet episcopo duas habere uxores, id est, ne post catholicum dogma, sensum hæreticum sumat; sed christianæ tantum sinceritatis sibi adsociet fidem, ut unius uxoris tantum, id est Ecclesiæ, vir episcopus appelletur. Sequitur: Sobrium. Sobrium ait, hoc est, non vino tantum, sed moribus parcum, ut ne vino amplius indulgeat, & mente sobrius gaudeat: qui si hoc non facit, episcopus non erit.*

o. Edit. Mabill. hic rursus ponit, *qui si talis non est, episcopus non est.*

p. Nonnulli mss. *non aliam in sacerdote ornatum, quam.* Infra vero pro, *se credit altiorem*, mss. aliquot legunt ... *auctiorem*: edit. Mabill. ... *sanctiorem.*

q. Edit. Mabill. *Qui vero hæc non facit, episcopus non erit; & infamiam incurret, qui sanctum Apostolum contemnit.*

hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam,
nec solus devoret dona Christi, quæ ei largita est bonitas
Christi: & quia *hilarem datorem diligit Deus*, sine murmu-
2. Cor. 9. 7. te contribuat pauperibus Christi. Sequitur deinde, & ait:
1. Tim. 3. 2. *Docibilem*, id est, sic polleat episcopus sapientia, ut non
solùm creditum sibi populum sufficienter doceat; verum
etiam & cunctarum queat hæresum contradictiones à ca-
tholica repellere Ecclesia, ne sua imperitia imperitos mi-
a nime doceat, & [a] hujusmodi casu præventus eveniat illi,
Matth. 15. 14. quod scriptum est: *Cæco cæcus ducatum præbens, ambo in
foveam cadunt*. Qui vero talem se, ut diximus, esse ignorat,
b sacerdotium minime appetat, nec locum [b] alterius usurpa-
re præsumat, præsertim illius qui fulgore suæ sapientiæ po-
pulorum potest corda lustrare. Subjunxit & ait: *Non vino-
1. Tim. 3. 3. lentum*, hoc est, non multo vino deditum; ut si credatur
vel videatur episcopus, utrum biberit an non, ignoretur;
c ne post largam potationem vini mulierum [c] delectetur ille-
cebrâ, nec per vinum, sicut ait Apostolus, omnis nutria-
Ephes. 5. 18. tur luxuries. Demum subsequitur dicens: *Non percussorem,
1. Tim. 3. 3. sed modestum*, id est, manus improbas ad cædem non ha-
beat, & suspicionibus pravis minime percutiat conscientias
aliorum; ne dum petulans invenitur ad cædem, athleta
magis quam episcopus judicetur. Sed magis è diverso ab
d aliis illatas patienter ferat injurias; ut mentis [d] modestiam
cunctis hominibus tranquillam demonstret, & firmam pa-
Ibidem. tientiam cunctis ostendat. Iterum addidit dicens: *Non liti-
giosum*, id est, non linguam ad convicium relaxet episco-
pus, ne per eamdem linguam, per quam laudes refert Deo,
& divina libat sacrificia, litium venena proferat; quia non
decet de ore episcopi benedictionem simul & maledictio-
nem egredi, ne per eamdem linguam, per quam Deus lau-
datur, homo maledicatur; quia non potest de uno fonte
dulcem & amaram producere aquam. Deinceps subsequu-
Ibidem. tus est dicens: *Non cupidum*, id est, [e] non turpis lucri cu-
e pidum; ne lucri cupiditate episcopus teneatur obnoxius,
1. Tim. 6. 10. & nutriat avaritiam, quæ est radix omnium malorum.
Qui stipendiis tantum contentus Ecclesiæ suæ, penitus non
ambiat, quæ intelligit esse superflua: sed de ipsa potius
paupertate Ecclesiæ suæ libenter impertiat pauperibus
2. Cor. 9. 7. Christi, sicut scriptum est. *Hilarem datorem diligit Deus*;
f [f] & alibi: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in
Psal. 111. 9. sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria*. Et conne-
1. Tim. 3. 4. xuit subsequentia, dicens. *Qui sciat domui suæ bene præesse,
g filios habens subditos cum omni castitate*. Domui suæ [g] bene
præesse potest, qui corporis sui servaverit castitatem. *Domui*,
inquit, hoc est, corpori suo imperioso jure dominetur; ne
subdatur ipse corpori suo, & in desiderio luxuriæ deditus,
in præcipitium demergatur: sed potius filios suos castitatis
Ibidem 5. exemplo ad pudicitiæ regulam doceat. *Nam si quis domui
suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibe-
bit?* Hoc est enim, de quo superiùs diximus, qui cordis
sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhi-
bebit diligentiam? & qui peccati trabem de suo non potest
Luc. 6. 42. eruere oculo, [h] quomodo ex alterius oculo poterit amputa-
1. Tim. 3. 6. re festucam? Idem sequitur, & ait: *Non neophytum*, hoc

A est, qui nuper ad fidem ex gentilitate advenit, aut certe
ex militia sæculari ad clericatus est officium sociatus. Hi
ergo non tam passim sacerdotalem arripiant gradum,
ne elati in superbiam, in judicium incidant, & in la-
queum diaboli; quia [i] quod longo tempore minime dis- i
cunt, in parvo tempore servare non possunt. Et conclu-
dens regulam & episcopalem formam, ad extremum intu-
lit, dicens: *Oportet autem & illum testimonium bonum ha- Ibidem 7.
bere ab iis, qui foris sunt*. id est, ab hæreticis & schisma-
ticis, qui extra sanctam Ecclesiam catholicam [k] conventi- k
cula sibi profana præficiunt; quos tamen testes Apostolus
& testimonium dicit debere bonum habere de immaculata
vita, & sancta episcopi conversatione; ne forte accipiant
B inimici locum episcopo obtrectandi, & infamare incipiant
catholicum dogma.

His ita prælibatis, ut reor, in hoc opere velut à grandi CAP. V.
fœnore nos persensimus liberatos, cùm non nostra
contra episcopos, sed sancti Apostoli opposuimus testimo-
nia; ne velut [l] vulgares fabulas nostrum irriderent opus. l
Cùm vero auctoritas nobis per singula sancti artiferit
apostoli Pauli, ipsum potius Apostolum, si sani sunt, quam
nos reprehendant. Et licet jam coarctet nos libelli hujus
prolixitas, & tempus nos urgeat, ut ad finem hujus operis
veniamus; sollicitudo tamen fraterni nos retardat amoris,
illorum præcipue sacerdotum, qui mentis torpore hebe-
C tati, sacerdotalem diffamant honorem: [m] & qui novam m
prodigialiter regulam hac tempestate peperisse deflentur
& Giezi sectantes & Simonis sententiam, sancti episco-
patus gratiam pecuniis coemerunt, nequaquam timentes,
cùm honorem sacerdotalem pecuniis emerint, à beato Petro
apostolo se cum Simone fuisse damnatos, sicut ait: *Pecu- Act. 8. 20.
nia, inquit, tua tecum sit in perditionem; quia donum sancti
Spiritus [n] te credidisti pecuniis emere*. Et lepram cum Giezi n
à sancto suscepisse se credant Elisæo, qui gradum sacerdo- 4. Reg. 5. 27.
talem se æstimant pecuniis comparare. Quibus cùm ista
dixerimus, sufficere debuit suam comparando lepram possi-
dere. Nam sicut validioribus morbis capite vitiato, reli-
quum necesse est corpus inundatione superioris morbi le-
D taliter irrigari; ita & ii qui caput videntur esse Ecclesiæ,
morbo pestifero fraternum vitiant corpus; ut nihil ex to-
tius corporis compage insauciatum possit evadere, quod
negligentium sacerdotum [o] vitiositatis mortale infecerit vi- o
rus, ita ut videas in Ecclesia passim quos non merita, sed
pecuniæ ad episcopatus ordinem provexerunt: nugacem
populum & indoctum, qui talem sibi adsciverunt sacer-
dotem. Quos si percunctari fideliter velis, quis eos præfe-
cerit sacerdotes, respondent mox & dicunt: Ab archiepis-
copo sum nuper episcopus ordinatus, centumque ei soli-
dos dedi, [p] ut episcopalem gratiam consequi meruissem, p
E quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem; unde
melius est mihi aurum de locello invehere, quam tantum
sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatum compa-
savi; [q] quos tamen solidos, si vivo, recepturum me illico q
non diffido. Ordino presbyteros, consecro diaconos, &

a. Edit. Mabill. *& hujusmodi eveniat quod scriptum est.* Minime male e mss. tamen & aliæ edit. inter se consentiunt, nisi quod pro præventus, in cod. quibusdam habetur, prævento.

b. Eadem edit. *alterius usurpet, qui fulgore suæ sapientiæ cunctos collustrare poterat. Item ait: Non violentum, hoc est, non multo vino deditum: ut si potest episcopus, ut utrum biberit, ignoretur.*

c. Eadem edit. *delectetur libidine, quia per vinum, sicut ait Apostolus, omnis committitur luxuria. Qui si hæc non potest, episcopus esse non potest.*

d. Eadem edit. *modestiam tranquillam monstret infirma patientia. Iterum dicit .... relaxet; ut qui Dei laudes personat, & divina sacrificia libat, litium venena non proferat; quia non potest de sacerdotis ore benedicere Deus, & homo maledici, qui imaginem Dei noscitur possidere: nec mala sibi, & bona alternatim poterunt convenire. Qui si hæc non agit, episcopus non erit.* Omnes aliæ edit. ac mss. inter se consentiunt, nisi quod Baluz. cod. & Rom. edit. præferunt, *dulcem & amaram procedere aquam*, Rom. edit. *prodire aquam*.

e. Eadem edit. *ne lucri cupiditate in aliquo episcopus superetur, & turpis lucri gratia debellis factus obnoxius, radicem malorum omnium nutriat avaritiam....sed ex ipsa potius pauperibus Christi impertiens, alterum sibi comparet regnum. Et connexuit &c.* ab aliis autem edit. & mss. hoc dissidet codex Sorb. quod legit, *qui stipendiis contentus usus est Ecclesiæ suæ.*

f. Ita mss. plures, ac posteriores. Ab his vero non abeunt veteres, nec edit. Basil. & seq. edit. nisi quod habent, *manet in æternum*, & reliqua hujus loci verba prætermittunt. Amerb. autem cum mss. nonnullis totum illum textum omiserat.

g. Edit. Mabill. *bene præesse, scilicet ut corporis sui domum imperioso jure contineat, nec subdatur ipse à corpore, & in habenas luxuriæ infamia atque feratur, & in præcipitium suæ possit filios castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam gubernare. Qui si hæc non egerit, episcopus dici non poterit. Deinde dicit: Si quis domui &c.* vet. edit. ac mss. invicem congruunt, paucis exceptis, ubi legitur, *corpori suo vere dominetur*: at Rom. edit. sic repositum: *corpore suo tali jure dominetur, ut non subdatur ipsius voluntati; ne desiderio &c.*

h. Edit. Mabill. *ex ipsius oculo festucam summovebit? Qui hæc non agit, episcopus non erit.*

i. Rom. edit. *quod nec parvo tempore didicerunt, in longo servare non possunt*, aliarum & mss. hoc solum est discrimen, quod edit. Mabill. singulari numero utitur, & hæc subjungit, *sed lapsus, & iustius judicium suscipiet, quod meruit suscipere superbiens diabolus.*

k. Eadem edit. *conventicula profana faciunt, apud quos tamen Apostolus testimonium dicit habere bonum de immaculata & sancta vita episcoporum: unde occasionem accipiant obtrectandi, & infamare incipiant religionis sanctæ catholicum dogma. Qui talis esse non poterit, episcopus quomodo esse poterit? His reor, in hoc opere &c.* Cod. Aln. ab aliis, & edit. dissidet, quod ita legit, *accipiant in malitia sua episcopo obtrectandi.*

l. Ita omnes edit. ac mss. paucis exceptis, ubi habetur, *ne velut vulgaribus fabulis nostrum &c.* in edit. autem Mabill. lectura est hoc modo, *ne velut umbra: Cùm vero &c.*

m. Rom. edit. *& novam regulam hanc tempestatem peperisse deflent, qui & Giezi*: inter alias vero, & mss. illud interest, quod vet. edit. & quidam mss. præferunt, *regulam ac tempestatem*, ubi plures mss. melius, *regulam hac tempestate*. At Mabill. edit. ita prosequitur: *& Giezi leprosi, & Simonis magi sectantes exemplum, gratiam spiritus sancti coemerunt pretio, & desiderantes, nequaquam &c.*

n. Edit. Mabill. *sperasti te pretio possidere. & lepram cum Giezi à sancto se suscepisse Helisæo, cùm gradum item sacerdotis pretio æstimant distrahendum. Et si cum validioribus &c.* vet. edit. ac mss. nobiscum faciunt: edit. autem Rom. post vocem *Elisæo* ista subjungit, *quando dixit, Naaman lepra adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum. Quibus &c.*

o. Eadem edit. Mabill. *vitiositatis non sufficeret virus. Et videas in Ecclesia passim sacerdotes; quos non merita, sed pecunia provexerunt, nugacem & indoctum sacerdotem arripuisse gradum.*

p. Eadem edit. *ut episcopalem gradum mihi conferret.* Infra vero pro *locello*, eadem sola [illegible] *locello*.

q. Eadem edit. *quod tamen, si feliciter vivo, ... ordino presbyterum, & accipio aurum: facio diaconum, & accipio argenti multitudinem; & de aliis ecclesiasticis ordinibus singulis; & de abbatibus benedicendis & Ecclesiis præmia quæstum profligare confido. Ecce aurum quod dedi, in meo locello illibatum habeo. Respondeo ego: Nempe &c.* vet. edit. ac mss. inter se conveniunt, contra quorum auctoritatem Rom. edit. resecavit: *nam & de aliis .... profligare confido.*

accipio aurum; nam & de aliis nihilominus ordinibus pecuniæ quæstum profligare confido. Ecce & aurum, quod dedi, in meo locello recepi: episcopatum igitur gratis accepi.

Nempe hoc est, quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit. Nam propter pecunias spiritaliter leprosum [a] ordinavit. *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem; quia donum sancti Spiritus gratia pretio comparasti*, & commercium miserabile in animarum exitium peregisti. Et nescii homines & indocti in ordinationibus eorum clamant & dicunt: Dignus es, & justus es; & conscientia misera: Indignus es, & injustus es, dicit. [b] Pronuntiat enim episcopus hujusmodi ad populum dicens: Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur quasi episcopus magnus, & divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam adquisivit indebitum ordinem, [c] & apud Deum perdidit interiorem hominem. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est animæ, & anima quæ erat domina, facta est famula carnis. Caro dominatur populis, & anima servit dæmoni. Carni sacerdotium comparavit, & animæ detrimentum paravit. *Et quid prodest hujusmodi homini, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quod dedit cùm ordinaretur episcopus, aurum fuit: & quod perdidit, anima fuit. Cùm alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit: & quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum.

Act. 8. 20.

Matth. 16. 26.

Interrogo tamen fratrem & coepiscopum nostrum, quia & ego episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcope; cùm dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te: Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur. Respondet: Cur, inquis? ut reor, pro eo quod gratis datur, ideo gratia vocitatur. [d] Ergo si gratia, gratis datur, & auro non æstimatur, à te cur gratia pecuniis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecuniis non emeretur: nec episcopus fuissem ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo, ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam cùm ordinareris, non suscepisti; quia gratuito eam non meruisti. Et ideo, frater, si gratiam non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos Dominus dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Cur ergo gratuitam æstimasti te pretio possidere gratiam? Nam, ut video, aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non adquisisti.

Matth. 10. 8.

Adhuc tamen semel adjiciens fratrem perquiro episcopum; ne quid de approbamentis viridicis nos prætermisisse videamur. Quis dat, frater, episcopalem gratiam? Deus, [e] an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera: episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O justitia, ô æquitas! Si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum servitium, quod ei creditur; cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Justumne tibi videtur ut servus honoretur, & dominus injuriam patiatur; & injuste accipiat sacerdos pecuniam, & Deus patiatur ab homine injuriam? Sed quia pro concesso ordine Deus à te nihil exspectat, cur à te sacerdos pecuniam impudenter exspectat? Deus homini concedere voluit gratis, & episcopus rapax pecuniam [f] ab homine expetit gratis: Deus homini, ut certe benignus, gratis donavit, & sacerdos malignus eum sine causa prædavit? *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

1. Cor. 4. 7.

CAP. V.

Ecce ad quæ mala volvitur defficus ordo: ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt à judice mundi: *Vos estis lux mundi.* Ecce quibus subjiciuntur gentes, quibus à Domino dictum est: *Vos estis sal terræ.* [g] Ergo si lux est Ecclesiæ episcopus, à Domino ordinatur, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solum quia ipse dum male agit, digne perit; insuper & alios secum indigne perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, ut insipientium possis [h] arva condire; cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita ut nec alios, nec te ipsum possis condire? Oculorum etiam in corpore officium, id est, in Ecclesia, [i] voluntarius appetisti; ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet: & nunc quadam lippitudine & caligine vitiorum obtenebratus, nec te ipsum luci idoneum præbes, & aliis adimis lucem. De quibus oculis in Evangelio dicitur: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, id est, si episcopus, qui ut lumen promeruit præesse in corporis, [k] simplicitate est sancta & innocentia decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis radiatur: *Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit*, id est, si episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cetera facient membra, quibus lux ademta est oculorum? Id est, quid sæcularis factura est multitudo, cùm voluptatibus illicitis & actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem episcopus multitudinem populi provocaverit; ut nulli jam jamque illicitum esse videatur, quod ab episcopo quasi licitum perpetratur? Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quidquid episcopus habuerit delectabile: [l] nec quisquam quod agere pontifex non dubitat, se dubitanter agere dicat; episcopus enim à cunctis indubitanter vocaris, præsertim cùm ipso nomine censeris: si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector, maxime cùm solio in Ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur te velut tetrum speculum universorum oculis demonstras; ita ut non possint obscuritate tua se contius exornare?

Matth. 5. 14.

Ibidem 13.

Matth. 6. 22.

CAP. VI.

Sufficiat hucusque nostris nunc consacerdotibus paulolum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum demonstravimus; ne fidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum, [m] & in solo se crederent sacerdotis nomine plus quam opere gloriari. Et quamquam sciam pro hoc libello plurimos mihi sacerdotes, qui hæc quæ loquimur, agere nolunt, infideliter esse detracturos; credo tamen plurimos, qui hæc agunt, vel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum minime prægravamur, sic demum probatorum & sanctorum virorum orationibus adjuvamur. Age jam nunc, sanctificus Spiritus; qui nos in hoc opere divinis inspirationibus adjuvisti, cunctos sacerdotes [n] adjova, & præsta ut faciant quæ in hoc opusculo ipse eloqui inspirasti; ut eis una mecum tribuas cælorum regna, quæ sanctis in fine sæculorum dare promisisti, perpetua, amen.

a. Edit. Mabill. ordinaveris. *Pecuniam dedisti, Dei gratiam comparare æstimasti, & per hoc lepram ipsam suscepisti. Item pecuniam accepisti, & Dei gratiam gratis distrahere non timuisti; simul etiam lepram tradidisti, & commercium .... peregisti. Abbatem propter denarios super monachos ordinasti, & leprosum hominem in mortem monachorum exaltasti. Et nescii homines* &c. Inter alias edit. & mss. hoc discriminis est, quod pro *miserabile commercium*, legunt nonnulli mss. *mirabile commercium*.

b. Eadem edit. *Pronuntiat solus episcopus: Pax vobiscum, & ipse interius pacem non habet secum.*

c. Rom. & Mabill. edit. *& Deum perdidit in interiore homine.* In reliquis autem cum mss. & vet. edit. consentiunt, nisi quod hæc per apostrophen semper vertunt secunda persona.

d. Edit. Mabill. *Et si gratia gratis datur, & auro æstimatur, cur à te pecuniis comparatur.*

e. Edit. Mabill. *an homo? Sine dubio Deus: sed tamen per hominem. Homo imponit .... sacerdos Deo servit supplici dextera.*

f. Eadem edit. *ab homine expetit? Gratis et Deus, ut benignus donavit. Sacerdos, ut malignus, eum captivavit.*

g. Eadem edit. *Si lux es Ecclesiæ à Domino constitutus .... tenebris obstrictus per supra memoratos excessus? Et non solum quia hæc agit, ipse digne perit* &c.

h. Rom. edit. *corda condire*: unus ms. *insulsa condire*: ceteri, ac edit. *arva* retinent. Sic autem prosequitur Mabill. *cur infatuatus tali dedecore vitiorum, immundis te suibus conculcandum præbes*, &c.

i. Edit. Mabill. *voluptuarius appetisti .... nec ipse lucem præbes* &c.

k. Eadem edit. *simplicitatis innocentiæ decoratur.*

l. Eadem edit. *nec quisquam agere timeat, quod agere pontifex minime dubitat. Nomen quo censeris, te ipsum arguit. Episcopus enim à cunctis indubitanter vocaris: & quid aliud episcopus, quam superinspector exponitur? Cùm in Ecclesia solio editiore cunctos metiris aspicere, & cunctorum in te respiciunt oculi; ut dec illos etiam in tempore oporteret: cur velut tetrum speculum universorum obtutibus monstras, ne possint obscuritate sua se exornare.*

m. Eadem edit. *& non crederent se sacerdotes, si nomine tantum & non opere vocarentur. Et quamvis sciam de hac discretione plurimos mihi sacerdotes, qui hæc complecti negligunt, infideliter detracturos; credo tamen plurimos, qui hæc obedienter adsequi, fideliter oraturos.*

n. Eadem edit. *adjuvet, ut faciant quæ in hoc opusculo ipse jussisti, ut eis merito tribuat cælorum regna, quæ promisisti, qui cum Patre & Filio unigenito in Trinitate vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.* Vet. edit. & quidam mss. *adjuva & præsta .... eloqui inspirasti, ut ... sæculorum regna, quæ sanctis in regna sæculorum dare promisisti, amen.* Agunt ceteri mss. ut in contextu, excipe tamen Michaelinum, qui sic desinit: *quæ te sanctificatore promisisti, qui cum Patre, unigenitoque Filio ejus domino nostro Iesu Christo vivis & gloriaris Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.*

IN SEQUENTEM LIBELLUM ADMONITIO.

In hoc tractatu Virgo Devota, *id est, virginitatem publice professa, ab hominum sæcularium usu & familiaritate deterretur, & iis quibus talis consuetudo prætexi solet, explosis, simulque illius periculis ac damnis ipsi ob oculos positis, nonnulla de virtutibus ab ea maxime amplectendis adjunguntur. Et hoc est, cur editores Romani solitæ inscriptioni hanc præmiserint:* De Virginis Forma vivendi. *Quamvis autem ea scriptio in omnibus Ambrosii Operum editionibus beati Doctoris nomen in fronte gerat, nullum tamen illius manuscriptum licuit reperire; unde intelligat haud multa, ut Ambrosio tribueretur, fuisse argumenta. De Auctore igitur hoc unum colligere posse nobis videmur eum ascetica vitæ fuisse addictum, cùm sic loquatur:* Absit ut tu mihi soror dicaris, quæ cum talibus converseris. *At de Opere ipso certissime adfirmare possumus illud ab Ambrosiana eloquentia & eruditione procul abesse. Ipsum contende cum ejus veris libris* de Virginibus, *& calculum tuum sine dubio nobis conferes.*

AD VIRGINEM DEVOTAM.

CAP. I.

[Psal. 44. 11. & 12.] *Audi, filia, & vide: inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui; quoniam concupivit Rex speciem tuam;*[a] *quoniam ipse est dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Ipsius te devovisti esse sponsam, devota Deo diceris. Quid tibi cum hominibus sæcularibus, aut quem tractatum habes cum illis? Quid vis scire cum ipsis? Perditionem, quam ipsi sequuntur? Si castitatem quæris, hanc illi non habent: si fidem quæris, quis est fidelis in illis, quem tu comitaberis? si autem Christum quæris, non manet in illis. Nescio quid quæras, quales amicicias vel quales fabulas habeas cum illis. Devovisti animam tuam ad destruenda omnia, quæ sunt hujus sæculi: quomodo autem quæris sæculum, cui renuntiasti? Reverti vis ad vomitum tuum sicut [2. Petr. 2. 22.] canis, aut velut sus lota iterum in volutationem, sicut scriptum est, dicente Apostolo: [Galat. 2. 18.] *Si quæ destruxi, iterum reædificabo, prævaricatorem legis me constituo.*[b] Iterum ipse repetit dicens: [1. Johan. 2. 17.] *Quidquid in sæculo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum*; quod non est de Deo, sed de hoc mundo est. Item alibi dicit: [Jacob 4. 4.] *Si quis voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur.* Quid dicis, devota Deo? quid vis hominibus placere? quid desideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, tecum est: si autem hominem quæris, non hoc devovisti. Quid sunt homines? Homines hujus sæculi: [1. Johan. 2. 18. Ibidem.] *Et sæculum transit, & concupiscentia ejus: qui autem fecerit quæ scripta sunt, manet in æternum.* Quid desideras, nescio. Si aurum, argentum, si vitam, si vestem splendidam; hoc tibi non placuit cum Deo, hoc Deus non admiratur, sed cor contritum & humiliatum. [Psal. 50. 19.] Quid quæris homines sæculi, quos sanctus apostolus judicat Paulus, dicens: [Philip. 3. 19. & 20.] *Quorum Deus venter est, & gloria in pudendis ipsorum, qui terrena sapiunt: nostra autem conversatio in cælis est?* Si ergo conversationem in cælo habemus, quæ sursum sunt quærere debemus, ubi Christus est, non quæ super terram. [Coloss. 3. 2.] Rogo, soror, qui sunt isti homines hujus sæculi? Fratres tuos spiritales homines non sequeris, & sequeris carnales: qui si non saturentur, murmurabunt. Misisti margaritas tuas ante porcos, qui conculcent eas pedibus suis, & conversi elidant te. Non audisti: [Phil. 3. 2.] *Vitate canes, vitate malos operarios?* Qui sunt isti? Homines hujus sæculi, qui non sequuntur vestigia Christi. Rogo te, quid tibi demonstrant; dic mihi. Castitatem, quam non habent? Quid? fidem, quam non inveniunt? doctrinam quam non sequuntur, nisi diabolicam sapientiam hujus sæculi? jejunium, quod odiunt? abstinentiam, quam judicant? humilitatem, quam opprimunt? sobrietatem, quam negligunt? sinceram mentem; quam non habent, nisi duplicem? verecundiam, quam projiciunt à se? Nescio autem quid vis studere cum ipsis.

CAP. II.

Sed quid dicis? Ego autem converto eos ad me. Si autem ad te conversi fuerint, non tibi expedit. Quid quærit lupus cum agno? vel quid quærit canis, nisi panem? Quare autem rugit leo, nisi pro præda? [Psal. 31. 4.] Tu te ipsam castam custodi, si potes. Quid vis docere, quod tu ipsa non facis? sicut dicit Apostolus: [1. Johan. 4. 1.] *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Si autem ab ipsis doctrinam accipias, docebunt te, quod faciunt, vel quod sequuntur. concupiscentiam, fornicationem, libidinem, avaritiam, fraudem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam, ebrietatem, improbitatem, turpiloquium, stultitiam, maleficia, homicidia, iram, rixam, & omnem malitiam. Quid dicis, misera, vel quid excusas? Devovisti animam tuam, ut ab ipsis hominibus recederes: nunc autem quid quæris? Rogo, non confundaris, quando de te illi sibi fabulas faciunt, dicentes: Ecce devota Deo, quæ nos sequitur; dereliquit enim viam suam, & per terminos agri sui erravit, viam habitationis suæ non invenit. Venite, præoccupemus eam, & ducamus in viam nostram. Cecidisti, misera, in via lata & spatiosa, quæ ducit ad mortem. Videtur tibi esse bona, quæ mala est: sequeris eos amens, & nescis quoniam recta in foveam cadis. Memor non es arctam & angustam esse viam, quæ ducit ad vitam? [Matth. 7. 13. & 14.] Laboriosa tibi videtur esse, quæ bona est: oblita es dictum fuisse: [Act. 14. 21.] *Quia per multas tribulationes nos oportet in regnum cælorum introire?* Nunc autem voluntati tuæ vis studere. Non legisti Salomonem dicentem: [Eccl. 39. 30.] *Bonis bona creata sunt ab initio, similiter impiis*[c] *& peccatoribus bona & mala?* Item ipso dicente: [Ibidem 31.] *Initium vitæ hominis spiritaliter arguetur. Spiritalis omnia judicat, ipse autem à nemine judicatur.* [1. Cor. 2. 15.] Ubi es, Deo devota? Spiritalis quidem de aliis judicans, tu ipsa judicaris. Quid quæris cum illis? [2. Cor. 6. 15.] *Quæ pars fideli cum infideli?* vel quæ pars sancti hominis ad carnem? Virgo potes esse corpore, sed non mente corrupta. Oculi autem tui obcæcati sunt nimio ardore libidinis, in quibus reabs subjacet: aures tuæ plenæ sunt omni spurcitia virili: pedes vero tui veloces sunt, & non sunt pigri ad januam foris. Ubi sanctitas? ubi verecundia? ubi sobrietas? ubi gravitas? ubi castitas? ubi modestia? ubi fides? ubi continentia? ubi pura mens? Ubi sunt illa omnia, pro quibus fidem tuam opposueras, quam perdidisti? [Eccl. 5. 4.] *Melius enim fuerat te non vovisse & facere, quam vovere, & non facere.* [Matth. 6. 24.] *Non potes duobus dominis servire, aut Deo, aut mammonæ*, sicut scriptum est. [Psal. 17. 27.] *Cum perverso subverteris.* [Matth. 9. 16.] *Non potest committi pannum vetus cum novo; tollit enim fortitudinem ejus, & pejor scissura fit.* Volatilia ad sibi similia conveniunt; & veritas ad eos, qui operantur eam, revertetur. Absit ut tu mihi soror esse dicaris, quæ cum talibus converseris. [Matth. 12. 33.] *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos: aut facite arborem malam, & fructus ejus malos.* [Matth. 7. 17. Eccl. 15. 20.] *Unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur.* Quicumque

a. Rom. edit. sola, *& ipse dominus Deus tuus, adorabunt eum filiæ Tyri.*
b. Eadem Rom. edit. *Iterum idem repetitur. Et infra, Et alibi dicitur: Si quis voluerit* &c.

c. Eadem Rom. edit. *& peccatoribus mala? ... Initium omnis necessitatis ad vitam hominis aqua & ignis, ferrum & sal &c. Omnia hæc piis bona, sic peccatoribus convertentur in mala. Vita hominis etiam spiritaliter arguetur; quia Spiritalis* &c.

autem qualis fuerit, cum tali se jungit. Columba dimissa de manu hominis, statim reversa est ad eum in arcam: nam corvus dimissus carnem sequutus est, quem tu quoque vis sequi; ut non revertaris ad januam Christi. [Gen. 8. 7.] Est tibi conversatio cum bestiis agri, & cum volatilibus cæli: sicut & corvus, non memoraris Dominum, qui te de diluvio liberavit: non quæris cubile tuum umbrosum & bonum, ubi requiem temporalem habuisti. Non tibi ante oculos est tempestas, atque oblita es caritatem Christi, & tenes caritatem hominum hujus sæculi, qui non habent caritatem in se, nisi diabolicam: illi autem aliam carnem sequuntur, & non desinunt quoadusque moriantur. Recede, misera, de illis hominibus; ne carnes tuas electas comedant, talos tuos evertant, & relinquatis nuda, & spoliata, sicut in cucumerario. Modo autem quid facies, quia nuda es & spoliata? Ibis ad vicinos tuos, quos ante oderas, petens ab ipsis operimentum pudoris: illi autem dare nolunt, dicentes: [Esai. 1.] *Ubi est vestimentum tuum splendidum, quod ante portare solebas?* Quid dicis, & quid respondes ei, quam frigus obligavit? Gratulantur autem in malis tuis, quæ tibi venerunt. Tunc te planges dicendo: Heu mihi miseræ, cui talia venerunt! Quid mihi profuit illa captivitas, quæ me captivavit miseram & infelicem? [Psal. 138. 7. & seq.] *Quo ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in extremo maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Tunc dices: [Osee 2. 7. & seq.] *Vadam & revertar ad virum meum primarium; quia melius mihi erat tunc magis, quam modo:* qui mihi dabat vestimenta mea, & oleum meum in tempore suo. Modo autem quid facio? Tunc reverteris in domum tuam cum fletu, unde exieras gaudens. Sedebis in angulo domus tuæ lugens & contristata, plorans die ac nocte, quærens qui simul tecum contristetur, & non erit: & consolantes te, & non invenies. Et dabunt tibi eleemosynam, quos ante oderas; & movebunt capita sua super te, dicentes: Ecce quæ erat devota Deo, modo facta est ut stercora in via, & sicut civitas, quæ expugnatur. Ubi est castitas illius? Ubi sunt omnia illa, quæ eam sequebantur? Dereliquerunt enim illam; quia castitas erat dux eorum: perdidit castitatem, & fugerunt omnia illa. Modo autem quid facies, misera? Ubi sunt illi, quos insequebaris? [Matth. 16. 26.] Redimant te si possunt. Quam potes dare commutationem pro anima tua, quam fraudasti per inobedientiam tuam; ut non audires fratres tuos, vel sorores, quæ tibi demonstrabant, ne te jungeres cum hominibus sæcularibus? Nunc autem quid faciemus tibi, vel quid dicemus, quos audire noluisti; nisi ut nos ipsos plangamus super te, dicentes: Parce, Domine; parce? Qui forte fletum nostrum & gemitum exaudire dignetur, ut det tibi animum convertendi ad ipsum denuo; ut rememores peccata tua, dicendo: [Luc. 15. 17. & seq.] *Quantis panibus mercenarii patris mei abundant, ego autem fame pereo? Surgam itaque, & vadam ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccavi in cælum, & coram te; jam non sum digna vocari filia tua, suscipe me sicut unam ex ancillis tuis, ut vivam.* Quid si forte pro te occiderit vitulum illum saginatum? Zelans enim te zelor; [2. Cor. 11. 2. & seq.] *desponsavi enim te uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo enim ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic tui sensus corrumpantur, & excidant à caritate, quæ est in Christo Jesu.*

CAP. III.

Vide ergo & cave de istis hominibus, ut mihi soror & domina nominaris. [Matth. 6. 6.] *Intra in cubiculum, clauso ostio ora Patrem tuum;* ut det tibi mentem bonam, & intellectum, ut scias quos debeas sequi, & quos vitare; quia multi sunt, qui fingunt se esse, quod non sunt, sed mentiuntur: & nescis quoniam de anima tua agitur; ne ducant te captivam, sicut bovem qui ad occisionem ducitur: aut velut canem, ut alligetur. Ne festines sicut avis in laqueum. Audi me, remove pedem tuum de illis, sede sedula in domo tua, operare manibus tuis quod bonum est; ut habeas unde communicare possis necessitatem sustinentibus. Ora sine intermissione, nec facilis videaris in plateis. Certa bonum certamen, curre velocius: ut comprehendas, in quo comprehensa es à Christo. [Philipp. 3. 12.] Audiant te homines, & lætentur de bono animo; & de mente qua vivis. [Luc. 11. 41.] *Da eleemosynam, & ecce omnia munda erunt tibi.* Non te pigeat visitare infirmos; ex his enim in dilectione firmaberis. [Matth. 5. 34. & seq.] *Non jurabis omnino,* [a] neque per verum, neque per mendacium: *sed sit sermo tuus: Est est, Non non: quod autem amplius est, à malo est.* Irascere, & noli peccare, [Psal. 140. 4.] ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem. Humilia te, filia, ante Dominum; quoniam [1. Petr. 5. 5. Psal. 33. 6.] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Accede ad Dominum, ut illuminet te, & non erubesces in conspectu illius. Recede de voluptate sæculi, & indue te constantia virtutis. Depone vestimenta hujus sæculi, & indue te tunica perpetuitatis. Derelinque cibos istius sæculi, & accipe [b] tibi sancta sanctorum. Memorare Sidrach, Misach, Abdenago, & Daniel recusasse carnes & vinum gentilium, [Dan. 1. 8. & seq.] & accepisse sibi olera & legumina. Memento Machabæam propter carnes porcinas passam fuisse, & filios ipsius adsatos vel frixos in oleo. [2. Machab. 7. & seq.] Ambula, filia, in habitu sancto, cum verecundia, & sobrietate, & gravitate. Depone mendacium, loquere veritatem cum proximo tuo. Ora, filia, sine intermissione, jejuna frequenter, & da eleemosynam; quoniam eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras. [Tob. 4. 11.] Munus bonum est eleemosyna, quæ purgat omnem sordem & squalorem. Beata eris, si hæc omnia cùm legeris, facias. Zelare quod bonum est, ut quod malum est, obliviscaris. Benedicat te Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, benedictione qua patres nostros benedicere dignatus est, Abraham, Isaac, & Jacob. Ora pro me, filia; quia & ego sollicitus sum de te, sicut scriptum est: [Jacob. 5. 16.] *Orate pro invicem.* Item, frater fratrem adjuvans exaltabitur. [Prov. 18. 19.] Exaltet te Dominus in sanctitatem & dilectionem, sicut scriptum est; [Rom. 13. 8. Psal. 19. 5.] *Qui diligit fratrem suum, Legem implevit. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Præstet hoc tibi Deus Pater per Jesum Christum Filium suum, dominum & Deum, regem, judicem, salvatorem, redemtoremque nostrum, qui est benedictus cum Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum, amen.

a. Rom. edit. neque per cælum, neque per terram: sed sit &c.

b. Eadem Rom. edit. tibi escam sanctorum. Haud infeliciter.

IN SERMONES

HACTENUS SUB AMBROSII NOMINE EVULGATOS

ADMONITIO.

Sermonum, quos in antiquioribus Ambrosii nostri editionibus pervolvere est, mentionem prope fecit nemo, qui partem eorum haud mediocrem eidem sancto viro perperam adtribui, & inter aliorum Patrum Opera, maxime vero beati Maximi circumferri non agnoverit. Romana editio nedum mederetur huic incommodo, alios insuper adjectos voluit ab ingenio styloque Ambrosiano magis abhorrentes, quam primi illi. Sed non unicum ejusdem editionis in ea re hoc peccatum est; præterea enim & sermones non paucos ab aliorum classe avulsos in alienas sedes amandavit, & multa cum in titulis, tum in ipso contextu, quo viderentur magis Ambrosiani, propria immutavit auctoritate; unde contigit in errorem induci homines alioqui sagacissimos.

Quapropter ut in posterum lectores ab hujusmodi fraude liberaremus, omnes Sermones, qui Ambrosii nomen in quibuslibet editionibus præ se ferunt, ad examen placuit revocare: qua in censura post adhibitam,

qua

qua majorem non valuimus, diligentiam & severitatem, eorumdem Sermonum, exceptis concionibus quatuor, nimirum in funere Valentiniani, in funere Theodosii, de Basilicis non tradendis, *ac de Reliquiis sanctorum Gervasii & Protasii, quas edidimus propriis locis, nullum omnino deprehendimus, quem cum aliqua veri specie ac similitudine adtribui Ambrosio posse arbitraremur. Enim vero illic omnia tantopere à sancti Doctoris elocutione ac tractandi ratione discrepantia nobis visa sunt, ut nulli dubitemus nostrum in sententiam quotquot eosdem, qua par est, adtentione examinabunt, pedibus concessuros.*

a. Lib. de Instit. divin. Litt. cap. 5.

Quod igitur Cassiodorus[a] ætate sua homilias seu sermones exstitisse affirmat, qui Ambrosii nomen in fronte gererent, nisi credatur memoriâ suâ vel falsâ cujuspiam relatione deceptus esse, dicendum erit jam dudum excidisse illa exemplaria. Quod vero ad ea quibus continentur ii sermones, qui eidem Præsuli nunc tribuuntur, nullius auctoritatis illa putamus. Namque, ut plurimum, aut recentiorem præferunt manum, aut libri fuere usui chorali inservientes, nimirum lectionarii & homiliarii, quorum momentum levissimum esse negabit nemo. Sed ne vetustioribus quidem codicibus hac in re fidem habere satis tutum est. Etenim docet experientia, quo magis illi fierent vendibiles, homiliis aut sermonibus quibus constabant, magna nomina sæpe sæpius ab antiquariis inscripta esse. Hoc ipsum in his sermonibus aperte cognoscitur; cùm enim antiquiora ipsorum exemplaria nulla habeamus codice Lugdunensi, cujus varias lectiones clarissimi Baluzii amicitia debemus; & codice Gallensi, quem à se tractatum atque excussum testatur Mabillonius noster ante mille annos exaratum esse, nihilominus tamen horum uterque sermones continet Gallensis quidem Augustinum, Lugdunensis vero Ambrosium auctorem falsò ostentantes, & maximam partem sancto Maximo restituendos, ut de Gallensibus Mabillonius ipse profitetur. Ex horum censura de Lugdunensi statuas, licet; cùm utroque codice iidem propemodum sermones exhibeantur.

Neque vero admirabitur quisquam beato Maximo tot sermones adscribi, quandoquidem non ignoratur quantus in concionando hic Sanctus exstiterit. Quod autem ex ejus sermonibus pars non minima transcripta sit in Ambrosii nomen, præter memoratas scriptorum fraudes, id etiam hinc potuit contingere, quod cùm Opera sancti Doctoris nostri sedulo evolverit, magnaque fragmenta ex eisdem ac potissimum è Commentario in Lucam ad verbum excerpta indiderit, incautis librariis errandi præbuerit occasionem. Inde similiter conjicere forsan liceat non alium auctorem libris seu sermonibus de Sacramentis *quærendum esse, quam eumdem Maximum; cui conjecturæ locus ac tempus patrocinantur.*

Quæ sunt à nobis hactenus dicta, plurimum faciunt solos sermones, ex quibus in librorum formam ab Ambrosio ipso redactis, totus prior totus fere componitur, & magna quoque pars posterioris; Ambrosianos certo vocari. Nos igitur temere fecisse non videbimur, quod nullum eorum, quos hic expendimus, inter Opera sancti Doctoris vera & explorata ediderimus. Cùm autem ex his alii non nisi apud Ambrosium, alii vero etiam alibi vulgati exstent, priores tantum exhibebimus, ne pondere minus utili crescat volumen. Attamen ut magis pateat nos liberiori censura haudquaquam usos, cujusque sermonis capiti strictim præmittemus eas rationes, queis ne illum Ambrosianum arbitraremur, adducti sumus. Nec propterea obluctabimur, si quis lectorum eosdem sermones argumentis potioribus Ambrosio nostro iverit vindicatum.

Quod porro ad eas conciones, quæ in aliorum Patrum operibus circumferuntur, cùm præ ceteris eo quoque præjudicio sola laborent, quod non magis Ambrosio, quam vel Maximo vel alicui alteri adjudicata sunt, minus timide ipsas recidimus. Ne vero negotium cuipiam facessat illa mutatio, gemino indice providebitur. Quorum in primo sermones omissi collocabuntur tali ordine, ut non solum quam quisque sedem antea in editionibus Ambrosianis obtinuerit, verum etiam apud quem Patrum reperiatur, uno intuitu advertere sit. In secundo indice triplex series eorum sermonum, quos retinemus, ita contexetur, ut omnes Ambrosianæ editiones, antiqua videlicet, Romana, & nova nostra è regione invicem sibi posita compareant. Sed prius quædam ad omissos sermones speciatim pertinentia adnotanda sunt.

SERMONES DE TEMPORE.

Priores duo, Romanæ scilicet editionis primus ac tertius, in Gallensi codice Augustino adtribuuntur, sed in Corbeiensi ac Germanensi, aliisque pluribus dantur Maximo, quem toti spirant. Idem etiam de sequenti dicere licet, cujus inscriptionem codex Lugdunensis verum hanc præfert: Dicendum ante natale Domini.

Quartus omissorum, qui sextus est Romanæ editionis, in Appendice Augustiniana Cæsario addicitur. Huic opinioni haud reclamamus, admonuisse nempe contenti comparationes in eo esse, quæ cùm legantur in sermonibus supra memoratis, interpolationem videntur arguere. Sermonem pariter post hos omissum, id est, duodecimum dictæ editionis eadem Appendix tribuit Cæsario; Ambrosio sane eum qui legerit, nemo tribuet. Nec alio modo de subsequenti, quem in Appendice sermonum Augustini etiam reperias, disputabimus. Nam cùm manuscriptorum quidam Ambrosio, quidam Augustino illum adscribunt, nos cum Corbeiensi nemini adstruimus.

Qui hos excipit, in Appendice sæpius citata solum incipit ab istis verbis: Dicit Dominus in Evangelio &c. *Eum similiter Gallensis codex ita dividit, ut novi sermonis eadem verba sint exordium. Quam vero inepta sit hæc divisio, ex primo adspectu cognoscere est. Hunc porro sicut & sequentem, qui continuatio ejus esse videtur, optimo jure Maximo adjudicant: sed ille quoque quem Romana editio vigesimum quartum numerat, jam dudum eidem antistiti vindicatus est.*

Duorum sequentium prior olim quinquagesimus sextus inter Augustinianos collocabatur; nunc Cæsario restitutus est, cujus dictionem haud parum refert. Posterior autem non minori jure eidem Patri redditus fuit; illius tamen pars non minima Rabaniano cuidam sermoni inseritur, cujus lemma est: De Jejunio Domini, & ratione quadragesimalis Jejunii.

Sermo trigesimus nonus Romanæ editionis ita inscribitur: Cur Christus jejunia in deserto &c. *Hic est in Appendice Augustiniana censesimus quadragesimus septimus, qui & alii duo, nimirum trigesimus septimus ac trigesimus, è quibus alter de prima Christi tentatione disputat, alter de secunda, unius ejusdemque auctoris sunt, at certo certius non Ambrosii. Tantum quippe abhorrent à stylo ejus, quantum ad Maximi iidem accedunt.*

Qui numero quadragesimo primo in Romana editione ponitur, cujusque magna fragmenta in homilia Rabani Mauri in Dominicam tertiam quadragesimæ deprehenduntur, in Appendice Augustiniana adjudicatur sancto Cæsario. Verum tamen in hunc sermonem haud male quadrat, quod Gennadius memorat à Maximo concio-

nes scriptas, de Jejunio speciali quadragesimæ, & quod non sit in eo jocandum. Sed aliunde non minus videtur esse Cæsarii, quam sermo vigesimussextus Romanæ editionis, quem ab eo scriptum nullus ambigat.

Quadragesimus secundus memoratæ editionis nihil plane habet quod non sapiat sanctum Maximum. Idem similiter de quadragesimo septimo statuendum est, cujus initium eadem Romana editio perperam mutarat, quemque Maximo deberi indicat Gennadius sub hoc titulo: De Juda proditore.

His adjungatur quadragesimus octavus, & qui ex eo pendens, quadragesimus nonus & quinquagesimus. Hos enim Maximi esse nihil non clamat. Non possumus autem quin hic expostulemus cum Romanis editoribus, qui cum alibi, tum in ultimo horum sermonum, plurima refragantibus aliis editionibus ac manuscriptis, immutare non dubitarunt.

Sermo quinquagesimus primus, sicut & duo proxime subjecti inter Maximianos quoque reperiuntur. Nec dubitamus quin hi ipsi sint, qui memorantur à Gennadio sub his titulis: De Cruce Domini, de Sepulcro ejus, de Resurrectione ipsius. Ejusdem Maximi sunt pariter quinquagesimus quintus, & quinquagesimus sextus, qui continuatio est quinquagesimi tertii, non secus ac quinquagesimi quinquagesimus septimus.

Cæsario restituitur in Augustiniana Appendice quinquagesimus octavus, qui cur aliquando adtributus fuerit Ambrosio, nihil plane habet. Sed nec potiori jure ejusdem nomine censeri meruit sexagesimus. Nam præter quam quod in Maximi editionibus, & manuscriptis non paucis ipsi vindicatur, quæ in eo dicuntur de baptismo Apostolorum, cum iis quæ in Apologia David cap. 9. num. 50. legere licet, aperte pugnant.

Sexagesimum primum præter alia Maximo id etiam vindicat, quod nos ad sermonem quinquagesimum septimum, quem ejusdem præsulis esse supra diximus, videtur remittere. Quod autem de jejunio sabbati ante pentecosten hic memoratur, iis non congruit, quæ in sexagesimo eadem de re tradita fuerunt; proindeque incidere potest aliqua dubitatio, num forte ad auctorem sit referendus eodem Maximo recentiorem.

Sermo sexagesimus quartus nihil aliud est, quam Basilii homilia in dictum illud ex Evangelio secundùm Lucam: Destruam horrea mea &c. nonnullis tamen partim additis, partim recisis. Eadem homilia Basiliana Ambrosium in libro de Nabuthe usum vidimus; non tamen ex hoc inferre licet auctorem quoque hujus sermonis Ambrosium esse. Quin immo si contendantur cum hoc sermone quæ in eodem libro ex illa homilia imitatus est sanctus Ambrosius, illico cognoscetur Doctorem nostrum Basilii sententias multo nobiliori ratione esse interpretatum, quam tralatorem hujus sermonis; quippe qui verba ex verbis serviliter reddens, tota elocutione, ac potissimum in iis laciniis, quas identidem de suo intexuit, ab Ambrosio abest quam longissime.

Sexagesimum sextum, qui eodem numero in Appendice Augustinianorum sermonum exstat, opinatur Mabillonius ad undecimum, qui ab ipso tamquam Maximi editus fuit, referri posse. Verum tamen illius stylus, nostro quidem judicio, ab hujus Patris scribendi modo tantum discrepat, ut eumdem sermonem auctori cuipiam posteriori lubentius adjudicemus.

Sermonibus de tempore subjectæ fuerant in Romana editione conciones aliquot, quarum tres primæ nempe de Basilicis, & in funere Valentiniani ac Theodosii imperatorum suo quamque loco exhibuimus: quartam autem soli Maximo, cujus & stylum sapit, & in Patrum Bibliotheca jam nomen præfert, relictum voluimus.

SERMONES DE SANCTIS. Secundus sermonum, quos vocant De sanctis, apud Augustinum atque Maximum editus fuit: sed huic uni non solum dictio, verum etiam cum quinquagesimo octavo affinitas illum adserit.

Sermonem quintum, qui ab Ambrosio in Gervasium & Protasium fratres martyres habitus fuit, inter epistolas constituimus: quem locum ejus genuinum esse in Admonitione ipsis præmissa demonstratum est.

Sermo sextus pridem Maximo redditus fuit, nec obscurum est illum à nullo nisi Taurinensi dictum fuisse.

Decimus in Appendice Operum Augustini dicitur Ambrosio verius forte quam Augustino tributus: sed vere utrique abjudicandus nobis videtur, & pari jure. Nam si dictionem ejus expendas, eam non magis Ambrosii esse, quam Augustini ultro fateberis: simulque advertes auctorem ejus videri Chrysostomo posteriorem.

Duodecimum etiam reperias in Appendice Augustiniana, sed præterea apud Maximum exstat, cui & consensu eruditorum adtribuitur. Sed nec aliter de tertiodecimo statui debet; quippe qui sermonis de tempore vigesimi quarti, quem Maximi esse supra vidimus, continuatio sit.

Decimo septimo fragmentum quoddam in editione Romana præfigitur, quod in antiquis prætermissum est: integrum vero hunc sermonem exhibet eadem Appendix Augustiniana. Ut porro pateat illi sermoni Ambrosianum nihil inesse, is tantum modo cum iis conferatur, quæ de S. Laurentio in libris Officiorum scripsit Ambrosius.

Decimus octavus inter Maximi sermones legitur, in quo ejus ingenium atque elocutio deprehenditur.

Vigesimum quoque reperire est apud Maximum. Si tamen illi, sicuti videtur, adscribendus sit, eum oportebit à scriolo quopiam de sancto Michaele illa de causa esse inscriptum, quia in hoc festo illud Evangelium, quod ejusdem sermonis argumentum est, legi consuevit. Apud eumdem Taurinensem vigesimus primus cum vero suo titulo exstat, isto scilicet de Hospitalitate; atque adeo credibile est hunc ipsum esse, quem ab eodem Præsule de Avaritia & Hospitalitate scriptum testatur Gennadius. Nullam ergo causam habuit Romana editio cur illum inscriberet. In Festo sancti Lucæ Evangelistæ.

SERMONES E PRIORIB. TOM. Sermo de Arbore interdicta in Augustini Appendice ordinem ducit. Ibidem observatur hunc sermonem varietates habere apud Ambrosium, sed eas fuerunt ab editoribus aut elegantiæ aut majoris cum Ambrosiano stylo cognationis causa inductas. Non mirum igitur si quidam eruditioris etiam judicii ex his deceptus, quin idem sermo tribui possit sancto Doctori, nihil prohibere existimavit. Auctor illius plane ignoratur. Manichæi vero illic impugnantur, sed non rigidi; quandoquidem hi bonum esse vinum non diffitentur. Quapropter aut marcionistas, aut eos hæreticos fuisse necesse est, quos in libro de Paradiso, ubi eadem materia, sed ratione longe alia pertractatur, confutat Ambrosius.

Duos sermones de sancto Elisæo in prima parte Musei Italici Mabillonius noster tamquam nondum publici juris factos edi curavit: sed erroris causa in Romanæ editionis, ubi alieno loco positi fuerant, confusionem referri debet. Ceterum nequaquam reluctabimur, quominus Maximi esse dicantur.

Sermonis in caput VII. Job illa germana inscriptio est: De carnalibus hostibus non metuendis, & de gratiis post cibum agendis; hoc enim titulo Gennadius ipsum indicat, nec non Maximi apud quem etiam idem habetur, esse significat.

In psalmos XXI. CIX. ac CXVII. enarrationes sive sermones inter Maximianos jure censentur. In editionibus Ambrosianis quasdam periodos horum sermonum primus exhibet, quæ non reperiuntur apud Maximum, sed ista non sunt magni momenti. Tertius autem eidem Maximo in Romano breviario restitutus est.

Enarratio in caput XXXI. Proverbiorum *apud Augustinum, cui adscribitur, pura legi potest, ac sine illis additamentis, quæ ut magis Ambrosiana judicaretur, eidem intexuit Romana editio.*

In caput III. Ecclesiastici sermones duo de Eleemosyna *sancto Maximo, cujus dictionem pulcre referunt, in ejusdem etiam editionibus adtribuuntur.*

De sermone in caput I. Isaiæ *non aliud quoque sentiendum est: sed nec etiam de sermonibus duobus* in caput XIII. Danielis *; hi quippe omnes & evolvuntur apud Maximum, & ejus esse à Gennadio, indicata cujusque inscriptione, adseverantur.*

Prior sermonum in caput III. & IV. Jonæ *non est alterius nisi Maximi, cui editiones ejusdem Patris, sicut & Gennadius illum adstruunt: posterior vero in Museo Italico sub Maximi nomine à Mabillonio editus fuit. Quod vero illum nondum vulgatum existimavit, perturbationi editionis Romanæ imputandum est.*

Postremo cùm sermo in caput I. Malachiæ *sermonis* in caput VII. Job, *quem Maximi esse antea probavimus, continuatio sit, ad eumdem quoque auctorem pertinere manifestum est.*



INDEX
SERMONUM PRÆTERMISSORUM.

ORDO Antiq. edit. Ambr.	ORDO Rom. edit. Ambr.	ORDO Aliorum Operum, ubi reperiuntur.
SERMO XXVIII. Exhortatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio: *Sicut fulgur* &c.	SERMO I. *Dominica prima Adventus.* Paucorum admodum dierum occupatione detentus cœtui vestro videor defuisse, & alterius Ecclesiæ necessitatibus evocatus, minime vobis studium solitum dependisse. Sed quamvis vobis non adfuerim corpore; tamen à vobis amore non defui &c.	Apud Maximum Taurin. in Bibl. PP. Homilia 1. in Adventu Domini. De eo quod scriptum est: *Sicut fulgur* &c. Sed ab his tantum verbis incipit: *Movet fortasse* &c.
SERMO XXIX. Item de eodem.	SERMO III. *Dominica secunda Adventus.* Superiore Dominica capitulum Evangelicum disserentes &c.	Apud Maximum Homilia secunda de eodem Adventu.
SERMO XIV. Item de natali Domini.	SERMO IV. *Eadem Dominica secunda Adventus.* Lætitia quanta sit, quantusque concursus cùm imperatoris mundi &c.	Apud Maximum. In Vigiliæ natalis Domini Homilia.
Non exstabat.	SERMO VI. *Dominica quarta Adventus.* Propitia divinitate, fratres dilectissimi, jam adveniunt dies &c.	Append. Aug. Serm. 115. & 1. de Tempore.
Non exstabat.	SERMO XII. *De mysterio Epiphaniæ Domini.* Dies iste & festivitas quam hodie, fratres, celebratis, ideo Epiphania, id est, apparitio &c.	Appendix August. Sermo 139.
Non exstabat.	SERMO XVIII. *Eodem die de baptismo Christi.* Hanc baptismi Domini nostri celebritatem, fratres dilectissimi, quam hodierni &c.	Append. August. Sermo 137.
SERMO L. De grano Sinapis.	SERMO XIX. *Dominica sexta post Epiphaniam.* Libenter nos prædicare, & gratanter opus Dei facere manifestum est: sed cum videmus &c.	August. Append. Serm. 87.
SERMO LI. Item de grano Sinapis.	SERMO XX. *Super iisdem verbis, &c.* Superiore Dominica parabolam Domini disserentes, in qua ait: *Cui simile est regnum* &c.	August. Append. Serm. 88.

ORDO. Antiq. edit. Ambr.	ORDO Rom. edit.	ORDO. Aliorum Operum; ubi reperiuntur.
SERMO IX. De unitate caritatis. Legimus in libro &c.	SERMO XXIV. *De eo quod scriptum est in Actibus Apostolorum: Erant omnia communia &c.* Merito, fratres, dicit Apostolus: Nunc manent fides &c.	Apud Maxim. & in App. Aug. Serm.100.
Non exstabat.	SERMO XXV. *Feria quarta Cinerum.* Dominus ac Salvator noster qualiter post multos negligentia &c.	Append. August. Sermo 141.
Non exstabat.	SERMO XXVI. *Feria quinta post diem Cinerum.* Rogo vos, fratres carissimi, ut in isto legitimo tempore, exceptis Dominicis &c.	Apud Cæsar. & in Apend.Aug.Ser.142.
SERMO XXXVII. De Quadragesima.	SERMO XXXIX. *Feria 2. post Dominicam secundam Quadragesimæ.* Si bene retinet dilectio vestra, fratres, superiori Dominica prædicavimus quod sanctam &c.	Apend. August. Sermo 147.
SERMO XXXIII. De Quadragesima.	SERMO XLI. *Dominica tertia Quadragesimæ.* Diximus superiore Dominica hoc esse fidei nostræ opus primum, ut horum quadraginta &c.	Append. Augustin. Sermo 146.
SERMO XXXI. De Eleemosyna.	SERMO XLII. *Feria 6. post Dominicam tertiam Quadragesimæ.* Retinet dilectio vestra, fratres, ante dies cum sermonem ad vos de eleemosynis &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LI. De Juda Iscarioth.	SERMO XLVII. *Feria secunda Hebdomadæ sanctæ.* Audistis fratres Judam Iscariothem de unguento super Domini pedes &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO XLVI. De pœnit. Petri &c.	SERMO XLVIII. *Feria tertia Hebdomadæ sanctæ.* Sæpe diximus, fratres, quod ad similitudinem Evæ Petrum quoque ostiaria mulier &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO XLIV. De sancto Latrone.	SERMO XLX. *Feria quarta H.domadæ sanctæ.* Quoniam hodie Evangelica lectio de latrone fecit mentionem, videamus quis iste latro &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO XLV. Item de eodem.	SERMO L. *Feria quinta Hebdomadæ sanctæ.* Collecta quam hodie legit. ... Meminisse autem debet vestra dilectio quomodo hesterno die &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LV. De cruce Christi.	SERMO LI. *Feria sexta Hebdomadæ sanctæ.* Sæculi hujus hominum fabulæ ferunt Ulyssem, illum qui decennio marinis &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LVI. Item de cruce Christi.	SERMO LII. *Eadem die Parasceves.* Superiori sermone diximus, ut retinet vestra dilectio, fratres, quod cum Domini salutem &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LVII. De sepulcro Domini &c.	SERMO LIII. *Sabbato sancto.* Retinet dilectio vestra, fratres, quid alibi diximus quia non minor gloria est &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LIII. De innovatione fidelium.	SERMO LV. *Eadem Dominica resurrectionis.* Magnum, fratres, & mirabile donum contulit nobis Deus hunc Paschæ &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LVIII. De Maria Magdalene.	SERMO LVI. *Feria quinta post Dominicam Resurrectionis.* Hæret adhuc sensibus vestris, fratres, hoc nos ante dies paucissimos prædicasse quod Maria &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.

ORDO. Antiq. edit. Ambr.	ORDO Rom edit.	ORDO. Aliorum Operum ubi reperiuntur.
SERMO LIV. De innovatione fidelium.	SERMO LVII. *Dominica in Albis.* Retinet sanctitas vestra, fratres, hoc me nuperrime prædicasse quod homo in juniorem ætatem &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
Non exstabat.	SERMO LVIII. *In die Ascensionis Domini.* Laudemus Deum nostrum, fratres carissimi, Deo gratias agamus &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LXI. De Pentecoste.	SERMO LX. *In die sancto Pentecostes.* Scire debet sanctitas vestra, fratres, hanc sanctam Pentecostes diem &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LXII. Item de Pentecoste.	SERMO LXI. *Feria secunda Pentecostes.* Non incommode ante paucos dies, sicut retinetis fratres, prædicatio nostra processit &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LXXXI. De eo quod scriptum est in Evangelio: *Hominis cujusdam divitis, &c.*	SERMO LXIV. *Dominica octava post Pentecosten.* Non omnia, fratres carissimi, quæ in villico Dominus laudavit, nos ad imitandum sumere debemus: sed ut nobis signatetur, quantum placeat Domino pia bonorum.... Duplex autem tentationum species: aut enim tribulatio &c.	Apud Basilium. Hom. in dictum illud .... *Destruam horrea mea* &c.
SERMO VII. De eo quod scriptum est: *Reddite quæ Dei &c.*	SERMO LXVI. *Dominica vigesima secunda post Pentecosten.* Nonnulli, fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur &c.	Append. Augustin. Sermo 82.
SERMO LXXXII. De defectione Lunæ.	SERMO IV. *Objurgat populum ob quamdam lunæ superstitionem.* Et ipsis scitis, fratres, quod mea non cessat humilitas omni circa vos sollicitudine &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLVII. De fide Petri apostoli.	SERMO II. *In Cathedra sancti Petri.* Adstruimus superiore Dominica sanctum Petrum &c.	Apud Maxim. & in App. Aug. Serm. 92.
SERMO LXXVII. De natali SS. Octavii &c.	SERMO VI. *In festo sanctorum Martyrum. Octavi, Adventi &c.* Cùm omnium sanctorum Martyrum, fratres, devotissime natalem celebrare debemus &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LXVIII. Item de eodem.	SERMO XI. *In festo sanctorum Petri & Pauli.* Notum omnibus vobis est, fratres, & universo &c.	Append. Augustin. Sermo 201.
SERMO LXVI. De natali SS. apostolorum &c.	SERMO XII. *In eodem festo.* Cùm omnes beati Apostoli parem gratiam apud &c.	Append. Augustinum Sermo 202. & Apud Maximum.
SERMO LIX. De avaritia, & Anania.	SERMO XIII. *In festo sancti Alexii.* Retinet dilectio vestra, fratres, ante dies cum plebis &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.
SERMO LXXI. De natali sancti Laurentii &c.	SERMO XVII. *In festo sancti Laurentii Martyris.* Beatissimi Laurentii Martyris, cujus ut natalem hodie &c.	Appendix August. Sermo 206.
SERMO LXXII. De natali sancti Cypriani.	SERMO XVIII. *In festo sancti Cypriani Martyris.* Sancti Cypriani festivitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus &c.	Apud Maximum in Biblioth. PP.

ORDO Antiq. edit. Ambr.	ORDO Rom. edit.	ORDO Aliorum Operum, ubi reperiuntur.
SERMO X. De eo quod scriptum est: *Quis major est, in regno cælorum.*	SERMO XX. *In festo sancti Michaelis Archangeli.* Si diligenter audistis, fratres, Evangelicam lectionem, intelligere potestis quæ ministris ac sacerdotibus Dei reverentia debeatur, vel qua ipsos clericos invicem humilitatis sedulitate se oporteat &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
SERMO XXXII. De hospitalitate in Evangelio.	SERMO XXI. *In festo sancti Lucæ Evangelistæ.* Advertit sanctitas vestra, fratres, Evangelicam lectionem &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
	SERMONES E PRIORIBUS AMBROSIAN. Operum tomis.	
Non exstabat.	*De arbore interdicta Enarratio.* Tom. 1. pag. 423. Legimus in Genesi Deum Adæ dixisse: Ex omni &c.	Append. August. Sermo 1.
SERMO LXXXVI. Item de eodem.	SERMO I. *De sancto Elizæo Propheta.* Tom. 1. pag 565. Sæpe dixisse me memini quod hostium tumultus bellicosos timere, minime debemus, nec quamlibet &c.	In Mus. Italic. Tom. 1. part. 2.
SERMO LXXXVII. De sancto propheta Elizæo.	SERMO ALTER. *De eodem.* Tom. 1. pag. 567. Mirum forsitan videbitur, quod ante dies aliquot sancti Elizæi &c.	Mus. Ital. Tom. 1. part. 2.
SERMO XLII. De hostibus carnalibus &c.	SUPER CAPUT VII. JOB SERMO Tom. 2. pag. 647. Frequenter admonui vos, fratres, ut dum licet &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
SERMO III. De psalmo 21.	IN PSALMUM XXI. ENARRATIO Tom. 2. pag. 671. Psalmi qui lectus est seriem decursuri &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
SERMO LX. In festo pentecostes.	IN PSAL. CIX. SERMO PRO DIE PENTECOSTES Tom. 2. pag. 869. Nosse vos credo, fratres, quæ sit ratio quod &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
SERMO LII. Non exstabat.	EX PSAL. CXVII. PRO SANCTO DIE PASCHÆ SERMO. Tom. 2. pag. 871. Non immerito, fratres, hodierna die psalmus hic legitur, in quo Propheta exsultandum &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
Non exstabat.	IN CAPUT XXXI. PROVERBIOR. SALOM. ENARRATIO. Tom. 2. pag. 1097. Præstabit nobis qui hunc diem commendavit in sanctis suis &c.	Apud Augustinum. Sermo 37.
SERMONES XXX. & XXXI. De eleemosyna.	SUPER CAP. III. ECCLES. SERM. DUO DE ELEEMOSYNA. Tom. 2. pag. 1110. & seq. Dicit scriptura divina ignem ardentem &c. Retinet vestra dilectio ante dies aliquot &c.	Uterque apud Maximum. in Bibl. PP.
SERMO LXXVIII. De eo quod Propheta ait ad filios Israël: *Cauponæ vestri* &c.	SUPER CAPUT I. ISAIÆ Tom. 2. pag. 1113. Non incommode ante dies paucos prosequuti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quamdam negotii retinere, & quæstum esse &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
SERMONES XLIX. & L. De accusato Domino &c.	IN CAPUT XIII. DANIELIS PROPHETÆ SERMONES DUO Tom. 2. pag. 1126. & seq. Mirum forsitan videatur vobis, fratres, cur Dominus &c. Ante dies prosequuti sumus sanctæ Susannæ &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
	IN CAPUT III. ET IV. JONÆ. Tom. 2. pag. 1129. & seq.	Apud Maximum & App. Aug. Serm. 152.
SERMO XL. De jejuniis Ninivit.	SERMO I. Legimus in recitata Jonæ Prophetæ cùm Ninivæ civitati subversio &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.
SERMO LXXV. De barbaris non timendis.	SERMO II. Diximus anteriore Dominica Ninivitas in tribulatione &c.	In Mus. Ital. Tom. 1. part 2.
SERMO XLIII. Item de eodem.	EX VERBIS MALACHIÆ PROPHETÆ SERMO Tom. 2. pag. 1148. Satis abundeque in superioribus dixisse me credo &c.	Apud Maximum. in Biblioth. PP.

INDEX SERMONUM.

ORDO Antiq. edit. Ambr.	ORDO Huius Editionis.	ORDO Edit. Rom. Ambr.
Non exstabat.	SERMO I. *Dominica prima Adventus.* Hoc tempus, fratres carissimi, non immerito Domini adventus vocatur, nec sine causa &c.	Sermo II. Dominica I. Advent.
Sermo XV. De Natali Domini.	SERMO II. *Dominica tertia Adventus.* Satis abundeque dixisse me credo superiore Dominica quemadmodum comti vel nudi &c.	Sermo V. Domin. III. Advent.
Non exstabat.	SERMO III. *De natali Domini I.* Domini nostri Jesu Christi, fratres, nativitatem celebrantes &c.	Sermo VII. In die natalis Domini.
Sermo XII. De Natali Domini.	SERMO IV. *De natali Domini II.* Verum est quod ait sanctus Johannes Baptista de Domino Salvatore dicens: *Illum oportet crescere &c.*	Sermo VIII. In die natalis Domini.
Sermo XIII. De Natali Domini.	SERMO V. *De natali Domini III.* Qua gratia vel quibus laudibus hunc diem natalis Domini prædicemus prorsus ignoro &c.	Sermo IX. De eadem Nativitate.
Sermo XVI. De Natali Domini.	SERMO VI. *De natali Domini IV.* Bene quodammodo hanc diem natalis Domini solem novum vulgus appellat &c.	Sermo X. De eadem Nativitate.
Sermo XVII. Increpatio de Kalendis Januariis.	SERMO VII. *De Kalendis Januariis.* Est mihi adversus plerasque de vestris, fratres, querela non modica: de his loquor &c.	Sermo XI. In die Circumcisionis.
Sermo XIX. De sancta Epiphania.	SERMO VIII. *De sancta Epiphania I.* Exsultandum est nobis, fratres carissimi, quod votis nostris vota succedunt &c.	Sermo XIII. De Epiphania Domini.
Sermo XX. Item de eodem.	SERMO IX. *De sancta Epiphania II.* Meminit sanctitas vestra, fratres, superioris prædicationis nostræ &c.	Sermo XIV. De eadem solemnitate.
Sermo XXI. De die S. Epiphaniæ.	SERMO X. *De sancta Epiphania III.* Plerique in hac sancta Epiphaniæ die hactenus à Domino mirabilia facta esse &c.	Sermo XV. De eadem festivitate.
Sermo XXII. Post Epiphaniam.	SERMO XI. *De sancta Epiphania IV.* Ad omnes vos, fratres, prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ pervenisse credo &c.	Sermo XVI. In eadem die ad catechumenos.
Sermo XVIII. De sancta Epiphania.	SERMO XII. *De sancta Epiphania V.* Evangelica Scriptura refert, sicut lectum nuper audivimus, Dominum ad Jordanem &c.	Sermo XVII. In octava Epiphaniæ de baptismo Christi.
Sermo V. Quod simile sit regnum Dei fermento.	SERMO XIII. Super his verbis Evangelii: *Simile est regnum cælorum.* Et ipsi scitis, fratres, quod ex qua die vobiscum esse cœpi, non cessavi omnibus vos Dominicis &c.	Sermo XXI. Dominica VI. post Epiphaniam.

ORDO Antiq. edit. Ambr.	ORDO hujus edit.	ORDO Edit. Rom. Ambr.
Non exstabat.	SERMO XIV. *Dominica in Septuagesima.* Redimite vos, fratres carissimi, dum pretium habetis, quando novum tempus inchoatis &c.	SERMO XXII. In Septuagesima.
Non exstabat.	SERMO XV. *Dominica in Sexagesima.* Adest tempus, carissimi fratres, quod Sexagesima vocatur; & ideo necesse est ut vita vestra &c.	SERMO XXIII. In Sexagesima.
SERMO VIII. De Sabbato quo Dominus manum &c. *Diligenter vos audisse &c.*	SERMO XVI. *Ubi sabbato Dominus manum aridam curavit.* Diligenter vos audisse credo, fratres, evangelicam lectionem &c.	SERMO XXVII. Feria VI. post diem cinerum. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat &c.*
Non exstabat.	SERMO XVII. *De sancta Quadragesima I.* Ecce adsunt dies sancti & tempus acceptabile, fratres carissimi &c.	SERMO XXVIII. Dominica prima Quadragesimæ.
SERMO XXVII. De Jejuniis.	SERMO XVIII. *De sancta Quadragesima II.* Testimonium perhibet sanctus Apostolus de prophetis dicens: *Tempore accepto &c.*	SERMO XXIX. Eadem Dominica.
SERMO XXIII. De Quadragesima.	SERMO XIX. *De sancta Quadragesima III.* Sanctæ Quadragesimæ rationem, cujus hodie initium celebramus &c.	SERMO XXXII. Eadem Dominica.
SERMO XXIV. Item de Quadrages.	SERMO XX. *De sancta Quadragesima IV.* Retinent adhuc sensus vestri, fratres, hoc nos superiore Dominica &c.	SERMO XXXVIII. Dominica secunda Quadragesimæ.
SERMO XXV. De Quadragesima.	SERMO XXI. *De sancta Quadragesima V.* Intellexisse vos credo, fratres, superiore Dominica, cur hæc nostra jejunia &c.	SERMO XXXVI. Feria VI. post Dominicam I.
SERMO XXVI. De Quadragesima.	SERMO XXII. *De sancta Quadragesima VI.* Non usque adeo contristari debemus, fratres, quod in his Quadragesimæ &c.	SERMO XXX. Dominica I. Quadragesimæ.
SERMO XXXIV. De Quadragesima.	SERMO XXIII. *De sancta Quadragesima VII.* Nonnulli christianorum, fratres, existimantes divinitatis &c.	SERMO XXXI. Eadem Dominica.
Non exstabat.	SERMO XXIV. *De sancta Quadragesima VIII.* Quam timendus est, fratres carissimi, dies ille judicii, in quo Dominus &c.	SERMO XXXIII. Feria II. post Dom. I. Quadrages.
Non exstabat.	SERMO XXV. *De sancta Quadragesima IX.* Ecce nunc tempus adest, in quo & peccata vestra confiteri Deo & sacerdoti &c.	SERMO XXXIV. Feria III. post Dom. I. Quadrages. *Ecce nunc tempus acceptabile &c.*
Non exstabat.	SERMO XXVI. *De sancta Quadragesima X.* Lectum est nunc in Evangelio: *Viri Ninivitæ surgent in judicio ....* Pharisæi pœnitentiam simulabant &c.	SERMO XXXV. Feria IV. post I. Dominicam Quadrag.
SERMO XXXV. De jejunio Domini in deserto &c.	SERMO XXVII. *De jejunio Domini in deserto, qui est de Quadragesima XI.* Meminisse debet vestra dilectio, fratres, hoc me anteriore Dominica prædicasse &c.	SERMO XXXVII. Feria VI. post Dom. I. Quadrages.
SERMO XXXVI. De Quadragesima.	SERMO XXVIII. *De sancta Quadragesima XII.* Ante dies devotionem sanctæ Quadragesimæ prædicantes sacrarum litterarum exempla &c.	SERMO XL. Feria III. post Dom. II. Quadrages.

ORDO

ORDO Antiq. edit. Ambr.	ORDO hujus edit.	ORDO Edit. Rom. Ambr.
Non exstabat.	SERMO XXIX. *De sancta Quadragesima XIII.* Agite gratias, fratres, divinæ pietati, quæ vos ad medium Quadragesimæ perduxit &c.	SERMO XLIII. Dominica IV. Quadragesimæ.
Non exstabat.	SERMO XXX. Dominica in Passione. *De sancta Quadragesima XIV.* Scitote, fratres, quoniam cujus opera quisque facit, ejus & filius vocatur. Unde & Judæi &c.	SERMO XLIV. Dominica in Passione.
Non exstabat.	SERMO XXXI. Dominica in Ramis Palmarum. *De sancta Quadragesima XV.* Veniente Domino nostro Jesu Christo ad urbem Hierusalem ante sex dies passionis &c.	SERMO XLV. Dominica in Ramis palmarum.
Non exstabat.	SERMO XXXII. Eadem Dominica Palmarum. *De sancta Quadragesima XVI.* Video vos, fratres, hodie adtentius, quam soletis, ad Ecclesiam convenisse, & nemo &c.	SERMO XLVI. Eadem Dominica.
SERMO XXXVIII. De Jejuniis & quadragesima.	SERMO XXXIII. *De Jejuniis Quadragesimæ XVII.* Propitia divinitate, fratres, ecce jam pœne transegimus quadragesimæ indicta jejunia &c.	Tom. I. pag. 147. SERMO. De jejunio Eliæ.
Non exstabat.	SERMO XXXIV. *Dominica Resurrectionis Domini.* Audistis, fratres, quod sanctæ mulieres, quæ cum aromatibus ad monumentum venere, Angelorum &c.	SERMO LIV. Dominica Resurrectionis Domini.
Tom. 2. De mysterio Paschæ libellus unus.	SERMO XXXV. *De mysterio Pascha II.* Paschæ mysterium de fide omnibus credentibus &c.	Tom. 4. pag. 301. De mysterio Paschæ libellus unus.
Non exstabat.	SERMO XXXVI. *In die sancto Pentecostes.* Magna est, fratres carissimi, hodierna festivitas, in qua, sicut audistis, acceperunt apostoli &c.	SERMO LIX. In die sancto Pentecostes.

SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO XI. De mirabilibus.	SERMO XXXVII. *De Mirabilibus.* Quantorum mirabilium operator sit dominus Jesus Christus intelligere possumus ex hac Evangelica lectione &c.	SERMO LXII. Domin. V. post Pentecosten.
SERMO XLI. De gratia baptismi.	SERMO XXXVIII. *De gratia baptismi.* Quia constat, sicut ante dies prosequuti sumus, Jesum Christum non sui causa baptizatum &c.	SERMO LXIII. Dominica VI. post pentecosten.
SERMO IV. De Camelo. Dicit in Evangelio Dominus J. C. *Amen dico &c.*	SERMO XXXIX. *De Camelo.* Mammona quod apud Hebræos hujus sæculi divitiæ appellantur. Dicitur vero mammona &c.	SERMO LXV. Dominica XIV. post pentecosten.
SERMO XXXIX. De jejuniis & eleemosynis.	SERMO XL. *De jejuniis, & eleemosynis.* Non dubito, fratres, contristari vos, quotiescumque absentem me à vobis necessitas &c.	SERMO LXVII. Dominica XXIII. post pentecosten.

ORDO Antiq. edit. Ambr.	ORDO hujus edit.	ORDO Edit. Rom. Ambr.
SERMO LXXIX. De eo quod dicit Dominus in Evangelio: *Vulpes foveas &c.*	SERMO XLI. *De eo quod dicit Dominus in Evangelio*: Vulpes foveas habent &c. Si diligenter advertit vestra dilectio, fratres, capitulum &c.	SERMO III. In festo sancti Basilii episc. & Confess.
SERMO LXXX. Increpatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio: *Qui habet, dabitur ei, &c.*	SERMO XLII. *Increpatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio:* Qui habet, dabitur ei; &: Cantavimus vobis, & non saltastis. Frequenter studueram apud me ipsum, fratres, subtrahere vobis dominicæ prædicationis eloquia &c.	SERMO XXV. Pro communi Conf. non Pontificis.
SERMO LXXXIII. Increpatio ad populum de absentia sua.	SERMO XLIII. *Increpatio ad populum quod Ecclesiam non frequentet.* Deberem fratres, post hos complures dies aliquid uberius prædicare, & revertens a tanto examine sacerdotum &c.	SERMO V. Populum quod non frequentet Ecclesiam, redarguit.
SERMO LXXXIV. Post increpationem consolatio ad populum.	SERMO XLIV. *Post increpationem allectio ad populum.* Amarior fortasse fuerit increpatio mea superioribus prædicationibus, quod plerosque &c.	SERMO VI. Consolatur populum, ne quia illum sæpius objurgaverit &c.
Non exstabat.	SERMO XLV. *De primo & secundo Adam.* Audite, fratres carissimi, quale est Legis mysterium. Primus homo &c.	Non exstabat.
Tomo 4. De Salomone liber unus.	SERMO XLVI. *De Salomone.* Mirum satis est, dilectissimi fratres, quod in hoc capitulo &c.	Tom. 2. pag. 1090. De Salomone liber unus.
Non exstabat.	SERMO XLVII. *Fragmentum enarrationis in cap. 30. Proverbiorum.* Ante adventum Christi salvatoris nostri prophetæ &c.	Tom. 2. pag. 1094. Enarratio in cap. 30. Proverbiorum.

SERMONES DE SANCTIS.

Non exstabat.	SERMO XLVIII. *In festo sanctæ Agnetis virginis & martyris.* Cum in toto mundo Virgineus flos Mariæ immarcessibiles &c.	Non exstabat.
SERMO LXXV. In natali SS. Cantii, Cantiani &c.	SERMO XLIX. *In natali SS. Cantii, Cantiani &c.* Hodie beatissimorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ &c.	SERMO IV. In festo SS. Cantii, Cantiani &c.
SERMO LXIII. De natali S. Johannis Baptistæ.	SERMO L. *In natali sancti Johannis Baptistæ. I.* In sancti ac beatissimi Johannis Baptistæ laudibus, cujus natalem hodie celebramus &c.	SERMO VII. In festo sancti Johannis Baptistæ.
SERMO LXIV. Item de eodem.	SERMO LI. *De prærogativa ejusdem sancti Johannis Baptistæ. II.* Sancti Johannis Baptistæ natalem hodie prosequuturus &c.	SERMO VIII. De prærogativa ejusdem &c.
SERMO LXV. Item de Johanne Baptista.	SERMO LII. *De vita ejusdem sancti Johannis Baptistæ. III.* Diximus superiori Dominica cùm silentii nostri veniam peteremus quod pro salute communi &c.	SERMO IX. De Vita ejusdem &c.
SERMO LXVII. De natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.	SERMO LIII. *In natali SS. Apostolorum Petri & Pauli. I.* Natalem beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diversis epulis &c.	SERMO X. In festo SS. apostolorum Petri & Pauli.
SERMO VI. De Margarita.	SERMO LIV. *De neglecta solemnitate beatorum Apostolorum Petri & Pauli. II.* Satis ad correptionem vestram arbitror posse sufficere, fratres dilecti, quod &c.	SERMO I. In festo sanctæ Luciæ Virginis & Martyris.

ORDO Antiquæ edit. Ambr.	ORDO hujus edit.	ORDO Edit. Rom. Ambr.
SERMO XCIII. In natali SS. martyrum Nazarii & Celsi.	SERMO LV. *In festo SS. Nazarii & Celsi martyrum.* Etiamsi Martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, propriis consulere &c.	SERMO XIV. In festo SS. Nazarii & Celsi Martyr.
SERMO LXIX. De natali S. Eusebii Vercell. episc.	SERMO LVI. *In festo sancti Eusebii martyris &c. I.* Ad sancti Martyris Eusebii laudem aliquid addere velle, decerpere est. Tam ineffabilium enim &c.	SERMO XV. In festo sancti Eusebii Martyris &c.
SERMO LXX. De depositione S. Eusebii.	SERMO LVII. *In die depositionis ejusdem. II.* Depositionem S. Eusebii martyris hodie celebramus &c.	SERMO XVI. In die depositionis ejusdem.
SERMO LXXIII. De sancto Cypriano.	SERMO LVIII. *Eadem die in festo sancti Cypriani martyris.* Ante dies cùm beatissimi martyris Cypriani celebraremus &c.	SERMO XIX. In festo S. Cypriani Mart. &c.
SERMO LXXXVI. De natali sanctorum Martyrum.	SERMO LIX. *Pro communi unius martyris.* Si quantum necesse est dicere, & vos oportet audire &c.	SERMO XXIII. Pro communi unius Martyris per annum.
Non exstabat.	SERMO LX. *In natali unius martyris, sive Domni Domiciani.* Dum celebramus hodie, fratres carissimi, mortui justi &c.	Non exstabat.
SERMO LXXIV. De natali Martyrum.	SERMO LXI. *Pro communi Martyrum.* Dignum & congruum est, fratres, ut post lætitiam Paschæ &c.	SERMO XXII. Pro communi Martyrum tempore Pasch.
SERMO LXXXVIII. De bellico tumultu.	SERMO LXII. *Pro communi plurimorum Martyrum.* Movet fortasse vos, fratres, quod tumultus bellorum & incursiones præliorum fieri &c.	SERMO XXIV. Pro communi plurimorum Martyrum.
SERMO LXXXIX. De dedicatione Basilicæ.	SERMO LXIII. *De servo centurionis in Evangelio, in dedicatione Basilicæ:* Legimus in sancto Evangelio cùm Centurionis cujusdam servus gravi paralysis ægritudine &c.	SERMO XXVI. In festo dedicationis Ecclesiæ.



SERMONES SANCTO AMBROSIO HACTENUS ADSCRIPTI.

SERMO I.

Dominica I. Adventus.

In Romana editione primùm vulgatus: sed cum Ambrosio perperam adtributum quæ de Adventus, quod nomen non nisi multo post Ambrosium innotuit in Ecclesia, jejunio dicuntur, clare ostendunt. Accedit etiam quod eo tempore confessionem criminum, & continentiam ab amplexu conjugali quasi necessariam indicit Auctor, quod maxime alienum est ab Ambrosio. Denique correctores Decreti observarunt verba ibidem de secubitu conjugum citata, non in hoc, sed in sermone quodam de quadragesima *inveniri.*

1. HOc tempus, fratres carissimi, non immerito Domini adventus vocatur, nec sine causa sancti patres adventum Domini celebrare cœperunt, sermones de his diebus ad populum habuerunt; id namque ideo instituerunt, ut se unusquisque fidelis præpararet & emendaret, quo digne Dei ac domini sui nativitatem celebrare valeret. Nam si aliquis vestium seniorem suum in ejus domum susceptūrus, ab omnibus sordibus & immundis rebus ipsam domum mundaret, & quæque honesta & necessaria essent, secundum suam possibilitatem præpararet; & hoc facit mortalis suscepturus mortalem: quanto magis se mundare debet creatura, ut suo creatori apparenti in carne non displiceat? Ille justus venit ad nos peccatores, ut ex peccatoribus faceret justos: pius venit ad impios, ut nos faceret pios: humilis venit ad superbos, ut ex superbis faceret humiles. Quid plura? Ille natura bonus, venit ad homines, qui erant pleni omnibus malis.

2. Quapropter hortamur vos ut his diebus abundantius eleemosynas faciatis, ad Ecclesiam frequentius conveniatis, confessionem peccatorum vestrorum purissime faciatis: & non solum ab omni immunditia, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissime vos contineatis: odium nihilominus, iram & indignationem, clamorem & blasphemiam, superbiam atque jactantiam, cum omni carnali delectatione procul à vobis repellatis; ut cùm dies Dominicæ nativitatis advenerit, salubriter ipsum celebrare possitis. Et sicut multi sunt solliciti de carnalibus divitiis, & de pretiosis vestimentis, ut honorabiliores ceteris videantur in illa die; ita vos sollicitiores estote de spiritalibus divitiis & vestimentis; quia sicut anima melior est carne, ita deliciæ spiritales meliores sunt, quam carnales. Et multo melius est animam ornare virtutibus, quàm corpus pretiosis induere vestibus.

3. Hæc admonitio, fratres, idcirco ad vos facta est, ut qui boni sunt, per hanc sint meliores; & qui malos se esse recolunt, certissime convertantur; ut pariter in die Dominicæ nativitatis lætari spiritaliter mereantur: ipso præstante, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum, amen.



SERMO II.

De Natali Domini veniente.

In vet. edit. male inscribitur, Item de Natali Domini: *melius in cod. Lugd.* Sequentia de Natali Domini veniente: *unde intelligas moris fuisse in Lugd. Ecclesia, ut per plures Dominicas populum ad natalem Domini celebrandum præpararent sacerdotes. Licet porro in mss. Vind. tribuatur Augustino, & in quibusdam Ambrosio; melius tamen inter Maximianos referri potest, cùm illius sermonis, qui in Rom. edit. quartus habetur, & Maximi esse probatus est, continuatio sit, quod Erasmus in margine advertisse etiam videtur.*

1. SAtis abundeque [a] dixisse me credo superiore Dominica quemadmodum comti vel nitidi natalem Domini suscipere debeamus, & supervenientem festivitatem ejus omni ambitione retinere. Retinere, inquam, ut & si dies solemnitatis ejus transeat, apud nos tamen sanctificationis ipsius beatitudo permaneat; hæc enim gratia natalis est Domini salvatoris, ut in futurum ad prædestinatos transeat, in præteritum remaneat ad devotos. Oportet ergo esse nos sanctitate puros, mundos pudicitia, nitidos honestate; ut quo diem festum advenire propinquius cernimus, eo accuratius incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas ferias suscepturæ, maculas vestium suarum aqua diluere; cur non magis nos excepturi natalem Domini, maculas animarum nostrarum fletibus abluamus?

2. [b] Et illæ quidem si adeo infectæ & obscuræ sordibus fuerint, ut maculas sola aqua non purget, addunt mollitiem olei, saponis etiam acrimoniam: nos quoque si tam grave peccatum fuerit, ut id minime solis fletibus abluatur, addamus misericordiæ oleo acrimoniam jejunii. Nullum enim tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentiâ, eleemosynis extinguatur; ait enim sanctus propheta: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Magna ergo est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum; ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo, dum compellitur pro actibus nostris mutare sententiam, & in uno eodemque homine nunc severitate judicis permoveri, nunc patris pietate blandiri. Patet enim nobis Deus est, cùm bene agimus: judex noster est, cùm peccamus. Compellitur ergo operibus nostris Dominus, ut nobis suam misericordiam largiatur; atque ideo ipse in Evangelio sancto dicit: *A diebus Johannis Baptistæ regnum cælorum cogitur.* Quæ sententia quem intellectum habeat, videamus.

Eccli. 3. 33.

Matth. 11. 12.

3. Regnum cælorum non nisi Christus est dominus, qui regnat in cælis. Cogi autem verbum tunc solet dici, cùm res aliqua rarior assidua operatione densatur. Ex quo ergo Johannes Baptista Salvatoris annuntiavit adventum, ex eo regnum cælorum, quod priùs fluidum & remissum apud Judæos jacebat, credentium populorum cœpit assiduitate densari, & omnis illa regni raritas prædicationum frequentatione solidari; tam enim rarum fuit apud Judæos regnum, ut transiret ad gentes: tam fluidum, ut emanaret ad populos. Nunc autem tanta credentium cogitur densitate, ut fixum & solidum maneat sine fine, sicut Scriptura dicit: *Et regni ejus non erit finis.* Cogimus ergo regnum cælorum, & vim quodammodo facimus, sicut ait evangelica lectio: *Et vim facientes diripiunt illud.* Vim, inquam, facimus Domino, [c] non compellendo, sed flendo: non provocan-

Luc. 1. 33.

Matth. 11. 12.

a. Codex Reg. *superiore tractatu .... & supervenientem festivitatem ejus ab omni ambitione abstinere inquam, ita ut &c.*

b. Codex Lugd. *Et illa quidem tecula si adeo infecta & obscura sordibus* fuerint: Vind. autem, *Et illa quidem si adeo infecta res cellula fuerint, ita illi .... si adeo infecta res sordibus fuerint.*

c. Codex Vind. *non contendendo.*

do injuriis, sed lacrymis exorando: non blasphemando per A
superbiam, sed per humilitatem moerendo. O beata violentia! quæ non indignatione percutitur, sed misericordiâ
condonatur: beata, inquam, violentia, quæ vim patienti
bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti: mala res
a admittitur, [a] & de injuria nemo causatur: vis admittitur,
& religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo
fuerit, religiosior habebitur à Christo. Aggredimur ergo
Johan. 14. 6. in itinere Dominum, si quidem ipse est via, & more latronum bonis eum suis exspoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros, & vitam: sed ille tam dives & largus est, ut non abnuat, non resistat; & cùm omnia dederit, nihilominus omnia ipse possideat. Aggredimur, inquam, B
illum non ferro, non fuste, non saxo: sed mansuetudine,
ac bonis operibus, & castitate.

4. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus,
b ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus: [b] expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur; prius enim ipsi regnare debemus in nobis, ut
regnum possimus diripere Salvatoris. Ait ergo Evangelium:
Matth. 11. 12. *Et vim facientes diripiunt illud.* Raptores igitur sumus,
raptores autem non nisi aliena diripiunt. Agnosco veram
esse sententiam: Christum enim Ecclesia rapuit Synagogæ,
& alienæ gentis regnum vim faciendo possedit. Nam Sal- C
vator missus sub Lege, natus sub Lege, nutritus juxta Legem, dum à Judæis negligitur, à gentibus occupatur: &
c dum [c] à sacerdotibus perditur, à peccatoribus invenitur, si-
Matth. 21. 31. cut ipse ait: *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cælorum.* Raptores igitur sumus.

5. Mirandum non est, quippe qui à tali auctore descendimus; scriptum est enim de patriarcha nostro Benjamin:
Gen. 49. 27. *Lupus rapax*; rapit enim quod suum non est. Ita & nos
velut filii rapacis lupi alienarum pastorem ovium nostra
Mat. 15. 24. intentione præripimus, sicut ipse dicit: *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel.* Rapitur itaque Christus,
cùm à Judæis dimittitur, & ab alienigenis prædicatur. D
Rapitur Christus, cùm occiditur à Judæis, & sepelitur à
nobis. Rapitur Christus à vigilantibus discipulis, à dormientibus perditur pharisæis; sicut mentiendo ipsi confessi
sunt, dum custodias ponerent sepulturæ, post resurrectio-
Matth. 28. 64. nem Domini, dicentes: Quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Unde spiritaliter intelligimus quia Christum omnes dormientes perdunt, vigilantes inveniunt; atque ideo Apostolus dicit:
Ephes. 5. 14. *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Vides ergo mortuum esse, qui ita dormit, ut non
custodiat Salvatorem; & ideo illi pharisæi velut mortui
non potuerunt servare viventem. Propterea, fratres, non E
dormiamus, sed vigilemus circa ipsum dominum nostrum
Salvatorem; ut appositis jugiter custodiis, nemo illum auferat à sepultura pectoris nostri, nec dicamus aliquando:
Venerunt, & dormientibus nobis, furati sunt eum. Habemus enim inimicos, qui Christum de cordibus nostris, si
obdormierimus, auferre nitantur. Unde pervigili cura servemus eum in sepulcro animarum nostrarum, ibi perquiescat, ibi dormiat, ibi cùm voluerit, resurgat.

d 6. [d] Ergo fratres natalem Domini suscepturi, ab omni conscientias nostras fæce mundemus; ac curemus nos non
sericis vestibus, sed operibus pretiosis. Vestimenta enim
nitida membra operire possunt, conscientiam ornare non F
possunt; nisi quod majoris verecundiæ est nitidum membris incedere, & pollutum sensibus ambulare. Interioris
igitur hominis prius ornemus affectum, ut exterioris quoque sit amictus ornatus, spirituales maculas abluamus, ut
in nobis carnalia fulgeant vestimenta. Nihil autem prodest
fulgere vestimentis, & sordere flagitiis. Ubi enim tenebrosa conscientia est, totum corpus subobscurum est. Habe-
Luc. 11. 41. mus autem quo conscientiæ maculas abluamus, sicut scriptum est: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*
Bonum eleemosynæ mandatum, per quod manibus operamur, corde mundamur, præstante Domino nostro Jesu
Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in
sæcula sæculorum, amen.

SERMO III.

In die natalis Domini I.

Aberat ex antiquis editionibus. Ambrosii procul dubio nihil præ se fert: verba autem illa, propter prolixitatem divini officii..... propter dissonantiam regum, *eidem minime conveniunt. Forte minus abhorreant à Cæsario, cujus ad stylum totus hic sermo satis accedit.*

1. DOmini nostri Jesu Christi, fratres, nativitatem
celebrantes, videamus sensum hujus evangelicæ
B lectionis, quæ modo lecta est; dicit enim sanctus Evangelista Augusti Cæsaris edicto censum professum esse mundum universum, & ob hoc adscendisse Joseph à Galilæa Luc. 2. 1. & seq.
de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ
vocatur Bethleem; ut ibi profiteretur cum Maria uxore
prægnante, & pro utroque solveret censum, ut pote de eadem familia. Tanta quippe fuit pax, Filio Dei apparente
in carne, per duodecim annos, ut omnes, secundùm Esaiæ
vaticinium, *concunderent gladios suos in aratra, & lanceas* Esai. 2. 4.
suas in falces. Ideo verò Filius Dei auctor pacis tempore
pacis nascitur; ut omnes sequaces suos pacem amare doceret, Nam sicut Cæsar Augustus misit Cyrinum ad exigen-
C dum censum; ita Deus verus Augustus misit prædicatores
in mundum ad censum fidei exigendum. Reddamus ergo,
fratres, censum fidei & bonæ actionis. Nullus remaneat,
omnes adscendamus de Galilæa, id est, de volubilitate mundi in Judæam, id est, rectæ confessionis regionem; quatenus Bethleem, id est, domus panis esse mereamur, illius
videlicet, qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Johan. 6. 41.

2. Narrat præterea Evangelium quia cùm genuisset beata
semper virgo Maria Christum, pannis ipsum involutum posuerit in præsepio: quæ nec mysterio vacant; voluit enim
Christus pannis involvi, ut nos à laqueis mortis absolve-
D ret. Et bene dicit: *Ibant*: ut ostendat quod in via nascitur:
hoc autem, quia viam nobis se ostendere venerat. Voluit
in angusto præsepio poni, qui venerat nobis regni cælestis
latitudinem præparare. Non in sericis vel in auratis pannis,
sed in vilibus involvi voluit, qui nobis immortalitatis stolam reddere venerat. Iis adstringi se permisit, qui nostros
pedes & manus ad opera bona agenda solvere properabat.
Quid ad hæc dicendum est, fratres? Exclamandum est cum
Psalmista: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit* Psal. 115. 12.
mihi? Ille quidem invenit calicem, quem retribuet: nos vero reddamus quod possumus, id est, eleemosynas, vigilias,
lacrymas, pacem; dimittamus in nos peccantibus, ut nostra
E nobis dimittantur à Deo peccata.

3. Pastores vero qui, nascente Dei Filio, supra gregem
suum vigilabant, & Angelos videbant, sanctos prædicatores significant: qui quo majorem curam habent animarum,
eo frequentius angelica allocutione revelari merentur. Angelo vero apparente, pastores turbantur; quia humanæ
naturæ est ad Angelorum adspectum pavere, & bonorum
est Angelorum consolationem adhibere timentibus. Unde
mox pastores alloquitur, dicens: *Nolite timere*: & subdit Luc. 2. 10.
quare: *Ecce*, inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum,
quod erit omni populo.* Pulcre dicit: *Omni populo*; quia de
omni populo venerunt ad fidem.

F 4. Uno itaque Angelo cum pastoribus loquente, subito
multitudo Angelorum apparens hanc vocem emisit: *Gloria* Ibid. 2. 14.
in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.
In quo facto moraliter monemur, ut uno fratre legente,
vel docente, vel quodlibet opus bonum agente, multitudo
fidelium in laudem Dei prorumpat, & ad imitandum bonum quod cernit, adsurgat. Apparente vero Filio Dei in
carne, gloria in altissimis Deo canitur, & pax in terra esse
hominibus bonæ voluntatis annuntiatur. Simus ergo &
nos, fratres, bonæ voluntatis, quatenus in pace vivere
mereamur.

5. Sensum tamen Evangelicæ lectionis & propter brevitatem diei, & prolixitatem divini officii sub brevitate perstringimus; ut vos monere possimus de his, quæ ad vestram
specialiter salutem pertinent. Monendi enim sumus, ut
afflictionem quæ nobis propter dissonantiam regum supervenit, nostris reputare studeamus peccatis. Ut ergo & ab

a. Idem cod. *& de injuria nemo causatur.*
b. Nonnulli mss. *expurgemus membrorum vitia.*
c. Reg. ms. *à sacerdotibus repellitur.* Idem etiam sequentia illa: *Raptores igitur sumus*, usque ad: *Ergo, fratres natalem*, prætermittit.
d. *Ergo, fratres, natalem*, & cetera quæ sequuntur ad finem usque, ex cod. Reg. & Vind. restituta sunt, cùm in aliis, & edd. desiderentur.

ista persecutione, & ab æterna damnatione liberari mereamini, unusquisque quidquid in se reprehensibile recognoscit, in hac die in qua Filius Dei nascitur, corrigat, id est, qui fuit adulter, voveat Deo castitatem; qui avarus, largitatem; ebriosus, sobrietatem; qui superbus, humilitatem, qui detractor, caritatem voveat, & reddat, secundùm illum psalmi versiculum: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Nos fideliter voveamus, ille dabit possibilitatem solvendi. Psal. 75. 12.

6. Valde quippe honestum est, fratres, ut nullus sit qui non hodie Domino aliquid offerat. Regibus vel amicis susceptis munera damus, & creatori omnium ad nos venienti nihil dabimus? Nihil enim à nobis magis requirit, quam nosmet ipsos. Offeramus ergo ei nos ipsos, quatenus & à præsentibus malis, & ab æternis cruciatibus, ipsius ineffabili pietate liberati, in cælestis regni beatitudine suscepti, perpetuo valeamus gaudere, præstante ipso domino ac redemtore nostro Jesu Christo, cui est omnis honor & gloria cum Patre & Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum, amen.

SERMO IV.

De natali Domini Salvatoris II.

Videtur è sermonibus diversorum Patrum compilatus, maxime vero Augustini; non solum enim in ejus libro Quæst. 83. quæst. 58. *verum etiam in ejusdem sermonibus* 188. & 194. *nova edit. non pauca reperias, quæ tibi persuadeant in hunc sermonem esse translata. Eundem etiam si cum Hieron.* Comment. in cap. 4. ad Galat. *nec non cum sermonibus* 98. & 197. *append. August. composueris, compilatum esse nobiscum fatebere.*

1. VErum est quod ait sanctus Johannes Baptista de domino Salvatore, dicens: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Si quidem hoc primum etiam ipsis temporibus approbatur; ecce enim in nativitate Christi dies crescit, & Johannis nativitate decrescit: illo oriente lux proficit, hoc nascente minuitur. Ipsa enim quodammodo tempora famulantia partibus suis [a] detrimentum patiuntur, cùm servus gignitur: cùm autem Dominus nascitur, consequuntur augmentum. Profectum plane facit dies, cùm mundi Salvator oritur: defectum patitur, cùm ultimus propheta generatur; scriptum est enim: *Lex & prophetæ usque ad Johannem.* Atque ideo necesse erat ut obscuraretur Legis observatio, [b] ubi evocatio, ubi Evangelii gratia refulgebat; & cessaret prophetia veteris Testamenti, cùm novi Testamenti gratia succedebat. Ergo in nativitate Domini proficit dies. Johan. 3. 30. Luc. 16. 16.

2. Non mirum si proficit dies, [c] in qua novus justitiæ sol coruscat: non mirum si proficit dies, quam splendidissima lux veritatis illuminat; ait enim evangelista de Christo domino: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Igitur si erat lux vera, quæ illuminat hominem, cur non illuminaret mundum? Atque ideo dies, quæ lucem humano generi peperit, prius ipsa ejusdem lucis fulgore resplenduit, & conclusa jam spatia sua noctium tenebras Dominicæ lucis nitore discussit. Occupaverat enim totam diem noctium longitudo, nisi in ipsa diei brevitate Christi refulsisset adventus: qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras discussit; ita & die nativitatis suæ caliginum tenebras amputavit, & uno eodemque ortu lucem pariter intulit & hominibus & diebus. Unde non est mirum si crescit dies, quæ gemino fulgoris splendore vestitur. Johan. 1. 9.

3. Sed videamus adhuc quomodo dominus Salvator crescat, Johannes Baptista decrescat. [d] Diximus in superioribus quod Johannes quidem figuram Legis prophetarumque gestaverit: necesse erat ergo ut deficeret Lex, Evangelio coruscante: & minueretur Judaicus populus, populo christiano surgente. Quis enim dubitat nativitate Domini Synagogæ esse conventicula vacuata, plebes multiplicatas Ecclesiæ, & mirum in modum quotidie Christum per christianos suos crescere, Johannem minui per Judæos? hos diei Dominici splendore fulgere, illos obscuritate noctium laborare? Nox enim super Judæos quodammodo major incubuit, ex quo dixerunt de nece Salvatoris: *Sanguis hujus super nos, & super filios nostros.* Majoribus plane sunt noctium tenebris obscurati, ex quo conati sunt diem veritatis occidere. Matth. 27. 25.

4. Hoc autem quod dicimus, ut veriùs approbare possimus, utriusque nativitatem breviter exponamus. Ecce enim cùm nascitur Christus, exsultant Angeli, pastores pervigilant, Magi adveniunt, stella præcedit, & cuncta quæ sunt in cælis terrisque pulcherrima, ipsi Domino deferuntur. Deferuntur enim illi gloria per Angelos, claritas per stellam, religio per Magos, simplicitas per pastores: & quod apud ipsum solum futura essent hæc omnia, ideo nascenti illi universa famulantur. Cùm autem Johannes concipitur, Zacharias obmutescit, solemnis conticescit sacerdos, Elizabeth mater absconditur, significans post ortum suum Legis silentium, amissionem sacerdotii, latebras Synagogæ. Dubium autem non est quod Johannes natus pharisæis justitiam Legis abstulerit, quod conceptus patri abstulit vocis obsequium. Crescit igitur Dominus semper, Johannes Baptista minuitur.

5. Non ideo minuitur, quod meritis aliquid derogetur: sed quoniam Salvatoris quotidie accumulatur gloria, illius minor fieri videtur. Lucerna denique vocatur Johannes, dicente Domino: *Ille erat lucerna ardens.* Lucernæ igitur obscuratur lumen, cùm radius solis effulget; & defectionem quamdam lampadis suæ patitur, cùm clarioris lucis splendore superatur. Quis enim sapiens lucernam requirat in sole? Non quidem extinguitur, sed necessaria non habetur; hoc est, quis ad Johannis pœnitentiæ baptismum veniat, cùm possit Salvatoris baptismo salvari? Non quidem illud reprehenditur, sed hoc magis utile & necessarium judicatur; [e] quia in eo remissio peccatorum tribuitur. Johan. 5. 35.

SERMO V.

De natali Domini III.

In eo locus num. 4. legitur, quem ex Ambrosii Comment. in Luc. *lib. 2. num.* 50. *expressum minime dubitamus: quæ autem ab illis num. 6. verbis:* Quid enim tam silenter *ad finem usque continentur, extra controversiam est totidem verbis exscripta esse ex* Comment. in psal. 71. *quod Rufino perperam tribui solet.*

1. QUa gratia, vel quibus laudibus hunc diem [f] natalis Domini prædicem, prorsus ignoro; in tanta enim festivitate ad magnificandum Deum humana loquela non sufficit. Nam si tunc cùm nascebatur Christus, Angelorum voce laudatus est: numquid non magis nunc humana laudandus est voce, cùm regnat? Supergreditur enim illius temporis festivitatem nostra solemnitas; siquidem [g] tunc stupuerunt illi tantùm nascentem Dominum, nos illum suspicimus nascentem, resurgentem pariter & regnantem. Tanto igitur fæcundior laudatio esse debet hujus temporis, quanto sunt majora miracula.

2. Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non potest humana fragilitas, ad Angelorum nos præconia conferamus: & qua merito eos æquiparare non possumus, devotione comitemur; hoc est, in ea festivitate, eadem qua illi lætitia, nos sententia persultemus, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Digna plane & justa sententia, quæ in nativitate Christi & Deo honorem repræsentat in cælis, & hominibus pacem repræsentat in terris; ante Salvatoris enim ortum nec cælestia reverentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant. Sed videte quid dicat ipsa sententia: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Non quibuscumque hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus; ut intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti; [h] non enim eam meretur conditio, sed voluntas. Luc. 2. 14. Ibidem.

a. Omnes edit. cum Lugd. cod. *ideo detrimentum faciunt, servus gignitur ... consequuntur augmentum*: alii mss. concinnius, ut nos in textu.
b. *Ubi evocatio*, deest in mss. tribus: & pro *gratia refulgebat*, in Lugd. habetur, *gloria refulgebat*.
c. Restituimus è cunctis mss. *in qua novus ... si proficit dies*.
d. Rom. edit. sola *Diximus olim*.
e. In cod. Lugd. deficiebat hæc sententia, *quia in eo* &c.
f. Edit. quædam Paris. *natalem Domini prædicamus*; aliæ omnes, *prædicemus*: mss. vero *prædicem*.
g. Mss. aliquot, *tunc susceperunt illi*. At infra ubi omnes edit. ac plures mss. *suscipimus nascentem*; melius codex Lugd. *suspicimus nascentem*.

h. Vet. edit. *non enim eam meriti Angeli in ea nocte, quam pastores nascentem Dominum super gregem suum vigilias observantes, primi pro omnibus didicerunt ... intimantibus Angelis cognoverunt. Unde mirum est quod genus redemtionem sæculi potuerunt scire, quam principes ... Non ergo jam mirandum est.* Rom. edit. *non enim eam meretur conditio, sed voluntas. Hanc pastores ea nocte, qua nascente Domino, super gregem vigilias observabant, pro omnibus primi audierunt. Ipsi Salvatoris ortum primi ante omnes homines, intimantibus Angelis, cognoverunt. Angeli enim non regibus, non judicibus, sed hominibus rusticanis sæculi redemtionem primi annuntiaverunt. Nec mirum si* &c. Nos locum è mss. tribus restituimus.

3. Hac persultarunt Angeli in illa nocte, qua pastores A nascentem Dominum super gregem suum vigilias observantes, præ omnibus primi didicerunt; ipsi enim primi ortum Salvatoris ante omnes homines, nuntiantibus Angelis, agnoverunt. Unde non mirum est quod redemtionem sæculi ante pastores sæculi potuerunt scire, quam principes; non enim Angeli nuntiaverunt regibus, non judicibus, sed hominibus rusticanis. Non ergo jam mirandum si Christi gratiam ante scire meruerit innocentia, quàm potestas: & prius cognoscere veritatem simplex rusticatio, quam superba dominatio; quod enim cognoverunt pastores, principes cognoscere nequiverunt. Unde & beatus Apostolus ait:
1. Cor. 2. 8. *Quem nemo principum sæculi ejus cognovit*, & reliqua. Ergo B in nativitate Domini Angeli pariter cum pastoribus sunt læati, excelsam Deo dicentes gloriam; nam vicinis quodammodo & junctis choris Dei gloriam prædicaverunt.

4. Unde & credo eosdem Angelos in ejusdem Domini eadem festivitate simili nobiscum lætitiæ vicinitate gaudere: nam qui solent propter Christi ortum alloqui pastores, non possunt propter ejusdem Christi gaudium non inquirere sacerdotes. Siquidem & quod tunc ad illos super gregem suum vigilias observantes nocte intempesta loquuti sunt, hujus temporis mysterium designabat. Nam illo facto hoc utique monstrabatur, gregem populum, noctem sæculum, sacerdotes esse pastores, qui jugi super plebem sollicitudi- C ne vigilantes propter Christum ab Angelis minime deseruntur.

5. Hodierna igitur die secundum carnem natus est Dominus, ita secreto, ita silentio, ut ortum ejus sæculum penitus ignoraret. Ignoravit enim sæculum; quia & extra
a conscientiam [a] patris natus est, & extra ordinem naturæ conceptus. Nam Joseph conceptum suscepit filium, quem non genuit: Maria partum posuit, quem sexus consuetudine non creavit. Sic igitur natus est Dominus, ut ortum ejus nemo futurum suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodum crederent hoc futurum, quod posteaquam factum est, factum esse vix credunt? D

6. Nam quod ita latenter & secreto Salvator descensurus esset in Virginem, jam ante David propheta testatus
Psal. 71. 6. est, dicens: *Descendit sicut pluvia in vellus.* Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, quam cùm imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius
b corpus humore [b] repercussi roris adspergit: sed sine inquietudine omnium totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures præbens meatus: & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem.

7. Recte ergo Mariam velleri comparamus, quæ ita E concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec ejusdem scissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cujus fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus plane Maria est; siquidem de molli sinu ejus agnus egressus est, qui & ipse matris laniciem, hoc est, carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lanâ suffunditur, Christi fovetur sanguine; & ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.

SERMO VI.

De natali Domini IV.

Totus ferme in eo versatur, quod natalis Domini eo tempore sol novus dicebatur, id est, annus novus; quandoquidem ab ea die annus quondam incipiebat. Videtur autem ejusdem auctoris esse hic sermo, cujus est quartus superiorum, cùm sub finem ejus admodum similia iis legantur, quæ de lucerna solis prævia hic differuntur. Quod autem de fabro habemus infra num. 7. in serm. 135. Aug. Append. reperire est: sed illud quoque ductum videtur ex Ambrosio in Lucam. lib. 3. circ. initium. Unde forte an hujus sermonis auctorem esse beatum Maximum liceat conjicere.

1. BEne quodammodo sanctum hunc diem natalis Domini solem novum vulgus appellat, & tanta sui auctori- A tate id confirmat, ut Judæi etiam atque gentiles in hac voce consentiant. Quod libenter amplectendum nobis est; quia oriente Salvatore non solum humani generis salus; sed etiam solis ipsius claritas innovatur, sicut ait Apostolus: Ut per ipsum *restauraret omnia, sive quæ in cælis, sive* Ephes. 1. 10.
quæ in terra sunt. Si enim obscuratur sol, cùm Christus patitur; necesse est illum splendidius solito lucere, cùm nascitur. Et si Judæis mortem operantibus offundit tene- Luc. 23. 45.
bras, cur non Mariæ parturienti vitam, exhibeat claritatem? Aut quare non credamus quod, nascente Christo, sol ad obsequium lucidior advenerit, cùm Magos ad indicium clarior stella præcesserit? Et si stella per diem alieni B temporis officium ministravit; cur non credamus quod sol quoque nocturnis horis aliquantulum adventu maturiore decerpserit? Ex eo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ob Dominicæ nativitatis obsequium ante mundo lucem protulit, quàm nox cursum sui temporis consummaret.

2. Quin potius ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua pastores pervigilant, exsultant Angeli, astra deserviunt. Nec mirari debemus quod in nativitate Christi nova omnia facta sunt, cùm novum hoc ipsum fuerit, quod Virgo peperit. Si autem præter solitum nativitas extitit, & præter solitum obsequia C sunt delata. Ergo oriente Domino, pastores pervigilant, exsultant Angeli, sol obsequitur, stella famulatur. Et quidem Angeli vel pastores gaudia sua voce vel sermonibus prosequuntur: elementa autem ista gaudia sua, [c] quia voce c
non poterant, officio protestantur. Sol igitur præter consuetudinem in hac festivitate matutinus illuxit. Nec mirum. Si enim ad Jesu Nave orationem defixus stetit in die, cur Josue 10. 13.
non ad Jesu Christi nativitatem festinus promoveret in nocte?

3. Solem igitur novum hanc diem vulgus appellat; & cùm dicit novum, utique & veterem esse demonstrat: veterem autem dixerim hujus mundi solem, qui defectionem D patitur, qui parietibus excluditur, qui nubibus obscuratur: veterem dixerim solem, qui vanitati subjacet, qui corruptionem metuit, qui judicium pertimescit. Scriptum est enim: *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Joel 2. 31.
Veterem, inquam, dixerim, qui sceleribus interest hominum, facta adulteria non refugit, homicidium non declinat. Et cùm omne genus hominum nolit esse medium, cùm aliquod crimen admittitur, hic solus in cunctis facinoribus stat.

4. Ergo quia hunc veterem esse manifestum est, novum quem nisi Christum dominum reperiemus? de quo scriptum est: [d] *Orietur vobis sol justitiæ*; de quo etiam ex d
E persona peccatorum dicit propheta: *Sol non est ortus nobis, & justitiæ lumen non luxit nobis.* Hic enim sol, cùm Malac. 4. 2. Sap. 5. 6.
diaboli tenebris universus mundus esset oppressus, & caligo referta criminibus sæculum possideret, dignatus est ultimo tempore, hoc est, incumbente jam nocte, ortum suæ nativitatis infundere. Primo quidem ante lucem, hoc est, antequam illuminaret justitiæ sol, velut matutinum quoddam prophetarum misit oraculum, sicut scriptum est: *Mittebam prophetas meos ante lucem.* Postea vero ipse cum Hier. 7. 25.
suis radiis, hoc est, cum apostolorum suorum fulgore resplenduit, ac tanta mundi caliginem veritatis luce discussit, [e] ut in diaboli tenebris nullus offenderet. e

5. Hic est igitur sol novus, qui claustra penetrat, infer- F na reserat, corda rimatur. Hic novus est sol, qui Spiritu sancto vivificat mortua, corrupta reparat, suscitat jam defuncta: vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluida, decoquit vitiosa. Ipse, inquam, est qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, & non tam condemnat crimina, quam emendat. Hic plane est sol justus & sapiens, qui non sine discretione, sicut istius mundi sol bonis ac malis similiter circumfertur: sed quodam judicio veritatis, sancto lucet, occidit peccatori. Hoc autem inter utrumque interest solem, quod ille judicium metuit, hic judicium comminatur: quod ille corruptionis minister est, hic æternitatis est dominus: quod ille creatura est, hic creator.

6. Tamen istum mundi solem, priusquam oriatur, adhuc

a. Rom. edit. sola, patris conceptus, &c. . . . , natura natus. Consequenter autem ubi omnes edit. ac mss. nonnulli, nam Joseph conceptum, cod. Lugd. ac Silv. vocem conceptum non agnoscunt. Postremo ubi omnes edit. partum edidit, omnes mss. præferunt, partum posuit.
b. Omnes edit. repercussionis adspergit: sed sine inquietudine hominum, Rom. ovium, rorem &c. omnes mss. et in contextu, alii quoi pro roris, in Lugd. habetur foris. Non recte.
c. Lugd. codex, quia voce poterant.
d. Codex Vallisel. orietur nobis &c.
e. Ita mss. ac omnes edit. è contrario, ut diaboli tenebræ nullos offenderent.

ante lucem propter necessarios usus hominum solet lucerna A præcedere. Habet autem & Christus sol lucernam suam, [a] quæ eum præcessit, sicut dicit Propheta: *Paravi lucernam Christo meo.* (Psal. 131. 17.) Quæ autem ista lucerna sit, ostendit Dominus, dicens de Johanne Baptista: *Ille erat lucerna ardens & lucens.* (Johan. 5. 35.) Ipse autem Johannes, ut præcedens lucernæ lumen exiguum ait: [b] *Ecce post me venit, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* (Luc. 3. 16.) Simul etiam intelligens lumen suum solis radiis offuscandum, ante prædicit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* (Johan. 3. 30.) Sicut enim lucernæ claritas destruitur solis adventu, ita & Johannis pœnitentiæ baptismum superveniente Christi gratia vacuatum est. B

7. Videamus igitur hic sol noster novus quo fonte nascatur. Sicut est verum, Deo oritur auctore: divinitatis ergo est filius; divinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, illibatæ. Intelligo plane mysterium; ideo enim secunda nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata; ut cui prior nativitas gloriosa exstitit, ejus secunda contumeliosa non fieret: hoc est, ut quemadmodum virgo illum divinitas ediderat, ita eum & virgo Maria generaret. Habere etiam apud homines patrem scribitur, sicut legimus in Evangelio dicentibus pharisæis: *Nonne hic est filius Joseph fabri, & mater ejus Maria est?* (Matth. 13. 55.) In hoc quoque adverte mysterium. Faber pater C dicitur Christi. Et plane faber pater Deus, qui totius mundi opera fabricatus est: & plane faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare disposuit. Faber, inquam, est qui ordinavit Moysi tabernaculum, arcam Testamenti instituit, templum Salomonis erexit. Fabrum dixerim, [c] qui mentes rigidas emollit, cogitationes superbas rescindit, humilia facta sublimat. Hic autem faber circa arbores curvo utitur ferramento, sicut in Evangelio legimus, dicente Johanne: *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor* [d] *non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* (Matth. 3. 10.) Hoc enim agit totum, ut utiles cælestis fabricæ arbores [e] in structura componat, infructuosas vero evulsas radicitus flammarum D consumat incendio.

SERMO VII.

De Kalendis januariis.

Cùm ludos ac profanas ceremonias ad celebrandum hunc diem à gentilibus institutas per aliquot sæcula christiani non pauci retinerent, maxima fuit cura SS. Patrum, ut ipsos tum in synodis tum in concionibus ab hujusmodi deterrerent. Illud è conc. Trull. can. LXII. Turon. II. can. XVII. & Tolet. IV. can. XI. clare cognoscitur; ac varii sermones à Chrysostomo, Augustino, Maximo & aliis in eam rem habiti E *confirmant. Citatur quoque ab Ivone Carnut. sermo Ambrosii de hoc argumento, cujus quidem priora verba cum hoc sermone non conveniunt, alia satis congruunt. Sed sive hanc concionem, sive aliam ille viderit, neutram putamus Ambrosianam: non enim illas superstitiones obtinuisse Mediolani crediderimus, cùm in veris illis sermonibus, ex quibus primi voluminis tractatus constant, nusquam in illas invectus fuerit sanctus Antistes. Vide super hoc quæ tom. 1. lib. 2.* de Interpell. David *cap. 1. num. 5. subnotavimus. Adde quod & in mss. pluribus Augustino tribuatur.*

1. Est mihi adversus plerosque vestrum, fratres, querela non modica: de his loquor qui nobiscum natalem Domini celebrantes, gentilium se feriis dederunt, & F post illud cæleste convivium superstitionis sibi prandium præpararunt; ut qui ante lætificati fuerant sanctitate, inebriarentur postea vanitate, ignorantes quod qui vult regnare cum Christo, non possit gaudere cum sæculo: & qui vult invenire justitiam, debeat declinare luxuriam. Alia enim ratio est vitæ æternæ, alia desperatio lasciviæ temporalis: ad illam virtute adscenditur, ad istam perditione descenditur.

2. Atque ideo qui vult esse divinorum particeps, non debet esse socius idolorum; idoli enim portio est inebriare vino mentem, ventrem cibo distendere, saltationibus membra torquere: & ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare quod Deus est. Unde sanctus Apostolus hæc prævidens dicit: *Quæ portio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis?* (2. Cor. 6. 14.) Ergo si nos sumus templum Dei, cur in templo Dei colitur festivitas idolorum? cur ubi Christus habitat, qui est abstinentia, temperantia, castitas; inducitur comessatio, ebrietas, atque lascivia? Dicit enim Salvator: *Nemo potest duobus dominis servire,* (Matth. 6. 24.) hoc est, Deo & mammonæ. Quomodo igitur potestis religiose epiphaniam Domini procurare, qui jam kalendas, quantum in vobis est, devotissime celebrastis?

B 3. Janus enim homo fuit unius conditor civitatis, quæ Janiculum nuncupatur, in cujus honorem à gentibus kalendæ sunt januariæ nuncupatæ; unde qui kalendas januarias colit, peccat: quoniam homini mortuo defert divinitatis obsequium. Inde est quod ait Apostolus: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne sine causa laboraverim in vobis.* (Galat. 4. 10.) Observavit enim diem & mensem, qui his diebus aut non jejunavit, aut ad Ecclesiam non processit: observavit diem, qui hesterna die non processit ad Ecclesiam, processit ad campum. Ergo, fratres, omni studio gentilium festivitatem & ferias declinemus; ut quando illi epulantur & læti sunt, tunc nos simus sobrii atque jejuni; C quo intelligant lætitiam suam nostra abstinentia condemnari.

4. Non solum autem gentilium, sed & Judæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures judicum & publicas inquietant; & ideo magis prævalent, quo magis sunt impudentes. Hoc autem non recens in ipsis, sed inveteratum & originarium malum est. Nam olim etiam dominum Salvatorem intra prætorium persequuti sunt, & (Matth. 27. 2. & seq.) præsidis eum judicio condemnarunt. In prætorio ergo à Judæis innocentia opprimitur, secretum proditur, religio D condemnatur. Cùm enim Christus occiditur, omnis in eo veritas & justitia condemnatur; quoniam ipse est innocentia, religio sanctitatis, atque mysterium.

SERMO VIII.

De sancta Epiphania I.

In Appendice August. sermo exstat numero 135. cum quo hic noster in eo congruit, quod de festorum frequentia dicit. Majorem adhuc inter hunc & primum Maximi in illis advertimus cognationem, queis in utroque aqua in vinum conversionem corporum resurrectionis symbolum esse ostenditur. Hinc conjicimus auctorem amborum eumdem esse. Et sane huic sermoni ad marginem editionis Erasmi auctor adscribitur idem Maximus: cujus etiam inter sermones unus de festo Pascha iisdem prorsus, quibus hic ipse, verbis incipit.

1. Exsultandum nobis est, fratres carissimi, quod votis nostris vota succedunt, quod gaudiis gaudia cumulantur; ecce enim adhuc natalis Dominici solemnitate corda nostra persultant, & jam festivitate sanctæ Epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur agere debemus Domino, qui nos frequenter visitat, ut sæpe lætificet: [f] frequen- F tiusque requirit, ut numerosius benedicat. Quamvis igitur gentiles, licet vane, numerosa solemnitate lætentur propter diversitatem deorum suorum; tamen plures nobis festivitates præstat unius Dei visitatio, quàm illis multorum dæmonum superstitiosa præsumtio. Nam sicut eos veritate religionis vincimus, ita votorum numero superamus.

2. Epiphaniæ ergo hodie procuramus gaudia. Quærat forte aliquis quid interpretetur hoc verbum, [g] scilicet quia ἐπιφαίνω græce, latine dicitur apparere. Ergo quia tunc primum apparuit Salvator in mundo, ipsa dies eodem vocabulo Epiphania nuncupata est.

3. Quomodo autem apparuerit requiramus, non quod (Johan. 1. 10.) in mundo ante non fuerit, cùm mundus per ipsum factus sit: sed quod tunc primum signis atque miraculis creden-

a. Omnes edit. quæ ejus ort. ... præcessit, omnes mss. quæ eum præcessit. Et lucernam omnes edit. cum Lugd. cod. lucerna lucens: codex Vallisol. lucerna ardens: mss. Silv. lucerna ardens & lucens.
b. Rom. edit. sola, Venit fortior me, cujus &c.
c. Omnes edit. ac duo mss. qui mentes rigidas expolit: melius tamen cod. Vallisol. emollit.
d. Rom. edit. sola, non faciens fructum bonum.

e. Rom. cum ms. Lugd. in futuro componat: Optime cod. Vall. & Silv. in structura componat.
f. Vet. edit. crebrius requirit cum mss. confestim requirit: Rom. edit. frequentius requirit: codex Lugd. ut nos in textu.
g. Omnes mss. scilicet quia epiphania græce, latine dicitur apparere: Erasm. & Gill. ... dicitur apparitio: Rom. edit. scilicet, epiphania quia ἐπιφαίνω græce &c. Nos Amerbachii lectionem anteposuimus.

tium

tium cordibus Christus Deus illuxerit, &c. in tenebrosas conscientias hominum fidei splendor advenerit. Cùm igitur Deus ubique sit, & universa possideat, tamquam non visus antea, apparuisse dicitur. Apparuit autem non tam oculis hominum, quam saluti: nam etsi prius natus ex Virgine oculis carnalibus videbatur, tamen non apparebat; quoniam virtutem ejus adhuc fidei acies ignorabat. Unde Judæis per prophetam dicitur: *Videntes videbitis, & non videbitis*, hoc est, Salvatorem quem cernerent oculis corporalibus, spiritali lumine non viderent. Postea enim quàm divinitatem suam mirabilibus declaravit, humanis mentibus tamquam novus & inopinatus apparens, oculos quosdam cordis infudit; ut cognosceret sensus, quem non cognovit adspectus. Unde fit ut nos Christum dominum per fidem, quem numquam vidimus, contemplemur: Judæi quem perspexerunt oculis, palpaverunt manibus, hodie usque non videant. *Isai. 6. 9.*

4. Requiramus igitur quod signum operatus sit, ut divinitatem suam populis declararet. Dicitur hoc primum fecisse miraculum, ut aquam mutaret in vinum. Magnum plane signum, & ad Dei credendam sufficiens majestatem. Quis enim non miretur in aliud quam erant, elementa esse translata? Nemo enim potest mutare naturam, nisi qui dominus est naturæ. *Iohan. 2. 11.*

5. Credendum est jam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem posse converti, quando vilis substantia in pretiosam est conversa substantiam. Nolo enim auditor nomina tantum perspicias vini & aquæ, sed si vis potentiam comprobare, virtutem rerum adspice; facto enim hoc altius nescio quid demonstratur. Nam cùm Dominus aquam vertit in vinum, non tam hoc operatur; ne discumbentibus desit ebrietas, sed ut credentibus [a] fiat æternitas. Siquidem propterea in mundum venerit Christus, non ut conviviorum cellaria procuraret, sed ut saluti hominum provideret: nec ut hydrias substantiâ boni odoris impleret, sed ut animas gratiâ sancti Spiritus irrigaret. Ergo cùm ille ex vili aqua vini optimi saporem voluit gustare convivas, magis voluit ex hac vili carne resurrectionis cælestis sapientiam gustare credentes.

6. Nam hoc signum totum utique resurrectionis mysterium continet; aqua enim vilis, pallida & frigida, in vinum versa, scilicet pretiosum, rubrum, vel ignitum, hoc significat hominis [b] substantiam, mortalem conditione, vilem imbecillitate, pallentem morte, in resurrectione in gloriam commutandam, quæ est æternitate pretiosa, gloriâ colorata, spiritu immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum est credere Dominum operari voluisse, ut per hoc terrenum signum, futurum jam tunc à sapientibus cæleste mysterium videretur. Nam si mirabile est utique, quæ defecerant convivis, vina supplesse; quanto est mirabilius vitam, quæ est exhausta, hominibus reparasse? Et si gloriosum est aquam in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in justitiam commutare; & mores potius temperare, quam pocula?

7. Audeo dicere illas hydrias non solum illi convivio, sed universo mundo pretiosam illam ministrare substantiam, nisi quod nobis melius administrant. Constat enim ex ipsis vasculis illos hausisse ebrietatem, nos haurire justitiam: illos percepisse vini poculum, nos calicem salutis accipere: & si dici fas est, apud illos pertransisse, quod biberant; apud nos vero permanere, quod sumsimus.

SERMO IX.

De sancta Epiphania II.

Quod hîc dicitur de apostolis, viso miraculo, in Christum credentibus, cùm in sermone superiori non habeatur, ad alium referri manifestum est. Idem autem illud habetur in sermone Maximi de hoc ipso festo, sicut & alia quædam, quibus ille cum hoc & superiori non parum convenit; unde trium illorum non diversum scriptorem esse conjectura fit. Hæc porro verba: Et si interdum vigorem, *quæ cum superioribus male cohærent, in codicibus Lugdun. & Vallis Claræ novum sermonem exordiuntur. Quod vero ad auctoris de vocis debilitate querimoniam, jam nos ad librum* 1. de Sacram. *cap. 6. annotabamus eam plurimis concionatoribus esse communem. Quem locum ipse consulas licet.*

1. Meminit [c] sanctitas vestra, fratres, superioris prædicationis nostræ, qua descripsimus beatos apostolos uno viso miraculo, hoc est, aquâ in vinum à Salvatore conversâ, in eum protinus credidisse; ita enim ait Evangelista de Domino: *Et manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.* Quod factum non ideo tantùm scriptum est, ut illorum sub quibus factum est, fidei gloria monstraretur: sed & propter nos, qui eodem devotionis exemplo credulitatis gloria provocamur. Christus enim quod operatus est, non illis tantum operatus est, quos habebat tunc præsentes: sed & nobis postea secuturis; ut licet majores nostri tempore nos præcederent, tamen signorum gratia non præirent. Quæ enim illis exhibita est præsentium rerum in mirabilibus virtus, eadem virtus nobis est litterarum thesauro conservata; ut nobis præstaret pagina, quod in illis gerebat historia: [d] immo nobis gereretur, quidquid in nobis insinuante Scripturarum speculo dictaretur: & potentiam Domini, quam illi carnalibus oculis cernerent, nos spiritali lumine videremus. *Iohan. 2. 11*

2. *Et manifestavit*, inquit, *gloriam suam discipulis suis & crediderunt in eum discipuli ejus.* Quàm bene potentiam Domini subsequitur devotio servulorum; & quod magister docet opere, discipuli corde describunt! [e] Ecce vobis jam credentibus virtus operantis manifestatur, & fides credentium apostolorum manifesta prædicatur. Prædicanda plane apostolorum fides, quæ viso uno signo, credidit in omnipotentiam Salvatoris: & apostoli dum mirantur aquam in vinum versam, ipsi ex omni fæce peccatorum similiter sunt conversi, & ad instar facti miraculi ex vili superstitione gentilium in pretiosam devotionem credentium sunt translati. Et ut aqua in vinum versa, sapore, rubore, & calore conditur; ita scientiæ, quod erat in his insulsum, accepit saporem: quod pallens, gratiæ sumsit colorem: quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore.

3. Magnificanda igitur apostolorum fides, quæ ideo evangelico sermone descripta est, ut & illis esset ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed quod pejus est, illis laus sua permanet, nos exempla non permovent: nam quanto posteriores sumus tempore, tanto & inferiores merito. Illi enim viso uno signo, statim Domino crediderunt, nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus, dubitamus: dubitamus, inquam; quia præsentia nimis diligimus, dum futura non credimus: divitias amamus in sæculo, dum eas accipere cunctamur à Christo: iracundia immoderate extollimur, dum retributionis judicium non timemus. Ceterum qui novit scriptum esse: *Quo judicio judicaveritis, eodem judicabitur de vobis*; absque dubio lenis, moderatus & mitis est: & plus bonitate cogit, quàm severitate compellit: amicus indulgentiæ, familiaris est veniæ; ut dum eam frequenter impertit, à Domino semper accipiat. Si quidem prudentis sit rectoris ita terrenos honores agere, ut honorificentiam cælestis dignitatis adquirat. *Matth. 7. 2.*

4. Et si interdum vigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas, tamen studio devotionis vestræ fortiores efficimur. Nam quo vos studiosius auditis, eo nos libentius prædicamus; & virtus nobis loquendi additur, cùm vos intelligendi accommodatis auditum. Quis enim non conetur illic verbi cælestis semina jacere, ubi illud puti

a. Ver. edit. *sit æternitas*: Rom. *abundet æternitas.* Et infra omnes edit. *non ut conviviorum cellaria*: MSS. utrobique, ut in contextu.

b. Ver. edit. *substantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte in resurrectione*: Rom. edit. ... *morte frigentem, in resurrectione*: MSS. vero nobiscum faciunt.

c. Codex Reg. præmissis aliquot versibus Evangelii, hanc homiliam ita orditur: *Descripsimus beatos apostolos* &c.

d. Ita MSS. edd. quo, pro *nobis gereretur*, quidam scriptum, *in nobis generetur*: edit. vero, *immo in nobis geritur, quicquid nobis ingeritur, quidquid nobis insinuatur.*

e. Omnes edit. cum Reg. cod. *Ecce eos manifestatio virtus operantis, & fides prædicatur manifesta credentium*: reliqui MSS. è contrario, ut in contextu.

cordis fœcunda terra suscipiat? Quis, inquam, non illic verbum Salvatoris collocare velit, ubi illud non sæcularium sollicitudo præfocet, sed disciplinarum spiritalium virtus enutriat? Ergo, fratres, quia in sancta Epiphania exsultavimus videntes miracula Salvatoris, debemus facere quod illius temporis discipuli tunc fecerunt.

5. Quod autem dixi vidisse nos modo, quod olim gestum est: vidimus plane, videmusque quotidie. Ea enim sunt a Christi mirabilia, ut non antiquitate prætereant, sed gratia convalescant: non oblivione sepeliantur, sed virtutibus innoventur. Apud omnipotentiam enim Dei nihil est abolitum, nihil præteritum: sed pro sui magnitudine omnia illi in præsenti sunt, totum illi tempus est hodie.
Psal. 89. 4. Unde & sanctus Propheta dicit: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies una.* Quod si omne sæculorum tempus una dies est Domino, eadem die qua mirabilia Salvator Patribus operatus est, operatus & nobis est. Vidimus igitur & nos sicut majores nostri mirabilia Domini, cùm pari ea cum illis stupore suspeximus. Gustavimus & nos sicut illi de ipsis hydriis; siquidem illi de his poculum vini biberunt, nos salutis calicem sumserimus.

6. Debemus ergo facere, viso signo Domini, quod nostri fecere priores; si enim eadem in nobis divinitatis refulsit gratia, eadem & fidei apud nos debet esse devotio. Dicit enim evangelista de Domino, hoc miraculo perpe-
Johan. 2. 11. trato: *Et manifestavit gloriam suam, & crediderunt discipuli ejus in eum.* Credere ergo debemus, sicut & tunc apostoli crediderunt. Dicit autem alius: *Et nos christiani sumus, & credimus in dominum Salvatorem.* Sed credere opus est opere, non sermone: non lingua, sed corde; ne & nobis
Esai. 29. 13. dicatur: *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

SERMO X.

De sancta Epiphania III.

Christum hoc die in Jordane tinctum ab aliis adstrui, ab aliis negari tradit hic sermo: qua de re Hieronymus in Ezechielem, Leo Magnus epist 16. nova edit. atque alii consuli possunt. Nostrum vero est hic admonere cum sermone 1. sancti Maximi, nec non cum alio in Append. Aug. 134. quem eidem Maximo mss. & edit. communiter tribuunt, multum convenire. At nihil ei cum Ambrosio affinitatis esse, facile is agnoscet, qui tantum quæ apud ipsum sub finem lib. 2. in Lucam, & quæ in hoc sermone de columba figura disseruntur, inter se contulerit.

1. PLerique in hac sancta Epiphaniæ die hactenus à Domino mirabilia facta esse commemorant, ut rogatus
Johan. 2. 9. ad nuptias aquæ substantiam in vini speciem commutaret, ac liquorem fontium in meliorem usum sui benedictione transferret: ministros hausisse aquam de puteis, vinum in hydriis inv[illegible]isse; atque utiliore dispendio perdidisse, quod impleverant, reperisse quod deerat: tuncque primùm hoc mirabili signo divinitatis suæ declarasse virtutem. Nonnulli autem in hac sancta die ab Johanne baptizatum eum in Jordane testantur, atque in lavacri ejus gratia interfuisse loquendo Deum Patrem, sanctum quoque Spiritum descendisse. Nec mirum si in Domini lavacro mysterium non defuit Trinitatis, cùm nostrum lavacrum Trinitatis compleat sacramentum; neque enim poterat Dominus non primùm circa se exhibere, quod erat postea humano generi præcepturus, cùm omnia non sui causâ, sed nostræ gratiâ salutis efficeret.

2. At numquid propter se baptizari voluit, cùm peccatum non haberet, b sicut dicit Petrus: *Qui iniquitatem non*
1. Petr. 2. 22. *fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* Sed propter nos utique, qui multorum criminum peccatis obnoxii, opus habebamus ut in Christi baptismo purgaremur; atque ideo venit Dominus ad lavacrum non ut purificaretur ipse aquis: c sed ut nobis aquarum fluenta purificet; ex quo enim ille se se in aquas mersit, ex eo omnium credentium peccata delevit. Necesse est autem ut omnium peccata deleverit,
Johan. 1. 29. qui omnium peccata suscepit; sicut ait evangelista: *Hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi.* Mirum ergo in modum unus mergitur, & salus omnium reparatur.

3. Adest ergo Deus Pater, cùm baptizatur Dominus; adest Spiritus sanctus. Videte Salvatoris benevolentiam, qua solus se in passione contumeliis subdidit, in lavacro solus gratiam non quæsivit, vult participes esse gloriæ. Adest ergo sicut dixi, Pater, adest & Spiritus sanctus: & quia Deus videri non potest, Spiritus in columba, Pater descendit in voce: quodque solum ad adstruendam fidem hominibus necessarium erat, exhibet Salvatorem. Fides enim nostra nisi auditu non constat & visu: ideo se Spiritus in columba oculis subdit, Pater in voce se auribus subministrat; nam nisi propter nostram credulitatem ista fieri oportuisset, potuit Pater & Spiritus tamquam invisibilis Deus ad Verbum Filium invisibili prolapsione descendere. Igitur propter nostram fidem aperto cælo, Spiritus ad Christum, Pater ad Filium, vox descendit ad Verbum; Verbum enim Christus est, de quo scribitur: *In principio* Johan. 1. 1.
erat Verbum. Bene, inquam, Pater vox, & Filius Verbum dicitur, quia Verbum nonnisi de voce procedit. Conveniunt itaque sibi vox & Verbum, & saluti hominum provident societate mysterii.

4. Qua autem ratione Spiritus sanctus ad Christum in specie columbæ descenderit, videamus: utrum sit aliqua similitudo columbæ vel Domini, sicut est vocis & Verbi. Est plane non parva; columbam enim etiam ipsum Dominum dixerim; quia est alacer, mitis, & simplex. Columba est; quia sanctos suos esse præcepit ut columbas, dicens:
Estote simplices sicut columbæ. Quod autem columba Christus Matth. 10. 16.
sit, Propheta dicit ex persona ipsius, describens post passionem reditum ejus ad cælum: *Quis dabit mihi pennas sicut* Psal. 54. 7.
columbæ, & volabo, & requiescam? Cùm ergo Christus dominus initiaret Ecclesiæ sacramenta, è cælo supervenit columba. Intelligo mysterium, agnosco etiam sacramentum; columba enim ipsa est, quæ nunc ad Ecclesiam Christi in
baptismo venit, quæ quondam ad arcam Noe in diluvio Gen. 8. 11.
properavit, tunc illi securitatem annuntians olivæ ramo, modo huic æternitatem conferens divinitatis indicio. Tunc signum pacis ore adferens, modo ipsa pacem Christum sui substantiâ superfundens.

5. In Jordane igitur baptizatus est Dominus. Multa mirabilia in hoc flumine sæpius facta esse Scriptura commemorat, inter cetera dicens: *Et Jordanis conversus est retrorsum.* Psal. 113. 3.
Puto autem esse mirabilius quod domino Jesu Christo ibi posito, factum est; ante enim retrorsum aquæ conversæ fuerant, modo retrorsum peccata conversa sunt: & sicut tunc impetus fluminis alveum sui cursus perdidit; ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit. Quod quidem in propheta Elia jam illo in tempore factum
puto; sicut enim Elias in Jordane divisionem fecit unda- 4. Reg. 2. 14.
rum, d ita & Christus dominus in eodem Jordane separationem operatus est peccatorum: ille stare fluenta præcepit, hic crimina. Et sicut sub Elia fluctus primordia fontium, de quibus exierant, e petierunt; ita & sub Christo domino homines ad originem suam de qua in infantia fuerant exorti, sunt reversi.

SERMO XI.

De sancta Epiphania IV.

Hic in antiq. edit. inscribebatur: Post Epiphaniam. *Et is revera post superiorem, quem ipso die Epiphania habitum constat, ex utriusque collatione dictus cognoscitur. In Rom. edit. eidem titulus est:* Ad catechumenos. *Neque id absurde; eosdem enim variis in Ecclesiis ab eo festo nomen profiteri consuevisse ex multis cum aliorum tum Ambrosii testimoniis datur intelligi. Nec vero quidquam est, cur hunc auctorem Felicis & Elipandi æqualem, aut in erroribus præcursorem aliquis putet, quod in baptismo Christum adfirmat renatum esse; illud enim nihil aliud sonat, nisi Dominum aquis emergentem resurrectionis formam exstitisse. Cum vero non modo in sermone sequenti, sed etiam in 135. & 136. August. Append. eadem legantur, non leve profecto argumentum est ab eodem auctore omnes hos sermones esse profectos aut unius auctorem ex altero largius hausisse.*

1. AD omnes vos, fratres, prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ pervenisse credo, & ad vos præcipue catechumenos: in qua descripsimus tunc, nonnullis

a. Omnes edit. *Christi miracula, ut non antiquitate prætereant*: omnes mss. ut in contextu.
b. Rom. edit. cum Reg. cod. *sicut dicit propheta.*
c. Edit. ultima Paris. *sed ut nos aquarum fluentis purificet.* Non recte.
d. Vet. edit. *ita & Spiritus Domini*: melius Rom. & mss. ut in textu.
e. Omnes edit. *petierunt . . . ad originem suam infantiam de qua fuerant* &c. omnes mss. nobis convenientes, nisi quod pro originem in uno legitur origines, in alio, origines sui initium.

adserentibus aquam in vinum fuisse conversam : plerisque A autem testantibus illa quoque die in Jordane Dominum baptizatum. Quod licet à diversis alterutrum factum esse credatur ; ego tamen utrumque factum esse confirmo, & aliud signum de alio contineri. Utrumque enim factum est ; nam cùm baptizatus est Dominus, & mysterium lavacri instituit, & humanum genus velut vilem aquam in æternam substantiam divinitatis sapore convertit. Similiter & cùm hydrias plenas liquore fontium vertit in vinum, utrumque operatus est, & speciem magis necessariam nuptiis præstitit, & demonstravit corpora hominum per lavacrum Spiritus sancti spiritali replenda esse substantia. Quod
Matth. 9. 17. alibi ipse Dominus manifestius declaravit, dicens in utres B novos vinum novum esse condendum ; in novitate enim utrium lavacri puritas, Spiritus sancti gratia significatur in vino.

2. [a] Igitur vos catechumenos diligentius oportuit hoc audisse, quibus magis est necessarium, ut sensus vester, qui ignorantiâ Trinitatis ut aqua nunc friget, agnitione mysterii incalescat ut vinum, & animarum vestrarum liquor vilis & tenuis in pretiosam & fortem gratiam transfundatur ; ut vini vice sapiamus quod bonum est, redoleamus quod suave est, & possimus dicere illud Apos-
2. Cor. 2. 15. toli : *Quoniam Christi bonus odor sumus Deo* ; [b] catechumenus C enim, priusquam baptizetur, sicut aqua jacet, friget & pallet : fidelis autem sicut vinum fortis & rubeus est. Catechumenus, inquam, sicut aqua nullius saporis, nullius odoris, nullius est pretii, nec sufficiens ad usum, nec delectabilis ad reficiendum, nec tolerabilis ad servandum. Nam sicut aqua cùm servatur diutius, in deterius versa intra semet ipsam putrescit & fœtet ; [c] ita & catechumenus cùm diutius catechumenus permanet, in deterius conversus intra semet ipsum vilescit & deperit. Ait enim Domi-
Johan. 3. 5. nus : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrat regnum cælorum* : qui autem non intrat regnum, ne- D cessariò remanet in inferno.

3. Rectè autem vino comparatur fidelis ; sicut enim ex cunctarum creaturarum substantia omnis res vetustate deperit, solum vinum proficit vetustate ; ita ex omni genere hominum cunctis antiquitate pereuntibus, solus christianus proficit vetustate. Et sicut vinum in dies singulos asperitatem suam decoquens, saporis dulcedinem, suavitatem odoris, adquirit ; ita & christianus successu temporis delictorum suorum asperitatem decoquens, sapientiam sibi divinitatis, [d] beneolentiam Trinitatis adsumit.

4. Ergo in hac sancta die baptizatus est Dominus. Videte quam bene ordinaverit, ut & in natali suo natus sit, & in Epiphania renatus ; ut nec longe à se salutis humanæ vota E distarent, & æternas Salvatori jugiter gratias ageremus.

5. Tunc & vota nostra celebrata sunt, quando Christo
Ibid. 3. 29. Ecclesia copulata est, sicut ait Johannes : *Qui habet sponsam, sponsus est.* Propter has ergo nuptias saltare nos convenit ;
2. Reg. 6. 14. siquidem & David rex pariter & propheta cùm multa cecinerit, ante arcam Testamenti saltasse dicatur ; elevatus enim gaudio in saltationem prorupit. Prævidebat enim in Spiritu per Mariam de germine suo Ecclesiam Christi tha-
Psal. 18. 6. lamo sociandam, de quo ait : *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Atque ideo [e] præ ceteris prophetarum auctoribus plus cantavit : quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros conjugabat : & ad propria vota F omnes gentes subito dulcius invitans, nos quoque docuit quid ipsis facere deberemus in nuptiis, cùm ipse ante nuptias tota exsultatione lætatus sit.

SERMO XII.

De sancta Epiphania V.

Iis quæ ad sermonem superiorem à nobis dicta sunt, tantum addemus nostros hos sermones uno contextu compositos videri, cùm è contrario quos ex Append. August. supra citavimus, speciem centonum quamdam præ se ferant ; proindeque hos ex iisdem illic forsan fuisse interpolatos. Hujus tamen auctorem ex sanctis Patribus nonnulla etiam imitatum esse nulli negamus ; quæ enim causæ cur baptizari Christus voluerit, hic afferuntur, etiam apud alios, & Ambrosium ipsum cum alibi tum in Comment. in Luc. *lib. 2. num 83. & lib. 4. num. 5. pertractantur.*

1. EVangelica scriptura refert, sicut lectum nuper audivimus, Dominum ad Jordanem baptismi causa venisse, & in eodem flumine mysteriis se cælestibus consecrari voluisse. Quod mirari non debemus, cur hoc baptismatis ipsius dominus & magister fecerit, quia ipse ait : *Qui fecerit sic, & docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.* Matth. 5. 19. Facere igitur priùs voluit, quod faciendum omnibus imperabat ; ut bonus magister doctrinam suam non tam verbis C insinuaret, quam actibus exerceret, & ad finem nos gustu pariter confirmaret & sensu.

2. Hoc autem totum hodierno die gestum esse manifestum est : quod ita verum esse ipsa possumus colligere ratione ; ratio enim exigit, ut post diem natalis Dominici, licet interpositis annis, eodem tamen tempore hæc festivitas sequeretur, quam & ipsam festivitatem natalem appellandam puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus est sacramentis : tunc per Virginem editus, hodie per mysterium generatus. Ita enim disposuit Dominus non longe inter se hominum vota distare, ut in uno tempore quem ge- D nitum gratulabantur in terra, sanctificatum lætarentur in cælis ; ut qui partum Virginis, Angelis annuntiantibus, possidebant ; Dei Filium, cælis testantibus, retinerent : certique essent homines quia ipse esset Filius Dei, quem Virgo pepererat, divinitas agnoscebat ; novi enim partus nova mererentur obsequia. Ibi cùm secundùm hominem nascitur, mater eum Maria sinu circumfovit : hic cùm secundùm mysterium gignitur, Pater eum Deus voce complectitur ; ait enim : *Hic est Filius meus, in quo bene complacui, ipsum audite.* Matth. 3. 17. Mater ergo partui molli blanditur gremio, Pater Filio [f] pio testimonio famulatur : mater, inquam, eum adorandum Magis ingerit, Pater colendum gentibus manifestat : sinu igitur retinetur à matre, cùm nascitur : sed Pater E ei sinus sui fotum jugiter subministrat. Legimus enim eum sine intermissione in Patris gremio quiescentem, dicente evangelista : *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Johan. 1. 18.

3. Libenter ergo in sinu sanctorum quiescit Dominus ; unde & Johannis evangelistæ sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo in quo Christus requiescit, non corporis gremio præparatur, non vestimentorum ambitione componitur, sed cælestium virtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Johanne evangelista fides, in Deo Patre divinitas, in Maria matre virginitas. Ibi sinus Christi est, ubi habitaculum est virtutum : ibi reclinat Johan. 13. 23. F caput suum, ubi domicilium cælestium invenit præceptorum. Nam ideo peccatoribus & infidelibus dicit : *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20. Igitur dominus Jesus hodie venit ad baptismum, & corpus suum sanctum voluit aqua dilui.

4. Dicat fortasse aliquis : Qui sanctus est, quare voluit baptizari ? Audi ergo : Ideo baptizatur Christus, non ut sanctificetur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificet & purificatione sui purificet fluenta illa quæ tangit ; [g] consecratio enim Christi consecratio major est elementi. Cùm enim Salvator abluitur, jam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, & purificatur fons, ut sequuturis postmodum populis lavacri gratia ministretur. Præcedit ergo Christus per

a. Reg. Codex totus quidquid ab his verbis usque ad inferiora illa : *Ergo in hac sancta die*, continetur, lectioni quæ nobis titulus est, inserit, ita incipiens : *Igitur oportet vos diligenter audire hæc, ut animarum liquor vilior vilis & tenuis* &c.

b. Idem cod. Reg. *Infidelis enim sicut aqua jacet, riget, & pallet. . . . Infidelis, inquam.*

c. Reg. codex, *ita & infidelis cùm diutius in infidelitate permanet. . . . deperit.* Cetera vero usque ad, *Recte autem* scriptor omisit.

d. Omnes edit. & mss. unus *benevolentia Trinitatis* : mss. duo ; *benevolentiam Trinitatis* : optime omnium Lugd. codex, *beneolentiam* &c. ut etiam colitur ad superius illud : *Suavitatem odoris adquirit.* Reg. codex, *sapientiam sibi, & benivolentiam summæ divinitatis adsumit.*

e. Ita omnes edit. ac mss. ubi loco *prophetarum* legendum forte *prophetiarum* : at Rom. edit. haud bene reposuit, *præ ceteris plus prophetarum cantavit.*

f. Rom. edit. sola, *pio testimonio adstipulatur.*

g. Eadem Rom. edit. *Baptizatio enim Christi, consecratio est elementi.*

baptismum; ut christiani post eum confidenter populi subsequantur.

5. Intelligo ergo mysterium; ita enim & columna ignis (Exod. 13. 21.) præcessit per mare rubrum, ut intrepidum iter Israel filii sequerentur: & ipsa prior per aquas gressa est; ut venientibus post se viandi semitam præpararet. Quod factum, sicut Apostolus dicit (1. Cor. 10. 1.), mysterium baptismi fuit: baptismus plane quodammodo fuit, ubi homines nubes operiebat, unda portabat. Sed hæc omnia operatus est Christus dominus idem qui & modo, qui sicut tunc per mare filios Israel in ignis columna præcessit, ita nunc per baptismum christianos populos in corporis sui columna præcedit. Ipsa, inquam, est columna, quæ tunc lumen sequentium oculis præstitit, modo lucem credentium cordibus subministrat: tunc in fluctibus undarum solidavit semitam, modo in lavacro fidei vestigia corroborat; per quam fidem, sicut filii Israel, qui intrepidus ambulaverit, persecutorem Ægyptium non timebit.

SERMO XIII.

Super his verbis Evangelii: *Simile est regnum cælorum fermento.*

Prima ipsa exordii verba ne Ambrosio hunc sermonem adtribuamus, refragantur; non enim hoc modo loqui consuevit de sui episcopatus initio, cùm raptus à tribunalibus, aliqua mora iis discendis, quæ doceret alios, opus habuerit. Potuit tamen hic Auctor ex Ambrosii Comment. in Luc. *lib. 7. num. 187. quædam hausisse. Verum cùm eo loci alterum sententias abs se referri testetur sanctus Doctor, quominus hic auctor alios quoque imitatus fuerit, nihil prohibet.*

1. ET ipsi scitis, fratres, quod ex qua die vobiscum esse cœpi, non cessavi omnibus vos Dominicis admonere mandatis, & partim hortando, partim increpando, præcepta vobis [a] divinitatis ingerere; ita ut plerumque pius pater fuerim, nonnullis autem durus magister exstiterim. Patrem enim me sibi gratulatus est, quisquis sermonem meum libenter amplexus est: durum autem magistrum sensit, qui conscientiam suam prædicatione mea percussam esse condoluit. Sed nihil mea interest, dummodo sive pietate, sive censura Christus annuntietur in vobis; quamvis & ipsa censura sit pietas, quæ ideo circa negligentiores filios adhibetur, ut timere discant, quod amare neglexerant. Non quod omnes filios non æqualiter diligat pater, sed quod indulgentia patris sit pro diversitate morum exhibere pietatis affectum; ut blandum filium exhortatione provocet, contumacem vero austeritate conveniat, de utriusque tamen correctione securus; quoniam hunc amore verberat, illum severitate castigat, sicut ait beatus Apostolus (Hebr. 12. 11.): *Omnis quidem disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mæroris: postea vero fructum pacificum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Igitur quoniam tot tractatibus meis profecisse vos credo, libet quædam vobis divinarum disserere litterarum; ut intelligam quod id quod dixero, fidei vivacitate capiatis.

2. Ait Dominus in sancto Evangelio (Luc. 13. 18.): *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.* In alio vero loco ita ait (Matth. 13. 33.): *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina, donec fermentatum est totum.* Fermenti vim atque virtutem omnibus notam esse non dubium est. Nam cùm sit magnitudine parvum, specie simplex, natura commune; tantam fortitudinem intrinsecus gerit, ut cùm reconditum fuerit in farina, [b] succus ejus hoc totam massam faciat esse, quod ipsum est; & ita se per universum cumulum adspersionis suæ vigore diffundit, ut omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum: ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi proprii vigoris adquirit. Hoc autem faciunt mulieres, ut viris suis salubriorem panem, & cibum utilem diligenter exhibeant. Sed quoniam Lex spiritalis est (Rom. 7. 14.), & Evangelium [c] spiritaliter parabolarum narratione subsistit; videamus quid sit fermentum, quæ mulier, quid farina.

3. Legimus in sancto Evangelio, dicente domino Christo de se ipso (Johan. 12. 24.): *Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Ergo si triticum Dominus, & Dominus est fermentum; quia fermentum non nisi de tritico fieri solet: [d] recte ergo fermento Dominus comparatur, quia cùm esset specie homo, humilitate parvus, imbecillitate dejectus, tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, ut doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet: qui cùm cœpit per totum orbem divinitatis vigore transfundere, statim omne hominum genus in substantiam suam suæ potestate protraxit; ut & jugum Spiritus sui sancti infunderet [e] omnibus, & hoc christianos cunctos faceret esse, quod Christus est. Nam cùm homo dominus Jesus unus & solus esset in mundo tamquam fermentum in massa reconditum, universos homines præstitit esse, quod ipse est. Quisquis igitur illi fermento Christi adhæserit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi utilis, quam aliis idoneus universis; & de sua certus salute, & de aliorum adquisitione securus.

4. Sicut igitur fermentum cùm in cumulum conspergendum est farinarum, confringitur, comminuitur, dissipatur, & ipsum omne dissolvitur; ut dispersam illam farinæ multitudinem [f] in unum sui vigore constringat, atque in solidum corpus redigat, quod in pulveris modum ipsa diminutione languebat; faciatque conjunctione sui utilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile: sic ergo & dominus Jesus Christus, cùm esset totius mundi fermentum, diversis passionibus confractus, laceratus & dissolutus est, & succus ejus pro salute nostra, qui est pretiosus sanguis, effusus est; ut admixtione sui omne genus humanum solidaret, [g] quod per diversa antea resolutum jacebat; sic enim velut fermentum quoddam nos, qui farina ex gentibus videbamur esse, adhæsimus. Nos, inquam, qui per totum orbem [h] dispersi & diminuti penitus jacebamus, vigore passionis Christi in ipsius corpus redacti sumus, sicut beatus Apostolus ait (Ephes. 5. 30.): *Quoniam sumus corpus Christi & membra.* Nos igitur qui ex nationibus in pulveris modum à terræ facie jactabamur, adspersione sanguinis Domini in massam soliditatis ejus adcrevimus.

5. Mulier autem illa, quæ dicitur abscondisse in farina fermentum, quæ est, nisi sancta Ecclesia, quæ quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere? Ipsa, inquam, est mulier, quæ in alio loco etiam molere dicitur, sicut ait Dominus (Matth. 24. 41.): *Erunt duæ molentes, una adsumetur, & una relinquetur.* Molit enim sancta Ecclesia per Legem, per apostolos, per prophetas, cùm catechumenos facit, & asperitatem gentilitatis dissipat atque comminuit; ut emollitos eos in farinæ modum aptos faciat fermento Dominici sanguinis adhærere. Fermentum enim diximus totam Domini passionem; fermentum enim salutis nostræ [i] est symbolum ipsum, quod traditur, sine quo fermento, vel symbolo, nemo potest vitæ æternæ substantiam promereri.

5. Et quia duas Evangelium describit molentes, atque unam Ecclesiam diximus salubriter molere; alteram quam nisi Synagogam accipere debemus? Molit enim & ipsa per Moysen & prophetas: sed inutiliter molit, sicut dicit apostolus de Judæis (Rom. 10. 2.): *Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Inutiliter, inquam, molit Synagoga; quia massam suam Christi doctrinâ non temperat. Atque ideo evitandum præcepit Synagogæ Dominus esse fermentum, dicens (Matth. 16. 6.): *Cavete vobis à fermento pharisæorum.* Temperatum est enim sanguinibus & crudelitatibus Judæorum dicentium de Domino (Matth. 27. 25.): *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Unde ait Evangelium (Matth. 24. 41.): *Erunt duæ molentes, una adsumetur & una relinquetur.* Adsumetur enim in requiem æternam sancta Ecclesia, quæ Domino cibum sanctitatis emoluit: relinquetur ad molas cruenta Synagoga, gyrum semper passura suæ perfidiæ.



a. Vox *divinitatis* è cod. Lugd. restituitur.
b. Ita codex Vallicel. At omnes edit. efferunt, *foetus hoc totam massam faciat esse, quod ipse est, ita semper universum*. Lugd. codex ab his discrepat, quod vi foetus hoc non agnoscit.
c. Vet. edit. & codex Lugd. *specialiter*: Rom. edit. & mss. Vallicel. *spiritaliter*: at pro *narratione*, solus mss. Vallicel. *sapidiùs narratione*.
d. Codex Vallicel. *recte ergo fermento*.
e. Omnes edit. & mss. Vallicel. *omnibus, hoc est, christianis*: Lugd. *omnibus, & hoc christianos*. Idem autem est, & hoc, atque, & hoc infusione.
f. Ita codex Lugd. Vallicel. autem atque edit. *in unum vigorem constringat*. Comminuo vero post solus Vallicel. legit, *atque in unum opus redigat*.
g. Omnes edit. ac Lugd. codex, *quod per diversa antea*, commodius mss. Vallicel. *quod per diversa antea suppendebatur loca*.
h. Codex Reg. & Vallicel. *dispersi & diminuti penitus* &c.
i. Edit. omnes, *symbolum sine quo fermento*: mss. autem locum restituimus, ut in contextu.

SERMO XIV.

Dominica in Septuagesima.

Septuagesimæ nomen ætate non solum Ambrosii, sed Maximi etiam multo recentius esse in confesso est. Synodi Aurelianenses prima & quarta, quibus prohibetur quinquagesimæ & sexagesimæ observatio, de septuagesima nihil præcipiunt, nec ejus meminit Regula sancti Benedicti, sed usque ad quadragesimam alleluia cantari jubet. Eamdem autem vocem in edit. Operum Gregorii magni Homiliæ 19. & Missis quibusdam Sacrament. falso inscriptam non ambigimus, cum ea non reperiatur in mss. Quod similiter de epistola ad Augustinum monachum à Gratiano Distinct. 4. *cap.* Denique Sacerdotes, *citata statuendum est.*

1\. REdimite vos ipsos, dum vos pretium habetis: quando, carissimi fratres, novum tempus inchoatis, vestram vitam renovare debetis. In toto anno non dicitur ulla dies septuagesima, nisi ista: nec sexagesima, nisi sequens Dominica: neque quinquagesima, nisi abhinc tertia: nec quadragesima, nisi abhinc quarta Dominica: & quia nova nomina hoc tempus habet, ideo omnis christianus renovare vitam suam debet. Hoc enim admonet Apostolus, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ*; item: *Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem.* (Ephes. 4. 23. 2. Cor. 4. 16.)

2\. Nam sicut renovatur, qui de malo transit ad bonum; ita renovatur, qui de bono transit ad melius. Qui de luxuria, vel qualibet immunditia transit ad castitatem, vitam suam renovavit. Qui aliena rapere injuste consueverat, si sua cœperit misericorditer distribuere, vitam suam renovat. Qui superbus ad humilitatem transierit, & qui amabat detrahere fratribus, si cœperit fratres diligere, sine dubio renovat vitam suam; quia qui erat membrum diaboli male vivendo, incipit esse in corpore novi hominis, id est, domini nostri Jesu Christi, per fidem rectam & bonam operationem. Frequenter audistis, fratres carissimi, duos esse homines, id est, Adam & Christum: ille dicitur vetus, iste vocatur novus. Et ideo qui malus est, vetus est, imitando illum, qui fuit in paradiso superbus & inobediens: qui vero bonus est, novus est, sequendo illum qui dicit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*; & de quo Apostolus ait: *Factus est obediens usque ad mortem.* Sed quia hoc tempus novum nomen habet, idcirco admonemus illos, qui veteres sunt male vivendo, ut sint novi bene conversando. (Matth. 11. 29. Phil. 2. 8.)

3\. Admonemus illos, qui jam novi sunt per bona opera, ut renovare studeant in hoc novo tempore per opera meliora: verbi gratia, novus qui est per castitatem cessando à malo opere, renovetur cessando ab ipsius operis delectatione. Similiter qui humilis & obediens & misericors & patiens est, renovetur necesse est quotidie; ut proficiendo crescat in ipsis virtutibus, secundum illud quod scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem.* Nemo nostrum, carissimi, securus sit, quia baptizatus est; quoniam sicut non omnes qui in stadio currunt, accipiunt bravium, id est, destinatum præmium, sed ille qui priùs currendo pervenit; ita non omnes qui habent fidem, salvantur: sed illi tantum qui in bono, quod inchoaverunt, opere perseverant. Et sicut ille qui adversus alterum pugnat, ab omnibus se abstinet; ita & vos ab omnibus vitiis abstinere debetis, ut diabolum, vestrum persecutorem, superare possitis. Miseri homines cum periculis vitæ suæ & immensis laboribus serviunt regi terreno pro beneficio citò transituro & perituro; quare vos non servitis [a] regi cælestis regni beatitudine perfruenti, eamque laborantibus largienti? Jam quia per fidem ad vineam, id est, ad sanctæ Ecclesiæ unitatem vocati estis à Domino; ita vivite, & ita conversamini, ut denarium, id est, regni cælestis felicitatem, Deo largiente, accipere valeatis. (Psal. 83. 8. 1. Cor. 9. 24. Matth. 20. 1. & seq.)

4\. Nemo desperet de magnitudine peccatorum suorum, dicendo: Multa sunt peccata mea, in quibus usque ad senectutem & decrepitam ætatem perseveravi, jam promereri non potero indulgentiam, maxime quia peccata me dimiserunt, non ego illa. Absit ut talis de Dei misericordia desperet; quia alii primâ horâ, alii tertiâ, alii sextâ, alii nonâ, alii undecimâ ad Dei vocantur vineam, id est, alii in pueritia, alii in adolescentia, alii in juventute, alii in senectute, alii in decrepita ætate ad Dei servitium pertrahuntur. Et sicut nullus desperare debet in quacumque ætate sit, si ad Dominum converti voluerit: ita nullus pro sola fide securus esse debet, sed potius pertimescere hoc, quod dicitur: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Quod vocati sumus per fidem, novimus: sed si sumus ad vitam æternam electi, nescimus. Tanto ergo debet unusquisque esse humilior, quanto si sit electus, ignorat. (Matth. 20. 16.)

5\. Concedat vobis omnipotens Deus, ut non sitis de illorum numero, qui mare rubrum sicco vestigio transierunt, manna in deserto manducaverunt, & potum spiritalem biberunt; & propter murmurationem suam in eremo perierunt: sed de illorum, qui terram repromissionis intraverunt, & fideliter in Ecclesiæ vinea laborando, denarium perpetuæ beatitudinis percipere meruerunt; quatenus cum capite nostro Christo vos, qui ejus membra estis, possitis regnare per infinita sæculorum sæcula.

SERMO XV.

Dominica in Sexagesima.

Hunc sermonem non esse Ambrosii præter ea quæ superiori præmisimus, id etiam probat, quod sexagesimæ usum, cujus instituendi occasionem ad adulterinum Melchiadis papæ decretum refert Alcuinus in lib. de Eccles. Offic. *in hoc sermone significetur à Telesphoro esse; cùm enim illam Mercatoris falsarum Decretalium collectionem constet in Ecclesia non nisi nono ineunte sæculo invaluisse, eumdem sermonem auctoris eodem sæculo antiquioris nequaquam esse manifestum est. Adde his de quadragesimali observatione hic ea tradi, quæ cum ritu in quadragesima Mediolani servari solito non conveniant, ut ex Admonitione nostra in* lib. de Elia & jejunio *colligi potest.*

1\. ADest tempus, carissimi fratres, quod sexagesima vocatur; & ideo necesse est ut vita vestra mutetur, mores corrigantur, mundus despiciatur, & cælestis patria ardentius diligatur. Nam senarius numerus, à quo sexaginta, & sexagesima, & sexcenta, & sex millia derivantur, perfectionem significat. Hinc est quod ille, qui sexta die fecit hominem, in sexta ætate, & sexta feria, & sexta hora illum voluit redimere. Unde qui jam septuagesimam celebrastis, & hodie sexagesimam celebratis, ac deinde quinquagesimam, & quadragesimam, Deo propitio, celebraturi estis, istorum nominum mysteria vobis manifestare debemus.

2\. Quadragesima nimirum sex septimanas habet, cui addidit Telesphorus pontifex septimam hebdomadam, & vocatum est hoc tempus quinquagesima: deinde ab aliis addita est octava septimana, & vocatum est ipsum tempus sexagesima: postmodum vero addita est nona hebdomada, & dicta est septuagesima. Quoniam sicut à quatuor quadragesima, & à sex sexagesima; ita à septem septuagesima dicitur. Unde si quis modo adderet decimam septimanam, non eam vocaremus decagesimam, sed octogesimam, servato numeri ordine; quia post septem, à quo septuagesima venit, sunt octo.

3\. Quadragesima ideo servatur; quia Moyses, & Elias, & Salvator quadraginta diebus & noctibus jejunasse leguntur. Quinquagesima ideo à quibusdam servatur, in qua sunt quinquaginta dies; quia si substraxeris ab his septem Dominicas, non amplius remanent in abstinentia, nisi quadraginta & duo dies: & in ipsis duobus diebus alii jejunant, alii non, id est, in cœna Domini, & in sabbato sancto. Sexagesima ideo celebratur, in qua sunt octo hebdomadæ, [a] id est, dies quinquaginta sex: si substraxeris octo Dominicos dies, & octo quintas ferias, quadraginta dies solummodo remanent jejunii. Septuagesima vero, à qua usque in pascha sunt novem septimanæ, [b] id est, sexaginta tres dies; ideo ab aliquibus celebratur, quia si substraxeris novem dies Dominicos propter Domini resurrectionem, & novem quintas ferias propter Dominicam cœnam, & totidem sabbata, ne videamur sabbatizare cum Judæis; non amplius quam triginta sex dies remanent ad jejunandum: quos omni devotione ipse vos observare concedat Christus dominus noster, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per cuncta sæcula, amen.

a. Reg. codex unus, regi cælesti pro regni beatitudine. Jam quia per fidem &c.

a. Codex Biblioth. Ambr. & unus Reg. & dies sexaginta.
b. Iidem Cod. Ambr. & Reg. id est, sexaginta quatuor dies.

SERMO XVI.

Ubi Dominus sabbato manum aridam curavit.

Romani editores quadragesimam Mediolani non incipere nisi feria 2. post Dominicam 1. non advertentes, sermonem in feriam 6. post cineres ex hoc nostro concinnare constituerant; ac propterea ejus capiti longam laciniam praetexuerant partim è sermone 63 Append. August. partim ex Ambrosii lib. 2. de Abraham*, cap. 6. num. 32. consarcinatam. Sed si cum Ambrosio hac via vindicari posse arbitrati sunt, nihil absurdius. Nos illum ad fidem vet. edit. ac mss. Gall. & Lugd. restituimus: at pro Ambrosiano non obtrudimus, cùm eumdem Maximo justius attribuat Gall. codex.*

a
1. DIligenter, [a] fratres, vos audisse credo, evangelicam lectionem quae nuper lecta est, ubi dominus Jesus
Luc. 6. 6. & seq. Christus ingressus sabbato Synagogam, hominis ibi habentis manum aridam spiritali medicina curavit, non appositis herbarum succis, non pigmentorum medicaminibus colligatis: sed verbo jubens, & in ira praecipiens refudit corpori sanitatem. Ita, inquam, sicut ait evangelista restituit vigorem dexterae. Unde intelligimus qualis Dominicae benignitatis sit sanitas, cujus indignationis talis est medicina: aut quemadmodum placatus prodest, qui ita miseretur iratus. Verbo igitur jubet, ut arenti dexterae venarum succos infunderet. Non mirum est, si is arentem reparavit
b
dexteram, [b] qui tot corpora de arenti pulvere procreavit, & id verbi imperio restituit, quod in principio facturâ operationis instituit: velut auctorem suum plasma cognoscens, obsequitur ei portiuncula, cui totum se deberet in massa.

2. Sed videamus quae sit in Synagoga manus arida, quae nihil corpori prodest, quando operibus siccavit: quando etiam primum arida esse coeperit, requiramus; non enim unius hominis tantum per Salvatorem causa geritur, nec unius hominis imbecillitas procuratur, sed totius generis humani sanatur infirmitas. Nulli autem dubium est dexteram vel totius corporis praeclariorem portionem hoc officii gerere; ut diurna alimenta suo corpori subministret, & providentia quadam ad fruendam vitam membra cetera pascat ac nutriat.

3. Hanc igitur dexteram in Judaico populo scribas esse dixerim, vel doctores, qui velut praeclarior portio in pharisaeorum corpore à Domino constituti, neglexerunt & in cetera membra sua prophetarum oracula velut escam vitae aeternae porrigere: atque ideo doctrina eorum tamquam manus aruit imbecillis; quia fontem perennis sapientiae non quaesivit. Propterea denique factum est, ut quasi contractâ dexterâ clavem scientiae tenere non posset, sicut ait
Luc. 11. 52. Dominus: *Vae vobis scribae & pharisaei, qui absconditis clavem scientiae* & reliqua. Haec autem clavis Christus est
c
dominus, quo ad credulitatem fidei [c] pectorum arcana re-
Matth. 16. 19. ferantur. Ista clavis, sicut ait Dominus Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum*. Ergo aruit dextera Synagogae manus, relinquens Christum: quae prius erat in principibus Judaeorum, deterioravit; quisquis enim Christi fontem deserit, debilitatur protinus, & arescit.

4. Sed invenio ipsam manum quondam ceteris membris fuisse meliorem; sanctus enim Moyses dux Judaici populi, velut clarior corporis sui dextera fuit, cùm Legem porrigendam meruit à divinitate percipere. Dextera, inquam, erat sanctus Moyses, qui filios Israel velut manu provida
2. Tim. 3. 8. caelesti manna nutriit. Haec plane est dextera, quae Jannem & Mambrem magos nivei splendoris nitore convicit. Ita enim scriptum habes: Atque ideo magorum destructae sunt tenebrae, quia Moysi meritis lucens dextera coruscabat.

5. Sed videamus manus ista quando primum arida coeperit esse vel mortua. Ego illam primum in Adam aruisse confirmo, cùm contra vetitum Domini interdictae arboris poma decerpsit, ac tunc succum immortalitatis amisit. Et siccata quodammodo est, quando hominem ad imaginem Dei factum peccato suo solvi fecit in pulverem. Atque utinam sola manus peccato teneretur obnoxia! Quod est gravius, omne corpus morte damnatum est, cùm dextera prima peccaverit. Nec mireris si membrum dexterae in Adam non mansit integrum; vigor enim ille aeternitatis exaruit. Nam sicut Moysi dextera custodiendis mandata Domini niveo fulgore resplenduit; ita & Adae dextera praevaricantis praecepta mortifero pallore contracta est.

6. Hanc igitur Adae manum Salvator curat in Synagoga; hoc est, totius generis humani imbecillitatem sanare festinat; dicit enim etiam illi: Extende manum tuam, qui eam idolis immolando contraxit. Dicit illi: Extende manum tuam, cujus dextera usuras accipiendo siccavit. Extende manum tuam, qui per eam res orphanorum viduarumque gestis invadere. Sed & tu qui putas te manum habere puram, & sanam, cave ne avaritiâ contrahatur: quin potius extende eam pro misericordia frequenter ad pauperem, pro hospitalitate saepius ad peregrinum: extende eam pro peccatis semper ad Dominum: esto misericors, esto largus. Observa quod ait propheta: *Ne sit manus tua* Eccli. 4. 36.
ad accipiendum porrecta, & ad erogandum contracta. Sic enim manus tua sana esse poterit, si malis contrahatur, bonis vero operibus [d] extendatur. d

SERMO XVII.

De sancta Quadragesima I.

Hic sermo primum in Romana editione inter Ambrosianos locum obtinuit, & revera cum etiam Doctori nostro perantiquus codex Vallicellanae bibliothecae, ex quo eumdem emendavimus, adscriptum habet. Sed hujusmodi auctoritatem, ut ei soli credi valeat, non tanti ducimus.

1. [e] ECce appropinquant dies sancti, & tempus acceptabile, fratres carissimi, de quo scriptum est: *Ecce* e 2. Cor. 6. 2.
nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; ideo sollicitiores vos esse oportet in vigiliis, in jejuniis, in eleemosynis, & orationibus. Qui usque modo eleemosynam fecit, amplius his diebus faciat; quia [f] sicut aqua extinguit ignem, f
ita eleemosyna extinguit peccatum. Qui usque modo jejunavit & oravit, modo amplius jejunet & oret; quia sunt Eccli. 3. 33.
quaedam peccata, quae non dimittuntur, nisi per orationem & jejunium. Si quis iram tenet adversus alterum, dimit- Matth. 5. 24.
tat ei ex corde: si quis ab aliquo injuste aliquid abstulit, [g] reddat ei, à quo abstulit, si cupit Deum propitium habere. Nam quamvis omni tempore christianus à maledictionibus, & conviciis, & juramentis, & risu nimio, atque verbis otiosis se abstinere debet; maximè tamen sanctis his diebus, qui ad hoc constituti sunt, ut peccata totius anni in his quadraginta diebus per poenitentiam deleantur.

2. [h] Credite, & firmissime credite quia si in his diebus h
puram confessionem feceritis, & taliter, sicut diximus, poenitueritis, omnium peccatorum vestrorum remissionem cum Ninivitis, à misericordissimo Domino impetrabitis, qui in sacco & in cinere poenitendo liberari meruerunt: ita & vos si ex toto corde secundùm illorum exemplum ad Deum clamaveritis, divinam super vos misericordiam provocabitis; in tantum ut laetiores & securiores diem Do-

a. Rom. edit. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Videtis, fratres, quam moralem Judaeum habeatis. Vos consulit quomodo opus vestrum suscipiat, mentem vestram prius interrogat: Nesciat, inquit, sinistra tua, quid faciat dextera tua. Diligenter attendite, fratres, & intellectum divinae scripturae humiliter & sapienter inquirite. Nam idem dextera, vel sinistra, corporis organa sunt, intenti corporis, sive aliquid vel ignorare nos non competit: non ergo nunc de corpore loquitur. Verum in dextera Dei amor intelligitur, in sinistra vanitas, vel mundi cupiditas. Quasi dicat. Nesciat sinistra, quod faciat dextera, hoc est, quod facit amor Dei, non perdat mundi vanitas. Abraham tàm nepotem à se desiderium tenere non posset, & vellet eum dimittere: Discede, inquit, si tu in sinistram, ego in dexteram. In sinistra sunt ea quae corporis & mundi sunt, in dextera amor Dei, & animae virtutes sunt. Recte igitur Abraham dixit, Si tu in sinistram, ego in dexteram: quia homo imprudens ea quae mundi & corporis sunt, nempe divitias & honores, in meliorem partem constituit; prudens vero virtutes animae, & immortalitatis adipiscendae gratiam praeponit: Longitudo enim vitae in dextera ejus. Denique quia dextera haec in homine jam aruerat, ideirco dominus Jesus Synagogam sabbato ingressus, hominis ibi habentis manum dexteram aridam, ut alias narrat evangelista, spiritali medicina curavit, sic enim habet: Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in Synagogam, & doceret: & erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida. Observabant autem scribae & pharisaei si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum. Et ait homini, qui habebat manum aridam. Surge, & sta in medium. & surgens stetit, & post pauca: Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam; & extendit, & restituta est manus ejus sana sicut altera. Diligenter, fratres, vos audisse credo quomodo Christus dominus non appositis &c.

b. Omnes edit. qui totum corpus: Lugd. codex, qui tot corpora.

c. Lugd. codex, peccatorum arcana. Non satis recte.

d. Rom. edit. extendatur. Dum autem ad virtutum opera extenditur, nesciat sinistra, id est, carnis vel mundi cupiditas non perdat: propitiante Christo domino nostro, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

e. Rom. edit, Ecce adsunt dies sancti .... de quo nunc lectum est.

f. Rom. edit. sicut ignem ardentem extinguit aqua, ita eleemosyna veniam impetrabit peccati. Et infra, & jejunium, sicut Salvator ait: Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.

g. Eadem edit. reddat ei saltem quod abstulit, si non in quadruplum, si cupit &c.

h. Eadem edit. Credite firmissime mihi, fratres, & nullatenus dubitate, quia si &c. Iterum infra, sed sicut illi non nisi in sacco &c.

minicæ reſurrectionis celebretis : & felices ad cæleſtem patriam poſt hanc vitam tranſeatis, præſtante domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

SERMO XVIII.

De ſancta Quadrageſima II.

Huic ſermoni titulus præfigitur in antiquis edit. De jejuniis, *in mſſ. vero nonnullis*, De jejunio initio quadrageſimæ. *Nec incommode, cùm in epiſtolam, quæ in* Liturgia Gallicana *Dominica I. quadrageſimæ adſignatur, nec non hactenus recitatur eodem die, factus fuerit. Quædam porro in eo reperias, quæ ex Auguſtini ſermone 24. num. 7. & 77. num. 3. imitatus videtur auctor. Hunc autem auctorem Maximum eſſe non modo ſtylus ſuadere poteſt, verum & quod cum aliis ejuſdem Maximi in Gallenſi codice continetur.*

2. Cor. 6. 2. — 1. TEſtimonium perhibet ſanctus Apoſtolus de prophetis, dicens : *Tempore*, inquit, *acceptabili exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Et ſubſequitur ipſe : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Unde & ego teſtificor vobis hos eſſe dies redemtionis, hoc eſſe tempus cæleſtis quodammodo medicinæ, in quo tempore omnium vitiorum noſtrorum labem & univerſa vulnera peccatorum ſanare poterimus, ſi medicum animarum noſtrarum fideliter exoremus, ut præcepta ejus tamquam ſuſcepti idonei minime diſpernamus. Tunc enim languidus ægritudinis ſuæ invenit medicinam, ſi omni ſollicitudine [a] medici mandata ſervaverit; quia ſi aliud faciat, cùm aliud jubetur, increſcente morbo non medicus, ſed prævaricator in culpa eſt.

Deut. 32. 39. — 2. Medicus autem eſt dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ait : *Ego occidam, & vivificabo : percutiam, & ſanabo.* Occidit enim quodammodo antequam vivificet Dominus; occidit enim primùm in nobis homicidia, adulteria, ſcelera, furta, per baptiſmum : & ſic nos tamquam novos homines æternitatis immortalitate vivificat. Morimur ergo peccatis videlicet per lavacrum : regeneramur autem vitæ per Spiritum, ſicut ait ſanctus Apoſtolus : *Quoniam mortui*

Coloſſ. 3. 3. — *eſtis delictis veſtris, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Conſepulti enim eſtis cum illo per baptiſmum in mortem*; occidimur enim quodammodo, cùm deſinimus eſſe, quod fuimus. Novo enim pietatis genere in uno eodemque homine mors operatur & vita; moritur enim concupiſcentiâ peccatorum, [b] vivificatur amore virtutum. In uno namque eodemque homine impius & adulter occiditur, ut miſericors renaſcatur & caſtus : interimitur idololatria, ut religio propagetur : fornicator & ebrioſus extinguitur, ut continens & ſobrius procreetur.

3. Sic ergo mortificat Dominus, ut vivificati faciat : ſic occidit, ut proſit : ſic verberat, ut emendet. Hæc eſt igitur circa homines ſuos ejus tota ſeveritas; ut in his peccata puniantur, anima conſervetur : [c] abſtollantur deteſtanda vitia, virtutes optimæ nutriantur. Uſque adeo autem hac pia occiſione Domini cernimus pleroſque converſos in tantum ad melius profeciſſe, ſic de piſſimis optimos factos : ut cùm videas eos, alios credas homines, cùm non videas mutatas eſſe perſonas. In tantum enim in nobis id quod prius eramus, perimitur, aufertur, extinguitur; ut id quod poſtea ſumus, denuo natum eſſe credamus : unde nativitas hæc ſecunda prioris vitæ finem jam factum fuiſſe ſignificat.

Deut. 32. 39. — 4. Quod autem ait : *Ego percutiam & ſanabo* : percutit plane præceptis ſuis Dominus peccatores, ut ſanet : mandatis verberat, ut emendet; jejunia præcipit, indicit continentiam, judicium comminatur : & triſtem gehennæ metum incutiens, adhibet medicinam; ut dum futura pertimeſcimus, præſentia corrigamus.

Act. 9. 3. & ſeq. — 5. Sic namque Paulum apoſtolum percutiendo ſanum reddidit; cùm enim eſſet perſecutor, impius & blaſphemus, & quidem ad devaſtandas Eccleſias Damaſcum properaret; ſubito fulgoris cæleſtis eum terrore percuſſit, ut evangelici ſplendoris eum luce perfunderet : & carnalium luminum [d] orbitate multavit, ut ſpiritalium oculorum illuminaret adſpectu : corporis eum debilitate perterruit, ut fidei devotione ſalvaret. Surgens ergo à terra Paulus, exterioribus quidem oculis non videbat homines, non autem : ſed mentis luminibus Chriſtum videbat è cælo. Denique in tantum profuit Domini iſta percuſſio, ut de Judæo chriſtianus, de blaſphemo apoſtolus, de Saulo Paulus exiſteret; & eo uſque mutavit veterem cum motibus hominem, ut etiam mutaret & nomen.

6. Habentes igitur hujuſmodi medicum, qui percutiendo ſanat, mortificando vivificat, ſubdamur ei cum omni patientia ad curandum; ut quidquid in nobis probroſum, quidquid delictis ſordidum, quidquid ulceribus fœtidum eſſe perſpexerit, incidat, amputet, exſecet; ut reſectis omnibus diaboli vulneribus, hoc ſolùm in nobis faciat remanere, quod Dei eſt. Iſtud autem præceptum ejus eſt primum, ut his quadraginta diebus, jejuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus; jejuniis enim laſcivia corporis caſtigatur, orationibus devota ſaginatur anima, vigiliis diaboli inſidiæ depelluntur. Deinde cùm iſtis mandatorum obſervationibus fuerit hoc tempus impletum, tunc purgata & fatigata tot obſervationibus anima, ad baptiſmum veniens, Spiritus ſancti inundatione reficitur : & quidquid in ea diverſarum ægritudinum ardor exſiccaverat, cæleſtis gratiæ rore perfunditur; ut deponens veteris hominis corruptelam, novæ indolem juventutis adquirat. Et mirum in modum in uno eodemque homine delictis ſanctitas, iniquitati juſtitia, ſenectuti ſuccedit infantia : novoque nativitatis genere alter eſt, qui renaſcitur; quam ipſe ſit, qui peccavit.

3. Reg. 19. 8. — 7. Sic namque Elias quadraginta dierum ac noctium curriculo continuato jejunio, totius mundi longam ac nimiam ſiccitatem meruit imbrium rore reſtinguere, & ardentem terrarum ſitim cæleſtis pluviæ largitate perfundere. Quod quidem in figuram noſtri factum eſſe cognoſcimus, ut nos quoque horum quadraginta curriculo dierum jejunantes, ſpiritalem baptiſmatis [f] pluviam tribubus noſtris mereamur,

Ibid. 18. 41. — noſtramque jamdiu aridam terram cæleſtis deſuper imber infundat, & longam gentilium ſiccitatem lavacri inundatio ſalutaris irroret. Siccitatem enim & ardorem animæ ſuæ patitur, quiſquis baptiſmi gratiâ non rigatur.

Exod. 34. 28. — 8. Horum ergo dierum noctiumque jejunio Moyſes ſanctus meruit cum Deo loqui, ſtare, conſiſtere, & de manu ejus Legis præcepta ſuſcipere. Quamvis enim illum ab obtutibus Dei conditio humana ſubtraheret, jejuniorum tamen gratia proximum illum divinitatis conſortio faciebat; hæc enim in nobis virtutum portio Dei eſt, ut jejunemus frequenter, quoniam ſemper Deus ipſe jejunat. In quocumque igitur plus operum ſuorum ineſſe perſpexerit, ipſi magis familiaris, intimus & amicus eſt, ſicut Scriptura dicit : *Et*

Exod. 33. 11. — *Moyſes loquebatur cum Deo facie ad faciem, ſicut quis loquitur cum amico ſuo.*

Matth. 4. 2. — 9. Unde & dominus Jeſus Chriſtus reſurrectionis gloriam percepturus, virtutes ſuas quadraginta dierum noctiumque jejunio dedicavit; ut oſtenderet non panem eſſe vitam hominum, ſed Dei verbum. His itaque dierum quadraginta jejuniis reconciliatur Deus, aperiuntur cæli, inferna reſerantur. Igitur & nos, fratres dilectiſſimi, jejunemus continue & devote hoc ſpatio temporis; ut propitietur nobis Dominus : pateant nobis cæli, [g] inferna non valeant retinere.



a. Codex Valliſel. *medicinam datam ſervaverit.*
b. Idem codex, *vivificatur odio virtutum.*
c. Edit. *auferantur deteſtanda vitia . . . hac pia occaſione Domini.* Et infra, *videas eos, credas renatos homines.*
d. Ita codex Valliſel. edit. autem vet. *orbem mutavit* : Rom. *orbitatem mutavit* : omnes vero, *illuminaret adſpectum.*
e. Omnes edit. *ut quidquid ulceribus fœtidum* : intermedia vero è cod. Valliſel. reſtituta ſunt.
f. Rom. edit. poſt vocem *pluviam* reſiccaverat, *tribubus noſtris.*
g. Vet. edit. *inferna contra eos non valeant* : ed. Lugd. *inferna non valeant* : Rom. edit. *prævaleant* : Valliſel. codex, ut nos in textu.

SERMO XIX.

De sancta Quadragesima III.

Statim ab initio eam affinitatem exhibet hic sermo cum serm. 39. & 41. quos rejecimus, ut eos ejusdem auctoris esse nos persuaderi haud ægre patiamur. Non est autem cur existimes quadragesimam illic, ubi pronuntiatur est, 41. jejunia, seu septem hebdomadas complecti solitam; non enim alio modo, quæ hic dicuntur de 42. mansionibus intelligenda sunt, quam earumdem mansionum à Gregorio Magno Hom. 16. in Evang. *instituta comparatio cum quadragesima; ubi tamen diserte tradit tantummodo 36. dies jejunii ætate sua fuisse observatos.*

1. SAnctæ quadragesimæ rationem, cujus hodie initium celebramus, frequenter edidimus: & cur tantorum dierum numero jejunemus, sæpe docuimus. Diximus enim quod dominus Jesus Christus hunc eumdem numerum jejunii consecrarit, & continuatis diebus, noctibusque non capiens cibum, unum jejunii corpus effecerit: hoc est, licet diei ordo noctis interrumperetur adventu, non tamen interruptus est ordo jejunii. Unde erant apud Deum plura quidem temporum curricula, sed abstinentiæ dies una: ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum jejunare debere; ut quia totam quadragesimam complecti non possumus C solido & uno jejunio, vel quotidianis eamdem sine intermissione jejuniis celebremus; ut si quisquam unam diem jejunando prætermiserit, totam quadragesimam violarit, & propter modici temporis cibum, magni fructum laboris amiserit.

2. Sed dicet aliquis: Quadragesimæ aliquoties accepimus rationem, & eam consecratam à Domino frequenter audivimus: sed cur eadem quadragesima quadraginta & duos contineat dies audire gestimus. Legimus in veteri Testamento, cùm sanctus Moyses filios Israel de jugo Ægyptiæ captivitatis erueret, ut in terram eos repromissionis induceret, [a] quadraginta & duorum dierum eum D ad memoratam terram mansionibus pervenisse; tantoque illum temporum numero potitum esse promissis, quanto & nos promissis nobis à Salvatore perfrui gratulamur. Eodem, inquam, numero Moyses per mansiones pervenit ad requiem, quo & nos per jejunia properamus ad cælum: jejunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritaliter facientes, animæ virtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficimur; ita ut citius perveniat, qui devotius jejunarit. Pedes enim quidam animæ pernices sunt fides atque jejunium, qui cito de humilibus ad altiora conscendunt, cito de terrenis ad cælestia gradiuntur. De his pedibus dixit Apostolus: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* E Hos pedes lavari præcepit Dominus, sicut Apostolus ait de vidua: *Si sanctorum pedes lavit.* Digni enim honore evangelizantium pacem pedes sunt, qui spiritales ac nitidi doctrinâ sui super hominum corda gradiuntur.

Num. 33. 1. & seq.

Rom. 10. 15.

1. Tim. 5. 10.

3. Quadraginta etiam & duorum annorum numero Israel populus pervenit ad fluenta Jordanis, eodemquoque dierum curriculo christianus populus pervenit ad fluenta baptismatis. Et sicut ait Propheta: *Jordanis conversus est retrorsum:* illic introeunte Israel in aquas fluminis, unda subterfugit, hic descendente in fontem christiano, criminum peccata diffugiunt. Et mirum in modum illic retrorsum conversus fluvius in originem suam revertitur: hîc in posterum F revocatus homo in originis suæ infantiam reparatur. Ibi fontem suum, de quo egressa fuerat, unda perquirit: hic hominem suum, à quo exierat innocentia, recognoscit: ibi exinanitur alveus fluctibus, hic evacuantur corda criminibus; ita ut servos Dei illic aqua cœnosa non madidet, hic famulos Dei conscientia tetra non polluat. Jordanis enim quidam est fons lavacri, per quem qui transierit, relictis sordibus, paradisum repromissionis ingreditur.

Psal. 113. 3.

4. In hoc ergo quadragenario & duali numero Israel populus relinquens Ægyptum, rubri maris fluenta transcendit: & nos quoque in ipso numero relinquentes mundi Ægyptum, gehennæ ardentis stagna transimus: illos in fluctibus unda sustentat, nos ignis flamma non urit: illis solidatur aqua, nobis refrigescit incendium; & contra naturæ usum [b] per æstum siccatur mare, per fontem baptismi gehenna mitescit.

A cit. In hoc, inquam, mystico numero filii Israel pervenientes ad Myrrham, cùm præ amaritudine aquam haurire non possent (habebat enim fons aquam, sed dulcedinem non habebat: erat delectabilis ad visionem, sed sincerus non erat ad saporem) injecto in eam per Moysen ligno, dulcedinem suaviter potarunt; austeritatem enim quam noxia unda gestabat, ligni abstulit sacramentum.

5. Quod quidem in figuram factum puto; aquam enim amaram in Myrrha, legem esse arbitror veteris Testamenti, quæ lex priusquam cruce temperaretur Domini, erat immitis; jubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente dari, & velut austera nullum misericordiæ refrigerium porrigebat. At vero ubi ligno evangelicæ passionis est tempeB rata, statim amaritudinem suam suavitate commutans, dulcem se cunctis præstitit ad potandum, sicut ait Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & favum ori meo!* Dulcia enim sunt eloquia quæ jubent: *Si quis te percusserit in dextera maxilla, præbe ei & alteram. Si quis tibi aufert tunicam, relinque illi & pallium.* Hæc est ergo illa amaritudo, quæ dulcedine commutata est, id est, austeritas Legis Evangelii gratiâ temperata est. Amara enim est Legis littera sine crucis mysterio, de qua ait Apostolus: *Littera occidit.* At ubi enim passionis illius sacramenta junguntur, omnis ejus spiritaliter amaritudo conditur; & de ea dicit Apostolus: *Spiritus autem vivificat.*

Psal. 118. 103.

Matth. 5. 39.

2. Cor. 3. 6.

SERMO XX.

De sancta Quadragesima IV.

In hoc sermone superioris habetur continuatio; ac proinde uni auctori uterque tribuendus est. Postquam hic quædam illic tractata auctor repetiit, ad fontes 12. & palmas 72. orationem vertit; ubi quod tradit apostolorum ac discipulorum figuram in illis exstitisse, non aliunde quam ex Origenis Hom. 27. in cap. 33. Num. *& Hieronymi Epist.* 117. ad Fabiol. *haustum videtur.*

D 1. REtinent adhuc sensus vestri, fratres, nos hoc superiore Dominica prædicasse, quod hujus quadragesimæ nostræ figuram illæ quadraginta & duæ mansiones habuerint, per quas populus Israel exiens de Ægypto, diuturno profectu terram repromissionis intravit, & quasi quibusdam salutis gradibus post jugum servitutis adscendit ad regnum.

Num. 33. 1. & seq.

2. Figura, inquam, fuit in illis mansionibus jejuniorum nostrorum, non solum in quantitate numeri, sed etiam in observatione virtutum; non enim tantum filii Israel in itinere Deserti corporeis gressibus ambularunt, quantum in via Domini religiosis actibus profecerunt. In via plane ambulaverunt Domini, quæ illos, & portavit in fluctibus, & paE vit è cælo; esurientibus enim in eremo manna non defuit, periclitantibus in mari terra non fugit: ibi mare in semitam sternitur, hic cælum ad pabulum reseratur. Propter gratiam famulorum Dei Jordanis fluenta sua retinet, aquam suam Myrrha commutat. Illic retrorsum conversa, quæ sequebatur, unda præcedit: hîc in melius temperata, quæ amarum stillabat, vena dulcescit: & mirum in modum fluvius cursum perdidit, fons saporem.

3. Sed quoniam diximus filios Israel venientes ad Myrrham, aquæ amaritudine laborasse, eamque non nisi ligni injectione potare potuisse, typum quoque in illa fuisse veteris Testamenti; videamus quo exinde proficiscens popuF lus ipse pervenerit. Pervenit in locum, qui dicitur Elim, in quo erant duodecim fontes purissimi, & septuaginta virentium multitudo palmarum. Videte mysterium Dei, quemadmodum post amaritudinem Legis, fluenta evangelicæ pietatis exuberent. Ibi fons omnis austerus est ad bibendum, hîc plures, & omnes dulces sunt ad potandum: ibi post fatigationem nulla refectio, hîc post laborem refrigerium atque victoria: sitientibus enim fontes ministrantur, palmæ vincentibus offeruntur.

Exod. 15.

4. Palmæ, inquam, offeruntur vincentibus; quia post Legis duritiam ad Evangelii gratiam pervenisse vicisse est; præmium enim quoddam victoris est, os vivo fonte diluere, & dexteram triumphali palma munire. Per fontem enim lingua confessoris purificatur, per palmam dextera martyris honoratur: illa quia Christi exaltavit gloriam, hæc quia aram sacrilegii recusavit. Præmium enim quoddam

a. Rom. edit. sola, *quadraginta & duorum locorum.*

b. Omnes edit. *tentationes solida arma:* *veteres mss. tentationes solita arma.*

est

est palma martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit, & victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum. Est plane palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ; atque ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit.

5. Ipsæ denique palmæ sedenti super asinam, & venienti ad templum Domino à populis offeruntur; cùm enim discipuli vestimenta sua sternerent, & iter Christi suis amictibus communirent; non habuit majus præmium nisi palmas, quod ei devotio plebis offerret, significans stratis in itinere vestibus, [a] pollutam viam esse in mundo, oblatis palmis ipsum mundi esse victorem. Ipse, inquam, victor est, de quo ait Scriptura: *Vicit leo de tribu Juda.* Ipse plane victor, qui destruxit diabolicam mortem, vitam illuminavit æternam. Palmæ igitur advenienti eriguntur Christo. Scriptum est: *Justus sicut palma florebit:* recte ergo advenienti justo eriguntur vexilla justitiæ, & auctori suorum obsequuntur tituli triumphorum.

Luc. 19. 36.

Apoc. 5. 5.

Psal. 91. 13.

6. Prius autem quam tollantur palmæ, iter Domini usque ad templum discipulorum vestibus operitur, & ut impolluta sit semita Salvatoris, apostolorum amictibus communitur. Quod quidem in mysterium factum puto; via enim Christi, quæ ducit ad templum, fides ejus est atque doctrina. Hanc igitur viam discipuli, ut nos sine offensione gradiamur, amictus proprii corporis exuentes, suo stravere martyrio; ut inter diversatum gentium turbas justitiæ semitam membrorum suorum vestimenta substernerent, & cœnosam mundi [b] myrrhaginem operirent, & impollutam viam Salvatoris ostenderent.

7. Ad duodecim ergo fontes post Myrrham venit populus Israel. Legimus in Propheta: *Benedicite Domino de fontibus Israel.* Dominus Christus est, qui non nisi per apostolorum ora discitur, discipulorumque doctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes; [c] quia velut fontes purissimi gratia prædicationis exuberant, & post amaritudinem Legis venarum suarum largâ sapientiâ sacramenti pocula dulcedinem stillant. Nec mirum si potus dulcis est fontium, in quorum sinu cibus dulcior est palmarum. Apostoli ergo sunt fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ suæ flumine rigaverunt, & fatigatis gentium populis potum [d] divini mysterii propinarunt.

Psal. 67. 27.

8. Septuaginta autem palmas juxta fontes apostolicos generatas septuaginta illos discipulos dixerim, qui secundo ab apostolis gradu propter salutem hominum à Domino diriguntur, quos Lucas evangelista describens, binos & binos adserit destinatos. Qui vere velut palmæ post curas hominum cum exsultatione redeuntes, gloriantur apud Dominum sibi etiam dæmonia esse subjecta. Recte igitur comparantur palmis, qui palmatum præmio diaboli exstitere victores.

Exod. 15. 27.

Luc. 10. 1. & seq.

SERMO XXI.

De sancta Quadragesima V.

Prima hujus sermonis verba nobis indicant eum ejusdem, cujus duo superiores, parentis esse. Non mirum autem quod cùm agnoscat jejunii esse 40. dies, eos tamen 42. mansionibus Israelitarum comparaverit; quippe quod eadem comparatio, ut jam diximus, jam tum fuerit usurpata cùm 36. tantum diebus quadragesima constabat. Quod autem dicitur id moris esse, ut stationes appellarentur iidem dies, ex Tertulliano lib. de Orat. *sub finem. lib.* de Jejun. *& lib.* de Cor. Milit. *sumtum videtur: non secus ac Jonathæ hic facta mentio ex Hieronymo lib.* Adv. Vigil. *cap.* 10. *& Cassiano* Collat. 21. *cap.* 29.

1. INtellexisse vos credo, [e] fratres, cur hæc nostra jejunia illis mansionibus comparaverim, in quibus populus Israel tamquam in procinctu quodam positus Pharaonem regem quotidiano labore superavit, & ab inimicis suis quasi quibusdam castris mansionum se se statione defendit; ita ut quicumque ex illo comitantium numero diurnæ stationis spatia non confecit, aut Pharao illum occupaverit, aut solitudo pervaserit. Sic ergo & nos propositum nobis quadraginta dierum iter debemus omni labore conficere, & quibusdam quasi castris nos jejuniorum devotione munire; castra enim nobis sunt nostra jejunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes & commorantes in eis, inimicorum insidias repellamus. Castra enim sunt jejunia christianis, à quibus si quis aberraverit, ab spiritali Pharaone invaditur, aut peccatorum solitudine devoratur. Peccatorum autem solitudinem patitur, qui deseritur à societate sanctorum.

2. Murus igitur quidam est christiano jejunium, [f] inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim umquam christianorum jejunavit, & captus est? quis sobrius mansit, & victus est? Temulentum aggreditur diabolus, luxuriosum oppugnat inimicus. Ubi autem jejunium viderit, fugit, metuit, pertimescit; terretur pallore ejus, debilitatur inedia, infirmitate prosternitur: prosternitur, inquam, infirmitate; quia christiana infirmitas fortitudo est. Unde ait Apostolus: *Cùm infirmor, tunc fortior sum.* Sed quæret aliquis, quemadmodum sit fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit jejuniis, anima puritate pinguescit. Quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tantum huic justitiæ virtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis quidem est ad sæcularia opera, sed fortis ad divina; tunc enim magis de Deo cogitat, [g] tunc judicium metuit, tunc vincit inimicum. Ait enim Salvator de diabolo: Hoc genus non ejicitur, nisi jejunio & orationibus. Dicit utique à diabolo energumenum non nisi jejuniis posse purgari. Videte ergo quæ jejunii virtus sit, quantam homini suo præstet gratiam, quod tantam præstet alteri medicinam: quemadmodum proprium sanctificet hominem, quod ita purificet alienum. Mira enim res est, alter jejunat, & alteri prodest jejunantis utilitas.

2. Cor. 12. 10.

Matth. 17. 20.

3. Ergo, fratres, abstinentiæ arma minime deponamus; & quadraginta dierum jejunia sine intermissione curemus. Hic est enim perfectus numerus ad vincendum; Dominus enim diabolum postea quam quadraginta dies jejunavit, evicit, non quod & ante jejunia eum vincere non potuisset: sed ut ostenderet nobis tunc nos diaboli posse esse victores, cùm per quadraginta dies victores jejunando desideriorum carnalium fuissemus: eum quoque qui hunc numerum consecratum gulæ intemperantiâ violasset, tamquam imbecillem & miserum facile eum ab inimico posse superari. Quomodo enim potest in altero diaboli improbitatem vincere, qui gulæ intemperantiam in se ipso non vincit? Prius ergo, homo, tui victor esto; ut possis esse victor alterius. Sunt enim intra te proprii tibi hostes, qui quotidie te oppugnant; ecce enim avaritia te divitiarum ambitione circumvenit, luxuria epularum suavitate captivat, hæresis scientiæ [h] falsitate pervertit. Vince ergo inimicos proprios, ut vincere possis alienos.

4. Non enim, fratres, leve peccatum est, fidelibus indictam quadragesimam à Domino violare, & jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est enim: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Si vis ergo christianus esse, [i] debes quomodo & Christus ambulare. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam jejunavit: tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas. Ille, inquam, peccatum non habebat; sed pro nostris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam christianus es, cùm Christo pro te esuriente, tu prandes? cùm Salvatore pro te jejunante, tu reficis?

1. Johan. 2. 6.

5. Non igitur, sicut dixi, leve peccatum est indictum violare jejunium. Nam ut hoc exemplis breviter approbemus, legimus in libris Regnorum, cùm Saul rex Israel bellum contra allophylos gereret, universo eum exercitui indixisse jejunium, & abstinentibus cunctis, eum contra adversarios pugnare cœpisse. Bonus plane rex, qui hostes suos non tam armis quam devotione vincebat, & plus dimicabat religione, quam telis. Cùm ergo Saul abstinentiam diei suis omnibus indixisset, & Jonathas ejus filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens favum mellis, intincta sceptri summitate, gustasset; tanta

1. Reg. 14. 24. & seq.

a. Omnes edit. & codex Lugd. Reg. *impollutam viam esse*: magis congruit Remig. & Vallicel. *pollutam* &c.
b. Rom. edit. sola, *& cœnosam voraginem.... post matam venit*: sed mss. ac vet. edit. ubique scribunt, *myrrham, myrrha* &c.
c. Vet. edit. *quia omnes purissimi*: Rom. *quia velut amnes purissimi*: mss. ut nos in textu. Rursus vero, ubi vet. edit. *largâ sapientiâ sacramenta pocula*: codex Vallicel. *larga sapientia sacramenta pocula*: Lugd. vero lectionem anteponimus.
d. Codex Vallicel. *divini ministerii propinarunt.*
e. Rom. edit. sola, *fratres, superiore Dominica.*
f. Codex Germ. *& turris inexpugnabilis diabolo.*
g. Codex Vallicel. *tunc judicium non metuit.*
h. Omnes edit. *per adversitatem pervertit*: omnes mss. *falsitate pervertit.*
i. Vet. edit. & mss. *unus debes quod Christus fecere*, Rom.... *fecit facere*: sed cùm neutrum horum verborum legere sit in aliis mss. lectio codicis Germ. magis arrisit.

indignatio repente commota est, ut & differretur victoria, & divinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Unde intelligimus quod Saul hostes non tam virtute militum, quàm militum abstinentiâ superabat. Denique unius culpâ cunctis confertur ignavia, & unius delicto omnibus generatur infirmitas; deficit enim virtus in exercitu, ubi deficit in observatione jejunium. Quod ut peccatum Saul ex ipsa divinitatis offensione cognovit, statim Jonathæ dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione ejus sanguinis expiandum. Videte quanta apud Saul regem fuerit religionis [a] observatio, qui offensam Domini optavit etiam parricidio mitigare: & quanta sit resoluti culpa jejunii, quæ non nisi sanguinis effusione punitur. Et si ignotans Jonathas indictum à patre jejunium quod resolverit, morti addicitur; qui sciens indictum à Christo resolvit jejunium, quid meretur?

6. Ergo, fratres, statutum nobis custodiamus omni observatione jejunium, ut hostes nostros spiritales carnalesque vincamus; habemus enim, sicut nostis, & carnales hostes. Jejunemus igitur, ut eos exercitus noster & Saul superet & obtineat. Nec in abstinentia positi declinemus ad favum; favus enim quædam mundi est voluptas, seu vitia, *quæ*, sicut scriptum est, *ad tempus quidem impinguant fauces, novissima amariora sunt felle.* [b] Oremus igitur, ut nobis jejunantibus ille spiritualis favus à Domino largiatur, qui in æterna beatitudine in palato faucis animæ nobis dulcescat: ipso adjuvante, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

Prov. 5. 4.

SERMO XXII.

De sancta Quadragesima VI.

Hic sermo in antiq. edit. ac plerisque mss. superioribus tribus proxime subjicitur; unde conjectura aliqua duci potest, eum ab eodem auctore profectum esse. Ipsius tamen stylus paulo humilior est: sed eumdem à dictione Ambrosii multo longius removet illa simplicitas, quàm à Maximi.

1. NOn usque adeo contristari debemus, fratres, quod in his quadragesimæ diebus tentatio nobis tribulationis advenit; quoniam & Salvatorem nostrum propter ipsam quadragesimam videmus esse tentatum. Minus ergo dolere debemus servuli, quia Domini habemus exemplum. Ubi enim est similis cum Christo devotio, similis est & cum Christo tentatio; conditionem enim nobis tolerandi imponit conditio jejunandi. Credimus autem quod sicut Salvator noster diabolum cùm tentaretur, obtinuit; ita & nos hostes nostros, cùm tribulamur, posse devincere; jejunia enim Christi tentari possunt, non possunt superari. Angustias quidem in observatione habent, sed prosperitatem tribuunt & salutem. Videamus igitur inter ceteras tentationes, qua Dominum diabolus arte lacessat.

2. Cùm enim super pinnam staret templi Salvator, ait diabolus: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, & reliqua. Vere diabolicæ fraudis astutia consuetudinis suæ nititur argumento; semper enim religiosos de superioribus dejicere ad inferiora conatur, & de sanctis ac venerandis actibus deducere ad terrena & cœnosa festinat; ut qui stat puritate mentis in summitate templi, projiciat se in profundum inferi contagione peccati. Nam cùm Dominum de pinna templi dejicere nititur, utique de perfecto religionis cultu eum removere conatur; pinna enim loci sancti perfectio cælestis est sacramenti.

Matth. 4. 6.

3. Recte autem Dominus super pinnam templi stare dicitur; quia de ipso scriptum est: *Qui ambulat super pennas ventorum.* Super pennas enim ventorum quodammodo ambulat Dominus, cùm super morum nostrorum alacri conversatione volatu incedit; pennæ enim nobis sunt boni mores, qui nos elevatos à terræ humilibus in cæli altiora sustollunt, & volatu quodam orientis de tartaro tenebroso educunt, & ad paradisi amœna perducunt. Quorum morum pennas habere Propheta desiderans ait: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Super hanc ergo pinnam templi Salvator stare dicitur, hoc est, quasi in quodam templo fidei nostræ consistere; unde ait Apostolus: *Vos estis templum Dei vivi, & Spiritus Dei habitat in vobis.*

Psal. 103. 3.

Psal. 54. 7.

1. Cor. 3. 16.

4. In hoc igitur templo stans Dominus nec recedens, increpat diabolum, dicens: *Scriptum est: Non tentabis dominum Deum tuum*; hoc est, non tentabis eum, quem putas tamquam hominem ad inferiora pellendum, sed magis [c] tamquam Deum & dominum ipsum noveris adorandum. In his ergo jejuniorum diebus tentamur ad similitudinem Salvatoris; similiter enim & nos hostes nostri de pinna templi, hoc est, de observatione quadragesimæ deturbare conantur. Dum enim terrores ingerunt, dum insidias parant, cupiunt nos de arce religionis abducere. Dicitur autem eis à Domino: Non tentabitis sanctos viros & famulos Dei; quos enim tamquam humiles conculcandos putatis, sentietis tamquam strenuos honorandos.

Matth. 4. 7.

5. Sunt enim, sicut dixi, plerique fratres, quos hostes nostri de perfectione religionis abducunt: qui dum præsens malum metuunt, putant Deum nostræ salutis immemorem, nescientes quod Deus nullius est immemor: sed immemorem illum nostri tunc facimus, cùm peccamus. Cùm enim mala operamur, avertit faciem: cùm nefanda loquimur, aurem obstruit: & ideo bonitatem suam à nobis Deus non tam ipse retrahit, quàm nostra illum delicta rejiciunt. Ait enim idem Dominus per prophetam ad eos, qui erant in tribulationibus constituti: *Numquid non valet manus mea eruere vos?* & reliqua. Vides ergo quoniam inter Deum & hominem peccata separant. Tolle igitur peccata de medio, & Deum tibi proximum tu fecisti.

Isai. 50. 2.

6. Quomodo enim potest, fratres, oblivisci nostri Deus, qui etiam capillos capitis nostri in Evangelio apud se dicit esse numeratos? Si enim capillorum nostrorum meminit, multo magis nostrarum animarum meminit. Per numerum enim curam circa nos sollicitudinemque cognoscimus; nemo enim numerat, nisi quod vult diligentius custodire: nemo numerat, nisi qui veretur, ne fraudem absque numero patiatur. Pastor ut salvum gregem habeat, eum frequenter annumerat: denique Dominus, qui est bonus pastor, cùm una ovicula de centum ovibus aberrasset, recurrens ad numerum, propriis eam ad gregem humeris reportavit. Usque adeo ergo habetur sub tutela, qui habetur in numero; ut errans propriis apportetur humeris, ne quid de numero minuatur. Nolite ergo putare, fratres, quod vel minimi cujusquam obliviscatur; Deus enim omnium meminit, omnium recordatur: tantum ut non, nostris intervenientibus peccatis, ei inferatur oblivio.

Luc. 12. 7.

Luc. 15. 4.

SERMO XXIII.

De sancta Quadragesima VII.

Ex iis quæ hîc dicuntur de quinquagesima, cognoscere est illius ritum nondum communiter id temporis receptum fuisse: de cujus quidem diversitate consuli potest Cassianus Coll. 21. cap. 24. & Sozomenus lib. 7. cap. 19. Quod autem hîc sexagesima ac septuagesima nulla fit mentio, illud sane indicio est hujus sermonis ac superiorum 14. & 15. auctores diversos exstitisse. Intenditur vero etiam querela adversus eos, qui per quadragesimam alternis tantum hebdomadis jejunium servabant, in quos similiter sermone 146. invehitur Petrus Chrysologus. Sunt præterea in quibus hic sermo cum serm. 145. & 147. Append. August. satis conveniat, ut forte ad eorum auctorem referri possit: at ne idem tribuatur Ambrosio nostro, nihil non reclamat.

1. NOnnulli christianorum, fratres, æstimantes se divinitatis præcepta religiosius observare, prætermissa devotione quadragesimæ, cujus hodie curamus exordium, quinquagesimam se facere mentiuntur; cùm id neque divinis litteris jubeatur, neque traditum sit auctoritate majorum. Sola igitur hoc faciunt animi præsumtione; & dum putant se devotius agere, superstitiosius conversantur. Dicit se observare quinquagesimam, qui forte quadragesimam implere vix possit. Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius quadragesimam jejunare cum Christo; hanc enim quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. Quod dixi jejunio, non jejuniis; unum enim jejunium Domini fuit, quia continuatis quadraginta diebus & noctibus, cibum omnino non sumsit. Matth. 4. 2.

2. Quisquis ergo christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem divinitus pro salute sua datam

a. Ita mss. edit. vero, observantia quo offensam Dom. &c.
b. Oremus igitur, & sequentia nunc primum è cod. Vat. & Germ. restituimus.
c. Vet. edit. cum ms. Vallicel. tamquam Deum & hominem ipsum. Non satis recte.

prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non custodis. [a] Qualis vero christianus es, cùm Domino jejunante, tu prandes? Qualis christianus es, cùm, Christo esuriente, tu reficis? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis jejunare formidas? Dicite enim mihi, interrogo vos qui in quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quod abstinente cuncto populo, vos soli contra præceptum Domini devoratis? si non vobis rubor est, cùm exitis in publicum; ne quis vobis jejunus occurrat: aut si non cogitatis, cùm ad Ecclesiam proceditis, quemadmodum pacem episcopo porrigatis; ne forte ipso spiritu osculi vestri vos reprobet? Quod si hæc forte non cogitatis, forsitan vehementer erratis; scire enim debetis, cùm in quadragesimæ diebus jejuno pransus occurrit, non bene de illo judicat, qui jejunat.

3. Hoc enim ideo dico, quia audio complures, quod gravius est, fideles alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum numerum gulæ intemperantia violare; hoc est, prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio jejunare. Quibus hoc dico, cur etiam per illos septem dies fraudem sibi faciant jejunando, cùm illis jejunium tale non prosit? Quamvis enim abstineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulciora alimenta non sumat; [b] non tamen illi accepto fertur quadragesimæ jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat. Pudet dicere, senes & aniculæ quadragesimam faciunt: [c] juvenes & juvenculæ non faciunt. Omni igitur sollicitudine tempus sacratissimum celebremus, non prætereat nos dies absque jejunio, non nos transeat una hebdomada absque vigiliis. Ille enim facit quadragesimam, qui jejunando & vigilando adscendit ad pascha. Nam sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in quadragesima non jejunare peccatum est; illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa invitamur, ad ista compellimur.

4. Sed videamus iste quadraginta dierum sacratissimus numerus unde habere cœperit exordium. Legimus primum in veteri testamento Noe temporibus, cùm omne genus hominum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cæli aquarum pluvias defluxisse, & mysterio quodam quadragesimæ inundatione orbi terrarum facta, non tam diluvium quam baptismum contigisse. Baptismus plane fuit, per quod in peccatoribus iniquitas sublata est, Noe justitia conservata. Ita ergo & modo nobis Dominus ad instar illius temporis quadragesimam dedit; ut constituto dierum numero, patefactis cælis, pluvia nos misericordiæ cælestis irroret, & inundatione facta per baptismum lavacri salutaris nos imber illuminet: & sicut tunc factum est aquarum fluctibus, extinguatur nunc in nobis delictorum iniquitas, virtutum justitia conservetur. Ipsa enim quæ sub Noe, & modo vertitur ratio; baptismus enim peccatori diluvium est, consecratio est fideli. Per lavacrum enim Domini salvatur justitia, necatur injustitia: quod in uno eodemque factum videmus apostolo Paulo, qui priusquam præceptis spiritalibus lavaretur, erat blasphemus persecutor, & Saulus: at ubi pluvia super eum lavacri cælestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur Saulus; vivificatur apostolus, vivificatur justus, vivificatur & Paulus. Usque adeo autem perdidit veterem cum actibus suis hominem, ut cum moribus mutaret & nomen. Quisquis ergo in hac devotione quadragesimæ Dominica mandata servaverit, necabitur in eo diabolica impietas, apostolica autem reservabitur gratia; & succedens quodammodo sibi ipse, moritur ex ea parte, qua peccator est; vivificatur ex illa parte, qua justus est.

Gen. 7. 11.

5. Videamus etiam si alibi in Scripturis hunc mysticum quadragesimæ numerum possimus invenire. Legimus quod sanctus Moyses in eremo quadraginta annorum curriculo filios Israel cælesti manna nutrierit. Bonus ergo numerus, qui semper cælum aperit: bonus, inquam numerus, per quem justitia Noe salvatur, & Israel filii saginantur. Unde & nos observemus hunc numerum, ut aperiamur nobis cæli, quatenus & pluvia nos gratiæ spiritalis irroret, & spiritalium sacramentorum manna reficiat; instat enim Patrum nostrorum hac observatione quadragesimæ & justificamur & pascimur: justificamur lavacro, pascimur sacramentis.

Exod. 16. 35.

6. Sed dicet aliquis, filios Israel in eremo quando manna saturati sunt, minime jejunasse. Ego autem dico illos non nisi abstinentiæ tunc vacasse, atque ideo cælestis alimoniæ gratiam meruisse: primùm, quia desertum omne jejunium est; [d] quia anxietas solitudinis concupiscentiam repellit escarum: deinde in eremo unde accuratæ epulæ? unde vina pretiosa? unde quadraginta annorum tempore qualiscumque substantia? Intelligimus ergo jejunasse filios Israel, quia cognoscimus illis escarum copiam defuisse, & tunc sumsisse cibum, quando largienti Domino placuisset. Satis autem diu jejunat, qui cùm Christi voluntate se reficit. Usque adeo verò abstinentia filiorum Israel in eremo placuit Salvatori, ut quorumdam etiam inter ipsos intemperantia notaretur; ita ut quisquis avidior duplum mannæ cibum sibi collegerat, hic hac injuriâ feriretur, ut non tam cibum sibi inveniretur servasse, quàm vermes: scilicet ut quia supra moderatam refectionem concupierat, velut stimulis quibusdam conscientiæ in morem vermium urgeretur.

7. Igitur & nos, fratres, observantes quadragesimæ quotidiana & moderata jejunia, & tamquam in eremo constituti, nihil deliciarum sæcularium cogitemus, nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo sollicitet. Simus sobrii, simus casti, habentes quidem conversationem in urbibus, possideamus mente desertum. Si ita abstinentes egerimus, erit ut cælestis mannæ reficiamur alimonia, & nullis vermium stimulis compungamur.

SERMO XXIV.

De sancta Quadragesima VIII.

Quidquid à primis hujus sermonis verbis usque ad numerum 2. interponitur, in Append. August. ubi sermonem 251. constituit, reperitur. Ex eodem etiam nonnulla reperiuntur in ejusdem Appendicis 256. Unde cognoscimus & Cæsarium, si tamen is auctor horum sermonum jure dicatur, easdem sententias subinde iterasse. & nostrum hunc sermonem plenum esse atque perfectum, cùm dictus sermo 251. illius tantum lacinia sit. Apud Rabanum Homilia inscribitur Contra paganicos errores, *in qua sicut & in sequenti quædam legere est, quæ ex hoc sermone videtur mutuatus; nisi malueris eumdem sermonem partim ex Cæsario, partim ex Rabano, partim ex aliis collectum esse.*

1. Quam timendus est, fratres carissimi, dies ille judicii, in quo dominus noster Jesus Christus, ac redemtor omnium proposuit venire cum flamma ignis, quæ consumtura est adversarios suos, & eos qui faciunt iniquitatem! In illa die plangent omnes tribus terræ. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna, & majestate excelsa: & commovebuntur ante eum omnes fines terræ, & peccatores peribunt in ea: & cælum plicabitur, & mare siccabitur. & montes sicut cera ardebunt usque ad inferos: & sol convertetur in tenebras, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur: & tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, quod erit crux Christi domini nostri, in cujus lumine tenebrescent totius mundi lumina. Tunc sancti rapientur obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erunt: peccatores autem confundentur & peribunt. Et tunc dominus noster Jesus Christus mittet Angelos suos ad quatuor angulos terræ, & congregabunt electos ejus à summo cælorum usque ad terminos eorum; & tunc separabit sanctos suos Dominus de medio peccatorum, & mittet eos in mansiones cælestes: peccatores autem mittentur in caminum ignis, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Ibi erit fletus & stridor dentium. Væ illis hominibus, qui cum diabolo habebunt mansiones; quia adscendet fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum: quorum vermis non morietur, & ignis eorum non extinguetur. In quibus nulla vox nisi gemitus, nulla requies nisi ignis, nullum refrigerium nisi flamma, nulla lux umquam nisi tenebræ: & tales non venient umquam in memoriam apud Deum, quorum cibus cruciatus est, & mansio eorum cum diabolo erit, ubi nulla suavitas nisi fœtor.

Matth. 24. 29. & seq.

Matth. 8. 12.

a. Abest à cod. Lugd. & Vallisel. *Qualis vero ..., tu prandes?*
b. Codex vallisel. *non tamen illius acceptum fertur* &c.
c. Ita edit. cod. vero Lugd. & vallisel. *divites juvenesque non faciunt.*

d. Ver. edit. cum ms. Vallisel. *quia anxietas sollicitudinis*: melius edit. Rom. cum cod. Lugd. .... *solitudinis.*

2. O homo, qui regnum Dei possidere desideras, quod fecisti malum, dum potes, emenda: dum tempus habes, clama ad omnipotentem Deum: dum tempus habes lugendi, dum adhuc anima tua versatur in corpore tuo, dum adhuc vivis, remedium tibi futurum adquire, priusquam in profundum te mortis absorbeat laqueus pœnarum, priusquam te infernus capiat; ubi nulla est indulgentia, ubi nullus ad confessionem recursus, ubi nullus est ad veniam regressus.

3. Et nos, fratres carissimi, agamus veram pœnitentiam, ut nos Dominus ab illa pœna, quam superius diximus, eripere dignetur. Non nobis sufficit, quod nomen christianum præferamus, si opera christiana non facimus: decimas nostras annis singulis de cunctis frugibus, pecoribus, & ceteris præcipit erogandas Dominus. Scriptum quoque est: Date decimas de omni labore vestro, & de omnibus pecoribus vestris, & ego aperiam vobis cataractas cæli, & multiplicabuntur messes, & vindemiæ vestræ erunt vobis in abundantiam, insuper & sanitates in domibus vestris. At si non dederitis decimas, dicit Dominus, mittam grandinem & pruinam & tempestates super vos, & tollam omnem laborem vestrum. Novem partes vobis tributæ sunt, sed qui decimas dare noluistis, ad solam decimam revertetis: insuper & mortalitates venient in domos vestras. Frumenti, vini & olei partem offerte primum in Ecclesiam, reliquam per cæcos, claudos, debiles, leprosos, & orphanos, & per viduas, peregrinos & advenas dividere debetis. Similiter facite de omni peculio vestro, de omni fructu vestro. Quoties novum facis panem de messe tua, primùm affer ad Ecclesiam pro benedictione: reliquum vero tecum retinere poteris pro te, & tua familia: sic fac de uva, & de omni labore tuo. *Deut. 12. 6. et seq.*

4. In Ecclesia stantes nolite obstrepere, sed lectiones divinas diligenter audite. Qui otiosis verbis, cachinnis clamorosis, deambulationibus importunis in Ecclesia perstrepit, & pro se & pro aliis redditurus est rationem in die judicii; quia verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit. Ad Ecclesiam cùm venitis, nolite litigare, causas vanas nolite dicere, audire vel judicare, aut rixari, aut jocari, vel alienas fabulas referre: quoniam qui talia agunt, sine fructu orationes eorum evanescunt: immo cum parvo peccato ad Ecclesiam veniunt, & cum peccatis multis de Ecclesia recedunt, quibus valde congruit, quod propheta dicit & comminatur: *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra transeunt.* *Psal. 143. 4.*

5. Judices vero qui causas audiunt, juste judicent, & munera super innocentes non accipiant; ne forte dum adquirunt pecuniam, perdant animam suam. Nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno: ubi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arca, damnum vero in anima. Dic, ubi sunt reges, ubi sunt principes, ubi sunt divites? ubi est aurum & ornamentum eorum? Cuncta velut umbra transierunt. Aurum & argentum & ornamenta eorum remanserunt in mundo, & illi sine fine cruciantur in inferno, ubi vermes eorum non morientur, & ignis eorum non extinguetur, quia scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur.* Ibi vitam tenebrosam & mansionem obscuram perpetuo habebunt: ibi miseri cum miseris, superbi cum superbis, homicidæ cum homicidis, adulteri cum adulteris, iniqui cum iniquis, falsi cum falsis, sacrilegi cum sacrilegis, omnes simul cruciantur in inferno sine fine. *Sap. 6. 7.*

6. Firmiter mihi credite, fratres, quia nullus pejorem culpam habet, quàm qui Deum blasphemans & derelinquens, idola colit: nec pejor dissolutio esse potest in populo, quàm quod dæmonibus immoletur, & Ecclesiæ catholicæ derelinquantur: & qui de misericordia Domini desperat, & non credit in resurrectionem: & qui colunt augures, vel sortilegos, vel aruspices, divinos & præcantores, & qui confidunt in phylacteriis & characteribus, aut sternutationibus, avibus cantantibus, divinationibus, aut mathematicis, aut aliis quibuscumque malis artibus, damnabuntur.

7. Isti omnes infelices & miseri, qui saltationes ante ipsas etiam sanctorum basilicas, & in ipsorum sanctorum festivitatibus choros ducunt, cantica luxoriosa vel turpia lingua sua proferunt. Quare unde debuerant Deum laudare & mereri, inde sibi damnationem adquirunt: & sicut christiani ad Ecclesiam veniunt, ut pagani tamen de Ecclesia revertuntur.

8. Nulla mulier potione abortivum procuret, aut conceptos fœtus occidat. Mulier quæ iniquitatem hanc patraverit, quantos parere potuisset filios, tantorum homicidiorum rea, rationem redditura est in die judicii. Quicumque malorum hujusmodi reus inventus fuerit, perdidit baptismi meritum coram Deo & Angelis ejus.

9. Contestamur vobis coram Christo domino nostro, quod qui malum fecerit, nisi veram pœnitentiam egerit, eleemosynas justas fecerit, & nisi in bonis operibus mors illum invenerit, quod numquam possidebit vitam æternam, sed cum diabolo descendet in infernum; quia *arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Et ideo non tantùm propter timorem judicii, sed propter amorem Dei, & gaudia vitæ æternæ ab omni vitio & malo se abstinere quis debet, etiam spem suam omni hora in Deum ponere. *Matt. 7. 14.*

10. Serpens cùm venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem evomit venenum suum, & postea bibit; ita & nos quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum: hoc est, iracundiam, odium, invidiam, falsitatem, iniquitatem, avaritiam, cupiditatem superbiam, sacrilegium, furtum, luxuriam, falsum testimonium, discordiam, perjurium: hæc sunt animarum venena. Ista prius repellamus à nobis, & sic ad altare Domini corpore & sanguine ejus satiemur. Mundemus corda & corpora nostra ab omni vitio malo; ut casto corpore, & mundo corde, & cum secura conscientia ad altare Domini possimus accedere. Etiam per omnes festivitates, auxiliante Domino, castitatem servate; ut nos solemnitates nostræ castos & justos inveniant.

11. Rogamus Dominum, ut mittat vobis medicamentum cæleste, hoc est, castitatem, caritatem, gaudium, patientiam, longanimitatem, fidem, lenitatem, continentiam, & misericordiam. Et nos, fratres carissimi, non cessemus benefacere, jejunare, pœnitentiam agere, eleemosynas dare, nudos vestire, infirmos visitare, hospites colligere, & pauperes pascere, Ecclesiis Dei servire, scripturas sanctas custodire, Dei servos diligere, spem nostram omni hora in Deum ponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non retinere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere, non jurare omnino, ne forte pejeremus. Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* *Matth. 10. 22.*

12. Vos autem, fratres carissimi, ut cogitetis periculum vestrum, paterna caritate admonemus. Si nos libenter auditis, & vobis vitam æternam, & nobis perenne comparabitis gaudium in regno cælorum, ad quod feliciter pervenire mereamur, præstante domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXV.

De sancta Quadragesima IX.

Jam pridem hic sermo numeratus est inter Ambrosianos, quippe qui à Gratiano & P. Lombardo Ambrosii nomine citatus fuerit. Horum auctoritate sicut & codicum Vatic. & Mediol. à Decreti emendatoribus eumdem sancto Doctori adtributum esse promptu videtur. Verum non possumus quin admiremur eruditiss. Card. Bona lib. 1. Rer. Liturg. *cap. 14. num. 5. pro Ambrosiano ipsum habuisse. Etenim vel hoc solum quod per quadragesimam singulis diebus excepta Dominica necessario jejunandum tradit; justum hac de re dubitandi locum præbuit Possevino in Apparatu. Si huic causæ illam addideris quod prandium hora nona capere permittit, & eadem hæc cum serm. 8.* in Psal. 118. *num. 48. composueris, quam in eo nihil existat Ambrosianum, statim comperies. Porro mutationes à Romanis editoribus, qui primi eum prælo subjecere, in eo factas ex codice bibliothecæ Vallicellana emendavimus.*

1. Ecce [a] nunc tempus adest, in quo & peccata vestra confiteri Deo & sacerdoti, & per jejunia & orationes & lacrymas atque eleemosynas delere debetis. Quare erubescit peccator manifestare peccata sua, quæ & Deo & *De Pœn. Dist. 1. Ecce.*

a. In cod. Biblioth. Vallic. & apud Gratian. ea hujus sermonis prima verba sunt: in edit. autem Rom. hoc titulum sine teste aut hæc pallice præmissum fuit.

Ecce nunc tempus acceptabile, ut superiori Dominica legimus.

A Angelis omnibus, atque cunctis electis animabus sunt nota & manifesta? Confessio à morte animam liberat, confessio paradisum aperit, confessio spem salvandi tribuit. Unde Scriptura dicit: *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris.* (Esai. 43. 26.) Hic iis verbis ostenditur quia non meretur justificari, qui in vita sua peccata non vult confiteri. Illa vero confessio non liberat, quæ non fit cum pœnitentia. Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. (De Pœnit. Dist. 3. c. Pœnitentia.) Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.

2. Et quamvis omnes dies, quibus homines vivunt, apti sint pœnitentiæ; tamen isti dies sunt plus apti & congrui ad confitendum, & ad jejunandum, atque eleemosynas B faciendas: quoniam peccata totius anni istis diebus potestis diluere. Ideoque moneo omnes, & hortor singulos, ut quidquid in vobis reprehensibile cognoscitis, emendetis. Quicumque recognoscit in se [a] quod fidelem non decet, emendet: (16. q. 7. c. Quicumque.) quod minus fecit, si fideliter decimas non dederit. Quid est fideliter decimas dare, nisi ut nec pejus, nec minus aliquando Deo offerat aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotiis, aut de ipsa venatione sua? Quia de omni substantia, quam Deus homini donat, decimam partem sibi servavit; & ideo non licet homini retinere C illud, quod Deus sibi reservavit. Tibi dedit novem partes, sibi verò reservavit decimam partem: & si tu non dederis Deo decimam partem, Deus tollet à te novem partes. Item si quis recognoscit in se, quod ab aliquo tulit aliquid injuste, emendet reddendo, quod injuste tulit. (16. q. 1. c. Nam qui Deo.) Nam qui non vult Deo reddere decimas, quas retinuit: & homini non studet reddere, quod injuste ab eo abstulit; non timet adhuc Deum, & ignorat quid sit vera pœnitentia, veraque confessio.

3. Iste talis homo non potest bonam eleemosynam facere. Bonum est propterea, fratres, ut Deo reddatis quæ sua D sunt, & proximo quæ illius fuerunt; ut de vestris justis laboribus eleemosynas faciendo, peccata vestra possitis redimere, secundum quod [b] scriptum est: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* (Dan. 4. 24.) Et hoc facere debetis, quia unusquisque secundum quod habet, debet tribuere indigentibus: id est, qui habet multum, debet tribuere multa: & qui parum habet, [c] debet parum date, secundum quod sanctus Tobias agere docuit filium suum. (Tob. 4. 7.) Cum grandi quoque studio & cum ingenti aviditate debent christiani eleemosynas facere; ut mereantur in die judicii audire à Domino: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & vestistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere* E *eram, & venistis ad me. Venite ergo benedicti Patris mei.* (Matth. 25. 35.) [d] Si ista vos opera misericordiæ non feceritis, quæ modo commemoravi, audietis in die judicii: *Ite in ignem æternum.* (Ibidem 41.)

4. Jam quia tales dies sunt, non audeo, ut non dicam periculum & grande malum, quod est in populo isto: quod si ea feceritis, dicet vobis: *Venite benedicti Patris mei.* Qualis christianus est, qui tali tempore non jejunet, vel usque ad nonam? Ecce Ninivitæ parvulos etiam lactantes, & pecora atque jumenta, ut periculum mortis evadere possent, jejunare fecerunt. Quales ergo christiani esse possunt, qui & sani sunt, & jejunare cum Moyse, & Elia, & Salvatore F nostro nolunt? Solent enim dicere: Non possumus laborare, & jejunare. Sed ideo non possunt, quia nolunt. Saltem laborent minus, ut jejunare possint. Moneo quapropter, & contestor vos in Domino, ut nullus vestrum, nisi forte sit infirmus, aut infans, usque ad pascha, & nisi in dominicis diebus, ante nonam manducet, aut bibat.

5. Moneo etiam ut qui juxta Ecclesiam est, [e] & occurrere potest, quotidie audiat missam: & qui potest, omni nocte ad matutinum officium veniat. Qui vero longe ab Ecclesia manent, omni Dominica studeant ad matutinum venire: id est, viri, & feminæ, & juvenes, & senes præter infirmos: unus tamen aut duo remaneant, qui domum custodiant.

6. Nullus omnino uxori suæ jungatur ante octavam paschæ. Quicumque iram, aut odium contra alterum tenet, dimittat illi ex toto corde, si salvari desiderat: & exceptis illis, quibus sacerdos consilium dat, ut non communicent, omnes christiani omni Dominica debent offerre & communicare. In quadragesima vero moneo ut die omni, aut saltem, ut dixi, omni Dominica offeratis & communicetis. Et idcirco puram & mundam vitam ducite, ut digni sitis accedere ad sanctam communionem. Et hæc scire debetis, quia quidquid subtrahitis corpori in jejunando, totum debetis pauperibus donare, non vobis ipsis reservare.

7. Omnipotens Deus donet ut ista, quæ dicta sunt, retineatis, & opere compleatis; quatenus post finem hujus vitæ, & post terminum laboris ad requiem sempiternam pervenire possitis: ipso donante, qui vos & creavit, & pretio sui sanguinis redimere voluit: qui vivit & regnat per infinita sæculorum sæcula, amen.

SERMO XXVI.

De sancta Quadragesima X.

Hic sermo ex eorum est numero, quos Rom. editio primum evulgavit. Eidem præfixit illum titulum: De modo vere agendi pœnitentiam. *Sed quam immerito nomen Ambrosii ipsi adscripserit, nemo vel ex prima lectione non deprehendat. Suspectum vere id etiam nobis est, quod in ipso limine memoratur de Ninivitis; quippe cum in toto reliquo sermone neque de illis, neque de illorum pœnitentia quidquam dicatur. Quod autem adseritur, qui unam tantum jejunii diem prætermiserit, integram violasse quadragesimam, habetur etiam sermone 22. sicut & quod occasione hyemis in meliorem tempestatem se convertentis hic disseritur, cum eodem sermone affinitatem quamdam habere videtur; unde conjicere forsan liceat unum ac eumdem horum sermonum auctorem esse.*

1. LEctum est nunc in Evangelio: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* (Matth. 12. 41.) (Ibidem 39.) Pharisæi pœnitentiam simulabant, ideo à Christo domino appellantur *generatio mala & adultera*; & alibi, *progenies viperarum:* (Ibidem 3. 7.) non autem vere pœnitebant, ideo merito condemnantur.

2. Sic & tu, ô christiane, quem scio esse superbum, pœnitere te adseris, & diaboli opera requiris, & Domini præcepta prætermittis. Scire à te desidero quid pœniteas, nescio quid sit pœnitentia tua. Pœnitere te adseris, qui cum injustitia, qua præcinctus es, superinduxisti superbiam? Pœnitere te adseris, qui carnem alienam sequeris? Sic fatigaris: reversus es sicut canis ad vomitum, aut velut sus calore affecta, in limo terræ provoluta. Quid sit tua pœnitentia, non invenio: circuivi & perambulavi locum pœnitentiæ, & non inveni pœnitentiam tuam. Qui sæculum destruxeras, ibidem invenitis: qui carnis superbiam deposueras, humerum submittis iterum, ut gravius portes onus: qui avaritiæ dederas dorsum, denuo illi obviam occurris: qui vanitati repudium dederas, iterum reverteris ad ejus gratiam: qui pompas sæculi fugeras, iterum in manus illius incidisti. Ambulas superelatus sine cervice. Nescis scriptum esse: *Quid nobis profuit superbia, & quid divitiæ cum jactantia contulerunt nobis?* (Sap. 5. 8.) & sequitur: *Transierunt illa omnia tamquam umbra.* (Ibidem 9.) Fidelem & mundum te invenisti, qui per aquam baptismi fueras renovatus, sicut scriptum est: *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris.* (Esai. 1. 16.) Illos propheta ad lavandum hortatur, tu autem cùm esses mundus, sordidus factus es, non potes denuo lavari.

3. Si vis autem ut munderis iterum, da eleemosynam, & omnia tua munda sunt. (Luc. 11. 41.) Mundandis bona est eleemosyna, quæ purgat omnes sordes. Humilia autem te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: (Eccl. 3. 20.) *Subditus esto Deo, & obsecra Dominum* & : *Ne æmuleris, ut nequiter agas; quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur.* (Psal. 36. 7.) Ora Dominum quotidie cum lacrymis, si forte peccata tua solvantur; cùm Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. (1. Petr. 5. 5.) Memorare filium in longinquo positum, qui luxuriose vivendo substantiam suam cum meretricibus dissipavit,

a. Rom. edit. quod fideliter non dederit decimas suas, modo emendet, quod minus fecit. Quid est &c.
b. Eadem edit. scriptum est: Peccata tua eleemosynis redime. Et adhuc scire debetis.
c. Rom. edit. Juxta parum non timeat eleemosynam facere, secundùm quod &c.
d. Rom. edit. Si per hanc vocem opera misericordiæ.... æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Ecce quia.... non audeo tacere, ut non recitem periculum vestrum.... quod vobis, nisi emendetis vitam, imminet. Qualis &c.
e. Eadem edit. & sine gravi impedimento potest.

Luc. 15. 17. postea humilis factus, & ad cor reversus, dicens: *Quanti* A *mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam ergo, & vadam ad patrem meum, & dicam: Fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* Ad patrem accedens, & coram eo se prosternens, fuit ab eo lætanter acceptus; immo occidit pro eo vitulum saginatum.

4. Memorare itaque quia & pro te Christus occisus est, qui ante fuit vitulus saginatus. Quia vero alter filius ejus contristatus est, quoniam occisus est Christus, qui ante fuit Ibid. 31. & 32. vitulus saginatus, pater respondit, dicens: *Fili, tu mecum semper es, & omnia mea tua sunt: gaudere autem te oportet quia hic filius meus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est.* O quam beatum populum, pro quo Christus B occiditur! quale gaudium portat Pater, quando quod mortuum fuerat, reviviscit: & quod perierat, invenitur! cui Johan. 5. 14. tunc dicitur, ut scriptum est: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat.*

5. Attende ergo unde excideras, & plange, pœnitentiam age: si quominus, veniet tibi Dominus cito, & movebit Luc. 15. 4. candelabrum tuum de loco suo. Memorare, fili, Christum reliquisse nonaginta & novem justos, perquisisse hominem peccatorem, & inventum eum in invio humeris suis reportasse: vel illam mulierem, hoc est, Ecclesiam, quæ perdi- Ibid. 15. 8. derat drachmam, hoc est, hominem peccatorem, accen- B disse lucernam, hoc est, Christum qui est lumen justitiæ: & inventâ eâ in pulvere, vocasse amicas & vicinas Ecclesiæ; ut congratularentur super inventum hominem peccatorem: & à stercore erectum eum collocasse cum principibus populi sui, hoc est, cum apostolis & prophetis. Psal. 112. 7. Ecce quid facit pœnitentia homini peccatori, qui dum in stercore jacet, cum principibus sublimatur.

6. Pœnitentem hominem dico, qui plangit, quod peccaverat; & rogat Dominum, ut non iterum faciat, quod admiserat. Pœnitentem hominem dico, qui diebus ac nocti- Psal. 6. 7. bus ingemiscit, & cum Propheta dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis.* Pœnitentem hominem C dico, qui repellit, quod male fecerat; & rogat Dominum, ut veniam consequatur. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se privat. Pœnitentem hominem dico, qui diligit, quod ante neglexit; & quod fecerat mali, deserit. Adhæreant ergo tibi quæ bona sunt, & quæ mala deleantur.

7. Si pœnitentiam non egeris, incides in manus Domini secundum severitatem judicii ejus, quod cavere debemus; Hebr. 10. 31. nam dicit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei* Psal. 33. 15. *viventis. Diverte* ergo *à malo, & fac bonum: inquire pacem, & sequere illam*, sicut scriptum est. Dic ergo: Commisi mala, & correxi bona. Fac etiam dignos fructus pœniten- D tiæ, & ne dixeris: Eccles. 5. 4. *Peccavi, quid factum est mihi triste?* .... Ibidem 5. *& non adjicias peccatum super peccatum*; & ne dicas: *Miseratio Dei multa est*; scito enim quia *misericordia & ira ab illo.* Revertere igitur ad Dominum, & plange. Dicito Psal. 50. 6. autem: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, & : Psal. 24. 7. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, Domine*, Psal. 26. 9. & : *Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo tuo.* Ecce pœnitentia hominis se humiliantis: quomodo non veniam habebit, qui talia ingemiscit? quis audiat il- Luc. 14. 11. lum, & non moveatur? Qui enim *se humiliat, exaltabitur*; sicut *& qui se exaltat, humiliabitur.* Nam scriptum est: Psal. 51. 3. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

7. Pœnitere pollicitus es, & adhuc carnis opera perficis? Eccl. 5. 4. Nescis quia scriptum est: *Multo melius est non vovere te, quam vovisse te, & non reddere.* Peccatum non desinit dominari tibi; & tu dicis quod pœnites, & oras. Nescis quod Psal. 49. 16. scriptum est: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum?* Ecce qualem comminationem Domini in omnem peccatorem. Quid dicis tu, qui te adseris pœnitentem? Ubi est pœnitentia tua? Exclusa est superbiæ æstu: dum carnis desideria sequi conaris, Dominum prætermittis. Audi ergo, fili, retrahe pedem tuum à sæculo, cui jam pridem renuntiaveras, ut fidelis amodo inveniaris. Quid quæris à sæculo, cui jam renuntiasti? Pœniteas ergo de omni pompa iniquitatis: apprehende fidem, quam ante maculaveras; quia consenseras diabolo tenebrarum, & Dominum qui est lumen, post dorsum tuum reliqueras.

8. Memorare, fili, quia scriptum est: Osee 6. 6. *Quid est, misericordiam volo, & non sacrificium?* Miserebitur tibi Dominus, A si hæc omnia cùm legeris, facias; ut per obedientiam tuam & humilitatem, gratiam consequaris: si pœnitentiam de toto corde egeris, si Dominum præ oculis habueris, si missa voragine poculi veneni, calicem salutis accipias, si die ac nocte in lege Domini meditaberis, si omnem sollicitudinem tuam in illum projeceris, tunc gaudebis & exsultabis in Domino, quia vicisti malignum: tunc erit merces tua in cælo; quia taliter laborasti: tunc erit Dominus adjutor tuus in die judicii: tunc stabis in magna fiducia, tunc stabis ad dexteram Dei cum sanctis suis, & dicetur tibi: *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum perpetuum*, quod vobis Matth. 25. 34. paravit Pater meus cælestis. Injustis autem & peccatori- B bus dicetur: *Ite in ignem æternum*, quem præparavit Pater Ibidem 41. vester diabolo. *Tunc ibunt impii in ignem æternum, justi* Ibidem 46. *autem in vitam æternam*, ad quam nos perducat dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXVII.

De jejunio Domini in deserto, De Quadragesima XI.

Ex hujus sermonis lectione cognoscimus, & illum per quadragesimam habitum esse, & ejus auctorem sæpius conscen- B *disse sacrum suggestum. Cùm porro sermonis à se* anteriore Dominica *pronuntiati materies in sermone 30. supra rejectorum tractata reperiatur, eumdem sermonem hic indicari credibile est, atque adeo utrumque esse Maximi. Huc adde quod idem sanctus exordia huic similia solet adhibere, quodque Hom. 2. in hoc ipsum Evangelium nonnulla tractat, quæ cùm hoc nostro sermone apte concinnant. Valde etiam verisimile est, hoc sermone habito de prima Christi tentatione, alios ab auctore de secunda & de tertia esse adjectos; & de tertia quidem sermonem jam non exstare: de secunda vero eum ipsum esse, qui 22. supra exhibetur. Sed veterum* C *edit. ac mss. ordinem hîc retinemus.*

1. Meminisse debet vestra dilectio hoc me anteriore Dominica prædicasse, & dedisse rationem cur Dominus quadragesimam jejunaverit, vel cur ipsa jejunia in deserto transegerit. Diximus enim hæc omnia observasse eum, non justificationis suæ causâ, qui erat virgo per omnia, sed nostræ salutis gratiâ: ut quorum generatio per intemperantiam peccaverat, per abstinentiam sanaretur.

2. Videamus igitur quid illo in tempore vel in ipsa solitudine gestum sit; dicit enim evangelista adfuisse ibi diabolum, & Salvatorem ejus versutia fuisse tentatum. Ait D namque sacra lectio esuriisse Dominum, & dixisse illi diabolum: *Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut fiat panis.* Vi- Luc. 4. 3. dete artem Domini, qua adversarium fraude circumvenit. Post multa jejunia esuriisse se simulat, ut diabolum quem jejunando jam vicerat, iterum esuriendo sollicitet; spem enim illi congrediendi ex infirmitate famis quodammodo tribuit, ut dum veluti contra imbecillem congreditur, gloriosius superetur. Hæc enim est vera victoria, ut qui Adam immortalem, gloriosum & epulantem subverterat; nunc ab homine mortali, humili atque esuriente vincatur. Cernens enim esurientem diabolus Dominum, hominem putat, dubitat Salvatorem; & ideo ait: *Si filius Dei es, dic* E *lapidi huic, ut fiat panis.* O misera satanæ & extrema congressio! Diabolus in deserto [a] tentationis solita arma non invenit: deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Eva, deest illi pomorum speciosa deceptio; & quia non invenit cibum, quem offerat esurienti, postulat in cibum saxa mutari.

3. Undique exclusus, undique defraudatus, ad pavimenta se confert; satis enim manifeste ostendit vastitatem sibi eremi restitisse, cùm putat propter inopiam rerum etiam elementa posse converti. Postulat igitur in panem lapides commutari. Versutus & callidus scit quid petat, novit factum esse quod dicit; meminit enim in veteri Testamento Exod. 17. 6. sitientibus aquam de lapide profluxisse, vult etiam hic esurienti cibum de lapide ministrari; retinet enim ibi duritiam petræ in liquorem fontium resolutam, cupit etiam hic asperitatem saxi in panis dulcedinem transformari. Suspicabatur enim ipsum esse Christum, qui hæc operari soleat de natura saxorum, sicut ait apostolus Paulus: *Bibebant de* 1. Cor. 10. 4. *spiritali consequenti eos petra, petra autem erat Christus.*

a. Omnes edit. tentationis folida arma: retinet mss. tentationis solita arma.

Suſpicabatur, inquam, ipſum eſſe Chriſtum, cùm poſtulabat ut de lapide panes faceret: ſed putabat tantummodo ſolum hominem, cùm eſurientem videret.

4. Salvator autem verſutiam ejus mira reſponſione condemnat: nec facit quod dicit diabolus; ne videatur pro arbitrio adverſarii virtutis ſuæ gloriam declarare: nec tamen reſpondet non poſſe fieri, quia negare non poterat, quod ſæpe jam fecerat. Igitur nec adquieſcit petenti, nec denegat exploranti; ac per hoc & potentiam virtutis ſuæ ſuo reſervat arbitrio, & verſutiam adverſarii divino confutat eloquio. Matth. 4. 4. Reſpondit ergo illi: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei*; hoc eſt, non in pane terreno, non in cibo materiali, quo Adam primum hominem decepiſti: ſed in verbo Dei, in quo ſunt vitæ alimenta cæleſtis. Verbum autem Dei Chriſtus eſt Dominus, ſicut evangeliſta dicit: Johan. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Quiſquis ergo verbo Chriſti paſcitur, terrenum pabulum non requirit; nec enim poteſt ſæculi panem cupere, qui pane reficitur Salvatoris. Habet enim Dominus ſuum panem, immo panis ipſe Salvator eſt, ſicut docuit dicens: Johan. 6. 41. *Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi.* De quo pane dicit Propheta: Pſal. 103. 15. *Et panis cor hominis confirmat.*

5. Quo ergo mihi panem, quem offert diabolus, cùm habeam panem, quem Chriſtus impartit? Quo mihi cibum, propter quem protoplaſtum dejectum memini, Eſau primitivis fraudatum vidi, Judam Iſcarioth proditionis ſcelere denotatum? Adam enim per eſcam paradiſum perdidit, Eſau per lentem honorem primatus amiſit, Judas per buccellam apoſtolatus ſublime depoſuit; ex quo enim buccellam ſumſit, non jam apoſtolus cœpit eſſe, ſed proditor. Sic enim Johan. 13. 26. ſcriptum habes, dicente Domino: *Cui intinctum panem dedero, ipſe me tradet. Et continuo poſt buccellam intravit in illum ſatanas.* Non bonus cibus, poſt quem negatur Dominus, poſt quem ingreditur inimicus: non bonus cibus, poſt quem Chriſtus reſpuitur, devoratur antichriſtus. Non bonus cibus, qui benedictione caret, maledictione completur. Illa ergo eſca nobis neceſſaria eſt, quæ vitam præſtat, quæ animam paſcit, poſt quam ſequitur Chriſtus, inimicus excluditur. Illam eſcam accipere debemus, quam Salvator, non diabolus ſubſequatur, quæ perceptione ſui confeſſorem faciat, non proditorem.

6. Quam bene autem jejuniorum tempore Verbum Dei dixit eſſe, quod reficit; ut oſtenderet jejunia noſtra non debere ſæculi actibus occupari, ſed ſacris litteris exerceri? Negligit enim famem corporis, qui pabulo lectionis intendit: nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cæleſtis adquirit. Ipſa eſt enim refectio, quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera; cùm de divinis ſcripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipſa eſt eſca, quæ vitam æternam tribuit, & inſidias à nobis diabolicæ tentationis excludit. Quod autem ſacratum litterarum lectio vita ſit, Johan. 6. 64. Dominus teſtatur dicens: *Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.*

SERMO XXVIII.

De ſancta Quadrageſima XII.

Ex primis verbis ſermonis hujus colligi poteſt ejus auctorem non ſolum Dominicis, ſed & aliis quoque diebus in quadrageſima concionari ſolitum eſſe. Quod autem de qualitate tempeſtatis, qua jejunium illud incidit, & de unici diei violatione hic diſſeritur, videtur cum nonnullis antecedentium ſermonum habere quiddam cognationis: at hoc parum eſt, ut iidem illi ab eodem auctore ſcripti dicantur. Forte id majus habeatur, ut hic ultimus adjudicetur ſancto Maximo, quod ejus nomine in cod. Remig. & duobus Germ. inſcriptus fuerit.

1. ANte dies devotionem ſanctæ quadrageſimæ prædicantes, ſacrarum litterarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non eſſe ab hominibus conſtitutum, ſed divinitus conſecratum: nec terrena [a] cogitatione inventum, ſed cæleſti majeſtate præceptum. Atque ideo qui conſtitutum numerum una die manducando præterit, non ut unius diei violator accuſatur, ſed ut totius quadrageſimæ tranſgreſſor arguitur. Unde bonum eſt homini [b] ut ad diem ſine labore jejunet, & totius quadrageſimæ conſequatur pariter ſanctitatem. Hæc autem non tam ſacerdotum præcepta, quam Dei ſunt. Atque ideo qui hæc ſpernit, non ſacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur ſacerdote.

2. Videamus igitur quo tempore hanc obſervantiam nobis indixerit Dominus, ſi non velut per iſtam devotionem cuncta elementa voluerit habere profectum. Ecce enim [c] ut in dicta quadrageſima, conſtricta hyemali gelu terra reſolvitur, & aquarum fluenta meatus ſuos, glacie liquefacta, recipiunt; ſic quoque corporum noſtrorum hoc eodem tempore contracta ſceleribus peccata ſolvuntur, & vitæ noſtræ purior curſus, liquefacto rigore diaboli, meatum ſuum priſtinum recognoſcit. Terra, inquam, in dicta quadrageſima aſperitatem deponit hyemis, ego in dicta quadrageſima aſperitatem rejicio delictorum. Illa terra aratris ſcinditur, ut mundanis ſit congrua frugibus: mea terra jejuniis exaratur, ut cæleſtibus ſit apta ſeminibus. Sicut enim reditum uberiorem capit, qui frequentius vexando, exercet campum; ita & majorem gratiam percipit, qui exercet corporis ſui campum ſæpius jejunando.

3. Ecce enim abſtinentiæ tempore, herba ſegetum reviviſcit in meſſem, ſurculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubeſcit in gemmam, & omnia de inferioribus ad altiora ſe ſubrigunt: ita hoc eodem tempore hominum [d] ſpes intermortua reviviſcit in poſterum, fides perdita reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternam, & omne genus humanum ad cæleſtia ſe ſubrigens, [e] ab infimis ad altiora conſurgit. Modo ferrum geſtans agricola ſarmenta deputat vinearum; ita & nunc Evangelium tractans epiſcopus, ſordes amputat populorum, & iſto quadragenario curriculo univerſæ hoc agunt creaturæ, quatenus depoſitis ſuperfluis, ornatæ vel comtæ in paſcha procedant.

4. Modo omnia ſunt in partu, ut tunc reperiantur in fructu; tunc enim contra naturæ ſpeciem ſpina profert roſam, calamus flagrat lilium, ſuavitatem arida virgulta depromunt: & ita cuncta floribus adornantur, ut feſtivitatem diei magni creatura ipſa nitore ſui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem jejuniorum tempore producamus de ſpinis noſtris roſas, hoc eſt, de peccatis juſtitiam, de ſeveritate miſericordiam, de avaritia largitatem. Iſtæ enim ſpinæ ſunt corporis noſtri, quæ præfocant animam, de quibus ait Scriptura: Geneſ. 3. 18. *Spinas & tribulos tibi germinabit terra*; germinat enim mihi terra mea ſpinas, ſi me corporalis libidinis titillatione compungit: generat mihi tribulos, cùm me divitiarum ſæcularium cupiditate diſcruciat. Spina enim chriſtiano avaritiæ ſuæ radix eſt: ſpina viro bono honoris ambitio eſt; videntur enim ſpecie apud ſuos grata eſſe, ſed lædunt.

5. His ergo niſi vigilando & jejunando carere non poſſumus; quin potius per abſtinentiam ipſæ ſpinæ vertentur in roſam. Producit enim jejunando libido caſtimoniam, ſuperbia humilitatem, [f] ebrietas parcitatem; hi enim ſunt flores vitæ noſtræ, qui ſuave Chriſto redolent, qui odorem bonum Deo ſpirant. Unde ait Apoſtolus: 2. Cor. 2. 15. *Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Hanc ergo quadrageſimam largitus eſt nobis Dominus, ut hujus temporis ſpatio in morem totius creaturæ [g] nunc concipiamus virtutum germina, ut in die paſchæ fructum juſtitiæ proferamus.

6. Hoc autem quadragenario numero ſe ipſe dominus Chriſtus exercuit, non ut profectum ipſe caperet, ſed ut profectum ſalutis nobis oſtenderet. Nec enim erat in illo ſpina peccati, quæ verteretur in florem; ipſe enim erat flos natus non de ſpina, ſed de virga, ſicut ait propheta: Eſai. 11. 1. *Exiit virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus adſcendet*: virga enim erat Maria, nitida, ſubtilis & virgo, quæ Chriſtum velut florem integritate ſui corporis germinavit.

7. Continuatis ergo quadraginta diebus [h] & noctibus, hæc jejunia non eſuriens Dominus procuravit: ſed dicit illum evangeliſta eſuriiſſe poſtea. Quomodo ergo poteſt fieri, ut qui tantorum dierum numero famem ſitimque non

a. Tres mſſ. *cogitatione initiatum*: unus, *cogitatione initum*.
b. Vet. edit. *ut dictum numerum ſine labore*: Rom. *ut dictum numerum ad diem ſine labore*: omnes vero mſſ. *dictum numerum* rejiciunt.
c. Omnes edit. hic & infra conjunctim ſcribunt *indicta*: mſſ. autem partim conjungunt, partim dividunt eamdem vocem.
d. Nonnulli mſſ. *ſpes interim mortua*: quidam etiam, *ſpes interius mortua*.
e. Omnes edit. cum mſſ. duobus *ab inferis*: mſſ. aliquot, *ab inferioribus*: alii *ab ſ..el numero*, *ab infimis*.
f. Ita mſſ. plures ac potiores: nonnulli vero & omnes edit. *ſobrietas parcitatem*, abſurdo ſenſu.
g. Vet. edit. ac mſſ. nonnulli, *nunc recuperemus*: Rom. & alii, *nunc concipiamus*.
h. In cunctis edit. aberat, *& noctibus*: ſed in nullis cod. manu exaratis deſiderantur.

senserit, postea esurierit. Esuriebat plane, nec negare possumus quod esurierit; esuriit enim non cibum hominum, sed salutem: nec escarum sæcularium epulas concupivit, sed animarum desideravit cælestium sanctitatem. Cibus enim Christi est redemtio populorum: cibus Christi est paternæ voluntatis effectus, sicut ipse ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui me misit.* (*Johan. 4. 34.*) Unde & nos esuriamus cibum, non qui terrenis epulis apparatur, sed qui divinarum scripturarum lectione colligitur; ille enim corpus ad tempus nutrit, hic autem animam reficit in æternum.

SERMO XXIX.

De sancta Quadragesima XIII.

Habitus est hic sermo mediâ circiter quadragesimâ in Evangelium cæci nati, quod nunc feria 3. hebdomada 4. recitatur. Aberat hic ipse sermo ab antiq. edit. sed cur in Rom. edit. Ambrosio tributus fuerit, nihil prorsus habet.

1. AGite, gratias, fratres, divinæ pietati, quæ vos ad medium quadragesimæ perduxit incolumes. Illi vero possunt pro hoc munere dulcius ac devotius Deum laudare, qui ita sicut in quadragesimæ capite didicerunt, noviter huc usque vivere studuerunt, id est, qui peccatorum suorum remissionem quotidie jejunando, eleemosynas dando, & ad Ecclesiam properando cum lacrymis & suspitiis curaverunt orare.

2. Illi autem qui ista neglexerunt, id est, aut quotidie non jejunaverunt, aut eleemosynas non fecerunt, aut studiosi vel compuncti in oratione non fuerunt; non est unde gaudeant, sed habent potius miseri unde lugeant. Verum non ita lugeant, ut desperent: quia qui cæcum à nativitate potuit illuminare, (*Johan. 9. 1.*) potest & istos nunc tepidos & negligentes, si ex toto corde ad eum converti voluerint, studiosos ac ferventes in suo servitio facere. Igitur tales, hoc est, immunde viventes, vel odium in corde contra aliquem reservantes, vel aliena injuste rapientes, aut sua inordinate retinentes, cæcitatem suam agnoscant, & ad medicum ut illuminentur, recurrant.

3. Utinam sic quæreretis, quando peccatis, medicinam spiritalem, sicut quando infirmamini corpore, requiritis carnalem. Quis modo in tanta plebe est, qui si deberet non occidi, sed solum oculos perdere; & non daret, ut periculum evadere posset, omnia quæ haberet? Et si ita timetis mortem carnis, quare non timeatis animæ mortem; maxime cùm mortis dolor, id est, carnis, non sit onus horæ; & mors animæ, id est, luctus, & pœna, numquam habeat finem? Et si ita amatis oculos corporis, quos cito moriendo perditis; quare non diligatis oculos spiritales, quibus Deum ac Dominum vestrum sine fine videre valeatis?

4 Operamini quapropter, dilecti in Domino filii, operamini dum dies est; quia ut dicit Christus dominus noster: *Venit nox, in qua nemo potest operari.* (*Ibidem 4.*) Dies est vita præsent, nox est mors, & tempus post mortem. Si post hanc vitam non est operandi licentia, sicut Veritas dicit; quare non laborat unusquisque, dum tempus habet, id est, dum vivit in hoc sæculo? Timete istam mortem, fratres, de qua dicit Salvator: *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Omnes qui malum operantur, non timent istam mortem, & ob hoc ab hac vita migrantes, mortem inveniunt sempiternam. Laborate, dum vivitis, sed maxime his diebus, jejunando à delicatis cibis, & omni tempore abstinendo à vitiis. Siquidem & illi qui jejunant à cibo, & non se abstinent à malo, similes sunt diabolo, qui non manducat, & tamen à malo non cessat. Denique noveritis quia quod vobis subtrahitis jejunando, in cælum debetis transmittere per pauperes.

5. Hodierni sermonis admonitionem, fratres, opere perficite; ne Judæorum super vos veniat maledictio. Dixerunt enim cæco: *Tu discipulus ejus sis.* (*Ibidem 28.*) Quid est discipulum esse Christi, nisi discipulum esse pietatis & veritatis & humilitatis? Illi dixerunt hoc maledicendi voto, sed magna est benedictio, quam ipse vobis concedat adsequi, qui vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum.

SERMO XXX.

De sancta Quadragesima XIV.

Evangelium, unde huic sermoni thema desumitur, nunc in Dominica Passionis legitur, in Missali autem Ambrosiano, & forte etiam in Gallicano, recitabatur Dominicâ secundâ quadragesimæ, quam propterea Dominicam de Abraham *appellari in more erat. Non habebatur in vetustis edit. hic idem sermo, & quamvis editores Decreti eum in Vaticanis codicibus inveniri testificentur, vel sola dictionis humilitas abunde probat illum Ambrosii numquam fuisse. Non tantum verò ille recedit à stylo Cæsaris, cujus etiam in sermonibus unum habemus, qui primis verbis cum hoc congruat.*

1. SCitote, fratres, quoniam cujus opera quisque facit, ejus & filius vocatur. Unde & Judæi cùm dixissent patrem suum esse Abraham, audierunt à Domino, sicut ante verba Evangelii, quod nunc audistis, legitur: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* (*Johan. 8. 39.*) Qui cùm iterum dixissent Deum se habere Patrem, audierunt: *Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me.* (*Ibidem 42.*)

2. His verbis apertissime demonstratur quod mali & cupidi, nec Abrahæ, nec Dei filii sint. Nam cujus filii sint, sequentia manifestant; ait enim: *Vos ex patre diabolo estis.* (*Ibidem 44.*) Ac si dicat: Cur patrem mutatis, nunc Abraham, nunc Deum? Ego vobis ostendam patrem vestrum: pater vester diabolus est, non creando, sed decipiendo. Fugite, fratres, talem patrem: fugite, sicut Propheta admonet; ait enim: *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* (*Psal. 44. 11.*) Populum vocat vitia atque peccata: domum vero patris dicit mundum, in quo regnat diabolus. Ille obliviscitur populum suum, qui relinquit vitia sua: & ille obliviscitur domum patris sui, qui mundi hujus falsas divitias contemnit, per quas eum diabolus tenet captivum. Patet quod diabolus non diligit filios suos, sed odit; quia non amat, nisi ut perdat; sicut amat gluto porcellum, ut comedat.

3. Cavete, fratres, mendacium; quia omnes qui amant mendacium filii sunt diaboli; (*22. q. 5. c. 10. verb.*) qui non solum mendax est; sed etiam & pater & inventor ipsius mendacii est. Omnis simulatio, & omnis duplicitas mendacium est: ergo non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium comprobatur. Mendacium namque est christianum se dicere, & opera Christi non facere: mendacium est sacerdotem vel clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari. Pertimescenda sunt hæc, quia verba Dei sunt; ait enim Propheta, dicens: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (*Psal. 5. 7.*) Quapropter transite, fratres, à mendacio ad veritatem, si non vultis habere diabolum patrem. Nam quod alibi legitur: *Omnis homo mendax*; (*Psal. 115. 11.*) intelligendum est in quantum homo, in quantum carnalis, non in quantum spiritalis.

4. Denique monet vos evangelica lectio, ut patientes sitis. Ecce cùm multa convicia Dominus à Judæis audisset, patienter eos toleravit, & patienter portavit, patienter sustulit. Et si Dominus patientiam habuit inter verba blasphemiæ, qui suos inimicos uno verbo poterat in abyssum demergere; quare miseri homines, pleni peccatis non habent patientiam, quando dura audiunt, vel quando pro suis iniquitatibus corriguntur?

5 Videte, fratres, ne per opera vel cogitationes malas lapidetis Jesum, lapidetis Salvatorem cum Judæis incredulis, de quibus hodie dicitur: *Tulerunt ergo lapides Judæi, ut jacerent in eum.* (*Johan. 8. 59.*) Forte dicitis: Malum fecerunt Judæi, qui eum lapidare voluerunt, & qui eum crucifixerunt. Scitote & firmiter credite quia hoc faciunt christiani hodie male viventes, eo quod tunc Christum vitiis persequuntur. Quid enim est Jesus, nisi veritas, & pax & justitia? Ergo qui pro falsitate relinquit veritatem, & pro cupiditate dirumpit caritatem, & odit pacem, & pro aliquo præmio occultat justitiam; nihil aliud facere videtur, quam lapidare & crucifigere & occidere Christum; quia ipsius dona extinguit in seipso.

6. O quam pauci sunt in tanta multitudine christianorum, qui Jesum non persequantur & lapident, & occidant! Sed væ illis! quia Jesus abscondit notitiam suam talibus, & exit de templo cordium eorum, & manifestat se amatoribus suis, & habitat in illis, sicut ipse dilectori suo inferius pollicetur,

Johan. 14. 23. polliceтur, dicens : *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

7. Quia nolumus vos, fratres, gravare multa loquendo, oramus ne sitis de illorum numero, qui Jesum lapidare voluerunt : sed cum illis potius habeatis partem, qui super omnia illum amando, ejus gratiam in suis cordibus susceperunt. Quod ipse vobis concedat, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXXI.

De sancta Quadragesima XV.

In hoc sermone, qui in edit. Rom. primum vulgatus est, supplicatio in Dominica palmarum fieri solita describitur. Quamvis autem ecclesiasticorum rituum investigatores hujus mentionem apud Cyrillum Hierosol. Cath. 10. factam observent, illum tamen in Ecclesia latina tam antiquum fuisse nusquam reperiunt. Verùm quidquid sit de hac ceremonia, manifestum est conciunculam hanc nihil habere, quod eam aliqua cum ratione Ambrosio adferas.

1. VEniente domino nostro Jesu Christo ad urbem Hierusalem ante sex dies passionis suæ, turba multa quæ convenerat Hierosolymis, ut secundùm præceptum Moysi pascha celebraret, accipiens ramos palmarum, occurrit illi obviam; ut in psalmis victoriam Christi ostenderent velut terreni regis in populo Israel; consuetudo enim est ut victoribus palma offeratur. Alii autem de eadem turba (Matth. 21. 8. & seq.) *ramos cædebant de arboribus*, maxime olivarum; quia in monte Oliveti res agebatur, & eos portabant, ut ubi opportunum esset, venienti Domino planum sternerent iter. Hinc descendit consuetudo hodiernæ festivitatis, ut psallentes, ramos palmarum sive olivarum portemus in manibus: & eamdem festivitatem palmarum sive olivarum vocitemus.

2. Sed non absque magno sacramento rami istarum arborum feruntur; olivâ enim, quia oleum ut solamen dolorum atque laborum portat in fructu (oleo enim quia & vulnera curantur, & æstus levatur) opera designantur misericordiæ; siquidem & ipsa misericordia græce dicitur ἔλεος: palmæ autem radix aspera est, sed nitorem maximum habet in fine, ostendens per hujus vitæ asperitatem, in decorem cælestis patriæ nos debere sustolli. Unde & David propheta psalmographus de justo viro canit (Psal. 91. 13.): *Justus ut palma florebit.* Ramos ergo olivæ portemus in manibus, virtutem misericordiæ exhibentes in operatione. Sumamus & ramos palmarum, ut pro misericordiæ bono non terrena delectamenta, sed supernæ patriæ pulcritudinem exspectemus, quo nos præcessit Christus dominus noster, qui est juxta Apostolum (Rom. 10. 4.) finis Legis ad justitiam omni credenti.

3. Nec prætereundum est à psalmi versiculo (Psal. 117. 26.), quem occurrens turba Domino decantabat: *Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in excelsis.* Adventus enim Domini, ejusque incarnatio non solum hominum salus fuit in terra, sed etiam Angelorum in cælo; quia dum homines in terra salvantur, Angelorum numerus qui, diabolo cadente, minoratus fuerat, integratur in cælo. *Hosanna ergo in excelsis* tantumdem est, tamquam si dicatur: Salva nos, qui etiam es salus in cælis. Et qui cum magna devotione salutem istam poposcerant, duplicaverunt vocem, ut iterum dicerent: *Hosanna in excelsis.*

4. Ad hanc igitur salutem pervenire vobis concedat benedictus dominus noster Christus, qui venit in nomine Dei Patris, cum quo vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.

SERMO XXXII.

De sancta Quadragesima XVI.

Hic sermo etiam editioni Rom. debet, quod in lucem emissus fuit. Sed vix alius pejori jure Ambrosio nostro potuit adscribi, cùm nihil sapiat Ambrosianum. Quin immo nec ejusdem auctoris videtur esse, cujus est superior; siquidem illic à Dominica palmarum usque ad passionem sex dies numerantur, hic tantum quinque.

1. VIdeo vos, fratres, hodie attentius quam soletis, ad Ecclesiam convenisse, & ramos arborum cum lætitia portasse. Sed quid prodest illis id agere, qui nesciunt, cur id faciant, vel quid ista significent? Scire debetis quia sicut lectum est hodie; quæ est quinta dies ante passionem, Salvator noster in monte Oliveti sedit super asinam, ut intraret Hierosolymam: (Matth. 21. 7.) & cùm audisset turba quod Jesus veniret Hierosolymam, processerunt ei obviam cum ramis palmarum: & cùm jam adpropinquaret ad descensum montis Oliveti, cœperunt turbæ descendentium gaudentes voce magna laudare Deum.

2. Per hos quidem quinque dies, id est, ab isto usque ad vesperum quintæ feriæ, quando post cœnam traditus est, omni die docuit in templo, & omni nocte mansit in monte Oliveti. Et quia decimâ lunâ recludebatur agnus, qui quartadecimâ lunâ erat immolandus à filiis Israel; bene iste verus agnus Christus dominus, qui erat sexta feria crucifigendus, eo die intravit in Hierusalem, quo ille typicus Agnus recludebatur.

3. Hodie si quidem *turba straverunt vestimenta sua in via:* (Ibidem. 8.) & alii hodie *cædentes ramos de arboribus* similiter sternebant in itinere Salvatoris super asinam sedentis. Quæ pia mater Ecclesia corporaliter ideo celebrat, ut fiat id, quod multo majus est, spiritaliter. Omnis quippe sancta anima Dei asina est: super asinam igitur Dominus sedet, & Hierusalem tendit; cùm animas nostras inhabitans, mundum istum despicere, & cælestem patriam diligere facit. Vestimenta in via ante Deum jactatis, si viam illi ad vos veniendi præparando, corpora vestra per abstinentiam castigatis. Ramos vero de arboribus præciditis si sanctorum patrum virtutes amando, viam ad vos veniendi Domino præparatis. Quid fuit Abraham? quid fuit Joseph? quid David? quid reliqui justi, nisi fructiferæ arbores Ecclesiæ Dei? Discite ab Abraham obedientiam, à Joseph castitatem, à David humilitatem, si perpetuam desideratis adipisci salutem.

4. Et quia palma victoriam significat, palmas in manu recte portamus, si ita ei laudes victoriæ decantamus, ut etiam bene vivendo, diabolum vincere studeamus. Ideoque, fratres, scire debetis, quia sine causa ramum olivæ portat, quem diabolus decipiendo superat. Redite ergo ad conscientias vestras, carissimi, & videte si spiritaliter facitis, quod corporaliter agitis.

5. Denique firmissime credentes, intelligite quia nostrum periculum est, si mysteria nostri Salvatoris vobis non annuntiamus: & vestrum est periculum, si ea parvi pendatis. Monemus itaque ut quanto magis solemnitas paschalis appropinquat, tanto magis vos præparare curetis, mundantes vos ab omni invidia, odio, convicio, maledicto, ac detractione; ut digne illam diem celebrare possitis.

6. Dimittite illis qui in vos peccaverunt, ut vestra vobis Dominus dimittat peccata; quoniam qui vel contra unum hominem odium aut iram tenuerit, malo suo pascha celebrabit; quia non manducabit cum Petro vitam, sed cum Juda mortem in sancta communione accipiet: quod ille à vobis avertat, qui vos potestate creavit, pietate redemit, Jesus Christus dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit per cuncta sæcula, amen.

SERMO XXXIII.

De jeuniis Quadragesimæ XVII.

Hic sermo eo die fuit habitus, quo symbolum competentibus tradi solebat, quod in plerisque Ecclesiis Dominica palmarum fieri consuevisse à nobis alio loco observatum est. Cùm porro inter sermones hic prætermissos sextus incipiat ab illis verbis : Propitia divinitate, *isque in Append. August. Cæsario adjudicetur; hinc forte conjiciat aliquis eumdem quoque hujus sermonis auctorem esse: sed nec minus probabile est eum deberi sancto Maximo, cujus & stylum, & in cod. Remig. etiam nomen noscendum præbet.*

1. PRopitia divinitate, ecce jam pœne transegimus quadragesimæ indicta jejunia, & præcepta Christi domini abstinentiæ devotione complevimus. Superest nunc ut (Exod. 34. 28.) quemadmodum [a] famuli ejus Moyses & Elias hunc sacratissimum numerum observando, gratiam meruerunt: (a 3. Reg. 19. 8.) ita & nos hoc ipsum tempus custodiendo mereamur, sitque similis remuneratio in perceptione præmii, quorum similis labor est in observatione jejunii.

a. Rom. edit. solo famulus ejus Elias ..... gratiam meruit.

3. Reg. 18. 42. & seq. — 2. Elias enim, cùm esset clausum humanis iniquitatibus A cælum, & nulla mundanis rebus desuper pluviarum stillaret ubertas, atque omnia longæ siccitatis squalore languerent, & esset fames magna universo generi humano; quoniam enim cælum pluviam non dabat, nec terra pabulum germinabat, tunc Elias sanctus reseravit jejuniis suis cælum, terram orationibus fœcundavit. (Ibid. 17. 1. & seq.) Illius enim siccitatem convertit in pluviam, hujus sterilitatem resolvit in partum; tanta enim ejus precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigavit, ut arida revitescerent, mortua resurgerent, languentia sanarentur. Et ita rebus cunctis fontium quidam meatus infusus est, ut purificatione facta per pluviam, B [a] omnium creaturarum vitia lavarentur, atque inundationis illius beneficio totius mundi species innovata consurgeret.

3. Igitur & nos eadem quæ Elias observantes jejunia, adhibitis precibus clausum cælum nostris competentibus reseremus; quatenus illos lavacri salutaris [b] imber illuminet. Clausum enim illis est cælum, quamdiu nondum de cælo Spiritus sanctus adveniens, eorum corda vivificat: siccitatem quodammodo patiuntur, quia nondum gratia baptismatis irrigantur. Laborant etiam fame magna, quoniam velut esurientes, cælestia sacramenta desiderant. Referemus ergo illis cælum, ut adveniente desuper spiritali pluvia, C eorum terra lavacri irriguo satietur; & delictorum sterilitate deposita, incipiant fructus germinare virtutum. Etenim cælestis imber vitia peccatorum diluit, justitiæ incrementa producit, decutit aridum concupiscentiæ pulverem, lætificat utilem castimoniæ puritatem, obruit avaritiæ sordidam fæcem, nutrit æternam misericordiæ largitatem. Sicut enim superveniente Eliæ pluvia, omne pabulum terra produxit; ita & superveniente Christi lavacro, omnem justitiam anima germinavit. Et sicut illic pluviarum fontes irrigaverunt orbem, ut vivificarentur herbarum mortificata jam semina: ita & fons baptismatis irrigat genus hominum, ut animarum mortificata corda vivificet. Hoc D ergo observantium ista jejunia est meritum, ut orationibus eorum aut innovetur mundus, aut fratres denuo renascantur.

4. Reserandum igitur competentibus nostris est cælum, quoniam adhuc clausum est apud illos; clausum est enim cælum illis, quoniam mysterium nondum pervident Trinitatis. Clauso enim sibi cælo, super cælum quid agatur, ignorant: nec scire possunt quæ sit Filii Patrisque substantia; nisi prius mundi elementa transcenderint. Tunc enim poterit quis Trinitatis adspicere divina mysteria, cùm cælos sua virtute habuerit apertos, sicut beatus Stephanus martyr reseravit sibi martyrio suo cælos, & stantem vidit E ad Patris dexteram Salvatorem, secundùm quod ipse ait: (Act. 7. 55.) *Ecce video cælos apertos, & stantem Jesum ad dexteram Dei*. Ergo cui clausi sunt cæli, agendum est ut aperiantur illi, quatenus super cælos Christum possit adspicere; nam quamdiu clausi sunt homini, Christum non potest videre regnantem.

5. Quemadmodum autem clausi cæli aperiendi sint, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non posse, nisi claves Petri apostoli sumserimus, quas Domino largiente suscepit, sicut ipse dixit: (Matth. 16. 19.) *Tibi dabo claves regni cælorum*. Immo rogemus Petrum, ut ipse nobis tamquam bonus janitor regiæ cælestis aperiat. Quæ autem ista F clavis sit, diligentius requiramus. Clavem Petri, fidem esse dixerim Petri, per quam cælos aperuit, penetravit inferna securus, maria calcavit intrepidus. Tanta enim apostolicæ fidei virtus est, ut cuncta illi elementa pateant, hoc est, non illi angelicæ claudantur januæ, non portæ prævaleant tartari, non aquarum fluenta subsidant.

6. Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constet, & quemadmodum solidata sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam; duodecim enim apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Clavem enim quamdam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat: aperiuntur conscientiæ clausa peccata, ut justitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clavis ostendenda est fratribus nostris; ut & ipsi tamquam discipuli Petri inferna sibi reserare, cælos aperire consuescant.

SERMO XXXIV.

Dominicâ Resurrectionis.

Hunc sermonem, cùm deesset in antiquis editionibus, Romana sub hoc titulo prima evulgavit. Et re vera in illo quædam exponuntur ad Evangelium hujus Dominicæ pertinentia: sed quod eumdem Ambrosii nomine inscriptum exhibuit, id sane reclamante sancti Patris stylo & ingenio fecit.

1. AUdistis, fratres, quod sanctæ mulieres, quæ cum aromatibus ad monumentum venere, Angelum viderunt; inquit enim: *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris*. (Marc. 16. 5.) Quis vero juvenis iste fuerit, ne ambiguitas te offenderet, alius evangelista scripsit: *Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum*. (Matth. 28. 2.) Maria vero Magdalena, quæ arctius diligebat Jesum; quia juxta sepulcrum perseveravit, Dominum prima omnium vidit, & apostolis nunciavit. Inquit enim Johannes evangelista: *Venit Maria Magdalena annuntians discipulis: Vidi Dominum, & hæc mihi dixit, &c.* (Johan. 20. 18.) Per quæ nos monemur, ut cum aromatibus, id est, cum odore bonorum operum, & virtutibus referti Dominum quæramus.

2. Sunt autem, carissimi, nonnulli qui videntur Dominum quærere: sed quia otiosi sunt, & à virtutibus alieni, illum non merentur invenire, nec inventum videre. Denique quid quærebant illæ sanctæ mulieres in monumento, nisi corpus domini Jesu? Et vos quid quæritis in Ecclesia nisi Jesum, id est, Salvatorem? Sed si cupitis illum invenire, orto sole, ut istæ mulieres, venite, id est, non sint in cordibus vestris tenebræ vitiorum; carnalia enim desideria, & mala opera tenebræ sunt. In quorum vero cordibus tales tenebræ sunt, non vident lucem, non intelligunt Christum; quia Christus lux est. Repellite igitur, à vobis, fratres, tenebras, id est, omnes delectationes, & omnia opera mala, & curate habere aromata, hoc est, orationem mundam, dicentes cum Psalmista: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. (Psal. 140. 2.)

3. Attendite insuper quod audistis: nempe Maria Magdalena, quia perseverando ad monumentum, quem quærebat, invenit; quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. (Matth. 10. 22.) Unde sicut necesse est ut malum à vobis repellatis; ita expedit omnino ut in bono, quod jam inchoastis, firmissime perseveretis, si Dominum videre & ad cælestem patriam pervenire desideratis.

4. Denique quia sanctum pascha celebratis, debetis scire, fratres, quid sit pascha. Pascha vero transitus dicitur; ideo autem tali nomine vocata est ista festivitas, quia in ipsa transierunt filii Israel ex Ægypto, & ipse Filius Dei transivit ex hoc mundo ad Patrem. Verum quid vobis prodest quod pascha celebretis, si non imitamini quod colitis? hoc est, si non transitis ab Ægypto, id est, à tenebris vitiorum ad lucem virtutum, & à mundi hujus amore ad desiderium cælestis patriæ? Nam sunt multi qui gaudent in ista festivitate, & colunt hanc solemnitatem; & tamen male, & malo suo, quia non transierunt ex hoc mundo ad Patrem, id est, non transeunt à mundi cupiditate, & à carnali delectatione ad cælestis patriæ amorem. O miseri christiani, qui in Ægypto sunt, id est, sub potestate diaboli, & gaudent in malis! Moneo quapropter vos, fratres, ut pascha rite celebretis, id est, transitum faciatis. Quicumque mali hanc festivitatem celebratis, transite de vitiis ad virtutes: quicumque vero boni, transite de virtutibus ad virtutes; & ita ut nullus remaneat in vobis, qui transitum non faciat.

5. Et sicut Judæi quando pascha celebrabant, septem dies azyma comedebant; ita omnis christianus, qui veri Agni, id est, Christi, carnem comedit, per omne tempus vitæ suæ, quod per septem volvitur dies, simpliciter & innocenter debet conversari. Videte, fratres, videte ne fermentum vetus sit apud vos, sicut monet Apostolus, dicens: *Expurgate vetus fermentum*, id est, veteris hominis conversationem. (1. Cor. 5. 7.) Tunc enim eritis veri christiani, si omne malum declinaveritis, quod designatur per vetus fermentum, & quod in baptismo promisistis, fideliter custodieritis, quod ipse vobis concedat, qui vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum, amen.

a. Omnes edit. *cuncta creaturarum vitia*; cod. Lugd. & Vallicel. *omnium* &c. || b. Codex Vallicel. *imber mundet*.

SERMO XXXV.

De Myſterio Paſchæ II.

Hic ſermo in omnibus Ambroſii edit. ſub libelli titulo in lucem prodiit, cùm tamen manifeſtum ſit conciunculam eſſe, qua feſtum paſchatis ob reparatam hominis innocentiam atque ſalutem coli debere oſtendit auctor. Quod autem hic auctor ab Ambroſio alius fuerit, exploratum reddit ipſa dictio.

Cap. I. a

1. PAſchæ myſterium [a] de fide omnibus credentibus in Chriſto renatis, reſidivatum fidei annuæ felicitatis gaudium & gloriam miniſtrat. Quod quidem ſacrum nomen ab ipſius Domini paſſione deſcendit; paſcha enim paſſio eſt Salvatoris, ſicut beatus Apoſtolus dicit: (1. Cor. 5. 7.) *Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Ad hoc enim humanum corpus Chriſtus accipiens, ſe in paſſionem paſchæ myſterio conſecravit; ut quiſquis hujus muneris per fidem participationem eſſet indeptus, conſortio Dominicæ felicitatis dignus merito cenſeretur.

Cap. II.

Eſt enim paſcha vere anni principium, primi menſis exordium, novella germinum reparatio, ac terræ hyemis nocte diſcuſſa, primi veris reſtituta jucunditas. Hoc, inquam, tempore viſibilium & inviſibilium conditor Deus, [b] defixo hamo cæli machinam ſuſpendens, idem ſolis ardore radiavit, ſplendorem lunæ ſolatio noctis adtribuit, pendentem cæli cameram ſplendentium ſiderum decoravit ornatu, mare certis littorum finibus coercens, concavæ ac ſtridentis undæ æſtum metas ſtatuti limitis juſſit haud excedere. Et ut plana mundi facies oculorum eminus ſubtraheretur adſpectu, ad hoc in ornatum mundialis fabricæ, nemoroſi colles atque excelſi conſtituti ſunt montes; ut iterum mortalibus campeſtris ornatus jucundior adveniret.

Cap. III.

Ipſeque homo divini opificii dignatione formatus ad hoc terreſtris creaturæ effectus eſt dominus, ut divinis inſtitutionibus parens, ejus tantum & voluntatem ſervaret, qui ſe in tantis rebus dominum præfeciſſet ex nihilo. Qui D in ipſo exordio non neſcius, depravatus invidia, dum ſuper (Gen. 3. 6. & ſeq.) indultum Dei opificium cupit fieri, quod natura non dedecet, amiſit gratiam, quam creatoris pietas adtribuerat: continuo ob concupiſcentiam diabolicæ deceptionis ſententiam mortis prævaricator incurrens, etiam ad futuræ ex ſe ſtirpis originem propagavit; ut divina hoc loco recte ſententia completetur: (Sap. 2. 24.) *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ita per occaſionem delicti, in univerſis peccatoribus diabolus mortis eſt ſortitus imperium, atque omnes à Deo deviantes, peccati vinculo obſtrictos, ſqualentis tartari clauſos ergaſtulo poſſidebat.

Cap. IV. c

Quorum interitum dolens divina cenſura, non per ſervum vatem, nec per Angelum inviſibilem: [c] ſed ad hoc E per ſubſtantiam humanæ carnis in homine Deus veniens habitavit; ut honeſtam vivendi formam mortalibus daret, & temporariis æternam in ſe credentibus vitam exemplo ſuæ mortis ac reſurrectionis aperiret. Ut enim incredulitas, & ſimulacrorum cultus cæli aditum clauſerat; ita inferni barathrum prævaricatoris perfidia procurarat.

5. In quorum ſuppliciis uſque ad adventum ſalvatoris domini Jeſu Chriſti diabolus per mortem regnavit, donec humanæ carnis ad Deum adtemperatâ ſubſtantiâ, immaculatum corpus conditioni mortis addixit. Expers peccati Chriſtus, cùm ad tartari ima deſcenderet, ſeras inferni F januaſque confringens, vinctas peccato animas, mortis dominatione deſtructa, è diaboli faucibus revocavit ad vitam; atque ita divinus triumphus æternis characteribus eſt conſcriptus, dum dicit: (1. Cor. 15. 55.) *Ubi eſt, mors, aculeus tuus? ubi eſt, mors, victoria tua?*

6. Quam felicitatem reparatæ ſalutis Paulus recolens clamat: (Ibidem 22.) *Sicuti per Adam mors intravit in hunc mundum, ita & per Chriſtum ſalus reſtituta eſt mundo*; & iterum: (Ibid. 47. & 49.) *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Et adjiciens ait: *Sicut portavimus imaginem terreni*, id eſt, vetuſti hominis in crimine, *ſic portemus imaginem cæleſtis*, id eſt, ſuſcepti, redemti, reparati, ac purificati hominis ſalutem teneamus in Chriſto; quia idem ipſe Apoſtolus ait: (Ibidem 23.) *Initium Chriſtus*, id eſt, auctor reſurrectionis & vitæ: *deinde hi qui ſunt Chriſti*, id eſt, qui in forma puritatis A ejus viventes, de ſpe reſurrectionis ejus ſecuri erunt, cum ipſo cæleſtis promiſſi gloriam poſſeſſuri, ſicut ipſe Dominus in Evangelio ait: (Johan. 5. 24.) *Qui*, inquit, *me ſequutus fuerit, non peribit: ſed tranſiet de morte ad vitam.*

7. Ita Salvatoris paſſio, vitæ humanæ ſalus eſt. Ad hoc enim pro nobis mori voluit, ut nos in eum credentes perpetuo viveremus. Voluit pro tempore fieri quod nos ſumus, ut nos æternitatis ejus promiſſionem indepti, cum eodem perpetuo viveremus.

Cap. V. d

8. Hæc, inquam, illa eſt cæleſtium myſteriorum gratia, hoc paſchæ donum, hæc optabilis anni feſtivitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lavacri ſacræ Ec- B cleſiæ editi puerperio [d] infantes, parvulorum ſimplicitate renati, balatu innocentis perſtrepunt conſcientiæ. Hinc caſti patres, pudicæ etiam matres novellam per fidem ſtirpem proſequuntur innumeram. Hinc ſub fidei arbore ab utero fontis innocui cœtorum ſplendet ornatus. Hinc cæleſtis meriti ſanctificantur munere, & ſacramenti ſpiritalis celebri myſterio ſaginantur. Hinc unius plebis gremio beatæ Eccleſiæ nutrita fraternitas, unicæ divinitatis ſubſtantiam, [e] ac virtutis trium nomen adorantes, pſalmum annuæ feſtivitatis cum Propheta concelebrant: (Pſal. 117. 24.) *Hic eſt dies quem fecit dominus, exſultemus & lætemur in eo.*

9. Quis, inquam, dies? Nempe ille qui adtribuit viven- C di principium, lucis exordium, auctor luminis, id eſt, ipſe dominus Jeſus Chriſtus, qui de ſemet ipſo ait: (Johan. 11. 9.) *Ego ſum*, inquit, *dies: qui per diem ambulat, non offendit*, id eſt, qui Chriſtum in omnibus ſequitur, per ejus veſtigia uſque ad æternæ lucis ſolium tranſmeavit; ſicut ipſe Patrem pro nobis adhuc in corpore conſtitutus orat dicens: (Ibid. 17. 24.) *Pater, volo ut ubi ego ſum, ibi ſint & hi qui in me crediderunt; ut ſicut tu in me, & ego in te, ita & illi maneant in nobis.*

10. Hic, inquam, exſultationis & lætitiæ dies eſt, in quo promiſſum perfectæ gloriæ conſequuti, recte plebs ſancta ad inſtar Angelorum futuræ laudis myſterium, adhuc in hoc ſæculo conſtituti, Domino cum Propheta can- D tamus: *Hic eſt dies quem fecit Dominus, exſultemus & lætemur in eo*, id eſt, auctor inſtitutionis, redemtionis & vitæ perpetuæ dominus Jeſus Chriſtus, qui eſt rex regum, & (Apoc. 17. 14.) dominus dominorum, abſque initio, ſine fine in Patre regnans cum Spiritu ſancto, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO XXXVI.

In die ſancto Pentecoſtes.

Sermonibus, qui additi ſunt in Rom. editione, hic jungi debet. Quibus autem rationibus Ambroſii nomen obtinuerit, nos plane fugit: adeo in illo nihil videmus Ambroſianum. Quod autem linguarum diviſionem ſuperbia acceptam refert, ex Auguſtini ſermone 271. ſumtum putamus. E

1. MAgna eſt, fratres cariſſimi, hodierna feſtivitas, in qua ſicut audiſtis, acceperunt apoſtoli Spiritum ſanctum, qui cum Patre & Filio unus & perfectus eſt Deus, ejuſdem ſubſtantiæ, majeſtatis, & potentiæ: qui non ex tempore, ſed ab æterno à Patre Filioque inſeparabiliter procedit: qui etiam Dei donum dicitur; quia & antequam eſſet Angelus vel homo, cui daretur, jam ſui naturâ donabile donum erat; quia caritas & amor eſt. Unde non F ſolum patriarchis atque prophetis, ſed etiam & reliquis juſtis latenter in anima datus eſt: & licet aliquando manifeſte, numquam tamen tam aperte datus fuiſſe legitur, ſicut hodie, id eſt, decima die poſt Chriſti adſcenſionem; quando ſupra centum viginti credentes in ſpecie ignis apparuit. Sic enim lectum eſt, ut retinetis: (Act. 2. 3.) *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.*

2. Videte, fratres, videte quid fecit ſuperbia, & quid (Gen. 11. 9.) prometuit humilitas. Superbia diviſit linguas, quando turrim homines ædificare voluerunt pertingentem uſque ad cælum; prius enim erat una lingua, qua homines ſe mutuo intelligebant, & propria mentis arcana invicem communicabant: verum ne perficerent ſuperbi, quod cœperant, confuſæ ſunt linguæ, ac nationes diviſæ ſunt. Hodiernâ vero die cùm propter humilitatem Spiritum ſanctum acce-

a. Ita vet. edit. ac mſſ. niſi quod pro reſidivatum, codex Rom. legit, reſiduatum. At Rom. edit. rò de fide reciduo, & poſtea, reſidivum.
b. Vet. edit. defixa homo: duo mſſ. defixo homo: melius Rom. edit. ut in textu.
c. Rom. edit. ſola, ſed ad ſubſtantiam humanæ carnis.

d. Codex Rom. infantes parvulorum ſimplicitate renati baratrum innocentes &c.
b. Idem codex, ac virtutis trinum nomen adorantes.

pissent credentes, cœperunt omnibus linguis loqui. Abjiciте quapropter à vobis, fratres, superbiam; quoniam omnes superbi filii sunt diaboli: & estote humiles, ut Spiritus sancti gratiam accipere, & filii Dei vocari mereamini. Sint munda corda & corpora vestra ab omnium peccatorum sordibus; quia Spiritus sanctus non habitat in corpore subdito peccatis. [Sapient. 1. 4.]

3. Si vascula prius mundatis, in quibus aliquid pretiosum servare vultis, & domos vestras præparatis & ornatis, quando potentem personam exspectatis; multo magis mundanda sunt corda ab odio & ira atque invidia & omni malitia, & maxime ab immunditia atque avaritia; ut Spiritus sanctus ad vos venire, & apud vos mansionem facere non dedignetur. Et sicut nobilis homo in fœtido loco, & stercoribus pleno sua sponte non habitat; ita Spiritus sancti gratia non visitat animam, quæ in fœtore peccatorum perseverat. Ideoque necesse est, fratres, ut in adventu Spiritus sancti domos animarum vestrarum adornetis bonorum operum floribus, easque repleatis pretioso castitatis odore, & benevolentiæ balsamo; ut Spiritum sanctum in vobis habitare delectet, cum Patre & Filio per omnia sæcula sæculorum, amen.

SERMONES DE DIVERSIS.

SERMO XXXVII.

De Mirabilibus.

Auctorem hujus sermonis non pauca ex Ambrosii Comment. *in Luc. lib. 4. num. 58. & sequent. mutuatum constat. Immo quod à Gratiano citatur tamquam petitum ex hoc sermone, minus accedit ad ejus textum, quam ad memorati Commentarii: quod forte argumento fuerit aliquid in indicatione loci mutatum esse. Idem autem sermo in multis mss. Ambrosio nostro adtribuitur, in quibusdam tamen sine auctoris nomine invenitur; unde conjicimus aliis in mss. pro scriptorum libitu fuisse inscriptum. Cum porro in Gall. cod. cujus omnes sermones Maximi esse probabile est, hic sermo habeatur, eum quoque hujus Patris esse indicium est, quod etiam Ambrosii imitatio eidem familiaris videtur adstruere. Inscribitur in eodem cod.* De duabus naviculis: *in Silv.* de cathedra S. Petri: *in Remig.* De S. Petro: *in ceteris vero, sicut & in antiq. edit. ut nos in capite.*

1. QUantorum mirabilium operator sit dominus Jesus Christus, intelligere possumus ex hac evangelica lectione, quæ describit tanta per eum beneficia in populum fuisse collata; ut provocatæ hominum turbæ ad audiendum illum magis irruerent, quam rogarent: & medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis injuriam; ita ut irruentes, sicut ait Evangelium, turbas à domino Jesu non desertum separaret, non Synagoga repelleret, non reverentia divinitatis arceret. Hæc est enim consuetudo infirmantium, ut dum sperant suis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, non tempore, non pudore: sed quanto plus medetur ille, qui sanat; tanto amplius ille importunus est, qui laborat. [Luc. 5. 1. & seq.]

2. Ergo cùm dominus Jesus ab irruentibus turbis semotus, in terra esse non posset, adspiciens in mari duas naviculas, unam navem Petri omni festinatione conscendit; ut importunitatis injuriam vel aquarum natura depelleret; quia eam doctoris reverentia minime coercebat: atque exinde cœpit de navicula Petri ad homines doctrinæ suæ verba profundere. Videte misericordiam Salvatoris, separatur quidem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen iis utilitate conjungitur. Ubique miseretur, ubique prodest. In terra positus per tactum languorem corporum sanat: in mari constitutus, per doctrinam vulnera curat animarum.

3. Sed videamus quæ sit ista navicula Simonis Petri, [a] quam ad docendum de duabus magis opportunam Dominus judicavit, quæ & tutum Salvatorem præstet ab injuria, & credulitatis hominibus largiatur eloquia; invenimus enim jam Dominum navigasse in alia navi, & gravibus injuriis lacessitum. Navigavit enim cum Moyse in mari rubro, quando populum Israel per undarum fluenta transvexit: sed gravibus est affectus injuriis, sicut ipse ait in Evangelio ad Judæos: *Si crederetis Moysi, & mihi crederetis.* Injuria autem Salvatoris est incredulitas Synagogæ. Ergo Petri navem elegit, Moysis deserit, hoc est, spernit Synagogam perfidam, fidelem adsumit Ecclesiam. [Johan. 5. 46.]

4. Duæ enim quasi naviculæ à Deo destinatæ sunt, quæ in hoc, tamquam in mari, mundo salutem hominibus piscarentur, sicut ait Dominus apostolis: *Venite, faciam vos piscatores hominum.* Ex his ergo duabus naviculis una relinquitur ad terram inanis & vacua, altera producitur in altum onusta vel plena; vacua enim Synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum prophetarum amisit oraculis: onusta autem Ecclesia in altum adsumitur, quia Dominum cum apostolorum doctrina suscepit. Synagoga, inquam, remanet ad terras, quasi terrenis inhærens operationibus: Ecclesia autem in altitudinem evocatur, tamquam cælorum profunda sacramenta discutiens; in illam scilicet altitudinem, de qua Apostolus ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Propterea dicitur Petro: *Duc in altum*, hoc est, [b] in profundum disputationum generationis divinæ. Quid enim tam profundum, quam quod ait Petrus ad Dominum: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Quid tam terrenum, quam quod de Domino dixerunt Judæi: *Nonne hic est filius Joseph fabri?* Ille enim altiore consilio nativitatem Christi divinitus approbavit, hi mente viperea generationem cælestem carnaliter æstimabant. Unde ait Salvator Petro: *Quia non caro & sanguis tibi hoc revelavit, sed Pater meus, qui in cælis est.* Pharisæis autem dicit: *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis nequam?* [Matth. 4. 19.] [Rom. 11. 33.] [Luc. 5. 4.] [Matth. 16. 16.] [Luc. 4. 22.] [Matth. 16. 17.] [Matth. 12. 34.]

5. Hanc igitur solam Ecclesiæ navem adscendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quæ navis in altum sæculi istius ita natat; ut pereunte mundo, omnes quos suscipit, servet illæsos. Cujus figuram jam in veteri videmus Testamento; sicut enim Noe arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat, incolumes reservavit; ita & Petri Ecclesia, conflagrante sæculo, omnes quos amplectitur, repræsentabit illæsos: & sicut tunc translacto diluvio, ad arcam Noe columba signum pacis detulit; ita & transacto judicio, ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis deferet; quia ipse columba vel pax est, sicut promisit, dicens: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* [Matth. 16. 18.] [Johan. 16. 22.]

6. Sed quoniam hanc eamdem naviculam Petri, de qua nunc Dominus cælestis doctrinæ suæ sacramenta depromit, legimus in Matthæo, dormiente in eadem Domino, ventis insurgentibus perturbatam, ita ut cuncti apostoli mortis periculum formidarent; videamus quæ causa est, quod una eademque navicula hic in tranquillitate doctrinam populis tribuit, ibi in tempestate discipulis metum mortis indicit; præsertim cùm ibi etiam cum ceteris apostolis Simon Petrus esset. Hæc autem est causa periculi: erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Judas. Quamvis enim illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuentibus igitur discipulis, anxiante Petro, dormiebat Dominus. Durum forte videatur quod, anxiante Petro, [c] dormiebat: dormiebat Petro, ne vigilaret Judæ; unius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Obdormit Christus, ventorum spiramina concitantur; quisquis enim peccatum admittit, statim & dormire sibi facit Dominum, & procellam sibi spirituum suscitat immundorum: necesse est autem diabolica insurgat tempestas, cùm Domini serenitas conquiescit. [Matth. 8. 24.] [1. q. 4. c. Infertur & 24. q. 1. c. non turbatur.]

7. Igitur si unius Judæ peccato cuncti periclitantur apostoli, [d] hoc exemplo caveamus perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. Quinetiam

a. Omnes edit. quam ad docendum de duabus: omnes mss. elegantius, quam ad docendum &c.
b. Mss. Vallicel. & Silv. in profundum generationis divinæ.
c. Sic habent duo mss. alii vero & vet. edit. dormiebat: dormiebat Petro, navigabat Judæ: at Rom. edit. Dominus dormiebat. Verum dormiebat Petro, sed mare turbabat Judæ.
d. Nonnulli mss. hoc exemplo perfidum caveamus proditorem.

hujuſmodi abjiciamus de noſtra navicula, ut non obdormiat, ſed vigilet in nobis Dominus, atque eo vigilante, nulla nos ſpiritalis nequitiæ procella concutiat. Ubi enim fides integra eſt, ibi Salvator docet, vigilat, & exſultat; ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum eſt medicina: ubi autem fidei eſt admixta perfidia, ibi Chriſtus torpet, dormit, & piger eſt; ibi metus, ibi tempeſtas; ibi omnium eſt diſcrimen: pro actibus enim noſtris Dominus nobis obdormit aut vigilat.

SERMO XXXVIII.

De Gratia Baptiſmi.

Hoc titulo non ſolum in vet. edit. ſed etiam in pluribus probatioribuſque mſſ. inſcribitur hic ſermo: at in Remig. eidem præfigitur, De feſto Epiphaniæ. *Et certe non obſcurum videtur illum non multo poſt hoc idem feſtum ad catechumenos habitum eſſe, ut ad ſtudium accipiendæ baptiſmatis gratiæ excitarentur. Nihil Ambroſii præfert: ſed æquiori jure adtribui Maximo potiſt: & cum ſermoni x. & xi. ſupra editis pulcre conveniat, exiſtimare licet tres hos ſermones deſignatos eſſe à Gennadio, ubi prodidit eumdem epiſcopum* De baptiſmi gratia librum, *vetuſtiſſ. cod.* libros, *edidiſſe.*

1. QUia conſtat, ſicut ante dies proſequuti ſumus, Jeſum Chriſtum non ſui cauſa baptizatum eſſe ſed noſtri, debemus, fratres dilectiſſimi (vobis catechumenis loquor) gratiam baptiſmatis ejus omni feſtinatione ſuſcipere, & de fonte Jordanis, quem ille benedixit, benedictionem conſecrationis haurire; ut in eum gurgitem, in quem illius ſanctitas merſit, noſtra peccata mergantur: ſcilicet ut eadem aqua, quæ Dominum circumdedit, & ſervulos circumpurget; quatenus ex venerabili Chriſti lavacro nobis unda ſancta proficiat, & iiſdem veſtigiis atque myſteriis, quibus benedictionem à Salvatore eſt mutuata, [a] nos fotu beatiore purificet, gratiamque quam à Chriſto ſuſcepit, in chriſtianos refundat. *Matth. 3. 13. & ſeq.*

2. Ergo, fratres, tingi debemus eodem fonte, quo Chriſtus; ut poſſimus eſſe, quod Chriſtus. Nam, quod ſalva fide dixerim, licet baptiſmum utrumque ſit Domini, tamen gratius puto hoc baptiſmum eſſe, quo nos abluimur, quam illud quo Salvator baptizatus eſt. Hoc enim celebratur per Chriſtum, illud celebratum eſt per Johannem: in illo ſe magiſter excuſat, in iſto nos Salvator invitat: in illo juſtitia ſemiplena, in iſto Trinitas eſt perfecta: ad illud ſanctus venit, ſanctus egreditur: ad illud peccator venit, & ſanctus abſcedit: in illo benedictio confertur myſteriis, in iſto per myſterium delicta donantur. Baptizari ergo, fratres, debemus eodem gurgite, quo Salvator: ſed ut eodem fonte mergamur, non nobis orientalis petenda eſt regio, non fluvius terræ Judaicæ; [b] ubique enim nunc Chriſtus, ubique Jordanis eſt. Eadem conſecratio, quæ orientis flumina benedixit, occidentis fluenta ſanctificat. Unde & ſi forte nomen fluvio aliud ſit è ſæculo, ineſt tamen illi myſterium è Jordane.

3. Denique iiſdem ſacramentis res agitur, quibus & tunc geſta eſt, niſi quod gratia pleniore; tunc enim Trinitatem carnalibus oculis vidimus, modo eamdem Trinitatem fidei oculis contemplamur: tunc Chriſtum vix humanus vultus adſpexit, nunc eumdem mens humana complectitur: tunc Spiritus ſanctus velut columbæ ſpecie hominem circumfudit, modo ſe in interiora hominis ipſa virtute divinitatis infundit: [c] tunc Pater ad nos propter Filium longo auditu vocis advenit, modo autem deſcendit ad nos pariter ipſe cum Filio. Plenior ergo gratia eſt, ubi Deus non adſumta ſpecie deſcendit ad homines, ſed propriâ ſubſtantiâ deſcendere dignatur ad filios; ibi enim tamquam incredulis fidem vult ſignis corporalibus perſuadere, hîc tamquam fidelibus gratiam ſpiritali virtute conferre. Plenioris ergo gratiæ eſt Deum videre, ſicut eſt Deus, quam videre eum ſic, ut requiras eum. Hîc eſt perfecta Trinitas, ibi adhuc ſcrutanda divinitas. Plenior igitur eſt gratia [d] Deum propria veritate cognoſcere, quam in adſumta ſpecie ſuſpicari.

4. Faciamus ergo ipſi pro nobis, quod Deum videmus feciſſe pro nobis: faciamus circa nos, quod fieri circa ſe Johannes optavit. Si ille qui erat propheta & ſanctus, Salvatoris baptiſmum concupivit; quanto magis nos peccatores & indigni gratiam hanc debemus ambire? Videte miſericordiam Salvatoris: hoc nobis ſponte defertur, quod propheta poſtulans non meretur accipere.

5. Quid autem cauſæ ſit quod Johannes petierit Chriſti baptiſmum, nec acceperit, debemus advertere. Ait enim illi Dominus poſtulanti: *Sine modo; ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Scimus autem quod Johannes Baptiſta typum legis gerebat. Juſtum ergo erat, ut ipſe baptizaret Dominum; ſcilicet ut quemadmodum ſecundum carnem de Judæis Salvator eſt genitus, ita & ſecundùm Spiritum de Lege Evangelium naſceretur: ut unde ſucceſſionem ducebat originis, exinde & traditionem conſecrationis acciperet. Hoc eſt igitur, quod ait: *Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Juſtum enim erat, ut mandata Legis, quæ ipſe condiderat, ipſe compleret, ſicut alibi dicit: *Non veni Legem ſolvere, ſed adimplere.* *Matth. 3. 15.* *Matth. 5. 17.*

SERMO XXXIX.

De Camelo.

Rom. edit. ut hunc ſermonem Evangelio Dominicæ 14. poſt Pentecoſten adaptaret, illi exordium propria auctoritate præfixerat. Quam autem abſurde id voluerit, inde cognoſcitur, quod hunc ſermonem haud multo poſt epiphaniam habitum conſtet. Quædam porro in illo reperimus tantam cognationis cum ſermone 20. à nobis rejecto præferentia, ut utriuſque eumdem fuiſſe auctorem arbitremur. Nec profecto deſunt quæ illum Maximo videantur adſerere: ſed nulla ſuppetunt, quæ Ambroſio.

1. [e] DIcit in Evangelio dominus Jeſus Chriſtus: *Facilius eſt tranſire camelum per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Quæ ſententia vereor ne forte vobis conveniat, qui divitias ſæculi hujus aut habetis, aut quæritis. Sicut enim cameli animal, quod eſt tortuoſum atque deforme, perverſitas ipſa corporis per anguſtiſſimam acus cavernam præterire non patitur: ita & divites oneratos avaritia, & cupiditate fœdatos, ipſa vitæ deformitas per arctam viam regni minime introire permittit; ait enim idem Dominus: *Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam.* *Matth. 19. 24.* *Matth. 7. 14.*

2. Igitur in camelo [f] difficultatem tranſitus præſtat habitudo membrorum, in divite autem impedimentum magnitudo efficit peccatorum; gibbus enim quidam eſt animæ turpe quid vel cogitare, vel facere: ac mentis quædam tortuoſa deformitas, in mundi rebus ſemper intendere, & ab Eccleſiæ ſanctæ limine curis ſæcularibus avocari. Unde mihi videtur hanc deformitatem corporis propheta ſpiritaliter eloquutus, fœditatem morum potius indicaſſe, cùm dicit: *Non glorietur gibboſus, ſicut rectus*: quaſi ſic diceret: Non glorietur peccator vitiorum ſuorum pravitate diſtortus, ſicut gloriatur juſtus conſcientiæ bonæ ſimplicitate directus. Quamvis enim, ô peccator, proceritate corporis gaudeas, quamvis ſcapularum tuarum æqualitate læteris; anima tamen tua morum pravitate deformis eſt. *3. Reg. 20.*

3. Recte ergo camelo comparatus eſt dives; ſiquidem illum à tranſitu acus corporis craſſitudo revocat, hunc ab ingreſſu Eccleſiæ patrimonii ſollicitudo detentat: & ſicut illum parvum foramen non capit oneratum mole membrorum; ita & hunc introitus ſanctus non ſuſcipit gravatum cumulo delictorum. Uterque habet propriam ſarcinam ſuam, ille oneratus eſt carnibus, iſte peccatis: & ſicut ille inhabilis eſt anguſtiſſimæ acus cavernæ; ita & hic inconveniens eſt beatiſſimo Dei regno: ad quod camelum [g] corpore incompoſitum natura, hunc autem pravum voluntas efficit.

a. Omnes edit. *nos fotu beatiore*: omnes mſſ. *nos fotu beatiore*, *alii beatiores*.
b. Ita mſſ. & edit. non etiam male: *ubi enim nunc Chriſtus eſt, ibi quoque Jordanis eſt.*
c. Omnes edit. *Tunc Pater à Domino*: cod. Remig. & Vallicel. ... *ad Dominum*: optime Lugd. *tunc Pater ad nos* &c.
d. Vet. edit. *Deum propria veritate cognoſcere*: Rom. & mſſ. commodius, ut in contextu.
e. Rom. edit. *Mammona apud Hebræos hujus ſæculi divitiæ appellantur. Dicitur vero mammona iniquitatis, quia non niſi iniqui in eis ſpem conſtituunt: ipſi autem, licet eas poſſideant, non ſunt illis tamen devoti, niſi* [illegible] *Servi igitur mammonæ, qui in terrenis hujus ſæculi rebus confidunt. Hi alibi* [illegible] *divitiarum à Propheta appellantur.* [illegible] *divitias appellare illas nolite* [illegible] *quia ſi ſervitis illis, & cum illis peribitis. Ideo de hujuſmodi divite Jeſus Chriſtus alibi dicit*, &c.
f. Omnes edit. *difficultatem quæſtus*; & infra, *immundis rebus ſemper intendere*; utrumque aptius mſſ. ut in contextu.
g. Ita mſſ. edit. autem, *corpore compoſitum natura*. Parum concinne.

4. Hæc autem dico, fratres, de iis qui festivissimam diem sanctæ epiphaniæ, ne in Ecclesia procurarent, patrimoniorum suorum compedibus sunt detenti: & terreno quodam obligati sunt vinculo, ut venire eis ad domum Domini non liceret. Non quod eos quidpiam detineat, sed quod ita propriis sint actibus implicati, ut jam arbitrium vivendi suæ potestatis amiserint: & dum sollicitudinem patrimonii exhibent, animarum medicinam penitus non requirant.

5. Quid mihi, ô dives, difficultatem temporis objicis? Quid necessitatem ingeris repentinam? Si cor habes, intellige quia omni necessitate major necessitas est salutis: & utilior est causa prius curare vitam, tunc peculii damna sarcire; ne dum augmentum patrimonii quærimus, sentiamur animæ detrimentum. Sed forte judicem metuis, quem in secretario reliquisti. Mihi crede quod magis Deum judicem metuere debes, qui de ipso tuo judice judicabit. Illum ergo metuis, qui mox accipiet successorem: Dominum non metuis, cui nemo aliquando succedit? Considera itaque judicii imminentem diem, & inextinguibiles gehennæ flammas, stridorem horrendum dentium, tenebrarum ultimum cruciatum; & si potes, relictâ Ecclesiâ, sæcularibus sollicitudinibus implicare. Vereor enim ne dum mundi divitias quæritis, inveniatis potius divitias peccatorum; & repertis thesauris sæculi, cælestes thesauros amittatis.

SERMO XL.

De jejuniis & eleemosynis.

Ut sermo in epistolam Dominicæ 23. post pentecosten ex hoc fieret, edit. Rom. & veram ejus inscriptionem immutaverat, & in textum verba nonnulla inseruerat, quod utrumque restituimus. Ipsa autem dicendi ratio tantopere opposita est Ambrosianæ, ut cuivis potius quam illi possit adscribi.

1. NOn dubito, fratres, contristari vos quotiescumque absentem me à vobis necessitas facit; dum enim quem diligitis, non videtis, tamquam boni filii pietatis stimulis laboratis. Sed quamvis corpore vos ego interdum deseram, spiritu tamen vos non relinquo; quocumque enim iero, dilectio vestra me sequitur: ubicumque fuero, ibi mecum vestra fraternitas commoratur. Quisquis enim in Christi mandatis permanet, necesse est ut Christi adhæreat sacerdoti: & licet longe positus videatur, fit tamen proximus, dum illum unius fidei gratia repræsentat. Ille se sane separatum à sacerdotibus putet, qui actibus malis separatus à Christo est. Atque ideo, fratres, vos qui mandatum Salvatoris facitis, quamvis absentes à me fueritis corpore, dilectione tamen mihi minime defuistis. Ita quos separabat longitudo terrarum, Christi gratia connectebat.

2. Sunt autem nonnulli inter vos, fratres, quorum licet vultus in Ecclesia videamus, cor tamen eorum in agris esse cognoscimus: & præsentiam quidem eorum consideramus in plebe, sed conversationem eorum invenimus in rure.

Philipp. 3. 19. [a] De quibus dicit Apostolus: *Et gloria in pudendis ipsorum, qui terrena sapiunt*; ii enim de terra semper cogitant, de terra tractant, quæ terrena sunt, sapiunt. His convenit

Genes. 3. 19. divina illa sententia, qua dictum: Terra es, & in terram redibis: qui ideo aliquando ad Ecclesiam veniunt, non quia ex fide christiani sunt, sed ne christiani ab hominibus non putentur.

3. Quibus cùm jejunium indicitur, de intemperie se temporis semper excusant: dicunt enim æstivis mensibus: Dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus; hyemis verò tempore: Grave frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, escis calefieri nos oportet. Ita homines quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt: & dum se à jejuniis excusant, tempora Creatoris [b] accusant.

4. Dic mihi, ô delicate christiane, [c] qui æstum solis jejunando ferre non potes, numquid æstus, quem sustenturus es, torrentior est gehennâ? numquid hyems horridior est tenebris, quibus retrudendus es. In exteriores enim tenebras abjicientur peccatores: *ibi erit fletus & stridor dentium*; sicut ait Dominus: stridor, inquam, dentium ad instar hyberni temporis semper erit in illis tenebris. (Matt. 8. 12.) Ergo sicut penetrante algore hyemis, toto homines corpore contremiscunt; ita & interveniente conscientia frigida delictorum, gravi peccatores dentium stridore quatientur. Ita miser peccator, dum hîc hybernum rigorem metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit: dum hîc æstum solis evitat, ibi gehennæ sustinebit ardorem.

5. His autem ipsis hominibus cùm dixerit, ut aliquid pauperibus largiantur, statim objiciunt: Necessitates infinitæ sunt, tributa sunt gravia, fiscalia explicare non possumus. Et tanta tibi ingerunt, ut quasi reum te statuant, cur hoc ipsum illos volueris commonere, non intelligentes quod ii suo: inimici crucis [d] Christi, qui non intelligunt quod omnibus necessitatibus salutis sit necessitas præferenda, & quod tributum reddere alii prodest: eleemosynam facere ipsi proficiat, qui largitur; tributi enim redditio illi præstat beneficium, qui accipit, eleemosynæ autem operatio ei confert meritum, qui ministrat. Tributi, inquam, redditio detrimentum infert solventi, eleemosynæ erogatio lucrum tribuit eroganti; ditior enim fit vir misericors, posteaquam minus habere incipit pauperibus largiendo.

6. Beata igitur est eleemosyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem: *Hilarem enim datorem diligit Deus*; (2. Cor. 9. 7.) atque ideo [e] melius est illi plus dare. Lætus ergo & hilaris est, qui pauperibus subministrat. Recte plane lætus est, quia per nummulos paucos æternos thesauros sibi cælestes adquirit. Et contra, semper tristis est & mœstus, qui tributa dissolvit. Nec immerito tristis est, qui ad solutionem non dilectione adducitur, sed terrore constringitur: Christi enim debitor lætus, Cæsaris tristis est; quia hunc ad solvendum amor cogit, illum pœna compellit. Hic præmiis provocatur, ille suppliciis coartatur.

7. Dicit sanctus Apostolus: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, & neque in incerto divitiarum sperare.* (1. Tim. 6. 17.) Vides ergo, ô dives, quia sunt tuæ incertæ divitiæ. Quid ergo aurum congregas, in quo nulla certa fiducia est? [f] Auri tui avaritia cesset, & terra est: solidi tui cupiditas auferatur, & sordes sunt. Aurum enim & argentum vilis est & abjecta materies: ubi aurum increvit humanâ concupiscentiâ, tunc & his speciebus accrevit ambitio; aurum enim & argentum non pretiosum natura instituit, sed hominum voluntas effecit.

SERMO XLI.

De eo quod dicit Dominus in Evangelio: *Vulpes foveas habent* &c.

Hic titulus est, quem huic sermoni antiqua edit. ac mss. indidere: at Rom. edit. cum habitum prænotavit In Festo S. Basilii; *ubi non adtenderunt ejusdem edit. curatores parum credibile videri ætate Ambrosii, quem hujus sermonis auctorem ferunt, Basilii natale jam tum celebrari solitum esse Mediolani. Hoc igitur unum adseri potest præter nonnulla quæ ex* Comment. in Luc. *lib. 7. num. 30. & 31. huc translata sunt, Ambrosianum hîc nihil esse.*

1. SI diligenter [g] advertit capitulum evangelicum, quod hodie lectum est, vestra dilectio, sensus vestros id ipsum capitulum potuit permovere, cur Dominus sicut scriptura refert, cùm ab altero interpellatus fuerit, ut eum quocumque isset, causâ religiosi servitii sequeretur; alteri magis dixerit: *Sequere me*; (Matth. 8. 22.) & illo spreto atque despecto, alium potius tacentem nec opinantemque delegerit? Et cùm utique acceptius voluntarium obsequium esse soleat, quam coactum; & servitium plus placeat non quod imperio exigitur, sed quod sponte defertur: cur ergo iste respuitur, cur velut indignus etiam recusatur? Ait enim ad eum

a. Vet. edit. ac mss. *De terra enim dicit Apostolus* mss. Reg. *De terra enim semper cogitant*, &c.

b. Verbo accusant adjecit Rom. edit. *De iis dicit apostolus: Quorum Deus venter est.*

c. Omnes edit. *qui æstum* &c. mss. vero, *qui æstatem jejunando* &c.

d. Rom. edit. *Christi*, *ut hodie lectum est.*

e. Omnes edit. ac mss. Lugd. *melius est illi prius dare*: commodius vero Vallicel. . . . *plus dare.*

f. Codices Lugd. & Vallicel. *Aurum tuum avaritiæ*: melius edit. ut in textu.

g. Rom. edit. *advertit vestra dilectio, fratres, capitulum evangelicum* . . . *quomodo Dominus, qui in Lege, ut Scriptura refert, mandavit: Honora patrem tuum, & matrem tuam; quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut bene tibi sit: nunc dicat: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem &c. non potest meus esse discipulus? Cui congruit quod in alio loco, cùm interpellaretur à quodam: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum: respondit: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Illi vero qui dixit: Sequar te quocumque ieris, respondit: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Cur ergo cùm ab altero interpellatus fuerit ut quocumque isset, religiosi servitii causâ sequeretur eum; alteri magis dixerit qui eum sequi cunctabatur: Sequere me: & priori spreto* &c.

Luc. 9. 58. Dominus: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*

2. Primùm itaque hoc considerare debemus, quod non est acceptor Dominus personarum (est enim æquus judex & justus) sed pro [a] qualitate morum rependat dilectionis affectum: & eum eligat non qui verbis promtus, devotione piger, sed qui fuerit lingua tacitus, mente devotus, de
Prov. 17. quo dicit propheta: *Tacitum te faciens, sapiens videberis.* De illo autem qui petulanter loquitur, refert Scriptura:
Matth. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem meam.* Hinc ergo discimus quod ad Dominum non tam ore quam corde clamandum est.

3. Igitur Salvator noster, qui cogitationes hominum [b] sensusque pervideat, audiens quidem vocis obsequium, mentis autem versutiam recognoscens, tali illum animali comparat, quod aliud voce indicet, aliud motibus operetur; vulpes enim latratu canis resonat, dolo rapinam fraudis exercet. Tacentem ergo nec opinantem assumit. Tacebat quidem linguâ, sed spiritu loquebatur; intelligimus enim quam devotus fuerit, qui sicut ipse asseruit, patrem reliquit mortuum, ut vitæ Dominum repetiret. Ait enim:
Luc. 9. 59. *Permitte mihi prius ire, & sepelire patrem meum.* Mortuum ergo illum reliquerat, quem ut revertens sepeliret, exorat. Non eum dolor retinuerat, non mors retardaverat: quia festinabat ad vitam. Necdum morientis clauserat oculos, necdum rigentia membra condiderat; statim ut comperit advenisse Dominum, oblitus paternæ pietatis, affectum majorem pietate credidit plus Christum diligere, quam parentem. Legerat enim fortasse propheticam lectionem, quæ
Psal. 44. 11. dicit: *Oblivviscere populum tuum, & domum patris tui*; propterea oblitus est patrem, dum memor est Salvatoris. Au-
Matth. 10. 37. dierat etiam Evangelium Domini: *Qui plus dilexerit patrem aut matrem, non est me dignus.*

Tob. 2. 3. 4. Ita cùm Tobias justificetur, cur sepulturæ causâ prandium dereliquerit; hic probatur, cùm causâ Christi patris reliquerit sepulturam. Ille enim non veretur, ne interveniente opere, terreni prandii epulas prætermitteret: hic metuit ne, interveniente mora, refectionem panis cælestis amittat. Unde cùm Christi contemplatione sepulturam omnibus debeamus, hic amore Christi patris deseruit sepulturam.

5. Discutiamus itaque primò illius interpellationem, responsionemque domini Salvatoris. Ait enim ille: *Sequar te*
Luc. 9. 58. *quocumque ieris.* Promta quidem, [c] sed superba professio. Iturus enim ad passionem erat Dominus, descensurus ad inferos, adscensurus ad cælum; numquid in omnibus illum potest fragilitas humana comitari? Stulta est ista præsumtio potius, quam religiosa confessio. Siquidem & Petro apostolo dicitur à Domino, cùm æstimaret se sequi per
Johan. 13. 33. omnia Salvatorem: *Quo ego vado non potes me modo sequi.* Et cùm pertinaciter insisteret, ac se ab eo nec morte diceret separandum; tamquam jactantiæ condemnatus audit, quod esset Dominum tertiò negaturus. Ita qui promittebat à confessione Christi nec morte divelli, ab ejus societate, interrogatione ancillulæ separatur: & nisi velut modum quemdam statuens, tertiò eum dixisset Dominum negaturum, forsitan sæpius interrogatus, frequentius denegasset.

Luc. 9. 58. 6. Quid ergo respondetur illi petulanti? *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, & Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Videte cui rei subtiliter comparetur: est enim hoc genus animalis fallax, & insidiis semper intentum, rapinâ fraudes exercens, quod nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa quoque hominum domicilia prædam requirat.

7. Quam comparationem non solùm propter illum scriptam puto, sed propter plerosque etiam christianos, qui ore quidem Deum confitentur, moribus autem vulpium fallaciâ diversantur; omnis enim christianus, qui sua vult peccata celare, hic spiritaliter vulpes est. Sicut enim vulpes propter fraudes suas in latibulis demoratur; ita & peccator tacens propter conscientiam suam peccatorum foveis delitescit: & sicut illa non audet inter medias hominum turbas morum suorum ostendere fallaciam; ita & hic erubescit in media Ecclesia conversationis suæ nequitiam confiteri.

A Vulpem plane dixerim omnem christianum, qui suo insidiatur vicino, qui quotidie nititur fines alienos arrodere, fructus invadere, animalia devorare, & quod est familiare huic tempori, non jam vulpium more pullos, sed luporum more rapere porcos: qui dum [d] suo labore possit se juvare, ferarum rabie prædam captat alienam.

8. Hæreticos etiam omnes arbitror vulpibus comparandos, qui cùm in domo Domini habitare non possint, conventicula sibi quædam velut foveas præparant tenebrosas, in quibus pertinaciter latentes, insidiantur Ecclesiæ; ut si qua innocens anima forte processerit, velut pullum gallinæ matris absorbeant. Insidiantur, inquam, vulpes Ecclesiæ, hoc est, hæretici evangelicæ illi gallinæ, de qua ait Domi-
B nus: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina colligit pullos suos sub alas suas?* Sed ipsa sicut Samson ardentes faces vulpibus religavit.

SERMO XLII.

Increpatio ad plebem de eo quod scriptum est in Evangelio: *Qui habet, dabitur ei*; & : *Cantavimus vobis*, &c.

Cur hunc sermonem nominatim cuipiam Patri potius quam alteri adsignemus, nihil occurrit: ne vero Ambrosianum esse putemus, nihil non reclamat.

C 1. FRequenter studueram apud me ipsum, fratres, subtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia, ac non elargiri sæpius sermonum cælestium sacramenta. Siquidem nihil prosit offerre pabula recusanti, & potum porrigere minime sitienti: cur id quod offeras, non tam libenter hauriat, quam fastidiose velut turbulentum reddat; atque ita fit ut & poculi sinceritas vitietur, & causas delicti fastidiosus potator inveniat? Sic ergo & caritati vestræ ingerere Dominici poculi prædicationem forte superfluum est; cùm id anima vestra clausis visceribus non tam sitienter hauriat, [e] quam dissimulanter effundat. Fundit enim man-
D datum Domini, qui illud aure sua percipit, corde non continet; in superficie enim quadam corporis illud gestans, ac minime ad interiora transmittens quod audivit, dum obliviscitur, seriem prædicationis effundit, & ita [f] domum vacuus repedat, qui de Ecclesia onustus exierat.

2. Dicite enim mihi, quis de vobis cùm ad hospitium redierit, dicet: Hodie audivimus episcopum de eleemosynis disputantem, rem utilem prædicavit, debemus pauperibus misereri? Prosequutus etiam est de idolorum exsecranda cultura, requiramus ne ignorantibus nobis in possessione nostra sit idolum. Admonuit etiam festinare debere catechumenum ad gratiam fidei, offeramus familiolæ nostræ ut fidem quisquis est fidelis, accipiat; ne forte ratio salu-
E tis eorum quæratur à nobis, quia vita eorum ex nostro pendet arbitrio. Nemo de Dei rebus cogitat, nemo de die judicii loquitur, quasi aut per omnia victuri, aut per omnia morituri. Mihi credite, ita vivimus in hoc sæculo, ut corpore moriamur: ita morimur, ut rationi reddendæ vivamus. Moritur interim homo, sed actuum causa non moritur: vivente autem causa, necesse est ut causæ suæ persona non desit, sicut ait propheta: *Ecce homo, & opera ejus.*

3. Volueram ergo subtrahere vobis Dominicæ prædicationis eloquia, non quod iratus hoc facerem, sed ut Evangelicam sententiam custodirem. Ait enim Dominus: *Qui* Luc. 19. 26.
habet, dabitur ei, & abundabit: & qui non habet, id quod
F *habet, auferetur ab eo.* Habenti ergo dari jussit; & non habenti non solum non dari, sed etiam id quod habet, auferri. Quæ sententia superflua vobis forsitan videtur: ego autem dico recte ac sapienter Dominum præcepisse. Habenti ergo jubetur dari. Meretur plane accipere, qui ita laboravit, ut propria sollicitudine animæ suæ divitias spiritales adquireret: ut puta quis continentiæ forti proposito cœpit castimoniæ custodire virtutem, meretur audire quæ castitatis remuneratio sit futura; ut [g] ad virtutis observantiam audiens remunerationis gloriam, facilius possit pugnam, quam cœpit, adterere. Alius ad misericordiam promtus debet audire quia ipsi miserebitur Deus, & qui hanc terrenam substantiam cælestibus divitiis repensabit, necesse est

a. Edit. vet. *qualitate bonum*: Rom. *qualitate meritorum*: codex Lugd. *qualitate morum*.
b. Ita ms. Lugd. vet. autem edit. *sensusque provideat*: Rom. *prævidet*.
c. Omnes edit. *sed superba responsio*: codex Lugd. . . . *professio*.
d. Codex Lugd. *suo labore possit vivere*.

e. Ita cod. Lugd. & Vallisel. edit. vero, *quam dissimulanter infundat*. Non recte.
f. Lugd. codex, *domum vacuus repetat*. Et infra, *quis de vestris cùm* &c.
g. Codex Vallisel. *ad virtutis observantiam addiscit*.

[...]ut auscultans vicissitudinem cælestium præmiorum, promtior ac libentior opus Domini prosequatur, & ad misericordiæ quod habet bonum, largitatis addat augmentum. Ideo ait Dominus: *Qui habet, dabitur ei*. hoc est, qui dives fuerit bonis operibus, hic magis evangelica prædicatione ditetur.

4. Ceterum si fornicatori prædices, & dicas quod virgo debeat permanere; & avaro quod omnia sua distrahere debeat atque donare, stultitia illi est. Hanc enim prædicationem ridiculam putat, sicut ait Apostolus: [1.Cor.2.14.] *Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi.* Tale enim est iis prædicare quod perfectum est, quale si mendicum pannis obsitum holoserica velis induere, & esurientem rusticum placento delectare; necesse est enim ut ab utroque recusatetur oblatio. Illi enim displicet holoserica, qui necessaria magis frigori vestimenta desiderat: huic placentum amatum, dum escam magis saturitatis exquirit. Istis ergo personis auferenda potius sunt, quæ sua sunt, sicut ait Evangelium: *Etiam id quod habet, auferetur ab eo*; hoc est, cogendus fornicator pannos suæ corruptionis abjicere, compellendus avarus est panem suæ cupiditatis exponere.

5. Vereor autem, fratres, ne evangelica lectio plerisque de vobis congruat, quæ ait: [Luc.7.32.] *Cantavimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non plorastis.* Annuntiamus ergo vobis regni cælestis gaudium, & minime corda vestra motu quodam alacritatis exsultant: prædicamus triste judicium, & sensus vestri ad pœnitentiam in lacrymas non prorumpunt; infidelitatis enim genus est in divinis rebus nec gaudere prosperis, nec flere contrariis. Saltationem ergo à nobis requirit Dominus, non utique sinuosi volubilitatem corporis, [a] sed extollentis se fidei sanctitatem. Sicut enim qui corporaliter saltat, nunc aere suspenditur, nunc ad altiora jactatur, nunc alternis saltibus loca diversa collustrat: ita & qui spiritaliter saltat, interveniente fide, modo in aeris sublimitate erigitur, modo ad siderum altiora sustollitur, modo diversis cogitationum saltibus paradisum, cælumque collostrat. Et sicut qui corporaliter saltat, volubilitate membrorum se exercens, gyrum sibi saltationis adquirit: ita & qui spiritaliter saltat, fidei alacritate semper se movens, gyrum sibi totius orbis adsumit.

6. Solent autem homines, sicut mos est, in suis votis, hoc est, nuptiis, præcipue saltare vel canere; unde & nos habemus votivas nuptias, quibus saltare vel canere debeamus. Vota enim nostra celebrantur, quando Christo Ecclesia copulatur, sicut ait Johannes: [Johan.3.29.] *Qui habet sponsam, sponsus est*. Propter has ergo nuptias saltare nos convenit. Siquidem David rex pariter & propheta, cùm multa cecinerit, ante arcam Testamenti etiam saltasse dicitur; [2.Reg.6.14.] elatus enim gaudio, in saltationem prorumpit: prævidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. Unde ait ipse: [Psal.18.6.] *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Ideo ipse præ ceteris prophetiarum auctoribus plus cantavit; quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros conjugabat: & ad propria vota solito dulcius invitans, docuit nos quid in ipsis nuptiis facere deberemus, cùm ille ante nuptias tanta exsultatione saltaverit. Ante arcam ergo saltavit propheta David: arcam autem quid, nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portabat Testamenti tabulas, Maria autem ipsius Testamenti gestabat heredem: illa intra semet Legem, hæc Evangelium retinebat; illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Verumtamen arca intus forisque auri nitore radiabat, sed & sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.

a. Vallisol. codex, sed intellentissime fidei sanctitatem.

SERMO XLIII.

Increpatio ad populum, quod Ecclesiam non frequentet.

Magni viri hunc sermonem Ambrosii esse existimantes, concilium, cujus in eo mentio exstat, non nisi Aquileiense opinati sunt. Sed ut potius de hoc quam de alio agi credatur, nihil occurrit. Quod autem eumdem sermonem pro Ambrosiano illi habuerunt, fidem editionum hac in re sequuti sunt. Ceterum ut non dicamus illum inveniri in antiq. cod. Gall. cujus sermones omnes tribuuntur Augustino, nihil ei neque in stylo neque in argumento inest, quod Ambrosio nostro conveniat.

1. DEberem, fratres, post hos complures dies aliquid uberius prædicare, & revertens à tanto examine sacerdotum, dulci vos sermone reficere. Bene dixi examine sacerdotum; quia sicut apes de divinarum scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, & quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Recte comparantur apibus sacerdotes; quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cælestis exhibent, aculeum legis exercent; puri enim ad sanctificationem, suaves ad refectionem, severi sunt ad ultionem. Apibus plane sunt comparandi, qui velut alveario quodam gratia matris Ecclesiæ continentur, in qua diversorum meritorum cellulas dulcissimis prædicationibus componentes, de uno Salvatoris examine christianorum examina multa producunt.

2. Cùm semper, fratres, non cessaverim vos paterna pietate corripere, miror nihil vos tot meis commonitionibus profecisse, & doleo quod frequens prædicatio mea non vos profectu aliquo salutis corrigat, sed quadam contestationis pœna constringat. Prædicatio enim sacerdotis in plebe salvandis est correctio, & contestatio judicandis; contestamur enim illis ante judicium, quod illos maneat in ipso judicio: ut tunc omni excusatione submota, & rei sint de peccatis, & obnoxii de contemtu. Unde & ego interdum parcens vobis tacere velim: sed malo vos contumaciæ causas reddere, quam me negligentiæ sustinere judicium.

3. Comperi enim, fratres, quod per absentiam meam ita rari quique ad Ecclesiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quasi me proficiscente, mecum pariter veneritis, & quasi cùm necessitatibus ego pertrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas. Pariter ergo à domo Dei absentes sumus, sed hoc interest, quod me absentem necessitas efficit, vos voluntas. Nescitis quia etsi ego ab Ecclesia desum, Christus ab Ecclesia sua, qui est ubique, non deest? Venis, frater, ad Ecclesiam, non invenis ibi episcopum: sed si fideliter venis, invenies ibi episcoporum episcopum Salvatorem. Nam christianus qui tunc tantum procedit ad Ecclesiam, quando episcopus præsens est, non tam Dei causâ videtur processisse, quam hominis: nec implesse christiani timentis officium, sed amici deferentis obsequium.

4. Quid autem ego vos arguo, cùm possitis me uno sermone convincere? Convincor enim cùm in hac parte clericos vobis magis video negligentes. Quomodo enim possum corrigere filios, cùm fratres emendare non possim? aut qua fiducia succenseam laicis, cùm à consortibus pudoris verecundia conticescam? Ego autem, fratres, non de omnibus loquor. Sunt certe quidam devoti, sunt & alii negligentes: ego neminem nomino, conscientia sua unumquemque conveniat. q.v.c. quid autem.

SERMO XLIV.

Post increpationem allectio ad populum.

Habetur hic sermo sub hac inscriptione in mss. Gall. atque Lugd. in vet. autem edit. pro allectio *ponitur* consolatio: *at Rom. edit. titulum qui non tam sensu quam verbis distaret, concinnavit. Hanc vero concionem pronuntiatam esse post superiorem non ambigimus; ejusque auctorem nonnulla ex Hieronymo cap. 62.* in Matthæum, *plura ex Ambrosio lib. 6.* in Lucam, *num. 96. & 97. mutuatum cernimus, quem ut alium existimemus ab Ambrosio, cuncta inducunt.*

1. AMarior fortasse fuerit [b] increpatio mea superioribus prædicationibus, quod plerosque de vobis acrius magisterii severitate convenerim, & sum prosequutus quæ

b. Colb. Lugd. prædicatio mea .... quod plerosque de vestris.

aliquantis non blandimenta deferrent, sed tristitiam irrogarent. Verum nihil mea interest; ego enim gaudeo sciens discipuli tristitiam magistri esse lætitiam. Tunc enim auditor proficit, quando austeriora annuntiat prædicator: tunc ei salus gignitur, quando tristitia emendationis ingeritur; (2. Cor. 7. 10.) dicit enim beatus Apostolus: *Nam quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

(1. q. 3. c. non osculatur.) 2. Recte ergo lætor, quia salutem operor: cùm objurgo, mœreat licet filius mei asperitate sermonis; me tamen delectat, qui proficere illum intelligo per mœrorem. Ait (Hebr. 12. 6.) sanctus Apostolus: Quis *est enim filius, quem non verberat pater?* Non enim osculatur semper pater filium, sed & aliquando castigat. Ergo quando castigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cùm amarius inferuntur; dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blanda remissio. (Prov. 27. 6.) Unde ait propheta: *Dulciora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.*

3. Igitur, fratres, quia post tot increpationis meæ otilia verba credo vos benignitate sensuum profecisse, de sacris litteris aliqua conferamus. Sicut enim fons, qui non solito humore distillat, exagitatur surculis, & ita largior invenitur, ac primum ex eo turbida aqua producitur, ut unda purior subsequatur: sic ergo & sanctitas vestra exasperata quidem fuerat austeritate sermonis, sed devotior facta est dulcedine pietatis. Turbulentum enim quiddam vestri animi forsitan retinebant, sed jam ex vestris moribus profluit omne quod purum est.

4. Videamus ergo quid sit quod ait ad discipulos suos (Matth. 16. 15.) Dominus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Non igitur tamquam ignarus interrogat Dominus, quid de eo populi discipulique sentirent: sed tamquam sciens universorum mentes, fidem manifestare voluit singulorum; ut quod corde credebant Dominum, alii Hieremiam, alii Johannem Baptistam, Petrus solus Christum Dei Filium confitetur. Gradus quidam sunt fidei, & qui devotius credit, religiosius confitetur.

(Ibidem 17. & seq.) 5. Pro hac devotione dicitur Petro: *Beatus es tu, Simon Barjona; quoniam caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cùm vocaretur ergo Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus. (1. Cor. 10. 4.) Legimus, dicente Apostolo de ipso Domino: *Bibebant de spiritali consequente eos petrâ, petra autem erat Christus.* Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus; ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici unitatem: ut sicut à Christo christianus dicitur, ita & à petra Christo Petrus apostolus vocaretur.

6. Sed nec populorum opinionem possumus reprobare, qui (Matth. 16. 14.) unum de prophetis Dominum æstimabant. Nam ideo nonnulli velut Eliam Salvatorem forsitan putaverunt; quia ad (4. Reg. 2. 11.) cælos Elias sicut Salvator adscendit. Sed non sicut Elias Christus est; ille enim ad cælos rapitur, iste regreditur: ille tamquam infirmus igneâ quadrigâ subvehitur, hic tamquam Deus propria virtute portatur: ille sicut homo ducitur, hic sicut Salvator adscendit: ille ducentes sequitur Angelos, comitantes sibi Angelos iste præcedit. Denique iidem Angeli remeantes in terram a domino Salvatore dixerunt (Act. 1. 11.) ad Apostolos: *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Hic Jesus qui receptus est à vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

SERMO XLV.

De primo Adam & secundo.

Hunc sermonem vel potius sermonis fragmentum, è Vat. cod. scripto jussu cardinalis Bononiensis an. 1470. desumtum exhibemus, non quidem quod in eo quidquam deprehendamus Ambrosiani, sed quia scriptio non inelegans, & sancti Doctoris nomine in ms. prænotata, cùm alioqui nusquam quod sciamus, edita fuerit, saltem ut in appendice locum habeat, nequaquam indigna videatur.

1. AUdite, fratres carissimi, quale est legis mysterium. Primus homo de terra & cælo; secundus de cælo & terra: hic ex Deo & Maria, qui de terra; ille de terra & Spiritu, qui de cælo est. Uterque tamen ex virgine, & sine coitus permixtione est: hic ex incorrupta, ille ex intacta; quia nullo adhuc semine, nec vomere fuerat sauciata nec imbre. Per primum vita amissa, per secundum reddita. Primus acceptam perdidit gratiam, secundus eam vita tribuit gratiam: primus suasu virginis cecidit, secundus partu virginis, quod jacebat, erexit: primus peccando mortis pœnam protulit, secundus patiendo indulgentiam contulit: primus pro culpa de paradiso ejectus, secundus pro gloria cruci mundo affixus.

2. Ergo malum per feminam, immo per feminam bonum; quia per Evam cecidimus, per Mariam stamus: per Evam prostrati, erecti per Mariam: per Evam servituti addicti, per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diuturnitatem, Maria nobis reddidit perpetuitatem: Eva nos damnari fecit per arboris pomum, Maria absolvit per arboris donum; quia & Christus in ligno pependit, ut fructus.

3. Igitur sicut per arborem mortui, ita per arborem vivificati. Arbor nobis nuditatem ostendit, arbor indulgentiæ foliis vestivit: arbor peccatorum incussit ardorem, refrigerium delictorum vestibus præparavit arbor scientiæ: arbor spinas & tribulos genuit, spem & salutem arbor scientiæ peperit: arbor sudorem adtulit & laborem, arbor contulit pacem & salutem: arbor lumen corporis patefecit, arbor oculos cordis disclusit: arbor mundi insinuavit astutiam, divinam arbor demonstravit prudentiam: malum arbor, bonum arbor ostendit; & ut ad dilecti originem redeam, & Deo annuente, quod sentire conceditur dicam: Adam nisi corporaliter occidisset, Christus nos in ista vita non spiritaliter suscitare debuisset.

4. O Sacramentorum, ut diximus, Mariæ mysterium, ô conclusam perfidis, & manifestam fidelibus disciplinam! Immortalis mortalem ædificat, parit immortalem: incorporalis terrâ concluditur, corporalis cælo: Deus homo efficitur, sed exhibetur Deus; & hoc totum per Adam committitur, & lavatur per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est occasio: immo felix Maria, per quam tributa est curatio: felix Eva, per quam natus est populus; felicior Maria, per quam natus est Christus. Igitur alteri melior, immo & gloriosæ utræque; quia non lætificasset Mariam Christus, nisi Evam priorem, de qua nata est ipsa Maria, definxisset: nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in sæculo. Hæc mater humani generis dicitur, illa salutis: Eva nos edocuit, roboravit & Maria.

5. Per Evam crescimus, per Mariam regnamus: per Evam seducti ad terram, per Mariam elevati ad cælum; & ut totum breviter legis patefaciam sacramentum, & duas in unam fuisse, sicuti omnes esse ostendam: in Eva tunc Maria inerat, per Mariam postea revelata est Eva.

6. Gratias Domino, fratres carissimi, quod quæ sit diei festivitas, doceri nos non necesse est; qui prævenitis devotione docti. Nam accesserunt huc hodie propheticæ atque evangelicæ lectiones eamdem rem docentes, quam fides vestra nos docuit. Donet ergo Deus noster, ut concordantibus sicut hodie, ita omni tempore cum lectione divina actibus, hoc vos habeatis in moribus.

SERMO XLVI.

De Salomone.

In omnibus Ambrosianis editionibus libelli titulum in fronte tulit hæc opella; cùm tamen verus sermo sit, quo tria Salomonis sensu impossibilia mystice exponuntur. Ejus elegantiam, & simul ab Ambrosii stylo diversitatem Erasmus agnovit: verum secundam illam Hermannus putat obscuram esse, ipsi tamen vox Psalmographus, *cui etiam* Archipirata *jungi poterat, non satis videtur Ambrosiana: sed nos Erasmi judicium utraque ex parte verum credimus. Quod autem Hermannus sententiam qua hic dicitur Martha Lazari soror à Christo liberatam fluxu sanguinis, parum esse firmam, quænam fuerit mulier sanata consulere licet Eusebii lib. 7.* Hist. *cap. 18. edit. Vales. Sozomeni lib. 5. cap. 21. & Philostorgii lib. 7. num. 3. Quin & Ambrosius hanc quoque curationem diligenter explicat* Comment. in Luc. *lib. 6. num. 57. & 58. nec tamen ibi Marthæ meminit.*

1. MIrum satis est, dilectissimi fratres, quod in hoc capitulo sapientissimus omnium hominum Salomon propheta proposuit tria impossibilia esse, quæ scire non CAP. I.

posset, quartum adhuc esse quod non valeret agnoscere: *Vestigia Aquilæ volantis, vias serpentis super petram, & semitas navis navigantis, & vias viri in juventute.* (Prov. 30. 19.) Hæc se nescire testatur ille propheta Salomon, qui ut primùm transactis infantiæ rudimentis, annos juventutis ingressus est, in quibus posita adhuc infirma ætas, quem cursum vitæ deligat, nutat incerta; nihil aliud à Deo, quàm sapientiam postulavit: inter ipsa, ut dixi, vitæ tentamenta jam sapiens, qui in dilectione rerum, quod omnibus præiret, elegit. Sic enim ipse in libro Sapientiæ suæ se Dominum omnipotentem deprecatum fuisse commemorat: *Da mihi,* inquit, *sedium tuarum adsistricem sapientiam;* (Sap. 9. 4.) ut sciam dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem omnium rerum, divisiones & mutationes temporum, anni cursus, & dispositiones stellarum, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias arborum, & virtutes radicum, omnium enim artifex, ait, docuit me sapientia. (Sap. 7. 21.) Et alibi ipse in eodem libro: *Invocavi,* inquit, *& venit in me spiritus sapientiæ.* (Ibid. 7. 7.)

2. Et quid est, dilectissimi fratres, quod tam locuples possessor sapientiæ Salomon, cùm omnia cognovisset, quæ in arcanis abditarum dispositionum tenebantur absconsa, hæc sibi impossibilia esse prætendit? Quippe qui à Deo esset sapientiam consequutus, qui noverat mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cælum omne quod cernimus, ardua sublimitate suspensum, quemadmodum fieret aeris istius circumjectus & fusus æquo moderamine libratus in medio, quibus modis pigro ad imum dilapsa pondere terra subsisteret, qua ratione intra certas littorum metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exæstuet: quod principium rerum, quis finis, & quæ essent media. Quem iterum divisiones & mutationes temporum non latebant, qui comprehenderat qualiter sibi annorum mutua vicissitudo, redeunte orbe, succederet, qua causa varios stellarum ageret cursus, præcedendo se nonnumquam, aut subito subsequendo, unde earum esset ortus aut obitus, & alia multa, quæ sapientia docente, cognoverat. Mirum quod ista quæ sibi impossibilia esse dicit, aut scire non potuit, aut videre.

3. Sed quia omnia quæ in libris divinis prophetarum annuntiatione congesta sunt, suis sunt temporibus reservata, meritò Salomon ante adventum domini nostri Jesu Christi, quid aquila volans, quid serpens in petra, quid navis navigans, quæ juvenis via in juventute esset, scire non potuit: adhuc non erat tempus, quo de umbra corpus fieret, aut veritas de figura. Nobis vero, quibus dominus noster Jesus Christus ostendit quod omnia de ipso essent in Lege conscripta, quibus nihil est occultum quod non reveletur; & posteaquam signatum illum septem sigillis librum nemo alter potuit reserare, quam Christus; permissum & indultum est nobis, ut omnia & videre possimus & nosse, sicut ipse Dominus ait: *Pater, confiteor tibi, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* (Matth. 11. 25.) Et iterum: *Vobis,* inquit, *permissum est scire mysterium hoc.* (Luc. 8. 10.) Quæ ideo retuli, ut non tam Salomonem quod non potuisset scire reprehendessim, quam quod non fuisset temporis, ut sciret.

CAP. II.

4. Sed jam ne proposita lectio diutius differatur, pauca vobis quæ ita in quæstionem veniunt, propitio Deo nostro, cogitavi exponere: *Tria sunt,* inquit, *impossibilia mihi scire, & quartum quod non cognosco: vestigia aquilæ volantis, & vias serpentis super petram, & semitas navis navigantis, & vias viri in juventute.* Quis enim umquam, dilectissimi fratres, potuit ista cognoscere? Quasi vero sit facile ut suspensa aquila in altum celeri elatione pennarum, plausus sui & lapsus vestigia manifesta constituat, aut viam signet in vacuo, & lineam sui volatus ducat, figatque in liquido? Quis cursum navis deprehendat in fluctibus? quis indicium ejus, per quos aggeres & limites feratur, intelligat? Crebra semper & inquieta mutatio, dum undis sequacibus, aut obruitur quod præcessit, aut opprimitur quod sequutum est. Quis in petra signum aliquod serpentis agnovit, cùm & materia sit dura saxorum, & lubrica natura serpentum? Aut quomodo possunt viæ viri in juventute cognosci, qui unde veniat, & quo eat, non potest deprehendi? Hæc sunt quæ sapientissimus Salomon propheta dixit se non posse cognoscere. Nunc ergo de singulis rebus istis quid dicamus, audite.

5. Aquilam in hoc loco Christum dominum nostrum debemus accipere, qui post venerandam resurrectionem, qua docuit humanum genus in vitam redire posse post mortem, velut aquila revolavit ad Patrem, prædam secum referens, id est, hominem, quem rapuerat de faucibus inimici. Hæc est aquila, quem Ezechiel propheta in illam quadriformem sedem & Cherubim vidisse se retulit inter animalia, (Ezech. 1. 10. & seq.) quæ mysticum vehiculum rotis juncta portabant; unum enim animal simile vituli, aliud leonis, tertium hominis, quartum aquilæ, sicut in Apocalypsi Johannes se vidisse conscripsit. *Primum,* inquit, *animal simile vituli, secundum leonis, tertium hominis, & quartum aquilæ.* (Apoc. 4. 7.) [a] Sed de hac animalium æqualitate alter locus ad tractandum necessarius est. Nunc interim quod cœpimus, explicemus.

5. Hæc est aquila, de qua scriptum est: *Sicut aquila tegit nidum suum,* (Deut. 32. 11.) id est, Christus Ecclesiam. Et iterum inquit: *In umbra alarum tuarum sperabo.* (Psal. 56. 2.) Et iterum: *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* (Psal. 102. 5.) Nam ut aquila colona, quasi ita mater nidi semper unius est, nec ad procreandam sobolem aliud aliquando cubile perquirit, & cùm primum calidis ovis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes, hos contra faciem fervidi solis opponit, & qui ægram & invalidam coruscо radiorum appulsu aciem submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum consortio separatus dejicitur in terram. Et sicut avis ista inimica serpentum est, quos dum in aere alarum remigio subvectando supportat, hos obunco rostro, & armatis quasi quibusdam telis, pedibus suis lacerat ac divellit; quos cùm devorat, calore suo interno noxium illud virus extinguit: ita ergo & Christus dominus unam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum suum; quam ab æstu persecutionum alarum suarum defendit umbraculo: sic quoque extra Ecclesiam projicit, in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam Evangeliorum lucem vitiis sæcularibus inquinati ferre non possunt.

6. Et ut aquila serpentes devorat, & eorum venena calore coquit interno: ita & Christus dominus noster, percusso dracone, id est, diabolo lacerato, quod humanum sibi corpus adsumit, peccatum illud quod hominem tenebat obnoxium, tamquam perniciosum virus extinxit, sicut Apostolus ait: *Et de peccato damnavit peccatum in carne sua;* (Rom. 8. 3.) & alibi: *Qui cùm peccator non esset, pro nobis peccatum fecit.* (2. Cor. 5. 21.) Ad hoc quoque Moyses serpentem æneum in eremo suspendit in ligno, qui proprius erat typus corporis Christi, ut quicumque in eum adspiceret, non periret; corpus enim hominis per transgressionem vas fuerat serpentis effectum. Sic & alibi ipse Moyses virgam projecit in terram, quæ in similitudinem est corporata serpentis: [b] quæ & ipsa imago erat corporis Domini, ideo tantæ virtutis in se typum gerebat, is qui absorbuit omnium Ægyptiorum potestatem.

7. Hoc est ergo quod ait: *Vestigia aquilæ volantis;* quia etsi post passionem & resurrectionem suam, præsentibus apostolis, Dominus noster adscendit in cælum, tamen cujus hominis tam altus sensus & tantus est, ut explicare possit quomodo illa tanta majestas de cælo aut venire dignata fuerat, aut redire; cùm hoc solùm nobis scire liceat, quod aut venit, aut rediit? Quis enim cógnoscere potest quemadmodum Verbum in Virginem venerit, ut repente conciperet, ut tam felicem fœtum partus virginalis effunderet, ut hominem Deus indueret, quem totus mundus non potest, nec sufferre, nec capere? id est, quod ait: *Vestigia aquilæ volantis:* id est, Christi domini advenientis ad terram, ac redeuntis ad cælos vestigia comprehendi enarrarique non posse.

CAP. III.

8. *Et vias,* inquit, *serpentis super petram.* Dixi jam caritati vestræ quod sinuosis labens membris nitidus & volubilis coluber tractibus suis vestigium aliquod in petra, quia res est dura, non faciat. Indicium enim monstri hujus non nisi molli scriptura signatur in pulvere. Nunc ergo videamus quis sit iste serpens, aut quæ petra, in qua serpentis vestigium non apparet. Hanc petram Dominum nostrum esse ambigere non debemus. Sic enim Apostolus ait: *Bibebant autem de spiritali sequenti petra, petra autem erat Christus;* (1. Cor. 10. 4.) & Psalmographus: *In petra,* inquit, *exaltasti me;* (Psal. 26. 5.)

a. Itamss. & edit. præter Rom. ubi legitur: *Sed de horum animalium qualitate alter locus &c.*

b. Rom. edit. *Quæ quia & ipsa imago erat corporis Christi, & tantæ virtutis in se typum gerebat, omnium Ægyptiorum potestatem absorbuit.* Nec multum ab ea recedunt aliæ edit. in verbis differunt, sed potius in verborum ordine, quem & sequimur.

Deut. 32. 13. & Moyſes in cantico Deuteronomii : *Lactavit eos mel ex petra, & oleum de ſolida petra*, id eſt, quod dulcem daturus iis eſſet Evangelii ſuavitatem, aut Spiritum ſanctum per chriſmatis unctionem. Et alibi ait : *Beatus qui tenet, & allidet infantes tuos ad petram :* (Pſal. 136. 9.) quod utique in religioſis parricidium erat, ſi petra iſta figuram Chriſti corporis non haberet. Nemo enim beatus in funere eſt, qui infantes ſuos allidit ad petram : ſed ideo beatus eſt, quod illos conjungit ad petram.

9. Dixi ergo petram Dominum & Salvatorem noſtrum in Scripturis omnibus inveniri. Serpens autem ex ipſo nomine, [a] quod ſit diabolus, apparet ſicut callidior omnium beſtiarum, quæ ſunt ſupra terram, id eſt, diabolus : qui ideo ſerpens dicitur, quod occulte ſerpat, & quod ſenſus hominis tenuiter illabendo pertentet : quos ſi convicerit, medullis ſe hominum atque oſſibus implicat & immergit. Qui in corpore hominis, quod omnipotens Chriſtus Deus induerat, nulla malitiæ ſuæ potuit imprimere veſtigia ; quamvis illud auſus fuerit ſæpe tentare, ſicut ipſe Dominus in Evangelio ait : *Ecce venit princeps mundi hujus, & nihil in me invenit ;* (Joan. 14. 30.) & alibi : *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei.* (Pſal. 88. 23.) Hæc eſt ergo petra, id eſt, caro Chriſti nullâ inimici iniquitate reſperſa, in qua ſerpentis, id eſt, peccati alicujus veſtigium non apparet, ut ſcriptum eſt : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus.* (1. Petr. 2. 22.)

CAP. IV.

10. Adhuc quid ſubjungat, audite : *Et ſemitas*, inquit, *navis navigantis.* Navem adeque Eccleſiam debemus accipere in ſalo mundi iſtius conſtitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, id eſt, tentationum plagis & verberibus fatigatur : quam turbidi fluctus, id eſt, hujus ſæculi poteſtas, conantur ad ſaxa perducere. Quæ etſi undarum fluctibus aut procellis ſæpe vexatur, tamen numquam poteſt ſuſtinere naufragium ; quia in arbore ejus, id eſt, in cruce, Chriſtus erigitur, in puppi Pater reſidet, gubernator proram paracletus ſervat Spiritus. Hanc per anguſta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id eſt, duodecim apoſtoli, & ſimilis numerus prophetarum.

11. Inde Montani antra latratu falſi carminis reſonant, qui duabus feminis prophetiſſis, Priſcillæ & Maximillæ tamquam alicujus Scyllæ rabidis ſuccinctus eſt canibus. In iſta nave Eccleſiæ ea feliciter præterimus. Inde in photinianam Charybdim non incidimus. Inde nullo modo in illud barathrum, quaſi Dathan & Abiron, id eſt, in profundum mortis Urſacii & Valentis non incurrimus. Inde Arrium archipiratam, qui nos per mare ſæculi ad inſtar Pharaonis inſequitur, non timemus ; illam ſtellam ſervantes in cælo, quæ Magos perduxit ad Chriſtum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus eſt portus, exſpectat. Inde numquam nos de hac navi Eccleſiæ præcipitatos Marcion ille cetus abſorbuit. Inde Sabellius pirata non cepit. Inde nobis aquilo nocere non poterit, quamvis inde ſint antichriſti violenta flabra ventura, ſicut ſcriptum eſt : *Ex aquilone exardeſcent mala.* (Hier. 1. 14.) Inde ſyrtes gentilium, & periculoſas hæreſes & ſcopulos evitamus, quos ſuperjacens aquæ tenuis occultat allapſus ; quia hæretici ſub prætextu nominis chriſtiani, abſconſa perfidiæ ſaxa fallaci confeſſione oris obducunt, in quæ homines, dum illis quod chriſtiani ſint, fides habetur, impingunt.

12. Hæc ergo navis Eccleſia eſt, quæ etſi quotidie ſæculum iſtud tamquam aliquod pelagus ſortitur infeſtum, numquam eliditur ad ſaxum, nec mergitur ad profundum. Navem autem Eccleſiam eſſe divinis teſtimoniis probamus, ſicut ait : *Illic tranſierunt naves Tharſis ;* (Pſal. 47. 8.) & alibi : *Adverſus omnem navem maris ;* (Eſai. 2. 16.) quia ſunt Eccleſiæ ſæculi, quæ totam ſibi ſpem, quod fit in hoc tempore, non tam de Deo, quam de poteſtatibus hujus ſæculi repromittunt.

13. Sed quod ait, *Vias navis navigantis*, proprie ſignificat quod in tempore miro modo perſecutionis comprehendi omnino non poſſet, quemadmodum vivida per interitum, & dives per damna reddatur, ſicut ait ex perſona ipſius Pſalmographus : *In tribulatione dilataſti me.* (Pſal. 4. 2.) Quæ ob hoc multis in locis aut ſoli comparatur, aut lunæ : quæ etſi tunditur, non movetur : & ſi moveatur, reſurgit.

14. *Et vias*, ait, *viri in juventute.* Vir iſte, Chriſtus dominus noſter eſt, ſicut in Actibus apoſtolorum ſcriptum eſt : *Viri Iſraelitæ, audite hæc verba : Jeſum Nazarenum virum à Deo electum in vobis, virtutibus & ſignis & portentis approbatum ;* (Act. 2. 22.) & Apoſtolus : *Ut omnes in virum perfectum occurrere poſſimus, in menſuram Chriſti ;* (Epheſ. 4. 13.) & alibi : *Deſtinavi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* (2. Cor. 11. 2.) Hic eſt vir cujus viæ cognoſci in juventute non poſſunt. Quis enim æſtimare animo poſſit, aut capere quanta ille opera exercuerit, cùm ſecundùm hominem moraretur in terris ? quæ itinera virtutum duxerit ? in quas vias beneficiorum circa humanum genus fuerit ingreſſus, dum claudis pedum reſtituit firmitatem, dum cæcis lumina amiſſa reddit, aut imponit condita, dum eloquium præſtat mutis, & ſurdis inſinuat auditum, dum largum ſanguinis fluxum ſiccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria, dum corpus redivivi ſpiritus calore conſtringit in Lazaro, & quod mors ſibi vindicaret ad pœnam, lux denuo recepit ad vitam ? Quid ille ſolidus greſſus in fluctibus, quid reliquiæ de paucis panibus plus ſupereſſe, ſaturata multitudine, quam fuiſſe ? Quid inopem in vino Galilæi conjugis apparatum, ſed Domini operibus pretioſum ? Et alia multa, ſicut in Evangelio dictum eſt, quæ ſi omnia ſcripta eſſent, mundus ea capere non poſſet. (Johan. 21. 25.) Aut quid poſtremo deſcenſus ad inferos, aut adſcenſus ad cælum ? Quid illud quod in paſſione ipſius integram lucis conſuetudinem ſol habere non potuit ; ut taceam ruptum velum, lapidem revolutum ? Hæ ergo viæ ſunt in juventute, quas non tam deprehendere propheta, quam enarrare ſe non poſſe teſtatus eſt.

15. Tales hic etiam dicit *vias meretricis, quæ poſteaquam abluta eſt, dicit ſe nihil mali feciſſe.* (Prov. 30.) Meretrix iſta Eccleſiæ typus eſt, aliquando in gentibus conſtituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ ſuperſtitionis ſtupra polluerant, quam falſorum deorum adulteram fecerat multitudo : laſcivoſque ac turpes incompoſitis motibus ſaltus nemorum & lucorum inculta luſtrabat, dedita luxuriæ, pompæ gentilium mancipata. Hanc poſteaquam dominus noſter Jeſus Chriſtus puro baptiſmatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accepit & nominis per gratiam fidei. Poſt meretricem fit virgo, quia uni ſe deſtinavit Sponſo. Nam & Raab illa meretrix Hierichuntis, quæ ſpeculatores Jeſu Nave excepit hoſpitio, (Joſue 6. 25.) & quod ſigno cocci ſignata eſt, quia color figuram Chriſti ſanguinis indicabat, & quod everſionem civitatis evaſit, Eccleſiæ typum habuit, quæ per ſanguinem Chriſti ruinam mundi iſtius ſecura non metuit. Sic enim ait propheta : *Accipe*, inquit, *tibi uxorem fornicariam, & fac filios fornicationis.* (Oſee 1. 2.) Ubique enim, dilectiſſimi fratres, cultura idolorum fornicatio nuncupata eſt, ut in Apocalypſi ſcriptum eſt : *Et ſinis fornicari ſervos meos, & manducare idolis immolata.* (Apoc. 2. 20.) Denique Hieruſalem civitas illa quondam nobilis Hebræorum, quotieſcumque à veritate deflexerat, & idolis ſerviebat, ſtatim meretricis vocabulo nominabatur, ſicut clamat Eſaias : *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis Sion ?* (Eſai. 1. 21.) Inde eſt ergo quod ait Salomon : *Talis autem via mulieris meretricis, quæ poſteaquam abluta eſt, dicit ſe nihil mali feciſſe.* (Prov. 30. 20.)

SERMO XLVII.

In cap. 30. Proverb. de differentia Salomonis & aliorum prophetarum.

Hoc ſermonis fragmentum, ſtatim atque in edit. Rom. prodiit in lucem, Ambroſii non eſſe nemo non advertit : at vero ejus auctorem è tenebris eruere non tam pronum eſt ; niſi quis ex eo quod locus de meretrice in hoc & in ſuperiore ſermone Eccleſiæ accommodatus, eodem quoque modo expoſitus reperiatur in ſermone 2. de Eleemoſyna, quem Maximi eſſe in ſermonum prætermiſſorum cenſura probavimus, omnes eos eidem auctori conjiciat adſignandos. Ad hæc illud adjiciemus huic ſermoni à Romanis editoribus multa fuiſſe partim adjecta, partim mutata, quæ nos è Vat. cod. reſtituimus.

1. ANte adventum Chriſti ſalvatoris noſtri, prophetæ multi, concepto Spiritu ſancto, futura nuntiarunt, inter quos & Salomon loco ſuo & ordine pro temporibus numeratur : ſed inter alios & ipſum eſt aliqua diſtantia. Idcoque ceteri ſolo Spiritu loquuti ſunt, Salomon autem & de Spiritu & de adjuncta ſapientia eſt loquutus. Denique

a. Sic vet. edit. ac mſſ. e lit. vero Rom. locum ita tranſpoſuerat : *Quod ſit callidior omnium . . . apparet quod eſt diabolus : qui &c.*

hoc [a] testatur locutio, quam ex verbis ejus audivimus reci- A tatam; dum inter sapientiam & Spiritum profitetur ignorantiam suam, cùm dicit: *Tria sunt*, inquit, *quæ non intelligo, viam navis in mare, semitam serpentis in petram, & vestigium aquilæ volantis in aëra: quartum quod investigare non possum, hoc est, mulierem mœcham, quæ cùm semel abluta fuerit, credit se in toto non peccasse.* Hæc verba communi sensu quasi de vulgo videntur collecta, sed in omnibus sunt sancta mysteria: tria in Christo, & unum in Ecclesia. (Prov. 30. 18. & 19.)

2. Nam quod dixit viam navis in mare se invenire non posse, hoc non est sine mysterio verbum. Nam quis [b] inter fluctus colligebat viam, quam navis transire potuerat? B Navis enim transitu suo undas scindit, & coagulat; ut sciatur quia transit, & non videatur, quà transierit. Visum enim habere potest, vestigium facere non potest. Christus est navis, in qua adscendunt omnium credentium animæ, quæ ut tota firmitas in fluctibus habeatur, de ligno fabricatur, & de ferro configitur, hoc est Christus in cruce. Sed quod dicit navem sine vestigio, ideo quia [c] Verbum Dei vehemens per aurem penetravit ad viscera collecto homine suo inter homines nascitur, Maria virgo generat. Transit navis per mare, & nulla in undis vestigia: venit Christus de cælo, aure concipitur, utero tempore certo portatur. Talis Maria virgo remansit, postquam peperit, qualis C fuit antequam Verbum [d] aure concepit. Meritò Salomon inter Spiritum sanctum, & sapientiam ignorare se dicit, & mysterium indicat, quod ignorat.

3. Deinde profitetur se non videre semitam serpentis in petra: quod communiter omnibus hominibus patet; quia æstatis tempore cùm terra solvitur in pulverem, de latibulo suo egressus serpens, impressione corporis sui in terra corrupta potest designare semitam: sed cùm ad petram pervenerit, non facit in lapide, quod fecit in pulvere. Sic & serpens diabolus in ipsis natalibus mundi invenit corruptibilem terram. Adam & Evam libenter audientem quæ locutus est. Fecit in auribus semitam, fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem; fecit & in manibus, quibus contrectata sunt poma: fecit [e] in lateribus, quibus necdum concessæ, celebratæ sunt nuptiæ. Tunc serpens potuit in primitivum hominem quasi in pulverem vestigium facere, pervenit ad petram, quæ est Christus (talis enim factus erat.[f] Adam, qualis & Christus est ex utero) vidit similitudinem coopertam corpore: sed cognoscere non potuit majestatem. Potuit & ipsum tentandum aggredi: sed Christus nec obtemperavit, nec iratus est; quia ita opus est diaboli: sed cùm diaboli contemta sunt verba, serpens in petra vestigium non fecit. (Gen. 3. 6. & 7.)

4. Tertium vero se non intellexisse [g] testatur. Aquila intelligitur Christus, qui volatu suo descendit ad terras. Quod animalis genus non nutritur, nisi primùm castitas comprobetur matris, ut apertis oculis, absque palpitatione totum adspiciat solem. Meritò enim hoc animal comparatur Salvatori; quoniam cùm aliquid rapere voluerit, non vestigiis ambulat terras, sed excelsum eligit locum: sic & Christus alta cruce suspensus, tonante strepitu & terribili volatu [h] impetum ad inferos fecit, sanctosque rapiens ad superna remeavit.

5. Quartum quod dicit de muliere mœcha, hîc mulier Ecclesia intelligitur, quæ dudum sequens idola, fornicata ibat post deos alienos: sed ubi, cognita veritate, sedes [i] quas dudum collegerat, cùm semel fuerit baptismo lota, carens, credit se numquam peccasse, fit munda, fit nova, deposita conversatione sæculi: moritur diabolo, [k] renascitur Deo.

a. Rom. edit. testatur lectio.... Nam dum quorumdam mysteriorum propriam profitetur ignorantiam, adjungere distantiam videtur inter sapientiam suo collatam & Spiritum. Dicit ergo: Tria sunt mihi impossibilia scire, & quartum quod non cognosco: semitas navis non gentis, vias serpentis super petram, & vestigia aquilæ volantis. & quartum quod non cognosco, vias viri in juventute. Talis est mulieris meretricis, quæ cùm fecerit, postquam abluta fuerit, nihil dicit se fecisse mali.

b. Rom. edit. inter fluctus ostenderet, vel præscriberet viam, qua navis transierit? Navis enim transitu suo undas scindit, & illico se unda condensat; ut videatur quia transit, & non sciatur.... qua ut firmius inter fluctus evehatur, de ligno &c.

c. Eadem edit. Verbum Dei vivum & efficax per aurem penetrat ad viscera sine læsione, & homine adsumto, Verbum inter homines nascitur sine sui diminutione, & Maria virgo generat sine corruptione. Transit ergo navis.... vestigia remanent, quia venit &c.

d. Rom. edit. aure conceperit, & utero gestaverit. Meritò.... & infusam sapientiam distantiam ponit, dum ignorare se per Spiritum sanctum Mysterium indicat, quod per collatam sapientiam ignorabat. Deinde.... super petram. Commune est, & omnibus &c.

e. Eadem edit. in lateribus, dum ab viro non ut fuerant concessæ &c.

f. Rom. edit. Adam de limo, qualis & Christus est ex Virginis utero, vidit hominis similitudinem, sed coopertam corpore cognoscere non potuit majestatem.

g. Rom. edit. testatur, nempe vestigia aquilæ volantis.

h. Eadem Rom. edit. impetum ab inferis fecit.... quod dicit de viis viri in juventute, & mulieris meretricis, hæc mulier.... ut fornicaria ibat.

i. Rom. edit. quas dudum elegerat, relinquens, cùm semel fuerit baptismo à peccato lota, carens delictis, dicit se numquam peccasse: ita ms. ut in textu, ubi tamen pro sedes, mallemus sordes.

k. Post verba renascitur Deo Vat. codex desinit: at subjungit Rom. edit. ut scribit Apostolus ad Corinthios: Si quis ergo in Christo nova creatura est, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Deinque meritò dicit se nihil fecisse mali, quia per regenerationis sacramentum ita sunt ejus abolita peccata, ut si facta non fuissent; nec sunt in Dei memoria, ut Ezechiel propheta testatur, dicens: Vita vivet & non morietur, omnium enim delictorum ejus quæcumque fecit, non recordabitur ei. In hoc namque in mortem se tradidit Christus, ut Apostolus ad Ephesios scribit, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO XLVIII.

In festo sanctæ Agnetis virginis & martyris.

Hunc sermonem hactenus ineditum è tribus mss. prælo commisimus, nimirum Vallisclarensi, Remigiano atque Regio, in quibus omnibus Ambrosium nostrum præfert auctorem. Tametsi autem persuasum habeamus sancti Doctoris fœtum non esse, eleganter tamen nobis visa est eadem opella, quam ut à tineis non vindicetur.

1. Cum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcessibiles coronas innectat, & sceptrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu; eo usque integritas B perseveravit ad palmam, ut in puellis trophæum sanctitatis arriperet, & per vestigia matris virginis ad cælestem thalamum perveniret. Hinc est quod anulo fidei Agnes se adserit subarratam, & clamat se amore constrictam.[a] O quàm imitabile virginibus virgo tui tradidisti amoris exemplum! ô quàm sanctum pectoribus virgineis tribuisti responsum, contemnendo mundi divitias, exsecrando carnis concupiscentias, & solam Christi pulcritudinem adamando!

2. Accedite ad puellam, puellæ, & discite in annis infantiæ quales in pectore suo circa amorem Christi flammas accenderit. Dicit se amatori suo servare fidem, & ejus corpus concupiscere solum, qui pro amore omnium mortis non recusavit interitum. Discite, virgines Christi, amorem in A puella ferventem, & omnes mundi divitias velut stercora recusantem. Ideo enim sanctorum per litteras traduntur exempla, ut unusquisque pro qualitate sexus, & pro ætate annorum modum sui propositi teneat, & sicut per virginem virgines, ita & per conjugem conjuges vincere sæculum pro Christi amore studeant, ac repugnatione animi mundi [b] dulcia recusantes, & ejus non recusantes austera, ad delectationes perpetuas & ad gaudia æterna pertingant.

3. Hæc dicentes non vituperamus conjugum casta commercia, sed virginum perseverantiam adornamus; non enim virginitas [c] malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis præferenda. Quæ enim mundis mundior, & sanctis sanctior est, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque sancta conjugia patriarcharum conjuges in religione positæ, ac divinis litteris informatæ, Saram Rebeccam, Rachelem, Annam, Susannam, Sephoram imitentur uxores: Christi vero virgines solam Virginem matrem Virginis luminis subsequantur.

4. Hujus pedissequa Agnes beatissima de se magnum pudicitiæ excitavit exemplum, cùm virginitatem prætulit vitæ, omnemque à se amorem terrenum per amorem cælestem expellens, trophæum crucis Christi arripuit: & tam contra libidines quàm etiam contra universa supplicia fide potius armata quàm ferro, fortiter dimicavit & vicit. Adspicit denique blandientem & tenuit: minantem, & despicit: incendium adtendit, & ridet. Nescit aliquid amare,

a. Codex Vallisfl. O quam mirabile est &c.
b. Idem codex, dulcia recusantes, per austera ad delect. &c.

c. Codex Remig. malis rebus supponenda est &c.

quod transii; & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec supplicia, nec carnifices metuit: postremo nec gladium furentis persecutoris expavit. Compellitur virgo ornamenta suscipere corporis, sed renuit; quoniam jam susceperat mentis: & quia non de elegantia corporis humani placere studebat, quia timebat de foeditate animæ Domino displicere, dabat interius per fidem suæ mentis candorem, atque pulcritudinem animæ, quam excolebat; & quantum sciebat quod animam suam pulcram faceret, tantum in sua carne erubescebat se esse formosam: tantumque studuit displicere carnalibus in carnis adspectu, quantò Christo institit, & ejus Angelis complacere.

5. Turbatur juvenis à puella contemtus, & se muneribus complacere posse existimans, aurum, gemmas congeminans, vestes, prædia pretiosa convectat. Sed quia Christi caritas pretium pecuniarum non habet, virgo sacratissima in suo gradu usque ad sanguinis effusionem permansit; quoniam suo illam sanguine subarravetat Christus. Ad concupiscentem igitur revertitur census, & inconcussa virginitas Christo semel oblata perdurat. Discite, virgines Christi, normæ puellaris exempla, & oblata sub specie pietatis munuscula virorum tota intentione respuite, & quasi rabidi canis morsus omni cum gaudio recusate. A quo non recepetis quod timeas Dei, non accipias quod diligas mundi: Accipe, accipe, virgo, sed quod amori æterno proficiat. Quotiescumque ab homine consequuta fueris censum, sic accipe, ut te Christi sponsam agnoscas. Videt ille intus in mente quid facias, & quam expetenter ejus virgines comiteris, adtendit.

6. Videte ergo quomodo sequitur Agnes Mariam. Post opprobria nullum potuit penitus formidare supplicium, cui etiam lupanar turpitudinis locus efficitur orationis; & ubi diabolus ei ignominiam corruptionis præparaverat, illic eam excipere fecit Dominus coronam suæ virginitatis & palmam. Hoc est in suis sedibus hostes vincere, captivam ductam virginem ad penetralia regis libidinum, ipsum regem à virgine, quam captivaverat, victum, & victum cum virginis triumpho exire; nam qui tenuerat, tentus est: qui traxerat, tractus est: qui occidere se putabat, occisus est.

7. Denique ut probemus diabolum à virgine tunc fuisse victum, illius juvenis factum ad animum revocemus, quem contra Agnetis infantiam sic armaverat inimicus, ut nudam faceret trahi ad lupanar per vulgus, sub voce præconantis ducis, populum ad libidinem invitantis. Hunc ergo ducem fuisse diaboli nemo est qui dubitet; & victo duce, populum esse superatum omnibus notum est: superatis autem cum suo duce populis, tyrannum teneri captivum omnibus patet. Constat autem diabolum superatum, quoties contra virginem arma arripuit; nam exspoliata virgo, crinibus tegitur: & nudata ab hominibus malis, vestiebatur ab Angelis bonis: & damnata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis. Efficitur oratorium Angelorum locus, qui perditarum fuerat animarum; & ubi semper naufragaverat castitas, illic est coronata virginitas. Denique populos, quos præco ad libidinem invitaverat, virgo ad captivitatem obtinuit: & quos ad eam diabolus inquinatos induxit, illa à se mundos ejecit; omnes namque singillatim ingressi, unus alterum [a] sustinebat ingressum, quem egressum, dum non crederet mundum, se exhibebat immundum: sed ingressus ad libidinem, ad adorandum Dominum meritis virginis tenebatur; & exibat inde Dei servus, qui diaboli fuerat servus intus ingressus; [b] & tot facti sunt Christi cultores, quot diabolus corruptores se putaverat virginis invenisse.

8. Remansit itaque juvenis, qui reprobationis hujus auctor exstiterat; qui se putabat defensorem virginis superare, hic splendorem dum provocaret ad luxum, vitam quam videbatur habere, amisit; & mortem quam quærebat, invenit. Succedunt ridentibus lacrymæ, & insultantibus finem lamentationes imponunt. Adtendit virgo lugentem judicem, & quem minantem ante contemserat, nunc deprecantem exaudit. Illico igitur ut cœpit orare pro mortuo, & à mortuis excitat salvum, qui morti fuerat deputatus; & ad gaudium evocat, qui fuerat præcipitatus in luctum. Nam qui incestus fuerat mortuus, castus exsurgit; & fit prædicator castimonii, qui persecutor exstiterat castitatis.

9. Ad hæc sacrilegi conturbantur in templis, & Christum ista miracula facientem non timentes, excitant seditionem ignobilis vulgi; ut ratio quæ suadebat finem seditionum, clamoribus pulsa, locum in mentibus hominum invenire non posset. Pater vero suscitati filii tristis abscessit, & ut legitur, turbis furentibus vicarium dereliquit. Virgineo itaque corpori stridentes præparavere flammas. Sed corpus quod incendia libidinum superaverat, refrigerium in mediis flammis invenit: & quæ ad hoc focos ingressa fuerat, ut arderet, cœpit per sanctam virginitatem algere; ut disceret virginitas flammas sibi & incendia penitus dominari non posse.

10. Nec illos periisse æstimes, quos pro nomine Christi consumsit incendium; nam cùm legeris Eliam ignibus raptum, & pueros tres in mediis ignibus nulla ratione consumtos: aut quia Laurentium craticula consumtum recolis & Agnem sicut Teclam flammarum globos evasisse cognoscis, nullam in his suspiceris varietatem fidei tunc fuisse; una etenim fides sanctos Dei in passione exercuit, & diverso genere gloriarum reddidit utrobique victores. Nam qui consumtus est martyr, exsultat: & qui evasit victor, exsultat: & Isaiam sectum martyrem fecit, & Danielem leonum rabiem morsusque contemnentem, probatissimum Deus confessorem expressit: quo facto utrosque diaboli ostendit esse victores; unus enim moritur & triumphat, alius evadit & regnat.

11. Veni jam, virgo, ad thalamum, quem quæsisti: & pro amore sponsi gladium percussoris admitte; ut sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi, & martyrem confessio probata consignet. Felix caterva virginum, quibus studium est tuæ confessionis sequi vestigia; habebunt enim tecum coronam in cælo, quæ tecum superaverint inimicum in mundo. Nam sicut tibi Mariæ vestigia prosequenti participatio æternæ remunerationis apparuit; ita his imitantibus æterna credimus gaudia non neganda.

SERMO XLIX.

In natali SS. Cantii, Cantiani & Cantianillæ

Martyrum, in quorum laudem habitus est hic sermo, festum v. nonas apriles in Romano martyrologio renuntiatur: ad quem locum Card. Baronius observat in Notis suis hunc ipsum sermonem Ambrosio perperam adtributum, cùm sit Maximi, cui judicio calculum nostrum lubentes adjungimus.

1. HOdie [c] beatissimorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ natalis est. Quam bene & jucunde tres Martyres uno pene vocabulo nuncupantur! Nec mirum si similes sunt nomine, qui sunt similes passione: si una est illis apud homines appellatio, quibus apud Deum est [d] una vocatio; uniter enim vocati sunt à Domino, non interposito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiva quadam à Christo affectione concessum est; ut congruerent meritis, qui vocabulis concordabant: & qui erant consanguinitate fratres, fierent etiam sanctitate germani: & quorum membra unius corporis substantia vegetabat, eorum animas ejusdem fidei confessio coronaret.

2. Refert autem de beatis supradictis historia, quod tempore passionis, cùm eos persecutor inquireret, adscenso vehiculo, junctis mulabus, [e] eos secedere voluisse: & cùm non longe ab urbis mœnibus iter agerent, unum animal de subjunctis subito corruisse, atque ita illos à persecutoribus [f] comprehensos, tentos ad pœnam.

3. Quod factum quam gloriosum sit, & à divinitate dispositum, debemus advertere. Semper enim Deus, quos elegit, hos victores subvectione sublimi in aulam regni cælestis inducit. Nam sicut Elias curru applicito quasi adscendit ad cælum; ita & isti, vehiculo admoto, ad martyrium pervenerunt: & quadriga sicut illum evexit ad requiem, ita hos portavit ad gloriam. Et quamvis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habenda est; quia illa unum gestavit prophetam, hæc tres Martyres sustentavit. 4. Reg. 2. 11

a. Sustinebat, id est, suo vestigio manebat, & expectabat.
b. Desunt in cod. Remig. & tot facti sunt . . . corruptores invenisse.
c. Codex Gall. beatissimorum Cabelli cum tribus parvulis Cantii &c.

d. Idem codex Gall. una professio.
e. Gall. cod. antecedere voluisse, & cùm voluissent ad urbis mœnia iter agere.
f. Idem codex, comprehensos ad pœnam.

4. Sed dicit aliquis: Gloriosius gestavit quadriga ignea, quàm terrena. Nec hoc plane defuit sanctis viris; nam sicut Eliam ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea jam ferebat. Ferebat, inquam, illos Christus, qui lumen est, qui ignis est, de quo scriptum est: *Dominus noster ignis consumens est.* Hebr. 12. 29.

5. Ergo cùm beatos, de quibus loquimur, persequutor urgeret, vehiculum conscenderunt. Qua causa? ut fugerent? Absit. Non ut fugerent; sed ut ad martyrium citius pervenirent: non ut latitarent, sed ut christianos se cunctis transeuntibus manifestius approbarent. Ceterum occultius inter plures in civitate latere potuerant, tutius per diversa singuli fugæ præsidium commendare. At vero ubi quis congregatione habita, stratis vehiculis, apparatu disposito per aggerem publicum egreditur; illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim viri hoc facto velut in triumphali curru positi contestabantur [a] dicentes: Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus; quid resides? quid moraris? Subsequere nostra vestigia; nolumus enim videri inviti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

SERMO L.

In natali sanctis Johannis Baptistæ I.

Comparationes in hoc sermone inter Christi ac præcursoris ejus natalem institutæ, in nonnullis Augustini sermonibus reperiuntur, unde illas in hunc transferre potuit auctor. Quamvis vero idem ab Ambrosii stylo non tam discrepat, quam plures aliorum; satis tamen in eo discriminis observare nobis videmur, ut ipsum sancto Antisti abjudicemus.

1. IN sancti ac beatissimi Johannis Baptistæ laudibus, cujus natalem hodie celebramus, quid potissimum prædicem, nescio: utrum quod mirabiliter natus sit, an quod mirabilius sit occisus? Natus enim est in prophetia, in veritate peremtus est: nascendo annuntiavit Salvatoris adventum, moriendo condemnavit Herodis incestum. Vir enim sanctus & justus, & qui præter communem [b] hominum nativitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc de Deo meruit, ne communi cum ceteris de sæculo morte discederet: sed corpus quod, Domino donante, susceperat, Dominum confitendo deponeret.

2. Ergo Johannes per omnia voluntatem Dei fecit; quia propter opus Domini & natus est & defunctus. Nam ut nativitatis ejus seriem breviter repetamus, cùm essent pater ejus Zacharias & mater ejus Elizabeth ætatis senectute defessi, & nulla filiorum prole gauderent; procreandi etiam illis liberos tempus florentissimum præteriisset, ita ut de suscipienda jam sobole ipsa etiam eos vota deficerent, subita per Angelum repromissione donantur, & nasci Johannem Gabriel sanctus annuntiat dicens: *Ne timeas, Zacharia: ecce exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth concipiet & pariet filium.* Luc. 1. 13.

3. Exaudita est, inquit, oratio tua, unde intelligimus quod Johannem Zachariæ justitia magis orando genuerit, quam Elizabeth senectus [c] procreando susceperit. Hinc, inquam, intelligimus quod Johannem obsecratio creaverit, non voluptas. Cùm enim materni uteri viscera ætatis senectute frigescerent, & fessa jam corporis membra fœcunditatis gratiam perdidissent, contra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem viscerum, Zachariæ precibus Elizabeth uterus intumescit, & concepit Johannem non naturâ; sed gratiâ [d] Unde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus, quam orationibus gigneretur.

4. Minus autem mirari debemus quod tantam Johannes gratiam in nascendo meruerit; debuit enim præcursor & prævius Christi aliquid simile habere nativitati domini Salvatoris. Si quidem Dominus de Virgine gignitur, Johannes de sterili procreatur: [e] ille de adolescentula immaculata depromitur, hic de vetula jam fessa generatur. Habet ergo & hujus nativitas aliquid gloriæ atque miraculi. Quamvis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis; tamen sicut Mariam suspicimus, quod Virgo pepererit, ita Elizabeth miramur, quod anicula procreaverit.

5. Quod quidem factum mysterium aliquod arbitror continere, ut Johannes qui veteris Testamenti figuram gerebat, senis muliercula frigido jam sanguine nasceretur; Dominus autem qui regni cælestis Evangelium prædicaret, serventis juvenculæ flore progrederetur. Maria enim conscia virginitatis, miratur fœtum visceribus involutum: Elizabeth autem conscia senectutis, erubescit [f] partu uterum prægravatum; dicit enim evangelista: *Occultabat se mensibus quinque.* Luc. 1. 24.

6. Illud autem quam mirandum, quod idem Gabriel Archangelus utriusque nativitatis officium repræsentat; Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille quia dubitavit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, Verbum salutare concepit.

7. Hoc etiam in laudibus Johannis minime tacendum videtur, quod nondum natus jam prophetat, & adhuc in materni uteri finibus constitutus, adventum Christi, quia voce non poterat, gaudiis confitetur. Dicit enim Elizabeth ad sanctam Mariam: *Simul ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo;* Ibid. 44. exsultat enim Johannes antequam nascatur, & priusquam mundi oculis habitum recognoscat, jam spiritu mundi Dominum recognoscit. In quo arbitror propheticam convenire sententiam, quæ dicit: *Priusquam te formarem in utero, novi te; & priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* Hier. 1. 5. Unde mirari non debemus quod ab Herode [g] in carcere clausus, Christum semper suis discipulis intimavit; cùm etiam clausus in utero eumdem Dominum gestibus prædicarit.

SERMO LI.

De prerogativa ejusdem S. Johannis Baptistæ.

Ejusdem auctoris hunc sermonem esse, cujus & superiorem cum ex stylo conjici potest, tum etiam ex eo quod eidem proxime subjicitur in vet. edit. ac mss. Illud porro quod à num. 5. usque ad finem de Johannis magnitudine dicitur, ex Ambrosio in Lucam *lib. 2. num. 110. imitari ac proprio ingenio pertractare potuit sermonis auctor: ex eo autem hoc ipsum mutuari, qui sermonem 197. Append. August. ubi hoc fragmentum integrum exstat, consarcinavit; non enim uterque ab eadem manu profectus videtur, & minus hic noster refert cæmentum, quam supradictus.*

1. SAncti Johannis Baptistæ natalem hodie prosequuturus tacere vellem, & laborem atque imperitiam meam silentio coercere: sed ipsa vis nominis ejus minime me silere permittit; nam nuncupatio vocabuli ipsius, pectoris nostri urget secreta, silentii nostri resolvit arcana, & quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur. Si enim pater Zacharias cùm eum nominavit, vocem recepit; Luc. 1. 64. quanto magis cùm laudamus illum, eloquium promeremur? & si illius os cùm in sæculo nasceretur aperuit; quanto magis cùm pro Christo patitur, ora nostra fœcundat?

2. Cùm enim Zacharias pater ejus propter incredulitatem nativitatis illius ab Angelo Gabriele silentii esset taciturnitate multatus, & jam diu mutus verborum dispendio mentis secreta velaret, subito nato Johanne filio, cùm apud proximos esset contentio quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulæ; ut vocabulum ejus pro suo arbitrio ipse describeret, & quod sermone non poterat, litteris loqueretur: tunc mirum in modum acceptis pugillaribus, ut stylum figeret, linguam resolvit, ac litteras sermone prævenit, & Johannem non testatus est, sed loquutus. Ibidem 20.

3. Videte igitur sancti Baptistæ meritum, vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparavit. Videte, inquam, meritum: os quod Angelus alligaverat, Johannes absolvit: quod Gabriel obstruxerat, parvulus reseravit; quamquam & ipse sit Angelus, sicut scriptum est de eo: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Malach. 4. 1. Respicite igitur Johan-

a. Codex Gall. *directos: Ecce præcedimus, quid resides?*
b. Codex Germ. *omnium nativitatem ex promissione.*
c. Omnes edit. cum mss. duobus, *procreando susceperit*: melius cod. Lugd. *frustrando suscepisse.*
d. *Unde necesse erat . . . gigneretur*, deest in ms. Germ.
e. Vet. edit. *ille de adolescentula: iste de jam fessa generatur.* Rom. & cod. Lugd. ac Theod. ut in contextu, nisi quod illa exhibet, *immaculata promitur et iste* &c. mss. vero Germ. & Theod. eo tantum dissident, quod pro *adolescentula* præfert *virgine.*
f. Edit. *partum utero prægravato*: melius mss. *partu uterum prægravatum.*
g. Ita mss. at edit. omnes *inclusus in carcerem*, *clausus* &c.

nem, quanta vis sit ejus vocabuli, cujus nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, privatus officio: at ubi Johannes nascitur, fit repente pater, propheta, vel pontifex; loquela usum recipit, prolem affectio suscipit, sacerdotem functio recognoscit.

4. Cùm ergo tanta vis sit ejus vocabuli, dicturi de eo, etsi tacere volumus, silere non possumus; ipse enim Johannes vox clamantis dicitur. Quis igitur, qui vocem laudet, & taceat? clamorem admiretur, & mutus sit? Ait enim Johan. 1. 23. ipse de se: *Ego sum vox clamantis in deserto.* Videte quid dixerit; non enim ait tantum: Ego sum vox; sed & clamantis vox: scilicet ut ad fidem consequendam vox aures penetret, clamor corda concutiat: vox regnum prædicet, clamor judicium comminetur.

5. Magnus igitur Johannes, cujus magnitudini etiam Luc. 7. 28. Salvator testimonium perhibet, dicens: *Inter natos mulierum major non est Johanne Baptista.* Præcellit cunctis, eminet universis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas; & quisquis de muliere nascitur, inferior est Johanne.

6. Sed debemus diligenter inquirere, cur ita Dominus dixerit, hoc est: *Inter natos mulierum*, & non potius dixerit: Inter filios virorum non est major Johanne, cùm utique mulieres natos sine viris habere non possint. Hoc autem dixit, quia numerosior est proles mulierum, quam virorum; est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem Galat. 4. 4. non haberet; Dominus enim est mulieris filius, & viri filius non est, sicut dicit Apostolus: [a] *Factum de muliere, factum sub Lege*; ut qui matrem in terris habet, Patrem haberet in cælis. Ergo in laudem Johannis fœcundioris sexus generatio ponitur, ut nullius ab eo nativitas separetur.

7. Dicit forte aliquis: Si inter natos mulierum major est Johannes, numquid etiam major est Salvatore? Absit; Johannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est; ille corruptibilis uteri finibus effusus est, iste impollutæ vulvæ flore progenitus. Ideo autem cum Johannis nativitate Domini generatio deputatur, [b] ne Dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanæ.

SERMO LII.

De vita ejusdem sancti Johannis Baptistæ III.

Hic sermo tametsi à Gratiano & Ivone sub nomine Ambrosii citatus fuerit, nihil tamen præ se fert Ambrosii: sed nec quidquam affinitatis habet cum superioribus, quemadmodum ex ejus exordio, nec non ex eo quod longissime ab illis in Gall. cod. disjungatur, patet. Quin etiam si quis adtentius illum discusserit, eumdem comperiet laciniis constare hinc inde sumtis; quandoquidem quod eo legitur de sanguine Abel clamante, infra in sermone 59 reperitur, & quod hic de concubinis, monachis clericisque disputatur, petitum videtur ex sermonibus Cæsarianis 292. & 293. Append. August. aliisque nonnullis.

1. DIximus superiori Dominica, cùm silentii nostri veniam peteremus, quod pro salute communi, sacerdotibus etiam tacentibus, doctrina evangelica non taceat, & quod silentium eorum suppleret divina sententia; semper enim divina scriptura loquitur & clamat, sicut scriptum Johan. 1. 23. est de Johanne: *Ego sum vox clamantis in deserto.* Non enim tantum in illo tempore clamavit Johannes, quo pha- Matt. 3. 3. risæis annuntians dominum Salvatorem, dixit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*; sed & hodie clamat in nobis, & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum. Ac licet sancta martyrii morte dormierit, vox tamen ejus vivit; dicit enim & nobis hodie: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*; semper enim scriptura divina clamat & loquitur.

Gen. 4. 10. 2. Unde & ad Cain dicit Deus: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Nulla utique sanguinis vox est, sed clamare dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam voce quam causâ; & interpellare Dominum non prosecutione eloquii, sed indignatione commissi; ac reatum suum non tam verborum accusare sermonibus, quam conscientiæ ipsius criminatione constringere. Quamvis enim malum factum si in verbo producatur, excusationem fortasse recipit, nisi conscientiâ revocetur, non potest excusari. [c] Conscientia enim reum suum semper tacita sine contradictione convincit & judicat.

3. Hodieque ergo Johannes clamat & dicit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Parate ergo jubemur viam Domini, scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatem; Dominus enim terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus asperum, crudelitate durum, conversatione pollutum, jubemur mundare, exæquare, componere; ut superveniens Dominus non offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate puram, proclivem fide, eleemosynis eminentem. Quod autem tali itinere incedere soleat Dominus, Propheta describit, dicens: *Iter facite ei, qui adscendit super occasum, Dominus nomen est ei.* Psal. 67. 5.

4. Sed videamus, ipse Johannes qui parare viam Domino jubet, quam ipse viam paraverit Salvatori. Per omnia plane, adveniente Christo, tramitem vitæ suæ composuit & direxit. Nam fuit utique jejunus, humilis, parcus & virgo; omnes enim has virtutes ejus Evangelista describens ait: *Ipse autem Johannes vestitum habebat de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus. Esca autem ejus erant locustæ, & mel silvestre.* Matth. 3. 4. 5. Quæ igitur [d] major humilitas in propheta, quam contemtis mollibus indumentis, pilorum asperitate vestiri? Quæ devotior fides, quam præcinctum zona paratum esse semper ad omne servitutis obsequium? Quæ præclarior abstinentia, quam spretis vitæ hujus deliciis, stridulis vesci locustis ac melle silvestri?

5. Quæ omnia hæc quoniam prophetæ usui erant, arbitror in his ipsis prophetiam fuisse. Nam utique cùm præcursor Christi vestimentum habebat camelorum asperitate contextum, quid aliud significat, nisi quod ipse Christus adveniens usurus esset indumentum humani corporis, quod erat peccatorum asperitate densatum: & quod velut immundissimæ bestiæ, hoc est, gentilis populi circumdatus exuviis, deformitatem ejus ipse gestaret? Zona vero pellicea quid aliud demonstrat, nisi hanc fragilem carnem nostram, quæ ante adventum Christi dominabatur ad vitia, post adventum ejus restrictam esse ad virtutem; ut quæ ante luxuriando dilatabatur in pinguedinem, nunc abstinendo adtenuaretur in pellem?

6. Exitum vero ejus quam beatum legimus, scilicet quod psaltria regis filia [e] post illam nimicam voluptatem caput ejus petierit? Marc. 6. 27. Quid mirum si psaltria occidit prophetam? Scimus quia luxuria semper est inimica justitiæ, & iniquitas sine cessatione persequitur veritatem. In quo facto grande mysterium continetur: nam utique ipsa psaltria Synagogæ est comparanda, quæ Christum, dum luxuriatur, occidit. Quod autem ista psaltria Synagoga sit, dicit Dominus ad Judæos: *Cantavimus vobis, & non saltastis.* Matth. 11. 17.

7. Cur autem à Johannis corpore caput ablatum sit, manifesta res est. Johannes, sicut Scripturis adstruitur, typum Legis gerebat: de Domino autem legimus, quia viri caput Christus est. 1. Cor. 11. 3. Ergo cùm à Johannis corpore caput ejus aufertur, Christus quodammodo à Judæis Legis cultoribus separatur. Remansit enim illis sine Salvatore Lex exanimis & truncata; nam ex eo utique Judæi divina non sapiunt, ex quo sine capite esse cœperunt.

8. Iter igitur facit Domino, qui inter ceteras continentiæ virtutes matrimonii limitem non excedit, nec conjugii præscriptum terminum adulterina permixtione commaculat. Sunt enim nonnulli qui cum legibus uxores duxerint, contra divinitatis legem sibi sociant concubinas, non intelligentes quod contrahendo matrimonia, propriis se vinculis constrinxerunt; qui enim legibus duxit uxorem, profitetur se contra legem non esse facturum. Reum ergo ipse se statuit, qui adhibendo sibi adulteram, jus pollicitationis excedit.

9. Sed dicit aliquis: Uxorem non habeo, & ideo mihi ancillulam sociavi. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham: *Ejice ancillam, & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Si igitur ancillæ filius heres non est, ergo nec filius est. Cur ergo quæritur tale conjugium, de quo susceptus filius nec successionis possit heres esse, nec Gen. 21. 10.

Margin: 2. 19. q. 1. c. Dicat aliquis.

a. Codex Theod. Natum de muliere.
b. Idem codex, ut Dominus extra veritatem.
c. Quidam edit. Conscientia enim reatum suum: codex Lugd. ... suum ferm.
d. Vet. edit. major causa humilitatis: Rom. & codex Lugd. major humilitas.
e. Codex Lugd. post illam inimicam voluptatem.

sanguinis? Nec enim habere potest hereditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati filii non matrimonii, sed testes sint adulterii? Cur hujusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sint, non honori? Dicit Scriptura: *Adulterorum filii non initiati erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, ut mereatur consortium, mereatur & nomen uxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris; ne tu adulter sis potius, quam maritus.

10. Sed & ille iter facit Domino christianus, qui professionis suæ exhibet ei fidele servitium, & castitatem quam promisit, custodit tam mente, quam corpore. Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt, sed quærunt sibi contubernia, atque utinam fratrum. [a] Invenisti christianum monachum, cui cum fratre non convenit, & libentius ei convenit cum sorore: qui non sequitur seniorem utilia commonentem, & sequitur adolescentulam incongrua cachinnantem: ejus etsi sincerum corpus sit, anima non potest esse sincera.

11. Sed & ille clericus iter Domino facit, qui secundùm Evangelium vivit, & per omnia obtemperat sacerdoti; aliquanti enim cùm sint minus subditi, moleste ferunt, cùm à senioribus arguuntur. Dicunt: Graviter irascitur episcopus, patientior esse deberet. Audi ergo optime clerice: [b] Sacerdotis exigis patientiam, & tui non exigis disciplinam? Nescis quia mihi salutis causâ arguere aliquando permissum est, tibi numquam peccare concessum est? dicit enim Apostolus: *Increpa opportune, importune argue.* Esto ergo in omnibus subditus sacerdoti, si vis eum esse mansuetum.

SERMO LIII.

In natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

Huic sermoni nihil omnino inesse deprehendimus Ambrosiani styli; & quamvis in mss. quibusdam sancti Antistitis nomine inscribatur in antiquioribus tamen nemini tribuitur. Posset forte an veteris Auctoris inde putari, quod numerosa paganorum conversiones dicantur facta, nisi commodius ad apostolorum prædicationem hæc referrentur.

1. NAtalem beatissimorum apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, fratres carissimi, diversis epulis nos reficere debemus, & tantam festivitatem magna cum lætitia celebrare. [c] Quis enim talium virorum solemnitatem non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solemnitate non magnos sibi exhibeat apparatus; ut quo plus expenderit, plus se apostolos confirmet amare?

2. Veruntamen non opus est proprio sumtu ad refectionem nostram: nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit; est enim omnibus copiis refertum vas ejus, quod illi de cælo esurienti delatum est. Igitur qui esurit, sicut Petrus, reficitur ipse cum Petro. Ut quid ergo præparemus nobis proprium prandium, cùm apostolico ferculo saginemur? cur nobis inquiramus terrenas epulas, cùm cælestes copias habeamus? [Act. 10. 11. & seq.] Dicit enim sanctus Lucas in Actibus apostolorum post orationem esurienti Petro circa horam sextam aperto cælo vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatum, in quo erant omnia quadrupedia & repentia terræ, & volatilia cæli; & dixisse Dominum ad eum: [Ibid. 13.] *Petre, surge: immola, & manduca.*

3. [Act. 3. 6.] Ecce Petrus, qui dicit alibi: *Aurum & argentum non est mihi*: nunc convivii ejus vasculum splendidius est argento: ut qui propter Christum [d] argenti speciem refutasset, per Christum argenti nitore ditaretur. Pransuro igitur Petro desunt cocorum apparatus, desunt obsequia famulorum: sed quod est melius, ministeria divina non desunt, & utilior commutatione sancto viro, quod deest in terris, abundat in cælis; ut se reficiat enim Petrus, non cellarium sollicite reseratur, sed cælum ipsum protinus aperitur. [e] [3. Reg. 17. 6.] Legimus in Scripturis sanctum Eliam in deserto corvis ministrantibus pastum; quanto melius Petrus, cui non parvam escam terra avis porrigit, sed integrum convivium multitudo Angelica subministrat?

4. [Act. 10. 10.] Post orationem ergo esurit Petrus. Mirandum cur sanctum virum post orationem fames sequatur, cùm soleat fames oratione depelli, & esuriens anima non nisi obsecrationibus saginari. Sed puto Petrum post orationem non cibum esurisse hominum, sed salutem: nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cùm enim Judaicus populus perfidus & ingratus, illo prædicante, Christo non crederet, famem quodammodo Petrus sui officii sustinebat; famem enim patitur, qui minime fructum sui laboris adsequitur.

5. [Ibidem.] In cœnaculum igitur ad orationem festinus adscendit. Bene ait in cœnaculum ad orationem adscendisse Petrum; quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia, vel terrena, in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione sancta cœlo vicinus efficitur. Atque ibi esurienti illi, hoc est, cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Judaici populi, offertur vas diversorum generum animalibus plenum, velut divinitate dicente illi: Tu in Judæos sólos esuris, ecce famem fidei tuæ cunctarum gentium diversitate reficio. Nam utique diversa animalia collecta in uno vasculo, diversarum gentium congregatio collecta in una Ecclesia demonstratur: quæ Ecclesia in illius vasculo splendido, dum non habet maculam neque rugam, lintei nitore resplendet. In qua primum animal Deo ex gentibus centurio Cornelius immolatur.

6. De hoc ergo vasculo suo hodie nos reficit Petrus; cùm enim videmus gentilium turbas ad fidem christianitatis accurrere, simul cum apostolis gratulamur. Non enim mortui sunt, quorum curamus natalem hodie: sed renati [f] vivunt plane; quia participes effecti sunt Christi, qui vita est omnium. Quamvis enim corpora passione cæsa sint, interruptus tamen non est [g] ordo vivendi; jugiter enim & Deo gratias agunt, & laudes Salvatori referunt; nisi quod resolutâ membrorum sarcinâ, magis adhærent Christo, [Philip. 1. 23.] sicut ait Paulus apostolus: *Dissolvi, & cum Christo esse, multo melius.* Non ergo dicenda est mors, qua interveniente, caremus persecutoribus, & Christo connectimur. Non est plane dicenda mors, quæ Christo mortuum socians, lucrum efficit morientis, sicut ait beatus Apostolus: [Ibidem 21.] *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.* Illa autem vera est mors, quæ etiam viventem hominem peccatorum morte constringit; quia quamvis vivere videatur, sceleribus tamen suis morti jam videtur addictus, sicut ait Apostolus de illa deliciosa vidua. [1. Tim. 5. 6.] *Hæc autem vivens mortua est.*

SERMO LIV.

De neglecta solemnitate beatorum apostolorum Petri & Pauli II.

Edit. antiq. & codex Lugd. huic sermoni titulum præfigunt De Margarita. *Non quidem recte, sed multo pejus Rom. edit. illum inscribit* In Festo S. Luciæ &c. *cum de sancta illa in toto sermone nullum sit verbum. Veram igitur inscriptionem è cod. Remig. restituimus. Quod porro ad auctorem hujus sermonis, potest quidem hic idem esse, qui & sermonum 42. 43. & 44. sed qui Ambrosio illum adrogabit, is in Ambrosiana lectione parum versatum se declarabit.*

1. SAtis ad correctionem vestram arbitror posse sufficere, fratres dilecti, quod anteriore Dominica profecturus, nulla vobis sacrarum litterarum spiritalia dona largitus sim: sed tantum vos increpans & arguens pro peccato, sine aliqua prædicationis consolatione dimiserim. Volui enim vos hoc ipsum intelligere quam graviter peccaveritis, qui divina eloquia audire minime meruistis. Hæc enim sacerdotum vehemens & copiosa vindicta est, indignis quibusque scripturarum cælestium sacramenta non credere: nec, sicut ait Dominus, [Matth. 7. 6.] *dare sanctum canibus, neque margaritas projicere porcorum pedibus conculcandas.*

2. Perdit enim cælestis margaritæ gratiam, quisquis eam [h] fœdissimo peccatori circumdare conatur; gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non convenit, margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum,

a. Lugd. cod. *Inveni etiam christianum* &c.
b. Codex Lugd. *sacerdotem exigis pat. & te non exigis.* &c.
c. *Quis enim . . . debet celebrare*, in nostris omnibus mss. deest.
d. Cod. Vind. ac Mich. *argenti speciem refutasset.*
e. Iidem cod. omittunt: *Legimus in Scripturis, . . . subministrat.* Et infra: *Bene ait adscendisse Petrum.*

f. Omnes edit. *vivunt pace*: omnes mss. *vivunt plane.* Infra vero edit. Rom. sola, *qui panis vitæ est omnium.*
g. Edit. cum cod. Lugd. *ordo vivendi*: concinnius alii cod. *ordo vivendi.*
h. Ita vet. edit. ac mss. Lugd. ac Remig. *fœdissimo pollui*: melius haud dubie, *fœdissimo pecori.*

estote monile pretiosum; ut possit in vobis margarita spiritalis includi. Margarita enim Christus est dominus, quam
Matth. 13. 46. negotiator ille dives in Evangelio, venditis omnibus rebus suis, emere festinavit; & maluit omnes quas habebat, sæculi gemmas amittere, tantum ut unam Christi emeret margaritam.

3. Unde & ego, fratres, pro magnitudine, quod commissetatis, delicti nolui vobis pandere evangelicæ refectionis eloquia; sed magis ingerere animosæ indignationis injuriam, & prius vos verberibus spiritalibus emendare, ac sic margaritæ ditare muneribus. Malui, inquam, peccatum vestrum incusando acriter increpare, quam leniter dissimulando nutrire; quisquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur ut peccet. Nolo autem putetis quod non de amore faciam, vos sæpius verberando; filius enim, qui castigatione dignus est, plus amatus, sicut ait
Hebr. 12. 6. scriptura sancta: *Quem enim diligit Dominus, corripit: castigat autem omnem filium, quem recipit.*

4. Dicite enim mihi si non dolendum fuerit hoc peccatum, sic vos salutis vestræ immemores tunc fuisse, ut beatissimis apostolis Petro & Paulo honorificentiam minime redderetis; cùm ipsos esse sciatis doctores gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum: nec volueritis eorum natalem nobiscum festivissimum celebrare, atque illi cælesti interesse convivio, in quo pro martyrum suorum tanta lætitia, substantiam vitæ ipse nobis [a] Dominus ministravit? Vultis autem scire quantis bonis fraudati fueritis? Interrogate fratres, qui tunc temporis mecum pariter adfuerunt, quam refecti à Dominica mensa discesserint, vel quales secum domum spiritales divitias reportaverint.

5. Unum scio, quod si quis illa die honoratus aut dives ob natalem filii sui ad decimum usque milliarium ad prandium rogavisset, propter accuratas epulas, & inæquales mensuras absque dubio vos ituros fuisse. Igitur, fratres, quotiescumque martyrum memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, [b] sine aliqua dilatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tamquam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati, præsertim cùm dicat ad sanctos suos omnipotens Deus:
Luc. 10. 16. *Qui vos honorat, me honorat: & qui vos spernit, me spernit.* Quisquis ergo honorat martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & Dominum.

SERMO LV.

In natali SS. Nazarii & Celsi martyrum.

Hic sermo non exstat in edit. Amerb. neque Erasm. sed nec in ullis mss. quos quidem videre nobis licuerit, reperitur. Ut autem eum Ambrosii non esse quivis intelligat, cum eo tantum conferenda est Paulini narratio, qua inventas horum martyrum reliquias describit. Etenim inventionem illam extremis tantum sancti Episcopi annis adserit evenisse, cum idem sermo jam celebri per omnem Ecclesiam eorum festo habitus fuerit. Colitur ipsorum dies natalis v. Kal. augustas: inventio autem vi. Idus maias. De quibus sanctis consuli etiam potest sanctus Paulinus Carm. 9. in natali S. Felicis.

1. ETiam si martyribus regionis extraneæ pia votorum debita redderemus, propriis consulere utilitatibus & commodis probaremur; nostros enim eos fides faceret, & remotis quamlibet finibus sperata nobis patrocinia corrogarent. Studiorum siquidem sunt hujusmodi suffragia, non locorum; proinde apud domesticos Dei tantum intercessionis promerueris, quantum venerationis impenderis. Oportet itaque ut alienos potius nobis devotio religiosa conciliet, quam forte proprios à nobis negligentia irreligiosi teporis alienet.

2. Agnoscamus, carissimi, circa Ecclesiam nostram uberiorem divinorum munerum largitatem. Exsultant felices singularum urbium populi, si unius saltem martyris reliquiis muniantur: ecce nos populos martyrum possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cælestium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Recte itaque & ex debito à filiis parentis Ecclesiæ horum beatorum martyrum celebrantur insignia: qui illuminantes virtute fidei suæ innumerabiles populos, soli quidem illatam sibi sensere mortem, sed non soli mortis suæ beneficia possederunt. Immensa enim Dei nostri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutem, proponens arduam virtutum palmam, sato appetitore pretiosam, in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem merita nostra vult esse suffragia: simulque dum nobis fidem veram duro martyrii agone commendat, afflictionem præcedentium instructionem efficit posterorum.

3. Quanta est circa nos Dei nostri sollicitudo? Illos examinat, ut nos erudiat: illos conterit, ut nos adquirat; eorumque cruciatus nostros vult esse profectus. Merito ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris utilitatibus militant, qui per lucis vitæque contemtum edocent nos quantum Deo nostro debeamus affectum. Noverimus itaque quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post prophetarum oracula; post apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas.

4. Congratulamur ergo, dilectissimi fratres, magnæ fidei vestræ, per quam dum exsules profusa caritate suscipitis, etiam incolas paradisi & cæli cives habere meruistis. Beatum itaque Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis Ecclesia licet totum corpore secum retineat, & mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc est enim sanctorum martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Christi milite fidem nostram; mater namque martyrii fides catholica est, in qua iste illustris athleta, sanguine fuso, mortem pro ipsa calcavit. Mater, inquam, martyrii fides est: veneremur ergo in sanctorum martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis evidenter adseritur; numquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis resurrectionis auctoritas est; prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

5. Unde & beatus Nazarius, cujus hodie gloriosam de mundi hoste victoriam universalis Ecclesia festa exsultatione concelebrat, cùm tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus existeret, sacrilegi adhuc pueri genitoris militiam simul & doctrinam detestari ex improviso cœpit: atque ab innocente matre, quæ jam christianæ fidei titulis insignita, Christo sedule insistebat, sacro sanctæ regenerationis fluenta fidelis jam spiritu, ac fide instituta præveniens, demonstrari sibi flagitabat. Nondum siquidem baptismum consequutus, sed inter religionis principia consummatus: & nondum manifestatis sibi legibus, Deo plenus, repente possessio atque habitaculum Dei factus est: atque ita perventuræ usque ad cælos turris [c] prius meruit elevare fastigium, quam disponeret fundamentum, nondum sacramentorum conscius, & in sacrificium jam prælectus.

6. Quid ad hæc nos infelices respondere poterimus, qui post nitorem baptismi, post collatum nobis sacra regeneratione candorem, post adquisitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem, in peccatorum cœnum relapsi, & in antiqua criminum volutabra revoluti, niveum vestimentum terris iniquitatum ac libidinum contagiis sordidamus: & holosericam, in qua sigillum divinæ imaginis acceperamus impressum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus; & post singularem Dei nostri indulgentiam innovata fœdamus, integra rescindimus, expiata violamus, repetentes opera non jam undis purganda, sed flammis.

7. Quid illud, quamque insigne divinæ gratiæ munus, quod accepto jam salutari lavacro, post innumera virtutum signa, post peragratas circumquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones; cùm pro Dei summi confessione diversa per supplicia adversus eum totus pene orbis baccharetur: & nunc atrocissimis artaretur pœnis cru-

a. Omnes olim & codex Lugd. Dominus demonstravit: optime Remig. Dominus ministravit.
b. Vet. edit. sine aliqua dubitatione: Rom. & mss. ex nos locum. Infra vero ubi omnes olim ac ms. Remig. tam sacrata hostias, magis commode codex Lugd. tamquam sacrata hostia.
c. Remig. cum prius elevare fastigium, omisso videlicet, meruit.

ciandus, nunc in longinquis finibus transveheretur exsulandus; ita robustissimo Christi athleta pectore tormenta omnia devincebat, ut strenuum de prostrato reportaret hoste trophæum: interque cruenta Cæsaris jussa vasti maris dejectus gurgitibus, ambulare ei divinâ super aquas concessum est providentiâ, & certum obstupescente natura, per insueti itineris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit? Videres æquoreas Sancti subterni meritis undas, supraque angelicis confortatum alloquiis, in Christi Jesu laudibus exsultare. Ecce profanus hostis numquam beato martyri tantum prodesset obsequio, quantum profuit odio.

8. Sed tandem perfecto agonis certamine, cum Celso puerulo, quem ipse Deo in holocaustum polluto adsumserat ex sæculo, crudeli imperio damnatione absolvitur, gladio consecratur. Felix hic tali exitu, quo omne delictum ita ab eo exiit, ut etiam redire non possit: quo sic debita sua solvit, ne ultra creditorem timeret: quo in se hostium peccata fide clausit, fide damnavit: per quem innocentiam devotione quæsivit, perseverantiâ invenit, morte servavit.

9. Quæ cùm ita sint, carissimi, licet hic tantus Christi testis pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, & tinctâ veste candidior; licet his Mediolanensium peculiaris putetur privilegio sepulcri, sed omnium est communione suffragii. Neque enim istius urbis caritas proflua & fides avara tantum huic martyri derogaverit, dum sibi arrogat; ut solum erga mœnia sua patrocinii illius beneficia adfutura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique martyrem, ubique te exaudivit ille, qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua; in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti. Oratio enim quæ castitatis, justitiæ, & eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summæ majestatis, Angelo conferente, conspectum, sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cùm tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis Dei.

10. Beata anima, carissimi, cujus votum, cujus compunctionis incensum, cujus supplicationis holocaustum, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla sævitia cruentatum, nulla odii simultate maculatum: sed fide igneum, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordia & caritate perfectum, usque ad Dei vultum per cælestium nuntiorum defertur obsequia. Quæ cùm ita sint, honoremus beatos martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, coheredes Dei.

11. Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne jam resoluta atque consumta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, carissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam: *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum ejus*? & iterum: *Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui, Deus?* Honorare debemus servos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: *Dominus*, inquit, *custodit omnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur.* Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & adflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.

[Margin: [illegible]; Psal. 115. 15.; Psal. 138. 17.; Psal. 33. 21.]

SERMO LVI.

De natali sancti Eusebii Vercellensis episcopi.

In hoc sermone de sancto Eusebio tamquam de martyre agitur, quamvis in confessorum ordine semper reponatur apud antiquos: cetera satis historia hujus antistitis idem congruit. Habemus apud Maximum alium sermonem de eodem sancto in multis huic ipsi persimilem, sed sive illi ab eodem auctore, sive à diversis profecti fuerint, hunc non esse Maximi perspicuum est; cum in ipsamet Vercellensi Ecclesia sit pronuntiatus. Ejus vero auctorem antiquum fuisse ex eo patet, quod se, præsente Exuperantio, ejusdem Eusebii discipulo, loqui significat. Verum quisquis ille sit, diversum eum esse ab Ambrosio, & alii jam ante agnoverunt, & tota sermonis series abunde probat.

1. AD sancti martyris Eusebii laudem aliquid addere velle, decerpere est; tam ineffabilium enim doctrinarum magister exstitit, ut merita ejus facilius operibus cognosci possint, quam sermonibus explicari. Tantum autem de eo conscientia retinet, [a] quantum oratio & narratio non prævalet. Igitur gesta illius non verbis adornanda sunt, sed perstringenda sententiis; præsertim quia nos scimus eam rem comere non debere sermonibus, quam videmus jam comtam esse virtutibus, cùm dicat Apostolus: *Regnum Dei non in sermone est, sed in virtute.* 1. Cor. 4. 20.

2. Ergo ad merita ejus aliquid addere velle, decerpere est, me præcipue, [b] qui & ignarus rerum gestarum sim, & litterarum imperitus sacrarum, & rudis sacerdotalium functionum. Potuissent autem prædicare hæc sancti præcessores mei usu facilius, experimento probatius, doctrina præclarius: dominum & patrem specialiter beatum Exsuperantium loquor, qui fuit ejus minister in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore. In cujus vultu sanctum quoque Eusebium videre nos credimus, & quasi in quodam speculo bonitatis illius imaginem contuemur; facile enim cognoscimus qualis magister fuerit, cujus talem videmus esse discipulum. Sed quoniam confessionis illius similis hunc gloria comitatur, mavolt reticere laudes paternas; ne proprias pariter jactare videatur.

3. Quid ergo de martyris Eusebii gloria prædicem, cujus tota plebs ista sit gloria? Et cùm dicat Scriptura: *Gloria patris est filius sapiens*; quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia & devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit. Quidquid ergo in hac sancta plebe potest esse virtutum & gratiæ, in sancti Eusebii magisterio reperitur. Ex hoc autem quasi quodam virtutum fonte lucidissimo rivulorum hæc puritas emanavit. Nam quia castitatis vigore pollebat, propositum virginitatis instituit; quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, monachorum introduxit forte servitium; quia blandimentis erat præditus lenitatis, cunctorum civium in Deum provocavit affectum; quia pontificii administratione fulgebat, plures è discipulis sacerdotii sui elegit heredes. Quamvis igitur nonnulli liberis suis relinquant auri argentique thesauros, nemo tamen sancto Eusebio ditiores reliquit; siquidem omnes exstiterunt aut sacerdotes, aut martyres. Prov. 10. 1.

4. Nam ut cetera taceam, illud quam admirabile est, quod in hac sancta Ecclesia eosdem monachos instituit esse, quos clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conservatur; ut esset in ipsis viris contemtus rerum, [c] & accuratio levitarum: ut si videres monasterii lectulos, instar orientalis propositi judicares: si devotionem clerici perspiceres, angelici ordinis observatione gauderes.

5. Illud autem tacendum omnino non arbitror, quod cùm arrianorum detestanda perfidia totam cum universo mundo Italiam perturbasset, atque ejusdem pestilentiæ sacerdotes simplicitatem sancti Dionysii martyris captivassent; ita ut subscriptionis ejus vinculum retinerent, qua illum è manibus eorum sapientiâ liberavit? Sicut enim ait sanctus Paulus: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem*; ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, ut de hæresi filium liberaret. Dixit enim se eorum consentire perfidiæ, hoc sibi placere, quod illis: sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, gravi- 1. Cor. 9. 20.

a. Codex Theod. quantum oratio enarrare non prævalet.
b. Ita mss. ac vet. edit. locum vero Rom. sic contraxit, qui rerum à se gestarum parte ignarus sim. Potuissent autem &c.
c. Codex Theod. & accuratio litterarum;

ret ſe moveri : Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei A Patri Deo æqualem eſſe non poſſe, cur mihi filium meum prætuliſtis? Qua illi ratione permoti, ſtatim ſancti Dionyſii chirographum deleverunt, priorem locum ſubſcribendi beato Euſebio deferentes. Quos ille increpans & irridens ait : Neque ego me veſtris ſceleribus polluo, neque filium meum vobiſcum participare permitto. Unde cùm dicat Evangelium (Luc. 16. 8.) in hac generatione prudentiores filios tenebrarum eſſe quam lucis; ecce hic ipſis tenebris prudentior filius lucis inventus eſt.

6. Tunc illi graviter indignantes, ita nequitiam ſuam fuiſſe deluſam, novis eum per Conſtantium principem [a] paſſionibus vexaverunt; nam poſt multas injurias orientis plagæ illum exſilio relegarunt, in quo tanta paſſus eſt, B ut martyrii invictam gloriam reportaret. Dicitur enim inter cetera paſſionum genera hoc pœnale paſſionis ſupplicium pertuliſſe, ut dum interrogaretur ab arrianis, & ſe eorum communicare perfidiæ denegaſſet, ſcalarum proclivi tractu ſupinis pedibus ad imum uſque pertraheretur : & iterum revocatus ad ſummum, interrogatus denuo cùm eadem reſpondiſſet, eadem pateretur, ac frequentem interrogationem frequenter hujuſmodi ſupplicium fuerit ſubſequutum. In qua paſſione ſancti Euſebii martyris, licet fuerit quaſſatum caput, eliſum corpus, membra confracta; animus tamen fidei manſit invictus. Nam quanto plus illum arriana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum C catholica integritas ſpiritaliter refovebat.

7. Quem quidem ſcalarum adſcenſum atque deſcenſum (Gen. 28. 12.) poſſumus dicere, quem Jacob ſomnians prophetavit : & ſicut ille vidit etiam iſtas ſcalas ab imo ad cæleſtia uſque pertingere; ſic quidem per has & Euſebius adſcendit ad cælum, & arriani ad inferos deſcenderunt. Unde, fratres, ſanctum Euſebium Machabæorum martyrum choro annumerandum puto. Siquidem illi ſingulis membris martyrium pertulerint, hic autem totius corporis paſſione Dominum ſit confeſſus : nec diſparem eorum eſſe gratiam, quos etiam dies una in martyrio copulavit.

SERMO LVII.

De depoſitione ejuſdem ſancti Euſebii.

Qui ſuperiorem ſermonem Maximo adtribuunt, & hunc quoque eidem putant adſignandum. Sed ut memorato Præſuli is adſtruatur, & ejus ſtylum, & cùm Maximiano ſermone in Euſebium ſecundo cognationem multo validius argumentum eſſe judicavimus.

1. DEpoſitionem ſancti Euſebii hodie celebramus. Quid eſt depoſitio? Non illa utique, quæ ſepeliendis in terra membrorum reliquiis clericorum manibus procuratur : ſed illa qua homo vinculis carnalibus abſolutus, liber iturus ad cælum, terrenum corpus exponit. Ipſa plane eſt de- E poſitio, in qua concupiſcere abjicimus, ceſſamus delinquere, peccare deſinimus, & totum quidquid ſaluti eſt grave, quaſi abjectâ ſarcinâ oneris, exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia vere eſt ſumma feſtivitas mortuum eſſe vitiis, ſoli vigere juſtitiæ; unde & depoſitionis ipſa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, [b] libertati naſcimur Salvatoris.

2. Sed videatur ſanctus Euſebius cum qua gloria ad hanc diem depoſitionis advenerit. Dicitur enim ante aliquantum temporis exitus ſui manifeſta revelatione vidiſſe ſe kalendis auguſti de monte ad montem volare, & prophetiâ quadam hoc interpretatus eſt hac die exiturum ſe F eſſe de corpore. In quo facto neſcio quid primum ſit admirandum, utrum quod meruit exitus ſui finem noſſe, an quod ſcire potuerit quæ illum poſt exitum gratia permaneret. Dixit ſanctus David : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum*, & reliqua. (Pſal. 38. 5.) Ecce quod Propheta optaverat, Martyr accepit : notitiam quam ille exorat, [c] iſte conſequitur; niſi quod ſalva fide dixerim, amplius promeretur; ille enim finem poſtulat noſſe, iſte etiam ultra finem quid futurus eſſet, agnoſcit : ille uſque ad exitum quid deſit, ignorat; iſte poſt exitum quid ſuperſit, addiſcit.

3. Volare ergo ſe in hac die vidit martyr Euſebius. Sicut ſcimus, volare non poteſt, niſi quod purum, leve, atque ſubtile eſt : cujus nec ſinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quam pondere delictorum; unde puto etiam in ipſis avibus ideo velocius columbam pœne præ omnibus volitare, [d] quod alacritatem innocentia comitetur. Denique ſanctus David cùm puritate mentis volare concupiſceret, non alterius animantis, niſi columbæ optavit alas, dicens : *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* (Pſal. 54. 7.) Intelligebat enim quod ad altiora facilius penetratur ſimplicitate mentis, quàm levitate pennarum.

4. Volavit ergo hac die ſanctus Euſebius. Æſtimemus jam ejus innocentiam de volatu, [e] & puritatem ejus de ipſa elatione judicemus; tamquam columba enim in domo Dei degens, adſumſit ſpiritales pennas, & requievit in monte. Et licet ipſe de monte ad montem volare ſe dixerit; tamen in ipſa translatione majorem requiem fuiſſe ſignifico. Quid enim aliud eſt de monte ad montem volare, niſi de Salvatoris gratia ad Patris gloriam properare? Ipſi enim ſunt montes, ſicut dicit propheta : *Mons de monte ſine manibus concidentium*; hoc eſt, Filius de Patre, abſque ullius creationis acceſſu.

SERMO LVIII.

De ſancto Cypriano.

Huic ſermoni alius in eumdem Martyrem præmittebatur, qui in omnibus ſcript. cod. & ant. edit. 72. numerabatur : in Rom. vero edit. de ſanctis 18. quem nos ut inter Maximianos editum rejecimus. Cùm autem manifeſtum ſit utrumque ab eodem concionatore fuiſſe pronuntiatum, utrumque etiam eidem Maximo tribuendum eſſe dubium non eſt.

1. ANte dies, cùm beatiſſimi martyris Cypriani cele- D brarenus natalem, ſuaviſſime in ejus feſtivitate jucundati ſumus; quia enim hoc vindemiarum in tempore paſſus eſt, tamquam & nos de vindemia dulces & varios fructus ex ejus paſſione collegimus; impinguavit enim nos, & refecit muſto martyrii ſui. Eſt enim muſtum quod reficit & inebriat chriſtianum, ſed ebrietas illa magis ſobrium facit; qui enim inebriatur cæleſti gratia, [f] exſobriatur ſarcinâ peccatorum.

2. Hoc namque muſto repleti ſancti apoſtoli, ſicut ait (Act. 2. 13.) Scriptura, alienis linguis Dei magnalia loquebantur. In quo facto pariter ebrii eſſe videbantur, & ſobrii; ebrii enim putabantur, quod in iis [g] loquela præter naturam alte perſonabat : ſobrii erant, quod juxta conſuetudinem mentis Deum E devotione laudabant. Quod quidem non elatione aliqua aut impudentiâ contigit, ut viri ſancti peregrino ſermone loquerentur : ſed providentia divinitatis factum eſt, ut quia ad magnificandum Deum una loquela non ſufficit, per plures linguas mentis devotio ſolveretur.

3. Jucundati enim ſumus, quia de vinea Domini ſabaoth fructum refectionis accepimus : vinea autem Domini ſabaoth, ſicut dicit propheta, domus Iſrael eſt, quæ domus (Eſai. 5. 7.) nos ſumus. Secundum fidem enim Iſraelitæ nos ſumus; unde dicit Apoſtolus : *Qui ex fide ſunt, ii filii ſunt Abrahæ.* (Galat. 3. 7.) Quoniam igitur nos ſumus Iſrael, vinea Domini ſumus : videamus diligenter ne ex palmite operis noſtri non naſcatur F dulcedinis uva, ſed fellis; ne dicatur nobis, quod Judæis dictum eſt per prophetam : *Suſtinui ut faceret uvam, fecit autem ſpinas; & non juſtitiam, ſed clamorem.* (Eſai. 5. 7.) Quam dura conditio, ut poſſeſſio, quæ domino ſuo ſuavitatis fructus adferre debuit, ſpinarum illum aſperitate compunxerit, hoc eſt, cùm Judæi Salvatorem debuerint tota fidei devotione ſuſcipere, ſpinarum eum coronaverunt paſſione. Quæ corona quidem, quantum in Judæis eſt, erat injuriarum contumelia : quantùm in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Judæi Dominum, dum coronant : compungunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptura ſancta : *Videbunt in quem compunxerunt.* (Zach. 12. 10.)

a. Codex Theod. *poſſibilibus vexaverunt.*
b. Ita vet. edit. ac MSS. niſi quod Theod. pro *libertati* legit *liberi* : Rom. autem edit. neutrum admittit, ſed tantum præfert, *naſcimur Salvatori.*
c. Omittit cod. Theod. *iſte conſequitur, ... amplius promeretur.* Infra vero ubi omnes edit. *quid ſuperſit* edunt; idem codex repon*it*, *quid ſuperſit addiſcat*. Lugd. *addiſcit*, non recte.

d. Omnes edit. & cod. Lugd. *quod alacritatem & innocentiam comitetur*: melius cod. Theod. ut in contextu.
e. Codex Theod. *& puritatem ejus* &c.
f. Codex Theod. *exoneratur ſarcina peccatorum.*
g. Idem codex Theod. *loquela par*, *& natura altera.* Et infra, *aut impruđentia contigit*.

[Isai. 5. 2.] 3. Igitur, fratres, videte ne & vobis dicatur: *Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas*; hoc est, ne spinas quas Domino Judæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, & compungamus eum non asperitate sentium, sed operum pravitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ Verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator [Matth. 13. 7.], dicens seminantis semen cecidisse inter spinas, & crevisse eas, ac suffocasse quod satum est. Quæ autem spinæ sint, ipse prosequitur, dicens utique sollicitudines esse mundanas, quæ cùm crescunt in corde hominis, mandata Salvatoris in eo suffocant. Quis enim umquam sollicitus de mundo, potuit bene sollicitus esse de Christo? Quis dum lucris domus suæ providet, utilitatibus Ecclesiæ potuit providere? Unde ait Apostolus: [1. Cor. 7. 32.] *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.*

4. Ergo, fratres, videte ne vinea vestra non uvas, sed spinas faciat: ne vindemia vestra non vinum adferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, & pauperibus non largitur; ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, & indigentibus non ministrat; ille non alimoniæ fructus reposuit, sed tribulos avaritiæ congregavit. Nam propterea ait Scriptura de terra nostra [Gen. 3. 18.]: *Spinas & tribulos germinabit tibi.*

SERMO LIX.

In natali unius Martyris, sive Domini Domitiani.

Hic sermo una cum subsequenti habetur in codice Floriacensi ante annos mille exarato, ubi & sancto Ambrosio adsignatur. Verum tamen quod illos, cùm hactenus fuerint inediti, in lucem emittimus, id codicis antiquitati datum volumus, cùm nihil habeant Ambrosianum, ut vel ex prima eorum lectione quivis agnoscat.

1. DIem celebramus hodie, fratres carissimi, mortui justi, & non est hic: si autem scire vultis ubi sit, interrogate lectionem, quam primo audistis [Sap. 4. 7.]: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Refrigerium enim in hoc sæculo, cui, unde? ubi plena sunt omnia tribulationibus: & quando tribulationes pascunt, plena sunt temtationibus. Mundus enim iste sive metuatur sive blandiatur, timendus est: sed Deus timeatur, & mundus potius contemnatur, & magis sit cavendus. Si ergo volumus in refrigerio esse, quando mors præoccupaverit, justi simus.

2. Forte dicit aliquis: Multum est ad me. Adtendamus enim quod scriptum est: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*; & cùm quærimus, quid sit justus, terret nos psalmus [Psal. 115. 11.]: *Omnis homo mendax.* Audiamus librum sapientiæ: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*; audiamus psalmum: *Ego dixi in excessu mentis meæ, omnis homo mendax.* Numquid sanctus Domitianus non erat homo? Si ergo homo erat, & *omnis homo mendax*; quomodo justus erat, si mendax erat? aut quomodo in refrigerio est, si justus non erat?

3. Adtendamus ergo, carissimi, habemus ista cogitatione plena testibus: non parvum refrigerium in eo, quod audimus Apostolum dicentem [Rom. 14. 9.]: *Adhuc enim Christus mortuus est, ut & vivorum & mortuorum dominetur*; &, *sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Ille est justus, non perdet suos: certi sumus quia Christus non erat mendax. Christus homo & non mendax: quomodo ergo omnis homo mendax? Quia Christus sic homo, ut non solum homo. Ille nisi & Deus & homo esset, mendax esset. Talis ergo & tantus pro nobis mortuus est, & mortem timemus? Præcessit & resurrexit, ejus membra sumus, & caput nostrum sequimur.

4. Nam & ipse Psalmus consolatur nos [Psal. 115. 12.]: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ille quid dixit [Ibidem 11.]: *Ego dixi in excessu mentis meæ, omnis homo mendax.* Homo mendax gratias agit Domino, & non invenit quod illi retribuat pro tantis beneficiis, quæ ab illo accepit. Quid enim ab illo accipimus cùm quærimus quid retribuamus, & non invenimus? Non eramus, & creavit nos: non erant pecora, & creavit pecora: amplius quod ad imaginem suam fecit nos: perieramus, & quæsivit nos: mortem filii sui pignus dedit nobis, & vitam filii sui promisit nobis, ab omnibus peccatis nostris in baptismate salutari mundavit nos: & quia hîc vivendo postea contraximus quod dimitteret; ut dicamus [Matth. 6. 12.]: *Et dimitte nobis debita nostra*; docuit nos. Totum mundavit in baptisato, totum mundavit in renato vivente: non reliquit mori, non permittit mori, dico in peccato, quæ mors maligna & æterna est: vocatum monet, instruit, adjuvat, ignoscit, liberat. [Psal. 115. 12.] *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quid dicis homo? quid vis retribuere? Quidquid inveneris, ab illo accepisti.

5. Venimus ergo, venimus, si ex fide vivamus; tunc enim justi erimus, quia *justus ex fide vivit* [Rom. 1. 17.]. Veniemus ergo ad illam mercedem, quæ æqualis erit omnibus. Pueri credunt, prima hora venerunt: adolescentes credunt, tertia hora venerunt: juvenes credunt, sexta hora venerunt: graviores credunt, nona hora venerunt: decrepiti credunt, novissima hora venerunt. Diversis horis venerunt, & mercedem unam acceperunt. Sic facti sunt novissimi primi, & primi novissimi [Matth. 20. 16.]; quia quod acceperunt primi, hoc acceperunt novissimi. Quid est ipse denarius? Vita æterna. Quare æqualis est omnibus? Quia ibi nemo vivit plus, nemo minus. Ad hoc tendamus, in Domino confidamus, vitam tentationis evadamus, vitam felicitatis habeamus.

Item Sermo de uno Martyre.

1. DIes solemnis, illustris dies patriæ, decore angelico nitens, hodiernus effulsit, quem martyris hujus florens corona vestivit. Dum per horas dies evolvitur, dum per vices dierum ac noctium, & lunæ crementa detrimentaque menses implentur, dum per quadrigam temporum ad metam suam rotatis axibus annus auriga perducitur; resplenduit lætus hujus sancti Martyris dies, quo inter inimicas acies bellicosus exsultans, cunctos hostes vicit, & ad regna sibi debita properavit.

2. Est quidem semper in ancipiti certamine suspecta victoria, cùm in venerandos martyres aut judex sævit, aut carnifex fremit; & nunc gladius, nunc fera, nunc flamma, nunc tormenta timentur: at ubi loricam fidei virile pectus adsumserit, non sentit animus fortis, quidquid ingesserit mens crudelis: stat inter ignes inlæsus, inter bestias & tormenta validus; securibus magis solvitur, quam truncatur. Sed tunc donec ad prosperum finem felicis horæ pugna veniret, hæsitabatur à christianis, & funereum spectaculum inter athletam Christi & ministros inimici pavidis pectoribus & fugitivis obtutibus explorabant; ne vulneri timidum martyr fidei daret latus, ne quos impetus sævientes effugeret, ne vel latrantes inter tormenta carnifices teneris sensibus exhorreret. Pendebat interim corona de cælo, liliis Angelorum & rosis de cruce & sanguine Christi vernantibus intertexta, sertumque cæleste vario decore pictum, tamquam florentis prati diversicolor facies desuper radiabat.

3. Pugnabat igitur miles Dei, & fide non corpore confligebat. Hinc de vita blandiebatur mundus, hinc de morte terrebat. Excitabatur in illo conflictu cæcus arenæ pulvis, sed claudi non potuit oculus confessoris. Videbatur utrubique, & quid pararet Deus, & quid cuperet inimicus. Scutum illi protectionis Christus erat: galeam salutis illi manus Angelorum effecerant: loricam triplicem unus Deus, una fides, unum illi baptisma fabricabat: gladius illius Spiritus sanctus erat. Dæmones pugnabant telis suis, iste suis: illi nigris, iste armis fulgentibus confligebat. Tuebatur clypeo fidei animam suam, corpus seminabat in terram; rigabat eam sanguine suo, ut fructus in resurrectione multiplices offerat Deo suo.

4. *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in gaudio metent.* [Psal. 125. 5.] *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient in exsultatione, tollentes manipulos suos.* Effluebant tunc, certantibus sanctis, lacrymæ fidelium, quas pietas provocabat, donec incerti eventus periculosi certaminis qua vergerent, apparerent. Excutiebat injustæ persecutionis dolor lamentabiles fletus, & unusquisque christianorum, quod in alio videbat, in se timebat: & licet scirent beatis martyribus gloriam in cælis esse paratam, tamen inter dubios variosque exitus, impendentibus tristibus, animis delicata caritas amaras lacrymas extorquebat.

5. Ibant martyres euntes, & flebant mittentes semina sua. O quam arcta & angusta via, quæ ducit ad vitam! Ibant per bestias & machæras, per angustias & pressuras; oratione flentes, spe gaudentes: protegentes in terra corpora sua, quasi semina sua, ex quibus germinavit gloriæ seges

æterna; tunc venient in exsultatione portantes manipulos suos, cùm in resurrectione receperint flores suos: *Justus* quippe *ut palma florebit, & sicut cedrus in libano multiplicabitur.* Nescit enim umquam in sanctis viridis decor ille marcorem; præsertim cui Deus tamquam perennis fluvius continuos latices & refrigeria larga ministrat. Ecce de uno grano corporis Christi, quod sepultum est, quanta martyrum messes erupit? Ecce de primitiva palma quantæ exsurrexerunt confessorum palmæ victrices? O paradisus, sanctarum animarum blanda se societate miscenti?

6. Inter hos iste beatissimus martyr hodie valentior festa novat. Vicit enim moriens adversarium, qui pugnabat; & coronam de cælo consequutus est, quæ pendebat. Gaudeant nunc filii de triumphis martyrum, & posteris tradant annua vota, quorum patres & dura sanctorum adspexere certamina, & vincentum lætati sunt de corona.

SERMO LX.

De natali sanctorum Martyrum.

In cod. Theod. inscribitur hic sermo in die SS. Alexandri, Eventii & Theodoli, *cùm tamen iidem Martyres in sermonis contextu nusquam nominentur. Nihilo melius in Rom. edit. eidem præfigitur*: Pro communi unius Martyris, *cùm omnia ex æquo illic referantur ad omnes martyres. Potior est igitur aliorum mss. atque edit. inscriptio. Verùm quod in illis omnibus, præterquam in Gall. cod. sancto Ambrosio adtribuitur, non obscurus error est, quemadmodum ex ejus stylo, nec non ex iis quæ sermoni 52. à nobis præmissa sunt, potest intelligi.*

1. SI quantùm me necesse est dicere, & vos oportet audire; tantùm prosequi corporis mei posset infirmitas: profectò omnes excusati essemus, scilicet ego insinuando præceptum, vos exsequendo mandatum. Sed quoniam imbecillitate percellimur, quominus quantum oportet dicere valeamus; excuset nos mentis devotio, quos non excusat prædicationis oratio, hoc est, etsi à laudibus Domini lingua cessamus, mirabilia tamen ejus fidei operibus approbemus: si non loquimur verbis ejus gloriam, factis[a] exsequamur ejus gratiam; quoniam dictis facta priora sunt. Nam Dominus in Evangelio ita dicit: *Qui fecerit sic, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cælorum.* Vides ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina; siquidem benefacere prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, dum videtur: quod etsi voce aures non excitat, virtute corda tamen compungit. Quis enim bonum factum videns, non gaudeat, miretur, imitetur, [b] ac veluti tacito magistro utens, ejus exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt, immo sine factis dicta nihil prosunt; nam ideo & Dominus fieri voluit, & sic doceri, ne sine bono opere verborum inutilis esset & superstitiosa jactatio. *Matth. 5. 19.*

2. Melius ergo docemur facto, quam voce: denique sancti martyres etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrii passione persuadent. Unde quamvis disertus orator facundiâ suâ me doceat; id tamen quod utile est mihi, melius disco exemplo sanctorum, quàm adsertione verborum. Citius mihi persuadent oculi, quod cernunt, quam auris possit insinuare, quod præterit; auditui enim cito irrepit oblivio, oculorum autem historia semper inspicitur. Quis enim non omnibus horis momentisque conspiciat quemadmodum tunc beati martyres propter nomen Christi diversis subjacuere suppliciis, & de ipsis pœnis quodammodo triumphabant? Quanto enim plura patiebantur, tanto se victoriosissimos esse credebant: victoria enim est martyris judicium persequentis, sicut scriptum est: *Et vincas, cùm judicaris.* Cùm judicatur enim martyr, & condemnatur, tunc vincit atque prosternit; tali enim judicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem: ac per hoc manifestissime vicisse est, non periisse. *Psal. 50. 6.*

3. Constat igitur sanctos martyres plus passione docere, quàm voce; quamquam ipsamet passio sine voce non sit. Legimus enim animas eorum de sub ara Dei clamare, vel dicere: *Quousque, sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum?* Nam & Deus dicit de sanguine Abel ad Cain: *Apoc. 6. 10.* *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.* Clamare igitur dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam voce, quam causâ. Sic & sanctorum martyrum animæ clamant, dum fidem atque innocentiam suam sensibus nostris ipsa passione commendant. *Genes. 4. 10.*

SERMO LXI.

De natali Martyrum.

Ex hujus sermonis lectione cognoscimus eum post resurrectionem Dominicam habitum esse: quo etiam tempore in Romano Breviario recitatur, sed sub Ambrosii nomine, cùm tamen ab ejus dictione longissime discrepet. Verisimilius est Maximi esse, quandoquidem testatur Gennadius eum composuisse generalem omnium martyrum Homiliam: *cui addi etiam potest eumdem sermonem inveniri in Gall. cod cujus sermones omnes ad eum Præsulem pertinere Mabillonius noster existimat.*

1. DIgnum & congruum est, fratres, [c] ut post lætitiam beati paschæ, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis martyribus conferamus; & iis annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ passionis. Qui enim socii sunt contumeliæ, debent & participes esse lætitiæ; ita enim dicit beatus Apostolus: *Sicut socii passionum estis, & resurrectionis eritis: si tolerabimus*, inquit, *& conregnabimus.* Qui ergo toleraverunt mala propter Christum, debent & gloriam habere cum Christo. *2. Cor. 1. 7. 2. Tim. 2. 12.*

2. Annuntiemus, inquam, sanctis martyribus Dominici paschæ gratiam; ut dum sepulturæ illius prædicamus reserata claustra, & horum sepulcra reserentur: dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus venis subito viguisse, horum quoque membra jam frigida immortalitatis calore foveantur; eadem enim ratio martyres suscitat, quæ & Dominum suscitavit. Nam sicut viam passionis experti sunt, ita experientur & vitæ; scriptum est enim in psalmo: *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris, [d] qui dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipit nota haberi via vitæ, quæ ante non habebatur; ignota enim erat ante Christi adventum via vitæ, quia nullius adhuc resurgentis [e] fuerat trita vestigio. At ubi Dominus resurrexit, nota facta, soleâ trita est plurimorum, de quibus sanctus evangelista ait: *Multorum corpora sanctorum surrexerunt cum eo, & introierunt in sanctam civitatem.* *Psal. 15. 11.* *Matth. 27. 52.*

3. Unde cùm Dominus in resurrectione sua dixerit: *Notas mihi fecisti vias vitæ*; possumus & nos jam dicere Domino: Notas fecisti nobis vias vitæ; ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis semitam manifestavit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cùm me docuit fidem, misericordiam, [f] justitiam, castitatem; his enim pervenitur itineribus ad salutem: & licet nos in resolutione corporis mortis umbra circumdet, tamen gressus suos vita non deserit: sed inter ipsas medias inferni leges incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Unde ait sanctus Propheta: *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Quod manifestius Dominus ait de fideli, dicens: *Qui autem credit in me, non morietur in æternum.* Et licet moriatur, vivet. *Psal. 21. 13.* *Psal. 22. 4.* *Johan. 11. 25.*

4. Ergo, fratres, cùm sanctis martyribus paschæ Domini gloriam conferamus: conferamus, inquam, & licet melius noverint omnia, tamen nos illis prædicemus quemadmodum Dominus de sepulcri gremio resurrexerit ad superos. Illi nobis revelent quo pacto de inferni profundo remeaverit ad sepulcrum: notum, inquam, nobis faciant quemadmodum in exanime jam corpus & frigidum se calor insinuaverit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, & gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitaverit: notum, inquam, nobis faciant quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum nervorum rursus coaptaverit resoluta compago, & harmoniam viscerum jam silentem in veterem concentum Spiritus vivificans animaverit. Sacerdotes ergo prædicent, quæ Salvator post resurrectionem mirabilia gesserit ad superos: martyres revelent, quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctis.

a. Omnes edit. *ejus gloriam*: omnes mss. *ejus gratiam.*
b. Cod. Log. *ac velut ita cito magistro*: Theod. *ac velut tacito magistro* &c.
c. Omnes edit. *ut post lætitiam paschæ*: omnes mss.... *beati paschæ.* Sic etiam infra ubi edit. *Dominica paschæ*, omnes mss. *Dominici paschæ.*
d. Ita mss. Vallicel. & Theod. edit. vero cum ms. Log. *qui dum* (Rom. *ut qui dum*) *post mortem*.... *incipiat notam habere viam vitæ.*
e. Omnes edit. & codex Log. *fuerat temerata vestigio*.... *nota facta sola adtrita est* &c. mss. Vallicel. ac Theod. ut in textu.
f. Codex Vallicel. *justitiam, sanctitatem.*

SERMO LXII.

De bellico tumultu, seu pro communi Martyrum.

Hunc sermonem cum aliis duobus, quorum unum Romani editores in tom. 2. Oper. Ambr. *collocaverant, alter vero inter sermones sancti Maximi jam vulgatus est, hujusce Patris ex aequo esse adstruit Mabillonius noster Tom. 1.* Musei Ital. *part. 2. pag. 5. Id certe cum sermonum dictio, tum citata loco indicato auctoritas Gennadii pulcre confirmat. Ceterum quod Rom. edit. hunc ipsum sermonem* Pro communi Martyrum *inscriptum voluerit, nulla cur hoc faceret, ratio fuit; proindeque aptius inter sermones* De Diversis *sub eo titulo quem in ant. edit. ac mss. praefert, in posterum erit locandus.*

1. MOvet fortasse vos, fratres, quod tumultus bellorum, & incursiones praeliorum fieri audimus assidue: & cur nostris temporibus fiant, dilectionem vestram fortasse plus moveat. [a] Sed haec causa est, quia quanto magis proximi sumus mundi excidio, tanto magis regno sumus proximi Salvatoris. Ipse enim Dominus ait, quod in novissimis diebus: *Exsurget gens adversus gentem, & regnum adversus regnum*; & alibi: Cùm videritis bella, & terrae motus, & fames; scitote quoniam in proximo est regnum Dei. Ergo vicinitas ista bellorum vicinum magis nobis Christum esse demonstrat. Atque ideo venientem adversarium timere non debeo, quia per haec signa venire potius intelligo Salvatorem; quamvis enim iste metum incutiat temporalem, [b] ille tamen salutem deferit sempiternam. Potens est autem idem Dominus, ut & hostilem à nobis repellat pavorem, & suam nobis praesentiam largiatur.

Marc. 13. 8.
Matth. 24. 33.

2. Per hos igitur bellorum tumultus mundi quoddam significatur excidium; futurum enim judicium haec inquietudo praecedit. Est autem [c] quoddam commonitionis indicium Dei, videre quod metuas; ut possis intelligere plus superesse, quod metuas. Dum enim causi sumus ad ea, quae cernimus, cautiores ad illa efficimur, quae speramus. Vir autem sapiens his actibus terrenis instruitur, quemadmodum futuri seculi debeat declinare judicium; dum enim perspicit in hac communi perturbatione [d] primores viros tuitiones in moenibus praeparare, ipse admonetur quemadmodum in futura eversione mundi defensionem christianis praeparet animabus. Cernimus armari civitatis portas, debemus etiam prius in nobis portas armare justitiae; sunt enim portae justitiae, de quibus sanctus Propheta dixit: *Aperite mihi portas justitiae*, & reliqua. Tunc autem civitatis porta munita esse poterit, si prius in nobis portae justitiae muniantur. Ceterum nihil prodest muros munire propugnaculis, & Deum provocare peccatis. Illa enim constituitur ferro, saxis & sudibus: haec armatur misericordiâ, innocentiâ, castitate: illa telorum multitudine custoditur, haec orationum frequentiâ defenditur. Et ad plenam tuitionem urbium portas principum solent signa praecedere: animarum autem nostrarum portas signum Salvatoris anticipet.

Psal. 117. 19.

3. Ergo, fratres, propter futurum mundi judicium armis nos caelestibus muniamus, accingamur lorica fidei, salutis galea protegamur, verbo Dei velut spiritali gladio defendamus; qui enim his armis instructus fuerit, nec praesentem perturbationem metuis, nec futurum judicium pertimescit. Siquidem sanctus David hac devotione protectus, Goliam illum fortissimum armatum etiam inermis occiderit, & virum bellicosum munitionibus undique circumseptum sola fidei virtute prostraverit. Cùm enim sanctus David non operiretur galea, non praecingeretur gladio, non lancea uteretur; occidit autem illum non telo ferreo, sed gladio spiritali. Quamvis enim inermis oculis hominum videretur, satis tamen erat gratia divinitatis armatus. Verum ipse spiritalis gladius non fuit gladius; non enim gladio Golias, sed lapide prostratus occubuit. Legimus in Scripturis lapidis vocabulo Christum figuraliter designari, sicut ait Propheta: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Igitur cùm lapide Golias percutitur, Christi virtute prosternitur. Et in qua tandem corporis parte percutitur? In fronte scilicet; gentilis enim & sacrilegus homo ibi percutitur à Christo, ubi deerat Christus: & ibi infertur ei mortis exitium, ubi signum salutis non invenitur. Quamvis enim esset Golias undique armorum protectione munitus, frons tamen ejus patebat ad mortem; quia signaculum Salvatoris non gestabat. Atque ideo ibi perimitur, ubi nudus à Dei gratia reperitur.

1. Reg. 17. 50.
Psal. 117. 22.

4. Haec autem in figura facta esse nemo est, qui nesciat. Nam & David armorum indumentis se se ante praecinxerat: sed cùm esset in iis gravis & impeditus, ita ut ambulare vix posset, eadem sine cunctatione projecit, significans arma illa hujus mundi vana & luxuriosa esse opera, in quibus qui se se permiscere voluerit, tamquam gravis & gradiendi ad caelum cursum liberum non habebit. Simul & illud nos docuit, quod non in armis tantum speranda victoria est, sed in nomine Salvatoris oranda.

1. Reg. 17. 39.

SERMO LXIII.

De servo centurionis in Evangelio, in dedicatione Basilicae.

Hic sermo in dedicatione Ecclesiae habitus cognoscitur, sed praeter stylum ab Ambrosiano abhorrentem, & Paulini de hac dedicatione silentium, cum neque de reliquiis illic detectis, neque de sanctis ejusdem Basilicae patronis quidquam dicatur, hanc consecrationem ab Ambrosio celebratam non esse abunde patet. Verum neque à quo Praesule, neque quo loco, neque quo tempore facta fuerit, hujus sermonis series prodit.

1. LEgimus in sancto Evangelio, cùm centurionis cujusdam servus, qui erat illi pretiosior, gravi paralysis aegritudine laboraret, & per seniores Judaeorum ille centurio rogaret Salvatorem ut ejus doloribus mederetur (*erat enim, ut ait Scriptura, moriturus*) inter cetera ad majorem commendationis gratiam seniores Judaeorum dixisse Domino: *Dignum est, ut hoc illi praestes; diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse aedificavit nobis.* Si ergo commendatur Domino, qui aedificavit Synagogam, quanto est commendatior, qui aedificavit Ecclesiam? Et si is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum praestitit; quanto majorem meretur gratiam, qui religioni domicilium praeparavit? Et si ille caelesti misericordia visitatur, qui construxit locum, ubi Christus semper negatur; quanto magis visitandus est, [e] qui fabricari fecit tabernaculum, ubi Christus quotidie praedicatur?

Luc. 7. 2. & seq.
Ibidem 4.

2. In centurione enim Dominus non quid operis fecerit, sed qua mente operatus sit, comprobavit. Nam qui id temporis quo nondum christiani erant, sollicite Synagogam fecit: si fuissent utique christiani, intelligitur quod multo sollicitius fecisset Ecclesiam? Sed tamen licet Synagogam aedificet, Christum praedicat; in ipso enim opere commonet pharisaeos debere illos suscipere Salvatorem: & demonstrat propterea se tabernaculum amplius addidisse, ut multipliciter ibi Domini gloriam loquerentur. Si enim credit in Christum conditor Synagogae, multo magis credere debet habitator ipsius Synagogae.

3. Centurio ergo si justificatus est propter opus fragile vel terrenum, justificandus plane vir clarissimus & providentissimus Comes noster, propter opus tam perpetuum vel caeleste: qui comes sicut est centurione dignitate potior, ita & fide debet esse devotior. Sapiens vir & religiosus comes, qui quantum in bello imperatori militat, tantum & in pace militat Salvatori: & quantum festinat de hostium manibus captivos eruere, tanto magis festinat à diaboli se sacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni regis interficit, hic adversarios Domini caelestis insequitur: ibi barbaros vincit, hic daemones. Sapiens, inquam, qui sicut comes imperatoris est, ita & comes Christi esse desiderat. Nam bene utique & religiose agendo, dignitatem suam cupit esse perpetuam, secundùm quod scriptum est in propheta: *Et vos, ô boni reges, bonas facite vias vestras & studia vestra, & audito vocem domini Dei vestri; & poenitebit Dominum mali, quod loquutus est adversus vos.*

Hier. 26. 13.

4. Ergo cùm centurio rogaret Dominum, ut de morte erueret aegrotantem, & vellet Dominus ad domum centurionis pergere, in qua servulus decumbebat, ait centurio:

a. Cod. Lugd. *Sed haec causa est, quanto proximi sumus à mundi excidio, tanto magis à regno &c.*
b. Ita mss. omnes vero edit. *ille tamen deferit sempiternam.*
c. Codex Lugd. *quoddam commotionis.*
d. Omnes edit. *priores viros capites* mss. *primores viros.*
e. Ms. Lugd. *qui fabricari fecit tabernaculum.*

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Excusat igitur centurio, & ne sub tectum ejus ingrediatur Dominus, indignum se dicit. Ecce dignus est comes noster, sub cujus tectum hodie Salvator ingreditur.

5. Videamus ipsa centurionis excusatio quam habeat gratiam; ait enim: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.* (Matth. 8. 8.) O fides christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuesti. Ecce religiosus centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dum se profitetur indignum: & dum ædes suas injuriosas putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magnæ enim & perfectæ fidei vir, [a] qui intelligeret Christum dominum cælorum esse, dum verebatur ne hospitii sui eum angusta non acciperent. Ergo contradicente centurione, non pergit ad domum Dominus. Non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina: non visitat ægrum Salvator, sed visitat sanitas Salvatoris.

6. De fratribus vero nostris sanctis viris Vitalino & Maiano quid dicam? Scio illos gloriam ab hominibus non quæ- A rere, nisi à solo Deo: sed tamen laudem eorum etsi ego taceam, ipsa opera loquuntur; ad ipsorum enim laudem pertinet, quidquid in aliis paulo ante laudavimus. Nam hoc tabernaculum etsi plurimi construxerunt, hi tamen sumtu operati sunt uno adsensu. Et quo tandem sumtu, cùm sint in sæculo mediocres & tenues? Illo scilicet, de quo ait Apostolus: *Abundantia fidei, & divitiis simplicitatis.* Est (a Cor. 8. 2.) enim sanctis viris semper dives ipsa paupertas. Unde credo hos beatos hanc Ecclesiam non minus orationibus, quam impendiis fabricasse; sic enim oportebat ut opus Christi precibus magis cresceret, quam cæmentis. Totam enim substantiam & in hujus facturam operis expenderunt, & ipsis certe nihil deest. Ipsa plane est, sicut diximus, dives locuplesque paupertas, quæ expendit omnia, & possidet omnia. Sed hæc à Deo benedicta est, sicut illa vidua, de qua dicit Dominus in Evangelio: Mulier hæc vidua pauper plus quam omnes misit; nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem totum victum suum, quem habuit, misit.

a. Cetera usque ad finem hujus sermonis in cod. Lugd. desunt.



IN EPISTOLAS EX AMBROSIANARUM NUMERO SEGREGATAS

ADMONITIO.

Quinque epistolas ex Ambrosianarum catalogo duximus eximendas, quarum duæ priores, nimirum Ad sacram virginem Demetriadem, *&* Ad virgines sacras, *in omnibus Operum sancti Ambrosii editionibus vulgatæ fuerant: tres vero posteriores, videlicet* De inventione sanctorum Gervasii & Protasii, De inventione sanctorum Vitalis & Agricolæ, *atque epistola* ad Florianum, *à Romanis editoribus primum in lucem emissæ sunt. De singulis censuram nostram breviter subjicimus, ut lector intelligat, quibus momentis ad eas abdicandas simus inducti.*

Epistolam ad Demetriadem *omnes eruditorum centuriæ Ambrosio abjudicant, quorum judicium ratum esse debere quidquid legentibus illic occurrit, aperte probat: maxime vero quæ disputantur de pelagianis Doctore nostro posterioribus. Eamdem ante aliquot annos Leoni Magno conatus erat adserere in sua Operum ejusdem Pontificis editione Quesnellius: in quem nuper Anselmus insurgens magnis animis, illam populari suo Prospero cum aliis non paucis credidit vindicandam. Quilibet ea in contentione utri voluerit parti se se adjunget; nos enim dum constet Ambrosii non esse, haud refragabimur. Cùm porro eadem epistola multis in locis apud alios ab Ambrosio Patres edita fuerit, inutili pondere gravare videremur nostrum hoc volumen, si denuo ipsam recudere animus esset.*


Quamobrem quatuor earum quas hic dabimus, ordinem ducet, quæ virginibus sacris *destinata est. Hæc autem cum aliorum calculo rejicitur, tum à Baronio ipso dicitur* [a] perperam Ambrosii nomine consignata. *Unde non mirari profecto non possumus quid viris doctissimis, qui Operis à Bollando incœpti molem humeris exceperunt, venerit in mentem, cùm eam epistolam sub ejusdem Ambrosii nostri nomine typis expresserunt. Advertere sane debuerant auctorem ejus prorsus ignarum exstitisse illorum morum, qui temporibus sancti Antistitis Romæ obtinebant. Nam alioqui numquam scripsisset, quod legimus sub finem epistolæ:* Perseveravit, *inquit,* Constantia in virginitate, per quam multæ virgines & mediocres & nobiles & illustres sacra velamina susceperunt. *Quam enim hoc vanum ac futile sit, ex Hieronymi cognoscitur testimonio,* [b] *ubi sic ait:* Nulla eo tempore nobilium feminarum voverat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen adsumere. *Ergo si cui Ambrosio tribuenda erit hæc epistola, censuram amplectemur Johannis Baudini ad marginem ejusdem epistolæ in Vaticano codice exaratam, unde eam amica manu descriptam habuimus in hæc verba:* Non est Ambrosii Mediolanensis, sed alterius cujusdam Ambrosii monachi, qui hunc sermonem græce scripsit. Exstat in bibliotheca Vaticana, & postmodum in latinam linguam conversus est ab alio.

a. Ad annum 314. num. 27.

b. Epist. de laudibus Marcellæ.

Quod spectat ad reliquas tres illas, quas in Romana editione primum prodiisse supra diximus, quisquis easdem cum aliquibus vere Ambrosianarum contendere instituerit, statim agnoscet quanto discrimine invicem abhorreant. Ut vero id apertius clariusque sit, quæ in prima illarum de inventione corporum Gervasii & Protasii referuntur, cum iis quæ de hac ipsa inventione Augustinus, Paulinus, atque adeo ipsemet Ambrosius memorant, conferantur. Non diffitendum tamen locum ex hac eadem epistola in fragmento Orationis Johannis Damasceni de Imaginibus *citatum reperiri. Sed nihil aliud ex hoc probare possis, nisi jam inde ab ætate ejusdem sancti, si tamen ejus vere sit illud fragmentum, illam epistolam Ambrosii nomine circumferri consuevisse. Nec vero obscurius videtur sequentem alicujus esse consarcinatoris, qui Ambrosii narrationem, quæ Vitalis atque Agricolæ martyrum inventionem in* Exhortatione Virginitatis *descriptam reliquit, partim addendo partim mutando partim transponendo interpolavit. Huc adde Gregorii Turonensis auctoritatem diserte affirmantis* [c] *ætate sua martyrum quidem Gervasii atque Protasii Acta exstitisse, non vero Vitalis & Agricolæ. Postremo Epistola quæ in Romana editione* Flaviano *inscribitur; in codice autem Regiæ Bibliothecæ vix ducentis annis superiore:* De moribus & honesta vita; *licet utrobique Ambrosii nomen in fronte ferat, huic tamen titulo ejusdem stylus ac ingenium plane redamant.*

c. Lib. 1. de Gloria Mart. cap. 46. & 47.



EPISTOLÆ
EX AMBROSIANARUM NUMERO SEGREGATÆ.

EPISTOLA I.

Antequam Agnæ virginis martyrium describatur, amor in eam filii præfecti, ejusque repulsa memoratur. Hinc adjicitur virginis condemnatio ad lupanar, & inter miracula divinitus propter eamdem puellam perpetrata adolescentis in eam depereuntis interitus, atque ad vitam revocatio. Tum sequitur virginis ob ethnicorum seditionem condemnatio ad rogum, ejusque in mediis ignibus illæsa permanentis cruenta cædes. Mox paganorum in christianos ad Martyris tumulum orationi instantes furore declarato, nex Emerentianæ, & Constantiæ Augustæ sanitas restituta, nec non ab eadem principe templum liberatrici suæ ædificatum, & ipsius cum aliis pluribus virginitatis propositum enarratur.

1. DIEM festum sacratissimæ virginis celebremus: hinc psalmi resonent, inde concrepent lectiones: hinc populorum turbæ lætentur, inde sublevantur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino, & ad ædificationem virginum qualiter passa sit Agnes beatissima, ad memoriam revocemus. [a] Tempore illo erat quædam virgo Romæ nobilibus orta natalibus, nomine Agnes, quæ certans contra principes & potestates tenebrarum, tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam invenit; quia solum vitæ dilexit Auctorem. Infantia quidem computabatur in annis, [b] sed erat senectus mentis in moribus: corpore quidem juvencula, sed animo cana. Pulcra facie, sed pulcrior fide, & elegantior castitate.

2. Quæ dum à scholis reverteretur, à præfecti Urbis filio adamatur. [c] Cujus parentes cùm requisissent, & invenissent, cœperunt pulcra offerre, & pulcriora promittere. Denique detulerant secum pretiosissima ornamenta, quæ à beata Agne veluti quædam stercora sunt recusata. Unde factum est ut juvenis majori perurgeretur amoris stimulo, & putans eam juvenis meliora velle accipere ornamenta, [d] omnem lapidem pretiosum secum defert, & gloriam: & per se ipsum, & per amicos, & per notos, & affines cœpit aures virginis appellare, divitias, domos, possessiones, familias, atque omnes hujus mundi delicias repromittere, si consensum suum ejus conjugio non negasset.

3. Ad hæc beata Agnes tale fertur juveni dedisse responsum: Discede à me, fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me; quia jam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te nobilior & genere & dignitate. Ornavit inæstimabili dextrocherio dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum repromisit, si in ejus perseveravero amore. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel adspicere alium & illum relinquere, cum quo sum caritate devincta; cujus est generositas celsior, possibilitas fortior, adspectus pulcrior, amor suavior, & omni gratia elegantior. A quo mihi jam thalamus collocatus est, cujus mihi organa modulatis vocibus resonant, cujus mihi virgines justissimis vocibus cantant. Jam mel & lac ex ore ejus suscepi, jam amplexibus ejus castis adstricta sum, jam corpus ejus corpori meo sociatum est, & sanguis ejus ornavit genas meas. Cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit, cui Angeli serviunt, cujus pulcritudinem sol & luna mirantur, cujus odore reviviscunt mortui, cujus tactu confortantur infirmi, cujus opes numquam deficiunt, cujusque divitiæ numquam decrescunt. Ipsi soli servo fidem meam, ipsi me tota devotione committo. Quem cùm amavero, casta sum: cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, virgo sum. Nec deerunt post nuptias filii, ubi partus sine dolore succedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur.

3. Audiens insanissimus juvenis, amore carpitur cæco, & inter angustias animi & corporis anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor à medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerant inventa à medicis, & eadem paterna voce, quæ fuerant jam dicta à filio, ad petitionem virginis revolvuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto prioris adserit sponsi fœdera violare. Cúmque pater diceret [e] in fascibus se constitutum præturam agere, & idcirco quemvis etiam illustrem virum minime sibi debere præferri; cœpit tamen vehementissime inquirere quis esset sponsus, sancta cujus Agnes potestate gloriaretur. Tunc exstitit quidam ex parasitis ejus, qui diceret hanc christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, ut dicat Christum sponsum suum esse.

4. Audiens hæc Symphronius præfectus lætus efficitur, & missa apparitione cum grandi strepitu, suis eam tribunalibus præcepit sisti. Et primo quidem blandis eam sermonibus secretius provocat, deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi nec blandimento seducitur, nec terrore concutitur: sed eodem vultu, eodem animo perseverans, & terrentem similiter sicut blandientem animo deridebat. Videns itaque Symphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes ejus alloquitur: & quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis christianitatis opposuit. Sequenti autem die Agnem sibi præsentari jubet: & iterum iterumque repetens, replicare cœpit de juvenis amore sermonem.

5. Cùmque omnes sermones ejus casso labore deficerent, sisti eam suis tribunalibus jussit, cui & dixit: Superstitio christianorum, de quorum te magicis artibus jactas, nisi à te fuerit segregata, non poteris insaniam abjicere pectoris, neque æquissimis consiliis præbere consensum. Unde te ad venerabilem deam Vestam properare necesse est, & si perseverantia virginitatis placet, ejus die noctuque sacrificiis reverendis insistas. Ad hæc beata Agnes respondit: Si filium tuum, quamvis iniquo amore vexatum, tamen viventem hominem recusavi: hominem utique qui est rationis capax, qui & audire, & videre, & palpare, & ambulare potest, [f] & fulgore lucis hujus cum bonis perfrui: si ergo hunc causâ amoris Christi nulla possum ratione respicere; quomodo possum idola muta & surda, & sine sensu & sine anima colere, & ad injuriam summi Dei cervicem meam vanis lapidibus inclinare?

6. Audiens hæc præfectus Symphronius dixit: [g] Cupio præbere consultum infantiæ tuæ, & adhuc te deos blasphemantem idcirco differo, quia annos tuos infra sensum adspicio. Noli ergo temet ipsam ita despicere, ut motus deorum incurras. Beata Agnes respondit: Noli infantiam corporalem ita in me despicere, ut putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis, sed in sensibus geritur: & Deus omnipotens mentes magis comprobat, quam ætates. Deos autem tuos, quorum motus me incurrere

a. *Tempore illo erat .... & potestates tenebrarum*, è Nolliano cod. restituimus.
b. Omnes edit. *sed mentis senectus erat immensa*: melius vero cod. Noall. ut in contextu.
c. Ita cod. Noall. omnes autem edit. *cujus parentes dum requisissent, & invenissent, cœpit offerre plurima, & plura promittere.*
d. Omnes edit. *omnium lapidum pretiosorum secum detulit gloriam.*
e. Ita cod. Noall. edit. vero, *in fascibus præfecturæ se agere.*
f. Omnes edit. *& flore lucis hujus cum bonis frui*: cod. Noall. *& fulgore* &c.
g. Ita cod. Noall. at edit. *Cupio consultum* &c.

non

non vis; ipsis irasci permitte, ipsis loqui jube: ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi jubeant se coli, ipsi jubeant adorari. Verùm quoniam ad hoc video te tendere, quod impetrare non poteris, quidquid tibi videtur, exerce.

7. Symphronius præfectus dixit: Unum tibi è duobus elige, aut cum virginibus deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis in contubernio lupanari. Et longe erunt à te christiani, qui te ita magicis artibus imbuerunt, ut hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Unde, ut dixi, aut sacrifica deæ Vestæ ad laudem generis tui: aut ad ignominiam natalium tuorum eris publicæ abjectionis scortum. Tunc beata Agnes cum ingenti constantia dixit: Si scires quis est Deus meus, non ista ex ore tuo proferres. Unde ego, quia novi virtutem domini mei Jesu Christi, secura contemno minas tuas, credens quod neque sacrificem idolis tuis, neque polluar sordibus alienis; mecum enim habeo custodem corporis mei Angelum Domini. Nam unigenitus Dei Filius, quem ignoras, murus est mihi inexpugnabilis, & custos mihi est numquam dormiens, & defensor mihi est numquam deficiens: dii autem tui aut ærei sunt, ex quibus cacabi melius fiunt ad usus hominum: aut lapidei, [a] ex quibus plateæ melius sternuntur ad evadendum lutum. Divinitas autem non in lapidibus vanis habitat, sed in cælis: non in ære aut aliquo metallo, sed in regno superno consistit. Tu autem & similes tui, nisi ab istorum cultura recesseritis, similis vos pœna concludet; sicut enim illi igne conflati sunt, ut funderentur; sic colentes eos perpetuo incendio conflabuntur: non ut fundantur, sed ut confundantur in æternum, & pereant.

8. Ad hæc insanus judex jussit eam exspoliari, & nudam ad lupanar duci, sub voce præconis dicens Agnem sacrilegam virginem, Deos blasphemantem, scortum lupanaribus datam. Statim autem ut spoliata & crine soluta est, tantam densitatem capillis ejus divina gratia concessit, ut melius videretur fimbriis eorum, quam vestibus tecta. Ingressa autem turpitudinis locum, Angelum Domini illic ita paratum invenit, ut circumdaret eam immenso lumine, ita ut nullus posset eam præ splendore respicere, nec contingere, nec videre. Fulgebat enim tota cella illa, quasi radians sol in virtute sua; & quanto quis curiosior esse voluisset, tanto sui visus aciem obtundebat. Cùmque se in orationem Domino prostravisset, apparuit ante oculos ejus stola candidissima, & apprehendens eam induit se, & dixit: Gratias tibi ago, domine Jesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, vestem hanc mihi largiri præcepisti. Ita namque ad mensuram corpusculi ejus aptum erat indumentum, & ita nimio candore conspicuum, ut nullus dubitaret hoc Angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis, in quo [b] omnes qui fuissent ingressi, adorarent, & venerarentur, dantes honorem Deo pro immenso splendore, & mundiores egrederentur foras, quam fuerant intus ingressi.

9. Cùmque hæc agerentur, præfecti filius qui auctor erat hujus sceleris, venit ad locum cum sodalibus suis juvenculis, quasi insultaturus puellæ, cum quibus libidinis suæ se posse credebat ludibrium exercere: [c] sed ingressus ut misit ante se pueros ferventes & turpiter sævientes, cum nimia autem veneratione & ingenti admiratione egressos cœpit impotentes arguere, atque vanos & molles ac miseros judicare. Et irridens eos, locum in quo virgo adorabat, audacter ingressus est: & videns tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo: sed irruens in ipsum lumen, priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus à diabolo exspiravit. Videntes autem socii ejus quod moras intus innecteret, putabant obscœnis eum operibus occupatum. Et ingrediens unus ex juvenibus, qui ei familiarior erat, ut quasi congratularetur insultationi ejus, & mortuum eum inveniens, exclamavit voce magna, dicens: Piissimi Romani, succurrite: magicis artibus ista meretrix præfecti filium interfecit. Fit repente concursus populorum ad theatrum, & varia furentis populi acclamatio. Alii dicebant magam, alii innocentem, alii sacrilegam conclamabant.

10. Præfectus autem audiens filium suum interiisse, cum ingenti tumultu ac luctu venit ad theatrum; & ingressus locum, in quo corpus filii ejus jacebat exanime, cum magno clamore dicebat beatissimæ virgini: Crudelissima omnium feminarum, ad filium meum voluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare. Et cùm talia atque alia hujuscemodi innecteret, & causam mortis ejus ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatissima Agnes: Ille cujus voluntatem volebat perficere, ipse in eum potestatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingressi sunt, sani egressi sunt? Quia omnes dederunt honorem Deo, qui misit Angelum suum, & induit me hoc indumento misericordiæ suæ, & custodivit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est & oblatum. Videntes autem splendorem angelicum, adorabant omnes, & abscedebant illæsi: hic autem impudens statim ut ingressus est, sævire cœpit & fremere; cùmque manum suam ad me contingendam aptaret, dedit eum Angelus Domini in reprobam, quam conspicis, mortem.

11. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit quia non magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris ipsum Angelum, ut restituat mihi filium meum sanum. Cui beata Agnes respondit: Licet fides vestra hoc impetrare non mereatur à Domino; tamen quia tempus est ut virtus domini mei Jesu Christi manifestetur, egredimini omnes foras, ut solitam ei orationem offeram. Cùmque universi foras fuissent egressi, [d] prosternens se in faciem pavimenti, rogare cœpit Dominum, ut juvenem suscitaret. Orante autem illa, apparuit ei Angelus Domini, & levavit eam flentem, & confortans animum ejus, juvenem suscitavit. Qui egressus foras cœpit voce publica clamare & dicere: Unus est Deus in cælo & in terra & in mari, qui est Deus christianorum; nam omnia templa vana sunt: dii qui coluntur, omnes vani sunt, & penitus nec sibi possunt, nec aliis aliquod auxilium exhibere.

12. Ad hanc vocem omnes haruspices, & templorum pontifices conturbabantur, & fit per eos vehementior quam fuerat, seditio populorum, atque omnes una voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ & mentes mutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit: sed veritus proscriptionem, si contra templorum pontifices ageret, & Agnem contra suas sententias defensaret, vicarium suum ad seditionem populi judicem dereliquit, ipse autem tristis abscessit, quod eam non potuit post resurrectionem filii sui liberare. Tunc vicarius Aspasius nomine, [e] populi seditionem non ferens jussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, & in medium eam præcepit jactari flammarum. Quod cùm fuisset impletum, statim in duas partes divisæ sunt flammæ, & hinc atque illinc seditiosos populos exurebant: ipsam autem penitus in nullo contingebat incendium. Et magis non hoc virtutibus divinis, sed maleficiis reputantes, dabant fremitus inter se populi, & infinitos clamores ad cælum.

13. Tunc beata Agnes extendens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater domini mei Jesu Christi, benedico te, quia per Filium tuum evasi minas hominum impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transivi. [f] Ecce nunc sancti Spiritus rore cælesti perfusa, resolutus est juxta me ignis, flamma dividitur, & ardor incendii hujus ad eos à quibus ministratur, effunditur. Benedico te, Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis. Ecce jam quod credidi, video: quod speravi, jam teneo: quod concupivi, complector. Te confiteor labiis & corde, & totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio vivum & verum Deum, qui cum domino Jesu Christo Filio tuo, & cum Spiritu sancto vivis & regnas modo & semper per infinita secula seculorum, amen.

14. Cùmque complesset orationem, ita omnis ignis extinctus est, ut nec tepor quidem incendii remansisset. Tunc Aspasius urbis Romæ vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur ejus gladium mergi præcepit: atque hoc exitu, roseo sui sanguinis rubore perfusam Christus sibi sponsam & martyrem dedicavit. Parentes vero ejus nullam

a. Omnes edit. *ex quibus sternuntur plateæ*, alia è memorato cod. addita sunt.

b. Sic Noall. codex: edit. autem, *omnis qui fuisset ingressus, adoraret..... dans honorem immenso lumini, & mundior &c.*

c. Omnes edit. *& ingressus ante se ferventes pueros, & turpiter sævientes cum nimia veneratione &c.* Noall. cod. ut in textu.

d. Eædem edit. *prosternens se in faciem planam*: codex Noall. ... *in faciem pavimenti.*

e. *Populi seditionem non ferens* additum è cod. Noall.

f. Omnes edit. *Ecce & nunc rore cælesti perfusa per Spiritum sanctum focus juxta me moritur*: codex Noall. ut in contexto.

penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in prædio suo non longe ab urbe, via quæ dicitur Numentana. Ubi cùm omnis turba christianorum concurreret, insidias à paganis perpessi sunt: & videntes populum infidelium supervenientem armatum, omnes fugerunt; aliquanti vero lapidum ictibus læsi evaserunt.

15. [a] Dum orat inter tanta agmina collactanea ejus virgo sanctissima Emerentiana, constans stabat immobilis, & his verbis exprobrabat eis dicens: Superflui, miseri, caduci, atque atrocissimi, Deum omnipotentem colentes occiditis, & pro defensione lapidum homines innocentes jugulatis. Hæc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans juxta sepulcrum beatissimæ Agnæ virginis, emisit spiritum. Non dubium est quod in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione justitiæ, dum confiteretur Dominum, mortem constanter excepit. Eadem denique horâ fit terræ motus vehementissimus: & cùm nimia esset cæli serenitas, tantæ coruscationes, tantaque fulgura & tonitrua exstiterunt, ut pars maxima insani populi exspiraret. Unde factum est ut nullus penitus ex eo advenientibus ad sepulcra sanctorum aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnæ virginis cum sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus [b] Emerentianæ, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ virginis Agnæ.

16. Igitur dum parentes sanctæ Agnæ assiduis pernoctationibus vigilarent ad sepulcrum ejus, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro intextis cicladis indutæ cum ingenti lumine prætéribant: inter quas etiam vident beatissimam Agnem similiter fulgentem, & ad dexteram ejus Agnum stantem. Hæc dum viderent parentes ejus, & qui simul erant, quasi stupore mentis detenti sunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines paulumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & congratulamini; quia cum his virginibus lucidas sedes accepi, & illi sum juncta in cælis, quem in terris posita [c] tota devotione dilexi. Et his dictis, pertransiit.

17. Hæc visio publice ab omnibus, qui viderant, divulgata est. Unde factum est ut post aliquantos annos ad Constantiam Augusti filiam hoc factum ab his qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, ut à capite usque ad pedes nulla membrorum pars libera remaneret. Accepta autem spe recuperandæ salutis, venit ad sepulcrum martyris nocte; & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod cùm faceret repente somni suavitate corripitur, & videt per visum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentem: Constanter age, Constantia, & crede dominum Jesum Christum filium Dei esse salvatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia evigilat sana, & sic sana, ut nec signum in suis membris alicujus vulneris remaneret. Reversa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo Augusto, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur civitas tota, [d] fit lætitia militibus & privatibus suis, atque universis audientibus hæc, infidelitas gentium confundebatur, & fides Dominica lætabatur.

18. Interea patrem & fratres Augustos rogat, ut basilicam beatæ Agnæ construerent, [e] & sibi illic mansionem collocari præcepit. Cucurrit autem hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad ejus sepulcrum advenissent, salvabantur, quacumque infirmitate detenti essent. Quod facere Christum nullus dubitat usque in hodiernum diem. Perseveravit autem ipsa Constantia Augusti filia in virginitate, per quam multæ virgines & mediocres, & nobiles, & illustres sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, usque in hodiernum diem multæ virgines Romæ Agnem beatissimam quasi in corpore manentem adspiciunt, & ejus exemplum agentes viriliter, & integre perseverant, credentes sine dubio quod perseverantes perpetuæ victoriæ palmam adquirant.

19. Hæc ego Ambrosius servus Christi, dum in voluminibus abditis invenissem descripta, non sum passus infructuosa silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris sicut gesta ejus agnovi, conscripsi; & ad ædificationem vestram, ô virgines Christi, textum passionis ejus credidi destinandum, [f] obsecrans virtutem Spiritus sancti, ut labor noster ad vestram imitationem fructum in conspectu Dei valeat invenire, cui honor & gloria in sæcula, amen.

EPISTOLA II.

Cùm beneficia Dei tegenda non sint, visionem narrat, qua sibi per quadragesimam Gervasius ac Protasius semel & iterum, tertia autem vice etiam Paulus apparuerat, ut eis post exhumatas ipsorum reliquias Ecclesia construeretur, impetrans. Addit convocatis coepiscopis inventa esse sanctorum corpora, quorum conversionem, necem ac sepulturam ex schedula illic detecta refert. Quibus Vitalis ac Valeriæ martyrium etiam inseritur.

Ambrosius servus Christi fratribus per omnem Italiam in Domino æternam salutem.

1. IN divinis voluminibus reus subscribitur, qui non studuerit dare gratis, quod ipse gratis accepit; quidquid enim Ecclesiæ Domini profuturum erat, subtraxisse arguitur, cùm noluerit tradere omnibus, quod ipse non celandum acceperit. Unde Psalmographus vates canit: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. Non celavi misericordiam tuam in concilio multorum.* Psal. 39. 11. Et pro hoc opere quasi vicissitudinem à Deo postulans adjecit: *Tu autem Domine, ne elonges misericordiam tuam à me.* Quasi diceret Deo: Sicut ego feci alios misericordiam invenire, ita & ipse non patiaris longe fieri misericordias tuas à me. Aperiamus ergo cur ista præmisimus, & vestros animos qui pie de Domino sentitis, & creditis, de inventione sanctorum corporum ad lætitiam invitemus.

2. In diebus itaque transactæ nuper quadragesimæ, cùm Dominus donasset mihi, ut jejunantium [g] & orantium me faceret esse participem, in oratione positum ita me somnus oppressit, ut nec vigilans aperte, nec dormiens integre, viderem apertis oculis mecum duos juvenes ephebos vestibus candidissimis, id est, colobio & pallio indutos, caligulis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem gravedinem patiens, loqui cum eis non poteram: sed quia, ut dixi, pars in me somni incumbebat, quæ me ad eorum interrogationem verbum proferre non sineret. Plene autem evigilanti visio eorum ab oculis meis elapsa est.

3. Factum est proinde ut rogarem Domini misericordiam, ut si ludificatio dæmonum esset, abscederet: si vero esset veritas, plenius appareret. Ad impetrandum vero quæ poscebam à Domino augmentavi jejunium: similique modo, canente gallo, orantes mecum iidem juvenes apparuerunt.

4. In tertia vero nocte, defecto jejuniis corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuere persona, quæ similis erat beato Paulo apostolo, cujus me vultum pictura docuerat, in tantum ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur dicens: Isti sunt qui monita mea sequuti, prædia & divitias respuentes, sequuti sunt domini nostri Jesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihilque carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruerunt, ut Christi martyres efficerentur. Quorum corpora in eodem loco invenies, in quo stas & oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam invenies, quam arcam superius exaltabis, & in nomine eorum Ecclesiam fabricabis. Cúmque ab eo eorum nomina requirerem, dixit mihi: Ad caput eorum libellum scriptum invenies, in quo & ortus eorum, & finis scriptus est.

5. Convocans itaque omnes per circuitum fratres & episcopos urbium vicinarum, referens universa quæ videram, quæque audieram, ipsis coram positis, primus ego terræ fossor accessi: ceteri vero episcopi prosequuti, fodientes pervenimus ad arcam, quam sanctus promiserat Paulus: quam aperientes, invenimus quasi in ipsa hora positos

a. Ita codex Noall. ceteræ autem edit. *Emerentiana autem quæ fuerat collactanea ejus, virgo sanctissima, clara catechumena, constanter stabat, intrepida & immobilis.*
b. Edit. *sancta Emerentianæ virginis.*
c. Eædem edit. *tota animi intentione dilexi.*
d. Ita codex Noall. edit. vero *militantibus atque privatis.* De quo loco Valesius citat Casaubonum in Lampridium pag. 174.
e. Edit. *& sibi illic mausoleum tollerent.* Consule Acta Liberii in Conciliis Phil. Labbei pag. 17.
f. Eædem edit. *obsecrans virtutem Spiritus sancti, ut labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat invenire, amen:* codex vero Noall. ut nos in textu.
g. Desit in Rom. edit. *& orantium.*

ſanctos, miro odore flagrantes. Ad eorum caput libellum invenimus, in quo erant hæc per ordinem universa conſcripta.

6. Ego ſervus Chriſti Philippus intra domum meam ſanctorum corpora, quæ cum filio meo rapui, ſepelivi. Quorum mater Valeria & pater Vitalis ſunt dicti: quos uno ortu geminos genuere, & unum Protaſium, alterum Gervaſium vocaverunt. [a]

7. Quorum pater Vitalis miles conſularis, cùm fuiſſet cum Paulino judice ſuo Ravennam ingreſſus, & cœpiſſet Paulinus chriſtianos ad ſacrificandum requirere, oblatus eſt ei quidam chriſtianus nomine Urſicinus, arte medicus, natione Ligur. Tunc juſſit eum Paulinus in conſpectu ſuo torqueri, dicens: Sacrifica, Urſicine, diis immortalibus. Ille autem reſpondens, dixit ad eum: Non ſacrificabo ſurdis & mutis, ſed ſacrificabo domino meo Jeſu Chriſto. Et cùm vidiſſet, quod eum mutare non poſſet à conſtantia ſua, poſt nimia tormenta, juſſit eum capitalem ſubire ſententiam. Locus autem ille, ubi decollabantur chriſtiani, hoc habebat vocabulum, ut diceretur, ad Palmam. Arbor enim antiqua Palmæ illic erat.

8. Igitur cùm, ut diximus, poſt nimia tormenta decollandus veniſſet ſanctus Urſicinus ad Palmam, expavit: & dum vellet male evadere, exclamavit S. Vitalis dicens: Noli, noli, Urſicine medice, qui alios curare conſueviſti, te ipſum æternæ mortis jaculo vulnerare; & qui per paſſiones nimias veniſti ad palmam, coronam noli perdere à Domino præparatam. Audiens hæc ſanctus Urſicinus, genu poſuit, & ſpiculatorem, ut feriret, hortatus; agens pœnitentiam quod expaviſſet. Quem ſpiculator feriens, Chriſti martyrem fecit. Statimque ſanctus Vitalis corpus martyris rapiens, intra Ravennenſium urbem ſepelivit cum omni honeſtate martyri debita, & ad judicem ultra ſanctus Vitalis venire contemſit. Quem Paulinus conſularis ideo maxime teneri mandavit; non tantum quia contemſit ad eum redire, verum quantum ob hoc quod chriſtianus eſſet detectus.

9. Tunc miniſtri ejus rapientes eum in conſpectu ejus adduxerunt. Et videns eum Paulinus, ait ad eum: Quomodo maleficiis deceptus es, Vitalis, ut non ſacrifices diis? Cui ille reſpondit: Non ſacrifico ſurdis & mutis, ſed ſacrifico Deo meo, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & Jeſu Chriſto filio ejus, qui cum eo & Spiritu ſancto vivit & regnat. Tunc Paulinus juſſit eum levari in equuleo, ut per tormenta, ejus conſenſum ad ſacrificandum compelleret. Sed ſanctus Vitalis ſtuduit, ut Deo redderet gemmam pretioſam, quam rapere diabolus ſtudebat. Et reſpondens, ait ei: Infinita tibi dominatur ſtultitia: aut putas memet ipſum poſſe decipere, qui alios à periculo mortis, vel deceptionis liberare ſtudui?

10. Tunc Paulinus conſularis dixit ad Officiarium: Ducite eum ad Palmam, & nolite decollare, ſi ſacrificare contemſerit: ſed facite foveam in terra, tamdiu quo uſque perveniatis ad aquam, & ibi eum ſupinum deponite, & terra atque lapidibus obrutum, ibi dimittite. Quod cùm fuiſſet impletum, Deus ſibi ſanctum Vitalem ita martyrem conſecravit, ut ſacerdos Apollinis qui hoc conſilium Paulino judici dederat, diabolo repletus, per ſeptem dies energuminus clamaret ibi, ubi obrutus eſt ſanctus Vitalis, dicens: Incendis me, martyr; crucias me, ſancte. Poſt ſeptem vero dies præcipitatus à diabolo in flumine, expiravit. Sanctus autem Vitalis glorioſus martyr Chriſti, juxta civitatem Ravennenſium præſtat orationibus vel interceſſionibus ſuis beneficia omnibus credentibus Jeſum Chriſtum uſque in hodiernum diem.

11. Valeria autem conjux ejus, dum vellet corpus ſancti Vitalis auferre, à chriſtianis prohibita eſt, & in viſionibus ſæpe admonita, ne ſanctum corpus à malo homine bene poſitum violaret. Sed illa in intentione perdurante, evidentius ei apparuit ſanctus Vitalis, dicens ad eam: Noli mihi moleſta eſſe, mulier; quia nunquam mihi tam glorioſum poteris parare ſepulcrum, quale mihi Dominus Jeſus Chriſtus fieri juſſit.

12. Ipſa autem dum reverteretur ad urbem Mediolanenſium, incurrit homines idololatras Silvano ſacrificantes in itinere; quam cùm vidiſſent, deponentes eam de vehiculo, hortabantur ſecum epulari. Cùmque illa reſiſtens, diceret: Chriſtiana ſum, non licet mihi de Silvani veſtri ſacrificiis manducare, ſtatim illi hæc audientes, tanta eam cæde mactaverunt, ut vix eam ſeminecem ſui homines ad Mediolanenſium urbem perducerent, ita ut intra triduum migraret ad Chriſtum.

13. Et poſteaquam pater eorum beatus Vitalis martyrio eſt coronatus, atque beatiſſima mater Valeria migravit ad Chriſtum, ab inteſtato jure Gervaſius & Protaſius parentibus ſucceſſiſſent; domum propriam in qua nati fuerant, & res univerſas parentum, & caſellulas venumdantes, dederunt omne pretium pauperibus, & familiolam ſuam ingenuam fecerunt: ipſique ſe in uno cœnaculo concluſerunt, & per decem annos lectioni & orationi vacantes, hoc ordine in anno converſionis ſuæ undecimo ad palmam martyrii [b] pervenerunt.

14. Superveniente comite Aſtaſio, qui proficiſcebatur ad bellum, quod à Marcomanis fuerat excitatum, [c] occurrerunt ei templorum cultores cum ſacerdotibus ſuis, dicentes: Si vis lætus ad Auguſtos noſtros reverti & victor, Gervaſium & Protaſium diis noſtris ſacrificare compelle; vehementer enim dii noſtri de eorum contemtu commoti, reſponſum nobis dare contemnunt.

15. Audiens hæc Aſtaſius comes juſſit eos teneri, & ad ſe adduci. Quibus dixit: Hortor vos ut deorum noſtrorum injurias temperantes, ad immolandum eis devoti ſtudeatis inſiſtere; ut expeditio mea gnaviter celebretur. Beatus Gervaſius dixit: Victoriam de cælo debes ab omnipotente Deo requirere, non de ſimulacris immundis & vanis, quæ oculos habent ſine lumine, aures ſine auditu, nares ſine odoratu, os ſine ſermone, manus ſine tactu, pedes ſine greſſu, & ventrem abſque interioribus probantur habere, & ſine flatu eſſe noſcuntur. Indignatus comes Aſtaſius juſſit eum tamdiu plumbatis tundi, quamdiu exhalaret ſpiritum.

16. Quo amoto, juſſit ſibi adſtare Protaſium, cui dixit: Miſer, vel tu vivere ſtude, & noli βιοθάνατος fieri, ſicut & frater tuus. Cui Protaſius reſpondens, ait: Quis eſt miſer, ego qui non timeo, an tu qui me timere probaris? Comes dixit: Ego te, quomodo timeo? Protaſius reſpondit: In eo quod te times lædi, ſi non ſacrificavero: ſi enim non timeres te lædi à me, me ad ſacrificium non compelleres. Ego autem te non timens contemno minas tuas, & omnia idola tua, quaſi ſtercora computans, Deum ſolum qui regnat in cælis, adoro.

17. Audiens hæc Aſtaſius, juſſit eum fuſtibus cædi. Poſtea verò erecto dixit: Miſer, ut quid tam ſuperbus & tam rebellis exiſtis? vis perire, ſicut tuum probaſti perire germanum? Protaſius dixit: Non tibi iraſcor, nec ego, nec ipſa juſtitia; quoniam cæcos tui cordis oculos attendo: incredulitas enim, quæ in tuis ſenſibus regnat, non te permittit videre quod Dei eſt. Nam & dominus meus Jeſus Chriſtus, crucifigentes ſe non maledixit: ſed potius ut eis indulgeretur, oravit, addens & hoc, quia neſcirent quid facerent. Unde & ego tui, miſereor; quia neſcis quid facias. Age ergo quod cœpiſti, ut mihi poſſit cum meo fratre Gervaſio hodie benignitas Salvatoris noſtri occurrere.

18. Tunc comes Aſtaſius juſſit eum capite cædi. Quod cùm factum eſſet, ego Philippus abſtuli cum filio meo furtim nocte ſanctorum iſtorum corpora, & in domo mea, Deo ſolo teſte, in iſta arca ſaxea ſepelivi, credens me orationibus eorum conſequi miſericordiam domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, amen.



a. Rom. edit. vocaverunt, cumque ab inteſtato Gervaſius & Protaſius, hoc eſt, patre ſancto Vitale martyre, & matre ſanctæ memoriæ Valeria defunctis, utrique patrimonio ſucceſſiſſent, domum propriam &c. Nos vero duos codices Longipetrinos, qui martyrium SS. Vitalis ac Valeriæ huic epiſtolæ inſerunt, ſequuti ſumus.

b. Rom. edit. Idola reſpuentes, ſub Aſtaſio comite in Mediolanenſi civitate die [illegible] kalendarum Juniarum feliciter peregerunt. Nam eo tempore ſuperveniente &c.

c. Eadem edit. occurrerunt ei cultores idolorum.

EPISTOLA III.

Alias LV.

Martyrum Vitalis & Agricolæ, qui Bononiæ inter tumulos Judæorum sepulti erant, factam cum plausu christianorum, Judæorum admiratione, ac miraculis non paucis inventionem refert. Eosdem & à nomine & à constantia in suppliciis laudat: aliaque nonnulla subjicit ad eamdem rem pertinentia.

Ambrosius servus Jesu Christi, vocatus episcopus, dilectissimis fratribus, [a] & universis plebibus per Italiam æternam in Domino salutem.

1. MAgna atque præcelsa martyrum testimonia, de quibus vobis scripturus sum, noster potius adtenuat, quam explicat sermo. Verùm quod sermo adtenuat, virtus adauget; idcirco quod in me minus est, in martyribus luculenter resplendet.

2. Invitatus itaque à plebe Bononiensi negare præsentiam meam, Domino suggerente, nullatenus potui; quoniam tempus aderat, ut sua quæ Christus solet mirabilia, suis fidelibus ostenderet. Nam Diocletiani & Maximiani imperatorum temporibus duo viri, Vitalis nempe & Agricola, pro Christo in civitate Bononiæ martyrium passi sunt, quorum corpora, ne à fidelibus reperirentur, inter Judæorum sepulcra recondita fuerant. Christum igitur confitentes, & pro ejus gloria morientes, inter eos qui eum negaverunt, indecore sepulti sunt. Locum autem, qui omnes latebat, Christus dominus noster mihi revelare dignatus est. Ubi jejuniis & orationibus plures habentes excubias, invenimus tandem pignora martyrum, prout mihi Dominus revelaverat, tamquam inter spinas rosam legentes, & omnibus palam manifestata sunt.

3. Aderat populus christianus cum plausu & lætitia. Judæi ludentes dicebant: *Flores visi sunt in terra nostra.* Respondebant christiani: *Tempus incisionis advenit.* Alii dicebant: Alii seminaverunt, & nos in eorum labores introimus. Et martyrum fructus recipimus; ut quod scriptum est impleatur, quod qui seminat, & qui metit, mercedem accipit. Judæi audientes voces plaudentis Ecclesiæ, ridentes dicebant: *Vox turturis audita est in terra nostra*: christiani dicebant: *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Unde bene per prophetam dicitur: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Quasi dicat: *Dies diei*, hoc est, christianus christiano, *& nox nocti*, hoc est, Judæus Judæo.

Cant. 2. 12.
Ibidem.
Johan. 4. 38.
Cant. 2. 12.
Ibidem 13.
Psal. 18. 3.

4. Certe & ipsi dæmones confitebantur, & ab hominum corporibus illico egrediebantur. Et multi qui variis vexabantur ægritudinibus, sanctorum tangentes sudaria, continuo sanabantur, & plura per sanctos suos mirabilia in populi præsentia, dum sacra veherentur pignora, operatus est Dominus.

5. Colligant ergo alii aurum atque argentum, & de latentibus eruant venis, legant pretiosa monilium serta: temporalis iste thesaurus est, & habentibus non infrequenter perniciosus. Nos legimus martyrum clavos; & plures quidem, quia plura in eis vulnera, quam membra fuerunt. Colligimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Namque sicut qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt, ita nos ex convivio Bononiensi apophoreta gratiæ & sanctitatis plena nobis reservare curavimus.

6. Sanctorum igitur martyrum uni nomen est Vitalis, Agricola nomen alteri: utrique nomen aptum; ut martyrio jam designati ipsis etiam vocabulis noscerentur. Nam ille Vitalis dictus est, quasi per istius vitæ contemtum, vitam aliam quæ æterna est, sibi compararet: iste vero Agricola, qui bonos spiritalis gratiæ fructus sereret, & sui sanguinis effusione meritorum & virtutum suarum plantaria rigaret.

7. Sanctus Vitalis, cùm à persecutoribus, ut Christum negaret, imperaretur, & ille constantius [b] confiteretur; adeo omni tormentorum genere cruciatus est, ut nullus in ejus corpore sine vulnere esset locus. Quare hanc ad Dominum orationem effudit, dicens: Domine Jesu Christe salvator meus & Deus meus, jube suscipi spiritum meum; quia jam desidero accipere coronam, quam sanctus Angelus tuus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum.

8. Sanctus vero Agricola mitioribus ita præditus erat moribus, ut ab omnibus impense diligeretur; ideoque ejus passionem differebant. Verum persecutorum hæc indulgentia, quapiam etiam immanitate martyri videbatur acerbior; nec enim eorum blanditiæ sedulitatis, sed fraudis erant: differebant quippe coronam. Hinc namque tormenta suppliciaque plura in sancto exercuere Vitale, ut sanctum terrerent Agricolam: sed Dominus illa in majorem ejus constantiam vertit. Denique videntes nihil proficere, eum tandem cruci affixerunt; sicque Deo spiritum reddidit.

9. Sanctus Vitalis sancti Agricolæ servus fuerat, mox ejus in passione socius, nunc gloriæ consors factus est. Meritò autem sanctus Vitalis primò passus est, & ut servus præcessit; quia domino parabat locum: sequutus est dominus, ut servi prudentis fidem probaret. Passio servi disciplina est Domini: hic instituit, ille implevit; nihil illi servitute decerpitur. Quomodo autem minui potest, quod Christus donavit egregie? Ille quidem homini serviendo didicit quomodo placeret Christo: hic geminam adquisivit laudem in illo magisterii, in se martyrii. Beneficiis mutuo certaverunt, postquam æquales esse meruerunt: hic illum ad martyrium præmisit, ille istum accersivit. Nihil ergo ad meritum hominis conditio detraxit, nihil dignitas auxit: sed utrumque fides consummavit. Nam scriptum est: *Sive liber, sive servus, omnes in Christo unum sumus*; &: *Unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* Apud Dominum enim servitus & libertas æqua lance penduntur; cùm nulla sit major dignitas, quàm servire Christo, qui tanti nos æstimavit, ut animam suam pro nobis traderet. Ephes. 6. 8.

10. Hæc vobis pauca & compendiario, dilectissimi fratres, de corporum sanctorum martyrum inventione significare curavimus; ut ipsorum memoriam in Ecclesiis facere valeatis. Passi sunt autem sancti martyres sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, in civitate Bononiensi provinciæ Italiæ, pridie nonas novembris, regnante Jesu Christo Domino nostro, cui est omnis honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.

EPISTOLA IV.

Alias XXIX.

Florianum ad maturam & continuam pœnitentiam excitans, quid ipsi sive in dictis sive in factis sequendum fugiendumve sit, præscribit.

Ambrosius episcopus Floriano.

1. DIlecte fili, dilige lacrymas, noli differre eas. Tantum promtus esto ad lamenta, quantum fuisti promtus & pronus ad culpam. Nulla res de peccato te securum faciat. Eccl. 5. 5.

2. Non potes iram vitare, saltem tempera. Magna gloria est, si cui potuisti nocere, parcas; peccanti in te non retribuas secundum culpam, sciens in te venturum esse judicium. Nam non habebis indulgentiam, nisi alteri donaveris; odium enim hominem separat à regno, à cælo subtrahit, à paradiso dejicit. Levit. 19. 18.

3. In omnibus actibus tuis imitare bonos, æmulare sanctos, habeto ante oculos exempla sanctorum: socios tibi bonos conjunge; quia si socius fueris conversationis, eris & virtutis. Periculosum est cum his qui male vivunt, conversari. Melius est ergo habere malorum odium, quam consortium. Psal. 17. 26.

4. Vanus sermo cito polluit mentem: & facile agitur; quod libenter auditur. Hoc proferatur ex labiis, quod aures non polluat audientis. [c] Mores hominis lingua pandit; & qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, ut scriptum est. Retine verbum quod non ædificat audientes; quia qui otiosum verbum non reprimit, cito [d] ad noxia transit. Matth. 12. 34.

a. Codex Reg. *& universis plebi æternam in Domino salutem. Magna atque præcelsa martyrum testimonia, quæ adtenuat noster potiusquam explicat sermo. Igitur invitatus à plebe Bononiensi, negare præsentiam meam nullatenus potui; quoniam tempus aderat, ut sua Dominus mirabilia, quæ solet, ostenderet. Apophoreta quidem plena sanctitatis & gratiæ tecum detuli: apophoreta autem solent habere triumphos principum. Et hæc apophoreta triumphalia sunt: Christi enim nostri principis triumphi sunt martyrum palmæ. Ergo quia in me minus est, quam præsumebatur, in martyribus plus reperitur. Sancti martyris nomen Agricola est.* Cetera vero eadem serie, ac iisdem verbis, exceptâ unâ aut alterâ sententiâ, habentur in Exhortat. Virgin. à cap. 1. num. 2. usque ad cap. 2. num. 10. Sed post scribo: *hodie dedicavimus* [illegible] illa invocatio, quam in lib. cit. c. 14. num. 94. legere est: postquam adjicitur clausula: *Passi sunt* &c. ut supra.

b. Reg. codex, *profitetur dominum Jesum Christum, illius omnium tormentorum in eo genere exercentibus, ita ut non esset* &c.

c. Rom. edit. *Mentem hominis* &c.

d. Eadem edit. *ad noxam trahit.*

5. De alieno malo os tuum non coinquines: numquam detrahas peccatori, sed condole: quod in aliis detrahis, in te potius pertimesce. Numquam profecto detrahes, si te ipsum bene perspexeris. Tantum cura corrigere vitam tuam, quantum prospicis alienam. Per nullam fallaciam vitam alicujus defendas.

6. Nec plaga, nec mors te terrebit, si bene & pie vixeris. Curiositas periculosa præsumtio est. Plus dilige audire, quam dicere: plus auscultare, quam loqui. Qui obtemperat in malo, similis est ei, qui facit malum. Facientem & obsequentem [a] par pœnitentia constringit. Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est: virtus vero indiscreta pro vitio deputatur. a

7. Testimonium tuum nulli noceat: sermo tuus non sit reprehensibilis, sed ab omnibus sit acceptus atque laudabilis. Nullius personæ affectu à recto judicio deflectaris, an dives, an pauper sit, causam respice, non personam. Justitiam pro sola æterna retributione distribue; qui enim præsentia dona affectat, futuram gloriam non quærit, vel sperat. In judicio numquam misericordiam deseras: [b] impia justitia est humanæ fragilitati non ignoscere. Nullum ante judicium condemnes: nullum judices suspicionis arbitrio. b

c 8. Cave honores, quos tenere sine culpa non potes. [c] Sublimitas honorum sine onere peccati vix tenetur; ideo dicit Apostolus: *Nec quærentes ab hominibus gloriam*; in majori enim gradu major sine dubio culpa est: qui minor est, veniæ proximus est.
1. Thess. 2. 6.

A

9. Nullus [d] sine peccati periculo terrenas res administrat: valde rarum est, ut qui divitias possidet, ad requiem tendat. Unde scriptum est: *Amen dico vobis quod dives difficile intrabit in regnum cœlorum*. Qui curis terrenis se implicat, [e] à Domino se separat. Nemo potest amplecti Dei gratiam simul & sæculi. Difficile est cælestibus & terrenis curis simul insistere. Difficile est Deum simul & mundum diligere. Toto animo odi & damna quod diligit mundus. Tamquam mortuus, à labe & affectu istius mundi te separa: sicut sepultus, nullam habeas curam de hoc sæculo: tamquam defunctus, ab omni terreno te priva negotio. Contemne vivens, quæ post mortem habere non poteris. d Matth. 19. 23. e

B

10. [f] Omnibus tribue: non eligas, cui miserearis; ne forte prætereas illum, qui meretur accipere: incertum est enim pro quo placeas magis Deo. Non auferas uni unde tribuas alteri; ne alieno spolio misericordem te ostendas: condemnat miseratio ista, non proficit. f

11. Bonum quod facis, misericordiæ non jactantiæ causa facias; si enim hîc laus quæritur, in cælo remuneratio amittitur. [g] De his dicitur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Justis in cælo, non in terra merces promittitur. g Matth. 6. 2.

12. Lege quod scripserim, & vide ne quod legendo miraris, vivendo contemnas. Vale, & nos dilige; quia te ut filium nos diligimus.

a. Reg. codex, *perpetua pœna constringit*.
b. Codex Reg. *impia enim est*, &c.
c. Idem cod. *Sublimitas honorum agitando est scelerum: in majori gradu* &c.
d. Regius codex, *sine peccato terrenas res* &c.
e. Rom. edit. *ab eo te separa*. Minus commode.
f. Eadem edit. *Omnibus te tribue.. ne forte præteras illum* &c.
g. *De his dicitur hæc verba cum subjecto Matthæi loco in Reg. cod.* desiderantur: in quo etiam post verbum *promittitur* epistola definit in hunc modum: *Vade quisquis hoc legis, ne quod legendo suspicis, vivendo contemnas. Laus Deo. Amen.*

MONITUM.

Sequentes duæ precationes in omnibus quidem Ambrosianis editionibus reperiebantur: sed scripta earum exemplaria per quam rara sunt, & inventu difficilia. Nobis profecto, forulis nobiliorum bibliothecarum non indiligenter perlustratis, manuscriptum prioris orationis nullum, posterioris vero tantum unicum detegere licuit. Quod argumentum est haud mediocre illos à quibus inter Ambrosii Opera primum edita sunt, non frequentium exemplarium auctoritate niti potuisse. Non mirum igitur si à judicibus sagacioribus utraque partus adulterini loco habita fuerit; etiamsi enim prima non paucis Doctore nostro visa sit digna, tamen attentius consideranti & ejus stylus ab Ambrosiano paulum diversus, & in ea citati ex antiquo fœdere loci nonnulli cum LXX. versione non congruere deprehenduntur. Quod vero attinet ad posteriorem, in ea rejicienda minor est difficultas; quippe quæ licet non inelegans, Ambrosianæ gravitatis vix quidquam præ se ferat. Eam autem ad codicem Floriacensem annorum circiter 700. exactam, multo quam fuerat, emendatiorem exhibemus. Ceterum nobis minime placet, quod Theophilus Reinaudus utramque ea propter Mediolanensi episcopo adscriptam putat, quia caracteres S. A. eisdem orationibus in manuscripto aliquo prænotatos de sancto Ambrosio quispiam interpretatus sit, cùm per illos sanctus Anselmus indicaretur. Enim vero ut alia quadrarent, nimium unius ratio dissidet ab altera, quam ut ambarum eumdem auctorem fuisse arbitremur.

PRECATIONES DUÆ
HACTENUS AMBROSIO ADTRIBUTÆ.

Precatio prima præparans ad Missam.

1. SUMME sacerdos & vere pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri in ara crucis hostiam puram & immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium in virtute Spiritus sancti, dicens: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*; rogo per tuum sanguinem pretiosum, magnum salutis nostræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem caritatem, qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis nostris in sanguine tuo; doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ: doce me, quæso, per Spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reverentia & honore, eaque devotione & timore, quibus oportet & decet.
1. Cor. 11. 25.

A

2. Fac me, domine Jesu Christe, per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem tantorum mysteriorum. Profunda sunt nimis, & sacro tecta velamine.

3. Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie & semper missarum solemnia puro corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pià & fidâ tutelà, atque fortissimâ custodià; ut hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterii, & per manum sancti Angeli tui. Repelle à me, domine Jesu Christe, & à cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiæ, cenodoxiæ, invidiæ, iracundiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & blasphemiæ. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi qui cuncta perdere festinant. Rex virtutum, castitatis & integritatis amator

Deus, cælesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore A meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quæ tibi placeant in veritate; ut sacrificium laudis casto corpore & mundo corde valeam tibi offerre.

4. Quanta enim, domine Jesu Christe, cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, quanta corporis castitate, & animi puritate istud divinum & cæleste sacrificium est celebrandum; ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis junguntur, ubi adest præsentia sanctorum Angelorum, ubi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & B ineffabiliter constitutus. Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, & vere scio, & ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad mysterium tantum propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio veraciter, & credo ex toto corde & ore confiteor, quia potes me facere dignum: qui solus potes mundum facere de immundo conceptum semine, de peccatoribus facere justos & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori hoc cæleste sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali, & cælesti gaudio. Sentiat mens C mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

5. Ego enim, Domine, memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator; ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. Suscipe ergo istud, quæso, summe Deus, dulcissime Jesu Christe, pro Ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo, quem acquisisti sanguine tuo pretioso. Et quoniam me peccatorem inter te & eumdem populum medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum famulum tuum D eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus, salutaris dignatus es esse redemtio. Profero ergo, Domine, si dignaris propitius intueri tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitum, miseriam orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum; tu enim misereris omnium, Domine, & nihil odisti omnium quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis, Domine, iniquitates E nostras, & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum quod te timeat, diligat & honorificet, te delectetur, te sequatur, & te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia præstolantem adspicere digneris. Et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire delecteris.

6. Rogamus etiam te, sancte pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternum, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis F hodie magnum & plenum gaudium de te pane vivo & vero, qui de cælo descendisti, & das vitam mundo, de carne sancta & benedicta, agni videlicet immaculati qui tollis peccatum mundi, & potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanavit crucifixi Domini nostri; ut consolati exsultent in laude & gloria tua sancta.

7. Peto, Domine, clementiam tuam, ut descendat super hunc panem & calicem istum plenitudo divinitatis tuæ. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis forma, & incomprehensibilis majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum sacerdotem tuum doceat tantum tractare mysterium, ita ut placide ac benigne sacrificium suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum. Rogo A te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque unius tuæ summæque divinitatis participes efficimur; quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bonâ conscientiâ ad altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.* Et, *Qui manducat me, vivet propter me, ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Iohan. 6. 51. & 58.

8. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam B suavitatem amoris tui: sana ab omni languore, ut nullam præter te amem pulcritudinem. Panis candidissime habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem, qui nos semper reficis; comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo suo; ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus. Intra in animam meam, & sanctifica me intus & exterius. Esto tutamen & perpetua salus corporis & animæ meæ. C Repelle à me insidiantes mihi. Hostes recedant procul à præsentia tua, ut foris & intus per te munitus, recto tramite perveniam ad tuum regnum; ubi non mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cùm tradideris regnum Deo Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis satietate perpetua, ut nec esuriam, nec sitiam in æternum: qui cum eodem Deo Patre & Spiritu sancto vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum, amen.

Precatio secunda præparans ad Missam.

D 1. Summa & incomprehensibilis natura, virtus vitaque beata, lux inaccessibilis, vera, singularis, & una sapientia, veritas incommutabilis, sancta, incomparabilis, & æterna dilectio, temporalium rerum sine tempore conditor, visibilium & invisibilium invisibilis æternusque patrator, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus & verus in Trinitate dominus Deus: Pater non habens à quo sis, habens tamen sapientiam, id est, Filium, cui major vel anterior non sis: Filius habens Patrem à quo sis, non tamen habens cui minor vel posterior sis: Spiritus sanctus habens Patrem & Filium, à quibus sis, non tamen habens quibus vel inæqualis vel impar sis; quia totum in hac tua divinitate, cui tempus numquam accidit, æternum ac coæternum, E æquale ac coæquale est, in qua alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: sed Pater in Filio & Spiritu sancto, Filius in Patre & Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Patre & Filio est; quia sicut tua, Deus noster, natura personas recipit, sic partes nequaquam admittit: cui nec supra, nec subtus, ante vel retro convenit; quia corporum lineamenta non recipit. Unde & tota omnibus in locis sine loco habetur, nec tamen tota comprehenditur; tota namque ubique habetur, quia profecto pars in ea nulla reperitur. tota autem non comprehenditur, quia videlicet cùm in creaturis unicuique tota præsens efficitur, etiam ultra creaturas tota invenitur. Quamobrem cùm cælum & terram implet, F tota est: cùm hominem unum implet, tota est; nec variatur per singula, quæ in singulis tota est; nec de loco ad locum transit, cùm unum deserens, alterum petit, quæ semet ipsam sine loco & tempore movet. Hinc merito colendus, hinc adorandus es, hinc incommutabilis, hinc incircumscriptus agnosceris: hinc mediator Dei & hominum homo Christus Jesus secundum divinitatis essentiam, totus cum hominibus in terris, totus erat cum Patre in cælis, cùm diceret: *Nemo adscendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis, qui in cælo est. Qui* videlicet, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens,* [a] *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Iohan. 3. 13. Philip. 2. 6.

2. Per hunc te, beata Trinitas, humanitatis habitum;

[a] Omnes edit. in similitudinem hominum, factus obediens: cetera ex Reg. cod. restituta sunt.

per hujus subjectionis humilitatem deprecor, per hujus sacratissimam obedientiam, per hujus beatissimam mortem exoro in primis; ut te dominum Deum meum diligam, te sitiam, te toto corde perquiram: deinde ut proximum juxta vires atque mensuram in hac ipsa tua dilectione carum semper atque dilectum adtendam. Sed hanc dilectionem nulli, Domine, præstabis, nisi cui vitia prius odisse donaveris. Obsecro ergo, pia & vera misericordia, solida atque unica spes mea, ut superbiæ regnum auferas ab anima mea. Horrendum, Domine, pavendumque tam maximum malum, quod Angelos de cælo projecit, quod homines [b] de paradiso eliminavit, quodque initium omnis peccati est, & ad ipsum pertinet quidquid vitii & iniquitatis est, cujus primæ soboles septem nimirum principalia vitia, ex hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies atque luxuria. Sed & numerosa propaginis turba ex singulis generatur.

3. Inanis ergo gloria cùm plene mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit, inobedientiam scilicet, jactantiam, hypocrisin, contentionem, pertinaciam, discordiam, ac novitatum præsumtionem. Sed si huic vera humilitas opponatur, omnis ejus nequitia vacuatur. Te ergo deprecor, humilitatis magister, ut hanc cordi meo inseras, insertamque custodias, quæ dum cunctis inferiorem se adtendit, subjectionem protinus gignit, jactantiam extinguit, hypocrisin excludit, contentionem refugit, pertinaciam emollit, discordiam præcavet, novitatum præsumtionem abhorret. Hoc beatæ humilitatis medicamine morbum elationis sanandum prævideras, cùm per hominem adsumtum auctor nostræ salutis, tuis ad te venientibus diceres: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* (Matth. 11. 29.) Et rursum: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* (Matth. 18. 3.)

4. De invidia quoque odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis ejus propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit! Qui itaque invidet vel odit, non alium prius quam se ipsum occidit: qui susurrat & detrahit, prius suas quam aliorum radices evellit: qui exsultat in adversis proximi, & affligitur in prosperis ejus, [c] alieno se primum gladio petit. Hoc secundum superbiæ virgultum tunc primò fuit exortum, cùm ille de quo scriptum est: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum;* (Sap. 2. 24.) Cain persuasit ut livoris odio fraternum funderet sanguinem. Sed nimirum idem Cain invidos prius suam animam, quàm alterius carnem peremit; scriptum quippe est: *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* (1. Johan. 3. 15.) Hinc, Domine, apparet cujus primum homicida est, qui alterum odit, in quo vita non est. Quod contra Moyses omnium mitissimus admonet, dicens: *Ne oderis proximum tuum in corde tuo.* (Lev. 19. 17.) Et quia ille, qui invidet & odit, consequenter susurrat & detrahit; hoc malum scriptura sancta præcavendum denuntiat: *Non eris*, inquit, *susurro in populis;* (Ibidem 16.) &: *Nolite detrahere alterutrum, fratres.* (Jacob. 4. 11.) Qui verò detrahit fratri, detrahit legi; qui enim susurrat & detrahit, consequens est ut in adversis proximi exsultet, in prosperis autem animi tristitiam contrahat. Sed occurrit beatus Apostolus, & dicit: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* (Rom. 12. 15.) Et ecce alius pro terrenis rebus, terrenisque honoribus, alius pro virtutum successibus cuilibet invidet, quemlibet odit, contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cujuslibet adversis exsultat, de prosperis animum mœstificat.

5. Sed ut in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat, Domine quæso, illud multiforme bonum, quod potenti virtute resistens non det invidiæ locum, caritas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtutum & bonorum: quæ non invidet, sed congaudet: non odit, sed diligit: non susurrat, sed objurgat: non detrahit, sed arguit: non de adversis proximi gaudet, sed mœret: non de prosperis afflictionem contrahit, sed consolationem recipit. Merito autem tale nomen accepit, quod illa carius inveniri non poterit: quam qui habet, te utique habet. *Deus*, inquit, *caritas est; & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* (Johan. 4.) Qui ut præfatum invidiæ superet malum, cordis simul & oris jungenda custodia est: cordis scilicet, ne invideat, ne in adversis proximi exsultet, ne in prosperis mœstitiam contrahat: oris vero, ne susurret, ne detrahat. Scriptum quippe est: *Omni custodia serva os tuum: serva tuum cor, quia ex ipso vita procedit.* (Prov. 4. 23.) Et rursum scriptum est: *Mors & vita in manibus linguæ.* (Prov. 18. 21.) Citiùs autem malum quod intus latet, extinguitur, si à pravo eloquio foris lingua frænetur. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis; ut non declines cor meum in verbum malum.* (Psal. 140. 3.) *Libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* (Psal. 119. 2.)

6. Ira autem invidiam sequitur, qua inter cetera vitia nihil asperius, nihil invenitur amarius: quæ dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blasphemiæ suscitantur. De qua nimirum scriptura sancta testatur, dicens: *Ira in sinu stulti requiescit*, (Eccle. 7. 10.) &: *Ira viri justitiam Dei non operatur.* (Jacob. 1. 20.)

7. Sed objice, Domine, contra tam amarissimum iracundiæ malum suavissimum patientiæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cùm nobis per Evangelium dicatur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (Luc. 21. 19.) Quæ nimirum dum arcem & principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit: rixas & contumelias in exhortationem convertit, confusum clamorem sub ordinato silentio premit, indignationem, tumoremque mentis mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit. Quod si forte in immensum irâ succensâ ad horam patientia succubuerit, nullumne, Domine, remedium erit? Erit certe. Nam cùm hujus mali damnationem Evangelium denuntiet, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis;* (Matth. 5. 22.) protinus recuperationem subjungit, cùm dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* (Ibidem 23.) Et illud: *Cùm statis ad orandum, remittite, si quid habetis adversus alterum in cordibus vestris.* (Marc. 11. 25.) Hanc mihi, domine Deus, secundam tribue victoriam, si furore cæcatus amisero primam, cùm non tuo zelo, sed meo vitio cujuslibet animum offendo.

8. Tristitia quoque iram persequitur: quæ dum cordis arcana penetrat, protinus in ejus cubiculo malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, vagationem mentis erga illicita generat. Quæ inter cetera vitia quam sit detestanda, beatus Paulus indicat: *Sæculi*, inquiens, *tristitia mortem operatur.* (2. Cor. 7. 10.) Sed, obsecro Deus & dominus meus, oppone contra sæculi tristitiam futuræ beatitudinis lætitiam, quæ ex mœrore contractam malitiam vincat benevolentiâ, tædio procreatum rancorem pellat sinceritate, pusillanimitatem fortitudine roboret, desperationem spei fiduciâ erigat, torporem circa præcepta exercitio spiritali repellat, vagationem mentis erga illicita inconcussa stabilitate refrænet. Quod si, ad momentum substracta lætitia spiritali, malum tristitiæ prævaluerit, agam, quæso, quod monet beatus Jacobus: *Tristatur quis in vobis? Oret æquo animo, & psallat.* (Jacob. 5. 13.)

9. Avaritia sequitur tristitiam, quæ in utroque Testamento pari notatur exsecratione. In veteri namque dicitur: *Avaro nihil est scelestius;* (Eccl. 10. 9.) in novo autem: *& avaritiam, quæ est idolorum servitus.* (Ephes. 5. 5.) Ex qua profecto septem nequitiæ procreantur, scilicet, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio. Et ecce domine Deus, quilibet amator mundi, & non tui, propter metalla pretiosa, ardentes fulgentesque lapides, servos & servas, prædia & fundos ad mortem proximum tradit, fraudem incutit, fallaciam obducit, perjurium committit: & alius inquietus & violentus est propter villam, alius propter gallinam: alius obduratur contra misericordiam, ne retribuat aurum, alius ne porrigat potum. Sed peto, mi Deus, amator castus & verus, ut cui præter te nulla possessio debetur in terra, nihil quod tu non es, concupiscam in terra; semper illius sententiæ meminerim, qua dicitur: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* (Job. 1. 21.) Atque illius: *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus.* (1. Tim. 6. 7.) Quæ nimirum dum pie considerantur, mundi contemtum adferre videntur, qui avaritiæ contrarius est.

b. Reg. cod. de paradiso moverunt.

c. Ita codex Reg. edit. autem, alieno proximum se petit gladio.

10. Post hæc restat ventris ingluvies, quæ à necessitate quidem incipit, sed modus necessitatis excedens, ad voluptatem pertransit; dumque à licitis ad illicita pervenerit, mox ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, sensusque hebetudinem circa intelligentiam parturit: cujus mortiferum virus tunc utcumque vacuatur, cùm non qualitas, sed libido in escis præcavetur. [Gen. 3. 6.] Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed sola pomi delectatione mortem mundo induxit: & antiquus hostis regem [Matth. 4. 3.] nostrum non de carne, sed de pane tentavit: & Sodoma [Gen. 19. 24.] idcirco igne & sulphure periit; quia inter cetera mala panem in saturitate comedit.

11. Quapropter clementiam tuam, Deus, imploro, ut sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes accedam; nequaquam scilicet in eis voluptatem appetens, sed necessitati subveniens. Aufer à me propter magnam misericordiam tuam omne ciborum noxium desiderium, congruamque servo tuo escarum propitius tribue abstinentiam; ut inter necessarium modum proprium temperem appetitum, remotaque à me omni prorsus crapula & ebrietate, sciam in virtute tua abundare, sciam & penuriam pati, noverim quoque in quibus mihi sufficiens esse possim. Ita, Domine, ita Pater bone, noxiis gastrimargiæ succis arefactis inepta lætitia vel scurrilitas non pullulabit, quæ illos maxime ad insaniam perducit, in quibus crapula & ebrietas dominium sumit: [Exod. 32. 6.] *Sedit* enim *populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Contra quos illa sententia venit, qua dicitur: [Luc. 6. 25.] *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram! Et væ vobis, qui ridetis nunc; quia plorabitis & flebitis!* Quod [Galat. 5. 24.] contra ii qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis ejus audiunt: [Johan. 16. 20.] *Mundus gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et rursum: [Matth. 5. 5.] *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Immunditia quoque quæ juxta Apostolum quibusdam regni cælestis aditum claudit, vigilantem numquam, dormientem vero tardius sua colluvione fœdabit. Multiloquium inediâ pressum silebit: hebetudo sensus circa intelligentiam spiritualis acuminis ingenio cedet, quod sancta parcimonia in mente propagabit; venter enim abstinentia contractus humanos in altum elevat sensus.

12. Luxuria gastrimargiam sequitur, quæ dum licentiæ metas excedit, mox de se cæcitatem mentis, inconsiderationem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei, affectum præsentis sæculi, horrorem autem vel desperationem gignit futuri. Sed peto, Domine, ut qui ab ipso pubertatis tempore à complexu carnalis copulæ alienum me esse voluisti, [a] delectationis ejus consensu non tangar. Quid enim prodest, domine Deus, virginem esse corpore, si contingat mente esse corruptum? [Matth. 5. 28.] *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Huic profectò necdum castitatem professo, [1. Cor. 7. 9.] juxta Apostolum melius est nubere, quam uri: sed obsecro, Domine, ut cui non licet nubere, nec contingat aduri.

13. Ecce dum pro me sollicitus talia postulo, meminisse caritatis debeo; ut etiam pro aliis exorem. Te igitur amatorem Ecclesiæ tuæ deprecor, Deus, pro sacerdotibus ejus; ut verbis simul & meritis vitæ populum sibi creditum ad cælestem patriam invitent. Pro regibus, ducibus, & iis qui in sublimitate positi sunt; ut patres orphanorum & judices viduarum semet ipsos exhibeant, miseriis inopum, & gemitibus pauperum condoleant, nihil nisi quod justum est, in judicio quærant; sicque administrent præsentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus, continentibus, ac mundo renuntiantibus: ut præsentia despiciant, futura requirant, nec se negotiis sæcularibus implicent; ut tibi militantes placeant, cui se probaverunt. Pro conjugatis, ut sic sibi invicem carnis debitum solvant, ne à desiderio patriæ cælestis exorbitent.

14. Sed quid ago, Domine? Quasi oblitus peccatorum meorum pro aliis exorare præsumo. O quam in multis offendi atque offendo! Sed tamen non subrepit desperatio, cùm publicanum in templo justificatum attendo, cùm latronem in cruce confitentem, & de cruce ad Paradisum transeuntem adspicio, cùm Mariam post multas criminum maculas fonte pietatis ablutam, cùm Petrum post negationem apostolatus gratiam recuperasse intueor. Sed rogo, ineffabilis pietas, ut cui de tantis exemplis præsumere donasti, gemitus publicani, confessionem latronis, lacrymas meretricis, fletusque negantis apostoli concedas. Quia si flagello temporali scelera mea vindicanda provideris, lacrymosus imploro; ut dum contra hæc iratus desævis, semper in ira misericordiæ recorderis: [Hebr. 12. 6.] Quem enim diligis, corripis, flagellas autem omnem filium, quem recipis. Quibus nimirum verbis [b] etsi virga percussoris minatur, paternus tamen pietatis affectus monstratur. Da ergo Domine, inter flagella tolerantiam, ne murmurationis notam, ut malus servus incurram: sed magis quasi bonus filius, gratiarum actiones rependam.

15. Illud etiam magnopere peto, ut diem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinemque regni futuri semper meminerim: quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam. Indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adversarius noster mala quæ fecimus, loquuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, justitiam tuam ad hæc punienda deposcet. Ubi quid sim, Domine, nisi tu qui juste judicas, etiam misericorditer defendas? Recordare, quæso, quia advocatus meus es ipse, qui judicas. Quod si etiam in illo adhuc sæculo aliquid in me vindicandum reservas, peto ne me potestati dæmonum tradas, dum scelus meum purgatoria pœna detergis.

16. Numquam, Domine, oblivioni tradenda est dies illa, de qua dixit propheta: [Sophon. 1. 15. & seq.] *Dies*, inquit, *iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis,* [c] *dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris:* in qua, cælis & terris ardentibus, [Matth. 13. 49.] *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis:* in qua messores collecta zizania alligabunt in fasciculos ad comburendum. In qua à sinistris positi audient impii: [Matth. 25. 41.] *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus.* In qua jam obseratis vitæ januis cum extinctis lampadibus stultæ virgines à thalamo exclusæ plorabunt, dominationemque ingementes clamabunt: [Ibidem. 11.] *Domine, domine, aperi nobis*; & tunc dices illis: *Nescio vos.* In qua etiam qui miraculis coruscaverunt, similiter lamentabuntur repulsi, & dicent: [Ibidem. 7. 22.] *Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus?* Et tunc confiteberis etiam illis quia numquam novisti eos, subjiciens: [Psal. 6. 9.] *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* [d] Quis hæc, domine Deus, terribilis in consiliis, mirabilis in majestatibus, faciensque prodigia: quis, inquam, hæc non paveat, & à fundo cordis non contremiscat; cùm etiam illos damnari audiat, quos in hac vita contigit miraculis coruscare. Ad quæ nimirum valet illa sententia, qua dicitur: [Eccles. 9. 1.] *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia reservantur in futurum incerta.* In quo etsi justus vix salvabitur, peccator & impius ubi parebunt?

17. Etiam, domine Deus, indesinenter meditandum æternæ damnationis supplicium, in quo quidquid pœnarum nunc excogitari potest, quidquid etiam non potest, semper adest. Cujus vermis immortalis, ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis est: cujus terra tenebrosa, & mortis caligine cooperta, terra miseriæ & tenebrarum est: cujus torrentes in picem convertuntur, & humus in sulphur, ardebitque in sempiternum; cujus lacus sanguine, igneque permixtus est, & quoscumque suscipit, demergit simul & exurit. O quam horrenda! ô quam stupenda sunt ista!

18. Sed major erit, Domine, cruciatus, amissio tuæ claritatis. Sufficit enim ad plenam miseriam tua non perfrui beatitudine, in qua justi receptis corporibus, sanctorumque Angelorum celsitudini [e] coæquati, in æternam lucem adspicientes, sicut sol refulgebunt. Nec immerito sole & luna non indigebunt; quia te perenne lumen habebunt. Non esurient, neque sitient, non laborabunt, neque deficient, non mærebunt, neque lugebunt; quia quidquid satietatis, quidquid quietis, quidquid gaudii est, tua visitatio præstabit, quæ in omnibus omnia erit. Nec tempus jam illis accedet, quia totum æternitas possidebit: nec timebunt ultra jam mori, qui meruerint beata immortalitate vestiri.

a. Omnes edit. delectationis ejus sensu.
b. Eadem edit. etsi virga percussoris.
c. Dies nebulæ & turbinis, & mss. restitutum est.
d. Edit. Quis hæc . . . quis, inquam, hæc non paveat.
e. Regius codex, coæquati, æternam lucem &c.

Quid

Quid autem de hac beatitudine miſer ego homo amplius dicere valeo? qui de illa quidquid dixero, illâ ſententiâ reprimor, quam per prophetam & Apoſtolum dictam intelligo: [1. Cor. 2. 9.] *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcenderunt, quæ præparavit* [a] *Deus his, qui diligunt eum.* Erunt certe in illa beata vita hæc bona quæ præmiſi, ſed ineffabili, & nobis adhuc incomprehenſibili modo. Hujus deſiderio, domine Deus, formator & reformator meus, hujus amore peragam quidquid in hac vita præcipis ut agam: [1. Johan. 4. 18.] nec ſit ultra timor in caritate, ſed perfecta caritas foras mittat timorem.

19. Et ut efficax hæc mea ſit deprecatio, beatæ Mariæ virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, & nulla præter ipſam tam novum acciperet: novum ſcilicet munus prima offerret, [b] ut puerpera virgo perſeveraret: nulla præter ipſam tam novum acciperet, ut Deum virgo pareret, & poſt partum virgo maneret. Apoſtolorum interceſſionem imploro, qui beatiſſimam Mediatoris paupertatem, ejuſque paſſiones veſtigio inſequentes, ad tantum celſitudinis culmen pervenerunt: ut quæcumque ligarent ſuper terram, [Matth. 18. 18.] eſſent ligata & in cælo: & quæ ſolverent ſuper terram, eſſent ſoluta & in cælo: atque in extremis ſederent ſuper duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael. [Ibid. 19. 28.] Martyrum preces depoſco, qui pro veritate non dubitarunt ſanguinem fundere, nec dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem, ut mortis ſuperarent auctorem. Confeſſorum orationes expoſtulo, qui bella tentantis inimici, dum pie viverent in catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerunt, atque, ut verum dicam, longioris occultique martyrii palmas acceperunt. Talium, Deus meus, preces nunquam ſpernas, ſi ut pro me exorent, ipſe inſpiraveris, qui in æternitate perenni vivis & regnas cuncta per ſæcula, & in omnibus ſæculis, amen.

a. Ita mſ. edit. vero, *Deus diligentibus ſe.*

b. Mſ. codex, *ut puella virgo perſeveraret.*

IN EXPOSITIONEM APOCALYPSIS

ADMONITIO.

Hujus Commentarii exemplar in quo ſancti Ambroſii nomen inſcriptum erat, nactus è bibliotheca monaſterii cujuſdam Cuthbertus Tonſtallus Dunelmenſis epiſcopus, illud ita publici juris facere conſtituit, ut ſimul etiam Doctori noſtro ipſum vindicare propriâ præfatiunculâ conaretur. Non tamen diſſimulat locum unum in eo reperiri, qui Gregorium Romanum epiſcopum & verbis & ſenſu præferat: *ſed nihil eſſe idem reſpondet, cur Ambroſium in hoc imitari non potuerit ſanctus Gregorius. Ex hac Tonſtalli editione, quæ anno 1548. prodiit Pariſiis, hæc Commentaria in appendicem ſuæ Ambroſianorum Operum editionis Gilletius admiſit: quod ſimiliter à Romanis factitatum eſt. Dubitari porro minime poteſt quin hoc ipſum opus è manuſcripto valde mutilo vulgatum fuerit, quandoquidem nomina* [a] *Hilarii, Auguſtini, Prudentii, Hieronymi, & ipſiuſmet Ambroſii, ac demum Gregorii, qui ſexties, ut minimum, citatiſque nonnunquam ipſius verbis ibi allegatur, prætermiſſa ſunt in editionibus: quæ nos non ſecus ac frequentiſſimas alias lacunas manuſcriptorum optimorum ſubſidio reſtituimus.* [a. Vide cap. 9. 11. 12. 13. 19. 21. & 22.]

Verum tamen quantumvis imperfecta fuerint eadem ſuperiores editiones, idonea tamen argumenta ſuppeditarunt, unde critici omnes adulterinum fœtum Ambroſio ſuppoſitum fuiſſe agnoſcerent. Eo inducebant ſcripti elocutio majeſtate Ambroſiana multo inferior, ignorantia græcarum litterarum, denique poteſtatis [b] *Longobardorum quaſi jam deletæ facta mentio. Et ſane hoc ultimum ſufficiebat, ut ſanctum Antiſtitem demonſtraret ejus commentationis auctorem dici haudquaquam poſſe, quam poſt annum 774. quo eadem gens, extincto rege ſuo Deſiderio, ſub ditionem Caroli Magni redacta fuit, compoſitam eſſe dubium non eſt. Quid vero ſi huc addamus iſtum auctorem de Gregorio pont. max. tamquam inter ſanctos & Eccleſiæ doctores cum Hieronymo atque aliis jam tunc recepto ſermonem habere, atque* [c] *ex Athanaſii ſymbolo quaſi pro regula fidei per univerſum chriſtianum orbem jam decantari ſolito frequentia uſurpare teſtimonia, & ad poſtremum* [d] *archidiaconorum avaritiam, quæ ſynodorum Pariſienſis, Cabilonenſis, & Aquiſgranenſis nono ſæculo celebratarum canonibus coercita eſt, graviter & cum ſtomacho inſectari.* [b. Cap. 17.] [c. Cap. 1. 6. & 10.] [d. Cap. 18.]

Tempus igitur, quo hunc auctorem floruiſſe neceſſe eſt, deprehenſum habemus; de nomine ejuſdem nunc quærendum eſt. Neque vero Uſſerius Armachanus, [e] ut hallucinatus eſt in eo, quod illum recentem eſſe exiſtimavit, ita etiam in hoc erravit, quod affirmavit Berengaudum fuiſſe appellatum. Etenim hoc ipſum nomen in codicibus omnibus, Gemeticenſi tantum excepto, aut in fronte præſcriptum legitur; aut ſaltem in concluſione, quæ in editionibus prætermiſſa eſt, his verbis indicatur: Quiſquis nomen auctoris ſcire deſideras, litteras Expoſitionum in capitibus VII. Viſionum primas adtende. Numerus quatuor vocalium, quæ deſunt, ſi græcas poſueris, eſt LXXXI. *Verum quoniam forte obſcura & ænigmatica videri poſſunt hæc ipſa verba, eorum expoſitionem in Regio ac Sagienſi codice ante 600. annos & eadem manu qua ipſemet Commentarius ſcriptus hic ſubjicimus.* [e. De Script. Eccl. Sæcul. et Pataeoph.]

Auctor hujus libri Berengaudus appellatur, ſi diligenter, quomodo inveniendum nomen ſuum ipſe doceat, adtendatur. Primæ enim litteræ Expoſitionum in capitibus ſeptem Viſionum, quas adtendere jubet, illæ ſunt, B. R. N. G. V. D. S. Quatuor autem græcæ vocales, quæ his adjungendæ ſunt, exprimentes numerum LXXXI. iſtæ ſunt, E, brevis, 5. item E, brevis, 5. A, 1. & O, 70. Junge ergo ſimul numerum, quem ſingulæ vocales iſtæ continent, & habebis ſine dubio LXXXI. niſi vero, E, ut prænotatum eſt bis adſumſeris, in aliis omnino diverſis vocalibus numerus iſte tibi non occurret. Confer itaque has quatuor vocales ſuperioribus ſeptem conſonantibus, & ſyllabas ex his compone hoc modo BERENGAUDOS. Habes igitur Berengaudos. Sed hæc græca terminatio eſt: latina autem terminatio eſt Berengaudus. Quod enim apud Græcos in os, apud Latinos terminatur in us, ut Petros Petrus, Paulos Paulus. Quod ſi ordinem prædictarum vocalium, in inveniendo hoc nomine tenere malueris, & prius ponendo A. ceteras per conſonantes ita diſponere, ut dicas BARENGUEDOS, non tibi quidem in hoc præſcripta vocalium ratio adverſatur: ſed barbarum nimis & omnimodo inuſitatum hominis nomen inde formatur. Melius ergo eſt, & multo rectius ut, ſicut præſcriptum eſt, Berengaudus non Barenguedus vocetur, quia hoc uſitatum & magis elegans; illud vero & inuſitatum & minime elegans hominis nomen videtur.

Jam vero ſi quis aveat ſcire quodnam fuerit auctoris ejuſdem inſtitutum ac vitæ genus, tametſi nihil omnino exploratum de hoc ſuppetat, eum tamen monaſticam Benedictinæ familiæ inſtitutionem ſequutum eſſe hinc conjicimus, quod [f] *de vitiis quæ ſibi aditum in monaſteria tum temporis fecerant, tamquam ocularis teſtis ſubinde diſſerat,* [g] *& locos plures paſſim inſerat è Regula beati Benedicti ad verbum expreſſos. Quæ tamen ratio ſi non probetur, negari ſaltem minime poterit* viri Eccleſiaſticis litteris, *ut Regius codex in ipſo capite præſcriptum habet,* optime eruditi hoc opus eſſe. *Non aliud judicium jam olim de illo tulerat Dionyſius Carthuſianus, & recenti memoria id ipſum ſenſit eruditiſſimus, ac de catholica religione optime meritus Dominus Benignus Boſſuet Meldenſium præſul, cujus ſuffragio hic non adſentiri nefas ducimus.* [f. Cap. 9. & 21.] [g. Cap. 18. & 22.]

BERENGAUDI VIRI ECCLESIASTICI

EXPOSITIO

SUPER SEPTEM VISIONES LIBRI APOCALYPSIS.

DE PRIMA VISIONE.

a BEATUM Johannem apostolum & evangelistam hunc librum Apocalypsin edidisse constat; quamvis extiterint aliqui, qui non ab eo, sed ab alio dixerint fuisse compositum: sed ejus fuisse sequentia manifestant.

CAP. I. ℣. 1. *APocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus.* Apocalypsis, revelatio vel manifestatio interpretatur. Quod revelationis donum & Pater Filio dedit, secundùm quod homo erat, & ipse Filius sibimet ipsi, divinitas scilicet homini, quem adsumsit. *Palam facere servis suis quæ oportet fieri cito.* Cùm hic liber non solum futura, sed & præsentia & præterita narret, cur hic sola futura dominum nostrum Jesum Christum servis suis manifestare dixit? Quia videlicet præsentia visu, præterita auditu facile cognoscuntur: futura autem, non nisi aut per doctrinam divinarum scripturarum, aut per revelationem agnosci queunt. *Et significavit, mittens per Angelum suum servo suo Johanni.* In hoc loco talis mihi sensus esse videtur: Dominus Jesus Angelum suum misit, & per eumdem Angelum servo suo Johanni manifestavit, quæ oportet fieri cito.

℣. 2. *Qui testimonium perhibuit verbo Dei.* Hic locus aperte demonstrat non ab alio Johanne, sed ab illo qui Evangelium scripsit, hunc librum esse compositum. Qui & in cœna supra pectus Domini, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, recubuit, de quo immensum fontem sapientiæ haurire meruit. Perhibuit ergo testimonium Verbo Dei, quando dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed & in hoc quod sequitur, quæstio oritur: *Et testimonium Jesu Christi quæcumque vidit.* Quomodo ergo testimonium perhibuit Jesu Christi, quæcumque vidit, cùm ipse dicat in eodem Evangelio: *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc?* Sed testimonium perhibuit Jesu Christo, quæcumque vidit, prædicando videlicet gentibus omnia, quæ à Christo didicerat, & miracula quæ viderat, narrando, ea tantummodo scribens, quæ posteris amplius profutura esse prævideat.

℣. 3. *Beati qui legunt, & qui audiunt verba prophetiæ hujus, & servant ea, quæ in ea scripta sunt.* Tres species beatitudinis posuit: sed duæ nihil sunt, si tertia defuerit, nam nihil proficit eis qui legunt aut audiunt mandata Dei, si non servant ea, quæ legunt vel audiunt. Multi namque sunt, qui mandata Dei aut audiunt aut legunt: sed nihil eos juvat, quia cùm corpore præsentes sint, mente sunt absentes; aut enim in adquirendis rebus mens eorum dedita est, aut libidine exagitatur, aut proximum dijudicat, aut contra prælatum superbit, aut fingit se potentem futurum, aut ceteris vanissimis rebus distenduntur. Potest talibus convenire, quod ait Propheta: *Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicietis.* Nonnulli vero sunt, qui divinas scripturas legunt & audiunt; id est, mentem ad earum intelligentiam accommodant: sed ideo divinas scripturas discunt, ut sapientes & egregii apud homines habeantur, & in sæculi prosperitatibus floreant, non ut vitam reprobam corrigant. Sed beati non sunt, quia scripturam divinam non pro amore Dei, sed pro amore sæculi didicerunt. De talibus dicit propheta: *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Et Dominus in Evangelio in parabola seminantis loquitur, dicens: *Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Illi ergo soli beati sunt, qui ideo mandata Dei student discere, ut audiant, id est, in mente recondant: ideo in mente recondunt, ut opere impleant: ideo opere implent, ut æternam beatitudinem adsequantur. *Tempus enim prope est.* Tempus videlicet judicii; nam si tempus ab adventu Domini usque ad finem mundi ante oculos ponas, longum invenies: sed in comparatione priorum temporum breve est.

℣. 4. *Johannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est.* Per septem Ecclesias, tota Ecclesia catholica designatur, propter septem videlicet dona Spiritus sancti, quibus illustrata in mundo refulget. Asia elata interpretatur, quia inter elatos hujus sæculi Christus multitudinem fidelium invenit, ex quibus Ecclesiam suam fabricavit. Et perpende quia totus hic liber in septenario numero consistit, sicut sunt septem Ecclesiæ, ad quas hæc scripta diriguntur, sicut sunt septem candelabra, septem stellæ, septem lampades, septem cornua agni, septem oculi, septem sigilla, septem Angeli tubis canentes, septem tonitrua, septem itidem Angeli phialas habentes. Nam & draco qui diabolum, & bestia quæ antichristum designat, uterque septem capita habuisse visus est: similiter & bestia, super quam mulier meretrix sedisse visa est; & si diligenter advertas, totus hic liber in septem visiones distinctus est. Prima est, quæ septem epistolas ad septem Ecclesias destinatas continet, & cetera quæ ibi continentur: secunda est, in qua sedem in figura Ecclesiæ in cælo positam vidit, & supra sedem Christum sedentem: in tertia Agnus librum & sigilla ejus aperuit: in quarta septem Angeli sunt visi tubis canentes: in quinta septem iterum Angeli visi sunt phialas habentes: in sexta resurrectio describitur: in septima gloria sanctorum in figura civitatis Hierosalem de cælo descendentis demonstratur.

b *Gratia vobis & pax ab eo, qui erat, & qui est, & qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt; & à Jesu Christo, qui est testis fidelis.* Hic tota Trinitas demonstratur; per eum namque qui erat, & qui est, & qui venturus est, Pater designatur. Erat namque ante constitutionem mundi sine ullo initio, est modo post constitutionem mundi, regens omnia quæ creavit & gubernans: venturus est post finem mundi cum Filio & Spiritu sancto, ut regnet cum sanctis suis in sæcula sæculorum. Per septem autem spiritus sanctus Spiritus, eo quod sit septiformis, intelligitur. *Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis.* Ille veraciter testis fidelis dici potest, qui nescit mentiri: qui quod electis suis misericorditer repromisit sine dubio implebit: qui nec eum, qui calicem aquæ frigidæ egenti dederit, à mercede vacuum derelinquit: cujus verba ita fixa permanent; ut facilius sit cælum & terram in nihilum redigi, quam aliquid immutari ex omnibus, quæ se facturum esse prædixit. *Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.* Quomodo Christus primogenitus mortuorum dicitur, cùm ipse in fine temporum sit natus, adventumque ejus innumerabilis multitudo hominum præcesserit? c Sed primogenitus pro primo ponitur, sicut primos in populo eos vocamus, qui non ætate, sed honore & dignitate ceteros antecellunt. Mortui autem ipsi sunt, de quibus Apostolus loquitur, dicens: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Primogenitus ergo mortuorum Christus est, quia ipse est primus, & caput omnium electorum suorum. *Princeps regum terræ.* Rex à regendo dicitur: per reges ergo apostoli & ceteri sancti designantur, qui & semet ipsos & alios regere noverunt: per terram autem Ecclesia designatur. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Ergo quia dilexit, lavit: & quid illa lavatio nobis contulit, sequentia manifestant.

℣. 6. *Et fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri.* Regnum Dei Ecclesia Dei dicitur: regnum ergo Dei ex hominibus Christus Deus fecit, quando eos tales constituit, in quibus ipse cum Patre & Spiritu sancto inhabitare & regnare dignaretur. Nam qui designantur per regnum, ipsi & per sacerdotes: sacerdotes ergo Dei electi dicuntur; eo quod membra sint summi Sacerdotis, de quo Psalmista loquitur, dicens: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Possunt & aliter electi Dei sacerdotes Dei dici; eo quod semet ipsos quotidie per compunctionem cordis & orationes, ceteraque bona opera offerant Deo, sicut dicit Psalmista: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Est & sacrificium laudis, quod quotidie offerre Deo sancta Ecclesia consuevit, de quo idem propheta loquitur, dicens: *Immola Deo sacrificium laudis.* Et iterum: *Sacrificium laudis honorificabit me.*

℣. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Veniet ad judicium cum nubibus, sicut dicit ipse in Evangelio: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & majestate.* Sed quomodo eum omnis oculus videbit, cùm Scriptura dicat: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei?* Videbunt eum impii ad sinistram in judicio constituti in ea forma, qua in mundo constitutus ab hominibus videri potuit; sed non in ea, qua Deus est: justi autem in ea claritate eum videbunt, qua modo in cælestibus positi eum vident, & visuri sunt post finem mundi in perpetuum. Sed & ipsi qui eum pupugerunt, velint nolint, videre compellentur, impii videlicet Judæi, qui eum crucifixerunt; ut sciant quem irriserunt, sicut scriptum est in Evangelio: *Videbunt in quem transfixerunt.*

Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Per omnes tribus terræ soli reprobi intelliguntur. Plangent autem se, cur præcepta Dei contempserunt, cur propter breve gaudium perpetuam tristitiam adquisierunt. Aliter: *Ecce venit cum nubibus,* possunt per nubes apostoli ceterique prædicatores intelligi. Venit autem cum nubibus, quando nomen ejus per sanctos prædicatores universis gentibus innotuit. *Et videbit eum omnis oculus;* quia omnes qui oculos habuerunt, eum viderunt, eos videlicet oculos de quibus dicit ipse apostolis: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Habebant autem impii Judæi oculos, sed eos oculos non habebant, quibus Deus

Marginal references: Johan. 13. 25.; Coloss. 2. 3.; Johan. 1. 1.; Johan. 20. 30.; Isai. 6. 9.; Hier. 4. 22.; Luc. 8. 14.; Matth. 10.; Coloss. 3. 3.; Psal. 109. 4.; Psal. 50. 19.; Psal. 49. 14. et ibidem 23.; Matth. 24.; Isai. 26. 10.; Johan. 19. 37.; Luc. 10. 23.

a. *Beatum Johannem usque ad sequentia manifestant*, Rom. edit. negligit; cùm tamen hoc fragmentum & in edit. Gill. & omnibus mss. reperiatur: sed etiam in cod. Cen. præmittuntur duo primi versus epistolæ libri Apocalypsis: in Reg. autem primus versus.

b. Rom. edit. hinc expunxerat, *Gratia vobis .... qui venturus est*, quod nos ex mss. ac Gill. restituimus. Cùm autem non infrequenter similia sibi permiserit in textibus Scripturæ eadem à nobis ad fidem mss. & edit. Gill. restituta sunt.

c. Ita mss. ac edit. è contrario: *Sed primogenitus propriè mortuorum ponitur.*

videtur. Et *qui eum pupugerunt* : id est, qui eum persequuti sunt, & membra ejus, ad fidem illius maxima ex parte conversi sunt, ex quibus fuit apostolus Paulus. *Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Per omnes tribus terræ omnis multitudo gentium potest intelligi, quæ ad Christum conversa est: quæ quotidie in Ecclesia Dei posita plangit peccata sua, ut veniam a Deo consequi mereatur. *Etiam* atque *amen*, confirmatio sermonis est.

℣. VIII. Joan. 8. 25. *Ego sum*, A & Ω. Quid sit alpha & omega, sequentia manifestant, id est, *principium & finis.* Sicut ipse dixit Judæis: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Potest etiam Salvator noster principium ideo dici, eo quod ipse sit principium, id est, creator generis humani, & auctor salutis: finis autem, quia ipse est finis legis, finis mortis, omnisque prævaricationis. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Est modo in mundo Ecclesiam suam regens, erat ante constitutionem mundi æternaliter cum Patre permanens, venturus est ad judicium, ut judicet mundum in æquitate.

℣. IX. *Ego Johannes frater vester, & socius in tribulatione, & regno, & patientia in Jesu.* Discipulos vocat fratres, quia uno Christi sanguine redemti, & una matre Ecclesia generati erant. Socium se eorum in persecutione etiam dicit, quia omnes Ecclesias Domitiani persequutio turbaverat: socium in regno, quia & se membrum Ecclesiæ, sicut & ipsi erant, quos Deo adquisierat, fatebatur: socium se eorum etiam in patientia testatus est; quia & ipsi æquanimiter adversa tolerabant, sicut & ipse qui pro amore Christi in Pathmos insula relegatus tenebatur.

℣. X. *Fui autem in spiritu in Dominica die.* In spiritu se fuisse dicit, quia tanta mysteria, quæ sequuntur, non carnalibus, sed spiritalibus
1. Cor. 2. 14. oculis videri poterant: *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Dominica autem dies tempus Evangelii designat; de
2. Cor. 6. 2. quo tempore Apostolus loquitur dicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* In quo tempore prophetæ mysteria divina gentibus esse pandenda prædixerunt. *Et audivi post me vocem tamquam tubæ dicentis.* Quasi post nos est, quod ignoramus. *a* Aliter: Vox Domini post nos est, quia nos quasi servi fugitivi sumus: Dominus autem post tergum nostrum clamat, ut nos revocet. Post se ergo Johannes vocem audivit, quia mysteria quæ tunc ei revelata sunt, nondum perfecte cognoverat. Quæ vox similis tubæ
Isa. 58. 1. dicitur fuisse, de hac tuba propheta loquitur dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Tuba ad pugnandum milites provocare solet, similiter & nos sermo Dei ad pugnandum contra diabolum atque vincendum incitare non desinit.

℣. XI. *Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis, Ephesum & Smyrnam, Pergamum & Thyatiram, Sardis & Philadelphiam & Laodiceam.* Per has septem Ecclesias una Ecclesia catholica, sicut interpretatio nominum docet, designatur. Ephesus namque voluntas, sive consilium interpretatur: Smyrna canticum eorum: Pergamus divisio cornuum: Thyatira illuminata: Sardis principium pulcritudinis: Philadelphia salvans hereditatem Dei: Laodicea tribus amabilis Domino. Ephesus igitur, quæ prima ponitur, initium conversionis uniuscujusque demonstrat: interpretatur namque voluntas sive consilium. Quod enim melius consilium, quam voluntas bona, quæ homini suadet abrenuntiare diabolo, & sequi Christum, relinquere vitia, & apprehendere virtutes? Et quia qui ad Deum converti volunt, necesse est ut Domini misericordiam implorent, ut perficere possint, quod desiderant, Smyrna huic supponitur, quæ canticum eorum interpretatur. Ille enim bene cantat, qui misericordiam conditoris sui corde contrito, & humiliato spiritu deprecatur: de quo
Ephes. 5. 19. cantu Apostolus loquitur dicens: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Et quia qui à Deo exaudiri vult, necesse est ut vitia derelinquat, & ad bona opera agenda, in quantum virtus suppetit semet ipsum convertat. Pergamus in ordine sequitur, quæ divisio cornuum interpretatur. Duo cornua in hoc loco malum & bonum significant. Cornua dividimus, quando inter bonum & malum discernentes, malum a nobis repellimus, & bonum amplectimur. Et quia quamdiu in peccatis jacemus, in tenebris sumus: cùm autem mala à nobis rejicimus, & bona operari incipimus, quasi à tenebris ad lucem progredimur; non inconvenienter post Pergamum Thyatira sequitur, quæ illuminata interpretatur. Et quia ex operatione mandatorum Dei pulcritudo animæ accrescit, & quanto quis in operatione mandatorum Dei plus crescit, tanto ampliorem pulcritudinem animæ suæ confert; non incongrue post Thyatiram, Sardis sequitur, quæ principium pulcritudinis interpretatur. Principium pulcritudinis ideo dicitur, quia sanctorum pulcritudo in hac vita inchoatur, & in æterna beatitudine perficitur. Sequitur Philadelphia, quæ salvans hereditatem Dei dicitur. Quid est autem hereditas Dei, nisi
Esai. 19. 25. omnis multitudo electorum, sicut dicit Dominus ad prophetam: *Hereditas autem mea Israel?* Et in quo salus electorum consistit, nisi
Luc. 19. 10. in operatione mandatorum Dei? Nam ille qui venit quærere & salvare quod perierat, illis salutem animarum largitur, qui mandata ejus singuli secundum propriam virtutem custodiunt. Laodicea septima ponitur, quia tribus amabilis Domino interpretatur. Tribus autem amabilis Domino est omnis multitudo electorum, quæ est Ecclesia, quæ per abrenuntiationem vitiorum, & per virtutum operationem ad hoc pervenit, ut tribus amabilis Domino vocetur.

℣. XII. *Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Cur tamdiu aversus stetit? cur non ad primum ictum sermonis aures ejus percutientis, ad eum conversus est, qui à tergo loquebatur? Sed nobis exemplum dedit, nam ad Dominum qui secum loquebatur, non prius conversus est, quam nomina Ecclesiarum, ad quas scribere præcipiebatur, audiret. Et superius breviter diximus per interpretationes nominum septem Ecclesiarum viam demonstrari, quæ ducit ad vitam. Quisquis igitur per hanc viam ire ad Deum desiderat, aut legendo, aut ab aliis audiendo, qualiter per hanc viam gradi debeat, investigare debet: quia stultus viator est, qui ad locum optatum ire desiderat: & viam nescit: si non prius discere studuerit, quæ sit longitudo viæ, quæ asperitas, qui anfractus, quæ pericula: ut cùm ire cœperit, pericula præcognita facilius transeat. Multos enim vidimus sæculum reliquisse, ut per contemplationis viam vitam æternam adquirerent, sed quia nescierunt asperitatem viæ, subito recidisse. Sed potest fieri, ut contra hæc testimonium vobis de divina scriptura aliquis objiciat, quæ dicit:
Ne tardes converti ad Deum. Ad hæc ego respondeo, quia jam ad Deum conversus, eam viam quæ ad eum ducit, investigare non desino. Et quid est, quod dicit: *Et conversus sum, ut viderem vocem*; cùm vox non oculis, sed auribus percipiatur? Sed Johannes in spiritu positus, spiritalibus oculis ea quæ sequuntur, videre promeruit. Neque opus erat ibi voces verborum perstrepere, ubi intus erat Deus, qui docebat. Aliter: ille competenter verba Dei audit, qui quod audierit, oculis mentis intueri non desinit, ut ea opere impleat. Eccl. 5. 8.

Et conversus, vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis. Septem candelabra aurea septem Ecclesias designant, sicut ipse exposuit: & septem Ecclesiæ unam Ecclesiam catholicam figurant. Quæ candelabra aurea dicuntur, sive propter persecutiones quas sancti in sæcula perferunt, sive propter sapientiam qua illuminantur. In quorum medio Christus stare visus est, sicut ipse dicit in Evangelio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* ℣. XIII. Matth. 28. 20.

Sequitur: *Vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput vero ejus & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix: & oculi ejus tamquam flamma ignis: & pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti: & vox ejus sicut vox aquarum multarum. Et habebat in dextera sua septem stellas: & de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat: & facies ejus, sicut sol lucet in virtute sua.* Si septem candelabra & septem stellas pro duobus ornamentis accipere volueris, decem ornamenta invenies, eo quibus Domini corpus decoratum fuisse visum est. Sed quid duo ornamenta, id est, septem candelabra, & septem stellæ significarent, ipse per semet ipsum exposuit: quid autem octo quæ restant, significent, perscrutandum nobis est. Sanctam namque civitatem Dei, quæ ex omnibus electis constat, quæ ab initio usque ad finem tendit, si diligenter perspicias, in septem partes divisam invenies. Prima igitur pars ejus sunt electi, qui ab initio usque ad diluvium fuerunt: secunda patriarchæ & ceteri justi usque ad Legem datam: tertia hi, qui sub Lege fuerunt: quarta prophetæ: quinta apostoli, & qui ex Judæis crediderunt: sexta vero pars est gentium multitudo, quæ ad fidem venit: septima electi, qui in fine mundi nascituri sunt, & contra Antichristum pugnaturi. Per has igitur septem partes, quod Dominus dederit, dicendo tradamus: de octava, in sequentibus dicemus. Poderis igitur, quæ est talaris tunica, justos qui ante diluvium fuerunt, designat. Quæ cujus coloris fuerit, non dicitur; eo quod nullam aliam legem, nisi naturalem, habuerint. Naturalis autem lex est creatorem suum diligere, & quod sibi quis non vult fieri, alteri non facere. Hanc legem nullus qui ratione suffultus est, ignorare permittitur. Per zonam autem patriarchæ, & ceteri justi, qui ante Legem fuerunt, designantur. Quæ aurea dicitur, quia multis tribulationibus, sicut aurum in fornace probati esse noscuntur: sicut Abraham, qui de igne Chaldæorum ereptus est: sicut Lot, quem Sodomitæ afflixerunt: sicut Isaac, qui cæcitatem pertulit: sicut Jacob, qui persecutione fratris atque soceri est afflictus: sicut Joseph, qui captivitatem & carcerem sustinuit: sicut Job, qui amissionem rerum, diramque passionem pertulit. Eodem modo & de ceteris, *b* quos Scriptura non commemorat, debemus intelligere. Quæ zona mamillis constrinxisse legitur; per mamillas utraque duo præcepta caritatis designantur, per quæ sanctos patres Deo placuisse certum est. ℣. XIV. ℣. XV.

Caput vero ejus & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix. Per caput Lex, per capillos vero qui ex capite nascuntur, multitudines eorum designantur, qui per Legem salvi facti sunt. Qui capilli tamquam lana alba, & tamquam nix candidi esse dicuntur, quia videlicet ille populus à tenebris vitiorum per Legem est emundatus. *Oculi autem ejus velut flamma ignis.* Oculi cuncta quæ circa se sunt, longe lateque perspiciunt: per oculos igitur prophetæ designantur, qui ea quæ ventura erant, longe ante prævidere meruerunt. Qui sicut flamma ignis esse dicuntur, quia Spiritu sancto illuminati mysteria cælestia contemplati sunt.

Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Per pedes, apostoli designantur, & ceteri qui ex Judæis crediderunt. De istis pedibus propheta loquitur dicens: *Quam pulcri super montes pedes evangelizantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis: Sion, regnabit Deus tuus?* Qui similes aurichalco dicuntur: æs namque in fornace quibusdam medicaminibus admixtis tamdiu conflatur, usque dum colorem auri accipiat, & dicitur aurichalcum. Per æs igitur, quod sonorum est, & quod in nigredinem cito vertitur, Judæi designantur, qui Legem quidem secundum litteram sonare videbantur, sed velamine nigredinis mente obcæcati, spiritalem intelligentiam, quæ in ea latebat, intelligere nequiverunt. Æs igitur in aurichalcum est conversum, quando ex Judæis apostoli sunt electi. Per fornacem autem sive mundus, in quo aliquantum Christus conversatus est, sive tribulationes quas sustinuit, possunt designari. *c* In hac etiam fornace apostoli et conjuncti sunt; sicut ipse dicit: *Vos estis enim, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* In hac ergo fornace per doctrinam Evangelii splendorem auri accipere meruerunt. *Et vox ejus, sicut vox aquarum multarum.* Per vocem aquarum multarum multitudo gentium, quæ ad fidem Christi occurrit, designatur. Esai. 52. 7. Luc. 22. 28.

Et habebat in dextera sua stellas septem. Quid hoc significet, ipse in sequentibus exponit. *Et de ore ejus gladius ex utraque parte*

a. Deest in cod. Reg. & Germ. *Aliter: Vox Domini . . . ut nos revocet.*
b. Edit. Gill. ac Rem. *quos Scriptura commemorat*. mss. vero, *non commemorat.*
c. *In hac etiam fornace . . . in tentationibus meis*, aberant ab edit. quæ nos è mss. omnibus restituimus.

ex ore ejus exibat. Per gladium electi qui in fine mundi nascituri sunt, atque contra Antichristum pugnaturi, designantur. Et quia maxima multitudo gentium culturam Christi derelinquens, Antichristum hominem impiissimum pro Deo adorabunt, non incongrue illi qui ad errores eorum concidendos progressuri sunt, per gladium designantur. Qui duo acumina habere visus est, quia ipsi doctores, duorum Testamentorum doctrinis eruditi facile hostes devincent. Nam quod de ore Domini ipse gladius procedere visus est, illud significat, quod ipse dixit in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (Matth. 10. 20.) In iis ergo septem ornamentis omnis electorum Ecclesiæ, quæ à nobis in septem partes dividitur, comprehenditur. Sine iis ergo septem partibus non mihi videtur hunc librum quemquam ordinate posse intelligere: de octava autem quæ restat, aliquid dicendum est.

Et facies ejus, sicut sol lucet in virtute sua. Per faciem Ecclesia, sicut post resurrectionem futura est, designatur: & ideo per faciem, quia tunc Deum, sicut dicit Apostolus, justi facie ad faciem videbunt. (1. Cor. 13. 12.) Quæ sicut sol lucere visa est, quia sicut dicit Dominus: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.* (Matth. 13. 43.) Inveniuntur in Scripturis quædam his septem partibus convenientia, ut est illud quod in Josue legitur, ubi præcepit Dominus, ut circumiret arca Dei civitatem Jericho per septem dies semel in die, sacerdotibus eam portantibus, tubisque canentibus, ac populis sequentibus. (Josue c. 6. & seq.) Jericho namque omne corpus reproborum, quod est civitas diaboli, designat: per filios vero Israel, electi designantur: per sacerdotes prædicatores: per tubas doctrina prædicationis: per populum vero qui eos sequebatur, omnes justi designantur, qui eorum doctrinam sequebantur, & actus imitabantur: per arcam autem quam ferebant, Christus intelligitur, qui a sanctis in cordibus eorum habitans portatur. De prædicatoribus autem qui post Christi adventum fuerunt, nulli dubium quod Christum non solùm lingua prædicando, verum etiam corde diligendo portaverunt. Illi autem qui adventum ejus præcesserunt, quomodo illum portaverunt? Portaverunt utique & illi, nam aliqui eorum cum verbis prædixerunt, aliqui factis præfiguraverunt. Quærendum vero nobis est quid circuitus iste, qui per septem dies factus est, designet. Loci namque quem circuimus, ingressum devitamus. nam cùm per viam pergimus, si foveam aut lacum profundum, aut aliquod periculum invenimus, circumeundo si possumus, ingressum ejus devitamus, ut periculum evadamus. Jericho namque circuimus, si iter vitæ præsentis secundum voluntatem Dei perficientes: nam quamvis cum reprobis habitemus, Jericho circuimus, si ab eorum pravitatibus abstinemus. De hac circuitione mihi videtur dixisse Psalmista: *Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis.* (Psal. 26. 6.) Circuivit namque, & postea immolavit; quia facta reproborum prius sprevit, ut hostia jubilationis ejus acceptabilis Deo fieret. Multi enim sunt, qui assidue laudant Deum: sed quia vitia à se repellere nolunt, eorum laudationis hostia non est acceptabilis Deo. Prima igitur circuitio ad eos justos, qui ante diluvium fuerunt, pertinet, qui filii Dei dicti sunt. Civitatem igitur Jericho tamdiu circuierunt, quamdiu à societate reproborum se sequestraverunt. Postquam igitur arca Dei, & populus Jericho civitatem circumierunt, ad castra redierunt; quia unusquisque justus certaminis sui tempore expleto, post mortem ad societatem electorum, quæ sunt castra sanctorum, ducitur. Secunda dies circuitus ad eos, qui post diluvium usque ad Moysen fuerunt, pertinet: qui & ipsi civitatem Jericho circumierunt; quia ab iniquitatibus reproborum se separaverunt. Nam & Abraham, quamvis inter Amorrhæos habitaret, non solum vitiis, sed etiam corporum societatem in tantum horruit, ut filio suo ex filiabus eorum nollet accipere uxorem. Et de Lot, qui apud Sodomitas habitabat, loquitur beatus Petrus, qui auditu & visu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. (2. Petr. 2. 7.) Eodem modo & cæteri. Tertius vero circuitus ad eos qui sub Lege fuerunt, pertinet: qui quanta sollicitudine a societate iniquorum se secernere deberent, ipsa Lex manifestat. Prophetæ vero, ad quos quartus circuitus pertinet, in tantum peccata principum, hominumque impiorum spreverunt atque reprehenderunt; ut pro hoc quidam eorum lapidati, quidam secti, quidam vero in occisione gladii mortui sint. Apostoli vero, & hi qui ex Judæis crediderunt, ad quos quintus circuitus pertinet, quanto studio se ab infidelium Judæorum consilio atque operibus segregaverint, Lucas in Actibus apostolorum narrat. Gentes vero ad quas sextus circuitus pertinet, quanto ardore se a societate impiorum disjunxerint, martyres requisiti dicant. Septimus vero circuitus ad eos, qui temporibus antichristi futuri sunt, pertinet: sed & illi quomodo antichristi, ministrorumque ejus devincent perfidiam, hic liber manifestat. Septimo ergo die circumeuntibus sacerdotibus cum arca Jericho, atque vociferantibus, muri Jericho ceciderunt, omnisque populus cum rege suo interfectus est; quia prædicantibus in fine mundi prædicatoribus veritatis, finemque mundi annuntiantibus subito finis mundi adveniet, omnisque civitas diaboli destruetur, atque cum ipso capite suo diabolo perpetua morte damnabitur.

Legimus etiam in libro Judicum Samson fortissimum habuisse septem crines. (Judic. 16. 13.) Samson Christum significat: per capillos vero omnes electi designantur. Et sicut capilli adhærent capiti, ita & omnes justi adhærent Christo qui caput est omnium electorum suorum: & sicut capilli Samson in septem partes divisi sunt, ita & omnis electorum numerus in septem partes pro temporum qualitatibus dividi potest sicut superius demonstravimus.

Sed & hoc quod in Salomone scriptum est: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*, (Prov. 9. 1.) potest huic nostro intellectui convenire. Sapientia namque ædificavit sibi domum, quando dominus noster Jesus Christus ab initio mundi usque ad finem ejus ex numerositate electorum Ecclesiam sibi construxit & construit: excidit columnas septem, quando iis septem temporibus prædicatores, qui singulis temporibus convenirent, in Ecclesia sua statuit, qui & monitis salutaribus, & bonorum operum exemplis eam sustentarent.

Possumus & hoc quod idem Salomon in alio loco ponit, dicens: *Da partem septem, necnon & octo*, huic nostræ expositioni coaptare. (Eccles. 11. 2.) Primum igitur quærendum nobis est, quid sit unde partes facere præcipimur. Est namque quoddam bonum, & ipsum est summum bonum, caritas videlicet, quæ nisi partiatur, perfectum bonum non erit; partitur enim in dilectionem Dei, & dilectionem proximi: quæ cùm una sit, habet tamen duo brachia, quæ circumquaque extendens, & Deum hominibus, & homines Deo conjungit. Sunt & duæ vitæ, una quæ activa, altera quæ contemplativa nuncupatur. Dilectio proximi ad activam, dilectio autem Dei proprie ad contemplativam pertinet. Possumus igitur per septem omnem electorum multitudinem, per octo vero dominum nostrum Jesum Christum intelligere; eo quod octava die resurrexerit. Sancti itaque Dei partem amoris sui septem dant, cùm in exercitiis vitæ activæ occupantur; videlicet cùm curam proximo non solum carnalem, sed & spiritualem impendunt. Dant etiam partem octo, cùm eos amor Dei ad contemplationem ejus iterum revocat. Aliter. Partem septem damus, cùm sanctis Dei debitam venerationem exhibemus: partem octo damus, cùm Deo creatori nostro debitum cultum impendimus.

Sequitur: *Et cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus.* (℣. XVII.) Ecce Johannes, qui sibi stare videbatur, viso Domino, cecidit tamquam mortuus; quia unusquisque vir sanctus quantum se ad contemplandam divinitatem Dei altius erexerit, tanto apud se introrsus inferius cadit; quia in comparatione Dei ejus magnitudo quam parva sit, facile perspicit. Unde & tamquam mortuus cecidit, quia in comparatione Dei se nihil esse perspexit. Ad pedes cecidit, quia incarnationis ejus mysterium, quod per pedes figuratur, se nullo modo comprehendere posse perspexit. *Et posuit manum suam super me dicens: Noli timere.* Sicut manus in corpore plurima habet officia, ita & manus Dei in divinis scripturis plurimas significationes: Job namque flagellum Dei manum Dei vocat, cùm dicit: *Manum tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat.* (Job 13. 21.) Et iterum amicis dicit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me.* (Job 19. 21.) Nam & Hieremiam manu sapientiæ Dominus tetigit, sicut ipse dicit: *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit mihi: Ecce dedi verba mea in ore tuo*, & reliqua. (Jerem. 1. 9.) Similiter & Daniel manu confortationis Dei tactus est, quando propter visionem angelicam in terra prostratus jaceret, manum ad se missam vidit, quæ eum confortavit, cui & dixit: *Loquere, Domine, quoniam confortasti me.* (Dan. 10. 19.) Hac ergo confortationis manu idem Johannes tactus est, quæ eum ne se ultra modum dejiceret confortando erexit.

Ego sum primus & novissimus. (℣. XVIII.) Si primus, cur dixit Arrius Filium Dei initium habuisse? Si enim initium habuit, non ipse primus, sed ipse à quo initium sumsit, fuit. Primus ergo & novissimus ipse est: quia sicuti finem non habebit, sic nec initium habuit. *Et fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Hoc manifestum est. *Et habeo claves mortis & inferni.* Qui clavem alicujus domus habet, quem vult, intromittit, & quem vult, ab ingressu domus repellit. Per clavem ergo potestas Filii Dei intelligitur. Claves igitur mortis & inferni ipse possidet; quia quos vult, à damnatione mortis perpetuæ misericorditer liberat; & quos vult, in eodem damnationis periculo justo judicio remanere sinit.

Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. (℣. XIX.) Hic demonstrat non se de præsentibus & futuris tantummodo: sed & de præteritis prophetiam texuisse. *Scribe ergo quæ vidisti*, id est, quæ de præteritis tibi ostensa sunt: *quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc*, id est, præsentia & futura.

Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. (℣. XX.) Subauditur quid significent. Quid autem significent, subdendo manifestat: *Septem*, inquit, *stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum, & septem candelabra aurea septem Ecclesiæ sunt.* Septem igitur Angelos rectores septem Ecclesiarum debemus intelligere, eo quod Angelus nuntius interpretatur: & qui verbum Dei populis annuntiant, non inconvenienter Angeli, id est, nuntii vocantur. Et sicut per septem Ecclesias una Ecclesia catholica, ita & per septem rectores septem Ecclesiarum omnes rectores Ecclesiæ catholicæ designantur.

ET *Angelo Ecclesiæ Ephesi scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* (CAP. II. ℣. 1.) Per dexteram Dei potestas Dei in hoc loco potest designari, per stellas sancti prædicatores. Sancti igitur prædicatores manu Dei tenentur; quia ab ipso gubernantur & reguntur, & ipsi sunt copulati, sicut ipse in Evangelio loquitur dicens: *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic & vos, nisi in me manseritis.* (Johan. 15. 4.) In medio verò septem candelabrorum aureorum Christus ambulat, sicut ipse dicit propheta: *Inhabitabo inter illos, & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* (Levitic. 26.)

Scio opera tua. (℣. 2.) Ea videlicet quæ operabaris prius, antequam refrigesceret in te caritas. *Et laborem & patientiam tuam*, id est, persecutiones, quas pro nomine meo patienter toleras. *Et non potes sustinere malos.* (Matth.) Cùm scriptura divina nobis præcipiat, ut toleremus malos: cur hic laudatur, quod non potuerit sustinere malos? Sed de hæreticis mihi dictum videtur; nam proximorum mala aliquando reprehendendo corrigere debemus, tempore videlicet opportuno: aliquando patienter tolerare: ut quos correctio non emendat, patientia ad emendationem provocet. Sunt namque nonnulli, qui reprehendere proximos nesciunt, nisi ira inflammati. Horum aliquis si non solum pro magna, verum etiam pro parva aliqua re contra proximum commotus fuerit, tamdiu iram in corde gestat, usque dum in actibus proximi aliquid videat, quod reprehendere possit: & tunc lætus efficitur, cùm reprehensionis vindictam proximo intulerit. Quod si alicui viderit displicuisse, dicit se zelo Dei hoc fecisse. Ad te ergo loquor, qui talis es. Cur quæris fallere eum, qui occulta cordium considerat? Si zelus Dei in te est, cur oculi tui per diversa vagantur

vagantur more diabolico, desiderans malum potius videre, quam bonum, desiderans in proximo videre malum, quod reprehendas, non bonum, unde ædificeris? Sunt etiam multi, qui eos a quibus aliquam injuriam pertulerunt, etiam pro minimis delictis impatienter insectantur: eos vero quos diligunt, non solum non reprehendunt, quamvis graviter deliquerint, sed etiam tota virtute defendunt. O infelix amicitia, quæ illum quem diligit, tacendo & defendendo diabolo tradit: illum verò cui iratus est, reprehendendo à diabolo abstrahit! Correctio ergo illa justa est, quæ ex Dei zelo & amore fraterno descendit: quæ non propter iram vindicandam, sed propter animum proximi salvandum profertur. Verùm quia hæc paucis diximus, ad ea quæ cœpimus, redeamus. Igitur hoc quod præsuli Ecclesiæ Ephesi a Domino dicitur: *Quia non potes sustinere malos*, de hæreticis debemus intelligere: omnis enim qui pastor est Ecclesiæ, societatem hæreticorum, quantum potest, vitare debet; ne per occasionem familiaritatis eorum corda simplicium veneno suæ malitiæ corrumpant. Sicut enim lupus quietus inter oves sine laceratione earumdem ovium versari non potest: sic nec hæreticus inter simplices. Sequitur: *Et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, & non sunt; & invenisti eos mendaces.* Quidam prava docentes temporibus apostolorum, apostolos se esse dicebant, ut per reverentiam

2. Cor. 10. 11. nominis facilius pravam doctrinam in cordibus audientium plantarent. Hos & apostolus Paulus damnat: & Dominus in Evangelio cavendos insinuat, cùm dicit:

Matth. 7. 15. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Hos ergo iste falsos, eorumque doctrinam falsam esse comprobavit.

℣. III. *Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti*: id est, in hoc apparuit patientia tua, quia in laboribus, quos

℣. IV. pro nomine meo sustinuisti, non defecisti. *Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.* Multi sunt, qui in initio conversionis suæ in servitio Dei ferventes existunt, sed processu temporis refrescunt: quod huic præsuli Ecclesiæ Ephesi contigisse manifestum est.

℣. V. *Memento ergo unde excideris.* Unde excisus es? De caritate: si de

1. Johan. 4. 16. caritate excisus es, de Deo excisus es; quia Deus caritas est. *Et age pœnitentiam.* Videlicet eo quod per torporem & ignaviam tuam à caritate disjunctus es. *Et prima tua opera fac: sin autem venio tibi cito, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Si per candelabrum Ecclesia Ephesi designatur, cur propter peccatum

Ezech. 18. 20. pastoris Ecclesia locum suum perdet, cùm Scriptura dicat: *Non morientur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis: sed unusquisque in peccato suo morietur?* Sed per locum videtur mihi merces, quæ illi pro pastorali cura debebatur, designari, ut sit sensus: Nisi pœnitentiam egeris pro eo quod caritatem tuam primam reliquisti, & ad prima opera non redieris: ut quod ore prædicas, opere impleas: mercedem, quæ tibi pro pastorali cura debebatur, subtraham.

℣. VI. *Sed hoc habes* (videlicet ut candelabrum non moveatur) *quia odisti facta nicolaitarum, quæ & ego [a] odi.* Et est sensus: Pro eo quod odisti facta nicolaitarum, quæ & ego odi; merces quæ tibi pro pastorali cura debebatur, adhuc tibi manet. Nicolaitæ vero erant hæretici, quos superius dixit non posse eum sustinere.

℣. VII. *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quia cunctis aures habentibus dicit: *Qui habet aures audiendi, audiat*; aures procuidubio cordis requirit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Duo ligna fuerunt in medio paradisi, è quibus unum lignum vitæ, alterum vero lignum scientiæ boni &

Gen. 2. 17. mali vocabatur. Quorum virtus talis erat, ut si quis ex ligno vitæ comedisset, non moreretur in æternum: si quis vero ex ligno scientiæ boni & mali comederet: quamvis esset immortalis, mortalis statim fieret. Paradisus igitur Ecclesiam significat: lignum vero vitæ in medio paradisi Christus est in medio Ecclesiæ suæ. Lignum autem scientiæ boni & mali, quod & ipsum in medio paradisi fuisse dicitur, diabolum significat, qui inter fideles discurrere non cessat; ut quoscumque potest, decipiat. Lignum igitur vitæ ad electos, lignum vero scientiæ boni & mali ad reprobos pertinet. Fructus ergo ligni vitæ electi comedunt, ut in æternum [b] vivant, quia præcepta Evangelii custodiunt, ut in æternum vivant cum Domino: fructus vero ligni scientiæ boni & mali reprobi comedunt, & moriuntur; quia suggestionibus diaboli, omnibusque vitiis & voluptatibus pascuntur, unde æternam damnationem sibi adquirunt. Et sicut mulieri delectabiliores fuerunt fructus ligni scientiæ boni & mali, quam fructus ligni vitæ, ita & reprobis delectabilior est gloria hujus sæculi, quam oculis corporis vident, quàm gloria cælestis patriæ, quæ nonnisi oculis spiritualibus videtur. Sed oritur quæstio, cur lignum scientiæ boni & mali dicatur, cùm primo homini scientiam mali ministraverit, non scientiam boni. Quæ mihi ita solvenda videtur: primus namque Angelus, quando creatus est, scientiam boni habuit, non scientiam mali: scientiam vero mali per semet ipsum invenit, ob quam causam de illa cælesti gloria dejectus est. De ligno ergo scientiæ boni & mali primus homo comedit, quando illius suggestiones secutus est, qui scientiam boni & mali habebat: neque enim lignum scientiam mali docere potuit, sed diabolus qui præceptum Dei homini transgredi suasit. Dicit ergo: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Ille vincit, qui in bonis operibus usque ad finem vitæ suæ perseverat. Vincenti ergo Christus edere de ligno vitæ dabit; quia præcepta sua usque ad finem vitæ servantibus immortalitatis suæ gloriam in cælesti beatitudine secum dabit; ut cum eo æternaliter vivant, cujus præcepta in sæculo positi servare studuerunt. Quod autem patrem Deum suum vocat, ad humanitatem pertinet.

℣. VIII. *Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit:*

℣. IX. *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam.* Potest fieri, ut Smyrnæorum Ecclesia eamdem persecutionem à contribulibus suis in rapina bonorum suorum pertulerit, quam & illa quæ apud Hierosolymam erat. Ideoque tribulatio & pau-

A pertas ejus à Domino, quam pro ipso sustinuit, laudatur. Potest & per hoc voluntaria paupertas intelligi, de qua Dominus dicit in Evangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 3.

Sed dives es: pauper videlicet rebus, dives virtutibus. *Et blasphemaris ab iis, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt: sed sunt synagoga satanæ.* Judæi confitentes interpretantur: Judæi qui Christum blasphemantes negant, non Judæi, id est, confitentes; sed synagoga satanæ non inconvenienter vocantur.

Nihil horum timeas, quæ passurus es. Prædicuntur ei adversa, ut ℣. X. venientia facilius tolerare posset. *Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, ut tentemini*: id est, quosdam ex vobis diabolus, id est, ministri diaboli in carcerem missuri sunt: ut tentemini utrum in timore pœnarum à fide recedere, an pro amore Christi mori deliberetis. *Et habebitis tribulationem diebus decem.* Tempus quo hæc persecutio crudelius sæviturum esset, demonstravit. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Corona vitæ gloriam sempiter- ℣. XI.

B nam demonstrat.

Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Quid sit mors secunda, in sequentibus dicemus.

Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam. Per romphæam judiciaria Domini potestas ℣. XII. potest intelligi: quæ utraque parte acuta dicitur, propter duo judicia, unum quod factum est per aquam, alterum quod fiet per ignem. Sed excludimur ab hoc intellectu, eo quod illud judicium jam peractum, atque per misericordiam Dei abolitum sit. Tunc namque judicii illius sententia deletum est, quando Deus dixit ad Noe: *Per memet ipsum juravi, quia non adjiciam ultra aquas diluvii super terram.* Videtur ergo mihi per romphæam divinam scripturam debere intelligi, quæ propter resecanda vitia acuta esse dicitur, & propter duo Testamenta utraque parte acuta demonstratur. Nam & vetus & novum Testamentum hoc nobis indesinenter admonent, ut vi- Gen. 9. 11.

C tia relinquamus & in bonis operibus nosmet ipsos exerceamus; quatenus salutem animarum nostrarum invenire possimus.

Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: id est, inter illos habitas, ℣. XIII. qui sessorem habent diabolum. *Et tenes nomen meum, & non negasti fidem meam*: id est, quamvis ab eis, inter quos habitas, pro nomine meo assidue persecutiones perferas: tamen nomen meum tenes, & fidem meam non negasti. *Et in diebus illis Antipas testis meus, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Et in diebus illis*, id est, in diebus quibus persecutio apud vos amplius fervebat, Antipas testis meus, subaudiunt, extitit, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Apud vos occisus est, & non à vobis: sed ab illis inter quos vos habitatis, in quibus habitat diabolus.

Sed habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam ℣. XIV. *Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel; ita* ℣. XV. *habes & tu tenentes doctrinam nicolaitarum.* Legimus in libro Numeri Num. 25. 1. quod Balac rex Moabitarum ad suggestionem Balaam posuerit spe-

D ciosas mulieres in conspectu filiorum Israel diis suis libe facientes, quarum pulchritudo non solum ad perpetrandam libidinem eos accendit; sed etiam ut de sacrificiis eorum comederent, perduxit. Nicolaitæ vero erant hæretici nuptias detestantes, docentesque fideles, ut quibuscumque vellent, miscerentur more bestiarum. Sicut ergo per doctrinam Balaam, filii Israel in fornicationis malum dilapsi sunt, propter quod multi eorum perierunt: ita & nicolaitæ quosdam ex fidelibus, qui apud Pergamum erant, sua prava doctrina in fornicationis malum dejecerunt, docentes eos ut nullo modo se vinculo conjugali irretirent: sed quibuscumque vellent, passim miscerentur. Quod autem dicit: *Habeo adversum te pauca*, significat paucos ex fidelibus ab hæreticis esse deceptos.

Similiter pœnitentiam age. Hoc quod dicit, *similiter*, videtur mihi ad ℣. XVI. Angelum Ephesi Ecclesiæ respicere, cui dicitur: *Pœnitentiam age, eo quod caritatem tuam primam reliqueris.* Quasi diceret: Sicut præcepi Angelo

E Ephesi, ut pœnitentiam ageret, eo quod caritatem primam reliquisset; similiter & tu pœnitentiam age, eo quod a caritate destiteris: ut aliquos tuorum per tuam incuriam amitteres. *Si quo minus, venio tibi cito.* Solet per adventum Domini mors intelligi; unicuique enim Dominus tunc venit, quando per mortem animam à corpore separat. *Cito*, id est, improvise, sicut de servo negligente Dominus in Evangelio loquitur: Matth. 24. 50. *Veniet autem Dominus servi illius in die quo nescit, & hora qua ignorat; & dividet eum, partemque ejus cum hypocritis ponet.* Homo enim ex anima & corpore consistit: dividit Dominus hominem cùm animam à corpore separat; partem ejus cum hypocritis ponit, quando animam, quæ secunda pars est in homine, pro iniquitatibus suis cum impiis cruciandam tradit. In hoc quod dicit: *Veniam tibi cito*, talis mihi sensus esse videtur: Si pœnitentiam non egeris, veniam tibi cito; ut te per mortem, quam prævidere negligis, dissolvam. Sequitur: *Et pugnabo cum illis in gladio oris mei*: id est, illum in loco tuo ponam,

F & ponam gladium verborum meorum in ore ejus, in quo dejiciat adversarios veritatis.

Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Ubicumque ℣. XVII. hæc sententia ponitur, vel in Evangelio, vel in Apocalypsi, sensum est mysticum esse, quod dicitur, & ad intelligendum difficile. *Vincenti dabo manna absconditum.* Legimus in veteri Testamento, quia popu- Exod. 16. 14. lum Judæorum per deserta gradientem Dominus manna paverit, usque dum venirent ad terram repromissionis. Per manna igitur sapientia, quæ Christus est, intelligi potest: *ipse est enim panis vivus, qui* Johan. 6. 41. *de cælo descendit.* Hoc pane aluntur omnes electi, in deserto atque in itinere hujus sæculi positi, usque dum veniant ad terram repromissionis, id est, ad cælestem beatitudinem, quam repromisit Deus diligentibus se. Absconditum autem ideo dicitur, quia sapientia Dei superbis absconditur, & humilibus revelatur, sicut ipse dicit in Evangelio: *Confiteor tibi, Pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc* Matth. 11. 25. *à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

a. Ita mss. at edit. *ego odi. Pro eo quod odisti facta odisti, quæ & ego odivi.* b. Edit. *vivant ... cum Domino*; cetera adjecta sunt ex mss.

c. Hic textus in edit. rejectus fuerat post verba, *tolerare posset*; sed contra auctoritatem mss.

Et dabo illi calculum candidum. Per calculum, qui lapis parvus est, & a calculando sic vocatur, Evangelium possumus accipere. Quia sicut antiqui horum lapidum multitudinem magnam sibi congregabant ad partiendos & dividendos numeros; ita doctores Ecclesiæ multa verba Evangelii in cordibus suis congregant, quorum cùm obscuritates & spirituales intelligentias & utilitates auditoribus suis aperiunt, quasi numeros suos dividunt & partiuntur. *Et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quod est hoc nomen Christi, quod in calculo Evangelii scriptum est: dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; & iterum: *Ego & Pater unum sumus*; & idem evangelista in alio loco dicit: *Quia non solùm solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Si Christus æqualem se faciebat Deo, cur dicit Arrius minorem esse Filium Patre? Hoc ergo nomen quod in calculo scriptum est, nullus scit, nisi qui accipit; quia omnipotentiam, divinitatem, æqualitatem Filii cum Patre nullus scire prævalet, nisi cui doctrina Evangelii data fuerit. Sed est aliud quod nos movet; nam paulo superius dixit: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Si igitur solis illis qui diabolum vincunt, & manna, & calculus, & nominis Christi datur scientia; ergo impii qui diabolum non vincunt, sed ab eo vincuntur, quamvis baptisma, quamvis fidem Christi videantur suscepisse, ab hoc tamen munere alieni existunt. Sed dicit aliquis: Quomodo litteratus quisque, & in divinis scripturis eruditus, mysterium nominis Christi nescit; quamvis & sæculum diligat, & voluptuose vivat? Huic ego duorum hominum similitudinem mel multum possidentium opponam, ex quibus unus ex eo edere solitus erat, alter vero ab ejus esu, qualam necessitate cogente, omnibus modis abstinebat. Quis horum tibi videtur saporem mellis satius cognovisse? Utique respondebis mihi quia is, qui ejus dulcedine perfrui solitus erat. Et tamen si interrogasses utrumque de melle, cujus esset saporis, uterque dulcissimum esse fateretur: sed diceret ille, quod audivit, iste, quod expertus erat: illius lingua loqueretur, quod fauces ignorabant, istius autem quod delectatio docuerat. Ille igitur qui mel non ad utendum, sed ad lucra exaggeranda possidebat, eos significat, qui ex scientia divinarum scripturarum [a] gloriam temporalem plusquam æternam capessunt: ille vero qui mel ad hoc possidebat, ut ejus dulcedine assidue frueretur, eos significat, qui mandata Dei non pro gloria temporali, sed pro amore Dei discere student; ut per eorum operationem ad gloriam æternam pervenire mereantur. Illis mandata Dei, quamvis ea prædicent, dulcia non sunt; quia non dulcedinem cælestis patriæ, sed dulcedinem terrenam, quæ amaritudinem generat, diligunt: istis autem mandata Dei spes cælestis patriæ dulcia facit, sicut dicit Psalmista: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel & favum ori meo!* Illi ergo soli sciunt nomen Dei, qui custodiunt mandata Dei: qui vero sæculum diligunt, qui in quibusdam vitiis semet ipsos dejiciunt, qui desideria carnis suæ perficiunt, nesciunt nomen Dei; quia timorem & amorem ejus à mente sua abjiciunt. Aliter: Potest per calculum, nomenque in eo scriptum beatitudo cælestis patriæ designari: ut per calculum cælestis patria, per nomen verò in eo scriptum beatitudo cælestis patriæ figuretur. Hoc ergo nomen nullus scit, nisi qui accipit calculum; quia quanta sit illa cælestis beatitudo nullus scire prævalet, nisi qui ad hanc pervenire meruerit, sicut dicit Esaias propheta: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

℣. xvIII. ℣. xIx. *Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flammam ignis, & pedes ejus similes aurichalco.* Quid ista significent, superius dictum est. *Scio opera tua, & caritatem, & fidem, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus.* Hic per omnia laudatur, sed sicut sequentia manifestant, sola taciturnitatis culpa in eo redarguitur.

℣. xx. *Sed habeo adversum te, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere & seducere servos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.* Hæc mulier, quæ Jezabel nupitissimæ comparatur, ideo se propheten mendaciter affirmabat, ut facilius sub religionis nomine falsam doctrinam in populum Dei introduceret: & sicut Jezabel cogebat populum Dei culturam Dei deserere, & idola venerari; ita & hæc populum Dei à cultura Dei, id est, à fide recta, conabatur per pravam doctrinam separare. Fornicatur enim anima, quæcumque à Deo creatore suo recedit. Idolothytum vocat illud, quod idolis erat consecratum. Docebat enim hæc mulier nihil nocere fidelibus, si comederent carnes, quæ idolis immolabantur.

℣. xxI. *Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicationibus suis.* Sicut & beatus Job de impio dicit: *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abusus eo est in superbiam.*

℣. xxII. ℣. xxIII. *Ecce mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima, nisi pœnitentiam egerint, & filios ejus interficiam morte.* Ecce mulieri, & filiis ejus pœnitentiæ locus nullus promittitur, eo quod pœnitentiæ tempus à Deo sibi indultum spreverint: iis autem qui mœchabantur cum ea, adhuc locus pœnitentiæ repromittitur. Videntur ergo mihi ii, qui mœchabantur cum ea, eos designare, qui pravis ejus assertionibus faventes, nec dum autem ex toto in foveam malitiæ ejus demersi fuerant: per filios autem ejus eos designari, qui jam ex toto ab ea decepti medicamentum correctionis nullo modo recipere volebant. Per lectum autem in quo mulier mittenda erat, infernus designatur, in quo sepultus est & dives, de quo dicit Dominus in Evangelio: *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.* Per tribulationem vero maximam, in qua ponendi erant, qui mœchabantur cum ea, nisi pœnitentiam agerent, & per mortem in qua filii ejus interficiendi erant, eadem inferni pœna designatur. *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda.* Per renes qui infra corpus continentur, & ex quibus libido procedere dicitur, peccata abscondita: per corda autem cogitationes occultæ designantur. Et est sensus: *Et scient*, videlicet in die judicii, quando & ipsa mulier, & omnes qui decepti sunt ab ea, damnabuntur; omnes Ecclesiæ, id est, omnes qui christiano nomine censentur, non solum electi, sed etiam reprobi, *quia ego sum scrutans renes & corda*, id est, non solum peccata quæ patent, verumetiam & quæ latent: sed & ipsas cogitationes intueor, & in illa die dabo unicuique vestrûm secundum opera vestra.

℣. xxIv. *Vobis autem [b] dico ceteris, qui Thyatiræ estis, quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem satanæ, quemadmodum illi dicunt, non mittam super vos aliud pondus.* Hoc quod dicit, videtur mihi non ad doctrinam mulieris tantum, sed ad falsos apostolos pertinere, qui docebant eos, qui ex gentibus crediderant, ut in Legem & circumcisionem verterentur. Et quia Judæi de Legis observantia superbiebant, & post Evangelium datum custodia Legis secundum litteram nihil est aliud quam servitus diaboli; possumus per altitudinem satanæ, ipsam Legem, si carnaliter impletur, intelligere. Quod igitur dicit, tale est: *Vobis dico ceteris, qui Thyatiræ estis*; videlicet qui in fide perstitistis: *quicumque non habent doctrinam hanc*, id est, qui non receperunt doctrinam illius pessimæ mulieris: *qui non cognoverunt altitudinem satanæ, quemadmodum illi dicunt*, id est, qui Legem non susceperunt, quemadmodum falsi apostoli dicunt, ut eam carnaliter impleant: receperunt quidem eam, ut spiritualiter impleant, non receperunt autem eam, ut carnaliter custodiant. Verbi gratia: Illi dicebant, quia nisi circumcidatis carnem præputii vestri, non potestis salvi fieri: isti autem circumcisionem non carnaliter, sed spiritualiter intelligentes, circumcidebant à cordibus & à carne sua omnia vitia. Illi dicebant, ut servarent sabbatum, nihil in eo facientes operis: isti vero omne tempus vitæ suæ pro sabbato accipientes, ab omni opere servili, id est, à peccatis, in quantum poterant, abstinere curabant. *Non mittam super vos aliud pondus*, id est, qui in fide perstitistis, qui falsos apostolos non recepistis. Non mittam super vos aliud pondus, nisi quod ab apostolis præceptum est vobis, ut abstineatis vos ab escis, quæ idolis immolantur, & à suffocato, & sanguine, & fornicatione.

℣. xxv. *Verumtamen id quod habetis, tenete, donec veniam.* Ac si diceret: Quia parvuli estis, & lac vobis opus est, non solidus cibus, fidem quam didicistis, tenete, donec veniam; ut per aspirationis meæ gratiam ad altiora opera virtutum agenda vos provocem.

℣. xxvI. ℣. xxvII. ℣. xxvIII. *Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Per finem in hoc loco mors intelligitur: qui ergo vicerit mundum & concupiscentias ejus, & perseveraverit usque in finem; dabitur ei potestas super gentes, & reget eas in virga ferrea. Sed & si per finem mors intelligitur, quomodo electi post mortem gentes dicuntur regere; cùm in illa beata vita nullus sit, qui regatur in virga ferrea, ubi nihil distortum, nihilque pravum invenitur? Nisi forte eo sensu intelligamus, quo illud: Qui fecit, quæ futura sunt. Omnia enim quæ secundum dispositionem Dei fienda sunt, in prædestinatione ejus jam quasi facta existunt; quia non potest fieri ut immutetur aliquid ex omnibus, quæ statuit Deus ut fiant. Similiter & sanctis, quos præscivit Deus futuros justos, & in bonis operibus perseveraturos, ante ortum illorum hoc præstitit, ut habeant potestatem super gentes, & regant eas in virga ferrea, sicut ad Hieremiam loquitur dicens: *Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te; & prophetam in gentibus dedi te.* In secundo psalmo scriptum est quia dixit Pater ad Filium: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, tamquam vas figuli confringes eos.* Dedit Pater Filio potestatem, ut regat gentes in virga ferrea: dedit & Filius potestatem apostolis & ceteris prædicatoribus, ut regant & ipsi gentes in virga ferrea, & tamquam vas figuli conterant eas. Per virgam igitur ferream Evangelium designatur, sicut & per virgam ligneam Lex. Nam virga lignea, qua utebatur Moyses, ipsam legem, quæ ab eo data est, prætendebat; ipsâ namque virgâ, sicut in Exodo legimus, percussit bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta. Virga igitur est vetus Testamentum: bina percussio Legem & prophetas: petra autem Christum figurabat. Virga ergo bis silicem percussit, quando vetus Testamentum per Legem & prophetas Christum ad redemtionem generis humani venturum esse prædixit. Et quia impossibile erat, ut ea quæ per Legem & prophetas prædicebantur, non implerentur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Facilius est cælum & terram transire, quam unum iota, aut unus apex prætereatur à Lege, qui non impleatur.* Virga bis silicem percussit, quando vaticinia prophetarum atque Legis quodammodo compulerunt, ut homo fieri Deus dignaretur. Percussa est igitur petra, & egressæ sunt aquæ largissimæ; quia Christus secundùm hoc quod dictum erat, veniens, fluenta doctrinæ cælestis, id est, Evangelium, de se produxit. Bibit populus & jumenta, id est; Judæi & gentes. Ipsa etiam virga in tabernaculo floruit; nucesque produxit, quia in tabernaculo Ecclesiæ postea vetus Testamentum flores spiritalium sensuum protulit, ipsique flores fructus bonorum operum ediderunt. Hoc totum ideo diximus, ut demonstraremus per ligneam virgam designatam fuisse Legem.

Et quia austeriora sunt præcepta novi Testamenti quam veteris, non incongrue per virgam ferream Evangelium, per ligneam autem Lex figuratur. In illa dicitur: *Comedetis, & saturabimini, bibetis, & inebriabimini: dormietis, & non erit qui exterreat*; & iterum: *Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus projicietis*; & multa alia quæ ad delectationes carnales pertinent. Hic autem dicitur: *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus sæculi*; & iterum: *Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam*: & Paulus apostolus dicit: *In omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis*; & alia innumerabilia, quæ in novo Testamento de maceratione carnis inveniuntur. Nam & Dominus in Evangelio, quam austeriora sint sua præcepta præceptis Legis, manifestat cùm dicit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*; & iterum: *Dictum est antiquis: Non*

Marginal references: Joan. 1. 1. — Joan. 10. 30. — Joan. 5. 18. — Psal. 118. 103. — Esa. 64. 4. — Job 24. 23. — Luc. 16. 22. — Act. 15. 1. — Ibidem 29. — Hier. 1. 5. — Psal. 2. 8. — Exod. 17. 6. — Luc. 16. 17. — Num. 17. 8. — Levit. 26. 5. & 6. — Ibidem 10. — Luc. 21. 34. — 2. Cor. 6. 4. — Matth. 5. 21. & seq.

a. Codex Germ. *gloriam temporalem plusquam æternam capessunt fune.*

b. Edit. *dico, ceterisque qui Thyatiræ*: mss. *dico ceteris, qui* &c.

moechaberis: ego autem dico vobis quia qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo; & iterum: Ibidem 29. *Dictum est antiquis: Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii: ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, moechatur; & qui dimissam duxerit, moechatur*; & iterum: a *Dictum est antiquis: Oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi & alteram: & qui voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*; & iterum: Ibidem 43. *Dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.* Haec igitur verba Domini quae protulimus, aperte demonstrant per virgam ferream Evangelium, per ligneam autem fragilem & mollem Legem figurari, per vasa autem figuli corda gentilium omnibus erroribus daemonum repleta designantur, quae a tactu virgae ferreae confracta sunt; quia veniente Evangelii gratia, omnis error gentilium destructus est, & quae erant antea vasa fictilia, facta sunt vasa ferrea, contra omnia tentamenta daemonum, & contra persecutiones hominum malorum fortissima.

Et dabo illi stellam matutinam: id est, me ipsum dabo illi; ipse est enim stella matutina, de quo dicit Scriptura: Num. 24. 17. *Orietur stella ex Jacob, & exsurget homo de Israel, & percutiet duces Moab.* Moab dicitur b ex patre: & Dominus Judaeis dixit: *Vos ex patre diabolo estis.* Duces ergo Moab Dominus percussit, quando omnes fabricatores errorum exinanivit.

CAP. III. ℣. 1. *ET Angelo Sardis Ecclesiae scribe: Haec dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas.* Septem spiritus Dei septem sunt dona Spiritus sancti, quae in Dominum descendisse propheta Esaias ostendit dicens: Isa. 11. 2. *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini.* De his septem spiritibus, quod Dominus dederit, in sequentibus dicemus: quid sint autem septem stellae, superius dictum est. Sequitur, *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Nomen habebat quod viveret, id est, nomen christianum: sed mortuus erat; quia fidei opera, quae est caritas, non habebat.

℣. 11. *Esto vigilans, & confirma cetera, quae moritura erant.* Vigilat qui semper bona opera exercet: praecipitur ergo huic, ut vigilet, id est, ut in caritatis operibus semet ipsum exerceat; ne parva bona quae adhuc videbatur habere, deperirent. Quia sicut corpus mortuum est sine anima, ita & nos qualibet bona videamur habere, mortua sunt, si caritas defuerit: *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Non erant plena, sed vacua; quia caritate non replebantur: Matth. 25. 3. unde & quinque virgines fatuae a contubernio sponsi caelestis repulsae sunt, quia oleum caritatis in vasis suis habere noluerunt.

℣. 111. *In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serva, & poenitentiam age*: id est, recordare qualiter fidem Christi in baptismate perceperis, ubi promisisti renuntiaturum te diabolo, & omnibus operibus ejus: recordare etiam quid a doctoribus fidei christianae, qui te fidem Christi docuerunt, qualiter te vivere oporteret, audisti: *Et serva quod audisti, & poenitentiam age*; eo quod a bonis operibus cameram corpuisti. *Si ergo non vigilaveris*: id est, ad bona opera agenda temet ipsum non excitaveris: *Veniam tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Illi Dominus tamquam fur supervenit, ut cum per mortem ab hac mundana habitatione subtrahat; qui in pravitatibus suis requiescens, neque a vitiis vult abstinere, neque ipsam Matth. 24. 43. mortem ante oculos ponere, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Quia si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.* Per patremfamilias mentem possumus intelligere; quia sicut paterfamilias omnibus qui in domo sunt, principatur: ita & mens omnibus actibus corporis & cogitationibus praeest. Pater igitur familias dormit, furque veniens domum ejus perfodit, quando mens in delectationibus carnalibus requiescens, mors dum non praevidetur, supervenit, atque domum corporis perfodiens, animam abstrahit. Si autem vigilaverit, id est, in bonis operibus perseveraverit, mortem non ut furem, sed ut liberatricem perferet.

℣. 1v. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua.* Ecce discipuli pastori negligenti praeponuntur, ut saltem in eorum imitatione proficeret. Sed mirum, cur pauca nomina habere dicatur, & non paucos homines? Sed hoc ad excellentiam magnam alicuius sancti pertinet, cum eum Deus nominatim scire dicitur, sicut Moysi perfecto viro dicitur: Johan. 10. 3. *Novi te ex nomine*; & Dominus dicit in Evangelio: *Et proprias oves vocat nominatim, & educit eas.* Isti ergo pauci, qui voce Dei laudari merentur, non inquinaverunt vestimenta sua, id est, munditiam quam in baptismo perceperunt, sordibus vitiorum non inquinaverunt. *Et ambulaverunt mecum in albis, quia digni sunt*; id est, in bonis operibus.

℣. v. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis*: id est, qui per poenitentiam & lacrymas diabolum vicerit, & vitia omnia a se expulerit, eamdem munditiam quam baptizatus possidet, & ipse consequetur. Haec ideo dicit, ut & pastorem Sardis Ecclesiae, & omnes etiam peccatores ad poenitentiam provocet. *Et non delebo nomen ejus de libro vitae.* Si librum vitae praedestinationem vocat, quomodo de libro vitae aliquis deleri potest, cum Apostolus dicat: Rom. 8. 30. *Quos autem praedestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: & quos justificavit, ipsos & glorificavit?* Nisi forte ita intelligamus: Sunt multi qui ab hominibus justi putantur, sed in conspectu Dei injusti existunt. Ergo homines qui eos justos aestimant, jam in libro Dei eos scriptos esse putant: sed in die judicii, cum facta reproborum atque justorum omnibus patebunt, haec inscriptio atque falsa suspicio a mentibus eorum delebitur, cum eorum damnationem pro impietatibus suis conspexerint. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis Dei.* Confessio ista tunc fiet nominum justorum, quando secundum qualitatem meritorum unusquisque mercedem recipiet.

℣. vII. *Et Angelo Philadelphiae Ecclesiae scribe: Haec dicit sanctus & verus, qui habet clavem David.* Legimus in libro Regum, quod dixerit Dominus ad David: 2. Reg. 7. 12. *Et erit cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, quod egredietur ex te, & firmabo regnum ejus in sempiternum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Hoc de Christo esse dictum nullus est, nisi perfidus Judaeus, qui ambigat. Et in domum obseratam nullus nisi per clavem potest introire. Filius ergo Dei habet clavem David, quia ipse hominem adsumsit ex genere David, quem clavem David vocat, per quem reserata sunt omnia, & quae Deus ad David, & quae David de eo loquutus est. *Qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Aperuit dominus Jesus Christus vetus Testamentum ad intelligenda divina mysteria, quae in eo latebant, quod nullus claudere poterit: clausit vero observantiam litterae legalis superfluam, quam nullus aperire poterit. Aperuit etiam corda gentilium ad percipiendam doctrinam fidei, quae nullus persecutor claudere potuit: clausit vero atque destruxit culturam idolorum, quam nullus persecutorum aperire potuit. Aperuit etiam aditum regni caelestis suis electis, quod nulla vis daemonum claudere potest: clausit vero eumdem aditum reprobis, quod nullus eis aperire poterit.

℣. vIII. *Scio opera tua: ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Videtur mihi quod ille Angelus Ecclesiae Philadelphiae non satis in divinis scripturis fuerit eruditus; & ideo dixerit eum modicam habuisse virtutem ad revincendos videlicet inimicos fidei veritatis. Et est sensus: Quia in persecutione constans fuisti, & servasti verbum meum, id est, a praedicatione verbi mei non cessasti, & nomen meum non negasti, ideo quia modicam habes virtutem, dedi coram te ostium apertum in divinis scripturis, ut intelligas mysteria divinarum scripturarum: quod nemo potest claudere, id est, sapientiae quae tibi datur, nullus poterit resistere inimicorum.

℣. Ix. *Ecce dabo de synagoga satanae, qui dicunt se Judaeos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce dabo de synagoga* c *satanae*, subauditur quosdam, id est, ex Judaeis, qui sunt synagoga satanae, qui tibi adversabantur, & quorum infestationem assidue tolerabas, ut credant per verba tua in me.

℣. x. *Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient quia dilexi te: quoniam servasti verbum patientiae meae*: id est, cum crediderint per verba tua in me, adorabunt ante pedes tuos, deprecantes ut per te vitam aeternam consequantur. *Et ego te servabo ab hora tentationis, quae ventura est in universum orbem, tentare omnes qui inhabitant terram.* Hora tentationis diem judicii significat: tentationem autem pro manifestatione posuit, d quia singulorum causae tunc manifestabuntur. Et in Exodo legimus: Deut. 13. 3. *Tentat vos Deus, ut sciat si diligatis eum*, id est, ut manifestum fiat, & appareat omnibus, si diligitis eum. Secundum hunc igitur sensum hora tentationis hora manifestationis designatur, quando singulorum facta omnibus manifestabuntur. A qua hora tentationis nos & omnes electos suos Dominus salvabit.

℣. xI. *Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Tene quod habes, id est, bonum quod habes, usque in finem vitae tuae tene. *Ut nemo accipiat coronam tuam*, id est, ut gloriam quae tibi debetur, nullus sine te possideat.

℣. xII. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Potest per templum Ecclesia designari: per columnas autem, quae sustentant templum, praedicatores. Nam & Paulus apostolus Petrum & Jacobum columnas Ecclesiae vocat; eo quod Galat. 2. 9. super ipsos aedificata sit Ecclesia, sicut Dominus dixit Petro: Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Sed videtur propter hoc, quod sequitur: *Et foras non egredietur amplius*; non ad praesentem Ecclesiam, sed ad caelestem pertinere hanc sententiam. Nam multi fuerunt, qui columnae Ecclesiae dicebantur: sed propter pravam doctrinam eorum, ab ea exierunt, sicut fuit Origenes, & alii multi. Per templum ergo caelestis habitatio, per columnam vero unusquisque electus potest designari. Ergo qui vicerit omnia tentamenta diabolica, omnesque carnales voluptates, columna in templo Dei efficitur, id est, in caelesti beatitudine: & sicut columna in loco, e in quo statuitur, firmissima stabilitate perseverat, ita & unusquisque electus in caelesti beatitudine tam firmissimam stabilitatem a creatore suo consequitur, ut numquam ab ea divellatur; quemadmodum avulsus est diabolus, qui de caelesti beatitudine superbiendo cecidit. *Et scribam super eum nomen Dei mei.* Nomen hoc Dei est aeternum: nomen ergo Dei, quod est aeternum, super unumquemque justum scribitur, quando aeternitas ei cum Domino permanendi largitur. *Et nomen civitatis Dei mei novae Hierusalem, quae descendit de caelo a Deo meo.* Nova Hierusalem illa est caelestis, quae non ex lapidibus, sicut vetus, sed ex sanctis hominibus quotidie aedificatur. Hierusalem autem interpretatur visio pacis, id est, visio Dei. Nomen ergo Hierusalem super unumquemque electum scribitur, dum hoc unicuique conceditur, ut Deum sine fine videre mereatur. Aliter: Nomen Hierusalem super unumquemque electum scribitur, eo quod ipse Hierusalem, in quem Deus regnare dignetur, in societate videlicet Angelorum omniumque electorum, qui Hierusalem caelestis vocantur. Sed mirum, cur Hierusalem de caelis descendisse dixerit, cum sciamus electos omnes a terris ad caelos conscendere quotidie, non de caelestibus ad terrena redire. Sed Domino de caelis ad redemtionem generis humani descendente, simul etiam sancti descenderunt; quia jam per praedestinationis gratiam illi conjuncti erant, quos per misericordiam suam redimere

a. Desunt in edit. *& iterum*, usque ad, *dimitte ei & pallium*: quem locum supplevimus e mss.

b. Ita mss. edit. vero, quae inter voces *ex patre*, ac istas, *Duces ergo Moab*, interponuntur, praetermittunt.

c. Edit. *satanae, qui tibi adversabantur*: mss. autem, ut in contextu.

d. Sic omnes mss. edit. vero, *quia singulorum facta omnibus manifestabuntur. A qua hora tentationis* &c.

e. Voces, *firmissima stabilitate* usque ad *tam firmissimam stabilitatem*, e mss. restituimus.

venitur. *Et nomen meum novum*; videlicet ut vocetur filius Dei, sicut & ego sum Filius Dei.

℣. XIV. *Et Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis & verus.* Amen vere, sive fideliter interpretatur: quod sit amen, hoc est testis fidelis & verus. *Qui est principium creaturæ Dei.* Non ideo se principium creaturæ Dei dicit, quod ipse sit creatus, sed quod ab ipso omnia sint creata, ut puta architectus fecit domum: si interrogaveris quis fuerit principium domus, dicetur tibi: Artifex, qui eam prius mente concepit, & postea ædificavit; quia domus sibimet ipsi principium dare non potuit.

℣. XV. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus.* Frigidus non erat; quia quamvis opera fidei non haberet, sola fide se justum existimabat: calidus non erat; quia caritas illi deerat. *Utinam frigidus esses, aut calidus*: id est, utinam aut caritate ferveres, aut te peccatorem, sicut es, æstimares; ut per timorem ignis æterni & pœnitentiam ad bona opera agenda impelleteris.

℣. XVI. *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Aqua tepida si hausta fuerit, fastidium generat; ideoque facile rejicitur. In os vero Domini tunc ingredimur, quando per baptismum à vitiis omnibus emundati, membra ejus efficimur. Igitur si fidem quæ per caritatem operatur, & quam in baptismate promisimus, à caritate tepescentes operari neglexerimus, ab ore Domini, veluti quoddam nocivum ac fastidiosum, foetidumque rejicimur, sicut ipse dixit de se ipso discipulis suis: *Ego sum vitis, & vos palmites, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem non ferentem a in me fructum, præcidet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructus plus afferat.* Johan. 15. 1. a

℣. XVII. *Quia dicis quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Dives & locupletatus recte dicitur, qui omnibus virtutibus plenus, usque ad culmen b perfectionis excreverit. b Iste autem præsul Ecclesiæ Laodiceæ propter solam fidem omnibus virtutibus divitem se & locupletem æstimabat, & nihil se ad salutem æternam acquirendam aliud egere, non recogitans illud, quod dicit Apostolus: quia *fides sine operibus otiosa est.* Jacob. 2. 26.

Et nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Miserum eum dicimus, qui cum paupertate & nuditate etiam aliqua infirmitate premitur. Similiter & iste miser & miserabilis ideo dicitur, quod pauper erat virtutibus, c mente cæcus, operibus bonis nudus. c

℣. XVIII. *Suadeo tibi emere à me aurum probatum, ignitum.* Per aurum sapientia intelligitur, sicut scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Prov. 21. 20. Quod probatum dicitur, quia probatos & perfectos reddit omnes, quos possidet. Ignitum vero ideo dicitur, quia eorum mentes in quibus habitat, in amorem Dei atque proximi accendit. Et quia vera sapientia ex divinis Scripturis acrescit, Psalmista manifestat, cùm dicit: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Psal. 11. 7. Eloquia Domini eloquia casta sunt; quia castas mentes à vitiis reddunt. Sed cùm nihil purgari possit, nisi quod fœdidum est; quærendum nobis est, quomodo eloquia Domini purgata dicantur, in quibus nihil fœdidum esse potest. Eloquia ergo Domini sicut argentum igne examinata esse dicuntur; quia mentes d fidelium aliquando igne pœnitentiæ, aliquando igne caritatis ab omnibus fœdibus vitiorum examinant. d Quod autem ait: *Probatum terræ*, in Hebræo habet: *Separatum à terra*. Quod etiam septuplum purgatum dicitur, propter septem purgationes quas divina Scriptura in se continet, septem videlicet virtutes, quibus omnia vitia purgantur: quemadmodum gulæ vitium purgatur per abstinentiam, superbia per humilitatem, libido per pudicitiam, odium, avaritia, invidia, & multa alia, per caritatem. Similiter & cetera vitia habent hostes suos, à quibus aut vincuntur, aut vincunt. Et quia superius Dominus dicit, ut aurum, id est, sapientia, à se ematur; quærendum nobis est, quo pretio sapientia ematur, cùm Job dicat: *Non dabitur aurum obrizum pro ea*; Job. 28. 15. nec aliud quid, quod inter homines pretiosius habetur. Sed quo pretio ematur, ipse beatus Job manifestat, cùm dicit: *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Ibid. 28. Non quod ille, qui timet, perfectus sit in sapientia, cùm Apostolus dicat: *Qui autem timet, non est perfectus in caritate*: 1. Johan. 4. 18. sed quod sapientiam jam possidere incipit, qui pro ea pretium dare inchoat. Pretium autem ejus est timor Domini, abrenuntiatio vitiorum, pœnitentia, lacrymæ, opera misericordiæ. Et ideo non inconvenienter sequitur: *Ut locuples fias.* Quia sine hoc pretio ad locupletationem virtutum, quod est sapientia, nemo pervenire potest. *Et vestimentis albis induaris.* Vestimenta alba sunt opera bona. *Et non appareat confusio nuditatis tuæ.* Confusio nuditatis illa est, de qua dicit Psalmista: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* Psal. 50. 7. Hanc autem confusionem nuditatis bonis operibus operire debemus; nam quamvis iste episcopus fidem haberet, nudus tamen dicitur: eo quod ab operibus fidei vacaret. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Per collyrium, quod caliginem ab oculis detergit, lacrymasque educit, pœnitentia atque compunctio cordis potest intelligi: ipsa est namque quæ ab oculis mentis caliginem cæcitatis detergit, atque ad videndum quæ sit retributio justorum & pœna peccatorum acuit.

℣. XIX. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Sicut dicit Scriptura: *Quem enim diligit, Dominus corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Hebr. 12. 6.

℣. XX. *Æmulare ergo, & pœnitentiam age*: id est, æmulare bonos, & pœnitentiam age: eo quod à bonis operibus usque modo torpuisti. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Pulsat Dominus ad ostium nostrum, cùm per Scripturam divinam quotidie nos admonet, ut vitia relinquentes, ad bona opera agenda convertamur. Vocem ejus audimus, & januam aperimus; cùm mandata ejus tota mentis intentione suscipimus. e Ad nos vero ipse intrat, cùm caritatem suam in cordibus nostris plantat. Cœnat vero nobiscum, cùm de nostris profectibus gaudet. Cœnamus nos cum illo, cùm de spe cælestis gloriæ exsultamus. e

℣. XXI. *Qui vicerit, dabo ei potestatem sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Vicit Christus diabolum, vincunt & sancti ejus: sed Christus per semet ipsum, sancti vero ejus non per semet ipsos, sed per ipsum. Dedit Pater Filio potestatem secundum quod homo est, ut sedeat in throno ejus: dedit & Filius potestatem sanctis suis, ut sedeant & ipsi in throno ejus. Sed Christus ad dexteram Patris sedet, sicut dicit Psalmista: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; Psal. 109. 1. quia æqualis est Patri: sancti autem non ad dexteram Filii sedere dicuntur, sed in sedibus suis, sicut dixit Dominus in Evangelio: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Matth. 19. 28. Ipsi enim non naturaliter ut Christus, sed per adoptionem sunt filii; ideo diversas sedes sortiuntur secundum meritorum diversitatem. Præstet hoc nobis, de quo loquimur; ut in earum sedium distributione nos miseri partem habere mereamur, Jesus Christus dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE SECUNDA.

Ratio f deposcit ut post septem epistolas, quas ad septem Ecclesias, quæ unam catholicam designant, Johannes direxit, in quibus hostes instituuntur, qualiter ad virtutum celsitudinem conscendere debeant, ejusdem Ecclesiæ status atque sublimitas manifestius describatur. f

Cap. IV. ℣. 1. *Post hæc vidi ostium apertum in cælo.* Per ostium, Christus intelligitur, qui dicit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Johan. 10. 9. Quod ostium apertum esse dicitur, quia omnibus ad se venire desiderantibus, quamvis multis sceleribus deprimantur, ostium misericordiæ suæ aperire non dedignatur, sicut ipse dicit in Evangelio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos.* Matth. 11. 28. Per cælum autem Ecclesia designatur. Sed si omnes qui per ostium in ovile ovium, id est, in sanctam Ecclesiam introierit, salvabuntur: reprobi, quorum innumerabiles intra sanctam Ecclesiam continentur, quo aditu introierunt? De hoc Dominum interrogemus; ait enim: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Johan. 10. 1. Quicumque ergo hoc quod in baptismo promiserunt, observare nolunt, non per ostium in ovile ovium, sed aliunde ascenderunt. *Et vox prima, quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens.* Vocem primam vetus Testamentum accipere possumus; sed melius mihi videtur, ut per vocem primam Johannem Baptistam intelligamus, de quo scriptum est: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante Dominum parare vias ejus ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.* Luc. 1. 76. Sed & ipse Johannes se vocem vocat, dicens: *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias propheta.* Johan. 1. 23. Esa. 40. 3. Et quia prædicatio ejus circumquaque perstrepebat, vox prædicationis ejus tubæ similis dicitur. Sed quid vox ista dicat, audiamus: g *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri posthac*: id est, terrena desere, & ad cælestia animum erige. g Aliter: Johannes evangelista personam eorum in hoc loco gerit, qui per Johannem Baptistam in Christum crediderunt, & multi eo tempore extiterunt, qui Johannem Christum æstimabant: Johannes vero sursum auditores suos mentes erigere suadebat, cùm se non Christum esse dicebat, sed alterum qui post se venturus erat, dicens: Non sum ego Christus: veniet vero fortior me post me, *cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*: Johan. 1. 27. & iterum: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Johan. 3. 30. Sed & discipulos suos conscendere sursum monebat, cùm se deserendum, & Christum esse sequendum manifesta ratione perdocebat. Deinde sequitur: *Et ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc*, ac si diceret: Si sursum cor erexeris, id est, si Christum fide secutus fueris, ea quæ doceo, & quæ ventura sunt, etiam ipso docente, facile cognoscere poteris.

℣. 2. *Et statim fui in spiritu*: id est, cùm in Christum credere cœpi, ex carnali spiritalis effectus sum. *Et ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedens.* Per cælum, ut supra diximus, Ecclesia designatur: sedes vero posita in cælo, corda sanctorum in Ecclesia commorantium designat. Qui vero supra sedem visus est sedere, Deus est, qui in cordibus sanctorum suorum inhabitat atque sedet, sicut Apostolus dicit: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 3. 17.

℣. 3. *Et qui sedebat, similis erat adspectui lapidis jaspidis & sardis.* Jaspis viridis coloris est, sardius autem rubei: per viriditatem ergo jaspidis divinitas nostri Salvatoris: per ruborem autem sardis ejus humanitas designatur. Salvator igitur noster & viriditatem jaspidis in se continet; quia secundum divinitatem per omnia æqualis est Patri: & ruborem sardii; quia secundum humanitatem homo perfectus extitit, sicut scriptum est: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Symbol. S. Athanasii.

Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. In Genesi legimus, quia dixit Deus ad Noe: *Arcum meum ponam in nubibus cæli, & recordabor fœderis mei sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viventem.* Gen. 9. Per arcum igitur, qui in signum clementiæ Dei hominibus in terra consistentibus apparet, misericordia Dei non inconvenienter accipitur. Iris ergo, id est arcus, sedem Dei, id est, Ecclesiam circumdabat; quia ejus misericordia nos circumdando, protegit & gubernat, h atque ab invisibilibus hostibus defendit: *In ipso enim*, sicut dicit Apostolus, *vivimus, movemur & sumus.* Act. 17. 28. h Qui arcus similitudinem smaragdi habuisse dictus est, qui nimiæ atque gratissimæ viriditatis est: jaspis vero, de quo superius diximus, viridis coloris

a. Edit. in me fructum purgabit eum. Sed hiatum hunc mss. codices supplevimus.

b. Codex Germ. perfectionis excrevit. Non satis recte.

c. Desiderantur in edit. mente cæcus.

d. Edit. Fidelium aliquando igne caritatis ab omnibus sordibus examinant; mss. vero nobiliorem lectionem suggerunt.

e. Ita mss. edit. autem: Ad nos vero venerat, cùm nostris profectibus gaudet.

f. Ratio deposcit . . . manifestius describatur, edit. Rom. è medio sublatum.

g. Eadem Rom. edit. Ascende huc, id est, terrena desere.

h. Ita mss. edit. vero, atque à visibilibus, & invisibilibus hostibus.

est;

est, sicut smaragdus. Sed ejus viriditas obtusa est: viriditas vero smaragdi perspicua est, cujus pulcritudo oculos intuentium ad se gyrandam prævalet. Per viriditatem ergo jaspidis, sicut diximus, divinitas nostri Salvatoris accipitur; quæ obscura, & quibusdam nebulis obtecta est; quia divinitatem Redemtoris nostri nulla mens, sicut est, comprehendere potest: & quanto altius se mens ad perscrutandum erexerit, tanto amplior caligo ei objicitur. Per viriditatem vero smaragdi, quæ perspicua est, misericordia Domini recte designatur; misericordia namque Domini tam perspicua est, ut nullus homo sanam mentem possidens, hanc ignorare valeat. Quis enim immensam misericordiam Dei, quam erga humanum genus exhibuit, & exhibet quotidie, ignorare potest; quamvis verbis perfecte explicare non possit? Sed & hoc quod viriditas hujus lapidis hebetatos oculos, si inspicitur, ad videndum acuit, potest misericordiæ Dei convenire; quando enim in peccatis jacemus, & scelera nostra nos deprimunt, hebetatos oculos mentis habemus. Cum vero consideramus misericordiam Dei, qualiter meretrices & latrones, omniumque scelerum generibus depressos, etiam & persecutores suos per pœnitentiam ad salutem reduxit, ad spem veniæ reformamur. Et quia jam in perditionis fovea detinebamur, misericordiam Domini intuentes, atque de ea præsumentes, ad eum quem offenderamus, confugimus, ut ejus misericordia à morte perpetua liberemur. Quam misericordiam Dei Psalmista intuens, nec eam verbis explicare valens, ipsum Deum misericordiam suam vocavit, dicens: *Deus meus misericordia mea.* Psal. 143.

℣. IV. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & supra thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Viginti quatuor seniores in hoc libro aliquando Patres veteris Testamenti, aliquando novi, aliquando simul utrosque significant: sed in hoc loco Patres veteris Testamenti designant, qui viginti quatuor sedilibus sedisse dicuntur, quando enim sedemus, à labore quiescimus. Per sedilia igitur viginti quatuor libri veteris Testamenti designantur. Super viginti quatuor igitur thronos, viginti quatuor seniores sedisse visi sunt; quia Patres veteris Testamenti à laboribus & curis hujus sæculi, in lectione & meditatione divinorum librorum quodammodo quiescebant. Sed quærendum nobis est, cùm sedes Ecclesiam significet, cur in circuitu sedis hæc sedilia disposita esse dicantur. Nimirum quia quisquis paterfamilias domum suam tutam à latronibus & inimicis esse desiderat, hanc aut muro, aut sepe, aut pariete circumdat. Similiter Ecclesia & contra hæreticos & contra paganos, qui fidem Christi in ea dejicere volunt, veteris Testamenti libris munitur; quia quando ea quæ colit, longe ante adventum Christi fuisse prædicta probat, jacula inimicorum fidem Christi evertere cupientium, longe à se repellit. Qui senes circumamicti vestimentis albis fuisse dicuntur, & in capitibus eorum coronæ aureæ: per alba vestimenta vitæ puritas, per coronas autem aureas opera bona designantur.

℣. V. *Et de throno* (idest, de Ecclesia) *procedunt fulgura, & voces, & tonitrua.* Per fulgura miracula, quæ per sanctos suos operatur Deus: per voces prædicatio: per tonitrua vero terror gehennæ ignis designatur; quia sancti prædicatores eos, quos amore cælestis patriæ a vitiis revocare nequeunt, eis tormenta æterna, quæ impiis præparata sunt, opponunt; ut quos blanditiis nequeunt, saltem terroribus à vitiis compescant. a *Et septem lampades ardentes ante thronum.* Quid sint septem lampades, ipse exponit, cùm dicit: *Quæ sunt septem spiritus Dei.* Per septem spiritus Dei septem dona Spiritus sancti debemus intelligere, quæ in Dominum requievisse propheta Esaias manifestat dicens: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini.* Esai. 11. 2. Hæ igitur septem lampades, id est, septem dona Spiritus sancti, ante sedem, id est, ante conspectum Ecclesiæ suæ ardere dicuntur; quia sine lumine harum virtutum in nocte hujus sæculi positi, per vitæ vias ad cælestem patriam gradi non possumus. Quod autem Christum hæc septem dona à Spiritu sancto accepisse dicit, ad humanitatis ejus mysterium pertinet; nam secundum divinitatem in nullo augeri potuit, sine quo nihil esse potuit.

Verùm quæri potest, cur propheta cùm hæc septem dona in Christum descensura esse diceret, à majoribus cœpit, & descendendo ad minora pervenit. Sed non abs re esse factum videbitur, si diligenter inspiciatur. Nam quia dominus noster Jesus Christus de illa cælesti beatitudine, in qua æqualis erat per omnia Patri, ad terras descendere, & homo fieri dignatus est, & ab Angelis minorari voluit, quos ipse creaverat; non inconvenienter hæc septem dona descendendo accepit: quia voluntatem Patris descendendo & humiliando se usque ad mortem adimplevit, sicut dicit Apostolus: *Humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2. 8. Nos autem qui ab ipsa perditionis fovea ad cælestia sublevamur, à minoribus incipimus, ut ad majora crescendo perveniamus.

Quomodo autem hæc septem dona super Christum descenderint, prout Dominus dederit, breviter dicamus. Spiritus sapientiæ super hominem Christum requievit, quando Filius Dei secundum divinitatem, qui sapientia Patris dicitur, in eum descendit.

Spiritus intelligentiæ in eum requievit, quando omnibus virtutibus est ditatus, sicut in Evangelio scriptum est: *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia coram Deo & hominibus.* Luc. 2. 52.

Post intellectum consilium sequitur. Consilium à consulendo dicitur: nam si aliquod periculum nobis imminet, consilium à sapiente perquirimus, qualiter periculum evadamus. Similiter & cùm ad aliquam dignitatem sæculi conscendere cupimus, consilium quærimus qualiter ad id quod desideramus, pervenire valeamus. Christus igitur est consiliator noster, qui consilium dat qualiter pericula æterna evadamus; & consilium quod dat, ipse perficit, cùm a periculis æternis nos liberat. Similiter & consilium dat qualiter ad hereditatem paradisi pervenire possimus, & ad ipsa gaudia ipse nos perducit. Spiritus itaque consilii in homine Christo descendit, dum à Spiritu sancto percepit doctrinam Evangelii, in qua consilium consistit omnium hominum salvari cupientium.

Spiritus etiam fortitudinis super Christum requievit, quando ad debellandum hostem antiquum fortis inter homines apparuit. De hac sua fortitudine ipse dixit in Evangelio: *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet: si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Luc. 11. 21.

Post fortitudinem sequitur scientia. Apud homines multæ scientiæ sunt; sunt namque diversarum artium diversæ scientiæ. Est scientia in litteris, est in mundanis legibus, est in augendis rebus temporalibus, est etiam scientia in præcavendis periculis, sunt etiam multi, qui per subtilitatem sensus quædam futura prævident. Sed has scientias aliquando boni, aliquando mali possident: scientiam vero quæ in Christum descendit, nullus nisi bonus habere potest. Quæ tanta fuit, quantam nulla mens comprehendere potuit: *In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. 3. Videtur itaque mihi per spiritum scientiæ aliquod factum ejus non debere intelligere; prævidens namque Salvator noster, si accessum hominum peccatorum devitaret, multos scelratos in desperationis foveam esse decidendos, peccatoribus per societatem corporis se conformari voluit, manducans videlicet & bibens cum eis, tactus etiam meretricum non respuens: qui etiam & latroni in initio confessionis ejus paradisum repromisit, ut omnibus peccatoribus salvari cupientibus spem veniæ tribueret. Luc 23. 43. Pharisæi vero spiritum scientiæ non habentes, reprehendebant eum; eo quod cum publicanis & peccatoribus manducaret. Sed ipse spiritum scientiæ possidens, dixit eis: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. 9. 12. & seq.

De spiritu verò pietatis non est necesse nobis quidquam dicere. Quid enim tam pium, quam ille qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; & cùm posset à morte potestate sua liberari, se pro salute generis humani & teneri, & ligari, & conspui, & alapis cædi, & flagellari, & crucifigi permisit? 1. Petr. 2. 22.

Spiritus vero timoris Domini, qui ultimus ponitur, ad passionem pertinet, non quod timore coactus sit, ut pro salute generis humani moreretur: sed timorem pro obedientia accipere debemus, de qua ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* Johan. 6. 38. Nam & filium, qui patri carnali est per omnia obediens, patrem timere dicimus, cùm illa obedientia non sit timoris, sed amoris. De quo timore Psalmista dicit: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*; Psal. 18. 10. non autem timor, sed caritas Dei in sæculum sæculi permanebit.

Nunc qualiter hæc septem dona Spiritus sancti unicuique fidelium conveniant, breviter dicendum est. Et quia nos, qui per primæ prævaricationis culpam in perditionis laqueo jacebamus, misericordiâ Dei ad superna reducimur ab inferioribus, id est, à timore Dei incipimus, ut ad superiora, id est, ad sapientiam proficiendo crescamus. Et quibus gradibus Christus humiliando se ad nos descendit, salutemque nostram moriendo perfecit, eisdem gradibus & nos ad eum conscendere debemus; faciendo videlicet præcepta ejus, quæ in donis septem Spiritus sancti continentur. Spiritus igitur timoris Domini super unumquemque peccatorem requiescit, cùm considerans peccata sua, justumque judicium Dei pertimescens, pœnasque ignis æterni, quæ impiis præparatæ sunt, ad pœnitentiam lacrymasque convertitur, & amarissime flere incipit, quod delectabiliter gessit.

Spiritus vero pietatis super quemlibet peccatorum requiescit, dum audiens Scripturam dicentem: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*; Eccli. 3. 33. & Dominum dicentem: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; Luc. 11. 41. alere egentes, vestire nudos, & cetera pietatis opera incipit exercere; ut Deum alios miserando propitium sibi faciat, quem peccando offenderat. Unde & Daniel propheta regem impiissimum, ut peccata sua eleemosynis redimeret, & misericordiis pauperum, admonere studuit. Dan. 4. 24.

A pietate ad scientiæ spiritum conscenditur; nam quamvis videatur aliquis scientiam possidere, stultus est, si male vivit. Quid enim stultius, quam timorem Dei à mente abjicere, b vitiis deservire, rapidoque cursu ad interitum properare? Si igitur stultitia est vitiis deservire, & scientia optima est vitia deserere, atque ad Deum tota mente converti; quicumque per timoris spiritum peccata sua plangere incipit, & per pietatis spiritum misericors erga indigentes esse studet, ut Deum alios miserando, misericordem sibi faciat, necesse est ut per donum sancti Spiritus scientiæ spiritum possideat. Quicumque enim converti ad Deum desiderat, necesse est c ut vitia derelinquat: & quicumque vitia deserere cupit, necesse est ut per doctrinam divinarum scripturarum, sive per prædicationem sanctorum virorum, discat quæ sint genera vitiorum, qualiter homines illaqueent, & quibus modis extingui possint, quæ sint etiam deceptiones dæmonum, & qualiter contra eos pugnandum sit: hoc est igitur scientiæ spiritum possidere.

Et quia Salomon dicit quia *qui addit scientiam, addit & laborem*; Eccle. 1. 18. à scientia ad fortitudinis spiritum conscenditur. Nam sicut quilibet præliator non contra eum, quem in vinculis tenet, pugnat, sed potius contra eum, qui resistere ei vult: ita & diabolus non contra eum, quem vinculis peccatorum constrictum tenet dimicat; sed potius contra eum, qui peccare desistit, & ad Deum tota mente revertitur. Quicumque ergo per pœnitentiam, pietatisque opera à diaboli vinculis absolvi meretur, atque contra eum per scientiæ spiritum bellum cupit instruere; necesse habet ut à Spiritu sancto fortitudinis donum accipiat: quo instructus, & interiores hostes, id est, vitia funditus possit extinguere, & exteriores, videlicet homines, per patientiam superare, omniaque jacula dæmonum scuto fidei à se repellere.

A fortitudine ad consilium conscenditur: consilium autem salutis nostræ in præceptis consistit evangelicis. Quisquis igitur vitia in se extinguere per fortitudinis spiritum potuit, necesse est d ut ad mandata

a Fragmentum col. S. Antonii: *Beatus Johannes apostolus & evangelista in Apocalypsi vidit septem lampades* &c.
b Edit. *vitiis deservire? Scientia vero maxima est* &c: mss. ut in contextu.
c *Ut vitia derelinquat .... necesse est*, ex fide mss. omnium repositimus.
d Fragmentum col. Ant. *ut ad mandata Legis vel Evangelii.*

ta evangelii perscrutanda, atque in corde suo recondenda transeat; ubi consilium reperiet, qualiter ad perfectionis culmen conscendere valeat.

Et quia mandata Evangelii sine virtutibus custodiri non possunt, à spiritu consilii ad intellectum conscenditur, in quo perfectio virtutum tota consistit. Intellectus vero donum à Spiritu sancto fideles accipiunt, cùm omnibus virtutibus ditari merentur; ille enim verum intellectum possidet, qui fide illuminatur, qui pudicitiâ mundatur, patientiâ decoratur, qui humilitate munitur, qui caritate refulget, ceterisque virtutibus consummatur.

a Et quia *a* per operationem virtutum ad culmen perfectionis conscenditur, sapientia intellectui praeponitur, in qua tota perfectio consistit.
Matth. 19. 21. De hac perfectione Dominus dicit in Evangelio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo; & veni, sequere me.* Sunt namque multi, qui ad perfectionis culmen subito conscendere conantur: sed quia per gradus virtutum non conscendunt, facile corruunt. Quid enim prodest substantiam relinquere, si iram, odium, ebrietatem, invidiam, superbiam, vanam gloriam, ceteraque vitia, quae occidunt animam, à mente sua non abjiciat? Non enim prodest arborem conscendere, ut leonem evadas; si serpentem in sinu gestes, cujus veneno pereas. Nec dicit Dominus illum perfectum esse, qui substantiam tantummodo dimiserit; sed eum qui & substantiam dimiserit, & ipsum secutus fuerit. Sequimur autem illum, quando imitamur. Ad hoc igitur perfectionis culmen ille competenti gradu conscendit, qui prius vitiis abrenuntians, per actualem vitam *b* quae virtutibus perficitur, ad contemplativam conscendit, in qua soli Christo conjungitur, qui est sapientia Patris, Filiusque Dei, & civis Hierusalem caelestis efficitur.

Nunc qualiter descensioni Christi per gradus septem donorum Spiritus sancti adscensio fidelium conveniat, breviter demonstremus. Ultimus descensionis Christi gradus est timor Dei, per quem passionem & mortem ejus diximus fuisse designatam, & primus adscensionis ad Deum convertentium. Congruit autem mors Domini iis, qui per spiritum timoris Domini peccata sua deflent; quia in morte Domini remissio consistit omnium peccatorum: nec perfecta remissio peccatorum esse posset, si ille pro nobis mortuus non fuisset.

Sextus descensionis Christi gradus est pietas, & secundus adscensionis poenitentium. Congruit autem pietas fidelium cum pietate Domini; quia ille iis qui secundum animam erant miseri, misericordiam suam impendit, ab aeterna morte sua morte eos liberans *c*. & isti iis qui secundùm corpus sunt miseri, misericordiam impendunt, largiendo eis corporum necessaria, quibus in judicio ipse dicturus est: *Quod*
Matth. 25. 40. *uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Quintus descensionis Christi gradus est scientia, & tertius adscensionis fidelium. Convenit autem spiritus scientiae qui fidelibus datur, cum spiritu scientiae, qui homini Christo oblatus est; quia ille ut peccatores salvos faceret, semet ipsum illis conformare non est dedignatus: & isti ut peccata evadant, ad eum per spiritum scientiae confugiunt, qui potestatem habet dimittendi peccata.

Quartus descensionis Christi gradus est fortitudo, & quartus similiter adscensionis fidelium. Congruit autem fortitudo fidelium fortitudini Christi; quia ea fortitudine isti vincunt diabolum, qua & Chris-
Joan. 15. 5. tus vicit, fortitudine videlicet Christi, non sua, sicut ipse dicit: *Sine me nihil potestis facere.*

Tertius descensionis Christi gradus est spiritus consilii, & quintus adscensionis fidelium. Conjungitur autem consilium fidelium consilio Christi, cùm ad praecepta Evangelii servanda se transferunt, in quibus perfectum consilium consistit omnium sanctorum.

Secundus descensionis Christi gradus est intellectus, & sextus adscensionis fidelium. Congruit autem intellectus fidelium intellectui Christi, cùm easdem virtutes quas ipse à Spiritu suo percepit, easdem & sancti ejus ab ipso percipere merentur.

Primus descensionis Christi gradus est sapientia, & septimus adscensionis fidelium: quia Christus est sapientia Patris, & ab ipso omnis sapientia oritur. Sancti igitur qui per operationem virtutum Domino
Prov. 8. 17. copulantur, ab ipso sapientiam, in qua totius bonitatis summa consistit, percipiunt. Quibus ipse per Salomonem loquitur, dicens: Si quis diligit sapientiam, ad me declinet, & eam inveniet: & eam cùm invenerit, beatus est, si tenuerit eam.

℣. vi. Sequitur: *Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum, simile*
3. Reg. 7. 23. *crystallo.* In templo Salomonis mare aeneum fuisse legimus, in quo lavabantur sacerdotes, antequam accederent ad altare, ad hostias offerendas: aeris vero splendor quadam nigredine cito obnubilatur. Per mare itaque aeneum lex Moysi designatur, quae fulgorem spiritalis intelligentiae literae nigredine obscurat. Et sicut aes si limâ teratur, splendor ejus aperitur; ita & spiritalis intelligentia, quae literae superficie obscuratur in Lege, si à fidelibus viris diligenter discutiatur, per gratiam Dei manifestatur. In hoc igitur mari sacerdotes lavabantur; quia per sacrificia & per quasdam observationes legales, quaedam peccata veteris populi delebantur. Per mare ergo vitreum, atque crystallum non inconvenienter novum Testamentum intelligitur. In hoc autem mari tria invenimus, mare, vitrum, atque crystallum: per mare igitur historia, per vitrum moralis intelligentia, per crystallum autem spiritalis intelligentia designatur. Per vitrum ergo, ex quo specula fiunt, non incongrue moralis intelligentia accipitur; quia sicut homo quidquid turpe in facie gerit, in speculo deprehendere potest: ita & quidquid vitiosum in animabus hominum esse potest, moralis intelligentia patefacit. Per crystallum autem, quae clarior est omnibus gemmis, & quae flammas splendoris, saepe etiam & ignem de se emittere solet, spiritalis intelligentia exprimitur, quae obscura quaeque in divinis scripturis elucidat, mentes spiritalium sensuum flammis illuminat, quosdam etiam in amorem Dei, amoremque caelestis patriae accendit.

Et in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Hoc secundum historiam stare non potest; neque enim tam parvus numerus & ambitum sedis, & medietatem obtinere poterat: sed spiritaliter intelligendum est. Quatuor igitur animalia non solum quatuor evangelistas, sed & omnes doctores Ecclesiae, qui eorum doctrinam sequuntur, designant. In circuitu vero sedis quatuor animalia stant; quia doctores ecclesiae populum sibi commissum & à visibilibus & ab invisibilibus hostibus quanta virtute possunt, defendunt. In medio sedis consistunt, quia unumquemque eorum ut in virtutibus omnibusque bonis operibus proficiant, admonere non desinunt. Quatuor ergo haec animalia ante & retro oculos habuisse visa sunt, quia praedicatores sancti & futura & praeterita inspiciunt. Ante oculos habent, quia diem judicii, damnationemque impiorum, gloriamque justorum dum inspiciunt, auditoribus suis quid cavere, & quid appetere debeant, ostendunt. Retro oculos habent, quia vitam praecedentium patrum digne intuentur, & ipsi in eorum imitatione proficiunt, eorumque vitam atque doctrinam auditoribus suis anteponunt; ut & ipsi in eorum *d* imitatione proficiant.

℣. vii. *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilae volanti.* Figuras quatuor animalium non omnes auctores uno modo exposuerunt: sed ab antiquioribus nobis traditum est, ut per leonem Marcum intelligeremus, per vitulum Lucam, per hominem Matthaeum, per aquilam volantem Johannem: eo quod Marcus à deserto incipiat, Lucas à sacerdotio Judaeorum, Matthaeus ab homine, id est, à Christi generatione, Johannes vero à divinitate Christi. Quidam vero alium ordinem sequentes, per leonem Matthaeum, per vitulum Marcum, per hominem Lucam, per aquilam vero Johannem designatum fuisse putant. Nam per leonem, qui rex est bestiarum, ideo Matthaeum designatum fuisse dicunt, eo quod ipse Christum secundùm humanam naturam ex regia stirpe descendisse narraverit: ipse etiam tempore nativitatis ejus stellam apparuisse dicit, Matth. 2.
quae eum Regem caeli & terrae, Angelorum, hominumque fuisse demonstravit: Magos etiam veluti Regem mundi ad adorandum eum ab oriente perduxit: sed & regem terrae, id est, Herodem, tempore nativitatis ejus cum omnibus ministris suis turbatum fuisse dicit; quia sicut quilibet rex qui parvae potentiae est, si alterum regem qui magnae potentiae est, contra se, ut regnum ejus invadat, venire cognoverit, contremiscit & conturbatur: ita & Christo in carne veniente, qui Ibid. 3.
Rex futurus erat mundi, Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo; nam & munera quae Magos Christo obtulisse narrat, eum Regem, Deum, & dominum esse omnium creaturarum demonstrant. Marcum vero propter simplicitatem eloquii per vitulum signatum fuisse dicunt: Lucam per hominem, eo quod ipse generationem Christi secundùm humanitatem plenius quam ceteri prosecutus est; namque ab ipso *e* qualiter ab Angelo annuntiatus sit, didicimus, qualiter natus, qualiter sit in praesepio positus, qualiter circumcisus, qualiter in templo praesentatus, qualiter usque ad maturam aetatem crescendo pervenerit. Johannem per aquilam designatum fuisse nullus est, qui negat.

℣. viii. *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, & in circuitu & intus plena sunt oculis.* Per senarium numerum qui perfectus est, perfectio sanctorum designatur, ad quam nullus nisi per doctrinam
Hebr. 7. 19. Evangelii valet adsurgere: *Lex enim nullum ad perfectum adduxit.* Senas vero alas quatuor animalium si simul junxeris, viginti quatuor invenies. Videntur ergo mihi eamdem significationem habere, quam & viginti quatuor sedilia, quae viginti quatuor libros veteris Testamenti significasse diximus. Sedilia autem cùm semper terrae haereant, eos qui in eis requiescunt, ad terram aliquantulum incurvant: alae vero eos quibus innexae sunt, ad excelsa sublevant. Libri igitur veteris Testamenti antiquis patribus sedilia fuerunt; quia eos secundùm litteram intelligentes, nequaquam ad eorum intelligentiam spiritalem se erigere perfecte potuerunt: sed haec sedilia patribus novi Testamenti in alas conversa sunt; quia libros veteris Testamenti spiritaliter intelligentes, per eorum doctrinam ad caelestia quotidie sublevantur.

Verum quia hic numerus, id est, viginti quatuor, in hoc libro saepe invenitur: placuit ut de sacramento hujus numeri pauca dicamus. Partes namque hujus numeri sunt, unus, duo, tres, quatuor, sex, octo, duodecim. Unus qui in capite ponitur, unum Deum significat: duo vero qui sequuntur, duo testamenta indicant: tres ad Trinitatem pertinent: post tres non inconvenienter quatuor sequuntur, quia per doctrinam quatuor Evangeliorum fides nobis sanctae Trinitatis manifestata est: post quatuor vero sex, qui perfectus est numerus, sequuntur; quia sine doctrina Evangelii nullus ad perfectionis cul-
Ibidem. men conscendere potuit; quia *Lex*, sicut dicit Apostolus, *nullum ad perfectum adduxit*: post sex octo sequuntur, quia octo sunt virtutes, quae dimicant contra vitia, sine quarum operatione nullus ad fastigium perfectionis valet conscendere: post octo sequuntur duodecim, quia per doctrinam apostolorum ad fidem pervenimus, quae mater est omnium virtutum.

Quatuor ergo animalia in circuitu & intus plena esse oculis dicuntur. Per circuitum totum corpus intelligere debemus; nam Eze- Ezech. 1.
chiel cùm de iis animalibus loqueretur, dicit totum corpus eorum plenum fuisse oculis. Sancti igitur retro oculos habent, quando audientes comminationem Domini dicentis: *Nemo mittens manum suam* Luc. 9. 62.
in aratrum, & adspiciens retro, aptus est regno Dei; tota virtute laborant, ne in mala quae se aliquando egisse meminerunt, relabantur: quamvis ea ante mentis oculos ad humilitatis suae custodiam ponere non desistunt. Ante se oculos habent, quando audientes vocem Domi-
Matth. 24. 46. ni dicentis: *Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem;* bona quaecumque possunt, operari non desinunt, ut tempore mortis suae, Domino veniente, parati inveniantur. A sinistris oculos habent, cùm omnia tentamenta daemonum scuto fidei à mentibus suis repellunt: à dextris oculos habent, cùm sollicite cavent, ne pro bonis operibus extollantur. Sive à dextris & à sinistris oculos habent, cùm eos nec prospera erigere, nec adversa possunt inclinare. Infernus

a. Gill. per orationem virtutum: Rom. per orationem virtutem: mss. vero nobis congruunt.
b. Fragmentum Aud. *quae virtutibus proficit .... Hierusalem caelestis perficitur.*

c. Edit. *& isti qui secundùm corpus sunt, misericordiam.* mss. ut iis in corpore.
d. Codex Germ. *imitatione atque doctrina proficiunt.*
e. Desunt edit. *qualiter ab Angelo .... qualiter natus*: quae in mss. non omittuntur.

oculos habent, cùm desideria carnalia extinguendo calcant: interius oculos habent, cùm ad cælestem patriam toto mentis desiderio anhelant: intus oculos habent, dum corda sua à sordidis cogitationibus custodiunt.

Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Quia requies reproborum, vita præsens est, sequitur eos tribulatio, quæ finem non habet: justi autem in hoc sæculo tribulantur, ut requiem æternam possideant, dicente Paulo apostolo:
Act. 14. 21. *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Aliter: sancti requiem non habent, quia à laudibus Dei & orationibus non cessant, dicente
Luc. 18. 1. Domino: *Oportet semper orare, & non deficere;* & Paulus apostolus lo-
1. Thess. 5. 17. quitur dicens: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Sed quærendum nobis est, quomodo sine intermissione orare possimus. Multi enim sunt, qui cùm sint assidui in orationibus, in psalmodiis, B in missarum celebrationibus, & eleemosynas multas largiantur; tamen superbia inflantur, avaritiæ æstibus ardent, pecunias quacumque arte possunt, congregant; in tantum ut etiam ipsos pauperes, quorum misereri debuerant, quibusdam argumentis infestentur, ut ex eorum parva substantia opes suas augeant, dicentes hoc se legaliter facere, cùm ista lex non sit Dei, sed strophа diaboli. Sed & in monasteriis multi inveniuntur, qui in vigiliis, in psalmis, in orationibus, & missarum celebrationibus sunt dediti, & tamen ira sæpissime & facile inflammantur: quidam vero ebrietati & gulæ deserviunt: quidam etiam odium in corde longo tempore portant: quidam in bonis, quæ agere videntur, favores & laudes hominum quærunt: quidam invidia, quidam detractionibus, aut cæteris vitiis deprimuntur. Et quid plura? Omnem sanctitatem quam sermonibus usurpant, indignis moribus deturpant, atque devenustant.

Ad illorum ergo cæcitatem demonstrandam, quamdam similitu- C dinem proponam. Homo quidam usque ad collum demersus in limo tenebatur, cùmque vidisset quemdam prætereuntem, extendens manum, clamabat dicens: Miserere mei, & extrahe me ab hoc luto. Cúmque manum extendisset, ut eum extraheret, ille manum quam extenderat, sub luto demersit. Cúmque ille qui ad extrahendum venerat, recedere vellet, iste iterum ut erueretur, postulabat. Cúmque ille secundo ad eruendum manum extenderet, iste sicut prius manum sub luto demersit. Cúmque crebrius hoc faceret, ille iratus dixit: Cur petis ut eruaris, cùm in tuo periculo persistere velis? Et quia interitum tuum diligis, posside quod elegisti. Similiter & isti Deum deprecantur assidue, ut à vitiis eruantur: & tamen ipsa vitia ita amplectuntur, ut ab eis nullo modo divelli possint. Ponamus ergo ante oculos, duos: unum doctum assidue orantem, psallentem, missas celebrantem: & tamen quibusdam vitiis subditum: alterum vero indoctum, idiotam, attamen fidelem, Deum timentem atque amantem, proximum diligentem, patientem, humilem. Quis horum tibi videtur
Ibidem. Apostoli sententiam servasse, qua dicit: *Sine intermissione orate;* ille qui assidue orat, & quibusdam vitiis subjacet: an iste qui nescit orare, & tamen mundus est à vitiis, & operibus bonis deditus? Omnibus claret istius innocentiam atque bona opera magis exaudire Deum, quàm illius voces, cujus vita quibusdam vitiis fœdescit. Ille igitur sine intermissione orat, qui congruis temporibus mente & lingua Deum deprecatur, & in bonis operibus assiduus est. Qui quando dormit, aut aliquibus operibus humanæ vitæ necessariis est occupatus, opera ejus refulgent in conspectu Dei, & ipsa sunt intercessores ejus
Act. 10. 4. apud Deum, sicut ad Cornelium loquitur Angelus, dicens: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.*

Quid autem quatuor animalia indesinenter dicant, audiamus: *Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui* E
a *est, & qui venturus est.* a Ter sanctum Deum vocantes, demonstrant Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Quod autem dicunt: *Dominus Deus omnipotens,* à pluralitate transeuntes ad singularitatem, ostendunt Patrem & Filium & Spiritum sanctum unius esse dominationis, unius deitatis, unius omnipotentiæ. Sed quærendum nobis est, si quatuor animalia non solum quatuor evangelistas, sed & omnes doctores Ecclesiæ designant; cur sanctam Trinitatem indesinenter invocare dicantur, cùm sancti Dei aliquando in orationibus, aliquando in lectione, aliquando in prædicatione, aut diversis necessitatibus occupentur. Prædicatores ergo sancti dum fidem sanctæ Trinitatis & mente retinent, & ore profitentur, dum opera fidei adimplent, dum eamdem fidem & opera fidei quibuscumque possunt, prædicant, dum etiam in orationibus & in gratiarum actionibus ipsum qui est trinus &
1. Cor. 10. 31. unus Deus, exorant & laudant, dum secundùm Apostolum, sive manducant, sive bibunt, omnia in nomine domini Jesu Christi faciunt, F Trinitatem sanctam indesinenter invocant. Quod autem sequitur: *Qui erat, & qui est, & qui venturus est:* jam superius dictum est.

℣. 12. *Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum; procedebant viginti*
℣. 10. *quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.* In hoc loco per quatuor animalia, quatuor libri Evangeliorum designantur: per viginti quatuor seniores, Patres novi Testamenti accipi possunt. Quatuor ergo animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum dant; quia doctrina Evangelii in universo orbe legitur & prædicatur, per quam gloria & honor & benedictio Patri & Filio & Spiritui sancto datur. Ad vocem igitur quatuor animalium, viginti quatuor seniores ceciderunt ante sedentem in throno, & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, quia sancti Dei per universum orbem constituti, audientes doctrinam Evangelii, humiliant se in conspectu Dei, ut cum ipso vivant in sæcula sæculorum. *Et mittebant coronas* A *suas ante thronum, dicentes.* Per coronas opera bona fuisse designata superiùs diximus: sancti ergo coronas suas ante thronum mittunt, dum quidquid boni agunt, Deo tribuunt, non sibi, secundùm Apostoli præceptum: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 2. Cor. 10. 17.

Quid autem dicant, audiamus: *Dignus es, domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem.* Superiùs dixit quatuor animalia ℣. 11.
lia gloriam & honorem b & benedictionem Deo dedisse: hic autem viginti quatuor seniores dicunt gloriam & honorem & virtutem b
Deo accepisse, virtutem pro benedictione commutantes. Quid vero aliquis Deo dare potest, aut quid Deus ab aliquo accipere potest; cùm ipse creaverit omnia; & sine quo nihil esse potest, & qui dicit in Evangelio: *Sine me nihil potestis facere?* Si enim sancti sine Deo Johan. 15. 5.
nihil possunt facere, quid possunt dare illi? Igitur quia hominum talis est natura, ut nihil boni à se habere possint, nisi ab ipso accipiant, B qui est summe bonus; dat Deus sanctis suis, c unde ipsi eum remunerent. c
Regnum namque cælorum Deus promisit sanctis suis, attamen si pretium bonorum operum pro eo dederint: & quia electi hoc pretium non habent, nisi ab ipso accipiant, ipse dat pretium, unde ab ipso emant vitam æternam. Dant itaque sancti gloriam Deo, quando quidquid boni faciunt, eo studio faciunt, d ut glorificetur Deus d
per ipsos, sicut ipse dicit in Evangelio: *Videant vestra bona opera, &* Matth. 5. 16.
glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nam & Johannes Petrum Johan. 21. 19.
dicit morte sua Deum clarificasse. Dant honorem, quando in omnibus quæ agunt, honorem Dei quærunt, non suum. Superius benedictio tertio loco ponitur, hic autem virtus: & quia sancti, dum magna faciunt, benedicuntur ab hominibus, convenit virtus cum benedictione. Sed quantùm sancti pro magnis operibus quæ faciunt, laudes hominum detestantur, liber Actuum apostolorum nobis indicat. Nam Petrus & Johannes cùm claudum sanassent, & omnium C oculi essent intendentes in eos, quasi sua virtute hoc fecerint, Petrus oculorum benedictiones devitans, dixit ad eos: *Viri fratres, quid nos in-* Act. 3. 12.
tuemini, quasi in nostra e virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? e
Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob suscitavit Filium suum Jesum. Et in sequentibus: *In cujus nomine adstat hic coram vobis sanus.* Similiter Paulus & Barnabas cùm ægrotum in Lystris sanassent, & populi vellent eis sacrificare, sciderunt vestimenta sua, dicentes:
Viri, quid hæc facitis? & nos homines sumus, similes vobis. Possumus Act. 14. 14.
& hoc de Christo intelligere, quem secundum humanitatem & gloriam, & honorem, & virtutem accepisse manifestum est.

Sequitur: *Quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant,*
f & creata sunt. Si hoc eo sensu intelligendum est, quo & illud: *Qui* f
fecit, quæ futura sunt: omnes ergo creaturæ erant in potestate & voluntate Dei, antequam crearentur: creata vero sunt eo tempore, quo disposuit Deus. Ipse igitur qui cuncta creavit ex nihilo, creare dig- D netur in nobis cor mundum, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE TERTIA.

g NOn inconvenienter post descriptam Ecclesiæ formam apertio libri ponitur, per quam apertio divinarum scripturarum designatur; quia postquam à sanctis apostolis, cæterisque prædicatoribus Ecclesia in gentibus fundata est, libri veteris ac novi Testamenti secundum apostolicam fidem à sanctis doctoribus reserati sunt. g

ET vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & Cap. V.
foris, signatum sigillis septem. De dextera & sigillis quod Dominus ℣. 1.
dederit, in sequentibus dicemus: liber vero scriptus intus & foris non solùm vetus Testamentum, sed & novum significat, qui intus scriptus est secundum allegoriam, foris secundum historiam. Hic igitur E liber vetus & novum Testamentum in se continet; quia spiritalis intelligentia in veteri Testamento nihil est aliud, quam novum Testamentum.

Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna. Angelus fortis ℣. 2.
Patres veteris Testamenti significat, qui voce magna prædicaverunt; quia Christum ad redemtionem generis humani venturum esse prædixerunt. *Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus?* Interrogatio Angeli desiderium sanctorum significat: desiderabant enim sancti videre Christum in carne, & audire sermones ejus; eo quod sciebant omnia mysteria veteris Testamenti ab eo esse revelanda, sicut ipse dixit discipulis suis: *Amen dico vobis, quia multi prophetæ & re-* Luc. 10. 24.
ges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

Et nemo dignus inventus est neque in cælo, neque in terra, neque ℣. 3.
subtus terram aperire librum, & solvere signacula ejus. Nullus nam- F que Angelus cælum inhabitans, nullus justus in terra consistens, nullus etiam ex iis qui mortis debitum solverant, in mundo umquam apparuit, qui genus humanum de potestate diaboli redimeret, quæ redemtio apertio est veteris Testamenti.

Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire ℣. 4.
librum, nec videre eum. Johannes in hoc loco personam gerit eorum, de quibus modo diximus, id est, Patrum veteris Testamenti; flebant enim sancti multum, eo quod mysteria Scripturarum sibi abscondita nullus esset qui eis manifestaret, nullusque esset qui genus humanum perditum de potestate diaboli erueret. Sed quærendum nobis est, cur dicat hunc librum à nullo posse videri, cùm superiùs dicat, quod eum in dextera sedentis super thronum viderit. Videbant namque antiqui Patres, quorum typum Johannes in hoc loco tenet, h veteris Testamenti librum, & non videbant: videbant secundum litteram, & non videbant secundum spiritalem intelligentiam. h

Et unus de senioribus dixit mihi. Ne fleveris. Vicit leo de tribu Juda,

a. Edit. *Ter spiritum Domini vocantes:* mss. *Ter sanctum Deum vocantes.*
b. Ita mss. edit. vero, *& benedictionem à Deo accepisse, hic virtutem pro benedictione commutavit.*
c. Edit. *unde ipso eos remuneret:* mss. *unde ipsi eum remunerent.*
d. Sic om. os mss. edit. vero, *ut glorificent Deum Patrem, sicut Filius Deo dicit . . . & videant* &c.
e. Edit. *virtute aut potestate fecerimus.* Et infra. *Jesum, in cujus nomine hic stat, coram vobis:* mss. *autem, ut in contextu.*
f. Eadem edit. *& creata sunt: Omnes ergo* &c. lacunam vero reparant omnes mss. excepto ubi legitur. *Si erant, quomodo creata sunt. Omnes ergo* &c.
g. Norm. edit. propter mutæ jugulaverat totum hunc prologum, usque ad *Et vidi* &c.
h. Ita mss. edit. vero, *veteris Testamenti librum, & non videbant secundum spiritualem intelligentiam.*

radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus. Videtur mihi eamdem significationem habere seniorem, quam & Johannem, quem etiam Angelum fortem; significat enim Patres veteris Testamenti. Angelus namque fortis interrogat quis esset dignus aperire librum: Johannes flet, eo quod nullus dignus esset aperire librum: senior verò dicit, quod per Leonem, id est, per Christum, aperiendus esset liber. Per Angelum igitur fortem hi designantur, qui desiderantes adventum Christi, interrogabant quo tempore venturus esset: Johannes vero eos significat qui flebant, eo quod tanto tempore tardaret: senior autem prophetas designat, qui dixerunt quo modo & quo tempore venturus esset. Per Leonem igitur de tribu Juda Christus intelligitur, qui ex tribu Juda, & progenie David ortus est: Leo autem propter fortitudinem vocatur; quia diabolum vicit, & electos suos ab ejus potestate eripuit. Vicit ergo Leo de tribu Juda, radix David, diabolum, ut aperiret librum & septem signacula ejus; quia liber non posset aperiri, nisi prius vinceretur diabolus, quæ victoria apertio fuit veteris Testamenti. Quomodo septem signacula aperuerit, in sequentibus dicemus.

ỳ. vi. *Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & seniorum, agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Per thronum & quatuor animalia & seniores una Ecclesia cum cunctis suis ordinibus designatur: Agnus vero non occisus, sed tamquam occisus visus est; quia mortem in transitu gustavit, & paulo post resurgens, *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* qui cornua septem & oculos septem habuisse visus est. Quid sint autem septem oculi, ipse exponit cum subjungit: *Qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Per cornua vero sæpe regna designantur. Videntur ergo mihi aliam significationem habere cornua, aliam oculi; per septem namque cornua omnes electi designantur, qui regnum Dei vocantur, quorum omnem multitudinem superius in septem partes divisimus. Ad primum igitur cornu electi qui ante diluvium fuerunt, pertinent: ad secundum vero ii qui post diluvium usque ad Legem fuerunt: ad tertium autem ii qui sub Lege fuerunt: ad quartum prophetæ: ad quintum ii qui ex Judæis crediderunt in Christum: ad sextum populus gentilis: ad septimum vero ii qui in fine mundi nascituri sunt, & cum Antichristo pugnaturi.

Rom. 6. 9.

ỳ. vii. *Et venit, & accepit librum de dextera sedentis super thronum.* Superiùs diximus per sedentem in throno Christum designatum fuisse: sed quia ipse dixit: *Ego in Patre, & Pater in me est* & *qui videt me, videt & Patrem*: in hoc loco sedens in throno Patrem designat: dextera vero Patris Filius est: Agnus autem hominem, quem Christus assumsit, designat. Agnus ergo librum de dextera sedentis super thronum accepit; quia homo Christus à sua divinitate accepit, ut sacramenta divinarum scripturarum reseraret.

Johan. 14. 9. & seq.

ỳ. viii. *Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Quæ- rendum nobis est, quomodo ante reserationem sigillorum liber aperiri potuerit. Sed spiritualiter intelligendum est. Prophetæ namque adventum Christi, passionem, & resurrectionem ejus aliquando per quasdam figuras, aliquando apertis vocibus prædixerunt: sed & patriarchæ in suis actibus hæc omnia præfiguraverunt. Christus vero quando ex Virgine natus est, quando passus est, & resurrexit, & in cælum adscendit, librum veteris Testamenti aperuit; quia quæ ibi significabantur, opere implevit: postea vero ea quæ in veteri Testamento obscura erant & in novo, doctoribus Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti aperuit. Quæ apertio reseratio est sigillorum. Quod autem sequitur, quod quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, ad eosdem doctores Ecclesiæ pertinet; quoties enim nativitatem, passionem, & resurrectionem Domini ad memoriam reducunt, & quibuscumque modis hæc à sanctis patribus præfigurata, & à prophetis prædicta sunt, recolunt: quotiescumque hæc quæ in Evangelio obscure posita sunt, investigare non desinunt, toties eis liber signatus aperitur. Cadunt verò coram Agno, cùm per meditationem divinarum scripturarum considerantes immensam clementiam Dei, humiliant se in conspectu creatoris sui: & quanto se per humilitatem dejiciunt, tanto amplius in amorem ejus exardescunt; quia humilitas quæ fit in conspectu Dei, nutrit amorem Dei. Per citharas autem quæ animalia & seniores habuisse dicuntur, mortificatio carnis designatur, sicut dicit Apostolus: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam*, & cetera. Phialæ vero aureæ corda sunt sanctorum, spirituali sapientiâ repleta, quæ odoramentis plena fuisse dicuntur. Quid sint autem odoramenta, ipse exponit, cùm subjungit: *Quæ sunt orationes sanctorum.* Et ut hæc odoramenta ad Deum adscendant, Psalmista precatur, cùm dicit: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.*

Coloss. 3. 5.

ỳ. ix. *Et cantabant canticum novum dicentes.* Populus novus canticum novum cantat: canticum novum canticum est Evangelii. *Dignus es, domine Deus, accipere librum, & aperire signacula ejus.* Hoc quod dicit, ad humanitatem ejus pertinet: nam secundum divinitatem nihil accipere potuit, quia omnia semper habuit. Cur autem dignus fuerit accipere librum, & solvere signacula ejus, subdendo manifestat: *Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & populo, & natione.* Hic demonstrat ex omnibus gentibus Ecclesiam fuisse collectam; nam fuerunt quidam hæretici, qui hoc negaverunt.

Psal. 140. 2.

ỳ. x. *Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabunt*[a] *super terram.* Si sancti Dei regnum Dei sunt, quomodo super terram, id est, sanctam Ecclesiam regnare dicuntur? Sancti ergo Dei regnum Dei sunt; quia in ipsis regnat Deus: & reges sunt; quia se & alios optime regere noverunt: qui etiam & sacerdotes dicuntur; quia semet ipsos quotidie igne caritatis succensi, per compunctionem cordis & lacrymas Deo offerre consueverunt, sicut dicit Psalmista: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Sive sacerdotes Dei dicuntur, eo

Psal. 50. 19.

A quod membra sint summi Sacerdotis, de quo dicit Psalmista: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Psal. 109. 4.

Et vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Per thronum, & quatuor animalia, & seniores universa Ecclesia cum suis doctoribus designatur: Angeli vero, qui thronum, id est, Ecclesiam cinxisse visi sunt, Angeli sunt qui ad custodiam Ecclesiæ à Deo destinati sunt, sicut Paulus apostolus loquitur, dicens: *Nonne omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* Per maximum autem numerum eorum multitudo innumerabilis designatur, qui Agnum magna voce benedicere dicuntur; quia ad quæcumque officia Angeli explenda destinantur, à laudibus Dei numquam cessant: B & sicut hic liber in septenario numero totus consistit, utque septem dona Spiritus sancti propheta in Christum requievisse dicit; ita & septem benedictiones in hoc loco ponuntur, quibus assidue Angeli Deum laudare dicuntur.

ỳ. xi. ỳ. xii.

Hebr. 1. 14.

Et omnem creaturam quæ in cælo est, & quæ in terra, & quæ subtus terram, & quæ sunt in mari, & quæ in eo sunt, omnes audivi dicentes sedenti in throno & agno. Per creaturam quæ in cælo erat, Angeli: per eam vero quæ erat in terra, homines: per eam autem quæ erat subtus terram, ii qui jam debitum mortis solverant, designantur. Quod vero dicit: *et quæ sunt in mari*, aquas maris intelligere debemus: per mare autem locum in quo aquæ continentur. Quod vero subjungit: *Et quæ in eo sunt*; pisces qui in aquis morantur, intelligere possumus. Sed si per omnem creaturam, quæ in terra est, C omnes homines intelligere possumus: quomodo omnes homines Deum laudant, cùm pagani & Judæi blasphematores Dei potius dicendi sint, quam laudatores? Invenimus etiam & quosdam flagitiosos, qui christiani vocantur, qui quamvis Deum laudare videantur, Deum non laudant; quia sicut dicit Scriptura: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et si per omnem creaturam, quæ in terra est, omnes animas debemus intelligere, quorum corpora in terra requiescunt; quomodo ii qui apud inferos cruciantur, Deum laudare credendi sunt? Sed per omnem creaturam, quæ in terra, & quæ subtus terram est, solos electos debemus intelligere: qui & in terra operibus & verbis Deum laudare non desistunt, & in cælis cum Domino positi, à laudibus ejus numquam cessant. Per mare vero Ecclesiam, per aquas maris multitudinem fidelium, per pisces qui in aquis commorantur, doctores Ecclesiæ possumus intelligere. Sequitur benedictio, qua fideles Deum assidue benedicere dicuntur: *Benedictio, honor, gloria, & potestas Deo nostro in secula seculorum*; benedicunt namque electi assidue Deum, cùm verbis opera conjungunt. D

ỳ. xiii.

Eccli. 15. 9.

Et quatuor animalia dicebant, amen. Amen confirmatio sermonis est: quatuor igitur animalia dicunt, amen, cùm sancti prædicatores operant assidue, ut audientes eorum in bonis operibus magis ac magis proficiant. *Et viginti quatuor seniores ceciderunt, & adoraverunt.* Viginti quatuor seniores in hoc loco eamdem habent significationem, quam & quatuor animalia: seniores ergo cadunt & adorant, cùm prædicatores sancti, quanto amplius auditores suos viderint in bonis operibus profecisse, tanto magis se humiliant in conspectu Dei, sicut dicit Scriptura: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Sequitur sigillorum apertio, quæ nonnisi[b] ad apertionem divinarum scripturarum pertinere credenda est. Nam & ea quæ sub sigillorum apertionibus facta esse dicuntur, ad apertionem veteris ac novi Testamenti pertinent: & sicut omne corpus electorum ex E septem partibus consistit, ita sunt & septem sigilla, quæ unicuique parti conveniunt, ad demonstranda ea quæ in divinis scripturis obscure posita sunt, vel quid sanctorum patrum facta significent. Apertio igitur primi sigilli ad ea quæ ante diluvium facta sunt, pertinet: secundum vero sigillum ad patriarchas: tertium ad eos qui sub Lege fuerunt: quartum autem ad prophetas: tres vero apertiones, quæ residuæ sunt, ad novum Testamentum pertinent. Quinta apertio pertinet ad martyres: sexta, ad Judæorum dejectionem, & gentium vocationem: septima ad adventum Christi pertinet: & cur in septimo loco adventus Domini ponatur, in sequentibus dicemus. Sed quærendum nobis est, cur per visionem quatuor equitum, apertio veteris Testamenti figuretur; eques namque ex parte equi, irrationabilis: ex parte vero præsidentis, rationabilis esse dignoscitur. Similiter & quædam præcepta legalia ex parte litteræ, irrationabilia: ex parte autem F allegoriæ, valde rationabilia esse comprobantur.

Eccli. 3. 20.

Cap. VI.

ỳ. 1.

ET *vidi cùm aperuisset Agnus unum de septem signaculis.* Apertio primi signaculi, ut supra dictum est, ad ea quæ ante diluvium facta sunt, pertinet. Agnus igitur primum sigillum aperuit, quando ea quæ ante diluvium gesta sunt, doctoribus Ecclesiæ qualiter spiritualiter intelligerentur, Spiritus sancti gratia patefecit. Et ut quid sit apertio sigillorum plenius manifestemus, de apertione singulorum sigillorum pauca dicamus. In Genesi scriptum est quod plantaverat Deus paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formaverat: qui diversis arboribus consitus esse describitur. Per paradisum igitur Ecclesia: per arbores vero paradisi doctores Ecclesiæ designantur. Et sicut arbores paradisi victum pomorum præbebant primis hominibus, ita & doctores Ecclesiæ victum verborum divinorum animabus fidelium in Ecclesia constitutorum præbere non desistunt. De ligno autem vitæ, & de ligno scientiæ boni & mali superius diximus. Fons vero qui egrediebatur de medio paradisi, Evangelium significabat, qui in medio sanctæ Ecclesiæ exoritur. Qui inde in quatuor capita dividebatur: quia doctrina Evangelii in quatuor libros dividitur, & circuit omnes terminos terræ.

Gen. 2. 8.

Nam & Adam Christum figuravit, Eva vero Ecclesiam: & sicut Eva ex latere viri dormientis facta est, ita & Ecclesia ex latere Christi in cruce pendentis fabricata est; quia ejus sanguine redemta & mundata

a. Edit. *& regnabimus super terram.* Sunt quidam qui se & alios &c. usq. vero ad supplendum totum hiatum simul conspirare.

b. Eadem edit. *ad perfectionem divinarum scripturarum.* Et infra, *ad perfectionem veteris ac novi Testamenti*: usq. utrobique *ad apertionem.*

est

(Gen. 4. 3.) est à sordibus. Duo filii nati sunt Adæ, Cain & Abel: Cain populum Judæorum: Abel vero Christum significavit. Obtulit Cain de fructibus [a] terræ munera Domino, quia populus Judæorum qui terrenus erat, terrena munera offerebat, id est, primitias, decimas, sacrificia, & cetera quæ in Lege jubebantur: Abel vero obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Primogeniti gregis sunt apostoli, quos primos genuit Ecclesia, & ex quibus Ecclesia nata est: adeps vero fides est apostolorum. Obtulit igitur Abel de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum; quia Christus apostolos, quos de mundo elegerat, fidemque illorum Deo Patri obtulit. Cain invidia ductus, eo quod respexisset Dominus ad Abel, & ad munera ejus, interfecit eum: similiter & Judæi videntes signa, quæ sua & Patris virtute Christus operabatur, interfecerunt eum, qui frater illorum erat secundum carnem. Maledixit Deus Cain, eo quod interfecisset Abel fratrem suum: dixitque ei quod vagus & profugus esset super terram. Similiter & Judæi non solum à Deo, sed à semet ipsis maledicti sunt, quando dixerunt de Christo: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* (Matth. 27. 25.) Suntque vagi & profugi super terram; quia propriam sedem nullam habentes, per universas gentes vagantur. De apertione igitur primi sigilli tantum dixisse sufficiat.

Audivi unum ex quatuor animalibus, dicens: Veni, & vide. Eamdem significationem habet primum animal, quam & secundum, & tertium, & quartum; significant enim doctores Ecclesiæ. Quod autem dicit: *Veni & vide*, ad intelligentiam spiritualem nos provocat, ac si diceret: Veni non passibus corporis, sed passibus mentis; & intellige spiritualiter ea, quæ primo tempore historialiter facta legisti.

(V. 2.) *Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.* Equus albus justos qui ante diluvium fuerunt, designat, qui propter innocentiam albi dicuntur. Sessor vero equi Dominus est, qui sanctis suis æternaliter præsidet. Per arcum autem, qui procul sagittas à se mittit & vulnerat, vindicta Domini potest designari; qua & primos homines propter inobedientiæ culpam damnavit, & Cain propter fratricidii reatum septuplum punivit. Per coronam nihilominus, sicut & per equum album justi qui ante diluvium fuerunt, designantur. *Exivit* vero *vincens, ut vinceret*, quando statuit ut per aquas diluvii omnis multitudo reproborum deleretur.

(V. 3.) *Et cum aperuisset sigillum secundum.* Secundi sigilli apertio ad arcæ fabricam, & ad justos qui ante Legem fuerunt, pertinet. Ad demonstrandam ergo secundi sigilli apertionem pauca de his loquamur. In Genesi scriptum est quia dixit Deus ad Noe: *Fac tibi arcam de lignis* (Gen. 6. 14. & 15.) *lævigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus, & sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.* Arca Ecclesiam: Noe vero fabricator arcæ Christum fabricatorem Ecclesiæ figurabat. Quæ arca ex lignis lævigatis facta fuisse describitur: per ligna lævigata, quæ & aquas prohibuerunt, & vitam omnibus animalibus intra se consistentis servaverunt, doctores Ecclesiæ designantur, qui & doctrina & scriptis suis aquas diversorum errorum ab ingressu Ecclesiæ prohibent, & vitam iis qui intra Ecclesiam sunt, sua doctrinâ & exemplis servant: quæ lævigata esse dicuntur, id est, ab omni asperitate vitiorum emundata. Per mansiunculas vero, quæ in arca fieri jussæ sunt, diversi ordines in Ecclesia designantur; alius enim in conjugali ordine, alius in continentali, alius in monachico, alius in sacerdotali, dum Deo servire student, quasi in diversis mansionibus habitant. Per bitumen autem, quo lita fuisse dicitur, divina scriptura designatur. Tabulæ ergo ex quibus arca facta est, quas doctores Ecclesiæ significasse diximus, bitumine intrinsecus & extrinsecus linitæ sunt; quia doctores Ecclesiæ intrinsecus liniti sunt per sapientiam, doctrinamque divinarum scripturarum, & extrinsecus per opera virtutum.

Trecentorum autem cubitorum longitudo arcæ fuisse describitur, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Per longitudinem igitur arcæ fides, per latitudinem caritas, per altitudinem spes figuratur. Longitudo ergo arcæ in trecentos cubitos extenditur: quia fides nostra in confessione sanctæ Trinitatis consistit: centenarius vero perfectus est numerus. In trecentos ergo cubitos fides nostra præsignata est; quia æquam perfectionem habet Pater & Filius & Spiritus sanctus, sicut scriptum est: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.* (Athan. Symbol.)

Latitudo nihilominus ejus in quinquaginta cubitos dilatatur; quia fides per dilectionem operatur. Sed non inconvenienter per quinquaginta cubitos latitudinis caritas figuratur; septies enim septem quadraginta novem faciunt: quod si unum huic numero addideris, quinquaginta invenies. Dilectio ergo proximi non inconvenienter in septenario numero comprehenditur; quia sine septem virtutibus perfici non potest. In septem vero [b] septenos unusquisque fidelis dilectionem proximi extendit, dum quibuscumque modis necessitates aut adversitates proximis evenire possunt, eisdem modis & ipse ad superveniendum paratus existit: verbi gratiâ, dum esurienti, nudo, hospiti, egenti, in carcere posito, quæ sunt necessaria ministrat: dum dolentem consolatur, dum iracundum verbo temperat, dum odium in corde gerentem pacificat, discordantesque ad pacem reducit: dum eum, qui in peccatis jacet, ad pœnitentiam provocat: dum ad vitam æternam quoscumque potest, secum trahere studet: & ut breviter dicam, quibus modis vult ut ei salubriter ab alio subveniatur, eisdem & ipse quibuscumque potest, subvenire paratus est. Ad septem autem septenos si unum adjungas, quinquaginta fiunt: similiter & ad dilectionem proximi, si unius Dei dilectionem adjungas, tota caritas integra atque perfecta in te efficitur.

Altitudo vero arcæ in triginta cubitos exaltata est, [c] quia ille utilem spem possidet, qui à fide sanctæ Trinitatis, sicut nobis ab apostolis tradita est, atque ceteris documentis, neque opere, neque credulitate discordat. Qui enim spem sine recta fide de vita æterna possidenda sibi usurpat, sine dubio semet ipsum decipit; quia *sine fide impossibile est placere Deo.* (Hebr. 11. 6.) Altitudo itaque arcæ à magna longitudine

A & latitudine exoriebatur, & in cubito sursum consummabatur; quia caritas quæ ex fide nascitur, in magna latitudine erga proximorum curam semet ipsam extendit. Sursum verò in cubito consummatur; quia omnis spes fidelium atque desiderium ad unius Dei visionem tendit.

(Gen. 7. 2.) Quod autem Noe ad jussionem Domini ex omnibus animantibus mundis & immundis masculos & feminas introduxit in arcam, significat quod mali & boni in Ecclesiam introducerentur. Sed de mundis septena, & septena: de immundis vero bina & bina, masculus & femina in arcam introierunt; per munda namque animalia electi, per immunda vero reprobi designantur. Munda itaque animalia in septimo numero ponuntur; quia illi soli electi sunt, qui per gratiam Spiritus sancti ab operatione donorum ejusdem Spiritus sancti alieni non sunt: reprobi vero in secundo numero ponuntur; quia solo corpore & anima in Ecclesia consistunt, mente vero extra Ecclesiam sunt.

(Gen. 8. 6.) In sequentibus quoque scriptum est: *Quia aperiens Noe fenestram arcæ quam fecerat, dimisit corvum, qui egrediebatur & non regrediebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* B Per corvum avem nigerrimam Judæi infidelitate tenebrosi designantur. Noe igitur de arca corvum emisit; quia dominus noster Jesus Christus à consortio sanctæ Ecclesiæ populum Judæorum separavit. Post corvum emisit columbam, quæ cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam. Secundo emisit columbam ex arca, quæ venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Tertio emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. Per columbam sæpe Spiritus sanctus figuratur; eo quod in columbæ specie super Dominum descenderit. (Luc. 3. 22.)

Sed quærendum nobis est quid significet trina emissio columbæ & bina reversio. Tres emissiones tria tempora significant: primum ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub gratia. In hoc verò loco Noe Deum, arca autem cælestem Dei habitationem designat. Noe primo columbam ex arca emisit; quia Deus omnipotens sanctis C viris, qui ante Legem fuerunt, gratiam Spiritus sancti dedit: & qui Legem non habebant, divina præcepta quæ postea data sunt, per donum Spiritus sancti impleverunt. Sed columba non invenit, ubi pes ejus requiesceret; quia non solum ceteræ gentes, sed & ipsi Judæi in Ægypto positi in tantum cultum Dei reliquerunt, ut eo tempore quo Moyses natus est, pœne nullus inveniretur in quem Spiritus sanctus habitare dignaretur: & quodammodo gratia Spiritus sancti ad eum rediit, à quo missa est, cùm homines peccatores deseruit.

Secundo emisit Noe columbam ex arca: quia Deus gratiam Spiritus sancti hominibus Legem puro corde servantibus dedit. Vespere autem quo columba ad Noe rediit, tempus quo Christus natus est, designat. De hoc tempore Dominus dicit in Evangelio: *Lex & prophetæ usque ad Johannem*, (Luc. 16. 16.) quia postquam Evangelium cœpit prædicari, circumcisio & multæ observationes legales nihil profuerunt. Quamdiu Legis observatio Deo placuit, tamdiu homines Legem servantes Spiritus sancti gratia comitavit: & sicut columba ad vesperam ad Noe rediit, ita & Spiritus sancti gratia Judæos infideles deserens, quodam-D modo ad eum à quo fuerat missa, reversa est. Per ramum vero olivæ Legem possumus intelligere, vel accipere: per folia autem virentia, eos qui per Legem salvi facti sunt. Columba igitur ramum olivæ cum virentibus foliis in ore suo detulit, cùm Spiritus sancti gratia eos, quos per Legem salvaverat, quodammodo Deo obtulit.

Tertio Noe columbam ex arca emisit, quando fidem Evangelii servantibus gratiam Spiritus sancti dedit. Quæ non est reversa ultra ad eum; quia fides Evangelii tamdiu cum electis manebit, usque dum veniente Domino ad judicium, electi qui in hoc mundo invenientur, rapientur coram Domino in aera, & sic semper cum Domino erunt. (1. Thess. 4. 16.)

Ad demonstrandam vero apertius secundi sigilli apertionem, de tribus patriarchis pauca dicamus. In Genesi scriptum est, quia tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, & offeres eum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi.* (Gen. 22. 2.) Abraham vero de nocte consur-E gens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum. Abraham Christum secundùm divinitatem: Isaac autem hominem, quem Christus adsumsit, designat: per asinum vero apostoli designantur. Abraham igitur de nocte surrexit; quia Filius Dei, mundo in tenebris ignorantiæ posito, ex Maria Virgine nasci dignatus est: stravit asinum suum, quando apostolis suis mandata Evangelii [d] tradidit: per duos vero juvenes duo præcepta caritatis designantur. Duos juvenes secum duxit; quia duo præcepta caritatis discipulis suis arctius & frequentius tradidit: duxit & Filium suum, quia hominem quem adsumsit, ad moriendum pro genere humano tradidit, sicut ipse dixit in Evangelio discipulis suis: *Ecce adscendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum, & die tertia resurget.* (Luc. 18. 31. & seq.)

Die autem tertia elevatis oculis, vidit locum procul. Tres dies tres F decades annorum, terque binos menses designant, quo spatio temporum Christus in mundo conversatus dicitur. Locus vero Hierusalem designabat, in qua passus est Christus. Sed cur locum se procul vidisse dixit, cùm quotidie in templo prædicaret; quia quamvis Judæi prope essent corpore, propter incredulitatem tamen longe ab illo recesserant.

(Gen. 22. 5.) Dixitque Abraham pueris suis: *Exspectate hic cum asino: ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Similiter & Christus exspectare discipulos suos jussit, usque dum resurgens reverteretur ad eos, cùm diceret: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* (Matth. 26. 31.) Et cùm comprehenderetur, dixit Judæis: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* (Johan. 18. 8.)

Tulit igitur Abraham ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem & gladium. Diximus superius per ligna peccata nostra fuisse designata: ligna ergo Isaac

a. Ita mss. edit. autem, terræ munera, id est, primitias, decimas &c.
b. Ita itidem mss. olim vero septenas . . . . extendet: Rom. edit. ostendit.
c. Edit. quia illi veritatem spem: mss. utilem spem.
d. Edit. tradidit. Duos vero juvenes secum duxit: mss. vero nobis consentiunt.

portavit; quia peccata nostra Christus pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Per manus vero Abrahæ potestas domini nostri Jesu Christi intelligitur: in ejus namque potestate fuit ut moreretur, & ut non moreretur, si vellet, sicut ipse [Johan. 10. 18.] ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Per ignem autem passio, per gladium ejus mors intelligitur.

Cùm venisset ad locum, ædificavit altare, & desuper ligna composuit. Cúmque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum. Per altare crux intelligitur: crucem ergo Filius Dei ædificavit, in qua homo quem adsumserat, immolaretur; quia ipso permittente factum est. Super altare vero ligna composuit, & super ligna posuit Isaac filium suum colligatum: illud namque quod suffocare volumus, nobismet ipsis supponimus; ut pondere nostro suffocetur, & pereat: similiter & Redemtor noster ligna, id est, peccata nostra in cruce pendens sibi supposuit; ut pondere suo atque virtute suffocarentur ac delerentur. Vincula autem Isaac afflictionem Domini in cruce designaverunt. Ea vero quæ Angelus ad Abraham locutus est, ad hanc expositionem non pertinent.

Levavit Abraham oculos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus, quem adsumens obtulit holocaustum pro filio. Aries Christum signavit: per duo cornua duo præcepta caritatis designantur: per vepres Judæi. Christus igitur inter vepres hærebat cornibus; quia Judæos ut fratres diligens, & sciens quia gentium vocatio Judæorum esset perditio; noluit primo fidem Evangelii gentibus tradere, sed [Matth. 10. 5.] mittens ad prædicandum discipulos suos, præcepit eis dicens: *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed ite potius ad oves perditas domus Israel.* Et mulieri Chananææ dixit: [Matth. 15. 24. Ibidem 26.] *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel:* & iterum: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.*

Abraham autem à vepribus arietem abstraxit, atque in holocaustum pro filio obtulit; quia Pater Filium, & ipse Filius semet ipsum ab amore impiorum Judæorum separavit, atque hominem quem adsumsit, pro salute humani generis in holocaustum obtulit.

[Galat. 4. 22.] De eodem vero Isaac scriptum est, quia habuit duos filios, Esau & Jacob. Esau venator fuit, & homo agricola: Jacob vero simplex habitabat in tabernaculis. Per Esau populus Hebraicus, per Jacob vero populus gentium designatur. Isaac autem utriusque genitor typum Domini tenuit, qui utrumque populum, & illum per Legem, & illum per fidem filios sibi fecit. Esau agricola erat; quia Judæorum populus pro terrenis commodis Deo serviebat. Non enim dictum est ad illos: Si pauperes fueritis spiritu, si mites, si pacifici, si misericordes, si persecutiones pro nomine meo sustinueritis; beati eritis, & [Levit. 26. 3.] merces vestra copiosa erit in cælis: sed dictum est ad illos: *Si custodieritis mandata mea, & judicia mea servaveritis, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra proferet germen suum, & pomis arbores replebuntur*, & cetera quæ ad delicias sæculi pertinent. Fuit etiam Esau venator, quia per effusionem sanguinum arietum, hircorum atque vitulorum Deum placare consueverat: Jacob autem simplex habitabat in tabernaculis; quia electi [a] ex gentibus sola fide, bonaque voluntate Deo placere studuerunt. Per tabernacula vero sive diversas Ecclesias, in quibus per universum orbem una Ecclesia catholica divisa est, sive diversos ordines possumus intelligere.

Isaac diligebat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: sed Rebecca diligebat Jacob. Isaac, sicut diximus, in hoc loco typum Domini tenet: per Rebeccam autem præscientiam Dei possumus intelligere. Isaac igitur diligebat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur; quia Deus diligebat populum Judæorum, eo quod assiduis eorum oblationibus placaretur: mater vero diligebat Jacob, quia sciens Deus populum gentium multo meliorem fore, quàm populum Judæorum, per præscientiæ suæ gratiam multo amplius eum diligebat. Esau cùm in venatione moraretur, ut de agrestibus animalibus cibos patri exhiberet, quatenus ab illo benediceretur, mater Jacob ad percipiendam benedictionem patri applicuit; quia cùm populus Judæorum observationibus legalibus deditus esset, atque ad fidem Christi percipiendam tardius occurreret; mater gratia populum gentium, eo quod fidem Christi cum aviditate suscepisset, ad percipiendam benedictionem, quæ Judæis debebatur, Deo obtulit. Qualiter autem ipse populus gentium hoc benedictionis donum promeruit, testantur opera Jacob per significationem, quæ pro benedictione percipienda egisse describitur.

[Gen. 27. 9.] Dixit igitur Rebecca filio suo Jacob: *Affer mihi duos hœdos optimos, & faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur; & benedicat tibi coram Domino, antequam moriatur.* Abiit & adtulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut noverat velle patrem illius, & vestibus Esau, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit, deditque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit. Per duos hœdos confessionem peccatorum populi gentilis, & pœnitentiam possumus intelligere. Duos ergo hœdos optimos Jacob matri obtulit; quia per confessionem peccatorum & pœnitentiam, quæ via est ad fidem euntibus, populus gentilis ad eamdem fidem percipiendam properavit. Qui hœdi optimi dicuntur fuisse; quia valde acceptabilis Deo est pœnitentia peccatoris cum abrenuntiatione vitiorum, sicut ipse Dominus noster dicit [Luc. 15. 7.] in Evangelio: *Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia;* per unum peccatorem populum gentium, per nonaginta vero novem justus Judæos intelligi volens. Qui justi ideo dicuntur, quia propter observationem Legis justos se falso putabant; nam ad eosdem [Luc. 16. 15. Hebr. 7. 19.] justos Dominus loquitur, dicens: *Væ qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra.* Qui in imperfecto numero ponuntur: quia nullum ad perfectum adduxit Lex.

Per escas autem delectabiles, quæ Isaac ad sumendum ex duobus hœdis præparatæ sunt, pœnitentiæ opera debemus intelligere. De iis escis loquitur Johannes Baptista, dicens: [Matth. 3. 8.] *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Per vestes vero valde bonas, quas Esau, id est, Judæi domi reliquerant, optima præcepta Legis possumus accipere, ut est illud, [Deut. 6. 5.] *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut te ipsum;* & multa alia, sine quibus nullus justus esse potest. Hæ sunt optimæ vestes, quas Judæi domi, id est, in veteri Testamento reliquerant, eo quod ea observare nollent: his populus gentilis indutus & ornatus, ad Deum Patrem cum cibis operum bonorum pergit. Cum cibis autem & panes detulit. Per panem sæpe verbum Dei designatur, quia ille congruenter ad Deum Patrem cum cibis operum bonorum pergit, qui & alios quoscumque potest, ad bona opera agenda admonere non desinit.

Sed & illud nobis quærendum est, cur mater pellibus hœdinis manus Jacob & colli nuda protexerit. Pellis namque cùm ab hœdo subtrahitur, caro apparet; unde delectabiles cibi confici possunt: similiter & ab unoquoque peccatore cùm vitia detrahuntur, bona naturæ cum ratione apparent, [b] quæ si fide decoquantur, delectabiles cibi ex bono naturæ Deo præparantur. Per collum igitur, eo quod in collo sæpe superbia appareat, possumus elationem mentis intelligere: per manus vero opera designantur. Collum ergo unusquisque fidelis pellibus hœdinis circumdat, cùm ad mentis elationem deponendam, & humilitatis suæ custodiam peccata præterita ante oculos mentis revocare non desinit. Manus circumdat, cùm ne in bonis operibus extollatur, peccata præterita ante oculos mentis sæpe reducit.

Postquam Isaac cibum sumsit, obtulit ei Jacob etiam vinum. Si per cibum activæ vitæ opera designantur, possumus per vinum, quod mentes hominum alienat, contemplativam vitam accipere, quæ ab amore sæculi mentes quorumdam electorum insensibiles reddit. Cibo igitur potuque sumto, Isaac Jacob benedixit; quia illi benedictionem cælestis patriæ à Deo percipiunt, qui eum usque ad finem vitæ suæ bonis operibus placare student.

[Gen. 28. 11.] Idem vero Jacob cùm fugeret Esau fratrem suum, venit ad quemdam locum: cúmque supposuisset capiti suo lapidem, dormivit illic; viditque in somnis scalam ad caput suum à terra usque ad cælum erectam, & Dominum innixum scalæ, Angelos quoque Dei adscendentes & descendentes per eam. Per lapidem [c] Christus intelligitur, [1. Cor. 3. 11.] fundamentum vero nostrum Christus est, de quo Apostolus dicit: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Caput igitur super lapidem ponimus, si ex bonis operibus parietem nostrum super Christum ædificamus.

Concordat huic sensui visio scalæ: duo namque ligna scalæ majora, quæ sunt ex utraque parte, atque ab inferioribus ad superiora eriguntur, duo præcepta caritatis designant. Per gradus vero qui in transversum ex utraque parte illis duobus lignis inseruntur, ceteræ virtutes designantur. Et sicut duo ligna nisi à gradibus, & gradus nisi à duobus lignis contineri non possunt: ita & caritas sine ceteris virtutibus, & ceteræ virtutes sine caritate esse non possunt. Et quemadmodum diversi gradus nisi in duobus lignis majoribus ex utraque parte inserantur, adscensum hominibus præbere non possunt: [d] ita & ceteræ virtutes, nisi ex dilectione Dei, & dilectione proximi nascantur, ad cælum ire volentibus adscensum præbere non possunt, sicut dicit [1. Johan. 4. 20.] Johannis apostolus: *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Et sicut scala ex una parte terram, ex altera cælum tangere visa est: ita & caritas ab inferioribus proximis, à superioribus verò Deo conjungitur. Unde & Angeli Dei per eam adscendentes & descendentes monstrati sunt; quia sanctos Dei, qui per Angelos designantur, aliquando amor Dei per contemplationis gratiam ad excelsa sublevat, aliquando amor & cura proximorum ad inferiora trahit. Dominum autem innixum scalæ vidit; quia quicumque per iter virtutum ad Dominum conscendere satagunt, postquam viam sui itineris finierunt, Dominum omnium bonorum auctorem, præmiorumque largitorem inveniunt, cum quo sine fine gaudebunt.

Cùm vero idem Jacob reverteretur de Mesopotamia Syriæ, venissetque ad Jordanem, transductis omnibus quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Cúmque videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & [Gen. 32. 26.] statim emarcuit, dixitque ei: *Dimitte me, jam enim adscendit aurora. At ille respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et ait illi: Quo vocaris nomine? Respondit ei: Jacob. At ille dixit: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* Per Jacob hoc in loco quilibet peccator & pœnitens designatur. Quod vero Angelus cum Jacob [e] in figura Domini luctabatur, & ille cum Angelo, illud significat quod [Matth. 11. 12.] Dominus dicit in Evangelio: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Qui sunt autem violenti, nisi peccatores & pœnitentes? Qui cùm se vident pro sceleribus suis mortis perpetuæ esse reos, tamdiu januam paradisi precibus pulsant, usque dum eis aditus regni cælestis aperiatur. Jacob ergo cum Domino luctatur, quando quilibet peccator pertimescens pœnas ignis æterni, tamdiu in precibus persistit, usque dum ei misericordia divina succurrat, sicut sequentia manifestant.

Qui cùm videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit. Et quia libido ex femore nascitur, per nervum femoris, voluptates carnales intelligi possunt. Nervum igitur femoris peccatoris Dominus tetigit, cùm omnia desideria carnalia, ex quibus peccata oriuntur, extinxit; quia fieri non potest, ut à peccatis abstineamus, quamdiu in voluptatibus carnalibus resoluti jacemus. [Gen. 32. 26.] Dixit igitur Angelus ei, videlicet ille qui in persona Domini cum eo luctabatur: *Dimitte me, jam enim adscendit aurora;* ac si dixisset: Desine jam pro timore ignis æterni flere; quia jam tranquillitas, vitiis extinctis, redit; quæ te in perditionis foveam demerserant.

Et quia non satis prodest mala deserere, nisi bona agere studeamus, Sequitur. *Dixitque Jacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi,*

a. Sic mss. at vero edit. *ex gentibus soli fide* &c.
b. Edit. *quæ si fide Deo coquantur*: mss. *decoquantur.*
c. Ita mss. edit. vero, *Christus intelligitur: Fundamentum enim aliud* &c.
d. *Ita & ceteræ virtutes . . . . præbere non possunt*, hoc totum è mss. restitutum est.
e. Edit. *in figura luctabatur, illud significat*: mss. ut in contextu.

id est, à precibus non cessabo, nisi me virtutibus ditaveris: ut qui usque A modo secundum carnem vixi, amodo secundum spiritum vivam. a *Dixitque ei: Quod est nomen tuum? Respondit ei, Jacob, dixitque ei: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum*, id est: Non vocaberis ultra supplantator vitiorum, sed vocaberis vir videns Deum: & qui ante flebas, ne in infernum demergereris, nunc flebis, eo quod aliquo tempore à visione omnipotentis Dei elongeris, dicens cum Psalmista: *Psal. 119. 5.* *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*

Idem etiam Jacob post luctationem quam cum Angelo gessit, uno pede claudicasse dicitur: qui vero claudicat, super sanum pedem totus innititur, altero paulisper terram tangens. Duo igitur pedes duorum alimentorum genera designant; sunt namque alimenta corporis, sunt & animæ. Alimenta corporis sunt cibi, potus, vestimenta: alimenta vero animæ sunt Dei verbum, opera bona. Unusquisque igitur fidelis si uno pede paulisper terram tangit, super alterum totus innititur; quia iis quæ sunt mundi tantummodo ad necessitates corporis sub- B levandas utitur, sicut dicit Apostolus: *1. Tim. 6. 8.* *Habentes autem victum & vestitum, iis contenti simus.* In ea vero quæ ad salutem animæ pertinent, totus incumbit; ne aliquando à via Dei, quæ salus animæ est, deviet. Ad apertionem secundi sigilli demonstrandam pauca de multis diximus, nunc ordinem persequamur.

Sequitur: *Audivi secundum animal dicens: Veni & vide*; id est, intellige spiritualiter, quæ à patriarchis facta cognovisti. b *Et ecce equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant. Et datus est illi gladius magnus.* Per equum rufum justi, qui post diluvium usque ad Legem fuerunt, designantur. Et quia rufus color aureo colori parumper appropinquat, veluti si aureo colori sanguineum admisceas; non incongrue sancti viri, qui ante Legem fuerunt, huic colori comparantur; eo quod & sapientia claruerint, quæ per aurum figuratur, & in persecutionibus & adversis constantes fuerint, quæ per sanguinem figurantur. Sessor vero hujus C equi Dominus est, qui in sanctis suis habitat. Huic sessori datum est ut pacem sumeret de terra. Si pax bona est à Deo, de terra quomodo sumta est? Sed est pax bona, & est pax mala. *Gen. 6. 2.* Pacem malam filii Dei ante diluvium cum filiis hominum habuerunt, quando filias eorum acceperunt, & suas eis dederunt; ideoque cum illis aquis diluvii deleti sunt. *Exod. 23. 32.* Sed & filiis Israel præcepit Dominus ut fœdus non inirent cum Chananæis, neque filias eorum acciperent, nec filias suas illis *Psal. 17. 27.* darent. Nam de pace bona & mala Psalmista loquitur, dicens: *Cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Hanc ergo pacem Deus de terra sumsit, quando justos homines ab impiis separavit mente, non corpore. *Et ut invicem se interficiant.* A quibus pax ablata est, consequens est, ut alius ab alio interficiatur; nam sæpe justi injustos, & injusti justos interficiunt, sicut Aram frater Abrahæ secundum traditionem Judæorum in igne Chaldæorum, eo quod ignem adorare no- D luerit, mortuus est: sicut Abraham quatuor reges pro suis impietatibus cum exercitibus interfecit: sicut filii Jacob qui pro stupro sororis omnes Sichimitas interfecerunt. Per gladium autem magnum aquas diluvii accipere possumus, quibus omnis mundus deletus est. Possumus etiam per gladium magnum exterminium quinque civitatum intelligere, quarum habitatores igne & sulphure perierunt, earumque terram, quæ cum ipsis in abyssum demersa est.

Et cùm aperuisset sigillum tertium. Sigilli tertii apertio ad Legem & ad eos qui sub Lege fuerunt, pertinet. Ad demonstrandum ergo tertii *Exod. 2. 1. & seq.* sigilli apertionem, placuit ut pauca de Moyse, & de iis quæ in Lege irrationabilia esse videntur, dicamus. In Exodo scriptum est quod cùm natus esset Moyses, absconditus est mensibus tribus à parentibus suis; postea verò fecit ei mater fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice, & posito intus infante, posuit eum in carecto ripæ fluminis. Moyses Christum figurabat: per menses autem tres quibus absconditus E est Moyses, tria tempora designantur: unum ante diluvium: secundum post diluvium usque ad Moysen: tertium à Moyse usque ad adventum Domini. c In his tribus temporibus homines adventus Christi secundum carnem latuit; à perfectis tamen prædictus est. Per fiscellam vero scirpeam beata virgo Maria designata est: mater ergo fiscellam scirpeam, in qua Moyses poneretur, præparavit; quia sapientia Dei, quæ est Filius Dei, beatam & gloriosam Mariam semper virginem elegit, in cujus intemerato utero hominem, cui per unitatem personæ conjungeretur, formaret. Per bitumen vero quod ab aquis solvi non potest, virginitatem beatæ Mariæ, quæ nullo æstu carnali violari potuit, intelligere possumus: per picem autem, quæ d custos est vini, humilitatem custodem ceterarum virtutum. *Luc. 1. 48.* De qua ipsa loquitur dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Per flumen vero mundus: per carectum in quo Moyses positus est, Judæi designantur; nam in sequentibus in papyrione à filia Pharaonis inventus fuisse legitur. Eamdem significationem habet carec- F tum in hoc loco, quam & papyrus; nam carectum manus attrectantium vulnerare solet, ex papyro autem antiquitus libri conficiebantur. Per carectum ergo Judæi designantur, qui prophetas, medicos videlicet spiritales, qui vulnera eorum sanare cupiebant, interfecerunt. Iidem etiam & per papyrum designantur, eo quod in scripturis sibi à Deo traditis gloriarentur, quas legebant, & non custodiebant. *Exod. 2. 5.* e Filia vero Pharaonis videlicet diaboli populum ex gentibus figuravit. Filia ergo Pharaonis Moysen à papyrione sustulit, quia Ecclesia ex gentibus fidem Christi suscipiens, eumdem Christum à Judæis credere nolentibus abstulit.

Postea cùm idem Moyses oves Iethro cognati sui pasceret, ap- *Exod. 3. 2.* paruit ei Dominus in igne flammæ rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur. Possumus per rubum qui flammas ex se producebat, & non comburebatur, beatam virginem Mariam intelligere, quæ Filium Dei ex suo utero protulit, & virginitatem non amisit: sed propter ea quæ sequuntur, per rubum Christum esse intelligendum A existimo, secundùm quod homo est. Flamma vero rubi ejus divinitatem figuravit. Rubus ergo ardebat, & non comburebatur; quia Filius Dei hominem adsumens, sicut ejus divinitas non est mutata in humanitatem, ut amitteret quod erat; sic nec ejus humanitas per divinitatem ardens, non est absumta ita à divinitate, ut amitteret humanitatem: sed ex duabus substantiis humanitatis atque deitatis unus Christus permansit & permanet, sicut scriptum est: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* *Athanas. in Symb.*

Locutusque est Dominus ad Moysen de medio flammæ rubi: *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum ejus audivi, & descendi liberare eum. Sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas filios Israel de terra Ægypti.* *Exod. 3. 5. & seq.* Et post pauca: *Dixitque Moyses ad Dominum: Quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* *Ibidem. 11.* Et in sequentibus de B filiis Israel loquitur ad Dominum, dicens: *Non audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus*; *Exod. 4. 1.* & iterum: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* *Ibidem 13.* Hæc verba demonstrant Moysen invitum obedisse mandatis Domini; ut educeret filios Israel de terra Ægypti: sed quærendum nobis est, cur tantus vir Domini præceptum invitus exsecutus sit. Verum hanc ejus pertinaciam spiritaliter intelligere debemus; dicit enim Apostolus: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* *1. Cor. 10. 11.* Per Moysen igitur in hoc loco apostoli designantur; in initio namque prædicationis evangelicæ apostoli scientes electionem gentium reprobationem esse Judæorum, nolebant gentibus doctrinam Evangelii tradere, ut de potestate diaboli eruerentur. Unde & Dominus in visione quadrupedum atque reptilium Petrum, f cur gentes despiceret, reprehendit dicens: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* *Act. 10. 15.* Ad hunc igitur sensum pertinet illud, quod Dominus C dixit ad Moysen: *Ne appropinques huc, solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est*, ac si alicui ex magnis apostolis Dominus dixisset: *Exod. 3. 5.* Quamvis mortuos suscites, quamvis umbra corporis tui ægrotos sanes; in nullo tamen te mihi comparare audeas: quia magna quæ agis, non sunt de te, sed ego operor per te. Calceamenta autem pedes muniunt, ne terram tangant: per terram vero gentes designantur. *Solve*, inquit, *calceamentum de pedibus tuis*; id est, aufer odium & despectionem gentium de corde tuo. *Locus enim in quo stas, terra sancta est*: id est, mundus in quo habitas, meo sanguine redemtus est.

Et in sequentibus dixit Dominus ad Moysen: *Quid est quod tenes in manu tua? At ille dixit: Virga. Ait ille: Projice eam in terram. Quam cùm projecisset, versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitque ei Dominus: Apprehende caudam ejus: quam cùm apprehendisset, versa est in virgam.* *Exod. 4. 2.* Per virgam Judæi designantur. Moyses vir- D gam in manu tenebat, quia apostoli populum Judæorum per amorem in corde tenebant, totaque virtute laborabant; ut eos per doctrinam suæ prædicationis ad salutem perducerent. Projecit Moyses virgam de manu, quia apostoli videntes Judæos in Christum nullo modo velle credere, amorem eorum à cordibus suis projecerunt. Per colubrum vero diabolus designatur. Versa est igitur virga in colubrum, quia Judæi ex prædicatione apostolorum deteriores effecti, qui ante dicebantur populus Dei, facti sunt filii & membra diaboli. Fugit Moyses, quia apostoli, relictis Judæis, transierunt ad gentes. Per caudam vero, quæ finis est corporis, Judæi qui in fine mundi nascituri sunt, designantur. Moyses igitur caudam serpentis apprehendit, atque in virgam versa est; quia prædicatores sancti in fine mundi Judæos quodammodo apprehendent; cùm per eorum doctrinam ad fidem Christi convertentur, atque ex filiis diaboli efficientur filii Dei.

Nam & illud, quod præcipiente Domino, Moyses manum in sinum E misit, & leprosam extraxit, & iterum misit, & sana effecta est; eamdem significationem habet: per manum namque Moysi Judæi designantur. Manum Moyses in sinum misit: quia Apostoli Judæorum salutem desiderantes, eis doctrinam fidei prædicare non cessabant. Moyses manum extraxit, & leprosam invenit; quia Judæi ex prædicatione apostolorum multò pejores effecti, in pessimam lepram incredulitatis atque blasphemiarum delapsi sunt. Moyses iterum manum in sinum misit, & sanam retraxit; quia prædicatores sancti in fine mundi Judæos in sinum recipient, cùm eis fidem Christi prædicabunt, eosque ad sanitatem, quam amiserant, reducent.

In sequentibus quoque scriptum est, quod cùm reverteretur Moyses in Ægyptum, occurrit ei Dominus, & volebat interficere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit carnem præputii filii sui, tetigitque pedes ejus, & dixit: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* *Exod. 4. 25.* Et dimisit eum, postquam dixerat: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, ob cir- F cumcisionem. Si Dominus occidere voluit Moysen; quare non fecit quod voluit, cùm Psalmista dicat: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* *Psal. 134. 6.* Sed voluntas sæpe pro comminatione ponitur: comminatus est igitur Dominus Moysi mortem, eo quod incircumcisum filium ferret, sicut ad Abraham loquitur, dicens: *Omnis anima ex vobis quæ circumcisa non fuerit, peribit de populis suis.* *Gen. 17. 14.* Sed ista prætermittentes, ad spiritalem intelligentiam recurramus. Moyses in hoc loco eos qui ex gentibus crediderunt, designat: in initio namque fidei apostoli & ceteri prædicatores considerantes imbecillitatem gentium fidem Christi suscipientium, noluerunt eis austeriora Christi præcepta primum tradere: ne forte territi non auderent ad fidem Christi suscipiendam accedere. Hæc ita esse apostolus Paulus demonstrat, qui eis qui ex gentibus crediderant, per epistolam loquitur, dicens: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, & non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis: adhuc enim estis carnales.* *1. Cor. 3. 2.* Sed & apostoli eis, qui apud Antiochiam in Christum crediderant, mandaverunt dicentes: *Placuit Spiritui sancto & nobis nihil imponere vobis oneris, nisi* *Act. 15. 28.*

a. Eadem edit. *Dixitque ei*. Non vocaberis: mss. vero nobiscum faciunt.
b. Edit. Colon. *Et ecce equus rufus* Hic color aureo &c. Rom. post vocem *rufus* addidit & has consequentes. *& qui sedebat super illum: datum est ei ut sumeret pacem de terra*. Non vero cetera ex mss. restituimus.
c. Ita mss. edit. è contrario, *In iis tribus temporibus quomodo homines adventum Christi . . . prædictum est.*
d. Edit. *custos est bituminis*: mss. *custos est vini*.
e. *Filia vero Pharaonis . . . . figuravit*, in edit. rejecta fuerant post *eumdem . . . abstulit*.
f. Ita mss. at edit. *ut gentes despiceret, docuit.*

abstineatis vos ab escis, quæ idolis immolantur, & à fornicatione, & suffocato, & sanguine. Comminatus est igitur Dominus Moysi mortem, eo quod carnem præputii filii sui circumcidere dissimularet; quia credentibus ex gentibus, eo quod tepidi essent in caritate, Dominus mortem comminatus est; cùm eis præcepta Evangelii sui anteposuit, ubi scriptum est (*Matth. 7. 14.*): *Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam; a & pauci sunt, qui vadunt per eam. Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad mortem; & multi sunt, qui vadunt per eam*: & iterum (*Luc. 14. 27.*): *Qui non bajulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*; & multa alia quæ de resecatione vitiorum in Evangelio, & in dictis apostolicis inveniuntur.

Per petram vero Christus intelligitur, acumen autem petræ dura præcepta Evangelii. Tulit igitur Sephora acutissimam petram, & circumcidit carnem præputii filii sui; quia Ecclesia cernens filios suos nullo modo posse perfectam consequi salutem, nisi omnia desideria carnalia ab eorum corporibus extirparet, tulit austeriora præcepta Evangelii, & amputavit à corporibus filiorum suorum omnium nutrimenta vitiorum. In pedibus vero finis est corporis: Sephora igitur post circumcisionem pedes filii sui tetigit; quia ille circumcisionem salutiferam percipit, qui in bono quod cœpit, usque in finem vitæ perseverat. Postquam autem Sephora pedes filii sui tetigit, jam non filium, sed sponsum vocat: sponsus vero Ecclesiæ Christus est. Sed & ipsa ejus sponsa vocatur, sicut dicit Johannes Baptista (*Johan. 3. 29.*): *Qui habet sponsam, sponsus est.* Quem & sponsum sanguinum vocat, quia Christi sanguine est redempta. Filii ergo Ecclesiæ post circumcisionem vitiorum, & in bonis b operibus vitæ consummationem jam non filii, sed sponsi vocantur; quia illi conjuncti sunt in cælis per copulationem intimam cœlorum, qui sponsus Ecclesiæ in terra vocatus, & est.

Et quoniam non possumus omnia quæ per Moysen in Ægypto gesta sunt, commemorare, pauca de iis quæ post egressionem Israëlitici populi ex Ægypto ab eis gesta sunt, ponamus. (*Exod. 14. 21.*) Filii igitur Israel ut Pharaonem & Ægyptios evaderent, per medium sicci maris transierunt, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris. Similiter & populus gentium, ut diabolum omnesque ejus satellites evaderent, per aquam baptismatis transierunt. Et qui antea erant filii diaboli, ex aqua & Spiritu sancto, qui per columnam ignis designabatur, renati effecti sunt filii Dei. Aqua ergo maris filios Israel salvavit, Pharaonem vero cum omnibus satellitibus suis necavit; quia aqua baptismatis c imaginem Dei salvat, peccata quibus serviebat, extinguit: diabolus autem unicuique extinguitur, qui cum fideliter cum omnibus pompis ejus abrenuntiat. Aquæ vero quæ pro muro eis erant à dextris & à sinistris, fidem designabant nostram, quam in baptismate percepimus, quæ murus est noster, ex utraque parte defendens nos & ab invisibilibus hostibus & à visibilibus.

Post transitum maris rubri venerunt in Marath, ubi aquas amaras (*Exod. 15. 23.*) invenerunt, quas bibere non poterant. Et ostendit Dominus Moysi lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Per aquas amaras lex Moysi designatur: per lignum autem passionem Christi, eo quod in ligno crucis completa fuerit, debemus intelligere. Populus igitur qui ex Ægypto egressus est, aquas amaras invenit; quia Legem acceperunt, quam implere non potuerunt: sed gentibus ad fidem Christi venientibus amaritudo Legis per passionem & resurrectionem Christi in dulcedinem versa est, quia ab eis spiritaliter, non carnaliter (*Ibidem, 27.*) intellecta est. Illud etiam quod in Elim duodecim fontes repererunt, & castrametati sunt juxta aquas, eamdem significationem habet; per aquas namque duodecim fontium doctrina novi Testamenti designatur, quæ à duodecim fontibus, id est, à duodecim apostolis per universum mundum emanavit: per septuaginta autem palmas vetus Testamentum designatur, d eo quod per interpretationem Septuaginta interpretum ad notitiam gentium usque pervenerit.

Iis nihilominus intermissis, pauca de iis quæ in Lege irrationabilia esse videntur, dicamus. (*Exod. 23. 19.*) Præcepit Dominus filiis Israel: *Non coques hœdum in lacte matris suæ*: & iterum (*Deut. 22. 10.*): *Non arabis simul in bove & asino; & non indues vestem, quæ ex lana linoque contexta est.* Quid enim peccat quis, si hœdum in lacte matris coquat? aut quid agricola delinquit, si cum bobus & asinis terram vomere scindat? aut quid offendit aliquis, si vestem ex lana linoque contextam induat? Sed spiritaliter hæc omnia intelligenda sunt: per hœdum namque unusquisque peccator designatur: mater autem nostra primi parentes fuerunt, ex quibus omnes procreati sumus: lac vero matris vitia sunt, quæ de originali peccato processerunt: nisi enim originale peccatum fuisset, vitium nullum esset. De hoc matris lacte Psalmista loquitur, dicens (*Psal. 50. 7.*): *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Hœdus igitur in lacte matris coquitur, dum quilibet peccator igne vitiorum usque ad diem mortis suæ exuritur. Præcepit ergo Dominus, ne coquatur hœdus in lacte matris suæ, id est, ut peccator non sinatur usque in diem mortis suæ in peccatis permanere: sed ante diem mortis suæ ad bona opera agenda revocetur, ne pereat.

(*Deut. 22. 10.*) *Non arabis simul in bove & asino.* Per bovem apostolos, ceterosque prædicatores: per asinum populum Judæorum possumus intelligere. Aramus vero, quando secundum traditionem sanctorum nosmet ipsos in bonis operibus exercemus. In bove igitur & asino simul arat, quicumque doctrinam apostolorum, traditionesque Judæorum simul servare nititur. A qua doctrina Paulus apostolus Galatas revocare studuit, cùm diceret (*Galat. 3. 1.*): *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit veritati non obedire? Dico enim vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Possumus etiam per bovem quemlibet sapientem prædicatorem, per asinum vero stultum intelligere. Præcipitur ergo ut non aretur simul in bove & asino, id est, ut non copuletur stultus sapienti in prædicationis officio. (*Deut. 22. 11.*) Hoc autem quod dicit: Non induas vestem ex lana, linoque contextam, secundùm superiorem sensum possumus intelligere: per lanam namque, quæ vestis est ovium, doctrinam apostolorum: per linum vero, quod ex terra oritur, doctrinam Judæorum possumus intelligere. Vestem ergo induimus, cùm nosmet ipsos bonis operibus circumdamus: ex lana autem linoque contexta utitur veste, qui cum traditionibus apostolorum etiam traditiones Judæorum vult observare.

Præcepit etiam Dominus Moysi, ut si quis leprosus mundatus esset, (*Levit. 14. 5. & seq.*) veniret ad sacerdotem, & offerret duos passeres sacerdoti. Ex quibus ille unum immolans, decurrere faceret sanguinem ejus in aquas viventes, & intingens passerem vivum in aquas, in quibus sanguinem immolati passeris decurrere fecerat, cum ligno cedrino, lana coccinea, & hyssopo adspergeret septies leprosum, & tunc rite mundaretur. Per sacerdotem Christus intelligitur: duo vero passeres duorum Testamentorum doctores intelliguntur: per aquas autem viventes præcepta Evangelii designantur, de quibus Dominus dicit in Evangelio (*Johan. 7. 38.*): *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Aquas vivas vocat, eo quod vitam æternam præstent facientibus ea. Per passerem igitur immolatum, sicut diximus, doctores Judæorum, sacerdotes videlicet, scribæ & pharisæi designantur. Sanguis vero, qui vitam passeri præstabat, spiritalis est intelligentia, quæ in observationibus Judæorum latebat. Et sicut passer sine sanguine mortuus efficitur, ita & multæ observationes Judæorum, si spiritalis intelligentia defuisset, vanæ esse viderentur. Postquam ergo sanguis passeris apparuit, atque in aquas vivas decurrit, passer mortuus est; quia postquam spiritalis intelligentia, quæ in observationibus Judæorum latebat, per gratiam domini nostri Jesu Christi manifestata est, quædam observationes legales nihil profuerunt: sed & ipsi qui propter custodiam Legis fidem Christi spreverunt, secundum animam mortui sunt. Sanguis igitur passeris aquis viventibus admixtus est; quia omnis Scriptura, quæ ad novum Testamentum e pertinet, exemplis veteris Testamenti spiritaliter intellectis repleta est. Per lignum vero cedrinum Pater, per hyssopum Filius: per lanam autem coccineam, quæ fulgorem ignis habet, Spiritus sanctus designatur. Iis tribus qui rite mundari volebat, adspergebatur; quia nullus per aquam baptismatis à lepra peccatorum mundari potest, nisi sub invocatione Patris & Filii & Spiritus sancti.

Sed si per hæc tria Pater & Filius & Spiritus sanctus designantur, cur passer vivus quartus adjungitur? Per passerem namque vivum prædicatores novi Testamenti designatos fuisse diximus. Sacerdos ergo ligno cedrino, cocco, & hyssopo passerem vivum adjungebat; quia dominus noster Jesus Christus in invocatione sui nominis, & Patris & Spiritus sancti adjungit ministerium sacerdotum, nosque à peccatis nostris, qui per leprosum designamur, per eorum invocationem, & per aquam baptismatis abluit. Qui passer in aquis viventibus intingi jubetur; quia qui alios docet, in divinis scripturis doctum esse oportet: nam si cæcus cæcum ducere tentaverit, ambo in foveam cadunt (*Matth. 15. 14.*). Qui leprosus septies adspergi præcipitur, quia nullius munditia sine donis septem Spiritus sancti perfecta esse potest. Quis enim sine timore Dei, sine pietate ceterisque virtutibus salvus esse potest? Sed cùm unusquisque à prædicatoribus fidei qualiter vivere debeat secundum mandata Dei docetur, septies aquâ vivâ adspergitur. Post emundationem vero leprosi passer vivus in agro avolare sinebatur; quia prædicatores sancti post expletum officium prædicationis suæ in agro patriæ cælestis avolare promerentur.

In alio quoque loco scriptum est; quia præcepit Dominus Moysi, (*Levit. 16. 10.*) ut offerrent filii Israel sacerdoti caprum emissarium, poneretque sacerdos manus super caput ejus, & confiteretur super eum peccata filiorum Israel, & mitteret eum per hominem paratum, in desertum; ut portaret peccata filiorum Israel in desertum. Ille autem qui caprum emissarium in desertum ducebat, non permittebatur in castra ingredi, nisi prius lavaret vestimenta sua. Eamdem ergo significationem habet sacerdos, quam & caper emissarius; significant enim dominum nostrum Jesum Christum. Sacerdos igitur super caprum emissarium peccata filiorum Israel confessus est; quia Filius Dei peccata generis humani super hominem quem assumsit, posuit, ut pro eis ipse moreretur. Per desertum vero, cujus habitationem omnes deliciosi perhorrescunt, crux designatur, cunctis reis valde horribilis. Duxit ergo homo paratus caprum emissarium in desertum, quia Judæi qui ad hoc scelus perpetrandum f præsciti fuerant, dominum nostrum Jesum Christum crucifixerunt. Illi autem qui caprum emissarium in desertum duxerat, præceptum est ut lavaret prius vestimenta sua, & sic ingrederetur in castra; quia Judæi interfectores Christi in castra Ecclesiæ ingredi non potuerunt, nisi prius aqua baptismatis abluerentur.

Et in Deuteronomio præcepit Moyses filiis Israel, dicens (*Deut. 22. 6.*): *Si transieris per agrum, & inveneris avem incubantem super pullos suos; ne teneas avem cum pullis suis, sed dimitte avolare avem in campum, & captos tene filios; ut longo vivas tempore in terra, quam dominus Deus tuus dederit tibi.* Numquid g dimissio aviculæ dies alicujus augere poterat? Non, sed spiritualiter intelligendum est. Per avem unaquæque sancta anima designatur: per pullos autem ejus, bona opera intelliguntur. Nam sicut avis pullos suos sub alas congregat, ut eos fovendo nutriat: ita unaquæque sancta anima opera sua intra cordis secreta recondit, & ea semper augendo multiplicat & nutrit, ut ex iis mercedem plenissimam recipiat. Avem itaque cum pullis suis invenimus, cùm aliquem justum pro suis bonis operibus amando amplectimur. Avem in agro avolare permittimus, cùm eum quem diligebamus, per mortem ad regna cælestia conscendisse gaudemus: filios vero ejus captos tenemus, si ejus bona opera in mente retinemus, atque in eorum imitatione proficimus. Et in hoc longitudinem vitæ nobis adquirimus, quæ non nisi in cælesti beatitudine constitutis datur. De apertione tertii sigilli pauca de multis diximus, nunc ordinem prosequamur.

Audivi tertium animal dicens: Veni & vide; id est, intellige spiri- (*v. 5.*)

a. Ita mss. edit. autem, *& pauci sunt, qui vadunt, vel qui intrant per eam. Et iterum &c.*

b. Omnes edit. *operibus consummationem*: omnes mss. *operibus vitæ consummationem.*

c. Edd. edit. *imaginem Dei salvatoris, peccata quibus serviebat, extinguit*: Bonus, sic emendaverat, *imaginem Dei salvatoris gerens, peccata quibus populus gentium serviebat, extinguit*: nos vero consensum mss. sequuti sumus.

d. Omnes edit. *eo quod interpretatis*: omnes mss. *eo quod per interpretationem.*

e. Ita mss. edit. vero, *pertinet, spiritalibus intellectibus repleta est.*

f. Omnes edit. *præfati fuerant*: omnes mss. *præsciti fuerant.*

g. Ita mss. at edit. *dimissa aviculæ dies alicujus augere poterat*

taliter *a* Scripturam Legis. *Et ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua.* Per equum nigrum doctores Legis possumus intelligere; nigredo enim equi sive obscuritatem Legis, quam docuerunt, sive duritiam designat. Nam & Moyses velamen habebat super faciem suam, eo quod splendor vultus ejus, id est, spiritalis intelligentia in Lege à lippientibus oculis non posset videri. Sessor autem equi Dominus est: statera vero æquitatem judicii legalis demonstrat, ut est illud: [Exod. 21. 23.] *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede,* & qualem inflixerit quis maculam, talem & sustinere cogatur.

[℣. VI.] *Et audivi vocem in medio quatuor animalium dicentem.* Potest per vocem quæ facta est in medio quatuor animalium, vox Ecclesiæ accipi, Domini misericordiam implorantis. *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne laeseris.* Magna sunt quæ protulit, & valde obscura. Per triticum ex quo panis optimus conficitur, divinam scripturam possumus accipere, quæ est panis animarum: duæ vero libræ tritici duo Testamenta designant, B quibus divina scriptura dividitur. Ex his duabus libris tritici magnam ciborum copiam nobis sancti patres præparaverunt, qui eam multipliciter exposuerunt: denarius autem Dominum designat. Binæ ergo libræ tritici denario copulantur, quia quod sancta scriptura loquitur, ad unius Dei omnipotentiam, magnitudinem, bonitatem, atque severitatem pertinet: quidquid enim boni erga proximos agimus, de illo est, non de nobis. Per asperitatem vero hordei opera sanctorum designantur: quæ aspera quidem videntur per operationem, sed spes ea suavia facit, sicut dicit Dominus: [Matth. 11. 30.] *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Tres autem bilibres hordei sunt: non inconvenienter ergo *b* per senarium numerum, qui perfectus est, opera sanctorum designantur: quia perfectio sanctorum ex bonis operibus adcrescit. Tres C bilibres ergo hordei denario conjunguntur; quia quidquid boni electi in hoc sæculo operantur, quidquid adversi patiuntur, pro amore unius Dei omnipotentis agunt & patiuntur.

Aliter: per equum ii qui per Legem salvi facti sunt, designantur: per adscensorem ejus ipse dator Legis: per stateram vero æquitas judicii ejus. Consequens est ut per binas libras tritici & per tres bilibres hordei vetus Testamentum intelligamus: per binas ergo libras tritici duo præcepta caritatis, quæ in Lege & prophetis specialiter commendantur, designantur, sicut Dominus dicit in Evangelio: [Matth. 22. 40.] *In his duobus mandatis tota Lex pendet & prophetæ.* Et per tres bilibres hordei vetus Testamentum possumus accipere; eo quod in tres partes ab Hebræis dividatur, in Prophetas, in Legem, in Agiographa. Nec inconvenienter per hordeum, quod asperum habet corticem, vetus Testamentum designatur, *c* propter asperitatem videlicet præceptorum legalium. Nam sicut D hordeum infra asperitatem corticis sui medullam continet, ex qua panis conficitur, ita & infra litteram veteris Testamenti spiritalis intelligentia continetur, ex qua à magistris Ecclesiæ panis doctrinæ spiritalis conficitur, ad nutrimenta fidelium proficiens; scribit enim apostolus Paulus quia [Hebr. 7. 19.] nullum ad perfectum adduxit Lex, nullum scilicet eorum qui eam carnaliter intelligunt & operantur: eos vero qui eam spiritaliter intelligunt & operantur, ad perfectionis culmen sine dubio erigit. Tres ergo libræ hordei duplicantur, ut ad senarium, qui perfectus est numerus, perveniant: cùm vetus Testamentum à doctoribus Ecclesiæ primo historialiter, postea spiritaliter intelligitur, ejusque spiritalis intelligentia operibus impletur. Per denarium autem æterna vita designatur, sicut Dominus docet in Evangelio. [Matth. 20. 2.] Precatur igitur Dominum Ecclesia, & dicit: *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario,* id est, ei qui duo præcepta caritatis secundum doctrinam Legis atque prophetarum, patribus videlicet veteris Testamenti; similiter & eis qui vetus Testamentum spiritaliter intelligunt & opeE rantur, id est, fidelibus Ecclesiæ, denarium vitæ æternæ digneris largiri. Per austeritatem vero vini activam vitam, per pinguedinem olei contemplativam possumus accipere. Quod ergo dicit: *Vinum & oleum ne laeseris,* tale est ac si diceret: Eos qui tibi per activæ vitæ opera sive contemplativæ servire studuerunt, ne læseris, cùm ad judicium veneris.

[℣. VII.] Sequitur: *Et cùm aperuisset sigillum quartum.* Apertio sigilli quarti ad prophetas pertinet, qui adventum Christi, passionem, & resurrectionem ejus, vocationemque gentium & aperto sermone, & per varias figuras prædixerunt: Salvator igitur noster quartum sigillum aperuit, quando intelligentiam prophetarum doctoribus Ecclesiæ præbuit. Sed de dictis prophetarum non est nobis necesse quidquam dicere, eo quod ab eisdem doctoribus expositi sunt. Et quia non solum quæ à prophetis scripta sunt, sed & quæ ab eis gesta sunt, spiritalem habent inF telligentiam, pauca de his quæ per David, Eliam & Elisæum gesta sunt, dicamus.

In Regum volumine scriptum est, quia cùm David vellet pergere ad pugnam contra Philistæum, dixit ad Saul: [1. Reg. 17. 34. & seq.] *Pascebat servus tuus gregem patris sui, & veniebat leo vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, & insequebar, percutiebamque eos, eruebamque eum de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos: nam & leonem & ursum interfeci ego servus tuus.* David Christum significat: per leonem autem & ursum persecutores Ecclesiæ designantur: per leonem imperatores & ceteri principes terræ: per ursum Judæi designati sunt, qui Ecclesiam Dei persequuti sunt: per arietem vero martyres designantur. Leo igitur & ursus venit, atque arietem de medio gregis abstulit; quia persecutores quosdam de Ecclesia fideles tulerunt, atque pro Christi nomine interfecerunt. Et sicut David leonem & ursum insequutus percussit, atque arietem de ore eorum eruit: similiter & Redemtor noster quosdam ex persecutoribus persequutus est, quando eis pœnam quam merebantur, in præsenti sæculo irrogavit, sicut primo A Herodi, & iterum secundo, & tertio, & multis aliis. Percussit quippe, quando eos æterna morte damnavit: arietem de ore eorum eruit, quia populum fidelium ab eorum laceratione liberavit. Et iterum illi consurgebant adversum David, quia temporibus persecutorum cùm alii puniebantur, alii contra Christum insurgebant, ut ejus nomen atque culturam funditus extinguerent. Sed David apprehendebat mentum eorum, & suffocabat, interficiebatque eos. [1. Reg. 17. 35.] Per mentum, quod ori est proximum, blasphemiæ Judæorum atque paganorum designantur. Christus mentum persecutorum apprehendit, & suffocavit, interfecitque eos; quando imperatoribus in Christum credentibus, omnis cultura & error gentilium ita suffocatus est, ut nullus persecutorum auderet os ad blasphemandum Christum *d* aperire; omnesque extincti sunt, credentibus in Christum gentibus.

Idem autem David cùm ad bellum contra Philistæum iret, baculum suum tulit secum, quem semper habebat in manibus, elegitque sibi B quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit contra Philistæum. Per baculum quo homo sustentatur, apostoli designantur, qui Christum quasi sustinuerunt, cùm opus propter quod in mundum venerat, compleverunt, sicut dicit apostolus Paulus: [1. Cor. 3. 9.] *Dei enim adjutores sumus.* Per peram autem ejus humanitas designatur: per quinque lapides quinque libri Moysi, quos in peram misit; quia scientiam quinque librorum homini, quem assumserat, dedit: per fundam autem ejus linguam accipere possumus. Processio vero David contra Philistæum duobus modis secundum allegoriam intelligi potest; processit namque Salvator noster contra Philistæum, quando ductus est in desertum à [Matth. 4. 1.] Spiritu sancto, ut tentaretur à diabolo, vinceretque diabolum. Quinque lapides David in peram misit, sed ex uno Goliam prostravit: quia C Salvator noster scientiam quinque librorum æqualiter possedit, sed ex uno, id est, Deuteronomio, trina testimonia assumsit, ex quibus tres tentationes diaboli devicit. Et sicut David fundâ lapidem jecit, & Goliam interfecit: ita & dominus noster Jesus Christus linguâ sanctæ scripturæ testimonia protulit, & diabolum superavit.

Aliter: perrexit David ad pugnam contra Philistæum: similiter & Christus, ut diabolum vinceret, ad passionem properavit. David lapide Goliam dejecit, similiter & Christus diabolum morte sua peremit. Cùmque gladium non haberet in manu David, tulit gladium *e* Philistæi, & interfecit eum gladio suo, præciditque caput ejus. Gladius diaboli mors est: [Sap. 2. 24.] *Invidia enim diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Iste est gladius, qui primum hominem, deinde genus humanum usque dum à Christo redimeretur, interfecit. Hunc gladium incurrimus, cùm peccamus: sed hunc gladium Christus non habebat; quia D peccatum non fecerat, nec inventus fuerat dolus in ore ejus. [1. Pet. 2. 22.] Originali quoque peccato *f* obnoxius non erat; quia ex concubitu viri, qui sine peccato esse non potest, ortus non fuerat. Christus itaque qui mortem ex debito non habebat, à diabolo qui auctor ejus erat, mortem mutuavit, & per eam eumdem principem mortis interfecit. Per caput autem Philistæi genus humanum in hoc loco designatur. Præcidit David caput Philistæi, quia Christus à corpore diaboli electorum multitudinem separavit. Detulit illud in Hierusalem, quia multitudinem electorum in cælesti beatitudine, quæ Hierusalem vocatur, collocavit.

De Elia verò & Elisæo quamvis eorum facta plena sint spiritalibus sensibus, ea tantummodo proferamus, quæ à Domino in Evangelio commemorata sunt. Nam cùm venisset Dominus in Nazareth, dixerunt ei concives ejus: [Luc. 4. 23. & seq.] *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Dixitque eis: *Amen dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum, & ad E nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in diebus Elisæi in Israel, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* In Regum volumine scriptum est quia cùm cœpisset Achab rex Israel Eliam persequi, præ[3. Reg. 17. 3. & seq.]cipiente Domino, abiit in desertum, & sedit juxta torrentem Charith: corvi quoque deferebant ei panes & carnes mane, & panes & carnes vespere, & bibebat de torrente. Elias Christum figurabat: per torrentem autem Charith Legem debemus intelligere. Charith interpretatur mendacium, non quod lex mendacium sit; solent namque prudentes proponere auditoribus suis parabolas, ut apertius intelligantur ea, quæ dicere volunt, & introducunt bestias & aves loquentes. Quod si sola verba parabolarum adtendas, mendacium esse prospicies: sin vero sensum, veritatem probabis. Similiter & quædam præcepta legalia, si litteram tantummodo adtendas, inutilia tibi videbuntur: si spiritalem F intelligentiam, veritas tibi magna in littera refulget. Quædam igitur præcepta legalia Judæis mendacium sunt; quia ea carnaliter intelligunt: nobis autem veritas; quia ea spiritaliter intelligere curamus. Per corvos vero sacerdotes Judæorum designantur, velamine cordium suorum tenebrosi: per carnes juge sacrificium quod mane & vespere offerebatur. Panes autem panes propositionis demonstrant, qui assidue in conspectu Domini ponebantur: bibebat verò de torrente, quia in observationibus legalibus Christus delectabatur. Post dies autem multos siccatus est torrens; quia veniente Christo in carne, & Evangelium prædicante, observatio legalis cessavit, atque ab illo tempore nihil profuit, sicut dicit Dominus: [Matth. 11. 13.] *Lex & prophetæ usque ad Johannem,* &c. Et iterum dicit ad Israel per prophetam: [Esa. 1. 13.] *Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomenias & sabbata vestra non feram, iniqui sunt cœtus vestri.*

[3. Reg. 17. 9.] *Et dixit Dominus ad Eliam: Vade in Sareptam Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te.* Qui consurgens, abiit in Sareptam. Elias in Sareptam abiit, quia Judæos perfidos Christus derelinquens, per apostolos suos transivit ad gentes: Sarepta vero incensio interpretatur, vel angustia panis; gentiles quippe,

a. Rom. edit. *sola, qui Scripturam legis.*
b. Omnes edit. *& quale inflixerit quis malum, tale* &c. mss. autem ut in contextu.
c. Edit. *per binarium numerum.* Et infra, *& per tres libras hordei,* mss. autem utroque loco nobis consonant.
d. Ita mss. edit. vero, *propter asperitatem corticis sui. Medullam continet* &c.
e. *Omnesque extincti sunt, credentibus in Christum gentibus* ex mss. collatione.
f. Omnes edit. *Philistæi, & caput illius amputavit. Iste est* &c.
g. Ita omnes mss. omnes vero edit. *obnoxius erat, quia in peccato ortus non fuerat. Christus itaque* &c.

qui erant civitas diaboli, & qui per Sarephtam designantur, igne vitiorum succensi erant. De hoc igitur Scriptura dicit: *Omnes vos accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis.* (Esa. 50. 11.) Illi namque flammis accincti sunt, qui igne vitiorum undique exuruntur, qui & angustia panis vocantur; quia nullus prædicator umquam ad eos accesserat, qui pabulum verbi Dei eis impertiret. Cùmque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna. Eamdem significationem habet mulier, quam & civitas: significat enim Ecclesiam ex gentibus congregatam: vidua vero erat, quia Deum virum suum, peccatis suis exigentibus, perdiderat. Et vocavit eam, dixitque ei: *Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam.* Minora petiit, ut ad majora perveniret: possumus namque per paululum aquæ, quod animum sitientis refrigerat, voluntatem audientium intelligere; quia sicut sitientis linguam aqua refrigerat, ita & prædicatorum mentes promptus animus auditorum. Cùmque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: *Affer mihi & buccellam panis in manu tua.* Quasi post tergum nobis est, quod ignoramus: Elias ergo post tergum mulieris clamavit, B quia prædicatores sancti gentibus Deum, quem ignorabant, prædicaverunt; unde & per buccellam panis initia fidei possumus intelligere.

Et quia illi competenter ad fidem veniunt, qui student prius peccata sua confiteri, rectè subditur: Dixitque ei mulier: *Vivit dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum potest pugillus capere farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Lecythus vas erat, in quo oleum servabatur. Possumus vero per farinam rationem, per oleum autem opera misericordiæ intelligere. Gentilis ergo populus cognoscens se graviter errasse, confitebatur nihil in se boni esse; nisi tantummodo quod parum rationis, & parum ex operibus misericordiæ videretur habere. Gentiles namque parum rationis habebant; quia ex parte rationabiles, ex maxima autem parte irrationabiles erant. Quid enim irrationabilius, quam dicere ligno aut lapidi: Deus meus es tu? Habebant & parum misericordiæ; quia ipsa natura sæpe eos ad hoc impellebat, ut miseris subvenirent. Per vasa vero in quibus fari- C na & oleum continebatur, eorum corda designantur. *En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Ligna quæ in civitate colliguntur, nihil utilitatis habent, nisi ut igni comburantur. Per ligna igitur errores gentilium diabolica fraude inventi designantur. Mulier ligna duo colligebat, quia gentilis populus ex doctrina philosophorum atque poetarum diversos errores colligebat, pro quibus perpetuo incendio traderetur. Sed quid est, quod dicit: *Ut comedamus & moriamur?* Nos enim ideo comedimus, ut vitam in corpore servemus: hæc autem ideo se dicit comedere, ut moriatur; quia doctrina gentilium mortem magis infert, quàm vitam.

Ad quam Elias: *Vade, & fac sicut dixisti, verumtamen mihi fac ex ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me; tibi autem & filio tuo facies postea.* Per panem fides, per cinerem vero sæpe (Job 42. 6.) pœnitentia designatur, sicut dicit beatus Job ad Dominum: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Panis igitur cinere cooperitur, cùm quilibet infidelis ad fidem veniens, primum studet deflere mala quæ fecit; ut convenientius ad fidem Christi D percipiendam, quæ in baptismate datur, accedat. Elias itaque præcepit mulieri ut ex farina panem faceret, sibique deferret: quia prædicatores sancti gentes hortabantur, ut ex rationis bono quod à Deo perceperant, cibum fidei Deo præpararent, sibique deferrent: fidem namque unusquisque ad baptismum veniens, prædicatori defert, cùm ad interrogationem sacerdotis qualiter credat, confitetur. Elias panem quem mulieri facere præcepit, comedit: quia profectus filiorum merces est prædicatorum. Quapropter Elias mulieri præcepit ut sibi primum, postea sibi & filio suo panem præpararet; quia conversio peccatoris prædicatori primò imputatur: postea vero conversus panem sibi præparat, cùm in bonis operibus semet ipsum exercens, ut heres cœ- (3. Reg. 17. 14.) lestis patriæ fiat obtinet. Quod autem ait Elias: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque in diem, in qua daturus est* E *Dominus pluviam super terram*: illud significat, quod fides ab electorum cordibus bonaque opera non deficient, usque dum Dominus ad judicium cum omnibus sanctis suis veniat.

Similiter & Elisæus Christum figurabat, Naaman vero populum gentium. Multi leprosi erant in Israel, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus: quia, veniente Christo in carne, & Judæi & gentes lepra peccatorum suorum circumdati erant: sed Judæis in iniquitate sua permanentibus, gentes à lepra peccatorum suorum mundatæ sunt. (4. Reg. 5. 10.) Præcepit ergo Elisæus Naaman, dicens: *Vade & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Abiit, & lavit in Jordane septies, & restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, & mundatus est à lepra. Aqua Jordanis baptismum figurabat, eo quod in ea Christus baptizatus sit. Naaman aquis Jordanis ablutus est, & lepra mundatus; quia populus gentium aquâ sacri baptismatis à lepra peccatorum suorum est expurgatus. Septena vero ejus lavatio septiformem Spiritum sanctum figurabat, per cujus operationem remissio F peccatorum in baptismo datur; quia sicut corpus visibiliter aquis baptismatis, ita anima invisibiliter per operationem Spiritus sancti à peccatis omnibus emundatur. Giezi autem qui pretium sanitatis à Naaman percepit, lepramque ejus hereditavit, eos designat, qui doctrinam suæ prædicationis hominibus vendunt; quos Dominus in Evangelio non (Joban. 10. 12.) pastores, sed mercenarios vocat. Elisæus igitur sanitatem contulit, & Giezi pretium accepit; quia ab eis quos divina misericordia salvat, perversi doctores pretium sanitatis exigunt. Et ideo heredes lepræ eorum efficiuntur; quia in malis quæ illi per gratiam Dei contempserunt, permanentes damnationem sibi perpetuam adquirunt. De apertionibus quatuor sigillorum quæ ad vetus Testamentum pertinere certum est, pauca de multis diximus: ut demonstraremus nihil aliud esse sigillorum apertionem, nisi demonstrationem spiritalium sensuum in veteri Testamento, quæ nobis per Christum facta est.

(℣. VIII.) Sequitur: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen* A *illi mors, & infernus sequebatur eum.* Videntur hæc quæ de equite quarto dicuntur, ad Antichristum pertinere: sed quia superiores tres equites in bonam partem interpretati sumus, ut convenirent cum apertionibus trium sigillorum; ordinis rectitudo cogit, ut & istum in bonam partem intelligamus, quatenus concordet cum apertione quarti sigilli, quam ad prophetas pertinere demonstravimus. Equus igitur pallidus prophetas significat: pallor vero diversis modis accidit hominibus; aliquando namque pavore, aliquando languore, aliquando morte totum corpus occupante, multisque modis aliis pallescunt homines. Prophetæ itaque, qui populo peccanti prædicebant quod in rapinam & gladium & perditionem darentur, non inconvenienter colorem pallidum habuisse dicuntur: sessor autem hujus equi Dominus est, qui in prophetis suis inhabitavit. Sed valde durum videtur, quod nomen mortis habuisse dicitur: ipse enim vita est omnium electorum suorum, sicut ipse dicit: *Ego sum vita.* (Johan. 14. 6.) Sed si diligenter scripturas divinas inspexerimus, inveniemus dominum nostrum Jesum Christum etiam mortem vocari. Nam sicut vita est omnium electorum, quibus quotidie vitam æternam B largitur; ita & mors dici potest reproborum, quos pro sceleribus suis quotidie morti tradit perpetuæ; ipse enim habet potestatem animam & corpus perdere in gehennam. (Matth. 10. 28.) Nomen ergo mortis habuisse dicitur, quia Israelitico populo peccanti mortem intulit, sicut in cantico Deuteronomii ipse manifeste demonstrat, cùm dicit: *Ignis succensus est in* (Deut. 32. 22. & seq.) *furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo*[a] *super eos mala, & sagittas meas complebo in eis: consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pavor,* & reliqua.

Hunc equitem infernus sequebatur, quia omnes qui comminationes prophetarum quas ex ore Domini ad populum protulerant, contempserunt, infernus absorbuit. Unde & sequitur: *Et data est ei potestas in quatuor partes terræ occidere in gladio, & fame, & morte, & bestiis terræ.* Per quatuor partes terræ [b] omnis terra Israel designatur. Qualiter au- C tem in gladio, & fame, & morte, & bestiis terræ consumti fuerint, libri Prophetarum atque Regum aperte demonstrant. Quærendum vero nobis est cur apertio quatuor sigillorum ad vetus Testamentum, trium vero ad novum pertineat. Quatuor namque sunt elementa, quibus secundùm corpus subsistimus: vetus igitur Testamentum in quaternario numero non inconvenienter ponitur: quia lex Moysi nihil aliud populo Hebræo, nisi ea quæ ad quatuor elementa pertinent, repromisit. Novum vero Testamentum in ternario numero ponitur: quia fides sanctæ Trinitatis, sine qua salvi esse non possumus, in eo specialiter commendatur.

(℣. IX.) *Et cùm aperuisset sigillum quintum.* Quinti sigilli apertio, sexti & septimi, sicut jam diximus, ad apertionem novi Testamenti pertinet: & quamvis novum Testamentum apertio sit veteris Testamenti; tamen multa in eo obscure ponuntur, quæ necesse est ut exponantur. Igitur sigillum quintum, sextum & septimum Salvator aperuit, quando ea quæ per parabolas ipse loquutus est, & figuraliter gessit, doctoribus D Ecclesiæ patefecit. Sed de expositione novi Testamenti non est nobis necesse quidquam dicere, eo quod à sanctis patribus mirabiliter & multipliciter sit expositum. Quinti igitur sigilli apertio ad martyres pertinet: quintum vero sigillum tunc Christus aperuit, quando ea quæ per parabolas & quasdam figuras de persecutione martyrum, & glorificatione eorum dixit, doctoribus Ecclesiæ manifestavit. Aperuit etiam quintum sigillum, quando eis cælestem gloriam quam promiserat, contulit, eosque in mundo apud homines clarificavit. *Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium suum, quod habebant.* Altare Dei Christus est: animæ igitur sanctorum sub altare quiescunt, quia sicut capiti supposita sunt membra, eique cohærent; ita & animæ sanctorum in cælesti gloria constitutæ, Christo salvatori subjectæ sunt, eique per conjunctionem membrorum nectuntur.

(℣. X.) *Et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine sanctus &* E *verus, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Cùm Scriptura præcipiat malum pro malo non reddere, & (Rom. 12. 17.) Dominus dicat in Evangelio: *Diligite inimicos vestros, & benefacite iis,* (Matth. 5. 44.) *qui oderunt vos*; quid est, quod sancti in cælestibus constituti ultionem de inimicis suis expetunt? Sed scimus sanctos Dei diem ultimum desiderare, in quo & corpora & mercedem plenam laborum suorum à Domino percipient. Nam hunc diem Dominus desiderandum esse discipulis suis manifestavit, cùm signa diei judicii prædiceret, dicens: *Cùm autem videritis hæc fieri, respicite & levate capita vestra; quoniam appropinquavit redemtio vestra.* (Luc 21. 28.) Et in oratione Dominica assidue petimus, *ut adveniat regnum tuum.* (Matth. 6. 10.) Verum quia sanctorum resurrectio atque glorificatio in die judicii fiet, & dies judicii damnatio erit impiorum, sancti ultionem de inimicis suis postulant, quando petunt ut dies Domini veniat; quia eo die damnatione perpetua damnabuntur. Sed hic quæstio oritur, cur sancti diem Domini desiderent, cùm F propheta dicat: *Væ desiderantibus diem Domini!* (Amos 5. 18.) Scimus namque diem Domini damnationem esse impiorum, sicut jam diximus. Et quid necesse fuit prophetæ dicere: *Væ desiderantibus diem Domini*; cùm nullus impius reperiatur, qui aut mortem suam, aut diem Domini desideret; eo quod in eo damnari metuit? Et quia verum est quod propheta dixit, investigandum nobis est quid significet. Damnatio quippe impiorum sunt peccata: quicumque ergo cum scorto coire desiderat, damnationem suam desiderat: [c] quicumque inebriari desiderat, damnationem suam desiderat: qui equum aut bovem aut aliquid hujus rei simile furari desiderat, damnationem suam desiderat: qui damnum aliquod proximo inferre desiderat, damnationem suam desiderat. Igitur quia damnatio impiorum erit dies judicii, quicumque ea scelera committere desiderat, pro quibus in die judicii damnabitur, diem Domini, id est, damnationem suam desiderat.

Et data sunt illis singulæ stolæ albæ. Stolæ albæ gloria est sanctarum animarum, singulas stolas albas sancti Dei nunc possident; quia corpo-

a. Post vocem novissima codex Germ. subjungit, & c. vers, nec ulterius producit testimonium hujus cantici, etc. illud extendunt usque ad verbum, comburet: nos vero ceterorum cod. auctoritatem secuti sumus.

b. Omnis editi. omnis terra designatur: omittit vero mss. addunt τὸ Israel, quod necessarium hic esse ostendunt sequentia.

c. Quicumque inebriari usque ad qui equum è mss. restituimus.

tibus in terra quiescentibus, a solius animæ beatitudine æterna perfruuntur: binas stolas tunc percipient, cùm post resurrectionem animæ cum corporibus gloriam cælestis patriæ sine fine possidebunt. *Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec impleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Tempus modicum tempus est usque ad diem judicii: quod modicum ideirco dicitur, quia in comparatione futuri temporis valde modicum est. Sancti ergo qui hoc desiderant, ut dies judicii fiat, in qua & corpora & mercedem plenam laborum suorum recipiant, tempus modicum exspectare jubentur, donec impleatur numerus fratrum eorum, quia dies judicii non veniet, usque dum impleatur omnis numerus electorum. Sed quærendum nobis est, cur solæ animæ pro Christi nomine interfectorum sub altare Dei quievisse, & stolas singulas accepisse leguntur, cùm omnes electorum animæ sub hoc altare quiescant, easdemque stolas & ipsæ possideant? Per animas igitur interfectorum non solum martyres, sed & omnes animas justorum debemus accipere; eo quod & ipsi
Coloss. 3. 3. mundo sint mortui, ut Deo vivereut, sicut dicit Apostolus: *Mortui*
Galat. 6. 14. *enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et de se-
2. Tim. 3. 12. met ipso dicit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; & : *Omnes*
Actor. 14. 22. *qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur*; & : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sed & Johannes auctor hujus libri, calicem Domini bibisse describitur, cùm sine gladii peremtione quieverit.

℣. XII. *Et cùm aperuisset sigillum sextum.* Sigilli sexti apertio ad Judæorum dejectionem, sicut diximus, & ad gentium vocationem pertinet. Et quia Christus de Judæorum perditione & de gentium electione multa per parabolas est loquutus, quædam etiam gessit, quæ hoc designaverunt: sextum sigillum aperuit, quando doctoribus Ecclesiæ ea quæ per figuras dixit & fecit, per inspirationis suæ gratiam patefecit. Aperuit etiam sextum sigillum, quando ea quæ prædixit, opere implevit. *Terræ motus factus est magnus.* Per terram in hoc loco Judæi designantur: terræ motus factus est magnus, quando à Romanis hæc gens est devastata. *Et sol factus est niger, sicut saccus cilicinus.* Per solem idem Judæorum populus designatur: sol igitur factus est niger, tamquam saccus cilicinus, quia populus Judæorum qui propter cognitionem unius Dei, & propter custodiam Legis, velut sol in mundo, refulgebat inter ceteras gentes, factus est omnibus hominibus odiosus propter iniquitates suas; sacco namque pœnitentes vestiuntur, ut indicent se esse peccatores. Sol ergo nigredinem sacci habuit, quia omnibus gentibus facinora Judæorum patuerunt. *Et luna facta est sicut sanguis.* Eamdem significationem habet luna, quam sol; significat namque Synagogam. Luna ergo speciem sanguinis habuisse visa est, quia omnibus claruit Judæos propter effusionem sanguinis Christi sanctorumque ejus esse deletos.

℣. XIII. *Et stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos, cùm à vento magno movetur.* Per stellas principes sacerdotum designantur, scribæ & pharisæi: per ficum autem terram Judæorum possumus intelligere: grossi vero ejusdem arboris fructus inutiles vocantur, qui cito labuntur, cùm arbor eadem vento concutitur. Ficus igitur vento commota est, & inutiles fructus à se emisit, quia terra Judæorum à Romanis invasa est, & gentem inutilem, & Deo odibilem à se expulit, ut habitatio fieret fidelium. Stellæ itaque grossorum more in terram ceciderunt; quia eos qui per doctrinam Legis velut stellæ in populo refulgebant, eadem pœna conclusit, quæ & ceteram multitudinem.

℣. XIV. *Et cælum recessit, sicut liber involutus.* Per cælum vetus Testamentum designatur: liber vero quando involvitur, ejus scriptura ab oculis intuentium absconditur. Liber ergo Judæis involutus est, quia spiritalem intelligentiam in veteri Testamento, quæ Christum demonstrabat, intelligere noluerunt. Cælum itaque sicut liber involutus recessit, quia vetus Testamentum Judæos dereliquit, & ad gentes transivit. *Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt.* Et quia Judæorum terra montuosa est, possumus per montes eos qui in civitatibus, per insulas autem eos qui in campestribus habitabant, intelligere. Qui de locis suis moti sunt, quia omnes aut exterminati, aut in captivitatem ducti sunt.

℣. XV. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium, &*
℣. XVI. *dicunt montibus: Cadite super nos, & abscondite nos à facie Sedentis*
℣. XVII. *super thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Per reges terræ principes & tribunos, eos qui hanc gentem regere videbantur, possumus intelligere: per divites & fortes, servos & liberos, ceteram multitudinem. Qualiter autem
Joseph. lib. 6. de bello Judaico cap. & seq. se in speluncis & petris montium absconderunt, Josephus manifeste narrat, qui eversionem Hierusalem descripsit. Tanta enim fuit afflictio, ut cùm fame diutina consumerentur, & ab hostibus exterius, & multo durius à prædonibus intrinsecus affligerentur; absconderint se in puteis & cloacis, & in quibusdam terræ abditis locis, cupientes mori, ut prolixam miseriam mortis compendio terminarent. Qui etiam scientes se pro sceleribus suis ista pati, & post mortem se inferni pœnas esse passuros, cupiebant ut montibus, sub quibus delitescebant, opprimerentur, & absconderentur à facie Dei, & à facie Christi ejus, quem graviter noverant se offendisse. Nam & Dominus cùm ad passionem duceretur, hoc eos esse passuros mulieribus se lamentantibus prædixit,
Luc. 23. 28. dicens: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quia ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, quæ non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt: Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Cooperite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Se viride lignum, illos vero lignum aridum vocat; ac si diceret: Si in me qui lignum sum b secundùm humanitatem, viride autem secundum divinitatem, id est, qui Deus sum & homo, hæc faciunt; in illis qui lignum sunt aridum,

A id est, qui viriditatem fidei non habent, quid fiet? Subauditur, pessime peribunt. Sed & arbor fici quam Dominus ante passionem maledicendo aridam fecit, eo quod in ea fructum non reperisset; eosdem Judæos designavit, quos maledictione perpetua damnavit, eo quod in illis fructum fidei nullum reperisset. Matth. 21. 19.

Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ. CAP. VII. ℣. 1.
Judæorum dejectione præmissa, nunc qualiter Ecclesia ex gentibus congregata fuerit, narrare inchoat. Per quatuor quippe Angelos quatuor regna designantur, Assyriorum scilicet, Persarum, Macedonum atque Romanorum. Sed quia potestas quatuor regnorum ad solos Romanos transierat, per quatuor Angelos soli Romani intelliguntur, qui potestatem sibi quatuor regnorum vindicaverant: per quatuor vero angulos universæ gentes, quæ intra quatuor mundi plagas continentur, designantur, quas sibi Romani subjecerant. *Tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arbo-*
B *rem.* Per ventos qui nubes excitant, ut terram irrigantes faciem ejus hilarem reddant, ac fructiferam faciant, pax cunctis mortalibus optata designatur, quæ & mentes hominum lætificat, & ut propriis utilitatibus deserviant, facultatem tribuit: per terram & mare omnes gentes figurantur: per arbores autem, ii qui inter eos principatum tenebant. Quatuor ergo Angeli quatuor ventos tenebant, ne flarent super terram; quia Romani, qui per quatuor Angelos designantur, omnem terram cædibus & rapinis & mortibus hominum replentes, non sinebant genus humanum pacatum esse ac quietum.

℣. II. *Et vidi alterum Angelum descendentem ab ortu solis, habentem signum*
Esai. 9. 6. *Dei vivi.* Alter Angelus Christus est, de quo scriptum est: *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Ipse est sol, de quo scriptum est:
Malach. 4. 2. *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Ab ortu solis Christus descendit, id est, à semet ipso; quoniam non ex concubitu viri carnem adsumsit, sed à semet ipso, qui utique sibi carnem immaculatam ex carne Virginis creavit. Signum
C autem Dei vivi est divinitas: nam in carne positus, signum Dei vivi habuit, quia ea opera gessit, quæ demonstrabant eum unicum esse Filium Dei, sicut ipse dicit: *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Johan. 10. 25.

℣. III. *Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Clamasse Dei fecisse est, etenim adventu suo fecit ut Romani ab infestatione generis humani cessarent, fieretque pax per universum orbem, sicut dicit Psalmista:
Psal. 71. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis*; donec semina fidei per universas gentes spargerentur, ac signaculo fidei ii qui præordinati erant ad vitam æternam, signarentur.

℣. IV. *Et audivi numerum signatorum, centum quadragintaquatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.* Per centum quadragintaquatuor millia præsentis Ecclesiæ electi designantur; duodecies namque duodeni fiunt centum quadragintaquatuor. Omnes igitur qui fidem duode-
D cim apostolorum custodiunt, actusque imitantur, in hoc numero consistunt. Sed quærendum nobis est, cur ex omni tribu filiorum Israel congregati esse dicantur, cùm multo plures ex gentibus quam ex Judæis crediderint. Verum si interpretationes nominum attendimus, in
c nominibus c XII. tribuum omnes electos reperiemus; nomina quippe XII. tribuum ad omnes electos pertinent.

℣. V. *Ex tribu Juda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati: ex tribu Gad duodecim millia signati: ex tribu Aser duodecim millia signati: ex tribu Nephtalim duodecim millia signati: ex tribu Manasse duodecim millia signati: ex tribu Simeon duodecim millia signati: ex tribu Levi duodecim millia signati: ex tribu Issachar duodecim millia signati: ex tribu Zabulon duodecim millia signati: ex tribu Joseph duodecim millia signati: ex tribu Benjamin duodecim millia signati.* Judas prior ponitur, Benjamin vero ultimus: quod si interpre-
d tationes nominum inspicere voluerimus, d Judam inferiorem, Benja-
E min vero superiorem reperimus; nam qui ad Deum conscendere desiderat, à minoribus incipit, ut gradatim crescendo ad majora pervenit, sicut dicit Psalmista: *Ibunt sancti de virtute in virtutem.* Et quia Psal. 83. 8.
Ibidem. sancti ad Deum per iter virtutum conscendunt, subjungit: *Videbitur Deus deorum in Sion.* Judas confessio interpretatur. Judas ergo prius ponitur; quia quicumque post peccata ad Deum converti desiderat, necesse est ut prius confiteatur peccata sua, sicut dicit Jacobus apostolus:
Jacob. 5. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*: videlicet ut per confessionem peccatorum & pœnitentiam Deum sibi placabilem faciat, quem offenderat. Et quia qui salubriter pœnitet, & deflet mala quæ fecit, gaudium in cælo facit, oculos misericordiæ
Zach. 1. 3. Dei ad se convertit, sicut dicit Dominus: *Convertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Ruben secundus ponitur, qui visionis filius interpretatur, quia per pœnitentiam visionis factus est filius, qui erat antea filius perditionis. Post Ruben Gad sequitur, qui accinctus inter-
F pretatur; quia necesse est, ut qui pœnitet se mala gessisse, & petit ne in eadem relabatur, contra omnia vitia armetur, voluptatesque carnales à se præcidat; quia non potest fieri ut à peccatis abstineat, qui in voluptatibus carnalibus requiescit.

Et quia qui contra vitia pugnat viriliter, jam beatus esse incipit;
e Aser in ordine ponitur, e qui beatus interpretatur. Post Aser Nephtalim ponitur, qui dilatatio mea interpretatur. Omnis enim qui scit se Deum offendisse, & vult ut ei misericordia divina succurrat, debet & ipse misereri quibuscumque potest, & quomodo potest, sicut dicit
Matth. 5. 7. Dominus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Illius quippe mens circumquaque dilatatur, qui per dilectionem quam proximis exhibere debet, omnibus quibuscumque potest, miseretur. Post Nephthalim Manasses sequitur, qui oblitus interpretatur: quia expedit ut qui peccata sua deflet, qui eleemosynas pauperibus largitur,

a. Ita mss. edit. vetus, *solius animæ beatitudine æterna perfruuntur.*
b. Omnes edit. *secundum humanitatem viride, hoc secundum divinitatem.* rectius mss. ut in contextu.
c. Edit. *duodecim tribuum, omnes ad electos pertinent*: sed locum nobis mss. restituerunt.

d. Ita mss. edit. vero: *Judam inferiorem in pœnitentia: Benjamin vero superiorem reperimus in patria.*
e. Edit. *qui beatitudo interpretatur. Sequitur Nephthali, qui dilatatio*, &c. mss. vero, ut nos in textu.

ut peccata ejus dimittantur, eadem peccata ita deserat, quatenus ea penitus oblitus esse videatur.

Et ideo. Symeon sequitur, qui exauditio interpretatur; ille enim pro malis quæ fecit, deprecans ut ei dimittantur, à Deo exauditur, qui omnia vitia ex toto deserit. Deinde Levi sequitur, qui additus sive adsumtus interpretatur; quia qui de peccatis quæ fecit, jam pœnitentiam exercuit, qui contra vitia pugnavit, eaque devicit, qui erga indigentes misericors extitit, atque his operibus hoc promeruit, ut ejus peccata dimitterentur, de venia jam securus, timorem ignis æterni à mente abjicit, atque in amorem Dei, ac cælestis patriæ totus adsumitur, iisque additur, qui filii Dei nuncupantur & sunt. Sequitur Issachar, qui merces interpretatur: sed interpretationem hujus nominis clarius videbimus, si ea quæ mater Lia, eo nascente, dixit, ponamus; ait enim: *Reddidit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo.* Et idcirco appellavit nomen ejus Issachar, id est, merces. Caro nostra ancilla nostra debet esse: vir noster Deus noster est. Ancillam vero nostram viro nostro damus, si carnem nostram Dei servitio mancipamus, si eam vigilare, jejunare, & abstinere compellimus, atque voluptates ejus edumamus. Issachar igitur Liæ in mercedem datus est à Deo; quia iis qui carnem domant, qui vitia extinguunt, ea merces detur à Deo, ut virtutibus ditentur.

Gen. 30. 18.

Et ideo post Issachar Zabulon ponitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur. Quis est autem fortis, nisi Deus? de quo Psalmista dicit: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et quod habitaculum fortitudinis, nisi habitatio Dei? In illo enim habitat Deus, in quo fides, patientia, castitas, humilitas, caritas ceteræque virtutes commorantur. Et quia per operationem virtutum augentur præmia meritorum, Joseph subsequitur, qui augmentum interpretatur. Benjamin ultimus, immo & superior ponitur, qui filius dexteræ interpretatur. Dextera namque Patris Filius dicitur: & Evangelium loquitur, quia sancti Dei ad dexteram Dei ponentur. Electi itaque filii dexteræ efficiuntur, cùm ab hac vita subtracti, in cælestibus sedibus collocantur; ubi nihil est sinistrum, sed totum dextera. Igitur quia interpretationes nominum duodecim tribuum usque ad eum finem perduximus, quo in cælestibus sedibus collocantur, congruum est ut ea quæ sequuntur, ad glorificationem animarum sanctarum transferamus.

Psal. 23. 8.
Matth. 25. 33.

℣. IX. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, a & in conspectu Agni .... Et clamabant voce magna, dicentes:*
℣. X. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Per turbam superiorem, quæ numero comprehenditur, electi qui in Ecclesia Dei singulis temporibus laborant, designantur, sicut jam diximus. Et quia multi sunt vocati, pauci vero electi, & in comparatione reproborum exigua est turba electorum, non immeritò numero centum quadraginta quatuor millium, electi qui singulis temporibus in Ecclesia Dei laborant, designantur: in cælesti vero beatitudine, ubi singulis temporibus ex omnibus gentibus, tribubus & linguis congregantur, tanta eorum efficitur multitudo, ut nullo numero comprehendi possit. Per stolas autem albas munditia animarum designatur: palmæ vero in signum victoriæ ponuntur. Palmas igitur non solum sancti martyres, quibus victoria specialiter adscribitur, sed & omnes electi, qui in hoc sæculo positi contra visibiles & invisibiles hostes fortiter dimicarunt, in cælesti beatitudine possident. Palmæ autem præmia sunt victoriæ sanctorum, qui & voce magna clamare dicuntur: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Sancti Dei numquam cessant à laudibus Dei, nec tamen labor est in laudando Deum; quia sicut dulcis est sanctis visio Dei, sic & laus Dei.

Matth. 20. 16.

℣. XI. *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in medio throni in facies suas, & adoraverunt*
℣. XII. *Deum, dicentes, Amen, benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, amen.* Superius millia millium Angelorum in circuitu throni Deum laudare dicuntur: hic autem nullo numero comprehenduntur, sed omnes in circuitu throni stare dicuntur. Possumus per superiores Angelos, qui numero comprehenduntur, eos intelligere qui ad diversa officia in mundo destinantur: eos autem qui sine numero ponuntur, illos qui in cælestibus cum Domino conversantur. Sed & hic septem benedictiones ponuntur, sicut superius, ut demonstret eodem modo & illos benedicere Deum, qui mundum sua gubernatione tuentur, sicut & illos qui in cælestibus cum Domino commorantur.

℣. XIII. *Et respondens unus de senioribus dixit mihi: Hi qui amicti sunt sto-*
℣. XIV. *lis albis, qui sunt & unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis.* Interrogat, ut doceat: per seniorem namque doctores Ecclesiæ: per Johannem vero auditores intelliguntur. Nam prædicatores sancti gloriam animarum sanctarum quibuscumque modis possunt, intimant auditoribus suis; ut mentes eorum ad amorem cælestis patriæ accendant. *Et dixit mihi. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione; & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Hic demonstrat non ad electos, qui in hac vita laborant; sed ad eos qui in cælesti vita cum Domino requiescunt, hæc pertinere. Non enim sancti de magna tribulatione, sed ad magnas tribulationes perferendas in mundum veniunt, b sicut dicit Salomon: *Homo ad laborem*
Job 5. 7. *nascitur, & avis ad volatum.* Et Dominus dicit in Evangelio: *Beati*
Matth. 5. 10. *qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et Paulus dicit: *Per multas tribulationes oportet nos*
Act. 14. 21. *intrare in regnum cælorum*; hic enim tempus est tribulationis, illic tempus pacis. Sancti itaque de magna tribulatione veniunt, quia ab hac vita subtracti, ubi tempus tribulationis est, in æterna quiete collocantur. Laverunt autem stolas suas, quia animas suas in hac vita positi, ab omnibus sordibus peccatorum mundaverunt: primo quidem per baptismum, postea vero per pœnitentiam & lacrymas, ac misericordiæ opera, & in ceteris bonis operibus. Quæ etiam in sanguine Agni dealbatæ fuisse dicuntur; quia animæ electorum, quæ antea erant nigredine peccatorum involutæ, per redemtionem sanguinis Christi candorem munditiæ adsumserunt.

Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ℣. XV.
ejus. In conspectu namque Dei sancti Dei adsistunt, ac visione ejus indesinenter perfruuntur. Templum vero Dei cælestem patriam, servitium Dei amorem Dei vocat. Quod enim servitium tam acceptabile Deo, quam ut diligatur ex toto corde, totaque virtute? Et quis ita ardenter diligit Deum, sicut illi qui assidue contemplantur faciem ejus? *Et qui sedet super thronum, habitat super illos.* Thronus Dei sancti Dei sunt, sicut superiùs diximus. Qui ergo designantur per thronum Dei, ipsi sunt super quos habitat Deus: habitat vero super sanctos suos Deus, cùm eos suo lumine illuminat, circumdat, & tuetur.

Non esurient, neque sitient amplius. Cùm Dominus dicat in Evan- ℣. XVI.
gelio: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabun-* Matth. 5. 6.
tur: cur hic sancti Dei numquam esurire dicuntur? Sed sicut superiùs diximus, non ad electos, c qui in hac vita commorantur: sed ad eos qui in cælesti beatitudine cum Deo exsultant, hoc pertinere credendum est. Justi namque in hac vita positi, videntes hominum injustitias, esuriunt & sitiunt justitiam, cupientes omnes homines justos esse, sicut ipsi sunt. Esuriunt & sitiunt etiam, ut sua justitia quotidie crescat, esuriunt & sitiunt vitam æternam. Animæ vero sanctorum non esurient neque sitient amplius; d quia quod esurierunt, jam percipere meruerunt. *Et non cadet super eos sol, neque ullus æstus.* Per solem tribulationes quas sancti ab hominibus perferunt, possumus intelligere: per æstum tentationes dæmonum, sive voluptates carnales. Et quia sancti in hac vita positi persecutiones iniquorum hominum tolerando vicerunt, tentationes dæmonum superaverunt, desideria carnalia in se extinxerunt, in cælesti beatitudine positi, nullum laborem in perpetuum sentiunt.

Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos. Regit Deus ℣. XVII.
sanctos suos, cùm voluntates eorum ita disponit, ut nihil velle possint, nisi quod Deus vult. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Vitæ fons Christus est, qui dicit: *Ego sum vita.* Quod enim sine Johan. 14. 6.
illo est, mortuum est: quod vero in illo est, vita est. Ad vitæ fontem Christus sanctos suos ducit, quia ad semet ipsum eos ducit, ut sint unum cum illo. Per aquas eosdem sanctos, possumus intelligere: ipse est quippe & fons aquarum, quia ab ipso procedit omnis sanctitas electorum, sicut ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Johan. 15. 5.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Quia tempus flendi hic fuit, tempus ridendi in illa beatitudine erit, sicut Dominus dicit: *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. 5.

CAP. VIII. ℣. I.

Et cùm aperuisset sigillum septimum. Apertio septimi sigilli ad nativitatem Christi pertinet: sed quærendum nobis est, cur in septimo, non in quinto loco ponatur. In Genesi scriptum est, quia sex Gen. 2. 2.
diebus fecit Deus cuncta, quæ ex cælo & terra originem sumserunt, septimo autem requievit; & idcirco vocavit diem septimum sabbatum, id est, requiem. Quæ est autem requies nostra, nisi Christus? Non inconvenienter ergo in septimi sigilli apertione nativitas Christi ponitur; quia ipse est requies omnium sanctorum suorum, quæ per septimum diem figuratur. Et quia ea quæ in nativitate Christi gesta sunt, spiritalem intelligentiam obtinent; septimum sigillum Christus aperuit, cùm ea quæ per significationem gesta sunt, doctoribus Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti manifestavit. *Factum est silentium in cælo quasi mediâ horâ.* Per silentium pax quæ ab Octaviano Augusto, Christo nascente, per universum orbem facta est, designatur. Mediâ autem horâ silentium factum est, quia pax quam Ecclesia in initio fidei apud paganos habuit, parvo tempore mansit; nam à Nerone imperatore interrupta est, & Petro Pauloque interfectis, præcepit omnes christianos persequi.

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, & data sunt illis ℣. II.
septem tubæ. Ordo istorum septem Angelorum in sequentibus est; nam sicut præco ante regem aut principem mittitur, qui ejus adventum annuntiet; ita & Johannes, quia magna erant quæ per Angelos designabantur, eorum memoriam facere voluit, antequam ad eorum narrationem veniret.

Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum au- ℣. III.
reum e in manu sua: & data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante Dominum. Iste Angelus Christum significat: venit autem, quia per incarnationis mysterium in mundo apparuit: per altare autem aureum Ecclesia designatur. Qui ante altare stetisse dicitur, jacebat namque Christus in incredulis, qui eum purum hominem æstimabant: stabat vero cum fidelibus, qui eum Deum verum esse credebant. Ante altare ergo stetit, quia apostolis & ceteris credentibus, ex quibus Ecclesia tunc constabat, quod Deus esset, manifestavit. Per thuribulum vero quod in manu tenebat, corda apostolorum, ceterorumque fidelium demonstrantur. Quod aureum fuisse dicitur, quia corda discipulorum per fidem purificata, & per sapientiam quam à Christo didicerant, erant inaurata. Quod thuribulum in manu tenuisse dicitur, quia corda apostolorum in manu Dei erant, sicut dicit Salomon: *Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud.* Prov. 21. 1.
Numquid cor istius Salomonis in manu Dei erat, quando idola adorabat? Numquid cor Antiochi aut Herodis in manu Dei erat? Numquid corda regum sanctos Dei persequentium in manu Dei erant? In manu diaboli erant, qui ad quæcumque volebat facinora, ea inclinabat: corda vero regum spiritalium, id est, sanctorum in manu Dei sunt; & ideo quocumque voluerit, inclinabit ea.

a. In mss. ac Gill. edit. at Rom. è contrario post vocem *Agni* additis: *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Post vocem vero *dicentes* resecantur. *Salus Deo nostro ... & Agno.*
b. Rom. edit. *sicut dicit Job.* Sed Auctoris lapsum cum mss. ac Gill. maluimus retinere.

c. Edit. *qui in hac vita sunt positi, loquitur: qui viderunt*: lacuna vero suppleta est ex mss.
d. Excerto edit. *quia esurierunt, jamque percipere vitam æternam meruerunt*: mss. autem ut in contextu.
e. Rom. edit. resecantur, *& data sunt ei ... ante Dominum*: vel ut Gill. *ante thronum.*

Sequitur

Sequitur: *Et data sunt ei incensa multa.* Incensa multa præcepta sunt Evangelii: incensa enim in thuribulo ponuntur, ut calore ignis accepto, fragrantiam odoris sui circumquaque spargant: similiter & Christus doctrinam Evangelii in cordibus discipulorum suorum posuit, qui igne caritatis succensi, odorem fidei suæ per omnes gentes sparserunt. Unde & sequitur: *Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est in conspectu Dei.* Genera orationum plura sunt, orant namque fideles verbis, Deum deprecantes, ut dimittantur eis omnia peccata eorum: orant & eleemosynas largiendo, sicut dicit Dominus in Evangelio: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et in alio loco scriptum est: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Orant etiam dimittendo proximis, quæ in eis deliquerunt, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Si remiseritis hominibus peccata eorum, & Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Orant nihilominus & præcepta caritatis servando, quemadmodum scriptum est, quia universa delicta operit caritas. Ille igitur fideliter orat Deum, qui servat mandata Dei: nihil enim prodest nobis clementiam Dei verbis implorare, & operibus irritare. Super altare ergo aureum de orationibus sanctorum dedit Deus, quando super corda credentium fidem, doctrinam, actusque apostolorum, cæterorumque prædicatorum posuit; ut haberent unde erudirentur, & quod imitarentur.

Luc. 11. 41. Eccli. 3. 33.

Matth. 6. 14.

1 Petr. 4. 8.

℣. IV. Unde & sequitur: *Et ascendit fumus aromatum de orationibus sanctorum, de manu Angeli in conspectu Dei.* Per fumum aromatum non solum orationes fidelium, sed & fragrantia bonorum operum designatur, quæ ab Ecclesia indesinenter ascendit in conspectu Dei. Qui fumus de manu Angeli conscendere dicitur; quia quidquid boni fideles faciunt, operante Deo faciunt, sicut dicit ipse: *Sine me nihil potestis facere.*

Johan. 15.

℣. V. *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* [a] *Et facta sunt fulgura, voces, & tonitrua, & terræ motus.* Per ignem Spiritus sanctus designatur: Angelus itaque, id est, Christus thuribulum, id est, corda discipulorum, de igne altaris, id est, de Spiritu sancto implevit; quando post adscensionem suam in cælum, decimo die Spiritu sancto misso de cælo, corda discipulorum implevit, ac scientiam omnium linguarum dedit. Et si per altare Ecclesia designatur, cur Spiritus sanctus antequam daretur, ignis altaris esse dicitur, sicut idem Johannes dicit: *Nondum erat Spiritus datus; quia Jesus nondum fuerat glorificatus?* Sed Spiritus sanctus antequam daretur, ignis altaris erat: quia per remissionis gratiam jam eum Ecclesia possidebat. Nam Dominus ante passionem suam promisit se Spiritum sanctum daturum discipulis suis; & idem Johannes cum verba Caiphæ posuisset dicentis: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, intulit dicens: *Hoc autem à semet ipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente; & non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum.* Numquid ii qui in Christum credituri erant, qui per universas gentes dispersi idolis serviebant, filii Dei erant? Erant itaque jam filii Dei per prædestinationem; quia jam prædestinati erant ad vitam æternam. Congregati sunt vero postea in unum, quando per fidem, quam in baptismate susceperunt, corpori Ecclesiæ sunt sociati. Misit ergo Angelus ignem, quem in thuribulo posuerat, in terram; quia doctrinam fidei, quam in cordibus apostolorum posuerat, per adventum Spiritus sancti in cordibus Judæorum, qui per incredulitatem terra erant, per ora apostolorum effudit.

Johan. 7. 39.

Johan. 11. 50.

Ibidem 51. 52.

Facta sunt fulgura, voces, & tonitrua, & terræ motus. Per fulgura virtutes quæ per apostolos fiebant, per voces prædicatio, per tonitrua autem comminatio ignis æterni designatur: per terræ motus vero conversionem Judæorum possumus intelligere, conversi sunt namque ad pœnitentiam per prædicationem beati Petri, sicut liber Actuum apostolorum narrat: *His, inquit, auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos apostolos: Viri fratres, quid faciemus? Ostendite nobis.* Et in sequentibus scriptum est, quia ad hanc primam Petri prædicationem crediderunt ex illis tria millia, postea vero innumerabiles. Hunc ignem, id est, Spiritum sanctum, super nos qui terra sumus, misericordia domini nostri Jesu Christi effundere dignetur; ut ex carnalibus spiritales [b] efficiamur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

Act. 2. 37.

DE VISIONE QUARTA.

GRatia domini nostri Jesu Christi largiente, de apertionibus septem sigillorum pauca diximus, nunc de cantu tubarum septem Angelorum, qui sequitur, aliqua proferamus. Per septem Angelos doctores, qui ad erudiendum populum Dei à Deo missi sunt, & mittentur usque ad finem, designantur. Et quia sacramenta divinarum scripturarum doctoribus Ecclesiæ perspicacius, Deo inspirante, quam ceteris patuerunt, rationis ordo poscebat, ut post reserationem sigillorum, quæ apertionem divinarum scripturarum significat, septem Angeli canerent, per quos omnes doctores populi Dei designantur, qui scientiam divinarum scripturarum locupletius perceperunt. Et sicut omne corpus electorum in septem partes divisimus, ita & septem Angeli tubis cecinisse visi sunt: per quos omnes doctores populi Dei designantur, quamvis ab eo ordine paruniper discreperunt. Nam superius per poderem, [c] quæ talaris est tunica, & prior in ornamentis Domini ponitur, ut & in sequentibus per primum cornu Agni, justos qui ante diluvium fuerunt, diximus fuisse designatos; per zonam vero auream in corpore Christi, & per secundum cornu patriarchas & ceteros qui ante Legem fuerunt: hic autem per primum Angelum doctores qui ab initio mundi usque ad Legem fuerunt, per secundum doctores Legis designantur.

Sup. c. 1. 5.

℣. VI. *Et septem Angeli paraverunt se, ut tubis canerent.* Per tubæ cantum prædicatio designatur; prædicatores quippe sancti ad hoc semper parati existunt, ut quoscumque possunt, per doctrinam suæ prædicationis Deo adquirant.

℣. VII. *Et primus Angelus tuba cecinit.* Per primum Angelum, sicut jam diximus, prædicatores qui ante Legem fuerunt, designantur. Primus ergo Angelus tubâ cecinit, quia sancti viri qui ante Legem fuerunt, quamvis nullam legem haberent, nisi naturalem, hoc quibuscumque poterant, [d] suasisse credendi sunt, ut Deum creatorem suum timerent atque diligerent, & quod quis pati non vellet, alteri non faceret. *Et facta est grando & ignis, mixta sanguine, & missum est in terram.* Ea quæ septem Angelis tubis canentibus facta fuisse visa sunt, in bonam partem, sicut mihi videtur, accipienda sunt: sicut è contrario effusio phialarum septem Angelorum, quæ sequitur, in malam. Per grandinem igitur quæ percutit, verba sanctorum virorum, quæ corda pravorum hominum arguendo percutiebant, designantur. Quæ ignem & sanguinem permixtum habuisse describitur: per ignem Spiritus sanctus designatur, qui in sanctis inhabitans fuit, minister verborum eorum existit: per sanguinem vero Christus intelligitur, qui & à Patribus sæpe prædictus est, & eorum actibus præfiguratus: terra autem fragili homines peccato subditos demonstrat.

Et tertia pars terræ combusta est, ... & omne fœnum viride combustum est. Per tertiam partem terræ eos, qui per doctrinam & exempla bonorum hominum salvi facti sunt, debemus intelligere; qui igne timoris Dei atque amoris quidquid pravi in se fuit, combusserunt atque deleverunt. Arbores vero illos, qui principatum inter eos tenuerunt, significant: ex quibus multi per doctrinam & exempla bonorum hominum salvi facti sunt, sicut Abimelech per Abraham, & per Job tres amici ejus. Per fœnum autem viride, quod omne combustum esse dicitur, ii designantur, qui & superius per tertiam partem terræ & arborum quæ combusta est, id est, electi, qui eo tempore fuerunt; fœnum namque viride difficile accenditur, aridum vero facile consumitur. Per fœnum vero viride electi, per aridum autem reprobi designantur. De hoc arido fœno propheta dicit: *Vere fœnum [e] est populus. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini manet in æternum*: per fœnum igitur viride, ii qui fide erant viridi designantur, qui omne quod in se reprobum fuit, igne caritatis combusserunt.

Gen. 20. 17.

Job. 42. 8.

Esai. 40. 7.

℣. VIII. *Et secundus Angelus tuba cecinit.* Per secundum Angelum Moyses & ceteri Legis doctores designantur. *Et ecce tamquam mons magnus igne ardens, missus est in mare.* Per montem magnum lex Moysi designatur, quæ propter gravitatem ponderis sui monti adsimilatur; & propter spiritalem intelligentiam, quæ in Lege refulgebat, igne ardere dicitur. Ipse vero Hebræorum populus propter magnitudinem scelerum per mare designatur.

℣. IX. *Et facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebat animas in mari, & tertia pars navium interiit.* Omnis remissio in Lege sanguinis effusione atque adspersione fiebat, unde & Moyses populum sanguine adspersit, dicens: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Sed & Aaron & filios ejus, ut mundi efficerentur ad offerendas hostias Deo, idem Moyses sanguine adspersit, nec sine sanguinis effusione remissio esse poterat. Per tertiam ergo partem maris electi qui eo tempore fuerunt, designantur: per sanguinem vero in hoc loco remissionem peccatorum possumus accipere. Tertia igitur pars maris in sanguinem versa est; quia electi qui eo tempore fuerunt, per observationem Legis à peccatis suis mundari meruerunt. Tertia vero pars creaturæ, quæ habebat animas in mari, & mortua fuisse dicitur, eamdem significationem habet, quam & tertia pars maris quæ in sanguinem versa est. Per mare autem, sicut jam diximus, multitudo peccatorum designatur: pisces vero cùm ab aquis subtrahuntur, animas amittunt. Electi ergo quamdiu in aquis vitiorum suorum versantur, animas marinas habent, peccatorum videlicet tenebris involutas; cùm vero aut per baptismum, aut pœnitentiam ab aquis vitiorum extrahuntur, animas pristinas quasi amittunt, cùm ex malis boni efficiuntur, moriunturque diabolo, ut vivant Deo. Tertia igitur pars piscium animas emiserunt, quia electi qui eo tempore fuerunt, per observationem Legis mortui sunt peccato, & cœperunt vivere Deo. Per naves autem, quæ aquas sub se habent, illisque supereminent, principes gentis illius designantur. Tertia vero pars quæ interiit, eos designat, qui ex eis justi fuerunt juxta illum sensum, quem diximus; eo quod interierint & mortui sint peccato, & vixerint Deo.

Hebr. 9. 20. Exod. 24. 8.

℣. X. *Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella ardens tamquam facula.* Eamdem significationem habet stella quam & Angelus; significat namque prophetas: sed quærendum nobis est, quomodo de cælo in terram cecidisse dicatur. Sancti in cælum quodammodo conscendunt, cùm eos amor divinus ad cælestia contemplanda elevat; cadunt in terram, cùm eos amor proximorum ad ima retrahit; ut prædicatione sua peccantes ad viam veritatis reducant: facula vero accenditur, ut tenebras noctis depellat. Verba igitur prophetarum faculæ fuerunt, quia tenebras peccatorum à mentibus hominum fugaverunt. Possumus etiam per ignem faculæ Spiritum sanctum intelligere, quo inflammati prophetæ, & multos ab iniquitatibus correxerunt, & quæ ventura erant, prædixerunt. *Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.* Per flumina & fontes duodecim tribus cum suis familiis designantur: per tertiam vero partem ii, qui ex eis ad vitam æternam præscripti erant, figurantur. Cecidit ergo stella in tertiam partem fluminum, quia illi doctrinam prophetarum acceperunt, & in cordibus suis plantaverunt, qui ad vitam æternam prædestinati erant.

℣. XI. *Et nomen stellæ dicitur absinthium.* Absinthium valdè est amarum: per absinthium igitur comminationes prophetarum designantur, quas populo peccanti ingerebant, prædicentes eis quod nisi pœniten-

a. *Et facta sunt . . . . & terræ motus*, in Rom. edit. loco mota sunt.
b. Codex Gem. *efficiamur, ipso adjuvante, qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum, amen.*
c. *Quæ talaris est tunica*, deest in mss.

d. Edd. *suasisse creduntur fuisse*: mss. *suasisse credendi sunt.*
e. Sic mss. edd. vero, *est populus. Per fœnum igitur viride, ii qui fide virentes erant, designantur.*

tiam agerent, in prædam & in captivitatem hostibus suis darentur; & quod si nec sic pœniterent, morte perpetua damnarentur. *Et facta est tertia pars aquarum in absinthium.* Illi amaritudinem pœnitentiæ per comminationes prophetarum adsumserunt, quos superius per tertiam partem aquarum diximus fuisse designatos, id est, electi. *Et multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Illis namque amaritudo pœnitentiæ mortem intulit, qui falsi esse meruerunt; mortui sunt enim secundùm id quod mali erant, & vixerunt secundùm id quod boni esse cœperunt.

℣. xii. *Et quartus Angelus tubâ cecinit.* Quartus Angelus Christum & apostolos ejus significat. *Et percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum; ut obscuraretur tertia pars eorum, & dies non luceret tertia pars, & noctis similiter.* Sol, luna, & stellæ ad unam rem pertinent; nam per solem populus Judæorum, per lunam vero Synagoga, per stellas autem principes sacerdotum & pharisæi designantur. Sed si obscurationem solis & lunæ atque stellarum ad eos, qui in Christum noluerunt credere, transferre voluerimus, ordo superior perturbabitur. Superius enim combustionem terræ tertiæ partis, quæ sub cantu tubæ primi Angeli facta esse dicitur, conversionem tertiæ partis maris in sanguinem, quæ sub cantu tubæ secundi Angeli facta fuisse visa est, conversionem nihilominus tertiæ partis aquarum in absinthium, quæ sub cantu tubæ tertii Angeli facta fuisse legitur, in bonam partem accipiendam esse demonstravimus; ideoque ad electos pertinere. Consequens est ergo ut percussionem solis & lunæ atque stellarum in bonam partem interpretemur. Per tertiam itaque partem solis, quæ percussa, id est, obscurata est, ii qui ex populo Judæorum in Christum crediderunt, designantur, obscurati sunt namque impiis Judæis, sed refulserunt in conspectu Dei. Similiter & per tertiam partem lunæ atque stellarum quæ obscurata est, ii qui ex archisynagogis atque sacerdotibus & ex pharisæis in Christum crediderunt, designantur: quia & ipsi propter lumen verum, id est, Christum, quem perceperunt, obscurati sunt eis, quorum mentis oculos diabolus obcæcaverat, ne in Christum crederent; nam claritas solis lippientes oculos obcæcat magis, quam illuminat. Possumus vero per tertiam partem diei apostolos, per tertiam autem partem noctis eos qui ex gentibus crediderunt, intelligere. Obscurati sunt namque eis apostoli, qui eorum doctrinam non solum spreverunt, sed etiam ipsos usquequaque persecuti sunt. De hac eorum obscuratione Dominus dicit:

Luc. 21. 16. *Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficient ex vobis.* [a] *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.*

℣. xiii. *Et vidi & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cælum, dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra à vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ canituri.* Per cælum in hoc loco Ecclesia designatur: aquila vero Christum & apostolos ejus demonstrat. Aquila ergo per medium cælum volabat & clamabat; quia Christus primum per Judæam, apostoli vero ejus per universas gentes Evangelium prædicaverunt: quas etiam persecutiones ab adversariis Ecclesiam esse passuram multis modis prædixerunt. Ideoque tria væ posuit, ex quibus primum ad hæreticos pertinet, qui Ecclesiam Dei multis modis impugnare conati sunt: secundum ad paganos, qui eamdem Ecclesiam Dei persecuti sunt, maximamque fidelium multitudinem interfecerunt: tertium ad Antichristum, qui populum Dei in fine mundi debellaturus est. Nec putare debemus quod tria væ ad electos pertineant, qui diversas calamitates ab impiis pertulerunt: sed potius ad eosdem impios, qui easdem calamitates intulerunt. Unde &, *Væ, væ, væ, habitantibus in terra* dicit; impii namque qui nihil aliud quàm terram quærunt, habitatores terræ jure vocantur: justi autem qui cælestia semper desiderant, cæli habitatores rectè vocantur, sicut dicit

Philip. 3. 20. apostolus Paulus: *Nostra autem conversatio in cælis est.*

CAP. IX. ℣. 1. *ET quintus Angelus tuba cecinit.* Quintus Angelus defensores Ecclesiæ orthodoxæ fidei designat: tuba cecinerunt, quando pro defensione fidei omnibus modis laboraverunt. *Et vidi stellam de cælo cecidisse in terram.* Per stellam hæresiarchæ designantur; quia sicut stellæ in cælo refulgent, ita & isti antequam caderent, doctrinâ & sapientiâ refulgebant in Ecclesia. De cælo in terram ceciderunt, quia ab Ecclesia præcisi, corpori reproborum, qui per terram designantur, sociati sunt. Sed quærendum nobis est, cur primum hæreticos, qui per stellam & locustas designati sunt, posuerit; & postea persecutores, qui designantur per equites loricatos, de quibus in sequentibus in cantu tubæ sexti Angeli dicturus est. Quia antequam imperatores Romanorum Ecclesiam Dei persequi instituissent, hæretici esse cœperunt,

Act. 6. 5. sicut Nicolaus, qui temporibus apostolorum exstitit, & multi alii. *Et data est illi clavis putei abyssi.* Per clavem liberum arbitrium hæreticorum, quod habuerunt in malo, designatur; per abyssum vero corda eorum: per puteum autem eorum ora designantur. Data est igitur hæreticis clavis putei abyssi, quia permisit Deus hæreses esse, sicut

1. Cor. 11. 19. dicit apostolus Paulus: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.*

℣. 2. *Et aperuit puteum abyssi.* Stella quæ de cælo cecidit, puteum abyssi aperuit; quia hæretici ad proferenda mala, quæ in cordibus eorum latebant, ora sua aperuerunt. *Et adscendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ.* Per fumum doctrina hæreticorum designatur; quia sicut fumus vento impulsus citò evanescit, ita & doctrina hæreticorum per doctrinam sanctorum patrum velut fumus evanuit: per fornacem vero sæpe corda impiorum designantur, sicut dicit propheta:

Osee 7. 4. *Velut clibanus ardens corda eorum.*

Et obscuratus est sol & aer de fumo putei. Per solem sæpe Christus intelligitur, in hoc autem loco membra ejusdem, id est, prædicatores sancti designati sunt: per aerem vero populus fidelis, qui eis subjectus erat. Sed quomodo electi obscurati sunt, quos pravitas hæretica decipere non valuit? Sed obscurati sunt eis, quos hæretici decipere potuerunt, qui & in sequentibus per locustas designantur: ve-

A rum claritas eorum ceteris fidelibus latere non potuit, sicuti nec lucerna sub modio abscondi potest.

Et de fumo exierunt locustæ in terram. De fumo, id est, de doctrina eorum qui hæresiarchæ appellati sunt, magna multitudo hæreticorum generata est. In terram exierunt, quia à societate electorum separati, eis qui terra vocantur, id est, infidelibus conjuncti sunt. *Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Sæpe Deus dicitur dedisse, quod permittit; permittit enim Deus impios male agere, ut ex eorum malis bona operetur. Per scorpiones vero possumus dæmones accipere, quia sicut scorpiones dum non prævidentur, corpora hominum suo veneno inficiunt & extinguunt: ita & dæmones incautis hominibus venena malarum persuasionum ingerunt, & dum ad perpetranda scelera pertrahunt, eorum animas veneno suæ malitiæ infectas occidunt. Potestas ergo locustarum, id est, hæreticorum, similis est potestati scorpionum, id est, dæmonum; quia sicut

B dæmones in hoc semper insistunt, ut quoscumque possint decipiant: ita & hæretici tota virtute laborabant, ut quoscumque possent, in foveam suæ perditionis demergerent.

Et præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem. Quid significat fœnum terræ, hoc & omne viride; nam sicut superius sub cantu tubæ primi Angeli per omne fœnum viride, quod combustum esse dicitur, electi qui primis temporibus fuerunt, designantur: ita & hic per fœnum terræ, & omne viride fidelis populus est designatus: per arbores vero doctores Ecclesiæ designantur. Prohibiti sunt ergo hæretici, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, quia non permisit Deus, ut eos qui viriditatem fidei habebant, id est, qui fidem quam profitebantur, operibus implebant, neque sanctos prædicatores, qui non erant spinæ vel tribuli, ex quibus neque uvæ, neque ficus colliguntur; sed

C potius arbores bonorum operum fructus ferentes, ex quibus fideles populi reficiebantur, hæretici deciperent; unde & sequitur: *Nisi homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Quid est autem signum Dei, nisi caritas, de qua idem Johannes loquitur, dicens: *Deus caritas est*? Possumus vero per frontes, quæ qualitates mentium expressiùs demonstrant, corda reproborum intelligere. Illi ergo facile ab hæreticis decipiebantur, qui signum Dei vivi, id est, caritatem in cordibus suis non habebant.

Et præceptum est illis, ne occiderent eos. Quod dicit, *præceptum est illis*, videtur mihi ad dæmones pertinere; tanta est enim nequitia dæmonum, ut si hoc Deus permisisset, statim ut homo mortale facinus admisisset, eum interficerent: sed exspectat Deus homines impios, ut aliquando per pœnitentiam ad eum redeant & salventur, sive ut justi per eos probentur. Nam & Psalmista, cùm de impiis loqueretur, precabatur dicens: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei.* Et

D in Judicum libro scriptum est, quia dimisit Deus Chananæos & Philisthæos; ut in eis experiretur Israel, & haberent scientiam certandi cum hostibus. Præcepit ergo Deus, id est, non permisit ut exterminarentur, sive omnes hæretici, sive omnes impii; ut haberent justi per quos probarentur, sicut aurum quod probatur per ignem.

Unde & sequitur: *Sed ut cruciarentur mensibus quinque.* Per menses quinque omne tempus vitæ præsentis, quod in quinque ætatibus consistit, possumus intelligere. Prima namque ætas est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta senectus; quamvis beatus Gregorius, ut cum sex ætatibus mundi ætates hominum conformaret, senectutem in duas partes dividit. [b] In quinque ergo mensibus, id est, in omni tempore vitæ præsentis non solum hæretici, sed & omnes impii cruciantur. Nam velint nolint, cùm ad memoriam mortem pœnamque quæ mortem sequitur, reducunt; quamvis de

E prosperitatibus sæculi videantur exsultare, cruciantur tamen intrinsecus, eo quod sciant se pro sceleribus suis æternaliter esse cruciandos. E contrario justi, quamvis extrinsecus diversis modis affligantur; intrinsecus tamen de spe cælestis gloriæ, ad quam se perventuros credunt, exsultant. Possumus etiam per quinque menses omne tempus hujus mundi intelligere; primus namque mensis est ab origine mundi usque ad diluvium, secundus à diluvio usque ad Moysen, tertius à Moyse usque ad David, quartus à David usque ad Christum, quintus à Christo usque ad consummationem sæculi. In his ergo quinque mensibus omnes fabricatores errorum cruciantur, sive eo modo quo superiùs diximus, sive quod falsas adinventiones suas vident à veritate superari.

Et cruciatus eorum ut cruciatus scorpii, cùm percutit hominem. Diximus superiùs per scorpiones dæmones esse designatos; nam sicut scorpio corpus aculeo vulnerat, ut per vulnus venenum intromittat,

F per quod hominem interficiat; [c] ita & diabolus aut ira, aut superbia, aut libidine, aut aliqua delectatione carnali mentem vulnerat, ut per hoc venenum suæ malitiæ infundat, animamque interficiat. Cruciatus ergo locustarum similis esse cruciatui scorpii dicitur; quia hæretici imitantes patrem suum diabolum, per lenia verba atque composita mentes hominum imperitorum vulnerabant, venenumque sui erroris infundentes, eorum animas necabant. Possumus quippe per cruciatum animarum interfectionem intelligere.

Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & cupient mori, & fugiet mors ab eis. Hæc sententia ad electos pertinet. *In diebus illis*, id est, in diebus quibus Evangelii gratia per universum mundum refulget, *quærent homines mortem.* Quærebat Paulus mortem persequendo Ecclesiam Dei, & non invenit eam; quia Christus qui est murus impenetrabilis, se illi objiciens, à morte quam quærebat, ad vitam, quæ est ipse, violenter reduxit. Fuerunt & alii multi, qui quæsierunt mortem aut Ecclesiam Dei persequendo, aut cetera mala exercendo: sed fugit mors ab ipsis, quia per prædicationem sanctorum ad vitam sunt revocati. Nos etiam quosdam vidimus, qui quæsierunt mortem, & non invenerunt eam; & cupierunt mori, & fugit mors ab eis. Scimus enim quosdam fuisse, qui amplius quam oportebat sæculum diligentes, multo tempore, multisque modis laborassent, [d] ut divites fierent, cupientes deliciosè vivere, & carnis

Sup. c. 8. (beside: omne fœnum; ℣. iii. at "Et de fumo"; ℣. iv. at "Et præceptum est illis, ne læderent"; 1. Joan. 4. 8. at "Deus caritas est"; ℣. v. at "Et præceptum est illis, ne occiderent"; Psal. 58. 12. and Judic. 3. 1-3. at "Ne occidas eos … Judicum libro"; ℣. vi. at "Et in diebus illis")

a. *Et eritis odio … propter nomen meum*, ex omnibus mss. restituitur.
b. *Quamvis beatus Gregorius … dividit*, omnibus omissa mss. auctoritate vindicatur.

c. *Ita & diabolus … animamque interficiat*, in codice Germ. desideratur.
d. Omnes edit. *ut carnis sua desideria perficerent*: omnes mss. *ut divites fierent*, &c.

suæ desideria perficere: sed cùm ad id quod optabant, pervenire non possent, respuentes sæculi falsa promissa, ad divitias cælestes adquirendas se contulerunt, atque ad earum perceptionem, sicut credimus, bonis operibus insistendo, pervenire meruerunt. Vidimus nihilominus quosdam monasteria reliquisse, & ad sæculum transisse, & in servitio quorumdam hominum potentium se tradidisse; ut terrenas divitias atque possessiones, quas per se habere non poterant, eorum suffragiis obtinerent: sed cùm ad id quod desiderabant, pervenire non possent, sæculum reliquisse, & ad monasteria sua rediisse, atque in bonis operibus vitam terminasse. Ii ergo quæsierunt mortem, & non invenerunt eam; & cupierunt mori, & fugit mors ab eis. De talibus Dominus sub

Osee 2. 6. specie Hierusalem ad prophetam loquitur, dicens: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: quæret, & non inveniet eos.* Amatores nostri sunt desideria carnalia: amatores nostros sequimur, quando in hoc laboramus, ut divitiarum possessores efficiamur, ut habeamus unde desideria carnalia expleamus. Amatores nostros sequimur, & non apprehendimus, quando misericordia Dei impediente, ad hoc quod inutiliter desideramus, pervenire non possumus.

℣. VII. *Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium.* Per equos sæpe prædicatores sancti designantur, sicut Habacuc propheta in can-

Habac. 3. 15. tico suo loquitur, dicens: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Viam fecit Deus in mari equis suis, in luto aquarum multarum, quando toti fidei pacem mundo largitus est; ut apostoli ejus per universas gentes, quæ per mare & lutum designatæ sunt possent discurrere, & semina fidei spargere. Equi ergo Dei ad prælium parabantur, quando prædicatores sancti & verbo & virtutibus ad hoc armabantur: ut genus humanum de potestate diaboli eruerent. Locustæ vero similes equis paratis in prælium esse dicuntur, quia sicut prædicatores sancti tota virtute laborabant, ut quoscumque possent, de laqueis diaboli eriperent: ita & hæretici ad hoc semper armabantur, ut quoscumque possent decipere, in barathrum suæ damnationis involverent. *Et super capita earum tamquam coronæ similes auro.* Sæpe per aurum sapientia designatur, sicut superius jam diximus: per coronas locustarum sapientia sæcularis ostenditur. Coronæ igitur locustarum aurum ipsæ non erant, sed similitudinem auri habebant; quia sapientia sæcularis, in qua hæretici maxime confidebant, aurum non erat, id est, sapientia; sed

1. Cor. 3. 19. potius stultitia, sicut dicit apostolus Paulus: *Sapientia hujus sæculi stultitia est apud Deum.*

Et facies earum, sicut facies hominum. Homo rationale est animal: per faciem vero hominum divinarum scripturarum scientiam intelligere possumus, quam hæretici habere studebant, ut per eam facilius simplices quosque deciperent. Locustæ igitur facies hominum habere videbantur, sed similitudo erat non veritas; quia hæretici videbantur quidem scientiam habere divinarum scripturarum: sed procul à veritate distabant, quia eam non recte intelligebant.

℣. VIII. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.* Per capillos qui sine sensu præciduntur, possumus maximam multitudinem stultorum intelligere, qui ab hæreticis facile decipiebantur; quia sicut capilli absque injuria præciduntur, ita & illi ab Ecclesia sine aliquo dispendio præcisi sunt. Per mulieres vero diversas Ecclesias possumus intelligere. Habebant igitur locustæ capillos sicut capillos mulierum; quia sicut sanctæ Ecclesiæ Dei habebant turmas suas, quæ certis temporibus ad divina officia celebranda confluebant: ita & hæretici habebant populos insanos, qui in diversis locis conveniebant, non [a] ad mysteria divina sed ad diabolica celebranda. *Et dentes earum sicut leonum erant.* Officium dentium est, ut quidquid intra se ceperint, terendo consumant, & in ventrem demergant. Possumus ergo per leones & dentes persecutores Ecclesiæ intelligere: per leones quidem principes: per dentes autem eos, qui eorum imperio sanctos Dei laniabant. Dentes igitur hæreticorum sicut leonum erant; quia sicut pagani Ecclesiam Dei persequebantur, & quoscumque poterant, terroribus atque cruciatibus in perditionis voraginem implicabant; ita & hæretici quosdam potentes homines sibi sociantes, Ecclesiam Dei persequuti sunt, multosque more dentium minis & impressionibus afflictos, in ventrem suæ malitiæ demerserunt.

℣. IX. *Et vox alarum earum, sicut vox equorum multorum currentium in bellum.* Possumus per alas verba hæreticorum intelligere; quia sicut alæ à terra aves sublevant, ita hæretici suis eloquiis extollebantur: per equos vero prædicatores designantur, sicut superius jam diximus. Vox igitur alarum locustarum erat sicut vox equorum multorum currentium in bellum; quia sicut prædicatores sancti voces prædicationum emittebant, cùm pergerent ad bellum contra diabolum, ut genus humanum de potestate ejus liberarent: ita & hæretici circumquaque discurrebant, falsam doctrinam spargendo; ut quoscumque possent, deciperent, & diabolo subjugarent.

℣. X. *Et habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis ea-*

Esai. 9. 15. *rum.* Isaias propheta dicit quia propheta docens mendacium, cauda est. Hæretici ergo qui propter notitiam divinarum scripturarum prophetas se esse æstimant, non inconvenienter caudis scorpionum assimulantur, quia eorum doctrina falsa erat, & venenosa, unde & aculeos in caudis habuisse dicuntur. Per aculeos namque blasphemiæ, quas in divinis scripturis intermiscebant, designantur. Et sicut scorpio innoxius esset, si aculeus deesset; ita & doctrina hæreticorum bona esset, si hanc blasphemiis non fœdarent. *Potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.* Quid sint menses quinque superius dictum est.

℣. XI. *Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen hebraice Abaddon, græce Apollyon, & latine habet nomen Exterminans.* Certum est omnibus hæreticorum principem esse diabolum, sicut Dominus dicit

Job. 41. 25. ad Job: *Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ:* unde & exterminator vocatur, eo quod exterminator sit totius bonitatis.

℣. XII. *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ.*

℣. XIII. *Et sextus Angelus tuba cecinit.* Per sextum Angelum martyres designantur: sextus Angelus tubâ cecinit, quia martyres Christi doctrinam fidei infidelibus prædicaverunt. *Et audivi vocem unam ex cornibus altaris aurei, quod est in conspectu Domini, dicentem sexto Angelo.* Per altare aureum, sicut superius jam diximus, Ecclesia designatur. Quatuor ergo cornua altaris quatuor evangelistas demonstrant: vocem ergo unam ex quatuor cornibus altaris aurei audisse se dicit; quia una est fides, una doctrina quam quatuor libri Evangeliorum docent.

℣. XIV. Quid autem hæc vox sexto Angelo dicat, manifestat subdendo: *Vade, & solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Primum dicamus quid sint quatuor Angeli, quid vincula, quid Euphrates: & postea cur sexto Angelo præcipiat Evangelium, ut solvat quatuor Angelos, diligentius investigabimus. Nam sicut supe-

Sup. cap. 7. rius in apertione sexti sigilli quatuor Angeli super quatuor angulos terræ stetisse visi sunt, tenentes quatuor ventos terræ; ne flarent super terram, neque in ullam arborem: ita & hic sub cantu tubæ sexti Angeli quatuor Angeli in flumine magno Euphrate alligati esse referuntur. Eamdem ergo significationem habent quatuor Angeli illi, quam & illi; significant enim quatuor regna, Assyriorum videlicet, Persarum, Macedonum, atque Romanorum. Et quia potestas quatuor regnorum, sicut superius diximus, ad Romanos fecesserat, per quatuor Angelos in hoc loco Romani designantur: per Euphratem verò hic mundus intel-

Sup. cap. 7. ligitur. Quid sint ergo vincula quatuor Angelorum, superius manifestat; nam supra scriptum est, quia *vidit Johannes Angelum descendisse de cælo, habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Per Angelum qui habebat signum Dei vivi Christum diximus fuisse designatum: vincula igitur quatuor Angelorum verba sunt Domini, non quod Dominus præceperit persecutoribus, ut à persecutione cessarent, donec semina fidei per omnes gentes spargerentur: sed quod potestate fecit, hoc dicitur verbis præcepisse. Romani namque ante adventum Christi à cædibus & rapinis atque effusione sanguinis generis humani [b] nullo-

b modo satiari poterant. Veniens vero Christus in carne pacem mundo largitus est, & Romani qui ab effusione sanguinis generis humani manus cohibere non poterant, pace ligati sunt, atque ab effusione sanguinis prohibiti sunt. Præcepit ergo vox, quæ processit à quatuor cornibus altaris aurei, sexto Angelo qui habebat tubam, ut solveret quatuor Angelos; quia doctrina Evangelii hoc præcepit prædicatoribus verbi Dei, ut nullis minis, nullis terroribus hominum impiorum terrerentur; ut cessent ab officio prædicationis, sicut Dominus dicit

Matth. 10. 28. in Evangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Imperatores quippe Romanorum & ceteri principes terræ, cùm viderent religionem christianam quotidie augeri, & culturam idolorum evacuari, interminati sunt mortem omnibus qui Christum colerent, aut prædicarent. Sextus ergo Angelus, id est, martyres, quatuor Angelos, [c] id est, persecutores suos quasi solverunt;

c cùm propter insuperabilem evangelizandi constantiam ad persequendos eos se armaverunt.

℣. XV. Unde & sequitur: *Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, ut interficerent tertiam partem hominum.* Soluti sunt quatuor Angeli, quia impii homines, pace abjecta, manibusque solutis, quas pax alligaverat, persequuti sunt populum Dei. Quod autem dicit: *Parati erant*, impiorum hominum voluntatem demonstrat; quia antequam tempus persecutionis veniret, voto parati erant, ut populum Dei interficerent. Sane tertia pars hominum, ut superius dictum est, electos significat. Porro quod in horam & diem, & mensem, & annum, quatuor Angeli, ut interficerent tertiam partem hominum, parati esse dicuntur, possumus ad omnes impios, qui ab initio mundi fuerunt, & erunt usque in finem, referre. Per horam quippe tempus ab initio mundi usque ad diluvium, per diem autem tempus à diluvio usque ad Legem, per mensem vero tempus sub Lege, per annum autem tempus sub gratia designatur. In iis ergo quatuor temporibus semper reprobi persequuntur electos.

℣. XVI. *Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia, audivi numerum eorum.* Qui designantur per quatuor Angelos, ipsi & per equestrem exercitum, videlicet persecutores Ecclesiæ. Exercitus autem persecutorum equestris esse dicitur; quia sicut habet Deus equos suos, id est, sanctos prædicatores, qui eum per universum mundum deportaverunt; ita habet diabolus equos suos, id est, omnes impios, super quos sedet, & ad perpetranda diversa scelera impellit. Qui vicies millies dena millia esse dicuntur, [d] per finitum namque numerum perse-

d cutorum innumerabilis multitudo exprimitur.

℣. XVII. *Et ita vidi equos in visione & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas.* In hoc loco per equos insani populi, per sessores autem equorum principes terræ designantur: per loricas vero, quæ ictus gladiorum à se repellunt, duritia cordium reproborum designatur, quæ ad corda eorum gladium spiritus, quod est verbum Dei, accedere non sinit. Quæ loricæ igneæ, hyacinthinæ, & sulphureæ esse dicuntur. Per ignem plane crudelitas mentis persecutorum: per hyacinthum qui cæli figuram habet, honor divinus quem diis suis deferebant, designatur: per sulphur vero quod fœtet, blasphemiæ quas in Christum proferebant, designantur. Persecutores igitur loricas igneas & hyacinthinas atque sulphureas habuisse dicuntur; quia partim propter incredulitatem mentis corda sua induraverant, ut non solùm in Christum non crederent, sed etiam servos ejus persequerentur: partim propter defensionem falsorum deorum, partim propter blasphemias quas in Christum proferebant, dicentes eum magum fuisse & seductorem. *Et capita equorum erant tamquam capita leonum.* Per capita equorum imperatores Romanorum designantur; quia capita esse videbantur omnium persecutorum, qui etiam propter insatiabilem rabiem leonibus assimulantur. *Et de ore eorum procedit ignis & fumus & sulphur.* Per ignem impia præcepta imperatorum designantur, quibus populus Dei interfici jubebatur: per fumum vero honor deitatis, quem diis suis deferre jubebant. Et rectè per fumum idololatriæ falsitas de-

a. Edit. ad mysteria divina, sed ad diabolica officia. mss. autem ut in contextu
b. Nullo modo satiari poterant. . . . generis humani. tibhæc omnia hæc edit. debet auctoritati mss.
c. Edit. id est, prædicatores suos : verbum mss. id est, persecutores suos.
d. Sic edit. mss. vero, per infinitum namque numerum.

signatur: quia sicut fumus à facie venti evanescit, ita & cultura idolorum in conspectu prædicationis evangelicæ deperiit: per sulphur autem, sicut supra dictum est, blasphemiæ, quas Christo ingerebant, designantur.

℣. XVIII. *Ab his tribus plagis interfecta est tertia pars hominum*; id est, multitudo martyrum: *per ignem videlicet, fumum, ac sulphur, quæ procedebant de ore ipsorum*. Procedebat quippe ignis de ore ipsorum, id est, jussio impiissima, qua præcipiebant ut sancti Dei martyres interficerentur: procedebat & fumus, quia præcipiebant ut honor deitatis ab omnibus hominibus diis suis impenderetur: procedebat & sulphur, id est, blasphemiæ in Christum, præcipientes ut religio christiana funditus de mundo extingueretur.

℣. XIX. *Potestas enim equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum.* Superius capita equorum, ut leonum esse dicuntur: in ore vero leonum dentes consistunt, quibus conterunt & dilaniant omnia, quæ ceperint. Possumus itaque per dentes carnifices intelligere, qui in ore leonum, id est, in potestate persecutorum positi, eorum imperio diversis cruciatibus corpora sanctorum cruciabant. Corpora igitur sanctorum persecutores in ore, id est, in potestate habebant, sed animas non habebant, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* (Matth. 10. 28.) Et ideo potestas persecutorum tantummodo in ore erat; quia corpora sanctorum in potestate habebant, sed animas non habebant: occidere poterant, quos vincere non valebant. Per caudas vero philosophorum atque poetarum doctrina designatur. *Nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, & in iis nocent.* Recte doctrina philosophorum serpentibus assimilatur, quia plena erat venenis mendaciorum. Qui serpentes capita habere dicuntur, quia omnes errores gentilium proprios habebant auctores. Potestas ergo equorum in caudis eorum erat, quia persecutores Ecclesiæ per doctrinam philosophorum volebant evertere religionem christianam.

℣. XX. *Et ceteri homines qui non sunt occisi in his plagis, neque egerunt pœnitentiam ab operibus manuum suarum;* a *ut non adorarent dæmonia & simulacra aurea & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare:* ℣. XXI. *& non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis*; subauditur, perierunt. Tertia igitur pars, quæ interfecta est, salva facta est, id est, electi, ex quibus multi pro Christi nomine interfecti sunt: reliqui libentissime occumberent, si necessitas exegisset. Ceteri vero, id est, pagani, qui in Christum credere noluerunt, ut agerent pœnitentiam ab iniquitatibus suis, perierunt.

CAP. X. ℣. I. ET *vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite ejus.* Quia superius adversitates Ecclesiæ narraverat, quæ ab hæreticis & paganis passa est: restat ut de prosperitate ejus, qualiter inter persecutiones creverit, narret. Constat namque Ecclesiam in persecutionibus crevisse, & quanto amplius opprimebatur, tanto amplius confortabatur, & crescebat: sicut de filiis Israel in figura ejusdem Ecclesiæ scriptum legimus, qui quanto amplius ab Ægyptiis opprimebantur, tanto amplius multiplicabantur. Angelus fortis dominum nostrum Jesum Christum designat, de quo dicit Psalmista: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* (Psal. 23. 8.) Qui descendens de cælo amictus nube esse dicitur; quia Dominus noster veniens in mundum, carnem quæ per nubem designata est, induit, ut per carnis assumtionem se hominibus conformaret, quos redimere veniebat. Per irim vero ejus misericordia designatur, sicut superius diximus: per caput autem ejus divinitas in hoc loco intelligitur. Irim in capite habebat, quia ejus divinitas ante incarnationem suam tantam misericordiam assumserat, ut homo fieri pro hominibus non dedignaretur, & ad ultimum pessima morte damnari. *Et facies ejus erat sicut sol.* Sæpe per solem Dominus designatur; quia sol omnes creaturas visibiles suo splendore atque pulcritudine antecedit: sed quæ creatura poterit comparari suo creatori? Verum per figuras visibiles sæpe invisibilia demonstrantur. In corde igitur electorum Christus sol est, quem cernere per spem nullo modo desistunt, & ad cujus pulcritudinem intuendam perventuros esse se credunt. *Et pedes ejus tamquam columna ignis.* Per columnam ignis Ecclesiam possumus accipere; b sive quia Spiritu sancto ignita resplendet, sive quia amore Dei atque proximi indesinenter ardet. Per duos vero pedes duos populos intelligere debemus. Ex duobus ergo pedibus una columna efficitur; quia ex duobus populis, ex Judæis videlicet atque gentibus, una Ecclesia Dei fabricatur. Possumus etiam per duos pedes duo Testamenta intelligere, sicut in sequentibus plenius demonstrabimus. Nec discordat à sensu superiori, eo quod vetus Testamentum Judæis, novum autem gentibus specialiter traditum sit.

℣. II. *Et habebat in manu sua libellum apertum.* Hic Liber superius septem sigillis signatus fuisse describitur; sed de ejus apertione, Domino largiente, aliqua diximus. Libellum igitur apertum in manu sua dominus noster Jesus Christus tenere visus est; quia sensus divinarum scripturarum doctoribus Ecclesiæ ipse aperuit. *Et posuit pedem suum dexterum super mare; sinistrum autem super terram.* Per pedem dextrum, sicut diximus, novum Testamentum: per sinistrum vetus designatur. Possumus autem per mare populum gentium intelligere propter profunditatem ignorantiæ atque errorem: per terram vero quæ excolitur, ut fructum ferat, Judæos qui excolebantur per disciplinam Legis, & fructum ferebant, cùm præcepta legalia, quamvis carnaliter, implebant. Pedem ergo suum dextrum Dominus super mare posuit, quando specialius gentibus doctrinam Evangelii, quam Judæis tradidit, sicut Paulus eisdem Judæis loquitur, dicens: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* (Act. 13. 46.) Pedem sinistrum super terram posuit, quando Legem Judæis specialiter tradidit. Sed nullum moveat, quod posteriora prius commemoraverit, & priora posterius; eo quod in divinis scripturis hoc sæpe contingat. Ad quod comprobandum unum tantummodo exemplum proferamus. In psalmo centesimo quinto, cùm dixisset: *Aperta est terra, & deglutivit Dathan,* (Psal. 105. 17.) *& operuit super congregationem Abiron: & exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores*; tertio intulit, & dicit: *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adoraverunt sculptile*: Nec inconvenienter per dextrum pedem novum Testamentum, per sinistrum autem vetus designatur: eo quod vetus Testamentum umbra fuerit novi Testamenti.

℣. III. *Et clamavit, quemadmodum cùm leo rugit.* Clamavit Christus per Legem, sed non quemadmodum cùm leo rugit: quia in una domo Israel vox ejus tantummodo audita est: clamavit postea per Evangelium, *quemadmodum cùm leo rugit*; quia in omnem mundum vox ejus intonuit. *Et cùm clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.* Per septem tonitrua septem virtutes possumus accipere. Clamavit Christus per Legem, sed septem tonitrua non sonuerunt: clamavit per Evangelium, & loquuta sunt septem tonitrua voces suas. Nam illis quibus Lex dicebat: Maledictus qui non reliquerit semen suum in Israel; & quibus ob hoc plures uxores atque concubinas habere licitum erat, pudicitiæ tonitruum necdum sonuerat. Similiter & illi, quibus Lex dicebat: *Oculum pro oculo, dentem pro dente; & qualem inflixerit quis maculam, talem & sustinere cogatur*; (Exod. 21. 24.) necdum tonitruum patientiæ audierant. Et illi tonitruum caritatis necdum perfecte audierant, quibus Lex dicebat: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* (Matth. 5. 43.) Sicut & de ceteris virtutibus intelligendum est. Septem ergo tonitrua loquuta sunt; quando per doctrinam Evangelii sublimitas virtutum cœpit demonstrari.

℣. IV. *Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ loquuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.* Vox de cælo vox est de Ecclesia: scribere vero est prædicare; quia sicut scriptor attramento in volumine scribit, unde legentes exerceantur; ita & quilibet doctor verba Dei scribet, cùm ea prædicando in cordibus audientium plantat. Cur ergo per vocem quæ de cælo sonuit, prohibitum est ne septem tonitrua scriberentur, in Actibus apostolorum, & in epistolis Pauli invenire possumus. In initio namque fidei prædicatores sancti videntes infirmitatem gentium ad fidem venientium, non sunt ausi eis austeriora Christi præcepta committere; ne forte duritia præceptorum territi, non auderent ad fidem Christi suscipiendam accedere, sicut Paulus apostolus discipulis suis scripsit, dicens: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales.* (1. Cor. 3. 2.) Sed & apostoli qui erant Hierosolymis, eis qui ex gentibus crediderant, mandaverunt, dicentes: *Placuit Spiritui sancto & nobis nihil imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis vos ab istis, quæ idolis immolantur, & à fornicatione, & suffocato, & sanguine.* (Act. 15. 28.) Vox ergo de cælo Johanni loquitur, ne septem tonitrua scriberet; quia apostoli qui per cælum designantur, primis prædicatoribus præceperunt; ut noviter ad fidem venientes, subito ad celsitudinem virtutum conscendere cogerent, donec in fide confortati, jam ad operationem virtutum transire possent.

℣. V. *Et Angelus quem vidi stantem supra mare & super terram, cùm levasset manum suam,* ℣. VI. *& jurasset per viventem in æternum, qui creavit cælum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: mare, & ea quæ in eo sunt; quia tempus amplius non erit,* ℣. VII. *sed in diebus septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, quod evangelizavit per servos suos prophetas.* Nos quando juramus, volumus ut firmum sit, quod loquimur. Dixisse ergo Dominum jurasse est: quia fieri non potest ut quod loquitur Deus, irritum fiat, sicut ipse dicit in Evangelio: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* (Luc. 21. 33.) Cùm igitur Christus per viventem in æternum, & per eum qui fecit omnes creaturas juravit, per semet ipsum juravit: Quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* (Johan. 1. 3.) Juravit autem non quibusdam verbis semet ipsum obligando; sed docendo ea, quæ ventura erant. Per septimum vero Angelum prædicatores, qui in fine mundi futuri sunt, designantur, de quibus in sequentibus dicemus. Juravit ergo Christus, quod in diebus septimi Angeli consummabitur mysterium Dei, quod evangelizavit per suos prophetas; quia prædixit quia tunc veniet finis, cùm omnis electorum numerus fuerit completus.

℣. VIII. *Et vocem quam audivi de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum de manu Angeli stantis supra mare & supra terram.* Vocem primam eam dicit, quando de cælo ei dictum est: *Signa quæ loquuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.* Eamdem itaque vocem se iterum audisse dicit; quia ejusdem Spiritus sancti vox fuit illa, cujus & ista. Per Johannem in hoc loco omnes apostolos intelligere debemus. Vox ergo divina Johanni loquuta est, ut iret ad Angelum, & acciperet ab eo librum, quia Spiritus sancti gratia apostolis inspiravit, ut relictis omnibus, Christum sequerentur; ut doctrinam Evangelii ab eo perciperent.

℣. IX. *Et abii ad Angelum, dicens ei ut daret mihi librum.* Abierunt apostoli ad Christum, ut ab eo doctrina divinarum scripturarum instruerentur. *Et dixit mihi: Accipe, & devora illum, & faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.* ℣. X. *Et cùm devorassem eum, amaricatus est venter meus.* Per os in quo sapores discernuntur corda apostolorum intelligere possumus: per ventrem autem in quo omnes superfluitates commorantur corporis, memoriam peccatorum intelligere debemus. Liber igitur dum devoratur, ut mel dulce fuisse dicitur; quia divina scriptura dum in mente revolvitur, vitamque æternam mandata Dei custodientibus repromittit, dulcis ut mel in corde efficitur: cùm vero mentem à superioribus ad inferiora, id est, à contemplatione cælestis patriæ ad peccata sua intuenda deducit, pœnasque quas impii pro peccatis suis passuri sunt, ostendit, quæ antea fuerat dulcis in demonstratione cælestis gloriæ, amara efficitur in peccatorum ostensione. Possumus etiam hoc de Johanne proprie intelligere, qui antequam Evangelium scriberet, Pathmos in exilium ductus est: sed quia propter absentiam ejus hæretici Ecclesiam Dei invaserant, post reversionem suam de exilio ad eorum blasphemias destruendas compulsus est Evangelium scribere. Præcepit igitur vox divina Johanni, ut iret ad Angelum, & acciperet ab eo librum; quia (Sup. cap. 1.)

a. Ita mss. edit. autem, ut non adorarent idola aurea, & argentea, & ærea &c.

b. In edit. deerant, sive quia Spiritu sancto ignita resplendet, sive, quæ [illegible] ex mss.

Spiritus

Spiritus sanctus hoc Johanni inspirando suasit, ut iret ad Christum non passibus corporis, sed passibus mentis, ad considerandam divinitatis ejus potentiam atque cum Patre æqualitatem, ut de divinitate ejus libellum omnibus fidelibus salutiferum posset conscribere. Devoravit vero Johannes librum, cùm scientiam Evangelii quod postea scripsit, plenissime accepit. Liber itaque dum devoratur, dulcedinem mellis ori exhibuit; quia divina scriptura quanto amplius in corde ruminatur, tanto salubriorem dulcedinem menti exhibet. Possumus autem per ventrem, in quo escæ putrescunt, carnem hanc mortalem intelligere. Liber igitur qui in ore dulcis fuit, amaritudinem ventri generavit; quia sancti viri quanto amplius in meditatione divinarum scripturarum dulciti sunt, quantoque eorum meditatio dulcior fit in mente, tanto majorem amaritudinem carni suæ exhibent, affligendo videlicet eam

a jejuniis, vigiliis, *a* abstinentia, ceterisque cruciatibus, quibus caro adteritur.

ỳ. XI. *Et dixit mihi: Oportet te prophetare iterum populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis.* Prædicitur ei quod ab exsilio ad prædicandum B rediturus sit. Sed cùm sancti patres tradant quod post reversionem suam de exsilio tantummodo in Epheso, & circa adjacentia loca ejus prædicaverit, atque mortuus sit, & corpore requiescat; quomodo populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis prophetasse dicitur? Sed prophetavit, id est, prædicavit per Evangelium suum, quod postea scripsit omnibus gentibus, & linguis, & regibus multis; quia per omnes gentes dispersum est, & in meditatione ejus omnes terrarum populi, regesque multi proficiunt.

CAP. XI. ỳ. I. *ET datus est mihi calamus mensuræ similis virgæ, dicens: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.* Per calamum quo antiqui scribere solebant, Evangelium quod ei datum est à Domino, & quod postea scripsit, designatur: per virgam vero sæpe disciplina accipitur. Calamus igitur qui Johanni datus est, similitudinem virgæ habuit; quia disciplina christianorum est Evangelium. Unde & C templum & altare & adorantes in eo metiri præcipitur: per templum namque Ecclesia: per altare sancti & perfecti viri, qui in Ecclesia consistunt: per adorantes autem in eo cetera multitudo, quæ eorum doctrinâ instruitur, designatur. Templum autem Dei & altare, atque adorantes in eo unusquisque prædicator metitur, dum unicuique se-

b cundum propriam capacitatem spiritualis gratiæ doctrinam *b* administrat; aliter enim docendus est sapiens, aliter insipiens: aliter litteratus, aliter illiteratus: aliter paganus, aliter christianus: aliter hæreticus, aliter catholicus. Nam & Dominus dicit in Evangelio, quia paterfamilias

Matth. 25. 14. *peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum; unicuique secundum propriam virtutem.*

ỳ. II. Sequitur: *Atrium autem quod est foris, ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus.* Si foris erat, quomodo foras ejici poterat? Per atrium ergo Judæi designantur: Judæi igitur foris erant D per incredulitatem: sed Johannes & ceteri apostoli adhuc eos per amorem in cordibus suis tenebant, sicut dicit apostolus Paulus:

Rom. 9. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Unde præcipitur ei, ne illud metiatur, id est, verba prædicationis non eis ministret, sicut in

Matth. 7. 6. Evangelio ipse præcepit, dicens: *Nolite mittere margaritas vestras ante porcos; ne conculcent eas pedibus suis, & conversi elidant vos.* Et ad

Ezech. 3. 26. prophetam Ezechielem Dominus loquitur, dicens: *Ecce ego adhærescere faciam linguam tuam palato tuo, nec eris quasi vir objurgans: quia domus exasperans est.* Hocque atrium datum esse gentibus dicitur; quia Judæi propter incredulitatem suam paganis gentibus erant conjuncti: sive traditi erant gentibus, id est, Romanis, ut ab eis delerentur, atque exterminarentur. *Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Subito saltum facit ad Eliam atque Enoch, qui temporibus Antichristi venturi sunt: & pulcro satis ordine, videlicet, ut qui Judæorum dejectionem per figuram atrii protulerat, eorum restaurationem tacite subnecteret; constat enim Judæos in fine mundi per prædicationem Eliæ & Enoch ad fidem Christi esse reversuros. Civitatem itaque sanctam, id est, Ecclesiam, Antichristus & ministri ejus calcabunt, id est, persequentur mensibus quadraginta duobus, qui faciunt tres annos & dimidium.

ỳ. III. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Testes duos Dominus Eliam & Enoch vocat, qui adventum ejus secundum præcurrent, sicut Johannes præcurrit pri-

ỳ. IV. mum. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ*

Matth. 5. 15. *stantes.* Oliva oleum fert, quod supra candelabrum postea ponitur, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Per oleum in hoc loco sapientiam spiritalem possumus accipere; unusquisque enim oliva tunc est, quando apud se quiescens, per contemplationis gratiam Deo deservire studet; quando illud implere studet, quod Dominus dicit in Evangelio:

Matth. 6. 3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Candelabrum vero tunc fit, quando illud implet quod Dominus dicit in Evan-

Matth. 5. 16. gelio: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Duo igitur isti sancti modo olivæ sunt, cùm in aliquo loco terræ positi, ubi eos majestas divina commorari præcepit, per contemplationis gratiam Deo deserviunt: candelabra tunc fient, cùm ad ex-

c plendum prædicationis suæ *c* officium venerint, quando omnibus, & fidelibus videlicet & reprobis verbum Dei annuntiabunt. De hoc can-

Ibidem. 15. delabro Dominus dicit in Evangelio: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum; ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Lucerna quippe super candelabrum ponitur, quando officium prædicationis sancto viro traditur, qui bonum quod prædicat, flammis bonorum operum illustrat: lucerna verò sub modio ponitur, A quando officium prædicationis alicui reprobo committitur, qui bonum quod prædicat, pravis operibus tegit: ne lumen præbeat eis, qui in domo sunt, *d* sicut dicit sanctus Gregorius, quia cujus vita despicitur,

d Ibidem. 15. restat ut & prædicatio ejus contemnatur. Duæ ergo olivæ & duo candelabra in conspectu Domini stare dicuntur: quia in terra positi, illud tempus præstolantur, quo officium prædicationis suæ expleant, & mortis debitum solvant, sicut sequentia manifestant.

ỳ. V. *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.* Quia Spiritus sanctus loquitur per ora sanctorum, sicut Dominus dicit in

Matth. 10. 20. Evangelio: *Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* non incongrue verba sanctorum ignis vocantur,

Psal. 118. 140. sicut Psalmista dicit de Domino: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Ignis igitur exiet de ore sanctorum istorum, & devorabit inimicos eorum; quia doctrina eorum ita errores Antichristi destruet, ut omnibus sanam mentem possidentibus, nihil videa- B tur esse, quod asserere conabuntur Antichristus & ministri ejus. Quod autem sequitur, *Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi,* ad eamdem rem pertinet.

ỳ. VI. *Hi habent potestatem claudendi cælum, ut non pluat diebus prophetiæ eorum: & habent potestatem super aquas, convertendi eas in sanguinem,*

3. Reg. 17. 1. *& percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.* Legimus Eliam oratione clausisse cælum, & iterum aperuisse: sed & Moysen aquas in

Exod. 7. 20. sanguinem convertisse. Non ergo putandum est Eliam minorem virtutem habere, cùm ad explendum officium suæ prædicationis venerit, quam habuit eo tempore, quo inter homines conversatus est, sed potiorem. Possumus etiam per cælum Ecclesiam, per pluviam verba sanctorum spiritaliter intelligere; clauditur namque cælum impiis, cùm Deus suo judicio corda eorum ita obdurari sinit, ut nullo modo verbo Dei aditum accedendi ad cor suum tribuant, ut salventur. Nam & propheta

Esai. 6. 10. Esaias cælum Judæis clausit, cùm ei à Domino dictum est: *Excæca* C *cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde suo intelligant: & convertantur, & sanem eos.* Clausit & cælum *e* Hieremias inimicis suis,

e Hier. 18. 23. cùm dicebat ad Dominum: *Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo: in tempore visitationis tuæ peribunt.* Numquid Moyses non habebat potestatem claudendi cælum & aperiendi, cui dicebat Dominus, cùm

Exod. 32. 10. populus peccasset: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam?* Sancti itaque illi quibusdam claudent cælum, ut non descendat super eos imber misericordiæ Dei, eis videlicet, quos ab erroribus Antichristi revocare non potuerint: quibusdam vero aperient, eis videlicet quos ab erroribus Antichristi revocaverint; imbremque super eos pluent, quando suis precibus Deum illis propitium efficient. Per aquas quas in sanguinem convertere dicuntur, populi designantur: sanguis autem ultionem di- D vinam demonstrat. Aquas igitur in sanguinem convertent, quando gentes quæ à fide Christi discesserint, perpetua morte esse damnandas suo judicio decernent.

ỳ. VII. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet contra eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Bestia hæc Antichristum significat. *Faciet contra eos bellum,* quando eos persequetur: vincet vero illos non superando verbis, sed interficiendo.

ỳ. VIII. Unde & sequitur: *Et occidet eos, & jacebunt corpora eorum in platea civitatis magnæ, quæ vocatur spiritaliter Sodoma & Ægyptus: ubi & Dominus eorum crucifixus est.* Si per civitatem magnam Hierusalem terrestrem voluerimus intelligere propter hoc quod dicit: *Ubi & Domi-*

f *nus eorum crucifixus est, f* à veritate oberrabimus; eo quod illa Hierusalem usque ad solum destructa sit, & ista quæ modo ædificata est, non in eo loco, sed in alio sita esse dicatur: neque Sodoma & Ægyptus dicenda est, eo quod à christianis incolatur. Similiter considerandum quia ubicumque in hoc libro civitas magna ponitur, Babylonem E quæ est civitas diaboli, & ex omnibus reprobis constat, significat. Quod autem in platea civitatis magnæ corpora eorum projicienda esse dicuntur, possumus simpliciter intelligere, ut in quacumque platea, quæ ad jus alicujus reprobi pertineat, jaceant. Sed melius mihi videtur, ut sicut per civitatem magnam omnes reprobos intelligendos esse diximus, ita & per plateam corda reproborum intelligamus: jacebunt itaque corpora sanctorum in platea civitatis magnæ; quia sancti illis jacent, à quibus nullius esse momenti existimantur: è contrario fidelibus stant, qui quanta sit eorum virtus atque gloria, cordis oculis intuentur. Civitas vero diaboli non inconvenienter Sodoma & Ægyptus nominatur; eo quod Sodoma cæcitas, Ægyptus tenebræ interpretentur. Quis enim deteriorem cæcitatem atque tenebras patitur, quam impii, qui præcipiti gradu, ut in cloacam inferni demergantur, mala operando properare non desistunt? In platea vero civitatis magnæ, ubi Dominus crucifixus est, corpora sanctorum projicienda esse describuntur; F quia sicut à membris diaboli Christus crucifixus est, ita ab eisdem ii duo prophetæ occidentur.

ỳ. IX. *Et videbunt de populis, & tribubus & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in*

ỳ. X. *monumentis: & inhabitantes terram gaudebunt super eos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem; quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant terram. Et post dies tres & dimidium spiri-*

ỳ. XI. *tus vitæ à Deo intravit in eos & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super omnes, qui viderunt eos. Et audierunt vocem*

ỳ. XII. *magnam de cælo dicentem illis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Hoc si secundum historiam impleatur, hominibus quidem incognitum, Deo autem nota sunt omnia. Possumus autem & nos huic historiæ spiritalem intelligentiam adjungere: sed temerarium videtur illam historiam, quam

a. Edit. *abstinentia vitiorum, ceterisque* &c. mss. omittunt, *vitiorum*.
b. Omnes edit. *administret, aliter hæreticus, aliter catholicus*. mss. vero nobiscum faciunt.
c. Ita mss. nisi quod ubi alii & edit. legunt *officium*. Sag. habet *mysterium*, forte *ministerium*: totus autem locus in edit. hoc modo cultus, *officium venerint, quando omnibus, videlicet fidelibus & infidelibus, verbum* &c.

d. Edit. *sicut scriptum est: Cujus vita despicitur*: omnes vero mss. hanc eamdem potius quam sanctum retinent.
e. Omnes edit. *Hieremias amicis suis*: omnes mss. melius, *Hieremias inimicis suis*.
f Ita mss. at edit. è contrario, *à veritate non oberrabimus*. Minus commode.

intelligamus, spiritalibus sensibus velle adornare. Nullam quippe domum extra positi, interius ornare valemus: sed ne omnino tacuisse videamur, pauca dicamus. Possumus per tres dies & dimidium tres annos & semis intelligere, quibus ii duo prophetæ prædicaturi sunt: per monumenta vero mentes reproborum intelligere possumus. De his
Matth. 23. 25. monumentis Dominus loquitur, dicens: *Væ vobis scribæ & pharisæi; quia estis sicut sepulcra dealbata, quæ à foris quidem videntur candida, intrinsecus autem plena sunt omni immunditia, & ossibus mortuorum.* Sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis rapina & iniquitate. In monumentis igitur reprobi corpora sanctorum non sinent poni; quia doctrinam illorum à mentibus suis abjicient. Quod autem post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intrare in eos dicitur, & stare super pedes suos, resurrectionis tempus accipere possumus, quod post tria tempora & dimidium, quamvis non statim, in proximo tamen fiet. Stabunt quippe super pedes suos, quando post resurrectionis tempus, quanta sit eorum virtus atque magnificentia omnibus impiis manifestabitur. Timor vero magnus cadet super inimicos eorum, cùm viderint eos: quia in die judicii cùm viderint eos, gloriamque illorum, turbabuntur timore horribili, dicentes: *Hi sunt quos*
Sap. 5. 3. *aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est?* Et quia Malachias propheta ex persona Domini loquitur,
Malach. 4. 5. dicens: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, qui convertat corda patrum ad filios*: & cetera quæ sequuntur: credimus Judæos per prædicationem Eliæ, sicut *a* superius, prout potuimus, demonstravimus, ad fidem Christi esse convertendos. Possumus autem per duos testes duorum populorum prædicatores intelligere, Judæorum videlicet atque gentium. Qui diebus mille ducentis sexaginta prophetaturi esse dicuntur; quia omni tempore quo Antichristi persecutio atque deceptio per universum orbem desæviet, quoscumque poterunt, ad viam veritatis reducere studebunt.

℣. XIII. *Et in illa hora factus est terræ motus magnus.* Nunc ad initium prædicationis Eliæ & Enoch revertitur. Terræ motus, sicut superius jam diximus, motionem cordium solet designare: terræmotus tunc fiet, cùm per prædicationem Eliæ & Enoch multi ad pœnitentiam, multi ad fidem convertentur. *Et decima pars civitatis cecidit.* Non sanus sensus mihi videtur esse, ut per civitatem, cujus decima pars cecidit, Ecclesiam intelligamus; eo quod hic sermo ad civitatem magis diaboli, quàm ad civitatem Dei respiciat. Illius ergo civitatis in hoc loco decimam partem corruisse dicit, quam superius civitatem magnam, Sodomamque & Ægyptum vocavit, & in cujus platea corpora sanctorum per tres dies & dimidium insepulta jacere dicuntur. Et quia per denarium numerum sæpe Lex designatur, eo quod Lex per decalogum sit accepta; possumus per decimam partem quæ corruit, Judæos observatores Legis intelligere, qui per prædicationem Eliæ fidem Christi suscipientes à civitate diaboli corruent, & prætendentur. *Et occisa sunt terræ motu hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli.* Sicut per denarium numerum Lex, ita & per septenarium sæpe gratia Evangelii accipitur. Ecce decima pars civitatis, quam non ex lapidibus, sed ex hominibus constare docuimus, cecidit; & non decem millia, sed septem millia mortua esse perhibentur. Denarius igitur numerus in septenarium commutatus est; quia Judæi observationes legales respuentes, doctrinam Evangelii suscipient: quæ propter septem dona Spiritus sancti per septenarium numerum designatur. Septem ergo millia mortua esse describuntur; quia morientur diabolo, ut vivant Deo: reliqui vero qui in timore sunt missi, electos ceteros designant, qui videntes conversionem Judæorum, atque divinam scripturam in illis esse completam, in timore Dei atque amore proficient, Deumque pro eorum conversione laudare non desistent.

℣. XIV. *Væ secundum abiit, & ecce væ tertium veniet cito.* Væ tertium ad ea mala, quæ per Antichristum facturus est diabolus, ad diem judicii pertinet. Et quia superius Angelum quem vidit stare supra mare & supra terram, jurasse dicit per viventem in æternum; quia in diebus septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium
Sup. c. 10. Dei, quod evangelizavit per servos suos prophetas, diem judicii breviter ponere voluit, & ad mala Antichristi postea narranda revertitur. Quod si diligenter inspicimus, videbimus eum hoc ordinate fecisse; scimus namque quia prædicatores sancti, qui in fine mundi nascituri sunt, hoc prædicabunt, quod dies Domini in proximo sit; ut quos exhortationibus ad viam veritatis reducere non potuerint, saltem terroribus ad pœnitentiam provocent. Et quia ante persecutiones Antichristi, dies judicii incipiet prædicari, eumdem diem judicii Johannes antea ponere voluit, quàm ad persecutiones ipsius Antichristi narrando veniret.

℣. XV. *Et septimus Angelus tuba cecinit.* Per septimum Angelum, sicut diximus, prædicatores sancti qui in fine mundi nascituri sunt, designantur. Tuba canent, cùm verbum Dei annuntiabunt. *Et factæ sunt voces magnæ in cælo, dicentes.* Possumus per cælum Ecclesiam, per voces vero magnas sanctorum verba intelligere, qui in adventu Domini ad judicium venientes exsultabunt, sicut Dominus dicit in Evangelio:
Luc. 21. 28. *Respicite & levate capita vestra; quia appropinquat redemtio vestra.*

Factum est regnum hujus mundi Domini & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum. Numquid antea non erat Domini & Christi ejus regnum hujus mundi? Sed regnum hujus mundi homines vocavit, in quorum mentibus aut regnat Deus, aut regnat diabolus. Regnat Deus
Job. 41. 25. in sanctis suis: regnat diabolus in eis, qui sunt ex parte ejus; ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Regnum igitur hujus mundi Domini & Christi ejus tunc fiet, cùm diabolus cum omnibus quos decepit, in infernum demersus fuerit: cùm illud implebitur, quod
Dan. 7. 27. Angelus ad Danielem loquitur, dicens: *Regnum autem & potestas, quæ est subter omne cælum, tradetur populo sanctorum, qui & obtinebunt illud usque in sæculum, & in sæculum sæculorum.*

℣. XVI. *Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes.* Per viginti quatuor seniores in hoc loco animas sanctorum, quæ in cælesti beatitudine cum Domino commorantur, possumus intelligere: sedes vero requiem sempiternam designant. Viginti quatuor seniores in conspectu Dei sedent in sedibus suis; quia sanctorum animæ sine corporibus in cælesti beatitudine modo cum Domino requiescunt. In facies suas ceciderunt & adoraverunt; quia sancti Dei cùm viderint justissimum Dei judicium peragi, inenarrabilemque ejus potentiam, dejicient se per humilitatis subjectionem in conspectu creatoris sui, scientes nihil esse quidquid est, in comparatione illius, qui Deus est.

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras ℣. XVII.
sanctus, & qui accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et iratæ ℣. XVIII.
sunt gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari; b & reddere mercedem servis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis; & exterminandi eos, qui corruperunt terram: Est Christus modo, postquam hominem adsumsit, ejusdem sanctitatis qua & Pater, ejusdem æternitatis, ejusdem potentiæ: erat & antequam hominem adsumeret, æqualis per omnia Patri. Accepit autem virtutem suam magnam, quando per passionem suam diabolum vicit: regnavit vero, quando genus humanum sibi subjecit: iratæ sunt gentes, quia impii homines Ecclesiam Dei persequuti sunt, ut nomen Christi de mundo extinguerent: adveniet autem ira Dei, cùm dies judicii advenerit: adveniet tempus mortuorum judicari, videlicet ut mortui judicentur. Illi scilicet mortui, qui in hac vita positi, animas suas male vivendo interficere non timuerunt. *Et reddere mercedem servis tuis prophetis & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis.* Hoc tunc implebitur, quando in die judicii dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum* Matt. 25. 34.
est ab origine mundi. Pusillos illos vocat, qui minoris sunt meriti: magnos, qui majorem gratiam obtinent apud Deum. *Et exterminandi eos, qui corruperunt terram.* Corruptores terræ impios vocat: hoc tunc implebitur, quando dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, c qui* Ibidem 41.
paratus est diabolo, & angelis ejus. Sed quærendum nobis est, quam terram corruperunt impii. Semet ipsos utique male vivendo corruperunt, quando in luxuriis, ceterisque vitiis corpora sua enutrierunt. Corruperunt & aliorum terram, eorum videlicet, quos & verbis & exemplis ad mala opera agenda pertraxerunt. Nunc ad ea quæ prætermiserat, id est, ad mala Antichristi narranda revertitur. Et ut commodius ad ea exprimenda perveniat, ab adventu Christi incipit, atque mala quæ Ecclesia à diabolo passa est, commemorans, qualiter idem diabolus eamdem Ecclesiam per Antichristum evertere conetur, annectit.

Et apertum est templum Dei in cælo, & visa est Arca testamenti ejus ℣. XIX.
in templo ejus. Possumus per templum Dei beatam Mariam intelligere: per arcam vero Testamenti Christum, qui ex ea carnem adsumsit. Templum autem Dei non ideo apertum dicitur, quod uterus beatæ virginis Mariæ in pariendo Dominum apertus sit, quæ fuit virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum: sed ideo apertum dicitur, quia per ipsam visibilis nobis factus est dominus noster Jesus Christus. Possumus etiam per templum vetus Testamentum intelligere: per arcam sacramenta quæ de Christo in veteri Testamento continentur. Veniente quippe Christo in carne, apertum est vetus Testamentum, atque spiritalis intelligentia, quæ in eo latebat, fidelibus est revelata: *Et facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.* Per fulgura miracula quæ per Christum facta sunt: per voces vero ejus prædicatio designatur. Terræ motus autem motionem cordium designat; moti sunt namque multi per prædicationem Christi ad pœnitentiam de peccatis suis peragendam: *d* moti sunt de infidelitate ad fidelitatem: moti sunt de malo ad bonum. Et quia grando terram solet percutere, possumus per grandinem comminationes ignis æterni, quæ in Evangeliis sæpe inveniuntur, intelligere; quibus corda pravorum percutiuntur, ut resipiscant ab iniquitatibus suis.

Cap. XII. ℣. 1. *ET signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Hæc mulier Ecclesiam designat; consequens quippe erat, ut post prædicationem Christi, ejus forma describeretur, quam prædicatio Christi genuit. Possumus autem per cælum in hoc loco hunc mundum intelligere: per signum magnum salutem magnam, quam adventus & prædicatio Christi mundo contulit: per solem vero Christus designatur, sicut dicit propheta: *Vobis autem timentibus nomen Domini orietur sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Mulier itaque amicta erat Malach. 4. 2.
sole; quia fideles, ex quibus Ecclesia constat, in baptismate Christum induunt, sicut Apostolus dicit: *Omnes qui in Christo baptizati estis,* Galat. 3. 27.
Christum induistis. Per lunam vero, quam sub pedibus habuisse visa est, quæ crescit & decrescit: mundum istum possumus intelligere, quem Ecclesia despiciendo calcat, ut liberius ad cælestia tendat. Sed quia luna noctem illuminat, melius mihi videtur, ut per lunam scripturam sacram intelligamus, sine cujus lumine in nocte hujus sæculi per vias rectitudinis incedere non valemus. De hoc lumine Psalmista dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Psal. 118. 105.
Mulier igitur lunam sub pedibus suis habuisse visa est: quia Ecclesia gressus mentis suæ in præceptis divinarum scripturarum figens, ad cælestia quotidie novit tendere. Quæ etiam in capite suo coronam stellarum duodecim habuisse visa est. Caput Ecclesiæ Christus est, duodecim vero stellæ duodecim sunt apostoli. Possumus nihilominus per caput mentes fidelium intelligere. Mulier ergo in capite coronam stellarum duodecim habuisse visa est; quia mentes fidelium doctrina & actus Apostolorum, cùm eos imitari satagunt, exornant.

Et in utero habens, & clamabat in doloribus, & cruciabatur, ut ℣. 2.
pareret. Quomodo infans in utero coagulatur, humanamque formam accipit atque spiramentum; similiter & Ecclesia infideles quosque, quos in utero gestat, dum eos prædicando tamdiu nutrit, usque dum humanam formam accipiant, id est, usque dum in Christum credant, atque animam spiritalem accipiant, quæ in baptismo datur, cùm effi-

a. Omnes edit. *superius demonstravimus*: omnes mss. ut in corpore.
b. Rem. edit. *reserventur, & reddere mercedem .... qui corruperunt terram.*
c. Restituit ex mss. *qui paratus est diabolo* &c.

a. Ita mss. edit. vero, *moti sunt per fidelitatem ab infidelitate .... ad bonum per bonam conversionem.*

ciuntur Dei filii. Unde & clamare in doloribus dicitur, & cruciari ut pariat; clamat namque Ecclesia prædicando, clamat etiam pro auditorum suorum salute Deum deprecando. Cruciatur vero ut pariat, cùm luget eos, quos in peccatis jacere conspicit, sicut Paulus aposto-
Galat. 4. 19. lus infirmantibus discipulis loquitur dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et in Actibus apostolo-
Act. 20. 19. rum Ephesiis loquitur, dicens: *Per triennium quotidie non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* Et Psalmista de prædicato-
Psal. 125. 6. ribus loquitur, dicens: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.*
℣. III. *Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem & cornua decem, & in capitibus suis septem diade-*
℣. IV. *mata: & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Draco iste diabolum significat: rufus autem color talis est, ac si croceo colori sanguineum admisceas. Concordat vero pallidus color, id est, croceus cum sanguineo; quia sanguis dum effunditur, mortem adducit: pallor autem totum corpus morientis coope-
Sap. 2. 24. rit. Rectè ergo diabolus habere dicitur colorem mortis; quia illius invidia mors introivit in orbem terrarum: per septem vero capita reprobi, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum usus est, designantur. Diademata regiam ejus potestatem designant: ipse est enim
Job 41. 25. rex, sicut dicit Scriptura, super omnes filios superbiæ. Nam sicut per septem cornua Agni omnes electi designati sunt, quos in septem partes divisimus; ita & per septem capita draconis reprobi, qui eis in via Dei adversati sunt, designantur. Primum namque caput draconis fuerunt reprobi, qui ante diluvium fuerunt, quos Scriptura filios hominum vocat: quia eis qui filii Dei vocabantur, in laqueum fuerunt. Secundum caput diaboli fuerunt ii, qui post diluvium usque ad Legem fuerunt: inventores scilicet idolorum, diversorumque errorum, per quos genus humanum deceptum est. Tertium caput diaboli fuerunt ii, qui postquam Lex data est populo Dei, idola colere suadebant. Quartum caput diaboli fuerunt falsi prophetæ, regesque impii, à quibus populus Dei in tantum deceptus est, ut pro suis iniquitatibus in captivitatem duceretur. Quintum caput fuerunt impii Judæi, qui & Dominum occiderunt, & apostolos ejus persequuti sunt. Sextum caput fuerunt persecutores Ecclesiæ. Septimum vero caput diaboli erit Antichristus. Quid significent autem decem cornua, in sequentibus dicemus, in eo
Cap. 17. ℣. 3. loco ubi mulier meretrix super bestiam coccineam sedisse visa est. Per caudam vero, quæ finis est corporis, Antichristus designatur. Tertiam igitur partem stellarum cæli cauda draconis traxisse visa est; quia Antichristus multos ex iis, qui ab hominibus electi putabantur, & qui in Ecclesia velut stellæ in cælo, scientia & intellectu refulgent, decipiet, atque in perditionis foveam demerget. *Et draco stetit ante mulierem, quæ paritura erat; ut cùm peperisset, filium ejus devoraret.* Possumus per mulierem in hoc loco & beatam Mariam intelligere, eo quod ipsa mater sit Ecclesiæ; quia eum peperit, qui caput est Ecclesiæ: & filia sit Ecclesiæ, quia maximum membrum est Ecclesiæ. Draco igitur stetit ante mulierem, ut cùm peperisset, filium ejus devoraret;
Matth. 2. 13. quia in exordio nativitatis Christi eum per Herodem ministrum suum interficere voluit. Stat etiam ante mulierem, id est, Ecclesiam, ut eos quos per baptismum Deo generat, male suadendo perdat.
℣. V. *Et peperit filium masculum.* In quantum hoc ad dominum nostrum Jesum Christum pertinet, quid necesse fuit dicere filium masculum mulierem peperisse, cùm omnes sciamus masculum esse dominum nostrum Jesum Christum? In quantum vero ad Ecclesiam, cur dicit masculum eam peperisse, cùm ex utroque sexu filios & filias quotidie Deo generet? Femineus quippe sexus fragilis est: femina igitur quæ fortitudine animi assumta diabolum vincit, atque per bona opera Deo placere studet, non incongrue vir vocatur; quia quamvis corpore sit femina, virtute tamen animi viris bonis coæquatur. Mulier itaque masculum peperit; quia ejus membra quem beata Maria virgo peperit, quotidie Ecclesia parit. Unus ergo masculus est, quem virgo Maria peperit, & Ecclesia quotidie parit; quia Christus cum
Sup. c. 2. omnibus membris suis unus Christus est. *Qui recturus erit omnes gentes in virga ferrea.* Hoc superius dictum est. *Et raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.* Hoc tunc impletum est, quando quadragesima die postquam resurrexit, ascendit in cælum. Rapiuntur quotidie filii Ecclesiæ, id est, membra Christi ad Deum & ad thronum ejus, cùm post mortem ad cælestia perducuntur.
℣. VI. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta.* Solitudinem Christum vocat; solitudo quippe dicitur, eo quod sola sit, deserta ab habitatoribus: similiter & Christus desertus est à suis, sicut Evangelista lo-
Johan. 1. 11. quitur, dicens: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Et per
Esai. 63. 3. prophetam loquitur Dominus, dicens: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Mulier igitur fugit in solitudinem; quia Apostoli & ceteri discipuli, ex quibus tunc constabat Ecclesia, relicto diabolo, relictisque omnibus quæ possidebant, Christum sequuti sunt.
Matth. 19. 27. Per dies vero mille ducentos sexaginta tempus quo Christus prædicavit, designatur. Pascitur ergo mulier diebus mille ducentis sexaginta; quia apostoli & ceteri discipuli, ex quibus, sicut superius diximus, Ecclesia tunc constabat, per tres annos & dimidium dapibus Evangelii à Domino pasti sunt.
℣. VII. *Et factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone.* Quia superius nativitatem & prædicationem Christi breviter comprehendit, consequens est ut qualiter per passionem suam diabolum vicit, subjungat. Michael qui interpretatur, quis ut Deus, Christum significat. Prælium in cælo factum est, id est, propter cælum, pro salute videlicet omnium electorum præliatus est Michael cum dracone; quia Christus prædicando, patiendo & moriendo, pro salute generis humani præliatus est. Præliati sunt Angeli Michaelis, id est, apostoli Christi cum dracone, prædicando videlicet, miracula faciendo, & ad ultimum pro Christi nomine moriendo. *Et draco pugnabat, & angeli ejus.* Pugnavit draco & angeli ejus contra Michaelem, quando diabolus & cetera multitudo dæmonum Judæos contra Christum excitaverunt, ut eum interficerent. Pugnavit & contra Angelos Michaelis, quando apostolos Christi & per Judæos & per paganos tamdiu persequuti sunt, usque dum eos interficeret.

Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo. ℣. VIII.
Non valuit diabolus, neque ministri ejus vincere: Christum, nec apostolos ejus; quia unde putaverunt vincere, victi sunt. Putaverunt namque Christum se per mortem vicisse, sed ex morte ejus nomen illius claruit in mundo. *Non valuerunt ergo, neque locus inventus est eorum amplius in cælo*; quia per prædicationem apostolorum, ceterorumque sanctorum à cordibus electorum, qui per cælum designantur, expulsi sunt.

Et projectus est ille draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur ℣. IX.
diabolus & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & angeli ejus cum eo missi sunt. Rectè diabolus serpens vocatur, sive quod per serpentem primum hominem deceperit, sive quod veneno suæ malitiæ genus humanum perdiderit. Diabolus vero interpretatur deorsum ruens: ruit quippe primò per superbiam de cælo: ruit postea, cùm ab electorum cordibus per Christum dejectus est, sicut præsens scriptura demonstrat. Satanas autem interpretatur contrarius; contrarius est enim Deo, omnibusque bonis hominibus. Væ illis quibus diabolus amicus est! nam quanto amplius est cuilibet amicus, tanto ampliora ei tormenta ingerit; infelix est enim amicitia diaboli. Quod autem dicit: *Qui seducit universum orbem*, præsens tempus pro præterito posuit. Seduxerat autem genus humanum, quod per orbem designatur: sed ex magna parte illud per Christum amiserat. Projectus est ergo diabolus & angeli ejus in terram; quia ab electis expulsus, solos reprobos, qui per terram designantur, possidet.

Et audivi vocem magnam de cælo dicentem: Nunc facta est salus ℣. X.
& virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus. Vox magna de cælo vox est Angelorum pro salute generis humani gaudentium, Deumque laudantium, sicut dicit Dominus in Evangelio: [a] *Gaudium* a
est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. Possumus per unum Luc. 15. 7.
peccatorem populum gentilem, per nonaginta novem justos Judæos intelligere: qui ad centenarium numerum non perveniunt, quia neminem ad perfectum adduxit Lex; multo enim majus gaudium factum Hebr. 7. 19.
est in cælo de conversione gentium, quam de Judæorum observationibus. In dejectione igitur diaboli facta est salus credentium: acceperunt etiam virtutem vincendi diabolum, à quo antea [b] victi tenebantur. b
Factum est nihilominus regnum Dei nostri; quia in quibus diabolus regnabat, cœpit regnare Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: facta est & potestas Christi ejus, cùm eos quos diabolus possidebat, cœpit Christus possidere. *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Accusantur noxii homines apud judices, cùm eorum scelera eis manifestantur: in conspectu verò Dei, qui non solum facta, sed & cogitata considerat, quomodo diabolus aliquem accusare potest? Sed accusamur in conspectu Dei, cùm peccamus: accusat & diabolus, cùm in peccatis male suadendo dejicit.

Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum ℣. XI.
testimonii sui. Propter sanguinem Agni vicerunt; quia redemtio sanguinis Christi hoc contulit sanctis, ut diabolum possent vincere. Vicerunt etiam propter verbum testimonii sui, fidem servando quam professi sunt, eamque operibus implendo. Sed valde obscurum est, quod sequitur: *Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Quomodo enim sancti animas suas non diligunt, pro quarum salute ardua quæque ac difficilia patiuntur? Quomodo animas suas non diligunt, pro quibus semet ipsos vigiliis, jejuniis, abstinentia macerant, atque ceteris virtutibus exercent? Quod si per animam vitam præsentem intelligere voluerimus; quis sanctus vitam suam non diligit, in qua positus, illam cælestem gloriam sibi adquirit, *quam nec oculus vidit, nec* 1. Cor. 2. 9.
auris audivit, nec ulla mens potest comprehendere? Aut quis ad illam sine ista umquam pervenit? Lucrum enim magnum confert sanctis vita præsens, sicut è contrario reprobis magnum detrimentum. Secundùm tamen quemdam modum rectè dicuntur sancti vitam suam odio habere; eo quod propter amorem vitæ æternæ in fastidium eis vita præsens vertatur, sicut Psalmista deplorans dicebat: *Heu mihi! quia in-* Psal. 119. 5.
colatus meus prolongatus est. Dominus quoque dicit in Evangelio:
Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in Johan. 12. 25.
hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. [c] Cùm enim in hoc mundo dicit, demonstrat quomodo hoc intelligere debeamus. *Qui amat* c
igitur *animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, id est, secundùm sæculum perdet eam: *& qui odit animam suam in hoc mundo*, id est, secundùm sæculum, *in vitam æternam custodit eam.* Amatores mundi animas suas amant secundùm sæculum; quia ab hac vita præsenti numquam vellent recedere, [d] ut semper luxuriose possent d
vivere. Ille dives animam suam secundùm sæculum diligebat, qui dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, epulare,* Luc. 12. 19.
jucundare, & sanare. Sancti vero qui nolunt conformari huic sæculo,
sicut dicit Apostolus; sed reformari in novitate sensus spiritalis: qui Rom. 12. 2.
non diligunt mundum, neque ea quæ in mundo sunt: qui nolunt esse amici sæculi hujus, ne inimici Dei constituantur; odio habent ani- 1. Johan. 2. 15.
mas suas in hoc mundo, id est, non diligunt eas secundùm sæculum, Jacob. 4. 4.
sed secundùm Deum, pro cujus amore transitoria cuncta contemnunt, ut eas in vitam æternam custodiant. Non dilexerunt igitur sancti animas suas usque ad mortem, qui eas in præsenti vita servare noluerunt, ut Christum negarent: sed pro Christi nomine mori potius elegerunt, ut eas in vitam æternam invenirent.

Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Possumus per cælos, ℣. XII.
& habitatores cælorum diversas Ecclesias intelligere, quæ una est. Præcipitur igitur filiis Ecclesiæ ut lætentur, eo quod à tam immani hoste liberati exstiterint per Domini gratiam. *Væ terræ & mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Possumus per terram Judæos, per mare vero paganos

a. Codex Gem. *Gaudium est Angelis Dei in cælo.*
b. Omnes edit. *victi tenebantur*: omnes mss. *victi tenebantur.*
c. Absunt ab edit. *cùm enim in hoc mundo dicit* usque ad *amatores mundi*; quæ nos è codicib. mss. in locum suum reposuimus.
d. Edit. *sed semper luxuriose hic vivere*: mss. vero ut in contextu.

ceterosque reprobos intelligere. Væ igitur Judæis, atque gentibus incredulis: quia propter iram quam habet diabolus, eo quod maximam multitudinem amiserit, tam atrociter reprobis comminatur, & in tantis flagitiis dejicit: ut nullo modo digni sint, quatenus ad vitæ vias revertantur, & fruentur. Dicit etiam diabolum scire quod modicum tempus habeat: quia quanto appropinquare cernit diem judicii, tanto amplius callidior efficitur ad decipiendos homines.

ỳ. XIII. *Et postquam vidit draco quod projectus est in terram, persequutus est mulierem, quæ peperit masculum.* Videns diabolus se maximam multitudinem electorum amisisse, & intra angustias cordium reproborum esse conclusum, persequutus est mulierem, id est, Ecclesiam; concitavit enim imperatores Romanorum, omnemque multitudinem impiorum ad persequendum populum Dei.

ỳ. XIV. *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum; ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis.* Per aquilam Christum possumus intelligere: duæ vero alæ duo sunt Testamenta. Duæ igitur alæ datæ sunt mulieri, quia duo Testamenta Ecclesia accepit; ut eorum doctrinâ & diabolum evadat, & ad cælestem patriam quotidie conscendat. Hanc namque patriam desertum vocat, quemadmodum & Dominus dicit in Evangelio, cùm se nonaginta novem oves in deserto dixit dimisisse, & unam abiisse quærere, quæ erraverat. Hanc patriam locum Ecclesiæ vocat, sicut ipse in judicio dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Per tempus vero & tempora, & dimidium temporis, tempus à passione Christi usque ad finem mundi designatur. In hoc ergo spatio temporum animæ sanctorum, id est, Ecclesia, dapibus gloriæ cælestis patriæ in cælesti beatitudine pascuntur.

Luc. 15. 4. & seq.

Matth. 25. 34.

ỳ. XV. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* Flumen aquæ desideria sunt carnalia; videns quippe diabolus Ecclesiam non posse dejici persecutionibus, sed potius crescere & roborari, multitudinem desideriorum carnalium ei immittere voluit, quibus decepta, ad mala opera agenda retraheretur.

ỳ. XVI. *Et adjuvit terra mulierem, & aperuit os suum, & sustepit flumen, quod misit serpens ex ore suo.* Possumus per terram reprobos intelligere, qui susceptores fuerant desideriorum carnalium, quibus diabolus fideles irretire voluit, & ad se pertrahere. Possumus etiam per eamdem terram Christum intelligere: & quia in sermonibus Domini magna potestas est: *Dixit enim, & facta sunt, mandavit & creata sunt*; haud absurde per os terræ potestas ejus intelligi potest. *Adjuvit* ergo *terra mulierem*, id est, Christus Ecclesiam, *& aperuit os suum, & suscepit flumen, quod misit serpens ex ore suo*: id est, sinum misericordiæ suæ aperuit, flumenque vitiorum potestas ejus funditus extinxit.

Psal. 148. 5.

ỳ. XVII. *Et iratus est draco in mulierem, & abiit prælium facere cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu.* Reliqui de semine Ecclesiæ electi sunt, qui in fine mundi nascituri sunt. Quemadmodum autem hoc prælium diabolus peragat, in sequentibus manifestatur.

ỳ. XVIII. *Et stetit super arenam maris.* Per arenam maris multitudo reproborum, qui eo tempore futuri sunt, designatur.

CAP. XIII. ỳ. 1. *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem & super cornua ejus decem diademata.* Hæc bestia Antichristum significat: qui vero designantur per arenam, ipsi & per mare, multitudo scilicet reproborum. De mari igitur bestia conscendere visa est; quia de societate reproborum Antichristus exsurget. Quæ bestia capita septem & cornua decem habere describitur. Similiter & draco superius septem capita habuisse dictus est, & in capitibus septem diademata: per quæ omnia reprobos, quibus diabolus ad decipiendum genus humanum usus est, diximus fuisse designatos. Hæc autem bestia non in capitibus, sed in decem cornibus decem diademata habuisse describitur; ideoque per decem cornua gentes quas sibi Antichristus subjugaturus est, designantur: septem vero capita septem vitia principalia designant. Et ut sequentia melius intelligamus, placuit mihi in enumeratione vitiorum [a] Prudentium sequi, qui de conflictu vitiorum atque virtutum egregie versibus disseruit. Primum namque vitium posuit culturam idolorum, secundum libidinem, tertium iram, quartum superbiam, quintum luxuriam. Quamvis enim libido ita inserta sit luxuriæ, sicut aliquod membrum corpori, [b] pro qua te a Patribus pro libidine sæpe luxuria ponebatur; tamen inter libidinem & luxuriam distantia est. Sextum posuit avaritiam, septimum blasphemiam, sive discordiam. Et quia eos qui his vitiis subditi erunt, facile Antichristus decipiet, sibique sociabit, rectè per septem capita septem vitia designantur.

Sap. c. 10.

De iis septem vitiis Dominus in Evangelio loquitur dicens: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inveniens dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Et cùm venerit, invenit scopis mundatam & ornatam. Et tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Immundus spiritus exivit ab homine, quando diabolus exivit à Judæis, cùm Legem acceperunt. Ambulavit per loca arida, id est, per gentium nationes, quæ aridæ erant; quia viriditatem fidei non habebant. Non invenit ibi requiem, quia veniente Christo in carne, gentes quas diu tenuerat, amisit. Rediit in domum suam, unde exivit; quia ad Judæos possidendos reversus est, eo quod in Christum credere noluerint. Invenit domum Judæorum vacantem, quia Christum hospitem non habebant. Quærendum vero nobis est, cur eas mentes quæ Deum habitatorem non habebant, mundatas & ornatas

Matth. 12. 43.

dixerit. Sed mundatæ erant diabolo, non Deo; quod enim mundum est in conspectu Dei, immundum videtur diabolo: & quod immundum est Deo, mundum est diabolo. [c] Nam sicut scarabæo mundius videtur stercus cujuslibet animantis, quam quilibet cibus mundus atque delectabilis; ita & diabolus plus diligit ea corda, quæ omnibus vitiis sunt repleta, quam ea quæ cunctis virtutibus pollent. Scopæ autem sunt, quæ domum à quisquiliis emundant. Habet igitur Deus scopas suas, habet & diabolus: scopæ Dei sunt, quæ domum ejus emundant, ut in ea ipse habitare possit, videlicet confessio peccatorum, pœnitentia, lacrymæ, & eleemosynæ: scopæ diaboli sunt, quæ secundùm eum domum ipsius everrunt, scilicet amor sæculi, levitas mentis, contemptus mandatorum Dei, & multa alia. Septem vero spiritus, quos diabolus secum assumsit, septem sunt vitia principalia: cum his ergo septem satellitibus diabolus Judæos usque modo possidet. Sed quæri potest, cur hæc septem vitia principalia diabolo esse deteriora dicantur. Verum nobis deteriora sunt vitia, quam dæmones; quia illi foris nos impugnant, vitia autem intrinsecus nos assidue debellant. Nam sicut levius tolerantur hostes, qui extrinsecus urbem oppugnant, eo quod muros habeant objectos, quam ii qui intrinsecus positi, ipsam civitatem depopulantur: ita facilius tolerantur dæmones, qui exterius, quam vitia quæ intus nos indesinenter devastant. *Et super capita ejus nomina blasphemiæ.* Blasphemia Antichristi plura nomina habebit; quia multis modis Christum blasphemabit.

ỳ. II. *Et bestia quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os leonis erat.* Per pardum, qui fertur diversos colores habere, hypocrisis Antichristi designatur: qui cùm futurus sit homo nequissimus, variis virtutibus se decolorabit, ut facilius stultos quosque decipiat. Per ursum vero, qui callidissimum est animal, ejus astutia ad decipiendos homines demonstrari potest. Per leonem nihilominus ejus crudelitas ad dilacerandum populum Dei designatur. *Et dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam.* Virtutem suam diabolus, quæ tota mala est, Antichristo dabit: quia in illo habitabit, & per eum quidquid nequitia diaboli excogitare potest, operabitur. Sed cùm Scriptura dicat: *Non est potestas nisi à Deo*, quomodo diabolus potestatem magnam Antichristo dabit? Deus dabit Antichristo potestatem, sed ipsam potestatem in tantum permutabit in malum, ut tota diabolica esse credatur, & sit.

Rom. 13. 1.

ỳ. III. *Et vidi unum de capitibus ejus quasi occisum in mortem, & plaga mortis ejus curata est.* Diximus superius per septem capita Antichristi septem vitia principalia esse designata. Per caput ergo quod non occisum, sed quasi occisum visum est, blasphemia designatur. Quærendum itaque nobis est, quomodo blasphemia quasi occisa esse dicatur. Primis namque temporibus Evangelii fuerunt multi hæretici, qui fidem Ecclesiæ suis erroribus labefactare conati sunt: sed omnipotens Deus defensores Ecclesiæ orthodoxos Patres ex filiis ipsius Ecclesiæ elegit, quos flumine sapientiæ suæ replens, per eorum doctrinam, omnes hæreses ab Ecclesia sua [d] exstirpavit; ut fuerunt Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & multi alii, qui etiam maximam copiam librorum ediderunt, quibus omnes hæreses, quæ fuerunt, & quæ esse poterant, destructæ sunt. Blasphemia ergo quasi occisa est modo; quia quamvis sint multi qui multas blasphemias mente concipiant, malum quod mente conceperint, non audent proferre, ne per istorum doctrinam turpiter convincantur. Hoc igitur caput, id est, blasphemia, temporibus Antichristi mortuum esse videbitur; sed à diabolo in Antichristo resuscitabitur, quem ad blasphemandum Christum in tantum accendet, ut omnes blasphematores in suis blasphemiis antecedat. *Et admirata est universa terra post bestiam.* Per terram peccatores homines designantur.

ỳ. IV. *Et adoraverunt draconem, quia dedit potestatem bestiæ: & adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Quomodo draconem, id est, diabolum, adorabunt, quem non videbunt? Sed adorabunt Antichristum illi, qui per terram designantur, & in Antichristo diabolum, dicentes nullum esse Antichristo similem, nec esse qui ejus fortitudini possit coæquari.

ỳ. V. *Et datum est illi os loquens magna, & blasphemias.* Datum est, id est, permissum est à Deo; ut loquatur magna de semet ipso, dicens se esse Filium Dei, & ut loquatur blasphemias de Deo. *Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos.* Difficile videtur, ut in tam parvissimo tempore, id est, in tribus annis & dimidio, omnes gentes sibi subjicere, & ad suam culturam genus humanum præter paucos electos possit adducere, erunt enim multi electi, sed in comparatione infidelium valde paucissimi. Verum potest fieri, ut primo omnes gentes suæ ditioni subjiciat: postea vero in superbiam elatus, se pro Deo coli instituat. Nam sicut mihi videtur, in tribus annis & dimidio persecutionis tempus tantummodo comprehenditur, in quo & per se, & per discipulos suos, & per ostensionem signorum mirabilium tota virtute laborabit, ut culturam deitatis omnes homines sibi impendant. Eos autem qui contradicere voluerint, diversis & inauditis tormentis affliget; ut coacti faciant, quod voluntarie facere detrectabunt.

ỳ. VI. *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant.* Aperiet namque os suum ad blasphemandum Deum, Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum sanctum: blasphemabit & nomen Dei dicens Christum non esse Deum: blasphemabit etiam tabernaculum Dei, id est, Ecclesiam Dei, dicens nihil prodesse fidelibus religionem Christianam, sed interitum magis afferre quàm salutem: blasphemabit & eos qui in cælo habitant, id est, martyres, & ceteros sanctos, dicens nihil

a. Omnes edit. prudentum sequi nequeo, qui de conflictu vitiorum atque virtutum egregie disseruerunt. Primum namque vitium posuerunt &c. omnes mss. à contrario nobiscum faciunt: unde cognoscitur illius à quo exaratus fuerat ille codex, quem Dachmanensis episcopus prelo subjecit, vel crassa ignorantia, vel putida impostura.

b. Eædem edit. pro qua re à pluribus mss. vero pro qua re à Patribus.

c. Gall. in corpore, nam sicut mundius videtur stercus cuilibet animanti: in margine autem ..... quibusdam animantibus: quam emendationem licet neglexerit Rom. edit. statuimus in contrarium. Sed veram lectionem exhibemus è mss.

d. Omnes edit. exstirpavit. Qui etiam &c. Quidquid vero interponitur, è mss. omnibus restitutum est.

prodesse

prodesse eos posse cuiquam, falsumque esse quidquid de eis à fidelibus adseritur.

℣. VII. *Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere illos.* Faciet bellum cum sanctis quosdam blandiendo, quosdam terrendo, & ad ultimum eis pessima tormenta inferendo; ut eos in errores suos inducat: sed fieri non potest, ut in errorem inducantur electi. Vincet autem illos non superando, sed interficiendo.

℣. VIII. *Et data est ei potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: & adoraverunt eum omnes, qui habitant terram.* Hoc secundùm litteram implebitur. Multi dicent, cur talia Deus fieri sinat, ut Antichristus genus humanum tam pessime decipiat? Verum duabus causis existentibus talia permittet; nam sicut ipse dicit in Evangelio: (Matth. 24. 12.) *In illis diebus refrigescet caritas multorum, & abundabit iniquitas*; in tantum quippe malitia hominum excrescet, & ita Deum pro suis sceleribus ad iracundiam provocabunt; ut digni sint quatenus tam pessimo homini subjiciantur, atque ab eo decipiantur, testante Scriptura: (Job. 34. 30.) *Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi. Tradet enim illos Deus*, sicut dicit Apostolus, (Rom. 1. 28.) *in reprobum sensum*: ut faciant quæ non conveniunt: & quibus [a] nihil pensi erit, tantum ut quidquid mali cogitaverint, expleant; justissima Dei permissione fiet, ut ab Antichristo decepti deterius pereant. Permittet etiam hoc Deus fieri propter probationem electorum suorum, ut sicut aurum probatur per ignem; ita & illi in persecutionibus Antichristi probentur & examinentur, sicut in Daniele de illis scriptum est. [b] (Dan. 12. 10.) *Eligentur, & dealbabuntur, & quasi aurum probabuntur plurimi.* Sequitur. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Liber vitæ prædestinatio est Dei omnipotentis: reprobi non sunt scripti in libro vitæ; quia non sunt prædestinati ad vitam æternam. Sed quærendum nobis est, quomodo Agnus, id est, Christus, ab origine mundi occisus esse dicatur.

℣. IX. Nam illud quod sequitur: *Si quis habet aures, audiat*; ubicumque in divinis scripturis ponitur, obscurum esse quod præcessit, demonstrat: aures quippe cordis atque intelligentiæ requirit. Agnus igitur ab origine mundi occisus est; quia ejus mors ab exordio generis humani in sanctis patribus præfigurata est. In primo namque homine præfigurata est, quando eo dormiente, Eva de costa ejus facta est: similiter & in Abel præfigurata est, qui à fratre Cain peremtus est: præfigurata est & per Isaac, quem pater in holocaustum obtulit Domino: similiter & per Joseph, quem fratres vendiderunt: præfigurata est etiam mors ejus in diversis sacrificiorum ritibus. Quoties ergo mors Christi à sanctis patribus aut præfigurata aut prædicta est, quasi toties Agnus occisus est. Quamvis hoc simpliciter possit intelligi, ut non dicat Agnum occisum ab origine mundi, sed nomina sanctorum scripta ab origine mundi in libro Agni, qui pro eorum salute occisus est.

℣. X. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Antichristus qui populum christianum à Creatore suo captivabit, ipse à præsenti vita captivabitur, & in infernum detrudetur: & quia gladio malitiæ suæ multorum animas peremturus est, gladioque corporali justorum corpora occisurus, ipse gladio mortis perpetuæ damnabitur. [c] *Hic est patientia & fides sanctorum*, id est, patientia & fides sanctorum in persecutionibus Antichristi comprobabitur.

℣. XI. *Et vidi aliam bestiam adscendentem de terra, habentem cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.* Hæc bestia aut unum ex discipulis Antichristi designat deteriorem ceteris, aut multos, qui eum prædicaturi sunt. Quæ de terra adscendisse visa est; quia de societate reproborum exsurget: duoque cornua similia Agni habuisse visa est. Superiùs diximus per septem cornua Agni omnes electos esse designatos, quos in septem partes divisimus: per quintum autem cornu diximus Judæos, qui in Christum crediderunt, fuisse designatos: per sextum vero gentes, quæ in Christum similiter crediderunt. Bestia itaque cornua duo similia Agni habebit; quia Judæos & gentes decipiendo possidebit. Quia quamvis multi credant ex Judæis per prædicationem Eliæ in Christum; maxima tamen pars eorum Antichristum secutura est, sicut dicit Dominus in Evangelio: (Joan. 5. 43.) *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: alius veniet in nomine suo, & illum suscipietis.* Loquebatur ergo hæc bestia ut draco, quia ejus verba diabolica erant; nam diabolus qui loquetur per Antichristum, ipse loquetur & per discipulos ejus.

℣. XII. *Et omnem potestatem prioris bestiæ faciebat in conspectu ejus.* Quod dicit, *in conspectu ejus*, significat in nomine ejus; non enim præsens poterit esse Antichristus in omnibus locis, ubi fuerit prædicatus à suis. Faciet namque miracula Antichristus arte diabolica, facient & discipuli ejus: sed eorum miracula falsa erunt, & non vera, sicut dicit Apostolus: (2. Thess. 2. 9.) *Cujus adventus erit secundum operationem satanæ, in omnibus virtutibus & signis & prodigiis mendacibus.* Non enim credibile est, ut eos quos Deus excæcaverat, aut debilitaverat, sanitati possint restituere: sed eos tantummodo, quos ipsi læserint, lædentes in occulto, sanantes in aperto. Sed & ipse Antichristus in tanta claritate se hominibus demonstrabit, ut ab insipientibus credatur Deus, sicut dicit Apostolus: (Ibidem. 4.) *Ita ut in templo sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.*

℣. XIII. *Et fecit terram, & inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ita ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.* (Job. 1. 16.) Legimus in libro Job diabolum ex permissione Dei ignem fecisse de cælo descendere, & oves Job pueros que consumsisse. Quod ergo illic per semet ipsum fecit, hoc per Antichristum & sequaces ejus extremo tempore faciet.

℣. XIV. *Et seducit habitantes terram propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.* Nihil est quod sic seducat simplices quosque, quemadmodum signorum demonstratio. Ideoque ministri Antichristi propter signorum operationem facile stultorum multitudinem decipient. *Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit*: videlicet, ut in imaginibus Antichristus adoretur. Quod autem bestiam plagam gladii habuisse dixit, & vixisse, potest fieri ut arte diabolica fingat se Antichristus mori & resurgere, ut hoc facto faciliùs homines decipiat: quod Simon magus fecisse dicitur.

℣. XV. *Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ.* Sed & hoc quosdam magos fecisse audivimus; faciebant quippe per necromanticam artem, ut statuæ viderentur moveri, & loqui. Possumus hoc aliter intelligere. Imago speciem habet hominis, sed non est homo: similiter & Antichristus propter operationem virtutum atque signorum putabitur esse Deus, sed hoc falsissimum erit; non enim potest fieri ut homo impiissimus aliquid deitatis in se habeat. Imaginem ergo Antichristi facient, qui eum Deum existimabunt: ministri vero Antichristi spiritum imagini bestiæ dabunt, cùm eos qui crediderint in Antichristum, Christum blasphemare compellent. *Et faciet ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.* Fideles qui Antichristum adorare noluerint, diversis pœnis macerati interficientur: erit namque talis tribulatio, sicut dixit Dominus in Evangelio, (Matth. 24. 21.) qualis non fuit ab initio, neque fiet; ita ut in errorem inducantur electi, si fieri potest.

℣. XVI. *Et faciet omnes pusillos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis.* Potest fieri ut sicut nos habemus characterem Christi, id est, crucem, qua signamur; ita habeat Antichristus proprium characterem, quo signentur ii, qui in eum crediderint. Possumus & hoc aliter intelligere. Discipuli Antichristi laudatores erunt vitiorum: docebunt enim ideo [d] creatum vinum ceterasque divitias, ut homines in abundantia, & sufficienter uterentur: ideoque fecisse Deum genitalia membra, ut homines feminis miscerentur, & nefas esse ut aliquis à concubitu abstineat: omnia desideria carnalia esse perficienda. Cùm autem istam nefandam doctrinam virtutibus affirmaverint, terrenos homines qui proni erunt ad malum magis quam ad bonum, facile decipient. Sæpe vero per manus opera intelliguntur: characterem ergo Antichristi in dextera manu habebunt: quia opera maligna doctrinæ Antichristi congruentia exercebunt: habebunt & in fronte, per quam mens sæpe discernitur; quia ex pravis operibus, quam pessimas mentes gerant, dignoscetur.

℣. XVII. *Et ne quis possit vendere, aut emere, nisi qui habuerit characterem nominis bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Scimus humanam vitam non posse subsistere, nisi aut vendant aliquando homines, aut emant: eo itaque Antichristi persecutio erga fideles crudelius grassabitur, quo eis hoc interdictum fuerit, sine quo vivere non poterunt. Faciant autem hoc ministri Antichristi, ut in tempore necessitatis eos, qui christianitatis fidem occulte servare voluerint, deprehendant.

℣. XVIII. *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est, & numerus ejus est sexcenti sexaginta sex.* De hoc numero multi multa dixerunt, pluraque nomina repererunt, in quorum litteris hic numerus invenitur. Tamen si aliquod ex iis nominibus Antichristus possideat, prævidere non potuerunt: sed de re tam incerta nihil audeo definire. Quis enim scit, si nomen quod ei à parentibus imponetur, hunc numerum contineat?

Cap. XIV. ℣. I. E*T vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion.* Si diligenter textum lectionis sequentis inspiciamus, hæc quæ de centum quadraginta quatuor millibus dicuntur, ad electos potius, quorum animæ in cælesti beatitudine cùm Domino exsultant, quàm ad eos qui in hac vita laborant, videbimus pertinere. Agnus itaque Christum demonstrat: Sion autem speculatio interpretatur: per montem vero Sion cælestem patriam intelligere debemus. In monte igitur Sion Agnus visus est, quia in cælesti beatitudine cum sanctis suis [e] Christus consistit. *Et cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* In tertia visione quæ hanc præcedit, centum quadraginta quatuor millia ex duodecim tribubus electa, & signo fidei signata fuisse dicuntur. Illa ergo centum quadraginta quatuor millia, sicut expositio nominum duodecim tribuum demonstrat, ad electos qui in hac vita laborant, pertinent: ista vero centum quadraginta quatuor millia electos, qui in cælesti gloria cum Domino lætantur, significant, sicut textus præsentis lectionis manifeste indicat. Sed cur nomen Patris & Filii tantummodo in frontibus suis eos scriptum habere dicit, & de Spiritu sancto reticuit? Quia videlicet ubicumque Patrem & Filium legimus, intelligere debemus Spiritum sanctum. Possumus autem per frontes corda sanctorum intelligere: nomen itaque Patris & Filii & Spiritus sancti in frontibus suis habent scriptum; quia à mentibus eorum amor Dei numquam avelli potest, sicut avulsus est à cordibus quorumdam angelorum, qui propter superbiam de cœlo ceciderunt.

℣. II. *Et audivi vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni.* Sæpe per Johannem præsentis vitæ fideles demonstrantur: per aquas vero populi designantur. Et quia de omnibus gentibus quotidie colliguntur electi, & in cælesti beatitudine collocantur, sancti Dei in terra constituti, qui per Johannem designantur, vocem aquarum multarum assidue audiunt; quia doctrinam sanctorum in cælis consistentium & cordis auribus sentiunt, & virtute qua possunt, eorum actus imitantur. Unde & eadem vox tamquam tonitruum esse dicitur, quod corda audientium terrere solet: terrentur enim, cùm ad eorum perfectionem se adscendere non posse considerant. *Et vox quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Vox citharœdorum valde est dulcis audientibus: & quid dulcius fidelibus, quàm memoria sanctorum in cælis commorantium; dum quanta sit eorum gloria mente pertractant, atque ut ad hanc quandoque perveniant, suppliciter exorant?

℣. III. *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui emti sunt de terra.* Hic magna

a. Ita mss. edit. vero, nihil pejus erit, tantum &c.
b. Edit. & dealbabuntur plurimi, mss. autem, & dealbabuntur, & quasi aurum &c.
c. Codex Germ. Hic sapientia est &c.
d. Ita mss. edit. à contrario, creatum vinum ceterasque divitias, ut homines iis abundarent, & efficaciter uterentur. Cùm autem istam nefandam &c.
e. Edit. Gall. Christus consistit. Et cum illo centum quadraginta quatuor millia, ex duodecim tribubus electa; edit. Rom. Christus consistit. In superioribus quoque centum quadraginta quatuor millia, ex duodecim &c. mss. autem ut in contextu.

obscuritas est; dicit quippe centum quadragintaquatuor millia non fuisse coinquinatos cum mulieribus, virginesque esse; & ideo canticum novum cantare, quod nemo potest dicere, nisi illi soli: scimus autem quosdam ex apostolis atque martyribus uxores habuisse. Numquid ii qui virginitatem corporis servare studuerunt, laudes Deo decantant, & illi in laudibus Dei muti existunt? Maxime cùm sciamus ex utroque sexu parvi meriti homines virginitatem corporis usque ad mortem servasse, sicut sunt infantes & pueri, quos ætas virginitatem amittere non permittit. Vidimus etiam quosdam aliquibus peccatis obnoxios, virginitatem corporis usque ad mortem servasse, quos credimus per ignem purgatorium esse purgandos, ut in justorum numero quandoque adscribi mereantur. Numquid istos tales apostolis & martyribus, quos uxores habuisse Scriptura non tacet, præferre audebimus, ut illud canticum suavissimum Deo offerant, à quo Petrus ejusque similes alieni existant? Nam sicut est dulcis sanctis visio Dei, sic & laus Dei: & quemadmodum saturari nequeunt visione Dei, ita nec satiari laudibus B Dei. Et quanto proximiores sunt secundum meritorum qualitates domino Deo, tanto & ferventiores in laudibus Dei. Quis vero digne considerare potest quam magna pars gloriæ sanctis detrahitur, si à laudibus Dei expertes habeantur? Nec ideo hoc dicimus, ut virginitati derogemus, quæ magna est virtus, sociaque Angelorum; si tamen eam vitio non fœdaverint. Quis enim perpendere potest quam magnum bonum est integritatem corporis & animæ possidere? Igitur quia hæc quæ superius de virginibus dicta sunt, de iis solummodo qui virginitatem corporis servaverunt, intelligere non possumus; necesse est ut indagemus, qui sint virgines, & qui illi qui canticum virginum dicere non poterunt. Nam si superficiem lectionis diligenter attendimus, inveniemus non de solis virginibus, sed de omnibus sanctis animabus hæc esse dicta.

Diximus superiùs per centum quadragintaquatuor millia sanctorum C animas esse designatas, quæ in cælesti beatitudine Deum assidue laudare non desinunt: per sedem vero, & quatuor animalia, & seniores ante quos canticum novum cantare dicuntur, fideles in hac vita positi, ex quibus Ecclesia constat, designantur, sicut in secunda Visione diximus. Ante sedem ergo, & quatuor animalia, & seniores centum quadragintaquatuor millia canticum novum cantasse dicuntur; novum namque Testamentum canticum novum dicitur, sicut dicit Propheta:

Esai. 42. 10. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Novum autem Testamentum dicitur, eo quod præcedat aliud, quod vetus vocatur: sive pro eo quod novos populos faciat, cùm ex filiis diaboli facit filios Dei. Habent & fideles in hac vita positi cantica sua, sed in iis canticis sæpe confessio fit peccatorum, sæpe pro peccatis deprecatio, sæpe commemoratio tormentorum æternorum, ideoque in fletus sæpe cantantes excitant, sæpe in laudibus Dei orare solent, sæpe ad spem cælestis patriæ mentes fidelium elevant: in illo verò cantico spirituum cælestium nihil triste, nihil quod mentem perturbet, resonat; & quanto amplius depromitur, a tanto amplius gaudium & lætitiam D mentibus cantantium infundit. Sicut igitur novum Testamentum dicitur, quia præcessit vetus: ita & illud canticum spirituum cælestium novum canticum dicitur: quia præcessit aliud quod vetus est illis, qui ad cælestem beatitudinem quotidie transeunt, & novum est ad quod perveniunt. Et hoc canticum ante sedem Dei, id est, in conspectu sedis, cantasse dicuntur; quod enim in conspectu nostro est, indesinenter adspicimus. In conspectu ergo fidelium, qui per sedem & quatuor animalia & seniores designantur, animæ fidelium canticum novum cantasse dicuntur; quia sancti viri in hac terra positi, gloriam sanctorum in cælis commorantium oculis mentis assidue conspiciunt, atque ut ad eorum societatem quandoque perveniant, tota virtute laborant.

Et nemo poterat dicere canticum, b nisi illa centum quadragintaquatuor millia, qui empti sunt de terra: id est, nemo illorum qui per sedem & quatuor animalia & seniores designantur. Vident namque modo fideles viri in terra positi quasi per speculum & in ænigmate gloriam sanctorum in cælis consistentium, illudque canticum quia ardenter desiderant, quasi audiunt, sed dicere non possunt; quia,

1. Cor. 2. 9. *oculus non vidit,* E *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Qui de terra empti esse dicuntur; empti sunt quippe in terra positi pretioso sanguine Christi. Sed melius est ut per emtionem assumtionem intelligamus: assumti sunt enim de terra, & in cælesti beatitudine collocati.

℣. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt.* Hic rursum oritur quæstio; nam si in illa beatitudine diversi ordines sunt, ut sunt apostoli, martyres, confessores, & virgines; quomodo omnes sanctorum animæ virgines esse dicuntur, & in tantum virgines, ut cum mulieribus coinquinatæ non fuisse dicantur? Et si verum est, quod Dominus dicit (immo verum est, quia non potest fieri ut Deus

Matth. 5. 28. mentiatur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*) quomodo omnes sanctorum animæ in toto spatio vitæ præsentis ab inquinatione mulierum mundæ esse potuerunt? F Quærendum ergo nobis est quomodo hoc intelligendum sit; multi quippe fuerunt ante baptismum adulteri & fornicatores, sed in Christum credentes, atque de peccatis suis pœnitentiam agentes, fontemque baptismatis expetentes, quidquid in eis sordidum fuit, per Spiritus sancti gratiam aquis baptismatis deletum est: qui in bono quod in eodem baptismate promiserunt, usque in finem vitæ perseverantes, veniente Domino, ut eos per mortem ab hac terrena habitatione subtraheret, eorum animæ virgines, id est, integræ, & ab omni corruptione vitiorum mundæ inventæ sunt. Istorum ergo animæ jure virgines vocantur; quia eorum omnis corruptio aquis baptismatis, bonisque operibus deleta est. Fuerunt etiam multi, qui post baptismum multa scelera commiserunt, sed cùm per pœnitentiam & lacrymas atque per misericordiam, ceterisque bonis operibus malum quod gesserunt, delere studuerint, & in bono proposito perseveraverint, Domino veniente, eorum animæ virgines repertæ sunt, quia quidquid in eis fuit reprobum, caritatis remediis est purgatum. Fuerunt & conjugati, qui Deum tota A virtute dilexerunt, atque in virtutibus vitam ducere studuerunt. Istorum igitur animæ rectè virgines vocantur; quia si quas sordes ex conjunctione feminarum traxerunt, bonis operibus deletum est. Similiter c de ceteris ordinibus intelligendum est. Gen. 2. 24.

Possumus etiam per mulieres corpora sanctorum intelligere, per viros autem animas; quia sicut vir & mulier una caro vocantur, ita corpus & anima unus homo: & quemadmodum femina inferior est viro, ideoque necesse est ut à viro regatur, ejusque dominationem perferat; ita corpus multo inferius est quam anima, & ideo necesse est ut à spiritu regatur atque dometur, ejusque desideria frangantur. Quod quia sancti facere studuerunt, non sunt coinquinati cum mulieribus, quia ex conjunctione corporum nullas sordes traxerunt, ex quibus Deum nimis offenderent. *Hi sequuntur Agnum quocumque abierit.* Quo vadit, qui omnia implet, & totus ubique est? Sed quemadmodum vadat, Apostolus docet dicens: *Cui vult miseretur, & quem vult, indurat.* Rom. 9. 18.

B Vadit itaque Deus miserendo quibusdam, & à quibusdam misericordiam suam auferendo. Sequuntur vero sancti, quia quibus ille misericordiam suam largitur, largiuntur & illi, & à quibus abscidit, abscidunt & illi. Hoc de electis in terra positis intelligere non possumus; sæpe enim miserentur quibus Deus non miseretur, sicut Samuel qui lugebat Saul, 1. Reg. 15. 35.

quem Deus projecerat à facie sua: quosdam etiam sancti damnare volunt, quibus Deus miseretur, sicut Jonas, qui cupiebat ut Ninivitæ Jonæ 4. 1.

delerentur, quos Deus salvare decreverat. *Hi enim sunt ex omnibus primitiæ Deo & Agno.* In Lege præceptum est ut primitiæ frugum offerrentur Deo: per primitias frugum, electi designantur; nam sicut ex multitudine fructuum parvæ primitiæ Deo offerebantur, ita & ex multitudine populorum parvus numerus electorum eligitur, qui ab Angelis Deo in templo gloriæ cælestis offertur, sicut Dominus dicit in Exod. 22. 29.

Evangelio: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Sancti ergo Matth. 22. 14.

C primitiarum more ex hominibus sunt assumti, & in cælesti beatitudine collocati.

Et in ore eorum non est inventum mendacium. Valde difficile esse videtur, quod dicitur; sunt quippe quædam mendacia valde gravia, sunt alia quæ inter levia peccata deputanda sunt, à quibus nostris temporibus nescio si aliquis omni tempore vitæ suæ abstinere possit, nisi fuerit infans, qui loqui ignorat. Non itaque de omnibus mendaciis hoc dictum esse mihi videtur: sed est mendacium valde gravissimum, cùm mentimur ea, quæ in baptismate promisimus. Hoc ergo mendacium in ore sanctorum non est inventum; quia hoc quod in baptismate promiserunt, usque in finem vitæ servare studuerunt. Et si fuerunt aliqui qui post baptismum multa peccata commiserunt, tamen in ore eorum non est inventum mendacium; quia per pœnitentiam, caritatisque opera malum quod gesserunt, ante mortem delere studuerunt: ℣. 5.

Sine macula enim sunt. Et hic satis aperte demonstrat, ea quæ in hac lectione continentur, non ad fideles qui in hac vita laborant, sed ad eos qui in cælestibus sedibus requiescunt, pertinere. Quis enim in hac vita positus, sine macula esse potest? cùm idem Johannes dicat:

D *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Animæ vero sanctorum sine macula sunt; quia si quas sordes ex mundana habitatione contraxerunt, aut per pœnitentiam & lacrymas, caritatisque opera, aut per flagella, aut certe post mortem igne purgatorio deletæ sunt. 1. Joh. 1. 8.

Dixi quod sensi. Quod si quis textum hujus lectionis ad præsentem Ecclesiam transferre voluerit, & per centum quadraginta quatuor millia, aut prædicatores, aut ceteros justos in hac adhuc vita degentes: per novum vero canticum quod nemo nisi ipsi soli dicere poterant, Evangelium designatum esse censuerit; perpendat sanctum Evangelium non solum ab electis, verum & à reprobis sæpe prædicari, de quibus Dominum in Evangelio dixisse credimus: *Multi dicent mihi in illa die, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia multa ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Amen dico vobis, nescio vos. Discedite à me omnes operarii iniquitatis.* De talibus etiam Paulus apostolus loquitur, Matth. 7. 22.

E dicens: *Sunt qui per contentionem Christum annuntiant, non sinceré, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis.* Si quis autem seriem lectionis hujus ad præsentis temporis virgines pertinere sanxerit, ad eos videlicet quos amor Dei ad integritatis custodiam, adjunctis ceteris bonis operibus, quotidie impellit, sanum mihi in hoc videtur possidere sensum: sed animadvertere debet non posse huic sensui convenire, ut per canticum novum in hoc loco Evangelium intelligat; sed potius gaudium spiritale, quod eis ex custodia virginitatis accrescit. Nullus igitur canticum novum dicere potest, nisi illi soli; quia gaudium virginitatis nullus habere prævalet, nisi soli qui hanc ceteris bonis operibus exornatam quotidie Deo offerre consuescunt. Similiter & qui hanc sententiam eis aptare voluerit, qui cum virginitatis palma ad cælestia regna jam conscendere meruerunt, à recto intellectu non discrepat: sed sciat non convenire huic sensui, ut per novum canticum, Philip. 1. 17.

F aliquod canticum quod voce, lingua, labiis componi potest, intelligat: sed potius virginitatis præmium, quod à Domino æternaliter percipere merentur. Hocque canticum nullus, nisi illi soli, dicere potest; quia virginitatis præmium nullus percipit, nisi qui hanc in sæculo positi, intemerata mente pro Christi amore servare studuerint. De talibus propheta Esaias loquitur, dicens: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Esai. 56. 4. & seq.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cælum, habentem Evangelium æternum; ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicentem voce magna. Iterum universa breviter comprehendit; nam sicut superius cùm mala Antichristi narrare vellet, ab adventu Christi inchoavit, persecutionesque quas Ecclesia à diabolo passa est, prius narrans ad Antichristum pervenit: ita & hic diem judicii describere cupiens, ab adventu Christi inchoat, atque sub specie trium Angelorum d cuncta ℣. 6.

a. Omnes edit. tanto amplius vel amplius gaudium & lætitiam; nonnulli mss. tanto ampliorem gaudii lætitiam. ceteri ut nos in textu.
b. Rom. edit. poterat, nisi illa ..... de terra.

c. Omnes edit. de ceteris sordibus; omnes mss. de ceteris ordinibus.
d. Ita mss. edit. vero, cuncta comprehendens.

breviter replicans, ad diem judicii pervenit. Iste quippe Angelus Christum & apostolos ejus, ceterosque Christi prædicatores significat. Qui Evangelium æternum habuisse dicitur; quia doctrina Evangelii à Christo, apostolis, ceterisque prædicatoribus data est, quam gentibus prædicarent. Quod Evangelium æternum esse dicitur, quia æternitatem præstat omnibus facientibus illud. Quod etiam super terram sedentibus prædicatum esse dicitur; gentes namque quibus Evangelium prædicatum est, nihil aliud quam terram quærebant, totamque requiem suam in terra posuerant. Quid autem iste Angelus prædicet, audiamus.

℣. vii. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.* Convenienter timorem Domini primo posuit, & postea honorem; timor etenim Domini ad pœnitentiam impellit hominem: pœnitentia vero ad bona opera agenda eum provocat. Honorem itaque Deo deferimus, cùm bona opera agimus, sicut ipse Dominus dicit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* (Matth. 5. 16.) Hora vero judicii ex tunc incœpit, ex quo Evangelium prædicari cœpit. Illi igitur acriter in die judicii judicabuntur qui verbum Evangelii audientes, illudque spernentes, fidem Christi suscipere noluerunt. Similiter & illi qui susceperunt quidem fidem Christi, sed eam operibus implere noluerunt; cui enim plus committitur, plus ab eo exigetur. De illis autem qui verbum Dei non audierunt, Dominus dicit in Evangelio: *Qui non credit, jam judicatus est.* (Johan. 3. 18.)

℣. viii. *Et adorate eum, qui fecit cælum & terram, & mare & fontes aquarum*, id est, relinquite idola surda, muta, & cæca, & adorate eum qui cuncta fecit ex nihilo. *Et alius Angelus prosequutus est, dicens.* Alius Angelus doctores Ecclesiæ, qui finitis persequutionibus, Ecclesiam Dei gubernaverunt, designat. *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Per Babylonem, sicut superiùs diximus, civitas diaboli designatur, quæ ex omnibus impiis constat. Ceciderat autem; quia omnis cultura dæmonum per fidem Christi deleta fuerat. Et bis cecidisse dicitur; quia ex parte persecutorum, & ex parte culturæ diabolicæ ceciderat. *Qua à vino iræ suæ potavit omnes gentes.* Vinum iræ errores sunt gentilium, quibus Deum ad iracundiam provocaverunt: sed cùm Babylon nihil sit aliud quam omnes gentes, id est, omnes reprobi, quomodo omnes gentes à vino iræ suæ potavit? Verum cùm unus alterum docuit, & ille tertium, & tertius quartum, & ita in omnes homines error diabolicus transiit, utique Babylon omnes gentes vino iræ Dei potavit.

℣. ix. *Et Angelus tertius sequutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem ejus in*

℣. x. *fronte sua, aut in manu sua; & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice ipsius.* Angelus tertius prædicatores sunt, qui temporibus Antichristi futuri sunt; prædicabunt enim ut nullus Antichristum adoret, neque ad ejus pessimam doctrinam aures cordis accommodet, neque opera ejus imitetur: quod si quis fecerit, perpetua pœna eum esse damnandum testabuntur. Per vinum iræ Dei damnatio ultima, quæ in die judicii impiis irrogabitur, designatur: merum autem purum dicimus. Per merum igitur justitia Dei designatur, per calicem vero judicium Dei accipere possumus. Vinum itaque mixtum est mero in calice Dei; quia damnatio ultima, qua impii damnabuntur, mixta erit cum justitia in calice Dei, id est, in judicio Dei; quia justissimo Dei judicio perficietur. Bibent igitur impii vinum iræ Dei, cùm illis dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum, [a] qui præparatus est diabolo, & angelis ejus.* (Matth. 25. 41.)

℣. xi. *Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & in conspectu Agni: & fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet.* Ignis exurit, sulphur autem fœtorem pessimum de se emittit. Igne autem corporaliter cruciabuntur, qui ignem vitiorum in se extinguere noluerunt: fœtore sulphuris torquebuntur, quibus dulcis fuit fœtor luxuriæ. In conspectu Angelorum sanctorum cruciabuntur, & in conspectu Agni, videlicet ut in eorum conspectu crucientur, in quorum conspectu non timuerunt multa mala perpetrare. *Nec habebunt requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam & imaginem ejus, & si qui acceperint characterem nominis ejus.* Cur neque in die, neque in nocte reprobos habere dicit requiem, cùm electi æternum diem possessuri sint; reprobi vero perpetuam noctem? Sed more humano loquutus est.

℣. xii. *Hæc est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu*: id est, talis est patientia sanctorum, & talem fructum affert, qualis in sequentibus demonstratur.

℣. xiii. *Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Talis est igitur patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu, ut sint beati in perpetuum. Sed quid est quod dicit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur?* Quis enim mortuus mori potest? Nullus proculdubio mortuus mori potest, nisi prius animam recipiat, ut iterum mori possit. Sed illi sunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carne; qui prius veterem hominem, id est, omnes nequitias & spiritales & carnales in se extinguunt, ut possint dicere cum Apostolo: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* (Galat. 6. 14.) Illi namque in Domino moriuntur, de quibus Dominus dicit in Evangelio: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. 24. 13.)

Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Amodo, id est, à tempore mortis suæ requiescent sancti à laboribus suis. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Quomodo sequuntur? Nonne Cornelium opera sua præcesserant, cui ab Angelo dictum est: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei?* (Act. 10. 4.) Sed sequi pro comitari posuit; nam & exercitus qui regem comitatur, eum sequi dicitur, cùm alii præcedant, alii sequantur, alii ad dexteram, sive sinistram incedant. Opera igitur sanctorum sequuntur illos, quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum. Possumus & hoc de illis spiritaliter intelligere, qui temporibus Antichristi pro nomine domini nostri Jesu Christi interficiendi sunt; beati quippe erunt illi, & in Domino morientur, qui pro fide domini nostri Jesu Christi morientur. Nunc quia pœnam illorum, qui in Antichristum credituri sunt, narravit, beatitudinemque illorum, qui in fide Christi perseveraverint usque in finem, breviter comprehendit; consequens est ut diem judicii describat, in quo hæc cuncta complebuntur.

Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem ℣. xiv.
Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu
sua falcem acutam. Et alter Angelus exiit de templo, clamans voce ℣. xv.
magna ad sedentem super nubem, dicens: Mitte falcem tuam, & mete;
quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui ℣. xvi.
sedebat super nubem, falcem suam in terram, & messuit terram. Et ℣. xvii.
alius Angelus exivit de templo, quod est in cælo, habens & ipse falcem ℣. xviii.
acutam. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, & clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ
terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et misit Angelus [b] falcem suam ℣. xix.
acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum. Totam pene sententiam posui, ut undique circumspecti ejus anfractus apertius videantur. Uterque namque iste Angelus Christum significat: similiter & duæ falces unam significationem habent; designant enim illum ignem, quo universus mundus delendus est; quia sicut primo tempore mundus per aquam deletus est, ita & in fine temporum per ignem delebitur. Sed quærendum nobis est, cur unus Christus per duos Angelos, & una exterminatio per duas falces figuretur. Primus quippe Angelus super nubem candidam sedisse, & coronam auream habuisse visus est: secundus vero neque coronam auream habuisse, neque super nubem candidam sedisse dicitur. Et primus messem terræ, secundus vero botros vineæ terræ præcidisse dictus est: sed primus quo loco messem terræ posuerit, non dicitur: secundus autem botros vineæ terræ in lacum iræ Dei magnum misisse dictus est. Videtur itaque mihi per messem terræ electos: per botros autem, ex quibus vinum oritur, quod mentes hominum alienat, reprobos esse designatos. Ista est messis, de qua Dominus dicit in Evangelio: *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum vero recondite in horreis meis.* (Matth. 13. 30.) Qui enim illic per triticum, ipsi in hoc loco per messem designantur. Et qui illic per zizania, ipsi in hoc loco per botros vineæ terræ figurantur: & quia Christus aliter apparebit justis, & aliter injustis, non inconvenienter per duos Angelos figuratur. Justi namque in eadem claritate eum videbunt, quomodo ab Angelis & sanctis spiritibus in cælesti beatitudine cernitur: impii autem in ea specie eum videbunt, qua ab hominibus in terra positus videbatur; *Tolletur quippe impius, ne videat gloriam Dei.* (Esai. 26.) Blandus itaque justis, terribilis apparebit injustis; unde & primus super nubem candidam sedisse, & coronam auream habuisse in capite describitur. Per nubem namque candidam corpus ejus immaculatum designatur: per coronam vero auream multitudo Angelorum atque sanctorum, qui eum ad judicium venientem comitabuntur, exprimitur. Similiter & una exterminatio per duas falces designatur: quia aliter exterminabuntur justi, aliter injusti: justorum exterminatio redemtio potius dicenda est, sicut Dominus dicit: *Respicite, & levate capita vestra; quoniam appropinquat redemtio vestra.* (Luc. 21. 28.) Redemtio jure vocatur, eo quod à malis temporalibus liberet, & ad gaudia æterna perducat. Impiorum autem exterminatio & hic gravis erit, & post mortem gravior; damnatio enim lœtusque perpetuus in eis permanebit. Justi de spe retributionis æternæ mortem lætam excipient: impii vero de damnatione perpetua timidi, tristissima morte plectentur.

Alter Angelus qui exivit de templo, & clamavit voce magna ad eum qui sedebat super nubem, dicens: *Mitte falcem tuam, & mete*; electos qui in hac terra laborant designat, per templum autem unde exisse visus est, Ecclesia designatur. Clamavit ergo ad eum qui sedebat super nubem, ut mitteret falcem suam in terram, & meteret; quia sancti viri videntes mundum in maligno positum, ejusque miserias horrentes, deprecantur quotidie ut regnum Dei veniat, in quo ab omnibus angustiis liberati, corpora propria recipient, & in æternum cum Domino exsultabunt. Ariditas vero messis maturitatem ejus indicat; nam sicut messis crescit usque ad maturitatem, quando arida efficitur: ita & numerus electorum usque ad finem mundi crescet, eorumque maturitas tunc perficietur, cùm eorum fuerit numerus completus. Similiter & quartus Angelus qui exiit de altari, qui habebat potestatem super ignem, eamdem significationem habet, quam & secundus, qui de templo exisse visus est; significat namque electos in hac vita laborantes. Altare autem Ecclesiam significat, sicut & templum: per ignem vero caritatem possumus intelligere, quam in cordibus sanctorum spiritalibus fomentis Spiritus sanctus excitat. Super hunc ignem sancti habere potestatem ideo dicuntur, quia & ipsi possident caritatem, & possidentur ab ea. Iste ergo Angelus clamavit ad tertium Angelum secundam falcem gerentem, quem Christum significasse diximus, ut vindemiaret botros vineæ terræ, per quos impii designantur; quia viri sancti videntes quotidie genus humanum à dæmonibus decipi, videntes etiam impios florere, mundumque semper ad deteriora delabi, orant ut dies judicii veniat, in quo & nequitia dæmonum cum ipsis auctoribus pereat, & omnis prævaricatio cum ipsis prævaricatoribus accipiat finem, & adducatur justitia sempiterna, quæ nullo fine terminabitur. Vinea quippe mundum significat, quæ omnem impiorum multitudinem genuit & nutrivit: lacus vero, quem infernum vocamus, ideo lacus iræ Dei dicitur, quia vindicta iræ Dei in eo consummabitur.

℣. xx. *Et calcatus est lacus extra civitatem.* Per calcationem demersionem impiorum in infernum possumus intelligere: per civitatem autem cælestis Hierusalem designatur: quæ ex omnibus electis constat. Extra hanc ergo civitatem lacus calcabitur; quia à consortio justorum impii separabuntur, & in infernum detrudentur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *[c] Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent illos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium.* (Matth. 13. 49.)

a. Omissum fuerat in edit. qui præparatus est diabolo, & angelis ejus.
b. Edit. Colb. falcem suam acutam super terram, & messuit terram: & terque namque &c. Rom. autem, falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, . . . misit in lac. iræ Dei magnum. b terque namque &c. Locum vero, ut in ms. habemus restituimus.
c. Desiderabatur in edit. & mittent illos . . . & stridor dentium.

Et exiit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta. Per sanguinem pœna impiorum designatur: per spatium vero mille sexcentorum stadiorum, quod sanguis de lacu exiens occupavit, falsi christiani designantur: qui numerus quamvis à quaternario numero derivetur, eitumquaque tamen a eumdem numerum servans spargitur, finesque ejus minime transilit. Similiter & falsi christiani fidem Christi, quæ in quatuor libris Evangelii consistit, in baptismate susceperunt: sed arctam & angustam viam, quæ intra angustias quaternarii numeri concluditur, relinquentes, quæ ducit ad vitam; per latam & (Matth. 7, 13.) spatiosam hujus sæculi viam, quæ ducit ad mortem, incedunt. Verumtamen à quaternario numero non recedunt, quia quamvis opera christianitatis non habeant, nomen tamen christianitatis non amittunt. Sanguis ergo de lacu exivit, & mille sexcenta stadia occupavit; quia ea pœna quæ dæmones & omnes incredulos absorbebit, etiam falsos christianos, qui fidem visi sunt habuisse, sed opera fidei non habuerunt, illaqueabit. Per equos vero falsi pastores Ecclesiæ designantur, qui officium regiminis non pro amore Dei, sed pro amore sæculi suscipiunt: per frenos quibus equi reguntur, eorum falsa doctrina designatur. Habent quidem falsi pastores doctrinam in ore, ne ab officio funditus alieni videantur: sed pharisæorum exemplum sequentes, dicunt & non faciunt. Et quia aliud non possunt docere, nisi quod Evangelium loquitur, & in prædicatione sua annuntiant peccatoribus quas pœnas patientur, nisi corrigantur; usque ad equorum frenos sanguis pervenit, quia pœnas quas peccatoribus minati sunt, nisi corrigerentur, ipsi quia vitia sua deserere noluerunt, experientur.

CAP. XV. ℣. 1. ET *vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, Angelos septem habentes septem plagas novissimas; quoniam in illis consummata est ira Dei.* Sicut superius antequam ad narrationem septem Angelorum tubis canentium veniret, eorum mentionem facere studuit, ita & hic antequam ad septem Angelorum phialas habentium narrationem veniat, eorum mentionem facit, ut indicet magna mysteria in eorum visione contineri. Sed de iis in sequentibus quod Dominus dederit, dicemus.

℣. 2. *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igni, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super* ℣. 3. *mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi* (Sup. cap. 4.) *servi Dei, & canticum Agni, dicentes.* Quid significet mare vitreum, superius in visione secunda diximus: sed illic tamquam crystallum esse dicitur, hic autem mixtum igni: & quia crystallus nimiæ claritatis est, ignemque de se cùm calorem solis acceperit, solet emittere, eamdem significationem habet illic crystallus, quam hic ignis; significant namque spiritalem intelligentiam, quæ in divinis scripturis invenitur. Mare igitur vitreum mixtum est igni; quia divina scriptura mixta est spiritalibus intellectibus. Super mare itaque vitreum ii, qui bestiam vicerunt, stare visi sunt; quia sancti Dei qui contra Antichristum pugnaturi sunt, in præceptis divinarum scripturarum gressus figent, b nullaque impulsione ventorum à sua fide moveri poterunt. Per citharas vero quas habebant, mortificatio carnis designatur: canticum autem Moysi, vetus Testamentum: canticum Agni novum demonstrat. Canticum ergo Moysi & canticum Agni cantabant; quia & vetus & novum Testamentum sancti prædicabunt. Quod canticum quale sit, audiamus.

℣. 3. *Magna & mirabilia opera tua, domine Deus omnipotens: justæ & veræ viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? Quia tu solus pius es; quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.* Concordat hoc canticum cum veteri & novo Testamento; nam septem benedictiones ibi inveniuntur, quæ septem partibus, (Sup. c. 5. & 7.) de quibus superius diximus, coaptari possunt. Prima quippe benedictio est: *Magna & mirabilia opera tua, domine Deus omnipotens;* quæ primo tempori convenire potest, in quo factum est cælum & terra, omnesque creaturæ, quæ valde sunt mirabilia. Secunda est: *Justæ & veræ viæ tuæ, Rex sæculorum:* quæ congruit parti secundæ, (Gen. 7. 23.) in qua omnes creaturæ quæ habebant spiritum vitæ, justissimo Dei judicio aquis diluvii deletæ sunt. Tertia est: *Quis non timebit te, Domine?* quæ tertiæ parti, iis videlicet quibus Lex data est, congruit, qui timore potius quam amore Legis mandata exercebant. Quarta est: *Et magnificabit nomen tuum;* quam prophetis convenire manifestum est, qui nomen Dei & prædicationibus & scriptis magnificaverunt. Quinta est: *Quia tu solus pius es;* in quinta parte adventum Christi posuimus, in qua Dominus noster, qui solus pius est, & homo fieri pro salute generis humani, & pati & mori dignatus est. Sexta est: *Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo;* manifestum est post adscensionem Domini omnes gentes ad fidem venisse Christi, quas in sexto loco posuimus. Septima est: *Quoniam judicia tua manifesta sunt,* quam ad diem judicii pertinere manifestum est, in quo judicia Dei justa & vera esse manifestabuntur. A cujus judicii damnatione nos misericordia & pietas domini & redemptoris nostri Jesu Christi liberare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen. c

DE VISIONE QUINTA.

VIsio quinta, ad cujus sensus elucidandos, Domino juvante, pervenimus, ex maxima parte visioni superiori concordat; de cujus intelligentia usque modo quod Domini gratia largiri dignata (Sup. cap. 8.) est, diximus. Nam sicut illic septem Angeli visi sunt, quibus datæ sunt septem tubæ: ita & hic septem Angelis septem phialæ datæ fuisse memorantur. & sicut in cantu tubæ primi Angeli grando magna terram percussit; ita & in effusione phialæ primi Angeli homines, qui per terram sæpe designantur, pessimis vulneribus percussi esse dicuntur: & quemadmodum in cantu tubæ secundi Angeli tertia pars maris in sanguinem versa est, similiter & in effusione phialæ secundi Angeli totum mare in sanguinem versum fuisse d describitur. Eumdem sensum sequuntur & cæteri: sed qualiter isti cum superioribus concordent, in sequentibus dicemus. Eamdem ergo significationem habent isti, quam & illi, significant quippe prædicatores, qui fuerunt ab initio, & erunt usque ad finem. Sed ideo bis ponuntur, quia sicut superius demonstravimus, ea quæ sub cantu tubæ primi Angeli, secundi, tertii, atque quarti gesta fuisse visa sunt, ad electos pertinent. Porro quæ sub cantu tubæ quinti, sexti, atque septimi Angeli facta fuisse referuntur, quibus & tria væ conjunguntur, in quibus persecutiones Ecclesiæ, quas ab hæreticis & a paganis passa est, & ab Antichristo in fine mundi passura est, describuntur, ex una parte ad reprobos, ex altera ad electos pertinent; quia impii ex malo quod aliis ingerunt, pœnam perpetuam: justi verò ex malo quod perferunt, gloriam sempiternam sibi adquirunt. Omnia itaque quæ sub effusione phialarum septem Angelorum describuntur, ad reprobos pertinent; unde & septem tubæ, quibus exercitus Dei ad pugnam provocabatur, cecinisse dicuntur: sequentes autem phialas plenas iracundiæ Dei super impios effudisse referuntur.

Post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo. ℣. 5. In Exodo scriptum est quod fecerit Moyses tabernaculum (Exod. 26. & seq. 3. Reg. 6. & 7.) in deserto: postea vero à Salomone jam populo in terra repromissionis degente, templum ædificatum est. Per desertum igitur hoc sæculum: per tabernaculum quod de loco ad locum transferetur, præsens Ecclesia designatur, quæ de deserto hujus sæculi quotidie ad cælestem beatitudinem transit, pergitque de virtute in virtutem, ut videat Deum deorum in Sion. (Psal. 83, 8.) Unde & cortinæ tabernaculi, quæ diversis coloribus depictæ erant, pellibus tegebantur & ciliciis: ut demonstrarent mortificationem carnis atque humilitatem custodiam esse virtutum. Quid autem per terram repromissionis, nisi cælestis patria designatur, quam repromisit Deus diligentibus se? Et quid (Jacob. 1. 12.) per templum, quod ex optimis lapidibus ædificatum fuit, figuratur, nisi cælestis Hierusalem, quæ ex vivis lapidibus quotidie ædificatur? e Quod ergo dicit: *Apertum est templum tabernaculi;* tale est ac si dicatur: Apertum est templum Ecclesiæ: templum vero Ecclesiæ quid est aliud, nisi cælestis patria? In hoc templo Psalmista habitare desiderabat, cùm dicebat: *Unam petii à Domino, hanc requiram,* (Psal. 26. 4.) *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc itaque templum per Christum apertum est, quia aditus regni cælestis per eum omnibus fidelibus patefactus est.

Et exierunt septem Angeli, habentes septem plagas de templo, vestiti lapide mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. ℣. 6. Si per templum cælestis patria, & per septem Angelos prædicatores designantur, quomodo de templo exiisse dicuntur? Numquid sancti de illa cælesti patria ad prædicandum descendunt? Sed sancti prædicatores quasi de cælesti patria exeunt, cùm ab illo mittuntur, qui est gloria sanctorum, & à quo omnis doctrina eorum procedit. Qui septem plagas habuisse dicuntur: & superius septem plagas habuisse dicti sunt, eo quod in illis consummata sit ira Dei. Si septem plagas iracundiæ Dei habuerunt, quomodo sancti facti fuerunt? Sed habuerunt sancti Dei plagas septem in potestatem, non in pœnam suam; Dominus namque dicit in Evangelio: *In regeneratione cùm* (Matth. 19. 28.) *sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Per septem autem plagas septem vitia principalia, ex quibus omnia mala oriuntur, designantur. Septem igitur plagas septem Angeli habuisse visi sunt, quia prædicatores sancti in die judicii septem vitia principalia, id est, omnes operatores malorum ita in potestate habebunt, ut eorum judicio perpetua pœna plectantur. Consummata est vero in sanctis prædicatoribus ira Dei, id est, per illos; quia eorum judicio ira Dei perficietur. Possumus septem plagas aliter intelligere. Superius omne corpus (Sup. cap. 12.) impiorum in septem partes divisimus: septem ergo plagæ sunt peccata, quæ unicuique parti aptius conveniunt; aliter enim judicabuntur ii, qui ante diluvium fuerunt, populumque Dei conjunctione feminarum deceperunt: (Gen. 6. 2.) aliter ii qui post diluvium idololatriam, diversosque errores invenerunt, per quæ genus humanum deceptum est: aliter ii qui sub Lege fuerunt, & mandata Dei non custodierunt: aliter pseudoprophetæ, qui populum Dei deceperunt: aliter impii Judæi, qui Dominum interfecerunt, & apostolos ejus persecuti sunt: aliter persecutores Ecclesiæ, qui fidem Christi extinguere conati sunt: aliter ministri Antichristi, qui Christum deserunt, & Antichristum sunt secuturi. Has itaque plagas sancti Dei in potestate habebunt, quia singuli eos qui suis temporibus fuerunt, eorumque monita contempserunt, suo judicio perpetua pœna damnabunt. Per lapidem vero mundum atque candidum, quo septem Angeli vestiti fuisse visi sunt, Christus designatur, de quo dicit (Galat. 3. 27.) Apostolus: *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Per zonas autem aureas, quibus circa pectora præcincti narrantur, prædicatorum sapientia intimatur: quæ corda sanctorum intra se ita concludit, ut extra ipsam per diversos errores evagari non sinat.

Et unum è quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Quatuor animalia quamvis quatuor evangelistas significent, tamen & simul & sigillatim Christum significant: sed quia brevitas non permittit ut dicamus quemadmodum unumquodque Christum significet; per istud unum animal Christum intelligamus. Phialæ vero corda sunt sanctorum, quæ propter sapientiam aurea recte vocantur. Unus ergo ex quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, quia Christus corda sanctorum suorum sapientiâ replevit. Verum si sapientiâ repleta sunt, quomodo iracundiæ Dei plena esse dicuntur?

a. Omnes edit. eamdem numerum spargens spargitur: omnes mss. ... servans spargitur.
b. Edit. nullaque impulsione ventorum: mss. .... ventorum.
c. Codex Gem. digneturæ cui est honor & gloria per omnia &c.

d. Ita mss. edit. vero. describitur. Sed qualiter isti .... dicemus, eumdem sensum sequuntur.
e. Omnes edit. Quid igitur dicit, apertum est templum Ecclesiæ: Templum &c. Sed mss. lectionem retinuimus, ut in contextu.

Dominus

Johan. 15. 22. Dominus in Evangelio dicit de impiis Judæis: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Numquid Judæi ante adventum Christi peccatum non habebant? Erant itaque antea peccatores, sed peccatum incredulitatis, peccatum blasphemiæ, quo eum Beelzebub vocaverunt, peccatum homicidii, quo eum crucifixerunt, & multa alia scelera quæ ex adventu ejus traxerunt, non habebant. In phiala autem Christi: *a* in qua vita mundi continebatur, Judæi suis culpis exigentibus, mortem invenerunt. Phialæ igitur septem Angelorum plenæ fuerunt iracundiæ Dei, quia quantum ad reprobos pertinet, prædicatio sanctorum iram Dei in se continuit: quia pro eo quod eorum prædicationem contempserunt, iram Dei invenerunt.

℣. VIII. *Et impletum est templum fumo à majestate Dei, & de virtute ejus.* Diximus superiùs per templum cælestem patriam designari: fumus vero si intra domum fuerit, oculos a foris perspicientium obscurat; ut non perfecte possint videre ea, quæ in domo geruntur. Templum igitur cælestis patriæ modo fumo est plenum; quia electi in hac vita positi, dum oculos mentis suæ ad contemplanda cælestia attollunt, obscurantur qualium caligine, quam transmeare non possunt: quam obscurationem fumum vocat. Hanc caliginem Paulus patiebatur, cùm dicebat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et iterum: *Nunc autem cognosco ex parte, tunc vero cognoscam, sicut & cognitus sum.* (1. Cor. 13. 12. Ibidem.) Et notandum quia hanc hebetationem electi quamdiu in hac vita positi sunt, patiuntur: cùm autem ad illam cælestem beatitudinem transierint, ab oculis mentis eorum avelletur. Unde & sequitur: *Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.* Numquid in illa cælesti beatitudine quotidie justi non introeunt? Sed de ingressione corporum hoc dictum esse intelligamus, in illa quippe cælesti beatitudine justi non ingrediuntur cum corporibus suis, usque dum septem plagæ septem Angelorum compleantur. De septem plagis superiùs diximus: ultima vero plaga erit, cùm Antichristus suis erroribus genus humanum inficiet. Finitis autem septem plagis, pro quibus examinandis dies judicii fiet, sancti corpora sua recipient, atque in templo patriæ cælestis sine fine cum Domino habitabunt.

Psal. 83. 5. De hac habitatione dicit Psalmista: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Cap. XVI. ℣. I. *Et audivi vocem magnam de templo, dicentem Angelis septem: Ite, & effundite septem phialas iracundiæ Dei in terram.* Vox de templo vox Domini est præcipientis prædicatoribus, ut verbum Dei non solum electis, sed etiam reprobis annuntient, quatenus habeant isti unde corrigantur, & illi unde deterius damnentur. Per terram vero peccatores designantur. Prædicatores itaque phialas suas super terram effundunt, cùm verbum Dei peccatoribus annunciant.

℣. II. *Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sævum ac pessimum in hominibus, qui habebant characterem bestiæ, & in eis qui adoraverunt imaginem ejus.* Primus Angelus prædicatores qui ante Legem fuerunt, designat: sicut & ille qui in præcedenti visione tuba primus cecinisse visus est. Sup. c. 8. Sed ibi per tertiam partem terræ quæ combusta est, electi designantur: hic autem per eos qui vulnus sævum ac pessimum passi sunt, reprobi. Effudit igitur Angelus phialam suam in terram; quia sancti viri qui ante Legem fuerunt, admonitionis verba impiis impenderunt, ut eos corrigerent: sed vulnus sævum ac pessimum in eos factum est; quia ex prædicatione sanctorum deteriores effecti, mandata Dei contempserunt; vulnus namque sævum ac pessimum est contemptus mandatorum Dei. Verùm si vulnus sævum ac pessimum tantummodo ad reprobos pertinet, & illi tantummodo hoc passi sunt, qui characterem bestiæ habuerunt, quærendum nobis est quid sit character bestiæ. Quod si per characterem bestiæ superbiam voluerimus intelligere, eo quod propter illam diabolus de cælo ceciderit, advertere debemus multos electos superbiæ vulnus habuisse, sed medicamento humilitatis sanatos esse. Est autem aliud vitium pessimum, quod medicamentum pœnitentiæ à se semper excludit; scimus enim diabolum esse irrevocabilem, ut nullo modo ab iniquitatibus suis corrigi possit. Itaque qui irrevocabilis est, medicamentum pœnitentiæ non requirit, sicut & diabolus ab hoc medicamento alienus existit. Ergo qui per doctrinam sanctorum patrum à sceleribus suis revocari non potuerunt, characterem diaboli habuerunt, qui incorrigibilis & impœnitens perseverat. Sed quia hoc vitio, nostro tempore, multi laborant, necesse est ut de magnitudine ejus aliqua dicamus: nam sunt nonnulli ita irrevocabiles, ut quamvis sciant pravam esse assertionem suam, nullo modo ab ea revocari possint, timentes vinci ab hominibus; & ne convincantur, mendaciis & perjuriis atque flammantibus contentionibus falsitatem suam defendere conantur: dumque timent vinci ab hominibus, a diabolo vincuntur. Cetera ergo vitia medicamento pœnitentiæ sanantur: illud autem solum est, quod à se hoc salubre medicamentum excludit: ne scilicet per confessionem & pœnitentiam victi esse videantur. Et quia malum suum ut vicisse videantur, laudant, completur in illis illud Propheticum: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras!* (Isai. 5. 20.) Fertur avis quædam esse, quæ serpentem vincit & comedit, sed post paululum veneno illius perimitur: similiter & illi gaudent se vicisse proximos, sed talis victoria interfectrix est animarum illorum. Quicumque ergo tales sunt, characterem portant diaboli. Per imaginem vero bestiæ vitia possumus intelligere; *b* eo quod ipse sit auctor omnium malorum. Imaginem itaque bestiæ adorat, quicumque vitiis servit; nam & Paulus dicit quod venter Deus esset falsorum prædicatorum: *Quorum*, inquit, *Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum: qui terrena sapiunt.* (Philip. 3. 19. Coloss. 3. 5.) Similiter & avaritiam servitutem vocavit idolorum.

℣. III. Sup. cap. 8. *Et secundus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tamquam mortui, & omnis anima vivens mortua est in mari.* Iste Angelus doctores Legis significat, sicut & ille qui in præcedenti visione secundus tuba cecinisse visus est: sed ibi tertia pars maris in sanguinem versa fuisse dicitur, per quæ electos designatos fuisse diximus: hic autem totum mare in sanguinem versum esse legitur. Vindicta criminalium scelerum secundum Legem erat sanguinis effusio. (Gen. 9. 5.) Per mare igitur prævaricatores Legis designantur; quod in sanguinem versum est, quia vindictam perpetuam pro contemptu mandatorum Dei receperunt. Omnis vero anima vivens mortua est in mari; quia multi ex iis qui in mari erant, id est, ex numero reproborum, qui per mare designantur, & qui ante perceptionem Legis vivi, id est, justi videbantur, accepta Lege, quod injusti fuerint, ex prævaricatione Legis comprobatum est. Sunt etiam modo multi in Ecclesia, qui antequam ad honores ecclesiasticos, sive sæculares conscendant, sancti & justi videntur; verum acceptis honoribus, dum donum Dei in malum pervertunt, quod mortui & non vivi fuerint, omnibus patet.

℣. IV. *Et tertius effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.* Iste Angelus prophetas designat, per flumina vero fontesque aquarum duodecim tribus cum suis familiis designantur; nam & in præcedenti visione per tertium Angelum tuba canentem prophetas diximus fuisse designatos. *c* Sed ibi tertia pars fluminum atque fontium versa esse legitur in absynthium, per quam eos qui per doctrinam prophetarum amaritudinem pœnitentiæ adsumserunt, atque per eam salvi esse meruerunt, diximus fuisse designatos, hic autem in effusione phialæ tertii Angeli flumina & fontes in sanguinem conversa fuisse leguntur. Angelus igitur phialam suam super flumina & fontes aquarum effudit, quando prophetæ sancti impio populo verbum Dei annuntiaverunt: sed illi ex prædicatione sanctorum multo deteriores effecti, non solum mandata Dei contempserunt, sed & ipsos verbi Dei ministros occiderunt. In sanguinem vero versi sunt; quia ipsi sibimet ipsis mortem perpetuam intulerunt.

℣. V. ℣. VI. *Et audivi d Angelum quartum dicentem: Justus es, qui es, & qui eras sanctus, quia hæc judicasti; quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, quod digni sunt.* Possumus per Angelum quartum Angelum illius populi intelligere, qui videns justo Dei judicio populum iniquum esse damnatum, laudat sententiam justissimam Dei omnipotentis. Et quia sanguinem sanctorum & prophetarum fuderunt, sanguinem biberunt; quia pro morte temporali, quam justis intulerunt, mortem perpetuam receperunt.

℣. VII. *e Et audivi etiam altare dicens: Domine Deus omnipotens, vera & justa judicia tua.* Possumus per altare sanctos viros qui eo tempore fuerunt, intelligere; qui laudaverunt justum judicium Dei, eo quod impio populo justissimam damnationem intulerit, sicut legimus Danielem & tres pueros fecisse.

℣. VIII. ℣. IX. *Et quartus phialam suam effudit in solem, & datum est illi f æstu affligere homines, & igni. Et æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas; neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.* Quartus Angelus Christum & apostolos ejus, ceterosque prædicatores significat, ut quartum Angelum in superiori visione significasse diximus: sed ibi per solem populus Judæorum, per tertiam partem solis & lunæ atque stellarum fideles qui ex illo populo in Christum crediderunt, designantur. Quartus igitur Angelus phialam suam in solem effudit; quia Christus & apostoli ejus, quod impii Judæi a Romanis delendi essent, apertis vocibus prædixerunt. Nam sicut quilibet servus accipit à Domino suo gladium, non unde ipse jugulетur, sed unde reum juguletur: ita & Romani effusionem phialæ, in qua ira Dei continebatur, non ad hoc susceperunt, ut ipsi in ea perirent, sed ad vindicandum Christi sanguinem in Judæos effunderent; unde & sequitur: *Quia datum est illi æstu affligere homines & igni.* Possumus per æstum obsidionem, per ignem autem famem & gladium, quibus Judæi pene omnes consumti sunt, intelligere. Datum est ergo soli affligere homines æstu & igni; quia Romanis datum est à Deo, ut impios Judæos diversis calamitatibus afflictos, quosdam occiderent, quosdam è sua terra evellerent. *Et æstuaverunt homines æstu magno.* Quàm magnus fuerit ille æstus, quo Romani Judæos afflixerunt, qui vult scire, Josephum legat, & inveniet nullam gentem in omnibus regnis terrarum atrocius periisse. (De bello Judaico.) *Et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.* Tam impia fuit gens Judæorum, ut cùm scirent se pro sceleribus suis tam dira mala perpeti, non solum à blasphemiis Christi non cessaverint; sed etiam multo deteriores blasphemias in suis afflictionibus contra Deum evomuerint. Unde & sequitur: *Neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam;* darent namque Deo gloriam, si ex suis iniquitatibus pœnitentiam agentes in Christum credidissent, ejusque mandata custodissent.

℣. X. ℣. XI. *Et quintus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est regnum ejus tenebrosum: & commanducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Quintus Angelus orthodoxos patres qui contra hæreticos dimicaverunt, significat, quemadmodum & illum diximus significasse, qui in superiori visione quintus tuba cecinit. (Sup. cap. 9.) Et sicut illic per locustas, hæretici designati sunt, ita & hic per sedem bestiæ hæretici designantur: bestia autem diabolum significat. Jure igitur hæretici sedes bestiæ dicuntur: quia in eorum cordibus diabolus inhabitat. Quintus igitur Angelus phialam suam super sedem bestiæ effudit; quia sancti viri errores hæreticorum detegentes, quæ pœna illis instaret, manifestare studuerunt. Factum est

a. Codex Germ. qui supernam continebatur.
b. Edit. eo quod ipsa, id est, diabolus sit auctor: mss. eo quod ipse sit auctor.
c. Omnes alii. Sed ibi pars fluminum. mss. .... tertia pars fluminum.
d. Rom. alii. Angelum aquarum dicentem: Justus es, Domine .... Possumus per Angelum aquarum &c.
e. Omnes alii Et audivi vocem de altari dicentem: Etiam Domine: omnes mss. ut in contextu.
f. Ita mss. edit. autem Gill. pro affligere in margine posuit, affligere, quod Rom. in textum admisit, ac præterea totum, qui sequitur, Scripturæ versiculum exsolvit.

vero regnum ejus tenebrosum; quia illis quibus doctrina hæreticorum fulgida videbatur, per doctrinam sanctorum Patrum, quod misera & tenebrosa esset, demonstratum est. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore*: quia singuli singulorum errores reprehendebant: *a* nam neque Arrius Eunomium sequutus, vel Sabellium, vel quemquam illorum; neque illi illum: sed unusquisque hæresim suam stabilire volens, ceterorum errores reprehendebat. Qui etiam Deum præ doloribus & vulneribus suis blasphemasse dicuntur; dolebant quippe hæretici, eo quod à catholicis viris semper convincerentur: vulnera vero eorum erant errores singulorum. Blasphemabant vero hæretici Deum præ doloribus suis; quia quanto amplius à catholicis viris superabantur, tanto ampliores blasphemias ad eos revincendos inveniebant: impellebant nihilominus eos ad Deum blasphemandum proprii errores, quos profitebantur. Qui etiam sine pœnitentia fuisse dicuntur; vix enim aliquem ex inventoribus hæresum invenies, qui pœnitentiam egerit ex suis erroribus.

℣. XII. *Et sextus effudit phialam suam super flumen magnum Euphraten, & siccavit aquam ejus; ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Sextus iste Angelus eamdem significationem habet, quam & ille qui sexta tuba cecinisse visus est; significat enim martyres sanctos: & qui designantur illic per equites, à quibus tertia pars hominum occisa fuisse describitur, ipsi & in hoc loco per flumen magnum Euphraten, persecutores videlicet Ecclesiæ Dei. Effudit ergo Angelus phialam suam super flumen Euphraten; quia quæ damnatio persecutoribus Ecclesiæ instaret ipsis persecutoribus sine aliqua trepidatione prædixerunt. Per aquam vero ipsa persecutio designatur: siccavit autem aquam ejus; quia tamdiu in prædicatione verbi Dei sancti martyres perstiterunt, usquedum omnis persecutio finem acciperet, quibusdam ex persequentibus in infernum demersis, quibusdam fidei christianæ semet ipsos subjicientibus. Per reges multitudinem gentium, quæ ad fidem Christi confluxit, possumus intelligere. Via itaque regibus siccatâ aquâ præparata est; quia finitis persecutionibus, libera facultas data est omnibus gentibus ad fidem Christi veniendi. Sed quomodo ab ortu solis venisse dicuntur, id est, à Christo, qui per solem designatur, cùm non à Christo, sed ad Christum, diabolum relinquentes, venerint? Nisi forte per solem diabolum intelligamus, ut ab ipso ad Christum venerint: sed melius est ut per solem Christum intelligamus, propter illud propheticum: *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, b & sanitas in pennis ejus.* Ab ortu ergo solis, id est, à Christo veniunt, quia ipso inspirante & impellente ad eum veniunt; ipsius est donum & velle & perficere, quæ bona sunt, sicut ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere.* A Christo itaque veniunt quicumque ad Christum veniunt, quia ipse dat ut veniant, & ipse suscipit venientes.

Malach. 4. 2.

Joban. 15. 5.

℣. XIII. ℣. XIV. *Et vidi de ore draconis & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire tres spiritus immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.* c Vocatione gentium descripta, qualiter ad fidem Christi venerint, mentionem facit Antichristi, qui prope finem mundi venturus est. Spiritus vero tres immundi discipulos designant Antichristi, qui eum per universum orbem prædicaturi sunt: qui quamvis homines sint futuri, spiritus immundi, & spiritus dæmoniorum vocantur; quia dæmones in ipsis habitabunt, & per ora eorum loquentur: qui de ore Antichristi, & de ore pseudoprophetæ ejus exisse visi sunt; quia per eorum doctrinam filii diaboli efficientur: qui etiam de ore draconis exisse visi sunt; quia per os Antichristi diabolus loquetur. Ranis nihilominus, quæ sunt reptilia immunda, & in luto viventia, recte assimilantur; quia sicut ranæ in sordidis aquis immorantur, ita & discipuli Antichristi eos facile decipient, qui diversis vitiis & sceleribus non timuerunt sordidari. Nam & ranarum vox rauca & turpes impiissimam eorum prædicationem blasphemiis plenam designat. *Et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Per reges terræ non solum reges, sed & populi designantur: congregabunt autem illos discipuli Antichristi in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei, non quod *d* contra Deum pugnare audeant in die judicii, à quo tam terribiliter judicabuntur: sed congregabunt eos in prælium ad persequendam Ecclesiam; ut in die magno Dei omnipotentis perpetua pœna damnentur. Et quia finita persecutione Antichristi, Dominus ad judicium in proximo veniet, subdit:

℣. XV. *Et ecce venio sicut fur.* Dies Domini, sicut dicit Apostolus, sicut fur, ita in nocte veniet; cùm enim dixerint: Pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Impii qui in voluptatibus suæ carnis veluti in quadam mollitie lectuli requiescunt, & qui nolunt prævidere mala, quæ sequuntur, non inconvenienter dormire dicuntur. Quos Apostolus admonet dicens: *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Justi vero qui mala quæ sequuntur, prævidere student, qui voluptates carnales in se exstinguunt, qui armis virtutum se muniunt; ut contra visibiles & invisibiles hostes indesinenter dimicare valeant, non incongrue vigilare dicuntur, ideoque beati sunt. Vestimenta autem nostrarum animarum sunt opera bona: custodia vestium custodia est mandatorum Dei. Vestimenta ergo nostra custodimus, si ea quæ præcepit Deus, operando implemus: nudus vero est, qui à bonis operibus alienus existit. Nudi impii ambulabunt, cùm ad diem judicii à bonis operibus vacui deducentur; & ideo turpitudo illorum videbitur, quia & Angelis & hominibus eorum scelera manifestabuntur.

1. Thessal. 5. 2. & 3.

Ephes. 5. 4.

℣. XVI. *Et congregabit eos in locum, qui vocatur hebraice Armageddon.* Armageddon mons globosus, sive consurrectio in priora interpretatur: quæ utraque interpretatio diei judicii coaptari potest. Mons quippe globosus recte vocatur; eo quod globis flammarum universus mundus tunc deleatur: similiter & consurrectio in priora recte dicitur; eo quod omnes homines in priorem statum resurgendo reparentur.

℣. XVII. *Et septimus effudit phialam suam in aerem.* Per septimum istum Angelum prædicatores sancti, qui temporibus Antichristi futuri sunt, designantur; sicut & illum significasse diximus, qui superius septimus tuba cecinisse legitur, per aerem vero vani homines designantur. Angelus igitur phialam suam in aerem effudit; quia prædicatores sancti vanis & impiis hominibus quod perpetua pœna sint damnandi, denuntiabunt. *Et exivit vox magna de templo à throno, dicens.* Vox magna vox est prædicatorum sanctorum: per templum Ecclesia intelligitur. A templo ergo vox exiit, quia ab Ecclesia vox sanctæ prædicationis procedit: quæ etiam & à throno exisse dicitur; quia Ecclesia Dei thronus est Dei, & in illa sedens requiescit. Quid autem hæc vox dicat, subdendo manifestat: *Factum est*, id est, finis mundi instat, in quo omnia quæ prædicta sunt à Domino & à sanctis, complebuntur.

Cap. 11.

Et facta sunt fulgura & voces & tonitrua, & terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, e talis terræ motus, sic magnus. Per fulgura miracula quæ per sanctos suos facturus est Deus, designantur; legimus namque in superioribus, Eliam & Enoch plurima signa esse facturos: per voces prædicatio sanctorum: per tonitrua autem terror ignis æterni exprimitur: terræ motus vero motionem cordium sæpe designat. Movebuntur enim quidam de malo ad bonum, sicut Judæi qui in Christum credituri sunt: movebuntur alii de bono ad malum, qui fidem Christi relicturi sunt, & errores Antichristi sequuturi. ℣. XVIII.

Sup. c. 11.

Et facta est civitas magna in tres partes, & civitates gentium ceciderunt. Civitas magna civitas est diaboli, id est, omnis multitudo reproborum: per tres partes in quibus divisa est, Judæi qui in Christum credere noluerunt, & pagani atque falsi christiani designantur. Quod autem dicit: *Et civitates gentium ceciderunt*; videtur mihi ad diem judicii pertinere. Civitates gentium tunc cadent, cùm eo igne qui faciem Domini ad judicium venientis præcedet, omnes gentes delebuntur, sicut dicit Psalmista: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* ℣. XIX.

Psal. 96. 3.

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare ei calicem vini indignationis iræ ejus. Quomodo Babylon in memoriam ante Deum venisse dicitur, ad cujus memoriam nihil accedere, nihil recedere potest: in cujus conspectu sicut præsentia, ita præterita, & futura consistunt? Sed memoriam pro tempore posuit: Babylon igitur in memoriam ante Deum veniet, quando illud tempus veniet, in quo statuit judicare mundum, & reddere unicuique secundùm opus ejus. Vinum vero indignationis iræ Dei pœna perpetua est; quia peracto judicio, omnes impii cum auctore iniquitatis diabolo damnabuntur.

Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi. Eamdem significationem habent montes & insulæ, quam civitates gentium, quæ paulo superius dicuntur cecidisse; per insulas namque gentes, per montes vero earum principes designantur: fugere autem dicuntur, cùm ab igne in die judicii delebuntur. ℣. XX.

Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines. In Evangelio scriptum est quod quidam paterfamilias peregre proficiscens, dedit uni servorum suorum quinque talenta, alii duo, alii vero unum. Sed primus & secundus negotiando talenta, quæ à domino acceperant, duplicarunt: tertius fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Quæcumque ergo bona temporalia aut quascumque artes à Domino accepimus, pro talentorum acceptione nobis reputabuntur: justi igitur qui per primum & secundum servum designantur, talenta sua duplicant; cùm bona temporalia quæ à Domino accipiunt, in bonis operibus expendunt, atque ad bona agenda quoscumque possunt, provocant: impii vero qui per servum tertium designantur, talenta sua in terra abscondunt: quia ex bonis temporalibus quæ à Domino acceperunt, vitia potius quam virtutes construunt. Per grandinem, quæ ea quæ ex terra nascuntur, conterit & delet; vindicta omnipotentis Dei designatur, qua impios conteret, & in infernum demerget: quæ sicut talentum esse dicitur, quia unumquemque secundùm talenti sui qualitatem puniet; & quanto amplius quis deliquit, tanto ampliora tormenta sustinere cogetur. Sed obscurum est valde quod sequitur: *Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis; quoniam magna facta est vehementer.* Quis enim in illo tam *f* districto justoque judicio blasphemare Deum audebit? Sed blasphemare dicuntur, quia blasphemiæ reproborum, quas modo in corde tegunt, cunctis manifestabuntur. ℣. XXI.

Matth. 25.

ET venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & loquutus est mecum, dicens. Sicut superius sub cantu tubæ septimi Angeli diem judicii breviter comprehendens, ad ea quæ prætermiserat, rediit; atque sanctam *g* Ecclesiam sub specie mulieris, quæ amicta erat sole, & luna sub pedibus ejus, describens, passiones quas à diabolo pertulit, & quas ab Antichristo in fine mundi passura est, annectit: ita & hic sub effusione phialæ septimi Angeli diem judicii summatim perstringens, ad ea quæ prætermisit revertitur, atque sub specie mulieris meretricis civitatem diaboli describens, quas pœnas pro sceleribus suis passura sit, in sequentibus manifestat. Angelus vero phialam habens, prædicatores sanctos designat: Johannes autem typum tenet omnium fidelium; unde & subditur: Cap. XVII. ℣. 1.

Sup. cap. 12.

Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ: & inebriati sunt omnes, qui habitant terram de vino prostitutionis ejus. Meretrix ista in aliquibus locis Romam specialiter, quæ tunc Ecclesiam Dei persequebatur: in quibusdam vero generaliter civitatem diaboli, id est, omne reproborum corpus demonstrat. Angelus igitur Johanni ostendit damnationem meretricis magnæ; quia prædicatores sancti & verbis & scriptis fidelibus ostendunt, quas pœnas impii pro sceleribus suis patiantur, ut eorum pœnis territi à peccatis abstineant. Quæ super aquas multas sedere dicitur; quia ex multitudine gentium, quæ per aquas designantur, civitas diaboli construitur: cum qua reges terræ fornicati esse dicuntur: quia scelera Babylonis auxerunt potius, quam destruxerunt. ℣. II.

a. *Nam neque Arrius* . . . . *errores reprehendebat*, ex mss. omnibus restitutum est.
b. Aberat ex edit. *& sanitas in pennis ejus*: sed habetur in cunctis mss.
c. Mss. etiam omnibus deberet, quidquid ab his verbis, *vocatione gentium usque ad venturus est*, legitur.
d. Edit. *contra Deum audeant*: mss. *contra Deum pugnare audeant*.
e. *Talis terræ motus, sic magnus*, in solis edit. omittebatur.
f. Omnes edit. *districto, justorum judicio*, omnes mss. *districto justoque judicio*.
g. Ita mss. edit. vero, *Ecclesiam describens*, ceteris prætermissis.

Et inebriati sunt omnes, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus. Vinum prostitutionis diversi errores, diversa sunt scelera impiæ civitatis; nam sicut meretrix prostituitur omnibus secum fornicari volentibus, ut eorum immunditiis polluatur: ita & omnes impii subjiciuntur dæmonibus, cùm eorum [a] pravis suggestionibus obtemperantes, in omnibus sceleribus se dejiciunt, sicut propheta ad Hierusalem loquitus dicens: *Et posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.* (Esai. 51. 23.) Terræ autem habitatores omnes reprobos vocat: ebrietas vero malitia est Babylonis; quia sicut ebriosus tamdiu impletur vino, usque dum à mente sua alienus efficiatur: ita & reprobi tamdiu omni malitia semet ipsos replent, usque dum à mente sua alieni effecti, timorem Dei, omnemque bonitatem à semet ipsis abjiciant, sicut dicit beatus Job, qui bibunt sicut aquam iniquitatem. (Job. 15. 16.)

℣. iii. *Et abstulit me in desertum in spiritu: & vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.* Per desertum omnis impiorum multitudo designatur: eo quod ipsi deserverint Deum, & ideo derelicti sunt à Deo. In deserto igitur mulier meretrix inventa est, quia ex multitudine iniquorum civitas diaboli constat. Bestia vero, sicut ipse in sequentibus exponit, diabolum significat: coccus autem colorem sanguinis habet; & per sanguinem sæpe mors designatur. Diabolus itaque sanguineus est, quia auctor est mortis & omnis perditionis. Quæ bestia plena nominibus blasphemiæ esse dicitur, eo quod ipse diabolus auctor sit omnium blasphemiarum. Quid sint autem capita septem & cornua decem, Angelus in sequentibus exponit.

℣. iv. *Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum, & immunditiæ fornicationis ejus.* Purpura sanguine tingitur, coccus vero sanguinis habet colorem, suntque vestimenta regalia, per quæ potestas sæcularis designatur: [b] per sanguinem autem sæpe mors designatur. Purpura igitur & coccus sanguinis speciem habent; quia potestas sæcularis mortifera est, & periculum sempiternum affert iis, qui eam amplius quàm cælestem gloriam amplectuntur. Possumus etiam per vestimenta sanguinea opera impiorum intelligere, pro quibus morte perpetua damnabuntur. Quodque sequitur: *Et inaurata auro*, per aurum sæpe sapientia designatur. Mulier igitur inaurata erat auro; quia sapientiam hujus sæculi possidebat, quæ stultitia est apud Deum. Per gemmas vero & margaritas eloquentia sæcularis designatur: per poculum aureum, quod manu tenuisse dicitur, philosophorum & poetarum doctrina designatur: quod plenum abominationum & immunditiæ fornicationis ejus dicitur; quia doctrina philosophorum & poetarum plena erat mendaciis, omnibusque erroribus ad decipiendum genus humanum composita.

℣. v. *Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.* [c] Per frontem atque faciem homo dignoscitur: similiter & impii ex operibus suis intelliguntur, sicut Salomon dicit: *Ex studiis suis intelligitur puer.* (Prov. 20. 11.) Per frontem itaque atque faciem opera impiorum designantur: quia ex operibus suis intelliguntur quod sint filii diaboli, civesque impiæ civitatis.

℣. vi. *Et mulierem vidi ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu.* Numquid Babylon sanguinem sanctorum biberat? Sed ebria erat, id est, ab omni spirituali ratione aliena: ebria erat, quia ultio sanguinis sanctorum ita eam damnabilem fecerat, & à misericordia Dei alienam; ut non esset digna quatenus aliquo modo suæ saluti posset consulere. *Et miratus sum, cùm vidissem illam, admiratione magna.* Mirantur fideles, cùm vident reprobos tantum à timore Dei alienos, ut sine aliqua trepidatione & innocentibus plurima mala ingerant, & in omnibus flagitiis semet ipsos demergant, scientes Deum nullum scelus impunitum relinquere; nisi prius pœnitentia cæterisque medicaminibus, quibus peccata sanantur, fuerit deletum.

℣. vii. *Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.* Eamdem significationem habet bestia in hoc loco, quam & superius diximus draconem habuisse; significat namque diabolum. Quid sint autem capita septem, & cornua decem, ipse, ut diximus, in sequentibus exponit. *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, & adscensura est de abysso, & in interitum ibit.* Bestia, id est diabolus, fuit ante adventum Christi, possidens genus humanum: non est modo, id est, non possidet genus humanum sicut antea; quia per Christum ab electorum cordibus expulsus est: adscensura verò est de abysso: quia temporibus Antichristi solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet omnes gentes, sicut sequentia plenius manifestant: & in interitum ibit; quia cum omnibus reprobis quos deceperit, & cum omnibus satellitibus suis æterna pœna damnabitur.

℣. viii. *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi, videntes bestiam quæ fuerat, & non est.* Inhabitantes terram eos debemus intelligere, qui amatores terræ erunt magis quam Dei, quos Antichristus facile decipiet. Mirabuntur ergo reprobi, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, id est, qui non sunt prædestinati ad vitam æternam: videntes bestiam, id est, diabolum per Antichristum signa facientem, & in Antichristo diabolum adorantes.

℣. ix. *Et hic est sensus, qui habet sapientiam:* id est, in hoc quod sequitur, magna obscuritas est, & sensus ad ea intelligenda valde acuendus est. Et nos rogemus Dominum, ut hanc obscuritatem nobis aperiat.

℣. x. (Sup. c. 12.) *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet; & reges septem sunt. Quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit; & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.* Diximus superius per septem capita draconis illos reprobos esse designatos, per quos diabolus genus humanum decepit, quos etiam in partes septem divisimus, sicut & ceteram multitudinem reproborum. Et quia eamdem significationem habet hæc bestia de qua loquimur, quam & draconem diximus habuisse; designant namque diabolum: eamdem significationem habent etiam septem capita bestiæ, quam & septem capita draconis diximus habuisse. Quæ & montes dicuntur, quia altiores fuerunt illi in sceleribus, qui ceteros deceperunt, quam illi qui ab eis decepti sunt, sicut in sequentibus de Babylone dicit: *Quia venerunt peccata ejus usque ad cælum.* (Infr. c. 18.) Vocantur nihilominus & septem reges, eo quod ceteris ad perditionem euntibus ducatum præbuerint. Super hos ergo montes meretrix sedere dicta est; quia ab iis civitas diaboli in omnibus erroribus atque sceleribus informata est. Nam sicut apostoli fundamenta dicuntur Ecclesiæ, ita è diverso inventores errorum fundamenta sunt civitatis diaboli. Ex iis igitur capitibus, sive montibus, vel regibus quinque ceciderunt, unus erat, alius non jam venerat. Primum caput diaboli ceciderat; quia illi qui ante diluvium fuerunt, per quos ii qui filii Dei vocabantur, decepti sunt, in cloacam inferni descenderant. (Gen. 6. 2.) Similiter & secundi qui post diluvium usque ad Legem fuerunt, in eadem perditionis fovea demersi tenebantur. Ceciderant & tertii, qui populo Dei, quibus Lex data est, idola colere suadebant. Similiter & falsi prophetæ, qui in quarto loco ponuntur, jam ceciderant in interitum suæ perditionis; eo quod deceptores fuerint populo Dei. Iniqui vero Judæi, qui Dominum interfecerunt, & apostolos ejus persequuti sunt, qui in quinto ponuntur loco; eo tempore quo hæc visio Johanni demonstrata est, jam à Romanis devastati fuerant. Quinque ergo capita bestiæ jam ceciderant, quæ montes regesque nominantur; quia omnes præcedentes, & impii Judæi qui in quinto loco ponuntur, jam perditionis suæ pœnas luebant. Unus erat; quia pagani, illi videlicet qui Ecclesiam Dei persequuti sunt, qui & in sexto loco ponuntur, tunc Ecclesiam Dei persequebantur; ob quam causam & ille Johannes in Patmos insula relegatus tenebatur. Alius nondum venerat; quia Antichristus qui in septimo loco ponitur, nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere; quia dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus, sicut ipse dicit in Evangelio: *Et nisi Dominus breviasset dies illos*, id est, dies persecutionis Antichristi, *non fieret salva omnis caro*; per omnem carnem solos electos designans. (Sup. 1. 2. 2. Thessal. 2. 8. Marc. 13. 20.)

℣. xi. *Et bestia quæ erat, & non est, & ipsa octava est, & de septem est; & in interitum vadit.* Et bestia, id est, diabolus, qui ante adventum Christi dominabatur humano generi, & modo non tenet illud ita obnoxium, quemadmodum tunc faciebat, ipsa scilicet bestia octava est. Septem namque partes sunt omnium reproborum, octava vero pars eorum est diabolus cum ceteris dæmonibus. De septem est, quia de societate reproborum dæmones existunt: & sicut fuerunt auctores perditionis eorum, ita erunt & socii tormentorum. Unde & sequitur: *Et in interitum vadit.* Hæc quæ sequuntur, usque ad eum locum ubi Angelus de cælo descendisse visus est, ad destructionem Romani imperii proprie pertinent.

℣. xii. *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt; sed potestatem tamquam reges una hora accipient post bestiam.* Quatuor bestiæ Danieli in visione demonstratæ sunt, per quas quatuor regna figurabantur: quarta autem bestia, quæ erat fortis atque terribilis, per quam Romani designati sunt, decem cornua habuisse describitur, per quæ ea regna quæ Romanum imperium destruxerunt, designata sunt, sicut sanctus Hieronymus quorumdam assertionem sequens exponit. (Dan. 7. 3. Comment. in cap. 7. Daniel.) Eamdem itaque significationem habent decem cornua in hoc loco, quam & illa habuisse dicuntur; significant quippe ea regna, per quæ Romanum imperium destructum est. Partem namque Asiæ per se primitus abstulerunt; postea vero Saraceni totam subegerunt: Vandali Africam sibi vindicaverunt, Gothi Hispaniam, Longobardi Italiam, Burgundiones Galliam, Franci Germaniam, Hunni Pannoniam: Alani autem & Suevi multa loca depopulati sunt, quæ eorum subjacebant ditioni. Hæc ergo regna eo tempore, quo visio illa Johanni demonstrata est, potestatem nondum acceperant; sed una hora tamquam reges potestatem acceperunt; quia singularum illarum gentium potestas pauco tempore permansit. Post bestiam regnum acceperunt, quia destructo regno diaboli per Christum, [d] hæ gentes impiam potestatem acceperunt.

℣. xiii. *Hi unum consilium habebunt, virtutem suam & potestatem bestiæ tradiderunt.* Unum consilium habuerunt, id est, unam voluntatem in malo. Virtutem suam & potestatem bestiæ tradiderunt: quia eorum virtus atque potestas diabolica fuit. ℣. xiv. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos.* Cum agno pugnaverunt, qui Ecclesiam Dei persequuti sunt, populumque Dei interfecerunt: Agnus autem vincet illos, quia scimus has gentes præter paucas jugum fidei Christi jam suscepisse. *Quoniam Rex regum est, & Dominus dominantium, & qui cum illo sunt vocati, electi & fideles.* Qui sunt reges & dominantes, ipsi sunt electi & fideles. Christus igitur Rex regum est, & Dominus dominantium; quia ipse est Rex & Dominus omnium sanctorum: & qui cum illo sunt vocati, electi & fideles sunt, id est sancti, qui ad hoc vocati sunt, ut cum illo in æternum permaneant, electi & fideles jure vocantur. Vocantur enim & reprobi, sicut Dominus dicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* (Matth. 20. 16.) Sed reprobi ad hoc vocantur, ut inexcusabiles sint: electi vero, ut cum ipso in æternum [e] perseverent.

℣. xv. *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam.* Fornicariam Romam vocat, quæ pro delusione falsorum deorum, Deum creatorem suum perloquebatur. Decem itaque cornua odio habuerunt fornicariam, quando gentes quæ per decem cornua designatæ sunt, ad destruendum Romanum imperium [f] arma sumserunt. ℣. xvi. *Et desolatam illam facient & nudam.* Desolatam illam fecerunt & nudam, quando omnes gentes potestati ejus ademerunt. *Et carnes ejus manducaverunt.* Quia deliciæ carnem nutriunt, possumus per carnes divitias omnium gentium intelligere. Carnes ejus manducaverunt, quando opes omnium

a. Edit. pravis suggestionibus sceleribus se dejiciunt, Rom. devictione: mss. vero, ut in contextu.

b. *Per sanguinem autem sæpe mors designatur*, è mss. in locum suum repositum est.

c. Aberat etiam ab edd. *Per frontem atque faciem .... intelligitur puer*: sed in nullis scriptis [illegible].

d. Edit. hæ gentes propriam potestatem acceperunt. Hi unum consilium habebunt, id est, unam voluntatem in malo. Et virtutem suam, & potestatem bestiæ tradiderunt. Quia eorum virtus &c. mss. vero nobiscum faciunt.

e. Rom. edit. hic ponebat: *Et dixit mihi: Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet*, & alia quæ in mss. & Gill. edit. habentur post [illegible] ℣. xviii.

f. Ita mss. edd. autem: *arma sumserunt. Et desolatam illam fecerunt, & nudam. Quando omnes gentes* &c.

gentium, quæ Romam deferebantur, acceperunt, & in suos usus redegerunt. *Et ipsam igni concremabunt.* Scimus plurimas civitates, vicos, & castella, quæ Romano imperio subjacebant, ab his gentibus fuisse concrematas.

℣. xvii. *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod illi beneplacitum est; ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei.* Deus dedit in corda eorum, id est, permisit ut faciant quod illi beneplacitum est, & quod prædictum est à prophetis ejus & apostolis, qui prædixerunt quod potestas Romani imperii ab eis gentibus esset destruenda. Regnum autem suum bestiæ dederunt, donec consummarentur verba Dei; quia secundum justissimi Dei permissionem tamdiu suggestiones diaboli in sceleribus perpetrandis secuti sunt, quamdiu consummarentur verba Dei, id est, implerentur ea, quæ à Deo & sanctis ejus prædicta sunt.

℣. xv. *Aquas quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt & tribus & linguæ.* Per aquas omnes gentes, quas sibi Romani subjectrant, designantur.

℣. xviii. *Et mulier quam vidisti, est civitas magna, quæ habet potestatem super cunctos reges terræ.* Hoc manifestum est; scimus enim Romanos eo tempore cunctis regibus terræ dominatos esse. Sed dicet aliquis: Quomodo per mulierem meretricem Romani designantur, cùm illis temporibus, quando hæ gentes diversas clades generi humano intulerunt, Romani christiani extiterint? Ad quod nos respondemus, quia per mulierem meretricem non electi, qui ex eadem gente fuerunt, intelliguntur, quique mundi gloriam pro amore gloriæ cœlestis contempserunt: sed reprobi, sive pagani, sive christiani fuerint. Illorum ergo potestas ab iis gentibus destructa est, qui impia dominatione genus humanum premebant.

CAPUT XVIII.

℣. i. POst hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à gloria ejus. Hæc quæ sequuntur, generaliter ad impiam civitatem, id est, ad omnes reprobos pertinent. Et ut plenius eversionem Babylonis demonstret, ad primam ejus ruinam, quia per Christum eversa est, revertitur. Angelus namque iste Christum significat, qui de cælo ad terram descendere dignatus est, ut homines ad cœlestia sublevaret. Qui potestatem magnam habere dicitur; quia eamdem potestatem habet quam & Pater; eo quod æqualis sit per omnia Patri. *Terra illuminata est à gloria ejus*; quia per doctrinam fidei ejus genus humanum à tenebris ignorantiæ atque incredulitatis est ereptum.

℣. ii. Cap. 14. & 21. *Et clamavit in forti voce, dicens.* Vox Christi doctrina est Evangelii. Quid autem hæc vox clamaverit, subdendo manifestat: *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Dixisse Dei fecisse est; dixit enim cecidisse Babylonem, quia ipse fecit ut caderet: quæ bis cecidisse dicitur, quia cecidit primo, cùm per doctrinam Evangelii maximam multitudinem electorum amisit, qui ab ea per fidem Christi præcisi, cives sanctæ civitatis, id est, Ecclesiæ facti sunt: cadet secundo, cùm in ultimo die morte perpetua, quæ in hoc libro mors secunda vocatur, punietur. *Et facta est habitatio dæmonum.* Numquid ante adventum Christi dæmones in Babylone non habitabant? Habitabant quidem, sed eorum habitatio ignorabatur: quando autem multitudo electorum ad fidem conversa est, Babylon habitatio dæmoniorum facta est; quia illi qui fidem Christi susceperunt, quod habitatio dæmoniorum in Babylone semper fuerit, veraciter cognoverunt. *Et custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & odibilis.* Qui sunt dæmones, ipsi sunt spiritus immundi, & volucres immundæ. Volucres quippe nominantur, eo quod per aerem illum more ventorum indesinenter discurrant: custodes verò Babyloniæ ideo vocantur; quia sicut Angeli electos Dei custodiunt; ne tam pessime peccent, ut pereant: ita & dæmones impios observant; ne aliquando ab iniquitatibus suis resipiscant, & salventur.

℣. iii. Sup. cap. 17. *Quia de vino iræ ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Quid sit vinum iræ, & quid fornicatio regum cum Babylone autem superius breviter diximus. Per mercatores terræ amatores sæculi possumus intelligere, qui animas suas pro adquisitione pecuniarum perditioni tradunt. De hujusmodi mercatoribus Jesus filius Sirach

Eccl. 10. 10. loquitur, dicens: *Hic enim animam suam venalem habuit; quoniam in vita sua projecit intima sua.* Animam suam venalem habuit, qui eam pro adquisitione pecuniarum dæmonibus tradere non timuit: delicias vero virtutem Babylonis vocat; quia sicut electi tota virtute laborant, ut divitias cælestes adquirant: ita & reprobi totis nisibus insistunt, ut divitias perituras sibi accumulent. De talibus dicit propheta: Ut inique agerent, laboraverunt.

Hier. 9. 5.

℣. iv. *Et audivi aliam vocem de cælo dicentem.* Per cælum in hoc loco Ecclesia designatur: vox de cælo vox est prædicatorum de Ecclesia procedens. Sed quid dicit vox illa? *Exite de illa, populus meus.* Dominus per prædicatores suos suadet electis, ut exeant à Babylone, non corpore, sed mente. Quemadmodum autem à Babylone exire debeant, in sequentibus docet, dicens: *Et ne participes sitis delictorum ejus*; illi enim à Babylone convenienter exeunt, qui à malis operibus ejus se alienos reddunt, sicut Psalmista de semet ipso loquitur dicens: *Non*

Psal. 25. 4. *sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introivi.*

Et de plagis ejus non accipiatis. Quid sunt plagæ Babylonis, nisi vitia quæ animas interficiunt? Possumus etiam per plagas Babylonis pœnas, quæ impiis præparatæ sunt, intelligere, ut sit sensus: Si à sceleribus Babylonis abstinueritis, à pœnis quas in æternum patietur, alieni eritis.

℣. v. *Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Deus iniquitatum ejus.* Iniquitates Babylonis omnipotens Deus semper intuetur: sed cùm vindictam a non exigit, videtur non videre quod videt. Per hoc ergo quod dicit, illud designat tempus, in quo omnes impii perpetua pœna plectentur.

℣. vi. *Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis.* Præcipitur electis, ut reddant Babyloni, sicut illa ipsis reddidit, sive pro eo quod sancti Dei impios judicabunt, sicut dicit Dominus in Evangelio: *In regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*: sive pro eo quod ipsi membra sunt ejus, cui judicandi potestas à Patre tradita est. Reddent itaque justi impiis mala, quæ ab eis passi sunt; cùm Christus qui caput illorum est, & cujus membra ipsi sunt, eos perpetuâ pœnâ damnabit. *Et duplicate duplicia secundum opera ejus.* Dupliciter Babylon electos Dei persequuta est, quando corporibus & animabus eorum multa mala ingessit. Dupliciter pœnas ipsa recipiet; quia cum animabus corpora cruciabuntur: ipsaque duplicia duplicabuntur; quia pro pœnis temporalibus atque brevibus, quibus justos afflixit, pœnas æternas excipiet. *In poculo quod miscuit vobis, miscete ei duplum.* Per poculum tribulationes quas ab iniquis sancti passi sunt, possumus intelligere. Matth. 19. 28.

Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Quantum glorificavit se, id est, in superbiam erexit, & omnibus vitiis se implicavit, tanto & ampliora tormenta excipiet. *Quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Reginam se Babylon quodammodo vocat, cùm se in prosperis hujus mundi extollit. Viduam non se esse dicit; quia à bonis temporalibus, quibus conjuncta est, & ex quibus luxuriam suam nutrit, non se posse disjungi confidit. Luctum non esse visuram dicit; quia impii quamvis sciant se pro sceleribus suis esse puniendos, fingunt se non videre quod non vident, memoriamque mortis à mente sua rejiciunt, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet. ℣. vii.

Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames. In die judicii mors perpetua illi veniet, quæ in hoc libro mors secunda vocatur. Luctus illi veniet, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Fames illi veniet, id est, fames requiei; desiderabunt enim à pœnis requiescere, quas patientur, ad quam requiem nullo modo pervenient. ℣. viii. Matth. 8. 12.

Et igni comburetur; id est, igne æterno. *Quoniam fortis est Dominus, qui judicabit illam. Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus, longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ, civitas illa Babylon, civitas illa fortis; quia in una hora venit judicium tuum!* Quid sit fornicatio regum cum Babylone superius diximus: sed mirum valde est quod longe stare dicantur, cùm in eisdem pœnis & ipsi sint demergendi, in quibus & ceteri reprobi, qui per Babylonem designantur. Stabunt igitur longe mente & voluntate, non corpore, horrentes scelera sua, pro quibus æternaliter cruciabuntur. Stabunt longe per desiderium, aliud desiderantes, id est, requiem; & aliud patientes, id est, tormenta æterna. ℣. ix. ℣. x.

Et negotiatores terræ flebunt & lugebunt super illam; b quoniam merces eorum nemo emet amplius. Quia superius per mercatores terræ amatores sæculi diximus esse designatos, possumus in hoc loco per negotiatores eos accipere, qui bonum quod facere videntur, vendunt. Sunt namque multi, quibus legum sæcularium scientia data est, qui causas pauperum in judiciis portant: sed quia non pro amore Dei, sed pro præmiorum acceptionibus hoc faciunt, mercedem à Deo non recipiunt. In tantum vero hæc miseria convaluit, ut vix invenias aliquem ex iis, qui locum habent apud principes, qui aliquod verbum ad proximi pauperis necessitatem sustentandam proferat sine præmii acceptione. Possumus & per negotiatores terræ eos intelligere, qui ex bono quod faciunt, laudes ab hominibus requirunt. Possumus etiam & per eosdem illos qui gradus ecclesiasticos vendunt, intelligere: quod divina scriptura valde condemnat. Et quamvis multi ex episcopis ab hoc scelere videantur immunes; ministri tamen eorum in hoc sæpe polluuntur: sed ad magistros respicit, quidquid à discipulis delinquitur. Est & aliud scelus valde pessimum, quod ab iis qui archidiaconi appellantur, committitur; nam ab adulteris presbyteris pretium accipiunt, & tacendo in malum consentiunt, quod per auctoritatem quam ab episcopis acceperunt, emendare possent. Sunt etiam alii ex hujusmodi presbyteris, qui timentes se damnari pro sceleribus suis, in serviliis archidiaconorum plus sunt assidui, quam ceteri: contra quos si quis aliquod verbum contrarium proferre voluerit, defenduntur ab eis; & fingunt se nescire quod sciunt, condemnanturque illa prophetica sententia, quæ dicit: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras!* Ad te ergo loquor, qui talis es: ecce animam sacerdotis diabolo vendidisti. Quis enim suasit presbytero ut fornicaretur, nisi diabolus? Qui ergo suasit ut fornicaretur, ipse suasit ut pretium tibi daret, quatenus hoc scelus sine timore perpetrare posset. Per manum ergo presbyteri pretium perditionis animæ ipsius tibi diabolus dedit. Ecce pretium accepisti, & animam fratris, Christi sanguine redemptam, eidem diabolo à quo redempta est, tradidisti. In Lege scriptum est quod si quis hominem qui frater ejus esset, vendidisset morte moreretur: si igitur reus est ille, qui hominem homini vendit; quanto magis tu reus existis, qui hominem Christi sanguine redemptum non homini, sed quod perniciosius est, diabolo vendidisti? Tales ergo negotiatores flebunt & lugebunt in inferno, quoniam merces eorum nemo emet amplius; amittent enim quod tenere videbantur, & incident in malum, quod prævidere neglexerunt. ℣. xi. Esai. 5. 20. Exod. 21. 16.

Mercedem auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore, & cinnamomi, & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum: & poma tua desideria animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa non invenient mercatores horum. In omnibus quæ enumerata sunt, avaritia Babylonis atque luxuria condemnatur. Nam & in judicio Dominus non dicet reprobis: ℣. xii. ℣. xiii. ℣. xiv.

a. Edit. & mss. Reg. non exerit & edit. Colon. Per hoc quod dicit aliam vocem, illud designat &c. mss. vero nobis consentiunt.

b. Rom. edit. quoniam merces eorum: sed mss. ac Gill. hic & alibi constanter legunt, merces, mercedem, & similia.

Ite

Ite maledicti in ignem æternum, quia homicidæ fuistis, superbi, fornicatores, adulteri: sed dicet: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere*, & cetera misericordiæ opera, à quibus avaritia retrahit reprobos, ne misericordes sint erga pauperes. Avaritia quippe nutrix est luxuriæ: nutrimenta autem luxuriæ in hoc loco descripta sunt, quibus ab avaritia nutritur. Et si diligenter inspicere voluerimus, inveniemus omnia quæ in hoc loco ad avaritiam, sive luxuriam Babylonis demonstrandam enumerata sunt, ad quinque corporis sensus pertinere. Quinque enim sunt corporis sensus, id est, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quos Deus hominibus & animalibus dedit: animalibus ad vitam suam tantummodo tuendam, hominibus autem & ad vitam tuendam, & ut per eos ratio animam quæ illis commissa est, per viam rectitudinis posset ducere. Justi itaque qui per hos quinque corporis sensus secundum rationis rectitudinem incedere studuerunt, amicitiam sibi Dei omnipotentis adquisierunt: impii vero qui rationis bonum in malum pervertentes, hos corporis sensus luxuriæ, & ceteris vitiis servire coegerunt, iram nihilominus justi judicis incurrerunt. Igitur si ea quæ in sequentibus scripta sunt, vocem scilicet citharœdorum & musicorum, & tibia canentium & tuba, cum iis conjungere volueris, invenies omnes divitias Babylonis, quæ hic descriptæ sunt, ad quinque corporis sensus, ut supra diximus, pertinere. Aurum namque, & argentum, & lapides pretiosi, & margaritæ ad visum: byssus, & purpura, & coccum, & cetera ad tactum: cinnamomum, & odoramenta, & unguenta, & thus ad odoratum: vinum, oleum, simila, triticum, & cetera ad gustum: vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium ad auditum pertinent. Damnatio ergo Babylonis, sicut hæc Scriptura demonstrat, maxime in divitiis consistit, eo quod divitiæ nutrimenta sint vitiorum, & ex quibus avaritia, quæ modo regina mundi dici potest, luxuriam filiam suam alit.

℣. xv. *Qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes & lugentes, & dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso & purpura, & cocco, & inaurata auro, &* ℣. xvi. *lapide pretioso, & margaritis, quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ!* Quod divites Babylonis longe stare dicuntur, secundum sensum superiorem, quem de regibus diximus, intelligendum est. ℣. xvii.

℣. xvii. *Et omnis gubernator, & omnis [a] qui in lacum navigant, & nautæ qui in mari operantur, longe steterunt, & clamaverunt, videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitati huic magnæ? Et miserunt pulverem super capita sua, flentes & lugentes, & dicentes: Væ, væ,* ℣. xviii. ℣. xix. *civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habent naves in mari de pretiis ejus: quoniam una hora desolata est!* Possumus per mare hoc sæculum: per gubernatores vero principes iniquos intelligere: per eos autem qui de loco ad locum navigant, & per nautas qui in mari operantur, eos qui diversa officia ad depredationes pauperum, & ad peccata sua quotidie augenda in mundo exercent. Illi ergo flebunt & lugebunt, videntes locum incendii Babylonis: ipsi namque erunt Babylon, & ipsi lugebunt & flebunt. Videbunt autem incendia Babylonis, quia sua incendia perferendo videbunt, quæ mente in sæculo positi, conspicere neglexerunt, ut se corrigerent. Qui etiam cinerem super capita sua misisse dicuntur; nam sæpe per caput mens, per cineres peccata designantur. Cinerem itaque super capita sua ponent; quia memoria peccatorum à mentibus eorum numquam recedet.

℣. xx. *Exsulta super eam cælum, & sancti apostoli & prophetæ: quia judicavit Deus judicium vestrum de illa.* Possumus per cælum Angelos, per apostolos novi Testamenti patres, per prophetas autem patres veteris Testamenti intelligere. Exsultabunt igitur, cùm destructa fuerit omnis caterva impiorum cum ipsis dæmonibus auctoribus iniquitatum. Exsultabunt etiam, eo quod tunc finem accepturum sit omnis malitia, [b] & adducetur justitia sempiterna.

℣. xxi. *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna, & ultra non invenietur.* Iste Angelus Christum significat, qui fortis esse dicitur; quia fortitudinem Christi quanta sit, humana mens comprehendere non potest: per lapidem vero molarem magnum omnis multitudo impiorum designatur: mare autem infernum designat, in quo omnes impii demergentur. Angelus igitur lapidem molarem in mare misit, quia dominus noster Jesus Christus in die judicii omnem impiorum multitudinem suo justo judicio in infernum demerget.

℣. xxii. *Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium & tuba, non audietur in te amplius.* Hoc superiùs commemoratum est. *Et omnis artifex, & omnis ars non invenietur in ea amplius, & vox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te amplius,* ℣. xxiii. *& vox sponsi & sponsæ non audietur in te adhuc.* Quærendum nobis est cur artes, & vocem molæ, & lumen lucernæ, & vocem sponsi & sponsæ inter scelera Babylonis computet, cùm ista omnia sine culpa exerceri possint, & sine istis vita humana subsistere non possit. Spiritaliter itaque ista omnia intelligenda sunt. Possumus

1. Cor. 3. 19. ergo per artes sapientiam hujus sæculi, quæ stultitia est apud Deum

Hier. 4. 22. intelligere, quas artifices maligni & filii Babylonis ad hoc discunt, ut in malitia Babylonis possint proficere. Sapientes enim sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Mola vero quidquid sub se acceperit, conterit & comminuit: possumus igitur per molam judices impios accipere. Vocem ergo molæ mittit, cùm judices impii judicia injusta ad conterendos innocentes proferunt. Per lumen vero lucernæ hujus sæculi gloria designatur: de hac lucerna dicit Scrip-

Prov. 24. 20. tura: *Lucerna impiorum extinguetur.* Lucerna quippe impiorum extinguitur, cùm ab hac vita subtracti gaudium temporale amittunt, & æternam tristitiam incurrunt. Possumus nihilominus per sponsum amatores sæculi, per sponsam vero terram intelligere; quia sicut amor sponsum & sponsam ligat, ut una caro efficiantur: ita & amor sæculi amatores suos sic terræ conjungit, ut unum cum ea efficiantur, [a] qua, si fieri posset, in perpetuum segregari nollent. Tales ergo artifices in Babylone non audientur amplius; quia eum ea in perpetuum damnabuntur. *Quia mercatores tui erant principes terræ.* Habet Ecclesia mercatores suos, habet & Babylon: mercatores Ecclesiæ thesauros suos in cælo recondunt, ubi fures non effodiunt, nec furantur; mercatores vero Babylonis thesauros suos in terra recondunt, ubi fures effodiunt & furantur. *Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.* Veneficia Babylonis sunt diversi errores, per quos genus humanum deceptum est. Matth. 6. 19.

℣. xxiv. *Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inventus est, & omnium qui interfecti sunt in terra.* Sanguis sanctorum in ea inventus est, id est, scelus interfectionis sanctorum, sicut Dominus dicit impiis Judæis sub intellectu omnium reproborum: *Veniet, inquit, super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram.* Matth. 23. 35.

Cap. XIX. ℣. 1. ET audivi quasi vocem magnam turbarum multarum in cælo dicentium: *Alleluia, salus, & gloria, & virtus Deo nostro est, quia* ℣. ii. *vera & justa judicia ejus sunt: quia judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicavit sanguinem* ℣. iii. *sanctorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia, &* ℣. iv. *fumus ejus adscendit in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum* ℣. v. *sedentem super thronum, dicentes: Amen, alleluia. Et vox magna exiit de throno, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus,* ℣. vi. *& qui timetis eum pusilli & magni. Et audivi quasi vocem tubæ magnæ, & quasi vocem aquarum multarum, & quasi vocem tonitruorum* ℣. vii. *magnorum, dicentium: Alleluia; quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens: gaudeamus, & exsultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se.* ℣. viii. *Et datum est ei ut operiat se byssino splendente candido; byssinum enim justificationes sunt sanctorum.*

Totam sententiam posui, ut undique circumspecta ejus subtilitas facilius indagari possit. A septem namque vocibus quinquies alleluia decantata esse legitur: primo & secundo a voce turbarum multarum: tertio à viginti quatuor senioribus, & quatuor animalibus: quarto à voce de throno exiit non jam alleluia, sed ejus interpretatio decantata est, id est: *Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus*: alleluia quippe laudate Dominum sonat. Quinto vero à tribus vocibus simul decantata est, id est, à voce tubæ magnæ, & à voce aquarum multarum, & a voce tonitruorum magnorum. Scriptura libri hujus sæpe demonstrat omnem electorum multitudinem in septem partes esse dividendam, si ejus intelligentia subtiliùs perscrutetur. Justi itaque qui ante diluvium fuerunt, ad primam partem: illi qui post diluvium usque quo Lex data est, ad secundam pertinent, sicut sæpe jam demonstravimus; nullamque aliam legem habuerunt, nisi naturalem, id est, dilectionem Dei & proximi. Scit enim unusquisque se debere timere, & super omnia diligere eum, à quo creatus est, & à quo ei vita & vitæ subsidia ministrantur: & nulli se debere facere, quod non vult ab alio pati. Hanc legem nullus qui sanæ mentis est, ignorare permittitur. Per turbas igitur multas electi qui ante diluvium fuerunt, & qui post diluvium usque ad illud tempus quo Lex data est, designantur. Vocem emiserunt, quia per prædicationis suæ doctrinam, quoscumque potuerunt, à suis erroribus revocaverunt: alleluia decantaverunt; quia secundum naturalis legis notitiam per bona opera Deo placere studuerunt: secundò alleluia dixerunt, quia hi qui post diluvium fuerunt, secundum eamdem legem viventes, creatori suo juste viventes adhæserunt. Sed quærendum nobis est, cur in pronuntiatione secunda alleluia fumus Babylonis in sæcula sæculorum adscendisse dicatur. Potest per fumum fama designari. Scimus quia in secunda parte Noe & filii ejus primi fuerunt, quorum temporibus aquis diluvii humanum genus deletum est. Postea vero Sodoma & Gomorrha, & ceteræ civitates quæ eis adhærebant, cælesti igne consumtæ sunt. Fumus ergo Babylonis in sæcula sæculorum adscendit; quia hæc fama ab ore fidelium numquam recedet. Gen. 7. 1. Gen. 19. 25.

At vero per viginti quatuor seniores patres qui sub Lege fuerunt, designantur. Quibus conjunguntur quatuor animalia, per quæ novum Testamentum figuratur, quia in veteri Testamento si spiritaliter intelligatur, novum continetur. Alleluia decantaverunt; quia mandata legalia observantes, per bona opera Deo placere studuerunt. Per thronum autem prophetæ designantur, eo quod sedes Dei fuerint, & per eos sua judicia disposuerit. A throno vox exiit; quia a prophetis prædicatio sancta processit. Laudem Deo decantaverunt; quia ei tota virtute servire studuerunt. Tuba vero magna Christum significat: vox tubæ prædicatio est Evangelii; per vocem autem aquarum multarum multitudo gentium Christum confitentium designatur: per vocem vero tonitruorum magnorum electi qui in fine mundi nascituri sunt, intelliguntur: & jure per tonitrua; quia terrorem diei judicii annuntiabunt. Tres ergo voces simul alleluia decantaverunt, quia fidem sanctæ Trinitatis, doctrinamque Evangelii, quæ à magna tuba, id est, a Christo processit, servaverunt, & servabunt usque in finem. Duæ igitur partes, id est, prima & secunda, ad legem quam naturalem esse diximus, pertinent: duæ quæ sequuntur, id est, tertia & quarta, ad legem quæ per Moysen data est: tres autem quæ restant, id est, quinta, & sexta, & septima legem Evangelii; ut indicent eos in fide sanctæ Trinitatis usque ad finem mundi permanere debere.

Quid autem istæ tres partes decantent, audiamus: *Alleluia, quoniam regnavit dominus Deus noster omnipotens*; id est, laudemus Dominum, eo quod destructo regno diaboli perditoris nostri, ipse in nobis regnare dignatus, qui est Dominus & Salvator noster. *Gaudeamus & exsultemus, & demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se.* Ideo gaudeamus ideo exsultemus, eo quod misericordia conditoris nostri Ecclesiam suam, quæ sumus nos, ita sibi conjungere sit dignatus, ut sponsa conjungitur sponso.

a. Omittendum, qui à longe navigant: codex vett. qui in lacum navigant. Sag. & Reg. qui in lacum &c.

b. Ita mss. edit. è contrario, & adducentur justi ad gaudia sempiterna.

c. Ita & mss. Reg. esse dividendam, Edit. addunt: si ejus subtilitas vel intelligentia perscrutetur. Alii mss. melius, ut non in textu.

Gen. 2. 24. Ephes. 5. 31. suo; quatenus fiunt cum ipso una caro, sicut dicit Scriptura: *Erunt duo in carne una*: quod apostolus de Christo & Ecclesia intelligendum esse docuit. Uxor ejus præparavit se, id est, Ecclesia quæ uxor Agni dicitur, variis virtutibus semet ipsam ornavit. *Et datum est illi ut operiat se byssino splendenti candido.* Quid byssus significet, ipse exponit: *Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.*

℣. IX. *Et dixit mihi: Scribe, beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Prandium electorum nunc est, quando in Ecclesia dapibus evangelicis pascuntur: cœna vero tunc erit, quando post resurrectionem in cælesti beatitudine æterna gloria perfruentur. Et quia prandium quod nunc agitur, & bonos & malos recipit, non omnes beati sunt, qui in eo videntur recumbere: illi autem soli beati sunt, qui in illa cœna, quæ post finem mundi futura est, recipientur.

℣. X. *Et dixit mihi: Hæc verba Dei, vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu: Deum adora.* Redemptio sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, ut filii Dei, sociique Angelorum efficerentur; ideoque pertimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum; quapropter conservum se Johannis, ceterorumque fidelium vocat. Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ, patres autem veteris Testamenti, qui adventum Christi, passionem & resurrectionem ejus prædixerunt. Spiritum prophetiæ habuisse certissimum est, unde & prophetæ vocantur. Quicumque ergo testimonium Christo perhibet, spiritum prophetiæ habet.

℣. XI. *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax.* Nullo modo æstimare debemus quod hoc capitulum ad adventum Christi pertineat, in quo ad judicium venturus est: sed potius ad electos, qui in fine mundi nascituri sunt: fine etenim mundi instante, veniet Dominus in sanctis C suis, ut pugnet per ipsos contra Antichristum, & ministros ejus. Et qualis a sanctis illis prædicabitur, talis & forma ejus in hoc loco describitur: nam per cælum Ecclesia designatur: per equum album homo, quem Filius Dei adsumsit, super quem & sedisse visus est. Qui etiam fidelis & verax vocari dicitur. Hæc duo nomina, id est, fidelis & verax, unum sensum habent in hoc loco. *a* Recte Psal. 144. 13. Filius Dei fidelis vocatur, de quo dicit Psalmista: *Fidelis dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Veracem Johan. 14. 6. vero se ipsum in Evangelio vocat, dicens: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Sequitur: *Et cum justitia judicat & pugnat.* Non armis Deus in die judicii contra impios dimicaturus est, sed ejus justitia expugnabuntur & conterentur: omnia enim peccata impiorum atque scelera in conspectu eorum adducet Dominus, ut sciant se justissimo Dei judicio esse damnatos.

℣. XII. Sup. cap. 5. 6. *Oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite suo diademata multa.* D Per oculos Domini *b* Spiritus Dei designatur, sicut in tertia visione auctor hujus libri exponit: *Habebat*, inquit, *Agnus oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Et quia flamma urit & illuminat, non inconvenienter Spiritus sanctus flammeus esse dicitur; eo quod corda fidelium & illuminet & incendat in amorem Dei. *Et in capite ejus diademata multa.* Per diademata multa multitudo sanctorum exprimitur. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* Cùm superiùs dicat quia vocabatur fidelis & verax, & paulo post quia vocabatur nomen ejus Verbum Dei; quid est quod dicit quod nemo scit nomen ejus, nisi ipse? Sciunt quidem sancti Dei nomen Christi, quod est Filius Dei, & nesciunt. Ex parte quippe sciunt, & ex parte nesciunt; in omnibus enim creaturis quæ gignunt & gignuntur, nullus filius coævus potest esse patri; quia necesse est ut antecedat qui generat, & subsequatur qui generatur: E sed non talis est natura Filii Dei, nam & quemadmodum Pater est sine initio, sic & Filius. Et quamvis hoc quomodo fieri possit, considerare non possimus; in veritate tamen credimus & confitemur Filium per omnia æqualem & coævum esse Patri. De hac ejus generatione Esa. 53. 8. propheta loquitur dicens: *Generationem ejus quis enarrabit?*

℣. XIII. *Et vestitus erat veste adspersa sanguine: & vocabatur nomen ejus Verbum Dei.* Possumus per vestem corpus Christi: per sanguinem vero peccata nostra, pro quibus mortuus est ipse, sive ipsam mortem quam pertulit pro nobis, intelligere. Sed quia peccata electorum suorum moriendo delevit, & ipsam mortem resurgendo calca- Rom. 6. 9. vit, sicut dicit apostolus Paulus: *Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*; melius mihi videtur ut per vestem Christi multitudinem sanctorum intelligamus, qui sunt membra ejus: per guttas autem sanguinis, quibus vestis adspersa esse legitur, martyres designantur, qui pro amore Christi sanguinem fundere non dubitaverunt; ideoque vestem Christi, quæ ex Angelis & sanctis hominibus constat, in illa cælesti beatitudine suo splendore exornant.

℣. XIV. *Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo mundo.* Diximus superiùs quia qualis Christus à sanctis in fine mundi prædicabitur, talis & figura ejus hoc in loco describitur. Per cælum ergo in hoc loco Ecclesia; per exercitus qui de cælo processisse Christum sequentes visi sunt, sancti qui in fine mundi nascituri, & contra Antichristum pugnaturi sunt, intelliguntur: per equos autem corpora: per sessores vero equorum animæ designantur. Albos igitur equos habuisse visi sunt, quia se mundos & nitidos, in quantum humana fragilitas permittit, exhibebunt in conspectu Dei. Quid sit vero byssinum, *c* superiùs exponit: *Byssinum*, inquit, *justificationes sunt sanctorum.*

℣. XVI. *Et habebat in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Per vestimentum, sicut superiùs diximus, sancti: per femur autem ex quo humana origo procedere dicitur, homo quem Christus adsumsit, designatur. In vestimento itaque suo quod ipse sit Rex regum, scriptum habebat; quia in operibus A sanctorum agnoscitur hunc esse verum Deum, qui tales servos possidet. Habet & in femore suo scriptum quod ipse sit Rex regum & Dominus dominantium, quia in operibus quæ in carne positus gessit, cognitum est hunc esse verum Dei Filium. Possumus etiam per femur patres veteris Testamenti, ex quorum stirpe Christus originem duxit, intelligere: qui & ipsum præfiguraverunt, & quod ipse futurus esset Rex regum & Dominus dominantium, apertis vocibus prædixerunt.

℣. XV. *Et de ore ejus gladius acutus exibat.* Possumus per os Domini eosdem prædicatores, de quibus diximus, qui in fine mundi nascituri sunt, accipere, per quorum os loquetur Deus, sicut ipse dixit Matth. 10. 20. in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et ipse dicit per prophetam: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Per gladium vero divinam scripturam, sicut superiùs diximus, intelligere debemus, si- B Ephes. 6. 17. cut dicit apostolus Paulus: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Qui acutus esse dicitur; quia ad resecanda vitia divina scriptura acutissima est. *Ut in ipso percutiat gentes.* Percutiet Christus gladio suo gentes, quando per doctrinam sanctorum suorum *d* hominum stultorum errores destruet. *Et ipse reget eas in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringentur.* Per virgam ferream Evangelium diximus fuisse designatum: reget ergo Christus gentes in virga ferrea, quando per doctrinam sanctorum & Judæos ad fidem suam convertet, & electos ab erroribus Antichristi defendet. *Et tamquam vas fictile confringentur.* Quamdiu quilibet in peccatis jacet, recte vas fictile vocatur: cùm autem per pœnitentiam & lacrymas ad bona opera agenda conversus fuerit, confringitur vas fictile, & ex vase fictili efficitur vas solidum & firmum, & ad ictus tentationum dæmonum fortissimum. *Et ipse calcabit torcular vini furoris iræ Dei omni-* C *potentis.* Esaias cùm de passione Domini loqueretur, interposuit Esai. 63. 3. Dominum dicentem: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Sed ibi per torcular crux Domini intelligitur, hic vero non crux, sed locus pœnarum, in quem impii retrudendi sunt, designatur. Eamdem quippe significationem habet torcular in hoc loco, Sup. cap. 14. quam & lacum superiùs diximus habuisse, in quem botri vineæ terræ, per quos impii designantur, demersi fuisse leguntur. Sed & ipsa calcatio torcularis eamdem significationem habet, quam & illic calcationem lacus habuisse diximus; significat namque ultimam demersionem impiorum in infernum. Quid vero sit vinum furoris iræ Dei omnipotentis, superiùs diximus.

℣. XVII. *Et vidi alium Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna omnibus avibus, quæ volabant per medium cælum.* Iste Angelus prædicatores qui in fine mundi futuri sunt, significat: qui etiam & per equites paulo superius designati sunt: per solem vero Christum intelligere D debemus. Angelus igitur in sole stetit; quia prædicatores sancti in Christo ita solidabuntur, ut ab ejus fide nulla vi persecutionum avelli possint. Per aves autem fideles omnes, qui eo tempore futuri sunt, designantur: per cælum volabunt, quia in terris positi, mente in cælestibus habitabunt. Possumus nihilominus per cælum Ecclesiam intelligere. Per cælum sancti volant, quia duas alas habentes, id est, duo præcepta caritatis, circumquaque volant, quibusdam misericordiam impendendo, quosdam ab iniquitatibus revocando.

℣. XVIII. *Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis, ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes liberorum & servorum, & pusillorum & magnorum.* Qui designantur per reges & principes, liberos & servos, ceterosque, ipsi per equos, eorumque adsessores, principes scilicet terræ, ac populi qui eis subjicientur. Cœna vero E Dei quid aliud est, nisi exterminatio impiorum? Carnes autem impiorum justi manducabunt, cùm vindictam ex malis quæ eis intulerunt, excipient. Et quia justi videntes pœnam impiorum, in bo- Psal. 57. 11. nis operibus proficiant, sicut dicit Psalmista: *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

℣. XIX. *Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus.* Hic demonstrat non ad adventum Domini secundum ea, quæ superius dicta sunt, pertinere: sed potius ad illud tempus, in quo per sanctos suos contra Antichristum præliaturus est, sicut jam diximus. Congregabuntur namque bestiæ, & reges terræ, & exercitus eorum, ut pugnent contra Christum & sanctos ejus; quando Antichristus & innumerabilis multitudo gentium quæ ab eo decipientur, ad persequendum Ecclesiam Dei exsurgent; ut nomen Christi de mundo F funditus extinguant.

℣. XX. *Et apprehensa est bestia, & pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus: vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure,* ℣. XXI. *& ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedebat de ore ipsius, & omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum.* Apprehendentur bestia & pseudopropheta ejus, quando illud imple- 2. Thess. 2. 8. bitur, quod apostolus Paulus ait: *Quem dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Si Antichristus spiritu oris Domini interficiendus est, quomodo ipse & pseudopropheta ejus in stagnum ignis vivi mittendi sunt? Est vita justorum, est & impiorum. De vita justorum *e* dicit propheta, quia *justus* Habac. 2. 4. *in fide sua vivet*; de vidua vero mala dicit Paulus, quia *vivens mor-* 1. Tim. 5. 6. *tua est.* Vitam namque impiorum justi non incongrue mortem vocant: similiter & impii vitam justorum mortem æstimant, sicut in Sap. 5. 4. judicio dicturi sunt: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Antichristus ergo & pseudopropheta ejus vivi missi sunt in stagnum ignis, id est, in malitia sua vivi, in ea videlicet usque in finem vitæ suæ perseverantes. Quod autem dicit quia ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, interfectionem istam pro confusione posuit; nam

a. *Filius Dei* in edit. desideratur.
b. Rec. & ms. Reg. *Spiritus sanctus*; ceteri mss. *Spiritus Dei.*
c. Ita mss. edit. vero, *superius expositum est. Byssinum igitur justificationes* &c.

d. Omnes edit. *hominum infidelium*: omnes mss. *hominum stultorum.*
e. Sic omnes mss. at edit. è contrario, *dicit propheta, quod justus in fide vivit*; *de vita vero mala dicit Paulus, quia vidua male vivens mortua est.*

sancti, quorum doctrina per gladium oris Domini designatur, interfecto Antichristo, insultabunt infidelibus, eo quod hominem impiissimum, atque omnibus hominibus deteriorem Antichristum, immortalem, dumque existimaverint, quem constabit pessima morte perentum: at illi confundentur & tabescent in iniquitatibus suis. Omnes ergo aves saturatæ sunt de carnibus eorum; quia subverso Antichristo, omnes electi inenarrabiliter gaudebunt & exsultabunt; eo quod à tam pessimo hoste misericordia divina eos liberaverit, omnesque qui eos persequebantur, velut fumus evanuerint.

Cap. XX. ℣. I. *ET vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.* Damnationem diaboli narrare volens, ad adventum Christi revertitur. Tres namque sunt damnationes diaboli: damnatus est primò, quando de cælesti beatitudine propter iniquitatem suam est dejectus: secunda damnatio ejus fuit, de qua auctor libri hujus loqui modo incipit; quando per mortem Christi genus humanum de potestate ejus ereptum est, & ipse, sicut præsens B scriptura demonstrat, in abyssum est *a* religatus: tertia damnatio ejus erit, quando in infernum cum omnibus impiis in æternum cruciandus demergetur. Angelus itaque iste Christum significat: descensio ejus de cælo est incarnatio ejus. Clavem abyssi, id est, inferni, ipse possidet; quia ab ingressu ejus quos vult, retrahit; & quos vult, in ejus damnationem cadere juste permittit. Per catenam vero magnam ejus potestas designatur.

℣. II. *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui vocatur diabolus & satanas, & religavit eum per annos mille.* Apprehendit Christus serpentem antiquum, id est, diabolum, quando per mortem suam ejus destruxit imperium: per annos autem mille omne tempus ab adventu Christi usque ad finem mundi debemus accipere. Religavit ergo Christus diabolum non vinculis corporeis, sed vinculis potestatis suæ immensæ; quia eum à cordibus electorum suorum expellens, ab eorum deceptione divina sua virtute exclusum tenet.

℣. III. *Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super eum; ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Alligationem diaboli tribus modis possumus intelligere, possumus namque hoc simpliciter intelligere, ut virtute Dei omnipotentis in abysso religatus teneatur usque ad tempus præfinitum: possumus etiam per abyssum corda impiorum intelligere, ut à cordibus electorum exclusus, intra angustias cordium reproborum constrictus & alligatus teneatur: possumus & hoc tertio modo intelligere. Diabolus nihil aliud desiderat, quàm deceptionem hominum: & dum per custodiam Dei omnipotentis, qui electos suos custodire & defendere non desistit, ab eorum deceptione arcetur, quasi quibusdam vinculis ejus impiissima voluntas religata tenetur. Per gentes vero quas seducere non permittitur, solos electos debemus intelligere: tempus modicum, quo post mille annos solvendus esse dicitur, tempus Antichristi est; tunc enim peccatis hominum facientibus, D dabitur potestas diabolo tota virtute contra genus humanum dimicandi.

℣. IV. *Et vidi sedes: & sederunt super eas, & judicium datum est illis.* Quia superiùs narravit, quo ordine misericordia divina quotidie electos suos ab immanissimo hoste diabolo liberet, consequens est ut gloria ad quam eorum animæ quotidie perducuntur, describatur: per sedes namque cælestis patria, per sedentes vero super eas sanctorum animæ designantur: quod autem judicium datum sit sanctis, quorum animæ in cælesti beatitudine requiescunt; in hoc advertere possumus, cùm ad eorum sepulcra dæmonia ab obsessis corporibus expelli, perjuria sæpe detegi, atque multa miracula fieri videmus. *Et animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium Jesu: & qui non adoraverunt bestiam & imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis.* Per animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium Jesu martyres, qui diversis temporibus interfecti sunt, possumus accipere: per eas vero quæ non adoraverunt bestiam & imaginem ejus, eos qui ab Antichristo interficiendi sunt, puto esse intelligendos. Isti ergo *vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis*; quia quamvis corpore sint interfecti, secundum animam tamen vivunt cum Christo in cælesti beatitudine. Sed quærendum nobis est quomodo electi qui instante fine mundi nascituri sunt, cum Christo mille annis regnare dicantur; cùm tempus mille annorum non ad futurum tempus, quod sine fine est, sed ad præsens potius pertineat, quod in fine mundi consummabitur, & in quo fides Evangelii per universum orbem florens, electos quotidie ad vitam æternam percipiendam dirigit. Quod ita solvendum puto. Tempus ab adscensione Christi usque ad finem mundi, quod per mille annos designatur, omnibus electis deputatum est, ut in eo sine corporibus gloria cælesti cum Domino perfruantur: & scimus quia omnes electi membra Christi sunt, & ex F multis membris unum corpus efficitur; & si glorietur unum membrum, congaudent omnia membra. Gaudium igitur præcedentium sanctorum, illorum nihilominus erit, qui in fine mundi nascituri sunt: quia unum corpus efficientur cum eis, & in aliis possidebunt, quod ipsis deerit.

℣. V. *Ceteri vero non vixerunt, donec consummentur mille anni.* Ceteri autem, id est, reprobi, non vixerunt; quia post mortem non ad vitam ducuntur, quæ in cælestibus sanctorum animabus datur: sed in infernum demerguntur, quæ in hoc libro *b* mors prima vocatur.

℣. VI. *Hæc est resurrectio prima. Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* Quærendum nobis est, quæ sit resurrectio prima; nam primam resurrectionem non diceret, nisi esset & secunda: nec secundam mortem, nisi esset & prima. Resurgimus itaque primo per baptismum à morte animæ: sed quia dicit beatos esse eos, qui habent partem in resurrectione prima, non mihi de baptismo hoc dictum videtur; eo quod non omnes beati sint, qui per baptismum à morte animæ resurgere videntur; eo quod nonA nulli post baptismum ipsi sibi peccando mortem adtrahunt, mentiendo quæ in eo promiserunt, atque in suis malis perseverando. Sunt etiam nonnulli qui post perpetrationem scelerum, quibus sibi mortem intulerunt, ad vitam per pœnitentiam & lacrymas, ceteraque bona opera redeunt, de quibus Apostolus loquitur dicens: *Surge, qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ephes. 5. 14. Sed nec istam primam resurrectionem dicere possumus; eo quod primo per baptismum, secundo per pœnitentiam & lacrymas animæ nostræ ad vitam revocentur. Necesse est ergo ut investigemus, quam vocet resurrectionem primam.

Quatuor sunt vitæ fidelium: prima mala, secunda bona & mala, tertiæ vero & quartæ nullum malum adhærere potest. Prima est ante baptismum, quæ tota mala est: secunda post baptismum, quæ & bona & mala dici potest; nullus enim fidelium tempus vitæ præsentis sine aliquibus peccatis transire potest, sicut iste Johannes loquitur dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Joan. 1. 8. Tertia est, quæ tota bona est, & ad quam series hujus lectionis pertinet, quæ à passione Christi usque ad finem mundi extenditur, in qua sancti sine corporibus cum Domino vita æterna perfruuntur: quam etiam primam resurrectionem vocat, cùm dicit: *Hæc est resurrectio prima.* Tempus itaque à passione Christi usque ad finem mundi resurrectio prima vocatur. Quarta vita sanctorum erit post receptionem corporum, quæ nullo fine terminabitur. Igitur quia vita præsens in comparatione vitæ cælestis mors rectè dici potest, sancti prima resurrectione tunc resurgunt, cùm ab hac misera vita subtracti, in cælesti beatitudine cum Domino collocantur.

Et sicut est hæc prima resurrectio sanctorum, ita est & prima mors impiorum; quando præsentem vitam deserunt, & in pœnis demerguntur: secunda vero mors ultima damnatio erit, sicut in sequentibus exponit. Beati ergo erunt, qui habent partem in resurrectione prima, & in iis secunda mors non habet potestatem; quia illi tantummodo beati sunt & erunt, qui ante finem mundi in consortio sanctorum adscribi merebuntur. Multos enim, fine mundi instante, ignis purgatorius purgando cremabit, sed ante judicium absoluti in sanctorum collegio recipientur: atque in iis secunda mors, id est, damnatio ultima non habebit potestatem; quia jam non cum hœdis in sinistris, sed cum ovibus in dextris ponentur. *Sederunt sacerdotes Domini & Christi, & regnaverunt cum Christo mille annis.* Matth. 25. 33. Nomine sacerdotum omnes electos comprehendit; omnes namque electi, sacerdotes vocantur, sive quod sint membra summi sacerdotis, sive quod ipsi semet ipsos offerre Deo per bona opera non desistant.

Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog. ℣. VII. Quod hic carcer, superiùs abyssus vocatur. Sed interim quæstio oritur; superiùs quippe quorumdam opinionem sequens, dixi per abyssum corda impiorum posse designari, in quibus diabolus à cordibus fidelium expulsus, religatus teneatur: si ergo per abyssum corda reproborum designantur, quomodo de abysso, id est, de cordibus reproborum exire dicitur, quos numquam derelinquet? numquid reprobos derelicturus est, & invasurus electos? Nullo modo. Alligationem ergo diaboli secundum litteram intelligendam puto, ut in aliquo abyssi loco virtute divina religatus teneatur, vel certe in inferno usque ad diem absolutionis suæ. *Seducet autem gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ*; quia universas gentes quæ intra quatuor plagas mundi continentur, Antichristi impiissima doctrina perlustrabit: nullasque alias gentes seducet, nisi quæ spiritaliter Gog & Magog vocantur; Gog namque interpretatur tectum, *c* Magog de tecto. Per Gog igitur, qui interpretatur tectum, ii designantur, qui malitiam suam in corde tegentes, justi ab hominibus videbuntur, cùm futuri sint mente reprobi. Magog vero, qui interpretatur de tecto, eos designat, qui de tecto cordis sui *d* in apertas malitias prorumpentes, E omnibus se impios esse demonstrabunt. Tales itaque diabolus per Antichristum facile decipiet.

Et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. ℣. VIII. In prælium eos congregabit; quia ad Ecclesiam Dei persequendam eos armabit. *Et adscenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam.* Diximus superiùs discipulos Antichristi laudatores fore vitiorum, & omnia quæ ad delectationes carnales pertinent, docere. Super latitudinem ergo terræ adscenderunt; quia vastas hujus sæculi vias ingredientur, quæ ducunt ad mortem. Castra vero sanctorum & civitas dilecta, unam significationem habent; significant quippe Ecclesiam. Castra igitur sanctorum circumdabunt; quia Ecclesiam Dei tota virtute persequentur, ut nomen Christi de mundo funditus extinguant.

Et exivit ignis de cælo à Deo, & devoravit eos. ℣. IX. Ignis de cælo exiet; quia veniente Domino ad judicium, ignis ante ipsum præcedet, qui F non solum omnem catervam impiorum, sed & ipsum mundum consumet, sicut in nonagesimo sexto psalmo David loquitur dicens: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Psal. 96. 3. Reprobi namque quamvis cum electis conversentur, in circuitu sunt; quia sicut hostes civitatem aliquam impugnant, ut capiant eam: ita & Ecclesia à reprobis impugnatur. Sed & in psalmo quadragesimo nono idem David loquitur dicens: *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.* Psal. 49. 3. Quidam hunc versum ita exponunt, quod post succensionem elementorum pluvia descendet, quæ combustionis cineres abluat: sed talis expositio absurdissima mihi videtur; scimus enim pluviam à mari atque à terra sive per nebulam, sive per exsiccationem solis exsurgere. Et sicut aqua levia quæque à fundo ad superiora elevat; ita & aër aquam aut in nebulam conversam, aut per ardorem solis in tenuissimum fumum, & pene invisibilem redactam, usque ad ea loca ubi consummatio ejus est, elevat: ibique conglobata, primo in densam nebulam, quam nubes vocamus, convertitur: deinde, vento agitante, minutissimæ guttæ simul mixtæ, atque sua permixtione graves effectæ, ad terras decidunt, pluriamque faciunt.

a. Pro religatus quidam codices scribunt relegatus: sed hæ duæ voces facile in mss. commutantur.
b. Rom. edit. & Reg. mss. mors secunda vocatur,.. Beatus & sanctus, qui habet &c.
c. Magog de tecto, in edit. omissum erat.
d. Sic mss. ac Gill. in corpore: idem vero Gill. in margine, & Rom. edit. in corpore, in apertas malitias.

Rom. 8. 21. Ecce terra, ecce aer, ecce mare, ceteraque elementa igne consumentur: unde ergo pluvia exsurget, maxime cùm secundùm Apostolum, tunc creatura liberetur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei? Numquid Deus qui omnia ex nihilo creavit, non poterit mundare creaturam suam sine adjutorio pluviæ; præsertim cùm ipse mundus in meliorem statum, atque multo pulchriorem reparetur post ignem? Aut quid sunt aliud cineres, nisi terra munda? Nam quascumque sordes ignis absumserit, in cineres mundos convertit. Numquid non poterit Deus mundos cineres in meliorem statum cum altera terra reparare, ut necessaria non sit ei ablutionis pluvia?

Dicamus aliter: Omnium sordium ablutiones aut terra ebibit, aut in flumina decurrunt, & cum fluminibus in mare. Et quomodo terra, postquam ab igne examinata fuerit, sordes suas ebibet, ut iterum sordescat? aut quomodo in flumina decurret, & cum fluminibus in mare: cùm mare jam non sit, sicut sequentia hujus libri videntur fateri? Quod si mare in meliorem statum reparabitur, sicut cælum terraque, à terræ sordibus quomodo inquinabitur? Quod si quis dixerit [a] ante innovationem hanc passurum esse inquinationem, atque in permutatione ejus ad nihilum esse redigendas; non poterit Deus sicut in aqua, ita & in terra easdem sordes ad nihilum redigere, ut non sit necesse ut in mare defluant? Per tempestatem igitur validam ultimum interitum impiorum possumus intelligere, quem Sapientia per Salomonem in ultimo

Prov. 1. 26. examine impiis se illaturam esse testatur dicens: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis quod timebatis, advenerit; cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.*

Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi est bestia & pseudopropheta. Hoc tunc implebitur, quando Domi-

Matth. 25. 41. [b] nus dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, [b] qui præparatus est diabolo & angelis ejus.*

℣. x. *Et cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum.* A quo cruciatu misericordia redemtoris nostri nos liberare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE SEXTA.

DOmini nostri Jesu Christi misericordia largiente, ad sextam Visionem pervenimus, quæ brevior est ceteris; eo quod in ea generalis resurrectio, damnatio impiorum, glorificatio justorum tantummodo breviter describatur. Et rectè in sexto loco resurrectio ultima ponitur; quia senarius numerus perfectus est, & quidquid sanctis promissum est, in resurrectione perficietur.

℣. xi. *Et vidi thronum magnum & candidum, & sedentem super eum.* Thronus iste Dei non auro & gemmis ornabitur, sed hominibus justis.

Psal. 44. 7. Iste est namque thronus, de quo Psalmista dicit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis virga regni tui.* Thronus igitur Dei est omnis multitudo Angelorum atque sanctorum. *A cujus conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis.* Quemadmodum, à conspectu sedentis super thronum cælum & terra fugiat, Psalmista ostendit, sicut superiùs jam diximus, qui dicit: *Ignis in conspectu ejus*

Psal. 49. 3. Psal. 96. 3. *exardescet*; & iterum: *Ignis ante ipsum præcedet.* Fugiet autem terra & cælum, id est, species terræ & cæli; quia per ignem à sua specie commutabuntur, ut possint in aliam reformari multo meliorem & pulchriorem. Quod vero dicit: *Locus non est inventus eis*; non ideo dicit, ut locum pristinum amittant, sed speciem.

℣. xii. *Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni.* Per mortuos magnos & pusillos soli reprobi designantur, qui in die resurrectionis mortui adstabunt in conspectu Dei, ea videlicet morte quam primam esse diximus, post paululum in mortem secundam dejiciendi: per mortuos vero magnos eos designari puto, qui aut majores fuerunt in sceleribus, aut altiores in sæculi dignitatibus: per pusillos autem ii designantur, qui eis subjecti fuerunt, vel certe ii qui minus peccaverunt. *Et libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ.* Libri multi ad reprobos: unus qui est vitæ, ad electos pertinet. Reprobi multos libros habent, quia in multis erroribus sunt devoluti; nam pagani multos deos coluerunt, & in multis erroribus semet ipsos dejecerunt: similiter & hæretici multa dogmata prava, & Deo odibilia invenerunt: falsi etiam christiani in multis sceleribus quotidie involvuntur. Multos ergo libros reprobi possident, quia multis modis Deum offendunt: electi vero unum librum habent, quia unum Deum colunt, unam fidem catholicam confitentur, uno vinculo caritatis connectuntur. Sed quærendum nobis est, qui sint libri isti: numquid ex aliqua materia visibili, aut invisibili fiunt libri, in quibus singulorum facta describantur? Libri igitur multi sunt facta reproborum: libri multi aperientur, cùm scelera reproborum omnibus manifestabuntur. Per librum autem vitæ prædestinationem Dei omnipotentis possumus intelligere. In hoc libro nomina discipulorum esse conscripta Dominus in Evange-

Luc. 10. 20. Rom. 8. 30. lio manifestat, cùm dicit: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* De hoc libro apostolus Paulus loquitur dicens: *Quos autem præscivit, hos & prædestinavit: & quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, illos & glorificavit.*

℣. xiii. [c] *Et judicati sunt mortui secundum ea, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* [c] *Judicati sunt mortui secundum ea, quæ scripta erant in libris*; quia secundum errores proprios, & juxta qualitatem scelerum suorum singuli judicabuntur; aliter enim judicabuntur hæretici, aliter pagani, aliter falsi christiani: sed unusquisque ipsorum quanto deterior fuerit in proprio errore, tanto & acriùs judicabitur.

Et dedit mare mortuos suos, & mors & infernus dederunt mortuos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera eorum. Nunc ad ea quæ prætermiserat, revertitur; prius quippe resurrectio generalis fiet, & postea judicium exercebitur. Quod ita esse Dominus in

Matth. 19. 28. Evangelio manifestat, dicens discipulis: *In regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Primo regenerationem posuit, [d] id est, resurrectionem; postea ad judicandos populos eos sessuros esse dixit.

Johan. 5. 28. Et in Evangelio hujus Johannis Dominus loquitur dicens: *Venit hora quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Ad imperium igitur Domini de monumentis suis procedent mortui; quia corpora omnium mortuorum per receptionem animarum vivificata, de sepulcris suis exient. Qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii procedent; quia ad hoc resurgent, ut in corporibus in quibus animæ peccaverunt, in ipsis & judicentur; ut quos habuerunt socios in iniquitatibus, habeant participes in tormentis. Præsens quoque lectio quod ante judicium futura sit resurrectio, ostendit; cùm post redditionem mortuorum, quos mare, mortem, & infernum reddidisse dicit, impios esse judicandos narrat. Sed & fides

Athan. Symb. catholica quam frequenter decantamus, hoc demonstrat; cùm dicit de Domino: Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Johan. 3. 5. Verùm quærendum nobis est, quid significent mors, mare, & infernus. Scimus quippe aquas ad ablutionem peccatorum nostrorum esse consecratas, sicut dicit Dominus in Evangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Mare itaque ad resurrectionem electorum: mors vero, atque infernus [e] ad reproborum pertinent. Mare ergo in hoc loco baptismum designat. Quasi igitur mare mortuos suos reddet, cùm electi qui in ea munditia quam in baptismate perceperunt, in ea etiam & resurgent, nullam maculam peccati habentes. Mare mortuos suos reddet, quia sacri baptismatis ablutio, & sancti Spiritus gratia, electos omnes tempore resurrectionis in conspectu Creatoris sui mundos & immaculatos exhibebit. Per mortem autem corpora impiorum, quæ in terræ finibus mortua detinentur: per infernum vero eorum animas; eo quod in inferni claustris detineantur, intelligere possumus. Infernus itaque mortuos suos dabit; quia animas prima morte devoratas, quas detinet, ad recipienda propria corpora remittet. Mors etiam mortuos suos dabit, quia corpora quæ in pulverem redegerat, ut virtute divina per animarum susceptionem vivificentur, exhibebit.

℣. xiv. ℣. xv. *Et mors & infernus missi sunt in stagnum ignis .... & omnis qui non est libro vitæ scriptus, missus est in caminum ignis.* Mors & infernus missi sunt in stagnum ignis, id est, animæ cum corporibus. Possumus & per mortem dæmones, eo quod ipsi auctores fuerint mortis, intelligere. Mors & infernus in stagnum mittentur; quia dæmones cum ceteris impiis in infernum demergentur.

Cap. XXI. ℣. 1. ET vidi cælum novum, & terram novam; primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare jam non est. Cælum & terra, & cetera elementa, quæ modo videmus, ab igne consumentur, non ut penitus deleantur, sed ut in meliorem statum, sicut superiùs jam diximus, per

Psal. 101. 27. ignem reparentur, sicut Psalmista indicat dicens: *Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur.* Quod dicit: *Primum cælum, & prima terra abiit*, speciem ejusdem cæli ac terræ transituram esse demonstrat; species enim eorum, non essentia transibit, cùm in meliorem statum commutabuntur. Quod vero infert: *Et mare jam non est*, possumus secundum litteram intelligere, ut mare penitus deleatur. Aliter: mare jam non erit; quia propriam figuram amittet, sicut cælum & terra; ut in pulchriorem formam reparetur. Sed spiritaliter hoc intelligendum puto; quidquid enim de innovatione cæli & terræ dictum est, & historialiter intelligendum est, sicut superiùs diximus, & spiritaliter. Possumus itaque per cælum animas sanctorum, per terram corpora intelligere. Cælum novum fiet, cùm animæ sanctorum per receptionem corporum in hominis naturam atque formam restituentur. Terra nova efficietur, cùm corpora sanctorum quæ antea erant mortalia atque corruptibilia, immortalia & incorruptibilia reddentur. Sæpe vero per mare

Esai. 57. 20. impii designantur, dicente Esaia propheta: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* Mare igitur jam non erit, quia omnis multitudo impiorum cum deceptoribus suis dæmonibus in infernum detrusa, præsentem mundi faciem à sua inquinata habitatione mundam præstabunt.

℣. 2. *Et civitatem sanctam Hierusalem vidi descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Civitas Hierusalem Ecclesia est ex omnibus justis constructa: de cælo descendet; quia Domino ad judicium veniente, cum illo omnis multitudo sanctorum veniet, sicut

Esai. 3. 14. Prov. 31. 23. dicit Esaias propheta: *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus.* Et sapientissimus Salomon in Proverbiis: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Quæ sicut sponsa parata & ornata esse dicitur; quia sicut sponsa diversis monilibus & ornamentis semet ipsam exornat, ut sponso suo placeat: ita & Ecclesia diversis virtutibus decoratur, ut Creatori suo, qui est sponsus ejus, placere valeat.

℣. 3. *Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis; & ipsi populus ejus erunt, & ipse Dominus cum eis erit eorum Deus.* Scimus per civitatem Hierusalem & tabernaculum Domini Ecclesiam sæpe esse designatam. Civitas ergo in hoc loco & tabernaculum Ecclesia vocatur; eo quod in illa habitet

Levit. 26. 12. Deus, sicut ipse dicit per prophetam: *Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.*

℣. 4. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Animæ omnium hominum immortales creatæ sunt, sicut Dominus dicit in Evangelio:

Matth. 10. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quamvis enim moriantur peccato, aut ea morte quam primam & secundam diximus; tamen non ita moriuntur, ut penitus non sint: sed earum male esse mors vocatur. Duo quoque tempora iis constituit Deus, præsentis vitæ, quod cito finitur: & futuræ, quod finiri non potest: unumque fletui & mœrori, alterum gaudio atque lætitiæ deputavit.

a. Nonnulli mss. ante innovationem hanc, minus commode.
b. Mss. prætermiserunt, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.
c. Judicati sunt secundum ea, quæ scripta erant in libris, in edit. non legebatur: sed sic legitur in mss.
d. Omiserant edit. id est, resurrectionem.
e. Legitur edit. ad reproborum dejectionem: mss. vero si Reg. excipias, dejectionem non agnoscunt: sed vocem mortuorum reticent licet ad resurrectionem.

Verbi

Verbi gratiâ, si quis vellet in hoc tempore, quod brevissimum est, pro peccatis suis flere & lugere, & affligendo semet ipsum carnalia desideria extinguere; in alio tempore quod istud sequitur, quodque infinitum est, gauderet & exsultaret in æternum: si quis autem hoc elegerit, ut in præsenti tempore gaudeat, & desideria carnis suæ perficiat; in futuro lugebit, & tribulabitur in sempiternum. De iis duobus temporibus videtur mihi Salomonem dixisse: *Tempus flendi, & tempus ridendi.* (Eccle. 3. 4.) Tempus flendi electorum nunc est: tempus ridendi tunc erit, quando illud implebitur, quod Dominus dicit in Evangelio: *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* (Matth. 5. 5.) Peccatoribus vero dicit: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.* (Luc. 6. 25.) Abstergit ergo Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum: quia post resurrectionem nihil triste sanctis accidere poterit, unde lacrymæ oriri possint.

Et mors ultra non erit. Primus homo immortalis factus est: peccando autem & immortalitatem amisit, & mortem mundo intulit. Post resurrectionem autem mors non erit; quia & ipse princeps mortis diabolus cum omnibus satellitibus suis in infernum perpetuo reclusus tenebitur, & immortalitas quam primus homo peccando amisit, justis reddetur: & possibilitas peccandi, quæ mortem mundo intulit, ab eis auferetur. *Neque luctus.* Cùm superiùs dicat quod abstergeat Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, quid necesse fuit in hoc loco luctum ponere? Sed inter effusionem lacrymarum & luctum aliqua distantia est; nam tristitia sæpe lacrymas educit, *a* sæpe gaudium, sæpe desiderium, sæpe lætitia: luctus vero semper ex magno mœrore nascitur; luctus namque est fletus dierum multorum. Lugebat Paulus eos, qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam. Et Salomon loquitur dicens: *Luctus mortui septem diebus, luctus autem fatui omnibus diebus vitæ ejus.* (Eccli. 22. 13.) Ecclesia nunc in luctu est, eo quod per deceptiones dæmonum quotidie maximam partem ex suis amittat: in illa autem vita luctus non erit, quia per deceptiones dæmonum nullum ex suis amittere poterit. *Neque clamor.* In Genesi scriptum est quod dixerit Deus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ venit ad me:* (Gen. 18. 20.) Esaias vero propheta quid sit clamor Sodomorum, exponit, cùm loquitur de Israel: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* (Esai. 3. 9.) Prædicatio igitur peccati clamor vocatur. Possumus etiam clamorem aliter intelligere: Psalmista namque dicit: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi, & exaudivit me.* (Psal. 119. 1.) Et Moyses in angustia positus clamabat ad Dominum. Ubi ergo neque peccatum, quod prædicetur, neque tribulatio erit ulla, clamor ullus necessarius non erit. *Neque dolor erit.* Est dolor corporis, est & mentis. Utique dolores ita sunt connexi, ut unus sine altero esse non possit: dolor quippe corporis affligit mentem: similiter & dolor mentis corpus excruciat. In illâ igitur vita dolor non erit, ubi neque corpori, neque animæ ulla adversitas accidere poterit. *Quæ prima abierunt.* Prima ista abierunt, quia cum sæculo transierunt: electi enim qui præsentem vitam, sicut superiùs jam diximus, in doloribus & afflictionibus deputaverunt, post finem præsentis vitæ gaudium sempiternum invenerunt.

ℽ. v. *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* De innovatione creaturarum superiùs aliqua diximus. *Et dixit mihi: Scribe quia*
ℽ. vi. *hæc verba fidelissima sunt, & vera.* Sed & hoc superiùs dictum est. *Et dixit mihi: Ego sum Alpha & Omega.* Quid sit *Alpha & Omega* subdendo manifestat, cùm dicit: *Initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis.* Per fontem aquæ vivæ sæpe scriptura sancta designatur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Qui credit in me, sicut scriptura dicit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (Johan. 7. 38.) Sed ut ordinem servemus, per fontem aquæ vivæ gloriam cælestis patriæ debemus intelligere: qui fons ab ipso Domino procedens, mentes omnium justorum sua inenarrabili dulcedine satiare non desistit. Verum quomodo gloria ista gratis justis datur, pro cujus acceptione multa adversa perferunt, multas lacrymas fundunt, innumeras preces offerunt, multas eleemosynas largiuntur, & ceteris bonis operibus semet ipsos exercent? Sed gratis vitam æternam percipiunt; quia pretium vitæ æternæ, quod sunt bona opera, ab ipso accipiunt, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.* (Johan. 15. 5.) Ipse quippe *b* dat pretium, ipse & pro pretio vitam æternam largitur.

ℽ. vii. *Qui vicerit, possidebit hæc: & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.* Qui vicerit diabolum, omniaque vitia superans, in bonis operibus perseveraverit, possidebit hæc, id est, ea quæ superius dicta sunt, videlicet ut bibat ipse de fonte vitæ æternæ, quod est gloria perpetua.

ℽ. viii. *Timidis autem, & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris c & omnibus mendacibus: pars illorum erit in stagnum ignis ardentis sulphure, quod est mors secunda.* Cùm timor valde necessarius sit hominibus, cur timorem inter octo vitia valde pessima primum posuit? Sed sunt timores boni, sunt & mali. Est timor valde optimus, de quo dicit Psalmista: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi:* (Psal. 18. 10.) est & timor mortis valde necessarius, timorque ignis æterni: timor etiam bonorum hominum, quando amantur ab iis, à quibus timentur: sunt & alii timores, qui aliquando juvant, aliquando nocent; sicut est timor malorum hominum, timor judicum, timor dominorum: sunt alii timores valde pessimi, de quibus hic dictum esse reor; sunt namque nonnulli, qui timore peccatorum sæpe in fletibus compunguntur: sed quia timent asperitatem viæ illius, quæ ducit ad vitam, vitia deserere, rigoremque vitæ bonæ apprehendere trepidant: sunt etiam multi, quibus dedit Deus scientiam legum temporalium, qui in judiciis positi, dum vident quosdam à potentioribus injuste opprimi, plus timentes iras hominum, quàm iram Dei, eos quos per doctrinam quam acceperunt, juvare poterant, & à periculo liberare, tacendo in damnum magnum sinunt devenire: sunt alii qui non solum non eos juvant, sed propter timorem hominum sententiam damnationis in eos proferunt: est & timor quem avaritia parit, aliique timores valde inutiles, de quibus longum est dicere.

Incredulos autem non eos tantummodo vocat, qui non credunt, sicut sunt Judæi atque pagani; sed & eos, qui non credunt resurrectionem. Sunt etiam alii multi qui christiani vocantur, qui non credunt Dei justitiæ; pro eo enim quod vitia diligunt, & desideria carnis suæ perficere volunt, non credunt comminationes divinarum scripturarum, ut putent se pro iis esse damnandos, nam libidinosi dicunt nullo modo pro usu concumbendi quemquam esse periturum: sed & ebriosi dicunt nullo modo se pro nimia vini potatione esse puniendos: similiter & avari, luxuriosi, atque superbi defendunt vitia sua.

Exsecratos autem eos esse puto, qui exsecrantur mandata divinarum scripturarum, correctionesque hominum bonorum. Possumus & per exsecratos eos intelligere, qui in tantum sunt inverecundi, ut non pudeat eos quædam exsecrabilia in conspectu omnium perpetrare: qui non solum à justis, verum etiam à quibusdam injustis sæpe exsecrantur.

Homicidas autem vocat non solum interfectores quorumdam hominum, sed & eos qui odium portant in cordibus suis, sicut iste Johannes loquitur dicens: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* (1. Johan. [illegible])

Sequitur fornicatio. Fornicationum genera multa sunt; quibuscumque enim modis, excepta legitima uxore, desiderium libidinis expletur, fornicatio vocatur. De fornicationis malo Paulus apostolus loquitur dicens: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* (1. Cor. 6. 18.) In corpus suum peccat; quia integritatem ejus violat atque corrumpit, cùm humores ejus innoxios vi extrahit, atque effundit. Est & fornicatio cogitationis, de qua Dominus loquitur dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (Matth. 5. 28.) Propheta quoque Hierusalem fornicatricem vocavit, eo quod Deum derelinquens idola coluerit. (Ezech. 16. [illegible] & seq.) Similiter & nos suggestionibus dæmonum obtemperando, cùm nosmet ipsos eis subjicimus, fornicatores non inconvenienter vocamur.

Venefici autem sunt, qui corpora hominum veneno inficiunt, ut eos extinguant. Sunt & alii multo deteriores venefici, ii videlicet, qui seminant inter fratres discordias; illi enim corpora interficiunt, isti animas: & multo deterior est mors animæ, quam corporis.

Idololatræ vero sunt non solum ii, qui idola colunt; sed & omnes avari, hoc demonstrante apostolo Paulo, qui avaritiam idolorum servitutem vocat. (Coloss. 3. 5.)

Sed valde terribile est, quod sequitur: *Et omnibus mendacibus*; deinde subjungit: *Pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure, quod est mors secunda:* & Psalmista dicit ad Dominum: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium;* (Psal. 5. 7.) & in alio loco: *Omnis homo mendax.* (Psal. 115. [illegible]) Si igitur omnis homo mendax, & si perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium, & si omnes mendaces partem habebunt in perditione cum ceteris impiis, de quibus hactenus loquuti sumus; quis salvus esse poterit? Scimus namque nullum hominem hanc vitam posse transire, ut aliquando non mentiatur; nisi fuerit infans, qui fari non potest. Sed non de omnibus mendaciis hoc dictum esse intelligere debemus, sicut nec illud de omnibus peccatoribus, quod in psalmo trigesimo sexto canitur: *Quia peccatores peribunt;* (Psal. 36. 20.) & in psalmo centesimo quadragesimo quarto: *Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.* (Psal. 144. 20.) Si peccatores peribunt, & omnes peccatores disperdet, & omnes sumus peccatores secundùm dictum istius Johannis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est;* (1. Johan. 1. [illegible]) ergo omnes peribimus. Sed non hoc de omnibus peccatoribus dictum esse intelligere debemus, sed de illis tantummodo qui in gravibus peccatis semet ipsos præcipitantes, nolunt agere pœnitentiam de iniquitatibus suis. Similiter & hic non de omnibus mendacibus dictum esse intelligere debemus: sunt enim mendacia quæ inter levia peccata deputantur, à quibus nullum puto hominem ex toto posse abstinere: sunt & gravia, quæ mergunt hominem in damnationem mortis.

Sed quia his temporibus multi sunt qui sine aliqua reverentia Dei omnipotentis pene assidue mentiuntur, placuit nobis ut de hoc vitio aliqua dicamus. Verùm priùs de levibus mendaciis dicamus, postea de gravioribus. Sæpe æstimatione mentimur, æstimantes nos videre, quod non videmus: aut audire, quod non audimus: aut scire, quod non scimus. Sæpe namque cùm à longe quosdam prospicimus, fallit nos adspectus noster, & dicimus esse, qui non sunt. Sæpe etiam & obscuris temporibus cùm procul lapides aut arbusta conspicimus, ipsa obscuritate fallimur, & dicimus homines esse, aut bestias. Sæpe oblivione fallimur, cùm obliviscimur quæ fecimus & vidimus, aut loquuti fuimus, & dicimus nos fecisse, quod non fecimus: aut non fecisse, quod fecimus: aut audisse, quod non audivimus, aut non audisse, quod audivimus: aut vidisse, quod non vidimus: aut non vidisse, quod vidimus: aut dixisse, quod non diximus; aut non dixisse, quod diximus. Sæpe & cùm audimus, quod desideramus, dicimus verum esse, quod audimus; & sæpe contingit quod falsum sit: & cùm audivimus, quod nolumus, dicimus falsum esse; quamvis verum sit. Sæpe etiam joco mentimur, ut risum audientibus excitemus. Sæpe vero ex nimia credulitate mentimur; nam cùm audivimus quosdam homines, quos veraces existimamus, aliqua narrantes verisimilia, credentes quod audimus, cùm ea aliis referimus, dicimus vera esse, quamvis sint falsa; & frequenter cum juramento affirmamus.

Sunt & multi, qui gesta Patrum quæ in divinis scripturis aut legerunt, aut audierunt, ex parte obliviscentes; cùm ea aliis narrare cœperint, aut quædam mendacia intermiscent, aut ex multis narrationibus unam facere conantur: & sicut qui stannum auro vel argento admiscet, inutilem materiam facit; ita & isti cùm ex multis narrationibus unam facere satagunt, mentiendo inutilem reddunt; melius est enim silere, quam gesta sanctorum mendaciter proferre. Sunt etiam multi divinis litteris eruditi, qui Judæis ultra quam oportet credentes, quasdam eorum fabulas vanissimas suscipiunt, & suis traditionibus interserunt. Scimus enim quoniam Judæi omnia quæ de Christo in veteri Testamento invenerunt, in pravos sensus pervertere nituntur, ut gloriam nominis Christi apud quoscumque possunt, extinguant: & non solum prophetias de Christo evertunt, sed & in ceteris locis multas vanissimas *d* & absurdissimas fabulas interponunt. Miror ergo cur inimicis Christi, omnisque religionis nostræ creditur; aut ab eis aliqua suscipiuntur, nisi tantummodo ea quæ ab antiquis Patribus probata esse

a. Ita mss. edit. autem, *sæpe gaudium, sæpe lætitiam.* Non bene.
b Edit. Gill. in contextu, *dat pretium, & pro pretio.* in marg. autem, & Rom. in contextu, *dat pretium & sine pretio:* mss. vero nobis suffragantur.

c. Rom. edit. loco moretur, *& omnibus mendacibus. . . . quod est mors secunda.*
d. Edit. *& obscurissimas fabulas:* mss. *& absurdissimas fabulas.*

Joan. 8. 44. dignoscuntur. Ipsi quippe patrem habent diabolum, qui in veritate non stetit, quia mendax est ipse, & pater ejus: & quoscumque diabolus possidet, mendaces facit.

Sæpe & timore mentimur; nam cùm timemus, ne à potentioribus aliquæ molestiæ nobis ingerantur, aliquando mendacia excogitamus, per quæ liberemur. Sed & viatores quædam mendacia invenire solent, ut à latronibus liberentur. Similiter & servi, & pueri aliqua mendacia interpolare solent, ne vapulent. Sunt etiam multi, qui in extraneis locis positi, egestatis aut alicujus necessitatis causa mentiuntur, ut victum, aut aliqua corporis necessaria sibi adquirant. Sæpe & nos amore atque ira mentimur, laudantes eos quos diligimus ultra modum, & vituperantes eos quibus irati sumus, plus quam oportet: sed ista graviora mihi videntur, quam superiora. Sunt alia mendacia superioribus similia, quæ longum est prosequi; in talia namque mendacia non solum injusti, sed & justi sæpe dilabuntur. Et propter hoc videtur mihi Psalmistam dixisse: *Omnis homo mendax.* *Psal. 115. 11.*

Est & aliud genus mendacii, quod absque culpa videretur, nisi Scriptura diceret, quia omne mendacium à malo est: ex quo aliqua in divinis scripturis inveniuntur. *1. Joan. 2. 21.* *a* In Genesi namque scriptum est quod præcepit Pharao obstetricibus Hebræorum, ut masculos interficerent, & feminas reservarent: sed illæ timentes Deum, conservabant mares. *Exod. 1. 16.* Pro qua re, cùm à Pharaone increparentur, dixerunt quod omnes Hebrææ mulieres obstetricandi haberent scientiam, illisque nescientibus, parerent. Nonne melius fuit mentiendo pueros reservare, quam vera dicendo tot homicidia perpetrare? In Josue quoque scriptum est *Josue. 2. 1. & seq.* quod miserit duos exploratores ad explorandam Jericho. At illi ingressi sunt domum cujusdam meretricis nomine Rahab, quæ abscondit eos in interioribus domus suæ, venientibusque persecutoribus eorum dixit quod cùm porta clauderetur, in tenebris aufugissent. Atque pro hoc mendacio à persecutoribus eos liberans, ipsa cum tota cognatione sua à mortis periculo liberata est. Et pro hoc facto à beato Paulo apostolo in epistola ad Hebræos laudatur; ait enim: *Fide Rahab meretrix non periit cum ceteris incredulis, excipiens exploratores cum pace.* *Hebr. 11. 31.* In Regum etiam volumine scriptum est quod David fugiens Absalon filium suum, *2. Reg. 15. 32. & seq.* miserit Hierusalem duos exploratores ad explorandos actus ejusdem filii sui. Quod cùm audisset Absalon, misit qui eos caperet: at illi fugientes, ingressi sunt domum cujusdam viri, cujus uxor abscondit eos in puteo, quem habebat in vestibulo, posito desuper operimento. Venientibus vero persecutoribus eorum, eosque requirentibus, illa respondit: *Transierunt gustata paululum aqua.* *2. Reg. 17. 20* Verum igitur dicendo eos potuisset perdere, quos mentiendo servavit. Talium itaque mendaciorum maculæ à caritate ex qua procedunt, delentur; quia *caritas operit multitudinem peccatorum.* *1. Petr. 4. 8.*

Nunc de gravioribus mendaciis dicamus; sunt namque infidelitatis mendacia, sunt & blasphemiæ, sunt & alia quæ ex odio procedunt, alia quæ invidia generat, alia quæ avaritia, alia quæ vana gloria; habent nihilominus cetera vitia mendacia sibi convenientia. Infideles quippe Judæi atque ethnici habent plurima mendacia; nam excepto quod Christum negant venisse in carne, habent multos errores, quibus decepti pereunt. Sunt & mendacia blasphemiarum, quibus iidem Judæi atque pagani, nec non & hæretici Deum & Ecclesiam ejus, omniaque divina mysteria multis modis blasphemant. Sunt etiam mendacia, quæ ex odio procedunt: nam nonnulli pro eo quod odium in cordibus contra proximos gestant, falsa crimina eis innectunt: & quos non possunt gladio interficere, falsis criminationibus in damnum magnum, sæpe etiam & in mortem præcipitant. Sunt & alia mendacia, quæ parit invidia; invidiosi quippe cùm vident aliquos aut dignitatibus sæculi, aut sapientia, aut aliquibus artibus præpollere, eos despicere & subsannare non cessant, seque ipsos illis præferre; ut ipsi clariores apud eos qui eorum mendaciis credunt, videantur, quam illi quos despiciunt. Sunt & derisionis mendacia, quæ propter ad invidos pertinent; derident namque semper invidi facta meliorum, & quibus coæquari non possunt, eorum actus suis mendaciis obnubilare quærunt. Sunt enim multi, qui eos quos odio habent, aut quibus invident, fingentes se esse amicos, suis callidis suasionibus ad quædam flagitia perpetranda pertrahunt: quos cùm in aliquod scelus veluti in foveam præcipitaverint, contra eos versi atrocius quam ceteri persequuntur; & qui videbantur amici, quod fuerint pessimi inimici comprobantur. Habet & avaritia mendacia sua. Quam multi quippe sunt, qui propter aliorum substantiam tollendam multas fallacias & diversas machinationes componunt; ut aliis auferant unde avaritiæ suæ barathro, quod insatiabile est, aliquantulum satisfaciant? Sunt etiam multi, qui pro præmiorum acceptionibus falsi testes contra proximos suos efficiuntur, & eos mentiendo, aut in servitium præcipitant, aut hereditatem sive substantiam auferunt. *b* Sæpe vero & mortem inferunt.

Sunt alia mendacia, quæ gignunt vanam gloriam; sunt enim multi vanæ gloriæ amatores, qui ut magni & egregii ab hominibus habeantur, dicunt se magna quædam fecisse, quæ non fecerunt, aut posse quod non possunt, aut possidere quod non possident, aut sapere quod non sapiunt; ut ad celsitudinem, ad quam conscendere nequeunt, sua mendacia eos elevent. Et quia hoc vitium apud quosdam pro nihilo habetur, etiam in monasteriis scimus quosdam hoc vitio esse maculatos. Multi quippe sunt, qui postquam sæculum reliquisse videntur, ut magnos & inclitos se apud simplices quosque, & eos qui in monasteriis educati fuerunt, constituant; dicunt se possessores fuisse magnarum divitiarum, jactant se fuisse præliatores, venatores, & multa alia de se mentiuntur; ut magni apud eos, quos suis mendaciis decipere possunt, habeantur. Ad te ergo loquor, qui talis es: Ecce qui in sæculo positus vix simplicem cibum, qui tibi tuisque omnibus sufficeret, per totum annum elaborare poteras, in monasterio positus, possessor thesaurorum, prædiorum, magnarumque divitiarum effectus es: & qui vix unam vulpeculam capere poteras, monachus effectus, venator potentissimus factus es: & qui quosdam ex infimis vicinis tuis formidabas, in monasterio positus, præliatorem fortissimum te fecisti. Ecce hoc non fuit sæculum reliquisse, sed adquisisse. Dicis te hominem interfecisse, & homicidii reatum super te imposuisti. Lingua mendax fecit, quod manus non prævaluit. Et vis ut probem quod te mentiendo reum homicidii feceris? Saul, sicut in libro Regum legimus, timore Philisthinorum manu propria semet ipsum interfecit; *1. Reg. 31. 4.* venit quidam homo ad sanctum David, & dixit quod ipse Saulem, qui eum persequebatur, interfecisset: sed ille spiritu prophetiæ mentitum esse eum intelligens, veluti homicidam punire jussit, reatumque homicidii super illum imponens, dixit: *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum loquutum est adversùm te, dicens: Ego interfeci christum Domini.* *2. Reg. 1. 16.* Scimus autem divites sæculi ad conversionem venientes, graviter peccare, si se de divitiis ac potentia sua jactare cœperint: & si ille reus est, qui verum dicit, quanto magis tu, qui pene per omnia mentiris?

Sunt etiam alii, qui prope indesinenter mentiuntur, & vix aliquid loqui possunt sine mendacii admixtione. Qui ad omnia semper quæ audiunt, quædam mendacia confingunt: & dicunt se vidisse, quæ non viderunt: & audisse, quæ non audierunt: & fecisse, quæ non fecerunt. Cùmque à veracibus deprehensi fuerint, dicunt non posse quemquam bene vera loqui, qui non possit bene mentiri. O stulte, quam vana est assertio tua! Ecce Christus multa bene & veraciter loquutus est, qui numquam potuit mentiri, cujus vestigia te sequi magis oportuisset, in quantum virtus suppeteret. Similiter apostoli, & ceteri prædicatores multa docuerunt & scripserunt sine permixtione mendacii. Et Scriptura dicit quia omne mendacium à malo est: *1. Joan. 2. 21.* si mendacium malum est, quomodo malum bene potest proferri? O infelix, *c* quam vicina est tibi ira Dei omnipotentis, quem assidue sine causa offendere non trepidas! Nam cetera vitia quamquam Domino contraria sint, videntur tamen aliquid corpori conferre. Avaritia quippe quamvis sit per omnia Deo odibilis, videtur tamen aliquid corpori conferre; quia divitias congregat, ex quibus desideria ejus expleat. Similiter & libido videtur aliquid corpori conferre; quia in perfectione ejus voluptas carnis extinguitur. Et ebrietas quamvis Deum offendat, gulæ desideria perficit. Similiter & cetera vitia ad carnis desideria perficienda adsumuntur. Sunt etiam quædam mendacia, quæ corpori aliquid videntur adjicere, sicut sunt avaritiæ, de quibus superius diximus. Tu autem nihil corpori adquiris, & Deum sine intermissione offendere non metuis. Ecce mendacium tuum leve esset, si tarde accidisset: verum ex jugi continuatione gravissimum atque importabile efficitur. Nam sicut lutum levius est, quam plumbum; sed ex multiplicatione sua gravius & periculosius fit, ita ut in eo sæpe pecora demergantur: sic & quædam levia peccata ex congerie sua graviora quibusdam, quæ gravia existimantur, efficiuntur. Et scito quia sicut ipse dixit: *Deus veritas est*; *1. Joan. 5. 6.* nihil plus contrarium potest esse veritati, quam mendacium.

Horum ergo pars erit in stagno ignis ardentis sulphure, quod est mors secunda. Quid sit mors secunda, in hoc loco manifeste demonstrat. A supradictis igitur vitiis ne in mortem secundam incidamus, misericordia Redemtoris nostri nos liberare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

DE VISIONE SEPTIMA.

Septima Visio ad quam, Domino donante, pervenimus, tota ad illud tempus quod post resurrectionem futurum est, pertinet. *Sup. c. 19.* Et ordo poscebat, ut generali resurrectione descripta, gloriam sanctorum, quam post resurrectionem sine fine possidebunt, describeret; quæ sub figura civitatis Hierusalem in hac visione describitur.

Et venit unus de septem Angelis, qui habebant phialas, & loquutus est mecum dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem Agni. *℣. 9.* Superius in quinta Visione Johannes dicit septem Angelos habentes septem phialas sibi fuisse demonstratos, & in sequentibus unum ex illis civitatem diaboli damnationemque ejus sub specie mulieris meretricis sibi ostendisse: similiter & hic unum ex iisdem septem Angelis dicit sibi civitatem Dei sub figura Hierusalem demonstrasse. Eamdem ergo significationem habent singuli isti, quam illi septem; significant namque prædicatores, qui fuerunt, & erunt usque in finem: Johannes vero typum tenet ceterorum fidelium. Angelus igitur Johanni se demonstraturum civitatem Dei repromittit; quia prædicatores sancti ceteris fidelibus quanta sit beatitudo justorum, in quantum possunt, student demonstrare, ut eos ad vitam æternam percipiendam accendant. Quam etiam sponsam uxorem Agni vocat. Quod sponsa Agni Ecclesia jure vocetur, Johannes Baptista demonstrat dicens: *Qui habet sponsam, sponsus est.* *Joan. 3. 29.* Quod autem & uxor dicatur, Scriptura demonstrat dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* *Gen. 2. 24.* Quasi ergo Patrem suum Filius Dei dereliquit, cùm de illa cælesti beatitudine ad terras descendens, hominem adsumsit, quem pro sponsa sua, quæ est Ecclesia, daret: matrem dereliquit, quia affectum matris abjiciens, corpus quod ex ea adsumsit, pro Ecclesia sua tradidit; quam sibi ita univit, ut ipse sit caput, & ipsa corpus.

Et sustulit me in montem magnum & altum. *℣. 10.* Mons iste Christus est. De hoc monte propheta loquitur dicens: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini super verticem montium.* *Isai. 2. 2.* Montes super quorum verticem mons domus Domini præparatus esse dicitur, patres veteris Testamenti designant. *d* Super horum ergo verticem mons domus Domini præparatus esse dicitur; quia & ab ipsis prædictus est, & in carne veniens, eos mira altitudine est transgressus. Super hunc igitur montem domus Domini, id est Ecclesia, ædificata est; quia super Christum fundata est, sicut Paulus apostolus loquitur dicens: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* *1. Cor. 3. 11.*

Et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei. *℣. 11.* Notandum quia Ezechielis ultima visio cum hac Johannis visione concordat in aliquibus locis; ideo placuit ut de illa huic operi pauca inseramus. *Ezech. 40. 2. & seq.* Dicit namque montem sibi fuisse

a. Edit. Gill. in marg. ac Rom. in corp. *In Exodo*: Gill. vero in corp. cum mss. *In Genesi.*

b. *Sæpe vero & mortem inferunt*, è mss. restituimus.

c. Edit. & quidam mss. *quam vana est*: melius Germ. *quam vicina est.*

d. *Super horum ergo.... est transgressus*, è cod. Germ. restituimus, cùm in aliis, & sandionensi, non habeantur.

demonstratum, super quem erat civitas, & in ea templum: verum civitatem tantummodo commemorans, de templi structura multa est loquutus. Eamdem ergo significationem habet illic templum, quam & hic civitas; significant enim Ecclesiam: sed per templum illud præsentis temporis Ecclesia: per civitatem autem Hierusalem Ecclesia quidem, sed qualis post finem mundi futura est, designatur. Sed dicit aliquis: Quomodo descriptio ista Hierusalem, id est, Ecclesiæ ad futurum tempus pertinet, cùm præsentis temporis ejus forma in hac videatur visione describi? Ad quod nos respondemus quia Ecclesia, quamdiu in hac vita consistit, agnosci perfectè non potest, sed quasi sub quodam velamine abscondita tenetur; cùm ignoretur quis sit reprobus, aut quis electus, aut ad quem finem actus suos unusquisque perducat: in illa autem vita ejus forma omnibus patebit, tunc enim liquido omnibus apparebit, quis fuerit murus, quæ portæ, quæ fundamenta, qui lapides structuræ, qui lapides pretiosi. Sed quærendum nobis est quomodo de cælo descendere dicatur, cùm ad cælestem habitationem quotidie conscendat, in qua sine fine permansura creditur. Sanctorum actus atque merita quamdiu mente pertractamus, semper augentur in cordibus nostris: & quanto plus ea consideramus, tanto amplius eorum magnificentia nobis elevatur: at cùm oculos mentis nostræ ad magnitudinem Dei omnipotentis considerandam attollimus, magnitudo sanctorum magnitudini Dei comparata, valdè nobis humiliatur. Adscendunt igitur nobis sancti, cùm eorum actus & merita consideramus: descendunt vero, cùm ad considerandam Dei omnipotentiam oculos mentis nostræ attollimus. Dicitur quoque claritatem Dei habuisse. Habebat profectò claritatem Dei, non suam. Sæpe etenim sol in aqua fulgens, suam claritatem aquæ largitur: ita ut aqua oculos intuentium reverberet, sicuti & sol: quemadmodum igitur aqua claritatem solis habet, sed non à se ipsa, sed à sole: ita & sancti habent claritatem Dei, sed non à se ipsis, sed à Deo, à quo illuminantur.

Lumen ejus simile lapidi pretioso, a *tamquam lapidi jaspidis, sicut crystallo.* Ecce tres lapides posuit, quorum lumini lumen Ecclesiæ adsimilavit: unum sine nomine, duos vero nominatim exprimens. Possumus itaque per lapidem pretiosum Patrem, per jaspidem Filium, per crystallum Spiritum sanctum intelligere. Primus sine nomine est; quia Pater à se ipso est: secundus & tertius nominatim exprimuntur; quia Filius à Patre est, Spiritus vero sanctus ab utroque procedit. Possumus etiam per lapidem pretiosum spem, per jaspidem fidem, per crystallum vero caritatem intelligere. Sed potest aliquis dicere quia in illa vita necessariæ non erunt fides & spes. *Quod enim videt quis, quid sperat?* Ad quod respondemus quia sicut vestis, quæ ex aliqua materia tingitur, post tinctionem materia abjecta colorem pulcherrimum in se retinet; ita & in illa vita fide, spe, humilitate, abstinentia, ceterisque virtutibus absque caritate finem accipientibus, splendor quem ex operatione illarum sancti adquisierunt, in eis sine fine permanebit. Rom. 8. 24.

℣. xii. *Et habebat murum magnum & altum.* Iste est murus, de quo dicit propheta: *Urbs fortitudinis nostra Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.* Per hunc igitur murum Christus cum omnibus membris suis designatur; ita ut per illum fundamentum, per reliquam vero structuram ejus membra figurentur. *Habentem portas duodecim.* In Ezechiele scriptum est quod templum, quod ei demonstratum est, tres portas habuerit, orientalem videlicet, australem, & aquilonarem. Præcepitque Deus ut porta orientalis clausa semper maneret, Principe tantummodo per eam intrante & exeunte. Per portam orientalem beata & gloriosa virgo Maria figuratur, quæ clausa ante ingressum Principis, id est, Christi, semper exstitit: & post egressum ejus clausa in ævum permansit. Porta autem australis vetus Testamentum, porta vero aquilonaris novum designat. Hi vero qui ab australi parte venire dicuntur, Judæos: qui autem ab aquilonari, gentes designant. Judæi itaque qui cognitionem Dei habebant, & quibus Lex data fuerat à parte solis, id est, ab australi parte, in qua sol amplius fervet; non inconvenienter ad Ecclesiam venire dicuntur. Per portam australem ingrediebantur, quia cognoscentes in veteri Testamento multipliciter Christum esse prophetatum, diversisque modis præfiguratum, eos ad fidem Christi suscipiendam suæ scripturæ pertrahebant. Gentiles vero idololatriam deserentes, illique abrenuntiantes, qui dixit: *Sedebo in monte Testamenti in lateribus aquilonis: adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo;* non incongrue ab aquilonari parte venire dicuntur. Per portam aquilonarem ingrediebantur; quia doctrinam Evangelii audientes, virtutes etiam quæ per Christum & ministros ejus factæ sunt admirantes, ad fidem Christi suscipiendam currebant. Præceptum est etiam, ut per iter quo quisque intraverat, non regrederetur, sed è regione ejus egrederetur; videlicet ut qui ingrediebatur per portam meridianam, egrederetur per portam septentrionalem: & qui ingrediebatur per portam septentrionalem, egrederetur per portam meridianam. Judæi quos intelligentia veteris Testamenti ad fidem Christi suscipiendam perducebat, non debebant reverti ea parte, qua venerant, scilicet ut observationes legales carnaliter implerent: sed egredi potius per portam aquilonarem, ad Evangelii videlicet doctrinam meditandam & perscrutandam se transferre: ut discerent spiritaliter implere, quod antea carnaliter facere satagebant. Gentiles vero qui per portam aquilonarem ingrediebantur, id est, qui per doctrinam Evangelii filii Ecclesiæ efficiebantur, non debebant reverti ea parte, qua venerant; videlicet ut ad errores philosophorum perscrutandos regrederentur: sed potius post susceptionem fidei atque doctrinæ evangelicæ ad portam meridianam, id est, ad doctrinam veteris Testamenti perscrutandam se transferre: ut cùm invenirent in eo Christum multis modis esse prædictum, roboraretur in eis fides Christi. Per portas autem duodecim, quas Hierusalem habere dicitur, duodecim apostoli, eorumque doctrina designatur.

Isai. 26. 1.
Ezech. 44. 1. & seq.
Isai. 14. 13.
Ezech. 46. 9.

Et in portis b *Angelos vidi duodecim.* Angeli duodecim ceteros prædicatores, videlicet apostolorum sequaces, designant. Qui in portis fuisse dicuntur; quia fidem apostolorum inconcussam tenentes, eorumque doctrinam sequentes, quoscumque poterunt, ad fidem Christi trahere studuerunt. *Et nomina scripta duodecim tribuum filiorum Israel.* Per nomina duodecim tribuum patres veteris Testamenti possumus accipere, qui à fide sanctæ Trinitatis non deviaverunt: possumus etiam & per eadem nomina vetus Testamentum intelligere. Nomina duodecim tribuum in portis scripta erant: quia doctrina apostolorum, ceterorumque prædicatorum plena est exemplis veteris Testamenti.

℣. xiii. *Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres: & ab occasu portæ tres.* Quatuor plagas mundi posuit, ut indicet per eas omnes gentes, quæ inter quatuor plagas mundi continentur, ad Ecclesiam convenisse. Contra unamquamque vero plagam ternas portas se vidisse dicit, id est, simul duodecim; ut indicet nullum intra Ecclesiam ingredi posse, nisi per confessionem sanctæ Trinitatis. Et quia doctrina apostolorum nihil est aliud nisi Evangelium, & ipsum Evangelium in quatuor libros dividitur, & uniuscujusque libri doctrina in fide sanctæ Trinitatis consistit; rectè hæc civitas quatuor latera habere dicitur, & per singula, ternas portas: quæ simul junctæ, sunt duodecim.

℣. xiv. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis scripta duodecim nomina apostolorum & Agni.* Quid significent duodecim fundamenta, ipse exposuit, cùm subjunxit quod in eis scripta essent nomina duodecim apostolorum & Agni. Reprehensus sum à quodam, cur Petrum fundamentum Ecclesiæ dixerim; in eo loco ubi Dominus dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. 18. Si Petrus fundamentum est Ecclesiæ, sicut & ceteri apostoli, quemadmodum præsens lectio aperte demonstrat; ergo super ipsum ædificata est, sicut & super ceteros: si vero super Petrum Ecclesia ædificata non est, ergo nec super ceteros: c falsa est ergo hujus Johannis præsens adsertio, quia dicit duodecim apostolos duodecim fundamenta esse Ecclesiæ. Nec repellit nos à nostro intellectu illud, quod Apostolus dicit: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* 1. Cor. 3. 11. Non enim aliud fundamentum est Petrus, & aliud Christus Jesus; quia Petrus membrum est Christi Jesu, sicut ipse dixit discipulis suis: *Vos in me, & ego in vobis.* Johan. 14. 20. Christus namque fundamentum est omnium apostolorum suorum, similiter & ipsi fundamenta sunt eorum, qui per eos crediderunt. Unum est igitur fundamentum, id est Christus, à quo continentur omnia fundamenta, super quem etiam tota compages Ecclesiæ constructa est. De hoc fundamento Paulus loquitur dicens: *Si quis autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* 1. Cor. 3. 12. Sex hic posuit species, tres speciosas, & tres viles. Sæpe per aurum sapientia designatur. Aurum supra fundamentum Christi ædificat, qui sapientiam qua vitia conterat, & virtutes nutriat, in corde suo recondit, imitans Psalmistam, qui dixit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Psal. 118. 11. Per argentum vero sermo prædicationis exprimitur: de quo idem Psalmista dicit: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Psal. 11. 7. Argentum supra fundamentum Christi ædificat, qui bonum quod didicit, alios docet; ut eos ad bona opera agenda pertrahat: per lapides autem pretiosos bona opera designantur. Lapides pretiosos supra fundamentum Christi ædificat, qui bonum quod docet, operibus implet. Sunt quidam qui verba exhortationis, quibus ceteros perfectè instruant, non habent: sed cùm se per bona opera exercent, lapides pretiosos super fundamentum Christi ædificant. Similiter & qui parva sciunt, & ea alios docent, argentum utique super Christum ædificant; si tamen operibus implent ea, quæ docent. Multi enim intellectum quem acceperunt, alios docendo, super Christum ædificant: sed per mala opera destruunt in se, quod ædificaverunt. Per ligna vero, fœnum, atque stipulam, peccata minima designantur. Sed alius intellectus est, qui nos ab hoc sensu excludit; non enim super Christum peccata, sed virtutum opera ædificantur. Et quando peccamus, ab ædificatione quæ fit super Christum, recedimus: & quanto gravius peccamus, tanto longius separamur. Sed cùm per pœnitentiam ad bona opera agenda recurrimus, ad ædificationem, quæ fit super Christum, revertimur. Possumus ergo per ligna terrena opera intelligere, dum quis terreno operi insistit, ut habeat unde vivat, ne forte necessitate compulsus, furari cogatur. Nam Apostolus præcipit, ut cum silentio operantes, unusquisque suum panem manducet; d & iterum: *Qui non vult operari*, inquit, *non manducet.* 2. Thess. 3. 12. Per fœnum vero amorem terrenum possumus accipere, cùm quis pro affectu carnis uxorem, filios, fratresque diligit. Sed & hoc ipsum Apostolus præcipit, ut viri uxores, uxores viros, filii parentes, parentes filios suos diligant. Ephes. 5. 25. & 28. Per stipulam autem, eos ipsos possumus intelligere, qui pro eo quod eos libido exagitat, & se continere non possunt, uxores accipiunt. Sed & hoc Apostolus præcipit dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Tit. 2. 4. Et quia tales conversationes sine crebris offensionibus esse non possunt, dicit per ignem tales esse salvandos, id est, per ignem purgatorium. Et hoc fiet; si à gravibus peccatis se abstinuerint, & per eleemosynarum largitionem hoc promeruerint, ut post mortem per ignem purgatorium salvari possint. Sicut enim aurum quod ex aliis permixtionibus sordidum efficitur, per ignem purgatur: ita & isti à sordibus quas ex mundanis actibus contraxerunt, per ignem mundantur, ut digni fiant electorum numero sociati.

℣. xv. *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.* Angelus qui loquebatur cum Johanne, in hoc loco Christum significat, qui modo regit omnes gentes in virga ferrea, sicut superiùs jam dictum est: in futuro autem civitatem Dei, quæ ex omnibus gentibus constabit, arundine aurea metietur. Sup. cap. 2. & 19. Diximus superiùs per virgam ferream disciplinam Evangelii esse designatam: ferrum vero grave est & durissimum. De dulcius

a. Ita mss. edit. vero, *& tamquam lapidi jaspidis, atque crystalli, … quorum lumini Ecclesiæ adsimilavit.*
b. Mss. *angelos vidi duodecim, Angeli duodecim*, &c. sed melius edit. *Angelos vidi* &c.

c. Edit. *Vera est ergo hujus Johannis præsens adsertio, quia duodecim fundamenta Ecclesiæ esse dicit:* optime vero mss. ut in textu.
d. *Et iterum: Qui non vult operari, inquit, non manducet,* a mss. in textum redeunt; non secus ac quod habetur infra, *unaquæque virum suum habeat.*

Matth. 7. 14. Matth. 11. 30.

autem virgæ ferreæ dicit Dominus in Evangelio: *Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam.* Sed hanc duritiam amor Dei, & spes cœlestis patriæ suavem & levem facit, sicut ipse iterum dicit: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Virga itaque ferrea in arundinem levem, suavem, atque auream commutabitur; quia sancti pro angustiis, quas pro Christo pertulerunt, suavitatem & gloriam perpetuam recipient. Metietur vero civitatem, & portas ejus, & murum; quando secundum qualitatem operum unicuique mercedem restituet. Sed quærendum nobis est, cùm civitatem mensus fuisse dicatur, cur portas & murum adjunxerit, cùm civitatis nomine hæc omnia comprehendantur. Verum sicut præterita & futura docent, per portas apostoli, per civitatem apostolici viri, per muros vero cetera multitudo fidelium designatur. Sed hæc sequentia plenius manifestant.

℣. XVI. Sequitur: *Et civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo.* Per quadraturam civitatis *a* perfectio sanctorum designatur: quadratum quippe lapidem in quamcumque partem verteris, rectus stabit. Et si quadratum lapidem, aut aliud quid quod quadrari potest, diligenter inspexeris, perfectionem Ecclesiæ in eo esse depictam deprehendere poteris; habet namque sex facies, octo cornua, crepidines duodecim. Sex facies perfectionem demonstrant bonorum operum, quia senarius numerus perfectus est. Habet octo cornua, ex quibus quatuor cælum, quatuor terram respiciunt. Quatuor igitur cornua designant Evangelia, quæ duplicantur; quia dilectionem Dei & proximi specialiter commendant. Quatuor cælum respiciunt, ut indicent Deum super omnia esse diligendum: quatuor terram respiciunt, ut indicent proximos tamquam nosmet ipsos esse diligendos. Duodecim vero crepidines fidem demonstrant duodecim apostolorum. A singulis autem cornibus tres crepidines prodeunt, ut indicent à doctrina Christi, quæ est Evangelium, quæ etiam in quatuor libros dividitur, fidem sanctæ Trinitatis in apostolos transisse, ut per illos ad omnes gentes migraret. Hoc totum de quadrato lapide ideo diximus, ut demonstraremus per quadraturam civitatis perfectionem Ecclesiæ esse designatam. Et quia hæc civitas quadraturam æqualem habet, longitudo ejus tanta esse dicitur, quanta & latitudo; per longitudinem namque æterna gloria, per latitudinem autem caritas designatur. Longitudo igitur hujus civitatis tanta est, quanta & latitudo; quia quantum unusquisque fidelis in hac vita positus major fuerit in caritate, tanto majorem gloriam in cælesti beatitudine possidebit: & quanto minor fuerit caritas, tanto minor erit & gloria.

Et mensus est civitatem per stadia duodecim millia: longitudo & latitudo & altitudo ejus æqualia sunt. Eamdem significationem habent stadia duodecim, quam & portæ duodecim habent, significant namque apostolos. Sed superius longitudinem & latitudinem hanc civitatem æqualem habere dicitur: hic vero dicitur quod longitudo, latitudo & altitudo ejus æqualia sunt. Possumus ergo in hoc loco per tria hæc quæ posuit, fidem, spem, & caritatem intelligere; ita ut per longitudinem fidem, per latitudinem caritatem, per altitudinem vero spem intelligamus. Sed quomodo æqualia esse possunt, cùm

1 Cor. 13. 13. Apostolus dicat: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas?* Nam quamvis caritas major sit omnibus virtutibus, eo quod ipsa manet in æternum; secundùm tamen quemdam modum iis tribus virtutibus æqualitas adscribi potest. Dicit

Jacob. 2. 2. quippe Apostolus quia fides per caritatem operatur, & fides sine operibus mortua est. Si mortua est, ille cui mortua est, nihil est: & si fides per caritatem operatur, & illi mortua est, qui caritatis opera non habet, ergo fides tanta est, quanta sunt & opera caritatis. Similiter spes tanta est, quanta fides & caritas; quia quanta sunt opera fidei, quæ est caritas, tanta est & spes gloriæ: in quantum namque unusquisque fidelis per caritatis opera se dilatare prævaluerit, in tantum sibi gloriam patriæ cælestis accrescere non dubitet.

℣. XVII. *Et mensus est murum ejus per circuitum centum quadraginta quatuor cubitorum mensurâ hominis, quæ est Angeli.* Hoc si superiora attendamus, secundùm litteram stare non potest: superiùs namque dicit quia mensus est civitatem per stadia duodecim: hic autem muros civitatis centum quadraginta quatuor cubitorum dicit esse mensuratos, multo enim *b* majus est spatium stadiorum duodecim, quam spatium centum quadraginta quatuor cubitorum; ideoque per majus spatium eos, qui majoris meriti sunt, intelligere possumus. Diximus superiùs per duodecim stadia duodecim apostolos esse designatos; martyres ergo & confessores, & ceteri perfecti viri, qui apostolorum doctrinam per omnia sunt secuti, & eorum actus imitati, in eorum ambitu metientur, quia eamdem gloriam possidebunt, quam & illi. Per muros vero, qui ex minoribus lapidibus sunt, cetera multitudo fidelium designatur: qui minorem ambitum tenebunt, quam illi de quibus superiùs diximus; quia qui minoris erunt meriti, minora percipient & præmia. Quorum mensura in duodenario numero consistit; quia fidem apostolicam intemeratam servaverunt, duodecies namque duodecim fiunt centum quadraginta quatuor. Quod autem dicit civitatem *c* & muros mensurâ hominis, quæ est Angeli, fuisse mensuratos, demonstrat Angelum in similitudinem hominis sibi apparuisse. Possumus hoc aliter intelligere. Mensuram hominis dicit esse mensuram Angeli, & eâ mensurâ civitatem & muros dicit esse mensuratos; quia sancti viri æqualitatem habebunt cum Angelis, & eorum mensurâ mensurabuntur, quia eamdem gloriam possidebunt, quam & illi, sicut Dominus dicit in Evan-

Matth. 22. 30. gelio: *In resurrectione neque nubent, neque uxores ducent; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

℣. XVIII. *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas auro mundo similis vitro mundo.* Sed & hic aliquam distantiam inter muros & civitatem fecit. Muros dixit ex lapide jaspide esse constructos, ipsam vero civitatem auro mundo & vitro mundo dixit esse similem; per viriditatem namque jaspidis fides designatur: per jaspidem ergo

A simplices quique & imperfecti viri non inconvenienter designantur; qui fide salvantur, sicut dicit propheta: *Justus autem in fide sua vivet.* Sancti autem & perfecti viri, qui per civitatem designantur, auro mundo non inconvenienter assimilantur; eo quod & sapientia fuerint repleti, quæ per aurum sæpe figuratur, & diversis tribulationibus probati, sicut aurum quod per ignem purgatur. Per vitrum vero mundum, quod clarius est omnibus metallis, Angeli designantur, quos nulla macula peccati numquam sordidare potuit. Habac. 2. 4.

Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Superiùs diximus per duodecim fundamenta duodecim apostolos esse designatos: per lapides autem pretiosos omnes justi designantur. Duodecim ergo fundamenta duodecim lapidibus ornabuntur; quia in illa beatitudine apostoli & ceteri prædicatores pro ornamento habebunt eos, qui per eos crediderunt, quoniam pro illis omnibus mercedem recipient. ℣. XIX.

Fundamentum primum jaspis. *d* Jaspis viridis ac pressi coloris est: significat autem fideles sæculares, qui à vitiis abstinentes, quamvis
B eorum viriditas, id est fides, ex mundi actibus aliquantulum obfuscetur; eleemosynis tamen & ceteris misericordiæ operibus peccata sua redimere non cessant. Nec abs re est quod tales in primo loco ponantur; apostoli namque, sicut sæpe jam inculcatum est, timentes iis qui ex gentibus primò crediderant, austeriora Domini præcepta committere; ne forte duritia præceptorum territi, non auderent ad suscipiendam Christi fidem accedere, scripserunt eis: *Placuit Spiritui sancto & nobis nihil imponere vobis oneris, nisi ut abstineatis vos tantummodo à fornicatione, & ab escis quæ idolis immolantur, & à suffocato, & sanguine.* Et in alio loco Petrus conversationem gentium narrans, dicit Judæis: *Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut & nobis, fide purificans corda eorum.* *e* Quicumque ergo illos imitantur, in figura lapidis jaspidis continentur. Act. 15. 28. Ibidem 15. 8. & seq.

Secundus sapphirus. Sapphirus cærulei coloris est, sicut hyacinthus: sed guttas habet intermixtas ejusdem coloris, sed nigrioris. Videntur
C etiam mihi per hunc lapidem sæculares quidam viri designari, cælestia quidem desiderantes, sed in sæculi actibus adhuc occupati, ex qua occupatione quasdam maculas contrahere videntur. Qui pro eo quod omnibus curis cælestia anteponunt, cæli habere colorem dicuntur: qui in secundo numero ideo ponuntur; quia Deum super omnia, & proximos sicut se ipsos student diligere.

Tertius chalcedonius. Chalcedonius rubeum habet colorem, sed tamen obscurum, nisi cavando attenuetur: ipsa vero concavitas pulcherrimum colorem & gratissimum ei confert. Significat autem & iste sæculares quosdam viros, qui quantæ sanctitatis ante persecutionis tempus fuerint, homines latuit: sed à persecutoribus suis diversis tribulationibus attenuati, quantus splendor sanctitatis in eis latuerit, cunctis paruit: qui non inconvenienter in tertio loco ponuntur; eo quod in confessione sanctæ Trinitatis perdurantes, ad martyrii palmam pervenire meruerint.

Quartus smaragdus. Eximiæ pulcritudinis atque viriditatis est, in
D tantum ut ea quæ circa se sunt, sua viriditate inficiat. Significat autem prædicatores sanctos, qui & fide virides, & virtutibus præclari, splendorem suæ fidei prædicando circumquaque sparserunt: qui ideo in quarto loco ponuntur, eo quod doctrinam Evangelii, quæ in quatuor libros dividitur, per multa loca disseminaverunt.

Quintus sardonix. Sardonix candidus est, in rubeum colorem parumper declinans: significat autem simplices quosque & innocentes viros, qui propter vitæ puritatem per lapidem candidum designantur. Qui pro eo quod vigilando, jejunando, abstinendo, ac diversis modis corpora sua affligendo, martyria sibi imponunt, quasi colorem rubeum habere videntur: qui non inconvenienter in quinto loco ponuntur; per quinarium enim numerum sæpe quinque sensus corporis *f* designantur. Beatus quoque Gregorius dicit, quia per quinque corporis sensus exteriorum scientia designatur: & quia isti exteriorum scientiam quam perceperunt, aliis impartire studuerunt, rectè in ædifi-
E cio civitatis sanctæ quintum locum obtinent. ℣. 20.

Sextus sardius. Sardius fulvi coloris est, qui pro eo quod in rubicundum colorem aliquantulum declinare videtur, parumper obscuratur. Per fulvum itaque colorem, qui auro colori appropinquat, tribulationes quas sancti ab hostibus pertulerunt, designantur: rubeus vero color martyrium designat. Per sardium igitur sancti & perfecti viri designantur, qui post experientiam omnium virtutum, post diversas persecutiones, post immania tormenta quæ ab inimicis pertulerunt, ad martyrii palmam pervenire meruerunt: qui non incongrue in senario numero, qui perfectus est, ponuntur, quia & virtutibus perfecti exstiterunt, & ipsam perfectionem martyrio ornaverunt.

Septimus chrysolithus. Chrysolithus totus aureus est, & sæpe per aurum sapientia designatur. Per chrysolithum ergo sapientes in Ecclesia viri designantur, qui propter fulgorem sapientiæ aurei apud homines rectè
F dici possunt: qui congruenter in septimo loco ponuntur; eo quod septem donis Spiritus sancti repleti, multos verbis & exemplis ab iniquitate averterint.

Octavus beryllus. Beryllus eximiæ claritatis est, cæruleum colorem habens admixtum; significat autem puræ vitæ homines, & à sæculi actibus per omnia alienos: qui ne claritatem vitæ suæ aliquo modo macularent, etiam à consortio ceterorum hominum sequestrari voluerunt: quorum claritas in cæruleum colorem vertebatur; quia cælo semper intenti, angelicam vitam inter homines duxisse comprobantur: qui non inconvenienter in octavo loco ponuntur; *g* bis namque quaterni fiunt octo. Quaternarium itaque numerum illi impleverunt; quia Evangelii præceptum secuti sunt, quod dicit: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Quaternarium numerum duplicaverunt; quia ad Matth. 19. 21.

a Omnes edit. *perfectio designatur . . . , aut aliud quidquid quadrari potest . . . Habet namque sex latera . . . , id latera perfectionem* &c. mss. autem nobis congruum.

b Excusæ edit. *majus est spatium per quod eos, qui majoris meriti sunt* &c. mss. autem, ut in contextu.

c Gall. *& muros mensura hominis est, vel mensuram hominis dicit Angelus fuisse mensuratos.* Romani contextum; *& muros mensurâ hominis esse, vel mensurâ hominis* &c. sed mss. melius locum restituunt.

d Ita mss. edit. autem, *Jaspis vero viridis, ac spissi coloris est.*

e Omnes edit. *Deum imitantur*: omnes mss. *illos imitantur.*

f Eadem edit. *designantur. Quia igitur per quinque sensus corporis*: contra vero cuncti mss. in nostram restitutionem consentiunt.

g *Bis namque quaterni fiunt octo*, ex mss. restituimus.

ident perfectionis culmen multos alios secum conscendere fecerunt.

Nonus topazius. Topazius ærei aureique coloris esse dicitur, jubar suum circumquaque spargens. Sæpe per aurum probati viri, qui igne tribulationis probantur, designantur: ipsæque tribulationes diversæ sunt; aliquando namque sancti viri diversis tentationibus quas a dæmonibus patiuntur, probantur: aliquando per tribulationes, quæ eis a malis hominibus ingeruntur: aliquando per afflictiones, quas ipsi sibi ingerunt: aliquando flagellis: ei etiam probantur; & per activæ vitæ exercitia. Valentur itaque mihi per lapidem topazium ii designari, a qui prius per activæ vitæ opera probantur, & postea transeunt ad contemplativam. Ille enim competenti gradu ad contemplativam vitam conscendit, qui prius per activæ vitæ exercitia probatus fuerit; nam qui subito ad contemplativæ vitæ celsitudinem sine exercitiis activæ vitæ transit, facile labitur. Quod autem hic lapis radios suos circumquaque spargere dicitur, significat illos viros, qui per eum designantur, & ad activæ vitæ opera prædicando multos pertraxisse, & ad contemplativæ vitæ celsitudinem multos etiam secum duxisse: qui non incongrue in nono loco ponuntur: ter enim terni fiunt novem. Sancti ergo viri, qui propter amorem sanctæ Trinitatis in activæ vitæ bonis operibus prius assurgentes semet ipsos, suis exhortationibus quoscumque potuerunt, ad suam imitationem pertraxerunt, & iterum ad contemplandam ejusdem sanctæ Trinitatis divinitatem conscendentes, multos secum perduxerunt, non inconvenienter in nono loco ponuntur, eo quod talentum quod à Domino perceperunt, non solùm duplicaverunt, sed & triplicaverunt.

Decimus chrysoprasus. Chrysoprasus lapis viridis aureique coloris esse perhibetur: qui pro eo quod in decimo loco ponitur, possumus per eum quosdam doctores Ecclesiæ intelligere, qui & verbis in corporibus positi multos docuerunt, & multo plures suis scriptis erudierunt
b & erudiunt quotidie, ut fuerunt Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & multi alii; qui etiam & lumina Ecclesiæ rectè dici possunt: qui per viridem & aureum colorem designantur; eo quòd viriditate fidei fuerint firmi, & sapientiâ, ut aurum fulgidi. Per denarium vero numerum vetus Testamentum, propter decem videlicet præcepta Legis, possumus intelligere. Et quia vetus Testamentum sine doctrina novi Testamenti nullus intelligere potest, eo quod spiritalis intelligentia in veteri Testamento nihil sit aliud, quam novum Testamentum: non inconvenienter in decimo loco ponuntur, eo quod litterarum veteris Testamenti ac novi plenissimam habuerint. Possumus & denarium numerum aliter intelligere; denarius quippe numerus dividit & ordinat, & perficit omnes numeros: ita & isti diviserunt quodammodo Scripturas, cùm eas exponendo per sententias, & libros partiti sunt: ordinaverunt eas, cùm earum obscuritates aperuerunt: & quæ inordinata videbantur, quam rectum ordinem haberent, manifestaverunt: perfecerunt autem, cùm ea quæ deesse videbantur, suppleverunt.

Undecimus hyacinthus. Hyacinthus cujus species hyacinthino colori nomen imposuit, pretiosissimus est, cœli sereni colorem habens, sicut sapphirus: sed ille maculas habet, istius pulchritudo nullis maculis deturpatur. Significat autem sanctos viros ab omnibus sordibus peccatorum alienos, terram corporibus, cœlum mentibus semper inhabitantes: de quibus fuit Apostolus, qui dicebat: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Qui non inconvenienter in undecimo loco ponuntur; per decem namque scientia divinarum scripturarum, sicut superiùs diximus, jam designatur: unus vero qui decem sequitur, ut undecim fiant, ad unius Dei contemplationem pertinet. Isti ergo sancti c decimum numerum compleverunt; quia scientia divinarum scripturarum repleti, multos suis prædicationibus ad vitam æternam perduxerunt: unum numerum compleverunt; quia in contemplatione Dei omnipotentis assidui fuerunt: nec instantia prædicationis a contemplatione, nec assidua contemplatio à prædicatione eos retraxit, similitudinem gestantes Angelorum, qui & angelicum officium semper implent, & à contemplatione Dei omnipotentis numquam alieni existunt. De talibus videtur mihi propheta dixisse: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirunt ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* De talibus fuit Johannes Baptista, de quo Dominus dicebat: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.*

Duodecimus amethystus. Sæpe per duodenarium numerum apostoli designantur: amethystus vero purpureus est; & scimus quia purpura ornamentum est regale. Per amethystum igitur apostoli, eorumque similes designantur, qui ornamentum fuerunt Dei: quia eum per universum mundum prædicaverunt. Ornamentum Dei fuit Petrus, de quo scriptum est quod clarificaverit Deum morte sua: similiter & ceteri apostoli ornamentum Dei fuerunt; quia eum prædicando, miracula faciendo, pro nomine ejus moriendo, clarificaverunt.

Et duodecim portæ duodecim margaritæ per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis. Hoc secundum litteram stare non potest. Si singulæ portæ erant ex singulis margaritis, quomodo per unamquamque duodecim margaritæ fuisse dicuntur? Sed spiritaliter intelligendum est, duodecim namque margaritæ sunt, ex quibus singulæ portæ esse dicuntur, id est, centum quadraginta quatuor, per quas apostolorum successores doctores Ecclesiæ designantur, qui fidem doctrinamque apostolorum sunt sequuti, & actus imitati: qui propter vitæ munditiam & sanctitatem præcipuam per centenarium margaritarum significantur. *Et platea civitatis aurum mundum tamquam vitrum perlucidum.* Superiùs per aurum mundum & vitrum mundum perfectos viros & sanctos Angelos diximus significatos: sed hic per plateam civitatis mentes fidelium: per aurum vero mundum, & vitrum perlucidum munditia mentium hominum designatur, atque Angelorum; quia sicut ad mentes Angelorum nulla umquam vana
A cogitatio accedere potuit, quæ eos macularet: ita & sanctis post resurrectionem nulla umquam inutilis cogitatio adveniet, quæ eorum mentes commaculet.

Et templum non vidi in ea; Dominus enim omnipotens templum illius est, & Agnus. Per templum, in quo hostiæ & sacrificia offerebantur, præsens Ecclesia designatur, in qua non carnalia, sed spiritalia sacrificia quotidie Deo offeruntur. Nam sicut illic secundum qualitatem peccatorum exercebantur ritus sacrificiorum; ita & in Ecclesia secundùm modum culparum debent esse sacrificia pœnitentiæ, sacrificia orationum, fletuum, cordis compunctionum. De talibus sacrificiis Propheta loquitur dicens: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus:* & iterum: *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Si est sacrificium justitiæ, d est & patientiæ, est & abstinentiæ, est & humilitatis ceterarumque virtutum. Hæc sunt sacrificia, quæ odorem suavissimum præbent Domino, non carnes pecudum, quæ in altari cremabantur.
B Johannes ergo templum in sancta civitate se non vidisse dicit, quia hæc omnia quæ diximus, in illa beatitudine necessaria non erunt: *Absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt.* Dominus vero templum illis erit & Agnus: quia in illo erunt sancti, & in illo habitabunt, sicut ipse dixit discipulis suis: *Sicut ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis.*

Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus. Per solem novum Testamentum, per lunam vetus designatur. Absque istis duobus luminaribus Ecclesia per viam rectitudinis in tenebris hujus seculi sine crebris offendiculis incedere non potest; in illa autem beatitudine, ubi nullæ tenebræ erunt, nulla offensio, nihil incorrectum quod corrigi possit, lux novi ac veteris Testamenti ne-
C cessaria non erit; illius enim lumine sancti sine fine perfruentur, qui auctor est lucis, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Et ambulabunt gentes per lumen ejus, & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. Per gentes omnes electi designantur. Sed quomodo ambulabunt? Ambulabunt mente, non corpore: non mutando locum, sed considerando omnipotentiam, divinitatem, atque majestatem. Per lumen Ecclesiæ ambulabunt; quia ut hoc iter perficere possint, illo lumine illuminabuntur, quod cunctæ Ecclesiæ omnipotens Deus daturus est: per reges autem terræ apostoli & ceteri prædicatores designantur: gloriam vero & honorem prædicatorum eos vocat, qui per eos crediderunt, sicut apostolus Paulus dicit discipulis suis: nam gloria nostra vos estis in Domino. Afferent ergo gloriam suam & honorem in illam, cùm eos qui per
D eos crediderunt, Domino repræsentabunt.

Et portæ ejus non claudentur per diem; nox enim non erit illic. Superius per duodecim portas, quæ ex duodecim margaritis fuisse dicuntur, apostolos fuisse diximus designatos: sed hic ubi sine numero ponuntur, aliam significationem habent, significant namque corda fidelium, fideles namque in hac vita positi noctem patiuntur, id est, dæmones & impios homines. Portas autem in nocte claudunt, cùm contra omnia tentamenta dæmonum aditus mentium suarum obstruunt, eaque à se repellunt. Claudunt etiam portas in nocte, cùm contra malitiam pravorum hominum corda sua muniunt: ut non audiant linguam detrahentem, non reddant malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, ut secundùm prophetam: *Excutiant manus suas ab omni munere, & obturent aures suas, ne audiant sanguinem; & claudant oculos suos, ne videant malum.* Porro in illa beatitudine,
E ubi nullus dæmon, nullus reprobus esse poterit, qui mala suadeat, qui per noctem designantur, portarum, id est, mentium observatio necessaria non erit, nam & secundum litteram erit ibi dies perpetuus, nulla nocte succedente.

Et afferent gloriam gentium, & honorem in illam. Superius reges terræ, id est, prædicatores sanctos, gloriam suam in civitatem sanctam detulisse dicit: per quam gloriam gentes, quæ per eos crediderunt, diximus fuisse designatas. Si ergo gloria prædicatorum gentes sunt, gloria gentium quæ est? Nisi forte secundùm Salomonem hoc dictum intelligamus, qui dicit: *Gloria senum filii filiorum: & gloria filiorum e patres eorum.* Gloria namque senum, id est, apostolorum, filii sunt filiorum, id est, gentes quæ per ipsos, & per filios, id est, discipulos eorum crediderunt: gloria vero filiorum erunt patres eorum; quia gaudebunt gentes, eo quod tanti meriti tantæque excellentiæ patres habeant, cùm eorum gloriæ participes esse meruerint.
F Quod autem dicit *afferent*, possumus ad Angelos referre, qui in die judicii sanctos Dei ad percipienda præmia repromissa deducent, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Mittet Filius hominis Angelos suos, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis cœli, & à summitate terrarum.*

Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro Vitæ Agni. Inquinatos vocat eos, qui se diversis sceleribus inquinaverunt: abominationem autem facientes, qui malum operantur; nihil enim abominatur Deus, nisi malitiam, sicut in libro Sapientiæ scriptum est: *Misereris omnium, Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Quæri autem potest cur mendacium fieri dicatur. Quod autem facimus, jam non est mendacium: quia quod factum est, non potest non esse factum, ut sit mendacium. Sed factum pro locutione posuit: peccatum quippe mendacii loquendo facimus, non operando. Possumus etiam per mendacium omne peccatum intelligere; scimus enim quia Deus veritas est, peccatum vero deceptio est animarum. Quidquid ergo contrarium est veritati, atque ad deceptionem animarum pertinet, quamvis videatur verum, mendacium rectè dici potest. In illa itaque sancta civitate non intrabit aliquid coinquinatum, & faciens

Margin references: Phil. 3. 20. — Malach. 2. 7. — Luc. 7. 27. — Johan. 21. 19. — ℣. XXI. Sup. … — ℣. XXII. — Psal. 50. 19. — Ibidem 21. — Sup. ℣. 4. — Johan. 14. 20. — ℣. XXIII. — Johan. 1. 9. — ℣. XXIV. — 2. Cor. 1. 14. — ℣. XXV. — Esai. 33. 15. — ℣. XXVI. — Prov. 17. 6. — Matth. 24. 31. — ℣. XXVII. — Sap. 11. 25.

a. MSS. etiam omnibus debetur hæc restitutio: in edit. enim legebatur, qui per activæ vitæ opera ad contemplativam vitam conscendunt, qui prius per activæ &c.

b. Ita mss. edit. vero, & erudivit. Qui etiam & lumina Ecclesiæ . . . . eo quod viriditate fidei, firmitate, & sapientia, ut aurum fulgidi fuerunt.

c. Omnes edit. undecimum numerum: nostri mss. decimum numerum. Melius, cùm de unitate infra dicatur.

d. In iisdem edit. est & sapientiæ: mss. è contrario, est & patientiæ.

e. Omnes edit. patres eorum, Gloria vero filiorum: sed lacunam egregiè supplent omnes mss.

Matth. 13. 49. abominationem & mendacium; quia in die judicii *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis ardentis.* Nam & illis qui oleum caritatis in vasis suis non habuerint, Matth. 25. 12. claudetur janua regni cœlestis; diceturque illis à Domino: *Amen dico vobis, nescio vos.*

CAPUT XXII. ỽ. 1. Ezech. 47. 3. & seq.

ET *ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni, in medio plateæ ejus.* Ezechieli in ultima visione torrens demonstratus est, qui de templo exibat, & decurrebat in mare, de quo ita loquitur: *Et duxit me,* inquit, *Angelus mille cubitos, & transduxit me per aquam usque ad talos. Et duxit me mille cubitos, & transduxit me per aquam usque ad genua. Et duxit me mille cubitos, & transduxit me per aquam usque ad renes. Et duxit me mille cubitos, torrentemque non potui transvadare; quia intumuerant aquæ torrentis, qui transvadari non potest.* Per torrentem scripturam divinam intelligere debemus, quæ de templo, id B est, de Ecclesia egreditur, ab ore scilicet prædicatorum: Angelus vero Dominum significat: propheta autem typum tenet eorum, qui divinas scripturas ad hoc discere volunt, ut ipsi in eis proficiant, & alios per earum scientiam instruant: millenarius vero numerus perfectionem alicujus rei sæpe demonstrat. Et prima transductio ad historiæ intelligentiam, secunda ad moralem, tertia pertinet ad spiritalem.

a Angelus igitur prophetam mille cubitos ducit, cùm Dominus alicui fideli suo desiderium largitur intelligendi Scripturas: transducit eum usque ad talos, cùm ei historiæ intellectum tribuit, quisquis enim moralem & spiritualem intelligentiam in divinis scripturis investigare desiderat, necesse est ut historiæ intelligentiam prius possideat: secundo Angelus prophetam mille cubitos ducit, cùm Dominus fidelem suum ad moralem intelligentiam percipiendam accendit: per aquam usque ad genua eum transducit, cùm moralis C scientiæ sensus ei manifestat. *b* Tertio Angelus prophetam mille cubitos ducit, cùm Dominus post moralem intelligentiam fidelem suum ad spiritualis intelligentiæ sensus enucleandos per desiderium evehit. Per aquam usque ad renes eum transducit, cùm spiritualis scientiæ sensus ei aperit. Quarto prophetam Angelus mille cubitos ducit, cùm post intelligentiam Scripturarum fidelem suum Dominus ad contemplanda divina & cœlestia sacramenta elevat. Torrentemque non potuit transvadare; quia profunditatem divinorum cœlestiumque mysteriorum nullus sicut est, perscrutari potest: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus,* sicut dicit Apostolus: *cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*: & iterum: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Hunc torrentem idem Paulus transmeare se non posse considerans dicebat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Et propheta Esaias: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Ecce Angelus prophetam usque ad locum præfinitum duxit, & non eum transduxit, quia omnipotens Deus suos sanctos usque ad contemplanda secreta & arcana mysteria suæ divinitatis perducit: sed nequaquam eos transducit; quia fragilitas humana perfectè non potest comprehendere illa inscrutabilia & divina mysteria. Et sicut qui regios cibos odoratus est, & eorum dulcedinem prægustavit, amplius eos desiderat, quàm ille qui nec eos vidit, nec odoratus est, nec qualis esset eorum dulcedo gustando sensit: ita & sancti, qui per contemplationis gratiam dulcedinem patriæ cœlestis sæpe degustant, multo amplius in ejus amore quotidie exardescunt, quàm E illi qui propter dulcedinem sæculi dulcedinem non sentiunt vitæ æternæ.

1. Cor. 13. 9. / Ibidem 10. / Rom. 11. 33. & seq. / Isai. 64. 4.

Dixit idem propheta in sequentibus vidisse se ligna in utraque ripa torrentis, quorum fructus erant in cibum, & folia ad medicinam. Duæ ripæ duo Testamenta significant: inter has duas ripas magnus torrens Scripturarum, qui à sanctis patribus editus est, decurrit: per ligna vero doctores ecclesiæ designantur, qui in utrisque ripis, id est, in doctrina veteris ac novi Testamenti plantati esse dicuntur; unde aquas veræ scientiæ trahentes, & fructus gignunt, & folia: per fructus namque opera bona, per folia autem verba prædicationis designantur. Fructus in cibum, & folia ad medicinam proficiunt; quia unusquisque doctor languenti animæ medicinam verborum salutiferam tunc ministrat, cùm eam prius exemplis bonorum operum paverit.

Ezech. 47. 1. Ecce Ezechiel torrentem de templo exiisse se vidisse dixit: Johannes autem non torrentem, sed fluvium à sede Dei & Agni procedentem sibi ostensum fuisse dicit. Torrens ex nimio ardore solis solet siccari, fluvius verò nullo ardore exsiccatur: non inconvenienter ergo per torrentem divina scriptura exprimitur, quæ veniente sole, id est, Domino ad judicium, siccabitur; quia post resurrectionem divina scriptura necessaria non erit. Porro per fluvium, qui nullo ardore solis exsiccatur, gloria sanctorum perpetua intelligitur: qui à sede Dei & Agni procedere dicitur; quia ab illo fluvius gloriæ sanctorum procedit, à quo, illis in carne positis, processit rivus omnium bonorum.

Qui fluvius splendidus tamquam crystallus esse dicitur: verum quia hujus lapidis in hoc libro sæpe fit mentio, placuit ut de natura & significatione ejus pauca dicamus. Hic lapis clarior est omnibus lapidibus: nascitur autem in frigidissimis locis, à quibus frigus numquam recedit. Quia ex inferiori parte saxo aliquantulum molliori inhæret, radicem in eo parumper defigens, sursumque crescens erigitur, sex angulos habens, in summitate vero acuitur; eumdem tamen ordinem sex angulorum usque ad summitatem servans. Significat autem unumquemque perfectum virum: lapis vero, cui inhæret, Christum designat: claritas crystalli puritatem mentium A sanctorum: sex anguli perfectionem demonstrant operum bonorum. Ordinem sex angulorum usque ad summitatem ducit, quia sancti hoc student, ut perfectionem bonorum operum usque ad finem vitæ perducant: in superioribus vero summitate acuitur; quia omnis intentio sanctorum ad illum tendit, qui unus est, & in quo etiam ipsi unum sunt.

Fluvius ergo iste, qui gloriam sanctorum designat, splendorem crystalli habere dicitur; quia unicuique fidelium secundum qualitatem operum suorum refulget, sicut dicit Apostolus: *Stella enim ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. 41. Qui de sede Dei & Agni procedere dicitur; quia ab ipso procedit omnis gloria sanctorum, qui auctor est omnium bonorum: qui etiam in medio plateæ civitatis decurrere dicitur; quia corda sanctorum perpetua suavitatis dulcedine lætificabit.

Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ. Ezechieli in utraque ripa Ezech. 47. 7. B torrentis plurima ligna demonstrata sunt, de quibus superius locuti sumus: hic autem vitæ lignum utramque partem fluminis occupasse dicit. Sed illic per multa ligna multi prædicatores: hic autem per unum vitæ lignum unus Christus designatur, qui est vita cunctorum fidelium: per utramque vero partem fluminis possumus Angelos & homines intelligere. Utramque igitur partem fluminis lignum vitæ obtinebit; quia & Angelos & homines sanctos Christus æqualiter possidebit. *Afferens fructus duodecim.* Fructus duodecim apostoli sunt, omnesque qui eorum doctrinam sunt secuti: fructus duodecim lignum vitæ adferet, quia in illa beatitudine Christus omnem multitudinem fidelium collocabit. *Per menses singulos reddens fructum suum.* Menses singuli tempora sunt ab initio mundi usque ad finem ejus, de quibus frequenter diximus. Per menses ergo singulos reddet fructum suum: quia omnes electos qui singulis tem- C poribus fuerunt, & erunt usque ad finem, in illa beatitudine Patri repræsentabit. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Folia ligni verba sunt Evangelii, quæ sanitatem multis gentibus præstiterunt. Et est sensus: Omnes gentes quæ per doctrinam Evangelii à languoribus animarum salvæ factæ sunt, in cœlesti beatitudine constituet.

Et omne maledictum non erit amplius. Cùm dicit, *omne maledictum* demonstrat plurimas esse maledictiones. ỽ. III. Maledictionem mortis primus homo incurrit, quando peccavit, & ab illo in omnes homines pertransivit. Gen. 3. 17. Rom. 5. 12. Et de Christo Paulus dicit quod factus sit maledictum pro nobis: quia mortem, quæ est maledictio primi hominis, pro nostra salute suscepit. Galat. 3. 13. Sed & Cain pro reatu homicidii maledictus est à Deo. Gen. 4. 11. Et contemptoribus Legis dicit Moyses: *Maledictus qui non permanserit in sermonibus libri hujus.* Deut. 27. 26. Similiter & nos cùm graviter peccamus, ipsi nosmet ipsos pessima maledictione damnamus. Omne igitur maledictum non erit amplius, quia pecca- D tum non erit, nec aliquid quod occasionem præbeat peccandi. Maledictio quoque primi hominis in resurrectione delebitur, cùm immortalitas omnibus electis fuerit attributa. 1. Cor. 15. 53. *Et sedes Dei & Agni in illa erunt.* Si modo sunt sancti Dei in hac vita positi sedes Dei, quanto magis tunc, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem? *Et servi ejus servient illi.* Quæ est ista servitus, qua servi Dei servient Deo? Amando videlicet eum, & sine fine eum laudando.

ỽ. IV. *Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum.* Quanta sit gloria & suavitas quæ sanctis ministrabitur, mens humana comprehendere non potest, sicut dicit apostolus Paulus: 1. Cor. 2. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Sed omnem dulcedinem atque suavitatem illud transcendet, quod videbunt Deum facie ad faciem. Nomen E vero Dei est Filius Dei: nomen itaque erit in frontibus sanctorum; quia ipsa claritas atque species demonstrabit eos esse filios Dei.

ỽ. V. 1. Johan. 1. 5. *Et nox ultra non erit.* Dicit in alio loco Johannes: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Quas ergo tenebras pati poterunt, à quibus Deus assidue videbitur? Quod si de dæmonibus & impiis intelligere voluerimus hoc dictum, nox non erit; quia dæmones cum omnibus impiis in cloacis inferni in perpetuum tenebuntur reclusi. *Et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis.* Diximus superius per lumen lunæ ac lumen solis vetus ac novum Testamentum esse designatum: eamdem itaque significationem habet lucerna in hoc loco, quam superius diximus lunam habuisse. De lumine autem solis ac lunæ, id est, veteris ac novi Testamenti, superius aliqua diximus. Hoc igitur lumine non egebunt sancti. *Quoniam dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.* Hucusque F visio septima. Quæ sequuntur, ad admonitionem pertinent ipsius Johannis ceterorumque fidelium.

ỽ. VI. *Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima & vera sunt.* Hoc his ideo repetit ut nullus considerans obscuritates dictionum, & ea quæ secundum litteram irrationabilia videntur, incredulus exsistat: fuerunt enim quidam, qui non intelligentes divina mysteria, quæ in hoc libro continentur, à catalogo divinarum scripturarum eum amputare voluerunt. *Et dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri cito*; id est, dominus Deus qui spiritum prophetiæ dedit omnibus sanctis prophetis, ipse misit Angelum suum, id est, ipsum qui hoc loquebatur, qui & Johanni ostendit omnia mysteria, quæ in hoc libro continentur, *ostendere servis suis quæ oportet fieri cito.* Cùm hæc Scriptura non tantùm ad futurum tempus, sed etiam ad præteritum pertineat, cur ad demonstranda ea tantummodo, quæ oportebat fieri cito, à Deo se dicit esse missum? Quia nimirum præterita facile dignoscuntur: futura autem & incognita hominibus non nisi per revelationem Spiritus sancti, aut per Angelorum ministerium intelligere possumus. Aliter, quidquid ignoramus, futurum nobis est; quia futurum est ut ad cor nostrum veniat, quod nescimus; illud videlicet, quod Deus prædestinavit ut sciremus; non enim scientia mali nobis prædestinata est, sed ex originali peccato descendit.

a. In edit. hæc verba, *Angelus igitur transducit . . . intelligendi Scripturas,* supra ponebantur post voces *Dominum significat*: sed in mss. hoc loco aptius collocantur.

b. Quidquid à vocibus, *Tertio Angelus prophetam usque ad sacramenta elevat* intercedit, à mss. omnibus restituimus.

c. Omnes edit. *in omnibus eis*: omnes mss. *in sermonibus libri hujus.*

℣. VII. *Et ecce venio velociter.* Hoc in persona loquitur Christi, significans eum ad judicium cito esse venturum. *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus.* Ille servat verba prophetiæ, id est, mandata Dei, qui ea operando implet, & in meditatione eorum assiduus est, implens illud Psalmographi dictum: *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (Psal. 1. 2.)

℣. VIII. *Et ego Johannes qui audivi & vidi hæc, & postquam audissem & vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat,* ℣. IX. *& dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui servant verba libri hujus. Deum adora.* a Cur Angelus à Johanne adorari noluerit, beatus Gregorius sufficienter exposuit: quærendum vero nobis est, cur repetit quod antea ei prohibitum fuerat. Sed si diligenter scripturam libri hujus inspeximus, non in vanum esse factum intuebimur; nam cùm ei demonstrasset Angelus Christum in sua sede sedentem, quatuorque animalia, & viginti quatuor seniores, nequaquam dicitur Angelum adorare voluisse. Similiter cùm ei demonstrasset qualiter ab Agno septem sigilla reserata sunt, & ea quæ sub cantu tubarum septem Angelorum gesta sunt, nec non & ea quæ sub effusione phialarum septem Angelorum gesta fuisse leguntur, nequaquam dicitur quod Angelum adorare voluerit. Ubi vero ventum est ad eum locum, in quo ei ab Angelo demonstratum est, qualiter sponsa Christi, id est Ecclesia, Christo conjuncta est, in eo videlicet loco, ubi scriptum est: *Gaudeamus & exultemus,* b *& demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se: & datum est ei, ut operiat se bysso splendente candido. Byssinum enim,* inquit, *justificationes sunt sanctorum*, continuo Angelum adorare voluit. Simili modo & in sequentibus, cùm ei demonstrata esset dejectio Antichristi, alligatio diaboli in abyssum, gloria resurrectionis, nullo modo Angelum adorare voluit: cùm autem in fine hujus visionis demonstratum esset ei qualiter Ecclesia post resurrectionis gloriam Christo in æternum cum illo regnatura sociabitur, continuo Angelum adorare voluit. conjungitur namque Ecclesia quotidie Christo per fidem, ceteraque bona opera, quæ per byssum designantur. Conjungetur verò ei post resurrectionem multo excelsius atque nobilius, non jam per partes, sicut modo: sed tota simul in æternum cum illo mansura, & sine fine regnatura. Igitur Johannes bis Angelum adorare voluit; quia binas conjunctiones Ecclesiæ cum Christo ei demonstravit.

℣. X. *Et dixit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, tempus enim prope est.* Signata est Scriptura illis, a quibus non intelligitur. Præcipitur igitur Johanni ne signet verba prophetiæ libri hujus, id est, ne tacendo obscuritates ejus abscondat, sed exponendo potius omnibus eam scire volentibus manifestet; eo quod dies judicii, qui in hoc libro diversis modis describitur, prope sit, & necesse habeamus ut periculum, quod imminet, corde videamus, ne sicut fur incautos occupet, & perdat. Sed cur Johannes secundùm præceptum angelicum obscuritates libri hujus exponendo & describendo manifestare noluit; præsertim cùm propter easdem obscuritates quidam in errorem & hæresim deciderint, dicentes Christum post resurrectionem per mille annorum spatium cum omnibus sanctis in mundo carnaliter esse regnaturum. Verùm quod non fecit scribendo, credimus eum fecisse prædicando.

℣. XI. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est,* c *sordescat adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Qui dixit: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc:* non præcipiendo, sed comminando dixit. Solent quippe homines hoc genere locutionis terrere quosdam sibi subjectos, sicut magistri qui solent dicere pueris vacantibus: *Nolite legere, nolite legere:* illi vero intelligentes comminationem esse hoc, non prohibitionem, statim incipiunt legere. Hoc etiam modo domini servos otio torpentes terrere solent, ut opus sibi injunctum d citius expleant.

℣. XII. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua.* Sæculi homines mercedes, quas sibi servientibus debent reddere aut in sacculis, aut in horreis, aut in quibusdam terræ locis habent: Christus autem præmia servorum suorum secum semper habet; ab ipso enim procedit modo omnis bonitas sanctorum, ab ipso & in futurum procedet omnis gloria eorum.

℣. XIII. *Ego sum A & Ω primus & novissimus, principium & finis.* ℣. XIV. *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas illis in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.* Possumus per stolas in hoc loco animas nostras intelligere, & quia assidue peccamus, necesse est ut stolas, id est, animas nostras, orando, vigilando, jejunando, eleemosynas largiendo assidue lavemus. Per lignum vitæ possumus sapientiam intelligere, dicente Salomone: (Prov. 3. 18.) *Lignum vitæ est iis, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus.* Potestatem in ligno vitæ, id est, in sapientia habent sancti; quia quicumque sapientiam possidet, potens est ad omnia vitia extirpanda, ad tentationes dæmonum devincendas, & ad omnia bona opera peragenda, sicut dicit Salomon: (Prov. 16. 32.) *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Tales ergo per portas intrant in civitatem, per illam videlicet portam, quæ dicit in Evangelio: (Johan. 10. 9.) *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Possumus hoc & ad futurum tempus referre, per lignum namque vitæ Christus designatur, ut sæpe jam diximus. Sicut enim ex uno stipite ligni multi rami prodeunt; ita & ex uno Christo multitudo sanctorum. Quicumque ergo lavacris spiritalibus, id est, e bonis operibus animas suas abluere non cessant, potestatem habebunt in ligno vitæ; quia ejus membra effecti per illum magna poterunt: nam sicut ex uno stipite arboris omnis virtus ramorum procedit; ita & ex uno Christo omnis potestas sanctorum. Per portam autem civitatis possumus accipere misericordiam & clementiam Dei. Hæc est porta, quæ justis aperitur, & injustis clauditur; quia justos intra aulam paradisi misericordia divina recipiet: f a qua misericordia impii alieni existent. Ab hac porta fatuæ virgines repellentur, quæ oleum caritatis in vasis suis non habebunt. (Matth. 25. 12.)

℣. XV. Unde & sequitur: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Per canes falsos prædicatores possumus intelligere, de quibus dicit apostolus Paulus: (Philip. 3. 2.) *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem;* & propheta: (Isai. 56. 10.) *Canes muti non valentes latrare:* & iterum: (Ibid. 11.) *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* De ceteris vitiis, quæ hic continentur, superiùs diximus. Omnes ergo qui his vitiis fuerint sordidati, ab illa beatitudine repellentur, & æterna pœna damnabuntur.

℣. XVI. *Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix & genus David, stella splendida, & matutina.* David radix est universæ stirpis suæ; quia sicut ex una radice multi rami oriuntur, ita & ex uno David magna progenies est exorta. Cùm ergo David fuerit radix Christi, eo quod de stirpe ejus Christus fuerit exortus; quomodo Christus radicem se dicit esse David? Christus igitur & radix & filius est David. Radix est David; quia ab ipso David est creatus, sicut & ceteri homines: filius est David; quia ex ejus progenie processit secundum carnem. Qui etiam stellam matutinam se vocat. Stella matutina, quam luciferum vocamus, recte Christus dicitur; quia sicut illa mane oriens splendorem suum per universum mundum spargit, ita & Christus veniens in mundum, universam mundi faciem illuminavit: qui non incongruenter lucifer vocatur; quia veniens in mundum, lucem secum detulit, qua tenebras hujus mundi extinxit. De hoc lucifero Job loquitur dicens: (Job. 38. 32.) *Qui producit luciferum in tempore suo.* Luciferum in tempore suo Deus Pater produxit, quando Filium suum tempore constituto ad redimendum genus humanum direxit.

℣. XVII. g *Et sponsus & sponsa dicunt: Veni.* Sponsus & sponsa, id est, Christus & Ecclesia omnes homines per Scripturas & per prædicatores ad percipienda præmia sempiterna quotidie invitant: *Et qui audit, dicat: Veni.* Audiunt autem non solum illi, qui divinas scripturas intelligunt; sed & illi qui ea bona sciunt, per quæ salvari possunt. Multi sunt vero qui audiunt, id est, qui divina mandata didicerunt: sed non veniunt; quia ea opere implere negligunt. Qui igitur audit, necesse est ut veniat: & qui jam cœpit venire ad Deum per viam operum bonorum, necesse habet ut & alios secum admonendo pertrahat. *Et qui sitit, veniat:* id est, qui sitit vitam æternam, ad eam per viam bonorum operum venire se debere cognoscat. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Hoc superiùs expositum est. (Sup. c. 21.)

℣. XVIII. *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus super illum plagas scriptas in libro isto:* ℣. XIX. *& si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferat Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* Cùm superiùs præcipiat Angelus Johanni, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus:* quid est quod idem Johannes in hoc loco maledictione terribili damnat eos, qui ad scripturam libri hujus aliqua addiderint; maxime cùm in hoc libro multa inveniantur, quæ secundum litteram inutilia & vana esse videbuntur, nisi eis spiritalis intelligentia adhibeatur, per quæ intelligantur? Verùm non de expositoribus, sed de hæreticis hoc dictum esse intelligere debemus: expositor namque nihil addit aut minuit: sed aut obscuritates historiæ exponendo manifestat, aut moralem, aut spiritalem intelligentiam demonstrat. Hæreticos ergo maledicit, qui in scripturis divinis ad confirmandam hæresim suam quædam falsa apponebant, & quædam detrahebant, quæ eorum hæresi videbantur esse contraria.

℣. XX. *Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam venio cito, amen. Veni domine* h *Jesu.* Christus dicit: *Venio cito.* Johannes petit: *Veni domine Jesu,* & nos adventum Christi multis modis postulare debemus. Postulamus namque adventum ejus in oratione Dominica, quotidie dicentes: (Matth. 6. 10.) *Adveniat regnum tuum,* id est, tempus quod post resurrectionem futurum est, in quo omnes sancti cum Christo sine fine regnabunt. In peccatis jacemus; necesse habemus ut pœnitendo, plorando, orando, abstinendo, eleemosynas largiendo, adventum ejus deprecemur: ut ad nos misericordiam suam impendendo redeat, à quibus malis nostris irritatus discesserat. In tenebris ignorantiæ positi sumus; deprecandus est Dominus, ut veniat, & lumine sapientiæ suæ corda nostra illuminet. Ab invisibilibus hostibus impugnamur, rogandus est Dominus, ut veniat, & ab eis invisibili potentia nos defendat. Visibiles hostes patimur, implorandus est Dominus; ut veniens, patientiam & tolerantiam nobis in adversis tribuat; ut non vincamur à malo, sed vincamus in bono malum. Sunt alii hostes interiores, & multo deteriores, à quibus indesinenter debellamur, avaritia videlicet, gula, libido, invidia, ira, odium, superbia, vana gloria, tumor mentis, despectio proximorum, blasphemiæ, & alii multi, quos longum est ponere. Isti sunt itaque hostes pessimi, qui ex nobis prodeunt, & nobiscum morantur, & jugiter nos debellant. Habent autem & innumerabilia jacula malarum cogitationum, quibus assidue nos vulnerant. Si ergo interiores hostes deessent; i exteriores hostes nihil nobis nocere possent; isti sunt enim proditores civitatis nostræ, & exteriores hostes nullo modo, nisi per istos, civitatem cordis nostri possunt capere. Rogemus igitur Dominum ut veniat, & istos immanissimos hostes in nobis funditus l extinguat, quia nisi extinguantur, nos salvi esse non possumus.

℣. XXI. *Gratia domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, amen.* Sic &

a. Ita mss. edit. vero: *Cur Angelus Domini à Johanne adorari noluerit, superiùs in expositione quarta Visionis sufficienter exposuimus.* Mera inepditura.

b. Edit. *& demus gloriam ei.* *& cetera,* continuo Angelum. mss. autem, ut nos in texto.

c. Eadem edit. *sordescat adhuc.* Non præcipiendo; cetera ex mss. restituta sunt.

d. Rom. edit. sola. *citius expleant. Et qui justus est, justificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio* &c.

e. Edit. Gill. *bonis operibus abluere:* Rom..... *se abluere:* mss. ... *animas suas abluere.* Infra vero utraque edit. *aperitur, quia justos.* mss. è contrario, *aperietur, & injustis claudetur* &c.

f. Edit. Gill. *recipiet. Sequitur: Ego Jesus;* edit. Rom. *recipiet. Sequitur; Foris canes..... & facit mendacium. Ego Jesus.* Verum tantam lacunam omnium mss. reparat auctoritas.

g. Gill. in textu: *Et sponsus & sponsa, id est, Christus,* in margine, *vel spiritus:* Rom. vero, *Et spiritus & sponsa dicunt; Veni, id est, Christus* &c. sed omnes mss. nobiscum faciunt.

h. Edit. *Jesu Christe. Dicit: Venio cito:* melius mss. ut in contextu.

i. Eadem edit. *exteriores hostes nullo modo, nisi per istos civitatem* &c: mss. vero, *exteriores hostes nihil nobis nocere* &c.

l. Ita mss. Edit. autem, *extinguat, & illis interfectis, perducere dignetur ad gaudia vitæ perpetuæ. Sequitur: Gratia domini* &c.

nobiscum gratia domini Jesu Christi, & det nobis arma virtutum, quibus muniti, ipso duce atque signifero, & ab interioribus hostibus, & ab exterioribus defendamur; ut vitæ æternæ participes esse mereamur: qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, amen.

AUCTORIS ADMONITIO.

a Quisquis nomen Auctoris scire desideras, litteras expositionum in capitibus septem Visionum primas attende. Numerus quatuor vocalium quæ desunt, si græcas posueris, est L X X X I. Ecce quanta potui brevitate hunc librum conscripsi. Obsecro autem te, cui dedit Deus scientiam litterarum, & in cujus manibus hic liber ad legendum devenerit; ut non propter fœtidam ac rusticissimam elocutionem sermones hujus libri abjicias: sed imitare potius illum, qui gemmam in sterquilinio repertam tamdiu aquâ nitidâ abluit, usque dum ad splendorem pristinum perveniret; ita & tu aqua sapientiæ tuæ ablue imperitiæ meæ sordes, tuisque pulcris & compositis verbis sermones hujus libri necessarios adorna, quatenus non jam à superbis lectoribus utilitas libri causâ rusticitatis abjiciatur. Scio enim quod hæc mea impolita dictatio à multis scientia litterarum tumidis despicietur atque subsannabitur. Indignabuntur etiam contra me, cur ego idiota, & nihil sciens, præsumserim super tantæ obscuritatis librum volumen Expositionis cudere. Quibus respondeo quia sicut terræ sterili amplius proficit aspersio stercoris, quam alicujus metalli pretiosi; ita & indoctis hominibus plus proficit divina scriptura mediocriter prolata, quam si philosophico aut poetico sermone proferatur: sciantque dominum nostrum Jesum Christum sacramenta doctrinæ suæ non primo philosophis, sed piscatoribus tradidisse, ut per piscatores veniret ad philosophos. Etenim ille qui dedit asinæ loquaci sermones ad corrigendam prophetæ insipientiam, ipse mihi indigno & omnium hominum vilissimo intelligentiam libri hujus ex parte donare dignatus est. *Num. 22. 28.* Ego autem tractans apud me illud Salomonis: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* *Eccli. 20. 30.* Simulque considerans grave mihi periculum imminere, si parvissimum thesaurum, quem mihi omnipotens Deus largiri dignatus est, tacendo absconderem: considerans etiam non me esse idoneum ad docenda ea, quæ intelligebam, eo quod nullus inveniretur, qui more discipuli, dignaretur verba insipientiæ meæ audire; definivi apud me, ut hanc parvam scientiam, quam mihi divina misericordia contulit, qualicumque stylo prosequerer, ne talentum Domini mei abscondens, cum illo servo damnarer, qui *abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.* *Matth. 25. 18.* Et quia idoneus non sum ad duplicandam pecuniam Domini mei, trado eam nummulariis; ut ipse veniens, recipiat quod suum est cum usura. Te autem, cui loqui cœpi, nummulariam voco; quia sicut nummularius pecuniam incompositam suis superscriptionibus adornat, ut apta sit ad lucra peragenda: ita & tu hanc pecuniam Domini, quam tibi committo, potens es tua sapientia, tuisque compositis verbis adornare; ut apta fiat ad lucra domini nostri Jesu Christi perficienda: scitoque te mercedem optimam ab ipso esse recepturum, si hic liber, ut puto, Ecclesiæ Dei necessarius, per industriam tuam atque doctrinam sordes dictionum amiserit, tuisque verbis decentibus exornatus, utilior ad ædificationem legentium, sive audientium fuerit effectus. Hoc tamen non permitto, ut sensus hujus libri in alios sensus permutentur; nisi forte, quod absit, aliquid in eo quod contrarium sit veritati, inveniatur: quod fundito esse delendum decerno, vel certe in melius commutandum.

a Illhæc Auctoris admonitio prætermissa est in superioribus editionibus: at eam è codice manuscripto, ex quo Commentarium, cui totum unum avulsum sunt, repræsentamus. Videsis quæ de eadem præmisimus in Admonitione nostra ad illum librum.

MONITUM.

Hunc librum de Pœnitentia *è codice Sorbonicæ bibliothecæ in quo nomen Ambrosii tanquam auctoris falso inscribitur, Gilletius primus edidit: sed ita tamen ut ei locum non tribueret, nisi post Opera omnia sancti Doctoris, & eumdem supposititium esse validis admodum rationibus demonstraret. Ejus autem sunt hæc firmamenta: nimirum quod elocutio sit affectata, & Ambrosianæ prorsus dissimilis, quod eadem illa asperior sit, & quibusdam verbis, quæ Africanum scriptorem referant, passim adspersa, quod Ambrosius non nisi duorum librorum* de Pœnitentia *abs se editorum mentionem faciat, quod hujus Auctor nullam fecerit Novatianorum, denique quod idem Auctor sibi Victori nomen fuisse in calce libri aperte prodat. Satis quidem erat ultimum hoc momentum, ut hic tractatus ab Ambrosio alienus esse declararetur, sed ut cognoscatur quis ille Victor, solum non sufficit. Memoratus Gilletius cùm ex Gennadio ac Trithemio compertum haberet à Victore Cartenna in Africa episcopo librum* de Pœnitentia *fuisse compositum, non alii Victori hunc tribuendum existimavit: quam sententiam, ut potè veritatis colore haud destitutam, postmodum amplexi sunt non pauci. Verum tamen omnino ista demum evanuit, postquam sagacissimus ille veterum codicum indagator Sirmondus hancce opellam Victori Tunonensi etiam in Africa pontifici in manuscripto B. Mariæ Remensis, & in alio abbatiæ Herivallensis adscriptam legit, quemadmodum Labbæus testificatur. De codice quidem Herivallensi, quem non licuit nobis videre, nihil dicimus: at de Remensi, ad quem hunc librum emendavimus, lubentissime Sirmondi testimonium nostro prosequimur. Hæc enim ibi exstat inscriptio:* Incipit liber sancti Victoris de Lapsis Tonensis episcopi historiographi; *nam quod* Tonensis *non* Tunonensis *ibidem scribitur, notario sine dubio imputandum est: quod verò etiam additur* historiographi, *illud inde est, quod chronicon ab eodem elucubratum ad posteros transmissum fuit.*

VICTORIS TUNONENSIS EPISCOPI
DE POENITENTIA
LIBER UNUS.

Cap. I. Pœnitentiæ officia & merita narraturus mihi, frater carissime, puto non verbis esse, sed factis opus. Res enim salubris ac necessaria non tam dicenda est, quàm docenda: quæ tecum habeat infirmum amaritudinis actum, fructum perfert in effectu dulcedinis; & hæret faucibus, cùm cordi impertit salutare remedium. Pœnitentia, inquam, est prioris ævi damnatio, & in futuro promissa correctio: & velut in aliam vitam ducitur usus vivendi, dum pia mens, ea quæ sunt à tergo, non respicit. Hanc non ita dictis doceo, sicut gestis exerceo: & quamvis justi persona non competat, me tamen in initio mei sermonis accuso. Habet enim justitiæ partem etiam cauta confessio; quia licet, ut tu doces, Dei sit punire commissa, sententiam tamen cognitoris prævenit in humilitate exercita pœnitentia; scriptum est enim: *Pœnitentibus dedit partem justitiæ, & corrogavit deficientes sustinere, & destinavit illos in sortem veritatis.* *Eccl. 17. 20.* Age igitur pœnitens, propria scelera confitere, pande Deo tuæ iniquitatis arcana, denuda secreta pectoris tui, & amove internæ prævaricationis operculum. Nota sunt Deo cuncta, quæ in occulto fecisti: quæ si non dixerit lingua, non potest celare conscientia. Frustra te latenti consolatione deludis, & absconsum putas esse posse, quod sine teste commiseris. Patet Deo omne quod clausum est, & in aperto lucet quidquid nox abstrusæ cogitationis intenebrat. Reum te tibi officio confessionis institue, causam tuam in conspectu tuo, temet ipso accusante, compone: dicta in te sub severitate sententiam, antequam judicis sentias iracundiam: & ut indulgeas misericordiam exerce prior in te ipso censuram. Crede mihi, totum quo suspectus es, fit illico veniabile, cùm inventa fuerit in te hujusmodi pœnitudo justitiæ, Scriptura dicente: *Pœnitentibus autem dedit partem justitiæ, & corrogavit deficientes sustinere, & destinavit illos in sortem veritatis.* *Eccl. 17. 20.* Exspectat ecce Dominus confessionis munus, si confitentem non involvit reatus: & cùm sit nota divinis sensibus hominum conscientia, mavult lingua prodere, quod non possunt occulta cordis celare. Pœnitentia itaque est, quæ uno actu diversa officia congeminat; hinc enim publicat confitentem, inde confessum revocat innocentem: hinc reatum condemnat, inde crimen excusat: hinc objicit propius peccata peccanti, inde indulgentiam exigit pœnitenti; nec permittit Dominus puniri confessum, qui pœnitentem noscit revocare damnatum. O magnificum bonitatis divinæ thesaurum! ô singulare clementissimi judicis institutum! Ad hoc de reis vult confessionis exsculpere vocem, ut non inveniat, quod ulcisci debeat: & cùm apud sæculi judices confessus mox dirigatur ad pœnam, apud Dominum confitens statim pergit ad veniam: nec hoc ullis elicit de confitente tormentis, cùm patiens in semet ipso officium videatur exercere terroris. Lucra sunt enim pii judicis gemitus confitentis, & gaudium cognitoris est sine quæstione confessio: acquiritur Domino, a quod non punitur in servo; & multum confertur auctori, si deputatus pœnæ, veniæ condonetur. Cupit enim damnum esse vindictæ, quod non vult perire clementiæ: nec optat ulcisci, qui paratus est misereri.

a. Edit. quod non punitur asserto: ms. Rem. . . . in servo.

Ezech. 18. 32. misereri, ipso de se per prophetam dicente: *Nolo mortem morientis, quàm ut revertatur, & vivat.* Quibus Sapientia concinens Salomonis: Sapient. 1. 13. *Deus*, inquit, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Judicis ergo nostri clementia non optat reos perire vitæ, sed pœnæ sententiæ: nec desiderat morientis exitium, sed festinat magis servare confessum. *Nolo*, inquit, *mortem morientis, sed ut revertatur, & vivat.* Ecce verus vitæ auctor, qui non vult morientis mortem, sed lamenta conversi: & vult se semper in miseratione esse beneficum; ut justitia teneat judicatum.

Cap. II. Damnum ergo in moriente experitur, a qui in uno perdito non lætatur; quia in donatore vitæ necesse est ut ex morte veniat causa tristitiæ, non quasi ex corporalium sensuum lege descendat, quod cum in perdito ac moriente contristat; cùm in auctore incorporeo non cadat omne, quod venit è corpore: sed cùm nullam capiat ex pereuntis morte lætitiam, tristitiæ actus in promtu est, ut se ostentantis affectio, non dolentis anxietas: b & decurrens ex pietate tristitia, non de passione ulla externa perpessio. Consequens ergo est ut doleat perditum, qui gaudet inventum: & non lætetur ex mortuo, qui gratulatur ex vivo. Hoc per parabolam Dominus in Evangelio manifestat dicens: Luc. 15. 32. *Gratulari autem & gaudere te oportet; quoniam frater tuus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus est*; & iterum: Ibid. 7. *Sic erit*, inquit, *gaudium in cælo coram Patre vestro & Angelis ejus super uno peccatore pœnitentiam agente.* Unde per Esaiam prophetam Dominus provocat pœnitentem, dicens: Isai. 43. 25. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & non rememorabor: tu autem noli oblivisci, & judicemur. Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Quid, oro, hac sponsione jucundius? quid potest hoc invitamento dulcius inveniri? provocare judicem, dicere adversùm se reum pro se, non ut puniat, sed ut absolvat: non ut animadvertat in confessum, sed ut justificet à se ipso convictum? Ego autem non memorabor, tu autem noli oblivisci; hoc est dicere: Non remanebit penes me memoria facti tui, si tu propria non oblivisceris errati: & delebitur infamia criminis tui, si ejus recordatione compulsus, non cesses meis auribus confiteri. Vides ergo Deum in flagitia peccatoris intentum, si nullum pœnitentiæ existat officium: & imminentem cervicibus reis iram justi judicis, cui non placuerit gemitus confitentis: illa autem in oblivionem ducere, quæ tu non quiveris publicare & abolere crimina notam, si non volueris silentio confitentiam. *Ego sum*, inquit, *qui deleo iniquitates tuas, & non rememorabor. tu autem noli oblivisci.* Nullum voluit esse temporis punctum, nullum momenti momentum, quo in pectus tuum irrepat oblivio peccatorum: sed ut exercereris quæ ante commiseras, non ut pristinorum oblectatione caperis; & sit in te non ex desiderio præteritorum, sed ex doloris recordatione suspirium. Casum tuum semper ante oculos proponas & lugeas, & funera tua momentis omnibus plangas, mortuum te jugiter sentias, moriturumque sine dubitatione cognoscas. Hæc Dominus non imputabit ad pœnam, sed detorquebit ad gloriam: & ita memorabitur tui, ut obliviscatur eorum, quæ ante in peccatis egisti, præbiturus tibi pro temporali luctu æterna atque infinita solatia; cùm peccata tua evanescent impunita, ipso dicente: Matth. 5. 5. *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu autem noli oblivisci, & judicemur.* Interea judicemur, ait. An numquid Dominus judicabitur, qui dicit, ut cum peccatore judicetur? Absit. Judicemur, inquit, tu confitens, ego dimittens: tu offerens debita, ego donando peccata: tu dicens iniquitates tuas, ego te absoluta pietate justificans. Denique vide quod sequitur: *Dic tu prior*, Isai. 43. 26. inquit, *iniquitates tuas; ut justificeris*, non ut condemneris, ut maneat in te præmium conversi, non confessi supplicium; ut judicium tecum contextum justi, non nota damnati. Et tunc carebis cunctis iniquitatibus tuis, cùm adversùm te testis & accusator existeris. *Dic tu*, inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Sed numquid tamquam ignorans provocat te, frater, ut confitearis iniquitates tuas, qui scit antequam fiant? & tamquam nescius ex te optat audire, qui nec dum natos sulce ex præscientia judicare? Aut nescis in utero sanctæ Rebeccæ geminum partum uno tempore conceptum, eodemque progenitum, præscientiæ notione tenuisse judicium dispariúm meritorum?

Cap. III. Vult ergo te magis nosse quid agatur in te, ut cùm exponis medico vitium tuum, necessarium tibi propinet antidotum; tunc enim poteris perfectum consequi beneficium medicinæ, si non celes medico tuæ vulnera conscientiæ. Ceterum qualiter curandus eris, qui ea quæ sunt in te abscondita non pandis? Opinor enim, nisi interpellettur medicus, non curatur ægrotus. Exspectat ergo diu sibi ostendi doloris tui causas, ut medicinæ remedium jam curatus intelligas; quid enim medico debeatur, c justa æstimatione pensabis, si morbum tuum in te ante cognoveris. Et ut pluribus te non teneam, confessio tua pœnitens medicina est, ipsa te curat, ipsa te vivificat; nec patitur vulnus tuum tenere putredinem, sed mox ut ingemuerit, superinducit d inde nodabilem cicatricem. Hodie si quisquam te morbus corporalis afficiat, & & senserit artus tuos intestino gravari languore, aut vulnus tuum intelligas tabo & sorde putredinis cancerare, statim curris ad medicum, quæris de arte remedium, excubas ante januam dormientis, & ante fores ejus matutinus salutator adsistis; precibus orare, dona promittere, munera offerre, & totum patrimonium pro tua cupis sanitate profere: & cùm plerumque imperitiâ ejus aut gravetur languor, aut certe in longa tempora differatur; nihilominus tamen in observatione assidua perseveras: & homo ab homine speras tarda remedia, nec desperas adjutorium profuturum, cùm adhuc non sentias corroborationis effectum; & non curris ad Deum tuum gratuitum medicum, ad ultroneum pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ valetudinibus nullum novit pati fastidium, nec exspectat ex sanitate tua præmium, sed magis desiderat præmio munerare curatum. Et utique temporalis medicus hoc

A solum curat, quod ad corpus attinet, ceterum Deus animam sanat, quam peccata convulnerant: & ille profert ad præsens profutura remedia, hic autem adhibet perpetuam medicinam. Et tamen homo nec se ipsum potest juvare medicus, nisi subvenerit Deus; nam incassum laborat plerumque astutia medicinæ, si Deus ægroto vivendi tempus noluerit prolongare. Quos nec sibi videbimus nonnumquam posse succurrere, cùm præventi corporalibus vitiis fraudantur beneficio sospitatis. Nullum ergo beneficium medicinæ erit, quando medico ipsi medicina non subvenit. Nemo te, crede mihi, melius reficit, quam qui fecit: nec alius justificat, nisi qui flagellat, & curat. Solus novit opera sui facere rupturas, & luti nostri qualitatem speciem in statum pristini substantiam reformare, ipso per prophetam dicente: Hier. 18. 6. *Sicut lutum figuli, sic vos estis in manu mea.* Neque hoc ipsum aliquo intervallo temporis operatur: mox ut dixeris vitium tuum, illico impertit & adjutorium: imploranda subsidia & conferenda remedia nullum propemodum B tempus intervenit: hoc tantùm exspectat, ut fatearis; mora non erit, ut saneris. *Dic tu*, inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris.* Hoc per Ezechielem prophetam idem Spiritus repromittit injustis: Ezech. 18. 27. *Impius quacumque die conversus fuerit ab injustitia, & justitiam fecerit; ipsa die peribunt omnes injustitiæ ejus: in sua injustitia quam fecit, non morietur*; & alibi: Isai. 30. 15. *Cùm conversus fueris, & ingemueris, tunc salvaberis.*

Cap. IV. Sed fortasse dicas: Non habeo conscium, & nulli omnino manifesta sunt, quæ commisi. Quid ergo, si non habes conscium, saltem nescis præscium Deum conscientiæ tuæ inevitabilem conscium? Et si facta tua nemo hominum novit, nempe Deus facta tua & adhuc futura prænoscit. Quid enim non videt, qui ubique & totum videt, ipso ad Job dicente: Quis putet aliquid me latere? Da mihi locum, in quo non sit Deus, e qui totus est occultus: & eris in factis tuis & tu, sicut C arbitraris, occultus. Sed Deus ubique est, & totus in toto est, ipso dicente: Isai. 66. 1. *Cælum mihi sedes est, terra vero scabellum pedum meorum*; & Hier. 23. 24. *Cælum & terram ego impleo.* Unde & beatissimus propheta David: Psal. 138. 7. & seq. *Quò ibo*, inquit, *à Spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si adscendero in cælum, tu ibi es: si descendero in infernum, tu ibi venies. Si recepero pennas meas directas, ut inhabitem in novissimo maris: etenim illuc manus tua, Domine, deducet me, & continebit me dextera tua.* Frustra ergo dicis non habere te conscium, cùm audias Deum totum ubique, & per omnia majestatis suæ ambitione diffusum, cui sit notum quidquid putatur absconsum. Sed non habeo, inquies, conscium. Hoc recte dixisses, si exemplum Cain parricidarum principis non haberes. Persuaserat iste secum in campum pro fratri parricidalis impetus, & nihil de fratre se custodire æstimans rudis adhuc & nova germanitas, præceptis ejus bono simplicitatis obtemperat. Gradiuntur uno pariter comitatu ambo germani, & parricida infaustus ad perficiendam nefarii sceleris cogitatum quasi locum eligit sine teste. Quasi vero si sibi hominem conscium non haberet, latere aliquid Dei oculos potuisset: aut D celare posset studio solitudinis, cùm nihil obtutibus celetur Auctoris. At ubi infandi facinoris artifex primitivus aptum judicavit locum perpetrando flagitio, insiliit in furorem, & patientissimum fratrem ac minime repugnantem, diabolo instigante, interfecit. Res quidem in effectu evidens erat, sed quantum f Cain ratus fuerat, sine conscio admissa latebat. Et credebat crudelissimus hominum sine teste aditum criminis non fateri, cùm ob hoc ipsum crimen agnosceret, quod occultare cupiebat. Sed ecce rerum Dominus, cui quidquid absconsum putatur, in promtu est, & quem non potest latere quod in cogitationum occultis agitur, Scriptura dicente: Psal. 75. 11. *Cogitatio hominis confitebitur tibi*; & iterum: Psal. 138. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur*; & iterum: Psal. 7. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Unde idem propheta David: Psal. 138. 2. *Cogitationes*, inquit, *meas à longe vidisti*; parricidam voce indignantis appellat. Et sciens ferocis facti atrocem spiritum quem gestivat, negaturum; ut reatum cumularet impii parricidæ, simulat se velut quod admissum fuerat, ignorare. Gen. 4. 9. *Et dixit*, inquit, *Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Et dixit Cain. Nescio, E numquid custos fratris mei sum ego?* O insaniam detestabilem! ô audaciam singularem! Fidus negat, quod sine teste commiserat: & credebat sine conscio crimen publicari non posse, g cùm ipso negotio reatum magis proderet conscientiæ. Quid agis, Cain infelix? Non habes ullum hominem testem: ecce habes effusum sanguinem proditorem: ipse te publicat & accusat. Vox ejus adversùm te interpellat Auctorem, & facit cruor diffusus invidiam: ne latentem prætereat ultio parricidam. Ibidem 10. *Quid*, inquit, *fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Verùm ubi parricida sensit proditum, quod putabat occultum, & sanguine teste convictus, frustra struxisse contumaces insidias; facinus confitetur: exoptat in se acrius dictari judicium, cùm excusare non posset conscientia parricidium perpetratum. Sed distulit interim severior pœna, ut tanti facinoris auctorem diutius trucidaret lenta sententia, nec celeritas irrogati supplicii compendium magis videretur addixisse, F & fieret h pœnali diuturnitate longævum, quod latrocinii morientis extenuaret facinus parricidii. Quid ergo tibi super eo blandiris, quod non habeas conscium; cùm videas testimonio sanguinis innocentis Cain fuisse convictum pariter, & punitum?

Cap. V. Sed conscium, inquies, non habeo, qui mea facta divulget. Rogo, dicas mihi, si non habes conscium, non habes conscientiæ testimonium? aut te ipsum potes effugere, & conscientiam declinare? Conscientiam, inquam, apud quam non moritur omne quod gerimus, quæ nos in factis nostris accusat & judicat: quæ cùm non habeat loquendi usum, nescit tamen tenere silentium. Potest conscius morte subduci, potest tibi ad tempus i prodesse testis absentia: hæc tecum semper est, & sine te non est: hæret pectori, nec umquam te deserit; & velut

a. Codex Rom. *quem vivum perdere.*
b. Sic edit. & Sorb. ms. Rom. vero, *& decurrens expiata tristitia.*
c. Rom. codex & Sorb. *justa æstimatione pensabis.*
d. Edit. & cod. Sorb. *inde notabilem cicatricem*: melius cod. Rom. *inde nodabilem cicatricem.*
e. Gill. & cod. Sorb. *qui totus est occultus, & eris in factis tuis, ut tu arbitreris, occultus*; in margine autem à secunda priori occultus posita, *fortasse totus*, quam conjecturam in textum admisit Rom. edit. Nobis vero potior visa est lectio Rom. ms.
f. Edit. *cum ratus fuerat*. Rom. codex, *Cain ratus fuerat*; solam vero ubi Gill. cum Rom. cod. & Sorb. *aditum criminis non fateri*: edit. Rom. ex Gill. margine, *aditum criminis non patere.*
g. Rom. edit. ex margine Gill. *cùm ipsa negatio.*
h. Ita Rom. codex, ac Gill. in corpore. nisi quod scribit *longævum*: item vero in marg. *pœna diuturnitate longævior, quod lentitudine morendi æstimaret facinus parricidii*: quam lectionem Rom. edit. amplexa, *extenuaret* tamen retinuit.
i. Ms. Sorb. & Gill. *prodesse testis conscientia. Nec testem superest*: in margine autem, *prodesse. Testis conscientia & tecum semper est*: Rom. edit. *prodesse testis. Conscientia vero tecum semper est.* Sed locum optime restituit Rom. codex.

quædam pedissequa nullo abs te temporis intervallo discedit: tenet te reum, & in sua semper ditione captivum. Si quando mentem tuam lætior secundarum rerum actus avocarit, & seorsum tuos e t pe-ris facti delectatione jocunditas; subito te illa stimulat, illa medullitus pulsat & interpellat sensum, interrumpit gaudium, & totam pectoris regionem mœstis suspiriis inquietat: & quasi vulnerata opprobrio teneatur, non invenitur homini remedium, quo curetur: semper enim offenditur, cùm alius calligatur, & in alieno vulnere primò ipsa percutitur. Deinde vis nosse quanta sit severitas conscientiæ? Potest tibi conscius suus corrumpi, potest pecuniâ comparari: conscientia nihil corruptionis admittit, manet integrum ejus testimonium tota fidei firmitate vallatum. Quia etiam adversus conscium conducitur patrocinium, & defensionis ingenio argumenta, versutiæ conquiruntur, & testimonium veritas loquelæ impudentis calliditate pervertitur: judex quoque seducitur, ut facti qualitas excusetur. Vacant hæc omnia, ubi interest conscientia: & cùm homo moritur, conscientia certe non moritur, quæ post mortem corporis in anima judicatur. Et putas prodesse tibi te non habere conscium, B cùm conscientiæ quotidianum sentias perpetuumque judicium? Sed plane cum non contentabitur ultio divina, quem propria judicaverit conscientia; vacet enim ibi necesse est potestas judicis, ubi conscius sibi reus adversùm se testis & accusator exstiterit. Nam procul dubio geminabitur causa peccati, si contumax conscientia facta sua noluerit confiteri: tunc enim ex peccatore fit impius, qui in peccatis suis fatendis exstiterit induratus; ut & flagitia perstringat digna sententia, & contumaciæ pœnas luat pervicax conscientia. Frangitur enim commotio judicis, ubi pœnitudinis & severitas contra districtio confessionis oppugnatione lenitur: depromtum indignatione judicium satisfactione percellitur, & comminantis intentio orationis humillimæ verecundiâ temperatur. Hoc ex Ninivitis addisce, quorum confessione deleta est jam dicta sententia, & aversa imminens ira, ne inanis fieret confitens pœnitentia. Pendebat super miseram civitatem cælitus jam vibrata sententia, & animadversionis divinæ C securis cervicibus infelicium perurgebat. Jam productus fuerat cælestis gladius è vagina, & in ultione perpetratorum criminum vehemens ira fervebat. Vox præconis interitum populis minitabatur, & denuntiabat cunctis proximum perituris prophetæ clamor exitium: *Post triduum*, inquit, *& Ninive civitas subvertetur*. Heu quid de Deo exigitis scelera, quid peccata meremini? Ipsam Dei nostri clementissimam prævenistis pietatem, de quo tam propinquam & ante tempus exegistis ultionem. Videre itaque mihi videor quanta miseros arctabat angustia, & qualis perstrinxerat in tremore necessitas. Consilium metus amiserat, remedium desperatio non habebat: ita enim fuerat temporis præcipitata celeritas, ut ne spatiis quidem attributa

Jonæ 3. 4.

dictam suspicionem criminis relaxaret. *Post triduum*, inquit, *Ninive civitas subvertetur*. Et quænam futura erat illa subversio, quæ indicitur perituris? Non utique hostilem significabat incursum, non armorum strepitum nec clangorem terribilem buccinarum, quibus forsitan poterant resistentium a obviare tutamina, aut prælii promulgatis partium conferri certamen, aut fugæ præsidiis sortem pro- D jicere captivorum: sed divinæ indignationis & vindictæ cælestis interitus prædicatur, cui pavendus nec fuga subducitur, nec bellicis artibus defendendi cura datur. Quis enim posset irrogatum exitium declinare, quod ætherius fragor incipiebat effundere?

Cap. VI.

At ecce miseros non deserit in pavore consilium, & invenit remedium ex periculo desperatio. Ad se ipsos redeuntes conscientias suas vice judicantis interrogant, currunt ad propugnaculum pœnitentiæ, & confessionis scuto opposito declinant iaculum. Itur ab omnibus in narrationem criminum fatendorum, & in satisfactionis officium exposita morti turba conspirat. Indicunt sibi necessarium perituri jejunium in ipsis corporibus animas humilitatis flagello castigant: induunt pro veste cilicium, & pro unguentis cinere se adspergunt, ac prostrati humo pulverem lambunt. Mortem suam lacrymis funerant, & vitam planctibus prosequuntur: reatum suum gemitibus publicant, & actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis E ætas & sexus indiscrete lugubribus se aptat officiis: depositus omnis cultus, dejectus ornatus: sed plane illæ sordes corporis ornamenta fuerunt pœnitentiæ, & virtus habitudinis summum fuit decus confessionis. Negata quoque sunt ipsis alimenta lactentibus, & ætas necdum propriis peccatis infecta, onera sustinuit aliena. Cibum suum mutum pecus esurivit, & naturalia pabula brutum animal non accepit. Una audiebatur per mœnia civitatis ejulatus dispariter naturarum, & per omnia tecta urbis flebilia resonabant lamenta plangentium; & ut semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat, sed & astra ipsa voce pœnitentiæ personabant. Impletum est quod scriptum est:

Eccl. 35. 21.

Oratio humiliantis se nubes penetravit. Denique sic placavit offensum Deum, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum, & mucronem ultionis in theca recondidit; quia conscientia de se judicium judicavit. Eripuit reos pœnæ confessio, & vindictæ jam deditos pœnitentia sibimet vindicavit. Deletum est statim condemnationis elo- F gium lacrymis confitentium, & absolvit obnoxios pœnæ adstipulatio confessa de crimine. Vidit pius Deus retulisse in se judicium pœnitentes, & errata suæ conscientiæ ea adstipulatione damnantes continuo donavit veniæ, quos destinaverat pœnæ: & illico pepercit afflictis, ut exemti supplicio lucra fierent pietatis. Probatum est testimonium prophetiæ, quod in superioribus paulo ante disposuimus:

Isai. 43. 25.
Ibid. 30. 15.
Joel 2, 12.

Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & non rememorabor: tu autem noli oblivisci, & judicemur. Dic tu, inquit, *prior iniquitates tuas, ut justificeris*; & iterum: *Cùm conversus fueris, & ingemueris, tunc salvaberis*; & iterum: *Convertimini ad dominum Deum vestrum; quia misericors & pius est, patiens & multæ misericordiæ, & qui sententias flectat adversum malitias irrogatas*. Unde & beatissimus David: *Pec-*

Psal. 31. 6.

catum, inquit, *meum ego scivi, & iniquitatem meam non cooperui*.

A *Dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*; & iterum: *Quia iniquitatem meam ego scio, & peccatum meum coram me est semper*. Vides ergo quotidiano in se peccanti opus esse judicio, & quo cum nudatur conscientia, operitur, & cùm publicatur, operitur. Et licet notum sit Deo omne quod gerimus, nec occultetur sensibus ejus, antequam fiat: mavult tamen cordis tui nudare secretum, & facinora prodere conscientiæ, ut indulgentiæ suæ dono operiat turpitudinis nuditatem. Quomodo vult spoliatum venia dimittere confitentem? De talibus Propheta beatissimus cecinit dicens: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Quamquam hoc evidentius pertinet ad renatos, quorum & iniquitates & crimina baptismo operiuntur & teguntur: fidelem enim veniæ locum tenet non infida confessio, & in toto est pœnitens conscientia, si indulgentiæ remissionem non dubitet.

Psal. 50. 5.

b

Psal. 31. 1.

Cap. VII.

At è contrario peccati cumulos erigitur, si quod admittitur, id negatur: quod in facto Cain supra memoravimus, qui dum putavit B Auctori suo facinus abnegare, se ipsum pœnæ non est permissus eximere; ut conscientia in factis sui atrocitate publicum frustraret ei ea negatione fructum pœnitentiæ. Negans enim est convictus, non ex voluntate confessus & punita est in scelere contumacia, quia interrogationem non subsequuta est confitens pœnitentia. Libet igitur pedetentim hic illius vindictæ septemplicem aperire rationem, & quænam causa coegerit tam duram concervari sententiam, evidentis rei probatione monstrare; ne enormitate vindictæ pateat ad suspicionem injustitiæ via calumniæ: quamquam novi sceleris inventum vehemens debeat commitare supplicium, quod longioribus esset posteris in exemplum. Erat enim, qui putat uno teneri crimine parricidam, cum ejusmodi sceleris testimonio constipata sint omnia facinora; audi enim Dominum dixisse: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua: & diliges proximum tuum tamquam te ipsum*; unde in his duobus mandatis tota Lex C pendet & prophetæ. Cùm ergo duobus his præceptis pendeat omne quod Legis est, videamque Cain nec Deum dilexisse, cujus primum fabricam violavit: & germanum vehementer odisse, quem instinctu impietatis occidit; apparet illum adhuc manus solvisse vindictæ, in cujus facto cuncta inveniuntur crimina convenire. Et jure in illo exertum septiforme supplicium, in quo universa tenebant scelera principatum. Et tamen specialiter septem in illo deprehendo flagitia, quibus singulis singula sunt deputata tormenta, primum enim crimen est, quia non recte divisit, hoc est, de primitivis terræ fructibus primo comedit, antequam obtulit: secundum est, quia cùm muneris sui dignum videretur accepisse repudium, contumacem concepit spiritum; & cùm nulla rejectæ oblationis culpa in fratris exsisteret, quasi vindicandum se infaustus crediderit de Auctore, si pro hoc fratrem Deo probatum videretur occidere: tertium crimen est, quod invidiæ felle suffectus, & livoris amaritudine venenatus, innocentissimum necavit truculenta animositate germanum: quartum est, quod dolo fefellit obsecundantem sibi, ut pariter commearent in D campum, in quo justus irriaret sub ovis simplicitate martyrium, parricidio terram macularet injustus: quintum est, quod fratrem nefarius crudelitatis auctor occidit: sextum, quod cùm scelus perficeret, insuper & negavit, & putavit Deum alicujus facti ignarum, quem conscientiæ suæ secretum multasse persenserat; cùm competens retulisset in oblationis suæ reprobatione repudium: septimum crimen est, quod post mortem se non credidit proditus, parricidio puniri, cùm ob infamiam criminis publicati ad præsens tempus se se postulavit occidi. Merito ergo in Cain septuplum vindicatum est, in quo totidem prærogata sunt tormenta, quot crimina. Cui tantæ inflictæ sunt plagæ, quantæ numerantur & causæ, ut nec justitia modum ultionis excederet, nec numerum criminum vindicta competens præteriret. Quod idcirco iterum posui, ne insinuatæ expositionis præteriret occasio.

Matth. 22. 37. & seq.

Cap. VIII.

Jamdiu me à proposito inchoati operis sentio deviasse, & in E aliam detorsisse partem cursum celerem dictionis: sed facilis est ad omissa recursio, & cito reperitur trames declinatæ materiæ, cùm à finibus ejus interjectæ probationis non exorbitat argumentum. *Peccatum ergo*, inquit, *meum scivi, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*; & iterum: *Quia iniquitatem meam ego scio, & peccatum meum coram me est semper*. Hoc non solum verbis docuit, sed & factis implevit; quia non sufficit ad consummationem sapientiæ spiritalis verbis præferre virtutem, nisi doctrina ornetur ex rebus: tunc enim demum tribuitur competens auctoritas magisterio, si proprio innititur exemplo. Denique Dominus in Evangelio: *Qui fecerit*, inquit, *& sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum*; ut & facto doctrina firmetur, & factorum fides ex doctrina accipiat testimonium. Alioquin non erit nixis viribus fundata doctrina, quæ verborum phaleris gloriâ virtutis abutitur: erit enim F facundiæ locuples lingua, non erit plena operum divitiis conscientia: & privabitur merito suo, qui privilegio fruitur alieno. Videamus ergo quid gesserit, qui ista cantavit. Uno igitur tempore duo regi peccata subrepserant, & pellexerant principem in facinoris perpetrationem regni licentia: cùm enim vult adulterium cooperire, crimen incidit homicidii. Perfecit tamen utrumque non violentiâ regii stemmatis, nec ambitione potestatis; quia licet de incesti licentia descenderet adulterium, tamen non ex odio fuerat homicidium perpetratum. Mittitur ergo à Domino propheta, qui apud eum causas adulterii & cædem peroraret occisi, & sub quodam colore compositæ fabulæ eliceret de nesciente judicium. Sed ubi propheta quod proposuerat, explicuit, fert ille commotus indesignatam in se sub veritate sententiam, & disceptator ignarus in se ipsum exerit ultionem. Porro ubi præventus cognitor, proprio se vidit per-

Psal. 31. 6.

Psal. 50. 5.

Matth. 5. 19.

a. Edit. Gill. *ubi conscientia: & cùm homo* &c. in margine autem idem admonet videri deesse verbum, *condemnat*, cujus tamen loco Rom. edit. posuit *vadetur*. Nos porro cod. Rem. sequuti sumus.

b. Edit. Gill. ac Rom. *obviare agmina*: Gill. autem in marg. ac mss. Rem. & Sorb. in corp. *obviare tutamina*.

c. Ita codex Rem. edit. vero Gill. *quo cùm conscientia operitur*: in marg. *forte aperitur*, quæ conjectura in Rom. edit. textum admissa fuit; abest autem etiam ab illa *ut nudatur*.

A stringi judicio, & reum se sibi examinator justissimus adpenlavit, nec pœnam sensit vitare posse judicii, in quo judex ipse detinetur conditione damnati, accipit saluberrimum in tanta rerum necessitate consilium: & cùm non posset ad justitiam judicii provocare, confugit ad secretarium pœnitentiæ. Peccatum suum proditum scivit, & iniquitatem suam nulla negationis nube contexit: dixit adversùm se protinus testimonium, & voce confessionis emissa, statim adeptus est veniam peccatorum: *Peccavi* enim, inquit hic, *Domino.* (2. Reg. 12. 13.) At ille propheta non interposuit absolutionis moras, non effectum distulit remittendi: repente ut manifestatus reus confessionem dedit, indulgentiam criminum ex Dei voluntate depromsit dicens: *Dominus abstulit peccatum tuum.* (Psal. 31. 6.) Impletum est illud, quod in psalmo cantavit dicens: *Peccatum meum scivi, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.*

CAP. IX.

Aliud quoque in sancto David pœnitentiæ aperiamus exemplum; ita enim rex hic egregius *a* vitæ imitabilis instituto, divinis se cultibus fideli servitio manciparerat: ut relinqueret nobis suorum motuum non exempla, sed monumenta. B Contra interdictum namque populum numerari mandaverat, & volebat nosse cuncti exercitus quantitatem. Obsecundatum est voluntati regali, & renuntiata est totius agminis dinumerata collectio, atque inclitæ cœpit scire, quod nocuit: felicitatem suam popularibus extulit incrementis, & læta multiplicati exercitus inter principalia gaudia numeravit. Mox ad eum alius propheta dirigitur, & non ei, ut primo actum est, subtilitet peccati causa prætenditur: sed jam pro facto *b* proponitur pœnalis electio: *Et factum est verbum Domini ad Gad prophetam, dicens: Vade ad David, & loquere: Hæc dicit Dominus, tria ego tollo in te, elige tibi unum ex ipsis, & faciam tibi. Et venit Gad ad David, & nunciavit ei, dicens: Elige tibi quid fieri velis è tribus, sive famem triennio super terram, aut tribus mensibus fugere te à facie inimicorum tuorum, ut ipsi persequantur te, aut tribus diebus fieri mortem in terra: & nunc scito, & vide quid respondeam ei, qui misit ad te verbum.* (2. Reg. 24. 11. & seq.) C Quænam ergo est nunc in animo ejus versata pugna consilii! Quæ cogitationis fuit in electione turbatio? Hinc inimicorum metus, hinc famis vastitas, inde divinæ animadversionis plaga terrebat. Nihil horum vellet incidere, sed offensa non poterat inulta remanere. Inter ipsas tantum electionis angustias, cùm utriusque periculi vallaretur articulo, præcedentis veniæ doctus exemplo, acrius eligit *c* in ipsa voluntatione supplicium, & contulit se ad majorem pœnam, ut posset provocare clementiam. Lenitur enim rigor justitiæ, cùm de miseratione præsumitur, & apud clementissimum judicem prima pietatis causa tractatur; qui enim errata confitentibus donat, pervicaces non de voluntate condemnat. Et ideo rex iste devotus cùm deliberationis fluctuat tempestate, non dimisit anchoram pœnitentiæ; & fidus de pietate terrentis, magnitudinem non contemplatus est ultionis: *Et dixit*, inquit, *David ad Gad: Angustia mihi valde in his tribus: sed melius mihi incidere in manus Domini; quia magna est misericordia ejus valde, quam in manus hominum incidam.* (Ibidem 14.) D Sequitur illico *d* vindicta consensum, & electionem placabilem placabilis pœna comitatur: fit strages innumera peremtorum, & multitudo populi angelica percussione mactatur. Pereuntium septuaginta millia de exercitu, & acerbius perurgebat dulcem animum miserabilis ruina castrorum: objicit se auctorem facti telo supplicii, & induit contra sævientem justitiæ machæram confessionis loricam, puniendum se magis instans inter punitos exclamat, & optat in se derivari sententiam, ut possit à populo revocare statutam. *Ecce sum ego*, inquit, *ego pastor peccavi, & ego male feci: grex autem hic quid fecit? In me manum tuam converte, & in domum patris mei.* (Ibidem 17.) Ecce satisfactionis officio pœna percellitur, & in armis confessionis indignatio propugnatur; ut nec in eum ulterius vindicta procederet, & erga populum quassatio cælitus effusa quiesceret. Uno ictu pœnitentiæ & sibi mercatus est pietatem, & à populo suspendit protinus ultionem, ut merito veniæ consonatos cantaverit dicens: *Dixi, confitebor adversùm me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei;* (Psal. 31. 5.) E quia cùm adsisteret sub desperatione convicti, dignus reputari meruit expiari. Sed premit te tuorum enormitas peccatorum; & eorum ditione captivus, in cælum oculos non audes adtollere. Probo quidem conscientiæ metum, non laudo consilium: sed malo te super indulgentiæ consecutione suspectum, non de salutis reparatione penitus desperatum.

CAP. X.

Tenet enim quamdam confessionis partem supplicandi confusio, quæ suorum conscia peccatorum non de Auctoris remissione dubitat, sed de magnitudine sui sceleris erubescit; reatum enim agnovisse confessionis initium est, & proximum fit veniæ, quod stimulat pœnitudo. Sed retro agit me meorum, inquies, abundantia peccatorum. Quin immo tanto magis insistendum est confessionis officio, quanto peccatorum sarcinis es oneratus; ut quod per amicitiam non es dignus exigere, per impudentiam valeas obtinere. Audis enim in Evangelio Dominum dixisse quia, *cui pusillum dimittitur, minus diligit.* (Luc. 7. 47.) F Deinde impium facis Deum, si putas eum repudiare conversum, *e* & affectum negare redeunti, à quo scias perditos affectu commiserationis inquiri. Hoc Apostolus probat dicens: *Et si nos infideles extiterimus, ipse fidelis perseverabit, negare se ipsum non potest.* (2. Tim. 2. 13.) An nescis novies tentatum in eremo Dominum distulisse vindictam, nec ipsa decima tentationis vice *f* damnare potuisse duritiam, si præteritis novem culpis, egisset populus pœnitentiam, ipso dicente: *Ecce jam decies exacerbant me in deserto hoc!* (Num. 14. 22.) Lege librum Judicum, & invenies innumeris vicibus filios Israel coram Domino fecisse maligna, & traditos incursibus nationum: sed iterum conversum populum per electos duces de captivitatibus variis liberatum, nec vindicari potuisse commissa, si toties factam sequeretur competens pœnitentia; quia licet pœnalis correctio non deesset, non erat tamen *g* perditionis abscissio, sed conversionis oratio. Cùm enim castigatus filius recipitur in affectum, admonitum eum constat ad satisfactionis officium, non punitum: nec odii videtur esse correctio, sed amoris; cùm reverso identidem post flagellum non negantur jura pietatis. Denique audi Dominum per prophetam increpantem hujusmodi verbere fornicariam, & probrosis deditam, inquinatamque contagiis voluisse sibi jure conversionis adsciscere: *Et dixi*, inquit, *postquam fornicata es hæc omnia, ad me revertere; & non es reversa incomposita Juda.* (Hierem. 3. 7.) Quod idem Dominus in Evangelio manifestat, cùm induratos increpat dicens: *Hierusalem Hierusalem, quæ interficis prophetas, & lapidas missos ad te; quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?* (Matth. 23. 37.) Ultimum, crede, vitæ nostræ actum Dominus exspectat, & in quo nos exitus finalis invenerit, in eo judicabit; si scilicet multiplicibus septus erratis, circumvolvent supra caput tuum umbræ facinorum, oculos tuos scelerum caligo petnubilet, & peccati jugum tuam cervicem B inorevet, atque intra conscientiæ penetrale flagitiorum probrum subinde vulnus exulceret: si animam tuam non in desperationis projeceris vilitatem, cùm unum circumcordialis secreti effuderis in confessione sermonem, non negabit remedium veniæ, qui venit animas salvare, non perdere, quia non vult mortem morientis, conversum procul dubio suadet ad vitam, ipso Domino dicente: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare;* (Luc. 9. 56.) & iterum: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvare quod perierat.* (Luc. 19. 10.) Nisi quia præpotentem facis diabolum, si putas quia de faucibus ejus Dominus non potest eruere captivatum: aut quemadmodum ille vigilat semper ut perdat, non ita satagit Dominus ut adquirat.

CAP. XI.

In hac igitur te velut præsentis loci fiducia ultima confessio latronis inducat, & spem maximam tribuat novissima desperatis non desperantis in cruce confessio. Omne igitur vitæ suæ actum ille latrocinatis cruentaverat, & egerat semper in sæculo diabolicæ feritatis armigerum, numquam Dei meminerat, nulla Legis audierat mandata, C aut certe si audierat, proclivior ad facinora non curabat, totam spem in desperatione versabat, & exercebat crudelitatem more sceleratorum satellitum; ob hoc namque damnatus in cruce, & cum ipsis criminibus suis affixus ligno pendebat. Tandem perditus resipuit, & in ipso supplicio constitutus, magnum sibi mercatus est ex morte compendium; Deum enim cum quo pendebat, agnovit: judicem futurum cui adhærebat, intremuit: conscientiæ suæ crimina publicavit, baptismum sanguinis perfusione protinus adquisivit, & cum Domino in paradisum purpuratus confessor intravit. Hæc vera consultatio pœnitentiæ, hoc præcipuum pragmaticum confitendi, si Filium Dei quem non ignoras auctorem, credas & judicem, ipso dicente: *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio;* (Johan. 5. 22.) & ad spem salutis perpetuæ capessendam non præsenti vitæ consulere, sed de futuro judicio cogitare. Primo enim in conspectu judicis se se damnatus exposuit, & confessus de criminibus suis, implevit officium pœnitentis: deinde cùm crucis cerneret pœnam, intellexit judicium affixo commune esse, non D causam; Deum tamen tunc credidit, quando eum Judæa pertinaciter abnegavit: & futuri non immemor in cruce judicii, memoriam sui commendabat judicio regnaturi. Hoc Evangelium manifestat: *Respondens autem*, inquit, *alius latro, corripiebat illum, dicens: Non times Deum, qui in eadem damnatione es? Nos quidem juste quemadmodum egimus, & percipimus: hic autem nihil mali admisit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memor esto mei, cùm veneris in regnum tuum.* (Luc. 23. 39. & seq.) Sed vide repente quid meruit, quid ex ore Veritatis audivit, quid gratia judicantis accepit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* (Ibidem 43.)

CAP. XII.

Sed ais mihi: Peccata peccatis adjeci, & qui jam cadens erectus fueram, iterum cecidi, & conscientiæ meæ vulnus jam pene curatum peccati exulceratione recruduit. Quid trepidas? quid vereris? Idem semper est, qui ante curavit, medicum non mutabis. Non laborabit explorare valetudinis tuæ causam, nec tentabit erga te novitet medicaminis E virtutem examinare, noto te sanabit antidoto. Experimentum adjutorii non exspectat, qui languoris tui novit originem. Unde dudum curatus fueras, inde iterum curaberis: nec te erit de remedio medelæ suspectus, & medicus de reparatione tua securus. Castigabit plane intemperantiam tuam, & dura objurgatione impatientiam verberabit: sed non negabit auxilium, qui non contemnit ægrotum. Audi Prophetam dicentem: *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* (Psal. 40. 9.) Aut qui naufragavit, non iterum navigat? aut qui messem perdidit, numquid semel desperatus, non iterum aut arat aut seminat? Cursus hic noster in quodam salo mundi jactatur: navigandum nobis est, & malorum rendiculis vela insinuanda sunt. Procella sævit, ventus consurgit, tempestas insanit: si ita clavum tenueris, *h* ut navis tuæ retinacula non amittas, ad portum, illibatis mercibus, tendes: sin vero fluctibus adversis illisus scopulis implicantibus, ac flatibus præpeditus, inter fera rixantia tumidi gurgitis naufragaveris, redeundum est ad saburram, reficiendum primo navigium, merces emenda, F rursus pericula subeunda, & præteriti casus referendi per causas; & ut liceat perdita reparare, non dubitabis te prisco discrimini sub spe incerta committere. Nam proculdubio mendicabis, si post naufragium ad negotiandi usum reverti nolueris: nec de egestate atque ærumnis tuis queri postmodum poteris, si capeus forte naufragii sub ignaviæ stupore efficiaris calamitate mendici. Et si mundani negotiatoris hæc cura est, ut plerumque post naufragii jacturam non desperet præterita sua damna industriæ emolumento sarciri: nec exspoliatus incursibus deterius suam patitur nuditatem, sed studet magis è parvo concrescere, *i* & spebus dubiis aucupatur potiora lucra, peccato lenocinante, conquirere; quanto magis tibi animæ tuæ damna cogitanda sunt, & in vestigio reparanda perditio, in qua futuræ spei *x* damna numerantur, & vitæ perpetuæ infeliciter quæstus amittitur?

a. Edit. & Sorb. ms. *vitæ imitabilis institutor*: melius Rem. cod. ut in textu.
b. Codex Rem. & Sorb. *ponitur parvulis electio*: melius edit. proponitur &c.
c. Ita codex Rem. edit. vero, *in ipso voluntatis supplicium*. Minus concinne.
d. Edit. & ms. Sorb. *vindicta consensum*: codex Rem. *vindicta consensum*.
e. Rom. edit. sola, *& affectum negare redeunti*.
f. Edit. & cod. Sorb. *damnare potuisse, si de præteritis*: codex Rem. ut in contextu.
g. Ita codex Rem. edit. vero, *perditionis abscissio*. Non satis recte.
h. Edit. & ms. Sorb. *ut navis tuæ retinacula*: cod. Rem. *ac navis tuæ retinacula*.
i. Codex Rem. & Sorb. *& speciebus dubiis*.
x. Edit. *damna numerent*: melius mss. *damna numerantur*.

CAP. XII.

Eundum tibi est ad aerarium idonei largitoris: & fœnore pœnitentiæ ac satisfactionis oblatis usuris conscribe syngrapha, mitte chirographa, eme tibi ab illo aurum ignitum Dei dono, qualibuscumque, si non pretiosis, mercibus imple navigium, censum tuum in comparando illam pretiosam margaritam dependens, ex qua animæ tuæ turpitudinem possis ornare; ut cùm ad civitatem magnam, delatis mercibus, veneris, lucris dignioribus & mercibus beatissimis amplior sis. Nam si te segnitiæ stupor invaserit, & dominari sensibus cœperit corporis ignavia, nec ulla animæ tuæ reficiendæ argumenta quæsieris, subjicieris cruciatibus creditoris, obnoxius fœnori detineberis. Decetur liberalis illa sententia, quam non valebis tui conscius evadere, aut appellationis interjecta voce suspendere: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo*; & : *Servum supervacuum expelle foras in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Tunicam tuam vilissimi operis lanificio confectam non pateris induere: horret tibi vestis tua, quæ fit deformis ex macula; & non tibi horret anima tua, quæ fit peccati fœde & sceleris inquinatione polluta? Nisi quia eodem momento tunicam festinas eluere, ut possis eam mundam & sine ullo nævo fœditatis induere: animæ vero tuæ infectum squallore criminum non desideras recuperare candorem, nec optas diluti conscientiam suam, quam fecerat flagitiorum illuvie & contaminatione scelerum cœnulentam. Quis, rogo, cadit, & non quærit surgere? quis infirmatus, & non desiderat convalescere? quis periclitatur, & non optat evadere? quis pauper effectus, patrimonium non cupit reparare? Hæc si rerum patitur natura, ut hujusmodi contingentibus casibus, quispiam redire nequeat ad status pristini qualitatem, æmulare priora, ut discrimina percipias, dimitte manus, & semivigiles oculos stoliditate involve, obdormisce numquam evigilaturus, jace numquam surrecturus, & hebetem mentem stupore soporis elide. Pœnitebit te postmodum tarditatis, cùm nihil quod utilitati animæ tuæ proficiat, cogitaveris. Eris semper jacens infirmus, nudus, paupertate confectus, & ut ita dixerim, somni ebrietate sepultus, elogium illud quod numquam careas, auditurus: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt.* Exsurge, frater, exsurge; & male sani consilii pelle soporem: vigila, semper vigila, & esto pro tua salute sollicitus, non ut dormias desperatus. Cave nocturnum furem, ne domus tuæ perfodiat parietem, & meridianum jaculatorem sagittæ volantis evita: patet enim incursibus incauta securitas, & facile dormienti subreptitur, ut lethaliter feriatur. In vigilante fiducia est, in dormiente nihil tutum: convenit sobriæ menti somnum servum habere, non dominum. Refugit hostis, quem non invenerit dormientem: *Et beatus servus erit, quem adveniens dominus invenerit vigilantem*; quia dicit: *Surge qui dormis, exsurge à mortuis*, a & attinge Christum.

Matth. 25. 29. — *Ibidem 30.* — *Psal. 75. 6.* — *Ephes. 5. 14.* — *Matth. 24. 46.*

CAP. XIII.

Sed non audeo, inquies, orare, quia me revocat conscientia; non enim semel, sed sæpius & frequenter erravi. At ego dicam: Si te orandi revocat verecundia, peccandi desinat pertinacia, & fiat beneficium timoris, non desperationis causa, quod metuis. Reverere enim potestatem judicis non erit verecundiæ, sed pudoris; quia licet frequens sit peccandi licentia, excusabilis tamen efficitur conscientia, quam perculit in peccati recordatione timiditas. Exemplum Achab illius impiissimi regis te doceat; hic namque Naboth Jezrahelitæ vineam concupiverat, quod suæ esset possessioni confinis. Offert pretium, aut certe vicariam vineæ quantitatem: ille neglexit, asserens hereditariam se rem nulla in alterum posse ratione transcribere. Hac repulsa compunctus, tristis domum revertitur, quod appetitus sui libido recidisset incassum. Tum ejus mulier sacrilega Jezabel tristitiæ mariti causas requisit, quibus compertis, veluti saucio cordi ejus fomitem consolationis injecit: qua arte, compluribus concinnatis falsitate calumniis consilio impuræ mulieris, Naboth innocens lapidatus occiditur. Funesti voti sui mulier impleto flagitio, velut victrix ad maritum ingreditur, interempti exitio narratura lætitiam: quæ ne sola teneretur in crimine, egis astutiâ mulieris primitivæ, ut maritum ad conscientiam sceleris obligaret, & utrosque jugales conscios una facinoris catena vinciret. *Surge*, inquit, *posside vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi eam dare pretio, quia jam mortuus est.* At ille dolens materiam se præbuisse mortis occisi, facinoris inania perhorrescit, & mortis ejus causam flebili dolore lucrificat: discissis enim regalibus indumentis accingit se vestitu funereo, non tam conscientiæ reatui, quam pœnitentiæ primæ cogitationis adscitans. *Et factum est quomodo audivit*, inquit, *Achab quia mortuus est Naboth Jezraelites, disrupit vestimenta sua, & accinxit se sacco.* Vacare ergo potuit Achab effusi sanguinis culpâ; b quia de concepto, non de parricidio egerat pœnitentiam, & remanserat in profana muliere impietas homicidii, quæ pretio quodam cruoris effusi putavit se vineam debuisse mercari. Sed ecce sicut canis reversus ad vomitum suum, odibilis fit: oblitus Achab pœnitudinis suæ, statim deposito luctu, pergit peremti vineam possidere. Et perdit innocentiæ meritum, qui vineæ cupiditate pellectus, innexuit interfecti occisionis consensum. Mox ad eum increpandus Elias propheta mandatur, & sententia in eum cum indignatione depromitur, ut acta dudum pœnitentia frustraretur, & vindictæ occasionem tribueret sceleris geminata præsumtio. *Et ait Elias ad Achab: Hæc dicit Dominus: Ecce ego superinduco super te mala, & incidam post te, & exterminabo de Achab mingentem ad parietem, & inclusum & derelictum in Israel: & dabo domum Achab sicut domum Jeroboam filii Nabat, & quomodo domum Baasa filii Ahia, pro omnibus quibus irritasti Deum, & fecisti declinare Israel.* Verum ille cùm sententiæ ictum non valeret effugere, ad priorem pœnitentiam convertit repente consilium, reatum fletibus confitetur, exhinc dejecit regum porsuatum, saccum induit pœnitentiæ, & severitatis faciem comminantis, tacito gemitu publicabat offensam, non excusabat conscientiam. *Factum est*, inquit, *quomodo audivit Achab sermones hos, reversus est à facie Domini, & ibat flens,* A *& scidit vestimenta sua, & accinxit se sacco. Tunc dixit Dominus ad Eliam: Vidisti quemadmodum reversus est Achab à facie mea? Non adjiciam adducere mala in diebus ejus, sed in diebus filii ejus adducam.* En quonam perduxit timorem reverentia, & quantum severitatis motum fregit metus! Non orationis pompâ, non sermonis ornatu, nec eloquii copiâ placuit Deo: sed multis precibus lacrymarum. Os tacuit, sed cor ingemuit: oculis flevit, sed conscientia planxit, & verecundiam pœnitudinis pietas laudavit Auctoris. Parum fuit reum debitum evasisse supplicium, nisi accepisset reverentia probabile testimonium. Et probatus est in timore, qui damnabatur in crimine: nec prius quod mortem luxit occisi, mansit sua, sed repetitam identidem culpam iterata lamentatione purgavit.

3. Reg. 21. 15. — *Ibidem 26.* — b — *Ibidem 19. & seq.* — *Ibidem 27.* — *Ibidem 29.*

CAP. XV.

Nec Manasses quoque rex filius Ezechiæ tacendus est, qui cunctorum prætergressus audaciam profanorum, manus tetendit impias contra Deum, & paternis moribus degenerans, ex toto rex divinis cultibus idolorum caput erexit insanum. B Hic sacrilego furore possessus, in domo Dei exsecrandæ superstitionis aras instituit, simulacris dæmonum sacrificavit, templi sacra altaria lapideis figmentis c implevit, lucos excoluit, igni prophano filios suos dicavit, captavit auguria, vitam suam maleficiis inquinavit, populum ad idolorum observationes induxit, cæremoniis polluit, diabolo mancipavit, & omnia quæ divinis legibus prohibentur, ultra omnem insolentiam desperatæ mentis exercuit. Pro his tot tantisque flagitiis ductus in prædam, & vinculis innexus, gravatusque compedibus, pertulit captivi supplicium, atque in Babyloniam transportatus, impietatis suæ pœnas luit, ut divinam ultionem sentiret adductus, cujus numquam antea meminisset induratus. Denique congruo correptus flagello convertitur, & Deum in pœna constitutus agnovit, quem in regno positus antea non quæsivit. Profuit afflictio desperato, & correcta est in agnitione de stimulo correctionis improbitas. Fuit vindicta illa mentis perditæ medicina, & C multum saluti contulit castigatio, quæ ideo verberavit impium, ut Deo faceret acceptum, quem diabolus per impotentiam fecerat alienum: & animæ sanitati profuit, quod infectum fuerat vanitati. Hoc scripturæ dominicæ fides admittit: Et loquutus est, inquit, Dominus adversum Manassen & adversum populum, & non audierunt: & induxit super illos Dominus principes virtutum Assyriorum, & comprehenderunt Manassen, & alligaverunt eum vinculis & compedibus, & adduxerunt eum in Babyloniam. Et mox afflictus quæsivit dominum Deum suum, & humiliatus est nimis ante faciem Dei patrum suorum, & oravit ad Deum, & exaudivit illum Dominus, & revocavit illum in Hierusalem, in regnum suum. Et cognovit Manasses quia Dominus ipse est Deus. Ecce quantum repentinæ lamentationis ex corde converso peccatum suum flevit & diluit, & lacrymis tersit, quod nefas infecerat. Oravit tamen conscius reatus sui; & veniam meruit satisfactione mereri: usque adeo ut illa sacra quæ dudum pro- D fani actus contaminatione polluerat, in pristinum restitueret venerationem, & in cultum timoris Dei cuncta reponeret. Consummatione conversi impletum est propheticum illud divini oris oraculum: *Cùm conversus fueris & ingemueris, tunc salvaberis.*

4. Reg. 21. 2. & seq. — c — *Isai. 30. 15.*

CAP. XVI.

Sed quid ego eorum regum faciam mentionem, quos electi generis origo laudabilis non sinebat ab urbe sacræ religionis pessima persuasione discedere, cùm Nabuchodonosor ille feralis d & alienigena principalis divina animadversione mulctatus sit; ut per emendationem vindictæ cogeretur agnoscere, quem sacrilegiis ausus fuerat abnegasse, & virtutibus eum crederet, quem per ferociam spiritus ante nescisset, usque adeo ut qui elatus spiritu pervicaci Deum se non timuerat antea prædicari, non auderet postmodum super ejus incomparabili majestate mentiri; cùm ingenti in se facti admiratione correctus, non desiit solum Deum verum ex toto corde, decretisque præconantibus confiteri? E Sed si male tibi conscius reveretis orare, habes magisterium publicani; cesi suspectum geris, ne cùm pro peccatis tuis oraveris, non merearis audiri. Ingressus ille templum fuerat peccatorum mole decurvata cervice, & oculorum palpebris gravi morbo iniquitatis compressis, cælum non audebat adspicere: retro gradum timidus revocat, & extremum se non tam loco, quam judicio conscientiæ sistit: nec ad supplicandum irreverenter pedem incitat promtus audacia, sed vestigiis modum subtrahit; e publicans verecundiam reum pectus percussum crebro commemorat, & cor conscium pugni admonitione contundit. Audiebantur oris ejus non verba, sed gemitus; & quinque tantum sermonibus celebrata est tota confessio. Hoc Dominus in Evangelio manifestat, homines duos adscendisse in templum adorare: unus erat pharisæus, & alter publicanus: pharisæus autem cùm stetisset, talia apud se præsabatur dicens: *Deus, gratias ago tibi; quia non sum sicut ceteri homines injusti, raptores, adulteri quomodo & publicanus iste. Jejuno bis* F *in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. Publicanus autem de longe stabat, & neque oculos in cælum volebat levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Sed adverte quid de inspectore cordis exegerit reverens supplicatio: verecundia mercede munifica sensit Deum, quem cupiebat habere propitium. Et statim meruit justificari verecundia, quæ probata est in humilitate confessa, Domino dicente: *Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam, magis quam ille pharisæus; quia omnis qui se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

d — e — *Luc. 18. 10. & seq.* — *Ibidem 14.*

CAP. XVII.

Ubi deinde ponis exemplum mulieris illius peccatricis, quæ crimina sua non verbis visa est exposuisse, sed lacrymis, cujus cùm orando tacuerit lingua, pœnitentiæ officio confessa est conscientia. In domo namque pharisæi cujusdam Dominus recumbebat, & præparaverat velut homini temporaneum f invitato ille convivium. Hoc reperiens mulier prostituta, pharisæi domum audacter ingreditur, atque ad pedes Domini recumbentis adsistit, lavat lacrymis sancta vestigia, capillis extergit, osculatur incessabiliter plantas, & pretioso pedes madefacit unguento, atque omnibus pene membris quibus ante pec-

f

a. Edit. Gill. *& attinge Christum*: Rom. *& adtinget Christum*: mss. Rem. & Sorb. *& adtinge Christum*.
b. Codex Rem. & Sorb. *quia de concepto*.
c. Edit. & cod. Sorb. *implevit, captavit auguria*: quæ vero his inseruimus, ex codice Rem. mutuati sumus.

d. Rom. edit. è marg. Gill. *& alienigena princeps*. Infra vero utraque in corp. *quem sacrilegum fuerat*, ubi Rem. codex, *quem sacrilegis* &c.
e. Ita codex Rem. edit. vero, *publicani se verecundiâ reum, pectoris pulsatio percussione crebro commemorat*.
f. Edit. *invitatur*: codex Rem. ac Sorb. *invitato*.

caveraz

Psal. 34. 10. careat, scelerum suorum maculas expiabat. Tunc Dominus apud quem ossa nostra discreta sunt, propheta dicente: *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* obtrectantis pharisæi murmur obverterat, occultam mulieris cogitationem, sed manifestam fidem admirabili probatione collaudat: & præfert apparatibus invitantis confitentis obsequium, magis delectatus mulieris facto, quam prandio, cui plus fuit conversione delectari, quam pasci, ut qui cibi desiderio minime ducebatur, confessionis epulis pasceretur: *Vides*, inquit, *hanc mulierem? Intravi in domum tuam, osculum mihi, & aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et conversus ad mulierem dixit: Dimissa sunt tibi peccata tua.* *Luc. 7. 45. & seq.* Parvum est hoc? Postmodum autem vide quid addat: *Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Dudum peccatrix, absoluta mox filia, & in Domini pace confestim absoluta dimittitur, quæ suorum bello criminum vastabatur. Hoc est illud propheticum oraculum: *Cùm conversus fueris & ingemueris, tunc salvaberis*; & : *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris.* *Isai. 43. 26.* Cùm ergo tot ac talibus documentis agnoscas delectari pœnitentiæ sacrificio, nec contriti cordis & humiliati spiritus apud pium judicem veniæ petere mercedem, Scriptura dicente: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus* non spernit: *Psal. 50. 19.* a cur non de profundo luxuriæ, & de mundanæ voluptatis gurgite festinas emergere, atque ad pœnitentiæ officia capessenda ex temulentis actibus respirare? Nec putes quòd te ab ipso elongaveris, ideo autem sibi ejus occludi: mox ut pulsaveris, fores aperire, & in septa cortis suæ miserandum miseratus includet: tantum est ut doloris tui querela flectatur! Quanto tu procul abscesseras, tanto celerius proximabit, propheta dicente: *Proximus est Deus tribulatis corde, & humiles spiritu salvos faciet.* *Psal. 33. 19.* De quibus Dominus in Evangelio: *Beati*, inquit, *plangentes, quia ipsi consolabuntur.* *Matth. 5. 5.*

CAPUT XVIII. Sed aspera tibi fortassis videtur post voluptates sæculi pœnitentia. Verum est, sentio valetudinis tuæ vitium, video animi tui morbum: sed si curari desideras, medelæ impetum non attendas, nec expavescas remedium: cùm admoverit tuo vulneri ferramentum, celerior cura sectionis efficitur. Nam pessime sedulitas medendi palpatur, cùm non continuo supperata labes abscinditur. Amarus est gustus antidoti, sed vitale ac salutare est, quod est faucibus infusum. Curat nos Dominus non ut cæteros, extraneos sibi faciat quoscumque sanaverit delinquentes. Omni hora, omni die in curandis intentus, nec retardatur tempore, nec ullis morarum obstaculis b impeditur. Plane tunc ejus virtus impeditur, cùm non inventus fuerit, qui curetur; vacat enim necesse est beneficium Domini, cùm non exstat, cui debeat misereri. Aspera est castigatio pœnitentiæ, sed lenior efficitur, si modus culpæ tractetur. Jampridem te mundialis pompæ oblectabat ambitio, & in servum te sibi dominatus sæculi vindicabat, nunc in luxuria remissum, nunc in vinolentia demersum. Hi te modo exercitiis aleonis intentum viderunt, alii ad ganeandum, alii in scortum projectum, isti lupanaribus mancipatum, unguentis oblitum, aromatibus delibutum, & peregrinis cernebant oculis infectum. Splendebas vestibus, auro fulgebas, gemmis & pretiosissimis margaritis ornabaris. Vicem ergo vici restitue, & sero saltem compensationem temporum temporibus redde: reciprocam vitam tuam in utroque actu æquali moderatione partire. Fuisti tunc diaboli, esto nunc Dei; immo vero esto jam tuus, qui dudum fueras alienus. Et forsitan si consideres, multum temporis decoxisti; ut id quod residuum est, breve tempus angustet. Vaca jam tibi, non tempori: vaca, dixi, non ut torpeas, sed ut negotio confessionis insistas. Revertere in viam à cujus semitis aberraveras, damna quæ gesseras, quære quod fueras. Primo te ipsum inveni, ut quod quæris invenias; & si te inveneris, abs te ipso nihil quæras. Saccum indue, cinerem adsperge, in jejunio semper ora, in oratione jejuna. Pretiosa magis hæc sunt, quibus corpus afficitur, ut pulcritudo animi reparetur. Horret humilis vestis, sed hoc valde decet, quod Deo non displicet: vilis est corporis cultus, sed ipse præcipuus sanctitatis ornatus. Et adhuc de indignitate forsitan quereris indumenti, qui nuptialem tunicam perdidisti? Et cùm appareas fœditatis tuæ nuditate deformis, non cogitas qualiter identidem vestiaris? Non metuas, quæso, ne cum illo qui ad regiam cœnam vocatus intravit, à convivio recumbentium simili exprobratus damnatione pellaris, & audias dici tibi: *Amice, quomodo huc venisti, non habens vestem nuptialem?* *Matth. 22. 12.* Et cùm argumentum non reperteris excusandi, dicat: *Tollite eum ligatis manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores; illic erit fletus & stridor dentium.* *Ibidem 13.* Et utique ille, quia non quæsierat, aut acceperat, dicitur abjectus, vocatus enim intravit, sed non vestitus accubuit. Si ergo is qui numquam habuit, taliter, quia non quæsivit, exivit; qualiter jam puniendus erit, qui tunicam accepit, & perdidit, & vestiri iterum non potuit?

CAP. XIX. Luc. 15. 13. & seq. Sed, credo, dubitas amissum non posse reperi vestimentum, aut ab eo qui nuper dederat, cùm petieris, posse negari. Intuere in Evangelio filium juniorem perdito patrimonio mendicantem, usque eo fuisse perductum, ut egestatis impulsu pastor vellet esse porcorum. Is summa inopia & egestate confectus, cùm nec porcorum vesci pastibus sineretur, reversus ad pristinam mentis propriæ sanitatem, prioris ævi cœpit desiderio conflagrare, & paternæ domus abundantiam cogitans, reatum suum conversionis animadversione damnare. Habito igitur tandem pœnitenti tractatu, & secum in corde satisfactionis arcano loquutus, velut postliminio ad lares patrios nudus exsulque revertitur. Tum ille pater, qui cogitantis viderat in corde consilium, antequam verba perditus filius in confessione perfunderet, affectum dolentis anticipat, & misericorditer suscipit redeuntem. In collum ejus irruit, osculis reconciliat, & adhuc trepidum, nihilque loquentem e pater mire confirmat. Sed ille consultissimus pœnitens, & confessione egregius de voto patris securus, atque adhuc de sua satisfactione suspectus, meditatum confessionis ordinem pandit, & verbis explicat, quod corde summaverat: *Pater*, inquit, *peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* *Luc. 15. 21.* Placatus itaque pater precibus confitentis, stolam primam mandat afferri, & statim tradum præcipit amisso super indumento vestiri. Dare jubet & annulum, symboli reparat sigillum, pedes includit munimine præceptorum, & in reparatione ejus mactari jubet vitulum saginatum, hoc est, pro reconciliato offerri imperat gratissimum sacrificium, quod esset acceptum & cælo & exercitibus Angelorum. Exierat in germani odium fratris severior pertinacia, exprobrans crimina recepti major filius contradicit. Mandatum non revocatur, pietas patris non mutatur, frater ejus adseritur, filius nuncupatur: & plenum patris in se provocavit affectum, qui perfectum habuit in pœnitendo consilium. *Jucundatus*, inquit, *sum & gavisus, quia hic frater tuus mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est.* *Ibidem 24.* Vides ergo converso filio stolam pristinam pœnitentiæ meritimonio restitutam, & votis omnibus celebrasse patrem reditum confitentis. Patrimonium enim perditum baptismi insinuat sacramentum, in quo sunt cuncta ædificia cælestium constituta regnorum. Hoc ille filius, hoc est, fidelis christianus libertatem patris indeptus, libidinis ac luxuriæ contagione perdiderat, & longe à Deo suo positus, probrosis se actibus tota fœditate polluerat, ac diabolo mancipatus, cui se perditissima conversatione dediderat, porcorum, hoc est, immundorum spirituum cœpit exercere pasturam, quorum cùm non permitteretur cibo depasci; quia per carnis obcœnitatem dæmoniacis non poterat siliquis ingurgitari, utrobique desertus, & undique destitutus, bonæ frugis inopia defessus desudabat. Sed reversus, omne illico quo fuerat privatus, accepit, & in concordiam patris reparatâ substantiâ prioris possessionis remansit. Revertere ergo & tu, frater, revertere, & ex mortuo revivisce, & ex perdito reparare.

CAP. XX. Quærit ovem suam bonus pastor errantem, & amplius de inventa, quàm de non perdita gratulatur. Humeris revehit ipsam, in gregis sui consortio reponit, ipsam diversorio priscæ securitatis includit: nec attendit relictarum numerum, qui quærebat ex reparatione unius perditæ complesse integrum centenarium. Drachmam perditam mulier vehementer inquirit, lucernam accendit, domum scopis emundat, & caras pariter ac vicinas invitat ad gaudium inventæ drachmæ. Et putat aliquis Deum non lætari de reparatione conversi, cùm parabolam videat specialiter in personam pœnitentis aptari? ipso dicente: *Dico vobis, sic erit gaudium coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* *Ibidem 10.* Animadverte tandem sententiam illam Domini singularem, qua dixit: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* *Matth. 9. 12.* Vocat ergo Dominus ad pœnitentiam peccatores, & optat medicus noster languidis magis prodesse, quam sanis. Sed non ideo justos præterit, quia peccatores adsciscit: nam justorum vita divina vocatio est, sicut nonaginta & novem oves in montibus dereliquit, qui unam erraticam requisivit; illis debitum reddens justitiæ præmium, illis beneficium misericordiæ collaturus. Hoc Apostolus probat dicens: *Ei autem qui non operatur, & credit in eum, qui justificat impium, accepta est fides ejus in justitia secundum propositum gratiæ Dei.* *Rom. 4. 5.* Denique Dominum audi quibus jaculis in Evangelio feriat corda peccantium, & intelliges quanti fecerit pœnitentiæ sacramentum. *Aderant autem*, inquit, *qui ei nuntiarent de Galilæis, quorum Pilatus sanguinem miscuit cum sacrificiis eorum. Tunc dicit illis Jesus: Putatis quia isti Galilæi præ omnibus Galilæis fuerint peccatores, quia talia passi sunt? Dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* *Luc. 13. 1. & seq.* Aut illi decem & octo super quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos, putatis quia præ cæteris peccatores fuerint, qui habitabant Hierusalem? *Dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et subjecit ad probationem rei comparationis exemplum, ficulneæ arboris faciens mentionem, quæ fructu sterilis & infrugifera jubetur abscindi: sed interventu coloni interitum differt permittitur, donec congruis circumfossa culturis, adhibito cophino stercoris, ad proferendos fructus pœnitentiæ differatur. Porro si arbor quæ generis sui fructum nullum edidit, ante tempus præcepta est amputari, quasi jam ferramento truncanda, vel securi cædenda est, quæ vepribus obsita, & spinis alienigenis constipata, nullam habuit in sui restauratione culturam? Nam exemplum arboris similitudo est hominis fidelis, qui fidei suæ fructu jejunus, nihil quod ad futuræ spei lucrum proficeret, cogitavit; plantata enim in vinea fertur, quæ vinea specialiter designat Ecclesiam, in qua arbor fertur illa plantata: sed cultor hujus vineæ illius Sacerdotis personâ videtur exprimi, qui scrobem infructuosi plantarii culturâ dominicorum exerceat præceptorum: & stercoris cophino pœnitentiæ designatur officium. Quod si inventus in ea fructus post dilationem temporis omnino non fuerit, convulsa in futuro radicitus exarescere, hoc est, futuro abscissa judicio tamquam ligni inutilis abjecta materies, pabulum effecta æterni ignis ardebit: quamquam d hoc & de Christo possit & de plebe Judaica subaudiri.

CAP. XXI. Credo tuis sensibus his probationibus, quæ studio de infirmis ingenti ad erigendum animum tuum suscitandumque protulimus, satis abundeque claruisse, ita Deum misericordiæ fontem nolle interitum peccantium, sed flagitiosum magis habere correctum; ut quanta numerantur offensæ, tanta sit actio pœnitentiæ. Non desperet reditus sui reformationem celerem, qui audiat ipsum Dominum peccatori pœnitentiam suadentem. Hoc expressius Apocalypsis beatissimi Johannis exponit, in qua Ecclesiarum Angelos increpat, ut pristinis fraudati erroribus ad pœnitentiæ lamenta currerentur: nam probatur sic Dominus nullius desiderare ruinam, qui cadenti ingerit pœnitentiam. Angelo denique Ecclesiæ Ephesi: *Memento*, inquit, *unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac prima opera: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* *Apoc. 2. 5.* Et ecce tamen Angelus dicitur, cui pœnitentiæ cura converfioque mandatur,

a. Edit. Gill. nec de profundo: Rom. si de profundo: codex Rem. cur nec de profundo.
b. Ita cod. Rem. edit. vero, & ms. Sorb. impeditur, cum inventus fuerit, &c.
c. Codex Rem. patris fore confirmat.

d. Edit. & ms. Sorb. hoc de Christo possit in plebe. Et infra, his probationibus claruisse, quæ studio de infirmis ... protulimus, abundeque claruisse; Rem. ms. utroque loco, ut in contextu.

& ad priora opera perficienda suadetur, ut nihil amisisse ex totis suis meritis intimetur. Gravius tamen minatur admonitio pœnitentiam non agenti, si contumaciam pertinaciter induxerit; erit enim inexcusabilis severitas ultionis, si cervicem indomitam non flexerit prima correctio: & malo suo peribit, qui comminantis auctoritate præmonitus, satisfactionis jugo pervicacia colla non subjicit. Rediturum eum sane ad statum pristinum prodetur, qui ad veræ vitæ stadium decurrendum digna confessionis humilitate corrigitur. Hoc uberius paulo posterius declaratur, cùm Angelus Ecclesiæ Thyatiræ objurgationis verbere castigatur. *Apoc. 2. 20.* *Habeo*, inquit, *adversùm te multa, quia dimittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheti sam, & docet, & seducit servos meos fornicari & manducare de idolothitis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere à fornicationibus suis: & mittam illam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione magna erunt, nisi pœnitentiam egerint ab omnibus operibus suis: & filios ejus interficiam gladio; & scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutator cordis & renum, qui reddo unicuique secundùm facta sua.* Quid vero potest humanius, quid clementius dici? *Et dedi*, inquit, *illi tempus ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere.* Non habes, peccator, non habes quod excuses: non est quod cum causa dubites, non est quod sine causa desperes: his te ad confitendum exemplis accingere, his ad pœnitentiam documentis armare.

CAPUT XXII.

Differt enim Dominus pœnam, ut inveniat pœnitentiam: & moratoria utens spatiis, protelat patientiam; ne amittat clementia, quod debuit fieri censurâ. Non præterita mala spectat, nec errata computat, sed correcta collaudat. Habes promissum ad pœnitentiam suadentis sibi, si non pœnituerit, imputabit: *Hier. 3. 1.* *Et dedi illi*, inquit, *tempus ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere.* Huic simile propheticum illud: *Et dixi, postquam fornicata est omnia hæc: Ad me revertere, & noluit ad me reverti.* Ceterum si te in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus abjeceris, aut itineris tui dubitaveris repressio gradu exstirpare congeriem, vel sinistræ mentis prolapsu declivior in pronum vergentia adducas lubrica exercitatione vestigia, illico tibi spes amissa reparationis adimitur, rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum, claudentur oculi tui nocte peccati, ne veri luminis videant radium permicantem; mortis se cæcitas opponet, & per ludum quemdam huc atque illuc te circumducent angeli deceptores. Fient tibi grata cuncta flagitia, & peccandi licentia sibi penitus adhæsere: tenebit te *a* diabolus sub spe libertatis addictum: ut sit tibi liberum peccare, non vivere. Nec fines te respicere ante qui fueras, cùm blandimento peccandi, dulcedine te criminum pellacissimus avocaverit: & ut semel dixerim, ita te peccandi suavitate decipiet, ut delectabilius tibimet videatur perire, potius quam redire. Omne namque peccatum absque sui delectatione non geritur, *b* nec alias inviscare animum potest, nisi suavitate desiderii illiciat, quem deceperit; dulcis enim mixtura, & suavis sit necesse est faucibus lethalis poculi funesta confectio, ne amaritudinis prima libatio revocet haurientem. Sic denique visum est mulieri primitùs bonum esse ad aspectum & dulce ad cibum arboris illius venenum, cujus postquam mentita est suavitas labiis comedentis, infecit morientis haustus violenta subtilitas, quod vigens ac vividum manebat, extinxit; & in contrarium per intemperantiam recedentibus votis, ad exsilium mundi & spectaculum sæculi de paradiso beatitudinis & prædio securitatis ejecit.

CAPUT XXIII.

Oro te, frater, hæc metuas, fugias & expavescas; nec patiaris inimicum de tua perditione gaudere, & in conspectu Dei supercilium efferre victoris. Cave seditum septem spirituum immundorum, quibus se ducem malorum omnium sociavit octavus. Et cùm unum nemo patiatur diabolum, quis octo sustinere valeat dominatum? Domino dicente: *Matth. 12. 43.* *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, perambulat loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, à qua exivi: & reversus invenit eam vacantem, mundatam scopis, & compositam. Tunc vadit & adducit secum alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitabunt illic: & fiunt novissima illius hominis pejora prioribus.* Si te obsidione bellica septum manus accepisset hostilis, & sub incursione barbarica tenuisset prædonis arma captivum, quos fletus ederes, quos ejulatus dares, quæ lamenta jactares? Ageres omni die nocteque suspirium, non cibum quæreres, potum non desiderares, fiti exhaustus & fame enectus, sola in te asperæ cutis ariditas & rugosa macies appareret, rigeret concreta sordibus coma, & hirsuta cæsaries squallentis verticis, promissæque barbæ impressi artus horrerent, patrimonium redderes redemptoris sub gladio, districtus ambulares nudus, pauper atque omni sensu evolutus: quæsisses evadere, aut si fugæ aditus præberetur, sub maximo incertus discrimine meditareris periculum superare. Captivum te tenet auctor scelerum, vinculis non ferreis, sed catenis habet criminum te ligatum: compedes tibi libidinis imposuit, & undique te sepsit arctiori custodia: legem tibi dedit ut licitum putes omne, quod non licet: vivum te æternæ mortis fovea demersit; & non ingemiscis salutis tuæ damnum, spei æternæ dispendium, & vitæ perpetuæ detrimentum? Incedis comtus ornatu vestium, celebras opulentis cibis refectiones, vino mades, pinguificas epulis quotidianis animam, & totosi corporis excolere non quiescis ingluviem, ut interim de cæteris criminibus taceam. Putas etiam, putas & hoc non esse animadversionis divinæ, ut nescias quemadmodum debeas de tuis sceleribus pœnitere; Apostolo probante, qui ait: *Rom. 1. 28.* *Propter quod non habuerunt Deum in notitia, tradidit eos in reprobum sensum, facere inconvenientia:* & iterum: *2. Thess. 2. 10.* *Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, ut salvarentur, misit Deus illis operationem erroris, ut judicentur qui non crediderunt veritati.* De talibus denique metuit, ne veniens Corinthum lugeret *2. Cor. 12. 21.* multos ex his, qui non egerunt pœnitentiam ex immunditiis, quas fecerunt, & fornicationibus, & libidine.

CAPUT XXIV.

Cogita divitis illius opiparas cœnas, & copiosarum dapum uberem affluentiam, purpura, murice pinguiori, & textilibus inclusi serici nitoribus, totum de spe præsentis temporis, nihil tamen de futuro tractantis. Quid illi post ista omnia reponatur, ausculta. Post purpuram flamma, post epulas egestas, ut aquæ guttulam quæreret, qui guttam antea pretiosi nectaris exhibisset, & ab eo peteret, nec tamen acciperet, summitatis digiti humentis solatium, cui in sæculo micas suarum negaverat epularum. Confitere, quæso, cuncta quibus reum te memineris, confitere, & faciem Dei præveni satisfactionis officio, humilia ante eum cor tuum, & in conspectu ejus curva cervicem: flecte genua, & eliso vultu terræ prosternere. Suscipiet gemitum tuum cælestis ille promtus advocatus, & non prætermittet pro te interpellare Patrem suum, qui fidum præbere consuevit pœnitentibus patrocinium. Causam suam *c* uno argumentis ad præscriptum genus eloquentiæ peroratit, illico impetraturus veniæ beneficium, qui de superato non exspectat aliquod honorarium. Hoc Apostolus probat, dicens: *Rom. 8.* *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, verum etiam & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis.* Concinnens Johannes Apostolus beatissimus in epistola sua venit & dicit: *1. Joan. 1. 8. & seq.* *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est: si autem confessi fuerimus peccata nostra, & fidelis, & justus est Deus, qui nobis peccata dimittat, & mundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis: & si quis peccaverit, habemus advocatum apud Patrem Jesum, & ipse exorat pro peccatis nostris.* Omne quod Dei Filius dominus Jesus Christus, qui est via, veritas & vita, loquutus est, lex est: & sub exemplo sui fieri docuit, quod nobis in scripto mandavit; neque enim à nobis fieri aliquid vellet, quod aut ipse non fecerit, aut quod ei in nobis facientibus non placeret. Sed nec displicere posset quod ipse mandasset; quia qui mandasset, ipse antea fecisset. Inanis enim fieret doctrina mandati, si in facto doctoris non pareret auctoritas: sed quidquid Dominus præcepit, & fecit, inane non erit quod sub imitatione sui faciendum esse mandavit. Idem ergo Dominus discipulis hæc custodienda proposuit: *Luc. 17. 3.* *Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, dimitte illi: & si septies in die peccaverit in te, & septies revertatur ad te dicens: Pœnitet me, dimitte illi, & dimittetur tibi.* Atque cùm à sancto apostolo Petro fuisset in causa consultus, & diceret: *Matth. 18. 21.* *Domine, si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam illi? usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Qui ergo dimittenda septies fratri in nos peccanti debita nobis donare imperat, erga nos formam præcepti sui non servat? Aut qui dixit: *Osee. 6. 6.* *Misericordiam plus volo, quam sacrificium;* misericordiæ nobis potest negare thesaurum? Hoc est, quod exoratâ prius veniâ dixerim, credere dominum Jesum cuncta quæ docuit, fuisse mentitum, si circa nos formam custodire suorum noluerit præceptorum.

CAPUT XXV.

Et bene quod repente aptat huic sententiæ de comparatione parabolam duorum scilicet servulorum, de quibus unus cùm ob debitum numerosum, ære decocto, una cum uxore & filiis distrahi juberetur, & patientiam Domini prostratus ejus pedibus exoraret, ut tributo sibi spatio, omne debitum reddidisset, meruissetque misericordiâ Domini cuncta sibi donari: qui sub conditione tali ad cruciatus detinebatur addictus, ipse conservo suo debitori noluit misereri; quia oblitus est collocati sibi nupertime beneficii: statim tortoribus traditur, & de ejus cruciatibus idem, quod dudum fuerat donatum, exigitur. Inde est quod Dominus hujusmodi orandi ordinem posuit dicens: *Matth. 6. 12.* *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* ut causa scias posse tibi dimitti, quantum tu proprio dimiseris debitori: immo verò ut tibi parcere videaris, cùm alii obsecratus ignoveris. Nam judicio tuo procul dubio judicaberis, si dimitti tibi ipse cupiens, alii dimittere nolueris, Domino dicente: *Matth. 7. 2.* *In quo judicio judicaveritis, in eodem judicabitur de vobis: & in qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Legas volo intentius prophetæ Zachariæ principium, & illic quo terribilius animeris, invenies. *Zach. 1. 2.* *Iratus est*, inquit, *Dominus ad patres nostros ira magna.* Quis non hoc audiens contremiscat? quis non hujus vocis tonitru perterritus aresceret? aut quem sensum non hæc indignatio intimata turbaret? Quis enim status teneri poterat sanitatis, ubi tam vehemens ira denuntiabatur Auctoris? Et parum fuit dixisse iram, nisi denuntiaretur & magna, quasi si non esset magna, sustineri ejus posset vel lentior iracundia. Sed videamus quem exitum pronuntiet tanta commotio. Credo, dixit, bellicis vos inquietabo tumultibus, & captivitatis vos sæva ditione multabo, fame vos afficiam, morbo quatiam, morte consumam, ferarum atque bestiarum rapiet inopinata vastatio, profugos & ubique dispersos agitabit exsilium. Hoc enim intellectui relinquitur, ut iram magnam vehementior vindicta sequatur. *Iratus est*, inquit, *Dominus ad patres nostros ira magna, dicens ad eos.* *Ibidem.* Quid dixerit audiamus: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* O indignationem de pietate manantem! ô magnam iram, quæ infert misericordiam! Rogo qui sic irascitur, quemadmodum miseretur? Aut si ita miseretur, quemadmodum *d* indignatus irascitur? Hoc alius propheta proloquitur: *Osee 14. 2.* *Revertere, Israel, ad Dominum tuum, propter quod infirmatus es in iniquitatibus tuis. Dicite ei: Potens es remittere peccata nostra, non ut accipiatis iniquitatem, sed ut accipiatis bona, & reddite ei fructus labiorum vestrorum, & epulabitur in bonis cor vestrum;* & alibi: *Esai. 46. 8.* *Redite*, inquit, *filii desertores, dicit Dominus;* & iterum: *Hier. 3. 14.* *Revertimini, filii revertentes, & sanabo tribulationem vestram.* His consona David beatus peccatorum solatia decantavit dicens: *Psal. 105. 1.* *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.*

CAPUT XXVI.

Nec hoc dixerim, ut laxiores admodum *e* videar habenas dedisse licentiæ, & sub veniæ divinitus tribuendæ prætextu peccandi magis fomitem Auctoris pœnitentiam præbuisse; hoc enim sermone meo cadentem erigo, stantem non impello: nec præjudico innocentiæ, qui exhortor ad pœnitentiam peccatorem. Siquidem, ut supra jam diximus, innocentia exigit de Deo debitam vitæ suæ præmium: pœnitentia vero exspectat misericordiæ beneficium; non peccare enim timere est, pœnitere vero plusquam timere. Nam plerumque offensionibus subjacet secura felicitas: cautior autem ad evitanda præterita efficitur, quem metus emendat; quia sollicitior semper erit, qui cavet ne identidem

a. Ita us ex Regi. edit. vero, *diabolus sua libertate addictum.*
b. Ida. *nec alias ausferre*; codex Rem. *nec alias inviscare.*
c. Codex Rem. & Sorb. *non argumentis, & præscriptum genuino patientia peroraset. . . . qui de susceptis non exspectat aliquod honorarium.*
d. Codex Rem. *indignatus irascitur.*
e. Idem codex, *videatur habenas dedisse licentia.*

ibi incidat, ubi jam antea cecidit. Sic gubernatorem facitunt pericula experta sollicitum, & in officiosos portus nonnumquam veretur intrare, qui vel semel incurrerit ex securitate naufragium. Denique scriptura divina: *Qui non tentatus est*, inquit, *qualia scit?* ut ostenderet per tentationis causam tentatum semper effici cautiorem, & per timorem magis corrigi, qui incautus antea fuerit tentationis scientia. Usque adeo autem peccantibus Dominus optat ignoscere, qui non vult mortem morientis, quantum ut revertatur & vivat; ut quos pro facinoribus suis aliquoties destinat pœnæ, interpellatus pœnitentia, illico festinet absolvere: & ut recondat in vagina machæram, commutat animadversionis satisfactione sententiam.

Ezech. 33.

CAPUT XXVII.

Hierem. 18. 1. & seq.

Et quamquam hoc ex Ninivitarum facto superius sit probatum, tamen etiam Hieremiæ prophetæ super eo accipe testimonium; ut ex testimoniis pluribus tibi probetur exemplum. *Sermo*, inquit, *qui factus est à Domino ad Hieremiam, dicens: Exsurge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse opus faciebat super lapides, & cecidit vas quod ipse faciebat in manibus suis; & iterum fecit illud vas aliud, sicut placuit coram ipsa facere. Et* B *factus est sermo Domini ad me, dicens: Sicut figulus iste non potero vos facere, domus Israel? Ecce sicut lutum figuli vos estis in manibus meis: & tantum si loquar super gentem aut super regnum: ut tollam eos, & ut perdam eos. Et si conversa fuerit gens illa à malis suis cogitationibus, pœnitentiam agam pro malis, quæ cogitabam ut facerem eis, & non faciam. Et tamen si loquutus fuero super regnum aut gentem, ut readificetur & circumplantetur; & fecerit iniqua in conspectu meo, ut non exaudiat vocem meam: pœnitentiam agam pro bonis, quæ loquutus sum ut facerem eis, & non faciam. Et nunc dic ad viros Juda, & inhabitantes Hierusalem: Ecce ego fingo mala super vos, & cogito super vos cogitationem. Convertatur unusquisque à via sua maligna, meliores facite cogitationes vestras.* Suadet ergo figulus noster à viis pessimis & cogi- C tationibus nos malignis averti, ut conversio pœnitentiæ in aliud vas possit fracturas nostras vitaque plasmare. Et vult operis sui substantiam non perire in pœnitentiam; ne sententia reum teneat, quem confessio excusat. Huic consonat Sapientia Salomonis: *Sed misereris*, inquit, *Domine, omnium, quia omnia potes, & negligis peccata hominum propter pœnitentiam; subest enim tibi cùm voles posse, & cùm sis omnium dominus, omnibus te parcere facit.* Convertamur ergo & confiteamur Domino, cùm in hoc sæculi degimus commeatu, & judici nostro pœnitentiæ viaticum præparemus. Non sint temporis nostri otiosa curricula, nec nos nati ad peccandum, sed ad bene agendum convivamus. Aut si peccato fuerimus obnoxii, quoniam deesse non potest in hoc mundi theatro quin peccemus, reminiscamur nostri, ut evadere gehennæ præcipitium cupiamus. Pœniteamus ergo ex fide, oremus ex corde, ploremus ex viscere. Et sicut Propheta dicit: *Adoremus & procidamus & ploremus ante Dominum, qui fecit nos*: quia *qui seminant in lacrymis,* D *in gaudio metent.* Felix, heu nimium felix officium lacrymarum, quo futuro tempore colliguntur præmia! & beatum seminis incrementum, quod in fletu profunditur, ut in lætitia metatur! Scriptum est enim: *Felix homo, qui agnoscit ululatum suum.* Levemus oculos nostros ad montes, unde veniet auxilium nobis; quia *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ: sic & oculi nostri ad dominum Deum nostrum, usque dum misereatur nobis.*

Sap. 11. 24.

Psal. 94. 6.

Psal. 122. 2.

CAPUT XXVIII.

Eccli. 5. 8.

Eccli. 21. 1.

Rom. 6. 12.

Neque ita conversionis nostræ consilium temporis delectationibus prolongemus, ut sub scientia peccandi & delectatione pereundi usque ad extremam ætatem nos in voraginem criminum demergamus; cùm vivendi nobis usum à divina dignatione collatum qui terminus claudat, habeatur incertum. Et forsitan hoc quod aut primum putatur, aut medium, imminentis occidui meta jam limitet, fitque debitus finis E indignantis Domini ex conversionis tarditate vocatio; quando quidem ex admonitione rumpendarum in conversione morarum propositum videatur oraculum: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim venit ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te*; & iterum: *Fili, peccasti, ne adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur; & ne adjicias peccatum super peccatum, & dicas: Miseratio Dei magna est; misericordia enim & ira ab illo.* Nec nos usque ad mortem fieri mancipia patiamur, & demus corpora nostra scelerum ditioni, sed obediamus Apostolo dicenti: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei*; ut quia peccata deesse non possunt, certe non regnent, hoc est, ne sine respectu evadendi fiat abrupta licentia peccandi. Aut certe si putat aliquis restare sibi tempus ut peccet, & satiata libidine cùm jam imperassent animo corporis vires, tunc ad pœnitendi redire judicium, ultimum vitæ suæ mihi F tempus edicat, quo calculante, didicerit, quo insinuante cognoverit; ut jure sibi, ut ita dicam, de temporis spatio blandiatur. At cùm nobis inopinatus sit exitus terminalis, & vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula; quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat, cùm utique audiat dicentem Scripturam: *Vivens & sanus confiteberis & laudabis Deum, & in partem vadet sæculi sancti cum vivis & dantibus confessionem.* Dilatio enim temporis confessionem teret, & non desperationem generet; quia exaggeratur in dilato damnatio, qui divinam patientiam pertinaci animositate cogitat. Quod sancti Noe temporibus docetur effectum, cùm per centum annos protracta patientia implacabilem per mundi ambitum fodit cataclysmum, inundante censura. Unde beatus Apostolus ait: *An numquid opulentiam bonitatis ejus, & longam patientiam contemnis, ignorans quod Dei bonitas ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum facta sua.*

Eccli. 17. 27.

Rom. 2. 4.

CAPUT XXIX.

Volo dicas mihi, quæ rerum præsentium gloria, quæ sine hujus temporis fructus, quæ utilitas caducorum. Regni potentia, ut dixi, morte finitur, potestatis ambitio successione diminitur, divitiarum copia vivis nobis plerumque subtrahitur, voluptatis effectio tristitia interveniente corrumpitur, jucunditas gaudiorum metus formidine violatur, & omne quod capitur desiderio, *a* corpus, aut anima corporis desideratur, A finis falce succiditur. Nec potest perfectum privilegium beatitudinis obtinere, quod æternitatis non circumvallat infinitas: caducum enim sit necesse est, quod inevitabili necessitate metitur: obnoxium & inconstans atque infirmum procul dubio remanebit, cujus vitam nonnumquam fortuitus eventus intercipit. His ergo cunctis morte finitis, nostrum in ipsa morte quid proprium? Si nihil quod boni operis incremento conscientia subsarcinetur, habebimus; & si nihil boni ex nobis habere poterimus, quid nobiscum remeantes ad patriam deferemus? Quam nuda atque deformis anima nostra remanebit, si nos eam saltem pœnitentiæ velaminibus & confessionis amictibus non obtegamus? nisi quia turpitudinem festinamus abscondere, & animæ operire non contendimus nuditatem, cujus cùm sit naturaliter invisibilis pulcritudo, visibilis fiet peccatorum fœde deformitas.

CAPUT XXX.

Illa sunt occupanda commercia, illæ complectendæ divitiæ, illa capeanda potentia, quam non tempus eripit, non locus subtrahit, non B persona subducit, quæ manet statu perpetuo, quæ privilegio servatur æterno, quæ fini non subducitur, quæ mortis jugo nec premitur nec urgetur. Ibi enim bona tuta sunt conscientiæ, ubi jam non licebit post præsentia sæculi mala peccare, ubi diabolo nullus accessus, ubi tenebrarum non est locus; sed neque qui decipiat, neque qui decipi possit, penitus invenitur. Illic bona omnia, illic cuncta felicia, illic prospera universa: non dies lucis incremento mutabilis, non sol lentior in ortu, in fulgendo clarior, in occasu fuscior apparebit: nox omnino vacabit, luna non erit, nec siderum micatus ardentior rutilabit: famem nemo sentiet, lacrymæ detergentur, timor nullus, metus ex nihilo, jucunditas omnia, pax totum, gaudium quidquid obnoxium tristitiæ fuerat, possidebunt. Omnia propheta Esaias evidenter exponit. Quæ tunc ibi gloria felicium, quæ supplicia miserorum, qui gemitus, quæ suspiria peccantium, quæ beatitudo sanctorum! his cum Deo consortium, C illos donari gehennalium cruciamento flammarum: hos incomparabili perfrui refrigerio, illos incendio indomitabili trucidari: hos paradisi fontibus, nemorumque verticibus à rivulis indefessos amœnari, illos stagno ignis, & fluento incendii, atque atræ noctis tenebris obsessos, pœnis inextricabilibus perurgeri: ad postremum hos bonis cælestibus uti, illos totius gehennæ & æternæ mortis edacitate consumi?

Esai. 60. 19. & seq.

CAPUT XXXI.

Si nunc quantulum ad sæculum quispiam paupertatis labe defectus, in promtu non habeat unde qualicumque victu famelicam sustentare possit esuriem, videatque alios opimis dapibus mensas onerare, ac refertos epulis bibere gemmâ, & protrahere longe apparatus ambitione peregrinis saporibus pigmentata convivia, quæ putas eum ducere ab ultima viscerum parte suspiria, quas edere intestino dolore querelas; interdum etiam lacrymas fundere, cùm paulo amplius capi incipiat desiderio visorum, & inardescere magis ac magis sentiat ex desiderio inefficax desiderium? Quinam ergo tunc erunt gemitus infelicium, quod D inconsolabili luctu in illa comparatione tormentum, cùm cælestibus copiis, perennibus divitiis perfrui felicium viderint agmen animarum, & se stillicidio rorantis digiti defraudari, & perferre insuper inextinguibilem flammam, cùm nulla spe reserventur ad veniam? Solis ardorem ferre non possumus, balneares æstus minime toleramus, sentimus incendia fornacum, & longe secedimus: quis ferat fluctuantem gehennam, & caminis tartareis æstuantem pati strepitum fumantis barathri poterit, & sustinere infernarum globos tenebrarum; ubi solus auditur ululatus ardentium, & ejulatus resonat crudeliter punitorum? Hæc, oro, quam fugienda sunt, quam cavenda, ac totis viribus, & omni animo ac mente declinanda!

CAPUT XXXII.

Cùm patent igitur januæ veniales, cùm fluctuantibus & criminum tempestate jactatis pœnitentiæ portus offertur, cùm mentibus promittitur cura languentibus, & sauciatis vitalem pollicetur ultroneus arti- E fex medicinam: cùm misericordia habetur in promtu, antequam justitia capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, & judicis rigorem satisfactionis officio mulceamus. Certum enim habet donum veniæ, cui permittitur pœnitere: nam procul dubio confiteri non finitur, cui pietas nulla servatur. Hoc probat inveterati serpentis in ipsa origine mundi damnatio, quem inauditum sententiæ fulmen excussit: & non peropertatum absoluta severitas status sui possessione dejecit. Hoc Sodomæ & Gomorrhæ cælesti incendio concrematæ perhibent regiones, erga quas ob excessum facinorum nihil reservatum est pœnitentiæ; ne forsitan admoniti possent ultionis justitiam declinare. Hoc Pharaonis in Exodo clamat interitus, hoc Core, Dathan & Abiron inexspectatum testatur exitium, hoc Antiochi & Herodis supplicia proloquuntur, hoc Ananiæ & Sapphiræ indicat repentina animadversione naufragium: quos ad præsens tempus vindicta non distulit, & F negatâ veniâ, severitas comitata truncavit. Non nos imparatos dies abscessionis inveniat, nec intra castra diabolica hyemis illius aut sabbati tempus includat. Vigilemus contra hostis antiqui fraudulentas insidias & apertas minas: erga conversos enim acrius excitatur, & refugos suos severior tamquam irrisus insequitur. Tunc cùm deciperet, blandimentis illexerat, nunc tentationibus & crudelitatibus inquietat: tunc fuerat ut amicus, nunc ut inimicus irascitur; & per casum eisdem efficit cautiorem, sed cadentem aliquoties solet elisos elidere. Fugiamus pompoſas illecebras mundi, & ambitionibus ejus demus ex toto repudium. Hoc Johannes apostolus persuadet dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre, sed ex concupiscentia mundi est: & mundus transibit, & concupiscentia ejus. Qui vero facit voluntatem Dei, manet in æternum; quomodo & Deus manet in æternum.* Lavemus baptismo pœnitentiæ, ut possimus Dominum mundo corde videre: auferamus nequitias ab animis nostris à conspectu oculorum Dei, discamus justitiam facere, inquiramus judicium, eripiamus injuriam accipientem, judicemus pupillo, justificemus viduam, & cum Domino disputabimus. Et si fuerint peccata nostra, ut phœnicium, ut nivem dealbabit: si autem ut coccinum, ut lanam candidam efficiet. Et quia adsperget hyssopo, & mundabimur, lavabit nos, & super nivem candidiores erimus.

1. Johan. 2. 15.

Psal. 50. 9.

CAPUT XXXIII.

Tria sunt quæ erga nos Dominus arbitrio suo constituta conservat:

a Edit. Rom. *aut corpus aut animo fines calce succiditur*: codex autem Rom. ac Gall. lectionem nostram confirmant.

bonitatem dico, misericordiam, atque justitiam. Bonitas est, qua esse jam cœpimus: misericordia, qua ad pœnitentiam provocamur: justitia, qua futuro tempore judicabimur. Hæc interim ordinem temporum in se custodiunt, præteritum, præsens, & futurum: præteritum, quo Domino auctore creamur & nascimur: præsens, quo conversi misericordiam promeremur: futurum, quo juxta opera nostra, justitia distribuente, remunerabimur. Itaque cùm misericordiæ regnum habemus in manibus, & in arbitrio nostro sunt posita dona pietatis: hic purgemus conscientias nostras ab omni inquinatione, & spiritalibus nos deinceps per bonam conversationem instrumentis aptemus. Evitemus desideria quæ militant contra animas nostras, & profanam conscientiam nullatenus patiamur. Consequemur omnia, quæ ex fide credimus, si justis nos actibus vita inviolabili componamus. Merebimur remissam omnium peccatorum, resurgemus in vitam æternam in resurrectione credentium; & ut amplius loquendi præsumat audacia, in regna cælorum cum justis intrabimus, cum quibus partem per pœnitentiam habere meruimus, Scriptura dicente: *Pœnitentibus autem dedit partem justitiæ, & corrogavit deficientes sustinere, & destinavit illos in sortem veritatis.* Eccl. 17.

Hæc, amantissime frater, quibus tecum pariter ad exercendam pœnitentiam cohortarer, quantum ex Dominicis lectionibus colligere mediocritas ingenii mei potuit, exaravi. Quæ si jam, ut arbitror, animi studio è proprio instituto sectatis, & cursibus confessionis insidens, tendis ad veniam; accipe me tecum in hac cogitatione consortem, ut adjuncto communi comitatu, ad metas indulgentiæ properemus: aut si pigritiæ inertia præpeditus, pernicitatem tuam sequi non potero, memento mei: & cùm præmium de Dei largitione merueris, quæso ut in orationibus tuis nulla capiatis oblivione Victoris.

MONITUM.

Prodiit hic libellus aut potius fragmentum è bibliotheca sancti Dionysii in Francia, unde illum eruit Gillotius ex antiquo codice, ubi tribus libris Ambrosianis de Spiritu sancto *additus*, liber quartus sancti Ambrosii de Spiritu sancto *inscribebatur. Non tamen viro docto imposuit hæc epigraphe, quippe qui Scripturæ locos in hoc tractatu subinde allegatos non ejus, quam Ambrosius adhibebat, versionis esse, totumque Opellæ stylum ab Ambrosiano discrepare animadvertit: quibus adjicit Auctorem in fine profiteri strictim se de Spiritu sancto disseruisse, cùm è contrario quam fusissime de eodem egerit Ambrosius. Quapropter non alia re hoc idem fragmentum edendum judicavit, nisi quod & antiqui Auctoris, & lectione dignissimum esse arbitratus est; quo nomine cùm illud Romani in appendice etiam retinuerint, nos similiter non putavimus rejiciendum.*

DE SPIRITU SANCTO
LIBELLUS UNUS.

Rom. 8. 9. & seq. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero vivit propter justitiam. Quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Divino Apostolus modo & divino eloquio sacramentum dominicæ Trinitatis, & fidei nostræ mentibus intimavit. Nam cùm dixisset: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*; adjecit: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Quid ergo Apostolus aliud quam unionem Trinitatis edocuit? Nam Spiritus Dei Spiritus Christi est: spiritus autem Christi & Dei neque à Christo divisus aut separatus est; quoniam neque Deus ab Spiritu suo, neque Christus idem ab Spiritu suo potest separabilis indicari. Si autem inseparabilis Deus ab Spiritu suo est, inseparabilis utique & Christus ab Spiritu suo est: ergo Spiritus Dei & Spiritus Christi inseparabilis à Deo & Christo; ac per hoc Deus & Christus & Spiritus sanctus indivisi manifestantur, quia semper Spiritus in Deo & Christo perennis est. Nam quid aliud concatenatione hac & connexione significari contendit, quam intelligentiam unitatis: dum per Spiritum Deus & Christus, qui inseparabiles à se se sunt, uniti, & ut ulterius dicam, unum intelliguntur?

Hoc divinum sacramentum est, hoc in se creatura naturaliter, aut inseparabiliter non habet, ut unus Spiritus Patris & Filii, aut tres unus, & unum indivisibiliter esse noscantur. Et ideo securus Apostolus, qui hoc fundamentum fidei de sancta scriptura didicit, & de divina revelatione cognovit, de cetero non timet alibi unum Deum, alibi cum Domino, alibi cum Deo & Domino sanctum Spiritum prædicare; quia sive unum Deum dixerit, scit se nomen Trinitatis implesse: sive au-
1. Thessal. 3. 11. tem Dei & Domini solummodo memor sit, scit dicere: *Ipse autem Deus, & Pater, & dominus noster Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos*; & cavere ne dicat: Ipsi dirigant; sive Dei & sancti Spiritus faciat mentionem, scit se Christo injuriam non fecisse: sive Dei, & Domini, & Spiritus sancti causis competentibus personas aptet, scit dicere:
1. Cor. 12. 11. *Et omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*; quoniam & tres deos dicere impium est, & unum non in Trinitatis nomine confiteri admodum irreligiosum.

Denique sequentia consideremus, quibus hunc sensum confirmat &
Rom. 8. 9. solidat; nam cùm dixisset: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*; adjecit: *Si autem Christus in vobis est.* Ergo manifestum est quia per inhabitantem Spiritum Christi Christus habitat; si autem per inhabitantem Spiritum Christi Christus habitat, utique & per inhabitantem Spiritum Dei, Deus habitat. Denique subjunxit:
Ibidem 11. *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Christum ex mortuis, habitat in vobis*, hoc est, Dei; ac per hoc non aliud esse Spiritus sanctus, quam Deus & Christus probatur, per quem Deus & Christus habitat: quem qui in se non habet habitantem, nec Deum potest habere, nec Christum.

Sed dicit aliquis: Si per Spiritum suum Deus habitat in nobis, & Spiritus cum Deo & Christo unum atque idem est; quomodo rursum dicitur: *Qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra*? Quomodo Deus & Christus unum sunt, cùm Christus
Ibidem 11. 33. per Spiritum Dei suscitetur ex mortuis? O *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*! Vere, *ubi sapiens? ubi scriba?* Vere hoc est, *quod oculus*
1. Cor. 2. 9. *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Præparavit autem Deus diligentibus se, ut Christus dominus cùm in forma Dei esset, formam servi acciperet, ut solus inveniretur utrumque. Cùm ergo Christus utrumque sit, Deus scilicet & homo, suscitatio hæc non ideo divinitati ejus adscribitur, quia divinitas ejus aut pati aut mori posset: sed quia Verbum Deus caro factus est, & habitavit in nobis. Ceterum si divinitas ejus pati potuisset, non utique opus fuisset, ut formam servi acciperet: accepit autem formam servi non aliam ob causam, quàm ut per eam pro salute diligentium & pati & mori posset. Et ideo recte dicitur Dominus majestatis crucifixus, & dominus Jesus Christus ex mortuis excitatus; quia spontanea benignitate & divina sua ratione per templi sui passionem cuncta ipse suscepit & pertulit. Ac per hoc, id quod Christus excitatur ex mortuis, proficit ad gloriam Dei, & comprobat omnipotentiam Christi.

Sed & sequentia loci hujus non minus diligenter inspicere debemus; quoniam alta & profunda doctrina Apostolus ita loquutus est dicens: *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis*; Rom. 8. 11.
qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Primùm ergo manifestum est quia omnia Deus & Christus per inhabitantem Spiritum suum in nobis operatur; ac per hoc constat quoniam sanctus Spiritus omnia operatur; quia & mortalia corpora nostra vivificabit is, qui suscitavit Jesum ex mortuis, per inhabitantem Spiritum Christi in nobis. Et non dixit quia per se suscitat is, qui suscitavit Jesum ex mortuis, neque Christum per se suscitare: sed per inhabitantem in nobis Spiritum Christi. Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra. Et utique in Evangelio legimus, dicente Domino: *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; ita & Filius quos vult, vivificat.* Joh. 5. 21.
Et non est dictum ibi quia per Spiritum suum suscitat Deus & Christus. Quid ergo? Contrarium hoc erit illi sententiæ? Absit: sed intellectus illorum nobis redditur, & docemur per Evangelium beatissimi Pauli qua ratione Deus suscitet, per inhabitantem scilicet Spiritum Christi in nobis; ac per hoc apertissime traditur quia omnia opera divina Spiritus sanctus operatur. Et ideo alio in loco idem Apostolus docet dicens: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12. 4.
Quomodo est illud idem Spiritus, si aliud est Spiritus, quam Deus & Dominus? aut quid est illud: *Idem Dominus*, si aliud est Dominus, quam Deus & Spiritus? aut qua ratione accipies: *Idem Deus*, si aliud est Deus, quam Dominus Spiritus? & si essentia vel ἰδέᾳ & divinitate & auctoritate aliud & aliud, & non unum sunt. Nullo modo possent dici idem, qui longe aliud & aliud reperirentur: inveniretur autem & Apostolus falsus testis & contumax in Deum, qui idem adscriberet, ubi idem non est. Sed absit hoc. Non sensu Apostolus laboravit: novit autem Deum & Dominum & Spiritum sanctum, unum Spiritum omnia in omnibus operantem.

Et ne quid forte scrupuli mens audientium sustineret; quia cùm Trinitatis personas ostendisset, Deum cuncta in omnibus dixerat operantem, dum scit & Trinitatem vere probare, sicut vere & unionem; quamquam error nullus poterat videri, ubi idem sæpe jam dixerat: solito tamen suo more Apostolus, & prudentiæ suæ cautela, immo ut verius dicam, Spiritus sancti gubernatione, quem se revelatorem & doctorem habere sæpe profitetur, sicut dixit: *Sed docti Spiritu, spiritalibus* 1. Cor. 2. 13.
spiritalia

1. Cor. 2. 10. Ibid. 12. 8. *spiritalia comparantes*, & alio in loco: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum*: reddidit omnia uni, dicens: *Alii enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in uno Spiritu*, &c. Et in novissima parte concludens ait, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus*, qui supra scilicet Deus. Ergo quia omnia operatur Deus atque idem Spiritus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, in quorum nomine per regenerationis baptisma recreamur, unum Deum, quod est nomen eorum, accipere debemus & credere: quia uno atque eodem modo, iisdemque virtutibus, nec non & prophetationibus, quibus Patrem Deum discimus, de Spiritu quoque sancto & de Filio educemur. (Ibidem 11.)

Sed forte quis dicat: Omnia dixit, quæ ad ordinationem Ecclesiæ pertinent: non autem omnia, quæ Deus operatur, & Dominus operatur & Spiritus. Ergo de omnibus vel pauca ponenda sunt, quibus probetur Spiritum sanctum omnibus omnino divinis operibus adesse, & ipsum omnia implere. Moyses Spiritu sancto impletur, & per Spiritum prophetiæ præscientia docetur, & futura prædicit. Quid prophetæ omnes deinceps? Nam Spiritu sancto pleni prophetaverunt, & plagas populo immanentes annuntiaverunt, & adventum Domini & passionem prædicaverunt, probante Domino, & dicente per os Zachariæ prophetæ: *Veruntamen verba mea & legitima mea accipite, quæ ego mando in Spiritu meo servis meis prophetis*; ac per hoc manifestum est omnes prophetas in Spiritu sancto prophetasse. (Zach. 1. 6.)

Legem quoque ipsam per Spiritum sanctum datam accepimus & scriptam; dicit enim Moyses: *Et dedit Dominus duas tabulas lapideas digito Dei scriptas*. Digitum autem Dei Spiritum sanctum dici Evangelia manifestant, cùm enim Dominus dæmonem ejecisset, & accusaretur à Judæis quod in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia expelleret, secundùm Lucam quidem respondisse perhibetur: *Quod si ego in digito Dei expello dæmonia*; secundùm Matthæum vero: *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones*, unde manifestum est Spiritum digitum Dei dici. Cùm ergo constet Spiritum sanctum digitum Dei dici, manifestum est quia tabulas lapideas Spiritus sanctus scripsit, quas Moyses digito Dei scriptas accepit: & Spiritus sanctus dedit, quia digitus Dei non aliud quam Deus est, quoniam in omnibus operatur. (Exod. 31. 18. Luc. 11. 20. Matth. 12. 28.)

Virtutes quoque ipsas, quas divina potentia in Ægypto in doctrinam & in experimentum suis peccatoribus operata est, cum manifestum est in digito Dei esse perfectas, probante Domino, qui se in digito Dei, id est, in Spiritu sancto ejicere dæmonia perhibetur; quia idem ipse in Ægypto, & Spiritus sanctus eadem consummavit & gessit. Quod quidem sensibus nostris intimans Dominus, in digito Dei se profitetur expellere dæmonia, docens scilicet opera sua opera esse sancti Spiritus: cùm opera sancti Spiritus opera Christi sint: opera autem Christi opera Patris sunt, sicut in Evangelio secundùm Johannem legimus, ipso Domino dicente: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius facere à se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque autem ille facit, eadem & Filius facit similiter*; & : *Sicut Pater mortuos suscitat, & Filius quos vult, vivificat*. Ergo hoc gradu & hac ratione agnoscimus opera sancti Spiritus esse opera patrius, quia quæ Pater operatur, eadem & Filius operatur similiter: quæ autem Filius operatur, eadem & sanctus Spiritus operatur. Ac sic semper Trinitas unus Deus & unus Spiritus per se, sed ex se se eadem & omnia in omnibus operatur. Quem quidem sanctum Spiritum quia in virtutibus suis & potentia divina agnoscere Ægyptii noluerunt, plagis compulsi sunt confiteri, ut quas modo nunc audientes incidant, à Domino admoniti, ut sero incipiant dicere: *Digitus Dei est*: ac per hoc manifestum est, quia unus atque idem Spiritus omnia in omnibus operatur. (Johan. 5. 19. Ibidem 21. Exod. 8. 19. 1. Cor. 12. 8.)

Nativitas quoque ipsius domini Jesu secundum carnem nonne per Spiritum sanctum facta prædicatur, evangelizante Gabriele Angelo Mariæ & dicente: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*? Et iterum Joseph Angelus in somnis apparet, dicens: *Joseph fili David, ne timueris accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea generatum est, de Spiritu sancto est*? Et inde perspicuum est quia omnia & in omnibus ipse operatur & perficit. (Luc. 1. 35. Matth. 1. 20.)

Sed aiunt quidam: Omnia quidem divina operatur, & de operibus Deus intelligitur: sed nihil tamen sua auctoritate probatur operari; quia omnia per eum Deus operatur & Dominus. Jam quidem de auctoritate ejus satis constat, cùm Deus probatur, Deus agnoscitur, cùm inseparabilis à Deo invenitur, cùm unionem habere cum Deo & Domino manifestatur: sed quoniam de auctoritate ejus quærimus, quam Scriptura non tacuit, edoceri nos oportet, primum quidem cum dicitur: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem* (1. Cor. 12. 8.) *Spiritus, dividens singulis prout vult*. Dividit, manifestum est quia non ex imperio operatur alieno: & abundantium quia quæ prout vult, dividit, non est scriptum, quæ aliena sunt. Et rursum in Actibus apostolorum legimus: *Deservientibus autem illis & jejunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus, ad quod vocavi eos*. Quid ergo clarius, quid lucidius ad manifestandam divinitatem & auctoritatem Spiritus sancti dici potest: *Segregate mihi*? Non enim dixit: Segregate Deo, sed mihi; neque in opus, ad quod vocavimus eos: sed in opus ad quod vocavi. Satis utique probavit nobis auctoritatem & divinitatem suam, qui segregationem apostolorum non alii quam sibi adscripsit: quos & in opus non alienum, sed suum advocasse se dixit; quod utique alienus à Deo & Domino & ab auctoritate divina facere nunquam potuisset. (Act. 13. 2.)

Atque ut clarius luceat Trinitatis sanctæ auctoritas una & divinitas excolenda, Esaiæ prophetæ nobis contemplanda prophetatio est, quam per apostolos ipse Spiritus sanctus nobis interpretatus est, quam ita legimus: *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? Et dixi: Ego, ego sum, mitte me. Et dixit: Vade, & dic populo huic: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non adspicietis*, &c. Et utique modo dicens supra in eadem visione, Dominum sabaoth vidisse se dixit sedentem in throno gloriæ suæ, & Seraphim audivisse dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra majestate ejus*. Et certe Dominus sabaoth, cui laus hæc & gloria redditur, unus atque idem in prophetis ostendatur, & ipse est qui Esaiæ loquutus est dicens: *Quem mittam, & quis ibit ad populum istum?* Et cùm unus atque idem in prophetis significetur, ab apostolis tamen & ab Ecclesia Trinitas intelligitur. Unde etiam tractum est per omnes fere orientales Ecclesias, & nonnullas occidentales, ut in oblationibus sacrificiorum, quæ Deo Patri offeruntur, una cum sacerdote voce populus oratur, id est, *Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra majestate ejus*. Ergo secundùm prophetam constat hoc ad personam Dei Patris referri oportere. (Esai. 6. 8. Ibidem 3.)

Johannes autem Evangelista informat nos, & docet de Filio intelligi debere: nam cùm supradictum testimonium Evangelio inscripsisset, & interpretatum esset, postea subjunxit: Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo, id est, domino Christo. Paulus autem apostolus Romæ Judæis contradicentibus doctrinæ suæ, & blasphemantibus viam domini Christi, exaltans vocem suam, ait: *Bene prophetavit Spiritus sanctus per Esaiam, dicens: Vade, & dic populo huic: Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non adspicietis*, &c. Cùm ergo in prophetia divinitas una doceatur ab apostolis, & tamen ab Ecclesia Trinitas intelligatur, certissime utique docemur quia Trinitas idem Pater & Filius & Spiritus sanctus unum & unus Deus sunt: & cùm unus Deus intelligantur & agnoscantur, unius etiam & auctoritatis intelligantur necesse est. Et rursum Dominus in Evangelio hujus unionis Trinitatem docet dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, &c. Et cùm Patris, & Filii, & Spiritus sancti significantiam edidisset, Trinitatis tamen ipsius nomen unum observare nos docuit, quod est, *Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra majestate ejus*; ac per hoc consuetudo Scripturæ manifesta est, quæ & cùm unum Deum nuncupat, intellectum tamen Trinitatis non amputat: & cùm Patris & Filii & Spiritus sancti meminit, nomen non interimit majestatis unius. (Act. 28. 25. Matth. 28. 19. Esai. 6. 3.)

Et quid plura? Deficiet mihi pagina, deficiet tempus, si cuncta quæ ad probandam divinitatem Spiritus sancti scripta sunt, revolvere aut enumerare voluero. Hæc autem breviter dicta sunt ad retundendam impudentiam eorum, qui divinitatem Spiritus sancti, immo ut verius dicam, ipsam Trinitatem abnegare conantur: ipsam autem negant, quando non ita ut est, Deum fatentur: quando non ita credunt, ut scriptura divina nos docuit, & ut credere oportet, sed prout illos traxerit sensus sui libido: & ut intelligant quam longè à fide Dei sint, aut quam alieni à salute quæ est in Christo Jesu, qui Spiritum sanctum, quo credentes signamur in die redemptionis nostræ, contristare & abnegare nituntur: & ut sciant qui talia sentiunt, quia hujusmodi machinantur, quæ neque ad veniam, neque ad remissionem peccatorum suorum poterunt pertinere; quia scriptum est: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*: sed illi se potius sententiæ subjicere non nesciant, quam divina mensura idem per os Esaiæ protulit dicens: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. (Matth. 12. 32. Esai. 66. 24.)

MONITUM.

Hanc quoque scriptiunculam debemus Gellotio, qui eam è codicibus duobus manu exaratis, altero Dionysiano, altero Victorino, in quibus adscribitur sancto Ambrosio, in lucem emisit. Quod vero eam nec materia nec stylo abhorrere à Doctore nostro profitetur, non possumus profecto subscribere illius opinioni, sed ad simplicem schedulæ ipsius lectionem, & *maxime horum verborum,* sed hujus quæstionis talis à Patribus solutio datur, *considerationem fidenter provocamus.*

DE CONCORDIA MATTHÆI ET LUCÆ.

IN GENEALOGIA CHRISTI.

In Christi generatione Matthæus & Lucas dissentire videntur, propterea quod cùm alter, id est, Matthæus descendendo: alter, id est, Lucas adscendendo, eamdem generationis seriem texat. Matthæus quidem ab Abraham exordium narrationis sumens, & ad David usque descendens, deinde per Salomonem usque ad Joseph lineam deducit: Lucas vero à Joseph incipiens, per Nathan ad David, & à David usque ad Abraham, postremo ab Abraham usque ad Adam generationis ordinem revolvendo adscendit. Unde contingit ut à David deorsum, cùm ille per Nathan, iste per Salomonem generationis tramitem deducit, totus pene computationis ordo dissideat. Sed quia scriptura sacra diversa quandoque recipit, adversa autem omnino non admittit: dum non permittimur credere contrarietatem, latentem cogimur quærere veritatem. Matthæus igitur generationem Christi descendendo computat, ostendens Filium Dei per carnis susceptionem factum esse filium hominis. Lucas eamdem adscendendo texit, demonstrans filios hominum effici filios Dei per gratiam adoptionis.

Propterea etiam Matthæus generationis seriem usque ad Christum natum ducere volens, non à primo parente Adam, sed ab Abraham exorsus est: ut ostenderet quod susceptio carnis in Filio Dei non fuit primæ conditionis institutio, sed promissionis postmodum facta impletio. Lucas verò à Christo baptizato incipiens, non in David vel in Abraham, sed nec in Adam finem fecit: sed per David & Abraham atque Adam transiens ad Deum adscendit: ut aperte daret intelligi, quod ii qui per generationem carnis filii sunt hominum, per regenerationem baptismatis in adoptionem transeunt deitatis. Ideo Matthæus in genealogia non nisi naturales filios computare voluit: Lucas vero inter naturales etiam adoptivos adscribit: ut ostendatur & in Christo nascente vera fuisse carnis susceptio, & in nobis renascentibus non per naturam, sed per gratiam provenire adoptio. Hæc ergo fuit causa quare in generationis serie alios Matthæus, & alios Lucas patres posuit, quia ille, sicut diximus, solos naturales: iste vero naturalibus etiam adoptivos connumeravit. Quod ut melius patere possit, utriusque narrationem conferamus.

Matth. 1. 2. & seq. Ordo generationis Christi secundùm Matthæum talis est: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam, Judas genuit Phares, Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson, Naasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, vel Jesse, Jesse genuit David, David genuit Salomonem, Salomon genuit Roboam, Roboam genuit Abiam, Abia genuit Asa, Asa genuit Josaphat, Josaphat genuit Joram, Joram genuit Oziam.* Tres hic intermisit Evangelista, id est, Oziam sive Ochosiam, & Joas, & Amasiam; Joram enim primo loco genuit Ochoziam, & Ochosias genuit Joas, & Joas genuit Amasiam, & Amasias demum genuit Oziam, de quo nunc dicitur: *Joram genuit Oziam.* Quod ita intelligendum est, genuit videlicet mediantibus supradictis, quia per illos de semine ejus processit. Hos autem Evangelista vel ideo prætermisit, ut numerus tesseræ decadis æquaretur: vel ideo, quia Joram genti se miscuit Jezabel; & dictum erat per prophetam de domo Achab non esse quemquam regnaturum, nisi in quarta generatione: & ideo memoria ejus tollitur eo usque à sancta generatione. *Ozias* ergo, qui & Azarias, *genuit Joatham, Joatham genuit Achaz, Achaz genuit Ezechiam, Ezechias genuit Manassen, Manasses genuit Amon, Amon genuit Josiam, Josias genuit Jechoniam, Jechonias genuit Salathiel.* Veritas historiæ habet quod Josias genuerit Eliachim, qui & Joachim, sive Jechonias dictus est: Eliachim autem genuit Joachim, qui & ipse sicut patet, Jechonias appellatus est: hic demum genuit Salathiel. Dicemus ergo aut unum propter supradictam rationem, sive aliam quamcumque ob causam prætermissum: aut non esse eumdem Jechoniam illum, de quo dicitur: *Josias genuit Jechoniam,* & illum de quo dicitur: *Post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel:* sed priorem esse Patrem, secundum esse Filium: propter separationem autem & disjunctionem transmigrationis non esse repertam inter eos generationis connexionem, ut diceretur: *Jechonias genuit Jechoniam. Jechonias* ergo *genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel, Zorobabel genuit Abiud.* Hac usque ex libris veteribus generationis ordo texitur: quæ sequuntur, auctoritas evangelistæ confirmat. *Abiud genuit Eliachim, Eliachim genuit Azor, Azor genuit Sadoc, Sadoc genuit Achim, Achim genuit Eliud, Eliud genuit Eleazar, Eleazar genuit Mathan, Mathan genuit Jacob, Jacob genuit Joseph.* Hoc modo generationem naturaliter descendisse credimus: nunc secundùm Lucam seriem generationis revolvamus.

Lucas sic ait: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat.* Luc. 3. 23. Prima fronte contrarietas occurrere videtur. Matthæus dicit Joseph filium fuisse Jacob, & Jacob filium Mathan: Lucas dicit Joseph filium fuisse Heli, & Heli filium non Mathan, sed Matthat. Sed hujus quæstionis talis à patribus solutio datur: Mathan qui per Salomonem descendit, uxorem habuisse Estham nomine: de qua genuit filium Jacob, quo mortuo, Matthat qui per Nathan descendit, eamdem uxorem duxit, & genuit ex ea filium Heli. Sic ergo Heli & Jacob uterini fratres fuerunt, una matre, non uno patre editi. Prior Heli duxit uxorem, & mortuus est sine liberis: postea Jacob accepit uxorem fratris, ut suscitaret semen fratri suo, ex qua genuit Joseph. Joseph ergo filius est Jacob secundum generationem, filius Heli secundùm Legem. Deinde generationis ordo texitur. *Joseph qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Johanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel.* Ibidem & seq. Non puto eumdem hunc esse Zorobabel aut Salathiel, qui superius in serie generationis secundùm Matthæum numerati sunt; cùm & ille Salathiel non filius Neri, sed filius Jechoniæ fuerit: & Zorobabel non Resa, sed Abiud, & ceteros, inter quos Resa non numeratur, genuerit: vel si idem sunt, dicendum est quod hic primum utriusque computationis linea in unum concurrat, deinde mox secundùm modum quem in capite generationis hujus signavimus, ab invicem deducantur. *Qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Symeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Ibidem 23. & seq. Quæ deinceps sequuntur usque ad Abraham, in utroque eadem sunt. Sive quod in ipsa generationis linea plures secundùm Lucam à Joseph usque ad David, quam secundùm Matthæum à David usque ad Joseph numerentur, contrarium videri non debet, cùm ipsæ successiones generationum in ea parte multipliciùs excreverint, ubi citius decedentibus patribus, filii numerosius successerunt.

MONITUM.

Libellus à nobis infra positus, in omnibus Operum Ambrosianorum editionibus libros Hexaemeron proxime sequitur; sed veteres editiones prudentem ac necessariam cautionem adhibuerant hisce verbis, qui sancto Ambrosio auctori à quibusdam adscribitur: *at Romana, iisdem verbis è medio sublatis, eumdem tractatum sine ulla restrictione sancto Doctori adjudicavit. Verum tamen nihil videas oportet in Ambrosianis lucubrationibus, qui hunc illius esse sibi persuadeat. Nam præter quam quod nihil usquam Ambrosiani spirat, certissimum est centonem esse, cujus prima ac postrema pars invenitur apud Alcuinum sub hoc lemmate:* Dicta beati Albini levitæ super illud Geneseos, Faciamus hominem &c. *item in libro de* Spiritu & Anima *ad calcem tomi sexti Augustiniani edito: nec non sententia aliquot in tractatu Paulini Aquileiensis* de salutaribus Documentis, *qui etiam in eadem Appendice Augustiniana continetur. Quod vero ad partem intermediam, ab illis nimirum verbis*, & ideo, dilectissime fili, *usque ad alia illa*, ò dilectissime fili, habeto, *quam suspicamur auctoris esse ipsomet Alcuino ut obscurioris, ita & posterioris; cùm prope major sit aliis duabus, nec ipsam alibi reperire nobis licuerit, ut totam epellam retineremus, in causa fuit.*

DE DIGNITATE CONDITIONIS HUMANÆ LIBELLUS.

Caput I. Genes. 1. 26.

FACIAMUS *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Tanta itaque dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis, & opere majestatis divinæ creatus sit homo; ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium præstitit ei conditor; ut tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret; nec ob hoc solum quod consilio sanctæ Trinitatis sic excellenter à conditore conditus est, sed etiam quod ad imaginem & similitudinem suam ipse creator omnium eum creavit, quod nulli alii ex creaturis donavit.

Cap. II.

QUæ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est considerandæ. Primò quidem quod sicut Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens & gubernans, sicut Apostolus confirmat quod: *In eo vivimus, movemur, & sumus*; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans. (Act. 17. 28.) Nec enim in majoribus corporis sui membris major, & in minoribus minor: sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se.

Quæ quoque quamdam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo quia sicut Deus est, vivit, & sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit & sapit. Est quoque & alia trinitas in ea, quæ ad imaginem sui conditoris perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ ex Patre & Filio & Spiritu sancto condita est: & licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cùm dicitur: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, id est, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. (Matth. 22. 37.) Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facile à sapiente quolibet intelligi potest: nec enim anima perfecta esse sine his tribus, nec horum etiam unum aliquod, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat: & sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas; ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates. Atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere conditorem; ut in quantum intelligitur, diligatur; & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: immo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus; ut sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia; ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria.

Et ideo, *a* dilectissime fili, juste mihi videtur dictum interiorem hominem imaginem esse Dei: anima enim nominatur totus interior homo, qua vivificatur, regitur, continetur lutea illa massa humectata succis, ne arefacta dissolvatur. Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna, & innumerabiliter sapiens, ut scriptum est: *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus*, & incomparabiliter suavis, ut alibi dicit: *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* (Psal. 146. 5. Psal. 144. 9.) Ex qua, & per quam, & in qua sunt omnia, quæ sunt, reguntur omnia, quæ sunt, continentur omnia, quæ sunt: omnia dico ipsam universitatem, quæ est totum, quod aliud est, quam ipse qui fecit, & non est factus: sed ipse est *b* ex quo, & qui ex eo, & quo; quod Deus ex quo est, Pater dicitur à nobis pauperibus sensu, pauperioribus verbis; quod qui ex eo, Filius dicitur; quod quo Spiritus sanctus. Ideo autem dicimus Deus Pater; quia ipse est ex quo, & sapientia est, qua ordinantur omnia: & dilectio, qua se volunt omnia ita manere, ut ordinata sunt. Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligunt, ipsa duo tria sunt, & illa tria ideo unum; quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab ipso non sint separata: sed ex ipso sunt, quia non à se: & in ipso, quia non separata: & ipsum ipsa quod ipsi, & ipsum ipse quod ipsa; & non ipsum ipsa qui ipse, *c* & non ipsa ipse quæ ipsa. Vis illa Deus est, & ipse Deus tria est, & unumquodque horum trium Deus est, & omnia tria illa non dii, sed Deus est.

Ad imaginem ergo suam conditam, ut dictum est, fecit animam hominis, quæ tota dicitur anima. Non autem aliud hominis quam animam significo, cùm mentem dico: sed propter aliud animam, & propter aliud mentem. Nam totum quod vivit, hominis anima est: cùm autem anima in se agit se, & ex se, & per se, sola mens dici solet: sensus vero ad sua ministeria impleta, consortia animæ dicitur. Mens ergo scire gignit, & amat scire, quod scit. Non illud scire dico, quo repente scitur res aliqua, quæ ante nesciri putabatur: sed illud, unde & aliquod & omne quidquid scitur vel nescitur, sciri potest. Illud ergo scire mens gignit, & cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo jam duo, mens, & quod ipsa mens scit: restat tertium utriusque commune. Omnis mens quidquid scit, amat scire. Amor non minus quam inter duos est, amantem, & quod amatur. Unus est ergo amborum amor, qui & tertius est. Non autem potest negari hoc totum unam esse animam, & unam animam hæc tria esse, sicut enim hæc tria vere una anima sunt, sic non minus vere una anima est hoc unum & hoc alterum & hoc tertium.

Comparet igitur se hæc creatura tam eminens creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, & multum supra se summo, quod omnis bonitas, & omne bonum, & omnis bonitatis & boni dulcedo creatoris à se ipso est: creatura vero non solum quod est, sed etiam quod talis est, ab alio est, non à se, & ipse quod est, semper est. Licet & ipsa anima modo quodam suo incommutabilis est; nam semper anima est, postquam esse cœperit, & scit, & scire vult. Comparet ergo, ut dixi, se anima eo modo, quo potest, creatori suo, ut dicatur mens Pater; quia gignit scire: dicatur scire Filius; quia ex alio est, & non est aliud, quam ipsum quod ipse est, ex quo est: dicatur amor Spiritus sanctus, quia amborum est eorum, qui se amant. Unde in nostris Scripturis sæpius amor, id est, caritas, quæ in Deo est erga nos, & quæ à nobis in Deum, Spiritus ipse appellatur: & hæc de imagine, ò dilectissime fili, habeto.

Cap. III.

NUnc vero de similitudine aliqua intellige, quæ in moribus cernenda est; ut sicut Deus creator, qui hominem ad similitudinem suam creavit, est caritas, est bonus, & justus, patiens atque mitis, mundus & misericors, & cetera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, ut caritatem haberet, ut bonus esset & justus, ut patiens atque mitis, mundus & misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in se ipso habet, tanto propior est Deo, & majorem sui conditoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum, & divortia criminum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo quod scriptum est: *Et homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* (Psal. 48. 13.)

Qui major honor potuit homini esse, quam ut ad similitudinem sui factoris conderetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur; quibus & conditor, de quo legitur: *Dominus regnavit, decorem indutus est*; id est, omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus? (Psal. 92. 1.) Vel quod majus homini potest esse dedecus, aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem & irrationabilem brutorum jumentorum delabatur similitudinem?

Quapropter, o dilectissime, quisque diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, & venerandam in se ipso sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ ad quem creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat: ut quando apparuerit qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformavit. (1. Joan. 3. 2.)

a Dilectissime fili, hanc apostrophen hic & infra lectum ac tertia Aem editio supplevit.

b Rom. edit. ex quo, per quem, & in quo.

c Eadem edit. & non ipse quæ ipsa. Vis illa Deus est.

MONITUM.

Sequens exorcismus è Vaticano codice annorum 600. in quo Ambrosium auctorem prefert, exscriptus fuit. Quamvis autem in Romano Rituali idem habeatur, quia tamen illic dissecatus est in varias partes, ac locis etiam nonnullis aut additis aut immutatis diversus, eum ad manuscripti fidem hic exhibere, maxime ob scripti brevitatem, non fuimus gravati.

EXORCISMUS.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus & Dominus universæ creaturæ, qui sanctis apostolis tuis potestatem dedisti calcandi supra serpentes & scorpiones: qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta dignatus est dicere: *Dæmones effugate*; cujus virtute victus tamquam fulgur de cælo satanas cecidit: tuum nomen cum timore & tremore supplex precor, ut indignissimo mihi, data venia omnium delictorum, constantiam, & possibilitatem donare digneris: ut hunc crudelem draconem brachii tui munitus potentiâ, fideliter & securus aggrediar. Adjuro te ergo, omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio sathanæ, in virtute nominis Christi, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, & in tuis te sedibus vicit; ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed omnipotentis Dei imaginem contremiscas. Cede ergo Deo, qui te in beatissimo famulo suo Job in servitutem redegit: cede B Deo, qui te & militiam tuam in Pharaone, & in ejus exercitu per Moysen servum suum demersit in abyssum: cede Deo, qui te per Danielem puerum suum in Beel perdidit, & in dracone prostravit: cede Deo qui te per fidelissimum suum David de Saule rege spiritalibus canticis pulsum fugavit: cede Deo, qui te in Juda traditore damnavit. Ille enim te nunc divinis verberibus agit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens clamabas: *Quid nobis & tibi, Jesu fili David? venisti ante tempus torquere nos.* Ille te flammis perpetuis urget, qui in fine temporum dicturus est impiis: *Ite maledicti in ignem æternum, quem præparavit* A *pater meus diabolo & angelis ejus.* Tibi enim impie & angelis tuis vermis, qui numquam morietur: tibi & angelis tuis inextinguibile præparatum incendium; quia tu es, maledicte, homicidii princeps, tu auctor incesti, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis inventor. Exi ergo impie, exi scelerate, exi cum omni fallacia tua; quia hominem templum suum voluit esse Deus. Sed quid diutius moraris? Da honorem Deo Patri omnipotenti, cui omne flectitur genu: da locum Christo Jesu, qui pro homine suum sanguinem fudit: da locum Spiritui sancto, qui te per beatum apostolum suum Petrum manifestavit in Simone, qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnavit, qui te in Herode rege honorem Deo non dante percussit, qui te in pessimo mago per apostolum suum Paulum excitatis caligine perfudit, & per eumdem de pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc, discede seductor; tibi enim eremus sedes est, tibi habitatio serpens est. Humiliare, prosternere: non est jam differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat, cito ignis ante ipsum ardebit, & inflammabit in circuitu inimicos suos. Si enim hominem fallis, Dominum non potes irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est: ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt: ille te excludit, qui tibi & angelis tuis æternam præparavit gehennam, de cujus ore exiet gladius bis acutus, qui venturus est in Spiritu sancto judicare sæculum per ignem, amen.

Matth. 10. 8.
Matth. 8. 29.
Matth. 25. 41.

FINIS.

ELENCHUS

CODICUM OMNIUM AD QUOS COMMENTATIONES IN APPENDICE Ambrosiana comprehensæ castigatæ sunt.

VITA SANCTI AMBROSII A PAULINO
SCRIPTA EMACULATA EST AD MSS.

Becensem unum annorum 600.
Germanenses tres, duos ann. 600. tertium 500.
Colbertinos duos, alterum ann. 600. alterum 500.
Fiscanensem unum annorum circiter 500.
Michaelinum unum ejusdem ætatis.

COMMENTARIA IN XIII. EPISTOLAS B. PAULI
RECOGNITA SUNT AD MSS.

Corbeiensem unum annorum amplius 800.
Vindocinensem unum annorum 700.
Pratellensem unum annorum 700.
Laudunensem unum etiam annorum circiter 700.
Remigianum unum similiter annorum 700.
Carnutensem unum, ejusdem ætatis.
Colbertinos duos, alterum 600. alterum 400.
Regium unum annorum circiter 500.
Vallis-lucentis unum annorum 500.
Præterea epistola ad Romanos recognita est ad Floriacensem unum ann. 700. & Michaelinum unum ann. 600.
Duæ vero ad Corinthios ad Remigianum unum annorum 800.

LIBER DE TRINITATE
COLLATUS FUIT CUM MSS.

Regio uno annorum 600. & Vaticano uno 500.

LIBELLUS DE FIDE ORTHODOXA
CORRECTUS FUIT AD MSS.

Tellerianum unum annorum circiter 600. & Lætiensem ejusdem aut suppares ætatis.
Item ad editionem Vigilianam P. Chiffletii.

LIBER DE DIGNITATE SACERDOTALI
PURGATUS FUIT AD MSS.

Gemeticensem unum annorum 600.
Michaelinum unum ejusdem ætatis.
Baluzianum unum non minoris antiquitatis.
Sorbonicum [illegible] unum annorum circiter 500.
Germanensem unum annorum 500.
Alnetinum unum annorum 500.
Sancti Gatiani apud Turones unum ævi non inferioris.
Col[illegible] unum annorum 400.

SERMONES
EMENDATI SUNT AD MSS.

Lugdunensem unum optimæ notæ quemadmodum eruditissimus Baluzius, qui eumdem cum editis contulit, testificatur.
Corbeienses sex annorum 700. 600. & 500.
Floriacensem unum annorum 1000.
Benignianum unum antiquæ manus.
Michaelinum unum annorum 600.
Theodericenses duos, alterum ann. 600. alterum 400.
Regium unum annorum 500.
Vallis-claræ unum annorum 500.
Tellerianum unum annorum 500.
Remigianum unum annorum 400.

Observandum porro est non singulos Sermones ad cunctos hos codices exactos esse, sed tantum singulos ad aliquos; cum nullus horum manuscriptorum, exceptis Lugdunensi, Vallis-claræ ac Theodericensi, omnes aut prope omnes illos sermones contineat.

EPISTOLÆ IV. RECOGNITÆ SUNT.

Prima ad manuscriptum unum illustr. D. Abb. de Noailles ann. 600;
Secunda ad duos Longipontanos annorum 500.
Tertia ad Regium unum annorum 400.
Quarta ad alium Regium annorum 300.

PRECATIO SECUNDA ANTE MISSAM
emendata est ad manuscriptum Carnutensem unum ann. circiter 620.

COMMENTARIA IN APOCALYPSIN
CASTIGATA SUNT AD MSS.

Regium unum annorum 600.
Sagiensem unum annorum etiam 600.
Gemeticensem unum non multo inferioris antiquitatis.
Germanensem unum annorum circiter 400.
Et Fragmentum codicis S. Audoeni ann. 500.

LIBER DE POENITENTIA
COLLATUS FUIT CUM MSS.

Remigiano uno annorum 800.
Sorbonico uno annorum circiter 400.

LIBELLUS DE CONCORDIA MATTHÆI ET LUCÆ
emendatus est ad manuscriptum unum Victorinum annorum circiter 400.

INDEX

INDEX IN APPENDICEM.

A

B

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

Q

R

S

Index in Appendicem.

Index in Appendicem.

ERRATA IN APPENDICE.

COl. 353. e unus sunt. *l.* unum sunt.
Col. 413. e psalmis. *l.* palmis.
Col. 479. Lege titulum epistolæ in hunc modum.

Ambrosius Episcopus servus Christi Virginibus sacris.

FINIS.

